image
not
available

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — F
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

16.1.14.
16
F
14

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAXIMA BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM, ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Pariſienſi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI Doctorum ſtudio, plurimis Authoribus, & Opuſculis aucta, ac hiſtoricâ methodò per ſingula ſæcula quibus Scriptores quique vixerunt, diſpoſita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Colonienſem exacta, novis ſupra centum Authoribus, & Opuſculis hactenus deſideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni acceſſerunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vaſtiſſimâ collectione verè faces, & vt quis ad ipſorum lectionem introducatur, vtiliſſimi, imò omninò neceſſarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipſorum ætates, & ſcripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè diſtribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analyſim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum ampliſſimus.

Conſule quæ de his indicibus in ipſorum frontiſpicio, circa eorum vtilitatem, & vſum prænotata ſunt.

TOMVS VIGESIMVS,
Continens Scriptores ab ann. Chriſti 1120. ad ann. 1130.

Coll. Rom. S. J.
Soc. Jesu

LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ HOC SÆCVLI DVODECIMI PARTIS I. VOLVMINE II. ſeu TOMO XX.

BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.

HONORIVS *Auguſtodunenſis Presbyter*; floruit ſub Henrico V. Imperatore, qui anno 1124 obiit, ſcripſitque plurima Philoſophica & Theologica, ex quibus omnia quæ extant, habentur recenſita & aucta à P. Andrea Schotto S. I. fol. 963. Poſt ſigillum B. Virginis in Cantica Canticorum Ejuſdem Honorij alia expoſitio brevis in Cantica poſita eſt fol. 1226, quæ an ſit Honorij incertum eſt. Nos illam, quia in antiquiſſima editione quæ facta videtur initio naſcentis Typographiæ conjuncta fuit Honorio, ſub nomine authoris incerti poſuimus.

JSAAC *Magnæ Armeniæ Catholicus*, qui circa annum 1145 vixit, ſcripſit duas orationes invectivas contra Armenos. Extant fol. 1237 Interprete P. Combefis O. P. vide ab eo prænotata ante eaſdem.

GERMANVS *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, vixit hoc ſæculo, & ſcripſit præter alia, orationem in primam jejuniorum Dominicam & in ſanctarum & venerabilium imaginum reſtitutionem. Extat à P. Jacobo Gretſero S. I. edita fol. 1251. Ejuſdem quoque alia habetur in corporis Dominici ſepultura fol. 1254 Interprete P. Combefis O. P.

B. AMEDEVS *ex Monacho Ciſtercienſi Epiſcopus Lauſanenſis*, ſcripſit homilias octo de laudibus B. Virginis. Extant ex recognitione P. Gibboni S. I. fol. 1262. Vide plura de eo ad calcem harum homiliarum fol. 1278.

B. CALLIXTVS *Papa II*, ſcripſit Sermones 4 in S. Jacobum Apoſtolum, qui extant à P. Joanne Mariana S. I. primùm editi, fol. 1278

S. BRVNO *Aſtenſis*, *Signienſium Epiſcopus*, plurima ſcripſit quorum Elenchus initio operum præfixus eſt, eaque nunc primùm prodeunt ſtudio ac labore Domni Mauri Marcheſij Caſſinenſis Decani; qui & Prolegomena ac ſcholia ad pleniorem eorum notitiam addidit, quæ Lector conſulet. Hæc omnia habentur fol. 1294 uſque ad fol. 1816.

ODDO *Aſtenſis Monachus Benedictinus* expoſitionem ſcripſit in partem Pſalterij, ad Brunonem Epiſcopum Signinum. Extat fol. 1816. Indicat tamen author ſe in totum Pſalterium ſcripſiſſe; & præmiſſa expoſitio titulorum omnium Pſalmorum hoc teſtatur.

STEPHANVS *Auguſtodunenſis Epiſcopus*, ſive primus nomine; qui obiit circa annum 1130, ſive alter ejuſdem nominis, qui deceſſit anno 1189,

ſcripſit

ſcripſit tractatum de Sacramento altaris, & de iis quæ ad varios Eccleſiæ Miniſtros pertinent. Extat fol. 1872.

GVILLELMVS *de Campellis Epiſcopus Catalaunenſis*, ſcripſit Dialogum inter Chriſtianum & Judæum de adventu Meſſiæ, & aliis ad Religionem Chriſtianam ſpectantibus. Nunc primùm prodit ſtudio P. Roberti Deſgives Canonici Regularis Congregationis Gallicanæ, fol. 1884.

BIBLIO

Digitized by Google

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE SCRIPTORVM, SECVLI DVODECIMI

Partis Primæ Volumen ſecundum.

HONORII AVGVSTODVNENSIS PRESBYTERI OPERA PHILOSOPHICA AC THEOLOGICA

quæ reperiri potuerunt, omnia.

Recenſita & aucta per R. P. ANDREAM SCHOTTVM *Societatis Ieſu.*

CONTENTA HOC HONORII OPERE.

De mundi imagine Libri III.

LIB. I. De Mundo ſupero & infero, ſeu de Sphæra.
II. De temporum differentiis.
III. De temporum volubilitate, ſeu Chronologia.

De mundi Philoſophia Libri IV.

LIB. I. De Deo & Mundi fabrica.
II. De Mundi partibus.
III. De Elementis, & Orbibus cœleſtibus.
IV. De Terra, & Mundi ornatu: de Homine.
DE SOLIS Affectibus liber ſingularis.
Series Romanorum Pontificum.
De Luminaribus Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticis Scriptoribus.
Hæreſeon ab ortu Eccleſiæ Catalogus.
GEMMA ANIMÆ, ſiue de Diuinis Officiis, & antiquo ritu Miſſarum, Libri IV.
Ineuitabile, ſiue de Prædeſtin. &c.
In Salomonis Prouerbia, Eccleſiaſten, & nunc demum editus, in CANTICA Canticorum Commentarius.
Sigillum Beatæ Mariæ V. alia expoſitio in Cantica.

ANTONIVS HIERAT PIO Lectori Salutem.

DAMVS en, Lector, vno faſce publici boni gratiâ colligata HONORII Auguſtodunenſis, quæ quidem ad nos extant, *Omnia*, recenſita nunc demum à P. *Schotto* Soc. IESV, amico noſtro ſingulari: etſi membranis antiquis calamo exaratis hîc deſtitueretur. Sed qui Baſileæ primùm typis Cratandri ex parte ea in lucem protulit, is quatuor ſe nactum codices peramiquos IMAGINIS MVNDI, eoſque inuicem commiſiſſe profitetur. Altera verò editio quadrageſimo poſt anno ſecuta, eius ſæculi anno M. D. octogeſimo quarto Spiræ Nemeſum Bernadi Albini typis, ea longe & emendatior fuit & locupletior vno libro. Hoc opus video etiam à Ioan. Trithemio Abbate Spanheimenſi Hugoni Victorino attribui; non nemo Anſelmo Cantuarienſi adſcribit: Fortè quòd eadem tractantes titulum ſuæ Coſmographiæ tribuerint eundem. Adhæc *Incluſi*, alii *Solitarii* dant cognomentum; plerique *Presbyteri* vt eundem eſſe equidem opiner. Tertio denique pedatu acceſſit noſtræ editioni eiuſdem HONORII GEMMA ANIMÆ, ſeu *de Diuinis Officiis*, rituque ſacrificij Miſſæ libri IV. in quibus & de *Horis* agitur *Canonicis*: quos libros auctor *Honorius* libro De Luminaribus Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticorum Scriptorum extremo, ſuas enumerans vigilias pro ſuis agnoſcit; & principium de more Trithemius, vt legitimum, commemorat. Exiit hoc opus Lipſiæ quondam anno eius ſæculi quartodecimo poſt milleſimum quingenteſimum; & nuper Lutetiæ vulgatum in Liturgicis nihilo emendatius, cum tertia Veterum Patrum Bibliothecæ editione. Nos vniuerſa σποράδην edita coniunximus, vt vides, & paulò quàm anteà meliora fecimus, imo & locupletiora. Acceſſere etenim *in Prouerbia & Eccleſiaſten* Comment. & in Cantica Canticor.

ELOGIA HONORII.

Ex Libro HONORII. *De Luminaribus Eccleſiæ in extremo.*

HONORIVS *Auguſtodunenſis Eccleſiæ* Presbyter, & Scholaſticus non ſpernenda opuſcula edidit. [Quæ extant aſteriſco * notamus.]

Reperitur inter opera S. Anſelmi.

Elucidarium, tribus libellis. I. de Chriſto, Secundum de Eccleſia, Tertium de futura vita.

* Sigillum S. Mariæ, ſeu de B. Virgine. [Vidit hunc Trithemius, hoc allato initio: *Dicetis vos mirari cur.*]

* Ineuitabile, ſeu de libero arbitrio.

Speculum Eccleſiæ, ſeu Sermonum Lib. I.

Offendiculum, ſeu De incontinentia ſacerdotum.

Totius ſumma: ſeu Omnimoda hiſtoria.

* GEMMA *Animæ, ſeu De diuinis Officiis.*

Sacramentarium, de *Sacramentis*.

Neocoſmus, ſeu de primis ſex diebus.

Euchariſticon, de Corpore Domini.

Cognitio vitæ, ſeu de Deo & æterna vita.

*IMAGO MVNDI ſeu de diſpoſitione Orbis.

*SVMMA gloria, vel, Pontificum & Imperatorum Series.

* Scala cæli, de gradibus viſionum. [Puto eſſe librum *De Solis affectionibus.*]

De anima, De Deo, ex Auguſtino ſub Dialogo excerpta.

Pſalterij expoſitio cum Canticis, miro modo.

* CANTICA *Canticorum*, ita vt prius non videantur expoſita.

Euangelia, quæ B. Gregorius non expoſuit.

* CLAVIS *Phyſicæ*, ſeu de rerum naturis. [ſuſpicor eſſe libros IV. *De mundi Philoſophia.*]

Refectio mentium, ſeu De feſtis Domini & Sanctorũ.

Pabulum vitæ, De præcipuis feſtis.

* DE LVMINARIBVS ECCLESIÆ, De illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus.

Floruit ſub Henrico quinto Imperatore [ad annum M.CXX.]

IOANNES TRITHEMIVS *Abbas ſpanheimenſis.*

HOnorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter, & Scholaſticus, vir in Scripturis ſtudioſiſſimus & valdè eruditus, atque in ſæcularibus ſcientiis nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio: Scripſit multa præclara opuſcula, de quibus ipſe per ſe in libro *Illuſtrium virorum*, quem prænotauit: *De luminaribus Eccleſiæ* recenſuit ſubiecta.

Opus valde neceſſarium *de Chriſto, de Eccleſia, & de futura vita*, quem prænotauit: *Elucidarium* lib. 3.

De libero arbitrio lib. 1.

Sigillum Sanctæ Mariæ lib. 1. qui incipit: *Dicitis vos mirari cur.*

Speculum Eccleſiæ ſiue ſermonum lib. 1.

Offendiculum de ſacerdotibus lib. 1.

Gemmam animæ, de officiis Diuinis lib. 6. † qui incipiunt: *Agmen in caſtris æterni.*

† *Hodie tantū 4.*

De imagine mundi lib. 2. qui incipiũt: *Mundus dicitur.*

* *In Cantica Canticorum* lib. 1. qui incipit: *In Principiis librorum.*

De luminaribus Eccleſiæ lib. 1.

De corpore Domini lib. 1.

In Hexameron lib. 1.

De Deo & vita æterna lib. 1.

De anima lib. 1.

Scalam cœli, de gradibus viſionum lib. 1.

Clauem Phyſices de naturis rerum lib. 1.

In totum Pſalterium. lib. 1.

In Euangelia Homiliarum lib. 1.

De Papa & Imperatore lib. 1.

Dialogum ex opuſculis Auguſtini lib. 1.

Refectionem † *menſium*, de feſtis lib. 1.

† *Mentiō eſt in Honorio.*

Pabulum vitæ, de ſanctis lib. 1.

Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1.

Alia inſuper multa edidit, quorum titulos inuenire needum potui. Claruit ſub Henrico quinto, Anno Domini M.CXX.

Addunt Bibliothecæ, quod etiam commentaria *in libros Salomonis* † ſcripſerit, & quod libri duo *De imagine mundi* Anſelmo Cantuarienſi à quibuſdam adſcribantur. Verum hunc errorem ipſe hic author noſter refutat in hac ſua Synopſi lib. 2. ca. p93. vbi expreſsè dicit, ſe hos libros ſcripſiſſe anno Domini milleſimo centeſimo, & viceſimo: quadraginta videlicet annis poſt Anſelmum Cantuarienſem.

† *Exſtāt in Prouerbia in Eccleſiaſten.*

Et Philipppus Bergomas in ſupplemento Chronicorum lib. duodecimo Anſelmo vnicum tantùm *de Imagine mundi* adſcribit. Abbas verò Spanheimenſis inter ſcripta Anſelmi lib. *de Imagine mundi* non recenſet.

FR. SIXTVS SENENSIS *in Bibliotheca ſancta ad Pium Quintum, Lib. IV.*

HOnorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter, in Diuinis voluminibus aſſiduè verſatus, & omnibus liberalibus artibus imbutus, ſcripſit Latino, & eloquenti ſermone *In Hexameron* libr. vnum.

In Pſalterium librum vnum.

In Cantica Canticorum librum vnum. qui incipit: *In principiis librorum.* Claruit ſub Henrico Quinto Imperatore anno Domini M.CXX.

CAPITA SIVE TITVLI, LIBRORVM, *trium de Imagine Mundi.*

Libri primi *de Imagine Mundi* capita.

CAP. I.	*QVid ſit mundus.*
II.	*Quot modis mundus formetur.*
III.	*De quatuor Elementis.*
IV.	*De ſeptem nominibus Terræ.*
V.	*De forma terræ.*
VI.	*De quinque Zonis.*
VII.	*De habitabili Zona.*
VIII.	*Vnde dicatur Aſia, & quæ ſit prima eius regio.*
IX.	*De Paradiſo.*
X.	*De quatuor fluminibus.*
XI.	*De India*
XII.	*De monſtris.*
XIII.	*De beſtiis.*
XIV.	*De Parthia.*
XV.	*De Moſopotamia.*
XVI.	*De Syria.*
XVII.	*De Paleſtina.*
XVIII.	*De Ægypto.*
XIX.	*De Caucaſo & Orientis regionibus.*
XX.	*De minore Aſia.*
XXI.	*De regionibus Aſiæ.*
XXII.	*De Europa.*
XXIII.	*De Scytia.*
XXIV.	*De ſuperiore Germania.*
XXV.	*De inferiore Germania.*
XXVI.	*De Thracia.*
XXVII.	*De Græcia, vnde ſit dicta, & in qua parte ſita ſit.*
XXVIII.	*De Italia.*
XXIX.	*De Gallia.*
XXX.	*De Hiſpania.*
XXXI.	*De Britannia.*
XXXII.	*De Africa.*
XXXIII.	*De Æthiopia.*
XXXIV.	*De Inſulis & nouo, vt dicitur, orbe.*
XXXV.	*De Sicilia.*
XXXVI.	*De Sardinia.*
XXXVII.	*Quid ſit Infernus.*
XXXVIII.	*De aqua, quæ eſt ſecundum elementum.*
XXXIX.	*De Oceano.*
XL.	*De æſtu maris.*
XLI.	*De voragine.*

A X L I I. De terramotu.
X L I I I. De hiatu.
X L I V. De ſrigore.
X L V. De aquis dulcibus & falſis.
X L V I. De Mari rubro.
X L V I I. De natura aquarum, gemina & quare fontes in hyeme ſint calidi, in æſtate frigidi.
X L V I I I. De aqua calida vel putida.
X L I X. De aqua veneno infecta, ſeu de mortiferis aquis.
L. De mortuo mari, & natura bituminis.
L I. De piſcibus & auibus, ſeu aquarum animalibus.
L I I. Quando tempeſtas in mari, ſeu de ſignis in mari prognoſticis.
L I I I. De aëre, vbi dæmones ſint.
L I V. De ventis.
L V. De Cardinalibus ventis.
L V I. De nubibus.
B L V I I. De Tonitruo & fulminibus.
L V I I I. De Iride.
L I X. De pluuia.
L X. Quid grando ſit.
L X I. Quid ſit nix.
L X I I. Quid ros & pruina.
L X I I I. De nebula.
L X I V. De fumo.
L X V. De Igniculis.
L X V I. De Peſtilentia.
L X V I I. De Igni.
L X V I I I. De ſeptem Planetis
L X I X. De Luna.
L X X. Secundus Planeta, Mercurius.
L X X I. Tertius Planeta, Venus.
L X X I I. Quartus Planeta, Sol
L X X I I I. De ſignis Solis Prognoſticis.
L X X I V. Quintus Planeta, Mars.
L X X V. Sextus Planeta, Iupiter.
C L X X V I. Septimus Planeta Saturnus.
L X X V I I. De abſidibus Planetarum.
L X X V I I I. De coloribus Planetarum.
L X X I X. De via Planetarum.
L X X X. De Sono Planetarum.
L X X X I. De Cœleſti Muſica.
L X X X I I. De Homine microſcomo.
L X X X I I I. De menſura ſiue Planetarũ diſtantia.
L X X X I V. De Cœlo.
L X X X V. De Climatibus.
L X X X V I. De plagis.
L X X X V I I. De firmamento.
L X X X V I I I. De axe.
L X X X I X. De ſtellis.
X C. De ſideribus.
X C I. De Zodiaco.
X C I I. De Ariete.
X C I I I. De Tauro.
X C I V. De Geminis.
D X C V. De Cancro.
X C V I. De Leone.
X C V I I. De Virgine.
X C V I I I. De Libra.
X C I X. De Scorpio.
C. De Sagittario.
C I. De Capricorno.
C I I. De Aquario.
C I I I. De Piſcibus.
C I V. Hyades.
C V. Pleiades.
C V I. Arctos.
C V I I. Bootes.
C V I I I. Arcturus.
C I X. Phyton.
C X. Corona.
C X I. Hercules.
C X I I. Lyra.
C X I I I. Cygnus.
C X I V. Cepheus. E
C X V. Perſeus.
C X V I. Deltoton.
C X V I I. Serpentarius.
C X V I I I. Pegaſus.
C X I X. Delphinus.
C X X. Aquila.
C X X I. Sagitta.
C X X I I. Hydra.
C X X I I I. Crater.
C X X I V. Coruus.
C X X V. Orion.
C X X V I. Procyon.
C X X V I I. Canicula.
C X X V I I I. Lepus.
C X X I X. Eridanus.
C X X X. Cetus.
C X X X I. Centaurus.
C X X X I I. Ara.
C X X X I I I. Argo. F
C X X X I V. Piſtrix.
C X X X V. Canopus.
C X X X V I. Lactea Zona.
C X X X V I I. De Cometa.
C X X X V I I I. Aqueum Cœlum.
C X X X I X. Spirituale cœlum.
C X L. Cœlum cœlorum.

CAPITA LIBRI II. HONORII de Imagine mundi.

De Æuo. Cap. 1
De temporibus æternis. 2
De temporibus mundi. 3
De atomis. 4
De oſtentis. 5
De momentis. 6
De partibus. 7 G
De minutis. 8
De punctis. 9
De horis. 10
De quadrante. 11
De die. 12
De diebus longis & breuibus. 13
De ſignis Zodiaci & parallelis Solis. 14
De primo Circulo. 15
De ſecundo 16
tertio. 17
quarto. 18
quinto. Circulo. 19
ſexto. 20
ſeptimo. 21
octauo. 22
De quatuor Circulis Solis. 23
De varia dierum vmbra. 24
De Horizonte. 25
De dierum diuiſione. 26 H
De initio & fine dierum. 27
De nominibus dierum. 28
De nocte. 29
De vmbra. 30
De Eclipſi. 31
De ſeptem noctis temporibus. 32
De hebdomada. 33
De menſibus. 34
De menſium nominibus. 35
De menſibus Romanorum. 36
De Ianuario. 37
Februario. 38
Martio. 39
Aprili. 40
Maio. 41
Iunio. 42
Iulio. 43
Auguſto. 44
Septembri. 45

A Octobri. 46
Nouembri. 47
Decembri. 48
De Kalendis. 49
De Nonis. 50
De Idibus. 51
De Viciſſitudine anni. 52
De vere. 53
De Æſtate. 54
De Autumno. 55
De Hieme. 56
De inæqualitate temporis. 57
De Elementis. 58
De Homine Microcoſmo. 59
De Anno. 60
De anno Lunari. 61
De Solari anno. 62
De Biſſextili. 63
B De Mercurij anno. 64
Annus Veneris. 65
Martis. 66
Iouis. 67
Saturni. (l) 68
Annus Magnus. 69
De Anno ciuili. 70
De Biſſexto. 71
De Olympiadibus. 72
De Luſtris. 73
De Indictionibus. 74
De Ætate hominis & mundi. 75
De Sæculo. 76
De Decemnouennali Cyclo. 77
De Ogdoade. 78
De Cyclo ſolari. 79
De numero articulorum. 80
De Magno Anno. 8.69
De Cyclis. 82
C De Cycli auctoribus. 83
De Æquinoctio & Solſtitio. 84
De Saltu Lunæ. 85
De Minutis. 86
Feriæ regulares. 87
De Concurrentibus. 88
De Regularibus & Epactis. 89
Quot horis Luna luceat. 90
Luna quot partibus à Sole diſtet. 91
In quo ſigno Luna ſit. 92
De annis Domini. 93.inf.81
De Indictione inuenienda. 94
De Epactis inueniendis. 95
Solaris annus vt inueniatur. 96
Concurrentes quomodo inueniantur. 97
De inueniendo Biſſexto. 98
De inueniendo Cyclo Lunæ. 99
De Annis & Cyclis. 100
D De clauibus terminorum inueniendis. 101
De termino Paſchali. 102
De termino Septuageſimæ. 103
De Quadrageſimali. 104
De Rogationibus. 105
De Pentecoſte. 106
De Aduentu. 107
De Emboliſmo. 108
De diebus Ægyptiacis. 109

CAPITA LIBRI III.

De Imagine mundi.

Seu CHRONOLOGIÆ.

De Adam, Abel, & Cain.

Prima ætas.
Secunda ætas.
Regnum Aſſyriorum.
E Ægyptiorum.
Arcadum.
Tertia ætas.
Tempora Iudicum.
Primum bellum Ciuile.
Regnum Idumæorum.
Amazonum.
Troianorum.
Thebanorum.
Cretenſium.
Mycænorum.
Italorum, ſub Moyſe.
Quarta ætas mundi.
Regnum Hieruſalem vel Iuda.
Regnum Iſraël.
Macedonum ſub Ozia.
Albanorum.
Albanorum ſub Samſone.
F Romanorum.
Quinta ætas.
Regnum Babyloniorum.
Perſarum.
Alexandriæ.
Syriæ.
Conſules & Dictatores Romæ, ſub Cambyſe.
De Sacerdotibus.
Sexta ætas mundi.
De Auguſtis & Cæſaribus Rom. vſque ad Federicum I. Chriſtianorum perſecutio.
Secunda perſecutio.
tertia. quarta. quinta. ſexta. ſeptima. octaua. nona. decima. } perſecutio.

G

EPISTOLA CHRISTIANI ad Honorium Solitarium de Imagine mundi.

SEPTIFORMI ſpiritu in trina fide illuſtrato, ac ſeptenis riuis trifariæ Philoſophiæ mundato, *Chriſtianus*, poſt ſeptimanam huius vitæ ſeptem beatitudinibus laureari, & in octaua Trinitatem in vnitate contemplari.

Quia ignorans cum ignorantibus, ignorantiæ tenebris inuoluor: idcirco mœſtam lugubremque vitam, vt cœcus ducere videor. Quare quia te immenſa ſapientiæ luce circumfuſum cognoſco, cum multis aliis depoſco, H quatenus aliquam ſcintillulam tuæ flammiuomæ ſcientiæ, cum tibi non minuatur, nobis impertias: Expoſitionem orbis quaſi in tabella nobis deſcribas. Miſerum enim videtur res propter nos factas quotidie ſpectare, & cum iumentis inſipientibus quid ſint, penitus ignorare.

EPISTOLA HONORII ad Chriſtianum, de eodem.

SApientiæ alumno abdita diligenter ſcrutanti, in ſcientia profundo, vtique hominis ſalute nunc vigere, & poſt in Sion Dominum, in quo omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ ſunt abſconditi oculo ad oculum videre.

Cum iugiter lectioni ſtudioſus incumbas, ac totius ſcripturæ medullam ſitibundus exſugas; Poſcis à me amiciſſime, vt, quemadmodum vulgo dicitur, *Quod ouis à Capra petierit lanam*: Totius orbis tibi depingam formulam, in qua ſic oculum corporis valeas reficere, ſicut viſum cordis ſoles in machina vniuerſitatis depoſcere. Quod negotium ſudore plenum ipſe melius noſti,

Digitized by Google

A quam ſit laborioſum, quamque periculoſum. Laborioſum quidem mihi in aliis occupato. Periculoſum autem propter inuidos, qui cuncta quæ nequeunt imitari, non ceſſant calumniari, & quæ aſſequi non poſſunt venenoſo dente, vt *ſetiger* hircus lacerare non omittunt, & ea quæ publicè arguunt, furtiuè intentè legunt, atque de labore noſtro ſibi ſcientiam vſurpant: Quem, vt ſues margaritas, pedibus proculcant. Etenim verò cum non ſolum laborem meum, ſed & meipſum tibi debeam (præſertim cum me non mihi ſoli, ſed toti mundo genitum intelligam) omittens inuidos tabeſcentes, non me, ſed ſeipſos liuido corde corrodentes, ardua aggredior molimina Quia improbus labor, imo caritas vincit omnia. Ad inſtructionem itaque multorum, quibus deeſt copia librorum, hic libellus edatur: nomenque ei *Imago mundi* indatur, eo quod diſpoſitio, totius orbis in eo, quaſi in ſpeculo conſpiciatur: in quo etiam noſtræ amicitiæ pignus poſteris relinquatur. Hic nihil autem in eo pono, niſi quod maiorum commendat traditio.

B

HONORII AVGVSTODVNENSIS, De imagine mundi.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De Forma mundi.

Etymologia mundi. Figura mundi qualis.

MVNDVS dicitur quaſi vndique motus, eſt enim in perpetuo motu. Huius figura eſt in modum pilæ rotunda. Sed inſtar oui elementis diſtincta. Ouum quippe exterius teſta vndique ambitur, teſtæ albumen, albumini vitellum, vitello gutta pinguedinis includitur. Sic mundus vndique cœlo, vt teſta, circumdatur, cœlo verò purus æther vt album, ætheri turbidus aër, vt vitellum, aëri terra, vt pinguedinis gutta includitur.

C

CAPVT II.

De Creatione mundi.

Quinque modi creationis mũdi. Primus. Ioan. 1. Secundus. Tertius.

CReatio mundi quinque modis ſcribitur. Vno quo ante tempora ſecularia immenſitas mundi in mente Diuina concipitur, quæ conceptio archetypus mundus dicitur, vt ſcribitur: *Quod eſt factum in ipſo vita erat.* Secundo cum ad exemplar archetypi, hic ſenſibilis mundus in materia creatur. Sicut legitur: *Qui manet in æternum creauit omnia inſimul.* Tertio, cum per ſpecies, & formas ſex diebus hic mundus formatur, ſicut ſcribitur. *Sex diebus fecit Dominus opera ſua bona valde.* Quarto cum vnum ab alio, vtpote homo ab homine, pecus à pecude, arbor ab arbore, vnumquodque de ſemine ſui generis naſcitur. Sicut dicitur: *Pater meus vſque modo operatur.* Quinto cum adhuc mundus innouabitur, ſicut ſcribitur: *Ecce noua facio omnia.*

Gen. 1. Quartus. Quintus. Apocal.

D

CAPVT III.

De Quatuor elementis.

Elemẽta vnde dicantur. Quæ ſint elemẽta. Quomodo inuicem miſceantur Elementa.

ELementa dicuntur, quaſi Hyle ligamenta, ὕλη autem eſt materia, ex quibus conſtant omnia. Scilicet, Ignis, Aër, Aqua, Terra. Quæ in modum circuli in ſe reuoluuntur, dum ignis in aërem; aër in aquam; aqua in terram conuertitur, rurſus terra in aquam, aqua in aërem; aër in ignem commutatur. Hæc ſingula propriis qualitatibus, quaſi quibuſdam brachiis ſe inuicem tenent, & diſcordem ſui naturam concordi fœdere viciſſim commiſcent. Nam terra arida, & frigida frigidæ aquæ connectitur, Aqua frigida, & humida, humido aëri aſtringitur, Aër humidus & calidus, calido igni aſſociatur, Ignis calidus, & aridus, aridæ terræ copulatur. Ex his terra vt purà grauiſſima imum. Ignis vt purà leuiſſimus, ſupremum obtinet locum. Alia duo medium, quaſi quoddam ſoliditatis vinculum. Quorum aqua grauior, terræ proximum, Aër leuior igni primum poſſidet locum. Deputantur verò terræ, gradientia, vt homo, & beſtiæ. Aquæ, natantia, vt piſces. Aëri volantia, vt aues. Igni radiantia, vt Sol, & Stellæ.

Situs Elementorũ.

E

CAPVT IV.

De ſeptem nominibus Terræ.

IMum elementum ſeptem nominibus denotatur, quia *Terra, tellus, humus, arida, ſicca, ſolum & Ops,* nuncupatur. *Terra* à terendo dicitur, & totum elementum intelligitur. *Tellus* quaſi tollens fructus, quæ eſt frugibus apta, vel vinetis, fructiferiſque arboribus conſita. *Humus*, ab humore, quæ eſt paluſtris, & inarabilis. *Arida* inaquoſa, quæ ſemper feruore ſolis aret, vt Libya, *Sicca*, quæ aliquando complura cito exſiccatur, vt Iudæa. *Solum* à ſoliditate, vt ſunt montana. *Ops*, ab opibus, vbi diuitiæ, ſcilicet aurum & gemmæ abundant, vt in India.

Terra. Tellus. Humus. Arida. Sicca. Solum.

F

Ops.

CAPVT V.

De Forma terræ.

Terram eſſe rotundam.

TErræ forma eſt rotunda, vnde & orbis eſt dicta. Si enim quis in aëre poſitus eam deſuper inſpiceret, tota enormitas montium, & concauitas vallium minus tota enormitas montium, & concauitas vallium minus in ea appareret, quam digitus alicuius ſi pilam prægrandem in manu teneret. Circuitus autem terræ, centum & octoginta millibus ſtadiorum menſuratur, quod duodecies mille milliaria, & quinquaginta duo computatur. Hæc centrum in medio mundo, vt punctus in medio circuli æqualiter collocatur, & nullis fulcris, ſed Diuina potentia ſuſtentatur, vt legitur. *Non timetis me, ait Dominus qui ſuſpendi terram in nihilo, fundata enim eſt ſuper ſtabilitatem ſuam*, ſicut aliud elementum, occupans ſuæ qualitatis metam. Hæc in circuitu Oceano, vt limbo cingitur, vt ſcribitur, *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* Interius meatibus aquarum, vt corpus venis ſanguinum penetratur, quibus ariditas ipſius vbique irrigatur. Vnde vbicunque terra infoditur, aqua reperitur.

Circuitus terræ. Terra mundi centrum. Terra nullis fulcris ſuſtentatur. Iob. 38. Oceanus

G

ambit terram. Pſal. 103. Vena aquarũ & fontium.

CAPVT VI.

De quinque Zonis.

Circuli ſiue Zonæ. Inhabitabiles. Zonæ tres. Habitabiles duæ Oſtenditur exẽplo quo modo media duæ

QVinque autem Zonis, id eſt, circulis terra diſtinguitur. Quorum duo extremi ſunt inhabitabiles algore. Medius inhabitabilis calore, à quo ſol nunquam recedit: ad illos nunquam accedit. Medij duo habitabiles. Hinc ardore, inde rigore temperati. Verbi gratia. Si ignis in hyeme ſub dio accenditur, quinque lineas efficit, vnam in medio feruidam, duas circum gelidas, duas inter has temperatas. Qui ſi vt Sol circumiret, nimirum quinque circulos redderet. Ex his circulis. Primus Septentrionalis, Secundus ſolſtitialis, Tertius æquinoctialis, Quartus Brumalis, Quintus Auſtralis nominatur. Sed ſolus Solſtitialis à nobis inhabitari dinoſcitur.

H

Zonæ tãtum ſunt habitabiles. Quinque circuli.

CAPVT VII.

De Tribus partibus orbis habitabilis.

Partes terræ habitabiles tres.

HAbitabilis Zona, quæ à nobis incolitur in tres partes mediterraneo mari dirimitur. Quarum vna *Aſia*, altera *Europa*, tertia *Africa* dicitur. *Aſia*, à Septentrione per Orientem, vſque ad meridiem. *Europa* ab occidente, vſque ad ſeptentrionem. *Africa* à meridie vſque ad occidentem, extenditur.

CAPVT VIII.

De Aſia.

Paradiſus.

ASia, à regina eiuſdem nominis appellata. Huius prima regio in oriente è paradiſo; locus videlicet

mni amænitate conſpicuus, inadibilis hominibus, qui gneo muro vſque ad cœlum eſt cinctus.

CAPVT IX.

De Paradiſo.

Fons Paradiſi.

IN hoc lignum vitæ, videlicet arbor, de cuius fructu qui comederit, ſemper in vno ſtatu immortalis permanebit. In hoc etiam fons oritur, qui in quatuor flumina diuiditur. Quæ quidem flumina infra paradiſum terra conduntur: ſed in aliis longe regionibus funduntur.

CAPVT X.

De quatuor fluminibus.

Phyſon ſiue Ganges. Geo[n] ſi[ue] Nylus. Tygris. Euphrates.

NAm Phyſon, qui & Ganges in India de monte Orcobares naſcitur, & contra Orientem fluens Oceano excipitur. Geon, qui & Nilus iuxta montem Athlantem ſurgens, mox à terra abſorbetur, per quam occulto meatu currens, in littore rubri maris denuo funditur, Æthiopiam circumiens per Ægyptum labitur, in Septem oſtia diuiſus, magnum mare iuxta Alexandriam ingreditur. Tigris autem, & Euphrates in Armenia de monte Parchoatro funduntur, & contra meridiem vergentes mediterraneo mari iunguntur. Poſt Paradiſum ſunt multa loca deſerta & inuia, ob diuerſa ſerpentum, & ferarum genera.

CAPVT XI.

De India.

India vnde dicta. Mons Caucaſus. Indiæ termini. Indicus Oceanus. Inſula duas æſtates, & duas hyemes vno anno habens, omnique tempore virens. Mons Caſpius. Mare Caſpium. Gog. Magog. Garmani. Oreſtæ. Coatræ. Pygmæi. Piper album. Macrobij. Agroctæ. Bragmani. Qui parentes mactant. Qui Piſces crudos commedunt.

DEinde eſt India, ab Indo flumine dicta. Qui ad Septentrionem de monte Caucaſo naſcitur, & ad meridiem curſum ſuum dirigens, à rubro mari excipitur. Hoc India ab occidente clauditur, & ab hoc Indicus Oceanus dicitur. In quo etiam eſt ſita Taprobanes Inſula, decem ciuitatibus inclyta. Hæc duas æſtates, & duas hyemes vno anno habet, & omni tempore viret. In hoc etiam Chriſa, & Argare inſulæ, auro, & argento fœcundæ, & ſemper floridæ. Ibi ſunt & montes aurei, qui propter dracones, & gryphes non poſſunt adiri. In India eſt mons Caſpius, à quo Caſpium mare vocatur. Inter quem & mare Gog, & Magog ferociſſimæ gentes, à magno Alexandro incluſæ feruntur. Quæ humanis carnibus, vel crudis beſtiis veſcuntur. India habet quadraginta quatuor regiones, populoſque multos, Garmanos, Oreſtas, Coatras, quorum ſyluæ tangunt æthera. In montanis Pygmæos duorum cubitorum homines, quibus bellum eſt contra grues, qui tertio anno pariunt, octauo ſeneſcunt. Apud hos creſcit piper colore quidem albo: ſed cum ipſi Serpentes, qui ibi abundant, flamma fugantur: nigrum colorem trahit de incendio. Item Macrobios duodecim cubitorum longos, qui bellant contra Gryphes, qui corpora Leonum, alas, & vngulas præferunt aquilarum. Item Agroctas & Bragmanos, qui ſe vltro in ignem mittunt amore alterius vitæ. Sunt alij, qui parentes iam ſenio confectos mactant, & eorum carnes ad epulandum parant, iſque impius iudicatur, qui hoc facere abnegat. Sunt alij qui piſces ita crudos edunt, & ſalſum mare bibunt.

CAPVT XII.

De Monſtris.

Semel tantummodo parientes. Arimaſpi. Cyclopes. Scinopodæ.

SVnt ibi quædam monſtra, quorum quædam hominibus, quædam beſtiis aſcribuntur: vt ſunt ij, qui auerſas habent plantas, & octonos ſimul ſedecim in pedibus digitos, & alij, qui habent canina capita, & vngues aduncos, quibus eſt veſtis pellis pecudum, & vox latratus canum. Ibi etiam quædam matres ſemel pariunt, canoſque partus edunt, qui in ſenectute nigreſcunt, & longa noſtræ ætatis tempora excedunt. Sunt aliæ, quæ quinquennes pariunt: ſed partus octauum annum non excedunt. Ibi ſunt & monoculi, & Arimaſpi, & Cyclopes. Sunt & Scinopodæ, qui vno tantum fulti pede auram curſu vincunt, & in terram poſiti vmbram ſibi planta pedis erecta faciunt. Sunt alij abſque capite, quibus ſunt oculi in humeris, pro naſo & ore duo foramina in pectore, ſetas habent vt beſtiæ. Sunt alij iuxta fontem Gangis fluuij, qui ſolo odore cuiuſdam pomi viuunt, qui ſi longius eunt, pomum ſecum ferunt: moriuntur enim ſi prauum odorem trahunt.

Acephali. Solo odore pomi viuentes.

CAPVT XIII.

De Beſtiis.

Ceucocroca. Eale. Tauri indomiti. Manticora. Boues tricornes. Monoceres.

SVnt ibi Serpentes tam vaſti, vt Ceruos deuorent, & ipſum etiam Oceanum tranſnatent. Ibi eſt beſtia Ceucocroca, cuius corpus aſini clunes, Cerui pectus, & crura Leonis, pedes Equi, ingens cornu biſulcum, vaſtus oris hiatus, vſque ad aures. In loco dentium os ſolidum, vox pene hominis. Ibi eſt alia beſtia Eale, cuius corpus Equi, maxilla Apri, cauda Elephantis, cubitalia cornua habens, quorum vnum poſt tergum reflectit, cum alio pugnat. Illo obtuſo, aliud ad certamen vibrat. Nigro colore horret. In aqua, & in terra æqualiter valet. Ibi ſunt fului tauri, verſis ſetis horridi, grande caput, oris rictus ab aure, ad aurem patet. Hi etiam cornua viciſſim ad pugnam producunt, vel deponunt. Omne miſſile duro tergo reſpuunt. Qui ſi fuerint capti nulla poſſunt arte domari. Ibi quoque Manticora beſtia, facie homo, triplex in dentibus ordo, corpore Leo, cauda Scorpio, oculis glauca, colore ſanguinea, vox ſibilus Serpentum, fugiens diſcrimina volat, velocior curſu, quam auis volatu, humanas carnes habens in vſu. Ibi ſunt etiam boues tricornes, pedes equinos habentes. Ibi quoque Monoceros, cuius corpus equi, caput Cerui, pedes Elephantis, cauda Suis: Vno cornu, in medio fronte armatum quatuor pedum longo, ſplendenti, & mire acuto. Hæc beſtia nimis ferox, diros habet mugitos. Omne quod obſtat, cornu tranſuerberat. Captum poteſt perimi, non poteſt domari.

In Gange quoque ſunt anguillæ trecentorum pedum longæ. Ibi etiam quidam vermes, qui inſtar Cancri bina habent brachia, ſex cubitorum longa, quibus Elephantes corripiunt, & vndis immergunt.

Teſtudines grandes. Magnes. Adamas.

Indicum quoque mare gignit teſtudines, de quarum teſtis capacia hoſpicia ſibi faciunt homines.

India quoque Magnetem lapidem gignit, qui ferrum capit. Adamantem etiam, qui non niſi hircino ſanguine frangi poteſt.

CAPVT XIV.

De Parthia.

Parthia vnde dicta. Aracuſia. Aſſiria. Media. Perſida. Perſepolis. Magicæ artis origo. Pyrrhites. Synelites.

AB Indo flumine vſque ad Tygrim, eſt Parthia triginta tribus regionibus diſtincta. Dicitur autem Parthia à Parthis venientibus è Schytia. Eſt in ea regio Aracuſia, ab oppido Aracuſa dicta. Eſt etiam in ea Aſſiria ab Aſſur, filio Sem, qui eam primus incoluit nominata. Eſt in ea quoque Media, à Medo rege dicta, qui ciuitatem conſtruens Mediam nominauit, de qua & regio nomen mutuauit. In ea etiam Perſida à Perſeo rege dicta, qui ciuitatem Perſepolim ædificauit, de qua & regio nomen accepit. In hac primum orta eſt ars Magica. Perſida lapidem Pyrrhitem mittit, qui manum prementis vrit. Et Synelitem, cuius candor cum Luna creſcit, & deficit.

CAPVT XV.

De Meſopotamia.

Niniue. Babylonia. Babylon.

A Tygri flumine vſque ad Euphratem eſt Meſopotamia, à duobus fluuiis Græce ita dicta, quod in medio duorum fluminum ſit conſtituta. In hac eſt Ciuitas Niniue, itinere trium dierum, à Nino rege conſtructa, & nominata. In hac etiam regio Babylonia, à ciuitate Babylone nominata. Hanc Nemroth Gigas fundauit. Sed Semiramis regina reparauit. Cuius muri latitudo eſt quinquaginta cubitorum, altitudo ducentorum cubitorum, ambitus ciuitatis quadringentorum octoginta ſtadiorum. Centum portis æreis firmata. Flumio Euphrate per medium eius currente irrigua. Huius arx Babel quatuor millia paſſuum alta ſcribitur.

A *Chaldæa Aſtronomia vbi primum inuenta. Arabia. Saba. Mons Syna Madian.*

In ea quoque eſt Chaldæa, in qua primum inuenta eſt Aſtronomia. In ea & Arabia, quæ etiam Saba dicitur à Saba filio Chus. In hac thus colligitur. In hac eſt mons Sina, qui & Oreb, in quo Lex à Moyſe ſcribitur accepta, iuxta quem vrbs Madian fuit, in qua Iethro Sacerdos præfuit. In ea ſunt gentes multæ, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, Sarraceni, Madianitæ, & aliæ multæ.

CAPVT XVI.

De Syria.

Damaſcus. Reblata. Comagena prouincia B *Phœnicia. Tyrus. Sortyx. Sidon. Lybanus mons. Fons Iordanis. Palæſtina Aſcalon. Ieruſalem Chananæa.*

AB Euphrate vſque ad mare mediterraneum eſt Syria, à quodam Syro rege dicta, in qua eſt Damaſcus, à Damaſco Abraæ liberto conſtructa & dicta, olim Rebiata vocata, Eſt in ea Comagena prouincia. Eſt & Phœnicia, à Phœnice aue, quæ ſola in hac terra inuenitur, ſiue à Phœnice rege, filio Agenoris dicta. In hac ſunt Tyrus quæ & Sortyx, & Sidon ciuitates ſitæ. In hac etiam mons eſt Lybanus, ad cuius radicem oritur Iordanis fluuius. Eſt in ea quoque Palæſtina, à ciuitate Palæſtin, quæ nunc Aſcalon vocatur, dicta. Eſt in ea Iudæa, à Iuda filio Iacob, de cuius tribu reges erant, nuncupata. In hac etiam Chananæa à Chanaan filio Cham dicta. In hac eſt Ieruſalem, quam Sem filius Noſiæ conſtruens Salem nominauit. Sed Iebus, & filius Chanaan, inhabitauit, vnde Iebus, & Salem dedit ei nomen rex Dauid Ieruſalem, quaſi Iebuſalem. Quam Salomon filius eius auro, & gemmis decorauit, Ieroſolyniam quaſi Ieruſalemoniam appellauit. Quam à Babyloniis ſubuerſam, Zorobabel reædificauit, ſed Romanus exercitus poſtea funditus deleuit Hanc poſtmodum Ælius Adrianus Imperator reparauit, Æliamque nominauit.

CAPVT XVII.

De Paleſtina.

C *Samaria. Sebaſtia. Sichiſma. Galilæa. Nazareth. Pentapolis. Sodoma. Gomorra Mare mortuū. Saraceni. Agareni. Iſmaelitæ Nabathæi.*

EſT & in Palæſtina regio Samaria, à ciuitate Samaria dicta, quæ nunc Sebaſtia eſt nuncupata, olim Sichima, à Sichem vocata. In hac eſt quoque Galilæa, in qua eſt Nazareth ciuitas, iuxta montem Thabor ſita. In hac eſt & Pentapolis regio, à quinque ciuitatibus dicta. In qua olim fuit Sodoma, & Gomorrha. In hac eſt mare mortuum, à quo fluenta Iordanis abſorbentur. In hac etiam Sarraceni, à Sara dicti, qui & Agareni, ab Agar, Item Iſmaelitæ ab Iſmael nuncupati. In hac & Nabathæi à Nabaioth filio Hiſmael dicti. Quorum gentes ſunt duodecim.

CAPVT XVIII.

De Ægypto.

D *Euxia poſtea Ægyptus dicta.* Δ *Thebaida. Thebe. Monachi Babel. Ægypt. Alexandria.*

HÆ ſuperius dictæ regiones, ab oriente incipientes, recta linea ad mediterraneum mare extenduntur. Quibus vſque ad Auſtrum Ægyptus connectitur, in qua viginti quatuor gentes eſſe feruntur. Hæc in oriente à rubro mari ſurgit, terminum ſuum verſus occidentem in Lybia figit. Hæc prius & Bona copia: Euxia dicta, poſtea ab Ægypto rege fratre Danai Ægyptus eſt vocata, Hæc fluuio Nilo vndique cincta, in modum Deltæ literæ eſt formata, centum millibus villarum inclita. Hanc nubes non obſcurant, pluuiæ non irrigant, ſed Nilus inundans eam fœcundat. In hac eſt prouincia Thebaida, à ciuitate Thebe cognominata, quam Cadmus Agenoris filius in Ægyptum veniens ædificauit, Thebas ſecundum illam quam in Bœotia conſtruxit, nominans. In hac Mauritius principabatur, & ab hac Thebæi dicuntur. Huic maxima adiacet ſolitudo, in qua olim conuerſabatur monachorum multitudo. Cambyſes Rex Ægyptum ſuperans ciuitatem condidit, cui nomen Babylon indidit, quæ nunc caput illius regni exiſtit. In hac & victor Alexander ciuitatem ædificauit, quam ex ſuo nomine Alexandriam nuncupauit.

CAPVT XIX.

De Caucaſo & regionibus Orientis.

E *Amazones. Maſſagetæ. Colchi. Sarmatæ. Seres. Bactra. Hircania. Hirnia. ſ. Hybernia. Scythia. Hyperborei montes Albania. Armenia.* F *Arath mons. Iberia. Cappadocia.*

SVpraſcriptis regionibus, vſque ad Aquilonem annectuntur hæ regiones. Mons Caucaſus à Caſpio mari Orientis attollitur, & per Aquilonem vergens pene vſque ad Europam porrigitur. Hunc inhabitant Amazones, fœminæ, videlicet, vt viri præliantes. His cohabitant Maſſagetæ, & Colchi, & Sarmatæ. Seres eſt oppidum Orientis, quo Serica regio, & veſtis, & gens eſt dicta. Poſt hanc eſt Bactra à Bactro amne vocata. Huic coniungitur Hyrcania, ab Hyrcana Sylua nominata, in qua ſunt aues, quarum pennæ ſplendent per noctes. Huic iungitur Scythia, & Hirnia, quarum gentes ſunt quadraginta quatuor. Ibi ſunt Hyperborei montes. Hanc ſequitur Albania, à candore populi dicta, eo quod albo crine ibi naſcantur. Cui connectitur Armenia, in qua eſt mons Arath, ſuper quem archa Noe poſt diluuium requieuit, cuius vſque hodie ligna ibi videntur. Huic copulatur Iberia. Illi verò Cappadocia à ciuitate eiuſdem nominis dicta. In hac equæ à vento concipiunt, ſed fœtus non amplius triennio viuunt.

CAPVT XX.

De Aſia minore.

Epheſus. Corpus Ioan. Euan. Epheſi quieſcit. Nicæa ciuitas. Bythinia. Nicomedia.

ASia minor poſt hanc conſtituitur, quæ penè vndique mari cingitur. In hac eſt Epheſus ciuitas ab Amazonibus conſtructa, in qua requieſcit corpus Ioannis Euangeliſtæ, in hac etiam ciuitas Nicea, in qua magna Synodus eſt facta. Prima prouincia Aſiæ minoris eſt Bythinia, prius Berica, poſt Migdonia, mox à Bythino Rege Bythinia appellata. In qua eſt ciuitas eiuſdem nominis. In hac eſt etiam ciuitas Nicomedia à Nicomede rege conſtructa & dicta.

CAPVT XXI.

De regionibus Aſiæ.

G *Smirna. Galatia. Phrygia. Troia. Lycaonia. Caria. Hirnus fl. Lydia. Thiatira. Iſauria.* H *Cilicia. Amana. mons, qui & Taurus Tharſus. Lycia. Piſidia Pamphilia Euxinus pontus.*

BYthinia quoque dicitur Maior Phrygia, in qua eſt ciuitas Smirna, à Theſeo rege conſtructa. Huic iungitur Galatia, à Gallis dicta, quos Bythinus rex in auxilium euocauit & poſt victoriam eis terram diuiſit. Hanc ſequitur Phrygia, à filia Europæ Phrygia ſic nominata. Hæc & Dardania à Dardano, Iouis filio dicta. Et in ea ciuitas eiuſdem nominis, ab eodem conſtructa. In hac eſt etiam ciuitas Troia, à Troo rege conſtructa & nominata. Hæc quoque Ilium ab Ilo rege eſt dicta. Huius mœnia dicuntur Pergama. Huic adiacent Lycaonia, & Caria, vbi fluit Hirnus fluuius aureis arenis famoſus. Inde eſt Lydia à Lydo rege, fratre Tyrreni appellata. In hac etiam Thiatira. Deinde eſt Iſauria, ab aura, qua vndique perflatur, dicta. Poſt hanc eſt Cilicia, à ciuitate eiuſdem nominis nuncupata quam Cilix filius Agenoris conſtruxit, & ab illa regio nomen accepit. In hac eſt mons Amana, qui & Taurus. In hac & Tharſus ciuitas, à Perſeo conſtructa, Pauli Apoſtoli inhabitatione glorioſa. Deinde eſt Lycia & Piſidia & Pamphylia. Euxinus Pontus regio multarum gentium, à qua & Ponticum mare appellatur. In quo Ouidius, & poſtea Clemens exilio releganturs.

Poſt decurſam Aſiam, tranſeamus ad Europam.

CAPVT XXII.

De Europa.

Ryphæi montes. Tanais fl. Mæotides paludes. Theodoſia.

EVropa ab Europe rege, & ab Europa filia Agenoris eſt nominata. In qua imprimis verſus Septentrionem ſunt Ryphæi montes, & Tanais fluuius, à Tanao rege dictus, & Mæotides paludes, magno mari iuxta Theodoſiam vrbem, ſeiungentes.

CAPVT

A

CAPVT XXIII.

De Scythia.

A Thanai fluuio eſt Scythia inferior, quæ verſus meridiem, vſque ad Danubium porrigitur. In hac ſunt iſtæ prouinciæ, Alania, Dacia, Gothia.

CAPVT XXIV.

De Germania ſuperiore.

Germania vnde dicta. Limites & fines. Germania ſuperioris. Suenia. Rethia.

A Danubio vſque ad Alpes eſt Germania ſuperior, quæ à germinando populos, dicitur. Verſus occaſum Rheno: verſus Aquilonem Albia fluuio terminatur. In hac eſt regio Sueuia, à monte Sueuo dicta. Hæc & Alemania à Lemano lacu appellata. Hæc & Rethia dicta. In hac Danubius naſcitur, & ſexaginta præcipuis fluuiis augetur, & in ſeptem oſtia vt Nilus diuiſus Ponticum mare ingreditur. Eſt in ea Noricus, quæ & Bauaria, in qua eſt ciuitas Ratiſpona. Tum & Orientalis Francia, cui coniungitur Turingia quam Sequitur Saxonia.

B

Bauaria. Ra'iſpona. Francia Orientalis. Turingia.

CAPVT XXV.

De Germania inferiore.

Dania i. Noruuegia. Meſſias. Pa: nonie :ſerior. Bulgaria.

AB Albia eſt Germania inferior, quæ verſus Aquilonem Oceano excipitur. In hac eſt Dania, & Noruuegia. A Danubio, imo circa Danubium verſus orientem, vſque ad mare mediterraneum eſt Meſſias, à Meſſium prouentu dicta, deinde Pannonia inferior, & Bulgaria.

CAPVT XXVI.

De Thracia.

Heber fl.

INde Thracia, à Tras filio Iapheth dicta. Hæc habet Hebrum fluuium, & ciuitatem Hebron ibi conſtructam & dictam.

C

CAPVT XXVII.

De Græcia.

Cethim. Illyricus. Dalmatia. Epirus. Fons in Epiro. Chaonia. Moloſia. Elladia. Attica. Athenæ. Beotia. Thebani & Thebæi differunt.

A Mediterraneo mari eſt Græcia, à Græco rege dicta, terra C:thim olim vocata, & verſus Auſtrum magno mari terminatur. Quæ etiam Illyricus nominata, & in ea prouincia Dalmatia à Dalmi ciuitate vocata. Eſt & Epirus à E'io Achillis Pyrrho ſic dicta. In Epiro eſt fons in quo fac:s accenſæ extinguntur, & iterum extinctæ, accenduntur. Eſt & Chaonia, à ciuitate eiuſdem nominis appellata, quam Helenus frater Hectoris ædificauit, & ob amorem fratris ſui Chaonis Chaoniam appellauit. Hæc & Moloſia, à ciuitate Moloſia dicta, quam Moloſſus filius Pyrrhi conſtruxit, & à nomine ſuo Moloſiam vocauit. Eſt ibi & Elladia, ab Ellade rege, filio Deucalionis & Pyrrhæ dicta. Ipſa eſt & Attica, ab Atti rege. Ipſa eſt vera Græcia. In hac eſt ciuitas Athenæ à Cecrope Rege conſtructa: Ibi eſt & Beotia à Boue dicta, quia Cadmus filius Agenoris illò veniens, bouem reperit, quem Diis immolans Thebas conſtruxit. Prouinciam Beotiam nuncupauit, de hac dicuntur Thebani, de alia Thebæi. Eadem prouincia dicitur Aonia à fonte Aon Muſis conſecrato. Ibi eſt & Peloponeſus, à Pelope rege, & ciuitate eiuſdem nominis dicta. Ibi & Theſſalia, à rege Theſſalo dicta. Ibi & Macedonia, à Macedone rege appellata. Hæc & Æmathia, ab Æmatho rege vocata: in hac eſt mons Olympus, qui excedit nubes. In hac eſt & Theſſalonica, à Theſſalo rege filio Græci conſtructa. Ibi eſt & Achaia, ab Achæo rege & ciuitate eiuſdem nominis, dicta. Ibi & Arcadia, quæ & Sycionia à Sycione rege nuncupata. Arcadia, Arbaſton lapidem mittit, qui ſemel accenſus extingui non poteſt. Deinde eſt Pannonia ſuperior vſque ad Peninum montem. Ad Aquilonem eius Hiſtria, ab Hiſtro amne, qui & Danubius, nominata.

D

Aonia. Peloponeſus. Theſſalia. Macedonia. Æmathia. Olympus mons. Theſſalonica. Achaia. Arcadia. Arba:ſtus lapis. Pannonia ſuperior. Mons Peninus. Hiſtria.

E

CAPVT XXVIII.

De Italia.

Varia Italiæ appellationes. Roma. Ciuitatũ forma ſecundum feras. Roma formam Leonis habet. Brunduſium formam cerui habet. Cartago bouis.

ITalia olim magna Græcia eſt dicta, poſtea à Saturno, eſt Saturnia appellata. Mox Latium, eo quòd Saturnus pulſus à Ioue ibi latuit, dicta. Deinde Auſonia ab Auſone rege. Tandem ab Italo rege Siculorum Italia vocata. Hæc ab Alpibus ſurgit, & in magno mari terminum figit. In hac eſt vrbs Roma, à Romulo conſtructa, & ſic dicta. Antiqui ciuitates ſecundum præcipuas feras, ob ſignificationem formabant. Vnde Roma formam leonis habet, qui cæteris beſtiis quaſi rex præeſt. Huius caput eſt Vrbs à Romulo conſtructa: lateritia verò ædificia vtrobique diſpoſita: vnde & Lateranis dicitur. Brunduſium autem formam cerui, Carthago bouis, Troia equi figuram habuit. Eſt in Italia Thuſcia prouincia, à Thure, & ſacrificiis dicta. Eſt & Campania, à Capua ciuitate dicta, à Capi rege conſtructa. Ibi eſt & Apulia. Eſt & Imbria, inde dicta, quod imbribus tempore diluuij ſuperfuit. Eſt & Hetruria ab Hetruſco rege dicta. Eſt & Longobardia à longis barbis vocata. Padus, qui & Eridanus Italiæ fluuius ab Appenninis montibus oritur, ac mari immergitur. Venetia ab Eneco rege, prius Benetia dicta, deinde Venetia. Gallia à candore populi dicitur, Gala enim Græcè lac dicitur. Rhenus ab alpibus naſcitur, & contra Aquilonem vergens, ſinu Oceani excipitur.

F

Troia equi. Thuſcia. Cãpania. Apulia. Imbria. Hetruria. Longobardia. Padus & Eridanus. Venetia. Gallia vnde ſic dicta.

CAPVT XXIX.

De Gallia.

Rheni fõs. Gallia. Belgica. Francia. Francus Rex. Gallia

A flumine Rheno eſt Gallia Belgica, à ciuitate Belgis dicta. Hæc à monte Iouis ſurgit, & verſus Aquilonem Britannicum Oceanum incidit. Hæc & Francia à Franco rege eſt dicta, qui de Troia cum Ænea veniens, Troiam iuxta Rhenum condidit, terram Franciam cognominauit, Hanc verſus occidentem excipit Lugdunenſis Gallia, quæ & Comaga, ob longas comas eſt dicta, & Togata à longis veſtibus: quæ verſus Auſtrum habet Narbonenſem Galliam à ciuitate Narbonâ dictam, verſus Occidentem Aquitaniam ab aquis dictam Rodano, & Ligere.

G

Lugdunenſis. Comaga. Togata. Gallia Narbonenſis. Aquitania.

CAPVT XXX.

De Hiſpania.

Hiberus fl. Sex Hiſpaniæ prouinciæ.

INde eſt Hiſpania ab Hiſpano rege dicta, prius Hiberia, ab Hibero flumine, & Heſperia, ab Heſpero rege nominata. Hæc verſus occaſum Oceano terminatur. Sunt in ea ſex prouinciæ: Tarracona, Carthago, Luſitania, Galatia, Betica, Tinguitania à præcipuis ciuitatibus dictæ.

CAPVT XXXI.

De Britannia.

Britãnia. Anglia.

H

Hibernia. Tanatos terra ſerpentes perimens. Iſole. Orcades. Scotia. Chile. Mare congelatum.

COntra Hiſpaniam verſus occaſum ſunt in Oceano hæ inſulæ. Britannia, Anglia, Hibernia, Tanatos, cuius terra quouis gentium portata ſerpentes perimit. Iſole in qua fit ſolſticium. Orcades triginta tres. Schotia, Chile cuius arbores nunquam folia deponunt, & in qua ſex menſibus, videlicet æſtiuis, eſt continuus dies: Sex hybernis continua nox. Vltra hanc verſus Aquilonem, eſt mare congelatum, & frigus perpetuum. Europam perambulauimus. Ad Africam tranſmigremus.

CAPVT XXXII.

De Africa.

Lybia. Paratonium.

AFrica ab Apher vno ex poſteris Abrahæ eſt dicta. Hæc in oriente Indi fluminis ſurgit, & per meridiem vergens in occidentem tendit. Huius prima prouincia eſt Lybia, à regina eiuſdem nominis dicta. Hæc à Paratonio ciuitate & montibus Catabachmoniis initium ſumit, & in aris Philenorum finitur. De hac Lybicum mare dicitur. Inde eſt Cyrenaica à ciuitate Cyrene

A

Montes Catacachmonij. Ara Philenorum. Cyrenaica. Cyrene. Pentapolis. Tripolis. Biſace. Heuſis. Carthago Carthaginis deſcriptio. Getulia. Numidia. Hypone.

nominata. Sed à regina eiuſdem nominis conſtructa, & dicta. Hæc & Pentapolis à quinque ciuitatibus eſt dicta. Scilicet Berenice, Arſinoe, Ptolemaide, Apollinea, Cirene, à propriis conditoribus ita dictæ. Inde Tropolis à tribus ciuitatibus dicta, quæ ſunt Occaſa, Berete, & Lepris magna. Poſt hanc Biſace, à duabus vrbibus dicta, id eſt, Adromeus, & Bizantium. Deinde eſt Heuſis, in qua eſt magna Carthago à Didone, quæ & Eliſa conſtructa, & Carthâda, à Cartha oppido nominata. Sed à Romanis deleta & denuò reædificata Carthago eſt appellata. Huius muri latitudo fuit, ſeptem & decem cubitorum: Poſt hanc eſt Getulia. Inde Numidia, in qua regnauit Iugurta. In hac eſt ciuitas Hypone, in qua fuit Auguſtinus Epiſcopus. Inde eſt Mauritania, à nigredine dicta. In hac eſt prouincia Stiffenſis, à Stiffi opido. Alia Cæſarienſis, à ciuitate Cæſaria dicta. Tertia Tingitania à ciuitate Tingi nuncupata.

B

Mauritania. Stiffis. Cæſaria. Tingitania.

CAPVT XXXIII.

De Æthiopia.

Saba. Garamantes. Fõs apud Garamantes. Troglodita. Gades. Gaditanũ mare. Athlãticũ mare. Aſtrologia vbi deſcripta.

VErſus Meridiem verò eſt Æthiopia, ab Ethan dicta, vna in Oriente, in qua eſt Saba vrbs, de qua fuit illa regina, quæ ad Salomonem venit: Altera in Occidente. Inter quas ſunt Garamantes, à Garama ciuitate dicti. Apud quos eſt fons tam frigidus diebus, vt non bibatur: tam feruidus noctibus, vt non tangatur. Quibus verſus Orientem cohabitant Troglodiræ, qui celeri curſu feras capiunt. Intra Æthiopiam ſunt maxima loca deſerta, ob ſolis ardorem, & diuerſi generis ſerpentia hominibus incognita. Deinde eſt maximus Oceanus, qui ſolis calore dicitur feruere, vt cacabus. In extremis finibus Africæ verſus Occidentem eſt vrbs Gades, à Phœnicibus conſtructa, de qua Gaditanum mare dicitur. In ipſo verò Oceano eſt mons Atlas altiſſimus, vnde Athlanticum mare appellatur. Athlas autem erat rex Africæ, frater Promethei, à quo mons nomen accepit, quia in eo reſidens, Aſtrologiam deſcripſit, vnde & cœlum ſoſtinere dicitur. Peragratis Africæ finibus, ad inſulas maris accedamus.

C

CAPVT XXXIV.

De Inſulis, & nono, vt dicunt, orbe.

Cyprus. Paphus. Creta. Mare Adriaticũ. Abydos. Helleſpontus. Coos. Cyclades. Rodus. Æreus. Coloſſus ſeptuaginta cubitorum altus. Tenedus. Carpathos. Carpãtiũ mare. Citheræa.

INſulæ ſunt dictæ, quaſi in ſalo ſitæ. In mediterraneo mari eſt Cyprus inſula contra Syriam, à Cypro ciuitate dicta. Hæc & Paphus, à ciuitate eiuſdem nominis. Creta à Creto rege dicitur. Hæc & Centapolis, à Centum vrbibus nuncupata. Hæc ſita eſt contra Lybicum mare, quod & Adriaticum, ab Adria ciuitate dicitur. Abydos eſt inſula in Helleſponto, in Europa. Helleſpontus ab Helle ciuitate dicitur. Coos Inſula Atticæ. Cyclades dicuntur, quod in rotundo ſint poſitæ. Cyclus enim dicitur orbis. Sunt autem quinquaginta quatuor contra Aſiam poſitæ. Harum prima Rodus à ciuitate eiuſdem nominis dicta ad Orientem eſt poſita. In hac fuit olim Æreus Coloſſus ſeptuaginta cubitorum altus. Tenedus ad Septentrionem eius poſita, à ciuitate Tene, & eius conſtructore eiuſdem nominis dicta. Carpathos ad meridiem ipſius contra Ægyptum poſita. Vnde & Carpatium mare, & Carpatiæ naues. Cytheræa ad occaſum eſt ſita, à Cithero monte dicta. Hæc & Porphyris dicitur. Delos in medio Cycladum ſita, à ciuitate eiuſdem nominis dicta. Hæc tempore Diluuij ſub Ogygio facto primum apparuit, vnde & Delos nomen accepit, quia Delos manifeſtum ſonat. Hæc & Ortyga ab Ortygometis, id eſt, coturnicibus, quæ primum ibi viſæ ſunt. Icaria inſula à Puero Cretenſi naufrago eſt dicta, à qua Icarium mare dicitur. Naxon inſula Dionyſij, qui & Bacchus. Melos, quæ & Storia rotunda inſula. Paron à ciuitate eiuſdem nominis dicta, à Paro Iaſonis nepote conſtructa. Hæc gignit marmor candidiſſimum, quod Parium dicitur, & Sardium lapidem. Cidon eſt inſula: in hac Maſtix naſcitur. Samos inſula à Samo ciuitate dicta, in Ægæo eſt mari ſita. De hac fuit Sybilla, & Pithagoras. In hac fictilia vaſa ſunt reperta.

D

Delos. Coturnices vbi primum viſa. Icaria. Naxos. Melos. Paros. Parium marmor. Lapis Sardius. Cidon. Samos. Fictilia vaſa vbi reperta.

E

CAPVT XXXV.

De Sicilia.

Trinacria. Æthna mons. Scylla. Charybdis. Comœdia vbi inuenta. Vulcania. Stæchades.

SIcilia à Siculo rege dicitur. Italia dicta. Prius Sycania, à Sycano rege cognominata, contra Italiam ſita. Hæc & Trinacria, à tribus montibus dicitur. In hac eſt mons Æthna cuius ſulfurea exæſtuant incendia. In huius freto eſt Scylla & Charybdis. In hac erant olim Cyclopes. In hac inuenta eſt Comœdia. Eoliæ inſulæ ab Eolo rege dictæ iuxta Siciliam poſitæ. Hæ & Vulcaniæ, quia incendio ſunt plenæ. Sunt verò nouem Stæchades inſulæ contra Maſſiliam ſitæ.

CAPVT XXXVI.

De Sardinia.

SArdinia à Sardino rege Herculis filio dicta, contra Numidiam eſt ſita. In hac nec ſerpentes, nec lupi gignuntur. In ea eſt Solifuga animal vt aranea, morſu homines perimens. In ea eſt & herba ſimilis apiaſtro, quæ comedentibus rictus contrahit, & quaſi ridentes interimit. In hac ſunt fontes calidi, infirmis medela, furibus inferentes cæcitatem. Corſica, à Corſa muliere dicta, contra Lyguriam ſita: quæ primitus taurum ſuum quæſitura illuc venit, & referens loci fertilitatem, à Lyguribus inhabitari cœpit. Hæc & Cyrene à Cyrino Herculis filio eſt dicta, quia ab eo eſt inhabitata. Eboſus inſula contra Hiſpaniam. Hanc fugiunt ſerpentes. Ibi eſt & Colubria plena ſerpentibus. Ibi & Baleares Inſulæ. In his inuentæ ſunt fundæ. Gorgodes inſulæ in Oceano iuxta Athlantem. In his olim habitauerunt Gorgones. Iuxta has Heſperides, ab Heſperia ciuitate dictæ. In his oues albis velleribus abundabant, quæ ad purpuram optimè valebant. Vnde dicitur fabuloſè Aurea mala habuiſſe. Miclon enim dicitur ouis Græcè. Inter has fuit illa magna, quæ Platone ſcribente cum populo eſt ſubmerſa, quæ Africam & Europam ſua magnitudine vicit, vbi nunc eſt Concretum mare. Meroe inſula eſt in Nilo flumine, in capite Æthiopiæ, in qua abſumitur vmbra in æſtate. In hac eſt lignum Hebenum, iuxta quam eſt ciuitas Syene, in qua eſt puteus a Philoſophis factus, ſexaginta cubitorum altus: In cuius fundum ſplendet Sol recto radio in menſe Iunio. Eſt quædam Oceani inſula dicta Perdita, amænitate & fertilitate omnium rerum præ cunctis terris longe præſtantiſſima, hominibus ignota. Quæ aliquando caſu inuenta, poſtea quæſita non eſt inuenta, & ideò dicitur Perdita. Ad hanc fertur Brandanus veniſſe.

F

Fõtes calidi cæcitatem furibus inferentes. Corſica. Cyrene. Eboſus. Colubria Inſula. Baleares. Funda vbi inuenta. Gorgodes inſulæ. Heſperides. Aurea poma. Mare cõcretum. Meroe. Syene.

G

Perdita inſula.

CAPVT XXXVII.

De Inferno.

Inſulas circumiuimus, nunc inferna etiam petamus.
De nominibus inferni.

Infernus quid.

INfernus ideo dicitur infernus, quia inferius eſt poſitus. Sicut enim terra eſt in medio aëre: Ita eſt infernus in medio terræ. Vnde & nouiſſima terra dicitur. Eſt autem locus, igne & ſulphure horridus, inferius dilatatus, ſuperius coanguſtatus. Hic *lacus* vel *terra mortis* dicitur, quia animæ illuc deſcendentes veraciter moriuntur. Hic & *ſtagnum ignis* dicitur: quia vt lapis mari: ita animæ illi immerguntur. Hic *terra tenebroſa* vocatur: Quia fumo & fœtoris nebula obſcuratur. Hic terra obliuionis nuncupatur, quia ſicut ipſi obliti ſunt Dei: Ita eorum obliuiſcitur Deus miſereri. Hic dicitur Tartarus ab horrore, & tremore, quia ibi eſt fletus, & ſtridor dentium. Hic & Gehenna, id eſt, terra ignis nominatur. Gæ enim terra dicitur, cuius ignis noſter ignis vmbra eſſe dicitur. Huius profunditas & receſſus dicitur Erebus, draconibus & igneis vermibus plenus. Hic patens os dicitur, & Barathrum, quaſi atra vorago. Huius loca fœtorem exhalantia dicuntur Acheronta, id eſt, ſpiracula immundos ſpiritus emittentia. Hic eſt Styx quod Græcè ſonat, triſtitia. Dicitur & Phlegeton, qui eſt fluuius infernalis, ob vicinitatem ignis, &

H

Acheron. Styx. Phlegeton.

A ſulphuris, fœtore, & ardore horribilis. Sunt & alia multa loca, ſiue in terris, ſiue in inſulis pœnalia, aut frigore, & vento ſæuè horrentia, aut igne, & ſulphure iugiter feruentia. Ignea inferni loca inſpeximus ad refrigerium aquarum confugiamus.

CAPVT XXXVIII.

De Aqua.

AQua, quæ ſecundum Elementum ponitur, ab æqualitate dicitur, vndè & Æquor, quod ſit plana. Hæc in mari colligitur. In flumina diffunditur. In fontes diuiditur. Per amnes connectitur. Per terras diſſipatur. Per aëra attenuatur. Totam terram cingit. Omnes regiones, & prouincias diuidit. Huius immenſa profunditas dicitur Abyſſus, quaſi abeſt fundus, habet tamen fundum, quamuis nimis profundum.

Abyſſus.

CAPVT XXXIX.

B

De Oceano.

OCeanus dicitur, quaſi ocior annis, vel quaſi zonarum limbus. Quinque enim zonas mundi in modum limbi ambit.

CAPVT XL.

De Æſtu maris.

AEſtus Oceani, id eſt, acceſſus, & receſſus Lunam ſequitur, cuius aſpiratione retro trahitur, eius impulſu refunditur. Quotidie autem bis effluere, & remeare videtur. Cum Luna creſcente, creſcit. Cum decreſcente decreſcit. Cum Luna eſt in æquinoctio maiores Oceani fluctus ſurgunt, ob vicinitatem Lunæ. Cum in Solſtitio, minores ob longinquitatem eius. Per decem & nouem annos ad principia motus, & paria incrementa, vt Luna reuertitur.

C

CAPVT XLI.

De Voragine.

Quomodo fiat vorago.

AMpotis quoque, id eſt, vorago in Oceano in exortu lunæ maiori æſtu fluctus inuoluit & reuomit. Hæc autem vorago, quæ totas aquas, & naues abſorbet, & reuomit, hinc fit. Eſt in terra abyſſus profundiſſima, de qua ſcribitur. Rupti ſunt omnes fontes abyſſus magnæ. Et iuxta hanc ſunt cauernoſa loca, & ſpeluncæ latè patentes. In his venti de ſpiramine aquarum concipiuntur, qui & ſpiritus procellarum dicuntur. Et hi ſuo ſpiramine aquas maris, per patentes terrarum cauernas, in Abyſſos abſtrahunt & ea exundantes, iterum magno impetu repellunt.

CAPVT XLII.

De Terra-motu.

D

Quomodo fiant terræ motus.

DE his ventis fit & terræ motus. Nam venti concauis locis incluſi dum erumpere geſtiunt, terram horribili fremore concutiunt, eamque tremere faciunt.

CAPVT XLIII.

De Hiatu.

Cauſa hiatuum terræ. Tremor terræ quid. Hiatus quid. Cur Sicilia flammas euomat, & arenas, ac lapides egerat.

HInc etiam fit terræ hiatus, dum loca caua, & continuis aquis frigida, ventis concluſa rumpuntur, & introrſus cadentia in hiatum aperiuntur, de quibus & multæ ciuitates deuoratæ leguntur. Hoc eſt autem in terra tremor, quod in nube tonitruum. Hoc hiatus, quod ibi fulmen. Fiunt autem cum terræ motu innundationes maris, eodem ſcilicet ſpiritu infuſi, vel reſidentis ſinu recepti. Inde tellus Siciliæ, quia cauernoſa, & ſulphure & bitumine ſtrata, ventis pene tota, & ignibus patet. Spiritu introrſus cum igne concertante, multis ſæpe locis fumum, vel vapores, vel flammas eructat, vel etiam

E

vento acrius incumbente arenarum lapidumve moles egerit. Inde montis Ætnæ ad exemplum Gehennæ igniũ tam diuturnum durat incendium, quod Inſularum Æolidum dicitur vndis nutriri, dum aquarum concurſus ſpiritum in imum profundum ſecum rapiens, tamdiu ſuffocat, donec venis terræ diffuſus fomenta ignis accendat. Huic Scyllæi canes latrare finguntur, dum procul nauigantes vndarum fremore terrentur, quas ſorbente voragine collidit æſtus.

Scyllæi canum, latratus vnde.

Simili de cauſa in aliis etiam terris incendium ſurgit, & Gehennam præoſtendit.

CAPVT XLIV.

De Frigore.

Cur extrema Oceani partes perpetuò frigore horreant.

SIcut calor de igni: Ita frigus de aqua naſcitur, vnde extremæ partes Oceani rigido gelu, & perpetuo frigore horrent, quia calore ſolis carent. Pars autem Oceani, quæ medium orbem diuidit ideo calore iugiter feruet, quia ſolem continuo ſupra ſe habet.

F

CAPVT XLV.

De Aquis dulcibus & ſalſis.

OCeanus fluuiorum occurſu non augetur, quia fluenta dulcia partim ſalſis vadis conſumuntur, vel ventis, vel vapore ſolis abripiuntur: Partim per occultos meatus, in ſuos amnes reuertuntur. Idcirco perdurat ſalſus, tot fluminibus, ac pluuiis irrigatus, quia exhauſto à Sole dulci, tenuique liquore, quem facilius ignea vis trahit, omnis aſperior, craſſiorque linquitur. Ideò ſumma maris vnda eſt dulcior. Profunda amarior. Lunæ verò alimentum eſt in dulcibus aquis. Solis verò in amaris.

CAPVT XLVI.

De Mari rubro.

G

Mare vnde dictum.

MAre rubrum de Oceano exit, ſed roſeum colorem de terra trahit, quæ tota ſanguineo colore rubet, ac vicina litora inficit. Mare dicitur, quod ſit amarum. Hoc per venas terræ occulto meatu diſcurrit, amaritudinem in terra deponit, dulce in fontibus erumpit. In ſeipſum tandem refluit, vt ſcribitur. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Omnia flumina intrant mare.

CAPVT XLVII.

De Gemina aquæ natura.

DIcitur tamen, quod aqua natura ſit duplex, ſcilicet ſalſa, & dulcis. Salſa maris eſt grauior. Dulcis fontium & fluminum, eſt leuior. Et cum legatur quod Dominus fontem in paradiſo produxit, & in quatuor flumina diuidens totam terram in quatuor partibus mundi rigare præcepit. Dicitur quod eruptio fontium omnium, vel fluuiorum dulcis aquæ de illo fonte, vel fluuiis decurrat, & in matricem abyſſum eiuſdem fontis refluat. Quæ licet vniuerſa mare influãt, amaris tamen aquis non commiſcetur. Sed vt puta leuis ſuper graues aquas labitur, & in occultum ſuum curſum reuertitur. Hinc eſt quod mare non redundat, cum omnia flumina in illud intrent. Sic & ſuprema maris vnda non eſt adeo amara, quam ea, quæ in imo eſt poſita.

H

Cur mare non redundet.

Quod fontes ſunt in hyeme calidi, in æſtate autem frigidi hæc cauſa eſt: in æſtate calor aëris repellit frigus in terram, & inde fit aqua frigida. In hyeme verò frigus aëris pellit calorem in terram, & inde fit aqua calida.

Cur fontes in æſtate frigidi in hieme vero calidi.

CAPVT XLVIII.

De Aqua calida.

ET cum omnis aqua ſit dulcis, aut ſalſa. Videndum vnde quædam erumpat calida, vel putida. Sunt quidam ſpecus ſubterranei naturaliter ſulphure pleni. In his

A *Thermæ vnde.* cum ventus concipitur, eius afflatu ſulphur accenditur, quod incendium etiam eructant quædam loca vt fit in Sicilia. Cùm ergo aqua per hæc ignea loca currit, calorem, & putorem inde trahit, & ſi prope hunc locum erumpit, flammivoma ebullit. Si autem longius receſſerit, vix tepeſcit, deinde penitus frigeſcit.

CAPVT XLIX.

De Mortiferis aquis.

SVnt alia loca ſerpentibus plena, qui viciniam veneno inficiunt, quæ dum de terra ex ſurgit, bibentes interimit, vt fons Styx facit.

CAPVT L.

De Mari mortuo.

QVod aqua maris mortui à ventis non mouetur, & in ſe nihil viuere patitur, fit ex fontibus bituminis, quibus ædificata eſt Babel turris. Bituminis autem natura reſiſtit aquæ, & non diuiditur niſi menſtruo ſanguine. B *Bituminis natura.*

CAPVT LI.

De Animalibus aquarum.

PIſces & Aues in aquis ideo commorantur, quia de his facta leguntur. Quod autem aues in aëre volant, & in terra habitant. Ideò fit quia aër eſt humidus, vt aqua & terra eſt aquæ permixta. Quod verò quædam animalia de terra creata, in aquis poſſunt morari, vt ſunt Crocodili & Hyppopotami, hoc ideo fit quod aqua eſt valde terræ permixta. *Cur aues in aëre volent. Amphibia.*

CAPVT LII.

De ſignis in mari Prognoſticis.

C CVm in nocturna nauigatione ſcintillat ad remos, tempeſtas erit. Et dum Delphini vndis ſæpius exiliunt, quo illi feruntur inde ventus exurget & inde nubes vndis excuſſæ cœlum aperiunt.

Deprofundis aquarum emergamus, & ſcriptoria penna in aëra ſuſpendamur.

CAPVT LIII.

De Aëre.

AEr eſt omne quod inani ſimile, à terra vſque ad lunam conſpicitur, de quo vitalis ſpiritus hauritur. Et quia eſt humidus, Ideo in eo volant aues: vt in aqua natant piſces. In hoc commorantur dæmones, cum tormento diem iudicij præſtolantes. Ex quo ſibi corpora ſumunt dum hominibus apparent. *Dæmones in aëre commorantur.*

CAPVT LIV.

De Ventis.

D *Ventus quid.* DE hoc procreantur venti. Ventus enim eſt aër commotus, & agitatus. Et nihil aliud quam aëris fluctus qui in duodecim diuiditur. Et quiſque proprium vocabulum ſortitur. De quibus quatuor ſunt cardinales illorum collaterales.

CAPVT LV.

De Cardinalibus ventis.

Septentrio. PRimus Cardinalis Septentrio, qui & Aparctias faciens frigora, & nubes. Huius dexter Circius qui & Thracius, faciens niues, & grandinem. Eius ſiniſter Aquilo, qui & Boreas, conſtringens nubes.

Subſolanus. Secundus Cardinalis, Subſolanus qui & Apeliotes, temperatus. Cuius dexter Vulturnus qui & Calcias, cuncta deſiccans. Eius ſiniſter Eurus nubes generans.

Auſter. Tertius Cardinalis, Auſter, qui & Notus, humorem, calorem, atque fulmina gignens. Huius dexter: Euroauſter, calidus. Huius ſiniſter Euronotus, temperatus. Auſtrales venti faciunt maiores tempeſtates, quia ex humili flant in mari. E *Quare Auſtrales venti maiores creant tempeſtates.*

Quartus Cardinalis, Zephyrus, qui & Fauonius hyemem reſoluens, floreſque producens. Huius dexter Africus, qui & Lybs, tempeſtatem, tonitrua generans & fulmina. Eius ſiniſter Corus, qui & Argeſtes in Oriente nubila, in India faciens ſerena.

Extra hos ſunt duo venti Aura, & Altanus. Aura in terra, Altanus in pelago. *Aura Altanus.*

CAPVT LVI.

De Nubibus.

VEnti ſuo ſpiramine aquas in aëra trahunt, quæ conglobatæ in nubes denſantur. Dicuntur autem nubes quaſi nimborum naues. Quibus dum venti incluſi erumpere nituntur magno murmure concrepant, & nubibus colliſis ignem terribilem excutiunt. *Nubes quomodo naſcantur. Nubes vnde dictæ.*

CAPVT LVII.

De Tonitruo & fulminibus.

F STrepitus ergo nubium, & ventorum eſt tonitruus. Ignis inde excuſſus eſt fulgur: qui ignis ideo quæcunque tangit, penetrat, quia eſt ſubtilior noſtro igne, & magna ventorum vi impellitur. Ab Aquilone fulgur, & ab Euro tonitruus tempeſtatem, & ab Auſtro flatus æſtumque portendit. *Tonitru. fulgur.*

CAPVT LVIII.

De Iride.

ARcus in aëre quadricolor, ex ſole & nubibus formatur dum radius Solis cauæ nubi immiſſus repulſa acie in ſolem refringitur. Sicut dum Sol in vas aqua plenum fulget ſplendor in tecto redditur. De cœlo igneum. De aqua purpureum. De aëre Hyacinthinum. De terra colorem gramineum trahit. *Iris quomodo fiat.* G

CAPVT LIX.

De Pluuia.

IMber ex nubibus deſcendit, dum enim guttulæ in maiores guttas coeunt, aëris amplius natura non ferente, non vento impellente, non ſole diſſoluente ad terras dilabuntur. *Quomodo fiat pluuia.*

Lenta autem, & iugis defluxio pluuia: Repentina, & præceps Nymbus in nubibus vocatur. Quæ licet de amatis aquis maris ſit hauſta, de ſolis igne in aëre decocta, dulceſcit: vt marina aqua humo infuſa dulcem ſaporem ſumit. *Pluuia. Nymbus.*

CAPVT LX.

De Grandine.

STillæ pluuiæ, ventis, & frigore congelatæ in aëre coagulantur, & in lapillos grandinis mutantur. *Grandinis Generatio.*

CAPVT LXI.

De Niue.

H NIx aquæ vapore nondum denſato in guttas, ſed gelu præripiente, formatur, quæ in alto mari non cadit. *Nix quomodo fiat.*

CAPVT LII.

De Rore.

ROs de aëre venit, quando aquis grauatus rigore noctis, & lunæ ſplendore diſtillat. Si vehementius eſt frigus noctis Ros in pruinam albeſcit. *Vnde Ros veniat. Pruina.*

CAPVT LXIII.

De Nebula.

NEbula fit, dum humidæ exhalationes vaporaliter in aëra trahuntur, vel radiis Solis ad terram repelluntur. *Vnde nebula fiat.*

A

CAPVT LXIIII.

De Fumo.

Qualis lignorum reſolutio fiat in igne.

FVmus etiam aſcendit de aqua. Omne namque corpus conſtat ex quatuor Elementis. Lignum autem eſt corpus, quod igni iniectum, ignis materies, quæ ei ineſt ardet. Terræ verò materies vritur in cinerem. Aeris, & aquæ materies per fumum euaneſcit in aerem.

Fumus cur amarus.

Ideo autem eſt amarus, quia natura aquæ eſt ſalſa, ſiue quia terræ permixta.

CAPVT LXV.

De Igniculis

QVod in nocte videntur ſtellæ cadere, non ſunt ſtellæ, ſed igniculi, à flatu ventorum ab æthere, in aerem tracti, & mox in madido aere extincti.

CAPVT LXVI.

B

De Peſtilentia.

Vnde naſcatur peſtilentia aëris & vbi.

PEſtilentia naſcitur aere, ſiccitate vel calore, vel tempeſtate corrupto, qui ſpirando vel edendo perceptus, luem, mortemque generat. Hoc totum quod dixi infra lunam fit in aëre, ſuperius verò ſemper ſerenum exiſtit.

CAPVT LXVII.

De Igne.

Ignis vnde dicatur.

Angelorum corpora ignea ſunt.

IGnis quartum Elementum ſcribitur, quaſi non gignis dicitur. A luna vſque ad firmamentum extenditur. Et tantum eſt aëre ſubtilior: quantum aër aqua tenuior: aqua terra rarior. Hic & Æther, quaſi purus aër dicitur, & perpetuo ſplendore lætatur. De hoc Angeli corpora ſumunt, cum ad homines miſſi veniunt.

CAPVT LXVIII.

D

De Planetis.

Vnde planetæ dicantur.

IN hoc ſeptem ſtellæ ſingulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum curſum Planetæ, id eſt, erraticæ nominantur. Hæ immenſa celeritate firmamenti, ab Oriente in Occidentem rapiuntur: Tandem naturali curſu contra mundum ire comprobantur, ſicut muſca ſi in rota molendini circumferretur, ipſa tamen proprio motu contra reuolutionem eius ire videretur. Hæ nec inferius nec ſuperius propter obliquitatem ſigniferi vagantes radiis autem ſolis præpeditæ, anomalæ, vel retrogradæ, vel ſtationariæ fiunt.

Motus planetarum anomalus.

CAPVT LXIX.

De Luna.

Luna cur proprium lumē non habeat.

C

Nubecula in Luna vnde.

LVna eſt primus planetarum, & minima ſtellarum. Sed ideo maior cæteris videtur quia proxima terræ in primo circulo fertur. Huius corpus eſt globoſum, natura igneum, ſed aqua permixtum, vnde & proprium lumen non habet. Sed in modum ſpeculi à ſole illuminatur. Et ideo luna, quaſi lucina, id eſt, à luce nata, nominatur. Quod autem quaſi nubecula in ea videtur, ex aquæ natura creditur. Dicitur enim ſi aqua permixta non eſſet, terram vt ſol illuſtraret. Imò ob vicinitatem maximo ardore vaſtaret. Globus namque eius multo terra eſt amplior. Licet ob altitudinem circuli ſui vix videatur modij fundo maior. Luna ea parte lucet, qua ſoli eſt oppoſita. Ea autem parte eſt obſcura, qua à ſole auerſa eſt, à ſole vero longius remota licet tota ſit, tamen creſcit, nec minuitur, ſed obiectu terræ, lumine quod à ſole accipit viduatur. Hæc licet quotidie violentia firmamenti, ab Oriente in Occidentem feratur: tamen contra mundum nitens, omnia zodiaci ſigna, viginti-ſeptem diebus peruagatur. Circulum autem ſuum decem, & nouem annis perambulare affirmatur. Luna quarta ſi rubeat quaſi aurum ventos oſtendet. Si in ſummo corniculo maculis nigreſcit pluuium menſis exordium. Si in medio, plenilunium ſerenum.

Proprius Lunæ motus.

Signa prognoſtica tempeſtatum in luna.

E

CAPVT LXX.

De Mercurio.

Motus Mercurij.

SEcundus Planeta eſt Mercurius, qui & Stilbon, forma globoſus, natura igneus. Lunam magnitudine vincens. Lumen à ſole accipiens, Signiferum trecentis triginta nouem diebus percurrens.

CAPVT LXXI.

De Venere.

Motus Veneris.

TErtius planeta eſt Venus, Auroræ, & Zephali filius, qui & Heſperus Lucifer, & veſper rotundus, igneus, contra mundum nitens, vt Mercurius Signiferum percurrit trecentis quadraginta-octo diebus.

F

CAPVT LXXII.

De Sole.

Sol vnde dictus.

Magnitudo ſolis.

Motus ſolis.

Cur æſtate dies longiores hyeme breuiores.

QVartus Planeta Sol, vel Phœbus, inde dictus, quod ſolus luceat cæteris ſtellis obſcuratis, vel quod ſit ſuper omnia lucens Forma Sphæricus, natura igneus, magnitudine octies terram vincens, omnibus ſtellis lumen præbens. Hic ab oriente in Occidentem impetu firmamenti fertur. Sed contra mundum nitens, per totum zodiacum, trecentis ſexaginta quinque diebus graditur. Circulum autem ſuum viginti octo annis perambulare creditur. Huius præſentia diem, abſentia verò eius efficit noctem. Sicut enim tota die ſupra terram. Sic tota nocte lucet ſub terra. Aquilonarem partem cœli peragrans facit nobis longos dies, & æſtatem. Auſtralem verò percurrens, inducit nobis breues & hyemem.

CAPVT LXXIII.

G

De Signis ſolis prognoſticis.

SOl in ortu ſuo maculoſus, vel ſub nube latens pluuialem diem præſagit.

Si palleat, tempeſtuoſum.

Si concauus videtur, ita vt medio fulgens radios ad Auſtrum, & ad Aquilonem emittat tempeſtatem humidam, & ventuoſam.

Si pallidus in nigras nubes occidat, Aquilonem ventum.

CAPVT LXXIV.

De Marte.

Motus Martis.

QVintus Planeta eſt Mars, qui & Pyrois, globoſus, igne feruidus. Percurrit Signiferum duobus annis.

CAPVT LXXV.

H

De Ioue.

SExtus Planeta eſt Iupiter, Rotundus, temperatus, zodiacum peragrans XII. annis.

CAPVT LXXVI.

De Saturno.

Motus Saturni.

SEptimus Planeta eſt Saturnus, qui & Phaëton filius Solis. In cuius exortu poſt triginta annos, qui imaginem de ære ſuderit. Loqui verum hominem probabit. Sphæricus, gelidus. Contra mundum vero ſuperiorem gradiens, Signiferum triginta annis percurrens. Omnes autem poſt quingentos, & triginta duos annos circulos ſuos peragunt, & eoſdem vt prius repetunt.

CAPVT

Digitized by Google

A

CAPVT LXXVII.

De Abſidibus planetarum.

Abſides. A Terræ centro Abſides, id eſt, Circuli Planetarum altiſſimæ ſunt. Saturno in Scorpione. Ioui in Virgine. Marti in Leone. Soli in Geminis. Veneri in Sagittario. Mercurio in Capricorno. Lunæ in Ariete. Mediis omnium partibus, & econtrario ad terræ centrum humillime, atque proxime.

CAPVT LXXVIII.

De Coloribus planetarum.

SVus cuique color eſt. Saturno candidus. Ioui clarus. Marti igneus. Lucifero candens. Veſpero refulgens. Mercurio radians. Lunæ blandus. Soli ardens. Mutant autem colores à propinquis circulis. Nam frigidior, in pallorem, ardentior, in ruborem, ventuoſus in horrorem à terra in obſcuritatem.

B

CAPVT LXXIX.

De Via planetarum.

SIgnifer, id eſt, circulus duodecim ſignorum diuiditur in duodecim partes perlatum, ſub his feruntur ſeptem Planetæ. Sol ſub mediis tantum duobus. Luna per totam latitudinem. Venus excedens eum binis partibus. Mercurius ſub octo partibus, duabus in medio, quatuor ſupra, duabus infra. Mars ſub quatuor medius. Iouis ſub media. Et ſuper eam duabus. Saturnus ſub duabus mediis vt, Sol.

CAPVT LXXX.

De Sono planetarum.

HI ſeptem orbes cum dulciſona Harmonia voluuntur, ac ſuauiſſimi concentus eorum circuitione efficiuntur. Qui ſonus ideo ad noſtras aures non peruenit, quia vltra aërem fit, & eius magnitudo noſtrum anguſtum auditum excedit. Nullus enim ſonus à nobis percipitur, niſi qui in hoc aëre efficitur. A terra autem vſque ad firmamentum Cœleſtis Muſica menſuratur, ad cuius exemplum noſtra inuenta aſſirmatur.

Cur ſonus Planetarum a nobis nõ exaudiatur. C

… ouρίτα.

CAPVT LXXXI.

De Cœleſti muſica.

IN terra namque ſi In Luna A. In Mercurio B. In Venere C. In Sole D. In Marte E. In Ioue F. In Saturno G. ponitur: Profecto menſura Muſicæ inuenitur, vnde à terra vſque ad firmamentum ſeptem toni reperiuntur. A terra vſque ad Lunam eſt Tonus. A Luna vſque ad Mercurium, Semitonium. A Mercurio vſque ad Venerem, Semitonium. Inde vſque ad ſolem, tria Semitonia. A Sole ad Martem tonus. Inde ad Iouem, Semitonium. Inde ad Saturnum Semitonium. Inde ad Signiferum tria Semitonia. Quæ ſimul iuncta ſeptem tonos efficiunt. Tonus autem habet 1500. Sexcenta vigintiquinque milliaria. Semitonium vero 7800. duodecim milliaria, & ſemiſſ. Vnde & Philoſophi nouem Muſas finxerunt, quia à terra, vſque ad Cœlum conſonantias nouem deprehendunt, quas homini naturaliter inſitas inuenerunt.

Proportiones Planetarum.

D

Cur Philoſophi nouem Muſas finxerint.

CAPVT LXXXII.

De Homine microkoſmo.

SIcut enim hic mundus Septem tonis. Et noſtra Muſica ſeptem vocibus diſtinguitur. Sic compago noſtri corporis ſeptem modis coniungitur; dum corpus quatuor Elementis, Anima tribus viribus copulatur, quæ Muſica arte, naturaliter reconciliatur. Vnde & homo Μικρόκοσμος, id eſt, minor mundus dicitur, dum ſic conſono numero Cœleſti Muſicæ par cognoſcitur.

E

CAPVT LXXXIII.

De Menſura ſiue planetarum diſtantia.

A Terra autem vſque ad lunam ſunt 12600. Stadiorum, quod ſunt 15625. milliaria. A Luna ad Mercurium 7812. milliaria & ſemiſſ. Inde ad Venerem tantùm. Inde ad Solem 23437. & ſemis, milliaria. A ſole ad Martem 15630. mil. Ad Iouem 7812. mil. & ſemis. Inde ad Saturnum tantum. Inde ad Firmamentum 23437. & ſemiſſe mil.

Sunt itaque à terra vſque ad cœlum milliaria Centum millia, & nouem millia, & trecenta ſeptuaginta quinque milliaria.

Ignem per globos Planetarum tranſcendimus, nunc cœleſtia penetremus.

CAPVT LXXXIV.

De Cœlo.

F

COelum dicitur, quaſi * *caſa lios*, id eſt, domus ſolis, quaſi vas cœlatum. Quia eſt ſtellis inſignitum. Eſt autem cœlum ſubtilis igneæque naturæ, rotundum, & à centro terræ æquis ſpaciis vndique collatum. Vnde & conuexum mediumque vndique cernitur, & inenarrabili celeritate quotidie circumagitur.

** ουρανός. Cœlum vnde dictum.*

Cœlum ſi veſpere rubet, ſerenum diem.
Si mane, tempeſtuoſum ſignificat.
Duæ ſunt ianuæ cœli, Oriens, qua Sol exit.
Occidens qua ſol intrat.

Prognoſtica tempeſtatum è cœli ſpecie.

CAPVT LXXXV.

De Climatibus.

CLimata, id eſt, plagæ cœli ſunt quatuor.
Orientalis ab ortu.
Solſtitialis ad Brumalem.
Auſtralis inde ad occaſum Brumalem.
Occidentalis exhinc vſque ad Solſtitialem.
Septentrionalis ab occaſu ſolſtitialis ad ortum eiuſdẽ.

G

CAPVT LXXXVI.

De Plagis.

ORiens ab ortu ſolis.
Occidens ab occaſu eius vocatur.
Meridies quaſi Medidies dicitur.
Septentrio autem à ſeptem ſtellis appellatur. Trion dicitur bos, quaſi Terion. Inde Septentriones, quaſi ſeptem teriones, id eſt, boues. Hæ plagæ Græce ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία dicuntur, de quibus nomen Adam qui eſt minor mundus, componitur.

Adā nomen è quatuor plagis mundi compoſitum eſt ΑΔΑΜ.

CAPVT LXXXVII.

De Firmamento.

SVperius cœlum dicitur firmamentum, eo quod ſit inter medias aquas firmamentum. Hoc eſt forma ſphæricum, natura aqueum, ſtellis vndique verſum ornatum. Eſt autem ex aquis inſtar glaciei in modum chriſtalli ſolidatum, vnde & firmamentum dicitur.

H

CAPVT LXXXVIII.

De Axe.

IN hoc ſunt duo poli à poliendo dicti. Vnus Borealis, qui à nobis ſemper videtur. Alter Auſtralis, qui nunquam à nobis cernitur, quia in diuexo orbis poſiti terræ tumore impedimur. In his cœlum, vt rota in axe voluitur.

CAPVT LXXXIX.

De Stellis.

COelum eſt vndique ſtellatum. Sed ideo in die non apparent, quia fulgore ſolis victæ latent, ſicut ſol

Cur ſtellæ in die nõ appareãt. Stella vnde ſit dicta. Differētia ſtellæ ſideris & aſtri.

A nube rectus non lucet. Stella quaſi ſtans Luna. Stans enim ſtellæ firmamento infixæ, & non cadunt eo mira celeritate currente. Vna autem dicitur ſtella, multæ ſimul, aſtrum vel ſydus.

CAPVT XC.

De Sideribus.

Sydus unde dicatur.

SIdera dicuntur à conſiderando, eo quod nauigantes, vel itinerantes ea conſiderent.

Sunt autem ſtellæ omnes rotundæ & igneæ: Quarum diſpoſitio ſoli Deo eſt cognita, qui ſtellas numerat, quarum nomina, ſigna, poteſtates, curſus, loca, tempora, ſolus nouit. Sapientes vero mundi nomina animalium, vel hominum eis impoſuerunt, vt ab hominibus dignoſci poſſint.

CAPVT XCI.

De Zodiaco.

B IN medio firmamenti ſunt duodecim ſigna per tráſuerſum diſpoſita, æqualiter per circuitum diſtincta. Horum diſpoſitio dicitur Græce Zodiacus, latine ſignifer, eo quod fert ſigna, quæ animalium habent nomina. Ζῶον enim dicitur animal.

Zodiacus vnde ſit dictus.

CAPVT XCII.

De Ariete.

PRimum ſignum Zodiaci eſt Aries, extans ex pluribus ſtellis ſecundum fabulam is qui aureo vellere Phryxum & Hellen trans mare ad Colchos vexit, quare inter ſidera tranſlatus eſt. Pro ſigno autem ponitur. Quia ſicut Aries tota æſtate in latere dextro ac tota hyeme in ſiniſtro cubat. Sic ſol ſub illo ſigno gradiens dextram cœli partem perambulat.

[illegible]

CAPVT XCIII.

De Tauro.

C SEcundum ſignum eſt Taurus, ob id quod Iupiter in raptu Europæ in taurum eſt verſus & inter ſidera tranſlatus. Ob ſignificationem autem, quod ſol ſub illo ſigno potitus radios ſuos, vt cornua fortius exerit, & terram arabilem reddit.

CAPVT XCIV.

De Geminis.

TErtium ſunt Gemini, ſcilicet Caſtor, & Pollux, filij Iouis, à Troia reuerſi inter ſidera tranſlati. Pro ſigno autem ponuntur, quia ſol ſub hoc ſigno duobus diebus amplius, quam ſub aliis moratur.

CAPVT XCV.

De Cancro.

D QVartum eſt Cancer, qui maximus Herculem percuſſit dum Hydram Nereis occidit, & ideo ſydera promeruit: Significat autem, quod ſicut Cancer retrocedit: ſic ſol ad illud veniens curſum ſuum retroflectit.

CAPVT XCVI.

De Leone.

QVintum eſt Leo, qui maximus ab Hercule occiſus inter ſydera eſt tranſlatus. Deſignat autem, quod ſicut Leo in anteriori parte calidæ naturæ. In poſteriori eſt frigidæ. Ita ſol in illo ſigno Auguſtum menſem prius facit calidum, ad poſtremum frigidum.

CAPVT XCVII.

De Virgine.

SExtum eſt Virgo, ſcilicet Erigone filia Icari ſacerdotis, inter aſtra rapta. Ob ſignum autem ponitur. Quia ſicut virgo non parit: Sic September illius ſigni menſis, nil gignit. E

CAPVT XCVIII.

De Libra.

SEptimum autem eſt Libra, quam tenet Virgo ſcilicet Blance vel Iuſtitia Aſtræi regis filia, ob æquitatem Iuſtitia dicta, & inter ſydera tranſlata. Metita hominum penſat, & in libra Ioui repræſentat. Hæc pro ſuperiori virgine ponitur. Signat autem quod Soli æquinoctium faciat, cùm ſub illo ſigno ambulat.

CAPVT XCIX.

De Scorpio.

OCtauum eſt Scorpius, qui maximus Orionem percuſſit dum beſtias terræ occidit, & ob terræ gratiam aſtra meruit. Pro ſigno autem grandinum ponitur, quia illo menſe, nempe Nouembri, in quibuſdam terris crebrius fiunt. F

CAPVT C.

De Sagitario.

NOnum Sagittarius eſt, qui & Arcitenens, ſcilicet Alcon Cretenſis, qui Scorpionem, qui filium ſuum rapuit ſagittauit, nec filium tetigit, & ideò ſydera meruit. Deſignat autem crebros fulminum ictus, qui in Decembri contingunt in aliquibus locis. Quod inferiora membra deſunt: Significat quod tum Sol infera petit.

CAPVT CI.

De Capricorno.

DEcimum eſt Capricornus, Iouem partulum à patre proiectum, capra clam aluit: quam ipſe poſtea inter ſydera tranſtulit. Eſt autem ſignificatio, quod ſicut Caper altum petit ita illo tempore Sol ad alta cœli conſcendit. Quod extrema pars eius deſinit in piſcem: deſignat finem illius menſis eſſe pluuialem.

CAPVT CII.

De Aquario.

G VNdecimum eſt Aquarius ſcilicet Ganymedes, Troili regis filius. Iouis amaſius, ab ipſo inter aſtra locatus, & pincerna Deorum factus. Significat autem quod ſolutis niuibus vndoſum eſt illud tempus.

CAPVT CIII.

De Piſcibus.

DVodecimum ſunt piſces. Cum Dij Typhoëum Gigantem fugerent in Ægyptum, Venus & Cupido filius eius verſi in piſces latuerunt in aquis. Cumque homines dij piſces deuitarent ne forte Deos deuorarent: Illi duo tranſlati ſunt in ſydera. Deſignat verò illud tempus eſſe pluuiale.

CAPVT CIV.

Hyades.

H HYades dicuntur pluuiales. Hya enim Græcè eſt pluuia, vnde latinè dicuntur Suculæ, à Suco. Sunt autem ſeptem Stellæ in fronte Tauri.

CAPVT CV.

Pleiades.

PLeiades dicuntur, quaſi plures. Plion enim eſt plus. Sunt autem Septem ſtellæ in genu tauri. Fuerunt autem filiæ Atlantis regis & Plaiæ. A patre ergo Atlantides, à matre Pleiades, quaſi plaiades: Ab inſula Heſperides. Hæ & Vergiliæ dicuntur, quia verno tempore oriuntur. Ex his vna fuit Maia, mater Mercurij.

A

CAPVT CVI.

Arctos.

A Dextris Zodiaci, verſus Aquilonem ſunt hæc ſigna. Iuxta axem Arcton, ſcilicet plauſtrum, quod ſydus & Septentrio, & Helicæ nominatur. Cuius ſtellæ Sole maiores traduntur. Fuit autem Caliſto Lycaonis regis filia, à Ioue oppreſſa. Sed à Iunone in Vrſam verſa. A Ioue vero rapta iterum inter aſtra collocata.

CAPVT CVII.

Bootes.

SEquitur Sydus Bootes, id eſt, cuſtos plauſtri, quod & Arctophylax. Erat autem Caliſto filius, à Ioue inter ſydera poſitus.

B

CAPVT CVIII.

Arcturus.

DEinde eſt Arcturus, ſcilicet plauſtrum, quod & Cynoſura dicitur. Hæc etiam à Ioue oppreſſa, à Iunone in Vrſam verſa. A Ioue inter aſtra eſt tranſlata.

CAPVT CIX.

Phyton.

INter duo plauſtra eſt Serpens Phyton, quem maximum Apollo poſt diluuium Latonæ à Iunone immiſſum, occidit, & ob inſignem virtutem inter aſtra tranſtulit.

CAPVT CX.

Corona.

IVxta eſt Corona, à Vulcano facta. A Baccho vero Adriadnæ Minois & Paſiphaæ filiæ data, & inter aſtra locata.

C

CAPVT CXI.

Hercules,

INde Hercules ſydus. Cum Gigantes contra Deos pugnarent: Diis in vnam partem cœli venientibus: Cœlum ruere voluit. Sed Hercules hoc cum Atlante ſuſtinuit. Ideo cœlum promeruit.

CAPVT CXII.

Lyra.

HVic iuxta eſt Lyra à Mercurio inuenta.

CAPVT CXIII.

Cygnus.

PRope hanc Cygnus, Iupiter ob amorem Lædæ reginæ in Cygnum eſt conuerſus, & inter aſtra raptus.

D

CAPVT CXIV.

Cepheus.

HVic coniungitur Cepheus rex, & Caſſiopæa vxor eius.

CAPVT CXV.

Perſeus.

CVi aſſociatur Perſeus filius Iouis, & Danaes, habens iuxta ſe ſydus Andromadæ vxoris ſuæ filiæ Cephei regis.

CAPVT CXVI.

Deltoton.

QVibus admiſcetur Deltoton, quod & triangulum videlicet, forma Ægypti, quia ſeruauit Deos a facie Typhæi.

E

CAPVT CXVII.

Serpentarius.

IVxta quod locatur Serpentarius, ſcilicet Erichthonius qui & auriga, qui primus quadrigam iunxit, eo quod ſerpentinos pedes habuit. Vnde & Græcè Ophyucus dicitur. ὄφις enim eſt *Serpens.*

CAPVT CXVIII.

Pegaſus.

HVic iuxta ponitur Pegaſus, ſcilicet equus alatus & cornutus, igneum halitum, & ferreos pedes habens. A ſanguine Gorgonis creatus.

CAPVT CXIX.

Delphinus.

F

CVi iungitur Delphinus, qui Neptuno Amphitritem in coniugium adduxit, & ideo ſydera promeruit.

CAPVT CXX.

Aquila.

DEinde eſt Aquila, Iupiter in Aquilam verſus Ganymedem rapuit, quem inter ſydera tranſtulit.

CAPVT CXXI.

Sagitta.

HVic ſubeſt Sagitta, ab Hercule Phylocteti data per quam expugnata eſt Troia.

A ſiniſtris vero Zodiaci verſus Auſtrum ſunt hæc ſigna.

CAPVT CXXII.

Hydra.

G

HYdra, quæ habuit quinquaginta capita, ab Hercule occiſa & ob inſigne inter ſydera tranſlata.

CAPVT CXXIII.

Crater.

SVper hunc Crater, in quo Tagaton, id eſt, ſummus Deus paſtam miſcuit, de qua animas fecit, de qua adhuc animæ letheum poculum bibunt, cum corpora intereunt. *Anima unde ſint.*

CAPVT CXXIV.

Coruus.

SVper hanc eſt coruus ab Apolline dilectus & inter aſtra raptus.

CAPVT CXXV.

Orion.

H

INde eſt Orion, qui ab vrina natus, inter ſydera eſt tranſlatus. Huius ſtellæ ſi fulgent ſerenum erit, ſi obſcurantur, tempeſtas.

CAPVT CXXVI.

Procyon.

IVxta hunc Procyon Anicani, quod eſt Anticanis dicitur, qui canis Orionis fertur, & ob inſigne interitum inter ſydera locatus.

CAPVT CXXVII.

Canicula.

HVic connectitur Canicula, quæ & Syrius dicitur & ab hac dies Caniculares nominantur. Fuit autem canis Erygones filiæ Icari ſacerdotis, quæ dolens patrem necatum, laqueo ſe ſuſpendit dum eum canis ducatu inuenit. Ambo autem ſunt inter ſydera rapti.

A

CAPVT CXXVIII.

Lepus.

DEinde eſt Lepus, qui à Ganymede agitatus, à Ioue inter aſtra eſt tranſlatus.

CAPVT CXXIX.

Eridanus.

SEquitur Eridanus fluuius, qui & Padus. Erat autem Phaëton Phœbi filius, qui currum regere patris inſcius, mundum incendit, & ideo fulmine Iouis in hoc flumine interiit. Qui in Eridanum mutatus, inter ſydera eſt tranſlatus.

CAPVT CXXX.

Cetus.

B

CVi aſſociatur Cetus, quem Perſeus occidit dum Andromedam deuorare voluit, quem Iupiter ob inſigne filij, inter aſtra locauit.

CAPVT CXXXI.

Centaurus.

IVxta hunc eſt Centaurus, ſcilicet magiſter Achillis, & ob nimiam virtutem in cœlo locatus.

CAPVT CXXXII.

Ara.

SAcrarium etiam, id eſt, altare in quo Dij iurauerunt, cum Saturnus, & Iupiter inter ſe pugnauerunt.

CAPVT CXXXIII.

Argo.

C

Argo prima nauis.

INde eſt Argo, videlicet prima nauis, apud Argos ciuitatem à Typheo facta, & in cœlum rapta.

CAPVT CXXXIV.

Piſtryx.

AD extremum eſt Piſtryx ſiue Chymera, quæ beſtia, capite leo, media capra, draco fuit cauda, à Bellerophonte occiſa, & inter ſydera tranſlata.

CAPVT CXXXV.

Canopus.

ESt & Canopus ſydus Ægypti præclarum, quod à nobis minimè videtur. Sicut nec à Trogoditis, iuxta Ægyptum Septentrio.

Ex his ſignis ſemper dimidia pars ſuper terram. Dimidia, eſt, ſub terra, & pars cœli, quæ ſuper terram apparet Hemiſphærium vocatur, id eſt, dimidium cœlum.

D

CAPVT CXXXVI.

Lactea Zona.

Cur candida ſit lactea Zona.

LActea autem Zona ideò candida eſt, quia omnes ſtellæ fundunt in eam ſua lumina.

CAPVT CXXXVII.

De Cometa.

COmetæ ſunt ſtellæ flammis crinitæ, in lactea zona verſus Aquilonem apparentes, regni mutationem, aut peſtilentiam, aut bella, vel ventos, æſtus, vel ſiccitatem portendentes. Cernuntur autem ſeptem diebus ſi diutius, octoginta.

Sydera fabuloſis inuoluta, imò polluta perluſtrauimus. Altius ſcandentes aſtra matutina, ſolemque ſolis inſpiciemus.

E

CAPVT CXXXVIII.

Aqueum Cœlum.

SVper firmamentum ſunt aquæ inſtar nebulæ ſuſpenſæ, quæ cœlum in circuitu ambire dicuntur, vnde & Aqueum cœlum dicitur.

CAPVT CXXXIX.

Spirituale Cœlum.

Animæ ſanctorũ vbi ſint.

SVper quod eſt Spirituale cœlum, hominibus incognitum, vbi eſt habitatio Angelorum per nouem ordines diſpoſitorum. In hoc eſt Paradiſus Paradiſorum, in quo recipiuntur animæ ſanctorum, hoc eſt, in cœlum quod in principio legitur cum terra creatum.

CAPVT CXL.

Cœlum Cœlorum.

F

HVic longe ſupereminere dicitur cœlum cœlorum in quo habitat Rex Angelorum.

HONORII AVGVSTODVNENSIS, De imagine mundi.

LIBER SECVNDVS.

Priori libello globum totius mundi oculis corporis, repræſentauimus: ſequenti iam tempus in quo voluitur, oculis cordis anteponamus.

CAPVT PRIMVM.

De Æuo.

G

Æuum quid ſit.

AEvvm eſt ante mundum, cum mundo, poſt mundum. Hoc ad ſolum Deum pertinet, qui non fuit, nec erit, ſed ſemper eſt.

CAPVT II.

De Temporibus æternis.

Angelos ante mũdum cœpiſſe.

TEmpora æterna ſub Æuo ſunt, & hæc ad archetypum mundum, & Angelos pertinent, qui ante mundum eſſe cœperunt, & cum mundo ſunt & poſt mundum erunt.

CAPVT III.

De Temporibus mundi.

Similitudo de fine temporis.

TEmpus autem mundi eſt vmbra æui. Hoc cum mundo cœpit, & cum mundo deſinet, Veluti ſi funis ab Oriente, in Occidentem extenderetur, qui quotidie plicando collectus, tandem totus abſumatur. Per hoc extenduntur ſecula. Sub hoc currunt vniuerſa in hoc mundo poſita. Hoc vniuſcuiuſque vita menſuratur. Hoc ſeries dierum, & annorum terminatur.

H

Tempus unde dicatur & quid ſit. Partes temporis.

Tempus autem à temperamento dicitur. Et nihil aliud eſt, quam viciſſitudo rerum.

Hocque in atomos, oſtenta, momenta, partes, minuta, punctos, horas, quadrantes, dies, hebdomadas, menſes, viciſſitudines, annos, cyclos, ætates, ſæcula, diuiditur.

CAPVT IV.

De Atomis.

Atomus quid ſit.

ATomus dicitur inſecabile. Eſt enim minus quam illud quod volat in ſole. Eſt autem minimum temporis ſpatium, ſicut motio palpebræ oculi, quæ & ictus oculi dicitur, & eſt trecenteſima ſeptuageſima ſexta pars oſtenti.

CAPVT

A

CAPVT V.

De Oſtentis.

Oſtentũ quid. OStentum eſt, quod aliquid oſtendit aſpicientibus. Eſt autem ſexageſima pars vnius horæ, habens in ſe trecentos ſeptuaginta ſex atomos.

CAPVT VI.

De Momentis.

Momentũ quid. MOmentum eſt motus ſyderum, vnde & dicitur. Eſt autem quadrageſima pars horæ continens Oſtentum & dimidium.

CAPVT VII.

De Partibus.

B

Pars quid. PArtes à partitione zodiaci dicuntur, qui in tricenos dies per ſingulos menſes partitur. Eſt autem decimaquinta pars horæ, continens in ſe duo momenta & duas partes momenti.

CAPVT VIII.

De Minutis.

Minutũ quid. MInutum eſt minus interuallum in horologio. Eſt autem decima pars, aliquando quinta horæ. Habens duo minuta, & dimidium horæ.

CAPVT IX.

De Punctis.

PVnctus autem eſt paruus tranſcenſus puncti in horologio. Eſt autem quarta pars in ſole.

C

CAPVT X.

De Horis.

Hora quid ſit. HOra eſt terminus cuiuſque rei. Eſt autem hora, quamdiu ſtans aqua, à iactu lapidis mouetur, & eſt duodecima pars diei, conſtans ex quatuor Punctis, Minutis decem, Partibus quindecim, Momentis quadraginta, Oſtentis ſexaginta, Atomis viginti duobus mil. quingentis, & ſexaginta. Et dicitur ab Horologio. Id eſt, certus limes in Horologiis temporis.

CAPVT XI.

De Quadrante.

Quadrãs quid. QVadrans eſt quarta pars diei habens tres horas. Naturalis autem diei horas ſex.

CAPVT XII.

De Die.

D

Quid ſit dies. Vnde dictus dies. Alia diei definitio. DIes autem eſt ſeptima pars Hebdomadæ vulgaris, continens duodecim horas. Naturalis autem viginti quatuor. Dicitur autem dies à diſcernendo: eo quod lucem à tenebris diſcernat. Eſt autem dies aër ſole illuſtratus. Cum enim ſol eſt ſuper terram, eſt hic dies: cum ſub terra eſt ibi dies.

CAPVT XIII.

De longis & breuioribus diebus.

SOl cum Aquilonarem partem cœli circuit, nobis in deuexo terræ poſitis, citius ſurgit, & tardius occidit. Et ideò longiores dies facit. Cùm verò Auſtralem perambulat, nobis tardius ſurgere, & citius occidere videtur, quia tumor mediæ terræ, quæ rotunda eſt viſui noſtro obiicitur, & tunc quidem nobis dies breuiores: illi autem parti longiſſimos facit.

E

CAPVT XIV.

De Zodiaci ſignis, & Parallelis Solis.

ZOdiacus namque ex duodecim ſignis conſtans, ab Aquilone, in Auſtrum porrectus, flexuoſo lapſu cœlum cingit, ſub quo ſol incurrens mundum in octo Parallelos, id eſt, circulos diuidit, quibus ſingulis diuerſum diẽ facit. Longitudo autẽ Zodiaci in trecentas ſexaginta partes ſecatur. Latitudo eius in duodecim partitur. *Zodiaci quãtitas.*

Partium autem ſectio nihil aliud eſt, quam ſolis vnius diei progreſſio. Vnum ergo quodque ſignum, per duas horas oritur, per duas occidit: & in vnoquoque ſol triginta diebus immoratur. Qui dum flexuoſo draconis meatu ſub ſignis obliqui Zodiaci currit, mundum in octo circulos diſtinguit.

CAPVT XV.

De Primo circulo.

F

PRimus circulus ab India verſus Auſtrum per mare rubrum, & Africam ad columnas Herculis peruenit. Hercules enim orbem pertranſiens, ibi columnas fixit vbi finem mundi eſſe putauit. In hoc ergo circulo æquinoctiali die medio gnomon, id eſt, radius horologij ſeptem pedum vmbram, quatuor pedum longam reddit, dies longiſſimus quatuordecim horas æquinoctiales habet. *Columnæ Herculis.*

CAPVT XVI.

De Secundo circulo.

SEcundus ab occaſu Indiæ, per Medos vadit & Perſas, Arabiam, Syriam, Cyprum, Cretam, Lilybæum montem Siciliæ, & Septentrionalia Africæ pertingit, vmbilicus æquinoctio triginta quinque pedum, vmbram viginti tantum pedum reddit. Dies maxima eſt horarum quatuordecim, & quinta parte vnius horæ.

G

CAPVT XVII.

De Tertio circulo.

TErtius oritur ab Indis Imauo proximis, & per Caſpias portas, Taurum, Pamphyliam, Rodum, Cycladas, Syracuſas, Catinam, & Gades tendit. Gnomones cunctæ vmbram trigintaocto vnciarum faciunt. Longiſſimus dies horarum quatuordecim, & dimidia ac trigeſima vnius horæ.

CAPVT XVIII.

De Quarto circulo.

QVartus ab altero latere Imaui per Epheſum Mare Cycladum, Septentrionalia Siciliæ, Narbonenſis Galliæ exortiua, Africæ matutina, tendit ad occaſum. Gnomon triginta quinque pedum, facit vmbram viginti pedum. Longiſſimus dies habet quatuordecim horas, & tertias duas vnius horæ.

H

CAPVT XIX.

De Quinto circulo.

QVinto circulo ab introitu Caſpij maris continentur Bactria, Armenia, Macedonia, Tharentum, Thuſcum mare, Baleares, Hiſpania, Media. Gnomon ſeptem pedum vmbram ſex pedum reddit. Maximus dies horarum quindecim.

CAPVT XX.

De Sexto circulo.

SExtus amplectens Caſpias gentes: Caucaſum, Samothraciam, Illyricos, Campaniam, Etruriam, Maſſiliam, Hiſpaniam, Taraconenſem, Mediam, & inde per Luſitaniam vadit. Gnomon pedum nouem vmbram octo pedum facit. Longiſſimus dies horarum quindecim & nona parte horæ.

A

CAPVT XXI.

De Septimo circulo.

SEptimus ab altera ora Caſpij maris incipit, & per Thraciam verſus Venetiam, Cremonam, Rauennam Tranſalpinam, Galliam, Pyreneum, Celtiberiam vadit. Gnomon triginta quinque pedum, vmbra trigintaſex. Ampliſſima dies, horarum quindecim, & quintarum partium horæ trium.

CAPVT XXII.

De Octauo circulo.

OCtauus à Tanai per Mœoticum lacum & Sarmatas, Dacos, partemque Germaniæ Galliæ ingreditur. Gnomon, vt ſupra. Longiſſimus dies horarum ſedecim.

CAPVT XXIII.

B

De Quatuor ſolis circulis.

EXtra hos facit ſol quatuor circulos. Duos in Auſtro & duos in Aquilone. Vnum in Auſtro per inſulam Meroen, & Ptolemaidam rubri maris vrbem, vbi longiſſimus dies eſt horarum duodecim, dimidia hora amplior. Alterum per Syenem Ægypti, qui eſt horarum tredecim. Vnum in Aquilone per Hyperboreos montes, & Britanniam, horarum ſeptendecim. Alterum Schyticum à Riphæis iugis in Thilen, in quo ſex menſibus eſt dies, ſex alijs nox.

Ptolemais.

CAPVT XXIV.

De varia vmbra dierum.

ADhuc in aliis terrarum locis variat ſol vmbram. Nam vmbilici qui Gnomon dicitur vmbra in Ægypto æquinoctiali die, meridie paulo plus, quam dimidiam gnomonis menſuram efficit. In Roma nona pars gnomonis deeſt vmbræ. In Ancona ſupereſt quinta triceſima. In Venetia iiſdem horis vmbra gnomoni par fit. In Syene ſolſtitiali die medio nulla fit vmbra, ibique puteus à philoſophis ad hoc ipſum factus totus interius illuminatur. In meridie ſunt populi Fiſcij dicti, qui vmbram ex vtroque latere mittunt. In India ſuper flumen Hypanim in ſolſtitiali die vmbra abſumitur. Apud Troglodytas quadraginta quinque diebus ante ſolſtitium, & totidem poſtea vmbra penitus abſumitur. Et his nonaginta diebus vmbra in meridiem iacitur. In Meroe inſula Nili, bis in anno abſumitur vmbra, cum ſol eſt in duodecima parte tauri, & in decimaquarta parte leonis. In India ſunt loca Aſcia dicta, vbi non ſunt vmbræ, & ſeptentrio ibi non videtur.

C *Puteus in Syene.* *Fiſcij populi.*

CAPVT XXV.

De Horizonte.

HOrizon eſt quantum aſpectus cuiuſque in circuitu circumſcribit, & cœlum vndique terræ imminere putatur. Quod in lato mari melius dignoſci poteſt, vbi nullum obſtaculum ſe præfert. Extenditur autem Horizon in ſpacium longitudinis trecentorum & nouem ſtadiorum. Centum enim & octoginta ſtadia non excedit acies contra videntis. Sed viſus cum ad hoc ſpacium venit, deficiens in rotunditatem recuruatur. Hic numerus geminatus in ante, & retrò Horizontem efficit.

Quid ſit D *Horizon.*

CAPVT XXVI.

De dierum diuiſione.

DIes vulgaris habet tres diuiſiones, Mane, Meridiem, Supremum.

Mane ab ortu ſolis, vſque ad quartam horam, dictum à Mane, quod eſt bonum. Nihil enim melius luce, vel à manibus, id eſt, diis infernalibus, qui diem tota nocte incluſum mane emittunt. Meridies a media die. Et dicitur quaſi mera & pura dies.

Mane vnde dictum. *Meridies vnde dicta.*

Supremum ab hora nona, vſque ad ſolis occaſum, & dicitur inde: quod ſupprimat ſolis curſum.

E *Supremũ vnde dictum.*

CAPVT XXVII.

De initio & fine dierum.

HEbræi Chaldæi, & Perſæ, diem à mane inchoantes in mane finiunt. Ægyptij ab occaſu, vſque ad occaſum: Romani à medio noctis, vſque in medium. Vmbri, & Athenienſes à meridie vſque ad meridiem. Chriſtiani à veſpera vſque in veſperam.

CAPVT XXVIII.

De nominibus dierum.

SIc autem Hebræi nominant dies. Vna Sabbathi, vel Sabbathorum, vel prima Sabbathi. Secunda Sabbathi. Tertia Sabbathi. Quarta Sabbathi. Quinta Sabbathi. Sexta Sabbathi, Sabbathum.

Pagani verò ſic, Dies Solis, Dies Lunæ, Dies Martis, Dies Mercurij, dies Iouis, Dies Veneris, Dies Saturni. Sed cum hæc nomina à Planetis habeant, videndum cur non eundem ordinem ſeruent. Sed hæc cauſa eſt, Dies naturalis diuiditur in viginti quatuor horas, ex quibus ſi vnicuique Planetæ per circuitum ter vna hora tribuitur, expenſis omnibus, cui Planetæ prima iterum obuenit, huic & nomen diei aſcribitur. Chriſtiani autem ſic dies nominant. Dominica dies. Secunda feria. Tertia feria. Quarta feria. Quinta feria. Sexta feria. Sabbatum.

Cur ordo Planetarum in denominatione F *dierum Septimana non ſeruatur.* *Chriſtiani quomodo dies nominẽt.*

CAPVT XXIX.

De nocte.

NOx dicitur à nocendo, eò quòd noceat oculis. Eſt autem nox, ſolis abſentia, terræ vmbra. Fit autem vmbra à corpore, & luce. Dum enim lux ſolis eſt ſub terra, corpus terræ vmbram ſuperius parit, quæ vſque ad lunam pertingit.

Nox vnde dicatur & G *quid ſit.*

CAPVT XXX.

De vmbra.

DIcitur autem vmbra, quaſi obradium, ſcilicet ſolis, vbi lux par eſt corpori, ibi par eſt & vmbra: vbi lux maior corpore, ibi vmbra deficit: vbi lux corpore exilior, ibi vmbra in infinitum creſcit. Cum ſol Auſtralem cœli plagam perluſtrat, nobis noctem prolongat. Cum verò Aquilonarem, eam nobis breuiat.

CAPVT XXXI.

De Eclypſi.

CVm luna vmbram noctis incidit, à luce deficit, & hic defectus Ecclypſis dicitur. Sol verò objectu lunæ Ecclypſin patitur, dum videlicet luna ſub ſole in eadem linea graditur.

Quomodo fiat Eclypſis. H

CAPVT XXXII.

De Septem temporibus noctis.

HAbet autem nox ſeptem tempora. Videlicet, Crepuſculum, Veſperum, Conticinium, Intempeſtum, Gallicinium, Matutinum, Diluculum.

1 *Creſpulum* eſt dubia lux. Creperum enim dicitur dubium. Eſt autem inter tenebras & lucem.
2 *Veſperum*, à ſtella quæ veſperus nominatur.
3 *Conticinium*, cum omnia conticeſcunt, id eſt, ſilent.
4 *Intempeſtum*, media nox, cum non eſt tempus operandi.
5 *Gallicinium*, cum galli cantant.
6 *Matutinum*, cum mane aurora aduentat.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De Hebdomada.

Septimana.

HEbdomada quarta pars lunaris menſis dicitur, Græce verò à Septenario numero: ἑπτὰ enim dicitur ſeptem. Latinè autem dicitur Septimana, quaſi 7. manes, id eſt, dies.

Hæc habet ſeptem ſpecies.

Hebdomada Diuina.

Prima eſt hebdomada Diuina, in qua Deus ſex diebus cuncta condidit & in ſeptimo requieuit.

Secunda eſt, in qua hic mundus voluitur, in qua nos exemplo Dei ſex diebus operamur.

Tertia eſt, ſeptem hebdomadæ inſimul, priuſquam Pentecoſte celebratur. In qua lex Iudæis, Spiritus Sanctus Chriſtianis datur.

Quarta eſt, ſeptem menſium per quos tres feſtiuitates tabernaculorum ſeruabantur.

Quinta eſt, ſeptem annorum per quos annus remiſſionis agebatur, in quo populus ab opere ceſſare iubebatur.

Sexta à ſepties ſeptem annorum, poſt quos Iubilæus annus feriabatur.

Septima eſt ſeptuagies ſepties annorum, poſt quos Chriſtus naſci à Daniele, imò ab Angelo promittebatur.

CAPVT XXXIV.

De Menſibus.

Menſis vnde dictus. Menſis lunaris.

MEnſis eſt duodecima pars anni. Dicitur autem à menſura, vel à Mene, quod eſt luna.

Lunaris autem menſis viginti nouem diebus, duodecim horis impletur.

Solaris menſis.

Solaris verò triginta diebus, ad decem ſemis horis. Lunaris menſis eſt à noua luna vſque ad nouam. Luna autem peruolat Zodiacum viginti nouem diebus, & duodecim horis: bis duodecim ſunt viginti quatuor, quod eſt integer dies. Hic quia non poteſt diuidi, vni menſi aſcribitur. Inde eſt, quod vnus menſis habet triceſimam, alter viceſimam nonam lunam.

Solaris menſis eſt vnius ſigni progreſſio. Sol in vnoquoque ſigno moratur triginta diebus & dimidio. Quia dimidius in duobus ſignis efficit integrum diem. Hic quia non poteſt in duos partiri, vni aſcribitur menſi, & ideò habet vnus menſis triginta vnum diem, alter triginta.

CAPVT XXXV.

De nominibus menſium.

HEbræi auctore Moyſe ſic menſes nominant, incipientes ab Aprili, in quo Paſcha celebrant.

Niſan.	*Aprilis.*
Liar.	*Maius.*
Sinan.	*Iunius.*
Thamus.	*Iulius.*
Ab.	*Auguſtus.*
Elul.	*September.*
Thirſi.	*October.*
Marheſuan.	*Nouember.*
Caſleu.	*December.*
Tebet.	*Ianuarius.*
Sebat.	*Februarius.*
Adar.	*Martius.*

Ægyptij verò authore Abraham menſes à Septembri computant. Sicque eos vocant.

Θώθ	*September.*
Φαωφί	*October.*
Ἀθύρ	*Nouember.*
Χοιάκ	*December.*
Τυβί	*Ianuarius.*
Μεχίρ	*Februarius.*
Φαμενώθ	*Martius.*
Φαρμουθί	*Aprilis.*
Παχών	*Maius.*
Παωνί	*Iunius.*
Επιφί	*Iulius.*
Μεσορή	*Auguſtus.*

Græci autem Phoroneo authore à Decembri menſes inchoant, quos ſic appellant.

Απελλαῖος	*December.*
Αὐδυναῖος	*Ianuarius.*
Περίτιος	*Februarius.*
Δύστρος	*Martius.*
Ξανθικός	*Aprilis.*
Ἀρτεμίσιος	*Maius.*
Δαίσιος & Δέσιος	*Iunius.*
Πάνεμος	*Iulius.*
Λῶος	*Auguſtus.*
Γορπιαῖος	*September.*
Ὑπερβερεταῖος	*October.*
Δῖος	*Nouember.*

CAPVT XXXVI.

De menſibus Romanorum.

ROmulus Romanis decem menſes ordinauit, quorum primum Martium à Marte, qui in hoc menſe in Phrygia natus eſt, nominauit, cuius ſe filium falſo prædicauit.

Decimum verò Decembrem appellauit.

Numa verò Pompilius duos: Ianuarium videlicet & Februarium adiecit.

Sunt autem menſes Romanorum, ab idolis, à Regibus, à numeris dicti.

CAPVT XXXVII.

De Ianuario.

Ianuarius vnde dictus.

PRimus Ianuarius dicitur, ab idolo Iano, Deo principij, eò quod hic menſis eſt principium anni: Dicitur & à Ianua, eo quod per eum intret annus.

CAPVT XXXVIII.

De Februario.

Februarius vnde dictus.

SEcundus Februarius, à Februo, id eſt, ab idolo Plutone Deo infernali, cui hoc menſe ſacrificabant, dum ciuitatem in eius honorem luminibus luſtrabant. Dicitur à febre, id eſt, frigore, quia frigidum eſt illud tempus.

CAPVT XXXIX.

De Martio.

Martius vnde dictus.

TErtius Martius à Marte idolo Deo belli, patre Romuli, authoris Romanæ gentis, cui Marti milites hoc menſe ſacrificabant. Dicitur etiam à maribus, eo quod cuncta animantia hunc mares deſiderent.

CAPVT XL.

De Aprili.

Aprilis vnde dictus.

QVartus Aprilis, ab Aphrodiſi vel Afrili, id eſt, Venere idolo dea amoris, cui conſecratus erat hic menſis. Dicitur etiam quaſi aperilis, eo quod aperiat terram in flores.

CAPVT XLI.

De Maio.

Maius vnde dictus.

QVintus Maius à Maia, & Ioue, quaſi à maieſtate, ſiue à Maia matre Mercurij, cui mercatores hoc menſe ſacrificabant. Dicitur & à maioribus ſcilicet principibus Romanorum: qui hoc menſe Ioui immolabant.

A

CAPVT XLII.

De Iunio.

Vnde Iunius dictus.

SExtus Iunius à Iunone Dea regni dictus, cui erat conſecratus. Dicitur & à Iunioribus, qui armis Romam defendebant, & regni faſtigium è Iunone affectabant.

CAPVT XLIII.

De Iulio.

Iulius vnde dictus & Quintilis.

SEptimus Iulius, à Iulio Cæſare, qui in hoc menſe Imperator creatus eſt, & in hoc in Deum eſt relatus. Hic prius Quintilis dicebatur, eò quod quintus eſſet à Martio, qui primus erat inſtitutus à Romulo.

CAPVT XLIV.

De Auguſto.

B

Auguſtus vnde dictus. Sextilis.

OCtauus Auguſtus, ab Auguſto Cæſare, qui in hoc menſe victor extitit, & Romanum Imperium adauxit. Ideoque diuinitatem promeruit. Hic prius Sextilis eſt dictus, eò quod à primo Martio eſſet ſextus.

CAPVT XLV.

De Septembri.

September vnde dictus.

NOnus September, quaſi ſeptimus imber.

CAPVT XLVI.

De Octobri.

DEcimus October, quaſi octauus imber.

CAPVT XLVII.

De Nouembri.

C

VNdecimus Nouember, quaſi nonus imber.

CAPVT XLVIII.

De December.

DVodecimus December, quaſi decimus imber. Sunt enim hi menſes pluuiales, & ideo à numero, & imbribus nomen habent.

CAPVT XLIX

De Calendis.

Calendæ vnde dictæ. Calabria idē quod curia.

KAlendæ à verbo καλῶ, quod eſt conuoco dicuntur. Pontifex namque nouam lunam regi nunciare debuit, poſt cuius ſacrificium Kalo quinquies, vel ſexies clamauit. Per hocque ſignum populum in curiam, ob hoc Calabriam dictam, ad ſacrificium vocauit. Et ab hoc verbo καλῶ primam diem menſis Kalendas vocare placuit.

CAPVT L.

De Nonis.

D

Nonæ vnde dictæ.

INde per nouem dies vulgus de rure vocatus in vrbem conuenit, & ibi feriarum ſeruandarum ſcita à rege, vel pontifice, accepit, & inde Nonæ dicuntur. Dicuntur & à nundinis, & mercimoniis, quæ vel in vrbem deferebant, vel ibidem emebant.

CAPVT LI.

De Idibus.

Idus vnde dictæ.

IDus dicuntur dies, qui menſes diuidunt, ab Iduare, quod eſt diuidere. Dicuntur etiam ab Idæa, quod eſt ſpecies, quia Luna plenam ſui ſpeciem in medio menſe monſtrat.

Hebræi & Ægyptij & Græci nec calendas, nec Nonas, nec Idus obſeruant. Sed tantum dies à noua luna, ad nouam computant.

E

CAPVT LII.

De Viciſſitudinibus Anni.

VIciſſitudo in quatuor anni tempora diuiditur, & vnumquodque tribus menſibus diſtinguitur. Dicta autem viciſſitudo, quia vices mutat in anno; videlicet in Ver, Æſtatem, Authumnum, & Hiemem.

CAPVT LIII.

De Vere.

Ver vnde dicatur.

VEr eſt quarta pars anni, conſtans tribus menſibus, dicitur à vernando: quia tunc prata virent, ſylvæ frondent. Hoc eſt humidum, & calidum. Et in hoc fit æquinoctium.

CAPVT LIV.

De Æſtate.

F

Æſtas vnde dicatur. Meſſis.

ÆStas eſt quarta pars anni, conſtans tribus menſibus, & dicitur ab æſtu, id eſt, calore. Hæc eſt calida, & ſicca. Hæc & Meſſis vocatur & in hac ſolſtitium celebratur.

CAPVT LV.

De Authumno.

Autumnus vnde dicatur. Vindemia.

AVthumnus eſt quarta pars anni, tribus menſibus conſtans. Et dicitur ab Autumo, id eſt colligo, ſcilicet fructus terræ. Hic eſt ſiccus & frigidus. Hic etiam vindemia nominatur, & in hoc æquinoctium libræ æquatur.

CAPVT LIV.

De Hieme.

G

Hiems à rigore dicitur.

HIems eſt quarta pars anni tribus menſibus perficitur, & à rigore dicitur. Eſt enim frigida & humida, & in hac agitur ſolſtitialis dies.

CAPVT LVII.

De Inæqualitate temporis

HÆc autem viciſſitudo in noſtris tantum partibus agitur. In India verò, vbi ſunt alij ortus ſyderum, ſunt binæ in anno æſtates, binæ meſſes. In medio hyeme placida. In Ægypto quoque natura hyemis media hyeme campus herbis, floribus, ſylvæ frondibus veſtitur, quandoque arbor pomis oneratur.

CAPVT LVIII.

De Elementis.

QVatuor quoque Elementa qualitatibus quatuor temporum connectuntur: Terra namque ſicca & frigida Autumno, Aqua frigida, & humido Hiemi, Aër humidus, & calidus, Veri. Ignis calidus, & ſiccus Æſtati colligatur.

H

CAPVT LIX.

De Homine Microcoſmo.

IIſdem qualitatibus eſt humanum corpus temperatum, vnde & Microcoſmus, id eſt, minor mundus appellatur. *Sanguis* namque qui vere creſcit, eſt humidus, & calidus, & hic viget in infantibus. *Cholera* rubea creſcens in æſtate; eſt calida, & ſicca, & hæc abundat in iuuenibus. *Melancholia* à cholera nigra creſcens autumno in prouectioribus, *Phlegmata*, quæ hieme dominantur in ſenibus.

Sanguinei.

In quibus ſanguis pollet ſunt hilares, miſericordes, ridentes, loquaces.

Cholerici.

In quibus cholera rubea ſunt macilenti, voraces, veloces, audaces, iracundi, agiles.

In

Digitized by Google

A In quibus nigra cholera ſtabiles, graues, compoſiti moribus, & doloſi ſunt. *Melancolici. Phlegmatici.*

In quibus phlegmata, tardi, ſomnolenti, obliuioſi ſunt.

CAPVT LX.

De Anno.

Annus unde dictus.

ANnus dicitur ab innouando, eò quod cuncta tranſeuntia innouat.

Dicitur & annus, quaſi annulus, eo quod in ſe reuoluitur, vt circulus.

Annus autem multis modis accipitur.

CAPVT LXI.

De Anno Lunari.

LVnaris annus quinquevarie dicitur.

B Primus Lunaris annus eſt, cum luna omnia ſigna Zodiaci peruolat, qui viginti ſeptem diebus & octo horis conſtat.

Secundus, duobus diebus & quatuor horis prolixior, poſtquam luna à ſole reaccenditur, qui propriè menſis nominatur.

Tertius qui dicitur communis, qui duodecim huiuſmodi menſibus, in trecentis quinquaginta quatuor diebus expletur.

Quartus Emboliſmus, id eſt, Superaugmentum, qui tredecim menſibus in trecentis, octoginta quatuor diebus conficitur. Qui vterque ab Hebræis à Paſchali menſe incipit, ibique finitur. A Romanis autem à Ianuarij luna inchoatur, ibique terminatur.

Quintus eſt lunaris, ſiue decemnouennalis, cum luna poſt nouendecim annos ad eaſdem reuertitur ætates.

CAPVT LXII.

De Solari Anno.

C SOlaris annus eſt, cum ſol omnia Zodiaci ſigna perluſtrat, qui trecentis ſexaginta quinque diebus, & ſex horis conſtat.

CAPVT LXIII.

De Biſſextili.

BIſſextilis annus eſt, dum quarto anno Biſſextus inſeritur, & vno die longior priori cognoſcitur. Eſt & alius Solaris Annus, cum ſol poſt viginti octo annos circulum concurrentium complet.

CAPVT LXIV.

De Mercurij anno.

MErcurius, trecentis triginta nouem diebus circulum ſuum complet.

CAPVT LXV.

Veneris annus.

D VEneris annus trecentis quadraginta octo diebus perficitur.

CAPVT LXVI.

Martis annus.

MArtis annus duobus Solaribus conſtat.

CAPVT LXVII.

Iouis.

IOuis annus duodecim annis extat.

CAPVT LXVIII.

Saturni.

SAturni annus triginta annis completur.

CAPVT LXIX.

Annus magnus.

E MAgnus annus quingentis triginta duobus annis reuoluitur.

Extra hos ſunt duo LEGALES anni. Vnus qui dicitur Annus Remiſſionis, habens curricula ſeptem annorum, Alter Iubilæus quinquaginta annorum.

CAPVT LXX.

De anno ciuili.

ANnum Ciuilem, id eſt, Solarem Hebræi verno ab æquinoctio, Græci à Solſtitio, Ægyptij ab Autumno, Romani à Bruma incipiunt. Apud Indos vnus menſis. Apud Ægyptios verò olim erat annus quatuor menſium. Apud Acarnanas, ſex menſium. Apud Lauinios tredecim menſium. Apud quoſdam, vnumquodque tempus anni, ſcilicet ver & alia pro anno computatur. Vnde & Plato ponit nouem millia annorum. Tullius verò quindecim millia annorum. F *Cur Plato tot millia annorum ponat.*

CAPVT LXXI.

De Biſſexto.

ANnus ſolaris, vt in horoſcopo horologij eſt inueſtigatum, trecentis ſexaginta quinque diebus, & quadrante conficitur. Quadrans autem eſt quarta pars diei, ſcilicet ſex horæ. In quatuor autem annis quatuor quadrantes quadraginta quatuor horas conficiunt, quod eſt integer dies. Hi ergo dies in quarto anno ſexto Calend. Martij intercalatus, & Biſſextus nominantur. Hunc Iulius Cæſar interpoſuit, & totius computi errorem per hunc correxit. Hunc Ægyptij, & Græci in fine anni ſupponunt. Romani autem in Februario, eo quòd cæteris breuior eſt, inſerunt. Quia olim ibi integer menſis intercalabatur. Ideo verò non ante ſextum calend. Martij, quia ſept. calend. Martij magno tripudio ciuitatem luſtrabant, & nihil eis incipere ante tranſactam feſtiuitatem licebat. *Cur in Februario intercalares dies ponantur.*

G Cyclus Biſſextilis quatuor impletur annis.

Cyclus Indictionalis ab Octobri incipiens quindecim annis.

Cyclus decennouennalis, à Paſchali luna, inchoans nouendecim annis.

Cyclus ſolaris à Martio inchoans, viginti ſeptem annis.

Cyclus magnus, quingentis, triginta duobus annis perficitur.

CAPVT LXXII.

De Olympiadibus.

H OLympias ſunt quatuor anni. Apud Elidem ciuitatem Græciæ eſt inſtitutum, poſt quatuor annos ad Olympium montem conuenire, & ibi palæſtrales ludos agere, & inde dicuntur Olympiades.

CAPVT LXXIII.

De Luſtris.

LVſtrum ſunt quinque anni. Romanis enim ab omnibus gentibus ſoluebatur tributum. Quinque annis æs, Quinque argentum, Quinque aurum. Et ſemper per quinquennium Romam veniebant, & vrbem luſtrabant, & inde vnumquodque quinquennium Luſtrum dicitur.

CAPVT LXXIV.

De Indictionibus.

OMnes autem ſimul indictiones, ab indicendo dicuntur, quia ſemper poſt quindecim annos ad primum cenſum, id eſt, Æs reuertebatur.

Digitized by Google

A

CAPVT LXXV.

De Ætate.

Hominis Ætates Sex.

ÆTas vel generatio, eſt vita vniuſcuiuſque hominis, vel centum anni. Eſt etiam ætas cum nullus ſuperfuerit? qui nunc viuit. Sunt quoque ſex ætates hominis. Prima, infantia ad ſeptem annos.

Secunda *pueritia* ad quatuordecim annos.

Tertia *adoleſcentia*, ad viginti, & vnum annum.

Quarta *iuuentus*, ad quinquageſimum annum.

Quinta *Senectus*, ad ſeptuageſimum annum.

Sexta *decrepita* ad centum annos, vel vſque ad mortem.

Sunt nihilominus ſex ætates mundi.

Sex ætates mundi.

Prima ab Adam ad Noë.

Secunda à Noe ad Abraham.

Tertia ab Abraham ad Dauid.

Quarta à Dauid ad tranſmigrationem Babylonis.

B

Quinta inde ad Chriſtum.

Sexta vſque in finem mundi.

CAPVT LXXVI.

De Sæculo.

Sæculum vnde dicatur.

SEculum ſunt mille anni, dicitur autem Seculum, quod ſe ſequitur, in ſeculum ſeculi.

Seculum tempus Græce.

Seculum temporis Legis.

Secula ſeculorum.

Secula tempora Chriſtianorum.

Secula Iudæorum, & Paganorum.

Eſt & ſeculum ſeculi, Regnum cœlorum, quod ſequitur iſtud ſeculum, ſicut ſcribitur, Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi.

CAPVT LXXVII.

De decennouennali cyclo.

C

DEcennouennalis cyclus dicitur, quaſi nouendecim annorum circulus. Per tot enim annos peragit Luna curſum ſuum, nitens contra firmamentum.

Diuiditur autem in duo.

In duodecim communes. Et in ſeptem Emboliſmales annos.

Communes dicuntur, cum duo æquales, ſcilicet duodecim menſium lunarium à Paſcha ad aliud Paſcha concurrunt.

Emboliſmus, qui ſupercreſcens dicitur, eſt is, qui à Paſcha ad aliud Paſcha, tredecim menſes, id eſt, tredecim nouas lunas habet. Hoc totum ideò fit, quod Paſcha ante æquinoctium, & ante decimam quartam Lunam Aprilis, qui apud Hebræos primus dicitur, agi non licet.

CAPVT LXXVIII.

De Ogdoade.

D

DIuiditur adhuc in duo. In octoadem, & Endecadem. Octoas ſunt octo anni, Endecas vndecim. Duo enim communes ſemper præcedunt Emboliſmum. In octauo autem loco præcedit vnus communis Emboliſmum. Et hic numerus Ocdoas appellatur. Deinde iterum ſemper duos communes præcedit tertius Emboliſmus. In vndecimo vero loco vnus tantum præcedit Emboliſmus. Et hic numerus Endecas vocatur.

CAPVT LXXIX.

De Cyclo ſolari.

SOlaris autem cyclus viginti octo annis peragitur, propter ſeptem biſſextos. Oportet enim, vt biſſextus ſingulos dies ſeptimanæ tangat, & ſic per eoſdem recurrat. Septies autem quatuor, faciunt viginti octo. Biſſextus enim in quarto tantum anno interponitur.

E

CAPVT LXXX.

De numero Articulorum.

LVnarem curſum ſic in articulis adiunctis vnguibus computabis. A radice pollicis leuæ manus incipe, & per ſingulos articulos, & vngues numera; & in fine minimi digiti nouendecim annos habebis.

Solarem ſic autem in articulis vtriuſque manus abſque vnguibus computabis. A minimo digito leuæ manus inchoa, & per tranſuerſum in quatuor digitis numera. In quarto ſemper biſſextum nota. In altera manu ſimiliter, & habebis annos viginti quatuor. Deinde in vtroque pollice binos annos, qui prioribus iuncti, perdunt viginti octo annos.

Geminus eſt autem ſolaris curſus. Vnus quo quotidie ab Oriente in Occidentem, firmamentum ſequitur. Alter quo contra firmamentum nitens viginti octo annis graditur.

F

CAPVT LXXXI.

De Magno anno.

HIs Cyclis duobus conficitur magnus annus. Nam vicies, & octies nouendecim, vel decies, & nonies viginti octo, ſunt quingenti. Triginta verò anni poſt quos omnes Planetæ, & omnes ſtellæ ad primum punctum, vnde digreſſi ſunt recurrunt, & per eaſdem lineas, vt prius redeunt. Luna namque quodlibet Zodiaci ſignum duobus diebus, & ſex horis, ac beſſe vnius horæ luſtrat. Omnia ſigna viginti ſeptem diebus, & octo horis peruolat.

CAPVT LXXXII.

De Cyclis.

MErcurius quodque ſignum viginti octo diebus, & ſex horis: Totum Zodiacum verò trecentis triginta nouem diebus permeat.

G

Venus verò quodlibet ſignum viginti nouem diebus & quinque horis. Totum ſigniferum trecentis quadraginta octo diebus circumit.

Sol triginta diebus ac decem horis, & ſemiſſe ſingula ſigna luſtrat. Omnem Zodiaci ambitum trecentis ſexaginta quinque diebus & ſex horis tranſuolat.

Mars quodque ſignum ſexaginta diebus & viginti vna horis, Omnia ſigna duobus annis perlabitur.

Iouis ſtella ſingulis ſignis annum vnum immoratur. Omnia verò duodecim annis peruagatur.

Saturnus in vnoquoque ſigno duos annos & centum octoginta dies, & quindecim horas, id eſt, dimidium annum immoratur Totum autem ſigniferum circulum triginta annis, propter nimiam altitudinem contra cœlum, ſicut alij currens, perlabitur.

CAPVT LXXXIII.

De Autoribus Cycli.

H

CYclum Euſebius Cæſarienſis primus compoſuit. Poſtea Theophilus, Alexandriæ Epiſcopus, rogatu Leonis Papæ lucidius expoſuit. Deinde Dionyſius Abbas, Romæ, vt hodie habetur, ſcripto protulit.

CAPVT LXXXIV.

De Æquinoctio Et Solſtitio.

ÆQuinoctia, & ſolſtitia faciunt quatuor Zodiaci ſigna, in modum crucis æquali ſpatio locata. Nam ſignum Arietis, in quo ſol eſt collocatus, in oriente eſt poſitum, quod facit vernale æquinoctium. Libra, in qua luna eſt condita, eſt in occidente, huic oppoſita, & facit Autumnale æquinoctium. Cancer autem verſus Aquilonem tenet cœlum, vbi eſt altiſſimum, & facit Æſtiuale ſolſtitium. Capricornus vero verſus Auſtrum premit cœlum, vbi eſt humillimum, & facit hyemale ſolſtitium.

Æquinoctium dicitur ab æquo, & nocte: Græce vero Iſemeria, ab æquo, & die, quaſi æquidies.

Vernale æquinoctium non octauo, ſed duodecimo Calend. Aprilis habendum lex, & Euangelium clamant, & horologij inſpectio, manifeſtè probat. Secundum legem enim non licuit Paſcha ante æquinoctium celebrare. Qui autem Euangelium diligenter legerit, Dominum non octauo ſed decimo Calend. April. paſſum videbit. Si ergo octauo Calend. April. eſt æquinoctium, tunc Dominus contra legem Paſcha ante æquinoctium celebrauit, qui non ſoluere legem, ſed implere venit. Sed & Iudæi contra patrium morem geſſerunt, qui Paſcha in inconuenienti termino egerunt. Veruntamen cum horum neutrum fuerit, tranſacto duodecimo Calend. April. æquinoctio, Dominus ſolito more Paſcha cum Iudæis vndecimo Calend. Aprilis celebrauit Paſchali die, quod erat decimo Calend. ſuo ſanguine nos redemit. Octauo Calend. reſurrexit.

Chriſtus decimo die Kal. April. paſſus eſt.

Autumnale quoque æquinoctium non octauo, ſed duodecimo Calend. Octobr. habendum demonſtrat horologium.

Solſtitium ideo dicitur, quod ſol ſtet, ſcilicet quod altius cœlum ſcandere non valeat. Sed retro gradum flectat.

Æſtiuale Solſtitium, non octauo, ſed duodecimo Calend. Iulij horoſcopus horologij clamat habendum quod noctem breuiſſimam, diem facit longiſſimum, cum ſol ſcandit Cancri ſignum.

Hiemale quoque Solſtitium non octauo, ſed duodecimo calend. Decembris habendum eadem ratione probatur. Cum ſol in Capricorno poſitus breuiſſimum diem, longiſſimam noctem facere non ignoratur.

CAPVT LXXXV.

De Saltu Lunæ.

Lvna à ſole recedens poſt viginti nouem dies & horas duodecim eum iterum conſequitur: ſed hora duodecima nondum peracta, à ſole reaccenditur. Reſtant enim ex hora per ſingulos menſes quatuor momenta, & vnica vnius momenti, & vnus atomus. Hæc per ſingulos annos augmentata, poſt nouendecim annos integrum diem perficiunt. Qui dies nomine Lunæ ſubtrahitur dum prima pro triginta computatur. Iſque ſaltus lunæ nominatur. Ideo autem in decimo nono anno, & in Iulio menſe fit lunæ ſaltus, quia & hoc fecit mater Aſtronomiæ Ægyptus.

Ægyptus Aſtronomia mater.

CAPVT LXXXVI.

De Minutis.

Qvia hic ſæpius minutiæ ponuntur, quæ forſitan à pleriſque minus ſciuntur: Sciendum, quod Vncia eſt duodecima pars cuiuſque rei in duo diuiſæ: Biſſæ duæ partes alicuius rei in tria partitæ tertia ſublata. Quælibet autem pars illarum dicitur triens rei in quatuor partes diuiſæ. Quarta pars dicitur, Quadrans. Reliquæ tres, Dodrans.

Vncia quid.

CAPVT LXXXVII.

De Regularibus Feriarum.

Regulares feriarum, & concurrentes, à Martio ſumunt initium, à quo olim Romani habuerunt anni principium. A Romanis enim ſunt inuentæ. Regulares inde dicuntur, quod calculatores regant. Concurrentes verò inde, quod Regularibus concurrant. Regulares habent tale exordium. Solaris annus 365. diebus peragitur. Sol autem per ſingula duodecim ſigna triginta diebus immoratur. Duodecies igitur triginta vel tricies duodecim, ſunt trecenta ſexaginta. Remanent itaque quinque. Hi ſunt regulares Martij. In cæteris menſibus ſic oriuntur. Præcedentis menſis dies cum regularibus in ſeptem partes æquas partire, quod remanet ſequenti menſi, pro Regularibus. Verbi gratia: Martius habet triginta vnum & quinque Regulares, quod ſunt ſepties quinque, & remanet vnus. Hic erit Regularis Aprilis. Sic in cæteris. Aliter Quota feria primo anno fuit in Calendis menſium, tot erunt Regulares menſium. Verbi gratia: in calendis Martiis ſunt quinque. Quinque ergo ſunt regulares Calend. April. vna feria, & vnus Regularis. Sic in cæteris.

Regulares vnde dicantur.

CAPVT LXXXVIII.

De Concurrentibus.

Concurrentes autem habent hoc exordium. Solaris annus habet Ebdomadas quinquaginta, & duas & vnum diem. Hic vnus erit primo anno ſolaris Cycli concurrens, quia concurrit regulariter ad inueniendam feriam primam in calendis menſium. Singulis annis adde vnum, vſque ad ſeptimum. Quarto anno Biſſextus, pro concurrentibus accipitur. Illo vno anno vnus concurrens tranſilitur, Biſſextili anno vtere in Ianuario, & Februario Biſſexto pro concurrente. In reliquis menſibus concurrente.

Primus annus in creatione mundi fuit ſine concurrentibus. Quarta feria fuit in nono Calend. Aprilis, vel ſexta Calend. Mar. Tot erunt concurrentes illo anno.

Concurrentes iunge regularibus, ſi infra ſeptimam fuerit, talis erit feria in Calendis cuiuſque menſis. Si ſeptimam exceſſerit, Septem ſublatis, quod remanet erit feria. Hi enim regulares atque concurrentes Septenarium numerum non excedant.

CAPVT LXXXIX.

De Regularibus & Epactis.

Regulares, & Epactæ, à Septembri ſumunt initium, quem Ægyptij ponunt anni principium. Ab ipſis enim ſunt inuenti. Hi regulares ſimile habent exordium, vt ſuperiores. Et ideo September habet quinque.

In reliquis menſibus ſic inueniuntur: Præcedentis menſis dies cum regulari ſume. Si trigeſimam Lunam habet, viginti quinque tolle, quod remanet, tribue ſequenti pro Regulari.

Aliter.

Quarta luna in primo anno in Calend. fuit. Vndecim ſublatis, quot remanent, tot erunt Regulares lunæ. Verbi gratia. In Calend. Septemb. luna erit decima ſexta, vndecim tolle & remanent quinque. Quinque erit Regularis. Sic in cæteris.

Epactæ autem ſic oriuntur. Annus ſolaris habet dies trecentos ſexaginta quinque. Lunaris verò trecentos, quinquaginta quatuor. Qui numerus ab alio ſuperatur vndecim diebus. Hi vndecim Epactæ, id eſt, adiectiones nominantur, quia ſingulis annis Regularibus menſium ad inueniendam lunam adiiciuntur. Singulis ergo annis adiice vndecim. Si infra triginta fuerit numerus, ipſæ erunt Epactæ præſentis anni. Si vltra, tolle triginta, quot remanent: tota erit luna. Nonodecimo anno ſcilicet octodecim Epactæ. His vndecim dies ſaltus lunæ addantur, & erunt triginta Epactæ primo anno. Primus ergo annus decemnouenalis habet triginta Epactas. Sed ideo dicitur, quod nullas habeat, quia in ſingulis menſibus triginta reiiciuntur, & luna ſolis Regularibus inuenitur. Quota luna fuerit in vndecima Calend. Aprilis, tales erunt Epactæ illius.

Epactæ vnde dicantur.

CAPVT XC.

Quot Horis Luna luceat.

Lvna prima lucet quatuor punctis. Secunda octo. Tertia duodecim, & ſic vſque ad plenilunium quotidie quatuor puncta adiiciuntur. In decreſcendo ſimiliter quotidie auferuntur. In plenilunio tota nocte lucet: cum eſt trigeſima, nihil.

In Lunari Computo, quinque puncta faciunt vnam horam. De vnaquaque die ergo quatuor punctis acceptis, & quinque vnicuique horæ diſtributis, quot horis luna in nocte luceat citius videbis.

A *Ligna quando præcidenda.*

Notandum quod ligna in decreſcente luna, vel poſt Iulium, & Auguſtum menſem præciſa, à vermibus, & carie manebunt illæſa.

CAPVT XCI.

Quot Partibus Luna à Sole diſtet.

ÆTatem quamcunque Lunæ per quatuor multiplica, huncque numerum ter ducito & quot in ſumma reperies, tot partibus zodiaci lunam à ſole noueris, & ſolem poſt totidem dies ad eundem locum venturum.

CAPVT XCII.

In Quo Signo Luna ſit.

SOl cuilibet ſigno triginta diebus immoratur. Vide ergo in quo ſigno ſit, & quot dies adhuc in eo moraturus erit, tot ex prædicta ſumma eidem ſigno tribue. B Reliquis qui de eadem ſumma ſuperfuerint, ſequentibus ſignis, per triginta diſpertiens, & cui ſigno triginta defuerit, in eo lunam eſſe noueris.

CAPVT XCIII.

De Annis Domini.

AD inueniendum Domini annum, Ordines Indictionum ab incarnatione eius, qui ſunt ſeptuaginta, per quindecim multiplica, addens duodecim. Quia tres indictiones annum Natiuitatis Chriſti præceſſerant, & fiunt Mille viginti. His adde Indictionem præſentis anni & habebis annum Domini.

CAPVT XCIV.

De Indictione Inuenienda.

Nota quo anno Dominicæ C *incarnationis author hunc libellum ſcripſerit. 1120.*

AD Indictionem inueniendam, tranſactos annos Domini, cum tribus indictionibus, qui eius natiuitatem præceſſerant, per quindecim partire, quot remanſerint, tota eſt indictio. Si nihil remanſerit, quinta decima erit.

CAPVT XCV.

De Epactis Inueniendis.

AD inueniendas Epactas, annos Domini per nouendecim diuide, quod remanſerit per vndecim multiplica. Si infra triginta fuerit, Epacta filius anni erit. Si vltra, triginta ſublatis, quot remanent, pro Epactis habebis. Quando natus eſt Dominus vndecim Epacta erant.

CAPVT XCVI.

Solaris Annus Quomodo inueniatur.

AD inueniendum Solarem annum, annis Domini nouem adde, quia tot anni ſolaris Cycli eius natiuitatem præceſſerant. Hanc ſummam per viginti octo diuide, quot remanent: totus eſt. Si nihil remanet viceſimus octauus eſt.

D

CAPVT XCVII.

Concurrentes Quomodo inueniantur.

AD inueniendos Concurrentes Annos Domini ſume & propter numerũ Biſſexti quartam partem totius numeri eis adiice. Quatuor Regulares adde, quia tot concurrentes Chriſti natiuitatem præceſſerant. Hunc totum numerum diuide per ſeptem, & quot ſuperſunt, illius anni concurrentes erunt. Si nihil, ſeptem exiſtunt.

CAPVT XCVIII.

De Inueniendo Biſſexto.

AD inueniendum Biſſextum. Annos Domini per quatuor diuide. Quot remanſerint, totus annus à Biſſexto eſt. Si nihil remanſerit: Biſſextus erit.

E

Similiter Solarem Cyclum ſublato vno, per quatuor diuide, qui remanet, annus à Biſſexto eſt.

CAPVT XCIX.

De Inueniendo Cyclo Lunæ.

AD inueniendum lunæ Cyclum, de annis Domini duobus ſublatis, qui eo nato de eodem Cyclo reſtabant, ſeptendecim enim præceſſerant, cæteros per nouendecim diuide. Qui ſuperfuerit, Anni lunaris Cyclus erit. Si nihil remanſerit, decimus nonus erit. Hic eſt proprie Romanorum, ſicut decemnouennalis Hebræorum. Et ſicut per iſtum Paſcha: Ita per illum lunaris aſcenſio cognoſcitur.

Ad inueniendum Decennouennalis Cycli Annum, Annis Domini ſemper vnum adiice, quia eius ſecundo anno natus eſt Dominus: ac per nouendecim diuide. Qui remanſerit inſtans annus erit. Si nihil remanſerit Decennouennalis erit. F

CAPVT C.

De Annis Et Cyclis.

Quis ſit primus dies ſæculi.

ANnos ab initio mundi muta in decimum quintum Calend. Aprilis, quia ibi eſt primus dies ſæculi: An. Domini muta in octauum Calend. Ianuar. Cyclum lunarem in Calend. Ianuar. Cyclum Solarem ibidem. Cyclum decennouennalem in noua luna Aprilis. Concurrentes in Calend. Martij. Epactas in Calend. Septem. Indictiones in Octobris Calend.

CAPVT CI.

De Clauibus Terminorum inueniendis.

AD Claues terminorum inueniendas. Sume annos Decennouennalis Cycli, & ſeptem dies Ebdomadæ, ſimul iuncti fiunt viginti ſex & hæc eſt prima clauis. Secũdo verò anno iunge decennouennalẽ cum prima claue, fiuntque quadraginta quinque. Tolle triginta remanent G quindecim: & hæc eſt Secunda clauis. Sic fac per ſingulos annos vſque ad decimum nonum annum. In anno decimo nono iunge octodecim propter ſaltum Lunæ, & ſic inuenies Primam. Hic autem memor eſto, vbi cum numerus ſupradictus quadraginta exceſſerit triceſimum, rurſus remanens eſt clauis.

CAPVT CII.

De Termino Paſchali.

TErminus Paſchalis eſt decima quarta luna Aprilis, & Paſcha Hebræorum. Ergo poſt vernale Æquinoctium vbicunque decima quarta luna occurrerit: Ibi abſque dubio terminus Paſchalis erit, & in ſequenti Dominica noſtrum Paſcha conſtabit. Si terminus in Dominico die obuenerit, in ſequenti Dominica Paſcha celebrandum erit. Hunc terminum per verſus Nonarum Aprilis, & ferias facillimè reperire poteris.

Aliter.

Termini à duodecimo Calend. April. vſque ad tertium H decimum Calend. Maij ſunt requirendi. Quos & ſic inuenire poteris. Terminum præcedentis anni pone in primo articulo pollicis leuæ manus, & per ſingulos articulos, vnguéſque digitorum eiuſdem manus, dies terminorum computa. Qui terminus ad primum articulum occurrerit: Terminus erit.

Aliter

A termino cuiuſque anni inchoa, & retro vſque ad duodecimam literam calcula, & habebis terminum ſequentis anni, ſi communis eſt annus. Si autem Emboliſmalis eſt in anno computa vſque ad viceſimam literam, & habebis terminum. Verbi gratia A termino primi anni, qui eſt Non. April. retrò numera, & in duodecima litera, quæ eſt octaua Calend. April. terminum ſecundi anni habebis, qui eſt communis. Ab hac vſque in vigeſimam literam, in quam incidit. Idus Aprilis computa, & terminum tertij anni, qui eſt Emboliſmalis, habebis.

Aliter.

Aliter.

A radice pollicis inchoa, & per ſingulos articulos trium digitorum retro calcula, & in quarto digito habebis terminum. Verbi gratia. Primo anno die nonarum April. Secundo Non. Tertio Non. Quarto Non. Primo Calend. April. Secundo Calend. Tertio Calend. Quarto Calend. Quinto Calend. Sexto Calend. Septimo Calend. Octauo Calend. occurrit Terminus.

Regulares eiuſdem Termini ſic inuenies. Calend. April. pro prima feria pones, & ſic vſque ad terminum eiuſdem anni dies numera. Quota feria erit Terminus, tot erunt Regulares. Verbi gratia: Calend. April. da Dominicam & Non. April. obueniens quinque feriæ. Quinque ergo erit Regularis. Sic in cæteris. Porrò ſi terminus eſt ante feriam, retro calcula. Si poſt Calend. in antiphona computa retro hoc modo. Dominica, Sabbathum, Feria Sexta, & ſic per ordinem. In antiphona autem hoc modo. Dominica, Feria Secunda & tertia. Et ſic per ordinem.

CAPVT CIII.

De Termino ſeptuageſima.

POſt ſeptimum Idus Ianuarij, vbicunque decima Luna occurrent, Terminus ſeptuageſimæ erit. Quem ſic reperies. Quot diebus terminus Paſchalis à Calendis Aprilis, ſiue retro, ſiue in ante abeſt. Tot diebus ſeptuageſimæ terminus à quinto Calend. Febr. vel in ante, vel retro erit.

CAPVT CIV.

De Quadrageſimali.

POſt octauum Idus Martij, vbi luna ſecunda obuenerit, Terminus Quadrageſimæ erit, quem à duodecimo Calend. Mart. ad inſtar Paſchalis diſtare inuenies. Biſſextili anno ſeptuageſimæ à quarto Calend. Febru. Quadrageſ. ab vndecimo Calend. Martij requite.

Septuageſ. quidem omni Biſſextili anno.

Quadrageſ. verò tantùm, cum terminus ante Biſſextilem euenerit.

CAPVT CV.

De Rogationibus.

TErminus Rogationum eſt viceſima luna Maij. Hunc require à Nonis Maij, vt ſupra.

CAPVT CVI.

De Pentecoſte.

TErminus Pentecoſtes eſt quarta luna Iunij. Hunc verò à decima tertia Calend. requite per omnia, vt ſupra. Ad inueniendam feriam, Terminorum. Concurrentes præſentis anni Regularibus iunge, ſi infra Septimum fuerit numerus, talis erit feria. Si vltra, ſublatis ſeptem, quod remanſerit, Feria.

CAPVT CVII.

De Aduentu.

A Quinto Calend. Decemb. vſque ad tertium. Non eiuſdem, vbicunque Dominica occurrerit, Aduentus Domini erit.

CAPVT CVIII.

De Emboliſmo.

PRimus Emboliſmus quarto Non. Decemb. Luna prima in ſecundo anno Decennouennalis Cycli.

Secundus quarto Non. Septemb. in quinto anno.

Tertius ſecundo Non. Martij in octauo anno.

Eodem anno primo Calend. Maij erit luna viceſima ſeptima, & in Calend. Iulij viginti nouem Epactis interuenientibus, niſi ſit Biſſextus.

Quartus Emboliſmus, quarto Non. Ian. in vndecimo. anno.

Eodem anno erit luna viceſima octaua, in Calen. Mart. Epactis interuenientibus, niſi ſit Biſſextus.

Quintus erit quarto Non. Nouemb. in decimo tertio anno.

Sextus erit quarto Non. Aug. in decimo ſexto anno.

Septimus erit tertio Non. Martij in decimo nono an.

Eodem anno luna erit viceſima octaua in Calen. Maij & in Calend. Auguſt. contra Epactas. Lunæ ſaltu facto in Iulio. Quod ſi tertio Non. Martij Emboliſmi lunatio negligitur, in decimo nono anno terminus Paſchalis decimo quinto Calend. Maij illo anno non erit.

CAPVT CIX.

De Diebus Ægyptiacis.

DIes Ægyptiaci ideo dicuntur, quia ab Ægyptiis ſunt inuenti. Et quia Ægyptus dicitur Tenebræ, ipſi tenebroſi inde nominantur, eò quod incautos ad tenebras mortis perducere affirmantur. *Ægyptij dies vnde dicti.*

HONORII AVGVSTODVNENSIS, De imagine mundi.

LIBER TERTIVS.

EXHORTATIO.

Per deſcriptum volubile tempus, ſic voluitur volubilis Mundus. Sed nos temporis volubilitatem iam poſtponamus, & ad ſtabilitatem Æui mentes intendamus.

Non arbitror infructuoſum ſeriem temporum huic operi inſerere, quo lector cuncta tranſacti mundi tempora queat cum fructu agnoſcere.

SATHAEL primus Archangelus, ſignaculum ſimilitudinis Dei, Conditus plenus ſapientia, & perfectus decore in delitiis cœleſtis Paradyſi, nonplenam horam manſit, atque ob ſuperbiam, cum vniuerſis ſibi conſentaneis, æternum exilium incidit. *Sathan quãdo ſit lapſus. Cauſa lapſus Angelorum.*

Adam primus homo ad imaginem Dei in Hebron formatus, in Paradyſo cum Eua ſeptem horis commoratus, ob mandati tranſgreſſionem, huius mundi exilium ſubiit. In quo triginta filios, & totidem filias, abſque Abel & Cain genuit. *Vbi Adã ſit creatus quãdo ſit lapſus.*

Ipſe vero poſt nongentos, & triginta annos in Ieruſalem obiit. In loco Caluariæ ſepultus aliquandiu requieuit. Deinde in Hebron tranſlatus in terram, de qua ſumptus eſt, rediit. *Adã vbi ſit mortuus. Sepulchrum Adæ.*

Abel filius Adæ triginta annorum à fratre Cain apud Damaſcum occiditur. *Abel quato ætatis anno, & vbi occiſus.*

Seth frater Abelis vixit nongentos, & duodecim annos.

Malaleel vixit octingentos, nonaginta quinque annos.

Iareth vixit nongentos ſexaginta duos annos.

Enoch vixit trecentos ſexaginta quinque annos, & tranſlatus eſt in Paradiſum.

Hic literas reperit, & quoſdam libros conſcripſit. *Litera inuenta & libri ſcribi cepti.*

Huius tempore mortuus eſt Adam. *Quo tempore Adã ſit mortuus.*

Mathuſala vixit annos nongentos, ſexaginta nouem.

Lamech vixit annos ſeptingentos, ſeptuaginta ſeptem.

Gigantes orti ſunt, quorum ſtatura erat quindecim, vel triginta cubitorum. *Gigantũ ortus & ſtatura.*

REGNVM CAIN.

CAin primus condidit ciuitatem Enoch, in qua ipſe primus regnauit. *Prima ciuitas.*

Poſt hunc Enoch filius eius ſucceſſit.

Huic ſucceſſit Gaidat filius illius.

At illi Mæuia filia eius.

Huic Matuſahel filius ipſius.

Illi verò ſucceſſit Lamech.

Hic in diluuio periit. Hic & Cain occidit. *Cain occiſus & à quo.*

Iobel filius Lamech reperit vſum tabernaculorum: Cuius frater Iobal inuenit Muſicam.

A

Vſus tabernaculorum inuentus. Muſica inuenta. Ars fabrilis inuenta. Textura ars inuenta. Diluuiũ. Iris. Vſus carnium hominibus conceſſus.

Illorum frater Tubal inuenit artem fabrilem ferri, & æris.

Soror eorum Noema reperit artem variæ texturæ.

DECIMVS AB ADAM.

Noe vixit nongentos quinquaginta annos. Huius tempore extitit Diluuium.

Huius etiam tempore primitus viſa eſt Iris, & pluuia. Et hominibus vſus carnium conceſſus.

PRIMA ÆTAS.

HÆc prima ætas continet annos iuxta Hebraïcam veritatem Mille Sexcentos, Quadraginta duos.

Iuxta ſeptuaginta interpretes, bis mille ducentos ſexaginta duos.

Generationes decem.

SECVNDA ÆTAS.

Melchiſedec. B *Tres hominum ordines.*

SEm filius Nohæ, ipſe eſt idem qui & Melchiſedec, vixit ſexcentos & duos annos. Huius tempore diuiſum eſt genus humanum in tria. In Liberos, Milites, Seruos: Liberi de Sem, Milites de Iaphet, Serui de Cham.

Arphaxad, filius Sem, vixit trecentos, triginta octo annos, ſecundum ſeptuaginta interpretes: quingentos ſexaginta quinque.

Cainan vixit quadringentos triginta octo annos.

Salem ciuitas. Samaritã Indi. Hebræi.

Salem vixit quadringentos triginta tres annos, hic condidit Salem.

Ab hoc Samaritæ & Indi.

Heber à quo Hebræi, vixit quadringentos, ſexaginta quatuor annos.

Turris Babel. Diuiſio linguarũ. Idolo... primum.

Huius tempore Babel conſtruitur.

Phalech vixit ducentos, triginta nouem annos. Huius tempore diuiſæ ſunt linguæ in ſeptuaginta duas.

Huius etiam tempore Idololatria exorta eſt.

Reu vixit ducentos, triginta nouem annos. Huius tempore regnum Schytarum, & Ægyptiorum exortum eſt.

C *Regnum Schytarum & Ægyptiorum. Regnum Aſſyriorũ. Regnum Sycioniorum. Babylonia condita.*

Seruch vixit ducentos, triginta annos. Huius tempore regnum Aſſyriorum, & Sycioniorum naſcitur.

Nachor vixit annos 148.

Thare vixit ducentos quinque annos.

Babylonia conditur.

Hæc ſecunda ætas continet annos à Diluuio vſque ad Abraham, iuxta Hebraïcam veritatem, ducentos nonaginta duos. Generationes decem. Iuxta ſeptuaginta interpretes Nongentos quinquaginta quinque, vel adiecto Cainan, quem ſeptuaginta, & Lucas ponunt, Mille ſeptuaginta duos. Generationes vndecim. Ab Adam vſque ad Ninum ſunt anni 3184. Qui ab omnibus Hiſtoricis vel omiſſi, vel ignorati ſunt.

Aſſyrij.

Sub Seruch ſecunda ætate apud Babel primus regnauit Nemroth Gigas triginta cubitorum, cui ſucceſſit filius eius Aſſur, à quo Aſſirij.

REGNVM ASSYRIORVM.

D *Sacrificia primum homini facta. Niniue conditur. Magia à Zoroaſtre inuenta. Primus idololatra. Abrahã naſcitur. Babylon condita.*

Huius filius Belus regnauit annos ſexaginta quinque.

Belo primum ſacrificia ſunt facta.

Huius filius Ninus regnauit annos quinquaginta duos.

Hic condidit Niniuen.

Huius tempore inuenta eſt Magica ars à Zoroaſtre rege Bactrianorum, quem idem Ninus bello victum occidit, qui & Syrophanem primum idololatram Ægyptium ſubiecit.

Tempore Nini natus eſt Abraham.

Sub Abraham poſt Ninum regnauit Semiramis vxor eius quadraginta duos annos.

Hæc condidit magnam Babyloniam & ſubiugauit Indiam & Æthiopiam.

Huic ſucceſſit filius ipſius Ninias.

Niniati ſub Iſaac ſucceſſit Arrius, qui & Erioch.

Huic ſucceſſit Xerxes.

Poſt hunc regnauit Beloch.

Deinde Armamitres.

E

Poſt hunc Baal, qui & Balæus.

Deinde Mamitos.

Exin Saporus.

Poſt hunc Agatides.

Sub Caleb. Amyntas.

Poſt hunc Lamperes.

Poſt illum Oeneus.

Dein Eutropis.

Exin ſub Azaria, qui & Ozias. Sardanapalus.

Sub quo defecit regnum Aſſyriorum, quod ſtetit annis Mille, centum, ſexaginta quatuor.

Poſt diuiſionem linguarum ſub, Reu ſurrexit regnum Schytarum ſexaginta annis antequam Aſſyriorum, vbi primus regnauit Tanaus, à quo flumen Tanais dicitur.

REGNVM ÆGYPTIORVM SVB *Regibus.*

Quando Ioſeph in F *Ægyptũ venerit.*

In Ægypto primus Regum Pharao, à quo Pharos ciuitas, & poſteri reges dicti.

Hinc Zoes.

Ab hoc decimus ſeptimus Amaſis, ſub quo venit Ioſeph in Ægyptum.

Poſt hunc regnauit Hebron.

Deinde Amenopolis.

Quando Ioſeph mortuus ſit.

Exin Meſpres. Sub quo moritur Ioſeph.

Inde regnauit Nuffar.

Poſt hunc Muthuſis.

Deinde Thyomoſis.

Pharao ſubmerſus in mari rubro.

Item Amenophis, Horus & Hencres, Achoris. Item Cencres, qui ſubmerſus in mari rubro.

REGNVM ARCADVM.

Apud Sycionios, id eſt, Arcades primus regnauit ſub Seruch:

Ægialeus, qui & Ægelaſus.

Huic ſucceſſit Archas, à quo Archadia.

Inde Tantalus.

Poſt hunc ſub Abraham Europs, qui Europam ſubiugauit, vnde & Europa dicitur: cuius tempore Efron, qui & Enac Gigas Ebron condidit, poſt quam octauo anno condita eſt Tanais in Ægypto à Tanao ſub Iſaac.

G *Tanais Ægyptiaca.*

Inde exorti Europei.

Europi ſucceſſit Telſion.

Deinde Tiriacus, cui facta ſunt ſacrificia.

Poſt hunc Leucappus.

Inde Meſappus, qui & Zephyſus.

Poſt hunc Eratho.

Inde Ptolomæus.

Exin Orthopolis.

Poſt hunc ſub Moyſe Marathos.

Deinde Corax.

Deinde Hercules.

Exin Menalion.

Poſt hunc Parthenopeus.

Poſt illum Phineus.

Deinde Phallax.

H

Exin Dodanus.

Deinde Polyphidus.

Poſt hunc Pelaſgus.

Poſt hunc Zeuxippus, quem occidit Alethes rex Corinthiorum.

Et tunc conſumptum eſt Regnum Sycioniorum, quod ſtetit Annis nongentis.

Deinde Sacerdotes populum rexerunt.

TERTIA ÆTAS.

Abraham duodecimus à Noe.

Abraham vixit centum Septuaginta annos.

Hebrææ literæ à quo inuentæ.

Huic primo repromiſſus eſt Chriſtus, & huic primitus data eſt Circũciſio. Hic inuenit Hebræas literas. Hic etiã docuit Chaldæos Aſtronomiam, Ægyptios Geometriam.

Huius tempore quinque ciuitates, Sodoma & Gomorra cum aliis ſubmerſæ ſunt.

Regnum Argiuorum.

Iſaac vixit centum viginti annos.

Huius tempore ortum eſt regnum Argiuorum.

Iacob vixit annos centum quadraginta ſeptem.

Huius

Digitized by Google

A

Diluuium in Achaia. Mineruæ. Sem moritur. Memphis Ægypt. conditur.

Huius tempore fuit Diluuium nouem menſium in Achaia, ſub Ogygio rege Thebanorum, in quo Cerambus volaſſe fertur.

Hoc tempore claruit Minerua in Africa.

Tempore Iacob mortuus eſt Sem qui Melchiſedec.

Sexcenteſimo ſecundo anno Memphis in Ægypto conditur.

Ioſeph vixit centum & decem annos.

Hoc tempore fuit fames ſeptem annis.

Caath filius Leui, fratris Ioſeph vixit centum triginta tres annos.

Amram filius eius vixit centũ triginta ſeptem annos.

Athenæ conditæ. Plagæ Ægypti.

Horum tempore oppreſſi filij Iſraël in Ægypto. Et Cecrops Athenas condidit.

Moyſes filius huius vixit centum viginti annos.

Huius tempore percuſſa eſt Ægyptus decem plagis.

Hic eduxit filios Iſraël de Ægypto, & hic primus legem populo conſcripſit.

B

Diluuiũ ſub Deucalione. Sparta condita. Templum Delphicum extructum.

Huius tempore extitit Diluuium ſub Deucalione in Theſſalia.

Tempore etiam Moyſis Lacedæmon vrbs condita à Cecrope, & templum Delphicum.

TEMPORA IVDICVM.

Ioſue, qui & Ieſus vixit annos centum & decem.

Huius tempore exiccatus eſt Iordanis populo Dei & ſol ſtetit ſpatio duorum dierum.

Calep ſucceſſit Ioſue, qui in morte Ioſue erat centum annorum.

Fabularum initium. Quando vixerint Saturnus, Iupiter.

Huius tempore fictæ ſunt Fabulæ.

Hoc tempore claruit Orpheus in Muſica in Leſbo.

Hoc tempore etiam fuit Saturnus, & Iupiter, ſicut Solinus & Varro ſcribunt.

Prima Sybilla Perſica claruit.

Othoniel filius Caleb iudicauit populum quadraginta annis.

C

Sybilla prima Perſica.

Huius tempore condidit Catherinus Thebas. Aioth iudicauit Iſraël 80. annos.

PRIMVM BELLVM CIVILE.

Huius tempore fuit bellum inter populum Iſraël, & Beniamin propter vxorem Leuitæ apud Gabaam, conſtupratam. Et à Iſraël quidem occiſa ſunt quadraginta millia. De Beniamin triginta quinque & centum viri.

Troia conditur.

Troia conſtruitur.

Amphion Muſicus claruit.

Sangar Iudaicum populum regit annos decem. Hoc tempore ortum eſt regnum Laurentinum.

Laurentinum Regnum. Sybilla ſecunda Lybica. Hercules. Orpheus.

Barach cum Debora iudicat Iſraël quadraginta annos.

Huius tempore fuit ſecunda Sybilla Lybica.

Picus Rex in Italia.

Gedeon iudicat Iſraël quadraginta annos. Huius tempore erat Hercules.

Orpheus Muſicus claret.

Abimelech filius Gedeonis regnat ſuper filios Iſraël tribus annis.

D

Theſeus.

Hoc tempore extitit Theſeus.

Thola iudicat Iſraël annos viginti tres. Huius tempore fuit tertia Sybilla Delphica.

Sybilla tertia Delphica. Bellum Thebanum. Amazones.

Priamus in Troia.

Iair iudicat Iſraël 22. annos.

Hoc tempore fuit bellum Thebanum.

Carmentis Nympha.

Iephte iudicat Iſraël ſex annos.

Huius tempore erant Amazones & Theſeus.

Abeſſan Iudicat Iſraël ſeptem annos.

Hoc tempore Booz ſumpſit Ruth.

Sybilla quarta Erythræa ſiue Babylonica. Troia obſidetur.

Hoc etiam tempore claruit Sybilla quarta. Erythræa vel Babylonica.

Achialon iudicat Iſraël decem annos.

Huius tempore obſeſſa eſt Troia.

Labdon iudicat Iſraël octo annos.

Huius tempore capta eſt Troia.

Ex parte Græcorum occiſa ſunt 877000.

Ex parte Troianorum 686000.

E

Troia capitur. Regnum Albanorum.

Æneas in Italia pugnauit cum Turno.

Samſon non videns iudicauit viginti annos. Hoc tempore regnum Albanorum ortum eſt.

Aſcanius Albaniam condidit.

Heli Sacerdos iudicat Iſraël quadraginta annos.

Quinta Sybilla Cumana. Regnum Lacedæmonum.

Hoc tempore claruit quinta Sybilla Cumæa, ad quam venit Æneas.

Samuel iudicat Iſraël duodecim annos. Huius tempore Oreſtes, & Pilades fuerunt Lacedæmonum regnum tunc oritur.

Saul Primus Rex Hebræorum regnat viginti annos Siue, vt Actus Apoſtolorum teſtantur, quadraginta.

Huius tempore occidit Dauid Goliam Gigantem.

Hæc tertia mundi ætas continet Generationes ab Abraham, vſque ad Dauid iuxta vtramque authoritatem, quatuordecim. Annos verò nongentos quadraginta.

F

A Diluuio vſque ad Dauid ſunt 2117. anni.

Ab initio mundi vſque ad Dauid 2124.

TERTIA ÆTAS.

REGNVM IDVMÆORVM.

Tertia ætate primus Rex Idumæorum erat Balaac filius Beor.

Poſt quem regnauit Iobab, qui & Iob.

Deinde Huſan.

Exin alij quinque reges

Deinde duces.

Iob autem erat quintus ab Abraham.

Abraham genuit Iſaac.

Iſaac genuit Eſau, qui & Edom, à quo Idumæi. Eſau genuit Zara.

Is genuit Iob ſub Moyſe.

Cuius Balaac filius Sefer erat rex Moab & Madiam, conduxit ariolum Balaam, qui & Heliu in libro Iob legitur.

G

Iob octoginta nouem annorum tentatus eſt. Poſt plagam. Rex factus vixit centum quadraginta annis.

REGNVM ARGIVORVM.

Apud Argos primus ſub Iſaac regnauit Inachus quinquaginta annos.

Io leges docet. Iſis Dea dicta.

Cuius filia Io à Græcia nauigans in Æthiopiam, veniens in Ægyptum, ibi literas reperit, docuit Leges. Iuſtè imperauit. Vnde Iſis Dea dicta. Eius maritus Oſiris ſub Iacob.

Phoroneus ſucceſſit Inacho.

Hunc Apys, qui & Epaphus, qui poſtea in Ægypto regnans Serapis dictus eſt.

Argos ciuitas. Aratro quis primus boues iunxerit.

Poſt hunc regnauit Argus ſub Ioſeph, à quo ciuitas Argos, & à quo Argiui.

Deinde Honoreus, qui primus boues ad aratrũ iunxit.

Huic ſucceſſit Eriaſus.

Illi Phorbalus ſub moyſe,

Illi Tophas.

Huic Iaſius frater Dardani.

H

Illi Stelenus

Huic Danaus (ſub Adar) qui habuit quinquaginta filias. Frater eius Ægiſtus totidem filios, qui omnes præter vnum à filiabus ſunt interfecti.

Ægyptus vnde dicta.

Ab hoc Ægyſto Ægyptus eſt dicta.

Poſt Danaum regnauit Abas.

Huic ſucceſſit filius Acriſius.

Illi Euriſteus.

Illi Euchippus.

At illi Adraſſus (ſub Iepthe) per quem Theſeus Argos deſtruxit, & ſic regnum Argiuorum defecit.

Tertia quoque ætate ſub Moyſe Prometheus, Rex Caucaſi, primus docuit Philoſophiam in Oriente: Athlas frater eius Rex Africæ docuit Aſtrologiam. Heſperus, eorum frater regnauit in Italia, & Heſperiam vocauit.

REGNVM ATHENIENSIVM.

Sub Moyſe Cecrops, qui primus ibi regnauit. Athenas

A

nas condidit, Ægyptum ſubiugauit, cum Pharao ſubmerſus eſt in mari rubro.

Poſt hunc regnauit Menander.

Inuentor currus. Deinde (ſub Caleb) Amphitrion pater Herculis. Exin (ſub Othoniele) Erictonius inuentor currus.

Poſt hunc Pandion pater Prognes & Philomenæ.

Deinde Ægeus.

Exin Theſeus.

Poſt hunc Demophoon.

Poſt illum Mneſteus.

Dein Melanto.

Exin Codrus, (ſub Samuele) qui ſe pro populo hoſtibus tradidit.

Poſt hunc magiſtratus populo præfuit.

REGNVM AMAZONVM.

Hac ætate Amazones in Aſia regnauerunt.

Epheſus conditur. In primis Marpeſia & Lampeto, quæ Epheſum condiderunt.

B

Deinde Synope.

Exin (ſub Thola) Antiopa, & Hippolite.

Poſt hanc Oretria.

Poſt illam Penteſilea.

Hanc occidit Pyrrhus apud Troiam.

REGNVM TROIANORVM SVB *Otthoniel.*

Hac etiam ætate Dardanus in Phrygia regnauit.

Huic ſucceſſit filius Erictonius ſub Aioth.

Huic filius Trois, à quo Troia.

Ipſi filius, Ilus: à quo Ilium.

Ei verò filius Laomedon.

Illi filius ſucceſſit (ſub Iepthe) Priamus pater Hectoris & Paridis.

Tunc Græci deſtruxerunt regnum Phrygiorum, quod ſtetit octingentos duos annos.

REGNVM THEBANORVM.

C

Thebas Cadmus condidit, qui primus ibi regnauit, & Græcas literas reperit. *Græcæ literæ repertæ.*

Huic ſucceſſit Pentheus.

Illi (ſub Gedeone) Laius.

Huic Oedypus.

Illi Etheocles, & Polynices.

Illi Creon.

Poſt hunc (ſub Iephte) Theſeus, qui Thebas deſtruxit.

In Creta ſub Ioſue regnauit Saturnus.

Poſt hunc Iupiter.

Deinde (ſub Aiot.) Minos.

Exin Idomeneus, qui cum aliis Troiam obſedit, ſub Aiot.

Liber in India, ſub Barach.

Perſeus regnauit in Perſida, qui occidit Liberum.

REGNVM MYCÆNORVM.

D

Apud Mycenas regnauit Tantalus.

Dein filius eius Pelops.

Exin filius huius Atreus.

Poſt hunc ſub Iephte filij Agamemnon, & Menelaus.

Poſt hos Oreſtes, filius Agamemnonis.

REGNVM ITALORVM SVB MOYSE.

In Italia regnarunt.

Primus Heſperus, à quo Heſperia.

Enotrius filius Lycaonis ſub Caleb.

Dardanus.

Italus, à quo Italia.

Sabinus, à quo Sabini.

Ianus Saturnus, à quo Saturnia.

Auguria à quo reperta. Latius Picus, qui auguria reperit.

Faunus.

Euander, cuius mater Carmentis Latinas literas reperit, ſub Samſone.

E

Latinus vndè Latini dicti.

Poſt hunc deficit regnum Laurentium.

QVARTA ÆTAS.

REGNVM IERVSALEM VEL IVDA.

QVarta ætate decimus quartus ab Abraham Rex Dauid regnauit in Ieruſalem quadraginta annos.

Hoc tempore claruit Homerus, & Carthago condita. *Homerus.*

Nathan & Gad Prophetæ.

Solomon, filius Dauid regnat quadraginta annos. Hic fecit primum templum in Ieruſalem.

Roboam, filius Solomonis regnat annos ſeptendecim.

Huius tempore regnum Iſraël oritur.

Smyrna conditur ab Amazonibus. *Smyrna.*

Abia regnat tres annos.

Samus conditur. *Samus.*

Aſa regnat annos quadraginta vnum.

Ioſaphat regnat annos viginti quinque.

F

Helias Propheta claret.

Hoc tempore non pluit tribus annis.

Hic primus mortuum ſuſcitauit.

Ioram regnauit annos octo.

Heliſæus Propheta claret.

Helias tranſlatus.

Azarias regnauit vnum annum.

Athalia mater eius regnat 7. annos.

Ioas filius Azariæ regnat annos quadraginta.

Zacharias Ioiadæ filius lapidatur.

Amazias regnat annos viginti nouem.

Ozias regnat annos quinquaginta duos.

Iſaias, Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas Prophetæ clarent.

Huius tempore Sybilla ſexta claret. *Sybilla ſexta.*

Regnum Aſſyriorum in Medos transfertur, quod ſtetit per annos trecentos quinquaginta quinque.

Regnum Macedonum oritur.

Ioatham regnat annos ſedecim.

G

Huius tempore Olympias inſtituitur, à Græcis, apud Ælidem ciuitatem. *Olympiades quando inſtitutæ ſint.*

Achaz regnat annos ſedecim.

Roma conditur. *Roma condita.*

Regnum Romanum oritur.

Iſraël transfertur.

Ezechias regnat annos viginti octo.

Romulus Senatum conſtituit, & annum.

Manaſſes regnat annos quinquaginta quinque.

Numa duo menſes adiicit. A ſeruis occiditur.

Amon, regnat duos annos.

Arion Chithariſta claret.

Ioſias regnat annos triginta vnum, à rege Ægypti occiditur.

Huius tempore Niniue deſtruitur à rege Cyaxare, quæ ſtetit à Nino Annis mille quadringentis, & ſeptuaginta. *Niniue deſtruitur.*

Sybilla Samia claret, & Ieremias Propheta. *Sybilla ſeptima Samia.*

Ioachaz filius Ioſiæ regnat menſes tres.

Eliachim filius Ioſiæ regnat annos vndecim.

H

Iechonias, qui & Ioachim, filius Ioachim, regnat menſes tres.

Sedechias filius Ioſiæ, regnat annos vndecim. Hoc tempore deſtructa eſt Ieroſolyma à Babyloniis. Poſt hunc defecit regnum Iuda: quod iam ſtetit per annos quingentos quadraginta nouem.

Hæc quarta mundi ætas à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonicam continet iuxta Hebræorum veritatem annos quadringentos ſeptuaginta quinque. Iuxta Septuaginta tranſlatores duodecim, amplius generationes 14. Ab initio mundi. 4610.

REGNVM ISRAEL.

Hac ætate regnauit in Iſraël Ieroboam annos viginti duos.

Hunc vicit Abia rex, & obiit.

Nabath filius eius regnat annos duos.

Hunc occidit Baaſſa.

Baaſſa

A Baſſa regnauit viginti duos annos. Morbo interiit.
Sela filius eius regnat duos annos.
Hunc occidit Zamri ſeruus eius.
Zamri regnauit ſeptem dies.
Hunc occidit Amri, princeps militiæ.
Amri regnauit duodecim annos in Samaria. Hic morbo periit.
Achab filius eius regnauit annos duos: Hic cecidit per Cancellos, & obiit.
Ioram frater Ochoziæ regnauit annos duodecim.
Hunc occidit Iehu ſeruus Achab.
Iehu regnauit annos viginti octo. Morbo interiit.
Ioachaz filius eius regnauit annos Septendecim. Morbo periit.
Ioas filius eius regnauit annos ſimiliter ſeptendecim.
Ieroboã filius iſtius regnauit annos quadraginta vnum.
Zacharias filius huius regnauit menſes ſex. Hunc occidit Sellum.
B Sellum regnauit menſem vnum.
Hunc occidit Manahen.
Manahen regnauit annos decem. Morbo obiit.
Phaceia filius eius regnauit 2. annos.
Hunc occidit Phaceia dux eius.
Phaceia regnauit annos viginti.
Hunc occidit Oſee.
Oſee regnauit annos nouem.
Hunc Salmanaſſer Rex cum omni populo tranſtulit in Aſſyrios. Et ſic defecit regnum Iſrael, quod ſtetit per annos trecentos quinquaginta.
In hac captiuitate fuit Tobias.

REGNVM MACEDONVM SVB OZIA.

In Macedonia regnauit primum Karanus annos viginti octo.
Cui ſucceſſit Perdiccas.
Huic Alexander.
C Deinde Archelaus filius Perdiccæ.
Illi Amyntas.
Huic Philippus.
Illi (ſub Dario) Alexander Magnus.
Huic Philippus frater Alexandri.
Illi Caſſander.
Stetitque regnum Græcorum per annos Septingentos vſq; ad tempora Ptolomæi Phylometoris, & tunc defecit.

REGNVM ALBANORVM SVB SAMSONE.

Apud Albam regnauit Æneas annos tres.
Hic Lauinium condidit, & fulmine periit, ſub Heli.
Aſcanius, qui & Iulus, filius Æneæ; à quo gens Iulia.
Syluius Poſthumus frater Aſcanij regnauit annos triginta nouem. Ab hoc omnes reges Albæ Syluij dicti ſunt.
Æneas Syluius regnauit annos triginta vnũ, ſub Dauid.
Latinus Syluius regnauit annos quinquaginta.
Alba filius regnauit annos triginta nouem. Ab hoc Albani reges.
D Ægyptus, vel Epyrus, vel Atis Syluius, regnauit annos viginti quatuor, ſub Aza.
Capua conditur. Capys Syluius regnauit viginti octo annos. Hic Capuam condidit.
Carpentus Syluius regnauit annos tredecim.
Tiberinus Syl. regnauit annos nouem.
Ab hoc Tiberis fluuius dicitur, quia in eo eſt extinctus, qui antea Albula eſt dictus.
Agrippa Syl. regnauit annos quadraginta.
Aremulus Syl. regnauit Annos nouendecim. Hic fulmine interiit.
Auentinus Syl. regnauit annos triginta ſeptem Ab hoc Auentinus mons dicitur.
Procas Syl. regnauit annos viginti tres, ſub Ozia.
Amulius Syl. regnauit annos quadraginta tres. Huius frater erat Numitor: Eius filia Rhea, Remum, & Romulum genuit, qui occiſo Amulio Numitorem in regnum ſtatuit: Sub quo defecit regnum Albanorum, quod iam ſtetit per annos quadringentos quinquaginta.

REGNVM ROMANORVM. E

Romulus condidit Romam, & primus regnauit annos triginta ſeptem.
Hic fulmine interiit.
Numa Pompilius regnauit annos quadraginta vnum.
Hic inuenit Necromantiam, & primus ſacra inſtituit. Morbo periit. *Necromantia inuenta.*
Tullus Hoſtilius regnauit annos triginta duos. Hic etiam fulmine interiit ſub Ioſia.
Ancus Martius viginti tres annos regnat. Hic Hoſtiam condidit. Morbo periit.
Tarquinius Priſcus regnauit annos triginta ſeptem. Hic Circum & ludos Romæ inſtituit. Hunc filius Anci occidit. *Ludi Circy.*
Seruilius Tullus regnauit annos triginta quatuor. Hic à Tarquinio occiditur, ſub Cyro.
Tarquinius Superbus regnauit annos viginti quinque. Hic regno expellitur, & Conſules creantur. Fueruntque reges per annos ducentos quadraginta tres. F

QVINTA ÆTAS.

REGNVM BABYLONIORVM.

QVinta ætate apud Babyloniam regnauit Nabuchodonoſor quadraginta quatuor annos.
Sybilla octaua Cumana claruit. *Sybilla octaua Cumana.*
Ezechiel Propheta claret.
Filius eius Euilmerodach regnauit annos octodecim.
Daniel, & tres pueri clarent.
Egeſar, huius filius regnauit annos quadraginta. Septem ſapientes clarent. *Septem ſapientes.*
Laboſordach regnat menſes nouem.
Abacuc Propheta claret.
Baltazar regnauit annos ſeptendecim. Hunc Cyrus occidit, & Babyloniam deſtruxit.

REGNVM PERSARVM. G

Cyrus Perſarum primus regnat cum Dario annos viginti quinque.
Hic laxauit captiuitatem.
Hunc regina Amazonum occidit.
Sybilla nona claret. *Sybilla nona.*
Cambyſes, qui & Nabuchodonoſor filius Cyri regnauit annos octo.
Huius tempore fuit Iudith. *Iudith, Babylon Ægyptiaca.*
Hic condidit Babyloniam in Ægypto.
Smerdes Magnus regnauit menſes 7.
Pythagoras philoſophus claret. *Pythagoras.*
Darius regnauit annos triginta ſex.
Aggæus, Zacharias, & Malachias clarent. *Sybilla decima Phrygia.*
Xerces filius eius regnauit annos viginti.
Sybilla decima Phyrgia claret.
Artabanus regnauit menſibus 7. Herodotus claret. *Herodotus.*
Artaxerxes regnauit annos quadraginta.
Hypocrates medicus claret, & Eſdras. *Hypocrates.*
Xerxes filius eius regnat duos menſes. H
Socrates claret. *Socrates.*
Sogdianus regnat octo menſes.
Democritus claret. *Democritus.*
Darius filius Arthaxerxis regnauit annos nouendecim.
Plato claret. *Plato.*
Artaxerxes Aſſuerus filius Darij regnauit annos quadraginta.
Heſter claret. *Heſter.*
Sybilla vndecima Tiburtina claret. *Sybilla vndecima Tiburtina.*
Artaxerxes, qui & Ochus regnauit annos viginti ſex.
Ariſtoteles claret. *Ariſtoteles.*
Arſes, qui & Xerxes regnauit annos quatuor.
Zeno Stoicus claret. *Zeno.*
Darius vltimus Perſarum rex regnauit annos ſex.
Hunc occidit Alexander. Sub hoc regnum Perſarum defecit, quod ſtetit per annos ducentos triginta octo.

A

REGNVM ALEXANDRIÆ.

Alexander Magnus Alexandriam condidit. Hic veneno interiit, & duodecim annos regnauit. Hic Tyrum deſtruxit.

Ptolomæus, qui & Sother, vel Lagides, filius Lagi regnauit in Alexandria quadraginta annos. Morbo obiit, & ab hoc Ptolomæi vel Lagidæ dicti ſunt reges cæteri.

Ptolemeus Piladelphus alterius filius regnauit annos triginta octo. Morbo obiit.

Septuaginta interpretes clarent.

Hic Philadelphiam condidit.

Ptolomeus Euergetes frater Philadelphi regnauit annos viginti ſex. Similiter obiit: Sub hoc filius Syrach claruit.

Ptolomeus Philopator frater Euergetis regnauit annos ſeptendecim: Morbo periit.

B

Ptolomeus Epiphanes regnauit annos viginti quatuor. Morbo periit.

Philometor regnauit annos 35.

Ptolomeus Euergetes, frater ſuperioris regnauit annos viginti nouem. Simili modo obiit.

Ptolomeus Phiſcon, qui & Sother regnauit annos ſeptendecim. Hic pulſus eſt regno, quia filium fratris occidit.

Ptolomeus Alexander frater Sotheri regnauit annos decem. Et hic regno pellitur, quia matrem occidit.

Ptolomeus Phiſcon, qui & ſupra, regnat ſecundo, annos octo. Morbo periit.

Ptolomeus Dionyſius regnat annos triginta, hic ſororem Cleopatram habuit.

Hic Pompeium occidit. Ipſe naufragio periit.

Cleopatra ſoror & vxor Ptolomei regnat annos viginti duos. Hæc à ſerpente interiit, & ſic regnum Ptolomaidum & Lagidum defecit, quod per annos ducentos nonaginta quinque ſtetit.

C

REGNVM SYRIÆ.

Seleucia conditur. In Syria regnauit Seleucus poſt Alexandrum Magnum. Hic condidit Seleuciam.

Hunc Ptolomeus Lagides occidit, ſub Philadelpho.

Antiochia conditur. Antiochus, qui & Sother filius eius regnat poſt eum. Hic condidit Antiochiam. Morbo obiit.

Antiochus Theos filius alterius poſt hunc, regnauit. Similiter obiit.

Seleucus Callinicus cum fratre Antiocho filio ſuperioris poſt illum regnauit.

Hunc Ptolomeus Euergetes occidit.

Antiochus Magnus cum fratre Seleuco Ceraunio filio Seleuci deinde regnauit.

Hic filiam habuit, & fulmine ambo interierunt.

Seleucus Eupator filius Antiochi magni poſt patrem regnauit. Hic veneno occiditur à duobus ſub Philometore.

D

Antiochus Illuſtris Romæ obſes.

Bella Machabæorum. Epiphanes frater Seleuci poſt hunc regnat: Sub hoc Machabæorum bella.

Hic magno tormento doloris obiit.

Antiochus Eupator, filius Antiochi, poſt patrem regnat. Hunc occidit Demetrius filius Seleuci.

Demetrius, filius Seleuci, deinde regnauit. Hunc occidit Alexander filius Anticohi.

Alexander nobilis filius Antiochi poſt hunc regnauit. Hunc Ptolomeus Philomethor occidit.

Demetrius filius Demetrij, poſt illum regnauit. Hunc occidit Mytridates Rex.

Antiochus filius Alexandri, poſt hunc regnauit. Hunc occidit Tryphon.

Alexander filius Antiochi, poſt illum regnauit. Hunc occidit Diodorhus dux.

Antiochus primus filius Demetrij, poſt hunc regnat. Hic in Phartia occiditur.

Antiochus Spondius filius Antiochi, poſt illum regnauit. Hic de regno aufugit.

Demetrius Mario frater Antiochi, poſt hunc regnauit.

E

Hunc Alexander rex Iudæorum occidit: ſub Pompeio.

Antiochus, qui & Dionyſius, frater Demetrij regis regnat. Hunc rex Arabum occidit.

Poſt hunc defecit regnum Syriæ, quod ſtetit per annos ducentos ſeptuaginta.

DE CONSVLIBVS, ET DICTATORIBVS *ſub Cambyſe.*

Romani poſt reges habuerunt Conſules, quorum præcipuos hic annotabimus.

Anno vrbis conditæ 244. primi conſules Brutus & Tarquinius. Hi cum Porſenna rege bellum gerunt.

Anno vrbis cond. 248. Valerius & Poſthumius Coſſ. Sabinos, & Auruncos vicerunt.

Anno vrbis 251. Dictator, & Imperator creator Laertius.

Hic præfuit conſulibus.

F

Coſſ. Poſthumius & Comminius.

Anno vrbis 253. Poſthumius Dictator. Coſſ. Brutus & Venuſius. Hi cum Tarquinio ſuperbo pugnauerunt.

Anno vrbis 258. Valerius Dictator. Coſſ. Appius & Seruilius. Hi cum Volſcis, & Equitibus pugnauerunt.

Anno vrb. 262. Cincinnatus ab aratro ſumptus dictator efficitur.

Coſſ. Minutius & Sempronius. Hi vrbem ab hoſtibus liberant.

Anno vrbis 265. Caſſius, & Proculus conſules.

Seditio grauis contra Senatores, & plebem.

Anno vrb. 271. Fabius, & Manilius Coſſ. Hi cum Veientibus pugnauerunt.

Anno vrb. 283. Æmilius, & Quintius Coſſ. Hi Luſtrum inſtituerunt. *Luſtrum inſtitutū.*

Anno vrbis 292. Volumius & Publicola Coſſ. Hi cum exulibus, & ſeruis ingens bellum habuerunt.

G

Anno vrbis 302. Decemuiri proconſules creantur.

Anno vrb. 312. Tribuni militum procoſſ. creantur.

Anno verbis 316. Iterum Dictator creatur Mometrus, & Coſſ. Gorgonius & Sergius.

Hi maximum bellum geſſerunt cum Phaliſcis & Fidenis.

Anno vrb. 322. Aurelius Dictator, Iulius & Mentro Coſſ. Hi cum Volſcis, & Equitibus ingens bellum habuerunt.

Anno vrbis 327. Æmilius Dictator, & quatuor Tribuni Proconſules conſtituti. Ab his Veientes ſepties victi: ſub Alexandro.

Anno vrbis 336. Cornelius Dictator Fabius: & Coſſus Coſſ. Hi cum Volſcis & Equit. pugnauerunt.

Anno vrbis 348. Camillus, ab agro Dictator: Tribuni Proconſules. Hi Etruſcos vicerunt ſub Ptolomæo.

Anno vrbis 362. tres Fabij Tribuni militum Proconſules creati. Hi cum Gallis pugnauerunt. Sed Romani victi ſunt.

H

Anno vrbis 398. Sulpicius Dictator: Popilius & Manlius Coſſ. Hi Gallos vicerunt.

Anno vrbis 409. Valerius & Cornelius Coſſ. Hi Samnitas graui bello vicerunt.

Anno vrbis 412. Torquatus & Decius Coſſ. Hi cum Alexandro rege Epiri pugnauerunt, & occiderunt.

Anno vrbis 467. Fabririus & Curtius Coſſ. (ſub Philadelpho.) Hi cum Pirro rege Epiri pugnauerunt, & occiderunt.

Anno vrbis conditæ 475. Genutius conſul, Aphros & Tarentinos vicit.

Anno 477. Sempronius Conſul. Picentinos vicit.

Anno 483. Claudius, & Fabius Coſſ. Hi Siculos, & Pœnos vicerunt: ſub Philadelpho.

Cornelius & Diullius Coſſ. cum Hannibale ſeniore Charthaginenſium Imperatore pugnauerunt, & occiderunt.

Regulus & Manlius Coſſ. cum Amilcare Pœnorum Imperatore pugnauerunt, & occiderunt.

Paulus & Fuluius cum Carthaginenſibus nauali prælio pugnauernnt, & vicerunt.

A Metellus & Furius Coſſ. cum Haſtrubale Imperatore Carthaginenſium pugnauerunt, & occiderunt.

Atilius & Manlius Coſſ. Ab Annibale filio Amilcaris Imperatore victi ſunt.

Scipio & Sempronius ab eodem victi ſunt.

Æmilius & Varro Coſſ. cum omni exercitu, ab eodem occiſi ſunt.

Scipio qui poſtea Africanus Magonem ducem fratrem Hannibalis vicit, & cepit.

Leuinus alter Conſul Hannonem ducem Afrorum cepit.

Scæuola Conſul.

Gracchus prætor occiditur.

Marcellus Conſul Hannibilem prælio vicit. Caro Cenſorinus Conſul Hiſpaniam vicit.

Fabius Conſul Carthalonem ducem Hannibalis cum omni exercitu deleuit.

B Druſus & Flaminius Coſſ. Haſtrubalem fratrem Hannibalis cum omni exercitu occidit.

Lælius Conſul Syphacem regem vicit.

Alter Scipio Conſul, Hannibalem, & omnem populum Carthaginis vicit, & Terentium abduxit.

Quando Tertius Romam venerit.

Licinius & Caſſius Coſſ. Macedones maximo prælio vicerunt.

Cenſorinus & Manlius Coſſ. cum Scipione deleuerunt Carthaginem, omni populo occiſo, quæ ſtetit ſeptingentos annos.

Carthago deleta.

Metellus & Marius Coſſ. Iugurtam regem variis præliis vicerunt.

Manilius & Scipio Coſſ. Cymbros, & Teutones maximo prælio vicerunt ſub Tuiſcone.

Sylla Conſul Mythridatem regem multis præliis vicit.

Cynna Conſul Senatum occidit, & ipſe occiditur.

Tullius, & Antonius Coſſ. Catilinam cum ſuis deleuerunt.

C Pompeius Dictator, & Conſul in Oriente cum viginti duobus regibus pugnauit, & vicit.

Craſſus Dictator, & Conſul Parthiam vicit, & ibi occiditur, ſub Dioniſio.

Iulius Cæſar Dictator, & Conſul Galliam vicit, Pompeium Conſulem cum omni populo Orientis deuicit. Hic primus Monarcha quinque annos regnauit.

Iulius Cæſar primus Monarcha.

Hic Biſſextum imò Cyclum Magnum compoſuit.

Hic à Senatu occiditur.

Ab hoc Cæſares ſunt dicti.

Cæſares à Iulio dicti.

Lepidus Dictator, conſul Aphricam, & Siciliam deuicit.

Antonius Dictator, & Conſul Ægyptum deuicit, & Iudæam.

Octauianus Dictator, & Conſul qui poſtea Auguſtus Antonium cum Cleopatra maximo prælio vicit, & totum orbem pacificauit.

Poſt hunc conſules deſierunt, qui per 474. annos fuerunt. Hiſque Auguſti, vel Cæſares ſucceſſerunt.

D

DE SACERDOTIBVS.

Hi Sacerdotes præfuerunt populo Dei, ſub lege vſque ad Chriſtum, numero quadraginta ſeptem.

Aaron, Eleazar, Phinees, Abiſue, Bocci, Ozi, Zaraias, Marioth, Amarias, Achitob, Sadoch, Achimaas, Azarias, Ioanna, Azachias, Amarias, Achitob, Sadoch, Moſolla, Helchias, Azarias, Zaraias, in tranſmigratione Babylonica. Ioſedech. Poſt reuerſionem Ioannes, Ioachim, Eliaſib, Ioaida, Ionathas, ſub Alexandro Magno, Iaddus, Onias, Simeon, Eleazarus. Manaſſes, Onias, Simon, Iaſon, Menelaus, Lyſimachus, Iudas Machabæus, Ionatha, Simon Ioannis filius, Simon, Ariſtobulus, Alexander, Hyrcanus, Ariſtobulus ſub Herode, Antigonus. Hic ab Antonio Romano conſule occiditur: Herodes Idumæus Rex conſtituitur, qui regnauit triginta ſex annos.

Sicque defecerunt Sacerdotes ex ſtirpe Aaron, qui præfuerunt ab Aaron vſque ad Chriſtum, Annos Mille ſexcentos & ſeptem.

E Quinta ætas, à captiuitate Babylonica vſque ad Chriſtum, continet Generationes quatuordecim, Annos quingentos, octoginta ſeptem.

Ab exordio mundi vſque ad Chriſtum, ſecundum Hebraicam veritatem ſunt anni 4763. Secundum ſeptuaginte interpretes 5228.

DE AVGVSTIS

SEXTA ÆTAS.

Sexta ætate regnauit Auguſtus Cæſar quinquaginta ſex annos, & ſex menſes.

Huius tempore Chriſtus naſcitur.

Hic veneno interiit.

Ioannes Baptiſta clarus, & Vergilius, & Horatius, & Ouidius Poetæ.

Colonia ab Agrippa rege conditur.

Auguſta à Druſo rege priuigno Auguſti conditur.

Chriſtus. I. Baptiſta Vergilius. Horatius. Ouidius. Colonia Agrippa. Auguſta.

F Tiberius priuignus Auguſti regnat triginta tres annos, veneno periit.

Hoc tempore Ioannes decollatur.

Chriſtus crucifigitur.

Caius Calligula regnat tres annos, & decem menſes. A ſuis occiditur.

Matthæus Euangelium ſcripſit.

Philo claret.

Claudius regnat tredecim annos, menſes octo Marcus Euangelium ſcripſit. Et hic veneno periit.

Matthæi Euangel. Marci Euangelium.

PRIMA CHRISTIANORVM PERSECVTIO.

Nero regnauit annos tredecim, menſes nouem: ſeipſum occidit.

G Lucas Euangelium ſcripſit.

Iacobus Apoſtolus à Iudæis lapidatur.

Petrus crucifigitur.

Paulus decollatur.

Lucanus, & Ioſephus clari.

Luca Euangelium. Iacobus Minor lapidatus. Petrus crucifixus. Paulus decollatus.

Galba & Piſo regnant ſeptem menſes. Hos occidit Ottho.

Ottho tres menſes. Hic ſeipſum occidit.

Vitellius octo menſes. Hunc occidit Veſpaſianus.

Veſpaſianus nouem annos, profluuio ventris mortuus eſt.

Hieruſalem à Romanis deſtruitur, quæ ſtetit Annos 1089.

SECVNDA PERSECVTIO.

Titus duos annos menſes, 2. Morbo obiit.

Domitianus frater Titi quindecim annos, menſes quinque Statius claruit.

Statius.

Hic à ſuis confoſſus eſt.

H Nerua vnum annum, menſes quatuor: Morbo interiit.

Ioannes Euangelium ſcripſit.

Euangelium Ioannis.

TERTIA PERSECVTIO.

Traianus nouendecim annos, menſes ſex, & dimidium. Ventris profluuio interiit.

Ioannes Apoſtolus obiit.

Helius Adrianus viginti vnum annos. Morbo obiit. Hic Hieruſalem reædificauit, & Heliam nominauit.

Aquila interpres claret.

Moritur Ioannes Apoſtolus. Aquila.

QVARTA PERSECVTIO.

Antoninus Pius, cum filiis Aurelio, & Lucio viginti duos annos, menſes tres.

Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo annos nouendecim, menſem vnum.

Sub his principibus Agapytus puer quindennis, martyrio coronatur.

Agapytus martyr.

Lucius Antoninus Commodus filius Antonini, annos tredecim.

Theodotion interpres claret.

Theodotion.

A

Theophylus.

Helius Pertinax, menſes ſex. Hic à milite Iuliano in Palatio occiditur.

Theophylus Cyclum Paſchalem ſcipſit.

QVINTA PERSECVTIO.

Iulianus regnat annos ſeptem: A ſeruo occiditur.

Seuerus Pertinax, ſeptendecim annos: hunc Albinus Imperator occidit.

Narciſſus.

Narciſſus Epiſcopus claret.

Antonius Caracalla ſeptem annos, ab hoſtibus occiſus.

Quinta editio Bibl. Sexta editio inuenta. Origenes.

Quinta editio inuenitur.

Macrinus vnum annum: à militibus occiſus.

Sexta editio inuenitur.

Aurelius Alexander tredecim annos, à milite occiſus.

Origenes claruit.

SEXTA PERSECVTIO.

B

Maximianus tres annos. Hic à Pupieno occiſus, qui & ipſe regnum vſurpans occiditur.

Gordianus ſeptem annos, à ſuis occiſus.

Primus Chriſtianus Cæſar Philippus.

Philippus cum Philippo filio ſeptem annos. Hic Chriſtianus per origenem efficitur: Ambos Decius occidit.

SEPTIMA PERSECVTIO.

Decius vnum annum, menſes octo à diabolo occiditur.

Antonius

Antonius claret.

Gallus cum Voluſiano filio, duos annos, menſes quatuor, Ab Æmilio occiditur.

Æmilius tres menſes regnans, occiditur.

OCTAVA PERSECVTIO.

Valerianus cum filio Gallieno quindecim annos. Alter à Parthis capitur, & obcæcatur. Alter à militibus occiditur.

Sex Tyranni.

C

Sub hoc principe, videlicet Gallieno, ſex Tyranni regnauerunt.

Primus Genus apud Mirſam occiditur.

Secundus Poſthumius decem annos in Gallia regnat, occiditur.

Tertius Æmilianus Maguntiæ occiditur.

Quartus Marius ibidem interficitur.

Quintus Victorinus à Gallis creatur, & occiditur.

Sextus Tetricus, à militibus occiditur.

NONA PERSECVTIO.

Claudius vnum annum, menſes nouem, Morbo obiit.

Quintilius frater eius ſeptendecim dies regnat & occiditur.

Aurelianus annos quinque, menſes ſex, à ſuis occiditur.

Tacitus Menſes ſex. Hic apud Pontum occiditur.

Florianus regnat duos menſes, & dimidium, & in Tarſo occiditur.

D

Probus annos ſex, menſes 4. Hic à militibus occiditur.

Ipſe tres Tyrannos, occidit, Saturninum, Proculum, Bonoſum.

Carus cum filiis Carino & Numiano, regnat duos annos. Carus fulmine interiit. Carinus à ſociis occiditur.

DECIMA PERSECVTIO.

Diocletianus cum Herculio Maximiniano viginti annos. Alter regno pellitur. Alter occiditur.

Conſtantius cum Galerio Maximino ſedecim annos In Anglia moritur. Seipſum interimens.

Carauſius ſeptem annos regnat Ab Allecto occiditur.

Allectus tres menſes regnat. Hunc præfectus ſuus occidit.

Achileus Imperator in Ægypto occiditur.

Maximinus Seuerus annos quatuor: Apud Tharſum dolo periit.

E

Conſtantinus Conſtantij filius ex concubina Helena triginta annos, menſes decem. Hic à Syluestro baptizatur & ab hoc Nicæna Synodus congregatur.

Synodus Nicæna. Conſtantinopolis conditur.

Conſtantinopolis conditur.

Maxentius & Licinius annos decem: ambo à Conſtantino occiduntur.

Criſpus & Conſtantinus, Conſtantij filius, & Licinius, Licinij filius Cæſares à Conſtantino occiduntur.

Dalmatius Imperator à militibus occiditur: Conſtantius cum fratribus Conſtantino & Conſtante viginti quatuor annos, menſes quinque, & dimidium. Conſtantius morbo periit, Conſtantinus à fratre eſt occiſus. Conſtans in Hiſpania occiditur.

Septem Tyranni.

Sub Conſtantio fuerunt hi ſeptem Tyranni.

1 Magnentius, qui ſeipſum occidit.

2 Decencius frater eius, qui laqueo vitam finiuit.

3 Gallus, quem ipſe Conſtantius occidit.

4 Siluanus, quem etiam occidit.

5 Veterion, qui Imperium depoſuit.

6 Nepotianus, quem Magnentij duces occiderunt.

F

7 Iulianus, qui poſtea fit Auguſtus. Is annos duos, menſes octo.

Hic Idololatra efficitur, & à Mercurio Martyre occiditur.

Iouinianus menſes 8. morbo obiit.

Athanaſius.

Athanaſius claruit.

Valentinianus cum Valente annos vndecim, Valentinianus fluxu ſanguinis interiit.

Procopius Tyrannus occiditur.

Valens cum Gratiano, & Valentiniano fratris filijs annos quatuor.

Martinus. Ambroſius. Hieronymus.

Firmius Tyrannus occiditur.

Martinus, Ambroſius, & Hieronymus clarent.

Gratianus cum Valentiniano fratre annos ſex, Gratianus igni crematur.

Valentinianus à Gothis occiditur, vel vt alij volunt Gratianus à Maximo Tyranno interficitur, Valentinianus regno pellitur.

G

Theodoſius, & Valentinianus, qui ſupra, annos vndecim Laqueo ſuſpenditur.

Maximus, & Victor filius eius Imperatores, occiduntur.

Eugenius Tyrannus occiditur.

Arcadius filius Theodoſij annos tredecim, obiit.

Chryſoſtomus. Auguſtinus. Roma vaſtatur.

Chryſoſtomus, Auguſtinus clarent.

Honorius frater Arcadij cum Theodoſio filio fratris, annos quindecim, obiit.

Alaricus rex Romam deuaſtat, quæ ſtetit annos 1064.

Septem Tyranni.

Sub Honorio fuerunt ſeptem Tyranni.

1 Eucherius, quem Honorius occidit.

2 Conſtantinus, hunc Conſtantius comes occidit.

3 Conſtans, filius Conſtantis, quem Gerontius comes occidit.

4 Maximinus, hic exilium ſubiit.

5 Iouinianus, qui mox occiditur.

H

6 Attalus, huic manus ab Honorio abſcinditur.

7 Heraclianus, hic à militibus occiditur.

Theodoſius, filius Arcadij, qui minor, viginti ſex annos.

Auguſtinus moritur.

Auguſtinus tunc obiit.

Gildo Tyrannus occiditur.

Valentinianus filius Conſtantij comitis, annos duodecim.

Attila Rex Hunnorum.

Martianus & Valentinianus annos ſeptem, occiduntur ab Attila.

Angli Britanniam inuadunt. Anaſtaſius hæreticus fulmine obiit. Fulgētius.

Angli Britanniam inuadunt.

Leo Maior, annos ſeptendecim, obiit.

Victorius Cyclum Paſchalem ſcripſit.

Zenon annos ſeptendecim; Obiit.

Theodoricus Rex Guttorum.

Anaſtaſius annos viginti octo hæreticus fulmine periit.

Fulgentius Epiſcopus claruit.

Iuſtinus

A

Benedictus. Boëtius.

Iuſtinus Senior annos octo. Obiit.

Benedictus Abbas. } clarent.
Boëtius. }

Iuſtinianus nepos Iuſtiniani annos triginta octo.

Cyclus Paſchalis per Dionyſium ſcriptus.

Dionyſius Abbas Cyclum Paſchalem ſcripſit.

Iuſtinus Minor annos 11. Obiit.

Totila rex occiditur.

Tiberius Conſtantinus annos octo; obiit.

Longobardi Italiam inuadunt.

Mauricius annos viginti vnum; occid.

Gregorius PP. Anglia ad fidem Chriſtianam conuerſa.

Gregorius PP. claret.

Phocas Tyrannus annos 8. occiditur. Anglia conuertitur.

Heraclius annos viginti ſex, Hydropi moritur.

Exaltatio Crucis.

Crux exaltatur.

Conſtantinus filius Heraclij, menſes ſex, veneno periit.

Heraclonas annos 2. naſo truncatur.

Iſidorus.

Iſidorus Epiſcopus claruit.

B

Conſtantinus filius ſuperioris annos viginti octo; occiditur.

Conſtantinus filius illius, annos viginti ſeptem; obiit.

Synodus ſexta Conſtantinopolitana.

Iuſtinianus filius Conſtantini, annos decem: naſo & lingua truncatur.

Hic regno pellitur.

Leontius annos tres. Hunc occidit Iuſtinianus.

Cudbertus.

Cudbertus Epiſcopus claret.

Tiberius annos ſeptem. Hunc Iuſtinus in cuſtodia perdidit.

Beda.

Beda claruit in Anglia.

Iuſtinianus ſecundo cum Tiberio filio annos ſex; Hic à Philoſophis occiditur. Alter decollatur.

Pipinus Rex Francorum.

Philippicus annum vnum menſes 6.

Hic ab Anaſtaſio excæcatur.

C

Anaſtaſius annos ſex.

Imperator fit presbyter.

Hic à Theodoſio captus Presbyter ordinatur.

Theodoſius annum vnum. Hic Catholicus, obiit.

Leo annos octo, hæreticus.

Conſtantinus filius Leonis annos triginta quinque, hæreticus.

Leo filius Conſtantini annos quinque.

Conſtantinus filius Leonis cum matre.

Carolus Magnus Pipini filius annos quadraginta ſex.

Brema conditur. Dani ad fidem Chriſtianam conuerſi. Anſgarius. Suedi conuerſi. Rabanus.

Brema conſtruitur.

Dania conuertitur, à Villiado Epiſcopo.

Ludouicus filius eius annos viginti ſeptem.

Anſgarius Epiſcopus Suedos conuertit.

Lotharius filius Ludouici annos ſeptendecim.

Rabanus Epiſcopus claruit.

Ludouicus filius Lotharij cum fratribus Lottario, Carolo, & Pipino annos triginta ſex.

Carolus filius Ludouici cum fratribus Carolomanno, & Ludouico annos vndecim.

D

Arnoldus filius Carolomanni, annos duodecim.

Conradus, filius Conradi principis, annos ſeptem,

Henricus comes regnat annos octodecim.

Vdalricus. Parthenopolis conditur.

Vdalricus Epiſcopus claret.

Otto Magnus Henrici filius, annos triginta octo. Parthenopolis Conſtruitur.

Otto filius eius annos nouem.

Otto filius ſuperioris, annos octodecim.

Rodicker.

Rodicker Abbas claret.

Hainricus Dux Bauariæ annos viginti tres, menſes quinque.

Babenbergk conſtruitur.

Babenbergk conſtruitur.

Ruſſi. }
Poloni. } facti ſunt Chriſtiani.
Vngari. }

Conradus annos quindecim.

Spira conditur.

Spira conditur.

Henricus Pius, filius Conradi annos ſeptendecim.

Henricus filius eius annos quadraginta nouem.

E

Rodulphus occiditur. }
Hermannus occiditur. } Tyranni.
Conradus. }

Henricus filius ſuperioris ſeptendecim annos regnat.

Lotharius annos tredecim.

Conradus annos quatuordecim.

Fridericus.

HONORII AVGVSTODUNENSIS Presbyteri.

DE PHILOSOPHIA MVNDI, *LIBRI QVATVOR.*

F

DE SOLIS AFFECTIBVS, SEV affectionibus, Liber ſingularis.

In Librum, de Mundi Philoſophia, Honorij.

PRÆFATIO.

QVONIAM, *vt ait Tullius in prologo Rhetoricorum,* Eloquentia ſine ſapientia nocet; ſapientia vero ſine eloquentia, & ſi parum, tamen aliquid, cum eloquentia autem maximè prodeſt, *errant qui poſtpoſita proficiente, & non nocenti, adhærent nocenti & non proficienti. Id namque agere eſt* * Mercurij & Philologiæ coniugium, *tanta cura virtutis & Apollinis quæſitum, omnium conuentu deorum approbatum ſoluere. Id etiam eſt, gladium ſemper acuere, ſed nunquam in prælio percutere. Multos tamen nomen Magiſtri ſibi vſurpantes, non ſolum hoc agere, ſed etiam alijs ſic eſſe agendum iurantes, cognoſcimus, nihil quippe de* Philoſophia *ſcientes, aliquid ſe neſcire confiteri erubeſcentes, ſuæ imperitiæ ſolatium quærentes, ea quæ neſciunt, nullius vtilitatis, minus cautis prædicant. Sed quia, vt ait Terentius,* Non eſt mirum ſi meretrix impudenter agit, *impudentia illorum poſtpoſita,* de Philoſophia *aliquid dicere propoſuimus, vt diligentibus ipſam pro poſſe noſtro proficiamus; non diligentes vero ad diligentiam excitemus. Incipientes igitur à* prima cauſa rerum Deo, *vſque ad hominem continuabimus tractatum, de ipſo* Homine *multa dicentes. Illud autem principium dictionis petentes, vt ſi aliquid in hoc opere imperfectum videatur, humanæ imperfectioni deputetur; nec ideo, quod in eo vtile erit, vituperetur. Neque enim propter vnum malè dictum, bona vituperanda, ſicut nec propter benè dictum, mala laudanda. Quandoque enim vigilat Therſites, & dormit Vlyſſes.* Atque operi longo fas eſt obrepere ſomnum. *De Philoſophia igitur tractare incipientes, quid ſit* Philoſophia *dicamus.*

** apud Marcianum Capellam.*

G

H

CAPITA LIBRORVM QVATVOR, Philoſophiæ Mundi Honori.

LIBER I. CAP.

CAP. I.	Quid ſit Philoſophia.
II. III.	Quæ ſunt & non videntur: & quæ videntur.
IV.	Quid ſit perfectè aliquid cognoſcere.
V.	Quibus rationibus probetur DEVM eſſe.
VI. VII.	Quare Pater dicatur potentia: Filius Sapientia.
VIII.	De genitura Filij.
IX.	Quare Spiritus ſanctus Voluntas dicatur.
X.	Cur à Patre & Filio procedat.
XI.	De Coæternitate ipſorum.
XII.	Quare vni perſonæ quædam attribuantur, cum ſine alia nihil operetur.
XIII.	Cur Filio Incarnatio attribuatur?

Cur

A XIV. Cur Spiritui ſancto peccatorum remiſſio?
XV. De anima mundi, quæ?
XVI. Quid ſit cœleſte animal & æthereum?
XVII. Quid aëreum.
XVIII. Quid humectum.
XIX. Vtrum corpora ſint vel ſpiritus Angeli?
XX. De dæmonibus.
XXI. De Elementis multa.
XXII. De creatione piſcium & auium.
XXIII. De creatione cæterorum animalium, & Hominis: & quo tempore facta Mundi creatio ſit.

LIBER II.

Philoſophia Mundi.

Cap. I. Quid ſit æther, & ornatus illius.
B II. Quod aquæ congelatæ ſuper æthera non ſint.
III. Quid illud: Diuiſit aquas quæ ſub firmamento ſunt.
IV. Quod ſuper æthera nihil videantur.
V. Quot modis auctoritas loquatur de ſuperioribus.
VI. De firmamento & ſtellis.
VII. De infixis ſtellis, vtrum moueantur.
VIII. Quot Circuli dicantur eſſe in firmamento.
IX. Qui ſint viſibiles.
X. Vbi incipiat Galaxias.
XI. De Zodiaco, & vnde dicatur.
XII. De diſpoſitione ſignorum.
XIII. De inuiſibilibus Circulis.
XIV. De duobus Coluris.
XV. De Horizonte, & Meridionali Circulo.
XVI. De motu firmamenti, & de Polis.
XVII. De Saturno, & quare aliqua ſtella dicatur frigida: & quot modis nomina qualitatum rebus attribuantur.
C XVIII. De Ioue.
XIX. De Marte.
XX. De Venere.
XXI. Eadem ſtella Lucifer & Heſperus quomodo eadem.
XXII. De Mercurio.
XXIII. De ſtatu & retrogradatione prædictarum ſtellarum, & Solem eſſe ſub Mercurio & Venere, & de Circulis ipſorum.
XXIV. Quando Circuli Veneris & Mercurij liberius appareant.
XXV. Vtrum Planetæ moueantur cum firmamento, vel contra.
XXVI. Quare Sol oblique moueatur, & de Hieme & Vere.
XXVII. Vnde altius mouentur infirmi in Vere & in Autumno: & de quatuor anni temporibus.
XXVIII. Quid ſit naturalis & viſualis dies.
XXIX. Vnde inæqualitates & æqualitates dierum.
D XXX. Vnde Eclipſis ſit, & quod ſingulis menſibus non contingat.
XXXI. Quare Luna non habeat ſplendorem & calorem: & de nouilunio, & plenilunio.
XXXII. De Eclipſi Lunæ, & quare ſingulis menſibus non contingat, & de figuris vmbrarum.

LIBER III.

De Meteorologicis.

Cap. I. De aëre.
II. Qualiter quinque Zonæ ſint in aëre.
III. Quæ diuerſitates ex aëre in terra ſint.
IV. Vnde ſint pluuiæ.
V. Quare Solis radij & calor ad terram tendant.
VI. Quare Sol calefacit terram, & non ignis ſuperior.
VII. Quod ante finem mundi guttæ ſanguinis cadent, vel quare dicatur ſanguinem pluere.
VIII. Vnde grando & nix. E
IX. Quare niues nunquam contingant æſtate, cum in ea contingat grando.
X. De tonitruis & fulminibus.
XI. Quare in ſola æſtate contingant fulmina.
XII. De eo quod ſtellæ videntur aliquando cadere.
XIII. Quod Cometa non ſit ſtella.
XIV. De refluxionibus Oceani.
XV. De ortu Ventorum.
XVI. Vnde quædam aqua dulcis, quædam ſalſa.
XVII. Quod aqua colata & attenuata fontes dulces gignat.
XVIII. Vnde putei habeant humores.
XIX. Vnde aqua putei & fontis in æſtate ſit frigida, in hieme calida.
XX. Vnde exuſtio, vel diluuium.
XXI. Vnde fit quod in lunatione modo creſcunt humores, modo decreſcunt. F

LIBER IV.

Cap. I. De Terra & Mundo.
II. De diuerſis qualitatibus.
III. De habitatoribus eius.
IV. De Terminis Aſiæ, Africæ & Europæ.
V. Vnde in quibuſdam montibus perpetuæ ſint niues.
VI. Quas qualitates contrahat Terra ex diuerſis ventis.
VII. De inſertis arboribus.
VIII. Quid ſit Sperma.
IX. Quare in pueritia coitus non contingat.
X. De Matrice.
XI. Quæ ſit cauſa ſterilitatis.
XII. Si aliqua nolens poſſit concipere.
XIII. De ſuperfluitatibus.
XIV. Quare homo cum natus eſt non graditur.
XV. De formatione hominis in vtero. G
XVI. Vnde puer paſcatur in vtero.
XVII. De Natiuitate & quare nati in ſeptimo menſe viuant.
XVIII. De infantia & ſenſu.
XIX. De digeſtionibus & lapide vrinæ.
XX. Quod homo naturaliter ſit calidus & humidus, & vnde longus & paruus, gracilis & groſſus.
XXI. De ſomno.
XXII. Vnde ſomnia, & de animali & ſpiritali virtute.
XXIII. De capite.
XXIV. De cerebro.
XXV. De oculis.
XXVI. Qualiter viſus fiat.
XXVII. De contuitione, & intuitione.
XXVIII. De auditu.
XXIX. Quid ſit anima.
XXX. Quæ actiones ſint animæ & corporis.
XXXI. Quomodo motus corporis contingant. H
XXXII. Qualiter anima ſit in homine.
XXXIII. De tempore coniunctionis illius cum corpore.
XXXIV. De virtutibus, ſeu potentiis animæ.
XXXV. Quare non diſcernat & intelligat infans.
XXXVI. De iuuentute & ſenectute.
XXXVII. Qualiter potiſſimum Magiſter ſit quærendus.
XXXVIII. Qualem eſſe diſcipulum oporteat.
XXXIX. Qualis complexio doctrinæ ſit conueniens.
XL. Quæ ætas, & quis dicendi terminus: qui & vitæ.
XLI. Quis ſit ordo in diſcendo adhibendus.

CAPITA LIBRI I.

De Solis affectionibus.

Cap. I. De hemiſphærio.
II. De ortu & occaſu Solis.
III. De horis artificialibus.

A IV. Altitudo Solis & Climatis.
V. De terra & magnitudine Solis.
VI. De aquæ tumore.
VII. De Solis vicinitate.
VIII. Quod nihil ante Solem occidat, quod cum Sole oritur.
IX. Quomodo fiat Ecclipſis Lunæ & Solis.
X. De Lunæ ſaltu.
XI. De Oriente & aliis.
XII. De meridie.
XIII. De Cancro & Capricorno.
XIV. De Horizonte.
XV. De æquinoctio.
XVI. De die & nocte.
XVII. De Parallelis lineis.
XVIII. Horologiorum diuerſitas.
XIX. Ad inueniendum interuallum in Horologio.
XX. Quod Sol medius numero dicatur.
B XXI. De ſtellarum lumine.
XXII. De diſtinctis ſphæris.
XXIII. Terra vnde frigida.
XXIV. De linea Zodiaci.
XXV. Zodiacus quò ducatur.
XXVI. Planetæ quò vadant.
XXVII. De æquinoctiali linea.
XXVIII. De Solſtitio in Cancrum.
XXIX. Vnde viſus recidat.
XXX. De ſignis XII. obſcurantibus Solem.
XXXI. Quod Planetæ non ſemper æquè celeres.
XXXII. De Sole aſcendente, & quid efficiat.
XXXIII. In Ariete Sol multiplicat dies.
XXXIV. De linea tendente per centrum.
XXXV. An Sol diutius ſub terra ſit, quam in æquinoctio.
XXXVI. De Lucifero & Heſpero.
XXXVII. Quod Horologium in prima & vltima hora non habeat partes.
C XXXVIII. Quod Sol ducenteſima ſexta decima pars Circuli ſui dicatur.
XXXIX. De plano & alto.
XL. De gradibus & Climatis.
XLI. De Sole hiemale.
XLII. Æquales poſſunt eſſe ortus, occaſus non item.
XLIII. Quod non ſint æquales Meridies & Occaſus.
XLIV. Quod Sol ſit adminiſtrator ætheteæ lucis.
XLV. De corpore Solari.
XLVI. De mediis peruſtæ.
XLVIII. Quid ſtatio Matutina & Veſpertina.
XLIX. Vnde ſtellaria creata ſint.

HONORII AVGVSTOdunenſis Presbyteri.

D
LIBER PRIMVS.

De Philoſophia Mundi.

CAPVT PRIMVM.

Qui ſit Philoſophia.

PHILOSOPHIA, eſt eorum quæ ſunt & non videntur; & eorum quæ ſunt & videntur, vera comprehenſio.

CAPVT II.

Quæ ſunt & non videntur.

SVnt & non videntur incorporalia: Senſus enim extra ſubiectam materiam nihil poteſt.

CAPVT III.

Quæ ſunt & eſſe videntur.

E
SVnt, & eſſe videntur corporalia, ſeu diuinum, ſeu caducum habeant corpus. Corpora namque ſubiacent ſpiritui. Cum igitur in cognitione vtrorumque ſit Philoſophia, de vtriſque diſſeramus, inchoãtes ab eis quæ ſunt, & non videntur. Sunt autem hic: Creator, anima mundi, Dæmones, animæ hominum.

CAPVT IV.

Quid ſit perfectè aliquid cognoſcere.

SEd quoniam Creator omnibus prior eſt, omnia enim ab ipſo habent exiſtere, & ipſe à nullo; ab ipſo incipiamus. Sed quia dicunt Sancti in hac vita non poſſe Deum perfectè cognoſcere, quid ſit *perfectè aliquid cognoſcere*, oſtendamus, vt cognoſcatur quia Creator in F hac vita perfectè cognoſci non poſſit. Vndecim ſunt quæ inquiruntur circa vnamquamque rem. *An ſit, quid ſit, quantum ſit, ad quid ſit, quale ſit, quid agat, quid in ipſum agatur, vbi ſit, qualiter in locum ſuum ſit, quando ſit, quid habeat.* Perfectè ergo aliquid cognoſcere, eſt iſta vndecim de illo ſcire. Sed quamuis ſciamus Deum eſſe, quid ſit perfectè non comprehendimus. Quantitas verò eiuſdem, qui omnia implet, anguſtias noſtri pectoris excedit. Relationi illius explicandæ, humana ſapientia deficit. Qualitates illius non comprehendimus. Actionibus eius enarrandis infinitæ linguæ non ſufficiunt. Quid in ipſum agatur, non potentia agentis, ſed permiſſio eſt volentis. Vbi ſit, ſupra omnia, infra omnia totus & integer? Qualiter in loco ſit, qui localis non eſt. De tempore verò illius, qui ante omne tempus eſt. Quid habet, qui omnia palmo continet, nullus perfectè explicare poteſt. Nec ergo illum omnino ignoramus, quem eſſe ſcimus: nec perfectè cognoſcimus, de quo prædicta ignoramus.

G
CAPVT V.

Quibus rationibus probetur quod Deus ſit.

ET quoniam diximus in hac vita ſciri Deum eſſe; rationes quibus etiam incredulis hoc poſſit probari, aperiamus. Scilicet per mundi creationem, & quotidianam diſpoſitionem. Cum enim mundus ex contrariis ſit elementis, calidis & frigidis, humidis & ſiccis: vel natura operante, vel caſu, vel aliquo artifice, in compoſitione mundi illa coniuncta ſunt: ſed proprium eſt naturæ ſemper contrarium fugere, & ſimile appetere: non ergo natura contraria elementa coniunxit. Caſu verò coniuncta non ſunt: ſi enim caſus mundum operatus eſſet, quare domum vel aliquid tale, quòd leuius eſt non faceret? Iterum ſi caſus mundum operatus fuiſſet, aliquæ cauſæ præceſſiſſent mundum, quarum concurſus operaretur illum. Eſt enim caſus, inopinatus rei euentus, ex cauſis confluentibus. Cum ergo nihil præceſſit mundum præter creatorem, caſu non eſt factus mundus, igitur aliquo artifice. Artifex verò ille homo non fuit. Antè enim mundus eſt factus quàm homo. Nec Angelus H quidem, cum Angeli cum mundo creati ſint. Deus igitur eſt qui mundum fecit.

Per quotidianam verò diſpoſitionem, idem ſic probatur. Ea quæ diſponuntur, ſapienter diſponuntur. Ergo aliqua ſapientia; nihil enim ſine ſapientia, ſapienter diſponitur. Sapientia autem illa, vel diuina, vel Angelica, vel humana. Humana verò non eſt, quæ res facit viuere & loqui. Nam ſi humana ſapientia formam hominis, vel alterius animalis operatur, motum illi & vitam conferre non poteſt. Angelica verò ſapientia, quomodo Angelos ipſos diſponeret? Diuina igitur ſapientia eſt, quæ hoc fecit. Sed omnis ſapientia alicuius ſapientia eſt? Eſt: ergo, cuius eſt illa ſapientia, nec idem eſt Angelus nec homo: Deus ergo. Sic per quotidianam diſputationem peruenitur ad diuinam ſapientiam, per ſapientiam ad diuinam ſubſtantiam. Vnde diuina ſapientia

A dicitur ſignaculum, & imago diuinitatis. In hac diuinitate omnium conditrice, & omnia gubernante, dixerunt Philoſophi ineſſe potentiam operandi, ſapientiam, voluntatem. Si enim potuit & neſciuit, quomodo tam pulchra fecit? Si iterum fecit & noluit, vel ignorans, vel coactus fecit. Sed quid ignoraret, qui etiam nouit cogitationes hominum? quis cogeret illum qui omnia poteſt? Eſt ergo in diuinitate, *potentia*, *ſapientia*, *voluntas*: quas Sancti tres perſonas vocant, vocabula illis à vulgari, propter affinitatem quandam transferentes, vocantes potentiam diuinam *Patrem*, ſapientiam *Filium*, voluntatem *Spiritum ſanctum*.

CAPVT VI.

Quare potentia dicatur Pater.

POtentia dicitur Pater, quia omnia creat: & paterno affectu diſponit.

B

CAPVT VII.

Quare ſapientia Filius.

SApientia verò dicitur Filius à Patre ante ſæcula genitus, & tamen illi coæternus: quia vt filius temporaliter eſt à Patre, ita ſapientia æternaliter & ſubſtantialiter eſt à potentia.

CAPVT VIII.

De genitura Filij.

ET quoniam diximus filium genitum è Patre, & tamen illi coæternum eſſe, de illa genitura aliquid dicamus: illud ante orantes, ne ſi inueniatur illud: *Generationem eius quis enarrabit?* putetur nobis officere. Eſa. 53. v. 8.
Illud enim dictum eſt, non quia impoſſibile eſt, ſed quia difficile eſt. Pater ergo genuit Filium, id eſt, diuina potentia genuit ſapientiam, quando prouidit qua- C
liter crearet res, & creatas diſponeret, & quia ante ſæcula hic prouidit, ante ſæcula ſapientiam, id eſt, Filium genuit: & hic ex ſe, non ex alio: quia neque alicuius doctrina, neque vſus experientia, ſed propria natura hoc ſcire habuit, ex quo ante fuit, ſi fas eſt dicere, de æterno, ex quo hoc ſciuit, non fuit quin iſta ſciret. Sic ergo æternus eſt, quia ſapientia æterna eſt. Sic igitur Pater genuit filium coæternum, ſibi conſubſtantialem.

CAPVT IX.

Quare voluntas Spiritus ſanctus.

VOluntas verò diuina dicitur Spiritus ſanctus. Eſt autem propriè ſpiritus halitus. Sed quia in ſpiritu & anhelitu, ſæpe voluntas hominis perpenditur, aliter enim ſpirat lætus, aliter iratus, diuinitatem tranſlatiuè vocauerunt *ſpiritum*, ſed *ἀντονομαστικῶς ſanctum*.

D

CAPVT X.

Quare à Patre & Filio procedat.

SPiritus iſte à Patre & Filio procedit, quia voluntas diuina & bonitas inde, quòd ita potens, & ſapiens Deus effectu oſtenditur: nihil enim eſt Spiritumſanctum à Patre & Filio procedere, aliud, quam diuinam voluntatem ex potentia & ſapientia vſque ad creationem & gubernationem rerum extendere.

CAPVT XI.

De coæternitate ipſorum.

HÆc bonitas & voluntas, Patri coæterna eſt & Filio. Non enim fuit potens & ſapiens, ita quòd non eſſet bonus & creare volens: quia idem eſt Deo & eſſe, & bonum eſſe, & ante tempora voluit, quod fecit. Nulla enim eſt in eo mutabilitas, coæterna eſt ergo prædictis voluntas diuina & bonitas. Sed hæc perſonarum Trinitas, eſt eſſentiæ vnitas. Vna enim eſt ſubſtantia, *potentia* diuina, & *ſapientia*, & *bonitas*. E

CAPVT XII.

Quare quædam vni de perſonis attribuantur, cum ſine alia nihil operetur.

QVæ quamuis in omnibus cooperetur (nunquam enim diuina potentia aliquid agit ſine ſapientia & voluntate, nec ſapientia ſine potentia & voluntate, nec voluntas ſine potentia & ſapientia) tamen quædam opera referuntur potentiæ, & ſic patri: quædam ſapientiæ, & inde filio: quædam voluntati, & ideo ſpiritui ſancto, Attribuitur potentiæ, id eſt Patri, Filij miſſio: quam tamen operata eſt ſapientia & voluntas.

CAPVT XIII.

Quare Filio attribuitur Incarnatio. F

ATtribuitur ſapientiæ, id eſt Filio, Incarnatio: quam tamen operata eſt potentia & voluntas, & merito ſapientiæ aſcribitur. Cum enim tam potens eſſet, quod de poteſtate diaboli humanum genus ſola voluntate eripere poſſet, maluit tamen diuinitatem coniungere humanitati, vt qui Deum & hominem reconciliaret, in ſe, quòd hominis eſt & Dei haberet, Si enim Deus tantum eſſet, nunquam diabolus in eum manus iniiceret: Quippe quomodo ſeruus in Filium potentis Domini cognitum, manum iniiceret? Vnde ſcriptum eſt: *Si cognouiſſent, nunquam Filium Dei crucifixiſſent.* Si iterum tamen homo eſſet, quomodo captiuus homo captiuum 1. Cor. 2. 8.
liberaret? *Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei.* Rom. 3. 23.
Redemptor igitur noſter Deus fuit & homo, & adhuc eſt: vt ex diuinitate ſaluare poſſet, & ex humanitate diabolum lateret, vt cum præter ius & fas diabolus innocentem inuaderet, poteſtatem ſibi commiſſam iuſtè amitteret.

CAPVT XIV.

Quare ſpiritui ſancto peccatorum remiſſio tributa. G

VOluntati verò & bonitati diuinæ remiſſio peccatorum attribuitur: quia ex voluntate & bonitate condonat, quòd ex potentia & ſapientia quàm citò factum eſt, punire poſſet. Sed quia dum loquimur de diuinitate, anguſtias noſtræ ſcientiæ tranſgreſſi ſumus, tacentes interim de ea, ad reliqua tranſeamus, illud orantes: Ne ſi aliquid quod ſcriptum non ſit alibi, hic inueniatur, hæreſis iudicetur: Non enim quia ſcriptum non eſt, Hæreſis eſt, ſed ſi contra fidem eſt. In particula ſuperiori, de his quæ ſunt & non videntur primum poſuimus Creatorem *Deum*, Animam mundi. Finito igitur tractatu de Creatore, de Anima mundi aliquid dicamus. *Hereſis quæ.*

CAPVT XV.

De Anima mundi.

A*Nima mundi*, ſecundum quoſdam Spiritus ſanctus eſt: Diuina enim bonitate & voluntate, quæ Spiritus ſanctus eſt, vt prædiximus, omnia viuunt quæ in mundo viuunt. Alij dicunt *Animam mundi* eſſe naturalem vigorem, rebus à Deo inſitum, quo quædam viuunt tantum, quædam viuunt & ſentiunt, & diſcernunt: Non eſt aliquid quod viuat & ſentiat & diſcernat, in quo ille naturalis vigor non ſit. Tertij dicunt, *Animam mundi* eſſe quandam incorpoream ſubſtantiam, quæ tota eſt in ſingulis corporibus quamuis propter quorundam tarditatem corporum, non idem in omnibus exercet vel operatur: quod volens ſignificare Virgil. ait: H

Seminibus quantum non noxia corpora tardant. Aen. 6. v. 731.

In homine ergo eſt illa propria anima. Si aliquis concludat, Ergo in homine ſunt duæ animæ: dicimus, non: quia non dicimus Animam mundi, eſſe animam: ſicut non dicimus, caput mundi, eſſe caput. Hanc dicit

A In Platonem Honorij gloſſulæ vt Chalcidij. Plato ex diuidua & indiuidua ſubſtantia eſſe excogitatam, & ex eadem natura & diuerſa. Cuius expoſitionem ſi quis quærat, in *Gloſſulis* noſtris ſuper Platonem inueniet.

Tertium genus de eis quæ ſunt & non videntur, diximus dæmones eſſe: de quibus tractare incipientes, dicamus quot illorum ſunt ordines, & quare vocati ſunt dæmones.

CAPVT XVI.

Quid ſit cœleſte animal & æthereum.

TRes igitur dæmonum ordines voluit Plato eſſe, à ſuperiori vſque ad imum, nihil ſine rationali creatura eſſe affirmans. Dicit enim in firmamento eſſe quoddam rationale animal, quod ita definit. Animal rationale, immortale, cœleſte, impatibile: ſtellas videlicet in firmamento, de quibus in ſuo loco dicemus:
B Sunt enim de eis quæ ſunt, & videntur. Deinde dixit in æthere eſſe quoddam genus inuiſibilis animalis, id eſt à firmamento vſque ad lunam, primum in
Dæmon. ordine dæmonum, quod ita definitur: *Animal rationale, immortale, impatibile, æthereum.* Cuius eſt officium ſoli diuinæ contemplationi vacare, & de eius contemplatione viuere.

CAPVT XVII.

Quid aërium.

IN inferiori verò loco, ſcilicet circa ſuperiorem partem aëris, vel vicinæ Lunæ, dicit aliud eſſe genus, cuius hæc eſt definitio: *Animal aërium, rationale, immortale, patibile, diligentiam hominibus impertiens.* Cuius ſecundum idem officium deferre preces hominum Deo, & voluntatem Dei hominibus, vel per ſomnia, vel ſigna, vel intimam aſpirationem vel vocalem admonitionem, dicitur patibile: quia cum diligat bonos congaudet illorum
C proſperitati, compatitur aduerſitati.

CAPVT XVIII.

Quid humectum.

TErtius ordo eſt, in hac humecta parte aëris, quòd ita definitur: *Animal humectum, rationale, immortale, patibile.* Cuius eſt officium humanitati inuidere, ex inuidia inſidiari: quia vnde deſcendit per ſuperbiam, homo per humilitatem aſcendit, & eſt ita luxurioſum, quòd alioquin commiſcet ſe mulieribus, & aliquando generat.
Incubi. Vnde *Incubi* dicuntur dæmones, qui ſic concubunt. Qui differunt ab aliis dæmonibus, in hoc quòd duo primi ordines dicuntur *καλοδαίμονες*, id eſt bonum ſcientes: *καλὸν* enim eſt bonum, *δαίμων* ſciens. Iſti verò dicuntur *κακοδαίμονες*, id eſt malum ſcientes, *κακὸς* enim malum eſt. Ne abhorreas nominis communitatem, quòd illi & iſti dicuntur dæmones, quaſi ſcientes: cum illi & iſti Angeli dicantur, vnde malus Angelus & bonus. Inferiorem par-
D Homo de quo lib. 4. tem mundi, id eſt terram habitat *animal rationale, mortale*, id eſt homo, de quo in ſuo loco dicemus.

CAPVT XIX.

Vtrum corpora ſint vel ſpiritus.

DE prædictis dæmonibus quæritur: vtrum corpora habeant, cum animalia ſint, & omne animal
Pſal. 103. 4. dicatur corpus, an ſint ſpiritus, vt ait Propheta: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus.* Inde dicunt quidam quòd corpora ſint, ſed ita ſubtilia, quòd ſenſu percipi non poſſint. Vndè reſpectu noſtrorum, quæ ſpiſſa ſunt & groſſa, dicuntur ſpiritus: quemadmodum aër quamuis corpus ſit, propter ſubtilitatem vocatur *ſpiritus*: & hic
B. Greg. affirmante autoritate beati Gregorij qui in Moralibus loquens de Angelis ait: *Comparatione quidem noſtrorum corporum Angeli dicuntur ſpiritus, ſed comparatione illius ſummi & incircumſcripti ſpiritus, corpora ſunt dicenda.* Hoc iterum probat autoritas beati Auguſtini, qui in Enchiridio quodam tale ponit capitulum: *Qualia corpora Angeli habeant.* Alij dicunt illos non
E Epiſt. 115 ad Nebridium, tom. 2. eſſe corpora ſed ſpiritus, ſed quia vbique non ſunt, & de loco ad locum mouentur comparatione ſummi ſpiritus, qui vbique totus & integer eſt, à beato Gregorio corpora dicti ſunt: nec inde ſequitur quòd ſint corpora: ſicut eſt illud: *Sapientia huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum*: non quia Deus ſapientiam huius mundi ſtultitiam 1. Cor. 3. 20.
reputet ſed quia ad comparationem Dei ſapientiæ, ſtultitia eſt: nec inde ideo ſequitur quod ſit ſtultitia. De illo capitulo beati Auguſtini *qualia corpora habeant angeli*, In Enchiridio.
dicunt beatum Auguſtinum ibi loqui de corporibus quæ aſſumunt, quando hominibus apparent, vtrum vera ſint corpora an non: nec tamen dicit ea eſſe corpora. Nos verò plus illorum ſententiæ accedimus, qui dicunt eſſe ſpiritus.

CAPVT XX. F

De dæmonibus.

NEc videatur eſſe alicui inconueniens, quod Plato dicit duo eſſe genera calodæmonum, cum etiam Scriptura dicat nouem eſſe ordines Angelorum. Plato enim diuiſit ea ſecundum loca: ſed diuina Pagina ſecundum officia. In duobus ergo illis generibus continentur nouem ordines angelorum & econuerſo. Poſt tractatum de Creatore & anima mundi, & de dæmonibus, reſtat tractare de *Anima hominis.* Sed quia de Homine locuturi ſumus, vſque ad illum locum de eius anima loqui differamus, vt ſit vnus & continuus tractatus de Homine & eius Anima.

Hactenus de illis quæ ſunt, & non videntur noſtra differuit oratio, nunc ad ea quæ ſunt & videntur, ſtylus conuertatur. Sed antequam initium dicendi faciamus, petimus vt ſi loquentes de viſibilibus, probabile & non neceſſarium dicamus, vel neceſſarium & non probabile, non inde vituperemur: vt Philoſophi enim, neceſſarium,
& ſi non probabile ponimus: vt Phyſici verò, probabile, G
& ſi non neceſſarium adiungimus. Sed illud videatur, ſi aliqui inter modernos probabilius inde tractauerunt. Tractaturi igitur de his quæ ſunt & videntur, quia corpora ſunt, & omnia corpora ex elementis conſtant, ab elementis ſumatur exordium, & oſtendamus quid ſit Elementum: & cur quatuor ſint elementa nec pauciora: quod fuit chaos elementorum: & qualiter ſolutum.

CAPVT XXI.

De elementis.

ELementum ergo, vt ait Conſtantinus in * *παντεχνῇ* * fort. Παντέγνι Conſtantinus, de Elementis.
eſt ſimpla & minima pars alicuius corporis: ſimpla ad qualitatem, minima ad quantitatem: cuius expoſitio talis eſt: Elementum eſt pars ſimpla, cuius non ſunt contrariæ qualitates. Sed quia hic totum videntur
habere oſſa, & ſimilia, vt remoueat illa, addit minima. H
id eſt quæ ita eſt pars alicuius, quòd nihili eſt pars illarum eiuſdem. Vnde literæ per ſimile dicuntur elementa, quia ita ſunt partes ſyllabæ, quod nihil pars illarum eſt. Voluit autem iſte Conſtantinus ex elementis quatuor conſtare humores, ex humoribus ſpiſſatis, partes tam *ὁμοιομερῆ*, id eſt conſimiles, vt eſt caro & oſſa: quam organicas, id eſt officiales: vt manus, pedes, & ſimilia. Ex vtriſque verò partibus, humanum corpus conſtare. Ergo ſecundum eum, nullum ex his quatuor quæ videntur, & à quibuſdam elementa reputata ſunt, Elementum eſt, neque terra, nec aqua, nec aer, nec ignis: Nullum quippè eorum eſt ſimplum qualitate, minimum quantitate. Etenim in terra aliquid eſt calidi, aliquid frigidi, aliquid ſicci, aliquid humidi; quòd quia patens eſt lippis & tonſoribus, probationem illius prætermittamus: neque enim apertè vera, neque apertè falſa, probanda ſunt, ſed de quibus aliqua dubitatio eſt. Non eſt terra ſimpla qualitate, minima quantitate: nec ergo elementum. Similiter de aqua, &

A

& igne & aëre poteſt probari. Elementum ergo eſt ſimplæ & minimæ particulæ, quibus hic quatuor conſtant, quæ videmus: quæ elementa, non quod videntur, ſed ratione diuiſionis intelliguntur. Diuiditur enim, vt figuraliter dicatur, humanum corpus in organica, ſcilicet in manus, & cætera. Organica verò in ὁμοιομερῆ, id eſt conſimilia: videlicet in particulas carnis & oſſis, & cætera, ὁμοιομερείαι autem in humores Melancholiæ, & humores in elementa, id eſt, ſimplas & minimas particulas. Cuius dictionis pars actu ſola ratione & conditione fieri poteſt. Corpus enim humanum, in membra, in omiomeira, actus diuidere poteſt: ſed omiomeira in humores, humores in elementa, ſolus intellectus diuidit. Quia vt ait Boëtius in commentario ſuper Porphyrium: *Vis eſt intellectus animi, coniuncta id ſiungere, & disiuncta coniungere.* Sed quæret aliquis, vbi ſunt elementa? nos verò dicimus, in compoſitione humani corporis & aliorum: ſicut litera eſt in compoſitione ſyllabæ, etſi non per ſe. Sed ſunt quidam, qui vt ruſtici, neſciunt aliquid eſſe niſi ſenſu poſſint illud comprehendere: Quia *animalis homo non percipit quæ ſpiritus ſunt*: cum ſapienti plus ſint inquirenda inſenſibilia, quàm ſenſibilia. Cum ergo illæ ſimplæ & minimæ particulæ elementa ſint, quæ eſt frigida & ſicca, terra eſt: quæ frigida & humida, aqua eſt: quæ calida & humida, aër: quæ calida & ſicca, ignis. Cum igitur hæc quatuor quæ videntur, ex illis compoſita ſint, in quo particulæ frigidæ & ſiccæ dominantur, illius elementi dicitur terra: in quo frigidæ & humidæ, aqua: in quo calidæ & humidæ, aër: in quo calidæ & ſiccæ, ignis. Si ergo illis velimus imponere digna nomina, particulas prædictas dicamus elementa: iſta quatuor quæ videntur elementata. Sunt quidam, qui neque Conſtantini ſcripta, neque alterius Phyſici vnquam legerunt, ex ſuperbia ab aliquo diſcere indignantes, & ex arrogantia, quæ neſciunt confingentes, ne nihil dicere videantur: dicunt elementa eſſe proprietates vel qualitates iſtorum quæ videntur, ſcilicet ſiccitatem, frigiditatem, humorem, calorem. Clamant eadem ore Platonis vocantis elementa materias, cum nullæ qualitates materia alicuius eſſe poſſint: Eſt etenim *Materia*, quòd accepta forma tranſit in aliud. Reclamant iterum ore Ioannicij, qui in Iſagogis ſuis ait: Aliud eſſe elementa, aliud commixtiones eorum, quo ſunt calidæ & ſiccæ, & ſic de aliis. Iterum reclamant ore Macrobij qui dicit: Cum in ſingulis elementis eſſent diuerſæ qualitates, talem dedit vnicuique, vt in eo cui inhærent & cognatam & ſimilem reperiret, vt aqua cum terra frigiditatem, aër cum aqua humiditatem, ignis cum aëre calorem. Vnde & elementa dixit non eſſe qualitates, ſed qualitates eſſe in elementis. Si ergo quod alicui ineſt, diuerſum eſt ab eo cui ineſt, non ſunt qualitates elementa. Sunt alij qui dicunt quæ videntur eſſe elementa, comprobantes hoc autoritate Iuuenalis, qui de guloſis loquens ait:

Interea guſtu elementa per omnia quærunt,

ſcilicet in terra, venationes: in aqua, piſces: in aëre, aues: & quia iſta ſententia vera eſt, nec autoritati Conſtantini contraria, qualiter cum iſta ſtare non poſſit, exponamus. Conſtantinus ergo vt Phyſicus de naturis corporum tractans, ſimplices illorum & minimas particulas, elementa, quaſi prima principia vocauit. Philoſophi verò de creatione mundi agentes, non de naturis ſingulorum corporum, iſta quatuor quæ videntur, elementa mundi dixerunt: quia ex iſtis conſtat, & iſta primò creata ſunt, vel creantur, vt in ſequentibus oſtenditur. Nulla ergo inter hos contrarietas. Sed dicit contra: Nullum iſtorum elementum eſt, quia nullum horum eſt, quòd ex quatuor iſtis elementis factum non ſit, quod probant ſic: In terra aliquid de aqua eſt, quia humiditatis aliquid videmus exire: In eadem eſt aliquid aëris, quod probat fumus inde euaporans: & aliquid caloris, quòd tactu percipimus. Similiter de aliis probatur: hoc idem probant autoritate Platonis qui ait: *Cum hic tranſeat in aquam, & aqua in terram, quare magis dicatur terra quàm aqua?* Nos dicimus contra, in vnoquoque illorum, aliquid de aliis eſſe, nec tamen in ea eſſe facta, quia non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter ineſt. Cum ergo terra poroſa ſit, & aquis circumdata ſit, aliquid humoris ſubintrat eam, & aliquid aëris. Cum verò in medio mundi ſit, & ignis ab ea æqualiter ex omni parte diſtet, quid mirum ſi aliquid inde caloris recipiat? Sed quia breuitatem in hoc opere ſectamur, quid in aliis & aliis ſit, & qualiter accidat eis, ingeniis aliorum inquirere dimittamus: Etenim principium à magiſtro, ſed perfectio debet eſſe ab ingenio: Quòd iterum dicunt Platonem quæſiſſe, cur magis dicatur terra quàm aqua cum ſic diſſoluatur? ſic intelligimus illum non loqui de elemento ibi, ſed de parte elementi, quæ ſic diſſoluitur: Nunquam enim totum elementum diſſoluitur. Dicit ergo, quod ſoluitur, non terram ſed terreum, id eſt partem terræ, ſed quod remanet retinens proprietatem terræ, dicunt terram & elementum: ſed de hoc Deo annuente, ſatis dicemus. Sunt ergo elementa corporum prædictæ particulæ, vt ait Conſtantinus. Sed elementa mundi quæ videntur: de quibus huiuſmodi tractatus habendus videtur, quare vnumquodque factum ſit, quare quatuor, nec pauciora. Sed quia infirmior eſt illorum ſententia quæ autoritate ſapientis innititur, quid inde Plato ſenſerit oſtendamus. *Diuini*, inquit, *generis vel decoris eſt ratio, vt talem mundum creare diſponeret, quippe, qui viſum pateretur & tactum*: ac ſi diceret: Cum Deus ſola bonitate, non indigentia, mundum creare diſponeret, quippe qui perfectè bonus eſt, talem voluit illum fieri, qui & videretur & tangeretur: vt homo etiam oculis rerum creationem, & gubernatione diuinam potentiam, & ſapientiam & bonitatem percipiens, & potentiam timeret, & ſapientiam veneraretur: bonitatem imitaretur. Deinde ſubiungit: *Conſtabat autem nihil poſſe videri ſine ignis beneficio, neque tangi ſine ſolido, neque ſolidum eſſe ſine terra, quomodo viſus ſine igne eſſe non poſſit, nec tangibile ſine terra, loquentes de ſenſibus corporis, oſtendemus.* Poſtea addit: *Idcirco fecit Deus quaſi fundamentum ignem & terram, ſed quoniam in eis ſunt contrarietates, quippe terra eſt corpulenta, obtuſa, immobilis: ignis ſubtilis, mobilis, acutus.* Vidit Deus ſine medio ea non *poſſe coniungi, & ideo inter ea medium creauit.* Et quoniam de coniunctione illorum fecimus mentionem, dicamus quid ſit commixtio, quid coniunctio contrariorum. *Commixtio* ergo contrariorum eſt, quando ex duobus ita fit vnum, quòd neutrum remanet, id quod ante fuerat: vt ſi calidiſſimum frigidiſſimo miſceatur, fit tepidum, neque calidiſſimo, neque frigidiſſimo remanente. *Coniunctio* ergo contrariorum eſt, quando ex duobus ita fit vnum, quòd vtrumque remanet id quòd antea fuerat, quod in contrariis habentibus agentes qualitates, ſine medio eſſe non poſſunt. Sunt autem agentes qualitates, *calor, frigiditas*, de qua re loquentes * de Homine, dicemus. Si enim vnus alteri opponatur repugnant, diſſoluit vnum aliud: oportet ergo vt ſubſiſtant, medium eſſe: quòd ſi tale fuerit, quòd plus habeat ſe ad vnum quàm ad aliud, paulatim tranſit in aliud ad quod plus ſe habet, & fit illa coniunctio: vt ſi inter calidiſſimum & frigidiſſimum aliquid ponatur, plus habens ſe ad calidum, peribit frigidum, & diſſoluetur illa coniunctio. Sed ſi tale fuerit medium, quod æqualiter habeat ſe ad duo extrema, non plus tranſiens in materiam vnius quàm alterius, coniunctionem illius obſeruabit. Volens ergo prædicta duo elementa non commiſceri, ſed iungere, vt vtrumque, id quod eſt, remaneret, medium inter illa duo creauit, non vnum tantum, ſed duo, ſcilicet aquam & aërem. Si enim ſolam aquam inter ea poſuiſſet, cum plus ad terram quàm ad ignem ſe habeat (habet enim cum terra coniunctionem, ſecundum corpulentiam & obtuſitatem: cum igne mobilitatem) coniunctio illa non duraret. Similiter ſi ſolum aëra, habet enim commune cum igne ſubtilitatem & mobilitatem: cum terra obtuſitatem. Sed dicet aliquis, & ſi vnum iſtorum non ſufficeret, potuit Deus facere quod ſufficerent: ſed dicimus nos non ponere terminum

in

Marginal notes (left): Boëtius in Porphyrium. — B. 1. Cor. 2. 4. — Elementa. Terra. Aqua. Aër. Ignis. — Arrogantes. — C. Plato in Timæo. Materia. — Macrobius li. 1. Somnij Scip. c. 6. — Satyr. 11. v. 14. — D. — Plato in Timæo.

Marginal notes (right): E. — F. — Plato. — G. — * Lib. 4. — H.

A in diuina potentia, ſed dicimus de his quæ ſunt, nullum poſſe ſufficere, nec iuxta naturam rerum poſſe aliquid eſſe, quod ſufficeret. Sed quia iam oſtendimus quare vnum ex iſtis non ſufficeret, quare aliquid eſſe non poſſet, aperimus. Cum igitur inter aliqua duo, ſunt duæ contrariæ qualitates, quia binarius in duo æqua poteſt diuidi, poteſt eſſe aliquid, quod proprietatem vniuſcuiuſque retinens, in medio ſufficiat: vbi cum terra & aer duas contrarias habeant qualitates (eſt etenim terra frigida & ſicca: aer calidus & humidus) aqua habens omnem cum terra frigiditatem, cum aere humiditatem. inter illa ſola aqua frigida & humida ſufficit. Sin autem aliquorum contrarietas in tribus ſit qualitatibus, ſicut nec ternarius in duo æqua diuidi poteſt, nullum medium, quod ad ea ſe æqualiter habeat poteſt inueniri: oportet enim, quòd de vno vnam accipiat, de alio duas: ſic enim, nec aliter integrè, poteſt diuidi ternarius. Qualitas verò per medium non diuiditur, non poteſt ergo eſſe medium, niſi participans vna & duabus.

B Iterum dicet: etſi ſecundum hanc συζυγίαν qualitatum vnum medium eſſe poteſt, ſcilicet illam quæ ſit duabus qualitatibus, illud habere potuerunt. Si enim inter ignem & aquam, quæ contrarias habent qualitates eſt aer, qui participat: vna vnius: alia alterius, quare inter ignem & terram, quæ in ſuzugia duarum qualitatum, non habent omnino eas contrarias, vnum medium, niſi vtriuſque vnum acciperet, eſſe non potuit. Eſt etenim ignis calidus, terra frigida & ſicca. Nos verò dicimus, Nec ſecundum hanc medium fuiſſe neceſſarium, cùm in aliquo conueniant, ſcilicet in ſiccitate, nec eſſe potuit. Si neque aliquid tale medium eſſet, quod ab vtroque aliquid acciperet, vel ab igne acciperet calorem, à terra ſiccitatem, & ſic idem eſſet quod terra: vel ab igne calorem, à terra frigiditatem, præter hoc vt opinor, nihil poteſt confingi: ſed impoſſibile eſt aliquid eſſe calidum & frigidum.

C Cum enim ſint elementa quatuor, & quatuor illorum qualitates, inde fiunt ſex complexiones, quarum quatuor ſunt poſſibiles, duæ impoſſibiles. Sunt autem quatuor poſſibiles, *calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum.* Duæ verò impoſſibiles ſunt, *calidum & frigidum, humidum & ſiccum.* Duo ergo elementa Creator in medio poſuit, quia vnum prædictis rationibus in medio ſufficere non potuit. Elementorum talis eſt diſpoſitio, quod inferiorem locum obtinet terra; deinde aqua, poſtea aër: ſuperior eſt ignis. Si enim aliquid inferius eſſet, quia natura grauis ad illud tenderet: grauia enim naturaliter tendunt deorſum. Si verò aliquid ſupra ignem eſſet, ex leuitate ad illud tenderet, & diſſolui ab aliis quæreret. *Terra. Aqua. Aër. Ignis.* Iuxta terram poſita eſt aqua, quia cum naturaliter grauis ſit aqua, etſi non quantum terra, ſecundum locum obtinere debuit. Deinde aër qui grauior eſt igne, & leuior eſt aqua, meritò inter vtramque ponitur.

D Et quoniam quid ſit elementum docuimus, & quot ſint, & quare plura non ſint, & cauſam ordinationis ſignificauimus, de Chao, id eſt elementorum confuſione, quæ fuit in principio, dicamus, communem ſententiam proponentes, deinde probantes, ad vltimum probationem noſtram confirmantes. *Chaos: Ouid. lib. 1. Metam. & Heſiod.*

Dicunt omnes ferè elementa in prima creatione certa loca non obtinuiſſe, ſed in vnam maſſam mixta fuiſſe, & ob hoc modo ſimul aſcendere, modo ſimul deſcendere: ſubiungunt & rationem quare, vt Creator, videlicet oſtenderet: niſi ſua potentia & ſapientia & boniate res ordinaret, quanta rerum confuſio foret. Deinde autoritate Platonis hic probant, qui in Timæo ait: *Deum ex inordinata iactatione, elementa redegiſſe in ordinem.* Nos verò, dicimus falſam eſſe ſententiam quam ponunt, probantes non conuenientem rationem quam inducunt, nec bene eſſe intellectam auctoritatem quam prætendunt. Prius ergo probemus ſententiam eſſe falſam, poſtea rationem inconuenientem, deinde autoritatem non bene intellectam. Dic ergo quiſquis affirmas: Elementa tunc erant corpora, an non? ſi corpora non erant, erant ſpiritus, vel proprietates ſpiritus aut corporis erant: ſi neque ſpiritus, neque proprietas aliqua ſpiritus, materia eſſe poteſt: nec igitur elementa. Corpora igitur & loca obtineant: omne enim corpus in aliquo loco eſt: ſi in loco erant, vel ibi ſunt, vel alibi, ſed extra elementa nullus locus eſt. Erant ergo elementa vbi nunc ſunt, etiam ſi eſſent ſic diſpoſita vt nunc ſunt, in his quatuor locis erant: aliquando ergo elementa obtinebant inferiorem locum, aliquando ſuperiorem locum, duo media loca. Si ergo vt affirmas, ſimiliter deſcendant inferius, cum aliqui deſcendant, ſed non eſt locus quo deſcendant: ſimiliter ſi aſcenderent ſuperius, cum aliquis aſcenderet, ſed non eſt locus quo aſcenderet: nec ergò ſimul aſcendebant, nec ſimul deſcendebant: falſa ergo eſt illorum ſententia. Inconueniens eſt ratio, quam inducunt, ſcilicet Deum ad hoc feciſſe, vt oſtenderet quanta rerum confuſio foret, niſi bonitas eius ordinaret: Cui oſtenderet? Angelo: ſed angelus ex natura & gratia diuinam voluntatem innoteſcit homini: ſed nondum erat homo, vt homini oſtenderet facta eorum, niſi vſque ad hominem ſeruarentur: ſed ante hominis creationem ordinata ſunt. Inconueniens hæc eſſet ratio, Autoritas verò Platonis, non bene intellecta eſt ab eis: cum enim dicit Plato: *Deum inordinata iactatione elementa reduxiſſe in ordinem:* non ideo dicit, quòd vnquam inordinatè iactarentur. Quis enim locus eſſet inordinationi, Deo cuncta diſponente? ſed ſi qua eſſent, niſi ſic vt non ſint, ordinata à Deo eſſent. Cum enim terræ naturæ naturale ſit deorſum tendere, igniſque ſurſum, niſi inferiorem locum terra obtineret, & ignis ſuperiorem, hæc quæreret ſemper inferiorem, hic ſuperiorem: & ſic eſſet inordinata iactatio. Hanc redegit Creator in ordinem, conferendo terræ locum inferiorem, igni ſuperiorem: vt hic non habeat quò deſcendat, nec hic quo aſcendat. Ex inordinata igitur iactatione, quæ non fuit, ſed eſſe potuit, Deus elementa redegit in ordinem: veluti ſi monitu alicuius amici noſtri, aliquid quod contingeret, niſi ipſe eſſet, effugiamus: dicimus, iſte liberauit nos ab hoc malo: non quia hoc malum primum fuiſſet; & poſtea nos inde liberaſſet, ſed quia iſte nobis niſi eſſet, accideret. Fuerunt in prima creatione vbi nunc ſunt: etenim terra cooperta erat aquis, aqua verò ſpiſſior, aer item ſpiſſior & obſcurior quam modo ſit: quippe cum neque ſol, neque luna, neque aliæ ſtellæ eſſent quibus illuminarentur. Ignis ſpiſſior quàm modo ſit: id verò, quòd terra aquis cooperta, nec aliquo lumine illuſtrata, nec ædificiis diſtincta, nec ſuis animalibus repleta: nec aliquo gramine ornata: quòd aqua & aër, & ſpiſſi, & obſcuri erant: quod in ſuperioribus ſtellæ non apparebant, vocauerunt χάος, id eſt confuſionem elementorum. Vnde Moyſes: *Terra*, inquit, *inanis & vacua, & terra erat ſuper faciem abyſſi*, hæc diſſoluit. *Gen. 1. 2.* Cum aqua vſque ad maximam partem aeris eleuata eſt, aer verò ſpiſſus, & ignis ſimiliter in ea ſpiſſitudine aliquid terræ & aquæ ſub ſe inerat, quæ ex calore ignis ſimiliter & ſiccitate coagulata, & durata, corpora ſtellarum viſibilia & lucida creauit: Quòd vero in compoſitione ſtellarum, de inferioribus & ſuperioribus elementis aliquid ſit, ratione tali poteſt probari; quòd viſibilia ſint & ſplendida, & mobilia: Quod enim viſibilia ſunt, ex viſibili ſunt, ex viſibili & inuiſibili habent, ſed ab inuiſibili nihil poteſt eſſe viſibile, vt Lucretius dicit: *Lib. 1. de rer. nat.*

Ex inſenſilibus ne credas ſenſile gigni.

Macrobius: *Omnis qualitas geminata creſcit, nunquam contrarium operatur.* Beatus Paulus ad Hebræos: *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* *Hebr. 11. 3.* Non ergo ex igne & aere habent quòd viſibilia ſunt; quod autem viſibilia ſunt, ex viſibili, id eſt à terra, & aqua ſimul: Quod ſplendida ſunt & mobilia, ex obſcuro & immobili: non habent ergo ex ſplendido & mobili, ſcilicet, ex aere & igne: Facta ſunt igitur ex quatuor elementis, ſed de inferioribus dominatur in eis aqua. de ſuperioribus ignis: ex hoc affectu poteſt probari, quòd calorem terris confe-

E F G H

A runt, ad nutrimentum ſui, humorem attrahunt: ſimilia namque ſimilibus congaudent. Hic ſubiiciet aliquis: Cum in aere ſit humor ſuperior quàm eſſet in igne, & calor, & ſi non tantus, quare in aere corpora ſtellarum facta non ſunt? Nos verò dicimus: Quòd quamuis aer ſit calidus, eſt tamen & humidus: non potuit ergo non deſiccando ſpiſſare, & ſic lucidum & viſibile creare: veluti ſi aqua ſpiſſa ſupponatur igni, ſpiſſatur ſæpe & vertitur in lapideam ſubſtantiam: ſi autem ſupponatur alicui calido & humido, ſicut aqua bullienti, ita quod ab illo ſolo recipiat calorem, non ſpiſſatur. Vel ſecundum Conſtantinum: Cum ſint iſta quatuor, & in vnoquoque duæ qualitates, vnam habent ſingularem ex ſe, aliam ex alio. Ignis ex ſe calidus eſt, ſiccus ex terra: aer humidus ex ſe, calidus ex igne: aqua humida ex aere, ſed frigida ex ſe: terra verò eſt ſicca, ſed ex aqua eſt frigida. Quod verò in vnoquoque eſt, ex ſe, plus in eo præualet, quàm quod ex alio eſt. Cum verò B in aere humiditas ſit ex ſe, calor ex alio quàm ex igne: ergo præualuit in eo humiditas, nec poterat deſiccando corpora ſtellarum creare. Iterum quod maius eſt, fuit voluntas creatoris, ſtellas in aere eſſe: Cum enim vicinus ſit terræ, ſi in eo ſtellæ eſſent, ex vicinitate terram incenderent, nec aliquid in ea viuere poſſet.

CAPVT XXII.

De creatione piſcium & auium.

CORporibus ſtellarum creatis, quia igneæ ſunt naturæ, cœperunt mouere ſe, & ex motu aeris ſubditum calefacere: ſed mediante aere aqua calefacta eſt. Ex aqua calefacta, diuerſa genera animalium creata ſunt: quorum quæ plus habuerunt ſuperiorum elementorum, aues ſunt. Vnde aues modo ſunt in aëre, ex leuitate ſuperiorum: modo deſcendunt in terram, ex grauitate inferiorum. Aliæ verò quæ plus aquæ habuerunt, piſces ſunt. In hoc ſolo elemento, nec in alio viuere poſſunt. C Sic ergo piſces & aues facti ſunt. Vnde ſcriptum eſt: *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aëra.* *In hymno Ambroſiano, Feria 5. ad Veſperas.*

CAPVT XXIII.

De creatione cæterorum animalium & hominis, & quo tempore mundi creatio facta ſit.

IStis ſic creatis ex effectu ſuperiorum, vbi tenuior fuit aqua, ex calore & creatione prædictorum deſiccata tantum, & apparuerunt in ea quaſi quædam maculæ, in quibus habitant homines, & alia animalia. Sed cum terra ex ſuperpoſita aqua eſſet lutoſa, ex calore bulliens, creauit ex ſe diuerſa genera animalium: & ſi in aliqua plus abundauerit ignis, cholerica nata ſunt animalia vt leo: ſi terra, Melancholica, vt bos & aſinus: ſi verò aqua, Phlegmatici, vt porci. Ex quadam parte verò, æqua elementa æqualiter conueniunt, humanum corpus factum eſt. Et hoc eſt, quod diuina pagina dicit: *Gen. 2. 7.* *Deum feciſſe hominem de limo terræ.* Non enim credendum eſt, D animam quaſi ſpiritus, & leuis, & munda, ex luto factam eſſe: ſed à Deo homini collatam. Vnde ait *Gen. 2. 7.* Scriptura, *Formauit Deus hominem ex limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Vnde cum diuerſa animalia Melancholica creata ſunt, & infinita phlegmatica & cholerica, vnus ſolus homo creatus eſt, quia vt ait Boëtius in Arithmetica: *Omnis æqualitas pauca eſt & finita, inæqualitas numeroſa & multiplex.* Sed quemadmodum quod eſt primum æqualitati, etſi minus, tamen aliquantum temperatum, & ex vicino limo, corpus mulieris eſſe creatum veriſimile eſt, & ideo nec penitus inde quod homo eſt, nec penitus diuerſa ab homine, nec ita temperata vt homo, quia calidiſſima frigidior eſt frigidiſſimo viro: & hoc eſt, quod diuina pagina dicit: *Gen. 2. 21.* *Deum feciſſe mulierem ex latere Adæ.* Non enim ad literam credendus eſt, conſtaſſe primum hominem. Sed dicet aliquis: eadem ratione plures homines & fœminas eſſe creatos, & adhuc poſſe? Nos dicimus, verum eſſe, ſi diuina volun-

E tas eſſet, quia vt aliquid ſit natura operante, neceſſe eſt diuinam præcedere voluntatem. Item dicet hoc eſſe diuinæ poteſtati derogare, ſic eſſe hominem factum dicere; quibus reſpondemus econtrario, id ei conferre, quia ei attribuimus, & talem rebus naturam dediſſe, & ſic per naturam operantem, corpus humanum creaſſe. Nam in quo diuinæ Scripturæ contrarij ſimus, ſi quòd in illa dictum eſt eſſe factum, qualiter factum ſit explicemus? Si enim Iulius ſapiens mihi dicat, aliquid factum eſſe, & non explicet qualiter, & alter dicat hoc idem & exponat, qualis in hoc contrarietas? Sed quoniam ipſi neſciunt vires naturæ, vt ignorantiæ ſuæ omnes ſocios habeant, nolunt eos aliquid inquirere, ſed vt ruſticos nos credere, nec rationem quærere, vt iam impleatur Propheticum: *Erit ſacerdos ſicut populus.* *Iſa. 24. v. 2. Oſe 4. 9.* Nos autem dicimus, in omnibus rationem eſſe quærendam, ſi autem alicui deficiat (quod diuina pagina affirmat) ſancto Spiritui & fidei eſt mandandum. Vnde ait Moſes: *Exod. 12.* F *v. 4.* *Si agnus non poteſt comedi, non ſtatim igne comburatur, ſed prius conuocet vicinum qui coniunctus eſt domui ſuæ, etſi nec ita ſufficiant ad eſum agni, tunc demum igni comburatur:* Quia cum de diuinitate aliquid quærimus, ſi ad illud comprehendendum non ſufficimus, vicinum domui noſtræ conuocemus, id eſt, manentem in eadem fide Catholica inquiramus. Si autem neque nos, neque ille ad id comprehendendum ſufficiamus, tunc igne fidei comburamus. Sed iſti vicinos multos habentes domui ſuæ coniunctos, ex ſuperbia nolunt aliquem conuocare: maluntque neſcire, quam ab alio quærere: & ſi inquirentem aliquem ſciant, illum eſſe hæreticum clamant, plus de ſuo caputio præſumentes, quàm ſapientiæ ſuæ confidentes. Sed quæſo, ne habitui credas, iam enim impletum eſt quod ait Satyricus: *Iuuenalis Sat. 2. v. 8.*

Fronti nulla fides. Quis enim non vicus abundat,
Triſtibus obſcœnis?——

Et iterum:

Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi. *Ibid. v. 14.*

G Et quoniam de prima creatione fecimus mentionem, quàm diuerſis rationibus dicunt eſſe factam, doceamus: qui in quo tempore, & quibus rationibus hoc dicant. *Quando mundus creatus. Had. Iunius lib. Animaduer cap.* Hebræi igitur & Latini dicunt in Vere principium mundi fuiſſe. Vnde Virgilius loquens de diebus Veris ait: ** Virg. 2. Georg. v. 338.*

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem
Crediderim.——

Deinde ſubiungit:

——*Ver illud erat, Ver magnus agebat*
Orbis.——

Horum ratio talis eſt: Quicquid oritur proportionum ex qualitate creari: ſed nullum tempus præter hoc temperatum eſt. In vere ergo, non in alio tempore anni, creatio rerum facta eſt. Ægyptij verò dicunt, in Iulio factam eſſe creationem: quos ſecutus Macrobius dicit in natali die mundi, cancrum geſtaſſe Lunam: leonem Solem. *Macrobius lib. 1 in Somnium Scip c. 21.* Quorum hæc eſt ratio: In prima creatione tantum fuiſſe humorem, quòd terra erat coopetta aquis, tantuſque humor ſine maximo calore non potuit temperari. H Ergo in tempore anni, in quo eſt maximus calor, id eſt, in æſtate, facta mundi creatio eſt.

IN LIBRVM SECVNDVM, De Philoſophia Mundi Honorij Præfatio.

IN ſuperiori particula de eis quæ ſunt & non videntur, & de elementis quæ quidam viſibilia docuerunt, pro paruitate noſtri ingenij ſummatim perſtrinximus; Nunc verò de vnoquoque & ornatu eiuſdem dicere ſatagamus. Sed quamuis multos ornatum verborum quærere, paucos veritatem ſcire cognoſcamus, nihil de multitudine, ſed de paucorum probitate gloriantes, ſoli veritati inſudabimus: Maluimus enim promittere nudam veritatem, quam palliatam

ſalſitatem

A *falſitatem. Si quis tamen eſt, cui ariditas noſtri ſermonis diſpliceat, ſi noſtri animi occupationes cognouerit, non tantum ornatum ſermonis non quæſierit, ſed de illo quod agimus ſtupebit. Quis enim vllus reliquus locus poteſt eſſe ornatui cum oporteat quid, & qualiter legamus excogitare, demum legendo exponere, in diſputationibus contra falſa declamare, de aliorum inuentis iudicare, contra inuidorum detractiones linguam acuere, vt iam in nobis impletum ſit illud de filiis Iſrael: Qui readificantes templum, in vna manu gladium, in alia lapidem habebant. Sed hæc hactenus. Nunc de ſingulis elementorum & ornatu vniuſcuiuſque dicere incipiamus, a ſuperiori, id eſt, ab igne, incipiendo.*

B

HONORII AVGVSTOdunenſis Presbyteri.

LIBER SECVNDVS.

Philoſophia Mundi.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Æther & ornatus illius.

IGnis igitur eſt ſpacium à Luna ſurſum, quod idem *æther* dicitur. Ornatus verò illius eſt, quicquid ſuper Lunam videtur, ſcilicet, ſtellæ tam infixæ, quam erraticæ.

CAPVT II.

Quod aqua congelata ſuper æthera non ſint.

C SEd fortè quæret aliquis; Vtrum aquæ congelatæ ſint ibi, ſuper quas ſunt aliæ aquæ. Dicunt enim quidam ſuper æthera eſſe aquas congelatas, quæ in modum pellis extenſæ, occurrunt oculis noſtris, ſuper quas aquæ ſunt confirmatæ, hac autoritate diuinæ paginæ, quæ ait: *Poſuit firmamentum in medio aquarum.* Et iterum: *Diuiſit aquas quæ ſunt ſub firmamento, ab his quæ ſunt ſuper firmamentum.* Sed quoniam iſtud contra rationem eſt, quare ſic eſſe non poſſit, oſtendamus: & qualiter diuina ſcriptura in ſupradictis intelligenda ſit. Si ibi ſunt aquæ congelatæ, ergo aliquid ponderoſum & graue: ſed primus locus ponderoſorum & grauium eſt, terra. Si iterum ibi ſunt aquæ congelatæ, vel igni coniunctæ, vel non? ſi igni coniunctæ ſunt, cum ignis calidus & ſiccus ſit, aqua congelata, & frigida, & humida, contrarium ſine medio ſuo contrario coniunctum eſt: nunquam ergo ibi concordia, ſed contrariorum repugnantia? Amplius: Si aqua congelata coniuncta eſt igni vel diſſoluetur ab igne, vel extinguit ignem: cum ergo ignis & firmamentum remanent, vbi ſunt aquæ congelatæ, coniunctæ igni, ſi coniunctæ non ſunt, aliquid inter eas & ignem eſt: Sed quid? elementum, ſed nullum ſuperius igne factum eſt ex elementis, viſibile ergo. Vnde igitur non videtur. Reſtat ibi non eſſe aquas congelatas. (Gen. 1.)

D

CAPVT III.

Quomodo intelligendum ſit, Diuiſit aquas quæ ſunt ſub firmamento.

SEd ſcio quid dicent. Nos neſcimus qualiter hoc ſit, ſcimus Deum poſſe facere. Miſeri. Quid miſerius quam dicere iſtud, eſt? quia Deus illud facere poteſt, nec videre ſic eſſe, nec rationem habere quare ſic ſit, nec vtilitatem oſtendere ad quam hoc ſit. Non enim quicquid poteſt Deus facere, hoc facit. Vt autem verbis ruſtici vtar, poteſt Deus facere de trunco vitulum: fecitne vnquam? Vel igitur oſtendant rationem, vel vtilitatem ad quam hoc ſit, vel ſic eſſe indicare deſinant. Si ergo aquæ ibi congelatæ non ſunt, nec ſuper eas aliæ. Cum autem diuina Pagina dicat: *Diuiſit aquas quæ ſunt ſub firmamento, ab his quæ ſunt ſupra firmamentum.* Aëra firmamentum vocauit, quia firmat & temperat terrena. Super hanc aquam ſunt, vaporaliter in nubibus ſuſpenſæ (vt in ſequentibus oſtendetur) quæ diuiſæ ſunt ab his quæ ſunt ſub aëre. Similiter exponatur: *Poſuit firmamentum in medio aquarum*, quamuis hoc plus allegoricè, quàm ad literam dictum credimus. (E Gen. 1.)

CAPVT IV.

Quod ſuper æthera nihil videatur.

ITerum dicent: Quid eſt ergo, quid ibi videmus ſpiſſum & aquei coloris: Ignis non eſt. Si enim aer ex nimia ſua ſubtilitate non poteſt videri, multo minus ignis qui ſubtilior eſt? Deinde talis, igneus color non eſt? Ad quod dicimus: Nihil ibi videri, ſed viſum ibi deficere, & ex defectu viſus, quoddam ſpiſſum ibi confingere. Cum enim radius ille interior qui operatur viſum, ad ſuperiora dirigatur, nec eſt ibi obſtaculum quo repercutiatur: deficit, & deficiendo ſpiſſatur. Sed quia tranſit per oculum, in quo eſt aqueus humor, & cryſtalleidos (vt de compoſitione oculi loquentes oſtendemus) cum deficit, nec alius color ibi occurrit, talem, id eſt, aqueum ſibi confingit: Hic ſubiicient. Si nihil ibi videtur, quomodo dictum eſt: *Cœlum tegit omnia?* Stellas eſſe in firmamento, in eodem eſſe duodecim circulos, in vno, quotum ſunt duodecim ſigna, dicimuſne defectum eſſe noſtri viſus? Huic ergo quia auctoritas videtur, ex parte illius iſta reſpondeamus. (F) (Infra c. 5. & 6.)

CAPVT V.

Quot modis auctoritas loquatur de ſuperioribus.

TRibus igitur modis auctoritas loquitur de ſuperioribus: *Fabuloſè, Aſtrologicè, Aſtronomicè. Fabuloſè* loquitur Nemroth, Hyginus, Aratus, Taurum illum eſſe translatum, & in ſignum mutatum dicentes: & ſic de aliis. Quod genus tractandi, maximè eſt neceſſarium. Eo enim ſcimus de vnoquoque ſigno, in qua parte cœli ſit ſitum. *Aſtrologicè* verò tractare, eſt dicere ea quæ videntur in ſuperioribus, ſiue ita ſint vel non. Multa ibi nempe videntur eſſe, quæ non ſunt ibi, quia fallitur viſus, vt tractat Marcianus * Hyſpaicus. *Aſtronomicè* verò tractare, eſt, ea quæ ſunt de illis dicere, ſiue ita videatur, vel non: qualiter inde tractant Iulius Firmicus, Ptolomæus. Cum ergo dictum eſt, *cœlum tegit omnia:* aſtrologicum eſt, quia ſic videtur, vel æther dicitur *cœlum*, quia diuerſis ſtellis cœlatum eſt. (G) (* fort. Hiſpanus, an Capella?)

CAPVT VI.

De firmamento & ſtellis.

DIcitur firmamentum, quia ſuo calore & effectu ſtellarum firmat & temperat ſubdita. *Cœlum igitur tegit omnia*, quia ſub æthere vel in æthere omnia continentur. In æthere dicuntur ſtellæ infixæ, vt gemma in auro, ſed quia in eodem exiſtentes, ſemper in eadem parte eiuſdem videntur. Aliæ dicuntur *Erraticæ*, quia modo in hac, modo in illa parte cœli videntur. Et quoniam de infixis fecimus mentionem, quæramus vtrum moueantur, vel omnino careant motu, & ſi mouentur, qualiter moueantur. (H)

CAPVT VII.

De infixis ſtellis vtrum moueantur.

SVnt qui eas non moueri aſſerunt, ſed à firmamento, vt in eo infixas, ad ortum & occaſum referri. Alij dicunt eas etiam proprio motu moueri, quia igneæ ſunt naturæ, nec aliquid in æthere vel in aere ſine motu poſſit ſuſtineri, ſed ſemper in eodem loco & circum ſe moueri. Tertij dicunt, eaſdem de loco ad locum moueri, nullum tamen eorum motuum ab oculis noſtris ſentiri: quia tantum ſpacij in peragratione ſuorum cir-

culorum conſumunt, quod vita humana, quæ breuis eſt, & ad breue punctum tam tardæ acceſſionis comprehendendum non ſufficit. Quamuis huic ſententiæ, quòd de loco ad locum moueantur, conſentimus: aliam tamen rationem prætendimus, quare motus earum non ſentiatur, quæ talis eſt: Omnis motus diſcernitur, vel per immobile, vel minus mobile. Cũ enim aliquid mouetur, ſi aliquid mobile, vel minus mobile videmus, cum illud præteriri vel appropinquari videmus, motum ſentimus. Si autem aliquid moueatur extra ipſum, neque aliquid vel immobile, vel minus mobile videamus: motus non ſentitur, quod poteſt probari per nauim in mari currentem. Motus ergo ſtellarum, vel per immobile, vel minus mobile ſuperpoſitum ſentitur, nunquam verò per ſuppoſitum: vt per ſigna motum Planetarum diſcernimus, quia modo ſub hoc ſigno, modo ſub alio videntur. Supra dictas verò ſtellas nihil eſt viſibile, nec eſt ideo quod motu illarum diſcriminari proſit. Mouentur ergo, ſed infixæ dicuntur, quia motus earum prædicta ratione non ſentitur.

CAPVT VIII.

Quot circuli dicantur eſſe in firmamento.

IN eodem firmamento Philoſophi dixerunt duodecim eſſe circulos, quorum duo ſunt viſibiles, alij inuiſibiles. De viſibilibus diſſeremus.

CAPVT IX.

Qui ſint viſibiles.

DVo igitur ſunt viſibiles, γαλαξίας, id eſt, lacteus circulus, γάλαξ enim eſt lac, κύος, circulus, & *zodiacus* circulus.

CAPVT X.

Vbi incipiat galaxias.

INcipiunt galaxias iuxta Septentrionem, ex parte Orientis, & obliquando per Cancrum, & Capricornum, reuertitur ad principium. Dicitur autem ſic propter notabilem ſui claritatem. Si quis vero, vnde in illa ſit parte ille notabilis ſplendor, ſcire deſiderat, Macrobium legat.

Lib. 1. in ſomniũ.

CAPVT XI.

De Zodiaco, & vnde dicatur.

ZOdiacus verò à Capricorno per arietem ad Cancrum aſcendit: de Cancro verò per libram ad Capricornum deſcendit. Deſcendere verò & aſcendere iuxta ſitum noſtrum intellige: hic in duodecim æquales partes, per fluxum aquæ, vt refert Macrobius, diuiſus eſt, quarum vnaquæque dicitur ſignum, quia eis ſignamus, in qua parte cœli Sol ſit & alij Planetæ, & qua exierint, & ad quam debeant pertranſire. Sed quoniam illa nominibus animalium titulata ſunt, vt *Aries*, *Taurus*, & cætera, circulus, quem continent, Zodiacus dicitur. ζῶον enim eſt animal. Si quis autem cauſas nominum quærat, Heſpericum legat.

CAPVT XII.

De diſpoſitione ſignorum.

SIgnorum verò talis eſt diſpoſitio: quòd propinquus nobis eſt *Cancer*, ſcilicet, in confinio noſtræ zonæ habitabilis & torridæ: deinde *Leo* obliquando deſcendit, poſt *Virgo*, deinde *Libra* exiſtens in medio torridæ zonæ, vltra quam eſt *Scorpio*: deinde *Sagittarius*: poſtea eſt *Capricornus* à nobis remotiſſimus. Deinde oblique aſcendendo, eſt *Aquarius*, poſt *Piſces*: deinde *Aries*, in medio torridæ zonæ *Libra*, oppoſitus ſuprà eſt *Taurus*. *Gemini* poſtea, deinde *Cancer*. Quod ſignum cuius menſis ſit, & quare, loquendo de Sole docebimus.

CAPVT XIII.

De inuiſibilibus circulis.

NOuem alij circuli inuiſibiles ſunt, quorum ſunt quinque Paralleli, vnus quorum Æquinoctialis dicitur, hic eſt, qui per medium torridæ zonæ vadens, per Arietem & Libram diuidit cœlum in duo hemiſpheria. Qui ideo dicitur *Æquinoctialis*, quia quando ſol ad ipſum peruenit, æquat dies noctibus: de quo in ſequentibus dicemus. Alter de parallelis dicitur, coniunctio noſtræ habitabilis & torridæ. Tertius coniunctio eiuſdem & frigidæ. Quartus ex altera parte coniunctio torridæ & alterius habitabilis. Quintus, eiuſdem coniunctio & alterius frigidæ, vt in poſteriori apparet figura. Sed quia auctoritas clamat in cœlo eſſe zonas, vtrum in æthere vel in aere ſint, tractantes de aere dicemus. Illi quinque circuli dicuntur Paralleli, id eſt, æquè diſtantes, quia à medio, id eſt, æquinoctiali æqualiter diſtant. Tantum enim diſtat hæc coniunctio noſtræ habitabilis & torridæ quantum & alterius. Similiter & coniunctio noſtræ habitabilis & frigidæ & alterius.

CAPVT XIV.

De duobus coluris.

POſt hos ſunt duo *Coluri*, quorum principium in medio ſeptentrionis eſt, ſed alterum deſcendit per Cancrum & aſcendit per Capricornum; rediens ad idem principium. Alter vadit per Orientem & Arietem, reuertitur per Occidentem, ad ſuum principium, & ita in ſummo ſeptentrionis ſe interſecant, & cœlum in quatuor quadrantes diuidunt. Dicuntur autem *Coluri* quaſi colon vri, id eſt, membrum bouis ſylueſtris, dicti ſic propter imperfectionem, non quia imperfecti ſint, ſed quia pars illa alterius poli quam interſecant, nunquam videtur.

CAPVT XV.

De Horizonte & meridionali circulo.

DVo qui ad prædictum numerum ſuperſunt, meridianus & Horizon. Merdianus dicitur linea, deſignans illam partem cœli, in qua ſol exiſtens, æqualiter diſtat ab ortu & occaſu. Horizon verò in quo videtur cœlum cum terra iungi, dictus horizon quaſi terminans. Iſti duo vltimum ſcribuntur in Sphæra, quia pro diuerſitate circumſpicientium vel habitantium variantur.

CAPVT XVI.

De motu firmamenti, & de polis.

MOtus verò ætheris, vel ignis, qui prædictis rationibus cœlum & firmamentum dicitur, talis eſt: Cum ignis naturaliter ſemper ſit in motu, nec ſupra ipſum ſit quo aſcendat vbi oſtendimus, nec deſcendere potuit, quia hoc contra naturam eius eſt, & omnia inferiora loca ab inferioribus elementis occupata erant. Item inutile fuit illum deſcendere, deſcendendo terram, nempe incenderet, nec in ea aliquid viuere poſſet: ergo in quo poſſit & habet motum, & mouetur in circuitu, & eſt in circuitu, non occupando diuerſa loca, ſe mouere, ſed partes aliter atque aliter ſitas in eodem loco habere: ſic vero in circuitu ſe vertendo ab ortu per occaſum, refert ſecum ſtellas, tam erraticas quàm infixas. Quamuis tamen circa terram voluatur non recto modo, ſed obliquè circa noſtram habitabilem voluitur, quod per ſolos polos videri poteſt. Eſt autem polus ſtella immobilis, vna in hoc capite, alia in alio. Axis verò eſt linea intelligibilis de polo ad polum, per medium terræ directa, circa quam voluitur firmamentum. Si ergo recto modo volueretur firmamentum, vnus de polis recto modo eſſet ſuper terram, & alter ſub terra, vel in lateribus terræ. Cùm verò vnus ſit inter medium cœli elatus ex noſtra parte, ſimiliter alter ex alia. Linea quæ dicitur *Axis*, obliqua eſt, &

A circa ipſam obliquè voluitur firmamentum. Et quoniam falſam ſententiam quorundam de firmamento ſatis improbauimus: noſtram verò ponentes probauimus, & de ſtellis infixis in eo, & de circulis, & motu eiuſdem non tacuimus. De Planetis dicere incipiamus: ergo à ſummo Planetarum ſumamus exordium.

CAPVT XVII.

De Saturno, & quare aliqua ſtella dicatur frigida, & quot modis nomina qualitatum rebus attribuantur.

SVmmus itaque Planetarum Saturnus dicitur, in peragratione Zodiaci, triginta annos conſumens. Vnde in fabulis ſenex dicitur. Hæc ſtella frigida & nociua dicitur eſſe. De frigiditate ergo primum, deinde de nociuitate diſſeramus. Stellam iſtam eſſe frigidam & ſiccam, B antiqui Aſtrologi probauerunt cum ſcirent ſolem exiſtentem in Cancro, terras adurere videbant in aliquo anno minus ſolito. Scientes autem ex natura ſolis hoc non contingere, quæſierunt quis Planeta in eodem ſigno eſſet cum Sole, reperienteſque Saturnum, dixerunt ex eo cauſam frigidatis eſſe. Sed dicet aliquis: Cum omne corpus ſtellatum igneæ ſit naturæ, quod probat motus & ſplendor, vnde vna ſtella dicitur frigida, alia calida; Neque enim probamus ex ratione illa quia dicunt quidam ex vicinitate aquarum congelatarum Saturnum eſſe frigidum, ſicut & Luna eſt ex vicinitate terræ & aquæ. Probauimus enim aquas congelatas, in ſuperioribus eſſe non poſſe. Sunt qui inde dicunt plures eſſe qualitates ignis, quæ in quibuſdam corporibus ſunt coniunctæ, in quibuſdam diuiſæ. Quemadmodum ergo eſt quoddam igneum & calidum, & non ſplendidum, ita eſt quoddam ſplendidum, nec calidum. Dicunt enim quod ignea non ſint calida, niſi quæ coniuncta ſint alicui ſpiſſæ & humidæ naturæ, quam in ſui ſubſtantiam C commutent. Vnde ſi alicui igneo deſit vicinitas ſpiſſi humoris, deficit in eo calor. Hoc autem probant per ſolem, quia in conuallibus montium, vbi eſt aer ſpiſſior, magnum exercet calorem, in ſuperioribus propter aeris ſubtilitatem non exercet. Huius rei ſunt indicium perpetuæ niues exiſtentes. Sed de hoc loquentes de ſitu terræ ſatis dicemus. Volunt etiam iſti ſuper Lunam nullum eſſe ſenſum caloris, præ nimia ætheris ſubtilitate. Nos verò dicimus nomina qualitatum tribus modis rebus attribui: vel propter effectum, vnde vinum dicitur calidum, quia efficit calorem, etſi frigidum ſentiatur: vel propter ſenſum, vt cum aquam bullientem dicimus calidam, etſi naturaliter ſit frigida: vel propter ſignum, vt cum dicimus ſanum bene dormire, ſine difficultate ſpirare. Cum enim aliqua ſtella dicitur frigida, effectui deputatur. Quamuis ergo in ſe ſit calida, ſi efficiat frigus dicitur frigida. Inde quia Saturnus iunctus Soli minuit calorem, propter effectum dicitur frigidus, etſi in ſe ſit calidus. Sed quæret forſan aliquis: Si corpora ſtel- D larum ignea ſunt, vnde contingit quòd quædam efficiunt frigus? Omnes enim in omnibus poſſe inueniri rationem, ſed in quibuſdam recurrendum ad creationem: quamuis poſſumus hanc rationem inde reddere, quòd diuerſa ignea, ex propinquitate & remotione, magis & minus calefaciunt. Vnde Saturnus quia remotior à nobis eſt, non calefacit terram: *Sol* verò quia propinquius terræ eſt, magis incendit eam: vel dicamus quòd quamuis aliqua ſtella calida ſit, ſunt in ea aliæ qualitates nobis ignoræ, à quibus calor non poteſt deſcendere. Sed quia in medio propoſuimus quæſtionem: *Non omnia poſſumus omnes*, ſit ingenij cuiuſque inquirere, quid pro ſoluenda hac quæſtione poſſit inuenire. Hæc eadem ſtella ex frigiditate dicitur nociua, & maximè quando eſt retrograda: vnde in fabulis dicitur, falcem deferre. Deferens enim falcem plus nocet recedendo, quàm accedendo.

Supe. lib. 11. cap. 2.

CAPVT XVIII.

De Ioue.

E POſt Saturnum eſt *Iupiter*, in peragratione Zodiaci duodecim annos conſumens. Hæc ſtella beniuola eſt, quippe ita temperata in ſuis qualitatibus, quòd per coniunctionem eius cum ſole probatum eſt. Sed quando media eſt inter Saturnum & Martem, ſi exiſtat in ſuperiore abſide ſui circuli, vel in inferiori, temperatur eorum nociuitas eius beniuolentia. Inde eſt quòd in fabulis dicitur: Iupiter patrem Saturnum à regno expuliſſe, quia Saturno vicinior factus, naturalem nociuitatem ei aufert. Dicitur etiam adulterando diuerſos genuiſſe, quia coniungendo ſe prædictis, in terrenis diuerſa efficit.

CAPVT XIX.

De Marte.

F TErtius eſt *Mars* ſtella, ſcilicet calida & ſicca, & inde nociua, in biennio peragrans zodiacum: ſed poſitus inter Iouem & Venerem, quæ ſunt ſtellæ beniuolæ, vicinitate minuit ſuam nociuitatem, & illorum beniuolentiam. In præliis dicitur dominari, quia calorem confert & ſiccitatem, ex quibus eſt animoſitas. Calidi enim & ſicci animoſi ſunt.

CAPVT XX.

De Venere.

QVartus ſcilicet, Platonicos Venus calida & humida ſtella, vnde eſt & beniuola, in anno ferè zodiacum circulens. Dicitur adulterata cum Marte, quia exiſtens in ſuperiori circuli ſui abſide, facta vicina Marti G eſt minus beniuola. Dea luxuriæ dicitur eſſe, quia confert calorem & humorem, & in calidis & humidis viget luxuria. Vt enim propter Venerem breuius dicamus, quod prolixius loquentes de homine exponemus: calidi & ſicci multum appetunt ex calore luxuriam, ſed ex ſiccitate non ſuſtinent effectum, & ſi faciunt maximè eis nocet. Frigidi & humidi, econtrariò malè appetunt, ſed ſuſtinent: ſed frigidi & ſicci nec appetunt, nec habent effectum, maximè corpori eorum prodeſt effectus eorum.

CAPVT XXI.

Quomodo eadem ſtella dicatur Lucifer & Heſperus.

LVcifer quando ante Solem videtur; Heſperus, quando poſt eum in veſpere videtur. Vnde eſt quæſtio: An in eodem tempore anni poſſit eſſe Lucifer & Heſperus? Dicunt quidam hoc eſſe non poſſe. Cum enim ſit paris velocitatis cum Sole, & ferè in eodem ſpacio curſum ſuum perficiens, quomodo in vna & eadem nocte, H in veſpere ſequeretur Solem & in mane præcederet. In vno ergo anni tempore præcedit Solem, & tunc eſt *Lucifer*: in alio ſubſequitur, & tunc eſt *Heſperus*. Alij dicunt in vno eodémque tempore anni, illam ante ortum Solis videri, & poſt occaſum eiuſdem non tamen præcedere & ſubſequi: hoc namque impoſſibile eſt. Dicunt enim ſtellam illam altiorem eſſe Sole, vnde diutius videtur in veſpere, etiamſi non ſubſequatur Solem, citius in mane etiamſi illum non antecedat. Dicitur *Lucifer & Heſperus*, in eodem tempore anni, non quia præcedat & ſubſequatur, ſed quia ante & poſt, ex ſui altitudine videtur. Tertij dicunt Venerem & Mercurium eſſe ferè eiuſdem coloris & quantitatis, ſempérque ſolem comitari: cum ergo ſic comitantur illum, quòd vna præcedit, alia ſubſequitur: præcedens in veſpere, propter ſplendorem ſolis non videtur, ſed ſubſequens poſt occaſum eius apparet. Contra autem eſt in mane, præcedens nempe videtur, ſequens verò ſplendore diei occultatur. Sed quia vnius ſunt coloris, & quantitatis, vna & eadem ſtella reputatæ ſunt.

CAPVT XXII.

De Mercurio.

QVintus eſt Mercurius, ferè in anno curſum ſimm ſimiliter peragens, cum quo Venus legitur adulterata eſſe: quia quando eſt in inferiore abſide ſui circuli qualitatibus illius ſe miſcet.

CAPVT XXIII.

De ſtatu & retrogradatione prædictarum ſtellarum, & quòd verum ſit Solem eſſe ſub Mercurio & Venere, & de circulis ipſorum.

SExtus eſt Sol. Sed antè de ſtatu & retrogradatione ſtellarum prædictarum doceamus, deinde cur Chaldæi, & eorum ſequaces dixerint, Solem eſſe in medio Planetarum, ſuper Venerem & Mercurium. Ægyptij quos ſecutus eſt Plato, eundem Sextum dixerunt, & ſuperpoſitum Mercurio & Veneri. Dicunt quidam, quòd eſt quædam pars in circulo vniuſcuiuſque, ad quam vnaquæque peruenerit. Sol facit eam ſtare vel retro ire, ſed non dicunt quare. Nos dicimus eas nunquam videri ſtare, quia cum ſint igneæ naturæ, eſt quod ſemper ſint in motu, videntur tamen aliquando ſtare, ex ἄρσ & θέσ, id eſt, eleuatione & depreſſione. Conſtat enim inter omnes Aſtrologos vnumquemque de Planetis aliquando plus ſolito remoueri à terra, & tunc eleuatur, aliquando plus deſcendere verſus terras, quòd *deprimi* dicimus. Cum ergo eleuantur vel deprimuntur, ſi recto modo hoc fit, ſub eadem parte ſigni videntur, & ſtare creduntur. Sin autem retro obliquent, ire retro videntur. Huius ergo eleuationis vel depreſſionis cauſa eſt Sol. Cum enim ſit fons totius caloris, aliquando plus deſiccat ſuperiora & inferiora. Vnde deſiccata corpora ſtellarum plus ſolito leuia aſcendunt. Si item ad nutrimentum ſui plus ſolito humores attrahat, grauia deſcendunt. Quod ergo dicuntur *ſtare*, Aſtrologum eſt, quia ſic videtur. Deinde dicendum eſt, cur Chaldæi dicant Solem eſſe quartum, Ægyptij & Plato ſextum. Verum eſt Solem eſſe ſub Mercurio & Venere, iuxta lunam. Cum enim Luna frigida & humida ſit, neceſſe fuit, vt ei Sol, qui eſt calidus & ſiccus, vicinus eſſet, quatenus ex calore Solis, frigiditas lunæ, & ex ſiccitate humiditas temperaretur, ne cum vicina eſſet terræ, eam diſtemperatam redderet. Item cum luna proprio lumine careat, vt oſtendimus, & à ſole accipiat, ratio eſt, vt fonti ſui luminis ſit ſuppoſita, ſine medio. Sed quamuis hoc ita eſſe verum ſit, Chaldæis tamen aliter viſum eſt, ex hoc quod dicemus: Sol & Mercurius & Venus, ita coniuncti ſunt, quod ferè in eodem ſpacio temporis, ſcilicet, in anno, plus minuſve, curſus ſuos perficiant. Ferè ergo ſunt æquales eorum circuli, ſed iuxta quantitatem circulorum Planetæ breuius vel prolixius tempus in peragratione zodiaci conſumunt: Cum ergo ferè æquales ſint, vnus ab alio totus non poteſt contineri. Interſecant ergo ſeſe, ita quod circulus Veneris, inferiori parte ſui circuli interſecat, ſuperiores partes circulorum Mercurij & Solis plus comprehendit de Mercuriali, quam de Solari. Circulus verò Mercurij ſuperiori parte ſui interſecat Venerium, ſcilicet inferiori ſolarem. Circulus vero ſolaris ſuperiori ſui parte interſecat Mercurialem & Venerium, plus Mercurialem, minus Venerium. Sed quia facilius illabitur animo, oculis ſubiecta deſcriptio interſecationem illam oſtendamus.



CAPVT XXIV.


Quando circuli Veneris & Mercurij liberius appareant.

CVm circulus Solis, ab inferioribus partibus ambiatur, iuſtè inferior illis dicitur. Solem tantum non obſcurat ſubiecta, quantum ſuppoſita. Reputatus eſt ergo ſol illis ſuperior, ſed iam tractatum ad ſolem, & ad alios Planetas transferamus. Sed quoniam cæteri Planetæ, quemadmodum & Sol mouentur, de motu ſolis loquamur, vt ſimilia de aliis intelligantur.

CAPVT XXV.

Vtrum Planetæ moueantur cum firmamento vel contra.

GEneralis ergo ſententia omnium Philoſophorum eſt, firmamentum ab ortu ad occaſum volui, ſolem verò & alios Planetas contrario motu; ab occaſu ad ortum moueri, quod oſtenditur oculis per ſignorum diſpoſitionem.



Cum enim Aries ſic ſit poſitus, quòd quando in medio cœli, inter illum & orientem, Taurus eſt: deinde Gemini, poſt Cancer: inter eundem & occidentem ſunt Piſces, poſt Aquarius, deinde Capricornus, vt in hac figura apparet. Si ergo Sol verſus occidentem tenderet, de Ariete in ſignum verſus occidentem poſitum tranſiret, ſcilicet, in Piſces: deinde in cæteros. Cum ergo ſigna verſus orientem poſita, de Ariete tranſeant, ſcilicet, in Taurum, deinde in cætera ſine dubietate contra firmamentum mouerentur. Subnectunt etiam rationem, quare neceſſe fuit ſic eſſe. Cum firmamentum ab ortu in occaſum voluatur, ſi Planetæ ſimiliter mouerentur, eſſet tantus impetus, quod in terra nihil ſtare vel viuere poſſet. Vt ergo radij motui obuiarent, & impetum illius temperarent, in contrarietatem motus illius retorta ſunt. Sed quamuis contra firmamentum deferantur, firmamentum tamen defert eas ſecum ad occaſum & inde ad ortum. Vt ſi aliquis exiſtens in naui, contra quem currat nauis, ſe moueat, tamen nauis quocunque vadit ſecum defert, non ideo à contrario motu quieſcentem. Ergo quod paulatim vadunt ad orientem, naturalis curſus eſt, quod ad occaſum & ortum, ex alterius impetu. Helpericus dicit hoc eſſe non poſſe: Cum enim ſol non ſit de ſtellis infixis in firmamento, qualiter ab ipſo refertur. Si enim aliquis extra nauim eſt, quomodo ab ipſa defertur? De eo verò, quod ſol vadit ad ſigna verſus orientem poſita, dicit ſic videri, non verò ſic eſſe. Cum enim, ait, firmamentum & ſol, naturali motu ab ortu ad occaſum tendant, ita quod eſt ſub prima parte Arietis, quia firmamentum aliquando velocius ſole tranſit, cum in viceſima parte vnius ſigni eſt: ergo vere ſol venit ad ortum, non illa pars ſigni quæ antè videbatur, ſupra ſolem videtur, ſed poſterior: & ita per ſingulos dies tranſeundo, videtur quod ad ſigna poſteriora, cum tamen non vadat, quod poteſt quilibet probare per lunam. Cum enim certum ſit Lunam ad ſeptentrionem, non currere, ſi nubes ipſam præcurrant, quando tranſeunt Lunam, videturque quod ad poſteriora currat. Sed cum priori ſententiæ doctiſſimus omnium Philoſophorum conſentit, & verum eſt, illi concordamus. Contráque hoc, ille dixit, ſolem à firmamento non poſſe referri cum in eo non ſit, etſi poſſunt dicere, quod eſt infirmum ſecundum noſtram ſententiam, quam dicimus * firmum, vocari æthera, tamen dicimus, & ſi non ſit in firmamento, tamen poſſe referri ab eo. Vt enim in eodem exemplo de naui perſiſtamus, ſi aliquid leue iuxta nauim ſit, impetu illius refertur, & ſi in ea non ſit. Ergo cum Sol leuis & igneæ ſit naturæ, à firmamento, etſi in eo non ſit, poteſt referri.

* *forrè, firmamentum.*

A

CAPVT XXVI.

Quare Sol obliquè moueatur, & de hyeme & Vere.

MOuetur ergo Sol & alij Planetæ ab occidente in orientem, non recto modo, ſed obliquo modo, ſcilicet, deſcendendo, aſcendendo ad orientalia ſecundum prædictam ſignorum diſpoſitiônem. Sed, dicet aliquis: Quæ neceſſitas fuit, quod ſol obliquo, non recto modo mouetur? reſpondetur. Magna quomodo oſtendemus. Sed prædoceamus, quas diuerſitates oblique meando operetur, à remotiori, id eſt, à Capricorno incipientes. Cum ergo ſol intrat Capricornum, quod contingit in medio Decembris, vnius menſis intrat ſignum, & in medio Ianuarij exit, eique attribuitur in quo illud intrat, quia tunc remotiſſimus à noſtra habitabili, illa frigore conſtringitur. Terra enim & aqua naturaliter frigidæ ſunt, niſi à Sole calefiant. Item cum non ſit quo areſcat, aër ſpiſſatur in nubes, quæ diſſoluuntur in pluuias. Inde fit quædam varietas anni, quæ vocatur hyems. *Hiems qualis.* Eſt enim hyems humida & frigida, extenditurque donec ſol tranſeat Aquarium & Piſces, quorum B primum intrat in medio Ianuarij, & 2. in medio Februarij. Conſtat ergo hyems tribus menſibus, & hoc eſt vnum de quatuor anni temporibus. „In hoc ex frigore conſtringuntur pori ſuperficiei terræ, nec poteſt calor euaporare, qui remanens intus, nutrit radices herbarum & arborum, vicemque matris prægnantis obtinet.“ Incrementum autem non confert: quia nec calor, nec humor, ex quibus omne incrementum eſt, poteſt aſcendere, propter conſtrictionis frigus. Sed vnde gelu, vnde niues, vnde grandines, vnde pluuiæ, vnde tonitrua, vnde fulmina contingant, in Tractatu *de aëre* dicemus. Huic tempori conſimilia ſunt, aqua, phlegma, ætas decrepita: hæc etenim frigida & humida ſunt. In eodem ſe melius habent Cholerici, peius Phlegmatici: melius iuuenes, peius decrepiti. Peſſima eſt infirmitas, quæ ex Phlegmate, cotidiana febris: minus mala, quæ ex colera, vt tertiana: Vtile eſt in eodem augmentare cibum. Pori enim humani corporis, ex frigiditate conſtringuntur, C vnde calor intus permanens, plus conſumit. *Fames [illegible] in hyeme viget.* Contra igitur interiorem defectionem, oportunum eſt infundere exteriorem refectionem. Inde quod apud antiquos Deus hyemis, pinguis venter pingebatur, & ab immunditia paludis *Spurius* vocabatur. In eodem bonum eſt vti calidis & ſiccis. Cum verò Sol aſcendendo vſque ad Arietem peruenit, quem in medio Martij intrat, nec minus remotus, nec minus propinquus eſt, vtpote in medio torridæ zonæ poſitus. Vnde aër noſtræ habitabilis, nec minus calidus, nec minus frigidus, nec minus ſiccus, nec minus humidus, ſed inter quatuor qualitates temperatus. Ex hac temperie pori terræ aperiuntur, euaporatque fumus humidus, qui per radices arborum & herbarum ſcandens, confert eis augmentum, & vegetationem. *Macrob.* Vnde quidam menſis huius temporis dicitur Aprilis: quia tunc terra aperitur in flores. Eſtque huius temporis proprium inconſtans eſſe, ſcilicet modo pluuioſum ex vicinitate hyemis, modo ſiccum ex vicinitate æſtatis, modo eadem ratione calidum, modo frigidum. D Inde eſt quod in Martio ſæpe infirmantur homines, quia corpora humana aperta ſunt ex calore, & ſtatim corrumpuntur ex ſubito frigore. Sed ſi aliquis ſe in hoc tempore conſeruet, tardius in eo, quàm in alio tempore infirmitatem incurret.

CAPVT XXVII.

Vnde altius moueantur infirmi in vere, & in autumno: & de quatuor anni temporibus.

HIc ſubiicit aliquis: Vnde ergo eſt, quod ſi aliquis intret aliquam infirmitatem, non tam ſæpe moritur in hyeme, quàm in Vere. Cum infirmitates oriantur ex malo humore per membra ſe diffundente: ex frigiditate hyemis conſtringuntur humores, nec poſſunt defluere.


Ex calore autem Veris, itidem diſſoluuntur, quibus decurrentibus per membra, ſuccumbit homo & moritur. E *Vernum tempus.* Hæc temperies ab Ariete incipiens extenditur, dum ſol eſt in Tauro & Geminis. Primum medio Aprilis, ſecundum medio Maij intrat. Huic tempori conſimiles ſunt aër, ſanguis, pueritia quia calidi & humidi ſunt. In eo ſe melius habent Melancholici, peius Sanguinei, melius ſenes, peius pueri. Peſſima infirmitas eſt, quæ venit ex ſanguine, minus mala quæ ex Melancholia, vt quartana. In eodem eſt conueniens, vti frigidis & ſiccis.

Cum autem vſque ad cancrum aſcendit, ex propinquitate ſua terram incendit, & deſiccat. *Æſtas.* Vnde eſt æſtas calida & ſicca, quæ incipiens medio Iunio, quando ſol intrat Cancrum, extenditur donec in leone quem intrat medio Iulio, & donec eſt in virgine, quam intrat medio Auguſt. huius temporis eſt & herbarum & arborum radices exſiccare. Conſimile eſt igni, choleræ, & iuuentuti: hæc enim calida & ſicca ſunt, in eo ſe melius habent Phlegmatici, peius Cholerici: melius decrepiti, peius iuuenes. Peſſima eſt infirmitas, quæ venit ex Cholera, minus mala quæ ex phlegmate eſt. In eodem eſt vtile, vti frigidis & humidis. Augmentandus eſt potus, & minuendus eſt cibus. F Cum enim ex calore aperti ſunt pori corporis, euaporat calor naturalis, ex quo non ita bene digeritur cibus, ſed quia potus citò tranſit in ſanguinem, augmētandus eſt. Hic oritur quæſtio. Cum iſtæ diuerſitates in prædictis temporibus ex propinquitate & remotione ſolis habeant contingere, ſol verò exiſtens in Leone, tantum diſtat à noſtra habitabili, quantum exiſtens in Geminis, in Virgine quantum in Tauro, in Libra quantum in Ariete, quare in illis tribus operetur calorem & humorem, in his duobus calorem & ſiccitatem? Cui reſpondendum eſt: Quod exiſtens in tribus vernalibus, ex hoc quod propinquus eſt operatur calorem, ex vicinitate hyemis præcedentis operatur humorem. Cum verò ſol eſt in Leone, & virgine ex propinquitate operatur calorem. Sed quoniam ex calore veris & æſtatis, iam humor deſiccatus eſt, non eſt quo temperetur calor, nec vnde ſit humiditas. Inde eſt autem tempus calidum.


Cum verò eſt in Libra: quia iam omnino deſiccatus eſt humor & extinctus eſt calor, oritur autumnus, frigidus & ſiccus, *Autumnus.* G in quo fructus habentes intus humores, vt racemi & cætera colliguntur ex gemina ſiccitate æſtatis, & autumni maturi. Incipit autem autumnus in medio Septembris, ſole intrante Libram, durans dum ſol eſt in Scorpione & Sagittario, quorum primum intrat medio Octobri, 2. medio Nouembri. Aſſimilatur huic tempori terra, melancholia, ſenectus, quia frigidæ & ſiccæ ſunt. In eo melius ſe habent ſanguinei, peius Melancholici, melius pueri, peius ſenes. Peſſima eſt infirmitas quæ naſcitur ex Melancholia, minus mala quæ ex ſanguine. Vt enim generaliter dicamus in omni tempore anni, peſſima eſt infirmitas, quæ fit ex humore ſimili temperati: qualitatibus enim temporis augmentatur materia morbi, minus mala quæ fit ex humore tempori contrario. Minuitur namque qualitate temporis materia morbi. In eodem vtile eſt vti calidis & humidis. Inæquale eſt hoc tempus, ex vicinitate præcedentis æſtatis, & ſubſequentis hyemis, ex quo ſuccis fructuum habentium, indiſcretim homines periclitantur. Hic oritur quæſtio ſimilis præcedenti. H Cum ſol exiſtens in ſcorpione, tantum diſtet à nobis, quantum in Piſcibus, in Sagittario, quantum in Aquario, quare alias operetur in illis qualitates, alias in iſtis? Huius ſolutio facilis eſt: In præcedentibus nempe, id eſt, in Scorpione, & Sagittario, quia æſtate deſiccatus eſt humor, iamque ſol medium torridæ zonæ tranſiuit, eſt frigus & ſiccitas. In iſtis aliis, quia ſimiliter eſt ſol remotus, eſt frigiditas: ſed quia iam dudum defecit calor, qui aëra deſiccat, pauliſper ſpiſſatur aër in nubes, & fit tempus humidum. *Hiems.* Quamuis, vt prædiximus, hyems ſit frigida & humida, in principio tamen magis eſt frigida, minus humida, in fine magis humida, minus frigida, in medio æqualiter. Ver autem in principio magis humidum, minus calidum, in fine magis calidum, minus humidum, in medio æqualiter. Æſtas verò in principio magis calida, minus ſicca, in fine magis ſicca, minus

calida,

A calida,in medio æqualiter. Autumnus in principio magis ſiccus, minus frigidus, in fine magis frigidus, minus ſic-



cus, in medio æqualiter. Notandum verò eſt quamuis iſtæ ſint quatuor temporum proprietates, ex accidente tamen varientur, vt ſi cum hyemalibus ſignis ſit aliquis calidus Planeta, vt Mars eſt, propter naturam calida & B ſicca. Similiter, ſi in æſtate ſit aliquis frigidus & humidus.plus ſolito eſt humida & ſicca.Ideo prudenti Phyſico ſemper prouidendum eſt, quæ ſigna ſol obtineat,& quis Planeta cum eo ſit in eodem ſigno, vt ſcias qualis futura ſit æſtas, & alia tempora, vt contra futuram qualitatem, præſto ſit medicamen.



Cum igitur Sol has diuerſitates operetur, obliquè aſcendendo & deſcendendo, videamus quid mali ſequeretur, ſi ſemper recto modo volueretur: & de hoc nullus dubitat, quod ſi ſemper ita propinquus nobis moueretur, vt in æſtate, ſemper æſtum haberemus. nec aliquid creſcere poſſet. Similiter ſi ſemper remotus eſſet, vt in hyeme, ſemper rigor frigoris eſſet, nec extra fructus & herbæ naſcerentur. Sed dicet aliquis: Si ita ſe moueret, Ver eſſet in Ariete, quod æqualiter diſtaret, quod æqualiter nobis ſemper temperiem faceret veris, C nec aliquid mali inde proueniret. Nos dicimus contra, peſſimum inde prouenire malum. Nunquam enim terra intus conciperet, quod agit in hyeme, neque fructus ſi aliqui naſcerentur, ad maturitatem tenderent, ſine quibus numerus animantium viuere non poſſet. Et quoniam de naturali motu Solis diximus, de his quæ agit relatus à firmamento dicamus. Cum igitur Sol naturali motu, ab Occidente in Orientem, contra firmamentum nitatur, quotidie à firmamento, dum refertur ad occaſum, exiſtenſque ſuper terram agit ſplendorem, qui dies dicitur. Sub terra verò eodem exiſtente, in ſuperiori parte eſt obſcuritas, quæ nox vocatur. Attendendumque eſt, quod dies alius naturalis, alius vſualis ſit. De naturali ergo prius, deinde de vſuali diſſeramus.

CAPVT XXVIII.

Quid ſit naturalis & vſualis dies, & de diuiſionibus eorum.

D NAturalis verò dies, vigintiquatuor horarum ſpacium continet, ſcilicet, vſualem diem & noctem. Vnde dicimus triginta dies eſſe in menſe, cum in eo ſint dies & noctes. Hunc in quatuor Phyſici diuiſerunt, à nona parte noctis, vſque ad tertiam diei vſualis, calidum & humidum eſſe dicentes, à tertia diei vſualis, vſque nonam calidum & ſiccum, à nona eiuſdem vſque ad tertiam noctis, frigidum & humidum. Inde contingit, quod quædam infirmitates in diuerſis partibus eiuſdem, peius & melius ſecundum prædictam rationem de temporibus habeant. Vſualis verò dies eſt ſpacium, quo ſol ab ortu ad occaſum refertur. Hunc vt naturalem, quatuor modis diuiſerunt. Prima enim parte illius, ſol rubet, deinde ſplendet, poſtea calet, ad vltimum deſcendit & tepet. Inde eſt quod in fabulis quatuor equi Phœbo attribuuntur, nomina prædictis rationibus conuenientia obtinentes. Primus nempe dicitur exactus, id eſt, rubeus, ſecundus lacteus, id eſt, ſplendens, tertius lampas, id eſt, ardens, quartus Philogeus, id eſt, amans terram. In iſtis vſualibus tertio in anno contingunt diuerſitates, aliquando namque ſunt æquales noctibus, aliquando prolixiores, aliquando breuiores. E

CAPVT XXIX.

Vnde æqualitates & inæqualitates dierum.


HArum diuerſitatum hæc cauſa eſt. Cum ſol in hyemalibus ſignis eſt tumor terræ, qui eſt in medio torridæ zonæ, inter nos & illum poſitus. aufert nobis, ne illum cito videamus & cauſa eſt, quare ab oculis noſtris auferatur, inde breuius eſt ſplendor eius apud nos ſuper terram:& ſic dies vmbra prolixa, & ideo nox. Sed quando eſt in cancro, & in aliis æſtiualibus ſignis, quia citra tumorem terræ naſcitur, cito in mane videtur, & tarde ab oculis aufertur, inde prolixius eſt ſplendor ſuper terram, & breuius vmbra. Eodem vero in ariete vel in libra exiſtente, quia æqualiter diſtat à nobis, æqualiter ſuper terram, & ſub terra eſt, inde eſt æqualis ſplendor, & æqualis obſcuritas. F

CAPVT XXX.

Vnde Eclipſis ſolis ſit, & quod ſingulis menſibus non contingat.

ENumeratis affectibus Solis, tam ex naturali, quàm ex accidentali motu, de Eclipſi eius dicamus, vnde, & quo tempore contingat ſolem eſſe in medio zodiaci, qui locus Eclipticus dicitur. Luna verò ſub eodem ſic poſita eſt, quod ſi linea dirigeretur, iret per medium ſolaris

Eclipſis Solis.



G

& lunæ & terreni corporis ſic. Tunc luna facit radios ſuos elidi, nec ad terram obtectu lunaris corporis poſſit deſcendere. Inde eſt quod nunquam niſi in triginta luna contingat, quia alio die, non eſt recto modo ſuppoſita ſoli. Non tamen omni triceſima luna hoc contingit. Sed quotieſcunque contingit, in ea contingit. Si enim in triceſima die luna, ita oppoſita ſoli, quod ſit aliquantum verſus Cancrum, alterum verſus Capricornum, non poteſt luna Solis viſum & deſcenſum radiorum nobis auferre. Sed quia de ſole pro poſſe noſtro diſſeruimus, deinde de Luna diſſeramus. H

CAPVT XXXI.


Quare Luna non habeat ſplendorem & calorem: Et de nouilunio & plenilunio.

LVna igitur ex propinquitate aquæ & terræ ſpiſſius habet corpus, quàm cæteræ ſtellæ, vnde non habet proprium ſplendorem & calorem, ſed à ſole accenditur. Si enim proprium haberet calorem, cum vicina ſit terræ, per ſingulos menſes, æſtum caloris, frigus hyemis in terram ageret, tanquam continuis inæqualitatibus, nihil viuere poſſet. Caruit ergo ſplendore & calore, à ſole tamen ſuperpoſito illuſtratur, non tamen ſemper æqualiter, ſed modo poſt nouiſſimum, modo plenilunium, modo interlunium hoc ita fieri. Dicunt quidam, quod non eſt ſuppoſita ſoli, in eodem ſigno, præ nimio ſplendore eam

A obſcurari, nec poſſe apparere. Sed quando elongatur à Sole in parte incipit ſplendor apparere. Vnde cum plus remouetur à Sole, maior in ea ſplendor apparet. Cum enim primum appareat ex parte ſolis, falſa videtur eorum ſententia. Nobis videtur quod omne luminoſum ſuppoſito aliquo obſcuro, in oppoſita ſui parte facit vmbram, in parte ſui ſplendorem. Cum igitur Luna, quæ, vt prædiximus, naturaliter eſt obſcura, Soli ſuppoſita in parte ſui, id eſt ſupra ſolem ponit ſplendorem, in oppoſita parte, id eſt, verſus terram facit vmbram, vnde à nobis Luna non videtur. Sed quando elongatur à ſole, incipit ſplendor admodum gracilis cornu apparere, diciturque *μηνοειδὴς*. Quantoque plus elongatur, plus ſplendens deſcendit, ita quod in ſeptimo die dichotomos dicitur, id eſt, *diuiſa per medium*. Et eſt notandum quod quando ſplendor deſcendit vmbra aſcendit, & èconuerſo: poſt ſeptimum verò diem vſque ad decimumtertium eſt *ἀμφίκυρτος*, id eſt minus plena, & maior dimidia, decimaquarta verò die quia per diametrum remota eſt à ſole. Quod po-

Lunæ varietates.

B teſt probari ex hoc quod ſole occidente ipſa oritur, iam tota vmbra aſcendit, & deſcendit totus ſplendor, eſtque *πανσέληνος*, id eſt, *plenilunium*. Poſtea verò incipit appropinquare ſoli, & vmbra deſcendere, ſplendorque aſcendere. Vnde deficit ex noſtra parte ſplendor & fit primum



C deſcendendo *Amphicyrtos*, deinde *dichotomos*, poſt ea *menoendes*. Hæc omnia erunt apertiora ante oculos præcedente figura poſita.


CAPVT XXXII.

De Eclipſi Lunæ & quare ſingulis menſibus non contingat, & de figuris vmbrarum.

Eclipſis verò Lunæ eſt ratio. Sole & Luna in prædicta Ecliptica linea ſic diſpoſitis, quod Sol eſt in inferiori hemiſpherio, Luna in ſuperiori, terra verò in medio: ſic quod ſi linea deſcenderet à medio lunaris corporis, tranſiret per medium terreni & ſolaris, ad hunc modum.


Eclipſis Lunæ.

D




Tunc tumor terræ altius interpoſitus, dirigit vmbram, ſcilicet, vſque ad ipſam lineam, vnde & radij Solis, non poſſunt eam accendere: patiturque Eclipſim, donec mouendo ſe, tumorem tranſierit, & ſplendor in ea apparere incipiat. Inde eſt quod nunquam deficit niſi in quintadecima luna, quia tunc eſt ſoli oppoſita, non tamen in omni quintadecima luna hoc contingit. Sed quotieſcunque hoc contingit ex figura vmbræ terræ. De figuris vmbrarum quæ ex aliquo rotundo corpore oppoſito ſplendori eiuſdem fiunt prædoceamus. Omnis talis corporis vmbra vel eſt cylindroides, vel conoides. Sed cylindrus eſt figura longa & rotunda, æqualiter creſcens, neque lineas in ſummum attingens. Inde dicitur cylindroides vmbra quæ talis figuræ eſt. Quæ fit quoties luminoſum corpus & obſcurum eiuſdem quantitatis, ad hunc eſt modum. E

Sol.




Terra. F

Cum ergo corpus Solis & terræ æqualia non ſint, quippe cum ſit ſol octies maior quàm terra, vmbram terræ *κυλινδροειδὴς* eſſe non poteſt. Calathus verò eſt figura ab acuto in altum rediens. Vnde & *καλαθοειδὴς* dicitur huius figuræ vmbra, hoc fit, quando luminoſum corpus minus eſt obſcuro, ad hunc modum. Sed figura vmbræ terræ calathoides eſſe non poteſt, quia Sol (vt probat Macrobius) maior eſt terra. Conoides verò vmbra dicitur, quia ex lato in acumen tendit, quæ fit ſi luminoſum corpus maius ſit obſcuro; vt monſtratur in ſubiecta deſcriptione. Ergo G



quia ſolare corpus maius eſt terra, vmbra illius conoides eſt: cum Sol & luna, vt prædiximus, conus vmbræ terræ recto modo ad lunam tendit eamque inficit, nec radios à ſole accipit donec conum vmbræ tranſierit. Si autem in quintadecima luna non ſit ſic diſpoſita, ſed alterum ſit aliquantulum verſus ſeptentrionem, alterum verſus Auſtrum, conus vmbræ non recto modo ad lunam dirigitur, nec eam inficit, ſed iuxta illam, ad hunc modum. H



Eclipſis Lunæ.

Viſo vnde Eclipſis lunæ contingat, & quare non in

A ſingulis menſibus, de vmbra quæ ſemper in medio eius videtur, quid nobis inde videatur, dicamus. Cum luna frigida & humida ſit, quamuis à ſole illuminetur, aliqua parte ſui retinet, quæ aliquid obſcuritatis naturaliter inibi ſemper apparet.

HONORII AVGVSTO-dunenſis Presbyteri.

LIBRI TERTII.

De Philoſophia Mundi.

PRÆFATIO.

B *Tſi ſtudiis docendi occupati, parum ſpacij ad ſcribendum habeamus, quoniam inde multas veſtes Philoſophiæ abſcindentes, & cum panniculis arreptis totam ſibi eam ceſſiſſe credentes, abiſſe dinoſcimus, voce ipſius clamantis excitati, ne nuda remaneat, particulas abſciſſas ſtylo noſtræ paruitatis conſuimus: non ignari morſibus inuidiæ nos ſubiacere: nobiſque hodie eſt periculum noſcere, & habere. Sed quoniam, vt ait quidam:* Iuſtius inuidia nihil eſt, quæ protinus ipſum Auctorem rodit, excrucians animum. *Et Horat.*

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.—

De tormento illorum certi, etſi de multis morſibus venenatorum, non dubitantes, quaſi Catonem per æſtum Libyæ feritatem ſectantes, rationibus diuerſis puſillorum muniti, ad ſequentia tranſeamus.

C
HONORII AVGVSTO-dunenſis Presbyteri.

LIBER TERTIVS.

De Philoſophia Mundi.

CAPVT PRIMVM.

De aëre.

ET quoniam de æthere & ornatu eiuſdem, quæ nobis viſa ſunt, noſtro propoſito congruè docuimus, de aëre illi coniuncto, & ſubdito, doceamus, quæ, & vnde in illo contingant, oſtendentes. Aër igitur eſt à Luna vſque ad terram, qui quanto terræ propinquior, tanto humidior & ſpiſſior: quanto remotior, ſiccior & ſplendidior. Hic cum ſit ſuppoſitus ſoli, ex eo calorem & humorem accipit. Sed

D quoniam ſol terminos torridæ zonæ nunquam excedit, illam partem aëris ex viciuitate accendit, & remotam expertem ſui caloris relinquit.

CAPVT II.

Qualiter quinque Zonæ ſint in aëre.

SVnt ergo in aëre quinque diuerſitates, ab antiquis zonæ dictæ ſunt, non, vt quidam æſtimant, ſuper lunam. Illic nempe omnia immutabilia ſunt, quia illic nulla eſt contrarietas. Cum enim ibi æther, qui ignis dicitur, corporáque ſtellarum ignea, vnde in aliqua parte erit frigus? Sed ſcio iſtos ex verbis Philoſophorum erraſſe, qui quinque zonas eſſe in cœlo pronuntiant. Contra hoc geminam habemus defenſionem. Prima eſt, quod aër ſæpe vocatur cœlum, vnde aues cœli dicuntur. Secunda eſt: Quod quinque partibus aëris, quinque partes ætheris ſuperpoſitæ ſunt, vocatúrque pars ætheris nomine partis aëris ſic

E ſuppoſiti: dicitúrque pars ſuperpoſita frigidæ, frigida: quamuis in ea nullum ſit frigus. Pars ſuperpoſita torridæ, torrida: non quod in æthere aliquis ſit feruor caloris.

CAPVT III.

Quæ diuerſitates ex aëre in terra ſint.

EST ignis ſuperior ita ſubtilis, quod accendere aliquid non poteſt, donec humido ſe miſceat, & ſpiſſo. Iſtæ eædem diuerſitates ex aëre ſuperpoſito in terra ſunt. Qualitas quippe aëris, terram ſubiectam inficit. Sunt igitur quinque zonæ in aëre, quinque in terra. De aëre ergo ſuperpoſito noſtræ habitabili, diſſeramus, oſtendentes quid in eo & vnde ſit, & à diuerſitate pluuiæ, quia eſt omni temperiei communis, incipiamus.

CAPVT IV.

Vnde ſint pluuiæ.

F PLuuiarum ergo diuerſæ ſunt cauſæ. Aliquando namque fumus ſpiſſus, & humidus euaporat: qui cum aſcendit, minutiſſimæ guttæ ſe inuoluunt, quæ groſſiores & grauiores factæ, cadunt, fitque pluuia. Aliquando verò aër ex frigiditate terræ & aquæ ſpiſſatur, tranſitque in aqueam ſubſtantiam, quæ ex calore Solis, vt glacies ab igne deſiccata, cadit per minutiſſimas particulas. Aliquando ad nutrimentum ſui caloris ſolem attrahere humorem contingit, & quod in illo liquidius eſt, in igneam tranſit ſubſtantiam. Quod verò grauius deorſum cadit, vbi poſt acutiſſimum calorem videmus contingere pluuiæ inundationem. Habet autem quæſtionem.

CAPVT V.

Quare ſolis radij & calor ad terram tendant.

CVm proprium ſit ignis, tendere ſurſum, vnde eſt quod radij ſolis & calor ad terram tendunt? Ad quod dicimus, quia ſol igneæ naturæ ſit, non quia ex ſolo igne conſtet, ſed quia in eo dominatur. Prædocuimus

G enim corpora ſtellarum ex quatuor elementis eſſe facta, dominante tamen igne: Cum ſol ex quatuor elementis conſtet, quamuis igne dominante, qui in eo ex terra & aqua eſt, ad ſimile, id eſt, ad terram & aquam tendit. Sed quia à caloris fonte procedit, ſecum aliquid caloris defert, quo terra & aqua calefiunt, & quoniam natura eſt caloris aſcendere, calor qui prædicto modo deſcendit, reuertendo ſecum aliquid humoris eleuat, quod ebulliendo in ſui ſubſtantiam tranſmittat.

CAPVT VI.

Quare ſol calefacit terram, & ignis ſuperior non.

SI ergo propriè poſſimus loqui, dicamus quod ſol ſurſum humorem eleuat, non attrahat. Ideóque fons caloris dicitur, quia ſic ſubdita calefacit: ignis verò ſuperior non. Cum enim ſit elementum non ex elementis factum, nihil eſt in eo quod ad inferiora deſcendat. Inde verò eſt quod pars aëris, & terræ, Soli ſubdita

H eſt feruida. Remota autem frigida, etſi ſit ætheri ſubiecta. Sed dicet aliquis. Nonne ignis vbicunque eſt, calidus eſt? Cui dicimus, Non, niſi humido & ſpiſſo iunctus. Quamuis ergo ſuper lunam ſit ignis, non ibi feruor eſt, deficit enim humida & ſpiſſa materia, qua accendatur ignis, neque frigus, neque obſcuritas, ſed vnus & continuus ſplendor, neque aliqua mutabilitas. Sed dicet ad hoc quod Ariſtoteles ait: *Impoſſibile eſt ignem non calere.* Reſpondemus ibi loquutum fuiſſe Ariſtotel. de inferiori igne, qui ſemper alicui ſpiſſæ materiæ mixtus, nunquam calere deſinit. Dicimus ignem calere, non actualiter, ſed naturaliter. Quarta cauſa eſt pluuiarum, ventus eleuans humorem, de ſtagnis & fluuiis, & lacubus. Inde eſt quod ranunculi & piſces, à multis viſi ſunt de aëre cadere. Cum enim, vt diximus, aqua vento ſuſtollitur, contingit quod ranunculos & piſces ſecum eleuat, quibus ex naturali grandine *Ranunculi & piſces.*

deſcenden

A deſcendentibus, ſtupent ignorantes. Nullum ergo tempus anni immune eſt à pluuia. In omni namque vel fumus humidus euaporat, aër ex frigiditate ſpiſſatur, vel humor calore, vel vento eleuatur.

CAPVT VII.

Quod ante finem mundi gutta ſanguinis cadent, vel quare ſanguis dicatur pluere.

HÆc pluuia quandoque plus ſolito ſpiſſata, ex nimio calore incenſa, fit ad modum ſanguinis, rubea & ſpiſſa. Quod videntes, rerum cauſam ignorantes Philoſophorum, dicunt ſanguinem pluere. Inde veri ſimile eſt dictum eſſe quod ante finem huius mundi guttæ ſanguinis cadent, & cum debeat ex vſtione finiri, vt teſtatur Scriptura, quæ dicit Pſalmo quadrageſimonono: Pſal. 49. 3. *Deus noſter manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet.* Et aliàs: *Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem.* Aquæ B ex calore in nubibus expanſæ, ex feruore ſpiſſabuntur, & incenſæ, rubeæque factæ, ad ſimilitudinem ſanguinis cadent. Iris, arcus. Eſt quando in pluuioſo tempore arcus diſcolor in nubibus apparet, vnde exiſtant, & vnde in eo tot appareant colores, dicamus.

Cum, vt ſuprà diximus, calor ſolis humorem eleuet, vel fumus humidus euaporet, aquæ in nube vt in vitreo vaſe, & vbi eſt tenuior & calidior, rubeum oſtendit colorem, vbi ſpiſſior, purpureum vel nigrum. Inde eſt, quod arcus ille nunquam vt in oppoſita parte Solis relucet. Aër enim ex ſplendore Solis ita irradiatur, quod diuerſi in eo colores apparent.

CAPVT VIII.

Vnde grando & nix.

VIſis ergo cauſis pluuiarum, & arcus cœleſtis, de grandinibus diſſeramus. Cum igitur prædicto modo humor eleuetur, contingit ſæpe in ſuperioribus G ventum frigidum & ſiccum fieri, qui guttas aquæ ex frigiditate congelans, tranſmutat eas in lapideam ſubſtantiam: & quia guttæ rotundæ ſunt (quod poteſt probari per rotunda foramina, quæ agunt in lapide, aſſiduitate cadendi) grando rotunda deſcendit. Vnde carmen:

Gutta cauât lapidem non vi ſed ſæpe cadendo.

Niues verò ſunt ſupradictæ guttæ, antequam groſſæ ſint, ſpiſſatæque, congelantur.

CAPVT IX.

Quare niues nunquam contingant in æſtate, cum in ea contingat grando.

HIc ſubiicient: Cum in æſtate ſæpe grando contingat, quare in eadem, iuxta inferiora montium nunquam niues contingant? Contra hoc dicimus: In æſtate humorem ex calore alicuius eleuari, eleuandóque D guttas inuolui, quæ groſſiores factæ, frigoréque congelatæ, grandinem gignunt. In hyeme verò, quia frigus circa terram eſt, guttas aquæ, antequam groſſæ ſint, ex frigiditate temporis conſtringi, & in niuem tranſmutari, conſtat. In æſtate verò, quia frigus circa terram non eſt, donec in altum eleuatæ, groſſæ & ſpiſſæ fiunt, non congelantur. Nunquam ergo in æſtate niues, etſi in ea ſunt grandines. De tonitruis & fulminibus, vnde & qualiter contingant, diſſeramus.

CAPVT X.

De tonitruis & fulminibus.

FVmo igitur, vt prædiximus, ad ſuperiora tendente, cum ad ſummum aëris peruenit, & præponderationem humoris, mouetur aëris ſummitas. Cuius particulæ ad modum vndarum aquæ ſibi occurrentes, fragorem faciunt. Ex motu verò aër calefactus, tranſit in igneam ſubſtantiam, fitque coruſcatio: quæ quamuis cum fragore fiat, citius tamen ad nos peruenit, quia viſus velocior eſt auditu. E Cum ergo, ſicut prædiximus, ſparſim ex fumo humido ſpiſſati generantur, impetus qui aſcendit ſurſum, eſt fragor ſine fulmine. Sin autem impetus ille deorſum tendat, tamen tantus non ſit, quod vſque ad obſtaculum perueniat, nondum eſt fulmen. Cum verò ad obſtaculum peruenit, obſtantia findit.

Sed quia proprium eſt motus aëris, tendere ſurſum, nulla materia exire vetante, reuertitur, *ſparſeſque recolligit ignes.* Si verò in hac inferiore parte aëris, multus ſit humor, aër exiſtens, in illo impetu igniri non poteſt, fitque fulmen findens, non vrens. Si autem ibi non ſit humor, ex motu & ſiccitate igneſcit, fitque fulmen vrens. Eſt autem fulmen pars aëris, colliſione aliqua vſque ad obſtaculum perueniens, cum impetu. Tonitruum verò, eſt partium aëris ſibi occurrentium ſonus. Coruſcatio autem pars eſt aëris ex impetu ignita & ſplendens. Non eſt igitur fulmen lapidea ſubſtantia, vt quidam aſſerunt. Si enim lapidea eſſet ſubſtantia F non huc & illuc diſcurreret, nec ſurſum reuerteretur, & cum aliquam feriret carnem, & oſſa comminueret. Ideo fulmen ſæpius alta ſternit; quia cum ablato obliquè deſcendit, citius alta repetit. Sed quia quorundam eſt ſententia, quoddam fulmen eſſe lapideam ſubſtantiam, ne ex ignorantia vel inuidia videamur eam vituperaſſe, vel tacuiſſe, breuiter illud declaremus ſiue exponamus.

Aiunt iſti, quod cum fumus humidus ad ſuperna aſcendit (proprium namque eſt fumi humidi ad ſuperna eleuari, vt ſæpius à nobis expoſitum eſt,) eleuatur cum eo aliquid terrenæ ſubſtantiæ, quæ ex calore ſolis in lapideam ſpiſſatur ſubſtantiam, & continetur in concauitate nubis, donec impetu aliquo nubes diuidit, vnde lapis ille impulſus, altum aliquid percutit.

CAPVT XI.

Quare in ſola æſtate contingant fulmina.

HIc ſubiiciet aliquis: Cum in omni tempore anni G fumus humidus, vt prædiximus, aſcendat, quare in omni non contingunt fulmina & tonitrua? Cui dicimus: Cum ab fumo humido aſcendente habent eſſe, non fiunt tamen inde donec ad ſummum peruenerint aëris, quod per ſimile maris poteſt probari. Cum enim mare, ex fumo aſcendente, in fundo commouetur, ex ſpiſſitudine, non poteſt huc vel illuc impelli. Sed cum vſque ad ſummum commotio illa peruenerit illuc & illuc vndæ impelluntur, fitque tempeſtas. Quòd vero tempeſtas à fundo incipiat, per hoc poteſt probari, quod Phocas vndas agitantes ante tempeſtatem videmus. Vnde Plinius ait: Plinius. *Nautæ ſunt dormitoria, quæ in fundo maris dormiunt.* Fumo tamen, vt prædiximus, fundum maris commouente, excitati ad ſummum aſcendunt. Quod videntes Nautæ, experimento certi, etſi de Phyſica incerti, tempeſtatem futuram prædicunt, quippe iam incipit tempeſtas in fundo. Simile verò eſt in aere. Dum H enim inferiores partes aëris obtinet fumus, ex ſpiſſitudine non poteſt huc vel illuc impellere aëra. Sed cum ad ſummum peruenit, huc & illuc ex labilitate cum impellit, fiuntque tonitrua & fulmina. In hyeme verò, etſi aer ſpiſſus ſit, non eſt tamen tantus calor, quod ſpiſſus fumus vſque ad ſummum poſſit erigi, non etiam in aëre. Remanens ergo in inferiori parte aëris, ventos & pluuias gignit. In æſtate, cuius eſt maximus feruor quo eleuatur, fitque partium aëris diuerſa incurſio: vnde contingunt fulmina & tonitrua. In Autumno, qui eſt frigidus & ſiccus, neque eſt humor qui eleuetur, neque calor quo eleuetur.

CAPVT XII.

De eo quod ſtellæ videntur aliquando cadere.

IN eodem aëre videtur nulla ſtella cadere, cadente aliqua. Cum igneæ ſint naturæ, & proprius ſtellarum locus ſit æther, nunquam ad terram deſcendunt. Item

cum maximæ ſint, etſi ex remotione paruæ videantur, ſi aliqua caderet, totam terram vel maximam partem eiuſdem occuparet, Non ergo cadunt, ſed cadere videntur. Sæpe etenim in ſuperioribus partibus aëris, eſt ventus & commotio, etſi non ſit in inferioribus, ex ea commotione aër ignitus & ſplendens, per aëra diſcurrit. Qui cum extra aliquam ſtellam ſplendere incipit, ſuo ſplendore viſum illius ſtellæ nobis aufert, videturque quod ſtella ceciderit. Sed dicet aliquis: Vnde eſt ergo, quod ſtellam illam non videmus? Huic dicimus: Stellam illam videri poſſe, ſed eam eſſe, neſciri. Cum enim, vt prædiximus, aër ignitus diſcurrat, aër ſpiſſior, & modo tardior ſubſequitur, qui inter nos & ſtellam illam poſitus, viſum eiuſdem nobis aufert. Sed antequam tranſeat, & ſtella appareat, firmamentum, quod ad occaſum voluitur, ſtellam illam ad vlteriora ſecum detulit. Cúmque apparet, quia in alio loco, quàm antea eſſet, videtur, alia ſtella putatur.

CAPVT XIII.

Quod cometa non ſit ſtella.


DE Cometa verò quæ in mutatione imperij apparet, hoc ſentimus, quod ſtella non eſt: quia neque de infixis, neque aliquis Planeta. Quod de infixis non eſt, ex hoc apparet, quod motus illius ſentitur. Planeta verò non eſt, cum extra zodiacum ſæpe videatur, nec motum Planetarum ſequatur. Si item ſtella eſſet, eſſet in aliquo hemiſphetio. Cum igitur ſtellæ eiuſdem Hemiſphærij appareant, vnde iſta, quæ maior videtur, non apparet? Non eſt ergo ſtella, ſed ignis, iuxta voluntatem Creatoris, ad aliquid deſignandum, accenſus.

CAPVT XIV.

De refluxionibus Oceani.

QVoniam de aëre, & eo quod in eo contingit, pro affectata breuitate tranſcurrimus, de aqua & ſitu eiuſdem dicere incipiamus. Sapientia ergo diuina, ſine calore & humore, nihil poſſe viuere, præſciens: terram verò & aquam eſſe frigidas, vt in ea viuere aliquid poſſet, totius caloris fontem, id eſt, ſolem, vt æqualiter hinc & illinc terram calefaceret, ſuper medium terræ poſuit. Sed quia à ſolo calore nihil viuere poſſet, in medio eiuſdem, fontis caloris fontem humoris ſuppoſuit, ex quibus hinc & illinc terra temperaretur. Eſt ergo fons humoris in medio torridæ zonæ, in medio Æquinoctialis circuli, terram circundans, qui ideo eſſe à pluribus non creditur, quia per nimium feruorem, ad ipſum non peruenitur. A Phyſicis tamen prædicta neceſſitate eſſe creditur, verumque mare vel Oceanus appellatur. Hoc vero mare cum vſque ad Occidentem venerit, duas refluxiones ibi facit, quarum vna ad Auſtrum, alia ad Septentrionem vergit, latera terræ ſequentes. Similiter in Oriente duas facit refluxiones, ad prædicta latera ſe vergentes. Cum Occidentalis verò refluxio, & illa Orientalis, ad prædicta latera ſe vergentes, ſibimet occurrunt, ex repercuſſione ingurgitatur retrò mare, fitque famoſa acceſſio & receſſio maris, quæ fluctus * maris dicitur. Similiter aliæ duæ in capite, ſibi occurrentes. Sunt alij qui dicunt, fluctus maris montes ſubditos mari cauſam eſſe. Cum item vſque ad ipſos mare peruenit, retro cadit, & ingurgitatur, impleturque retro alueus, ſed antè expletur. Si antè vero expletur, retro item reuertitur, & expletur retro, ſed impletur ante prædicta Occidentalis refluxio, ad ſeptentrionem vergens. Cum iuxta latera terræ tangens Africam, ad finem eius peruenerit, inter Calpem & Atlantem, vſque iuxta Hieruſalem, mediterraneum vocatur, diuerſa à diuerſis regionibus nomina accipiens. Qualiter verò aſcendat & deſcendat ſi quis ſcire deſiderat, & quæ nomina, ex quibus regionibus ſumpta, Mappam mundi conſulat. Sed quia facilius illabitur animo ſubiecta deſcriptio, id quod diximus oculis ſubjiciamus: in

* vel, æſtus maris pro fluxu.



poſita Sphærula prædicta Occidentalis refluxio ad Septentrionem vergens, ex Atlante monte adiacente, Atlanticum mare vocatur, infra quam eſt Anglia, & vicinæ inſulæ. Ex Orientali refluxione ad Septentrionem vergente naſcitur Indicum mare. Similiter ex aliis refluxionibus ad Auſtrum ſe vergentibus credendum eſt, maria naſci diuerſa. Sed hoc noſtra atteſtatione deſcribi non debet, quia propter torridam zonam interiectam ſitus illarum nobis incognitus perſeuerat.

CAPVT XV.

De ortu ventorum.

ET quia noſtra ſententia eſt, ex illis refluxibus ventos naſci, de ortu eorum diſſeramus tam Cardinalium quam Collateralium, cum igitur, vt prædiximus, in Occidente ex illo fonte, totius humoris, duæ refluxiones vna ad Auſtrum, alia ad Septentrionem diuiduntur, in illa ſeparatione mouetur aër. Sed ſi tantus fuerit impulſus, quod vſque ad nos peruenerit, generat ventum qui zephyrus vocatur. Duæ verò Orientales, ſua diuiſione generant ventum, qui Eurus nominatur. Cum verò Orientalis & Occidentalis ad Septentrionem vergentes, in medios ſibi occurrunt, mouetur aër, fitque ventus Septentrionalis, qui dicitur Boreas: qui idcirco frigidus, quia in frigida zona naſcitur. Siccus verò, quia nubes de hoc angulo terræ ad medium fugat, êſtque pluuioſus, iuxta fines torridæ zonæ. Cum verò tranſit torridam zonam, calefit, etſi nobis ſit frigidus, ibi tamen eſt calidus. Similiter cum duæ vergentes ad Auſtrum, in medio ſibi occurrunt, generatur Auſter: qui etſi vltra torridam zonam ſiccus & frigidus ſit, vt apud nos Boreas, quippe cum in frigida zona oriatur, quia tamen tranſit per torridam zonam, calefactus eſt, & ad nos peruenit calidus, fugandoque ante ſe nubes, vſque ad angulum terræ, in quo habitamus, generat nobis pluuias, eſtque ex accidente nobis calidus & humidus, etſi in ſua origine frigidus & ſiccus. Viſo vnde cardinales venti oriantur, etiam vnde ſint quatuor collaterales videamus. Si in duabus refluxionibus ad Septentrionem vergentibus, Boreamque prædicto modo generantibus contingat, quod Orientalis ex aliquo accidente ſit velocior, vltra medium Septentrionem & Occidentem occurrit, naſciturque ventus Collateralis, inter Boream & Zephyrum. Si verò Occidentalis, vltra medium Septentrionalis Orientali occurrat, fit ventus Collateralis inter Boream & Eurum. Similiter ſi aliæ duæ refluxiones vltra medium, modo hic modo illic, ſibi ocurrant, duo Collaterales ventos generant: vnum inter Eurum, alterum inter Auſtrum, & Zephyrum. Sed quia oculis ſubjiciendo figuram, minuemus laborem, vnam ſimilem præcedenti faciamus, in qua non in medio ſibi refluxiones occurrant. In prima vt ex illa Cardinales, ex hac Collaterales intelligamus. Sed quia in vna figura, non plus quam duos poſſumus oſtendere, per ſimile iſtarum, de aliis intelligatur. Quæritur autem: Si ex prædictis cauſis contingant venti,



Boreas.

cum

A cum cotidie refluxiones diuidantur, ſibique occurrant, quod teſtantur cotidiani fluctus, quare cotidie venti non contingant: Cui dicimus: quod, & ſi cotidie contingant, non impetum faciunt, qui vſque ad nos perueniat. Sæpe verò contingit, quod non putamus ventum eſſe, cum in aliis regionibus, vel in ſuperioribus aëris partibus tranſit, non tamen à nobis ſentitur. Sunt qui dicunt cauernas terræ cauſas eſſe ventorum. Cum enim eas ſubintrant, partes aëris ex labilitate, vna intrante, & alia exire volente, fit conflictus, quo aër commotus, generat ventum. Inde eſt quod Æolia, quia cauernoſa eſt, regio ventorum dicitur. Alij dicunt fumum humidum aſcendentem, & præponderatione ſua aëra mouere, ventumque rigare. Nos verò primum, & ſecundum, & tertium, cauſam ventorum eſſe docuimus.

Æolia regio ventorum.

CAPVT XVI.

Vnde quædam aqua dulcis quædam ſalſa.

B VNde aqua ſalſa ſit, doceamus. Naturalis ſapor aquæ inſipidus eſt, vnde naturaliter eſt inſipidum Phlegma, ex accidente tamen fit ſalſa. Cuius ratio talis eſt: Cum mare, vt diximus, torridæ zonæ ſit ſuppoſitum, ex calore ſpiſſatur, fitque ſalſum. Certum nempe eſt, per ebullitionem aquam tranſire in ſalem. Sed dicet aliquis: Cum ex principio hoc ſalſo, omnes aquæ naſcantur, & ad idem reuertantur (teſte Salomone, qui dicit: *Ad loca vnde exeunt aquæ, reuertuntur.* Neque enim credendum eſt, aquas adnihilari, ſed circulariter reuerti) vnde eſt quòd quædam aquæ ſunt dulces, quædam ſalſæ?

Eccleſ. 1.

CAPVT XVII.

Quod aqua colata & attenuata fontes dulces gignat.

CVius hæc ſolutio: Cum terra cauernoſa ſit, aqua ex labilitate ſua ſubintrat, quæ per Cataractas tranſiens, C colatur & attenuatur, ſalſumque amittit ſaporem, quæ ad terræ ſuperficiem erumpens, fontes & diuerſos riuulos dulcis ſaporis inde gignit.

CAPVT XVIII.

Vnde putei habeant humores.

SEd de puteis, vnde habeant humores, diſſenſio eſt. Si enim à Cataractis fontes principium haberent, implerentur & decurrerent? Contra quod dicimus: Etſi à Cataractis principium habeant, non implentur tamen. Contingit autem Cataractam non ibi finiri, ſed hinc & illinc eſſe. Vnde vltrà tranſit aqua putei, & non ebullit ſurſum. Vbi enim fons finita eſt Cataracta; Inde aqua propter ſpiſſitudinem terræ, non valens vltrà defluere, cogitur ſurſum ebullire. Sunt alij qui dicunt, non eſſe ex Cataractis principium putei, ſed ex ſudoribus terræ. Cum enim terra aliquid humoris contineat, ſi perforata D ſit, deſcendunt guttæ aquæ ad modum ſudoris hominis, & inde eſt aqua putei. Nobis videtur ex vtroque cauſam eſſe. Quod enim ex Cataractis ſint, per hoc probatur, quod iuxta flumina ſtatim reperitur aqua putei, & quod contingit ſæpe vni puteo, poſt alterum facto, aquam de primo auferri. Quod verò ex ſudore terræ ſint, probatur per hoc, quod in ſiccis & aridis locis, aqua putei reperitur.

CAPVT XIX.

Vnde aqua putei & fontis in æſtate ſit frigida in hyeme calida.

QVod aqua putei & fontis in hyeme ſit calida, ſic contingit: Cum hyems naturaliter ſit frigida, & frigiditate pori terræ conſtringuntur, nec poteſt calor euaporare, qui remanens, intus terram calefacit, & E aquam. In æſtate vero poris, ſuperficiei terræ ex calore apertis, fumus euaporat, minuiturque calor: inde ab intus erumpens, exit frigida. Eſt ergo aqua putei in æſtate frigidiſſima: aqua verò fontis, quia propinquior calido aëri, minus frigida, minus adhuc aqua fluuiorum, minus pluuiarum. Sic ergo dulcis aqua colando per cataractas terræ fit. Sed aquæ illæ, ex quarum humoribus fontes exeunt, per ſuperficiem terræ, non per Cataractas, ſpiſſæ ſunt & ſalſæ, mariaque vocantur.

CAPVT XX.

Vnde exuſtio vel diluuium.

ET quoniam communis Philoſophorum ſententia, terrena modo diluuio, modo exuſtione finiri. Vnde vtrumque contingat videamus. Cum ſit aqua, vt prædiximus, fonti caloris ſuppoſita, contingit humorem paulatim creſcere, caloremque ſuperare, donec ad id peruenerit, quod nullis littoribus detentus, per terras ſe dif- F fundens, terrena ſubmergit. Qui cum ex calore ſolis, & ex ſiccitate terræ deſiccatus ſit, contingit calorem paulliſper creſcere, humoremque ſuperare, donec ad id creuerit, quod per terram diffuſus, eas adurat. Sunt qui dicunt, ex communi Planetarum eleuatione, vel depreſſione eorum contingere. Si enim omnes Planetæ ſimul eleuantur, plus ſolito à terra remoti minus de humore ſibi aſſumunt. Vnde humor creſcens per terram ſe diffundit, fitque diluuium. Sed ſi vnus, vel duo, vel tres eleuentur, ſine aliis, non tamen excreſcit. Quod enim creſcit ex illorum eleuatione, deſiccatur ex aliorum propinquitate. Sic verò ex vicinitate omnes adurunt terras, fitque exuſtio: quia quod iſtæ ex propinquitate maius faciunt, aliæ remotæ minus faciunt. Et attendendum, quod diluuium aliud commune, aliud verò particulare. Commune verò continuum eſſe non poteſt, particulare verò poteſt. Sicque alternatim pereunt mortalia. Vnde quia in tempore Noë per diluuium mundi fuit deſtructio, per exuſtionem mundus finietur.

Gen.

CAPVT XXI.

Vnde fit quod in Lunatione modo creſcunt humores, modo decreſcunt.

G SEd quia in fine huius voluminis de habitu maris eſt tractatum, vnde in primis ſeptem diebus lunationis fluctus illius decreſcant, in aliis ſeptem creſcant, videamus. Cum igitur interlunium eſt, quod totus ſplendor ſolis, qui eam accendit, aëra ſubditum non poteſt tenuare, neque humorem deſiccare. Eſt enim tunc plenus fluctus. Sed cum ſplendor incipiens deſcendere, accenditur luna & deſiccat aëra, minuitque humorem. Quantóque plus deſcendit ſplendor, deſiccatur humor, vſque ad ſeptimum diem. Septima verò die, quia tota medietate accenſa eſt, mediante aëre, calefacit humorem. Qui ebulliens ſurſum eleuatur, & ſic vſque ad decimum quartum diem creſcit fluctus; ſed quia in tertia hebdomada calor eleuans in ea minuitur, fluctus maris immoratur. In H quarta verò, quia ſplendore accendente calor deficit, ſpiſſatur aër, humórque creſcit, & inde fluctuat vſque ad Nouilunium.

HONORII AVGVSTODVNENSIS Presbyteri,

IN LIBRVM QVARTVM, De Philoſophia Mundi.

PRÆFATIO.

SVperiorum voluminum ſeries à prima cauſa rerum orta, vſque ad terram defluxit, pruritum aurium non continens, ſed vtilitati legentium

A *deſtruient, atque ideo animis ſtultorum non ſedent. Iam enim illud impletum eſt:* Erit cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus. *Quæ igitur ſtudij reliqua libertas ſperari poſſit, cum magiſtros diſcipulorum palpones, diſcipulos magiſtrorum iudices, legémque loquendi & tacendi imponentes cognoſcamus? In paucis enim magiſtri, frontem, ſi adulantis vocem & vultum percipient, etſi ſit aliquis qui magiſtri ſeueritatem ſequatur, vt inſanus à Meretricibus magiſtra ſcholarum fugiatur, crudeliſque vocatur, & inhumanus: vt iam verbis Vmbricij poſſit vti,* atque ideo nulli comes exeo tanquam Mancus, & extinctæ corpus non vtile dextræ. *Vnde ergo deberent diligi, fugantur magiſtri, ſecundum illud Ouidij:*

2. Tim. 4.3.

Iuuenal. Sa. 3. v. 47.

Per quas nos petitis, ſæpe fugatis opes.

Sed quoniam probi eſt animum ad peiora non flectere, ſed melioribus conformare, remoto animo à peioribus, conformatóque melioribus, ad cætera tranſeamus. Et quia de aliis elementis, & ornatu, & eorum ſectantes compendia diximus, de terra & ornatu eius dicere incipiamus. B

HONORII AVGVSTODVNENSIS Presbyteri, de Philoſophia mundi.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De Terra & Mundo.

EST ergo terra elementum in medio mundi ſitum, atque ideo infimum. Mundus nempe ad ſimilitudinem oui eſt diſpoſitus. Namque terra eſt in medio, vt vitellus in ouo. Circa hanc eſt aqua, vt circa vitellum albumen. Circa aquam eſt aër, vt panniculus continens albumen. Extra verò concludens omnia, eſt ignis ad modum teſtæ oui.

C

CAPVT II.

De diuerſis qualitatibus terræ.

HÆc terra ſic in medio mundi poſita, & inde omnia recipiens pondera, etſi naturaliter ſit frigida & ſicca, in diuerſis tamen partibus ſuis, ex accidente diuerſas continet qualitates. Pars enim illius torridæ zonæ, parti aëris ſubiecta, ex feruore ſolis, torrida eſt & inhabitabilis. Sed duo eiuſdem capita, frigidis partibus aëris ſubdita, frigida ſunt & inhabitabilia. Pars verò temperatæ parti aëris ſubiecta, temperata eſt & habitabilis. Sed quia duæ partes illius, vt prædiximus, intemperatæ ſunt, duæ infra ſunt temperatæ, & habitationis patientes. Vna extra torridam zonam, altera vltra: ſed quamuis habitabiles, vnam tamen ab omnibus inhabitari tantum credimus, nec totam. Sed quia Philoſophi de habitationibus vtriuſque, non quia ibi ſunt, ſed quia ibi eſſe poſſunt, loquuntur de illis, quos nos non credimus eſſe propter intellectum lectionis Philoſophicæ, aliquid inde dicamus.

D

CAPVT III.

De habitatoribus eius.

PArs igitur zonæ habitabilis, in qua ſumus, in duo diuiditur. Cum enim temperies aëris ex omni parte ſit terræ, quædam pars temperata eſt, & habitabilis. Sed quoniam refluxiones Oceani latera terræ iuxta qualitatem Horizontis cingit, in duo illam diuidunt. Cuius ſuperiorem partem habitamus: Antipodes verò noſtri inferiorem. Nullus tamen noſtrum ad illos, neque illorum ad nos peruenire poteſt. Ex parte enim Septentrionis, frigus & refluxiones, tranſitum prohibent. Ex parte verò Orientis & Occidentis, ſol & refluxiones. Similiter alia habitabilis in duo diuiditur: Superius, quorum *ἄντιοι* noſtri obtinent, & inferius *ἀντίποδες* illorum. Sunt ergo in duabus habitabilibus quatuor habitatores, alij cum aliis in quibuſdam temporibus conueniunt, in quibuſdam differunt. Nos ergo & noſtri Antipodes ſimul habemus æſtatem, & hyemem, & alia anni tempora. Sed quando habemus diem, illi noctem, èconuerſo. Si enim ex propinquitate ſolis eſt Æſtas, & ex remotione Hyems, ex mediocri diſtantia Ver & Autumnus: ſigna verò nobis & illis æqualiter diſtant, quippe terram ſecuantia, & ſuum naturalem locum obeuntia, in quocunque ſigno ſit ſol, æqualiter erit nobis & illis, & idem efficiet. Meritò igitur habemus ſimiles diuerſitates, non tamen ſimul diem & noctem. Cum enim ex ſplendore ſit dies ex vmbra terræ ſit nox. Vmbra verò ſemper eſt in parte oppoſita ſplendori ſolis, cum in ſuperiori parte terræ eſt ſplendor diei, in inferiori eſt vmbra noctis, & èconuerſò. Nulla eſt ergo hora, in qua in aliqua parte non ſit dies, & in aliqua non ſit nox. Sed quæritur: Si nos, & illi, ſimul habemus æſtatem, & Hyemem, Sed quando nos diem, illi noctem. In æſtate verò nobis ſunt longiſſimi dies, breues autem noctes; Habebunt ergo ipſi in æſtate ſua dies breues, & noctes longas, quod non eſt naturale æſtatis? Contra hoc dicimus: Etſi quando nos diem, illi noctem, tamen in quodam tempore dies nobis & illis eſt communis, ſed alteri in veſpere, alteri in mane. Cum enim ſol eſt nobis in ortu, adhuc eſt illis in occatu, habemuſque mane, illi veſpere: vt circa horam primam nondum ſit eis nox. Similiter in Occatu, ex quo ſol incipit deſcendere, incipit illis apparere, & tunc eſt illis mane, nobis veſpere. Inde eſt ergo, quod habemus nos & illi dies æquales & noctes, etſi non ſimul. Similiter Hyems. Qualiter hoc ſit, ingeniis legentium diſcutiendum permittamus. Nos verò & *ἄντιοι* ſimilem habemus diem & noctem, ſed quando nos æſtatem, illi hyemem, & èconuerſo. Cum enim in eodem Hemiſphetio ſimul nos & illi habemus ſplendorem, & ſimul vmbram: ſed quia quando nobis eſt ſol propinquus, illis eſt remotus: quando habemus æſtatem, illi hyemem. Sed hic oritur quæſtio, ſimilis priori, ad quam ſi quis prioribus inſtructus acceſſerit, illius ſolutionem facilè inueniet. Nos vero, & Antipodes *ἀντίων*, neque ſimul æſtatem, neque ſimul hyemem, neque diem, neque noctem habemus, *ἀντίποδες* verò & ſui Antipodes ſic ſe habent, vt nos & noſtri Anteeci & noſtri Antipodes, vt nos & ſui. Antipodes noſtri & ſui vt nos & Anteeci. Et quoniam de habitationibus tribus & earum habitatoribus ſatis docuimus, de noſtra dicere incipiamus. Noſtra igitur habitatio ab Oriente in Occidentem, à Meridie ad Septentrionem extenditur, quæ quamuis temperata dicatur, non æqualiter tamen in omnibus ſuis partibus temperata eſt. Pars enim torridæ zonæ propinquior, vt eſt Libya, Æthiopia, calida eſt & ſicca, vicina frigidæ, frigida eſt, & humida. Occidentalis, frigida & ſicca. Orientalis calida & humida. Æqualiter verò diſtans, æqualiter eſt temperata.

E

F

Id à elo-bi. terra facile hodie manifeſtum.


G

CAPVT III.

De terminis Aſiæ, Africæ & Europæ.

HVius item tres partes ſunt principales, *Aſia Africa & Europa:* & incipit Aſia ab Oriente, & extenditur lateraliter à Septentrione, vſque ad torridam zonam, terminaturque *Tanai & Nilo*, mediam partem habitabilis continens. Europa vero & Africa duas alias obtinet. Sunt verò termini Africæ, *Nilus*, ex parte Orientis: à meridie torrida zona, à Septentrione mediterraneum mare, ab Occidente refluxio mediterranei. Termini verò Europæ ſunt ab Oriente Tanais, ad Mediterraneũ mare, ab occidente refluxio, à Septentrione frigida zona, hoc modo.

H



A

CAPVT V.

Vnde in quibuſdam montibus perpetuæ ſint niues.

IN hac item ſunt montes, in quorum ſummitatibus ſunt perpetuæ niues, cum in conuallibus maximus ſit calor. Sed quæritur, cum calor ſit ex ſole, & ex ſuperioribus: montes verò ſint propinquiores ſoli, quàm ſuæ conualles, quare in ſuperioribus illorum ſint niues & in conuallibus non? Contra hoc dicimus, quod & in ſuperioribus breuiter tetigimus: Quod quamuis ex ſole ſit calor, qui idem eſt calidæ naturæ, donec tamen humido, quod in ſui naturam tranſmutet, ſe commiſceat, nihil calefacere poteſt; vnde in prædictis montibus, quia aër ſubtilis eſt ex nimia remotione à terra, à ſole non poteſt accendi, ſed ex ſua leuitate impulſus, huc & illuc, frigidus efficitur. In conuallibus verò, quia aër eſt ſpiſſus, & inde ferè immobilis citò incenditur & calefit, quod per hoc ſimile poteſt probari. Quia ſi aër eſt immobilis, accenditur, & eſt calidus, ſed ſi ventus veniat, qui illum moueat, frigus ſentitur. Hic oritur quæſtio alia: Si aër in ſuperioribus prædictorum montium ita eſt ſubtilis, vnde ergo ſpiſſatur in nubes & niues? Nos verò dicimus quod ille aer non ſpiſſatur, ſed fumus humidus qui ex conuallibus aſcendit, ex frigiditate ſuperiorum in nubes & niues, conſtringitur.

B

CAPVT VI.

Quas qualitates contrahat terra ex diuerſis ventis.

HÆc eadem habitabilis, diuerſis ventis expoſita, diuerſas contrahit qualitates. Si enim aliqua pars eiuſdem montibus oppoſitis orienti, Septentrioni clauſa ſit, & Occidenti, expoſita verò meridiei eſt calida & ſicca, & Hyeme habitationi bona, in Æſtate peſſima. Si verò ex contrario, in Hyeme mala, in Æſtate bona. Pars verò Orienti expoſita, aliis itidem clauſa eſt, & calida & humida, & Veri bona, econtrario frigida & ſicca. In autumno mala, ſed in Vere bona. Idem verò de partibus terræ diximus, probari poteſt per feneſtras domus: Auſtrinæ namque in æſtate ſunt, malæ, in hyeme bonæ. Septentrionales econtrario. Inde erat quod Antiqui triclinia Auſtralia & Borealia faciebant, vt in Auſtrali hyeme, in Boreali æſtate diſcumberent.

C

Vitruuius idem teſtatur.

CAPVT VII.

De inſertis arboribus.

ET quoniam de hoc elemento, & de partibus eius ſatis diſſeruimus, de terræ fructibus & arboribus conſequens eſt vt dicamus. Sed quia Macer & Dioſcorides omne illud apertè docent, de illis taceamus. Vnam ſolam eius quæſtionem cum eius ſolutione ponentes, quæ talis eſt: Cùm alterius ſit naturæ truncus, alterius ſurculus, quæ ſit cauſa creſcendi? Cauſa creſcendi eſt fumus qui venit de terra, per radices & truncum, & dum deſcendit, perforans radices, aliquid terræ & aquæ ſubſtantiæ trahens, cauſamque viuendi, augmentandi, fructuſque ferendi conferens. Hoc per truncum aſcendit, truncuſque quod ſuæ naturæ eſt conueniens, continet, naturalique calore illud digerens, in medullam, & truncum, & corticem tranſmutat. Quod verò ad ſurculum aſcendit, ſurculus ſimiliter, quod ſibi conuenit, in ſui naturam dirigit. Quum nobis hac quæſtione & ſolutione prædictorum autorum, ſatis ſuperque dictum videatur: reſtat vt de terreno animali aliquid loquamur. Quod cum omne ſit mortale, quoddam tamen rationale, ſed quia irrationabilia infinita ſunt, lectioni Philoſophorum multum pertinentia, de naturis illorum, & vnde quædam ruminent, quædam non, dicere poſtponamus, vt de rationali & mortali, id eſt, de *homine*, quod dignius eſt, diſſeramus, quod quia ex duobus, ſcilicet, ex anima & corpore conſtat, prius de humano corpore, quod noſtræ cognitioni occurrit, deinde de Animæ virtutibus doceamus. Sed quoniam de compoſitione primi hominis tam maſculi quam fœminæ, qualiter & quomodo ex limo homo factus, ſit, in primo volumine docuimus, de quotidiana hominis creatione, formatione, natiuitate, ætatibus membris, de officiis, & vtilitatibus membrorum dicamus.

D

Homo.

E

CAPVT VIII.

Quid ſit ſperma.

CVm igitur ex ſpermate conceptio hominis fiat, de ipſo aliquid dicamus. *Sperma* ergo eſt * vtile ſemen. ex pura ſubſtantia omnium membrorum compoſitum. Quod verò ex ſubſtantia omnium membrorum illud ſit compoſitum, ex hoc apparet, quod omnia membra inde creantur, naturaliterque eſt, vt ſimilia conſimilibus naſcantur. Aliud item ad hoc eſt argumentum, quod ſi pater in aliquo membro aliquam incurabilem infirmitatem habeat, filius in eodem membro eandem obtinebit.

** f. vtile. le ſemen. infr. c. 12.*

F

CAPVT IX.

Quare in puerıtia coitus non contingat.

A Quartodecimo anno tempus coitus incipit. Sed quæritur: Cùm calore & humore ſperma cauſam contrahat, pueritia verò calida & humida ſit, quare in ea coitus non contingat? Cui dicimus, quod in illa ætate ſtricti ſunt meatus, huic ad hoc deſeruientes, deinde ſperma exire non poteſt. In aliis verò aperti ſunt, & apte coitui. In ſenectute verò & ſenio propter frigiditatem coitus vix contingit. Poſt comeſtionem ante ſomnum moleſtum hoc opus, minuitur enim naturalis calor qui cibum debet digerere. Poſt ſomnum verò quia cibus digeſtus eſt & verſus in ſanguinem, tempus illius eſt. Quæ verò complexio huic operi conueniat, ex ſecunda particula quæratur.

Coitus mox poſt ſumptam eſcam inutilis.

G

CAPVT X.

De matrice.

MAtrix verò eſt iſta ſeminis ſuſceptrix, intus villoſa vt melius ſemen ſuſcipiat, ſeptem obtinens cellulas, humana figura vt moneta impreſſas. Inde eſt, quod ſeptem, nec vnquam plures mulier vno lecto poteſt parere. Et quia ex matrice cauſa ſterilitatis contingit aliquando, aliquid inde dicamus.

CAPVT XI.

Quæ ſit cauſa ſterilitatis.

CAuſſa igitur ſterilitatis eſt nimia ſiccitas, nimia humiditas, nimius calor, nimium frigus. Cum enim ſperma ex temperato, id eſt, ſanguine conſtet, vt inde aliquid fiat ſimile: requirit. Aliquando nimia pinguedo eſt cauſa quare nihil concipiatur. Ex ea enim os folliculi obſtruitur, ne ſemen intrare poſſit. Vnde Virgil. in Georgic. dicit: Equas in tempore coitus macie eſſe extenuandas. Deinde ſubiungit Phyſicam:

Lib. II. v. 136.

H

*Ne * pinguior vſus ſulcos oblimet inertes.*

Iterum frequentia coitus huius rei cauſa eſt: delinitur enim matrix intus ad modum marmoris vncti & nihil, poteſt retinere. Si verò in muliere nulla ſit cauſa ſterilitatis, veniatque ſperma geniture conueniens in matricem, clauditur ſtatim ita: vt ait Hypocrates, quod nec acus poſſit immergi, factaque conceptio eſt. Ideoque conueniens geniture diximus, quia ſi nimis ſit calidum vel ſiccum, non eſt aptum genituræ.

**Aliter in Vir. eſt nimiono luxu obtuſior vſus ſit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.*

CAPVT XII.

Si aliqua nolens poteſt concipere.

SEd quæritur, Si ſolum virile ſemen ſine muliebri ſpermate genituræ ſufficiat? Dicunt quidam illud ſolum ſufficere. Cuius hæc eſt probatio: Quod ſæpe aliquis homo cum aliqua nolente, eaque flente, concubuit & aliquando gignit, vbi nullum ſemen mulieris eſſe poteſt:

non eſt enim ſine voluptate ſeminis emiſſio? Nos dicimus etiam muliebre ſemen eſſe in conceptione: quia per infirmitatem, quam puer contrahit in ſimili membro, à matre poteſt probari. Quod vero dicit, aliqua nolente, puerum concipi, Dicimus quia, etſi in principio diſplicet, in fine tamen ex fragilitate carnis concupiſcentialis placet. Sed quia conceptione Menſtruum ſolet ceſſare, vnde contingat, & quare tunc ceſſet, ediſſeramus.

CAPVT XIII.

De ſuperfluitatibus.

CVm mulier omnis naturaliter frigida ſit, calidiſſima quippe, frigidiſſimo viro frigidior eſt, cibum non poteſt bene digerere remanetque ſuperfluitas, quæ per ſingulos menſes purgatur, menſtruumque vocatur: Conceptione vero facta geminatur calor ex fœtu, vnde melius cibus digeritur, nec tantæ ſuperfluitates oriuntur vt prius. Item quia ex ſanguine matricis nutritur fœtus, non indiget purgatione.

CAPVT XIV.

Quare homo cum natus eſt non graditur.

INde eſt, quod cætera animalia, ex quo nata ſunt, gradiuntur: homo non graditur, quia ex ſanguine menſtruato homo in vtero nutritur. Sed vnde mulieres poſt conceptionem feruentiores ſunt libidine, bruta vero animalia omnino ab ea ceſſant? Inde cum mulieres frigidiores ſint viris, luxurioſæ magis ſunt illis. Vnde poſt coitum leproſi mulier non læditur, accedens verò vir, leproſus efficiatur dicere poſtponamus, ne corda religioſorum, ſi fortè hoc opus noſtrum in manibus acceperint, diu loquendo de tali re offendamus.

CAPVT XV.

De formatione hominis in vtero.

SPermate igitur in matrice locato, oreque eiuſdem clauſo, ſi in dextra parte remaneat (quia epar eſt in dextra parte matrici vicinum) meliore & calido ſanguine nutritur fœtus, maſculus efficitur. Si autem in ſiniſtra parte, quæ à fonte caloris, id eſt, ab epate eſt remota, fœmina erit. Si verò non bene in dexteram, ſed aliquantulum verſus ſiniſtram, plus tamen verſus dextram, vir effæminatus. Si in ſiniſtra, ita quod aliquantulum verſus dextram, mulier virilis. Cùm verò in vna prædictarum quatuor partium ſemen locatum eſt, incipit virtus digeſtiua operari, quæ calefaciendo calore matris illud ſpiſſat. Sed ex ſiccitate folliculum intra ſe conceptum continentem creat, ne aliquæ ſuperfluitates ſe illi miſcentes, illum corrumpant, hic folliculus cum puero creſcit, & oritur. Septima die conceptus, vt refert Macrobius, guttæ ſanguinis in ſuperficie folliculi incipiunt apparere. Tertia Septimana ad ipſum conceptionis humorem ſe demergunt. Quarta in quadam liquida ſoliditate, velut inter carnem & ſanguinem coagulatur. Quinta verò ſi puer in ſeptimo menſe naſci debeat, ſin autem in nono, ſeptima incipit virtus formatiua, cuius eſt officium, humanam figuram conferre. Hanc ſequitur virtus aſſimilatiua, cuius eſt officium quod frigidum & ſiccum eſt commutare in frigidum & ſiccum, vt ſunt oſſa: quod frigidum & humidum, in Phlegmata, vt eſt pulmo: quod calidum & ſiccum, in cholerica, vt eſt cor: quod calidum & humidum, in ſanguinea, vt epar. Deinde ſequitur virtus concauatiua. Huius eſt officium manus concauare, nares perforare, & cætera. Formatis verò membris, aſſimilatis & cauatis, incipit fumus humidus per venas, & arterias diſcurrere, motum vitamque conferre. Hic motus ſeptuageſimo die à conceptu incipit, ſi puer in ſeptimo menſe naſci debeat: ſin autem in octauo, decimo nono. Sed quia omnia quæ temporaliter viuunt, cibo aliquo indigent, ſequitur virtus paſcitiua, quæ vſque ad mortem extenditur.

Lib. 1. In ſomniũ Scip. c. 6.

CAPVT XVI.

Vnde puer paſcatur in vtero.

SEd quæritur qualiter, & quomodo puer in vtero paſcatur. Dicimus quod quibuſdam neruis, qui in vmbilico ſunt, matrici coniuguntur, per quos puro ſanguine ab epate matris deſcendente; nutritur puer & creſcit. Vnde quia digeſtum recipit, non indiget egeſtione ſuperfluitatis.

CAPVT XVII.

De natiuitate, & quare nati in ſeptimo menſe viuant.

HAs prædictas virtutes ſequitur natiuitas, cuius duo ſunt termini. Septimus menſis & nonus. Habet autem quæſtionem. Quæritur, cur ſi ante ſeptimum menſem naſcatur, viuere puer non poteſt, & cur in ſeptimo natus, viuat, in octauo non. Dicunt enim Phyſici: Quia ante ſeptimum menſem, non eſt tantus motus in puero, quod ſi naſcatur, viuere poſſit. In ſeptimo verò eſt motus ſufficiens vitæ, vnde puer mouens ſe, debiles neruos, quibus matrici iungitur ſi habeat frangens illos, naſcitur vitæ idoneus. In octauo menſe, motu ſeptimi debilitatus, viuere non poteſt, donec refectus in illo, & in parte noni iterum incipit moueri, rumpenſque neruos, idoneus vitæ naſcitur: & quia in calido & humido nutritus eſt naſcens, & ad diſſimile prodiens contrarietatem ſentit, vocémque * æmulationis emittit, & ideo prima vox hominis eſt vox doloris.

* *Lege eiulationis, vt probant ſequẽtia.*

CAPVT XVIII.

De infantia, & ſenſu.

A Natiuitate verò vſque ad annum quintum eſt infantia, quia in quadam parte illius fari non poteſt, in altera verò ſi loquitur, imperfectè loquitur. In hac ætate ſenſum habere poteſt, rationem tamen & intellectum non. De ſenſu igitur aliquid dicamus. De ratione verò & intelligentia, quare in tali ætate haberi non poſſint, quia ſunt de virtutibus animæ, loquendo de anima, ſatis inde dicemus. Et quia ex animali virtute, quoniam præcedit naturalis & ſpiritualis ſenſus, habet principium, de iſtis virtutibus, à naturali quæ prior eſt, inchoando deliberemus. Cùm igitur homo conſtet ex quatuor elementis, ex calore & humiditate, contingit humidum fumum naſci & calidum, qui diffuſus per membra mouens illa, digeſtionem trinam operatur, virtuſque naturalis vocatur. Et quia de tribus digeſtionibus facta eſt mentio, inquiramus quid ſit, & vbi ſit, & qualiter fiat.

CAPVT XIX.

De digeſtionibus & lapide vrinæ.

DIgeſtio igitur eſt alicuius rei per ebullitionem facta mutatio. Prima verò digeſtio fit in ſtomacho, ſecunda in hepate, tertia in omnibus membris: quare de prima primum dicamus. Cum humanum corpus incremento indigeat, in quadam ætate, in omni vero, reſtauratione, (quippe interiori & exteriori calore & frigore deuaſtantibus) neceſſe fuit cibum & potum, ex quibus eſſet mutatio & incrementum ſubintrare. Sed ſi cibus eſt groſſus, neceſſe fuit, vt priuſquam intraret ſtomachum, tenuis & deſiccatus redderetur. Ad hoc ergo dentes parati ſunt, (nati ex phlegmate, per gingiuas deſcendente, & ex ſpiſſato frigore, & durato) cibum conterant. Lingua ad modum manus Molendinarij illum vertat, & ſub dentes reducat, quæ ad hoc ſpongioſa eſt, vt cibi ſuccum recipiens: ſaporem diſcernat. Fit ergo in ore quædam primæ digeſtionis præparatio, cibus vero cum potu ſic præparatus, per οἰσοφάγον, id eſt, in ſtomachum per portam, cuius introitus amplius eſt, deſcendit ibique decoquitur, & in ſpeciem *Typſanæ* tranſmutatur, & eſt hæc prima digeſtio. De ſtomacho verò, vtrum ſit calidæ naturæ, eſt quæſtio. Aiunt quidam, quod calidæ

Stomachus an calidus.

naturæ

naturæ ſit: aliter enim cibus non poſſet decoqui: cum ergo cibum decoquat, & tranſmutet, calidus eſt. Nos vero dicimus, ſtomachum frigidum eſſe naturaliter, calidum accidentaliter. Eſt etiam neruoſæ naturæ, vt quando homo plus ſolito comederet, extenderetur; quando minus, contraheretur. Iterum neceſſe fuit, quod eſſet neruoſæ naturæ, ne cum aliquid durum, nec commaſticatum reciperet, læderetur: cum igitur omne neruoſum frigidæ ſit naturæ, ergo & ſtomachus. Sed vt melius cibum retineat, doneç decoquat, intus eſt villoſus. Quamuis tamen naturaliter ſit frigidus, ex accidente calefit. Superpoſitus eſt enim epati, ita ſcilicet quod ferè totus ab eo includitur. Ex dextra verò eius parte eſt fel, ex ſiniſtra eſt cor, quæ calida ſunt & ſicca: inde calidus eſt ſtomachus, vt igni ſuperpoſitus cacabus. Si propriè volumus loqui, in ſtomacho dicimus cibum coqui. Cibus igitur ſic eſt in modum Typſanæ mutatus, per [illegible], foramen, quod porta dicitur, exiens intrat duodenum inteſtinum, ſic dictum quia quantitatem duodecim digitorum, quales ſunt digiti eiuſdem in vnoquoque obtinet. Relicto verò eo quod eius nutrituræ eſt conueniens, tranſit in aliud quod ieiunum dicitur: quia nihil inde retinet. Huic ieiunio venæ quædam ab epate venientes ſe coniungunt, per quas quod liquidius eſt tranſit in infima epatis, Meſeraicæ, quia ſuccum mutant, ſic dictæ. Quod verò frigidum feculentum eſt, in longationem, & in feceſſum deſcendit: & hæc eſt primæ digeſtionis ſuperfluitas. Illud verò liquidum quod in infima epatis tranſit, calore eiuſdem digeritur. Quodque in ea calidum & ſiccum eſt tranſit in Choleram, per quaſdam venas, ad ciſtam fellis tranſmittitur: & hoc eſt choleræ ſedes, inde quædam pars ad confortandum in ſtomachum tranſit: quod frigidum & ſiccum in Melancholiam tranſit, & ad ſplenem, ſedem Melancholiæ tranſit. Sed quædam pars ad ſtomachum deſcendit: inde ad retentiuam confortandam. Quod vero frigidum & humidum in Phlegma mutatur, & ad pulmonem ſedem phlegmatis tranſit, quadam parte propter expulſiuam vim in ſtomachum tranſmiſſa. Quod ſi calidum & humidum; in ſanguinem verſum, remanet in epate, quod eſt ſedes ſanguinis. In epate ergo quatuor gignuntur humores, proprias ſedes habentes, Cholera, Phlegma, Melancholia, id eſt, nigra Cholera. Sanguis epar, phlegma pulmonem, quamuis quidam dicunt Phlegma propriam ſedem non habere, ſed cum ſanguine, vt melius poſſit per membra diſcurrere, remanere. Et hæc eſt ſecunda digeſtio. Quod ibi ſuperfluum eſt, per [illegible], vel [illegible], vel Quilim venam quæ ſpleni adiacet, & ad renes deſcendit. Quod ibi liquidum eſt, ad ſui nutrimentum retinentes, reliquum per vricides poros ad veſicam tranſmittit. Quod per virilem virgam exiens, vrina dicitur, & hæc eſt ſuperfluitas ſecũdæ digeſtionis. Sed quia pueri, habent poros vricides ſtrictos, quod ibi ſpiſſum eſt remanens, in lapideam tranſit ſubſtantiam. In aliis verò ætatibus, quia pori aperti ſunt, non generatur ibi lapis, ſed circa renes: ergo pueris naſcitur lapis in collo veſicæ, ſenibus circa renes. Sanguine verò in epate prædicto modo generato, ad omnia tranſit membra per venas, quorum calore digeſtus, in eorum ſimilitudinem tranſit. Superfluitas verò per ſudores exit. Alia verò pars, ad epar reuertitur, ibi decocta deſcendens, exit cum vrina, Sedimenque vocatur. Sed ſi in fundo ſit vrinæ, dicitur [illegible], id eſt, natura ſubſiſtens, ſiue ſubſtantia: ſi in medio [illegible], ſiue [illegible], id eſt, ad inferna in aluum fundens: ſi in ſummo, Nephile, nephi, id eſt, purificatio. Sed quid ſignificet in diuerſis locis exiſtens, quid quando eſt continuum quando diuulſum, quod ex ſubſtantia & calore, dicere non eſt noſtrum. Si quis verò hoc ſcire deſiderat, Theophilum de Vrinis legat.

CAPVT XX.

Quod homo naturaliter ſit calidus & humidus, & vnde longus & paruus, gracilis & groſſus.

HVius item naturalis virtutis eſt augmentum conferre, quod contingit ex humore & calore. Quod enim aliquid aſcendit, eſt caloris: quod verò ſpiſſatur, humoris. Sed dicetur: ſi ex calido & humido incrementum, vnde cholerici & Melancholici, quorum alteri frigidi & ſicci, alteri calidi & ſicci ſunt, creſcunt? Nullum verò eſſe hominem dicimus, qui calidus non ſit, & humidus: ſed tamen quidam plus quidam minus. Verbi gratia: Homo naturaliter calidus & humidus, & inter quatuor qualitates temperatus, ſed quia corrumpitur natura, contingit illas in aliquo intendi & remitti. Si verò in aliquo intendatur calor, & remittatur humiditas, dicitur Cholericus, id eſt, calidus & ſiccus, non eſt ſine humiditate tamen. Sin verò in aliquo intenſus ſit humor, calor verò remiſſus, dicitur Phlegmaticus. Sin autem intenſa ſit ſiccitas, remiſſus calor, Melancholicus. Sin verò æqualiter inſunt, dicitur Sanguineus. Sunt ergo omnes homines naturaliter calidi & humidi, ſed propter qualitates intenſas & remiſſas, recipiunt nomen intenſionis, & nomen contrarij, id eſt, remiſſi. In omni igitur complexione homo poteſt creſcere, plus tamen in alia, & minus in alia: in quadam in longum, in quadam in latum. Cholerici namque longi & graciles: longi ex calore, & graciles ex ſiccitate. Sanguinei verò propter calorem longi, pingues propter humiditatem. Phlegmatici verò propter frigiditatem parui, propter humiditatem groſſi. Melancholici autem propter ſiccitatem graciles, propter frigiditatem breues. Iſtæ naturales proprietates ſæpe variantur ex accidente. Nam Cholerici & Melancholici vel ex ocio, vel comeſtione ſunt pingues. Sanguinei & Phlegmatici ex abſtinentia, vel labore graciles. Quod vero Sanguinei & Phlegmatici & cæteri, pariter ſunt parui, ex paruitate matricis vel ſpermatis contingit. Hæc naturalis virtus habet quædam principalia membra, quædam deſeruientia, & adiuuantia, quædam alterum, quædam neutrum. Sed quia hoc à Iohannicio in Iſagogis ſatis dictum eſt, illo poſtpoſito ad ſomnum, qui ad naturalem virtutem pertinet, tranſeamus.

CAPVT XXI.

De ſomno.

SOmnus ergo eſt quies animalium virtutum cum intenſione naturalium. Contingit autem, fumo humido ad ſuperiora aſcendente, implentur nerui, quibus animalis virtus ſolet deſcendere. Deſinit ergo videre animal, & audire, &c. donec naturali calore illo deſiccato, animalis ſpiritus incipiat aſcendere, & ad aliquem ſenſum animalem excitare.

CAPVT XXII.

Vnde ſomnia, & de animali & ſpiritali virtute.

SOmnium verò ex reliquiis cogitationum, ex cibo & potu, & ex temperie, & ex complexione, ex qualitate iacendi, habet exiſtere, & hoc nihil ſignificat. Alia ex miniſtratione Angelorum, alia ex mundi cauſa, alia ex virtute & libertate animæ, quorum omnium probationes in promptu habemus. Sed quoniam noſtro propoſito hoc multum non attinet, & ad finem voluminis tendimus, illo prætermiſſo ad ſpiritalem virtutem tranſeamus. Prædictus ergo fumus per diuerſa foramina tranſeundo ſubtiliatus ad cor perueniẽs, ad attrahendum aëra, illud dilatat, vt interior calor temperetur: ad expellendas verò ſuperfluitates idem conſtringit, & tunc dicitur ſpiritalis virtus, cui arteriæ deſeruiunt. Sed ad animalem virtutem veniamus. Prædictus verò fumus per neruos aſcendens colando, ita ſubtilis efficitur: qui perueniens ad cerebrum, ſpiritus dicitur: deſcendenſque

A per diuerſa inſtrumenta, diuerſas operatur animales virtutes, vt oſtendemus: quæ quia è cerebro prodeunt, de ipſo ante dicamus, deinde qualiter ſenſus inde prodeant, & quoniam in capite continentur, ab illo exordiamur.

CAPVT XXIII.

De capite.

CApur eſt quædam ſubſtantia Sphærica, quaſi duobus digitis, antè & retro expreſſa. Rotunda verò, vt melius in eo cerebrum moueretur: & ne ſuperfluitates in angulis, ſi ſibi eſſent, remanentes. illud corrumperent. Ante & retro propter neruos inde procedentes quorum priores ſenſus operantur, poſteriores vero motum corporis voluntarium. In eius exteriori parte, eſt craneum, cuius pelliculæ adhærent capilli ex fumo aſcendente, & per poros exeunte, nati. Fumus etenim exiens ſiccus, ex frigiditate aeris conſtringitur, & in B corpulentam ſubſtantiam vertitur: alio vero fumo exeunte, impellitur ſurſum, quod induratum eſt, & ſic creſcunt capilli: ſed quia naturale eſt ponderoſum deſcendere, curuanter deſcendunt. Vnde quia & nulli ætati deſunt ſuperfluitates, neque alicui deeſt incrementum capillorum. Similiter eſt de vnguibus, qui ex ſuperfluitatibus cordis per ſummitates digitorum exeuntibus, ex frigiditate duratis, fiunt. Cæteri vero pili barbæ, & pectoris, cuidam ætati deſunt. Barbæ vero fœmineo ſexui deſunt. Cum enim barba ex calore habet exiſtere in homine, propter geminum calorem cordis & teſticulorum, poteſt eſſe. In muliere vero propter frigiditatem eſſe non poteſt, niſi ſit aliqua præter naturam calida. Eadem ratione nec eſt barba in Spadonibus. In pueritio vero eſſe non poteſt: propter ſtrictionem pororum: & quoniam fumo aſcendente fiunt capilli: iuxta qualitates complexionis vniuſcuiuſque contrahunt colores. De quibus in Phyſica ſatis dicitur. Ad cætera tranſeamus.

C

CAPVT XXIV.

De cerebro.

SVb craneo duæ pelliculæ ſunt, Miningæ dictæ, quarum exterior, durior eſt: duraque mater dicitur: propinquior vero cerebro, ne lædat ipſum, tenuior, diciturque *pia mater.* Sub iſtis eſt cerebrum, cuius talis è Conſtantino datur deſinitio. *Cerebrum eſt alba & liquida ſubſtantia, ſine ſanguine.* Quæritur an frigidum ſit, an calidum: Dicimus quia naturaliter ſit frigidum, ne continuo motu deſiccetur. Sed in capite ſunt tres cellulæ, in prora, in puppi, in poſteriori parte. Prima vero cellula eſt calida & ſicca & dicitur Phantaſtica, id eſt, viſualis vel imaginatiua, quia in ea vis videndi eſt, & intelligendi, ſed ideo calida & ſicca eſt, vt formas rerum & colores attrahat. Media vero dicitur λογιστικὸν, id eſt, rationalis: quia in ea eſt vis diſcernendi. Quod enim Phantaſtica trahit, ad hanc tranſit, ibique anima diſcernit. Eſt calida & humida, vt melius diſcernendo, proprietatibus D rerum ſe conformet. Tertia vero, Memorialis dicitur, quia in ea eſt vis retinendi aliquid in memoria. Quod enim in logiſtica cella diſcretum eſt, tranſit ad memorialem, per quoddam foramen, quod claudit quidam panniculus, donec aperiatur, quando aliquid tradere volumus, vel ad memoriam reducere. Iſta eſt frigida & ſicca, vt melius retineat. Frigidi enim & ſicci eſt conſtringere. Sed dicet aliquis: Quomodo hoc in quoquam potuit probari? Dicimus per vulnera illis partibus accepta. Cum enim eſſet aliquis bonæ intelligentiæ, rationis & memoriæ, videtur Phyſicis, quod accepto vulnere, in aliqua illarum cellarum, vim illius amittat, vires aliarum retinens. Vnde Solinus in Polyſtor; narrat, de quodam qui accepto vulnere in occipitio, ad tantam deuenit ignorantiam, quod neſciuit ſe habuiſſe nomen. Ergo merito antiqui dicebant, *in capite eſſe ſedem ſapientiæ.* In capite enim habent ſedem quem faciunt ſapientem, *intellectus, ſcilicet, ratio & memoria.* Ab hoc cerebro prodeunt nerui ad oculos, per quos animalis ſpiritus exiens, E viſum operatur, vt oſtendemus. Sed prius de ſubſtantia oculorum aliquid dicamus.

Cerebrũ.

Solinus c. Plin. lib. 7.

Potentia tres.

CAPVT XXV.

De oculis.

OCulus ergo eſt quædam orbiculata ſubſtantia & clara, ſed in ſuperficie aliquantulum plana, ex tribus humoribus, & ſeptem tunicis conſtans. Orbiculata eſt, vt huc & illuc verti poſſit: in ſuperficie plana, vt melius formas rerum & colores in ſe poſſit recipere, lucens & coruſcans ex humoribus, vt à viſuali ſpiritu poſſit penetrari. Ex tunicis, vt ſuperfluitates expellantur, ne illum lædant. Sed ſi quis nomen humorum, & tunicarum, & diſpoſitiones ſcire deſiderat, Panthenium legat. Duos vero oculos natura inſtituit, vt ſi vnus læderetur, alter remaneret. Deinde de viſu dicamus.

F

CAPVT XXVI.

Qualiter viſus fiat.

CVm igitur naturalis ſpiritus per neruos à cerebro prodeuntes ad oculos vſque peruenerit, exiens, ſi aliquem ſplendorem, vel Solis, vel alterius reperit, vſque ad obſtaculum dirigitur: quia offerens ſe, per ipſum ſe diffundit, formiſque & illius coloribus informatus, per oculos, & per phantaſticam cellam tranſit, viſuſque efficitur. Inde eſt, quod viſu figuras rerum & colores diſcernimus. Stoici tamen dicunt, viſualem ſpiritum vſque ad obſtaculum non peruenire, ſed oculum figuras rerum & colores in ſe recipere, ad quem perueniens ille radius, ſimiliterque informatus, viſum operatur. Sunt alij qui dicunt, illum, formis & coloribus ad obſtaculum peruenire, neque oculo informari, ad quem radius perueniens, informatuſque reuertens, viſum operatur. Nobis verò placet illa ſententia, quia viſualis ſpiritus vſque ad rem perueniat. Cuius rei hæc eſt probatio. Quia ex viſu alicuius lippientis ſæpe contrahimus eandem infirmitatem: Et vnde hoc, niſi quod à viſuali ſpiritu ad corruptionem oculorum perueniens corrumpitur, reuertenſque oculum corrumpit. G Huius eiuſdem rei facilis probatio eſt, quia ſic contingit: Cum homines ſint contrariæ complexionis, alij etenim ſunt calidi, alij frigidi alij humidi, alij ſicci, viſualis ſpiritus ab aliquo exiens, qualitates illius ſecum trahens, diffuſus per faciem alterius contrariæ qualitatis, illum corrumpit. Contraria namque contrariis læduntur. Inde eſt quod vetulæ lingentes faciem, expuentes, illud curant. Quod enim ibi eſt nociuum, expuunt. Vt igitur viſus fiat, tria ſunt neceſſaria: *Interior radius, exterior ſplendor obſtaculum rei.* His enim concurrentibus, eſt viſus, aliquo verò iſtorum deficiente, deficiunt.

Viſus ut fiat.

Viſui neceſſaria.

CAPVT XXVII.

De contuitione & intuitione & detuitione.

VIſus autem ſpecies ſunt tres: contuitio, intuitio, detuitio. Et eſt *contuitio,* quando aliquid videmus, nullo in eo occurrente ſimulachro, ſed oſtendenter qualiter viſus fieret, de ea ſatis diximus. *Intuitio* eſt quando aliquid videmus, in cuius ſuperficie aliquod occurrit ſimulachrum. *Detuitio* verò eſt, quando non ſuperficie, ſed in fundo apparet, vt in aqua: diciturque *detuitio,* quaſi deorſum tuitio. H Reſtat ergo de tuitione dicere: quorum quia eadem eſt ratio, etiam de detuitione diſputemus, vt quod de ea conſtituamus, de intuitione intelligamus. Cum ergo viſualis ſpiritus ad aliquid videndum dirigitur, ex labilitate huc & illuc impellitur, informatuſque formis circunſtantium, ſi ad aliquid obſcurum peruenerit, ex ſui ſubtilitate videri non poteſt. Sin autem ad aliquid radioſum, ex ſplendore illius apparet. Ariſtoteles verò dixit, nullum apparere ſibi ibi ſimulachrum ſed hominem ſe & poſteriora videre, hoc modo: Cùm prædictus ſpiritus aliquid radioſum oſtendit, radius illius eliſus repercutitur, reuerſus ad faciem videntis &

A poſteriora illa percipit: ſed quia mediante ſpeculo hoc contingit, videtur hoc in ſpeculo apparere. Sunt qui dicunt aëra inter hominem & ſpeculum diuerſis formis & coloribus inſignitum. Vnde ſi aliquid opponatur, ſplendidum apparet. Sin autem è contrario, non.

CAPVT XXVIII.

De auditu.

AVditus autem ſic contingit: Cum aër naturalibus inſtrumentis percuſſus, foramina vocis acceperit, exiens, primam partem aëris quam reperit, ſimili informat forma, & alia aliam donec ad aures perueniat: ad modum tympani, ſiccas & concauas, quibus reſonantibus, excitatur ille ſpiritus animalis, deſcendenſque ad aures, per quoſdam neruos, informat ſe ſimili forma, ſicque formatus ad Logiſticam cellulam reuertens audi-
B tum operatur. Similiter alij ſenſus fiunt, eodem ſpiritu animali ad illorum inſtrumenta per neruos à cerebro deſcendente. Et quoniam de perceptis ab illis iudicat anima, de anima & eius virtutibus tempus eſt diſſerere.

CAPVT XXIX.

Quid ſit anima.

Anima quid.

ANima eſt ſpiritus quidam coniunctus corpori, idoneam rationem diſcernendi & intelligendi conferens. Quod ex anima ſit diſcernere, & intelligere ſic probatur: quod creſcente cura corporis, minuuntur illæ virtutes, decreſcente illa, & creſcente cura animæ, & illæ creſcunt. Si enim ex natura corporis eſſent, creſcente cura corporis, creſcerent. Augmentata namque cauſa, augmentatur effectus. Iterum cum omnis creatura corporea vel ſpiritus ſit, conueniens fuit, vt homo ex ſpiritu & corpore conſtaret, vt cum vtroque aliquam
C affinitatem haberet. Hoc ergo cum corporibus vita carentibus commune exiſtere, cùm herbis & arboribus viuere, cum brutis animalibus ſentire, cum ſpiritibus diſcernere. Inde eſt, quod in diuina pagina, homo dicitur omnis creatura.

CAPVT XXX.

Quæ actiones ſint animæ & corporis.

CVm ergo ex anima, & corpore homo ſit, dominante anima, quippe in qua eſt ſimilis creatori, inconueniens eſſet ſi corpus ſuas actiones haberet, anima vero nõn. Sed dicet aliquis: Quomodo diſcernam, quæ actiones in homine debeant iudicari animæ, & quæ corporis ſint? Dicimus: Omnes illæ actiones quæ communes ſunt homini cum bruto animali, vel cum corporibus vita carentibus, etſi anima illas in homine operetur, nec debent dici animæ, ſed corporis. Quæ verò inueniuntur in homine, & in nullo alio corpore eſſe poſſunt, animæ ſunt: diſcernere, & intelligere animæ eſt, ſentire verò & ſimi-
D lia corporis.

CAPVT XXXI.

Quomodo motus corporis contingant.

SEd dicet aliquis: Si animæ actiones non ſunt, nec debent dici, vel virtutes vel vitia animæ, & quare illa damnantur vel remittantur? Nos verò dicimus: Etſi illius non ſint actiones, eſſe poſſunt eius vitia. Cùm enim ad hoc ſit anima homini data, vt illicitos motus corporis corrigat, ignorantia illius vel negligentia contingunt. Sicut ergo, ſi diſcipulus vel ſeruus negligentia doctoris vel Domini, peccet, magiſter vel Dominus, extra culpam non eſt, ſic nec anima illis contingentibus. Non ergo extra culpam eſt, etſi illius non ſint actiones.

CAPVT XXXII.

Qualiter anima ſit in homine.

CVm igitur homo ex anima & corpore conſtet, quæritur an ſit ſuppoſita, an concreta, an commixta,
E an coniuncta? Vno quippe iſtorum modorum inſunt omnia, quæ ſunt in alicuius compoſitione. Appoſita non eſt quia tunc extra corpus anima eſſet nec æqualiter illud moueret. Omne enim appoſitum extra illud eſt, cui eſt appoſitum, & maiores vires habent in proximo, vt alicui ignis appoſitus. Concreta non eſt. Concretum eſt quod ex ſubſtantia tranſit in alterius ſubſtantiam, vt aqua per ebullitionem in ſalem. Cum ergo anima non tranſeat in corporis ſubſtantiam, ſed ſemper ſpiritus, concreta illi non eſt. Nullum etenim commixtorum, eſſe ſuum retinet: Non ſunt ergo commixta, corpus & anima. Coniuncta ergo ſunt, ſed ita quia tota in omnibus partibus eſt corporis, eſſe ſuum retinens, tota & integra, hic ſubiiciens: Si in omnibus partibus tota eſt, abſciſſa vna parte corporis, anima tota abſciſſa eſt à corpore? Nos verò dicimus: Animam non eſſe in aliqua parte corporis, niſi dum anima eſt coniuncta cor-
F pori idoneo vitæ. Separata ergo corporis parte, remanet anima in aliis partibus, in quibus anima ante tota erat. Iterum quæritur, an anima ſit ex eadem parte & corpus, an ex alio? Nos dicimus: Nullam illius eſſe certam, propter creatorem ſolum, qui in omnibus dat eſſe. Vnde Plato omnium Philoſophorum doctiſſimus dicit: Deum creatorem, ſtellis creatis à ſe, ſpiritibus *Plato.* cauſam formandi hominem iniecisse, ipſam verò animam feciſſe, & illis tradidiſſe, quia miniſterio ſpirituum, & effectu ſtellarum, corpora humana exiſtunt & creſcunt, ſua voluntate Creatoris anima exiſtit.

CAPVT XXXIII.

De tempore coniunctionis illius cum corpore.

ITem quæritur: An humana anima, ante exiſtat, quam corpus, & quando illi coniungitur. Dicimus illam ante non ſubſiſtere, quod probari poteſt hac ratione, & autoritate: Si enim ante eſſet, vel in miſeria vel in bea-
G titudine eſſet, nullo præcedente merito. Auctore hoc Auguſtino probatur, qui dicit: Deum cotidie creare nouas animas. Tempus verò illius cum corpore, à nullo diffinitur. Nobis autem videtur poſt operationem informatiuæ & concauatiuæ virtutis. Tunc enim naturalis virtus per membra diſcurrere incipit, ſine qua vita non poteſt eſſe nec anima in corpore.

CAPVT XXXIV.

De virtutibus.

HVius animæ diuerſæ ſunt potentiæ, ſcilicet: *Intelligentia: ratio, memoria*, & eſt *Intelligentia* vis animæ, qua percipit homo incorporalia, cum certa ratione quare ita ſit. *Ratio* eſt vis animæ, qua percipit homo quid ſit, in quo res conueniant cum aliis, in quo differant. *Memoria*, verò eſt vis, qua firmè retinet homo antè cognita.

Potentiæ Animæ. Aliàs [illegible] vel [illegible], quæ hic Ratio.

CAPVT XXXV.

Quare non diſcernat & intelligat infans.

H SEd quæritur cum iſtæ proprietates ſint animæ, quare infans, in quo eſt & anima, nec diſcernat, nec intelligat, &c. Ad hoc dicimus, quia anima hominis à creatore habens principium, ex quo eſt perfecta quidem in genere ſuo. Vnde eſt, quod ex quo eſt anima quod neſcit, æque ab homine ſciri poſſunt, niſi grauitas carnis eſſet, quod per primum hominem (qui ante corruptionem humanitatis, ex quo fuit, habuit ſcientiam humanam perfectam) probari poteſt. Si verò corrupta humanitate, ex quo coniungitur, corrumpitur, nec proprietates ſuas poteſt exercere, donec vſus experientia, & alicuius doctrina * excetata, incipit diſcernere, veluti ſi aliquis ſubtili acie, oculorum, tenebroſo carceri detrudatur, videre non poteſt, niſi conſueſcat tenebris, vel lumen accendatur. Vnde Virgilius:

——*Quantum non noxia corpora tardant?*

In prima verò ætate, nec præceſſit vſus, nec experientia, nec

** Exercita.*

Lib. 6. Æneid. v. 731.

A nec eſt tempus doctrinæ conueniens. Cùm enim illa ætas ſit calida, & humida, ſtatim cibum digerit & appetit, vnde frequenti influxione indiget; & effluxione, ſpiſſuſque fumus generatur, qui aſcendens, cerebrum, in quo vis eſt diſcernendi & intelligendi, turbat.

CAPVT XXXVI.

De iuuentute & ſenectute, & ſenio.

Iuuentus. HAnc ætatem ſequitur *Iuuentus*: quæ eſt calida & ſicca. Deſiccatus eſt enim ille naturalis humor, quem contrahit homo ex matris vtero: vnde non tam ſpiſſus naſcitur fumus, neque ita cerebrum turbatur, eſtque ætas conueniens ad diſcernendum, &c. Et maximè ſi lampas diligentis doctrinæ accendatur. *Senectus.* Sequitur *ſenectus*, frigida & ſicca. Extinctus eſt enim naturalis calor, vnde in hac ætate viget memoria: ſed vires corporis deficiunt. B *Memoria.* Ex frigiditate enim & ſiccitate, cuius eſt conſtringere, eſt memoria. Ex calore vero cuius eſt impetum facere, vires corporis. Hanc ſequitur ſenium, frigidum phlegma. Vnde in illa deficit memoria, fiuntque homines pueriles. Eſt enim à phlegmate vis expulſiua. Hanc ſequitur animæ & corporis diſſolutio. Non enim extincto naturali calore, diu poteſt homo viuere. Et quia de homine ſatis docuimus, cuius eſt docere & doceri, dicamus, quales vt doceant, quærendi ſint, & quales vt doceantur, qualis complexio doctrinæ conueniens, in qua ætate ſit incipienda, & quando finienda, quis ordo diſcernendi.

CAPVT XXXVII.

Qualis quærendus ſit magiſter.

C TAlis igitur quærendus eſt, qui doceat: qui neque cauſa laudis, nec ſpe temporalis emolumenti, ſed ſolo amore ſapientiæ doceat. Si enim propriam diligit laudem, nunquam diſcipulum ad ſui perfectionem venire deſiderat. Subtrahit ergo doctrinam, ne in eo quod plus diligit æquetur, vel ſuperetur. Si etiam ſpe commodi temporalis inductus, doceat, non curabit quid dicat, dum nummum extorqueat. Sæpe verò plus placent nugæ, quam vtilia. Sed ſi amore ſcientiæ ad docendum acceſſerit, nec propter inuidiam doctrinam ſubtrahet: nec vt aliquid extorqueat, veritatem cognitam fugiet, nec ſi deficiet multitudo ſociorum, deſinet, ſed ad inſtructionem ſui & aliorum, vigil & diligens erit.

CAPVT XXXVIII.

Qualis diſcipulus.

D VT doceatur verò talis eligendus eſt qui non ſit doctrinæ obſtrepens, nec ſuperbus, ne videatur aliquid eſſe, cùm nihil ſit; qui magiſtrum vt patrem diligat, vel etiam plus quam patrem. A quo enim maiora & digniora accipimus, magis diligere debemus. A patre autem rudes eſſe accipimus à magiſtro autem eſſe ſapientes, quod maius & dignius eſt. Plus ergo diligendi ſunt boni doctores, quàm parentes. Nec tantum iuſtum, vt plus diligantur doctores, ſed vtile, vt ſententiæ illius nobis placeant, & verba in eo quem diligimus; quia quem non diligimus, ſæpe etiam nobis verba diſplicent, illaque fugimus, dum ſtudemus non imitari illos, quos non diligimus.

CAPVT XXXIX.

Qualis complexio conueniens ſit doctrinæ.

Vir. Bucol. & Georg. Omnia vincit. Amor, Labor improbus omnia vincit. Ætates hominis.

QVamuis verò ſanguinea complexio ſit habilis ad doctrinam, in omni tamen aliquis perfectus poteſt eſſe, cum labore, quia labor omnia vincit.

CAPVT XL.

Quæ ætas & quis terminus diſcendi.

PRincipio verò doctrinæ, adoleſcentia eſt conueniens: quia, vt ait Plato, ætas hominis ſimilis eſt ceræ, quæ ſi nimis mollis ſit, figuram non recipit: nec retinet. E Similiter ſi ſit dura. Ergo nec nimis tenera, ætas, nec nimis dura conueniens eſt doctrinæ. Terminus verò doctrinæ eſt mors Vnde quidam ſapiens, cùm ab eo quæreretur ita. Vbi eſt terminus diſcendi? Reſpondit: *Vbi & vita.* Quidam verò Philoſophus cum nonagenarius moreretur, inquiſitus à quodam diſcipulo ſuo, an de morte doleret, ait: *Sic* Quo interrogante, Quare? *Quia nunc capi diſcere.*

C. Plinius minor.

Theophraſtus apud Cic. 4. Tuſculan. & de Solonis diſcendi cupiditate Val. Max. lib. VIII. c. 7.

CAPVT XLI.

Quis ſit ordo diſcendi.

ORdo verò diſcendi talis eſt, vt quia per eloquentiam omnis fit doctrina, prius inſtruatur in eloquentia. Cuius ſunt tres partes, rectè ſcribere, & rectè pronunciare ſcripta, quod confert *Grammatica*; probare quod probandum eſt, quod docet *Dialectica*: Ornare F verba & ſententias, quod tradit *Rethorica*. Iniciandi ergo ſumus in Grammatica, deinde in Dialectica, poſtea in Rhetorica quibus inſtructi, & vt armis muniti, ad ſtudium *Philoſophiæ* debemus accedere. Cuius hic ordo eſt, vt prius in quadriuio, id eſt, in ipſa prius *Arithmetica*, ſecundus in *Muſica*, tertius in *Geometria*, quartus in *Aſtronomia*. Deinde in diuina Pagina: Quippe cum per cognitionem creaturæ, ad cognitionem creatoris perueniamus. Quoniam in omni doctrina Grãmatica præcedit. De ea dicere propoſuimus quoniam etſi Priſcianus ſatis dicat, tamen obſcuras dat definitiones: nec exponit cauſas, nec inuentiones diuerſarum partium & diuerſorum accentuum in vnaquaque prætermittit. Antiqui verò gloſſatores ſatis bene literam continuauerunt, & verè plerunque, & benè regulas exceperunt: ſed in expoſitione accentuum errauerunt. Quod G ergo ab iſtis minus dictum eſt, dicere propoſuimus, quod obſcurè exponere vt ex noſtro opere aliquot cauſas inuentionis prædictarum quærat, & definitionum Priſciani expoſitiones. Ex antiquis verò gloſſis continuationem: & expoſitionem literæ eiuſdem, & expoſitiones regularum, & ferè & plerunque petat. Sed quoniam de propoſitis ſupra, id eſt, de eis quæ ſunt & non videntur, ſectantes compendia diximus, vt animus lectoris alacrior ad cætera diſcenda accedat, hic quartæ partis longitudinem terminemus.

Grammatica. Dialectica. Rhetorica Philoſophia ſtudium. Theologia. Honor. de Orthographia promittit.

HONORII AVGVSTODVNENSIS PRESBYTERI, de ſolis affectibus, ſeu affectionibus.

LIBER SINGVLARIS

CAPVT PRIMVM.

De Hemiſphærio.

H HEmiſphærium nullus videt: quia ſi viſus ſuper terram dirigitur, & recta linea in firmamentum, tunc non videt dimidium cœlum. Reſpondemus: Licet plana ſit terra, tamen linea, ſecus terram protenſa, etſi ſit directa, non tamen eſt inclinata ſed tumor eſt, & vbi terra deeſt, viſus adhuc per eandem lineam deſcendit vſque in cœlum, cum nonquam viſus poſſit eſſe tortuoſus: ideoque ſi plana eſſet terra, ſicut aliqui putant, videret polum vtrunque, ita modo cum ſit rotunda.

CAPVT II.

De ortu & occaſu ſolis.

QVare Sol in æſtate videtur oriri, & occidere in Septentrione: Meridie autem eſſe in Auſtro, ſic collige: Cuiuſcunque vertici immineret polus, ei ſol ambiret

A ret terram, quaſi circa pedes. Recedenti tamen verſus Auſtrum, tantum quod æſtiui tropici retro aliquid abſcondantur, nihilominus tamen in angulo verſus Septentrionem videmus, quaſi acumina eius Paralleli, qui æqualiter vndique diſtat à polo. Ergo & ſol in illo exiſtens, non poteſt hinc & hinc polo eſſe vicinior. Si enim per lineam quæ videtur, deberet ſol ab oriente ad ortum peruenire, tunc in Meridie polo eſſet vicinior, quod eſſe non poteſt. Hinc enim quæſtio, quæ ſequitur, ſoluta eſt: Quomodo in ortu ſolis Diametros eius inueſtigetur, cum videatur oriri per rectam lineam, & vmbra orientis ſolis, illic videatur, debere eadem quo etiam inſidentis Horizonti. Sed notandum eſt, quod obliquè oritur, quaſi per arcum.

CAPVT III.

De horis artificialibus.

B OMni die præter Æquinoctium, ſunt artificiales horæ, & ſemper vigintiquatuor æquales inter ſe, ſic, vt totum ſpacium diuidas inter ſe æqualiter in duodecim partes æquales, ſiue breue ſit, ſiue longum. Naturales autem tantum in Æquinoctio.

CAPVT IV.

Altitudo ſolis & Climatis.

ESt autem altitudo alia Climatis, alia Solis. Altitudo ſolis cotidie deprehenditur, id eſt, quantum ſol cotidie aſcendat in Meridie. Porrò altitudo Climatis vocatur illud, quod eſt à capite cuiuſque hominis vſque ad ſolem in Meridie in Æquinoctio. Bene autem dicitur, Altitudo Climatis: nam cùm in Climate cuiuſque id quod ei ſit altiſſimum, quod eſt ſuper caput eius, in noſtro Climate quadraginta ſeptem gradus in meridie, in Æquinoctio ſunt vſque ad ſolem: ergo tam altum eſt C Clima noſtrum, quod ſi adderentur ſibi ſexaginta octo gradus, perueniret ſuper verticem noſtrum: ideoque in Meridie in Æquinoctio ſol ab Horizonte aſcendit, ſexaginta duo gradus, adde ſexaginta octo, & erunt nonaginta vſque ad verticem noſtrum.

CAPVT V.

De terra & magnitudine ſolis.

CVm Philoſophi terram centrum eſſe aſſerunt, verum dicunt: ſicut enim punctum in circulo nullam habet proportionem vſitatam, ſic nec terra ad ſuperiora. Ideoque cùm dicit Macrobius, quod terra ſit punctum ad circulum ſolis, ſol autem octies maior terra, patet quomodo ſe habeat terra ad circulum Solis: ſed tamen quia non eſt vſitata, ideò dicitur centrum illius circuli, vtpote multo minor in comparatione in eum, quàm Sol.

CAPVT VI.

D *De aqua tumore,*

QVæritur de aqua: Si tumorem habeat, quod videtur eſſe non poſſe, cum liquida, & deſcendit vſque ad planitiem, ſed videndum eſt quod hoc non eſt: quippe eius natura eſt ſemper in tumorem deſcendere, vt videtur in gutta, & vbicunque eſt aqua, pone oculum in vno littore, iam præ tumore medio aliud littus non videbis.

CAPVT VII.

De ſolis vicinitate.

QVanto ſol eſt vicinior, tanto facit longiores dies: verum eſt, ſed radiis eſt vicinior, quàm nolim: verum eſt, ergo facit longiores dies, quàm nobis? falſum eſt. Sic determina: Longiorem diem facit eius vicinitas Rhodiis, quam prius habuerunt, ſed non longiorem, reſpectu aliorum, ſed reſpectu ſui.

E CAPVT VIII.

Quod nihil ante ſolem occidat, quod cum ſole oritur.

ITem ad hoc quod dicimus pluſquam hemiſphærium in ortu directorum ſignorum. Opponitur: Sol oritur cum aliqua parte, ſed nulla pars, quæ oritur cum ſole, occidit ante ſolem. Dicimus autem Hemiſphærium in veſpera, ſuper nos, & non plus. Ergo non oritur niſi Hemiſphærium. Ad hoc dicimus, quia partes quæ oriuntur cum gradu Solis, & iam quæ poſt eum emergunt, quædam, inquam, illarum partium ante ſolis occaſum, in inferius hemiſphærium conuoluuntur.

CAPVT IX.

Quomodo fiat Eclipſis.

F QVare vel totus Sol ineſt Eclipſi? Ad hoc dicimus quod vel viſum indicabit: fit autem, vt aiunt, Eclipſis ſic: etſi nullus homo eſſet in mundo, tamen neceſſe eſt, vt Luna tamen inferior ſit ſole, cùm fuerit in centro ſolis, ita quando ſit in centro terræ, id eſt, in Æquinoctiali circulo, id eſt, in Ariete, vel Libra, tunc ſua oppoſitione facit tenebras toti mundo. Aliter autem mihi videtur, ſi enim fieri Eclipſin non credo poſſe, quippe cùm in hoc Septentrionali * lucem ſimus poſiti, & luna Soli ſubſit nobis inſpicientibus, ad Auſtrum non oboritur luna, nec aliquid impedit, ergo non fit ibi Eclipſis. Sic factis tenebris, in Eclipſi videntur ſtellæ in die. Nec etiam poteſt fieri in illo latere Zodiaci, ſed tantum in hoc, quia dum luna euagatur ad finem latitudinis zodiaci, tunc tantum noſtris viſibus opponitur. Eſt autem maior luna, quam terra: quia ſi tota terra eſſet ignis vnus, & aliquis eſſet, vbi modo eſt luna, non tanta appareret ei terra inde, quanta nobis videtur luna hinc, id eſt à terra. Sed opponitur: Luna vbicunque ſit, G poteſt in omni loco facere Eclipſin toti terræ, quia ita magna eſt, quod totam terram tegit? Ad hoc reſpondemus: Quia magna res & lata aliqua, propè aufert alicui totum viſum, ſed remota minus. Videtur mihi: Si ſol patſatur Eclipſim, quod oporteat eum in ecliptica linea pati, licet luna non. Si luna autem patiatur, oporteat eum eſſe in Eclipſin, licet ſolem non, & hanc ſecundùm noſtram rationem, non ſecundùm publicam.

* for. ſub vel limite.

CAPVT X.

De Lunæ ſaltu.

SAltus Lunæ, nihil aliud eſt, quàm detractio vnius diei à decemnouennali circulo: quia quod debet contrahi in ſingulis lunationibus, illud reſeruatur. Et quia plus in ſingulis computatur, ergo in vna aufertur, vnde videre poteſt per contrarium. In anno biſſextili ſunt treceni ſexaginta ſex dies, hoc non habet de ſui ſolius augmento, cum omnes anni ſint æquales, ſed quod prius dimiſſum erat, per ſingulos annos, hoc in quarto corrigitur, H eodem modo vltimus annus Emboliſmatis minus habet vno die aliis annis Emboliſmatibus: quod non eſt illius anni damnum ſolius, ſed quod in ſingulis lunationibus prius nimis computatum eſt, hic corrigitur. Ergo cùm dicit auctor, Lunam accendi poſt viginti nouem dies, & hora duodecima nondum completa, bene dicit, vt de his minutis dies vnus colligatur. De Oriente in Occidentem notantur Climata.

CAPVT XI.

De Oriente & aliis.

RAtio videtur, vt qui habent eundem Orientem, habeant & eundem Occidentem, & qui habent eundem meridiem, habeant & Orientem, ſed vtrumque falſum eſt, quod habet modo liquebit. Conſtituamus in primo Climate virum vnum, vel in quarto vnum, vel in ſeptimo, in linea directa à Septentrione in Auſtrum, tunc ei qui Septentrionalis eſt, prius Sol orietur, vt pote

A longiores dies habeant. Item conſtituamus à latere Auſtralis viri, contra Orientem virum, tantum vt cum eo Solem videat oriri, qui eſt Septentrionalis, ecce eundem habent Orientem, ſed non eundem Occidentem.

CAPVT XII.

De meridie.

EAdem quoque poſitione hominum videbis eos qui habent Meridiem vnum, non eundem habere Orientem. Conſtituti enim in linea à Septentrione in Auſtrum, duo priores, quos dixi, cùm Sol ad lineam illam venerit, Meridies erit vtrique, ſed tamen vnum Orientem non habuerunt. Quippe Septentrionalior, prius videt Solem oriri, vtpote productiores dies habiturus.

CAPVT XIII.

B *De Cancro & Capricorno.*

DIcitur Cancer nobis eſſe vicinior, quàm Capricornus quod quidam non eſſe aſſerere conantur, ſic: Terra eſt centrum, ſed ad quamcunque partem circuli à centro ducatur linea, æqualis erit, ergo quæ à terra ducitur ad Capricornum, ſimilis eſt ei, quæ ducitur ad Cancrum. Tota terra centrum eſt, ſuperior non quælibet eius pars.

CAPVT XIV

De Horizonte.

HOrizon alius terræ, alius cœli. Sed breuis & longus homo differentes habet Horizontes, quod & Macrobius innuit, cùm dicit: *Vltra centum octoginta ſtadia inde extenditur humanus aſpectus, quia infrà poteſt mutari.* Horizon autem cœli, neque pro longitudine hominis variatur, nec pro qualibet mutatione loci: quia ſi quis ſtaret in altiſſima turri, & aliquis in vno eiuſdem C cum Aſtrolabio eodem tempore, quo per foramen vnius, eodémque tempore, & per foramen alterius tranſiret radius ſolis, ita Horizon terræ mutatur qualibet progreſſione, non Horizon cœli.

CAPVT XV

De Æquinoctio.

AFfirmant quidam Æquinoctium habere illos, ſupra quorum capita eſt Parallelus Æſtiuus: ſic Omnis circulus in modum coluri ductus, ſuper caput alicuius videtur ab eo dimidius; verum eſt, ergo ſuper cuius caput ducitur, Æſtiuus tropicus, tantum videt eius medietatem, & ita æquinoctium eſt in illo. Hoc ita eſſe quidam verè affirmant, ſed non eſt ita; quia propter noſtram poſitionem quodammodo in finibus videtur eleuari, & in medio verſus Auſtrum deflecti, & coniungitur ei circulo, qui ducitur rectè ſuper caput alicuius, ab Oriente in Occidentem. Sed dicit: ſuper caput cuius aliqua D pars ſit eius circuli: quod totus ſuper eum voluatur, quod probare poteſt: verte globum pro placito tuo, & tene aliquid ſupra Parellelum, & verte, ſemper circulus opponetur ei qui ſupra ſe eſt. Item eſt aliud quod obeſt ſcilicet, quando plus videt de Parellelo: ſed dicunt talem eſſe illius loci naturam, quod hic plus operatur vna ſexagena, quàm ibi tres, propter ſolis vicinitatem.

CAPVT XVI.

De die & nocte.

DIes eſt ſol lucens ſuper terram, vel aër illuminatus, ſed in æquinoctio ante ſolis ortum, & poſt ſolis occaſum, aër eſt illuminatus, ergo nox non eſt æqualis diei. Sed notandum eſt, quod in talibus locutionibus per cauſam non attenditur natura rei expreſſæ: Gnomonicæ enim arti ſtudentes, ab vmbra orientis, vſque ad vmbram inſidentis Horizonti, tantum diem numerant, & verum eſt, dum dies eſt, quando aër illuminatus eſt: ſed aër & in lumine eſt antequam ſit dies, per diſtinctionem E horarum incipiat computari. Item cùm de naturali die agitur, viginti quatuor horarum, ſcilicet diem vocamus, ab ortu ad ortum, quod eſt conuerſio firmamenti: ſed ſi quis dicat, quod interea ſol gradum vnum tranſierit, & ita in die naturali pluſquam firmamentum conuertitur, verum eſt, ſed non notatur: quia in tam magno quaſi nihil eſt hic. Itaque propter gradum illum quotidianum fit in anno, vt plures ſint cœli conuerſiones, quàm dies, id eſt, trecenti ſexaginta quinque dies, & trecentæ ſexaginta ſex conuerſiones. Verbi gratia: Hodie Sol oritur cum primo gradu Arietis, cras in ſecundo, & ita in vno die conuertitur totum firmamentum & gradus vnus. In ſecunda die tantundem. Ita in duobus diebus conuertitur firmamentum bis, & duo gradus.

CAPVT XVII.

F *De Parallelis.*

FOrſitan quærat aliquis, & dignum quæſtione videtur, cùm ille qui cum eſſet in medio peruſtæ, videret omnes Parallelos in dimidia parte, & inde recederet commutatio loci, mutaret etiam ei Parallelos, ſcilicet vt de quibuſdam plus aſſumeret, de aliis tantundem amitteret. Quod ſi eſt tunc etiam illius æquinoctialis, aut plus aſſumit, aut aliquid perdidit, quod ſi ſit, tunc non poteſt in eo fieri æquinoctium. Sed notandum quod ferè omnes Paralleli mutantur, præter æquinoctialem. Hoc enim natura facit medietatis.

CAPVT XVIII.

Horologiorum diuerſitas.

HOrologiorum varietates ſcire non eſt inutile. In concauo enim ſtante, in terra, in modum pedis, vt mihi videtur: pro varietate dierum, erit & variatio ortuum: ſed & vmbra, vt reor, in illo per ſuperius labrum vagatur. Impendente verò ſuper terram, non poteſt, vt G æſtimo, deprehendi, niſi verus Meridies, ſed & vmbra inferius peruagatur.

CAPVT XIX.

Ad inueniendum interuallum in Horologio.

TErtiumdecimum interuallum in Horologio ad menſuras rerum diſtinctum, ſic inuenito. Gnomonem in octo partire, & ipſas partes in Horologio æqua menſura diuide. Ad vnum igitur menſura erit octuplus Gnomo, ad duas quadruplus, ad tres duplus, ſuper partiens tertias, ad quatuor duplus, &c. Ad octo partes æquales. Deinde vmbra vincit Gnomonem, ergo adiecta ad vmbram vna menſura, vmbra ad Gnomonem erit ſeſqui octaua, duabus erit ſeſqui quarta, tribus erit ſuper partiens octauas, & ita in infinitum. Eodem modo ſi quodlibet interuallum in duo æqualia diuiſum erit, Gnomon eſt, ſed ſeſcuplus ad primum, &c.

H

CAPVT XX.

Quod Sol medius numero dicatur.

CVm Sol dicatur medius numero, non ſpatio, videtur quod iure deberet medius ſpatio. Vnde Ouidius dicit de Phaëtonte: L. II. Metamorph. ver. 134.

Vtque ferant æquos & cælum, & terra calores,
Inferius terras: medio tutiſſimus ibis.

Sed cùm ſit vicinior terræ, non fert æquum calorem ſuperis & inferis. Reſpondeo: Natura caloris eſt, aſcendere, & omni licet ſit remotior à ſuperis, tamen recompenſatur per naturam aſcenſus, vt hic operetur vicinitas, illic natura aſcenſionis.

CAPVT XXI.

De ſtellarum lumine.

SI à Sole lumen accipiunt omnes ſtellæ, & eandem lucem, tam in die quàm in nocte non amittunt, cur

in

Digitized by Google

A in die ſicut in nocte non videntur, vel non in nocte ſicut in die obſcurantur? Reſpondeo: Claritas diurna impedit. In nocte autem videntur, per obſcurum aëra exiſtentes in lucido.

CAPVT XXII.

De diſtinctis ſphæris.

SPhæras eſſe diſtinctas, & diſtinctum eſſe eclypſim, taliter vt ſit interſtitium ſphæræ vnius ab alia, nihil eſt: quomodo enim Planetæ traherentur à Sphæra firmamenti, quæ eſt vltima? ergo totus ille æther vnum continuum, & naturali motu, ſcilicet circulari mouetur, & trahit ſecum Planetas: cùm enim moueri neceſſe ſit, ſed nec ſurſum, nec in aliam lineam poſſit, in circulum rapitur.

CAPVT XXIII.

B *Terra vnde frigida.*

LIcet autoritatis verba ſint, temperari temperatam vicino calore & frigore, hinc inde tamen ſic eſt accipiendum, vt totam noſtram frigidam naturaliter eſſe ſciatis, ſed a frigida zona, quia multum receſſit ſol, ideo multum permittit ſuæ naturæ, & quæ multum habet frigoris, videtur temperare calorem, cum potius calor imminuat intemperata naturalem frigus terræ, minus autem frigida. Sol autem octo ſexagenas colluſtrans peruſtæ, cùm in tropico æſtiuo fuerit, calorem facit his, qui ſunt ſub hyemali tropico, & ſi non adeò vehementem, vt prius, ergo videtur vt per totidem ſexagenas verſus Septentrionem æquum calorem ſit fuſurus: quod ſi eſt tam frigida, non eſt aliqua. Solutio: Aër ille peruſtæ ſolaris corporis præſentia ita incenditur, vt citò caleſiat dici præſentia: ſed poſito ſole in Capricorno, cùm per tredecim ſexagenas diſtet à frigida, ita ſolaris abſentia corporis, permittit aërem naturalem terreno frigore

C conſolidare & frigere, vt licet ad eum vicinius quandoque accedat: tamen minus ei dominetur, quàm illi remotiori, quoniam præſens accendit, vicinitas enim non tantum confert, quantum diuturnitas & frequentia accenſionis, vt de Sole videmus in Leone remotior, quàm in Cancro viciniori, plus calido.

CAPVT XXIV.

De linea Zodiaci.

ZOdiaci lineam, vtpote obliquam, aiunt longiorem, quàm æquinoctialem, quod non eſt: quia quæcunque linea quocunque modo ducatur, tantum vt tranſeat centrum, æqualis eſt aliis. Quod autem iſta videtur obliqua, hoc euenit ex Parellelorum diuerſa ſectione: tam recta enim in ſui natura eſt Ecliptica linea, ſicut æquinoctialis.

CAPVT XXV.

D *Zodiacus quò ducatur.*

QVoniam zodiacus obliquè ducitur per peruſtam, quæritur ſi Sol ſingulas partes peruſtæ accingat, cùm zodiacus nunquam exeat? Solutio: Peruſtam terræ haud dubio peragrat, non peruſtam cœli. Quod ſi quis conetur oſtendere ſic: Sol eſt longè ſub firmamento, & rapitur ab eo contra omnes partes peruſtæ cœli, falſum eſt. Cùm enim ipſa quoque peruſta cœli rapta trahat ſolem, non poteſt contra eius partes rapi. Verum autem eſſet hoc ſed ſi raptato ſole ſtaret, peruſta cœli itidem.

CAPVT XXVI.

Planetæ quò vadant.

VTrique ſententiæ, ſiue contra firmamentum vadunt Planetæ, ſeu cum firmamento, poteſt opponi. Contra firmamentum non vadunt, quia nulla res dum rapitur ab alia, poteſt ſuo motu præcedere eos ſua celeritate, non præcederet eos obliqua, ſed directa linea. Et ſic Sol, aliqua extra zodiacum eſſet. Quia omnes ſtellæ ſunt igneæ naturæ, ideo neceſſe eſt vt moueantur, ignis enim ſemper in motu eſt.

E

CAPVT XXVII.

De æquinoctiali linea.

HI qui eſſent in peruſta, ſemper haberent æquinoctium, nec ſic dico, quod tantum dies ſit æqualis ſuæ nocti, ſed dies diebus, & nox noctibus: quia etſi Æquinoctialis linea ſit maior aliis, tamen dies in ea non ſit longior: celerius enim ibi rapitur. Item ſi in Cancro altior eſſet raptus, quàm ſub libra, tamen nec citius, vel tardius in vtramque lineam conuolueretur.

CAPVT XXVIII.

F *De ſolſtitio in Cancrum.*

SI in primo gradu Cancri ſit ſolſtitium, ille nullum habet ſimilem. Altrinſecus autem æquipollent ſibi vigintinouem gradus cancri, & vigintinouem Geminorum, & ita reſpondent ſibi primus Geminorum & primus Leonis, & ſic per cætera: nec tamen hæc ſigna ſibi ſunt oppoſita inuicem, ſed à ſolſtitiali loco æqualiter diſtantia.

CAPVT XXIX.

Vnde viſus recidat.

PRoprium eſt & naturale, vt de leuigata ſuperficie, viſus recidat, in conſpicientem, certum quod eſt, ſed opponitur de baculo: tango vmbram alicuius in aqua, nec tamen eum. Solutio imò in illo loco, vbi videor tangere imaginem, ibi impeditur viſus, ne cadat in altum. Viſum à leuigato relabi, in aliqua ſic argumentum aſtrue:

G facies poſita in luce, videtur viſu relabente à ſpeculo. Item auerte faciem à luce, vt ſint tenebræ in faciem, etiam ſi ſpeculum ſit in luce, tamen non inſpicies faciem tuam, quia dum viſus relabitur in tenebris faciei, non videt faciem, tenebris impedientibus. Ideò & Plato tractat de natura ſpeculorum, ad probandam ſententiam ſuam de viſu: quia dicit, quod ignis exeat per oculos, quia apparet in ſpeculis.

CAPVT XXX.

De ſignis duodecim obſcurantibus ſolem.

DVodecim ſigna obſcurare Solem ſic aſtrue: Pone aliquod in mundi vmbilico, in ſuperiori Hemiſphærio, vnum hominem oppoſitum illi, ſimiliter in vmbilico inferioris hemiſphærij, deinde ſolis medio corpore ſuper Horizontem exorto, claritate ſua ſtatim ſex ſignâ ſuperiora impedit, ſimilique modo in inferiori ſua ſex, ita duodecim. Ad quod dicendum ſic: quòd fieri,

H vt & illi, & huic homini auferat, nec tamen eo minus ſex videntur. Sol enim ſemper totam ſphæram cœli illuminat, vtpote in quo eſt lumen omnium, corporis verò terræ medietatem etiam illuminat tunc, quæ in vmbra ſunt poſita, quia per vmbram vident, ſex ſigna vident: & ita aliquis habet partem Hemiſphærij noſtri ſuper ſuum Horizontem. Et ego quia per illuminatum aërem nullum ſignum video? Ille alter eiuſdem Hemiſphærij ſigna videt, ſed per vmbram: aliud eſt enim, per claritatem videre poſt vmbram, aliud per vmbram ad claritatem.

CAPVT XXXI.

Quod Planetæ non ſemper ſint æquè celeres.

CVm Planetæ dicantur æquè celeres, hoc eſſe non poteſt. Quippe ſi contra firmamentum vadunt, hi qui ſunt ſuperiores plus impediuntur, quàm inferiores, & ita æquale ſpatium non poteſt conficere eodem tempore, ſuperior & inferior. Ideo ſic dicas: Æque celeres ſunt ad motum, vbi vna tantum laboret, quantum alia, ſi non æque permoueatur: ſi enim rapitur, dum contra firmamentum

mamentum mouetur, neceſſe eſt vel impediatur; nec enim in vlla duci poſſet, & non retardari.

CAPVT XXXII.

De Sole aſcendente, & quid efficiat.

NOtandum eſt, cùm Sol verſus cœlum eleuetur, vt in Geminis duos dies ſupra triginta ponat, deſcendendo recompenſat, ita vt oppoſita ſigna diuidat inter ſe, quicquid fuit ſupra triginta. Nam cùm vnumquodque ſignum diuiſum ſit in triginta partes, & ſol in vno quoque ponere dicatur ſecundùm æqualem diuiſionem triginta dies, quicquid in Geminis plus ponit quàm triginta, hoc datur Sagittario, & erunt vnde duobus ſexaginta dies, ſicut & cæteris oppoſitis ſignis. Item notandum, quod Æquinoctialis circulus diuidit æqualiter zodiacum, ſed non in duo æqua, abſides Planetarum. Ergo ſolaris abſis minus eſt à Libra ad Arietem, quàm ab Ariete ad Libram. Ideoque plures dies ponit in Hemiſphærio dextro, quàm ſiniſtro.

CAPVT XXXIII.

In Ariete ſol multiplicat dies.

ITem ab Ariete in tribus ſignis duos dies plus ponit quam in reliquis tribus. Nam minutis ſedecim horis in Cancro, æquipollet Cancer Tauro in numero dierum & horarum &, ita duo illi dies in Geminis ſuperſunt. Æquipollent autem gradus, proximus ante ſolſtitium, & proximus poſt ſolſtitium, in æquali remotione, ſi non ſol in illis, quippe ab Ariete vſque ad Cancrum ſunt nonaginta quatuor dies, à Cancro ad Libram quatuordecim. Ergo dici non poteſt, quod ſolita deſcendat, ſicut aſcendit, quia tunc tot dies poneret hic, quot ibi. Item dici non poteſt, quod ante æquinoctium duos ibi dies prætermittamus: quia tunc oporteret, quod æquinoctialis circulus declinaret ad Solem, ſed hoc eſt dicendum. Sol aſcendens, præ nimio aſcenſu parum ſpacij tranſit de gradu, deſcendens autem plus ſpacij de gradu, tranſit, ita ſcilicet, vt capita huius ſphæræ longius à ſe diſtent, quàm illius, quam facit aſcendens, & ita dies proximus poſt Solſtitium non omninò ſimilis eſt illi, qui fit ante ſolſtitium, ſed tamen parum deeſt, quod tunc in omnes gradus diuideretur illud ſpacium, quod ſol conſummauit per dies duos aſcendens. Quod autem in dextro Hemiſphærio plures dies ponit, non nocet ad Æquinoctium: quia in paucitate vel pluritate dierum non eſt vis, ſed in medietate. Poteſt autem in confinio Geminorum & Cancri, eſſe & altitudo verſus vel erga cœlum, & altitudo vicinitatis nobis. Attamen altitudo verſus cœlum Geminis aſcribitur, quia ibi finitur: altitudo verſus nos Cancro datur, quia ibi incipit deſcendens.

CAPVT XXXIV.

De linea tendente per Centrum.

OPpoſitionibus & quæſtionibus faciendis, illud præmittas, & ſcias viſum admitti in plano vt terra, & vbi non adhæret terræ, ſecundùm hoc quod ab oculo deſcendit, adhuc vſque decidat in firmamentum, quod eſt cauſa quare Hemiſphærium videatur. Item ſciendum, lineam tendi per centrum terræ, de polo ad polum, eodemque modo ab Oriente in Occidentem per centrum terræ in firmamentum. Porrò ſit vnus in medio peruſtæ, & alter in inferiori Hemiſphærio oppoſitus illi, viſus illorum non incidet: lineis ſic ductis per centrum terræ, in modum crucis, niſi in fine linearum, id eſt, vbi incidit firmamentum. Sol igitur cum venerit ad lineam ductam per centrum terræ, nequaquam adhuc videtur: cùm autem venerit ad lineam viſus, tunc primum oritur, ergò longius ſpacium eſt per quod non videtur, quam per quod videtur. Ergo his, qui ſunt in peruſta, non poteſt eſſe æquinoctium. Adhuc & aliud inconueniens, quod gradus prius oritur, quàm Planeta. Harum oppoſitionum talis eſt enodatio Duos Horizontes eſſe, in plano vnum, alterum in alto, nullus vnquam dubitauit Philoſophorum. Dimerſio eius quæ habetur in plano, per Macrobium innotuit, eius qui ſit in alto dimerſio, comprehenſioni non ſubiacet. Sciendum autem eſt, Hemiſphærium terræ videri non poſſe, tumore terræ interueniente. Hemiſphærium verò firmamenti viſu in altum directo videtur. De lineis verò quæ ſe in centro terræ ſecant, & per terram de polo ad polum, de ortu ad occaſum protendi intelliguntur, hoc habeto, quod locum, vbi exire intelliguntur non vides nec quicquam de ipſa linea, niſi tantum vbi capita earum gradibus iunguntur, in ipſo firmamento, vt præſens figura docet. Sed dices: Ergo prius videtur gradus ſolis, quàm ipſe Sol? Ad hoc ita reſpondemus: Non negamus, nec eſt inconueniens ſanè intelligenti, ſi pars ipſius gradus prius videatur quam ſol: nam magnitudo gradus magnitudinem ſolis infinita & incomprehenſibili quantitate vincit, etſi affixus eſſet ipſi gradui, ſæpe hoc continget.

Sed non concedo, vbi totus prius emergatur, eodem modo intelligas in occidente partem gradus adhuc apparere, quamuis Sole viſui, iam ſubtracto. Quare diem naturalem dices, non de ortu Solis ad ortum, ſed de ortu gradus, ad ortum eiuſdem.

CAPVT XXXV.

An Sol diutius ſub terra ſit, quàm ſuper in æquinoctio.

QVod autem ſolem dicunt diutius eſſe ſub terra, quàm ſupra in Æquinoctio, falſum eſt. Sunt enim in hoc decepti, quod non putant ſolem eſſe ſuper terram, niſi ocurrat viſui eorum: Sed non ita eſt. Nam dum ſupereminet lineæ ſupradictæ, ſcilicet, quæ tranſit ſuper terram, in noſtro Hemiſphærio incipit tunc eſſe, quàmuis non videamus eum, nec ad locum, vbi viſus dirigitur, peruenerit, quod probari poteſt per hanc comparationem, hoc modo: Si aliquis eſſet in inferiori Hemiſphærio oppoſitus illi, quod propoſuimus in ſuperiori, non magis videret, ſolem, quàm ſuperior, quia eorum viſus non conueniunt in regione ſolis, ſed in ipſo gradu firmamenti, à quo multum diſtant. Et quanto plus ſtella quælibet à firmamento deſcendit, tanto maius ſpacium eſt inter vtrunque, ſuperioris ſolis & inferioris.

CAPVT XXXVI.

De Lucifero & Heſpero.

NEceſſaria igitur ratione probatur, ſi Venus ſit ſupra Solem, quod ſit eadem die Lucifer & Heſperus ſimul. Nec aliquid inconueniens inde incurrimus, quàm hoc quod duos Luciferos & duos Heſperos habemus. Aliquando namque in vna die habemus vel vicinius ad terram, ſcilicet cùm vterque ſupra ſolem vagatur, & duos Luciferos & vnum Heſperum, cùm vnus fuerit ſupra ſolem, & alter antè: quandoque duos Heſperos & vnum Luciferum, cùm vnus fuerit ſupra ſolem, & alter retrò. Si firmamento longius à terra acceſſiſſet, non videremus Hemiſphærium. Si ſolem videremus in linea Orientali, tunc plus videremus, quàm Hemiſphærium, quia oporteret vt per ſolem dirigeretur viſus in cœlum, infra quam modo, vbi iungitur lineæ orientali in cœlo. Cùm ſol venit ad lineam orientalem, non ſtatim videtur: ſic etiam antè occidit, quantum ad viſum conueniat ſub lineam occidentalem: ſecundùm quod igitur dicemus habere Æquinoctium? Per Solem dici non poteſt, quia per longius tempus non videtur, quàm videatur? Reſpondeo Secundum Solem dicitur æquinoctium, quia dum adhuc quaſi inſideret lineæ orientali, peruenit ad ortum eius canthus & nec per aquam, nec per Horologium poſſe deprehendi, per maius ſpatium latere, quàm videri: quoniam cùm Sol ſit maior terra, tam magnum in tam paruo non ſubito facit notabilem differentiam, Regio verò gradus videtur ante ſolis ortum, ſtellæ verò eius hebetantur. Venus autem licet raro, tamen quandoque eſt ſuper ſolem, prius venit ad lineam viſus, quàm ſolare corpus: etſi

Venus ſit minor ſole, tamen non tantum, quantum terra. Porro de hoc inueſtigando ſagacius, non erit inutile.

CAPVT XXXVII.

Quod Horologium in prima & vltima hora non habeat partes.

IN Horologio prima hora & vltima non habent partes: quia neque primæ initium, ſed finis tantùm attenditur: nec finis vltimæ, ſed initium. Sed quomodo nouies in hora ſol voluitur, cùm aliquid pertinet primam ad horam? De hoc quod Sol vadit de linea Orientali, inquam, quæ oritur, ſed Oriens non videtur? vel quomodo ſibi reſpondere poſſunt, circulus cœleſtis & Aſtrolabij, vel Horologij, Gnomonem habentes, cùm ſol in linea prædicta non videatur oriri? Reſpondetur: Tantæ eſt magnitudinis ſol, quod in paruo nullam facit diuerſitatem, inſidente enim Alhidada lineæ Orientali, penetrat radius vtrunque foramen: Sol enim magnus eſt, & à terra remotus. Et ideò licet ipſe cantus eius in linea Orientali non videatur, tamen non obeſt inſtrumentis, quia rationis datæ ſunt, ſecundùm quod deprehenduntur res in inſtrumento, & ideo etiam ſecundùm ſolem bene dicitur æquinoctium: quia in inſtrumento per tantum tempus medietatem circuli percurrit, per quantum tempus non videtur. Et ita ratio, quod aliud habere videtur, quàm res: ſed nos ſequamur actum, ſicut eſt deprehenſum.

CAPVT XXXVIII.

Quod Sol ducenteſima ſextadecima pars circuli ſui dicatur.

CVm Sol dicitur ducenteſima ſexta decima pars circuli ſui, videtur non eſſe verum: quia ſi totidem ſoles ponerentur ab Oriente ad Occidentem, & inferius, non impleret totum circulum? Reſpondetur: Alius eſt ille circulus, cuius, ipſe eſt, ducenteſima decimaſexta pars, & viſus noſter fallitur: quia non poteſt habere in illo circulo, in quo ſol voluitur in æthere, ſed in ipſum firmamentum cadit Sol autem non eſt pars circuli firmamenti, ſed ſui, in quo rapitur, qui eſt terræ vicinus.

CAPVT XXXIX.

De plano & alto.

AN fiat in alto per æquam remotionem mutatio quæ fit in plano? Reſpondetur: Si quis in altiſſima terra ſtaret, & alter in imo eius, fieret eis diuerſitas quæ in plano mutatio meridiei vel vmbræ, quia aliud eſt ſolis ortui occurrere per viſum, aliud cùm quis eleuato ſoli in altum opponitur: tantus enim eſt ſol, quòd non facilè aliquis centrum eius euadat, & ita cùm quis habet meridiem, alius longè inde remotus, etiam habet meridiem, nec mirum cùm eleuati ſolis in altum, vtriſque ſit idem centrum.

CAPVT XL.

De gradibus & Climatis.

DEprehenſo vno gradu in terra per vmbram omnes trecentos quadraginta conſtat inueſtigandos. Item & Climata per vmbræ variationem inueniuntur. Igitur videtur gradus vnus Clima vnum continere, ſed habitabilis noſtra quandoque habet ſexagenas, vnaquæque habet ſeptem gradus, ideo non quælibet mutatio vmbræ facit Clima, ſed in vnoquoque Climate notabilis variatio vmbræ in principio, & in medio, & in fine. Quare ergo ſeptimo Climate potiùs quàm quadrageſimo, duodecim eſſe dicuntur, de hoc quærendum eſt. Planetæ omnes dicuntur eſſe eiuſdem celeritatis, quod eſſe non videtur: quia quanto ſunt altiores, tanto magis impediuntur firmamento? Reſpondetur: Verè magis impediuntur ſuperiores, quàm inferiores, & tamen æqua eſt omnium celeritas, quia quanto ſuperiores, tanto leuiores; quanto leuiores, tanto celeriores. Sed firmamentum plus impedit ſuperiores nec mirum, quia naturaliter ſunt celeriores, & ſic attemperantur inferioribus.

CAPVT XLI.

De ſole hyemali.

QVando Sol habet noſtrum Parallelum, ab hyemali diſtat octo ſexagenas, à Septentrionali quinque. Igitur qui ſunt in frigida, debent plus habere caloris, quàm aliqui qui ſunt in peruſta? Solutio: Nulla pars peruſtæ, ſuper quam Sol in anno bis non eat. Ad has autem partes ſemel tantùm venit, non igitur vicinitas, ſed aſſiduitas calorem facit.

CAPVT XLII.

Æquales poſſunt eſſe ortus, occaſus non item.

NOn omnes qui poſſunt habere eundem ortum, eundem habere poſſunt occaſum. Proba: Illi qui ſunt in Climate Rhodiorum, habent longiſſimum diem ſedecim horarum. Si aliquis modo iret de Syene tam longè verſus Orientem, vt duabus horis prius oriretur ſibi Sol, quàm illi qui eſſet in Syene, ille haberet orientem ſolem, cum illis quæ ſunt in Climate Rhodiorum, ſed non haberet Occaſum cum eis.

CAPVT XLIII.

Quod non ſint æquales, meridies & Occaſus.

NOn omnes qui habent eandem meridiem, eundem habent Occaſum. Proba: Dicimus, qui ſunt ſub linea quæ protenditur de polo ad polum, eandem habent Meridiem, ſed non eundem Occaſum: quia quando Sol habet Cancrum, tunc Rodiis citius occidit, quàm nobis, & tardius oritur, quàm nobis.

CAPVT XLIV.

Quod Sol ſit adminiſtrator ætheree lucis.

QVæritur cùm Sol adminiſtrator ſit totius ætheræ lucis, quare non in medio poſitus ſit? Reſpondetur: Sol ſuperior & inferior à luce & calore illuſtrare debet, ſed cùm natura ſit totius caloris ſemper aſcendere, & nunquam deſcendere, neceſſe erat vt vicinior inferioribus, quàm ſuperioribus eſſet.

CAPVT XLV.

De corpore ſolari.

QVando ſolare corpus dimidium ſuper Horizontem noſtrum venit, ſex ſigna in noſtro obſcurat Hemiſphærio, & ſimiliter in inferiori ſex, igitur duodecim? Solutio: Verum eſt, & tamen non niſi ſex obſcurat: quia illi qui ſunt in Occidente, vident ſex, & hæc eſt cauſa quare videant, quod vmbra adhuc ante oculos eorum eſt.

CAPVT XLVI.

De medijs peruſta.

QVæritur de illis qui ſunt in medio peruſtæ, ſi ſemper habeant Æquinoctium? Reſpondetur: Habent, quia ſemper dimidios Parallelos vident. Item quæritur: Quando Sol Æquinoctialem habet Parallelum, ſi tunc longior ſit dies & nox, quàm tunc, quando habet tropicus? Reſpondetur: Non, quia non citius voluitur paruiſſimus circulus in Sphæra, quàm & longiſſimus. De Æquinoctio poteris hoc modo probare: Quod ſi in medio peruſtæ eſſet poſitus, omnes Parallelos ex dimidia parte videret, quorum vnuſquiſque totus infra viginti-quatuor horas euoluitur, dimidius infra duodecim, quamcunque illorum ſeruat Sol oriendo & occidendo, in quanto ſpatio illi euoluitur, in tanto & Sol. ἀνώμαλοι ſunt illi Planetæ, qui non vadunt in ſequenti anno vt in priori, quod maximè Mars facit. *Anomalè* enim ſonat, ſine regula.

A

CAPVT XLVII.

De ortu matutino & veſpertino.

NOtandum quod alius ortus matutinus, alius veſpertinus. Matutinus, vbi aliqua ſtella orientem ſolem præcedit, poſt mediam noctem. Veſpertinus vbi poſt occaſum ſolis aliqua ſtella appatuit. Eſt autem prætetea ortus alius Mundanus, alius Heliacus, alius Achronicus. Mundanus cùm de inferiori Hemiſphærio quælibet ſtella in ſuperius Hemiſpherium emerſerit. Heliacus cùm recedente Sole ab aliqua ſtella, permittit eam videri. Achronicus eſt, cum Sole occidente vagarum quælibet per Diametrum ſoli appoſita exierit. ἄχρονος etenim eſt, intempeſtiuus, ſiue ſine tempore. Occaſus alius Mundanus, alius Heliacus. Mundanus cùm de ſuperiori hemiſphærio in inferiori quælibet ſtella deſcendens. B Heliacus eſt cum accedente ſole, ad aliquam ſtellam videri eam non poſſe, efficit.

CAPVT XLVIII.

Quid ſtatio matutina & veſpertina.

ESt ſtatio alia matutina, alia veſpertina. Matutina cùm ante ortum Sol eſt in ſtatione in legitimo termino. Veſpertina eſt cum occidente ſole apparet aliqua in ſtatione. Ipſorum quoque Planetarum alij ſunt Hypolitici, id eſt, tranſitorij, alij ſtationarij, alij retrogradi, alij Anomali. Hypolitici ſiue tranſitorij ſunt, qui è priori ſigno tendunt ad poſterius: cumque hoc omnes faciant, præcipuè tamen Sol & Luna. Ita enim hi duo de prioribus ad poſteriora tendunt, quod nunquam obſiſtunt, nunquam retrogradantur. Si ſolem aliquis opponat ſubſiſtere, quod in Geminis tardius mouetur, quàm in Sagitario, dicite, ipſe nunquam ſubſiſtit. Nam vbique æqualiter celer eſt: ſed quia maius ſpacium ibi C complere habet, dicitur ibi ſubſiſtere, quod patet in extremitate.

CAPVT XLIX.

Unde ſtellaria creata ſint.

QVod verò ſtellaria ex aquis materialiter facta ſunt, iſto argumento probari poteſt. Nam cùm duo ſuperiora elementa, ignem & aëra ex ſua natura, ita abſque omni ſpiſſitudine eſſe manifeſtum eſt, vt nihil horum ex ſua natura niſi ex accidente, viſui peruium ſit. Nam cùm hoc, quod quidam rudes dicunt ſe cœlum videre, quando aër purus eſt, cùm aliquid videre, ſe fingunt, conſpicere illud falſiſſimum eſt. Nam vbi viſus deficit., ibi error: ſenſus dat imaginationem videndi, quod non videt. Sicuti aliquis clauſis oculis videtur ſibi tenebras videre. Nam quamuis viſus ex luce oculorum ſumit exordium, nihil tamen valet, niſi ex obſtaculo alicuius ſpiſſitudinis repercutiatur. Si verò aër iſte inferior, D qui eſt inter nos & parietem, vel materiam, vel aliquid tale, non poteſt viſui ad ſentiendum obſtare, multo minus qui ſuperior & purior eſt, vnde propriè aër cœlum dicitur, eo quod à viſibus noſtri cæletur. Vnde conſtat, quod omne corpus viſibile alicuius denſationis eſt quod ex ſpiſſitudine aquæ vel terræ contingit. Nam nubes ex vapore aquarum denſatæ viſibiles apparent: etiam flammæ quæ in nubiloſo aëre, vel in aliqua materia quæ comburitur, fiunt ex vaporibus.

SERIES ROMANORVM PONTIFICVM,

Per Honorium Auguſtodunenſem.

Quorum amplius X X X. priores Martyrio ſunt coronati.

PETRVS Galilæus, ſedit annis viginti quinque, menſes duos, dies tres. Cœpit Chriſti anno XLIV.

LINVS Etruſcus, annis duodecim menſes tres, dies duodecim. E

CLETVS annis duodecim, menſem vnum, dies vndecim. Negant alij Papam fuiſſe.

CLEMENS Romanus, annis nouem, menſes duos, dies decem. S. Petri fuit diſcipulus. Pauli auditor. Hinc Protonotarij cœperunt.

Anacletus Græcus Athenienſis, annis nouem, menſes duos, dies decem.

Euariſtus Bethlemius, Syrus, annis nouem, menſes decem, dies duos.

Alexander Romanus, annos XII. (aliis ſeptem) menſes ſeptem, dies duos.

Sixtus Romanus, annis decem, menſes duos, diem vnum.

Teleſphorus annis decem, menſes tres.

Hyginus Athenienſis annos quatuor, menſes quatuor, dies quatuor. F

Pius annos nouemdecim, menſes ſex, dies viginti vnum.

Anicetus Syrus, annos vndecim, al. nouem, menſes quatuor, dies ſex.

Soter, annos nouem, menſes ſex, dies viginti vnum.

Eleutherius annos quindecim, menſes tres, dies duos.

Victor, annos vndecim, menſes duos, dies duos.

Zepherinus Romanus annos nouem, aliis XX. menſes ſex, dies decem. *Anno Chriſti 200.*

Caliſtus, annos ſex, menſes duos, dies decem.

Vrbanus Romanus annos quatuor, menſes tres, dies duodecim.

Pontianus Romanus annos nouem, menſes quinque, dies quinque

Antheros Græcus annos vndecim, menſem vnum, dies duodecim.

Fabianus Romanus annos tredecim, menſes vndecim, dies vndecim.

Cornelius Romanus annos duos, menſes duos, dies tres. G

Lucius Romanus annos tres, menſes tres, dies tres.

Stephanus Roman. annos ſeptem, menſes ſex.

Sixtus II. Athenienſis annum vnum, menſem vnum, dies decem.

Dionyſius annos ſex, menſes duos, dies quatuor.

Felix Romanus annos quatuor, menſes quatuor, dies quindecim.

Eutychianus annum vnum, menſem vnum, diem vnum.

Gaius Salonenſis annos vndecim, menſes quatuor, dies duodecim.

Marcellinus Romanus annos quatuor, menſes quatuor, dies ſedecim.

Marcellus Romanus annos quinque, menſes ſeptem, dies viginti vnum. *Anno Chriſti 300. Pontif. 30.*

Euſebius Græcus annos ſex, menſem vnum, dies tres.

Melchiades Afer annos quatuor.

Sylueſter Romanus annos viginti tres, menſes decem, dies decem. H

Marcus Romanus annos duos, menſes octo, dies viginti.

Iulius Romam. annos duodecim, menſes duos, dies ſeptem.

Liberius Roman. annos ſex, menſes tres, dies quatuor.

* Felix annum vnum, menſes ſeptem, dies vndecim.

Damaſus Hiſpanus annos octodecim, menſes ſex, dies decem.

Syricius Roman. annos quindecim.

Anaſtaſius Roman, annos quindecim. *Anno Chriſti 400.*

Innocentius Albanus annos quindecim, menſes vndecim, dies viginti vnum.

Sozimus Cappadox annos tres, menſes tres, dies vndecim.

Bonifacius Romanus annos ſex, menſes octo, dies ſeptem.

Celeſtinus Roman. annos quatuor, menſes decem, dies quatuordecim.

A Sixtus III. Roman. annos ſeptem, dies octodecim.
Leo Magnus Roman. annos viginti vnum, menſem vnum, dies tredecim.
Hilarius Sardus annos ſex, menſes tres, dies decem.
Simplicius Tiburtinus annos quindecim, menſem vnum, dies ſeptem.
Felix II. Roman. annos octo, menſes vndecim, dies ſeptemdecim.
Gelaſius Afer annos quatuor, menſes octo, dies octodecim.
Anaſtaſius II. Romanus annum vnum, menſes vndecim, dies viginti duo.
Anno Chriſti 500. Symmachus Sardus annos quindeciem, menſes ſeptem, dies viginti ſex.
Hormiſda Campanus annos octo, dies octodecim.
Ioannes Etruſcus annos duos, menſes octo, dies quindecim.
B Felix III. Beneuentanus annos ſeptem, menſes quinque, dies quindecim.
Bonifacius II. Romanus annos duos, dies viginti ſex.
Ioannes II. Roman. annos duos, dies quinque.
Agapitus menſes vndecim, dies nouemdecim.
Siluerius Pruſinas annum vnum, menſes quinque, dies vndecim.
Vigilius Romanus annos ſeptemdecim, menſes ſex.
Pelagius Roman. annos duodecim, menſes decem, dies vinginti octo.
Ioannes III. Románus annos duodecim, menſes vndecim, dies viginti ſex.
Benedictus Roman. annos quatuor, menſem vnum, dies viginti octo.
Pelagius II. Roman. annos decem, menſes duos, dies, decem.
Anno Chriſt 600. S. Gregorius Magnus Roman. annos tredecim, menſes ſex, dies decem. Cœpit an. Chriſti DXC.
Sabinianus Tuſcus annum vnum, menſes quinque, dies nouem.
Bonifacius III. Romanus annos, quinque, menſes decem.
C Bonifacius IV. Marſus.
Deuſ-dedit Roman.
Bonifacius V. Neapolitanus.
Honorius Campanus annos duodecim, menſes decem, dies ſeptemdecim.
Seuerinus Roman. menſes duos, dies quatuor.
Ioannes IV. Dalmata annum vnum, menſes nouem dies nouendecim.
Theodorus Hieroſolymita annos ſex, menſes decem, dies octodecim.
S. Martinus Tudertinus, Etruſcus, annos ſex, menſem vnum, dies viginti ſex.
Vitalianus Signinus, Latinus, annos quatuordecim, menſes ſex.
Adeodatus Roman. annos quatuor, menſes quinque, dies quinque.
D Domnus, alias Domnio, Roman. annum vnum, menſes quinque, dies decem.
Agatho Siculus, Monachus, annos duos, menſes ſex. dies octo.
S. Leo iunior ſeu ſecundus, Siculus, menſes decem, dies ſeptemdecim.
Benedictus II. Roman. menſes decem, dies quindecim.
Ioannes V. Antiochenus, Syrus, annum vnum, dies nouem.
Conon Thrax menſes vndecim.
Sergius Syrus Panormitanus annos tredecim, menſes octo, dies viginti quatuor.
Ioannes VI. Græcus annos ſex, menſes quinque, dies ſeptemdecim.
Anno Chriſti 700. Pont. 86. Ioannes VII. Græcus annos duos, menſes ſex, dies quindecim.
Siſinius Syrus dies triginta.
Conſtantinus Syrus, annos ſeptem, dies quindecim.
Gregorius II. Romanus annos ſedecim, menſes nouem, dies vndecim.

E Gregorius III. Syrus annis decem, menſes octo dies vigintiquinque.
Zacharias Græcus Monachus annos decem, menſes quatuor, dies quatuordecim.
Stephanus II. Roman. & Stephanus III. annos quinque, dies viginti octo.
Paulus Romanus, annum vnum.
Stephanus IV. Siculus Monachus, annos quatuor.
Adrianus Romanus annos viginti quinque, menſes decem, dies quatuordecim.
Leo III. Romanus annos viginti, menſes quinque, dies ſedecim.
Stephanus V. Roman. menſes ſeptem.
Paſchalis Romanus annos ſeptem, dies ſeptemdecim. *Anno Chriſti 800. Pontif. 100.*
Eugenius II. ſeu iunior, ann. quatuor, menſes ſeptem, dies viginti duos.
Valantinus Roman. dies quadraginta.
Gregorius Quartus Romanus ſeptemdecim annos.
F Sergius iunior Roman. tres annos.
Leo IV. Romanus annos octo, menſes tres, dies ſex.
Benedictus III. Romanus annos duos, menſes ſex, dies ſex.
Nicolaus Roman. annos nouem, menſes ſex, dies triginta.
Adrianus iunior, ſeu ſecundus annos quinque.
Ioannes VIII. annos decem, dies duos.
Martinus II. vel Marinus Phaliſcus, annum vnum, menſes quinque.
Adrianus III. Roman. annum vnum, menſes quatuor,
Stephanus VI. Roman. annos quinque.
Formoſus Portuenſis, annos quinque, menſes ſex.
Bonifacius VI. Roman. dies quindecim.
Stephanus VII. Romanus annis quinque, menſes tres.
Romanus Phaliſcus menſes quatuor.
Theodorus II. Roman. dies viginti.
Ioannes IX. Tiburtinus Monachus annos duos.
Benedictus III. Romanus annum vnum, menſes quinque.
G Leo V. dies ſexaginta ſeptem. *Anno Chriſti 900.*
Chriſtophorus Roman. menſes quatuor.
Sergius III. annos ſeptem, menſes tres, dies ſedecim.
Anaſtaſius III. annos duos.
Lando Sabinus menſes ſex, dies triginta quinque.
Ioannes X. Rauennas annos quatuordecim, menſes duos, dies tres. *Pontif. 125.*
Leo VI. menſes ſeptem.
Stephanus Octauus annos duos, menſem vnum, dies duodecim.
Ioannes XI. annos quatuor.
Leo VII. Romanus annos tres, menſes ſex, dies decem.
Stephanus IX. Romanus annos quatuor, menſes tres, dies quindecim.
Marinus iunior, aliis III. Romanus annos tres, menſes ſex, dies duodecim.
H Agapitus iunior Romanus annos decem, menſes ſeptem, dies decem.
Ioannes XII. annos nouem, menſes tres.
Leo VIII. annum vnum.
Ioannes Decimuſtertius annos ſex, menſes decem.
Benedictus Quintus Roman. dies ſexaginta.
Bonifacius Septimus Roman. anno vno.
Benedictus Sextus, ex Comitibus Tuſculanis annos decem, menſes octo, dies viginti nouem.
Ioannes Decimuſquartus Papienſis annum vnum.
Petrus Ioannes Decimus quintus & Decimus ſextus annum vnum.
Gregorius Quintus Saxo, Germanus ſedit annos tres.
Silueſter II. qui & Gerbertus, Horiacenſis monachus.
Ioannes, Ioannes, Sergius, Benedictus, Ioannes XVII. *Anno 1000.*
Nicolaus, Gregorius VI. Leo IX. Victor II. Stephanus X. Alexander II. Gregorius VII. Vrbanus II. Paſchalis II. Gelaſius II. Calixtus II. Honorius II. Innocentius II. qui fuit Pontifex ordine 165. Chriſti anno. 1130.

IN LIBRVM DE LVMINARIBUS Eccleſiæ Honorij,

PRÆFATIO.

ROGO te Lector (ſi tamen pra dono inuidia audias) ne huius opuſculi laborem vilipendas. Ego quippe vigilaui, vt tu dormias: ego laboraui, vt tu quieſcas. Tuus ſolummodo labor erit, vt perlegendo intelligentia replearis, & praditus, clarus ab omnibus habearis. Si autem (quod magis ſpero) tabido corde & nebuloſa facie his floſculis ornate contextis, liuidum dentem inprimis, ac roſigerum ſertum, candidulis lilijs connexum, venenata lingua carpis, inuidia quidem te vt proximum ſeruum caligini ignorantia inuoluet, me autem beneuolentia per lumen ſcientia ad gloriam & honorem perducet. In hoc libello omnes Eccleſiaſticos Scriptores à tempore Chriſti vſque ad noſtra tempora nominatim expreſſi, quos ex Hieronymo, Gennadio, & Iſidoro, Beda, & alijs cognoſcere potui.

DE LVMINARIBVS Eccleſiæ, ſiue de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Honorij Auguſtodunenſis Presbyteri.

Ex Hieronymi & Gennadij Catalogis.

SIMON PETRVS, filius Ioannis, prouinciæ Galliæ, vico Bethſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum ſcripſit duas epiſtolas, quæ Canonicæ nominantur. Euangelium quoque Marci eius eſſe dicitur. Libri autem, de quibus vnus Actorum eius inſcribitur, alius *Euangelij*, tertius *Prædicationis*, quartus *Apocalypſeos*, quintus *Iudicij*, inter Apocryphas ſcripturas repudiantur. Hic poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram Epiſcopalem tenuit, vſque ad quartum decimum annum Neronis, à quo & crucifixus eſt, Romæque ſepultus.

IACOBVS frater Domini, cognomento Iuſtus, Ioſeph, vt quidam exiſtimant, ex alia vxore, vt alij, Mariæ ſororis matris Domini filius. ſcripſit vnam de ſeptem Canonicis *Epiſtolam*. Hic poſt paſſionem Domini ab Apoſtolis Hieroſolymorum ordinatur Epiſcopus, triginta annis rexit Eccleſiam; iuxta templum Domini vbi præcipitatus fuerat, ſepelitur.

MATTHÆVS, qui & Leui ex publicano Apoſtolus, primus in Iudæa *Euangelium* Chriſti Hebræis literis compoſuit.

IVDAS frater Iacobi vnam de ſeptem Canonicis reliquit *Epiſtolam*.

PAVLVS Apoſtolus, qui antea Saulus extra numerum duodecim Apoſtolorum, de tribu Beniamin, & oppido Iudææ Giſcali ſcripſit decem Epiſtolas ad Eccleſias, *ad Romanos* vnam, *ad Corinthios* duas, *ad Galatas* vnam, *ad Epheſios* vnam, *ad Philippenſes* vnam, *ad Coloſſenſes* vnam, *ad Theſſalonicenſes* duas, *ad Hebræos* vnam: præterea ad diſcipulos ſuos quatuor, *Timotheo* duas, *Tito* vnam, *Philemoni* vnam. Ad *Laodicenſes* vnam, quæ quidem legitur, ſed ab omnibus exploditur. Hic quartodecimo Neronis anno, eodem die quo Petrus Romæ, pro Chriſto capite truncatur, & in via Oſtienſi ſepelitur, triceſimo ſeptimo anno poſt paſſionem Domini.

BARNABAS Cyprius, qui & Ioſeph, Leuites, cum Paulo Gentium Apoſtolus ordinatus, vnam ad ædificationem Eccleſiæ *Epiſtolam* compoſuit, quæ inter apocryphas ſcripturas legitur.

LVCAS, Medicus Antiochenſis, ſectator Pauli Apoſtoli ſcripſit Euangelium, & Actus Apoſtolorum Romæ. Hic octogeſimo & quarto anno in Bithynia moritur, & poſtmodum Conſtantinopolim transfertur.

MARCVS diſcipulus & interpres Petri, Romanis ſcripſit Euangelium. Hic paſſus eſt octauo Neronis anno, & Alexandriæ ſepultus.

IOANNES Apoſtolus, filius Zebedæi, & frater Iacobi, ſcripſit Aſiæ Epiſcopis *Euangelium*, & *Apocalypſim*, & *tres Canonicas epiſtolas*. Hic ſexageſimooctauo anno poſt paſſionem Domini ſub Traiano moritur, & apud Epheſum ſepelitur.

HERMAS (cuius Apoſtolus Paulus ad Romanos meminit) ſcripſit librum, qui appellatur *Paſtoris*.

PHILO Iudæus, natione Alexandrinus, de genere ſacerdotum, ſcripſit librum vnum, *de vita noſtrorum* ſub Marco degentium. Huius extant præclara & innumerabilia opera:

In quinque libros Moyſi.
De confuſione linguarum, liber vnus.
De natura & inuentione, liber vnus.
De his qua ſenſu precamur & teſtamur, liber vnus.
De eruditione, liber vnus.
De harede diuinarum rerum, liber vnus.
De diuiſione æqualium & contrariorum, liber vnus.
De tribus virtutibus, liber vnus.
Quare quorundam in ſcripturis mutata ſint nomina, liber vnus.
De pactis, libri duo.
De vita ſapientis, liber vnus.
De gigantibus, liber vnus.
Quod ſomnia mittantur à Deo, libri quinque.
Quæſtionum & ſolutionum in Exodum, libri quinque.
De tabernaculo, & Decalogo libri quatuor.
De victimis & repromiſſionibus.
De maledictis.
De prouidentia.
De Ideis.
De conuerſatione vitæ. † Alexandri.
Quòd propriam rationem habeant muta animalia.
Quòd omnis inſipiens ſeruus ſit.
De Apoſtolicis viris, quem inſcripſit *de contemplatiua vita.*
De agricultura duos.
De ebrietate duos. Hic † conſcripſit ſecundum librum *Machabæorum*.

† De Alexandro, & quod propria, &c. Sic in Hieron.
† Non eſt in Hier. cap. 11. Catalog.

Lucius Annæus SENECA Cordubenſis Fotini Stoici diſcipulus, & patruus Lucani Poëtæ, ſcripſit quaſdam *Epiſtolas* ad Paulum Apoſtolum, & Apoſtolus quaſdam reſcripſit.

IOSEPHVS Mathathiæ filius, ex Hieroſolymis ſacerdos, à Veſpaſiano captus, ſcripſit Romæ *ſeptem lib. Iudaica captiuitatis*, & alios viginti [quatuor] *Antiquitatum* libros, ab exordio mundi vſque ad quartum decimum annum Domitiani Cæſaris, & duos [* conflictus] *aduerſus Apionem* Grammaticum Alexandrinum, & vnum qui inſcribitur *De potentia*, in quo digeſta ſunt Machabæorum martyria.

** ἀρχαιότητος Gr. Hieron.*

IVSTVS Tiberienſis de prouincia Galilæa, ſcripſit hiſtoriam *Iudaicarum rerum*, & quoſdam commentariolos de ſcripturis.

CLEMENS, cuius Apoſtolus ad Philippenſes meminit, quartus poſt Petrum Apoſtolum Romæ Epiſcopus, ſiquidem ſecundus Linus, tertius Anacletus fuit; ſcripſit *Epiſtolam ad Corinthiorum Eccleſiam* valde vtilem, [& *itinerarium Petri*] & diſputationem *Petri & Apionis*, & multa alia, quæ inter Apocrypha numerantur.

DIONYSIVS Areopagita Philoſophus à Paulo Apoſtolo conuerſus, Athenis Epiſcopus ordinatus, ſcripſit librum *de Hierarchia*, & multa alia.

Non eſt in Catalog. Hieron.

A IGNATIVS Antiochenæ Eccleſiæ poſt Petrum Apoſtolum tertius Epiſcopus, ſcripſit Eccleſiæ *Epheſiorum* epiſtolam, alteram ad *Magneſianos*, tertiam ad *Trallenſes*, quartam ad *Romanos*, deinde ad *Philadelphios*, & *Smyrneos*. Hic paſſus eſt ſub Traiano.

POLYCARPVS Ioannis Apoſtoli diſcipulus, ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, ſcripſit *ad Philippenſes* valde vtilem epiſtolam; quædam *de die Paſcha*. Hic ſub Commodo pro Chriſto igni traditur.

PAPIAS Ioannis auditor, Hierapolitanus in Aſia Epiſcopus, quinque ſcripſit volumina, quæ prænotauit *Explanatio ſermonum Domini*.

QVADRATVS Apoſtolorum diſcipulus, Athenarum Epiſcopus, ſcripſit librum *pro Chriſtiana religione* valde vtilem, Apoſtolica doctrina dignum.

ARISTIDES Athenienſis philoſophus eloquentiſſimus, ſcripſit volumen noſtri dogmatis rationem continens.

AGRIPPA cognomento Caſtoris, vir valde doctus,
B aduerſus vigintiquatuor volumina Baſilidis hæretici, quæ in Euangelium confecerat, fortiſſimè diſſeruit. Sub Adriano claruit.

EGESIPPVS, Vicinus Apoſtolorum temporum, omnem à paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actum texens *hiſtoriam, quinque libros compoſuit*.

IVSTINVS philoſophus de Neapoli vrbe Palæſtinæ parte Priſco Bacchio, ſcripſit *libros quatuor* pro religione Chriſti *contra Gentes*, & vnum *de monarchia Dei*, & vnum quem prænotauit *Pſalten*. & vnum *de anima*, & *dialogum contra Iudæos*, & inſignia volumina, *contra Marcionem*, & librum *contra omnes hæreſes*. Ad vltimum pro Chriſto ſanguinem fudit.

MELITO Aſianus Sardenſis Epiſcopus, librum *pro Chriſtiano dogmate* compoſuit. Scripſit etiam *de Paſcha* duos libros.

De vita Prophetarum librum vnum.

De Eccleſia vnum.

C *De die Dominico* vnum.

De fide vnum.

De plaſmate vnum.

*De * ſenibus* vnum. [* *ſenſibus.*]

De corpore & anima vnum.

De baptiſmate vnum.

De veritate vnum.

De generatione Chriſti vnum.

De prophetia ſua vnum.

De hoſpitalitate vnum. Et alium librum, qui *Clauis* inſcribitur.

De diabolo vnum.

De Apocalypſi Ioannis vnum.

Eclogarum libros ſex.

THEOPHILVS ſextus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, *contra Marcionem* librum compoſuit, & *ad Autolycum* tria volumina, & *contra hæreſim Hermogenis* librum vnum, & alios tractatus.

D APOLLINARIS Aſiæ Hierapolitanus Epiſcopus, inſigne volumen *pro fide Chriſtianorum* edidit, & quinque libros *aduerſus Gentes*, & † tres *de veritate*, & duos aduerſus Cataphrygas. [† duos lib.]

DIONYSIVS Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopus multas Epiſtolas ad Eccleſias ſcripſit. In quibus eſt, vna *Ad * Laodicenſes*, alia *Ad Athenienſes*, tertia *ad Nicomedienſes*, quarta *ad Cretenſes*, quinta *ad Ponti Eccleſias* ſexta *ad Gnoſſianos*, ſeptima *ad Romanos*, octaua *ad Chryſophoram*, ſanctam fœminam. Sub Marco Antonino claruit. [* *Lacedæmonios* Hieron.]

PINITVS Cretenſis Gnoſſiæ vrbis Epiſcopus, ſcripſit *ad Dionyſium* Epiſcopum valde elegantem Epiſtolam.

TATIANVS Hæreſiarches infinita ſcripſit volumina. Hic Iuſtini philoſophi diſcipulus fuit, in Rhetorica quam maximè floruit; nouam hæreſim condidit. [Contra Gentes vnus extat liber.] Hieron.

PHILIPPVS Cretenſis Gortinæ vrbis Epiſcopus præclarum *aduerſus Marcionem* edidit librum.

E MVSANVS non ignobilis ſcriptor confecit librum aduerſus quoſdam, qui ad hæreſim † Tatianam declinauerunt. [† *Encratitarum hæreſim.* Hieron. cap. 31.]

* MODESTINVS aduerſus Marcionem fecit librum & alia quædam. [* *Modeſtus.* Hieron. cap. 32.]

* BARDESANES in Meſopotamia clarus, infinita *aduerſus* penè *omnes hæreticos* ſcripſit volumina. Hic nimis eloquens fuit, & nouam hæreſim condidit. [* *Paulonas ab Effrem Bardiſanes nomellus dictus.* Gennad. cap. 3.]

VICTOR tertius decimus Romanæ vrbis Epiſcopus *de Paſcha*, & alia quædam ſcripſit volumina.

IRENÆVS Lugdunenſis Galliæ Epiſcopus ſcripſit:

Aduerſus hæreſes libros quinque.

Contra Gentes volumen breue.

De diſciplina aliud, &

Ad * Marcionis fraudem. [* *Marcianum fratrem.* Hieron.]

De Apoſtolica prædicatione.

Librum variorum tractatuum.

Ad Blaſtum de ſchiſmate.

Ad Florinum *de Monarchia.*

F *De Ogdoade* egregium † documentum. Et quædam per Epiſtolam ad Victorem Papam *de Paſcha*. [† *Commentarium.* Hieron.]

PANTHENVS Stoicæ ſectæ * diſcipulus, tam in ſanctis ſcripturis, quàm in ſæculari literatura eruditus, Alexandriæ multos *commentarios in ſanctam Scripturam* fecit. Hic ad Indiam miſſus, vbi Bartholomæus docuit, ibi Euangelium Matthæi reperit, quod & ſecum detulit. [* *Philoſophus.* Hieron.]

RHODON, genere Aſianus à Tatiano in ſcripturis Romæ eruditus, edidit plurima, præcipuúmque *aduerſus Marcionem* opus, ſed & *in Hexaemeron* elegantes Tractatus compoſuit, & *aduerſus Cataphrygas* inſigne volumen. Sub Commodo floruit.

CLEMENS Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, Pantæni auditor, poſt eum Eccleſiaſticam ſcholam tenens, ſcripſit inſignia volumina, plena eruditionis & eloquentiæ, tam de ſcripturis diuinis, quàm de ſæcularis literaturæ inſtrumento. E quibus ſunt illa *Stromatum* lib. VIII. & * Informationum libri octo. Aduerſus Gentes liber I. Hieron. [* ὑποτυπώσεων lib. 8. Hieron.]

G *De pædagogis* vnus.

De Paſcha vnus.

De † Ieiunio vnus. [† *De ieiunio diſceptatio.* Hieron.]

De diſceptatione vnus, & alius qui inſcribitur: *Quiſnam ille diues ſit, qui ſaluetur.*

De obtrectatione liber vnus.

De canonibus Eccleſiaſticis vnus. Huius diſcipulus fuit Origenes.

39. MILTIADES ſcripſit præcipuum volumen *aduerſus Montanum*, & * *Priſcam*, & *Maximillam*, & alios libros *aduerſus Gentes & Iudæos*. [* *Priſcillam.* Hieron.]

APOLLONIVS vir diſertiſſimus, ſcripſit aduerſus Montanum, & Priſcam, & Maximillam inſigne & magnum volumen. Contra hunc ſcripſit Tertullianus. Hic claruit ſub Seuero.

SERAPION Antiochiæ Epiſcopus ſcripſit *Epiſtolam ad Carinum & Pontium* de hæreſi Montani. *Ad * Domnionem* quoque librum compoſuit, & vnum *de Euangelio*, & alias breues *Epiſtolas*. [* *Domninum.* Hieron.]

H APOLLONIVS Romanæ vrbis Senator, inſigne volumen *pro fide noſtra* compoſuit. Hic ſententia Senatus pro Chriſto, capite truncatur.

THEOPHILVS Cæſareæ Palæſtinæ, (quæ olim *turris Stratonis* vocabatur) Epiſcopus, *de Paſcha Synodicam* & valde vtilem compoſuit Epiſtolam.

BACCHYLVS Corinthiorum Epiſcopus elegantem librum *de Paſcha* compoſuit. [Bacchylus *pro Bacchulo.*]

POLYCRATES Epheſiorum Epiſcopus ſcripſit *Synodicam Epiſtolam* ad Victorem Romanum Epiſcopum.

HERACLIVS *in Apoſtolum* commentarios compoſuit.

MAXIMINVS famoſam quæſtionem inſigni volumine ventilauit, *vnde malum* & quod materia à Deo facta ſit. [*Heraclitus pro Heraclio. Maximus.* Hieron.]

CANDIDVS *in Hexaemeron* pulcherrimos tractatus edidit.

* APPIVS ſimiliter *in Hexaemeron* tractatus fecit. [* *Appion.* Hieron.]

SEXTVS ſub Seuero ſcripſit librum de *Reſurrectione*.

A

Brabianus, eſt in Hiron., cap. 51. Catalog.

ARABIANVS quædam *opuſcula* ad Chriſtianum dogma pertinentia edidit.

IVDAS pleniſſimè diſputauit *de ſeptuaginta Hebdomadibus apud Danielem*, & *Chronica* vſque ad Seuerum perduxit.

TERTVLLIANVS presbyter prouinciæ Africanæ, ciuitatis Carthaginenſis, patre Centurione proconſulari, actis & vehementis ingenij multa ſcripſit volumina. Specialiter autem aduerſus Eccleſiam texuit volumina. Et *de pudicitia*.

De perſecutione.

De ieiuniis.

De Monogamia.

† Hier. *libros ſex, & ſeptimū adu. Apoll.*

De Extaſi libros † quinque, & ſextum *aduerſus Apollonium*, & multa alia, quæ non extant, volumina.

ORIGENES, qui & Adamantius Leonide patre, matre vidua, pauper. Alexandriæ à Demetrio eiuſdem vrbis Epiſcopo in locum Clementis presbyteri confirmatus, tantum in ſcripturis habuit ſtudij, vt & Hebræam linguam contra ætatis gentiſque ſuæ naturam ediſceret: & exceptis L X X. Interpretibus alias quoque editiones in vnum congregaret, *Aquilæ* ſcilicet Pontici Proſelyti, & *Theodotionis* Ebionæi & *Symmachi* eiuſdem dogmatis. In Euangelium quoque *ſecundum Matthæum* ſcripſit Commentarios. Præterea quintam & ſextam, & ſeptimam editionem cum cæteris comparauit. *Dialecticam* quoque & *Geometriam*, & *Arithmeticam*, & *Aſtronomiam*, *Muſicam* & *Grammaticam*, & *Rhetoricam*, omniumque Philoſophorum ſectas ita didicit, vt ſtudioſos quoque ſæcularium literarum ſectatores haberet, concurſúſque ad eum mirificè fierent. [Sex millia librorum ſcripſit. Sub Seuero floruit.]

B

AMMONIVS vir diſertus & valde eruditus, in Philoſophia clarus, Alexandriæ inter multa ingenij ſui præclara monumenta etiam *de conſonantia Moyſi & Ieſu*, elegans opus compoſuit, & *Euangelicos canones* excogitauit, quos poſtea ſecutus eſt Euſebius Cæſarienſis.

C

AMBROSIVS primum Marcionites, deinde ab Origene correctus Eccleſiæ Alexandriæ Diaconus, multas *Epiſtolas* ad Origenem ſcripſit. Ad hunc Origenes infinita dictauit volumina.

TRYPHON Origenis auditor in ſcripturis eruditiſſimus multa fecit opuſcula, præcipuè librum, quem compoſuit.

De vacca rufa, in Deuteronomio.

De diuiſione columbæ & turturis ab Abraham, in Geneſi.

MINVTIVS FELIX Romæ inſignis cauſidicus ſcripſit altercationis *dialogum* Chriſtiani & ethnici diſputantis, & librum *De fato* vel contra Mathematicos.

59. GAIVS *aduerſus Proculum* Montani ſectatorem valde inſignem habuit diſputationem.

BERYLLVS Arabiæ Boſtrenus Epiſcopus, in quandam hæreſim lapſus, ab Origene correctus, ſcripſit varia opuſcula, & maximè *Epiſtolas*. Extat & *Dialogus Origenis* & *Berylli*.

D

HIPPOLYTVS cuiuſdam vrbis Epiſcopus, ſcripſit *de Paſcha* & *temporibus*, & nonnullos in ſcripturas commentarios:

In Hexaemeron.

In Exodum.

In Cantica Canticorum.

In Geneſim.

In Zachariam.

De Pſalmis.

In Eſaiam.

In Danielem.

In Apocalypſim.

In Prouerbia.

In Eccleſiaſten.

De Saul & Pythoniſſa.

De Antichriſto.

De reſurrectione.

Contra Marcionem.

E

De Paſcha aduerſum omnes hæreſes: * & narrationem. De laude Saluatoris.

* προσομιλίας. Hieron.

ALEXANDER Cappadociæ Epiſcopus, ſcripſit *Epiſtolam ad Antiochenſes*, & aliam *ad Origenem*, aliam pro Origene aduerſus *Demetrium*, & alias ad diuerſos *Epiſtolas*. Hic ſub Decio martyrio coronatur.

IVLIVS AFRICANVS ſcripſit *quinque de temporibus volumina*. Hic ab Aurelio Imperatore ſuſcepit legationem pro inſtauratione vrbis *Emaus*, quæ poſtea *Nicopolis* eſt appellata.

64 GEMINVS Antiochenæ Eccleſiæ presbyter quædam ingenij ſui monumenta compoſuit.

65 THEODORVS, qui poſtea *Gregorius* appellatus eſt, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, Origenis auditor, ſcripſit *Metaphraſin in † Eccleſiaſten*, breuem quidem, ſed valde vtilem, & alias *de fide Epiſtolas*.

† Extat Græce & Lat. inter Nazianz. orat.

CORNELIVS Roman. vrbis Epiſc. ſcripſit *Epiſtolam † ad Fabium* Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, *de Synodo Romana*, & Italica, aliam *de Nouatiano*, & de his qui lapſi ſunt: tertiam *de geſtis Synodi*, quartam, † ad eundem Nouatum, & Fabium valde prolixam.

* *ad Flauianum.* Hieron.

F

† *ad eundem Flauianum & nouatiana hæreſeos cauſas.* Hieron.

CÆCILIVS CYPRIANVS Afer, Carthaginenſis Epiſcopus multa compoſuit *Opera*, quæ ſole ſunt clariora, paſſus eſt ſub * Valentiano, quo Cornelius Romæ.

* *Valeriano & Galieno*, habet. Hieron.

PONTIVS Diaconus Cypriani, egregium volumen *vitæ & paſſionis Cypriani* reliquit.

DIONYSIVS Alexandrinæ vrbis Epiſcopus Origenis valde inſignis auditor, ſcripſit † quatuor libros *ad Dionyſium Romanæ vrbis* Epiſcopum, & *ad Laodicenſes* de pœnitentia.

† Multo plura hic Hieron. quæ vide.

Item † Canonem de pœnitentia.

† *ad Cononem.* Hieron.

Ad Origenem de martyrio.

Ad Armenios de pœnitentia, &

De ordine delictorum.

De natura ad Timotheum, &

De tentationibus ad Euphranorem.

Ad Baſilidem quoque multas Epiſtolas.

G

† DONATVS Romanæ vrbis presbyter, aduerſus Cornelium Cathedram ſacerdotalem inuadens, lapſos recipere nolens, ſcripſit:

† *Nouatianus.* Hieron. rectius.

De Paſcha.

De ſabbato.

De oratione.

De cibis Iudaicis.

De Attalo, multáque alia, & *de Trinitate* grande volumen, quod † plurimi *Cypriani* exiſtimant.

† plerique neſcientes Cypriani eſſe exiſtimant, ſic Hier.

MALCHION diſertiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ presbyter *dialogum aduerſus Paulum Samoſatenum* diſputauit.

ARCHELAVS Epiſcopus Meſopotamiæ librum *aduerſum Manichæum* compoſuit.

ANATOLIVS Alexandrinus Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, volumen *de Paſcha* compoſuit, decem libros *de Arithmetica*, *Geometria*, *Aſtronomia*, *Grammatica*, *Rhetorica*, *Dialectica*, miræ doctrinæ vir fuit.

VICTORINVS † Pictauienſis Epiſcopus, ſcripſit commentarios.

† *Pitabionenſis* habet Hieron.

H

In Geneſim.

In Exodum.

In Leuiticum.

In Eſaiam.

In Ezechielem.

In Habacuc.

In Eccleſiaſten.

In Cantica Canticorum.

In Apocalypſim Ioannis, & *aduerſum omnes hæreſes*, & multa alia: ad extremum martyrio coronatur.

PAMPHILVS presbyter Euſebij Cæſarienſis Epiſcopi neceſſarius, tanto Bibliothecæ diuinæ amore flagrauit, vt maximam partem Origenis voluminum ſua manu deſcripſerit, & *in duodecim Prophetas* viginti quinque quæſtionum Origenis volumina. Sub * Maximiano paſſus eſt martyrio pro Chriſto.

* *Maximini*, habet Hier.

PIERIVS Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, ſcripſit

longiſſimum

Digitized by Google

A longiſſimum tractatum *in Oſee Prophetam*, & alios diuerſos tractatus, tanta ſermonis elegantia, vt iunior Origenes vocaretur.

Lucianus vir diſertiſſimus, Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, poſtmodum Nicomediæ Epiſcopus, magno Scripturarum ſtudio laborans, ſcripſit librum *de fide*, & *epiſtolas* ad nonnullos. Paſſus eſt ſub Maximiano: & Helienopoli ſepultus. *Maximino*, Hieron.

Phileas de vrbe Ægypti, quæ vocatur * Thebais, nobili genere, magnis opibus, elegantiſſimum librum *de martyrum laude* compoſuit. Hic pro Chriſto capite truncatur. *Thmuis* in Hieron.

Arnobius Rhetor, ſcripſit aduerſus Gentes [volumina.] Scribo, *ſeptem*.

Firmianus, qui & *Lactantius*, Arnobij diſcipulus, ſcripſit in ſcholis Africæ *Itinerarium* Hexametris verſibus: & alium librum, qui inſcribitur *Grammaticus*, & alium pulcherrimum.

De ira Dei, & *Inſtitutionum diinarum aduerſus Gentes* libros ſeptem.

B *Ad Aſclepiadem* duos.

Ad * Demetrium auditorem ſuum Epiſtolarum libros * ſeptem. * *Demetrianum*, Hieron. *duos ad eundem de opificio Dei.* Hieron.

De perſecutione vnum.

Ad Probum *epiſtolarum* libros quatuor.

Ad Senerum *epiſtolarum* libros duos.

Ad *Demetriadem* de opificio Dei, vel formatione hominis librum vnum. Hic magiſter Cæſaris Criſpi filij Conſtantini fuit.

Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, in ſcripturis diuinis ſtudioſiſſimus, & Bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo Martyre diligentiſſimus inueſtigator, edidit infinita volumina, de quibus hæc ſunt.

Euangelicæ expoſitionis libri viginti.

Euangelicarum * *quæſtionum* libri quindecim. * *προπαρασκευῆς*. Hieron.

Theopoania libri quinque.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri decem.

Chronicorum Canonum omnimodam hiſtoriam, & eius breuiarium.

C De *Euangeliorum diſſonantia*, &, *In Eſaiam* libri decem, & *Contra Porphyrium*, qui eodem tempore ſcribebat in Sicilia, (vt quidam putant) libri triginta.

Topicorum liber vnus.

Pro Origene libri ſex.

De vita Pamphili martyris tres.

De martyribus, & alia opuſcula, & In centum quinquaginta *Pſalmos* eruditiſſimos commentarios, & alia multa. Floruit maximè ſub Conſtantino, & ob amicitiam Pamphili martyris, cognomentum ab eo *Euſebius Pamphili*, ſortitus eſt.

Rheticius Auguſtodunenſis Epiſcopus, ſcripſit commentarios *in Cantica Canticorum*, & aliud grande volumen *aduerſus Nouatianum*.

Methodius Olympi Lyciæ, & poſtea Tyri Epiſcopus, nitidi compoſitique ſermonis, aduerſus Porphyrium confecit libros, & *Sympoſion* decem virginum.

De reſurrectione opus egregium.

Contra Orientem, & aduerſus eundem de Pythoniſſa.

D * *De animæ exitu.*] *De αὐτεξουσίῳ*, lego ex Hieron. & Sophr. cap. 83.

In Geneſim.

In Cantica canticorum commentarios, & multa alia. Sub Decio & Valeriano martyrio coronatus eſt.

Iuvencus nobiliſſimi generis Hiſpanus presbyter, *quatuor Euangelia* Hexametris verſibus, quatuor libris compoſuit, & nonnulla eodem Metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia, floruit ſub Conſtantino.

Eustathius genere Pamphilus, primum Beroeæ Syriæ, deinde Antiochiæ Epiſcopus, multa compoſuit, *aduerſus Arrianorum* dogmata, & *de Anima* multa volumina, & aduerſus Origenem, & infinitas *Epiſtolas*.

Marcellus Ancyranus Epiſcopus, ſub Conſtantino & * Conſtantio multa diuerſarum expoſitionum ſcripſit volumina, & maximè *aduerſus Arrianos*. * *Cõſtãte* Hieron.

Athanaſius Alexandrinæ vrbis Epiſcopus, ſub Conſtante ſcripſit duos libros

E *Aduerſum Gentes*.

Contra Valentem & Urſacium librum vnum.

De virginitate librum vnum.

De perſecutionibus Arrianorum plurimos.

De Pſalmorum titulis.

Hiſtoriam Antonij Monachi, & multa alia, ἑορταστικὰς Epiſtolas.

Antonius monachus, cuius vitam Athanaſius inſigni volumine proſecutus eſt, miſit *ſeptem epiſtolas* ad diuerſa monaſteria Apoſtolici ſenſus & ſermonis.

Baſilius Ancyranus Epiſcopus, artis Mecheæ, ſub Conſtantio ſcripſit,

Contra Marcellum, &

De virginitate librum, & nonnulla alia.

Theodorus Heracleæ Thraciarum Epiſcopus, elegantis apertique ſermonis, edidit ſub Conſtantio commentarios,

In Matthæum.

In Ioannem.

F *In Apoſtolum*. Et in Pſalterium: *Hieron.*

Euſebius Emiſenus Epiſcopus, elegantis & Rhetorici ingenij, innumerabiles confecit libros, è quibus præcipui ſunt;

Aduerſus Iudæos & Gentes.

Ad Nouatianos.

In epiſtolam *ad Galatas* libri decem.

In Euangelia Homiliæ plurimæ, ſed breues. Floruit ſub Conſtantio.

Triphyllius * Cyprilitenſis, ſiue Leucontheon Epiſcopus eloquentiſſimus, ſub Conſtantio ſcripſit commentarios *in Cantica canticorum* & multa alia. * *Cypri Ledrenſis ſiue Λευκοθεῶν*, ſic Hieron.

Donatus, à quo Donatiani, per Africam ſub * Conſtantio multa ſcripſit opuſcula, ad ſuam hæreſim pertinentia, & *de Spiritu ſancto* librum, Ariano dogmati congruentem. * *ſub Conſtante & Conſtantino*, Hieron.

Aſterius Arianæ factionis Philoſophus, ſub Conſtantio ſcripſit *in Epiſtolam ad Romanos*.

In Euangelia.

G *In Pſalmos* commentarios, & alia multa.

Lucifer * Caralitanus Epiſcopus *contra Conſtantinum Imperatorem* ſcripſit * libros. * al. *Calarit.* * *librum*, Hieron.

Euſebius natione Sardus, ex lectore vrbis Romæ *Vercellenſi* Epiſcopus, ob confeſſionem fidei à Conſtantio principe Scythopolim, inde Cappadociam relegatus, & ſub Iuliano Imperatore reuerſus, edidit Latinè conuerſos *in Pſalmos commentarios* Euſebij Cæſarienſis.]

* Fortunatus natione Afer, Aquilegienſis Epiſcopus, ſub Conſtantino ſcripſit commentarios *in Euangelia*, titulis ordinatis. * *Fortunatianus*, Hieron.

Acacius Cæſarienſis Palæſtinæ Epiſcopus, elaborauit *in Eccleſiaſten* * octodecim volumina, ad * dogma populorum ſex. Præterea multos diuerſoſque tractatus compoſuit. Interim autem ſub Conſtantio Imperatore claruit, vt in locum Liberij Epiſcopi Rom. Felicem Arrianum Epiſcopum conſtituerit. * *decem & ſeptem* * *& συμμίκτων ζητημάτων ſex*. ſic Hieron.

Serapion Thmueos Epiſcopus, qui ob elegantiam ingenij cognomen *Scholaſtici* accepit, Charus Antonij monachi: edidit *aduerſus Manichæum* egregium librum.

H *De Pſalmorum titulis* vnum, & ad diuerſos vtiles *Epiſtolas*. Sub Conſtantio claruit.

100 Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, *de Synodo Byterenſi* in Phrygiam relegatus ſub Valentiniano, confecit duodecim libros *aduerſus Arrianos*, & alium librum.

De Synodis, quem ad Galliarum Epiſcopos ſcripſit.

In Pſalmos commentarios. In primum, videlicet & ſecundum, & à quinquageſimo primo, vſque ad ſexageſimum ſecundum: & à centeſimo decimooctauo, vſque ad extremum. In quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de ſuo addidit. Scripſit duos libros *ad Conſtantium*, & vnum *aduerſus Valentem & Urſacium*, Hiſtoriam Ariminenſis & Seleucienſis Synodi continentem. Et *ad Præfectum Saluſtium*, ſiue contra Dioſcorum: & *librum Hymnorum*, & alium *myſteriorum*, & *commenta-*

rium

Digitized by Google

A *rium in Matthæum*, & Tractatus *in Iob*, & elegantem librum *contra Auxentium*, & nonnullas ad diuerſos *Epiſtolas*, & librum *in Cantica canticorum*.

Victorinus natione Afer, Romæ ſub Conſtantio Rhetoricam docens, ſcripſit † aduerſus Arrianum libros more Dialectico valde obſcuros †, qui inde ab eruditis non intelliguntur; & commentarios in Apoſtolum.

† adu. Arrium Hieron. † qui ab eruditis modo intelliguntur. † opuſcula. Hieron.

Titus Boſtrenus Epiſcopus, ſub Iuliano fortes *aduerſus Manichæos* ſcripſit libros, & nonnulla alia volumina.

Damaſus Romanæ vrbis Epiſcopus, ſub Theodoſio multa & breuia † volumina, heroico metro edidit.

Apollinaris Laodicenus Syriæ Epiſcopus, patre presbytero, ſub Theodoſio innumerabilia in ſanctas ſcripturas compoſuit, & contra *Porphyrium* triginta libros.

Gregorius Bæticus Illiberi Epiſcopus, diuerſos tractatus compoſuit, & *de fide* elegantem librum.

B Pacianus in Pyrenæis iugis Barcinone Epiſcopus, tam vita quàm ſermone clarus, ſcripſit varia opuſcula *contra Nouatianos* ſub Theodoſio.

Photinus Marcelli diſcipulus, Sirmij Epiſcopus ordinatus in hæreſim Hebionis lapſus plura ſcripſit volumina, in quibus vel præcipui ſunt *contra Gentes*, & *ad Valentinianum* libri.

Phœbadius Agenni Galliarum Epiſcopus, edidit *contra Arianos* librum, & alia multa.

Didymus Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob hoc quoque elementorum penitus ignarus, tantum miraculum ſui omnibus præbuit, vt Dialecticam & Geometriam (quæ vel maximè viſu indigent) vſque ad perfectum didicerit. Hic plurima, nobiliaque conſcripſit, commentarios *in Pſalmos*: Commentarios *in Euangelium Matthæi & Ioannis*.

De dogmatibus & contra Arianos libros duos.

De *Spiritu S.* librum vnum.

In *Eſaiam* tomos octodecim.

C In *Oſee*, libros tres.

In *Zachariam* quinque.

Et Commentarios *in Iob*, & multa alia.

110\. Optatus Afer, Mileuitanus Epiſcopus, ſub Valente ſcripſit libros ſex, *aduerſum Donatianæ partis calumniam*.

Acilius Seuerus, Hiſpanus ſub Valentiniano compoſuit volumen, quaſi *Hodæporicum*, totius vitæ ſuæ ſtatum continens, tam proſa quam verſibus, quod vocatur *Cataſtrophen*. *Aquilius, in Hieron.*

Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, ſæpe pulſus ab Eccleſia & receptus, ſub Theodoſio ſcripſit quædam volumina.

Euzoius Theſpeſiæ Epiſcopus, varios & multiplices *Tractatus* compoſuit. *Zoius.*

Epiphanius Cypri Salaminæ Epiſcopus, ſcripſit *aduerſus omnes hæreſes* libros, & multa alia.

† Eſfrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, multa compoſuit opuſcula, & *de ſpiritu S.* *† Ephrem*

Baſilius Cæſareæ Cappadociæ, (quæ prius Mazaca vocabatur) Epiſcopus, egregios *contra Eunomium* elaborauit libros, & *de S. Spiritu* volumen, & in Hexaëmeron Homilias nouem, † & varios Tractatus. Claruit ſub Gratiano.

D *† & Aσκητικὸν Hieron.*

Gregorius Nazianzenus, vir eloquentiſſimus, ad triginta millia verſuum omnia opera ſua compoſuit. E quibus illa ſunt.

De morte fratris Cæſarij.

Laudes Machabæorum.

Laudes Cypriani.

Laudes Athanaſij.

Laudes Maximi Philoſophi, & poſtea Epiſcopi.

Et librum Hexametro verſu *virginitatis & nuptiarum* contra ſe diſſerentium.

Aduerſus Eunomium † libri duo. *† liber vnus, Hieron.*

De ſpiritu S. liber vnus.

Contra Iulianum Imperatorem liber vnus. Sub Theodoſio floruit.

Lucius Alexandrinus Epiſcopus, Arrianæ partis, compoſuit ſolemnes epiſtolas † *de Paſcha*, & non paucos variarum expoſitionum libellos.

E *† vt & S. Cyrillus Alexandrinus Epiſc. Hieron.*

Diodorus, Tarſenſis Epiſcopus, commentarios *in Apoſtolum* fecit, & multa alia.

Eunomius Arrianæ partis Cyzicenus Epiſcopus, multa contra Eccleſiam ſcripſit. Reſponderunt ei *Apollinaris, Didymus, Baſilius Cæſarienſis, & Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus*.

Priſcillianus, Abulæ Epiſcopus, qui factione † Idacij & Itacij Treueris à Maximo cæſus eſt, edidit multa opuſcula. *ſeu Traſtaùs ſine Epiſt. Homilias. † Hilarij & Ithacij. Hieron.*

† Latronianus prouinciæ Hiſpaniæ, vir valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus: cæſus & ipſe Treueris cum Priſcilliano, diuerſis Metris edidit multa opera. *† Matronianus. Hieron.*

Tiberianus Bæticus, ſcripſit Apologeticum tumenti compoſitoque ſermone.

Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, ſcripſit in Hexameron, & librum *de Officiis*, & vnum *de Sacramentis*, & multa alia egregia. F

Euagrius Antiochiæ Epiſcopus, acris & feruentis ingenij, diuerſarum expoſitionum tractatus edidit: & *vitam Antonij* de Græco in Latinum tranſtulit.

Ambroſius Alexandrinus, auditor Didymi aduerſum † Apollinarem volumen multorum verſuum *de dogmatibus* ſcripſit, & commentarios *in Iob*. *† Apollinarium. Hieron.*

Maximus Philoſophus, natus Alexandriæ, Conſtantinopoli Epiſcopus ordinatus, & pulſus, inſignem *de fide* aduerſum Arrianos ſcripſit librum, quem Gratiano Imperatori dedit.

Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, frater Baſilij Cæſarienſis, Hieronymo & Gregor. Nazianzen. legit libros contra Eunomium, qui & alia multa ſcripſit. *† Emiſſenus male antea editum.*

Ioannes Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, Euſebij, Nyſſeni, Diodorique ſectator, multa compoſuit opuſcula.

Gelaſius Cæſariæ Palæſtinæ Epiſcopus, poſt Eunomium Epiſcopum, accurati limatique ſermonis ſcripſit quædam capitula. G

Theotimus Scythiæ, Tomorum Epiſcopus, in morem dialogorum, & veteris eloquentiæ breues commaticoſque Tractatus edidit.

Dexter Paciani filius, clarus apud ſæculum, & Chriſti fidei deditus, texuit *Omnimodam hiſtoriam*.

Amphilochius Iconij Epiſcop. edidit librum *de ſpiritu S.*

Sophronius vir apprimè eruditus, *laudes Bethleem* adhuc puer, & *de ſubuerſione Serapis* inſignem librum compoſuit, & opera quædam Hieronymi in Græcum tranſtulit.

Hieronymus natus, patre Euſebio, oppido Stridonis Pannoniæ confini, ſcripſit ſub Theodoſio *vitam Pauli monachi*.

Epiſtolarum ad diuerſos librum vnum.

Ad *Eliodorum* exhortatoriam.

Altercationem Luciferiani & Orthodoxi.

Chronicon Omnimodæ hiſtoriæ.

In *Hieremiam & Ezechielem*.

Homilias Origenis † vigintiſex. H *† viginti ſex, Hieron.*

De *Seraphim*.

De *Oſanna*.

De *frugi & luxurioſo filio*.

De *tribus quæſtionibus veteris legis*, Homilias tres.

In *Cantica canticorum* duas.

Aduerſus Heluidium vnam epiſtolam.

De virginitate Mariæ perpetua.

Ad *Euſtochium* de virginitate ſeruanda vnam.

Ad *Marcellum* epiſtolarum librum vnum.

Conſolatoriam de morte filiæ *ad Paulam* vnam.

In epiſtolam *Pauli ad Galatas* commentariorum libros † quatuor. *† Libros tres, ait Hieron.*

Item in epiſtolam *ad Epheſios* libros tres.

In epiſtolam *ad Titum* librum vnum.

In epiſtolam *ad Philemonem* librum vnum.

In *Eccleſiaſten* Commentarios.

Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim librum vnum.

De-

A

* Hebraicorũ nominũ lib. 1.
† Hier. xxxix.

De locis * librum vnum.

De *Spiritu S.* Didymi librum vnum.

In Lucam Homilias † trigintaocto.

In pſalmos à decimo vſque ad ſextum decimum tractatus ſeptem.

De *vita captiui Monachi.*

Vitam B. Hilarionis. Nouum Teſtamentum de Græco, Vetus de Hebræo in Latinum tranſtulit: *duodecim Prophetas* expoſuit, infinitas Epiſtolas, & innumerabilia compoſuit.

Hactenus ex Hieron. nunc ex Gennad.

1. Iacobus cognomento Sapiens, Niſebenæ nobilis Perſarum ciuitatis Epiſcopus, ſub Maximiano confeſſor, ſcripſit * vigintiſex libros: id eſt.

* Hic xxiv. tantum numerat.

1. De *fide.*
2. *Contra omnes hæreſes.*
3. De *charitate generali.*
4. De *ieiunio.*
5. De *oratione.*

B

6. De *dilectione* erga proximum, ſpeciali.
7. De *reſurrectione.*
8. De *vita poſt mortem.*
9. De *humilitate.*
10. De *patientia.*
11. De *pœnitentia.*
12. De *ſatisfactione.*
13. De *virginitate.*
14. De *ſenſu animæ.*
15. De *circumciſione.*
16. De * azymo benedicto in Eſaia 65. v.8.

* Acino bened. Gennad. Puto ... fuiſſe libros: De azymi ... acino

17. De *Chriſto*, quòd filius Dei ſit, & conſubſtantialis patri.
18. De *caſtitate.*
19. *Aduerſus Gentes.*
20. De *conſtructione* tabernaculi.
21. De *Gentium* conuerſatione.
22. De *regno Perſarum.*
23. De *perſecutione Chriſtianorum.*
24. Scripſit & *Chronica.* Sub Conſtantio moritur.

C

Iulius, vrbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit ad Dionyſium quendam *de Incarnat. Domini* Epiſtolam vnam.

* Paulonas presbyter, diſcipulus B.Efrem, homo valde acris ingenij, & in diuinis doctus Scripturis, ab Eccleſia ſe ſeparans, ſcripſit multa fidei contraria.

Vitellius Afer, Donatianorum ſchiſma defendens, ſcripſit *aduerſum Gentes*, & aduerſum nos, velut Traditores in perſecutione diuinarum Scripturarum, & ad regulam Eccleſiaſticam pertinentia, multa diſſeruit. Sub Conſtante claruit.

* Paulinus, eſt in Gennad. ſed v. codd. vt hic: alij Paulonium ſcribunt.

Macrobius presbyter, & ipſe Donatiſta, poſtea in vrbe Roma occultè Epiſcopus, ſcripſit ad Confeſſores & ad virgines librum vnum, moralis quidem, ſed valde neceſſariæ doctrinæ.

Heliodorus presbyter ſcripſit librum, *de naturis rerum exordialium.*

D

Pachomius Monachus, fundator cœnobiorum Ægypti, ſcripſit *regulam* vtriſque generi Monachorum aptam, quam Angelo dictante perceperat. Scripſit & ad collegas præpoſituræ ſuæ *Epiſtolas*, in quibus Alphabetum myſticis tectum myſteriis, vel humanæ conſuetudinis excedentem intelligentiam clauſit, ſolis credo eorum * genere vel meritis manifeſtatum. Scripſit & *de Paſcha.*

Paconius, vulgo editus. Bachomius Gennad. & Trithem.

Theodorus presbyter ſucceſſor * Bachomij, ſcripſit ad alia monaſteria *Epiſtolas*, ſanctarum Scripturarum ſermone digeſtas.

* Orieſiſis Monachus, amborum ſupradictorum collega, vir in Scripturis ad perfectum inſtructus, compoſuit librum diuino conditum ſale, totiuſque Monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructum, in quo totum pœne *Vetus & Nouum Teſtamentum* compendioſè eſt compoſitum.

* Orienſis vel Oreſienſis Oñetij Poëmation Artu. anno 1600. editum.

Macarius ille Ægyptius ſignis & virtutibus clarus, vnam tantum ad iuniores ſuæ profeſſionis ſcripſit *Epiſtolam.*

Euagrius Monachus ſupradicti Macarij familiaris diſcipulus, diuina & humana literatura inſignis, ſcripſit multa neceſſaria Monachis; ſcilicet *Vitam Patrum*; & aduerſum octo principalium vitiorum ſuggeſtiones *octo* ex ſacrarum Scripturarum teſtimoniis libros. Compoſuit & cœnobitis ac Synoditis doctrinam aptam vitæ communis: & *ad virgines Deo ſacratas* libellum vnum, competentem religioni & ſexui. Edidit & paucas ſententiolas valde obſcuras, & (vt ipſe ait) ſolis Monachorum cordibus cognoſcibiles.

E

Theodorus Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, vir ſcientia cautus, & lingua diſertus, ſcripſit *aduerſus Apollinariſtas & Eunomianos*, *De incarnatione Domini* libros quindecim ad quindecim millia verſuum continentes.

Prudentius vir ſeculari literatura eruditus, compoſuit * Ditochæum *de toto veteri Teſtamento*, perſonis exceptis. Commentatus eſt autem & in morem Græcorum Hexaemeron, *de mundi fabrica.* Compoſuit & libellos, quos Græcè prætitulauit ἀποθέωσι, ψυχομαχία, ἁμαρτιγένεια, id eſt, *de diuinitate.*

* Διττοχαῖον Genn.

De *pugna animi.*

F

De *origine peccatorum.* Fecit & in laude Martyrum librum vnum: & alterum aduerſus Symmachum.

Audentius Epiſcop. Hiſpanus, ſcripſit *aduerſum* Manichæos, & Sabellianos, & Arianos, maximè contra Fotinianos.

Cõmodianus quidã ſcripſit librum *aduerſus Paganos.*

Fauſtinus presbyter ſcripſit ad perſonam Flaccillæ reginæ, Aduerſum Arianos, & Macedonios *libros ſeptem*, & *vnum* Valentiniano & Theodoſio Imperatoribus.

Rufinus Aquileienſis Eccleſiæ presbyter, non minima pars doctorum Eccleſiæ, & in transferendo de Græco in Latinum elegans habens ingenium, maximam partem Græcorum Bibliothecæ Latinis exhibuit.

Baſilij videlicet, Cæſarienſis Epiſcopi.

Gregorij Nazianzeni, eloquentiſſimi hominis. Clementis Romani Recognitionum libros.

Euſebij Cæſarienſis Palæſtinæ hiſtoriæ nouem libros, quibus duos addidit.

G

* Sixti philoſophi ſententias, *aduerſus Mathematicos.*

* Xyſti, Gennad.

Origenis autem non omnia, quia & Hieronymus aliquanta tranſtulit. *Symbolum* ſic expoſuit, vt in eius expoſitione alij nec expoſuiſſe credantur. Diſſeruit & *benedictionem Iacob*, ſuper Patriarchas, triplici modo, id eſt, hiſtorico, morali & myſtico ſenſu. Scripſit & Epiſtolas ad timorem Dei hortatorias multas. Suo obtrectatori duobus voluminibus reſpondit.

Tichonius natione Afer in diuinis literis eruditus, in ſæcularibus non ignarus, in Eccleſiaſticis negotiis ſtudioſus ſcripſit *de bello inteſtino* libros tres.

Expoſitiones diuerſarum cauſarum. Compoſuit & *Regulas octo* ad inueſtigandam intelligentiam Scripturarum, quas in vno volumine concluſit. Expoſuit & *Apocalypſim Ioannis* ex integro nihil in ea carnale, ſed totum intelligens ſpiritale. Sub Theodoſio floruit.

H

Seuerus presbyter, cognomento Sulpitius Aquitanicæ prouinciæ, vir genere & literis nobilis, ſcripſit *vitam Martini Turonenſis* Epiſcopi; & Paulino Nolanenſi, & ſorori ſuæ Epiſtolas multas: hortatoriam *Ad amorem Dei, & contemptum mundi.* Scripſit & ad Paulinum duas, & ad alios alias. Sub Arcadio claruit.

Antiochus ſcripſit *aduerſus Auaritiam* vnum & longum volumen, & *Homiliam de cæco nato.* Sub Arcadio moritur.

Seuerianus * Gauellenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in diuinis Scripturis eruditus, & in Homiliis mirabilis declamator, frequenter à Ioanne Epiſcopo, & Imperatore Arcadio, ad faciendum ſermonem Conſtantinopolim vocatus, ſcripſit expoſitionem in Epiſtolam, *ad Galatas.*

* al. Gabaleſiſ.

De *baptiſmo, & Epiphania* ſolemnitate, libellum gratiſſimum.

Niceas * Romatianæ ciuitatis Epiſcopus, compoſuit ſimplici & nitido ſermone ſex, competentes *ad baptiſmum inſtructionis* libellos. Ex quibus primus eſt *de Competentibus baptiſmi.*

* al. Romana ex m. 1. al. Romanitiæ.

Secundus: *de Gentilitatis erroribus.*

A Tertius: *de fide vnica Majeſtatis.*

Quartus: *aduerſus Genealogiam.*

Quintus: *de ſymbolo.*

Sextus: *de agni Paſchalis victima.* Condidit & *ad lapſam virginem* libellum, penè omnibus labentibus emendationis incentiuum.

Olimpius, natione Hiſpanus, Epiſcopus, ſcripſit *librum fidei* aduerſus eos qui naturam & non arbitrium in culpam vocant.

* Bachianus, vir Chriſtianæ Philoſophiæ nitidus & expeditus; edidit grata opuſcula *de fide.*

** Bachiarius. Gennad. al. Bacharius.*

Sabacius Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopus, rogatus à quadam caſta & Deo dicata virgine, Secunda nomine, compoſuit librum *de fide aduerſus Marcionem* Valentinum eius autorem, & aduerſus Eunomium, & eius magiſtrum Aëtium.

Iſaac ſcripſit *de tribus perſonis* ſanctæ Trinitatis, & *Incarnatione* Domini librum obſcuriſſimæ diſputationis, & inuoluti ſermonis.

B Vrſinus Monachus ſcripſit aduerſus eos, qui hæreticos rebaptizandos decernunt.

Macarius alius, Monachus ſcripſit in vrbe Roma: *Aduerſum Mathematicos* librum.

Heliodorus alius Antiochiæ presbyter, edidit *de Virginitate* egregium, & ſanctis Scripturis inſtructum volumen.

Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus, ſcripſit *aduerſus obtrectatores ſtudij* librum, dicens ſe Origenis ingenium, non fidem, ſecutum.

* Paulus Epiſcopus ſcripſit: *de pœnitentia* libellum.

** al. Paulinus.*

Heluidius Auxentij diſcipulus Symmachi imitator, ſcripſit, *De S. Maria* librum erroris plenum. Cui Hieronymus reſpondit libello doctrina pleno.

Theophilus Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopus, ſcripſit, *Aduerſus Origenem*, grande volumen, & aliud *aduerſus Anthropomorphitas* hæreticos, qui Deum humana figura & membris conſtare credunt: & *Paſchalem Cyclum*, & tres libros edidit *de Fide.*

C Euſebius ſcripſit de Crucis Domini myſterio, & Apoſtolorum conſtantia.

Vigilantius presbyter, natione Gallus, Hiſpaniæ Barcinonenſis Parœciæ Eccleſiam tenens, ſcripſit quædam hæreſi plena, cui Hieronymus reſpondit.

Simplicianus Epiſcopus Mediolanenſis, multis *Epiſtolis* hortatus eſt Auguſtinum, adhuc presbyterum, agitate ingenium, vt nouus quidam Ambroſ. Origenis compulſor operis videretur.

Vigilius Epiſcop. ſcripſit *ad Simplicianum in laudem martyrum* * libros quinque.

** Libellum, & Epiſtolam Gennad.*

Auguſtinus Afer Hipponenſis oppidi Epiſcopus, vir eruditione diuina & humana orbi clarus, fide integer, & vita purus, ſcripſit quanta nec inueniri poſſunt. * Quindecim libros de Trinitate. Vigintiduos, *De ciuitate Dei;* & alia innumerabilia.

** al. Duodecim.*

Oroſius presbyter Hiſpanus genere, vir eloquens & *hiſtoriarum* cognitor, ſcripſit *ſeptem libros*, in quibus deſcripſit hiſtoriam ab origine mundi vſque ad ſua tempora. Hunc miſit Auguſtinus ad Hieronymum pro diſcenda ratione animæ. Sub Honorio claruit.

D Maximus Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir in diuinis Scripturis ſatis intentus, compoſuit *in laudem Apoſtolorum Tractatus*, & *In Ioannis Baptiſtæ* natiuitatem: & generalem *omnium martyrum Homiliam*. Sed & *De Capitulis Euangeliorum & actuum Apoſtolorum* multa ſapienter expoſuit. Fecit & duos.

De *conuerſatione* Sanct. Euſebij Vercellenſis Epiſcopi, & Confeſſoris, tractatus.

[De *S. Stephano.*]

Abeſt à Gennad. ſed habet de Laurent. & Cypr. Martyrio.

De *baptiſmi gratia* librum edidit.

De *auaritia.*

De *hoſpitalitate.*

De *defectu lunæ.*

De *Eleemoſynis.*

De *Paſſione Domini.*

De *Ieiunio ſeruorum Dei* generali.

E De *Ieiunio* ſpeciali Quadrageſimæ.

De *Calendis Ianuarij.*

Homilias de Natiuitate Domini.

De *Epiphania.*

De *Paſcha.*

De *Pentecoſte* multas. Et alia plurima. Sub * Theodorico claruit.

** Honor. & Theodoſ. imperante regnante.*

Petronius Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir ſanctæ vitæ & Monachorum ſtudiis ab adoleſcentia exercitatus; ſcripſit *vitas patrum Ægypti monachorum.* Floruit ſub * Theodorico.

** Theodoſio, Arcad. F. & Valentiniano regnantib. Gennad.*

Pelagius hæreſiarches, ſcripſit tres libros *de fide Trinitatis*, & pro actuali vita librum, hæreſi ſuæ fauentia. Cui reſpondit Auguſtinus.

Innocentius vrbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit *decretum Occidentalium* & Orientalium Eccleſiarum aduerſus Pelagianos, quod poſtea ſucceſſor eius Papa Zozimus * latius promulgauit.

** Latinis Gennad.*

Cœleſtinus ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio *Epiſtolas*, in modum libellorum *tres* morales.

F Iulianus Epiſcopus * Campanus, vir acris ingenij in diuinis Scripturis doctus Græca & Latina lingua, ſcholaſticus, in hæreſim Pelagij lapſus, ſcripſit, *aduerſus Auguſtinum* libros quatuor.

** al. Capuanus.*

Et iterum lib. ſeptem. Eſt & liber altercationis amborum partes ſuas defendentium.

Lucianus presbyter vir ſanctus, ſcripſit *reuelationem S. Stephani* Græco ſermone. Hanc Auitus presbyter, Hiſpanus genere, in Latinum tranſtulit ſermonem.

Paulinus Nolæ Campaniæ Epiſcopus, compoſuit breuia, ſed multa, & ad Celſum quendam Epitaphij vice *conſolatorium* libellum ſuper morte Chriſtiani & baptizati infantis.

Et ad Seuerum plures *Epiſtolas*, & ad Theodoſium Imperatorem *Panegyricum* ſuper victoria Tyrannorum. Fecit & *Sacramentarium & Hymnarium*. Ad ſororem quoque *Epiſtolas* multas *De contemptu mundi*, & de diuerſis cauſis diuerſos tractatus: & librum *De pœnitentia* & vnum *De laude martyrum.* Sub Honorio claruit, & Valentiniano.

G Eutropius presbyter ſcripſit ad duas ſorores ancillas Chriſti, duas *Epiſtolas*, in modum librorum conſolatorias, eleganti & aperto ſermone.

Euagrius alter, ſcripſit *altercationem* Symonis Iudæi, & Theophili Chriſtiani, quæ penè omnibus nota eſt.

Vigilius Diaconus, compoſuit ex traditione patrum Monachorum *Regulam* breuiato & aperto ſermone, totius monaſticæ profeſſionis in ſe tenentem diſciplinam.

Atticus Conſtantinop. Epiſc. ſcripſit ad reginas Arcadij Imperatoris filias *de fide, & virginitate* librum valde egregium.

* Neſtor hæreſiarches Antiochenæ Eccleſ. presbyter, inſignis in dicendo declamator, compoſuit infinitos *Tractatus* diuerſarum *quæſtionum*. Poſtea Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſcripſit lib. *De Incarnatione Domini*, hæreſi plenum.

** al. Neſtorius.*

H Cæleſtinus vrbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit *aduerſus Neſtorium* volumen.

Sixtus ſucceſſor Cœleſtini, ſcripſit etiam *aduerſus Neſtorium.*

Theodorus Ancyranus Galatiæ Epiſcopus, ſcripſit *aduerſus Neſtorium* librum Redargutionis Gennad. Dialectica arte compoſitum.

Faſtidius Britannorum Epiſcopus, ſcripſit ad * Fatalem quendam *De * Vita Chriſtiana* librum vnum, & alium *De viduitate ſeruanda*, ſana & Deo digna doctrina.

** Fatalem.*
** De fide Chriſt.*

Cyrillus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, edidit variarum *quæſtionum* * *Tractatus. Homilias* etiam compoſuit plurimas, & libros *de Synagoga defectu. De fide* aduerſum hæreticos, & librum ſpecialiter *aduerſus Neſtorium.*

Timotheus Epiſcopus, compoſuit librum *de Natiuitate Domini ſecundum carnem*, quam credit in Epiphania factam.

A Leporius adhuc Monachus, poſtea presbyter, ſecutus dogma Pelagianum, ſed per Auguſtinum correctus, ſcripſit librum *emendationis ſuæ.*

Victorinus Rhetor Maſſilienſis, edidit libros *in Geneſim.*

† Scytha Gennad. Caſſianus natione † Afer, Conſtantinopoli à Ioanne Magno Epiſcopo Diaconus ordinatus, apud Maſſiliam presbyter, condidit duo monaſteria, id eſt, virorum & mulierum, quæ vſque hodie extant: ſcripſit experientia magiſtrante † librato ſermone, & (vt apertius dicam) ſenſu verba inueniens, & actione linguam mouens, res omnium Monachorum neceſſarias profeſſioni, id eſt, *de habitu Monachi*, & *de Canonico orationum modo* atque pſalmorum, qui in monaſteriis Ægypti, die noctúque tenetur, libros tres, *Inſtructionum* librum vnum.

† litterato Gēnad.

Inſtitutionum Gennad.

De origine & qualitate ac remediis principalium vitiorum *libros octo.* ſingulos quidem de ſingulis vitiis expediens. Digeſſit etiam *collationes* cum patribus Ægypti habitas, hoc eſt, *de deſtinatione* Monachi ac fine.

B De *diſcretione.*

De *tribus* ad ſeruiendum Deò vocationibus.

De *pugna carnis* aduerſus Spiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.

De *natura omnium vitiorum.*

De *nece Sanctorum.*

De *mobilitate animæ.*

De *octo principalibus vitiis.*

De *qualitate orationis.*

De *perfectu.*

De *caſtitate.*

De *protectione Dei.*

De *ſcientia ſpiritali.*

De *diuinis Chariſmatibus.*

De *amicitia.*

De *definiendo vel non definiendo.*

De tribus antiquis generibus *Monachorum*, & quarto nuper exorto.

C De *fide Cœnobitæ & Heremitæ.*

De *ſatisfactione pœnitentiæ.*

De *remiſſione Quinquageſimæ.*

De *nocturnis illuſionibus.*

De eo quod dicit Apoſtolus: *Non enim quod volo, facio bonum.*

De *mortificatione.* Ad extremum rogatus à Leone Archidiacono, poſtea vrbis Romæ Epiſcopo, ſcripſit aduerſus Neſtorium.

De Incarnatione Domini lib. ſeptem. Et in his ſcribendi apud Maſſiliam, & viuendi finem fecit ſub Theodoſio.

Philippus Presbyter, auditor Hieronymi, edidit librum *in Iob*, & plures *Epiſtolas.*

Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ presbyter, diſſeruit Saloni & Vranio Epiſcopis *obſcura* quæque ſanctarum *capitula* ſcripturarum. Sed & ſcripta *Caſſiani* longo ſermone diſtenta, breuiter coarctauit. Sub Valentiniano floruit, & Martiano principibus.

D Vincentius natione Gallus, apud monaſterium Lirinenſis inſulæ presbyter, vir in Scripturis ſanctis doctus, ſcripſit validiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo, titulauit *Peregrini, aduerſum hæreticos.* Sub Theodoſio claruit.

Syagrius ſcripſit *de Fide aduerſum hæreticos.*

Eutyches Gennad. Iſaac presbyter Antiochenæ Eccleſiæ ſcripſit multa *aduerſum Neſtorianos*, & † Circianos. Ruinam etiam Antiochiæ longo carmine planxit, eo auditores imbuens ſono, quo Effrem diaconus Nicomediæ lapſum. Sub Leone moritur.

Saluianus Maſſilienſis Eccleſiæ presbyter; humana & diuina literatura inſtructus: & (vt abſque inuidia loquar) Epiſcoporum Saloni & Verani magiſter; ſcripſit Scholaſtico & aperto ſermone multa, id eſt, *De virginitatis bono* ad Marcellum presbyterum, libros tres.

Aduerſus auaritiam, libros quatuor.

De *præſenti iudicio* libros quinque.

Ad *Saſonium Epiſcopum*, librum vnum.

In *Geneſim* quaſi Hexaëmeron librum vnum.

Homilias Epiſcopis multas, & *Sacramentorum* plures. E

Paulinus compoſuit Tractatus: *De initio Quadrageſimæ.*

De *die Dominico Paſchæ.*

De *Obedientia.*

De *pœnitentia.*

De *Neophytis.*

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, in ſanctis Scripturis doctus, abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigatum *opus prædicationis* ingeſſit. Sub Valentiniano floruit.

Leo, vrbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit ad Flauianum Conſtantinopolis Eccleſiæ Epiſcopum, *Aduerſus Eutychen* presbyterum *Epiſtolam.* Sub Leone claruit Imp.

Mochimus Meſopotam. presbyter apud Antiochiam ſcripſit, *Aduerſum Eutychen* egregium libellum:

Timotheus Alexandriæ Epiſcopus, ſcripſit ad Leonem Imperat. librum valde ſuaſorium.

Aſclepius Afer in † Vagienſi territorio Epiſcopus, ſcripſit, *aduerſus Arrianos.* † Baienſi Gennad.

F Petrus Ediſſenæ Eccleſiæ presbyter, declamator inſignis, ſcripſit variarum cauſarum tractatus: & † in mortem S. Effrem diaconi pſalmos metro compoſuit. † & more Gennad.

Paulus natione Pannonius, presbyter, ſcripſit duos libros, *De virginitate, & contemptu mundi.*

Paſtor Epiſcopus compoſuit libellum in modum *Symboli* paruum.

Victor, Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis Epiſcopus, ſcripſit, *Aduerſum Arrianos* librum vnum.

De *pœnitentia* publicani vnum.

Ad *Baſilium* quendam, ſuper morte filij conſolatorium librum. Homilias etiam multas compoſuit.

† Voconius Gennad. † Buconius, Caſtellani Mauritaniæ oppidi Epiſcopus, ſcripſit *aduerſum Eccleſiæ inimicos*, Iudæos & Arianos, & alios hæreticos. Compoſuit etiam *Sacramentorum* egregium volumen.

G Muſæus Maſſilienſis Eccleſiæ presbyter in diuinis ſcripturis doctus, excerpſit de ſanctis ſcripturis *Lectiones totius anni*, feſtiuis diebus aptas; *Reſponſoria* & Pſalmorum capitula, temporibus & lectionibus congruentia, & *Sacramentorum* egregium volumen, & *Homilias quaſdam.*

Vincentius presbyter natione Gallus, in diuinis ſcripturis exercitatus, fecit *commentarium in Pſalmos.*

Syrus; Gennad. Cyrus genere Alexandrinus, arte medicus, ex philoſopho Monachus, vir dicendi peritus ſcripſit, *aduerſus Neſtorium*, eleganter & fortiter.

Samuel Ediſſenæ Eccleſiæ presbyter, multa aduerſus Eccleſiæ inimicos hæreticos compoſuit.

† Mamercus cognomento fuit. † Claudianus Viennenſis Eccleſiæ presbyter, vir ad loquendum artifex, & ad diſputandum ſubtilis, compoſuit *tres*, quaſi *de ſtatu, vel de ſubſtantia animæ libros.*

H Proſper Epiſcop. Aquitanicæ regionis, ſermone Scholaſticus, & aſſertionibus neruoſus, multa compoſuit: *Chronica* à conditione primi hominis vſque ad captam vrbem Romam à Genſerico VVandalorum rege. Fecit & librum, *aduerſum opuſcula Caſſiani*: quæ Eccleſia Dei probat ſalutaria, ille infamat nociua. Et reuera Caſſiani, & Proſperi, *De gratia Dei*, & *de libero arbitrio*, ſententiæ ſibi contrariæ inueniuntur. *Epiſtola* quoque Leonis Papæ. *De incarnatione Chriſti* aduerſus Eutychen ab ipſo dictatæ ſunt.

Fauſtus ex Abbate Lirinenſis monaſterij, apud Rhegiam Galliæ Epiſcopus factus, vir in diuinis ſcripturis ſatis intentus, compoſuit librum, *de Spiritu ſancto*, & egregium opus.

De gratia Dei qua ſaluamur, & alia.

Cæſarius Arelatenſis vrbis Epiſcopus, vir ſanctitate & virtutibus celebris, ſcripſit egregia & grata, & Monachis valde neceſſaria opuſcula, de gratia quoque & *Libero arbitrio.* Floruit ſub Anaſtaſio.

Seruus Dei, Epiſcopus, ſcripſit aduerſus eos, qui dicunt Chriſtum in hac vita degentem, non vidiſſe carneis ſuis oculis patrem, ſed poſt reſurrectionem ex

A

mortuis, & aſcenſionem in cœlos, cum tranſlatus eſt in gloriam Patris, hoc dantis ei in remunerationem martyrij; oſtendens ex Scripturis Dominum Ieſum ſemper carneis oculis, & patrem & ſpiritum ſanctum vidiſſe.

Victorinus, natione Aquitanicus, calculator ſtudioſiſſimus compoſuit Paſchalem curſum, poſt quatuor priores Computiſtas id eſt, *Hypolitum, Euſebium, Theophilum & Proſperum.*

Theodorus Cyri ciuitatis Epiſcopus à Cyro rege Perſarum conditæ, ſcripſit *de incarnatione Domini*, aduerſum Eutychen presbyterum, & † Dioſcorum Alexandriæ Epiſcopum, qui humanam carnem in Chriſto fuiſſe negant. Scripſit & decem libros *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.* Sub Leone ſeniore floruit.

† Dionyſ. Gennad.

Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vir lingua nitidus & ingenio acer, *Danielem* ex integro commentatus eſt, Homilias, etiam multas ſcripſit.

B

Theodorus presbyter in Cœleſyria compoſuit librum aduerſum hæreticos, *de conſonantia Veteris & noui Teſtamenti.* Claruit ſub Zenone.

[illegible]

Sidonius Aruernorum Epiſcopus, ſcripſit varia & grata opuſcula, ad diuerſos diuerſo metro vel proſa, & *Epiſtolarum* inſigne volumen. Sub Zenone claruit.

Ioannes Antiochenæ parœciæ ex Grammatico presbyter, ſcripſit quædam aduerſus hæreticos, *de Dei & hominis perſona.*

Forte *Ioannes Philoponus*, qui & *Grammaticus dictus.*

Gelaſius vrbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit aduerſus Eutychen & Neſtorem grande volumen ac præclarum, & tractatus diuerſarum ſcripturarum, & Sacramentorum elimato ſermone, & aduerſus Petrum & Acacium epiſtolas. Fecit & Hymnos in ſimilitudinem Ambroſij. Sub Anaſtaſio claruit.

Honoratius, Conſtantiæ Africæ ciuitatis Epiſcopus, ſcripſit ad Arcadium quendam *Epiſtolam* exhortatoriam.

C

Cerealis Epiſcopus, natione Afer, edidit libellum, *De Catholica fide.*

Euſebius Carthaginis Africæ ciuitatis Epiſcopus & confeſſor publicus, ſcripſit *expoſitionem fidei* & altercationes quas cum Præſulibus Arrianorum Hunerico [illegible].

Gennadius Maſſiliæ presbyter ſcripſit, *Aduerſus omnes hæreſes* libros octo.

Aduerſus Neſtorem libros ſex, & [Aduerſus Eutychen libros vndecim.]

Aduerſus Pelagium libros tres.

Deeſt in Gennadio.

Tractatus de mille Annis, De Apocalypſi, & *Epiſtolam de fide ſua* ad Gelaſium Pontif. Rom.

Hactenus ex Gennadio: nunc ex Iſidoro.

Oſius Cordubenſis ciuitatis Epiſcopus, ſcripſit ad ſororem ſuam, *De laude virginitatis Epiſtolam* pulchro ac diſerto comptam eloquio. In Sardicenſi etiam Concilio quam plurimas ipſe edidit ſententias. Hic in ſenectute à Conſtantio perterritus Arianæ impietati conſenſit. Qui cum contra Gregorium Eliberritanæ Epiſcopum reſidens faſtu, quaſi regalis imperij ſententiam conaretur exprimere, os vertit diſtorquens pariter & ceruicem, ac de ſeſſu in terram eliditur, atque ilico expirauit.

D

† Anicius Hiſpaniarum Epiſcop. cognomento & eloquio clarus, ſcripſit.

† Itacius in Iſidor Catalog.

Aduerſus Priſcilliani dogma, & maleficiorum eius artes librum. Hic cum Vrſacio Epiſcopo ob necem eiuſdem Priſcilliani, cuius accuſatores extiterant, Eccleſiæ communione priuatus, exilio condemnatur.

Siricius Romanæ vrbis Epiſcopus ſcripſit † *Decretalia* opuſcula.

† Decretale opuſculum Iſidor.

Paulinus presbyter edidit libellum, *de benedictionibus Patriarcharum librum*, triplici intelligentia. Hic ſcripſit *vitam Ambroſij*, petente Auguſtino.

Proba vxor Adelphi Proconſulis, compoſuit *Centonem de Chriſto*, Virgilianis coaptatum verſibus, qui inter Apocryphas ſcripturas computatur.

Ioannes, Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopus, cognomento *Chryſoſtomus* ſcripſit multa & præclara opuſcula, & diuerſos tractatus. Cuius quamplurima eloquentiæ fluenta de Græco in Latinum ſermonem tranſlata ſunt. Hic Theophyli Alexandrini Epiſcopi diſcordia oppreſſus, ab Arcadio Imperatore innocenter damnatus, atque ab Epiſcopatu deiectus, Ponto in exilium retruſus moritur.

E

Sedulius presbyter, edidit *tres lib. heroico metro* compoſitos; quorum primus ſigna & virtutes veteris Teſtamenti potentiſſimè reſonat. Reliqui verò geſtorum Chriſti Sacramenta, vel miracula intonant.

Poſſidonius Africæ prouinciæ Epiſcopus ſtilo proſecutus eſt *vitam S. Auguſtini*, in qua plus quàm quadringentos libros eius enumerat.

† Primaſius, Africanus Epiſcopus compoſuit ſermone ſcholaſtico, *de hæreſibus*, libros tres ad Fortunatum Epiſcopum.

† Primaſius Iſidor.

Proterius Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtes ſcripſit Epiſtolas *ad* Leonem Romanæ ſedis Antiſtitem, *de feſtiuitate Paſchali.*

F

† Paſchaſinus Sicilienſis Epiſcop. edidit vnam *Paſchalem epiſtolam*, ad Leonem ſupradictum Papam.

† Paſchaſinus [illegible]

[Ioannes Scotus (vel Chryſoſtomus) in ſcripturis inſigniter eruditus, ſcripſit eleganti ſtylo librum [illegible], id eſt, *de natura omnium rerum.*

Vid. Sigebert de hoc, & de Theodulo [illegible]

Theodulus, natione Italus, ſcripſit vnam Eclogam, De veteri Teſtamento, & fabulis Gentilium contextam, in qua veritatem fidei aſtruxit; perfidiæ falſitatem deſtruxit.]

Iulianus, cognomento Pomerius, natione Maurus, in Gallia presbyter ordinatus, ſcripſit octo libros, *de animæ natura* in Dialogi morem. Quorum primus continet: *Quid ſit anima*, vel qualiter credatur ad imaginem Dei facta.

In ſecundo loquitur: *Vtrum anima corporea ſit an incorporea.*

In tertio diſſerit, *Vnde primo homini ſit anima facta.* In quarto: *Vtrum noua anima ſine peccato fiat*, an peccatum primi hominis ex illo propagata originaliter trahat. In quinto deſcribit, *Quæ ſit facultas animæ.* In ſexto loquitur, *Vnde ſit ea diſcordia*, qua carni ſpiritus, vel caro ſpiritui aduerſatur. In ſeptimo autem deſcribit: *de differentia viuorum ac mortuum*, vel reſurrectione carnis & animæ, ſiue de morte carnis, ac de eius reſurrectione. In octauo loquitur: *De iis quæ in fine mundi futura ſunt*: vel de quæſtionibus, quæ ſolent de reſurrectione proponi, ſiue, de finibus bonorum atque malorum.

G

Condidit etiam vnum libellum *de virginibus inſtituendis*, alios quoque *tres Prognoſticon* de futuræ vitæ contemplatione, vel actuali conuerſatione: nec non etiam *de vitiis atque virtutibus.*

Eugypius Abbas compoſuit vitam ſancti Seuerini Monachi, & regulam monachis.

Eugyppius in Iſidoro.

Fulgentius Afer, Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopus in confeſſione fidei clarus, in Scripturis copioſiſſimè eruditus, loquendo quoque dulcis, in docendo ac diſſerendo ſubtilis, ſcripſit multa, ex quibus hæc ſunt: *De gratia Dei, & libero arbitrio.*

H

Libri *reſponſionum* ſeptem, contra hæreticos, & vnus liber, *de ſancta Trinitate*, & liber *Regulæ veræ fidei*, & alius *de Sacramento incarnationis Chriſti*, & duo libri *De veritate prædeſtinationis*, liber de quæſtionibus, liber altercationis; plurimi tractatus & ſermones. Sub Anaſtaſio claruit.

Eucherius † Epiſcopus elegans ſententiis, ornatus in verbis, edidit vnum opuſculum *de laude Heremi*, dulci ſermone dictatum.

† ſup. presbyter.

Hilarius Arelatenſis Epiſcop. ſcripſit vitam prædeceſſoris ſui Honorij Epiſcopi, ſuaui ac præclaro eloquio.

Aprigius, Pacenſis Eccleſiæ Hiſpaniarum Epiſcopus, diſertus lingua, & ſcientia eruditus, expoſuit *Apocalypſim* Ioannis Apoſtoli ſubtili ſenſu, atque illuſtri ſermone, melius planè quam veteres Eccleſiaſtici viri expoſuerunt. Scripſit & nonnulla alia.

Apingius in Iſidor.

Iuſtinianus Imperator quoſdam libros, *de incarnatione Domini* edidit, quos etiam per diuerſas prouincias miſit. Condidit & *Reſcriptum* contra Illyricianam Synodum.

[Caſſiodo

A

Non ſunt hi duo in Iſidori Catalogo.

[Caſſiodorus ex ſenatoribus Rauennæ Præfectus, arte Philoſophus, profeſſione Monachus, tranſtulit de Græco *Tripartitam hiſtoriam*, expoſuit magnificè Pſalterium, & multa alia ſcripſit.

Boëtius, Patricius vir Conſul, ſcripſit librum, *De ſancta Trinitate*, & alium, *De conſolatione Philoſophiæ*, & Quadriuium de Græco tranſtulit, id eſt, *Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiam*, Dialecticam verò explanauit: à Theodorico Gothorum rege Mediolani interficitur.

* pro defenſione Iſidor.

Facundus Ermianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, duodecim libros * *de profeſſione Catholica Eccleſiæ* edidit.

* Inf. Iuſtus Nebridius & Elpidius.

Iuſtinianus, Valentiæ Eccleſiæ Epiſcopus, ex * quatuor fratribus & Epiſcopis, eadem matre progenitis vnus, ſcripſit librum *Reſponſionum* ad quendam Ruſticum, de interrogatis quæſtionibus. Quarum prima eſt reſponſio, *De ſpiritu ſancto*.

Secunda: *Contra Bonoſiacos*, qui Chriſtum adoptiuum & non proprium dicunt.

B

Tertia: *De baptiſmo Chriſti, quod iterare non licet.*

Quarta: *De diſtinctione baptiſmi Ioannis & Chriſti.*

Quinta: *Quod Filius ſicut pater, inuiſibilis ſit.*

Iuſtus Vrgellitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, & frater prædicti Iuſtiniani, edidit libellum expoſitionis, *In Cantica canticorum*. Huius quoque frater Nebridius & Elpidius quædam ſcripſerunt.

Ex Iſidori Catalogo cap. 22.

Martinus, Dumienſis monaſterij ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus nauigans in Galliam venit, ibique conuerſis ab Ariana impietate ad fidem Catholicam Sueuorum populis, *regulam fidei* & ſanctæ religionis conſtituit, Eccleſias informauit, monaſteria condidit, copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Librum quoque, * *de differentiis quatuor virtutum, prudentia, fortitudine iuſtitia, & temperantia, ſcripſit*: & aliud volumen *Epiſtolarum* plenum cultura omnium virtutum.

* Hic liber falſo hactenus Senecæ adſcriptus, in eius eſt operibus.

Auitus Epiſcop. ſcientia ſanctarum literarum doctus, edidit quinque libellos heroico metro compoſitos, quorum primus eſt, *De origine mundi*.

C

Secundus: *De Originali peccato.*

Tertius: *De ſententia Dei.*

Quartus: *De diluuio mundi.*

Alia eius ſunt in Sigeber. c.118.

Quintus: *De trãſitu maris Rubri*. Scripſit & ad Fuſcinã ſororem *de laude virginitatis* librũ vnũ pulcherrimo carmine compoſitum, & eleganti Epigrammate coaptatum.

Dracontius compoſuit heroicis verſibus. *Hexaemeron creationis mundi.*

* Tunnunenſis ſcrib. ex mſ. Iſido. cuius *Chronicon* eruimus.

Victor * Africæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſcripſit à principio mundi vſque ad Iuſtini tempora nobilem *hiſtoriam*.

[Benedictus Abbas monaſterij Caſſini ſcripſit *regulam Monachorum* per totum mundum promulgatam, qui omnium iuſtorum ſpiritu plenus ſcribitur.]

Ioannes Conſtãtinopolis Epiſcopus, natione Cappadox, edidit ad Alexandrũ Epiſc. lib. *de Sacramento baptiſmatis*.

Gregorius Romanæ vrbis Epiſcopus, organum S. Spiritus, incomparabilis omnibus ſuis præceſſoribus, multa præ ſole præclara, ac præ obryzo auro precioſa, ſcripſit ad ſupra dictum Ioannem *Paſtoralem curam*. Ad Leandrum

D

Epiſcopum librum *Iob* triginta & quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit. *Dialogum de miraculis ſanctorum* ad Petrum Archidiaconum. *Quadraginta oracula* Euangeliorum, immò totum textum quatuor *Euangeliorum* ſermocinando populo expoſuiſſe dicitur: & 20. *Homil. in Ezech.* & infinitas Epiſt. quarum collectio *Regiſtrum* dicitur. Floruit ſub Mauricio.

[Gregorius Epiſcop. Turonenſis ſcripſit librum hiſtoriæ.] vide Sigebertum. c.49.

Leander ex monacho Hiſpalenſis Eccleſiæ prouinciæ Bæticæ Epiſcopus, vir ſuauis eloquio, ingenio præſtans, vita atque doctrina clarus, compoſuit duos libros.

Aduerſum hæreticorum dogmata, & vnum *Ad Florentinam ſororem, de inſtitutione virginum*, & vnum *Contra Arrianos*, & vnum *De contemptu mundi*, & multas Epiſtolas ad Gregorium Papam, & ad alios coëpiſcopos, & orationes *in toto Pſalterio*. & in ſacrificij laudibus multa dulciſonè compoſuit. Floruit ſub Phoca.

E

Licinianus in Iſidoro.

Licinianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus, in ſcripturis doctus, ſcripſit *Epiſtolam* de Sacramentis, & de Baptiſmate vnam, & alias multas de diuerſis cauſis. Claruit ſub Mauricio.

Seuerus Malacitanæ ſedis Antiſtes, edidit libellum, aduerſus Vincentium Cæſarauguſtanum Epiſcopum Arianum, & vnum, *De virginitate*, qui dicitur *Annulus*. Sub Mauricio floruit.

Ioannes Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, natione Gothus, ſcripſit *regulam Monachis*, & omnibus Deum timentibus neceſſariam.

* diſtrictione Iſidoro.

Eutropius Valentiæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſcripſit epiſtolam, *De Vnctione Chriſmatis*, & aliam, *De * diſtinctione Monachorum.*

Maximus Cæſarauguſtæ ciuitatis Epiſcopus, multa compoſuit verſu proſaque & quandam hiſtoriam Gothorum.

Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus innumera ſcripſit opuſcula, ex quibus hæc ſunt.

F

Libros Etymologiarum vigintiduos.

Librum gloſſarum.

Librum Sententiarum.

Sinonyma.

Librum de differentia. Totum vetus Teſtamentum dupliciter expoſuit, hiſtoricè & Allegoricè, & multa alia, Floruit ſub Heraclio.

Ex Sigeb. Gēbl. c. 68.

Beda Monachus & præsbyter Anglicæ prouinciæ, ſcripſit infinita, ex quibus ſunt hæc.

In *Geneſim* libros quatuor *De tabernaculo* & vaſis eius, ac veſtibus ſacerdotum libros † quatuor.

† tres habet Sigeb.

De ædificatione templi, libros duos.

In *Librum Regum* librum vnum. Quæſtionum trigin-

In *Prouerbia Salomonis* libros tres.

In *Cantica canticorum* libros * ſeptem

* ſex, tantum Sigebert.

In *Eſaiam & Danielem* & duodecim prophetas, & in partem Hieremiæ:

In *Eſdram & Neemiam* libros tres.

In librum *Tobiæ* libros duos.

In canticum *Abacuc*, librum vnum

G

Item in libros *Regum & Paralipomenon.*

In *Iob.*

In *Pentateuchum* Moyſi, & Ioſuæ.

In *Parabolas.*

In *Eccleſiaſten.*

In *Cantica canticorum.*

In *Eſaiam.*

In *Eſdram* capitula multa.

In *Euangelium Marci*, libros quatuor.

In *Lucam ſex.*

Homiliarum Euangelij libros duos Auguſt.

In *Apoſtolum* multa capitul. ex B.

In *actus Apoſtolorum*, libros duos.

In *epiſtol. Canonicas* libros ſeptem.

In *Apocalypſin* tres.

In Capitula *de toto Nouo Teſtamento.*

Epiſtolarum librum ad diuerſos.

De *ſex ætatibus ſeculi* vnum.

H

De *manſionibus filiorum Iſrael*, librum vnum.

De *Eſaia* vnum.

De *ratione biſextili.*

De *æquinoctio* nouem.

De *Hiſtoriis ſanctorum.*

Librum *vitæ & paſſionis S. Felicis* confeſſoris de metro in proſam tranſtulit.

Vitam & paſſionem S. Anaſtaſij de Græco in Latinum correxit.

Vitam S. Cuberti Monachi & Epiſcopi, metro & proſa compoſuit.

Hiſtoriam Anglorum quinque libris edidit.

Martyrologium de natalitiis ſanctorum librum.

Hymnorum diuerſo metro ſiue Rythmo.

Librum Epigrammatum Elegiaco metro.

De natura rerum, & *De temporibus* ſingulos libros.

Item alium: De temporibus maiorem.

Librum *de Orthographia* Alphabeti ſerie.

SSſſ 3 Librum

A Librum *de Metrica arte.*

De *Schematibus & Tropis*, hoc eſt, De figuris & modis locutionum ſacræ ſcripturæ. Sub Leone floruit. Romæ moritur & ſepelitur Obiit anno Dom. 734.

De Alcuino ſeu Albin. Sigebert. cap. 82.

Alcuinus, natione Anglus, Eboracæ ciuitatis diaconus, officio Scholaſticus, dignitate Abbas, magiſter Carol. Imperatoris, ſcripſit breuiter omnes liberales artes ad prædictum Imperatorem, & multa alia præclara.

Amalarius Metenſis Epiſcopus ſub Ludouico ſcripſit libros quatuor, *De diuinis Sacramentis.*

Rabanus ex Monaſterij Fuldenſis Abbate, Moguntienſis Epiſcopus, ſcripſit mirabilem librum, *De myſterio ſancta crucis, & totum Vetus & Nouum Teſtamentum* expoſuit. Sub Ludouico claruit.

Paterius quidam redegit in librum *teſtimonia ſcripturarum*, quæ B. Gregor. introducendo expoſuit.

Smaragdus Abbas monaſterij ſancti Michaëlis, lectiones & Euangelia in diuinis officiis legenda per circu-
B lum anni expoſuit, & librum monaſticæ profeſſionis congruum compoſuit, quem *Diadema Monachorum* vocauit, & Grammaticam, maiorem Donatum exponendo, explicuit.

Haymo quidam Homilias in Euangelia ſolemnia fecit.

Hic & librum, *De voluptate mundi* compoſuit.

Henricus quidam Homilias in Euangelia fecit.

Notgerus Abbas monaſterij ſancti Galli Sequentiarum & tropicos verſus, & multa alia. Sub Ottone floruit.

** Rathbertus ſiue Robertus Sigebert. cap. 94.*

Paſchaſius * librum *de corpore Domini* compoſuit. [Scripſit & in Threnos Hieremiæ.]

Petrus cognomento Damiani ex monacho & Heremita Epiſcopus, ſcripſit librum contra illos qui Simoniacos reordinare cenſuerunt, & multa alia. Sub Henric. Pio floruit.

Hermannus Monachus, cognomento *Contractus*, quædam ſcripſit, & dulcitonum cantum compoſuit.
C Sub eodem Henrico floruit. [Chronicon hic ſcriptum reliquit.]

Bernoldus, Conſtantienſis Eccleſiæ presbyter Romanum ordinem ſub quarto Henrico compoſuit.

Lanfrancus Cantuarienſis ex Abbate Epiſcopus ſcripſit librum, *De corpore Domini* contra Berengarium hæreticum. Sub eodem Henrico floruit.

Anshelmus eiuſdem Lanfranci diſcipulus, ex Abbate eiuſdem Cantuarienſis Eccleſiæ Angliæ prouinciæ Epiſcopus, multa memoranda conſcripſit, ex quibus hæc ſunt; Librum qui dicitur: *Cur Deus homo.*

Monologion librum, ſcilicet.

De ſancta Trinitate vnum,

De incarnatione verbi vnum,

De proceſſione ſancti ſpiritus vnum.

De lapſu diaboli vnum.

De Libero arbitrio.

De gratia Dei.

De prædeſtinatione, & multa alia Deo digna.

D Rupertus Tuitienſis monaſterij Abbas, ſpiritu ſancto per viſionem illuminatus, totam pene ſcripturam egregio ſtylo expoſuit. Sub quinto Henrico floruit.

Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ presbyter, & ſcholaſticus, non ſpernenda opuſcula edidit.

Elucidarium in tribus libellis.

Eius extant quæ aſteriſco notamus.

† Vidit hunc Trithemius.

Primum, De Chriſto.

Secundum, De Eccleſia.

Tertium, De futura vita diſtinxit.

Libellum, De ſancta Maria, qui *ſigillum ſanctæ Mariæ* intitulatur. † Vnum de libero arbitrio, qui *Ineuitabile* dicitur, Vnum libellum Sermonum, qui *Speculum Eccleſiæ* nuncupatur.

De Incontinentia ſacerdotum, qui *Offendiculum* appellatur.

Summam totius:

De Omnimoda hiſtoria.

† Gemmam animæ, ſeu de diuinis officiis.

Sacramentum, de Sacramentis.

Neocoſmon, de primis ſex diebus.

Euchariſticon de corpore Domini. E

Cognitionem vitæ, de Deo & æterna vita.

† Imaginem mundi, de diſpoſitione orbis.

† Summam gloriam de Apoſtolico & Auguſto. (ſeu ſeriem Pontificum, & Impp.)

Scalam cœli.

† De gradibus viſionum, forte hic liber, eſt De Solis effectibus.)

De Anima & de Deo quædam, de Auguſtino excerpta, ſub dialogo exarata.

Expoſitionem totius Pſalterij, cum canticis, miro modo.

† *Cantica canticorum*, ita vt prius expoſita non videantur. (Scripſit & in Prouerbia, & in Eccleſiaſten Salomonis.)

Euangelia, quæ beatus Gregorius non expoſuit.

† Clauem Phyſicæ, de naturis rerum. (Hij forte libri IV. De mundi Philoſophia ſunt.) F

Refectionem mentium.

De feſtis Domini & ſanctorum.

Pabulum vitæ.

De præcipuis feſtis.

† Hunc libellum, De luminaribus Eccleſiæ, (Seu *de Eccleſiæ ſcriptoribus*) poſt Hieronymum & Gennadium ſub quinto Henrico floruit. Quis poſt hunc ſcripturus ſit poſteritas videbit.

HONORII AVGVSTOdunenſis Presbyteri.

De Hæreſibus.

PRÆFATIO. G

QVum eos ſummatim notauimus, qui claro lumine Catholicæ doctrinæ Eccleſiam illuſtrauerunt, reſtat vt etiam illos ſtrictim notemus, qui eam quaſi tetro fumo hæretici dogmatis obfuſcauerunt. Hæreſis *igitur dicitur electio. Inde* Hæreticus *dicitur elector, quia quiſque hanc ſectam, quam ſequitur, eligit. Fit autem hæreticus errore & contentione, dum quis errorem ſuum cōtentioſe defendit, & ſapientum dicta vel ſcripta contemnit. Is quippe Eccleſiæ contradicit, & ab eius fide alienus exiſtit. Non eſt autem hæreticus iudicandus qui ſcripturam aliter quam eſt, intelligit, ſi modo ſeſe correxerit, cum à doctore audierit.*

HONORII AVGVSTOdunenſis Presbyteri.

De Hæreſibus. H

LIBER.

DE HÆRETICIS IVDÆORVM.

APVD Iudæos fuerunt hæ octo hæreſes.

Phariſæi erant Clerici Iudæorum, & dicuntur diuiſi. Horum hæreſis erat quod traditiones ſuas præferebant mandatis Dei. 1.

Saducæi erant Monachi Iudæorum, & dicuntur Iuſti. Horum hæreſis erat, quod reſurrectionem corporum negabant, animam cum corpore interire prædicabant. Legem Moyſi receperunt, ſcripta Prophetarum reſpuerunt. 2.

Eſſeni quidam Iudæorum hæretici, dicentes hunc eſſe Chriſtum, qui docuit illos omnem abſtinentiam. 3.

Marbonæi alij hæretici, qui dicunt ipſum eſſe Chriſtum, qui docuit illos in omni re ſabbatizare. 4.

Geniſtæ hæretici de ſemine Abrahæ ſe gloriantes. In 5.

Babylone

A Babylone quippe alij Iudæi Paganis mulieribus, alij Iſraëlitis mixti, reuerſi in Ieruſalem, ab omni populo ſe diuiſerunt, & hoc nomen iactantiæ ſibi ſumpſerunt.

6. *Meriſtæ* hæretici, quoſdam prophetas recipiunt, quoſdam non recipiunt.

7. *Samaritæ* hæretici, ſolam legem cuſtodiunt, prophetas reſpuunt.

8. *Emerobaptiſtæ* hæretici cotidie veſtimenta & corpora ſua lauant.

DE HÆRETICIS PAGANORVM.

PHiloſophi erant Patriarchæ hæreticorum, inter quos plures fuerunt hæreſes.

Platonici à Platone dicti, qui Deum animas, Angelos vero corpora creaſſe, & poſt multa ſecula animas in diverſa corpora redire, & omnia in priſtinum ſtatum reverti, dixerunt.

Stoici à loco dicti. *Stoa* quippe porticus erat Athenis, in qua ſapientium & fortium facta erant. In hac Zeno
B Philoſophus diſcipulos ſuos inſtituit. Hi omne peccatum vniforme dicunt; tam graue eſſe triticum quam aurum furari. Beatitudinem in ſola anima conſtare: animam cum corpore interire affirmabant.

Academici, à villa Platonis Academia dicti. Hi omnia incerta opinantur. Huius ſectæ repertor fuit Arciſelaus, & ſectator eius Democritus, qui dixit ita veritatem in occulto latere, vt aquam in alto puteo ſine fundo.

Peripatetici à deambulatione dicti, quia autor eorum Ariſtoteles deambulando diſputabat. Hi dicunt animam ex parte æternam, ex parte mortalem: fortuito caſu agi ferunt.

Cynici ab immundicia dicti. Hi vt canes in vicis & in plateis cum vxoribus coibant, dicentes, Coniugium eſſe iuſtum, & ideo honeſtum, iure in publico agendum.

Epicurei ab Epicuro philoſopho dicti. Hi ſummum bonum in voluptate corporis conſtituunt, animam nihil aliud quam corpus eſſe dicunt: mundum non à Deo regi, ſed ex atomis, vnde productum dicunt.

C *Gymnoſophiſtæ*, nudi in deſertis in die philoſophantur, pudenda tantum contegunt. Hi ſe in ignem projiciunt, amore alterius vitæ.

Quidam philoſophi dixerunt, hunc mundum eſſe Deum, vt Dionyſius: quidam mentem dixerunt Deum, vt Thales Mileſius: quidam animum in hominibus manentem, & lucidum, vt Pythagoras: quidam ſine tempore incommutabilem, vt Plato: quidam ſolutam mentem, vt Cicero I. Tuſculana: quidam ſpiritum & mentem, vt Maro, Æneid. libro ſexto, verſ. 726. 727.

Item alij philoſophi, vt Platonici mundum affirmant incorporalem: Stoici corporalem. Epicurus ex atomis. Pythagoras ex numeris. Heraclitus ex igne. *In Eccleſia Chriſtiana fuerunt hi hæretici:*

Simoniaci à Simone Mago dicti, qui pecunia tentauit donum Spiritus ſancti, ab Apoſtolis comparare. Hi dicunt creaturam non à Deo, ſed à quadam ſuperna virtute creatam. Omnes qui emunt ſpiritualia, ſunt Simoniaci, cum Simone mago damnandi: qui autem vendunt,
D ſunt *Iezitæ*, cum Iezi, ſeruo Heliſei reprobandi, qui ſalutem vendidit, quam Heliſæus gratis dedit, & ideo lepra Naaman ei adhæſit.

Menandriani à Menandro diſcipulo Simonis dicti. Hi mundum non à Deo, ſed ab Angelis factum aſſerunt. Hi Chriſtum paſſum negant. Hi coniugia communia habent.

Nicolaitæ à Nicolao Diacono, Stephani ſocio dicti, qui vxores ſuas communes fecerunt.

Gnoſtici ab excellentia ſcientiæ dicti. Hi animam naturam Dei eſſe dicunt: bonum Deum & malum fingunt.

Carpocratiani à Carpocrate quodam dicti. Hi Chriſtum hominem tantum de vtroque ſexu natum dicunt.

Cirinthiani à Cirintho quodam dicti. Hi circumciſionem obſeruabant, mille annos in voluptate carnis poſt reſurrectionem futuros prædicabant.

Nazaræi à Nazaret vico dicti. Hi Chriſtum filium Dei confitentur, omnia tamen veteris legis cuſtodiunt.

Ophis dicitur coluber. Inde *Ophitæ* hæretici quia colunt ſerpentem, eo quod in Paradiſo induxerit virtutis cognitionem. E

Valentiniani à quodam valentino dicti. Hi ſæcula quædam in originem Dei creatoris inducunt, Chriſtum nihil corporis de virgine aſſumpſiſſe, ſed per eam quaſi aquam per fiſtulam tranſiſſe.

Apellitæ ab Apelle quodam dicti. Hi Chriſtum non Deum in veritate, ſed hominem in Phantaſia apparuiſſe dicunt.

Aconthiani à principibus dicti. Hi omnia opera Dei, opera Angelorum dicunt.

Adamiani dicti, quia Adæ imitantur nuditatem. Nudi enim orant & nudi coeunt.

Caiani dicti, quia Cain oderant.

Sethiani à Seth filio Adam dicti, qui dicunt eundem eſſe Chriſtum.

Melchiſediani dicti, quia Melchiſedech non Dei ſacerdotem, ſed Dei virtutem prædicant.

Angelici, dicti, quia Angelos colunt. F

Apoſtolici dicti, qui nihil proprium poſſidentes, non recipiunt eos qui aliquid in hoc mundo vtuntur.

Cerdoniani à Cerdone quodam dicti. Hi duo principia contraria aſſerunt.

Marcioniſtæ à Marcione quodam dicti. Hi alterum bonum, alterum iuſtum Deum aſſerunt, tanquam duo principia Creatoris dicunt.

Artotyritæ ab oblatione dicti. Hi panem & caſeum offerunt, dicentes à primis hominibus oblationem à fructibus terræ, & ouium celebratam.

Aquarij dicti, quod aquam ſolam offerunt in calice Sacramenti.

Seueriani à Seuero exorti. Hi vinum non bibunt, Vetus Teſtamentum & reſurrectionem non recipiunt.

Tatiani à quodam Tatiano dicti, qui & Creathitæ. Hi carnes abominantur.

Alogy, tanquam ſine verbo dicti. Hi Deum verbum non credunt, Ioannis Euangelia; & Apocalypſim non recipiunt. G

Cataphrygæ à Phrygia prouincia dicti, vnde Montanus. Hi ſpiritum ſanctum, non in Apoſtolos, ſed in ſe traditum aſſerunt.

Catari à munditia dicti. Hi pœnitentibus veniam peccatorum negant, viduas, ſi nupſerint, tanquam adulteras damnant, mundiores ſe cæteris prædicant.

Pauliani à Paulo Samoſateno Epiſcopo exorti. Hi dicunt non ſemper Chriſtum fuiſſe, ſed à Maria initium ſumpſiſſe.

Hermogeniani ab Hermogene quodam vocati. Hi materiam mundi Deo æqualem faciunt.

Manichæi à Manes quodam Perſa dicti. Hi duas naturas & ſubſtantias, id eſt bonam & malam, introducunt, animas ex Deo, quaſi ex aliquo fonte manare aſſerunt: vetus Teſtamentum reſpuunt, nouum ex parte recipiunt.

Anomiani ſine lege viuentes.

Anthropomorphitæ ab homine dicti. *Anthropos* enim *homo* dicitur. Hi Deum humana membra & humanam formam habere autumant, cum *Deus* ſit ſpiritus & incorporeus. H

Heraclitæ ab Heraclio quodam exorti. Hi monachos tantum recipiunt, coniugia reſpuunt, paruulos regnum cœlorum habere non credunt.

Nouatiani à Nouato vrbis Rom. presbytero dicti. Hi lapſos ad pœnitentiam non recipiunt, & baptizatos rebaptizabant.

Montani à montibus dicti. Hi tempore perſecutionis in montibus latuerunt, & ſe à corpore Eccleſiæ diuiſerunt.

Ebionitæ ab Ebione ſiue à † paupertate vocati: Hi Chriſtum perfectum tantum & iuſtum virum putant. Hi ſemijudæi ſunt, Euangelium tenent, & legem carnaliter ſeruant. † an à πενία?

Fotiniani à Fotino Smyrnæ Epiſcopo dicti. Hi Chriſtũ à Maria per Ioſeph nuptiali coitu conceptum prædicant.

Digitized by Google

A *Aëriani* ab Aërio quodam dicti. Hi offerre ſacrificium pro defunctis ſpernunt.

Iidem Aëtiani ab Aëtio nominati.

Eunomiani ab Eunomio quodam Dialectico Aëtij diſcipulo dicti. Hi aſſerunt, patri filium ſimilem, & filio ſpiritum ſanctum diſſimilem. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide manentium.

Origeniſtæ ab Origene dicti. Hi dicunt quod non poſſit filius videre patrem: neque ſpiritus ſanctus. Dicunt etiam animas in mundi principio peccaſſe, & pro diuerſitate peccatorum è cœlis lapſas, corpora diuerſa in terris intraſſe quaſi vincula: & hac cauſa mundum factum fuiſſe.

Noëtiani à Noëto quodam dicti. Hi dicunt Chriſtum eundem eſſe & patrem & ſpiritum ſanctum. Trinitatem in officiorum nominibus, non in perſonis accipiunt. Vnde & *Patripaſſiani* vocantur, quia patrem paſſum dicunt.

B *Sabelliani* à Sabellio diſcipulo Noëti dicti. Hi vnam perſonam patris & filij & Spiritus ſancti aſtruunt.

Ariani ab Ario Alexandrino presbytero exorti. Hi diuerſas ſubſtantias in Trinitate faciunt.

Macedoniani à Macedonio Conſtantinopolitano Epiſcopo dicti. Hi negant ſpiritum ſanctum Deum eſſe.

Appollinariſtæ ab Apollinare vocati. Hi dicunt Chriſtum corpus tantum ſine anima ſuſcepiſſe, & deitatem pro anima habuiſſe.

Antidicomoritæ contradicunt virginitati Mariæ, dicentes eam poſt natum Chriſtum viro commixtam.

* forſ. Metangiotæ.

* *Metangoſitæ* à vaſe dicti. *Angos* enim vas dicitur. Hi ſubſtantiam humanæ carnis à diabolo conditam dicunt.

Coliciani à Colico quodam nuncupati. Hi dicunt Deum non facere mala, contra illud: *Ego Dominus creans mala.*

Floriani à Florino quodam dicti. Hi dicunt Deum creaſſe mala, contra illud: *Fecit Dominus omnia bona.*

C *Donatiſtæ* à Donato quodam Afro vocati. Hi aſſerunt filium patre minorem, & ſpiritum ſanctum filio maiorem, & rebaptizabant Catholicos.

Bonoſiaci à Bonoſo quodam Epiſcopo exorti. Hi Chriſtum filium Dei adoptiuum, non proprium aſſerunt.

Circumcelliones, id eſt, agreſtes, iidem Cotopitæ, ſuperiorum hæreſim ſectantes. Hi amore martyrij ſemetipſos interimunt, vt martyres nominentur.

Priſcillianiſtæ à Priſcilliano Epiſcopo vocati. Hic in Hiſpania ex hæreſi Gnoſticorum & Manichæorum permixtum dogma compoſuit.

† Calaris.

Luciferiani à Lucifero † *Smyrnæ* Epiſcopo exorti. Hi in hæreſim lapſos, & poſtea ad Catholicam Eccleſiam reuerſos recipere nolunt.

Iouinianiſtæ à Iouiniano quodam monacho dicti. Hi aſſerunt nullam diſtantiam eſſe inter nuptias & virgines; inter abſtinentes & epulantes.

Eluidiani ab Eluidio quodam presbytero nominati. Hi dicunt Mariam alios filios poſt natum Chriſtum de D Ioſeph peperiſſe.

Paterniani à Paterno quodam exorti. Hi inferiores corporis partes à Diabolo dicunt factas.

Arabici ab Arabia prouincia dicti. Hi animam cum corpore mori, & vtrunque in nouiſſimo reſurgere aſſerunt.

Tertullianiſtæ à Tertulliano Africæ prouinciæ Carthaginenſis ciuitatis presbytero dicti. Hi animam non immortalem, ſed corpoream prædicant: Animas peccatorum poſt mortem in Dæmones conuerti affirmant.

Teſſereſcadecaditæ à quatuordecim dicti: *Teſſera* enim quatuor, *deca* dicitur decem. Hi paſcha quartadecima luna cum Iudæis celebrabant.

Nyctages à ſomno vel à nocte vocati. Hi vigilias noctis reſpuunt, dicentes noctem ad requiem datam.

Pelagiani à Pelagio quodam Monacho exorti. Hi Liberum arbitrium gratiæ Dei anteponunt, dicentes, ſufficere voluntatem ad implenda diuina iuſſa.

Neſtoriani à Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo nuncupati. Hi ſanctam Mariam non Dei ſed hominis tantum genitricem prædicant; aliam perſonam carnis, aliam deitatis facientes, nec vnum Chriſtum in verbo & carne, ſed alium filium Dei, alium filium hominis, affirmant. E

Eutychiani ab Eutychete Conſtantinopolitano Abbate ita nominati. Hi negant in Chriſto duas naturas eſſe, ſed ſolam diuinam in eo poſt aſſumptam carnem, ſcilicet carnem in Deitatem verſam prædicant.

Acephali ſine capite dicti, *a*, quippe *ſine*: *cephale*, dicitur *caput*. Hi ſine autore ſunt, & duas ſubſtantias in Chriſto negant, vnam naturam in eius perſonam prædicant.

Theodoſiani & Gaianitæ à Theodoſiano & Gaiano Epiſcopis Alexandriæ exorti. Hi ex duabus vnam in Chriſto naturam aſſerunt.

Gnoitæ ab ignorantia dicti. Hi dicunt quod Chriſti diuinitas ignoret futura de die nouiſſimo.

Tritheitæ à tribus dicti. Hi ſicut tres perſonas in Trinitate: ita aſſerunt, tres eſſe deos. F

Sunt & aliæ hæreſes, & ſine nominibus: ex quibus aliæ triformem putant eſſe Deum: aliæ Chriſti diuinitatem paſſibilem dicunt: aliæ Chriſti natiuitati de patre initium dant: aliæ vnam operationem & vnam voluntatem in Chriſto deitatis & humanitatis prædicant: aliæ liberationem hominum apud inferos Chriſti deſcenſione negant: aliæ, Dei imaginem habere non æſtimant.

Item, aliæ de mundi ſtatu diſſentiunt, aliæ innumerabiles mundos opinantur: aliæ aquam Deo coæternam faciunt, aliæ nudis pedibus ambulant, aliæ cum hominibus non manducant: aliæ de corpore Chriſti dubitant, quas omnis Catholica Eccleſia damnat.

INDEX CAPITVM quatuor Librorum gemmæ animæ Honorij Auguſtodunenſis. G

LIBRI PRIMI.

1 SVmma dicendorum libris quatuor
2 de Miſſa
3 de primo officio
4 de proceſſione Epiſcopi
5 de campanis ſignificatio
6 de cultu Dei
7 Ingreſſus Epiſcopi quid ſignificet
8 Quid cereoſtata ſignificent
9 Quid Miniſtri deſignent
10 Quid Subdiaconus deſignat
11 Quid Acolythi deſignant
12 de Thuribulo
13 de Eccleſia & ſecundo officio
14 de Subdiacono H
15 de Epiſcopo
16 de Cantoribus
17 de ſeruo arante
18 de figura alia
19 de tertio officio
20 de Diacono
21 Quid duæ candelæ deſignant
22 Quid deſignet quod Euangelium in ambone legitur
23 de ſignis & ſalutatione Diaconi
24 de Baculis
25 de ſermone
26 de quarto officio & de Eccleſia
27 de ſacrificio.
28 de tribus ſacrificiis
29 de ſeptem ſacrificiis legalibus
30 de ſacrificio Chriſtianorum
31 de ſacrificio panis
32 de Eccleſia & ſignificatione
33 de ſacrificio vini

A 34 de aqua
35 de forma panis
36 Cur quotidie Miſſa canatur
37 de ſubdiacono
38 de cantoribus
39 de oratione ſacerdotis
40 de ſecreto
41 de præfatione
42 de ſacrificio Angelorum
43 de quatuor ordinibus
44 de quarto officio & de pugna Chriſti
45 Myſterium
46 de paſſione Chriſti
47 de Ioſeph
48 de acolytho quod Nicodemum patenam tenens figuret
49 de cruce
B 50 de primo ordine & tribus crucibus
51 de ſecundo ordine & de quinque crucibus
52 de tertio ordine
53 de quarto ordine & de quinque crucibus
54 de quinto ordine & de tribus crucibus
55 de ſexto ordine & de quinque crucibus
56 de quinque ordinibus crucum
57 de numero ſignorum
58 de ſeptem ſacrificiis
59 de quinque orationibus
60 de ſexto officio & Benedictione Epiſcopi
61 de ſeptimo officio & de reſurrectione Domini
62 de pace Domini
63 de fractione oblatæ
64 de tribus partibus oblatæ
65 de tribus communicationibus
66 de dominico pane
67 de oratione ſuper populum
C 68 de proceſſione
69 Significatio proceſſionum
70 Quid deſignat proceſſio ad aliam Eccleſiam facta de patria
71 de Arca
72 de pugna Chriſtianorum ſpirituali
73 Quod Epiſcopus ſpiritualiter agat vicem Imperatoris
74 Quod cantor ſit ſignifer & tubicina
75 de bello ſpirituali
76 Quod cantores vicem ducum agant
77 de cantore quod vicem præconis agat
78 de Dauid cum Chriſto & Golia cũ diabolo cõparatis
79 Myſterium
80 Item de Miſſa & de iudicio
81 de pugna Philiſtei
82 de armis ſacerdotis.
83 de tragædiis
84 Item de miſſa & de ſeptem Dominus vobiſcum ſeptẽque donis S. Spiritus & de Myſterio Miſſæ.
85 Rabanus Maurus de Miſſa
D 86 Nunc dicendum vnde Miſſa exordium ſumpſerit & quis eam auxerit item de Miſſa
87 de introitu ceteriſque miſſæ partibus à quibus primũ ſint inſtituta
88 de epiſtola & euangelio
89 de veſtibus & calicibus
90 de Canone
91 de Miſſæ officiorum nominibus
92 de Kyrie eleiſon
93 de gloria in excelſis
94 de oratione
95 Tribus de cauſis ad orientẽ cũ oramus nos vertimus
96 de epiſtola
97 de Euangelio
98 de Sacrificio
99 de Sacrificio panis & vini
100 de α & ω & eius cruce
101 de præfatione
102 Quare dicatur ſanctus
103 de Canone
104 de duodecim Apoſtolis & de ſancta Maria E
105 de duodecim nominibus Martyrum
106 de calice
107 de nominibus
108 de ordinibus
109 In orationem Dominicam
110 de pace
111 de Agnus Dei
112 de quatuor ſpeciebus Miſſæ
113 de tribus horis Miſſæ
114 Quod vna Miſſa debeat celebrari
115 de Gloria in excelſis Deo
116 de vna oratione in Miſſa vel pluribus
117 de genuflexione in quadrageſima
118 de lumine ad Miſſam.
119 de credo in vnum Deum quando cantandum
120 de præfationibus F
121 quare pro defunctis gloria patri & Alleluia non cantetur.

DE ECCLESIA EIVSQVE MINISTRIS.

122 de Altari
123 de Tabernaculo Moyſi
124 de Tabernaculo populi
125 de Templo
126 de Eccleſia habens ſeptem vocabula
127 de Baſilica ceteriſque Eccleſiæ nominibus
128 de capellis
129 de ſitu Eccleſiæ
130 de feneſtris eccleſiæ
131 de columnis eccleſiæ
132 de Pictura
133 de corona in Eccleſia
134 de pauimento
135 de Cruce
136 de propiciatorio G
137 de palliis
138 de oſtio
139 de Choro
140 de concordia chori
141 de corona
142 de campanis
143 de turribus
144 de campanario
145 de ſtatione
146 de mulieribus
147 de cœmiterio
148 de clauſtro
149 Quod clauſtrum ſit Paradiſus
150 de dedicatione eccleſiæ
151 de domo non conſecrata
152 de Portis
153 de Alphabeto
154 de quatuor angulis Eccleſiæ
155 de dextro angulo
156 de illo Deus in adiutorium H
157 de ſale & cinere
158 de vino & aqua
159 de Templo
160 de Altari & cruce
161 de Miniſtris
162 de oleo & altari
163 de Chriſmate
164 de incenſo
165 de vaſis & ornamentis
166 de Reliquiis Sanctorum
167 de veſte animarum
168 de die Iudicij
169 de certo loco & ſacrificio
170 de violata Eccleſia
171 de conſtructione Eccleſiæ
172 de miniſtris Eccleſiæ
173 de Chriſtianis
174 de Clericis
157 de Oſtiariis

A 176 de Lectoribus
177 de Exorciſtis
178 de Acolythis
179 de Subdiaconibus
180 de Diaconibus
181 de Presbyteris
182 de ſacerdotibus
183 de Epiſcopis
184 de ſummo ſacerdote
185 de manus impoſitione
186 de Archiepiſcopis
187 de Patriarchis
188 de Papa
189 de conſecratione Papæ
190 de ordine miniſtrorum
191 de Presbyteris
B 192 de Virginibus
193 de Tonſura clericorum
194 de Chriſto rege & ſacerdote
195 Quod Petrus Apoſtolus tonſuram inuenit clericorum primus
196 de Tonſura Magorum
197 de clericali corona
198 de ſacris veſtibus
199 de præparatione ſacerdotis
200 de lauandis manibus
201 de Humerali
202 de Alba
203 de Cingulo
204 de Stola
205 de Innocentia
206 de Subcingulo
207 de Caſula
208 de Mappula
209 de ſeptem veſtibus Epiſcopi
C 210 de Sandaliis 1.
211 de Dalmatica 2.
212 de Dalmatica & quid deſignet
213 de Rationali 3.
214 de Mytra pontificali 4.
215 de Chirotecis 5.
216 de Annulo 6.
217 de Baculo Epiſcopali 7.
218 Item de Virga & baculo Epiſcopi
219 de genere baculi
220 de Spherula
221 de ornatu Archiepiſcopi
222 de Pallio Archiepiſcopi
223 de veſtibus Patriarchæ & Apoſtolici
224 de corona Imperatoris & Auguſti
225 de Diademate regum
226 de veſtibus miniſtrorum inferioris gradus
227 de Cappa
228 de Pileis.
D 229 de Subdiaconorum veſte
230 de Veſte diaconorum
231 de Diaconi caſula
232 de Indumentis clericorum
233 de Tunicis clericorum
234 de Camiſiis clericorum
235 Clericum non decet arma deferre
236 Laici poſſunt portare arma
237 Cuculla quid ſignificet
238 Virga Abbati conceditur
239 Conuerſationis Monialium initium
240 de veſtitu Monialium
241 de Viduis
242 de Conuerſis
243 Baptizati albas portant veſtes

HONORII AVGVSTODVNENSIS
Liber II. De Horis Canonicis.

1 De nocturnorum officio
2 de prima vigilia
Prima Vigilia quid ſignificet
3 de Secunda Hora E
4 de Tertia Hora
5 Verſiculus
6 de Lectionibus
7 de Secunda Vigilia & Secundo nocturno
8 de Prima Hora
9 de Secunda Hora
10 de Gloria Patri & tertio nocturno
11 de tertia Vigilia & tertio nocturno
de Prima Hora
de Secunda Hora
de Tertia Hora
12 Quod Paulus vigil fuerit
13 Laurentius vigil
14 Gregorius vigil
15 de media nocte F
16 de auctoritate Sanctorum
17 Diſpoſitio Hieronymi
18 de vinea Domini
19 de ſacerdote
20 Mane Abel
21 Tertia hora Noe
22 Sexta hora Abraham
23 de Verſu
24 Nona hora Moyſes
25 Vndecima hora Apoſtoli
26 de Verſibus
27 de Feſtiuitate Sanctorum
28 de Matutinis monachorum
29 de Tertio Nocturno
30 de inclinationibus
31 Nota dignitatem quæ in matutinis laudibus eſt
32 Prima cauſa
33 Secunda cauſa
34 Tertia cauſa G
35 Quarta cauſa
36 Dominus regnauit, Pſalmus primus laudum Dominicæ
37 Iubilate
38 Deus Deus meus
39 Deus miſereatur noſtri
40 Benedicite omnia opera Domini Domino
41 Laudate Dominum de cœlis & Cantate & Laudate ſub vno Gloria Patri
42 de Hymno
43 de capitulo
44 de cantico Benedictus Deus
45 de oratione & ſuffragiis
46 de priuatis noctibus
47 de duodecim horis
48 de ſex Antiphonis ſuper nocturnum
49 Viginti quatuor Horæ
50 de duodecim Pſalmis
51 de priuatis noctibus & de laudibus cum cantamus Miſere mei Deus H
52 Deus Deus meus
53 Deus miſereatur noſtri
Confitebor
Ego dixi in dimidio dierum
Exſultauit
Cantemus
Domine audiui
Audite cœli
Benedicite
Laudate Dominum de cœlis
Capitulum
de verſu
Benedictus
de oratione
de S. Benedicto
de ſeptem canticis
Dominica diei
Feria Prima
Feria Secunda
Feria Tertia

Digitized by Google

A Feria Quarta
Feria Quinta
Feria Sexta
Sabbat.
de Benedictus
de magnificat
de nunc dimittis cantico Simeonis
de matutino tempore
de Prima
de Tertia
de Sexta
de Nona
de veſperis
de completorio
54 de horis & ætatibus
55 Idem de horis diei
56 de nocturnalibus Horis
B 57 de horis diei & noctis
58 de prima Dominicis diebus
59 de fide quatuor temporibus edita
60 de prima in priuatis diebus
61 Deus in nomine tuo
Beati immaculati in via
Retribue
de quicunque vult ſaluus eſſe
de capitulo
de Kyrieleyſon
de credo in Deum
de precibus & confeſſione
de capitulo, precioſa in conſpectu
de Tertia
de Sexta
de Nona
de Beati immaculati
62 de Veſpera
de quinque pſalmis ad Veſperas
C de Cantico Magnificat
de Oratione
63 de curſu Sanctæ Mariæ
de Benedictione & Lectione cibi
de collatione
64 de completorio & de confeſſione ſero & mane
de Hymno te lucis
de nunc dimittis
de Pater noſter
de Credo
de completorio cum inuocatem
65 de Curſu monachorum
66 Prima Dominica
Feria Secunda
Feria Tertia
Feria Quarta
Feria Quinta
Feria Sexta
de Horis
67 de nocturnis
D 68 Dominica
Feria Secunda
Feria Tertia
Feria Quarta
Feria Quinta
Feria Sexta
Sabbato, Dominica

HONORII LIBER TERTIVS

De ſolemnitatibus totius anni

1 De aduentu Domini
de reſponſorio Aſpiciens
de laudibus
2 de Secunda Dominica in aduentu
3 de Tertia Dominica
4 de Quarta Dominica
de Hebdomada ante natiuitatem Domini
5 de Antiphonis
6 de Vigiliis ſanctorum E
7 de natiuitate Domini
8 de neuma fabricæ mundi & cur potius in à quam in alia vocali cantetur
9 de ſecundo Nocturno & tertio
10 de neuma & veritate & cur in e
11 de matutinis laudibus
12 de Sancto Stephano
13 de S. Ioanne
14 de Innocentibus
15 de octaua Domini
16 de Dominica dum medium ſilentium
17 de ſanctis & octauis illorum
18 de Epiphania
19 de Magis
20 de Matutinis
21 de octaua Epiphaniæ
22 Dominica poſt Epiphaniæ feſtum F
23 de octaua S. Agnetis
24 de purificatione Sanctæ Mariæ
25 de Sancto Blaſio
26 de cathedra S. Petri Apoſtoli
27 de conſecratione & ſalis & aquæ
28 Quare in aduentu Iſaias & poſt natiuitatem Domini Paulus legatur
29 de Hiſtoria Domine ne in furore
30 de ſpatio à natiuitate Domini vſque ad ſeptuageſ.
31 de ſabbato in quo alleluia deponitur
32 de Septuageſima, Paſcha & Pentecoſte
33 de Paſcha quare Iudæorum more ſecundum Lunæ curſum celebretur
34 de ſole quod typum Chriſti gerat
35 de ſtellis quod deſignent ſanctos
36 de Luna quod Eccleſiam deſignet
37 de ſeptuageſima
38 de Hiſtoria Nabuchodonoſor
39 de ſexageſima G
40 de quinquageſima
41 de capite Ieiunij
42 de nomine Adam
43 de feria quarta in capite Ieiunij
44 de quadrageſima
45 de Ieiunio Domini & cur nos non ieiunamus eo tempore quo Dominus ieiunauit
46 de velo quod ſuſpenditur in quadrageſima
47 de ſeptem Hebdomadis
48 de ſex Hebdomadis
49 de quadrageſima
50 de ſex Dominicis quadrageſimæ
de prima Dominica inuocabit me
de ſecunda Dominica quadrageſimæ Reminiſcere
de tertia Dominica quadrag. oculi
de quarta Dominica quadrag. lætare Hieruſalem
de quinta Dominica paſſionis ſalua me
de ſexta Dominica Palmarum
51 Dominica quinta à ſeptuageſima H
52 de media quadrageſima Dominica lætare
53 de ſcrutinio
54 de quarta feria
55 de Infantibus
56 de renuntiatione
57 de operibus
58 de pompis
59 de fide
60 de Cruce
61 de ſale
62 de ſymbolo
63 de ſaliua
64 de Lumine
65 de Introductione
66 de ſtatione
67 de credo in vnum Deum
68 de duabus Lectionibus
69 de ſabbatho
70 de paſſione Domini

Digitized by Google

A

71 de Sabbatho ante diem palmarum
72 Dominica in diem palmarum
73 de feria ſecunda & tertia
74 de feria quarta
75 de feria quinta
76.77 de pœnitentibus
78 de Excommunicatis
79 de pœnitentibus
80 de Criſmate
81 de Oleo ſancto
82 de Oleo Infirmorum
83 de Ampulla
84 de Cæna Chriſti
85 Quod Gloria in Excelſis cantatur ad Chriſma
86 de nudatione altarium
87 de numero Luminum & eorum Extinctione
88 Quare inuitatorium non cantetur
89 de paraſceue

B

90 de tractu Domine audiui & quare quatuor tantum verſus habeat
91 de tractu Eripe me Domine
92 de paſſione Domini
93 de veſte Domini
94 de Igne
95 de orationibus pro omnibus ordinibus
96 de Cruce Domini
97 de duabus noctibus
98 de quadraginta horis
99 de Sabbatho ſancto
100 de nouo igne
101 de cereo
102 de annis incarnationis Domini qui ſcribuntur in cereo
103 de Lectionibus
104 de Quatuor lectionibus
105 de Prima lectione
de Secunda lectione
de Tertia lectione

C

106 de menſa Tabernaculi
107 de Prima lectione
de Secunda lectione
de Tertia lectione
de Quarta lectione
Iterum de Prima lectione
de Secunda lectione
de Tertia lectione
de Quarta lectione
de Cantico
108 de duodecim lectionibus ſecundum Romanos
Prima lectio
Secunda lectio
Tertia lectio
Quarta lectio
Quinta lectio
Sexta lectio
Septima lectio
Octaua lectio

D

Nona lectio
Decima lectio
Vndecima lectio
Duodecima lectio
109 Item alius ordo lectionum ſecundum Romanos
110 de Litaniis ante & poſt Baptiſmum
111 de Baptiſmo
112 de ſeptem gradibus in Baptiſmo
113 de Confirmatione
114 de bina Vnctione
115 de Patrinis
116 Quod tantum bis in anno Canonicè Baptiſmus celebretur.
117 de die Chriſti ſepulturæ
118 de Officio Miſſæ
119 de magno myſterio, de prima die ſæculi, & de die Palmarum
120 de Æquinoctio, & Sole & Luna,& Feria quarta

E

121 de vndecimo Kalendis Aprilis,& Feria quinta
122 de decimo Kalendis Aprilis,& Feria ſexta
123 de octauo Kalendis Aprilis, de die Dominica
124 de Paſcha
125 de Vmbra Paſchæ
126 de Proceſſione in die Paſchæ
127 de tribus Pſalmis in matitutinis per hebdomadam Paſchalem
128 Nota quare non cantetur quicumque per hanc hebdomadam
129 de Veſperis
130 de prima hebdomada ſæculi
131 de Baptizatis
132 de Sabbatho
133 de mediis ſex diebus
134 de magno Myſterio diei Palmarum & totius hebdomadæ
135 de officio diei Reſurrectionis

F

136 de Quinquageſima Paſchæ
137 de Paſcha annotino
138 de Litania maiore
139 de triduana Litania ante Aſcenſionem Domini
140 de Feſto Apoſtolorum Philippi & Iacobi
141 Quare ante Chriſti reſurrectionem Lex & Prophetæ legantur, & poſt reſurrectionem Apoſtolorum ſcripta
142 Apocalypſis per tres hebdomadas legitur
143 de canonicis Apoſtolorum Epiſtolis per duas hebdomadas
144 de officio Miſſæ
145 de Aſcenſione Domini
146 de Vigilia Pentecoſtes
147 de Pentecoſte
148 de Paſchali quinquageſima
149 de ſeptem diebus Pentecoſtes
150 de Ieiunio quatuor temporum
151 de Quadrageſima

G

152 de Feria quarta
153 de Feria ſexta
154 de Sabbatho in duodecim lectionibus
155 Quare in quatuor Temporibus ordines fiant
156 de Dominica poſt octauam Pentecoſtes
157 Quid ſignificet tempus inter Paſcha & Pentecoſten
158 de Ianuario
de Februario
de Martio
de Aprili
de Maio
de Iunio & Iulio
de Auguſto
de quatuor reliquis Menſibus
159 de hiſtoria Iob
de Octobri
de Nouembri
de Decembri

H

160 de Feſto Ioannis ante portam Latinam
161 de Feſto Mariæ ad Martyres
162 Petri & Pauli Apoſtolorum 29. die Iunij
163 de Sancto Iacobo 25. Iulij
164 de Kalendis Auguſti vel de ad vincula S. Petri
165 de decollatione Ioannis Baptiſtæ 29. Auguſti
166 de Natiuitate ſanctæ Mariæ Virginis 8. Septembris
167 de Feſto ſancti Michaëlis 8. die Maij
168 de Feſta omnium ſanctorum Kalendis Nouembris
169 de dedicatione Eccleſiæ.

HONORII GEMMÆ ANIMÆ
Liber quartus.

1 DE concordia Officiorum
2 de Septuageſima
3 de Dominica Septuageſimæ, circumdederunt
4 de Dominica Exurge, in Sexageſima
5 de Dominica Eſto mihi, in Quinquageſima

A 6 de Dominica, Inuocabit
7 de Dominica II. Quadrageſimæ, Reminiſcere
8 de Dominica III. Quadrageſimæ, Oculi
9 de Dominica IV. Quadrageſimæ, Lætare
10 de duabus Dominicis ſequentibus
11 de Dominica Paſchæ, Reſurrexi
12 de duobus diebus
13 Quare dicuntur dies mali ab Apoſtolo 5.
Interrogatio
Reſponſio
14 de Officio Quadrageſimæ
15 de Officio Paſchatis, Reſurrexi
16 Notanda ſunt hæc
17 Iterum de Paſchali die
18 de Officio introduxit nos Dominus
19 de Officio aqua ſapientiæ
20 de Officio venite benedicti Patris mei Feria IV.
B 21 de Officio victricem manum Feria V. poſt Paſcha
22 de Officio eduxit eos Dominus
23 de Officio eduxit Dominus populum ſuum Sabbatho in Albis
24 de Dominica in Albis quaſi modo geniti infantes
25 Dominica II. poſt Paſcha, Miſericordia Domini
26 Dominica III. poſt Paſcha, Iubilate Deo omnis terra
27 Dominica IV. poſt Paſcha, Cantate Domino
28 de Dominica V. vocem Iucunditatis
29 de Rogationibus & Officio, Exaudiuit
30 de Vigilia Aſcenſionis & Officio, Omnes gentes
31 de Aſcenſione & Officio, Viri Galilæi
32 Dominica Exaudi Domine
33 de Vigilia Pentecoſtes
34 de ſancto die Pentecoſtes, & de Officio Spiritus Domini
35 de Officio cibauit eos Dominus Feria II.
C 36 de Officio Feriæ III. Accipite iocunditatem
37 de officio Feriæ IV. Deus dum egrederis
38 de Feria quinta
39 de Officio Feriæ VI. Repleatur
40 de Officio Charitas Dei in Sabbatho
41 Dominica SS. Trinitatis, Benedicta
42 de capite à Septuageſima vſque poſt Pentecoſten
43 Dominica I. à Pentecoſte vſque ad Aduentum Domini
44 Sub gratia
45 Dominica II. poſt Pentecoſten, Factus eſt ſub lege
46 Sub gratia
47 de ſancto Ioanne Baptiſta
48 de Vigilia ſancti Ioannis Baptiſtæ & officio eius
49 Dominica III. poſt Pentecoſten, Reſpice in me ſub lege
50 Sub gratia
51 Dominica IV. poſt Pentecoſten, Dominus illuminatio mea ſub lege
52 Sub gratia
D 53 Dominica V. poſt Pentecoſten, Exaudi Domine ſub lege
54 Sub gratia
55 Dominica VI. poſt Pentecoſten, Dominus fortitudo ſub lege
56 Sub gratia
57 Dominica VII. poſt Pentecoſten, omnes gentes ſub lege
58 Sub gratia
59 Dominica VIII. poſt Pentecoſten, ſuſcepimus ſub lege.
60 Sub gratia
61 Dominica IX. poſt Pentecoſten, Ecce Deus ſub lege
62 Sub gratia
63 Dominica X. poſt Pentecoſten, dum clamarem ſub lege
64 Sub gratia
65 Dominica XI. poſt Pentecoſten, Deus in loco ſub lege
66 Sub gratia
67 Dominica XII. poſt Pentecoſten, Deus in adiutorium ſub lege E
68 Sub gratia
69 Item de eadem Dominica
70 Dominica XIII. poſt Pentecoſten, reſpice Domine ſub lege
71 Sub gratia
72 Dominica XIV. poſt Pentecoſten, protector noſter ſub lege
73 Sub gratia
74 Item de eadem Dominica
75 De quatuor Temporibus
76 de Feria ſexta
77 de Sabbatho
78 Dominica XV. Inclina ſub lege
79 Sub gratia
80 Dominica XVI. Miſerere mei ſub lege F
81 Sub gratia
82 Dominica XVII. Iuſtus es Domine ſub lege
83 Sub gratia
84 Dominica XVIII. da pacem ſub lege
85 Sub gratia
86 Dominica XIX. ſalus populi ſub lege
87 Sub gratia
88 Dominica XX. omnia quæ feciſti ſub lege
89 Sub gratia
90 Dominica XXI. in voluntate ſub lege
91 Sub gratia
92 Dominica XXII. ſi iniquitates ſub lege
93 Sub gratia
94 Dominica vacat
95 Dominica vacat
96 Dominic. XXIV. poſt Pentec. dicit Dominus ſub lege
97 Sub gratia
98 Ordo de Alleluiis dominicalibus apud quoſdam
99 Dominica prima in Aduentu Domini G
100 Dominica ſecunda, in aduentum populus Sion
101 Dominica tertia, gaudete in Domino
102 Dominica quarta, memento noſtri Domine
103 de vigilia natiuitatis Domini hodie ſcietis
104 In ſancto die in nocte prior Miſſa, Dominus dixit ad me
105 In mane Miſſa, lux fulgebit hodie
106 Maior Miſſa, puer natus eſt nobis
107 Quare Euangelium de Abel de S. Stephano legatur
108 Dominica dum medium ſilentium
109 de Epiphania, ecce aduenit
110 Dominica in Excelſo throno
111 de III. Dominica omnis terra
112 de Dominica quarta adorate Deum
113 de eadem Dominica
114 de officio Sanctorum Geruaſij & Prothaſij
115 Quare verſus in nocte ſancti Pauli ad Antiphonas dicantur & de ſancto Laurentio ſimiliter
116 de officio mortuorum
117 Exceptum de Romano ordine H
de aduentu Domini
de Hiſtoria clama in fortitudine
de Vigilia Domini
de Natiuitate Domini
de ſancto Stephano
de Purificatione ſanctæ Mariæ
de officio in capite Ieiunij
de Paſſione Domini
de die Palmarum & de hebdomada tota
de cœna Domini
de Paraſceue
de Sabbatho ſancto
de Lectionibus ante Baptiſmum
de ſancto die
Quomodo inter Paſcha & Pentecoſten ſit cantandũ
de Vigilia Pentecoſtes
de octaua Pentecoſtes
de quatuor Temporibus
118 Quomodo ſit legendum per annum.

A

Iuxta editionem Melchioris Lotteri, Lipſienſis vrbis Typographi. An. 1514.

HONORII AVGVSTOdunenſis Gemma Animæ:

SIVE DE DIVINIS OFFICIIS, & Antiquo ritu Miſſarum, déque horis Canonicis, & totius anni ſolemnitatibus.

LIBRI QVATVOR.

LIBER I. *De Miſſæ Sacrificio, & de Miniſtris Eccleſiæ.*

B

LIB. II. *De Horis Canonicis.*

LIB. III. *De totius anni ſolennibus Feſtis.*

LIB. IV. *De Concordia Officiorum.*

FRATRES HONORIO SOLITARIO.

† Iam Trithemius hoc laudans principiũ, auctorem cõfirmat, ſtyluſque indicat, cæteris eius opuſculis reſpondens.

AGMEN † in caſtris æterni regis excubans, ſub impetu vitiorum vndique irruentium deſudans, idoneo inſtructori armorum laureati in triumpho vitiorum, diuinorum ſacramenta Officiorum ſcire volentibus: Sed partim penuria librorum partim multimodorum occupatione negotiorum, minimè valentibus: Rogamus te quemadmodum in multis aliis, ita & in hoc negotio nobis velis ſtylo prodeſſe.

Reſponſio Honorij.

C

POſtquam, Chriſto fauente, pelagus *Scripturæ* proſpero curſu in ſumma totius tranſcurri, atque naufragoſam cymbam per Syrtes & piratas multo ſudore euectam, vix ad optatum littus appuli: Rurſus habitatores Syon me in fluctus cogitationum intruditis, & nec vires recolligere, nec nauis armamenta reficere ſinitis. Dicitis enim nunc tempus eſſe laborandi, poſtea requieſcendi: nunc tempus ſeminandi, poſtmodum fructus percipiendi, hac ſpe coactus ſum onus vires meas excedens ſubire. Patiens vos orationibus me ad iter expedire, quatenus pondere peccatorum depoſito ad deſideratum quietis portum liceat fixa anchora peruenire. Veſtra itaque iuſſione funes verborum à portu otij ſoluo, quaſſatam nauiculam ſtyli procellis meditationum impello, vela ſententiarum diſtendens vento, ſpem ſeminis committo. Ipſe autem ſecundum curſum tribuat, qui nutu mare ventóſque tranquillat.

D

HONORII PRÆFATIO in Gemmam Animæ.

PLeroſque veſania captos piget me mente conſiderare, quos non pudet abominanda Poëtarum figmenta, ac captioſa Philoſophorum argumenta ſummo conamine indagare, quæ mentem ideò abſtractam vitiorum nexibus inſolubiliter ſolent innodare, religionem autem Chriſtianæ profeſſionis penitus ignorare, per quam animam liceat perenniter cum Deo regnare. Cum ſit ſummæ dementiæ iura tyranni velle ſcire, & edicta ſummi Imperatoris neſcire, atque ea, quæ quotidie neceſſario facias, non intelligere. Porrò quid confert animæ pugna Hectoris, vel diſputatio Platonis, aut carmina Maronis, vel næniæ Naſonis, qui nunc cum conſimilibus ſuis ſtrident in carcere infernalis Babylonis, ſub truci imperio Plutonis. Dei autem ſapientia maxima gloria hunc cumulat, qui Prophetarum & Apoſtolorum facta & ſcripta inueſtigando iugiter ruminat, quos nunc in cœleſtis Hieruſalem palatio cum rege gloriæ exultare nemo dubitat. Sapientum namque iudicio tantum differt à non intelligente intelligens, quantum à cæco videns. Qui enim non intelligit quæ agit, eſt vt cæcus, qui neſcit quo vadat; &, vt Tantalus, in mediis vndis ſiti deperit. Et licet ſimplicitas fidelium Deo noſtro placeat, tamen intelligentiam ſapientum quantum lucem præ tenebris approbat. Ob hanc cauſam vt iuſſiſtis, libellum *de Diuinis Officiis* edidi, cui nomen GEMMA ANIMÆ indidi. Quia videlicet veluti aurum gemma ornatur, ſic anima diuino Officio decoratur.

S. Scriptura lectio quàm Poëtarũ aut Philoſophorum vtilior.

E

HONORII AVGVSTOdunenſis Gemma Animæ.

CAPVT PRIMVM.

Dicendorum ſumma libris quatuor.

F

IN primis ergo de MISSA, per quam nobis vita redditur, & de *Eccleſia*, in quo agitur, & de miniſtris Eccleſiæ per quos celebratur, videamus. Deinde de reliquis *Horis*, quæ ſunt debitum noſtræ ſeruitutis, diſſeramus. Tertiò *de ſolennitatibus anni dicamus.* Quarto de *concordia officiorum* ritè ſubiungamus.

CAPVT II.

De Miſſa.

MIſſa quatuor cauſis nomen accepit: duabus à legatione; & duabus à miſſione. *Miſſa* quippe dicitur legatio, 1. quia in eius officio nobis legatio Chriſti repræſentatur, qua pro humano genere patris legatione fungebatur: 2. Item Miſſa legatio dicitur, quia in ea ſacerdos pro Eccleſia ad Dominum legatione fungitur. A *miſſione, Miſſa* dicitur, 1. quia populus, qui quaſi ad iudicium conuenit, peracta cauſa à iudice dimittitur: 2. Item à miſſione dicitur, quia populi conuentus, qui ad Veſperam, & ad matutinas quaſi iure tenetur, celebrato ſacrificio dimittitur. G

CAPVT III.

De primo officio.

MIſſa autem in ſeptem officia diſtinguitur. In primo quorum Chriſti legatio agitur, quam Moyſes præfiguraſſe cognoſcitur, qui Deus gentilium, Papa ſacerdotum, Rex populorum legitur. A Deo namque Deus Pharaonis, propheta Aaron ſacerdotis, dux populi conſtituitur. Hic legatione Dei in Ægyptum fungitur, à ſenioribus & populo ſuſcipitur, populum diſperſum congregat, Ægyptum ſignis perdomat, oppreſſos à tyranno de dura ſeruitute liberans, de Ægypto educit, in terram promiſſionis inducit. Sic Chriſtus Deus Deorum, ſacerdos ſacerdotum, rex regum, legatione patris in mundum fungitur, ab Angelis & paſtoribus paſtor, ecclesiæ typum excipitur gerentibus. Qui filios Dei, qui erant diſperſi, in vnam fidem congregat, mundum variis ſignis ſubiugat. Oppreſſos à diabolo liberans de inferno educit, in patriam paradiſi inducit. Hoc totum repræſentat nobis proceſſio Epiſcopi, qui gerit figuram Chriſti. H

CAPVT IV.

De proceſſione Epiſcopi.

POſtquam campanæ ſonauerint, pontifex ornatus procedit, quem ſeptem acolythi cum luminibus præeunt, poſt quos ſeptem Subdiaconi cum plenariis incedunt. Item poſt hos ſeptem Diaconi gradiuntur, quos duodecim priores ſequuntur. Poſt hos tres acolythi cum thuribulis vadunt, qui incenſum gerunt. Poſt quos Euangelium ante Epiſcopum fertur, quod ipſe inter duos ambulans ſequitur, eumque principes cum populo

comitantur

A comitantur. Qui dum chorum ingreditur, à cantoribus cum verſu, *Gloria Patri*, excipitur. Quibus ipſe pacem porrigit, deinde ad altare vadit, finito cantu orationem dicit, & tunc ſedere pergit. Quidam de miniſtris cum eo ſedent, quidam ei aſſiſtunt: hoc quaſi præſentiam Chriſti nobis exhibet.

CAPVT V.

De Campanis ſignificatio.

CAmpanæ ſunt Prophetæ. Campanæ ſonabant, quia Prophetæ Chriſti Aduentum prænunciabant. Pontifex templum ingreditur, & Chriſtus hunc mundum, id eſt, Eccleſiam, ingreditur. Epiſcopus de ſacrario ornatus procedit, & Chriſtus de vtero virginis decore indutus tanquam ſponſus de thalamo proceſſit. Diaconi, & Subdiaconi, & acolyti, qui Epiſcopum præcedunt, deſignant Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, qui Aduentum Chriſti in carne mundo nunciauerunt. B Diaconi Prophetas ſignificant, qui Chriſtum iam veniſſe, & adhuc venturum populo prædicant, & ex Euangelio futuram vitam nunciant. Subdiaconi cum plenariis ſapientes præferunt, qui plenitudinem diuinitatis in Chriſto corporaliter retulerunt. Sapientia, id eſt, Subdiaconi vadunt in medio adoleſcentularum tympaniſtriarum, vt doceant, quem tympaniſtæ laudare debeant. *Tympaniſtæ* ſunt cantores laudes reſonantes. Adoleſcentulæ ſunt, nouæ Eccleſiæ Deum laudantes edomita carne. Acolyti cum luminibus typum Scribarum gerũt, qui lumen ſcientiæ Scripturas exponendo fidelibus miniſtrauerunt. Qui ideo ſinguli ſeptem decernuntur, quia per ſeptem dona Spiritus ſancti Sacramenta Miſſæ perficiuntur. Priores cum capellanis, qui eos ſequuntur, duodecim Apoſtoli accipiuntur. Tres acolyti, qui thuribula cum incenſo ferunt, ſunt tres Magi, qui munera nato Chriſto obtulerunt. Euangelium ante Epiſcopum portatur. Quia per doctrinam Chriſti nobis via ad vitam paratur. Epiſcopus à duobus deducitur, & C Chriſtus à duobus Teſtamentis per Prophetas & Apoſtolos mundo inuehit. Turba populi Epiſcopum comitatur, quia Chriſtum populus fidelium ad cœleſtia ſequi conatur. Dum præſens officium agitur in Eccleſia non ſedetur, quia labori Chriſti deputantur qui ad cultum Dei vocantur.

CAPVT VI.

De curru Dei.

INterim dum chorus cantat, Epiſcopus quaſi in curru vectus ad ſolennitatem vadit, quia currus Dei decem millibus multiplex legitur, & comitatus Epiſcopi decem ordinibus diſtinguitur, ſcilicet. Primus ordo ſunt oſtiarij. Secundus lectores: Tertius exorciſtæ: Quartus acolyti: Quintus Subdiaconi: Sextus Diaconi: Septimus Preſbyteri: Octauus cantores: Nonus laici: Decimus fœminæ. Ita Chriſtus mundum intrauit, dum Prophetarum chorus cecinerunt, curru Scripturæ vectus, ſanctorum D ordinibus comitatus. Cantores venientem Epiſcopum cum *Gloria Patri* excipiunt, & Angeli Chriſtum aduenientem cum *Gloria in excelſis* ſuſceperunt. Duo chori laudes concinunt, quia duo populi ſcilicet Iudæi & Gentiles Chriſto aduenienti cum laudibus occurrerunt. Per cantum Introitus accipitur laus Eccleſiæ de Iudæis. Per *Kyrie eleyſon* verò laus Eccleſiæ de gentibus. Per *Gloria in excelſis* autem vtriuſque concors laudatio in fide Trinitatis pro adipiſcenda æqualitate angelicæ dignitatis. Per introitum quoque ordo Patriarcharum nobis repræſentatur, per quos Chriſtus venturus præfigurabatur. Per verſum propheticum ordo Prophetarum inſinuatur, per quos Chriſtus naſciturus pronunciabatur. Per *Gloria Patri* Ordo Apoſtolicus commemoratur, per quos Chriſtus iam veniſſe prædicatur, à quibus & Trinitas Eccleſiæ inſinuatur. Per introitum ſecundo repetitum ordo doctorum notatur, per quos Chriſtus adhuc venturus ad iudicium narratur. Porrò per Kyrie eleyſon diuerſarum E linguarum populi declarantur, à quibus Chriſtus in Gloria in excelſis cum Angelis collaudatur.

CAPVT VII.

Ingreſſus Epiſcopi quid ſignificet.

EPiſcopus ingrediens pacem clero porrigit; quia Chriſtus mundum ingrediens pacem humano generi attulit, quam in primo parente amiſit. Deinde ſanctuarium intrat inclinans coram altari orat, confeſſionem faciens. Indulgentiam implorat, quia Chriſtus Hieruſalem paſſurus intrauit, pro nobis lauandis ſe in mortem inclinauit; in cœna patrem pro Eccleſia orauit, pœnitenti & confitenti Petro, vel latroni, deinde omni populo perfectam donauit. Poſt hoc duos Sacerdotes oſculatur, quia per Chriſtum lapidem angularem duo parietes in vna fide copulantur. Deinde cæteris miniſtris à dextra pacem dabit, quia Chriſtus pacem his qui longè, & his qui propè, prædicauit, & ab Oriente & Occidente F veniens in vinculo pacis ſociauit. Altare & Euangelium oſculatur, quia paſſione *Chriſti* homines Angelis in pace ſociantur. Per *altare* namque Iudæi per *Euangelium* Gentes denotantur. Poſt hæc thuribulum accipiens, altare thurificat in figura Angeli, qui in Apocalypſi cum aureo thuribulo altari aſtiterat, de quo fumus aromatum in conſpectu Domini aſcendebat. Quia Chriſtus magni conſilij Angelus in ara crucis ſe pro nobis obtulit, cuius corpus thuribulum Eccleſiæ fuit. Ex quo Deus Pater ſuauitatem odoris accepit, & propitius mundo extitit. Fumus aromatum, orationes ſanctorum ſunt, quæ ſuper aram Chriſtum, per charitatis ardorem, vel illuminationis Spiritus ſancti carbones incenſi ad Deum aſcendunt. Deinde altare oſculatur: quia Chriſtus pro noſtra pace in ara crucis immolabatur. Deinde *Gloria in excelſis* incipit, & chorus concinit, quia Chriſtus per mortem ſuam gloriam Angelorum hominibus reſtituit, in qua ſanctorum populus lætabundus laudes perſtrepit. Deinde ad populum ſe conuertens, *Pax vobis* dicit, quia Chriſtus à mortuis reſurgens, pacem Eccleſiæ G reddidit, ſuiſque *Pax vobis* dixit. Deinde in dextera parte orationem dicit, quia Chriſtus iam de morte ad vitam tranſiit, noſque de exilio in patriam tranſtulit. Oratio autem illam benedictionem ſignificat, qua cœlos aſcenſurus ſuos benedicebat. His peractis Epiſcopus ſedere pergit, & Chriſtus omnibus ritè peractis cœlos aſcendit, & in dextra patris ſedens quieſcit. Quidam cum Chriſto ſedent, quidam ei aſſiſtunt. Quia quidam electi nunc cum Chriſto requieſcunt, plurimi adhuc in labore ei hic ſeruiunt.

CAPVT VIII.

Quid Cereoſtata ſignificent.

EPiſcopo aſcendente ad ſedem, *cereoſtata* mutantur de locis ſuis in ordine vnius lineæ (excepto primo) vſque ad altare. Per cereoſtata varia dona ſancti Spiritus exprimuntur, per lineam vnam, vnitas Spiritus ſancti H in ſingulis donis denotatur. A primo incipit, quia Spiritus ſanctus à Chriſto procedit vſque ad altare, id eſt, ad corda electorum peruenit.

CAPVT IX.

Quid Miniſtri deſignant.

DIacones, qui Epiſcopum præcedentes altare oſculantur, deſignant iuſtos, qui ante Chriſti aduẽtum pro veritate patiebantur. Deinde poſt Epiſcopum erecti ſtabunt: quia plurimi Chriſti veſtigia ſequentes pro eo mortem ſubierunt. Quidam à dextris, quidam à ſiniſtris ſtant: quia dextra contemplatiuam; ſiniſtra actiuam vitam ſignificat. In dextra ſtantes ſunt, in contemplatiua vita Chriſto miniſtrantes. In ſiniſtra conſiſtentes, ſunt in actiua vita Chriſto ſeruientes. Duo Diaconi viciſſim vadunt altrinſecus oſculari latera altaris; quia Chriſtus miſit binos diſcipulos ante faciem ſuã in omnẽ ciuitatem.

Digitized by Google

A Oſculum eorum ſignificat, vt intrantes dicunt, *Pax huic domui*: Altare, corda electorum. Poſtea reuertuntur ad Epiſcopum; & diſcipuli reuerſi ſunt ad Chriſtum nunciantes opera ſignorum. Quot Diacones, tot Subdiacones, & Acolyti eſſe debent. Septem Diacones ideo ſunt, quia Apoſtoli ſeptem Diacones in miniſterium elegerunt. (Act. 6. 5.) Et quia ſeptem dona Spiritus ſancti Sacramenta Miſſæ conficiunt: Ideo etiam ſeptem Diacones miniſtrant, quia ſeptem diſcipuli poſt reſurrectionem in piſcando laborabant, quos ad prandium inuitabat. Per ſeptem Subdiacones, ſeptem columnæ domus ſapientiæ accipiuntur: Per ſeptem acolytos, ſeptem lucernæ tabernaculi, vel ſeptem candelabra in Apocalypſi intelliguntur. Si quinque Diacones miniſtrant; tunc hos quinque deſignant, qui Domino in reſuſcitatione puellæ affuerant. (Marc. 5. 37.) Quinque autem Subdiacones ſeruiunt, quia hæc Sacramenta, quinque partes Scripturæ docuerunt. Vetus enim Teſtamentum in *legem & Prophetas* diuiditur; Nouum in Actus Apoſtolorum & Epiſtolas eorum, & prophetiam Apocalypſis partitur. B Quinque acolyti ſunt, quia quinque libri Moyſi hæc myſteria teſtificati ſunt. Tres Diacones ſi miniſtrant, ſignificant tres Apoſtolos, qui Domino in monte transfigurato aderant. Tres Subdiacones ſunt, quia lex & Pſalmi & Prophetæ hæc Sacramenta prædixerunt. Tres acolyti ſeruiunt, quia *fides, ſpes & charitas* hæc myſteria perficiunt. Vnus Diaconus ſi miniſtrat, illum adoleſcentem qui Domino in paſſione adhæſit (ſcilicet Ioannem) ſignificat, quando reiecta ſindone nudus profugit. (Marc. 14. 1.) per vnum quoque Diaconum deſignatur Stephanus, qui ſolus ſua morte Chriſtum eſt conſequutus.

CAPVT X.

Quid Subdiaconus deſignat.

VNus Subdiaconus ſeruit, quia vniuerſitas Scripturæ hoc Sacramentum docuit. Ab vno acolyto ſeruitur, quia in vnitate tantum Eccleſiæ hoc Sacramentum conficitur. C

CAPVT XI.

Quid Acolythi deſignant.

ACOlythi vſque ad Kyrie eleyſon lumina tenent, quia Doctores, illuminatores Eccleſiæ, verbo & exemplo lumen fidelibus præbere debent, quoadusque ipſi Dominum moribus inuocare incipiant, & Chriſtum veram lucem omnem animam illuminare cognoſcant. Septem cerei ſunt; ſeptem dona ſpiritus ſancti. Cereus in medio ſtans eſt Chriſtus. Deinde luminaria ordinatim verſus Epiſcopum diſponuntur, quia ſeptem dona Spiritus ſancti per Chriſtum Eccleſiæ diſtribuuntur. Acolytus, qui fert thuribulum, deſignat Ioſeph, qui vndique circumtulit Chriſtum: ſignificat etiam Paulum Apoſtolum, qui prædicando Chriſti odorem portauit per totum mundum. D Sex, vel quatuor, vel duobus miniſtrare non licet, quia par numerus diuidi poteſt, & Eccleſia ſcindi non debet, & ideo *numero Deus impare gaudet*. (Virgil.)

CAPVT XII.

De Thuribulo.

THuribulum namque ſignificat corpus Dominicum: incenſum eius diuinitatem: ignis ſpiritum ſanctum: Si eſt aureum, ſignat eius diuinitatem omnia præcellentem: ſi argenteum, demonſtrat ipſius humanitatem omnium ſanctitate nitentem: Si cupreum, declarat eius carnem pro nobis fragilem. Si ferreum, inſinuat eius carnem mortuam in reſurrectione mortem ſuperantem. Si quatuor lineas habet thuribulum, ſignificat quatuor elementis conſtare corpus Dominicum, quod quatuor virtutibus, *prudentia, fortitudine, iuſtitia, temperantia* fuit plenum. Quinta linea, quæ thuribulum abinuicem ſeparat, deſignat animam Chriſti, quæ ſe morte à corpore ſequeſtrauerat. E Si autem tribus lineis continetur, ſignificat quod humana caro, & anima rationalis, & verbi diuinitas vna perſona Chriſti efficitur, quarta quæ partes diuidit, eſt poteſtas, quæ animam pro ouibus in morte poſuit. Si verò tantum vna linea ſuſtentatur, deſignat quod ipſe ſolus abſque ſorde à Virgine generatur, & ſolus liber inter mortuos prædicatur. (Pſ. 87. 6.) Circulus, cui hæc omnia innectuntur, eſt diuinitas, à qua hæc omnia continentur, cuius maieſtas nullo termino clauditur.

CAPVT XIII.

De Eccleſia, & ſecundo Officio.

IN ſuperiori officio de capite noſtro *Chriſto*. In ſequenti verò de corpore eius *Eccleſia* agitur. Quam Maria ſoror Moyſi præfigurabat, quæ populo liberato præcinebat, & turba canticum reſpondebat. Sic Chriſto reſidente, lector Epiſtolam in pulpito recitat & chorus cantum reſonat, quia Chriſto in cœlis reſidente doctorum ordo ſcripturam mundo intonuit, & omnis vbique populus laudem Chriſto ſonuit. F Altior locus ponitur Epiſcopo vt ſuperintendat, & tamquam populum cuſtodiat, vt vinitori locus ſit, vt vineam cuſtodiat. Sic Dominus in alto cœlorum ſedens cuſtodit currum ſuũ, id eſt, ciuitatem ſuam, videlicet Eccleſiam.

CAPVT XIV.

De Subdiacono.

SVbdiacono legente ſolemus ſedere. Lectio, eſt prædicatio; ſeſſio, & auditorum reſponſio, credentium confeſſio. Lectores & cantores ſunt Domini negociatores. Subdiacono Epiſtolam legente, cerei verſo ordine ab oriente in occidentem diſponuntur, quia lumen doctrinæ ab Oriente in Occidentem, id eſt, per totum orbem per Apoſtolos diffundebatur. Per graduale, conuerſio Eccleſiæ de Iudæis intelligitur; per verſum, conuerſio de gentibus accipitur. Per *alleluia* vtriuſque in fide lætitia exprimitur. G *Sequentia*, cantum victoriæ deſignat: qua iuſtorum animæ in Deo viuo pro ſua liberatione exultant, ſicut filij Iſraël pro ſua ereptione canticum victoriæ canebant. Vnde quidam longam pneumam cum organis iubilant, quæ *iubilum* vocatur: quia plauſum victorum lætantium imitantur.

CAPVT XV.

De Epiſcopo.

EPiſcopus à dextris altaris ſedens, verſa facie ad chorum laborantes intuetur, quia Chriſtus, à dextris Dei ſedens verſa facie ad Eccleſiam ſingulorum corda intuetur, & pro ſe laborantes remunerari pollicetur: vnde dum Stephanus pro eo laborauit, ad adiuuandum (Act. 7. 56) eum ſurrexit.

CAPVT XVI.

De Cantoribus.

H CAntores qui choros regunt, ſunt Apoſtoli, qui Eccleſias laudes Dei inſtruxerunt. Hi qui graduale cantant, ſignificant eos qui in actiua vita Chriſto ſeruiunt. In gradibus cantantes ſtabunt, quia iuſti de virtute in virtutem in ſcala charitatis ibunt. Qui *Alleluia* cantant deſignant eos qui in contemplatiua vita Chriſtum laudant. Hi cantantes altius conſiſtunt: quia tales in celſitudine virtutum cæleſtia contemplando ſcandunt. Sequentiam chori alternatim iubilabunt, quia frequentiæ Angelorum & hominum in domo Dei Dominum in ſæculum ſæculi laudabunt.

CAPVT XVII.

De Seruo arante.

LEgitur in Euangelio de ſeruo arante, quod peracto opere de agro domum redeat, & poſt ſeruitium Do- (Luc. 17. 7)

mino

mino ſuo impenſum ad conuiuium recumbat. Ager Dei ſunt corda fidelium, ſeruus arans eſt ordo prædicantium. per Lectorem Epiſtolę doctores exprimuntur: qui agrum Dei prædicando coluerunt, per reſponſionem, fideles qui per bonam operationem reſpondentes fructum iuſtitiæ protulerunt. Aratrum, eſt noſtrum ſeruitium. Boues hinc inde trahentes, ſunt vtrinque totis viribus Domino canentes. Præcentor qui cantantes manu & voce incitat, eſt ſeruus qui boues ſtimulo minans dulci voce bobus iubilat. Lector, legem Domini dat auditoribus qui nuper vocati ſunt per officia cantorum in ſchola Dei ad nuptias. Schola, dicitur vocatio, in qua ſi quis adhuc ſurdis auribus cordis torpeſcat, cantor cum excelſa tuba ſonat in aurem eius dulcedinem melodiæ, vt excitetur. Cantores qui reſpondent primo canenti, vox eſt auditorum quaſi euigilantium & Dominum laudantium. Verſus, eſt arans ſeruus per dulcedinem modulationis corda carnalium, quæ ſe aperiunt more ſulci in confeſſione vocis & lachrymarum. Arat qui aratro compunctionis corda ſcindunt, in lectione paſcitur auditor quaſi quodammodo bos. Bos ad hoc paſcitur, vt in eo opus agriculturæ exerceatur. Bos eſt prædicator, cantor, quodammodo bubulcus, qui iubilat bubus, vt hilarius aratrum trahant, ſcilicet inſtigat canentes vt lætius canant. Terra ſcinditur, quando corda auditorum compunguntur. Tales operarij cum de agro huius mundi redeunt, æternum conuiuium cum Domino ſuo ineunt.

CAPVT XVIII.

De figura alia.

EPiſcopus tribus horis miſſæ ſedet: ſcilicet dum epiſtola legitur, dum graduale & Alleluia canitur: quia Chriſtus tribus diebus inter doctores in templo ſediſſe legitur. Subdiaconus, qui epiſtolam legit, ſignificat Ioannem Baptiſtam qui ante Chriſtum prædicauit. Per epiſtolam quippe Ioannis prædicatio accipitur, per Euangelium Chriſti prædicatio innuitur. Ideo Epiſtola Euangelium præcedit, quia Ioannis prædicatio præceſſit. Et ſicut Ioannes præcurſor Chriſti memoratur; ita Epiſtola ante Euangelium, quod eſt Chriſti. Præconatur Euangelium in altiori loco quàm Epiſtola legitur, quia Chriſti prædicatio dignior quàm Ioannis cognoſcitur. Subdiaconus tamen in eodem pulpito, quo & Diaconus, legit: quia omnis populus Ioannem Chriſtum eſſe putauit. Graduale, ſignificat vocationem Apoſtolorum, qua ſe ad Chriſtum conuerterunt. Alleluia verò, lætitiam eorum quam de præſentia Chriſti, & miraculis eius habuerunt. Sequentia verò, animæ eorum iubilationem qua de promiſſa ſpe exultauerunt. Hic Epiſcopus miniſtros Eccleſiæ ordinat, quia & Moyſes Aaron, & Leuitas in miniſterium tabernaculi ordinauit, & Chriſtus ſeptuaginta duos ordinauit, quos in prædicatione deſtinauit.

CAPVT XIX.

De tertio officio.

IN tertio officio ad caput reditur, & prædicatio Chriſti nobis ad memoriam reducitur. Hoc officium Moyſes præfigurauit, quando in montem ad Dominum aſcendit, & ab eo tabulas teſtamenti accepit. Exod. 19. Dominuſque cuncto populo audiente mandata propoſuit, & Moyſes iuſtitias legis expoſuit, & populus ſe omnia ſeruaturum reſpondit. Sic Diaconus ad Epiſcopum vadit, librum ab altari accipit, Euangelium, in quo diuina præcepta ſunt coram populo legit. Epiſcopus ſermonem faciens populo ea exponit, & populus per Kyrie eleyſon, Clerus autem per *Credo in vnum Deum*, ſe ſpondet cuncta ſeruaturum. Qualiter autem hoc per Chriſtum & Apoſtolos ſit geſtum breuiter eſt dicendum.

CAPVT XX.

De Diacono.

PEr Epiſcopum, repræſentatur nobis Chriſtus; per Diaconum, ordo Apoſtolicus. Diaconus qui legit, eſt Petrus qui pro omnibus reſpondet. Epiſcopus lecturum Diaconum benedicit, quia Chriſtus conuocatis Apoſtolis benedictione eos repleuit, dum eis poteſtatem ſuper omnia dæmonia dedit, & eos regnum Dei prædicare miſit. Luc. 9. & 10. Diaconus Euangelium ab altari accipit, legere pergit, quia *de Sion lex, & verbum Domini de Hieruſalem exinit.* Iſai. 2.3 In hoc quippe loco, altare Hieruſalem deſignat, in qua Apoſtoli verbum prædicationis à Domino acceperunt, & exeuntes per totam terram prædicauerunt. Diaconus in ſiniſtro brachio librum portat, quia ſiniſtra præſentem vitam ſignificat. Et in hac vita tantum prædicari Euangelium debet; quia in futura vita nullus doctrina eget, nam omnes à minimo vſque ad maximum Dominum cognoſcent. Ab auſtrali parte in ambonem aſcendit, quia Chriſtus à Bethlehem, quæ eſt ad auſtrum Hieruſalem venit, vnde dicitur: *Deus ab Auſtro veniet.* Abac. 3.3

CAPVT XXI.

Quid duæ candelæ deſig[...]nt.

DVæ candelæ Euangelium præcedunt: quia lex & Prophetæ præceſſerunt, quæ Euangelium prædixerunt, duo candelabra quæ præferuntur, ſunt duo præcepta charitatis, quæ per Euangelium inſtruuntur. Duo acolyti qui ea portant, ſunt Moyſes & Helias, inter quos Dominus vt ſol in monte fulgebat. Matt. 17. Marci 9. Lucæ 9. Dum Euangelium legitur, cerei in pauimentum deponuntur, quia vmbræ legis, & ænigmata Prophetarum per lumen Euangelij ab humilibus intelliguntur. Perlecto Euangelio candelæ extinguuntur, dum per lucem Euangelij ſpiritualiter prolatæ intelliguntur. Thuribulum ante Euangelium portatur, quia Chriſtus odor ſuauitatis in igne paſſionis pro nobis ſacrificatus prædicatur.

CAPVT XXII.

Quid deſignet, quod Euangelium in ambone legitur.

EVangelium in alto loco legitur, quia Chriſtus in monte prædicaſſe perhibetur. Ideo & in ſublimi legitur, quia ſublimia ſunt Euangelica præcepta per quæ altitudo cœlorum ſcanditur. Ante Euangelium lumen ardet, eo quod Euangelica doctrina Eccleſiam illuminet, & quia verbum Dei lumen nobis ad vitam præbet. Diaconus ſecundum ordinem ſe vertit ad Auſtrum dum legit Euangelium, quia in hac parte viri ſtare ſolent, quibus ſpiritalia prædicari debent. Per *viros* quippe ſpirituales ſignificantur, & per *Auſtrum* Spiritus ſanctus deſignatur. Nunc autem ſecundum ſolitum morem ſe ad Aquilonem vertit vbi fœminæ ſtant, quæ carnales ſignificant, quia Euangelium carnales ad ſpiritualia vocat. Per Aquilonem quoque diabolus deſignatur qui per Euangelium impugnatur. Per Aquilonem enim infidelis populus denotatur, cui Euangelium prædicatur, vt ad Chriſtum conuertatur.

CAPVT XXIII.

De ſignis & ſalutatione Diaconi.

DIaconus cum aſcenderit in analogium, primum ſalutat populum per *Dominus vobiſcum*, quia Apoſtoli, quamcumque domum prædicaturi intrauerunt, primùm per *pax huic domui* auditores ſalutauerunt. Cum *ſequentia ſancti Euangelij* dicit, ſignum ſanctæ crucis fronti ſuæ, in qua ſedes eſt verecundiæ imprimit: per hoc ſe de verbis Domini non erubeſcere innuit. Qui enim ſermones Domini erubuerit, hunc filius coram patre & angelis in iudicio erubeſcet. Crux quippe

A & Euangelium apud incredulos magnæ confuſionis fuit opprobrium. Deinde os ſignat, quia verba Dei ſe ore confiteri pronunciat, cum ore confeſſio ad ſalutem fiat. Exinde cor ſignat, vt ſpiritum elationis à ſe excludat. Et ea quæ ore confitetur ad iuſtitiam innoteſcat. Igitur per cordis ſignationem, fides verbi accipitur: per oris ſignationem, confeſſio Chriſti intelligitur: per frontis ſignationem, operatio Euangelij exprimitur. Deinde clerus & populus ſe ſignat. *Gloria tibi Domine* conclamat, quia Chriſtum crucifixum ſe adorare, ſuis verbis obedire ſe pronunciat. Ita dum Apoſtoli verba Dei prædicauerunt, populi Dominum laudauerunt.

CAPVT XXIV.

De Baculis.

DVm Euangelium legitur, baculi de manibus deponuntur, quia prædicante Euangelio legales obB ſeruantiæ à populo deponebantur. Ex legis quippe præcepto baculos manibus tenebant, qui paſchalem agnum edentes ad patriam tendebant. Secundum hunc morem cantores in officio miſſæ baculos tenere noſcuntur, dum verus paſchalis agnus benedicitur: ſignificantes quod hi qui ad æternam patriam & ad feſtum Angelorum cupiunt feſtinare, eſu cœleſtis agni, & baculis contra hoſtes, id eſt, ſententiis ſcripturarum contra dæmones ſe debent defenſare. Hos inter Euangelium deponunt, quia cum ad Chriſtum quem Euangelium ſignat perueniunt, nullis ſcripturarum ſuſtentaculis indigebunt. Per baculos, & ſacerdotes denotantur, per quorum doctrinam infirmi in fide ſuſtentantur. Qui baculi in Euangelio deponuntur, quia omnium ſacerdotum doctrinæ Chriſti Euangelio poſtponuntur. Tunc etiam velamina capitis auferuntur, quia Chriſto euangelizante velamina legis tollebantur. Et nos capita denudamus, quia reuelata facie, non in ænigmate, Dominum in Euangelio viC deamus. Perlecto Euangelio Diaconus reuertitur ad Epiſcopum, librum ei offert ad oſculandum, quem mox reponit in locum ſuum, quia Apoſtoli peracta prædicatione ad Chriſtum reuerſi ſunt. Scilicet & dæmonia in nomine eius ſubiecta retulerunt, quaſi librum in locum ſuum repoſuerunt, dum non ſibi ſed Domino cuncta aſcripſerunt.

CAPVT XXV.

De Sermone.

DEinde Epiſcopus ſermonem ad populum facit, quia poſtquam Chriſtus populo per Apoſtolos innotuit, ipſe omnibus prædicare cœpit. Epiſcopus populum de pœnitentia, & fide, & confeſſione inſtruit, quia Chriſtus pœnitentiam, & fidem in Deum & remiſſionem peccatorum per confeſſionem, & baptiſma docuit. Poſt hæc populus *Kyrie eleyſon* & clerus *Credo in vnum Deum*, cantant, quia quod Diaconus legit, & quod Epiſcopus præD dicauit ſe credere affirmant. Ita poſtquam Chriſtus, & Apoſtoli populum docuerunt, fide recepta laudes Deo perſonuerunt. Interim Euangelium cum incenſo per chorum defertur, & ſingulis ad oſculandum porrigitur, quia Apoſtoli Chriſtum (odorem vitæ) per mundum portauerunt & cunctis gentibus per verbum eius pacem æternam præbuerunt.

CAPVT XXVI.

De quarto officio & de Eccleſia.

IN quarto officio ad corpus Chriſti, id eſt, ad Eccleſiam ſignificatio recurrit & eius actionem nobis exprimit. Cuius figuram populus Iſrael olim præferebat, quando Moyſi de monte deſcendenti diuerſa dona ad faciendum tabernaculum offerebat, in quo altare fiebat ſuper quod ſacerdos ſacrificia populi immolabat. Sic Epiſcopo de pulpito deſcendenti populi diuerſas oblationes offerunt, pro quibus ſacerdos & miniſtri ſacrificium in altari cum cantu immolabunt. Ita Chriſto ad Hieruſalem paſſuro de monte oliueti deſcendenti turba occurrit, palmas floreſque cum cantu laudis obtulit, pro quibus ipſe ſe ſacrificium in ara crucis obtulit. Pontifex repræſentat Chriſtum, miniſtri turbam diſcipulorum. Populi offerentes, ſunt illi cum palmis occurrentes: cantores cantantes, ſunt Oſanna reſonantes. E

CAPVT XXVII.

De Sacrificio.

QVidam de populo aurum, quidam argentum, quidam de alia ſubſtantia ſacrificant. Sacerdos & miniſtri panem & vinum cum aqua immolant. Qui aurum offerunt, ſignificant magos, qui Domino aurum obtulerunt. Qui argentum offerunt, deſignant eos, qui pecuniam in gazophylacium miſerunt. Qui de aliis rebus ſacrificant, ſunt hi, qui Domino neceſſaria, quæ Iudas portabat, mittebant. Et hos ſignificant, qui per Paulum & Barnabam Apoſtolis oblationes Hieroſolymam tranſ- F mittebant. Qui panem offerunt, ſunt hi, qui ſpiritum ſuum in ſacrificium laudis Domino impendunt. Qui vinum offerunt, ſunt hi, qui animas pro fratribus ponunt. Qui aquam offerunt, ſunt hi qui corpus ſuum pro Chriſto ad ſupplicia tradunt.

CAPVT XXVIII.

De tribus Sacrificiis.

PRimo viri offerunt, qui fortes in Chriſto deſignant, quia in primitiua Eccleſia iuſti (ſub perſecutoribus dura perpeſſi) victima Chriſti occubuerant. Deinde fœminæ ſacrificant, quæ fragiliores ſignificant, quia tempore pacis fideles non ſeipſos ſed hoſtiam laudis Domino immolant. Ad vltimum ſacerdotes & miniſtri offerunt, qui doctores & ductores populi ſunt, quia ſub Antichriſto fideles per diuerſa tormenta ſacrificium G viuum ſe Chriſto offerunt.

CAPVT XXIX.

De ſeptem Sacrificiis legalibus.

SEptem autem Sacrificia ab antiquis ſecundum legem
offerebantur, quæ adhuc Chriſtiani imitantur. Ritus
namque ſynagogæ tranſiuit in religionem Eccleſiæ. Et
ſacrificia populi carnalis mutata ſunt in obſeruantiam
ſpiritualem. Sunt autem hæc, *legale ſacrificium, volunta-* 1.
rium, pro peccato, pro gratiarum actione, dona, vota, holo-
cauſta. Sacrificium *legale* obtulit, qui decimas vel primi-
tias, vel ea quæ lex præcipit, obtulit. *Voluntarium* ſacrifi- 2.
ciũ obtulit, qui aliquid de rebus ſuis Deo ſponte obtulit. 3.
Sacrificium *pro peccato* obtulit, qui trãſgreſſo legis man- 4.
dato hircum obtulit. Sacrificium *pro gratiarum actione* 5.
obtulit, qui pro victoria munus Deo obtulit. *Dona* obtu- 6.
lit, qui aliquid in ornatum templi contulit. *Vota* obtulit, 7.
qui in periculo belli conſtitutus aliquid Deo vouit, quod H
poſtea ſoluit. *Holocauſta* obtulit, qui agnum offerens to-
tum in altari incendit. *Holocauſtum* namque *totum in-
cenſum* dicitur.

CAPVT XXX.

De Sacrificio Chriſtianorum.

ITa Chriſtiani *legale Sacrificium* offerunt, dum deci- 1.
mas rerum ſuarum Deo dabunt. *Voluntarium* offerunt, 2.
dum de rebus ſuis Deo ſeruientibus aliquid conferunt. 3.
Pro peccato offerunt, dum pro pœnitentia iniuncta ſacer-
dotibus, vel religioſis, vel indigentibus aliquid impen- 4.
dunt. *Pro gratiarum actione* offerunt, dum pro dignitate,
vel pro aliqua collata gratia Deo quicquam offerunt. *Do-* 5.
na offerunt, dum in ædificia Eccleſiarum, vel in ornatus
earum aliquid conferunt. *Vota* offerunt, dum in bello, vel 6.
naufragio, vel aliquo periculo poſiti aliquid vouent,

A 7. quod liberati Deo & ſanctis offerunt. *Holocauſta* offerunt, qui ſeculum relinquunt & omnia ſua vel indigentibus diſtribuunt, vel monaſteriis conferunt. Hæc ſacrificia populi offerunt. Sacerdotes autem & miniſtri Chriſto inſtituente panem & vinum offerunt.

CAPVT XXXI.

De Sacrificio panis.

Ioan. 6. Pſal. 77.

HOc ſacrificium ideo ex pane fit: quia Chriſtus ſe panem viuum aſtruxit, quem Scriptura panem Angelorum prædixit. Qui panis fit abſque fermento, quia Chriſtus fuit ſine peccato. Ideo autem panis ex fermento fit, quia Chriſtus ſe granum frumenti aſſeruit. Granum autem per trituram de theca ſua excutitur contumeliis & opprobriis areſactus, à Iudæis, & gentibus, quaſi duobus lapidibus, flagellis atteritur, cribratus conſperſus compaſtinatur, dum à ſuis ſeparatus, ſanguine proprio perfuſus cruci compingebatur, in qua quaſi panis B in igne paſſionis excoctus in immortalitatem mutabatur.

CAPVT XXXII.

De Eccleſia & ſignificatione.

IDeo & corpus Chriſti de pane fit, qui ex multis granis conficitur, quia Eccleſia corpus Chriſti per illud reficitur, quæ ex multis electis colligitur. Quæ grana ſcilicet electi flagello prædicationis de theca veteris vitæ excutiuntur, pœnitentia areſacti, quaſi duobus lapidibus moluntur, dum duabus legibus in ſcrutinio minutatim imbuuntur. Cribrati conſperſi compaſtinantur, dum ab infidelibus ſegregati, aqua baptiſmatis renati, vinculo charitatis per Spiritum ſanctum in fide copulantur, vt panes in clibano excocti in candorem mutantur, dum in camino tribulationis examinati ad imaginem Dei reformantur. Tali modo panis effecti de pane Chriſti reficiuntur, & hi in æternum non moriuntur.

C

CAPVT XXXIII.

De ſacrificio vini.

IDeo autem hoc Sacramentum de vino fit, quia Chriſtus ſe vitem dixit, & ſcriptura eum vinum iucunditatis aſſeruit. Vua autem in prælo duobus lignis expreſſa in vinum liquatur, & Chriſtus duobus lignis crucis preſſus, ſanguis eius in potum fidelibus fundebatur. Ideò & ſanguis Chriſti de vino conficitur, quod de multis acinis exprimitur, quia per illum corpus Chriſti Eccleſia recreatur, quæ de multis iuſtis congregatur. Hæc preſſuris mundi, quaſi in torculari, calcatur, & Chriſto per paſſiones incorporatur.

CAPVT XXXIV.

De aqua.

IDeo autem hoc ſacrificium de aqua fit: quia aqua de Chriſti latere exiuit, & Ioanni angelus aquas populos eſſe retulit. Et ideo aqua vino admiſcetur: quia populus D ſanguine Chriſti redemptus, per aquam baptiſmatis ablutus, per paſtum huius cibi, & potum huius vini Chriſto communicatur. Panis autem hic in carnem conuertitur: quia Chriſtus paſchalis agnus pro nobis occiditur, & caro noſtra à morte redimitur. Vinum in ſanguinem tranſit: quia Chriſtus ſanguinem fundens, pro nobis animam poſuit, & animam noſtram quæ in ſanguine habitat à peccatis expiauit. Sine aqua autem hoc ſacramentum non conficitur: quia ſolius populi cauſa hoc myſterium agitur, quia & eo quotidie reficitur.

CAPVT XXXV.

De forma panis.

PAnis verò ideo in modum denarij formatur: quia panis vitæ Chriſtus pro denariorum numero tradebatur qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur. Ideo imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur: quia & in denario imago & nomen Imperatoris ſcribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen noſtrum in libro vitæ notatur. E

CAPVT XXXVI.

Cur quotidie Miſſa canatur

ETſi enim Chriſtus ſemel ſua morte credentes redemit, hoc tamen Sacramentum quotidie ob tres cauſas Eccleſia neceſſario repetiit. Vna eſt cauſa, vt in vinea laborantes, quotidie eo reficiantur. Alia vt hi qui numero fidelium quotidie aſſociantur, per illud Chriſto incorporentur. Tertia vt memoria paſſionis Chriſti quotidie mentibus fidelium ad imitationem inculcetur. Tali autem ordine offertur.

F

CAPVT XXXVII.

De Subdiacono.

SVbdiaconus calicem in ſiniſtra, patenam in dextra, deſuper corporale portat: quia Subdiaconus in hoc loco Chriſtum, calix paſſionem, ſiniſtra præſentem vitam, patena crucem, dextra æternam vitam, corporale Eccleſiam ſignificat. Et Chriſtus calicem paſſionis in præſenti vita bibit, quem prius à ſe transferri patrem petiit. Per crucem autem gloriam patris intrauit, cuius paſſionem Eccleſia imitari non deſinit. Corporale multo labore candidatur, & Eccleſia per multas tribulationes Chriſto conformatur. Subdiaconus noſter Chriſtus quaſi patenam cum calice portauit, quando crucem ad paſſionem baiulauit.

CAPVT XXXVIII.

De Cantoribus.

G

VNus cantor oblatam cum fanone, & vinum cum ampulla offert, alter aquam vino admiſcendam præbet. Qui vinum offert ſignificat Eccleſiam de Iudæis, quæ legis ritum in Chriſti ſacrificium commutauit. Qui aquam offert, Eccleſiam de gentibus, quæ populum gentilem Chriſto ſacrificauit. Hi & duo typum Enoch & Heliæ præferunt, qui Iudaicum populum Chriſto in ſacrificium oblaturi ſunt. Oblata non nudis manibus, ſed fanonibus multo labore candidatis offerunt: quia Chriſti corpus ab his tantum, qui carnem ſuam vitiis & concupiſcentiis crucifigunt, digne ſuſcipitur. Ampulla in qua vinum offertur, ſignificat noſtram deuotionem, quæ in vaſculis cordis portatur. Archidiaconus ad vltimum aquam in calicem fundens Epiſcopo offert, quia Chriſtus, quem Diaconus hic ſignat, Eccleſiam ſibi in Paſſione miſcuit, patri in cruce obtulit, & in vltimo corpus capiti conſociabit, cum regnum Deo & Patri tradiderit.

CAPVT XXXIX.

De Oratione Sacerdotis. H

POſt acceptum ſacrificium Epiſcopus ſe inclinans coram altari orationem (*Suſcipe ſancta Trinitas*) dicit: quia Chriſtus ad pedes diſcipulorum ſe inclinans poſt traditum ſacrificium in cœna ante menſam ſtans orationem ad patrem fecit. Deinde (*orate*) dicit: quia Chriſtus Apoſtolos orare monuit. Dehinc orationem ſuper oblatam ſecretò dicit: quia CHRISTVS in monte Oliueti ſecretò prolixius orauit, cum ei Angelus confortans eum apparuit. Spacium ſilentij poſt offertorium, illud tempus ſignificat, quo Chriſtus ante paſſionem in Hieroſalem latebat, velut Paſchalis agnus, quem Iudæi decima luna recluſum, decima quarta luna immolabant.

A

CAPVT XL.

De Secreto.

COmpoſito ſacrificio ſacerdos orationem ſub ſilentio recitat, quia idem ſacrificium in ſacrificio patrum abſconditum latebat. In agno quippe Abel delitescebat, in ariete Abrahæ pro Iſaac ſe occultauerat. In agno paſchali, in vitula rufa, in hirco emiſſario ſe celauerat. (Leuit. 16.) Tunc pontifex offert pro populo ſacrificium, quia Chriſtus pro Eccleſia obtulit ſemetipſum. Tunc ſacrificium thurificatur, quia Chriſtus odor ſuauitatis, pro nobis oblatus à Deo acceptatur.

CAPVT XLI.

De Præfatione.

B

SEquitur in Præfatione ſacrificium angelorum, qui huic ſacrificio intereſſe creduntur. Summo enim Imperatori vt milites aſſiſtunt, & laudes ſuo Imperatori concinunt: per ter autem tria diſtincti, Trinitatem ſacrificio laudis honorificant, & hoſtiam iubilationis iugiter imitati immolant. Ideo & hoc ſacerdos alta voce cantat: quia ſacrificium angelorum, quod eſt laus, repræſentat.

CAPVT XLII.

De ſacrificio Angelorum.

ANgeli itaque, & Archangeli maieſtatem Dei laudant, dominationes adorant. Poteſtates & principatus admirando tremunt. Cœli, id eſt throni, & virtutes iubilant. Cherubin & Seraphin dulciter concelebrant. Hoc ſacrificium concentus Angelorum Dauid & Salomon ſunt imitati, qui inſtituerunt hymnos in ſacrificio Domini, organis, & aliis muſicis inſtrumentis concrepari, & à populo laudes conclamari. Vnde ſolemus adhuc in officio ſacrificij organis concrepare, clerus cantare, populus conclamare.

C

Sacrificium itaque laudis Angeli immolant, dum Spiritus ſanctus conſonat. Ter *Sanctus* repetitur, quia Trinitas collaudatur, *Dominus Deus* ſemel dicitur, quia vnitas veneratur. Sacrificio Angelorum coiungitur ſacrificium ſpirituum iuſtorum, qui Chriſti humanitatem adoraut, & pro humani generis redemptione cantatur: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hic hymnus partim ab angelis, partim ab hominibus concinitur, quia per Chriſtum immolatum humanum genus Angelis coniungitur, laus quippe Angelorum eſt: *Sanctus. ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Oſanna in excelſis.* Laus verò hominum eſt. *Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.* In hoc cantu ſe ſignant, quia ſignum Chriſti cui contradicitur ſe recipere deſignant.

CAPVT XLIII.

De quatuor Ordinibus.

D

NOtandum quod primo loco maſculi offerunt, quia primo tempore Patriarchæ ſuo ſacrificio hoc ſacrificium pertulerunt. Secundo loco fœminæ offerunt, quia ſecundo tempore Iudæi legalibus ſacrificiis hoc ſacrificium præmonſtrauerunt. Tertio loco ſacerdotes, quia miniſtri offerunt, quia tertio tempore Apoſtoli ipſum ſacrificium exceperunt, & hoc fideles docuerunt, qui quotidie ſeptem ſupraſcripta ſacrificia offerunt, quia poſt hanc vitam Angeli cum beatis hominibus in ſæculum ſæculi Dominum laudabunt.

CAPVT XLIV.

De quinto officio & de pugna Chriſti.

QVintum officium alis Cherubin velatur. In quo ſummi Pontificis hoſtia & regis gloriæ pugna repræſentatur. (Exod. 17.) Hoc Moyſes præfigurabat, quando in monte extenſis manibus orabat, dum Ioſue, qui & Ieſus, cum Amalech pugnabat, deuicti regnum vaſtabat, ac populum cum victoriæ lætitia reducebat.

E

Sic Chriſtus in monte crucis, extenſiſque manibus pro populo non credente & contradicente orauit, & victus, dux cum Amalech, id eſt, cum diabolo vexillo ſanctæ crucis pugnauit, deuicti regnum vaſtauit, Dominus infernum ſuperato maligno hoſte ſpoliauit, populum de tenebris ereptum cum gloria victoriæ ad cœleſtia reuocauit.

CAPVT XLV.

Myſterium.

HOc totum Epiſcopus imaginatur, & quaſi tragicis veſtibus exprimere conatur. (Exod. 17.) Chriſtum namque in cruce fixum repræſentat, dum expanſis manibus Canonem recitat: quaſi contra Amalech pugnat, dum contra diabolum Chriſti paſſionem cum ſignis crucum ſimulat. Miniſtri autem quaſi acies pugnantium vtrinque ordinantur dum Diaconi retro Epiſcopum, Subdiaconi retro altare locantur.

F

Exercitus cum triumpho regreditur, quia percepta communione ad propria cum gaudio reuertitur.

CAPVT XLVI.

De Paſſione Chriſti.

IN hoc officio agitur Chriſti paſſio ſuper crucem chriſmatis, altare crux intelligitur in quo corporale in forma corporis Chriſti diſtenditur. Corporale de puro lino terræ conficitur, & cum multo labore in candorem vertitur; & Chriſti corpus de munda virgine naſcitur, & per multas paſſiones in candorem reſurrectionis redditur. Corporale cum complicatur nec initium nec finis eius apparet, quia Chriſti diuinitas initio caret & finem non habet. Super quod oblata ponitur, quia caro à diuinitate ſuſcepta in cruce affigitur. (Philip. 2.)

G

Calix cum vino, & aqua in dextra locatur, quia ſanguis cum aqua de latere Chriſti manaſſe prædicatur. Cum ſacerdos (*Hanc igitur oblationem*) dicit, ſe vſque ad altare inclinat: quia ibi paſſio inchoatur, qui ſe vſque ad aram crucis obediens patri pro nobis inclinauerat. Deinde oblata, vel calix in manu ſacerdotis exaltatur, quia Chriſtus pro ſalute noſtra in crucem leuatur, & ſanguis eius in redemptionem noſtri immolatur. Interim Diaconi retro Epiſcopum ſtantes figuram gerunt Apoſtolorum, qui in paſſione Domini eo relicto omnes fugerunt. Subdiaconi vero retro altare ſtantes contra Epiſcopum, aſpiciunt mulieres & notos, Ieſum præferunt, qui à longe ſtantes eius paſſionem viderunt. Ante altare ſe ſacerdos inclinat, cum (*ſupplices te rogamus*) dicit quia ibi paſſio Chriſti finit, & Chriſtus inclinato capite ſpiritum emiſit. Iuſta canonem Diaconus manus lauat: quia Pilatus in Paſſione Domini manus lauabat, dum ſe ſic mundum à ſanguine eius, quàm manus ſuas à ſorde proclamabat. Sacerdos vocem leuat dum (*nobis quoque peccatoribus*) dicit, deſignans quod Eccleſia de Chriſti latere iam formam in confeſſione redemptoris erupit, dum per vocem centurionis ſic clamauit: *Verè filius Dei erat iſte.*

H

CAPVT XLVII.

De Ioſeph.

DIcente Sacerdote (*Per omnia ſæcula ſæculorum,*) Diaconus venit, Calicem coram eo ſuſtollit, cum ſanone partem eius cooperit, in altari reponit & cum corporali cooperit, præferens Ioſeph ab Arimathia, qui corpus Chriſti depoſuit, faciem eius ſudario cooperuit, in monumento depoſuit, lapide cooperuit. Hic oblata, & calix cum corporali cooperitur, quod ſindonem mundam ſignificat, in quam Ioſeph corpus Chriſti inuoluebat. Calix hic, ſepulchrum: patena, lapidem deſignat, qui ſepulchrum clauſerat. Tres articuli, ſcilicet *Oremus præceptis, & Pater noſter, & libera nos Domine,* tres dies ſignificant, quibus Chriſtus in monumento quieſcebat.

A

CAPVT XLVIII.

De Acolytho qui patenam tenet, quod Nicodemum figuret.

ACOlythus infra canonem patenam inuolutam tenet, quam hic Subdiaconus defert. Subdiaconus præbet Archidiacono; quá ipſe oſculatam vni de Diaconibus ad tenendam, & corpus Domini in ea conſtringendum porrigit. Acolythus qui patenam tenuit, formam Nicodemi gerit, qui Myrrham, & Aloë ad ſepulturam Domini attulit. (Ioan. 19. 39.) Porrò Subdiaconus & Archidiaconus cum alio Diacono patenam tenenti, Tres Marias præferunt, quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt. Dum ſeptem petitiones in Dominica oratione dicuntur, Diaconi inclinati ſtant, communione confirmari expectant: quia Apoſtoli ſeptem hebdomadis poſt mortem Chriſti firmari à Spiritu ſancto expectabant. Subdiaconi autem interim quieſcunt: quia mulieres in Sabbatho, quæ ſeptima dies eſt, ſiluerunt.

B

CAPVT XLIX.

De Cruce.

HOc Sacramentum tantum per crucem fit, quia Chriſtus ſacrificium patris in cruce pependit, & in cruce quadruplum mundum redemit. Sex autem ordines crucum fiunt, quia ſex diebus mundus perficitur & ſenario numero corpus Chriſti reficitur. Per imparem verò numerum, qui in duo paria non poteſt diuidi, benedicitur: quia corpus Chriſti permanens non ſcinditur. Aut enim tres cruces facimus, & fidem Trinitatis exprimimus: aut per quinque ſignamus, & quinque partitam Chriſti paſſionem denotamus. Per ſex ordines cuncta mundi tempora comprehendimus, quæ per crucem Chriſto vnita exprimimus.

CAPVT L.

De primo ordine, & de tribus crucibus.

C

IN primo ordine, tres cruces facimus vbi (*hac dona*) dicimus, & primum tempus ante legem innuimus, quod tribus interſtitiis diſtinguimus, quia vnum ab Adam vſque ad Noë, aliud à Noë vſque ad Abraham, tertium ab Abraham vſque ad Moyſen. In quibus iuſti in fide Trinitatis Chriſtum à longe ſuis ſacrificiis ſalutauerunt, & multos cruciatus in hac fide pertulerunt. In prima quippe ætate, Abel Chriſtum in agno obtulit, & pro eo cruciatum mortis pertulit. In ſecunda, Melchiſedech Chriſti carnem, & ſanguinem in pane, & vino obtulit qui cruciatus bellorum à regibus gentium in fide Chriſti pertulit. In Abraham Chriſtum in Iſaac ſacrificauit, in ariete mactauit, qui varios cruciatus in hac fide tolerauit.

CAPVT LI.

De ſecundo ordine, & de quinque crucibus.

D

IN ſecundo ordine quinque cruces facimus, vbi (*benedictam, aſcriptam*) dicimus, & tempus legis exprimimus, quo iuſti per quinque librorum legis ſacrificia Chriſtum expreſſerunt, & multos cruciatus pro eius fide pertulerunt. Quinque namque in duas partes, ſcilicet trinarium, & binarium ſoluitur: Et illud tempus in duo interſtitia diuiditur. Vnum à Moyſe vſque ad Dauid fuit, alterum à Dauid vſque ad Chriſtum extitit. Per trinarium, iudices à Ioſue vſque ad Dauid, & reges, à Dauid vſque ad captiuitatem Babylonis, & principes à Zorobabel vſque ad Chriſtum notantur. Per binarium verò ſacerdotes & prophetæ ſignificantur, ex quibus Moyſes Chriſtum in Paſchali agno immolauit, (Heb. 11. 26.) qui Apoſtolo teſte multa aduerſa pro fide Chriſti tolerauit, quem lege prædicauit; Samuel Chriſtum in Dauid vnxit, qui vtrque Chriſtum & ſacrificiis expreſſit, & in figura Chriſti perſecutionem à perfido rege Saül pertulit; Helias & alij Prophetæ Chriſtum ſacrificiis, vocibus, ſcriptis, præmonſtrauerunt, & pro eius fide varia ſupplicia perpeſſi ſunt.

E

CAPVT LII.

De tertio ordine.

IN tertio ordine panem in manum ſuſcipimus, & benedicimus, & tempus gratiæ innoteſcimus, quo Simeon Chriſtum iam natum panem viuum in manus accepit, & gaudens benedixit. Deinde calicem leuamus, & benedicimus, & tempus cœnæ exprimimus, quo Chriſtus panem & calicem manibus eleuauit, & benedixit, & inde corpus & ſanguinem Apoſtolis tradidit. Vnde adhuc cum verba Domini in ordine recitantur, panis & vinum in corpus & ſanguinem Domini commutantur.

CAPVT LIII.

De quarto ordine, & de quinque crucibus.

F

IN quarto ordine, quinque cruces facimus, vbi (*hoſtiam puram*) dicimus. Et illud tempus ad memoriam reducimus, quo Chriſtus quinque vulnera in Cruce accepit, & quinque ſæcula redemit.

CAPVT LIV.

De quinto ordine, & tribus crucibus.

IN quinto ordine, tres cruces vbi (*omnia bona creas, ſanctificas*) dicimus, Et corpus Chriſti ſcilicet primitiuam Eccleſiam innuimus, quæ fidem Trinitatis accepit, & multos cruciatus pro Chriſto ſuſtinuit.

CAPVT LV.

De ſexto ordine, & de quinque crucibus.

IN ſexto ordine quinque cruces facimus, vbi (*per ipſum*) dicimus, & item corpus Chriſti, videlicet Eccleſiam de gentibus exprimimus, quæ Chriſti quinque partitam paſſionem venerantes excepit, & eam imitando patientes diuerſa tormenta pertulit.

G

CAPVT LVI.

De quinque ordinibus crucum.

ITem per quinque ordines crucum, quinque ætates mundi deſignantur, quæ per crucem & Chriſti corpus ſaluantur. Vnde & in Canone quinquies (*Per Chriſtum Dominum noſtrum*) dicitur, quia per quinque vulnera Chriſti mundus redimitur. In ſexto ordine calix cum oblata tangitur. Quia in certa ætate Chriſtus calicem paſſionis in cruce pro omnibus bibiſſe innuitur. Cum (*per ipſum*) dicimus quatuor cruces ſuper calicem cum oblata facimus, quintam lateri calicis imprimimus, quia Chriſtus, quatuor vulnera in manibus, & pedibus, & quintum in latere ſuſcepiſſe innoteſcimus. Confecto ergo corpore Chriſti, labia calicis tangimus, ac per hoc, quod formato primi hominis corpore, Deus ſpiraculum vitæ in faciem eius ſpirauit (Geneſ. 2.) & mulierem ex eo viuificauit, ſignificamus. Et hoc *Deus, per quem, cum quo, in quo omnia*, in faciem mortui humani generis Spiritum ſanctum ſpirauit, & Eccleſiam ex eo per corpus ſuum viuificauit. Per quatuor autem partes calix tangitur: quia humanum genus in quatuor mundi partes diſperſum, per quatuor crucis partes viuificatum, in fine mundi per Chriſtum ad vitam reſuſcitatur.

H

CAPVT LVII.

De numero ſignorum.

NOtandum quod per totum Canonem viginti & tria ſigna fiunt: quia in veteri Teſtamento iuſti ſub decalogo legis; & in nouo Teſtamento iuſti per decalogum legis, in fide Trinitatis, huius Sacramenti participes exiſtunt. Tribus autem digitis ſigna facimus: quia Trinitatem exprimimus. Quod ſi viginti tria triplicaueris,

Digitized

A ſexaginta & nouem habebis. Portò cum (*pax Domini*) dicimus non cum digitis; ſed cum oblatæ particula, tria ſigna ſuper calicem facimus, quæ ſi ſuperioribus adieceris, ſeptuagintaduo ſigna habebis. Profectò hoc ſignificat quod ſeptuaginta duæ linguæ per ſuperbiam diſperſæ, per Chriſti humilitatem ſunt in vnum congregatæ, per crucem & paſſionem redemptæ, per corpus & ſanguinem eius ei communicatæ.

CAPVT LVIII.

De ſeptem Sacrificiis.

IN Canone ſeptem ſacrificiorum actio commemoratur, quibus corpus Eccleſia capiti Chriſto copulatur. In primis ſacrificium innocentum. Secundo Apoſtolorum, & Martyrum. Tertio confeſſorum. Quarto religioſorum, & continentium. Quinto coniugatorum. Sexto, in Chriſto defunctorum. Septimo, in anima
B mortuorum ſcilicet pœnitentium. *Te igitur* vſque *communicantes*, ſacrificium innocentium notatur, qui ſe in Chriſti ſacrificium obtulerunt, dum pro eo immolati ſunt. A (*communicantes*) vſque (*Hanc igitur oblationem*) ſacrificium Apoſtolorum, & Martyrum repræſentatur. Vbi & nomina illorum recitantur, qui ſe hoſtiam viuam Deo obtulerunt, dum ſanguinem ſuum pro eo fuderunt. Ab (*Hanc igitur oblationem*) vſque (*Quam oblationem tu Deus*) ſacrificium confeſſorum commemoratur: qui ab hæreticis multa pericula perpeſſi ſunt, & ſacrificium laudis Chriſto iugiter obtulerunt. A (*quam oblationem tu Deus*) vſque (*Supplices te rogamus*) ſacrificium religioſorum demonſtratur: qui carnem ſuam vitiis, & concupiſcentiis crucifixerunt, & ſic hoſtia Chriſti effecti ſunt. A (*ſupplices te rogamus*) vſque (*memento Domine*) ſacrificium coniugatorum declaratur, qui fide, & eleemoſynis Chriſti Corporis participes efficiuntur. A (*memento Domine*) ſacrificium defunctorum oſtenditur; qui in confeſſione Chriſti migrauerunt,
C & fidelibus aſſociati ſunt. Sacerdos Chriſti mortem repræſentat, cum ſe ad (*Supplices te rogamus*) inclinat, & poſt eius mortem aptè cõmemoratio defunctorum agitur, qui pro eis mortuus creditur. A (*nobis quoque peccatoribus*) vſque in finem Canonis, ſacrificium pœnitentium exprimitur, qui ſe lachrymis & pœnitentiæ doloribus Chriſto in ſacrificium mactant, cum ſe animas ſuas peccatis occidiſſe doleant, vt in eo viuificentur, qui pro impiis mortuus prædicatur. Vnde & ſacerdos ibi vocem exaltat, quia pœnitentes à vocis, & cordis gemitu ſæpius
Ioan. 11. 43. rugire conſtat, cum amaros ſingultus edant. Hos Dominus expreſſit, cum Lazarum magna voce de monumento vocauit. In hoc etiam capitulo nomina martyrum recitantur, quia pœnitentes variis cruciatibus macerantur. Per hæc ſeptem ſacrificia, corpus Chriſti Eccleſia conficitur, & capiti Chriſto coniungitur: hoc per *Dominicam orationem* exprimitur, quæ ſeptem petitionibus hæc ſacrificia ſequitur, quia per orationem, & hoc ſin-
D gulare ſacrificium, Eccleſia Chriſto communicatur.

CAPVT LIX.

De quinque Orationibus.

ORatio autem Canonis ideo in quinque diſtinguitur quia oratio fidelium per quinque partitam Chriſti paſſionem tantum exauditur. In tribus locis pro Prælatis & ſubiectis oramus: quia Eccleſiam in doctores, continentes, & coniugatos diſcernimus. Quarto loco pro defunctis offerimus. Quinto pro pœnitentibus petimus. Primo loco pro Prælatis offerimus, vbi dicimus: *In primis, quæ tibi pro Eccleſia tua offerimus*: & tunc Papam, & Epiſcopum, & regem nominamus. Pro ſubiectis oramus vbi (*memento Domine famulorum, famularumque*) recitamus. Vbi & nominare poſſumus quos volumus. Secundo pro Prælatis petimus, cum (*Hanc igitur oblationem noſtræ ſeruitutis*) dicimus. Pro ſubjectis ſubiungimus, cum (*& cunctæ familiæ tuæ*) dicimus. Tertio loco pro Prælatis ſupplicamus, cum (*Vnde & memores nos*

E *tui ſerui*) recitamus. Pro ſubiectis poſcimus, cum (*ſed & plebs tua*) ſubiungimus. Pro defunctis ſacrificamus, cum (*memento etiam Domine*) dicimus: vbi & nomina eorum recitare poſſumus. Pro pœnitentibus offerimus, vbi (*nobis quoque peccatoribus*) dicimus. Hæc omnia ideo in Canone commemorantur; quia cuncta in morte redemptoris reconciliantur.

CAPVT LX.

De ſexto officio, & benedictione Epiſcopi.

SExtum officium, in quo Pontifex populum benedicit, Chriſti deſcenſionem ad inferos exprimit. Huius
Deut. 31. rei figuram Moyſes geſſit, quando moriturus filios Iſ-
Gen. 49. raël benedixit, eductoſque de Ægypto, in patriam introducit per Ieſum, qui & Ioſue iuſſit. Hoc & Iacob moriens expreſſit, qui filios ſuos benedixit, & de eis futura hæreditate multa prædixit. Has vtraſque benedictiones
F Chriſtus compleuit, cum moriens ad inferos deſcendit, populum ſedentem in tenebris, & vmbra mortis, viſitando benedixit, de carcere eductos cœleſti patriæ induxit. Quod Epiſcopus oſtendit, dum populum benedicit, moxque cum ſpirituali cibo reficit. Notandum autem quod ſemper ternis Capitulis benedicit, & omnes quarto ſcilicet, *quod ipſe præſtare dignetur*, confirmabit. Quinto verò, reliquis per *benedictionem Dei Patris* concludit, quia nimirum Deus tribus vicibus huic mũdo benedixit, quarta reliquis firmauit, quinta benedictione, hæreditatem poſſidere dabit. Primo primis hominibus benedixit, dum eos creſcere & multiplicari præcepit. Secundo hominibus benedixit, dum (mundo
Gen. 9. 7. diluuio deleto) Noe, & ſuos poſteros creſcere, & multiplicari iuſſit. Tertio per Abraham, Deus mundo bene-
Gen. 18. 18. dixit, cum ei in benedictione Chriſtum repromiſit. Quarto mundo benedixit, dum filium ſuum nobis be-
Luc. 24. 50. nedicentem miſit, qui cœlos aſcenſurus ſuis benedi-
G xit, & per Spiritum ſanctum reliquos firmauit. Quinto mundo benedicet, dum patriam intraturos benedictio-
Matt. 25. 35. ne vltima ſic complet. *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum vobis præparatum.*

CAPVT LXI.

De ſeptimo officio, & de reſurrectione Domini.

SEptimum officium, Dominicam reſurrectionem inſinuat, quando deuicta morte, & ſpoliato inferno, pacem omni mundo dabat, quia iam omnia in cœlis & in terris pacificauerat, & cũ ſuis diſcipulis comedit, eiſque reliquias dedit. Sic Pontifex, diabolo per ſpirituale bellum ſuperato (*pax vobis*) cum dicit, pacem aſtan-
Ioſu. 31. 33. tibus porrigit: Panem cœleſtem diſtribuit. Hoc Ieſus, qui & Ioſue, figuraliter protulit, cum introducto populo, à ſuperatis hoſtibus terram ſorte diſtribuit. Pontifex partem oblatæ in calicem mittit, deſignans quod anima Chriſti ad corpus rediit.

CAPVT LXII.

De pace Domini.

H DEinde *pax vobis* dicitur: quia Chriſtus ſuis apparens *pax vobis* dixit. Pacem porrigit, quia Chriſtus pacem amiſſam humano generi reſurgens reddidit. Propter tres cauſas pacis oſculum datur. Ob vnam cauſam clerus populuſque ſe inuicem oſculantur: quia homines gratiam Domini ſui, angelorumque amicitiam, per Chriſtum, qui eſt pax noſtra, ſe promeruiſſe gratulantur. Alia eſt cauſa, quod ſe per pacis oſculum fratres in Chriſto Dei Patris, Eccleſiæ miniſtris filios, per Chriſti reconciliationem demonſtrauit. Atque vno pane Chriſti, qui eſt Deus, pacis, concordiæ & dilectionis refici deſiderant. Tertia cauſa eſt, quod ſicut in oſculo caro carni, ſpiritus ſpiritui coniungitur: ita omnis homo in neceſſitate carnis per dilectionem proximi, in neceſſitate ſpiritus per dilectionem Dei, diligi præcipitur. Qui non tali pacis oſculo fœderati corpus Chriſti comedunt, vt Iudas, iudicium ſibi per falſam pacem, ſumunt.

CAPVT LXIII.

De fractione Oblatæ.

OBlata frangitur, quia panis Angelorum nobis in cruce frangitur, vt fractio peccatorum noſtrorum per comeſtionem ipſius reintegretur. Papa oblatam non frangit, ſed partem ex ea mordet, reliquam in calicem mittit, quia Chriſtus infernum momordit, & inde ſumptos in Paradiſum miſit. Diaconus calicem tenet, dum Papa ſanguinem ſumit, ſignificans Angelum, qui Chriſto ſurgente lapidem de monumento tulit. Communicato ſacerdote mox calix de altari tollitur, quia Chriſtus reſurgens vltra non moritur, & corpus eius in ſepulchro non inuenitur. Diaconus ſanguinem diſtribuit: quia Angelus reſurrectionem Domini innotuit. Subdiaconus corpus Domini accipit à Diacono, & fert Presbyteris frangendum populo; deſignans quòd mulieres verba de reſurrectione Chriſti ab Angelo perceperunt, & Apoſtolis detulerunt: ipſique omni populo prædicando diſtribuerunt. Cum Apoſtolicus ab altari deſcendit, populis communicat; quia cum Chriſto ab ara crucis deſcendens à morte reſurgit, populus æterna gloria participat. Epiſcopus oblatam frangit: quia Dominus panem in Emaus diſcipulis fregit. (Lucæ 24.) In tres partes oblatam diuidit, vna ſibi retenta, duas Diacono & Subdiacono tribuit, quia Dominus fracto pane vnam partem ſibi, duas Cleophæ & Lucæ diuiſit.

CAPVT LXIV.

De tribus partibus Oblatæ.

OBlata non integra ſumitur, ſed in tria diuiditur, vnum in calicem mittitur, aliud a ſacerdote conſumitur, tertium in pixidem morituris ad viaticum reponitur: quia corpus Domini eſt triforme. Illud quod de Maria ſumptum, à morte reſurgens cœlos penetrauit; & illud quod adhuc in electis in terra laborat; & illud quod in ſepulchris iam pauſat. Pars in calicem Miſſa, eſt corpus Domini iam ſumptum in gloria, pars à ſacerdote veluti Apoſtolo comeſta, eſt corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, adhuc laborans in terra. Pars in altari relicta, eſt corpus Domini in ſepulchris quieſcens, id eſt, Eccleſia in Chriſto mortua per vnionem corporis Chriſti reſurrectura.

CAPVT LXV.

De tribus Communicationibus.

(Luc. 24. 32.) PRimitus Epiſcopus communicat, quia Chriſtus coram Apoſtolis partem piſcis aſſi & fauum mellis manducauit, & reliquias eis dedit. Deinde minuſtri communicant: quia Dominus cum diſcipulis ad mare Tyberiadis prandebat. Poſt hoc populus communicat: quia Dominus aſcenſurus cum multitudine diſcipulorum comedit. Corporale plicatur: quia ſudarium inuolutum inuenitur. *Agnus Dei*, & cantus in communione, ſignificat lætitiam fidelium de Chriſti reſurrectione. Oratio quam poſtea Epiſcopus dicit, eſt benedictio qua Dominus aſcenſurus fideles benedixit. Diaconus ſe ad populum vertit, *Ite, Miſſa eſt* dicit: ſignificans Angelos, qui Apoſtolos alloquentes eos abire iuſſerunt, atque eis Chriſtum ad iudicium rediturum prædixerant. Clerus (*Deo gratias*) reſpondet & populus abit, quia credentes vna aſcenſione Chriſti gratias egerunt. In Hieruſalem abierunt, in templo quotidie Dominum benedixerunt. Benedictio quam Papa, vel ſacerdos poſt Miſſam ſuper populum facit, eſt ſpiritualis benedictio, quam Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes fidelibus attulit: quando credentes omni benedictione ſpirituali repleuit. Et illam vltimam benedictionem exprimit, per quam Eccleſia thalamum ſponſi ſui intrabit. His peractis Epiſcopus ad propria regreditur, quia & Chriſtus legatione ſua peracta in gloriam patris reuertitur. Sic Eccleſia, omnibus adhuc agendis hîc peractis, ab hoc exilio per Chriſtum eripitur, & in cœleſtem Hieruſalem inducetur. Corporale in altari remanet, quia munditia caſtitatis in ſacerdotibus permanere debet. Per altare quoque Chriſtus, per corporale Eccleſia deſignatur; quæ hic & in futuro perenniter in Chriſto permanere affirmatur.

CAPVT LXVI.

De Dominico pane.

FErtur quod olim Sacerdotes è ſingulis domibus vel familiis farinam accipiebant. Quòd adhuc Græci ſeruant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuebant. Nam ſinguli farinam offerentium Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur (*omnium circumſtantium qui tibi hoc ſacrificium laudis offerunt.*) Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur propter carnales, ſtatutum eſt vt qui poſſent ſingulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel ſummis feſtiuitatibus, vel ter in anno communicarent: Ne ante confeſſionem, & pœnitentiam, pro aliquo crimine iudicium ſibi ſumerent. Et quia populo non communicante, non erat neceſſe panem tam magnum fieri. Statutum eſt eum in modum denarij formari vel fieri, & vt populus pro oblatione farinæ denarios offerrent, pro quibus traditum Dominum cognoſcerent, qui tamen denarij in vſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti, cederent, vel in aliquid quod ad hoc ſacrificium pertineret.

CAPVT LXVII.

De oratione ſuper populum.

STatutum eſt vt panis poſt Miſſam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur, hoc & eulogia dicebatur. Sed quia hoc in quadrageſima fieri non licuit, orationem ſuper populum dici Eccleſia inſtituit, vt per hanc particeps communionis ſit.

CAPVT LXVIII.

De Proceſſione.

NVnc vt legentium, vel audientium mentibus quiddam dulcedinis infundamus, aliquid de *Proceſſione* dicamus. In Miſſa quidem agebatur Chriſti pro nobis in mundum legatio: in proceſſione agitur noſtra ad patriam reuerſio. Pro Proceſſionis itaque ſolemnitate, imitatur Eccleſia populi Dei de Ægypto egredientis iucunditatem. Qui ſignis & prodigiis liberatus ad montem Sinay peruenit; ibi accepta lege & facto tabernaculo quaſi quadam proceſſione ad terram promiſſionis tetendit. Populus namque armatus incedebat per turmas, & ſigna & vexilla ante ferebant, leuitæ tabernaculum gerebant, ſacerdotes tubis clangebant. Arca fœderis à ſacerdotibus portabatur, & Aaron ſummus ſacerdos decoratus, & Moyſes dux populi ſequebatur cum virga. (Exod. 17. 8.) Quibus in via Amalech cum exercitu occurrit, iter armis obſtruere voluit. Cum quo Ieſus pugnans victor extitit, populo iter ad patriam aperuit. Qui Ieſus normam nobis proceſſionis dedit, quando cum Arca omnique populo Iericho circuiuit, ſacerdotalis ordo tubis cecinit, populus clamore perſonuit. Hiericho corruit, & victor populus regnum obtinuit.

CAPVT LXIX.

Significatio proceſſionum.

POpulus à Pharaone per Moyſen ereptus, eſt Chriſtianus populus à diabolo per Chriſtum redemptus. Tabulæ teſtamenti à monte accipiuntur, & libri Euangelij ab altari ad portandum ſumuntur, populus ibat armatus, & populus Chriſtianus vadit fide & baptiſmate ſignatus. Præ turmis illorum ſigna ferebantur; & ante nos cruces & vexilla portantur. Eos columna ignis præceſſit, & nos candelæ lumen præcedit. Ille populus ſanguine aſpergebatur, iſte aqua benedicta aſpergitur, leuitæ tabernaculum fœderis portauerunt, & hîc Diaconi, &

Subdiaconi

A Subdiaconi plenaria & capſas gerunt. Arca teſtamenti à ſacerdotibus portabatur; & ſcrinium vel feretrum cum reliquiis à patribus portatur. Aaron ſummus ſacerdos ſequitur ornatus, & apud nos Epiſcopus, ſummus ſcilicet ſacerdos ſequitur infulatus. Rex ſi adeſt cum ſceptro rector populi, ſignificat Moyſen cum virga ductorem populi. Si rex non adeſt, tunc Pontifex vtrumque exprimit, Moyſen, baculum portando; Aaron, mitra caput velando. Clangor tubarum exprimitur per ſonum campanarum.

CAPVT LXX.

Quid deſignat proceſſio ad aliam Eccleſiam facta de patria.

DVm ad aliam Eccleſiam proceſſionem facimus, quaſi ad terram repromiſſionis tendimus. Cum Eccleſiam cantantes intramus, quaſi ad patriam gaudentes peruenimus. Cum circa monaſterium ſcrinium, vel feretrum cum cantu & compulſatione ferimus, quaſi cum B Arca Hiericho cum ſono tubarum, & clamore populi circuimus Hiericho coram nobis corruit, cum mundi concupiſcentia in cordibus noſtris aruerit. Ideo quippe crucem præcedentem ſequimur, quia Chriſtum crucifixum in omnibus ſequi præcipimur, & nullus ad eum peruenire poterit, niſi qui ſe mundo vitiis & concupiſcentiis crucifixerit.

CAPVT LXXI.

De Arca.

DAuid quoque, & Salomon ad proceſſionem nos informauerunt, qui Arcam Dei hymnis, & canticis produxerunt, & Dauid in tabernaculum, Salomon in templum ſub alis Cherubin repoſuerunt. Cum Eccleſiam cum ſcrinio intramus, quaſi Arcam in templum cum gaudio portamus, & cum Chriſto atque Eccleſia (quod vtrumque Arca deſignat) cæleſtem aulam nos intraturos clamamus. Arca ſub alas Cherubin ponitur, & à popu- C lo laus concinitur, quia Chriſti humanitas inter ſummos ordines Angelorum Cherubin & Seraphin locabitur. Et à turba Angelorum & hominum perenni iubilo adorabitur.

CAPVT LXXII.

De pugna Chriſtianorum ſpirituali.

MIſſa quoque imitatur cuiuſdam pugnæ conflictum, & victoriæ triumphum, qua hoſtis noſter Amalech proſternitur, & via nobis ad patriam per Ieſum panditur. Ieſus quippe imperator noſter, cum diabolo pugnauit, & cæleſtem rempublicam ab hoſtibus deſtructam hominibus reparauit: qui cum poſſet producere duodecim legiones Angelorum, vel ſeptuagintaduo millia militum, inſtruxit tantum agmen duodecim Apoſtolorum, & expugnauit ſ. ptuagintaduo genera linguarum. (Matt. 26. 53.)

Pontificis namque, & cleri, populique proceſſio, eſt quaſi imperatoris, & cuiuſdam exercitus ad bellum pro- D greſſio. Hi cum ſubtus albis, & deſuper cappis, vel aliis ſolemnibus veſtibus induuntur, quaſi milites pugnaturi ſubtus loricis, deſuper clypeis muniuntur. Cum de choro exeunt, quaſi de regia curia procedunt. Quaſi imperiale ſignum & vexilla à ſigniferis ante feruntur, cum ante nos crux & vexilla geruntur. Quaſi duo exercitus ſequuntur, dum hinc inde ordinatim cantantes gradiuntur. Inter quos vadunt magiſtri & præcentores, quaſi cohortium ductores ac belli incitatores. Sequuntur priores, quaſi exercitus duces atque agminum ordinatores.

CAPVT LXXIII.

Quod Epiſcopus ſpiritualiter agat vicem Imperatoris.

PRocedit Pontifex cum baculo, quaſi imperator cum ſceptro. Ante pontificem portantur ſancta, ſicut ante regem imperialia. Ante Archiepiſcopum crux portatur, E ſicut & ante imperatorem geſtatur: Qui pallio decoratur, ſicut rex corona perornatur. Comitatur turba plebis, quaſi exercitus pedeſtris. Cum de baſilica procedunt quaſi de regia vrbe turmæ prorumpunt. Cum ad aliam Eccleſiam procedimus, quaſi ad caſtellum expugnandum pergimus: Quod cum cantu intrabimus, quaſi in dedicationem accipimus & inde auxiliarios nobis accimus: Cum vero ad monaſterium redimus, quaſi ad locum certaminis tendimus. Scrinium cum reliquiis portamus contra dæmones, ſicut filij Iſraël portauerunt Arcam Dei contra Philiſtiim hoſtes. Cum Eccleſiam intramus, quaſi ad ſtationem peruenimus. Cum campanæ ſonantur, quaſi per claſſica milites ad prælium incitantur. Quaſi vero acies ad pugnam ordinantur, dum vtrimque in choro locantur. Qui crucem cum vexillo coram Archiepiſcopo tenet, eſt ſignifer, qui vexillum coram imperatore in pugna fert.

CAPVT LXXIV.

Quod cantor ſit ſignifer & tubicina.

F CAntor qui cantum inchoat, eſt tubicen qui ſignum ad pugnam dat. Præcentores qui chorum vtrinque regunt, ſunt duces qui agmina ad pugnam inſtruunt. Cantores capita piliolis tegunt, baculos vel tabulas manibus gerunt; quia prælianteſ caput galeis tegunt, armis bellicis ſe protegunt.

CAPVT LXXV.

De bello ſpirituali.

BEllum cum tubarum clangore, & turbarum clamore committitur; & noſtrum ſpirituale bellum cum campanarum compulſatione, & cleri cantatione incipitur. Geritur namque bellum non contra carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. (Ephes. 6. 12.) Quaſi ergo ſtrenui milites pugnant, dum totis viribus vtrimque cantant. Ignea tela concupiſcentiæ G nequiſſimi hoſtes immittunt, quæ fortes viri fortiter ſcuto fidei repellunt, hoſtes vitiorum acriter inſiſtentes gladio verbi Dei proſternunt.

CAPVT LXXVI.

Quod Cantores vicem ducum agant.

CAntores manu & voce alios ad harmoniam incitant, quia & ducere alios manibus pugnando, & voce hortando ad certamen inſtigant. Interim ſtat Pontifex ad altare, & pro laborantibus orationem recitat, ſicut & Moyſes in monte pro pugnantibus orabat. (Exod. 17.)

CAPVT LXXVII.

De cantore quod vicem præconis agat.

LEctor qui Epiſtolam recitat, eſt præco qui edicta Imperatoris per caſtra prædicat. Meliores voces ad Graduale vel Alleluya cantandum eliguntur, & fortiores manu ad duellum producuntur. Iam deficientibus in H cantu, alij ſuccurrunt; ita multum laborantibus in prælio, alij conſtantes corde ſubueniunt. Deinde ſequentiam cum voce & organis iubilant: quia victoriam cum plauſu & cantu celebrant. Diaconus qui Euangelium in alto recitat, eſt præco qui peracto bello agmina diſperſa cum tuba conuocat. Quod Epiſcopus populum exhortando alloquitur, ſignificat quod imperator victores laudando affatur. Quod tunc oblationes offeruntur, ſignificat quod ſpolia victoribus coram Imperatore diuiduntur. Cantus offertorij, eſt laus quam offerunt imperatori.

CAPVT LXXVIII.

De Dauid cum Chriſto, & Golia cum diabolo comparatis.

MVltiplici itaque hoſte, ab Ieſu, qui & Ioſue, ſuperato, & victori populo ob pacis abundantiam

A negligentia reſoluto, rurſus Philiſtæi aduerſus Iſraël conueniunt, crudele bellum indicitur: Ex quibus Golias procedit, duellum petit: Cui Dauid cum paſtorali pera occurrit funda, & lapide eum deiecit, proprio mucrone perfodit. Populus autem liberatus, pro victoria Deo immolat victimam, pro gratiarum actione laudes iubilat. Dauid Hieruſalem venienti turba populorum obuiam fuit, Saluatorem populi hymnis excepit. Sic quoque vitiis à Chriſtiano populo ſuperatis, denuo conſurgit, negligenti animæ acrius bellum infertur. Ex quibus gigas Golias ſcilicet diabolus procedit, duellum petit, dum quemlibet Chriſtianum ad ſingularia vitia allicit. Cui fortis animus cum ſacra Scriptura, vt Dauid * cum mulctro lactis occurrit funda, & lapide, deiecit: dum per humanitatem Chriſti quæ ſitienti populo erat petra, & credentibus populis lapis angularis eum deuincit, proprio enſe proſtratum iugulat, dum hoſtem malignum fragili carne ſuperat.

* 1. Reg. 17. v. 17 eſt, cum ephi polentæ & panibus X.

B

CAPVT LXXIX.

Myſterium.

CVm ergo à ſubdiacono, & aliis ſacrificium inſtituitur, quaſi Dauid à Saul, & populo armis induitur. Cum oblationes ſuper altare ponuntur, quaſi arma Dauid deponuntur. Porro cum pontifex ad altare venit, quaſi Dauid aduerſus Philiſtæum procedit. Per calicem mulctrale accipitur, per corporale funda, per oblatam petra intelligitur. Præfatio quæ cantatur, fuit clamor quo pugil gigas ad duellum prouocabatur, per Canonis deprecationem, intelligimus populi orationem. Sacerdotis inclinatio, eſt fundæ lapide impoſito rotatio. Panis eleuatio, eſt lapidis iactatio. Vbi denuo inclinatur, ſignificat quod hoſtis proſternitur. Vbi autem diaconus ad ſacerdotem venit, & calicem cum eo eleuans deponit, deſignat quòd Dauid ad proſtratum cucurrit, extracto gladio caput abſtulit. Deinde data pace populus cõmunicat: quia accepta per Dauid pace populus Deo ſacrificans participat. Cantus in communione, eſt laus populi pro victoriæ exultatione. Oratio & benedictio quæ ſequitur, eſt trophæum quo Dauid à populo Hieruſalem veniens excipiebatur. His peractis populus ad propria remeat: quia populus tunc poſt victoriam cum gaudio ad propria repedabat.

1. Reg. 17.

C

CAPVT LXXX.

Item de Miſſa & de iudicio.

MIſſa enim quoddam iudicium imitatur, vnde & Canon actio vocatur. Actio autem, eſt cauſa quæ in publico conuentu coram iudicibus agitur: quia in miſſa cauſa populi cum Deo iudice agitur. Cum campana ſonatur, quaſi populus ad placitum per præconem conuocatur. Nempe oratorium, eſt quaſi prætorium in quo iudex Deus pro tribunali ſedere creditur, cui populus reus ſiſtitur. Diabolus eſt accuſator, ſacerdos defenſor. Quia ergo accuſatione diaboli, & reatu populi iudex offenditur, ſacerdos qui cauſam populi ſuſcepit duellum ſubire compellitur, quatenus delatoris fallacia refutetur, populi innocentia comprobetur, iudicis ira placetur. Mox ſpiritualibus armis induitur, cum aduerſario congreditur, & populus anxius eripitur.

D

CAPVT LXXXI.

De pugna Philiſtai.

HOc vt dictum eſt in figura præceſſerat, quando Dauid cum Golia congreſſus populum à tyrannide eius eruerat, quia & Chriſtus cum diabolo duellum ſubierat & populum oppreſſum ab eo eripiebat. Philiſtim namque Iſrael impugnabat, & dæmonum caterua humanum genus vexabat, hoſtes contra populum Dei aciem direxerant, & dæmones contra iuſtos tyrannos incitauerant, hoſtes ſe vallo munierant & dæmones per philoſophos & poetas errores firmauerant. Golias agminibus Dei exprobrabat, & diabolus cultoribus Dei per idololatriã inſultabat. Dauid à patre ſuo ad pugnam mittitur, & Chriſtus à patre in mundum ad certamen dirigitur. Dauid oues pauit, & Chriſtus innocens ad paſcua vitæ congregauit. Dauid vrſum vel leonem ſuperauit, & Chriſtus diabolum ſe tentantem ſuperauit. Dauid ouibus derelictis ad locum certaminis tendit, & Chriſtus à diſcipulis derelictus ad conciliabula hoſtium venit. Veniente Dauid clamor in caſtris oritur, & CHRISTO inter Iudæos veniente clamor (*reus eſt mortis*) exoritur. Dauid à militibus armis Saul induitur, moxque eiſdem exuitur, & Chriſtus à militibus veſtibus Pilati, ſcilicet purpura & clamyde coccinea induitur, moxque eiſdem exuitur. Dauid contra Philiſtæum baculum portauit, & Chriſtus crucem contra diabolum bajulauit. Dauid mulctrum, & Chriſtus accepit vas aceto plenum. Hoſtis funda & lapide proſternitur, & diabolus Chriſti carne vincitur. *Per fundam* quippe, Chriſti caro; per *lapidem*, eius anima, per *Dauid*, deitas intelligitur. Petra itaque de funda excuſſa frontem ſuperbi penetrat: quia anima Chriſti de carne tormentis excuſſa, regnum tyranni penetrans infernum ſpoliat. Proprio enſe victum iugulat, quia per mortem auctorem mortis vicit. Reuerſo Dauid populus lætatur, & Chriſto ab inferis regreſſo populus fidelium congratulatur. Dauid Ieruſalem veniens à turbis cum cantu excipitur, & Chriſtus ab Ieruſalem cælos aſcenſurus ab Angelis hymnologis laudibus ſuſcipitur.

1. Reg. 17.

E

1. Reg.

1. Reg. 17.

F

CAPVT LXXXII.

De armis ſacerdotis.

SAcerdos itaque pugil noſter cum hoſte populi congreſſurus, armis munitur ſpiritualibus, quia pugnaturus eſt contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Denique ſandaliis ſe pro ocreis induit, caput humerali pro galea tegit, totum corpus alba pro lorica veſtit. Cum ſtolam collo circumdat, quaſi haſtam ad reſiſtendum vibrat. Cingulo pro arcu ſe cingit, ſub-cingulum pro pharetra ſibi appendit. Caſula pro clypeo protegitur, manipulo pro pugili claua vtitur. Porro libro, in quo eſt verbum Dei, pro gladio armatur, per confeſſionem diaboli Domino renunciatur, ſicque hoſtis ad ſingulare certamen prouocatur, quaſi enim totis viribus pugnat, dum cantum & orationes & reliqua contra diabolum recitat. Dum ad Euangelium caſulam ſuper humerum projicit, quaſi gladium arripit. Dum legitur Euangelium quaſi enſe petit diabolum.

Epheſ. 6. 12.

G

CAPVT LXXXIII.

De tragœdiis.

SCiendum, quod hi qui Tragœdias in theatris recitabant, actus pugnantium geſtibus populo repræſentabant. Sic tragicus noſter pugnam Chriſti populo Chriſtiano in theatro Eccleſiæ geſtibus ſuis repræſentat, eique victoriam redemptionis ſuæ inculcat. Itaque cum presbyter (*orate*) dicit, Chriſtum pro nobis in agonia poſitum exprimit, cum Apoſtolos orare monuit. Per ſecretum ſilentium, ſignificat Chriſtum velut agnum ſine voce ad victimam ductum. Per manuum expanſionem, deſignat Chriſti in cruce extenſionem. Per cantum præfationis, exprimit clamorem Chriſti in cruce pendentis. Decem namque pſalmos, ſcilicet à (*Deus meus reſpice*) vſque (*in manus tuas commendo ſpiritum meum*) cantauit, & ſic expirauit. Per Canonis ſecretum innuit ſabbati ſilentium. Per pacem, & communicationem, deſignat pacem datam poſt Chriſti reſurrectionem & gaudii communicationem. Confecto Sacramento, pax, & communio populo à Sacerdote datur: quia accuſatore noſtro ab agonotheta noſtro per duellum proſtrato, pax à iudice populo denunciatur, ad conuiuium inuitatur. Deinde ad propria redire cum gaudio per *ite miſſa eſt* imperatur. Qui gratias Deo iubilat & gaudens domum remeat.

H

Chriſtus in Cruce exſpirãs.

A
CAPVT LXXXIV.

Item de Miſſa & de ſeptem Dominus vobiſcum, *ſeptemque donis S. Spiritus, & de myſterio Miſſæ.*

MIſſa legatio dicitur. Totum tempus quo Chriſtus
mundum intrauit vſque quo Eccleſia cœlum in-
trabit, eſt tempus legationis, & tunc Chriſti legatio fi-
nietur, cum ſponſa Chriſti ab iſta Babylonia, in ſupernam
Hieruſalem ducetur. Quod tempus ſeptem interſtitiis
diſtinguitur, ſignificat quod legatio ſeptem donis Spiri-
tus ſancti perficitur. Vnde & ad miſſam ſeptem vicibus
(*Dominus vobiſcum*) dicitur: quia myſterium Miſſæ
1. ſeptem donis Spiritus ſancti peragitur. Primo poſt in-
troitum (*Dominus vobiſcum*) dicitur. *Introitus* ſignificat
ingreſſum Chriſti in hunc mundum, quo ſua Incarnatio-
ne ſaluauit genus humanum. *Cantus*, enim introitus, eſt
gaudium, & Angelorum, & hominum, quod in eius na-
tiuitate habuerunt. Primum donum Spiritus ſancti eſt *ſa-*
B *pientia*: quando Dei ſapientia venit Incarnata. *Oratio*
quæ ſequitur, ſignificat noſtram reconciliationem per
eum, *Lectio* autem ſignificat doctrinam vel exemplum,
quod præbuit in baptiſmate. *Graduale*, ieiunium vel
tentationem eius, *Alleluia* miniſterium Angelorum quo
2. miniſtrabant ei. Secundo dicitur (*Dominus vobiſcum*)
ante Euangelium quo mundum ſaluauit ſua prædicatio-
ne: Euangelium enim ſignificat tempus prædicationis
Chriſti. Secundum donum eſt ſpiritus *intellectus*: quia
3. tunc docuit homines intelligere ſpiritualia. Tertio dici-
tur ante offertorium (*Dominus vobiſcum*) eſt illud tem-
pus quo iuit Hieroſolymam pati, & ſaluauit turbam ſibi
cum palmis obuiam. *Cantus* offertorij, ſignificat laudem
C illius populi. Vnde & in eadem ſignificatione ſolet adhuc
populus ad offertorium ſacrificare. Tertium donum eſt
ſpiritus *conſilij*; quia tunc conſilium Dei aperuit propter
quod venit, ſcilicet homines redimere ſua paſſione. *Si-
lentium* quod ſequitur eſt illud tempus quo Chriſtus in
Hieruſalem vſque ad paſſionem, quæ ſexta die ſtatim
4. contigit, quaſi Paſchæ agnus incluſus manſit. Quarto di-
citur (*Dominus vobiſcum*) in præfatione expanſis mani-
bus, ſignificat illud tempus quo Chriſtus pependit in
cruce extenſus. Quartum donum eſt ſpiritus *fortitudinis*,
quia tunc expugnauit diabolum. Quod præfatio alta
voce dicitur, ſignificat decem pſalmos quos ipſe in cru-
Sup. c. 83. ce clamauit ſcilicet à (*Deus Deus meus reſpice*) vſque
(*in manus tuas commendo ſpiritum meum.*) vel ſignificat
ſtrepitum qui circa crucem fiebat turbatis cœleſtibus,
& terreſtribus. Silentium canonis quod ſequitur, fuit
illud tempus, quod poſt mortem eius ſui in timore &
5. tremore fuerunt abſconditi. Quinto dicitur (*pax vobis*)
pro (*Dominus vobiſcum*) eſt illud tempus quo Chriſtus
D ſurrexit, & ſuos his verbis ſalutauit. Quintum donum eſt
ſpiritus *ſcientiæ*: quia tunc aperuit illis ſenſum vt intel-
ligerent ſcripturas. Cantus qui ſequitur, eſt gaudium quod
6. habuerunt vſque ad eius aſcenſum. Sexto (*Dominus vo-
biſcum*) poſt communionem dicitur, eſt illud tempus,
quo Chriſtus & homines derelinquens, & Angelos ſibi
obuiantes aſcendens ſalutauit. Sextum donum, eſt ſpiri-
tus *pietatis*; quia maxima pietas fuit quod humanam
naturam ſuper aſtra vexit. Oratio quæ ſequitur, eſt hoc
7. quod interpellat patrem nunc pro nobis. Septimum (*Do-
minus vobiſcum*) in fine miſſæ dicitur, ſignificat illud
tempus, quo Chriſtus in fine mundi veniens, ſanctos ſibi
ad iudicium obuiantes ſalutabit. Septimum donum eſt
ſpiritus *timoris*, quia tunc Angeli contremiſcent. Sequi-
Mat. 25. tur (*ite miſſa eſt*) hoc eſt ad ſiniſtros, *Ite maligni in
ignem æternum.* Benedictio vero quæ ſequitur eſt à dex-
tris. *Venite benedicti patris mei.*

CAPVT LXXXV.

Rabanus Maurus de Miſſa.

QVæ celebrantur in officio miſſæ ante lectum Euan-
gelium reſpicientia, ſunt ad primum aduentum
Domini, vſque ad illud tempus quando properabat in Ie-
ruſalem paſſurus. *Introitus* vero, ad chorum prophetarum E
reſpicit: quando, vt Auguſtinus dicit, Moyſes miniſter
fuit veteris teſtamenti, prophetæ noui. *Kyrie eleiſon*, ad
eos prophetas reſpicit qui circa aduentum Domini erant.
Gloria in excelſis, ad cœtum Angelorum, quia gaudium
natiuitatis Chriſti paſtoribus annunciatur. Prima colle-
cta, ad hoc reſpicit quod Dominus circa duodecimum
annum egit, cum in medio doctorum audiens eos & in- Luc. 2.
terrogans ſedit. Epiſtola ad prædicationem Ioannis per-
tinet. *Reſponſorium* ad beneuolentiam Apoſtolorum,
quod vocati à Domino, ſecuti ad ſuam prædicationem
vſque ad prædictum tempus. Deinceps vero quod agi-
tur in officio Miſſæ ad illud tempus reſpicit, quod eſt
à Dominica quando pueri obuiauerunt ei, vſque ad Aſ-
cenſionem eius ſiue Pentecoſten. Oratio vero quam
presbyter dicit à (*Secreta*) vſque (*Nobis quoque*,) hanc
orationem deſignat, quam Ieſus exercebat in monte
Oliueti. Illud quod ſequitur, ſignificat tempus, quando
Dominus in ſepulchro iacuit. Et quando panis in vinum
mittitur, animam Domini ad corpus redire demonſtrat. F
Quod poſtea celebratur, ſignificat illas ſalutationes
quas Chriſtus fecit diſcipulis ſuis. Fractio oblatarum,
illam ſignificat fractionem quam duobus fecit Dominus
in Emaus. Luc.

CAPVT LXXXVI.

Nunc dicendum vnde miſſa exordium ſumpſerit & quis eam auxerit: item de Miſſa.

MIſſam in primis Dominus Ieſus, ſacerdos ſecun-
dum ordinem Melchiſedech, inſtituit, quando ex
pane & vino corpus & ſanguinem ſuum fecit, & in me-
moriam ſui, ſuis celebrare hæc præcepit, hanc Apoſtoli G
auxerunt, dum ſuper panem & vinum verba quæ Do- Act. 2.
minus dixit, & dominicam orationem dixerunt. Deinde 46.
ſucceſſores illorum Epiſtolas, & Euangelia legi ſtatue-
runt, alij cantum, & alij alia adiecerunt, qui decorem
domus Domini dilexerunt. Pſ. 25. 8.

CAPVT LXXXVII.

De introitu ceteriſque Miſſæ partibus à quibus primum ſint inſtituta.

CÆleſtinus itaque papa pſalmos ad introitum miſſæ
cantari inſtituit: De quibus Gregorius Papa poſtea
Antiphonas ad introitum miſſæ modulando compoſuit.
Vnde adhuc primus verſus eiuſdem Pſalmi ad introitum
cantatur, qui olim totus ad introitum cantabatur. *Glo-
ria Patri*, Nicæna Synodus compoſuit, Sed Damaſus
Papa ad Miſſam cantari inſtituit. *Gloria in excelſis Deo*,
quod Angelicus chorus in primis cecinit. Sed Hilarius
Epiſcopus Pictauienſis ab illo loco (*Laudamus te*) vſque H
in finem compoſuit: Teleſphorus autem Papa ad Miſ-
ſam cantari conſtituit. Symmachus vero Papa in feſtis
tantum cantari ſtatuit. *Dominus vobiſcum*, de veteri te-
ſtamento, ſcilicet de libro Ruth, eſt ſumptum. *Pax vobis*,
de nouo, id eſt, de Euangelio, eſt acceptum. *Et cum ſpi-
ritu tuo*, de Epiſtolis Pauli. *Amen*, vero de Apocalypſi.
Quæ Apoſtolicus ordo tradente Domino dici docuit, &
Clemens Papa, vel Anacletus Papa ad Miſſam dici con-
ſtituit. *Orationes* Ambroſius Epiſcopus conſtituit. Sed
Gelaſius Papa auxit, & ad Miſſam dici inſtituit.

CAPVT LXXXVIII.

De Epiſtola & Euangelio.

E*Piſtolam & Euangelium* Alexander Papa legi ad Miſ-
ſam conſtituit. Hieronymus autem presbyter *Lectio-
narium*, & Euangeliarium vt hodie habet Eccleſia colle-
git. Sed Damaſus Papa, vt nunc moris eſt, legi cenſuit.
Graduale, & Alleluia Ambroſius compoſuit: Sed Grego-
rius Papa ad Miſſam cãtari inſtituit. Qui etiam in feſtiuis
diebus *neumam*, quæ iubilum dicitur iubilare ſtatuit. Sed
Abbas Nokkerus de ſancto Gallo ſequentias pro *neumis* *Nokerus*
compoſuit: Quas Nicolaus Papa ad Miſſam cantari *Abbas.*

A *alîîs Norgerus S. Galli Monachus.*

conceſſit. Anaſtaſius Papa decreuit vt dum Euangelium legitur nullus ſedeat. *Credo in vnum Deum*, Conſtantinopolitana Synodus compoſuit: Sed Damaſus Papa ad Miſſam cantari inſtituit. Offertorium Gregorius Papa compoſuit & ad Miſſam cantari ſtatuit.

CAPVT LXXXIX.

De veſtibus & calicibus.

APoſtoli, & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus, & ligneis calicibus Miſſas celebrauerunt: Sed Clemens, tradente Petro Apoſtolo, vſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit: Et Stephanus Papa in ſacris veſtibus Miſſas celebrari conſtituit. Zepherinus autem Papa vitreis; Vrbanus vero Papa & Martyr aureis, vel argenteis calicibus, & patenis offerri inſtituit. Alexander Papa panem & vinum tantum offerri ſtatuit, ſicut & Dominus inſtituit, & aquam admiſceri cenſuit, ſicut & Apoſtolica traditio docuit. Sylueſter Papa lineo corporali offerri ſtatuit, ſicut & Ioſeph Dominicum corpus in ſindonem mundam inuoluit. *Orate pro me peccatore*, Leo Papa dici ſtatuit. Hic & præfationes compoſuit. *Surſum corda*, de Ieremia. *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, de Apoſtolo eſt ſumptum. Præfationes Dionyſius Ariopagita putatur compoſuiſſe. Sed Gelaſius Papa ad Miſſam cantari inſtituit, *ſanctus, ſanctus, ſanctus.* Sixtus Papa dimidium de Iſaia, dimidium de Euangelio compoſuit & ad Miſſam cantari ſtatuit.

B *Matt. 27. Luc. 23.*

Dionyſius Areopagita.

CAPVT XC.

De Canone.

CAnonem Gelaſius Papa compoſuit. Sed Gregorius Papa Capitulum, *dieſque noſtros* intermiſcuit. Leo Papa (*ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*) appoſuit. *Pater noſter*, Dominus quidem docuit ſed Matthæus compoſuit: Gregorius vero Papa ad Miſſam cantari cenſuit, ſicut Apoſtolica doctrina tradidit. Hic etiam præcedens capitulum, *Oremus præceptis ſalutaribus moniti*, & ſequens, *libera nos Domine* addidit. Benedictionem Epiſcopalem, Martialis Epiſcopus, Apoſtolorum diſcipulus, ex magiſterio Apoſtolorum tradidit, quorum proprium ſtudium Dei ſeruitium auxit: Ambroſius dicere cœpit, Moſque ex eo vſque conualuit. Apoſtolicus autem hanc tantum quæ finita Miſſa dicitur dicit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*: Innocentius Papa dici conſtituit, & pacem dari conſtituit. *Agnus Dei* Sergius Papa compoſuit, & ad Miſſam cantari inſtituit. Iulius Papa intinctionem coporis Domini in ſanguinem prohibuit, & Gelaſius Papa illum excommunicauit qui corpus Domini acceperit & ſanguinem non ſumpſerit. *Communionem* Gregorius Papa compoſuit, & ad Miſſam cantari inſtituit. *Ite Miſſa eſt*, de veteri teſtamento ſumptum eſt, vt ſcilicet Pharao populum de Ægypto ire iuſſit, ſiue vbi Cyrus populum à Babylonia ire præcepit. Sciendum quod ab hoc, *Ite Miſſa eſt*, nomen accepit. *Benedicamus Domino*, acceptum eſt de pſalterio. *Deo gratias* de Apoſtolo, ſed hæc dici conſtituit Papa Leo. Ex his omnibus Gregorius Papa Miſſam ordinaſſe traditur, vt hodie per Eccleſiam traditur.

C *Martialis Epiſc. Lemouicenſis.*

D

CAPVT XCI.

De Miſſa officiorum nominibus.

HIs ſubnectendum vnde ſingula dicuntur. *Officium* quaſi efficium dicitur. *Miſſa* quaſi tranſmiſſio dicitur: Quia in hoc officio Katechumini, excommunicati, pœnitentes, foris Eccleſiam mittuntur. *Introitus*, ab introitu Sacerdotis dicitur, eo quod Sacerdote ad altare introeunte, à choro canitur. Introitum ideo canimus, quia Chriſtum in Sacerdote nos ſuſcipere ſignificamus. *Gloria Patri* ideo canimus, quia Trinitatem nos adorare innoteſcimus.

CAPVT XCII.

De Kyrie eleiſon.

E

KYrie eleyſon dicitur Domine miſerere; *Chriſte eleyſon* dicitur Chriſte miſerere; *ymas*, nobis. Hoc ideo Græcè canitur, quia Miſſa tribus linguis, *Hebraïca, Græca, & Latina* cantari præcipitur; ſicut & titulus in paſſione Domini ſcriptus fuiſſe legitur: Hebraïcum quippe eſt *alleluia, oſanna, & amen*: Græcum vero *Kyrie eleyſon & Chriſte eleyſon*: Latinum reliquum officium. *Kyrie eleyſon* ter ideo dicitur: quia Trinitas adoratur, quæ à prioribus ante diluuium, à Patriarchis ante legem, à Prophetis ſub lege veneratur. *Chriſte eleyſon* ideo ter cantatur: quia Chriſtus in Patre & Spiritu ſancto adoratur, qui Patris voluntate, Spiritu ſancto cooperante, ſalutem noſtram operatur. Item *Kyrie eleyſon* ter repetitur, quia pater filius & Spiritus ſanctus, ab Angelis, à ſpiritibus iuſtorum, ab hominibus colitur. Ideo & *Kyrie eleyſon* cantatur, vt ſubſequens oratio Sacerdotis exaudiatur.

F

CAPVT XCIII.

Quid Gloria in excelſis.

GLoria in excelſis ſolus Sacerdos incipit, & chorus ſimul concinit, quia & ſolus Angelus hoc incœpit, & militia cœleſtis exercitus ſimul concinuit. Quod dum incipit ab Orientem ſe conuertit: quia Angelicus chorus hæc ad Orientem Bethleem apud turrim *Adiezer* cecinit. Per *pax vobiſcum*, vel *Dominus vobiſcum*, populum ſalutat, ſicut Dominus ingreſſu ſuo mundum ſalutauit. Presbyter cum ſalutatione veteris teſtamenti, & Epiſcopus cum ſalutatione noui Teſtamenti ſalutat populum: quia dignius eſt nouum quam vetus Teſtamentum. Populus autem Dominum *cum ſpiritu* eius eſſe orat, vt cum ſpiritu & mente orare admoneat. Ore orat, qui tantum verba pronuntiat. Ore & ſpiritu orat, qui verba per interpretationem diſcernit, quæ ore pronuntiat. Spiritu & mente orat, qui verba quæ dicit, Domini & cœleſtia intendit. Non *oro* ſed *Oremus* dicit, quia vocem totius Eccleſiæ exprimit.

Luc. 2. 14

G

CAPVT XCIV.

De Oratione.

ORatio ab orando vocatur: quia in ea populo & corporis & animæ præſentia & futura bona orantur. *Collecta* ideo dicitur: quia ſub ea populus in vnum colligitur. Hæc eſt autem differentia inter *orationem*, & *collectam*: quod hæc *oratio* vocatur, quod ad Miſſam dicitur: hæc autem *collecta*, quod ad proceſſionem in ſtatione ſuper populum dicitur. Hæc & *Miſſa* dicitur: quia in ea oratio populi per Sacerdotem ad Dominum mittitur: hanc in dextra parte altaris ideo dicimus: quia cum dextris in iudicio ſtatui oramus. Omnes orationes ad Deum Patrem dirigimus, & *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Spiritu ſancto* concludimus, quia cuncta iuſtè petita à patre per filium in vnitate Spiritus ſancti dari credimus. *Per eum qui venturus eſt*, non niſi in exorciſmis dicimus, in quibus diabolum per venturum iudicium adiuramus.

H

CAPVT XCV.

De ſitu orationis. Tribus de cauſis ad orientem cum oramus nos vertimus.

VNa eſt, quia in Oriente eſt patria noſtra, ſcilicet 1.
paradiſus, vnde expulſos nos dolemus. Orantes er-
go contra paradiſum nos vertimus, quia reditum illius 2.
petimus. Alia eſt, quia in Oriente ſurgit corpus cæli &
lux diei. Ad Orientem itaque nos vertimus, quia Chri-
ſtum, qui eſt oriens & lux vera, nos adorare ſignifica-
mus, cuius debemus eſſe cæli, vt eius lux in nobis velit
oriri. Tertia eſt, quia in oriente ſol oritur, per quem 3.

Digitized by Google

A Chriſtus ſol iuſtitiæ exprimitur. Ab hoc promiſſum habemus, quod in reſurrectione vt ſol fulgeamus. In oratione ergo contra ortum ſolis vertimus nos, vt ſolem Angelorum nos adorare intelligamus, & vt ad memoriam noſtræ gloriam reſurrectionis reuocemus, cum Solem, quem in Occidente quaſi mori conſpeximus, tanta gloria reſurgere in Oriente videmus.

CAPVT XCVI.

Quid Epiſtola.

L*Ectio* dicitur à legendo, *Epiſtola* dicitur quaſi *Miſſa*. Epiſtello, & *ſtello* dicitur mitto: quia ſicut prophetiæ ſuper legem, ita epiſtolæ Miſſæ ſunt ſuper Euangelium. Hanc ideo legimus, quia viam nobis per eam ad Chriſtum facimus. *Graduale* à gradibus dicitur, quia in gradibus canitur. Hoc etiam *reſponſum* vocatur, quia choro cantante ab vno verſus reſpondetur, & illo verſum B cantante, à choro reſpondetur. *Verſus* ideo dicitur, quia ad inceptionem reuertitur. *Alleluia* dicitur laudate Dominum. *Alleluia laudate*, in decem Dei nominibus vnum ponitur, quod *Dominus* dicitur. Huius cantus *verſus* ideo dicitur, quia iterum ad *alleluia* reuertitur. *Sequentia* ideo dicitur, quia neumam iubili ſequitur. *Tractus* à trahẽdo dicitur, quia trahendo, id eſt, tractim canitur. *Graduale* ideo cantamus, quia de virtute in virtutem gradatim ire debemus. *Alleluia* ideo canimus, quia ad gaudium Angelorum tendimus. *Sequentia* ideo iubilamus, quia faciem Domini in iubilo videbimus. *Tractum* ideo canimus, quia per laborem illuc perueniemus. *Euangelium* ideo legimus, quia per eius doctrinam gaudia percepturi ſumus.

CAPVT XCVII.

De Euangelio.

E*Vangelium* dicitur bonum nuncium. Eu bonum, C angelon dicitur *nuncium*. Nuncium enim vitam poſt mortem, requiem poſt laborem, regnum poſt ſeruitium. *Sequentia* ideo dicitur, quia præcedentia nuncij ſequuntur. Ideo & *initium Euangelij* dicitur, quia ibi liber Euangelij incipitur. Vbi poſt Euangelium *oremus* dicitur, apud Græcos *oratio* ſequitur. *Offertorium* dicitur quaſi offerentium canticum. Hoc ideo cantamus, quia nos ipſos in ſacrificium Deo offerre debemus. Sacerdotes *lauant manus*, id eſt, opera per lacrymas compunctionis. Hic liber in ſiniſtra parte ponitur, vt expeditior ad ſuſcipiendum ſacrificium reddatur. Et quia per ſiniſtram triſtitia deſignatur, quæ tunc in paſſione Chriſti repræſentatur.

CAPVT XCVIII.

De Sacrificio.

S*Acrificium* quaſi ſacrum factum. *Immolatio* dicitur, quia in mola altaris terebatur. *Hoſtia* dicitur, quia D ante oſtium ad pugnam offerebatur. *Victima* dicitur, quia pro victoria ſacrificabatur. *Holocauſtum* totum incenſum dicitur. Totum enim in altari incendebatur. *Sacramentum* dicitur quaſi ſacrum iuramentum. *Secreta* dicitur, quia ſecreto dicitur. Cum ſacrificium ſuper crucem in altari cum ſchiſmate à Pontifice factum ponitur, quaſi corpus Chriſti cruci affigitur.

CAPVT XCIX.

De Sacrificio panis & vini.

P*An* omne dicitur. Ideo hic offertur, quia omnis ſalus animæ & corporis in eo percipitur. *Vinum* quaſi à vite natum dicitur. Hoc ideo offertur, vt ſicut palmites viti, ita Chriſto inſeramur. *Aqua* ab æqualitate dicitur, hæc ideo ſacrificio admiſcetur, vt ex aqua renati fonte vitæ ſatiemur, & Angelis coæquemur. *Per omnia ſecula ſeculorum* dicuntur, quia ſe ſequuntur. Aliis enim decedentibus alia ſuccedunt. *Amen* dicitur, verum per hoc totum Sacramentum confirmatur, quia per hoc & ſeculum creatur. E Dicitur enim *fiat*, quo verbo vſus eſt Deus in creatione mundi, quando dixit *Fiat lux*, &c. Ipſe quoque filius Dei *amen* cognominatur, vt in Apocalypſi dicitur, *hæc dicit amen, teſtis fidelis*. (Apoc. 3. 14.) *Dominus vobiſcum* ideo hic dicimus, quia regem cælorum præſentem populo innoteſcimus. *Surſum corda* ideo dicimus, quia Angelorum exercitum aduentare non dubitamus, Huic enim ſacrificio aderunt, & noſtra vota ſuſcipientes ad Dominum perferunt. *Gratias agamus Domino Deo noſtro* ideo dicimus, quia ei pro omnibus beneficiis grates reddimus. Nihil autem ſine cauſa rationalis ſignificationis fit in iſto Sacramento.

CAPVT C.

De Alfa & ω & illius Cruce a † ω.

IDeoque & forma huius literæ T & X non ſit abſque magno Sacramento. Significat quippe duas ſubſtan- F tias in Chriſto: Ex vna quidem parte operitur, ex altera tegitur, Ω adnectitur, eſt Chriſti humanitas, quæ à parte matris inchoatur, & diuinitati copulatur per O quod circuloſo orbe vndique clauditur, eſt Chriſti diuinitas, quæ nec initio aperitur, nec in fine terminatur. Apex quoque litteræ in modum crucis † coniungitur: eſt ſancta *crux*, per quam humana diuinis ſociantur.

CAPVT CI.

De præfatione.

P*Ræfatio* dicitur prælocutio ſcilicet ſequentis Canonis. Hæc etiam dicitur *Præparatio*, quia mentes noſtras ad myſterium Chriſti præparat. In hac ideo ordines Angelorum commemoramus, quia frequentiam ſupernorum ciuium adeſſe demonſtramus *Maieſtas* dicitur quaſi maior poteſtas. *Cælum* * dicitur quaſi *caſa elios*, id eſt ſolis. *Seraphin* per n, ſunt plures Angeli, *ſeraphim* per m, vnus. G

* Caute hæc lege.

CAPVT CII.

Quare dicatur Sanctus.

S*Anctus* ideo cum Angelis cantamus, quia terrena cæleſtibus coniungi per hoc ſacrificium clamamus. *Sanctus* dicitur * ſanguine tactus vel auctus. *Dominus* dans minus. *Deus* delens ſcelus. *Sabaoth* exercituum, ſcilicet rex exercitus Angelorum. *Oſanna* † dicitur ſaluifica, id eſt, ſalua nos habitans in excelſis.

* imo à ſanctire quaſi ſancitus.
† B. Aug. Interiectionem eſſe ait, velut admirantis.

CAPVT CIII.

De Canone.

C*Anon* dicitur *regula*, quia per eum regulariter fit
Sacramentorum confectio. Hic etiam *actio* dicitur,
quia cauſa populi in eo cum Deo agitur. Hic ob tres
cauſas ſub ſilentio dicitur: Vna eſt, quia cum Deo lo- 1.
quimur, cui non ore, ſed corde clamare præcipimur. H
Ideo autem verba dicimus, vt ſciamus quid intendere
vel petere debeamus: Secunda eſt, ne populus tam pro- 2.
lixa declamatione † attædiatus abſcedat, vel Sacerdos
tam longo clamore voce deficiat. Tertia eſt, ne tam 3.
ſancta verba tanti myſterij vileſcant, dum ea vulgus per
quotidianum vſum ſciens in inconuenientibus locis dicat. Vnde fertur, dum Canon primitus publicè quotidie recitaretur, ab omnibus per vſum ſciretur, *& cum eum paſtores in agro ſuper panem & vinum dicerent, repente carnem & ſanguinem ante ſe inuenirent, atque inde diuinitus percuſſi interirent.* Vnde ſynodali decreto ſub anathemate eſt præceptum, vt nullus Canonem dicat niſi in libro, & in ſacris veſtibus, & niſi ſuper altare, & ſuper ſacrificium, & vt nullus hoc ſacrificium niſi in aureis vel argenteis vaſis offerat, cum hæc omnes habere nequeant; & ideo incongruum non faciunt qui hic in libris crucifixum ideo depingunt, quia per illud paſſio CHRISTI oculis cordis ingeritur.

† pro tædio affectus.

A *Aut litera crucis forma.* * Sup. 100.

T*E igitur*, ideo dicit, quia Dominum quaſi præſentem aſpicit. Ideo autem per literam T incipit, quia hæc formam Crucis † exprimit. *Clemens* dicitur quaſi clara mens, dum homo timet, turbeſcit; dum Dominum propicium ſentit, mens ei clareſcit. *Hæc* † *dona* quantum ad panem, in quo aqua & farina. *Hæc* † *munera* quantum ad vinum, in quo aqua & vinum. *Hæc ſancta* † *ſacrificia* ad vtrumque: *illibata*, id eſt, ſine labe. Agnus enim paſchalis debuit eſſe immaculatus, & abſque macula peccati fuit Chriſtus. *Eccleſia* dicitur conuocatio, quia non timore ſed amore Spiritus ſancti in vnam fidem conuocatur. *Catholica* dicitur vniuerſalis, quia hæc religio per totum mundum ſeruatur. *Papa* dicitur pater patrum. *Orthodoxis* dicitur recte * glorians, ſcilicet in recta fide exiſtens. *Memento Domine famulorum*, hic poſſumus nominare quos volumus. Pro *fidelibus* tantum offertur, ſicut dicitur: *Quorum tibi fides cognita eſt.*

** imo, recte ſentiens in fide.*

B

CAPVT CIV.

De duodecim Apoſtolis & de ſancta Maria.

C*Ommunicantes.* Ideo ſancta Dei genitrix virgo *Maria* hic nominatur, quia hoc ſacrificium de ea mundo generatur. Ideo autem duodecim Apoſtoli nominantur, quia illorum doctrina & ſanguine hæc ſacramenta affirmantur, pro teſtimonio namque huius ſacrificij *Petrus & Andreas & Philippus* ſunt crucifixi, *Paulus & Iacobus, Matthæus & Bartholomæus* decollati, *Iacobus, Simon & Thadæus* enecati, *Ioannes* veneno & exilio excruciatus, *Thomas* transfoſſus.

Apoſtolorū XII. Martyrium.

CAPVT CV.

De duodecim nominibus Martyrum.

D*Einde* duodecim Martyrum nomina recitantur, quorum cruciatu hoc ſacrificium commendatur. Ex quibus quidam ſummi *Pontifices*, quidam *Epiſcopi*, quidam *Diaconi*, quidam *Laici* extiterunt, quia omnis gradus, omneſque ordines huic ſacramento teſtimonium præbuerunt. *Linus* quippe & *Cletus*, *Clemens*, *Sixtus*, *Cornelius*, Romani pontifices, *Cyprianus* Carthaginenſis Archiepiſcopus, *Laurentius* archidiaconus, *Chryſogonus*, *Ioannes & Paulus* Milites, *Coſmas & Damianus* medici fuerunt, qui omnes pro Chriſti noſtri ſacrificio ſanguinem fuderunt.

C

Q*Vam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, Bene* † *dictam* id eſt, materiam hanc terrenam ſicut Adam de terra formatam Spiritu ſancto benedicendo repleas. *Aſ* † *ſcriptam*, id eſt ad formam filij tui ſignatam diuinitati aſſcribas. *Ra* † *tam*, id eſt veritate firmam facias in fide noſtra, *Rationabilem*, próque deuotione noſtra facias *acceptabilem.*

Pridie. id eſt priori die. *Hoc eſt corpus meum.* Sicut Verbo Domini ex nihilò factus eſt mundus, ita per verba Domini hæc ſpecies rerum mutatur vere in Domini corpus.

D

CAPVT CVI.

De Calice.

H*Vnc præclarum calicem.* Idem calix eſt in myſterio, quem Chriſtus in manibus tenuit, quamuis in materia metalli alius ſit. *Æterni teſtamenti.* Teſtamentum illa ſcriptura vocatur, per quam mortui hæreditas viuis confirmatur. *Nouum & æternum teſtamentum*, eſt nobis Chriſti ſanguine ſcriptum, per cuius mortem cæleſte regnum in hæreditate eſt firmatum. *Myſterium* vocatur vbi aliud videtur, & aliud intelligitur. Species panis & vini cernitur corpus Chriſti & ſanguis creditur. *Hoſtiam* † *puram* quantum ad corpus, *Hoſtiam* † *ſanctam* quantum ad ſanguinem, *Hoſtiam* † *immaculatam* ad vtrumque pertinet. Aliter: *Hoſtiam* † *puram*, ſcilicet ab aliis hoſtiis ſeparatam. *Hoſtiam* † *ſanctam* id eſt, nos ſanctificantem. *Hoſtiam* † *immaculatam*, id eſt, à maculis emundantem. *Panem* † *Sanctum vitæ æternæ*, ſcilicet quo paſti æterni efficiamur, *& calicem ſalutis perpetuæ*, videlicet cuius guſtu æternam ſalutem conſequamur. Iuſti Abel. Ideo hic mentio *Abel* fit, quia ipſe hoc ſacrificium ſuo agno prætulit, & ipſe innocens vt Chriſtus occubuit. *Triginta namque annorum occiditur*, ſic Chriſtus triginta annorum crucifigitur. *Sacrificium patriarchæ noſtri Abrahæ.* Patriarcha dicitur ſummus pater. Hic figuram Dei habuit, qui filium ſuum pro nobis, vt ille Iſaac, obtulit. Aries immolatur, & Iſaac euadit; & caro Chriſti pro nobis ſacrificatur, diuinitas vero illæſa exiſtit. *Summus ſacerdos tuus Melchiſedech*, quod ſonat rex iuſtitiæ. Hic ſine patre, ſine matre, aſſimilatur filio Dei, qui in cælis matrem non habuit; in terris patre caruit. Hic *rex iuſtitiæ* exiſtit, quia iuſtos remunerabit, iniuſtos iuſte damnabit. *Melchiſedech* ſacrificium Chriſti pane & vino expreſſit; quæ Chriſtus in ſacramentum corporis & ſanguinis ſui tranſtulit. Ideo in hoc loco horum ſacrificia recitantur, quia protinus per inclinationem ſacerdotis mors Chriſti commemoratur, quæ per hæc præfigurabatur.

E

Gen 14. 18. Hebr. 7. 1.

F

Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli in ſublime altare.) *Angelus* dicitur nuncius. Chriſtus *magni conſilij Angelus* extitit, dum conſilio patris per filium hunc mundum redimi nunciauit. *Sublime altare in conſpectu Dei*, eſt Chriſtus in dextera Dei. Super quod altare Eccleſia hoſtias ſpirituales immolat, & ſuper quod Deus vota fidelium & ſacrificium iuſtitiæ acceptat. Hic Angelus hæc ſacramenta *in ſublime altare* fert, dum interpellans pro nobis vultui Dei apparet. *Qui ex hoc altari ſcilicet* Chriſto *participantur*, *omni benedictione cæleſti & gratia replebuntur.*

Eſa. 9. 6. ſecūdum LXX.

Apoc. 8. 3. 4.

CAPVT CVII.

De nominibus.

M*Emento Domine famulorum.* Hic poteris quoſuis nominare, ſed non in Dominica die. Nomina viuorum in libro ſcribebantur, quæ ad altare infra canonem recitabantur, & hic *liber viuentium* vocabatur. Similiter hic nomina *defunctorum* de libro recitabantur, ſed hoc dominicis diebus intermittebatur, quia à quibuſdam animæ ob reſurrectionem Dominicam requiem habere credebantur. Cum *Apoſtolis & Martyribus*, *cum Ioanne*: Quidam Ioannem *Baptiſtam* volunt intelligi, quidam *Marcum*, * qui & *Ioannes* dictus legitur: qui magis hic intelligitur. Octo Martyres & ſeptem virgines hic ponuntur, quorum ſanguine hoc ſacramentum approbatur, quia per hoc ſacrificium in ſeptem donis Spiritus ſancti ad octo beatitudines peruenitur.

G

* Infr. cap 108.

CAPVT CVIII.

De ordinibus.

D*Iuerſi* ordines & ſexus hic introducuntur, quia per omnes ordines & ſexus hoc Sacramentum confirmatur: Ex Euangeliſtis quippe *Ioannes*, qui & *Marcus* ponitur, qui Alexandriæ præſul & martyr fuit: Ex diaconibus *Stephanus*, qui primus Martyr poſt Chriſtum extitit: Ex Apoſtolis *Matthias*, qui pro Chriſto occubuit: Ex ſeptuaginta duobus diſcipulis *Barnabas*, qui ſe pro Chriſto obtulit: Ex patriarchis *Ignatius*, Antiochenus Epiſcopus: Ex Papis *Alexander* Romanus Pontifex: Ex presbyteris *Marcellinus*: Ex exorciſtis *Petrus*: Ex coniugatis *Felicitas & Perpetua.* Ex virginibus *Agatha* & reliquæ, quæ omnes hoc ſacrificium ſuo ſanguine firmauerunt, & in corpore Chriſti connumerari meruerunt. *Per quem hæc omnia ſemper bona creas*, nos nouam creaturam in Chriſto: *San* † *ctificas* per baptiſmum in ipſo, *Vi* † *uificas* per Spiritum ſanctum in anima, *Bene* † *dicis* ſpeciali benedictione ſiue vltima Benedictione. *Venite benedicti*, *& præſtas nobis* ſcilicet vitam æternam poſt mortem. *Per* † *ipſum* nos creas, *cum* † *ipſo* nos creas, *in* † *ipſo* nos ad vitam reſuſcitas.

H

A Sciendum quod in Canone nulli aliquid dicere, vel adjicere licebit, niſi quod ab Apoſtolicis viris poſitum fuerit. Quod ſi quis præſumpſerit, non deuotioni, ſed præſumptioni aſcribitur. Ideo *Pater noſter* alta voce cantatur, vt communicaturi ante alterutrum offenſas dimittendo per pacem reconcilientur.

CAPVT CIX.

In Orationem Dominicam.

PAter noſter Deus voluit eſſe Dominus Iudæorum, quaſi ſeruorum. *Pater* vero Chriſtianorum, quaſi filiorum. Ideo illos quaſi inutiles ſeruos de domo eiecit, iſtis quaſi filiis hæreditatem tribuit, quos & nunc pane Angelorum, & carne ſaginati vituli paſcit. *Qui es in cœlis*, id eſt in ſanctis. *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen Dei ſanctificatur, cum nos filio eius vnici in regno patris cohæredes aſſumitur. Tunc *regnum* eius *aduenit*, cum Eccleſia regnum eius ad cæleſtia peruenit. *Voluntas eius ſicut in cœlo & in terra* fiet, cum terra caro cæleſte corpus B induet, & homines nihil mali concupiſcent, ſed æquales Angelis erunt. *Panem quotidianum hodie* dat, quando in hoc exilio ſuo corpore nos recreat. *Debita noſtra dimittit*, ſi nobis aliis dimittere poſſe præſtiterit. *In tentationem non inducit*, ſi nos à tentatione liberauerit. *A malo liberabit*, ſi nos à peccato & ab inferno eruerit. Nomen ſanctæ *Mariæ* ideo hic commemoratur, vt per eam à præſentibus & præteritis ac futuris malis liberemur, per cuius partum filij Dei efficimur. Ideo autem tres Apoſtoli nominantur, quia in ore duorum vel trium teſtium omne verbum ſtare affirmatur, & huic Sacramento tres ordines ſcilicet *doctores*, *continentes*, *coniugati*, teſtificantur. Hic poteris nominare de ſanctis quos vis, quia quæque membra Eccleſiæ participant Chriſti Sacramentis.

Matt. 18. 16.

CAPVT CX.

De Pace.

C CVm oſculata patena ſacerdos ſe ſignat, quia per crucem & hoc ſacrificium omnia in cælis & in terris pacificata denunciat. *Pax* dicitur à pacto, quia Deus pactum cum hominibus fecit, quod eis per filium ſuum propitius ſit.

CAPVT CXI.

De Agnus Dei.

CHriſtus ideo *agnus* dicitur, quia ipſe eſt, qui ſecundum legem in paſcha immolabatur, per quem populus à ſeruitute liberabitur. Hunc Ioannes vocauit *agnum Dei qui tolleret peccata mundi.* Ideo in fractione *agnus Dei* cantamus, vt digne carnes huius agni ſumamus. Qui agnus licet ab omni populo totus, & à ſingulis totus ſumatur, tamen totus & integer in cælo permanere non dubitatur, ſacramentum namque, quod ore percipitur, in alimentum corporis redigitur. Virtus autem ſacramenti, qua interior homo ſatiatur, per hanc D vita æterna adipiſcitur. Populus communicaturus tres dies debet ante ab vxoribus abſtinere, & tribus poſtea ab eis vacare. Tot enim diebus populus Dei abſtinuit, quando legem accepit. Ter *agnus Dei* canitur, quia corpus triforme intelligitur: illud quod in cælo reſidet: & quod in terra ambulat: & quod in ſepulchris requieſcit. *Euchariſtia* dicitur bona gratia: *eulogia* bona benedictio: *communio* participatio. Hanc ideo cantamus vt cum iuſtis gratiæ Dei communicemus. *Complendum* ideo dicitur, quia per illud miſſa completur.

Ioan. 1. 29. & 36

Non ſeruatur, caute itaque legito.

Ite miſſa eſt, licentia abeundi. *Deo gratias*, Interiectio gratulandi. His quippe peractis, populus grates Deo reddit, & ad propria redit, ſicut populus Iſraël permiſſu Pharaonis de Ægypto abijt; & grates Deo retulit, quando Cyro præcipiente de Babylonia ad Hieruſalem redijt, & iam gratias Deo egit. Ita nos accepta vltima benedictione ad patriam cæleſtem ibimus, & in gratiarum actione ſemper manebimus. Ideo hymnum trium E puerum ſcilicet *Benedicite*, poſt miſſam cantabimus, quia Dominum pro omnibus beneficiis ſuis benedicimus, quem poſt in ſæculum ſæculi laudabimus. Hunc Toletanum Concilium cantari inſtituit, & hunc negligentes anathemati ſubdidit.

Hymnus benedicite.

Concilium. Toletanum.

CAPVT CXII.

De quatuor ſpeciebus Miſſæ.

MIſſa diuiditur in quatuor ſpecies, ſecundum *obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*: Ab initio Miſſæ vſque ad offertorium ſunt *obſecrationes*: A ſecreta vſque ad Pater noſter ſunt *orationes*: Deinde vſque ad communionem *poſtulationes*: Exinde vſque in finem *gratiarum actiones.*

CAPVT CXIII.

De tribus oris Miſſæ.

F TRibus horis licet Miſſam cantare, ſcilicet, *Tertia, Sexta, & Nona*: In feſtis *tertia*: In priuatis diebus *ſexta*: In Quadrageſima, vel in diebus ieiunij *nona hora.* *Hora tertia* ideo Miſſa cantatur, quia hora tertia Chriſtus ad paſſionem iudicabatur, quando Iudæi *crucifige crucifige* clamauerunt, & milites eum flagellauerunt. *Hora ſexta* ideo Miſſa celebratur, quia hora ſexta Chriſtus pro nobis in cruce immolabatur. *Hora nona* ideo Miſſa canitur, quia hora nona Chriſtus mortem ſubijſſe traditur.

CAPVT CXIV.

Quod vna Miſſa debeat celebrari.

SEmel in die debet Miſſa ab vno ſacerdote celebrari, ſicut & Chriſtus ſemel voluit immolari. Si autem neceſſitas cogit, id eſt, ſi duæ feſtiuitates ſimul occurrunt, duæ vel tres celebrari poterunt, quia & Romani hoc in die *Natalis Domini* faciunt, Et Chriſti paſſio eſt tripartita: Paſſus eſt enim linguis inſultantium, manibus verberantium, clauis crucifigentium. Ipſe enim in G figura à Patriarchis eſt immolatus, ipſe à Prophetis ſacrificatus, ipſe idem à Patre, & à ſeipſo pro nobis immolatus. Legitur tamen de Leone Papa, quod ſæpius vna die ſeptem Miſſas, aliquando nouem celebrauerit. Nullus abſque ſacerdotalibus veſtibus, & his ſingulis, conſecratis, & altari conſecrato Miſſam celebrare debet, & nulli niſi ordinato Epiſtolam vel Euangelium legere licet; ſicut nulli niſi ordinato Miſſam cantare licet. Poſt acceptam lauationem nulli Miſſam vel communicare licebit: quod ſi fecerit graui pœnitentia obnoxius erit.

Leo Papa.

CAPVT CXV.

De Gloria in excelſis Deo.

GLoria in excelſis nunquam niſi ad horam tertiam canitur, qua Spiritus ſanctus ſuper credentes deſcendiſſe, & eos gloria & exultatione repleſſe legitur. In duobus enim ſabbatis Paſchæ & Penteceſtes ad nonam cantatur, quia baptizatis gloria amiſſa redditur. H

CAPVT CXVI.

De vna Oratione in Miſſa vel pluribus.

VNa Oratio regulariter dicitur, ſicut & vna Epiſtola, vel vnum Euangelium legitur. Si autem feſtiuitas in die Dominica occurrerit, *duas* dici licebit, quia & hoc Romana auctoritas in die natalis Domini ad ſecundam Miſſam facit. Interdum *tres* ideo dicimus, quia Dominum ter ante paſſionem oraſſe legimus. Aliquando *quinque* dicimus, quinque partitam paſſionem Domini in hoc officio agimus. Nonnunquam *ſeptem* vſurpamus, propter ſeptem petitiones in Dominica oratione, quas tantum Apoſtolos ſuper hoc ſacramentum dixiſſe cognouimus. Qui hunc numerum ſupergreſſus fuerit, vt cæcus errabit.

A

CAPVT CXVII.

De genuflexione in Quadrageſima.

IN Quadrageſima ideo ad Miſſam *flectamus genua* dicimus, quia corpus & animam in pœnitentia nos humiliare innuimus. Ob tres cauſas autem ad terram cadimus.
1. Vna eſt quod Chriſtum in carne adoramus, quem deſcendiſſe ad terras, & carnem de terra induiſſe ad lauandos nos venerando memoramus:
2. Alia eſt quod ad memoriam reducimus, quia qui in paradiſo cum Angelis ſteτimus, nunc inter bruta animalia iacemus, & animam noſtram corporali mole ad terram deprimi ingemiſcimus.
3. Tertia cauſa hæc eſt, Qui ſtat aliis hominibus coæquatur, qui in terra iacet beſtiis aſſimilatur. Et nos dum in iuſtitia ſtetimus, rationabilibus ſimiles fuimus. Poſtquam vero in carnis deſideria cecidimus, cum beſtiis quaſi irrationales, in luto reperimur. Quia ergo aliis hominibus
B nos diſſimiles in factis cernimus, eis enim ipſo corporis ſtatu æquari erubeſcimus. Et lapſum animæ noſtræ in vitia pœnitendo clamamus, dum corpore ad terram cadi-
Adoratio mus. Et ventrem noſtrum terræ & animam pauimento facimus adhærere, vt per Chriſtum propter nos terram
Gen. 24. factam à terrenis deſideriis valeamus reſurgere. Hic autem ritus ab Abraham exordium ſumpſit, quando in terram proſtratus Dominum adorauit: quem Prophetæ imitati ſunt, qui in terram cadentes Dominum adorauerunt. *Genuum* autem flexio à gentibus eſt ſumpta, quem honorem ipſi regibus exhibuerunt, quos proni vel flexo genu adorauerunt. Nos autem cum Apoſtolo dicimus Deo, Flecto genua mea ad Dominum.

CAPVT CXVIII.

De lumine ad Miſſam.

LVmen Spiritum ſanctum ſignificat, ideo cum lumine Miſſa celebratur, quia hoc Sacramentum per Spiritum ſanctum conſecratur, & dignè hoc percipientes à Spiritu ſancto illuſtrantur; lumen enim lætitiam deſi-
C gnat, quia hoc Sacramentum Miſſæ æternam lætitiam donat; in *credo in vnum Deum* cum *& homo factus eſt* dicimus, genua flectimus, quia Chriſtum hominem factum & pro nobis crucifixum adoramus.

CAPVT CXIX.

De Credo in vnum Deum quando ſit cantandum.

CRedo in vnum Deum in omnibus Dominicis, & feſtis Domini & ſanctæ Crucis canitur, & in feſtis ſanctæ Mariæ, & natalitiis Apoſtolorum, & in feſtiuitate omnium ſanctorum, & in Dedicatione templi cantatur; quia aliquid de his in illo ſonare videtur. Liber Euangelij infra *Credo in vnum* oſculatur, quia pax per Chriſtum reddita declaratur.

CAPVT CXX.

D *De Præfationibus.*

PElagius Papa nouem præfationes cantari ſtatuit, ſcilicet: *Quia per incarnati*, de Natiuitate. *Quia cum vnigenitus*, de Epiphania. *Qui corporali ieiunio*, de Quadrageſima. *Qui ſalutem humani generis*, de paſſione Domini, vel de ſancta Cruce. *Te quidem Domine omni tempore*, de Paſcha.

Qui poſt Reſurrectionem: de Aſcenſione.

Qui aſcendens ſuper omnes cœlos, de Pentecoſte. *Qui cum vnigenito filio*, de Trinitate. *Te Domine ſuppliciter exorare*, de Petro & Paulo: quæ etiam de pluribus Apoſtolis dicitur. Gregorius vero Papa decimam, *qui Eccleſiam tuam* de ſancto Andrea adiecit; quæ de vno quolibet Apoſtolo vſquequaque dici conſueuit. Nouiter autem Vrbanus ſecundus Papa vndecimam de ſancta Maria addidiſſe non ignoratur, quæ à pluribus vbique frequentatur. Zacharias Papa conſtituit vt nullus ſacerdos cum baculo ad altare intret, & ne velato capite ad altare ſtet.

E

CAPVT CXXI.

Quare pro defunctis Gloria patri & Alleluia non cantetur.

AD Miſſam defunctorum *Gloria Patri*, & *Alleluia*, quod lætitiam deſignat, non cantatur, quia luctum imitatur, & nos per hoc in hunc mundum ad triſtitiam veniſſe, & per luctum hinc exire admonemur. Corpora vero mortuorum non debent intereſſe Miſſæ viuorum, quia nobiſcum non reſpondent, & cum viuis non communicant. Hoc autem ſignificat, quod hi, qui peccatis mortui ſunt, & Chriſti Sacramenta non percipiunt, viuentium communicationi cum Chriſto intereſſe non poterunt. Hactenus de Missæ Sacrificio.

Incipit de Eccleſia.

HÆc breuiter de Miſſa diximus, nunc pauca de Eccleſia, in qua agitur, videamus. F

CAPVT CXXII.

De Altari.

NOë primus altare Domino conſtruxiſſe: deinde Abraham, Iſaac, & Iacob altaria ædificaſſe leguntur, quæ non aliud quam lapides erecti intelliguntur. Super quos ſacrificia mactabant, quæ ſuppoſito igne cremabant. Aliquando verò ignis de cœlo deſcendit, & oblatum ſacrificium conſumpſit, vnde Cain fratrem Gen. 4. 5.
ſuum occidit, quia ignis cœleſtis Abel ſacrificium conſumpſit, ſuum intactum remanſit. Hæc autem differentia eſt inter *Altare & aram*, quod *Altare* quaſi alta res vel alta ara dicitur, in quo ſacerdotes incenſum adolebant. Ara vero quaſi area, id eſt, plana, vel ab ardore dicitur, eo quod in ea ſacrificia ardebant. *Ara* enim Græce dicitur, Latinè *imprecatio*.

CAPVT CXXIII.

G *De Tabernaculo Moyſi.*

QVando verò Dominus populum ſuum de Ægypto eduxit, ſpeciale *tabernaculum* Moyſi in monte Exod. 26. c. & 27.
Sinai oſtendit, ad cuius exemplar materiale fieri præcepit. Vaſa quoque pretioſa, & ſacras veſtes fieri iuſſit; altare ad ſacrificia, ſacerdotes & leuitas, in miniſteria conſtituit, & tubas argenteas vel æreas ad conuocandum populum fieri ſtatuit. Quæ cuncta Moyſes ſecundum oſtenſum exemplar miro opere conſummauit, & tabernaculum cum gaudio populi dedicauit. Quod poſtquam eſt vetuſtate conſumptum, iuſſit Dominus ſibi fieri templum, atque cartam Dauid regi per Prophetam miſit, in qua erat deſcriptio qualiter templum conſtrui deberet. Salomon vero mirificum templum toto orbe famoſum 3. Reg. 5.
ædificauit; ſicut Dominus in carta imperauit. Altare quoque aureum, & vaſa pretioſiſſima, & veſtes ſacras fecit; Sacerdotes, cantores, leuitas in miniſteria templi diſtribuit, prout Dominus in breui præcepit. Omnibus rite peractis templum maximo cultu dedicauit, & arcam in H
eo locauit. Quod quia vtrumque Eccleſiam præfigurauit, ſecundum formam vtriuſque populus Chriſtianus Eccleſias formauit.

CAPVT CXXIV.

De Tabernaculo populi.

TAbernaculum, quod populus in itinere habuit, formam mundi tenuit, & typum Eccleſiæ geſſit, quæ Exod. 26
in itinere huius mundi non manentem ciuitatem habet Hebr.
ſed futuram inquirit. Tabernaculum ſecundum mundum erat formatum, & elementa atque omne quod eſt in mundo in eo fuerat præfiguratum, quia totus hic mundus iam factus eſt Dei templum; ſanguine Chriſti dedicatum, in quo vniuerſalis Eccleſia tabernaculum Dei exiſtens, Dominum viuum & verum laudibus iugiter concelebrat, & ex tabernaculo templum fieri deſiderat.

A Cuius tabernaculi vna pars dicebatur ſancta, in qua populus ſacrificabat, & eſt *actiua vita* in qua populus in dilectione proximi laborat. Altera pars dicebatur *ſancta ſanctorum*, in qua ſacerdotes & leuitæ miniſtrabant, & eſt contemplatiua vita, in qua religioſorum ſynceritas in dilectione Dei cœleſtibus inhiat. Porrò ſecundum formam *tabernaculi* faciunt Eccleſias Chriſtiani. Secundum *Sancta* fit anterior domus, vbi populus ſtat. Sanctuarium vero ſecundum *ſancta ſanctorum*, vbi clerus ſtat. *Miniſterium* leuitarum & ſacerdotum mutuauit Eccleſia in ordine Chriſti miniſtrorum. *Vaſa & veſtes* & ritum ſacrificiorum conuertit in morem Eccleſiaſticorum. *Clangorem tubarum* tranſtulit in ſonum campanarum.

CAPVT CXXV.

De Templo.

B TEmplum autem quod populus in patria cum pace poſſidebat, præfert templum gloriæ de viuis lapidibus in cœleſti Hieruſalem conſtructum, in quo Eccleſia perenni pace exultat. Hoc enim in duo diuiditur, quia templum ſupernæ curiæ in Angelorum & hominum differentia diſcernitur. In quo altare aureum eſt Chriſtus gloria ſanctorum. In hoc templo omnes electi ſacerdotes & *cantatores* erunt; ipſi & vaſa pretioſa in camino tribulationis examinata, vt ſol fulgebunt veſte ſalutis, & indumento iuſtitiæ ſplendeſcent.

CAPVT CXXVI.

De Eccleſia habente ſeptem vocabula.

A Templo itaque quod Salomon fecit, Eccleſia noſtra formam accepit. *Eccleſia* autem ſeptem vocabulis inſignitur, quia Eccleſia Chriſti ſeptem donis Spi-

Prou. 9. v. 1. ritus ſancti, velut ſeptem columnis domus ſapientiæ fulcitur, *Eccleſia* vero *conuocatio* dicitur, quia in ea populus fidelium ad audienda iudicia Dei & ad conuiuium

1. Chriſti conuocatur. *Synagoga* congregatio dicebatur,

C quia virga legis velut grex irrationalium pecorum congregabatur. Eccleſia autem merito *conuocatio* vocatur, quia amore Spiritus S. in vnam fidem conuocatur.

CAPVT CXXVII.

De Baſilica, cæteriſque templi nominibus.

2. HÆc domus eſt *Baſilica*, id eſt, regalis nuncupatur, quia in ea regi regum miniſtratur. *Baſileus* namque rex, quaſi *baſis laos*, id eſt, columna populi dicitur, quia

3. eius regimine fulcitur. Hæc domus eſt *κυριακή*, id eſt, Dominicalis appellatur, quia in ea Domino Dominorum ſeruitur. Kyrius quippe *Dominus* dicitur. Hæc quo-

4. que *domus Dei* vocatur, quia in ea Dominus adoratur.

5. Hæc *domus orationis*, quia in ea populus fidelium ad ora-

6. tionem congregatur. Hæc etiam *aula Dei* nuncupatur,

7. quia in ea conuiuium regis æterni celebratur. Hæc quoque dicitur *oratorium*, quia locus eſt orationis fidelium. Hæc *templum* quaſi amplum tectum vocatur, quia con-

D uentus populi in ea quaſi ſub vnum tectum coadunatur. *Monaſterium* dicitur habitatio monachorum, monos quippe ſolus, *ſteron* dicitur habitatio. Maiores autem Eccleſiæ *templa* appellantur, minores vero Sacella, à caprarum pellibus vocantur etiam *Capella*.

CAPVT CXXVIII.

De Capellis.

ANtiqui enim nobiles Eccleſiolas in itinere de pellibus caprarum factas habebant, quas inde *Capellas* vocabant, & earum cuſtodes *capellanos* nominabant. Sunt enim *capellani* à cappa ſancti Martini appellati; quam reges Francorum in præliis ſemper habebant, & eam deferentes *capellanos* dicebant. *Capanum* dicitur domus, ad quam pauperes ad poſtulandam eleemoſynam confluunt. Inde diminutum *capella* dicitur, in qua Chriſtiani pauperes ſpiritu ad poſtulandam animæ eleemoſynam conueniunt. E

CAPVT CXXIX.

De Situ Eccleſiæ.

IDeo autem Eccleſiæ *ad orientem* vertuntur, vbi Sol oritur, quia in eis ſol iuſtitiæ adoratur, & in oriente Sup. C. 95 paradiſus noſtra patria eſſe prædicatur. Per Eccleſiam ergo Eccleſia figuratur, quæ in ea ad ſeruitium Dei congregatur. Domus hæc ſuper petram locatur; & Eccleſia ſuper Chriſtum firmam petram fundatur. Quatuor parietibus ſurgit in altum; & Eccleſia quatuor Euangeliis creſcit in altum virtutum. Domus hæc ex duris lapidibus conſtruitur, & Eccleſia ex fortibus in fide & operatione colligitur. Lapides cemento conglutinantur, & fideles vinculo dilectionis compaginantur. *Sanctuarium* eſt primitiæ Eccleſiæ de Iudæis collectæ: anterior domus, in actiua vita Deo ſeruientes. F

CAPVT CXXX.

De feneſtris Eccleſiæ.

PErſpicuæ *feneſtra*, quæ tempeſtatem excludunt, & lumen introducunt ſunt *doctores*, qui turbini hæreſum obſiſtunt, & lumen doctrinæ Eccleſiæ infundunt. Vitrum in feneſtris, per quod radius lucis iaculatur, eſt mens doctorum, quæ cœleſtia quaſi per ſpeculum in ænigmate contemplatur.

CAPVT CXXXI.

De Columnis Eccleſiæ.

COlumnæ, quæ domum fulciunt, ſunt Epiſcopi, qui machinam Eccleſiæ vitæ rectitudine in alta ſuſpendunt. *Trabes*, quæ domum coniungunt, ſunt ſæculi principes, qui Eccleſiam continendo muniunt. *Tegulæ* tecti, quæ imbrem à domo repellunt, ſunt milites, qui Eccleſiam a paganis & hoſtibus protegunt. G

CAPVT CXXXII.

De Pictura.

LAquearium picturæ ſunt exempla iuſtorum, quæ Eccleſiæ repræſentant ornamentum morum. Ob tres autem cauſas fit pictura: primo, quia eſt laicorum litera- 1.
tura: Secundo, vt domus tali decore ornetur: Tertio, vt 2.
priorum vita in memoriam reuocetur. 3.

CAPVT CXXXIII.

De Corona in Eccleſia.

LVmina, quæ circa capita ſanctorum in Eccleſia in modum circuli depinguntur, deſignant quod lumine æterni ſplendoris coronati fruuntur. Idcirco verò ſecundum formam rotundi ſcuti pinguntur, quia diuina protectione vt ſcuto nunc muniuntur. Vnde ipſi canunt gratulabundi: *Domine vt ſcuto nos bonæ voluntatis tuæ coronaſti.* Vſus autem formas ſculpendi à lege cœpit, vbi Imaginũ in templis H orig. Moyſes iuſſu Domini duos Cherubin ex auro fecit. Vſus verò Eccleſias pingendi à Salomone exordium ſumpſit, 3. Reg. 6. c. & 7. qui varias cælaturas in templo Domini fieri inſtituit. Vſus enim candelabri & thuribuli a lege cœpit.

CAPVT CXXXIV.

De pauimento.

PAuimentum, quod pedibus calcatur, eſt vulgus, cuius labore Eccleſia ſuſtentatur. *Cryptæ* ſub terra conſtructæ ſunt cultores ſecretioris vitæ. *Altare*, ſuper quod ſacrificatur, eſt Chriſtus, ſuper quem ſacrificium Eccleſiæ acceptatur. Ideo corpus Chriſti ſuper altare conficitur, quia populus in eo credens ex eo reficitur: Vnum cum Chriſto, quaſi multi lapides vnum altare efficitur. In altari *reliquiæ* reconduntur, quia in Chriſto omnes theſauri

A ſapientiæ & ſcientiæ abſconduntur. Super altare *Capſæ* ponuntur, ij ſunt Apoſtoli & Martyres, qui pro Chriſto paſſi leguntur. *Pallæ & veſtes*, quibus altare ornatur, ſunt confeſſores & virgines, quorum operibus Chriſtus decoratur.

CAPVT CXXXV.

De Cruce.

1. CRux ob tres cauſas ſuper altare erigitur: primo quod ſignum regis noſtri in domo Dei quaſi in regia vrbe figitur, vt a militibus adoretur.
2. Secundo vt paſſio Chriſti ſemper Eccleſiæ repræſentetur.
3. Tertio vt populus Chriſtianus carnem ſuam crucifigendo vitiis & concupiſcentiis Chriſtum imitetur. Vexilla ideo eriguntur, vt trophæum Chriſti Eccleſia iugiter memoretur.

B

CAPVT CXXXVI.

De Propitiatorio.

PRopitiatorium, quod ſuper altare locatur, eſt diuinitas Chriſti, quæ humano generi propitiatur. *Gradus*, per quos ad altare aſcenditur, ſunt virtutes, per quas ad Chriſtum pertingitur. *Lauacrum*, quo iuxta altare manus abluuntur, eſt miſericordia fluens de Chriſto, qua homines in baptiſmo vel in pœnitentia à ſordibus diluuntur.

CAPVT CXXXVII.

De Palliis.

PAllia, quæ in Eccleſia ſuſpenduntur, ſunt miracula Chriſti, quæ in Eccleſia leguntur. *Pulpitum* quod in altum ſuſtollitur, & in quo Euangelium legitur, eſt perfectorum vita, ad quam per Euangelicam doctrinam peruenitur, dum relictis omnibus quis Chriſtum ſequitur. Eccleſia iugi lumine lucernæ illuminatur, & Eccleſia Chriſti lumine Spiritus ſancti ſemper illuſtratur. *Baptiſmus* in Eccleſia celebratur, quia Catholica Eccleſia eſt mater, de qua noua progenies Chriſto generatur.

C

CAPVT CXXXVIII.

De Oſtio.

OStium ab obſtando vel oſtendendo dicitur. Oſtium quod inimicis obſtat, & amicis aditum introeundi oſtendit, eſt Chriſtus qui per iuſtitiam obſtans infideles a domo ſua arcet, & fideles aditum oſtendendo per fidem introducit.

CAPVT CXXXIX.

De Choro.

D

CHorus pſallentium à chorea canentium exordium ſumpſit, quam antiquitas idolis ibi conſtituit, vt videlicet decepti deos ſuos & voce laudarent, & toto corpore eis ſeruirent. Per *choreas* autem circuitionem voluerunt intelligi firmamenti reuolutionem: per manuum complexionem, elementorum connexionem: Per ſonum cantantium, harmoniam planetarum reſonantium: per corporis geſticulationem, ſignorum motionem: per plauſum manuum, vel pedum ſtrepitum, tonitruorum crepitum. Quod fideles imitati ſunt, & in ſeruitium veri Dei conuerterunt. Nam populus de mari rubro egreſſus choream duxiſſe, & Maria eis cum tympano præcinuiſſe, & Dauid ante arcam totis viribus ſaltaſſe, & cum cithara Pſalmos cecinisse legitur. Et Salomon cantores circa altare inſtituiſſe dicitur, qui voce, tubis, organis, cymbalis, citharis, cantica perſonuiſſe leguntur. Vnde & adhuc in choreis muſicis inſtrumentis vti nituntur, quia globi cœleſtes dulci melodia circumferri dicuntur.

Exod. 15. 2. Reg. 6. 1. Par. 14. & 16.

E

CAPVT CXL.

De concordia chori.

CHorus dicitur à concordia canentium, ſiue à corona circumſtantium. Olim namque in modum coronæ circa aras cantantes ſtabant; ſed Flauianus & Diodorus Epiſcopi choros alternatim pſallere inſtituebant. Duo chori pſallentium deſignant Angelos, & Spiritus iuſtorum, quaſi reciproca voce Dominum laudantium. *Cancelli* in quibus ſtant, multas manſiones in domo patris deſignant. Quod aliquando de choro cum proceſſione ad aliquod altare vadunt, & ibi in ſtatione canunt, ſignificat quod animæ de hac vita euntes, ad Chriſtum perueniunt, & in conſortio Angelorum Deo concinunt.

Chori in ... templi.

F

CAPVT CXLI.

De Corona.

COrona ob tres cauſas in templo ſuſpenditur: Vna quod Eccleſia per hoc decoratur, cum eius luminibus illuminatur: 1.
Alia quod eius viſione admonentur quia hi coronam vitæ & lumen gaudij percipiunt, qui hic Deo deuotè ſeruiunt: 2.
Tertia vt cœleſtis Hieruſalem nobis ad memoriam reuocetur, ad cuius figuram facta videtur. 3.
Conſtat enim *ex auro, argento, ære, & ferro*: Aurum ſunt ſapientia fulgentes: Argentum eloquio nitentes: Æs, in doctrina cœleſti dulciter ſonantes: Ferrum, vitia domantes: *Turres* coronæ ſunt, ſcriptis Eccleſiam munientes: Lucernæ eius bonis actibus lucentes: Aurum enim ſunt Martyres: argentum virgines: æs, continentes: ferrum, coniugiis ſeruentes. *Gemmæ* in corona coruſcantes ſunt, qui & in virtutibus rutilantes: *Metalla* in igne excocta ad ornatum coronæ ſumuntur, & electi in camino tribulationis probati ad cœleſtis Hieruſalem decorem eliguntur. *Cathena*, qua corona in altum continetur, eſt ſpes, qua Eccleſia à terrenis ad cæleſtia ſuſpenditur. Supremus circulus cui innectitur, eſt Deus a quo omnia continentur.

G

CAPVT CXLII.

De Campanis.

SIgna, quæ nunc per campanas dantur, olim per tubas dabantur. Hæc vaſa primum in Nola Campaniæ ſunt reperta. Vnde ſic dicta, maiora quippe vaſa dicuntur *campanæ* à Campaniæ regione; minora *Nolæ*; à ciuitate Nola Campaniæ; itaque prædicatores deſignant, qui populum ad Eccleſiam conuocant. Earum ſonatio eſt illorum prædicatio, quorum ſonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex ære ſunt fuſæ, quod eſt durum & ſonorum, quia prædicatio illorum contra vitia eſt dura, & de virtutibus eſt ſonora. Ideo autem in modum vaſorum formantur, quia prædicatores vaſa Spiritus S. appellantur.

H

CAPVT CXLIII.

De Turribus.

TVrres, in quibus ſuſpenſæ ſonant, ſunt duæ leges, quibus prædicatores a terrenis ad cæleſtia ſuſpenſi regnum Dei prædicatur. *Plectrum* fit ex ferro, quod omnia dura domat, eſt illorum lingua, quæ omnia aduerſa ſuperat. *Vinculum* quo ligatur eſt moderatio, qua illorum lingua temperatur. Funis, quo campanæ mouentur ad ſonandum, eſt ſacra Scriptura ex multis ſententiis contexta, qua prædicatores mouentur ad prædicandum. Funis à ligno deſcendit, & ſacra Scriptura à ligno crucis & Dominicæ paſſionis deſcendit. Lignum à ſuperioribus continetur, quia crux & paſſio Chriſti à Prophetis ante prædicatur, & Euangelium Legi connectitur, & Apoſtolica doctrina Prophetiæ contexitur. Sacerdos funem apprehendit, dum Scriptura docente bona opera agit. *Funis* cum ſurſum trahit, dum

[A] ſcriptura cum in contemplatione ſuſpendit; funem ipſe deorſum trahit, dum à contemplatione ad actiuam vitam deſcendit. Ex tractu funis campana ſonat, quia ex bona operatione prædicatio intonat.

CAPVT CXLIV.

De Campanario.

CAmpanarium, quod in alto locatur, eſt alta prædicatio, quæ de cæleſtibus loquitur. Non autem ſine cauſa *gallus* ſuper campanarium ponitur. [Plinius, lib. 10. Nat. hiſt. ca. 11.] Gallus enim dormientes excitat, & per hoc admonetur presbyter gallus Dei, vt per campanam dormientes ad matutinas excitet.

CAPVT CXLV.

De Statione.

[B] IN Eccleſia maſculi in Auſtrali parte ſtant, ſignantes quod fortiores in fide ardore Spiritus S. feruidi prælati fieri debeant, qui æſtum tentationum mundi ferre debeant. Fœminæ vero in Boreali parte ſtant, demonſtrantes quod fragiliores ſubeſſe debeant, qui æſtum tentationum ferre nequeant, atque nuptiali medicamine æſtum carnis temperare.

CAPVT CXLVI.

De Mulieribus.

[Leuit. 15] MVlieres quoque poſt partum Eccleſiam non intrant, quia immundos à templo cœleſti excludi deſignant. Alioquin ſi præ infirmitate valerent, eadem die, qua parerent, intrare Eccleſias eis liceret; vt Deo gratias agerent. Propter hanc ſignificationem in multis [*Menſtruata.*] locis menſtruæ viris commixtæ, foris Eccleſiam ſtare [C] ſolent, & ob hoc pœnitentes intrare Eccleſiam non [*Mulieres cur in templo velatæ.*] debent. Linus Papa ex præcepto B. Petri & Pauli conſtituit, vt mulieres in Eccleſia velatæ ſint. Et hoc propter tres cauſas fit: [1.] Vna eſt, cum ſint decipula diaboli, ne laxis earum crinibus iuuenum animi illaquerentur: [2.] Alia eſt ne quædam illarum ob formoſitatem capillorum ſuperbia eleuentur, quædam vero ne ob deformitatem illorum deturpentur: [3.] Tertia eſt vt reatus originalis peccati, qui per mulierem euenit, ad memoriam nobis reuocetur. Iudex quippe malorum eſt Chriſtus: ſacerdos eius vicarius. Ante ſacerdotem ergo debet ſe mulier velare velut rea, & tanti mali ſibi conſcia coram [1. Cor. 11. v. 10.] iudice celare. Vnde dicit Apoſtolus, vt mulier velata ſit propter Angelos, id eſt, ſacerdotes. In Eccleſiis enim non permittitur eis loqui, id eſt populum alloqui. Et nobis quoque non licet loqui in Eccleſia, niſi in hymnis, & Pſalmis, & Canticis ſpiritualibus, & orare, vt coniungamur cœleſtibus.

[D]

CAPVT CXLVII.

De Cœmeterio.

COemeterium, quod dicitur mortuorum dormitorium, eſt Eccleſiæ gremium, quia ſicut ſæculo mortuos de vtero Baptiſmatis Chriſto genuit, ita poſtmodum carne mortuos gremio ſuo confouens æternæ vitæ reddit.

Eccleſiæ, quæ in modum crucis fiunt, populum Eccleſiæ mundo crucifigi debere oſtendunt: Quæ autem rotundæ in modum circuli fiunt, Eccleſiam per circulum orbis in circulum coronæ æternitatis per dilectionem conſtrui oſtendunt.

CAPVT CXLVIII.

De Clauſtro.

CLauſtralis conſtructio iuxta monaſterium eſt ſumpta à porticu Salomonis conſtructa iuxta templum; In qua Apoſtoli omnes vnanimiter commanebant, & in templo ad orationem conueniebant, & multitudini [E] credentium cor vnum & anima vna erat, & omnia communia habebant. Secundum hanc formam religioſi in clauſtro vnanimiter degunt, nocte ac die in monaſterio ad ſeruitium Dei conueniunt. Et fideles adhuc ſæcularia relinquunt, communem vitam in clauſtro ducunt.

CAPVT CXLIX.

Quod clauſtrum ſit Paradiſus.

POrro clauſtrum præfert paradiſum, Monaſterium verò Eden ſecuriorem locum paradiſi. *Fons* in hoc [Gen. 4. 16.] loco voluptatis, eſt in monaſterio fons baptiſmatis; Lignum vitæ in paradiſo eſt: corpus Domini in monaſterio. Diuerſæ arbores fructiferæ ſunt diuerſi libri ſacræ Scripturæ. *Secretum* enim clauſtri gerit figuram cœli. In quo iuſti ita à peccatoribus ſegregantur, ſicut religioſæ vitæ profeſſores à ſæcularibus in clauſtro ſe[F]queſtrantur. Porrò *monaſteria* præfert cæleſtem paradiſum. *Fons* & lignum vitæ ſignat Chriſtum, qui eſt fons vitæ & cibus beatorum æternaliter viuentium. In monaſterio duo chori laudes Deo concinunt; & in cæleſti paradiſo Angeli atque ſancti in ſæculum ſæculi dulci concentu Dominum laudabunt. Altitudo in clauſtro conuerſantium vnum cor & vnam animam in religione habent, & omnia communiter poſſident, & in ſuperna patria omnes electi cor vnum & animam vnam in dilectione habebunt, & omnes omnia communiter poſſidebunt, quia vnuſquiſque quod in ſe minus habet in aliis habebit, vbi Deus omnia in omnibus erit. In clauſtro ſinguli ſingula loca ſecundum ordinem tenent, & in paradiſo ſinguli ſingulas manſiones ſecundum merita recipient.

CAPVT CL.

De dedicatione Eccleſiæ.

[G] ECcleſiæ Dedicatio eſt Eccleſiæ & Chriſti nuptialis copulatio. Epiſcopus qui eam conſecrat eſt Chriſtus, qui Eccleſiam deſponſauerat. Epiſcopus fontem in atrio benedicit, & in circuitu aſpergit, quia Chriſtus fontem baptiſmatis in Iudæa conſecrauit, & in circuitu mundi omnes gentes eo ablui imperauit.

CAPVT CLI.

De domo non conſecrata.

DOmus non conſecrata eſt gentilitas Dei ignara, & perfidiæ repagulis incluſa. In domo duodecim candelæ in circuitu accenſæ eam illuminant, & duodecim Apoſtoli in circuitu orbis gentilitatem lumine doctrinæ illuſtrabant. Candela lucet & ardet, & Apoſtoli verbo lucebant & charitate ardebant. [Pſal. 23.] Pontifex ſuper [H] luminare oſtij cum baculo ter percutit, *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales* dicit; per Pontificem Chriſtus, per baculum ſceptrum poteſtatis intelligitur. Trina autem percuſſio terna poteſtas in cœlo, in terra, in inferno accipitur. [Capuita inf. ca. 153.] Quaſi ergo ter Dominus ianuam cum capuita percuſſit, dum Eccleſiæ poteſtatem ligandi atque ſoluendi in cœlo & in terra conceſſit, & portas inferi aduerſus eam non præualere tribuit. Iubet etiam vt principes tenebrarum portas mortis ab Eccleſia tollant. Portæ verò æternales, id eſt, cœleſtes eleuentur, & iuſti ad vitam ingrediantur.

CAPVT CLII.

De Portis.

[Pſal. 23.] POrtæ quippe mortis ſunt vitia & peccata. Portæ vitæ ſunt *fides, baptiſma, operatio.* Per eum, qui intus reſpondet, diabolus intelligitur, qui de domo Eccleſiæ expellitur. [Matt. 12. v. 29. Luc. 11. v. 21.] Ipſe quippe quaſi fortis armatus atrium ſuum cuſtodiuit, dum hunc mundum quaſi iure poſſedit. Sed fortior ſuperueniens eum expulit, ſpolia eius

diſtribuit;

A diſtribuit; dum Chriſtus eum paſſione vicit, & Eccleſiam ab eius iure eripuit. Mox oſtium aperitur, & Epiſcopus ingreditur, quia Eccleſia oſtium fidei Chriſto aperuit, & eum intra ſe deuote recepit. Epiſcopus ingrediens *Pax huic domui* dicit, quia Chriſtus mundum ingrediens, pacem hominibus contulit, quam reſurgens à mortuis ſuis præbuit: *Pax*, inquit, *vobis*. Ter pax huic domui clamat, quia reconciliationem Eccleſiæ per Trinitatem factam inſinuat, vel quia *vnus eſt Deus, vna fides, vnum baptiſma*. Deinde pontifex proſternitur, pro conſecratione domus Dominum precatur, & Chriſtus ſe ante paſſionem in monte proſtrauit & pro Eccleſiæ ſanctificatione patrem orauit. Surgens pontifex populum per *Dominus vobiſcum* non ſalutat, ſed per *Flectamus genua* ad orationem inuitat, quia infideles & impij non ſunt ſalutandi, ſed ad conuerſionem & pœnitentiam prouocandi.

B

CAPVT CLIII.

De Alphabeto.

POſt hoc alphabetum in pauimento cum capuita ſcribit, incipiens à ſiniſtro angulo orientali, in dextrum occidentalem deſinit. Deinde aliud alphabetum à dextro angulo orientis inchoat, & ſcribendo in ſiniſtro angulo occidentis conſummat. Quæ duo alphabeta in medio Eccleſiæ in formam crucis conueniunt, & quid myſticent nobis apertè innuunt.

CAPVT CLIV.

De quatuor angulis Eccleſiæ.

QVatuor Eccleſiæ anguli ſunt quatuor plagæ mundi. *Scriptura*, quæ terræ inſcribitur, eſt ſimplex doctrina, quæ cordibus terræ imprimitur. A ſiniſtro angulo Epiſcopus ſcribere incipit, quia Chriſtus à Iudæa docere incœpit. Ipſa quippe ſiniſtro angulo comparatur, quia ob perfidiam cum ſiniſtris reputatur. Ideo *angulus orientis* dicitur, quia Chriſtus, qui eſt oriens, in eo ſecundum carnem oritur. Scripturam in dextrum angulum deducit Epiſcopus, quia doctrina Chriſti ad Eccleſiam vſque peruenit. Ipſa enim dextro angulo aſſimilatur, quia cum dextris computatur. Ideo autem angulus occidentis exiſtit, quia in ea perfidia corruit, & Chriſtus Sol iuſtitiæ pro ea in morte occidit.

C

CAPVT CLV.

De dextro angulo.

ITerum Epiſcopus ſcripturam à dextro angulo orientis inchoat, & in ſiniſtro occidentis eam conſummat, quia per doctrinam ſuam in primitiis Eccleſia inchoauit, & eam in fine mundi in Iſraëlitico populo conſummabit. Primitiæ Eccleſia in dextra angulus dicitur, quia ipſa eſt regina, quæ à dextris Dei ſtare ſcribitur. Ideo *angulus* dicitur *orientis*, quia lumen rectis in ea exoritur. Populus autem Iſraël ideo *ſiniſter angulus* vocatur, quia adhuc in infidelitate perdurare non verecundatur. Ideo verò *angulus occidentis* dicitur, quia occidente iam mundo poſt plenitudinem gentium Iſraël ad Chriſtum conuertitur. Duo *alphabeta*, quæ ex diuerſis angulis in formam crucis conueniunt, ſunt duo populi, qui ex diuerſo ritu in vnam fidem crucis per Chriſtum conuenerunt. Duo enim *teſtamenta ſunt*, qui in ſimul coniuncta crucem paſſionis Chriſti ediderunt. Vnum autem Græcè, alterum Latine ſcribitur, quia *Græca lingua* propter ſapientiam, Latina propter imperialem potentiam aliis eminentior cognoſcitur, quod vtrumque ad fidem Crucis conuertitur. Vtraque vero per *baculum* ſcribuntur, quia hæc omnia per prædicatores peraguntur, hucuſque totum quod præceſſit, quaſi procemium conſecrationis fuit. Abhinc dedicatio Eccleſiæ incipit, & ideo per hoc, quod nunc ſequitur, *Chriſti paſſio & Spiritus ſancti* effuſio innuitur, per quæ Eccleſia Catholica conſecratur.

al.44. D

E

CAPVT CLVI.

De illo Deus in adiutorium.

POſt hæc Pontifex ante altare ſtans diuinum auxilium per verſum: *Deus in adiutorium meum intende*, inuocat; vt domum nomini eius digne conſecrare valeat. *Gloria patri*, abſque *Alleluia* ſubiungit. Quia gloriam Trinitati in illa domo cantari innoteſcit. *Alleluia* non addit, eo quod adhuc ad vocem exultationis conſecrata non ſit. Poſt conſecrationem autem *alleluia* cantabitur, quia excluſa iam omni dæmonum fantaſia Deus in ea laudabitur. Ita Chriſtus verus Pontifex ad aram crucis accedens, patris auxilium inuocauit, quo Eccleſiam ſanctificare velit, quaſi *gloria patri* cecinit, dum ad gloriam Trinitatis mortem pro Eccleſia ſubiit. Quando *Alleluia* non addidit, dum totus mundus in eius paſſione fuit turbatus. Poſt reſurrectionem autem quaſi poſt conſecrationem *Alleluia* cantabatur, quia cœlum & terra de eius reſurrectione lætabatur.

CAPVT CLVII.

De Sale & cinere.

DEinde *aqua* benedicitur, vinum admiſcetur; ſal quoque & cinis commiſcentur: ſal quo omnes cibi ſapidi fiunt, Chriſtus Dei ſapientia deſignatur, qua omnes ſapere & intelligere acceperunt. Deinde Heliſæus ſal in aquam miſit, & aquæ ſanatæ ſunt, quia Deus ſapientiam, id eſt, filium ſuum in homines miſit, & ſanati ſunt. In lege autem vitula rufa iuſſa eſt in igne cremari, & populus eius cinere expiari. Vitula rufa in expiatione populi in cinerem cremata eſt; Chriſti ſanguine rubricata, igne paſſionis in cinerem redacta, quo plebs fidelium eſt expiata. Hic *cinis* ſali admiſcetur, dum humanitas à diuinitate in reſurrectione reſumitur. Cinis quoque ſali commiſcetur, dum nos Chriſtiani, qui cinis ſumus, & Eccleſia nominamur, diuinitati Chriſti aſſociamur. 4 Reg 2. 20.21. Num.19.

G

CAPVT CLVIII.

De Vino & aqua.

ITem per vinum diuinitas, per aquam intelligitur humanitas. Hæc duo commiſcentur, dum noſtra humanitas per Chriſti ſanguinem diuinitati adiungitur. Ter Crux cum ſale & cinere ſuper aquam fit, quia per crucem Chriſtus hominibus fidem Trinitatis impreſſit. Porro per hæc ſingula, ſacrificium Eccleſiæ exprimitur, quod in hac domo dedicata offertur per ſalem & cinerem, Chriſti corpus in diuinitate præfiguratur, per vinum & aquam Chriſti ſanguis, quod cum aqua conficitur, prænotatur.

CAPVT CLIX.

De Templo.

H

NOtandum quod hoc totum ad hominem refertur, qui *templum Dei* appellatur. Primum Pontifex oſtium aperit: Deinde preces fundit, poſt hæc alphabetum ſcribit, deinde aquam cum ſale & cinere benedicit, vinum admiſcet, deinde vngit. Ita cuilibet ad Dominum conuerſo, oſtium fidei aperitur: Deinde pro eo oratur: deinde Scriptura menti eius inſcribitur, dum catechumenus exorciſmus imbuitur, exinde per fidem Chriſti diuinitatem & humanitatem docetur: Deinde fonte baptiſmatis purificatur, ad externum chriſmate vngitur, & ſic templum Dei efficitur.

CAPVT CLX.

De Altari & Cruce.

POſt hæc ſacerdos digitum tingit, & crucem per quatuor cornua altaris facit. *Altare* hic primitiuam Eccleſiam in Hieruſalem exprimit. Quaſi Chriſtus crucem

A Pontifex ſuper altare fecit, dum crucem in Hieruſalem, pro Eccleſia ſubiit. Quatuor cornua altaris ſignauit, dum quatuor partes mundi cruce ſaluauit. Deinde ſepties contra altare ſpargit, quia Chriſtus poſt reſurrectionem in ſeptem donis Spiritus ſancti Eccleſiam baptizari iuſſit. *Hyſſopus herba amara.* Aqua cum hyſſopo aſpergitur, quæ amara herba duritiam lapidum penetrare fertur, & ſignat Chriſti carnem in paſſione amaricatam, per quem baptiſmus datur, & duritia gentilium ad fidem emollitur. Deinde altare ſpargendo circuit, quia Dominus Angelum ſuum in circuitu timentium ſe mittit. Altare ter aſpergitur, quia Eccleſia à tribus peccatis mortis, ſcilicet *operis*, *locutionis*, *cogitationis* emundatur. Deinde per totam Eccleſiam vadit, parietes ex vtraque ſpargit parte, quia Chriſtus per totam Iudæam populum baptizare præcepit. Interim canitur Pſalmus; *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius*, quia dum Chriſtus ſurrexit, dæmones & Iudæi inimici eius diſſipati ſunt. Et cum Chriſti Reſurrectio & Baptiſmus per mundum prædicabatur, inimici Dei ab Eccleſia diſ- B ſipabantur.

CAPVT CLXI.

De miniſtris.

POntifex mittit miniſtros, qui Eccleſiam cantando circumeant: quia Chriſtus Apoſtolos miſit, qui baptiſmum per totum mundum prædicabant. Epiſcopus per mediam Eccleſiam incedens cantat Antiphônam, *Domus mea*, & Chriſtus per doctores viſitans fecit eam domum ſuam. Incipiens autem Antiphônam, *Introibo* & poſt vadit canendo ad altare, & quod remanſit de aqua ad baſim altaris fundit, quia Chriſtus fluenta doctrinæ in Hieruſalem effudit, & inde fons Baptiſmatis erupit. Poſt hæc altare cum linteo extergitur, per quod Dominica paſſio intelligitur. Linum quippe de terra oritur, & cum labore ad candorem conuertitur; & Chriſtus de virgine naſcitur, & cum magno labore paſſionis ad candorem reſurrectionis rediit. Hoc linteo altare extergitur, dum tribulatio Eccleſiæ exemplo paſſionis Chriſti deliniatur: C Deinde offertur incenſum, hoc eſt orationes iuſtorum, qui ſe in odorem Deo offerunt, dum corpus ſuum pro eo affligunt.

CAPVT CLXII.

De Oleo & altari.

POſtea Pontifex fundit oleum ſuper altare, faciens crucem in medio eius, & ſuper quatuor cornua eius, quia Chriſtus ſuper primitiuam Eccleſiam Spiritum Sanctum in Hieruſalem effudit, in qua & crucem ſubiit, deinde per quatuor mundi partes hæc dona fidelibus tribuit. *Pſal. 117.* Tunc cantatur Antiphôna; *Erexit lapidem Iacob in titulum*, lapis vnctus fuit, Chriſtus Spiritu ſancto à Patre ſcilicet oleo lætitiæ vnctus, hic in caput anguli eſt factus: dum vterque populus in eo eſt coniunctus. Ter altare vngitur, bis oleo, tertio chriſmate, quia Eccleſia inſignitur *fide*, *ſpe*, *charitate*. Fuſo autem oleo cantatur antiphôna, *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Ager D latitudo mundi intelligitur, per quem Eccleſia vbique diffunditur. Hic ager vernat floribus, dum Eccleſia reſplendet virtutibus. Odor florum eſt fragrantia bonorum operum. *Roſæ* ſunt Martyres; *lilia* virgines, *violæ* ſæculi contemptores, *virides herbæ* ſapientes, *floridæ* proficientes, *fructibus plenæ* animæ perfectæ.

CAPVT CLXIII.

De Chriſmate.

DEmum per parietes Eccleſiæ crucem de chriſmate facit cum pollice, incipiens a dextro latere vſque in ſiniſtrum, quia vnctio chriſmatis à primitiua Eccleſia incipiens peruenit in Eccleſiam gentium; interim cantatur Antiphôna, *Sanctificauit Dominus tabernaculum.* Eccleſia nunc eſt Dei tabernaculum in huius mundi itinere, quæ poſtea erit templum in præuentione. Deinde Antiphona, *Lapides pretioſi.* E Lapides pretioſi ſunt, qui ſacras Scripturas condiderunt. *Muri & turres Hieruſalem* ſunt munitiones Scripturarum, quibus arcentur Iudæi, hæretici atque pagani. *Gemmæ* ſunt ſacræ ſententiæ.

CAPVT CLXIV.

De Incenſo.

TVnc Pontifex crucem incenſi ſuper altare facit, & ſe ad orationem ſubmittit. Chriſtus quoque Pontifex Pontificum incenſum crucis ſuper altare ponit, quia apud patrem pro nobis interuenit. Crucem namque incenſi facere eſt paſſionem ſuam, pro Eccleſia patri oſtendere, & pro nobis interpellare. Vnde Pontifex incipit Antiphônam; *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, cum *Gloria patri*, quia Chriſtus patrem pro Eccleſia exorat, vt redemptionem, quam ipſe operatus eſt, in ea confirmet, & omnem terram ei ſubiiciat. Vnde hæc F proceſſerit gratia ſubdit: *à templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.* *Pſ. 67. 30.* In Hieruſalem quippe ſaluatio humani generis cœpit, & inde in totum mundum manauit. Hieruſalem enim eſt Eccleſia, in qua templum eſt Chriſti, in quo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter; quæ tamen per Spiritum Sanctum effuſa humano generi profluxit largiter. *Gloria patri* additur, quia hanc ſaluationem Trinitas operatur, quia Trinitati laus & gloria proinde canitur.

CAPVT CLXV.

De Vaſis & ornamentis.

POſt hæc ſubdiaconi vel acolythi vaſa, linteamina, & omnia ornamenta offerunt Pontifici benedicenda, ſunt hi qui ornatui Eccleſiæ eliguntur, & ad ſeruitium Eccleſiæ ab Epiſcopo conſecrantur, & vaſa Dei dicuntur. His peractis vadit Pontifex in eum locum, in quo reliquiæ poteſtatum nocte cum vigiliis fuerunt; & eleuat eas portans ad locum præparatum; ita Chriſtus verus G Pontifex, poſtquam nobis præparauit locum, iuſtos, qui in præſenti nocte ſe vigili mente à malo cuſtodiunt, aſſumit de locis ſuis, & perducit eos in domum patris ſui. Vnde cantatur Antiphôna, *Ambulate ſancti Dei, ingredimini ciuitatem Dei*, id eſt, cœleſtem Hieruſalem. Quod autem ſequitur *nobis ædificata eſt noua Eccleſia*: Hoc eſt Hieruſalem noua, quæ ædificatur vt ciuitas. Diuerſæ Antiphônæ cantantur; tripudium & exultatione Angelicarum virtutum imitantur, quæ exeuntes de corpore animas comitantur, vſquequo pro meritis ſibi debitis manſionibus recipiantur. Veniens Pontifex ante altare, vbi reliquiæ ſunt reconditæ, extendit velum inter ſe & populum, quia loca animarum ſecreta ſunt à viſione mortalium.

CAPVT CLXVI.

De Reliquiis Sanctorum.

REliquiæ in altari ſigillantur, quia animæ in cœleſti- H bus collocantur. Cantatur Antiphôna, *Exultabunt ſancti in gloria*, quia animæ ouant in Angelica cura.

CAPVT CLXVII.

De Veſte animarum.

POſt hæc altare veſtitur, quia animæ in reſurrectione corporibus veſtiuntur. Nudum erat altare, dum animæ ſine corporibus in cœlis fuerant collocatæ. Altare veſtitur, dum anima in mortali & incorruptibili corpore induetur.

CAPVT CLXVIII.

De die iudicij.

POſt hæc Pontifex altare benedicit, & Chriſtus Eccleſiam his verbis benedicit; *Venite benedicti patris mei.*

A Pontifex reuertitur in ſacrarium cum ordinibus ſuis, & induit ſe veſtimentis aliis, & Chriſtus reuertitur in mundum ad iudicium cum ordinibus Angelicis, aliis induitur veſtimentis, quia ſeruilem formam præſentabit impiis, cum videbunt in quem crucifixerunt, & iuſti regem gloriæ in decore ſuo videbunt. Deinde ornatur Eccleſia, & accenduntur luminaria, quia tunc opera iuſtorum ſplendeſcunt, pro quibus ornati perenniter vt ſol fulgebunt. Tunc incipit cantor *Terribilis eſt locus iſte.* Quid enim terribilius illa die quando Angeli timebunt, & impij in æternum ſupplicium ibunt. Tunc procedit Pontifex ſolenniter, & ſit officium cum omni lætitia, quia peracto iudicio videbitur Deus facie ad faciem, in gloria ſua, & erit Deus omnia in omnibus, & vt lux oculis, ſic gaudium animabus. 1. Cor. 15.

CAPVT CLXIX.

De certo loco & ſacrificio.

B IGitur ſicut in Eccleſia dedicata rite Miſſa celebratur, ſic in Eccleſia Catholica legitime ſacrificatur, & extra hanc nullum ſacrificium à Deo acceptatur. Et quamuis Deus vbique ſiue in agro, ſiue in eremo, vel in mari, vel in omni loco dominationis eius iuſtè poſſit, ac debeat benedici, & inuocari, vt puta in templo totius mundi, tamen iure oportuno tempore ad eccleſiam a fidelibus curritur, vt ibi Deus inuocetur, atque adoretur, in qua omnem rem, quam duo ex conſenſu petierint, ſe daturum pollicetur, & vbi ipſe duobus vel tribus in nomine eius congregatis intereſſe perhibetur. Matt. 18. Iuſtum quippe eſt vt Chriſtianus populus in oratorium quaſi ad prætorium conueniat, iudicia ac mandata æterni regis audiat, atque de conuiuio vituli ſaginati percipiat. Cum ergo populus in Eccleſiam congregatur, quaſi templum Deo ad inhabitandum ædificatur. Eccleſia autem in Eccleſia, eſt plebs Chriſtiana in aula dedicata. Templum quoque eſt in templo, baptizatus quilibet in domo conſecrata. C

CAPVT CLXX.

De violata Eccleſia.

SI Eccleſia homicidio vel adulterio violatur, iterum dedicatur, ita ſi homo Spiritus Sancti templum in baptiſmate dedicatum criminali peccato violatur, neceſſe eſt vt denuo fonte lacrymarum renouetur. Si ſigillum altaris amouetur, eſt præceptum, vt iterum conſecretur. Ita ſi ſigillum fidei ab altari cordis aliqua hæreſi amouetur, oportet vt denuo per pœnitentiam reconſilietur. Si principale altare mouetur, eſt decretum, vt Eccleſia denuo conſecretur. Ita ſi Epiſcopus princeps Eccleſiæ a fide ad hæreſim mutatur, tota plebs ei ſubiecta commaculatur; & ideo conuenit, vt cum eo pœnitentia & ſanctificatione ad Catholicam fidem recipiatur. Quæ autem violata, non denuo conſecrata fuerit immunda & D canibus erit peruia. Ita ſi homo templum Dei, ſcilicet ſeipſum mortali crimine violauerit, atque per pœnitentiam denuo non remundauerit, dæmonibus habitatio erit. Interfecti ideo in Eccleſiam non portantur, ne ſanguine pauimentum maculetur. Ob hanc enim cauſam putant quidam mulieres in partu defunctas, in Eccleſiam non eſſe deferendas, quod tamen licet fieri. Mulieres partu defunctæ.

CAPVT CLXXI.

De conſtructione Eccleſiæ.

ITaque bonum eſt Eccleſias ædificare, conſtructas vaſis, veſtibus, aliis ornamentis decorare, ſed multo melius eſt eoſdem ſumptus in vſus indigentium expendere, & cenſum ſuum per manus pauperum in cœleſtes theſauros præmittere, ibique domum non manufactam, ſed æternam in cœlis præparare, in qua poſſit cum Angelis æternaliter habitare. Sciendum autem quod loca ſancta non ſaluant, quos praua opera ab Eccleſia ſeparant, nec item horrida loca, hos obruunt, qui piè viuunt. Nadab namque & Abiu ſacerdotes in tabernaculo Dei igne conſumuntur; Chore, Dathan, & Abiron ante tabernaculum à terra deglutiuntur. Heli Pontifex in loco ſancto fracta ceruice periit. Oza iuxta arcam percuſſus interiit. Ioab iuxta altare occiditur. Ozias Rex in templo lepra perfunditur. Poſtremo templum violatum ſubruitur, populus legis præuaricator ab eo captiuus ducitur. Econtra Ioſeph in ciſterna & in carcere non perit. Moyſes in fluuio necem non ſubit. Iob in ſterquilinio Hieremias non interiit in cœno. Daniel in lacu leonum. Tres pueri non læduntur in camino ignium. Petrus in carcere. Paulus non periit in mari; immò Diabolus de cœlo, homo cecidit de paradiſo. Iuſti autem in terra à Deo viſitantur, de inferno ad cœleſtia ſubleuantur. E Exod. 24. & 28. Deut. 14. Pſal. 105. 17. 2. Reg. 6. Gen. 37. Exod. 1. Iob. 2. Dan. 6. Act. 12.

CAPVT CLXXII.

De Miniſtris Eccleſiæ.

DE Eccleſia quod Deus dedit iam diximus, ſupereſt, vt de Miniſtris Eccleſiæ dicamus. Eccleſia itaque vſum ſacerdotum & miniſtrorum de ſynagoga accepit, quos primum Moyſes ex præcepto Domini in miniſterio tabernaculi conſtituit, Deinde Dauid & Salomon nihilominus ex iuſſu Domini cantores & Leuitas in templo ordinauerunt, quos Apoſtoli ſecuti miniſtros Eccleſiæ in Chriſtiana religione diſpoſuerunt. F Exod. 28. Act. 6. 5.

CAPVT CLXXIII.

De Chriſtianis.

CHriſtiani autem à *Chriſto* dicuntur, & hi vita ſcilicet in *laicos*, in *monachos*, in *clericos* diuiduntur. *Laos* dicitur populus, Inde laici, id eſt, populares. *Monas* dicitur ſingularitas, inde monachi, id eſt, ſingulariter degentes.

CAPVT CLXXIV.

De Clericis.

G CLeros dicitur *ſors* vel hæreditas. Inde *clerici*, id eſt, ſortiti, ſcilicet ad hæreditatem Domini. Ipſi enim decimam & ſacrificium accipiunt, quæ ideo pars vel hæreditas Dei dicuntur, quia ex præcepto Dei in ſeruitium Dei offeruntur. Ideirco verò à ſorte clerici appellantur, quia ſacerdotes in lege ſorte eligebantur: & apud Gentiles, qui plures liberos habuit, vnum ad clericatum ſorte elegit. Omnes autem Eccleſiæ miniſtri dicuntur *clerici*. Sed ſunt in ſeptem gradus diſpoſiti, quia à ſeptiformi gratia Spiritus ſancti conſecrati. Sunt autem hi. *Oſtiarij, lectores, exorciſtæ, acolythi, ſubdiaconi, diaconi, presbyteri.* Gradus VII. in Eccleſia.

CAPVT CLXXV.

De Oſtiariis. 1.

H QVi in ſynagoga ianitores vel æditui dicebantur, in Eccleſia *Oſtiarij* nuncupantur. Illorum autem officium in lege erat, quod templum vt Samuel aperiebant & claudebant, & de Iudæis pollutos, de gentibus autem immundos, id eſt, incircuncisos de domo Dei excludebant. In Eccleſia autem hoc officium habent, vt catechuminos baptizandos in Eccleſiam introducant, & pœnitentes per Epiſcopum reconciliatos in oſtio accipiant, & in domum Dei reducant. Dum hi ordinantur, claues Eccleſiæ eis ab Epiſcopo traduntur, vt videlicet credentibus ianuas Eccleſiæ aperiant, incredulis claudant, & templum Dei quod ipſi ſunt virtutibus aperiant, vitiis claudant.

CAPVT CLXXVI.

De Lectoribus. 2.

QVi in templo erant cantores, apud nos ſunt *Lectores*. Illorum officium erat hymnos à Dauid compoſitos,

A ſitos, vel cantica à Salomone edita in templo, vt Aſaph, & Idithum reſonare, & organis, vel cymbalis Deo iubilare. In Eccleſia autem illorum eſt officium, diuinam Scripturam recitare, & Reſponſoria, vel Gradualia, & Alleluia ſingulariter coram populo ad laudem Dei cantare. Dum hi ordinantur, liber eis ab Epiſcopo traditur, vt videlicet operibus impleant, quæ populo de libris pronunciant. Eſt autem *præcentor*, qui præcinit; *ſuccentor*, qui cantum ſubſequitur, centor vel *cantor*, qui conſonat, *pſalmiſta*, qui pſalmos pronunciat, Symmyſta, id eſt, ſecretarius, vel ſecreti conſcius, qui myſteria Chriſti explicat.

CAPVT CLXXVII.

De Exorciſtis. 3.

EXorciſta dicitur adiurator; hi Salomone docente dæmones adiurabant, & eos de obſeſſis hominibus expellebant, vt ſeptem filij *Sceuæ* ſacerdotis faciebant. In B Eccleſia autem habent officium infantes catechizandos, exorcizare & per verba Dei, id eſt, baptizandorum corpora dæmonibus interdicere, ac de energumenis, ideo de obſeſſis corporibus per exorciſmos dæmonia arcere. Et his codex ab Epiſcopo traditur, dum ordinantur, vt videlicet monita librorum impleant, quo dæmones ab aliis expellere valeant.

CAPVT CLXXVIII.

De Acolythis. 4.

QVi in lege luminum concinnatores dicebantur, apud nos acolythi, id eſt, à cera *cerarij* nuncupantur. Hi lumina in templo accendebant, vel extinguebant, oleo reficientes, lucernas nutriebant, ex quibus Exod.24.18. Nadab & Abiu erant. In Eccleſia autem habent officium, vt lumine vel thuribulum ante ſacerdotem Miſſam vel ad Euangelium deferant, ad ornandum altare C veſtibus vel palliis inſeruiant. His ornandis candelabrum & vrceus vel ampulla ab Epiſcopo traditur; vt per hoc admoneantur, quatenus lucernæ bonorum operum in manibus eorum luceant, & oleum bonæ conſcientiæ in vaſis cordis habeant.

CAPVT CLXXIX.

De Subdiaconibus. 5.

QVi apud Hebræos Nachumei, id eſt, in humilitate ſeruientes ſcribuntur, apud nos *ſubdiaconi*, id eſt, ſubminiſtri dicuntur. Horum officium in lege erat, oblata ſacrificia à populo accipere, & aquam vel quælibet neceſſaria in miniſteria templi deferre: ex quibus Na- Ioan. 1 thanael dicitur fuiſſe. In Eccleſia autem hoc habent officium, vt *Epiſtolam* legant, calicem & patenam cum corporali diacono ad altare offerant. Vnde & *hypodiacones*, id eſt, diacono miniſtrantes dicuntur. Cum hi or- D dinantur, vaſa ſancta, id eſt, calix & patena eis ab Epiſcopo dantur, & manutergium, quatenus ſe vaſa Dei ſciant, & ſe huic miniſterio mundos exhibeant.

CAPVT CLXXX.

De Diaconibus. 6.

A Leui filio Iacob Leuitæ, id eſt, aſſumpti denominantur, per quos cuncta ſacrificia ſub ſacerdotibus adminiſtrabantur. Ex quibus Eleazar & Ythamar prædicantur. Hos Eccleſia *diaconos*, id eſt, miniſtros nuncupat, quia ſacerdotibus miniſtrant. Horum officium eſt in Eccleſia *Euangelium* legere, ſacrificium in altari componere, ſanguinem Domini diſtribuere, populo licentiam abeundi dare, & ſi neceſſe eſt prædicare, & baptizare. His ordinandis Epiſcopus ſtolam dat, vt ſe, lege Dei conſtrictos cognoſcant, ac ſe caſtitati in ſeruitio Dei omnimodis ſubdant. *Archidiaconus* dicitur ſummus diaconus, vt fuit Stephanus vel Laurentius.

CAPVT CLXXXI.

De Presbyteris. 7.

E PResbyter dicitur ſenior, non ætate, ſed ſenſu. *Cani enim ſunt ſenſus hominis.* Sap.4.9. Hi in lege principes populi vt Chore, Dathan, & Abiron, vel magiſtratus templi vt Nicodemus, & Gamaliel dicebantur, & per eos ſacrificia populi offerebantur. *Presbyter* enim dicitur *præbens iter*, † ſcilicet populo de exilio huius mundi ad patriam cœleſtis regni. Horum officium eſt miſſas celebrare, pro populo ſacrificare, corpus Domini diſpenſare, prædicare, baptizare, pœnitentes abſoluere, infirmos vngere, mortuos ſepelire, populum ad miſſam, vel nuptias, vel arma, vel peras, vel baculos, vel iudicia ferre, & aquas vel candelas, vel palmas, vel cineres, vel quaslibet res ad cibum pertinentes benedicere. His Epiſcopus manus in ordinatione imponit, poteſtatem ligandi atque ſoluendi tradit, quatenus ipſi ita viuant, vt F alios ligare ac ſoluere valeant. Iugum Domini ſuaue eis imponit; dum collum illorum ſtola cingit, quatenus ſic legi Dei obediant, vt alios regere queant. Manus eorum chriſmate vngit, vt cuncta, quæ benedicunt, benedicta ſint, quatenus ſe ab omni immundo opere contineant, vt digne corpus Chriſti conficere valeant.

† à πρέσϐυς πρεσϐύτερος, *ſenior.*

CAPVT CLXXXII.

De Sacerdotibus iterum.

SAcerdos dicitur quaſi ſacrum dans. Dat enim corpus Domini, vel alia ſacramenta populo. *Sacerdos* enim dicitur *ſacer dux*, † quia verbo & exemplo ducatum præbet ad vitam populo. Tam Epiſcopus quam presbyter *ſacerdos* vocatur, quia per vtrumque ſacramentum datur. *Archipresbyter* dicitur ſummus presbyter. *Decanus*, qui decem presbyteris eſt prælatus. *Præpoſitus*, qui aliis eſt prælatus. *Corepiſcopus*, qui de choro ſacerdotum G vicarius Epiſcopi eſt prælatus. *Vice Epiſcopus*, qui vicem Epiſcopi agit. Hos ſeptuaginta viri expreſſerunt, qui ſpiritum Moyſi accipientes populo prælati ſunt. Num. 11.

† *vel portans, ſacra dans*

CAPVT CLXXXIII.

De Epiſcopis

EPiſcoporum ordo in tria diuiditur: In *Epiſcopos*, in *Archiepiſcopos*, & in *Patriarchas*. Epiſcopi ſuper ſcopon dicitur * intendens, inde *Epiſcopus* dicitur ſuperintendens, quaſi de alto proſpiciens mores & vitam ſubiectorum. Sicut enim cuſtos vineæ in alto reſidens vndique proſpicit, ſic Epiſcopus Chriſti vineæ, ſcilicet Eccleſiæ cuſtos, quaſi, in alto reſidens populum ſub ſe poſitum proſpiciens inſtruit. Vnde & *ſpeculator* dicitur quia ſicut ſpeculator in alta turri ponitur, vt hoſtes ad- H uentantes ſpeculetur, & ciues ad reſiſtendum adhortetur; ſic Epiſcopus, quaſi in ſpecula collocatur, vt populum contra hoſtes dæmones, & hæreſes armare nitatur. Hic quoque præſul nominatur, quia præſidere ad conſultum putatur. Hic etiam *Antiſtes*, quaſi *anteſtans* dicitur quia populo præeminere videtur. *Anti* enim dicitur contra. Inde *Antiſtes* quaſi contra ſtans dicitur, quia hæreticis vt lupis paſtor contra ſtare & oues protegere cernitur. Eſt item *Pontifex* dictus, quaſi *pons factus*. Vita quippe Epiſpopi debet eſſe pons populo ſuper mare ſæculi ad patriam paradiſi. Vel Pontifex potius dicitur, *pontem faciens*, quia quaſi pontem populo facit, dum eum ſana doctrina ſuper paludes hæreſum ad atria vitæ ducit.

* *imo ab* ἐπισκοπέω, *ſpeculor.*

CAPVT CLXXXIV.

De ſummo Sacerdote.

HIc Aaron in veteri lege *ſummus ſacerdos* appellabatur, quia cæteris ſacerdotibus & leuitis principabatur. Exod.31. Hic nomen Dei *tetragrammaton* portabat, & ſemel

A in anno pro populo offerebat. In lege Aaron primus eſt in ſummum Sacerdotem oleo vnctus. In Euangelio autem *Iacobus* Apoſtolus eſt primus ab Apoſtolis Hieroſolymis Epiſcopus ordinatus. Vnde dum ordinatur, à duodecim Epiſcopis conſecrari imperatur. Et ſi neceſſitas cogit ſaltem à tribus, vt Paulus à Petro, Iacobo, & Ioanne eſt ordinatus. Quod oleo vngitur, hoc à lege accipitur, in qua Rex, & Sacerdos, vel Propheta oleo vngebatur.

CAPVT CLXXXV.

De manus impoſitione.

QVod autem benedictio per manus impoſitionem datur, Inde exortum creditur, quod Iſaac Iacob manus impoſuit, dum eum benedixit, Et Moyſes Ioſuæ manus impoſuit, dum eum ducem populo præfecit, Et Dominus in Euangelio Apoſtolis manus impoſuit, dum eos principes & Sacerdotes Eccleſiæ conſtituit. Sed & ipſi Apoſtoli manus impoſuerunt, cum Spiritum ſanctum dederunt. Huius officium eſt Presbyteros & reliquos Eccleſiæ miniſtros ordinare, virgines velare, baptizatos confirmare, chriſma & oleum conſecrare, Eccleſias dedicare, vaſa & veſtes Eccleſiæ benedictione ſanctificare, rebelles excommunicare, pœnitentes reconciliare, in ſynodo clericorum, vel in conuentu populorum Eccleſiaſtica iura reprobare. Huic dum regimen committitur Eccleſiæ, baculus, quaſi paſtori, & annulus, *Apocriſiario*, id eſt, ſecretorum ſigillatori traditur; quatenus gregem Chriſti ad paſcua vitæ baculo doctrinæ minet, atque ſponſæ Chriſti ſecreta ſcripturarum annulo fidei conſignet.

Gen 27. Deut. 31. Matt. 19. 15. B

CAPVT CLXXXVI.

De Archiepiſcopis.

C ARchiepiſcopus dicitur ſummus Epiſcopus, vel Princeps Epiſcoporum, archos quippe ſummus, vel Princeps dicitur. Idem etiam *Metropolitanus* dicitur. *Metropolis* autem mater ciuitatum vocatur, & ideo principalium ciuitatum Epiſcopi *Metropolitani* nominantur; horum officium eſt Epiſcopos conſecrare, Concilia congregare, iura dilapſa reparare. Hoc officium Moyſes habuit, qui Aaron Pontificem oleo conſecrauit. Ante hos Crux portatur, & pallio in modum crucis decorantur, quia ſi Chriſtum crucifixum imitantur, torque victoriæ remunerantur.

Exod 40.

CAPVT CLXXXVII.

De Patriarchis.

PAtriarcha dicitur ſummus patrum, vel Princeps patrum. Patriarcha enim pater archæ dicitur, ſcilicet Eccleſiæ, hi tantum tres ſcribuntur, quorum figuram Abraham, Iſaac, & Iacob, geſſiſſe leguntur: Horum
I. vnus principatum in Aſia tenuit; qui præſulatu in An-
II. tiochia præfuit: Alius in Africa primatum habuit, qui
III. in Alexandria Pontificatum tenuit: Tertius in Europa
D principabatur, qui Romani apicis infula decorabatur. Has tres ſedes ideo Eccleſia principales conſtituit, quia eas Princeps Apoſtolorum ſua ſeſſione cõſecrauit: duabus quippe præſedit. Tertiam Marcus Euangeliſta nomini eius aſcripſit. Poſtquam verò Nicæna Synodus Romano Pontifici hoc contulit priuilegium, vt ſicut Auguſtus præ regibus, ita ipſe præ omnibus Epiſcopis haberetur, & *Papa* vocaretur: Ius patriarchatus ad Conſtantinopolitanam vrbem, ſcilicet ſecundam Romam eſt tranſlatum. Quod autem aliæ ſedes ſunt mutatæ hoc cauſa creditur eſſe. Cum Chriſtiani relicta lege Dei paganos ſpurcis operibus imitarentur, iudicio Dei traditi ſunt in manibus eorum, qui deletis Chriſtianis poſſiderunt loca eorum. Vnde Antiochenus Patriarchatus eſt ad Hieroſolymam tranſlatus. Porrò Alexandrinus ad Aquilegiam eſt poſitus, quia huic ciuitati primum Marcus Euangeliſta præſedit, qui Alexandriæ præfuit. Quanquam quidam contendant quod Carthaginenſis Epiſcopus hac tranſlatione polleat. Horum officium eſt Archiepiſcopos conſecrare, decreta Canonum inſtaurare. E

CAPVT CLXXXVIII.

De Papa.

PApa dicitur *pater patrum*, vel cuſtos patrum. Hic enim vniuerſalis nuncupatur, quia vniuerſæ Eccleſiæ principatur. Hic quoq; *Apoſtolicus* nuncupatur, quia Inf. cap. 122.
Principis Apoſtolorum vice fungitur. Hic etiam *ſummus Pontifex* appellatur, quia caput omnium Epiſcoporum eſſe videtur. Huius nomen in ordinatione mutatur, quia Petri nomen in prælatione Eccleſiæ à Chriſto mutabatur. Huic enim claues traduntur, ſicut Petro à Domino claues regni cœlorum tradebantur, vt ſe ianitorem cœli eſſe cognoſcat, in quod cœlum Eccleſiam introducere debeat. Hunc Melchiſedech in officio prætulit, cuius ſacerdotium aliis incomparabile fuit. Papæ F
autem officium eſt Miſſas & diuina officia ordinare, Canones pro tempore ad vtilitatem Eccleſiæ immutare, Auguſtũ conſecrare & pallia Archiepiſcopis, priuilegia Epiſcopis vel aliis religioſis dare, totam Eccleſiam vt Chriſtus gubernare. Itaque Papa in vice Chriſti Eccleſiam regit, Epiſcopi in loco Apoſtolorum ei præſunt. *Presbyteri* ſeptuaginta duos diſcipulos exprimunt. Reliqui miniſtri Diaconos ab Apoſtolis conſtitutos præferunt. Act. 6.

CAPVT CLXXXIX.

De conſecratione Papæ.

PApa Vicarius Chriſti omnéſque Epiſcopi Apoſtolorum Vicarij in Dominica die debent ordinari. Hora tertia, qua Apoſtoli Spiritu ſancto ſunt oleo inuiſibili conſecrati. Oleum lucernis lumen miniſtrat, & vulnera curat. Ita Spiritus ſanctus Apoſtolis lumen ſcientiæ miniſtrauit, & vulnera peccatorum curauit. G
Ideo Epiſcopi oleo vnguntur, vt ſe Spiritum ſanctum Apoſtolis datum accepiſſe doceantur, & vt vita & doctrina coram hominibus luceant, & eos à vitiis curare ſatagunt. Ideo autem in Dominica die conſecrantur, quia & ea die Apoſtoli à Spiritu ſancto ordinabantur, & vt ſe cum Chriſto ſurrexiſſe, & in nouitate vitæ ambulare admoneantur.

CAPVT CXC.

De Ordine miniſtrorum.

MIniſtri Eccleſiæ vel altaris. Ideo in *ſabbato* ordinantur, quod *requies* dicitur, quia ipſis ab omni opere ſeruili requieſcere, & in Dei ſeruitio vacare præcipitur.

CAPVT CXCI.

De Presbyteris.

PResbyteri vero ad veſperam, quæ magis ad Dominicam pertinet, conſecrantur, quia Chriſto, cuius H
corpus conficiunt, incorporantur. Ideo autem in quatuor temporibus ordines dantur, quia quatuor gradus Dominum benedicentium, quia *Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri* intelliguntur, ſub cuſtodia quatuor Euangeliorum ad miniſteria Eccleſiæ in quatuor partibus mundi diffuſæ eliguntur.

CAPVT CXCII.

De Virginibus.

VIrgines vero ideo in natalitiis Apoſtolorum velantur, quia per Apoſtolicos viros quaſi per paranymphos ſponſæ Chriſto conſecrantur. Et quia morem virginitatis primum Apoſtoli Eccleſiæ ſeruandum tradiderunt, quem a perpetua Virgine Maria acceperunt.

A

CAPVT CXCIII.

De Tonſura clericorum.

TOnſura clericorum initium ſumpſit ab vſu Nazaræorum. Hi ex iuſſu legis crines ſuos radebant, & in ſacrificium Domino incendebant. Nazaræi autem dicuntur *ſancti*, vnde Apoſtoli ad exemplum eorum miniſtros Eccleſiæ docuerunt, ſe ob ſignum tondere, quo recordarentur ſe Domino in ſanctitate ſeruire debere. Chriſtus Rex & Sacerdos fecit nos ſibi & Sacerdotes & reges. Pars capitis raſa eſt ſignum ſacerdotale: pars crinibus comata ſignum regale. Sacerdotes quippe legis tiaram, id eſt, pileolum ex biſſo in modum mediæ ſphæræ rotundum in capite portabant: Reges aureas coronas geſtabant. Ergo raſa pars capitis tiaram, circulus crinium refert coronam.

B

CAPVT CXCIV.

De Chriſto Rege & Sacerdote.

SAcerdos quoque in lege caput & barbam raſit, dum ſacrificium pro populo obtulit. Rex autem coronam geſtabat, dum ad ſalutandum populum procedebat. Ita Chriſtus Rex noſter ſpineam coronam portauit, dum humilis & præpotens pro militibus duellum pugnaturus proceſſit, & regem ſuperbiæ deuicit. Idem ipſe ſummus Sacerdos in caluaria crines depoſuit, dum ſeipſum acceptum ſacrificium in ara crucis obtulit. Per circulum ergo crinium, ſpineam coronam præferimus; per nuditatem raſuræ caluicium Chriſti exprimimus. Mos quippe apud antiquos erat, quod captiuos decaluabant, quos crucifigere volebant, vnde ſcriptum eſt, *De captiuitate nudati inimicorum capitis.* Ideo locus, in quo decaluabantur *caluaria* dicebantur, in quo Dominus decaluatus putatur.

Deut. 32. 42.

CAPVT CXCV.

Quod Petrus Apoſtolus tonſuram inuenit clericorum primus.

C

PEtrus quoque Apoſtolus à Gentibus captus, & ad ludibrium Chriſtianorum traditur, barba raſus & capite decaluatus. Quod ipſi deinceps in myſterio fieri iuſſit quod incredulos quamvis inſcios, tamen Deo permittente in figura operatos intellexit; ſicut & Crux olim fuit ſubſannatio, nunc eſt Eccleſiæ gloriatio. Per caput principale animæ, ſcilicet mens denotatur, quæ ſicut caput capillis, ita cogitationibus perornatur. Quæ nouacula timoris Dei debet à ſuperfluis cogitationibus radi, vt nuda facie cordis valeat cœleſtia contemplari. Rotunditas autem, quæ remanet crinium, eſt ornatus virtutum. Capilli verò in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in concordia charitatis conſummantur. Quia autem barbam radimus, imberbes, pueros ſimilamus: quos ſi humilitate imitabimur, Angelis, qui ſemper iuuenili ætate florent, æquabimur.

Gal. 5. 11. 1. Cor. 1. 23.

D

CAPVT CXCVI.

De Tonſura Magorum.

SCiendum vero quod Simon Magus & ſui ſequaces ſicut caput radebant, & ab aure vſque ad aurem per medium caput quaſi plateam) vnde adhuc vulgo *platta* dicitur) faciebant & per caput cœlum, per viam tonſuræ zodiacum intelligi volebant, quia cœleſtes ſe aſſerebant.

CAPVT CXCVII.

De clericali corona.

Exod. 39. 29.

NOſtra autem tonſura in lege exprimitur, dum coronula quatuor digitorum ſuper menſam coram altari, & deſuper minor coronula aurea fieri præcipitur, per menſam, quo propoſitio panum ponebatur, noſtrum altare accipitur, cui quotidie panis Chriſti imponitur. Corona quatuor digitorum per circulum crinium noſtrorum exprimitur; ſuperior autem coronula per * plattam figuratur.

E

* *ple̅:'a, coronula iungit* 3. Reg. 7. 29.

CAPVT CXCVIII.

De ſacris veſtibus.

HÆc ſtrictim de Miniſtris Eccleſiæ ſint relata, nunc *de ſacris veſtibus* ſunt pauca ſubiicienda. Veſtes itaque ſacræ à veteri Lege ſunt aſſumptæ. Ideo autem Miniſtri Chriſti vel Eccleſiæ in albis veſtibus miniſtrant, quia Angeli æterni regis miniſtri in albis apparebant; per albas itaque veſtes admonentur, vt Angelos Dei miniſtros per caſtitatis munditiam in Chriſti ſeruitio imitentur. Veſtes vero, quibus corpus exterius decoratur, ſunt virtutes, quibus interior homo perornatur. Septem autem veſtes ſacerdotibus aſcribuntur, qui & ſeptem ordinibus inſigniti noſcuntur quatenus per ſeptiformem ſpiritum ſeptem virtutibus reſplendeant, quibus cum Angelis in Miniſterium Chriſti ornati procedant.

F

CAPVT CXCIX.

De præparatione Sacerdotis.

SAcerdos ergo Miſſam celebraturus, id eſt, ſpirituale bellum pro Eccleſia pugnaturus, neceſſe eſt vt ſpiritualibus armis induatur, quibus contra hoſtes incenſores vitiorum vndique muniatur. Primo namque quotidianas veſtes exuit, mundas veſtes induit, quia corpus Chriſti tractaturus vel ſumpturus veterem hominem cum actibus ſuis, quod ſunt vitia, ſeu peccata debet exuere, & nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, id eſt, virtutes & bona opera debet induere. Deinde pectit crines capitis, quia Sacerdos debet componere mores mentis. Aqua habluit manus, quia lacrymis debet abluere carnales actus. Deinde à ſorde eas extergit, quia tranſacta carnis opera per pœnitentiam eum extergere conuenit.

Epheſ. 4. 24.

G

CAPVT CC.

De lauandis manibus.

SAcerdotes quoque legis ſacrificaturi in labro de ſpeculis mulierum facto ſe lauabant, quæ ad oſtium tabernaculi excubabant. Labrum ex ſpeculis mulierum factum ſacra Scriptura intelligitur, quæ de perſpicua ſanctarum animarum vita conſcribitur. Hæ ad oſtium tabernaculi excubabant, quia iugiter æternum Dei tabernaculum intendebant. In hoc labro Sacerdotes ſacrificaturi, debent ſe lauare, ſcilicet vitam ſuam diligenter in ſacra Scriptura conſiderare, exemplis Sanctorum, à maculis purgare, & ſic ad ſacrificium Domini intrare.

H

CAPVT CCI.

De Humerali.

Exod. 30. 18. & 38. 8.

HInc Humerale, quod in lege *Ephot*, apud nos *amictus* dicitur, ſibi imponit; & illo caput & collum & humeros (vnde & *humerale* dicitur) cooperit, & in pectore copulatum duabus vittis ad mamillas cingit per humerale, quod capiti imponitur, ſpes cœleſtium intelligitur. Caput amictu cooperimus, dum pro ſpe cœleſtium Deo ſeruimus. Collum, per quod vox depromitur, eo circundamus, ſi pro ſpe vitæ cuſtodiam ori noſtro ponamus, vt nihil, niſi quod laudem Dei ſonet, de ore noſtro proferamus. Humeros, quibus onera portantur, eo velamus, ſi leue onus Domini patienter feramus. Hoc facimus, ſi pro ſpe futurorum, laborem actiuæ vitæ ſubimus, & proximis in neceſſitate ſubuenimus. Per oras humeralis, fides & operatio intelliguntur, quæ vtrimque ſpei annectuntur. Hæ ante pectus inuicem copulantur, & vna apparet, & altera occultatur; quia fides & operatio in vnum copulantur; & fides

A quidem in corde occultatur; operatio autem ad ædificationem proximorum foris manifeſtatur. Vna enim ora latet, alia apparet; quia actio noſtra proximis lucet, intentio vero coram Deo intus latet. Id pectus humerale cingitur, quia ſpe ſupernæ patriæ praua cogitatio à pectore ſacerdotis reſtringitur. Duæ vittæ, quæ amictum ad mammillas præcingunt, ſunt timor pœnæ & deſiderium vitæ, quæ ſpiritus cœleſtium pectori noſtro imprimitur. Hæc veſtis eſt candida, quia hæc omnia coram Domino ſunt ſplendida.

CAPVT CCII.

De Alba.

DEhinc *Alba* induitur, quæ in lege tunica linea vel talaris, apud Græcos *podis* dicitur, per hanc caſtitas deſignatur, qua tota vita ſacerdotis decoratur. Hæc deſcendit vſque ad talos, quia vſque in finem vitæ debet in caſtimonia perſeuerare ſacerdos. *Caputiũ* quo alba in-
B duitur eſt profeſſio: qua caſtitas ſeruanda promittitur. Lingula, quæ in caputio nunc innectitur, nunc reſoluitur, eſt poteſtas linguæ ſacerdotalis, quæ nunc ligat peccantes, nunc ſoluit pœnitentes. Hæc veſtis in medio coanguſtatur in extremo dilatatur, multis in commiſſuris multiplicatur, quia caſtitas preſſuris quidem mundi coarctatur, ſed in charitate dilatatur, multis virtutibus multiplicatur. Hæc veſtis albedine candet, quia ſanctitas coram Deo inter Angelos ſplendet.

CAPVT CCIII.

De cingulo.

EX hinc *cingulo* cingitur, quod in lege Balteus apud Græcos *zona* dicitur. Per cingulum, (quod circa lumbos præcingitur, & alba ne diffluat, & greſſum impediat aſtringitur) mentis cuſtodia vel conſcientia accipitur, qua luxuria reſtringitur, & caſtitas cohibetur, ne ad carnalia dilabatur, & greſſus bonorum operum impediatur, & ipſa concupiſcentia de vita ad ruinam im-
C pellatur.

CAPVT CCIV.

De Stola.

DEinde circundat collum ſuum *ſtola*, quæ & *orationum* dicitur, per quam obedientia Euangelij intelligitur. Euangelium quippe eſt ſuaue Domini iugum; obedientia vero lorum, quaſi ergo ſacerdos ad iugum Chriſti loris ligatur, dum collum eius ſtola circundatur. Hæc primitus ſiniſtro humero imponitur, & trans cor in dextrum latus reflectitur? quia obedientia Euangelij primum in actiua vita ſuſcipitur. Deinde per dilectionem in dextrum contemplatiuæ porrigitur, deinde per collum in dextrum humerum giratur, à ſiniſtro non leuatur, quiapoſtmodum obedientia per dilectionem Dei in contemplationem attollitur, & à proximis in actiua vita per dilectionem proximi non auellitur.

D

CAPVT CCV.

De Innocentia.

PEr ſtolam quoque innocentia exprimitur, quæ in primo homine amiſſa, per vitulum ſaginatum occiſum recipitur. Beati qui hanc ſtolam à criminum labe cuſtodiunt, vel maculatam lacrymis lauant, quia illorum poteſtas eſt in ligno vitæ, ſcilicet in Chriſto amiſſam gloriam poſſidebunt. Hac enim patriarchæ ante legem vtebantur, & primogenita dicebantur. Erat autem veſtis ſacerdotalis, quam maiores natu cum benedictione patris, vt Iacob ab Iſaac, induebant, & victimas, Deo vt pontifices offerebant, vnde dicitur, *Vende mihi primogenita tua.* Et iterum ſtola Eſau. *Stola* dicitur miſſa, erat enim veſtis candida pertingens ad veſtigia, ſed
Gen. 25. 31. poſtquam cœpit portari alba, mutata eſt, vt hodie cernitur ſtola.

CAPVT CCVI.

De Subcingulo.

E

EX hinc ſubcingulum, quod *perizoma* vel ſubcinctorium dicitur, circa pudenda duplex ſuſpenditur. Per hoc eleemoſynarum ſtudium accipitur, quo confuſio peccatorum contegitur. Hoc duplicatur, quia primum animæ ſuæ miſereri peccata deuitando, deinde proximo neceſſaria impendendo cuilibet imperatur. Περίζωμα. vide Suidam.

CAPVT CCVII.

De caſula.

DEinde *caſula* omnibus indumentis ſupponitur, per quam charitas intelligitur, quæ omnibus virtutibus eminentior creditur. *Caſula* autem quaſi parua caſa dicitur; quia ſicut à caſa totus homo tegitur, ita charitas totum corpus virtutum complectitur. Hæc veſtis & *planeta* (quod *error* ſonat) vocatur, eo quod errabundus limbus eius vtrinque in brachia ſubleuatur. Hæc in duobus locis, ſcilicet in pectore, & inter humeros duplicatur, F
in duobus locis, videlicet in vtroque brachio triplicatur. In pectore duplicatur, quia per charitatem ſancta cogitatio & bona voluntas generatur. Inter humeros duplicatur, quia per illam aduerſa à proximis & ab aduerſariis, ſupportantur. Veſtis ad brachia eleuatur, dum charitas bona operatur. In dextro brachio triplicatur, dum in dilectione Dei monachis, clericis, laicis, Chriſtianis miniſtratur. In ſiniſtro triplicatur, dum per dilectionem proximi malis Catholicis ſeu Iudæis ſiue paganis neceſſaria corporis præbentur. Caſula in dextrum brachium leuatur, vt amici in Deo amentur; ſuper ſiniſtrum plicatur, vt inimici propter Dominum diligantur. Hoc in ſupremo humerale forinſecus annectitur, quia ſpes charitatem ſemper amplectitur.

CAPVT CCVIII.

De Mappula.

AD extremum ſacerdos *fanonem*, in ſiniſtrum bra- G
chium ponit, qui & *mappula & ſudarium* vocatur, per quod olim ſudor & narium ſordes extergebantur. Per hoc pœnitentia intelligitur, quia quotidiani exceſſus labes extergitur. Hoc in ſiniſtro brachio geſtatur, quia in præſenti tempore tantum vita noſtra pœnitentia emundatur. His veſtibus ſacerdos ornatus procedit, confeſſionem facit, quia licet his virtutibus fulgeat, dignum eſt vt inutilem ſeruum ſe dicat, de tranſactis ſe accuſans, vt reum diiudicet, & coram Deo gratiam inueniat.

CAPVT CCIX.

De ſeptem veſtibus Epiſcopi.

EPiſcopus eiſdem ſeptem veſtibus induitur, inſuper & aliis ſeptem redimitur, ſcilicet *ſandaliis, Dalmatica, rationali, mytra, chirothecis, annulo, baculo. Sandalia* a ſandica herba vel à ſandaraco dicuntur, quo depingi feruntur. Hæc ab ipſo Domino vel ab Apoſtolis accepta creduntur, in quibus prædicaſſe traduntur. Eſt autem genus calciamenti inciſi, quo partim pes tegitur, partim H
nudus cernitur. Euangelica vero prædicatio intelligitur, quæ partim auditoribus aperitur, partim clauditur.

CAPVT CCX.

De Sandaliis.

FIunt autem ſandalia ex pellibus mortuorum animalium, quia Apoſtoli & doctores prædicationem ſuam munierunt ſcriptis Prophetarum, videlicet Dei animalium. Pes ſubtus ad terram ſolea huius calciamenti eſt tectus, deſuper nudus, quia Euangelij prædicatio debet carnalibus per litteram tegi, ſpiritualibus autem per Allegoriam denudari. Lingua ſub calcaneo ſurgit de albocorio, quia prædicator debet ſe ſeparare à terreno negotio, & eſſe innocens, & ſine dolo lingua; inde ſurgens ſeparata à corio eſt illorum lingua, qui bonum

A teſtimonium fertur Epiſcopo. Lingua ſuperior eſt ſpiritualium lingua, qui eum eligunt in prædicationis opera. Albo corio intrinſecus ſunt circumdata ſandalia, quia prædicatoris conſcientia coram Deo debet eſſe puritate candida. Extrinſecus vero nigrum apparet, quia vita ipſius coram hominibus humilitate deiecta eſſe debet. Superior pars, per quam pes intrat, multis filis eſt conſuta, quia multis ſententiis debet prædicationem mentibus infundere ſupernam. Lingua ſuper pedem eſt, lingua prædicatoris in plebem. Linea quæ à lingua vſque in finē deſcendit, eſt Euangelica perfectio, quæ in Deum tendit. Lineæ, quæ ex vtraque parte procedunt, ſunt Lex & Prophetia, quæ Euangelio teſtimonium ferunt. Ligatura eſt myſterium Chriſti incarnationis, quæ ſoluitur manu prædicationis. Tapetia pedibus eius ſubſtrata calcat, vt terrena deſpicere, & cœleſtia amare diſcat; Legis ſacerdotes habebant femoralia, quibus turpitudinem tegebant; Eccleſiæ ſacerdotes ſandalia portant, quia etiam aliis munditiam prædicant.

B

CAPVT CCXI.

De Dalmatica, 2.

D*Almatica* à Dalmatia prouincia eſt dicta, in qua primum eſt inuenta. Hæc à Domini inconſutili tunica & Apoſtolorum colobio eſt mutuata. *Colobium* autem erat cucullata veſtis ſine manicis ſicut adhuc videmus in monachorū cucullis, vel nautarum tunicis. Quod *collobium* à S. Syluestro in Dalmaticam eſt verſum; & additis manicis infra ſacrificium portari inſtituta. Quæ ideo ad Miſſam à pontifice portatur, vbi paſſio Chriſti celebratur, quia in modum crucis formatur. Hæc veſtis eſt candida, quia Chriſti caro de caſta virgine eſt genita; & pontificis vita debet caſtitate eſſe nitida: Hæc habet formam crucis, quia Chriſtus pro nobis ſubiit ſupplicium crucis, & pontifex debet ſe crucifigere vitiis & concupiſcentiis. Huius veſtis manicæ ſunt noſtræ gallinæ alæ. Omni quippe ſententia primos homines in paradiſo velut gallina oua in nido fouebat. Pullos Eccleſiæ ſub alas gratiæ & miſericordiæ congregabat. Ita debet Pontifex fideles ſub alas veteris & nouæ legis prædicando congregare, & exemplis ſe ſuper eos expandere, & oratione a cœli volucribus, id eſt, à dæmonibus protegere. Hæc debet eſſe inconſutilis, vt Dominica tunica, quia fidei integritas debet eſſe indiſciſſa.

C

CAPVT CCXII.

De Dalmatica & quid deſignet:

PEr Dalmaticam quoque religio ſancta & immaculata deſignatur, quia pupillorum & viduarum viſitatio, & vitæ immaculatæ cuſtodia mandatur. Dalmatica duas coccineas lineas ante & retro habet, quia vetus & noua Lex dilectione Dei & proximi refulget, qua pontifex redimitus eſſe debet. Iidem tramites purpurei, deſignant ſanguinem Chriſti, pro duobus populis effuſum, immaculatio pertinet ad dilectionem Dei; viſitatio fratrum ad dilectionem proximi: per colorem coccineum opus miſericordiæ accipitur, quod ob geminam dilectionem viduis & pupillis impenditur. Fimbriæ quæ de Dalmatica procedunt, Sunt verba & exempla prædicatoris, quæ de religione prodeunt. Fimbriæ ante & retro pendent, quia mandata dilectionis in lege & Euangelio manent. In vtriſque lineis ſunt quindecim fimbriæ altrinſecus, ſcilicet ante & retro diſpoſitæ, quia in veteri Teſtamento quindecim pſalmi quaſi quindecim gradus de via charitatis exeunt: & in nouo ſimiliter quindecim rami de arbore dilectionis excreſcunt. Sunt autem hi rami: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, charitas nunquam excidit.* Siniſtrum latus habet fimbrias quod ſignificat laboris ærumnas, quia actiua vita eſt ſollicita, & turbatur erga plurima. Dextrum latus non habet, quia contemplatiua vita quieta manet, & regina à dextris ſtans nihil in ſe ſiniſtrum habet Manicarum largitas eſt datoris hilaritas.

D — *Pſalmi Graduū.* — 1. Cor. 13. 4.

E

CAPVT CCXIII.

De Rationali, 3

R*Ationale* à Lege eſt ſumptum, quod ex auro, hyacintho, purpura vnius palmi menſura erat factum. Huic doctrina & veritas, ac duodecim precioſi lapides contexti, nominaque filiorum Iſrael inſculpta erant, & hoc pontifex in pectore ob recordationem populi portabat. Hoc in noſtris veſtibus præfert per ornatum, qui auro & gemmis ſummis caſulis in pectore affigitur. Monet autem pontificem ratione vigere, auro ſapientiæ, hyacintho ſpiritualis intelligentiæ, purpura patientiæ in Chriſtum, (qui cœlum palmo menſurat) tendere deberet, doctrina & veritate radiare, gemmis virtutum coruſcare, duodecim Apoſtolos ſanctitate imitari, totius populi in ſacrificio recordari.

Exod. 28.

F

CAPVT CCXIV.

De Mitra pontificali. 4.

M*Itra* quoque pontificalis eſt ſumpta ex vſu legis: Hæc ex biſſo conficitur & tiara Ydaros inſula pileum dicitur. Mitra quæ caput velat, in quo ſenſus ſunt locati, eſt cuſtodia ſenſuum ab illecebris mundi in mandatis Domini, pro corona vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. *Mitra* etiam eſt Eccleſia, caput vero Chriſtus, cuius figuram gerit Epiſcopus. Mitra ergo ex byſſo facta multo labore ad candorem perducta caput pontificis circundat, dum Eccleſia baptiſmate mundata; labore bonorum operum candidata, caput ſuum, ſcilicet Chriſtum in gloria videre anhelat, dum variis paſſionibus eum imitari pro gloriæ corona non dubitat. Caput quoque pontificis mitra decoratur, dum Eccleſia eius doctrina illuſtrata dignitati eius congratulatur, dum eum turba cleri & populis comitatur.

G

CAPVT CCXV.

De Chirothecis, 5.

C*Hirothecarum* vſus ab † Epiſtolis eſt traditus. Per manus enim operationes, per chirothecas deſignatur earum occultationes. Sicut enim aliquando manus chirothecis velantur, aliquando exactis chirothecis denudantur, ſic opera bona interdum propter arrogantiam declinandam cœlantur, interdum propter ædificationem proximis manifeſtantur. Chirothecæ induuntur, cum hoc impletur, *Cauete ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Rurſus extrahuntur cum hoc impletur, *luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Chirothecæ ſunt inconſutiles, quia actiones pontificis debent rectæ fidei eſſe concordes.

† *Port. Epiſcopis.* — Mat. 6. 1 — Matth. 5. 16.

H

CAPVT CCXVI.

De Annulo, 6.

A*Nnuli* vſus ex Euangelio acceptus creditur, vbi ſaginati vituli conuiuia prima ſtola veſtitur, annulo inſignitur. Olim ſolebant reges literas cum annulo ſignare; cum hoc ſoliti erant & nobiles quique ſponſas ſubarrare. Fertur quod Prometheus quidam ſapiens primus annulum ferreum ob inſigne amoris fecerit, & in eo adamantem lapidem poſuerit; quia videlicet ſicut ferrum domat omnia, ita amor vincit omnia, & ſicut adamas eſt infrangibilis, ita amor eſt inſuperabilis. Quem enim in illo digito portari conſtituit, in quo venam * cordis deprehendit, vnde & *annularis* nomen accepit. Poſtmodum verò aurei ſunt pro ferreis inſtituti, & gemmis pro adamante inſigniti, quia ſicut aurum cuncta metalla præcellit, ita dilectio vniuerſa bona excellit,

Luc. 15. 22. — *Prometheus ferro Caucaſo alligatus.* — Plin. Proœmio lib. xxxiii. — Cæl. Rodig. lib. 6. An-

&

A tiq. lect c. 19. *A. Gellius lib x. Noct. Attic. cap. x. Vide Plinium lib. xxxiii. Natur. Hiſt. c. 1.

& ſicut aurum gemmis decoratur, ita amor dilectione perornatur. Pontifex ergo annulum portat, vt ſe ſponſum Eccleſiæ agnoſcat, ac pro illa animam ſi neceſſe fuerit, ſicut Chriſtus, ponat. Myſteria ſcripturæ à perfidis ſigillet, ſecreta Eccleſiæ reſignet.

CAPVT CCXVII.

De Baculo Epiſcopali, 7.

BAculus ex auctoritate legis & Euangelij aſſumitur, qui & *virga paſtoralis*, & *capuita*, *&* *ferula*, *&* *pedum* dicitur. Moyſes quippe, dum oues pauit, virgam manu geſtauit. Hanc ex præcepto Domini in Ægyptum pergens ſecum portauit, hoſtes ſignis per eam factis terruit, qui velut lupi oues Domini ſtrangulabant. Gregem Domini de Ægypto per mare rubrum hac virga eduxit; paſtum de cœlo, potum de petra hac produxit, ad terram lac & mel fluentem, velut ad paſcua hac virga induxit. Nihil autem hæc virga fuit, quam baculus paſtoralis, cum quo gregem, vtputa paſtor minauit. B Hic baculus apud auctores *pedum* vocatur, eo quod pedes animalium illo retineantur. Eſt enim lignum recuruum, quo paſtores retrahunt pedes gregum.

CAPVT CCXVIII.

Item de Virga & baculo Epiſcopi.

Marci. 6. Lucæ. 9. IN Euangelio quoque Dominus Apoſtolis præcepit, vt in prædicatione nihil præter virgam tollerent. Et quia Epiſcopi paſtores gregis Dominici ſunt, vt Moyſes & Apoſtoli fuerunt, ideo baculum in cuſtodia præferunt. Per baculum, quo infirmi ſuſtentantur, auctoritas doctrinæ deſignatur. Per virgam, qua improbi emundantur, poteſtas regiminis figuratur. *Baculum* ergo Pontifices portant, vt infirmos in fide per doctrinam erigant; *virgam* baiulant, vt per poteſtatem inquietos corrigant; quæ virga vel baculus eſt recuruus, vt aberrantes à grege docendo ad pœnitentiam trahat; in extremo eſt acutus, vt rebelles excommunicando retrudat, hæreticos C velut lupos ab ouili Chriſti poteſtatiuè exterreat.

CAPVT CCXIX.

De genere baculi.

HIc baculus ex oſſe & ligno efficitur, cryſtallina vel deaurata ſphærula coniunguntur, in ſupremo capite inſignitur, in extremo ferro acuitur. Per baculum, vt dictum eſt, auctoritas doctrinæ accipitur, qua grex Dominicus à paſtore reficitur; & ad paſcua vitæ compellitur. Per durum os, duritia legis; per lignum manſuetudo Euangelij inſinuatur, per gemmam ſphærulæ, diuinitas Chriſti. Per ſupremum caput, regnum cœlorum, per extremum ferrum vltimum iudicium denotatur. Ex oſſe ergo baculus inciditur, dum ex dura lege duritia peccantium reprimitur. Ex ligno tornatur, dum ex ligno vitæ Chriſto doctrina formatur, & populus in virtutibus roboratur. Os ligno per gemmam connectitur, quia vetus Lex nouæ per Chriſti diuinitatem con- D texitur.

CAPVT CCXX.

De Sphærula.

PEr ſphærulam enim dilectio intelligitur, qua ſeueritas vel lenitas Pontificis complectitur. Oportet enim vt doctrina Epiſcopi ex vtraque lege ſic dilectione copuletur, vt Eccleſiam Chriſto coniungere per charitatem conetur. Hæc autem cuncta ſunt taſili arte polita; quia iſta ſunt omni ſanctitate redimita. Os recurnatur, vt populus errans per doctrinam ad Dominum retrahatur. Caput in ſupremo ponitur, dum conuerſis vita æterna proponitur. In extremo baculus ferro indoratur, dum omnis prædicatio per vltimum iudicium terminatur. In curuatura eſt ſcriptum; *Dum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*; ne ob culpam gregis ſuperet ira mentem paſtoris, ſed verbo & exemplo reuocet peccantes ad miſericordiam redemptoris. In ſphærula eſt ſcriptum, *homo quatenus ſe hominem memoretur*, vt de poteſtate collata non eleuetur. Iuxta ferrum eſt ſcriptum *Parce*, vt ſubiectis in diſciplina pateat, quatenus ipſe à ſummo paſtore gratiam inueniat, vnde & ferrum debet eſſe retuſum, quia iudicium ſacerdotis per clementiam debet eſſe delibutum.

Habac. 3. 2. Tob. 3. 13.

E

CAPVT CCXXI.

De Ornatu Archiepiſcopi.

HIs inſignibus Archiepiſcopus fulget, inſuper & pallio pollet, vt ſe Chriſti paſſionem populo præferre demonſtret. In duabus quippe lineis pallij ante & retro eſt purpureum ſanctæ crucis ſignaculum, quia Pontifex ex vtraque lege debet proferre Chriſti paſſionis teſtimonium. Duæ enim lineæ propendentes ſunt duæ leges Chriſti paſſionem proferentes.

CAPVT CCXXII.

De Pallio Archiepiſcopi. F

SPinulæ, quibus pallium affigitur, ſunt claui, quibus corpus Chriſti cruci configitur. Circulus, quo Pontifex circa collum circundatur, eſt torques aureus, qui legitimè certantibus in præmio datur. Itaque pallium monet Pontificem ferre viciorum mortificationem, Cruces pallij, in mente & corpore Chriſti imitari paſſionem, duæ lineæ, vt ſit duabus legibus per omnia inſtructus, ſpinulæ, vt per timorem Dei ſit mundo crucifixus, circulus, vt ſic præeſſe ſtudeat, vt torquem coronæ vitæ percipiat. Et quia in pallio tanta latent myſteria, ideo portatur inter Chriſti ſacrificia. Vnde etiam crux ante Archiepiſcopum portatur, quatenus Chriſtum crucifixum ſequi admoneatur, vt coronam gloriæ adipiſcatur. Pallium vero pro aurea lamina eſt inſtitutum, in qua ſummus Pontifex in lege Dei nomen tetragrammaton, id eſt, quatuor literas in fronte ſua præferebat inſcriptum. Quatuor quippe literæ illius nominis quatuor cornua crucis G præmonſtrabant, ſicut nunc pallium crucis modum repræſentat. Et quia hæc lamina aurea cum forma crucis in fronte Pontificis portabatur, ideo precioſa Crux frontibus Chriſtianorum chriſmate impreſſa portatur. *Pallium* autem à ſolo Apoſtolico datur, quia hæc dignitas à Romano Pontifice iure accipitur. Quos enim Apoſtoli prouinciis præfecerunt, Archiepiſcopi; quos illi paganis prætulerunt, Epiſcopi dicebantur: & Apoſtolorum ſucceſſor *Apoſtolicus* nominabatur. Huic collata eſt poteſtas ab Eccleſia Archiepiſcopos per prouincias conſtituere, Sup. cap. 186. quod per pallij largitionem accipitur.

CAPVT CCXXIII.

De veſtibus Patriarchæ & Apoſtolici.

PAtriarchæ quoque & Apoſtolicus *pallio* vtuntur, qui eodem officio præditi eſſe noſcuntur. Porro Apoſtolico in paſcha procedente pharus ex ſtuppa ſuper eum ſuſpenditur, quæ igne ſuccenſa ſuper eum cadere permittitur, ſed à miniſtris vel à terra excipitur, & per hoc ipſe in cinerem redigi, & gloria ornatus eius in fauil- H lam conuerti admonetur.

CAPVT CCXXIV.

De corona Imperatoris & Auguſti.

COrona Imperatoris eſt circulus orbis. Portat ergo Auguſtus *coronam*, quia declarat ſe regere mundi monarchiam. Corona quoque dicitur victoria, vnde & victores coronabantur, & Auguſti *victores orbis* dicebantur. Arcus ſuper coronam curuatur, eo quòd Oceanus mundum diuidere narratur. *Virga ſceptri* eſt poteſtas regni. Veſtes imperiales ſunt ſibi ſubditæ poteſtates. Monent autem Imperatorem purpureæ *veſtes*, vt habeat principales virtutes: *ſceptrum*, vt iudicium & iuſtitiam diligat, quatenus ſolium gloriæ cum principibus cœli

A poſſideat: *corona*, vt ſic viuat, quatenus à rege regum coronam vitæ accipiat. Dicitur quòd Auguſto ab Apoſtolico coronato & regalibus indumentis decorato, deſuper *pera* imponatur, vt per hoc admoneatur, quia ſicut ad faſtigium regni aſcendit, ita ad mendicitatem penæ deſcendere poſſit, ſicut Diocletianus, qui prius Auguſtus fuit, poſtmodum hortulanus extitit. *Crux* ante Auguſtum portatur, vt in omnibus regem Chriſtum ſequatur.

Pera, cur in Auguſti creatione. Sic tranſit gloria mundi

CAPVT CCXXV.

De Diademate regum.

D*iadema* autem regum deſignat regni ambitum, & omnes, qui in agone contendebant, diadema accipiebant. Innuit ergo regibus diadema, quod ſi pro iuſtitia certauerint, cum rege omnium coronati regnabunt. Hæc vero regalia inſignia à Nino primo traduntur inuenta.

CAPVT CCXXVI.

B

De Veſtibus miniſtrorum inferioris gradus.

MIniſtris inferioris ordinis, ſcilicet oſtiariis, Lectoribus, exorciſtis, acolythis, tres ſacræ veſtes conceduntur, quia videlicet Angelis ſplendidis miniſtris aſſociabuntur. Quia hic in miniſterio trinitatis fide, ſpe, & caritate veſtiuntur. Portant namque *ſuperhumerale*, quo humeri teguntur, quibus onera feruntur, vt diſcant alterutrorum onera portare, & Chriſto in membris ſuis neceſſaria miniſtrare. *Tunicam* talarem id eſt albam portant, vt humilitatem induant, & in hac vſque in finem Chriſto ſeruiant. *Balteo* id eſt zona iubentur renes præcingere, vt ſciant carnales concupiſcentias per continentiam reſtringere.

CAPVT CCXXVII.

De Cappa.

C

C*Appa* propria veſtis eſt cantorum, quæ pro tunica hyacinthina Legis mutuata videtur, vnde ſicut illa tintinnabulis, ita iſta inſignitur fimbriis. Per hanc veſtem ſancta conuerſatio præmonſtratur. Ideo à ſingulis ordinibus portatur. Hæc in ſupremo habet caputium, quod deſignat ſupernum gaudium. Si enim Chriſti miniſtri conuerſatio nunc in cœlis ſtabit, peracto miniſterio gaudium Domini intrabit. Hæc vſque ad pedes pertingit, quia in ſancta conuerſatione in finem vſque perſeuerare conuenit. Per fimbrias labor denotatur, per quem ſeruitium Dei conſummatur. Hæc veſtis in ante aperta manet, quia Chriſti miniſtris ſanctè conuerſantibus æterna vita patet. Porro in tunica ſonus tintinnabulorum eſt vox Deo canentium cantorum. Quæ ſeptuaginta duæ fuiſſe ſcribuntur, quia de ſeptuaginta duobus libris laudes Deo canuntur, quibus totidem *mala punica* interſerta referuntur, quia de eiſdem libris opera iuſtorum nobis in exemplum proferuntur.

Exodi 28. & 39. Eccli. 45. 10.

D

CAPVT CCXXVIII.

De Pileis.

CAntores enim caput pileis ornant, quia ſe in atria Domini concupiſcere clamant, vt Deum, qui eſt caput omnium in ſæculum ſæculi, laudare valeant. Baculos manibus portant, vt quo ipſi properant, alios ſecum inuitare ſatagant.

CAPVT CCXXIX.

De Subdiaconorum veſte.

SVbdiacono ſupradictæ veſtes conceduntur. Inſuper duæ aliæ, id eſt ſubtile & ſudarium adduntur. *Subtile*, quod & ſtricta tunica dicitur, portat, vt ſe iuſtitia quaſi lorica induat, & in ſanctitate & iuſtitia Deo ſeruiat. *Sudarium*, quo ſordes à vaſis deterguntur, portat, vt tranſacta mala ſordium à ſe per pœnitentiam tergat. Notandum vero, quod ſubdiacono ſudarium magis aliis formatur, quia vbi nunc fauo, olim mappula portabatur.

E

CAPVT CCXXX.

De Veſte diaconorum.

DIacono enim Dalmaticæ vſus conceditur, quæ in modum crucis formatur, quia per illum ſacrificium ſuper altare tanquam corpus Chriſti in cruce collocatur. Per hoc admonetur, vt crucis mortificationem iugiter in corpore ſuo, ſicut Lucas, circumferat, & in ſancta religione viduas & pupillos viſitando, vt Stephanus, ſeruiat, & in gradibus ſupradictis caritatis, vt idem, ſeruiat. Caputium Dalmaticæ anguſtatur, quia imitatio ſanctę crucis ab omnibus negociis coarctatur. Huic ſtola in ſiniſtro humero ponitur, & trans ſcapulas ad dextrum latus reflectitur, quatenus iugo Domini actiua vita ſubdat, & per pij laboris exercitium ad contemplatiuam proficiat.

CAPVT CCXXXI.

F

De Diacori caſula.

CVm diaconus caſulam portat, tunc prædicatores ſignificat, qui toto deſiderio contemplatiuæ vitæ inhiant, & in dilectione feruentes aliis cœleſtia prædicant. Qui interdum caſulam exeunt, & ſe illa præcingunt; quia illa, quæ ore prædicant, exemplis bonorum operum demonſtrant. Vnde diaconus de choro exit, caſulam exuit, duplicatam humero imponit, in dextro latere eam cingit, quia oportet prædicatores interdum opus prædicationis vel orationis vel lectionis intermittere, & proximis in neceſſitate ſuccurrere. Quaſi duplicatam caſulam humeris imponit, dum ob geminam dilectionem laborem pro fratribus ſubit. In dextro cingit, ſi per hoc tantum æterna requirit. Latus etiam denudatum deſignat Chriſtum pro nobis vulneratum. Diaconus in chorum redit, Euangelium legit, quia poſtquam prædicator Chriſto in membris ſuis miniſtrauerit, ad opus prædicationis redire debet, quod deſeruit, peracto miniſterio diaconus caſula induitur, quia prædicator, qui prius miniſtrauit, cum Martha, debet poſtmodum audire verbum Dei cum Maria. Subdiaconus etiam caſulam portat, quia imitatur diaconum, cui miniſtrat.

G

CAPVT CCXXXII.

De Indumentis clericorum.

CLericorum induuiæ ab antiquis ſunt acceptæ. His nempe cantores in templo vſi ſunt, ſicut Dauid & Salomon inſtituerunt. Huiuſcemodi veſtibus etiam ſenatores vſi ſunt, ex quibus in Eccleſiaſticum vſum tranſierunt. Hæ autem albæ veſtes munditiam vitæ indicant, quia iuſtum eſt, vt clerici in ſanctitate & iuſtitia Deo ſeruiant. Hæc veſtis eſt laxa, quia clericalis vita debet eſſe in eleemoſynis & bonis operibus larga. Eſt enim talaris, quia docet vſque in finem perſeuerare in bonis. Lingua huius veſtis eſt lingua clericalis, quæ debet & Dominum laudare, & populum ad laudem Dei inſtigare.

1. Paral. 20. 21.

H

CAPVT CCXXXIII.

De Tunicis clericorum.

DIebus Quadrageſimæ vel alio congruo tempore laneis tunicis vtuntur, quia miniſtri Eccleſiæ regi Chriſto in humilitate ſeruire præcipiuntur. Si enim Chriſti manſuetudinem & humilitatem ſequuntur, ad Chriſtum in conſortium angelorum perducuntur. In veſte clericali lingua formatur, quia tunica Domini inconſutilis ſic formata traditur, alæ Seraphin, in capite fides & ſpes. In brachiis gemina dilectio, in corpore pœnitentia & operatio.

CAPVT

A

CAPVT CCXXXIV.

De Camiſiis Clericorum.

CAmiſia autem ſacerdotum duabus linguis formatur, quia eis bina poteſtas traditur. Vna quippe lingua ligant peccantes, alia ſoluunt pœnitentes. *Cappa* videtur a caſula tracta. Per hanc admonentur clerici in charitate ambulare: Hancque aliis verbo & exemplo demonſtrare, quæ ſolet omnes virtutes decorare.

CAPVT CCXXXV.

Clericum non decet arma deferre.

CLerici non debent ideo arma portare, quia non contra homines, ſed contra dæmones debent virtutibus pugnare, ſicut Moyſes arma non portauit, ſed Ieſu cum Amalech pugnante ipſe precibus pugnauit. Sic Apoſtoli & eorum ſequentes non armis ſed orationibus pugnauerunt: & nos non reſiſtere, ſed magis iniurias pati docuerunt.

Exod. 17. Deut. 25.

B

CAPVT CCXXXVI.

Laici poſſunt portare arma.

LAici autem debent arma portare, vt Eccleſiam à paganis protegant, & clerici ſe ad ſeruitium Dei expediant. Vnde & illorum veſtes ſunt ſtrictæ, quatenus expediti reddantur pugnæ. Sicut autem non licet laicis clericale officium vſurpare, ita non debent clericalem veſtem ferre, & ſicut clericis non licet nec contra paganos arma ferre, ita non debent laicas veſtes portare.

CAPVT CCXXXVII.

Cuculla quid ſignificet

C

C*Vculla* monachorum ſumpta eſt à Colobio Apoſtolorum. Illorum vero tunica formatur, vt Dalmatica. Hæ duæ veſtes formam crucis præferunt, quia monachi ſe vitiis & concupiſcentiis crucifigunt, per has enim ſex alæ Seraphim exprimuntur, quia Angeli Deo proximi deſcribuntur. Duæ partes capitis quibus caput velant, ſunt duæ alæ quæ fidem & ſpem inſinuant. Duæ autẽ manicæ ſunt duæ alæ quibus volãt, quæ geminam dilectionem prænotant, duæ vero partes cucullæ in ante & retro, duæ alæ ſunt quibus corpus protegunt, quæ pœnitentiam & operationem exprimunt Hos ſi laudando Deum imitabuntur, eis in gaudio aſſociabuntur. Nigredo huius indumenti eſt contemptus mundi. Longitudo veſtis eſt perſeuerantia in bonis.

CAPVT CCXXXVIII.

Virga Abbati conceditur.

D

ABbati conceditur paſtoralis virga, quia ei traditur Dominici gregis cuſtodia, quem nimirum debet baculo doctrinæ ſuſtentare, & virga magiſterij ad paſcua vitæ minare. Per baculum quippe doctrina, per virgam accipitur diſciplina. Vnde dicitur, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Huius baculi flexura non ex albo, ſed ex nigro debet eſſe, quia in commiſſa cura non debet mundi gloriam quærere. Summitas curuaturæ debet eſſe ſphærica, quia cuncta eius diſciplina debet eſſe deifica.

Pſal. 22.

CAPVT CCXXXIX.

Conuerſationis Monialium initium.

VEſtis & conuerſatio ſanctimonialium à ſancta Maria ſumpſit exordium. Nigredo veſtis eſt contemptus amplexus virilis. Velum eſt ſignum pudoris & futuri honoris. In nuptiis quippe caput & faciem velant, vt ab omnibus viris illicitæ appareant, & pro hoc coronam vitæ ſibi repoſitam ſciant.

Vide Ambroſium de Virgin.

E

CAPVT CCXL.

De Veſtitu monialium.

QVod quædam virgines candidis veſtibus vtuntur à ſancta Cæcilia ſumptum videtur, quæ foris veſte ſplendebat, intus caſtitate fulgebat, & tamen mundi concupiſcentia in corde eius ſordebat. Candida enim veſtis præfert votum virginitatis.

CAPVT CCXLI.

De Viduis.

VIduarum prima Dina filia Iacob extitit ante legem, à qua vſus vidualis cœpit, hanc ſub lege Iudith & aliæ multæ imitatæ ſunt; ſub gratia verò Anna & aliæ plurimæ ſecutæ ſunt, quæ ſecundas nuptias contempſerunt, harum quoque habitus eſt mundo deſpectus.

Dina filia Iacob. Exod. 30. & 34.

F

CAPVT CCXLII.

De Conuerſis.

COnuerſæ autem, quæ eundem habitum gerunt, à Maria Magdalena formam ſumpſerunt.

CAPVT CCXLIII.

Baptizati albas portant veſtes.

BAptizati autem ideo veſtes albas portant, quia amiſſam innocentiam ſe recepiſſe inſinuant. Illorum *mitra* regni coronam, *Alba* vero ſacerdotij præfert ſtolam. Iam enim facti ſunt reges & ſacerdotes & Chriſti regis & ſacerdotis cohæredes.

G

HONORII AVGVſtodunenſis.

LIBER SECVNDVS.

De Horis Canonicis.

IN ſuperiore libro *de Miſſa & Eccleſia*, eiuſque Miniſtris, quæ Dominus largiri dignatus eſt, digeſſimus; nunc de reliquis Horis, quæ rurſus Dominus inſpirauerit, dicamus, vt promiſimus, & à Dominica nocte incipiamus, in qua redempti à ſeruitute ad libertatem, de morte ad vitam tranſlati ſumus.

CAPVT I.

De Nocturnorum Officio.

H

NOcturnale itaque officium repræſentat nobis excubias ſupernorum ciuium. Cæleſtis namque Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, & conſeruatur per angelicas vigilias. Qui vices ſuas quaſi in tres vigilias diſtribuunt, ac ſingulas tribus horis diſtinguunt, & vnamquamque tribus ordinibus cuſtodiunt, dum trinitati in terrenis agminibus laudes dulciſono concentu iugiter concinunt. Et quia præſens Eccleſia in hanc ciuitatem, & in contubernium horum ciuium ventura prædicatur, ideo & ipſa Hieruſalem nuncupatur, & idcirco illius ciuitatis vigiles in ſuis vigiliis imitatur, quia vero illius membra hic gerit, ideo hoc officium in nocte agit. Ideo autem in nocte domini ca , quia in hac meruit Angelorum conſortia.

HÆc itaque vrbs per baſilicam figuratur, n qu a clerus & populus quaſi exercitus in militiam congregantur. Signa militibus per tubas dantur, Chriſtianis ſigna per campanas dantur, qui quaſi milites conuenientes imperatorem ſalutant, dum per verſum, *Domine*

A *labia mea aperies*, laudes Chriſti inchoant. Dum enim in nocte dormitum eunt, ſignaculo crucis quaſi ſigillo ſe muniunt, qua nunc aperiunt, dum ora in nocte clauſa ad laudem Dei ſoluunt. Sed quia fruſtra vigilant, niſi
Pſ.126.1. Dominus cuſtodiat ciuitatem per verſum, *Deus in adiutorium meum*, diuinum auxilium inuocant.

CAntor, qui inuitatorium inchoat, eſt præco, qui tuba vigiles ad excubias conuocat. Poſt pſalmum, *Venite*, hymnum omnes cantant, velut milites qui in caſtra conueniunt regem laudibus efferunt. Deinde vigilias inter ſe diſtribuunt, dum tres nocturnos pſallunt. Singulæ vigiliæ tribus horis diſtinguuntur, & ſingulis nocturnis tres pſalmi diſcernuntur. Angelicæ excubiæ tribus ordinibus ſeruantur, & in noſtris vigiliis ordines ſcilicet pſalmorum, lectionum, reſponſoriorum denotantur. Quia cæleſtes excubiæ per nouem ordines angelorum celebrantur. Tres itaque Nocturni, totius
B Eccleſiæ militiam nobis commemorant, quæ in caſtris Domini ſub tribus temporibus videlicet *ante legem, ſub lege, & ſub gratia* militat.

CAPVT II.

De Prima vigilia.

PRima *vigilia* tempus ante legem intelligitur, quæ quaſi tribus horis aſcribitur, dum tribus interſtitiis diſtinguitur.

Prima Vigilia quid ſignificet.

PRima *hora* huius *Vigiliæ* ab Adam vſque ad Noë erat, in qua excubias huius ciuitatis Abel, Enos,
Pſalmi primi. Enoch, Lamech ſeruabant, ſicut primi Pſalmi indicant. *Beatus vir*, Abel exprimit, qui tanquam lignum interpretatur, quod fructum iuſtitiæ protulit, dum ab
C hominibus huius vrbis procubuit. *Quare fremuerunt*,
Pſal.1. Enos denunciat, qui domino in timore ſeruiebat, quem
Gen.4.26. Scriptura primum nomen Domini inuocaſſe commemorat. *Domine quid multiplicati* Enoch innuit, quem
Pſal.3. Ge.5.24. Dominus ſuſcepit, dum eum de terrenis tranſtulit. *Domine ne in furore* Lamech depromit, cuius deprecatio-
Pſal.6. nem Dominus exaudiuit, cum ei talem filium dedit, qui humanum genus à furore Domini in Arca ſeruauit. Hi pſalmi ideo ſub vna *Gloria patri* canuntur, quia iuſti illius temporis Trinitatem coluiſſe creduntur. Ideo autem quatuor pſalluntur, quia quatuor virtutibus *prudentia, fortitudine, iuſtitia, temperantia*, fulſiſſe noſcuntur. Antiphona, per quam modulantur, laudatio eorum in Deum notatur.

CAPVT III.

De Secunda hora.

D SEcunda *hora* huius *Vigiliæ* à Noë vſque ad Abraham
Pſal.7. erat. In qua Noë, Sem, Heber, Thare vigilabant, vt ſe-
Gen.6. quentes Pſalmi inſinuant. *Domine Deus meus*, Noë ex-
Pſal.8. primit, quem Dominus in ſua generatione iuſtum inuenit, & ideo à perſequentibus aquis ſaluum fecit. *Domine Dominus noſter*, Sem congruit, quem Dominus
Pſal.9. gloria & honore coronauit, dum eum benedictione pa-
Pſal.10. tris ſuper fratres ſublimauit. *Confitebor*, Heber innuit,
Gen.11. qui omnia Dei mirabilia narrauit, quando ciuitatem gigantum diſſipauit. *In Domino confido*, Thare depromit, quæ in Domino confidit, quando impia gens ignem adorare coëgit, cuius pars calicis, ignis & ſulfur fuit. Hi quoque quaterni pſalmi ſub vno *Gloria patri* canuntur, quia & illi patres in quatuor virtutibus rutilantes Trinitatem adoraſſe noſcuntur. Antiphona vero modulationis præfert deuotionem illorum laudationis.

CAPVT IV.

De tertia hora.

TErtia hora Vigiliæ ab Abraham vſque ad Moyſen fuerat, in qua Abraham, Iſaac, Iacob & Ioſeph vices vigilandi cuſtodiebant, qui inſtantes pſalmi proclamant. E

Saluum me fac. Abraham exprimit, quando ſanctus Pſal.11.
defecit, cum videlicet ipſe pænè ſolus Deum coluit, & totus mundus idololatriæ deditus fuit.

Vſquequo Domine obliuiſceris. Iſaac innuit, cui Do- Pſal.12.
minus bona tribuit, dum Chriſti figuram in omnibus prætulit.

Dixit inſipiens. Iacob oſtendit, quem inſipiens La- Pſal.13.
ban ſicut eſcam deuorauit, dum eum ſæpius defraudauit. Scilicet quia Dominus ſpes eius fuit, malum ab eo auertit, vnde *exultauit Iacob & lætatus eſt Iſraël.*

Domine quis habitabit. Ioſeph demonſtratur, qui ſine
macula eſt ingreſſus, dum ſtuprum recuſabat, & opera- Pſal.14.
tus eſt iuſtitiam, dum populum à periculo famis liberauit. Hi etiam quaterni ſub vno *Gloria patri* clauduntur, quia hi vigiles quatuor virtutibus ſplendentes Trinitatem coluiſſe leguntur. Antiphona melodiæ eſt laus F
ab eis exhibita maieſtati diuinæ. Sunt etiam iſtæ Antiphonæ quædam vigilum Cantilenæ.

CAPVT V.

Verſiculus.

VErſus, qui ſequitur, à vertendo dicitur, ideo quia ſe vertit de Pſalmis chorus ad Orientem, & quia ſe vertit de Pſalmis ad dilectionem; per orationem Dominicam, quæ ſecreto dicitur, ſecretum regis conſilium intelligitur. Poſt *pater noſter* ſacerdos verſum aperte dicit, quaſi Rex mandatum legatis iniungit. Viciſſitudines lectorum ſunt ſucceſſiones legatorum. Qui *iube domine benedicere* dicit, quaſi licentiam eundi petit. Benedictio vero ſacerdotis eſt licentia Imperatoris. Ipſa autem lectio eſt iniunctæ legationis executio, *Tu autem Domine*, reuerſionem legati exprimit, dum commiſſum mandatum redit. G

CAPVT VI.

De Lectionibus.

LEctiones quoque prædicationem illorum patrum præferunt, reſponſoria vitam eorum, per quam prædicationi reſponderunt. Ideo autem poſt vigiliam
Abrahæ lectiones leguntur, quia ab eo primitus litte- *Abrahã.*
ræ poſt diluuium repertæ traduntur, & ipſe primus Chaldæos Aſtronomiam docuit, & Ægyptios Mathematica imbuit. Ideo etiam peracta prima vigilia Lectiones leguntur, quia tranſacto primo tempore libri legis ad doctrinam populi à Moyſe eduntur.

CAPVT VII.

De Secunda vigilia & ſecundo nocturno.

SEcunda vigilia tempus Legis accipitur, quod iterum H
quaſi horis diſcernitur, dum tribus interſtitiis diuiditur, ſcilicet vno à Moyſe vſque ad Dauid, Secundo à Dauid vſque ad Babyloniam, Tertio à Babylonia vſque ad Chriſtum, ſiue *Sacerdotibus, Iudicibus, Regibus*, quod declarat Pſalmorum textus.

CAPVT VIII.

De Prima hora.

NAm *Conſerua me Domine*, ſacerdotes exprimit, Pſal.15.
quorum Dominus pars hæreditatis & calicis fuit, qui prima hora huius vigiliæ excubias ſeruabant, dum Aaron & alij poſt eum, legem Domini populum docebant. *Exaudi Domine iuſtitiam meam.* Iudices innuit, Pſal.16.
quorum iudicium de vultu Domini prodiit.

CAPVT IX.

De ſecunda hora.

HI ſecundæ horæ vigilandi curam ſuſceperunt, dum Gedeon & alij populum ſecundum legem Dei iudicauerunt.

Di... gle

A Pſal. 17. dicauerunt. *Diligam te Domine*, Reges oſtendit, quos Dominus caput gentium conſtituit, qui tertiæ horæ vigilias cuſtodiebant, dum Dauid & alij populum ad iuſtitiam regebant.

CAPVT X.

De Gloria patri & tertio nocturno.

SIngulí pſalmi cum *gloria patri* pſalluntur, quia ſinguli ſupradicti ordines Trinitatem adoraſſe ſcribuntur, ideo etiam & tres pſalmi canuntur. Antiphonæ ternæ, quibus Pſalmi modulantur, ſunt laudes, quæ ab illis iuſtis Trinitati exhibebantur. Sequentes lectiones ſunt illorum vigilum prædicationes. *Reſponſoria* vero illorum actiones, quibus hic cantabiles erant Dei iuſtificationes. Ideo autem Lectiones poſt ad vigiliam Regum leguntur, quia illo tempore libri Prophetarum ſcribebantur & ipſi tempore legis, quaſi ſecunda vigilia populum docuerunt, & cantum bonorum operum perſonuerunt. B

CAPVT XI.

De Tertia vigilia & tertio nocturno.

TErtia vigilia *tempus gratiæ* extat, quæ vſque in fine mundi perdurat. Hæc quaſi in tres horas diuiditur,
1. dum tempore *Apoſtolicæ prædicationis*, tempore *perſecu-*
2. *tionis*, tempore *pacis* diſtinguitur.
3.

De Prima hora.

Pſal. 18. PRima hora huius vigiliæ Apoſtoli vigilabant, quos demonſtrat pſalmus, *Cœli enarrant*, quorum voces omnis loquela & ſermo audiuit, dum eorum ſonus in omnem terram exiuit.

De Secunda hora.

Pſal. 19. SEcunda hora Martyres vigilandi curam ſubibant, quos pſalmus, *Exaudiat te Dominus*, denunciat, quos nomen Dei in tribulationibus protexit, & omnis ſacrificij eorum memor fuit. C

De Tertia hora.

Conſtantinus. Pſal. 20. TErtiæ horæ excubias Conſtantinus dux pacis cum fidelibus ſuſcepit, quem Pſalmus, *Domine in virtute tua lætabitur rex*, innuit. Ipſe enim rex in virtute Chriſti eſt lętatus, dum Taurus in conuentu totius orbis in nomine Chriſti eſt per Silueſtrum reſuſcitatus. Super ſalutem Dei vehementer exultauit, dum maximam ſynodum in Niceam congregauit, vnde Eccleſia coronam ſuper caput eius poſuit gloriam, & magnum decorem ei tribuit. Huius vigiliæ cuſtodiam adhuc populus fidelium ſeruat; cuius rex in Domino ſperat. Vltimi verſus pſalmi tangunt tempora antichriſti. Quem Dominus *clibanum ignis* ponet, in quo vaſa ſua examinet. *In tempore* vero *vultus ſui*, id eſt, in die iudicij eum cum omnibus iniquis Dominus in ira ſua conturbabit, cum eos ignis deuorabit. Eccleſiam vero vigilem in virtute ſua Dominus tunc exaltabit, quæ virtutes eius in æternum cantabit. D Hi Pſalmi ſinguli cum *gloria patri* terminantur, quia Trinitas ab his omnibus veneratur. Tres autem ideo ſunt, quia in *fide*, *ſpe*, & *charitate* floruerunt. Antiphonæ melodiæ ſunt gratiarum actiones Eccleſiæ, & quædam vigilum cantilenæ.

CAPVT XII.

Quod Paulus vigil fuerit.

1. Tim. 1. v. 17. PAulus vigil ſuauem cantilenam in prima hora cantauit, dum pro Gentium vocatione ſic exultauit. *Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum amen.*

CAPVT XIII.

Laurentius vigil.

LAurentius vigil dulcem cantilenam in ſecunda hora eſt modulatus, dum in craticula ſic eſt gratulatus. *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.* E

CAPVT XIV.

*Gregorius * vigil.*

* ἀπὸ τοῦ γρηγορεῖν, quod eſt, vigilo.

GRegorius vigil delectabilem harmoniam in tertia hora ſonuit, dum muſica arte diuinum officium agi docuit, per lectiones, quæ recitantur doctrinæ fidelium, deſignantur. *Reſponſoria*, quæ cantantur, ſunt illorum exempla, quibus alij informantur, vnde & reſponſorij vocabulum his, quia vita doctrinæ reſpondet per cantum, vſus pœnitentium conuerſio intelligitur, cum quis de malo ad bonum conuertitur. Sicut enim laborat, qui verſum ſolus cantat, ita pœnitens laborem ſubit, dum pro errato ſatisfacit. Poſt verſum autem cantus inceptio eſt communis omnium pro conuerſo gratulatio. Cui omnes per orationes ſuccurrunt, ſicut canenti ſubueniunt, quia & angeli ſuper vno pœnitentiam agente gaudium in cœlis ducunt, per hoc autem cantores milites in excubiis imitantur, quia ſi aliquis ex ſociis ſuis inter hoſtes aberrauerit, contriſtantur; ſi vero periculum euadens redierit, ei congratulantur. F Tertio reſponſorio ſemper gloria patri annectitur, quia Trinitati omne præſens præteritum & futurum ſubiicitur. Ad tertiam vigiliam ideo euangelium recitatur, quia in tertio tempore illud modo prædicabatur. Ideo & in tertio nocturno ſæpius in antiphonis *Alleluia* cantatur, quia in illo tempore laus & lætitia æternæ vitæ prænunciabatur. Hæc vniuerſa ideo in Dominica nocte actitantur, quia hi omnes ſupradicti per fidem reſurrectionis Chriſti ſaluantur. Porro *Te deum laudamus* gaudium, & lætitiam nobis repræſentat, quia Eccleſia in die iudicij liberata exultat. Forſitan aliquem mouebit, cur tres tantum vigiliæ à nobis ponantur, cum quatuor noctis vigiliæ tradantur. Hic ſciat cum ad noctem ſeculi ſignificatio refertur, tunc tres tantum vigiliæ propter tria tempora ponuntur, pro quibus & tres nocturni pſalluntur. G Cum vero ad noctem temporis refertur, tunc quatuor vigiliæ ſcribuntur, & per quatuor laudes canuntur. Et ſciendum cum nocturnus dicitur, *cantus* intelligitur. Cum autem nocturna tunc *hora* accipitur.

Cur tres Nocturni tantum, cum quatuor ſint noctis. Vigiliæ.

CAPVT XV.

De media nocte.

NOcturnale autem officium ideo media nocte agimus, quia media nocte Dominus dormientes Ægyptios percuſſiſſe & vigilantes Hebræos liberaſſe legimus. Ideo enim in media nocte agitur, quia media nocte in Bethlehem Dominus natus legitur, eique mox ab Angelis laus concinitur; qui etiam paſtoribus cum lumine apparebant, qui vigilias noctis cuſtodiebant. Ideoque, in media nocte, & in Dominica nocte, quia Dominus media nocte, & in Dominica nocte, infernum deuaſtauit, & populum vigilantem in media nocte liberauit. H Ideo nihilominus in media nocte, quia Dominus in media nocte, & in Dominica nocte ad iudicium veniet, & dormientes à bonis de ciuitate ſua diſperdet; vigilantes vero in bonis in locum exultationis adducet.

CAPVT XVI.

De auctoritate Sanctorum.

AVctoritatem verò à ſanctis habemus, vt in nocte ſurgentes laudes Creatori noſtro cantemus. Pſalm. Dauid namque & prophetæ media nocte ad confitendum nomini Domini ſurgebant, & Dominus in oratione pernoctabat, & Paulus atque Sylas in carcere media Actor. nocte pſallebant, quando ingens lumen diuinitus ibi reſplendebat, hos qui imitantur & præmiis participantur.

A

CAPVT XVII.

Diſpoſitio Hieronymi.

S. Hieronymus. Damaſus Pont.

Hieronymus primum in Bethlehem, vbi Dominus naſci voluit, nocturnale officium vel reliquas horas, vt hodie canit Eccleſia, diſpoſuit. Secundum Damaſus Papa per omnes Eccleſias eodem ritu celebrari conſtituit. *Anti* dicitur contra; *phon* vero dicitur ſonus, inde *antiphona* nomen habet, quod circa ſonum ſonet; quia cum videlicet antiphona incipitur ſecundum tonum eius pſalmus canitur. Hunc cantum primitus Ignatius Antiochenus Epiſcopus in cælo angelicum chorum alternare audiuit, & ſecundum hanc formam ſuam Eccleſiam cantare docuit, iſque hos ad omnes Eccleſias pertranſiit. *Reſponſorium* à reſpondendo dicitur, quia choro canente verſus ab vno reſpondetur, & huic iterum à choro per inceptionem reſpondetur. Hunc cantum in primis Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus compoſuit, & ab eo tota Eccleſia formam accepit. Hic enim Hymnos compoſuit quos adhuc eccleſia in laude Chriſti canit.

S. Ignatius Epiſ. S. Ambroſius. B

CAPVT XVIII.

De vinea Domini.

Nocturnale officium quoque eſt imitatio in vinea laborantium. Cum in Eccleſia ad ſeruitium Dei noctu canimus, quaſi in vinea ad operandum conuenimus. Præſens enim vita nocti comparatur, quæ tenebris ignorantiæ obſcuratur. Cum laudem Dei per *Domine labia mea aperies* incipimus, quaſi opus vineæ inchoamus. Moxque diuinum auxilium per *Deus in adiutorium meum intende* inuocamus, quatinus inceptum opus perficiamus, per *Venite* vero alterutrum ad ſeruitium Dei, quaſi operantes inſtigamus. Deinde hymnum Deo canimus, quod nocturnas illuſiones ſuperauimus, & illos per hoc imitamur, qui cantant, dum operantur: Deinde dum alternatim pſallimus, quaſi certatim operi inſiſtimus, dum lectiones legimus, quaſi nos ad opus inſtruimus, dum reſponſoria canimus, quaſi poſt peracto opere gratias agimus. Eſt enim lectio mentis refectio, dum ergo lectiones legimus, quaſi animas in diuino opere laſſas velut vineæ operarios reficimus, dum reſponſoria canimus, quaſi poſt refectionem laudes ſoluimus. Vnde cum iterum pſallimus, quaſi refecti ad laborandum ſurgimus, diuerſæ nocturnæ variæ horæ ſunt, quibus operarij vineam Domini introierunt. Vt autem labor huius vineæ nobis leuigetur, priorum primum in hac vinea pondus diei & æſtus portantium exemplum per pſalmos & lectiones præbetur.

Matth. C

CAPVT XIX.

De Sacerdote.

Matt.20. D

Sacerdos itaque qui incipit, figuram patrisfamilias gerit, qui operarios ad vineæ culturam conducit. Cantor, qui *Venite exultemus* cantat, præfert procuratorem, qui ad vineæ culturam inuitat. Porro hymnus illum cantum repræſentat, quo poſt peractum opus alacriter inchoant, pſalmi diuerſorum ſanctorum opera nobis inſinuant, qui in hac vita laborabant. Primi namque quaterni Pſalmi mane, ſcilicet ab Adam vſque ad Noe demonſtrant. Secundi quaterni horam tertiam, ſcilicet à Noe vſque ad Abraham indicant. Tertij quaterni ſextam horam, ſcilicet ab Abraham vſque ad Moyſen denunciant.

CAPVT XX.

Mane Abel.

Pſalm.1.

Mane itaque primus *Abel* huius vineæ laborem ſubiit, quem primus pſalmus, *Beatus vir*, exprimit, qui nos in lege Domini die ac nocte meditari quaſi in vinea operari docuit, dum ipſe protomartyr tanquam lignum fructiferum fructum martyrij primus obtulit. Poſt hunc *Enos* hanc vineam excoluit, quem pſalmus, *Quare fremuerunt*, innuit, qui nos in hac vinea Domino in timore ſeruire conſtituit, quando gentes ex Cam in malitia fremuerunt & aduerſus Dominum inania meditati ſunt. Deinde *Enoch* huius vineæ cultor extitit, quem, *Domine quid multiplicati ſunt*, depromit, qui nos à ſomno exurgere & voce noſtra ad Dominum clamare monuit. Quem, quia multitudo populi maligni circumdedit, Dominus eum ſuſcepit. *Lamech* quoque ad laborem introiuit, quem *Domine ne in furore* innoteſcit, qui nos per ſingulas noctes lectum noſtrum cum lachrymis lauare inſtruit, ne cum his pereamus, quos Dominus in furore ſuo arguit.

E Pſal.1. Pſal.111. Pſal.6.

CAPVT XXI.

Tertia hora Noe.

Pſal.7. F Pſal.8. Pſal.9. Pſal.10.

Domine Deus meus in te ſperaui, Noe oſtendit, qui quaſi tertia hora hanc vineam excoluit, & primus vites plantare nos docuit, qui quia in Domino ſperauit, etiam in vndis liberauit. *Domine Dominus noſter*, Sem denunciat, qui poſt diluuium in hac vinea nomen Domini mirabile in vniuerſa terra nunciabat. Qui omnes ſe laudantes gloria & honore coronabit, qui ex ore infantium & lactentium laudem perfecit. *Confitebor tibi Domine*, Heber cultorem huius vineæ inſinuat, qui nos admonet pſallere Domino, qui in Syon habitat. *In Domino confido*, Thare indicat, qui cultor huius vineæ in Domino confidebat, & Domino in templo ſancto ſuo nos ſeruire monebat.

CAPVT XXII.

Sexta hora Abraham.

Pſal.11. Pſal.12. G Pſal.13. Pſal.14.

Sexta hora *Abraham* hanc vineam intrabat, quem pars, *Saluum me fac*, declarat, quando mundus idola coluit. *Vſquequo Domine obliuiſceris*, Iſaac in hac vinea laborantem exprimit, cuius Dominus oblitus non fuit, dum arietem mactandum pro eo poſuit, qui nos cantare Domino & pſallere nomini eius monuit, qui omnia bona nobis tribuit. *Dixit inſipiens*, Iacob innuit, qui apud inſipientem Laban pondus diei & æſtus portauit, & nos Dominum inuocare docuit. *Domine quis habitabit*, Ioſeph depromit, qui in hac vinea ſine macula deſudauit, & nos Dominum glorificare monuit.

CAPVT XXIII.

De Verſu.

Qvod intermiſſa pſalmodia *Verſus* dicitur, deſignat quod ex intermiſſo opere multitudo ad refectionem expeditur. Lectiones, quæ leguntur, ſunt diuerſa fercula, quibus operarij ad inuicem reficiuntur. *Benedictiones* quæ præcedunt, religioſorum benedictiones præferunt, quibus cibum benedicit. *Reſponſoria*, quæ poſt lectionem canuntur, ſunt laudes quæ ſumpto cibo ſoluuntur.

H

CAPVT XXIV.

Nona hora Moyſes.

Pſal.15. Pſal.16. Pſal.17.

Secunda nocturna eſt hora nona: hanc Moyſes & Aaron aliiſque legem ſacerdotes vineam Domini excolebant, quæ in pſalmo, *Conſerua me Domine*, Dominum partem ſuum & calicem dicebant & nos Dominum, qui tribuit intellectum, benedicere docebant. In hac enim iudices laborabant, quos pſalmus, *Exaudi Domine iuſtitiam meam*, denotat, qui iudicium ſuum de vultu Domini prodire rogabant, & nos in nocte ad Dominum clamare monebant. In hac reges quoque deſudabant, qui ſe in pſalmo, *Diligam te Domine*, in caput gentium conſtitutos proclamant, qui nos laudando Dominum inuocare inſtituebant. Verſus modulatio eſt ab opere ſeparatio, lectiones ſunt operariorum refectiones, Reſponſoria ſunt illorum laudationes.

A

CAPVT XXV.

Vndecima hora Apoſtoli

IN tertia nocturna repræſentatur hora vndecima, hac Pſal. 18. Apoſtoli humeros oneri ſupponebant, quos canit pars, *Cœli enarrant*, qui nos iuſtitias Domini edocebant, in hac Martyres, vt in magno æſtu graue pondus Pſal. 19. portabant, quos loquitur pars, *Exaudiat te Dominus*, qui nos Dominum in die tribulationis inuocare monebant. In hac confeſſores operarij ſunt, qui in pſalmo, Pſal. 20. *Domine in virtute*, expreſſi ſunt qui voluntate labiorum ſuorum fraudati non ſunt, & nos cantare & pſallere virtutes Domini perſuaſerunt, per verſum qui ſequitur & Euangelium quod legitur, conuerſio gentilium intelligitur, qui quaſi reſponſorium canit, quod per Euangelium in Domini vineam conducti ſunt, qui tota die in foro infidelitatis otioſi ſteterunt. per *Te Deum laudamus*, illorum gaudium accipitur, quibus peracto opere denarius in ſero, id eſt, in vita æterna in conſummatione ſeculi traditur. B Hos ideo in nocturnali officio imitamur, vt cum eis denarium vitæ Chriſtum mereamur. Et quia hæc cuncta per Chriſti reſurrectionem ſperantur, ideo in nocte dominicæ reſurrectionis talis modo cantatur.

CAPVT XXVI.

De Verſibus.

ANtiqui patres in omni opere Deum inuocabant, ſed & gentiles Deum in minimis etiam rebus inuocandum cenſebant. Ideo nos omnes horas per verſum *Deus in adiutorium* incipimus, vt in omni actione diuinum auxilium inuocemus, Verſus, *Memor fui* in nocte tempus ante legem deſignat, quo Patriarchæ *in nocte* ignorantiæ nominis Domini memores erant. Sed & Dominum exprimit, qui pro nobis in cruce orauit, vt eccleſia nominis eius in nocte memor ſit. Verſus, *Media nocte ſurgebam*, tempus legis denotat, quo Prophetæ de C nocte ignorantiæ ad lucem ſcientiæ ſurgebant. Sed & Dominum demonſtrat, qui media nocte de mortuis ſurgebat, vt & Eccleſia media nocte ad confitendum nomini eius ſurgat. Per verſum, *Exaltare Domine*, tempus gratiæ deſignatur, quia Dominus in virtute ſua, ſcilicet in dextra patris exaltatur. Et ſi Eccleſia virtutes eius in nocte cantabit, eam quoque in gaudio exaltabit. 2. Paral. 6. v. 21. *Exaudi Domine preces ſeruorum tuorum* ex libro Paralipomenon aſſumptum patriarchis conuenit, quos primus nocturnus exprimit. *Oſtende nobis Domine* vel quodcumque aliud pro tempore de pſalterio vel alia prophetia ſumptum prophetis congruit, quos ſecundus nocturnus innuit. *Precibus & meritis beatæ Mariæ omniumque ſanctorum*, ſanctæ Mariæ & Apoſtolis convenit, quos tertius nocturnus concinit. *Iube Domine benedicere* ad Dominum dicitur, ad quod *Tu autem* continuatur, quod de pſalmo *Beatus*, qui intelligit aſſumitur. Sacerdos autem, qui tenet vicem Domini, dat benedictionem.

D

CAPVT XXVII.

De Feſtiuitate ſanctorum.

IN feſtis Sanctorum ita nocturnale officium vt in nocte Dominica agimus, quia eos per Chriſti reſurrectionem gaudia conſecutos credimus. Ideo autem cum nouem Pſalmis & totidem Lectionibus ac Reſponſoriis celebramus, quia eos in conſortio nouem ordinum Angelorum eſſe prædicamus.

CAPVT XXVIII.

De Matutinis monachorum.

POrro diuinum officium à beato Benedicto ordinatum penè idem ſignificat, præſertim cum ad idem videlicet ad laudem Dei, & ad iuſtorum præconia tendat. Hoc ideo ab eccleſia eſt receptum, quia ab illo, qui omnium iuſtorum ſpiritu plenus fuit, eſt prolatum, & ab E Apoſtolici Pontificis ſcilicet Gregorij auctoritate roboratum. Siquidem patet, quod idem vir Deo plenus in vinea laborantes & in vigiliis excubantes attenderit, dum tali modo pſalmos diſtribuerit, & Dominicam noctem tribus vigiliis per tres nocturnos diſtinxerit, licet ipſe Pſalmos ſenario; lectiones vero quaternario numero aſſignauerit, quia videlicet per ſenarium actiuæ vitæ actio deſignatur propter ſex opera Euangelij, quibus in iſtis ſex diebus quaſi in vinea laboratur, per quaternarium vero contemplatiuæ vitæ perfectio, propter quatuor Euangelia figuratur, quibus contra hoſtes animarum, ſcilicet vitia & dæmones iugiter vigilatur, per ſex ergo Pſalmos in vinea Domini laborantes declarantur, per quatuor Lectiones in caſtris Domini vigilantes demonſtrantur, per Reſponſoria alacritas laborantium denotatur. Notandum quod hic diuini ſeruitij ordinator à pſalmo, *Domine in virtute tua*; qui de pace Eccleſiæ Pſal. 20 conſtat, incœpit, & reliquos, qui paſſionem Chriſti ſonant, in officio concluſit. Dominus enim in cruce à F *Deus Deus meus reſpice* incæpit, & ita decem Pſalmos Pſal. 21. cantans in verſu: *In manus tuas commendo ſpiritum meum* finiuit. Hoc idcirco in nocte Dominicæ reſurrectionis inſtituit, quia nimirum Chriſtus per paſſionem ad reſurrectionis pacem peruenit, & Eccleſiæ pacem per paſſionem ſuam contulit. Et nos in pace degentes ſi paſſionem Chriſti in vigiliis nos cruciando imitabimur, in reſurrectione pace per Chriſtum ditabimur.

CAPVT XXIX.

De tertio nocturno.

TErtium nocturnum idem vir Dei tribus canticis attribuit, quia Trinitatem in *fide, ſpe, & charitate* laudari voluit. Vnde eadem cantica cum *alleluia* cantari inſtituit, quia laudatores Trinitatis ad Canticum cæleſtis lætitiæ vocare docuit. Deinde quatuor lectiones de Euangelio legi præcepit, quia Chriſti vigiles per doctrinam quatuor Euangeliorum in quatuor virtutibus G munitos monuit, vt videlicet in diuinis & humanis ſint prudentes, in aduerſis & proſperis fortes, in Dei ſeruitio ſoluendo & prælatis obediendo iuſti, omnibus actibus ſuis temperati, his quatuor etiam ſubiungunt, ſi hæc omnia alacriter peragunt. Poſt hæc conſtituit Deo dilectus cantari, *Te Deum laudamus*, quatenus nil ſibi in his omnibus aſſcribant, ſed cuncta diuinæ laudi attribuãt, ſe vero inutiles ſeruos dicant. Per *Te Deum laudamus*, etiam ille cantus intelligitur, qui peracto opere ab operariis præ gaudio canitur. Deinde Euangelium legi præcipitur, per quod vita æterna promittitur, quod *denariis* intelligitur, qui operariis poſt laborem dabitur; per hymnum, *Te decet laus*, qui ad extremum canitur, illa vltima gratulatio accipitur, quando percepto vitæ denario in Domino exultant, quod de labore ad requiem, de vinea ad patriam eis ire licet.

CAPVT XXX.

H

De inclinationibus.

DVm Eccleſiam ingredientes ad altare inclinamus, quaſi regem milites adoramus. Æterni quippe regis milites ſumus, cui ſemper in procinctu ſpecialis militiæ aſſumus. Cum autem *ad Orientem & Occidentem* inclinamus, Deum vbique præſentem nos adorare monſtramus. Quem ita rationali motu ab ortu noſtræ natiuitatis vſque ad occaſum mortis ſequi debemus, ſicut cœlum ab Oriente in Occidentem naturali reuolutione ferri videmus. Quod monachi expreſſius deſignant, qui ſe toto corpore ab Oriente in Occidentem girant.

CAPVT XXXI.

Nota dignitatem quæ in Matutinis laudibus eſt.

APud gentiles Dij infernales dicebantur Manes, eo *Vide M.* quod mane diem terris emitterent, quem tota *Varron.*

A de L. Lau. & Feſti. nocte quaſi incluſum retinerent. A *Manibus* ergo *mane*, id eſt bonum dicitur, eo quod nil melius luce videatur. A *mane* autem dicitur matutina, quaſi laus Deo pro luce exhibita.

CAPVT XXXII.

Prima Cauſa.

HAnc horam ea de cauſa canimus, quod hac hora mundum creatum credimus; hac hora aſtra matutina cum iocunditate luxerunt, & Deum, qui fecit eas, dulci harmonia laudauerunt, ſcilicet Angeli ea hora creati ſunt, qui & filij Dei vocati ſunt, qui mox pro creatione mundi magna voce ſuaui concentu conditori iubilauerunt. Quos nos hac hora canentes imitamur, qui *aſtra veſpertina* appellamur, quatenus ſi ſolem Chriſtum pro nobis occidentem laudibus ſequamur, per eum ad ortum lucis videlicet in reſurrectione ad aſtra matutina
B perducamur.

CAPVT XXXIII.

Secunda Cauſa.

HAc hora Dominus populum ſuum per mare rubrum tranſduxit, & hoſtes illorum ſubmerſit, ſicut ſcri-
Exod. 14. ptum eſt. *Factum eſt in vigilia matutina* Dominus per nubem reſpexit, & Ægyptios interfecit. Ea hora qua illi ſunt in mari, & in nube baptizati, ſunt illi in fluctus præcipitati.

CAPVT XXXIV.

Tertia Cauſa.

HAc hora Chriſtus victor à morte reſurrexerit, & diem nobis ab inferis reuexit, & populum ſanguine ſuo redemptum à regno tyranni reduxit, & hoſtes eorum barathro immerſit.

C

CAPVT XXXV.

Quarta Cauſa.

HAc hora in fine mundi iuſti à ſomno mortis euigilabunt, dum de nocte huius mundi ad lucem æternæ claritatis tranſmigrabunt. Tempus igitur noctis, quod ante nocturnum præcedit, præfert illud tempus mortis, quod ante Legem præceſſit. Nocturnus vero illud tempus exprimit, quo populus ſub lege Dominum coluit. Matutinalis autem hora, cum lux appropinquat tempus à Chriſti reſurrectione vſque in fine mundi demonſtrat, quo Eccleſia dilecto ſuo canticum cantat. Pſalmi nempe, qui hic cantantur, vtrumque exprimere conantur, & tempus legis, quod velut vmbra præceſſit, & tempus gratiæ, quod vt lux viſitatet poſtea fulſit.

CAPVT XXXVI.

Dominus regnauit. Pſalmus I. Laudum Dominica.

D PRimus itaque Pſalmus, *Dominus regnauit*, illud tempus legis innuit, quo Dominus poſt liberationem populi ſui ſuper eundem populum regnauit, & ei quaſi Rex legem ſeruandam conſtituit, decorem induit, dum in mirabili tabernaculo coli voluit. Tempus quoque gratiæ exprimit, quo Dominus poſt redemptionem populi ſui à morte reſurgens per mundum regnauit, & decorem immortalitatis induit.

CAPVT XXXVII.

Iubilate.

SEcundus Pſalmus *Iubilate* illud tempus vmbræ oſtendit, quo populus Domini & oues paſcuæ eius portas eius, id eſt, terram repromiſſionis in confeſſione intrauit, & ei omnis illa terra iubilauit, eique in lætitia ſeruiuit. Tempus etiam gratiæ depromit, quo Eccleſia fidem Chriſti recepit, & ad prædicationem Apoſtolorum iubilauit omnis terra, & Domino ſeruiuit & lætitia. E

CAPVT XXXVIII.

Deus Deus meus.

TErtius Pſalmus *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, Illud tempus vmbræ indicat, quo deuictis hoſtibus ſub Salomone in pace populus tripudiabat, quando in velamento templi exultabat, & Rex omniſque populus in Deo iurans eum laudabat.

CAPVT XXXIX.

Deus Miſereatur noſtri.

HVic Pſalmo alius, ſcilicet, *Deus miſereatur noſtri*, ſub vno *Gloria patri* copulatur, quia regnum Iuda &
F regnum Iſraël in vna lege ſociatur. Tempus etiam gratiæ exprimit, quo ſedata perſecutione Eccleſia pacem recepit. Ideo autem de Luce ad Dominum vigilat, & in matutinis in eo meditatur, quia ei adiutor extiterat. Rex verò *Conſtantinus* in Deo lætatur, per quem omnis Eccleſia in Chriſto iurans pace gratulatur, dum os hæreticorum iniqua loquentium obſtruitur. Alius Pſalmus *Deus miſereatur noſtri* huic ſub vno *Gloria patri* adiungitur, quia Iudaicus populus Eccleſiæ adhuc in vna fide aſſociabitur. Conſtantinus Imp. Rom.

CAPVT XL.

Benedicite omnia opera Domini Domino.

CAnticum *Benedicite*, quod ſibi quintus locus aſcribit, illud tempus vmbræ innuit, quo quinta ætate Nabuchodonoſor tres pueros in caminum ignis miſit, in quo Angelus eos reſoluens eundem hymnum cum eis cecinit. Illud quoque tempus exprimitur, quo Antichriſtus tres partes mundi, *Aſiam*, *Africam*, *Europam*, à tribus filiis Noë genitas in caminum tribulationis miſſurus dicitur. Vnde & ſine *Gloria patri* canitur, quia tunc omnis laus Eccleſiæ clauditur. G

CAPVT XLI.

Laudate Dominum de cælis & Cantate, & Laudate ſub vno Gloria patri.

LAudate Dominum de cælis, illud tempus vmbræ denunciat, quo populus à Babylone reuerſus templum Domino reædificabat, & illud tempus oſtendit, quo Eccleſia occiſo Antichriſto Dominum laudabit, & per terrorem lapſos in domum Dei pœnitentia reſtaurabit, hi tres Pſalmi ideo ſub vno *Gloria patri* pſalluntur, quia tunc *Chriſtiani*, *Iudæi*, & *Gentiles* in vna religione Dominum laudare noſcuntur.

CAPVT XLII.

De Hymno.

H HYmnus illud tempus vmbræ exprimit, quo Iudas Machabæus dedicato templo pro victoria hymnum Domino cum populo cecinit, & illud tempus innuit, quo Eccleſia pro victoria de antichriſto hymnum Domino canet.

CAPVT XLIII.

De Capitulo.

CApitulum, quod à ſacerdote dicitur, eſt Angeli legatio, qua præcurſor Chriſti Zachariæ repromittitur, & vltimam horam denuntiat, qua nouiſſima tuba Angeli mortuos ad vitam excitat. Verſus, qui ſequitur, *Dominus regnauit*, declarat, quod ſicut Chriſtus poſt reſurrectionem in Eccleſia regnauit, ita poſt generalem reſurrectionem in omnibus electis regnabit. A quibuſdam verſus in matutinis *Domine* dicitur, & Eccleſiæ reſurrectio exprimitur.

A

CAPVT XLIV.

De Cantico Benedictus Deus.

PEr canticum autem *Benedictus*, quod illuceſcente die cantatur, aduentus veræ lucis Chriſti in hunc mundum deſignatur, quod Zacharias ei in obuiam cantauit. quando plebem ſuam in hoc mundo viſitauit, & ſedentes in tenebris & vmbra mortis inferni illuminauit, & illud tempus repræſentat, quo in vltimis Chriſtus ſplendor æternæ gloriæ & ſol Iuſtitiæ aduentus ſui ortu orbem illuſtrat, & Eccleſia ei obuiam rapta lætabunda laudes iubilat; quam ſponſus ſuus viſitat, & diu in tenebris huius mundi ſedentem ſua claritate illuminat.

CAPVT XLV.

De Oratione & ſuffragiis.

B Matt. 25. ORatione quæ ſequitur, illa vltima benedictio, *Venite benedicti patris mei*, intelligitur. Suffragia ſanctorum, quæ poſtea canuntur, ſunt multæ manſiones in domo patris, in quas ſinguli pro meritis introducuntur. Ideo in Dominica die hæ laudes canuntur, quia per ſidem reſurrectionis Chriſti hæc gaudia iuſtis in reſurrectione dabuntur. Ideo etiam infra Paſcha frequentantur, quia Reſurrectionis Chriſti & noſtræ tempus repræſentatur per eas. Ideo verò hæc in feſtis ſanctorum cantantur, quia ſancti nunc in gaudio, quod in reſurrectione dupliciter percepturi ſunt, gratulantur. Hanc eandem ſignificationem & ſanctus Benedictus in ordinatione ſui officij expreſſit, hoc ſolo mutato, quod *Deus miſereatur* in primis ob honorem ſanctæ Trinitatis cantari iuſſit.

CAPVT XLVI.

De priuatis noctibus.

IN Dominica nocte celebrauimus noſtram liberationem, & Angelorum coæqualitatem; in priuatis noctibus commemoramus noſtri exilij ſeruitutem. A quo enim quis ſuperatur, illius & ſeruus vocatur. Diabolus autem humanum genus in primo parente deuicit, & C duræ ſeruituti ſubiecit. Vt ergo ab hac ſeruitute ſiamus diuino ſeruitio nocturnis horis inſudemus, vt à nocte huius vitæ ad æternam lucem perueniamus. Veruntamen quia noſtram ſeruitutem per ſex ætates mundi extendi deploramus, ideo ſex noctibus hebdomadæ hoc officium celebramus.

CAPVT XLVII.

De duodecim horis.

ET quia nocti duodecim horas aſcribimus, ideo duodecim Pſalmos canimus, quatenus qui duodecim menſibus anni ſeruitute detinemur, per doctrinam duodecim Apoſtolorum libertati donemur.

CAPVT XLVIII.

D

De ſex Antiphonis ſuper nocturnum.

IDeo autem ſex Antiphonas cantamus, vt per ſex opera Euangelij de nocte mortis ad lucem Chriſtum tranſeamus. Quæ ſex opera ſunt, *eſurientem cibare, ſitientem potare, nudum veſtire, hoſpitem colligere, infirmum viſitare, & carceratum redimere.* *Opera ſex Miſericordiæ.*

CAPVT XLIX.

Vigintiquatuor horæ.

SOl quoque totum mundum ſuperius & inferius inter diem & noctem, hoc eſt, XXIV. horis perluſtrat, & præſentes quidem ſtellas ſibi in die lumine ſuo obſcurat, abſentes vero in nocte illuminat. Qui ſolem iuſtitiæ Chriſtum præſigurat, qui hunc mundum ſuperius quaſi in die illuſtrabat, dum præſentia ſua doctrinis & miraculis illum illuminabat. Inferius verò quaſi in nocte cum irradiauit, dum morte ſua, ſedentes in tenebris & vmbra mortis viſitauit. Qui ſtellas præſentes velat in die, dum E ſanctos in gloria ſuæ præſentiæ à mundi tenebris celat. Stellas ergo in nocte abſens illuminat, quia iuſtos in nocte huius vitæ illuſtrat.

CAPVT L.

De duodecim Pſalmis.

IN nocte ergo duodecim Pſalmos, & in die totidem pſallimus, quot horis ſtellas à ſole vndique verſum illuminari diximus, quatinus nos Chriſtiani in Baptiſmate ſtellæ facti ab æterno Sole in omni hora illuminemur, ſi Dominum in omni tempore benedicentes veneremur. Et quia peccato deuicti ſeruituti ſumus addicti, & in ſudore vultus noſtri oportet pane veſci, ideo ſolemus in die neceſſaria operari. In nocte verò, quando nullus poreſt operari in vigiliis excubamus, vt eo reuertente à nuptiis F cum eo ad libertatis iura redeamus. Ideo etiam tres lectiones legimus, quia tres vigilias poſuit Dominus: *Si*, inquit *in prima, ſi in ſecunda, ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi*, quæ tres vigiliæ tres ætates hominis *pueritiam, iuuentutem, ſenectutem ſignificant*, in quibus cuncti Dominum in bonis operibus peruigiles præſtolari iubemur. Tres ergo Lectiones legimus; cum in ſide Trinitatis in tribus ætatibus alterutrum diuinum opus inſtruimus. Tria reſponſoria cantamus, cum trinitatem *fide, ſpe, charitate*, glorificamus. *Pſalmi* quoque pro prima Vigilia, *Lectiones* pro ſecunda, *Reſponſoria* pro tertia; *Matutinæ Laudes* pro quarta vigilia noctis, quaſi pro debito ſoluuntur. Sanctus etiam Benedictus in eadem ſignificatione duodecim pſalmos & tres lectiones in priuatis noctibus inſtituit. Hoc tantum mutato quod lectiones pſalmis interpoſuit, quia hæc videlicet media nocte agi voluit. Luc. 12. v. 38.

CAPVT LI.

G

De priuatis noctibus & de Laudibus cum cantamus Miſerere mei Deus.

NOx quæ præceſſit vitam noſtram in peccatis expreſſit: Nocturnale autem officium noſtri exilij ſeruitium. In matutinis Laudibus iam ad libertatem per pœnitentiam tendimus, dum cantamus, *Miſerere mei Deus*. Et quia per pœnitentiam de tenebris mortis ad lucem vitæ tranſitum, ideo in ſecundo Pſalmo per ſingulas ferias mane concinitur, vt in *Verba mea* a *Mane aſtabo, & mane exaudies vocem meam*: In b *Iudica me Deus, Emitte lucem tuam.* In c *Te decet hymnus Deus, Exitus matutini, & veſpere delectabis.* In d *Domine refugium, Mane floreat, & Mane repleti ſumus miſericordia tua.* In e *Domine exaudi, Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam.* In f *bonum eſt confiteri, & ad annuntiandum mane miſericordiam tuam.*

a Pſ. 5. b Pſ. 42. c Pſ. 64. d Pſ. 89. e Pſ. 142. f Pſal. 91.

CAPVT LII.

H

Deus Deus meus.

QVia vero per charitatem remiſſio peccatorum tribuitur, tertius Pſalmus de dilectione Dei canitur, in quem ſitit anima noſtra, cuius nos pœnitentes ſuſcepit dextera.

CAPVT LIII.

Deus miſereatur noſtri.

IN ſequenti pſalmo *Deus miſereatur noſtri*, dilectio proximi ſubiungitur, in quo vultus Dei ſuper nos illuminatur, & ſalutare Dei in omnibus gentibus cognoſci poſcitur, hi duo Pſalmi ideo ſub vno *Gloria patri* pſalluntur, quia præcepta geminæ dilectionis in vna Chriſtiana profeſſione peraguntur. In pſalmo quoque, *Deus Deus meus* exprimitur Chriſti diuinitas, cuius miſericordia melior eſt ſuper vitas. In *Deus miſereatur* eius

A humanitas, per quam illuminatur noſtra fragilitas. Et quia hæ duæ ſubſtantiæ in vna perſona Chriſti venerantur, Ideo hi duo Pſalmi ſub vno *gloria Patri* cantantur, & quia in fide huius nominis pœnitentes ſaluantur: per hos etiam duos Pſalmos fides & operatio intelliguntur, per quam conuerſi libertatem veniæ conſequuntur. Et quia per ſex opera miſericordiæ ſerui libertatem ſpiritus adipiſcuntur, ideo ſex cantica victoriæ per ſex dies canuntur.

Confitebor.

Eſai. 12. IN primo cantico *Confitebor* cum Iſaia exultamus, quia ſicut ille infidelem populum, ita nos peccata ſuperauimus, & Dominus, qui propter peccata nobis erat iratus, propter pœnitentiam eſt nobis conciliatus.

Ego dixi in dimidio dierum.

Eſa. 38 IN ſecundo *Ego dixi* cum Ezechia gaudemus, quia ſicut ille mortem corporis, ita nos mortem animæ euaſimus; B ideo gratulando canimus, *Viuens confitebitur tibi, ſicut & ego hodie.*

Exultauit.

In Laudibus Feria 4. 1. Reg. 2 IN tertio Exultauit cor, cum Anna tripudiamus, quia ſicut illa æmulam ſuam, ita nos carnem nobis aduerſantem deuicimus, vnde gaudendo dicimus, Exultauit cor meum in Domino, qui carnem in vitiis mortificat, & animam in virtutibus viuificat.

Cantemus.

Exod. 15. IN quarto *Cantemus Domino* cum populo Iſraël lætamur, quia ſicut ille Pharaonem & Ægyptios per Moyſen, ita nos diabolum & dæmones per Chriſtum ſubterfugimus, Vnde lætabundi reſultamus, *Cantemus Domino glorioſè.*

Domine audiui.

In Laudibus Feria 6. Habac. 3. IN quinto Domine audiui, cum Abacuc gratulamur, quia ſicut ille cum populo Babylonem, ita nos pecca- C torum confuſionem euaſimus, & diabolum per cornua crucis ſuperatum exultamus, qui ante pedes Domini eſt egreſſus.

Audite cœli.

In laudibus Sabbathi. Deut. 32. IN ſexto *Audite cœli*, cum Moyſe hilareſcimus, quia ſicut ille deuictis hoſtibus terram repromiſſionis, ita nos deuictis vitiis & peccatis promiſſam indulgentiam recepimus, & Domino carmen canimus, qui vindictam in hoſtes retribuit, & propitius erit terræ populi ſui.

Benedicite.

In laudibus Dominica. Dan. 3. POrro in ſeptimo *Benedicite omnia*, cum tribus pueris triumphamus, quia ſicut illi Nabuchodonoſor, & caminum ignis, ita nos diabolum & inferni incendium euaſimus. Ideo cum omni creatura Domino benedicimus, quia in reſurrectione æternas flammas ſuperabimus.

Laudate Dominum de cœlis, Pſal. 148.

D DEinde *Laudate Dominum* canimus, quia triumphum de vitiis meruimus, quem triumphum per hymnum exprimimus.

Capitulum.

CApitulum verò nos conſolatur, dum ſacerdos in perſona Domini nos vigilare, & ſtare in fide hortatur.

De Verſu.

DE qua nos conſolatione plaudimus, dum verſum nos *repleti ſumus mane miſericordia tua* dicimus; Hinc iam libertate recepta in gaudium prorumpimus, quia Liberatori noſtro grates referimus ita dicentes.

Benedictus.

Luc. 1. B*Enedictus Dominus Deus Iſraël* quia nos in peccatis viſitauit, redemptionem per pœnitentiam fecit, de manu inimicorum liberauit, ſcientiam ſalutis in remiſſionem peccatorum per viſcera miſericordiæ dedit, de morte illuminatos in viam pacis direxit. E

De Oratione.

ORatio, quam ſacerdos dicit, eſt *indulgentia* quam Dominus ad ſe reuerſis tribuit.

De Sancto Benedicto.

SAnctus quoque Benedictus ſeruos peccatorum per pœnitentiam, libertatem, & victoriæ lætitiam adipiſci docuit, qui pœne eoſdem, tamen totidem pſalmos & eadem cantica per eaſdem ferias in eadem ſignificatione inſtituit.

De Septem Canticis.

SEptem cantica in hebdomada canuntur, quia per ſeptem dona ſpiritus ſancti mundus ſaluatur.

Dominica Die.

DOminica die canitur *Benedicite omnia opera*, quia prima ætate creauit Deus omnia, & eadem die per reſurrectionem Chriſti innouata ſunt omnia. F Dan. 3.

Feria Prima.

PRima die creauit Deus lucem, & hac die omnia ad laudem Dei admonentur, quia omnia illuſtrata ſunt à luce.

Feria Secunda.

SEcunda ætate contigit diluuium, quod ſignificat Baptiſmum. Secunda die canitur canticum de baptiſmo vt ibi *haurietis aquas*, & feria ſecunda Chriſtus baptizatus traditur. Secunda die *creauit Deus cœlum*, & ſeparauit aquas ab aquis, ita per baptiſmum incredulos à fidelibus.

Feria Tertia.

TErtia ætate liberatus eſt Iſaac à morte, quia verus Iſaac id eſt, Chriſtus liberauit populum ſuum à morte per fidem ſanctæ Trinitatis. Tertia die ſegregauit Deus terram à mari, hoc eſt Eccleſiam à ſynagoga. G

Feria Quarta.

QVarta ætate eſt Anna amara, æmula eius repudiata. Ideo quarta feria pſallitur eius canticum, quia per quatuor Euangelia eſt electa Eccleſia, ſynagoga abiecta. Quarta die factus eſt ſol & luna & ſydera. *Chriſtus* eſt ſol, Eccleſia luna, ſancti ſunt ſtellæ.

Feria Quinta.

QVinta ætate liberauit Dominus populum ſuum à Babylone. Ideo quinta feria recitatur canticum, quod cecinerunt filij Iſraël, cum liberati ſunt à Pharaone in mari rubro poſt paſchalem agnum. Feria quinta tradidit Dominus corpus ſuum, quo liberauit populum ſuum à diabolo. Quinta die fecit Deus de aquis volucres & piſces, volucres in aëra ſuſtulit, piſces in aquis reliquit, quia per quinque vulnera ſua iuſtos ad alta leuat, impios ad ima damnat. H

Sexta Feria.

SExta die creauit Deus hominem: ſexta ætate crucifixus eſt Chriſtus. Ideo ſexta feria cantatur canticum de paſſione, vbi dicitur *Cornua in manibus eius*, id eſt, brachia crucis, quia eadem die paſſus eſt Dominus. Habac. 3. v. 6.

Sabbat.

SAbbato requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis. Deut 32. Ideo ſabbato canitur canticum, *Audite cœli* quod datum eſt filiis Iſraël poſt laborem itineris, cum iam intrarent terram repromiſſionis. Ita in ſeptima ætate poſt laborem huius mundi dabit Dominus requiem ſanctis.

De Benedictus.

APpropinquante luce *Benedictus* ad laudes cantatur, quia per illud canticum noſtra nobis lux annunciatur. Luc. 1.

De

A

De Magnificat.

AD veſperas *Magnificat* ſcilicet in fine diei cantatur, quia in fine mundi Deus ſuperbos diſperdet, & humiles exaltabit.

De Nunc dimittis *cantico Simeonis.*

Luc. 2. AD completorium, *Nunc dimittis* cantatur, quia poſt iudicium ſancti in pace introducentur.

De horis & temporibus.

SEptem horas canonicas in die quaſi ex debito canimus pro ſeptem gradibus, quos à ſeptiformi ſpiritu ſuſcepimus. Formam autem habemus ab Apoſtolis & aliis ſanctis, vt ſepties in die creatorem noſtrum laudemus, quatenus in domo eius cum Angelis eum in ſæculum ſæculi laudare valeamus. Quilibet autem dies repræſentat nobis totum huius ſæculi tempus, in quo diuerſis horis in vinea Domini laboramus.

B

De Matutino tempore.

M*Atutina*, illud tempus nobis memorat, quo primi parentes Deum in paradiſo laudabant.

De Prima.

P*Rima*, illud tempus indicat, quo Abel, Enoch & alij iuſti Deo laudes ſoluebant.

De tertia.

T*Ertia*, illud tempus inſinuat, quo Noë & alij de arca egreſſi Deum benedicebant.

De Sexta.

S*Exta*, illud tempus denuntiat, quo Abraham & alij Patriarchæ Deum glorificabant.

De Nona.

C

N*Ona*, illud tempus demonſtrant, quo Prophetæ ſub lege Deum magnificabant.

De Veſperis.

V*Eſpera*, illud tempus reuocat, quo Apoſtoli & illorum ſequaces Deo hymnizabant.

De Completorio.

C*Ompletorium*, illud tempus monet, quo in nouiſſimo ſub Antichriſto iuſti Deo gratias referent.

CAPVT LIV.

De Horis & ætatibus.

DIes etiam repræſentat nobis vitam vniuſcuiuſque, quo diuerſis ætatibus, quaſi diuerſis horis docetur, (Matt. 20.) ex lege Domini quaſi in vinea laborare. Ergo per matutinam commemoramus infantiam, in qua quaſi de nocte ad diem orti ſumus, dum de matribus in hunc mundum nati ſumus. Iuſte itaque in hac hora Deum laudamus, (D) qua de nocte erroris ad lucem veritatis in Baptiſmo nos renatos exultamus. Per *Primam pueritiam* recolimus, qua ætate libros diſcere cœpimus. Merito ergo in hac hora laudes Deo ſoluimus, qua eius ſeruitio imbuti ſumus. Per tertiam *adoleſcentiam* recolligimus, qua ordines ſuſcepimus. Iuſte in hac hora Deum glorificamus, qua eius miniſtris aſſociati ſumus. Per Sextam *Iuuentutem* innuimus, qua ad diaconatus vel presbyteratus gradum promoti ſumus. Et in hac ergo hora non incongrue Deum benedicimus, qua duces & magiſtri populorum (Senectus.) electi ſumus. Per Nonam *ſenectutem* notamus, qua plerique ex clero Eccleſiaſticas dignitates quaſi grauiora vineæ pondera ſubimus. Conuenit itaque nos in hac hora Deum magnificare, qua nos voluit ſuper plebem ſuam (Senectus decrepita.) exaltare. In *Veſpera* decrepitam ducimus ad memoriam, (Matt. 20. v. 6.) qua plurimi ex nobis ad melioris vitæ conuerſationem in primis venimus, qui quaſi tota die in foro otioſi ſtetimus, dum tota vita in vanitate viximus. In hac hora decet nos Deum laudibus extollere, qua nos dignatus eſt (E) ſuis laudatoribus adiungere. Per *Completorium* finem vitæ noſtræ retractamus, quo per confeſſionem & pœnitentiam ſaluari ſperamus. (Mortis meditatio.)

CAPVT LV.

Idem de horis diei.

PEr diurna quoque & nocturna officia celebrat Eccleſia Chriſti myſteria. In nocte eſt Chriſtus pro nobis comprehenſus, ideo in nocte nocturnum pſallimus: Mane eſt illuſus, ideo *matutinam* canimus. Prima hora eſt gentibus traditus, ideo *primam* cantamus. Tertia hora eſt flagellatus, idcirco *Tertiam* pſallimus. Sexta hora eſt crucifixus, propterea *ſextam* canimus. Nona hora mortuus eſt, ideo *nonam* cantamus. In veſpere eſt de cruce depoſitus, idcirco *veſperam* pſallimus. In fine diei eſt ſepultus, ideo *completorium* canimus.

F

CAPVT LVI.

De Nocturnalibus horis.

NOcturna enim hora Dominus infernum ſpoliauit, matutina victor de morte remeauit. Prima Mariæ apparuit. Tertia duabus à monumento euntibus obuiauit. Sexta Iacobo, Nona Petro, Veſpera duobus ambulantibus in Emaus ſe manifeſtauit: Completorio cum Apoſtolis manducauit.

CAPVT LVII.

De horis diei & noctis.

IN nocte nihilominus Petrus negatione plorauit, qui poſtea tota nocte in piſcando laborauit. In mane Chriſtus in littore ſtetit, rete piſcibus impleuit. Prima hora cum ſeptem comedit: Petro oues ſuas commiſit. Tertia hora Spiritus ſanctus ſuper credentes deſcendit. Sexta cum vndecim Dominus recubuit. Nona eis videntibus cœlos aſcendit. In Veſpera vero ante paſſionem cum eis (G) cenauit, corpus ſuum tradidit. Completorio pro eis Patrem orauit.

CAPVT LVIII.

De Prima Dominicis diebus.

IN Dominica die nouem Pſalmos ad primam pſallimus, quatenus cum nouem ordinibus Angelorum in gaudio reſurrectionis Trinitatem laudare poſſimus. In primis quinque pſalmis de paſſione Chriſti cantamus, quia Chriſtum per quinquepartitam paſſionem ad reſurrectionis gloriam perueniſſe ſignificamus. Quem ſi nunc imitari volumus, in reſurrectione ei conregnabimus. Deinde quatuor ſubiungimus, quia Eccleſiam in quatuor partes mundi per quatuor Euangelia Deum laudare prædicamus. Per *Deus in nomine tuo*, erroris deſertionem; per *Confitemini*, laudis confeſſionem; per *Beati immaculati*, Legis Dei operationem; per *Retribue*, animæ viuificationem exprimimus: per *Quicunque vult*, (H) fidem noſtram depromimus, in qua reliqua omnia concludimus, & per quam Angelis aſſociari credimus.

CAPVT LIX.

De fide quatuor temporibus edita.

FIdem Catholicam quatuor temporibus editam immo roboratam Eccleſia Catholica recipit, & in quatuor mundi climatibus inuiolabiliter cuſtodit. Primo Symbolum Apoſtolorum ſcilicet; *Credo in Deum* fundamentum ſibi ponit, dum hoc quotidie in principio diei, & in principio horarum, ſcilicet ad Primam canit: per hæc opera ſua conſummat, dum hoc ad Completorium recitat. Deinde fidem *Credo in Deum Patrem* quę in ſynodis legitur, quamque Nicæna ſynodus edidit. Tertiò fidem, *Credo in vnum* in conuentu populi ad Miſſam modulatur, quæ per Conſtantinopolitanum Concilium

A propalatur. Quarto fidem. *Quicunque vult* quotidie ad primam iterat, quam Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus rogatu Theodoſij imperatoris edidit, per reliquas horas colitur ſancta Trinitas.

CAPVT LX.

De prima in priuatis diebus.

IN priuatis diebus imitamur in diurno officio operarios (Matt. 20.) in vinea laborantes, & diuerſis horis ad excolendam vineam intrantes. Porro ſacerdos qui incipit, imitatur opilionem, oues tota die incluſas mane in paſcua eiicientem. *Grex* ouium eſt plebs Chriſtiana: *paſcua* Domini mandata. Itinera vero obſident beſtiæ gregi Dei inimicæ. In vna namque parte leo rugiens circuit quærens, (1. Petr. 5.) quem deuoret; in altera draco inſidians deuiantes veneno interimit, aberrantes auidè deglutit. Hinc lupus irruens rapit, & oues diſpergit. Inde vrſus inuadens lacerat gregem & diſſipat. Vnde paſtor, *Deus in adiutorium meum* clamat, (B) quatinus ouile hæc pericula euadat. Oues autem paſcuæ Domini in hymno ſummum paſtorem inuocant, vti eas *in diurnis actibus à nocentibus* cuſtodiat.

CAPVT CLXI.

Deus in nomine tuo.

DEinde per pſalmum, *Deus in nomine tuo*, iter arripiunt, & Dominum in virtute ſua ſe à periculo liberare petunt, quoniam alieni eis inſurrexerunt, & fortes animas eorum quæſierunt, vt Deus in virtute ſua illos diſpergat, & eas ex omnium tribulatione eripiat.

Beati immaculati in via. Pſal. CXVIII.

(Pſal. 118.) PEr *Beati immaculati* vineam, quæ eſt Chriſtiana religio ingrediuntur, & in paſcua vitæ, ſcilicet in lege Domini paſcuntur. In qua impigre operantur, dum teſtimonia Dei ſcrutantur.

C

Retribue.

IN hac fortiter laborant, dum in *Retribue* mirabilia de lege Dei conſiderant. Hanc ſummopere excolunt, dum fidem ſuam in *Quicunque vult* exponunt. Per *legem Domini*, id eſt, dilectionem, ad patriam reuertimur, per pſalmum *Deus in nomine tuo* ad iter præcingimur, per pſalmum, *Beati immaculati*, dilectio Dei, per *Retribue* dilectio proximi accipitur.

De Quicunque vult ſaluus eſſe.

QVicunque item fides curſum noſtrum exprimit, per fidem enim ambulamus vt ad ſpeciem perueniamus.

De Capitulo.

IN Capitulo paterfamilias operarios conſolatur, quia omnis, qui nomen Domini inuocauerit, ſaluatur. Vnde alacres in reſponſorio fidem iterant, & cum Petro Chri- (Matt. 16. 16.) ſtum filium Dei viui inuocant. Quem in verſu, *Exurge Domine*, ſe adiuuare in incœpto opere poſtulant.

D

De Kyrie eleyſon.

KYrie eleyſon & *Chriſte eleyſon*, quod ſequitur ob tres cauſas dicitur: (1.) Primò, vt ſuperflua cogitatio, quæ pſallentibus obrepſit, dimittatur: (2.) Secundo, vt ſequens oratio ſacerdotis exaudiatur: (3.) Tertio, vt Dominica oratio, quaſi quadam præfatiuncula ornata, intentius dicatur. Quæ ideo ſilenter dicitur, quia Deo in ea loquimur, qui non verba ſed cor intuetur. Cuius vltima pars ideo aperte dicitur, vt ab omnibus confirmetur, per duos verſus ſcilicet *Viuet anima*, Et, *erraui ſicut ouis*, Pœnitentes intelliguntur, qui per paſtorem velut oues errantes ad gregem reducuntur. Qui mox Symbolum recitant, quia fide corda ſua purificant, quæ praua opera maculauerant.

E

De Credo in Deum.

IDeo autem *Credo in Deum* occulte dicitur, quia occulta pœnitentia occulte peccantibus iniungitur.

De Precibus & Confeſſione.

IDcirco etiam preces, & confeſſio, & oratio ſequuntur, quia per tales fructus pœnitentes in communionem recipiuntur. Ob hanc etiam cauſam ſeptem pœnitentiales Pſalmi ac Litaniæ canuntur.

De capitulo Pretioſa in conſpectu.

SOlent paſtores loca mutare, & greges ad alia paſcua minare. (*Minare eſt, ducere greges.*) Hoc religioſi imitantur, dum prælatum de Eccleſia ſequentes in capitulum congregantur, ibi Dei animalibus ſal ad lambendum datur, dum eis in Martyrologio paſſio vel vita ſanctorum pronunciatur. Opilio vero eis quaſi pabulum ponit, dum per verſum *Pretioſa* patientiam Sanctorum proponit. (F) Deinde diuinum auxilium ter per *Deus in adiutorium* inuocat, vt grex Dei periculum animarum euadat. Deinde quaſi ouile benedicit, dum eos dirigi & ſanctificari in lege Dei poſcit. Poſt hæc lectione reficiuntur, & tunc ſinguli in opera quaſi vineæ cultores diriguntur.

De Tertia.

DVm *tertia* cantatur, quaſi à nouis operariis in vinea laboratur.

De Sexta.

DVm *ſexta* canitur, quaſi ab aliis labor ſuſcipitur.

De Nona.

DVm nona canitur & pſallitur, quaſi iterum ab aliis onus ſuſcipitur. In veſpera denarius recipitur. Tertia, Sexta, & Nona, ideo ternis pſalmis celebrantur, quia in his tribus horis Trinitas veneratur. Sed quæritur, cum (G) *Prima* dicatur, cur *tertia* & non potius *ſecunda* ſequatur. Item cum *Tertia* ponatur, cur deinde ſexta & non quarta vel quinta dicatur. Itemque cur ſextam *nona*, & non magis ſeptima vel octaua proſequatur. Sciendum eſt, quòd dies in duodecim horas diuiditur, & pro vnaquaque hora vnum capitulum de pſalmo *Beati immaculati*, concinitur. Pro Prima hora, *Beati immaculati*; pro ſecunda, *Retribue*; pro tertia, *Legem pone*; pro quarta, *Memor eſto*, pro quinta; *Bonitatem*; pro ſexta, *Defecit*; pro ſeptima, *Quomodo dilexi*; pro octaua, *Iniquos odio*; pro nona, *Mirabilia*; pro decima, *Clamaui*; pro vndecima, *Principes*; per hunc pſalmum lex Dei, id eſt, charitas nobis pronunciatur, in qua operarij pro æterna vita quotidie operantur. Vnde & in ſingulis capitulis aliquid de *lege* memoratur, quia per hanc ſolam quaſi per regiam viam ſuperna patria intratur. (*Cur in Pſal. 118. Beati immaculati, ſingulis verſiculis Lex, aut quid idē ſonans iteratur.*)

De Beati immaculati.

IN *Beati immaculati* dicitur, qui ambulat in lege: In *Retribue*, conſideraui mirabilia de lege tua, & de lege (H) tua miſerere mei. In *Legem pone* ſcrutabor legem tuam. In *Memor eſto*, à lege tua non declinaui, & dixi cuſtodire legem tuam. In *Bonitatem*, bonum mihi lex oris tui. In *defecit*, non vt lex tua. In *quomodo dilexi legem tuam*. In *iniquis* legem tuam dilexi. In *Mirabilia*, non cuſtodierunt legem tuam. In *Clamaui*, legem tuam non ſum oblitus. In *principes*, legem autem tuam dilexi, & lex tua meditatio mea eſt. Semper in Tertia hora officium ſoluitur, quia Trinitas in omnibus colitur.

CAPVT LXII.

De Veſpera.

VEſperam ideo Eccleſia ſolénìter celebrat, quia Abraham & alij Patriarchę ante legem, ſacerdotes & prophetæ ſub lege ſacrificia ad veſperam offerebant, & dominus in veſpera cœnás corpus ſuum diſcipulis tradebat.

A Quinque autem Pſalmi huius horæ quinque vulnera Chriſti ſignificant, qui ſe veſpera mundi pro nobis ſacrificabat. Hoc & verſus inſinuat. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* (Pſal.) Duodecima hora dies clauditur, & operariis iam peracto opere denarius dabitur. (Matt. 20.) Finis autem vniuſcuiuſque intelligitur, cum pro tranſacta vita merces cuique redditur.

De Quinque Pſalmis ad Veſperas.

IDeo quinque Pſalmi canuntur, quia pro labore quinque ſenſuum remunerabuntur. Hymnus, qui ſubiungitur, laus victoriæ accipitur; quia ſicut illi poſt laborem adepta mercede gratulantur, ita iſti poſt deuictum mundum pro æterna gloria iocundantur. Hos capitulum excitat, vt ſurgentes venienti Domino occurrant, per verſum, qui ſequitur, quaſi oſtium pulſant, & ſibi aperiri poſtulant. Accenſis autem bonorum operum lampadibus gaudium Domini ſui intrant cum quinque virginibus. (Mat. 25.)

B

De cantico Magnificat.

VNde cum Cantico ſanctæ Mariæ anima illorum Dominum magnificat, & ſpiritus illorum in Domino exultat, qui fecit eis magna, cuius miſericordia eſt in ſæcula.

De Oratione.

ORatio, quæ ſequitur eſt benedictio, qua quiſque à Domino benedicitur. Cum veſpera de præcedenti die cantatur, tunc præſentis vitæ tempus denotatur; quia ab initio mundi dies præceſſit, nox ſequebatur, ſignificans quod gaudium paradiſi præceſſit: mors hominem, heu! ſequebatur. Cum vero de ſequenti die celebratur, tunc futuræ vitæ lætitia deſignatur, quia a Chriſti reſurrectione nox præcedit, dies ſequitur, deſignans quod poſt mortem carnis dies vitæ dabitur credentibus.

C

CAPVT LXIII.

De curſu ſanctæ Mariæ.

CVrſum de ſancta Maria vel de omnibus ſanctis nulla lege conſtricti, ſed ob deuotionem canimus, vt quia ſerui inutiles debitum ſeruitium negligenter perſoluimus, munera amicis Domini noſtri offerimus, vt per eos obſequium noſtrum acceptabile faciamus, & gratiam Domini noſtri obtineamus.

De Benedictione cibi, & Lectione.

COnſuetudo cibum benedicendi, vel poſt cibum gratias agendi ab ipſo Domino cœpit, qui quinque panes benedixit, & poſt cænam hymnum dixit. (*Lectio in triclinio.*) Legere autem ad menſam ſanctus Auguſtinus inſtituit, qui mentes cum corporibus refici voluit, quia non in ſolo pane, ſed in verbo Dei homo viuit. (Matt. 4. v. 4.)

D

De Collatione.

QVod Religioſi ad collationem conueniunt, hoc à ſanctis patribus acceperunt, qui in veſperis ſolebant in vnum conuenire, & de Scripturis inſimul conferre, & quæ ipſi tunc inuicem contulerunt, *collationes* dicebantur, & hæc his ſimilia ad collationem leguntur.

CAPVT LXIV.

De Completorio & de Confeſſione ſero & mane.

AD completorium ideo confeſſionem agimus, vt quicquid in die commiſimus, diluamus. Ad primam vero ideo agimus, vt quicquid in nocte peccauimus, puniamus. *Completorium* inde dicitur, quod diurna ſeruitus noſtra per hoc completur. Et quia corpus noſtrum in nocte ab humanis ſenſibus deſtituitur, ideo per hanc horam intentius Deo committitur. Ideo autem quatuor Pſalmos, quia ex quatuor elementis ſubſiſtimus.

E

De Hymno Te lucis.

PEr Hymnum victoriam de nocturnis illuſionibus rogamus: per Verſum nos ſignaculo diuinæ cuſtodiæ quaſi pupillam oculi ſigillamus.

De Nunc dimittis.

PEr *Nunc dimittis* pacem & lucem Dei optamus.

De Pater noſter.

PEr Dominicam orationem & Symbolum fidei nos ab hoſtibus firmamus.

De Credo.

AD primam ideo *Pater noſter*, & *Credo in Deum* dicimus, quia cuncta opera per Chriſtum incipimus, in quem credimus. Ad completorium eadem dicimus, quia diurnas operationes in eo concludimus. Per completorium enim quod tunc canitur, cum dies à nocte excipitur, illud tempus nobis ad memoriam reducitur, cum vita noſtra à morte præcipitur. Ideo per *Conuerte nos* inchoamus, vt à malis conuertamur, & ita Dei à nobis auertatur. Et quia de meritis deſperamus, Deum per verſum *Deus in adiutorium meum intende* inuocamus. F

De Completorio, Cum inuocarem.

TVnc Pſalmum *Cum inuocarem*, qui de morte Domini in ſabbato ſancto pſallitur, cantamus, quatinus in morte dormientes in pace, quæ eſt Chriſtus, quieſcamus. (Pſal. 4.) Deinde *In te Domine* ſcilicet canimus, quem Dominus in cruce cantauit, cum iam expirans ſpiritum in manus patris commendauit, vt tunc ſpiritum noſtrum ſuſcipere velit. (Pſal. 30.) Hinc *Qui habitat* ſubiungimus, quem de tentatione vel paſſione Domini canimus, quatinus tempore nocturno ab aſpidis & baſiliſci tentatione Dominus nos eruat, & à leonis & draconis incurſione eripiat. (Pſal. 90.) Deinde *Ecce nunc* pſallimus, quatinus in domo Domini benedici poſſimus. G (Pſal. 133.) In hymno, capitulo & verſu victoriam poſcimus, vt in Chriſto, qui vicit mundum, triumphemus. In cantico Symeonis pacem rogamus, vt ſicut Symeon poſtquàm lumen Chriſtum vidit, pacem vitæ intrauit, ita nos poſt lumen fidei intremus pacem requiei. (Luc. 2.)

CAPVT LXV.

De Curſu Monachorum.

QVæritur, cur ſanctus Benedictus aliter monachis Horas ordinauerit, quam mos Eccleſiæ habuerit: vel cur præcipuus Apoſtolicorum Gregorius hoc ſua auctoritate probauerit. (*S. Benedictus. S. Gregorius Papa.*) Sed ſciendum eſt hoc ſapientiſſima diſpoſitione prouiſum, vt puto, à viro pleno ſpiritu omnium iuſtorum, ſcilicet vt contemplatiua vita, ſicut habitu, ita etiam officio ab actiua diſcerneretur, & monaſticæ diſciplinæ religio hoc priuilegio commendaretur. Vnde beatus Gregorius omni ſapientia præditus perpendens virum Deo plenum cuncta ſub prædicta ſignificatione ordinaſſe, iure legitur ea ſua auctoritate roboraſſe. H Licet enim pſalmos permutauerit, cuncta tamen ſub eadem ſignificatione poſuit. Nempe quia ſex diebus in hac vita, quaſi ſex ætatibus in vinea laboratur, vt ſicut in Dominica requies, ita in ſeptima ætate denarius vitæ recipiatur. (Matt. 2.) Ideo ſex diebus pſalmos de illis iuſtis ad primam inſtituiſſe conſideratur, qui ſex ætatibus quaſi diuerſis horis in vinea Domini laboraſſe memorantur.

CAPVT LXVI.

Prima Dominica.

PRima quippe die *Beatus vir* cum reliquis inſtituit, quia Abel & alios iuſtos deſignant, qui prima ætate quaſi mane vineam Domini intrabant. (Pſal. 1.)

Feria Secunda.

SEcunda die *Domine Deus meus* cum aliis cenſuit cantari, qui Noe & illos ſanctos præferunt, qui ſecunda ætate quaſi tertia hora in vinea Domini laborauerunt. (Pſal. 7.)

[A]

Feria Tertia.

[In pſalm. 9. v. 20.] TErtia die, *Exurge Domine, non confortetur homo* canitur, in quo Nemrod, qui primus idololatriam inſtituit, intelligitur: per quem Antichriſtus exprimitur, [Pſal. 10. & 11.] qui ſupra omne, quod dicitur Deus, extollitur. Canitur etiam *In Domino confido*, qui Thare; & *ſaluum me fac*, qui Abraham demonſtrat, quia tertia ætate in hac vinea deſudabant.

Feria Quarta.

[Pſal. 12.] QVarta die, *Vſquequo Domine*, cum reliquis inſtituit, qui Ioſeph & filios Iſraël in Ægypto peregrinantes, inſinuat, qui quarta ætate velut ſexta hora pondus diei & æſtus portabant.

Feria Quinta.

[Pſal. 15.] QVinta die *Conſerua me Domine*, cum aliis decantari voluit, qui ſacerdotes, iudices, reges exprimunt, qui [B] quinta ætate, quaſi nona hora, ſub lege huius vineæ operari inſtituerunt.

Feria Sexta.

[In Pſal. 17.] SExta die, *Cum ſancto ſanctus eris*, canitur, in quo Ioannes Baptiſta intelligitur, [Pſal. 18. & 19.] & *Cæli enarrant*, qui Apoſtolos, atque *Exaudiat*, qui martyres deſignant, qui ſexta ætate quaſi hora nona hanc vineam excolebant.

De Horis.

AD tres horas, ſcilicet *Tertia, ſexta, nona*, pſalmos de quindecim gradibus cantari * ſtatuit, quia per [* S. Benedictus ſtatuit.] quindecim gradus charitatis Trinitatem adiri docuit. Veſperas quaternis pſalmis celebrari decreuit, quia per quatuor Euangelia denarium adipiſci monuit. Completorium tribus pſalmis terminari cenſuit, quia cuncta in [S. Ambroſius.] *fide, ſpe, charitate* compleri voluit. Hunc autem ordinem pſalmorum traditur à beato Ambroſio accepiſſe. [C] Porro in Dominica die de illo pſalmo horas inſtituit, qui legem Dei, ſcilicet charitatem innuit, quia in reſurrectione Deus, qui eſt charitas, omnibus hic pie in lege per charitatem laborantibus præmium & requies erit. Ad Primam autem quaterna, ad reliquas vero horas nouena Capitula pſalluntur, quia per quatuor virtutes ad nouena Angelorum agmina hic in Chriſto laborantes perducuntur.

CAPVT LXVII.

De Nocturnis.

SIcut olim dies à paganis erant idolis dedicati, ita ſunt nunc ſinguli à Chriſtianis Chriſto Deo dicati. Dominica quippe ipſe conceptus eſt. Ideo illa die nocturnam *Beatus vir* pſallimus, quia ipſe in conſilio patris in vterum virginis abijt, & tanquam ſponſus de thalamo ſuo [Pſal. 2.] proceſſit. In nocturna cantatur *Filius meus es tu, ego* [Pſal. 109.] *hodie genui te*. In veſpera autem *Ante luciferum genui te*. [D] Secunda die eſt baptizatus, ideo ea die nocturnum, *Do-* [Pſal. 26.] *minus illuminatio mea* cantamus. In * qua dicitur, *Vox* [* In Pſal. 28. v. 3.] *Domini ſuper aquas*, dum Pater voce, filius tactu, Spiri- [Matt. 3] tus ſanctus ſpecie, ſanctificabat illas. In veſpera autem, [Marc. 1.] *Placebo Domino* filius dicit, & pater *Hic eſt filius meus* [Luc. 3.] *dilectus in quo mihi bene complacui*, ſonuit. Tertia die [Pſ. 114. 9.] eſt natus, ideo tertia feria nocturnum, *Dixi cuſtodiam* [Pſal. 38.] *vias meas* cantamus, in qua dicitur *holocauſtum pro pec-* [Pſal. 44.] *cato non poſtulaſti. Ideo ecce venio*, & pater *Eructauit* [Pſ. 121. 7.] *cor meum verbum bonum*. In veſpera autem *fiat pax in virtute tua*, quia pax magna in mundo fuit dum Chriſtus pax noſtra venit, qui nobis veram pacem fecit. [Pſal. 13.] Quarta die à Iuda proditus. Ideo feria quarta nocturnum, *Dixit inſipiens* canimus, quia inſipiens Iudas dixit, *non eſt Deus*, ſed magnus. De quo ipſe in eadem noctur- [Pſ. 54. 14.] na. *Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* De Iudæis quo- [Pſ. 63. 4.] que: *Exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum, rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum*, [E] in veſpera autem, *Sæpe expugnauerunt. Supra dor-* [Pſal. 128.] *ſum meum fabricauerunt peccatores.* Quinta die nouam legem inchoauit, tradidit corpus ſuum; idcirco feria quinta pſallimus nocturnam. *Saluum me fac*, in qua ca- [Pſal. 11.] nimus, *Panem Angelorum manducauit homo.* Ea nocte etiam eſt comprehenſus, ideo canimus. *Deus dereliquit eum, perſequemini, & comprehendite eum.* In veſpera autem oculis ſuis ſomnum non dedit, donec tabernaculum Deo ſcilicet Eccleſiam per crucem inuenit. Sexta die eſt crucifixus, ideo feria ſexta nocturnum *Exultate* [Pſal. 80.] *Deo*, canimus in qua dicitur, quod inimici eius ſonuerunt, qui eum in lacu inferiori poſuerunt, quando eſt traditus, & *ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos æſtimatus.* In veſpera autem *linguas ſuas ſicut ſerpentes acuebant*, tota die prælia in die belli conſtituebant. Septi- [Pſal. 97.] ma die iacuit ſepultus, ideo ſabbato nocturnum *Cantate Domino* pſallimus, in qua dicitur, quod *percuſſus ſicut fœnum aruit*, & ſicut pellicanus à parente occiſus emar- [F] cuerit. In veſpera autem *Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius, ſicut vmbra prætereunt.* In octaua die reſur- [Pſal. 3. v. 6.] rexit, ideo Dominica canimus, *Ego dormiui, & reſurrexi, & Dominus ſuſcepit me. & animam meam in inferno* [Pſal. 15.] *non dereliquit*, & *in caput gentium me conſtituit.* In Veſ- [Pſal. 109.] pera autem *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, quia Dominus de puluere inopem ſuſcitauit.

CAPVT LXVIII.

Dominica.

EAdem in officio ſancti Benedicti notantur. In Dominica *Conceptio*, vt ibi. *Tollite portas principes &* [Pſal. 23.] *introibit rex gloriæ.* In veſpera. *Habitare facit ſterilem in* [Pſal. 112.] *domo matrem filiorum lætantem.*

Feria Secunda.

IN feria ſecunda *Baptiſmus*, vt ibi, *Verbo Domini cæli* [Pſ. 32. 6.] *firmati*, & *ſicut in vtrem aquas maris.* In Veſperis vt [Pſal. 113.] ibi, *Iordanis conuerſus eſt retrorſum.* [G]

Feria Tertia.

IN feria tertia *Natiuitas* vt ibi, *Dominus virtutum nobiſcum*, & ibi, *Sicut audimus, ſic vidimus in ciuitate Domini.* Et iterum, *ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam.* In Veſpera vt ibi, *De fructu ventris tui.*

Feria Quarta.

IN feria quarta *Traditio* ibi, *Precium meum cogitauerunt repellere.* Et ibi, *Aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta.* In Veſpera, vt ibi, *Filia Babylonis mi-* [Pſal. 136.] *ſera, beatus qui retribuet*, & ibi. *Dominus retribuet pro me.*

Feria Quinta.

IN feria quinta, *Corporis eius comeſtio*, vt ibi. *Panem cæli dedit eis.* In Veſpera vt ibi, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum.*

Feria Sexta. [H]

IN feria ſexta *Paſſio*, vt ibi. *Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo*, & ibi *non ei auxiliatus es in bello.* In Veſpera, vt ibi, *Conſiderabam ad dexteram*, & *videbam, & non erat qui cognoſceret me.*

Sabbato.

IN ſabbato *Sepultura*, vt ibi, *Sol cognouit occaſum ſuum.* In Veſpera, vt ibi, *Exibit ſpiritus eius.*

Dominica.

IN Dominica reſurrectio, vt ibi, *Anima mea illi viuet.* In Veſpera, vt ibi, *Exortum eſt lumen.* Quod quibuſdam pſalmis *Gloria Patri* interpoſuit, hoc ſecundum Hebræos fecit, qui quibuſdam Pſalmis *diapſalma* interponunt, vbi altiorem ſenſum intelligunt.

A

HONORII AVGVſtodunenſis.

LIBER TERTIVS.

De ſolemnitatibus totius anni.

CAPVT PRIMVM.

De Aduentu Domini.

HÆc vtcumque de *Horis* diximus, nunc reſtat
de *Solemnitatibus* pauca perſtringamus.
Aduentum itaque Domini ob tres cauſas ce-
B lebramus : Primo, quia illud tempus recolimus, quo eum
1. ab antiquis ſanctis prænuntiatum cognouimus. Secundo,
2. faciem eius laudibus præoccupamus, quo eum vnicui-
que noſtrum in fine vitæ aduenturum non ignoramus.
3. Tertio, illud commemoramus quo eum adhuc affutu-
rum iudicem ſperamus. In Lectionario & in Euangeliario quinque hebdomadæ aduentui Domini annotantur, quia per quinque ætates ſeculi aduentus eius à ſeculis prænuntiabatur. In Antiphonario & in Graduali libro, quatuor ſeptimanæ ei attitulantur, quia per legem, prophetas, pſalmos, & gentilium libros Chriſti aduentus præconabatur. In hoc tempore *Gloria in excelſis*, & *Te Deum laudamus* non cantantur, quia iuſti ante Chriſti aduentum in triſtitia inferni tenebantur. In hoc etiam Dalmatica & ſubtile non portantur, quia veſtes innocentiæ & immortalitatis nobis per Chriſtum reddebantur. Hæc cuncta ideo etiam intermittuntur, vt in Natiuitate Domini feſtiuius amplectantur, & vt gratia noui Teſtamenti præſtantior veteri cognoſcatur.

C

De Reſponſorio Aſpiciens.

REſponſorium, *Aſpiciens à longe*, in perſona Ioannis Baptiſtæ cantatur, qui aſpiciens à longe, ſcilicet, à terra ad cœlum, potentiam Dei, id eſt, diuinitatem in carne venientem præconatur, & nebulam totam terram tegentem, ſcilicet infidelitatem totam Iudæam operientem : *Ite obuiam ei* dixit, quando viam Domini præparauit. Tres verſus ideo ad hoc reſponſorium canuntur, quia per Legem, & Prophetiam, & pſalmodiam hoc totum prænunciabatur. Tria enim tempora, ſcilicet *ante legem*, *ſub lege*, *ſub gratia* intelliguntur, in quibus ſingulis hoc futurum prædicabatur. Vndè & in tertio verſu, *Tollite portas principes veſtras, & introibit, qui regnaturus eſt*, cantatur. Tres enim verſus ideo cantantur, quia Trinitas in hoc etiam adoratur. Ideo & *Gloria patri* adiungitur. Reſponſorium denuo repetitur, quia aduentus Chriſti denuo à fidelibus expectatur. Sicut autem in *Aſpiciens* Chriſti diuinitas, ita in *aſpiciebam* honoratur eius humanitas. Vndè cantatur *Ecce in nubibus cœli filius hominis venit*. Qualiter diuinitas incarnata ſit,
D tertium reſponſorium oſtendit, *Miſſus eſt Gabriel Angelus* qui ad virginem dixit, *Aue Maria gratia plena*, hoc per Apoſtolum confirmatum, *Saluatorem expectamus*, per prophetam quoque roboratur qui dixit. *Audite verbum Domini. Ecce virgo* * *accipiet* : per legem nihilominus comprobatur, vt Moſes ait, *Obſecro Domine*, & quia iam venit ideo *lætentur cœli*, *& exultet terra*.

* In vulgata, cōcipiet. Iſai. 7. 14.

De Laudibus.

MAtutinæ laudes vtrumque Chriſti aduentum ſonant, primùm in illa die quando montes Apoſtoli dulcedinem prædicabant, & colles doctores lac & mel doctrinæ fluebant. Tunc iocundata eſt filia Sion, id eſt, Eccleſia de Iudæis, tunc exultauit filia Hieruſalem, id eſt, Eccleſia de gentibus. Secundum eius aduentum Antiphona, *Ecce Dominus veniet*. Primum antiphona : *Omnes ſitientes*, quando fideles ad aquam baptiſmatis veniebant. Secundum *Ecce veniet propheta magnus*, quando Hieruſalem renouabitur. Primum aduentum eius antiphonæ ſonant *ſpiritus ſanctus*. *Ne timeas Maria*. Feriales Antiphonæ ſunt diuerſæ prophetiæ. E

CAPVT II.

De ſecunda Dominica in aduentu.

SEcunda Dominica prædicatio prophetarum de Chriſti aduentu ad Hieruſalem denotatur, vbi cantatur, *Hieruſalem cito veniet*, *& ciuitas Hieruſalem & Hieruſalem ſurge.*

CAPVT III.

De Tertia Dominica.

IN Dominica tertia ſecundus Chriſti aduentus prænuntiatur, vbi cantatur, *Ecce apparebit Dominus*, & cum eo ſanctorum millia. F

CAPVT IV.

De quarta Dominica.

IN quarta Dominica vocatio gentium per Chriſti aduentum declaratur ; vbi in perſona Apoſtolorum cantatur, *Canite tuba in Sion*, *vocate Gentes*, & intuemini quantus ſit, qui ingreditur ad ſaluandas gentes. Et *radix Ieſſe qui exurget regere : in eum gentes ſperabunt.*

De hebdomada ante natiuitatem Domini.

HEbdomada proxima, qui ante Natiuitatem Domini *præparatio* nominatur, & in ea hiſtoria, *Clama in fortitudine*, cum ſex matutinalibus. Laudibus cantatur, quia per ſex ætates mundi populus ad aduentum præparabatur, & nos in aduentu eius per ſex opera miſericordiæ præparamur.

CAPVT V. G

De Antiphonis O.

SEptem O admirando potius quàm vocando cantantur,
in quibus ſeptem dona Spiritus ſancti notantur, per
quæ hæc adminiſtratur Incarnatio, & per quæ Chriſtus
ab Eccleſia inuitatur. Ipſe quippe eſt *ſapientia*, in qua pa- 1.
ter fecit omnia, qui venit in ſpiritum ſapientiæ, docere
nos viam prudentiæ. Ipſe *adonay*, quod nomen Moyſi in- 2.
dicauit, cui legem in Sina dedit, qui venit per ſpiritum
intelligentiæ, nos redimere. Ipſe *radix Ieſſe*, qui in ſi- 3.
gnum populorum ſtetit, dum per ſignum crucis vbique
adorari voluit : qui in ſpiritu conſilij nos liberare venit.
Ipſe *clauis Dauid*, qui cœlum iuſtis aperuit, infernum 4.
clauſit, & per ſpiritum fortitudinis vinctos de domo car-
ceris educere venit. Ipſe *oriens & ſol* iuſtitiæ, qui venit 5.
nos illuminare ſpiritu ſcientiæ. Ipſe *rex gentium* & lapis 6.
angularis, qui venit ſaluare hominem per ſpiritum pie-
tatis. Ipſe eſt *Emanuel* veniens ad nos per Iſraël, qui venit 7.
ad ſaluandum nos per ſpiritum timoris, dans cunctis cha- H
riſmata amoris. Si duodecim O cantantur, tunc duodecim
prophetæ exprimuntur, qui Chriſti aduentum prædicaſſe
leguntur.

CAPVT VI.

De Vigiliis ſanctorum.

VIgiliæ à paſtoribus cœperunt, qui vigilias ſupra greges ſuos naſcente Chriſto cuſtodierunt. More antiquo duo nocturnalia officia in præcipuis Feſtiuitatibus agebantur ; Vnum in initio noctis à Pontifice cum ſuis capellanis abſque *Venite* : Aliud in media nocte in clero : ſicut adhuc ſolemniter celebratur. Et populus, qui ad feſtum confluxerat, tota nocte in Laudibus vigilare ſolebat. Poſtquàm vero illuſores bonum in ludibrium permutauerunt, & turpibus cantilenis ac ſaltationibus, potationibus & fornicationibus operam dederunt,

Luc. 2. v. 8.

Card. Baron. in Martyrol. Rom.

Vigiliæ

Vigiliæ interdictæ & dies Ieiunij dedicati ſunt, & Vigiliarum nomen retinuerunt. Secundum antiquum ergo morem duo officia nocti Natalis Domini aſſcribuntur. Vnum in qua antiphona *Dominus dixit ad me. In ſole poſuit, Eleuamini* & reſponſorium, *Ecce agnus Dei*, cum reliquis canuntur. Aliud in quo antiphona *Dominus dixit. Tanquam ſponſus, Diffuſa eſt gratia*, & reſponſorium *Hodie nobis* cum aliis concinuntur.

CAPVT VII.

De Natiuitate Domini.

F*Eſtiuitas*, quaſi faſti diuinitas, id eſt, annua vel ius diuinitatis dicitur, quia illa die annuatim ius diuinitati perſoluitur. *Celebritas* quaſi celibum, id eſt, caſtorum ritus dicitur, quia in illa ritus cæleſtium à caſtis agitur: *Socan* dicitur frequens, inde *ſolemnitas* appellatur, quia in ea à conuentu populi Eccleſia frequentatur. *Natalis* itaque *Domini* inde dicitur, quia in eo Chriſtus natus in carne creditur, quem Natalem Eccleſia ideo celebrat, quia olim non ſolum reges, ſed & quique natalem ſuum celebrabant. Ideo & nos celebramus eius temporalem natalem, quia per eum renaſcimur ad æternitatem. Ideo Chriſtus in fine anni naſci voluit, quia in finem ſæculi in mundum venit. Ideo in nocte naſci ei placuit, quia clam ſcilicet ſub carne latens venit. Poſt eius natalem dierum lux prolongatur, quia in eum credentes ad æternitatis lucem vocantur. Inuitatorium *Chriſtus natus eſt nobis*, ſub perſona Angelorum cantatur, à quibus paſtores, vel potius omnis populus ad orandum Chriſtum inuitatur. Cui in tribus pſalmis gaudentes pſallimus, in lectionibus per oracula prophetarum plaudimus. In reſponſoriis cum Angelis canimus. Quæ reſponſoria repræſentant cuncta in cœlis & in terris per hanc natiuitatem inſtaurata, & infernalia damnata. In primo reſponſorio in quo *gaudet exercitus Angelorum*, cantatur reſtauratio cæleſtium. In ſecundo in quo *pax vera deſcendit*, cantatur reparatio terreſtrium. In tertio in quo *introiuit in regionem noſtram*, cantatur, liberatio recolitur, in regione vmbræ mortis habitantium. Et quia hæc cuncta Trinitas operata non dubitatur. Ideo etiam ad ſingula reſponſoria *Gloria Patri* cantatur.

CAPVT VIII.

De neuma fabrica mundi. Et cur potius in a, quàm in alia vocali cantetur.

N*Eumarum* autem iubilatio eſt harum rerum ſignificatio, quia ineffabiliter fabrica mundi per verbum Dei creatur. Ideo in fabrica mundi neuma iubilatur. Idcirco vero per a cantatur, quia prima vox naſcentis hominis a prædicatur; & in prima creatione mundi, aſtra matutina Dominum laudauerunt, & omnes filij Dei ſcilicet Angeli, magna voce iubilauerunt: Quorum primum iubilum nos per a imitamur. Et quia ineffabiliter de Virgine tanquam ſponſus de thalamo proceſſiſſe cantatur, ideo neuma in a tanquam modulatur: Quia vero ineffabiliter in Patre & Spiritu ſancto coæqualis prædicatur, ideo neuma in *Gloria Patri* iubilatur. Et quia ipſe *a* & *ω* ſcilicet principium & finis commemoratur, ideo neuma in *a* & *ω* modulatur.

A prima naſcentis vox an ab Adã.

CAPVT IX.

De ſecundo & tertio nocturno.

IN ſecundo Nocturno paſtorum deuotionem recolimus, quos ad Bethleem feſtinaſſe, & Chriſtum in præſepio inueniſſe legimus, hoc maximè per reſponſorium, *Quem vidiſtis*, & *O magnum myſterium*, exprimimus. In tertio tempore gaudium & lætitia mundo aduenit. Ideo in tertio Nocturno Eccleſia frequentius *Alleluia* in Antiphonis canit. Per Euangelia paſtorum narratio declaratur, per quos natiuitas Chriſti manifeſtatur. Solent mulieres parturientem viſitare, & ei xenia deferre; has in reſponſoriis imitatur, dum nunc Chriſtum, nunc ſanctam Mariam ſalutamus, quaſi congrua filio, conuenientia quoque matri munuſcula offerimus.

CAPVT X.

De neuma & veritate & cur in e.

NEumam in veritate ideo iubilamus, quia Verbum ineffabiliter carnem factum collaudamus. Prima enim vox naſcentis feminæ dicitur e eſſe, & verbum natum eſt caro, quæ profertur genere feminino. Deinde *Te Deum Laudamus* repræſentat nobis horam, qua natus eſt Chriſtus, quem cum Angelis laudamus. Ideo mox Miſſam ſubiungimus, in qua *Gloria in excelſis* cum Angelis canimus & natum pro nobis ſacrificium offerimus. Poſt Miſſam Euangelium *Liber generationis* legitur, in quo velut linea ad hamum contexitur, quo Leuiathan de humano genere extrahitur. Hic quidam *Te Deum Laudamus*, canunt, quia ſe de faucibus Leuiathan extractos plaudunt.

E femina vox ab Eua.

CAPVT XI.

De Matutinis Laudibus.

DEinde Eccleſia quaſi choream ducit, dum ſponſo ſuo ac liberatori ſuo Cantica in matutinis laudibus concinit. In Miſſa, quæ ſequitur, laus paſtorum celebratur, qua inuentus Dominus ab eis laudatur. In tertia Miſſa, quæ tertia hora cantatur, eius natiuitas à patre ſolennizatur. Vnde & Euangelium *In principio* ad hanc recitatur.

CAPVT XII.

De ſancto Stephano.

IN nocturnali officio de ſancto Stephano palæſtra imitatur, in qua pro corona certatur. In officio de die quaſi pro victoria hic agonitheta coronatur. Vnde & *Stephanus*, id eſt, *corona* congruè nominatur. Huius diem ideo Leuitarum ordo celebrem ducit, quia Stephanus primus diaconus fuit.

CAPVT XIII.

De ſancto Ioanne.

DOrmitio ſancti Ioannis Euangeliſtæ eſt in natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ: ſed quia ob celebre officium illic agi non potuit, hic Eccleſia eius feſtum coli inſtituit, quando ab exilio rediit, vel ipſius Eccleſia dedicata extitit. In cantu de ſancto Ioanne imitamur amantes, qui amicos ſuos cantibus efferre conantur. Quidam neumam ſuper *intellectus* iubilant, quia ſanctus Ioannes per ſpiritum intellectus de ineffabili verbo Dei ſcripſerat. Hunc diem ſacerdotalis ordo ideo feſtiuum agit, quia ipſe præcipue verbo & exemplo ſacerdotium extulit, dum latronem quendam * etiam ſacerdotio præfecit.

** De quo [illegible] Baron. Cardin. Tom. 1. Annal. Eccleſ. anno*

CAPVT XIV.

De Innocentibus.

QVod *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis*, & *Alleluia* de innocentibus non cantamus, matres illorum imitamur, quas in triſtitia fuiſſe non dubitamus. Ideo etiam cantus lætitiæ non cantantur, & dalmatica vel ſubtile non portatur, quia idem chorus infantum ad inferna deſcendiſſe memoratur. Si illorum feſtiuitas in Dominica euenerit, omnia de illis, vt de aliis ſanctis agimus, quia in reſurrectione Domini eos ſanctis aſſociatos credimus. In octaua quoque illorum *Alleluia* & alia canimus, quia facta Chriſti reſurrectione eos in gaudio receptos ſcimus. Horum feſtum ideo infantes ſolemnizant, quia eos primum ad Chriſtum præmio præibant. *Gloria Patri* ſecundum ordinem de innocentibus canitur, quod nunquam niſi in paſſione Domini intermittitur.

Chriſti [illegible] ex Euſebio lib. 3. cap. 17. Clemente Alexand. & Chryſoſt. ad Theodorum lapſum.

CAPVT XV.

De octaua Domini.

IN octaua Domini totum officium de ſancta Maria agimus, quia in die partus ſui propter filij ſui celebritatem ea facere non potuimus. Hoc autem ſignificat ſi Chriſto in hac vita deuote ſeruiamus, in octaua ſcilicet futura vita de Eccleſiæ glorificatione, quam Maria præfigurauit, gaudeamus. Ideo autem Chriſtus de Maria non ab alia naſci voluit, quia ipſa primà in mundo virginitatem nouit.

CAPVT XVI.

De Dominica, Dum medium ſilentium.

DOminica, quæ inter natiuitatem Domini & Epiphaniæ occurrit, ſignificat tempus illud, quo Dominus in Ægypto fuit, vnde & in communione, *Tolle puerum & matrem eius*, canitur.

CAPVT XVII.

De ſanctis & octauis eorum.

NAtalia ſanctorum ideo celebrantur, quia de hoc mundo in æternam vitam per mortem naſcebantur. Octauæ vero illorum ideo coluntur, quia in octaua, id eſt, in reſurrectione, gloriæ eorum per Chriſtum duplicabuntur.

CAPVT XVIII.

De Epiphania.

OCtaua idus Ianuarij olim habebatur celebris ob triplicem triumphum Auguſti Cæſaris. Hanc can-
1. dem diem, quam *Epiphaniam Domini* vocamus, ob tres
cauſas celebramus, quia Dominus ſtella duce illa die
2. gentibus eſt reuelatus; & poſt triginta annos eadem die
3. in Iordane baptizatus, & reuoluto anno ipſa die per
aquæ in vinum conuerſionem ad nuptias Deus eſt manifeſtatus. Ideo Epiphania vel Theophania appellatur, quod apparitio vel manifeſtatio aut oſtenſio interpretatur. Traditur enim quòd hac die quinque millia hominum de quinque panibus Dominus ſatiauerit. Itaque in primo nocturno ſtellæ apparitio. In ſecundo nocturno Magorum viſitatio. In tertio Domini baptizatio. In ſacramentis miſſæ agitur aquæ in vinum conuerſio, vel populi de panibus ſaturatio.

CAPVT XIX.

De Magis.

PRimus Zoroaſter Rex Magicam inuenit, de cuius ſemine Balaam extitit, qui de Chriſto hoc prædixit: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo de Iſrael.* Ex cuius progenie hi Magi fuerunt, qui ad Dominum cum muneribus venerunt. Magi autem ſunt dicti, quaſi mathematici, ſcilicet in ſtellis periti. Ideo autem Dominus ab his quæri voluit, quia teſtimonium à ſapientibus mundi habere voluit, quibus & populus gentium credidit. Ideo vero à tribus inueniri voluit, quia à tribus partibus mundi ſcilicet *Aſia, Africa, Europa*, coli voluit. Ideo hoc per ſtellam fieri voluit, quia per ſacram Scripturam populum conuerti voluit, ideo in duodecimo die à natiuitate ſua hoc fieri voluit, quia per duodecim Apoſtolos
1. mundum attrahere voluit. Propter tres autem cauſas
2. Dominus baptizari voluit: Primò, vt omnem iuſtitiam
3. impleret: Secundo, vt Ioannis baptiſmum comprobaret:
Tertio, vt aquas nobis ſanctificaret. Idcirco autem poſt triginta annos baptizari, & tunc prædicare voluit, quia nos adepta ſcientia in perfecta ætate populum docere voluit. Ideo verò à Ioanne non ab alio baptizari voluit, quia ab illo teſtimonium ad populum habere voluit, quia videlicet populus Iudæorum illi, vt prophetæ, credidit.

CAPVT XX.

De Matutinis.

IN hac nocte Inuitatorium non cantamus, quia ſubdolam Herodis inuitationem cum Magis declinamus; in ſexto tamen loco pſalmum, *Venite exultemus*, canimus, quia ſexta ætate mundi gentes ad fidem veniſſe plaudimus. In tertio nocturno antiphonam *fluminis impetus*, & pſalmum *Deus noſter refugium*, pſallimus, quia tertio Pſal. 45.
tempore flumine baptiſmatis ciuitatem Dei ſcilicet Eccleſiam lætificaſſe cognouimus. Ideo in tertio nocturno Alleluia frequentamus, quia in tertio tempore per baptiſmum lætitiam aduenifſe annunciamus.

CAPVT XXI.

De octaua Epiphaniæ.

IN octaua Epiphaniæ Baptiſmus Eccleſiæ celebratur, ſicut in antiphonis, *Veterem hominem, & te qui in ſpiritu.* Ideo autem in aqua baptizatur, quia hoc alimentum igni contrarium comprobatur. Fomite vero peccati ignis pœnarum accenditur, ſed per aquam baptiſmatis extinguitur. Ideo hanc Spiritus ſanctus in principio fouiſſe legitur. Aqua enim ſordes abluit, ſitim extinguit, *Aqua baptiſmi.*
imaginem reddit, ita nos baptiſmate à ſordibus peccatorum noſtrorum lauamur, à fonte vitæ potamur, imagine Dei renouamur.

CAPVT XXII.

Dominica poſt Epiphaniæ feſtum.

DOminica poſt Epiphaniæ, ſiue poſt duodecim dies legitur Euangelium, *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*: quia ſicut poſt duodecim dies, ita nunc poſt duodecim annos factum commemoramus. Dominica quæ octauam ſequitur, ideo Euangelium *Nuptiæ factæ ſunt* legitur, quia ſicut poſt ſeptimanam, ita tunc poſt annum hoc traditur factum, de tribus nuptiis legitur in Euangelio. De primis ſcribitur, *Rex quidam fecit nuptias filio ſuo*, has nuptias celebramus in natiuitate Domini, in quibus Deus coniunctus eſt humanæ naturæ, cui thalamus fuit vterus, de quo *ſpecioſus forma præ filiis hominum* proceſſit, tanquam ſponſus de thalamo ſuo. De ſecundis dicitur, *Vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis.* Has celebramus in aſcenſione Domini, quando victor cælos aſcendit & nouus homo Angelicam naturam ſibi copulauit. De tertiis legitur, *Decem virgines exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* Et poſt pauca, *quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* Has celebramus in reſurrectione Domini, quando ſponſus reſurrexit, quia hæ nuptiæ in reſurrectione futuræ, quando Chriſtus ſponſam ſuam Eccleſiam de Babylonia huius mundi in cæleſtem Hieruſalem introducet. De his ſcribitur, *Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt.* In pentecoſten celebramus, quòd ſponſa eſt dotata per varia Spiritus ſancti charismata, quando alij datus eſt *ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ.*

CAPVT XXIII.

De octaua ſanctæ Agnetis.

IN octaua ſanctæ Agnetis ſcribitur, de natiuitate, quia illa die nata dicitur.

CAPVT XXIV.

De Purificatione ſanctæ Mariæ.

YPapante dicitur *obuiatio*, quia hac die Simeon & Anna Chriſto obuiauerunt, dum cum Maria & Parentes ad templum detulerunt. Ideo autem octaua circumciſus poſt quadraginta dies in templo eſt repræſentatus, quia nos corpus eius, ſi in hac vita à vitiis circumcidamur, poſt completionem decalogi legis per quatuor Euangelia in cæleſte templum introducemur. Cum hac die

A processionem agimus, quaſi Domino cum Simeone & Anna occurrimus. Quod hodie *proceſſionem* cum luminibus facimus, hoc ex more Gentilium ſuſcepimus quos in hoc menſe ciuitatem cum luminibus luſtraſſe cognouimus. Per ceram quippe candelæ Chriſti humanitas, per lychnus eius mortalitas, per lumen exprimitur ipſa diuinitas. Chriſtus enim eſt lumen ſanctorum, ignis vrens impiorum; ideo candelas in figura Chriſti manibus tenentes clamamus: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Hoc ideo in feſto ſanctæ Mariæ agimus, vt cum quinque prudentibus virginibus accenſis bonorum operum lampadibus ſponſo Chriſto obuiemus & per ſanctam Mariam ad nuptias cœleſtem vrbem intremus. Mulieres in hoc ſanctam Mariam imitantur, quod poſt partum tranſactis quadraginta diebus Eccleſiam ingrediuntur, quia cœleſte templum intrare non merentur, quæ in præſenti vita, quæ per quadraginta dies accipitur, beatam Virginem non imitantur.

Februarius hinc dictus à Februando. Adi Baronium Card. in Martyrologium Rom. comm. Matt. 25.

B

CAPVT XXV.

De Sancto Blaſio

QVod fidelis populus in feſto * ſancti Blaſij lumina pro domibus vel animalibus accendit, vel eleemoſynas tribuit, ipſo Martyre inſtituente initium ſumpſit. Qui beatus Pontifex, dum omnibus pœnis pro Chriſto affectus, in carcere iaceret, & quædam mulier ei eſcas cum lumine deferret, docuit eam, vt eo occiſo lumen in memoriam ipſius faceret, eleemoſynam erogaret, & nunquam ei neceſſaria defitura eſſent. Poſtquam ille per paſſionem ad Chriſtum migrauit, mulier, vt ab eo didicerat, fecit, & in omnibus bonis citius creuit, & ab ea is mos per omnes Eccleſias inoleuit.

** 3. die Februarii.*

CAPVT XXVI.

De cathedra ſancti Petri Apoſtoli.

C CAthedra ſancti Petri ideo * celebratur, quia in illa die in Anthiochia pontifex Eccleſiæ leuatur, huius ſedem ideo annuatim feſtiue recolimus, vt per eum ſedes nobis in cœlo præparetur.

** 22. Februarii.*

CAPVT XXVII.

De conſecratione ſalis & aquæ.

SAlis & aquæ aſperſio cœpit à propheta Heliſeo, hic ſal aquæ commiſcuit & ſterilitatem expulit. Vnde Alexander Papa & Martyr conſtituit, vt ſal & aqua benedicatur, populus aſpergatur, quatinus omne fantaſma dæmonum ab eo per verbum Dei abigatur. Similiter & habitacula eorum aſpergantur, & dæmones ab eis arceantur. Hoc ideo in dominicis diebus ſecundum Canones agimus, quia Chriſti ſanguine aſperſi ſumus, ſicut Iudaicum populum ſecundum legem ſanguine agni aſpergi legimus.

D

CAPVT XXVIII.

Quare in aduentu Iſaias, & poſt Natiuitatem domini Paulus legatur.

INfra aduentum domini Iſaias & alij prophetæ leguntur, quia prophetæ & præcipuè Iſaias Chiſtum naſciturum prænunciauerunt. Poſt Natiuitatem autem Domini Epiſtolæ Pauli ideo leguntur, quia Apoſtoli & maxime Paulus Chriſtum iam natum prædicauerunt.

CAPVT XXIX.

De hiſtoria Domine ne in furore.

IN natiuitate Domini cum angelis lætari debemus quod Chriſtum in carne ſuſcipere meruimus. Sed quia ad ſeculare gaudium prolapſi ſumus, conuiuiis & luxuriis indulſimus. Ideo hiſtoriam *Domine ne in furore* pro pœnitentia canimus, & epiſtolam Pauli, quæ ad pœnitentiam inſtruit, legimus.

E

CAPVT XXX.

De ſpatio à natiuitate Domini vſque ad ſeptuageſimam.

DVas Eccleſiæ vitas eſſe conſtat: vnam, quæ hic in exilio laborat, alteram, quæ in cœleſti patria exultat. Spatium ergo à Natiuitate Domini vſque ad Septuageſimam illud tempus ſignificat, quo quiſque fidelis poſt regenerationem in præſenti vita pro Chriſto deſudat. Vnde & illo tempore *Alleluia* cantatur, quia in hac vita pro ſpe æternæ lætitiæ certatur.

CAPVT XXXI.

De Sabbato in quo Alleluia *deponitur.*

F SAbbatum, in quo Alleluia dimittitur, illud tempus deſignat, quo quiſque beatus de hac vita ad requiem & lætitiam ſupernæ lætitiæ deducitur *Sabbatum* enim requies dicitur. Ideo autem ad veſperam, hoc eſt in fine diei *alleluia* deponitur, quia in fine vitæ poſt laborem vnuſquiſque ad requiem cum cantu angelorum fertur. Si vero in nocturnali officio deponitur, tunc illud innuit quòd Eccleſia in quolibet fideli de nocte huius laborioſæ vitæ cum cantu lætitiæ educitur &, ad illam vitam, vbi eſt ſplendor & lux perpetua, & ſine fine lætitia perducitur. Quod ideo in Dominica nocte agitur, quia per reſurrectionem Chriſti gaudium nunc animabus datur, quod in futura reſurrectione perficietur; hoc totum in reſponſorio repræſentatur, dum ſic cantatur: *Dum præſens eſt*, ſcilicet eccleſia in actiua vita imitatur, illam videlicet in contemplatiua vita, quam deſiderant, dum toto anniſu ad eam anhelant. *Dum ſe ſubduxerit* ſcilicet ab hac vita in perpetuum coronata triumphat ante dominum in beata vita. Et in illo reſponſorio, *Angelus Domini comitetur tecum, reuertere in theſauros tuos*, quia ſicut Tobias per angelum deducitur, & cum gaudio reducitur, G ſic fidelis anima de carne aſſumpta per angelos in cœleſtes theſauros cum gaudio perducitur. Per hoc, autem quod ſequitur, *Reuertaris ad nos cum gaudio*, paſchale quidem tempus exprimitur, quo reſurrectio intelligitur, cum gaudium & lætitia ad Eccleſiam conuertitur, & ipſa gaudentibus angelis aſſociabitur. Hoc & in ceteris reſponſoriis etiam notatur. Quod autem in *Laudate Dominum de cœlis frequentius alleluia* concinitur, hoc deſignat, quod fideli animæ hinc migranti à choro angelorum & ſanctorum cum cantu lætitiæ occurritur. Significat etiam, quòd in die iudicij ſancti & angeli omnes in vnum conuenient, & in ſeculum ſeculi Deo iubilabunt.

CAPVT XXXII.

De Septuageſima, Paſcha & Pentecoſte.

PEr tempus à ſeptuageſima vſque ad Paſcha *alleluia* intermittitur; nos exprimit, qui hic in labore & triſtitia relinquimur. Paſcha autem, quando *alleluia* canitur, H illud tempus innuit, quo quiſque de hoc labore migrans gaudentibus aſſociatur. Tempus vero à paſcha vſque Pentecoſten, in quo Domino *alleluia* canuntur, ſignificat, quod poſt reſurrectionem omnes electi corpore & anima in æternum gloriabuntur.

CAPVT XXXIII.

De paſcha quare Iudæorum more ſecundum Lunæ curſum celebretur.

QVæritur cur paſcha non annuatim, quemadmodum Natalis domini, vel feſtiuitas ſanctorum celebretur, ſed more Iudaico ſecundum Lunæ curſum obſeruetur, præſertim cum legale paſcha veri fuerit vmbra, in quo verus agnus Chriſtus noſtrum immolatus eſt Paſcha, & Eccleſia agnita veritate tendens ad ſpiritualia cuncta reſpuat legalia. Sed ſciendum eſt quod ſicut Hebraicus populus præfigurauit feſtiuitatem Chriſtiani populi, ita Eccleſia per ſua feſta præſignat ſolennitates futuri ſeculi.

Ideo celebrat eas ſecundum ſidera, quæ ſunt corpora cœleſtia.

CAPVT XXXIV.

De Sole quòd typum Chriſti gerat.

SOl quippe, qui ad viſum noſtrum eſt immutabilis, gerit typum Chriſti, qui eſt ſol iuſtitiæ, ſplendor diuinitatis immutabilis. Et quia ſecundum huius curſum Natiuitas Domini celebratur, idcirco annuatim non mutatur.

CAPVT XXXV.

De Stellis quòd deſignent Sanctos.

S*Tellæ*, quoque, quæ videntur immutabiles, Sanctos deſignant, qui nunc cum Chriſto immutabiliter regnant, & ideo annuatim illorum natalitia celebrantur. Et quia ſtellæ præ aliis ſunt clariores, ideo quaſdam feſtiuitates præ aliis agimus celebriores. Et quia à diuerſis horis ſtellæ in nocte oriuntur, ideo diuerſis temporibus ſanctorum ſolemnia in anno aguntur.

CAPVT XXXVI.

De Luna quod Eccleſiam deſignet.

L*Vna*, quæ iugiter creſcere vel decreſcere cernitur, præſentem Eccleſiam figurat, quæ adhuc in defectu huius vitæ exulat; Hæc Eccleſia tres feſtiuitates ſecundum Lunæ curſum figuraliter celebrat, quibus ſe ad futura feſta inſtigat, videlicet Septuageſimam, in qua recolit ſuam in hoc mundo peregrinationem, Quadrageſimam, in qua commemorat ſuam reuerſionem, Paſcha ſeu quinquageſimam, in qua ad memoriam reuocat patriæ receptionem.

CAPVT XXXVII.

De Septuageſima.

SEptuageſima itaque à ſeptuaginta denominatur, quia ab hac dominica vſque in ſabbatum paſchalis hebdomadæ ſeptuaginta dies numerantur. Per hos autem ſeptuaginta dies ſeptuaginta annos exprimimus, quibus populum Dei in Babylone captiuum cognouimus; per quas ſeptuagies centenos annos, id eſt, ſeptem millium annos commemoramus, quibus nos in huius mundi exilio captiuos deploramus.

CAPVT XXXVIII.

De Hiſtoria Nabuchodonoſor.

NAbuchodonoſor eſt diabolus; Babylon hic mundus vel infernus, Hieruſalem paradiſus. Qui Nabuchodonoſor populum ab Hieruſalem captiuum in Babylonem duxit: Dum diabolus humanum genus de paradiſo in hunc mundum ſeduxit. Populus lxx. annis in Babylonia dura ſeruitute opprimebatur, & humanum genus ſeptuagies centum annis in mundo vel in inferno affligebatur. Populus muſicas artes vel cantum lætitiæ intermiſerat, mœrore & ieiuniis ſe afficiebat; & genus humanum gaudium & lætitiam amiſerat, in triſtitiam & miſeriam inciderat. Et quia hoc nunc recolimus, ideo *gloria in excelſis*, & *alleluia*, qui eſt cantus lætitiæ intermittimus. Et quia ipſi lugubri veſte vtebantur, ideo nos Dalmaticis & ſubdiaconalibus quæ ſunt ſolennes veſtes, non vtimur. Per cantum *Tractus* gemitum duræ ſeruitutis exprimimus. Et notandum quòd duo Tractus triſtitiam, tertius vero ſonat lætitiam; quia nimirum ſub duobus temporibus ante legem & ſub lege in triſtitia fuimus. In tertio tempore Chriſto adueniente in lætitia. *De profundis*, & *Commoniſti tribulationem.* Iubilate vero ſonat gaudij iubilationem. Item *qui habitat*, & *Ad te leuaui*, mœrorem. *Qui confidunt* præfert lætitiæ canorem. Similiter *Sæpe expugnauerunt*, & *Deus Deus meus* triſtitiam, *Laudate* vero hymnizat lætitiam, quia ſi hîc nos confeſſione & pœnitentia affligimus, in reſurrectione gaudium cum ſanctis habebimus. Poſt ſexaginta annos Cyrus, qui rex regnauit Babyloniæ, regnum ſibi ſubiugauit, populum à captiuitate laxauit; & Chriſtus ſexta ætate in mundo regnauit, infernum ſuperauit, mundum ſibi ſubiugauit; captiuos de inferno laxauit. Pars cum Zorobabel, ſeu cum Ieſu ſacerdote ad patriam rediit, parſque in captiuitate remanſit, quia pars fidelium cum rege & ſacerdote vero Ieſu ad cœleſtem patriam rediit, pars hic in labore remanſit. Populus ad Hieruſalem reuerſus lætitiam habuit, ſed tamen pro vxoribus & filiis & ſociis ſollicitudine non caruit. Hoc nos exprimimus, dum in Paſchali hebdomada vnum *alleluia* canimus, & adhuc Graduale non omittimus. Expleto autem ſeptuageſimo anno Darius vel Aſſuerus perfecte captiuitatem laxauit, omniſque populus cum mulieribus & pueris, Eſdra duce (quod nomen *adiutor* dicitur, vel Neemia, quod *conſolator* dicitur) repatriat, & tum duplex gaudium habebat. Quod nos deſignamus dum duo *alleluia*, ſcilicet *Hæc eſt dies*, Et *laudate*, cantamus. Ita quoque fidelis anima cum de hoc exilio migrat, in anima tamen cum Chriſto exultat, quod vnum *alleluia* in paſcha inſinuat, quaſi vero fidelis anima adhuc Graduale non omittit, dum ſollicitudinem pro corpore & operibus gerit. *Alleluia* autem in vno ſabbato inchoatur, & in alio ſabbato geminatur, & *ſabbatum* requies appellatur, quia nunc animæ tantum in requie gloriantur in reſurrectione vero illarum gloria duplicatur. Finitis namque ſeptem millibus annorum captiuitas humani generis perfecte abſoluetur & totus fidelium populus cum Chriſto vero protectore & vero conſolatore id eſt, Spiritu ſancto ad patriam reuertetur, & corpora atque opera velut vxores & filij ad animas redibunt, & tunc duplici gaudio in æternum exultabunt. Hoc nos ad memoriam reuocamus, dum relicto graduali in quinquageſima *alleluia* frequentamus. Notandum autem, quod Septuageſima à dominica incipit, & in ſabbato finitur, quia noſtra captiuitas à manſione paradiſi inchoauit, & ita ad futuram requiem perdurabit. Hæc enim per decem hebdomadas extenditur, quia per decalogum legis ad ſempiternam lætitiam pertingitur. Igitur quia in ſeptuageſima noſtram captiuitatem recolimus, ideo Geneſim tunc legimus, in qua humani generis expulſio à paradiſo legitur, & in reſponſoriis canitur, ſicut ibi, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Ad Laudes ideo, *Miſerere mei Deus*, & *Confitemini* canimus, quorum alter de pœnitentia, alter de laude ſcribitur, quia per pœnitentiam ad lætitiam peruenitur. In Antiphona *Miſerere mei Deus*, & in Miſſa *Circumdederunt me gemitus mortis*, humanum genus ingemiſcit, quod gaudium & lætitiam amiſit, tribulationem & dolorem inuenit.

CAPVT XXXIX.

De Sexageſima.

SExageſima intra ſeptuageſimam currere, & à ſexageſima denominari cognoſcitur, & deſignat tempus viduitatis Eccleſiæ, quo à ſponſo ſuo hîc in mundo peregrinatur. Hæc & in feria quarta paſchalis hebdomadæ terminatur. Sexageſima per ſexies decem extenditur, & ſex opera Euangelij decemque legis præcepta exprimuntur. Sunt hæc opera Euangelij *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, Sitiui, & dediſtis mihi bibere, Nudus, & operuiſtis me, Hoſpes, & collegiſtis me, Infirmus, & in carcere, & viſitaſtis me*, Præcepta autem legis ſunt hæc: *Non adorabis Deos alienos: Non periurabis. Sanctifica diem ſabbati*, quod nos facimus die dominica: *Honora patrem & Matrem. Non occides, Non mœchaberis. Non furtum facies. Non falſum teſtimonium dices. Non concupiſces rem proximi tui. Non vxorem & omnia quæ illius ſunt.* Quia hæc ſeruus auditurus erit: *Venite benedicti mei.* Ideo in feria quarta, quæ eſt finis Sexageſimæ, hoc officium cantatur; *Venite benedicti.* In nocturnali officio & in miſſa, *Exurge, quare obdormis*, Eccleſia ſuum exilium deplorat, & pro liberatione ſua Dominum exorat.

Decalogi præcepta.

A

CAPVT XL.
De Quinquageſima.

QVinquageſima quoque ſeptuageſimæ inſeritur, quæ in Paſchali die finitur, per hanc pœnitentia exprimitur. Vnde & quinquageſimus Pſalmus in pœnitentia ponitur. Ideo & hac die de diluuio legitur, & canitur, quod per ter quinquaginta dies extenditur, quia per fidem Trinitatis pœnitentia,pro verbis, pro factis,pro cogitationibus accipitur. Et notandum, quod in primis de diluuio,deinde de Abrahæ obedientia canitur; & ſic de cæco illuminato ſubiungitur, quia qui ſe pœnitentia à ſordibus peccatorum abluerit, ac deinde mandatis Dei obedierit,& Chriſto illuminari gaudebit. Quinquies autem decem quinquaginta,fiunt, quia opera quinque ſenſuum, per decalogum legis pœnitendo diluunt, ad reſurrectionem Chriſti pertingunt, qua die læti canunt: *Reſurrexi,& adhuc tecum ſum.* In hac die antiphona Secundum multitudinem, & in Miſſa, *Eſto mihi in Deum*, Eccleſia diuinum auxilium inuocat,& ab exilio liberari poſtulat. In ſeptuageſima, in Euangelio vineam excolimus. In Sexageſima, terram. In Tractu *commouiſti*,ſcindimus. In Euangelio, ſemen verbi ſpargimus. In quinquageſima fructum lucis, cæco illuminato, colligimus.

B

CAPVT XLI.
De capite Ieiunij.

QVi à captiuitate reuerſi ſunt, templum Domino conſtruxerunt. Et nos qui à diabolica captiuitate liberati ſumus, noſmetipſos templum Dei iſtis diebus ædificare debemus. Huius fundamentum ideo quarta feria iacimus, quia Salomon quarta ætate templum Deo ædificaſſe legitur. Templum autem corporis Chriſti quadraginta & ſex annis ædificatur,per quem numerum Eccleſia Chriſto incorporatur. *Maria* quippe duodecim annorum extitit, dum Chriſtum genuit; Chriſtus vero triginta & quatuor annorum fuit, dum morte ſolutus corruit. Qui anni ſimul iuncti quadraginta & ſex fiunt, totque dies à capite ieiunij vſque in Paſcha exiſtunt,qua die Chriſtus corporis ſui templum reſtituit, quod prius impulſio Iudæorum ſoluit. Vt ergo Eccleſia in templum corporis eius coædificetur, quadraginta & ſex diebus ieiuniis & orationibus vacare cognoſcitur, quot diebus infans in vtero formari dicitur.

C

Infans 46. diebus vitalis.

CAPVT XLIV.
De Nomine Adam.

NOmen quoque *Adam* ex quatuor literis coniungitur, ex quibus idem numerus conficitur. Quæ literæ ex quatuor climatibus colliguntur, quæ Græce *Anatole, dyſis, arctos. Meſembria* dicuntur. In numero autem Græcorum a,vnum, d, quatuor;iterum a, vnum, m, vero quadraginta ſignificat, quæ ſimul iuncta quadraginta ſex fiunt. Adam ergo per genus ſuum diuiditur, & in quatuor partes mundi quaſi ſemen ſpargitur; ſed per Chriſtum in vnum colligitur, dum in corpore Chriſti ab Adam ſumpto Eccleſia coadunatur. Igitur quia Eccleſia à quatuor Euangeliis in Chriſtum congregatur. Ideo hos quatuor dies ante quadrageſimam ieiunare comprobatur. Ideo ſe etiam quatuor diebus affligit, quia Euangelium quod in initio quadrageſimæ legitur, quatuor ordines in iudicio futuros prædicit: ſcilicet vnum iudicantium, vt ſunt perfecti: alium per iudicium ſaluandorum, vt coniugati: tertium damnandorum, vt infideles bonis operibus vacui: Quartum ſine iudicio pereuntium, vt ſunt increduli. Ideo etiam quatuor dies abſtinet, quia quatuor cauſas luget, videlicet quod propter eſcam ſe de paradiſo eiectam mœret, & quod in hoc exilio ſe cibo beſtiali indigere dolet, & quod poſt hanc vitam ſe ad tartara duci timet, vel quod in regno cæleſti cum electis non gaudet. Ideo nihilominus quatuor diebus ſe macerat, vt per quatuor, ſcilicet *prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam*, quaſi quatuor columnis ſequens ieiunium fulciat, quatinus anima quatuor mortibus, ſcilicet cogitationis, locutionis, operationis, impœnitudinis, ſe addixerat, per cuſtodiam quatuor Euangeliorum reſurgat.

D

E

CAPVT XLIII.
De feria quarta in capite Ieiunij.

PEr diem, quo cinerem capiti imponimus, diem expulſionis noſtræ de paradiſo ad memoriam reducimus, quo dictum eſt: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, vt ergo redire poſſimus pœnitentiam in cinere & cilicio agimus. Et quia repatriare contendimus, & hoſtes nobis in itinere obſiſtere nouimus, ideo arma noſtra, quod eſt *humiliatio, oratio, afflictio*, ſuſtollimus; vt contra ſpiritualia nequitiæ pugnare poſſimus. Cum ergo hac die proceſſionem facimus, quaſi hoſtibus armati ad pugnam obuiam imus. Ideo autem ieiunium feria quarta inchoamus.

F

CAPVT XLIV.
De Quadrageſima.

QVadrageſima à quadraginta denominatur, quia ab illa Dominica vſque in cœnam Domini quadraginta dies computantur. Per hos quadraginta dies quadraginta annos exprimimus, quibus populum Dei ab Ægypto ad patriam rediſſe cognouimus, ſed noſtram reuerſionem recolimus, qua de hoc mundo ad ſupernam patriam tendimus. Filij quippe Iſraël longo tempore in Ægypto ſub Pharaone ſeruierunt, ſed per Moyſen liberati quadraginta annis eremum tranſierunt, paſtum de cœlo, potum de terra habuerunt, & ſic ad terram lacte & melle manantem peruenerunt. Ita & nos longo tempore ſub diabolo in hoc mundo ſeruiuimus, ſed per Chriſtum liberati ſumus, & ideo per decem præcepta Legis; & quatuor Euangelia (quæ multiplicata quadragenarium numerum conficiunt) ad paradiſum reuerti debemus, vt corpore Chriſti paſti, & ſanguine eius potati ad terram lac & mel fluentem, ſcilicet regionem viuorum perueniamus. Ipſi poſt quadraginta duas manſiones terram repromiſſam intrauerunt, & mox Paſcha celebrauerunt, & nos poſt quadraginta duos dies Paſcha celebrabimus, & de noſtra ereptione exultabimus, vt autem omnes Chriſtiani quadrageſimam ieiunemus, auctoritatem ex Euangelio & ex lege habemus: vt mox dicam.

in Exod.

G

Mat.4. Exod.34.

CAPVT XLV.
De Ieiunio Domini & cur nos non ieiunamus eo tempore, quo Dominus ieiunauit.

EX *Euangelio*, quia ipſe Dominus quadraginta diebus abſque omni cibo ieiunauit: *ex Lege*, quia Moyſes bis quadraginta diebus ab omni cibo abſtinuit, Similiter Helias quadraginta diebus ieiunus permanſit. Daniel quoque tres ſeptimanas abſque cibo fuit. Sed quæritur, cum Dominus poſt Epiphaniæ vtputa mox baptizatus ieiunauit, cur Eccleſia ante Paſcha inſtituerit ieiunium. Sed hoc ob tres cauſas fecit. Primo, quia ante Paſcha Chriſti paſſio celebratur, vt ei per afflictionem carnis compatiatur; quatinus ei conregnare mereatur: Secundo, vt quia cuncta verno tempore naturali motu in libidinem concitantur, per ieiunia ab impetu luxuriæ reprimantur: Tertio, quia illo tempore filij Iſraël terram repromiſſionis intrauerunt, vel illi de Babylonia reuerſi ſunt, cum vterque mox paſcha celebrauerunt, vt nos quoque peracto labore Paſcha celebrantes cum Chriſto reſurgamus, & poſt hanc vitam in æternum cum eo regnemus. Igitur per Tractus cantationem, ſignificamus itineris fatigationem. Vt autem nos ſub potenti manu Domini humiliemus, ideo *Flectamus genua*, dicimus. Et quia præceptum habemus, vt pro regibus & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt & pro omnibus, qui in preſſura ſunt, oremus, idcirco his diebus *Preces* dicimus. Quia vero linguas

Mat.4.1. Exod 34. 3. Reg. 19. Dan. 1.

H

A angelorum & hominum legimus, per Hebræam angelorum linguam exprimimus, per Latinam hominum linguam innoteſcimus. Ergo quia inter Angelos dominum non laudamus, idcirco hebræum *alleluia* quaſi vocem angelorum non cantamus. Quia vero cum hominibus laboramus in terra, ideo Latinum *Laus tibi domine rex æterna gloria*, quaſi vocem hominum reſonamus. Iſtis diebus diaconus caſulam ſuper ſcapulas plicatam portat, quia in præſenti tempore quiſque prædicator proximorum onera geſtat. His diebus etiam oratio ſuper populum dicitur, quia quiſquis hic bonis actibus benedicitur, poſt hæc æternæ benedictioni aſcribetur. His diebus. *Ite Miſſa eſt* non dicitur, quia licet omni tempore, tamen maxime hoc tempore, quenquam Chriſtianum in Dei ſeruitio occupari debere, innuitur.

CAPVT XLVI.

De velo quod ſuſpenditur Quadrageſima.

B QVod his diebus velum ſuſpendimus, à lege accepimus, cuius præcepto velum miro opere & pulchra varietate contextum inter ſanctum & ſancta ſanctorum tabernaculi ſuſpendebatur, quo arca à populo velabatur, hoc velum eſt cœlum mira varietate depictum rutilantibus gemmis diſtinctum, hoc nobis pro velo inter corporea & ſpiritualia ſuſpenditur, quo Chriſtus & illa ſuperna patria nunc à nobis celatur. Poſtea cœlum, vt liber complicabitur, & vt tentorium colligetur, & tunc facies domini nobis reuelabitur, & cæleſtis gloria denudabitur. Ex collocutione etiam diuina facies Moyſi erat vt ſol ſplendida. Qui velamen ante ſe ſuſpendit, vt populus in eum intendere poſſet. Facies glorificata eſt ſacra Scriptura. Velamen, quod faciem operuit, eſt carnalis obſeruantia, quæ intelligentiam legis velauit. Hoc velamen eſt adhuc ſuper corda Iudæorum poſitum, & ideo non valent videre ſplendidum Legis ſenſum. C Et quia myſterium Scripturæ in hoc tempore à nobis velatur, ideo velum ante oculos noſtros in his diebus extenditur. Sacerdos & pauci poſt velum ingrediuntur, quia paucis doctoribus tantùm myſteria Scripturæ aperiuntur. In paſcha velum aufertur, & altaris ornatus ab omni populo conſpicitur, quia in reſurrectione omnia nuda & aperta erunt, vbi beati regem gloriæ in decore ſuo videbũt. Ideo & in paſſione Chriſti velum templi ſcinditur, quia per eius mortẽ in nobis *Apoc. Ioan. 2.* cœlum & liber ſeptẽ ſignaculis clauſus aperitur. Reſurgens quippe velamen abſtulit, dum eis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, aperuit, & credentibus cælũ patefecit.

CAPVT XLVII.

De ſeptem hebdomadis.

1. 2. SEptem hebdomadæ ſcilicet à quinquageſima vſque
3. 4. ad Paſcha abſtinentiæ ideò aſcribuntur, quia ſeptem
5. 6. modis peccata remittuntur. Primo per baptiſmum, ſe-
7. cundo per Martyrium, tertio per eleemoſynam, quarto
D per debiti indulgentiam, quinto per prædicationem,
ſexto per charitatem, ſeptimo per pœnitentiam.

CAPVT XLVIII.

De Sex hebdomadis.

Opera SEx autem ſeptimanas ideo ieiunamus; quia in ſex
miſericordiæ. ætatibus peccamus, & ideo per ſex opera Euangelij
nunc ſatisfacere feſtinamus. Et quia Chriſti membra
1. ſumus, à nobis ipſis incipere debemus, ſcilicet nos pa-
2. nem vitæ eſurientes, cibo charitatis reficere; iuſtitiam
3. ſitientes, Scripturæ fluentis potare: ſanctitate nudos,
4. virtutibus veſtire: in vitiis & errore vagos in hoſpi
5. tium ſanctæ conuerſationis ſuſcipere: morbo iniqui-
6. tatis infirmos confeſſione viſitare: carcere malæ con-
ſuetudinis incluſos pœnitentia redimere, deinde hæc
etiam corporaliter primis impendere.

CAPVT XLIX.

De quadrageſima.

E ANnus quatuor temporibus, ſcilicet *vere, æſtate, autumno, hieme* voluitur, & per trecentos quinquaginta ſex dies completur. Sicut ergo ab aliis rebus, ita à diebus decimas damus, dum quadraginta dies ieiunamus, vt quicquid quatuor temporibus contra decem præcepta Dei egimus, his quatuor denis diebus corrigamus. Eſt & aliud: homo ſubſiſtit ex quatuor elementis. Lex autem in decem præceptis, quia ergo quatuor qualitatibus Dei præcepta prætenuimus, per quater denos dies abſtinendo Dominum placamus.

Quatuor dies ante quadrageſimam videntur pro Dominicis diebus inſtituti, ſed non eſt ita. Per quatuor enim dies, quatuor Euangelia, per quadraginta ſequentes, decem præcepta intelliguntur, quia ex euangelio & ex lege eſt aſſumpta auctoritas quadrageſimæ; ideo quatuor & quadraginta dies dicati ſunt abſtinentiæ. F Sed quæritur cui Dominicæ dies ad quadrageſimam pertineant, & cur non ieiunentur, quod non ſine magna ratione fieri à nullo ſapientium * dubitatur.

* Eſque ita in Concilio d. Sinit.

CAPVT L.

De Sex Dominicis Quadrageſimæ.

TOtum tempus huius vitæ ab initio vſque in finem per Quadrageſimam intelligitur, quia eſt tempus afflictionis, ſicut Paſchæ tempus ſignificat futurum tempus gratulationis. Sed hebdomadæ ſunt ſex ætates mundi.

De Prima Dominica Inuocauit me.

PRima Dominica eſt tempus primæ ætatis, quando homines erant in Paradiſo in gaudio.

De Secunda Dominica Quadrageſ. Reminiſcere.

G SEcunda Dominica tempus ſecundæ ætatis, quando erant in arca gaudentes de ſua liberatione.

De Tertia Dominica Quadrag. Oculi.

TErtia Dominica tempus ſecundæ ætatis, quando ſub Ioſeph exultabant de ſua ſaluatione, aliis percuntibus fame.

De Quarta Dominica Quadrag. Lætare Ieruſalem.

QVarta Dominica eſt tempus quartæ ætatis, quando ſub Salomone maxima pace fruebantur.

De Quinta Dominica, Paſſionis. Iudica me.

QVinta Dominica eſt tempus quintæ ætatis, quando de Babylonia liberati reuerſi ſunt Hieruſalem.

De Sexta Dominica, Palmarum.

SExta Dominica fuit tempus ſextæ ætatis à reſurrectione Domini vſque ad aſcenſionem eius, quando de præſentia ſponſi gaudebant. H Eſt & aliud Quadrageſimale tempus, id eſt vita cuiuſque hominis, quæ hic affligitur mœrore tribulationis. Sex hebdomadæ ſunt ætates hominis, id eſt, *infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, ſenectus decrepita.* Quadrageſimus dies eſt vetus & nouum Teſtamentum. Per quatuor enim accipiuntur quatuor Euangelia, per decem vero, decem præcepta intelliguntur, Quater autem decem ſunt quadraginta. Sex Dominicæ ſunt, ſex præcipua opera Euangelij, id eſt, *Eſuriui* & cibaſtis me. *Sitiui*, & dediſtis mihi potum: *Nudus* & veſtiſtis me: *Infirmus*, & viſitaſtis. *In carcere*, & redemiſtis.

CAPVT LI.

Dominica Quinta à Septuageſima.

DOminica quinta à Septuageſima quintam ætatem inſinuat, qua populus de captiuitate remeabat. Ideo hac Dominica reſponſorium. *Pater peccaui*, cantatur,

A ſanctitatis veſtes reparantur, & chriſma atque oleum baptizandis, quaſi cœleſtes veſtes hodie præparantur.

CAPVT LXXXVI.

De nudatione altarium.

HOdie altare denudatur, & in die tertia velatur. Altare eſt Chriſtus, veſtimenta ſunt Apoſtoli. Et quia illi hodie relicto Chriſto fugerunt, quaſi altare nudum reliquerunt.

CAPVT LXXXVII.

De luminum extinctione & numero eorum.

HIs tribus diebus ſepulturam Domini celebramus. Tres autem dies & noctes ſeptuaginta duabus horis computamus. Et ideo totidem lumina extinguimus, quia lumen verum his diebus extinctum lugemus; & ſeptua-
B ginta duorum diſcipulorum triſtitiam exprimimus, quam de æterni diei, & ſolis iuſtitiæ occaſu habuerunt, cuius horæ fuerunt: Tribus horis, ſcilicet ab hora ſexta vſque ad nonam, fuerunt tenebræ, quando Chriſtus pependit in cruce. Has tres horas tribus noctibus repræſentamus, quas luminum extinctione obſcuramus. Per diem, qui à ſole illuſtratur, Chriſtus; per noctem, quæ à luna illuminatur, præſens Eccleſia: per duodecim horas diei vel noctis, duodecim Apoſtoli accipiuntur, qui & Chriſto diei, & nocti Eccleſiæ obſequuntur. Quia ergo diei & noctis viginti quatuor horæ computantur, & quia in feſtiuis noctibus viginti quatuor, *Gloria Patri* cantantur, ideo viginti quatuor lumina in his noctibus illuminantur, quæ per ſingula cantica extinguimus, quia more Apoſtolorum pro occaſu veri Solis mœſtitia decidimus. Quia enim cecidit corona capitis noſtri, vertitur in luctum chorus noſtri: Primo quippe canitur, *Gloria patri*,
C ad verſum *Deus in adiutorium*: Secundo ad pſalmum *Venite*: Tertio ad hymnum: nonies ad pſalmum: ter ad reſponſoria & gloria ſonat in *Te Deum laudamus*. Et iterum in verſu, *Deus in adiutorium*. Deinde quinquies in pſalmis: & iterum in hymno, & ad Benedictus, quæ conſideratæ ſunt viginti quatuor horæ, pro hoc captu lætitiæ defflemus extinctum Solem iuſtitiæ.

CAPVT LXXXVIII.

Quare Inuitatorium non cantetur.

INuitatorium non cantatur, vt conuentus malignantium deuitandus admoneatur, quia Iudæi aduerſus Chriſtum in vnum conuenerunt, & conſilium ſuper Dominum gloriæ fecerunt. *Iube Domine benedicere*, & *Tu autem Domine*, ideo non dicitur, & benedictio non datur, quia paſtor noſter receſſit, qui benedictionem dedit. Arietes quoque gregis Dei à lupis diſperſi ſunt, qui paſtores Eccleſiæ futuri fuerunt. Per *Iube Domine* enim
D intelliguntur ad prædicationem euntes, per *Tu autem Domine*, de prædicatione redeuntes. Et quia his diebus nec à Chriſto ad prædicationem mittebantur, nec ad eum reuertebantur, ideo neutrum dicitur: Lectiones vero non legendo ſed lamentando recitantur, quia ſicut rex Ioſias à Ieremia, ſic Chriſtus rex noſter occiſus ab Eccleſia deploratur. Campanæ non ſonant, per quas prædicatores deſignantur, quia his diebus non ſolum tacuerunt, ſed & veritatem negauerunt. Signum per ſonum tabulæ datur, per quod terror accipitur, quia magnus timor diſcipulis à Iudæis incutiebatur. Sonitus ad Benedictus eſt ſignum Iudæ, quo Dominum tradidit, dicens: *Aue Rabbi*. Clangor *Kyrie eleyſon* canentium eſt tumultus Ieſum comprehendentium. Quod ſequitur ſub ſilentio in tenebris, deſignat, quod diſcipuli trepidauerunt in occultis.

E
CAPVT LXXXIX.

De Paraſceue.

PAraſceue Græce, *præparatio Latinè* dicitur. Iudæi quippe, qui inter Græcos diſperſi erant, hac die præparabant, quæ in Sabbatho neceſſaria fuerant, ideo omnem feriam ſextam Græci *paraſceue*, nominabant. In hac ergo die occurrit ſolemnis dies Paſchæ Iudæorum quo ſolebant immolare agnum. Hac eadem die Chriſtum Dei Patris agnum occiderunt, & hac hoſtiâ Paſchale feſtum celebrauerunt. Hac etiam die de Ægypto educti ſunt, & hac eadem die de inferno redempti ſunt. Sexta namque die Deus hominem condidit, ſexta ætate, ſexta feria, ſexta hora eum redemit. Ideo hac die Miſſa more ſolito non celebratur, quia Chriſtus verus ſacerdos hoſtia hodie pro Eccleſia immolatur. Officium hodie à Lectione inchoatur, quia olim omnis Miſſa à lectione incipiebatur. Hoc autem ideo hodie obſeruatur, quia paſſio Chri-
ſti, quam Miſſa deſignat, hodie commemoratur. Titulus, qui eſt Lectionis caput, ideo non pronuntiatur, quia caput Eccleſiæ hodie amputatur. Duæ lectiones leguntur, quia Chriſtus pro duobus populis moritur. Quod à lege & prophetis prædicitur, vnde & vna lectio à Lege, alia à Prophetia legitur. F

CAPVT XC.

De Tractu Domine audiui, *& quare quatuor tantum verſus habeat.*

TRactus, *Domine audiui*, quatuor verſibus inſignitur, quia quatuor elementa Chriſti paſſione purgantur, & quatuor cornibus crucis quatuor partes mundi ſaluantur. Qui ideo inter cœlum & terram ſuſpenditur, quia per eius paſſionem cœlum & terra coniungitur, & totus mundus eius ſanguine templum Deo dedicatur.

CAPVT XCI. G

De Tractu, Eripe me Domine.

TRactus *Eripe me* proprie Chriſti paſſionis certamen exprimit, vbi *obumbra caput meum in die belli* dicit, pro quo olim: *Qui habitat*, cantabatur propter verſum. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis* Pſal. 90.
leonem & draconem. Quia diabolus, qui eum poſt ieiunium vt draco tentauit, hodie eum vt leo manifeſte inuaſit.

CAPVT XCII.

De Paſſione Domini.

POſt paſſionem Chriſti crucifixus oculis noſtris repræſentatur, quem Eccleſia imitari adhortatur. Infra paſſionem pannus diſcinditur, quia à militibus veſtimenta Chriſti diuidebantur.

CAPVT XCIII. H

De Veſte Domini.

VEſtis autem inconſutilis non ſcinditur, ſed ſors ſuper eam mittitur. Hoc ſignificabat, quod hæretici & ſchiſmatici Eccleſiam hæreſibus ſcindere nitebantur, ſed vnitas Catholicæ fidei ſciſſuram non patiebatur.

CAPVT XCIV.

De Igne.

IN Romana Eccleſia hora ſexta ignis extinguitur, & nona reaccenditur: quia ſol hora ſexta lumen ſuum mundo abſcondit, quod hora nona reddidit.

A

CAPVT XCV.

De orationibus pro omnibus ordinibus.

PErlecta paſſione orationes pro omnibus ordinibus dicuntur, quia Chriſtus pro omnibus gradibus & populis crucifigitur. *Dominus vobiſcum*, quod eſt officium ſacerdotis, reticetur, quia ſacerdos noſter hodie occiditur. Ad ſingulas orationes genua flectimus, quia omnes nationes Chriſto genua curuare demonſtramus. Pro Iudæis ideo non flectimus, quia eos irriſoriè genua hodie Domino flexiſſe ſignificamus, quod fidelibus deuitandum inſinuamus. Deinde crux ad ſalutandum producitur & tribus modis canitur, quia dum Chriſtus crucifigitur, titulus tribus linguis Hebraica, Græca & Latina ſcribitur; *Popule* namque *meus* pro Hebræa; *hagios*, Græca; *ſanctus* Latina cantatur; quia Hebræa mater omnium linguarum, Græca doctrix omnium linguarum, Latina imperatrix omnium linguarum prædicatur, & ab his omnibus Chriſti paſſio collaudatur.

B

CAPVT XCVI.

De Cruce Domini.

Crux cur adoratur.

DEinde Crux denudatur, & ſalutatur, quia ſicut Chriſtus tunc in cruce ab incredulis deludebatur, ita nunc à fidelibus humiliter adoratur. Et nullus ſapiens Crucem, ſed Chriſtum crucifixum adorat, crucem tamen venerando ſalutat. Super corpus Domini tres articuli, ſcilicet; *Oremus, præceptis ſalutaribus. Pater noſter. Libera nos quæſumus Domine*, dicuntur, quia Chriſtus tribus diebus ſepultus occultatur, & tali modo olim Miſſa ab Apoſtolis celebrabatur.

CAPVT XCVII.

De duabus noctibus.

C

DVas noctes & vnum diem fuit Chriſtus ſepultus. duæ *noctes* ſignificant noſtras duas mortes, ſcilicet animæ & corporis. *Dies* vero ſignificat ſuam mortem, quæ fuit lux noſtrarum mortium, hæc ſe noſtris mortibus vt dies noctibus interpoſuit, & ambas expugnans repulit.

CAPVT XCVIII.

De Quadraginta horis.

QVadraginta horas fuit mortuus, vt quatuor partes mundi in Decalogo Legis mortuas viuificaret. Ideo his noctibus tres nocturni cum nouem lectionibus, & reſponſoriis canuntur, quia tria genera hominum *ante Legem & ſub Lege*, ſub eius tempore morientium ab ipſo redempta nouem ordinibus Angelorum coniunguntur.

CAPVT XCIX.

De Sabbatho ſancto.

D

SAbbathum dicitur *requies*, ideo iſtud Sabbathum ſanctum dicitur, quia ſicut Deus ſeptima die ab omni tempore, ita Chriſtus Sabbatho poſt laborem paſſionis in ſepulchro requieuiſſe legitur.

CAPVT C.

De nouo igne.

HOdie totus ignis extinguitur, & nouus de cryſtallo vel ſilice reaccenditur, quia in morte Chriſti tota legis obſeruantia ſopitur, & lux nouæ legis in reſurrectione, Chriſti aperitur. Nouus ignis eſt noua Chriſti doctrina. Cryſtallus perſpicua, eſt Chriſti caro in reſurrectione perlucida. Ignis de cryſtallo vel ſilice excuſſus, eſt ſpiritus de Chriſto fidelibus fuſus.

E

CAPVT CI.

De Cereo.

HOdie cereus benedicitur, & de nouo ac benedicto igne ab initio conſecrationis accenditur. Cereus ab initio accenſus, eſt Chriſtus ab initio conceptionis Deo plenus. Duo cerei infra conſecrationem, ab igne benedicti cerei illuminantur, deſignans quod Prophetæ & Apoſtoli à ſpiritu Chriſti illuminantur. Ideo duo, quia doctores Chriſti gemina dilectione ardent, verbo & exemplo lucent.

CAPVT CII.

De annis Incarnationis Domini qui ſcribuntur in cereo.

IN cereo ſcribitur annus Domini, quia Chriſtus eſt annus acceptabilis Domini: cuius menſes duodecim Apoſtoli, dies omnes electi, horæ baptizati pueri. Cereus etiam columnam ignis exprimit, quæ populum Dei de Ægypto exeunte præceſſit. Diaconus, qui eam conſecrat, eſt Angelus, qui eam portabat. Cereus ante neophytos portatur ad Baptiſmum, quia columna ignis ferebatur ante populum ad mare rubrum, quod præfigurabat Baptiſmum, ſicut ſcriptum eſt, *Omnes baptizati ſunt in nube & mari*. Cereum benedici Sozimus Papa conſtituit, ſed Ambroſius Epiſcopus benedictionem† compoſuit. Cereus in octaua Paſchæ populo diſtribuitur, quia Chriſtus in reſurrectione victima fidelibus in præmio tribuetur.

Cereus Paſchalis.

F

1.Cor.10. 2.

† Item Prudentius & Ennodius Ticinenſis Epiſc.

CAPVT CIII.

De Lectionibus.

IN Eccleſia ſunt duo ordines, *ſapientes* ſcilicet, & inſipientes. Per Lectiones, quæ ad Miſſam in die leguntur, ſapientes inſtruuntur. Quæ in nocte ad matutinas leguntur, inſipientes imbuuntur, vnde & exponuntur. Ideo hodie Lectiones tono nocturnali leguntur, quia conuenit Inſipientibus, videlicet catechumenis adhuc in ignorantia poſitis. Titulum ad Lectiones non pronunciamus, quia neophytos adhuc in frontibus eorum ad regnum Dei non ſignatos ſignamus. Tituli ideo in lectionibus recitantur, vt auctores cœleſtis doctrinæ, & ciues ſupernæ Hieruſalem cognoſcantur. Sed quia neophyti illius ciuitatis ciues adhuc ignorant, ideo lectores titulum minimè pronunciant.

G

CAPVT CIV.

De quatuor lectionibus.

QVatuor autem lectiones per quatuor huius diei Sacramenta leguntur: & quia quatuor genera fidelium, ſcilicet *ſimplices, intelligentes, prouecti, ſapientes*, quatuor nominibus erudiuntur, videlicet per *Hiſtoriam*, per *Allegoriam*, per *Tropologiam*, per *Anagogen* erudiuntur. *Inf.c.106 & 107.*

CAPVT CV.

De prima Lectione.

H

PRima lectio *requiem* Chriſti in ſepulchro exprimit, & nobis æternam requiem per Baptiſmum reddidit, & ſicut Noë primæ ætati per diluuium requiem hominibus tribuit. Sicut enim Deus die ſeptima ab omni opere requieuit, & Chriſtus Sabbatho in ſepulchro quieuit, ita Eccleſia in ſeptima ætate ab omni labore vt Chriſtus ceſſabit.

De ſecunda Lectione.

SEcunda lectio *regenerationem* Eccleſiæ inſinuat: quæ tranſitum populi per mare rubrum narrat.

De tertia Lectione.

TErtia Chriſti & Eccleſiæ *coniunctionem* innuit, quæ ſeptem mulieres virum vnum apprehendiſſe dicit.

A oſtium Chriſtum in aulam cæli introducuntur. Hoc ſcrutinium ſepties ante Paſcha agitur, quia hoc rite per ſeptem dona Spiritus ſancti perficitur.

CAPVT LXVI.

De Statione.

POſtquam introducti fuerint catechumini, ſunt maſculi in Auſtro, feminæ in Aquilone ſtatuendi, quia videlicet fortiores contra æſtum tempeſtatum ſunt ponendi, infirmiores ſub magiſterio erudiendi, deinde quatuor Lectiones leguntur, quibus ad quatuor Euangeliorum præcepta imbuuntur. Vnde mox quatuor initia Euangelij recitantur, quibus à quatuor partibus mundi ad cæli palatia euocantur. Tunc duo infantes, vnus è maſculis, alter è fœminis, ab acolythis in ſanctuarium deferuntur: quia de vtroque ſexu, vel de vtroque populo ad fidem Euangelicam conuertuntur.

B

CAPVT LXVII.

De Credo in vnum Deum.

Credo in vnum Deum: ſuper maſculos Græce, ſuper fœminas Latinè decantatur, quia per duas has omnis lingua denotatur. Græci quippe omnes gentes philoſophia præcellebant; Romani autem omnibus gentibus imperabant. Per Græcam ergo linguam ſapientes, per Latinam accipiuntur principes. Græcè itaque & Latine fides canitur, quia omnis lingua Domino confitebitur. His ritè peractis de Eccleſia exeunt, quia myſteriis Chriſti intereſſe, nec inter filios Dei computari poterunt, qui adhuc in Chriſto regnante non ſunt.

CAPVT LXVIII.

De duabus Lectionibus.

DVæ Lectiones ad Miſſam leguntur, quibus catechumini ad doctrinam vtriuſque teſtamenti, vel ad operationem geminæ dilectionis inſtruuntur. Duæ enim lectiones conueniunt baptizandis, & iam baptizatis, vt videlicet baptizandi ad vineæ Domini culturam quantocius currant. Baptizati autem inceptum opus expleant, quatinus cum cæco nato æternum lumen recipiant. Semel tamen *Flectamus genua* dicitur, vt in vnitatem fidei congregentur.

C

CAPVT LXIX.

De Sabbatho.

IN Sabbatho duæ nihilominus Lectiones propter eandem cauſam leguntur, & vt in requiem, quod ſabbathum dicitur, feſtinare conentur, quia & in hoc ſabbatho ſcrutinium agitur.

CAPVT LXX.

De paſſione Domini.

D A Dominica paſſionis Domini vſque in Paſcha, *Gloria Patri* in cantu intermittitur, quia filius, qui eſt tertia perſona, paſſionibus dehoneſtatus pro nobis commemoratur. In Paſcha autem cantatur, cum Chriſtus per reſurrectionem glorificatur. In hoc tempore Ieremias propheta legitur, qui maxime Chriſti paſſionem & prædixiſſe, & in ſeipſo expreſſiſſe cognoſcitur. Ideo autem per duas hebdomadas paſſionẽ Chriſti celebramus, quia pro duobus & à duobus populis paſſum prædicamus. Per duas enim ſeptimanas vetus & nouum Teſtamentum ſignificamus, quia vetus eum paſſurum; nouũ eum iam paſſum nunciare non ignoramus. Duo quoque tempora, vnũ ante legẽ, aliud ſub lege denotantur, quibus Chriſtus à patriarchis figuris, à Prophetis ſcripturis paſſurus prænunciabatur. Ideo vero hoc tempore cum ieiuniorũ afflictione paſſionem Chriſti agimus, quia hoc tempore populum Dei ab Ægyptiis afflictũ agnum in ſignificatione Chriſti pro eis immolatũ & Pharaonem in plagis contritũ nouimus.

Hierremias.

E

CAPVT LXXI.

De Sabbatho ante diem palmarum.

SAbbathum huius ſeptimanæ ab officio vacat, quia Apoſtoli, cuius hac die mandatum celebrat, cum in cœna Domini ob magnitudinem officij hoc agere nequeãt. Hæc vero dies ideo non officiatur, vt Eccleſia caput ſuum in hoc miniſterio imitetur. Hac quippe die Ieſus in Bethaniam venit, in domo Simonis recubuit, & Martha miniſtrauit. Maria vnguento domum repleuit. *Simon* dicitur obediens. In domo Simonis Ieſus recubuit, dum in Eccleſia ſibi obediente requieſcit. Huic cum Martha miniſtramus, dum exemplo ſummi pontificis membris eius ſcilicet pauperibus vel fratribus ſeruimus. Cum Maria domum odore vnguenti replemus, quando ſtudio virtutum Eccleſiam replere ſtudemus.

F

CAPVT LXXII.

Dominica in die Palmarum.

D*Ominica palmarum* ideo dicitur, quia hac die turbæ Domino cum palmis obuiauerunt, & eum triumphantem laudibus exceperunt. Significat autem quod nos per abſtinentiam vitia iam vicimus, & nunc cum palma victoriæ Chriſtum ad nos venientem excipimus. Cum proceſſionem hac die facimus, quaſi Chriſto cũ pueris obuiam imus. Paſſio vero ideo hac die legitur, quia agnus Paſchalis pro nobis immolandus hac die includebatur. Hac die filij Iſraël Iordanem ſiccis pedibus tranſierunt, & cum triumpho terram repromiſſionis intrauerunt. Hæc ſeptimana ideo *maior* appellatur, quia ob maxima officia inſignis habetur. Hæc etiam hebdomada *indulgentia* dicitur, quia in ea pœnitentes abſoluuntur.

Hebdomada ſancta cur etiam Maior dicta.

CAPVT LXXIII.

De feria ſecunda & tertia.

G FEria ſecunda & tertia, duæ lectiones leguntur, vt in Natiuitate Domini ad Miſſam, quia paſſio Chriſti à Lege & Prophetis prænunciatur.

CAPVT LXXIV.

De feria quarta.

FEria quarta Chriſtus pro duobus populis traditur. Ideo hac die duæ Lectiones legũtur; ad vtramque *flectamus genua* dicitur, quia ab vtroque populo Chriſtus adoratur, in cuius nomine cœleſtia & terreſtria genua flectere dicuntur. Tractus ideo habet quinque verſus, quia quinque vulnera habuit Chriſtus. Hac die velum deponitur: quia in paſſione Chriſti velum ſcinditur, & inimicitia inter Deum & homines ſoluitur. *Phil. 2.*

CAPVT LXXV.

De feria quinta.

H FEria quinta ex quatuor cauſis celebris habetur: Hac
die criminoſi ab Eccleſia eiecti recipiuntur; Hac die 1.
chriſma & oleum conficiuntur: hac die Dominus mandatum 2.
fecit: hac die cum diſcipulis cœnans corpus ſuum 3.
tradidit. Hæc dies indulgentiæ appellatur, quia hodie 4.
pœnitentibus à paſtoribus Eccleſiæ indulgentia datur, & criminoſi peracta pœnitentia hodie in Eccleſiam introducuntur.

CAPVT LXXVI. & LXXVII.

De Pœnitentibus.

QVod autem Eccleſia criminoſos de Eccleſia ſecludit, formam à Domino accepit, qui Adam peccantem mox de paradiſo eiecit, pœnitentiæ ſubegit, vnde & adhuc pœnitentibus ſeptem anni pro ſatisfactione dantur, quia humanum genus ſeptem millibus annorum in hoc exilio damnatur. Adam longo tempore pœnitentiam

A Eccleſia namque ſeptem donis Spiritus ſancti repleta eſt, vni viro Chriſto copulata.

De quarta Lectione.

QVarta *cœleſte regnum* denuntiat, quod Eccleſia ſibi dari à Chriſto ſperat. Dicit enim: *Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini.*

CAPVT CVI.

De Menſa Tabernaculi.

MEnſa in Tabernaculo Dei erat quatuor pedibus fulta, per quam deſignatur ſacra Scriptura, quatuor ſupradictis † nominibus inſtructa. Quæ menſa hodie neophytis proponitur, dùm quatuor lectiones inſtruuntur: primus pes eſt *Hiſtoria*: Secundus *Allegoria*: Tertius *Tropologia*: Quartus *Anagoge*. *Hiſtoria* eſt, quæ res geſtas narrat: *Allegoria*, quæ per rem geſtam aliud indicat: *Tropologia*, quæ mores inſtruit: *Anagoge*, quæ ſenſum ad ſuperiora ducit.

† Cap. 104. 1. 2. 3. 4.

B

CAPVT CVII.

De Prima Lectione.

Gen. 1. *Hiſtoria.* PRima lectio: *In principio creauit Deus cœlum*, per *Hiſtoriam* ſimplices erudit, quæ primam hominis creationem dicit, vnde ſacerdos in oratione poſtulat, vt in catechumenis Deus imaginem ſuam, quam primis hominibus creauit, reſtituat.

De ſecunda Lectione.

Exod. 14 v. 24. *Allegoria.* SEcunda lectio. *Factum eſt in vigilia matutina*, intelligentes per *Allegoriam* imbuit, quæ Ægyptios in mari ſubmerſos & Hebræos ſaluatos dicit, deſignans peccata & dæmones ſubmerſos, fideles vero in baptiſmate ſaluatos, vnde & cantus Victoriæ: *Cantemus Domino*,

C mox ſequitur, quia hoſte deuicto populus ereptus lætatur. Sacerdos in oratione precatur, vt ſicut illi ab Ægyptiis, ita iſti à dæmonibus liberentur.

De tertia Lectione.

Iſa. 4. v. 1. *Tropologia.* TErtia lectio, *Apprehendent ſeptem mulieres*, prouectos per Tropologiam mores inſtruit, qui per Chriſtum eos ſapientes intelligentes, conſultos fore ſcientes, pios Deum timentes monet. *Sordes filiarum Sion lauabit* Ibid. 4. v. 4. *Dominus ſpiritu iudicij, & ſanguinem Hieruſalem ſpiritu combuſtionis*: quia quod leue eſt, lacrymis lauatur, quod graue igne duræ pœnitentiæ exuritur. Hanc etiam Canticum ſequitur, quia bonos mores æterna lætitia ſequitur. Sacerdos orat, vt poſt præſentia æterna bona percipiant.

De quarta Lectione.

Iſa. 54. 17. *Anagoge.* QVarta lectio, *Hæc eſt hæreditas ſeruorum Dei*; ſapientes per *Anagogen* ad cœleſtia contemplanda ducit, quod cœlum ſeruorum Dei hæreditatem dicit.

D Hanc duo cantica ſequuntur, quia in illa hæreditate cum corpore & anima gratulabitur.

Iterum de prima Lectione.

IN prima Lectione audiunt catechumeni, quod ad gaudia Paradiſi ſunt conditi, ſed ſponte ſub peccato venundati. Ideo Cantus hanc lectionem non ſequitur, quia homo de gaudio in luctum traditur.

De ſecunda Lectione.

IN ſecunda Lectione docentur, quod ſicut Deus populum olim de ſeruitio Pharaonis per mare rubrum eripuit, ita eos de Dominio diaboli per Baptiſma eripit. Ideo cantus ſequitur, quia gaudium eis redditur.

De tertia Lectione.

IN tertia lectione Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ imbuuntur, quia in Baptiſmo per ſeptiformem ſpiritum & ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.

E

De quarta Lectione.

IN quarta lectione hæreditas cœleſtis eis repromittitur: quæ per canticum, *Attende cælum*, roboratur. Sacerdos Deut. 32. vero orat, vt hæc promiſſio firma fiat. Catechumeni autem præ gaudio cantant. *Sicut ceruus* reſonant, & ſacer Pſal. 41. dos poſtulat, vt fontem vitæ ſitiant.

De Cantico.

CAntica ideo cantantur, quia ipſi futuri ſunt in Baptiſmo de cœtu centum quadraginta quatuor millium, qui cantant canticum nouum, quod nemo poteſt Apoc. c. 7. 14. & 21. dicere, niſi illi qui fontem vitæ deſiderant.

CAPVT CVIII.

De duodecim Lectionibus ſecundum Romanos.

SEcundùm Romanam auctoritatem hodie duodecim Lectiones leguntur, quia baptizandi doctrinâ duodecim Apoſtolorum inſtruuntur, quia noua gratiâ Spiritus Chriſti ſunt illuminati, ſicut cerei à nouo igne, & F benedicto cereo accenſi. Quæ lectiones ad Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ reſpiciunt, & myſteria huius feſti ſancti euidenter pandunt.

Prima Lectio.

PRima quippe, *In principio*, hominem ad imaginem Gen. 1. Dei creatum dicit, quam amiſſam hodie in baptiſmo recipit, & requiem Dei poſt opera ſex dierum narrat, quam Eccleſia poſt ſex ætates ſperat.

Secunda Lectio.

SEcunda, Noë cum iuſtus eſſet, peccatores in diluuio periiſſe, & iuſtos in Arca ſaluatos narrat, peccata in Baptiſmo perire, & animas ſaluari inſinuat.

Tertia Lectio.

G TErtia, *Tentauit Deus Abraham*, Iſaac à patre oblatum, ſed arietem pro eo mactatum indicat, Chriſtum Gen. 22. 1. à patre nobis datum, & corpus ſuum pro mundo immolatum denuntiat. Ideoque omnes Gentes per eum benedictionem accipiant.

Quarta Lectio.

QVarta factum eſt in vigilia matutina Ægyptios mari rubro ſubmerſos, Hebræos liberatos dicit. Poſt peccatores in Baptiſmo ſubmergi, filios Dei emergi innuit. Per ſacerdotem namque Moyſen, per Baptiſmum mare rubrum, per cereum columnam ignis, per catechumenos Ægyptios, per iam baptizatos Hebræos ſignificamus, vnde & illorum voce mox Canticum victoriæ cantamus.

Quinta Lectio.

QVinta, *Hæc eſt hæreditas* Baptiſmum pronuntiat, vbi Eſa. 54. 17. *omnes ſitientes venite ad aquas* clamat. Eſa. 55. v. 1.

Sexta Lectio.

H SExta, *Audi Iſraël*, Chriſti reſurrectionem depromit, Baruch. 3. v. 9. vbi dicit: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Ibid. v. 38.

Septima Lectio.

SEptima, *Facta eſt ſuper me manus Domini*, noſtram reſurrectionem inſinuat, vbi *oſſa arida* reuixiſſe narrat. Ezech. 37. v. 4.

Octaua Lectio.

OCtaua *Apprehendent ſeptem mulieres*, Chriſti & Ec- Iſaiæ 4. v. 1. cleſiæ copulam & baptiſmum exprimit, vbi Dñm *ſordes filiarum Sion abluere* dicit. Vnde Eccleſia dilecto Iſa. 4. v. 4. ſuo canticum cantat, quam ipſe vineam Sorech fecerat.

Nona Lectio.

NOna, *dixit Dominus ad Moyſen*, Chriſtum pro liberatione Eccleſiæ occiſum prædicat, vbi immolationem Paſchalis agni commemorat. Exod. 12. 1.

A

Decima Lectio.

Ionæ 1. DEcima, *Factum eſt verbum Domini ad Ionam,* Chriſti paſſionis & triduanæ ſepulturæ ac reſurrectionis mentionem facit, quæ Ionam in mare præcipitauit, & à ceto deuoratum poſt triduum euomitum dicit.

Vndecima Lectio.

Sup. cap. 107. Lect. IV. VNdecima, *Scripſit Moyſes legem Dei* renatis proponit, & in cantico, *Attende cælum*, ſupernam vitam promittit.

Duodecima Lectio.

Dan. 3. v. 1. DVodecima, *Nabuchodonoſor rex*, Baptiſma exprimit, in quo Spiritusſanctus ſic peccatum extinguit, ſicut Angelus flammam fornacis extinxit. Vnde catechu-
Pſ. 41. v. 2. meni cantant. *Sicut ceruus* cum gaudio reſonant, quia fontem vitæ deſiderant.

CAPVT CIX.

B

Item alius ordo Lectionum ſecundum Romanos.

ROmani hodie viginti quatuor lectiones hac de cauſa legunt, duas tranſlationes habent: vnam *ſeptuaginta* interpretum: alteram *Hieronymi.* De veteri ergo hodie duodecim lectiones *Græcè*, eaſdem de noua tranſlatione *Latinè* legunt, ſignificantes quòd duodecim Prophetæ in veteri teſtamento, duodecim Apoſtoli in nouo Eccleſiam fide & operatione inſtruunt.

CAPVT CX.

De Litaniis ante & poſt Baptiſmum.

LItaniæ ante Baptiſmum cantantur, quia ſancti pro baptizandis orare inſinuantur. Poſt baptiſma cantantur, quia ſanctis baptizati iuncti declarantur. Iris quippe erat in circuitu ſedis & maris vitrei. Sedes eſt Eccleſia, mare vitreum Baptiſma, Iris propitiatio vel interceſſio ſanctorum. Iris enim poſt diluuium hominibus datur, & propitiatio poſt Baptiſma renatis dabitur.

C

CAPVT CXI.

De Baptiſmo.

BAptiſmus dicitur *tinctio*, hoc Noë in diluuio. Moyſes in mari rubro præfigurauit. Hoc Ioannes Baptiſta primus demonſtrauit, hoc ipſe Dominus ſuo ingreſſu conſecrauit. Per orationem ſacerdos Deum inuocat, per
Exod. 15. v. 25. Iudith. 5. 15. Eccl. 38. v. 5. tactum manus aquam à ligno per Moyſen dulcoratam, ſed aquam Baptiſmatis per lignum crucis purgatam demonſtrat. Per inſufflationem Spiritus ſancti immiſſionem, immundi ſpiritus expulſionem denuntiat. Per cerei immerſionem ſancti Spiritus aduentum; per chriſmatis commixtionem Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem demonſtrat. Sicut in Baptiſmo Domini, ita in noſtro adeſt Trinitas, *Pater*, vbi dicitur, *per Deum verum*; *Filius*, vbi dicitur, *per Ieſum Chriſtum*, Spiritus ſanctus, vbi dicitur *virtus Spiritus tui.* Vocis mutatio, & Spiritus ſancti †

D

† Fort. *aduocatio.*

aduentatio, & vitiorum diſceſſio. Tunc ſacerdos catechumenos de abrenuntiatione & fide vt prius interrogat, quatenus oris confeſſio eis ad ſalutem fiat. Deinde in pectore & inter ſcapulas vnguntur oleo ſancto, vt ad fidem & operationem roborentur. Per pectus enim cordis fides, per ſcapulas onus operationis notatur; quia per hæc duo homo ſaluatur. Deinde in nomine Trinitatis baptizantur, vt imago Dei in eis renouetur. Deus enim in Trinitate, quod eſt *Pater & Filius & Spiritus ſanctus*, conſiſtit, & anima tribus viribus, *memoria, intelligentia, & voluntate* viuit, per hoc quod in modum Crucis mergitur, cum Chriſto huic mundo crucifigitur. Quod ſub vndis tegitur, quaſi ſub terra ſepelitur. Ter mergitur, quia anima tribus modis, ſcilicet cogitatione, locutione & opere moritur, & his tribus mortibus per fidem Trini-
Peccati triplex actio. tatis eripitur. Ter etiam ideo mergitur, quia omne peccatum tribus modis, ſcilicet *ſuggeſtione*, *delectatione*, *conſenſu* committitur. Ter quoque ideo mergitur, vt

E

homo à naturalis, & à ſcriptæ legis & Euangelij præuaricatione ſoluatur. Quod tertia vice de fonte extrahitur, quaſi tertia die cum Chriſto reſurgere cernitur. Quod in capite cum chriſmate linitur, per hoc Chriſto anima ei deſponſata communicatur: Deinde mitra capiti eius imponitur: veſte alba induitur, quia in regnum & in ſacerdotium aſſumitur, per mitram corona regni, per albam, ſacerdotalis dignitas exprimitur, quia videlicet Chriſti regis & ſacerdotis membrum efficitur. Per albam quoque veſtem innocentia deſignatur, quia hanc nunc per Chriſtum in Baptiſmo recipit, quam in primo parente amiſit.

CAPVT CXII.

De ſeptem gradibus in Baptiſmo.

SEptem gradus ſunt in Baptiſmo, tres in deſcenſu ob tres renuntiationes, tres in aſcenſu ob fidem quàm profitemur Trinitatis. Septimus, qui regno Dei aſſignatur, & Filius eius cohæres aſcribitur. Cerei neophytorum

F

non prius illuminantur, quàm agnus Dei in litania cantatur, vt ſciant quod agnus Dei illorum peccata tulit, & ipſe eos Sancto ſpiritu illuminauit. Quamuis quidam mox de fonte eleuatis lumen dare ſoleant, quatenus ſplendidis operibus lampadibus, ſponſo venienti occurrant. Ad vltimum corpore Chriſti confirmantur, & ſic Chriſto incorporantur. Ideo ad nonam Baptiſmus agitur, quia hora nona Chriſtus expiraſſe commemoratur, cuius mortem Baptiſma imitatur. Ideo in die ſepulturæ Chriſti celebratur, quia ei credentes in Baptiſmo conſepeliuntur. Ideo ſemel agitur Baptiſmus, quia Chriſtus ſemel eſt mortuus.

CAPVT CXIII.

De Confirmatione.

IN octaua die baptizati mitras deponunt, & ab Epiſcopo in fronte per chriſma ſignantur, & per hoc per ſeptiformem ſpiritum ad regnum Dei confirmantur. Vnctio

G

confirmationis eſt nuptialis veſtis. Quam vnctionem iterum per octo dies in albis ſeruant, in octaua die lauant. Quod quidam in tertia die agendum putant. Albas deponunt, quia in futura vita vmbram exuunt, veram gloriam induunt.

CAPVT CXIV.

De bina vnctione.

BIs baptizati chriſmate liniuntur; ſemel à Presbytero in Baptiſmo & in capite: Secundo ab Epiſcopo in Confirmatione & in fronte. Hoc ideo, quia bis Spiritus ſanctus datur Eccleſiæ, ſemel in terra, ſecundo in cælo. *Chriſma bis adhibetur.*
Per Presbyteri vnctionem animæ Chriſto deſponſantur, per Epiſcopi confirmationem regno Chriſti dotantur. Ideo autem cum oleo Chriſtiani ſignantur, quia per oleum Spiritus ſanctus deſignatur. Oleum namque ardens *Oleum.*

H

illuminat, medicans ſanat, aquis infuſum eas perſpicuas reddit, & ſupernatat. Ita Spiritus ſanctus flamma charitatis & ſplendore ſapientiæ animas illuſtrat, medicamine clementiæ per veniam peccatorum vulnera ſanat, admixtione ſuæ virtutis aquas Baptiſmatis effugatis peccatorum tenebris clarificat. Hanc confirmationem fecerunt olim Apoſtoli, per manus tantum impoſitionem: illorum poſteri, eis tamen tradentibus, per chriſmatis conſecrationem.

CAPVT CXV.

De Patrinis.

SAcerdos omnes infantes de baptiſmo leuat, & ideo omnium pater & debitor fideique iuſſor manet. Sed quia debitum ius ſingulis perſoluere minime præualet, ideo eos patrinis commendat, vt ipſi eos fidem catholicam, & orationem Dominicam inſtruant. Quæ duo

A omnes patrini, immò Chriſtiani ſcire debent, aut patria aut Latina lingua. Quia qui hoc ignorat, adhuc Chriſtianus non eſſe conuincitur. Et ideo ad ſuſcipiendum baptizatum nullo modo admittitur. Nullus niſi vnus vel vna ad leuandum infantem accedat, iſque ſe fideiuſſorem illius ſciat, vt ita eum, ſicut ſuſcepit, reſtituat Quod ſi eum chriſtianitatem docere neglexerit, pro eo ſupplicium ſubibit. Qui infantem de Baptiſmo ſuſcepit, idem etiam ad confirmationem tenere poterit.

CAPVT CXVI.

Quod tantum bis in anno Canonicè Baptiſmus celebretur.

Bis in anno canonicè baptizatur in Paſcha & Pentecoſte: quia in Paſcha Chriſtus moritur, in cuius morte baptizatur. In Pentecoſte Spiritusſanctus datur, per quem remiſſio peccatorum donatur. Ideo autem in Sabbatho, quod *requies* dicitur, quia æterna requies per
B Baptiſmum tribuitur. Quia vero paruuli, ſi non regenerantur, à regno Dei alienantur, in neceſſitate ægritudinis, vel perſecutionis, vel obſidionis, vel naufragij, omni tempore baptizantur. & ſi Presbyter, vel quilibet de clero non adeſt, à fideli laico in nomine Trinitatis in ſimplici aqua baptizetur. Si ſuperuixerit à ſacerdote catechizetur, oleo vngatur, chriſmetur, non denuo baptizetur, ſed ab Epiſcopo confirmetur. Sciendum eſt quod Apoſtoli & eorum diſcipuli, in fluuiis, vel in ſtagnis, vel in fontibus baptizabant. Sed Clemens docente Petro chriſma vel oleum addebat. Leo, Damaſus, Ambroſius Exorciſmos & Benedictiones adiiciebant.

CAPVT CXVII.

De die Chriſti ſepultura.

Dies inter mortem Chriſti & reſurrectionem medius ſignificat requiem animarum ab omni labore poſt mortem, per quam tranſitur ad carnis reſurrectionem.

C

CAPVT CXVIII.

De officio Miſſæ.

Officium per *Kyrie eleyſon*, quod lætitiam ſignat, inchoatur, quia magna lætitia renatorum declaratur. *Gloria in excelſis* ideo cantatur, quia pax in Chriſti natiuitate ab Angelis nuntiata hodie baptizatis donatur. Miniſtri ſolemnes veſtes gerunt, quia renati ſtolam primam iam balneati receperunt. In *Epiſtola* eorum lætitia augetur, quæ eos cum Chriſto in gloria futuros pollicetur. Quod prius *Alleluia* canitur, & *Tractus* ſubſequitur; ſignificat quod homo primitus in gaudiis fuit paradiſi: deinde triſtitiam huius mundi ſubiit; ita baptizati nunc in baptiſmo lætitiam remiſſionis perceperunt, ſed iterum triſtitiam laboris ſubeunt. Ad *Euangelium* lumen non portatur, quia Chriſtus lumen verum adhuc apud inferos abſcondebatur. Incenſum thymiamatis portatur,
D quia per hoc à mulieribus viſitabatur. Ad *offertorium* cantores ſilent, quia mulieres ſecundum mandatum ſabbatho ſiluerunt. *Sanctus, ſanctus,* quod eſt Angelorum cantus cantatur, quia Angeli de eius laude non tacuerunt, ſed eius reſurrectionem mulieribus nuntiauerunt. *Agnus Dei* non cantatur, quia mulieres perterritæ tacuerunt, & in conclaui Apoſtoli abſcondit eum peccata tollere, & reſurrectionem eius non credebant. *Veſpera* ſolito more non cantatur, ſed *Laudate Dominum omnes gentes* tantum, & *Magnificat* cum *Alleluia* iubilatur; quia illa dies nullo modo veſpere terminatur, vbi ſine fine Deus laudatur.

CAPVT CXIX.

De magno myſterio, de prima die ſeculi, & de die palmarum.

Nota myſteria Dei ineffabilia: Quintodecimo Kalendas Apoſtolis ſcribitur Sol in arietem, & primus dies ſeculi. Aries eſt ſignum primum anni. Cum hunc ſol E
intrat, tellus floribus, ſiluæ frondibus vernant, quia hac die Deus mundum creauerat, quæ dies tunc Dominica extiterat, hac eadem die & eiſdem Kalendis populus Dei in Ægypto agnum includebant, quem quartadecima Luna immolaturus erat. Hac eadem die poſtmodum terram repromiſſionis intrabat. Hac eadem die & eiſdem Kalendis & eadem Luna ſcilicet decima Dominus verus agnus Hieruſalem intrabat, ibique quaſi incluſus vſque ad immolationem ſui manebat.

CAPVT CXX.

De æquinoctio & Sole & Luna, & feria quarta.

Duodecimo Kalendas Apoſtolis eſt æquinoctium, quia illa die, quæ tunc feria quarta fuerat, Deus ſolem & lunam & ſtellas fecerat. Hac eadem die eiſdemque Kalendis populus in Ramaſſe ciuitatem Ægypti conuenerat, & de immolatione agni tractabat. Hac enim F
die hiſque Kalendis Iudæi in Hieruſalem conuenerant, & de nece Chriſti veri agni tractabant, & per illorum conſilium æternus ſol pro Luna Eccleſia & ſtellis, id eſt ſanctis occubuerat.

CAPVT CXXI.

De vndecimo Kalendas Aprilis, & feria quinta.

Vndecimo kalendas Aprilis Deus piſces & volucres de mari produxit, quæ tunc feria quinta fuit. Hac eadem die eiſdemque kalendis, videlicet decima quarta Luna populus agnum in Ægypto immolauit, per quem de Ægypto quaſi de fluctibus maris tranſiuit. Hac ipſa die, ipſiſque kalendis, ipſaque Luna, Dominus corpus ſuum tradidit, per quod fideles de gurgite mortis eduxit.

CAPVT CXXII.

De decimo Kalendas Aprilis, & de feria ſexta.

Decimo kalendas Aprilis Deus hominem condidit, G
quæ tunc feria ſexta extitit. Hac eadem die, eiſdemque kalendis populus Dei primum Paſcha habuit, ipſeque de Ægypto exiit. Hac ipſa die, ipſiſque kalendis, ipſaque decimaquinta Luna, vt Theophilus ſcribit, Chriſtus ſua paſſione hominem de morte redemit, ipſaque dies Paſcha Iudæorum fuit, Sabbatho Deus ab operibus mundi requieuit; hac eadem die Chriſtus in ſepulchro quieuit. *Theophylus de Cyclo Paſchali*

CAPVT CXXIII.

De octauo Kalendas Aprilis, & de die Dominica.

Octaua kalendas Aprilis, vt Auguſtinus ſcribit, Deus hunc viſibilem mundum creauit, vt ſcribitur: *Hic eſt liber generationis cœli & terræ in die, quando creauit Deus cœlum & terram & omne virgultum.* Hac eadem
die, quæ tunc Dominica extitit, populus mare rubrum tranſiuit, hac ipſa die, ipſiſque kalend. virgo Chriſtum H
concepit, qui hac eadem die populum ſuum de inferno eripuit, & hac ipſa die victor à morte reſurrexit, hac eadem die, & eiſdem kalend. erit Eccleſia reſurrectura, & gaudium Domini ſponſi ſui intratura. Dionyſius Abbas, & quidam alij affirmant, Chriſtum octaua kalend. Aprilis paſſum, & ſexto kalendas Aprilis à mortuis rediiſſe. Sed aliter videtur lex ſonare, & Euangelium, quæ memorant eum decimaquinta luna, quæ tunc decima kalend. Aprilis extitit, pro nobis immolatum. In hac ſeptimana cappis & aliis ſolemnibus veſtibus veſtimur, quia in futura reſurrectione omni gloria induemur, cum corpora veſtimento ſalutis, & animæ indumento iuſtitiæ induuntur. Hoc etiam baptizati innuunt, quia in baptiſmate albas veſtes induunt. Ideo enim albas portamus, quia Angelos in albis reſurrectionem annunciaſſe ſignamus. *Dionyſius Exiguus Albas Rom. ... fellitur.*

CAPVT

A

CAPVT CXXIV.

De Paſcha.

Exod. 14. PHaſe hebraicè, *Paſcha* Græcè, *tranſitus* dicitur Latinè, eo quod illa nocte angelus percutiens Ægyptum tranſiuit, & populus Dei illa die de Ægypto tranſiit, & die tertia mare rubrum tranſiit, ac populus fidelis de inferni clauſtris illa nocte ad gaudia paradiſi tranſiuit, & exercitus baptizandorum de infidelitate ad lucem fidei tranſit. Hoc ideo in primo menſe noui anni celebramus, quia in hoc menſe in Chriſto innouati ſumus, & in hoc menſe, ſcilicet * Apoſtoli (qui eſt primus apud Hebræos) totius Chriſtianæ religionis exordium ſumpſiſſe ſcimus. (* fort Aprili.) Sunt autem duo anni, cõmunis, & emboliſmalis: Communis, qui habet duodecim lunationes: Emboliſmalis, qui habet tredecim. Per hos duos annos ideo Paſcha diſtinguitur, quia per duas vitas, ſcilicet contemplatiuam, & actiuam ad futurum feſtum tranſitur. B Poſt duodecim itaque lunationes ideo Paſcha celebratur, quia contemplatiui per decem præcepta Legis & duo præcepta charitatis ad futuram reſurrectionem pertingunt. Poſt tredecim lunationes ideo agitur, quia actiui per impletionem decalogi & operationem Trinitatis fidei ad idem feſtum perueniunt. Ideo autem in primo menſe celebratur, quia in Chriſto, qui eſt principium, totum conſummatur: ideo poſt æquinoctium cum lux dierum prolongatur, quia populus in hoc feſto Eccleſia cæli alta petere cœpit. Ideo in tertia hebdomada nouæ Lunæ celebratur, quia in tertio tempore Chriſtus noſtrum Paſcha immolatur. Ideo non in alia, niſi in Dominica, quia ſicut Dominica omnes dies ſeptimanæ præcellit, ita hæc feſtiuitas omnes feſtiuitates præcellit. Vnde & *ſolennitas ſolennitatum* dicitur, & ideo per omnes Dominicas reciprocatur.

C

CAPVT CXXV.

De vmbra Paſchæ.

QVod paſſio Domini vel reſurrectio non in kalendaria die agitur, hæc cauſa eſt: quod per Chriſti paſſionem Eccleſiæ paſſio ſub Antichriſto futura: ac per reſurrectionem eius futuram noſtra reſurrectio nobis in memoriam reuocatur. Et ideo ſicut Paſcha Iudæorum in figura, noſtri, ita noſtrum in ſignificatione futuri celebratur. Ideo *Alleluia*, quod lætitiam ſignificat, in hoc feſto cantatur, quia in hac ſolennitate æterna lætitia Chriſtiano populo reddita rememoratur.

CAPVT CXXVI.

De proceſſione in die Paſchæ.

PRoceſſio, quæ in Paſchali die agitur, illam proceſſionem exprimit, qua rex gloriæ cum exercitu redemptorum de inferis ad cœleſtia proceſſit. In Miſſa concentus angelorum repræſentatur, D cum eis genus humanum aſſociatur. Veſperæ per *Kyrie eleiſon* inchoantur, quia illa feſtiuitas ſine veſpere celebratur.

CAPVT CXXVII.

De tribus Pſalmis in Matutinis per hebdomadam Paſchalem.

AD nocturnale officium tres Pſalmi pſalluntur, quia tria tempora huius mundi Chriſti reſurrectione inſigniuntur. Tres Antiphonæ cantantur, quia Patriarchæ *ante legem*, prophetæ *ſub lege*, Apoſtoli *ſub gratia* Chriſti reſurrectione glorificantur. Tres Lectiones leguntur, quia Chriſti reſurrectio à Lege, à pſalmis & prophetis pronunciatur. Tria reſponſoria canuntur, quia tres ordines Eccleſiæ ſcilicet *coniugati*, *continentes*, *doctores* per Chriſti reſurrectionem ſaluabuntur. Singulis reſponſoriis *Gloria patri* ſubiungitur, quia in omnibus Trinitas collaudatur. Per *Te Deum laudamus* exprimitur hora, qua reſurrexit Dominus. Pſalmi, qui ad matutinales laudes canuntur propter tempus Dominicæ reſurrectionis

E exprimunt, ſicut ſuperius expoſitum eſt Nocturna autem *Beatus vir*, ideo per totam ſeptimanam partitur, quia hæc hebdomada pro vna die computatur. Vnde quotidie ad primam pſalmus *Confitemini Domino* repetitur: propter verſum, *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus.*

CAPVT CXXVIII.

Nota quare non cantetur, Quicumque *per hanc hebdomadam.*

Q*Vicumque vult* ideo non cantatur, quia in futura vita, quam hæc hebdomada deſignat, totum iure habetur quod nunc creditur, & ſperatur. Ad omnes horas graduale: *Hæc dies* & *Alleluya* frequentatur, quia in illa vita cuncti iugiter gratulantur. Verſum *Deus in adiutorium* non adeo frequentamus, quia in illa vita non, vt hic, adiutorio indigemus.

F

CAPVT CXXIX.

De Veſperis.

TRes Pſalmi ad veſperas cum *Hæc dies* & *Alleluya* cantantur, quia per fidem Trinitatis ad æternam lætitiam peruenitur. Qui tres Pſalmi etiam reſurrectioni Chriſti congruunt, quæ tertia die contigit, in illo loco; Pſal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, & ibi *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo.* Et ibi. *Exortum in tenebris lumen rectis.* Pſal. 110. & 111. Duo ad fontem canuntur quia per geminam dilectionem ad fontem vitæ pertingitur. Qui Pſalmi etiam baptizatis & baptiſmati conueniunt. Baptizatis vt ibi. Pſal. 113. *Laudate pueri.* Baptiſmati vt ibi. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum.* Quod cum proceſſione ad fontem imus, populum Dei per mare rubrum, vel per Iordanem ordinatim tranſiſſe ſignificamus. Iidem Pſalmi ideo quotidie repetuntur, quia hæc hebdomada pro vna die computatur.

G

CAPVT CXXX.

De prima hebdomada ſæculi.

HÆc enim ſeptimana illam hebdomadam ducit nobis in memoriam, qua Deus ineffabiliter creauit huius mundi materiam, & quia in hac omnes filij Dei nouiter creati magna voce iubilauerunt, ideo nouiter renati in hac *Alleluia* gratulando concinunt.

CAPVT CXXXI.

De Baptizatis.

DE neophitis octo officia cantantur, quia per baptiſma ad octo beatitudines præparantur, quæ in octaua huius vitæ dantur.

CAPVT CXXXII.

De Sabbatho.

H IN primo Sabbatho duas Laudes ſcilicet *Alleluia, Confitemini*, & Tractum *Laudate* decantat. In octauo verò, quod eſt aliud Sabbathum, *alleluia* ſcilicet *Laudate pueri*, & *Hæc eſt dies* iubilabunt. In priori Sabbatho cantatur vnum *Alleluia*, quia prima vita non ſempiterna. Ideo Tractus ſequitur, quia adhuc hic peregrinatur. Ideo baptizati *Alleluia* concinunt, quia ſtolam ſuam in ſanguine agni lauerunt. Ideo cantant Tractum laudationis, quia eis cantabiles ſunt Domini iuſtificationes in loco peregrinationis. Pſal. 118.

CAPVT CXXXIII.

De Mediis ſex diebus.

MEdiis ſex diebus Graduale & Alleluia cantatur, quia in hoc tempore quod inter baptiſmum & vltimam reſurrectionem in actiua & contemplatiua vita ſex ætatibus hominis laboratur. Sed quia hic labor in gaudium conuertitur, ideo graduale *Alleluia* ſequitur.

Omnis

A tur, quia hic Pſalmus de æterna lætitia canitur. In alio Sabbatho quod eſt prioris octaua duo *alleluia* canuntur, quia in futura vita binas ſtolas habebunt, quando corpore & anima in æternum gaudebunt. Sequens ſeptimana vocatur. *In Albis*, quia olim confirmati ſolebant candidis veſtibus, ſcilicet in baptiſmo acceptis vti his diebus.

CAPVT CXXXIV.

De magno myſterio diei Palmarum, & totius hebdomadæ.

HÆc cuncta, quæ in capite Chriſto præceſſerunt, in corpore quoque eius, ſcilicet Eccleſia futura erunt. Dies vtique Palmarum, quando Dominus ad Hieroſolymam venit, & ei turba cum palmis occurrit, eſt illud tempus cuius vltimus Romanorum imperator Hieroſolymam ibit, regnum Deo & patri dabit, vt Sibylla ſcribit. Tres dies ante Paſcha, ſunt tres anni, quibus
B Antichriſtus regnabit, per omnia regna his diebus pænitentes ab Epiſcopis in Eccleſiam introducuntur. Chriſma conficitur, per quod Chriſtiani conſignantur, & tunc Iudæi regno Dei aſſignantur. Pedes, qui ſunt vltima membra; lauantur, & vltimo tempore maxima perfectio in Eccleſia concitatur, lumina conteguntur, & tunc omnia ſigna ab Eccleſia tolluntur. Campanæ non ſonant, & doctores tunc non prædicant. Tabula percutitur, & magnus terror fidelibus incutitur. Lectiones lamentantur, quia tunc omne gaudium Eccleſiæ in luctum conuertitur, altaria denudantur, & tunc omnia Sancta proculcantur. Altus ligni ſonitus, qui fit ad Benedictus, eſt maximus terror; qui inuadet aduerſarios, quando interficietur Antichriſtus. His diebus nouus ignis benedicitur, & illo tempore ignis Spiritus ſancti in Eccleſia reaccenditur, Catechumeni baptizantur, & tunc poſt interfectionem Antichriſti maxima multitudo baptizabitur. Cereus recenſus eſt Chriſti aduentus. Deinde agitur, Chriſti reſurrectio, quia tunc ſequitur
C Eccleſiæ reſurrectio. Hoc tempus *Paſcha*, quod eſt tranſitus iure appellatur, quia tunc Eccleſia de peregrinatione ad patriam tranſire prædicatur, & Chriſtus de iudicio tranſibit, & ſuis miniſtrabit. Hoc ideo in plenilunio agitur, quia eadem die fit reſurrectio, cum Eccleſiæ numerus, quàm Luna ſignificat, completur. Paſchalis ſeptimanæ officia repræſentant nobis vltimi feſti gaudia.

CAPVT CXXXV.

De Officio diei Reſurrectionis.

DOminica namque die reſurgens Eccleſia dicit ſponſo ſuo gratulabunda. *Reſurrexi & adhuc tecum ſum.* Deinde omnis electorum turba clamet. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur.* Per Alleluia laudes Paſchali victimæ iubilant, quia tunc verum Paſcha celebrant. Offertorium. *Terra tremuit*, terrorem iudicij in reprobos exprimit. In officio ſecundi diei blanditur Spiritus ſancti electis dicens, *Introduxit nos Dominus.* Similiter in alio officio, *Aqua ſapientiæ potauit eos.* In quarto officio eadem verba cantantur, quæ in iudicio pronunciantur. *Venite benedicti patris.* Deinde laus illorum ſubiungitur. *Victricem manum tuam dilaudauerunt pariter*, quia ſicut illi poſt tranſitum maris rubri Deum laudauerunt, ita iſti poſt tranſitum ignei fluuij Deum in ſæculum ſæculi laudabunt. Sextum officium indicat illorum euaſionem, & inimicorum damnationem, quia ſicut illos mare operuit, ita iſtos infernus deuorauit. Septimum officium illorum gaudium denunciat, in quo ſic exultant: *Eduxit Dominus populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.* Per graduale, quod ſex diebus canitur, ſanctorum opus in cœlis exprimitur, per ſenarium quippe operatio intelligitur. Illorum autem opus eſt exultare, & Deum laudare. Vnde & Graduale hæc dies lætitiam ſonat, quia æternam lætitiam repræſentat. Hac die & deinceps

Pſal. 75. v. 9.

D

Matth. 25. Sap 10. v. 10.

E vero *Alleluia* cantantur, quia tunc in corpore & anima in æternum gratulantur. Duo enim *Alleluia* ſunt angelorum & hominum gaudia. Quod in priori Sabbatho vnum tantum *Alleluia* cantatur, deſignat, quod anima à corpore ſoluta cum ſanctis ſola lætatur. Quod per ſeptimanam adhuc Graduale cantatur, ſignificat quod anima pro corpore quodammodo ſollicitatur. Scilicet quia illa ſollicitudo timore vacat: Ideo graduale lætitiam ſonat. In ſequenti Sabbatho Graduale deponitur, & duo *Alleluia* canuntur, quia in vltima reſurrectione corpora & animæ in gaudio coniunguntur.

CAPVT CXXXVI.

De Quinquageſima Paſcha.

TEmpus inter Paſcha & Pentecoſten Quinquageſima nominatur, quia à Sabbatho, quo duo *alleluia* inchoantur, vſque ad ſecundum ſabbathum Pentecoſtes quinquaginta dies computantur, quibus *alleluia* in
F cantu frequentatur. Hoc illam vitam repræſentat, quæ poſt reſurrectionem futura ſperatur, quando per omnes vicos Hieruſalem ab vniuerſis *alleluia* frequentatur. Ideo autem *alleluia*, quod eſt Hebræum nunc cantatur, quia in illa linguæ primitus erat concordia omnium gentiũ, & in illa vita erit concordia omnium mentium, nulla diſſonantia linguarum. Hoc per quinquageſimum annum deſignabatur, qui *Iubilæus*, id eſt, iubilatione plenus, dicebatur. Hunc Iudæi in lætitia ducebant, & ab omni opere vacabant. Ad hunc ſepties ſeptem anni computabantur, & in iſtis diebus ſepties ſeptem dies numerantur, & per hoc plenum gaudium corporis & animæ declaratur, quia corpus quatuor elementis, anima tribus viribus conſtat, quæ tunc in viſione Trinitatis perenniter exultat. In hoc tempore non genua flectimus, ſed ſtantes oramus, quia tunc in æternum in gaudio cum Chriſto ſtabimus.

CAPVT CXXXVII.

G

De Paſcha annotino.

PAſcha annotinum dicitur, quaſi paſcha anniuerſarium. Olim namque qui in priori Paſcha erant baptizati, in ſequenti anno diem regenerationis ſuæ ſolemnizabant.

CAPVT CXXXVIII.

De Litania maiore.

L*Itania* dicitur rogatio vel ſupplicatio, Maior autem Litania inde dicitur, quod ab Apoſtolico inſtituta legitur. Hæc enim Romanorum dicitur, quia à Romanis obſeruatur. Hanc Gregorius pro peſtilentia inſtituit, quæ tunc populum crudeliter vaſtauit. Hoc apud Romanos ſepteno ordine agitur. In primo clerici: in I. II.
ſecundo monachi: in tertio moniales: in quarto pueri: III IV. V.
in quinto Laici: in ſexto viduæ: in ſeptimo coniuga- VI. VII.
H tæ. Hanc Eccleſia ideo annuatim celebrat, vt Deus à populo & ab animalibus peſtilentiam auertat.

CAPVT CXXXIX.

De triduana Litania ante aſcenſionem Domini.

TRiduanas litanias Claudianus Mamertus, Viennēſis Epiſcopus inſtituit pro clade, quæ tunc populum conſumpſit, Nam crebro motu terræ & tempeſtate ſubruebantur, & vario beſtiarum incurſu deſolabantur. Hoc ieiunium rememorat nobis triduanum Niniuitarum ieiunium. Hoc Eccleſia ideo ante Aſcenſionem Domini celebrat, vt ſicut Deus Niniuitas à periculo mortis liberabat, ita nos à clade & à bellis & ab hoſtibus eripiat, fructus terræ, & aquarum, & animalium nobis cuſtodiat, & nos cœlum conſcendere tribuat. Hoc in Euangelio notatur, vbi tria ſcilicet *panis, piſcis*

Ion. 3.

Luc. 11.

A *& ouum* ponuntur. Per *panem* fructus terræ, qui tunc vel in herba, vel in ſpica eſt: per *piſcem* fructus aquarum: per *ouum* fœtus animalium notatur.

CAPVT CXL.

De Feſto Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

IN Kalendis Maij ſcribitur feſtum *Philippi & Iacobi* & omnium Apoſtolorum. Olim namque infra Paſcha de nullo ſingulariter, ſed communiter de omnibus officium agebatur, quia in cœleſti patria, quam illud tempus ſignificat gaudium omnium eſt gaudium ſingulorum, & ſingulorum eſt omnium. Porrò hunc *Iacobum* cognomento Iuſtum Apoſtoli conſtituerunt in loco Chriſti ſuper multitudinem credentium. Et ipſe extitit Epiſcopus, & pater Hieroſolymis triginta annis, hic incepit vitam monachorum, imò communem vitam religioſorum, vt nihil proprium haberent, ſed communiter omnia poſſiderent.

Iacobus Apoſtolus Hieroſol. Epiſc.

B

CAPVT CXLI.

Quare ante Chriſti reſurrectionem Lex & Prophetæ legantur, & poſt Reſurrectionem Apoſtolorum ſcripta.

ANte Chriſti reſurrectionem lex & Prophetæ leguntur, poſt reſurrectionem ſcripta Apoſtolorum recitantur: quia Lex & Prophetæ Chriſti paſſionem & reſurrectionem prædixerunt, Apoſtoli vero iam factam nunciauerunt.

CAPVT CXLII.

Apocalypſis per tres hebdomadas legitur.

PEr tres ſeptimanas infrà Paſcha Apocalypſis legitur, in qua viſio Chriſti & Angelorum collocutio memoratur: quia in illa vita, quàm Paſchale tempus deſignat, animæ de viſione Trinitatis & Angelorum conſortio gratulantur. Vnde & Reſponſoria in hiſtoria *Dignus es Domine* plena gaudio cantantur.

C

CAPVT CXLIII.

De canonicis Apoſtolorum Epiſtolis per duas hebdomadas.

DEinde per duas ſeptimanas Epiſtolæ Apoſtolorum leguntur, & reſponſorium, *Si oblitus*, de ſcriptis prophetarum, ſcilicet de Pſalmis legitur, quia per Prophetas & Apoſtolos concorditer æterna vita annunciatur, in qua poſt reſurrectionem anima & corpus ſimul in æternum gloriantur. *Reſponſorium Dignus es Domine*, ſignificat introitum Apoſtolorum ad Eccleſiam, quæ ex Iudæis collecta eſt ad fidem noui Teſtamenti. Reſponſorium, *Ego ſicut vitis fructificaui*, eſt pars Iudaicæ plebis ad vnitatem fidei conuerſa. In primis reſponſoriis narratur adunatio ad vnam fidem auditorum ac propoſitorum. In ſequentibus monſtratur Eccleſiæ, quæ nunc collecta eſt, myſterium ſponſi & ſponſæ, de quibus ipſa procreata; Ipſa ſponſa eſt Hieruſalem. Vnde reſponſorium: *Vidi Hieruſalem deſcendentem*. In cæteris narratur pulchritudo ſtructuræ Hieruſalem, vt eſt reſponſorium, *Hæc eſt Hieruſalem, & plateæ tuæ Hieruſalem*, quæ omnia oportet intelligi myſticè de ſpiritualibus ædificiis & cœleſti Hieruſalem.

D

CAPVT CXLIV.

De officio Miſſæ.

IVxta tenorem officiorum, quæ continent in ſe perſonam primitiuæ Eccleſiæ, vt eſt *Quaſi modo geniti*, & *Miſericordia Domini*, & *Iubilate*. Hæc reſponſoria per tres hebdomadas decantari, Reſponſorium, *Si oblitus fuero*, eſt de Pſalmo: *Super flumina Babylonis*, ſignificat gentilem populum, qui olim habitauit in Babylone, id eſt, in confuſione huius mundi, & deſiderat reuocari per prædicationem, & doctrinam ad Hieruſalem, id eſt, ad

Pſal. 136.

E

Eccleſiam. Reliqua omnia reſponſoria de liberatione de Babylone infidelitatis, & peruentione in Hieruſalem, & de laude exhibita in Hieruſalem: vt eſt reſponſorium, *Deus canticum nouum*, & *dicant nunc*, & *In Eccleſiis benedicite*, Hæc reſponſoria ſumpta ſunt de Pſalterio, quod eſt decem cordarum, in quibus eſt dilectio proximi propter Deum. Ex reſponſoriis pſalterij inſinuat proles ſe diligere ſponſum matris ſuæ, & matrem ſuam liquido reſpondere ciuitati Hieruſalem, qui in cœlo habitat. Tria officia, *Cantate Deo*, & *Vocem iucunditatis*, & *Exaudi Domine*, recolunt eadem tempora, quæ & reſponſorium. Vnde non delinquunt, qui per tres hebdomadas vſque ad Pentecoſten ea cantant. Reſponſoria de Aſcenſione Domini, nunc ſponſam conſolantur ex perſona ſponſi, vt eſt reſponſorium, *Non turbetur*, & *Tempus eſt*, nunc ipſa loquitur ad ſponſum, vt eſt illud reſponſorium, *Exaltare Deo*, nunc optat recipi ad eum ſuper ſydera. In Pentecoſten cantant Romani nouem lectiones, vt in aliis Dominicis. Nos vero propter baptiſmalia in tribus perſonis baptizati tribus Pſalmis laudamus Trinitatem vſque ad octauam. Reſponſoria ſonant Spiritum ſanctum paraclitum, id eſt, conſolatorem à ſponſo promiſſum adueniſſe ſponſæ, & dona ei per ipſum allata, id eſt, fidem, opera, miracula, & cætera chariſmata.

F

CAPVT CXLV.

De Aſcenſione Domini.

AScenſionem Domini ideo non in Kalendaria die celebramus, quia per hanc Eccleſiæ de hoc mundo ad cæleſtem patriam exaltationem commemoramus. Per proceſſionem, quam in Aſcenſione Domini agimus, Dominum cum diſcipulis de Hieruſalem in montem Oliueti proceſſiſſe exprimimus.

CAPVT CXLVI.

De vigilia Pentecoſtes.

IN vigilia Pentecoſtes leguntur quatuor Lectiones, propter quatuor cauſas, quas in vigilia Paſchæ diximus. In illa Vigilia legebatur, *In principio creauit Deus cœlum & terram*. In iſta legitur, *Tentauit Deus Abraham*. Hæ duæ lectiones reducunt nobis in memoriam duos patres, vnum carnalem, & alium ſpiritualem. Ab Adam ſumpſimus omnis carnalis generationis initium: ab Abraham vero ſpiritualis generationis exordium. Ille inobediendo nos omnes perdidit; iſte Deo obediendo audiuit; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Illam lectionem canticum non ſequitur, quia per Adam omnes ad luctum naſcimur: iſtam Canticum ſequitur, quia cuncti per fidem Abrahæ in Chriſto ad gaudium renaſcimur. Vnde & oratio conſonat, *Deus qui in Abrahæ obedientia*. Lectio *Tentauit Deus* hiſtoriam ſonat. Alia, *Scripſit Moyſes canticum*, nouam legem declarat, quam Spiritus ſanctus in cordibus fidelium in die pœnitentiæ ſcripſerat, ſicut Moyſes illam legem in die pœnitentiæ perceperat. Vnde Allegoricum canticum ſequitur, in quo nobis lætitia æterna promittitur. Tertia lectio, ſeptem dona Spiritus ſancti pronunciat propter ſeptem mulieres, quas vnum virum, id eſt, Chriſtum apprehendere clamat, per hanc Tropologia notatur, quia per ſeptem dona Spiritus ſancti mores fidelibus dantur. Hanc Canticum ſequitur, quia bonos mores gaudia ſequuntur. Quarta lectio, *Audi Iſraël*, Anagogen ſonat, vbi dicitur, *Diſce, vbi ſit ſapientia, vbi virtus, vbi prudentia, vbi lumen, & pax*. Quam canticum ſequitur, quia in illa vita canticum lætitiæ ſine fine cantabitur. Tituli ideo non pronunciantur, quia auctores Scripturæ à cathecuminis adhuc ignorantur. Aliqui in hac Vigilia tres lectiones legunt, & quatuor Cantica cantant, quia fidem Trinitatis, *lex, pſalmodia & prophetia* inſtruunt, & quatuor Euangelia ad lætitiam æternæ vitæ deducunt. Romani legunt nouem Lectiones in Pentecoſte, vt in aliis Dominicis. In hac die Baptiſma, vel in omnibus ſummis feſtiuitatibus ad veſperam, *Laudate*, cantantur, hoc ideo fit, quod in his Pſalmis magis laudes Dei ſonare probantur.

G

Adam. Abrahã.

Gen. cap. 16. & 22. & 26. Gal. 3. 16.

Gen. 22.

Deut. 32.

H

Eſai. 4. v. 1. Sup. cap. 107.

CAPVT CXLVII.

De Pentecoſte.

PEntecoſten idcirco antiquus populus celebrabat, quia in illa die Legem per Moyſen acceperat. Hanc feſtiuitatem ideo Eccleſia celebrat, quia hac die nouam legem per Spiritum ſanctum accepit. *Pentecoſte* autem Græcè dicitur, quinquageſimus dies, quia à die reſurrectionis vſque in hanc diem quinquaginta dies computantur. Hebræus populus à die immolationis agni Pentecoſten numerabat, Eccleſia autem à Dominica Reſurrectionis computat: qua die concordiam linguarum per Spiritum ſanctum acceperat. Septem hebdomadæ à Paſcha vſque ad hoc feſtum numerantur, quia in hoc feſto ſeptem dona Spiritus ſancti dantur. Hoc ſeptimus annus olim præfigurabat, quem Lex *annum remiſſionum* appellabat, quem populus cum lætitia ducebat, à ſeruili opere vacabat. Hebræos ob indigentiam venditos à ſeruitio laxabat. Ita expletis ſeptem millibus annorum fidelis populus per ſeptiformem ſpiritum plenam remiſſionem conſequetur, à ſeruitute eruetur, & libertate induetur. Vnde & per ſeptem dies hoc feſtum celebratur, quia per ſeptem dona Spiritus ſancti plena gaudia animabus & corporibus in futura vita tribuuntur. Ideo & ſeptem vltimi Pſalmi per *Alleluia* intitulantur, per quos ſempiterna gaudia per gratiam ſeptiformis ſpiritus danda prædicantur. Hoc feſtum ideo non in Kalendaria die, ſed in quinquageſima poſt reſurrectionem Chriſti, & in Dominica celebramus, quia per illud illam requiem, qua in Spiritu ſancto requieſcemus, in perenni gaudio commemoramus. Nota aliud eſt Pentecoſte, aliud quinquageſima. *Pentecoſte* à die reſurrectionis Chriſti vſque ad Aduentum Spiritus ſancti: *Quinquageſima* incipit à Sabbatho, quo duo *Alleluia* cantantur, & finitur in Dominica *Benedicta*, ſed vtrumque corporis & animæ lætitia exprimit.

Deut. 15. 1.

CAPVT CXLVIII.

De Paſchali Quinquageſima.

PAſchale tempus per quinquaginta dies extenditur, quia ſicut in quinquageſimo anno vel in iubilæo populo Dei reddita eſt libertas, & amiſſa hæreditas, ita nobis in futuro per Ieſum in Spiritu ſancto redditur amiſſa libertas, & paradiſi hæreditas. Quinquies enim decem ſunt quinquaginta; hoc eſt pro labore quinque ſenſuum denarius, his in futuro dabitur, qui hic in vinea Domini in Quadrageſima, hoc eſt in hac vita decem præceptis laborauerunt. Sunt enim ſeptem hebdomadæ, & vna dies. Septies autem ſeptem cum vna die ſunt quinquaginta, hoc eſt, qui in ſeptem diebus huius vitæ per ſeptem dona Spiritus ſancti quinque ſenſibus ſuis decem præcepta impleuerit, in futuro illum in præmio recipiet, in quo ſolo, & qui ſolus eſt gaudium omnium.

CAPVT CXLIX.

De ſeptem diebus Pentecoſtes.

PEr ſeptem dies Pentecoſte colitur propter ſeptem dona Spiritus ſancti, in quibus & ieiunium celebratur, quia mox vt Spiritum ſanctum acceperunt, confeſtim ab illecebris huius mundi ſe fideles abſtinuerunt.

CAPVT CL.

De ieiunio Quatuor temporum.

DE ieiunio Quatuor temporum de Lege eſt acceptum. Ideo autem quatuor temporibus obſeruantur, quia quatuor tempora anni, ſcilicet ver, æſtas, autumnus, hiems numerantur. Ideo autem in vnoquoque tres dies, qui coniuncti duodecim fiunt, quia duodecim menſes in vno anno ſunt. Vt ergo homo, qui ex quatuor elementis conſtat, Deo reconcilietur, qui in tribus perſonis colitur, ideo quatuor temporibus ternos dies abſtinere præcipitur.

CAPVT CLI.

De Quadrageſima.

QVadrageſimam ideo ieiunamus, quia decimam Creatori noſtro de diebus noſtris reddimus. Sed quia hoc cum corpore agimus, ideo pro ſatisfactione duodecim dies pro duodecim menſibus abſtinentia nos affligimus, quos dies ideo quatuor temporibus ternis diebus ieiunamus, quia eadem quatuor tempora ternis menſibus aſcribimus. Quatuor quoque temporibus qualitates elementorum, ſcilicet Calidum, frigidum, ſiccum, humidum ineſſe ſcimus, ex quibus delectamenta mundi contrahimus: Et vt hoc ſuperemus quatuor temporibus Deo ſacrificium afflictionis exhibemus. Eſt & alia cauſa: In vere ſemina mittimus: in æſtate ſemina metimus. In Autumno vinum & oleum colligimus, itemque ſemina ſpargimus: In hieme hortis & ædificiis inſiſtimus. Et vt hæc noſtris conſeruentur vſibus, idcirco iiſdem temporibus nos Deo ieiuniis ſubdimus. Hæc quatuor tempora Chriſti & ſancti Ioannis Baptiſtæ conceptione & natiuitate inſigniuntur, quia Chriſtus in vere, & Ioannes in Autumno conceptus, Chriſtus in hieme Ioannes in æſtate natus ſcribitur. Vbi autem nos tres dies obſeruamus, ibi religioſos quadrageſimam agere non ignoramus. Sicut enim tota Eccleſia in vere ante Paſcha Quadrageſimam ieiunat, ita pleraque multitudo in æſtate ante feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſimiliter in Autumno ante memoriam ſancti Michaëlis, itemque in hieme ante Natiuitatem Domini Quadrageſimam obſeruat.

CAPVT CLII.

De feria quarta.

FEria quarta duæ lectiones leguntur, quia hæc ieiunia à veteri & à nouo Teſtamento inſtituuntur. Antiquus namque populus in vere Paſcha celebrabat, & tunc ſe affligens azyma edebat, in æſtate Pentecoſten ſolenizabat, tuncque ſe affligendo primitias offerebat, in Autumno ſcenophegia, id eſt, tabernaculorum feſta agebat: in hyeme encænia, id eſt, templi dedicationem recolebat; & in vtroque feſto ſe ieiuniis affligebat. Ideo enim duæ lectiones feria quarta leguntur, quia quarta ætate mundi lex & prophetia ſeruanda traduntur, & ordinandi vtraque lege inſtructi eſſe præcipiuntur. Semel *flectamus genua* ad priorem Collectam ſine ſalutatione prolatam dicimus, quia in vna Chriſtiana religione vnum Deum colimus.

CAPVT CLIII.

De feria ſexta.

FEria ſexta vna Lectio recitatur, quia in ſexta ætate mundi Lex & Prophetia in vno Euangelio recapitulantur, ad quam *flectamus genua* dicitur, quia Chriſtus legiſlator adoratur.

CAPVT CLIV.

De ſabbatho in duodecim Lectionibus.

SAbbathum duodecim Lectionibus intitulatur, non propter duodecim Lectiones, ſcilicet propter duodecim lectores, quia olim Romæ ſex lectiones quæ Latine, eædem & Græce legebantur, & duæ cauſæ exprimebantur. Vna quia Græci aderant, qui Latinam linguam neſciebant, & Latini affuerant, qui Græcam ignorabant. Altera quòd per doctrinam duodecim Apoſtolorum vterque populus in fide concordatur. Quatuor lectionibus, quatuor ordines Deum benedicentium exprimuntur, qui per Spiritum ſanctum deſcribuntur: *Domus Iſraël benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino, domus Leui benedicite Domino, qui timetis Dominum benedicite Domino.* Per domum

A Iſraël *populi*, per domum Aaron *prælati*, per domum Leui *miniſtri*, per timentes Dominum quoque *religioſi* accipiuntur, ſic & miniſtri altaris *in acolythos*, in Subdiaconos, in Diaconos, in Presbyteros diſtribuuntur. Quaſi quatuor virtutibus prudentia, fortitudine, iuſtitia, & temperantia pollent, Dominum cum ſupradictis Patrum ordinibus benedicere valent. Quinquies *flectamus genua* dicitur, quia pro his quatuor ordinibus & pro populo oratur. Quatuor Lectiones & tempori, & ordinandis congruunt; Gradualia vero lectionibus conueniunt. Quinta lectio ideo legitur, quia ſicut pueri illi in fornace ignis, ita ordinandi in camino tribulationis probantur. Vnde & illorum voce benedictiones cantantur, quia poſt probationem coronantur. Ad hanc lectionem *flectamus genua* non dicimus, quia ſtatuam Nabuchodonoſor non cum infidelibus, ſed Dominum cum pueris nos adorare innuimus. Tractus, *Laudate Dominum*, laudem regis exprimit, quam Domino poſt liberationem

B puerorum ſoluit.

CAPVT CLV.

Quare in quatuor Temporibus ordines fiant.

MIniſtri Eccleſiæ ideo in quatuor temporibus ordinantur, quatenus ſub quatuor Euangeliis Chriſto & Eccleſiæ ſeruire admoneantur: In Quadrageſima idcirco ordinantur, vt vitiis marceant. In vere ideo, vt virtutibus floreant. In ſeptimana Spiritus ſancti, & in æſtate ideo, vt ſint ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes: In Autumno & in feſto tabernaculorum ideo, vt fructus bonorum operum colligant, & ipſi tabernaculum Dei fiant: In hyeme & ante Natiuitatem ideo, vt mundo moriantur, & cum Chriſto in virtutibus renaſcantur: Ideo in ſabbatho ordines fiunt, quia Deus ſabbathum ſanctificauit, in quo & requieuit, & ipſi debent eſſe ſancti & vacare ſeruitio Dei. Sabbathum quoque eſt ſeptimus dies, & ipſi per ſeptiformem ſpiritum ſeptem

C gradibus diſtribuuntur.

CAPVT CLVI.

De Dominica poſt octauam Pentecoſtes.

DOminica, quæ ſequitur, ideo ab officio vacat, quia olim Romani ordinationes in Dominica faciebant, ſed in veſpera Sabbathi incipiebant. Et ideò in Quadrageſima oratio ſuper populum non dicebatur, ad quam non capita, ſed genua flectebant, quod in Dominica minime licebat. Sacerdotes namque iure in Dominica ordinantur, per quos Dominica ſacramenta conſecrantur.

CAPVT CLVII.

Quid ſignificet tempus inter Paſcha & Pentecoſten.

TEmpus à Paſcha vſque poſt Pentecoſten illud tempus nobis commemorat, quo diu fidelis populus

D poſt Baptiſma innocentiam ſeruat. Tempus à Pentecoſte vſque ad Quadrageſimam illud tempus inſinuat, quo pro erroribus ſe occulta pœnitentia macerat. Tempus vero Quadrageſimæ illud tempus indicat, quo ab Eccleſia eiecti publica pœnitentia ſe ſatisfaciendo caſtigant.

CAPVT CLVIII.

De Ianuario.

PEr menſem Ianuarium, in quo annus innouatur, tempus ante diluuium nobis repræſentatur, in quo mundus nouus inchoatur.

De Februario.

PEr Februarium, in quo *Alleluia* deponitur, illud tempus poſt diluuium innuitur, quo vniuerſitas linguarum confunditur.

De Martio. E

PEr Martium, in quo Quadrageſima agitur, illud tempus oſtenditur, quo populus Dei in Ægypto affligitur.

De Aprili.

PEr Aprilem, in quo Paſcha celebratur, illud tempus, quo idem populus à Pharaone liberatur, & in patriam cum gaudio graditur.

De Maio.

PEr Maium, in quo ſæpius Pentecoſte ſolennizatur, illud tempus, quo populus in terra repromiſſionis florens gratulabatur.

De Iunio, & Iulio.

PEr Iunium & Iulium, in quibus hiſtoria Regum recitatur, regnum Saul & Dauid inſinuatur. F

De Auguſto.

PEr Auguſtum, in quo hiſtoria de libris Sapientiæ cantatur, pontificium Salomonis, vel totum Iudaici populi regnum commemoratur.

De quatuor reliquis menſibus.

PEr quatuor reliquos menſes quatuor principaliter regna denotantur, quæ in modum crucis formantur, dum Babylonicum in Oriente; Perſarum in meridie; Græcorum in Aquilone, Romanorum in Occidente principabatur.

CAPVT CLIX.

De hiſtoria Iob.

HIſtoria Iob, quæ hoc menſe legitur, regnum Orientis exprimit, vbi dicit, *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* Vnde & hæc hiſtoria per duas ſeptimanas legitur, quia regnum Babylonicum duas ſepti-

manas duraſſe dicitur. In vna autem ſeptimana ſeptingenti anni numerantur, & in duabus mille, & quadringenti computantur. Tot quippe inueniuntur à tempore Nini, quo regnum Orientis cœpit, vſque ad Cyrum regem Perſarum, quo defecit. Reliqua pars menſis regnum Meridiei innuit, quod in Perſida, vel Media, vnam ſeptimanam ſcilicet ſeptingentos annos viguit. Vnde diuerſæ hiſtoriæ tunc leguntur, quia nunc de Perſis, nunc de Medis reges aſſumuntur. G

De Octobri.

SEquens menſis, videlicet October, regnum Græcorum exprimit, quod etiam vna ſeptimana ſcilicet ſeptingentis annis in Aquilone floruit. Vnde & hiſtoria Machabæorum in hoc menſe legitur, quia ipſi Machabæi ſub eiſdem regibus affligebantur.

De Nouembri.

NOuember Romanum regnum denotat, quod per H
duas ſeptimanas, id eſt, per bis ſeptingentos annos in Occidente nobiliter durabat. Hoc à Gothis deſtructum nunquam priorem meruit ſtatum. Vnde & in hoc regno Chriſtus rex regum naſcitur.

De Decembri.

DEcember in qua Aduentus vel natiuitas Chriſti celebratur, regno Chriſtianorum attitulatur. Et ſicut Chriſti natiuitas eſt in fine anni, ita regnum Chriſtianorum venit in fine mundi: quod rex regum adueniens innouabit, & in æternum in ſuis regnabit.

CAPVT CLX.

De feſto Ioannis ante portam Latinam, 6. die May.

MIſſa, quæ ſcribitur Ioannis ante portam latinam, eſt illa dies, qua Ioannes Apoſtolus à Domitiano

Cæſare

Digitized by Google

A Cæſare ante eandem portam in dolium feruentis olei eſt miſſus, ſed diuinitus liberatus.

CAPVT CLXII.

De feſto Mariæ ad Martyres.

Miſſa quæ ſcribitur Mariæ ad Martyres, eſt illa dies, qua templum Romæ *Pantheon* in honore Dei genitricis Mariæ & omnium *Martyrum* * conſecratur: quia adhuc ſolennitas *Confeſſorum* minimè celebris habebatur. Ad hanc Miſſam *Terribilis* propriè ſcribitur.

** Primum à Bonifacio Pōt. Max. Inſ. c.168.*

CAPVT CLXII.

Petri & Pauli Apoſtolorum 29. die Iunij.

Cvm corpora Apoſtolorum *Petri & Pauli* diu ſimul tumulata iacerent, & poſt plurimos annos in ſingulas Eccleſias poni deberent, ignotum erat cuius illa B & illa oſſa eſſent. Ieiunantibus autem & orantibus eſt reuelatum minora quidem eſſe *piſcatoris*, maiora autem *doctoris*, & ſic diuiſa ſunt.

CAPVT CLXIII.

De ſancto Iacobo 25. Iulij.

Iacobus Apoſtolus in Paſcha eſt decollatus, ſed hic translatus.

CAPVT CLXIV.

De kalendis Auguſti, & de Ad vincula ſancti Petri.

Dies kalendarum Auguſti olim celebris habebatur, ob victoriam Auguſti hac die: poſtea vincula ſancti Petri collocata ſunt Romæ in eccleſia conſtructa in eius honorem. Et ipſa dies inſtituta celebris in honore Apoſtolorum principis, ſicut prius in veneratione mundi Principis: & hæc miſſa vel potius eccleſia *Ad vincula ſancti Petri* vocatur, quia eccleſia ab Eudoxia regina C conſtructa in honorem principis Apoſtolorum, ipſa die dedicatur, & cathenæ ipſius Apoſtoli ibidem collocantur.

CAVPT CLXV.

De decollatione Ioannis Baptiſtæ, 29. Auguſti.

Ioannes Baptiſta in Annunciatione * ſanctæ Mariæ eſt decollatus, ſed hodie caput eius inuentum glorificatur diuinitus.

** Id eſt, 25. Martij.*

CAPVT CLXVI.

De natiuitate ſanctæ Mariæ Virginis, 8. Septemb.

Dies natiuitatis ſanctæ Mariæ hoc modo ſolennis inſtitutus. Quidam ſolitarius vitam ducens ſanctiſſimam audiuit annis ſingulis die natiuitatis ſanctæ Mariæ genitricis Dei harmoniam, concentus angelorum in cœlo. Qui cum miraretur, quid hoc eſſet, & oraſſet intentè, vt hoc ſibi pietas diuina reuelare dignaretur, D dictum eſt illi per angelum, quod ea die nata ſit ſancta Maria. Cuius natiuitas cum ignoretur ab hominibus in terra, venerabiliter eam excolunt in cœlis angeli. Quod ille referens Eccleſiæ, ſtatuta eſt eius Natiuitas ſolenniter celebrari.

CAPVT CLXVII.

De feſto ſancti Michaëlis. 8. die Maij eius Apparitio.

Miſſa ſancti Michaëlis eſt illa dies, qua populus Chriſtianus cum paganis pugnauit, & victoriam per ſanctum Michaëlem Archangelum obtinuit.

CAPVT CLXVIII.

De feſto omnium ſanctorum. Kalendis Nouemb.

Feſtiuitatem omnium ſanctorum Gregorius Papa iunior inſtituit, quam prius Bonifacius Papa in honorē ſanctæ Mariæ & omnium Martyrum ſeruandam cenſuit.

Supr. c.161.

CAPVT CLXIX.

E *De dedicatione eccleſiæ.*

Eccleſiæ dedicatio eſt ſumpta à tabernaculo vel à templo, inſtituta ex Domini imperio.

HONORII AVGVSTOdunenſis, Gemmæ Animæ.

LIBER QVATVS.

CAPVT PRIMVM.

De concordia officiorum.

His ſuccinctè expeditis de *Solennitatibus*, nunc manum ad *Concordiam officiorum* vertimus. F Olim diuinum officium in eccleſia agebatur, prout cuique bonum videbatur. Sed poſtquam vnitas eccleſiæ multiformiter cœpit ab hæreticis ſcindi, & à ſchiſmatibus multipliciter in diuerſa conuenticula findi, beatæ memoriæ Theodoſius Imperator ſynodum Conſtantinopolitanam congregauit; omnes hæreſes damnauit; diuinum officium à Synodo ordinari poſtulauit. Quod negotium Damaſus Papa Hieronymo, tunc in diuinis Scripturis eruditiſſimo, iniungere optimum iudicauit. Hieronymus itaque in Bethleem, vbi Dominus naſci voluit, pſalmos ad Nocturnos, & ad reliquas horas diſtribuit, vt hodie Eccleſia pſallit. Ad Miſſæ verò officium Lectiones, & Euangelia ex veteri & Nouo Teſtamento collegit, prout tempori & ſtationi congruere vidit. Romana quippe Eccleſia implorando ſanctorum ſuffragia *Stationes* facit per diuerſa ſanctorum loca. Poſtquam ergo Papa diſpoſitionem diuini officij à Hieronymo editam accepit, Concilium collegit, ac vbique ſic cantari præcepit. Poſtea Gelaſius Papa & Gregorius, orationes & cantum Lectionibus & Euangeliis congruentes addiderunt, & ſic hodie cantatur, celebrationemque diuini officij inſtituerunt. G

S. Hieronymus.

CAPVT II.

De Septuageſima.

Igitur quia in ſeptuageſima mundi exordium commemoramus, à ſeptuageſima & nos incipiamus. Vna peregrinatio legitur populi Dei in Ægypto, & vna captiuitas eiuſdem populi de Hieruſalem in Babylonem, per vtramque ſignificat noſtra peregrinatio, & noſtra captiuitas de paradiſo in hunc mundum. Duæ vero reuerſiones populi Dei leguntur: vna de Pharaone per mare rubrum & deſertum ad terram promiſſionis, altera de Babylone ad Hieruſalem, per quas ſignificantur noſtræ reuerſiones. Vna qua de Pharaone, id eſt de diabolo per mare rubrum, id eſt, per Baptiſmum: vel per deſertum, id eſt pœnitentiam ad terram repromiſſionis, id eſt, ad eccleſiam redimus. Alia qua de Babylone ad Hieruſalem, id eſt, de hoc mundo ad cœlum reuertimur. Peregrinatio H quidem per ſeptem millia annorum extenditur, captiuitas vero per ſeptuaginta annos differtur. Hæc omnia per ſeptem officia ſeptem hebdomadarum ſcilicet à ſeptuageſima vſque ad paſſionem Domini deſignantur. In nocturnali officio peregrinatio exprimitur; in matutinali captiuitas innoteſcit, in Miſſali autem reuerſiones recenſentur.

Supr. lib. III. cap. 37. & 38.

CAPVT III.

De Dominica Septuageſima, Circumdederunt.

In prima Dominica Geneſis legitur. in qua peregrinatio generis humani de paradiſo in mundum memoratur. Ad laudes antiphona, *Miſerere mei Deus*, cantatur, per quam vox in captiuitate dolentium exprimitur. Ad miſſam vox in peregrinatione, vel captiuitate gementiū: *Circūdederunt me gemitus mortis*. In epiſtola de Babylone

Pſal. 18.

A ad Hieruſalem, id eſt de mundo ad cœlum reuerſio, vbi
1. Cor.9. v.24. dicitur: *Sic currite, vt comprehendatis.* In graduale vox
tedeuntium. *Adiutor in opportunitatibus.* In Euangelio
reuerſio ad eccleſiam vbi dicitur, *Ite in vineam meam,*
id eſt in eccleſiam, & hoc fit per confeſſionem, vnde
Pſal.91. v.1. in officio *Bonum eſt confiteri.*

CAPVT IV.

De Dominica Exurge *in Sexageſima.*

IN ſecunda Dominica nocturnale & matutinale officium iteratur, quia prima ætas per duo millia annorum terminatur. In Miſſa vox redeuntium, *Exurge quare obdormis.* In epiſtola labores reuertentium ad eccleſiam, vbi dicitur *periculis fluminum, periculis latronum.* (2. Cor. 11.) Flumina ſunt tentationes, latrones ſunt dæmones. In Euangelio reuerſio ad cælum, *Exiit qui ſeminat,* (Luc.8.) quia qui hæc bona opera ſeminant, in lachrymis in gaudio metent vitam æternam, vt in offertorio, perfice greſſus meos in ſemitis tuis. B

CAPVT. V.

De Dominica Eſto mihi *in Quinquageſima.*

IN Dominica tertia, quod malum homini in peregrinatione contigerit, in nocturnali officio memoratur, dum diluuio ſubmerſi leguntur. In matutinis per antiphonam. *Secundum multitudinem miſerationum*, vox captiuorum inſinuatur. Ad miſſam vox redeuntium: *Eſto mihi in Deum protectorem.* In Epiſtola modus reuerſionis ad eccleſiam, vbi dicitur *charitas patiens eſt, benigna eſt.* (1. Cor. 13.) In euangelio reuerſio ad cœlum, vbi dicitur, quòd Ieſus aſcendit Hieroſolymam, (Luc.18) & in verſibus offertorij (Pſal.118) vtraque reuerſio, *Beati immaculati in via*, alius in *via teſtamentorum*, & ibi *Viam mandatorum tuorum cucurri.*

CAPVT VI.

De Dominica prima Quadrageſimæ Inuocabit.

C IN quarta Dominica in nocturnali officio pene ad ſingula reſponſoria afflictio noſtræ ſeruitutis exprimitur, quia per quatuor tempora anni in quatuor partibus mundi humanum genus affligitur. Ad Laudes per antiphonam, *Cor mundum crea*, Vox captiuorum inſinuatur. Ad miſſam reuerſio ad eccleſiam, vbi dicitur, in epiſtola *in vigiliis, in ieiuniis multis.* (2. Cor.6. 5) Vnde cuſtodia angelorum in graduale promittitur, *Angelis ſuis mandauit.* Reuerſio ad cœlum in Euangelio, vbi Chriſtus tentatus à diabolo deſcribitur. (Matth.4. 1.) Quæ vnicuique in fine ſuo futura non dubitatur.

CAPVT VII.

De Dominica II. Quadrag. Reminiſcere.

IN quinta Dominica noſtra peregrinatio in nocturnali officio memoratur, vbi Iacob in exilium iuiſſe refertur. Ad Laudes vox captiuorum. In antiphona, *Domine labia mea.* In Miſſa vox redeuntium, *Reminiſcere miſerationum tuarum.* (D 1. Theſſ. 4.) Reuerſio in Epiſtola ad eccleſiam, vbi dicitur: *Vocauit nos Deus in ſanctificationem.* Reuerſio ad cœlum in Euangelio, vbi mulier Chananæa venit ad Chriſtum, (Matth. 17.) hoc eſt, eccleſia ad Deum in cœlum.

CAPVT VIII.

De Dominica III. Quadrageſimæ Oculi.

IN ſexta Dominica in nocturnali officio noſtra peregrinatio recenſetur, cum Ioſeph in Ægyptum venditus legitur, ad laudes captiuitas & reædificatio templi, exprimitur, per antiphonam, Fac benignè; vbi dicitur. *Ædificentur muri Hieruſalem.* (Epheſ.5.) In miſſa reuertentes, *Oculi mei ſemper ad Dominum.* (Luc.11.) Reuerſio ad eccleſiam in Epiſtola, vbi dicitur, *Auaritia & omnis immundita nec nominetur in vobis.* In graduale *Exurge Domine non præualeat*, & in tractu *Ad te leuaui.* In Euangelio reuerſio ad cœlum vbi dicitur *Beati qui audiunt verbum Dei.* In communione *Paſſer inuenit ſibi domum*, & in fine *Beati qui habitant in domo tua.* E

CAPVT IX.

De Dominica IV. Quadrageſimæ Lætare.

IN ſeptima Dominica plenitudo noſtræ peregrinationis in nocturnali officio exprimitur, vbi afflictio populi Dei in Ægypto & eiuſdem liberatio refertur. In matutinis laudibus liberator à captiuitate ſacrificium dealaratur, vbi dicitur in antiphona, *Tunc acceptabis ſacrificium.* Ad Miſſam plena reuerſio ad cœlum vbi cantatur, *Lætare Hieruſalem*, & in Epiſtola, *Quæ ſurſum eſt Hieruſalem eſt mater noſtra.* (Gal.4.) In graduali, *In domum Domini ibimus.* (Ioan.6.) In Euangelio quinque millia ſaturata referuntur, quia quinque genera hominum, id eſt, contemplatiui & actiui quod ſunt coniugati, viduæ, virgines, ibi ſatiabuntur. F Vnde in communione, *Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas.*

CAPVT X

De duabus Dominicis ſequentibus.

PRopter quod hæc reuerſio fiat in ſequentibus duabus Dominicis exprimitur, ſcilicet per paſſionem Chriſti. Quæ ideo ſunt duæ, quia ſunt duæ reuerſiones, vt dictum eſt, ſiue duæ paſſiones Chriſti, vna qua in ſeipſo, altera qua patitur in corpore ſuo, hoc eſt eccleſia.

CAPVT XI.

De Dominica Paſcha Reſurrexi.

MOx ſequitur Dominica *reſurrexi*, quia in reſurrectione iſta reuerſio perficietur, & *alleluia* cantatur, quia pleuum gaudium à reuertentibus percipietur.

CAPVT XII.

De duobus diebus.

DVo ſunt dies: dies temporalitatis: & dies æternitatis. G Dies temporalitatis, quamdiu viuit homo, vt dicitur, *Hodie ſi vocem eius audieritis*, hoc eſt, hoc tempore, quo viuitis. Dies æternitatis non horum veſperum, vt dicitur, *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Hunc diem attulit Chriſtus. Hic dies cœpit electis à reſurrectione Chriſti & in futura reſurrectione perfectè dabitur. Vnde nunc quibuſdam in anima, tunc omnibus in corpore & anima dabitur. Propterea dicitur *Hodie reſurrexit Dominus.* quando Paſcha inter Kalendaria Maij euenèrit, cum ipſe in Martio reſurrexerit, immo ante annos plurimos. Scilicet dicitur, *Hodie natus eſt*, vel *hodie apparuit*, hoc eſt in die gratiæ.

CAPVT XIII.

Quare dicuntur dies mali *ab Apoſtolo?*

CVr Apoſtolos vocat dies malos dicens, *redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, cum omnia bona ſint. (H Epheſ. 5. 16.) Reſpondeo: Quantum ad tempus ſpectat, omnes dies æqualiter, bonos eſſe conſtat. Sed ideo quidam *dies mali* dicuntur, quia in eis plus homines ſolito affliguntur. Contingit enim aliquando, vt vna eademque die, vnus ſuſpendatur, alter regni ſceptro potiatur, & illa dies, quæ illi mala, iſti bona appellatur. Sic ſolemus dies tempeſtuoſos, vel dies bellorum, aut in quibus aliquid infortunij occurrit, *malos* appellare; dies vero ſerenos, vel dies conuiuiorum, aut feſtos, vel in quibus aliquid læti contigerit, *bonos* nominare. Porro quod horas dierum quaſdam malas dicimus, ſecundum Lunæ curſum, hoc non ſecundum tempus, ſed ſecundum augmentationem vel diminutionem naturalem noſtri ſanguinis dicimus.

Interrogatio.

CVm omnes dies Domini ſunt, cur dies iudicij propriè *dies Domini* dicitur.

Reſponſio.

A

Reſponſio.

ISti dies, in quibus viuimus, non Domini ſed noſtri vocantur, quia in eis facimus, quod volumus. Dies autem iudicij non noſtra ſed *Domini* appellatur, quia tunc omnia iuſtè iudicat, quæ nunc patienter tolerat, & vnumquemque, ſecundum quod geſſit, remunerat.

CAPVT XIV.

De officio Quadrageſimæ.

IN Quadrageſima ſunt quædam officia de pœnitentia inſtituta, vt: *Miſereris omnium Domine diſſimulans peccata hominum*, Et illud *Reminiſcere miſerationum*, Quædam de ieiunio, vt illud: *Cum ieiunatis*. Quædam de orante, vt illud: *Cum oratis*. Quædam de eleemoſynis, vt illud: *Cum facis eleemoſynam*. Et illud: *Frange eſurienti panem*, & item, *Quod vni ex minimis meis*,
B
Matth. 20 & 21. Quædam de operatione, vt illud, *de agricolis vineæ*. Quædam de ſtatione, vt illud in ſabbato, ante mediam.
Quadrageſimam, vbi lectio de Suſanna legitur, quia
Dan. 13. tunc ſtatio ad ſanctam Suſannam Virginem & Martyrem agitur. Scilicet in ſexageſima Lectio de laboribus ſancti
2. Cor. 11. Pauli Apoſtoli legitur: & in Oratione: *contra omnia aduerſa Doctoris Gentium protectione muniamur*, dicitur, quia illa die ad ſanctum Paulum ſtatio agitur. Sic conſideranda ſunt cætera, quæ à doctis viris ſpiritusſancto inſpirante in diuinis Officiis ſunt edita. Quicquid enim ante Chriſti Aduentum, vel poſtea in Eccleſia illo vel illo tempore anni contigit, ſecundum hoc Hieronymus diuinum Officium inſtituit, vel quod Stationi congruere vidit. Feria quarta primæ hebdomadæ Quadrageſimæ, ideo duo verſus ad graduale de neceſſitatibus cantantur, quia geminum ieiunium celebratur. Feriæ quintæ in quadrageſima proprio officio priuantur, ſed de dominicis æſtiualibus inofficiantur. Vnde & earum Euangelia
Luc 16. C ſcilicet de diuite, & Lazaro, & viduæ filio reſuſcitato in his recitantur. Olim quippe has ferias non ieiunabant ſed Silueſtro Papa inſtituente, eas ob multa myſteria, vt Dominicas feriabant. Poſtmodum ſunt Quadrageſimæ coniunctæ, & à Gregorio Papa iuniore inofficiatæ.

CAPVT XV.

De Officio Paſchatis Reſurrexi.

IN Paſchali die Introitus in perſona Chriſti cantatur, qui reſurgens in Eccleſia patri ſe repræſentans ſic eum affatur, *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum*. Oratio in perſona Eccleſiæ recitatur, quæ *æternitatis aditum per Chriſtum ſibi reſeratum* gratulatur. Epiſtola vero in perſona
S. Marcus cur Leoni collatus. Angelorum eam ad lætitiam hortatur. Quàm lætitiam in Graduali, *Hæc dies*; & *alleluia* reſonamus, quia *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Euangelium ſecundùm *Marcum*, qui in forma leonis ſcribitur, ideo hac die le-
D gitur, quia leo natus triduo quaſi mortuus dormire traditur, ſed in die tertia voce patris excitatur. Sic Chriſtus *leo de tribu Iuda* triduo dormiuit conturbatus, ſed in die tertia à patre eſt ſuſcitatus. Officium, *Introduxit nos Dominus*, eſt ſumptum de legali Paſcha, quod præceſſit in figura. In nocte quippe agnum ederunt, & in craſtino ſcilicet in Paſchali die, de Ægypto educti ſunt, eoſque
Exod. 13. 5. Moyſes his verbis alloquitur, *Introduxit nos Dominus* Offertorium quoque in die ſolennitatis, *& erit nobis* hic de eadem die ſunt ſumpta, cætera omnia ſunt ad neophytos reſpicientia.

CAPVT XVI.

Notanda ſunt & hæc.

1. IN Paſcha ſunt quatuor notanda: Vt tertia hebdomada Lunæ Aprilis, qui primus eſt apud Hebræos, cele-
2. bretur, & poſt æquinoctium cum dies prolongatur; &
3. poſt quartodecimam Lunam, cum Luna cœperit altiora
4. cœli petere, & in Dominico die. Tres hebdomadæ ſignant tria tempora mundi, *ante legem, ſub lege, ſub gratia*, E
Paſcha cœpit primo tempore celebrari *ante legem*, quan- I.
do agnus in Ægypto immolatus eſt, per cuius ſanguinem liberati ſunt. Secundo tempore *ſub lege* cœpit Paſcha agi, II.
cum annuatim ex præcepto legis recoleretur. Tertio III.
tempore *ſub gratia* verum Paſcha Chriſtus pro nobis immolatus eſt, ideo tertia hebdomada agitur. Quòd poſt æquinoctium, cum dies prolongantur, hoc ſignificat; quòd poſt Chriſti reſurrectionem tenebræ infidelitatis & mortis cœperunt minui, & lux fidelitatis & vitæ cœpit augeri: Quòd poſt decimamquartam Lunam cum Luna alta petit, quia tunc Eccleſia alta virtutum petere & cœleſtia quærere cœpit: Quòd in dominico die, hoc ideo, quia illa die mundus creatus. Illa enim die pluit Dominus manna; Illa die etiam reſurrexit. Officium *Reſurrexi* Chriſti reſurrectionem deſignat, quia reſurgens à morte ſponſæ ſuæ Eccleſiæ ſe repræſentat: *Reſurrexi* inquiens, *& adhuc tecum ſum*. At illa applaudens F
lætabunda reſultat: *Poſuiſti ſuper me manum tuam*. In graduali verò, *Hæc dies*, & in alia, & in reliquis concentus Angelorum, & gaudium hominum exprimuntur, qui de Chriſti reſurrectione gloriabantur. Ab Adam vſque ad Chriſtum quaſi nox erat, dum totus populus in tenebris peccatorum errabat, Chriſto verò ab inferis reſurgente ſerena dies illuxit, quæ credentes ad æternam lucem perduxit. Vnde & totum hoc tempus pro vna die ponitur. Et ideo veſpera non per *Deus in adiutorium* inchoatur, ſed per *Kyrie eleiſon* celebritati Miſſæ continuatur, quia illa dies veſpere carere prædicatur.

CAPVT XVII.

Iterum de Paſchali die.

SEptem etiam Officia huius hebdomadæ baptizatis congruunt, qui ſeptiformem Spiritum acceperunt, qui per fidem mundo mortui in baptiſmo Chriſto conſepulti, iam de vitiis ad virtutes, de morte ad vitam reſurre- G
xerunt. Humanum itaque genus, quod in Adam cecidit,
per Chriſtum reſurgens dicit: *Reſurrexi & adhuc tecum* 1. Cor. 5.
ſum. Quòd ſpiritu ſapientiæ, affatum in oratione precatur, vt aditum æternitatis per Chriſtum reſeratum, per pia vota mereatur. In Epiſtola vero per ſpiritum admonetur, vt Chriſtum pro ſe immolatum meditetur, *ſine malitia, & nequitia, in ſinceritate, & veritate* viuat, & ſic æternitatem adire licet. De qua promiſſione exultans dicit,
Hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur Pſal. 117.
in ea. Deinde omnes fideles ad laudem Chriſti hortans
ſubinfert; *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam* Ibid.
in ſeculum miſericordia eius. De promiſſione vero angelicæ æqualitatis in *alleluia* iubilat. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, epulemur in azymis, ſinceritatis, & veritatis*: In Sequentia autem, Iubilatio Angelorum denotatur, qui de ſaluatione hominum lætabantur, vnde
& in fine cantatur. *Aſtra, ſolum, mare iocundentur, &* Marc. 16.
cuncti gratulentur in cœlis ſpirituales chori Trinitati. In
Euangelio vero Chriſti reſurrectio denunciatur, per H
quam humanum genus ad vitam rediiſſe declaratur. In quem ſe omnes credere clamant; dum *Credo in vnum* conſonant, Offertorium, *Terra tremuit*, terræmotum in Chriſti reſurrectione factum nobis ad memoriam reducit, ſicut ſcriptum eſt, *Et ecce terræmotus factus eſt magnus*. Illum autem terræmotū præfigurat, quem in noſtra reſurrectione Scriptura futurum prædicat: *Adhuc*, inquiens, *ſemel & ego mouebo non ſolum terram, ſed etiam cœlum*. Porrò in præfatione ille Paſchalis agnus cum Angelis collaudatur, per cuius immolationem fidelis populus Ægyptiaca ſeruitute liberatur, vt ad patriam paradiſi liber reuertatur. In Communione gratias agit de ſua ſaluatione.

CAPVT XVIII.

De Officio, Introduxit nos Dominus.

FEria ſecunda baptizati admonentur per ſpiritum intellectus, quanta dona contulerit eis Chriſtus. *In-*

A *troduxit*, inquit, *nos Dominus in terram fluentem lac & mel*, hoc eſt in Eccleſiam nunc fluentem lacte doctrinæ, in futuro melle æternæ gloriæ. Qui in Oratione precantur, vt libertatem & vitam æternam conſequantur. Quos mox Lectio inſtruit; quod per reſurgentis Chriſti nomen remiſſionem peccatorum, & vitam aſſequi poſſint. De qua ſpe exultent, & Graduale, *Hac dies*, & *alleluia* in Chriſti laude iubilant. Quibus protinus in Luc. 24. Euangelio Chriſti reſurrectio narratur, vt ſe eius reſurrectione ſaluatos non obliuiſcantur. Similiter in Offertorio & in Communione, vt grates ſoluant de ſua liberatione.

CAPVT XIX.

De Officio, Aqua ſapientiæ.

Feria tertia ſpiritus conſilij baptizatos inſtruit, quantam gratiam eis Chriſtus contulerit. *Aqua*, inquit, B *ſapientiæ potauit eos*, hoc eſt aqua baptiſmatis eos mundauit, Euangelica doctrina ſanauit, & ad cœleſtia exaltauit. Qui in Oratione hoc poſtulant, quatenus hæc viuendo obtineant. Lectio autem eos docet Chriſtum pro eis mortem ſubiſſe, & reſurgendo mortem fudiſſe: quem ſi imitari volunt, ei conregnabunt. Vnde gaudentes, Luc. 24. Graduale. *Hac dies* perſonant, & Chriſtum per *alleluia* exaltant. In Euangelio eis Chriſti reſurrectio recitatur, per quam pax reconciliationis eis datur, In offertorio verò *fontes aquarum* apparuiſſe, ſcilicet Baptiſmatis, & Pœnitentiæ memorantur. In communione autem, quæ ſurſum ſunt quærere adhortantur, vt ſic illuc, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, peruenire mereantur.

CAPVT XX.

De officio, Venite benedicti patris mei, *Feria IV.*

C Feria quarta ſpiritus fortitudinis in Chriſto renatos docet, quàm dulci voce eos Chriſtus ad regnum amiſſum in vltimis vocet. *Venite*, inquit, *benedicti patris mei*. Qui in oratione exorant, vt æterna gaudia percipiant. Quibus in Lectione paſſio & reſurrectio Chriſti recitatur, per quem pœnitentibus peccata delentur, & Ioan. 21. vita æterna datur. Qui per graduale *Hac dies* tripudiant, & Chriſto *alleluia* iubilant: Mox eis in Euangelio Chriſtus poſt reſurrectionem cum ſeptem diſcipulis conuiuaſſe narratur, per quod ſeptiformi ſpiritu pleni poſt vltimam reſurrectionem cum Chriſto conuiuaturi præfigurantur. Vnde & in Offertorio panem Angelorum homo manducaſſe perhibetur. In Communione vero hunc panem dignè manducantes vltra non mori, ſed cum Chriſto victuri docentur.

CAPVT XXI.

De Officio, Victricem manum, *Feria V. poſt Paſcha.*

D Feria quinta ſpiritus ſcientiæ monet baptizatos Chriſtum laudare, ſicut liber ab Ægypto poſt rubrum Sap. 10. v. 20. mare: *Victricem*, inquit, *manum tuam Domine*, id eſt, Chriſtum *laudauerunt pariter*. Qui in oratione flagi-Actor. 8. tant, vt fidem actibus impleant. In Lectione Epiſtolæ docentur ſicut Æthiops ad Hieruſalem veniens baptizatur, ita de nigredine peccatorum ad Eccleſiam venientes per Chriſti paſſionem ſaluantur. At in graduali *Hac dies* gaudium conuerſorum exprimitur, in *alleluia* laus Ioan. 20. 17. Chriſti depromitur. In Euangelio reſurrectio Chriſti eis commemoratur, in qua *fratres Chriſti* vocantur in offertorio autem dies æternæ ſolennitatis eis prædicitur, in qua terram lac & mel fluentem, id eſt, paradiſum introduci eis promittitur. Ideo in communione vero ad 1. Petr. 2. 9. laudem Dei hortantur, per quem *de tenebris in admirabile lumen* vocantur.

CAPVT XXII.

De Officio, Eduxit eos Dominus.

Feria ſexta ſpiritus pietatis intimat in Chriſto renatis, quod ſic per Chriſtum liberati ſunt à diaboli oppreſ- E ſione, ſicut filij Iſraël olim à Pharaone. Qui in Oratione precantur, quatenus Chriſtianam profeſſionem operibus imitentur, vt per reſurrectionem eius in dexteram Dei veniant. Qui per graduale *Hac dies* lætitiam ſuam depromunt, & per verſum, *Lapidem quem reprobauerunt*, Matth. 28. Chriſti paſſionem concinunt, per *alleluia* vero reſurrectionem eius extollunt. In Euangelio eis Chriſti viſio poſt reſurrectionem ſuam legitur: In cuius nomine baptizati quique docentur, cum eis vſque ad conſummationem ſæculi promittitur. Vnde in Offertorio *Hac dies*, id eſt, feria ſexta, memorialis eis præcipitur, in qua ab hoſte Chriſti morte erepti noſcuntur. In communione in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizati docentur, cuius præcepta ſeruare admonentur, vt eum poſt reſurrectionem videre mereantur.

CAPVT XXIII.

De Officio, Eduxit Dominus populum ſuum, *Sabbato in Albis.*

F Sabbato ſpiritus Domini timoris recolit baptizatis gratiam Chriſti redemptoris, qui eos de morte redemit, & in paradiſum reducet. *Eduxit*, inquit, *Dominus* 1. Petr. 2. *populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.* Qui in oratione deprecantur, vt æterna gaudia mereantur. Quos Lectio inſtruit. Chriſtum lapidem angularem eos viuos lapides ſibi in cœleſti ædificio coniunxiſſe, imo in reges & ſacerdotes elegiſſe. Vnde immenſo gaudio exultant, & bina *alleluia* in Chriſti laude perſonant. In Euangelio eis reſurrectio Chriſti prædicatur, per Ioan. 21 quam gentilis & Iudaicus populus ſaluatus per Ioannem & Petrum præfiguratur. Quorum etiam vox in offertorio reſonat, qua Chriſtum pro redemptione ſui veniſſe ſalutant: *Benedictus qui venit*. In communione Chriſto per baptiſmum coniuncti ad eius regnum docentur G per virtutes debere niti.

CAPVT XXIV.

Dominica in Albis, Quaſimodo geniti, infantes.

IN officio octauæ Paſchæ, baptizati admonentur, vt *Quaſimodo genitos ſe infantes in Chriſto* memorentur, lac ſacræ Scripturæ concupiſcant, vt in eius corpore in ſalutem creſcant. Qui in oratione poſtulant, vt Paſchale ſacramentũ moribus & vita teneant, Quos Lectio ex Deo 1. Ioan. 5. 4. natos, & mundum ab eis per fidem vincendum perhibet, ipſoſque cum Chriſto triumphaturos in reſurrectione docet. Vnde quia tunc gaudium & lætitiam in corpore & anima ſimul obtinebunt, ideo duo *alleluia* concinunt. Mox in Euangelio Chriſti reſurrectionem au- Ioan. 20. diunt, per quem ſpiritumſanctum & remiſſionem peccatorum acceperunt. Quæ reſurrectio in offertorio & in communione confirmatur, vt illorum reſurrectio futura credatur. Notandum quòd per ſingula officia huius ſeptimanæ ad Introitum quater, ad alium ter *alleluia* H cantatur, quia videlicet ſancta Trinitas à quatuor partibus mundi ob reſurrectionem Chriſti, & ob ſaluationem hominis collaudatur.

CAPVT XXV.

Dominica II. poſt Paſcha, Miſericordia Domini.

IN ſecunda Dominica baptizati gratiam Chriſti mundo intonant, & gaudentes conclamant, *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Hic Trinitatem prædicant, nam in *miſericordia* Domini ſpiritumſanctum, in *verbo* filium, in *Dei* patrem pronunciant. Ideo autem perſonam ſpiritusſancti primitus canunt, quia in eo ſanctificati ſunt. Secundo perſonam Filij ponunt, per quem redempti ſunt. Tertio perſonam patris depromunt, cui reconciliati ſunt. Et quia Trinitatem laudant, ideo ter *alleluia* iubilant. In oratione perpetuam lætitiam fidelibus optant, & ſempiterna gaudia poſtulant. In Epiſtola 1. Petr. 2. vox prædicatorum intelligitur, per quos Chriſtus populis in exemplum proponitur. Per vnum *alleluia* gaudium

conuer

A conuerſorum, per aliud lætitia prædicantium accipitur.
Ioan. 10. In Euangelio duo greges, vnus ex Iudæis, alter ex gen-
tibus, ad vnum & verum paſtorem conuerſi demonſtran-
tur, qui vnum ouile facti. In offertorio, *Deus Deus meus*,
vnum paſtorem inuocare declarantur. Quibus ipſe in
communione reſpondet ſe paſtorem, & eos agnoſcere:
& ſe ab eis agnoſci dicit.

CAPVT XXVI.

Dominica III. Poſt Paſcha, Iubilate Deo omnis terra.

IN tertia Dominica in Chriſto renati totum mundum
in laudem Chriſti conuocant, & gratulando perſultant,
Pſal. 65. *Iubilate Deo omnis terra.* Hic Trinitatem perſonant, dum
in *Deo* patrem, in *nomine eius* Filium, *in laude eius* Spiri-
tum ſanctum denotant. Et quia per duo præcepta charita-
tis in fide Trinitatis ſe ſaluandos tripudiant, ideo poſt bis,
deinde tertio *alleluia* conſonant. In oratione poſtulant, vt
1. Pet. 2. c. ab errore conuerſi Chriſtianitatem impleant. In Epiſtola
ad contemplatiuam vitam informantur, dum à carnalibus
B deſideriis abſtinere adhortantur. Ad actiuam quoque do-
centur, dum omni humanæ creaturæ ſubiecti eſſe iuben-
tur. In vno *alleluia* contemplatiui in dilectione Dei fer-
uentes iubilant, in alio actiui in amore proximi ſeruien-
Ioan. 16. tes exultant. Quibus in Euangelio viſio Dei promittitur,
& gaudium, quod nunquam ab eis tollatur. Vnde magno
gaudio perfuſi prorumpunt in laudem Chriſti in offerto-
rio, *Lauda anima mea Dominum.* Quibus ipſe iterum in
communione ſuam pollicetur viſionem, & ad patrem
cum toto corpore ſuo, ſcilicet Eccleſia, aſcenſionem.

CAPVT XXVII.

Dominica IV. Poſt Paſcha, Cantate Domino.

IN quarta Dominica baptizati per ſe conuerſos ad lau-
dem Chriſti adhortantur, & ipſi præcinendo iocun-
Pſal. 97. dantur, *Cantate Domino canticum nouum.* Hic Trinita-
tem commemorant, dum in *Domino* patrem, *qui mirabi-
lia fecit Dominus.* Filium, *in gentibus reuelauit, iuſtitiam
ſuam*, Spiritum ſanctum inſinuant. Et quia fidem ſanctæ
Trinitatis in quatuor partibus mundi ſuſceperunt, ideo
C Trinitatem per quatuor *alleluia* concinunt, in oratione
Iac. 1. c. orant, vt ad vera gaudia perueniant. Epiſtola conuerſos
inſtruit, vt per verbum Dei genitos ſe initium nouæ Dei
creaturæ memorentur. Et ſi verbum Dei audiendo vitia
abominentur, animæ eorum ſaluentur. Qui *alleluia* con-
geminant, quia & quod mortem euaſerunt, & quòd vi-
Ioan. 16. b tam in ſpe habere meruerunt exultant. Quibus in Euan-
gelio Spiritus ſanctus promittitur, qui eos omnem veri-
tatem docturus perhibetur. Vnde in Offertorio totum
mundum ad laudem Dei inuitant, & lætantes concre-
pant, *Iubilate Deo vniuerſa terra.* In communione tripar-
titum iudicium Spiritus ſancti denunciatur, quo mundus
de reproborum infidelitate, de ſanctorum æquitate, de
occulto & tamen iuſto Dei iudicio redarguatur.

CAPVT XXVIII.

D *De Dominica V.* Vocem iocunditatis.

IN quinta Dominica baptizati, quaſi in quinta ætate à
Babylone liberati, libertatem ſuum omnibus Genti-
bus prædicant, dum in officio, *Vocem iocunditatis* popu-
lum ſuum eum liberaſſe gaudentes clamant, & ideo Tri-
nitatem per tria *alleluia* commemorant. In oratione po-
Iac. 1. ſtulant, vt recta cogitent, & faciant. In Epiſtola docentur
pupillos vt viduas viſitare, immaculatos ſe à ſeculo ſerua-
re, & ſic poſſint cum Deo regnare. Per duo *alleluia* duæ
reſurrectiones intimantur, vna nunc animarum, alia poſt
Ioan. 16. e. f. corporum, In Euangelio ad plenum gaudium exhortan-
tur, quod in futura reſurrectione dabitur. Vnde in offer-
torio omnes fideles Deum laudare monentur, per quem
tale gaudium percipient, *Benedicite*, inquiunt, *gentes
Deum noſtrum.* In communione iterum omnes Chriſti
præconia reſonare hortantur, per quem tanta hominibus
dantur *Cantate Domino.*

CAPVT XXIX.

E *De Rogationibus, & Officio* Exaudiuit.

SIcut per officium *Vocem iucunditatis* inſtantia prædi-
cantium accipitur, ita per officium, *Exaudiuit*, ſolli-
citudo ſe ab errore conuertentium exprimitur. Qui in
oratione precantur, vt ab omni aduerſitate muniantur.
In Epiſtola ad confeſſionem, in Euangelio admonentur Luc. 5.
ad orationem. In offertorio, *Confitebor*, illorum con- Luc. 11.
feſſio. In communione, *Petite & accipietis*, eorum in-
telligitur oratio.

CAPVT XXX.

De vigilia Aſcenſionis, & Officio Omnes gentes.

IN officio *Omnes gentes* plaudunt, quod errorem deſe-
ruerunt. In oratione petunt, ſe illuc transferri, quo ca-
put ſuum perueniſſe credunt. In Lectione illorum conuer- Epheſ. 4.
ſio inſinuatur, dum multitudo vnum cor, & vnam ani-
mam habuiſſe memoratur. In *alleluia* Deo iubilant, qui F
eis tantam gratiam contulerat. In Euangelio pro mem- Ioan. 17.
bris patrem precatur, vt vnum cum eo efficiantur. In
offertorio capitis aſcenſio exprimitur, & membris eum
ſequi promittitur. In communione vnum cum eo effecti,
iam caput orant, vt eos pater à malo cuſtodiat.

CAPVT XXXI.

De Aſcenſione & Officio, Viri Galilæi.

IN officio, *Viri Galilæi*, Chriſti aſcenſus, & ad iudi- Actor. 1.
cium eius reditum Angeli fidelibus nunciant, quo eum
læti præſtolantes ſe ad Deum aſcenſuros non diffidant.
Qui in oratione poſtulant quatenus in cœleſtibus habita-
re valeant. Lectio & Euangelium eis recitat, qualiter Act. 1. b
Chriſtus cœleſtia ſcanderit. In vno *alleluia* Chriſti aſcen- Marc. 16.
ſio collaudatur. In alio, Eccleſiæ de ſua aſcenſione iocun-
datur. In vnoquoque *alleluia* laus Angelorum, in alte-
ro gaudium exprimitur hominum de Chriſti aſcenſione
iubilantium. Sequentia concentum Angelorum repræ-
ſentat, qua Chriſti triumphum iubilat. In offertorio & G
communione nihilominus fideles caput ſuum laudibus
proſequuntur, quo eum realiter ſequi mereantur.

Ideo autem tribus diebus Niniuitarum rogationes *Tres dies*
aguntur, quia tres partes mundi, *Aſia, Africa, & Europa*, *Rogatio-*
vel tres ordines Eccleſiæ *coniugati, continentes, doctores* *num cur.*
in pœnitentia affliguntur. Ideo enim tribus diebus agun-
tur, quia Eccleſiæ tres partes mundi, vel iidem tres ordi-
nes ſub Antichriſto tribus annis grauiter conſtringentur.
Per diem Aſcenſionis dies iudicij repræſentatur, quo die
Eccleſia cœlum aſcenſura prædicatur. Ideo enim canta-
tur: *Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum,
ita veniet.*

CAPVT XXXII.

Dominica intra octauas Aſcenſionis, Exaudi Domine. H

DOminica quæ poſt tertium diem ſequitur, æternam
requiem demonſtrat, quæ poſt tria mundi tempo-
ra, ſcilicet *ante legem, ſub lege, ſub gratia*, ſupradictis tri-
bus ordinibus tribuitur. Vnde Eccleſia iubilat, *Quæſiui
vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* In oratio-
ne poſtulat, vt maieſtati eius ſincero corde ſeruiat. In Epi- 1. Pet. 4.
ſtola bona numerantur, pro quibus tunc iuſti remune- Ioan. 15.
rantur. In Euangelio dicitur, quia nunc extra ſynagogam & 16.
fiunt, ideo tunc aulam Dei intrabunt: de qua conſola-
tione Gentes ſoluuntur in *alleluia*. Et in offertorio & in
Communione. Ab hinc poſt ſex dies Pentecoſtes agitur,
quo ſpiritus credentibus diſtribuebatur, quia poſt ſex æta-
tes mundi fideles per gratiam S. ſpiritus in diuerſis man-
ſionibus diſponentur. Ideo poſt ſex dies celebratur, quia
pro ſex Euangelicis operibus, quæ in ſex diebus hebdo-
madæ operabātur, tunc in gaudio remunerabuntur. Quod
autem poſt decem dies Aſcenſionis agitur, ideo fit, quia
pro decem præceptis legis denario vitæ ditabuntur.

A

CAPVT XXXIII.

De Vigilia Pentecoſtes.

IN officio vigiliæ Pentecoſtes baptizandi imbuuntur, qualiter fide & operatione cœleſtia mereantur, de quorum ſaluatione mater Eccleſia exultat, dum *Kyrie eleyſon*, & *Gloria in excelſis Deo* reſonat. In oratione pro eis precatur, vt acceptum Spiritus ſancti donum in eis confir-
Act.19.1 metur. In Lectione duodecim Apoſtoli Spiritum ſanctum accepiſſe memorantur, per quos vniuerſitas fidelium in quatuor mundi partibus deſignatur. In *alleluia* & in tractu, *Laudate Dominum*, Deum laudant, quod errorem infidelitatis euaſerant. In Euangelio promittitur
Ioan. 14. 18 eis Spiritus ſancti conſolatio, & ipſius diuinitatis manifeſtatio. Qui in offertorio rogant, vt eis Spiritum ſanctum mittat. In communione, effuſio S. ſpiritus decantatur, de qua fidelium vniuerſitas fœcundatur.

B

CAPVT XXXIV.

De ſancto die Pentecoſtes, & Officio: Spiritus Domini.

SEptem officia huius hebdomadæ ſeptem donis Spiritus ſancti congruunt, quem baptizati acceperunt. In
Sap 1. officio *Spiritus Domini*, ſpiritus ſapientiæ glorificatur, per quem ſcientia vocis credentibus datur: Et quia hoc donum quatuor mundi partibus infunditur, ideo quater *alleluia* concinitur. In oratione poſtulant, quatenus de
Actor. 2. Spiritus ſancti conſolatione gaudeant. Lectio baptizatis inſinuat, qualiter primitiua Eccleſia genera linguarum per Spiritum ſanctum acceperat, cuius ipſi filij eſſe meruerunt, & eundem Spiritum ſanctum acceperunt. Qui præ gaudio duo *alleluia* concinunt, quia bis Spiritum ſanctum acceperunt: ſemel cum baptizantur; ſecundo cum Confirmantur, ſicut & ſpiritus ſemel datus eſt in terra, ſecundo de cœlo. Porro Sequentia genera linguarum repræſentat, qua Eccleſia omnibus linguis laudes
Ioan. 14 C Chriſto reſonat. In Euangelio Chriſti dilectoribus patris dilectio & filij, priuſquam promittitur manſio, & vt Spiritus ſanctus adueniat, qui eos omnia doceat. Qui in offertorio precantur, vt hoc in eis confirmetur: in Præfatione Spiritum ſanctum cum Angelis collaudant, in quem Angeli proſpicere deſiderant. Cuius effuſio in communione decantatur, cum in ſe optantes iam deſcendere credatur.

CAPVT XXXV.

De officio Cibauit eos Dominus, *Feria ſecunda.*

Pſal. 80. IN officio, *Cibauit eos*, ſpiritus intellectus denotatur, qui adeps frumenti, & mel petræ, id eſt, Chriſtus nominatur, Chriſtus enim granum frumenti & petra vocatur. Huius adipe ſunt fideles cibati, & melle eius ſaturati, dum dulcedine Spiritus ſancti ſunt repleti. Et quia in quatuor plagis mundi hæc gratia diffunditur, ideo quater *alleluia* canitur. Qui in oratione poſtulant, vt eis
Act. 10. f D pacem cum fide tribuat. Lectio eos inſtruit, qualiter gratia Spiritus ſancti gentibus data ſit. Vnde lætantes *alleluia*
Ioan. 3. b congeminant, quia Iudæi & gentiles Spiritum ſanctum acceperant. Euangelium dicit, quod Deus filium ſuum pro eis tradiderit, in quem ſi credatur, vitam æternam habeant. In offertorio audiunt, quod Spiritus ſanctus de cœlo intonuit, & fontem Baptiſmatis humano generi aperuit. In communione cantatur, quod à Spiritu ſancto omnia doceantur.

CAPVT XXXVI.

De officio Feria tertia, Accipite iocunditatem.

4. Eſd. 2 IN officio *Accipite iocunditatem*, Eccleſia ſpiritum conſilij honorat, qui ei iocunditatem æternæ gloriæ donat, & ad cœleſtia regna vocat. Et quia per geminam dilectionem in fide Trinitatis hanc gratiam adepturi ſunt, ideo quinquies *alleluia* canunt. In oratione petunt, ſe
E Actor. 8. per ſpiritum purgari, & ab omni aduerſitate tueri, qui in Lectione docentur, quod dona Spiritus ſancti per orationem dentur. Vnde bis *alleluia* concinunt, quia ſpiritu & mente pſallunt, ſpiritu & mente orabunt. Euangelium
Ioan. 10. eis intimat, quod eos oſtiarius Spiritus ſanctus per oſtium Chriſtum ad vitam Patrem introducat. In offertorio eis commemoratur, quod pane Angelorum reficiantur. In communione vnum cum Chriſto effecti à Spiritu ſancto ſunt clarificandi.

CAPVT XXXVII.

De officio Feria quarta, Deus dum egrederetis.

IN officio, *Deus dum egrederetur*, ſpiritus fortitudinis Pſal. 67.
magnificatur, qui ſicut filios Iſraël de Ægypto liberans coram eis in igne gradiebatur, ita fideles de hoc mundo eruens coram eis in igne amoris graditur, iter per præcepta faciens eis, per gratias habitans in illis. Et quia de quatuor partibus mundi ad ſupernam patriam euocantur, ideo quater *alleluia* cantatur. In oratione precantur, F
vt per Spiritum ſanctum ad veritatem Chriſti perducantur. Duæ lectiones leguntur, quia duo populi ſcilicet Iudæi & Gentiles Spiritu ſancto ad fidem colliguntur. In vna Spiritus ſancti effuſio recitatur, in alia miracula per eum geſta commemorantur. In vno *alleluia* de Iudæis conuerſorum lætitia exprimitur, in alio de gentibus baptizatorum exultatio accipitur. Duæ quoque Lectiones leguntur, quia ordinandi veteri & nouo teſtamento docti præcipiuntur. Vtriſque autem ſcilicet baptizatis & Ioan. 6.
ordinandis panis viuus in Euangelio prædicatur, quo refecti nunquam moriantur. In offertorio Spiritum ſanctum ſibi mitti poſcunt. In communione pacem ſibi dari audiunt.

CAPVT XXXVIII.

De Feria quinta.

IN officio feriæ quintæ *Spiritus Domini*, ſpiritus ſcientiæ exaltatur, per quem ſcientia ſpiritualium fidelibus Sap. 1. G
datur. In Lectione & Euangelio in peccatis lapſi conſolantur, dum ſigna per Spiritum ſanctum patrata memorantur.

CAPVT XXXIX.

De officio Repleatur *Feria VI.*

IN officio *Repleatur os meum laude*, ſpiritus pietatis Pſal. 70.
glorificatur, per quem Trinitas collaudatur. Et quia in quatuor mundi plagis laudibus extollitur, ideo quater *alleluia* concinitur. In oratione Eccleſia precatur, ne ab hoſtibus perturbetur. In Lectione iocunditas faciei Dei Ioel. 2.
ei promittitur. In Euangelio remiſſio peccatorum & ſanitas animæ prædicitur. Vnde in offertorio Deum laudat Luc. 5.
& in Communione gratuita Spiritus ſancti dona pronunciat.

CAPVT XL.

De officio, Charitas Dei, *in Sabbatho.* H

IN officio *Charitas Dei*, ſpiritui timoris laus canitur, Rom. 5.
per quem charitas in animam introducitur. Et quia tres partes mundi, *Aſia, Africa, Europa*, in fide trinitatis Spiritum ſanctum accipiunt, ideo ter *alleluia*, concinunt. Qui in oratione Dominum orant, vt eis Spiritum ſanctum infundat. Sex lectiones & Euangelium ſeptimum Luc. 4.
leguntur, quia ſeptem dona Spiritus ſancti ad memoriam reducuntur. Ideo enim ſeptem leguntur, quia miniſteria Eccleſiæ in ſeptem gradibus per ſeptem dona Spiritus ſancti hac die prouehuntur. Per primam enim lectionem, *oſtiarij*: per ſecundam *exorciſtæ*: per tertiam, *lectores*: per quartam, *acolithi*: per quintam, *ſubdiaconi*: per ſextam, *diaconi*: per Euangelium, *presbyteri* inſtruuntur, per ſingula: *alleluia* ſingulorum graduum laudes exprimuntur. In offertorio autem presbyterorum

preces

A preces & oblationes pro Eccleſia intelliguntur. In communione Chriſti aduentus, & æternum gaudium ſuis miniſtris promittitur.

CAPVT XLI.

Dominica SS. Trinitatis, Benedicta.

DOminica quæ ſequitur de Sancta Trinitate agitur, quia plus acceptum Baptiſmum plus datum ſpiritum oportet, vt fidem Trinitatis bonis operibus exerceant, iam de reliquis videamus.

CAPVT XLII.

De capite à Septuageſima vſque poſt Pentecoſten.

IGitur per Septuageſimam illud tempus accipitur, quo
B populus Dei à Pharaone in Ægypto affligebatur, & ſignificat illud tempus, quo genus humanum ante Chriſti aduentum à diabolo in hoc mundo premebatur. Per Paſcha autem illud tempus intelligitur, quo filij Iſraël à Pharaone per agnum liberati ſunt, & ſignificat illud tempus quo fideles à diabolo per Chriſtum redempti ſunt: per quadraginta dies à Paſcha vſque ad Aſcenſionem Domini accipiuntur quadraginta anni, quibus filij Iſraël cum gaudio & lætitia ad patriam redierunt, & ſignificat illud tempus, quo fideles de Chriſti reſurrectione læti fuerunt: Per rogationes, cum cruces per diuerſa loca portantur, illud tempus intelligitur, quando filij Iſraël terram repromiſſionis ingreſſi Arcam Domini per diuerſa loca portauerunt, & multas vrbes ſubuerterunt: ſignificat illud tempus quo fideles ad aſcendentem Dominum confluebant; & Hieroſolymam aſcendebant: Per Pentecoſten, cum dona Spiritus ſancti celebrantur,
C illud tempus accipitur, quando filij Iſraël deuictis hoſtibus, terram inter ſe diuiſerunt, & ſignificat illud tempus, quo fideles varia dona Spiritus ſancti acceperunt: Per ſeptimanam, quæ ſequitur, illud tempus innuitur, quando Iudices populo Dei præfuerunt, & ſignificat illud, tempus quando Apoſtoli iudices orbis populum Dei ſua præſentia rexerunt. Porro Dominica Domine in tua miſericordia, cum hiſtoria Deus omnium capitur, illud tempus oſtendit, quo reges Iſraël multis prœliis ab hoſtibus vexabantur, & ſignificat illud tempus, quando Martyres à perſecutoribus diuerſis ſuppliciis afficiebantur.

CAPVT XLIII.

Dominica prima à Pentecoſte vſque ad aduentum Domini.

DAuid itaque rex, qui à Saul & ſuis ſeruis affligitur, de patria expulſus ad gentes ire cogitur, de ſuis viribus diffidens, de Dei adiutorio præſumens dicit,
D Pſal.12. *Domine, in tua miſericordia ſperaui.* Cui oratio Deus in te ſperantium fortitudo conuenit, qui Deum fortitudinem dicit, cuius auxilium poſcit. In Epiſtola, quæ Deum filium ſuum ad ſaluandum mundum miſiſſe teſtatur conſolatio Prophetarum demonſtratur, qui Dauid de hoſtibus ſuis ſaluandum prædixerunt, & ei regnum Iſrael pro-
Pſal.40. miſerunt. In Graduali, *Ego dixi Domine*, Dauid peccatis ſuis perſecutionem imputat. In *alleluia Domine Deus meus in te ſperaui*, ſe ab inimicis liberari poſtulat. In Euangelio vtriuſque perſona exprimitur, dum in diuite,
Luc.16. Saul: in Lazaro, Dauid accipitur. Saul ſuperbius, vt diues, purpura induebatur, ſplendidè quotidie epulabatur: Dauid, vt Lazarus vlceroſus; ſic ab hominibus electus, vt leproſus, per ſiluas egens vagabatur. Canes Lazari vlcera lingebant, & Gentiles Dauid ſuſcipientes confouebant, Saul mortuus tanquam diues in inferno demergitur, Dauid ſceptro regni potitur, poſt mortem Lazarus Abrahæ in requie coniungitur. In offertorio, *Intende voci orationis*, Dauid pro liberatione ſua poſcit. In communione, *Narrabo omnia mirabilia tua*, pro collatis beneficiis grates ſoluit.

E

CAPVT XLIV.

Sub gratia.

SIc Chriſtianus populus dum ab infidelibus vel hæreticis vel à malè Catholicis opprimitur, & de ciuitate in ciuitatem pellitur, ad Dominum clamare cognoſ- Pſal.12.
citur, *Domine in tua miſericordia.* In oratione diuinum auxilium inuocat, vt ei & voluntate & actione placeat. In Epiſtola conſolatur, cum Deus filium ſuum pro ſaluatione illius miſiſſe confirmatur. In oratione miſericordiam Dei implorat. In *alleluia* à perſequentibus liberari poſtulat. Euangelium per diuitem infidelem populum exprimit; per pauperem Lazarum Chriſtianum populum innoteſcit. Infidelis quippe Iudaicus purpura induebatur, cum de carnis nobilitate gloriabatur. Splendide epulabatur, cum in cerimoniis per ſacras Scripturas inſtruebatur. Gentilis autem populus purpura veſtiebatur, F
cum de regni monarchia ſuper cæteras gentes extollebatur. Splendidè epulabatur, cum philoſophicis & poëticis ſcriptis magnificabatur. Hæreticorum verò grex, quaſi purpura induebatur, cum de mundanis pompis ſuperbiens humiles aſpernabatur. Splendidè epulabatur, dum continuis ſermonibus ſecularis eloquentiæ paſcebatur. Mali autem Catholici quaſi purpura ſe veſtiunt, cum de ornatu precioſarum veſtium ſuperbiunt. Splendidè epulantur dum deliciis, & carnis deſideriis tantum operam dare conantur. Porrò Chriſtianus populus humilis peccata ſua confitens, terrena deſpiciens, ſola cœleſtia appetens, vt Lazarus vlceroſus abiicitur, dum *à Iudæis, à gentilibus, ab hæreticis, à malis Catholicis* deſpicitur. Sed cum diues moritur, in inferno truditur, quia increduli & peruerſi, qui hic in bonis dies ducunt, in puncto ad inferna deſcendunt: Lazarus autem moriens in ſinum Abrahæ ducitur, quia Chriſtianus populus, G
qui hic affligitur poſt gaudio & requie perfruetur, vnde in offertorio Deum regem inuocat: in communione eius magnalia narrat.

CAPVT XLV.

Dominica ſecunda poſt Pentecoſten: Factus eſt: *ſub lege.*

DOminica quæ ſequitur Dauidicum regnum repræſentare videtur. Occiſo namque Saul Dauid à gentibus euocatur, & in regni ſolio ſublimatur. Qui exultans dicit *Factus eſt Dominus protector.* Cui oratio *Sancti nominis* congruit, quæ Dei gubernatione nunquam Pſal.17.
deſtitui ſuos dilectores dicit. Epiſtola etiam conuenit, 1.Ioan.3.
quæ eum de morte ad vitam tranſlatum dicit. De mortis namque periculo liberatus, in regnum eſt tranſlatus. Vnde & in Graduali, *Ad Dominum cum tribularer* ſe exauditum exultat, in *alleluia*, *Deus index* iuſtum Dei iudicium laudans exaltat, qui ſuperbum Saul deiecit, & H
ſe humilem populo præfecit; Hinc Euangelium conſo- Luc.14.
nat, quòd quendam magnam cœnam feciſſe, & multos vocaſſe, & plurimos non veniſſe commemorat. Non enim dubium eſt, Dauid adepto regno magnum populo inſtruxiſſe conuiuium. Qui venire nolebant de genere Saul erant. In offertorio *Domine conuertere* precatur, vt ab hoſtibus vndique eruatur, In communione: *Cantabo Domino* gratias agit, qui ei tot bona tribuit.

CAPVT XLVI.

Sub gratia.

HOc totum de Chriſtiano populo accipitur, qui à perſecutoribus in Martyribus oppreſſus ad regnum ſupernum euocatur. Qui de ſua ereptione gratulabundus dicit, *Factus eſt protector Dominus.* In oratione innoteſ- 1.Ioan.3.
cit, quod per timorem ad amorem peruenerit. Lectio dicit, quòd eos mundus odio habuerit, ſed nunc de morte ad vitam tranſlati ſint. In offertorio pro animabus ſuis orant, quas corporibus adhuc ſociari non dubitant. In communione Domino laudes ſoluunt, à quo bona acceperunt. Hoc Officium conuenienter circa feſtum

Ioannis

Digitized

A S. Ioannis cantatur, qui hora cœnæ à Domino miſſus, & populos Dei ad conuiuium inuitaſſe prædicatur. Aliquando etiam circa feſtum Apoſtolorum *Petri & Pauli* canitur, qui de vicis & ſæpibus errorum gentilem populum ad conuiuium Dei conuocaſſe leguntur. Porrò in cantu vox prædicantium Deum & laudantium exprimitur, qui eis protector fuit, de tribulatione eripuit, omnia bona tribuit. Vox quoque conuerſorum de errore intelligitur, quos Dominus in latitudine charitatis eduxit, animas eorum eripuit, bona cœleſtia tribuit.

CAPVT XLVII.

De ſancto Ioanne Baptiſta.

DE ſancto Ioanne Baptiſta Reſponſoria ſumpta ſunt de Prophetis, & de Euangelio, quia ipſe erat finis prophetiæ, & initium Euangelij. In feſto Apoſtolorum in tertio nocturno, & ad Laudes antiphonæ cum *alleluia* canuntur, in iſta autem feſtiuitate non cantantur,
B quia maior eſt gloria noui teſtamenti, quàm legis. Ioannis enim Natiuitas exiſtit ante reſurrectionem Domini. Apoſtolorum verò Natiuitas in cœlo poſt clarificationem eccleſiæ à Spiritu ſancto. Ideo iſtæ antiphonæ decorantur, illæ non.

CAPVT XLVIII.

De Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ & officio eius.

IN feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ, vel in præcipuis feſtiuitatibus aguntur duo officia, in nocte vnum, in initio noctis ſine gloria peragitur, & vocatur vigiliæ. Vnde & præcedens dies vigilia nominatur. Aliud verò circa mediam noctem, & finitur in die, & hoc habet in tertio nocturno in antiphonis alleluia: per vnum officium recolitur legalis mos & ſabbata quæ in figurâ futurorum celebrabantur, per aliud reſurrectio Domini & no-
C ſtra futura feſtiuitas, ideo cum alleluia peragitur, quia tranſit ad conſortium Angelorum. Ideo autem in vigilia ſanctorum flectamus genua non dicitur, quia miſſa ad noctem ſequentis diei pertinere videtur, alleluia verò propter ieiunium dimittitur.

CAPVT XLIX.

Dominica tertia poſt Pentecoſten: Reſpice in me: *ſub lege.*

SEquens Dominica de Dauid pœnitentia videtur inſtituta. Qui poſt adulterium cum Bethſabee, & occiſionem Vriæ, propheta eum increpante pœnitentiam egit ex corde. Qui gemebundus dicit, *Reſpice in me, & miſerere mei.* Oratio deprecationem noſtram pro Dominica non dicitur, quæ octauæ Pentecoſtes aſcribitur. Oratio autem Gregoriana, *Protector in te ſperantium*, pœnitenti Dauid concordat, qui miſericordiam Dei ſuper ſe multiplicari flagitat, vt bona æterna non amittat.
1.Pet.5.6. Epiſtola quoque *Humiliamini ſub potenti manu Dei*, ad-
D monitionem prophetæ declarat, qua regem ad pœnitentiam prouocat. In Graduali autem *Iacta cogitatum tuum in Domino* conſolatio eiuſdem prophetæ notatur, quia iam pœnitentem regem conſolatur. In *alleluia, Diligam te Domine* Dauid Deum laudat, quem refugium miſero-
Luc.15. rum clamat. Hinc Euangelium conſonat; quod gaudium Angelis ſuper vno peccatore pœnitente prædicat. In offertorio, *Sperent in te omnes*, & de ſpe veniæ Dauid Deo plaudit, qui ſe quærentes non dereliquit. In communione, *Ego clamaui:* grates ſoluit, quod remiſſo peccato communionem fidelium promeruit.

CAPVT L.

Sub gratia.

PEr Dauid pœnitentem populus fidelium accipitur, qui poſt idololatriam, quaſi poſt Bethſabeæ adulterium, & iuſtorum occiſionem, quaſi poſt Vriæ interfectionem, ad pœnitentiam conuertitur. Qui in oratione non ceſſat deprecari miſericordiam Dei ſuper ſe multiplicari. Quem Epiſtola admonet, vt ſe ſub manu Dei per pœnitentiam humiliet, diabolo reſiſtat, qui eum deuorare tanquam leo inhiat. Hunc populum iam ſollicitum monet Graduale, vt iactet in Domino cogitatum; in *alleluia* laudes Deo dicit, qui refugium tribulatis exiſtit. Hunc Euangelium ad veniam roborat, dum Angelorum ſuper vno peccatore gaudium commemorat. In offertorio largitorem veniæ laudat, qui in ſe ſperantes ſaluat. In communione gratias agit, quia communionem corporis Chriſti percepit. Hoc etiam officium circa feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, vel Apoſtolorum canitur, qui populum ad pœnitentiam prouocaſſe leguntur.

E

CAPVT LI.

Dominica quarta poſt Pentecoſten: Dominus illuminatio mea, *ſub lege.*

DOminica huic proxima afflictionem Dauid nobis inſinuat, qua eum filius ſuus Abſalon iudicio Dei, F
poſt peccatum Vriæ affligebat. Qui expulſus de regno confidit in Domino, ſic dicens, *Dominus illuminatio mea,* Pſal.26.
& ſalus mea, quem timebo: Dominus protector vitæ mea, à quo trepidabo? De victoria autem, *Qui tribulant me inimici ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.* Cui oratio, *Da quæſumus Domine*, congruit, qui mundi curſum ſibi pacificè dirigi poſcit; huic rei bene Epiſtola concordat, quæ Rom.8.
paſſionem huius temporis ad futuram gloriam non condignam pronunciat. Porrò in graduali, *Propitius eſto Domine*, & in verſu, *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter*, vox contra Abſalon prælantium accipitur. In *alleluia*, *Domine in virtute tua lætabitur rex*, vox eorundem de victoria exultantium intelligitur; Ab hoc Euangelium non diſcrepat, quod eadem menſura remetiendum indicat. Nam Dauid luit, quod malè commiſit, & Abſalon iuſtè recepit, quod impiè promeruit. In offertorio, *Illumina oculos meos.* Oratio Dauid exprimit, interim dum G
bellum geritur, Qui orat ne in morte obdormiat, ne inimicus ei præualens gaudeat. In communione *Dominus firmamentum*, Deum pro victoria laudat, quem firmamentum, & adiutorem ſuum vocat.

CAPVT LII.

Sub gratia.

DAuid poſt peccatum afflictus eſt, Chriſtianus populus poſt idololatriam ab infidelibus oppreſſus. Qui mundi aduerſa calcat, de ſpe promiſſa cœleſtium Pſal.26.
exultat dicens; *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* In oratione poſtulat, vt ei Dominus cur- Rom.8.
ſum mundi pacificè dirigat. Qui ordo prædicatorum in Epiſtola pœnas temporales alleuiat, dum non condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam intimat. Porrò oppreſſi auxilium Dei in graduali inuocant, in *alleluia* pro victoria de malis tripudiant. Per regem enim Chriſtianus rex exiſtit, qui mores & actus per virtutum H
ſceptra regit. Euangelium menſuram bonam his promittit, quos mundus aduerſis pro Deo afficit. In offertorio Chriſtianus populus orat, ne inimicus, ſcilicet diabolus de eius morte gaudeat. In communione Deo plaudit qui ei adiutor exiſtit.

CAPVT LIII.

Dominica quinta poſt Pentecoſten: Exaudi Domine, *ſub lege.*

POſt flagella populus ad Dauid confluit, eumque cum magno tripudio regno reſtituit. Inſuper filio eius regnum à Domino pollicetur, de quibus officium huius Dominicæ inſtitutum videtur. Dauid namque pro ſtatu regni ſic orat, *Exaudi Domine vocem meam.* Oratio, *Deus qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti*, ei conuenit, qui promiſſiones Dei conſequi petit, quas filio ſuo de regno promiſit. Epiſtola quoque ei congruit, 1.Pet.3.
quia malum pro malo non reddidit, ideo benedictionem

A hæreditate poſſedit. Graduale, *Protector noſter*, oratio
eſt Dauid pro populo, *Alleluia vero*, *In te Domine ſperaui*, repræſentat preces laudum pro ſemetipſo. Euan-
Luc.7. Sed iam eſt Euangel. Dominicæ 4. non.5. gelium huic rei conſonat, quod turbas ad Ieſum irruiſſe,
& diſcipulos multitudinem piſcium cepiſſe narrat, quia
turbæ ad Dauid confluxerunt, & amici eius plurimos
vndique ad eum traxerunt. Qui in offertorio, *Benedicam*
Pſal.16. *Domino*, gratias pro exhibitis bene agit, qui ei intelle-
3.Reg.5.7.8. ctum tribuit. In communione, *Vnam petij à Domino*,
pro ædificatione templi petit, quam poſtmodum Salo-
mon compleuit.

CAPVT LIV.

Sub gratia.

POpulus quoque Chriſtianus quondam poſt afflictio-
nem perſecutorum tranquillitati redditur, & ei pax
æternæ vitæ pro ſolatio promittitur. Qui in introitu,
B *Exaudi Domine vocem meam*, pro præſenti Eccleſiæ ſta-
tu orat. In oratione autem pro futura promiſſione, quæ
1.Pet.3. omne deſiderium ſuperat, rogat. Epiſtola, Omnes vna-
nimes in oratione hortatur, vt benedictionem hæredi-
Luc.7. tate mereantur, dicens, *Oculos Domini eſſe ſuper iuſtos,*
& aures eius in preces eorum. Euangelium quod turbas
ad Dominum concurriſſe, & diſcipulos multos piſces
cepiſſe commemorat, turbas gentilium ad Eccleſiam
confluxiſſe, & prædicatores de gurgite erroris plurimos
rete fidei extraxiſſe, inſinuat. In offertorio Deum bene-
dicit, qui ei intellectum de æternis tribuit. In commu-
nione *vnam rem poſtulat*, vt in domo Domini in æter-
num maneat. Hæc Dominica aliquando infra octauam
ſancti Petri euenit, vnde & eius mentio in Euangelio fit.
Sæpius tamen circa feſtum ſancti Iacobi occurrit, cu-
ius etiam Euangelium in piſcatione meminit, quia ni-
mirum hi piſcatores homines errore fluctiuagos ſagena
prædicationis extraxerunt, & ad portum æternæ vitæ
C perduxerunt.

CAPVT LV.

Dominica ſexta poſt Pentecoſten: Dominus for-
titudo, *ſub lege*

PRæſens Dominica inde inſtituitur, quod Salomon à
Dauide præcepto Domini rex conſtituitur. Dauid
namque morti appropinquans, deuictis hoſtibus Deo
gratias agit, dum Dominum fortitudinem plebis ſuæ
dicit. De filio quoque grates ſoluit, dum eum protecto-
rem ſalutis Chriſti ſui, id eſt, Salomonis nuntiauit. Dein-
Pſal.27. de ſubiectum populum Deo commendat: *Saluum fac*
populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. Huic
rei oratio, *Deus virtutum* concordat, in qua Deum poſ-
cit, vt in filio ſuo bona ac nutrita cuſtodiat: per Epi-
ſtolam Nathan prophetæ & Sadoch pontificis, admoni-
tio denotatur, qua Salomonem per vnctionem renoua-
D tum in nouitate vitæ ambulare exhortantur. In Gradua-
Rom.6. le, *Conuertere Domine* illorum benedictio ſuper regem,
atque oratio ſuper populum intelligitur; In *alleluia* ve-
ro, *Omnes gentes*, plauſus populi de vnctione regis ac-
cipitur. Per Euangelium nobis admonitio Dauid innui-
tur, qua filium ſuum moriens alloquitur, per quam eum
ab homicidio & ira vetat, & ante oblatum ſacrificium
in ſe peccantibus dimittat. Porrò Salomon in offertorio
Deum rogat, vt greſſus ſuos in ſemitis ſui perficiat. In
Communione, *Circuibo & immolabo Deo* vouet, quòd
domum nomini eius ædificet.

CAPVT LVI

Sub gratia.

SIcut Salomon à patre rex conſtituitur, ita Conſtanti-
nus à Papa princeps pacis Chriſtiano populo præfici-
tur, vnde Eccleſia exultans canit, *Dominus fortitudo ple-*
bis ſuæ. In oratione Domino ſupplicat, vt ei religionis
augmentum tribuat, & bona in eo nutriat, Epiſtola præ-
Rom.6. dicationem Siluester Papa nobis declarat, quæ impera-
torem Chriſto conſepultum in baptiſmate nunciat, & E
vt per criſmatis vnctionem renatus in nouitate vitæ am-
bulet, poſtulat. In Graduali eius oratio ſuper populum
exprimitur: per *alleluia* plauſus Chriſtiani populi de
conuerſione regis intelligitur; per Euangelium, Doctrina
ſacerdotum innuitur. Conſtantinus in Chriſtiana religio-
ne inſtruitur, quem docet homicidium & iram declina-
re, & ſacrificium offerentem proximis commiſſa relaxa-
re. In offertorio ipſe rex orat, vt Deus greſſus ſuos in ſe-
mitis ſuis perficiat. In communione Deo vouet quod
poſtmodum deuotus complet, ſcilicet vt domum nomi-
ni Domini conſtruat, quia Eccleſiam Dei domum per
eum erectam & ornatam conſtat.

CAPVT LVII.

Dominica ſeptima poſt Pentec. Omnes gentes, *ſub lege.*

IN menſe Auguſti dum hiſtoria, *In principio Deus crea-*
uit, pacificum Salomonis regnum nobis repræſentatur, F
de his regno præſens Dominica inofficiatur. Populus
namque, qui ſub Dauid bellis ſudauit, ſub Salomone
bellis vndique ſopitis in laudes Dei his verbis exultans,
prorumpit, *Omnes gentes plaudite manibus. Subiecit po-* Pſal. 46.
pulos, nobis. Quibus oratio, *Deus cuius prouidentia* con-
gruit, à quibus Deus cuncta noxia ſubmouit, & omnia
profutura conceſſit. Epiſtola doctrinam prophetarum in-
ſinuat, qui populum Deo in iuſtitia ſeruire ſuadebant.
Graduale autem, *Venite filij* Salomonis nobis monita in-
nuit, qui ſubiectos ad obſeruantiam legis inſtruit. Qui-
bus præmium à Deo ſpondet dicens, *Accedite ad eum &* Pſal.33.
illuminamini. In alleluia, *Magnus Dominus*, Deo lau-
des dicit, qui eum laudabilem in Hieruſalem fecit. Ali-
qui cantant *alleluia Eripe me de inimicis meis*, quod ei
bene conuenit, quia eum Deus ab omnibus inimicis eri-
puit. Euangelium ab hac re non diſcrepat, quod ſeptem Matt.14.
panibus quatuor millia hominum per Dominum ſatiata
narrat, quia videlicet Salomon, qui Typum Domini geſ- G
ſit, ſeptem donis Spiritus ſancti repletus quatuor par-
tes mundi verbo Dei ſatiauit. Offertorium, *Sicut in ho-*
locauſtis arietum ſacrificium Salomonis demonſtrat, quòd Dan.3.
Domino in Gabaon offerebat. Communio, *Inclina au-*
rem tuam orationem regis exprimit, qua ſapientiam à
Deo petiit & continuo accepit.

CAPVT LVIII.

Sub gratia.

SAlomon inſignitur ſceptro, & Conſtantinus corona
regni redimitur. Populus ſub Salomone pacem ha-
buit, & Eccleſia ſub Conſtantino pace floruit. Vnde
lætabunda canit, *Omnes gentes plaudite manibus. Sub-*
iecit populos nobis. In oratione poſtulat, vt Deus noxia
cuncta ſubmoueat. Per Epiſtolam inſtantia prædica- Rom.6.
torum eam incitat, vt ſic Domino in virtutibus ſeruire
ſtudeat, quemadmodum prius dæmonibus in immun- H
ditia ſeruierat. Graduale, *Venite filij*, verba Conſtantini
nobis indicat, quibus populos orbis ad Chriſtianam re-
ligionem inuitat. In alleluia, *Magnus Dominus* Deum
laudat, quem in ciuitate Eccleſiæ laudabilem fecerat,
vel alleluia, *Eripe me Domine de inimicis meis*, ei bene
conuenit, quia eum Deus ab hoſtibus in bello per vexil-
lum ſanctæ Crucis vbique protexit. Euangelium qua- Matt.14.
tuor millia hominum ſeptem panibus ſatiata memorat,
quia quatuor partes mundi donis Spiritus ſancti illo
tempore abunde Chriſtus repleuerat, Offertorium ſacri-
ficium Conſtantini exprimit, quo ſeipſum Deo obtulit,
& Chriſti cultum inſtituit, vel ſacrificium laudis Eccle-
ſiæ innuit, quod pro religioſo principe Deo obtulit.
Verba enim eiuſdem Azarias cum ſociis ſuis in forna-
ce recitauit, & Angelus Domini de incendio eos libe-
rauit. Ita Eccleſiam, quam nuper perſecutio afflixerat,
Conſtantinus de anguſtia liberabat. Communio oratio-
nem Conſtantini nobis innoteſcit, qua pro ſtatu Eccle-
ſiæ poſcit.

A

CAPVT LIX.

Dominica octaua poſt Pentecoſt. Suſcepimus, *ſub lege.*

PRæſens Dominica de famoſo templo inofficiatur, quòd à Salomone Hieroſolimis tertio ordine ædificatur. Hoc auro & gemmis ornauit & cultum Dei per miniſteria ſacerdotum celebrem in eo ordinauit. Quorum laus hic repræſentatur, dum ſic Domino cantatur, *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam.* Quibus oratio *Largire quæſumus Domine*, conſonat, in qua, vt recta cogitent, & agant, orant. Epiſtola eis conuenit, in qua
Rom.8 filij Dei & hæredes regni eius dicuntur, qui ſpiritu Dei aguntur. Graduale, *Eſto mihi in Deum* quod locum illum domum refugij vocat. Alleluia autem, *Te decet hymnus Deus*, hoc nominatim & manifeſtè clamat, quod hymnum in Sion, & votum in Hieruſalem reddi Deo pronuntiat. Et in Verſu *replebimur*, templum Dei ſanctum
B nominat. Notandum autem quod penè vbicunque Hieruſalem ſcribitur, longa neuma ponitur, quia per hoc iubilatio in cœleſti Hieruſalem exprimitur, vbi verò *alleluia* Verſu inſignitur, ibi gemina lætitia notatur. Euangelium quoque congruit, quod non omnes regnum cœlorum intrare, qui Deum in templo nomine tenus tantum inuocant, dicit. Offertorium autem *Populum humilem* ſaluandum promittit. Communio, *Guſtate* communionem ſacerdotum indicat, quam ſub gratia de panibus propoſitionis ſumebant.

CAPVT LX.

Sub gratia.

SAlomon primus Domino templum Hieroſolymis fecit, & Conſtantinus primus Imperatorum Eccleſiam Romæ in honorem Apoſtolorum *Petri & Pauli* conſtruxit atque Helena mater eius templum Domino Hieroſolymis inſtituit. Idemque princeps plurimas Eccleſias ædi-
C ficauit, quas magna dote magniſque muneribus dotauit, miniſterio clericorum decorauit: à Conſtantino quoque domus Domino fundatur, dum eius iuſſu celebris Nicæna ſynodus congregatur, in qua Eccleſia domus Dei magnifice ædificatur, dum deſtructis hæreſibus fides roboratur. Domus tripartitur, quia Eccleſia in fide Trinitatis, in *doctores*, in *continentes*, in *coniugatos* diuiditur, auro & gemmis ornatur, dum ſacra Scriptura & ſanctis vitis illuſtratur. Poſtquam ergo Conſtantinus Eccleſiam in hac Synodo pacificauit, ſancta ſynodus lætabunda exclamat, *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam.* In oratione hunc ſpiritum petunt, quo recta cogitare, & agere
Rom 8. poſſint. In Epiſtola hæc ſynodus docet, quod qui ſpiritu Dei aguntur, filij Dei & regni eius hæredes noſcuntur. In graduali Deum protectorem inuocat. In alleluia,
Matt.7. Deo hymnum pro pace eccleſiæ iubilat. Euangelium maxime huic rei concordat, quod hæreticos falſos prophetas & lupos rapaces nominat, quos hæc ſynodus ab
D ouibus Chriſti ſegregat. In offertorio populum humilem ſaluandum pronunciat. In Communione fideles ad communionem corporis Chriſti inſtigat. Hoc officium frequenter circa feſtum ſanctæ Mariæ occurit, quæ templum Dei fuit, in quo templo Eccleſia miſericordiam Dei ſuſcepit.

CAPVT LXI.

Dominica nona poſt Pentecoſten: Ecce Deus: *ſub lege.*

POſt ſeptimũ annum templum Salomonis dedicatur, ideo poſt ſeptimum diem hæc Dominica de eadem re inofficiari notatur. In hac dedicatione rex cum populo moneta Deo obtulit, & Arcam teſtamenti hymnis &
1.Cor.10. laudibus templo conſecrato intulit. Qui Deum ſuis vocis fauiſſe exultans dicit, *Ecce Deus adiuuat me* Cui oratio, *Pateant aures*, benè conuenit, qui Deum in templo pœnitentibus deſiderata concedi petiit. Epiſtola exhortationem regis nobis inſinuare videtur, qua populum monuit, ne partes illorum imitarentur, qui idololatræ,
E fornicatores, murmuratores extiterunt; & idcirco multa millia ex eis reproba morte perierunt. Salomone orante maieſtas Domini in templo apparuit, quam populus adorans laudauit hanc laudem. Graduale, *Domine Dominus noſter* exprimit: *alleluia*, *Attendite popule meus legem*, ipſius Dei allocutionem ad populum depromit. Euangelium bene concordat, quod ſingulos debitores Luc 16. ad villicum veniſſe, & debita Domini ibi ſcripſiſſe narrat quia ſinguli votorum profeſſores ad Salomonem conuenerunt, & vota ſua Deo obtulerunt. In offertorio, *Iuſtitiæ Domini* Salomon populum ad iuſtitiam legis cohortatur. In Communione, *Primum quærite* eis bona à Deo pollicentur.

CAPVT LXII.

Sub gratia.

PEr ſeptiformem Spiritum fide corroborata in Nicæna Synodo tota Eccleſia repletur gaudio; rex ouans
F cum populo mundus induitur nouo tripudio. Vnde Eccleſia lætabunda canit, *Ecce Deus adiuuat me.* In oratione poſtulat, vt ea Deum roget, quæ ei placeant. In Epiſtola ſollicitudo doctorum nobis inſinuat, qui popu- 1.Cor.10. lum ab idololatria à fornicatione, à murmuratione dehortantur. In graduale laudatio populorum, In *alleluia* Luc.16. hilaris prædicatio doctorum demonſtrantur. In Euangelio debita Domini per villicum deſcripta referuntur; & per Conſtantinum iura Eccleſiaſtica ſtatuta traduntur. In offertorio populum humilem ad iuſtitiam Dei prouocat. In communione regnum Dei eos quærere rogat, & ſic eis omnia à Deo dari confirmat.

CAPVT LXIII.

Dominica Decima poſt Pentecoſten: Dum clamarem, *ſub lege.*

DOminica, quæ ſequitur, de oratione Salomonis & apparitione Domini inſtituitur. Dedicato namque
G templo Dominus Salomoni apparuit, ſe templum conſecraſſe & eius preces pro omnibus, quæ orauit, exaudiſſe innotuit, & ſi legem eius cum populo cuſtodiat, ipſe quoque templum cum populo ab hoſtibus muniat. Si autem legem eius abiiciant, ipſe etiam templum hoc cum populo deſtruat. Vnde Salomon ſe exauditum exultans dicit, *Cum clamarem ad Dominum.* Cui oratio *Deus,* Pſal.54. *qui omnipotentiam tuam* conuenit, quæ ad diuina promiſſa currentes cœleſtium bonorum conſortes fieri dicit. In templo Salomonis miniſteria diuina per Leuitas diſtribuit, ſicut ei Deus per prophetam præcepit. Hac Epiſtola diuiſiones miniſtrationum innoteſcit dum alij 1.Cor 12. ſapientiam, alij ſcientiam, alij genera linguarum, alij interpretationem ſermonum datam deſcribit. Graduale, *Cuſtodi me Domine*, orationem Salomonis inſinuat, qua pro cuſtodia templi orat. Alleluia verò, *Exultate Deo* indicat, quo modo populum vel ſacerdotes iubilare Deo
H inſtigat. In Euangelio expreſſe promiſſio Dei ad Salomonem notatur, vt ingreſſus in templo dixiſſe legitur. Matt.21. Luc.19. *Domus mea Domus orationis.* Comminatio autem eius in eo loco vbi dicit. Inimici tui ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem. In offertorio, *Ad te Domine* ſe totum Salomon Deo commendat. In communione, *Acceptabis* ſacrificium vota iterat.

CAPVT LXIV.

Sub gratia.

SIc fide in Nicæna ſynodo roborata gloria Domini in Eccleſia apparuit, dum multa ſigna per ſuos exercuit. Vnde Eccleſia pro ſui glorificatione & pro hæreticorum eiectione exultans canit, *Cum clamarem ad Dominum.* Pſal.54. In oratione, exorat, vt cæleſtium bonorum conſors fiat. In Epiſtola autem diſtinguuntur, per quos mira geſta leguntur. Alij quippe ſermone ſapientiæ præditi fuerunt, ſicut *Flauianus* Antiochenus Epiſcopus, & *Diodorus* 1.Cor.12.

A

S. Athanaſius & reliqui Græci Patres ac Latini, cum ſuis doctoribus.

Epiſcopus, qui primitus choros alternatim pſallere inſtituerunt, & alij quam plures qui multis libris hæreticis reſtiterunt. Alij ſermone inclyti extiterunt, ſicut *Athanaſius* Alexandrinus Epiſcopus, qui fidem Catholicam in *Quicunque vult* expoſuit, & Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam, & Baſilius Cappadocenſis Epiſcopus, & Gregorius Nazianzenus, & Ioannes Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & alij plurimi, qui eloquentia illo tempore Eccleſiam illuſtrauerunt. Alij fide ſplendebant, ſicut *Conſtantinus* Imperator, qui tunc fidem percepit, & alij multi, qui tunc fidem ſcriptis & dictis defendebant. Alij gratia ſanitatum fulſerunt, ſicut Antonius, & alij Ægyptij patres, qui multas ſanitates in populo fecerunt. Alij operatione virtutum reſplenduerunt, ſicut Martinus Turonenſis Epiſcopus, & Nicolaus Myrenſis Epiſcopus, & Epiphanius Cyprenſis Epiſcopus, & alij plerique, qui multis virtutibus mundum decorauerunt. Alij prophetiam, vt Ioannes eremita habebant. Alij diſcretione ſpirituum, vt Macarius radiabant. Alij genera linguarum acceperant, ſicut Effrem, & Hieronymus, & alij plurimi, qui Hebræa, Græca, & Latina lingua multa diſſerebant. Alij interpretatione ſermonum rutilabant, ſicut idem Hieronymus presbyter, & Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, & Auguſtinus Hippponenſis Epiſcopus, qui ſacras ſcripturas interpretantes exponebant. Quæ dona in ſe cuſtodiri Eccleſia in graduali poſtulat, in *alleluia* pro donis Deo iubilat. In Euangelio Dominus templum Eccleſiæ ingredi, & ementes & vendentes ſpiritualia eijcere dicitur, & domum ſuam *domum orationis* vocaſſe, eamque deſtruendam cum fletu prædixiſſe fertur. Quòd partim ſub Iuliano contigit, partim ſub Antichriſto futurum erit. Sub *Iuliano namque eſt ad terram proſtrata, quia à gentibus eſt conculcata. Sub Antichriſto lapis ſuper lapidem non relinquetur, cum electi ab inuicem diſpergentur. In offertorio Eccleſia ſe totam Deo commendat. In Communione ſacrificium laudis Deo immolat. Notandum quod & Euangelium hic legitur, in quo deſtructio Hieroſolymorum prædicitur, quia in hoc menſe & prius à Nabuchodonoſor & poſtmodum à Romanis in eodem menſe facta legitur.

B

Matt.21. *Luc.19 42.*

C

CAPVT LXV.

Dominica vndecima poſt Pentec. Deus in loco: *ſub lege.*

REgina Saba Hieroſolymam properat, Salomonem & templum eius videre deſiderat, aurum & gemmas obtulit, vnde hæc Dominica inchoari promeruit. Viſo autem templo eius in laudem Dei erupit. Vnde Eccleſia ſub figura eius ſic canit, *Deus in loco ſancto ſuo.* Cui oratio *Deus, qui abundantia pietatis tuæ* conuenit, in qua petit vt Deus det, quòd oratio petere non præſumit. Epiſtola ei congruit, quia audita ſapientia Salomonis ſeipſam deſpicit: dicit, *gratia Dei ſum id, quod ſum.* Graduale laudem eius exprimit in quo dicit, quod cor eius in Domino ſperauit, & ex voluntate ei confiteri velit. In *alleluia, Domine Deus ſalutis meæ* mente Deo iubilat, quem ſalutem nominat. Duo homines, qui templum intrabant Salomon, & regina erant. Ille de operibus ſuis gloriabatur; illa humiliter, vt Publicanus Deum deprecabatur. In offertorio, *Exaltabo te Domine*, laus eius denotatur, qua ſe à Domino ſuſceptam gratulatur. Communio, *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, munera reginæ innuit, quæ Domino obtulit, & iuſtificata in domum ſuam deſcendit.

Pſal.67.

1.Cor.15

D

Luc.15.

CAPVT LXVI.

Sub gratia.

SAlomon Hieruſalem templo inaurato innouat, quam regina de vltimis finibus videre venerat, & Conſtantinus Chriſtianam religionem per egregiam Conſtantinopolitanam ciuitatem auxerat, quam Eccleſia vndique confluens viſitare deſiderat. Regina aurum & gemmas attulit, & Eccleſia ſapientia, vt auro fulgidos & virtutibus, vt gemmis ſplendidos protulit. Vnde vero Salomoni, id eſt, Chriſto de eius templo lætabunda pſallit, *Deus in loco ſancto ſuo*, Oratio euangelico Publicano bene conuenit, qui petit vt Deus dimittat, quæ conſcientia metuit, & adiiciat quòd oratio non præſumit. Cui Epiſtola concordat, in qua ſe *minimum* clamat. In graduali non coactè, ſed ex voluntate ei confiteri prænunciat. In *alleluia* Deum ſalutis ſuæ laudat. In Phariſæo Euangelij ſuperbus grex hæreticorum; in Publicano accipitur humilis populus Catholicorum. In offertorio laudes Eccleſia Deo ſoluit, qui eam ad ſe venientem ſuſcepit. Communio eam hortatur, vt bona ſua cum membris Chriſti partiatur, & ſic iuſtificata ad patriam paradiſi reuertatur. In hac enim communione gratia Deo agitur, quia tunc frumentum & vinum colligitur.

E

Pſal.67.

1.Cor.15. *Luc.15.*

CAPVT LXVII.

Dominica duodecima, Deus in adiutorium: *ſub lege.*

F

SAlomone mortuo regnum diuiditur, ideo & menſis September in hiſtoriis partitur. Prior pars ejus in vna hiſtoria ſolidatur, ſequens in diuerſas mutatur, quia & regnum Iuda in vna familia Dauid ſtabilitur; regnum autem Iſraël à pluribus inuaditur. Vnde & hiſtoria de his, qui gentibus intermixti erant, vt *Iob, Tobias, Iudith, Heſter* legitur, quia poſt mortem Salomonis reges cum populo derelicto cultu Dei cultui gentium admiſcebantur. Quod *Helias* propheta prohibuit, cuius vita huic Dominicæ Officium indidit. Dum enim animam eius auferre quærerent, in ſolitudinem fugit, & ſic preces ad Dominum fudit, *Deus in adiutorium meum.* Cui oratio, *Omnipotens & miſericors Deus* competit, quæ Deo dignè & laudabiliter à ſuis ſeruiri attruit, dum rebellibus cœlum tribus annis, & ſex menſibus precibus clauſit. Epiſtola ei congruit, quæ dicit, *litera occidit, ſpiritus autem viuificat*, quia Iudæi quærebant eum occidere. Deus, qui ſpiritus eſt viuificans. In graduali *benedicam Dominum in omni tempore* benedicit. In alleluia, *Domine refugium* ad Deum laudans confugit. Euangelium ei conſonat, quod mutum & ſurdum à Domino curatum narrat, quia Helias Iudaicum populum in lege Dei ſurdum, & à laude Dei mutum in cultum Dei reuocat. Offertorium, *Precatus eſt Moyſes*, orationem Heliæ exprimit, qua iram Dei à populo, ſicut Moyſes amouit. Communio *De fructu operum tuorum*, laudem populi innuit, quia data pluuia de fructibus, terræ laudes Deo ſoluit.

Pſal.69.

3.Reg.8.

2.Cor.3.

G

Marc.7.

CAPVT LXVIII.

Sub gratia.

COnſtantino quoque mortuo Eccleſia ab hæreticis ſcinditur, & in partes diuiditur. Vna pars in Catholica fide roboratur, altera in multa ſchiſmata permutatur. Quia ergo turba hæreticorum verum Dei cultum deſerens populum Catholicum veræ religionis cultorem, velut Ieſabel Heliam impugnat, ideo ſic ad Dominum clamat, *Deus in adiutorium meum intende*, Qui in oratione ſupplicat, vt ad promiſſiones Dei ſine offenſione, ſicut hæres currat. Epiſtola perſecutionem eius depromit, vbi dicit, *litera occidit ſpiritus autem viuificat*; hæretici enim Catholicos occidebant, quorum Deus animas viuificabat. Et quia Catholicus populus in omnibus vicit, Ideo in graduali, Dominum in omni tempore benedicit. In alleluia, Deum refugium ſuum dicit. In Euangelio ſurdus & mutus hæreticorum grex accipitur, qui veram fidem audire & Catholicam religionem confiteri per Catholicos cogitur, pro quo eccleſia in offertorio precatur, ne ei iraſcatur. In communione Catholici Deo grates ſoluunt pro bonis, quæ de conuerſis abundè fluunt.

H

Pſal.69.

2.Cor.3.

Mar.7.

A

CAPVT LXIX.

Item de eadem Dominica.

HOc officium ideo nunc agitur, quia in hac ſeptimana obitus Moyſi legitur. Ideo etiam hiſtoria Iob nunc legitur, quia Iob & Moyſes * contemporanei inueniuntur. Et quia populus inter hoſtes conſtitutus auxilio Moyſi deſtituitur, ſic ad Dominum clamare intelligitur, *Deus in adiutorium meum.* Qui in oratione poſtulat, vt *ad promiſſa Dei* ſcilicet ad terram repromiſſionis, *ſine offenſione hoſtium currat.* Epiſtola ſpecialiter ad Moyſen ſpectat in eo loco, *ita vt non poſſent filij Iſrael intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius*; populus pro Moyſe, Ioſue ducem recepit, ideo in graduali, Dominum benedicit. In alleluia, Deum *refugium* ſibi factum aſtruit. In euangelio, idem populus deſcribitur, qui in lege Domini ſurdus & mutus, dicitur, pro quo Moyſes in officio precatur, vt ab eo furor Dei auertatur. Communio, *De fructu operum tuorum* laudem populi innoteſcit, quam in terra poſſeſſa de fructibus ſoluit, vbi abundantiam panis, vini & olei habuit. In hac etiam communione laus ab Eccleſia Deo ſoluitur, qui hoc tempore fructus panis, vini & olei colligitur.

* imo Moyſes putatur librũ Iob ſcripſiſſe.

2. Cor. 3. Deut. 31.

Marc. 7

B

CAPVT LXX.

Dominica tredecima, Reſpice Domine: *ſub lege.*

HÆc Dominica incitauit Officium ab Heliſæo propheta. Samaria namque ab hoſtibus obſeſſa fame, & anguſtia erat oppreſſa. Sed meritis Heliſæi multitudo hoſtium fugatur, ciuitas à periculo liberatur. Qui in obſidione Deum ſic inuocat, *Reſpice Domine in teſtamentum tuum*: In oratione poſtulat, vt populus præcepta Dei diligat, quomodo eum à periculo eripiat. Per Epiſtolam inſinuatur: quid hæc propter tranſgreſſionem Legis patiatur, dicit enim; *Lex propter tranſgreſſionem poſita eſt.* In graduali, *Reſpice Domine*, Deum inuocat, cum eum rex decollari iuſſerat, quia mulier filium ſuum ob famem comederat. In *alleluia*, *Venite exultemus Domino.* Deum laudare monet, qui eis in Chriſtiano omnem abundantiam daturus foret; huius faciem in confeſſione præuenirent, qui eos ab hoſtibus eriperet. In Euangelio homo in latrones incidiſſe, & à Samaritano legitur curatus fuiſſe: quia videlicet populus Iſraël in latrones incidit, dum eum populus Gentilis obſedit, de quibus alios ſpoliauerunt, alios vulneratos ſemiuiuos reliquerunt. Quem Samaritanus ſcilicet Heliſæus curauit, dum eum à periculo precibus liberauit. In offertorio, *In te ſperaui, Domine* Deum pro liberatione populi glorificat. In communione, *Panem de cœlo*, pro abundantia collata ei gratificat.

4. Reg. 6. 3. 4. & c.

Pſal. 37.

Gal. 3.

C

Luc. 10.

* Titus Veſ. Imp. Rom. de quo ſup. cap. 64.

D

CAPVT LXXI.

Sub gratia.

SIc Eccleſia à Iuliano impugnatur, fame & flagris anxiatur. Quæ ad Deum ſic clamat: *Reſpice Domine in teſtamentum tuum.* In oratione fidei, ſpei & charitatis augmentum poſcit, quo promiſſa Dei conſequi poſſit. Quam promiſſionem Epiſtola indicat, quæ Abrahæ Chriſtum promiſſum nuntiat. In graduali iterum Eccleſia Dei auxilium inuocat, quia perſecutionem ſe ei Iulianus, poſt bellum illaturus prædicat. In *alleluia* populum conuocat, Deo laudes iubilat, qui eam perempto tyranno à periculis eripuit, Euangelium bene conſonat, quod hominem latrones, vulnerarint & à Samaritano curatum narrat: quia Chriſtianus populus in latrones incidit, dum à perſecutoribus multa crudelia pertulit, ſcilicet deſpoliatur, vulneratur, variis modis cruciatur. Quem verus Samaritanus ad ſtabulum duxit, dum eum Chriſtus ad gaudia paradiſi perduxit. In offertorio, Pro tyranni occiſione, & ſui ereptione gratias agit. In communione pro collatis beneficiis laudes concinit.

Gal. 3.

Luc. 10.

E

CAPVT LXXII.

Dominica 14. poſt Pentecoſten, Protector noſter: *ſub lege.*

SEquens Dominica Inſtituitur à rege Ezechia qui dum vſque ad mortem ægrotauit, ſic ad Dominum orauit, *Protector noſter aſpice Deus.* Vnde in oratione. *Cuſtodi Domine*, dicitur, *quia ſine te labitur humana mortalitas.* Cui Iſaias Propheta prædixit mortis euaſione Chriſti incarnationem, omnia Eccleſiæ myſteria & futura ſanctorum præmia; quæ prophetia notatur in Epiſtola, ſicut eſt ibi, *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax*, &c. Recepta ſanitate, rex ad templum aſcendit, Deo gratias retulit, quas laudes, Graduale, *Bonum eſt confiteri Domino*, & alleluia, *Quoniam Deus magnus*, exprimit. Euangelium ei conſonat, quod decem leproſis mundatis vnum rediiſſe, & gratias retuliſſe commemorat, quia dominus cum multa beneficia regibus Iſrael, & Iuda contulerit, ſolus Ezechias pro acceptis beneficiis, debitas grates retulit. Offertorium, bene conuenit, vbi Dominus *Angelum ſuum* miſit, qui pluſquam octoginta millia de hoſtibus occidit, & regem populumque Deum timentes à periculis eripuit. Communio, *Panis quem ego dabo*, oraculum Iſaiæ innuit, quo Chriſtum pro humana ſalutatione venturum præcinit.

Pſal 83

Gal. 5.

Luc. 17.

F

Pſal. 33.

CAPVT LXXIII.

Sub gratia.

HOc Eccleſia ſub typo Theodoſij maioris canit, qui defenſor Eccleſiæ extitit, per quem Dominus Eccleſiam ab hæreticis protexit, ſicut per Ezechiam Hieruſalem ab hoſtibus muniuit. Oratio verò repræſentat eius verba; *Cuſtodi Domine Eccleſiam tuam propitiatione perpetua.* Epiſtola, quæ vitia & virtutes replicat, ſynodum eius tempore collectam inſinuat, in qua vitia reprobantur, virtutes ſequendæ affirmantur. Graduale & alleluia laudem regis depromit, quam pro concordia Eccleſia ſoluit. Euangelium bene concordat, quod vnum de leproſis gratias egiſſe narrat, quia ſolum eum de hæreticis regibus in Catholica fide Deum laudaſſe conſtat. Vnde ſicut in offertorio dicitur, *Angelus Domini* ſe immiſit, & eum de omnibus malis eripuit. Communio, innuit, quia poſt pœnitentiam ab Ambroſio ei indictam, panem Chriſti & communionem Eccleſiæ meruit.

Theodoſius Imp. Rom.

G

Gal. 5.

Luc. 17.

CAPVT LXXIV.

Item de eadem Dominica.

IDeo hæc Dominica nunc cantatur, cum hiſtoria Tobiæ recitatur; quia Dominus Angelum ſuum miſit, qui Tobiam à cæcitate, filium à piſce, Saram à dæmonio eripuit. Offertorium quoque, *Immittet Angelus Domini*, ad feſtum S. Michaelis reſpicit, quod tunc temporis ſæpius occurrit. Idcirco in hac ſeptimana clerici ordinantur, quia ab Iſaia ſeptem dona Spiritus ſancti prænominantur, à cuius prophetia hæc Dominica inchoatur. Ideo autem in Septembri fit ordinatio, quia ſecundum legem in hoc menſe fiebat Tabernaculorum celebratio. Ordinati enim ſunt Eccleſiæ miniſtri Dei ſcilicet tabernaculi. Ideo vero fit in tertia hebdomada, quia in tertio tempore ab Apoſtolis eſt inſtituta.

H

CAPVT LXXV.

De quatuor Temporibus.

QVarta ætate leuitæ à Dauid & Salomone in miniſteria templi Dei ſcilicet Eccleſiæ eliguntur: Illis ex lege præcipitur: iſtis à Spiritu ſancto dicitur, *Exultate Deo adiutori noſtro.* Duæ lectiones leguntur, quia ordinandi in miniſtros & ſacerdotes diſtinguuntur, & hi

Pſal. 80.

A duas leges ſcire, & dúo præcepta charitatis implere præcipiuntur. Vna lectio Septembri conuenit, quæ comprehendere aratorem, meſſorem, & calcatorem vuæ mittentem ſemen dicit. Alia ordinandis congruit, quæ Eſdram populum docuiſſe aſtruit, qui Dominum Pſal. 112. ſic laudat, *Quis ſicut Dominus?* Euangelium ieiunio con- Marc. 9. 29. ſonat; *Quod genus dæmoniorum in nullo niſi in oratione, & ieiunio exire* prædicat. In offertorio electus cletus dici, Pſal. 118. *Meditabor in mandatis tuis*, In communione, *Come-* 2. Eſdr. 8. *dite pinguia*, populum hortantur ad gaudia.

CAPVT LXXVI.

De Feria ſexta

FEria ſexta pœnitentiam ordinandorum repræſentat, Pſal. 104. quibus Spiritus ſanctus clamat, *Lætetur cor quærentium Dominum.* Qui in oratione orant, vt Deo corpore Oſee 14. & mente placeant. Lectio ad conuerſationem eos in- B ſtruit, & veniam promittit. Qui in graduali Deum ſic Pſal. 89. inuocant, *Conuertere Domine aliquantulum.* In Euangelio conſolantur, vbi pœnitenti mulieri peccata dimiſſa Luc 7. narrantur. Qui repleti gaudio clamant in offertorio, *Be-* Pſal. 112 *nedic anima mea Domino.* In communione rogant, vt Deus opprobrium peccatorum ab eis auferat.

CAPVT LXXVII.

De Sabbato.

IN ſabbato ordinandi ad gratiam vocantur, quibus ſic clamatur: *Venite adoremus Deum*, Quatuor lectiones leguntur, quia ordinandi in quatuor ſcilicet, in acolythos, in ſubdiaconos, in diaconos, in presbyteros diſtinguuntur; per Lectionem illorum doctrina, per gra- Dan. 3. duale ſignificatur eorum vita. Deinde lectio Danielis de tribus pueris legitur, qui in fornace probabantur; quia C miniſtri Eccleſiæ in camino tribulationis examinantur; Hebr. 9. hymnus *Benedictus es Domine*, ſequitur, quia eis Deum in omni tempore benedicere præcipitur. Deinde Epiſtola de primo & ſecundo tabernaculo recitatur, quia ſi nunc in tabernaculo Eccleſiæ dignè ſeruiunt, in cœleſti tabernaculo ſacerdotes agni erunt, de qua promiſſione Luc. 13. Tractum iubilant, *Laudate Dominum.* Euangelium eos monet, ne doctrina illorum ſit ſterilis, vt arbor infructuoſa, nec vita eorum terrenis dedita, vt mulier in- Pſal. 87. curuata; qui auxilium Dei in Offertorio implorant, *Domine Deus ſalutis meæ.* In communione, Menſe ſeptimo, per ſeptiformem ſpiritum in tabernaculum Dei, ſcilicet Eccleſiam Dei ſeptem gradibus introducti admonentur; cuius feſta, vt celebrent, docentur.

CAPVT LXXVIII.

Dominica decimaquinta, Inclina: *ſub lege.*

D HÆc Dominica accipit officium de rege Ioſia, cui Hieremias Propheta prædixit Hieroſolymæ deſtructionem, populi in Babylonem captiuitatem. Qui pertimuit, & populum congregans legem Dei neglectam cuſtodiri inſtituit. Cuius inuocationem introitus Miſſæ Pſal 85. innuit, *Inclina Domine aurem tuam ad me, lætifica animam ſerui tui:* cui Oratio, *Eccleſiam tuam Domine*, concordat, quam vt Deus mundet, muniat, rogat. Epiſtola nobis inſinuat, qualiter legem Dei obſeruati præce- Gal. 5. perat. *Bonum*, inquit, *facientes non deficiamus, ergo ope-* Pſal. 91. *remur bonum.* Item exercitatio eius in graduali, *Bonum eſt confidere in Domino*, alleluia, *Domine exaudi* orationem eius exprimit. Alij cantant alleluia, *Confitemini Domino & Inuocate nomen*, quod iterum ei conuenit, vbi populum ad laudem Dei inuitauit. Alij cantant alleluia, *Paratum cor meum:* quod ei bene congruit, qui Math. 6. cor ſuum ad præcepta Dei præparauit. Euangelium eius pactum innuit, quòd cum populo de obſeruatione legis pepigit. *Non poteſtis*, inquit, *Deo ſeruire & Mammonæ, Quærite regnum Dei.* In offertorio, *Expectans expectaui Dominum*, Deum laudauit, quando ingens Paſcha cum B populo celebrauit. In communione, *Qui manducat carnem meam*, conſolatio Dei notatur, qua eum per prophetas conſolabatur.

CAPVT LXXIX.

Sub gratia.

HÆc Eccleſia ſub typo Theodoſij iunioris celebrat, qui eam pace & concordia confœderauerat. Ioſias namque obſeruantiam legis ab anteceſſoribus ſuis neglectam immò abiectam reſtaurat, & Theodoſius Eccleſiam à tyrannis & hæreticis grauiter vexatam pace & Chriſti laude glorificat. Qui ſic pro ſe Deum inuocat, Pſal. 85. *Inclina Domine aurem tuam ad me.* In oratione vero ſupplicat, vt Deus *Eccleſiam mundet, & muniat.* Per Epiſtolam eius exhortatio indicatur, qua ſacerdotes ad F concordiam adhortatur. *Non ſimus*, inquit, *concupiſcen-* Gal. 5. *tes malorum, inuicem prouocantes, inuidentes.* In graduali monet eos in Domino ſperare. In alleluia, *Confitemini*, veluti paratum Deum laudare, Euangelium bene Math. 6. conuenit, quod *duobus dominis ſeruiri non poſſe* dicit, quia Theodoſius cunctos à ſeruitio diaboli prohibuit, regnum Dei & iuſtitiam quærere inſtituit. In offertorio pro concordia Eccleſiæ Deo plaudit, qui canticum nouum in os ſuum miſit. In communione ab Eccleſia lætificatur, dum in Deo manere, & Deus in eo nuntiatur.

CAPVT LXXX.

Dominica decimaſexta, Miſerere mei: *ſub lege.*

POſt Ioſiam Hieruſalem deſtruitur, populus captiuus ducitur, ideo in hoc menſe hiſtoria Machabæorum, qui ab aduerſariis premebantur legitur. Populum captiuum Ezechiel Propheta conſolatur, de quo præſens Dominica inofficiatur, qui ſic pro ſe clamat. *Miſerere* Pſal. 85. *mei Domine.* Pro Populo autem ſuo ſic orat; *Abſolue* G *Domine tuorum vincula populorum*, vel in oratione, *Tua nos Domine*, precatur vt eos miſericordia Domini præueniat, & ſequatur. Epiſtola eius affectum exprimit, quem pro populo habuit; *Obſecro*, inquit, *vos, ne deficia-* Epheſ. 3. *tis in tribulationibus meis pro vobis.* In graduali, *Timebunt gentes* reædificationem Hieruſalem prophetat, vbi dicit, *Quoniam ædificauit Dominus Sion.* In alleluia ve- Pſal. 101. rò, *In exitu Iſraël de Ægypto* reuerſionem populi præ- Luc. 7. nuntiat, vt ſicut olim de Ægypto exierant, ita nunc de Babylone exire debeant. Euangelium conſonat, quod mortuum ciuitate elatum, ſed à Domino reſuſcitatum memorat. Nam Iudaïcus populus quaſi mortuus ad ſepulchrum efferebatur, dum de Hieruſalem in Babylonem captiuus ducebatur. Qui à Domino ſuſcitatur, dum ad patriam reuocatur. In offertorio propheta vel populus diuinum auxilium inuocat, vt ſe ſub hoſtibus eripiat. *Domine in auxilium meum.* In communione, *Domine* H *memorabor*, iuſtitiam Dei laudat.

CAPVT LXXXI.

Sub gratia.

SIc poſt Theodoſium Roma à gentibus vaſtatur, Chriſtianus populus captiuatur. Quem ordo doctorum, Lib. 3. de quàm multipliciter conſolatur, ſignificat præcipuè Au- Ciu. Dei, guſtinus in libro, qui *de ciuitate Dei* intitulatur. Ordo c. 29. & ergo doctorum pro ſe ſic Deum inuocat, *Miſerere mihi* lib. 18. *Domine*, pro populo autem ſic orat, *Abſolue Domine* cap. 45. & *tuorum vincula populorum.* In Epiſtola conſtantiam & alibi. Pſal. 85. patientiam populo prædicat, quem monet ne in tribula- Epheſ. 5. tionibus deficiat. In Graduali dicit, quod gentes Deum dicuntur timere, & omnes reges gloriam Deo debeant. In alleluia Deum in tribulatione laudent, qui eam de populo barbaro eruat, ſanctificationem ſuam in eis faciat. * Filius In Euangelio * mortuus ſuſcitatus memoratur, & in ipſis viduæ, Luc. 7. reſurrectio ad vitam prædicatur. Qui populus diuinum

A auxilium in offertorio implorat, vt eum à malo eripiat.
In communione iuſtitiam Dei magnificat.

CAPVT LXXXII.

Dominica decimaſeptima, Iuſtus es Domine: *ſub lege.*

DOminica quæ ſequitur à Daniele propheta inſti-
tuitur, hic in captiuitate poſitus regi ſomnia ex-
Dan.13. Pſal.118. poſuit, Suſannam de morte eripuit; ipſum verò Deus
de lacu leonum liberauit, quem ſic laudans exaltauit,
Iuſtus es, Domine in oratione, Omnipotens ſempiterne
Deus, Deo ſupplicat, vt populus, qui pro meritis iudi-
cium Dei incidit, indulgentiam ſentiat, vel in oratio-
ne, *Da quæſumus Domine populo tuo* precatur, vt popu-
lus ſolum Deum ſequatur. In Epiſtola ſe vinctum cla-
mat, populum captiuum ad patientiam roborat. In Gra-
B duali, *Beatam gentem* cantat, quam Deus flagellando
Epheſ. 4. viſitat. In alleluia, *Dilexi quoniam*, Deo plaudit, qui
Pſal.32. vocem eius exaudiuit. Quidam cantant alleluia, *qui ti-
ment Dominum*, quòd bene Danieli, vel tribus pueris ſo-
ciis eius, ſiue Suſannæ conuenit, qui in Domino ſpe-
rauerunt, & de periculis eos eripuit. Euangelium quo-
que congruit, quia Daniel Suſannam ſaluauit, ac dimi-
Luc.14. ſit. Ipſe in nouiſſimo loco recubuit, dum ſe inter captiuos
eſſe doluit, ſed rex eum ſuperius aſcendere iuſſit, dum
Dan.3. eum regni principem poſt ſe conſtituit. Offertorium,
Oraui Deum meum ego Daniel, ſpecialiter orationem eius
exprimit, quam pro populo oppreſſo habuit. In com-
Pſal.75. munione, *Vouete & reddite*, populum monet, vt vota
ſua Deo reddere feſtinet, qui ſpiritum principum abſtu-
lit, dum Nabuchodonoſor inter beſtias eſſe cenſuit, Bal-
thaſar hoſtibus occidendum tradidit.

CAPVT LXXXIII.

Sub gratia.

C PEr hoc officium clerus nunc recolit, quod olim in
Eccleſia ſub Iuliano contigit. Hic imperator popu-
lum à Gothis captum vel occiſum doluit, & Dei iudi-
cium, his verbis extulit: *Iuſtus es, Domine, & rectum.*
In oratione, *Da quæſumus Domine populo tuo*, pro po-
pulo flagitat, vt qui Dei iudicio pro meritis Gentibus
Epheſ.4. traditus erat, indulgentiam ſentiat. In Epiſtola admoni-
Pſal.32. tio doctorum inſinuatur, qua populus ad patientiam cor-
roboratur. In graduali, Beatam gentem prædicat, quam
Dominus hic flagellat. In alleluia, Qui timent Domi-
num, Deum laudandum denuntiat, qui in ſe ſperanti-
bus adiutor exiſtat. In *alleluia* vero, *Dilexi, quoniam ex*
Luc.14. Deo plaudit, qui exaudiuit. Euangelium ei conuenit,
vbi dicit, quod eum Dominus ſuperius aſcendere fece-
rit, & ei gloriam coram cunctis tribuerit. Offertorium
preces eius exprimit, quas pro populi liberatione fudit.
In communione ſacerdotes populum monent, vt vota
D terribili Deo reddere non tardent, qui ſpiritum princi-
pum abſtulit, dum *Alaricum*, *Theodoricum*, *Totilam*,
Tyrannos regno priuans Tartaris tradidit. Notandum
quod in verſu Offertorij cantatur, *Michaël venit in ad-
iutorium meum*, quia hæc Dominica aliquando circa
feſtum ſancti Michaëlis occurrit; vel quia memoria ſan-
cti Michaëlis ſub prædicto principe inſtituta ſit.

CAPVT LXXXIV.

Dominica decimaoctaua, Da pacem: *ſub lege.*

IN huius Dominicæ officio repræſentatur Danielis ora-
tio, & Angeli Gabrielis collocutio. Tranſactis quippe
ſeptuaginta annis in ſeruitute orauit Daniel pro populi
libertate, cui Angelus Gabriel apparuit, & populum à
Cyro dimittendum, & Chriſtum pro humana liberatio-
ne naſcendum ſignificauit. Introitus ergo verba Danielis
Eccl.36. repræſentat, quibus ſic pro populi ſalute clamat, *Da
pacem Domine ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inue-
niantur.* In Oratione poſtulat, vt Deus corda eorum di- E
rigat. In Epiſtola prophetia Angeli intimatur, in qua 1. Cor.1.
nihil deeſſe in vlla gratia prædicatur. In graduali Pro-
pheta, de Angeli promiſſione lætatur, quia populus in
domum Domini iturus prænunciatur. In verſu orat, vt
pax populo fiat. In alleluia, *Laudate Dominum* omnes
monet, vt liberandi Deo iubilent. In Euangelio popu-
lum exhortatur, vt in patria legem Moyſi in duobus
præceptis dilectioni implere non obliuiſcatur. In offer- Exod.24.
torio. *Sanctificauit Moyſes altare*, eos inſtruit, vt reuer-
ſi altare Domino conſtruant, ſicut Moyſes præcepit. In
communione, Tollite hoſtias, mandat, vt dona Deo
pro gratiarum actione offerant.

CAPVT LXXXV.

Sub gratia.

F
PEr hæc enim Eccleſia recolit, quæ diuina gratia tem-
pore Gregorij Papæ dona eis contulit. Romani nam- *Grego-*
que & Longobardi inter ſe diſcordes fuerunt; ſed per *rius Pa-*
orationem Gregorij ad pacem redierunt, Chriſtianita- *pa.*
temque receperunt. Pro pace ergo Chriſtiani populi
Gregorius ſic oraſſe legitur: *Da pacem Domine ſuſtinen-* Eccl.36.
tibus te. In Oratione verò corda à Deo dirigi precatur. 1. Cor. 1.
In Epiſtola intelligitur eius admonitio, quam fecit pro
pacis vinculo. In graduale lætatur, quia pax ab eis lau-
datur. In verſu denuo orat, vt pax in turribus Eccleſiæ
fiat. In alleluia populum monet, vt Deum pro pace
laudet: Euangelium innuit, qualiter populum in gemi-
na dilectione copulauerit. Offertorium vero innoteſcit
quod ſacrificium laudis pro populi ſalute obtulit, ſicut,
Moyſes olim pro populo fecit. In communione, autem
imperat, vt pro ſua concordia Deo hoſtias laudis offe-
rant. Hæ duæ communiones ſcilicet *Vouete*, & *Tollite* Pſal.95.
hoſtias populum mouent, quatenus decimas clero offer-
re non tardent. G

CAPVT LXXXVI.

Dominica decimanona, Salus populi: *ſub lege.*

SEquens Dominica officium de principatu Cyri regis
accipit, qui populum captiuum abire permiſit. Cui
populo Zorobabel atque ſacerdotes verba Domini an-
nunciant, eumque ad reuertendum confortant, ita di-
centes *Salus populi ego ſum, dicit Dominus.* In Oratio- Epheſ. 4
ne vniuerſa eis aduerſantia excludi rogant. In Epiſtola
monent eos nouum hominem per iuſtitiam induere qui
Deo ducente ad patriam redire poſſint. Populus verò Pſal.140.
iam pergens, Dominum in Graduali ſic inuocat, *Diriga-
tur oratio mea.* In alleluia, *Dextera Dei* Deo plaudit.
qui cum eo virtutem fecit, qui eum ab hoſtibus rede-
mit. Euangelium concordat, quòd Ieſum in ciuitatem
ſuam veniſſe narrat, quia populum cum Ieſu ſacerdotem H
Hieruſalem rediſſe conſtat. In offertorio, pro reuerſione Pſal.137.
Deo ſic gratificant; *Si ambulauero in medio tribula-*
tionis. In Communione, *Tu mandaſti mandata*, legem Pſal. 118.
Dei ſe cuſtodire pronunciant, quam vt implere valeant,
poſtulant.

CAPVT LXXXVII.

Sub gratia.

HOc enim officium principatui magni Karoli con- *Carolus*
uenit, qui primus Romanum imperium in Germa- *Magnus.*
niam tranſtulit. Qui Eccleſiaſtica iura egregiè nobilitauit
& populum Dei ſtrenuè gubernauit, per quem ſalus po-
puli fuit; Dum eum Dominus ab hoſtibus defendit, hic
Orationem ſuam ad Dominum direxit, cuius dextera
virtutem cum eo fecit, & quia manum ſuam ſuper ini-
micos illius extendit, ideò mandata eius cuſtodiuit.

A

CAPVT LXXXVIII.

Dominica viceſima, Omnia quæ feciſti *: ſub lege.*

PEr hunc menſem quo hiſtoria, *Vidi Dominum*, de prophetis cantatur, illud tempus nobis repreſentatur, quo poſt conuerſionem à captiuitate Hieruſalem reædificatur. Tunc quippe per Zachariam, & Aggæum, Eſdram, & Malachiam Aduentus Chriſti prænunciatur, de quorum operibus hoc nomen inofficiatur. Poſtquam enim reuerſi vrbem deſtructam & templum incenſum viderunt, euigilantes clamauerunt, (Dan. 3.) *Omnia quæ feciſti nobis Domine.* (Epheſ. 5.) Qui in oratione petunt, vt diuina miſeratio eorum corda dirigat. In epiſtola dicitur, quod tempus redemerint, eo quod dies mali fuerint, quia & pecunia & bellis ab hoſtibus ſe redemerunt, qui eos longo tempore ædificare prohibuerunt. (Pſal. 144.) In Graduali *Oculi omnium* Deum inuocant, vt operi eorum faueat. In *alleluia* eos prophetæ conſolantur, quia qui confidunt in Domino, non commouentur. (B) (Matth. 22.) Euangelium eis congruit, vbi rex nuptias fecit, quia videlicet eo tempore Aſſuerus rex nuptias cum Heſter fecit, & multos vocauit, ſiue Iudaicus populus ad nuptias vocatus venit, quando de captiuitate ad patriam rediit, & Dominus plebis ſuæ copulam per legis obſeruantiam iniit. Vnde ipſi in offertorio de reditu ſuo (Pſal. 136.) exultant dicentes, *Super flumina Babylonis.* Poſtquam autem Eſdras venit, & eis coædificare cœpit, ſic in (Pſal. 118.) Communione ad Deum orauit, *Memento verbi tui.*

CAPVT LXXXIX.

Sub gratia.

HOc enim totum ad Chriſtianum populum refertur, qui ab Hunnis ſiue ab Vngaris vaſtatur, ſed per fideles Imperatores ſuperatis hoſtibus in laudem Dei poſtmodum coadunatur.

C

CAPVT XC.

Dominica viceſimaprima, In voluntate *: ſub lege.*

SEquens Dominica de hiſtoria Heſter inofficiatur, per quam populus Dei ab imminenti periculo liberatur, & progenies aduerſariorum exterminatur. Hæc pro populo iiſdem verbis Deum inuocat: (Epheſ. 13.) *In voluntate tua Domine.* In oratione vero orauit, vt Deus familiam ſuam (Epheſ. 5.) cuſtodiret. In epiſtola afflictio Iudæorum exprimitur, (Pſal. 39.) quibus erat tunc colluctatio aduerſus principes, & poteſtates, contra mundi rectores. In graduali, *Domine refugium*, ad Deum per ieiunium confugiunt, eiuſque auxilium petunt. In alleluia, *De profundis clamaui*, pro tribulatione ſua clamant, & mox eos Dominus liberat. (Ioan. 4.) Per Regulum in Euangelio, cuius filius infirmabatur. Aſſuerus intelligitur, cuius dilectus animo ad mortem (Iob 1.) trahebatur. Per Offertorium, *Vir erat*, Mardochæus ac- (D) cipitur, qui vt Iob grauiter tentabatur, ſed probatus ſimi- (Pſal. 118.) liter magnificabatur. Qui in communione, *In ſalutari tuo*, Deo gratias agit, quod de perſequentibus ſe iudicium fecit.

CAPVT XCI.

Sub gratia.

HÆc enim Dominica noſtrum tempus exprimere videtur, quo populus fidelium ab aduerſariis affligitur, ſed oratione Eccleſiæ & ſapientium labore ab ho- (Iob 1.) ſtibus eripitur. Notandum quod in offertorio, *Vir erat*, verba non repetuntur, & in verſibus ſæpius repetuntur, quia ægrotanti, & loqui conanti verba intercipiuntur, ſed ſæpius incœpta vix perficiuntur. In verſibus Iob ægrotans intelligitur. Per Iob autem Chriſtus deſignatur, qui pro nobis doluit, & ſeipſum in ſacrificium patri pro mundo obtulit, & hoc verſus exprimunt. Offertorium autem Eccleſiam ſignificat, quæ Chriſtum iugiter immolat, & eum pro nobis oblatum commemorat.

E

CAPVT XCII.

Dominica viceſimaſecunda, Si iniquitates *: ſub lege.*

PRæſens Dominica videtur de hiſtoria Iudith inſtituta. Populus namque Dei dum ab Holoferne in Bethulia obſideretur, ad Deum ſic clamaſſe intelligitur. *Si* (Pſal. 129) *iniquitates obſeruaueris*, Oratio verò, *Deus noſter refugium*, innuit orationem Iudith, qua populo pacem & indulgentiam petiit. Epiſtola autem conſolationem prin- (Phil. 1.) cipum demonſtrat, qua populum afflictum ſubleuabant. (Pſal. 132.) Graduale, *Ecce quam bonum* gaudium populi exprimit quod reuerſa Iudith habuit, cum caput Holofernis attulit. Alleluia vero, *Lauda anima mea Dominum*, gaudium ipſius Iudith inſinuat, quo de victoria & populi liberatione exultat. Porro Euangelium bene concordat, (Matth. 18.) quod regem rationem cum ſeruis ſuis poſuiſſe commemorat Nabuchodonoſor, qui & Cambyſes, cum ſuis conſilium habuit, quando ſibi vniuerſa regna ſubiugare diſpoſuit, (F) Qui decem millia talenta debuit. In hac ſignificatione Holofernes fuit, qui pro magno honore ſibi collato debitor regis extitit. Hic egreſſus conſeruum in carcerem miſit, dum Holofernes cum exercitu egreſſus omnem populum in anguſtiam redegit. Siue conſeruum in carcerem miſit, dum Achior ducem periculo ſubmiſit, Offertorium, *Recordare mei*, Orationem (Eſther 18.) Iudith repræſentat, qua Deum in periculo inuocat, quatenus verba eius coram principe Holoferne placeant. Communio, *dico vobis* conuerſion m Achior ſonare videtur, qui perempto Holoferne populo Dei apponitur.

CAVPT XCIII.

Sub gratia,

QVia totus populus fidelium ab exordio mundi vſque in finem vnum corpus eſt Eccleſiæ Dei, aliquando de tranſactis, aliquando de futuris diuinum officium inſtituitur. (G) Vnde & hoc officium ad tempora Antichriſti refertur; ſub quo Eccleſia grauiter affligetur, ſicut hic populus ſub Nabuchodonoſor afflictus legitur. Porrò Eccleſia de ſua afflictione ſic ad Dominum clamabat, (Pſal. 123.) *Si iniquitates obſeruaueris.* Deinde orat, vt ei Deus refugium fiat. Per epiſtolam prædicatio Heliæ, & Enoch denotatur, qua afflictam Eccleſiam conſolantur. In Graduale & alleluia gaudium Eccleſiæ inſinuatur, quo de (Matth. 18.) conuerſis Iudæis gratulatur. Euangelium optimè congruit, in quo rex rationem cum ſeruis ponit, quia Chriſtus rex verus tunc ad iudicium veniet, qui à cunctis actus ſingulorum exiget. Antichriſtus etiam rationem cum populo ponet, quia cunctos ſibi ſubdere diſponet, Conſeruum in carcerem mittet, quia cunctum populum ſibi rebellem crudeliter affliget. Offertorium orationem Eccleſiæ exprimit, qua Deum ſui recordari poſcit. Quam Deus exaudiens citius liberabit, dum Antichriſtum in tentorio ſuo exanimabit, ſicut Holofernem per (H) Iudith in tentorio ſuo trucidauit. Communione vero gaudium innoteſcit, quo iuſti ſuper his gaudebunt, qui poſt interitum Antichriſti conuerſi erunt.

CAPVT XCIV.

Dominica vacat.

DOminica, quæ officio cantus caret, vbi in Euan- (Matth. 22.) gelio Dominus cenſum Cæſari reddi iubet, illud tempus denotat, quo omnis populus ſub Magno Alexandro in luctu erat; quem ipſe variis bellis oppreſſit, & cenſum ſibi dari compulit. Illud enim tempus exprimit, quo Antichriſtus vniuerſum populũ ſuo ſeruitio addicet.

CAPVT XCV.

Dominica vacat.

DOminica, quæ hanc ſine cantu ſequitur, vbi in Euangelio mulier fluxum ſanguinis duodecim an-

A Matth. 9. nis patiens à Domino curata legitur, illud tempus ſub
Luc. 8. Seleuco rege innuit, quo tota Aſia prius duodecim annis ſub Alexandro ſanguine bellorum fatigata, liberata fuit. Hæc enim cantu non inofficiatur, quia mox tota terra bellis turbabatur. Illud quoque tempus, quod poſt mortem Antichriſti futurum erit, innuitur, quo Eccleſia prius ab ipſo ſanguine perſecutionis vexata liberabitur.

CAPVT XCVI.

Dominica vieeſimaquarta poſt Pentecoſten, Dicit Dominus: *ſub lege.*

VLtima Dominica inofficiatur de Machabæorum hiſtoria, quibus poſt multos ſudores bellorum Chriſtus citius aduenire promittitur, per quem ab hoſtibus liberentur. Sacerdote ergo eos propheticis verbis ſic alloquuntur.
B *Dicit Dominus ego cogito.* Qui in oratione, *Excita Domine*, precantur, vt eorum mentes ad diuinum opus excitentur. Lectio eis regem affuturum prædicat, qui eos in iuſtitia iudicans ab inimicis eruat. Qui in graduali pro ſua liberatione & hoſtium confuſione
Luc. 9. gratias agunt. In alleluia ei, *Qui ſanat contritos corde*, plaudunt, Euangelium bene conſonat, quod quinque millia quinque panibus ſatiata narrat, quod poſt quinque millia annorum datus eſt panis Angelorum, per
Pſal. 129. quem refectæ ſunt mentes beatorum. In offertorio, *De*
Marc. 11. *profundis* peccatores ad Dominum clamant, vt hoc pane digni fiant. In communione, *amen dico vobis* diuina vox eis pollicetur, quod oratio eorum impleatur.

CAPVT XCVII.

Sub gratia.

PEr hoc enim officium Eccleſia tribulationem Chriſtiani populi recolit, quam ſub Antichriſto ſicut Machabæi ſub Antiocho paſſurus erat. Huic aduentus
C Chriſti propinquus prænunciatur, per quem ab omnium hoſtium formidine eruatur. Per fideles ergo ſic conſolatur,
Ier. 29. *Dicis Dominus ego cog.* Qui in oratione mentes ſuas ad pœnitentiam excitari poſtulant, quo remedia indulgentiæ percipiant. In Lectione regnum Chriſti & eius iudicium eis promittitur; & ipſi in graduali & alleluia
Luc. 9. de ſua ereptione gratulantur. In Euangelio populi ad Chriſtum confluxiſſe: & ab eo refecti referuntur, quia tunc omnes gentes ad Chriſti iudicium concurrent & ab eo qui eſt panis viuus reficientur. In Offertorio petunt illo digni fieri. In communione promittitur illorum oratio compleri. Ideo Euangelium de quinque millibus nunc legitur, quia abhinc quinque Dominicæ ad Natiuitatem Domini computantur, quo quaſi poſt quinque ætates cœleſti pane fideles ſatiantur. Ideo enim Euangelium legitur, quia ſemper circa feſtum ſancti An-
D dreæ euenit, cuius mentio in eodem Euangelio agitur. Quæritur cur per æſtatem plures ſint Lectiones, & Euangelia, quam Officia. Sed ſciendum eſt quod officia Emboliſmis, lectiones & Euangelia communibus annis conueniunt.

CAPVT XCVIII.

Ordo de Alleluiis *Dominicalibus apud quoſdam.*

QVidam obſeruant hunc ordinem in *Alleluiis* Dominicalibus, qui etiam bene congruit officiis vel temporibus. In prima Dominica, *Domine in tua miſericordia, alleluia. In te Domine ſperaui.* In ſecunda Dominica, *Factus eſt Dominus protector, alleluia. Diligam te Domine.* In tertia, *Reſpice, alleluia, Venite exultemus.* In quarta, *Dominus illuminatio, Confitemini Domino.* In quinta, *Exaudi Domine, Qui timet Deum.* In ſexta, *Dominus fortitudo, Domine refugium.* In ſeptima, *Omnes gentes.* In octaua, *Suſcepimus Deus, Quoniam Deus magnus.* In nona, *Ecce Deus, Qui ſanat.* In decima, *Dum clamarem, Lætatus ſum.* In vndecima, *Deus in loco, Paratum cor meum.* In duodecima, *Deus in adiutorium, Exultate Deo.* In decimatertia, *Reſpice Deus, Dominus regnauit.* In decimaquarta, *Protector noſter, Lauda Hieruſalem.* In decimaquinta, *Inclina Deus, Domine Deus.* In decimaſexta, *Miſerere mihi, Laudate Dominum omnes gentes.* In decimaſeptima, *Iuſtus es, Domine: Deus iudex.* In decimaoctaua, *Da pacem Domine, Qui poſuit fines.* In decimanona, *Salus populi, Adorabo ad templum.* In viceſima, *Omnia quæ feciſti, Redemptor.* In viceſimaprima, *In voluntate, Te decet.* In viceſimaſecunda *Si iniquitates, De profundis* In viceſimatertia, *Dicit Dominus, Dextera Dei*, vel *In exitu Iſrael.* In hoc menſe Ioannis Baptiſtæ prædicatio inſinuatur, per quem Chriſtus in carnem veniſſe demonſtratur. Vnde & *Aduentus Domini*, ac *Natiuitas* ei in hoc menſe celebratur. E

CAPVT XCIX. F

Dominica prima in Aduentu Domini.

DOminica prima de Aduentu Domini officium de Ioanne Baptiſta ſumit, ſub cuius perſona Eccleſia canit, *Ad te leuaui animam meam.* Qui in oratione ro- Pſal. 24.
gat, vt Chriſtus adueniens humanum genus à peccatis eripiat. In epiſtola noctem infidelitatis præceſſiſſe, diem Rom. 13.
fide appropinquare denuntiat. In Graduali verbum ad ipſum Chriſtum dirigit, cum ab eo baptizandus aduenit, *Vniuerſi qui te, &c. Vias tuas, Domine.* In alleluia Deum poſtulat, vt ſalutare ſuum, id eſt, filium hominis oſten- Luc. 11.
dat Euangelium bene congruit, quod Marcus initio libri Marc. 1.
ſui de Ioanne ſcribit, *Ecce mitto Angelum.* Alij legunt. Euangelium: *Cum appropinquaret Ieſus Hieroſolymis*, quod etiam Aduentui Domini conuenit, propter verſum, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Offerto- G
tium, *Ad te Domine leuaui*, ſacrificium Ioannis ſonat; Pſal. 84.
vbi animas pœnitentium Deo offerebat. In communione *terram fructum dare*, id eſt, Mariam Chriſtum generare prædicat.

CAPVT C.

Dominica Secunda in Aduentu, Populus Sion.

DOminica ſecunda de perſona Prophetarum inofficiatur, per quos Aduentus Chriſti Synagogæ annunciatur ſic, *Populus Sion, Ecce*, In priori officio vocatio Iudæorum, In iſto autem vocatio gentium notatur, vbi canitur *Ecce Dominus veniet ad ſaluandas gentes*, quæ gentes in oratione precantur, vt corda illarum viæ Chriſto præparentur. In Epiſtola voce prophetarum vo- Rom. 15.
cantur. Moyſes namque, dicit *lætamini gentes cum plebe* 2. Reg. 22.
eius, Dauid quoque, *Laudate Dominum omnes gentes.* Pſal. 116.
Iſaias enim, *Qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt.* In graduali dicit Propheta prædicatoribus, *Con-* Iſai. 11. 10.
gregate illi ſanctos eius. In alleluia gentes exultant dicen- H
tes, *In domum Domini lætantes ibimus.* Euangelium be- Pſal. 49.
ne conſonat, quia redemptio noſtra appropinquat. Ideo Pſal. 121.
hoc Euangelium in ſecunda Dominica recitatur; quia in Luc. 21.
eo ſecundus Aduentus Chriſti prænunciatur. In offertorio gentes ſe Chriſto offerunt gaudenteſque dicunt, *Deus tu conuerſus viuificabis nos.* In communione Eccleſiæ de gentibus propheticus ordo applaudit dicens, *Hieruſalem, ſurge & ſta.* Baruch. 4. & 5.

CAPVT CI.

Dominica tertia, Gaudete in Domino.

DOminica tertia de perſona Apoſtolorum officio lætatur, per quos vterque populus ad fidem vocatur, quorum voce ſic cantatur, *Gaudete in Domino*, Phil. 4.
ſubauditur ex Iudæis fideles. *Iterum dico gaudete*, videlicet fideles ex Gentibus, Qui in oratione precantur, vt

A tenebræ illorum mentis illuſtrentur. In Epiſtola Apoſtolica eis nuntiat, quòd Chriſtus adueniat, qui abſcondita tenebrarum illuminet. In graduali, & alleluia fideles poſtulant, vt Chriſtus quantocius adueniat. Euangelium de ſignis Chriſti, & Ioannis ſanctitate legitur, Ioan. 1. quia Chriſti diuinitas per Ioannem prædicatur. Ideo in tertia Dominica legitur, quia Chriſtus in tertio mundi tempore per miracula innoteſcit. In offertorio, Fideles gratias agunt, quod eos Dominus ſuo Aduentu benedixit, iram ſuam ab eis auertit, Pſal. 84. *Benedixiſti Domine terram.* In communione per prædicatores conſolantur, & Dominus eos ſaluare promittit. Officia quartæ & ſextæ feriæ & ſabbati Aduentui Domini, & quatuor Temporibus congruunt, qua Chriſtum deuotiſſimè aduenturum canunt.

CAPVT CII.

B *Dominica quarta*, Memento noſtri Domine.

DOminica quarta ab officio propter ordines prioris diei vacat, ſed à modernis officio, *Memento noſtri, Domine*, tripudiat. Quod officium ex perſona doctorum cantatur, per quos ſecundus Aduentus Domini prædicatur. Qui ſic conclamant. *Memento noſtri Domine*, in oratione orant, vt Dominus aduenìens magna virtute eis ſuccurrat. In epiſtola fideles gaudere monentur, quia Dominus propè eſt. Qui in graduali propè ſe inuocantibus plaudunt. In alleluia, Citius ad relaxanda facinora venire petunt. In Euangelio eis dicitur, vt *viam Domino parent*, qui cito veniet. In offertorio & in communione virgo ſalutatur, per cuius partum mundus ſaluatur.

CAPVT CIII.

C *De vigilia Natiuitatis Domini, Hodie ſcietis.*

PEr vigiliam Domini præſens vita denotatur, in qua nobis Chriſtus aduenturus prænuntiatur. Vnde canitur in Officio: *Hodie*, id eſt, in hac vita *ſcietis, quia veniet Dominus, & manè*, id eſt, in futura vita *videbitis gloriam eius.* Vnde in Oratione: *quem redemptorem læti ſuſcepimus, venientem quoque iudicem ſecuri videamus.* Duæ lectiones leguntur, quia Chriſtus à prophetis Rom. 1. naſciturus, ab Apoſtolis natus prædicatur. Ideo vna à propheta, altera ab Apoſtolo recitetur. In graduali Chriſti Natiuitas promittitur, ſed in ſupremo manè videndus dicitur. *Alleluia* in vigiliis, & in quatuor Temporibus, propter ieiunium non cantatur. In Dominica autem ſi venerit ob reſurrectionē Domini canitur. Euangelium & offertorium inſtantem natiuitatem canit. Communio autem ſecundùm Chriſti aduentum promit, Iſai. 40. *Reuelabitur gloria Domini.*

CAPVT CIV.

D *In ſancto die in nocte, prior Miſſa* Dominus dixit ad me.

IN die ſancto natali Domini conſtituit Teleſphorus Papa tres Miſſas hac de cauſa celebrari, quia conſtat tria tempora huius mundi per hanc ſingularem Natiuitatem ſaluari. Per Miſſam quæ in nocte cantatur, *tempus ante legem* deſignatur, quod tenebris ignorantiæ inuoluebatur. Ideo ad hanc Miſſam legitur, *Populus qui ambulabat in tenebris.* Pſal. 2. Luc. 2. Introitus ortum veræ lucis exprimit, cum filius Dei naſcens mundo dicit, *Dominus dixit ad me. Gloria in excelſis*, chorum Angelicum repræſentat, qui hunc hymnum tunc primitus canebat. Oratio in perſona paſtorum dicitur, qui petunt illa luce in cœlis perfrui, quæ claruit in terris. Duæ Lectiones leguntur, quia hæc à veteri & noua lege prædicantur. Ideo autem ſimiliter recitantur, quia vetus & nouum Teſtamentum concorditer concinnantur. In oratione Pater filij Natiuitatem commendat, quem ante Luciferum genuiſſe commemorat. E Pſal. 109. *Ante Luciferum* quippe ſcilicet, primum Archangelum eum pater genuit, quem ante Luciferum ſtellam videlicet media nocte mater peperit. Cuius Natiuitas ipſius nati voce in *alleluia*, *Dominus dixit ad me*, inſinuatur, quod in laudem eius ab Eccleſia iubilatur. Qualiter hæc Natiuitas contigerit, Euangelium depromit. Quòd *Credo in vnum Deum* ſequitur, ſignificat, quia Eccleſia in natum ſe credere fatetur, qui nobis in cibum datur.

CAPVT CV.

In manè Miſſa, *Lux fulgebit hodie.*

PEr Miſſam, quæ in exortu legis agitur, tempus legis intelligitur, in quo lux fidei per Scripturas mundo infunditur. Vnde ſub hac ſignificatione canitur, *Lux fulgebit hodie*, Iſai. 9. F in oratione Eccleſia precatur, vt quæ noua luce perfunditur, ſicut fide ita opere ſplendere mereatur. Duæ lectiones leguntur, quia Chriſtus pro duobus populis naſcitur. Graduale in perſona paſtorum cantatur, à quibus Chriſtus inuentus ſic adoratur, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit.* Pſal. 117. In alleluia, *Dominus regnauit*, laus illorum exprimitur, quæ mox per Euangelium refertur. In offertorio, eius diuinitas ab Eccleſia collaudatur, in communione eius incarnatio prædicatur.

CAPVT CVI.

Maior Miſſa, *Puer natus eſt nobis.*

PEr tertiam Miſſam, quæ ad horam tertiam in die celebratur, tertium tempus mundi, ſcilicet gratia denotatur, quo puer natus eſt per quem mundus creatus G eſt, Iſai. 9. quando *magnus conſilij Angelus* venit & diem æternitatis attulit. Quem in oratione genus humanum orat, vt ſe de iugo peccati eripiat. Duæ lectiones ex Propheta & Apoſtolo recitantur, quia per Prophetas & Apoſtolos hæc gratia prædicatur, & actiui & contemplatiui per hanc Natiuitatem ſaluantur. Graduale ex perſona prophetarum cantatur, in quo Iudæi & gentiles ad laudem Dei hortantur, quia Deus ſalutare, id eſt, filium ſuum Iudæis notum fecit, iuſtitiam ſuam, ſcilicet eundem filium gentibus reuelauit. *Alleluia*, ex perſona Apoſtolorum iubilatur, per quos Eccleſia de gentibus cum primitiua Eccleſia Chriſtum adorare exhortatur. Per melodiam verò Sequentiæ intelligitur iubilatio ipſius Eccleſiæ. In Euangelio ſublimitas diuinitatis eius narratur, quæ in offertorio ab omnibus ſic laudatur. *Tui ſunt cœli & terra*: Pſal. 88. In communione omnibus adhuc videnda repromittitur.

CAPVT CVII.

H *Quare Euangelium de Abel de ſancto Stephano legatur.*

EVangelium, in quo de Abel agitur, ideo de ſancto Stephano legitur, Matth. 23. quia ſicut Abel in veteri teſtamento Protomartyr fuit, Ita Stephanus in nouo Protomartyr extitit. Hoc enim Euangelium propter Natiuitatem Domini legitur, propter verbum, in quo dicitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

CAPVT CVIII.

Dominica Dum medium ſilentium.

DOminica *dum medium ſilentium* tripudium primitiuæ Eccleſiæ inſinuat, quo de Chriſti Natiuitate Sap. 18. exultat.

A

CAPVT CIX.

De Epiphania, Ecce aduenit.

OFficium *Ecce aduenit* ſub perſona Eccleſiæ de gentibus cantatur, quæ de Chriſti incarnatione lætatur. Quæ in oratione precatur, vt ad contemplandam ſpeciem Dei perducatur. Reliqua ſancto diei conueniunt, in quo gentes ad adorandum Dominum venerunt.

CAPVT CX.

Dominica In excelſo throno.

POſt baptiſma Chriſtus tres annos prædicaſſe narratur, de quibus tria officia Dominicalia inſtituta videntur. Poſt tentationem quippe Angeli acceſſerunt, &
B ei miniſtrauerunt. Vnde in Introitu, *In excelſo throno,*
Rom.12. cantatur, *Quem adorat multitudo Angelorum.* Epiſtola dicit, ſi ei per ſanctimoniam conformemur, membra eius efficiemur. Quem Eccleſia in graduali benedicit, qui ſolus mirabilia facit. In *alleluia* ei iubilat, de quo in Euan-
Luc.2. gelio legitur, quod parentibus ſui cauſa ſubditus erat. In offertorio, *Omnis terra ei* iubilare, & in lætitia admonetur ſeruire. In communione eius humanitas & diuinitas prædicatur, in qua à matre, vt homo increpatur, & Patris filius, vt Deus affirmatur.

CAPVT CXI.

De tertia Dominica, Omnis terra.

SEcundum officium de miraculis Chriſti inſtituitur, vnde & Euangelium, in quo ſigna inchoauit, legitur. Quod officium ſub perſona humani generis ca-
Pſal.65. nitur, quia omnis terra Chriſtum Deum adorare hor-
C tatur. In epiſtola gratiarum dona ſcribuntur, quæ per Chriſtum aguntur ſcilicet *Prophetia, doctrina, exhortatio dilectio*, & cætera. In Graduali Eccleſia Deo plaudit, qui verbum ſuum miſit, & eam de interitu ſanauit in
Ioan.2. alleluia & in offertorio ei iubilat. In Communione ſicut de aqua vinum, ſic de vino ſanguinem ſuum commutare cantat.

CAPVT CXII.

De Dominica quarta, Adorate Deum.

TErtium officium ſub perſona Angelorum cantatur, à quibus Chriſtus Deus adoratur, per quem illorum numerus reintegratur. In oratione fideles poſtulant,
Pſal.96. Rom.12. vt eos Deus dextera ſua protegat. In Epiſtola per prædicatores admonentur, ne malum pro malo reddant, bona coram Deo & hominibus prouideant. In Graduali Chriſtus laudatur, per quem gentes conuertuntur. In
D alleluia, Angeli ad laudandum inuitantur, quia gentes
Matth.8. per Chriſtum ſaluantur. In Euangelio leproſus & infirmus curantur, quia Iudaicus & gentilis populus per Chriſtum ſanantur. In Offertorio Eccleſia pro vtroque
Pſal.117 Luc.4. populo ei laudem canit, cuius dextera virtutem fecit. In Communione omnes de ſignis & verbis eius mirabantur, qui ad fidem conuertebantur.

CAPVT CXIII.

De eadem quarta Dominica.

Matth.8. IN quarta Dominica Euangelium recitatur, quo Chriſto in nauiculam aſcendente mare turbabatur, & ipſe dormiens à ſuis excitatur, quia videlicet in quarto anno poſt baptiſmum ſuum Chriſtus in crucem aſcendit, & ventus diabolus turbam Iudæorum commouit, & Chriſtus ſomno mortis obdormiuit, quem precatio ſuorum citius excitauit.

E

CAPVT CXIV.

De Officio ſanctorum Geruaſij & Prothaſij.

OFficia de ſanctis ſunt inſtituta, vt partim tempori, partim conueniant diei, ſicut de ſanctis Geruaſio & Prothaſio officium loquitur, Dominus pacem cantatur, quia illa die pax inter Romanos & Longobardos facta memoratur.

CAPVT CXV.

Quare Verſus in nocte ſancti Pauli ad Antiphonas dicantur, & de ſancto Laurentio ſimiliter.

NOcturnale officium de ſancto Paulo ideo verſibus antiphonarum inſignitur, quia ipſe plus omnibus laboraſſe Apoſtolis legitur. Similiter Verſus ad antiphonas de ſancto Laurentio cantantur, quia eius paſſio omnibus martyribus præfertur; ſic de cæteris notandum eſt. F

CAPVT CXVI.

De Officio Mortuorum.

IN officio mortuorum imitamur officia mortis, vel ſepulturæ Domini. Ideoque Inuitatorium non cantatur, & benedictiones ad lectiones non dantur, quia & ibi intermittuntur, & luctus vel triſtitia in hoc cantu aguntur. Pro mortuis autem ob duas cauſas campanas ſonamus, vt videlicet viuentes pro eis orent; & vt ſe etiam morituros cogitent, ſeque ad regna cœlorum ituros præparent, ad quod nos, qui ſine fine viuit, & regnat feliciter perducat, Amen. *Cur in funere ſonent Campanæ.*

CAPVT CXVII.

Excerptum de Romano ordine.

G

IAm de officiis quæ videbantur Chriſto opitulante explicuimus, nunc pauca de *Romano ordine* adiicere cenſuimus.

De Aduentu Domini.

Ab Aduentu Domini vſque ad Natiuitatem eius, *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis* non canitur, & *Ite Miſſa eſt* intermittitur, quod nunquam dicitur, niſi quando *Gloria in excelſis* canitur. Dalmaticæ quoque & ſubdiaconalia non portantur. Si infra Aduentum Domini feſtum ſancti Andreæ, vel ſancti Thomæ, vel Dedicatio Eccleſiæ occurrerit, prædictas glorificationes non omittimus. In feria ſexta de ſancta cruce, & in Dominicis diebus de ſancta Trinitate non cantatur. Ad laudes in Dominicis, Dominus regnauit, cum reliquis cantatur.

De hiſtoria Clama in fortitudine. H

Hiſtoria *Clama in fortitudine* non ad quatuor tempora, ſed ad proximam ſeptimanam natalis Domini pertinet, ſicut illa reſponſoria ad illam hebdomadam ante Paſcha pertinent. Vnde & ſingulis diebus laudes habent. In hac ſeptimana enim O cantatur, in quibus *Vem* ſcribitur, quæ ſeptem tantum reperiuntur.

De vigilia Domini.

Vigilia Domini, in qua feria occurrerit, illius feriale Pſalmum & canticum cum antiphona obtinebit; præcedens verò ſabbatum canticum, *Audite cœli* cum antiphona *expectetur* habebit. Si vigilia Domini in Dominicam euenerit, ſex reſponſoria de hiſtoria, *Canite tuba*, & tria de vigilia cum laudibus aſſumet, Miſſam de Vigilia, Horas de Dominica accipiet.

De Natiuitate Domini.

In Natiuitate Domini, *Te Deum laudamus*, poſt nonum reſponſorium ante Miſſam canitur. Ad Miſſam verò non *Ite Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus Domino* dicitur.

A *De Sancto Stephano.*

IN feſto ſancti Stephani ſecundam veſperam totam de ſancto Stephano canimus. Similiter de ſancto Ioanne in ſequenti die facimus. In natiuitate Innocentium. *Gloria in excelſis, & Te Deum laudamus, & alleluia, & Ite Miſſa eſt* non cantantur, Dalmaticæ non portantur, *Gloria Patri;* nunquam niſi in paſſione Domini omittitur. Si illorum feſtiuitas in Dominica occurrerit, nihil de his omittimus. In octaua quoque illorum omnia canimus, Si natalis Domini, vel alia ſequens feſtiuitas in Dominica euenerit. Officium *Dum medium ſilentium* poſt natiuitatem innocentium canimus, & in ſequenti Dominica idem repetimus. In viij. Domini, non *Puer natus eſt*, ſed *Vultum tuum* eſt cantandum, quia totum officium illa die de ſancta Maria agitur Vnde & *alleluia, Poſt partum* cantatur, & oratio, *Deus qui ſalutis æternæ*. Si vigilia Epiphaniæ in Dominica euenerit, Officium *dum medium ſilentium*, vt in priori Dominica pleniter
B obſeruatur. Si in alia die idem quoque officium, ſed cum lectione *Surge*, & Euangelio *Defuncto Herode* cantatur. In Epiphaniæ Inuitatorium non cantatur, ſed à Pſalmo *Afferte Domino* inchoatur, & antiphona, *Fluminis*, cum Pſalmo, *Deus noſter refugium* in tertio nocturno ſeruatur. Si Epiphania in Dominica euenerit, Dominica in octaua differtur, ſi autem Dominica infra octauam occurrerit, *In excelſo throno*, totum cantabitur. Quòd etiam ſi neceſſe fuerit, in ſequenti Dominica repetitur. Ad Dominicam autem infra octauam pſalmi Dominicales cum cantu de Epiphania recitandi ſunt. Priuatis quoque diebus infra viij. feriales nocturnæ cum antiphonis de Epiphania & reſponſoriis cantandæ ſunt. Matutinæ laudes etiam de feſto agendæ ſunt. Iuxta Romanum ordinem nunquam nocturnam ferialem dimittimus, cum tria reſponſoria dicimus, niſi in hebdomada Paſchæ, & Pentecoſtes. Omni anno *In excelſo throno* infra octauam Epiphaniæ cantabitur, etiam ſi plures ſeptimanæ ad Septuageſimam videantur. Porro
C ſi vna tantum hebdomada inter Epiphaniam & Septuageſimam occurrerit, duo officia in ſe coartabit. Poſt octauam Epiphaniæ Epiſtolæ Pauli leguntur, ſiue Dominica, ſiue feriales dies ſunt. Si duo feſta cum pleno officio in vnum diem conuenerint, de vno pleniter agatur, alterius mentio cum antiphona & oratione fiat, aut in alterum diem vt feſtum ſancti Pauli differatur; nullius ſancti mentionem poſt Miſſam facimus, de quo tria reſponſoria canimus. In feſto nouem lectionum cantatur, *Gloria in excelſis*, & *Te Deum laudamus*, & *Ite Miſſa eſt*, niſi infra Aduentum Domini & Septuageſimam. *Credo in vnum Deum* in omnibus Dominicis, & feſtis ſanctæ Mariæ & Apoſtolorum & ſanctæ Crucis, & Dedicationis, & omnium ſanctorum canitur. Quando *Gloria in excelſis* cantatur, ſemper Dalmaticæ & ſubdiaconalia portantur. Alexander Papa ſecundus conſtituit, vt *alleluia* ad veſperam dimittatur; & heptaticus cum reſponſoriis ad nocturnum incipiatur. Eadem vero hiſtoria in ſequenti repetatur, ab hinc vſque in Paſcha.
D *Gloria in excelſis*, & *Te Deum*, & *Ite Miſſa eſt*, & Dalmatica & ſubtile dimittuntur.

Die 2. Febr. *De Purificatione ſanctæ Mariæ.*

SI purificatio ſanctæ Mariæ infra Septuageſimam occurrerit, nihil de ea niſi *alleluia* mittamus. Similiter in Cathedra S. Petri & Annuntiatione ſanctæ Mariæ, *Gloria in excelſis*, ſecundum ordinem cantamus. Si autem Annuntiatio ſanctæ Mariæ in triduo ante Paſcha occurrat, in ſabbatho ante Palmas anticipetur.

De officio in capite Ieiunij.

IN capite ieiunij Miſſam ad nonam canimus; & mox Veſpera ſequitur, & omnia; vt in Quadrageſima facimus præfationem, *Qui corporali ieiunio* quotidiè tam Dominicis, quam aliis diebus vſque in paſſionem Domini dicimus. Sabbato officium, *Eſto mihi in Deum*, in proxima hebdomada quadrageſimæ quatuor tempora obſeruantur, & quarta feria ad priorem orationem E
Flectamus genua tantum, ad ſecundam vero *Dominus vobiſcum* non *flectamus genua* dicitur.

De Paſſione Domini.

A Dominica Paſſionis Domini vſque in Paſcha non dicitur *Gloria patri* ad reſponſorium, & ad introitum, & ad Pſalmum, *Venite exultemus*, ad quem & repetitio ſolet mutari, id eſt, vt ad primum verſum à medio ad ſecundum, à principio repetatur inuitatio. Similiter in hoc ſabbatho, *Iudica me Deus.*

De die Palmarum, & hebdomada tota.

IN die palmarum & ſecunda & quarta feria *Dominus vobiſcum* ante Paſſionem dicitur, ſed *gloria tibi Domine* non ſubiungitur. In hebdomada palmarum præfatio de ſancta Cruce dicitur. Si infra paſſionem Domini de ſanctis agimus, *Gloria patri* non omittimus. Feria ſecunda & tertia lectiones duæ continuatim, vt in Natiuitate Domini ad Miſſas leguntur: ſimiliter in ſab-
bato poſt mediam Quadrageſimam agitur. Feria quarta poſt Palmas duæ Lectiones leguntur, & ad vtramque *Flectamus genua* dicitur. F

De cœna Domini.

IN cœna Domini, & in paraſceue, & in Sabbato ſancto poſt *Benedictus Kyrie eleiſon*, & preces, & oratio ſecundum ordinem ſub ſilentio eſt dicendum. In cœna Domini *Gloria patri*, & *Gloria in excelſis* reticetur, niſi vbi chriſma conficitur. Dalmaticæ tamen portantur, in qua die ſub anathemate interdicitur, ne à quoquam Quadrageſimale ieiunium ſoluatur.

De Paraſceue.

IN paraſceue non ab oratione, ſed à Lectione eſt incipiendum. Ad paſſionem *Dominus vobiſcum* non dicitur; & tituli ad lectionem non pronuntiantur. Ad ſingulas orationes niſi pro Iudæis, *flectamus genua* di-
citur; & mox *leuate* ſubſequitur. G

De Sabbatho ſancto.

IN ſabbatho ſancto cereus magnus à diacono eſt benedicendus, & ante benedictionem eſt illuminandus; & in nocte Paſchæ populo diſtribuendus ad ſuffumigandum rebus eorum.

De lectionibus ante Baptiſmum.

ANte Baptiſmum duodecim lectiones ſecundum ordinem leguntur, ſed tituli non pronunciantur, poſt baptiſmum præſentant presbyteri miſſam celebrare qui volunt, ad Miſſam, Offertorium, & communio, & *agnus Dei* non cantantur, & *Ite Miſſa eſt* non dicitur.

De ſancto die.

IN Paſcha agnus non ad altare ſed ad menſam benedicitur, & *credo in vnum* quotidiè vſque in octauam canitur. Verſus, graduale, *Benedictus, qui venit*, in feria quinta, & *lapidem, quem reprobauerunt* propter paſſio-
nem Chriſti, in feria ſexta eſt cantandus, in ſabbatho H
infra octauam Paſchæ antiphona, *Cum eſſet ſero*, die illo ad veſperam cantatur, quia idem Euangelium olim vſque *Thomas vnus* eodem ſabbatho legebatur. Ad veſperas feriales Pſalmi dicuntur cum *alleluia*, & nocte Dominica nocturna, & nouem Lectiones, & ſic ſingulis diebus nocturna cum *alleluia* niſi feſtum occurrat nouem lectionum, dicimus, & ad laudes quotidie *Dominus regnauit* recitamus. Quod à pluribus ab hinc vſque poſt Pentecoſten tres Pſalmi pſalluntur, & tres lectiones leguntur, à Mogontiacenſi Concilio inſtitutum traditur, ſed à Romana Eccleſia non recipitur.

Quomodo inter Paſcha & Pentecoſten ſit cantandum.

A Paſcha vſque Pentecoſten. In feſto trium reſponſoriorum vnum tantum *alleluia* ad Miſſam cantamus. In feſto vero nouem lectionum, duo, vnum de re-

A ſurrectione canimus, & non primũ, aut aliud de feſto, ſed ſecundum repetimus. Præfationem Paſchalem quotidiè vſque in Aſcenſionem Domini dicimus. In vigilia Aſcenſionis Domini cantatur officium ad Miſſam *Vocem iocunditatis*, Nona de futuro feſto canitur.

De Vigilia Pentecoſtes

In vigilia Pentecoſtes quatuor Lectiones ante baptiſmum abſque titulis leguntur, ad Miſſam *Benedicamus*, non *ite Miſſa eſt* dicitur. In Pentecoſten quotidiè *Credo in vnum* canitur. In hac ſeptima æſtiuale ieiunium quatuor temporum celebratur, & *alleluia* pro graduali cantatur, & *flectamus genua* non dicitur. Ad Miſſam de ieiunio *Gloria in excelſis* non cantatur, quia Miſſa poſt ſextam celebratur, ſed *Gloria in excelſis* nunquam niſi ad tertiam ſecundùm ordinem cantatur, excepto in cœna Domini, & in ſabbato ſancto, & in Vigilia Pentecoſtes. Vnde quidam duas Miſſas cantant vnam de feſto, alteram de ieiunio. Illam de feſto cum *Gloria in excelſis*, & *Credo in vnum*, alteram indirectum. Ita ſolet fieri in feſto ſancti Thomæ in hyemali ieiunio, & in feſto ſancti Matthæi in autumnali, & Annuntiationis ſanctæ Mariæ, in Quadrageſima videlicet, vt prior Miſſa feſto, ſecunda ſatisfaciat ieiunio. B

De Octaua Pentecoſtes.

In octaua Pentecoſtes nouem Lectiones leguntur, & totidem reſponſoria *de Spiritu ſancto* canuntur. In craſtino die libros Regum ad nocturnam legimus & canimus, & ad Miſſam officium *Domine in tua* quod in ſequenti Dominica, ſi neceſſe eſt, repetimus. Quidam in hac hebdomada officium de ſancta Trinitate canunt, quod Romani non recipiunt. *Albinus* namque magiſter Caroli rogatu Bonifacij Archiepiſcopi inſtituit Miſſam *de ſancta Trinitate* in Dominica die, Feria ſecunda *de ſapientia*, Feria tertia *de Spiritu ſancto*, Feria quarta *de charitate*, Feria quinta *de angelis*, Feria ſexta *de ſancta Cruce* Sabbato *de ſancta Maria*.

Albinus Caroli M. Magiſter

C

De quatuor temporibus.

In tertia hebdomada Septembris, & in quarta Decembris erit celebratio quatuor temporum, & ad omnes orationes in ſabbatho *Flectamus genua* dicitur, niſi vbi lectio Danielis legitur. Feria quarta ad priorem orationem tantum *flectamus genua* ſine ſalutatione: ad ſecundum ſalutatio ſine genuflexione dicitur.

CAPVT CXVIII.

Quomodo ſit legendum per annum.

HI libri ſunt authentici, & hi ſunt in diuinis officiis legendi. In Septuageſima vſque in paſſionem legatur Pentateucus, quem ſcripſit Moyſes, & liber *Ioſue*, quem ipſemet ſcripſit, & liber Iudicum, & Ruth, quos Gedeon, & Samuel ſcripſiſſe dicuntur. D Dominica paſſionis Domini vſque in cœnam eius legatur *Hieremias* Propheta, quem ipſe ſcripſit. Tribus diebus ante Paſcha legantur Lamentationes eiuſdem. Ab viij. Paſchæ per tres hebdomadas legatur Apocalypſis, quam ſcripſit Ioannes Apoſtolus. Deinde per duas ſeptimanas legantur Canonicæ epiſtolæ, quas ſcripſerunt *Iacobus*, *Petrus*, *Ioannes*, *&* *Iudas* Apoſtoli: Ab Aſcenſione Domini vſque ad Pentecoſten legantur Actus Apoſtolorum, quos ſcripſit Lucas Euangeliſta. Ab viij. Pentecoſt. vſque in Kalend. Auguſti legantur libri Regum, quorum primum ſcripſit Samuel, ſecundum Nathan, tertium & quartum Hieremias. Et duo libri Paralipomenon, quos ſapientes Synagogæ ſcripſerunt. A Kalend. Auguſt. vſque in Septembri legantur *Parabolæ* Salomonis, & *Eccleſiaſtes*, & *Cantica Canticorum*, & liber *Sapientiæ*, quos omnes Salomon ſcripſit, & Eccleſiaſticus quem Ieſus filius Sirach compoſuit, à Kalend. Septembris per duas ſeptimanas legatur liber *Iob*, quem ipſemet ſcripſit. Deinde per vnam ſeptimanam liber *Tobiæ*, quem ipſe ſcripſit. Deinde per vnam hebdomadam legatur liber *Iudith*, quem ipſa vel Achior ſcripſit. Deinde per vnam legatur liber *Heſter*, quem Mardochæus compoſuit, ſed potius ab Eſdra ſcriptus creditur, & ipſius *Eſdræ* liber recitetur, quem ipſemet edidiſſe non ignoratur. A Kalend. Octobris vſque Kalend. Nouembris legantur *libri Machabæorum*, quorum priorem Simon pontifex, vltimam partem eius, Ioannes eius filius ſcripſiſſe traditur, poſteriorem Philo Iudæus à Græcis eruditus edidiſſe cognoſcitur. A Kalend. Nouembris vſvſque in Kalend. Decembris legatur Ezechiel, Daniel, & duodecim minores prophetæ, qui à ſenioribus Synagogæ ſcripti dicuntur, ſed meliùs ab ipſis editi creduntur. Ab Aduentu Domini vſque in Natiuitatem Domini Iſaias legatur, quem ipſe ſcripſiſſe non dubitatur. Poſt viij. Epiphaniæ legantur Epiſtolæ Pauli Apoſtoli vſque in Septuageſimam, has ipſe omnes ſcripſit, ſed Lucas Euangeliſta ad Hebræos Hebraicè compoſitas in Græcum tranſtulit.

Liber Sapientiæ atque Salomonis

E

Quis Heſter ſcripſerit.

Machabæorum libri.

Epiſtolæ Pauli ad Hebræos.

F

Sed iam tempus eſt nos calamum deponere, & aliquantulum vires forſitàn ad aliud interim reſumere. Vos autem fratres Deo dilecti, quorum iuſſu hoc onus ſubiui, quorumque oramine nunc depoſui, quæſo, vt veſtræ deuotæ preces apud Deum obtineant, quatenus hoc tantillo iacto ſemine vberes ſegetes Chriſto incrementum dante ſurgant, & omnes in eo laborantes copioſum fructum in gaudio metant.

HONORII AVGVSTOdunenſis Presbyteri

Ineuitabile, ſiue de Prædeſtinatione & libero Arbitrio,

DIALOGVS.

G

Erutus nunc primum è Cœnobij S. Mariæ in Tongerlo Ordinis Præmonſtratenſis Bibliotheca,

Opera V. P. IOANNIS CONEN. S. Theol. Licentiati ibidem Prioris.

Summæ Veritati Sacrum.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVI primo hunc Dialogum conſcripſit, HONORIVS, *legitur in principiis librorum tria requiſiuiſſe: Authorem materiam, & Intentionem. Authorem quidem, vt nouerit qui eum lecturus eſt, nomen Scriptoris: vtrum ethnicus, an fidelis, vtrum Catholicus an hæreticus fuerit.*

Itaque, beneuole Lector, dum ego INEVITABILE *iſtud Authori ſuo adſertum eo; primum tibi breuiter oſtendam, quis ille, qualiſue fuerit. Tu reliqua ſi legas, intelliges.*

Ioannes Trithemius Abbas, & illo recentiores, quos licuit videre pauca quidem, ſed magna, in laudem ipſius, memoriæ prodiderunt: ea compendio referre conabor.

Anno circiter milleſimo octogeſimo ſeptimo, a tranſitu Chriſti Seruatoris ex hoc mundo ad Patrem, Paſchali Pontifice Max. atque Henrico Iuniore (vt eſt in vita Sanctiſſimi P. noſtri Norberti) vel, vt computauit Illuſtriſſ. Card. Baronius, quarto, vel, vt alij, quinto eius nominis Cæſare Auguſto; in Ducatu Burgundiæ, Honorius quidam Presbyter, gloria & honore, iure coronandus, in Clero, velut ſidus in cœlo, reſplenduit.

Erat enim in Scripturis ſtudioſiſſimus, & valde eruditus in ſecularibus ſcientiis nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio: & ideo Auguſtoduni (nota ibi ciuitate vernacule Autun) antiantiw metropoli & Æduorum

Honorius prologo Comment. in Cantica Cantic.

H

Lib. de Scrip. Eccl.

Apud Surium Tom. 3. die 6. Iuny. Trithem ſupra. Trithem ſupra. Trithem. ſupra. Prolog.

ſeue,

A

Commẽ. io Cantica Gem. ani lib. 1. c. 11. & Roder. lib. 2. Speculi cap. 17. Vide tit. lib. 1. de Imagine mundi in fine operum D. Anſel. & Elogia Honorij in magna Biblioth. Patrum

ſede, aſſumptus in Scholaſticum, verum Doctorem ſiue Eccleſiæ Illuminatorem ſe geſſit. Id eſt (vt illorum ipſe dignitatem munuſque deſcripſit) verbo & exemplo, velut ſtellæ in perpetuas æternitates fidelibus doctrinæ lumen infudit; quoadvſque ipſi Dominum moribus inuocare inciperent, & Chriſtum veram lucem, omnem animam illuminare cognoſcerent. More ſcilicet Maiorum, Diui P. Auguſtini, inquam, & aliorum veterum Patrum exemplo ſcribendo libros, & docendo indoctos. Quæ in re ita Diuum Anſelmum expreſſit, vt libri eius de imagine mũdi *illius dicti fuerint.*

Renuntiauit autem functionibus iſtis publicis, & oportune in ſolitudinem, eremum, ſiue monaſterium ſe recepit: vt, quod aliquando Apoſtolis, Magiſtro ſuo renuntiantibus, quæ ipſo mittente egerant & docuerant, dictũ eſſe legerat: vt venirent ſeorſum in deſertum locum, & requieſcerẽt puſillum, obſeruaret, & qui aliis docendis hactenus ſe impenderat, reliquo vitæ tẽpore ſoli Deo viueret, & ſpiritualis homo fieret. Hinc namque a nonnullis Scholaſticus & Solitarius, *ab aliis* Incluſus, *aliquãdo etiam* Anachoreta *nuncupatus inuenitur.*

B

Tom. 11. pag. 925. Marc. 6. 3. In Epiſt. Chriſtiani ad ipſum. Apud D Aniel ſupra. Titulus Comm in Cant. eſt talis in M. S. Tõgerlij Trithe. ſupra. Vide Biblioth. Patrum

Scripſit tam hic quam ibi, multa præclara opuſcula, de quibus ipſe per ſe, in libro illuſtrium Virorum, quem prænotauit: De Luminaribus Eccleſiæ, *recenſuit Ineuitabile, ſiue* Dialogum de libero Arbitrio: *in Elogiis eius hactenus typis non expreſſum.*

Quingenti igitur plus minus anni ſunt, quod eius hoc opus (vt apparet) latuit; nunc vero ex Bibliotheca noſtra iuxta M. S. inibi ſeruatum, noſtra opera prodit in publicum occaſione cuiuſdam Dialogi de Prædeſtinatione & libero Arbitrio *ſub nomine ipſius, ab annis ſeptuaginta, per* Georgium Caſſandrum. *Coloniæ anno videlicet 1552. typis Lamberti Siluij excuſi.*

Præfert autem nomen Ineuitabile, *quia hoc ab authore illi datum, cui, vt integrum reſtitueretur, de multorum iuxta ac grauium virorum conſilio, nulla in parte contextus à me eſt mutatum vel auctum, ſed tantum in manifeſtis orthographiæ mendis, ſuis interpunctis & inciſionibus quantum neceſſe fuit, diſtinctum & emendatum, notiſque ad marginem aliquatenus adornatum.*

C

ſupra. In fine huius lib.

Non eſt igitur, quod ſuſpicetur quiſpiam me ad alicuius opinionem aliquid hic variaſſe vel alíorſum torſiſſe quam ſcriptum fuit; aut quidpiam velut araneum, ex me in eo conjunxiſſe. Securum te reddo certumque, præter laborem deſcribendi ex fide, de meo, toto nihil eſſe libello.

Me vero mordet, quod ſicut in partibus iſtis noſtris vix habemus vinum niſi dilutum: ita quorundam veterum ſcripta, non niſi mutata dicam an deprauata? recipimus. Quis enim neſcit vnus Eraſmus, *quantam ſuis ſcoriis, ſcholiis inquam, plurima etiam SS. Patrũ monumenta fœdarit?*

Vide Indulg. lib. prohibitorum, author. Pij 4. primum editum: D poſtea à Sixto 5. auctum, & demũ iuſſu Clem. 8. recognitum & publicatum ad nomen. Caſſiãder Pet. Mõtanus in deſcript. ad Tabulas Geograph. Kecitit. Iac. Marchãt. aſſignat annum 1126.

Quanto id procliuius eſt de Caſſandro *ſentire, quem irrefragabilis Sanctiſſimæ Romanæ Sedis cenſura, ad primam Interdictorum Scriptorum claſſem, condemnauit? quod an temere factum; nemo niſi temerarius quærat. Nihilominus (ſi placet) auſculta; vnde non minus certo quis fuerit, eum, quam ex vnguibus leonem, cognoſcas, & impoſtorem fuiſſe non neges.*

Caſſander *patronymicum eſt, ſicut Taxander ſiue Teſſander, & decem alia a patrio ſolo ſimilia deducta nomina.* Georgius *igitur* Caſſander *à Pago* Cadſand, *ſiue* Catſant, *aut euphoniæ cauſa* Caſſant (*vnde Inſula Sluſam inter & Germanicum mare ſita,* Caſſandria *dicta eſt*) *tanquam a loco natiuitatis ſuæ nomen accepit.*

Cui magnificando, habitationi locum, patria celebriorem Brugarum *vrbem oportunam inueniſſe videtur. Vrbem inquam, in qua, circa tempus quo* Ineuitabilis *huius Author* Honorius *omnibus ineuitabilem ſubiit mortem,* Carolus *cognomento bonus, Marchio Flandriæ, (alij primum eius nominis & pium comitemque dixerunt) non minori gloria inter Flandros, quam parens eius Canutus Rex Ottoniæ inter ſuos Danos, Martyr occubuit, & exuuias ſui corporis ad Sancti Donatiani, in ſacrarum veſtium Apodyterio reliquit.*

Hic Caſſander in VVittorum domo erudite verſatus, ærarij publici ſalario cum Græcas tum Latinas docendo literas, & ſcribendo quæ a Geſnero & Marchantio referuntur, id conſecutus eſt, vt Romæ ab vniuerſalis Eccleſiæ Principibus, Brugenſis eſſe crederetur; verum ibi, inter Clenos & Alemanos in fide corruptus, diu ſubſiſtere non potuit, ſed abſceſſit, & poſtea Coloniæ multo tempore fortaſſe viginti ann. vixit.

E

menſ. Mar. die 2 Ioan. Molæ lib. 1. de Canon. cap. 3. Marchãt. ſupra. Moland. ſupra. Indice lib. prohibit. Lib. de Canon. 1. cap. 3.

Ibi diuerſos euulgauit libros, & inter alios, ſupradictum Dialogum, *quibus acceſſit* Religionis conſultatio, *poſt obitum eius anno 1577. Coloniæ impreſſa: quam doctiſſimus ille Molanus citat; illumque perſtringendo oſtendit, exceſſiſſe modum Chriſtianæ modeſtiæ. Qui dum extra Dei Eccleſiam eſſet, ſcripſit manere tantum veſtigia communis ac canonicæ vitæ, in ædificiis ac nominibus. Addidit deinde: Regulæ deſertores monſtroſo nomine dictos eſſe* Canonicos ſæculares, *hoc eſt,* Regulares Irregulares. *Qua re haud iniuria Albertum Crantzium* Canonicum ſæcularem, *vocare* Monſtrum ſine exemplo, Regularem ſine regula, Canonicum ſine canone.

Audin, amice Lector, viri nomen, conſtantiam, zelum ſpiritum? Qui non vocatus, ad conſilium venire de capeſſenda Religione ſententiam dicere; Canonicorum collegia, imo clerum totum, Eccleſiam ipſam Romanam, adeoque ſupremam & Catholicam, iudicare & reformare præſumpſit: putaſne pepercit Scholaſtico *Honorio, & hunc eius fœtum lingua ſua illa maledica lambendo non reformauit?*

F

Sed videor audire qui obſtrepit: vocatum aliquando eum fuiſſe in conſilium, & quidem vt formam Religionis cuderet. Fateor: ſed a quibus, qua poteſtate, & quando?

Hiſt. ſui temporis ad ann. 1564.

Michaël ab Iſſelt Amorfortius, receptiſſimus Hiſtoricus, author eſt: quod cum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto ambitioſè quidam rebus nouis ſtudentes totam pæne Reipublicæ Belgicæ imperiique formam mutari poſtularent, & deſuper Tribunalium deliberationes confundi cœpiſſent, plura in dies nouarum rerum conſilia proponebantur. Concilium Tridentinum iactabant ſine Regis, ſine certa Priuilegiorum iniuria, ſine Reipublicæ magno periculo promulgari non poſſe. Præpoſito S. Donatiani Brugis, cæteriſque in vniuerſum Clericis, omnem quæ diceretur profanam Iuriſdictionem auferri debere. Confiſcationes regias vel tolli vel minui oportere.

G

Interea Ludouicus Naſſouius Guilielmi Auraici Principis frater, qui iis temporibus Bruxellis erat, licet peregrinus, & nullam in Republica adminiſtrationem haberet: formam tamen Religionis, quam Belgæ profitentur, meditabatur, euocatis ad hoc conſiliũ Georgio Caſſandro, & aliis, qui neque Inquiſitorum Theologorumque acrimoniam, neque Caluiniſtarum nimium vehementes animos pati ſe poſſe profiterentur. Sed non ſucceſſit illud negotium: moderatoreſque illico vnde venerant, reuerſi ſunt. Hactenus Iſſelt.

Vnde, quæſo, quid eſt conſequens? niſi Caſſandrum abiiſſe aliquando in concilium impiorum & in via peccatorum ſtetiſſe, & in cathedra peſtilentiæ moderatorẽ ſediſſe, vt nouam formam Religionis cuderet? imo, vt cum B. Gregorio loquar, ſe Diaboli malleatorem effectum oſtenderet: aut ſi manis (prout hoc in libello loquitur Honorius) infernalis fabri malleum, ad tundendam Eccleſiam & formandam Religionem (hæreſim dicendum eſſet,) aptum ſe exhiberet?

In c. 41. Iob c. 10. Infra in hoc Dialogo.

H

Quæ cum ita ſint, exiſtimabis, benigne Lector, intuliſſe Caſſandrum ſibi eam vim, vt in maxima oportunitate, quæ cuiuis libellum hunc inſpicienti obuia eſt, opus Honorij Presbyteri *ad incudem non reuocaret, limaret, & ſuum efficeret? ſpecioſoque, ſed ementito nomine (quod talium hominum eſt proprium) fraudulenter non extruderet?*

Mihi non videtur, ſed verius (pace tua dicam, Georgi, & certè tua dicam, ſi per pœnitentiam, vnde excidiſti,) vt quidam opinantur (rediſti,) exiſtimo quod cum dormirent homines, inimicus homo, per vulpem, mortuam ſimulantem, animarum egit prædam.

Molan: ſupra fol. 84.

Sed heus tu, bone vir, iterum te compello, Georgi, qui aliquando cum vulpe non niſi vulpinari didiciſti. Audi veritatem & fatere: quem propter diuturnum ſilentium aut ſomnum, mortuum putaſti, ideoque ad decipiendum induiſti, non eſt mortuus, ſed dormit: & ſi vis dicam, viuit. Exiſtimaſti Ineuitabile antiquiſſimi doctiſſimi, & optimi, ideoque non paruæ in Eccleſia authoritatis Viri Honorij Auguſtodunenſis Presbyteri, *propter quatuor amplius ſæculorum ſilentium, mortuum, & æternum fore ſepultum, ſi duo*

A *illius exemplaria Brunvvilerenſe, & alterum S. Pantaleonis, iſtud carioſum, hoc mendoſum, vno (vt propriis tuis verbis memoriam tibi refricem) iſtud hiatus aliquos habens, quos ab hoc acephalo & negligentius & impolitius ſcripto, nonnullis in locis oportuit ſuppleri, deprauando corrumperes & è medio tolleres, ſicque ſub ſpecie diu demortui falleres. Sed Dei benignitate procuratum fuit, vt tertium eſſet exemplar ſanum omnino hoc, quod non niſi à ſanis in fide probaretur: Caſtum omnino hoc & genuinum, non adulterinum, quod non niſi verus S. Matris Eccleſiæ filius adlubenti ſinu exciperet: doctum omnino hoc, & admiranda verborum gratia ac ſuauitate conditum, quod humilibus & beneuolis, non niſi vitæ odorem in vitam inſpergeret, quodq; de induſtria, ſtudioſe, diligenter & accurate, à maioribus noſtris, ſiue in Religione præceſſoribus conſcriptum, & in tempus opportunum ſeruatum videretur, vt Authorem ſuum quandoque ad viuum (vt aiunt) repræſentaret, redimiuum ſiſteret, & te impoſtorem quidem fuiſſe conuinceret, ſed emendatum, à grauiori pœna, quam forte diutius fallendo meritus eſſes, eximeret ac liberaret.*

In Epiſt. ded. d. cantica huic dialogo præmiſſa.

B *Quis enim non vt vappam exſpuat tua hæc, Caſſander, verba:* Quemadmodum ignis neceſſario calet, glacies friget; ſic neceſſario omnes ad regnum Dei prædeſtinati, ſalui fient. *Et illa:* Qui merguntur in ſtagnum ſulphuris & ignis, magis ſecundum Dei iudicia quam propria merita illuc retruduntur. *Quam fœtet hæc vappa? vere odor eius odor eſt mortis: quem qui ſic concepit vt eo imbutus in finem perſeueret, illi vtique in mortem æternam eſt. Ita olet: Regnum Dei non ſecundum gratiam dari, pro vt Dialogus iſte Caſſandrinus videtur aſſerere. Vbi n.* Honorius *per diſcipulum quærendo propoſuerat:* Si Deus in nobis operatur, &c. quæ merces homini imputatur? *hoc ille per Magiſtrum reſpondendo affirmat hoc modo:* Quid meretur homo niſi malum? vel pro quo merito exſpectat quis a Deo præmium? Quidquid electi boni operantur, Deus in eis operatur, *& quæ ibi ſequuntur. Qualia plura ſparſim toto libro videre eſt ad plures paginas extenſa, quorum in hoc exemplari non eſt inuenire veſtigium, ſicut è contra doctrina hic tradita, toto libelli eius ſpacio, vix eſt oſtendere tres quatuorve periodos integras & conformes.*

C *Suaſerim itaque concludendo contra Dialogum à Caſſandro typis commiſſum, vt eo repudiato, hunc qui ſecundum ſanam doctrinam eſt, & fideliter ex M. S. Tongerloenſi tranſlatus, tanquam verum & genuinum* Ineuitabile ab Honorio Presbytero *Auguſtodunenſi conſcriptum, amplecteteris, eique inter veterum tuorum Scriptorum monumenta non infimum locum tribueres.*

Qua in re mouere te non debet, quod ex D. Auguſtino quæri ſolet: Quid opus eſt *vt eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione verſari. Nam & ipſe Sanctiſſimus Pater Auguſtinus ſuam* de electione Dei *doctrinam ex ſimilibus probare non dubitauit.*

De Præd. SS. c. 14. Cap. citato & prolixius de bono perſeu. cap. 19

Et certe nemo catholicus, venerandam talium Patrum antiquitatem, niſi in confuſionem ſuam, vnquam ſpreuit, non æſtimauit, non honorauit. Et tu quamcunque tandem Orthodoxorum ſententiam ſequaris, D. Ambroſiũ (ſi eius modo eſt Commentarius) honorifice complecteris, vbi ſic loquitur, Hi ſecundum propoſitum vocantur, quos credentes præſciuit Deus futuros ſibi idoneos, &c. *Item:* Quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit, &c. *Et alibi: Apoſtolum Paulum perſequentem* elegit, præſcius vtique quod futurus eſſet bonus, *&c. Et alios, vt Hieronymum, Chryſoſtomum, Epiphanium, Cyrillum, Hilarium, eodem vel ſimili modo loquutos, vel ſequendo tenes, aut præcurrendo defendis, explicas, excuſas, veneraris, non reiicis, non damnas.*

Ambroſ. in cap. 8. Epiſt. ad Rom. verſ. Secundum D ſalui. In cap. 9

Idem ego te, Lector, moneo vt præſtes Honorio *doctiſſimo & per totam Eccleſiam laudatiſſimo viro Chriſtianæ hoc humanitatis officium. Neque enim iudices, antequam legas, & intelligas. Et ſi quid eius aliquo in loco tibi non ſatisfacit, iterumque legas, & totum legas, quia quod forte vno in loco ex parte tantum & ex occaſione dictum, tuum animum non oblectabit, hoc alibi integre & ex intentione clariuſque traditum eum ſatiabit.*

E

V. D. PRIORI SVO Honorij Vindici F. VVillebrordus Boſſcharts Canon. Tongerl.

Caſſander vitam clari producere Honori
Dum iactas, perimit: proh male fida manus!
Hæreticis genius; blanda ſub imagine vitæ,
Conijcere in barathrum; mille nocere modis.
Aſt tu mortiferam cladem miſeratus Honori
Conen *Apollinea doctus ab arte magis:*
Læſum contrectas, reficis tu vulnera, priſca
Vita reſtituens: ô bene fida manus!
Poſt cladem, longum das viuere, & ille viciſſim
Extendet nomen poſteritate tuum.
Poſt tenebras lucem præbes, famamque decuſque
Hinc lux naſcetur, fama, decuſque Tibi.
Amborum virtus duplici cumulata decore eſt:
Alter ab alterius lumine lumen habet.
Ornatum gemma ſplendeſcit ſic magis aurum:
Sic magis in auro gemma repoſita micat.

F

HONORII AVGVSTOdunenſis Eccleſiæ Presbyteri INEVITABILE SIVE *De Prædeſtinatione & libero Arbitrio inter Magiſtrum & Diſcipulum;* DIALOGVS.

Ex fide manuſcripti Cod. nunc primum editus.

Diſcipulus.

G FRATRES in domo Dei ambulantes cum conſenſu, ſunt pro tua ſalute orationi inſtantes: diligentiæ quidem tuæ, orationes; Clauí autem Dauid Chriſto, gratiarum ſoluunt actiones: qui ob Genitricis ſuæ merita, tot eis in Canticis, de ea per te reſerauit myſteria. Ob hanc cauſam, & ob alia quæ multis incognita, elucidans in laudem eius, debitores feciſti.

Pſ. 54. 15. Apoc. 3. 7 *Cimn. intellige authoris in Cantica Canticorum: præcipue autem B. Mar. Virg. Deipara Sigillum.*

Illorum ergo nunc fungor legatione, & ipſi ſumma depoſcunt deuotione, vt ſoluas eis nodum liberi arbitrij inextricabilem: *Si ſoli Prædeſtinati (vt quidam aiunt) quidquid etiam fecerint, ſaluantur: liberum Arbitrium penitus tolli æſtimatur, & hi qui damnantur, non ſolum iam ſine culpa, ſed etiam iniuſte puniri putantur.*

Vnde rogo te, de hac re latius diſſerere; nec minimum ſcrupulum alicui hebeti vel cœco vltra relinquere.

Magiſter.

H Cum ſummi doctores de hac materia multa ediderunt opuſcula, quid à me amplius poſcitis qui ad comparationem illorum ſum elinguis?

Diſcipulus.

Illi quidem egregie diſputauerunt: ſed diuerſa (vt nobis videtur) ſentientes, incertiores non reddiderunt. Tu autem (vt verum fatear) facis nobis breuiter quodammodo palpabile, quod ipſi longis tractatibus non fecerunt ſaltem conſpicabile.

Magiſter.

Quod petis, non denego; quia non mea, ſed quæ ſunt charitatis quæro. Phaleras verborum contemno; dum fratrum ſimplicitati conſulo: liuidos quoque dentes inuidorum deſpicio: quia *auxilium meum à Domino.* Pſ. 120. 1

A

Diſcipulus.

1. Cor. 11. 19. *libenter ſuffertis inſipientes.* Quæſo vt me vere inſipientem ſufferas; & ignorantiam per me ſciſcitantium, verbo veritatis corrigas.

Magiſter.

Veritas ſe quærentes de tenebris erroris liberabit, & luce ſuæ claritatis illuſtrabit. Si enim inſipientem te facit cauſa charitatis, occurret tibi ſapientia cum lumine veritatis.

Diſcipulus.

Tres nodi nexu nimis perplexo ſe inuicem complicant; quos vix aliquis tranſit, quin eis inhæreat.

Vnus, quo aſſeritur: *quod ſoli Prædeſtinati ſaluantur.*

Alter, quo aſtruitur: *quod per ſolam gratiam homines ſalutem conſequantur.*

B Tertius, quo dicitur: *quod ſolum liberum Arbitrium ſalutem operetur.*

In primis itaque ſeca nodum Prædeſtinationis; qui quadam violentia, cardinem obligat totius quæſtionis. Putant enim quidam, quod Prædeſtinatio ad electos

Rom. 8. 30. ſolos pertineat, cum Apoſtolus dicat: *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, magnificauit.*

Vnde primitus obſecro, vt dicas, quid ſit *Prædeſtinatio.*

Magiſter.

Nihil aliud eſt Prædeſtinatio, quam pro meritis cuiuſque, vel ad gloriam, vel ad pœnam, æterna Dei præparatio.

Eſt autem gemina Prædeſtinatio; vna, bonorum ad gloriam: altera malorum ad pœnam.

Sed quia quidam etiam de *Prouidentia & Præſcientia* muſſitant; quaſi hæ neceſſitatem omnibus inferant: ſciendum eſt, quod nec Prouidentia aliquem compellit ad boni ſtudium; nec Prædeſtinatio vllum violenter trahit ad vitæ præmium. Similiter Præſcientia neminem

C cogit ad peccatum; & Prædeſtinatio nullum impellit neceſſitate ad ſupplicium.

Porro qui præuiſi ſunt in bonis permanſuri, ad gloriam ſunt prædeſtinati: qui vero præſciti in malo vitam finituri, ad pœnam ſunt vtique præordinati.

Ergo quos Deus præſciuit in Filium ſuum credituros, & mandata eius voluntarie ſeruaturos, hos ante ſæcula prædeſtinauit: hos ſuo tempore ad fidem vocauit: hos per Baptiſma iuſtificauit: hos virtutibus magnificauit: hos vaſa miſericordiæ glorificauit. Quos autem minime facturos præſciuit, hos à regno gloriæ reprobauit, & vaſa iræ & contumeliæ, apta ad pœnam prædeſtinauit.

Diſcipulus.

Cum ſcriptum ſit: *Pater dilexiſti eos ante mundi conſtitutionem*; videntur neceſſitate ſaluari, qui ante mundi

D exordium ſunt dilecti.

Magiſter.

Deo nihil eſt futurum: ſed omnia ſunt ei præſentia, quæ iam ſunt, & quæ futura ſunt. Omnes ergo futuri ſemper in Dei præſentia fuerunt, & ideo ante mundi conſtitutionem ſunt dilecti: ſed ſuo tempore pro meritis ad gloriam electi.

Quos ergo Deus ante mundi conſtitutionem prædeſtinando elegit, hos non neceſſitas, ſed proprium meritum ad gloriam traxit. Quibus ipſe in fine mundi dicturus erit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Matth. 25. 34.

Matt. 25. 35. & 36. Et quod hoc regnum pro meritis eis detur, diuina vox oſtendit, quæ mox eorum bona replicando exequitur.

Diſcipulus.

Remoto ergo repagulo Prædeſtinationis, eia iam ingredere ſiluam exſpectatæ diſputationis. E

Vt quid ſit *liberum Arbitrium.*

Et quomodo ei non repugnet *Prædeſtinatio* vel *Præſcientia.*

Et qualiter concordet *Gratiæ*, reſera, & quæcumque hinc inde capita ſurgentia enſe rationis reſeca.

Magiſter.

Dic tu mihi, quid ſit *liberum Arbitrium*, & quid arbitreris.

Diſcipulus.

Mihi videtur, *liberum Arbitrium* dici libertas bonum vel malum eligendi.

Magiſter.

Hæc definitio licet pleriſque placeat, vereor ne perſpicax ratio eam abnuat.

Electio namque non niſi de duabus vel pluribus rebus dicitur; vbi optio eligendi de multis proponitur. F

Angelo autem vel homini, quibus ſolis datum eſt liberum Arbitrium, non niſi ſola iuſtitia proponebatur: qua ſeruata, æterna beatitudine fruerentur. Igitur definitio non videtur conueniens libero Arbitrio.

Diſcipulus.

Quid ſi dicatur: quod mors & vita homini propoſita ſint; & ipſe mortem elegerit? Eccl. 15. 18.

Magiſter.

Non hoc eſt verum: non enim mortem elegit, ſed deceptus altiorem ſcientiam concupiuit.

Diſcipulus.

Quid ſi dicatur: quod bonum à Deo proponatur; malum autem à diabolo ſuadeatur, & in libero Arbitrio hominis ſit, quid eligere velit?

Magiſter.

De homine hoc vtrumque dici; de Angelo non poteſt, quum nemo fuerit, qui ei aliquid mali perſuaſerit. G Porro inter bonum & malum nihil eſt medium. Sed ſi homo in aliquo medio conſtitutus videretur: tunc forſitan recte, libertas bonum vel malum eligendi ei ineſſe diceretur. Sed cum in bono tantum ſit conſtitutus, & nihil aliud ſit *mali electio*, quam quædam animi in bono defectio, cum videlicet deſerit iuſtitiam, quam ſeruare debuit, & ad iniuſtitiam declinat, quam deuitandam non ignorat.

Diſcipulus.

Sed quæ ſit eius definitio magnopere exſpecto.

Magiſter.

Arbitrium eſt propriæ voluntatis iudicium quid velit, quidue nolit. Hoc *liberum* dicitur: quia non eſt neceſſarium, ſed quibus ineſt ratio, ineſt etiam volendi nolendique libertas. *Eodem modo loquitur D. Anſel. lib. de concor. Præſc. &*

H Et quia liberum arbitrium pro ſola iuſtitia ſeruanda (in qua ſalus animæ conſiſtit) datur, eius definitio ſic congrua æſtimatur. *Prædeſt. circa fin. c. 1. f. 154. col. 2.*

Libertas arbitrij eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem. Recta quippe voluntas eſt, velle quod vult Deus. Deus autem vult, vt rationalis creatura ei non coacte, ſed ſponte ſubdita ſit, vt ei bene ſit; quando & hoc ipſa vult, tunc voluntas eius recta eſt. *Eod. modo loquitur de gratia & lib. arb. f. 226 col. 1. vel ſecundum r. centiorem editionem ſol. 1580.*

Ad hanc rectitudinem ſeruandam eſt libera, nulla neceſſitate conſtricta: rectitudo autem voluntatis eſt *iuſtitia.* Si ergo iuſtitiam non propter aliud quam propter ipſam iuſtitiam diligit Deum (qui eſt iuſtitia, & ſumma beatitudo) præmium habebit. Igitur conuenientiſſima *definitio liberi arbitrij* eſt: poteſtas ſeruandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem, per quam iure poſſidet æternam beatitudinem. *Vid. D. Anſelm. ſupra in diuerſ. capitibus.*

A

Diſcipulus.

Sed quomodo nunc habet liberum Arbitrium ad ſeruandam iuſtitiam; cum non habeat iuſtitiam?

Magiſter.

Sicut aliquis habet viſum, ad videndum ſolem, cum ipſe abſit, quem vtique videre poteſt ſi adſit: ita homo habet naturaliter liberum arbitrium, ad ſeruandam iuſtitiam, etiamſi ipſa deſit, quam ſeruare poteſt ſi adſit.

1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes quod non accepiſti &c.* Ioan. 15. 5.

Hanc autem non habitam, per ſe habere non poteſt: quia nullus (excepto Deo) habet quod non accepit, quæ ſi ei datur, gratia eius eſt, qui ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Acceptam autem iuſtitiam non deſerere, liberi arbitrij eſt. Hanc autem ſeruare, meritum eſt.

B

Rom. 9. 16. *Hæc eadē ſed verbis paulo aliter diſpoſitis, ſunt apud D. Anſel. Tract. de Præſc. & Præd. cō cor. f. 159. col. 2. ſub finem.*

Ideo *non volentis eſt:* ſubaudi, quod vult: *nec currentis*, ſubaudi quod currit: *ſed miſerentis Dei:* qui (nullis præcedentibus meritis, ſed gratis) gratia eum præuenit, dando, vt iuſtus ſit: & ſubſequitur, vt in ſtadio iuſtitiæ currat, quatenus brauium vitæ ſuſcipiat, aut percipiat.

Sicuti, ſi egens nudus à diuite veſtiatur: non eſt ipſius, quod veſtitur, ſed eius qui veſtem largitur. In ſuo autem arbitrio eſt, vtrum veſtem portet, aut deponat. Sic eſt de gratia præueniente, libero arbitrio comitante.

Magiſter.

Rom. 9. 11. 12. 13. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, vt ſecundum electionem* C *propoſitū Dei maneret, non ex operibus ſed ex vocāte dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui,* Malach. 1. & 3.

Cum Apoſtolus dicat: *Antequam vel bonum vel malum ſcirent, dictum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui:* videntur quidam non ſecundum merita, ſed ſecundum propoſitum Dei ſaluari, vel damnari: aut Deus videtur quorundam facta punire, antequam perpetrentur. Nam ob quod meritum Iacob diligi meruit, qui nondum bonum facere ſciuit? Ob quem etiam reatum Eſau odio habitus, qui necdum aliquid mali operatus eſt?

Diſcipulus.

Sicut ſuperius dictum eſt: Deo nihil eſt futurum. Sacra Scriptura teſtatur Iacob ſimplicem, Eſau prophanum. Et quod ipſi ſuo tempore per liberum arbitrium erant futuri, hoc, antequam nati eſſent, erant in conſpectu Domini.

Ergo quia Iacob in conſpectu Domini ſimplex fuit; ideo Dominus eum dilexit: quia vero Eſau prophanus erat; ideo eum odio habuit.

Dilexi autem præteritum tempus, propter æternitatem poſuit: quia ſicut præteritum, ſemper eſt præteritum, ita immutabile eſt omne, quod æternitas præuidet fiendum.

Porro quia iniuſtitia non eſt apud Deum, nullum ſine præcedente iniuſtitia punit, ſed multis perpetrata peccata miſericorditer ignoſcit.

D

Gen. 25. 27. Heb. 12. 16. Rom. 9. 14. *Nunquid iniquitas eſt apud Deum? Vid. D. Anſelm. & diuerſ. locis illius libri.* Pſ. 78. 13. Eph. 1. 4. Ioan. 8. 34. Pſ. 48. 15.

Igitur licet neceſſe ſit, omne fieri, quod Deus fieri propoſuit, præſciuit, prædeſtinauit: tamen *propoſitum, præſcientia, prædeſtinatio*, nullam vim neceſſitatis alicui inferunt; quin quiſque libero arbitrio facit quod vult.

Et qui per liberum arbitrium declinant à malo & faciunt bonum, hi ſunt *populus & oues paſcuæ eius*; & his præparauit paſcua vitæ, & hos elegit in Chriſto *ante mundi conſtitutionem.*

Qui autem à libertate deficiunt, & nulla neceſſitate cogente, ſed ſponte ſe ſeruituti ſubiiciunt, dum ſerui peccati effecti dæmonibus, qui vitiis præſtant, iugiter ſeruiunt: hi ſunt populus Pharaonis, & non ſunt ex ouibus Domini, ſed ſunt oues *in inferno* ponendæ, *quas mors depaſcet.* Hi tales, tot doctrinis auditis, tot ſignis viſis, tot plagis perpeſſis, incorrigibiles ſunt, & eos Dominus abiicit, cum eos iuſte in iniuſtitia derelinquit.

Itaque Prædeſtinatio & Præſcientia Dei, immutabiles & fixæ manent: quia omnia, quæ fienda præſcit, & prædeſtinat Deus, indeclinabiliter fient. Gratia autem & liberum arbitrium, ſalutem hominis concordi fœdere operatur: homo vero à libertate ſola voluntate deficiens, ad peccatum inclinatur. E

Diſcipulus.

Quia nodum *liberi Arbitrij* per adiutricem gratiam eleganter enodaſti: rogant, inſinues, ſi diabolus ad beatitudinem conditus ſit.

Magiſter.

Conſtat quod rationalis creatura ad beatitudinem ſit condita: Diabolus autem rationalis creatura eſt: igitur ad beatitudinem eſt conditus. Scriptum quippe de illo eſt: *plenus ſapientia & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti.* Ezec. 28. 12. 13.

F

Diſcipulus.

Et quid eſt, quod de eo Dominus dicit: quod *in veritate non ſtetit.* Ioan. 8. 44.

Magiſter.

Id eſt, in rectitudine voluntatis non permanſit: iuſtitiam enim ſponte deſeruit. Et ideo iuſte beatitudinem amiſit.

Diſcipulus.

Quid eſt *Beatitudo*?

Magiſter.

Omnium bonorum ſufficientia, ſine omni indigentia.

Diſcipulus.

Cur non fecit eum talem, vt hanc amittere non poſſet?

Magiſter.

Si talem eum feciſſet, tunc neceſſitati vt beſtia ſubiacuiſſet. Fecit autem eum iuſtum, beatum, liberum. *Iuſtum*, vt vellet, quod Deus voluit: *beatum*, vt ſemper Deo frueretur: *liberum*, vt ſponte iuſtitiam vellet, & hoc pro merito iure ſemper beatus foret. G

Diſcipulus.

Et cur ab hac gloria cecidit diabolus?

Magiſter.

Quia hoc appetiit, quod non debuit, & quod Deus noluit, & *ſimilis Altiſſimo eſſe voluit.* Iſa. 14. 14.

Diſcipulus.

Quomodo ſimilis?

Magiſter.

H

Deus dici voluit; & vt Deus ab Angelis adorari voluit.

Diſcipulus.

Cum ſit illocalis; vt puta incorporeus: (*Angelus*) vnde & quomodo cecidit?

Magiſter.

Sicut aliquis in luce ſolis ſtans, ſi ſubito viſum amitteret, diceretur in tenebras incidiſſe, cum locum non mutauerit, præſertim cum in nullo fuerit.

Diſcipulus.

Cum Deus per omnia beatus, & ſibi ſemper ſufficiens fuerit: quæ cauſa extitit, quod aliquid creare voluit?

Magiſter.

A

Magiſter.

Prou. 16. 4. *Vniuerſa propter ſemetipſū operatus eſt Dominus, impiū quoque ad diem malum.*

Propter bonitatem ſuam creauit omnia, vt eſſent, in quos efflueret ſuæ bonitatis abundantia.

Omnis namque creatura aliquo modo fruitur bonitate creatoris Dei. Quædam, quod ſunt: quædam, quod viuunt: quædam, quod ſentiunt: quædam, quod intelligunt. Singula ergo ſunt bona: vniuerſa conſiderata valde bona.

Eccl. 39. 21. *Opera Domini vniuerſa bona valde.*

Angelicam autem naturam & humanam, ad ſe videndum condidit; quæ vt aliquod proprium meritum apud eum haberent, quod remunerare deberet; iuſtitiam eis dedit. Vt autem plenum gaudium haberent, liberum arbitrium addidit, quo non coacti, ſed liberi, iuſtitiam datam ſeruarent; & ſic ſemper cum eo bene regnarent.

Diſcipulus.

Et ſi ad beatitudinem conditi ſunt, cur tot pereunt?

B

Magiſter.

Quia per liberum arbitrium à bono deficiunt, & peccato ſe ſubiiciunt: iuſte gloria beatitudinis priuantur, & pœnis mancipantur.

Diſcipulus.

1. Tim. 2. 4.

Et quomodo verum eſt: quod *Deus vult omnes ſaluos fieri?*

Magiſter.

Deus condidit rationalem creaturam ad gloriam: ſed Angeli & homines, rationales creaturæ ſunt: Ergo omnes ad gloriam creati ſunt.

Quod autem ad gloriam eos condidit, hoc volens aut nolens fecit.

Diſcipulus.

Nolens non potuit.

C

Magiſter.

Volens ergo fecit.

Diſcipulus.

Hoc ſequitur.

Magiſter.

Quod autem ſemel Deus vult, hoc ſemper vult. Eſt enim voluntas eius immutabilis. Igitur ſemper omnes vult ſaluos fieri.

Diſcipulus.

Rom. 9. 19.

Et ſi vult, cur omnes non ſaluantur? *Voluntati enim eius quis reſiſtit?*

Magiſter.

Ezec. 18. 32. Sap. 1. 13. *Nec lætatur in perditione viuorum.*

Perditio pereuntium non procedit ex voluntate Dei, quia *non vult mortem peccatoris*, & qui mortem non fecit, nec *lætatur in perditione* morientium: ſed ex libero arbitrio, quo ſponte iuſtitiam, quæ eſt pactum beatitudinis, deſerunt; qua deſerta, beatitudinem amittunt; & ſic ſemper miſeri erunt.

D

Diſcipulus.

Quomodo ex libero arbitrio?

Magiſter.

Angelus nulla Prædeſtinatione, nulla neceſſitate trahente: ſed ſola libera voluntate, iuſtitiam deſeruit dum Deo ſimilis eſſe voluit.

Iſa. 14. 14.

Et quia propria voluntate, vinculum beatitudinis, quod erat iuſtitia, abrupit; iuſte amiſſa beatitudine, in miſeriam incidit, de qua; iuſtitia dictante, numquam eripi meruit.

Hoc ratio iuſtitiæ exegit: etenim qui nullo impellente corruit, iuſte à nullo leuari debuit.

E

Diſcipulus.

Quid eſt de homine?

Magiſter.

Gen. 3. 6.

Homo ſimiliter nulla vi coactus, nulla neceſſitate impulſus: ſed libera voluntate iuſtitiam deſeruit, & iniuſtitiæ ſe ſubdidit, dum ſicut Deus eſſe concupiuit.

Diſcipulus.

Cur hic lapſus erigi meruit?

Magiſter.

Huius reparatio, gratia fuit: ſed & ratio iuſtitiæ hoc fieri popoſcit: etenim qui alio impellente cecidit, iuſte ab alio leuari debuit.

Diſcipulus.

F

Deum, vt arbitror, eis liberum arbitrium dare non decuit; per quod eos peccaturos præſciuit.

Magiſter.

Hoc eſt tale, quale dicas: Scientiam eis dare non oportuit, qua eos abuti præſciuit. Si ſcientiam eis non dediſſet, quid à brutis animalibus diſtarent? Si liberum arbitrium non dediſſet: neceſſitati per omnia, vt beſtiæ, ſubiacerent, nec vllum meritum apud Deum haberent.

Oportuit ergo, vt eis ſcientiam daret, qua creatorem agnoſcerent. Liberum etiam arbitrium adderetur, quo libere iuſtitiam ſeruarent, per quam ſemper beati forent.

Diſcipulus.

Si Deus omnia præſcit; tunc vtique eos male acturos, & per hoc æternum ſupplicium paſſuros præſciuit: cur ergo voluit eos creare, qui tot & tanta flagitia & facinora erant facturi; & pro his æternas pœnas laturi.

G

Magiſter.

Deus omnia præſciuit; & hoc æternitati eius congruit, qui nihil futurum, quaſi fiendum, nec aliquid præteritum, quaſi tranſactum nouit: ſed omnia fienda & tranſacta, immutabili intuitu præſentia inſpicit.

Quod autem Angelum vel hominem creauit, quem vtrumque malè acturum præſciuit: hoc ratio iuſtitiæ & potentiæ popoſcit.

Potentia: quia præſciuit, quod illorum malitia nihil ſibi penitus nocere potuit, & quanta bona ipſe de malis eorum in vniuerſitate facere diſpoſuit.

Iuſtitia autem: quia iuſtum erat, vt omne id Deus faceret, quod ad aliquid in vniuerſitate vtile foret. Quam vtiles autem, & quam neceſſarij in Dei Republica ſint *dæmones* vel mali homines, non ignorant ſapientes.

Creatis ergo iuſtitiam dedit, quam eos minime ſeruaturos præſciuit; imo eos iuſtos condidit; quia hoc bonitati eius congruit, vt nihil niſi iuſtum & rectum faceret.

H

Quibus etiam *liberum arbitrium* dedit, id eſt, ſuæ voluntatis compotes fecit: quia hoc ſuæ perfectioni conuenit; vt nihil niſi perfectum abſolueret: perfecti enim non eſſent, ſi liberi non eſſent. Et ſi liberi non eſſent, neceſſitati, vt beſtiæ, ſubiacerent. Ergo totum fecit, vt voluit, & vt facere debuit.

Diſcipulus.

Cur eos Deus à malo non prohibuit cum poſſet? ſi voluit & non potuit, cur impotens fuit? ſi autem potuit & noluit, cur eos peccare, & conſequenter pati pœnas voluit? Et cum peccare permiſit, peccatis vtique conſenſit. Si enim aliquis Princeps præſcit, quod ſibi quilibet ſubiectus perimere velit; & non prohibet dum poſſit, vtique homicidis conſentit, dum illud fieri permittit. Si autem volens permittit, impotentem ſe oſtendit.

A

Magiſter.

Quod eos Deus à malo non prohiboit, hoc ratio immutabilitatis vetuit.

Deus namque condidit eos ad plenum gaudium: plenum autem gaudium non haberent, ſi liberi non eſſent.

Vt ergo plenum gaudium haberent, dedit eis liberum arbitrium: imo creauit eos liberos, id eſt, ſuæ voluntatis compotes; vt liberè in lætitia delectarentur; & non neceſſitate coacti vel violentia compulſi, gaudio fruerentur.

Libertatem autem quam ſemel eis dedit, immutabilis Deus auferre non debuit, nec etiam potuit. Si enim abſtuliſſet, tunc nollet eos iuſtitiam velle, quod impoſſibile eſt; voluit enim eos velle iuſtitiam. Nihil enim aliud eſt peccare, quam iuſtitiam nolle. Et ideo malum vel peccatum nihil eſt per ſubſtantiam: ſicut iniuſtitia. Iniuſtitia autem nihil aliud eſt, quam vbi non eſt iuſtitia. Sicut ſilentium, vbi non eſt vox: ſicut tenebræ, vbi non eſt lux. Malum itaque facere non eſt aliud quam à iuſta voluntate deficere. Libertatem autem quodammodo Deus eis abſtuliſſet, ſi ab eo cohibiti, peccare non poſſent. Et ſi coacti iuſtitiam ſeruaſſent, meritum iuſtitiæ non haberent.

Peccatũ nihil eſt.

B

Diſcipulus.

Quid? nonne boni Angeli peccare non poſſunt?

Magiſter.

Hoc non eſt ex impotentiæ neceſſitate, ſed ex magnæ potentiæ procedit voluntate; magna quippe eſt potentia ſemper velle, quod quis deberet, & decet, verbi gratia ſemper ſanum & ſapientem eſſe.

Maxima vero impotentia, imo dementia; velle quod non debet nec decet: vt ſe velle interimere. Etenim aliis Angelis ad iniuſtitiam declinantibus, ipſi boni Angeli iuſtitiam libera voluntate ſeruauerunt: & pro hoc merito, mox in hac voluntate ſic confirmati ſunt, vt vltra malum nolint. Et ideo dicitur: quod non poſſunt.

C

Diſcipulus.

Sed, vt dictum eſt, Deus videtur peccato eorum conſenſiſſe, quos peccare permiſit: vel potius ad pœnas creaſſe, quos à peccato non prohibuit.

Magiſter.

Veritas conſulta longè aliud oſtendit.

Quamuis viæ Domini à viis hominum elongentur, quantum cœli à terra exaltantur: tamen non multum à cogitationibus noſtris hæc res diſcrepat; quam nobis perſpecta ratio ſic elucidat.

Iſai. 55. v. 8. Nõ enim cogitationes meæ cogitationes veſtra: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltata ſunt viæ meæ à viis veſtris, &c. Pſal. 8. v. 6.

Non ſemper ſequitur, vt qui aliquid fieri permittit, in fiendo conſentiat, ſi prohibere poſſit. Nam cum aliquis in agro ſuo ſpinas naſci permittit, cum prohibere poſſit: nec tamen conſentit, neque ad ſepis munimentum, neque ad ignium nutrimentum creſcere ſinit, cum ad vtrumque aptæ ſint: Sic Deus, cum eos peccare permiſit, peccato tamen non conſenſit, nec ad pœnas creauit;

D

quos tamen poſt peccata pœnis mancipauit: ſed libera voluntate, ſibi, qui eſt ſumma beatitudo, inhærentes, *gloria & honore coronauit:* libera nihilominus voluntate, à ſe qui eſt æterna iuſtitia, recedentes congruis ſuppliciis mulctauit; & illorum aſperitate, vt ſpinis ſepem, iſtorum gloriam firmat, & illorum concrematione vniuerſum opus ſuum illuſtrauit.

Diſcipulus.

Cur illos Deus creauit, quos iuſtitiam minime ſeruaturos, & ideo gloriam amiſſuros præſciuit; & non illos ſolummodo, quos pro ſeruanda iuſtitia præſciuit permanſuros in gloria?

Magiſter.

Hoc eſt tale, quale cauſeris: cur Deus noctem permiſerit eſſe, cum ſit tenebroſa: dies autem lucidus; quaſi ſit inutilis, & non neceſſaria: cum potius ipſa nox ſit requies laborantium & reparatio virium. Sic bonum per malum commendatur. Iuſti enim iniuſtis comparati glorioſiores apparent: ſicut dies nocti collatus, gratioſior claret. Ratio ergo boni poſcebat, vt Deus malum eſſe permitteret, per quod reciprocis modulis, per contrarietates ſuas in omnibus conſonaret. Quamuis enim malum nihil ſit per ſubſtantiam; & ideo æternæ Dei diſpoſitioni nullam ingerat diſſonantiam: ſubſtantia tamen per idipſum quod eſt, facit omnes ſubſtantias bonas apparere; & innoteſcit quam bonum ſit ſummo bono inhærere.

E

Diſcipulus.

Valde mirum de bonitate Dei videtur: quod aliquid creare voluit, quod æternis doloribus, æterniſque cruciatibus ſubderetur, quum videretur multo melius, aliquam rem non ſubſiſtere quam miſerè ſubſiſtere, aut vt lapidem inſenſibilem eſſe, quam æternos dolores tolerare.

Magiſter.

F

Sapienti Deo melius viſum eſt: eſſe quod vtrumque eſt, quam nullo modo eſſe. Et ideo feciſſe, quod eſt.

Quod autem non fecit omnia æqualia, ſed diſparia, per hoc cognoſcitur & ineffabilis ſapientia artificis, & inæſtimabilis adornata plenitudo operis. Et quamuis Deus pœnas fecerit, nihil tamen ad pœnas creauit; alioquin præſtantior inſenſibilis creatura, quam ſenſibilis eſſet; quæ ſine fine, dolorem pœnæ ſentiret.

Rationalis creatura porro dum ſponte iuſtitiam habitam abiecit, tunc propoſitam gloriam amiſit; ſicque miſeriam incidit. Eſt autem *miſeria*, inde dolere quod amiſit, nec poſſe habere quod cupit, & his in quibus eſt, affligi; nec his poſſe exui. *Pœnis* autem *cruciari*, non eſt aliud, quam ſibi contrarium, contra voluntatem pati.

Eccl. 33. v. 15. Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtũ peccator. Et ſic intuere omnia opera Altiſſimi duo & duo & vnum contra vnum.

Ob decorem autem vniuerſitatis; creauit Deus duo, & duo; ſibi contraria: vt aquam igni; & terram aëri; & in his creata alia, de contrariis dolorem patiuntur: ſicut in aquis vel in terris formata in igne cruciantur. Salamandra quippe viuit in flamma, moritur in vnda: piſcis autem in aqua nutritus, in igne moritur.

G

Rationali itaque naturæ, ſentire dolorum amaritudinem, eſt, non habere ſuauitatis beatitudinem. Ratio namque iuſtitiæ poſcit, vt ſemper ſint in amaritudine miſeriæ, qui ſponte ſe exuerunt beatitudine gloriæ. Vt autem hoc ſine fine ſit; eſt hæc cauſa: quod immortales creati ſint.

Diſcipulus.

Cum ab æterno eſſet à Deo diſpoſitum, vt Filius eius incarnaretur, videtur neceſſario homo peccaſſe, quatenus propoſitum Dei compleretur. Si enim ipſe non peccaſſet, filius Dei incarnatus non eſſet: ſicque ſtatutum Dei irritum fieret. Ergo ex neceſſitate videtur vtrumque pendere: & illum peccaſſe, & iſtum incarnatum fuiſſe.

Magiſter.

Deus præſciuit ab æterno hominis lapſum, & ideo ab æterno propoſuit Filium ſuum pro eius redemptione incarnandum.

H

Porro homo nulla neceſſitate, ſed ſola libera voluntate peccauit: & ideo Dominus peccatum illi imputauit: qui ſi neceſſario peccaſſet, reus non eſſet; cum hoc faceret, quod vitare non poſſet.

Sed quia Dominus eum de peccato præmonuit, & ei pœnam mortis propoſuit, & ipſe diuina monita contempſit, idcirco reus extitit.

Quod autem Filius Dei eſt incarnatus, ſeu pro homine immolatus, quantum ad ipſum, ſola fuit voluntas; quantum ad hominem, ſumma neceſſitas. Niſi enim hic incarnaretur, ille numquam ſaluaretur.

Neceſſe ergo fuit homini, vt ille vellet incarnari.

Diſcipulus.

Cur non Angelus vel homo pro redimendo homine eſt miſſus; ſed Dei Filius:

A

Rom. 3. 10. *Quia non eſt iuſtus quiſquã, &c.* Et Rom. 5. 12. *Sicut per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccauerunt.* Heb. 1. 3. Phil. 2. 6. Iſai. 14. 14.

Magiſter.

Ratio iuſtitiæ hoc popoſcit. Angelus enim pro homine mitti non debuit, quia nihil homo ad Angelicam naturam pertinuit. Homo verò mitti non debuit, quia omnis homo peccator fuit: & peccator peccatorem redimere non potuit. Illum ergo mitti oportuit, qui ſolus ſine peccato, Deo hominem reconciliare potuit.

Diſcipulus.

Cur nec Pater, nec Spiritus ſanctus; ſed ſolus Filius eſt incarnatus?

Magiſter.

Iuſtitia hoc exegit. Ipſe enim quaſi ſecundo loco poſt Patrem, eſt Deus, non dignitate, ſed ordine. Æqualis eſt enim Deo Patri; vt puta, vnum cum eo. Vnde & ſimilitudo Dei dicitur; diabolus autem ſibi hoc priuilegium vſurpauit, dum *ſimilis Altiſſimo eſſe voluit*, ſcilicet Deus dici, & ab Angelis, vt Deus adorari: Et quia in cœlo ab Angelis hoc non obtinuit; in mundo ab hominibus, ſe vt Deum coli, & vt Deum adorari docuit. Oportuit ergo, vt cui iniuria facta eſt, veniret; & ſe verum Deum, & illum fallacem oſtenderet.

B

Diſcipulus.

Et cur in homine venit?

Magiſter.

Vt ipſe innocens homo pro homine reo, Deo Patri ſatisfaceret & per hominem tyrannum reprimeret, atque hominem ab eo deceptum erueret.

Diſcipulus.

Per quid perdidit diabolus hominem quem quondam poſſedit?

Magiſter.

Mat. 4. 9.

Per iuſtitiam Dei & potentiam. In potentiam enim Dei, vt cæcus grauiter offendit; quia iam non ſolum Deo ſe æquauit, ſed ſuper Deum ſe exaltauit, dum ſe à Dei Filio, Patri coæquali in tentatione adorari imperauit. Offenſam vero iuſtitiæ Dei grauiter in paſſione incurrit, dum iuſtum & innocentem hominem occidit.

C

Ergo per iuſtitiam expertus eſt potentiam. Nam dum iuſtus homo iniuſte occiditur, iniuſtus tyrannus iuſte opprimitur, & homo deceptus, iniuſte oppreſſus, per iuſtitiam redimitur, atque per potentiam ſuper Angelum (quem vt Deum coluit) conſtituitur. Vnde adhuc proſperæ res *ſecundæ* dicuntur: quia per iuſtitiam peruenitur ad æternam potentiam.

Diſcipulus.

Eſt in infantibus liberum Arbitrium?

Magiſter.

Naturaliter ineſt eis liberum arbitrium: ſed vt ignis in ſilice latens, nihil in eis operatur.

Diſcipulus.

Cur non omnes pueri pro redemptione ſaluantur, in quibus liberum arbitrium adhuc nihil operatur?

Magiſter.

Hoc ex ratione iuſtitiæ procedit: quia nihil homini præter pœnam debitum eſt.

Diſcipulus.

D

Et quare plurimi ſaluantur, in quibus æquè liberum arbitrium nihil operatur?

Magiſter.

Hoc autem ex gratia deſcendit, quæ etiam immeritis ſua dona tribuit.

Si alicuius ciuitatis populus Regem offenderit, ipſe quoſdam iuſte puniret, quoſdam clementer abſolueret: ſic cum totus mundus Deum offendiſſet, de quibuſdam ſupplicium per iuſtitiam ſumpſit; quibuſdam autem per miſericordiam ignouit.

Diſcipulus.

Vnde eſt, quod iam multi liberi arbitrij compotes ſaluantur, & plurimi non ſaluantur?

Magiſter.

Eadem cauſa eſt quæ dicta eſt. Illi qui ſaluantur, ex gratia & libero arbitrio, & ex dono Dei, & non ex proprio merito ſaluantur homines.

Ex gratia Dei quippe eſt, quod à Deo præuenti bonum volunt; ex libero arbitrio, quod bonum non deſerunt. Cuius boni perſeuerantia, dono Dei, & merito hominis aſſcribitur: pro quo & vitæ præmio remunerabitur. Qui enim *perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit.*

E

Matt. 24. 13.

Diſcipulus.

Vnde eſt, quod quidam inueterati in malis tandem ſaluantur?

Magiſter.

Ex gratia & libero arbitrio: ex gratia quippe præuenienti bona voluntas diuinitus gratis inſpiratur: ex *libero arbitrio* ipſi oblatæ cooperantur, & pro hoc merito ſaluantur.

Hæc duo, vt anima & corpus, ſimul ſunt. Per gratiam namque arbitrium (vt corpus per animam) viuificatur: arbitrium verò gratiæ, vt corpus animæ, cooperatur. Gratia ſine libero arbitrio eſt per ſe potens ad ſaluandum: liberum arbitrium ſine gratia, eſt impotens ad bonum operandum.

F

Igitur per gratiam liberum arbitrium multum operatur, cuius perſeuerantia primo coronatur. Gratia eſt, quod per plures annos, dum à pueritia vſque ad decrepitum, in malitia inſatiabiliter graſſantur, in ipſo vitæ exitu per pœnitentiam ab ipſis diaboli faucibus rapiuntur, & paradiſi amœnitate confruendi deducuntur.

Diſcipulus.

Et cur alij non ſaluantur?

Magiſter.

Hoc ex iuſtitia & libero arbitrio eſſe non ignoratur.

Ex iuſtitia: quia gratia ad bonum non emolliuntur, ſed indurari permittuntur; licet ſæpius fons gratiæ in eos affluat, & eis pœnitentiam ad horam tribuat, quam ipſi mox abiiciunt, & vt canes *ad vomitum redeunt.*

Prou. 26. 11. Et 2. Pet. 2. 22.

Ex libero arbitrio: quia iuſtitiam oblatam recipere nolunt; & iniquitatem magis diligunt.

Illis ſupradictis eſt verbum Dei cauſa ſalutis, & via ad vitam: iſtis autem, cauſa mortis & teſtimonium ad interitum. Illi ſunt vaſa miſericordiæ, præparata in honorem: iſti *vaſa iræ*, præparata in contumeliam. De illis nemo perire poterit: de iſtis nemo ſaluus erit. Illis eſt præparatum regnum à conſtitutione mundi: iſtis *caminus ignis* cum diabolo & Angelis eius.

Rom. 9.

G

Matt. 25. 34. & 41. *Monachi & Eremitæ.*

Ex hac varietate euenit, quod plerique in Monaſteriis, ſub magna diſtrictione vitam tranſigunt; quam plurimi in eremo degentes ſumma abſtinentia vitam ſolitariam ducunt: ad extremum ad ima barathri deſcendunt.

Diſcipulus.

Hoc eſt omni admiratione ſtupendum.

Magiſter.

Accipe cauſas ſingulorum. Qui in Monaſteriis pereunt, in ſua prudentia confidunt; prælatorum monita contemnunt; in inobedientia obeunt. Qui vero in eremo intereunt, ſine diſcretione viuunt, quando ſibi eligunt vt ſanctorum ſectentur exempla, patris præcepta deſpiciendo aſpernantur. De his ſcribitur: *Sunt viæ quæ videntur hominibus iuſtæ, quarum finis deducit ad interitum.*

Prou. 14. 12. & 15. v. 25. *Eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.*

Diſcipulus.

H

Quamobrem in eadem culpa pares, quidam ſaluantur, quidam reprobantur?

Magiſter.

Hinc incomprehenſibilia Dei iudicia prædicantur, qui *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum* affirmatur: qui eligit per miſericordiam, quem vult: & reprobat per iuſtitiam, quem vult, *cui nemo poteſt dicere: cur ita facis?* Cuius *vniuerſæ viæ miſericordia & veritas.*

Rom. 11. 33. *O altitudo diuitiarum.* Pſ. 65. 5. Rom 9. Pſ. 24. 10.

Diſcipulus.

Vtrum magis Gratiæ, an libero Arbitrio ſalus aſſcribitur?

Magiſter.

Summa ſalutis Gratiæ Dei attribuitur; cui etiam merita aſſcribuntur: quia nemo poteſt venire ad Filium, (*qui eſt vita æterna*) niſi Pater per gratiam, id eſt, Spiritum ſanctum, *attraxerit eum.* Sine illo enim nihil poſſumus facere. Deus quippe in nobis operatur & velle & poſſe, pro bona voluntate.

Io. 6. 44. Io. 15. 5. Ph. 2. 13. *Operatur velle & perficere, &c.*

A

Diſcipulus.

Si DEVS operatur, quæ merces homini imputatur?

Magiſter.

Et Deus operatur, & electi cooperantur. Deus operatur in electis ſuis, ſua gratia præueniendo *velle*, & ſubſequendo *poſſe*. Cooperantur ipſi per liberum arbitrium, conſentiendo bona voluntate. Hæc bona voluntas remuneratur in eis, vt ſcriptum eſt: *Accepimus gratiam pro gratia*. Gratiam accipimus, cum nos Deus præuenit, vt *velimus*; & ſubſequitur, vt *poſſimus*. Pro hac gratia illam gratiam dabit; cum nos in gloria remunerabit.

Ioan. 1. 16.

Diſcipulus.

Solent quidam dicere, quod prædeſtinati neceſſario ſaluentur. Quod ſi ita eſt, cur quidquam laborant? aut cur gentibus prædicatur vt conuertantur? vel cur verbum admonitionis quotidie à Sacerdotibus adminiſtratur populo; vt in propoſito Dei proficiant ſeruitio?

Magiſter.

Prædeſtinatio quidem Dei neminem violenter ſaluat, vel damnat. Olim pro meritis ad regnum prædeſtinati, tunc quidem neceſſario ſaluantur, cum ex iuſtitia propoſita gloria eorum meritis recompenſatur: ſed quia nullus ſe prædeſtinatum præſumit (cum nec vas electionis Paulus hoc de ſe præſumpſerit) neceſſe eſt toto conamine labori incumbere, quo valeant prædeſtinationem obtinere.

B

Per laborem namque prædeſtinatio vitæ adipiſcitur, vt in ſacra authoritate dicitur: *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Infantibus itaque per mortis acerbitatem: iuuenibus per operis exercitationem in extremis pœnitentiam agentibus, datur prædeſtinatio per purgatorij cruciatus examinationem.

Act. 13. 21.

Gentibus vero ideo prædicatur, quia prædeſtinati forti, in foro otioſe ſtantes in vineam Domini ad laborem conuocantur. Quibus etiam denarius in mercede proponitur: quia prædeſtinata gloria vſque in finem laborantibus dabitur.

Mat. 10. v. 6.

C

Sæpe quoque quidam de reprobis, cum eis in vineam ingrediuntur: ſed in initio laboris ab opere deficiunt, & aut de vinea blaſphemantes exeunt, aut in vinea manentes, laborantes impediunt. De his dicitur: *Ex nobis exierunt: ſed non erant ex nobis*. Et iterum: *Multiplicati ſunt ſuper numerum*: ſcilicet ad vitam prædeſtinatorum. Multi quidem per fidem ſagenæ Petri inhæſerunt: ſed quia in numero electorum præcogniti non ſunt, in fluctus vitiorum, rupto reti, reſilierunt.

1. Ioan 2. 19. *Ex nobis prodierunt.* Pſ. 39. 6. Mat. 13. 47.

Populus autem fidelium, in labore pij operis fatigatus, verbo admonitionis, ne deficiat, ſubleuatur.

Sicut æger ad Eccleſiam vadens, ſed in via deficiens, vt iter peragat, ab aliquo ſuſtentatur.

Verbum quippe Dei eſt verum ſemen: ager vero, corda hominum. Cum hoc ſemen per Dei agricultores ſpargitur; ſemen Dei gratia eſt. Si autem ab agricultura recipitur, liberum arbitrium eſt: quod per fidem receptum, ſi germen bonorum operum emiſerit: meſſis in prædeſtinata gloria erit.

Matt. 13. v. 14. Et Luc. 8. v. 11.

Diſcipulus.

D

Cum hæc cuncta, perſpicua ratio, de luce veritatis proferat: oportet vt cunctis ſtudioſis, per omnia valde complaceant.

Porro me multum mouet, quod Angelica natura cadere potuit, ſi ad beatitudinem condita fuit: videtur enim, quod quædam vis eam impulerit, quod ita irrecuperabiliter corruit. Nam nimis de lapſu hominis moueor quod de tanta gloria in tantam miſeriam deuenire potuit; ſi nulla neceſſitas eum impulit.

Vnde rogo, vt effundas cor tuum; & eructes veritatis arcanum.

Magiſter.

Breuiter tibi pandam Dei occulta, & recluſa cordis, diligenter auſculta.

Antequam Deus conderet mundum, præſciuit & Angeli & hominis caſum: quem ideo fieri permiſit, quia bonum malo illuſtrari cenſuit.

Præſciuit etiam, qui & quot ſecum eſſent permanſuri; qui & quot eſſent receſſuri; qui & quot ad ſe reuerſuri. Si enim hoc ignoraſſet, præſcius futurorum non eſſet. Et ſi certus numerus electorum non eſſet, tunc regnum Dei, non ordinata diſpoſitione, ſed fortuito caſu conſtaret, ad quod incerti numeri frequentia confluerct. Sed cum apud Deum ſit certus numerus capillorum, multo magis eſt apud Deum præfixus numerus electorum.

E

Matt. 10. 30. & Luc. 21. 7. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

Quot autem ſunt in hoc numero à Deo præſcripti hi ante mundi conſtitutionem ſunt ad beatitudinem electi. De his nullus peribit, ſed ad prædeſtinatam gloriam toto conamine quiſque feſtinabit. Qui autem ſuper hunc numerum multiplicantur, inter oues Chriſti non numerantur.

Et quia hic numerus Angelis cadentibus eſt imminutus, hominibus naſcentibus eſt reſtitutus. Et ideo ſicut ab vno numerare incipimus: ſic ab vno homine numerus eſt inceptus. Et ſicut numerus creſcit ad perfectionem: ita propago humana ſucceſſit vſque ad electorum completionem.

F

Hic ergo ſacer numerus, ſoli Deo cognitus, & ab eo, æterna certitudine præfixus, eſt quaſi cuiuſdam ciuitatis ambitus, intra quem neceſſe ſit omnes contineri, cui huius ciuitatis ciues ab æterno ſunt præcogniti. Lex autem ciuitatis, inuiolabilis iuſtitia eſt à iuſtiſſimo Rege inſtituta, ac huius ſeruatores, iuſti cognominantur, & hi ſoli inter ciues connumerantur. Priuilegium huius ſacræ ciuitatis, eſt libertas. Regnum eius, beatitudo. Ergo omnes habitatores huius ciuitatis ſunt iuſti, liberi erant, legem huius ciuitatis ſeruare nolebant. Et ideo inter ciues eius numerari non poterant. Ad Dominium autem eius aſpirabant, dum vterque vt Deus in ea eſſe appetebat.

Igitur nulla vis, nulla neceſſitas, eos ab hac vrbe expulit: ſed lex iuſtitiæ violatores iuris in ea ciues eſſe vetuit.

Diſcipulus.

O quam in excelſam ſpeculam me duxiſti, in qua plurima conſpicio! ſed quia adhuc aliqua ſunt clauſa, illa mihi aperiri poſtulo.

G

Si homo per liberum arbitrium cadit, cur per liberum arbitrium non reſurgit?

Magiſter.

Homo poteſt ſe de alto monte in profundum præcipitium per ſeipſum mittere: non poteſt autem, niſi per alium adiutus, redire. Ita per liberum arbitrium, iuſtitiam quidem deſerere: non per ſe autem, ſed per ſolam gratiam poteſt eam recipere. A quo enim quis vincitur, illius & ſeruus efficitur. Nam qui ſponte luxuriæ vel cuilibet vitio, cui præeſt, addicitur: iam non valet per liberum arbitrium ſe de iugo Dominationis eius excutere, cuius dominio ſe liberè voluit ſubijcere: niſi gratia Dei præueniat eum, vt bonum, quod ſpreuit, cupiat; & ſubſequatur, vt illud implere præualeat.

2. Pet. 2. 19. *A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.*

Diſcipulus.

Cum voluntate hominis ſit facta libera, vnde eſt ad malum tam prona, & ad bonum tam pigra?

Magiſter.

H

Omnis rationalis voluntas naturaliter cupit ſummum bonum: ſed errore decepta, labitur in falſum, quod eſt malum. Quilibet enim vult eſſe beatus. Et ideo id quiſque quam maxime appetit, in quo ſe ſperat fore beatum. Sed quia ſummum bonum, vel beatitudo, non niſi in ſolo Deo conſiſtit; quiſquis aliquid infra Deum poſitum pro ſummo bono appetit, errat.

Huius autem erroris cauſa hæc eſt: Deus condidit hominem iuſtum & beatum, ſine omni indigentia, in bonorum omnium ſufficientia; & dedit ei liberam voluntatem, iuſtitiæ, & beatitudinis, vt voluntate iuſtitiæ, corpori ſubdito imperaret: voluntate beatitudinis, Deo obediret. Habuit ergo iuſtitiam, ad honorem Dei: beatitudinem, ad commodum ſuum. Et ſi ſeruata iuſtitia Deum honoraſſet, ad ſummam Angelorum beatitudinem perueniſſet. Sed quia iuſtitiam deſeruit, beatitudinem amiſit. Sed voluntatem beatitudinis retinuit. Quia ergo ſeruet deſiderio commodorum; ſed commoda

Eccl. 7. 30. *Inueni quod Deus fecerit hominem rectum, & ipſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.*

rationalis

A rationalis naturæ competentia, quæ perdidit, habere non valet, ad falſa & brutorum commoda & beſtiales appetitus ſe conuertit. Et quia iumentis inſipientibus ſimilis factus eſt, ideo per concupiſcentiam vt beſtia coit; cum dolore parit; lacte infantes, vt beſtia catulos, nutrit; & ſola commoda corporis appetit.

Pſal. 48. 13. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.*

Diſcipulus.

Cur beſtiæ pro his non damnantur?

Magiſter.

Appetitus in brutis animalibus non ſunt peccatum; ſed ſunt naturales, in hominibus vero irrationales: cætera namque animantia feruntur neceſſitate: homo regitur libertate. Vnde ſcribitur: qui hoc fecerit, quod homo facere non debet, tollatur de hominibus.

Diſcipulus.

Quid eſt, quod quidam immenſo conatu nituntur, vt bene viuant; & nihil proficiunt? aut poſt magnum profectum à propoſito decidunt? Nonne aliqua occulta vis eos retrahit, ne cœptum opus implere poſſint?

B *Magiſter.*

Nulla eos neceſſitas retrahit; ſed ſola voluntas eos auertit, dum magis volunt quod ſuggerit eis tentatio, quam quod perſuadet ratio.

Quidam etiam de arbitrio magis quam de gratia præſumunt; & cuncta ſuis meritis aſcribunt: ideo eos gratia deſerente, iuſte laborem ſuum perdunt.

Diſcipulus.

Cur Deus facit hominis arbitrium ita mutabile?

Magiſter.

Ob magnum eius profectum: quod enim poteſt conuerti ad malum, poteſt iteratò conuerti ad bonum. Si homo ſemel lapſus non eſſet mutabilis, nunquam eſſet ad bonum conuertibilis.

Diſcipulus.

Quare non fecit eum Deus, vt in bono eſſet immutabilis?

Magiſter.

Tunc eſſet Deo æqualis; hoc enim ſolius Dei eſt.

C *Diſcipulus.*

Si quiſque operatur libero arbitrio, quomodo operatur Deus omnia in omnibus?

Magiſter.

Vniuerſa quæ ſunt bona, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſeu in omni creatura, Deus ſolus bonus, per electos vel Angelos vel homines, operatur; cooperantibus eis per liberum arbitrium conſentiendo.

Operatur Deus per electos, vt per Apoſtolos gentes conuertit; ipſe interius inſpirando & incrementum dando: cooperantur ipſi per exterius miniſterium, plantando & rigando.

2. Reg. 11. 2. Si quid autem electi, contrarij egerunt; vt in Vria Dauid: Deus hoc iuſtè fieri permittit, quod tamen ipſe in laudem ſuĩ conuertit: dum poſt lapſum extiterunt humiliores, & ſibi grates referunt vberiores; quibus etiam ipſa peccata cooperantur in bonum. Ergo omnia ex ipſo & per ipſum.

Rom. 8. 28. *Diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum.*

D Per reprobos quoque Deus operatur, dum iudicium ſuum per eos exercet: ſicut per Chaldæos Hieruſalem deſtruxit. Ecce vnum & idem opus Deus & Chaldæi, diuerſo modo operati ſunt: & tamen hic inde laudatur, & illi damnantur. Et quod ipſe per iuſtitiam: hoc ipſi per ſæuitiam egerunt.

Rom. 11. 36. Ier. 52. v. 14.

Similiter per Iudam Deus Filium ſuum tradidit, & mundum à morte redemit. En Deus & Iudas, vnum opus diuerſa mente operati ſunt. Sed dum totus orbis inde Deum veneratur, Iudam vero deteſtatur: quia quod Deus ob humani generis amicitiam; hoc Iudas egit per auaritiam. Audenter dico, quia Deus etiam per diabolum operatur, quod de iuſtitia, per eum in reprobis exerceri decernitur. Sed quod Deus per iuſtiſſimam æquitatem: hoc agit diabolus per nequiſſimam crudelitatem. Qui tamen non plus poteſt ſæuire in eos, quam permittitur. Vnde Deus laudabiliter magnificatur: ille vero pro eodem damnabiliter reprobatur.

Matt. 26. 48. & ſeq.

Eccl. 11. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.*

Quæcumque autem à reprobis per liberum arbitrium contra inſtituta committuntur, à Deo quidem fieri ſinuntur, & in laudem eius vertuntur; dum iuſtè ab eo pœnis ſubiguntur. Igitur Deus omnia operatur, aut faciendo aut ſinendo.

E Rom. 9. 18. *Cuius vult miſeretur, & quẽ vult indurat.*

Et quia ex ipſo (vt in lib. Sap. legitur: *A Deo bona & mala*) omnia ſunt bona, & nihil eſt malum, niſi quod amarum eſt his, qui aliquid aſperi patiuntur, id malum appellatur. Et ideo omnia ad laudem & gloriam Dei, qui miſeretur cui vult, gratiam largiendo; & indurat quem vult, in malitia relinquendo.

Diſcipulus.

Numquam hæc audita ſunt in mundo?

Magiſter.

Imo, quotidie in Scripturis audiuntur: ſed à deſidioſis & negligentibus non attenduntur: & ideo non intelliguntur. Cum vero in diſputatione à doctis hæc audierint, quaſi à ſomno excitati ſtupeſcunt. Vera eſſe dubitant, quia nuſquam eſſe ſcripta putant. A ſtudioſis autem leguntur, audiuntur, attenduntur, diſcutiuntur & intelliguntur, & in memoriam reducuntur.

Matt. 18. 18. *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erũt ſoluta & in cœlo.* Et v. 19. *Quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcũque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt.* v. 28 19. *Euntes docete omnes gentes.*

Sponſus namque Chriſtus abiens, Sponſæ Eccleſiæ claues ſcientię reliquit, quibus quotidie pulſantibus Filiis, ſecreta Dei per intellectum reſerans, aperit. A canibus autem, & à porcis, margaritas, ne coinquinentur, claudit.

Diſcipulus.

Cuncta quæ proponis, tam validis teſtimoniis probando per illationem concludis; vt plus cæco probetur errare, qui hæc præſumpſerit pertinaciter impugnare.

Sed quæſo ediſſeras: vtrum proſpera & aduerſa per liberum arbitrium eueniant.

Magiſter.

Imo per gratiam & iuſtitiam Dei. Gratia quidem Dei, proſpera miniſtrat: Iuſtitia autem, aduerſa diſpenſat. Sed iuſti per proſpera ad perennia bona prouocantur: iniuſti autem per proſpera, vt diues ille, remunerantur. Aduerſa a. ob tres cauſas electos tangunt. Primo, vt quidam à peccatis per aduerſa corrigantur: vt Dauid. Secundo, vt quidam tentati magis coronentur: vt Iob. Tertio, vt quidam à delectatione peccati retrahantur: vt Paulus.

Luc. 16. 25. *Fili recepiſti bona in vita tua & Lazarus ſimiliter mala: nũc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.*

Reprobos vero ob duas cauſas feriunt. Primo; vt erecti per eorum plagas corrigantur: vt in exitio Chore legitur. Secundo, vt ipſi à malitia, ne tantum quantum volunt, noceant, reprimantur: vt de Antiocho & Herode ſcribitur.

2. Mac. 9. 1 & c. 9. 12 & ſeq. Act. 12.

Diſcipulus.

Parietem fodiſti; & ecce apparet oſtium.

Cum Scriptura dicat, quod Pharao à Deo ſit induratus; imo in hoc ipſum, vt annuntiaretur nomen Dei in vniuerſa terra per eum ſit conſtitutus: quis non videat, quod neceſſitate cogente, populum afflixerit; cum in hoc ipſum conſtitutus ſit, & quaſi quodam fato trahente ſubmerſus ſit?

Ex. 14. 8. Exod. autem 9. v. 16. *Idcirco poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meã & narretur nomen meũ in vniuerſa terra.*

Magiſter.

Nota tria: Populum afflictum: Pharaonem affligentem: Deum liberantem.

H Deus electos, vt vaſa aurea per reprobos, in camino tribulationis, tentando examinat: ſed ipſi reprobi non intendunt, quod eorum vexatio iſtis ad ſalutem proficiat, quos ſola crudelitatis malitia tribulat.

Porro diabolum, qui liberè iuſtitiam deſeruit, in iniuſtitia, vt incudem malleatorum, indurati permiſit, eumque fabrum, ad purganda vaſa miſericordiæ conſtituit: qui faber omnes impios ſibi inſtrumenta fecit: ex quibus Pharao vnus extitit; qui dum per liberum arbitrium Deo ſeruire noluit, Deus eum indurauit; dum eum a malitia, & duritia non liberauit.

Et Rom. 9. 17. *Quia in hoc ipſum excitaui te vt oſtendam in te virtutem meam: & vt annuntietur nomen meũ in vniuerſa terra.*

Et cum populus Dei per afflictionem eſſet tentandus, & aduerſitate probandus: Deus in hoc ipſum. Pharaonem ad tentandum populum conſtituit, dum ipſe ſe per liberum arbitrium (vt puta vnus de malleis diaboli) ad tundenda vaſa Dei obtulit; ſicque Pharao neſcius, iuſtis, quaſi ſeruus Filiis, ſeruiuit, dum eos à vaſis iræ ſegregans, flagellis erudiuit.

Exod. 14. 28. Exod. 5. & 6.

Diabolus & impij malum quidem per ſe volunt, non

autem

A *Videri merito debet in hac materia & modo loquendi D. Greg.* Expoſi. moral. lib 13 in c.27. Iob. c. 12. Et lib. 34. In c.41 c.20.

autem quantum volunt, ſed quantum permittuntur facere poterunt. Et cum à Deo electis præualere permittuntur, in hoc ipſum conſtitui dicuntur.

Nomen autem Dei per Pharaonem omnibus innotuit, dum ipſe cum omnibus ſuis iuſtè interijt; & Deus ab eo oppreſſos, vt vaſa iam igne examinata in fornace, ſignis & prodigiis eripuit.

Diſcipulus.

De Iuda quoque ſcribitur: Vt Scriptura impleatur: qui manducat panem meum, leuauit contra me calcaneum ſuum. Et iterum: Nemo periit ex his quos dediſti mihi, niſi filius perditionis, vt ſcriptura impleatur.

Ioan. 13. 18. *Qui manducat panem meum, &c.*

Et cum ſcripturam ipſo Domino teſte impleri neceſſe ſit: quis niſi per omnia cæcus non videat, quod Iudas quadam vi neceſſitatis impulſus, Dominum prodiderit; maxime cum Dominus venerat pati, & neceſſe fuerit eum per aliquem tradi?

Magiſter.

B Ioan. 17. 12. *Quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex eis periit niſi filius perditionis, vt ſcriptura impleatur.*

Dominus quantum ad ipſum, non neceſſitate, ſed liberrima voluntate pati voluit: quia natura diuina impaſſibilis fuit: & hoc nobis fieri valde neceſſarium fuit; quos neceſſitas mortis ad interitum impulit.

Iudam nulla neceſſitas, ſed malitioſa voluntas inſtigauit ad proditionem; dum Dominum cum Iudæis odiſſe, quam cum Apoſtolis diligere maluit.

Similiter Iudæi nulla neceſſitate compulſi, ſed peſſima voluntate impulſi eum occiderunt; dum eum gratis odio habuerunt, quem ſignis & virtutibus conſtare doluerunt.

Iſai. 1. 18. *Fiaut dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter.*

Sed quia Spiritus ſanctus, cui omnia futura ſunt præſentia, qui talia eos velle facturos præſciuit: ita per Prophetas in Scripturis prædixit, ſicut poſtmodum totum contigit: tamen illa Scriptura nullam neceſſitatem volendi vel faciendi eis intulit. Sicut ego, ſi bellum præſcirem, & illud futurum prædicerem, verba mea non facerent bellum neceſſarium.

Diſcipulus.

Quid igitur quis hinc colligat; niſi neceſſarium fuiſſe, Chriſtum à Iudæis crucifigi, qui venerat ab eis occidi, quod vtique non feciſſet, ſi facere non debuiſſet?

C Pſ. 68. 5. *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis.*

Magiſter.

Et credis tu ſolos Iudæos Chriſtum occidiſſe? omnes iniqui ab initio vſque in finem mundi, conſenſerunt in necem Chriſti: quot enim iuſtitiam & veritatem odio habent; hi iuſtos propter iuſtitiam & veritatem, qui eſt, perſequuntur, & omnes mortis Domini rei inueniuntur. Vellent quippe, ſi poſſent, iuſtos omnes delere, quo ſecuri poſſent ſua deſideria abſque contradictione explere. Ergo ſi illi non feciſſent, ſimiles illorum perſeciſſent.

Diſcipulus.

Introductus per te interius, multa præclara conſidero: ſed multa ſigillata me non poſſe cernere doleo. Vnde rogo, vt, tradita tibi claue ſcientiæ, hæc clauſa mihi aperias, & iſta, inuoluta euoluens, me inſpicere facias.

Magiſter.

D

Tam diligenter pulſanti, Dominus per me proſpera reſpondens, arcana ſecretorum tibi aperiet.

Diſcipulus.

Quid nam cauſæ eſſe dicimus, quod Deus permittit eos diu errare, quos prædeſtinauit, perenniter ſecum regnare?

Magiſter.

Rom. 14. 5. Eccl. 11. Act 9. 4. c. 6. Luc. 7. 48.

Per hoc longanimitati patientiæ ſuæ prærogat, quod etiam diutius in errorem, vt Paulum, tolerat: quod vero eos repente ad pœnitentiam, vt idem Paulum & Mariam, reuocat: diuitias miſericordiæ ſuæ inſinuat. Pro his in mundum venit; pro his & mortem ſubijt.

Et quamuis pro peccatoribus mortuus ſit, Annæ & Caiphæ, Herodi & Pilato, mors eius non profuit, ſed multum obfuit; non idcirco ſolum quod in morte Domini conſpirauerant: ſed ideo, quia bonum gratis odio habuerant, & pœnitere neglexerant.

Ioan. 15. 25.

Cæterum electi quam plures, in nece Chriſti, quamvis ignoranter, conſenſerant, pro quibus ipſe & in cruce orauit, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*; & ſanguinem poſt credendo biberunt, quem prius ſæuiendo fuderunt.

E *Nota efficaciam orationis Chriſti Seruatoris in cruce.* Luc. 23. 34.

Diſcipulus.

Cum malefacta hominum Deo nihil noceant, & eorum benegeſta nihil conferant: cur eos poſt mortem ſegregat, & non omnes pariter & æqualiter in vnum locat?

Magiſter.

Vide hæc verba apud D. Gregor. Expoſi. moral. lib. 15. in cap. 17. Iob. c. 21. *vel ſecundum recentiorem editionem.* c. 8.

Rationi iuſtitiæ repugnat, vt iuſti cum iniuſtis, & è contra, locum obtineant, ... & multipliciter variando totam picturam diſtinguit.

F *Videtur hic aliquid ad perfectum ſenſum deſiderari.*

Ideo ſicut pictor opus ſuum coloribus variat: ſic Deus regnum ſuum, diſcretis ordinibus egregiè clarificat. Quis enim eſſet decor picturæ, ſi laquear totum cooperiret vno colore? nec pictura etiam poſſet dici. Nunc diuerſos colores diuerſis locis pingit: & ſic opus ſuum viſui delectabile reddit. Sic inſignitor lapidum varias gemmas diuerſis locis imprimit, & ſic opus ſuum pretioſius efficit.

Diſcipulus.

Ad quid vltimum iudicium reſtat?

Magiſter.

Iuſtitiæ ratio exigit, vt iudicium fiat; vt qui nunc ſe hypocriſi occultant, iniqui appareant; & qui nunc publicè in flagitiis gloriantur, dignis tunc ſuppliciis iuſtè ſubdantur; & qui leges contemnunt, iuſtitiam deſpiciunt, pauperes & iuſtos opprimunt, & per potentiam ſecuri ſunt, de rapinis florent, de damno aliorum gaudent, iuſtis inſultant, verba Dei calcant, pro talibus & his ſimilibus laudantur, per terrorem ab hominibus honorantur: hi, inquam, tunc à iuſtis hic oppreſſis, & gaudio ſequeſtrentur, & iniuſtis in ſupplicio conſocientur: Iuſti autem qui nunc iniuſtè oppreſſi ſunt, releuentur; & qui bene viuentes egerunt, remunerentur; & qui propter iuſtitiam in opprobrio erant, honorentur.

Diſcipulus.

Nunc, cur in paradiſo poſitus ſit homo; cum ibi permanſurus non eſſet, edicito.

G

Magiſter.

Protoplaſtus ad beatitudinem creatus, in paradiſo, id eſt, in loco voluptatis, locatus erat: ſed quia præceptum Domini ſeruare noluit, ideo contentor iuſtè exilium ſubijt; qui ſi nihil de paradiſi deliciis guſtaſſet, ſed acceptum mandatum violaſſet, nunquam forſitan pœnitentiam egiſſet, & ſic ſemper exul foret. Poſtquam vero expertam paradiſi dulcedinem, ſed citò amiſſam, ad memoriam reuocauit, graui ſe pœnitentia mulctauit. Ideo redijt: & ideo reditum meruit. De cuius mox vtero, quaſi de quodam caſtello: geminus exercitus, Electorum ſcilicet & Reproborum, prodijt: & acta hac re, certamen implacabili diſcordia inijt.

In hac itaque pugna magna in vtrumque certatur, & victores quidem laureati triumphantes aſtra petunt: victi autem confuſi, ad ima barathri deſcendunt.

Sta etiam hic: & conſidera vtrorumque inſtantiam.

De ciuibus Ieruſalem humilibus.

H

Aliquis per viam humilitatis, ab infantia incedit, & vſque ad ſenilem ætatem, ſemper in melius proficit. Omnes homines ſuperiores ſibi putat; ſe vero inferiorem omnibus æſtimat. Omnium actus laudat: ſuos reprobat.

De ciue Ieruſalem caſto.

Alius caſtitatis ſemitam arripit, magna cuſtodia ſenſus ſuos munit, & tamen omnes alios ſanctos computat, & ſe velut immundum iudicat.

De patiente.

Alius patientiæ callem calcat, vniuerſa dura & aſpera pro Chriſto patienter tolerat, alios manſuetos reputat, ſeipſum immitem cogitat.

De abſtinente.

Alius per abſtinentiæ iter graditur, magna caſtigatione carnis maceratur: & tamen alios in abſtinentia diſtrictiores honorando æſtimat; ſe vt voracem damnat.

A

De charitatem habente.

Alius per latitudinem charitatis incedens, non ſolum amicos in Deo, ſed etiam inimicos propter Deum diligit: contumelia accepta non ſolum poſcenti veniam, iniuriam laxat, ſed etiam ipſe reconciliari feſtinat.

Hæc & talia ſunt ciuium Ieruſalem itinera, quibus ab exilio properant ad æterna tabernacula.

De ciuibus Babyloniæ & de reprobis.

Verte te ad ciues Babyloniæ, & vide quales ſint, per quas tendunt, plateæ.

De luxurioſo.

Aliquis à primæua ætate à luxuria inchoat; & in hac inſatiabiliter vſque ad decrepitum perdurat, nunquam quid iam fecerit, ſed quid adhuc facere poſſit, pertractat.

De guloſo.

Alius voracitati & ebrietati à pueritia ſe ſubijcit, & vſque ad vltimam ſenectutem his inſiſtit.

B

De rapacibus & crudelibus.

Alius toto niſu rapere feſtinat. Alius furtis inuigilat. Alius crudelitate paſcitur. Alius lucris non ſatiatur. Hic inuidia tabeſcit. Hic vero immunditia ſordeſcit. Hic ſuperbia erectus, cunctos deſpicit. Hic odio plenus, cunctos mendaciis, & detractionibus afficit. Tales & tales ſunt plateæ reproborum, quibus irreuocabiliter feſtinant ad profunda inferorum.

De diuerſo modo pugnandi ciuium Hieruſalem, contra ciues Babyloniæ, & è contra.

Aſpice nunc etiam acies diuerſo modo ad pugnam inſtructas.

Reprobi iuſtorum verba & opera abominantur, & conſortia eorum deteſtantur, & refugiunt, omne eorum conſilium. Sæpe eos callidè circumueniunt; ſæpius bona eorum fraudulenter aut etiam violenter diripiunt; ſæpiſſime eos verberibus, vel etiam cruciatibus affligunt, aut

C

in membrorum truncatione, vel variis ſuppliciis interimunt.

Econtra: iuſti reproborum mores, vt graue pondus, ſufferunt, de miſerabili illorum conuerſatione gemunt, contagia eorum, quantum poſſunt, deuitant, citius ab illorum contubernio liberari optant, pro eorum ſalute Deo ſupplicant, neceſſaria quæ poſſunt, eis ſubminiſtrant.

De bona concordia ciuium Ieruſalem & mala concordia ciuium Babyloniæ.

Adhuc aliud conſidera.

Electi omnes in bono concordant, & bonum quod non præualent facere, in aliis amant.

Reprobi vero, in malo omnes concordes ſunt: in bono ſemper diſcordes exiſtunt, & ſi alicui illorum ab aliquo iuſtorum, forte increpationis vel admonitionis offertur verbum, omnes reſiſtunt: omnes pariter contradicunt: ipſi etiam qui non faciunt, quia bona quæ facere nolunt, in aliis odio habent, moleſte ferunt. Ideo eum

D

omnes, etiam quem non nouerunt, dignum odio dicunt, mendaciis detrahunt, iniuriis laceſſunt.

Contemplare diligenter, & videbis in iſto toto certamine, ſemper Cain paratum in acie contra Abel ſtare; & Iſmaël armatum aduerſus Iſaac; Eſau pugnare contra Iacob; Saul reſiſtere Dauid; Iudam in Dominum, & Simonem magum irruere in Petrum.

Vide etiam in hoc agone: qualiter ſæpe reprobi cum electis currere proponunt, & aliquando diu currunt, & in itinere fatigati, deficiunt, & turpiter vt canes ad vomitum redeunt.

Prou 26. v. 11. Et 2. Pet. 2 v. 22.

De ciuibus Babyloniæ in particulari, & primo de his qui ſunt Principes & Iudices ſuper alios.

Veni huc ad ſupercilium montis, vnde cuncta ædificia conſpicere poſſis damnatæ ciuitatis.

Intuere Principes & Iudices. Ecce poſita eſt in eis beſtiæ ſedes. Omni tempore ſunt ad malum intenti, ſemper in negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non ſolum faciunt, ſed & alios facere inſtruunt, ſancta vendunt, ſcelera emunt, totis viribus laborant, ne ſoli ad tartara veniant.

E

De Clericis & Sacerdotibus Babyloniæ.

Verte te ad Clerum, & videbis in eis beſtiæ tentorium. Dei ſeruitium negligunt, terrenis lucris inſeruiunt, Sacerdotium per immunditiam polluunt, populum per ſimulationem ſeducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes Scripturas ad ſalutem pertinentes abdicant, omnibus modis ſe laqueum & ruinam populo offerunt, quem cæcum ipſi cæci ad interitum præeunt.

De Monachis Babyloniæ.

Contemplare etiam Monachorum conciliabula, & videbis in eis beſtiæ tabernacula.

Per fictam profeſſionem Deum irridentes iram eius prouocant: normam eius regularem moribus & vita calcant: per habitum ſæculum fallunt: multos ipſi decepti

F

decipiunt: ſæcularibus negotiis implicati ſunt, id eſt, in ſeruitio Dei deſides exiſtunt: plerique illorum gulæ & illecebris dediti ſunt: quidam immunditiæ ſordibus computreſcunt.

De Monialibus Babyloniæ.

Proſpice etiam habitacula Monialium, & cernes in eis beſtiæ præparatum thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam diſcunt: complices ſibi quam plurimas ad cumulum ſuæ damnationis aſciſcunt: velo ſe operire feſtinant, quo magis fræna luxuriæ laxare queant omnibus fornicariis: ſtercore immunditiæ implentur: hæ mentes iuuenum illaqueant, & gaudent, ſi plures decipiant; & hæc vult habere palmam victoriæ, quæ aliis præualet in ſcelere.

De communi plebe ciuitatis Babyloniæ.

Verte te ad reliquam plebem, & inuenies beſtiæ ef-

G

figiem.

Sacerdotes deſpiciunt: de Deo quidquam audire contemnunt: totum tempus vitæ in vanitate & iactantia ducunt, & ad omne opus ſuum reprobi ſunt. Vulgus quoque indoctum beſtiæ habet idolum: Deum verum non noſcunt: Deo ventri tota intentione deſeruiunt: per varia carnis deſideria diffluunt, & per omnia vitam beſtialem ducunt.

De mulieribus Babyloniæ.

Veni huc ad huius vallis procliuia, & videbis monſtruoſa mulieris conuenticula. In his beſtia omnes ſuas pompas & monſtra poſuit; & has ſua arma ferre conſtituit. Vides qualiter iuuenes per luxuriam illaqueantur, illa multos veneno enecat: hæc viri vitam pro auro perdit, hæc partus ſuos occidit, hæc lites prouocat, altera bella inſtigat. Iſta maleficiis mentes hominum alienat, hanc vero nullus pecunia aut luxuria ſatiat, hæc videndo multos decipit, illa flendo pleroſque ſeducit, hæc ſunt huius ciuitatis propugnacula; & hæc ſunt

H

beſtiæ iacula.

Diſcipulus.

O Deus! Quanta prodigioſa conſpicio!

Magiſter.

Mœnia ciuitatis Babyloniæ vidiſti, deſtructionem quoque eius libet intueri. Nunc ciues Babylonij, cum ſint plures numero, ciuibus Hieruſalem ſemper inferunt bellum, qui apud eos in exilio poſiti ſunt. Poſtmodum vero, rex cœleſtis Hieruſalem Deus, cum exercitu Angelorum veniens, hanc perditam ciuitatem funditus ſubuertet, & electos ſuos inde liberans, in cœleſte palatium ſecum adducet, quibus tale nunc ſpectaculum præbet. Hanc quam vides Babyloniam, id eſt, huius mundi gloriam, cum ſuo principe diabolo, & omnibus huius ciuitatis ciuibus, ſcilicet huius mundi amatoribus, repente in ſtagno ignis & ſulphuris merget; & tunc omnia in meliorem ſtatum permutabit.

Diſcipulus.

A

Diſcipulus.

Magnum ſpectaculum præbuiſti omnibus hæc legentibus, ideo illi ſpectaculo te intereſſe concedat Deus. Et qua de cauſa erunt iuſti in gloria?

Magiſter.

Quia ſi ſine fine viuerent, ſemper iuſti eſſe vellent. Iuſtitia igitur exigit, vt ſemper beati ſint, qui ſemper iuſtitiam amplexati ſunt.

Diſcipulus.

Quæ autem eſt cauſa, quod iniuſti ſemper erunt in pœna?

Magiſter.

Quia ſine fine vellent viuere, vt ſine fine male facere poſſent. Igitur iuſtitia poſcit, vt nunquam ſupplicio careant, qui nunquam iuſtitiam volebant.

B

Diſcipulus.

Cur non poſſunt iuſti poſt reſurrectionem peccare?

Magiſter.

Quia ſic liberum arbitrium eorum confirmatum eſt, quod nihil mali volant; cum æquales Angelis erunt, & ideo in perpetuum beati erunt.

Diſcipulus.

Cur iniuſti ad bonum conuerti non poterunt?

Magiſter.

Quia bonum ſemper odio habent; & ideo miſeri in perpetuum erunt.

Concluſio ſiue recapitulatio huius libri.

Vt igitur noſtræ diſputationis ſententiam breui Epilogo concludam.

Propoſitum Dei eſt: numerum electorum ex Angelis & hominibus perfici.

C

Prædeſtinatio: iuſtos in beatitudine ſemper gloriari, iniuſtos ſemper in miſeria cruciari.

Præſcientia vel prouidentia: futurarum rerum ſemper præſens Dei inſpectio.

Neceſſitas: hominem poſt peccata mori.

Iuſtitia: Rectum velle.

Arbitrium: rectæ iuſtitiæ volendi iudicium.

Libertas: ſeruandi iuſtitiam poteſtas, vel arbitrium nolendi volendi iudicium.

Gratia: boni inſpiratio vel mali liberatio.

Meritum: perſeuerantia iuſtitiæ.

Præmium ſummum: beatitudo.

Supplicium: æterna miſeria.

Et quia quoſdam infantes vtpote baptizatos, ſola ſua iuſtitia non damnari, eſt ineuitabile, & quoſdam prouectæ ætatis, iuſtitiæ Dei per liberum arbitrium ſpretores, iuſtitia dictante, debitam pœnam euadere, eſt ineuitabile: Propter hoc, nomen huic libello imponitur.

D

Ineuitabile.

Hæc de Prædeſtinatione, Præſcientiâ & libero arbitrio offero filiis Eccleſiæ, quia eam deſpicient filij Babyloniæ. Sed quicunque hoc contempſerit vel impugnauerit, ſe de numero prædeſtinatorum non eſſe demonſtrabit. Qui vero quæſtionem poſt hæc de libero arbitrio mouerit, cæcus clara die in mortem offendit.

Diſcipulus.

Benedictus Deus qui hoc inſpirauit fratribus vt vellent me ad te dirigere; quatenus hæc mira mererer à tuo mellifluo ore percipere. Et reuera noveris, quod greges reproborum pro hoc venerando opere, magno te odio abominabuntur; & maximè ob hoc quod eoſdem per liberum arbitrium, filios vitiorum, immo dæmonum probaueris, deteſtabuntur. Magnas autem grates tibi perſoluet glorioſus cœtus ad vitam prædeſtinatorum, quod tam mirabile opus prompſiſti in laudem ipſorum. Et Sicut te audiui dicere; hoc quod eſt à Deo prædeſtinatum, vt quidquid electi iuſtè petierint, eis tribuatur; magnis precibus Dei clementiam exorant, vt te vltima dies in conſortio illorum inueniat. Amen.

E

APPROBATIO.

HIc Dialogus olim de Prædeſtinatione & libero arbitrio per R. D. Honorium Auguſtodunenſem, & nunc in confuſionem Georgij Caſſandri, per R. Patrem Priorem monaſterij S. Mariæ de Tongerlo S. T. L. Erutus, & lectus à pluribus, inuentus eſt ſincerus & liber ab omni errore; vt tutò eum pius lector legere poſſit, neglecto & vulcano commiſſo, quem Georgius Caſſander impiè ſub nomine huius Honorij Auguſtodunenſis imprimi curauit. Quod cenſeo 10. Decembris anno 1620.

F

Egbertus Spitholdius S. T. L.
Canon. & Pleb. Antverpienſis,
Librorum cenſor.

HONORII AVGVSTOdunenſis Presbyteri

QVÆSTIONES ET AD eaſdem reſponſiones, In duos Salomonis libros, Prouerbia & Eccleſiaſten.

PRÆFATIO.

QVOT nominibus vocatus eſt Salomon? Tribus,
ſicut ſacræ Scripturæ manifeſtiſſime docent: id
eſt, *Salomon, Idida, & Eccleſiaſtes.* Quare his G
tribus nominibus nominatus eſt? *Salomon*, id eſt, *paci-* 1.
ficus, dictus eſt ab eo, quod in regno eius pax fuit. *Idida* 2.
vocatus eſt, id eſt, dilectus Domini, quia dilexit eum
Dominus. *Eccleſiaſtes* qua lingua dicitur? Græca, nam 3.
hebraice* *Celeth* dicitur. *Celeth* autem & *Eccleſiaſtes* * Coheleth ſiue Coeleth.
quid ſonat in Latino ſermone? Ille quippe *Eccleſiaſtes* dicitur, qui cœtum Eccleſiæ congregat. Vnde rectè in Latino ſermone *Eccleſiaſtes* dicitur *concionator*, quia concionatur, id eſt, loquitur ad populum: & ſermo eius non ad vnum ſpecialiter, ſed generaliter dirigitur ad omnes. *Concionator* ergo recte in ſancta Eccleſia dici poteſt prædicator. Quot libros edidit Salomon? Tres tantum iuxta numerum vocabulorum ſuorum, hoc eſt, *Prouerbia Eccleſiaſten, Cantica canticorum.*

Quid ait Salomon in Prouerbiis? aut quid docet in
Eccleſiaſte, vel in Cantico canticorum? In *Prouerbiis* do- 1.
cet paruulum, & per varias ſententias inſtruit quaſi fi-
lium. In *Eccleſiaſte* vero iam perfectæ ætatis virum im- 2.
buit, vt intelligat, quia in huius mundi rebus nihil ſit
perpetuum, nihil glorioſum aut magnum, ſed omnia H
breuia & caduca & vana ſint quæ cernimus. In *Cantico* 3.
canticorum iam virum conſummatum, atque in omnibus & variis exornatum virtutibus, ſponſi Domini noſtri Ieſu iungit amplexibus. Specialiter autem quem ſignificat iſte Salomon, *Idida*, & Eccleſiaſtes? Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt noſter Salomon, id eſt, pacificans omnia per ſanguinem ſuum, *fecit vtraq; vnum:* hoc eſt, de duobus populis vnam conſtruxit Eccleſiam.
Vnde Apoſtolus: *Chriſtus*, inquit, *pax noſtra, qui fecit* Ephe. 2.
vtraque vnum. Ipſe eſt *Idida*, hoc eſt, dilectus Patris Fi- 14.
lius, de quo ipſe Pater ad diſcipulos ſuos ait: *Hic eſt* Matt. 17.
Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipſe eſt 5.
nimirum & Eccleſiaſtes, id eſt, concionator noſter, qui congregauit cœtum, id eſt, Eccleſiam ſanctam de vniuerſo
orbe terrarum, ad quam loquitur dicens: *Diſcite à* Matt. 11.
me, quia mitis ſum & humilis corde. Hic eſt filius Dauid,

A ad quem cæci clamabant in Euangelio, dicentes: *Miſerere noſtri fili Dauid.* Hic eſt etiam rex noſter Hieruſalem non terreſtris, ſed illius cœleſtis, quæ eſt mater omnium noſtrum.

IN PROVERBIORVM CAPVT PRIMVM.

verſ. 17. QVid eſt quod Salomon dicit. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum?* Nunquid non ſolent aues ſæpe retibus capi? Solent vtique; qui ſunt ergo iſti pennati?

Sancti & electi Dei, qui habent pennas fidei, ſpei & charitatis, cæterarumque virtutum. Habent & ſpiritales oculos, quibus & inſidias antiqui hoſtis præcauent,
B & peccata præuident. *Fruſtra* ergo, id eſt, in vanum: *iacitur rete ante oculos pennatorum*, id eſt, laqueus inſidiarum diaboli, obiicitur ſanctis & electis viris: quia facile in terra ſuperare poſſunt inſidias diaboli, qui ſuam conuerſationem habent in cœlis.

verſ. 20. Quæ eſt ſapientia de qua dicit Salomon, *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam?*

Chriſtus Ieſus, *qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia*, ſicut dicit Apoſtolus. Hæc ergo ſapientia quomodo foris prædicauit? Intus prædicauit, hoc eſt, in ſecreto, antequam pateretur: quia paucis, id eſt, ſolis diſcipulis, myſteria ſuæ diuinitatis oſtendit: poſt reſurrectionem verò ſuam foris prædicauit: quia miſſo deſuper Spiritu ſancto, aperte ſe per Apoſtolos, quod Dei filius eſſet, mundo prædicauit. Quomodo *in plateis* dedit vocem ſuam? Quia qui ante in ſecreto & in occulto & in vno populo Iudæorum prædicauerat, poſtea in latitudine plebium & turbis gentium, manifeſtè prædicauit per
C Apoſtolos, iuxta hoc quod eis præcepit, dicens: *Quæ dico vobis in tenebris*; id eſt, in occulto, *dicite in lumine*, id eſt, in manifeſto: *& quod in aure auditis*, id eſt, in ſecreto, *prædicate ſuper tecta*, id eſt, aperte & coram hominibus.

verſ. 21. Quomodo intelligendum eſt quod ait, *In foribus portarum vrbis profert verba ſua?*

Per *vrbem* ſancta deſignatur Eccleſia, coadunata de vtroque populo, Iudæorum videlicet & gentium. *Fores portarum vrbis huius*, ſancti doctores fuerunt, qui verbum Euangelij prædicando, credentes in eam introduxerunt. Sapientia ergo *in foribus portarum prædicauit verbum ſuum*, quando Chriſtus in Apoſtolis ſuis loquebatur.

IN CAPVT II.

verſ. 1. QVid eſt quod ait, *Inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam?* Quomodo poteſt homo inclinare cor?

Ille inclinat cor ſuum ad cognoſcendam prudentiam, qui humiliat ſe, & emendat animam ſuam à peccatis, vt dignus fiat ad percipienda myſteria diuinitatis.

D

IN CAPVT III.

verſ. 5. QVid eſt, *Ne innitaris ſapientiæ tuæ?* Quis enim innititur ſapientiæ ſuæ?

Ille qui ſua ſapientia, aut ſuis viribus confidit ſe poſſe implere diuina mandata.

verſ. 7. Ecce iterum dicit, *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Quis enim ſapiens apud ſemetipſum?

Ille certè qui ſe præ cæteris extollit, quaſi doctior, & iactat de his quæ ex dictis Patrum rectè cognoſcere & intelligere potuit.

Quæ eſt vera ſapientia?

Dominum timere, & recedere à malo.

Vnde ſcis quod hæc ſit vera ſapientia hominis?

Quia in libro Iob ſcriptum eſt: *Ecce timor Domini, ipſe eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia.*

verſ. 13. Quis eſt homo ille de quo Salomon ait, *Beatus homo qui inuenit ſapientiam?*

Qui doctrinam veritatis, id eſt, Euangelij, aure corporis ſimul & cordis percipit, & in Scripturis ſacris Domini voluntatem ſtudet cognoſcere. E

Quando *affluit prudentia?* Ibid.

Quando cum magno amore & ſui cordis delectatione audit præcepta diuina, & opere ſtudet implere.

Quid eſt quod ait. *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ?* verſ. 17.
Quæ ſunt iſtæ *ſemitæ*, aut quæ ſunt hæ *viæ* ipſius?

Viæ ſapientiæ, ſunt actiones Domini, quas geſſit in carne, ſiue doctrinæ ipſius quæ continentur in libris Euangeliorum: quæ viæ pulchræ ſunt, quia diuinæ. *Semitæ ſapientiæ*, ſunt mandata & præcepta Domini: quæ ſemitæ rectè dicuntur pacificæ, quia omnia præcepta Domini ad pacem æternam perducunt.

De qua lege, aut de quo conſilio dicit Salomon, cum ait: *Cuſtodi legem meam atque conſilium meum?* verſ. 21.

De lege & conſilio ſapientiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ eſt lex ſapientiæ, quæ dicit: *Si vis ingredi ad vitam ſerua mandata:* id eſt, *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies*, &c. F

Quid eſt quod ait, *Abominatio Domini eſt omnis illuſor?* verſ. 32.
Quis eſt illuſor?

Qui verba Dei quæ cognoſcit, implere contemnit. *Illuſor* eſt hæreticus, qui verba Dei peruersè intelligendo & docendo corrumpit. Et ille eſt illuſor; qui magna Dei promiſſa quaſi parua deſpicit, & pœnam æternæ damnationis quaſi tolerabilem ſpernit. Iterum: *Illuſor* eſt, qui ſuos proximos ſimplices & pauperes inſultando contemnit. Omnes hos tales abominatur Dominus, *&* verſ. 32.
cum ſimplicibus eſt ſermocinatio eius: quia illos gratia cœleſtis ſapientiæ illuminat, qui in ſe nihil duplicitatis habent.

IN CAPVT IV.

QVare Salomon dicit, *Et ego Filius fui Patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea?* Quomodo verſ. 3.
fuit vnigenitus coram matre ſua, cum præceſſit eum veterinus frater, ſicut ſcriptura libri Regum teſtatur? G

Verum quia præceſſit eum frater, ſed ille mox vt natus eſt, quaſi nunquam fuiſſet, ſine nomine de hac vita diſceſſit, propterea iſtum *vnigenitum* appellat.

IN CAPVT V.

QVid eſt quod dicit, *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli?* De quo honore dicit, aut quos verſ. 9.
vocat alienos?

De quo? *Factus eſt homo ad imaginem Dei.* *Alienos*, Gen. 1.
vocat dæmones, & eſt ſenſus: Ne honorem tuum (quod ad imaginem Dei creatus es) male viuendo, ſubdas immundis ſpiritibus.

Quem appellat *crudelem*; aut de quibus *annis* dicitur?

Annos, vocat ſpatia vitæ: *crudelem*, diabolum. Et eſt ſenſus: Spatia vitæ quæ tibi dedit Deus, malè viuendo ne tradas diabolo. H

De qua *ciſterna* dicit Salomon, aut de quo *puteo* fluenta, cum dicit: *Bibe aquam de ciſterna tua & fluenta* verſ. 15.
putei?

Ciſternam vocat catholicam; id eſt, veteris ac noui teſtamenti doctrinam: *puteum* vero, profunditatem & altitudinem eiuſdem catholicæ doctrinæ. *Aquam*, ſcientiam: *fluenta*; copiam & abundantiam ſcientiæ, varios ſacræ Scripturæ appellat intellectus. Docet enim verbis his cauere à doctrina hæreticorum, & attendere lectionibus ſacrarum ſcripturarum. Et eſt ſenſus: *Bibe aquam de ciſterna tua*, ſerua & opere imple doctrinam quam aliis prædicas: & fluenta putei, id eſt, abundantia ſermonis tui ſeu ſcientiæ, affluenter redundet in te in operibus bonis.

Quare dicit Salomon, *Deriuentur fontes tui foras, & in* verſ. 16.
plateis aquas tuas diuide: cum ſtatim ſubiungat: *Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui?* Si fontes noſtros

A foras deriuamus, & in plateis aquas diuidimus, quomodo ſoli eas habere poſſumus?

Quamuis in verbis videatur contrarietas, tamen non eſt, quia hæ ſententiæ non poſſunt niſi ſpiritaliter intelligi. Fontes ergo noſtros *deriuamus*, quum aliis vim prædicationis infundimus, quum verba ſacræ ſcripturæ annunciamus. *In plateis aquas diuidimus*, quum populis
Πλατεῖα prædicamus. *Platea* namque dicta eſt à latitudine, eſt enim græcus ſermo. In plateis ergo aquas diuidimus, quando in multitudine auditorum verba ſcientiæ dilatamus, & iuxta vniuſcuiuſque qualitatem diuina eloquia diſſipamus. Si in plateis aquas diuidere debemus, quomodo ergo eas ſoli habere debemus, quas in plateis diuidimus? Quando aliis verba diuina prædicamus, & tamen ſoli aquas habemus, quia de ipſa prædicatione humanas laudes non quærimus.

IN CAPVT VII.

B
verſ. 3. QVid eſt quod Salomon dicit de lege ſua, *Liga eam in digitis tuis, ſcribe illam in tabulis cordis tui?* Quis enim legem in digitis ligare poteſt? aut ſi fecerit, quæ erit vtilitas?

In digitis, hoc eſt, in actibus. Legem in digitis ligat, quicunque eam bonis operibus implet & ornat: *in tabulis cordis*, hoc eſt, in latitudine cogitationis. Scribit ergo legem in tabulis cordis ſui, qui eam cum gaudio ſuſcipit, & memoriæ commendat.

IN CAPVT VIII.

QVid eſt quod ſapientia dicit: *Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo* (id eſt, coram patre omnipoten-
verſ. 30. te) *omni tempore, ludens in orbe terrarum?* Nunquid ſapientia, id eſt, Dei Filius pueriliter ludebat coram patre?

Abſit. Sed quid eſt quod dicit, *ludens?* id eſt, gaudens?
C *Ludebat enim per ſingulos dies*, id eſt, gaudebat ſe vnum eſſe, hoc eſt, vnius ſubſtantiæ cum patre à principio ex diebus æternitatis.

Quomodo ludebat *omni tempore* in orbe terrarum?

Quia cum tempore orbis & creaturæ eſſe cœpiſſent, ipſe filius gaudebat, quia quod erat ſemper in patre manebat.

IN CAPVT IX.

verſ. 1. QVid eſt quod ait, *Sapientia ædificauit ſibi domum?*

Quia in domo ædificauit ſibi ſapientiam. Sapientia, id eſt, Dei Filius Dominus Ieſus Chriſtus, ædificauit ſibi domum, quia ipſe creauit hominem in vtero virginis, quem in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit.

Quomodo *excîdit columnas ſeptem?*

Septem columnas excîdit, quia per ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti erexit Eccleſias per orbem terrarum, quæ ſicut columnæ ſuſtentando continent memoriam nominis eius, id eſt, myſterium eius incarnationis. Po-
D teſt & aliter intelligi: Sapientiæ domus, Eccleſia *Chriſti* eſt: columnæ autem domus huius, ſancti doctores. Quæ columnæ bene ſeptem eſſe dicuntur, quia ſancti doctores repleti ſunt ſeptiformi gratia ſancti ſpiritus. Quomodo ergo excîdit ſapientia has columnas? Excîdit columnas, quia mentes prædicatorum ab amore præſentis ſæculi ſeparauit, & erexit eos ad portandam eiuſdem Eccleſiæ fabricam.

verſ. 3. De quibus ancillis dicit Salomon, *Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis?*

Ancillas vocat, ſanctos Apoſtolos. Quare vocat eos *ancillas?* propter inſipientiam, infirmitatem, & paupertatem: quia idiotas, infirmos, & pauperes & deſpectos elegit Apoſtolos, quos ad prædicandum miſit in mundum, vt fideles populos vocarent ad arcem æternæ beatitudinis, & ad mœnia Hieruſalem cœleſtis.

IN CAPVT X.

E

QVis eſt *Filius ſapiens* qui lætificat patrem? aut quis eſt verſ. 1.
filius ſtultus qui mœſtitia eſt matris ſuæ?

Ille qui accepta fidei ac baptiſmatis myſteria bene ſeruat; & opere implet, *filius ſapiens eſt*: iſte proculdubio lætificat Deum patrem. Qui vero accepta fidei ac baptiſmatis myſteria, malis operibus vel hæretica prauitate corrumpit, *filius ſtultus eſt*: hic nimirum mœſtitia eſt matris ſuæ, ſanctæ videlicet Eccleſiæ, quia contriſtat eam.

Quid eſt quod dicit Salomon, *Stultus labiis verberabitur?* quomodo poteſt homo ſtultus labiis verberari?

Verberatio in hoc loco damnationem ſignificat. Stultus ergo labiis verberabitur, quia propter verba iniqua & mala quæ locutus eſt, condemnabitur. Vnde & alibi
dicitur: *Mors & vita in manibus linguæ: quoniam vnuſ-* Prou. 18. 21.
quiſque aut ex verbis ſuis iuſtificabitur, aut ex verbis ſuis F
condemnabitur. Cur *lingua* dicitur habere *manus*, cum Lingua.
manus habere non poſſit? Metaphorice dictum eſt, hoc eſt, ſecundum tranſlationem, quemadmodum venti dicuntur habere pennas. Manus etenim linguæ, ipſa verba ſunt, quibus aut bene loquendo meretur vitam, aut male loquendo meretur mortem. Aliter. Per manus ſæpe in
Scripturis ſacris opera deſignantur, vt illud: *Labores* Pſ. 127. 2.
manuum tuarum quia manducabis. In manibus linguæ dicit, hoc eſt, in operibus. Opera etenim linguæ, ſunt colloquia bona vel mala, ex quibus mors naſcitur, aut vita.

Quis eſt iſte piger de quo dicit Salomon: *Sicut acetum* verſ. 26.
dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt illum?

Piger eſt, male viuens Catholicus, qui non laborat neque operatur, vt ad æternam beatitudinem peruenire mereatur. Per *acetum & fumum*, hæreticorum deſignatur perfidia: per oculos & dentes, prædicatores ſanctæ Ec-
cleſiæ. Qui bene *oculi* dicuntur, quia recta itinera præ- G
uident: pulchrè etiam *dentes*, quoniam ſpiritalia alimenta fidelibus miniſtrare ſolent. Ergo ſicut *acetum dentibus, & fumus oculis*, id eſt, ſicut perfidia hæreticorum contraria eſt bonis doctoribus, quia contriſtat eos, & moleſtiam gignit & lachrymas: ſic *piger*, id eſt, malus catholicus, grauis eſt eiſdem bonis doctoribus, qui miſerunt eum, hoc eſt, qui iuſſerunt vt fidem ſuam operibus impleret. Ideo grauis eſt, quia fidem prauis operibus deſtruit.

IN CAPVT XI.

QVid eſt quod ait, *Manus in manu, non erit innocens malus?* Quomodo malus homo manus in manu, & ideo non erit innocens?

Qui manum iungit ad manum, nihil operatur. Mali ergo quamdiu manus in manu fuerint, non erit innocens: quia ſi ad tempus ſubtrahit manus ab opere malo, tamen, quamdiu malus, innocentiam cordis habere
non poteſt, vnde, iam dictum: *Abominabile eſt Domino* H
cor prauum. Prou. 11. 20.

Quomodo intelligendum eſt quod ait, *Circulus au-* verſ. 22.
reus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua?

Hoc eſt, ſi circulum aureum in naribus porci infixeris, ille dum pergit terram vertere ac fodere naſo, immergit circulum aureum in volutabrum luti, & tunc perdit circulus aureus decorem quem habuit. Similiter ergo mulier fatua, ſi habet pulchritudinem vultus, vel ſi accipiat ornamenta inaurium, monilium ſimul & veſtimentorum, ſordidat pulchritudinem vultus, & amittit decorem, ſi ſe cœno libidinis coinquinare diligit, & adulteriis corrumpit.

Spiritualiter autem quomodo intelligenda eſt hæc ſententia? Quicunque ſacras Scripturas intente meditatur, & iugiter perſcrutatur diuina eloquia, accipit ornamentum ſcientiæ: quod ſi male viuendo corrumpit, & deſtruit quod intelligit, circulum aureum habet in naribus, ſed more ſuis terram fodiendo coinquinat, & luto

A immergit : quia ornatum per quem notitiam Scripturarum accepit, immunda actione ſordidauit. Talis anima, pulchra mulier & fatua eſt : *pulcira* quidem per ſcientiam, ſed dedita carnalibus delectationibus, *fatua* eſt per actionem.

verſ.25. * qui * ipſe. Quid eſt quod ait, *Anima quæ benedicit, impinguabitur : & * quæ inebriat, * ipſa quoque inebriabitur ?*

Plures namque ſunt qui inebriant alios, ſed ipſi non inebriantur : non dicit hoc de corporali ebrietate, ſed de ſpiritali : *Anima ergo quæ benedicit, impinguabitur :* quia quicunque exterius prædicando benedicit, ſpiritalem pinguedinem accipit, id eſt, ſpiritali gratia augetur & creſcit. Similiter qui ſacro eloquio mentes ſubditorum ſtudet inebriare, inebriabitur & ipſe, quia ſancti ſpiritus gratia repletur.

Quare non dixit, *homo*, ſed, *Anima quæ benedicit, impinguabitur ?*

B In Scripturis diuinis ſæpius poni ſolet pars pro toto,
Ioan. 20. 15. id eſt, *anima* pro *toto homine.* Totum vero ponitur etiam pro parte, vt illud : *Tulerunt Dominum meum : Dominum* dixit, pro *corpore Domini.*

verſ.26. Quis eſt ille de quo dicit, *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis ?* Nunquid propterea maledicendus eſt aliquis, quod non omnibus frumenta ſua manifeſtat ?

Frumenta, ſanctæ prædicationis ſunt verba. Ergo quicunque abſcondit hic frumenta, id eſt, ſanctæ prædicationis verba apud ſe retinet, & non vult aliis annunciare diuina eloquia, iſte maledicitur in populis, quia pro culpa ſilentij condemnabitur, quia multis prodeſſe potuit : ſed quia noluit, ideo pro multorum pœna ipſe punietur.

Qui ſunt illi qui vendunt frumenta, de quibus mox ſubditur : *Benedictio autem ſuper caput vendentium ?*

Illi *vendunt frumenta*, qui verba vitæ & ſanctæ prædicationis ſuis annunciant. Quod precium accipiunt
C ab eis ? precium fidei & ſanctæ confeſſionis. Quomodo *veniet benedictio ſuper caput eorum ?* Quia ſingulis eorum dicturus eſt Dominus : *Euge ſerue bone & fidelis, atque, intra in gaudium.*

verſ. 29. Quid eſt quod ait, *Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventos ?* quomodo poteſt aliquis poſſidere ventos ?

Domum in hoc loco mentem appellat, id eſt, qua vnuſquiſque veluti in domo habitat per cogitationes. *Ventos, immundos ſpiritus* vocat. Qui ergo domum, id eſt, mentem, malis & noxiis cogitationibus perturbare non timet, iſte nimirum poſſidebit ventos, quia per malas cogitationes viam facit dæmonibus, vt ingrediantur & inhabitent in ipſo.

IN CAPVT XII.

verſ.4. QVomodo *mulier diligens eſt corona viro ſuo : & putredo in oſſibus eius, quæ confuſione res dignas gerit ?*

Mulier bona & caſta, honorem præbet viro ſuo in
D omnibus : & quia diligit eum, & benè regit eum & domum eius, corona eſt illi, quia eius virtutibus addit gratiam, vnde coronetur à Domino. Adultera vero mulier quamvis videatur ſpecioſa, putredo tamen in oſſibus eius eſt, quia intus fœtore luxuriæ membra ſua coinquinat.

verſ.9. Quomodo intelligendum eſt quod dicit, *Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quam glorioſus indigens panè ?*

Verè *mulier* eſt, idiota & ſimplex qui operatur bona quæ nouit, vnde vitam æternam meretur habere in cælis, quàm *glorioſus*, id eſt, clarus doctrina & eruditione ſcripturarum, vel opertus Doctoris officio, qui indiget pane dilectionis, quia nec Deum diligit, nec proximum : vel certè ideo pane indiget, quia non operatur quod intelligit aut docet.

verſ.23. Quis *homo verſutus qui celat ſcientiam ?*

Verſutus, in hoc loco in bona ſignificatione ponitur, id eſt, ſapiens & prudens. Vir ergo verſutus, id eſt, ſapiens & prudens ; aliquando de induſtria cælat ſcientiam duabus ſcilicet de cauſis : vna, quia infirmis auditoribus non poteſt loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, id eſt, magna ſcripturarum ſanctarum myſteria quæ nouit, non audet illis manifeſtare, ne forte ſcandalizentur : altera, quia non vult ſanctum dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos. E

IN CAPVT XIII.

QVid eſt quod ait, *Vult piger & non vult ?* Si ergo vult, quomodo non vult ?

Per pigrum ille deſignatur, qui ſe non vult exercere in bonis operibus. Vult ergo piger regnare, & non vult laborare pro Deo : vult peruenire ad beatitudinem, & non vult Chriſti præcepta implere, vt beatitudinem mereatur obtinere. De hoc enim Iacobus dicit : *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* verſ.4. Iac.1.8.

Quis eſt nuncius impij de quo dicit, *Nuncius impij cadet in malum ?* verſ.17.

Nuncius impij, id eſt, angelus diaboli, Arrius fuit & Sabellius, cæterique hæretici : vel etiam ſuſurrones, angeli vtique ſatanæ, iſti nimirum cecidere in malum, id eſt, in æternæ gehennæ tormentum. F

Quis ergo eſt legatus fidelis de quo ſequitur : *Legatus autem fidelis ſanitas ?*

Legatus fidelis, eſt vnuſquiſque catholicus prædicator & doctor, qui ſibi ſuiſque auditoribus ſanitatem & ſalutem acquirit æternam.

IN CAPVT XIV.

QVare dicit, *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iuſtorum :* cum in hac vita magis ſoleant boni iacere ante malos, & iuſti ante portas impiorum ? verſ.19.

In nouiſſimo iudicio coronatis iuſtis, mali & impij condemnabuntur, qui eos in præſenti vita affligebant & idcirco dicit : *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iuſtorum.* Attamen quod dicit, non ad vicinitatem locorum pertinet, quoniam boni & mali non ſibi erunt tunc vicini, ſed pertinet ad viſionem bonorum, quoniam boni ſemper videbunt tormenta malorum, vt Deo liberatori ſuo maiores ſine fine referant grates. G

IN CAPVT XVI.

QVid eſt quod ait, *Pondus & ſtatera iudicia ſunt Domini ?* verſ. 11.

Quia ſicut ipſe voluit, vnicuique *menſuram* & gratiam dedit *fidei.* 1. Cor. 10.

Quos appellat, *lapides * ſaculi ?* al. ſacculi.

Iuſtos & fortes in fide. *Omnes* ergo *lapides ſaculi*, id eſt, ſancti & electi Dei, opera ſunt Domini : quia nemo ſua virtute, nemo ſuo merito electus eſt à Domino, vt cæleſti ædificationi aptus eſſet, ſed ſola miſericordia ipſius.

IN CAPVT XVII. H

QVid eſt quod dicit, *Corona ſenum filij filiorum, & gloria filiorum, Patres eorum ?* Si mali ſunt filij filiorum, quomodo gloria ſunt Patrum ſuorum ? & ſi Patres mali fuerint, quomodo ſunt gloria filiorum ? verſ.6.

Senes in hoc loco Patriarchas appellat & Prophetas, quorum filij ſunt Apoſtoli, & Filij filiorum, ſucceſſores Apoſtolorum, videlicet ſancti prædicatores, omnes iſti *corona ſenum* ſunt, id eſt, Patriarcharum & Prophetarum, quia digna laude celebrant, per quorum exempla & vaticinia ad cognitionem gratiæ peruenerunt. Quomodo *Patres ſunt gloria filiorum*, magna quippe gloria eſt prædicatoribus noui Teſtamenti, quia filij veterum, id eſt, Patriarcharum eſſe meruerunt.

Quid eſt quod dicit, *Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum ?* Nunquid ille qui clauſam aquam decurrere dimittit, iurgia concitat : aut nunquid non magis vinum quam aqua iurgia concitare ſolet ? verſ.14.

Figuratiue hoc dictum eſt, nam per *Aquam* deſignata eſt lingua leuis & fluxa & immoderata, quæ inſtabilis

A *Lingua fluxa.* eſt ſicut aqua. *Qui* ergo *dimittit aquam*, hoc eſt, immoderate relaxat linguam ſuam, *caput eſt iurgiorum*: quia qui linguam ſuam non refrenat, lites & iurgia concitat, & concordiam diſſipat.

IN CAPVT XVIII.

verſ. 16. QVid eſt quod ait, *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpatium ei facit*: quod eſt *donum hoc quod dilatat viam hominis, & facit ei ſpatium ante principes*?

Donum hoc, donum eſt charitatis ſiue aliarum virtutum, quas à Domino fideles accipiunt, hoc videlicet donum dilatat viam eius, id eſt, actionem: quia vnuſquiſque fidelis quanto amplius gratia Spiritus ſancti intus replètur, tanto magis viam ſuam foris dilatat, id eſt, bonorum operum greſſum multiplicat, quæ quotidie in ſanctis deſideriis & bonis operibus creſcit & augetur. Hoc *donum quomodo facit homini ſpatium ante principes*?
B quia inter magnos Eccleſiæ rectores, in futuro tribuit ei culmen honoris, & gloriam æternæ beatitudinis.

IN CAPVT XIX.

verſ. 24. QVare dicit, *Abſcondit piger manum ſub aſcella, nec ad os ſuum applicabit eam*? Quis eſt enim tam piger, qui comedendo vel bibendo ad os ſuum manum non applicet?

Qui abſcondit manum ſuam ſub aſcella, non vult vtique ad aliquod opus vel ad laborem extendere illam. Ergo per pigrum deſignatur vnuſquiſque ſegnis & deſidioſus prædicator, qui non vult opere implere quod docet. Manum quippe ad os porrigit, qui ſtudet opere implere.

IN CAPVT XX.

verſ. 4. QVis eſt ille piger, de quo dicit, *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei*: Quid ſi piger tempore frigoris arare noluerit, nunquid
C æſtatis tempore qui ſibi aliquid tribuat, inuenire non poterit?

Sæpe etenim pigri, & frigoris & æſtatis tempore inueniunt qui ſibi tribuant eleemoſynam fideles. Sed *piger* in hoc loco illum ſignificat, qui propter deſidiam & huius mundi aduerſitatem, quæ per frigus deſignantur, in Dei ſeruitio negligit laborare, idcirco in die iudicij mendicabit, quia non habebit opera bona, pro quibus æternam mereatur accipere beatitudinem: quoniam quæcunque ſeminauerit homo, hæc & metet. Cur ergo dies iudicij æſtati & regnum Dei comparatur? Quia tunc omnia noſtræ triſtitiæ nubila tranſibunt, & vitæ illius dies, æterni ſolis claritate fulgebunt.

verſ. 10. Quid eſt quod ait, *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque eſt abominabile apud Deum.*

Pondus & pondus, menſura & menſura, dicit *diuerſum pondus, & diuerſam menſuram.* Quantum ergo ad literam, quicunque in domo ſua varium habet pondus, variamque menſuram, propter hoc vtique habet, vt aliter
D libret & metiatur ſibi, atque aliter proximo, quod eſt
Leu. 16. 39. *abominabile Domino.* Vnde in Lege Moyſi Dominus præcipiens dicit: *Sit tibi æquus modius, iuſtuſque ſextarius.* Spiritualiter autem quomodo intelligi debet? Ille in domo ſua diuerſum habet pondus & diuerſam menſuram, qui ſemper in ſuis actibus quærit vnde ipſe laudetur, & in aliorum actibus perſcrutatur vnde illi vituperentur, iſte quoque talis abominabilis eſt Domino: quia nimirum quantum ſibi placere deſiderat, tantum diſplicet Deo, qui omnia ſecreta rimatur cordium.

verſ. 14. Quomodo intelligendum eſt quod ait, *Malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerint, tunc gloriabitur*?

Secundum literam, ſolet emptor vituperare quod emere deſiderat, & dicit, *malum eſt, malum eſt.* Verumtamen ſi bene emerit, cum receſſerit, gloriabitur. Spiritualiter
» autem quomodo intelligitur? Ille veraciter eſt em-
» ptor, qui ſibi æterna præmia in cœlis comparare deſiderat. Ipſe nimirum emere ſtudet terrenis cœleſtia, caducis
E manſura, tẽporalibus æterna. Talis ergo emptor quicquid patitur in præſenti, malum eſſe dicit, quia eſſe intelligit. Attamen quia aduerſa omnia patienter ſuſtinet pro Deo, cum receſſerit de mundo, tunc gloriabitur, quia perueniet ad beatitudinem.

Item quomodo intelligendum quod paulo poſt dicit,
verſ. 21. *Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*?

Hæreditas hæc, acquiſitio auaritiæ poteſt intelligi. Ergo quicunque per auaritiæ nequitiam in hac vita diuitias multiplicare deſiderat, neceſſe eſt vt in futuro æternæ hæreditatis benedictionem amittat. Aliter: Quicunque pro humana laude bona opera quærere deſiderant, in principio quaſi ad hæreditatem feſtinant. Ideo in nouiſſimo benedictione carebunt, quia nullam remunerationem
Matt. 6. 2. percipiunt à Deo, de talibus ſcriptum eſt: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*

F Quid eſt quod ait, *Ruina hominis eſt deuotare ſanctos,*
verſ. 25. *& poſt vota retractare*?

Deuotare ſanctos, id eſt, voto ſe obligare. Impij autem deuotabunt ſanctos, quia voto ſe obligant vt perſequantur ſanctos, & occidant eos: quemadmodum * *ſeptuaginta* viri, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, *deuouerunt ſe non manducare nec bibere, donec occiderent Paulum*, & pagani ſæpe (vt legimus) diis deuouerunt ſanguinem Chriſtianorũ. Quid eſt *poſt vota retractare*? Poſt vota promiſſa tractare, eſt ſanctos perſequi, & detrahere, & quaſi vile mancipium contemnere. Quomodo ergo ruina eſt hominis deuotare ſanctos, & poſt vota tractare? Si enim peccatum eſt cum aliquis ſanctos Dei perſequitur, aut offendit, aut lædit: & idcirco ruina eſt illi, quia perſequendo ſanctos, æternæ damnationis ſibi parat interitum.

* *Quadraginta amplius.* Act. 23. 21.

IN CAPVT XXI.

QVomodo intelligendum eſt quod ait, *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis* (tantum) *eſſe in manu Dei*, & non
G omnium hominum, cum alibi ſcriptum ſit, *In manu eius*
Pſal. 94. 4. *ſunt omnes fines terræ*? Si omnes fines terræ in manu eius ſunt, hoc eſt, in poteſtate Dei, an non & corda omnium hominum in manu eius ſunt?

Regem in hoc loco non illum ſolum debemus intelligere, qui rex eſt ſolo nomine, & temporaliter aliis imperat, ſed vnumquemque virum ſanctum, fidelem atque religioſum Chriſtianum, cuius milites ſunt ſacræ virtutes, & ipſe vitia in ſe vincere nouit. Sicut ergo Dominus multifariis diuiſionibus aquarum, late fines terrarum & aëris implet: ita cor regis, quocunque voluerit, conuertit: quoniam ſicut diuiſiones gratiarum Angelis & hominibus iuxta voluntatem ſuam tribuit, ita corda regum, id eſt, ſanctorum, variis doctrinis replet, & diuerſis ornat virtutibus.

verſ. 16. Quis eſt *vir qui errauerit à via doctrinæ, & in cœtu gigantum commorabitur*?

Gigantes pro dæmonibus. *Gigantes* appellat immundos ſpiritus, id eſt, dæmones, de quibus & beatus Iob dicit: *Ecce gigantes gemunt*
H *ſub aquis: & qui habitant cum eis*, id eſt, dæmones, &
Iob. 26. 5. omnes quos ipſi decipiunt, & qui ſibi conſenſerunt, ſub pœnis torquentur. Quare *dæmones* appellantur *gigantes*? Quia dæmones ſuperbi & elati ſunt, & male fortes, ſicut olim fuerunt gigantes. In cœtu ergo iſtorum gigantum, id eſt, dæmonum, commorabuntur omnes qui errauerint à via doctrinæ, id eſt, à via veritatis, quia ſimul cum dæmonibus torquentur.

Quæ eſt ciuitas fortium? vel quis eſt ſapiens de quo
verſ. 22. dicit, *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ eius*?

Ciuitatem appellat mundum: *fortes*, dæmones. Mundus iſte quondam ciuitas fortium erat, quia idolorum cultui deditus, dæmonibus ſeruiebat, & fiduciam vitæ in cultu eorum habebat, qui non ſunt dij, ſed opera manuum hominum. Quis eſt iſte *ſapiens* qui hanc ciuitatem aſcendit? Ille filius Virginis Dominus Ieſus

Chriſtus,

A Chriſtus, Dei virtus & Dei ſapientia, qui tunc hanc ciuitatem aſcendit, quando natus in carne, viſibilis mundo apparuit. Ipſe nimirum deſtruxit robur fiduciæ eius quia ſubuertit & abſtulit de mundo cultum deorum, in quibus confidebant gentiles.

IN CAPVT XXII.

verſ. 14. QVid eſt quod ait, *Fouea profunda eſt os alienæ?* Quæ eſt *aliena*, cuius os magna fouea?

Os alienæ, dicit os meretricis. Qui ergo verba meretricis libenter audit, & oſcula eius libenter ſuſcipit, quaſi ianuam pulſat profundæ foueæ, id eſt, inferni. Ergo niſi ſe cito ab eius colloquio vel oſculo ſubtrahat, deſerente ſe Deo, illico mergetur in profundum mortis; & hoc eſt quod addidit, *Cui iratus eſt Dominus, incidet in illam.*

verſ. 17. Quid eſt quod ait, *Appone cor ad doctrinam meam.*
verſ. 20. Et paulo poſt ſubiungit: *Ecce deſcripſi eam tripliciter, in*
B *cogitationibus & ſcientia, vt oſtenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis?* Quomodo deſcripſit tripliciter doctrinam & ſcientiam? aut quid eſt, *cor apponere ad doctrinam?*

Cor apponere, eſt intelligere doctrinam ſanctam & iuſtam. *Tripliciter vero deſcripſit ſuam doctrinam*, quia vnicuique præcepit vt eam ſtudeat implere *cogitatione, ſermone, & opere.*

verſ. 28. De quibus terminis dicit, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui?*

Terminos antiquos dicit terminos veritatis & fidei, quos habuerunt ab initio Catholici doctores. Hoc ergo præcipit, vt ſacræ fidei veritatem & Euangelicæ doctrinæ nemo aliter ſuſcipiat, quàm à ſanctis Patribus eſt tradita, ſiue hoc præcipit, vt eloquia ſacrarum Scripturarum nemo aliter interpretetur, niſi iuxta vniuſcuiuſque ſcribentis vel docentis Sancti ſpiritus veritatem & intentionem.

IN CAPVT XXIII.

C
verſ. 5. QVæ ſunt opes illæ de quibus dicit, *Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ & volabunt in cælum*; quæ opes, id eſt, diuitiæ ſiue copiæ, pennas ſibi facere poſſunt?

Opes illæ, arcana ſunt diuinitatis, & ſecreta cœleſtium myſteriorum; & eſt ſenſus: Ne erigas oculos mentis tuæ ad perſcrutanda diuinitatis arcana & myſteriorum cœleſtium ſecreta, quæ penetrare non potes, nec intelligere vales: quoniam ſolis aquilis patent, id eſt, ſupernis tantum manifeſta ſunt ciuibus.

IN CAPVT XXIV.

verſ. 16. QVid eſt quod dicit, *ſepties enim cadet iuſtus & reſurget* ſi iuſtus eſt, quomodo peccare dicitur?

Venialia peccata. Loquitur hic Salomon de leuibus & quotidianis peccatis, ſine quibus nullus iuſtorum in hac vita potuit eſſe
D vel poteſt, quia videlicet in hac præſenti vita nullus ſit iuſtus, vt aut coactus, aut volens, aut frequenter ſingulis diebus non peccet per ignorantiam, per obliuionem, per cogitationem, per ſermonem, per neceſſitatem per carnis fragilitatem: & tamen quia iuſtus eſt, adiutus diuina gratia, reſurgat per pœnitentiam, per ieiunium, per orationem, per eleemoſynam. Quare *ſepties*
Septenarius. *cadere* dicitur, & non minus aut amplius: Septenarius etenim numerus poni ſolet pro vniuerſitate ſeu generali-
Pſal. 118. 164. ter, vt illud: *Septies in die laudem dixi tibi:* hoc eſt,
Pſal. 33. 1. omni tempore, & iterum, *Benedicam Dominum in omni tempore. Septies* etiam ſignificat aliquando *ſæpe* vel *frequenter.* Quod aptiſſime poteſt intelligi hoc modo: *Septies cadit iuſtus*, hoc eſt, *ſæpe*: & ſæpe reſurgit; aut certè omni tempore cadit & reſurgit gratia ſcilicet diuina ſecundum quod ſupradictum eſt.

verſ. 27. Quomodo intelligendum eſt quod ait Salomon. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam?* Quod eſt hoc opus, quod foris præparare debemus?

E *Opus* vocat bonam actionem, ideo addidit; *tuum:* hoc eſt, vtile tibi & neceſſarium. Opus ergo noſtrum foris prædicamus, cum actionem noſtram bene componimus exterius, & vt Deo placeat ordinamus. Quomodo *agrum noſtrum diligenter exercemus:* Si à ſpinis vitiorum corpus noſtrum purgamus. Poſt agri exercitium, *domum noſtram* quomodo *ædificamus*? Si primo exterius actus noſtros benè componimus, tunc domum nobis ædificamus, cum puritatem vitæ & munditiam etiam in cogitatione ſeruamus, & habitaculum noſtræ mentis piis cogitationibus exornamus.

IN CAPVT XXV.

QVis eſt Dominus, aut qui ſunt reges de quibus dicit, *Gloria Domini, celare verbum: & gloria regum, inueſtigare ſermonem?* verſ. 2.

Dominus iſte, Dei Filius intelligendus eſt, Dominus videlicet Ieſus Chriſtus, cuius gloria fuit *celare verbum*, F
id eſt, ſe eſſe Filium: quia cum in carne apparuit, magis ſe hominis quam Dei Filium confiteri voluit, vt diabolus eum non agnoſceret, & ita paſſione ſua genus humanum redimeret: quoniam ſi diabolus eum cognouiſſet Dei Filium eſſe, nequaquam omnino crucifixiſſet. *Gloria* quippe *Domini* fuit *celare, verbum*, id eſt, in forma hominis, diuinitatis ſuæ occultare potentiam, vt dum infirmitatem carnis oſtenderet, diabolus eam ad paſſionem tradere feſtinaret, quatenus per ignorantiam paſſionis, perueniret ad gloriam reſurrectionis. Qui ſunt ergo *reges, quorum gloria eſt inueſtigare ſermonem?* Reges iſti, ſancti fuerunt Apoſtoli, qui diligenter Domini ſermonem inueſtigare ſtudebant, quo ſe Deum fore ſignificabat; nam vbi ſe non apertè Deum eſſe monſtrabat, ſed myſtice intelligi eius ſermonem, ſumma perſcru-
tabantur diligentia, quale eſt illud: *Ego & Pater vnum* Ioan. 10.
ſumus. Nam cum celaret verbi diuinitatem, & oſtende- 30.
ret carnis infirmitatem, interrogauit hos reges, dicens: G
Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Cui regum exi- Matt. 16.
mius, videlicet beatus Petrus Apoſtolus inueſtigans ſer- 13.
monem illius, quem antea ſæpius audiuit, continuo reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.*

Quid eſt quod mox ſequitur, *Cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile?* Qui ſunt illi reges, quorum cor inſcrutabile dicitur? verſ. 3.

Reges, vocat Prophetas & Apoſtolos, qui reuelante ſpiritu, arcana diuinitatis cognoſcere meruerunt. Per *cor regum*, deſignatur ſcientia Apoſtolorum & Prophetarum: Quomodo intelligendum eſt quod ait, *Cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile.* Sicut altitudo cæli & profunditas terræ, comprehendi non poteſt ab hominibus, ita noſtræ fragilitatis capacitas non valet comprehendere neque penetrare altitudinem ſcientiæ & intellectus Prophetarum & Apoſtolorum.

IN CAPVT XXVI.

H
QVomodo ſibi concordant, aut quomodo ſibi conuenire poſſunt ea quæ dicit, *Ne reſpondeas ſtulto* verſ. 4.
iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis: &, *Re-* verſ. 5.
ſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.

Illæ nimirum ſententiæ valde ſibi videntur eſſe contrariæ. Vere ſibi bene concordant, ſi eas diligenter conſideremus. Per hoc enim quod ait: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, nos admonet, vt quia ſtultus ſapientiam non recipit, nos eius non imitemur mores, ſed potius contemnamus & deſpiciamus: & quoties loquimur, non turpiter, non furiosè, non ſuperbè, ſed honeſtè, patienter atque humiliter, hoc eſt, ſapienter loquamur, ne illi ſimiles efficiamur. Per hoc vero quod ſequitur: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, nos admonemur vt ſapienter increpemus, & redarguamus eum, & manifeſtè demonſtremus quanta ſit ſtultitia, ne ſi forte non agnoſcat ſtultitiam ſuam, ſe putet eſſe ſapientem.

A verſ. 22. Quis eſt ille ſuſurro, de quo dicit, *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad interiora ventris ?*

Suſurronem, vocat incentorem litis : & bilinguem, qui laudem laude verborum ſimulat : & ideo quaſi ſimplicia videntur verba ipſius, ſed perueniunt ad interiora ventris, quia ſuſurro ſemper quærit audire vnde iurgia poſſit ſeminare, quibus ſtomachus indignetur, & omnia interiora perturbentur.

IN CAPVT XXVII.

verſ. 5. QVis eſt ille amor abſconditus, de quo dicit, *Melior eſt correptio manifeſta quàm amor abſconditus ?*

Quia multo melius eſt aliquem corripere manifeſtè increpando, quàm ſtudio ſimulationis peccandi, occultè diligere.

verſ. 7. Quid eſt quod ait, *Anima ſaturata calcabit fauum, anima eſuriens & amarum pro dulci ſumet ?* quomodo

B anima ſaturata calcat fauum ?

Iuxta literam, *anima ſaturata calcat fauum :* quia quicunque cibis repletus eſt, dulcem contemnit & deſpicit eſcam : qui vero eſurit, licet in cibis aliquam amaritudinem ſumat, paruipendit. Spiritualiter autem intelligitur *Anima ſaturata*, eſt anima diuitum, qui in præſenti vita habent conſolationem ſuam, quoniam rerum temporalium copiis abundant, vnde in

Luc 6. 26. Euangelio Dominus ait : *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Anima ergo diuitum calcat fauum, quia pro terrenis bonis ſpernit dulcedinem regni cæleſtis. Anima vero eſuriens, & amarum pro dulci ſumet : quoniam qui eſurit & ſitit iuſtitiam, omnem amaritudinem pro dulcedine ſumet : quia patienter ſuſtinet omnem vitæ præſentis aduerſitatem pro amore æternæ beatitudinis vel dulcedinis.

verſ. 23. Quid loquitur Salomon cum dicit, *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera ?* Nunquid

C laniĝeros docet conſiderare greges ?

Non. Loquitur enim Paſtori Eccleſiæ, & eſt ſenſus : Diligenter attende illis quibus præpoſitus es, & agnoſce animos & actus ſingulorum : & ſi aliquam in eis vitiorum ſorditatem inueneris, citius caſtigare & emendare ſtude.

verſ. 25. Quid eſt quod dicit Salomon, *Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus ?* quis enim hoc quod dicit, ignorat ?

Verè nullus, ſi hæc verba iuxta literam accipimus. Quomodo ergo intelligenda ſunt ? Veruntamen ſpiritualiter. Quid ergo *prata* ſignificant ? Per *prata*, cæleſtia deſignantur myſteria, quæ ideo *prata* dicuntur, quia paſcua ſunt fidelium, hæc enim prata, hoc eſt, diuina myſteria, diu clauſa fuerunt ſub ſignis ac figuris legalibus. Quomodo & quando *aperta ſunt hæc prata ?*

Luc. 24. 45. Aperta quippe ſunt prata, quia per gratiam Domini

D Saluatoris reuelata ſunt cæleſtia Sacramenta, quando *aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* Tunc etiam apparuerunt herbæ virentes, hoc eſt, nouæ ſententiæ Euangelicæ veritatis & gratiæ. Quid ſignificant fœna collecta de montibus ? Per *montes* deſignantur ſancti Patres veteris Teſtamenti doctores : per *fœna*, ſcripta ipſorum. Collecta ſunt ergo fœna de montibus. Per *montes* deſignantur ſancti Patres, quia ſcripta ſanctorum veterum Patrum, collecta ſunt ad pabulum & ad refectionem ouium Dominicarum, id eſt, animarum fidelium.

IN CAPVT XXVIII.

verſ. 13. QVid eſt quod ait, *Pauper & creditor obuiauerunt ſibi vtriuſque eſt illuminator Deus ?* quis eſt iſte pauper & creditor qui ſibi obuiauerunt ?

Pauper, eſt humilis verbi Dei auditor, *creditor* autem eſt, qui pauperi, id eſt, humili auditori pecuniam verbi Dei prædicando commiſit. Quando pauper & creditor obuiant ſibi ? Quando in vnam eandemque auditor & prædicator ſimul diuinæ pietatis gratiam conueniunt,

E vnde ſequitur : *Vtriuſque illuminator eſt Deus :* quia ſine gratia diuinæ pietatis nec ille potuit prædicare, nec ille credere.

Quid eſt quod ait, *Cum defecerit Prophetia, diſſipabitur populus ?* quæ eſt Prophetia hæc, qua deficiente, populus diſſipabitur ? verſ. 18.

Prophetia eſt ſacerdotalis eruditio atque doctrina. Ergo cum defecerit doctrina & eruditio ſacerdotum, populus diſſipabitur : quia cum deeſt admonitio & increpatio ſacerdotum, ſuæ voluntati & arbitrio populus relinquitur, & continuo variis peccatis atque vitiis corrumpitur.

IN CAPVT XXIX.

QVomodo ignitus clypeus omnis ſermo eſt Dei, ſicut dicit Salomon, *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe ?* verſ. 5.

Omnis ſermo diuinæ authoritatis idcirco *ignitus clypeus* dicitur, quia corda electorum qui ſpem ſuam in Deo ponunt, & igne charitatis illuminat, & ſordes vitiorum, quas in eis reperit, conſumit & purgat, & ab inſidiis hoſtium cunctiſque aduerſitatibus illum defendit. F

Quæ eſt ſanguiſuga, cuius duas eſſe dicit filias ? ſic enim dicit : *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes : Affer, affer*, & nunquam ſatiantur. verſ. 15.

Sanguiſuga, diabolus eſt, qui ſemper ſanguinem ſitit, hoc eſt, ad peccata homines trahere cupit, & ſitim peccandi inceſſanter accendit. Quæ ſunt illæ *ſanguiſugæ duæ*, dicentes, *Affer, affer*, & nunquam ſaturantur : *Luxuria & auaritia*, nam quanto magis quiſque luxuriatur, tanto amplius delectatur. Similiter quanto quiſque ſibi diuitias cumulat, tanto magis ſemper augmentare deſiderat.

Quare poſuit Salomon exemplum ſtellionis, cum dicit, *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis ?* verſ. 28. G

Vt pigros & ingenio tardos, ad diſcendum & bene operandum prouocaret. Quod genus animalis eſt *ſtellio ?* eſt genus lacerti valde pigri, ſed colore vario, vnde & nomen accepit *ſtellio*, quia quaſi ſtellæ guttis diſtinctus eſt & variatus. Quid verò ſignificat ? Illos ſignificat, qui tardi ſunt ingenio, & tamen quotidiano ſtudio & diligentia regis æterni aulam conſcendunt, hoc eſt, quamvis cum magno labore, ad notitiam ſanctarum ſcripturarum perveniunt, & penetrare valent ſecreta cæleſtium myſteriorum. De talibus ſcriptum eſt in Euangelio : *Qui habet, dabitur ei, & abundabit :* quoniam qui habet ſtudium legendi, dabitur ei facultas intelligendi. Stellio. Matt. 13 & 25. Luc. 19. 26.

Quæ ſunt iſta tria de quibus dicit Salomon, *Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod feliciter incedit, Leo fortiſſimus beſtiarum, qui ad nullius pauet occurſum, gallus ſuccinctus lumbos, & aries, nec eſt rex qui reſiſtat ei.* Iſta ſunt quæ bene gradiuntur ? Quem ſignificat ille *leo ?* verſ. 29. H

Illum de quo ſcriptum eſt, *Vicit leo de tribu Iuda*, Dominum videlicet Ieſum Chriſtum, qui fortiſſimus beſtiarum dicitur : quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Quid eſt illud infirmum Dei ? Infirmum Dei fuit, carnem noſtræ mortalitatis aſſumere. Sed hoc fortius eſt hominibus, quia ipſe homo qui natus eſt ex virgine, perfectus extitit Deus. Quare iſte *leo ad nullius pauet occurſum ?* quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore ipſius, vnde ipſe dicit : *Ecce venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Quid ſignificat *gallus ſuccinctus lumbos ?* Sanctos prædicatores. Quare prædicatores galli dicuntur ? quia in præſentis vitæ temporibus tenebras (id eſt, peccata) delere ſuadent & docent, & veram lucem prædicando annunciant, gloriam videlicet æternæ beatitudinis. Quare iſti galli *ſuccincti lumbos* dicuntur ? Quia iſti prædicatores in membris ſuis luxuriam, auaritiam, libidinem reſtringunt. Quid ſignificat *aries, cui non eſt rex qui* Apoc. 5. 5. Leo. Ioan. 14. 30. Prædicatores vt galli. Aries.

reſiſtat ?

A *reſiſtat*? Per *arietem* ſancti deſignantur confeſſores & ſacerdotes, qui velut arietes gregem præcedunt, quia populum fidelem per exempla ſua gradientem ducunt. Iſti nimirum arietes ſi ſpiritualiter & rectè viuunt, nullus eſt rex qui eis reſiſtat: quia nullus eſt tam ſæuus perſecutor, qui valeat eorum intentionem impedire: quia etſi eis mala ingeruntur, omnia patienter ſuſtinent pro CHRISTO.

verſ. 32. Quid eſt illud quartum *quod incedit feliciter*? *Ille qui ſtultus apparuerit, poſtquam erectus eſt in ſublime.* Quis eſt ille?

Antichriſtus. *Antichriſtus*, qui eleuabitur in ſublime, hoc eſt, in altum: quia cum fuerit homo nequiſſimus, dedignabitur ſe Dei filium nominare, ſed mentietur ſe eſſe Deum. *Eleuatus eſt in ſublime*, quomodo ſtultus apparebit? quia in ipſa eleuatione & ſuperbia ſua diuino gladio ſubito B perculſus interibit. Quare de illis ſuperioribus dicit, Tria ſunt quæ *bene gradiuntur*: de iſto verò, Quartum quod *incedit feliciter*? Quare non dixit de iſto ſimiliter, *Incedit bene*, ſed, *Feliciter*, ait? Quia omne quod incedit feliciter ſemper, non bene incedit: neque omne quod incedit bene, ſemper feliciter. Quæ ſunt ergo quæ incedunt *bene aut feliciter*? Illa bene incedunt; quæ ambulant ſanctè & iuſtè: Illa incedunt feliciter, quæ in hac vita habent proſperitatem. *Leo & gallus & aries* bene gradiuntur, ſed non feliciter: quia & Chriſtus Dei Patris adimpleuit voluntatem in omnibus, ſed multa aduerſa, etiam & mortem tandem ſuſtinuit. Similiter ſancti prædicatores & confeſſores diuinam ſtudent adimplere voluntatem, ſed multas in hac vita ſuſtinent perſecutiones. *Antichriſtus* vero non *bene incedit*, quia contra voluntatem Dei omnia ſuperbus faciet: ſed *incedit feliciter*, quia quamvis ad breve tempus, in magna erit gloria & proſperitate.

C

IN CAPVT XXX.

QVis fuit rex Lamuel, de quo dicit, *Verba Lamuelis regis, viſio qua erudiuit eum mater ſua*?

Lamuel Hebræa lingua dicitur: Latine, *in quo Deus.* Ipſe nimirum eſt Salomon rex Iſraël, in quo Deus fuit: quia niſi Deus in eo manſiſſet, tot & tanta diuina myſteria nec intelligere nec ſcribere poſſet. Quæ fuit *mater eius* quæ erudiuit eum & docuit viſionem? Secundum literam poteſt intelligi carnalis eius mater. *Bethſabee* videlicet Regina, quæ prudenter illum docuit. Sed *mater* in hoc loco nihil melius intelligitur, quàm ſpiritualis & diuina gratia, quæ illum in corde inuiſibiliter erudiuit, & docuit intellectum ſapientiæ, quam ille foris hominibus prædicauit & ſcripſit.

verſ. 10. Quæ eſt mulier illa fortis, de qua dicit, *Mulierem fortem quis inueniet, procul & de vltimis finibus precium eius*?

D *Mulier fortis* appellatur *Eccleſia Catholica*, quæ ideo *mulier* dicitur, quia generat ſpirituales filios ex aqua & ſpiritu ſancto. *Fortis* ideo vocatur, quia cuncta aduerſa ſæculi & proſpera propter fidem & amorem ſui conditoris ac redemptoris contemnit ac deſpicit. Quare dixit Salomon, *mulierem quis inueniet*? quia per ſpiritum ſanctum cognouit quod nullius Patriarcharum aut Prophetarum, aut omnino aliquis electorum ſufficeret ad redemptionem humani generis, niſi *ſolus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* (1. Tim. 2. 5.) Ideoque ait, *mulierem fortem quis inueniet*? quia per ſpiritum ſanctum ſubauditur *nullus*. Quare mox addidit, *Procul & de vltimis finibus precium eius*? Vt oſtenderet quia non ſuo tempore, ſed longè poſt eum, nec ſimilis illi, venturus erat *Chriſtus*, id eſt, purus homo peccati ſordibus: ſed in fine ſæculorum deſcenſurus erat Dei Filius de cælis, qui natus ex virgine, perfectus eſſet Deus & homo. Et hoc eſt quod ait, *Procul*, id eſt, longè poſt. Significat autem tempus quod fuit à diebus Salomonis vſque ad partum virginis. *De vltimis vero finibus* dicit, quia à (Pſ. 18. 6.) *ſummo cælo egreſſio eius*. Quod precium dedit Dominus pro hac muliere? Semetipſum, ſicut dicit Apoſtolus: *Qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis.* E (Eph. 5. 2.)

Mulier fortis quomodo *facta eſt quaſi nauis inſtitoris*? ſic enim dicit Salomon, *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum.* verſ. 14.

Inſtitor dicitur negociator: propterea quia ſemper *inſtat vt acquirat* & multiplicet merces & ſua lucra. *Inſtitor.* *Nauis* ergo *inſtitoris*, onuſta diuerſis mercimoniis quæ in ſua patria magis abundant, per loca pergit ad loca peregrina, vt illic venditis omnibus quæ attulit, cariora domum reportet. Sic ergo *mulier fortis*, id eſt, ſancta Eccleſia, ſemper ornari deſiderat virtutum diuitiis, & abundari bonis operibus, nauigans per mare huius ſæculi, vt per illud ſua virtute mercetur, id eſt, acquirat maiora diuinæ gratiæ dona. Quis eſt ille *nauis inſtitor*? Dominus Ieſus Chriſtus, qui dedit precium ſanguinis ſui, & redemit Eccleſiam. Sancta ergo Eccleſia ad exemplum inſtitoris, id eſt, Domini ac redemptoris ſui, F ſemper multiplicare ſibi laborat virtutum atque bonorum operum lucra, vt per ea mereatur acquirere maiora, id eſt, æternæ beatitudinis præmia. Et hoc eſt quod ait, *De longè portans panem ſuum*, quia in omnibus bonis quæ temporaliter agit, ſolam tantum viui panis ſaturitatem deſiderat, quia æternam ſolummodo retributionem expectat.

Quid eſt quod ait, *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius*? Quæ eſt *ſtragulata veſtis*? verſ. 22.

Quæ variata textura firmiſſima fieri ſolet. Quid ergo ſignificatur per *ſtragulatam veſtem*? Fortia opera ſanctæ Eccleſiæ, & diuerſa virtutum ornamenta, de quibus Propheta dicit: *Aſtitit regina a dextris tuis in veſt. tu deaurato circumdata varietate.* (Pſal. 44.) *Byſſus & purpura* quomodo indumentum eſt mulieris, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ? *Byſſus*, genus lini candidiſſimi eſt, vnde pulchrè per G byſſum deſignatur corporis caſtitas, & ſanctæ conuerſationis puritas. Per *purpuram* vero ſanguinis effuſio deſignatur. *Fortis ergo mulier*, id eſt, ſancta Eccleſia, *induit ſe byſſo*, cum ſeruat corporis caſtitatem, & nitorem ſanctæ conuerſationis rutilat. *Induit ſe purpura*, quando in ea ſancti Martyres pro Chriſti nomine ſanguinem fundunt.

Si *byſſus & purpura indumentum eſt* ſanctæ Eccleſiæ, cur ergo dicit in ſequentibus, *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo*? verſ. 25.

Nulla eſt contrarietas, quia *fortitudo & decor indumentum eſt* ſanctæ Eccleſiæ, quia propter fidem Chriſti & iuſtitiam, patienter ſuſtinet malorum hominum improbitatem & perſecutionem. Eſt & *decor indumentum eius*, quia operatur iuſtitiam, & ſe gratia virtutum adornat.

Quare autem dicit, *Ridebit in die nouiſſimo*, cum Dominus dicat in Euangelio, *Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis*? verſ. 25. Luc. 6. 25.

H In Scripturis ſacris *riſus* ſolet gaudium ſignificare. Vnde Dominus ait? *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*, id eſt, gaudebitis. (Luc 6. 21.) Beatus quoque Iob dicit: *Os autem veracium replebitur riſu*, id eſt, gaudio. (Iob 8. verſ. 21. Aliter in Vulg. Donec impleatur riſu os tuum.) *Mulier* ergo *fortis*, id eſt, ſancta Eccleſia ridebit in die nouiſſimo, id eſt, gaudebit in retributione cæleſtis regni.

Qui ſunt filij mulieris, qui eam *beatiſſimam prædicauerunt*? aut quis eſt *vir eius qui eam laudauit*? verſ. 28.

Filij huius mulieris, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ, ſunt omnes electi. Vir eius, Dominus Ieſus Chriſtus. Surgent enim filij Eccleſiæ, videlicet omnes electi, de terræ puluere in nouiſſimo die iudicij, & immortalitatis gloria decorati, matrem ſuam beatiſſimam prædicabunt, id eſt, laudabunt ſanctam Eccleſiam quæ illos genuit ex aqua & ſpiritu ſancto. Surget & vir eius & laudabit eam, Dominus Ieſus Chriſtus, cum in die iudicij manifeſtus apparuerit in potentia diuinitatis, & laudabit eam, dicens in iudicio: *Venite benedicti Patris mei*, &c. (Matth. 25. 34.) *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c.

Cur ergo Salomon poſuit præteritum, dicens, *Surrexerunt*? debuit enim dicere, *Surgent*. verſ. 28.

A Quod Salomon futurum nouerat, certiſſimum tenebat; & ideo more prophetico poſuit Præteritum pro Futuro.

verſ. 29. De quibus dicit quod ſequitur, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſa?*

Multas filias, appellat Eccleſias hæreticorum, & turbas malorum Catholicorum, quæ dicuntur Chriſti Filiæ vel Eccleſiæ. Quare dicuntur Chriſti filiæ vel Eccleſiæ? Propter fidem & baptiſmi Sacramentum & adoptionem filiorum, quam in Baptiſmate perceperunt. Iſtæ filiæ quas *diuitias* congregauerunt? Orationes, ieiunia, eleemoſynas, & caſtimoniam carnis, linguæ refrenationem, ſcripturarum meditationem, & cæteras bonorum operum diuitias. Quæ veræ diuitiæ ſunt, ſi ſpirituali intentione fiant, videlicet propter regni cœleſtis remunerationem aliter nihil proſunt agentibus; vnde filiæ illæ, Eccleſiæ videlicet hæreticorum, aut turbæ malorum Catholicorum, B fruſtra congregauerunt diuitias: quia vel in fide errauerunt, vel certè huiuſmodi bona propter vanam gloriam fecerunt.

IN ECCLESIASTÆ.

CAPVT PRIMVM.

Gen. 1. 31. QVid eſt quod ait Eccleſiaſtes, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas:* cum in libro Geneſis ſcriptum ſit, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona?* Si cuncta, quæ fecit Deus, valde ſunt bona, quomodo *omnia vanitas?* & non ſolum vanitas, ſed etiam vanitas vanitatum?

Cœlum & terra, maria & omnia quæ in hoc circulo continentur, per ſe quidem bona ſunt, quando à bono Deo creata ſunt: ſed comparata Deo, vtique pro nihilo C habentur vel habenda ſunt: quia ſemper Deus permanebit id quod eſt, illa vero omnia pertranſibunt. Nam *quæ videntur, temporalia ſunt*, & tranſitoria: *quæ autem non videntur, æterna.* 1. Cor. 4. 18.

Quare bis replicauit ſententiam ſuam, dicens, *Vanitas vanitatum dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas?*

Ad exaggerandam magnitudinem vanitatum, iterauit ſententiam ſuam, vt per hoc demonſtraret, quia omnis gloria mundi ſicut flos fœni marceſcet, & ſicut fumus pertranſiet.

verſ. 4. De qua generatione dicit, *Generatio præterit, & generatio aduenit?*

De generatione Iudæorum & Gentium dicit, recedit enim prima generatio Iudæorum, quoniam periit propter infidelitatem: & ſuccedit ei generatio de Gentibus congregata, videlicet ſancta Eccleſia fidelium, quæ per fidem Chriſti ſaluatur. Poteſt & ſic intelligi. *Generatio venit, & generatio vadit*, hoc eſt, aliis morientibus, alij naſcuntur: & quos prius videras, iam non vides, & incipis videre eos qui ante non fuerunt. D

verſ. 4. Luc. 21. 33. Quare dicit Salomon, *Terra in æternum ſtat*, cum Dominus dicat in Euangelio; *Cœlum & terra tranſibunt?*

Vere iuxta ſententiam Dei *tranſibunt* per meliorationem, ſed non per abolitionem: Quia in igne iudicij purgata meliorabuntur, quoniam renouabuntur, ſed penitus non deſtruentur. Tantum quippe ardebit cœlum de ſurſum, & terra deorſum, quantum malitia hominum & dæmonum ſimul coinquinari potuit. Ergo iuxta ſententiam Salomonis, *terra in æternum ſtabit*, quoniam nunquam deſtruetur, ſed meliorabitur & renouabitur.

verſ. 5. Quid ſignificare voluit Salomon, cum ait: *Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, & ibi renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem?* Quis enim neſcit quia oritur ſol & occidit, & per incognitas nobis vias regreditur ad locum ſuum vnde eſt ortus, vt iterum oriatur?

Hoc ideo Salomon dixit, vt oſtenderet quia ſol ipſe qui hominibus in luce diei datus eſt, ſua mutabilitate E (id eſt, ortu ſuo & occaſu) quotidie huius ſæculi demonſtrat interitum. Per has namque temporum mutationes, & per ortum ſiderum & occaſum docet Salomon, quia humana ætas quotidie non ceſſat interire atque deficere. *Sol* iſte qui *quotidie oritur & occidit*, quid in hoc loco ſpiritualiter ſignificat? Illum verum ſolem Dominum *Ieſum Chriſtum*, qui eſt ſol iuſtitiæ, deſignat, de quo Propheta dicit: *Vobis qui timetis Dominum, orietur ſol iuſtitiæ.* Malac. 4. 2. Iſte ſol iuſtitiæ quotidie oritur timentibus ſe, hoc eſt, fidelibus ſuis, videlicet ſanctis & piis hominibus. Occidit etiam meridie Pſeudoprophetis, hoc eſt, hæreticis & malis Catholicis, quia propter peccata ſua lumen gratiæ ſuæ amittunt. Occidit etiam infidelibus, quia luce fidei non merentur illuſtrari.

Quid eſt quod ait, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant?* verſ. 7. Quis enim nouit quod ad locum ſuum reuertantur, vt iterum fluant? F

Nouit Eccleſiaſtes ille, videlicet Salomon per gratiam ſancti Spiritus, ſed iſte noſter Eccleſiaſtes Dominus *Ieſus Chriſtus*, qui eſt ipſarum conditor aquarum per potentiam diuinitatis, quia æqualis eſt Deo Patri, pleniſſime nouit quia flumina quæ mare intrant, in abyſſum defluunt, & per occultas venas ad capita fontium reuertuntur, & de matrice abyſſo iterum ebullire incipiunt. Spiritualiter autem quid ſignificant *hæc flumina?* Per hæc flumina ſancti deſignantur prædicatores, *Prædicatores flumina.* qui dum virtutibus emicant, doctrinis coruſcant, vere flumina fluunt: quoniam aridam terram carnalium cordium ſancta ſua prædicatione ſimul & operatione irrigant, vt ferant bonorum operum fructus. Quomodo ergo *reuertuntur hæc flumina ad locum vnde exeunt, vt iterum fluant?* Quia ſancti prædicatores in omni doctrina & opere quæ faciunt, ad laudem ſui creatoris recurrunt, vt Domino auctori ſuo laudes & gratias referant, per quem vt talia facerent, & omne bonum quod ſunt, G acceperunt. Semper enim ad fontem veri luminis reuertuntur: ne forte areſcant & ſiccentur, vt ex eo aquam ſapientiæ & gratiam virtutum accipiant, vt iterum fluant, hoc eſt, ſemetipſos bonis operibus repleant, & aliorum corda fluentis doctrinæ ſpiritualiter infundant. Omnes etiam fideles viri ſancti, flumina ſunt: & hæc flumina ad locum vnde exeunt, reuertuntur: quoniam per ſancta deſideria ad amorem ſui conditoris redeunt, & de omnibus bonis laudes & gratias illi referunt, à quo ea perceperunt.

verſ. 18. Quid eſt quod Salomon dicit, quia *in multa ſapientia multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & dolorem?* Quomodo multa eſt *indignatio in multa ſapientia?*

Ideo *in multa ſapientia multa eſt indignatio*, & qui addit ſcientiam, addit & dolorem: quia quanto quiſque maiorem ſapientiam percipit, tanto amplius ſibi indignatur & dolet vitiis & peccatis ſubiacere, & non habere virtutes. H Nam quanto quiſque plus in ſapientia profecerit, tanto magis ſibi iraſcitur de malis operibus quæ geſſit, & contriſtatur & dolet ſub peccatis ſuis: & ideo *qui addit ſcientiam, addit & dolorem:* quantoque amplius cœleſtia & terrena cognoſcit, tanto magis dolendo & flendo laborat, vt errorum laqueos euadere poſſit, & liberari valeat de huius ſæculi miſeria.

IN CAPVT II.

verſ. 2. QVare dicit, *Riſum reputaui errorem; & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis?* cum naturale ſit homini ridere, & Dominus in Euangelio dicat, *Gaudete & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cœlis?* Matth. 5. 12.

Non reprehendit Salomon riſum naturalem, id eſt, modeſtum & honeſtum; vnde alibi dicit: *Vir ſapiens vix tacite ridebit*: Eccl. 21. 23. ſed riſum diſſolutum atque immoderatum & perſtrepentem, vocat *errorem*; talis namque riſus vocatur cachinnus. Similiter non ſpirituale, ſed temporale gaudium vocat *deceptionem*. Illi vero qui præterita mala ſua non plorant, neque intelligunt ruinam

A peccatorum ſuorum, cachinnant & gaudent in bonis temporalibus, quia vana & breuia putant eſſe perpetua bona, & idcirco ſuauitate vitæ præſentis decepti, quotidie huius ſæculi errore vexantur.

verſ. 14. Quare dicit Salomon, *Oculi ſapientis in capite eius; ſtultus autem in tenebris ambulat*? Nunquid oculi ſtulti non ſunt in capite eius?

Oculi in hoc loco, non ſunt corporales, ſed ſpiritales intelligendi, oculi videlicet mentis, id eſt, ſenſus &
1. Cor. 11. 3. intentiones animi. Per *caput* verò deſignatur *Chriſtus*, vnde Apoſtolus dicit: *Caput viri Chriſtus. Oculi viri ſapientis in capite*: quia vir ſapiens omnem intentionem ſuam ad *Chriſtum* dirigit, & in *Chriſto* collocat, & oculos ſuæ mentis ſemper ad cœleſtia imitanda ſubleuat. Stultus vero in tenebris ambulat, quia ſtultitiæ ſimul & peccatorum ſuorum tenebris obcæcatur, & amore huius mundi, à cœleſtibus abijcitur. Odit enim cœleſtia, & diligit terrena: deſpicit quæ ſunt æterna, & amat temporalia, & ideo non poteſt oculos ſuos ad cœlum
B leuare, ſicut vir ſapiens, quia non cogitat ea quæ Dei ſunt, ſed quæ huius ſæculi.

verſ. 14. Quid diſtat inter virum ſapientem & ſtultum?

Hoc diſtat, quia iſte ſapientiæ claritate illuſtratur & exornatur: ille verò ſtultitiæ ſuæ errore obtenebratur & deturpatur. Tantum quippè diſtat inter *ſapientem & ſtultum*, quantum inter diem & noctem, lucem & tenebras. quomodo diſtat tandem inter ſapientem & ſtultum,
Eccl. 2. 16. cum vnus ſit interitus vtriuſque? Sic enim *moritur doctus vt indoctus*, ſapiens vt inſipiens. Quamuis enim vnus ſit occaſus & ſimilis mors ſapientis & ſtulti, & ſæpè magis in hac vita affligatur ſapiens quàm ſtultus, tamen non erit ſimilis memoria in futuro, nec æqualem percipient coronam vel remunerationem: quoniam in die iudicij ad regni cœleſtis eleuabitur ſapiens gloriam; ſtultus vero demergetur in æternæ damnationis tormenta. Quis eſt ille ſapiens, qui tantum diſtat à ſtulto quantum lux à tenebris? Nunquid ille qui philoſophicæ tantum diſciplinæ pollet affluentia, vel liberalium artium ſplen-
C det eloquentia? non eſt vtique, quoniam *ſæcularis pru-*
Rom. 8. 7. *dentia inimica eſt Deo*, & carnalis ſapientia quamuis eloquentiæ floribus adornetur, nullum tamen in ſe ſpiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet. Sed ille veraciter eſt ſapiens qui Deum diligit, & qui eius mandata cuſtodit, & quantum poſſibile eſt humanæ fragilitati, eius voluntatem in omnibus ſtudet implere,
Eccl. 2. 26. de quo dicitur: *Bono homini dedit Deus ſapientiam in conſpectu ſuo, & ſcientiam & lætitiam.*

verſ. 26. Quare dicit Salomon, *Peccatori autem dedit afflictionem & curam ſuperfluam*? Si enim Deus peccatori homini dedit ſollicitudinem & curam ſuperfluam habere, quid ergo ipſe peccat, ſi ſe curis ſuperfluis atque ſollicitudine rerum temporalium affligit?

Cauſa ſuperfluæ curæ atque malæ ſollicitudinis non eſt in Deo, ſed in illo qui ante ſponte peccauit, quia peccatis ſuis exigentibus promeruit, vt haberet curam ſuperfluam & ſollicitudinem, & ideo quod ait, *Peccatori autem dedit curam ſuperfluam & ſollicitudinem*, intelligen-
D dum eſt, ſuis meritis exigentibus dari permiſit, videlicet, quia peccator fuit.

IN CAPVT III.

verſ. 1. QVid vult demonſtrare Salomon per hoc quod ait, *Omnia tempus habent*? Quod ſi omnia tempus habent, ergo etiam diuinitatis ſubſtantia tempus habet?

Abſit. Illa quippè ineffabilis & æterna diuinæ maieſtatis eſſentia, quæ omnia creauit ex nihilo, non clauditur loco, non coanguſtatur tempore, nullo ſpatio terminatur. Et idcirco Salomon vt oſtenderet de quibus diceret hoc, ſtatim ſubiunxit, dicens: *Et ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo.* Vult demonſtrare enim quia contraria ſibi ſunt omnia quæ in mundo ſunt, & nihil perpetuum ex his omnibus quæ ſub cœlo ſunt, & infra tempus continentur.

verſ. 2. De qua plantatione aut euulſione loquitur Salomon, cum dicit, *Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt*? Nunquid de plantatione aut euulſione arborum aut herbarum dicitur? E

Non. Hoc dicit de natiuitate & morte hominum. Nam quod ſuperius dicit, *tempus naſcendi*, hoc eſt, quod ſequitur, *tempus plantandi*, hoc enim plantandi, quod naſcendi: & quod ſuperius dicit, *tempus moriendi*, hoc eſt, quod ſequitur, *tempus euellendi quod plantatum eſt*. Nam *euellendi* hoc eſt, quod & moriendi. Soli quippè Deo notus eſt ortus & occaſus hominum, id eſt, tempus naſcendi & tempus moriendi, & tempus plantandi & tempus euellendi: quoniam ipſe inſtituit & tempus in quo vnuſquiſque naſceretur & plantaretur ad vitam, & tempus in quo moreretur, & de hac vita euelleretur: hoc eſt, per ſententiam mortis eradicaretur.

Quid eſt quod item dicit, *Tempus occidendi, & tem-* verſ. 3.
pus ſanandi? Nulli quippè dubium eſt quin tempus ſanandi à Deo concedatur. Sed nunquid Deus inſtituit tempus occidendi alios? aut eum quem ſemel occiderit, homo poterit vnquam ſanare? F

Non vtique. Sed illi ſoli eſt tempus occidendi, & tempus ſanandi, qui per Moyſen loquitur, dicens: *Ego occi-* Deut. 32. 39.
dam & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo. Ipſe nimirum ſtatuit & tempus in quo peccatores occidantur, & ſanentur infirmi, hoc eſt, peccatis languidi. Tunc enim occidit, quando vel corporis infirmitate, vel aliqua huius mundi aduerſitate peccatores affligit, vt corrigantur & moriantur peccatis, & viuant Deo. Sæpè namque Deus ideo flagellat ſceleratos, vt eos occidat & ſanet, id eſt, vt deſinant eſſe quod ſunt, & incipiant eſſe quod non ſunt. Eſt ergo & tempus ſanandi, cum Deus omnipotens eos quos occidit, id eſt, aduerſitatibus miſericorditer affligit, & per occultam aſpirationem compungit, & ad pœnitentiam prouocat.

De qua deſtructione & ædificatione loquitur, cum di-
cit, *Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi*? Nunquid verſ. 3.
de ædificatione aut deſtructione domorum loquitur? Quid enim prodeſſet, ſi hoc diceret? Quis enim neſcit, quoniam alij deſtruant, & alij ædificent domos? G

Non hic loquitur Salomon de domorum deſtructione, ſed malorum & bonorum ædificatione: quoniam neceſſe eſt prius mala deſtruere, & ſic bona poſtea ædificare, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Declina à malo, & fac bonum.* Hoc Pſ. 36. 27.
ergo dicit, quia tempus eſt deſtruendi mala, & tempus eſt ædificandi bona: quoniam in præſenti vita conceſſum nobis eſt à Deo, vt deſtruamus mala, & ædificemus bona: hoc eſt, prius in nobis per pœnitentiam deleamus peccata, poſtea per ſancta deſideria, virtutum conſtruamus ædificia.

Quare dicit Salomon, *Tempus flendi, & tempus riden-* verſ. 4.
di: tempus plangendi, & tempus ſaltandi? Quis enim ignorat quia alio tempore flemus, alio autem ridemus? aut quid fuit dicere, *tempus plangendi, & tempus ſaltandi*? Nunquid forſitan oſtendere voluit, quod oporteat nos ſaltationum exercere ludibria?

Abſit. Nihil enim oportet nos ſcurriliter agere. Sed tempus flendi eſt vita præſens, tempus autem ridendi eſt vita futura. Qui ergo in præſenti vita quotidianis fletibus H
& lacrymis purgare peccata ſua ſtuduerit, in vita futura ridebit, id eſt, gaudebit. Similiter *tempus plangendi* eſt vita præſens, *tempus ſaltandi* vita beata. In motu namque ſaltationis homo ſuæ mentis gaudium & exultationem animi demonſtrat. Qui ergo in præſenti vita plangendo ſtudet abolere peccata, in futura vita *ſaltabit*, hoc eſt, lætabitur & exultabit in gloria æternæ felicitatis.

Quid eſt quod dicit, *Tempus ſpargendi lapides, &* verſ. 5.
tempus colligendi? Quid enim prodeſt *lapides ſpargere*? aut quid prodeſt colligere, niſi fortaſſe velit aliquis ædificare domum?

Non hac de cauſa loquitur Salomon, ſed de gentium diſperſione & collectione. Nam per lapides gentiles deſignantur. Vnde Beatus Ioannes Baptiſta: *Potens eſt*, in- Mat. 3. 9.
quit, *Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Luc. 3. 8.
Tempus enim *ſpargendi lapides*, fuit ante Aduentum Domini, quia gentiles non permanſerunt in vnitate fidei,

ſed

A ſed recedentes à Deo, diſperſi ſunt, quia varios Deos adorab nt, & diuerſa * loca colebant. (* f. *Idola*) Tempus autem colligendi lapides, fuit poſt Aduentum Domini: quia ſicut ait Apoſtolus, *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Tunc quippè cœpit colligere lapides, quia peracto paſſionis myſterio, direxit Apoſtolos in vniuerſum orbem terrarum, dicens:
Matt. 28. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Deinde celebrato XL. die Aſcenſionis eius myſterio in cœlos, mox vbi ab Apoſtolis fama nominis eius diffuſa eſt, longè latéque per mundum lapides, id eſt, gentiles qui erant diſperſi per variam idolorum culturam, collecti ſunt: quia reſpuentes & abominantes idola, in vnitate fidei quieuerunt.

verſ. 8. Quare iterum dicit, *Tempus dilectionis & tempus odij*, cum Ioannes in Epiſtola ſua dicat: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt?*

Tunc quidem eſt tempus *dilectionis*, quãdo poſt Deum diligere debemus patrẽ & matrem & vxorem, & filios ac
B cæteros propinquos. *Odij* vero tempus eſt, quia pro Chriſti confeſſione contemnere ſimul & odiſſe debemus patrem & matrem, omneſque propinquos, ſi nobis in via Dei fuerint cõtrarij, ſicut ſancti martyres ſæpe feciſſe legũtur.

verſ. 8. Quid eſt quod rurſum dicit, *Tempus belli, & tempus pacis?* Quomodo tempus belli eſt, cum Dominus in
Matt. 5. 25. & 18. 19. Euangelio dicat, *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es cum eo in via?* & item: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, prebe illi & alteram: & qui voluerit auferre tunicam tuam, dimitte illi & pallium?*
Matt. 5. 32. Luc. 6. 29.

Vere ſemper nobis eſt *tempus belli* & pugnæ, quamdiu in præſenti ſæculo ſumus, quoniam ſemper neceſſe eſt nobis pugnare aduerſus inſidias antiqui hoſtis, hoc eſt, malignorum ſpirituum debellare poteſtates. *Pacis* vero tempus erit, cum de præſenti ſeculo migrauerimus: quoniam ſi bene pugnauerimus in hoc ſeculo, in futuro coronabimur, & in cœleſti Hieruſalem æterna pace ſecuri requieſcemus.

C Quare dicit, *Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo,*
verſ. 12. Eccl. 1. 2. cum ſuperius dixerit *omnia eſſe vanitatem?* Si omnia *vana*, quomodo ergo *bona* ſunt?

Omnia vana, quia tranſitoria, ſunt: veruntamen bona ſunt cuncta, quia à bono Deo creata ſunt, & bona quidem ſunt, tamen non ſemper, ſed in tempore ſuo. Nam bonum eſt vigilare, bonum & dormire, attamen vigilare ſemper, ſemper dormire, non vtique eſt bonum.

verſ. 21. Quare dubitando loquitur Salomon, dicens: *Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* quis enim ignorat, quia ſpiritus iumentorum deſcendat, id eſt, cunctorum peccatorum brutorúmque animalium ſimul cum corpore diſſoluatur, ſed mox vbi egreditur de corpore, aut deducatur ad gloriam aut dimergatur ad pœnam?

D Paulo ſuperius oſtendit Salomon, quia quantum ad corporis vilitatem, nihil diſtat inter *iumentum & hominem*: quia ſicut moritur homo, ſic & iumentum: & ſicut iumentum redigitur in puluerem, ſimiliter & homo: ſed vt oſtenderet quod ſecundum animæ dignitatem multum diſtat homo à iumento & pecore, ſubiunxit idcirco, dicens: *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Oſtendit enim quia hæc ſola differentia inter homines & beſtias ſit, quoniam ſpiritus hominis aſcendit in cœlum, & ſpiritus iumentorum ſeu pecoris deſcendit in terram: quia moritur & ſimul cum carne diſſoluitur. Cum ergo dicit Salomon, *Quis nouit*, quaſi nemo ſit qui hoc cognoſcere poſſit: ideo ait, *Quis nouit*, vt difficultatem aut raritatem
Eſai. 53. 8. ſignificaret, ſicut eſt illud, *Generationem eius quis enarrabit?* hoc eſt, nullus aut perrarus. Nam quod impoſſibile eſt, nullatenus fieri poteſt. Illud vero quod eſt difficile, fieri poteſt, quamuis cum magno labore. Spiritualiter autem quid ſignificant illi *filij*, aut illa *iumenta? Filij Adam*, ſignificant ſanctos aut electos viros, qui merito appellantur *homines*, quia rationabiliter ac ſanctè & ſpiritualiter viuunt: per *iumenta* vero deſignantur carnales qui propterea iumenta vocantur, quoniam beſtialiter & carnali-

E ter viuunt, ſicut iumenta & pecora. Hinc enim dicit Propheta Dauid: *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Ps. 35. 7. Solet enim fieri, vt illi qui videntur homines iuſti, peccent & auertantur à iuſtitia ſua, & faciant iniquitatem: econtrario illi qui ſunt mali & impij, conuertantur ab iniquitate ſua, & faciant æquitatem & iuſtitiam. Ideo dicit Salomon, *Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* quia tam incertus eſt huius vitæ ſtatus, vt & peccator qui *iumentum* vocatur, per pœnitentiam conuerſus exurgat & aſcendat in cœlum, & *iuſtus* à iuſtitia ſua conuerſus, ruat in peccatum, & demergatur ad inferos.

IN CAPVT IV.

QVid eſt quod ait, *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas?* verſ. 5. Quis eſt enim tam ſtultus, qui carnes ſuas comedat?

Stultus iſte, *piger* ille debet intelligi, de quo in Prouerbiis dicit, *Abſcondit piger manum ſub aſcella.* Iſte ſtultus & piger complicat manus ſuas & comedit carnes ſuas,
F quia magis eligit in ocio & torpore viuere & habere pugillum farris, quam laborando acquirere vnde paſcatur. *Comedit carnes ſuas*, dictum eſt per hyperbolen. Quid eſt, per hyperbolen? *Hyperbole* græcè dicitur quando aliquid profertur incredibile. Quomodo ergo dictũ eſt hyperbolicè, *Comedit carnes ſuas?* quia incredibile eſt vt aliquis comedat carnes ſuas, ſed ad exaggerandam pigritiã huius ſtulti, ait: *Comedit carnes ſuas*, vt oſtenderet quia magis deſiderat ſtultus, vt caro eius tabeſcat inedia, & miſeria famis deficiat, quã vt manuũ ſuarũ laboribus ſuſtentetur. (*Vt Polypus ſuas ſertur edere carnes.*)

verſ. 8. Quis eſt ille *vnus* de quo dicit Salomon, *Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, aut aliquem propinquum: & tamen non ceſſat laborare*, hoc eſt, diuitias congregare, nec tantas congregat: & ideo maxima vanitas, quia congregauit diuitias, & ignorat cui congreget eas, vel cui eas relinquat? Spiritualiter autem quem ſignificat ille *vnus*, qui non habet ſecundum?

G Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui naturaliter ſolus eſt Dei filius, & ſolus deſcendit Deus de cœlis ad redimendum genus humanum. Quomodo non habet filium aut fratrem, cum in ſacro baptiſmate omnes Chriſtiani filij Dei efficiantur, & fratres Domini noſtri IESV CHRISTI? Iſte ſolus proprius & natura filius, cæteri vero omnes ſunt adoptiui: & ideo fratres eius non natura, ſed gratia. Quomodo ergo iſte *vnus laborare non ceſſat?* quia peccata noſtra patienter ſuſtinet, & miſericorditer ad pœnitentiam expectat, & pro nobis quotidie apud Deum Patrem interpellat. Quomodo non ſatiantur oculi eius diuitiis? quia noſtram ſemper deſiderat ſalutem.

Quis eſt ille *funiculus triplex*, de quo dicit Salomon, verſ. 12. *Funiculus triplex difficile rumpitur?*

H Hoc eſt, vnitas Patris & Filij & Spiritus ſancti: quia in diuinitate tres ſunt perſonæ, ſed vna eſt natura. Cur ergo ait, *Difficile rumpitur?* Illud enim quod difficile eſt, fieri poteſt, quamuis cum magno labore. Nunquid ergo funiculus iſte rumpi poteſt? Vere nunquam, quia indiuidua eſt ſanctæ Trinitatis natura, ſed difficile, in hoc loco pro impoſſibili accipiendum eſt, quia fieri non poteſt vt Trinitatis natura ſcindatur.

Quis eſt ille, *puer pauper & ſapiens*, qui melior eſt verſ. 13. *rege ſene & ſtulto?*

Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, qui puer dictus eſt propter innocentiam & ſimplicitatem: quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Iſte *puer* cum eſſet diues factus eſt pauper pro noſtra ſalute. Iſte veraciter eſt *ſapiens*, quia in ipſo habitat *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quis eſt ille rex ſenex & ſtultus? Diabolus, qui penè ab ipſo mundi exordio regnauit in genere humano: & ideo *ſenex* vocatur, & vere ſtultus eſt rex: quia quanto plures decipit, tanto ſibi pœnam accumulat. In Apoc 17. 14. & 19. 16. regno quippè huius regis *ſenis & ſtulti*, id eſt, diaboli, natus eſt puer optimus, Dominus videlicet Ieſus Chriſtus, qui factus eſt *Rex regum, & Dominus dominantium.*

Quid eſt quod ait, *Cuſtodi pedem tuum ingrediens do-* verſ. 17. *mum Dei?* Nunquid offenſione lapidum monet cu-

ſtodiri

A ſtodiri pedem, quando ingredimur *domum Dei*, id eſt, Eccleſiam Dei?

Quamuis ſemper honeſtè & cum timore ac ſilentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non *pedem* corporis docet cuſtodiendum, ſed *pedem* animæ id eſt, Ingreſſum corporis, vt in conſpectu Dei mundas preces effundamus. Et eſt ſenſus: *Quando ingrederis domum Dei,* videlicet Eccleſiam, *cuſtodi pedem tuum*, id eſt, ingreſſum mentis tuæ, ne offendas in cogitationibus malis, vt oratio tua pura dirigatur ad Deum

IN CAPVT V.

verſ.5. QVid eſt quod ait, *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam?*

Quando loquitur vanitates & verba libidinoſa, quibus caro incitetur ad peccandum, hoc eſt, noli dicere, B *Non pecco*, ſed *quod habitat in me peccatum,* id eſt, fragilitas carnis meæ qui ſi hoc dicis, Deum prouocas ad iram, quaſi ipſe ſit autor malitiæ tuæ atque peccati.

IN CAPVT IV.

verſ.7. QVid eſt quod ait, *Omnis labor hominis in ore eius, ſed anima illius non implebitur?* Qomodo fieri poteſt, vt omnia quæ homo laborat, ſint in ore eius?

Vir eccleſiaſticus ſapiens, *omnem laborem habet in ore ſuo*: quia omnia quæ in ſcripturis diſcit, quotidie meditatur, prædicat, & docet; & *anima illius non implebitur*, quia non ſufficit ſibi quod didicit, ſed magis ac magis ſemper diſcere cupit & ſtudet.

verſ 9. Quid eſt quod ait, *Melius eſt videre quod cupias, quam deſiderare quod neſcias?* Quomodo cupit, aut quomodo deſiderat quod neſcit?

Ille qui oculo mentis diſcreuit inter bonum & malum, videt quod cupiat bonum, & quod repudiet malum. C Qui autem ſequitur voluntates cordis ſui & concupiſcentias, ſæpe deſiderat quod neſcit, quia vult comprehendere quod non poteſt.

verſ.10. De quo dicit Salomon *Qui futurus eſt, iam vocatum eſt nomen eius, & ſcitur quod homo ſit?*

De Domino noſtro *Ieſu Chriſto*, cuius nomen antè vocatum eſt in Scripturis ſacris, quàm ipſe carnem de Virgine ſumpſerit, & cognitum eſt Prophetis & ſanctis Dei, quod verus homo erat venturus.

verſ.10 Si hoc de Domino noſtro Ieſu Chriſto dictum eſt, quid eſt quod ſequitur, *Et non poſſit contra fortiorem ſe in iudicio contendere*; quis eſt ille fortior, contra quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, contendere non poteſt in iudicio.

Dominus pater, qui fortior eſt, quia filius ſecundum humanitatem minor eſt patre.

IN CAPVT VII.

verſ.4. QVid eſt quod ait, *Melior eſt ira riſu*, cum riſus ſit D naturalis res?

Ira. *Ira* non ſemper eſt vitium, ſed aliquando etiam virtus eſt, quando iraſcimur, nobiſmetipſis vel aliis peccantibus. Hæc ergo ira melior eſt riſu, quia riſus diſſoluit mentem, & lætitia corrumpit hominis animum. Hæc ira corrigit & emendat peccantem.

Quid eſt quod dicit, *Calumnia conturbat ſapientem, & perdit robur cordis eius*? Qui enim vere ſapiens eſt, nulla turbatur calumnia, nec deiicitur aduerſitate.

Sapiens in hoc loco non ille intelligendus eſt, qui perfectus & conſummatus eſt in ſapientia, ſed qui iam cœpit habere ſapientiam, & tamen non eſt perfectus. Talem ſapientiam calumnia hominum ſiue aduerſitas aliqua facile conturbat, & perdit vigorem ac fortitudinem animæ illius: quia cum patienter non ſuſtinet aduerſa, vexatur impatientia.

verſ.11. Quid eſt quod Salomon ait, *Ne dicas in corde tuo, Quid putas cauſa eſt, quod meliora fuerunt tempora priora quam nunc ſunt?* Ideo malum eſt hoc dicere, quia ſicut ipſe ait, *Stulta eſt talis interrogatio.* Quare ſtulta? E Quia vnus Deus conditor omnium temporum ſiue dictum Nunquid non fuerunt tempora bona & mala?

Vere *fuerunt*, ſed virtutes faciunt nobis tempora bona: vitia & peccata, faciunt *mala*: & idcirco nos ſemper ita bene viuere debemus, vt dies præſentes meliores nobis ſint, quam præteriti.

Quid eſt quod ait Salomon, *Noli eſſe iuſtus multum, aut ſapere pluſquam neceſſe eſt?* Quid enim mali eſt, *ſi multum eſt homo iuſtus*? aut quis poteſt *plus ſapere quàm neceſſe eſt?* verſ.17.

Ille multum & nimis iuſtus eſt, cuius iuſtitia ſæua & crudelis eſt, & alios excitat ad querelam & murmurationem. Verbi gratia: Qui videt fratrem ſuum peccare, & magis vult eum condemnare atque punire, quam per pœnitentiam corrigere & emendare, ille vtique multum & nimis eſt iuſtus. Quomodo *ſapit homo plus quàm neceſſe eſt*? Quando ſuperbe ſapit, vnde monet Apoſtolus *Noli alta ſapere, ſed time.* Ille plus etiam ſapit quàm neceſſe eſt, qui vult intelligere ea quæ non poteſt comprehendere neque penetrare. Rom. 11. 20 & 12. 16. F

Quare dicit Salomon, *Qui timet Deum nihil negligit*: cum Apoſtolus Iacobus dicat *In multis offendimus omnes*? Nunquid Iacobus aut cæteri Apoſtoli non timebant Deum, qui ſe in multis offendere confitebantur? verſ.19. Iacob.3. 2.

Timebant vtique, & in multis offendebant: quia non eſt ſuper terram qui faciat bonum & non peccet. Quomodo igitur verum eſt quod dicit *Qui timet Deum, nihil negligit*? Qui enim ſanctum & caſtum timorem habet, nihil negligit: quia nec proſperis eleuatur, nec aduerſis deiicitur: quia quicquid illi accidit, non eum contriſtat. Quis eſt ille qui ſanctum & caſtum Dei timorem habet? Qui Deum in nullo vult offendere, & quantum ipſe adiuuare dignatur eius voluntatem, ipſius mandata in omnibus vult & ſtudet adimplere.

Quid eſt quod dicit, *Sapientia confortabit ſapientem ſuper decem principes ciuitatis*? Quæ eſt hæc ſapientia? & qui ſunt iſti principes? verſ.20. G

Sapientia in hoc loco Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſignificat, qui eſt *virtus & ſapientia Dei Patris.* Decem principes ciuitatis, id eſt, Hieruſalem cœleſtis, ſunt principes Eccleſiæ, quia ipſam quotidie regunt. Cur ergo *decem* dicuntur? Quia decem fuerunt ordines Angelorum, ſed vnus decidit per ſuperbiam, & idcirco boni Angeli ſemper ad hoc laborant, vt de hominibus eorum numerus adimpleatur, & veniant ad perfectum numerum, id eſt, *ad denarium.* Quomodo ergo ſapientia confortat ſapientem ſuper decem ciuitatis principes? Quia maius auxilium eſt ſapientiæ, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm ſit Angelorum.

Quid eſt quod dicit Salomon, *Virum de mille reperi vnum, mulierem ex omnibus non inueni*? Nunquid non multæ mulieres ſanctæ fuerunt, virgines ſimul & viduæ, quæ pudicitia & caſtitate ac bonis operibus Deo placuerunt ex quibus plurimæ illarum martyrio coronatæ ſunt? verſ.20.

Verè fuerunt, & vſque nunc ſunt plurimæ virgines ſimul & viduæ, Deo acceptæ. Sed hoc dicit Salomon quia H ſuo tempore de viris multis vix potuit aliquem inuenire bonum. De mulieribus vero nullam inuenit, quia omnes ad luxuriam traxerunt ſe. Poteſt hæc ſententia ſpiritualiter intelligi? Vere poteſt; nam per *virum* deſignatur bonus animi cogitatus: per *mulierem* vero carnalis & diſſoluta cogitatio. De mille ergo viris vix vnus inuenitur cogitatus purus & mundus qui peruerſa cogitatione non turbetur & polluatur extrinſecus. *De mulieribus* verò *nulla* inuenitur quæ placeat Deo, quia carnalis & peruerſa cogitatio non eſt accepta Deo.

IN CAPVT VIII.

QVid eſt quod ait, *Qui cuſtodit præceptum Dei, non experietur quicquam mali*? Quomodo nihil mali experietur, cum ſancti viri qui præcepta Dei cuſtodierunt, multa mala perpeſſi ſunt in hoc ſæculo? verſ.5.

A Verum quia qui præcepta Dei cuſtodit, id eſt, omne quod præcepit & iuſſit Deus, non experietur quicquam mali in futuro, hoc eſt, nullum patietur, nullum ſuſtinebit malum in die iudicij. Quamuis enim aliqua mala patiatur in hac vita, leuia ſunt & tranſitoria. In futura namque vita nihil mali patietur, quia perueniet ad æternæ beatitudinis præmium & gloriam.

IN CAPVT IX.

verſ. 4. QVid eſt quod ait, *Melior eſt canis viuus leone mortuo?* Quid per canem viuum aut leonem mortuum vult Salomon intelligi?

Canis viuus, gentilitatem ſignificat: *leo mortuus*, populum Iudæorum à Deo derelictum. Melior eſt ergo canis iſte viuus apud Deum, quàm leo mortuus, quia nos qui de gentibus credimus, viuentes per fidem, cognoſcimus Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Iudæi vero mortui per infidelitatem, nihil ſciunt. Aliter:

B Canis eſt peccator, qui ſe peccatis mortuum confitetur, & per pœnitentiam reſurgens, incipit per iuſtitiam viuere. Leo mortuus, eſt iuſtus qui in ſua iuſtitia confidit, & de ſuis meritis gloriatur: & idcirco in ſuperbia elatus, mortuus eſt apud Deum. Melior eſt ergo peccator humilis & per pœnitentiam correctus, quàm iuſtus ſuperbus: quia iſte abominabilis, ille eſt Deo acceptus.

verſ. 8. Quid eſt quod ait, *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat?* Nunquid poteſt aliquis candida ſemper habere veſtimenta? & ſi forſitan ita eſt diues, vt ſemper veſtimenta poſſit habere candida, quia omnino difficile eſt, quomodo fieri poteſt, vt de capite eius nunquam deficiat oleum? Quis vnquam ferre poteſt, vt ſemper oleo caput perunctum habeat?

Hæc ſententia non hiſtorialiter, ſed ſpiritualiter debet intelligi. Nam per *veſtimenta* virtutes deſignantur, quibus anima veſtitur & ornatur. Per *oleum* vero deſignatur opus miſericordiæ, id eſt, eleemoſyna, vel certè

C ſpiritualis lætitia, & eſt ſenſus, *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*, hoc eſt, quæcunque egeris bona, ſint munda & pura, vt poſſint Deo accepta eſſe, & nunquam deficias in bonis operibus, & ſemper habere ſtudeas lætitiam ſpiritualem.

IN CAPVT X.

verſ. 1. QVæ ſunt muſcæ de quibus Salomon dicit, *Muſcæ morientes exterminant ſuauitatem vnguenti?*

Quantum ad literam, ſi muſcæ moriantur in vnguento precioſo, exterminant ſuauitatem illius, veruntamen Salomon *ſpirituales muſcas* vult intelligi in hoc loco. Quæ ſunt ergo ſpirituales muſcæ? Dæmones, vitia, & peccata, hæc enim omnia exterminant ſuauitatem vnguenti, id eſt, gratiam Spiritus ſancti.

verſ. 2. Quid eſt quod ait, *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius?* Quis enim habet cor ſuum carnale in dextra vel in ſiniſtra manu?

D Verè nullus, & ideo ſpiritualiter hæc ſententia eſt intelligenda. Quomodo? Per *cor* deſignatur intentio ſiue cogitatio, per *dexteram* opus bonum, per *ſiniſtram* opus malum, *Cor* ergo *ſapientis in dextera eius*, quia cogitatio & intentio viri ſapientis ad hoc tendit, & ad hoc laborat, vt ſemper bona operetur, quatenus in die iudicij ad dexteram Domini, id eſt, in ſorte iuſtorum ſtare mereatur, & cum ipſis in æterna beatitudine gloriari. *Cor autem ſtulti in ſiniſtra illius*, quia & mala quæ cogitat, malis operibus accumulat, pro quibus in die iudicij à ſiniſtris, id eſt, in ſorte reproborum ponetur, & cum ipſis in æternum punietur.

verſ. 4. Quis eſt ille ſpiritus de quo dicit, *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te locum tuum ne dimiſeris?* Quis eſt ille qui poteſtatem habet, cuius ſpiritus ſi aſcenderit ſuper nos, locum noſtrum dimittere non debemus?

Diabolus princeps huius mundi: *ſpiritus* eius, eſt maligna ſuggeſtio. Spiritus diaboli quomodo aſcendit ſuper nos? quia perſuadendo facit vt mala cogitemus. Si ergo ſuggerente diabolo mala ſuggeſtio aſcenderit in cor noſtrum, non ei locum debemus dare, ſed contra ipſam fortiter pugnare debemus, ne forte opere compleamus malam cogitationem. Poteſt & ſic intelligi: Si habes vitæ humilitatem, munditiam, caſtitatem, patientiam, charitatem, & diabolus tibi ſuggerit ſuperbiam, libidinem, immunditiam, odium, *ne dimiſeris locum tuum*, hoc eſt, humilitatem, ne efficiaris ſuperbus, ſic & de cæteris eſt intelligendum. E

Quid eſt quod dicit Salomon, *Væ tibi terra cuius rex puer eſt & cuius principes mane comedunt?* Nunquid non beata fuit terra Iſraël, quæ iuuenem habuit regem, David ſcilicet, qui viginti annorum fuit quando ſuſcepit regnum? Nunquid non bonus Ioſias fuit rex, qui regnare cœpit in adoleſcentia? verſ. 16.

Verè bonus rex fuit *David & Ioſias*, ſed verè *væ terræ cuius rex iuuenis*, hoc eſt, in quo parua & infirma eſt & carnalis ſapientia & prudentia. Qui iuuenilia deſideria ſequitur, odit iuſtitiam, veritatem & iudicium. Quomodo *principes mane comedunt?* quando luxurioſe viuunt principes, mane comedunt, & idcirco væ terræ cuius principes mane comedunt, quia magis amant voluptatem huius ſeculi & carnis delectationem, quàm populi ſalutem: ideóque luxurioſe viuendo perueniunt ad iudicium. F

Quomodo *beata eſt terra, cuius rex nobilis eſt, & cuius principes comedunt in tempore ſuo?* verſ. 17.

Si rex eſt *nobilis*, decorus ſapientia, ſplendidus iuſtitia, ornatus bonis moribus & actibus, verè *beata eſt terra* cui præeſt, qui regit eam in iudicio & æquitate, & exaltat iuſtitiam. Qui ſunt illi principes qui in tempore ſuo comedunt? Illi qui non luxuriantur, qui non amant huius ſeculi voluptatem, qui non viuunt in crapula & ebrietate, ſed cibos quærunt tantum ad corporis ſuſtentationem. Ideoque beata terra quæ tales habet principes: quia cum iuſtitiam & æquitatem diligunt, non peruertunt iuſtitiam.

IN CAPVT XI.

QVid eſt quod ait, *da partes ſeptem, necnon & octo?* Quæ ſunt iſtæ partes *ſeptem & octo?* G verſ. 2.

Per ſeptenarium numerum deſignatur vetus teſtamentum, propter ſabbatum, qui eſt ſeptimus dies ſanctificatus in lege. Per octonarium vero numerum deſignatur nouum teſtamentum, propter diem Dominicum, qui eſt octauus dies, Domini reſurrectione ſacratus. Quomodo ergo intelligendum eſt quod ait, *Da partes ſeptem, necnon & octo*: hoc modo, id eſt, vtrumque teſtamentum, vetus ſcilicet & nouum, pari veneratione ſuſcipere, & præcepta eius diligenter implere.

Quid eſt quod ait, *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit?* Nunquid lignum quod cadit contra aquilonem aut meridiem, ibi erit? Nonne ſæpe mouetur in alias mundi partes? verſ. 3.

Nulli hoc dubium eſt. Sed hæc ſententia ſpiritualiter debet intelligi. Per lignum homo deſignatur: quoniam vnuſquiſque quaſi lignum eſt in ſylua generis humani. H Per aquilonem, qui eſt frigidus ventus, deſignatur inferni ſupplicium, & eſt ſenſus: vbicunque homo ſibi locum & futuram ſedem præparauerit, ibi erit cum mortuus fuerit, hoc eſt, ſi bene viuendo ſibi locum præparauerit ad auſtrum, *cum ceciderit*, id eſt, cum mortuus fuerit, in requie paradiſi & gloria regni cœleſtis permanebit in æternum: ſin male viuendo ſibi locum ad Boream præparauerit, inferni pœnas in ſecula ſeculorum habebit.

Quid eſt quod ait, *Qui obſeruat ventum vt non ſeminet, & qui conſiderat nubes vt nunquam metat?* Quis eſt enim tam ſtultus, qui ſemper obſeruet ventum vt non ſeminet, & conſideret nubes vt nunquam metat? verſ. 4.

Hæc ſententia ſpiritualiter eſt intelligenda. Nam per ventum & nubes ſæpe tempeſtates generari ſolent. Per *ventum* deſignatur diabolus, per *nubes* præſentis ſeculi aduerſitates. Quicunque timet diaboli perſecutionem, aut mundi aduerſitates, *non ſeminat*, id eſt, verbum Dei

A non prædicat,non operatur bona quæ poſſit : nunquam
etiam metet , quia etſi aliqua bona inchoat , ad perfe-
ctionem ea non perducit. Quid ergo agendum eſt ? Si-
ne conſideratione nubium & timore ventorum, in me-
diis tempeſtatum ſeminare debemus, id eſt, in omnibus
aduerſitatibus verbum Dei prædicare , & bona quæ
valemus , nos agere ſemper oportet.

vers. 6. Quid eſt quod ait Salomon , *Mane ſemina ſemen
tuum , & veſpere ne ceſſet manus tua ?* Quis enim ſem-
per mane & veſpere ſeminare poteſt , maximè cum gla-
ciali tempore nullus audeat ſeminare ?

Semen in hoc loco non eſt intelligendum frumenti,
vel alterius cuiuſlibet generis,ſed ſemen boni operis,ex
quo naſcitur fructus iuſtitiæ, & merces æternæ retribu-
tionis. Quid ergo docet cum dicit, *Mane ſemina ſemen
tuum , & veſpere ne ceſſet manus tua?* vt nullo tempore,
nulla ætate a bonis operibus ceſſemus, & noſtram ma-
B tutinam ſcilicet iuſtitiam veſper inueniat , & veſperti-
nam miſericordiam iterum ſol ortus accumulet.In ado-
leſcentia pariter & ſenectute virtutum copia nos ſemper
Deo commendet. *Mane ſemina ſemen tuum,& veſpere ne
ceſſet manus tua* , hoc eſt , in bonis operibus ſemper te
exerce.

IN CAPVT XII.

vers. 5. QVid eſt quod ait,*Florebit amygdalus,impinguabitur
locuſta , & diſſipabitur capparis ?* Quid enim hoc
profuit dicere, cum nullus ignoret quia amygdalus flo-
rere ſolet, impinguari locuſta, & diſſipari capparis ?

Hæc ſententia ſpiritualiter eſt intelligenda , & ma-
gnum in ſe continet myſterium , nam per *amygdalum*
deſignatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus : quia ſicut
nux amygdali conſtat ex cortice , oſſe & nucleo, quo-
niam per os amygdali deſignatur diuinitas : per *locu-
ſtam* populus gentilis ; per *capparim* populus Iudaicus.
C Quomodo intelligenda eſt hæc ſententia?*Florebit amy-
gdalus*,id eſt,naſcetur Chriſtus,& coruſcabit miraculis.
Impinguabitur locuſta, id eſt,credet gentilis populus, &
repiebitur bonis ſpiritualibus. *Diſſipabitur capparis*,hoc
eſt , peribit Iudaicus populus propter infidelitatem.

vers. 11. Quare *verba ſapientium ſtimulis & clauis* aſſimilan-
tur ? ſic enim dicit Salomon :*Verba ſapientium ſicut
ſtimuli , & quaſi claui in altum defixi ?*

Aptiſſimè *verba ſapientium, ſtimulis & clauis* compa-
rantur , quia peccatorum culpas neſciunt palpare , ſed
pungere. Qui enim ſunt veraciter ſapientes,eorum pro-
culdubio verba claui ſunt & ſtimuli , qui peccatores
non blandimentis fouent , ſed aſpera increpatione re-
darguunt,& ſecretas eorum conſcientias quaſi pungen-
do , ad lamenta & ad laborem excitant vt corrigantur.

vers. 11. Quid eſt quod ait , *Quæ per magiſtrorum conſilium
data ſunt à paſtore vno ?* Qui ſunt illi *magiſtri*, per quo-
D rum conſilium *data ſunt verba ſapientium* ? aut quis eſt
ille vnus paſtor à quo data ſunt ?

Magiſtri ſunt ſancti Prophetæ & Apoſtoli. *Paſtor*
vnus eſt Deus , à quo data ſunt omnia verba ſapien-
tium , quia ipſe docuit magiſtros, id eſt , Prophetas &
Apoſtolos, & inſtruxit eorum conſilium , quoniam
ipſe dedit verba in corde & ore ipſorum.

Cap. 12. 13. Quid eſt quod Eccleſiaſtes in fine libri ſui dicit,
*Deum time , & mandata eius cuſtodi. Hoc est omnis ho-
mo ?* Quomodo fieri poteſt , vt hoc tantum ſit *omnis
homo*, id eſt, Deum timere, & mandata eius obſeruare ?
Multo quippè maior eſt pars eorum hominum, qui nec
timent, nec mandata eius obſeruant , quam ſit illorum
qui timent & cuſtodiunt.

Matt. 20. 16. Verè maior pars eſt malorum quàm bonorum, quia
ſicut Dominus dicit , *Multi ſunt vocati , pauci vero ele-
cti :* & incomparabiliter maior eſt infidelium multitu-
do , quàm fidelium. Quid ergo vult in hoc loco Salo-
mon demonſtrare ? Hoc namque demonſtrat in his ver-
bis,quia non eſt homo qui *Deum non timet,& mandata
eius non cuſtodit.* Quare non eſt *homo* ? Quia non ſeruat
modum rationémque ſuæ naturæ. Quæ eſt ratio & mo-
dus naturæ humanæ ? Rationabiliter viuere, quia inter E
omnia animalia ſolus homo creatus eſt rationale ani-
mal , quoniam inter cuncta veræ animantia ſolus acce-
pit homo à Deo rationem & intellectum,vt agnoſceret
ſuum creatorem, & diligeret eum ac timeret, & ore ſi-
mul & corde laudaret. Quid eſt *Deum timere* ? Volun-
tatem eius implere, & bona quæ facienda ſunt, facere.
Sic ergo qui Deum non timet , & mandata eius non
cuſtodit,non eſt *homo*.Quid ergo eſt ? *Beſtia.* Quomodo *Malus*
beſtia vocatur ? Si eſt crudelis ſuis domeſticis, vel ſub- *inſtar eſt*
iectis, aut vicinis, leo eſt , non homo. Si autem raptor *beſtia.*
eſt , tigris eſt aut lupus. Si vero eſt adulter, aut forni-
cator,aut immundus,canis aut porcus:aut ſi eſt ſtultus,
aſino comparatur. Fraudulentus itaque & ſimulator,
congruè vulpeculæ aſſimilatur. Sic & de cæteris intel-
ligendum eſt. Quis eſt veraciter *homo* : Ille ſolus eſt
homo,*qui Deum timet,& mandata eius custodit.*

PERORATIO. F

Hæc de Parabolis Salomonis nos humiliter deſcri-
pſimus , ne in figuratiuis phantaſiis nihil aliud creden-
tes,quàm quod ſecundum viſibilium formationem ſcri-
ptum inuenimus , ſed eruditi potius à figuratiuis ad eo-
rum quæ vera ſunt cognitionem aſcendamus.

EIVSDEM HONORII Auguſtodunenſis Commentaria,ſive Expoſitio in Cantica Canticorum Salomonis : Item eiuſdem Sigillum B. Mariæ Virginis.

G

INCIPIT EPISTOLA HONORII Doctoris eximij ſuper Cantica Canticorum.

DONVM ſapientiæ cum Salomone poſcenti,à
vero pacifico poſtulata conſequi. Quia præde-
ceſſori tuo beatæ memoriæ venerando Abbati
N. librum Dauid vtcunque explanaui : poſcis à me,
imò iubendo exigis ſucceſſor eius , librum Salomonis
tibi explanari iuſtum aſſerens , vt qui patri patris opus
magno ſudore elaboratum obtuli , tibi quaſi filio filij
opus ſtylo elucidatum debeam offerre.Feci itaque quod
iuſſiſti , & librum Salomonis qui intitulatur Cantica
Canticorum multorum ore celebratum , paucorum in-
tellectui reſeratum , plano ſtylo reſeraui : ac opus deſi-
dioſis obſcurum, omnibus ſtudioſis Spiritu ſancto illu-
ſtrante elucidaui ; nihil mihi præter ſolum laborem
aſcribens, ſententias vero authoribus relinquens. H

Explicit Epiſtola.

Incipit Prologus in librum Salomonis qui dicitur Cantica Canticorum.

IN principiis librorum tria requiruntur, ſcilicet , au-
tor,materia,intentio. Autor, vt noueris nomen ſcri-
ptoris vtrum ethnicus, an fidelis , vtrum Catholicus an
hæreticus fuerit. Materia,vt ſcias vtrum de bellis an de
nuptiis vel de quibus rebus tractat. Intentio,vt cogno-
ſcas vtrum rem de qua tractat ſuadeat vel diſſuadeat,
vel liber lectus quid vtilitatis conferat.

Autor libri huius eſt Spiritus ſanctus , loquens per
vas ſapientiæ Salomonem huius libri ſcriptorem , qui
fuit rex ſapientiſſimus & propheta præcipuus. Ideo
non legitur lectio libri Salomonis , ſed lectio libri Sa-
pientiæ. Qui Salomon tria volumina heroïco metro
edidit, quæ & in tres partes Philoſophiæ,ſcilicet Ethi-
cam, Phyſicam , Logicam diſtribuit. Parabolas nam-
que Ethicæ attribuit,in quibus bonos mores docuit ; vt

A ibi? *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Eccleſiaſten autem Phyſicæ aſſignauit, in quo naturas rerum diſſeruit, vt ibi: *Omnia flumina intrant in mare, ad locum vnde fluunt reuertuntur aquæ vt iterum fluant.* Cantica canticorum. Logicæ contulit, i. quibus rationalem animam per dilectionem Deo coniungi voluit, vel docuit, vt ibi: *fortis eſt vt mors dilectio. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatē:* Autor eſt æquiuocum. Æquiuocum autem dicitur quod vnum eſt in literatura, ſed diuerſum in ſignificatione, vt leo. Eſt enim leo cœleſte ſydus in cœlo, & leo terreſtris beſtia in terra, eſt etiam leo aquatilis piſcis in aqua. Eſt quoque Leo nomen hominis, Apoſtolici ſcilicet vel Imperatoris, eſt & leo pictura vel ſculptura, ſic & autor eſt ęquiuocū. Eſt autē autor ciuitatis, id eſt, fundator vt Romulus Romæ, eſt & autor ſceleris, id eſt, princeps vel ſignifer, vt Iudas Chriſti mortis, eſt quoque autor libri, id eſt, compoſitor, vt Dauid Pſalterij, Plato Thymæi. Eſt etiam autor commune nomen, ab augendo dictum.

B Materia libri eſt ſponſus & ſponſa, id eſt, Chriſtus & Eccleſia, vt in Euangelio legitur. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.* Et item, *decem virgines exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* Chriſtus namque per ſimile dicitur ſponſus, quia ſicut ſponſus ſponſæ carnaliter coniungitur, & vnum cum ea efficitur; ita Chriſtus per aſſumptam carnem Eccleſiæ aſſociatur, & ipſa per comeſtionem corporis eius ei incorporatur. Vnde & corpus eius ſcribitur, cuius caput ipſe legitur, membraque eius omnes electi per fidem & dilectionem ei connexi, materia eius ſunt.

Hic liber agit de nuptiis quæ fiunt quatuor modis, ſcilicet hiſtoricè, allegoricè, tropologicè, anagogice. Iuxta hiſtoriam fiunt nuptiæ duobus modis, aut carnis commixtione, aut ſola deſponſatione: Sola deſponſatione vt Mariæ & Ioſeph: Carnis commixtione, vt Salomonis & filiæ Pharaonis, quam ſibi iure copulauit matrimonij; cuius domum auro gemmiſque decoratam

C ædificauit. Iuxta allegoriam quoque fiunt nuptiæ duobus modis: Vno, quo verbum Dei carnem ſibi coniunxit, id eſt, quo Deus humanam naturam ſumpſit, quam in dextera Patris exaltatam in ſolio gloriæ collocauit: Alio quo Chriſtus Deus homo vniuerſam Eccleſiam, id eſt, totam fidelium multitudinem per commixtionem corporis ſui ſibi ſociauit. Quam & ſuo ſanguine ſubarrauit, & lauacro baptiſmatis lauit, & variis Spiritus ſancti carismatibus dotauit.

Iuxta tropologiam etiam fiunt nuptiæ duobus modis. Vno quo anima Chriſto per dilectionem copulatur: Alio quo anima quod eſt inferior vis interioris hominis ſpiritui, quod eſt ſuperior vir eius per conſenſum diuinæ legis coniungitur, de quo coniugio ſpiritalis proles, id eſt, bonum opus gignitur.

Iuxta Anagogen nihilominus fiunt nuptiæ duobus modis. Vno quo Chriſtus reſurgens à morte nouus homo cœlos aſcendit, & multitudinem Angelorum ſibi ſociauit: Alio quo adhuc poſt reſurrectionem totam

D Eccleſiam in viſione Deitatis ſuæ gloriæ copulauit. Tres nuptiæ leguntur in Euangelio, Primæ ibi: *Simile eſt regnum cœlorum homini regni, qui fecit nuptias filio ſuo.* Secundæ ibi: *Vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis.* Tertiæ, ibi: *Et quæ paratæ erant intrauerūt cum eo ad nuptias.* Primæ nuptiæ erant, quando rex cœli filio ſuo Chriſto humanam naturam copulauit, vbi thalamus virginis vterus fuit, de quo *vt ſponſus de thalamo proceſſit.* Ad has nuptias omnes antè legem Patriarchas, omnes ſub lege Prophetas inuitauit. Secundæ nuptiæ fuerunt, quando Chriſtus nouus homo ad cœlos aſcendit, & multitudinem Angelorum ſibi coniunxit. Ad has nuptias omnes gentes per Apoſtolos conuocauit. Tertiæ nuptiæ poſt iudicium erunt, quando per Angelos Eccleſiam in cœleſtem Hieruſalem transferet, & in thalamo gloriæ ipſa Deitatis viſione ſibi coniunget. Ad has nuptias per Prælatos Eccleſiæ multos volentes trahit, multos nolentes intrare compellit. De his nuptiis materia huius libri contexitur, ideo & epithalamium, id eſt, nuptiale carmē dicitur.

Intentio eius eſt Eccleſiam vel quālibet animam Chriſti ſponſam ſponſo Chriſto per dilectionem coniungere. Quæ dilectio in duo diuiditur, ſcilicet, in dilectionem Dei & proximi. Dilectio proximi eſt biformis, videlicet: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris: & quod vultis vt faciant vobis homines, facite eis ſimiliter.* Dilectio Dei vniformis eſt, ſcilicet, vt præcepta eius ſeruemus, vt ſcribitur. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit.* E

Titulus enim huius libri eſt: *Cantica canticorum,* id eſt, laus laudum. Sicut enim in lege quædam dicuntur ſancta, quædam verò ſancta ſanctorum, his ſacratiora: ita Cantica canticorum dicuntur, quia omnibus canticis præferuntur. Quædam namque ſunt cantica victoriæ, vt: *Cantemus Domino,* quædam gratiarum actionis, vt: *Exultauit cor meum in Domino.* Sed iſta cantica nuptias Chriſti & Eccleſiæ canunt; ideo omnia cantica præcellunt. Hoc autem diſtat inter canticum & carmen: quod certa lege metri carmen ſcanditur, canticum verò modulando canitur. Eſt autem canticum iocunditas mentis de æternis, & intelligitur bona vita, per F quam acquiritur iocunditas æternæ exultationis.

Et ſciendum quod hæc verba: *Oſculetur me,* non ſunt canticum, ſed de cantico agunt; quia bonam vitam iuſtorum, quæ in dilectione conſtat, canunt. Canticum quippe eſt vita iuſtorum; Canticum canticorum eſt vita perfectorum. Liber eſt æquiuocum. Eſt enim Liber, Bacchus Deus vini: & eſt liber homo ingenuus: eſt quoque liber interior cortex, qui de arbore trahitur; in quo antiqui ſolebant ſcribere: vnde & librarij dicebantur. Eſt enim liber in quo legitur. Hic liber eſt vnus de ſeptem agiographiæ. Sacra igitur Scriptura eſt bipartita. Diuiditur enim in vetus & nouum teſtamentum. Veteris teſtamenti ſcriptores fuerunt Prophetæ: noui autem teſtamenti Scriptores Apoſtoli extiterunt: vtriuſque verò autor eſt Spiritus ſanctus. Veteris, vt legitur aut ſcribitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Noui vt legitur: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Vetus teſtamentum partitur in tria: in Hiſtoriam, Prophetiam, Agiographiam. G Hiſtoria eſt quæ narrat præterita, vt Geneſis. Prophetia eſt, quæ prædicit futura, vt Iſaias. Agiographia eſt, quæ tractat æterna, vt Dauid. Sunt autem agiographiæ ſeptem libri, qui coaptantur ſeptem donis Spiritus ſancti, ſcilicet, Iob, Dauid, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Cantica, liber Sapientiæ, Eccleſiaſticus. Ex quibus Iob aſcribitur ſpiritui ſapientiæ: Dauid ſpiritui intellectus: Parabolæ ſpiritui conſilij: Eccleſiaſtes ſpiritui fortitudinis: Cantica ſpiritui ſcientiæ: Liber ſapientiæ ſpiritui pietatis: Liber Ieſu filij Sirach ſpiritui timoris. Hæ ſunt ſeptem columnæ, quibus ſuffulta eſt magna domus Sapientiæ.

Et notandum quod Cantica ſpiritui ſapientiæ aſſignantur, quia ſcientia totius ſcripturæ Canticis includitur.

Præterea notandum quod Cantica in quinto loco agiographiæ calculum ponunt, quia nimirum quinque gradus amoris ſunt, videlicet, viſus & alloquium, contactus & oſcula, factum. H In primis namque puella placita viſu eligitur, deinde electam amans alloquitur, tertio blando contactu amplectitur, quarto oſculatur, quinto res facto peragitur. Sic Deus primitiuam Eccleſiam in Patriarchis viſu prædeſtinauit & elegit, dum Abrahæ dixit: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.*

In Moyſe & Prophetis hanc allocutus eſt, dicens: *Si feceris quæ præcipio tibi, dabo tibi terram fluentem lac & mel.* Hanc præſentia aſſumptæ carnis tetigit dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos.* Huic oſculum præbuit, dum victor mortis reſurgens pacem amiſſam ei reddidit, dicens: *Pax vobis.* Adhuc factum reſtat, quod tunc erit quando peracto iudicio in gaudium Domini ſui eam introducet, dicens: *Venite benedicti patris mei percipite regnum ab origine mundi vobis paratum.*

Omnis liber ſacræ ſcripturæ habet proprias diuiſiones & proprias numeri ſignificationes, *Verbi gratia.* Pſalterium diuiditur in tria, & præfert tria ſæculi tempora,

A videlicet: ante legem, ſub lege, ſub gratia, quibus omnes iuſti contra vitia & peccata pugnauerunt, quorum victorias pſalmi canunt. Qui pſalmi in quindecim decadas diuiduntur, quæ veluti totidem gradus cuidam ſcalæ ad cœlum erectæ inſeruntur, per quam victores de valle lacrymarum ſcandant ad regna cœlorum.

Hic autem liber in quatuor partes diuiditur, quia Eccleſia ſponſa Chriſti quam canit de quatuor plagis mundi, per quatuor Euangelia in thalamum ſponſi colligitur, ipſo dicente. *Venient & recumbent ab occidente & oriente. à meridie & aquilone, cum Abraham, Iſaac & Iacob, in regno cœlorum.*

Ab oriente eſt ſponſa adducta, quando multitudo electorum ante legem in fidem Patriarcharum eſt electa, qui crediderunt hoc promiſſum: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, id eſt, in Chriſto. A meridie eſt ſponſa adducta, quando turba populorum ſub lege in fidem Prophetarum eſt collecta, qui crediderunt hoc futurum: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur*
B *nomen eius Emanuel, id eſt nobiſcum Deus*, quod fuit Deus homo Chriſtus. Ab occidente ſponſa eſt adducta, quando multitudo gentium ſub gratia per Apoſtolos ad fidem Chriſti eſt attracta. Ab aquilone ſponſa adducitur, quando ſub Antichriſto turba infidelium ad fidem conuertitur. Aliter per orientem puerilis ætas, per meridiem iuuenilis ætas, per occidentem ſenilis, per aquilonem decrepita accipitur: de quibus multitudo magna quotidie per fidem & dilectionem in amplexum ſponſi colligitur.

Quæ diuiſio in ipſo libro per quatuor perſonas diuiditur, quibus vnaquæque pars aſſignatur, ſcilicet: per filiam Pharaonis, per filiam regis Babylonis, per Sunamitem, per mandragoram. Quarum duæ exiſtunt in re; duæ in ſignificatione. Nam filia Pharaonis realiter eſt Salomoni in coniugio coniuncta & copulata. Et regina auſtri, quæ filia regis Babylonis figuraliter dicitur, realiter in templum Domini venit auro & argento & gemmis adornata. Sunamitis autem & mandragora, hoc eſt, puella
C ſine capite, pro ſola ſignificatione ponuntur. Filia Pharaonis in curru ab oriente eſt adducta. Regina auſtri in camelis à meridie adducta eſt. Sunamitis ab occidente in quadriga Aminadab eſt adducta. Mandagora ab aquilone de agris eſt collecta, & in manibus aduecta. Filia Pharaonis gens Hebræa fuit, quæ ſub imperio Pharaonis nata creuit, hanc Salomon ſibi ſociauit, quando Dominus vineam de Ægypto tranſtulit & in Iudæa plantauit: hæc in curru ſponſo adducitur, quia in lege ad cultum veri Dei perducitur, ſed ipſa currum Dei deſeruit, & currus Pharaonis aſcendit, dum plebs Hebræa lege Dei derelicta, iuſſu principum ſuorum idololatriam arripuit. Reges namque & ſacerdotes Iſraël currus Pharaonis fuerunt, dum Ægyptiacam idololatriam per aureos vitulos in Bethel populo Dei induxerunt. Siquidem Pharao dicitur denudans vel diſſipans, & eſt diabolus qui eos cultu diuino denudauit, & variis erroribus diſſipauit. Porro hæc ſponſa ab oriente venit, quia primò in mundo cultum Dei ſuſcepit, ipſáque ſolem iuſtitiæ ſecundum carnem
D protulit. Filia Regis Babylonis, id eſt, diaboli, eſt gentilitas. Babylon etenim dicitur confuſio: & eſt hic mundus in quo multis peccatis confuſum eſt genus humanum. Huius Rex eſt diabolus, qui imperat omnibus in peccatis confuſis. Cuius filia eſt gentilitas in confuſione idololatriæ nata. Sed hæc facta regina auſtri, venit ad Salomonem, quia Spiritu ſancto, quem auſter ſignificat, illuſtrata venit in cœlis regnatura ad verum pacificum CHRISTVM. Qui eam in templum Domini adduxit, quare Chriſtus eam templum Dei viui fecit.

Hæc aurum & gemmas in ornatum templi attulit, quia ſapientia & ornamento virtutum domum Dei, id eſt, ſeipſam ornauit. Venit autem vecta in camelis, quia docta à Philoſophis, quæ ad vtiles artes docendas vt cameli ad onera portanda habiles, ſed peccatis diſtorti erant & diſformes. Hæc quaſi de meridie ad ſponſum venit, quia de feruore mundanæ gloriæ ad Chriſti cul-

E tum ſe contulit. Sunamitis autem de occidente venit in quadriga Aminadab. Suna enim eſt ciuitas de qua illa Sunamitis fuit, cuius filium Heliſæus à morte ſuſcitauit, quia prius ſeruum cum baculo miſit, ſed mortuum ſuſcitare non potuit. Venit Heliſæus & aſſimilatus eſt mortuo, & ſurrexit continuò. Hic mortuus ſignificat genus humanum. Seruus qui baculum ſuper mortuum poſuit, Moyſes fuit, qui legis baculum ſuper mortuos in peccatis poſuit, quæ eos magis oppreſſit, non reſuſcitauit. Heliſæus, qui dicitur Dei mei ſalus eſt Chriſtus, nobis à Deo datus ſalus; hic in ſimilitudine hominum mortalis factus, mortuum ſuſcitauit humanum genus. Porrò Sunamitis dicitur captiua, & eſt ſynagoga adhuc in perfidia à diabolo captiuata. Hæc ab occidente ſponſo adducitur, quia in fine mundi ad fidem Chriſti conuertetur. Et hoc in quadriga Aminadab. Aminadab erat ſacerdos in cuius quadriga arca in Ieruſalem eſt reducta, olim ab Allophylis capta. Arca de Iudæa ad gentes venit, quando Chriſtus de ſynagoga ad Eccleſiam ſe contulit. Arca
F de Ieruſalem reducetur, quando ſub Helia & Enoch Chriſtus ad Iudæam iam conuerſam reuertetur. Aminadab, qui dicitur populus meus ſpontaneus, Chriſtus eſt, quæ ſpontanea morte populo oblatus eſt.

Huius quadriga eſt Euangelium, quo inuectus eſt per mundum. Rotæ huius quadrigæ ſunt quatuor Euangeliſtæ. Equi autem ſunt Apoſtoli, qui hanc quadrigam traxerunt, dum Euangelium Chriſti per mundum prædicauerunt. Vnde ſcribitur: *Aſcendes ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio.* Super hanc quadrigam Sunamitis ſponſo adducitur, quando ſynagoga per Euangelium in CHRISTI conſortium recipitur. Mandragora vero, hoc eſt puella ſine capite, venit ab aquilone. Mandragora eſt herba formam hominis habens, ſed capite carens. Et multitudo infidelium intelligitur poſt Antichriſtum, cui mandragoræ caput eſt amputatum, dum Antichriſtus occiditur, qui caput omnium malorum ſcribitur: quæ tunc ad verum caput recurrit ab aquilone, id eſt, de infidelitate, & ſubditur ei in ſanctitate. Hæc de agro colli-
G gitur, quia de toto mundo hæc turba congregatur. In manibus apportabitur, quia per opera viſa Eccleſiæ aſſociabitur. In his quatuor ſpeciebus materia huius libri verſatur. Series autem totius contextionis libri huiuſmodi.

Explicit Prologus Honorij Doctoris eximij ſuper Cantica Canticorum.

INCIPIT ALIVS PROLOGVS Honorij Doctoris eximij ſuper cantica canticorum.

IMperator ſupernæ reipublicæ volens habere hæredem, genuit ſibi filium coæqualem: hunc conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Qui vt filios poſſet habere regni cohæredes, deſponſauit ei
H pater reginam & concubinam, id eſt, Angelicam & humanam naturam. Interea quidam princeps tyrannidem arripuit, & ſimilis Altiſſimo eſſe voluit. Cuius tyrannidi regina conſenſit: Imperatorem deſerens, tyranno adhæſit, à quo polluta adulterio priuata eſt regni ſolio, & cum eodem tyranno æterno damnata exilio. Cui mox concubina eſt in dignitate prælata, regiíque coronæ attitulata.

Quæ corona tunc ideo eſt dilata, quia nondum erat perfectè ornata. Summus autem ornatus humanæ naturæ eſt obedientia diuini mandati. Regis ergo filius electam ad regni coronam in Paradiſo, quaſi in cubiculo, ornandam collocauit; materiam ornatus præceptum dedit, mandans vt ſe obedientia ornaret: ſpondens quod ornatam in aulam & conſortium regni reciperet. Hoc æmula eius videns & inuidens, tacta dolore cordis intrinſecus, inferiorem ſibi in dignitate præferri, ſe gloria & honore priuari, incautam callide decepit, ornatum

A obedientiæ non ſibi prodeſſe, ſed magis obeſſe, retulit, ornatum heu à decepta accepit, dum eam ſibi magis quam Deo obedire perſuaſit!

Vnde ſponſus offenſus, quod à ſe datum ornatum abjeciſſet, imo æmulæ ſuæ à ſe repudiatæ dediſſet, de cubiculo paradiſi eam expulit, gratiam ſuam tam diu interdixit donec amiſſum ornatum ab æmula reciperet, & ſic gratiam ſponſi & coronam regni ſperaret. Hoc autem debuit fieri vitiis & concupiſcentiis reſiſtendo, & mandatis Dei vſque ad mortem obediendo. Hunc obedientiæ ornatum tunc humana natura recepit, quando Chriſtus obediens patri vſque ad mortem fuit, hoc eſt, obedientiam Deo debitam tam fortiter homo factus tenuit, quod nec morte ſuperatus eam deſeruit. Hunc ornatum ſic receptum tam firmiter ſponſa poſtea retinuit, quod nec mille mortibus ab ea eripi potuit.

A Paradiſo igitur expulſa, pro recipiendo ornatu in mundo errabat, quia adhuc nec legem nec doctorem habebat. Hanc gigantes quaſi latrones ab æmula eius B immiſſi magis in deuium deduxerunt, & multis vitiorum ſordibus polluerunt. Cuius miſeriis ſponſus condolens hoſtes eius diluuio deleuit. Ipſam vero Noë quaſi pædagogo cuſtodiendam tradidit. Qui Noë eam arcæ quaſi ſcholis erudiendam incluſit, in qua inter munda & immunda animalia pauco numero delituit. Ibi eſt docta quod Noë figuram futuri Chriſti, arca vero typum futuræ Eccleſiæ præferret: animalia munda eſſent licitè coniugio vtentes, immunda animalia illicitè ſe polluentes. Diluuium autem ſignificaret baptiſmum, qui eſſet perditio peccatorum, ſaluatio iuſtorum. Coruus de arca egreſſus & non reuerſus, eſſent hæretici futuri, de Eccleſia egredientes, amplius non reuerſuri. Columba vero cum oliua reuerſa gratia S. Spiritus Eccleſiæ immiſſa, vel ſimplices lapſi ad pœnitentiam conuerſi.

Deinde inſtinctu æmulæ eius hoſtes turrim ædificant, de qua eam publicè impugnant, & ab amore ſponſi ad amplexum adulteri, ſcilicet à cultura Dei ad cultum idoli inclinant: ſed ei laboranti ſponſus affuit, linguas hoſtium C diuidens confudit, eamque ſub cuſtodia Abrahæ amici ſui in Sara commiſit, qui eam de Meſopotamia duxit in terram repromiſſionis, in qua audire meruit: *In ... tuo benedicentur omnes gentes.* Et iterum: *Poſſi... ſemen tuum portas inimicorum ſuorum,* ibique genuit Iſaac hæredem mundi. Ibi dicit quod Abraham, quod ſonat pater multarum gentium, Chriſtum futurum patrem omnium gentium credentium præfiguraret. Et Sara, quod dicitur princeps, Eccleſiam exprimeret, quæ principatum æmulæ ſuæ in cœlo obtineret, & quod ſemen Abrahæ Chriſtus ſponſus ſuus foret, in quo omnes gentes benedicendæ eſſent. Portæ autem inimicorum eſſent loca lapſorum Angelorum, in quibus ipſa locanda eſſet. Et Iſaac, quod dicitur gaudium ſignificaret æternum gaudium, quod in hæreditate perciperet. Meſopotamia vero quod ſonat inter flumina, fluxæ diuitiæ ſæculi, & labentes mundi honores eſſent, de quibus Chriſtus Eccleſiam eduxit, & in terram repromiſſionis, id eſt, in paradiſum introduxit. Vnde & procurator Abrahæ eandem D in Rebecca de Meſopotamia Iſaac adduxit, qui eam in coniugium ſumpſit, & duos filios genuit; vnum qui à patre benedicitur, alterum qui reprobatur. Cui Rebeccæ etiam à Domino dicitur. *Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi de vtero tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.*

Qui procurator figuram Doctorum prætulit, quæ Rebeccam, quod patientiam ſonat, id eſt, Eccleſiam multa pro Chriſto paſſuram de Meſopotamia, id eſt, de fluxis rebus ſæculi eductam, ad Iſaac, quod gaudium dicitur, id eſt ad Chriſtum verum gaudium perduxit. Duo filij ſunt duo ordines Eccleſiæ, ſcilicet clericalis, qui ad diuina officia benedicitur, & laicalis, qui ab hoc officio arcetur. Duo populi ſunt ſpiritales & carnales in Eccleſia. Ex quibus carnalis maior numero, ſeruit ſpiritali minori numero. Deinde in Lya & Rachel Iacob commendatur, quarum vna fœcunda, altera diu ſterilis fuit; demum illum genuit qui Ægyptum à periculo famis ſaluauit, vnde & Saluator mundi dictus eſt. Iacob qui dicitur luctator, vel videns Deum, eſt Chriſtus, qui cum E diabolo pro ſponſa luctamen iniji & vicit, & ſemper Deum patrem videt. Duæ ſorores ſunt duæ vitæ in Eccleſia. Actiua ſcilicet & contemplatiua. Actiua fœcunda in carnalibus, contemplatiua ſterilis in ſpiritualibus, cui tamen filius erit, qui mundum à fame verbi Dei ſaluabit, verus Saluator mundi. Poſt hæc famem paſſa Ægyptum ingreditur, à Pharaone ſeruituti ſubijcitur, cui clamanti Moyſes doctor ac ductor in auxilium mittitur, qui ſanguine agni eam de Ægypto redemit, cum ſpoliis Ægypti per mare rubrum eduxit, hoſtes inſequentes ſubmerſit: in deſerto diuina lege imbuit, tabernaculum de ſpoliis Ægypti facit, pane cœli & aqua de petra producta reficit. Quam Ieſus Naue ſuſcipiens, in terram repromiſſionis introducit, deuictis hoſtibus terram eorum in poſſeſſionem ei diſtribuit. Per hæc eſt docta, quia famem verbi Dei patiens obſcuræ Phariſæorum doctrinæ eſſet inuoluenda, & ſic à diabolo multis erroribus ſubijcienda, F donec verus doctor Chriſtus adueniret, qui eam ſanguine ſuo, quaſi agni immaculati, de errore & poteſtate diaboli redimeret. Qui veniens baptiſmate eam abluit, peccata quaſi hoſtes in mari obruit, Euangelica doctrina erudiuit, corpore & ſanguine ſuo refecit, ſecularem ſapientiam quaſi ſpolia Ægypti in arma iuſtitiæ conuertit, dum per hanc contra hæreſes pugnare eam docuit. Quam adhuc verus Ieſus, id eſt, ſaluator in terram repromiſſionis, id eſt, in paradiſum introducet, & hoſtibus eius, ſcilicet dæmonibus & perſecutoribus damnatis, manſiones regni cœleſtis cuique pro meritis diſtribuet.

Pro hac quoque ſponſa Samſon Gazæ includitur, ab hoſtibus obſidetur, ſed fractis foribus & perterritis hoſtibus victor egreditur, & montis cacumine excipitur. Samſon quod dicitur ſol, eſt Chriſtus ſol iuſtitiæ, qui pro ſponſa Eccleſia ſepulchro vel inferno includitur, à cuſtodibus obſidetur, ſed portas inferni conſtringens dæmones perterruit, de ſepulchro ſurgens milites fugauit, cœli cacumen victor penetrauit. Hanc nihilominus G Dauid in ſolario deambulans vidit nudam, Vriæ coniunctam doluit, quo occiſo eam ſibi copulauit, de qua vas ſapientiæ genuit. Dauid quod dicitur deſiderabilis, eſt Chriſtus totus deſiderabilis, qui in ſolario cœli in patris gloria manens, gentilitatem virtutibus & ſtola immortalitatis denudatam vidit, & diabolo ſociatam doluit. Vrias dicitur etiam lux Dei mei, & ſignificat diabolum, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, huncque in idololatria enſe prædicationis occidit. Eccleſiam ſibi ſocians: filios ex ea ſapientiæ amatores genuit. Qui Dauid omnia myſteria ſponſi & ſponſæ Chriſti, ſcilicet & Eccleſiæ in pſalterio decacordo præcinuit. Et Chriſtus ſenſum Eccleſiæ aperuit vt intelligeret omnia, quæ in lege & prophetis & pſalmis de eo ſcripta ſunt. Poſt Dauid hanc Salomon in filia Pharaonis ſibi copulauit, hanc in regina auſtri in templo Domini ſuſcipiens multis muneribus dotauit. Quod templum ipſe de tribus materiis, ſcilicet de ſectis lapidibus, de lignis cedrinis, de puro auro ædificauit. Hancque in parabolis ethicam, in Eccleſiaſte H phyſicam, in Canticis theologicam docuit. Salomon, quod ſonat pacificus, eſt Chriſtus pax vera, omnia in cœlis & in terris pacificans, qui primitiuam Eccleſiam de Ægypto venientem, quaſi filiam Pharaonis ſibi in fide copulauit. Eccleſiam de gentibus venientem, quaſi reginam auſtri ſuſcipiens ſuæ fidei aſſociauit, quam variis chariſmatibus dotauit. Hanc quoque in templo cœli recipiet, quod de tribus materiis, videlicet de tribus ordinibus ſanctorum, id eſt, coniugatis, continentibus & virginibus conſtruet. Coniugati quippe in Eccleſia ſunt quaſi lapides ſecti, qui ſunt in ſex operibus miſericordiæ perfecti. Continentes ſunt vt lingua cedrina, quorum opera ſunt imputribilia. Virgines autem vt aurum purum ſunt, quæ pura caſtitate & vera charitate fulgeſcunt. Huic multa in parabolis locutus eſt vt ſcribitur. *Loquebatur Ieſus turbis in parabolis.* Multa de naturis ei diſſeruit, theologicam per omnia protulit cum cœleſtia docuit. Deinde ſponſa in Babylonē captiuatur, ſed à rege

Cyro

Cyro cognomento Chriſto à captiuitate laxatur, & à Ieſu ſacerdote ad Ieruſalem reuocatur. Per hoc docetur quod Eccleſia in membris ſuis in multas hæreſes & varia vitia captiua ducitur, in quibus coram Deo & angelis confunditur, ſed pœnitens à Chriſto Ieſu vero ſacerdote ſoluta, ad Ieruſalem, id eſt, eccleſiam vel ad cœleſtem Ieruſalem reuertitur. Pro hac Machabæi vſque ad mortem certauerunt & martyres pro Eccleſia ſanguinem fuderunt. Poſt tot & tanta mala, poſt tot & tantos labores, poſt tot & tantas miſerias, ipſe ſponſus ſponſam ſuam in periculis conſtitutam viſitauit, amiſſum ornatum obedientia ſua receptam reddidit, baptiſmate à ſordibus abluit, doctrinis, ſignis, & exemplis veſtiuit. Vitulum ſaginatum hoc eſt ſeipſum ad conuiuium eius occidi permiſit, ſanguine ſuo eam ornauit, ſigno crucis conſignauit. Paranymphis, id eſt, Apoſtolis eam commendauit, ipſe parare nuptias in cœlum abiit. Porro Paranymphi ſuſceptam ſignis & doctrinis vſq; ad ipſam mortem decorauerunt, Martyres eorum ſucceſſores ſanguine ſuo eam illuſtrauerunt, Doctores multis ſcripturis eam ornauerunt. Perfectè autem ornatam frequentia angelorum hanc ſponſo in cœleſtem aulam coronandam adducet, quam in ſolio gloriæ collocatam cohæredem regni ſui faciet.

Et hoc magnopere notandum, quam multis malis eam tyrannus & æmula eius ſæpe tentauerunt, quot modis, quot dolis, quot inſidiis, quot artibus eam ab amore ſponſi auertere conati ſunt & non valuerunt. Et vt pauca de pluribus replicem, in primis eius ſigniferum Abel inuidioſe ſtrauerunt, per gigantes multa nepharia ei intulerunt, patriarchas vero variis modis afflixerunt. Ioſeph alumnum eius per fratres venditum carceri mendaciter incluſerunt, ipſam in Ægypto peregrinantem variis cruciatibus per Pharaonem & eius populum afflixerunt, & filios eius crudeliter necauerunt.

De Ægypto egredientem conſiliis & armis impiorum impugnauerunt, in terram promiſſionis poſitam ſub iudicibus & regibus multis bellis vexauerunt. Prophetas eius diuerſis pœnis occiderunt, Machabæos crudeliter lacerauerunt, ſub Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus omnia membra Eccleſiæ exquiſitis & inauditis pœnis per Iudæos & gentiles diſcerpſerunt, mille mortibus necauerunt, demum per hæreticos falſo dogmate, per falſos Chriſtianos ſimulatione vbique vexauerunt. Et in his omnibus ei non præualuerunt.

Adhuc ſub Antichriſto eorum omnibus modis tentationum inſtabunt, vt eam ab amore ſponſi auertant, vt promiſſam coronam perdant & minime præualebunt, quia ipſa æternam gloriam pro patientia, ipſi vero æternum ſupplicium pro inuidia ſubibunt.

Hanc adhuc paruulam ante legem Patriarchæ figuris de Chriſto erudierunt, ſub lege Prophetæ ſcripturis ad honeſtatem informauerunt. Hanc nubilem ſub gratia Apoſtoli ſignis, doctrinis & exemplis ornauerunt. Hanc adhuc Chorus angelorum in lætitia & exultatione adducet in templum regis, quam rex gloriæ gloria & honore coronabit, in thalamo gaudiis copulabit, quando ei ſeipſum vt eſt patri coæqualis manifeſtabit.

Huius ſex ætatum incrementum per diuerſa ſæculi tempora diſtinguitur. Nam infantia eius fuit ab Adam vſque ad Noë; eius pueritia à Noë vſque ad Abraham; eius adoleſcentia ab Abraham vſque ad Dauid; eius iuuentus à Dauid vſque ad captiuitatem Babyloniæ; eius ſenectus à captiuitate Babyloniæ vſque ad Chriſtum; eius decrepita à Chriſto vſque ad finem mundi. De his actibus, de his ætatibus, de his temporibus, talis ſponſæ contexitur liber huius ſcripturæ.

Nec hoc prætereundum quod filia Pharaonis habet in comitatu Patriarchas, & Prophetas, & omnes iuſtos ab Abel vſque ad latronem. Filia autem regis Babylonis habet in comitatu Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines & omnes electos à Centurione qui dixit in Euangelio: *Vere filius Dei erat iſte*, vſque ad Heliam & Enoch. Sunamitis verò habet in comitatu omnes, qui ſub prædicatione Heliæ & Enoch, & ſub perſecutione Antichriſti pro Chriſto ſanguinem fuderint, vel in fide Chriſti obierint. Mandragora autem habet in comitatu omnes qui poſt mortem Antichriſti per totum orbem ad pœnitentiam conuerſi fuerint. His taliter prælibatis ad ipſam literam accedamus, cuius acceſſus talis eſt.

Explicit Prologus Honorij Doctoris eximij ſuper Cantica Canticorum.

Filius regis Ieruſalem deſponſauit ſibi filiam regis Babylonis per quatuor nuncios. Quibus illa reſpondit. Quis eſt Dominus veſter? at illi: Dominus noſter eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, Rex gloriæ & princeps pacis. Et illa: eſt pulcher? At illi, eius pulchritudinem ſol & luna mirantur, quia eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, & totus deſiderabilis, in quem angeli deſiderant proſpicere. Et illa: Eſt potens? Et illi, *poteſtas eius à mari vſque ad mare*. Et illa, eſt diues? Et illi, *gloria & diuitiæ in domo eius, & torrente voluptatis potabit eos*. Et illa: honoratur muneribus? At illi, *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent reges Arabum & Saba dona adducent*. Et illa: Quæ eſt eius ſeruitus. Et illi: *Omnes gentes ſeruiunt ei*. Et illa. Quæ eſt laus eius? Et illi: Omnes gentes magnificant eum.

His auditis reſpondit, ipſe Dominus veſter, veniat & oſculetur me oſculo oris ſui, & loquatur mihi, quæ ſibi placeant, & faciam voluntatem eius. Rex cœleſtis Ieruſalem eſt Deus, cuius filius eſt Chriſtus. Rex Babylonis huius mundi eſt Diabolus, vt ſcribitur: *princeps huius mundi iudicatus eſt*. Huius filia fuit humana natura, imitatione peccati facta.

Quatuor quippe modis dicitur pater in ſcripturis, duobus generatione, & duobus imitatione. Generatione dicitur Adam Pater humani generis, & Abraham Pater Iſaac: imitatione dicitur Deus Pater iuſtorum, vt ibi. *Eſtote perfecti vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt*. Et iterum: *Vnus eſt Pater veſter qui in cœlis eſt*. Item imitatione dicitur Diabolus pater malorum, vt ibi: *Vos ex patre Diabolo eſtis*. Hunc imitando in malo humana natura facta eſt filia eius. Hanc filius Dei deſponſauit, dum Patriarchis innotuit, quia humanam naturam in ſe aſſumere diſpoſuit: Internuntios miſit dum Prophetas hoc humano generi nuntiare voluit; qui quaſi præuntij facti ſunt dum gloriam regni eius & potentiam & alia inſignia in mundo præconati ſunt. Sed duobus modis ſponſa Chriſti accipitur, ſcilicet humana caro quam accepit, & Eccleſia quam ſibi incorporauit. Humana quippe natura ei nupſit, dum carnem in deitatem aſſumpſit Eccleſia ei adhuc nubet, dum eam in ſocietatem regni recipiet. Hæc in duo quaſi in duas perſonas diuiditur, ſcilicet in ſynagogam & gentilitatem. Ad illam Prophetæ fuerunt internuntij. Ad illam vero Apoſtoli ſunt miſſi. Sed de his duabus vna ſponſa videlicet Catholica Eccleſia, Chriſto per internuntios eſt adducta, quæ ei per humanam naturam eſt nupta. Hæc igitur ſponſa aduentum ſponſi deſiderans dicit.

CAPVT I.

O*Sculetur me oſculo oris ſui*. Ac ſi dicat internuntiis. Qui totiens me per vos ſalutauit, qui tot ſecreta per vos mihi mandauit, ipſe veniat & ſuo oſculo me ſalutet, & proprio ore voluntatem ſuam mihi aperiat.

Sacra ſcriptura quatuor modis intelligitur, ſcilicet hiſtorice, allegorice, tropologice, anagogice. Quod per menſam propoſitionum panum in tabernaculo exprimitur, quæ quatuor pedibus fulcitur. Tabernaculum eſt Eccleſia, in qua Chriſto militatur. Menſa eſt ſacra ſcriptura, in qua eſt propoſitio panum, id eſt, refectio animarum. Quatuor pedes ſunt quatuor intellectus, videlicet hiſtoria, cùm res ſicut geſta eſt narratur. Allegoria, cum de Chriſto & Eccleſia res exponitur. Tropologia ad animam & ſpiritum refertur. Anagoge, cum de ſuperna vita intelligitur.

Ezechiel in viſione Dei, qua vniuerſum Eccleſiæ ſtatum futurum præuidit, inter cætera rotam in medio rotæ vidit; quæ quatuor facies habuit, & ſpiritus vitæ erat in

A rotis. Hæc rota eſt ſcriptura ſacra. Rota in rota eſt noua lex in veteri latens. Quatuor facies ſunt quatuor intellectus, ſcilicet. Hiſtoricus, allegoricus, tropologicus, anagogicus. Spiritus vitæ eſt in rotis, quia doctrina vitæ æternæ latet in ſcripturis. In hiſtoria res prout eſt geſta notatur. In allegoria vero interpretatio nominum conſideratur. In tropologia comparatio rerum geſtarum inueſtigatur. In anagoge vero ſimilitudo rerum penſatur. Verbi gratia. Hiſtoria eſt quod Salomon dicitur pacificus, & fecit templum in Ieruſalem ſeptem annis Allegoria eſt quod Salomon dicitur pacificus & eſt Chriſtus. Ieruſalem viſio pacis & eſt Eccleſia, quam Chriſtus fecit ſibi templum ex ſeptem donis Spiritus ſancti. Tropologia autem eſt quod ſicut Salomon ex lignis & lapidibus templum conſtruxit, ita quiſque fidelis in anima ſua templum Deo ex bonis operibus & exemplis ſanctorum facit. Anagoge vero eſt quod ſicut Salomon ex pretioſis lapidibus templum in Ieruſalem fecit,
B ita Chriſtus in cœleſti Ieruſalem ex viuis lapidibus, id eſt, ex omnibus electis templum inſtituit. Eſt ergo hiſtoria hæc. Filia Pharaonis Salomoni coniungenda reſpondit internuntiis eius amore deuicta: Nolo per vos nuncios vlterius ſalutari, ipſe Salomon oſculetur me oſculo oris ſui. Allegoria vero eſt, Salomon eſt Chriſtus, filia Pharaonis Eccleſia, quæ internuntiis, id eſt, Prophetis reſpondit dicens. Qui iam dudum per veſtrum os me oſculatus eſt conſolando & pacem promittendo, ipſe tandem oſculetur me oſculo oris ſui, id eſt, totiens promiſſus per prophetas, tandem aliquando incarnetur & præſentia ſua me oſculetur, & proprio ore pacem olim amiſſam mihi redditam loquatur. Oſculum dicitur quaſi oris poculum. Per oſculum quippe pax, per os verbum patris id eſt, filius intelligitur. Deus quaſi alieno ore oſculatus eſt ſponſam, quando olim multifarie multiſque modis locutus eſt patribus in prophetis. Quaſi proprio ore
C oſculatus eſt eam, quando nouiſſime diebus iſtis locutus eſt ei in filio dicens. *Pax vobis.* Quod eſt dicere. Pacem & gratiam quam in Paradiſo per diabolum amiſiſtis, per filium meum vobis iam redditam noueritis. Primus etiam homo propter inobedientiam de paradiſo expulſus perdidit pacem & gratiam Dei humano generi. Primitiua igitur Eccleſia, ſcilicet Abel & alij iuſti vſque ad Abraham, deinde Patriarchæ vſque ad Moyſen, ab hoc Prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam, præuidentes in ſpiritu hanc pacem per Chriſtum reddi, optant eum citius incarnari. Siquidem mox eo nato Angeli nunciauerunt pacem redditam dicentes. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Dicit ergo ſponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ac ſi aperte dicat. Sponſus meus qui me de Paradiſo propter amiſſum ornatum offenſus expulit, & gratiam ſuam mihi interdixit, ipſe mihi nunc per aſſumptam carnem iungatur, & per ipſum mihi ornatus, & oſculum pacis reddatur. In oſculo etenim caro carni iungitur, & ſpiritus ſpiritui ſociatur: ita Chriſtus per carnem eſt Eccleſiæ con-
D iunctus, & Eccleſia eius diuinitati per ſpiritum ſociata. Per tactum quoque carnis amor proximi, per tactum autem ſpiritus dilectio Dei exprimitur, per quæ Chriſtus Eccleſiæ coniungitur. Aliter humana natura ſponſa deſignata, pro angelica natura deſiderans deificari dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Quaſi dicat, Dei filius ſponſus mihi promiſſus veniat, & me humanam naturam oſculando ſibi coniungat, & viam ſalutis proprio ore doceat. Præ nimio deſiderio ad abſentem loquitur, quem præſentem & ſe oſculantem alloquitur dicens: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Hoc eſt documenta tua quæ ſunt vt lac, nutrimenta puerorum, ſuauiora ſunt aliis doctrinis, quæ non fouent ſed occidunt ſimplices, enecant pueros.

Tropologia autem hæc eſt. Fidelis anima ſponſa Chriſti cogitans vbi fuerit, vbi erit, vbi ſit, vbi non ſit: ſcilicet quod in originali & actuali peccato fuerit, quod in tremendo iudicio Dei erit, quod in vanitatibus ſæculi ſit, quod in æterna beatitudine non ſit gemens & tremens dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ac ſi dicat. Ille qui in mea carne in dextera patris ſedet, meus aduocatus,
E iuſtus iudex me de peccatis dolentem, de iudicio ſuo trementem, viſitando oſculetur, & pace ſigno amicitiæ quam proprio ore pœnitentibus promiſit, me oſculetur.

Anagogice vero ſic. Eccleſia hic peregrinans & ad illam patriam ſuſpirans dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Quaſi dicat: Ille qui mihi quotidie in ſcripturis loquitur & gaudia æterna repromittit ipſe aliquando principaliter in iudicio appareat, & pacis gaudia proprio ore tribuat dicendo: *Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Ad Abſentem loquitur vt maior affectus exprimatur. Scriptura huius libri dicitur drama, quod eſt amatoria cantilena, quæ ab amantibus canitur abſque perſonis vnde & illud canticum dicitur dramaticum, vbi diuerſæ perſonæ introducuntur, nec tamen nominantur. Sicut in hoc libro à diuerſis perſonis abſque nomine laudes canuntur. Cantus ſponſæ præceſſit

F *Sequitur cantus ſponſi.*

Quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis. Hoc hiſtorice ſic intelligitur: Salomon filiam Pharaonis ad ſe venientem oſculo ſuſcipiens dixit: Tu deſideraſti meum oſculum, & ego oſculor te, fruens vberibus tuis: *quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Quod eſt dicere, magis volo vberibus tuis perfrui, quam vino inebriari vel optimis vnguentis deliciari.

Allegorice autem ſic exponitur, Chriſtus in carne adueniens, dicit ſponſæ, Tu perluiſti à me oſculari, & ego præſentia mea oſculor te, hoc eſt dulcedine mea tangam te & pacem amiſſam reddam tibi, fide & dilectione iungar tibi, & paries mihi filios regni patris cohæredes, quos vberibus tuis lactabis. *Quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Hic liber ſpiritalis eſt, & ſpiritualiter ſpiritibus in corpore poſitis per ſimilitudines corporeas loquitur. Tota eccleſia eſt quaſi vnum
G corpus cuius caput eſt Chriſtus caput autem Chriſti Deus: membra autem huius corporis ſunt diuerſi in eccleſia ordines, vt puta oculi ſunt Doctores vt Apoſtoli, aures obedientes vt monachi, nares diſcreti vt magiſtri, os bona loquentes vt presbyteri, manus alios defendentes vt milites, pedes alios paſcendo portantes vt ruſtici, dicente Apoſtolo *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos quoſdam prophetas, alios paſtores, alios doctores in ædificationem corporis Chriſti*, id eſt Eccleſiæ Huius vbera ſunt duo teſtamenta, de quibus rudes animæ lac doctrinæ ſumunt, ſicut paruuli lac de vberibus matrum ſugunt.

Vinum autem quod inflat bibentes & inebriat, eſt ſecularis ſapientia, quæ ſe ſumentes dementat & inflat vt Dialectica. Scientia quippe ſæcularis inflat charitas vero ædificat, id eſt ſpiritualis ſcientia. Dicit ergo *meliora ſunt vbera tua vino*, id eſt, doctrina de duobus teſtamentis tuis videlicet operibus prolata, qua filios tuos in fi-
H de paruulos lactas & nutris melior eſt. Hoc eſt. Magis mihi placet quam doctrina Phariſeorum, quamuis vnum Deum docentium. Quod dicit meliora probat etiam illa eſſe bona, quia vtilia. Liberales quippe artes ſunt vtiles, quia ſunt inſtrumenta ſacræ ſcripturæ, vt mallei fabro & arma contra hæreticos. Sed tamen meliora ſunt ſacræ ſcripturæ teſtimonia, per auctoritatem prolata fragrantia vnguentis optimis, id eſt, redolentia Spiritusſancti donis: bonum vnguentum ad literam eſt, quod de agreſtibus herbis confectum exteriora vulnera ſanat, melius vnguentum quod de melioribus ſpeciebus confectum intercutaneum morbum curat: optimum vnguentum quod de precioſis ſpeciebus vt de nardo compoſitum internos dolores fugat, vel corpus à putredine ſeruat, vt illud Mariæ in Euangelio, quod ſuper caput Chriſti fudit.

Ad ſpiritualem autem ſenſum bonum vnguentum eſt oleum infirmorum, quo infirmi in Eccleſia vnguntur, melius vnguentum oleum ſanctum, quo reges & ſacerdotes vnguntur, optimum vnguentum chriſma, quo Chriſtiani in regnum & ſacerdotium Chriſti vnguntur.

A Tropologice vero bonum vnguentum eſt lex naturalis, *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Per quam placuit Abel, Enoch & alij. Melius vnguentum lex ſcripta, vt; *Non occides*, &c. Optimum vnguentum ſub gratia, vt: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.*

Allegorice autem bonum vnguentum eſt remiſſio peccatorum in baptiſmate per Spiritum ſanctum; melius vnguentum bona vita poſt baptiſmum per gratiam Spiritus ſancti, vt ſobrie piè & iuſtè viuamus; optimum vnguentum ſeptem dona Spiritus ſancti, ſcilicet: Spiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis & timoris Domini. Lacte talis doctrinæ fragrant vbera matris Eccleſiæ.

Anagogice ſic de anima accipitur. Animæ iudicium timenti, & pacem à iudice petenti, dicit ſponſus, qui & iudex, quia pœnitendo oſculum pacis à me poſcis. Ego oſculabor te peccata remittendo, & pacem beatæ B vitæ tribuendo: *quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Duo homines leguntur, exterior & interior. Exterior conſtat in tribus, ſcilicet in corpore, vita, & in ſenſu exteriori. Interior quoque ſimiliter conſtat in tribus, videlicet, in ſenſu interiori, in ratione, & intellectu. Corpus conſtat ex quatuor elementis, id eſt, ex terra, aqua, aëre, & igne; & hoc habemus commune cum lapidibus. Vita eſt vis animæ quæ viuificat corpus, & hanc habemus communem cum herbis & arboribus. Senſus eſt vis animæ quæ corpus ſenſificat, & hoc habemus commune cum beſtiis & omnibus animantibus. Qui ſenſus eſt quinquepartitus ſcilicet viſus, auditus, odoratus, guſtus & tactus. Viſu quippe colores, auditu ſonos, odoratu odores, guſtu ſapores, tactu dura & mollia diſcernimus. Senſus interior eſt vis animæ, quo præterita, præſentia, futura imaginamur. Ratio eſt vis animæ, qua imaginum genera & C ſpecies diſcernimus. Intellectus eſt vis animæ, quo incorporea, vt eſt dilectio & ſapientia intelligimus. In his tribus conſiſtit interior homo, in quo nihil commune cum beſtiis habemus. In hoc imago Dei exprimitur, & huic ſpiritus ſanctus in ſcripturis loquitur. Hoc autem differt inter imaginem & ſimilitudinem, quod imago eſt in eſſentia naturæ, ſimilitudo vero in imitatione boni vel mali: imaginem Dei natura aliter habemus, ſimilitudinem peccando perdidimus. Sicut ergo exterior homo habet ſua membra ſibi congrua, ita interior homo habet ſua membra ſibi conuenientia. Eius itaque verba ſunt ſapientia & ſcientia, quibus ſic indoctos ſatiat, vt mater vberibus filios lactat. Vinum autem quod mentem ſubuertit eſt cura exterior, qua fratribus miniſtrare & eccleſias Dei honorare & exornare ſollicita ſit. Sed meliora ſunt vbera eius vino, quia magis placet Deo doctrina qua indoctos ad virtutes informat, quam cura qua eccleſias caſuras exornat. Hæc vbera optimis vnguentis fragrant, quia ſapientia & ſcientia quæ indoctos lactant, D donis Spiritusſancti exuberant.

Anagogice autem ſic exponitur. Eccleſiæ ad ſupernam patriam ſuſpiranti dicit Chriſtus pater futuri ſæculi. Quia vultum præſentiæ meæ tantopere deſideras, & oſculum veræ pacis à me in tantum poſtulas; ego te oſculabor id eſt æternam pacem tibi cum angelis dabo, & meipſum tibi veram pacem manifeſtabo, *quia meliora ſunt vbera tua vino.* Duo eccleſiæ vbera ſunt duo caritatis præcepta, quibus filios ſuos in actiua vita & contemplatiua informat, ne malum pro malo alicui, ſed bonum reddant. Vinum autem eſt legalis auſteritas, quæ præcipit oculum pro oculo, & dentem pro dente reddi, & qui occiderit occidi. Sed vbera eccleſiæ meliora ſunt vino, quia clementia caritatis magis Deo placet, quam ſeueritas legalis. Hæc vbera ſunt fragrantia vnguentis optimis, quia præcepta caritatis redolent plena ſancti ſpiritus donis.

Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentula dilexerunt te. Sponſus à patre miſſus ad ſponſam venit vnctus, vt & ſponſam vngat.

Iuxta hiſtoriam intelligitur, quod filia Pharaonis Sa- E lomonem oſculans, ſenſerit odorem olei ex vnctione regali, & dixerit: *Oleum effuſum nomen tuum.* Hoc eſt: Sicut caput tuum ex oleo vnctionis effuſo redolet, ita fama regalis nominis tui vel pacis vbique refulget. Ideo iuuenculæ diligunt te. Quod ſi in te ita non fuit, quod tamen ita eſſe potuit, vtique in ſignificatione fuit.

Iuxta allegoriam vero. Poſtquam ſponſus per oſculum ſuum vbera ſponſæ ad alendos filios vnguento repleuit, hoc eſt, poſtquam Chriſtus per incarnationem ſuam dona Spiritus ſancti ad docendos filios effudit. Illa exultans dixit: *Oleum effuſum nomen tuum.* Oleum dum in vaſe latet non redolet, effuſum vero redolet: ſic Chriſtus dum in ſinu patris latuit, quaſi nullum dedit odorem, dum vero effuſus in carne apparuit, nomen eius, id eſt, cognitio toti mundo innotuit. Nomen eius eſt Chriſtus, quod eſt vnctus, quod olim in ſynagoga latuit, vbi ſoli reges & ſacerdotes oleo vngebantur, & tantum in Iudæa notus erat Deus. Hoc nunc in eccleſia eſt effuſum F ſuper omne genus hominum, qui oleo & chriſmate in regnum & ſacerdotium Chriſti vnguntur. Vnde & à Chriſto Chriſtiani dicuntur, & hoc nomen nunc à ſolis ortu vſquè ad occaſum eſt laudabile.

Nomen quoque eius eſt Ieſus, quod eſt ſaluator. Hoc nomen in Ioſeph, qui ſaluator mundi dictus eſt, latuit, qui Ægyptum à fame ſaluauit. Hoc in Ieſu Naue duce populi Dei latuit, qui populum redemptum in terram repromiſſionis introduxit; hoc etiam in Ieſu ſacerdote latuit, qui populum à captiuitate in Ieruſalem reduxit, ſed hoc nomen effuſum eſt, dum omnibus gentibus patuit, quod ipſe verus ſaluator fuit, qui mundum à periculo famis verbi Dei ſaluauit. Et qui redemptum populum in terram repromiſſionis, id eſt, in paradiſum introducet, & verus rex & ſacerdos populum à captiuitate Diaboli ad cœleſtem Ieruſalem reducet.

Nomen Ieſu in vniuerſa terra prædicatur, quia per G hoc omnis oleo baptiſmatis ſignatur, & nomen Moyſi olim celebre vix nunc ab aliquo auditur, quia lex occidens iam aboletur. Dicit ergo: *Oleum effuſum nomen tuum.* Quaſi dicat: Sicut oleum effuſum bene redolet; ſic fama nominis Chriſti incarnati vbique refulget.

Item Oleum habet ſex inſignia. Oleum enim dicitur miſericordiæ, & oleum eſt ſignum pacis, & oleum fouet infirmos, & ſanat vulnera, & lumen lucernis miniſtrat, & omnibus liquoribus ſupereminet. Hoc Chriſtum deſignat, qui eſt noſtra miſericordia, & pax noſtra, qui nos infirmos prædicando fouit, vulnera peccatorum per ſua vulnera curauit, ſignis & miraculis lumen præbuit, omnibus ſanctis ſupereminet.

Dum ſponſa ſponſi oſculis fruitur, adoleſcentularum chorus ingreditur, à quibus hymnus canitur, quia dum eccleſia Chriſtum ſuſcepit, turba fidelium vbique accurrit, quæ laudes ſuſceptori ſuo canit. Vnde ſubditur: *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Id eſt, animæ fidelium fide & dilectione obſequuntur tibi.

H Iuxta tropologiam autem fidelis anima nomen ſuum vt oleum effundit, dum famam bonæ actionis quaſi bonum odorem proximis per exemplum diffundit. Hoc oleum in vaſe latet, dum nullum bonum opus coram proximis lucet.

His præcipitur. *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Hanc animam adoleſcentulæ diligunt, quia fideles animæ in bono eam imitantur.

Iuxta Anagogen vero eccleſiæ ad cœleſtia ambulantis nomen vt oleum effunditur, quando pro odore & & luce bonorum operum in cœlum ſicut Chriſtus recipitur, & eam ſancti & angeli diligunt, quia in æternum cum ea de oleo exultationis, id eſt, Chriſto & Spirituſancto exultabunt. Hoc nomen nunc quaſi in vaſe vt oleum latet, quamdiu ipſa in hoc mundo peregrina manet. Adhuc ſubiungitur vox ſponſæ.

Trahe me poſt te. Hic ſub intelligitur, quod Salomon poſtquam filiam Pharaonis oſculo excepit, in domum quam ſibi ædificauerat aſcenderit, ipſaque eum comitari voluerit, ita dixerit: *Trahe me poſt te.* Subiiciunt ado-

A leſcentulæ, ſcilicet puellæ eius, *Curremus in odore vnguentorum tuorum.* Hoc eſt, Nos poſt te curremus, quo odorem vnguentorum tuorum ſenſerimus. More illius terræ loquitur, vbi nobiles fœminæ ſolent ſibi vnguenta adhibere, quorum odoramine magis poſſint maritis placere, vt de Heſter & Iudith legitur.

Allegoricè autem: poſtquam Chriſtus nomen Chriſtianitatis ſuper omne genus humanum fudit, & odore olei Spiritusſancti adoleſcentulas, id eſt, fideles animas ad amorem ſui attraxit, per duram viam reuerſus eſt in cœlum, parare ſponſæ æternæ dulcedinis conuiuium. Quem illa per eandem viam ſequi volens, nec valens clamat: *Trahe me poſt te.* Quod eſt dicere: Da vires poſſe tua veſtigia per hanc viam ſequi; per quam ad gloriam præceſſiſti. Via Domini eſt, proſpera mundi non appetere, & aſpera patienter pro eo pati. Per hanc viam ipſe ingreſſus eſt ad gloriam. Cum enim Iudæi vellent eum regem conſtituere fugit, cum vellent eum cruci- B figere vltro ſe obtulit. Per hanc ſe ſequentibus ire præcipit dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me*, id eſt, imitetur me. Per hanc viam nemo graditur, niſi trahatur ſicut ſcriptum eſt: *Nemo venit ad me niſi pater traxerit illum.* Deus nos ad ſe duobus modis trahit & duobus modis impellit Trahit nos; promiſſionibus dulcedinis ſupernæ patriæ: Impellit nos minis ignis gehennæ.

Trahit nos quoque diuerſis donis: Impellit nos variis flagellis. Sic Moyſes traxit populum promittendo regum diuitias, Pharaonem impulit verberibus. Quoſdam trahit Deus nolentes, cùm eos gratia ſua præuenit inſpirando vt bonum velint. Volentes ſubſequitur iuuando, vt bonum poſſint. Ergo gratia eſt cum præuenimur vt velimus, libertas ſi ſponte ſequimur, captiuitas ſi ſequi abnuimus, fragilitas ſi ſequentes relabimur, meritum ſi ſequendo non deficimus, & hoc non nobis ſed gratiæ aſcribimus: præmium æternum, gaudium vniuerſæ C Eccleſiæ per mundum vniuerſum, quæ vnam Eccleſiam Catholicam conſtituunt.

Adoleſcentulæ ſunt quaſi nouellæ, quia per baptiſma & gratiam Spiritusſancti renouatæ. Dicit ergo Eccleſia ſponſo, id eſt, Chriſto: *Trahe me poſt te.* Per gratiam imitandum dicunt adoleſcentulæ, id eſt, Eccleſiæ eius filiæ, *curremus* & nos fide & dilectione. *In odore vnguentorum tuorum.* Id eſt, in conſideratione miraculorum tuorum vel in fama operum tuorum, vel in fide æternorum bonorum.

Tropologice fidelis anima bonum volens, & per ſe non valens, clamat Chriſto: *Trahe me poſt te.* Hoc eſt, da gratiam vt poſt tua veſtigia ad te, qui es via, veritas & vita, veniam. Nullus enim homo ad pœnitentiam conuertitur, niſi per gratiam trahatur.

Anagogice Eccleſia peregrinans, ſuperna appetens, & per ſe aſſequi non valens, clamat: *Trahe me poſt te.* De hoc mundo ad cœleſtem gloriam, vt te in illa facie ad faciem videam, quia nullus per ſe ad illam peruenire po- D terit, niſi gratia & dextera Dei illum traxerit.

Curremus in odore vnguentorum tuorum. Eccleſia in fide & opere perfecta, dicitur ſponſa digna coronari & in thalamo gloriæ collocari, Imperfecti autem adhuc in fide dicuntur adoleſcentulæ. Hi omnes dicunt ſponſæ ſcilicet perfectis in Eccleſia: *Curremus in odore vnguentorum tuorum.* Hoc eſt præcede nos, viam Domini faciendo & docendo, & nos ſequemur odorem vnguentorum tuorum, id eſt imitabimus exempla operum tuorum; Vnguenta quippe Eccleſiæ vt ſuperius diximus, ſunt varia dona ſpiritusSancti, odor vnguentorum fama bonorum operum. Per hoc quod dicit, *curremus*, innuit nobis feſtinandum ad vitam dum tempus habemus, vt ſcribitur *currite dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Sponſa ſponſi lateri iuncta ingreditur, poſt eam famulæ ingrediuntur, quia perfecti exemplis præcedunt, alij imitando ſequuntur. Quod ad tropologiam ſic refertur. Cum viderint lapſi aliquem perfecte conuerſum dicunt, *curremus in odore vnguentorum tuorum*, hoc eſt, nos imitabimur tuum exemplum.

E Anagogice autem ſic, quique feruentes amore cœleſtis patriæ dicunt Eccleſiæ ad ſuperna feſtinanti, nos *curremus poſt te*, de virtute in virtutem in odorem ſpiritualium gaudiorum.

Introduxit me rex in cellaria ſua. Sponſa in penetralia ſponſi ingreſſa reuertitur ad iuuenculas & nunciat eis vt currant, vt & ipſæ introducantur. Tradunt Hebræi quod Salomon hunc librum in honorem filiæ Pharaonis fecerit, cui & incomparabilem domum fecerit, in quam ſecundum hiſtoriam eam poſtquam introduxit, theſaurum ſuum ei oſtendit, & de cellariis varia pocula obtulit. Cellarium enim quaſi celans vinum dicitur, cui adoleſcentulæ cantant ab eo potatæ, *Exultabimus & lætabimur in te.* Hoc eſt, congaudemus honori tuo, memores vberum tuorum ſuper vinum, id eſt, in memoria habentes regis dictum: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Hoc eſt, mihi placent magis quam vinum. Et quia regi places, *recti diligunt te*, id eſt, omnes boni congaudent F tibi, mali inuident.

Secundum allegoriam autem Eccleſia à Chriſto per gratiam in ſacram ſcripturam tracta dicit: *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Cellaria in quibus varij potus ſeruantur, ſunt libri ſacræ ſcripturæ, de quibus variæ ſententiæ ſitientibus iuſtitiam propinantur. Cum enim lectio de Ioſeph legitur, quaſi poculum contra adulterium porrigitur. Cùm vero Iudith ſcriptura recitatur, quaſi caſtitatis propinatur: In hæc cellaria Chriſtus ſponſam introduxit, quando ſenſum ei aperuit, vt intelligeret ſcripturas. Chriſtus autem propriè rex dicitur ſecundum carnem, qua humano generi à patre præficitur vt ſcriptum eſt, *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo.* Et item ad Pilatum: *Tu dicis quia rex ſum ego.* Item, *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Et iterum: *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Hic ſolus poteſt introducere in ſcripturam, qui ſolus potuit ſeptem ſignacula libri ſoluere, quæ erant eius incarnatio, G natiuitas, paſſio, inferni ſpoliatio, reſurrectio, aſcenſio, futurum iudicium.

Adoleſcentulæ dicunt ſponſæ, nos potando feciſti exultare & lætari, ideo *exultabimus & lætabimur in te.* Exultabimus in corpore, ſcilicet operando ea quæ per corpus fiunt, vigiliis, ieiuniis, eleëmoſynis. Et lætabimur in mente, videlicet operantes quæ ſpiritualia ſunt, legendo, orando, prædicando, & hoc in te: hæc opera non valent, niſi in Catholica Eccleſia: *memores vberum tuorum*, hoc eſt in memoria habentes memoriam vtriuſque legis, quæ ſunt vbera tua, quam inde ſuximus, vt Domino in ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus, & hoc ſuper vinum, id eſt, ſecularem ſapientiam, quæ docet nos laudem hominum quærere, & terrenas diuitias congregare. Ideo *recti diligunt te*, quia qui de Chriſto recta ſapiunt, doctrinam tuam diligunt.

Secundum moralitatem verò cum quis de ſæculari vita ad ſpiritualem conuerſationem venerit, exultans di- H cit: *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Clauſtra quippe ſunt quaſi quædam cellaria, in quibus ſunt multimodæ conſolationis pocula. Dum enim conuerſis ſanctorum vitæ leguntur, quaſi quædam pocula iuſtitiam ſitientibus proferuntur, quibus clauſtrales dicunt: *Exultabimus & lætabimur in te*, hoc eſt corpore & anima gratulamur de tua conuerſione, memores vberum tuorum id eſt ſapientiæ & ſcientiæ ſtudium, id eſt, ſuper ſæcularem curam. Et ideo recti diligunt te, id eſt: quique pœnitentes imitantur te.

Secundũ altiorẽ vero ſenſum. Eccleſia iam in cœlo recepta cõgratulãdo dicit, *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Hoc eſt in omnimodæ gloriæ gaudia, vbi qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam ſaturabuntur, & inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis ſuæ potabit eos. Cui ſancti in gloria congaudentes canunt: *Exultabimus & lætabimur in te*, hoc eſt, per omnia congratulabimur gloriæ tuæ, *memores vberum tuorum*, geminæ ſcilicet dilectionis, qua filios imbuiſti, *ſuper vinum*, hoc eſt, ſuper legalem obſeruantiam, de qua eos prohibuiſti: Ideo *recti*, id eſt, ſancti angeli *diligunt te.*

A *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem.* Hic ad literam datur intelligi, quod nobiles fœminæ in Ieruſalem ad reginam cum muneribus venerunt, & ea fuſca viſa deſpexerunt. Quibus ipſa dixit, O filiæ Ieruſalem ſi ego ſum nigra, tamen ſum formoſa: *Nigra ſicut tabernacula Cedar, formoſa vt pellis Salomonis.* Nolite hoc conſiderare, quod fuſca ſim, quia in itinere decolorauit me ſol, & etiam timor me denigrauit, *quia filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me*, hoc eſt, fratres mei pugnauerunt ante oculos meos contra hoſtes, & interim poſuerunt me cuſtodem in vineis, vbi à ſole fuſcata ſum; vineam meam præ timore non cuſtodiui., hoc eſt; à ſole me non cuſtodiui. Hoc verum in re ita fuerit non multum curatur, cùm myſtica res hic intelligatur.

Ad ſpiritalem quippe intelligentiam Eccleſia in cellaria ſacræ ſcripturæ per Chriſtum introducta, quod ibi bibit hoc aliis prædicando eructauit, vnde mox perſecutionem infidelium incurrit. Quam videntes in fide imB perfecti, bonis proſcribi, exiliari, diuerſis pœnis cruciari, quaſi à Deo derelictam deſpexerunt, & vitam eius inſaniam, finem verò ſine honore æſtimauerunt. Hoc ipſa docet ſe talia pro Chriſto pati, & per hæc ſe in interiori homine ad gloriam ornari dicens. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pellis Salomonis.* Ieruſalem quod ſonat viſio pacis, ſuperna patria intelligitur, in qua æterna pax Chriſti videbitur. Huius filiæ ſunt fideles animæ in cœleſti Ieruſalem regnaturæ. Formoſa dicitur quaſi forma oſa, id eſt, propter formam odioſa. Formum quippe eſt ferrum in igne candens vnde dicuntur formoſi, ſcilicet rubeo roſæ, & lilij lacteo colore ſplendidi. Ideo dicitur Eccleſia formoſa, quia in igne tribulationis excocta martyribus rubeſcit, virginibus albeſcit. Cedar fuit filius Iſmahel, filij Abrahæ, tanto odio à ſuis conciuibus habitus, vt nullo loco eſſet ſecurus, ſed ſemper tabernacula mutaret, quæ ſole & tempeſtate nimis nigra eſſent. Sed & ipſa gens Cedar vſque C hodie dicitur habere nigra tabernacula, nigris videlicet coriis exterius cooperta, interius albis linteis extenta. Cedar quod dicitur tenebræ vel nigredo, ſignificat peccatores nigros in peccatis ad æternas tenebras tendentes. Horum nigra tabernacula malas actiones ſignificant, in quibus quaſi in tabernaculis nunquam ſecuri omnibus odioſi habitant. Salomon quamdiu templum fecit, arcam Domini pellibus rubricatis exterius cooperuit, ſole & tempeſtate denigratis, ſed auro & gemmis interius ornatis. Salomon qui dicitur pacificus, eſt Chriſtus, cuius pellis, id eſt, caro erat proprio ſanguine rubricata, ſputis, flagellis, cruce denigrata; interius auro & gemmis, id eſt, ſapientia & ſignis ornata, hac pelle arca tegebatur, quia carne Chriſti deitas velabatur. Hæc pellis ſignificat Eccleſiam, quæ exterius eſt ſanguine paſſionis rubricata, aduerſitatibus mundi denigrata; interius gemmis virtutum ornata. Dicit ergo perfecta Eccleſia ad imperfectos, Ego quidem *ſum nigra*, quia huic mundo propter paſſiones quas ſuſtineo D deſpecta, *ſicut tabernacula Cedar*, hoc eſt quaſi ſim de furibus & latronibus nigris in peccatis, ſed tamen formoſa ſum ſicut pellis Salomonis, quia exemplo Chriſti ornata ſum virtutibus. Eccleſia, ſiquidem olim à contribulibus ſuis tanto odio eſt habita, vt nullus ei locus manendi tutus eſſet, ſed ſemper de ciuitate in ciuitatem fugiens migraret, vnde multi ſcandalizati ſunt, qui Chriſtianos miſerabiliores omnibus hominibus reputauerunt. Quibus dixit, *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Quod eſt dicere, Nolite attendere pœnam, propter quam mundo deſpecta ſum, ſed conſiderate cauſam, propter quam pœnam ſuſtineo, quia non pro furto vel aliquo crimine, ſed pro Chriſto hæc patior, qui eſt ſol iuſtitiæ. Qui ſol decolorauit me, id eſt, cuius ardoris amor me mundo obſcurauit. Per ſolem aliquando Chriſtus, aliquando perſecutio accipitur; Chriſtus propter ſplendorem, perſecutio propter feruorem. Cùm ſol iuſtitiæ me illuminauit, tunc ſol perſecutionis me obfuſcauit, quia filij matris meæ pugnauerunt contra me.

E Nota quod filia Pharaonis hoc loquitur, ſcilicet Eccleſia de Ægypto adducta, ſub Apoſtolis ad Chriſtum collecta, cuius mater erat ſynagoga, eiuſque filij Iudæi, qui Eccleſiam multis modis impugnauerunt. Nam Chriſtum occiderunt, Stephanum lapidauerunt, vtrumque Iacobum interfecerunt, alios flagellauerunt, alios perſecuti ſunt. *Ipſi poſuerunt me cuſtodem in vineis*, quia eiectam de finibus ſuis præfecerunt me omnibus Eccleſiis. Præfecerunt dico, quia cauſa præficiendi extiterunt. *Vineam meam non cuſtodiui.* Hoc eſt, primitiuam Eccleſiam in Iudæa non licuit mihi cuſtodire. Eccleſia per ſimile dicitur vinea, quia ſicut vinea foris eſt arida, ſic Eccleſia in exterioribus eſt arida, intus florida. In qua Chriſtus eſt vitis vera, Apoſtoli palmites, potum vitæ ferentes, operarij omnes electi.

Ad moralem verò ſenſum cùm fidelis anima in ſancta conuerſatione deſpecto cultu & humili habitu veſtitur, à carnalibus amicis & cognatis deſpicitur, quibus dicitur, F Vos amici mei, qui vultis eſſe filiæ Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ vobis nigra, id eſt, deſpecta pro contemptu appareo, & reputatis me ſicut tabernacula Cedar, id eſt, ſicut hypocritam, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, qui ſunt habitacula tenebrarum, ſcilicet dæmonum, *ſed ſum formoſa* in oculis Domini, *ſicut pellis Salomonis*, videlicet inſtar carnis Chriſti exterius vigiliis & ieiuniis macerata, interius, decorata virtutibus. Sicut enim pellis eſt mortui animalis, ſic ego ſum mortificata vitiis, & ideo ſum habitaculum Chriſti veri pacifici. Idcirco vos carnales nolite me conſiderare quod fuſca ſim in vili habitu, ſed attendite quod hæc cauſa veri ſolis Chriſti ſubiui. Qui cùm eſſet diues, propter me pauper factus eſt, vt me diuitem faceret; qui me decolorauit, dum me de ſæcularis ornatus colore ad hunc habitum permutauit. Nec mirum quod vobis appareo nigra, id eſt, deſpecta quia non Iudæi nec pagani, ſed ipſi Chriſtiani filij maG tris meæ, ſcilicet Eccleſiæ pugnauerunt contra me, mihi detrahendo quietem vitæ ſpiritalis inuidendo, ad ſæcularia negotia retrahendo. Et cùm aliter non poſſent, *poſuerunt me cuſtodem in vineis*, id eſt, lucri gratia præfecerunt ſæcularibus, & ſic vineam meam non cuſtodiui, id eſt, ſpiritalem vitam obtentu dilectionis proximi neglexi.

Vitæ quippe ſingulorum hominum vineæ à ſimili dicuntur. Quia ſicut vinea circumſepta eſt maceria, ſic corpore circumdata eſt anima. Et ſicut in vinea ſunt palmites fructum ferentes, ſic ſunt in anima cogitationes opera proferentes. In his vineis ſæculares ſpiritualem virum cuſtodem ponunt, dum eum lucri cauſa ad officium prælaturæ eligunt. Sed ipſe vineam ſuam non cuſtodit, dum ſpiritalem vitam negligit, & curam ſæcularis negotij ſuſcipit.

Altior intellectus talis eſt: Eccleſia ad ſupernam patriam anhelans, & ſecum alios prædicando trahere feſtinans dicit. Vos amatores mundi, filiæ Ieruſalem noH mine, non re: ego nigra vobis videor in actiua vita, ſcilicet in ſæcularibus, vt tabernacula Cedar, id eſt, ſimilis peccatoribus, ſed formoſa ſum in contemplatiua vita, ſcilicet in ſpiritualibus, vt pellis Salomonis, ornata in virtutibus. Nolite ergo conſiderare, quod fuſca ſim in ſæcularibus, quia intus ſum fulgens, illuminata ab æterno ſole in ſpiritualibus. Et merito fuſca ſum, quia filij matris meæ pugnauerunt contra me, ſcilicet hæretici & falſi Chriſtiani, filij Eccleſiæ in fide, non opere; impugnauerunt me falſis dogmatibus & prauis moribus, ipſi me poſuerunt cuſtodem in vineis, hoc eſt, propter illos ſuſcepi curam in ſæcularibus, & vineam meam non cuſtodiui, quia propter illos contemplationem cœleſtium intermiſi.

Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.

Quantum ad literam loquitur more fœminæ potentis, virum ſuum in venatione quærentis, & ne cuſtodiam militis incidat timentis, ſed cùm verba ad paſtorem dirigat, quid allegoricè intelligi velit manifeſtat. Eccleſia in

A perſecutione nigra, id eſt, deſpecta, in vineis cuſtos poſita videns acinos cum vuis, id eſt, malos cum bonis in vineis mixtos, nec ipſo prælo paſſionis poſſe eos diſcerni, poſcit ſignum diſcretionis ab ipſo paſtore, qui ſegregat oues ab hœdis, dicens: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Chriſtus paſtor dicitur à ſimili, quia paſcit gregem fidelium in paſcuis ſacræ ſcripturæ, & ouem perditam reducit ad virentia prata paradiſi. Fideles autem ideò dicuntur oues quia ſunt ſimplices & innocentes. Meridies cùm eſt ſolis feruor, tempus eſt perſecutionis. Tunc Chriſtus cubat in cordibus credentium fidem & dilectionem vſque in finem tenentium, & paſcit per ſapientiam ora ſe confitentium, declinans æſtum vitioſorum ſe negantium. Vagari autem eſt errare. Porrò greges ſodalium ſunt conuentus hæreticorum, ex quibus multi paſſi ſunt, ſed martyres eſſe non potuerunt; quia caritatem non habuerunt, ſine qua non prodeſt nec ipſa paſſio dicente Apo-

B ſtolo: *Si tradidero corpus meum vt, ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Eccleſia ergo inter perſecutores & hæreticos, inter veros & falſos martyres poſita dicit, *Indica mihi quem diligit, &c.* quaſi dicat dic ô Chriſte quem præ anima, id eſt, præ vita diligo, pro quo omnes paſſiones ſuſtineo: da ſignum cognoſcendi locum tuæ manſionis in tempore perſecutionis, ne dum quæro te venerari in choro martyrum, inſcia in cœtu hæreticorum per te adorem diabolum. Sicut enim Eccleſia credentium eſt templum Dei viui, ita Eccleſia malignantium eſt templum diaboli. Et ſicut Chriſtus in templo fidelium adoratur, ita diabolus in templo errantium colitur. Si quis ſanè hæreticum aut diuitem, adulterum vel raptorem lucri cauſa honorat, planè diabolum in eo, cuius templum eſt, adorat. Sodales dicuntur quaſi ſimul edales, qui nobiſcum ſacramenta Chriſti percipiunt, ſcripturas legunt, nobiſcum orant, Chriſtum

C prædicant, & tamen de ouibus Chriſti non ſunt, quia non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua tantùm ſunt quærunt, id eſt, lucrum & laudem hominum, & ſecundum præceptum & exemplum paſtoris, fratres non diligunt. Signum ergo dinoſcendi tales eſt hoc: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Igitur in his eſt locus Chriſti manſionis, in quibus eſt inſigne dilectionis.

Tropologicè autem fidelis anima inter veros & falſos fratres conſtituta, dicit: *Indica mihi quem diligit anima mea vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Meridies cùm ſol feruet calore, eſt tentatio quæ carnem libidine, vel animam accendit iræ ardore. Locus autem vmbroſus eſt animus caſtus. Et ſicut paſtor æſtum in meridie in opacum locum declinat; ſic Chriſtus in æſtu tentationis in caſtis cubat, quos & ſua theoria vel diuina contemplatione paſcit: ſed plerique caſti corpore non mente, timore coacti non amore Chriſti, hi habent peccandi voluntatem,

D ſed perficiendi non habent facultatem. In talibus non habet Chriſtus manſionem, quia *ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum.* Sodales autem ſunt falſi fratres, qui cum veris Chriſti ſacramenta ſumunt, ſanctitatem habitu præferunt, ſed in veſtimentis ouium lupi rapaces ſunt, quia veros fratres non diligunt. Horum ſignum eſt hoc: *A fructibus eorum cognoſcetis eos,* ſicut arbores cùm florent omnes pares apparent, & ſæpe acerbæ in fructu ſunt pulchriores in floribus, & non niſi ſolo fructu diſcernuntur: ita falſi fratres cum veris filiis Dei ieiunant, vigilant, cantant, communicant, ſed ſolo fraterno odio diſcernuntur per quod templum diaboli cognoſcuntur. De talibus anxia dicit fidelis anima: *Indica mihi quem diligit anima mea.* Animam Chriſto loqui, eſt totis votis notitiam Chriſti quærere. Chriſtum autem animæ loqui, eſt ſecreta veritatis ei aperire. Quod per tertiam perſonam quæ diligit dicit, magnum deſiderium abſentis exprimit. Anima pro vita ponitur, vt illud: *Qui odit animam ſuam*, id eſt, vitam ſuam, *cuſtodit eam.* Dicit ergo: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* quaſi dicat: O Chriſte vera vita, quem diligo præ anima, id eſt, præ vita, indica mihi interna

E inſpiratione, in quibus requieſcas in æſtu tentationis, & quos paſcas paſtu tuæ dilectionis, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum, hoc eſt, ne dum quæro te in veris fratribus honorare, vaga mente diabolum committat in falſis fratribus adorare. In quibus enim charitas, quæ Deus eſt, non habitat, in his falſitas, quæ diabolus eſt, regnat.

Anagogicè autem Eccleſia præſentia faſtidiens, & futura appetens dicit, *indica mihi quem, &c.* Meridies dicitur quaſi medidies, id eſt, media dies vel mera, id eſt, pura dies, quando ſol in centro cœli clarus lucet, & ſignificat ſplendorem æternæ claritatis, in qua ſol iuſtitiæ Chriſtus in Patre & Spiritu ſancto medius fulget. Greges autem ſodalium ſunt ordines angelorum, qui ſunt ſodales, quia æterni conuiuij ſimul edales. Dicit ergo Eccleſia Chriſto, *Indica mihi quem diligit anima mea, &c.* quaſi dicat, O ſol iuſtitiæ, qui me decoloraſti, quando me de amore ſæculi ad amorem tui permu-

F taſti, notifica mihi gloriam qua in claritate deitatis Patri & Spiritui ſancti æqualis fulges, & Angelos tua viſione paſcis, ne vagari incipiam poſt gregem ſodalium tuorum, hoc eſt, ne dubia mente in agminibus Angelorum te ſimilem nobis locatum cogitem.

Si ignoras te ô pulchra inter mulieres. Ad literam videtur oſtendere locum amico quærenti ſe in meridie, dicens, *Si ignoras*, locum in quo habitem, ſequere veſtigia gregum, & inuenies me in tabernaculis paſtorum. Allegoricè autem ſponſæ interroganti de loco, in quo ſponſus maneat, ipſum locum habitationis ſuæ demonſtrat dicens, *O pulchra*, ſubauditur in fide, *inter mulieres*, id eſt, inter hæreſes, tu es locus meus, & in te eſt locus requiei meæ, & extra te nullus mihi locus eſt manendi. Quod ſi ignoras te eſſe locum meæ manſionis, egredere de hac ignorantia, & abi poſt veſtigia gregum, hoc eſt, imitare exempla Iudæorum, qui vnum tantum locum in

G Ieruſalem habuerunt, vbi Deo ſacrificauerunt in quo tabernaculum vel templum fuit, quod locus arcæ Domini fuit, & ibi paſce hædos tuos, id eſt, doce carnaliter ſapientes *iuxta tabernacula paſtorum*, id eſt, ſecundum ſcripta Prophetarum. Pulchra dicitur quaſi carens puluere, & intelligitur Eccleſia perfectorum puluere peccatorum carentium. Mulier dicitur quaſi mollier, & intelligitur multitudo hæreticorum vel imperfectorum, qui molles ſunt, id eſt, proni ad peccandum. Greges dicuntur Iudæi, qui baculo legis congregantur ad cultum Dei.

Hædi ſunt carnales petulantia laſciui, ad ſiniſtram iudicis conſtituendi. Paſtores ſunt Prophetæ, quorum tabernacula ſunt eorum ſcripta. Sicut enim in tabernaculis habitant militantes, ſic in ſcripturis ſe exercent contra vitia pugnantes. Hoc & alio modo poteſt intelligi, ſi in perfectis ignoras te eſſe dubitando meum locum, *egredere*, de hac dubitatione: *& abi* non paſſibus

H corporis, ſed affectibus cordis: *poſt veſtigia gregum*, id eſt, poſt fidem præcedentium populorum; *& paſce hædos tuos*, id eſt, inſtrue carnales, *iuxta tabernacula paſtorum*, hoc eſt, ſecundùm doctrinam Apoſtolorum. Aliter. Si ignoras te ſanguine meo redemptam, & in te mihi ſedem poſitam, *egredere* de conſortio meo, *& abi poſt veſtigia gregum*, id eſt, ſequere exempla errantium, *& paſce hædos tuos*, hoc eſt, doce carnales, *iuxta tabernacula paſtorum*, id eſt, ſecundùm doctrinam hæreticorum.

Tropologicè verò animæ locum Chriſti quærenti dicit ſponſus: *O pulchra* in conuerſatione *inter mulieres*, id eſt, falſos fratres, in te eſt locus habitationis meæ, in qua poſita eſt ſedes dilectionis, vt ſcriptum eſt. *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.* Et ſi in contemplatiua vita, *ignoras te*, eſſe meum locum, *egredere*, ad actiuam, *& abi*, operando poſt veſtigia gregum, id eſt, poſt facta in congregationibus degentium, *& paſce hædos tuos iuxta, &c.* hoc eſt, doce carnales cogitatus tuos ſecundùm vitam pœnitentium, in quorum vita & operatione, & doctrina poſui mihi locum.

Anagogicè autem Eccleſiæ deſideranti cœleſtia dicit Chriſtus, O pulchra in dilectione, æternæ pulchritudinis inter mulieres, id eſt, inter Eccleſias ſpiritales mihi

A filios parturientes, ſi in hac vita ignoras te qualis futura ſis in illa gloria, egredere de corpore, *& abi poſt veſtigia gregum*, id eſt, imitare exempla martyrum, *& paſce hædos tuos*, id eſt, refice populos ſacramentis in feſtiuitatibus iuxta tabernacula paſtorum, id eſt, inſtar corporum Apoſtolorum vel illorum ſucceſſorum, qui erant paſtores populorum, quorum corpora dicuntur tabernacula, dicente Apoſtolo: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*, id eſt, ſolutio corporis mei. Si corpore exuta cum corporibus illorum requieſcis, ſpiritu etiam cum ſpiritibus illorum in cœlo regnabis.

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Litera videtur ſonare quaſi Salomon dixerit filiæ Pharaonis: Non es digna vt poſt greges erres, quæ cum exitu in regali curru Pharaonis adducta es. Porrò hiſtoria hic tangitur, qua populus Dei in Ægypto afflictus per ſanguinem agni liberatur, per mare rubrum eductus cœleſti paſtu in terram repromiſſionis B introducitur, quem Pharao cum curribus & equitibus inſecutus, fluctibus maris eſt obrutus.

Huius allegoria talis eſt, Ægyptus dicitur tribulatio, & hic mundus eſt tribulatione plenus. Ægyptus etiam dicitur tenebræ, & ſignificat infernum tenebris horridum Populus in Ægypto afflictus eſt Chriſtianus populus in hoc mundo oppreſſus. Moyſes qui populum per ſanguinem agni liberauit de Ægypto, eſt Chriſtus verus agnus, qui populum proprio ſanguine de tribulatione mundi, & de tenebris inferni redemit. Mare rubrum eſt baptiſmus martyrio Chriſti rubricatus, terra repromiſſionis eſt beatitudo regni cœleſtis. Pharao quod ſonat elidens, eſt diabolus, qui eliſit genus humanum in peccatis. Hic fluctibus maris obruetur cum curribus & equitibus, quando in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipitabitur, cum hæreticis & perſecutoribus. Dicit ergo ſponſus conſolans ſponſam: *O amica mea*, id eſt, ſecre- C talis mea, cui nota feci omnia quæ audiui à patre meo, quia à perſecutoribus & hæreticis talia paſſa es, qualia olim populus meus in Ægypto, & non es ſecuta greges hæreticorum, ſed fugiſti in tabernacula paſtorum: Ideo *aſſimilaui te equitatui meo in curribus Pharaonis.* Hoc eſt, ſimilem te reputaui exercitui meo in Ægypto afflicto exiſtenti, in curribus Pharaonis, id eſt, quando Pharao perſequebatur eum in curribus. Et ſicut eum tunc liberaui, ita te liberabo de gregibus hæreticorum & perſecutoribus, qui ſunt currus Pharaonis, id eſt, diaboli, & cum paſtoribus, qui ſunt currus mei introducam te in terram viuentium.

Tropologicé autem amica mea ſponſa eſt in curribus Pharaonis, quando fidelis anima conſtituta eſt in falſis fratribus, qui ſunt currus diaboli. Hanc equitatui ſuo aſſimilabit, quia eam prædicatoribus Euangelij aſſociabit. Hi ſunt eius equites, quia eius militiam pugnant. Ipſi etiam equi, quia currum Euangelij per D mundum trahunt. De his ſcribitur: *Aſcendens ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio.*

Anagogicè verò Eccleſia de Ægypto huius mundi fugiens, & ad veram patriam tendens, eſt in curribus Pharaonis, quam diu permixta eſt hic cum malis, hæc exercitui Chriſti aſſimilabitur, quando angelicis agminibus aſſociabitur.

Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, Quantum ad hiſtoriam more loquitur amantis, amicam laudantis, ac munera ei promittentis. Quem enim in meridie quæſiuit, in tabernaculis paſtorum inuenit, & hanc laudem ac promiſſa ab eo audiuit. Quantum verò ad allegoriam Eccleſia in perſecutione, videns tam hæreticos quàm Catholicos quaſi pro Chriſto pati, metuens dubio errore decipi, quæſiuit ſponſum in grege ſodalium, id eſt, hæreticorum, & non inuenit; quæſiuit eum in tabernaculis paſtorum, id eſt, Catholicorum, & ibi inuenit. Qui eam laudibus excepit, & munera repromiſit dicens: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, &c.* Cùm membra corporis in ſcripturis ponuntur, officia eorum tantùm in ſignificatione E notantur: cùm verò aures introducuntur, colores vel naturæ earum aſſignantur. Tota Eccleſia eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus, membra eius ordines electorum.

In genis notatur verecundia. Genæ igitur Eccleſiæ eſt ille ordo iuſtorum, qui verecundatur clam coram Deo, palam coram hominibus peccare, ſicut Monachi & Heremitæ. Hæ genæ pulchræ ſunt, quia ſe peccaſſe vel peccare erubeſcunt. Turtur eſt aërei coloris, & pro cantu gemit. Turtur felle caret, ſed in vno compare gaudet. Hæc auis gerit figuram Chriſti, qui aëreum colorem habuit, dum cœleſtem vitam docuit. Pro cantu gemit, quando ſuſpiciens in cœlum gemuit, quia humanum genus ſurdum & mutum à laudibus Dei reperit. Felle caruit, quia fraudem non habuit. Vno compare, id eſt, ſocietate vnius Catholicæ Eccleſiæ gaudet. Genæ ergo ſponſæ ſunt ſicut genæ turturis, quia ille ordo in Eccleſia peccare verecundantium eſt F imitator Chriſti, id eſt, imitator Apoſtolorum, qui aëreum habent colorem, quia conuerſatio eorum in cœlis eſt. Pro gaudio mundi gemunt gemitibus inenarrabilibus. Felle malitiæ carent, vno compare Chriſto gaudent. *Collum tuum ſicut monilia.* Collum iungit caput & corpus, & traiicit eſcam à capite acceptam in corpus. Collum Eccleſiæ eſt ordo prælatorum, qui verbo & exemplo, corpus Eccleſiæ iungit Chriſto capiti, atque eſcam ſacræ ſcripturæ à capite Chriſto acceptam traiicit prædicando in corpus Eccleſiæ. Monile quod ornat & munit pectus, eſt ſignum virginis deſponſatæ, ne adulter mittat manum in ſinum alienæ. Collum igitur Eccleſiæ eſt ſicut monile, quia ordo prælatorum benè viuendo ornat, & rectè prædicando munit pectus virginis Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, ne adulter hæreticus manum praui dogmatis immittat in ſinum fidei Catholicæ. Et notandum quod hi duo ordines præ cæteris ponuntur, quia hi duo magis neceſſarij in Eccleſia noſcuntur: alter indoctis prædicando, alter pro G eis orando. Dicit ergo ſponſus, ó amica in tabernaculis Cedar nigra, in tabernaculis paſtorum pulchra, pulchræ ſunt genæ tuæ, & collum tuum ſicut monile, quod ſunt equites mei paſtores tui, quia ſunt vt turtur, vita ſimplices, vt monile ſcripturis te ornantes, quibus poteris à gregibus hæreticorum muniri, à quibus timebas corrumpi, & vt tali ornatu muniaris, Ego & Pater & Spiritus ſanctus; vel Ego & opifices mei ornatores tui: *Murenulas aureas faciemus tibi*, ſcilicet ſacras ſcripturas ſapientia ſplendidas, *vermiculatas argento*, hoc eſt, variegatas eloquentia. Deus qui olim dixit, *faciamus hominem*, ipſe nunc dicit homini, *faciemus murenulas tibi*, id eſt, ad honorem tui. Sacra quippe ſcriptura eſt à ſancta Trinitate facta, à ſanctis viris ſcripta, & hæc eſt honor animæ ſeruata.

Murena eſt piſcis in foramine ſuo exiſtens circulatus & conglobatus, non comedens, ſed ſugendo humorem, & ſuccum extrahens, ad cuius ſimilitudinem fiunt mu- H renulæ, id eſt, inaures, quæ ſunt ornatus mulierum, & intelliguntur ſacræ ſcripturæ, quæ docent obedientiam, quæ eſt ornatus animarum. Hæ ſcripturæ dulciter exhortando ſimplices & humiles vt murena ſugunt, humorem peccati extrahunt. Aurum quod omnia metalla præcellit, ſignificat ſapientiam, quæ omnia tranſcendit. Murenulæ ſunt aureæ, quia ſacræ ſcripturæ ſapientia ſunt ſplendidæ, in igne Spiritus ſancti vt aurum examinatæ. Argentum quod nitet & ſonat, exprimit eloquentiam, quæ tropis & figuris nitet, & rhetoricis coloribus dulciter ſonat. Scripturæ autem ſunt argento vermiculatæ, id eſt, eloquentia diſtinctæ, & ſententiis variatæ.

Vermiculare etenim eſt variare, in modum vermis flexuoſi contorquere, his monilibus eſt ſponſa ornata à ſponſi opificibus. Tropologia Sicut exterior homo habet ſua membra, ita interior habet ſua. Genæ igitur animæ ſunt verecundia, qua verecundatur ſe non facienda feciſſe, vel facienda neglexiſſe. Animæ collum eſt intellectus, qui animam & ſpiritum iungit, vt caput & corpus.

A Duæ quippe vires ſunt animæ, ſuperior quæ vocatur ſpiritus, qua ſpiritalia tractamus: inferior quæ nominatur anima, qua corporalia diſponimus, hæc duo intellectus quaſi collum corpus & caput coniungit, dum ſpiritum & animam vnam ſubſtantiam eſſe intelligit. Eſcam à capite acceptá in corpus traiicit, dum ſpiritalia quæ intelligit, in vétrem memoriæ recondit. Huius monile eſt interior ſenſus, variis ſententiis & precioſis lapidibus inſignitus, inauris eius eſt obedientia, auro ſapientiæ & argento ſcientiæ decorata. Iuxta Anagogem verò Eccleſia ad ſupernam patriam ſuſpirans, morem turturis gerit, qui ſe in hoc mundo peregrinari gemit rem vnam à Domino petit, *vt inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ.* Ornatus huius monilis eſt inauris, id eſt, Chriſtus ſplendens in gloria patris. Alia tranſlatio ſic habet: *Similitudines auri fabreſaciemus tibi, cum diſtinctionibus argenti, quoadvſque rex in accubitu ſuo eſt.* Quod eſt dicere. Aurum, id eſt, faciem meam in præſenti vita non poteris videre, ſed ſimilitudinem cœleſtis B claritatis per illuminationem ſcripturarum videbis per ſpeculum in ænigmate, donec omnibus appareat, quæ nunc latet in diuinitate.

CVm eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Ad literam datur intelligi, quod amica dilectum quæſitum in tabernaculis paſtorum cubantem inuenit, & ipſe eam monilibus ex auro & gemmis factis ornauerit, ipſa verò ei vnguenta ex nardo, myrrha & botris confecta obtulerit.

Allegoricè verò primitiua Eccleſia ante Chriſti aduentum in multis filiis ſuis Deum in libris gentilium quæſiuit, & ſic in gregibus ſodalium errauit. Sed hunc in tabernaculis paſtorum cubantem, hoc eſt in libris Prophetarum iacentem inuenit, qui ei monilia auro & gemmis inſignita dedit, quia ei legalia præcepta precioſis promiſſionibus plena commiſit, ipſaque ei precioſa vnguenta dedit, dum ſe ſaluandam per eius C incarnationem, paſſionem & reſurrectionem obtulit. Et hoc interim, *Cum eſſet rex in accubitu ſuo*, hoc eſt, dum rex gloriæ Chriſtus latuit in ſinu patris. Accubare quippe eſt in ſecreto reſidere. Per nardum Chriſti incarnatio, per myrrham eius paſſio, per botrum eius reſurrectio notatur. Siquidem ſpecies arborum vel herbarum in ſcripturis pro ſignificatione ponuntur. Nardus namque eſt arbor aromatica parua, ſpinóſa, & odorifera, de qua optima fiunt vnguenta, vt illud Mariæ in Euangelio factum erat de nardo. Nardus ergo ponitur pro humilitate & vnctione qua ſanantur infirmi. Chriſtus fuit nardus arbor vnguentaria, quando factus eſt humani generis medicina. Paruus, id eſt, humilis, quia cùm eſſet in forma Dei, humiliauit ſemetipſum ad formam ſerui. Spinoſus, quia de peccatoribus natus. Odoriferus, quia virtutibus refertus, qui factus eſt vnguentum noſtræ ſanitatis, quando virtus eius diuinitatis ſanauit omnem languorem, & omnem infirmita- D tem. Dicitur ergo, *Cum eſſet rex in accubitu ſuo*, Chriſtus ſcilicet rex gloriæ cùm eſſet in humana carne, *nardus mea*, videlicet virtus eius, facta mea medicina, dedit odorem ſuum, hoc eſt, notitiam ſuam per populos ſparſit, quando cæcos illuminauit, mortuos ſuſcitauit, & omnes ægros curauit. *Vel cùm eſſet rex in accubitu ſuo*, ſcilicet Chriſtus poſt aſcenſionem in gloria patris, *nardus mea*, id eſt, operatio mea dedit odorem ſuum, videlicet odoriferum obſequium. Tunc quaſi diu quæſitum dilectum ſponſa inuenit in tabernaculis paſtorum, id eſt, in doctrina Apoſtolorum, qui ei dedit monilia, hoc eſt, varia Spiritus ſancti cariſmata, & ipſa obtulit vnguenta, ſcilicet fidei ſuæ ſaluationis opera. Aliter. *Cum eſſet rex in accubitu ſuo*, ſcilicet in ſinu patris, vel in vtero virginis, *nardus mea*, id eſt, humilitas mea *dedit odorem* bonorum operum. Per nardum etiam humilitas Eccleſiæ intelligitur, per quam aliis ſanitas boni exempli oritur. Vel vox hic accipitur Eccleſiæ, in inferno redemptionem præſtolantis & dicentis, *Cum eſſet rex in accubitu ſuo.* id eſt, Chriſtus in E cruce, *nardus mea dedit odorem ſuum*, hoc eſt, humilitas ſenſit ſalutem: quia faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, hoc eſt, amaram mortem Chriſtus pro me ſubiit, qua me de morte redemit. Myrrha namque eſt arbor Arabiæ altitudinis quinque cubitorum, ſimilis ſpinæ quam achantum vocant, cuius gutta viridis & amara. vnde & nomen accepit myrrha. Gutta eius ſponte manans eſt precioſior, corticis vulnere vilior quæ medendis infirmitatibus ſalubris eſt, & mortuorum corporibus ne à vermibus & putredine conſumantur condiendis vtilis. Myrrha ſignificat amaram mortem Chriſti, qui noſtris infirmitatibus medelam contulit, & putredinem peccatorum à nobis depulit. Vnde & in cruce myrrhatum vinum accepit, & Ioſeph corpus eius myrrha condiuit. Per faſciculum intelligitur congeries paſſionum, Chriſtus factus eſt myrrhæ faſciculus, quando de cruce ablatus myrrha & aloë eſt perlitus. Dicit ergo ſponſa: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, quaſi dicat. Dilectus meus quem ego diligo præ F omnibus, qui mihi fuit nardus in incarnatione, factus eſt mihi myrrha in paſſione, amaram mortem pro me ſuſtinens, amara mundi pro ſe pati me edocens, & ideo *Inter vbera mea commorabitur.* Hoc eſt à patribus vtriuſque teſtamenti, qui ſunt vbera mea prædicabitur. Vel mors dilecti mei, quam pro ſalute mea ſubiit, ſemper in memoria mea erit, & qui mihi fuit myrrha in morte, factus eſt mihi botrus, id eſt lætitia in reſurrectione, vnde ſequitur, *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cyprus inſula præ omnibus terris miræ magnitudinis botros gignere fertur, vel cyprus eſt Arbor Ægyptia ſimilis ſalici, habens flores miri odoris & botros. Botrus pro lætitia ponitur; cyprus verò dicitur conuerſio vel floritio, & ſignificat reſurrectionem Chriſti, in qua caro eius mortua refloruit, quæ conuerſis æternam lætitiam contulit. Huius cypri botrus fuit CHRISTVS in prælo crucis preſſus, de quo fuit illud vinum, quod dat conuerſis plenum G gaudium.

Hic eſt botrus, quem duo in vecte ad filios Iſraël portauerunt, ſcilicet Chriſtus in cruce pendens. Quem Propheticus & Apoſtolicus ordo populis Deum viſuris prædicauerunt. Qui ergo fuit faſciculus myrrhæ in amaritudine paſſionis, ipſe extitit botrus cypri in dulcedine reſurrectionis. Myrrha enim triſtificat, vinum lætificat. Dicit ergo ſponſa, *Botrus cypri dilectus meus mihi*, quaſi dicat: Ille qui vt botrus in vecte pro me pendebat in cruce, factus eſt mihi potus lætitiæ, & ideo eſt dilectus meus, quia diligo eum præ omnibus. Et hoc *in vineis Engaddi*, id eſt, in omnibus Eccleſiis. Engaddi quippe eſt fons iuxta Ieruſalem, in quo ſacerdotes lauabant hædos, quos immolabant, & ideo dicitur fons hædi, deſignatur fons baptiſmatis, in quo hædi, id eſt, peccatores lauantur à vitiis. Vineæ autem ſunt Eccleſiæ in fonte baptiſmatis lotæ, aliis proferentes vinum vitæ. Aliter Engaddi eſt locus in quo arbores balſami creſcunt, quæ in modum vinearum excoluntur, quas ideo vineas appellat. De balſamo autem H & oleo chriſma conficitur, quo Chriſtiani conſecrantur. Botrus ergo cypri eſt in vineis Engaddi, quia Chriſtus potus lætitiæ eſt in Eccleſiis vnctis ſacro chriſmate, qui fuit nardus naſcendo, myrrha moriendo, botrus reſurgendo.

Moraliter autem rex in accubitu ſuo eſt, quando Chriſtus in anima iuſti requieſcit. Anima quippe iuſti eſt ſedes ſapientiæ. Huius animæ nardus dat odorem, dum humilitas eius ſpargit bonorum operum opinionem. Huic fit dilectus faſciculus myrrhæ, quando omnia amara paſſionis Chriſti in animo colligit, & pro eo amara pati à proximis diſponit. Inter vbera eius commoratur, quia in corde eius, quod eſt inter vbera, per dilectionem verſatur. Botrus cypri, quod conuerſio ſonat, fit ei in vineis Engaddi, dum gaudet de conuerſis baptizatis, & pœnitentiam agentibus.

Anagogicè autem dum rex in accubitu ſuo eſt, nardus ſponſæ odorem ſpargit, quia dum Chriſtus in glo-

ria

A tia patris latet, Eccleſia famam bonæ operationis vbique diffundit. Dilectum vt faſciculum myrrhæ inter vbera colligit, dum eius amore ei omnia amara videntur, quæ mundus colit vel diligit. Botrus cypri in vineis Engaddi, qui eſt locus balſami conſiderat, dum Chriſtum potum vitæ in ſanctis chriſmate vnctis in cœlo videre deſiderat.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum

Quantum ad hiſtoriam rex reginam monilibus ornatam collaudat: quantum verò ad allegoriam; Chriſtus Eccleſiam Spiritus ſancti donis decoratam laudibus concelebrat. Per hoc quod pluraliter dicit, *columbarum*, vel bis *pulchra* duæ Eccleſiæ deſignantur. Vna ante Chriſti aduentum ſub Prophetis: altera poſt Chriſti aduentum ſub Apoſtolis, vna tamen amica, quia vtraque in vna fide Chriſto coniuncta. Quod enim illa credit factum, illa credit futurum. B Neminem moueat, quod duas vel plures Eccleſias dicimus, cùm vna Catholica prædicetur: ſed licet ſit vna, tamen pro diuerſis ſtatibus, pro diuerſis temporibus, pro diuerſis locis, plures non iniuſtè dicuntur, ſicut multæ terræ, cùm ſit vna, ſcribuntur. Eccleſia autem ideò columbæ comparatur, quia ſeptem donis Spiritus ſancti illuſtratur: ſicut columba ſeptem naturis decoratur. Columba quippe in petra nidificat, alienos pullos nutrit, pura grana eligit, felle caret, roſtro non lædit, iuxta fluenta habitat, gregatim volat. Sic Eccleſia in petra, id eſt, in Chriſto fide & opere nidificat. Alienos à regno Dei verbo & exemplo nutrit. Puras ſententias de libris gentilium vel hæreticorum eligit. Malitia inuidiæ caret. Neminem detrahendo lædit. Iuxta fluenta ſcripturarum habitat, vt raptus accipitrum, id eſt dæmonum euadat. Multos ſecum trahere ad gaudia laborat. Vnius columbæ, id eſt, C Eccleſiæ ante aduentum Chriſti Prophetæ fuerunt, qui ei æternum lumen Chriſtum præuiderunt, vnde & videntes dicebantur; alterius columbæ, ſcilicet Eccleſiæ poſt Chriſti aduentum, de eodem populo oculi Apoſtoli extiterunt, qui eam ad verum lumen Chriſtum perduxerunt. Dicit ergo ſponſus, *O amica mea*, cui omnia ſecreta mea nota feci, quia te nardo carnis meæ ſanaui, myrrha mortis meæ redemi, botro reſurrectionis meæ inebriaui, ecce in præſentia mea tu es pulchra in fide, ecce coram hominibus tu pulchra es in operatione, quia oculi tui, id eſt; prouiſores tui ſunt ſimplices, vt oculi columbarum, ſcilicet vt Prophetæ & Apoſtoli doctores Eccleſiarum. Oculi enim ducunt hominem, ne in lapidem offendat, ita Doctores ducunt Eccleſiam ad vitam, ne in legem Dei in lapide ſcriptam offendat.

Tropologicè autem anima Chriſti *amica* eſt, *pulchra* lota ab originali peccato, ipſa pulchra ab actuali cri- D mine. Cuius oculi ſunt ratio, qua vera à falſis diſcernit, & intentio qua faciem Dei præuidet. Hi oculi ſunt columbarum, ſi bona quæ facit, bona intentione facit: oculi autem coruorum ſunt, ſi bona quæ facit, mala intentione peragit, ſcilicet ſi lucri vel laudis gratia prædicat, vel eleemoſynas tribuit.

Anagogicè verò Eccleſia peregrinans eſt pulchra in dilectione Dei in contemplatiua vita, ipſa pulchra in dilectione proximi in actiua vita, & ideò amica Dei ſuſpirans ad ſecreta cœleſtia, cuius oculi ſunt Epiſcopi & alij Doctores ad vitam eam ducentes, qui ſunt oculi columbarum, ſcilicet Chriſti & Spiritus ſancti ab eis illuminati. Chriſtus quippe columbæ, quæ ſeptem naturas habet, aſſimilatur, qui ſeptiformi ſpiritu plenus prædicatur, vnde & columba pro eo eſt in ſacrificio oblata. Columba etiam figuram Spiritus ſancti gerit, qui ſeptem donis ſubſtantialiter ſubſiſtit, vnde & in columba ſuper Chriſtum apparuit, & columba ramum oliuæ in arcam retulit. Ad horum viſionem ducunt eam illi oculi, vt in lumine videat lumen, ſcilicet in Patre filium, & in vtroque Spiritum ſanctum.

Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. E

Iuxta hiſtoriam, amica dilectum in venatu occupatum, in meridie quæſiuit & inuenit, à quo monilibus ornata & laudata, cum eo ad regalem aulam remeat, in lecto cum dilecto quieſcens, ſponſum & lectum, & domum laudat. Iuxta allegoriam verò Eccleſia Chriſtum in capiendis animabus occupatum, in meridie perſecutionis per diuerſa tormenta quæſiuit, per patientiam inuenit, à quo virtutibus ornatur, pro perſeuerantia laudatur. Qui eam quaſi de agro in palatium reuocat, dum eam de perſecutione in pacem reductam, in lecto quietis & ſecuritatis collocat, pro qua pacis quiete laudes lætabunda cantat dicens. O mi præ omnibus dilecte, ego quæ fui per me deformis & fœda, per te ornata facta ſum pulchra, quia tu naturaliter es pulcher in virtutibus diuinitatis, & decorus in ſanctitate humanitatis, faciens pulchros F in fide, & decoros in operatione. Chriſtus quippe ſecundùm diuinitatem eſt ipſa pulchritudo, à quo pulchra ſunt omnia quæ pulchra ſunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, & in quem deſiderant angeli proſpicere. Secundum humanitatem verò eſt ipſe ſpecioſus præ filiis hominum, quia naturaliter ſic ſemper fuit, vt in monte apparuit, quando vt ſol reſplenduit. Sed quia mortalis viſus claritatem vultus eius videre non potuit, ſub larua latuit, vt ſcribitur: *Ecce vidimus eum non habentem ſpeciem neque decorem.* Sic facies Moyſi ex colloquio Dei tam pulchra fuit, quod populus Iſraël intendere in eum non potuit, & ideò velamen ante ſe habuit. Vnde ſcribitur, quod facies Moyſi cornuta eſſet, quia radios quaſi Sol de ſe emittebat. *Lectulus noſter floridus.* Secundùm diuerſos ſtatus Eccleſiæ variatur de eo ſermo diuinus. Tempus perſecutionis vocauit meridiem, in quo ſolis ardor ferG uet. Tempus verò pacis nominat lectulum, in quo eſt quies ſecuritatis; ſic ergo perſecutio dicta eſt meridies, in qua Eccleſia æſtuabat. Sic pax Eccleſiæ dicitur lectulus, in quo contemplatione ſponſi ſui ſecura quieſcit. Per diminutiuum autem ideo lectulus dicitur, quia breuis eſt pax qua Eccleſia fruitur. Qui lectulus eſt floridus, quia in pacis tempore populus fidelium eſt bonis actibus intentus, qui in perſecutione à bono ſtudio fuit quaſi aridus. Vel lectulus eſt homo Dominicus, in quo Deus ſponſus cum ſponſa ſua humana natura requieuit. Deus quippe erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, ideò autem lectulus noſter dicitur, quia Eccleſia per carnem Chriſti eſt Deo coniuncta. Qui lectus eſt floridus, quia æterna iuuentute immortalis, qui prius quaſi aridus mortalis fuerat. Et quia tu pulcher es à pulchro patre genitus, & lectulus noſter pulcher, a caſta matre procreatus, idcircò & domus noſtræ pulchræ, ab opificibus noſtris de cedris & cypreſſis ædificatæ: nam *tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* H Tigna ſunt ſuperiora domus tabulata, id eſt, tecta, laquearia verò inferiora tabulata, picturæ aptata. Cedrus eſt lignum imputribile benè redolens, cuius reſina eſt præſtantior cæteris, quia languida membra curat, vermes vlcerum necat, odore ſerpentes & muſcas fugat. Cypreſſus eſt lignum virtute cedro proximum, trabibus templorum aptum, impenetrabili ſoliditate, nunquam oneri cedit, præciſum nunquam putreſcit. Domus Dei eſt Eccleſia, in qua Chriſtus habitat, vt paterfamilias in domo. Multæ domus ſunt multæ Eccleſiæ pro diuerſo ſtatu terrarum, vt Romana, Ieroſolymitana, Conſtantinopolitana, vel cæteræ Eccleſiæ. Tigna harum domorum, quæ imbrem & tempeſtates repellunt, ſunt Epiſcopi & alij Prælati Eccleſiarum, qui ſcriptis & doctrinis domum Dei, ſcilicet Eccleſiam ab hæreticis defendunt. Quæ tigna ſunt cedrina, quia eorum opera ſunt imputribilia, & per famam benè redolentia. Doctrina eorum vt reſina peccata curat, vitia vel dæmones fugat. Laquearia verò picturæ harum domorum ſunt

A ſubditi in Eccleſia, ſcilicet continentes vel coniugati, eleemoſynis & bonis operibus ornati. Qui ſunt cypreſſini & templo Dei aptati, non redeuntes, vt canis ad vomitum peccati.

Tropologicè. Fidelis anima eſt lectulus, in qua Chriſtus per dilectionem habitat. Qui lectulus floret, dum anima ſe orando & legendo exercet. Lectulus etiam animæ eſt bona conſcientia. In qua vt in lecto ſecura quieſcit anima. Qui lectus floret, dum aliis bonæ vitæ exemplum præbet. Ipſa eſt etiam domus Dei, in qua Chriſtus habitat vt ſponſus in thalamo. Cuius tigna ſunt principales virtutes, ſcilicet prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia. Laquearia ſunt obedientiæ exempla, quæ cedro vel cypreſſo comparantur, quia ſicut hæ arbores in ramis, ſic in bonis operibus multiplicantur. Vel domus animæ eſt corpus, tigna eius ſunt quinque ſenſus, laquearia eius corporis membra, quæ ſunt cedrina & cypreſſina, dum militant ad nutum ſpiritus.

B Anagogicè autem Chriſti & Eccleſiæ lectulus eſt contemplatiua vita, in qua requieſcit à ſeculi tumultibus, qui lectulus floret, dum multitudo fidelium ſe in artibus & in ſcripturis exercet. Domus cedrinis & cypreſſinis lignis ab opificibus ædificatæ, ſunt clauſtra à ſanctis patribus, regulis & honeſtis inſtitutionibus conſtructæ.

Tigna cedrina ſunt Præpoſiti & Abbates ſanctimonia redolentes, qui verbo & exemplo alios muniunt, & vermes criminum macerando extinguunt. Laquearia autem cypreſſina ſunt monachi & omnes religioſi, quorum ſanctitatis exempla templum Dei ornant, & aliorum onera orando portant. Et ſicut cypreſſus præciſa non reuireſcit, vnde ante feretrum mortuorum ſolebat portari, ita ipſi nunquam ſecularia repetunt, quibus renunciauerunt, & ſemper quaſi præſentem mortem aſpiciunt, & in habitaculum Dei coædificari votis & moribus appetunt.

CAPVT II.

C *Explicit primum Capitulum. Et incipit ſecundum Capitulum.*

E*Go flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.*

Ad litteram datur intelligi quod lectus dilecti floribus ſeptus fuerit, quorum odore & pulchritudine ipſa delectata ſit, quando dixit: *Lectus floribus.* Et ipſe blandiens ei dixerit iſta.

Allegoricè autem Eccleſia perfectorum, quæ eſt lectus Chriſti floribus cingitur, dum imperfectis in fide tantum floridis ſtipatur. In flore namque non eſt fructus, ſed ſperatur fructus. Ita imperfecti fidem habent non opera, quorum flos eſt Chriſtus, ſcilicet per fidem illorum ornatus, qui dicit, *Ego flos campi* quod eſt dicere, quod lectulus noſter floridus in fidelibus, hoc eſt ex me, quia ego ſum flos campi, id eſt, ornatus populi Chriſtiani. Flos dicitur à fluere, quia cito fluit.

Campus eſt terra inarata & paſcualis, ſponte proferens flores. Campus eſt tota Eccleſia in fide incorrupta,
D in qua ſunt paſcua vitæ, quæ profert varios flores, id eſt, diuerſos iuſtorum ordines, ſcilicet roſas martyrum, lilia virginum, violas confeſſorum, & alios flores continentium, & legitimè coniugatorum. Huius campi flos, id eſt, decor, eſt Chriſtus omnium fidelium ornatus. Flos campi propriè eſt flos paruulus, nimis rubicundus, & eſt Chriſtus humilis factus proprio ſanguine rubricatus. Campus, id eſt, terra inarata, eſt virgo inuiolata, cuius flos eſt Chriſtus, quia de virgine natus. *Ipſe eſt lilium conuallium*, quia honor humilium parentum ſuorum. In lilio quinque conſiderantur, quia eſt candidum, habens aureum colorem prominentem, & eſt odoriferum, & pandulum, & ſemper incuruum. Sic Chriſtus eſt candidus in humanitate, aureus in diuinitate, odoriferus in prædicatione, pandulus in ſuſcipiendo pœnitentes, incuruus in condeſcendendo peccatoribus, & ſubleuando eos. Ipſe eſt lilium conuallium, id eſt, ornamentum fidelium. Sicut enim conualles ſunt inter duos montes, ita fideles ſunt inter duas leges, vel inter duos populos, E
ſcilicet Iudæos & gentiles. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, quaſi dicat. Sicut ego ſum lilium conuallium, ſcilicet ornatus humilium, ſic eris tu amica mea lilium ſpinarum, id eſt, decus gentium. Et ſicut ego fui lilium inter ſpinas, videlicet inter Iudæos me pungentes & lacerantes, ſic eris tu Eccleſia amica mea inter gentes filias Babylonis, id eſt, confuſionis, quæ te multis ſpinis cruciatuum pungent, & multis pœnis lacerabunt. In ſpina tria notantur. Cito floret, cito areſcit, aculeis pungit. Ita mali cito diuitiis florent, in virtutibus cito areſcunt, ideò igni apti ſunt: malis moribus bonos pungunt.

Aliter ſicut lilium inter ſpinas, id eſt, ſicut lilium eſt ornatus ſpinarum, ſic eris tu decus filiarum, quas in florido lecto quieſcens generabis. Vel ornamentum eris fide & dogmate inter hæreſes, quæ volunt eſſe tuæ filiæ, cum ſint ſpinæ & filiæ Babylonis ſcilicet confuſionis.

Moraliter autem Chriſtus eſt *flos campi*, honor &
odor lectuli ſui, ſcilicet fidelis animæ in fide integræ, F
quam facit in ſancto ſtudio florere, quæ eſt lilium conuallium, id eſt, decor humilium animarum: quæ ſunt conualles, quia inter ſuperbos & diuites ſunt pauperie depreſſæ, quaſi inter montes ſitæ. Et ſicut Chriſtus lilium fuit inter ſpinas, ſcilicet inter Phariſæos & hypocritas, ita fidelis anima eſt inter filias Babylonis, ſcilicet falſos fratres hypocritas.

Iuxta anagogen. Campus ſcilicet terra inarata, eſt ordo virginum in Eccleſia, cuius flos eſt Chriſtus, quia eius delectatio, corona & præmium. Conuallis verò eſt ordo coniugatorum inter virgines & continentes, quaſi inter duos montes ſitorum, quorum Chriſtus eſt lilium, ſcilicet candor & gaudium. Et ſicut lilium eſt inter ſpinas decore & odore, ſic Eccleſia perfectorum eſt inter filias Ieruſalem, id eſt, inter perfectos decore vitæ & odore doctrinæ. Perfecti dicuntur qui omnia mundi reliquerunt, dicente Domino. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Imperfecti dicuntur, qui adhuc mundo vtuntur, de quibus adhuc ſcri-
bitur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro* G
tuo omnes ſcribentur.

Notandum quod lilium tactum amittit odorem, ſic virginitas tacta amittit bonam opinionem.

Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi. & fructus eius dulcis gutturi meo.

Ad litteram regina de lecto ſurgens ſpaciatum ergo, ſub vmbram venit *arboris*, ac de fructu illius comedit, ibique hæc locuta eſt.

Allegoricè autem Eccleſia ſole perſecutionis fuſcata eſt, in meridie ardore tentationis æſtuata, à carnificibus vt lilium à ſpinis lacerata, demum pondere preſſurarum fatigata, vmbram arboris vitæ quærebat, lectum quietis deſiderabat, in qua vmbra requieſcens canit: *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi.* Malus eſt æquiuocum. Eſt enim malus non bonus, & eſt malus
arbor pomorum. Eſt etiam malus nauis, ſcilicet arbor H
veli. Sed de homine dicimus hic malus, de arbore hæc malus, de pomo verò hoc malum. Malus habet tria in ſe, ſcilicet vmbram refrigerantem, fructum reficientem, odorem delectantem. Hæc malus eſt Chriſtus, qui genus humanum obumbrauit, dum brachia ſua in ramis crucis expandit, & in ſe credentes corpore ſuo refecit, ſuauitate dulcedinis ſuæ repleuit. Silua verò eſt ſynagoga, ligna ſiluæ Iudæi ad nihil niſi ignibus apti. Dilectus inter filios, ſubaudis diaboli, eſt Chriſtus inter gentiles, & idololatras, & peccatores, obumbrans eos & reficiens. Aliter, malus eſt Chriſtus: ligna Apoſtoli, de quibus conſtructa eſt domus, ſcilicet Eccleſia: ſilua Eccleſia conſtans de diuerſis arboribus, id eſt, electis & ſanctis. Dilectus inter filios Dei, Chriſtus inter Prophetas & Apoſtolos, & martyres, qui ſunt filij Dei & cohæredes Chriſti. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Sub vmbra illius,*

A *quem deſiderabam, ſedi.* Similitudo eſt ab illo, qui onus in æſtu portat, & in vmbram arboris feſtinat. Genus humanum, quod per eſum ligni ſcientiæ boni & mali paradiſum perdiderat, graue onus peccatorum in æſtum vitiorum portabat, quod ſe deorſum in præcipitium tormentorum trahebat, & ideò ad arborem vitæ feſtinabat, refrigerium animarum quærebat. Vmbra enim ponitur pro refrigerio. Fit autem vmbra ex luce & corpore, & eſt itinerantium refrigerium ab æſtu, & protectio à tempeſtate. Arbor vitæ eſt ſancta crux, fructus Chriſtus, vmbra protectio vel refrigerium humani generis, conſtans ex luce diuinitatis & corpore humanitatis. De qua vmbra ſcribitur: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Sub hac vmbra quam diu deſiderabat Eccleſia ſedit, dum in fide crucis Chriſti quieuit. Hanc vmbram per Moyſen deſiderabat dicens: *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es.* Et per Dauid, *Domine inclina cælos tuos & deſcende.* Et per Iſaiam, *Vtinam diſrumperes cælos & deſcenderes.*

B Sicut ergo malus omnia ligna ſiluarum vmbra, fructu, odore præcellit: ſic Chriſtus omnes ſanctos vmbra protectionis, fructu doctrinæ, odore vitæ antecellit. Et ſicut hæc arbor itinerantes in æſtu vmbra, fructu, & odore ſibi attrahit; ſic Chriſtus ſua ſuauitate genus humanum per æſtum tentationum iter agens ſibi attrahit, quod ſuo corpore, vel doctrina reficit dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

De cuius fructu Eccleſia refecta iubilat dicens, *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Fructus huius arboris eſt Euangelica doctrina. Guttur verò Eccleſiæ eſt ordo magiſtrorum in Eccleſia. Gutturis quippe officium eſt cibos recipere, & vocem emittere: ita magiſtri in Eccleſia cibum ſpiritalis doctrinæ legendo recipiunt, & vocem alios docendo emittunt. Fructus ergo arboris vitæ eſt dulcis gutturi Eccleſiæ, dum magiſtri Eccleſiæ ſpiritalem doctrinam dulciter pro ſe hauriunt, & eam aliis ſuauiter effundunt.

Tropologicè autem dilectus eſt inter filios, ſicut malus C inter ligna ſiluarum, quando Chriſtus per dilectionem eſt inter clauſtrales filios Eccleſiæ, obumbrans eos à vitiis & corpore ſuo vel doctrina eos reficiens. Sub vmbra illius fidelis anima ſedet, dum æſtum ſæcularis vitæ declinans, in requie ſpiritualis vitæ refrigerari deſiderat; cuius fructus dulcis eſt gutturi illius, dum vel clauſtralis religio ei placet, vel corpus Domini in palato cordis ei ſapit, per quod ſe ſaluatam intelligit.

Anagogicè verò Eccleſia in cœlis regnans, Chriſtum Angelis imperantem conſiderans dicit: *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios*, quaſi dicat. Sicut Chriſtus patris & meus dilectus fuit in mundo ſuauis præ omnibus ſanctis, ſic eſt in cœlis ſuauitas inter omnes Angelos filius Dei. *Sub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi*, hoc eſt, requiem animarum quam ſemper deſiderabam, per eum inueni. *Et fructus eius dulcis gutturi meo*, hoc eſt, gaudium per crucem exquiſitum fert dulcedinem vitæ meæ, de qua dulcedine D iubilat dicens.

Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

Ad literam regina quæ ſub arbore comedit, in cellario bibit, & hoc foris puellis exultans retulit, dicens: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, vbi debriata & amore regis accenſa in languorem incidit, & ideo comitibus dicit, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Quibus verbis datur intelligi, quod virgas & flores de loco in quo conſederant tulerunt, quibus ſe languentem, vt baculis ſuſtentari ne cadat petit. Quam iam iamque caſuram rex amplectitur & conſolatur, & vt lætetur dicit: *Læua eius ſub capite meo, & dextera ipſius amplexabitur me.* Rex verò in lectum eam reclinat, & comites adiurat dicens, *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, quoúſque ipſa velit.*

Allegoricè autem Eccleſia, quæ de fructu ligni vitæ, E hoc eſt, de cruce corpus Chriſti comedit, in cella ſacræ ſcripturæ pocula ſapientiæ bibit. Vnde & læta canit, *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Superius dixit, Introduxit me rex in cellaria ſua: hic autem dicit, *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Sed ibi locuta eſt humana natura, ſponſa verbi; hic autem loquitur Eccleſia de gentibus ſponſa Chriſti: Humanam quippe naturam Dei verbum ſibi per oſculum coniunxit, dum humanam carnem aſſumpſit, vt ſcribitur: *Verbum caro factum eſt.* Hanc oleo ſui nominis in reginam vnxit, dum aſſumptum hominem Deum eſſe & Angelis imperare voluit. Hanc poſt ſe traxit, dum victor mortis cœlos aſcendens carnem noſtram ſecum tulit, vnde lætabunda canit, *Introduxit me rex in cellaria ſua*, ſcil. rex gloriæ introduxit me per humanam naturam in cœleſtia gaudia. Hic autem Eccleſia per crucem redempta, & per Apoſtolos in ſecreta Dei introducta dicit, *Introduxit me rex in cellam vinariam*, videlicet Chriſtus rex regum, quem omnes reges adorant, *introduxit* per fidem F in primitiuam Eccleſiam, quæ eſt cella vinaria, quia in ea diuerſa ſunt ſapientiæ pocula, & varia Spiritus ſancti chariſmata.

Eſt autem primitiua Eccleſia quæ ſub Chriſto & Apoſtolis de Iudæis eſt conuerſa, quando multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, & omnia habebant communia. Ad quam introducta eſt Eccleſia de gentibus, quando Cornelius & ſui, & Samaritani gentiles per baptiſmum & Spiritus ſancti donum adiuncti ſunt fidelibus. *In hac ordinauit caritatem*, quando in caritate vnanimes in diuerſos diſtribuit ordines, quoſdam faciens Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores, alios doctores. Aliter cella vinaria eſt ſacra ſcriptura, in hanc Chriſtus Eccleſiam introduxit, dum ei ſpiritualem intelligentiam dedit vt ſcribitur, *Aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas.* Caritatem in ea ordinauit, dum per ſcripturas tres gradus ordinauit caritatis, vt in primis Deum præ omnibus, deinde vt proximum, vt ſeipſum, ad vltimum etiam inimicum propter Deum diligat. Ordines G quoque in caritate facimus, dum poſt Deum parentes noſtros, deinde coniuges & filios, deinde fratres & cognatos, deinde domeſticos & conciues, ad extremum inimicos, ſcil. Iudæos & paganos diligimus. Hæc ſponſa egreſſa narrat iuuenculis ſe præſtolantibus, ſcil. Eccleſia perfecta aliis Eccleſiis ſiliabus ſuis, quibus dicit, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis.* Per flores accipiuntur pueri, & ſimplices in fide florentes, per malos, id eſt, arbores, intelliguntur iuuenes in operatione fructificantes, quaſi perfecta Eccleſia dicat imperfectis. Quandoquidem ego vino ſcripturæ ſum inebriata, & caritas per diuerſos gradus in me eſt ordinata, vos *fulcite me floribus*, hoc eſt, prædicatione veſtra ſupponite mihi pueros in fide floridos, & *ſtipate me malis*, id eſt, exemplis veſtris multiplicate in me iuuenes in bonis fructiferos, vt quod bibi eis propinem, & ordinem in eis caritatem. Similitudo eſt à domo iam ſenio collapſa, quæ fulcris ſuſtentatur ne cadat. Et eſt Eccleſia in ſenibus ho- H neſtis deſtituta, quæ pueris fide floridis, quodammodo fulcitur ne corruat.

Alia ſimilitudo eſt à ſtipitibus, quæ nouiter pullulantes matrem, id eſt, arborem cingunt: vel à militibus, qui Dominum ſuum armis ſtipant, ne hoſtilis impetus in eum fiat. Sic fideles matrem Eccleſiam quaſi in medio ſtantem bonis actibus ſtipant, dum alij eleemoſynis, alij lectionibus, alij orationibus inſudant, & armis ſcripturarum eam circumdant, ne hoſtis diabolus vel hæreticus impetum in eam faciat. Vos Eccleſiæ filiæ meæ *fulcite me floribus*, id eſt, bonis filiis, ne deficiam, ſed in veſtris operibus interim requieſcam, *quia amore langueo*, dilecti mei, quem adhuc videre non valeo, & amore ſupernæ patriæ, quam adhuc non habeo. Et propter hoc *læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Per læuam præſentis vitæ gloriam, per dexteram verò perennis vitæ gloriam ſeu beatitudinem deſignat, vt ſcribitur: *Longitudo dierum in*

A *dextra eius. & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* Caput Eccleſiæ eſt Chriſtus. Dicit ergo, *læua eius ſub capite meo*, hoc eſt, gloriam præſentis vitæ ſub capite meo, ſcilicet Chriſto amore pono, quem præ omnibus diuitiis diligo. *Et dextera illius amplexabitur me*, hoc eſt, æterna beatitudo recipiet me. Vel ordo iuſtorum qui à dextris Chriſti erit, diligit me. Aliter, *læua eius ſub capite meo*, id eſt, vetus lex, quia carnalia inſtituta deſpicio, *& dextera illius.* id eſt, Euangelium Chriſti, *amplexabitur me*, ad obediendum ſibi, *vel læua eius*, id eſt, actiua vita, eſt *ſub capite meo*, id eſt, Chriſto, in qua ei ſeruio, *& dextera illius*, id eſt, contemplatiua vita, amplexabitur me, in qua ei requieſcens placeo. Et ne me aliquis de hac quiete inquietet, interdicit ſponſus dicens, *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.*

Per capreas quæ alta petunt, & à longè venatorem proſpiciunt, Prophetæ deſignantur, qui in altam contemplationem ſubleuati Chriſtum & Eccleſiæ myſteria à
B longè proſpexerunt. Per ceruos qui ſpineta tranſiliunt, & venenum vincunt, Apoſtoli deſignantur, qui ſpinas peccatorum tranſilientes, ſpinas pœnarum paſſi, malitiam mundi vicerunt.

Campi ſunt duæ Eccleſiæ, vna ante aduentum Chriſti ſub Prophetis: altera poſt aduentum ſub Apoſtolis. In quibus campis varij flores ſunt, omnes fideles. Vel campi ſunt duo teſtamenta, in quibus ſunt flores, ſcilicet pulchræ ſententiæ. In vno campo capreæ, ſcilicet Prophetæ cucurrerunt, dum veteri populo Chriſtum futurum prænunciauerunt. In alio campo Apoſtoli quaſi cerui cucurrerunt, dum Chriſtiano populo Chriſtum innotuerunt. Filiæ Ieruſalem ſunt omnes Eccleſiæ Catholicæ: Eccleſiæ Ieruſalem dictæ, æternam pacem in cœlis viſuræ. Ieruſalem quippe dicitur viſio pacis, quibus à ſponſo dicitur. O vos Eccleſiæ *filiæ* cœleſtis Ieruſalem. Ego Deus veſter *adiuro vos*, hoc eſt, ſacramento Incarnationis meæ & veſtri baptiſmatis conſtringo vos, præcipiens vobis, *per capreas ceruóſque camporum*, id eſt,
C Prophetas & Apoſtolos doctores populorum, *ne* vi vel præmio *ſuſcitetis dilectam*, vel inquietetis eam dormientem à ſtrepitu mundi amore mei, *neque euigilare faciatis*, à ſomno contemplationis cogendo ad ſæcularia negotia, *quoadusque ipſa velit*, hoc eſt, donec ipſa ſua ſponte onus regiminis compatiendo proximis ſubire velit. Sunt plerique potentes, qui ſpiritales viros ad regimen lucri cauſa cogunt, vt nimirum de eis beneficia habeant. Hi vtique dilectam à ſomno quietis excitant, & hoc Chriſtus per Prophetas & Apoſtolos interdicit ne fiat. Cum autem ipſi ſpiritales expedire viderint, vt fratribus præſint, à quiete ſua ſponte ſurgunt. Et pondus regiminis licet inuiti ſuſcipiunt, & proximis oppreſſis ſubueniunt.

Moraliter autem ſponſus à ſponſa in cellam vinariam introducitur, dum quis Chriſto trahente clauſtrum ingreditur, in quo vinum quod lætificat cor hominis bibit, cùm de ſcripturis promiſſa lætitiæ hauriet. In hoc charitas ordinatur, dum in primis Deus, deinde prælatus, dein-
D de priores, deinde alij fratres pro meritis ab eo amantur. Hunc flores fulciunt, & mali, id eſt, arbores, vel mala, id eſt, fructus, vtrumque enim legi poteſt ſtipant cùm eum pueri & iuuenes in ſanctis ſtudiis circumdant. Hic amore languet, cùm non omnes fratres Chriſtum amare videt. Læua, hoc eſt, præſens vita eſt ſub capite, id eſt, ſub mente eius, & dextera, hoc eſt, æterna vita eum amplexatur, quia hanc ſolam ſectatur. Caput quippe animæ mens eſt: quia ſicut caput omnia membra regit, ita mens cogitationes diſponit. Aliter, læua ſunt virtutes in hac vita neceſſariæ, dextera verò incorruptibilitas in futura danda. Læua eſt ſub capite, dum virtutes ſunt ſub mente, & dextera eum amplexabitur, dum in futuro incorruptibilitas ei dabitur. Et quia hic talis capreæ ceruóque comparatur, ne quis eum ab hac quiete inquietet à Chriſto interminatur. Caprea habet quatuor naturas, alta petit, bonas herbas à malis eligit, ruminat, vulnera ſua per dyctamnum curat. Sic ſpiritualis homo ad alta virtutum
E conſcendit, bonas ſententias à malis ſecernit, prædicando ruminat ſpiritalem cibum quem legendo comedit, vulnera peccatorum per medicamentum pœnitentiæ curat.

Ceruus quoque habet quatuor naturas. Cùm inſulas longè petunt, gregatim mare tranſnatant, & vnuſquiſque caput alterius ſuper clunes portat, cum canibus inſequuntur, ſpineta tranſiliunt: ſeneſcentes ſerpentem de cauerna naribus trahunt ac comedunt. Ad fontem potando currunt. Cornua & pilos renouandi cauſa deponunt. Sic iuſti cùm ad patriam paradiſi per mare ſeculi properant, vnuſquiſque onus alterius portat, cùm eos mali perſequuntur. Temporalia bona quæ vt ſpineta ſunt impedimenta eis vitæ relinquunt. Serpentem de cauerna naribus extrahunt, quia diabolum vel peccatum de corde fratrum afflatu exhortationis auferunt. Pòſt ſumptum venenum ad fontem currunt, quia commiſſa peccata fonte lacrymarum diluunt. Cornua & pilos deponunt, quia diuitias quæ ſunt ſuperflua, reijciunt, & in virtuti-
F bus renouati iuueneſcunt.

Iuxta anagogen verò, id eſt, altiorem ſenſum Eccleſia in cœlis iam recepta dicit, *Introduxit me rex in cellam vinariam*, ſcilicet Chriſtus rex gloriæ introduxit me in ſupernam patriam, vbi ſitientes iuſtitiam inebriabuntur ab vbertate domus Domini, & torrente voluptatis ſuæ potabit eos.

Et notandum quod vbi introductio ponitur, ibi Chriſtus rex dicitur: quia Eccleſia quam introducit, eſt eius regnum, ſuper quam ipſe rex regnabit. In hac charitatem ordinabit, quia virgines in charitate viuentes in ſuas manſiones, viduas in ſuas, coniugatas in ſuas ordinabit. Hanc flores cingunt, mali ſtipant, dum electi in fide & operatione inuenti eam in gloria circumdant. Languet amore, quia ſatiando non ſatiatur dilecti ſui viſione. *Læua* ſponſi eſt ſub *eius capite*, id eſt, Eccleſia in hac vita relicta eſt ſub eius cuſtodia, *& dextera eius* eam *amplexabitur*, quia multitudo Angelorum de eius ſocietate lætatur: ibi filiæ Ieruſalem, hoc eſt, omnes fideles
G animæ, & *capreæ*, ſcilicet Prophetæ, vel alij ſancti, qui ad alta cœlorum per virtutes conſcenderunt, & *cerui*, videlicet Apoſtoli, vel alij electi, qui ſpineta peccatorum tranſilierunt, eius gloriæ congaudent.

Vox dilecti mei ſurge, propera amica mea. Hiſtoria. Sponſa dormiente, & nemine hanc excitare præſumente, ipſe ſponſus hanc excitat, & præcipit vt ſurgens puellas ſuas ad opera dirigat: quæ ad vocem ſponſi ſurgit, & comites ad excolendas vineas, & capiendas vulpeculas mittit.

Allegoria. Quaſi ſponſa dormit, quando Eccleſia poſt aſcenſionem Domini ſub Apoſtolis collecta, duodecim annis abſque prædicatione Ieroſolymis manſit. Hanc ſponſus excitauit, puellas in opus mittere monuit, quando Chriſtus Petro per diſcum de cœlo miſſum, in quo omnia animalia erant, omnibus gentibus prædicandum monuit. Sponſa verò comites ad vineas excolendas, & vulpes capiendas miſit, quando Eccleſia Apoſtolos, & eorum diſcipulos ad conuertendas gentes, & Iudaicas
H vel Propheticas hæreſes obſtruendas miſit.

Et nota quod miſit puellas, ſicut aliàs ſcribitur, quia ſapientia miſit ancillas inuitare populos ad menſam, quia nimirum CHRISTVS Dei ſapientia miſit ruſticanos & deſpectos homines inuitare populos ad æternæ vitæ conuiuium. Sponſa à ſponſo excitata, alloquitur adoleſcentulas, hæc vox quam audiui: *Surge, propera amica mea, eſt vox dilecti mei.* Igitur eſt ſurgendum, & ei ad opus quod me vocat obediendum. Dixit enim: *Ite docete omnes gentes.* Et alibi. *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus quod aſſumpſi eos*, ſcilicet prædicare gentibus.

Item vbi Macedo apparuit Paulo dicens, *Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos.* Quando enim amica paſtoris dormiuit, oues per deuia errabant, ſed bonus paſtor dilectam fecit euigilare, & diſperſum gregem ad viam per ſe collectum congregare, vt eſſet vnus paſtor, & vnum ouile.

A Et nota quod ſuperius adoleſcentulas adiurabat, ne ſponſam excitarent, quam ipſe nunc excitat; quia videlicet omnia tempora tempus habent, & oportet ſpirituales tempore pacis in contemplatione quieſcere: tempore verò perſecutionis vel hæreſis contra hoſtes Dei prædicando, dictando pugnare. Dicunt adoleſcentulæ. Num eum vidiſti cuius vocem audiſti? Et illa: Ecce impræſentiarum video, quia iſte olim promiſſus: *Veniet ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Similitudo eſt à ceruis, qui in montibus ſaliendo currunt. Vnde ſequitur.

Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. Montes qui ſuper plana terræ ad alta conſurgunt, ſunt Prophetæ, qui communem vitam hominum altitudine virtutum tranſcendunt. Colles autem ſunt Phariſæi, qui ſcientia legis eminebant in populo Dei. Sponſus ergo venit ſaliens in montibus, quia Chriſtus per quoſdam ſaltus venit in mundum, vt prædictum eſt in Prophetis. B De cœlo quippe ſaltum dedit in vterum virginis, de vtero in præſepium, de præſepio in crucem, de cruce in ſepulchrum, de ſepulchro in cœlum. Colles tranſiliuit, quando ſuperbos Phariſæos præteriit, & humiles Apoſtolos elegit.

Aliter. In montibus ſaliens venit, quia ſaltus ſuos per mentes, id eſt, per virtuoſos viros prædicari voluit. Colles tranſiliuit, dum adhuc imperfectus in prædicatione ceſſare voluit. Oportet enim vt prius diſcant & faciant, & poſtea doceant, vt de Domino ſcriptum eſt, *quia cœpit Ieſus facere & docere.* Aliter. Qui ſalit nunc ſurſum, nunc deorſum eſt, ita Chriſtus in diuinitate ſurſum, in humanitate fuit deorſum. Sol oriens in primis apparet in montibus, deinde in collibus. Montes fuerunt Apoſtoli. In his ſaliebat Chriſtus, cùm per nomen eius ſuſcitarent mortuos, & alia miracula & ſigna facerent. Per colles tranſiliuit, cùm ſequaces Apoſtolorum etiam ſigna facerent: *hic ſimilis eſt capreæ*, quia in ſimilitudine carnis peccati apparuit, dum de peccatoribus natus fuit. Sicut enim per oues iuſti, ita per capreas peccatores deC ſignantur. Vel ideo ſimilis capreæ dicitur, quia ſicut caprea velociter currit, & bonas herbas à noxiis eligit, ſic Chriſtus velociter obedientiam patris expleuit, bonos à malis in iudicio ſegregabit. Similis eſt etiam hinnulo ceruorum in varietate virtutum & miraculorum. Eſt enim hinnulus varij coloris; hic feruente ſole vmbroſum locum quærit, in quo ab æſtu requieſcat: ſic Chriſtus in caſtis mentibus requieſcit ab æſtu vitiorum. Per ceruos qui velociter currunt & ſaliunt, Prophetæ & Patriarchæ ſunt figurati, qui velociter in mandatis Domini ſine querela cucurrerunt, & de virtute in virtutem ſalierunt.

Hinnulus ceruorum eſt Chriſtus filius Patriarcharum & Prophetarum. Hinnulus dicitur ab innuo, abſcondit ſe enim à venatoribus cùm mater ei innuit. Chriſtus ſimilis eſt hinnulo ceruorum, quia filius Patriarcharum, vt Ioſeph eſt venditus, vt Iſaac à patre eſt immolatus. Et ſicut hinnulus velocius ceruis currit, ſic Chriſtus qui peccatum non fecit, omnes ſanctos agilitate præcurrit. D His ergo animalibus, quæ ſaltibus gaudent, Chriſtus comparatur; quia prædictis ſaltibus currens ſuper omnes iuſtos exaltatur. Dicunt adoleſcentulæ: Vbi nunc eſt ille: dicit ſponſa.

En ipſe poſt parietem reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Similitudo eſt ab illo, qui cubiculum amicæ intrare non valens, per feneſtram ei loquitur. Paries eſt murus, quæ domum à domo ſeparat, & ſignificat originale peccatum, vel mortalitatem, quæ de peccato venit, quod nos à Deo ſeparat. Quem murum cœpit Adam ædificare, & omnis poſteritas eius laborat eum conſummare. Hunc Iudæi multis peccatis ædificauerunt, & ideo Chriſtum lapidem angularem, pretioſum, electum, qui eos à peccatis prohibuit, reprobauerunt, in quem non credentes offenderunt & corruerunt. Sed hic lapis in montem magnum creuit, ſuper quem Syon ciuitas regis magni ædificari cœpit, quæ omnes in ſe credentes, in ſe ciues E recipit, quæ dicit, *In Deo meo tranſgrediar murum*, quia nullum fecit peccatum. Poſt hunc murum Chriſtus ſtetit, vt eum impelleret, quia mortalis eſt factus, vt originale peccatum deſtrueret.

Qui ſtat laborat, & Chriſtus in deſtructione huius muri intantum laborauit, quod etiam ſanguinem ſudauit. Feneſtræ quæ lumen in domum mittunt, ſunt Apoſtoli, qui lumen cognitionis Dei in Eccleſiam domum Dei fuderunt. Cancelli, id eſt, parua foramina in pariete per quæ ſol radios ſuos vibrat, ſunt Prophetæ, per quos ſol iuſtitiæ radios ſuæ notitiæ mundo immittebat. Cancelli etiam ſunt artus in anteriori parte domus. Vnde dicuntur cancellarij, videl. prolocutores regis, qui de cancellis edicta regis populo dicunt. Quod iterum erant Prophetæ, qui in anteriori parte domus, ſcil. in ſynagoga, quæ erat vmbra domus Eccleſiæ, mandata Dei populo nunciabant.

Cancelli quoque ſunt loca in choro, in quibus pſalF lentes ſunt ordinati, & muniunt omnes qui ſunt in diuerſis gradibus conſtituti. Sponſus ergo per feneſtram ſponſam reſpexit, dum Chriſtus per Apoſtolos lumen cognitionis ſuæ Eccleſiæ infudit. Per cancellos hanc reſpexit, dum per Prophetas vel reliquos Doctores ei radios ſuæ notitiæ immiſit. Per feneſtram proſpiciens partim videtur, partim non videtur, ſic Chriſtus in carne manens partim viſus eſt Deus in miraculis, partim non eſt viſus in infirmitate paſſionis: & quia poſt parietem ſtetit ſponſæ coniungi non potuit, & ideo per feneſtram oſcula & verba dedit: quia quamdiu mortalitas interpoſita, Eccleſiæ coniungi perfectè non potuit, tamen oſcula doctrinæ per feneſtram corporis præbuit. Deſtructo pariete ſponſæ copulatur, quia ablata mortalitate Eccleſiæ vt eſt, manifeſtabitur, quæ dicit: Dilectus meus quem diligo præ omnibus, qui ſaliendo ad me venit, & ſtans murum impegit, ipſe per feneſtras & cancellos reſpiciens me excitat & loquitur mihi dicens: *Surge, propera amica mea*, hoc eſt, qui ſecundùm ſcripturas in mundum venit, & mortem noſtram deſtruxit, ipſe mihi per Prophetas & Apoſtolos præcipit, vt hoc aliis prædicem diG cens: O primitiua Eccleſia, quæ diu ceſſaſti à prædicatione: *Surge* à quiete tua, id eſt, præpara te ad laborem, ad prædicandum gentibus, propera, quia tempus breue eſt. Et ſi hoc feceris, *eris amica mea*, faciens mihi amicos per fidem, qui ſunt inimici per infidelitatem. *Et eris columba mea*, ſeptiformi ſpiritu illuſtrata; vt columba ſeptem naturis decorata, faciens ſimplices. *Et eris formoſa mea*, deformes in vitiis faciens formoſos in virtutibus, & cum illis comitata ad me venies, ad remunerandum te.

Notandum quod hæc verba & ſequentia ſunt ſponſæ repræſentantis verba ſponſi. Opportunum habes tempus prædicandi. Iam enim *hyems*, id eſt, infidelitas tranſiit: *imber*: id eſt, perſecutio, *abiit & receſſit.* Hyems quæ gelu terram conſtringit ne fructificet, eſt infidelitas, quæ corda hominum frigore malitiæ conſtringit, ne fructum fidei afferant. Hæc hyems vſque ad Chriſtum durauit, ſed ipſo ſole iuſtitiæ oriente hyems tranH ſiit, & ver calore fidei ſancti Spiritus terram ſoluit, & virtutum flores produxit. Imber eſt pluuia in impetu veniens, & cito recedens: ſic perſecutio cum impetu venit, ſed Chriſto in ſuis vincente cito abiit. Porrò Apoſtolis prædicantibus, & eorum ſucceſſoribus non abiit, ſed maximè perſecutio creuit. Sed ideo præterito modo dicit, abiit, quia vt imber cito receſſit. Aliud eſt abire, aliud eſt recedere. Ille abit qui vult reuerti, ille recedit qui non vult reuerti. Sub regibus gentium perſecutio aliquando abiit, & iterum rediit. Tempore verò Conſtantini non reuerſura receſſit. Oportuit autem perſecutionem excitari, vt probati poſſent coronari. Imber quoque ſignificat tempeſtatem bellorum. Ante Chriſti aduentum maxima tempeſtas bellorum in toto orbe deſæuiit, vt nulli liceret de terra ſua in aliam migrare, quin haberetur pro exploratore: ſed poſtquam Chriſtus vera pax aduenit, imber bellorum receſſit. *Et tunc flores apparuerunt in terra noſtra,* ſcil.

A ſcil. homines in fide florentes apparuerunt in Iudæa, olim à tyranno diabolo poſſeſſa, ſed à me pro victoria crucis recepta, & ideò in noſtra terra nunc *Tempus putationis aduenit*, vt ſterilia ſarmenta præcidantur: quatenus flores vberius erumpant, qui fructum abundantem proferant, ſcil. vt vitia amputentur, & virtutes plantentur. Vox quoque turturis, id eſt, prædicatio Chriſti *audita eſt in terra noſtra*, ſcil. in Iudæa nunc per fidem noſtram, vel vox prædicatorum, qui ſuo cantu abſceſſum hyemis, & veris aduentum nunciant, qui pro cantu ſuo humilem gemitum reddunt, qui pudicitiæ amatores ſunt, qui conuerſationem hominum fugiunt, & ſemper in vagis montium vel in verticibus morantur, dum in mundo ſolo corpore poſiti, conuerſationem habent in cœlis, incolatus ſui & patriæ ſibi promiſſæ memores. Vel vox pœnitentium peccata ſua gementium *audita eſt*, ficus etiam protulit groſſos ſuos, videlicet ſynagoga, vt ficus folia, id eſt, vbera, non habens opera, & ideo à Domino maledicta abiecit carnales ſenſus legis. Groſſi quippe ſunt B immaturi fructus ficus, qui leui tactu concuſſi cadunt.

Vt enim vox turturis Chriſti in terra ſonuit, ficus ſynagoga concuſſa groſſos, id eſt, acerbos ſenſus legis abiecit, & dulces ficus, id eſt, Apoſtolos protulit, qui dulcem cibum allegoricè credentibus miniſtrarent. Et quia ficus ſynagoga Apoſtolos protulit, ideo *vinea florentes odorem dederunt*, ſcilicet Eccleſiæ de Iudæis conuerſæ in fide florentes, famam bonæ operationis dederunt. Flos vitis expreſſus conficit poculi genus, quod ſaluti & voluptati eſt ad comedendum. Flos vitis eſt fides Chriſti, poculum inde confectum eſt Euangelium ſanctum, quod confert æternam ſalutem & vitæ voluptatem.

Nota quod ſponſa quæ ad colendum vineam mittitur, tribus nominibus appellatur, ſcilicet, amica, columba, formoſa, quia nimirum cultura vineæ, quod eſt prædicatio, his ſolis committitur, in quibus recta fides, & pura dilectio, & ſimplex operatio inuenitur, quatenus faciendo quæ docent, ſint Dei amici non lucri cauſa operantes, ſint columbini, in dilectione ſint formoſi. Hæc C ſeptem à Spiritu ſancto proponuntur, quia vinea Chriſti, per ſeptem dona Spiritus ſancti ſeptem modis excolitur, dum per prædicationem hyems infidelitatis ſoluitur, & imber bellorum ſedatur, & flores initia bonorum producuntur, ſarmenta vitiorum amputantur, vox turturis, id eſt, ſimplicis prædicationis, in culta terra, ſcilicet, in corde iam credulo libenter auditur. Ficus profert fructum, ſcilicet, quiſque fidelis bonum opus, & ſic vineæ excultæ, ſcilicet Eccleſiæ in fide floridæ dant odorem virtutum.

Iam mittitur filia Pharaonis pro filia Babylonis, & cum ea regis legati mittuntur pro regina auſtri, cui à ſponſo dicitur, *Surge amica mea*, ſuperius dixit, ſurge; & iterum repetit ſurge, quia duobus modis ſurgimus; cùm aut ad operandum, aut ad docendum mentem erigimus. Dicitur ergo, *ſurge*, id eſt, ad benè operandum, & ad exemplum præbendum mente erigere. Iterum dicitur, *ſurge*, id eſt, ad docendum alios mente erigere.

D Surgere enim eſt ſurſum ſe erigere. Ille ſurgit qui facit & docet bonum quod didicit, *O amica mea*, cui nota feci omnia patris ſecreta. *ſurge*, & adduc filiam regis Babylonis mihi, vt & ipſa fiat amica mea. Tu olim habitans cum habitantibus Cedar fuſca, nunc per mea dona ſpecioſa, doce eam eſſe in virtutibus ſpecioſam, nunc in vitiis fœdam, & cum illa caritate ornata, *veni* ad nuptias, *tu columba mea*, per me ſeptem donis Spiritus ſancti repleta, doce eam ſimplicitatem, vt ſeptiformem ſpiritum percipiat, nidificans in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ, hoc eſt, ſpem ſalutis ponens in vulneribus Chriſti, & in promiſſis ſacræ ſcripturæ.

Petra quippe eſt Chriſtus, ſuper quam petram ædificatur Eccleſia domus Domini. De hac petra fluxit aqua, quæ filios Iſraël ſatiauit, quia de Chriſti latere ſanguis & aqua manabat, quæ hanc columbam redemit & lauit. Huius petræ foramina ſunt Chriſti vulnera, quæ ſunt colũbæ, id eſt, Eccleſię ab accipitribus, id eſt, à dęmonib⁹ munimina.

E Maceria eſt Chriſti latus, cauerna lateris eſt vulnus, quod lancea militis fecit. In quo hæc columba nidum poſuit ſpei. Vel maceria eſt murus circa vineas abſque cæmento factus. Et intelligitur Scriptura, quæ cingit Eccleſias abſque hæreſi compacta. Sicut enim cæmentum eſt ligamen lapidis: ita hæreſis ligamen eſt animarum.

Cauernæ huius maceriæ ſunt profundæ ſcripturæ ſententiæ, in quibus ſe à vitiis abſcondunt hæ columbæ.

Et notandum quod tribus nominibus attollit quos ad prædicationem mittit, quia ordo doctorum debet ſecreta Domini, vt amicus ſcire quæ doceat; & munditia ſpecioſus, vt vita eius auditoribus ſplendeat, & ſeptem prædictis virtutibus vt columba ſeptem naturis fulgeat. Cui dicitur.

Oſtende mihi faciem tuam. Per faciem homo cognoſcitur, facies ergo Eccleſiæ eſt bona operatio, per quam cognoſcitur, hanc faciem oſtendit, dum quod occultè operatur in publico alios operari docet. Domino facies F oſtenditur, dum cauſa Dei bonum opus ad exemplum proximis profertur: *Sonet vox tua in auribus meis*, ſcilicet quod in die deſponſationis tuæ in baptiſmate mihi te ſeruare promiſiſti, hoc alios ſeruare doce: *vox enim tua dulcis*, ſubaudis erit auditoribus, ſi ita viuis vt doces, *& facies tua decora*, id eſt, operatio tua erit mihi placita. Decorus dicitur quaſi decor oris. Decorum quippe eſt dicere & facere, vnde delectatur Deus. Adhuc repræſentat ſponſa verba dilecti. Superiora dixit ad ſponſam, nunc conuertit ſe ad adoleſcentulas, dicens.

Capite nobis vulpeculas paruulas quæ demoliuntur vineam, Nam vinea noſtra floruit.

Quaſi dicat, vinea noſtra floruit, quam amica mea magno labore excoluit, ſed ecce vulpes irrumpunt, & fructum eius capiunt, quas vos adoleſcentulæ capite & de vinea expellite. Vulpes ſe in foueis abdunt, & nunquam recto itinere incedunt. Vulpes etiam cùm eſurit, aperto ore ſe mortuam fingit, & ita aues decipit & deuorat.

G Per has notantur hæretici, qui in occultis diſputant, nunquam rectum iter fidei ſeruant, Catholicos & humiles ſe ſimulant, vt ſimplices decipiant. Hos prædicatores capiunt, cùm eos ratione & authoritate vincunt & redarguunt. Hi ideo paruuli dicuntur, quia ſe humiles fingunt. Vel ideo paruuli dicuntur, quia vt paruuli à magnis, ita ipſi à Catholicis ſuperati deficiunt. Vineas autem demoliuntur, id eſt, ſuffodiunt, dum Eccleſias per hæreſes & ſchiſmata ſcindunt. Sed vna vinea, ſcil. Eccleſia Catholica, in recta fide floret, fructum operationis vbique profert. Quæ lætabunda dicit.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Dilectus meus mihi hæc locutus eſt, *& ego illi*, ſubaudis obediam, *qui paſcitur inter lilia*, hoc eſt, delectatur in operibus eorum qui ſunt candidi in virtutibus, qui ſunt decus aliorum, vt lilium ſpinarum. Et tamdiu in his paſcitur, & tam diu obediam illi alios docendo, *donec aſpiret dies*, id eſt, donec ſcientia æternæ claritatis adueniat, vbi omnes verum lumen videant, *& donec* H *inclinentur vmbra*, id eſt, donec ignorantia præſentis vitæ pertranſeat.

Dies eſt præſentia ſolis, nox verò eſt vmbra terræ. Cùm Sol ſurgit, dies cum ſuaui ſpiramine venit, tunc vmbra terræ, quod eſt nox ſub terram inclinata euaneſcit. Ita cùm ſol iuſtitiæ Chriſtus illuxerit, & dies æternitatis cum refrigerio iuſtorum aſpirauerit, ignorantia & perſecutio huius vitæ & vmbra euaneſcet.

Similitudo eſt ab illo, qui nimio æſtu fatigatus vento, & dulci aura recreatur. Sic Eccleſia æſtu tribulationum fatigata, Chriſto adueniente recreatur. Filia Pharaonis pro filia Babylonis miſſa ſponſum orat, vt eius auxilio illam adducat, dicens, *O mi dilecte reuertere*, ad filiam Babylonis per gratiam, à qua receſſiſti per idololatriam, *ſimilis eſto*, in ea capreæ quæ alta petit, & ſalubres herbas à noxiis eligit, vt ſaluandos à maſſa perditionis ſecernas, & eos alta cœlorum petere facias. Aut ſimilis eſto in ea hinnulo ceruorum, qui velociter currit & vmbroſum

A locum quæris, vt facias eam velociter ad fidem, & ad baptiſmum currere, & de æſtu vitiorum opaca virtutum quærere, tu exiſtens ſuper prædicatores, dando eis verbum tuum loqui cum fiducia, qui ſunt per contemplationem montes in domo Dei, quod eſt Eccleſia, ſicut hæc animalia propter paſcua habitant ſuper montes Bethel.

Bethel dicitur domus conſurgens, vel domus vigiliarum, vel domus Dei. Et eſt Eccleſia quæ ad cœleſtia conſurgit, in qua ſunt vigiliæ laudis contra dæmones, & vitia, in qua habitat Deus per fidem: huius montes ſunt doctores alti in virtutibus, ſuper quos eſt Chriſtus, caprea, & hinnulus ceruorum; cùm per eos bonos à malis eligit, & eos per exempla ſanctorum currere facit. Capreæ & hinnuli in montibus Bethel habitant, quando quique fideles per doctrinam ſanctorum ad alta cœlorum feſtinant.

Tropologicè dilectus ſponſam à ſomno excitat, cùm B Chriſtus interna inſpiratione ſpiritualem virum à clauſtrali quiete ad regimen Eccleſiæ vocat. Hic in montibus ſaltat, cùm eum de virtute in virtutem per exempla patrum ducit. *Ipſe erit ſimilis capreæ hinnuloque ceruorum* cùm bonas ſententias eligit, *alta* virtutum ad brauium vitæ exemplo ſanctorum petit, *ſtans parietem* impellit, cùm conſilium malignantium ſapienter ſubuertit. Per cancellos & feneſtras reſpicit, dum Apoſtolicas & Propheticas ſcripturas diligenter intendit.

Dilectus ei per cancellos & feneſtras *loquitur vt ſurgat*, cùm Chriſtus per Prophetas & Apoſtolos eum docet, vt proximos ad bene viuendum moneat.

Ipſe verò ſurgit, dum ei ad omnia obedit. Properat cùm opportune importune prædicat, & ſic *amicus Dei fit*, cùm alios amicos Dei facit: *columba eſt*, cum ſimpliciter viuit: *formoſus*, cum alios ad bona informat: *venit*, cùm iuſſa Dei implet; *hinc hyems tranſit*, cùm aſpera conuerſatio commiſſæ plebis in malitia indurata ca- C lore diuini amoris ſoluta, in ver ſanctæ conuerſationis tranſibit; *imber recedit*, cùm tentatio perſequentium ſe ceſſabit. Cùm enim prauos à prauitate prohibet, mox perſecutionem ab eis ſuſtinet, quia *omnes qui volunt piè viuere in* Chriſto Ieſu *perſecutionem patientur*. Imbre abeunte *flores apparebunt*, quia ceſſante perſecutione malorum, initia bonorum erumpunt. Ipſe ſarmenta amputat: dum rebelles de Eccleſia ſegregat. *Vox turturis in terra auditur*, cùm pœnitentes ad Eccleſiam per lamenta conuertuntur. *Ficus profert groſſos*, dum bona arbor, ſcilicet bonus homo profert bonum opus. *Vineæ florentes dant odorem*, quando Eccleſiæ vel clauſtra ſub eo emittunt bonorum operum opinionem. *Ipſe ſurgit*, cùm hæreticis reſiſtit. *Amicus Dei efficitur*, cùm inimicos Dei perſequitur. *Speciοſus eſt*, cùm errantes ad ſpeciem Dei reducit. *Venit*, cùm negligentes ad nuptias agni venire facit. *Columba eſt*, quæ alienos pullos nutrit, cùm filios perditionis, filios gehennæ, filios iræ, facit filios regni, D & filios Dei. *In foraminibus petræ nidificat*, cùm eos in vulneribus Chriſti confidere imperat. *In cauerna maceriæ habitat*, cùm in doctrina ſacræ Scripturæ eos ſperare clamitat. *Faciem ſuam Deo oſtendit*, dum per bonum quod agit, Dei retributionem intendit. Quem enim conſcientia accuſat, abſcondit faciem, & loqui verecundatur. *Ille faciem oſtendit*, qui opere complet, quod verbo docet. *Vox eius in auribus Dei ſonat*, quando viuit & prædicat. *Vulpeculas capit*, dum falſos fratres ad regulam iuſtitiæ corrigit, aut incorrigibiles de cœtu fratrum repellit, *ne vineas ſuffodiant*, id eſt, ne congregationes iuſtorum ſimulatione ſubuertant. *Dilectus placet illi*, in promiſſis, & ipſe placet illi, in obediendo eius præceptis. *Paſcitur inter lilia*, quia reficitur ſanctorum vita in virtutibus candida. *Donec aſpiret dies*, hoc eſt, donec lux veritatis omnibus appareat, *& vmbræ tranſeat*, ſicut enim vmbra fuit ſynagoga, & quidquid ille populus egit, vmbra fuit illius rei, quam nunc agimus; ita ſacramenta Eccleſiæ & feſtiuitates ſunt vmbra futuræ gloriæ. Sic etiam omnia mala præſentis vitæ, ſunt vmbræ malorum futuræ vitæ. Cùm ergo lux æternæ gloriæ illuxe- E rit, tunc vmbra ſacramentorum euaneſcit, & tribulatio præſens recedit. *Dilectus ad hunc reuertitur*, cum expulſis hypocritis numerus perfectorum augetur. *Huic erit dilectus caprea*, cùm per eum bonos à malis ſecernit. *Hinnulus erit*, cùm quoſlibet ad conuerſionem currere facit. *Et hoc ſuper montes Bethel*, id eſt, hoc facit per prælatos domus Dei.

Anagogicè, *dilectus ſponſam à ſomno excitat*, cùm Chriſtus peregrinantem Eccleſiam ad cœleſtia vocat. Hunc videt in montibus & in collibus ſalientem, quando cernit eum ſuper ordines Angelorum & ſanctorum in dextera patris regnantem. *Similem capreæ videt & hinnulo ceruorum*, quia de Patriarchis natum conſpiciet iudicem viuorum & mortuorum. *Poſt parietem noſtrum ſtat reſpiciens per feneſtras & cancellos*, quia carnem ſumptam ex nobis mortalem, monſtrabit ei in gloria patris immortalem, vt per Prophetas & Apoſtolos promiſerat. *Ipſa ſurgit*, quia vocanti occurrit ad gaudia: *properat*, F vbi amica ſecreta cœleſtia videt; vbi erit *columba* ſeptiformi ſpiritu plena: *formoſa*, quia ſine macula. Ibi *hyems* totius aduerſitatis *tranſit*, *imber*, id eſt, torpor & tænitia præſentis vitæ *abſcedit*, quia cùm de corpore educitur ad contemplandum Deum, in ſubſtantia ſua ducitur.

Non iam verborum guttæ ſunt neceſſariæ, vt pluuia prædicationis debeat infundi, quia quod hic minus audire potuit, amplius videbit; nec tentatio neceſſaria, qua aliquis debeat probari. *Tunc flores apparent in terra*, quia quando de æternæ beatitudinis vita quædam ſuauitatis primordia prægustare anima cœperit, quaſi iam in floribus odoratur exiens, quod poſtquam egreſſa fuerit, in fructu vberius habebit. *Tunc tempus putationis aduenit*, quia omni vitio amputato, morte & pœna carebit.

Mox ab ea, *vox turturis* Chriſti, in terra viuentium G *audietur: Intra in gaudium Domini tui.* Et, *ficus profert groſſos ſuos*, cùm laboris ſui recipiet fructus, æternæ vitæ præmium. *Vineæ florentes dant odorem ſuum*, quia Eccleſiæ quæ hic in virtutibus floruerunt, ibi odorem ſuauitatis emittentes, æternam præbent voluptatem. *His amicis ſociabitur amica* in gloria: *ſpecioſa* in amplexu Spiritus ſancti, *columba*, *in foramine petræ*, id eſt in ſecretis Chriſti, *& in cauerna maceriæ*, hoc eſt, in cubilibus ciuitatis ſupernæ. *Ibi oſtendit ei Chriſtus faciem ſuam*, quando in maieſtate ſua videbit eum facie ad faciem. *Vox eius ſonabit in auribus eius*, quando audiet eum dicentem: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Quæ vox eſt dulcis, & facies decora, in quam deſiderant Angeli proſpicere. *Vulpeculæ capiuntur*, quæ vineas demoliuntur, quia per Angelos omnia ſcandala colligentur, & in caminum ignis mittentur. Poſtea ſemper *vinea florebit*, quia Eccleſia cum Chriſto in æternum gaudebit. *Dilectus illi coniungitur*, & ipſa illi, *qui paſcitur inter lilia*, quia regnat inter agmina ſanctorum, in H virtutibus candida. Vel nunc *inter lilia paſcitur*, quia in prouectibus ſanctorum vſque in finem ſæculi reficitur. *Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.*

Silueſtria animalia, vnde ſimilitudo eſt, paſcuntur per totam noctem: ſuperueniente aurora quærunt ſibi tuta loca: ita Chriſtus, dum conſtat mundus, qui eſt nox, per illam noctem paſcitur, de ſanctorum virtutibus, cum aſpirat dies æternitatis, & ortus fuerit ſol iuſtitiæ Chriſtus, poſtea non laborabit in fidelibus, ſed Deus erit omnia in omnibus. Tunc de iudicio reuerſus, *ſimilis erit capreæ*, quæ bonas herbas eligit, & alta petit, quia bonis ad ſe electis, in alta gloria patris regnabit. *Et erit ſimilis hinnulo*, qui in vmbroſo loco requieſcit, quia in refrigerio ſanctorum ipſe refrigerium eorum requieſcet: *ſuper montes Bethel*, videlicet ſuper omnes ordines angelorum cœleſtis Ieruſalem, quæ eſt domus Dei.

A

SECVNDVS TRACTATVS.

PRæcedens tractatus erat de filia Pharaonis, ſequens erit de filia Babylonis. Iam legati regis pro regina Auſtri miſſi veniunt, ſponſam in camelis cum magno comitatu adducunt: quam filia Pharaonis de vinea cum ſuis comitibus egreſſa, cum magno tripudio excepit, cum magno comitum plauſu in templum Regis duxit. Hancque Rex regali munificentia dotatam, ad conuiuium præparatum introduxit, ſcilicet Apoſtoli pro Eccleſia gentium miſſi, hanc ſignis & prædicationibus ad fidem Chriſti conuertunt. Quam multitudo fidelium, de Iudæa gratias agendo ſibi aſſociauit. In templum Domini, id eſt, in primitiuam Eccleſiam verbo & exemplo deduxit; hancque rex gloriæ Chriſtus multis donis ſapientiæ & ſcientiæ ditatam, ad conuiuium corporis ſui, B vel ſacræ ſcripturæ vocauit. Legitur namque, quod Paulus, & Barnabas, & alij ad gentes ad prædicandum miſſi, ad Ieruſalem reuerſi, fratribus retulerunt, quanta Deus per eos in gentibus fecerit, & quanta auiditate gentes fidem receperint, & quomodo Eccleſia in Iudæa conſtituta de eorum conuerſione exultauerit. Filia ergo Babylonis olim in idololatria miſera, ſcilicet gentilitas filia confuſionis, nunc Auſtri regina, quia ad verum regem Chriſtum conuerſa loquitur filiæ Pharaonis, videlicet Eccleſiæ de Iudæis, narrans ei miſerias, quas paſſa eſt à priori vita dicens.

CAPVT III.

IN lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea. Similitudo eſt ab illa, quæ in nocte amicum anxia quærit, de non inuento dolet, & tam diu quærens circuit, donec inueniat, & læta ei adhæreat. Lectulus eſt infidelitas, in qua requieuit ſecura gentilitas. Nox verò C intelligitur ſæcularis prophetia, perplexis ſententiis obſcura. Dicit ergo, *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea*, quaſi dicat, Ego plenitudo gentium in infidelitate mea quaſi in lecto ægra poſita, *per noctem*, ſcilicet obſcuros libros philoſophorum *quæſiui* legendo, & interrogando notitiam eius, quem nunc cognitum verè *diligit anima mea*, hoc eſt, præ vita mea diligo eum, qui prior dilexit me; & nunc per fidem aſſumpſit me: *quæſiui illum* multotiens in ſcripturis gentilium, & non inueni æqualem patri natum de virgine pro humano genere. Multi quippe gentilium multum inquiſierunt viam ſalutis, per quam venirent ad ſummum bonum, vbi eſſet vera beatitudo, & non inuenerunt: quia in Chriſtum qui eſt via, veritas & vita, non crediderunt, & cùm apud illos veritatem non inuenirem, dixi.

Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.

Surgam de lecto infidelitatis, *& circuibo*, id eſt, per- D ſcrutabor Eccleſiam, *ciuitatem* Dei, & ciues illius interrogabo, *& per vicos*, id eſt, per exempla martyrum, & per plateas, id eſt, per doctrinas confeſſorum, *quæram quem diligit anima mea*, id eſt, naturalis ratio. Ciuitas dicitur quaſi ciuium vnitas, & intelligitur Eccleſia. In qua habitantes debent habere in dilectione cor vnum & animam vnam. Vicus eſt ſtricta via, & deſignantur hi qui per arctam viam pergunt ad gaudia. Arcta via eſt ieiunare, vigilare, corpus caſtigare, à mulieribus abſtinere, inimicos diligere.

Platea eſt lata via, & notantur hi qui per latam & ſpacioſam viam tendunt ad cœleſtia, vt licitè coniugati, & negotiis ſæcularibus pro neceſſitate occupati, & tamen eleemoſynis intenti.

Dubium dogma philoſophorum deſeram, & ad certam Chriſtianorum doctrinam me conuertam. Et ab his qui ſunt in contemplatiua vita, & ab his qui ſunt in actiua vita diſcam quid potiſſimum ei placeat, quem præ omnibus diligit anima mea, id eſt, naturalis ratio. Nam diu quæſiui illum prius in ſcholis ſæcularium, *& non inueni* apud illos certam viam veritatis. Tandem me ita diligenter verum inueſtigantem, & beatam vitam E deſiderantem *inuenerunt me vigiles*, ſcil. prædicatores Apoſtoli ad docendum parati, ſicut Cornelium Petrus, Eunuchum Philippus, Dionyſium Paulus, qui verbo & exemplo ſollicitè *cuſtodiunt ciuitatem*, videlicet Eccleſiam, ne hoſtes dæmones, vel hæretici clanculo irrumpant, & aliquem de ciuibus incautum in anima perimant. Quos interrogaui dicens.

Num quem diligit anima mea vidiſtis. Quaſi dicat legatis Regis pro ſe miſſis. Apud philoſophos ciues meos quæſiui, & non inueni; vos autem ſaluatorem mundi annunciatis mihi, quem cum hominibus conuerſatum vidiſtis. Num etiam oculis cordis gloriam maieſtatis eius vidiſtis? Dicunt ipſi *paululum*. Nam vidimus eum cæcos illuminantem, mortuos ſuſcitantem, & in monte gloria deitatis vt ſol radiantem. *Ego autem dum pertranſiſſem eos*, hoc eſt, cùm per doctrinam eorum de terrenis mente tranſiſſem ad cœleſtia, *inueni* in F æqualitate patris ſponſum meum, verbum per quod facta ſunt omnia, *quem diligit anima mea*, quia ipſe dilectio & vita eſt. *Tenui eum*, inuentum in fide, *nec dimittam* eum operatione, pro aliqua tribulatione, *donec introducam illum*, mea prædicatione *in domum matris meæ*, id eſt, in nationem gentium: *& in cubiculum genitricis meæ*, hoc eſt, in patriam gentilium, vt omnes credant in illum. Vel mater eſt ſynagoga, quæ Eccleſiam gentium per fidem genuit, cuius domus eſt Iudæa, in qua in fine mundi ſub Antichriſto colligetur ſynagoga. In huius matris domum introducit Eccleſia per fidem dilectum, vt omnis Iſraël ſaluus fiat. *Conuertentur* enim *ad veſperam*, hoc eſt in fine mundi, *& famem* verbi Dei *patientur vt canes*, & circuibunt ciuitatem, id eſt, Eccleſiam, vt audiant à Chriſtianis verbum ſalutis. Genitrix eſt nutrix, & intelligitur lex, quæ ſuo lacte nutrit filios Eccleſiæ, cuius cubiculum eſt Ieruſalem vel corda fidelium. In cubiculum genitricis dilectus ducitur, G quando Chriſtus per legem in Ieruſalem prædicatur, & in corde verus Deus creditur. Poſtquam rex reginam Auſtri in domum filiæ Pharaonis ad conuiuium introduxit, eam etiam in cubiculo eius, vtputà de itinere laſſam requieſcere fecit, & ne quis hanc inquietet, interdicit dicens.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec, ipſa velit.

Hoc ita intelligitur de Eccleſia gentium, vt prius de Eccleſia Iudæorum. Eccleſiam quippe de gentibus per Apoſtolos adductam, Chriſtus rex gloriæ in domum filiæ Pharaonis, id eſt, in fidem primitiuæ Eccleſiæ introduxit, & in cubiculo eius, ſcilicet in contemplatiua vita à tumultu ſeculi requieſcere docuit, & ne quis hanc lucri cauſa ad ſeculare negotium ab hac quiete inquietet, per Prophetica & Apoſtolica ſcripta prohibet. Ecce bonus paſtor erroneum gregem ad ouile ſuum adduxit, H & ſub vno paſtore vnum ouile fecit. Ideo autem verſiculus, *Adiuro vos filiæ Ieruſalem*, in cantico amoris repetitur, vt non minorem ſe Dominus Eccleſiæ de gentibus, quàm de Iudæis collectam curam habere; ſed æqualem pro vtriuſque pace ſollicitudinem gerere deſignet. Non enim minus hæc regina Auſtri capitur amore ſponſi, quàm prima amica de Iudæis.

Eccleſia dormit cum quiete contemplationi vacat, *Tunc* verò *euigilat*, cum aliis verbo & exemplo vitam æternam prædicat, vt lux eius coram hominibus luceat, vt videntes opera eius glorificent patrem in cœlis. Anima verò fidelis *dormit*, cùm ſe à carnalibus deſideriis alienat. Tunc autem euigilat, cùm bonis operibus ad viſionem conditoris properat. Eccleſia autem peregrinans dormit, cùm mortuo corpore in ſepulchris quieſcit, vt ſcribitur, *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Tunc verò *euigilat*, cùm in die iudicij reſurget, & regnum ſibi ab initio paratum percipiet: iuxta moralem ſenſum, lectulus eſt carnalis voluptas. In qua requieſcit, qui in deliciis ſeculi viuit. Nox verò eſt mors, dicente Domino: *Venit nox, cum nemo poteſt*

A

operari. In lecto ergo per noctem Deum quærit, qui carnaliter viuens, imminente morte, inducias vitæ à Domino petit. Sed quod quærit non inuenit, quia non ideo inducias petit, vt Domino pro peccatis ſuis ſatisfaciat, ſed vt diutius conſuetis deliciis affluat; huic neceſſe eſt, vt de lecto carnalis vitæ *ſurgat*, ciuitatem, id eſt, ſacram ſcripturam tota intentione *circueat per vicos & plateas*, id eſt, per ſpiritales & ſeculares ſalutem animæ quærat. Quam ideo *non inuenit*, quia prioris vitæ maculas pœnitendo non diluit. Sed hunc *vigiles inueniunt, qui ciuitatem cuſtodiunt*, quia docti viri qui ſcripturis inuigilant, hunc ad pœnitentiam & ſatisfactionem informant.

Hoc de ſalute animæ interrogat, & cum eos pertranſierit, id eſt, cum per doctrinam eorum veram pœnitentiam egerit, ſalutem quam quærebat inuenit. Hanc ergo inuentam oportet vt *teneat* bona operatione, *nec dimittat* vlla tentatione, *donec* Chriſtum dilectum *introducat*

B

in domum matris ſuæ, id eſt, in animam quæ eſt domus gratiæ, quæ genuit eum Deo, *& in cubiculum genitricis ſuæ*, id eſt, in cor, quod eſt cubiculum ſapientiæ nutricis ſuæ. Aliter lectulus eſt ſecretum ſpiritualis vitæ, nox vero perturbatio mundi: in hoc lecto cum fidelis anima in ſancta conuerſatione viuens, & perturbationem à fratribus ſuis patiens, illum ſolum legendo & orando quærit *quem diligit*, in quo pacem & requiem habere poſſit. Sed quem quærit hic *non inuenit*, quia quamdiu in mundo viuit peregrinatur à Domino, qui eſt pax & requies & beatitudo. *Surgit ergo & circuit ciuitatem*, quia ſe tota virtute erigit ad perſcrutandam ſacram ſcripturam: per *vicos & plateas dilectum quærit*, quia vitas ſpiritualium & ſecularium in contemplatiua vita & actiua viuentium percurrit. Si quid imitandum *inueniat*, per quod dilecto placens ad illum pertingat: ſed hic non inuenit, quia quandiu eius viſione non fruitur non quieſcit.

C

Hanc vigiles ciuitatis inueniunt, quia expoſitores ſacræ ſcripturæ in doctrina peruigiles talem animam quærunt, quam ſuo dogmate ad Chriſtum perducant. *Hos interrogans paululum pertranſit*, & dilectam *inuenit*, quia ſcripta eorum perlegens cito Deum vero intuitu inuenit quem quæſiuit. Per eos *tranſit*, quia in ipſis videt formam eius quem quærit, & tamen tranſit, quia Deum qui vltra eſt incipit imitari & intueri: *hunc tenet* dilectione, *nec dimittit*, vlla perturbatione: *donec* exemplis *introducat illum* in clauſtrum, domum congregationis matris ſuæ, quæ illum per exhortationem genuit, & in cubiculum genitricis ſuæ, id eſt, intellectum ſacræ ſcripturæ, quæ eum nutriuit lacte ſcientiæ; vt & alij eum intelligant Deum.

Iuxta altiorem vero intellectum, *lectulus eſt corpus* in quo anima quaſi ægra recubat, *nox vero* hic mundus tenebris ignorantiæ obſitus. Eccleſia hic peregrinans *in lecto dilectum* per noctem *quærit*, dum in corpore, quod aggrauat animam poſita, & tenebris ignorantiæ obſita,

D

æternum lumen Chriſtum videre appetit. Quem *dum inuenit ſurgit, ciuitatem circuit, per vicos & plateas, quem diligit, quærit.* Quia cuncta terrena eius amore ſpernit: ad cœleſtia ſcrutanda ſe erigit: ordines Angelorum & ſanctorum mente luſtrat, ſi forte per eos veram lucem aſpiciat: *hanc cuſtodes ciuitatis inueniunt.* Quia angeli qui ſemper vident faciem patris ei *occurrunt* & per contemplationem dilecti gloriam oſtendunt: hos cum *paululum pertranſit dilectum* inuenit, quia cum choros angelorum mente tranſcenderit, Chriſtum in dextera patris regnantem videbit: Hunc tenet contemplando, nec *dimittet vltra* terrena ſectando; *donec ipſe introducat* eam in cæleſtem Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra & domus angelicæ multitudinis, & in *cubiculum genitricis ſuæ*, id eſt, in paradiſum exultationis, *qui eſt cubiculum* Eccleſiæ *nutricis ſuæ.*

De paradiſo voluptatis expulſus eſt homo peccans cum ſuis ſequacibus: In paradiſum exultationis receptus eſt latro pœnitens cum ſuis ſequacibus. Regina auſtri à *quiete euigilans*, ab ipſo rege excitata, de cubiculo *procedit* gemmis ornata, quam filiæ Ieruſalem cum cantu: *Quæ eſt iſta*, excipiunt, & ad lectum Salomonis honorificè deducunt, ibi fortiſſimi ex Iſraël armati occurrunt, & eam *in ferculum Salomonis*, id eſt in domum conuiuij cum magno apparatu *introducunt*, ſcilicet Eccleſia

E

gentium ab Apoſtolis, in ſpeculatiua vita informata, & à Chriſto multis donis Spiritus ſancti decorata à ſecreto intimæ contemplationis ſponſi inſtinctu ad publicum bonæ operationis, & prædicationis proceſſit, dum exempla patientiæ per multa tormenta diuerſis temporibus proximis præbuit, cuius immutationem ac patientiæ pro Chriſto virtutem fideles de Iudæis admirantes, magnis laudibus extollunt, & Chriſtum de ſynagoga expulſum, in ea vt in lecto requieuiſſe canunt.

Eſt profecto Eccleſia lectus Chriſti, quia in eius fide & dilectione vt aliquis in lecto feſſus requieſcit. Eſt & domus conuiuij, quia Chriſtus eius operibus reficitur, vel eſuriens in pauperibus cibatur. Sed & vitulus ſaginatus

F

prodigo filio in ea occiditur; dum gentilis populus corpore & ſanguine Chriſti reficitur, & eſurientes & ſitientes iuſtitiam variis ſcripturæ ferculis ſaturantur. Igitur filia Pharaonis, hoc eſt Eccleſia de Iudæis, admiratur quod ei filia Babylonis, id eſt Eccleſia de gentibus, per omnia comparatur, & congaudendo exclamat.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum. Similitudo eſt à populo per Moyſen de Ægypto per mare rubrum educto, qui per deſertum difficili via ad patriam aſcendit. Cui Amalech in via pugnam intulit, quem Ioſue qui & Ieſus vicit, qui victorem populum manna refectum in terram promiſſionis introduxit. Sic Eccleſia gentium de Ægypto huius mundi per Chriſtum de poteſtate Pharaonis, id eſt, Diaboli liberata, per baptiſmum ſanguine Chriſti rubricata eſt educta. Quæ per deſertum mundi dura via ad patriam cœli aſcendit, quia per multas tribulationes oportet eam introire in regnum cœlorum. Cui Amalech, id eſt, Diabolus pugnam in via æquitatis

G

infert, per perſecutores, per hæreticos, & per falſos Chriſtianos.

Sed hæc omnia per verum Ieſum ſuum ducem vincit, qui eam corpore & ſanguine ſuo paſcit, & in terram viuentium, ſcilicet, paradiſum introducit, dicit ergo. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Hoc admirando dicit, non interrogando. Synagoga erat Dei terra, aratro legis culta, prophetis & aliis iuſtis fœcunda. Gentilitas vero erat deſertum nulla virtutum fruge fœcunda, à nullo propheta vel angelo ad cultum Dei inſtituta. *Virgula* eſt timor puerorum correctio vitiorum, per virgam intelligitur timor Domini, per quam Eccleſia ad ſapientiam aſcendit, vt ſcribitur. *Initium ſapientiæ timor Domini.* Fumus eſt ſanctum deſiderium, igne amoris diuini procreatum: *Aromata* ſunt confectio ſpecierum, & notatur multitudo virtutum. *Myrrha* eſt mortificatio martyrum, thus ſacrificium confeſſorum, vniuerſus puluis pigmenti, deuotio om-

H

nium fidelium Chriſti, pigmentarius enim eſt medicus, qui pigmenta, id eſt, diuerſa medicamina conficit, & intelligitur Chriſtus, qui ſcripturam ad varios vitiorum morbos medicamen fecit.

Hic ſex gradus aſcenſionis ad perfectionem ſcribuntur, vel ſex ordines electorum in eccleſia exprimuntur. De virga quippe timoris, aſcendit ad fumum compunctionis, inde ad aromata virtutum, deinde ad myrrham mortificationis, inde ad thus confeſſionis, vt hoſtia viua fiat Deo: demum ad vniuerſum puluerem pigmentarij hoc eſt ad imitanda vniuerſa exempla ſectatorum Chriſti. Vel per virgam quæ recta eſt; recti corde accipiuntur: per fumum pœnitentes: per aromata clauſtrales: per myrrham martyres: per thus confeſſores: per vniuerſum puluerem pigmentarij coniugati, & alij fideles. Dicitur itaque *quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum.* Quaſi dicat, iſta olim deſperata, à Deo deſerta, nunc ad fidem conuerſa, quam glorioſa eſt, & quanta laude, & admiratione digna, quæ aſcendit per gradus virtutum, per deſertum mundi, ad alta cœlorum, ſicut virgula fu-

A mi : virgula quæ de terra ad cœlum ſe erigit, & fumus qui ima deſerens alta petit, *fumi* dico ex aromatibus, id eſt, ex odore mirrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij, hoc eſt, ex omnibus ſpeciebus medicinalibus. *Fumus* ex igne natus, in alta conſcendens, paulatim ſe ſubtrahit humanis aſpectibus : ſic Eccleſia igne ſancti Spiritus in amorem Dei accenſa, tranſcendere non deſinit, donec à terrenis ſubtracta ad inuiſibilia cœli rapiatur. Fumus eodem tempore partim oritur, partim in ſubllmioribus diſparet : ſic Eccleſia in quibuſdam ſuis membris gignitur noua, in quibuſdam in ſublimibus ſuperius colligitur ad cœleſtia.

Per myrrham mortificatio carnis, per thus ſuauitas orationis, per puluerem omnia genera virtutum accipiuntur, per quæ Eccleſia in ſingulis ordinibns electorum aſcendit ad ſumma populorum.

Tropologice. Sponſa per deſertum aſcendit, quando B anima à voluptatibus carnis ad alta virtutum aſcendit, per deſertum, id eſt, per clauſtralis vitæ ſecretum, vbi erit ab illecebris mundi ſeparata, & cœleſtibus præceptis dedita : ſicut virga & fumus, terrena deſerens & cœleſtia petens, aromata virtutum colligens, & more aromatum odorem bonæ famæ de ſe emittens, myrrham mortificationis, & thus orationis redolens, & puluerem omnium virtutum per exemplum fratribus præbens.

Anagogice autem ſponſa per deſertum aſcendit, quando Eccleſia hic peregrinans per mundum ad cœlnm ſcandit, ſicut virgula fumi, hoc eſt, ſicut illi qui fuerunt vt virga recti, & per fumum, id eſt, per turbatum cor peccata ſua lacrymantes, & qui vt aromata odorem virtutum dabant, & qui ſe pro Chriſto mortificabant, & qui ſe incenſum Deo per ſanctam vitam offerebant, & qui aliis bona exempla dabant Filiabus Ieruſalem admirantibus & interrogantibus, quo regina per deſer- C tum aſcenderit dicit eis : Ad lectum Salomonis. Fidelibus de Iudæa repentinam gratiam Dei in Eccleſia gentium mirantibus, quod per ipſa tormenta ſcandebat ad cœleſtia dicit : Ne miremini me per ardua aſcendentem, ſed potius imitamini me Chriſti veſtigia per difficilia ſequentem : quia ad lectum Salomonis, id eſt ad æternam beatitudinem feſtino, qui eſt lectus Chriſti veri pacifici, in quo requieſcunt cum eo omnes ſancti, & vt hic fiam eius lectus per fidem, vt in me requieſcat per gratiam, vt ibi in eius lecto requieſcam. Quem lectum oſtendam vobis, vt & vos ad eum aſcendatis, & in eo requieſcatis.

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi,

Quaſi dicat, ego Eccleſia ſum lectulus Chriſti veri pacifici, in quo ſancti, in eius amplexu delectantur, tumultibus vitiorum ſopitis. Et me ſexaginta fortes cum gladiis ambiunt, hoc eſt, omnes perfecti in lege, & D Euangelio, me ſcriptis ſuis ab hæreticis muniunt : & ideo venite, & in me ſecuri requieſcite. Diminitiuum ideo lectulus ponitur, quia hic breuis eſt requies ſanctorum. Ad literam ita intelligitur, quod Salomon ditiſſimus regum, lectum auro & gemmis ornatum habuerit, qui frequentium militum excubiis cuſtoditus ſit.

Ad allegoriam autem Salomon, quod ſonat pacificus, eſt Chriſtus verus pacificus, qui omnia pacificauit in cœlis & in terris; cuius lectus eſt Eccleſia, in qua ipſe per fidem requieſcit, pulſus de ſynagoga. Qui lectus eſt auro & gemmis ornatus, id eſt, ſapientia & virtutibus decoratus : hunc ſexaginta fortes cum armis ambiunt, quia omnes perfecti Eccleſiam ſcriptis & exemplis muniunt. Sciendum quod numeri pro magno myſterio in ſacra Scriptura ponuntur, omnis namque numerus eſt perfectus, aut imperfectus : perfectus numerus deſignat perfectos in Eccleſia, imperfectus autem ſignificat imperfectos in ea : eſt autem perfectus numerus, qui completur in ſuis partibus; imperfectus autem qui partibus ſuis ad ſummam non peruenit, aut eam excedit. Senarius numerus eſt perfectus, quia conſtat ſuis partibus. E Sunt autem ſuæ partes, vnitas, binarius, ternarius : nam ſexies vnum, vel bis tria, vel ter duo fiunt ſex. Non ita fit in octonorio numero; cuius partes ſunt vnitas binarius, quaternarius; octies enim vnum, vel bis quatuor, vel quater duo, ſunt octo : quæ partes collectæ, non faciunt octo, ſed ſeptem; nam vnum, duo, quatuor faciunt ſeptem.

Duodenarius autem numerus ſummam ſuam excedit cuius partes ſunt vnitas, binarius, ternarius, quaternarius, ſenarius. Duodecies enim vnum, vel bis ſex, vel ter quatuor, vel quater tria, vel ſexies duo ſunt duodecim. Quæ partes in vnum collectæ, ſcilicet vnum, duo, tria, quatur, ſex, faciunt ſedecim. Omnes autem numeri continentur in quatuor verſibus : primus dicitur ſimplex, ſcilicet vnum, duo, tria, vſque ad decem, in quo verſu ſolus ſenarius eſt perfectus, alij omnes imperfecti. Secundus verſus dicitur multiplex, ſcilicet decem, xx. xxx. & ita F vſque ad centum. In quo ſolus ſexagenarius inuenitur perfectus, cuius partes ſunt decem, xx. xxx. Nam decem pro vnitate, viginti binario, triginta pro ternario ponuntur. Siquidem ſexies decem, vel bis triginta, vel ter viginti fiunt ſexaginta, quod nullus alius numerus infra centum facit. Tertius verſus eſt etiam multiplex, ſcilicet centum ducenti trecenti & ita vſque ad mille. In quo ſexcentenarius ſolus eſt perfectus; nam ſexies centum vel bis trecenti, vel ter ducenti fiunt ſexcenti. Ibi quippe centum pro vnitate, ducenti pro binario, trecenti, pro ternario ponuntur. Quartus verſus eſt à mille vſque ad mille millia, vel millies mille millia, qui ſequuntur dicuntur miriades, vbi ſemper qui poſſidet ſextum locum eſt perfectus, ſcilicet ſex millia, vel ſexaginta millia, vel ſexcenta millia. Sexagenarius igitur numerus conſtat ex ſenario & denario : nam ſexies decem, vel decies ſex : fiunt ſexaginta, per denarium intelligitur ve- G tus lex propter decalogum, vbi ſcribitur : *non occides, non mœchaberis, & cæt.* per ſenarium autem noua lex propter ſex opera miſericordiæ : *Eſuriui & dediſtis mihi manducare &c.* Per ſexaginta ergo accipiuntur omnes perfecti ſub veteri & nouo teſtamento, vt prophetæ, & Apoſtoli armis ſpiritalibus inſtructi, contra vitia fortes, ad bona opera ſtabiles. Hi lectum Salomonis ambiunt, quia Eccleſiam lectum Chriſti oratione, prædicatione, exemplo, & ſcripto muniunt. Ipſi ex fortiſſimis Iſraël ſunt, quia ex Chriſtiano populo Deum viſuro electi ſunt. Iſraël namque eſt nomen benedictionis, & ſonat vir videns Deum, & ſignificat populum fidelium, qui viſurus eſt Deum. Ex his ſunt iſti electi fortiſſimi, in virtutibus inſuperabiles, & alios ad bonum confortantes, omnes in promptu tenentes fide, & opere, gladios prædicationis noui & veteris teſtamenti, & ad bella ſpiritualia doctiſſimi, ſcientes mille artes dæmonum, & naturas vitiorum; non enim pugnant contra homines, ſed contra ſpiritales nequitias, ſcriptis autem contra H hæreſes.

Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos. Hoc eſt, cuiuſque opus eſt vt prædicatio eius; quia opere & enſe pugnat, prædicatione vt femore gignit, timens ne dum eius vita deſpicitur, ſermo prædicationis contemnatur. Verbum prædicationis per ſimile dicitur gladius vel enſis, quia ſicut gladius animam à corpore ſeparat, ſic verbum Dei animam à vitiis vel malos à bonis ſeparat. Per femur notatur generatio. Duo femora ſunt duæ leges, per quas doctores gignunt filios ſpiritales, Timores nocturni, ſunt inſidiæ Diaboli, quæ ducunt incautos ad æternas tenebras inferni. Vt ergo enſis corpus ſecans ſuper femur ponitur, ita verbum Dei reſecans vitia, ſuper prædicatione vniuſcuiuſque de veteri & nouo teſtamento prolata dominatur, vt cogitationes ab anima & mala opera à corpore amputet, & filios Eccleſiæ hæredes regni Dei pariat, & timores nocturnos, ſcilicet inſidias Diaboli, & verſutias hæreticorum Eccleſiæ hoſtium repellat.

Notandum, quod Deus in ſenario numero omnia opera ſua perfecit, qui conſtat ex ternario & binario

&

& vnitate: per ternarium, trinitas, per binarium, dilectio Dei & proximi per vnitatem vero exprimitur vnitas Eccleſiæ, in qua omnes perfecti ſunt cuſtodes lecti Chriſti.

Tropologice lectulus Salomonis, eſt ſpiritualis conuerſatio vel anima iuſti, in qua requieſcit Deus vt ſcribitur: *Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea?* Hunc lectum ſexaginta ex Iſrael: hoc eſt omnes ſpirituales Deum mente contemplantes, verbo & exemplo ambiunt, gladios diſcretionis tenentes, falſos fratres à veris reſecantes, ad bella vitiorum virtutibus docti, quia *vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum*, id eſt ſeueritas vitæ cuique carnalitati dominatur, dum carnem macerant, corpus in ſeruitutem redigunt, *propter timores nocturnos*, ſcilicet propter inſidias diabolicæ fraudis, quibus improuidos pertrahunt ad noctem æternæ damnationis.

Iuxta Anagogen vero lectulus Salomonis eſt æterna beatitudo, in qua requieſcit Eccleſia, quæ iam migrauit de huius mundi exilio. Hanc *ſexaginta fortes ex Iſrael ambiunt*: quia omnes veteris & noui Teſtamenti ſancti Deum videntes eam circundant, *tenentes gladios*, id eſt, præmia ei monſtrantes, quæ iam receperunt, pro hoc quod in vita gladio verbi ſalutis contra vitia pugnauerunt; quando ad bella ſpiritualia docti, id eſt, exercitati erant: *vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum*, quia cuiuſque merces apparebit, quam pro hoc recepit, quod enſe diſcretionis libidinem carnis reſecauit, *propter timores nocturnos*, id eſt; ne eſſet ſocius cum dæmonibus in nocte æternæ mortis. Regina domum conuiuij ingreſſa multis comitata filiabus Ieruſalem admirantibus alceulum eius ad lectum Salomonis, hortatur vt ſecum intrent ad conuiuium, laudans decorem domus, dicens.

Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media caritate conſtrauit propter filias Ieruſalem.

Et ideo mecum intrare, & in tam celebri domo, celebre conuiuium frequentare. Scilicet Eccleſia gentium lectus Chriſti & domus conuiuij facta, omnes de Iudæis vel gentibus inuitat, vt per fidem veniant in ſe, per dilectionem requieſcant, epulas æternæ dulcedinis per operationem ineant. Ferculum eſt æquiuocum: ferculum eſt refectorium, eſt & lectus, & eſt menſa, & diſcus, & cibus, à ferendo dictum. Traditur quod cœnaculum grande ſtratum, in quo Chriſtus cum Apoſtolis recubuit, quando corpus ſuum eis tribuit in eodem loco fuerit, vbi olim Salomon hoc ferculum fecit, in quod reginam introduxit.

Sciendum vero quod iuxta literam, rex Salomon, multis deliciis affluens, tale conſiſtorium vel refectorium fecit, vt hic ſcribitur: in quo lectum, & menſam auro, & gemmis ornatam habuit. Eſt autem conſiſtorium domus iudicij: Refectorium domus conuiuij.

Sed iuxta allegoriam, Chriſtus fecit domum iudicij, in qua iudicat bonos, ad gloriam, malos ad pœnam: Fecit etiam & domum conuiuij, in qua reficit corpore, & Euangelio ſuo, omnes in ſe credentes, dicens. *Venite ad me*, fide, & dilectione, *omnes qui laboratis* in tribulationibus mundi, *& onerati eſtis* peccatis, vel preſſuris, *& ego reficiam vos* æterna refectione.

In qua domo lectum & menſam, id eſt clauſtralem requiem, & ſacram Scripturam poſuit, vt videlicet in laboribus ſæculi feſſi, in lecto requieſcant & famem verbi Dei patientes de menſa cibum percipiant. Salomon namque, quod ſonat pacificus eſt Chriſtus, qui inimicitias inter Deum & hominem ſoluens, & omnia in cœlis & in terris pacificans, qui eſt rex gloriæ, regens ſingulos ordines Eccleſiæ. Hic fecit ſibi fercolum, id eſt, domum conuiuij de lignis Libani, ſcilicet Eccleſiam de omnibus electis ad honorem ſui.

Libanus quippe eſt mons in terra repromiſſionis, ad cuius radices oritur Iordanis, cuius ligna ſunt cedri, pulchritudine & proceritate ſuper omnes arbores, & imputribiles, odoriferæ & à vermibus illæſæ. Cum in ſacra Scriptura ponuntur nomina montium, vel vrbium, vel locorum, tunc, aut nominum interpretatio, vel ſitus locorum, vel rerum ibi geſtarum, ſignificatio notatur; & licet tota illa pars ſcripturæ quæ agiographa nominatur, plena ſit ſimilitudinibus, tamen præcipue iſte liber per ſimilitudines eſt contextus. Chriſtus per ſimilitudinem dicitur mons quia duo notantur in monte, ſcilicet firmitas & altitudo: ita Chriſtus firmus eſt in potentia, & altus in virtute. Hic mons ſecundum Danielem totum mundum impleuit, quia Chriſti prædicatio totum orbem repleuit.

In hunc montem, ſecundum Iſaiam omnes gentes aſcendunt, quia in Chriſtum omnes gentes credunt. Super hunc montem ſecundum Dauid ciuitas Dei ædificatur; quia ſuper firmam fidem Chriſti, & ardua præcepta eius Eccleſia fundatur. Libanus dicitur candidatio, & Chriſtus eſt candidus, quia de caſta virgine ſine labe peccati natus. De quo monte oritur Iordanis, quia de Chriſto ortus eſt baptiſmus. Huius Libani ligna ſunt omnes electi, fide pulchri, ſpe proceri, caritate odoriferi, de quibus facta eſt eccleſia domus conuiuij. Columnæ quæ hanc domum ſuſtentant argenteæ ſunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores Epiſcopi, prædicatione recti, eloquentia & vita mundi, qui verbo & exemplo ſuſtentant domum Domini. In hac eſt reclinatorium aureum, communis vita clauſtralium, in qua ſe Chriſtus inclinat ad pauſandum, & ipſi à labore mundi requieſcunt ad Deum contemplandum. Quod eſt aureum, quia ſapientia purum, caritate fulgidum. In hac aſcenſus purpureus eſt martyrum chorus, proprio ſanguine purpuratus. Purpura ex ſanguine piſcis conficitur: piſcis eſt Chriſtus, qui in humano genere latuit vt piſcis in vndis ſed captus eſt hamo noſtræ mortalitatis. Cuius ſanguine tincta eſt purpura, ſcilicet Eccleſia, quæ ſequens Chriſti veſtigia proprio ſanguine eſt purpurata. Per hunc aſcenſum ad Chriſtum ſcandunt, qui exemplo martyrum ſanguinem ſuum fundunt pro Chriſto. *Media ſtrata ſunt caritate*: Quantum ad litteram pauimentum inter duos parietes medium erat marmoreis & vitreis cruſtis mirificè ſtratum, omnibus hiſtoriis ad dilectionem pertinentibus diſtinctum. Variæ quippe imaginum formæ erant operi illi impreſſæ. Significat autem in domo Domini turbam fidelium agriculturæ inſudantium, qui imagines dilectionis ſibi impreſſas oſtendunt, dum proximis in neceſſitate rebus ſuis ſubueniunt. Hunc ornatum fecit Salomon, propter filias Ieruſalem, quia Chriſtus eccleſiam domum ſuam diſpoſuit, vt quidam in ea ſint columnæ, quidam reclinatorium, quidam aſcenſus, quidam per opera caritatis fiant filiæ Ieruſalem æternæ pacis.

Tropologice autem ſic intelligitur: Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani; hoc eſt lectum cedrinum: columnas, id eſt ſpondas lecti fecit argenteas, reclinatorium, vbi caput reclinatur, fecit aureum, aſcenſum, ſcilicet ſcabellum, fecit purpureum, media ſtrauit caritate, ſcilicet lectiſternia erant intexta rebus caritatem exprimentibus. Lectus de lignis Libani factus, eſt ſancta anima, de exemplis ſanctorum requies Chriſti facta, cuius columnæ ſunt quatuor principales virtutes, ſcilicet prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia: quæ ſunt argenteæ, ſcilicet ſplendidæ, quia faciunt animas ſplendidas, quas ſuſtentant: huius reclinatorium eſt aureum, ſcilicet bona conſcientia, in quam reclinat ſe ſapientia, vt aurum pura, & in camino tribulationis excocta, huius aſcenſus eſt cœleſtium appetitus, quia quodammodo aſcendit, dum terrena contemnit, cœleſtia appetit: qui eſt purpureus. Quia qui per ardua virtutum greſſus molitur, mox à malis perſecutionem patitur, & ſine ſanguinis effuſione martyr efficitur. Media ſunt ſtrata caritate, quia inter reclinatorium aureum & aſcenſum purpureum, mediæ ſunt vigiliæ, Eleemoſynæ, ieiunia quæ caritate condita erunt accepta, ſine caritate non proderunt, facta huiuſmodi lectus factus eſt, propter filias Ieruſalem, hoc eſt, vt fideles animæ filiæ Eccleſiæ in eo requieſcant, & ſponſus Chriſtus in eis.

A Anagogicè vero ſic exprimitur, *ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani*, id eſt, menſam cedrinam, *columnas*, id eſt pedes menſæ fecit argenteas, reclinatorium aureum, in quo antiqui ſolebant poſt prandium caput reclinare, *aſcenſum* graduum *purpureum media charitate conſtrauit*, id eſt menſale formis charitatem repræſentantibus variauit. Menſa eſt ſacra ſcriptura, in qua diuerſa ſunt deliciarum fercula. Ferculum eſt etiam diſcus à ferendo dictus, quod iterum eſt ſacra ſcriptura ferens vitæ fercula. Hæc menſa facta eſt *de lignis Libani*, quia ſacra ſcriptura facta eſt de Prophetis & Apoſtolis Iudaici populi in cultu vnius Dei dealbati, & poſtea in baptiſmate Chriſti candidati. Vtrumque enim ſonat Libanus, ſcilicet dealbatio vel candidatio. Quæ ligna ſunt imputribilia, quia facta eorum ſunt coram Deo durabilia. Huius menſæ *columnæ*, ſcilicet, pedes ſunt quatuor intellectus, id eſt, Hiſtoria, Allegoria, Tropologia, Anagoge. Quæ columnæ ſunt *argenteæ*, quia ſcripturæ ſunt eloquentia ſplendidæ, huius *reclinatorium aureum*, eſt corpus Dominicum ſine labe peccati purum.

In igne paſſionis excoctũ, claritate immortalitatis fulgidum, in quod ſe Deus reclinauit, dum humanũ genus viſitauit. Huius aſcenſus eſt purpureus, id eſt, ſacra crux ſanguine piſcis Chriſti purpuratus, per quam Chriſtus ad gloriam patris aſcendit, & per quam Eccleſia peregrinans eum ſequẽs ad gaudia ſcandit. *Media ſtrata ſunt charitate*, quia omnia opera Chriſti ab incarnatione vſque ad paſſionem vel aſcenſionem plena ſunt charitate. Vel mẽſa ſacræ ſcripturæ plena eſt poculis charitatis. Quæ charitas in medio, id eſt, in communi eſt poſita, vt omnes per eam fiant filiæ Ieruſalem cœleſtis, & in lecto æternæ quietis, & in reclinatorio aureo, ſcilicet in ſplendore æternæ claritatis quieſcant, & menſam æterni conuiuij adeunt ac nuptias agni cum angelis peragunt.

Poſtquam regina adornata aduenit, rex coronatus ad conuiuium procedit, & per plateas ciuitatis præco conclamat filias Sion ad videndum coronatum regem Salomonem in diademate, & inuitans dicit.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Vox eſt prædicatorum præconum Chriſti, filias Sion, id eſt, omnes Eccleſias per mundum inuitantium ad viſionem coronati Chriſti. Sion eſt mons in Ieruſalẽ, ſuper quem eſt arx in Ieruſalem, quæ dicitur turris Dauid; & dicitur ſpecula, Ieruſalem dicitur viſio pacis. Sion ergo figurat præſentem Eccleſiam, quæ per ſpeculum in ænigmate adhuc ſpeculatur futuram gloriam. Ieruſalem autem deſignat Eccleſiam regnantẽ in cœlis, quę iam fruitur viſione pacis æternæ, filiæ vero Sion ſunt omnes Eccleſiæ per orbem diffuſæ, filiæ vniuerſalis Eccleſiæ: His dicitur à prædicatoribus, ſcilicet æterni regis præconibus; *Egredimini* de Babylonia *filiæ Sion & videte regẽ Ieruſalem coronatũ*. Quaſi domi in Babylone reſidet, qui in confuſione infidelitatis latet. Quaſi de Babylone egre-
D
ditur, qui de infidelitate ad fidem Chriſti conuertitur.

Filiæ Sion ad videndum regem Salomonem in diademate egrediuntur, dum Eccleſiæ per orbem de priori vita per fidem egreſſæ Chriſtum regem gloriæ verum pacificum in ſpinea corona admirantes contemplantur; *qua coronauit eum mater ſua* Synagoga *in die* paraſceues: quæ fuit dies *deſponſationis illius*, quo eam deſponſauit ſanguine ſuo, *& in die lætitiæ cordis eius*, hoc eſt in die paſchæ, quo læta eſt, quod eum quaſi malefactorem cum latronibus crucifixit. Solemnis namque dies erat paſchæ Iudæorum quando crucifixerunt Chriſtum, ideo alia tranſlatio habet: *In die ſolemnitatis & lætitiæ.* Vel in diademate vident regem, quando mente vident Chriſtum in humana carne, quia circundedit eum mater ſua Maria *in die deſponſationis illius*, id eſt, in die incarnationis, quo humanam naturam ſibi ſponſam fecit: *Et in die lætitiæ cordis eius*, ſcilicet in die reſurrectionis, quo aſſumpta humana natura iam immortalis facta in æternam lætitiam eſt tranſlata: vel virgo mater multum de immortalitate filij eſt læta.

Ad litteram etiam filiæ Sion ſunt egreſſæ videre E
Chriſtum in ſpinea corona, quando multitudo populi & mulierum plangentium ad crucem eum ſequebantur, quibus dixit: *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos, &c.*

Iuxta moralem ſenſum filiæ Sion ad videndum regem coronatum *egrediuntur*, cum animæ fidelium de ignorantia ad ſcientiam, vel de mala conſcientia ad confeſſionem, vel de mala conuerſatione ad bonam conuerſationem conuertuntur; vt corde viſam Chriſti patientiam ſequantur, quam illa die habuit quo ei Iudæa mater ſua ſpineam coronam impoſuit: & mente contemplentur illam gloriam quam ei pater dedit *in die ſolemnitatis & lætitiæ*, id eſt, in die reſurrectionis, quo eum gloria & honore *coronauit* & ſuper omnia opera ſua conſtituit.

Iuxta altiorem ſenſum filiæ Sion egrediuntur vt regem coronatum videant, quando animæ de corporibus egreſſæ cœli palatium ingrediuntur, vt regem gloriæ in decore ſuo videant, quo eum mater ſua cœleſtis Ieru-
ſalem *coronauit*, quando Deum hominem victorem Dia- F
boli à Deo coronatum cum triumpho excepit, *in die ſolemnitatis & lætitiæ*, ſcilicet in die aſcenſionis, quo æternam lætitiam Eccleſiæ contulit. Præcone per vrbem clamante & populum ad conuiuium inuitante, *filiæ Sion* de domibus cateruatim euolant, regem coronatum ac reginam gemmis ornatam *videre properant*: quam rex amplexus per ſingula membra laudat, laudatam multis muneribus donat, ſcilicet Apoſtolica tuba per orbem intonante, & populos nationum ad æternas epulas inuitante, omnes gentes de domibus idololatriæ proruerunt, ad videndam æterni regis Chriſti & Eccleſiæ gloriam feſtinauerunt: Chriſtus Eccleſiam ad ſe venientem dulci amplexu excepit, multa chariſmata ei contulit: hanc per ſingula membra laudat, dum opera fidei in ſingulis ordinibus Eccleſiæ comprobat. Tota quippe Eccleſia eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus, caput Chriſti Deus, cuius corporis membra ſunt di-
uerſi ordines electorum, qui in ſeptem hic diſtinguun- G
tur, quia ſeptiformi ſpiritu diſponuntur: Cui dicit.

CAPVT IV.

QVam pulchra es amica mea, quam pulchra es & decora! *Quaſi dicat, ô Eccleſia prius inimica cum eſſes in Babylonia, nunc amica ad me conuerſa, iam ſciens ſecreta mea, *quam pulchra es* in ornatu virtutum, valde *pulchra* interius in fide: pulchra exterius in opere, & *decora*, id eſt valde cara in prædicatione, quia facis, quæ doces, exemplo oſtendis quæ mones. *Oculi tui columbarum*. cum membra corporis in ſcriptura ponuntur, tunc notantur eorum officia: cum aues vel animalia ponuntur, eorum tunc notantur naturæ vel colores. Oculorum officium eſt de capite lucere, & corpori ducatum præbere. Columbæ vero ſimplices ſunt, & alias aues non lædunt, *Oculi* ergo Eccleſiæ ſunt Epiſcopi,
& alij prælati, prouiſores eius, à capite Chriſto lucen- H
tes, qui coram hominibus verbo, & opere lucent, & Eccleſiam corpus Chriſti exemplis, & ſcripturis ad vitam ducunt. Hi oculi ſunt vt oculi columbarum, id eſt, vt apti duces Eccleſiarum, qui columbæ ſunt, quia ſeptem virtutes habent, vt columba ſeptem naturas.

Vel ipſi oculi tui columbæ ſunt, quia ſimplices ſunt, & neminem lædere quærunt, *abſque eo quod intrinſecus latet*, ſcilicet abſque charitate, quæ in ſolis oculis meis apparet: in verbo & exemplo pulchra es quo exterius appares hominibus, ſed pulchrior es coram me, quo latens interius in charitate, & in virtutibus. Vel tu pulchra es prædicatione, in prælatis oculis tuis, abſque hypocriſi, & hæreſi, quæ intrinſecus latent, in hypocritis & hæreticis. *Capilli tui ſicut greges caprarum.* Capilli caput ornant & muniunt, capræ vero ad alta aſcendunt. Capilli Eccleſiæ ſunt populares, qui eam fide ornant, vt agricolæ, vel armis muniunt, vt milites, *greges caprarum* ſunt multitudines fidelium, quæ ſub Apoſtolis de virtute in virtutem aſcenderunt ad martyrium.

A Ad horum exemplum, vt capilli innumerabiles de laicis in Eccleſia Martyres effecti ſunt. *Qui aſcenderunt, de monte Galaad*, quod dicitur aceruus teſtimonij, & intelligitur martyrum exercitus Chriſti, qui teſtimonium perhibent CHRISTO, dum ſanguinem pro eo fuderunt: & ipſe Chriſtus eſt mons Galaad de quo aſcenderunt, quia ſuo exemplo præceſſit, quem patiendo ſecuti ſunt, qui teſtimonium perhibebit eis: *Quando confitebitur eos coram patre, qui hic confeſſi ſunt eum coram hominibus.*

Hiſtoria talis eſt: Iacob à patre benedictus, apud Laban in Meſopotamiam eſt peregrinatus; vbi duas vxores accepit, duodecim filios genuit, ad patrem redijt. Quem, Laban perſecutus comprehendit, fœdus cum eo inijt; pro ligno huius fœderis aceruum lapidum congregauerunt, quem Galaad, id eſt, aceruum teſtimonij nominauerunt, vt neuter illorum hunc ad nocendum alteri tranſiret. Iacob eſt CHRISTVS, Laban diabolus: Iacob à patre benedictus in Meſopotamiam mittitur, & Chriſtus à patre benedictus in mundum mittitur, qui apud Laban B principem huius mundi peregrinatur. Iacob accepit duas vxores & genuit duodecim Apoſtolos; ille ad patrem reuertitur & Laban eum perſequitur, & Chriſtus ad patrem in cœlum reuertitur, & Diabolus eum in membris ſuis perſequitur. Aceruus lapidum eſt multitudo martyrum, qui congregantur ad Chriſtum: Hunc aceruum non licet Laban vt tranſeat, quia Diabolo non licet vt quemquam de credentibus in Chriſtum noceat.

Dentes tui ſicut greges detonſarum. Subaudis ouium. Dentes mordent, & cibum comminuunt, & in corpus mittunt: Oues autem alios lacte alunt, & lana veſtiunt. Dentes igitur Eccleſiæ ſunt expoſitores ſacræ ſcripturæ vt confeſſores, qui hæreticos mordaces remordent, & duram literam ſcripturæ exponendo conterunt, & in memoriam Eccleſiæ quaſi ventrem traijciunt. *Hi ſunt ſicut greges detonſarum* ouium, hoc eſt, ſimiles ſunt illis qui ſub Apoſtolis omnia reliquerunt, & vt oues detonſæ nudi & innocentes communiter vixerunt. Hi lacte doctrinæ proximos alunt, & rebus ſuis, vt lana pauperes C veſtiunt, & ſicut oues mortuæ carnibus paſcunt, pellibus veſtiunt: Ita iſti carne mortui, ſcripturis ſuis Eccleſiam paſcunt, exemplis veſtiunt. *Quæ* oues *aſcenderunt de lauacro*, hoc eſt de virtute in virtutem aſcendunt, vt in baptiſmate loti promiſerunt. *Omnes* illæ oues ſunt *gemellis fœtibus*, quia omnes illi contemptores mundi ſunt pleni gemina dilectione, & quos CHRISTO docendo pariunt gemina dilectione doctos reddunt. *Et ſterilis non eſt inter eas*, oues ſubaudis, ſed eijcitur quia nullus apud religioſos vacat à bona operatione, & inutilis ab eis ſecluditur: *Sicut vitta coccinea labia tua:* Labia ſecreta cordis aperiunt, vitta autem capillos ſtringit ne defluant. Labia Eccleſiæ ſunt magiſtri, qui docendo, aliis aperiunt, quæ dentes ſcilicet expoſitores expoſuerunt, hi ſunt ſicut vitta coccinea, hoc eſt ſicut illi qui in primitiua Eccleſia paſſionem Chriſti docuerunt, & errantes à peccatis prohibuerunt. Coccinum quippe eſt rubri coloris, & præfert precium ſanguinis Chriſti, quo D redempta eſt Eccleſia, quod iſti proximis referunt, & eos ab illicitis verbo, & exemplo, vt vitta ſtringunt: *Et eloquium tuum dulce.* Dulce eſt eloquium doctrinæ cum quis opere implet, quod verbo docet, quia cuius vita deſpicitur, huius etiam ſermo contemnitur.

Sicut fragmen mali punici: ita genæ tuæ. In genis eſt verecundia: mala autem punica ſunt rubea, punica eſt terra Africa, à pomis, id eſt à fœnicibus illic aduenientibus dicta, vbi creſcunt mala granata, ſcilicet poma granis plena nimis rubicunda: & ſignificat paſſionem CHRISTI, vel martyrium in Eccleſia. Genæ Eccleſiæ ſunt, verecundantes peccare, vt ſunt monachi & eremitæ. Hi ſunt ſicut fragmen mali punici, hoc eſt ſicut illi, qui ſub Apoſtolis Chriſti exemplo paſſi ſunt, & caſti fuerunt. Sicut enim fragmen mali punici exterius rubet, interius albet. Ita iſti exterius rubent paſſione, interius albent caſtitate: & pleni ſunt granis, id eſt bonis exemplis: *abſque eo quod intrinſecus latet*, ſcilicet abſque charitate quæ in corde latet, vel abſque E fomite peccati quod in membris latet.

Sicut turris Dauid collum tuum. Cum propria nomina in ſcripturis ponuntur, tunc aut interpretatio nominis, aut officium perſonæ, aut rei ab ea geſtæ ſignificatio notatur.

Siquidem in Melchiſedech hæc tria conſiderantur, ſcilicet interpretatio nominis, qui eſt rex iuſtitiæ, & officium regale & ſacerdotale, & ſacrificium panis & vini ab eo oblatum. Qui præfigurauit Chriſtum, qui eſt rex iuſtitiæ & verus ſacerdos, qui obtulit in ſacrificio corporis ſui panem & vinum. Similiter in Dauid tria conſiderantur, videlicet interpretatio nominis, qui eſt deſiderabilis, vel manu fortis, & officium qui fuit rex & propheta, & res ab eo geſta, quod pugnans Goliad ſuperauit. Qui ſimiliter Chriſtum ſignificauit, qui eſt rex gloriæ, & in illa gloria eſt deſiderabilis, *in quem Angeli deſiderant proſpicere*, & eſt verus propheta, quia omnia futura prædixit: & eſt manu fortis, quia fortem Diabolum in cruce vicit. Collum iungit corpus & caput: turris autem F munit ciues ab hoſtibus. Collum ergo Eccleſiæ ſunt in ſcripturis ſapientes, Eccleſiam verbo & exemplo iungentes Chriſto. Sicut turris Dauid inexpugnabilis, hoc eſt ſicut primitiua Eccleſia à Chriſto vero Dauid, ſcilicet deſiderabili & manu forti, vt turris fundata contra perſecutores & hæreſes, donis Spiritus ſancti munita: ita iſti munimine ſcripturarum à Chriſto ſunt firmati, ad defendenda fidei ædificia, ad repellenda hoſtium tela, vt muniant ciues Ieruſalem quod ſunt ſimplices, à ciuibus Babylonis quod ſunt hæretici, Iudæi, Pagani, falſi Chriſtiani. *Quæ* turris *ædificata eſt cum propugnaculis*; hoc eſt illa Eccleſia munita eſt inexpugnabilibus ſcripturæ ſententiis, quibus ſe defendat ab inimicis. Vel Apoſtoli fuerunt eius propugnacula, quia armis patientiæ contra infideles pugnauerunt pro Eccleſia.

Mille clypei pendent ex ea. Quia innumeræ rationum defenſiones collatæ ſunt illi Eccleſiæ, quibus ſe ab aduerſariis defendat, & ibi pendet *omnis armatura fortium*, quia ad exemplum propoſita ſunt ei omnia opera G illorum, qui fortiter vitia vicerunt, vt Ioſeph luxuriam; Moyſes auaritiam: ſic iſti qui ſunt collum Eccleſiæ & turris Dauid, quia Eccleſiam Chriſto iungunt, & ciues ab hoſtibus muniunt, habent propugnacula authenticos libros, habent mille clypeos innumeras ſcripturarum & rationum defenſiones, habent omnem armaturam fortium, ſcilicet omnes paſſiones martyrum ſcriptas, & vitas ſanctorum ſibi propoſitas. *Aliter* turris Dauid, eſt ſacra ſcriptura, ad munimen Eccleſiæ ſponſæ ſuæ contra hoſtes à vero rege Chriſto conſtructa, *hæc eſt ædificata cum propugnaculis*, id eſt, cum authenticis libris, in quibus Prophetæ & Apoſtoli eius propugnatores pro ea pugnant & eam defendunt. *In hac* turri *pendent mille clypei*, quod ſunt omnes doctrinæ iuſtorum, & veteris & noui teſtamenti, *& omnis armatura fortium*, quod ſunt exempla omnium ſanctorum, qui alios contra vitia fortes faciunt. Millenarius numerus multiplicatur per denarium & centenarium. Decies enim centum ſiue centies decem, ſunt mille, & denarius decies repetitus efficit H centenarium, & item centenarius decies repetitus, efficit millenarium. Per denarium intelligitur præmium in vinea Chriſti, id eſt, in Eccleſia ſub decalogo legis laborantibus promiſſum, per centenarium vero multiplicitas virtutum, quæ totiens per decalogum repetitur. Per millenarium autem plenitudo gaudiorum, quæ dabitur victoribus pro iuſtitia certantibus ſeu pugnantibus.

Mille ergo *clypei* ſunt vniuerſæ doctrinæ iuſtorum, qui ſub decalogo vixerunt legis, in multiplicitate virtutum pro plenitudine gaudiorum: his armis Eccleſiam muniunt, qui collum eius exiſtunt.

Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli. Vbera adminiſtrant lac paruulis, hinnuli autem velociter currunt vt ſint in excelſis. Vbera Eccleſiæ ſunt docti in vtráque lege, qui paruulis in Chriſto infundunt lac doctrinæ mulſum de vtraque lege. Duo hinnuli ſunt actiui & contemplatiui, id eſt, ſeculares & ſpirituales in fide Chriſti adhuc paruuli, qui velociter currunt ad lac

A doctrinæ vtriuſque legis, vel geminæ dilectionis, & conſcendunt de valle lachrymarum, vt habitent in altis cœlorum.

Hi ſunt ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, hoc eſt, ſimiles ſunt duobus populis ſub primitiua Eccleſia ad fidem de Iudæis & gentibus conuerſis. Quæ Eccleſia fuit caprea, quia ſicut caprea alta petit: ita ipſa de lege ad gratiam conſcendit. Et eius hinnuli ſunt gemelli, quia ſicut gemelli eodem lacte nutriuntur, ita Iudæi ad gentiles conuerſi eadem doctrina Chriſti & iiſdem Sacramentis.

Qui hinnuli paſcuntur in liliis, id eſt, fideles in vtraque vita deliciantur in virtutibus illorum, qui fuerunt vt lilia candidi in caſtitate, & odoriferi in ſanctitate, *donec aſpiret dies*, hoc eſt donec veniat plena Dei cognitio, *& inclinentur vmbræ*, id eſt, tranſeat ignorantia. Quamdiu hic in mundo ſunt, lac vtriuſque legis de vberibus matris Eccleſiæ ſugunt in liliis, id eſt in floribus B ſcripturarum, & exemplis ſanctorum paſcuntur. Poſtquam illa dies æternæ claritatis aduenerit, & ſol iuſtitiæ Chriſtus illuxerit, nec docendi, nec diſcendi vltra tempus erit: ſed conſummatis omnibus huius vitæ tenebris, omnes vt ſol fulgebunt, quia Deum ſicuti eſt in æqualitate patris videbunt.

Nota ſeptem membra ſponſæ à ſponſo laudata, id eſt, ſeptem ordines electorum in Eccleſia. Qui ſunt *Oculi*, qui occulta perſpiciunt: *Capilli*, qui à vitiis plani, foramen acus, id eſt, portam cœli tranſeunt: *Dentes*, qui improbos corrigunt: *Labia*, qui ſecreta ſcripturæ aperiunt: *Genæ*, qui de peccatis propriis vel alienis erubeſcunt: Collum, qui vitalem flatum, vel cibos doctrinæ prædicando æterna gaudia adminiſtrant: *Duo vbera*, docti in vtraque lege de duobus populis. Iuxta moralem ſenſum ſponſus membra ſponſæ collaudat, cum Chriſtus ſingula opera fidelis animæ comprobat, habet quippe & ipſa ſua membra, ſibi congrua, quibus peragit ſua officia, quæ eſt amica quia facit Chriſti præcepta. Quæ bis dicitur *pulchra*. Quia ab originali, & actuali labe eſt purgata, C cuius *oculi* ſunt ratio & intentio, quarum acumen ſpiritales ſenſus ſcripturæ cernit, & ſequenda intendit, qui oculi ſunt *columbarum* ſi ſimpliciter implet quæ facienda videt. Huius capilli ſunt ſubtiles cogitationes de capite eius, id eſt, mente procedentes, *qui vt greges caprarum ad Galaad aſcendunt*, cum ad imitandos martyres intendunt. *Dentes* eius ſunt iuges meditationes, quibus duros ſenſus ſcripturæ conterit, & in ventre memoriæ traiicit, qui ſunt vt oues detonſæ, quia à ſuperfluis cogitationibus ſunt nudæ, *Labia eius* ſunt confeſſio, qua ore confitendo ad ſalutem, aperit, quod corde ad iuſtitiam credit. Quæ labia ſunt *vitta coccinea*, dum confitetur ſanguinem Chriſti eſſe pretium redemptionis ſuæ, & per hanc cohibet capillos, id eſt, cogitationes ſuas à peccatis. Huius genæ ſunt verecundia, qua erubeſcit peccare, vel peccaſſe. Quæ ſunt *vt fragmen mali punici*, quia exterius rubent charitate, interius albeſcunt caſtitate; *Collum* eius eſt intellectus, qui iungit ſpiritum & animam, dum vtrumque intelligit vnam eſſe D ſubſtantiam. Quod collum eſt, *vt turris Dauid cum propugnaculis & mille clypeis*, quia intellectus ſapientis animæ munitus eſt mille ſcripturarum ſententiis. Vbera eius ſunt ſapientia & ſcientia, quibus præbet indoctis lac doctrinæ, quæ ſunt vt *hinnuli capreæ*, quia paruulos in Chriſto, id eſt, humiles Eccleſiæ lacte doctrinæ nutriunt & ad alta virtutum prouehunt.

Iuxta Anagogen altius intelligitur de Eccleſia peregrinante. Et ne aliquem moueat quod ſynagogam & Eccleſiam dicimus: differentiam ponamus earum, & prius de ſynagoga & Eccleſia. Synagoga eſt multitudo fidelium ſub lege. Eccleſia eſt multiplicitas credentium ſub gratia. Synagoga dicitur congregatio, quod pertinet ad irrationabilia vel lapides, quia Iudæi baculo legis congregabantur vt doti ad cultum Dei. Eccleſia autem dicitur conuocatio, quod pertinet ad homines, quia Chriſtiani verbo prædicationis conuocati ſunt ad fidem Chriſti. Primitiua Eccleſia dicitur numeroſitas iuſtorum ab Abel vſque ad Chriſtum: propriè autem primitiua Eccleſia eſt vniuerſitas fidelium, per Chriſtum & E Apoſtolos de Iudæis & gentibus primo tempore collecta. Eccleſia gentium eſt multitudo credentium per Apoſtolos & eorum ſucceſſores, de omnibus gentibus ad fidem Chriſti perducta. Vniuerſalis Eccleſia eſt omnis Chriſtianitas per mundum diffuſa. Eccleſia imperfectorum eſt populus in actiua vita degens, quæ hoc mundo vtitur tanquam non vtatur, & dilectionem proximi ſeruat dum eis neceſſaria ſubminiſtrat. Eccleſia perfectorum eſt clerus in contemplatiua vita conſiſtens, qui mundum tranſgreſſus dilectionem Dei legendo & orando implere nititur. Eccleſia peregrinans eſt multitudo in vtraque vita cœleſtia ſuſpirans.

Eccleſia in cœlis regnans eſt turba animarum, quæ præſentia Chriſti ſui ſponſi iam fruitur. Eccleſia igitur peregrinans ſua habet membra, ſicut & primitiua Eccleſia habuit ſua. Eccleſiæ ante legem oculi fuerunt Patriarchæ, qui ei Chriſtum præfigurauerunt. Eccleſiæ F autem ſub lege oculi fuerunt Prophetæ, qui ei Chriſtum præuiderunt ſcriptis. Eccleſiæ ſub gratia oculi fuerunt Apoſtoli, qui eam ſignis & miraculis ad Chriſtum perduxerunt. Eccleſiæ peregrinantis oculi ſunt Epiſcopi & alij prælati, qui eam prædicationibus & exemplis ad vitam æternam perducunt, *quæ amica* Chriſti dicitur, quia ad cœleſtia ſecreta vocatur. Cui bis dicitur quod *pulchra* ſit, quia in actiua & contemplatiua vita, fide & opere eſt ſpecioſa. Huius *capilli* ſunt pueri vel laici, *dentes* ſpontanei pauperes, *labia* clerici, *genæ* monachi, *collum* heremitæ, *vbera* magiſtri: Ipſa eſt *columba* quia ſeptem donis Spiritus ſancti eſt plena, ipſa *capra* quia petit alta, ipſa *ouis* quia innocens, ipſa *vitta*, quia religione diſtricta, ipſa *malogranatum*, quia granis bonorum operum plena, ipſa *turris Dauid*, quia ab hæreticis inexpugnabilis, ipſa *caprea* quia eligit à malis bona. Per has virtutes in ſuis membris regnat iam in cœlis. Eccleſiam peregrinantem præfigurauit tabernaculum Moyſi in itinere deportatum. Eccleſiam regnantem præfigurauit Salomonis templum, in G patria ædificatum: In tabernaculo erant ſancta, in quibus populus immolabat, erãt & ſancta ſanctorum in quibus ſacerdotes offerebant: per ſancta accipitur actiua vita, in qua ſeculares militant: per ſancta ſanctorum contemplatiua vita, in qua ſpirituales laborant. Sed & cuncta præſentis Eccleſiæ myſteria, in eodem tabernaculo ſunt expreſſa. Tabernaculum de loco ad locum mutabatur, & à populo ad patriam tendente portabatur: Sic Eccleſia de inferiori, ad meliorem ſtatum mutatur, donec peracto itinere huius vitæ in patriam paradiſi transferatur. Templum autem in patria à Salomone ſeptem eſt annis ædificatum de tribus materiis, ſcilicet de ſectis lapidibus de mari ſublatis, de lignis cedrinis, & de auro puriſſimo, quia Eccleſia templum Dei in ſuperna patria, à Chriſto vero pacifico per ſeptem dona Spiritusſancti in habitaculum Deo coædificatur, de tribus ordinibus electorum, ſcil. de coniugatis in ſalo ſeculi tribulationibus quadratis, de continentibus in virtutibus odoriferis, de doctoribus in aduerſitate vt aurum examinatis & ſapientia fulgidis. H In hoc templum tranſlatum eſt tabernaculum, quia præſens Eccleſia transfertur in illius iam regnantis conſortium, ideo *& regina auſtri* de Æthiopia venit in illud templum, quia hæc Eccleſia de tenebris mundi intrabit in cœlum.

Poſtquam rex cum regina conuiuium iniit, inde ſurgẽs ad montem myrrhæ, id eſt, ad Libanum abiit: In Libano quippe arbores creſcunt, de quibus myrrha & thus colliguntur, quem regina cum filiabus Sion ad videndum regem egreſſis eſt ſubſecuta, & ab eo hac laude eſt excepta.

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Sciendum eſt ad literam quod rex ditiſſimus Salomon turrim in Libano regio ſumptu fecerat, in qua habitare in æſtate ſolitus erat, propter temperiem aëris; quæ ibi erat propter fluenta Iordanis. Sed & hoc magnopere notandum, quod in hoc Cantico amoris ſolummodo verba

A amantium repræſentatur, facta autem ſubintelliguntur; quia nimirum adhuc cantantes in choreis non facta ſed verba amantium repræſentant in cantilenis.

Allegoria talis eſt, poſtquam Eccleſia gentium in conſortium Chriſti eſt recepta, & à conuiuio corporis eius eſt refecta, mox partim in montem myrrhæ creuit, partim in collem thuris ſurrexit: quia protinus vt Chriſtum regem ſuum pro ſe paſſum cognouit, exercitus martyrum contra tyrannos bellum ſuſcepit, & turba confeſſorum pugnam contra hæreticos iniit.

Myrrha corpora mortuorum condiebantur, thus verò in ſacrificium Deo ponebatur. Mons ergo myrrhæ eſt multitudo martyrum, qui in altam virtutem patientiæ inſtar montis creuerunt, dum variis tormentis pro Chriſto mortificati ſunt. Collis vero thuris eſt numeroſitas confeſſorum, qui ſanctitate in populo vt collis eminebãt, & ſe in odorem ſuauitatis Deo offerebant. Ad hunc montem & ad hunc collem vadit Chriſtus dicens, *vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Quaſi dicat Eccleſiæ B ad ſe venienti *agmen* militum meorum, ſcilicet Martyrum, video in certamine pro me laborare: vadam ergo & feram auxilium prælia̅tibus patientiam dando, & coronam gloriæ vincentibus præparabo. Veniam & ad aciem confeſſorum, vt pugnantibus ſuccurram ſapientiam ſubminiſtrando, & victores gloria & honore coronabo. In hoc monte & in hoc colle Chriſtus per fidem ſtetit: & cunctos cuneos ſui exercitus, id eſt, omnes ordines Eccleſiæ per totum mundum pro iuſtitia certantes oculis miſericordiæ vidit, & Eccleſiam laudauit, id eſt, talia opera comprobauit, dicens: *Tota pulchra es amica mea.* Quod eſt dicere, O Eccleſia amica mea, ſciens patris ſecreta, tu pulchra es in oculis, in capillis, in dentibus, in ceteris membris tuis, in patientia, in conſtantia, in ſapientia. Ergo tu *pulchra es & macula* criminis *non eſt in te*, vt aliquis in pugna, tormentis, vel vitiis victus deficiat, ſed armis iuſtitiæ pugnans victor exiſtat. Ergo in omnibus membris tuis poſt pugnam veni ad me, & coronabo te, *veni de libano ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis de capite Amana de vertice Sanir & Hermon.* Hoc eſt coronam ex gem- C mis de his montibus ſumptis imponam tibi. Libanus mons eſt Phœnicis & dicitur candidatio, vel dealbatio. Per *Libanum* accipitur hic Iudaicus populus, altus in regno, & candidus diuino cultu. Per Libanum etiam intelligitur gentilis populus, qui erat altus in imperio, dealbatus mundana gloria, dicitur ergo *veni de libano ſponſa mea: veni de libano*, quaſi dicat, O ſponſa mea pariendo mihi ſpirituales filios, veni per fidem cum magno comitatu de libano, id eſt, de Iudaico populo diuino cultu candido, veni cum magna multitudine de libano, id eſt, de gentili populo imperio, & gloria mundana dealbato, *veni* ad me etiam cum turba lapſorum ad pœnitentiam conuerſorum, & cum his & pro his omnibus, *coronaberis.*

Nota quod ſponſam de libano ad coronam vocat, ad quem eum ſecuta fuerat, quia Chriſtus hunc coronabit, qui eum ad alta virtutum ſecutus fuerit. Et vnde coronatur ſponſa: *De capite Amana & vertice Sanir & Hermon.* Amana eſt mons Ciliciæ, qui & Taurus, Sanir & Hermon D montes Iudææ, in quibus leones & pardi habitant. Montes ſunt, reges & principes, qui in ſuperbiam extolluntur, in quibus dæmones habitant: qui ſunt leones, quia crudeles: pardi, quia variis artibus maligni. De his coronatur ſponſa: cum prædicatione ſua dæmones expulerit, & principes ad Chriſtum conuerterit.

Amana dicitur inquietus, vel turbulentus vel Deus vigiliarum: *Sanir* vero fœtor vel nocturna auis: *Hermon* anathematizatio. Caput *Amana* eſt diabolus: caput eorum qui ſunt Amana, id eſt, inquieti, turbulenti, mordaces, in malitia vigiles: Ipſe eſt etiam vertex eorum qui ſunt Sanir, hoc eſt, fœtentes luxuria, & in nocte ignorantiæ vt aues inſtabiles: Et ipſe eſt vertex eorum, qui ſunt vt *Hermon*, id eſt anathematizati, hoc eſt excommunicati propria iniquitate. De his montibus gemmæ ad coronam ſponſæ eliguntur, dum per eam tales ad pœnitentiam conuertuntur. Contra has acies ipſa dimicat, & vincit, dum eas ad bonum conuertit. Coronatur etiam *de cubi-* E *libus leonum, de montibus pardorum.* Leo ſignificat aliquando Chriſtum, aliquando diabolum, aliquando ſuperbum principem. Leo Chriſtum ſignificat vt ibi: *Ecce vicit leo de tribu Iuda*, propter fortitudinem, quia vicit diabolum, & quia leo tertia die catulum ſuſcitat: ſic & pater tertia die Chriſtum. Leo ſignificat diabolum, vt ibi: *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, & hoc propter ſæuitiam. Leo etiam ſignificat principem, vt ibi: *liberatus ſum ex ore leonis*, hoc eſt, de poteſtate Neronis, & hoc propter excellentiam. Leo namque eſt rex beſtiarum, & beſtiæ in ſcripturis ponuntur pro naturis earum: In hoc loco leones ſignificant dæmones. Horum cubilia ſunt prophani & immundi. Pardi vero ſunt hæretici in dogmate erroris varij, quorum montes ſunt hæreſiarchæ, ſcilicet epiſcopi & magiſtri eorum, ſuperbi & eloquentia tumidi. In talibus dæmones vt beſtiæ in antris habitant. Contra tales pugnant membra Eccleſiæ, & pro his victis & conuerſis coronatur Eccleſia. Aliter, *Amana* dicitur F excelſus, & pater notatur, qui ſuper omnia exaltatur. *Sanir* dicitur denſa lucerna, & Chriſtus intelligitur, qui eſt lucerna Eccleſiæ ad vitam. *Hermon* autem dicitur conſecratio, & Spiritusſanctus accipitur, per quem Eccleſia in baptiſmate conſecratur. Caput *Amana*, vel vertex *Sanir*, & *Hermon* eſt Deus pater, De capite ergo *Amana*, vel vertice *Sanir*, & *Hermon* Eccleſia coronabitur, quando à Deo patre pro fide filij, & conſecratione Spiritus ſancti, in gloria exaltabitur. Nunc rex milites inſtigat ad pugnam, vt accipiant vitæ coronam, nemo enim coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Legitime certare eſt, vſque ad noctem, id eſt, vſque ad mortem pugnare, hoc eſt vitiis & peccatis reſiſtere. Hos coronari, eſt æterna gloria ſubleuari. Dicit ergo.

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa. Quaſi dicat, O Eccleſia ſoror mea, id eſt, cohæres regni & ſponſa mea pariens mihi filios cohæredes cœli, non ſit tibi oneroſum cauſa mei ſubire certaminis laborem; quia ego prius cauſa tui ſubiui pugnæ ſudorem, in qua vulnera- G tus ſum vſque ad mortem. Per cor amor intelligitur, qui in corde eſſe dicitur, & continens pro contento ponitur: Et eſt ſimilitudo, ab illo qui nimirum aliquam amat, & eius cor amore vulneratur: Ita Chriſtus amore Eccleſiæ vulneratus eſt in cruce. Prius *vulneraſti cor meum*, quando cauſa amoris tui flagellatus ſum, vt te facerem mihi ſororem ſcilicet regni cohæredem, iterum *vulneraſti cor meum*, quando amore tui in cruce pendens vulneratus ſum: vt te ſponſam mihi facerem gloriæ participem, & *hoc in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.* Similitudo eſt ab illo, qui capitur pulchritudine oculorum, vel crinium puellæ. Sicut Holofernes Iudith. *Oculi Eccleſiæ* ſunt prælati eius, qui eam ducunt ad cœleſtia. *Crines* ſunt eius ſubditi, collum eius ſunt perfecti, quos ornant tales capilli. Vnum oculorum vel crinium, eſt vnitas fidei, quam habent prælati, & ſubditi. Pro hac vnitate placuiſti mihi, & amaui te, & per hæc vulnera ſuſcepi, & pro hac debes tu pugnare, vt H poſſis coronari. Hoc totum dicitur ſponſæ ad regnum deſignatæ, vt accipiat coronam æmulæ, id eſt gloriam Angelicæ naturæ. Hæc dicitur *amica*, quia ſponſus ei aperuit ſcripturæ ſecreta: hæc *ſoror*, quia fecit eam ſibi cohæredem: hæc *ſponſa*, quia parit ei filios regni. Tropologice Mons myrrhæ eſt contemplatiua vita; *Collis vero thuris* actiua vita; Contemplatiui myrrha ſunt, quia carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis mortificauerunt. Actiui vero *thus ſunt*, quia bonis actibus Deo odorem ſuauitatis offerunt. Ad hos Chriſtus vadit, dum eis in tribulationibus & tentationibus ſubuenit. In his fidelis anima *tota eſt pulchra*, quando in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini eſt ſine querela, vel quando Deum ex tota diligit virtute, & proximum ſicut ſeipſum. In hac non eſt macula quando caret hæreſi & culpa. Hæc venit fide, venit & operatione, venit prædicatione, venit etiam ad Chriſtum cogitatione, vel locutione, venit opere: venit nihilominus in iuuentute,

A venit in ſenectute, venit in decrepita ætate, venit quoque ad fidem in baptiſmate, venit ad requiem in termino vitæ, venit ad gloriam in reſurrectione. Et hoc *de Libano*, id eſt, de candore virtutum & ſic fit ſponſa Chriſti in amore ei coniuncta. Aliter tres ſunt abrenuntiationes: Vna cum quis abrenuntiat diabolo. Secunda cum abrenuntiat ſeculo. Tertia cum abrenuntiat ſemetipſum & ſequitur Chriſtum. Anima ergo de Libano ad Chriſtum venit cum pompis diaboli in baptiſmate renuntiat: venit de Libano cum deliciis mundi renuntiat: venit tertio cum voluntatibus propriis renuntiat, & obedientiæ maiorũ ſe per omnia mancipat. Hæc *coronabitur* pro hoc quod fugit *de monte Amana*, hoc eſt, de his qui ſunt inquieti & turbulenti: & quod fugit de monte *Sanir* & *Hermon*, id eſt, de his qui ſunt in peccatis fœtentes, & in bono inſtabiles, & à bonis excommunicati, & pro hoc coronabitur, quod nunc eſt Spiritusſancti templum, B cuius cor prius erat cubile leonum, id eſt dæmonum, vel quod ſegregat ſe ab immundis, qui ſunt cubilia dæmonum, & de montibus pardorum, de ſuperbis falſorum fratrum. Hæc cor Chriſti vulnerat, dum ei pœnitenti per indulgentiam compatitur: cor eius vulnerat dum ei deſideranti per gratiam condeſcendit. Et *hoc in vno oculorum*, id eſt, in vna intentione, quando vnam rem tantum petit à Domino, vt inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ, hoc eſt omni tempore Chriſti, qui eſt vita ſua. *Et in vno crine colli ſui*, id eſt, in vna cogitatione intellectus, qua intelligit eſſe vnum Deum ſummum bonum. Anagogice mons, quem rex a ſiit eſt cœlum, quod Chriſtus rex gloriæ ſubiit, quod eſt *mons myrrhæ & collis thuris*, id eſt, habitatio martyrum, & confeſſorum ibi conſpicitur, *amica tota pulchra*, hoc eſt Eccleſia regnans in omnibus ordinibus ſuis glorioſa. *Et macula non eſt in ea*, quia illa aula non recipit vllam peccati maculam, & quia Angeli ſunt ſine peccato, oportet & eos ſine macula eſſe peccati, qui eis ſunt C coæquandi. *Hæc venit de Libano*, id eſt de candore mundanæ gloriæ in principibus, venit etiam de Libano, id eſt, de albedine virtutum in ſpiritalibus, venit de Libano in baptizatis fidelibus. Hæc de capite trium montium coronabitur, quia deitate trium perſonarum glorificabitur, quod innuunt vocabula montium, *Amana* quippe ſonat excelſus, per quod pater intelligitur, *Samar*, lucerna, quod filius accipitur, *Hermon* conſecratio, quod Spiritusſanctus innuitur.

Et neminem moueat quod diuerſæ ſunt interpretationes montium Hebræorum, quia interpretationes nominum mutantur, ſecundum ſcripturæ diuerſum ſenſum. Aliquando namque in bono, aliquando accipiuntur in malo: In bono accipiuntur quando ad Ieruſalem, id eſt ad multitudinem fidelium referuntur: In malo vero quando ad Babyl. id eſt, ad infideles referuntur. In illa gloria videbit regina regem gloriæ, dilectum ſuum maieſtate coronatum, quem hic vidit ſuo amore in cruce vulD neratum. Ibi erit vnum oculorum & crinium, id eſt, vnitas prælatorum & ſubditorum omnium illa viſione fruentium, quorum erit gaudium Deus pacis, & concordiæ dulcedo omnium. Regina de Libano ad coronandum vocata, cum maximo comitatu venit; In quo comitatu, quadraginta ex fortiſſimis Iſraël ad bella doctiſſimos tenentes gladios, & filias Sion habuit, cum quibus pugnam contra Amana & Sanir & Hermon pro corona iniuit, & victrix regem adiit, quam ipſe hic laude excepit.

Quam pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa. Vſque *ſurge aquilo.* In qua multiplici laude fortia facta eius in bello geſta replicat, quod videlicet pugnaturos mammis armauit, vberibus ad certamen informauit, in prælio ſaucios vnguentis curauit: pauidos labiis confortauit: laſſos in pugna melle & lacte pauit: veſtitos in pugnam remiſit; victores in horto diuerſis herbis & fonte refecit, in paradiſum ad diuerſa genera pomorum introduxit. Deinde in laude decem legiones deſcribit, quas contra acies hoſtium in pugnam direxit. Per hæc omnia multiplicitas Eccleſiæ gentium notatur, quæ de Libano, id eſt, E de candore mundanæ gloriæ cum magno comitatu credentium ad Chriſtum venit. In quo comitatu reges, & principes prophanos, & omnis generis & profeſſionis, & conditionis ſocios habuit, cum quibus ſpiritale bellum contra dæmones animarum hoſtes iniit, & coronam vitæ à rege gloriæ promeruit. De qua pugna vnus de ducibus eius dixit: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates.* Quod eſt dicere: non eſt nobis pugna contra homines, ſed contra dæmones. Item alius fortis prælιator dicit: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea. Fideles quippe militant in caſtris regis ſui contra ciues Babyloniæ pro corona quod eſt immutatio, quando iuſti vt ſol fulgebunt, & æquales Angelis erunt. Nota artificialem ordinem. Prius coronæ mentionem fecit, deinde pugnam ſubintulit: cum pugna præcedat & corona quæ eſt præmium pugnæ ſequatur, quia nimirum corona pugnantibus promittitur, vincentibus dabitur. Et hoc F notandum quod in hac laude hiſtoria deficit, ſicut aliquando allegoria, vel tropologia, vel anagoge non per omnia currit. In primis ſex inſtrumenta ſpiritalis pugnæ laudantur ſcilicet mammæ, vbera, vnguenta, labia, lingua, veſtimenta, per quæ ſex ætates pugnantium notantur. Siquidem per mammas infantes, per vbera pueri, per vnguenta adoleſcentes, per labia iuuenes, per cor ſub lingua ſenes, per veſtimenta decrepiti figurantur: qui ſex operibus miſericordiæ in hac pugna laborant, vt coronam ſenarij, quod eſt plenum gaudium, percipiant. Deinde tria refugia pugnantium ponuntur, ſcilicet hortus, fons, paradiſus: quia in hoc bello peccatis vulnerati in horto Catholicæ Eccleſiæ herbis pœnitentiæ & confeſſionis curantur; fonte lachrymarum lauantur; in paradiſo ſcripturarum reficiuntur. Et ſic in hortum deliciarum ad fontem vitæ Chriſtum transferuntur. Poſt hæc decem legiones pugnantium per decem genera arborum paradiſi, ſcilicet G per cyprum & nardum & reliquas, notantur, quia qui armis præceptorum in hac pugna deſudant, ad denarium præmiorum perducuntur. Ad vltimum fons & puteus in laude ponuntur, quod Euangelium & lex intelliguntur. Quia Chriſtus bellatores ſuos fluentis legis & Euangelij reficit, & laureatos ad refrigerium perducit. Dicit ergo rex nutrici reginæ.

Quam pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa: Meliora ſunt vbera tua vino. Mammæ ſunt puellarum lac non habentium, ſed habiles ad lac habendum: Vbera vero ſunt mulierum lac habentium, & ab vbertate dicuntur. Mammæ Eccleſiæ ſunt infantes in ſcholis diſcentes, & alij in fide rudes adhuc lac doctrinæ ſugentes, & nondum aliis docendo proferentes, ſed ad proferendũ habiles. Hę mammæ valde pulchræ ſunt, quia multũ Deo placent, qui ſunt in diſcendis virtutibus, quæ ſunt arma contra vitia ſtudioſi, quibus quandoque ſunt contra hoſtes Dei pugnaturi. Vbera vero Eccleſiæ ſunt magiſtri, in vtraque lege docti, H qui lac doctrinæ pueris docendis infundunt, & os ad ſpiritale bellum inſtruunt. Vinum quod inebriat & dementat eſt ſecularis philoſophia, quæ mentes hominum inflat & in iactantiam eleuat. *Vbera* autem Eccleſiæ ſunt *meliora vino*, quia doctrina magiſtrorum de vtraque lege perlata eſt vtilior, quia in gemina dilectione ædificatur: quã philoſophica doctrina quæ mentes inflat. Notandũ quod toties repetit *ſoror* & *ſponſa*. Per hoc datur fiducia Eccleſię quod ſit cohæres Chriſti, vt ſoror fratris, & conſors regni vt ſponſa regis. *Et odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata*, vnguenta Eccleſiæ ſunt virtutes ſpiritalium, qui quaſi vnguentis vulnera peccatorum curant, dum eos ad virtutes informant. Aromata ſunt quædam odoramẽta ex multis ſpeciebus ad condienda mortuorum corpora confecta, ſed ſunt ſuperſtitioſa quibus quam maxime Iudæi vtebantur, per quæ carnales obſeruantiæ ſuperſtitioſe notantur. Odor vnguentorum eſt fama virtutum ſpiritalium ex charitate orientium, vel opinio operum quæ fiunt per Spiritumſanctum. Hic odor eſt ſuper omnia Aromata, hoc eſt, magis Deo placet, quam omnia legis ſacrificia, quę fuerunt horum figura. Hęc ideo in cantico amoris

A introducuntur, quia pagani contendebant cum Chriſtianis de philoſophia; Iudæi de legali obſeruantia; Chriſtiani confidebant in ſola diuina gratia. Philoſophi affirmabant ſalutem hominum conſtare in ſtudio ſapientiæ: Iudæi certabant eam conſtare in religione legalis obſeruantiæ: Chriſtiani certabant eam conſtare in fide diuinæ gratiæ. Hanc ſententiam ſponſus Iudex approbat, illorum contentionem reprobat, dicens: *Meliora ſunt vbera tua vino*, hoc eſt, melius eſt ſtudium in ſacra ſcriptura, qua gratia quæritur; quam in philoſophia, quia arbitrium ſine gratia ſalutem non operatur. *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia Aromata*, id eſt, magis placent mihi doctrinæ & virtutes ſpiritalium, quam omnes traditiones phariſæorum carnalium.

Fauus diſtillans labia tua ſponſa. Labia Eccleſiæ ſunt illi, qui aliis doctrinam narrant, quam ipſi de vberibus matris Eccleſiæ ſuxerant. Hæc labia vt fauus diſtillant, dum dulcem doctrinam quam à magiſtris hauſerant auditoribus dulciter inſtillant. Fauus eſt mel in cera. Mel
B autem in cera eſt ſpiritalis intelligentia latens in litera. Sed fauus diſtillat, dum dulcis allegoria de litera manat. Aliter. In fauo mel latet, cera videtur: ſic fragilis caro videtur, in qua ſapientia vt mel in cera abſconditur. *Mel & lac ſub lingua tua*, lingua eſt interpres cordis, quia quod cor cogitat hoc lingua profert. Cor Eccleſiæ ſunt ſapientes, qui per ſpiritum ſapientiæ diuinos ſenſus concipiunt, & eos ſcribunt. Lingua vero eius ſunt, qui ea interpretando proferunt, quæ illi vt cor conceperunt. Mel eſt dulcis doctrina allegoriæ, quæ doctis congruit: Lac vero eſt ſimplex doctrina hiſtoriæ, quæ paruulis, id eſt, indoctis conuenit. Mel & lac ſub lingua Eccleſiæ eſſe dicitur, cum vtraque doctrina allegorica & hiſtorica corde concepta, tanta verborum dulcedine profertur, quanta dulcedo in melle & lacte ſentitur. *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, veſtimento nuda fœditas tegitur. Veſtimenta Eccleſiæ ſunt bona opera, quibus tegitur turpitudo præcedentium delictorum. Odor ergo veſtimentorum eſt exemplum bonorum operum,
C quibus contra vitia pugnaturi, quaſi lorica veſtiuntur, qua poſſint, omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Qui odor eſt ſicut thuris, quia ſic placet Deo ſtudium bonæ actionis, ſicut incenſum orationis. Odor enim thuris deſignat incenſum orationis, vt ſcribitur: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.*

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus. In his qui ſunt mammæ, id eſt, imperfecti es hortus concluſus & ſoror: In his qui ſunt vbera, id eſt, perfecti, es hortus concluſus & ſoror ſponſa. Iterum in his qui ſunt odor vnguentorum tuorum, id eſt, contemplatiui es hortus concluſus: in his qui ſunt odor veſtimentorum, id eſt, actiui, es hortus concluſus: item in his qui ſunt labia, es hortus concluſus: in his qui ſunt lingua, es hortus concluſus. In horto creſcunt herbæ medicinales, & diuerſi flores. Hortus eſt Eccleſia in qua multæ ſanctorum virtutes ſunt, diuerſæ herbarum ſpecies, diuerſis vulneribus peccatorum medicinales: In hoc horto ſunt varij flores, diuerſi electorum ordines, martyres vt roſæ, confeſſores vt violæ,
D virgines vt lilia, alij fideles vt alij flores. Huius horti hortulanus eſt Chriſtus, qui & ſponſus, qui eum plantat gratia, irrigat doctrina. Hic hortus eſt concluſus in contemplatiuis, ſcilicet præſidio Angelorum contra dæmones munitus. Hic etiam concluſus in actiuis, quia munimine doctorum contra hæreticos eſt circumſeptus. In quo horto herbæ & flores ſunt quique fideles fide & opere florentes. Similitudo eſt ab horto paradiſi, qui dicitur vndique igneo muro eſſe concluſus, & cuſtodia Angelorum munitus, vt homines inde prohibeat ignis: Angeli dæmones ex eo arceant. Ita Eccleſia hortus Dei eſt, diuino præſidio & igneo muro circumdata, & Angelica cuſtodia munita, vt nec dæmones nec mali homines ei ad nocendum præualeant: hoc ideo dicitur, vt in ſpiritali pugna eorum impetus non timeatur, cum eam tanta præſidia muniant. In hoc horto eſt fons qui eum irrigat, ſcilicet ſacra ſcriptura, cuius fluentis Eccleſia irrigatur. Hic fons eſt ſignatus, quia ſacræ ſcripturæ intelligentia eſt cum

E litera ſignata, ſicut ſub ſigillo ſcriptura: ne indignis pateat quid ſecreti ſponſa habeat. In hoc horto etiam eſt fons baptiſma, in quo lauantur criminum vulnera, qui eſt ſignatus, ſcilicet ſancta cruce vel verbo Dei conſecratus, ethnicis ſigillatus, cathecumenis reſeratus. Aliter, Fons ſordes abluit, ſitim extinguit, imaginem reddit. Qui fons eſt Chriſtus, qui eſt fons vitæ, de quo fluunt flumina aquæ viuæ, ſcilicet dona Spiritus ſancti, quibus irrigat hortum Eccleſiæ vt proferat ſpiramina florum vitæ. Hic ſordes peccatorum abluit, ſitim ſitientium iuſtitiam, ſatietate ſuæ viſionis extinguit, imaginem Dei amiſſam animabus reddit. Hic erat ſignatus, quia carne quaſi ſigillo erat velatus. Nunc eſt ſignatus, quia in gloria patris à nobis cælatus. Hic etiam fons Dauid patens ſcribitur, quia miſericordia Chriſti omnibus pœnitentibus patet, vt lacrymis ſe abluant: ſicut Dauid vulnera ſui reatus in eo lauabat. Sed & ipſa Eccleſia eſt fons, quia ſpiritali gratia & ſapientia redundans, de qua manant plena fluenta doctrinæ, quibus plantaria horti ſui irrigat, vt
F plurimas emiſſiones proferant. *Emiſſiones* ſunt virgulæ de arboribus vel herbis pullulantes. De quibus ſubditur.

Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Hortus Eccleſiæ irrigatus à fonte ſcripturæ tot virgulta emiſit, quod inde paradiſus ſuccreuit. Hortus eſt locus vbi herbæ vel olera creſcunt, paradiſus vbi arbores creſcunt. Paradiſus voluptatis ad literam eſt locus in orientis partibus, omnibus corporalibus deliciis plenus, in quo primi parentes fuerunt, de quo propter culpam inobedientiæ excluſi ſunt. In hoc eſt fons de quo paradiſus irrigatur, qui & in quatuor flumina diuiditur. In hoc eſt etiam lignum vitæ, id eſt, talis arbor ſi homo inde comediſſet nunquam corporaliter mori poſſet. Vnde poſt culpam ſcribitur: *Videte ne forte ſumat de ligno vitæ & viuat in æternum.* Ibi erat quoque lignum ſcientiæ boni & mali, de quo ſi comederent bonum & malum ſcirent. Ante comeſtionem fructus huius arboris Adam nouit bonum & malum, bonum per experientiam, malum tantum per ſcientiam: ſicut medicus nouit
G dolorem vulneris per ſcientiam, non per experientiam: poſt peccatum autem nouit malum, id eſt, famem, ſitim & alia incommoda per experientiam, bonum tantum per ſcientiam: quod non erat in arboris natura, ſed in hominis inobedientia. Qui ſunt prouinciales circa paradiſum, dicunt ſibi de paradiſo immitti flores, & fructus per flumina quæ inde exeunt, vnde ille populus viuit. Allegorice Eccleſia eſt paradiſus, omnibus ſpiritalibus deliciis plenus. Paradiſus etenim dicitur hortus deliciarum, & in Eccleſia ſunt omnimodæ deliciæ ſcripturarũ, diuerſarum artium, multarum virtutum. In quo paradiſo eſt fons, id eſt, baptiſmus vel Chriſtus, per cuius fluenta, quod ſunt ſpiritalia chariſmata, irrigatur talis paradiſus. Quatuor huius fontis flumina ſunt quatuor Euangelia. Lignum vitæ eſt ſancta crux, cuius fructus eſt Chriſti corpus, de quo qui digne comederit, non morietur in anima in æternum. Ligna fructifera ſunt ſancti: fructus lignorum ſanctorum opera: lignum ſcientiæ boni & mali eſt liberum arbitrium. In hoc ſpiritali paradiſo creſcunt di-
H uerſa genera arborum, id eſt, diuerſi ordines electorum. Ibi creſcunt *mali punici*, ſcilicet arbores Africanæ quæ proferunt mala Punica, vel rubea, quæ dicuntur Malogranata, id eſt, granis plena, quæ ſunt martyres rubei ſanguine, operibus vt granis pleni. Has arbores ille hortus fonte irrigatus emiſit, dum ſancta Eccleſia baptiſmate perfuſa martyres protulit, cum pomorum fructibus ſcilicet cum bonorum operum exemplis. Ibi creſcit & *cyprus*. quæ eſt arbor aromatica in Ægypto habens ſemen ſimile coriandro, vt habuit manna album, ſublucidum & odorum, quod oleo coquitur, & inde ſuccus exprimitur, qui cyprus dicitur, vnde regium vnguentum conficitur, ita dictum quod regius morbus eo curatur. Cyprus arbor aromatica abundans in Ægypto, eſt ſpiritalium conuerſatio, quæ primitus florebat in Ægypto, ſiue in tenebris huius mundi quod Ægyptus ſonat. Huius ſemen ſimile eſt mannæ, quod habuit omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuauitatis:

A quia vita iuſtorum habet omne ſpiritale delectamentum, & omnem ſaporem ſanctitatis. Semen eſt album, lucidum, odorum: quia eorum conuerſatio eſt alba in caſtitate, lucida in operatione, odora in charitate. Succus eius cum oleo coquitur, & in regium vnguentum vertitur, quia illorum vita flammis tentationum vt aurum probatur, quia regius morbus id eſt, lepra animæ vt vnguento curatur. Hoc vnguentum Maria Domino in domo Simonis leproſi obtulit, quia Eccleſia ſuo exemplo hæreticos à lepra animæ, ſcilicet de hæreſi curans Domino offert. Ibi creſcit & *nardus*, quæ eſt arbor aromatica, id eſt, aromatibus apta, ſed parua, benè redolens, & calens, vnde optimum vnguentum conficitur, quod ſunt humiles & innocentes, qui ſe coram proximis paruos, id eſt, deſpectos faciunt, & odore atque ardore charitatis ſaucios in peccatis vngunt. Ibi creſcit & *crocus*, flos rubicundus, id eſt, aurei coloris, quod ſunt ſapientes, diuina ſapientia fulgentes. Ibi creſcit & *fiſtula*, B breuis arbuſcula aromatum, quæ caſia, robuſti & purpurei corticis, quæ ad curandas viſcerum moleſtias valet, quæ pro ſui breuitate à quibuſdam inter herbas odoriferas reputatur, quod ſunt patientes pro Chriſto & pro fratribus animas ponere parati. Ibi creſcit & *Cynamomum* arbor breuis, ſed odorifera, & dulcis cineræi coloris ad medicamentum vſum fiſtulæ duplo præſtans, quod ſunt pœnitentes, qui ſe infirmos reputant, & in cinere pœnitentiam agentes, dulcem odorem Eccleſiæ præſtant. Cynamomi arbor habet tres cortices: ſuperior dicitur fiſtula, medius cynamomum, tertius amomum. Medius eſt dulcior cæteris; hi autem ab aliquo diuiſi ex nimio feruore ſoluuntur ab arbore quod ſunt monachi, qui ſe ſoluunt à mundo amore Chriſti. Hæ arbores creſcunt in illo paradiſo, cum vniuerſis lignis Libani, id eſt, cedris & aliis odoriferis lignis, quod ſunt vniuerſi fideles, quorum fides & operatio imputribilis & odorifera eſt. Ibi creſcit & *myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Myrrha eſt arbor cuius ſuccus eſt ſtacte, à vermibus & putredine carnem conſeruans, quod ſunt heremitæ vel C caſti, ſe in vitiis mortificantes, & carnem ſuam à putredine libidinis conſeruantes. Aloe eſt etiam arbor ſuauiſſimi odoris, adeo vt adoleatur altaribus vice thimiamatis: habet vero ſuccum amariſſimum reſiſtentem putredini, quod ſunt continentes per amaritudinem vitæ laſciuiam carnis reprimentes. Prima vnguenta ſunt pretioſiora: quæ de primis floribus pretioſarum ſpecierum fiunt, vt illud Mariæ in Euangelio ſpicatum pretioſum, quod ſunt prælati & alij primis cariſmatibus Spiritusſancti, ſcilicet primis credentium donis pleni, qui cum verbo & exemplo flagrant, quaſi vlcera languidarum animarum curant. Notandum quod hæ ſpecies arborum vel herbarum introducuntur, de quibus vnguenta conficiuntur, quia per has notantur ordines electorum, quaſi cohortes in caſtris regis militantium, quorum vulnera per vnguenta curantur. Ideo & ſponſam horto & fonti & paradiſo comparat, quaſi ei aperte dicat, ne timeas pugnare contra acies *Amana*, quia tales bellatores in comitatu habes, de quorum conſtantia & armis ſecura hoſtes ſupe D rabis, & victrix à me coronaberis. Et tu vulneratos in bello herbis tuis curabis, quia tu es hortus medicinalium herbarum: & laſſos fluentis tuis refocillabis, quia tu es fons ſpiritualium aquarum: & victores pomis tuis ſaturabis, quia tu es paradiſus, id eſt, hortus pomorum, ſpiritualium ferculorum. Sciendum vero ad literam quod Salomon in Libano talem hortum muro concluſit, in quo has ſpecies herbarum vel arborum plantatas habuit: in quo & fons Iordanis erupit de quo & ſubditur.

Fons hortorum puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de libano. Hortorum ideo dicitur, quia ſuperius duos hortos poſuit. Aquæ viuentes ſunt, quæ fluunt: Aqua enim quæ ſtat quaſi mortua eſt, quaſi viuit quæ currit. Notandum quod dicit, *quæ fluunt impetu de Libano*, quia fluenta Iordanis cum magno impetu fluunt de Libano. Duo fontes ſunt Ior & Dan, vbi illi duo confluunt, Iordanem fluuium faciunt: Ideo hic abundantia aquarum introducitur, vt redundantia præmiorum E demonſtretur, quæ victoribus dabitur, qui ad fontem vitæ Chriſtum & ad puteum aquarum viuentium, id eſt, Spiritumſanctum puteum ſpiritualium donorum perducuntur. Siquidem decem genera arborum paradiſi poſuit, per quæ decem ordines electorum ſpiritualis paradiſi expreſſit, qui ſub decem præceptis contra vitia pugnant, vt præmium denarij, ſcilicet coronam gloriæ, percipiant. Talis eſt fructus horti; fons autem eius, id eſt, irrigatio eius, eſt *fons hortorum & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Fons eſt vbi flumen funditur: Puteus vbi aqua in profundo latet. Fons ergo hortorum eſt Euangelium, irrigatio Eccleſiarum, in actiua & contemplatiua vita degentium. Hic fons de Libano erupit, in hortum Ieruſalem cucurrit, de monte Sion fluxit, omnes hortos orbis irrigauit: quia Euangelica doctrina de Chriſto erupit in hortum Ieruſalem, id eſt, in primitiuam Eccleſiam, cucurrit, de monte Sion per Apoſtolos in gentes fluxit, & omnes Eccleſias F irrigauit. Puteus autem aquarum eſt profunda lex diuinorum ſenſuum, qui latent in legis litera, vt in profundo puteo aqua. Quæ aquæ ſunt viuentes, quia eos viuere faciunt, qui eas ſpiritualiter intelligunt. Hæ aquæ fluunt cum impetu de Libano, quia veniunt cum abundantia de Iudaico populo. Libanus enim dicitur dealbatio, & intelligitur Iudaicus populus, diuino cultu dealbatus. De hoc Libano fluenta legis & prophetarum fluxerunt, & per Apoſtolos cum impetu in Eccleſia gentium manauerunt, qui ſcripturas abunde ſpiritualiter expoſuerunt. Aliter Libanus dicitur candidatio, & intelligitur Chriſtus de caſta virgine natus. De hoc Libano aquæ cum impetu fluxerunt, quando dona Spiritusſancti tanquam Spiritus torrens in credentes inundauerunt, & eos ſcientia omnium linguarum repleuerunt. De his aquis ipſe dixit: *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, id eſt, cariſmata Spiritusſancti, quæ faciunt credentes cum Deo viuere. Hoc totum hic introducitur, vt ſciat ſponſa, quod ita eius bellatores replentur doctrina Chriſti & donis Spiritusſancti: & ita remu- G nerabuntur ſicut Apoſtoli bellatores Chriſti repleti ſunt doctrina Chriſti, & donis Spiritusſancti, remunerati ſunt præmio vitæ. Fons etiam ſignificat eos qui capaces ſunt verbi Dei: Puteus vero eos qui vix intelligunt myſteria. Ciſterna eſt collectio aquarum pluuialium, quod ſunt dogmata hæreticorum. Tropologice fidelis anima eſt *ſponſa* Chriſti, per amorem ei coniuncta, & pariens ſpirituales filios, id eſt, bona opera. Hæc eſt etiam eius *ſoror*, quia eius regni cohæres. *Qui enim patiuntur perſecutionem, propter iuſtitiam ipſorum eſt regnum cælorum.* Anima habet ſua membra ſibi congrua. Huius *mammæ* ſunt ſtudia diſcendi & legendi, quibus haurit lac, quo poſtmodum paruulos, id eſt, indoctos nutriat, *vbera eius* ſunt ſapientia & ſcientia, de quibus lac doctrinæ indoctis miniſtrat. Eius *vnguenta* ſunt bonæ exhortationes, quibus vulnera animarum curat, magis quam vinum ſecularis prudentiæ. *Labia eius* ſunt confeſſio, qua ore confitetur, quod corde credit, vel peccata in confeſſione aperit. Lingua eius eſt interpretatio cogitationis, cum bonum con- H ſilium cordis ore vel ſcripto loquitur. *Veſtimenta eius* ſunt virtutes, quibus ita decoratur vt corpus veſtibus, vnde ſcribitur: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis & indumento lætitiæ.* Anima etiam eſt hortus, quia ſimilis horto, ſcilicet bonis ſententiis, vt hortus herbis plena virtutibus vt hortus floribus. Qui hortus *eſt concluſus*, id eſt, bonis operibus circumſeptus à dæmonibus. Ipſa etiam *eſt fons*, quia de ea fluit cœleſtis doctrina, quæ irrigat alios hortos, ſcilicet fideles animas, qui *fons* ſignaculo ſanctæ fidei eſt ſignatus. Anima ſancta nihilominus eſt *paradiſus*, plena ſpiritualibus deliciis: huius paradiſi fons eſt charitas, quæ irrigat hunc paradiſum, vt proferat pretioſum fructum. Quatuor flumina paradiſi, ſunt quatuor principales virtutes, ſcilicet. Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia. *Lignum vitæ* ſapientia, *fructus eius* immortalitas. Ligna fructifera vtiles diſciplinæ. Fructus lignorum, mores piorum. *Lignum ſcientiæ boni & mali*: obſeruatio mandati. Vnguentaria ligna, ſcilicet

nardus,

A nardus,& crocus , & alia , ſunt virtutes Caſtitas , Boni-
tas,Humilitas,& alia infirmantium animarum vnguenta
Fons & puteus in ea eſt Euangelica & legalis doctrina,
ſiue ſcientia. Anagogice paradiſus exultationis , eſt ha-
bitatio ſanctorum in cœlis , plena omnibus deliciis. In
hunc paradiſum raptus eſt Paulus , & in hunc introduxit
latronem Dominus. In hoc paradiſo fons qui fluit de lo-
co voluptatis , eſt Chriſtus , fons vitæ fluens de corde
patris , de quo manat vita omnium. Lignum vitæ eſt
Dei ſapientia , vel ſpiritusſanctus vitam æternam inſpi-
rans omnibus. Fons & puteus aquarum viuentium , eſt
plenitudo omnium gaudiorum. In cæteris huius capitu-
li deficit anagoge. Sunt ergo quatuor paradiſi ſcilicet pa-
radiſus voluptatis , terreſtris ; paradiſus exultationis, ce-
leſtis : paradiſus religionis , Eccleſiarum ; paradiſus vir-
tutis , animarum. Poſtquam Amana in bello cum ſuis
victus ſuccubuit ,ecce Aquilo alius hoſtis graue bellum
reginæ intulit , ſed victus in hortum fugit , ibique vt la-
B tro *in inſidiis* latuit. In quo dum regina victorem exer-
citum reficeret , rex aduenit & hoſtem latentem repe-
riens de horto confuſum expulit, atque Auſtrum culto-
rem horti inuitauit , dicens.

Surge Aquilo & veni auſter : perfla hortum meum. Sci-
licet poſtquam ceſſauit perſecutio tyrannorum & coro-
nata eſt patientia ſanctorum, protinus ſurrexit in Eccle-
ſia veſania hæreticorum quæ atrocius Eccleſiæ bellum
intulit, quam prius à paganis pertulit. Pernicioſior enim
eſt hoſtis, qui intra mœnia poſitus ciues impugnat,quam
qui extra excluſus muros oppugnat. Dum ergo poſt ſu-
dorem perſecutionis milites Chriſti in horto Eccleſiæ
fruerentur quiete pacis , ecce tortuoſus draco à martyri-
bus victus de antro maliciæ caput extulit , virus perfidiæ
per agmina Chriſti fudit. Et vt latro de inſidiis improui-
ſus proſiliuit , atque incautos milites telis erroris vique-
quaque proſtrauit. Siquidem inauditam hæreſim per ma-
lignos homines mentibus fidelium infudit , qua totum
C hortum Eccleſiæ quaſi quadam lepra viciauit:ſed rex glo-
riæ Chriſtus ſuis auxilium præbuit,dum vniuerſam hære-
ſim per ſapientes deſtruxit, & de horto ſuo flagellis ana-
thematis expulit. Expulſo autem Aquilone,Auſter intra-
uit,quia eiecta hæreſi de Eccleſia , Auſter ſcilicet ſpiritus
ſanctus hortum perflauit , dum veram fidem doctoribus
inſpirauit.Et mox fluxerunt horti aromata,dum ſancti pa-
tres protulerunt veræ fidei dogmata.Rex ergo adueniens,
dicit , *O aquilo* , hoſtis maligne , de latebris tuis *ſurge*,
& de horto meo diſcede:tu autem *Auſter* , cultor horti,
veni perfla hortum meum , & fluant aromata illius , quæ
ſufficiant victoribus. Aromata ſunt odoramina , ſcilicet
fructus arborum prædictarum,nardi , cynamomi,& alia-
rum Libani. Ideo dicit fluant,quia aromata de arboribus
ardore ſpiritus fluunt,vt reſina de cedro vel abiete Aqui-
lo eſt ventus durus & frigidus , qui tranſtringit ac flores
necat. Auſter vero ventus calidus & blandus,qui terram
ſoluit & flores producit. Aquilo eſt diabolus,qui duram
perſecutionem Eccleſiæ intulit , & vt ſtrictam terram
D fideles de fructu bonorum operum prohibuit , & in fide
florentes per varia tormenta necauit. Hic in horto vt la-
tro in inſidiis latuit , dum victus in perſecutione virus
occultum vt draco hæreticæ prauitatis in fideles euo
muit. Auſter autem eſt Spiritus ſanctus , qui ſua gratia
hortum perflauit, dum rectam fidem Eccleſiæ inſpirauit,
& terram, id eſt , corda ſubuerſa de gelu perfidiæ ſoluit,
& flores fidei produxit , quo flante horti aromata fluxe-
runt , quia mox fidei documenta per ſcripta patrum re-
dundauerunt. Eccleſia vocatur hortus per ſimile , quia
ſicut in horto ſunt lilia , roſæ & alij flores, & herbæ ſa-
lubres , & item cardui vrticæ , & aliæ herbæ nociuæ &
inutiles : ſic ſunt in Eccleſia martyres,confeſſores, virgi-
nes,& alij fideles. Sunt etiam hæretici,ſchiſmatici,& fal-
ſi fratres. In his latet Aquilo : In illis flat Auſter , & de
ipſis fluunt aromata virtutum. Aliter per Aquilonem
mundi aſpera ; per Auſtrum intelliguntur proſpera. His
dicitur permittendo non iubendo, vt ad tentandum ſur-
gant,hortum perflent,vt aromata fluant,hoc eſt, tribula-
tiones fidelibus inferant,vt exemplo patientiæ eorum,&
conſtantiæ bene fragrantia vt Iob ad multos perfluant. E
Sæpius proſpera quam aduerſa animum tentant , quia
aduerſa animum ab illecebris carnis abſtrahunt , proſpe-
ra vero ad laſciuiam alliciunt. Tropologice hortus eſt
clauſtrum,flores & herbæ ſalubres fratres in fide & dile-
ctione vnanimes , vrticæ & herbæ inutiles,ſunt hypocri-
tæ & falſi fratres. Aquilo in horto ad tentandum ſur-
git, dum diabolus per falſos fratres concordiam fratrum
perturbat : ſed Auſter veniens hortum perflat, dum Spi-
ritus ſanctus conuentum fratrum in patientia & concor-
dia corroborat. Aromata fluũt,dum virtutes prius occul-
tæ tentationibus probatæ,ad notitiam proximorum pro-
derunt. Anagogice vero Aquilo in horto ſurgit , cum
Antichriſtus adhuc Eccleſiam impugnabit , ſed Auſter
hortum perflabit , cum gratia Spiritus ſancti , fidelibus
conſtantiam fidei contra eum inſpirauerit : tunc aroma-
ta horti fluent , quia pro fide Chriſti martyria redunda-
bunt. Aliter Aquilo ſurgit,vt de horto diſcedat, cum oc-
ciſo Antichriſto perſecutio de Eccleſia recedet. Auſter
vero hortum perflabit, cum multitudo lapſorum ad pœ- F
nitentiam per inſpirationem ſancti Spiritus redibit.Tunc
fluent horti aromata,quia exempla patientiæ & conſtan-
tiæ ſanctorum ſub Antichriſto in Eccleſia redundabunt.
Aliter, Aquilo de horto recedit,cum diabolus de Eccle-
ſia vltimo iudicio damnatus diſcedet. Auſter hortum
perflabit , cum Chriſtus veniens conſolatione Spiritus
ſancti Eccleſiam recreabit. Tunc horti aromata fluent,
quando iuſti æterna præmia pro meritis recipient. Aqui-
lone recedente , & Auſtro in hortum veniente , regina
aromata colligit,quibus victores reficit , & regem foris
ſtantem ad epulas victorum inuitat , dicens.

CAPVT V.

*VEniat dilectus meus in hortum ſuum , vt comedat
fructum pomorum ſuorum.* Scilicet perſecutione per
Chriſtum annihilata & hæreſi vbique damnata, Eccleſia G
iam in pace & concordia fidei degens , & multa tenta-
menta ſuſtinens , ſcripta patrum quaſi aromata collegit,
exemplo illorum virtutum ſpiritualium quaſi conui-
uium inſtituit , cui Chriſtum intereſſe optat , vt opus
ſuum acceptabile fiat dicens , Qui ſe promiſit mecum
vſque ad conſummationem ſeculi manſurum , ipſe nunc
per gratiam veniat in me hortum ſuum. vt qui me inter
perſecutores & hæreticos illæſam cuſtodiuit , nunc in
pace degentem a tentationibus aduerſitatum , & pro-
ſperitatum inconcuſſam cuſtodiat. Ac de me tales emiſ-
ſiones producat , quarum pomorum fructus ipſe come-
dat , hoc eſt , tam ſpirituales velit de me pullulare, quos
ſibi vt ſuauem cibum velit incorporare. Poma etenim
horti ſunt in Eccleſia electi. Fructus pomorum , ſunt
opera bonorum. Fructus pomorum ſuorum dilectus
comedit , cum Chriſtus electos per bona opera ſibi
incorporabit , vt ſint vnum cum Deo ſicut cibus in cor-
pus comedentis vertitur. Aliter Eccleſia dolens ſynago-
gam à fide Chriſti tamdiu ſeparari, orat eam ſibi aſſocia- H
ri , dicens : *Dilectus meus* , qui de me horto ſuo Aquilo-
nem diabolum per fidem expulit , & Auſtrum ſpiritum-
ſanctum per gratiam introduxit,& aromata chariſmatum
in me multiplicauit : ipſe etiam per gratiam veniat in Iu-
dæam *hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum.*
Id eſt , vt per fidem incorporet ſibi multitudinem con-
uertendorum. Moraliter. Dilectus in hortum venit , &
fructum pomorum ſuorum comedit , cum Chriſtus do-
na ſua in cœtu ſpiritualium multiplicauit , & ſe operibus
eorum vt ſuaui cibo refecit. Iuxta altiorem ſenſum, dile-
ctus horti fructum comedit , cum Chriſtus electos de
hoc mundo in gloriam ſuam aſſumpſerit. Rex ad conui-
uium reginæ ingreſſus , dicit.

*Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa:meſſui myrrham
meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle
meo : bibi vinum meum cum lacte meo* Per myrrham
martyres ; per aromata confeſſores accipiuntur. Fauus
eſt mel in cera , & ſignificat animas in corpore : Mel
autem extra ceram animas extra corpora. Per fauum ex-

A primuntur hi, qui cum Domino corporaliter ſurrexerunt, & cum eo corporaliter aſcenderunt. Per mel autem animæ ſanctorum, de inferno per Chriſtum liberatorum. Per vinum notantur hi, qui in primitiua Eccleſia alios doctrinis inebriauerunt. Per lac hi qui lacte doctrinæ nutriti ſunt. Sex ordines electorum poſuit quos ad gloriam perfectorum perduxit. Senarius quippe numerus qui perfectus eſt, perfectionem innuit, quaſi dicat: O Eccl. *ſoror mea* in hæreditate, *ſponſa mea* in ſpirituali generatione: Ego iam *veni* per incarnationem, *in hortum meum* Iudæam, & iam *meſſui myrrham cum aromatibus* quia collegi ad me meſſem martyrum in cœlum cum confeſſoribus fide & opere bene olentibus. *Comedi fauum cum melle*, quia quos corporaliter ſuſcitaui, iam in gloriam ſumpſi cum animabus, quas de inferno liberaui. *Bibi vinum cum lacte*, quia doctores cum auditoribus iam angelis in cœlis aſſociaui dicens: O vos angeli *amici comedite*, & vos archangeli chariſſimi *bibite & B inebriamini*, quod eſt dicere. Hos quos de terris cum triumpho adduxi, vt ſuauem cibum vobis aſſociando incorporate, & vt dulcem potum in gaudium veſtrum introducite. Et ſicut epulantes variis ferculis & potibus gaudent ſatiari: ita gaudete iſto veſtro conſortio annumerari. Hoc totum ideo replicat, quaſi Eccleſiæ gentium dicat, Sicut illos de primitiua Eccleſia mea incarnatione, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione iam glorificaui: ita adhuc conuertendos de Iudæis glorificabo. Similiter & de te ortos, & in fide perfectos Angelis in gloria aſſociabo. Aliter. O ſoror & ſponſa, tu oras vt veniam in te hortum meum, ferendo tibi contra mundi tentamenta auxilium; ego autem veni in hortum tempore perſecutionis, ferens auxilium martyribus: quos iam coronaui pro cruciatibus. Veni etiam in auxilium confeſſoribus, contra hæreticos certantibus; quos iam glorificaui in cœleſtibus: ita te contra tentamenta mun-C di certantem iuuabo, & vincentem coronabo. Iam in horto meo meſſui myrrham meam, id eſt, martyres in Eccleſia amara pro me paſſos ad me in gloriam collegi cum aromatibus meis, hoc eſt cum omnibus qui fama bonorum operum ſunt inſignes vt confeſſores. Notandum quod dicit *meis*: quia & hæretici habent ſuos martyres & ſuos confeſſores; qui non Chriſti, ſed myrrha ſunt diaboli. Tu inuitas me ad conuiuium, iam comedi fauum cum melle meo, iam bibi vinum meum cum lacte meo. Fauus ſunt hi, qui in ſcripturis dulcedinem ſpiritualis intelligentiæ quærunt, & aliis dilucidant. Mel ſunt hi qui epulas diuini verbi ſibi appoſitas libenter guſtant, & his inſatiabiliter veſci deſiderant. Vinum ſunt fortes cœleſtium doctores, alios ſapientia inebriantes. Lac ſunt infirmi adhuc auditores, qui lacte doctrinæ nutriuntur ad bonos mores. Hos omnes vt dulcem cibum mihi incorporaui, & vt ſuauem potum in me transfudi, quia omnes in gloriam aſſumpſi. Nunc alloquitur rex victores in horto epulantes, hoc eſt, omnes in Eccleſia D de vitiis triumphantes. *Comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi.* Quod eſt dicere: Vox Eccleſiæ bellatores, mei amici, qui facitis quæ ego præcepi meo exemplo, *comedite fauum cum melle*, id eſt, tales viros vobis aſſociate, qui dulci doctrina vos eſurientes iuſtitiam reficiant: & meo exemplo *bibite vinum cum lacte*, hoc eſt, tales doctores vobis coadunate, qui vos ſitientes iuſtitiam vino ſapientiæ inebrient, & lacte doctrinæ nutriant. A talibus ſapientia inebriamini, & repleti charitate eritis mihi chariſſimi, & eritis mihi cibus & potus vt ipſi, & vos mihi vt illos incorporabo, & mecum in gloria collocabo. Moraliter, ſponſus myrrham in horto metit, cum Chriſtus de cætu ſpiritualium mortificantes membra ſua, & crucifigentes vitiis & concupiſcentiis falce mortis præcidit, & in cellaria beatitudinis perducit. Aromata metit, cum redolentes in virtutibus ad vitam colligit. Fauum cum melle comedit, cum dulces in moribus & operibus aſſumit. Vinum cum lacte bibit, cum ſapientes cum ſimplicibus ad gloriam eligit. Iuxta anagogen Chriſtus myrrham & Aromata de horto metit, cum electos quoſdam in Eccleſia tribulationibus ama-

E ricatos, quoſdam virtutibus bene olentes in hortum beatitudinis colligit. Fauum cum melle comedit, cum doctores dulcedinis, in dulcedine æternæ quietis collocabit. Vinum cum lacte bibit, cum ſubditos potum doctrinæ haurientes, de torrente voluptatis ſuæ inebriabit, dicens angelis: *Comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi*, hoc eſt, ita gaudete de ſocietate iſtorum, ſicut epulantes lætantur de diuerſi cibi & potus ſatietate. Solet quæri a quibuſdam vtrum homo eſſet conditus ſi angelus non fuiſſet lapſus. Putant enim lapſum angelorum cauſam fuiſſe creationis hominum: ſed hi falluntur. Ratione quippe docente, & ſacra authoritate conſentiente, ſi tota numeroſitas angelorum in cœlo perſtitiſſet, tamen multitudo hominum in terra creata eſſet. Et ſicut angelus in vniuerſitate habet ſuum locum: ita homo in vniuerſitate habet ſuum. Siquidem tota ſcriptura clamat hunc mundum propter hominem factum: quod ſi homo non eſſet creatus, conſequenter & hic F mundus non eſſet conditus. Quod abſurdiſſimum eſt. Quem errorem Spiritus ſanctus præuidens, & per ſcripturam præcauens quod ante creationem angeli vel hominis creatus ſit pronunciat, clamans: *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Cœlum autem & terra eſt mundus. Ad quid fecit cœlum? vt eſſet habitatio angelorum. Ad quid terram? vt eſſet habitatio hominum. Domino autem atteſtante angelus & homo ſimul facti ſunt, dicens ad Iob. *Ecce Behemoth quem feci tecum*, quod eſt dicere, quando feci angelum, feci & hominem. Sacra autem ſcriptura omnia ſimul facta clamat dicens: *Qui manet in æternum creauit omnia ſimul.* Igitur homo non propter angelum, ſed propter ſeipſum factus eſt: mundus autem propter ipſum factus eſt. Et lapſus angelorum per hominem reparatus eſt, quia Deus creator homo factus eſt, conſequenter & homo Deus factus eſt. Item quæritur vtrum filius Dei eſſet incarnatus, ſi homo non fuiſſet lapſus. Putant enim caſum hominis, cauſam G fuiſſe Chriſti incarnationis: ſed hi non falluntur: Ratio enim manifeſte clamat, & Sacræ ſcripturæ auctoritas conſonat, quod quia homo in paradiſo peccauit, propterea Deus hominem aſſumpſerit. Ab æterno quippe erat apud Deum prædeſtinatum, quod homo deificaretur. Sicut enim Deus eſt immutabilis, ita & prædeſtinatio eius eſt immutabilis. Et ſi Deus non incarnaretur homo non deificaretur. Et ſic prædeſtinatio Dei immutaretur, quod erat impoſſibile. Igitur oportuit Deum incarnari, vt poſſet homo deificari. Huic rationi videtur authoritas adſtipulari. Siquidem antequam Adam peccaret, Deus per Adam prædixit, Chriſtum de carne Adam incarnandum, & Eccleſiam ei coniungendam, ita dicens: *Erunt duo in carne vna*, hoc Apoſtolus ita exponit dicens: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ecce ante peccatum hominis prædicta eſt incarnatio Dei: quia ergo homo peccauit, propterea Chriſtus immortalis factus eſt mortalis. Qui ſi in H ſtatu immortalitatis naſceretur, nunquam moreretur, & homo ſine interpoſitione mortis eius deificaretur. Quod fieri non potuit. Quia ergo Chriſtus in illo ſtatu natus eſt quo mori poſſet, ideo mori voluit: quia vero ad vitam reſurrexit, mortem homini abſtulit, & vitam amiſſam reddidit. Et ſicut in illo ſtatu mortis omnes moriuntur, ſic in iſto ſtatu vitæ omnes in Chriſto viuificabuntur, & ſecundum immutabilem prædeſtinationem Dei deificabũtur. Vnde dicit Apoſtol. *Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem*, q. d. antequam mundus eſſet ſtatuit Deus filium ſuum incarnari, & nos homines in ipſo deificari. Hunc dum fugit apoſtata angelus in cælo in patris claritate regnantem, inuenit eum in matris terræ gremio latentem, ſeſe quandoque iudicantem. Adhuc quæritur. Si homo in paradiſo perſtitiſſet, vtrum mali ex eo naſcerentur. Sed ratio docet quia ſi homo non peccaſſet iuſtus & immortalis eſſet, & omnes qui in illo ſtatu naſcerentur iuſti & immortales eſſent. Soli ergo iſti naſcerentur. Poſtquam autem homo peccauit, iniuſtus & mortalis fuit, & omnes qui in illo ſtatu nati ſunt. Iniuſti & mortales propter Chriſtum ſolum fue-

A runt. Eſt autem Chriſtus Deus & homo. Ex omnibus ergo iniuſtis quidam per Chriſtum iuſtificantur, vt in ipſo deificentur. Cur autem reliqui non deificentur vel non iuſtificentur, nõne ille qui eligit quos vult, & abiicit quos vult. Huc vſque plenitudo gentium intrauit. Ab hinc vſque ad ingreſſum ſynagogæ notatur tempus pacis Eccleſiæ. Finito itaque conuiuio victorum, regina iuit dormitum, dicens cubiculi excubitoribus Si rex me quærat, dicite: *qui ego dormio & cor meum vigilat*, vt eum excipiat. Quaſi magnum conuiuium Eccleſia cum victoribus habuit quando magnum conſilium cum multis confeſſoribus in Nicea ciuitate habuit. In qua varia fercula, erant diuerſa capitula ſcripturarum. Quo finito iuit dormitum, quia ibi damnata omni hæreſi perſecutio ceſſauit, quies pacis rediit, & Eccleſia curis ſeculi ſe ſubtraxit, diuina officia inſtituit, diuinæ contemplationi vacauit; qui nunc dicit imperfectis adhuc terrenis inhiantibus. Meo exemplo frena poſtponite, cæleſtia quæ-
B rite. Sicut ego dormio, id eſt, à negociis & curis ſeculi quieſco, & cor meum in meditatione ſcripturarum, & contemplatione æternæ vitæ vigilat; vt manſura bona percipiat. Regina dormiente diſſenſio inter milites eſt exorta, non ab hoſtibus, ſed ab ocio nata. Qua increſcente rex reginam excitat, monet vt ſurgat, tumultum militum compeſcat, ſed Eccleſia in contemplatione quieſcente, multa vitia inter fideles exorta ſunt, videlicet nouæ hæreſes, diſcordiæ, ſectæ, ſchiſmata, & alia plura. Vnde Chriſtus per ſcripturam eam monuit, vt quietem contemplationis intermitteret, tumultum vitiorum exhortando & corrigendo ſedaret. Et notandum quod primo corona ſponſæ proponitur pro certamine, contra Amana, id eſt, pro ſæuitia perſecutorum. Deinde pro labore contra Aquilonem, id eſt, pro vexatione hæreticorum. Tunc tertiò præmium promittitur ei pro vigilantia contra guttas noctium, id eſt, pro exhortatione
C & correctione lapſorum. Igitur ſponſa repræſentat verba ſponſi ſe excitantis, dicens.

Vox dilecti mei pulſantis. Ad oſtium cubiculi mei fuit hæc. *Aperi mihi ſoror mea amica mea, columba mea, immaculata mea*, vt intrem ad te: quia *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei pleni guttis noctium*, tota nocte ſtans ſub dio & audiens tumultum militum. Cui ego reſpondi: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa*, vt ſurgam & aperiam tibi? *laui pedes meos*, quomodo inquinabo illos, ambulans quo præcipis? Hæc verba demonſtrant Chriſti ſollicitudinem erga negligentes & errantes, vt ſpirituales corrigantur, & Eccleſia ad feruorem contemplationis; ad tædium verò ſæcularis adminiſtrationis excitetur. Chriſti patris & Eccleſiæ dilecti vox in ſcripturis ad oſtium cordis ſpiritualium pulſantis, id eſt, monentis hæc eſt: O Eccleſia *ſoror mea*, quia per me cohæres regni: *amica mea*, quia per me cœleſtium arcanorum conſcia: *columba mea*, quia per me Spiritu
D ſancto repleta: *immaculata mea*, quia per me à peccatis emundata: *Aperi mihi* exhortando oſtium cordis eorum, qui illud peſſulo malorum operum clauſerunt, & guttæ noctium, id eſt, membra dæmonum facti ſunt: *& eris ſoror mea*, ſi exhæredes per malitiam, feceris cohæredes meos per gratiam: *& eris amica mea*, ſi inimicos ob perfidiam, feceris amicos per fidei conſtantiam: & eris *columba*, ſi duplices corde, feceris ſimplices: & eris *immaculata*, ſi maculatos vitiis, feceris immaculatos virtutibus. *Quia caput meum plenum eſt rore*, id eſt, fides diuinitatis meæ repleta eſt errore. *Et cincinni mei pleni ſunt guttis noctium*, id eſt, fideles mei repleti ſunt peccatis dæmonum. Quia caput Chriſti Deus eſt, per caput intelligitur fides diuinitatis: per ros qui in nocte cadit, & ſolis ardore recedit, accipitur error infidelitatis, qui de nocte ignorantiæ venit, ſed luce veritatis recedit. Cincinni, id eſt, capilli ſunt fideles, per fidem capiti Chriſto adhærentes. Guttæ noctium ſunt lapſi de fidelibus, vt guttæ de capillis in ſententias hæreticorum: vel in peccatis dæmonum, qui ſunt noctes ad æternas tenebras ducentes. Capiti ergo & ros noctis intelliguntur in fide diuinitatis errantes: per cincinnos & guttas

noctis dæmonibus in peccatis conſentientes. Horum cordis oſtium aperi mihi docendo, vt intrem per gratiam, & habitem in cordibus eorum per fidem, & manſionem mihi in mentibus iſtorum faciam per bonam operationem. Vox Eccleſiæ Chriſto reſpondentis, & quaſi curam ſecularium recuſantis, & ideò regimen fugientis. E

Expoliaui me tunica mea. Id eſt, exui me ſeculari ſollicitudine, *quomodo induar illa*? id eſt, quomodo iterum reaſſumam illam. Hoc non dicit quaſi inobediendo, ſed ſecularem honorem fugiendo. Qui enim in ſecularibus præficitur, in ſpiritualibus deficitur, quia ſicut corpus tunica induitur; ſic mens ſecularium cura implicatur. Quam exutam nolunt ſpirituales reinduere, ſed in ſpiritualibus ſoli Deo vacare. Vocati verò à Deo ſuam voluntatem poſtponunt, & opus regiminis cauſa proximorum inuiti ſubeunt. Vnde gementes dicunt: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Pedes animæ ſunt affectiones, quibus ad quæque deſideria transfertur, ſicut corpus pedibus graditur: quæ ſunt concupiſcentia, F
timor, gaudium, dolor. Concupiſcit enim terrena, timet ne minimè adipiſcatur cupita, gaudet de adeptis, dolet de amiſſis. Hos pedes lauit dum terrenas affectiones lachrymis pœnitentiæ abluit. Hos iterum inquinare timet, quia qui in ſeculari regimine poſitus eſt, vix aut nullatenus ſordes peccatorum euitare valet: ſed cum ſponſa tardat aperire ſponſo pulſanti, iam non voce ſed manu tangit eam: de quo tactu tremefacta ſurgit, vt ei aperiat: quia cum Eccleſia in ſpiritualibus viris curam proximorum ſuſcipere refugit, Chriſtus ei opus obedientiæ ſuæ anteponit, de quo perterrita facit pro proximis quod Chriſtus fecit pro inimicis, vnde ſubditur.

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus contremuit ad tactum eius. Similitudo eſt ab illo, qui ad oſtium cubiculi amicæ pulſat, & cum ei G
non aperuerit per feneſtram manu tangit eam: & illa ſurgens aperit ei. Manus dilecti eſt operatio obedientiæ Chriſti. Per manum quippe opus, quod per manum fit exprimitur. Foramen cubiculi dilectæ, eſt auris corporis, quod eſt cubiculum animæ. Manum ergo ſuam dilectus per foramen miſit, quando per aurem corporis in memoriam animæ miſit opus ſuæ obedientiæ: quando de gloria cœleſtis regni egreſſus, laborem huius exilij ſubiit, & inimicis ſuis pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, & regnum cœlorum prædicauit: quatenus eius exemplo laborem mundi ſubiret, vt proximis in periculo animæ poſitis ſubueniret. *Sed venter* Eccleſiæ ad tactum Chriſti *intremuit*, quia dum quiſque ſpiritalis fragilitatem ſuam conſiderauit, de facto Chriſti pertimuit, ne ad iniunctum officium exemplo Chriſti minus idoneus eſſet: inobediens autem factus à Chriſto periret. Per ventrem autem qui eſt molle membrum, fragiles in H
Eccleſia intelliguntur, ex quibus tamen ſpirituales filij gignuntur. Tacta manu ſponſi tremefacta, *ſurrexi vt aperirem dilecto meo.* Eius exemplo ſum tacta de inobedientia mea. Tremefacta, *ſurrexi* de loco vbi dormiui, quia quietem contemplationis intermiſi, *vt aperirem dilecto meo*, corda in malitia indurata, & à bonitate clauſa. Notandum quod dilecto voce pulſanti non aperit, manu autem tangenti mox aperit: quia oſtium cordis magis exemplo operis, quam voce prædicationis reſeratur, vt Chriſtus per fidem introducatur. Suſcepto autem regimine cum ſpiritualis vir cœperit bona coram proximis operari, & eos ad bene operandum hortari, mox incipiunt ei mali aduerſari: aliquando ab eo correpti etiam mortem minari, vnde ſubditur.

Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Per manus operatio: per myrrham perſecutio: per digitos ſtudia: per myrrham probatiſſimam ſumma tribulatio innuitur. Myrrha probatiſſima eſt optima myrrha, quæ alibi dicitur myrrha electa, & intelligitur mors Chriſti. Regina ergo quæ ſtante auſtro aromata collegit, myrrham manibus tulit, vnde nunc dicit: *Manus meæ diſtillauerunt myrrham*, hoc eſt, opera mea, quæ exempla mortificationis fuerunt, perſecutionis amaritudinem mihi mouerunt. *Digiti mei*

pleni

A *pleni myrrha probatiſſima*, id eſt, ſtudia mea, quæ erant imitantia patientiam Chriſti, mouerunt mihi tribulationem mortis, inſtar mortis Chriſti, quæ ab his paſſus eſt, quos docuit viam ſalutis. Notandum quod tres crucifixi ſunt, Chriſtus, latro confitens, latro blaſphemans. Qui innocenter mala vel mortem patitur, cum Chriſto crucifigitur: Qui nocens, ſed peccata confitens, cum latrone confitente ſaluatur: qui nocens, & non confitens patitur, cum latrone blaſphemante damnatur. *Ego ad ca-ctum Sponſi ſurrexi, vt aperirem ei*, & per myrrham ſtillantem, id eſt, per amaritudinem abundantem, quam exemplo Chriſti paſſa ſum, *peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo.* Eccleſia eſt ciuitas, vel domus, vel templum Dei, cuius [illegible] eſt fides, per quam intratur ad patremfamilias [illegible]. Peſſulum oſtij eſt infidelitas vel duritia cor[illegible] qua oſtium fidei obſtruitur, ne Chriſtus in domum animæ ingrediatur. Sed peſſulum oſtij aperitur dum infidelitas per rationem deſtruitur, vel duritia cordis ſermone blando emollitur. Et ſic pulſans ſponſus in B cubiculum cordis recipitur. Vnde ſcribitur: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Ad oſtium ſtat Chriſtus, & pulſat, dum cor malitia clauſum, ſuperna gratia viſitat: ſed hoc oſtium aperit, qui oblatam gratiam per pœnitentiam recipit. Chriſtus intrabit, & cum eo cœnabit, dum animam pœnitentis ſapientia repleuerit, & conſolatione ſcripturarum ſatiauerit. Vbi autem pulſanti non aperitur, declinat & tranſit ad eum, qui ei ianuam cordis reſerat: vnde apte ſubditur, *At ille declinauerat atque tranſierat.* Ab illis namque declinat, qui ei cor peſſulo duritiæ obſtruunt: ad illos verò tranſit, qui ei pœnitendo aperiunt. Similitudo eſt ab illo, qui diu ad oſtium amicæ pulſans non intromittitur, & indignans regreditur. Declinat etiam dilectus, & tranſit, dum diuinitas eius mentis cogitationem excedit. Sed quia vbi ſermo diuinus recipitur, ibi protinus cor in malitia induratum ad pœnitentiam emollitur, rectè ſubiungitur.

Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt, dicens: Aperi mihi ſoror mea. C Sponſa oſtium aperiens, & dilectum non inueniens, venit ad chorum filiarum Ieruſalem, quæ ſecum venerant, & quærula voce refert eis, quod pulſanti dilecto non aperuerit, quod poſtea quæſitum non inuenerit, quod verò vocatus non reſponderit, quod cuſtodes ciuitatis eam plagauerint, vulnerauerint, theriſtrum eius tulerint: atque anxia rogat, vt ſi eum inuenerint, quæ paſſa ſit pro eius amore ei nuncient. Similitudo eſt ab illa amica amante, quæ amicum anxia in nocte quærit, vigiles incauta incurrit, veſtes perdit, plagas accipit, & hæc poſtea dolens conſodalibus refert. Per ſponſam in hoc loco intelligitur Eccleſia pœnitentium, dilectum in culpa amiſſum pœnitendo & confitendo quærentium, & gemebunda voce filiabus Ieruſalem, id eſt, ſpiritualibus & religioſis in confeſſione ita dicentium: *Anima mea*, quæ Aquilone flante in malitia indurata eſt, flante Auſtro, *liquefacta eſt, vt dilectus* iſta *locutus eſt: Aperi mihi ſoror mea*, quam ſanguine meo feci cohæredem mihi. Hac voce anima mea D compuncta ad exprimendam imaginem ſponſi vt cera eſt liquefacta. Porrò ſpiritus, id eſt, ſuperior vis animæ hic loquitur: *Quæſiui* cogitando diuitias patientiæ ſuæ, qua me peccantem obſtinatum, ſe prouocantem tàm diu ſuſtinuit, *& non inueni* immenſam miſericordiam, quæ peccantibus parcit. *Vocaui* clamore cordis, volens ſcire occulta iudicia eius, quare malos diu ſuſtineat, bonos puniat, aliquando malos per pœnitentiam eligat, bonos per culpam abijciat, pares in culpa vnum conuertat, alium relinquat: *& non reſpondit mihi*, id eſt, per ſcripturas non indicauit mihi, vt non in meis operibus, ſed in ſua miſericordia fiduciam habeam. Ipſe me quæſiuit, dum choros Angelorum in cœlis reliquit, & me vt ouem errantem in mundo quæſiuit. Vocauit quando dixit: *Conuertimini ad me filij reuertentes, & ego reficiam vos.* Hanc vocem contempſi. Ideò clamantem me in tribulatione non exaudit Dominus. *Me ita* quærentem & vocantem, *inuenerunt cuſtodes, qui circueunt ciuitatem*, ſcilicet prælati Eccleſiæ, verbo & E exemplo, cuſtodes legis Dei, *qui circueunt ciuitatem*, id eſt, ſcripturis muniunt Eccleſiam, inuenerunt me peccatis & abominationibus plenam: percuſſerunt me timore iudicij & peccatorum: *& vulnerauerunt me* compunctione & pœnitentia: *tulerunt pallium meum*, ſcilicet multitudinem peccatorum, qua circundata eram per iniunctam pœnitentiam, *cuſtodes murorum*, id eſt, doctores librorum, quibus cingitur vt muro Eccleſia ciuitas Dei. Vel pallium, id eſt, velamen ignorantiæ abſtulerunt, dum mihi occulta Dei iudicia expoſuerunt. Cuſtodibus ergo ciuitatis, vel cuſtodibus murorum, qui me talem inuenerunt, & me taliter tractauerunt, cum magno gemitu dixi.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, nuncietis ei quia amore langueo. Quaſi dicat: Vos ſpiritales animæ cœleſtis Hieruſalem filiæ per fidei ſacramentum, vos conſtringo, ſi inueneritis in ſcripturis dilectum meum, id eſt, ſi legendo intellexeritis opera dilecti mei. Ille quippe alium inuenit, qui eius mores F vitamque cognoſcit. Nuncietis ei per me, hoc eſt, me doceatis gratias agendo, & aliis prædicando nunciare. Ille etenim nunciat, qui alium nunciare docet. *Quia amore langueo*, id eſt, cauſa amoris eius circa terrena langueo, & ſola cœleſtia deſidero. Et quæ ſunt opera dilecti, ſcilicet quod Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus: & quod *vniuerſæ viæ Domini ſunt miſericordia & veritas.* Miſericordia ſuper pœnitentes, veritas ſuper peccantes. Hoc nunciabitis per me, quod eſt diligendus, quia miſericorditer parcit his qui ei pœnitendo oſtium cordis aperiunt, & iuſte punit hos, qui ei ianuam cordis male viuendo obſtruunt. Nota quod ſex articulos dolentis animæ ponit; quia in ſex ætatibus vel ſex diebus, ſex opera miſericordiæ facit, quibus ad ſenarij perfectionem peruenit, ſcilicet, Quod anima ad vocem Domini in compunctione liqueſcit. Quod eum conuerſatione anxia quærit. Quod eum lamentis inuocat. Quod eius deſiderio tota die, id eſt, omni tempore aduerſis flagellatur. Doloribus vulneratur. G Rebus neceſſariis deſpoliatur. Ideo autem hoc lamentum in cantico amoris ponitur, quia anima fidelis Chriſti ſponſa per pœnitentiam ei coniungitur: Et *gaudium erit in cœlis Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Hoc lamentum plus tropologiæ, quàm allegoriæ aſcribitur, quia in hoc Eccleſia pœnitentes ad bonos mores hortatur. Et ideo hic allegoria deficit. Iuxta anagogen autem Eccleſia peregrinans dormit, & cor eius vigilat, quando ad terrena & caduca inſenſibilis fit, & ad ſola cœleſtia anhelat. Huic vox dilecti pulſat, quando eam per moleſtiam corporis vel vicinæ mortis ad ſupernam patriam vocat. Cui mox aperit, quia eius vocationem gratanter accipit. Nam vt ſoror in hæreditatem Domini introducitur, vt amica in ſecretis cœleſtibus admittitur, vt columba a Spiritu ſancto illuſtratur, vt immaculata in thalamo ſponſi collocatur. Tunica ſe ſpoliat, quando corpus deponit: Pedes lauat, quando vel exiguum puluerem cogitationum per vltimam pœnitentiam abluit. Dilectus manum mittit, quando eam H dolore mortis tangit. Sed venter ad tactum eius tremuit, quia de minimis peccatis, quæ per fragilitatem carnis commiſit, iudicis ſententiam metuit. Surgit tamen vt ei aperiat, quia viſionem eius quæ ſurſum eſt optat. Manus eius myrrham ſtillant, quia opera quibus hic pro Chriſto eſt mortificata repræſentat, vt pro his æterna præmia recipiat. In ſequentibus anagoge deficit. Sponſæ dilectum abſentem anxiè quærenti, & filias Hieruſalem de eo ſciſcitanti, reſpondit chorus filiarum Hieruſalem.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiurasti nos? Filiæ Hieruſalem ſunt Eccleſiæ, quæ ſuperius dictæ ſunt filiæ Sion, quæ egreſſæ ad videndum regem coronatum, cum regina bellum contra Amana inierunt, & ab ea in hortis refectæ ſunt: & intelliguntur Eccleſiæ de Iudæa, in qua eſt Hieruſalem vel Sion, ad fidem Chriſti conuerſæ, quæ cum Eccleſia gentium ſpiritale

bellum

bellum contra diabolum inierunt, & epulis ſpiritalibus, ſcilicet ſcripturis vel corpore Chriſti refectæ ſunt. Interdum in hoc libro filiæ Syon ſunt Eccleſiæ de Iudæis conuerſæ; filiæ verò Hieruſalem Eccleſiæ de gentibus vocatæ. Quia ſicut ad literam minor eſt Sion in mœniis & numero inhanbitantium: Hieruſalem autem maior & ædificiis & numero ciuium: ſic Eccleſiæ de Iudæis paucioris numeri ſunt fidelium: Eccleſiæ autem de gentibus amplioris numeri ſunt credentium. In hoc loco filiæ Hieruſalem ſunt Eccleſiæ vel animæ imperfectorum, de matre Eccleſia, quæ eſt perfectorum, ſcerera Chriſti diſcere volentium. Et notandum, quod in hoc cantico dramatis, fit mutatio perſonarum: ſicut in comœdiis gentilium. Prius quippe introducta eſt vox Eccleſiæ pœnitentium: & ecce introducitur vox Eccleſiæ imperfectorum diſcere volentium: & mox ſubſequitur vox Eccleſiæ perfectorum alios docentium, & hoc totum fit propter vnitatem Catholicæ Eccleſiæ, quæ in omnibus membris ſuis eſt vna ſponſa Chriſti, quæ in duabus naturis eſt vna perſona. Et propter hanc vnionem aliquando dicit: *Pater maior me eſt.* Aliquando verò: *Ego & pater vnum ſumus.* Dicunt ergo filiæ Ieruſalem ad matrem Eccleſiam, id eſt, imperfecti ad ſpirituales: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum.* Hoc eſt dicere: ô Eccleſia mater credentium, pulcherrima mulierum, id eſt, fide & opere, & prædicatione integerrima omnium, ſpiritales partus edentium, doce nos quàm magnus ſit in diuinitate dilectus tuus Chriſtus natus ex dilecto Deo patre. Et doce nos, qualis ſit dilectus tuus ex dilecto, hoc eſt, quàm glorioſus ſit per miracula in humanitate conceptus ex Spiritu ſancti natus de Virgine Maria matre, quia ſic adiurasti nos, vel ſic fidei ſacramenta docuiſti nos, vt Chriſtum credamus ex Deo patre Deum natum, & hominem ex matre factum. Qui Dominicus homo dicitur ex Spiritu ſancto conceptus, quia nullis præcedentibus meritis, ſed ſolo dono Dei in Deitatem eſt aſſumptus. Reſpondit Eccleſia ſpiritualium, docens myſteria Chriſti ſilias Ieruſalem, id eſt, Eccleſias vel animas imperfectorum, ſcilicet ſecularium. Quam doctrinam quaſi in decem membra corporis diſtinguit, quia tota ſacræ Scripturæ doctrina in decalogo legis exiſtit. Ideò autem hæc myſtica doctrina huic capitulo inſeritur, quoniam de pace Eccleſiæ ſcribitur; quia profunda ſapientiæ in pace ſunt diſcenda, in perſecutione facienda. Et hoc notandum, quod iſtud capitulum ab hiſtoria & ab anagoge deficit. Allegoria verò & tropologia ſplendeſcit, quia id ſolum Chriſtum & ſua membra reſpicit.

Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Per candorem ſplendor ſanctitatis: per rubórem verò notatur ardor paſſionis. Dilectus Eccleſiæ eſt Chriſtus, quem præ vita & præ omnibus terrenis dilexit, dum in perſecutione honores, dignitates, amicitias mundi eius amore contempſit, & ipſam mortem per varios cruciatus corporis ſubiit. Hic per humanitatem eſt *candidus,* quia de virgine natus, & à labe peccati mundus. Et ipſe *rubicundus* martyrio, quia peccatores lauit ſanguine ſuo, à Deo Patre electus ex millibus Apoſtolis & Sanctorum agminibus, vt per eum reconciliaretur mundus. Per millenarium notatur perfectio. Chriſtus *electus ex millibus*, ſcilicet ex omnibus perfectis ad redimendum genus humanum, quod nullus alius facere potuit. Et notandum, quod prætermiſſis omnibus virtutibus cæteris, per duo tantum dilectus laudatur, videlicet per munditiam vitæ & martyrium: quia per hæc fideles ad caſtitatem & patientiam informantur, per quæ maximè ſaluantur, vt ſcribitur: *Sine ſanctimonia nemo videbit Deum.* Et iterum: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Secundum diuinitatem autem *caput eius aurum optimum.* Caput Chriſti eſt diuinitas, quia ſicut caput continet corpus: ſic diuinitas continet humanitatem. Hoc caput eſt aurum optimum, id eſt, puriſſimum: quia ſicut aurum omnia metalla præcellit fulgore & dignitate: ita diuinitas omnia præcellit honore & maieſtate. Et hoc aurum eſt optimum, quia diuinitas eſt ſummum bonum, ex qua omne bonum vt de fonte profluit: ſicut vigor omnium ſenſuum à capite deſcendit. *Comæ eius ſunt elatæ palmarum.* Hoc eſt angelicæ virtutes ſpecialiter Deo, vt comæ capiti inhærentes, ſunt ſemper pulchritudinem eius intendentes. Vel comæ eius ſunt diuinæ diſpenſationes, quia ſunt vt elatæ palmarum rectæ: *ſed nigræ quaſi coruus*, quia ſtultis deſpicabiles. *Oculi ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum*, hoc eſt, dona Spiritus S. quæ ipſe dat, amatores ſuos non in cœno more porcorum volui permittunt: ſed in ſimilitudinem aquarum claros & perſpicuos reddunt, nil tenebroſum habentes. Vnde & riuulis & mundis aquis non ſtagnis turbulentis comparantur, quia Deum vident, & diuinorum charismatum luce replentur: quæ chariſmata quia ſola gratia dantur, ſubditur: *Quæ lacte ſunt lotæ*, quia ſicut mater ſola dilectione naturali lac filiis miniſtrat: ſic Deus ſola gratia dona chariſmatum filiis donat: *quæ reſident iuxta fluenta pleniſſima*, quia quanto de Deo clarius vident, tantò magis ad altiora cognoſcenda intendunt. *Genæ illius ſunt areolæ aromatum*, hoc eſt, modeſtia & pietas, quæ in Chriſto ſingulariter refulſit, dulcedine doctrinarum delectabat præſentes, attrahebat abſentes: ſicut areolæ aromatum delectant odoris & aſpectus gratia aſpicientes. Quæ areolæ ſunt confitæ à pigmentariis, id eſt, medicis, ſcilicet Apoſtolis & Prophetis animarum medicis: qui concordi voce non ſolum Chriſti ſermones, ſed & more, ſacris paginis, quaſi areolis deſcripſere. Labia eius diſtillant myrrham primam hoc eſt, verba doctrinæ eius, quæ claritatem regni cœleſtis promittunt grauia patientibus, myrrham primam, id eſt, contemptum mundi & voluptatum prædicant. *Manus eius tornatiles*, hic eſt opera eius ſunt polita & perfecta vt tornatura. Quæ enim verbo docuit, opere compleuit, vt de doctrina eius mirantes operibus confirmaret. *Et hæ manus* ſunt aureæ, quia virtutes quas in homine geſſit, diuinitatis gloria perfecit, quæ nos ad ſpem & amorem cœleſtium excitant. *Plenæ hyacinthis.* Hyanthus eſt herba purpurei floris, febres expellens ſuauitate odoris: quod eſt paſſio Chriſti, quæ expellit morbum infidelitatis. Manus eius plenæ erant hyacinthis, quia in cruce perforatæ clauis, quaſi purpureo ſunt colore reſperſæ rubore ſanguinis. *Venter eius eburneus,* hoc eſt, fragilitas humanitatis eſt nitens candore caſtitatis, & ab omni peccato immunis. Et hic venter eſt *diſtinctus ſapphiris*, quod eſt lapis ſereno cœlo ſimilis, ſublimitatem cœleſtium ſignificans; quia partim humana fragilitas eſurie, tentatione, fatigatione, morte: partim diuina celſitudo miraculis, reſurectione, & aſcenſione intelligitur. *Crura illius columnæ marmoreæ*, hoc eſt, itinera incarnationis eius ſunt recta & firma, quia quicquid per eum geſtum eſt, ante tempora à Deo diſpoſitum eſt *Quæ* columnæ *fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*, id eſt, Prophetas ſapientia lucentes, quia talis in carne apparuit, qualis ab illis prædictus in diuina diſpoſitione fuit. *ſpecies eius vt libani*, hoc eſt, pulchritudo eius eſt decor omnium Sanctorum: ſicut Libanus eſt decor omnium montium. *Electus vt cedri*, hoc eſt, ſicut cedri ſunt præ omnibus lignis: ita Chriſtus eſt egregius præ omnibus ſanctis. Quomodo enim Libanus altitudine & amplitudine eſt inſignis: ita Chriſtus inter omnes, qui de terra orti ſunt, antecellit. Et ſicut ille mons nobilium eſt ferax arborum: ita ille omnes Sanctos in ſe radicatos extollit & conſeruat. Et ſicut cedrus pulchritudine, fortitudine, ſublimitate, odore omne decus ſiluarum antecedit: ſic dilectus ſpecioſus forma præ filiis hominum; quia ipſe non accepit ad menſuram, ſed totum Deum, & nos omnes de plenitudine eius accepimus *Guttur illius ſuauiſſimum*, hoc eſt, internus ſapor & dulcedo verborum eius, quam pauci guſtant, eſt ſuauiſſima: qui autem guſtant, amplius eſuriunt. Guttur etiam eſt occulta diſpoſitio bonitatis eius, qua factum eſt, vt foras nobis loqueretur. *Et totus deſiderabilis*, id eſt, Deus & homo, quia non ſolum ſecundum diuinitatem: ſed etiam ſecundum humanitatem ab ipſo initio conceptionis, vſque ad triumphum paſſionis, reſurrectio-

A nis, & aſcenſionis eſt in omnibus deſiderabilis.

Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus Filiæ, Hieruſalem. Quaſi dicat: ô Eccleſiæ vel fideles animæ, filiæ Hieruſalem, ſi vultis diligere Chriſtum, & ab eo diligi, neceſſe eſt vt talem eum, qualem dixi, intelligatis. Hæc allegoria ſpecialiter Chriſto conuenit: tropologia autem quæ ſequitur, magis membris eius conuenit. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, quia ſicut à capite omnia membra reguntur: ſic omnes electi à Chriſto reguntur. *Quod caput eſt aurum optimum*, id eſt, obrizum: quia ſicut illo auro alia metalla deaurata auri fulgorem induunt: ſic omnes à Chriſti nomine Chriſtiani dicti, in regno eius vt Sol fulgebunt. *Coma eius elata palmarum.* Palma dicitur victoria, eſt autem palma arbor inferius anguſta, ſuperius lata, & ſignificat vitam iuſtorum, qui per arctam & anguſtā viam, id eſt, per ieiunia & vigilias, & alia corporis aſpera ad latitudinem caritatis ambulant, vt ad victoriam certaminis perueniant. *Elata palmarum* B ſunt idem, quod ſpatulæ id eſt, rami productiores, ſemper ad excelſa tendentes, qui virorem nunquam amittunt, quàmdiu in palma ſunt, præciſi verò mox areſcunt. Comæ igitur illius ſunt fideles ad cœleſtia per victoriam virtutum tendentes, qui virorem fidei nunquam amittunt, quamdiu per artam viam ad vitam pergunt; ab hac deuiantes, mox à vita areſcunt. Aliqui dicunt elatas palmarum eſſe ſpeciem arboris aromaticæ, quam Latini abietem vel ſpatam vocant. Nam Græcè abies elates dicitur, & ſignificat ſanctos ad ſuperna tendentes. Et hæ *comæ* ſunt *nigræ quaſi coruus*, id eſt, iuſti deſpecti ſunt in mundo, ſicut fuit Chriſtus. Coruus ſignificat peccatores. Chriſtus dicitur coruus, quia inter peccatores eſt reputatus à dicentibus: *Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Et iterum: *Si hic non eſſet malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Comæ nigræ ſunt, vt hic coruus, quia fideles ita deſpecti ſunt ab impiis, vt à Iudæis Chriſtus, quibus dictum eſt: *Hi malefici ſunt & ſeductores.* C Coruus etiam pullos ſibi diſſimiles non paſcit: & Chriſtus Chriſtianos ſibi diſſimiles abiicit. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum.* Hoc ſunt ſapientes eum corde intuentes, & per quos alij eum intuentur: hi ſunt vt columbæ ſimplices, innixi ſuper ſcripturas, diuino Spiritu fluentes. *Quæ* columbæ *lacte ſunt lotæ*, id eſt, dulci doctrina à terrenis mundatæ, *& reſident iuxta fluenta pleniſſima*, id eſt, morantur iuxta dona Spiritus ſancti abundantiſſima. Riui ſunt ſcripturæ veteris teſtamenti: fluenta pleniſſima, copioſa, & exuberans Euangelij doctrina. Solent columbæ iuxta fluenta reſidere, vt volatum auium in aqua per vmbram videant, & ſic vngues vitent: ſic ſancti in ſcripturis fraudes dæmonum percipiunt, & ex deceptione quam attendunt, quaſi ex vmbra hoſtem agnoſcunt, & fugiunt. Quæ fluenta pleniſſima dicuntur, quia de quibuſcunque conſilium in ſcripturis quæritur, per illam ad plenum inuenitur. *Genæ illius ſicut areolæ aromatum.* Hoc ſunt prælati pude- D bundi, quos pudet turpia audire, ne dum facere, hi habent in ſe germina multarum virtutum: quæ areolæ *conſitæ* ſunt *à pigmentariis*, hoc eſt, paginæ virtutum ſcriptæ ſunt ab Apoſtolis vel quibuſlibet præcedentibus patribus. *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Myrrha prima eſt optima, & intelligitur mors Chriſti, quæ eſt optima, quia totius mundi redemptio. Labia Chriſti ſunt aperientes voluntatem eius, qui ſunt vt lilia candidi in virtutibus: qui lilia ſunt diſtillantia myrrham primam, id eſt, ipſi ſunt docentes verbo & exemplo amaritudinem mortis Chriſti. *Manus eius tornatiles aureæ*: hoc eſt, bona operantes, ſunt irreprehenſibiles coram hominibus, vt aurum lucentes: quæ manus ſunt plenæ hyacinthis, quia ſola ſpe & deſiderio cœleſtium ſunt laborantes. Hyacinthus quippe eſt lapis aërij coloris, vel viridis, & cum aura mutatur, & ſunt ſancti in virtutibus virentes, & cœleſtia appetentes, & mores pro temporibus mutantes. *Venter eius eburneus diſtinctus ſaphiris.* Venter Chriſti ſunt habentes vxores, tanquam non habentes fidem caſtitatis coniugibus ſeruantes. Elephas namque cuius os eſt ebur, caſtum eſt animal &

E adeò frigidæ naturæ, vt ſuper os eius, id eſt, ſuper ebur poſito gracili lineo panno, & ſuper pannum poſita pruna extinguatur illæſo panno. Et os continuum claudit corpus eius, vnde dicitur inuulnerabile. Significat autem ſanctos & caſtos à telis diaboli inuulnerabiles. Saphirus eſt lapis ſpeciem ſereni cœli habens. Venter ergo Chriſti eſt diſtinctus ſaphiris, quando coniugati ſunt contenti cœleſtibus diſciplinis. *Crura illius columnæ marmoreæ.* Hoc ſunt illi, qui rebus ſuis religioſos ſuſtentant. Qui vt columnæ marmoreæ ſunt recti in ſcientia, & infrangibiles à vitiis: *quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*, id eſt, ſuper fidem Patriarcharum & Apoſtolorum per opera caſtitatis lucentem. *Species eius vt Libani.* Quod ſunt virgines, munditia vitæ albæ, caſtitate candidæ, vt cedri operibus odoriferæ. *Guttur illius ſuauiſſimum*, hoc eſt, emittentes verba doctrinæ ſunt ſuauiſſimi. *Et eſt totus deſiderabilis*, ſcilicet in ſe & in omnibus membris ſuis amabilis: *talis eſt*, vt dixi, dilectus F meus in ſe & in membris ſuis: *& iſte eſt amicus meus*, quia hunc ſolum amo, & amor ab eo, & vos amate eum. *O filiæ Hieruſalem*, id eſt, Eccleſiæ pacem in cœlis viſuræ. Notandum, quod, ſicut decem ordines electorum per decem membra corporis, id eſt, per caput, & comas, & cætera deſcribuntur: ita virtutes eorum per decem res, id eſt, per aurum palmas & cæteras exprimuntur, quæ denario vitæ remunerabuntur. Qui & anagogæ aſſignatur. Primus ordo eſt prælatorum qui per caput notatur, cuius opera vt aurum fulgent: quia ſapientia & caritate ſplendent. Quod aurum eſt optimum, quia caritas & ſapientia omnibus virtutibus ſupereminent. Secundus ordo eſt ſubditorum, id eſt, obedientium, qui per comas exprimuntur, cuius actio palmæ vel coruo aſſimulatur, quia ſtudio bonæ actionis vt palma viret: tribulatione, vt coruus ſordet. Tertius ordo eſt doctorum qui per oculos figuratur, cuius opera columbis vel G riuis comparantur, quia ſimpliciter viuunt & doctrina fluunt.

Quartus eſt religioſorum, qui per genas demonſtratur, cuius actus ſunt vt aromata, quia redolent vita & fama.

Quintus ordo eſt magiſtrorum, qui per labia deſignatur, qui liliis vel myrrhæ adæquatur, quia præminent cordis munditia, & carnis mortificatione. Sextus ordo eſt militum Eccleſiam armis defendentium, qui per manus oſtenditur, cuius opera auro & hyacintho aſſignantur, quia tempore pacis puritate, tempore belli diſcretione decoratur. Septimus ordo eſt coniugatorum, qui per ventrem intelligitur, qui ebori vel ſaphiro ſimilis ſcribitur, quia pudore & cœleſti deſiderio inſignitur. Octauus ordo eſt agricolarum, qui per crura notatur, qui columnis vel mari comparatur, quia rectitudine & ſtabilitate hominum fulcitur. Nonus ordo eſt virginum, qui per ſpeciem, id eſt pulcritudinem exprimitur, qui Libano vel Cedro adæquatur, quia & candore caſtita- H tis, & odore actionis adornatur. Decimus ordo eſt continentium, vel orantium, qui per guttur exprimitur, qui ſuauitati aſſimilatur, quia munda vita, & ſancta oratio ſuauitas Deo comprobatur. Et neminem moueat, quod idem ſenſus ſcripturæ nunc illis nunc aliis aſcribitur, quia per hoc maximè vnitas Eccleſiæ commendatur: cum nunc de prælatis ad ſubditos, nunc de ſubditis ad prælatos, transfertur. Propterea notandum, quod ſuperius in laude Eccleſiæ in perſecutione militanti, ſeptem ordines electorum per ſeptem membra corporis ſcribuntur. Huic vero Eccleſiæ in pace degenti, decem ordines præſcripti aſſignantur; quia & illa ſeptem donis Spiritus ſancti armata pugnauit contra perſecutores; & iſta decem præceptis legis armata, contra vitia pro denario vitæ dimicat. Poſtquam ſponſa filiabus Hieruſalem, qualitatem dilecti expoſuit, chorus filiarum Hieruſalem reſpondit.

Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum. Similitudo eſt à conſodalibus, qui ſollicitè dilectum cum amica quærunt. Filiæ Hieruſalem, ſunt Eccleſiæ vel animæ imperfectorum: Hieruſalem verò Eccleſia perfecto-

rum. Eccleſiæ dictæ ſunt mulieres, quia pariunt filios ſpirituales. Pulchra eſt, quæ caret labe hæreſis, pulchrior, quæ floret ſtudio bonæ actionis, pulcherrima, quæ fulget inſtantia prædicationis. Dicunt ergò imperfecti ad perfectos, carnales ad ſpirituales, actiui ad contemplatiuos, ſubditi ad prælatos, indocti ad doctos: *Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum.* O Eccleſia ſpiritualium fide & opere, quam maximè Deo placens inter Eccleſias, ſpirituales partus edentes, doce nos, quomodo quæras quaſi abſentem, quem prædicas vbique præſentem: & ſi eſt præſens, qualiter ſit videndus: & ſi abſens, qualiter ſit inueniendus; *& quæremus eum tecum* fide & deuotione. Aliud eſt abire, aliud declinare: ille abit, qui in longinquum vadit: ille declinat, qui æſtum deuitans, in proximum locum, in vmbram ſecedit. Chriſtus corporaliter abiit, cum videntibus diſcipulis cœlos aſcendit, ſpiritualiter verò declinauit, cum de ſynagoga in Eccleſiam per gratiam venit. Hic videndus eſt credendo, quærendus orando, inueniendus benè viuendo, cum ſcriptum ſit: *Cœlum & terram ego impleo.* Quæritur, quomodo Deus dicatur abire vel adire. Sciendum eſt, quod tres motus ſunt, vnus localis & temporalis, qui propriè eſt corporis, quod de loco ad locum per tempus mouetur: alter eſt temporalis, & non localis, qui propriè eſt ſpiritus, qui per tempus, non per locum mouetur, cogitando præterita vel futura. Tertius eſt nec localis, nec temporalis, ſed æternus, qui propriè eſt Dei, cum mouetur volendo ad id faciendum, quod æternaliter ſtatuit fiendum. Dicitur ergò Deus abire, cum indignis gratiam ſubtrahit: dicitur adire, cum gratiam ſuam largitur his, quos dignos gratia ſua fecerit. Et ibi non fit mutatio loci vel temporis. Item quæritur cum Deus vbique ſit totus, quomodo dicatur eſſe totus alicubi: quod enim eſt totum alicubi, illius pars nulla eſt alibi: Omne quippe quod loco continetur, tribus dimenſionibus, ſcilicet longitudine, latitudine, altitudine per ſpatium diſtenditur, & ſex circumſtantiis videlicet ſupra, & infra, dextra & ſiniſtra, ante & retro circumſcribitur. Sed omnis dimenſio & circumſcriptio longè à Deo remouetur, qui ſpiritus eſſe ſcribitur. Sciendum verò quod tribus modis eſſe dicitur. Omne quippe quod eſt, aut eſt in loco localiter, vel in loco illocaliter, vel extra locum illocaliter. In loco localiter eſt corpus, quod locum ſua mole occupat, & aliud eodem tempore ibi eſſe non ſinit, vbi illud eſt; verbi gratia, vinum in vite totum ſpatium interius occupat, & acetum non poteſt infundi, niſi vinum effundatur. In loco autem illocaliter eſt anima in corpore, quæ nullum locum ibi occupat: ſed illud illocaliter viuificat, & ſenſificat, & non eſt opus vt recedat, dans locum cibo vel potui vt introeat. Extra locum verò illocaliter eſt Deus, in ſeipſo ſimpliciter omnia loca continens æqualiter, & omnia tempora circumcludens præſentialiter. Igitur vbique eſt totus, quia eſt ſubſtantia, & ratio, & cauſa, locus, ſpatium, & terminus omnium. Reſpondet ſponſa filiabus Hieruſalem, ſcilicet ordo in Eccleſia docentium ordini diſcentium.

CAPVT VI.

D*ilectus meus* de ſynagoga deſcendit per gratiam in me Eccleſiam, *hortum ſuum*, quæ fluentis Euangelij irrigata profero germina virtutum, & venit *ad areolam aromatum*, id eſt, ad cœtum ſpiritualium, vbi eſt collectio bonorum operum, *vt paſcatur in hortis*, hoc eſt, delectetur de bonis operibus in Eccleſiis, fide & opere fructiferis, vel in clauſtris floribus virtutum odoriferis, *& lilia colligat*, id eſt, opera caſtorum in vnitatem fidei congreget, & in virtutibus candidos angelis aſſociet. In me ergo horto ſuo non extra eſt quærendus, & præcipuè in areolis aromatum, & in hortis, id eſt, in clauſtris, in conuentu ſpiritalium, quia *ego dilecto meo*, ſubaudis præparo locum in me manendi humilitate & caſtitate, *& dilectus meus* præparat *mihi* apud ſe locum receptionis, *qui paſcitur inter lilia*, id eſt, delectatur intra ſancta deſideria caſtarum mentium, ibi eſt inueniendus. Eccleſia eſt hortus Chriſti à ſimili, quia ſicut hortus profert varios germinum flores: ita Eccleſia profert diuerſos virtutum ſectatores. In hunc hortum dilectus deſcendit, cum Chriſtus in Eccleſia fidelibus per miſericordiam condeſcendit, aut dona Spiritus ſancti largiendo, aut peccata remittendo, aut petita tribuendo. Areola eſt terra in horto æquis lateribus hinc inde compoſita, ſolerti foſſatorio creberrimè reuerſata, ſuperfluis graminibus expurgata. Et intelligitur clauſtralis vita confeſſione & pœnitentia à vitiis purgata, regularibus diſciplinis ſemini verbi Dei & virtutibus adaptata: in qua creſcunt virtutum aromata, quorum odore delectatur Chriſtus. Eſt etiam areola fidelis anima pœnitentia purgata, ſtudio religionis planata; de qua redolent bonorum operum aromata, quibus paſcitur ſponſus. Sponſa cum filiabus Hieruſalem dilectum diu quæſitum, in horto aromata & lilia colligentem reperit, quia Eccleſia Chriſtum cum magno deſiderio in ſcripturis quæſitum, in conuentu ſpiritalium ſtudia caſtorum approbantem inuenit, quam ipſe hac laude excepit.

Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Acies eſt æquiuocum. Acies oculorum eſt pupilla oculi: acies armorum eſt acumen gladij: acies caſtrorum eſt agmen militum. Hoc eſt, o amica mea cupiens ſcire ſecreta mea: tu *pulchra es* voluntate & deſiderio, quo me quæris: *& ſuauis* voce, qua alios ad quærendum mutuis collocutionibus excitas: *& decora*, quia bonorum operum exempla præbes: *ſicut Hieruſalem*, id eſt, primitiua Eccleſia exiſtens ſub Apoſtolis in Hieruſalem; vel ſicut Eccleſia fecit, quæ nunc eſt in cœleſti Hieruſalem. *Terribilis* dæmonibus & hæreticis, vel falſis fratribus conuerſatione & diſputatione: *vt caſtrorum acies ordinata*, contra hoſtes armorum inſtructione. Eccleſia eſt diſtincta tribus ordinibus, quod ſunt doctores, continentes, coniugati, qui per Noë, Daniel & Iob ſunt præſignati. Ex quibus Noë arcam rexit in vndis, Daniel continens fuit in aula regis, Iob curam rexit coniugis: qui etiam in Euangelio notantur, vbi duo in agro, quod ſunt doctores, duo in lecto, quod ſunt continentes, duo in molendino, quod ſunt coniugati ſcribuntur. In his ſingulis ſunt acies virtutum, armis inſtructæ, in caſtris Domini ſcilicet in Eccleſiis, vel in clauſtris, contra agmina vitiorum ordinant, dum doctores hæreticos, vel dæmones diſputando impugnant, continentes ſobriè viuentes, contra impudicos dimicant: coniugati fide coniugali, & eleemoſynis, tela luxuriæ deuitant, quæ acies ſic inſtructæ ſunt terribiles, quia vitæ iuſtorum videntur malè viuentibus horribiles. Graues ſunt etiam eis ad videndum, & horrent conſilia eorum ad audiendum. Similitudo eſt à militibus, qui ſemper ſunt in caſtris parati ad reſiſtendum hoſtibus. Caſtra Romanorum terribilia erant, quia totum mundum premebant, ſed ſuauia non erant, quia veram pacem non habebant. In Eccleſia autem nec terror ſuauitatem, nec ſuauitas aufert terrorem, quæ in terra cœleſtem vitam agit, & barbaros diuerſarum nationum animos ad ſuum ritum, vt trahat, ſatagit. Per hoc quod dicit ſponſus, *pulchra es amica mea*, notatur quod regina, regio ornatu ad regem venerit; per hoc quod dicit, *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, intelligitur, quod armata multitudine comitata aduenerit. Quippe quæ cum Amana & Aquilone pugnam iniit, adhuc contra guttas noctium pugnatura arma non depoſuit. Deſignatur autem, quod Eccleſia, quæ perſecutores patientia deuicit, hæreſes ſapientia ſuperauit, ornatum virtutum in pace induit: ſed tamen armis ſpiritualibus iugiter inuigilat, quibus falſis fratribus reſiſtat. Cum autem ſponſa inuenti dilecti pulchritudinem inſatiabiliter intueretur, & claritatem decoris eius ſtupefacta miraretur: dicit ei ſponſus.

Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Quaſi dicat: Noli me in tantum in turba intueri, quia in aulam ibo, & ibi aſpectum meum totum tibi fruendum præbebo; ſcilicet cum Eccleſia tota intentione dilectum in ſcripturis quærit, & cum pariter in creaturis inuenit eius miram ſapientiam in generibus & ſpeciebus rerum ſtupefacta miratur, & hanc perfectè magno deſiderio cognoſcere conatur, ſed ei dicitur: *Auerte oculos tuos à me*, hoc eſt, intelligentiam & intentionem oculos cordis, auerte à mea diuinitate: *quia ipſi me auolare fecerunt*, hoc eſt, ipſi oculi cordis tui vident in quantum omnem humanum & angelicum intellectum excedam. Quaſi dicat: Sufficiat tibi quod me expertè vides in ſcriptura, & in viſibili creatura. Et ne quæras me ex toto in hac vita videre, quod non poteris præ tua fragilitate: nec quæras hoc conſequi in via, quod tibi dabitur in patria. Poſtea me totum videbis, cum ad me in aula perueneris. Similitudo eſt ab aquila, quæ in alto vix videtur, ſed altius volans non videtur: ita Deus cum aliquantulum in contemplatione cernitur, ſubitò ex oculis cordis eripitur, & omnem intellectum longè tranſcendere perpenditur. Oculos cordis in Deum figit, qui Trinitatem in perſonis, & vnitatem atque æqualitatem in eſſentia Deitatis perfectè cognoſcere quærit: ſed ipſe ab oculis cernentis euolat, dum ſibi incomprehenſibile cernit, quod videre deſiderat. Oculos ergo ab eo auertit, & ad creaturam hos flectit, dum hunc in operibus creatis contemplari ſatagit, quem in eſſentia ſua videre non potuit. Non ſolum oculos tuos non auerte à me, ſed etiam capillos à me cohibe.

Capilli ſunt ſubtiles cogitationes, quæ aſcendunt multiplices, ſicut grex caprarum aſcendit ad rupes, & hoc de Galaad, id eſt, de Chriſto, qui eſt aceruus teſtimonij vel fortitudo martyrum. Cogitant enim de Chriſto, quomodo de maſſa peccatrice abſque peccato potuerit concipi, quomodo abſque viro de ſola virgine naſci, quomodo impaſſibilis pati, & immortalis potuerit mori. Et inde aſcendunt cogitationes ad Deitatem, cum cogitant, quomodo Chriſtus ſit imago Dei inuiſibilis, patri æqualis, quomodo ſit Dei ſapientia, & Dei virtus, & quomodo omnia per ipſum facta ſunt, & quomodo omnia verbo virtutis ſuæ contineat: has cogitationes quaſi capillos conſtringe, & altiora te, ne quæſieris, qui hoc ad plenum cognoſcere non poteris.

Dentes etiam tuos à me abſconde, qui ſunt ſicut *greges ouium, qui aſcendunt de lauacro.* Dentes ſunt acuti ſenſus, qui cibos ſcripturæ exponendo comminuunt. Greges ouium de lauacro aſcendentes, ſunt fideles de baptiſmo venientes, qui alios lacte doctrinæ reficiunt, vel bonis exemplis veſtiunt. Tonſæ verò oues ſunt illi, qui omnia pro Chriſto reliquerunt. Quaſi dentes exierunt, qui in exponendis ſcripturis ſenſus acuunt, volentes ſcire, qualiter in gloria poſiti ſunt, qui baptizati innocenter hîc, vt oues vixerint, vel omnia pro Chriſto reliquerint. Dentes verò abſcondunt, dum ſenſus ab hac cogitatione retrahunt, & hæc in hac vita ineffabilia eſſe perpendunt.

Genas quoque tuas auerte à me, quæ ſunt *ſicut cortex mali punici.* Genæ malis punicis comparatæ, ſunt ſententiæ de martyribus rubedine plenæ, quæ diligenter inueſtigant, qualiter ſe martyres in illa vita habeant. Has genas auertunt, dum omnes ſententiæ de talibus ſuccumbunt, quia homini in hac vita incognoſcibilia ſunt hæc omnia: ad illos dicta ſunt, qui nimio deſiderio ſtatum beatæ vitæ inquirunt, ſed immenſitate illius preſſi à conatu ſuo deficiant.

Sed hæc anagogicè dicta, allegoricè etiam ſunt dicenda. Anagogicè reſpicit ad vniuerſam Eccleſiam: allegoricè verò pertinet ad ordines Eccleſiæ. Per capillos ergo, & dentes, & genas, deſignantur tres ordines in Eccleſia, velut tres acies contra hoſtes ordinatæ. Per capras verò & oues, & mala punica, exprimuntur virtutes eorum. Rex itaque laudauit reginam, laudauit & agmina eius, quia Chriſtus approbat virtutes Eccleſiæ, & approbat opera membrorum eius, dicens: *Capilli tui ſicut grex caprarum, qui aſcenderunt de Galaad.* Capilli Eccleſiæ ſunt coniugati, qui ei per fidem adhærent vt capilli capiti: Qui grex caprarum de Galaad aſcendunt, dum per opera miſericordiæ ad Chriſtum tendunt. Galaad quippè dicitur aceruus teſtimonij, & ſignificat Chriſtum, in quem teſtes eius vel martyres coaceruantur. De hoc monte capræ apparent, dum fideles Chriſti exemplo aſpera mundi ſubeunt, per quæ vt capræ ad alta cœlorum ſcandunt. *Dentes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro*, Dentes Eccleſiæ ſunt doctores, qui cibum ſacræ ſcripturæ conterunt, & in corpus Eccleſiæ mittunt. Hi ſunt ſicut greges ouium, quia innocenter viuunt, & proximos lacte doctrinæ nutriunt, & eos bonis exemplis veſtiunt. Quæ oues aſcenderunt de lauacro, vt tondeantur: ita iſti de baptiſmate loti à peccatis aſcendunt ad virtutes, & relinquunt terrena, vt nudi Chriſtum ſequantur. Et hæ omnes *oues* ſunt *gemellis fœtibus*, quia doctores pleni ſunt operibus geminæ charitatis. *Et ſterilis non eſt in eis* ouibus, quia nullus eſt in doctoribus vacuus in bonis operibus. *Sicut cortex mali punici genæ tuæ.* Genæ Eccleſiæ ſunt continentes, peccare erubeſcentes; quæ *ſicut cortex mali punici*, nimium rubicundi: quia non ſolum de propriis, ſed etiam caſti erubeſcunt de peccatis alienis. Ita appares exterius coram hominibus abſque oculis tuis, id eſt, abſque charitate, quæ latet coram me interius. Poſtquam rex acies armatas laudauit, in laudem reginæ prorupit, dicens:

Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Salomon rex ſapientiſſimus & ditiſſimus, erat amator mulierum feruentiſſimus, hic habuit 300. reginas, & 300. concubinas, inter quas reginas, vt creditur, erant 60. nobiliores, & aliis digniores, quas ad cõparationem aliarũ, ſolas vocat reginas quas & hîc myſterij gratia introducit. Et iterum inter concubinas, octoginta aliis digniores genere & gratia, quas ſolas hîc ſignificationis gratia ponit. Porrò inter reginas erat vna aliis præſtantior, & generoſitate & dignitate, quæ regina reginarum dicebatur, quæ filia Pharaonis non incongruè fuiſſe putatur, quam hic etiam ad literã laudare creditur: Hanc coronatam procedentem reginæ, & concubinæ, & filiæ laudauerunt, dicentes: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Per hoc intelligitur cum multitudine armatorum proceſſiſſe, leguntur enim cum aureis ſcutis, regem & reginam ſemper præceſſiſſe; & ſuperius ſcribuntur LX. fortes armati lectum Salomonis cuſtodiſſe.

His omiſſis allegoria ad medium deducat. Dauid, qui ſemper fuit in bellis, expreſſit figuram Chriſti, hîc pro Eccleſia pugnantis. Salomon verò, qui ſemper fuit in quiete pacis, geſſit figuram Chriſti in cœlis regnantis, qui templum fecit, in quo reginam auſtri recepit, quia Chriſtus domum in cœlis præparat, in qua Eccleſiam recipiat. Salomon, quod ſonat Pacificus, eſt Chriſtus, pater futuri ſæculi, princeps pacis, & eius pacis non erit finis. Salomon erat amator mulierum multarum: & Chriſtus eſt amator multarum animarum: hic habet ſexaginta reginas, & octoginta concubinas, hoc eſt, omnes animas perfectorum in contemplatiua vita, & omnes animas imperfectorum in actiua vita. Hi quippè duo numeri pro myſterio ponuntur in hoc cantico. Quorum vnus eſt perfectus, alius imperfectus. Et ſignificant perfectos & imperfectos in Eccleſia. Sexagenarius etenim perfectus eſt, quia conſtat ſuis partibus, vt ſuperius dictum eſt: & ſignificat perfectos. Octogenarius verò eſt imperfectus, quia non completur ſuis partibus: & ideo ſignificat imperfectos. Sexagenarius quoque per ſenarium & denarium multiplicatur, quia ſexies decem, aut decies ſex, fiunt ſexaginta. Qui numerus ſignificat omnes, qui perfecti ſunt in ſex

operibus

A operibus Euangelij, & in decem præceptis legis: horum animæ dicuntur reginæ, quia ſponſum Chriſtum pro cœleſtibus diligunt, & æterni regni cohæredes eſſe. Octogenarius autem numerus per octonarium & denarium multiplicatur, quia octies decem, vel decies octo, fiunt octoginta; qui numerus deſignat carnales, decalogum legis propter ſeculares dignitates, & diuitias ſeculi obſeruantes: qui in quatuor plagis mundi, & in quatuor elementis continentur.

Et ideo horum animæ dicuntur concubinæ, quia ſponſum non pro regno diligunt, ſed ei pro temporalibus ſeruiunt. Adoleſcentulæ ſunt animæ per totum mundum in Chriſto renatæ: adhuc in fide rudes, & lactis doctrinæ egentes: harum non eſt numerus apud homines vt reginarum & concubinarum, quia ſoli Deo cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus Vel ideo *adoleſcentularum non eſt numerus*, quia in numero reginarum & concubinarum non computantur quæ ſacramentis ſponſi non renouantur. Eaſdem autem
B vocat adoleſcentulas, quas ſuperius filias Sion vel Hieruſalem nominauit, quæ cum regina nunc ad regem venerunt, & cum rege laudibus eam exceperunt. De qua ſubditur: *Vna eſt columba mea, perfecta mea.* Quod eſt dicere: Diuerſi quidem ſunt ordines electorum, ex quibus quædam reginæ, quædam dicuntur concubinæ, quædam adoleſcentulæ: ſed licet tot ſint reginæ in ſpiritualibus, tot concubinæ in carnalibus, tot adoleſcentulæ in paruulis: tamen ex his omnibus eſt vna Catholica Eccleſia, quæ eſt reginarum regina: *columba mea*, quia ſeptem donis Spiritus ſancti per me plena, *perfecta mea* quia per me omnibus virtutibus, omnibus carismatibus iu omnibus ordinibus ſuis repleta: Et ideo *eſt vna*, ſubaudis hæres, *matris ſuæ*, cœleſtis Hieruſalem, & vna *electa genitrici ſuæ* gratiæ, quæ de mundo eam elegit, & ſupernis ciuibus ſociauit. *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt.* Quæ ſuperius dictæ ſunt adoleſcentulæ, Quia in Chriſto renatæ nunc dicuntur filiæ, quia hæredes erunt matris Eccleſiæ: Hæ reginam *viderunt*,
C quia Eccleſiam in cunctis ordinibus, donis Chriſti repletam, & virtutibus ornatam reſpexerunt; & ideo *beatiſſimam prædicauerunt*, quia poſt tot gratiarum munera ad æternam beatitudinem eam vocari audierunt. Beata erat Eccleſia, quæ de Idololatria ad fidem Chriſti eſt vocata, beatior, quando variis donis Spiritus ſancti eſt ditata, beatiſſima erit, quando in ſumma beatitudine angelis aſſociata Deum videbit. *Reginæ* etiam & *concubinæ*, hoc eſt ſpirituales & carnales, mirando & prædicando magnalia Dei, *laudauerunt eam*, dicentes.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens: Id eſt, quàm glorioſa eſt iſta, tot virtutibus, tot donis glorificata, quæ ex omnibus mundi partibus, fide, & opere, & prædicatione, ad Chriſtum *progreditur quaſi aurora conſurgens* ſub Apoſtolis. Sicut enim aurora ſurgens, tenebras noctis depellit, ſolem mundo inducit: ſic Eccleſia naſcens, tenebras ignorantiæ repulit, & ſolem mundo dictis & exemplis induxit. *Pulchra vt Luna* ſub perſecutoribus; quia à vero Sole illuſtrata, noctem ſeculi Euangelica luce perfudit: *electa vt Sol*, in
D pace ſub religioſis, quia imaginem veri Solis in ſe repreſentat, ambulans in omni iuſtitia, & ſanctitate, & veritate. Et in his omnibus *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, quia in omnibus ordinibus ſuis, & in omnibus temporibus erat præmunita ſpiritualibus armis, vt nulla aduerſitate poſſet cohiberi, quin in ſe præmonſtraret pulchritudinē Lunæ in nocte laborioſæ actionis, & Solis imaginem in ſpe retributionis. Aliter Eccleſia erat aurora ante legem, Luna ſub lege, Sol ſub Euangelio, acies caſtrorum ſub antichriſto. Hæc erat aurora in Prophetis, Luna in ſeculi dignitatibus, Sol in ſapientibus. Similiter eſt ipſa aurora in coniugatis, Luna in continentibus, Sol in doctoribus, acies ordinata in omnibus. Sic eſt nihilominus aurora in pueris, Luna in iuuenibus, Sol in ſenibus, acies caſtrorum in ſingulis contra dæmones & falſos fratres.

Quæritur cur totiens in hoc cantico amantium introducantur caſtra pugnantium. Hoc ideo fit, quia ſicut
E milites peracta militia ſponſas ducunt: ita fideles animæ poſt militiam huius vitæ Sponſi ſui Chriſti amplexus adeunt. Et humana natura de Paradiſo expulſa toto tempore huius vitæ pugnando laborat, vt ornatum ſuum recipiat, quo coronam regni promiſſam percipiat. Poſt ſudorem quippe certaminis, dabitur corona laudis. Et hoc ſummopere notandum, quod duodecies à ſponſo vel à ſponſa eſt pugnatum. Sexies ante Chriſti aduentum, & iterum ſexies poſt Chriſti aduentum. Primum bellum fuit in aula inter tyrannum & imperatorem, & inter vtriuſque principes & poteſtates: quando tyrannus imperium inuaſit, & ſimilis altiſſimo eſſe voluit. In hoc bello regina, ſcilicet angelica natura tyranno diabolo conſenſit, & cum illo æternum exilium ſubiit. Nam victus à rege Deo cum omnibus ſuis de aula cœli cecidit, & carceris Inferni ſupplicium ſubiit. Secundum bellum fuit ſub gigantibus inter filios Dei & filias hominum, id eſt, inter poſteros Abel & progeniem Cain, quod cœptum eſt ab Abel & Cain & terminatum eſt in dilu-
F uio: In hoc bello ſignifer ſponſæ Abel cecidit, ſed tamen victor coronam promeruit. Tertium bellum fuit ſub ædificatoribus turris, inter liberos & ſeruos, quod cœpit à Sem & Cham, & finitum eſt in diuiſione linguarum. Quartum bellum fuit ſub Patriarchis, inter circunciſos, quod cœpit ab Abraham, & Pharaone, & terminum habuit in ſubuerſione exercitus Pharaonis in mari rubro. In hoc bello perſecutus eſt Iſmahel Iſaac, Laban Iacob, fratres Ioſeph, Ægyptij Iſrael. Quintum bellum fuit ſub data lege, inter Dei cultores, & gentiles, quod cœptum eſt à Ioſue & Amelech, & finitum eſt ſub pacifico regno Salomonis. Sextum bellum ſub regibus & Prophetis, inter Iudæos, & Iſraelitas, vel inter Babylonios & Iudæos; quod cœpit à Roboam & Ieroboam, & terminatum eſt ſub Auguſto tempore pacis. In hoc bello omnes duces primitiuæ Eccleſiæ, ſcilicet Prophetæ ceciderunt, & tamen palmas victoriæ receperunt.

Sub gratia vero primum bellum fuit inter ſponſum &
G adulterum, videlicet inter Chriſtum & diabolum quod cœptum ab Herode, & pueris, & finitum eſt in deſtructione Idololatriæ, & vocatione gentium. In hoc bello ſponſus cum adultero duellum iniit, quando eum in die belli, id eſt, in Paraſceue cuſpide crucis transfixit, moxque duces exercitus ſui miſit, qui ciuitates iniuſtè à tyranno poſſeſſas, cum populo reciperent, quia Apoſtolos per orbem miſit, qui vicos, caſtella, ciuitates, à diabolo per Idololatriam obſeſſas, ad fidem veri regis Chriſti reuocarent. Secundum bellum fuit ſub perſecutoribus, inter Chriſtianos & paganos, quod cœpit à Petro & Nerone, vel Simone Mago, & finem habuit ſub Conſtantino. In hoc bello ſignifer reginæ Stephanus cecidit, omneſque duces eius, ſcilicet Apoſtoli corruerunt, nec non omnis exercitus Martyrum ſuccubuit, & coronam vitæ promeruit. Tertium bellum fuit ſub confeſſoribus, inter hæreticos & catholicos, quod cœpit ab Arrio & Alexandro Epiſcopo, &
H finitum eſt in Conſtantinopolitano concilio. In hoc bello Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alij quàm plures clari fuerunt, qui milites Chriſti præclaris armis inſtruxerunt.

Quartum bellum nunc geritur ſub religioſis inter veros & falſos fratres, quod quidem cœpit à Iuda & Petro, ſed maximè inualuit, quando clauſtralis religio inſtitui cœpit: finietur autem ſub antichriſto, vel potius in fine mundi.

Quintum bellum erit ſub antichriſto, quod incipiet à prædicatione Heliæ & Enoch, & finietur in morte antichriſti: In hoc bello corruent duces reginæ, Helias & Enoch, & omnis exercitus Martyrum, & ipſe dux & caput malorum antichriſtus. Tunc Sunamitis reginæ Auſtri confœderabitur, & Mandragora eis aſſociabitur.

Sextum bellum erit inter regem gloriæ, & regem ſuperbiæ, inter Angelos & homines. In hoc bello rex Chriſtus cum vniuerſo exercitu Angelorum adueniens,

A hanc Babyloniam ciuitatem diaboli comburet: ipſum hoſtem cum omnibus ſuis in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipitabit: & ſponſam ſuam gloria & honore peracto bello coronabit, & in thalamo gloriæ collocabit, ſibique copulabit, quia ſeipſum ei talem, qualis eſt, patri æqualis, manifeſtabit.

Explicit ſecundus Tractatus.

INCIPIT TERTIVS TRACTATVS.

EXpoſitio præcedens retulit reginam Auſtri tria bella pro corona geſſiſſe. Vnum contra Amana, aliud contra Aquilonem, tertium contra guttas noctium, ac victricem ad regem coronandum veniſſe: & in comitatu B ſexaginta reginas, & octoginta concubinas, & innumerabiles adoleſcentulas habuiſſe, hancque à rege fauorabiliter ſuſceptam fuiſſe. Quæ de caſtris acies ordinatas produxit: inſignia belli Auroram, Lunam & Solem protulit: ipſa cum vniuerſo comitatu ſuo triumphatura proceſſit. Porrò vexillum auroræ ſanguineo colore aciem martyrum præceſſit, quæ contra agmen perſecutorum certamen iniit, quorum dux Amana fuit. Vexillum autem Lunæ candido ſplendore aciem confeſſorum præibat, quæ contra agmen hæreticorum ſe armauerat, quorum princeps Aquilo fuit. Vexillum verò Solis igneo fulgore aciem ſapientium anteceſſit, quæ arma contra agmen falſorum fratrum, qui guttæ noctium ſunt, ſumpſit.

Sequens autem expoſitio refert nouam ſponſam de occidente adueniſſe, & hanc regem magnificè ſuſcepiſſe: Regina namque Auſtri cum ſuis triumphante, & cum rege tripudiante: ecce paranymphi, Helias & Enoch, Sunamitem in quadriga Aminadab, cum multis millibus C adducunt; quam reginæ & concubinæ nec non adoleſcentulæ cum ipſa omnium regina maximo plauſu excipiunt, & in hortum nucum, cum magno iubilo, regi deducunt, de cuius aduentu rex hilaratur, & hoc carmen ei modulatur.

Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium. Poſtquàm enim in fine mundi plenitudo gentium ad fidem Chriſti intrauerit, tunc etiam ſynagoga per prædicationem Heliæ & Enoch fidem Chriſti ſuſcipiet, quam ipſe hac laude excipiet, *Deſcendi in hortum nucum*, hoc eſt, formam ſerui aſſumpſi, & veni in mundum, *vt viderem poma conuallium*, id eſt, vt remuneratarem opera humilium. Quaſi dicat ſynagogæ ad fidem venienti. Meritò venis ad me, quia ego veni prior ad te, quando de cœlis *deſcendi* in Iudæam quæ erat *hortus nucum*, id eſt habitatio fidelium, quod exterius patiuntur amaritudinem tribulationis, interius habent dulcedinem per ſpem remunerationis. In nuce tria notantur, cortex exterior, qui eſt amarus, teſta interior, quæ eſt dura, & enucleat, quod eſt dulce. Cortex ſunt hi, quibus amara D ſunt vitia: teſta, qui frangunt corpus vigiliis & ieiuniis: enucleat verò ſpiritales viri. Ideo autem *deſcendi in hortum nucum*, id eſt, in Iudæam, *vt viderem poma conuallium*, id eſt, opera populi in Ieruſalem habitantis, quæ conuallis dicitur: quia inter regna gentium quaſi inter montes erat poſita. *Et inſpicerem ſi floruiſſet vinea*, hoc eſt, ſi in fide florentes proferret Synagoga, quæ vinea Domini eſt dicta: quam ipſe de Ægypto tranſtulit, & in Iudæa plantauit. *Et viderem ſi germinaſſent mala punica*, hoc eſt, ſi aliqui per fide optarent proprio cruore perfundi. Et ſi iſta ibi non inuenirem, eos talia facere docerem: ſed ipſi me repulerunt, inſuper contumeliis affectum occiderunt.

Ad quæ verba ſynagoga turbata reſpondit: *Neſciui*, ſubaudis iſta: ideo feci talia. Quando vidi te inter homines vt hominem conuerſantem, *neſciui te* Deum fuiſſe: Quando vidi te inter latrones pendentem, neſciui te ſaluatorem: quia ſi te Dominum gloriæ ſciuiſſem, E nunquam te crucifixiſſem. Sed tu excæcaſti me, vt ſalutē humani generis per me operareris, & ideò neſciui quid feci: quia *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, hoc eſt, animalitas mea fecit me diffidere propter Euangelicam doctrinam, quæ me à circunciſione à Deo data, & à legalibus cerimoniis prohibuit, & baptiſma atque alia noua inſtituta docuit. Tria ſunt in homine, caro, animalitas, ſpiritus. Caro eſt pondus & aggrauatio, animalitas libitum carnis ſecundum quod viuimus, & nihil veri ſapimus, ſpiritus eſt qui iuſtificat Azoti contra filios Iſraël pugnauerunt, quibus deuictis arcam Dei rapuerunt. Quapropter diuina vltione percuſſi in poſteriora: à Diis conſultis reſponſum acceperunt, quod ab illa infirmitate non poſſent liberari, niſi arcam remitterent, quæ tunc impoſita quadrigis reducta eſt in domum Aminadab ſacerdotis. Quadriga Chriſti eſt Euangelium: quatuor rotæ, ſunt quatuor Euangeliſtæ, qui circa finem mundi per totum mundum current. Arca F eſt Chriſti humanitas: manna in arca eſt Chriſti diuinitas. Arca eſt ducta in Allophylos: & Chriſtus ductus eſt ad gentes per Apoſtolos. Arca eſt reducta in quadrigis in Iudæam, & Chriſtus in fine mundi reducetur per Euangelia in ſynagogam. De domo Aminadab reducta eſt per Dauid in Ieruſalem. Aminadab dicitur ſpontaneus populi mei, & eſt Chriſtus ſponte oblatus pro peccatis populi, cuius domus fuit Ieruſalem, de qua eum pater tranſtulit in cæleſtem Ieruſalem. Quadriga huius Aminadab, vt dictum eſt, ſunt quatuor Euangelia, propter quæ conturbata eſt ſynagogæ anima, quia animalis ſenſus eius multum cæpit perturbari, quando per mundum audiuit Euangelium Chriſti prædicari: ſed in hac quadriga tunc vehit, quando per Euangelicam doctrinam ad fidem Chriſti perducetur. Noua ergo ſponſa præſentiam regis ferre non valuit, quem poſt multa probra morte turpiſſima condemnauit: & ideò à facie eius cæpit abire: ſed chorus reginarum & filiarum Ieruſalem reuocat eum, dicens.

Reuertere, reuertere, Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te. Scilicet ſynagoga, poſtquam Chriſtum G regem occidit, ſub eius dominio eſſe erubuit: ſed vox prædicatorum reuocat eam, dicens, *Reuertere, reuertere Sunamitis.* Sunam eſt ciuitas, in qua Heliſæus mortuum ſuſcitauit, & ſignificat mundū, in quo Chriſtus ſuſcitauit genus humanum. Sunā autem dicitur captiuitas, inde dicitur, Sunamitis captiua: & intelligitur Synagoga à diabolo in perfidia captiua. Dicitur etiā Sunamitis coccinea ſanguine Chriſti redēpta. Huic dicitur à prædicatoribus Euangelij quater *reuertere*, ſcilicet à quatuor plagis mundi: ab errore perfidiæ, ad fidem Chriſti conuertere: vel *reuertere* ad redemptorem tuum te vocantem, te ſuſcipere volentem, in eum credendo, *reuertere* ad eum, illum diligendo, *reuertere* ad eum eius præcepta operando, *reuertere* ad eum, promiſſam vitam ab eo ſperando: *vt intueamur te*, id eſt, vt imitemur te. Vel reuertere per quatuor Euangelia, reuertere per quatuor virtutes, vt conuerſationem tuam intuentes laudemus Dominum: Iudæi namque in fine mundi conuerſi, tantæ conuerſationis erunt, quod Eccleſia admirabitur: & eius exemplo vtetur. H Conuertentur enim per Heliam & Enoch ad veſperam mundi, & famem patientur verbi Dei vt canes, & circuibunt Eccleſiam ciuitatem Dei, audire à Chriſtianis verbum Domini, & viuent iiſdem inſtitutis vt olim Eccleſia ſub Apoſtolis. Ad hanc vocationis vocem Sunamitis ad regem eſt regreſſa, & ab eo in gratiam eſt recepta: quæ mox inſtituit in laudem eius choros canentium, & caſtra contra hoſtes pugnantium. Conuerſa namque ſynagoga protinus in omni loco Chriſtum laudabit, vbique contra vitia pugnabit. Vnde rex dicit ad reginam Sunamitem intuentem eius ornatum & mirantem.

CAPVT VII.

QVid videtis in Sunamite niſi choros caſtrorum; Choros caſtrorum dixit propter choros cantorum. Cho-

A ri caſtrorum ſunt agmina militantium, pro victoria cantantium: & intelliguntur turmæ credentium, contra vicia pugnantium, & pro victoria exultantium. Eſt autem chorus æquiuocum: Chorus eſt menſura 30. modiorum, de qua in Euangelio dicitur *centum choros tritici.* Chorus etiam eſt ventus. Chorus quod eſt muſicum inſtrumentum. Chorus nihilominus eſt locus pſallentium Chorus item eſt multitudo canentium. Quaſi dicat: ô Eccleſia nil aliud videbis in ſynagoga ad me conuerſa, niſi choros mihi laudem canentium, & caſtra pro veritate pugnantium. Erit enim tunc tale tempus, quale non fuit ab initio mundi, ſcilicet perſecutionis, tribulationis, & erroris. Surgent quippe tunc pſeudoprophetæ, & facient tanta ſigna & prodigia, vt in errorem quique etiam doctiſſimi ducantur. Inſuper dux & caput omnium malorum antichriſtus, homo peccati, filius perditionis, qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, oſtendet ſe in omnibus ſignis, & prodigiis mendacibus, id eſt, ad nullam vtilitatem valen
B tibus, tanquam ſit Deus, quibus electos tentabit, & non conſentientes omnibus pœnis cruciabit. Denique vt Daniel & Apocalypſis teſtantur, cum decem regibus Eccleſiam impugnabit, contra quem hæc Sunamitis bellum ſuſcipiens, decem ordines iuſtorum, quaſi decem legiones in caſtris ordinabit, quibus ſpiritualibus armis inſtructis, bellum cum eo inibit: Quos ordines rex enumerat, dum decem membra Sunamitis laudat, quia opera ſe laudantium, & pro iuſticia pugnantium approbat, dicens.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis. Subaudis Dauid, cuius filia erat ſynagoga. Princeps Eccleſiæ eſt Chriſtus, cuius filia eſt Sunamitis, per fidem & regenerationem, huius greſſus ſunt bonæ affectiones, quibus graditur de virtute, in virtutem qui ſunt pulchri bona operatione, & hoc in calciamentis, id eſt in Apoſtolorum exemplis.

Calciamenta quippe fiunt de pellibus mortuorum animalium, & ſunt exempla iuſtorum in Chriſto mortuorum. Eccleſia eſt corpus Chriſti, cuius membra ſunt
C ordines iuſtorum. Similitudines verò rerum virtutes eorum. Per greſſus ergò, ſcilicet per pedes conuerſæ ſynagogæ, notatur primus ordo iuſtorum, in eo ſunt agricultores, qui quaſi pedes corpus portant, dum rebus neceſſariis Eccleſiam ſuſtentant. Hi calciamentis incedunt, dum ſecundum exempla iuſtorum viuunt, & hi in prima acie antichriſto reſiſtunt, dum eo contempto, vitam cum rebus pro Chriſto amittunt.

Secundus ordo iuſtorum, in eo ſunt coniugati, qui per iuncturam fœmorum deſignantur, vnde ſubditur: *Iunctura fœmorum tuorum ſunt monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.* Fœmur fœmoris eſt virorum, fœmen fœminis eſt mulierum. Per iuncturam fœminum fœcunditas prolis accipitur: per monilia ornatus & munimen: per manum artificis excellentia operis. Dignius eſt enim opus ipſius artificis, quam diſcipuli diſcentis. Iunctura fœminum ſynagogæ ſunt ſicut monilia, quia coniugati
D in ea per fœmora coniuncti: ipſi & filij, quos generant, Eccleſiam fide & operatione ornant, vt manus artificis fecit, id eſt, vt operatio Chriſti docuit. Vel iunctura fœminum, eſt concordia duorum populorum, ſcilicet Iudaici & gentilis in vna fide Chriſti, quos ſacramenta Chriſtiana coniungunt, & filios ſpiritales gignunt. Quæ iunctura eſt *ſicut monilia*, quia concordia illorum ita conuenit, ſicut duorum teſtamentorum congruit: quod vtrumque iſtam coniunctionem prædixit. Quæ monilia *fabricata ſunt manu artificis*, quia vt duo teſtamenta, quæ Eccleſiam exemplis Sanctorum, vt monilia ornant, & ſententiis contra hæreticos muniunt, compoſita ſunt à Deo Patre omnium artifice, per Filium, qui eſt manus eius, per quem fecit omnia: in quo opere ignis erat Spiritus Sanctus: ita iunctura, id eſt, corda illorum ornat ſynagogam, & munit contra ſæuitiam antichriſti. *Quæ iunctura facta eſt manu artificis*, id eſt, coniunctio illorum populorum ordinata eſt conſilio Chriſti, qui
E ſolus nouit, cur vſque ad illud tempus Iudæos excitauerit.

Tertius ordo ſunt delicati & molles, qui vmbilicum notant, de quibus ſubditur: *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Vmbilicus eſt molle membrum, & eſt media pars hominis, qui habet ſupra ſex partes; quæ ſunt, caput, oculi, naſus, os, collum pectus, ſeptimus eſt vmbilicus. Inferius habet ſex: quæ ſunt, pes, tibia, crux, coxa, fœmur, venter, ſeptimus eſt vmbilicus: qui ſignificat illos, qui per ſeptem opera miſericordiæ aſpirant ad ſeptenarium requiei, quæ dabitur per ſeptem dona Spiritus Sancti. Hi ſunt, *vt crater tornatilis, nunquam indigens poculis* id eſt, ſemper plenus poculis, qui ſunt caritate tornati, exercitio virtutum plantati, poculis doctrinæ ſemper pleni, vnde ſitientes iuſtitiam poſſint abunde inebriari. Hoc ideo dicitur, vt ſi molles, id eſt, imperfecti, in ſynagoga tales erunt, quales perfecti in ea credendi ſunt?

Quartus ordo ſunt vxorati vel hi, qui vtuntur hoc
F mundo, tanquam non vtantur; qui per ventrem demonſtrantur, de quibus protinus ſubinfertur: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Per ventrem ſpiritualis generatio, per aceruum tritici, eleemoſynarum largigitio exprimitur? triticum pro omni frumento poſuit, ſcilicet ſpeciem pro genere. *Venter* ſynagogæ eſt *ſicut aceruus tritici*, quia quæ in ea poſſeſſores mundi habent, ſpirituales partus per eleemoſynarum largitionem edunt, & dum bona opera cumulant, quaſi triticum in vnum cumulant ſiue coaceruant: qui aceruus eſt, *vallatus liliis*, id eſt, munitus virtutibus: Valli dicuntur ſudes, quibus aceruus vallatus ſtat ne cadat. Aceruus ergò tritici liliis vallatur, dum largitio eleemoſynarum candore virtutum circundatur, quæ facilè vento humanæ laudis diſſipatur, niſi aliis virtutibus fulciatur.

Nota quod ſuperius poſuit poculum, hic verò triticum, quia illi ſitientes iuſtitiam inebriant, iſti eſurientes iuſtitiam ſatiant, dum triticum verbi Dei aliis diſpenſant: Sed hi benè faciunt, qui vtrumque, ſcilicet cibum & potum indigentibus corporaliter impertiunt.

G Et notandum, quod aceruus in imo eſt latior, in ſummo anguſtior, quia multi ſunt, qui eleemoſynas tribuunt, pauci qui poſſeſſiones relinquunt.

Quintus ordo eſt doctorum, qui per vbera notantur, de quibus dicitur, *duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ*, quaſi dicat, hi, qui lactati ſunt lacte vberum tuorum, vel qui inſtructi ſunt doctrina vtriuſque legis doctorum. ſunt ſicut duo populi, ex Iudæis & gentibus, ſub Apoſtolis conuerſi, qui fuerunt hinnuli, quia ad ſtudia religionis aſcendentes: Gemelli, quia in gemina dilectione feruentes, filij capreæ bonas herbas à noxiis eligentes, id eſt, Eccleſiæ malos à bonis diſcernentes. Caprea à canibus inſecuta, de rupe ſe præcipitat, & præmittit cornua, ne corpus lædatur: Ita ſynagoga conuerſa, à perſecutoribus inſecuta, terrena contemnit, corpus ad ſupplicium, dabit, ne anima lædatur.

Huius filij per vbera eius lactati erunt hinnuli, ſcili-
H cet in Chriſto renati, in fide & caritate gemelli, æſtum vitiorum fugientes, & ad martyrium pro Chriſto currentes.

Sextus ordo eſt religioſorum, qui per collum exprimuntur, de quibus ſubditur, *Collum tuum ſicut turris eburnea*, hi ſunt ſpirituales, qui Sunamitem Chriſto verbis & exemplis coniungunt: & quia vt collum, caput & corpus coniungunt, ſunt ſicut turris eburnea, id eſt, ſicut elephas, inexpugnabiles in virtutibus. Solent elephantes turres portare, de quibus pugnatur, vt in libro Machabæorum legitur: ita ſpirituales viri ſacram ſcripturam, quaſi firmam turrim portant, ex qua contra hoſtes regni Dei pugnant. Sed & per ebur caſtitas illorum intelligitur, ſicut illud animal caſtæ naturæ eſſe perhibetur.

Septimus ordo illorum eſt, qui prælati dicuntur, qui per oculos notificantur, de quo hic ſequitur: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiarum multitudinis.*

A Heſebon eſt ciuitas, vnam tantum habens portam, in qua eſt fons vnus, qui efficit multas piſcinas, in quibus egredientes vrbem abluunt ſe, & quæ abluenda ſunt eis, & nemo poteſt ingredi ciuitatem, niſi per eas. *Heſebon* dicitur cingulum mœroris, & intelligitur Eccleſia, quæ ad ſe venientes cingit mœrore pœnitentiæ: qui etiã non poſſunt intrare per eam, niſi per portam fidei, & per fontem baptiſmatis, qui licet multa loca repleat, tamen vnus baptiſmus eſt. *Oculi* ſynagogæ ſunt *ſicut piſcinæ in Heſebon*, id eſt, prouiſores eius, presbyteri ſunt ſicut prælati Eccleſiæ, qui ſunt pleni fluētis doctrinæ: & qui infideles prædicando ducunt per portam fidei, & per fontem baptiſmatis in Eccleſiam, in qua eſt mœror pœnitentiæ, & potant eos aqua ſapientiæ *Quæ* piſcinæ *ſunt in porta filiorum multitudinis*, id eſt, in introitu ſynagogæ ad Chriſtum, quæ eſt filia multitudinis gentium: quia multiplicitas gentium generabit ſynagogam per Euangelium quaſi filiam, & piſcinæ B ſacræ intelligentia perfundet eam.

Octauus ordo eſt diſcretorum, qui per naſum innuitur, de quo hîc ſcribitur: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Rex ſapientiſſimus Salomon fecit in Libano delectationis gratia turrim altiſſimam, de qua proſpiceret contra Damaſcum, quæ eſt metropolis Syriæ, cuius habitatores impugnabant hanc turrim. Ibi etiam, vt fertur, eſt Abel occiſus, & ideo dicitur ſanguinem habens vel ſitiens, quia ibi imprimis terra aperuit os ſuum, & bibit humanum ſanguinem. Libanus dicitur candidatio, & ſignificat Chriſtum, qui in ſe credentes facit candidos. in baptiſmate, ſiue in virtutibus. Turris in hoc monte poſita, eſt Eccleſia, doctoribus & ſcripturis munita: hæc *contra Damaſcum*, id eſt, contra Diabolum, humanum ſanguinem ſitientem *reſpicit*, vt eius inſidias præuideat, & ſuos ciues per cautelam muniat. *Naſus* ſynagogæ eſt *ſicut turris Libani*, id eſt, diſcreti, in ea C ſunt ſicut ſapientes in Eccleſia Chriſti, qui ſicut naſus odores & fœtores diſcernit: ita veros à falſis Chriſtianis ſecernunt, & qui ſunt firmi & muniti contra inſidias Diaboli, & vigilanti cordis intuitu contra Damaſcum, id eſt, contra Diabolum reſpiciunt, vt hoſtes ab eo immiſſos, id eſt, vitia declinent.

Nonus ordo eſt ſummorum Pontificum, qui per caput figuratur, de quo ſubditur: *Caput tuum vt Carmelus.* Carmelus eſt mons, in quo habitauit Heliſæus, in quo vidit igneos currus, & equites, ſcilicet angelicum exercitum, ſibi in adiutorium miſſum: & dicitur ſcientia circunciſionis, vel ſitiens circunciſionem: & ſignificat altam contemplatiuam vitam in Eccleſia, in qua habitat verus Heliſæus Chriſtus, quod dicitur Domini ſalus: in qua ſunt Angelici exercitus, vt ferant ei auxilium contra hoſtes ſuos, & quæ habet ſcientiam ſpiritualis circunciſionis, vt circuncidat ſe à vitiis, & ſitit circunciſionem peccatorum, reſpuens circunciſionem Iudæorum. *Caput* ergò ſynagogæ eſt, *vt Carmelus*, D id eſt, Pontifices eius ſunt, vt Pontifices Eccleſiæ, qui habent ſcientiam circunſionis, vt vitia reſecent, non carnem vt Iudæi detruncent.

Decimus ordo eſt principum eam defendentium, qui per comas capitis notantur; de quibus mox ſequitur. *Comæ capitis tui ſicut purpura regis, iuncta canalibus.* Populi Tyri & Sydonis lanam, vnde debent facere purpuram, id eſt, regiam veſtem, ligant in canalibus, & ſuperfundunt ſanguinem conchyliorum, & intingunt eam. Conchleæ quippè maris ferro circunciſæ lacrymas purpurei cruoris emittunt, quibus collectis tinctura purpurei coloris efficitur; vnde lana intingitur, vt indumentum regis efficiatur.

Comæ caput ornant & muniunt: purpura autem eſt, indumentum regum. Comæ in hoc loco ſignificant principes in Eccleſia, qui ſacerdotium quaſi caput ornant, & muniunt iuſtitia vt armis.

Purpura, quæ fit de ſanguine piſcis, eſt paſſio Chriſti vt piſcis in igne crucis aſſi, in ſalo ſæculi hamo noſtræ mortis capti. Canalis eſt affluentia Spiritus ſancti, vel E cor vel conſcientia. *Comæ ergò capitis* ſynagogæ, id eſt, principes eius ſacerdotio adhærentes, ſunt ſicut principes Eccleſiæ; qui eam ornant & muniunt. Qui ſunt ſicut *purpura regis*; quia exemplo paſſionis Chriſti cruorem proprium pro Chriſto fundunt, vt veſtis Chriſti regis fiant, quæ *purpura eſt iuncta canalibus*, quia paſſio Chriſti fixa eſt in illorum cordibus per affluentiam ſancti Spiritus: vel *iuncta eſt canalibus*, hoc eſt, poſita iuxta dona ſancti Spiritus.

Ideò ſponſus ſingula membra ſponſæ laudat, quia Chriſtus ſingulos ordines conuerſæ ſynagogæ in fide & opere ad remunerandum approbat.

Et notandum, quod laus ſponſi à capite cœpit, & vſque ad crura deſcendit: laus verò ſponſæ à pedibus cœpit, & vſque ad comas capitis aſcendit: quia Chriſtus deorſum ad terras deſcendit: Eccleſia verò à terris ad cœlum aſcenſura erit.

Sed & hoc notandum, quod ibi ſuperiora & digniora F membra laudantur: hic verò inferiora & debiliora, quia quique perfecti per Chriſti exempla ad alta virtutum conſurgunt: infirmi verò & imperfecti per doctrinam Eccleſiæ in bonis proficiunt.

Præterea notandum, quod ſicut Eccleſia decem ordines iuſtorum, quaſi totidem acies contra Amana, id eſt, diabolum principem perſecutorum producit: ita ſynagoga decem ordines iuſtorum, quaſi totidem acies contra Antichriſtum principem malorum producet; quia vtraque armis Decalogi pugnat pro denario præmij.

Per denarium quippe notantur decem ſtatus Eccleſiæ, quorum quinque erant ante aduentum Chriſti, quinque poſt eius aduentum.

Primus ſtatus fuit ſub data non ſcripta lege in Paradiſo, quæ dixit, non comedas ne moriaris, quam ſi ſeruaſſet, nunquam legi mortis ſuccubuiſſet: ſed præuaricatrix huius legis facta eſt mortalis.

Secundus ſtatus eius erat ſub naturali lege, quæ di- G xit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, hic ſtatus erit ab Adam vſque ad Abraham: in quo ſtatu vna lingua, & vno diuino cultu vtebatur.

Tertius erat ſub circunciſione, ab Abraham vſque ad Moyſen: in quo ſtatu orta eſt diuerſitas linguarum, & cultura Idolorum, & ſub hoc erudiebatur ad religionem figuris Patriarcharum.

Quartus erat ſub ſcripta lege, à Moyſe vſque ad Dauid vel Salomonem: ſub quo ſtatu tabernaculo, & myſticis ſacrificiis ad futura inſtituebatur.

Quintus erat ſub ſcriptis Prophetarum, à Dauid vſque ad Ioannem Baptiſtam: in quo lex & Prophetæ ceſſabant: ſub quo ſtatu prophetica doctrina ad meliora informabatur.

Sextus erat ſub Euangelio, ſub quo ab ipſo ſponſo Chriſto & paranymphis Apoſtolorum, ad nuptias agni invitabatur, & per donum Spiritus ſancti, ſcientia omnium linguarum fruebatur.

Septimus erat ſub martyribus, ſub quo à perſecuto- H ribus impugnabatur; & pro patientia quotidie coronabatur.

Octauus erat ſub confeſſoribus, ſub quo ab hæreticis & ſchiſmaticis multimodis vexabatur, ſed ſcriptis ſapientium ad rectam fidem imbuebatur.

Nonus nunc eſt ſub religioſis, ſub quo à falſis fratribus & hypocritis deterius moleſtatur, quàm à publicis hoſtibus, Paganis vel Iudæis: ſed multitudine clauſtralium quàm maximè adornatur.

Decimus erit ſub antichriſto, ſub quo exterius cruciatu corporis, interius fallacia ſignorum tentabitur, ſub quo etiam ſtatu Sunamitis & Mandragora ad reginam Auſtri conueniunt, & ſimul aduenientem ſponſum excipiunt.

Hæc de Synagoga quaſi hiſtoricè dicta ſunt: nunc de Eccleſia ſunt allegoricè dicenda: cui dicit ſponſus.

Deſcendi in hortum nucum. Quaſi dicat, quod tu es *pulchra vt Luna, electa vt Sol*, non eſt ex te, ſed ex me:

A quia ego Sol iuſtitiæ, qui illuſtro diem æternum Angelorum, deſcendi ad te Lunam, & illuminaui te, vt tu illuminares noctem, id eſt, ignorantiam infidelium, vt eſſent lux in Domino: & poſui in te caſtra, & ordinaui contra vitia, & feci te *hortum nucum*, id eſt, cuſtodiam acies fidelium, in quem hortum deſcendi per gratiam, quando deſerui vineam meam, ſcilicet Iudæam, propter perfidiam.

In nuce tria conſiderantur, ſcilicet, amurca amara, teſta dura, & nucleus dulcis.

Per hæc notantur tres ordines in Eccleſia. Per amurcam coniugati in tribulationibus mundi amaricati: per teſtam continentes contra vitia duri: per nucleum virgines in virtutibus dulces.

Nota quod Eccleſia inuenit ſponſum in horto aromatum colligentem lilia: ſynagoga inuenit eum in horto nucum colligentem mala punica; quia in pace Eccleſiæ colligit ad regnum ſuum caſtos in bonis ſtudiis redolentes: in perſecutione colligit martyres B proprio ſanguine rubentes. Et quare in hortum deſcendit, *vt videret poma conuallium*, id eſt, vt conualles ſcilicet humiles faceret bona opera proferre: & hos alios ad exemplum faceret videre. Quod enim aliis demonſtramus, hoc ipſi diligenter aſpicimus, & videndo probamus.

Conuallis eſt locus inter duos montes poſitus, & intelliguntur humiles politi inter duas leges. Et ideò deſcendit, *vt videret, ſi floruiſſent vinea*, hoc eſt, vt Eccleſias, quæ ſunt vineæ vitis Chriſti, in fide faceret florere: & hoc ad exemplum alios faceret inſpicere, & *vt videret, ſi germinaſſent mala punica*, id eſt, vt faceret martyres fieri, & alios faceret eorum patientiam videre & imitari.

Aliter ſynagoga conuerſa erit hortus nucum, id eſt, cuſtodia conuerſorum, qui erunt foris amari in tribulationibus, intus dulces in virtutibus: in quem hortum Chriſtus deſcendit per gratiam, vt poma conuallium, & vineas florentes, & mala punica videret, id eſt, vt C opera humilium, & fidem fidelium, & patientiam martyrum remuneraret.

Cætera quæ ſequuntur, ſic de ſynagoga intelligenda ſunt, vt ſupra expoſita ſunt. De Eccleſia autem cœpta allegoria, eſt proſequenda, quæ dicit.

Neſciui, anima mea conturbauit me.

Quaſi dicat, *neſciui* verum Deum, & ideo ſecuta ſum alienum; quem, poſtquam cognoui, *anima mea conturbauit me*, propter quadrigas Aminadab, hoc eſt, animalis vita mea conturbat me, propter quatuor Euangelia Chriſti, ſpontaneè pro me crucifixi: in quibus Chriſtus dicit: niſi pœnitentiam egeritis, peribitis, & in ignem æternum ibitis. Porrò Apoſtoli vel eorum diſcipuli, qui hanc quadrigam per mundum traxerunt, dixerunt mihi, *reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Sunamitis quod dicitur captiua, fuit gentilitas à tyranno captiuata in Idololatria, hæc reuerſa eſt ab errore infidelitatis, ad verum regē Chriſtum per fidem, reuerſa eſt de ſordibus D Idololatriæ per baptiſmum, reuerſa eſt de mala vita, per pœnitentiam, reuerſa eſt de ritu gentili per bona opera: Hanc intuitæ ſunt filiæ Sion, id eſt, Eccleſiæ de Iudæis conuerſæ, in ſtudio ſanctæ conuerſationis feruere, & imitatæ ſunt eam.

Primitiua igitur Eccleſia audiens, quod rex Eccleſiam gentium auroræ comparauerit in coniugatis, Lunæ in continentibus, Soli in doctoribus, caſtris in martyribus, intuetur eius pulchritudinem, & miratur eius ſubitam immutationem; quam rex alloquitur, dicens: *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Quaſi dicat: ô primitiua Eccleſia in Sunamite, id eſt, in gentilitate prius captiua à tyranno nunc per me libera facta: olim non vidiſti niſi diſcordiam bellorum, ſed amplius non videbis niſi choros caſtrorum, choros Deum canentium; caſtra contra dæmones & vitia pugnantium.

Quos choros & caſtra mox laudando enume- E rat, quia eorum opera ad remunerandum approbaſt.

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis! Quod eſt dicere: ô Eccleſia prius filia principis mundi, id eſt, diaboli, nunc filia principis pacis, id eſt, Chriſti: valdè pulchri ſunt coram me in fide, & coram hominibus in opere, hi qui te portant ad bona ſtudia ſuis exhortationibus quaſi quibuſdam greſſibus, & hoc *in calciamentis*, id eſt, in ſanctorum exemplis; per quorum veſtigia gradiuntur, & te ſequi hortantur.

Iunctura etiam fœminum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Hoc eſt illi, qui coniungunt duas leges, quæ ſunt tua fœmora per ſpiritalem intelligentiam, vt ſpiritales partus edant, vt monile te ſua doctrina ornant: quæ intelligentia facta eſt per Chriſtum, qui eſt manus Patris omnium artificis, quando aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.

Necnon *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Hoc eſt illi, qui in te adhuc fragiles F & infirmi ſunt, quaſi torno bonæ operationis planati, & vt crater plenus poculis propinant proximis pocula charitatis.

Venter quoque tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. Hoc eſt illi, qui ſpiritales filios generant, eleemoſynis nunc ſeminant, quæ poſtea aceruos tritici, id eſt, mercedes operum metant: quæ vallata ſunt liliis, id eſt, ſtipata virtutibus. Chriſtus quippe eſt triticum, de cujus pane quotidie reficimur, cuius eſt aceruus multitudo fidelium.

Duo etiam vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ. Hoc eſt illi, qui ſugunt duo teſtamenta, quæ ſunt tua vbera, ſunt ita in diuino cultu ſtudioſi, ſicut duo olim populi, Iudaicus & Iſraeliticus, qui erant gemelli, ſcilicet partes in lege Dei, filij capreæ, videlicet ſynagogæ. Vbera poſuit pro his, qui ſugunt vbera: efficiens pro effecta. Vel duo vbera ſunt duo præcepta charitatis; duo verò hinnuli, actiui & contemplatiui, qui ſunt in dilectione gemelli filij capreæ, ſcilicet Eccleſiæ.

Collum verò tuum ſicut turris eburnea. Hoc eſt illi, G qui verbo & exemplo iungunt te corpus mihi capiti, ſunt firmi in virtutibus, vt turris, & vt elephas, cuius os eſt ebur, caſti in moribus.

Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon. Hoc eſt illi, qui prævident tibi futura bona, & ducunt te doctrina ſua ad iſta, ſunt pleni aquis ſapientiæ, ſicut *piſcinæ in Heſebon*, id eſt, ſicut Prophetæ & Apoſtoli, qui docuerunt mœrorem pœnitentiæ, pro gaudio futuræ gloriæ: quæ piſcinæ, id eſt, Apoſtolicæ vel Propheticæ doctrinæ *ſunt in porta filiæ multitudinis*, hoc eſt, in fide Eccleſiæ multitudinis fidelium, quæ ideò filia dicitur, quia regni hæres creditur.

Naſus quoque tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. Hoc eſt illi, qui ſunt in te diſcreti, qui vitia à virtutibus diſcernunt, in hoc ſunt fortes vt turris, & hoc Libani, id eſt, in Chriſto firmati; ad quos timidi confugiunt, quia ipſi contra Damaſcum reſpiciunt, id eſt, Diabolum, humanum ſanguinem ſitientem, H eius inſidias vigilanter præueniunt.

Caput etiam tuum ſicut Carmelus. Hoc eſt, prælati tui qui te regunt in ſpiritualibus, vt caput membra regit, qui in vertice Chriſti capitis tui tibi præſunt, ſunt in virtutibus alti, & circuncidunt te à vitiis & peccatis, circuncitione ſpirituali.

Coma tui capitis ſicut purpura regis iuncta canalibus. Hoc eſt, principes tui adhærentes fide & deuotione capiti Chriſto, vel ſacerdotio, ſunt purpurati ſanguine paſſionis, ſicut caro Chriſti, æterni regis: quæ purpura eſt *iuncta canalibus*, ſcilicet paſſio Chriſti, eſt fixa in illorum cordibus, vel *iuncta canalibus*, ſcilicet paſſio Chriſti iuncta donis Spiritus ſancti. In his omnibus es pulchra, & laudabilis, quia cunctis populis imitabilis.

Tropologicè autem hortus nucum, eſt quodlibet clauſtrum, vel locus ſpiritalium, qui ſunt vt nuces exterius amari in afflictione carnis: interius dulces in virtutibus. In hunc hortum deſcendit Chriſtus, dum eis

A quia vita iuſtorum habet omne ſpiritale delectamentum, & omnem ſaporem ſanctitatis. Semen eſt album, lucidum, odorum: quia eorum conuerſatio eſt alba in caſtitate, lucida in operatione, odora in charitate. Succus eius cum oleo coquitur, & in regium vnguentum vertitur, quia illorum vita flammis tentationum vt aurum probatur, quia regius morbus id eſt, lepra animæ vt vnguento curatur. Hoc vnguentum Maria Domino in domo Simonis leproſi obtulit, quia Eccleſia ſuo exemplo hæreticos à lepra animæ, ſcilicet de hæreſi curans Domino offert. Ibi creſcit & *nardus*, quæ eſt arbor aromatica, id eſt, aromatibus apta, ſed parua, benè redolens, & calens, vnde optimum vnguentum conficitur, quod ſunt humiles & innocentes, qui ſe coram proximis paruos, id eſt, deſpectos faciunt, & odore atque ardore charitatis ſaucios in peccatis vngunt. Ibi creſcit & *crocus*, flos rubicundus, id eſt, aurei coloris, quod ſunt ſapientes, diuina ſapientia fulgentes. Ibi creſcit & *fiſtula*, B breuis arbuſcula aromatum, quæ caſia, robuſti & purpurei corticis, quæ ad curandas viſcerum moleſtias valet, quæ pro ſui breuitate à quibuſdam inter herbas odoriferas reputatur, quod ſunt patientes pro Chriſto & pro fratribus animas ponere parati. Ibi creſcit & *Cynamomum* arbor breuis, ſed odorifera, & dulcis cinerei coloris ad medicamentum vſum fiſtulæ duplo præſtans, quod ſunt pœnitentes, qui ſe infimos reputant, & in cinere pœnitentiam agentes, dulcem odorem Eccleſiæ præſtant. Cynamomi arbor habet tres cortices: ſuperior dicitur fiſtula, medius cynamomum, tertius amomum. Medius eſt dulcior cæteris; hi autem ab aliquo diuiſi ex nimio feruore ſoluuntur ab arbore quod ſunt monachi, qui ſe ſoluunt à mundo amore Chriſti. Hæ arbores creſcunt in illo paradiſo, cum vniuerſis lignis Libani, id eſt, cedris & aliis odoriferis lignis, quod ſunt vniuerſi fideles, quorum fides & operatio imputribilis & odorifera eſt. Ibi creſcit & *myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Myrrha eſt arbor cuius ſuccus eſt ſtacte, à vermibus & putredine carnem conſeruans, quod ſunt heremitæ vel C caſti, ſe in vitiis mortificantes, & carnem ſuam à putredine libidinis conſeruantes. Aloe eſt etiam arbor ſuauiſſimi odoris, adeo vt adoleatur altaribus vice thimiamatis: habet vero ſuccum amariſſimum reſiſtentem putredini, quod ſunt continentes per amaritudinem vitæ laſciuiam carnis reprimentes. Prima vnguenta ſunt pretioſiora: quæ de primis floribus pretioſarum ſpecierum fiunt, vt illud Mariæ in Euangelio ſpicatum pretioſum, quod ſunt prælati & alij primis cariſmatibus Spiritusſancti, ſcilicet primis credentium donis pleni, qui cum verbo & exemplo flagrant, quaſi vlcera languidarum animarum curant. Notandum quod hæ ſpecies arborum vel herbarum introducuntur, de quibus vnguenta conficiuntur, quia per has notantur ordines electorum, quaſi cohortes in caſtris regis militantium, quorum vulnera per vnguenta curantur. Ideo & ſponſam horto & fonti & paradiſo comparat, quaſi ei aperte dicat, ne timeas pugnare contra acies *Amana*, quia tales bellatores in comitatu habes, de quorum conſtantia & armis ſecura hoſtes ſupe D rabis, & victrix à me coronaberis. Et tu vulneratos in bello herbis tuis curabis, quia tu es hortus medicinalium herbarum: & laſſos fluentis tuis refocillabis, quia tu es fons ſpiritualium aquarum: & victores pomis tuis ſaturabis, quia tu es paradiſus, id eſt, hortus pomorum, ſpiritualium ferculorum. Sciendum vero ad literam quod Salomon in Libano talem hortum muro concluſit, in quo has ſpecies herbarum vel arborum plantatas habuit: in quo & fons Iordanis erupit de quo & ſubditur.

Fons hortorum puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de libano. Hortorum ideo dicitur, quia ſuperius duos hortos poſuit. Aquæ viuentes ſunt, quæ fluunt: Aqua enim quæ ſtat quaſi mortua eſt, quaſi viuit quæ currit. Notandum quod dicit, *quæ fluunt impetu de Libano*, quia fluenta Iordanis cum magno impetu fluunt de Libano. Duo fontes ſunt Ior & Dan, vbi illi duo confluunt, Iordanem fluuium faciunt: Ideo hic abundantia aquarum introducitur, vt redundantia præmiorum E demonſtretur, quæ victoribus dabitur, qui ad fontem vitæ Chriſtum & ad puteum aquarum viuentium, id eſt, Spiritumſanctum puteum ſpiritualium donorum perducuntur. Siquidem decem genera arborum paradiſi poſuit, per quæ decem ordines electorum ſpiritualis paradiſi expreſſit, qui ſub decem præceptis contra vitia pugnant, vt præmium denarij, ſcilicet coronam gloriæ, percipiant. Talis eſt fructus horti; fons autem eius, id eſt, irrigatio eius, eſt *fons hortorum & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Fons eſt vbi flumen funditur: Puteus vbi aqua in profundo latet. Fons ergo hortorum eſt Euangelium, irrigatio Eccleſiarum, in actiua & contemplatiua vita degentium. Hic fons de Libano erupit, in hortum Ieruſalem cucurrit, de monte Sion fluxit, omnes hortos orbis irrigauit: quia Euangelica doctrina de Chriſto erupit in hortum Ieruſalem, id eſt, in primitiuam Eccleſiam, cucurrit, de monte Sion per Apoſtolos in gentes fluxit, & omnes Eccleſias F irrigauit. Puteus autem aquarum eſt profunda lex diuinorum ſenſuum, qui latent in legis litera, vt in profundo puteo aqua. Quæ aquæ ſunt viuentes, quia eos viuere faciunt, qui eas ſpiritualiter intelligunt. Hæ aquæ fluunt cum impetu de Libano, quia veniunt cum abundantia de Iudaico populo. Libanus enim dicitur dealbatio, & intelligitur Iudaicus populus, diuino cultu dealbatus. De hoc Libano fluenta legis & prophetarum fluxerunt, & per Apoſtolos cum impetu in Eccleſia gentium manauerunt, qui ſcripturas abunde ſpiritualiter expoſuerunt. Aliter Libanus dicitur candidatio, & intelligitur Chriſtus de caſta virgine natus. De hoc Libano aquæ cum impetu fluxerunt, quando dona Spiritusſancti tanquam Spiritus torrens in credentes inundauerunt, & eos ſcientia omnium linguarum repleuerunt. De his aquis ipſe dixit: *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, id eſt, cariſmata Spiritusſancti, quæ faciunt credentes cum Deo viuere. Hoc totum hic introducitur, vt ſciat ſponſa, quod ita eius bellatores replentur doctrina Chriſti & donis Spiritusſancti: & ita remu G nerabuntur ſicut Apoſtoli bellatores Chriſti repleti ſunt doctrina Chriſti, & donis Spiritusſancti, remunerati ſunt præmio vitæ. Fons etiam ſignificat eos qui capaces ſunt verbi Dei: Puteus vero eos qui vix intelligunt myſteria. Ciſterna eſt collectio aquarum pluuialium, quod ſunt dogmata hæreticorum. Tropologice fidelis anima eſt *ſponſa* Chriſti, per amorem ei coniuncta, & pariens ſpirituales filios, id eſt, bona opera. Hæc eſt etiam eius *ſoror*, quia eius regni cohæres. *Qui* enim *patiuntur perſecutionem, propter iuſtitiam ipſorum eſt regnum cælorum.* Anima habet ſua membra ſibi congrua. Huius *mammæ* ſunt ſtudia diſcendi & legendi, quibus haurit lac, quo poſtmodum paruulos, id eſt, indoctos nutriat, *vbera eius* ſunt ſapientia & ſcientia, de quibus lac doctrinæ indoctis miniſtrat. Eius *vnguenta* ſunt bonæ exhortationes, quibus vulnera animarum curat, magis quam vinum ſecularis prudentiæ. *Labia eius* ſunt confeſſio, qua ore confitetur, quod corde credit, vel peccata in confeſſione aperit. Lingua eius eſt interpretatio cogitationis, cum bonum con H ſilium cordis ore vel ſcripto loquitur. *Veſtimenta eius* ſunt virtutes, quibus ita decoratur vt corpus veſtibus, vnde ſcribitur: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis & indumento lætitiæ.* Anima etiam eſt hortus, quia ſimilis horto, ſcilicet bonis ſententiis, vt hortus herbis plena virtutibus vt hortus floribus. Qui hortus *eſt concluſus*, id eſt, bonis operibus circumſeptus à dæmonibus. Ipſa etiam *eſt fons*, quia de ea fluit cœleſtis doctrina, quæ irrigat alios hortos, ſcilicet fideles animas, qui *fons* ſignaculo ſanctæ fidei eſt ſignatus. Anima ſancta nihilominus eſt *paradiſus*, plena ſpiritualibus deliciis: huius paradiſi fons eſt charitas, quæ irrigat hunc paradiſum, vt proferat pretioſum fructum. Quatuor flumina paradiſi, ſunt quatuor principales virtutes, ſcilicet. Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia. *Lignum vitæ* ſapientia; *fructus eius* immortalitas. Ligna fructifera vtiles diſciplinæ. Fructus lignorum, mores piorum. *Lignum ſcientiæ boni & mali*: obſeruatio mandati. Vnguentaria ligna, ſcilicet

nardus,

A nardus, & crocus, & alia, ſunt virtutes Caſtitas, Bonitas, Humilitas, & alia infirmantium animarum vnguenta Fons & puteus in ea eſt Euangelica & legalis doctrina, ſiue ſcientia. Anagogice paradiſus exultationis, eſt habitatio ſanctorum in cœlis, plena omnibus deliciis. In hunc paradiſum raptus eſt Paulus, & in hunc introduxit latronem Dominus. In hoc paradiſo fons qui fluit de loco voluptatis, eſt Chriſtus, fons vitæ fluens de corde patris, de quo manat vita omnium. Lignum vitæ eſt Dei ſapientia, vel ſpiritusſanctus vitam æternam inſpirans omnibus. Fons & puteus aquarum viuentium, eſt plenitudo omnium gaudiorum. In cæteris huius capituli deficit anagoge. Sunt ergo quatuor paradiſi ſcilicet paradiſus voluptatis, terreſtris; paradiſus exultationis, celeſtis: paradiſus religionis, Eccleſiarum; paradiſus virtutis, animarum. Poſtquam Amana in bello cum ſuis victus ſuccubuit, ecce Aquilo alius hoſtis graue bellum reginæ intulit, ſed victus in hortum fugit, ibique vt
B latro *in inſidiis* latuit. In quo dum regina victorem exercitum reficeret, rex aduenit & hoſtem latentem repetiens de horto confuſum expulit, atque Auſtrum cultorem horti inuitauit, dicens.

Surge Aquilo & veni auſter: perfla hortum meum. Scilicet poſtquam ceſſauit perſecutio tyrannorum & coronata eſt patiencia ſanctorum, protinus ſurrexit in Eccleſia veſania hæreticorum quæ atrocius Eccleſiæ bellum intulit, quam prius à paganis pertulit. Pernicioſior enim eſt hoſtis, qui intra mœnia poſitus ciues impugnat, quam qui extra excluſus muros oppugnat. Dum ergo poſt ſudorem perſecutionis milites Chriſti in horto Eccleſiæ fruerentur quiete pacis, ecce tortuoſus draco à martyribus victus de antro maliciæ caput extulit, virus perfidiæ per agmina Chriſti fudit. Et vt latro de inſidiis improuiſus proſiliuit, atque incautos milites telis erroris vſquequaque proſtrauit. Siquidem inauditam hæreſim per malignos homines mentibus fidelium infudit, qua totum
C hortum Eccleſiæ quaſi quadam lepra viciauit: ſed rex gloriæ Chriſtus ſuis auxilium præbuit, dum vniuerſam hæreſim per ſapientes deſtruxit, & de horto ſuo flagellis anathematis expulit. Expulſo autem Aquilone, Auſter intrauit, quia eiecta hæreſi de Eccleſia, Auſter ſcilicet ſpiritus ſanctus hortum perflauit, dum veram fidem doctoribus inſpirauit. Et mox fluxerunt horti aromata, dum ſancti patres protulerunt veræ fidei dogmata. Rex ergo adueniens, dicit, *O aquilo*, hoſtis maligne, de latebris tuis *ſurge*, & de horto meo diſcede: tu autem *Auſter*, cultor horti, *veni perfla hortum meum, & fluant aromata illius*, quæ ſufficiant victoribus. Aromata ſunt odoramina, ſcilicet fructus arborum prædictarum, nardi, cynamomi, & aliarum Libani. Ideo dicit fluant, quia aromata de arboribus ardore ſpiritus fluunt, vt reſina de cedro vel abiete Aquilo eſt ventus durus & frigidus, qui tranſtringit ac flores necat. Auſter vero ventus calidus & blandus, qui terram ſoluit & flores producit. Aquilo eſt diabolus, qui duram perſecutionem Eccleſiæ intulit, & vt ſtrictam terram
D fideles de fructu bonorum operum prohibuit, & in fide florentes per varia tormenta necauit. Hic in horto vt latro in inſidiis latuit, dum victus in perſecutione virus occultum vt draco hæreticæ prauitatis in fideles euomuit. Auſter autem eſt Spiritus ſanctus, qui ſua gratia hortum perflauit, dum rectam fidem Eccleſiæ inſpirauit, & terram, id eſt, corda ſubuerſa de gelu perfidiæ ſoluit, & flores fidei produxit, quo flante horti aromata fluxerunt, quia mox fidei documenta per ſcripta patrum redundauerunt. Eccleſia vocatur hortus per ſimile, quia ſicut in horto ſunt lilia, roſæ & alij flores: & herbæ ſalubres, & item cardui vrticæ, & aliæ herbæ nociuæ & inutiles: ſic ſunt in Eccleſia martyres, confeſſores, virgines, & alij fideles. Sunt etiam hæretici, ſchiſmatici, & falſi fratres. In his latet Aquilo: In illis flat Auſter, & de ipſis fluunt aromata virtutum. Aliter per Aquilonem mundi aſpera; per Auſtrum intelliguntur proſpera. His dicitur permittendo non iubendo, vt ad tentandum ſurgant, hortum perflent, vt aromata fluant, hoc eſt, tribulationes fidelibus inferant, vt exemplo patientiæ eorum, &
E conſtantiæ bene fragrantia vt Iob ad multos perfluant. Sæpius proſpera quam aduerſa animum tentant, quia aduerſa animum ab illecebris carnis abſtrahunt, proſpera vero ad laſciuiam alliciunt. Tropologice hortus eſt clauſtrum, flores & herbæ ſalubres fratres in fide & dilectione vnanimes, vrticæ & herbæ inutiles, ſunt hypocritæ & falſi fratres. Aquilo in horto ad tentandum ſurgit, dum diabolus per falſos fratres concordiam fratrum perturbat: ſed Auſter veniens hortum perflat, dum Spiritus ſanctus conuentum fratrum in patientia & concordia corroborat. Aromata fluũt, dum virtutes prius occultæ tentationibus probatæ, ad notitiam proximorum prodeunt. Anagogice vero Aquilo in horto ſurgit, cum Antichriſtus adhuc Eccleſiam impugnabit, ſed Auſter hortum perflabit, cum gratia Spiritus ſancti, fidelibus conſtantiam fidei contra eum inſpirauerit: tunc aromata horti fluent, quia pro fide Chriſti martyria redundabunt. Aliter Aquilo ſurgit, vt de horto diſcedat, cum oc-
F ciſo Antichriſto perſecutio de Eccleſia recedet. Auſter vero hortum perflabit, cum multitudo lapſorum ad pœnitentiam per inſpirationem ſancti Spiritus redibit. Tunc fluent horti aromata, quia exempla patientiæ & conſtantiæ ſanctorum ſub Antichriſto in Eccleſia redundabunt. Aliter, Aquilo de horto recedit, cum diabolus de Eccleſia vltimo iudicio damnatus diſcedet. Auſter hortum perflabit, cum Chriſtus veniens conſolatione Spiritus ſancti Eccleſiam recreabit. Tunc horti aromata fluent, quando iuſti æterna præmia pro meritis recipient. Aquilone recedente, & Auſtro in hortum veniente, regina aromata colligit, quibus victores reficit, & regem foris ſtantem ad epulas victorum inuitat, dicens.

CAPVT V.

VEniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Scilicet perſecutione per
G Chriſtum annihilata & hæreſi vbique damnata, Eccleſia iam in pace & concordia fidei degens, & multa tentamenta ſuſtinens, ſcripta patrum quaſi aromata collegit, exemplo illorum virtutum ſpiritualium quaſi conuiuium inſtituit, cui Chriſtum intereſſe optat, vt opus ſuum acceptabile fiat dicens, Qui ſe promiſit mecum vſque ad conſummationem ſeculi manſurum, ipſe nunc per gratiam veniat in me hortum ſuum. vt qui me inter perſecutores & hæreticos illæſam cuſtodiuit, nunc in pace degentem à tentationibus aduerſitatum, & proſperitatum inconcuſſam cuſtodiat. Ac de me tales emiſſiones producat, quarum pomorum fructus ipſe comedat, hoc eſt, tam ſpirituales velit de me pullulare, quos ſibi vt ſuauem cibum velit incorporare. Poma etenim horti ſunt in Eccleſia electi. Fructus pomorum, ſunt opera bonorum. Fructus pomorum ſuorum dilectus comedit, cum Chriſtus electos per bona opera ſibi incorporabit, vt ſint vnum cum Deo ſicut cibus in corpus comedentis vertitur. Aliter Eccleſia dolens ſynago-
H gam à fide Chriſti tamdiu ſeparari, orat eam ſibi aſſociari, dicens: *Dilectus meus*, qui de me horto ſuo Aquilonem diabolum per fidem expulit, & Auſtrum ſpiritumſanctum per gratiam introduxit, & aromata chariſmatum in me multiplicauit: ipſe etiam per gratiam veniat in Iudæam *hortum ſuum, vt comedat fructus pomorum ſuorum.* Id eſt, vt per fidem incorporet ſibi multitudinem conuertendorum. Moraliter. Dilectus in hortum venit, & fructum pomorum ſuorum comedit, cum Chriſtus dona ſua in cætu ſpiritualium multiplicauit, & ſe operibus eorum vt ſuaui cibo refecit. Iuxta altiorem ſenſum, dilectus horti fructum comedit, cum Chriſtus electos de hoc mundo in gloriam ſuam aſſumpſerit. Rex ad conuiuium reginæ ingreſſus, dicit.

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Per myrrham martyres; per aromata confeſſores accipiuntur. Fauus eſt mel in cera, & ſignificat animas in corpore: Mel autem extra ceram animas extra corpora. Per fauum ex-

A primuntur hi, qui cum Domino corporaliter ſurrexerunt, & cum eo corporaliter aſcenderunt. Per mel autem animæ ſanctorum, de inferno per Chriſtum liberatorum. Per vinum notantur hi, qui in primitiua Eccleſia alios doctrinis inebriauerunt. Per lac hi qui lacte doctrinæ nutriti ſunt. Sex ordines electorum poſuit quos ad gloriam perfectorum perduxit. Senarius quippe numerus qui perfectus eſt, perfectionem innuit, quaſi dicat: O Eccl. *ſoror mea* in hæreditate, *ſponſa mea* in ſpirituali generatione: Ego iam *veni* per incarnationem, *in hortum meum* Iudæam, & iam *meſſui myrrham cum aromatibus* quia collegi ad me meſſem martyrum in cœlum cum confeſſoribus fide & opere bene olentibus. *Comedi fauum cum melle*, quia quos corporaliter ſuſcitaui, iam in gloriam ſumpſi cum animabus, quas de inferno liberaui. *Bibi vinum cum lacte*, quia doctores cum auditoribus iam angelis in cœlis aſſociaui dicens: O vos ange- B li *amici comedite*, & vos archangeli chariſſimi *bibite & inebriamini*, quod eſt dicere. Hos quos de terris cum triumpho adduxi, vt ſuauem cibum vobis aſſociando incorporate, & vt dulcem potum in gaudium veſtrum introducite. Et ſicut epulantes variis ferculis & potibus gaudent ſatiari: ita gaudete iſto veſtro conſortio annumerari. Hoc totum ideo replicat, quaſi Eccleſiæ gentium dicat, Sicut illos de primitiua Eccleſia mea incarnatione, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione iam glorificaui: ita adhuc conuertendos de Iudæis glorificabo. Similiter & de te ortos, & in fide perfectos Angelis in gloria aſſociabo. Aliter. O ſoror & ſponſa, tu oras vt veniam in te hortum meum, ferendo tibi contra mundi tentamenta auxilium; ego autem veni in hortum tempore perſecutionis, ferens auxilium martyribus: quos iam coronaui pro cruciatibus. Veni etiam in auxilium confeſſoribus, contra hæreticos certantibus; quos iam glorificaui in cœleſtibus: ita te contra tentamenta mundi certantem iuuabo, & vincentem coronabo. Iam in C horto meo meſſui myrrham meam, id eſt, martyres in Eccleſia amara pro me paſſos ad me in gloriam collegi cum aromatibus meis, hoc eſt cum omnibus qui fama bonorum operum ſunt inſignes vt confeſſores. Notandum quod dicit *meis*: quia & hæretici habent ſuos martyres & ſuos confeſſores; qui non Chriſti, ſed myrrha ſunt diaboli. Tu inuitas me ad conuiuium, iam comedi fauum cum melle meo, iam bibi vinum meum cum lacte meo. Fauus ſunt hi, qui in ſcripturis dulcedinem ſpiritualis intelligentiæ quærunt, & aliis dilucidant. Mel ſunt hi qui epulas diuini verbi ſibi appoſitas libenter guſtant, & his inſatiabiliter veſci deſiderant. Vinum ſunt fortes cœleſtium doctores, alios ſapientia inebriantes. Lac ſunt infirmi adhuc auditores, qui lacte doctrinæ nutriuntur ad bonos mores. Hos omnes vt dulcem cibum mihi incorporaui, & vt ſuauem potum in me transfudi, quia omnes in gloriam aſſumpſi. Nunc alloquitur rex victores in horto epulantes, hoc eſt, omnes in Eccleſia D de vitiis triumphantes. *Comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi.* Quod eſt dicere: Vox Eccleſiæ bellatores, mei amici, qui facitis quæ ego præcepi meo exemplo, *comedite fauum cum melle*, id eſt, tales viros vobis aſſociate, qui dulci doctrina vos eſurientes iuſtitiam reficiant: & meo exemplo *bibite vinum cum lacte*, hoc eſt, tales doctores vobis coadunate, qui vos ſitientes iuſtitiam vino ſapientiæ inebrient, & lacte doctrinæ nutriant. A talibus ſapientia inebriamini, & repleti charitate eritis mihi chariſſimi, & eritis mihi cibus & potus vt ipſi, & vos mihi vt illos incorporabo, & mecum in gloria collocabo. Moraliter, ſponſus myrrham in horto metit, cum Chriſtus de cœtu ſpiritualium mortificantes membra ſua, & crucifigentes vitiis & concupiſcentiis falce mortis præcidit, & in cellaria beatitudinis perducit. Aromata metit, cum redolentes in virtutibus ad vitam colligit. Fauum cum melle comedit, cum dulces in moribus & operibus aſſumit. Vinum cum lacte bibit, cum ſapientes cum ſimplicibus ad gloriam eligit. Iuxta anagogen Chriſtus myrrham & Aromata de horto metit, cum electos quoſdam in Eccleſia tribulationibus amaricatos, quoſdam virtutibus bene olentes in hortum beatitudinis colligit. E Fauum cum melle comedit, cum doctores dulcedinis, in dulcedine æternæ quietis collocabit. Vinum cum lacte bibit, cum ſubditos potum doctrinæ haurientes, de torrente voluptatis ſuæ inebriabit, dicens angelis: *Comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi*, hoc eſt, ita gaudete de ſocietate iſtorum, ſicut epulantes lætantur de diuerſi cibi & potus ſatietate. Solet quæri a quibuſdam vtrum homo eſſet conditus ſi angelus non fuiſſet lapſus. Putant enim lapſum angelorum cauſam fuiſſe creationis hominum: ſed hi falluntur. Ratione quippe docente, & ſacra authoritate conſentiente, ſi tota numeroſitas angelorum in cœlo perſtitiſſet, tamen multitudo hominum in terra creata eſſet. Et ſicut angelus in vniuerſitate habet ſuum locum: ita homo in vniuerſitate habet ſuum. Siquidem tota ſcriptura clamat hunc mundum propter hominem factum: quod ſi homo non eſſet creatus, conſequenter & hic mundus non eſſet conditus. Quod abſurdiſſimum eſt. F Quem errorem Spiritus ſanctus præuidens, & per ſcripturam præcauens quod ante creationem angeli vel hominis creatus ſit pronunciat, clamans: *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Cœlum autem & terra eſt mundus. Ad quid fecit cœlum? vt eſſet habitatio angelorum. Ad quid terram? vt eſſet habitatio hominum. Domino autem atteſtante angelus & homo ſimul facti ſunt, dicens ad Iob. *Ecce Behemoth quem feci tecum*, quod eſt dicere, quando feci angelum, feci & hominem. Sacra autem ſcriptura omnia ſimul facta clamat dicens: *Qui manet in æternum creauit omnia ſimul.* Igitur homo non propter angelum, ſed propter ſeipſum factus eſt: mundus autem propter ipſum factus eſt. Et lapſus angelorum per hominem reparatus eſt, quia Deus creator homo factus eſt, conſequenter & homo Deus factus eſt. Item quæritur vtrum filius Dei eſſet incarnatus, ſi homo non fuiſſet lapſus. Putant enim caſum hominis, cauſam fuiſſe Chriſti incarnationis: ſed hi non falluntur: Ratio G enim manifeſte clamat, & Sacræ ſcripturæ auctoritas conſonat, quod quia homo in paradiſo peccauit, propterea Deus hominem aſſumpſerit. Ab æterno quippe erat apud Deum prædeſtinatum, quod homo deificaretur. Sicut enim Deus eſt immutabilis, ita & prædeſtinatio eius eſt immutabilis. Et ſi Deus non incarnaretur homo non deificaretur. Et ſic prædeſtinatio Dei immutaretur, quod erat impoſſibile. Igitur oportuit Deum incarnari, vt poſſet homo deificari. Huic rationi videtur authoritas adſtipulari. Siquidem antequam Adam peccaret, Deus per Adam prædixit, Chriſtum de carne Adam incarnandum, & Eccleſiam ei coniungendam, ita dicens: *Erunt duo in carne vna*, hoc Apoſtolus ita exponit dicens: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ecce ante peccatum hominis prædicta eſt incarnatio Dei: quia ergo homo peccauit, propterea Chriſtus immortalis factus eſt mortalis. Qui ſi in H ſtatu immotalitatis naſceretur, nunquam moreretur, & homo ſine interpoſitione mortis eius deificaretur. Quod fieri non potuit. Quia ergo Chriſtus in illo ſtatu natus eſt quo mori poſſet, ideo mori voluit: quia vero ad vitam reſurrexit, mortem homini abſtulit, & vitam amiſſam reddidit. Et ſicut in illo ſtatu mortis omnes moriuntur, ſic in iſto ſtatu vitæ omnes in Chriſto viuificabuntur, & ſecundum immutabilem prædeſtinationem Dei deificabuntur. Vnde dicit Apoſtol. *Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem*, q. d. antequam mundus eſſet ſtatuit Deus filium ſuum incarnari, & nos homines in ipſo deificari. Hunc dum fugit apoſtata angelus in cœlo in patris claritate regnantem, inuenit eum in matris terræ gremio latentem, ſeſe quandoque iudicantem. Adhuc quæritur. Si homo in paradiſo perſtitiſſet, vtrum mali ex eo naſcerentur. Sed ratio docet quia ſi homo non peccaſſet iuſtus & immortalis eſſet, & omnes qui in illo ſtatu naſcerentur iuſti & immortales eſſent. Soli ergo iſti naſcerentur. Poſtquam autem homo peccauit, iniuſtus & mortalis fuit, & omnes qui in illo ſtatu nati ſunt. Iniuſti & mortales propter Chriſtum ſolum fuerunt

A runt. Eſt autem Chriſtus Deus & homo. Ex omnibus ergo iniuſtis quidam per Chriſtum iuſtificantur, vt in ipſo deificentur. Cur autem reliqui non deificentur vel non iuſtificentur, nóne ille qui eligit quos vult, & abiicit quos vult. Huc vſque plenitudo gentium intrauit. Ab hinc vſque ad ingreſſum ſynagogæ notatur tempus pacis Eccleſiæ. Finito itaque conuiuio victorum, regina iuit dormitum, dicens cubiculi excubitoribus Si rex me quærat, dicite: *quia ego dormio & cor meum vigilat*, vt eum excipiat. Quaſi magnum conuiuium Eccleſia cum victoribus habuit quando magnum conſilium cum multis confeſſoribus in Nicea ciuitate habuit. In qua varia fercula, erant diuerſa capitula ſcripturarum. Quo finito iuit dormitum, quia ibi damnata omni hæreſi perſecutio ceſſauit, quies pacis rediit; & Eccleſia curis ſeculi ſe ſubtraxit, diuina officia inſtituit, diuinæ contemplationi vacauit; qui nunc dicit imperfectis adhuc terrenis in-

B hiantibus. Meo exemplo ſrena poſtponite, cæleſtia quærite. Sicut ego dormio, id eſt, à negociis & curis ſeculi quieſco, & cor meum in meditatione ſcripturarum, & contemplatione æternæ vitæ vigilat: vt manſura bona percipiat. Regina dormiente diſſenſio inter milites eſt exorta, non ab hoſtibus, ſed ab ocio nata. Qua increſcente rex reginam excitat, monet vt ſurgat, tumultum militum compeſcat, ſed Eccleſia in contemplatione quieſcente, multa vitia inter fideles exorta ſunt, videlicet nouæ hæreſes, diſcordiæ, ſectæ, ſchiſmata, & alia plura. Vnde Chriſtus per ſcripturam eam monuit, vt quietem contemplationis intermitteret, tumultum vitiorum exhortando & corrigendo ſedaret. Et notandum quod primo corona ſponſæ proponitur pro certamine, contra Amana, id eſt, pro ſæuitia perſecutorum. Deinde pro labore contra Aquilonem, id eſt, pro vexatione hæreticorum. Tunc tertiò præmium promittitur ei pro vigilantia contra guttas noctium, id eſt, pro exhortatione

C & correctione lapſorum. Igitur ſponſa repræſentat verba ſponſi ſe excitantis, dicens.

Vox dilecti mei pulſantis. Ad oſtium cubiculi mei fuit hæc. *Aperi mihi ſoror mea amica mea, columba mea, immaculata mea*, vt intrem ad te: quia *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei pleni guttis noctium*, tota nocte ſtans ſub dio & audiens tumultum militum. Cui ergo reſpondi: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa*, vt ſurgam & aperiam tibi? *laui pedes meos*, quomodo inquinabo illos, ambulans quo præcipis? Hæc verba demonſtrant Chriſti ſollicitudinem erga negligentes & errantes, vt ſpirituales corrigantur, & Eccleſia ad feruorem contemplationis; ad tædium verò ſæcularis adminiſtrationis excitetur. Chriſti patris & Eccleſiæ dilecti vox in ſcripturis ad oſtium cordis ſpiritualium pulſantis, id eſt, monentis hæc eſt: O Eccleſia *ſoror mea*, quia per me cohæres regni: *amica mea*, quia per me cœleſtium arcanorum conſcia: *columba mea*, quia per me Spiritu

D ſancto repleta: *immaculata mea*, quia per me à peccatis emundata: *Aperi mihi* exhortando oſtium cordis eorum, qui illud peſſulo malorum operum clauſerunt, & guttæ noctium, id eſt, membra dæmonum facti ſunt: *& eris ſoror mea*, ſi exhæredes per malitiam, feceris cohæredes meos per gratiam: & *eris amica mea*, ſi inimicos ob perfidiam, feceris amicos per fidei conſtantiam: & eris *columba*, ſi duplices corde, feceris ſimplices: & eris *immaculata*, ſi maculatos vitiis, feceris immaculatos virtutibus. *Quia caput meum plenum eſt rore*, id eſt, fides diuinitatis meæ repleta eſt errore. *Et cincinni mei pleni ſunt guttis noctium*, id eſt, fideles mei repleti ſunt peccatis dæmonum. Quia caput Chriſti Deus eſt, per caput intelligitur fides diuinitatis: per ros qui in nocte cadit, & ſolis ardore recedit, accipitur error infidelitatis, qui de nocte ignorantiæ venit, ſed luce veritatis recedit. Cincinni, id eſt, capilli ſunt fideles, per fidem capiti Chriſto adhærentes. Guttæ noctium ſunt lapſi de fidelibus, vt guttæ de capillis in ſententias hæreticorum: vel in peccatis dæmonum, qui ſunt noctes ad æternas tenebras ducentes. Caput ergo & ros noctis intelliguntur in fide diuinitatis errantes: per cincinnos & guttas noctis dæmonibus in peccatis conſentientes. Horum E
cordis oſtium aperi mihi docendo, vt intrem per gratiam, & habitem in cordibus eorum per fidem, & manſionem mihi in mentibus iſtorum faciam per bonam operationem. Vox Eccleſiæ Chriſto reſpondentis, & quaſi curam ſecularium recuſantis, & ideò regimen fugientis.

Expoliaui me tunica mea. Id eſt, exui me ſeculari ſollicitudine, *quomodo induar illa?* id eſt, quomodo iterum reaſſumam illam. Hoc non dicit quaſi inobediendo, ſed ſecularem honorem fugiendo. Qui enim in ſecularibus præficitur, in ſpiritualibus deiicitur, quia ſicut corpus tunica induitur; ſic mens ſecularium cura implicatur. Quam exutam nolunt ſpirituales reinduere, ſed in ſpiritualibus ſoli Deo vacare. Vocati verò à Deo ſuam voluntatem poſtponunt, & onus regiminis cauſa proximorum inuiti ſubeunt. Vnde gementes dicunt: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Pedes animæ ſunt F
affectiones, quibus ad quæque deſideria transfertur, ſicut corpus pedibus graditur: quæ ſunt concupiſcentia, timor, gaudium, dolor. Concupiſcit enim terrena, timet ne minimè adipiſcatur cupita, gaudet de adeptis, dolet de amiſſis. Hos pedes lauit dum terrenas affectiones lachrymis pœnitentiæ abluit. Hos iterum inquinare timet, quia qui in ſeculari regimine poſitus eſt, vix aut nullatenus ſordes peccatorum euitare valet: ſed cum ſponſa tardat aperire ſponſo pulſanti, iam non voce ſed manu tangit eam: de quo tactu tremefacta ſurgit, vt ei aperiat: quia cum Eccleſia in ſpiritualibus vitiis curam proximorum ſuſcipere refugit, Chriſtus ei opus obedientiæ ſuæ anteponit, de quo perterrita facit pro proximis quod Chriſtus fecit pro inimicis, vnde ſubditur.

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus contremuit ad tactum eius. Similitudo eſt ab illo, qui ad oſtium cubiculi amicæ pulſat, & cum ei G
non aperuerit per feneſtram manu tangit eam: & illa ſurgens aperit ei. Manus dilecti eſt operatio obedientiæ Chriſti. Per manum quippe opus, quod per manum fit exprimitur. Foramen cubiculi dilectæ, eſt auris corporis, quod eſt cubiculum animæ. Manum ergo ſuam dilectus per foramen miſit, quando per aurem corporis in memoriam animæ miſit opus ſuæ obedientiæ: quando de gloria cœleſtis regni egreſſus, laborem huius exilij ſubiit, & inimicis ſuis pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, & regnum cœlorum prædicauit: quatenus eius exemplo laborem mundi ſubiret, vt proximis in periculo animæ poſitis ſubueniret. *Sed venter* Eccleſiæ ad tactum Chriſti *intremuit*, quia dum quiſque ſpiritalis fragilitatem ſuam conſiderauit, de facto Chriſti pertimuit, ne ad iniunctum officium exemplo Chriſti minus idoneus eſſet: inobediens autem factus à Chriſto periret. Per ventrem autem qui eſt molle membrum, fragiles in Eccleſia intelliguntur, ex quibus tamen ſpirituales filij H
gignuntur. Tacta manu ſponſi tremefacta, *ſurrexi vt aperirem dilecto meo.* Eius exemplo ſum tacta de inobedientia mea. Tremefacta, *ſurrexi* de loco vbi dormiui, quia quietem contemplationis intermiſi, *vt aperirem dilecto meo*, corda in malitia indurata, & à bonitate clauſa. Notandum quod dilecto voce pulſanti non aperit, manu autem tangenti mox aperit: quia oſtium cordis magis exemplo operis, quam voce prædicationis reſeratur, vt Chriſtus per fidem introducatur. Suſcepto autem regimine cum ſpiritualis vir cœperit bona coram proximis operari, & eos ad bene operandum hortari, mox incipiunt ei mali aduerſari: aliquando ab eo correpti etiam mortem minari, vnde ſubditur.

Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Per manus operatio: per myrrham perſecutio: per digitos ſtudia: per myrrham probatiſſimam ſumma tribulatio innuitur. Myrrha probatiſſima eſt optima myrrha, quæ alibi dicitur myrrha electa, & intelligitur mors Chriſti. Regina ergo quæ ſtante auſtro aromata collegit, myrrham manibus tulit, vnde nunc dicit: *Manus meæ diſtillauerunt myrrham*, hoc eſt, opera mea, quæ exempla mortificationis fuerunt, perſecutionis amaritudinem mihi mouerunt. *Digiti mei*

A *pleni myrrha probatiſſima*, id eſt, ſtudia mea, quæ erant imitantia patientiam Chriſti, mouerunt mihi tribulationem mortis, inſtar mortis Chriſti, quæ ab his paſſus eſt, quos docuit viam ſalutis. Notandum quod tres crucifixi ſunt, Chriſtus, latro confitens, latro blaſphemans. Qui innocenter mala vel mortem patitur, cum Chriſto crucifigitur: Qui nocens, ſed peccata confitens, cum latrone confitente ſaluatur: qui nocens, & non confitens patitur, cum latrone blaſphemante damnatur. *Ego ad tactum Sponſi ſurrexi, vt aperirem ei*, & per myrrham ſtillantem, id eſt, per amaritudinem abundantem, quam exemplo Chriſti paſſa ſum, *peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo.* Eccleſia eſt ciuitas, vel domus, vel templum Dei, cuius [illegible] eſt fides, per quam intratur ad patremfamilias [illegible]. Peſſulum oſtij eſt infidelitas vel duritia cor[illegible], qua oſtium fidei obſtruitur, ne Chriſtus in domum animæ ingrediatur. Sed peſſulum oſtij aperitur dum infidelitas per rationem deſtruitur, vel duritia cordis ſermone blando emollitur. Et ſic pulſans ſponſus in B cubiculum cordis recipitur. Vnde ſcribitur: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Ad oſtium ſtat Chriſtus, & pulſat, dum cor malitia clauſum, ſuperna gratia viſitat: ſed hoc oſtium aperit, qui oblatam gratiam per pœnitentiam recipit. Chriſtus intrabit, & cum eo cœnabit, dum animam pœnitentis ſapientia repleuerit, & conſolatione ſcripturarum ſatiauerit. Vbi autem pulſanti non aperitur, declinat & tranſit ad eum, qui ei ianuam cordis reſerat: vnde apte ſubditur. *At ille declinauerat atque tranſierat.* Ab illis namque declinat, qui ei cor peſſulo duritiæ obſtruunt: ad illos verò tranſit, qui ei pœnitendo aperiunt. Similitudo eſt ab illo, qui diu ad oſtium amicæ pulſans non intromittitur, & indignans regreditur. Declinat etiam dilectus, & tranſit, dum diuinitas eius mentis cogitationem excedit. Sed quia vbi ſermo diuinus recipitur, ibi protinus cor in malitia induratum ad pœnitentiam emollitur, rectè ſubiungitur.

Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt, dicens: Aperi mihi ſoror mea. C Sponſa oſtium aperiens, & dilectum non inueniens, venit ad chorum filiarum Ieruſalem, quæ ſecum venerant, & quærula voce refert eis, quod pulſanti dilecto non aperuerit, quod poſtea quæſitum non inuenerit, quod verò vocatus non reſponderit, quod cuſtodes ciuitatis eam plagauerint, vulnerauerint, theriſtrum eius tulerint: atque anxia rogat, vt ſi eum inuenerint, quæ paſſa ſit pro eius amore ei nuncient. Similitudo eſt ab illa amica amante, quæ amicum anxia in nocte quærit, vigiles incauta incurrit, veſtes perdit, plagas accipit, & hæc poſtea dolens conſodalibus refert. Per ſponſam in hoc loco intelligitur Eccleſia pœnitentium, dilectum in culpa amiſſum pœnitendo & confitendo quærentium, & gemebunda voce filiabus Ieruſalem, id eſt, ſpiritualibus & religioſis in confeſſione ita dicentium: *Anima mea*, quæ Aquilone flante in malitia indurata eſt, flante Auſtro, *liquefacta eſt, vt dilectus* iſta *locutus eſt: Aperi mihi ſoror mea*, quam ſanguine meo feci cohæredem mihi. Hac voce anima mea D compuncta ad exprimendam imaginem ſponſi vt cera eſt liquefacta. Porrò ſpiritus, id eſt, ſuperior vis animæ hîc loquitur: *Quæſiui* cogitando diuitias patientiæ ſuæ, qua me peccantem obſtinatum, ſe prouocantem tàm diu ſuſtinuit, *& non inueni* immenſam miſericordiam, quæ peccantibus parcit. *Vocaui* clamore cordis, volens ſcire occulta iudicia eius, quare malos diu ſuſtineat, bonos puniat, aliquando malos per pœnitentiam eligat, bonos per culpam abijciat, pares in culpa vnum conuertat, alium relinquat: *& non reſpondit mihi*, id eſt, per ſcripturas non indicauit mihi, vt non in meis operibus, ſed in ſua miſericordia fiduciam habeam. Ipſe me quæſiuit, dum choros Angelorum in cœlis reliquit, & me vt ouem errantem in mundo quæſiuit. Vocauit quando dixit: *Conuertimini ad me filij reuertentes, & ego reficiam vos.* Hanc vocem contempſi. Ideò clamantem me in tribulatione non exaudit Dominus. *Me ita* quærentem & vocantem, *inuenerunt cuſtodes, qui circueunt ciuitatem*, E ſcilicet prælati Eccleſiæ, verbo & exemplo, cuſtodes legis Dei, *qui circueunt ciuitatem*, id eſt, ſcripturis muniunt Eccleſiam, inuenerunt me peccatis & abominationibus plenam: percuſſerunt me timore iudicij & peccatorum: *& vulnerauerunt me* compunctione & pœnitentia: *tulerunt pallium meum*, ſcilicet multitudinem peccatorum, qua circundata eram per iniunctam pœnitentiam, *cuſtodes murorum*, id eſt, doctores librorum, quibus cingitur vt muro Eccleſia ciuitas Dei. Vel pallium, id eſt, velamen ignorantiæ abſtulerunt, dum mihi occulta Dei iudicia expoſuerunt. Cuſtodibus ergo ciuitatis, vel cuſtodibus murorùm, qui me talem inuenerunt, & me taliter tractauerunt, cum magno gemitu dixi.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, nuncietis ei quia amore langueo. Quaſi dicat: Vos ſpiritales animæ cœleſtis Hieruſalem filiæ per fidei ſacramentum, vos conſtringo, ſi inueneritis in ſcripturis dilectum meum, id eſt, ſi legendo intellexeritis opera F dilecti mei. Ille quippe alium inuenit, qui eius mores vitamque cognoſcit. Nuncietis ei per me, hoc eſt, me doceatis gratias agendo, & aliis prædicando nunciare Ille etenim nunciat, qui alium nunciare docet. *Quia amore langueo*, id eſt, cauſa amoris eius circa terrena langueo, & ſola cœleſtia deſidero. Et quæ ſunt opera dilecti, ſcilicet quod Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus: & quod *vniuerſæ viæ Domini ſunt miſericordia & veritas.* Miſericordia ſuper pœnitentes, veritas ſuper peccantes. Hoc nunciabitis per me, quod eſt diligendus, quia miſericorditer parcit his qui ei pœnitendo oſtium cordis aperiunt, & iuſte punit hos, qui ei ianuam cordis male viuendo obſtruunt. Nota quod ſex articulos dolentis animæ ponit; quia in ſex ætatibus vel ſex diebus, ſex opera miſericordiæ facit, quibus ad ſenarij perfectionem peruenit, ſcilicet, Quod anima ad vocem Domini in compunctione liqueſcit. Quod eum conuerſatione anxia quærit. Quod eum lamentis inuocat. Quod eius deſiderio tota die, id eſt, omni G tempore aduerſis flagellatur. Doloribus vulneratur. Rebus neceſſariis deſpoliatur. Ideo autem hoc lamentum in cantico amoris ponitur, quia anima fidelis Chriſti ſponſa per pœnitentiam ei coniungitur: Et *gaudium erit in cœlis Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Hoc lamentum plus tropologiæ, quàm allegoriæ aſcribitur, quia in hoc Eccleſia pœnitentes ad bonos mores hortatur. Et ideo hic allegoria deficit. Iuxta anagogen autem Eccleſia peregrinans dormit, & cor eius vigilat, quando ad terrena & caduca inſenſibilis fit, & ad ſola cœleſtia anhelat. Huic vox dilecti pulſat, quando eam per moleſtiam corporis vel vicinæ mortis ad ſupernam patriam vocat. Cui mox aperit, quia eius vocationem gratanter accipit. Nam vt ſoror in hæreditatem Domini introducitur, vt amica in ſecretis cœleſtibus admittitur, vt columba à Spiritu ſancto illuſtratur, vt immaculata in thalamo ſponſi collocatur. Tunica ſe ſpoliat, quando corpus deponit: Pedes lauat, quando vel exiguum puluerem cogitationum per vltimam pœnitentiam abluit. Dilectus manum mittit, quando eam H dolore mortis tangit. Sed venter ad tactum eius tremuit, quia de minimis peccatis, quæ per fragilitatem carnis commiſit, iudicis ſententiam metuit. Surgit tamen vt ei aperiat, quia viſionem eius quæ ſurſum eſt optat. Manus eius myrrham ſtillant, quia opera quibus hic pro Chriſto eſt mortificata repræſentat, vt pro his æterna præmia recipiat. In ſequentibus anagoge deficit. Sponſæ dilectum abſentem anxiè quærenti, & filias Hieruſalem de eo ſciſcitanti, reſpondit chorus filiarum Hieruſalem.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiurasti nos? Filiæ Hieruſalem ſunt Eccleſiæ, quæ ſuperius dictæ ſunt filiæ Sion, quæ egreſſæ ad videndum regem coronatum, cum regina bellum contra Amana inierunt, & ab ea in hortis refectæ ſunt: & intelliguntur Eccleſiæ de Iudæa, in qua eſt Hieruſalem vel Sion, ad fidem Chriſti conuerſæ, quæ cum Eccleſia gentium ſpiritale

bellum

A bellum contra diabolum inierunt, & epulis ſpiritalibus, ſcilicet ſcripturis vel corpore Chriſti refectæ ſunt. Interdum in hoc libro filiæ Syon ſunt Eccleſiæ de Iudæis conuerſæ; filiæ verò Hieruſalem Eccleſiæ de gentibus vocatæ. Quia ſicut ad literam minor eſt Sion in mœniis & numero inhabitantium: Hieruſalem autem maior & ædificiis & numero ciuium: ſic Eccleſiæ de Iudæis paucioris numeri ſunt fidelium: Eccleſiæ autem de gentibus amplioris numeri ſunt credentium. In hoc loco filiæ Hieruſalem ſunt Eccleſiæ vel animæ imperfectorum, de matre Eccleſia, quæ eſt perfectorum, ſecreta Chriſti diſcere volentium. Et notandum, quod in hoc cantico dramatis, fit mutatio perſonarum: ſicut in comœdiis gentilium. Prius quippe introducta eſt vox Eccleſiæ pœnitentium: & ecce introducitur vox Eccleſiæ imperfectorum diſcere volentium: & mox ſubſequitur vox Eccleſiæ perfectorum alios docentium, & hoc totum fit propter vnitatem Catholicæ Eccleſiæ, quæ in omnibus
B membris ſuis eſt vna ſponſa Chriſti, quæ in duabus naturis eſt vna perſona. Et propter hanc vnionem aliquando dicit: *Pater maior me eſt.* Aliquando verò: *Ego & pater vnum ſumus.* Dicunt ergo filiæ Ieruſalem ad matrem Eccleſiam, id eſt, imperfecti ad ſpirituales: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum.* Hoc eſt dicere: ô Eccleſia mater credentium, pulcherrima mulierum, id eſt, fide & opere, & prædicatione integerrima omnium, ſpiritales partus edentium, doce nos quam magnus ſit in diuinitate dilectus tuus Chriſtus natus ex dilecto Deo patre. Et doce nos, qualis ſit dilectus tuus ex dilecto, hoc eſt, quàm glorioſus ſit per miracula in humanitate conceptus ex Spiritu ſancto natus de Virgine Maria matre, quia ſic adiuraſti nos, vel ſic fidei ſacramenta docuiſti nos, vt Chriſtum credamus ex Deo patre Deum natum, & hominem ex matre factum. Qui Dominicus homo dicitur ex Spiritu ſancto conceptus, quia nullis præcedentibus meritis, ſed ſolo dono Dei in
C Deitatem eſt aſſumptus. Reſpondit Eccleſia ſpiritualium, docens myſteria Chriſti filias Ieruſalem, id eſt, Eccleſias vel animas imperfectorum, ſcilicet ſecularium. Quam doctrinam quaſi in decem membra corporis diſtinguit, quia tota ſacræ Scripturæ doctrina in decalogo legis exiſtit. Ideò autem hæc myſtica doctrina huic capitulo inſeritur, quoniam de pace Eccleſiæ ſcribitur; quia profunda ſapientiæ in pace ſunt diſcenda, in perſecutione facienda. Et hoc notandum, quod iſtud capitulum ab hiſtoria & ab anagoge deficit. Allegoria verò & tropologia ſplendeſcit, quia id ſolum Chriſtum & ſua membra reſpicit.

Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Per candorem ſplendor ſanctitatis: per ruborem verò notatur ardor paſſionis. Dilectus Eccleſiæ eſt Chriſtus, quem præ vita & præ omnibus terrenis dilexit, dum in perſecutione honores, dignitates, amicitias mundi eius amore contempſit, & ipſam mortem per varios cruciatus corporis ſubiit. Hic per humanitatem eſt *candidus*,
D quia de virgine natus, & à labe peccati mundus. Et ipſe *rubicundus* martyrio, quia peccatores lauit ſanguine ſuo, à Deo Patre electus ex millibus Apoſtolis & Sanctorum agminibus, vt per eum reconciliaretur mundus. Per millenarium notatur perfectio. Chriſtus *electus ex millibus*, ſcilicet ex omnibus perfectis ad redimendum genus humanum, quod nullus alius facere potuit. Et notandum, quod prætermiſſis omnibus virtutibus cæteris, per duo tantum dilectus laudatur, videlicet per munditiam vitæ & martyrium: quia per hæc fideles ad caſtitatem & patientiam informantur, per quæ maximè ſaluantur, vt ſcribitur: *Sine ſanctimonia nemo videbit Deum.* Et iterum: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Secundum diuinitatem autem *caput eius aurum optimum.* Caput Chriſti eſt diuinitas, quia ſicut caput continet corpus: ſic diuinitas continet humanitatem. Hoc caput eſt aurum optimum, id eſt, puriſſimum: quia ſicut aurum omnia metalla præcellit fulgore & dignitate: ita diuinitas omnia præcellit honore & maieſtate. Et hoc aurum eſt optimum, quia diuinitas eſt ſummum bonum,

E ex qua omne bonum vt de fonte profluit: ſicut vigor omnium ſenſuum à capite deſcendit. *Comæ eius ſunt elatæ palmarum.* Hoc eſt angelicæ virtutes ſpecialiter Deo, vt comæ capiti inhærentes, ſunt ſemper pulchritudinem eius intendentes. Vel comæ eius ſunt diuinæ diſpenſationes, quia ſunt vt elatæ palmarum rectæ: *ſed nigræ quaſi coruus*, quia ſtultis deſpicabiles. *Oculi ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum*, hoc eſt, dona Spiritus S. quæ ipſe dat, amatores ſuos non in cœno more porcorum volui permittunt: ſed in ſimilitudinem aquarum claros & perſpicuos reddunt, nil tenebroſum habentes. Vnde & riuulis & mundis aquis non ſtagnis turbulentis comparantur, quia Deum vident, & diuinorum chariſmatum luce replentur: quæ chariſmata quia ſola gratia dantur, ſubditur: *Quæ lacte ſunt lotæ*, quia ſicut mater ſola dilectione naturali lac filiis miniſtrat: ſic Deus ſola gratia dona chariſmatum filiis donat: *quæ reſident iuxta fluenta pleniſſima*, quia quanto de Deo clarius vident, tantò magis ad altiora cognoſcenda inten-
F dunt. *Genæ illius ſunt areolæ aromatum*, hoc eſt, modeſtia & pietas, quæ in Chriſto ſingulariter refulſit, dulcedine doctrinarum delectabat præſentes, attrahebat abſentes: ſicut areolæ aromatum delectant odoris & aſpectus gratia aſpicientes. Quæ areolæ ſunt conſitæ à pigmentariis, id eſt, medicis, ſcilicet Apoſtolis & Prophetis animarum medicis: qui concordi voce non ſolum Chriſti ſermones, ſed & more, ſacris paginis, quaſi areolis deſcripſere. Labia eius diſtilant myrrham primam hoc eſt, verba doctrinæ eius, quæ claritatem regni cœleſtis promittunt grauia patientibus, myrrham primam, id eſt, contemptum mundi & voluptatum prædicant. *Manus eius tornatiles*, hic eſt opera eius ſunt polita & perfecta vt tornatura. Quæ enim verbo docuit, opere compleuit, vt de doctrina eius mirantes operibus confirmaret. *Et hæ manus* ſunt aureæ, quia virtutes quas in
G homine geſſit, diuinitatis gloria perfecit, quæ nos ad ſpem & amorem cœleſtium excitant. *Plenæ hyacinthis.* Hyacinthus eſt herba purpurei floris, febres expellens ſuauitate odoris: quod eſt paſſio Chriſti, quæ expellit morbum infidelitatis. Manus eius plenæ erant hyacinthis, quia in cruce perforatæ clauis, quaſi purpureo ſunt colore reſperſæ rubore ſanguinis. *Venter eius eburneus*, hoc eſt, fragilitas humanitatis eſt nitens candore caſtitatis, & ab omni peccato immunis. Et hic venter eſt *diſtinctus ſapphiris*, quod eſt lapis ſereno cœlo ſimilis, ſublimitatem cœleſtium ſignificans; quia partim humana fragilitas eſurie, tentatione, fatigatione, morte: partim diuina celſitudo miraculis, reſurrectione, & aſcenſione intelligitur. *Crura illius columnæ marmoreæ*, hoc eſt, itinera incarnationis eius ſunt recta & firma, quia quicquid per eum geſtum eſt, ante tempora à Deo diſpoſitum eſt. *Quæ* columnæ *fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*, id eſt, Prophetas ſapientia lucentes, quia talis in carne apparuit, qualis ab illis prædictus in diuina diſpoſitio-
H ne fuit. *Species eius vt libani*, hoc eſt, pulchritudo eius eſt decor omnium Sanctorum: ſicut Libanus eſt decor omnium montium. *Electus vt cedri*, hoc eſt, ſicut cedri ſunt præ omnibus lignis: ita Chriſtus eſt egregius præ omnibus ſanctis. Quomodo enim Libanus altitudine & amplitudine eſt inſignis: ita Chriſtus inter omnes, qui de terra orti ſunt, antecellit. Et ſicut ille mons nobilium eſt ferax arborum: ita iſte omnes Sanctos in ſe radicatos extollit & conſeruat. Et ſicut cedrus pulchritudine, fortitudine, ſublimitate, odore omne decus ſiluarum antecedit: ſic dilectus ſpecioſus forma præ filiis hominum; quia ipſe non accepit ad menſuram, ſed totum Deum, & nos omnes de plenitudine eius accepimus. *Guttur illius ſuauiſſimum*, hoc eſt, internus ſapor & dulcedo verborum eius, quam pauci guſtant, eſt ſuauiſſima: qui autem guſtant, amplius eſuriunt. Guttur etiam eſt occulta diſpoſitio bonitatis eius, qua factum eſt, vt foras nobis loqueretur. *Et totus deſiderabilis*, id eſt, Deus & homo, quia non ſolum ſecundum diuinitatem: ſed etiam ſecundum humanitatem ab ipſo initio conceptionis, vſque ad triumphum paſſionis, reſurrectio-

A rum. Eccleſiæ dictæ ſunt mulieres, quia pariunt filios ſpirituales. Pulchra eſt, quæ caret labe hæreſis, pulchrior, quæ floret ſtudio bonæ actionis, pulcherrima, quæ fulget inſtantia prædicationis. Dicunt ergò imperfecti ad perfectos, carnales ad ſpirituales, actiui ad contemplatiuos, ſubditi ad prælatos, indocti ad doctos: *Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum.* O Eccleſia ſpiritualium fide & opere, quam maximè Deo placens inter Eccleſias, ſpirituales partus edentes, doce nos, quomodo quæras quaſi abſentem, quem prædicas vbique præſentem: & ſi eſt præſens, qualiter ſit videndus: & ſi abſens, qualiter ſit inueniendus; *& quæremus eum tecum* fide & deuotione. Aliud eſt abire, aliud declinare: ille abit, qui in longinquum vadit: ille declinat, qui æſtum deuitans, in proximum locum, in vmbram ſecedit. Chriſtus corporaliter abiit, cum videntibus diſcipulis cœlos aſcendit, ſpiritualiter verò declinauit, cum de ſynagoga B in Eccleſiam per gratiam venit. Hic videndus eſt credendo, quærendus orando, inueniendus benè viuendo, cum ſcriptum ſit: *Cœlum & terram ego impleo.* Quæritur, quomodo Deus dicatur abire vel adire. Sciendum eſt, quod tres motus ſunt, vnus localis & temporalis, qui propriè eſt corporis, quod de loco ad locum per tempus mouetur: alter eſt temporalis, & non localis, qui propriè eſt ſpiritus, qui per tempus, non per locum mouetur, cogitando præterita vel futura. Tertius eſt nec localis, nec temporalis, ſed æternus, qui propriè eſt Dei, cum mouetur volendo ad id faciendum, quod æternaliter ſtatuit fiendum. Dicitur ergò Deus abire, cum indignis gratiam ſubtrahit: dicitur adire, cùm gratiam ſuam largitur his, quos dignos gratia ſua fecerit. Et ibi non fit mutatio loci vel temporis. Item quæritur cum Deus vbique ſit totus, quomodo dicatur eſſe totus alicubi: quod enim eſt totum alicubi, illius pars nulla eſt alibi: Omne C quippe quod loco continetur, tribus dimenſionibus, ſcilicet longitudine, latitudine, altitudine per ſpatium diſtenditur, & ſex circumſtantiis videlicet ſupra, & infra, dextra & ſiniſtra, ante & retro circumſcribitur. Sed omnis dimenſio & circumſcriptio longè à Deo remouetur, qui ſpiritus eſſe ſcribitur. Sciendum verò quod tribus modis eſſe dicitur. Omne quippe quod eſt, aut eſt in loco localiter, vel in loco illocaliter, vel extra locum illocaliter. In loco localiter eſt corpus, quod locum ſua mole occupat, & aliud eodem tempore ibi eſſe non ſinit, vbi illud eſt; verbi gratia, vinum in vaſe totum ſpatium interius occupat, & acetum non poteſt infundi, niſi vinum effundatur. In loco autem illocaliter eſt anima in corpore, quæ nullum locum ibi occupat: ſed illud illocaliter viuificat, & ſenſificat, & non eſt opus vt recedat, dans locum cibo vel potui vt introeat. Extra locum verò illocaliter eſt Deus, in ſeipſo ſimpliciter omnia loca continens æqualiter, & D omnia tempora circumcludens præſentialiter. Igitur vbique eſt totus, quia eſt ſubſtantia, & ratio, & cauſa, locus, ſpatium, & terminus omnium. Reſpondet ſponſa filiabus Hieruſalem, ſcilicet ordo in Eccleſia docentium ordini diſcentium.

CAPVT VI.

Dilectus meus de ſynagoga deſcendit per gratiam in me Eccleſiam, *hortum ſuum*, quæ fluentis Euangelij irrigata profero germina virtutum, & venit *ad areolam aromatum*, id eſt, ad cœtum ſpiritualium, vbi eſt collectio bonorum operum, *vt paſcatur in hortis*, hoc eſt, delectetur de bonis operibus in Eccleſiis, fide & opere fructiferis, vel in clauſtris floribus virtutum odoriferis, *& lilia colligat*, id eſt, opera caſtorum in vnitatem fidei congreget, & in virtutibus candidos angelis aſſociet. In me ergo horto ſuo non extra eſt quærendus, & præcipuè in areolis aromatum, & in hortis, id eſt, in clauſtris, in conuentu ſpiritalium, quia *ego dilecto meo*, ſubaudis præparo locum in me manendi E humilitate & caſtitate, *& dilectus meus* præparat *mihi* apud ſe locum receptionis, *qui paſcitur inter lilia*, id eſt, delectatur intra ſancta deſideria caſtarum mentium, ibi eſt inueniendus. Eccleſia eſt hortus Chriſti à ſimili, quia ſicut hortus profert varios germinum flores: ita Eccleſia profert diuerſos virtutum ſectatores. In hunc hortum dilectus deſcendit, cum Chriſtus in Eccleſia fidelibus per miſericordiam condeſcendit, aut dona Spiritus ſancti largiendo, aut peccata remittendo, aut petita tribuendo. Areola eſt terra in horto æquis lateribus hinc inde compoſita, ſolerti foſſatorio creberrimè reuerſata, ſuperfluis graminibus expurgata. Et intelligitur clauſtralis vita confeſſione & pœnitentia à vitiis purgata, regularibus diſciplinis ſemini verbi Dei & virtutibus adaptata: in qua creſcunt virtutum aromata, quorum odore delectatur Chriſtus. Eſt etiam areola fidelis anima pœnitentia purgata, ſtudio religionis planata; de qua redolent bonorum operum aromata, quibus paſcitur ſponſus. Sponſa cum filiabus Hie- F ruſalem dilectum diu quæſitum, in horto aromata & lilia colligentem reperit, quia Eccleſia Chriſtum cum magno deſiderio in ſcripturis quæſitum, in conuentu ſpiritalium ſtudia caſtorum approbantem inuenit, quam ipſe hac laude excepit.

Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Acies eſt æquiuocum. Acies oculorum eſt pupilla oculi: acies armorum eſt acumen gladij: acies caſtrorum eſt agmen militum. Hoc eſt, ô amica mea cupiens ſcire ſecreta mea: tu *pulchra es* voluntate & deſiderio, quo me quæris: *& ſuauis* voce, qua alios ad quærendum mutuis collocutionibus excitas: *& decora*, quia bonorum operum exempla præbes: *ſicut Hieruſalem*, id eſt, primitiua Eccleſia exiſtens ſub Apoſtolis in Hieruſalem; vel ſicut Eccleſia fecit, quæ nunc eſt in cœleſti Hieruſalem. *Terribilis* dæmonibus & hæreticis, vel falſis fratribus conuerſatione & diſputatione: *vt caſtrorum acies ordi-* G *nata*, contra hoſtes armorum inſtructione. Eccleſia eſt diſtincta tribus ordinibus, quod ſunt doctores, continentes, coniugati, qui per Noë, Daniel & Iob ſunt præſignati. Ex quibus Noë arcam rexit in vndis, Daniel continens fuit in aula regis, Iob curam rexit coniugis: qui etiam in Euangelio notantur, vbi duo in agro, quod ſunt doctores, duo in lecto, quod ſunt continentes, duo in molendino, quod ſunt coniugati ſcribuntur. In his ſingulis ſunt acies virtutum, armis inſtructæ, in caſtris Domini ſcilicet in Eccleſiis, vel in clauſtris, contra agmina vitiorum ordinant, dum doctores hæreticos, vel dæmones diſputando impugnant, continentes ſobriè viuentes, contra impudicos dimicant: coniugati fide coniugali, & eleemoſynis, tela luxuriæ deuitant, quæ acies ſic inſtructæ ſunt terribiles, quia vitæ iuſtorum videntur malè viuentibus horribiles. Graues ſunt etiam eis ad videndum, & hor- H rent conſilia eorum ad audiendum. Similitudo eſt à militibus, qui ſemper ſunt in caſtris parati ad reſiſtendum hoſtibus. Caſtra Romanorum terribilia erant, quia totum mundum premebant, ſed ſuauia non erant, quia veram pacem non habebant. In Eccleſia autem nec terror ſuauitatem, nec ſuauitas aufert terrorem, quæ in terra cœleſtem vitam agit, & barbaros diuerſarum nationum animos ad ſuum ritum, vt trahat, ſatagit. Per hoc quod dicit ſponſus, *pulchra es amica mea*, notatur quod regina, regio ornatu ad regem venerit; per hoc quod dicit, *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, intelligitur, quod armata multitudine comitata aduenerit. Quippe quæ cum Amana & Aquilone pugnam iniit, adhuc contra guttas noctium pugnatura arma non depoſuit. Deſignatur autem, quod Eccleſia; quæ perſecutores patientia deuicit, hæreſes ſapientia ſuperauit, ornatum virtutum in pace induit: ſed tamen armis ſpiritualibus iugiter inuigilat, quibus falſis fratribus reſiſtat. Cum autem ſponſa inuenti dilecti pulchritudinem inſatiabiliter intueretur, & claritatem decoris eius ſtupefacta miraretur: dicit ei ſponſus.

A *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Quaſi dicat: Noli me in tantum in turba intueri, quia in aulam ibo, & ibi aſpectum meum totum tibi fruendum præbebo; ſcilicet cum Eccleſia tota intentione dilectum in ſcripturis quærit, & cum pariter in creaturis inuenit eius miram ſapientiam in generibus & ſpeciebus rerum ſtupefacta miratur, & hanc perfectè magno deſiderio cognoſcere conatur, ſed ei dicitur: *Auerte oculos tuos à me*, hoc eſt, intelligentiam & intentionem oculos cordis, auerte à mea diuinitate: *quia ipſi me auolare fecerunt*, hoc eſt, ipſi oculi cordis tui vident in quantum omnem humanum & angelicum intellectum excedam. Quaſi dicat: Sufficiat tibi quod me expertè vides in ſcriptura, & in viſibili creatura. Et ne quæras me ex toto in hac vita videre, quod non poteris præ tua fragilitate: nec quæras hoc conſequi in via, quod tibi dabitur in patria. Poſtea me totum videbis, cum ad me in aula perueneris. Similitudo eſt ab aquila, quæ in alto vix videtur, ſed altius volans non videtur: B ita Deus cum aliquantulum in contemplatione cernitur, ſubitò ex oculis cordis eripitur, & omnem intellectum longè tranſcendere perpenditur. Oculos cordis in Deum figit, qui Trinitatem in perſonis, & vnitatem atque æqualitatem in eſſentia Deitatis perfectè cognoſcere quærit: ſed ipſe ab oculis cernentis euolat, dum ſibi incomprehenſibile cernit, quod videre deſiderat. Oculos ergo ab eo auertit, & ad creaturam hos flectit, dum hunc in operibus creatis contemplari ſatagit, quem in eſſentia ſua videre non potuit. Non ſolum oculos tuos non averte à me, ſed etiam capillos à me cohibe.

Capilli ſunt ſubtiles cogitationes, quæ aſcendunt multiplices, ſicut grex caprarum aſcendit ad rupes, & hoc de Galaad, id eſt, de Chriſto, qui eſt aceruus teſtimonij vel fortitudo martyrum. Cogitant enim de Chriſto, quomodo de maſſa peccatrice abſque peccato potuerit concipi, quomodo abſque viro de ſola C virgine naſci, quomodo impaſſibilis pati, & immortalis potuerit mori. Et inde aſcendunt cogitationes ad Deitatem, cum cogitant, quomodo Chriſtus ſit imago Dei inuiſibilis, patri æqualis, quomodo ſit Dei ſapientia, & Dei virtus, & quomodo omnia per ipſum facta ſunt, & quomodo omnia verbo virtutis ſuæ contineat: has cogitationes quaſi capillos conſtringe, & altiora te, ne quæſieris, qui hoc ad plenum cognoſcere non poteris.

Dentes etiam tuos à me abſconde, qui ſunt ſicut *greges ouium, qui aſcendunt de lauacro.* Dentes ſunt acuti ſenſus, qui cibos ſcripturæ exponendo comminuunt. Greges ouium de lauacro aſcendentes, ſunt fideles de baptiſmo venientes, qui alios lacte doctrinæ reficiunt, vel bonis exemplis veſtiunt. Tonſæ verò oues ſunt illi, qui omnia pro Chriſto reliquerunt. Quaſi dentes exicitant, qui in exponendis ſcripturis ſenſus acuunt, volentes ſcire, qualiter in gloria poſiti ſint, qui baptizati D innocenter hic, vt oues vixerint, vel omnia pro Chriſto reliquerint. Dentes verò abſcondunt, dum ſenſus ab hac cogitatione retrahunt, & hæc in hac vita ineffabilia eſſe perpendunt.

Genas quoque tuas auerte à me, quæ ſunt *ſicut cortex mali punici.* Genæ malis punicis comparatæ, ſunt ſententiæ de martyribus rubedine plenæ, quæ diligenter inueſtigant, qualiter ſe martyres in illa vita habeant. Has genas auertunt, dum omnes ſententiæ de talibus ſuccumbunt, quia homini in hac vita incognoſcibilia ſunt hæc omnia: ad illos dicta ſunt, qui nimio deſiderio ſtatum beatæ vitæ inquirunt, ſed immenſitate illius preſſi à conatu ſuo deficiant.

Sed hæc anagogicè dicta, allegoricè etiam ſunt dicenda. Anagogicè reſpicit ad vniuerſam Eccleſiam: allegoricè verò pertinet ad ordines Eccleſiæ. Per capillos ergo, & dentes, & genas, deſignantur tres ordines in Eccleſia, velut tres acies contra hoſtes ordinatæ. Per capras verò & oues, & mala punica, exprimuntur virtutes eorum. Rex itaque laudauit reginam, E laudauit & agmina eius, quia Chriſtus approbat virtutes Eccleſiæ, & approbat opera membrorum eius, dicens: *Capilli tui ſicut grex caprarum, qui aſcenderunt de Galaad.* Capilli Eccleſiæ ſunt coniugati, qui ei per fidem adhærent vt capilli capiti: Qui grex caprarum de Galaad aſcendunt, dum per opera miſericordiæ ad Chriſtum tendunt. Galaad quippè dicitur aceruus teſtimonij, & ſignificat Chriſtum, in quem teſtes eius vel martyres coaceruantur. De hoc monte capræ apparent, dum fideles Chriſti exemplo aſpera mundi ſubeunt, per quæ vt capræ ad alta cœlorum ſcandunt. *Dentes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro.* Dentes Eccleſiæ ſunt doctores, qui cibum ſacræ ſcripturæ conterunt, & in corpus Eccleſiæ mittunt. Hi ſunt ſicut greges ouium, quia innocenter viuunt, & proximos lacte doctrinæ nutriunt, & eos bonis exemplis veſtiunt. Quæ oues aſcenderunt de lauacro, vt tondeantur: ita iſti de baptiſmate loti à peccatis aſcendunt ad virtutes, & relinquunt terrena, vt nudi F Chriſtum ſequantur. Et hæ omnes *oues ſunt gemellis fœtibus*, quia doctores pleni ſunt operibus geminæ charitatis. *Et ſterilis non eſt in eis* ouibus, quia nullus eſt in doctoribus vacuus in bonis operibus. *Sicut cortex mali punici gena tua.* Genæ Eccleſiæ ſunt continentes, peccare erubeſcentes; quæ *ſicut cortex mali punici*, nimium rubicundi: quia non ſolum de propriis, ſed etiam caſti erubeſcunt de peccatis alienis. Ita appares exterius coram hominibus abſque oculis tuis, id eſt, abſque charitate, quæ latet coram me interius. Poſtquam rex acies armatas laudauit, in laudem reginæ prorupit, dicens:

Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Salomon rex ſapientiſſimus & ditiſſimus, erat amator mulierum feruentiſſimus, hic habuit 300. reginas, & 300. concubinas, inter quas reginas, vt creditur, erant 60. nobiliores, & aliis digniores, quas ad cōparationem aliarū, ſolas vocat G reginas quas & hic myſterij gratia introducit. Et iterum inter concubinas, octoginta aliis digniores genere & gratia, quas ſolas hic ſignificationis gratia ponit. Porrò inter reginas erat vna aliis præſtantior, & generoſitate & dignitate, quæ regina reginarum dicebatur, quæ filia Pharaonis non incongrue fuiſſe putatur, quam hic etiam ad literā laudare creditur: Hanc coronatam procedentem reginæ, & concubinæ, & filiæ laudauerunt, dicentes: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Per hoc intelligitur cum multitudine armatorum proceſſiſſe, leguntur enim cum aureis ſcutis, regem & reginam ſemper præceſſiſſe: & ſuperius ſcribuntur LX. fortes armati lectum Salomonis cuſtodiſſe.

His omiſſis allegoria ad medium deducat. Dauid, qui ſemper fuit in bellis, expreſſit figuram Chriſti, hic pro Eccleſia pugnantis. Salomon verò, qui ſemper fuit in quiete pacis, geſſit figuram Chriſti in cœlis regnantis, H qui templum fecit, in quo reginam auſtri recepit, quia Chriſtus domum in cœlis præparat, in qua Eccleſiam recipiat. Salomon, quod ſonat Pacificus, eſt Chriſtus, pater futuri ſæculi, princeps pacis, & eius pacis non erit finis. Salomon erat amator mulierum multarum: & Chriſtus eſt amator multarum animarum: hic habet ſexaginta reginas, & octoginta concubinas, hoc eſt, omnes animas perfectorum in contemplatiua vita, & omnes animas imperfectorum in actiua vita. Hi quippè duo numeri pro myſterio ponuntur in hoc cantico. Quorum vnus eſt perfectus, alius imperfectus. Et ſignificant perfectos & imperfectos in Eccleſia. Sexagenarius etenim perfectus eſt, quia conſtat ſuis partibus, vt ſuperius dictum eſt: & ſignificat perfectos. Octogenarius verò eſt imperfectus, quia non complectur ſuis partibus: & ideo ſignificat imperfectos. Sexagenarius quoque per ſenarium & denarium multiplicatur, quia ſexies decem, aut decies ſex, fiunt ſexaginta. Qui numerus ſignificat omnes, qui perfecti ſunt in ſex

operibus

A operibus Euangelij, & in decem præceptis legis: horum animæ dicuntur reginæ, quia ſponſum Chriſtum pro cœleſtibus diligunt, & æterni regni cohæredes eſſe. Octogenarius autem numerus per octonarium & denarium multiplicatur, quia octies decem, vel decies octo, fiunt octoginta; qui numerus deſignat carnales, decalogum legis propter ſeculares dignitates, & diuitias ſeculi obſeruantes: qui in quatuor plagis mundi, & in quatuor elementis continentur.

Et ideo horum animæ dicuntur concubinæ, quia ſponſum non pro regno diligunt, ſed ei pro temporalibus ſeruiunt. Adoleſcentulæ ſunt animæ per totum mundum in Chriſto renatæ: adhuc in fide rudes, & lactis doctrinæ egentes: harum non eſt numerus apud homines vt reginarum & concubinarum, quia ſoli Deo cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus Vel ideo *adoleſcentularum non eſt numerus*, quia in numero reginarum & concubinarum non computantur quæ ſacramentis ſponſi non renouantur. Eaſdem autem B vocat adoleſcentulas, quas ſuperius filias Sion vel Hieruſalem nominauit, quæ cum regina nunc ad regem venerunt, & cum rege laudibus eam exceperunt. De qua ſubditur: *Vna eſt columba mea, perfecta mea.* Quod eſt dicere: Diuerſi quidem ſunt ordines electorum, ex quibus quædam reginæ, quædam dicuntur concubinæ, quædam adoleſcentulæ: ſed licet tot ſint reginæ in ſpiritualibus, tot concubinæ in carnalibus, tot adoleſcentulæ in paruulis: tamen ex his omnibus eſt vna Catholica Eccleſia, quæ eſt reginarum regina: *columba mea*, quia ſeptem donis Spiritus ſancti per me plena, *perfecta mea* quia per me omnibus virtutibus, omnibus cariſmatibus in omnibus ordinibus ſuis repleta: Et ideo *eſt vna*, ſubaudis hæres, *matris ſuæ*, celeſtis Hieruſalem, & vna *electa genitrici ſuæ* gratiæ, quæ de mundo eam elegit, & ſupernis ciuibus ſociauit. *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt.* Quæ ſuperius dictæ ſunt adoleſcentulæ, Quia in Chriſto renatæ nunc dicuntur filiæ, quia hæredes erunt matris Eccleſiæ: Hæ reginam *viderunt*, C quia Eccleſiam in cunctis ordinibus, donis Chriſti repletam, & virtutibus ornatam reſpexerunt; & ideo *beatiſſimam prædicauerunt*, quia poſt tot gratiarum munera ad æternam beatitudinem eam vocari audierunt. Beata erat Eccleſia, quæ de Idololatria ad fidem Chriſti eſt vocata, beatior, quando variis donis Spiritus ſancti eſt ditata, beatiſſima erit, quando in ſumma beatitudine angelis aſſociata Deum videbit. *Reginæ* etiam & *concubinæ*, hoc eſt ſpirituales & carnales, mirando & prædicando magnalia Dei, *laudauerunt eam*, dicentes.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens: Id eſt, quàm glorioſa eſt iſta, tot virtutibus, tot donis glorificata, quæ ex omnibus mundi partibus, fide, & opere, & prædicatione, ad Chriſtum *progreditur quaſi aurora conſurgens* ſub Apoſtolis. Sicut enim aurora ſurgens, tenebras noctis depellit, ſolem mundo inducit: ſic Eccleſia naſcens, tenebras ignorantiæ repulit, & ſolem mundo dictis & exemplis induxit. *Pulchra vt Luna* ſub perſecutoribus; quia à vero Sole illuſtrata, noctem D ſeculi Euangelica luce perfudit: *electa vt Sol*, in pace ſub religioſis, quia imaginem veri Solis in ſe repreſentat, ambulans in omni iuſtitia, & ſanctitate, & veritate. Et in his omnibus *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, quia in omnibus ordinibus ſuis, & in omnibus temporibus erat præmunita ſpiritualibus armis, vt nulla aduerſitate poſſet cohiberi, quin in ſe præmonſtraret pulchritudine Lunæ in nocte laborioſæ actionis, & Solis imaginem in ſpe retributionis. Aliter Eccleſia erat aurora ante legem, Luna ſub lege, Sol ſub Euangelio, acies caſtrorum ſub antichriſto. Hæc erat aurora in Prophetis, Luna in ſeculi dignitatibus, Sol in ſapientibus. Similiter eſt ipſa aurora in coniugatis, Luna in continentibus, Sol in doctoribus, acies ordinata in omnibus. Sic eſt nihilominus aurora in pueris, Luna in iuuenibus, Sol in ſenibus, acies caſtrorum in ſingulis contra dæmones & falſos fratres.

Quæritur cur totiens in hoc cantico amantium intro- E ducantur caſtra pugnantium. Hoc ideo fit, quia ſicut milites peracta militia ſponſas ducunt: ita fideles animæ poſt militiam huius vitæ Sponſi ſui Chriſti amplexus adeunt. Et humana natura de Paradiſo expulſa toto tempore huius vitæ pugnando laborat, vt ornatum ſuum recipiat, quo coronam regni promiſſam percipiat. Poſt ſudorem quippe certaminis, dabitur corona laudis. Et hoc ſummopere notandum, quod duodecies à ſponſo vel à ſponſa eſt pugnatum. Sexies ante Chriſti aduentum, & iterum ſexies poſt Chriſti aduentum. Primum bellum fuit in aula inter tyrannum & imperatorem, & inter vtriuſque principes & poteſtates: quando tyrannus imperium inuaſit, & ſimilis altiſſimo eſſe voluit. In hoc bello regina, ſcilicet angelica natura tyranno diabolo conſenſit, & cum illo æternum exilium ſubiit. Nam victus à rege Deo cum omnibus ſuis de aula cœli cecidit, & carceris inferni ſupplicium ſubiit. Secundum bellum fuit ſub gigantibus inter filios Dei & filias hominum, id eſt, inter poſteros Abel & progeniem Cain, quod cœptum eſt ab Abel & Cain & terminatum eſt in diluF uio: In hoc bello ſignifer ſponſæ Abel cecidit, ſed tamen victor coronam promeruit. Tertium bellum fuit ſub ædificatoribus turris, inter liberos & ſeruos, quod cœpit à Sem & Cham, & finitum eſt in diuiſione linguarum. Quartum bellum fuit ſub Patriarchis, inter circunciſos, quod cœpit ab Abraham, & Pharaone, & terminum habuit in ſubuerſione exercitus Pharaonis in mari rubro. In hoc bello perſecutus eſt Iſmahel Iſaac, Laban Iacob, fratres Ioſeph, Ægyptij Iſrael. Quintum bellum fuit ſub data lege, inter Dei cultores, & gentiles, quod cœptum eſt a Ioſue & Amelech, & finitum eſt ſub pacifico regno Salomonis. Sextum bellum ſub regibus & Prophetis, inter Iudæos, & Iſraelitas, vel inter Babylonios & Iudæos; quod cœpit à Roboam & Ieroboam, & terminatum eſt ſub Auguſto tempore pacis. In hoc bello omnes duces primitiuæ Eccleſiæ, ſcilicet Prophetæ ceciderunt, & tamen palmas victoriæ receperunt.

G Sub gratia vero primum bellum fuit inter ſponſum & adulterum, videlicet inter Chriſtum & diabolum quod cœptum ab Herode, & pueris, & finitum eſt in deſtructione Idololatriæ, & vocatione gentium. In hoc bello ſponſus cum adultero duellum iniit, quando eum in die belli, id eſt, in Paraſceue cuſpide crucis transfixit, moxque duces exercitus ſui miſit, qui ciuitates iniuſte à tyranno poſſeſſas, cum populo reciperent, quia Apoſtolos per orbem miſit, qui vicos, caſtella, ciuitates, à diabolo per Idololatriam obſeſſas, ad fidem veri regis Chriſti reuocarent. Secundum bellum fuit ſub perſecutoribus, inter Chriſtianos & paganos, quod cœpit à Petro & Nerone, vel Simone Mago, & finem habuit ſub Conſtantino. In hoc bello ſignifer reginæ Stephanus cecidit, omneſque duces eius, ſcilicet Apoſtoli corruerunt, nec non omnis exercitus Martyrum ſuccubuit, & coronam vitæ promeruit. Tertium bellum fuit ſub confeſſoribus, inter hæreticos & catholicos, quod cœpit ab Arrio & Alexandro Epiſcopo, & finitum eſt in Conſtantinopolitano concilio. In hoc bel- H lo Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alij quàm plures clari fuerunt, qui milites Chriſti præclaris armis inſtruxerunt.

Quartum bellum nunc geritur ſub religioſis inter veros & falſos fratres, quod quidem cœpit à Iuda & Petro, ſed maximè inualuit, quando clauſtralis religio inſtitui cœpit: finietur autem ſub antichriſto, vel potius in fine mundi.

Quintum bellum erit ſub antichriſto, quod incipiet à prædicatione Heliæ & Enoch, & finietur in morte antichriſti: In hoc bello corruent duces reginæ, Helias & Enoch, & omnis exercitus Martyrum, & ipſe dux & caput malorum antichriſtus. Tunc Sunamitis reginæ Auſtri confæderabitur, & Mandragora eis aſſociabitur.

Sextum bellum erit inter regem gloriæ, & regem ſuperbiæ, inter Angelos & homines. In hoc bello rex Chriſtus cum vniuerſo exercitu Angelorum adueniens,

hanc Babyloniam ciuitatem diaboli comburet: ipſum hoſtem cum omnibus ſuis in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipitabit: & ſponſam ſuam gloria & honore peracto bello coronabit, & in thalamo gloriæ collocabit, ſibique copulabit, quia ſeipſum ei talem, qualis eſt, patri æqualis, manifeſtabit.

Explicit ſecundus Tractatus.

INCIPIT TERTIVS TRACTATVS.

EXpoſitio præcedens retulit reginam Auſtri tria bella pro corona geſſiſſe. Vnum contra Amana, aliud contra Aquilonem, tertium contra guttas noctium, ac victricem ad regem coronandum veniſſe: & in comitatu ſexaginta reginas, & octoginta concubinas, & innumerabiles adoleſcentulas habuiſſe, hancque à rege fauorabiliter ſuſceptam fuiſſe. Quæ de caſtris acies ordinatas produxit: inſignia belli Auroram, Lunam & Solem protulit: ipſa cum vniuerſo comitatu ſuo triumphatura proceſſit. Porrò vexillum auroræ ſanguineo colore aciem martyrum præceſſit, quæ contra agmen perſecutorum certamen iniit, quorum dux Amana fuit. Vexillum autem Lunæ candido ſplendore aciem confeſſorum præibat, quæ contra agmen hæreticorum ſe armauerat, quorum princeps Aquilo fuit. Vexillum verò Solis igneo fulgore aciem ſapientium anteceſſit, quæ arma contra agmen falſorum fratrum, qui guttæ noctium ſunt, ſumpſit.

Sequens autem expoſitio refert nouam ſponſam de occidente aduenisse, & hanc regem magnificè ſuſcepiſſe: Regina namque Auſtri cum ſuis triumphante, & cum rege tripudiante: ecce paranymphi, Helias & Enoch, Sunamitem in quadriga Aminadab, cum multis millibus adducunt; quam reginæ & concubinæ nec non adoleſcentulæ cum ipſa omnium regina maximo plauſu excipiunt, & in hortum nucum, cum magno iubilo, regi deducunt, de cuius aduentu rex hilaratur, & hoc carmen ei modulatur.

Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium. Poſtquam enim in fine mundi plenitudo gentium ad fidem Chriſti intrauerit, tunc etiam ſynagoga per prædicationem Heliæ & Enoch fidem Chriſti ſuſcipiet, quam ipſe hac laude excipiet, *Deſcendi in hortum nucum,* hoc eſt, formam ſerui aſſumpſi, & veni in mundum, *vt viderem poma conuallium*, id eſt, vt remunerarem opera humilium. Quaſi dicat ſynagogæ ad fidem venienti. Meritò venis ad me, quia ego veni prior ad te, quando de cœlis *deſcendi* in Iudæam quæ erat *hortus nucum*, id eſt habitatio fidelium, quod exterius patiuntur amaritudinem tribulationis, interius habent dulcedinem per ſpem remunerationis. In nuce tria notantur, cortex exterior, qui eſt amarus, teſta interior, quæ eſt dura, & enucleat, quod eſt dulce. Cortex ſunt hi, quibus amara ſunt vitia: teſta, qui frangunt corpus vigiliis & ieiuniis: enucleat verò, ſpiritales viri. Ideo autem *deſcendi in hortum nucum*, id eſt, in Iudæam, *vt viderem poma conuallium*, id eſt, opera populi in Ieruſalem habitantis, quæ conuallis dicitur: quia inter regna gentium quaſi inter montes erat poſita. *Et inſpicerem ſi floruiſſet vinea,* hoc eſt, ſi in fide florentes proferret Synagoga, quæ vinea Domini eſt dicta: quam ipſe de Ægypto tranſtulit, & in Iudæa plantauit. *Et viderem ſi germinaſſent mala punica*, hoc eſt, ſi aliqui per fide optarent proprio cruore perfundi. Et ſi iſta ibi non inuenirem, eos talia facere docerem: ſed ipſi me repulerunt, inſuper contumeliis affectum occiderunt.

Ad quæ verba ſynagoga turbata reſpondit: *Neſciui,* ſubaudis iſta: ideo feci talia. Quando vidi te inter homines vt hominem conuerſantem, *neſciui te* Deum fuiſſe: Quando vidi te inter latrones pendentem, neſciui te ſaluatorem: quia ſi te Dominum gloriæ ſciuiſſem, nunquam te crucifixiſſem. Sed tu excæcaſti me, vt ſalutē humani generis per me operareris, & ideò neſciui quid feci: quia *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, hoc eſt, animalitas mea fecit me diffidere propter Euangelicam doctrinam, quæ me a circunciſione à Deo data, & à legalibus cerimoniis prohibuit, & baptiſma atque alia noua inſtituta docuit. Tria ſunt in homine, caro, animalitas, ſpiritus. Caro eſt pondus & aggrauatio, animalitas libitum carnis ſecundum quod viuimus, & nihil veri ſapimus, ſpiritus eſt qui iuſtificat Azoti contra filios Iſraël pugnauerunt, quibus deuictis arcam Dei rapuerunt. Quapropter diuina vltione percuſſi in poſteriora: à Diis conſultis reſponſum acceperunt, quod ab illa infirmitate non poſſent liberari, niſi arcam remitterent, quæ tunc impoſita quadrigis reducta eſt in domum Aminadab ſacerdotis. Quadriga Chriſti eſt Euangelium: quatuor rotæ, ſunt quatuor Euangeliſtæ, qui circa finem mundi per totum mundum current. Arca eſt Chriſti humanitas: manna in arca eſt Chriſti diuinitas. Arca eſt ducta in Allophylos: & Chriſtus ductus eſt ad gentes per Apoſtolos. Arca eſt reducta in quadrigis in Iudæam, & Chriſtus in fine mundi reducetur per Euangelia in ſynagogam. De domo Aminadab reducta eſt per Dauid in Ieruſalem. Aminadab dicitur ſpontaneus populi mei, & eſt Chriſtus ſponte oblatus pro peccatis populi, cuius domus fuit Ieruſalem, de qua eum pater tranſtulit in cæleſtem Ieruſalem. Quadriga huius Aminadab, vt dictum eſt, ſunt quatuor Euangelia, propter quæ conturbata eſt ſynagogæ anima, quia animalis ſenſus eius multum cæpit perturbari, quando per mundum audiuit Euangelium Chriſti prædicari: ſed in hac quadriga tunc vehit, quando per Euangelicam doctrinam ad fidem Chriſti perducetur. Noua ergo ſponſa præſentiam regis ferre non valuit, quem poſt multa probra morte turpiſſima condemnauit: & ideò à facie eius cæpit abire: ſed chorus reginarum & filiarum Ieruſalem reuocat eum, dicens.

Reuertere, reuertere, Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te. Scilicet ſynagoga, poſtquam Chriſtum regem occidit, ſub eius dominio eſſe erubuit: ſed vox prædicatorum reuocat eam, dicens, *Reuertere, reuertere Sunamitis.* Sunam eſt ciuitas, in qua Heliſæus mortuum ſuſcitauit, & ſignificat mundū, in quo Chriſtus ſuſcitauit genus humanum. Sunā autem dicitur captiuitas, inde dicitur, Sunamitis captiua: & intelligitur Synagoga à diabolo in perfidia captiua. Dicitur etiā Sunamitis coccinea ſanguine Chriſti redēpta. Huic dicitur à prædicatoribus Euangelij quater *reuertere*, ſcilicet à quatuor plagis mundi: ab errore perfidiæ, ad fidem Chriſti conuertere: vel *reuertere* ad redemptorem tuum te vocantem, te ſuſcipere volentem, in eum credendo, *reuertere* ad eum, illum diligendo *reuertere* ad eum eius præcepta operando, *reuertere* ad eum, promiſſam vitam ab eo ſperando: *vt intueamur te*, id eſt, vt imitemur te. Vel reuertere per quatuor Euangelia, reuertere per quatuor virtutes, vt conuerſationem tuam intuentes laudemus Dominum: Iudæi namque in fine mundi conuerſi, tantæ conuerſationis erunt, quod Eccleſia admirabitur: & eius exemplo vtetur. Conuertentur enim per Heliam & Enoch ad veſperam mundi, & famem patientur verbi Dei vt canes, & circuibunt Eccleſiam ciuitatem Dei, audire à Chriſtianis verbum Domini, & viuent iiſdem inſtitutis vt olim Eccleſia ſub Apoſtolis. Ad hanc vocationis vocem Sunamitis ad regem eſt regreſſa, & ab eo in gratiam eſt recepta: quæ mox inſtituit in laudem eius choros canentium, & caſtra contra hoſtes pugnantium. Conuerſa namque ſynagoga protinus in omni loco Chriſtum laudabit, vbique contra vitia pugnabit. Vnde rex dicit ad reginam Sunamitem intuentem eius ornatum & mirantem.

CAPVT VII.

QVid videtis in Sunamite niſi choros caſtrorum; Choros caſtrorum dixit propter choros cantorum. Cho-

A ri caſtrorum ſunt agmina militantium, pro victoria cantantium: & intelliguntur turmæ credentium, contra vicia pugnantium, & pro victoria exultantium. Eſt autem chorus æquiuocum: Chorus eſt menſura 30. modiorum, de qua in Euangelio dicitur *centum choros tritici.* Chorus etiam eſt ventus. Chorus quod eſt muſicum inſtrumentum. Chorus nihilominus eſt locus pſallentium Chorus item eſt multitudo canentium. Quaſi dicat: ô Eccleſia nil aliud videbis in ſynagoga ad me conuerſa, niſi choros mihi laudem canentium, & caſtra pro veritate pugnantium. Erit enim tunc tale tempus, quale non fuit ab initio mundi, ſcilicet perſecutionis, tribulationis, & erroris. Surgent quippe tunc pſeudoprophetæ, & facient tanta ſigna & prodigia, vt in errorem quique etiam doctiſſimi ducantur. Inſuper dux & caput omnium malorum antichriſtus, homo peccati, filius perditionis, qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, oſtendet ſe in omnibus ſignis, & prodigiis mendacibus, id eſt, ad nullam vtilitatem valen- B tibus, tanquam ſit Deus, quibus electos tentabit, & non conſentientes omnibus pœnis cruciabit. Denique vt Daniel & Apocalypſis teſtantur, cum decem regibus Eccleſiam impugnabit, contra quem hæc Sunamitis bellum ſuſcipiens, decem ordines iuſtorum, quaſi decem legiones in caſtris ordinabit, quibus ſpiritualibus armis inſtructis, bellum cum eo inibit: Quos ordines rex enumerat, dum decem membra Sunamitis laudat, quia opera ſe laudantium, & pro iuſticia pugnantium approbat, dicens.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis. Subaudis Dauid, cuius filia erat ſynagoga. Princeps Eccleſiæ eſt Chriſtus, cuius filia eſt Sunamitis, per fidem & regenerationem, huius greſſus ſunt bonæ affectiones, quibus graditur de virtute, in virtutem qui ſunt pulchri bona operatione, & hoc in calciamentis, id eſt in Apoſtolorum exemplis.

Calciamenta quippe fiunt de pellibus mortuorum animalium, & ſunt exempla iuſtorum in Chriſto mortuorum. Eccleſia eſt corpus Chriſti, cuius membra ſunt C ordines iuſtorum. Similitudines verò rerum virtutes eorum. Per greſſus ergò, ſcilicet per pedes conuerſæ ſynagogæ, notatur primus ordo iuſtorum, in eo ſunt agricultores, qui quaſi pedes corpus portant, dum rebus neceſſariis Eccleſiam ſuſtentant. Hi calciamentis incedunt, dum ſecundum exempla iuſtorum viuunt, & hi in prima acie antichriſto reſiſtunt, dum eo contempto, vitam cum rebus pro Chriſto amittunt.

Secundus ordo iuſtorum, in eo ſunt coniugati, qui per iuncturam fœmorum deſignantur, vnde ſubditur: *Iunctura fœmorum tuorum ſunt monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.* Fœmur fœmoris eſt virorum, fœmen fœminis eſt mulierum. Per iuncturam fœminum fœcunditas prolis accipitur: per monilia ornatus & munimen: per manum artificis excellentia operis. Dignius eſt enim opus ipſius artificis, quam diſcipuli diſcentis. Iunctura fœminum ſynagogæ ſunt ſicut monilia, quia coniugati D inea per fœmora coniuncti: ipſi & filij, quos generant, Eccleſiam fide & operatione ornant, vt manus artificis fecit, id eſt, vt operatio Chriſti docuit. Vel iunctura fœminum, eſt concordia duorum populorum, ſcilicet Iudaici & gentilis in vna fide Chriſti, quos ſacramenta Chriſtiana coniungunt, & filios ſpiritales gignunt. Quæ iunctura eſt *ſicut monilia*, quia concordia illorum ita conuenit, ſicut duorum teſtamentorum congruit: quod vtrumque iſtam coniunctionem prædixit. Quæ monilia *fabricata ſunt manu artificis*, quia vt duo teſtamenta, quæ Eccleſiam exemplis Sanctorum, vt monilia ornant, & ſententiis contra hæreticos muniunt, compoſita ſunt à Deo Patre omnium artifice, per Filium, qui eſt manus eius, per quem fecit omnia: in quo opere ignis erat Spiritus Sanctus: ita iunctura, id eſt, corda illorum ornat ſynagogam, & munit contra ſæuitiam antichriſti. *Quæ iunctura facta eſt manu artificis*, id eſt, coniunctio illorum populorum ordinata eſt conſilio Chriſti, qui E ſolus nouit, cur vſque ad illud tempus Iudæos excæcauerit.

Tertius ordo ſunt delicati & molles, qui vmbilicum notant, de quibus ſubditur? *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Vmbilicus eſt molle membrum, & eſt media pars hominis, qui habet ſupra ſex partes; quæ ſunt, caput, oculi, naſus, os, collum pectus, ſeptimus eſt vmbilicus. Inferius habet ſex: quæ ſunt, pes, tibia, crux, coxa, fœmur, venter, ſeptimus eſt vmbilicus: qui ſignificat illos, qui per ſeptem opera miſericordiæ aſpirant ad ſeptenarium requiei, quæ dabitur per ſeptem dona Spiritus Sancti. Hi ſunt, *vt crater tornatilis, nunquam indigens poculis* id eſt, ſemper plenus poculis; qui ſunt caritate tornati, exercitio virtutum plantati, poculis doctrinæ ſemper pleni, vnde ſitientes iuſtitiam poſſint abunde inebriari. Hoc ideo dicitur, vt ſi molles, id eſt, imperfecti, in ſynagoga tales erunt, quales perfecti in ea credendi ſunt?

Quartus ordo ſunt vxorati vel hi, qui vtuntur hoc F mundo, tanquam non vtantur; qui per ventrem demonſtrantur, de quibus protinus ſubinfertur: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Per ventrem ſpiritualis generatio, per aceruum tritici, eleemoſynarum largitio exprimitur? triticum pro omni frumento poſuit, ſcilicet ſpeciem pro genere. *Venter* ſynagogæ eſt *ſicut aceruus tritici*, quia quæ in ea poſſeſſores mundi habent, ſpirituales partus per eleemoſynarum largitionem edunt, & dum bona opera cumulant, quaſi triticum in vnum cumulant ſiue coaceruant: qui aceruus eſt, *vallatus liliis*, id eſt, munitus virtutibus: Valli dicuntur ſudes, quibus aceruus vallatus ſtat ne cadat. Aceruus ergò tritici liliis vallatur, dum largitio eleemoſynarum candore virtutum circundatur, quæ facilè vento humanæ laudis diſſipatur, niſi aliis virtutibus fulciatur.

Nota quod ſuperius poſuit poculum, hic verò triticum, quia illi ſitientes iuſtitiam inebriant, iſti eſurientes iuſtitiam ſatiant, dum triticum verbi Dei aliis diſpenſant: Sed hi benè faciunt, qui vtrumque, ſcilicet cibum & potum indigentibus corporaliter impertiunt.

G Et notandum, quod aceruus in imo eſt latior, in ſummo anguſtior, quia multi ſunt, qui eleemoſynas tribuunt, pauci qui poſſeſſiones relinquunt.

Quintus ordo eſt doctorum, qui per vbera notantur, de quibus dicitur, *duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ*, quaſi dicat, hi, qui lactati ſunt lacte vberum tuorum, vel qui inſtructi ſunt doctrina vtriuſque legis doctorum, ſunt ſicut duo populi, ex Iudæis & gentibus, ſub Apoſtolis conuerſi, qui fuerunt hinnuli, quia ad ſtudia religionis aſcendentes: Gemelli, quia in gemina dilectione feruentes, filij capreæ bonas herbas à noxiis eligentes, id eſt, Eccleſiæ malos à bonis diſcernentes. Caprea à canibus inſecuta, de rupe ſe præcipitat, & præmittit cornua, ne corpus lædatur: Ita ſynagoga conuerſa, à perſecutoribus inſecuta, terrena contemnit, corpus ad ſupplicium, dabit, ne anima lædatur.

H Huius filij per vbera eius lactati erunt hinnuli, ſcilicet in Chriſto renati, in fide & caritate gemelli, æſtum vitiorum fugientes, & ad martyrium pro Chriſto currentes.

Sextus ordo eſt religioſorum, qui per collum exprimuntur, de quibus ſubditur, *Collum tuum ſicut turris eburnea*, hi ſunt ſpirituales, qui Sunamitem Chriſto verbis & exemplis coniungunt: & quia vt collum, caput & corpus coniungunt, ſunt ſicut turris eburnea; id eſt, ſicut elephas, inexpugnabiles in virtutibus. Solent elephantes turres portare, de quibus pugnatur, vt in libro Machabæorum legitur: ita ſpirituales viri ſacram ſcripturam, quaſi firmam turrim portant, ex qua contra hoſtes regni Dei pugnant. Sed & per ebur caſtitas illorum intelligitur, ſicut illud animal caſtæ naturæ eſſe perhibetur.

Septimus ordo illorum eſt, qui prælati dicuntur, qui per oculos notificantur, de quo hic ſequitur: *Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon, quæ ſunt in porta filiorum multitudinis.*

A Heſebon eſt ciuitas, vnam tantum habens portam, in qua eſt fons vnus, qui efficit multas piſcinas, in quibus egredientes vrbem abluunt ſe, & quæ abluenda ſunt eis, & nemo poteſt ingredi ciuitatem, niſi per eas. *Heſebon* dicitur cingulum mœroris, & intelligitur Eccleſia, quæ ad ſe venientes cingit mœrore pœnitentiæ: qui etiā non poſſunt intrare per eam, niſi per portam fidei, & per fontem baptiſmatis, qui licet multa loca repleat, tamen vnus baptiſmus eſt. *Oculi* ſynagogæ ſunt *ſicut piſcinæ in Heſebon*, id eſt, prouiſores eius, presbyteri ſunt ſicut prælati Eccleſiæ, qui ſunt pleni fluctis doctrinæ: & qui infideles prædicando ducunt per portam fidei, & per fontem baptiſmatis in Eccleſiam, in qua eſt mœror pœnitentiæ, & potant eos aqua ſapientiæ *Quæ* piſcinæ *ſunt in porta filiorum multitudinis*, id eſt, in introitu ſynagogæ ad Chriſtum, quæ eſt filia multitudinis gentium: quia multiplicitas gentium generabit ſynagogam per Euangelium quaſi filiam, & piſcinæ B ſacræ intelligentia perfundet eam.

Octauus ordo eſt diſcretorum, qui per naſum innuitur, de quo hic ſcribitur: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Rex ſapientiſſimus Salomon fecit in Libano delectationis gratia turrim altiſſimam, de qua proſpiceret contra Damaſcum, quæ eſt metropolis Syriæ, cuius habitatores impugnabant hanc turrim. Ibi etiam, vt fertur, eſt Abel occiſus, & ideo dicitur ſanguinem habens vel ſitiens, quia ibi imprimis terra aperuit os ſuum, & bibit humanum ſanguinem. Libanus dicitur candidatio, & ſignificat Chriſtum, qui in ſe credentes facit candidos, in baptiſmate, ſiue in virtutibus. Turris in hoc monte poſita, eſt Eccleſia, doctoribus & ſcripturis munita: hæc *contra Damaſcum*, id eſt, contra Diabolum, humanum ſanguinem ſitientem *reſpicit*, vt eius inſidias præuideat, & ſuos ciues per cautelam muniat. *Naſus* ſynagogæ eſt *ſicut turris Libani*, id eſt, diſcreti, in ea C ſunt ſicut ſapientes in Eccleſia Chriſti, qui ſicut naſus odores & fœtores diſcernit: ita veros à falſis Chriſtianis ſecernunt, & qui ſunt firmi & muniti contra inſidias Diaboli, & vigilanti cordis intuitu contra Damaſcum, id eſt, contra Diabolum reſpiciunt, vt hoſtes ab eo immiſſos, id eſt, vitia declinent.

Nonus ordo eſt ſummorum Pontificum, qui per caput figuratur, de quo ſubditur: *Caput tuum vt Carmelus.* Carmelus eſt mons, in quo habitauit Heliſæus, in quo vidit igneos currus, & equites, ſcilicet angelicum exercitum, ſibi in adiutorium miſſum: & dicitur ſcientia circunciſionis, vel ſitiens circunciſionem: & ſignificat altam contemplatiuam vitam in Eccleſia, in qua habitat verus Heliſæus Chriſtus, quod dicitur Domini ſalus: in qua ſunt Angelici exercitus, vt ferant ei auxilium contra hoſtes ſuos, & quæ habet ſcientiam ſpiritualis circunciſionis, vt circumcidat ſe à vitiis, & ſitit circunciſionem peccatorum, reſpuens circunciſionem Iudæorum. *Caput* ergò ſynagogæ eſt, *vt Carmelus*, D id eſt, Pontifices eius ſunt, vt Pontifices Eccleſiæ, qui habent ſcientiam circunſionis, vt vitia reſecent, non carnem vt Iudæi detruncent.

Decimus ordo eſt principum eam defendentium, qui per comas capitis notantur; de quibus mox ſequitur. *Comæ capitis tui ſicut purpura regis, iuncta canalibus.* Populi Tyri & Sydonis lanam, vnde debent facere purpuram, id eſt, regiam veſtem, ligant in canālibus, & ſuperfundunt ſanguinem conchyliorum, & intingunt eam. Conchleæ quippè maris ferro circunciſæ lacrymas purpurei cruoris emittunt, quibus collectis tinctura purpurei coloris efficitur; vnde lana intingitur, vt indumentum regis efficiatur.

Comæ caput ornant & muniunt: purpura autem eſt, indumentum regum. Comæ in hoc loco ſignificant principes in Eccleſia, qui ſacerdotium quaſi caput ornant, & muniunt iuſtitia vt armis.

Purpura, quæ fit de ſanguine piſcis, eſt paſſio Chriſti vt piſcis in igne crucis aſſi, in ſalo ſæculi hamo noſtræ mortis capti. Canalis eſt affluentia Spiritus ſancti, vel E cor vel conſcientia. *Comæ ergò capitis* ſynagogæ, id eſt, principes eius ſacerdotio adhærentes, ſunt ſicut principes Eccleſiæ; qui eam ornant & muniunt. Qui ſunt ſicut *purpura regis*; quia exemplo paſſionis Chriſti cruorem proprium pro Chriſto fundunt, vt veſtis Chriſti regis fiant, quæ *purpura eſt iuncta canalibus*, quia paſſio Chriſti fixa eſt in illorum cordibus per affluentiam ſancti Spiritus: vel *iuncta eſt canalibus*, hoc eſt, poſita iuxta dona ſancti Spiritus.

Ideò ſponſus ſingula membra ſponſæ laudat, quia Chriſtus ſingulos ordines conuerſæ ſynagogæ in fide & opere ad remunerandum approbat

Et notandum, quod laus ſponſi à capite cœpit, & vſque ad crura deſcendit: laus verò ſponſæ a pedibus cœpit, & vſque ad comas capitis aſcendit: quia Chriſtus deorſum ad terras deſcendit: Eccleſia verò a terris ad cœlum aſcenſura erit.

Sed & hoc notandum; quod ibi ſuperiora & digniora membra laudantur: hic verò inferiora & debiliora, F quia quique perfecti per Chriſti exempla ad alta virtutum conſurgunt: infirmi verò & imperfecti per doctrinam Eccleſiæ in bonis proficiunt.

Præterea notandum, quod ſicut Eccleſia decem ordines iuſtorum, quaſi totidem acies contra Amanam, id eſt, diabolum principem perſecutorum producit: ita ſynagoga decem ordines iuſtorum, quaſi totidem acies contra Antichriſtum principem malorum producet; quia vtraque armis Decalogi pugnat pro denario præmij.

Per denarium quippe notantur decem ſtatus Eccleſiæ, quorum quinque erant ante aduentum Chriſti, quinque poſt eius aduentum.

Primus ſtatus fuit ſub data non ſcripta lege in Paradiſo, quæ dixit, non comedas ne moriaris, quam ſi ſeruaſſet, nunquam legi mortis ſuccubuiſſet: ſed præuaricatrix huius legis facta eſt mortalis.

G Secundus ſtatus eius erat ſub naturali lege, quæ dixit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, hic ſtatus erit ab Adam vſque ad Abraham: in quo ſtatu vna lingua, & vno diuino cultu vtebatur.

Tertius erat ſub circunciſione, ab Abraham vſque ad Moyſen: in quo ſtatu orta eſt diuerſitas linguarum, & cultura Idolorum, & ſub hoc erudiebatur ad religionem figuris Patriarcharum.

Quartus erat ſub ſcripta lege, à Moyſe vſque ad Dauid vel Salomonem: ſub quo ſtatu tabernaculo, & myſticis ſacrificiis ad futura inſtituebatur.

Quintus erat ſub ſcriptis Prophetarum, à Dauid vſque ad Ioannem Baptiſtam: in quo lex & Prophetæ ceſſabant: ſub quo ſtatu prophetica doctrina ad meliora informabatur.

Sextus erat ſub Euangelio, ſub quo ab ipſo ſponſo Chriſto & paranymphis Apoſtolorum, ad nuptias agni invitabatur, & per donum Spiritus ſancti, ſcientia omnium linguarum fruebatur.

H Septimus erat ſub martyribus, ſub quo à perſecutoribus impugnabatur; & pro patientia quotidie coronabatur.

Octauus erat ſub confeſſoribus, ſub quo ab hæreticis & ſchiſmaticis multimodis vexabatur, ſed ſcriptis ſapientium ad rectam fidem imbuebatur.

Nonus nunc eſt ſub religioſis, ſub quo à falſis fratribus & hypocritis deterius moleſtatur, quàm a publicis hoſtibus, Paganis vel Iudæis: ſed multitudine clauſtralium quàm maximè adornatur.

Decimus erit ſub antichriſto, ſub quo exterius cruciatu corporis, interius fallacia ſignorum tentabitur, ſub quo etiam ſtatu Sunamitis & Mandragota ad reginam Auſtri conuenient, & ſimul aduenientem ſponſum excipient.

Hæc de Synagoga quaſi hiſtoricè dicta ſunt: nunc de Eccleſia ſunt allegoricè dicenda: cui dicit ſponſus.

Deſcendi in hortum nucum. Quaſi dicat, quod tu es *pulchra vt Luna, electa vt Sol*, non eſt ex te, ſed ex me:

quia

A quia ego Sol iuſtitiæ, qui illuſtro diem æternum Angelorum, deſcendi ad te Lunam, & illuminaui te, vt tu illuminares noctem, id eſt, ignorantiam infidelium, vt eſſent lux in Domino: & poſui in te caſtra, & ordinaui contra vitia, & feci te *hortum nucum*, id eſt, cuſtodiam acies fidelium, in quem hortum deſcendi per gratiam, quando deſerui vineam meam, ſcilicet Iudæam, propter perfidiam.

In nuce tria conſiderantur, ſcilicet, amurca amara, teſta dura, & nucleus dulcis.

Per hæc notantur tres ordines in Eccleſia. Per amurcam coniugati in tribulationibus mundi amaricati: per teſtam continentes contra vitia duri: per nucleum virgines in virtutibus dulces.

Nota quod Eccleſia inuenit ſponſum in horto aromatum colligentem lilia: ſynagoga inuenit eum in horto nucum colligentem mala punica; quia in pace Eccleſiæ colligit ad regnum ſuum caſtos in bonis ſtudiis redolentes: in perſecutione colligit martyres B proprio ſanguine rubentes. Et quare in hortum deſcendit, *vt videret poma conuallium*, id eſt, vt conualles ſcilicet humiles faceret bona opera proferre: & hos alios ad exemplum faceret videre. Quod enim aliis demonſtramus, hoc ipſi diligenter aſpicimus, & videndo probamus.

Conuallis eſt locus inter duos montes poſitus, & intelliguntur humiles poſiti inter duas leges. Et ideò deſcendit, *vt videret, ſi floruiſſent vineæ*, hoc eſt, vt Eccleſias, quæ ſunt vineæ vitis Chriſti, in fide faceret florere: & hoc ad exemplum alios faceret inſpicere, *& vt videret, ſi germinaſſent mala punica*, id eſt, vt faceret martyres fieri, & alios faceret eorum patientiam videre & imitari.

Aliter ſynagoga conuerſa erit hortus nucum, id eſt, cuſtodia conuerſorum, qui erunt foris amari in tribulationibus, intus dulces in virtutibus: in quem hortum Chriſtus deſcendit per gratiam, vt poma conuallium, & vineas florentes, & mala punica videret, id eſt, vt C opera humilium, & fidem fidelium, & patientiam martyrum remuneraret.

Cætera quæ ſequuntur, ſic de ſynagoga intelligenda ſunt, vt ſupra expoſita ſunt. De Eccleſia autem cœpta allegoria, eſt proſequenda, quæ dicit.

Neſciui, anima mea conturbauit me.

Quaſi dicat, *neſciui* verum Deum, & ideo ſecuta ſum alienum; quem, poſtquam cognoui, *anima mea conturbauit me*, propter quadrigas Aminadab, hoc eſt, animalis vita mea conturbat me, propter quatuor Euangelia Chriſti, ſpontaneè pro me crucifixi: in quibus Chriſtus dicit: niſi pœnitentiam egeritis, peribitis, & in ignem æternum ibitis. Porrò Apoſtoli vel eorum diſcipuli, qui hanc quadrigam per mundum traxerunt, dixerunt mihi, *reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Sunamitis quod dicitur captiua, fuit gentilitas à tyranno captiuata in Idololatria, hæc reuerſa eſt ab errore infidelitatis, ad verum regé Chriſtum per fidem, reuerſa eſt de ſordibus D Idololatriæ per baptiſmum, reuerſa eſt de mala vita, per pœnitentiam, reuerſa eſt de ritu gentili per bona opera: Hanc intuitæ ſunt filiæ Sion, id eſt, Eccleſiæ de Iudæis conuerſæ, in ſtudio ſanctæ conuerſationis feruere, & imitatæ ſunt eam.

Primitiua igitur Eccleſia audiens, quod rex Eccleſiam gentium auroræ comparauerit in coniugatis, Lunæ in continentibus, Soli in doctoribus, caſtris in martyribus, intuetur eius pulchritudinem, & miratur eius ſubitam immutationem; quam rex alloquitur, dicens: *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Quaſi dicat: ô primitiua Eccleſia in Sunamite, id eſt, in gentilitate prius captiua à tyranno nunc per me libera facta: olim non vidiſti niſi diſcordiam bellorum, ſed amplius non videbis niſi choros caſtrorum, choros Deum canentium; caſtra contra dæmones & vitia pugnantium.

Quos choros & caſtra mox laudando enume- E rat, quia eorum opera ad remunerandum approbat.

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis! Quod eſt dicere: ô Eccleſia prius filia principis mundi, id eſt, diaboli, nunc filia principis pacis, id eſt, Chriſti: valdè pulchri ſunt coram me in fide, & coram hominibus in opere, hi qui te portant ad bona ſtudia ſuis exhortationibus quaſi quibuſdam greſſibus, & hoc *in calciamentis*, id eſt, in ſanctorum exemplis; per quorum veſtigia gradiuntur, & te ſequi hortantur.

Iunctura etiam fœminum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Hoc eſt illi, qui coniungunt duas leges, quæ ſunt tua fœmora per ſpiritalem intelligentiam, vt ſpiritales partus edant, vt monile te ſua doctrina ornant: quæ intelligentia facta eſt per Chriſtum, qui eſt manus Patris omnium artificis, quando aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.

Necnon *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Hoc eſt illi, qui in te adhuc fragiles F & infirmi ſunt, quaſi torno bonæ operationis planati, & vt crater plenus poculis propinant proximis pocula charitatis.

Venter quoque tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. Hoc eſt illi, qui ſpiritales filios generant, eleemoſynis nunc ſeminant, quæ poſtea aceruos tritici, id eſt, mercedes operum metant: quæ vallata ſunt liliis, id eſt, ſtipata virtutibus. Chriſtus quippe eſt triticum, de cujus pane quotidie reficimur, cuius eſt aceruus multitudo fidelium.

Duo etiam vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ. Hoc eſt illi, qui ſugunt duo teſtamenta, quæ ſunt tua vbera, ſunt ita in diuino cultu ſtudioſi, ſicut duo olim populi, Iudaicus & Iſraeliticus, qui erant gemelli, ſcilicet pares in lege Dei, filij capreæ, videlicet ſynagogæ. Vbera poſuit pro his, qui ſugunt vbera: efficiens pro effecta. Vel duo vbera ſunt duo præcepta charitatis; duo verò hinnuli, actiui & contemplatiui, qui ſunt in dilectione gemelli filij capreæ, ſcilicet Eccleſiæ.

G *Collum vero tuum ſicut turris eburnea.* Hoc eſt illi, qui verbo & exemplo iungunt te corpus mihi capiti, ſunt firmi in virtutibus, vt turris, & vt elephas, cuius os eſt ebur, caſti in moribus.

Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon. Hoc eſt illi, qui prævident tibi futura bona, & ducunt te doctrina ſua ad iſta, ſunt pleni aquis ſapientiæ, ſicut *piſcina in Heſebon*, id eſt, ſicut Prophetæ & Apoſtoli, qui docuerunt mœrorem pœnitentiæ, pro gaudio futuræ gloriæ: quæ piſcinæ, id eſt, Apoſtolicæ vel Propheticæ doctrinæ *ſunt in porta filiæ multitudinis*, hoc eſt, in fide Eccleſiæ multitudinis fidelium, quæ ideò filia dicitur, quia regni, hæres creditur.

Naſus quoque tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. Hoc eſt illi, qui ſunt in te diſcreti, qui vitia à virtutibus diſcernunt, in hoc ſunt fortes vt turris, & hoc Libani, id eſt, in Chriſto firmati; ad quos timidi confugiunt, quia ipſi contra Damaſcum reſpiciunt, id eſt, Diabolum, humanum ſanguinem ſitien- H tem, eius inſidias vigilanter præueniunt.

Caput etiam tuum ſicut Carmelus. Hoc eſt, prælati tui qui te regunt in ſpiritualibus, vt caput membra regit, qui in vertice Chriſti capitis tui tibi præſunt, ſunt in virtutibus alti, & circuncidunt te à vitiis & peccatis, circuncitione ſpirituali.

Coma tui capitis ſicut purpura regis iuncta canalibus. Hoc eſt, principes tui adhærentes fide & deuotione capiti Chriſto, vel ſacerdotio, ſunt purpurati ſanguine paſſionis, ſicut caro Chriſti, æterni regis: quæ purpura eſt *iuncta canalibus*, ſcilicet paſſio Chriſti, eſt fixa in illorum cordibus, vel *iuncta canalibus*, ſcilicet paſſio Chriſti iuncta donis Spiritus ſancti. In his omnibus es pulchra, & laudabilis, quia cunctis populis imitabilis.

Tropologicè autem hortus nucum, eſt quodlibet clauſtrum, vel locus ſpiritalium, qui ſunt vt nuces exterius amari in afflictione carnis: interius dulces in virtutibus. In hunc hortum deſcendit Chriſtus, dum eis

A varia Spiritus ſancti dona tribuit, ſiue cariſmata: alij ſapientiam, alij ſcientiam, alij caſtitatem, alij humilitatem; ibi videt *poma conuallium*, dum remunerat opera humilium: vel per alios ea videt, dum ea imitantur, quæ præcipit, dicens: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Ibi etiam videt *vineas florentes*, id eſt, cellas diuerſis diſciplinis artium feruentes, quarum ſtudia probat, & aliis ad imitandum demonſtrat. Ibi quoque videt *mala punica*, id eſt, patientes exemplo martyrum ſe mortificantes. Quos inſpicit, dum aliis in exemplum proponit. Suum enim videre, eſt probare, vel aliis, demonſtrare, vel remunerare.

In hoc horto quemque conuerſum de ſæculo *anima ſua conturbat*, dum eum animalis vita tranſacta conturbat: & hoc propter *quadrigas Aminadab*, id eſt, propter comminationem Euangeliorum Dei, quæ dicunt: *Ibunt impij in ignem æternum.*

B Currus quoque Chriſti eſt anima iuſti, quam videns conuerſus conturbatur, dum de ſua carnali conuerſatione confunditur: cui vel Euangelium vel iuſtus dicit.

Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.

Sunamitis, quod dicitur captiua, eſt anima in peccatis & vitiis à Diabolo capta. Hæc ab illa captiuitate quatuor modis ad Chriſtum reuertitur, ſcilicet per pœnitentiam, per confeſſionem, per bonam operationem, & per bonam exhortationem.

Oportet enim, vt peccator imprimis peccata pœnitendo defleat, deinde ad ſacerdotes conſitendo confugiat, deinde ſatisfaciat bene operando, poſtremo alios ad conuerſationem pertrahat exhortando. Vel quatuor modis anima redit, dum quatuor principales virtutes arripit.

Talem alij ad imitandum intuentur, dum quiſque ſecularis relicto ſæculo clauſtrum mundo moriturus ingre-
C ditur.

Huius ſubitam conuerſionem, dum quiſque ſecularis miratur, ei per ſpirituales dicitur: *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* hoc eſt, in anima prius captiua in vitiis, ſed nunc ad virtutes conuerſa, non videbis amplius niſi laudes Dei, & pugnam contra inſidias Diaboli.

Conuerſi quippe ſemper Deum pro ſua ſaluatione laudant & iugiter contra vitia pugnant: ſeu & in clauſtris ſunt veri chori caſtrorum, quia in choris Deo iubilant, & in clauſtris quaſi in caſtris contra dæmones militant, & quia anima habet ſua membra ſibi congrua, ſingula laudantur per propria officia.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis! Anima quæ erat filia principis Diaboli, quando erat ab eo captiua, nunc per conuerſationem facta eſt filia principis Chriſti.

Huius greſſus ſunt quatuor affectus, ſcilicet, concu-
D piſcentia, timor, gaudium, dolor, qui eam portant ad opera, ſicut pedes corpus portant ad loca.

Hi pulchri ſunt in calceamentis, dum ſecundum exempla Patrum, virtutes vel vitam æternam concupiſcit, peccatum vel gehennam timet, gaudet de bonis, dolet de malis.

Vel greſſus animæ ſunt cogitationes, per quas graditur ad lectiones.

Iunctura fæmorum tuorum ſicut monilia. Fœmora animæ ſunt timor, & amor, per quæ gignit bonum opus, quod eſt ſpirituale, quæ erit regni hæres. Per timorem quippe, declinat à malo, per amorem, facit bonum. horum iunctura eſt fides, quia credit ſupplicium quod timet, & credit gaudium quod amat: hæc iunctura eſt, ſicut monilia, quia ſicut monile pectus ornat & munit, ita fides animam ornat & munit, hæc manu artificis eſt facta, quia fides per Chriſtum eſt data.

Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Vmbilicus animæ eſt temperantia, quia ſicut vmbilicus medius eſt inter ſuperiora & inferiora membra: ita eſt temperantia inter virtutes & vitia media. E

Qua eſt ſicut crater tornatilis plena poculis: quia eſt circumſpectione rotunda, & ſapientia fœcunda. Et ſicut potus ſitim temperat, & cor lætificat: ſic temperantia ardorem vitiorum reſtringit, & immoderatum feruorem reprimit virtutum fœcunditate.

Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. Venter animæ eſt memoria, in qua recondit cibos ſacræ ſcripturæ. Qui ſimilis eſt aceruo tritici, quia ſicut in aceruo grana cumulantur: ita in memoria multæ ſententiæ & imaginationes coaceruantur. Quæ liliis vallantur, quia mundis cogitationibus ſtipantur.

Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ. Duo vbera animæ ſunt ſapientia & ſcientia, quibus lactat inſipientes & inſcios. Quæ ſunt *ſicut hinnuli capreæ*, qui ſemper alta petunt; dum rudes à ſe nutritos ad alta virtutum ſcandere imbuunt. Quæ duo gemelli ſunt, dum in gemina dilectione cœleſtia petunt. Hinnuli capreæ dixit, ad diſtinctionem hinnuli ceruorum, qui velociter currunt: iſte verò alta petit. F

Collum tuum ſicut turris eburnea. Collum animæ eſt intellectus, qui animam & ſpiritum iungit, ſicut collum iungit, caput & corpus. Hoc collum eſt ſicut turris eburnea, quia turris eius eſt ab hæreſibus inexpugnabilis.

Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon. Oculi animæ ſunt intentio & ratio, quibus videt virtutes & vitia. Quæ ſunt vt piſcinæ in Heſebon, ſcilicet aquis cogitationum plenæ, ſemper cingulo mœroris, quod Heſebon ſonat, circundatæ.

Semper enim mœret anima, dum intendit inferni ſupplicia, & cœleſtis regni gaudia. Et hæ *piſcinæ ſunt in porta filiæ multitudinis*, id eſt, hæ cogitationes ſemper ſunt in meditatione mortis poſitæ. Quæ eſt in porta multitudinis, quia omnes homines exeunt per eam.

Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. Naſus animæ eſt diſcretio inter virtutes & vitia Et hic eſt vt turris Libani, quia non poteſt falli vlla hypocriſi per virtutem Chriſti. Et hæc reſpicit contra Damaſcum, quia ſemper eſt prouida contra diabolum, vt eius fœtorem effugiat, & Chriſti odorem teneat. G

Caput tuum ſicut Carmelus. Caput animæ eſt mens, quia ſicut membra corporis per caput reguntur, ita per mentem cogitationes animæ diſponuntur. Quæ eſt *ſicut Carmelus*, quod ſonat ſciens circuncisionem, quia ſcit ſe circumcidere à ſuperfluis cogitationibus.

Comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus. Comæ capitis animæ ſunt cogitationes, quæ ſunt ſicut purpura regis, quia ſemper meditantur, qualis fuit paſſio Chriſti æterni regis, Et hæc *purpura iuncta eſt canalibus*, quia paſſio Chriſti fixa eſt in animarum conſcientiis.

Iuxta anagogen hortus fuit virgo perpetua, in quem Chriſtus deſcendit, dum in ea hominem induit: in hoc horto arida virga floruit, quæ mitem Chriſtum protulit. H

In nuce ſunt tria, ſcilicet amurca, teſta, & nucleus: ita in Chriſto ſunt tria, videlicet caro, oſſa, & anima: interſtitium quod nucem diuidit in modum crucis, eſt ſancta crux, quæ animam Chriſti à corpore diuiſit.

Nux etiam eſt ſacra ſcriptura, cuius cortex vel teſta eſt litera: nucleus verò ſpiritualis intelligentia. In cæteris anagoge deficit.

Ad ſynagogam redeamus, quam ad Chriſtum reuerſam prædicamus.

Poſtquam rex ſingula membra Sunamitis laudauit, quia ſingulorum ordinum opera ad remunerandum approbauit, ipſam ſpeciali laude effert, dicens.

Quam pulchra es, & quam decora cariſſima in deliciis. Quaſi dicat, quia pro magnis deliciis reputas pulchritudinem membrorum tuorum, id eſt, virtutes ordinum iuſtorum tuorum; in his deliciis es valdè pulchra exterius in operibus, & decora interius in virtutibus. Et ideò mihi cariſſima.

Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.

Statura

A Statura Eccleſiæ eſt perſeuerantia certaminis, quæ ſtatura in Abel creſcere cœpit, & ad vltimum electum perſeuerabit.

Siue ſtatura in Apoſtolis creſcere cœpit, & in conuerſione ſynagogæ conſummabitur.

Palma eſt inferius aſpera, ſuperius pulchra, & dicitur victoria, & intelligitur Chriſti vita, quæ hic in terris fuit in aſperitate paſſionis, & poſt victoriam crucis fuit in pulchritudine cœlorum.

Statura ergo ſponſæ aſſimilatur palmæ, quia perſeuerantia patientiæ Eccleſiæ aſſimilatur Chriſti tolerantiæ. Quæ Eccleſia hic fuit aſpera in preſſuris, ſed victoria potita de vitiis pulchra fulget in cœlis. Palma etiam conſeruat folia, & Eccleſia variante ſtatu ſeculi eadem tenet fidei myſteria.

Vbera Eccleſiæ ſunt duo Teſtamenta, de quibus ſugunt prædicatores lac myſticæ intelligentiæ. Qui prædi-
B catores dicuntur vbera, quia rudibus præbent lac doctrinæ. *Qui aſſimilati ſunt botris*, quia ſicut botri pleni ſunt vino: ita ipſi pleni ſunt ſcientia. Et ſicut botri preſſi inebriant: ſic ipſi in mundo preſſi lac doctrinæ propinant.

Notandum autem, quod vtraque lex tria in ſe continet, ſcilicet præcepta, exempla, promiſſa. Præcepta veteris legis ſunt: Non occides, Non mœchaberis, &c. Exempla ſunt, quod Dauid Saul inimicum in ſpelunca non occidit, cum benè potuit: & Ioſeph adulterium non fecit, cum eum domina blando amplexu conſtrinxit. Promiſſa verò ſunt: ſi hoc feceritis dabo vobis lac & mel. Præcepta autem nouæ legis ſunt: *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus vos.* Exempla, quod Chriſtus orauit pro ſuis crucifixoribus, & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Promiſſa verò, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.*

C Et notandum, quod vtraque lex in igne data eſt: qui habet duas naturas, ardoris & ſplendoris: quia vtraque præuaricatores legis incendit, obſeruatores illuminat. Ideò & vtriuſque legis latoris facies vt Sol reſplenduit, quia vterque viam ad claritatem æternæ lucis docuit. Sic namque ſplendida fuit facies Moyſi, vt non poſſent filij Iſrael intendere in faciem vultus eius, propter claritatem vultus ipſius. Chriſti verò latoris nouæ legis facies ſicut Sol in monte reſplenduit, quando cum eo Helias & Moyſes lator veteris legis apparuit, cuius etiam promiſſa ſunt, quod iuſti ſicut Sol in regno Patris fulgebunt. Sequitur.

Dixi aſcendam in palmam, vt apprehendam fructus eius.

Quaſi dicat Sunamiti, *quod ſtatura* perſeuerantiæ tuæ *aſſimulata eſt palmæ*, ſcilicet victoriæ meæ, hoc ideò eſt, quia ego aſcendi in palmam, & traxi te poſt me ad victoriam, videlicet quando exaltatus ſum in cruce, omnia traxi ad me, in quibus & te.

D *Dixi* enim, id eſt, firmiter apud Patrem ante ſecula diſpoſui, quia *aſcendam in palmam*, hoc eſt, in crucem in qua vincam tyrannum, & tunc *apprehendam fructus eius*, ſcilicet omnes ſaluandos. quorum pars ſunt vltimi Iudæi, & victo tyranno fugitiuos ad me traham. Similitudo eſt ab illo, qui in arborem ſcandit, & pendentia poma attrahit: ſic Chriſtus in arborem crucis aſcendit, & electos in multis erroribus diſperſos ad ſe collegit. Fructus palmæ crucis ſunt reſurrectio, aſcenſio, aduentus Spiritus ſancti, & ſalus mundi. Quos fructus Chriſtus apprehendit, quando humanum genus in Adam mortuum, in ſeipſo ad vitam reſuſcitauit, & hominibus ſcientiam omnium linguarum per Spiritumſanctum dedit & omnes per baptiſmum ſuæ mortis ſaluauit. Ideò autem conuerſæ ſynagogæ palmam crucis in memoriam reducit, vt memoret ſe per crucem redemptam, & diligat redemptorem. Et per hanc palmam, *erunt vbera tua ſicut botrus vineæ, & odores tui ſicut malorum*: Botrum vineæ, qui eſt dulcis, poſuit ad diſtinctionem botri ſyluæ, qui eſt amarus. Vbera Sunamitis ſunt prædicatores, qui lac doctrinæ præbent rudibus. Vinea eſt Eccleſia: botrus eſt Chriſtus in prælo crucis preſſus, de quo fluxit E
vitæ potus. Sic premuntur doctores ſynagogæ in antichriſti perſecutionibus, & fluunt de eis pocula vitæ fidelibus. Odores verò Sunamitis ſunt fama & opinio bonæ operationis & prædicationis, qui ſunt ſicut odores malorum, ſcilicet arborum, id eſt, ſicut prædicationes Apoſtolorum. Apoſtoli quippe fuerunt ſicut mali, in quibus eſt odor & fructus, qui odorem bonæ vitæ ſparſerunt, & dulci fructu doctrinæ alios refecerunt.

Et nota, quod prædicatores ſynagogæ Chriſto aſſimilantur in preſſuris paſſionum: prædicationes verò eorum prædicationibus Apoſtolorum, quia tantæ perfectionis erunt, quod nullis tormentis à Chriſto flecti nequeunt. Et per hanc palmam erit *guttur tuum ſicut vinum optimum*. Guttur Sunamitis ſunt proferentes verbum doctrinæ. Hi ſunt ſicut *vinum optimum*, quia ſic ſuaui doctrina inebriant ſitientes iuſtitiam: ſicut optimum vinum non inflat, ſed reſtringit ſitis iniuriam.

Notandum ſanè, quod Eccleſia in Euangelio quin- F
que virginibus comparatur, quæ quinque libris ad amorem ſponſi eruditur: & in hoc cantico amoris quinquies pulchritudo membrorum eius laudatur. Et quaſi quinque Eccleſiæ hic deſcribuntur, ſcilicet primitiua Eccleſia, & Eccleſia gentium, Eccleſia perfectorum in perſecutione deſudans, & imperfectorum in pace militans, Eccleſia ſynagogæ ad fidem conuerſæ, quia in quinario numero fides & operatio notatur. In trinario fides trinitatis: in binario operatio geminæ dilectionis.

Prima laus eſt primitiuæ Eccleſiæ, ſcribitur: *Ecce tu pulchra es amica mea.* In qua tria membra, ſcilicet, genæ, collum, & oculi laudantur, & tres ordines iuſtorum in ea, videlicet, Apoſtoli, mundi contemptores, pœnitentes, figurantur.

Per oculos quippe Apoſtoli eius duces expreſſi ſunt, qui eadem de tenebris ignorantiæ ad laudem veritatis perduxerunt.

Per collum religioſi notati ſunt, qui contempto mun- G
do communem vitam duxerunt, qui ſpiritualem cibum doctrinæ de capite Chriſto acceperunt, & in corpus Eccleſiæ viuendo & docendo traiecerunt.

Per genas pœnitentes denunciati ſunt, qui ſe peccaſſe erubuerunt, hæc laus ternario ideò continetur, quia trinitas huic Eccleſiæ primitus notificatur.

Secunda laus eſt Eccleſiæ gentium, vbi ſcribitur: *quàm pulchra es amica mea.* In qua ſeptem membra laudantur, quia ſeptem rebus myſticis comparatur, & in membris ordines Eccleſiæ, in rebus virtutes eorum intelliguntur: qui ordines per ſeptiformem ſpiritum diſtribuuntur, dum alij ſpiritu ſapientiæ, alij ſpiritu intelligentiæ, alij ſpiritu conſilij, alij ſpiritu fortitudinis, alij ſpiritu ſcientiæ, alij ſpiritu pietatis, alij ſpiritu timoris Domini pleni referuntur: Et per ſeptenarium æterna requies accipitur quæ poſt ſeptem dies ſeculi omnibus iuſtis dabitur.

Tertia laus eſt Eccleſiæ in perſecutione ſudantis, vbi H
ſcribitur: *quàm pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea.* Quam laudem ſenarius dedicat, qui perfectionem deſignat, quia qui in ſex ætatibus ſex opera miſericordiæ peragunt, perfectum gaudium poſſidebunt.

Quarta laus eſt Eccleſiæ in pace degentis, vbi ſcribitur: *pulchra es amica mea.* In qua tria membra laudantur, & tres ordines electorum, ſcilicet, coniugati, viduæ, virgines, inſinuantur, qui fide trinitatis decorantur.

Quinta laus eſt ſynagogæ ad fidem conuerſæ, vbi ſcribitur: *quàm pulchra es & decora.* Quam laudem ſenarius poſſidet, quia hæc Eccleſia perfectione fulget, & hanc laudem præcedit laus decem membrorum, ſignificans totidem ordines electorum, qui per legis decalogum percepturi ſunt vitæ denarium.

Notandum autem, quod laudem primitiuæ Eccleſiæ, & laudem ſynagogæ præcedit laus membrorum: laus verò Eccleſiæ, gentium, & aliarum præcedit, & ſequitur laus membrorum, quia multi ordines iuſtorum primitiuam Eccleſiam & ſynagogam conuerſam præceſſerunt, qui vtramque factis, & ſcriptis, & dictis, vix conuerterunt.

A Eccleſia verò gentium ad primam vocationem Apoſtolorum ad Chriſtum venit, & ſibi ordines inſtituit, ideò laus eius præcedit.

Iuxta tropologiam deliciæ fidelis animæ ſunt ſacræ ſcripturæ. In his deliciis eſt anima *pulchra*, quæ hæreſi caret: & recta fide *fulget*: in his eſt *decora*, ſi bona operatione ſplendet, & ſic eſt *cariſſima* Chriſto. Huius ſtatura eſt perfectio virtutum, quæ à primis fidei rudimentis cœpit, & perficiendo creſcit in virum perfectum, id eſt, in perfectionem virtutum Hæc ſtatura, palmæ aſſimilatur, quæ in inferiori anguſtatur, in ſuperiori dilatatur: quia ſtudium virtutum imprimis eſt per actionem anguſtum, poſtea per contemplationem latum. Animæ *vbera* ſunt ſapientia & ſcientia, quibus indoctos quaſi paruulos lactat: que *aſſimilata ſunt botris*, quia plena ſunt doctrinis. Vel vbera animæ ſunt duo præcepta charitatis, de quibus lac doctrinæ vtriuſque legis præbet: quæ botris comparantur propter mundi preſſuram, & doctrinæ B abundantiam. Anima in palmam aſcendit, quæ ſe per victoriam crucis ſaluatam credit: fructus palmæ apprehendit, quando dignè corpus Chriſti comedit, quod in arbore crucis pependit. Vel fructus eius apprehendit, dum præmiū vitæ per crucem propoſitū perceperit. Poſt fidem crucis erunt *vbera* animæ *ſicut botrus vineæ*, non ſiluæ: quia prædicationes eius dulceſcedine plenæ. Significatio namque rerum mutatur ſecundum diuerſitatem ſenſuum. In hoc quippe loco vbera animæ ſunt eius doctrinæ, vino prædicationis plenæ, vt botri vineæ. Eius odores ſunt ſicut malorum, id eſt, opinio virtutum eius ſunt ſicut ſanctorum: vel orationes eius ſunt ſicut odor incenſorum *Guttur* animæ eſt vox laudis vel confeſſionis eius, quod eſt *ſicut vinum optimum*, quod non inflat inebriando, ſed lætificat cor recreando.

Iuxta anagogen autem deliciæ Eccleſiæ cum Chriſto regnantis ſunt gaudia paradiſi exultantis. In his deliciis C eſt ipſa *pulchra & decora*, quia in his fulget vt Sol & luna, & angelis & Chriſto eſt chariſſima; cuius ſtatura eſt æqualitas angelorum, quæ palmæ eſt aſſimilata: quia in terris fuit anguſtata, in cæleſtib⁹ eſt dilatata. Eius vbera ſunt comparata *botris*, quia apoſtoli & alij doctores ſunt pleni poculis æternæ dulcedinis. Hæc in palmam aſcendit, quia per victoriam crucis ad lignum vitæ peruenit: de quo ſcriptum eſt, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Fructus eius iam apprehendit, de quo qui comederit non morietur in æternum.

Vbera eius ſunt ſicut *botrus vineæ*, quia gaudia quibus pro preſſuris mundi inebriatur, ſunt ſicut gaudia Chriſti in cruce preſſi. Ipſe eſt enim botrus vineæ, potus Eccleſiæ, fons vitæ. Ab ipſo inebriabitur quando ei dicetur: *Intra in gaudium Domini tui.* Tunc erunt *odores eius vt malorum*, id eſt, deliciæ eius erunt vt angelorum. *Et guttur eius erit ſicut vinum optimum.* Id eſt, laus eius erit ſicut laus epulantium. Dum ſponſus guttur Sunamitis D laudauit, id eſt dum Chriſtus proferentes verbum prædicationis in ſynagoga vino optimo comparauit, ipſa verbum per quod ſalus mundo datur de ore loquentis rapuit, dicens.

Dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ruminandum.

Quaſi dicat mea pura prædicatio per te, ideo vino optimo collata; quia prædicatores non inflat, ſed auditores ædificat, eſt digna dilecto meo ad potandum, hoc, eſt dignos facit quos ipſe potet, quos in corpus ſuum Eccleſiam quaſi ſuaue vinum fundat. Et digna eſt labiis & dentibus illius ruminanda, id eſt, doctoribus illius memoriæ commendanda. Dentes Chriſti ſunt ſcripturæ expoſitores: labia eius ſunt expoſita proferentes. Hi optimum vinum ruminant, dum ſuauem doctrinam in ventrem memoriæ recondunt; & iterum ad docendum retrahunt, ſicut pecus dum ruminat eſcam iam comeſtam, de ventre in os retrahit & mandit; & iterum in ventrem recondit.

Et nota quod ſponſus vinum potat, & labia denteſque ruminant: quia doctores cum magno labore ſcripturas exponunt, & auditores vix conuertunt: ipſe vero E facili nutu inſpirationis prædeſtinatos conuertit, & quaſi potum ſine difficultate in corpus Eccleſiæ fundit. Sponſa poſt raptum verbum ab ore ſponſi guttur aperit, & verbum ſalutis quaſi optimum vinum eructat, & gentibus adhuc incredulis propinat, dicens: vos gentes incredulæ conuertimini ad Chriſtum, & recipiet vos ſicut me recepit. Quia *ego dilecto meo* conuerſa ſum, *& ad me conuerſio eius facta eſt*: quaſi dicat: Ego Sunamitis à diabolo diu captiua, ego ſynagoga à Chriſto diu auerſa, ad eum ſum iam conuerſa; & ipſe conuerſus eſt ad me per gratiam, qui diu auerſus eſt à me propter perfidiam.

Poteſt & hoc de Eccleſia gentium intelligi, quæ dicit ad adoleſcentulas: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius*: quaſi dicat: Ego prius exul à Deo, ab omni errore ad eum ſum conuerſa, vt ciuis & domeſtica: & ipſe prius iratus humano generi ad me eſt conuerſus, natura noſtræ mortalitatis indutus. Et vos ergo de mala con- F uerſatione conuertimini ad primam, & conuertet ſe ad vos per indulgentiam.

Tropologice fidelis anima ad dilectum conuertitur, cum de mala vita ad pœnitentiam, vel de ſeculari vita ad ſpiritualem conuertitur: & dilectus ad eam conuertitur, cum ei gratiam ſuam largitur, quam prius ei ſubtraxit, cum ob culpam ſe ab ea auertit. Anagogice autem Eccleſia ad ſuperna ſuſpirans, ad dilectum ſe conuertit, cum de mundo ad cœlum migrat: & ipſe ſe ad eam conuertit, cum eam in ſocietatem angelorum recipit. Huc vſque ſynagoga intravit: iam mandragora in ſequentibus intrabit.

TRACTATVS
QVARTVS.

G POſtquam totus comitatus Sunamitis in aulam regis eſt receptus, & regalibus nuptiis admiſſus: Ecce ab aquilone noua ſponſa cum magno apparatu ſcilicet mandragora ſine capite ſponſo adducitur: cui ab eo aureum caput imponitur diademate redimitum, in nuptiis recipitur. Sunamitis quippe de regia vrbe regreſſa, inuenit mandragoram regalem puellam ſine capite in agro iacentem: cui nimium compaſſa, & ad regem regreſſa, obnixè ſupplicat vt ſecum eat, miſeræ ſubueniat. Rex ergo cum Sunamite in agrum veniens, & miſeram miſerabiliter nudam inueniens eleuat, veſtit, aureum caput imponit ad nuptias introducit. Mandragora eſt herba formam humani corporis habens ſine capite, & intelligitur multitudo infidelium; quæ tunc erit, cuius caput antichriſtus erit, qui eſt caput omnium malorum. Sed caput mandragoræ amputabitur, quando antichriſtus occidetur, Poſt cuius occiſionem videns ſynagoga conuerſionem infidelium ſine capite antichriſto, & etiam carere capite H Chriſto; optat eam ſibi in fide Chriſti aſſociari, & capite Chriſto ſublimari, dicit ergo ſponſo.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Quod eſt dicere: *O dilecte mi*, quem præ omnibus diligo, qui ad me per gratiam veniſti, & per præſentiam donorum viſitaſti: *veni* etiam nunc per gratiam ad multitudinem infidelium, & viſita eam per pœnitentiam cariſmatum, & prædicatores. Egrediamur in agrum mundi, & ſpergamus, per populos ſemen verbi Dei; tu aſpirando ego prædicando, & operando, & docendo. Diu *commoremur in villis*, id eſt, in paganorum conuenticulis: *mane ſurgamus ad vineas*, hoc eſt, maturè faciamus Eccleſias. Ager eſt Chriſtianus populus aratro Euangelij cultus: villæ vero ſunt pagani in infidelitate & vitiis inculti. Dilectus quaſi in occulto ſedet, dum Chriſtus peruerſos per manifeſta flagella ad conuerſionem non admonet, vel infideles per prædicatores ad fidem non vocat. Qui ad publicum in agrum egreditur, dum prauos manifeſte flagellat vt ſe corrigant: vel infideles per doctores ad fidem conuocat. Eccleſia vero quaſi in occulto latet, dum contemplationi vacat, &

A proximis errantibus non prædicat : de occulto in agrum egreditur, dum ad publicam prædicationem accingitur. Poſt mortem ergo antichriſti ſponſus & ſponſa in agrum conueniunt, quando Chriſtus & Eccleſia per prælatos conſilium ineunt, qua Chriſtianos propter timorem antichriſti ad perfidiam prolapſos ad pœnitentiam reuocent, vel adhuc incredulos per prædicatores ad fidem conuertant. In villis commorantur, dum paganorum conuentibus maximè prædicando immorantur.

Similitudo eſt ab illis, qui in agrum ſpaciatum vadunt, in villas ad ſpectaculum conueniunt. Nox fuit tempus perſecutionis antichriſti : mane vero tempus pacis poſt mortem antichriſti. Mane ergo ſponſus & ſponſa ad vineas ſurgunt, qui quaſi in nocte dormierunt, dum ſe poſt necem antichriſti ad faciendas Eccleſias erigunt, vel ſub eo deſtructas erigunt, & renouant, vel diſperſas congregant, quas ſub eo deſtrui viderunt ; ſed B quaſi dormientes non reſtiterunt. Sequitur.

Videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt: ſi floruerunt mala punica?

Hoc eſt per prædicatores faciamus eos videre, ſi vinea ſcilicet ſynagoga in fide floruit, vt eam in fide imitentur : ſi florentes in fide opera fidei exequuntur, vt illos imitentur : ſi imitatores martyrum in patientia florent, vt illos imitentur. *Ibi dabo tibi vbera mea*, hoc eſt, in illo agro proferam ad honorem tui omnem doctrinam vtriuſque legis, quæ ſunt vbera mea, vt rudes in fide ſugant inde lac doctrinæ. Et poſtquam ego expreſſi vbera, *mandragora dederunt odorem in portis noſtris*. Mandragora, vt dictum eſt, herba eſt formam humani corporis habens, ſed capite carens, ad multas medicinas vtilis : & intelligitur gentilitas, quæ rationem humanam habuit, ſed Chriſtum caput fidelium non habuit, & multas vtiles ſententias habuit. Huic ſponſus aureum caput impoſuit, dum ei deitatem ſuam, quæ omnia tranſcendit, vt aurum omnia metalla, in fide propoſuit : gloria & honore coronabit, & in claritate ſuæ viſionis ſibi copula-C bit. Mandragoræ ergo ſine capite, ſunt pagani ſine capite Chriſto, ablato ſibi capite antichriſto. *Hi dederunt odorem in portis*, id eſt exemplum bonorum operum in virtutibus, per quas intratur ad cœlum ad beatitudinis præmium. Vel portæ Eccleſiæ & Chriſti ſunt prophetæ & apoſtoli : in his *portis dederunt mandragora odorem*, dum pagani ad Chriſtum conuerſi, in doctrinis apoſtolicis & pro hæreticis famam bonæ opinionis ſparſerunt. Non ſolum vbera dabo tibi, ſed etiam *omnia poma noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi.*

Hoc eſt, non ſolum doctrinam vtriuſque legis tunc conuertendis proferam, ſed etiam omnia opera apoſtolorum nouæ legis, & omnia opera prophetarum veteris legis ſeruaui tibi, id eſt, pro te exponendo illis, & non ſolum illorum opera, ſed etiam tua facta per ordinem illis narrabo, quæ vtinam vidiſſem oculis vt illi viderunt. Ita intelligi ſequentia volunt.

CAPVT VIII.

D QVis mihi det te fratrem meum, Hoc eſt, quis de ſanctis patriarcha vel propheta poteſt mihi conferre, vt *inueniam te foris*, id eſt, vt videam te in carne cum hominibus conuerſantem, ex ſcripturis docentem, miracula facientem : ſicut te olim viderunt, quorum oculi beati fuerunt ; *& deoſculer te* ſicut Simeon, & Anna, & alij quam plures, & audiam ex ore tuo verba pacis per te redditæ hominibus : *& iam me nemo* ex infidelibus *deſpiciat*, ſicut hactenus fecit, dicens me excæcatam & reprobatam. Te dico Chriſte rex gloriæ exiſtentem *fratrem meum*, de mea progenie genitum *ſugentem vbera matris meæ*, interrogantem doctores de lege & prophetis, quæ ſunt vbera matris meæ ſynagogæ, quando ſedebas ſapientia patris in medio doctorum, audiens & interrogans illos : vel quando per ſabbata in ſynagogis de lege & prophetis legebas & aliis exponebas.

Nota quòd quaſi ad præſentem & ſecum in agro deambulantem loquitur : per quod nimius affectus amoris, E vel doloris exprimitur. Iſtud quippe eſt quaſi quoddam lamentum fidelis ſynagogæ, nimium dolentis quod mater ſua ſynagoga Dominum gloriæ crucifixit quem tot miracula facere vidit, quaſi diceret : Vtinam eſſet poſſibile vt Chriſtum per legem & prophetas mihi promiſſum, patribus noſtris iam miſſum in humana carne de ſinu patris egreſſum, ita ſicut ipſi poſſem videre, de mea progenie natum, meum fratrem factum, legem & prophetas ſpiritualiter exponentem, multa ſigna facientem : vt eum toto corde amplecterer, & amplius à nullo Chriſtiano velut extorris à regno Dei deſpicerer. Similitudo eſt ab illa, quæ nimio amore accenſa diligenter obſeruat ſiccubi dilectum ſuum foris inueniat, vt ei loquatur, & eius conſortio perfruatur : ſed quia te in carne vt illi non poſſum videre, ſaltem *apprehendam te* fide me fugientem in deitatis ſublimitatem : *& ducam te* prædicando *in domum matris meæ*, id eſt, in Iudæam, quæ eſt domus matris meæ ſynagogæ : *& in cubiculum* F *genitricis meæ*, id eſt, in Ieruſalem, quæ eſt cubiculum legis genitricis meæ. Vel te fugientem Iudæos adhuc incredulos, ſcilicet tuam cognitionem eis ſubtrahentem, *apprehendam* orádo, *& ducam te* docendo & exemplum præbendo *in domum matris meæ*, id eſt, in multitudinem ſynagogæ matris meæ, & *ducam te in cubiculum genitricis meæ*, id eſt in ſpiritualem intellectum legis, nutricis meæ ; vt per legem & prophetas intelligant te verum Deum eſſe ; *ibi me docebis* ; videlicet in illa fide mihi cognitionem tuam manifeſtabis, pluſquam per prophetas & per legem. Et *dabo tibi poculum ex vino condito*, hoc eſt, per intellectum fidei faciam tibi poculum ex multis virtutibus compoſitum, tuo corpori Eccleſiæ infundendum, vt ſuaue vinum ex multis ſpeciebus conditum. *Et muſtum malogranatorum meorum*, ſubaudis, dabo tibi ; hoc eſt, diuinum ſeruitium ex imitatoribus martyrum impendam tibi. Malogranata ſunt eadem quæ & mala punica, quæ ſunt rubea & granis plena, quorum ſuccus habet ſaporem muſti : ſignificant autem patientes G martyrum imitatores, bonis actibus vt granis plenos, & doctrina vt muſtum ſuaues. Per vinum ergo doctores veteris legis ; per muſtum intelliguntur doctores nouæ legis, quorum laborem offeram tibi ad honorem.

Rex itaque vino & muſto accepto à ſponſa, amplexatus eſt eam, vnde gratulabunda canit, dicens.

Læua eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Quaſi dicat : Diuitias & gloriam mundi eius amori poſtpono, & ſola æternæ beatitudinis præmia ab eo promiſſa diligo. Caput quippe Eccleſiæ eſt Chriſtus, cuius læua eſt pœnitentis vitæ gloria : dextera vero illius æterna beatitudo, vt ſcribitur : *Longitudo dierum in dextera eius : in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Læua* ergo ſponſi ſub capite ſponſæ eſt, quando amorem Chriſti diuitiis mundi præponit : & dextera illius amplexabitur eam, quando chorus ſanctorum in æterna beatitudine conſtitutus, propter hoc eam diligit. Hic verſus ſuperius primitiuæ Eccleſiæ aſſcribitur : hic rurſus in conuerſione ſynagogæ repetitur, quia eadem perfectio fidei & H operationis in iſta quæ in illa inuenitur. Sub amplexu ſponſi, ſponſa quaſi amore & dolore fatigata obdormit ; & ne quis eam ab hac quiete inquietet ſponſus interdicit, dicens.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam meam: donec ipſa velit. Scilicet ſynagoga ad fidem conuerſa, terrena faſtidiens, ſola cœleſtia appetens quaſi obdormit, quando cunctis terrenis negociis ſe ſubtrahit, & ſolis cœleſtibus contemplandis tota incumbit. Quam filiæ Ieruſalem, id eſt, vniuerſalis Eccleſiæ filiæ ab hoc ſomno excitant, dum ſpirituales ad prædicationem carnalium prouocant. Quod ſponſus prohibet, ne lucri cauſa vel humani fauoris gratia fiat dicens. O vos vniuerſalis Eccleſiæ *filiæ*, æternam pacem in ſuperna *Ieruſalem* viſuræ, *adiuro vos*, id eſt, fidei ſacramento cóſtringo vos, *ne dilectam meam* ſynagogam, nuper ad me conuerſam, à quiete *ſuſcitetis*, qua quieſcit à ſeculi negotiis:

neque

neque euigilare faciatis à ſomno ſuæ contemplationis, *donec ipſa velit* ad laborem prædicationis accin[illegible] ſola cauſa Dei. Iſte verſus iam tertio eſt repetitus, pri[illegible] primitiuæ Eccleſiæ: ſecundo Eccleſiæ gentium: tertio ſynagogæ conuerſæ annotatur, & concordia omnino in vna fide ternitatis notatur. Iſtud quaſi hyſtoricè de ſynagoga dictum, allegoricè quoque de Eccleſia gentium intelligitur. Sponſus cum ſponſa *egreditur in agrum*, dum Chriſtus per prædicatores Eccleſiæ ſemen verbi Dei ſpargit in mundum, aratro euangelij exaratum. *In villis* cum illa commoratur, dum in populis, in vrbibus & in villis habitantibus per prædicationem immoratur. *Mane cum illa ſurgit ad vineas*, dum feſtinat multas facere Eccleſias. Nox fuit ab Adam vſque ad Chriſti reſurrectionem: deinde fuit mane quo lux veritatis reſplenduit, in quo Chriſtus & Eccleſia ad vineas ſurrexerunt: quia poſt reſurrectionem multas Eccleſias inſtituerunt. Cum illa *vineam florere, & flores fructus parturire*, & mala punica florere vidit, dum alios in fide florentes, alios fidei fructus proferentes, alios martyria paſſos, in eccleſiis in exemplum infirmis propoſuit: ibi dedit ei ſua vbera, quia talibus protulit Chriſti cauſa vtriuſque teſtamenti dogmata. *Poſt hæc mandragora dederunt odorem in portis*, quia Iudæi ſine capite Chriſto, formam ſanctæ conuerſationis ſparſerunt in populis, conſtituti in fide & dilectionem vitæ portis. *Omnia poma noua & vetera*, ſponſa dilecto ſeruauit, quia omnia opera nouæ & veteris legis ad honorem Chriſti Eccleſia Iudæis expoſuit. Similitudo eſt ab illo cui diu abſenti amica poma ſeruat, quæ reuertenti læta offert: ita Eccleſia Iudaico populo diu a fide peregrinanti myſteria vtriuſque legis ſeruauit, quæ ei ad fidem venienti per Chriſtum reſerauit. Chriſtus fuit frater Eccleſiæ, quia Deum ſuum naturalem patrem, fecit per gratiam Eccleſiæ patrem: & ipſam fecit ſibi ſororem, ſcilicet regni cæleſtis cohæredem. Hic vbera matris ſuæ, videlicet primitiuæ Eccleſiæ ſuxit, quando ei legem & prophetas ſpiritualiter expoſuit. Ipſa dilectum foris inuenit, dum verbum carnem factum credidit: quæ quaſi intus latuit, dum verbum in principio manſit. Huius oſculum ſumpſit, dum pacem ſibi per ipſam redditam audiuit. Hanc poſtea nemo deſpexit, quia per Chriſtum ſedata perſecutione, omnis ordo regum & principum eam honorauit. Hæc dilectum quaſi per *manum apprehendit, & in domum matris ſuæ induxit*, dum operando & prædicando Chriſtum in corpus ipſius ſynagogæ *introduxit*: & *in cubiculum genitricis* induxit, dum eum in intellectum Iudaicæ gentis duxit. Quæ gens eius mater & nutrix extitit, quia ex ea apoſtoli nati ſunt: qui Eccleſiam per Euangelium genuerunt, & doctrina legis nutrierunt.

Ibi eſt docta Eccleſia, quod ipſa eſt per gratiam Chriſti vocata: ſynagoga autem propter falſam iuſtitiam excæcata, ſed nunc iterum per gratiam illuminata. Quæ Eccleſia dat Chriſto poculum ex vino condito, dum offert ad honorem Chriſti bonum opus, ſapientia & charitate & facundia inebrians proximos: Vel dum offert in ſacrificio ſanguinem Chriſti ex vino conſecratum, & dat Chriſto muſtum malogranatorum, dum exhibet diuinum ſeruitium hominum virtutibus repletorum: Vel dum profert exempla virtutibus ſanctorum. *Læua* dilecti *ſub capite* Eccleſiæ eſt, quia myſterium incarnationis, & dona quæ dat in præſenti, erunt *ſub capite*, id eſt, ſub mente eius: quia per ea ſuſtentata in præſenti contra perturbationes mundanas quieſcit, & quodammodo cum ea dormit. *Et dextera eius*, id eſt, futura bona & plena ipſius viſio *amplexabitur eam*: quia ita vndique circundabit eam, vt nullus turbo miſeriæ poſſit interuenire. Hanc à ſomno ſæculares excitant, dum eam à quiete contemplationis ad exteriora negocia pertrahere tentant: ſed Chriſtus per ſcripturas eos adiurat, ne hoc lucri cauſa faciant.

Tropologicè fidelis anima *in agrum egreditur, in villis commoratur*, dum agreſtes vel villanos in bonis moribus imitatur, vel dum quiſque ſpiritalis intermiſſo lectionis & orationis ſtudio, manibus ſuis laborat, vt habeat vnde tribuat neceſſitatē [illegible]enti. *Mane ſurgit ad vineas*, dum ſe totam erigit [illegible] mitandas clauſtralium vitas: clauſtra etenim ſunt [illegible]itales vineæ, in quibus ſunt pocula vitæ. Fidelis quiſque flores vineæ, fructus florum, flores malorum punicorum videt, dum fidem Eccleſiæ, opera fidelium, patientiam martyrum imitari ſtudet. Ibi *dat vbera proximis*, dum p[illegible]fert doctrinam geminæ charitatis. Tunc *dabunt mādragora odorem in portis*, quia ſæculares iam conuerſi, qui ſine capite fuerunt, dum nullum prælatum habere voluerunt, famam bonæ operationis in virtutibus, quę ſunt portę vitæ, ſpargunt. *Omnia poma noua & vetera ſeruat*, dum conuerſus omnia opera antiquorum & modernorum patrum ad imitandum ſibi congregat. Hunc ſibi Chriſtus fratrem facit, dum eum ſibi cohæredem regni elegit. Qui Chriſtus *vbera matris*, fidelis animæ *ſugit*, dum duo teſtamenta Eccleſiæ matris fidelium fratribus in vnum habitantibus ſpiritaliter exponit. Vel mater alicuius conuerſi eſt congregatio ſpiritalium, cuius vbera ſunt regularia inſtituta, quæ Chriſtus ſugit, dum quemque conuerſum regularibus diſciplinis inſtruit. Chriſtum *foris inuenit*, qui opera dilectionis in neceſſitate proximorum peragit. Hunc intus inuenit qui carnis concupiſcentias per Chriſtum vincit. Chriſtum deoſculatur, qui ei intimo amore coniungitur. Hunc nemo deſpicit, quia & angelis & hominibus placebit.

Chriſtum quaſi per manum apprehendit, & in domum matris ſuæ inducit, dum bona opera in clauſtrum, domum congregationis matris conuerſorum inducit. Et in cubiculum genitricis ſuæ eum inducit, id eſt, in intellectum regulæ clauſtralis ſuæ nutricis, dum eum in ea intelligi docet. Ibi ſcilicet in clauſtro, docetur, quid conuerſis in cœlo promittatur: Ibi *dabitur ei poculum ex vino condito*, id eſt, doctrina ex ſcripturis ſapientium compoſita, & *muſtum malogranatorum*, id eſt, exempla iuſtorum. *Læua* Chriſti eſt *ſub eius capite*, id eſt, bona pœnitentis vitæ ſunt in eius mente, quæ eſt caput animæ: *& dextera illius amplexabitur eum*, id eſt, virtutes & bona opera in corpore & anima: opera in corpore, virtutes in anima. Sub hac dextera obdormit, dum terrena obliuiſcitur, & cœleſtia contemplatur, & ne quis eum ab hac quiete retrahat ad ſæculi tumultum, à Chriſto per ſcripturas adiuratur.

Anagogicè autem Eccleſia hic peregrinans cum Chriſto in agrum floribus plenum egreditur, dum de hoc mundo migrans paradiſum voluptatis cum Chriſto ingreditur. *In villis commoratur*, dum in manſionibus ſibi à Deo præparatis recipitur. *Mane ſurgit ad vineas*, dum in die iudicij ſe erigit ad ſupernas Eccleſias. Totum quippe tempus huius ſæculi, eſt quaſi nox ad comparationem futuri ſæculi. Dies autem iudicij eſt quoddam mane æterni diei, qui melior eſt ſuper millia annorum.

Vel vita cuiuſque hominis eſt quaſi nox: mane autem vita futura. In quo mane quiſque fidelis ſurgit ad vineas, dum poſt mortem peruenit ad cœleſtes Eccleſias. Ibi videt flores vineæ & florum fructus, & flores malorum punicorum, id eſt, præmia fidelium, & denarium qui dabitur benè operantibus, & mercedem quæ recompenſabitur martyribus. Ibi dabit Eccleſia Chriſto vbera ſua, quia doctores vtriuſque legis repræſentabit in æterna gloria. Ibi *mandragora in portis dabunt odorem*, quia in morte, quæ eſt porta vitæ, dabunt viuentibus ſuæ vitæ opinionem, dum miraculis coruſcant in terris, quorum animæ viuunt in cœlis. Qui mandragoræ olim fuerunt, dum diabolum caput omnium malorum amiſerunt: & caput omnium iuſtorum Chriſtum induerunt, & nunc vt mandragora multis morbis medicamenta ſunt. Ibi *omnia poma noua & vetera* ſponſa dilecto *ſeruauit*, quia omnia opera ſanctorum veteris legis, & omnia opera ſanctorum nouæ legis, Eccleſia cœleſtis Chriſto recompenſanda repræſentabit. Ibi Chriſtum fratrem ſuum, ſcilicet hominem de humano genere natum, in Deo videbit; qui eam ſororem videlicet cohæredem regni fecit. Qui frater vbera Eccleſiæ ſugit,

quia

A quia Dominicus homo gaudia cœleſtis Ieruſalem, id eſt, Angelorum plenitudinem habet, & ſuis tribuit. Hanc intus in gloria patris Eccleſia inuenit, quem hic foris in carne vidit. Quem diu optatum deoſculatur, dum eius dulcedini in æterna pace copulabitur. Hanc amplius *nemo deſpiciet*, quia æqualis Angelis erit, quæ hic opprobrium hominum & deſpectio ſuperbis fuit. Ibi dilectum diu quæſitum vix tandem aliquando inuentum, æterna dilectione apprehendit, *& in domum matris ſuæ*, id eſt, in cœleſtem Ieruſalem, quæ eſt domus matris Eccleſiæ Angelicæ inducet, dum cum illo in illam ad æternas nuptias introibit, *& in cubiculum genitricis ſuæ*, id eſt, in ſecretum gloriæ humanitatis Chriſti, quam in paterna gloria videbit. Ibi docebit eam Chriſtus, quod *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Ibi dabit ei *poculum de vino condito, & muſtum malogranatorum*, id eſt, plenum gaudium & B Angelorum & hominum: quod erit vt vinum & muſtum, quæ lætitia ſunt epulantium. Vel ſponſa dabit dilecto *vinum & muſtum*, quia ſanctos veteris & nouæ legis profert, quibus dabitur plenum gaudium. Ibi erit *Læua* ſponſi *ſub capite eius*, quia omnem gloriam mundi videbit ſub potentia Chriſti, qui eſt caput eius. *Et dextera illius amplexabitur eam*, quia Angelica ſocietas, & ſanctorum vnanimitas, quæ in dextera Chriſti in iudicio erit, illam ſibi aſſociabit. In hac dextera ab omni perturbatione requieſcet: & nemo eam ab hac quiete excitabit, quia gaudium eius nemo tollet ab ea. Sunamite in brachio ſponſi dormiente, ecce Mandragora aureo capite adornata, cum magno comitatu ſponſo adducitur, quæ à choro filiarum Ieruſalem cum hac laude excipitur.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?

Scilicet fideli ſynagoga poſt perſecutionem antichriſti in pace quieſcente, multitudo infidelium capite antichriſto ablato, & vero capite Chriſto recepto, per præ- C dicatores Chriſto coniungenda ad Eccleſiam ducitur, atque à cunctis fidelibus hoc tripudio laudis excipitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto*: hoc eſt, quam glorioſa, & quanta laude digna eſt iſta, quæ de deſerto infidelitatis aſcendit per gradus virtutum ad Chriſtum, prius variis mundi *deliciis affluens*, nunc ſpiritalibus deliciis ſcripturæ, vel operibus iuſtorum affluens; non in ſe confidens, ſed *innixa ſuper dilectum ſuum*, id eſt, ſpem totam in eo ponens, à quo ſolo eſt omnis ſalus, vt ſcribitur: *Non eſt aliud nomen datum ſub cœlo, in quo oporteat ſaluari.* Similitudo eſt ab illo populo, qui eductus de Ægypto, de illo deſerto per Ieſum Naue ad terram repromiſſionis aſcendit, deliciis legalium obſeruationum & tabernaculi myſteriorum affluens, innixus ſuper Moyſen dilectum ſuum: Et ſignificat populum qui de infidelitate ad Eccleſiam, & mundo ad æternam gloriam per Ieſum Chriſtum aſcendit deliciis ſcripturarum affluens, in ſolo duce ſuo Chriſto confidens. Nona ſponſa ad regem ingreſſa his verbis ab eo eſt ſuſcepta. D Sequitur.

Sub arbore malo ſuſcitaui te.

Quaſi diceret: Bene quidem feciſti, quod ad me veniſti, quia te mortuam ſuſcitaui: me caput tibi impoſui. Quod autem dicit, *ſub arbore malo ſuſcitaui te*, ad totum genus humanum reſpicit, quod ſub arbore præuaricationis mortuum: ſub arbore crucis per Chriſtum eſt ſuſcitatum. Ibi ſcilicet ſub arbore maledictionis *corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.*

Mater humani generis humana natura, quæ ante peccatum erat incorruptibilis, impaſſibilis, immortalis: per fallaciam autem diaboli corrupta, facta eſt paſſibilis & mortalis.

Porro genitrix eius erat Eua mater omnium, quæ erat ante peccatum inuiolata: quia nec concupiſcentia, nec ſordibus polluta; quæ ſerpentina ſuaſione violata, mox concupiſcentiæ & ſordibus & doloribus eſt ſubacta: ſed Chriſtus corruptæ matri incorruptionem reddidit, dum

E humanam naturam in ſui perſona incorruptibilem reſurgens à morte fecit. Genitricem violatam reparauit, dum virginem genitricem ſuam inuiolatam ſeruauit. Dicit ergo: *Sub arbore malo ſuſcitaui te*, quaſi vniuerſitati humani generis dicat: Sub arbore crucis te morte mea ſuſcitaui de morte perpetua, quæ mortua eras ſub arbore maledictionis: vbi corrupta eſt à diabolo mater tua humana natura, quando ornatum ſuum ſcilicet obedientiam abiecit, cum de interdicto pomo comedit; & ideo damnata, quia mox incorruptionis & immortalitatis honorem amiſit. Et ibi *violata eſt à ſerpente genitrix tua* Eua, quando de paradiſo pulſa honeſtatem perdidit concipiendi, & dolorem inuenit pariendi. Et quia te de morte ad vitam ſuſcitaui:

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.

Hoc eſt: Ita imaginem mei, tui amici, imprime memoriæ tuæ, ſicut ſignaculum ceræ imprimitur, vt imago exprimatur: vt me ita diligas ſicut ego te dilexi, qui pro te animam meam poſui. Et *pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Hoc eſt, exemplum mei ſuper operatio- F nem tuam, vt ita opereris, ſicut ego, qui inimicos dilexi, & pro impiis mortuus ſum. Per ſignaculum quippe imago: per cor memoria: per brachium accipitur operatio. Antiqui in anulis vel in armillis lapillos ſculptos portabant, quibus litteras amicis miſſas ſignabant, inde ſimilitudo iſta trahitur. Sigillo eſt imago inſculpta, quæ ceræ impreſſa imaginem reddit. Sigillum eſt Chriſti humanitas, cui imago inſculpta, eſt Chriſti diuinitas: cera vero humana anima, ad imaginem Dei formata. Chriſtus quippe vt ſcribitur, *eſt imago Dei inuiſibilis*, quia patri æqualis. Quam imaginem Deus homini impreſſit, quando interiorem hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei creauit. In imagine trinitas, in ſimilitudine notatur æqualitas, imaginem Chriſti in corde ſuo format, qui eum patri æqualem cogitat. Huic ſuam imaginem imprimit, qui humanam naturam deitati vnitam credit. *Signaculum Chriſti* ſuper *brachium ſuum ponit*, G qui exemplum operationis Chriſti ſibi ad imitandum proponit, & in ſanctitate & iuſtitia viuendo ad ſimilitudinem Dei ſe componit. Et quæ ſunt opera Chriſti, quæ ſponſæ ſunt imitanda: ſcilicet quod inimicos in tantum dilexit, vt pro impiis moreretur. Et hoc ideo, *quia fortis eſt vt mors dilectio: dura ſicut infernus æmulatio*, quod eſt dicere: Sicut mors omnes fortes vincit, & ideo fortior omnibus exiſtit: ita dilectio fortior eſt omnibus, quæ me fortiſſimum vicit, & me cauſa tui ad mortem coegit. Et ſicut infernus durior eſt omnibus duris, & ideo infrangibilis: ita æmulatio, id eſt, inuidia mea, eſt inſuperabilis; qua inuidebam diabolo quod te ſponſam meam poſſedit, & crudeli morte affecit: quia intantum te dilexi, quod te morte mea redemi. Et ideo iuſtum eſt vt me intantum diligas, vt me imitando, mortem pro me ſubeas. Et ſi dilectionem habueris, pro me mortem ſubire poteris: quia *lampades eius*, charitatis *lampades ſunt ignis atque flammarum.* Lampades ſunt vaſa lucis, & intelliguntur ſpirituales vaſa charitatis; qui intus ardent dilectione, foris lucent H operatione. Lampades ignis ſunt, qui ſibi ardent: lampades flammarum, quia proximis lucent: tales tormenta & mortem carnis contemnunt, quia æternam vitam diligunt. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam.* Hoc eſt, nec blanditiæ, nec minæ, nec perſecutiones, nec terrores vincunt amantem, quin impleat meam voluntatem. Is quippe diligit me, ideo ſermonem meum ſeruabit: *hoc eſt, meum præceptum vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Similitudo eſt de magno incendio, quod nec pluuiæ, nec flumina poſſunt extinguere. Per aquas blanditiæ: per flumina accipiuntur tentationes, quæ non poſſunt de bono ad malum flectere ſpiritales. Dilectio eſt pretioſior omnibus rebus, quia.

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

Hoc eſt: Si quis ratione vtens omnem ſubſtantiam ſuam dederit in cibos pauperum, & ſeipſum tradiderit ad

martyrium abſque dilectione, vt mereatur Deum, qui eſt dilectio, habere: quaſi nihil dederit; deſpiciet enim omnia quæ dedit, niſi ipſam dilectionem habuerit. Hoc totum ideo dicitur, vt ſi ſponſa velit ſponſo coniungi, quam maxime eum in dilectione imitetur: quia *qui diligit in Deo manet*, & qui non diligit in morte manet. Hæc quaſi hiſtorice ſunt aſcripta Mandragoræ: poſſunt etiam allegorice adaptari ſynagogæ conuerſæ. Poſtquam Sunamitis de ſomno euigilauit, multis ſibi adiunctis, regio cultu ad regem venit: cui innixa ad thronum regni aſcendit, quam chorus filiarum Ieruſalem hac laude excepit.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?

Scilicet Eccleſiæ gentium admirantes ſynagogam nuper conuerſam, in tantum culmen virtutum aſcendiſſe, & vndique infideles ſibi prædicando & operando attrahere, in laudem eius erumpunt, dicentes: *Quæ eſt iſta*, id eſt, quam laudabilis eſt iſta, *quæ aſcendit* de virtute in virtutem ad Chriſtum, de populo in cæcitate perfidiæ: *de deſerto deliciis* ſcripturarum & virtutum *affluens*, *innixa ſuper dilectum ſuum*, id eſt, ſtabilita ſuper Chriſtum nunc dilectum ſuum. Vel ſuper dilectum meum cum ipſa eſſet excæcata; nunc quoque dilectum ſuum factum, poſtquam ab eo vt luna à ſole eſt illuminata.

Notandum quod iſta laus, *Quæ eſt iſta*, nunc tertio eſt poſita. Primo quippe in laude Eccleſiæ gentium ponitur: Secundo laudi Eccleſiæ pœnitentium aſcribitur: Tertio Eccleſiæ de Iudæis & gentibus conuertendæ aſſignatur; quia omnes in eadem fide trinitatis collaudantur.

Aliter quia omnis multitudo fidelium à primo Abel vſque ad vltimum electum vna Eccleſia dicitur, quæ tribus temporibus mundi in fidem trinitatis colligitur: ſcilicet ante legem ſub patriarchis: in lege ſub prophetis: in Euangelio ſub Apoſtolis. Hæ quoque tres laudes poſſunt referri ad tres Eccleſiæ diſtinctiones. Prima ad illam, quæ ſub patriarchis aſcendit ad fidem trinitatis. Secunda ad illam, quæ ſub prophetis aſcendit ad fidem trinitatis: Tertia ad illam, quæ ſub Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus vſque ad finem mundi aſcendit ad fidem trinitatis.

Sunamitem autem in ſolio regali ſedentem rex alloquitur, dicens.

Sub arbore malo ſuſcitaui te. Per hoc datur intelligi, quod ſub arbore dormierit, & eam ibi excitauerit. In malo notantur tria, ſcilicet fructus odor, vmbra. Arbor mali, eſt crux Chriſti, cuius fructus eſt Chriſtus: qui eſt odor ſuauitatis, & refrigerium ab æſtu vitiorum ad vitam itinerantium. Sunamitis ſub *arbore dormiuit*, quando ſynagoga de arbore præuaricationis mortua iacuit. Hanc Chriſtus ſub arbore mali ad vitam ſuſcitauit, quando in cruce, quæ erat lignum vitæ pro ea mortem ſubiuit: Dicit ergo: *ſub arbore malo ſuſcitaui te*, quaſi conuerſæ ſynagogæ dicat: Merito diligendus ſum à te, quia prior dilexi te, & morte mea redemi te in cruce. *Ibi corrupta eſt mater tua*, ſcilicet ſub cruce ſynagoga in inferno damnata, quæ clamauit dicens: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Ibi violata eſt genitrix tua*, videlicet lex nutrix tua, præuaricata eſt, quæ dicit: *Innocentem & iuſtum ne interficias.* Vel *genitrix eſt violata*, quando lex de litera eſt ad ſpiritum mutata. Vel *genitrix*, videlicet Iudaica gens *eſt violata*, quando ob vindictam crucis à Tito & Veſpaſiano eſt captiuata. Et quia te ab hoc malo eripui, & mihi ſponſam aſſumpſi: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, id eſt, imaginem meam imprime memoriæ tuæ, vt ſigillum ceræ, vt diligas me ſicut dilexit te. *Et pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, id eſt, exemplar meæ operationis imprime tuæ operationi: vt ſicut ego per multa tormenta mortuus ſum amore tui: ita tu per varia tormenta moriaris amore mei. Hoc fecit Eccleſia in martyribus tempore perſecutionis. *Quia fortis eſt vt mors dilectio*, hoc eſt, ſicut mors omnia vincit: ita dilectio omnia vincit, quæ me cauſa tui ad mortem coegit: *Dura vt infernus æmulatio.* Æmulatio accipitur in bono & in malo. Dicitur enim imitatio vel indignatio, id eſt, inuidia. Æmulari enim eſt bonos imitari, vel malis indignari, vel melioribus inuidere. De bono dicit Apoſtolis: *Æmulamini*, id eſt, imitamini, *chariſmata meliora.* De malo autem: *Æmulantur vos non bene.* Et de Ioſeph ſcribitur: *Æmulabantur eum fratres*, id eſt, inuidebant ei: Æmulatio ergo Eccleſiæ fuit dura vt infernus; quia ſicut infernus eſt infrangibilis: ita imitatio Eccleſiæ, qua imitata eſt Chriſti dilectionem vel operationem fuit inſuperabilis. Hoc ideo, *quia lampades eius, lampades ignis atque flammarum*: hoc eſt, habentes charitatem intus vt ignis ardebant: foris lucebant, vt flammæ, operatione. Per ignem quippe ardor: per flammas accipitur ſplendor. Laurentius, Stephanus, & alij eis ſimiles, lampades, id eſt, vaſa charitatis exiſterant, in quibus ignis Spiritus ſancti ardebat, & foris flamma operationis lucebat. *Aquæ multæ* id eſt, blanditiæ & delectationes mundanæ *non potuerunt* in eis *extinguere charitatem*, *neque flumina* id eſt, minæ & tribulationes *obruent illam*, vt eos à veritate auertant: *quia neque mors, neque vita, neque aliqua creatura poterit eos ſeparare à charitate Chriſti.*

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

Hoc eſt cum omni ſubſtantia mundi non poteſt dilectio comparari: quia *Deus charitas eſt*, quæ ſola morte eſt mercanda, & ſine fine tenenda. Fidelis anima *de deſerto aſcendit*, cum malam vitam deſerit, & ad ſpiritalem conuerſationem per gradus virtutum aſcendit. Hæc *deliciis affluit*, cum ferculis ſcripturarum delicioſe paſcitur. *Super dilectum* eſt *innixa*, quia ſoli amori Chriſti eſt inſita. Hanc *ſub arbore mali* Chriſtus *ſuſcitauit*, dum mortuam in peccatis per fidem crucis viuificauit. *Ibi corrupta eſt mater eius*, ſcilicet in peccato concupiſcentiæ mortalis facta eſt humana natura: *& ibi violata eſt genitrix eius*, videlicet propter peccatum paſſibilis facta eſt caro Euæ. Quam Chriſtus adhuc ſuſcitabit, & incorruptibilem atque impaſſibilem faciet. Ideo Chriſtum ponit *ſuper cor ſuum vt ſignaculum*, quia eius doctrinam & vitam in corde ita formât, quaſi eum ſemper præſentem videat. *Super brachium eum ponit vt ſignaculum*, dum exemplum operum Chriſti ſemper inſpicit, & ea imitari cupit. In tali homine *fortis eſt vt mors dilectio*, quia ſicut mors corpus interimit, & inſenſibile reddit: ita vera dilectio animam concupiſcentias mundi perimit, & ad cuncta terrena deſideria inſenſibilem facit. *Et* in ea *dura* eſt *ſicut infernus æmulatio*, quia ſicut infernus duriter quos abſorbuerit tenet: ita anima fortiter imitationem virtutum, quam cœperit, tenet, nec propter aliqua dura mundi eam deſerit. *Hæc anima eſt* lampas charitatis, in qua ardet ignis diuini amoris, & foris lucet flamma boni operis. In hac anima *aquæ multæ*, id eſt, multiplices delectationes carnis, *non poterunt extinguere charitatem: neque flumina*, id eſt, tentationes obruent illam, quin ſemper ardeat & luceat. Hæc dilectio talis eſt: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Hoc eſt ſi omnia mundi relinquat, nihil ei prodeſt, niſi ipſam charitatem, quæ Deus eſt, habeat.

Videndum autem quid ſit dilectio. Dilectio igitur eſt magna appetitio alicuius rei perfruendæ, quam quis habere cupit. Hæc diuiditur in duo: in dilectionem videlicet Dei & proximi.

Dilectio Dei eſt omnia commoda & incommoda contemnere, cauſa perfruendi Deo. Hæc tribus verbis impletur, vt diligamus Deum ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute, id eſt, ex ſenſu, ex ratione, ex intellectu. Dilectio proximi eſt priuata commoda poſtponere, gratia perfruendi amico: Hæc per duo præcepta impletur, ſcilicet. *Quod tibi non vis fieri alij ne feceris: & quod vultis vt vobis faciant homines, facite eis ſimiliter.* Nemo vult damnum pati, nemini faciat. Omnis vult ſibi in neceſſitate ſubueniri, aliis in neceſſitate ſubueniat.

Hoc

A Hoc totum per illud impletur : *Declina à malo , & fac
bonum.* Proximo damnum non inferre , eſt à malo decli-
nare:in neceſſitate proximo ſubuenire eſt bonum facere.
Ideo lex ſcripta fuit in duabus tabulis, quia continet in
ſe duo præcepta charitatis. Timor eſt auctor charitatis.
Eſt autem Timor anxietas periclitandi. Qui diuiditur in
duo, videlicet in ſeruilem & filialem timorem. Seruilis
timor eſt malum deuitare , ne ſupplicium luat. Filialis
vero eſt bonum facere, ne offenſam patris incurrat. Ser-
uilis timor animam terebrat vt ferrum acutum corium
perforat. Timor filialis dilectionem animæ inducit , vt
animam Deo alliget : ſicut ſeta linum filum inducit , vt
corium colliget. Ferrum durum eſt ſeruilis timor : ſeta
minus dura eſt filialis timor : linum lene eſt dilectio.
Ferrum & ſeta exeunt, linum intus permanet : ſic chari-
tas timores expellit , & ipſa intus permanet.

Item timor diuiditur in duo : Eſt enim timor Dei &
timor ſæculi. De Dei timore ſcribitur : *Timor Domini
ſanctus permanens in ſeculum ſeculi.* De timore autem
B ſæculi dicitur : *Perfecta charitas foras mittit timorem.*
Timor Dei eſt veneratio ipſius ; qui habet duas ſpecies:
cum amator Dei timet ſe vel aliquid de mandatis Dei
neglexiſſe , vel non ad placitum Dei omnia impleuiſſe.
Timor autem ſæculi habet quatuor ſpecies , quæ ſunt,
timor vilitatis , timor fragilitatis , timor mundanus ,
timor ſeruilis , vel iudaicus. Timor vilitatis eſt , cum
quis malum perpetrat ne aliis vilis appareat , verbi gra-
tia , cum quis homicidium vel adulterium facit , ne
homicidis vel adulteris vilis ſit : Timor fragilitatis eſt,
cum quis malum, ſcilicet homicidia , rapinas , vel in
cendia perpetrat , ne à Dominis ſuis temporalia benefi
cia perdat.

Timor mundanus eſt , cum quis malum deuitat ne
ſupplicium luat , vtpote , cum quis deuitat furtum, quia
timet ſuſpendium , vel deuitat ſacrilegium , quia timet
crucifragium. Timor ſeruilis vel iudaicus eſt , cum quis
mandata legis facit , ne lege damnetur. Duæ ſpecies
priores impellunt ad malum , duæ ſequentes retrahunt
C à malo, quas omnes charitas foras mittit , quæ ſola di-
lectione iuſtitiæ bonum facit.

Iuxta anagogen Sponſa de deſerto aſcendit glorioſa,
quando Eccleſia hic peregrinans de deſerto mundi ad
gaudia cœli migrabit glorificanda. Quam chorus cœle-
ſtis Ieruſalem, ſcilicet concentus Angelorum, hac laude
excipiet : *Quæ eſt iſta*, id eſt , quam beata , *quæ aſcendit*
de mundo ad cœlum ; & in conſortium ſuum introdu-
cet vbi delicijs paradiſi affluet ; quia de bonis Domini
gaudebit, cum ipſum Deum in quem deſiderant Angeli
proſpicere , facie ad faciem videbit : vbi concentum
Angelorum & organa ſanctorum audiet , & ipſum odo-
rem ſuauitatis ſentiet : vbi inebriabitur ab vbertate do-
mus Domini, & ſatiabitur cum apparuerit gloria Domi-
ni. Ibi erit ſuper *dilectum ſuum innixa* : quia ſemper in
gaudio Domini erit ſtabilita. Hanc *ſub arbore mali* Chri-
ſtus *ſuſcitabit*, quia poſt hanc vitam omne genus huma-
num ad vitam per victoriam crucis viuificabit, quod per
arborem tranſgreſſionis mortem ſubijt. Tunc Eccleſia
D recipietur in illa gloria , vbi per ſuperbiam *corrupta eſt
mater eius* , ſcilicet dignitas Angelica : & *vbi genitrix
eius eſt violata*, ſcilicet numeroſitas electorum imminu-
ta. Quam ipſa reintegrabit, cum incorruptelam poſſide-
bit, & numerum electorum implebit. Tunc Chriſtum *vt
ſignaculum ſuper cor ſuum ponet*, quia ipſum qui eſt ima-
go Dei, in ſeipſam vt imaginem in cera expreſſam vide-
bit. Hunc *vt ſignaculum ſuper brachium ponet* : quia
ipſum pro labore operum mercedem accipiet. Ibi *fortis
eſt vt mors dilectio* : quia ſicut mors omnes reprobos
traxit ad interitum:ita dilectio Dei omnes electos trahet
ad gaudium. Ibi *dura eſt ſicut infernus æmulatio* : quia
ſicut infernus omnes æmulatores, id eſt, omnes imitato-
res diaboli abſorbet : ita aula cœli omnes æmulatores,id
eſt, imitatores Chriſti recipiet. Ibi omnes electi *lampa-
des* charitatis erunt, quando accêſis lampadibus obuiam
ſponſo & ſponſæ ibunt. Qui ſemper vt ignis in amore
Dei ardebunt , quando in regno patris ſui vt ſol fulge-
bunt:& ſicut hic aquæ delectationum, & flumina perſe- E
cutionum ſanctorum charitatem non extinxerunt : ita
præmia charitatis nullum finem habebunt. Domus ho-
minum eſt hic mundus:ſi omnis ſubſtantia huius mundi
detur, præmio charitatis non comparabitur , quod dile-
ctoribus Chriſti, qui eſt charitas dabitur. Cum ſponſus
dignitatem dilectionis Mandragoræ ad ſe venienti com-
mendaſſet, conuertit ſe ad Sunamitem dicens.

*Soror noſtra paruula eſt & vbera non habet. Quid fa-
ciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?*

Id eſt , quando nubenda eſt. Similitudo eſt à parua
puella , quæ viro tradita adhuc non habet vbera, id eſt,
mamillas , nec eſt nubilis , & intelligitur Eccleſia poſt
antichriſtum creditura in Chriſtum : quæ *paruula* erit in
numero fidelium, *& vbera* ſcilicet doctores ſufficientes
non habet , à quibus eſt interius præparanda , nondum
in thalamum introducenda : Quaſi dixiſſet , Dilectio
quam commendaui eſt magna , ſed Mandragora nuper
conuerſa *ſoror noſtra* facta , quia regni cohæres *eſt par-
uula* in fide , ſcilicet in religione rudis , & tenera , & F
ideo ad tantam dilectionem inualida , vt meæ dilectio-
nis cauſa mortem ſubeat : proinde maxime quia *vbera*,
id eſt, prædicatores *non habet* , qui eam ſufficienter ad
hanc dilectionem imbuant. *Quid ergo faciemus ſorori
noſtræ in die quando alloquenda eſt* , hoc eſt , quid fiet
de ea in die iudicij , quando pro operibus ſuis eſt iudi-
canda , vel remuneranda ſi dilectionem non habuerit ?
Qui enim dilectionem habet Deum habet , quia Deus
eſt dilectio : qui autem eam non habet, hæreditatem in
regno Dei non habet.

Aliter. *Soror noſtra* Mandragora *paruula eſt*, in nume-
ro fidelium, & *vbera non habet*, id eſt, doctores qui lac
doctrinæ præbendo numerum eius adaugeant. Quid er-
go fiet in die iudicij , quando Angelis erit aſſocianda,
ſi numerus electorum non erit impletus ? Reſpondet
Sunamitis.

*Si murus eſt ædificemus ſuper eam propugnacula ar-
gentea.* Quod eſt dicere : Si parua eſt faciamus eam
magnam , ſcilicet mittamus artifices qui colligant pre- G
tioſos lapides, & faciamus de ea murum ; & *ſuper eam
ædificemus propugnacula argentea*, hoc eſt mittamus
prædicatores , tu inſpirando ; ego operando : qui viuos
lapides, id eſt, electos homines docendo in vnam fidem
colligant , & habitaculum Deo de eis faciant : quibus
tales prælatos præficiamus , qui ſunt vt argentum ſplen-
dentes eloquentia , & ſubditos à vitiis & hæreticis ar-
mis virtutum defendentes. *Et ſi oſtium eſt, compingamus
illud tabulis cedrinis*, quod eſt dicere : Si vbera , id eſt,
doctores non habet, *compingamus ligna cedrina*, id eſt,
congregemus multa ſanctorum exempla:quorum opera
ſunt imputribilia, & vermes ſcilicet dæmones fugantia:
& de illis *faciamus oſtium*, id eſt, quendam fidei introi-
tum, per quem multi ad eam ingrediantur , & numerus
fidelium in ea multiplicetur. Aliter: *Si* aliquis perfectus
eſt *murus*, ſcilicet ingenio munitus , fortis in virtutibus,
ædificemus ſuper eam propugnacula argentea , hoc
eſt, hunc faciamus ei defenſorem eloquentia ſplenden-
tem. Vel *ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*, H
id eſt , inuincibiles ſententias diuino eloquio lucidas,
quibus eam inſtruat , & ab hoſtibus defendat, Et *ſi* quis
imperfectus *eſt oſtium*, aperiens aliis docendo introitum
ſalutis ; illum *tabulis cedrinis compingamus* , id eſt, im-
marceſcibilia piorum virorum exempla ei proponamus,
quibus multos ad conuerſionem pertrahat, & per oſtium
fidei in domum Dei, id eſt, in Eccleſiam introducat. In
muro tria notantur. De multis fit lapidibus , ciues intus
munit, hoſtes exterius repellit : ita Eccleſia de multis
fidelibus conſtat, quos cæmento charitatis conglutinat,
fide crucis munit eos qui in ſe habitant , hoſtes ſcilicet
paganos & hæreticos communione à ſe ſeparat. In oſtio
quoque tria notantur, ſcilicet introitus, & exitus, & via
in medio. Introitus eſt fides, quo intratur ad Eccleſiam.
Exitus perſeuerantia, quo exitur ad vitam. Via in medio
opera in dilectione. Muro facto & oſtio compacto, ca-
nit ſponſa exultans.

A *Ego murus & vbera mea ſicut turris.* Quaſi dicat. Ego quæ fui paruula in numero, facta ſum multiplex firmis fidelibus, ſicut murus in lapidibus, & ideo digna ſum vt ſuper me argentea propugnacula ædificentur, id eſt, tales prælati mihi præficiantur, qui me ſplendore ſuæ eloquentiæ charitatem à ſponſo mihi commendatam doceant, & armis ſcripturæ ab hæreticis defendant. Et quæ vbera non habui, id eſt, doctores, iam tales habeo, qui ſunt alti & firmi in virtutibus, vt turris, per quos poſſit eſſe introitus ad viam ſalutis; & ideo digna ſum, vt compingantur tabulis cedrinis, id eſt, vt confirmentur ſanctorum exemplis, quibus me inſtruant opera charitatis. Per tabulas pictura, per cedrum intelligitur imputribilitas, per compactionem concordia; quaſi tabulæ pictæ coram hominibus expanduntur, cum exempla ſanctorum eis proponuntur, quæ ſunt vt cedrus coram Deo imputribilia, & ſerpentes, id eſt, Dæmones fugantia, quæ compingunt doctores & electos imitationis concordia.

Aliter. Quiſque perfectus dicit. *Ego ſum murus,* ſcili- B cet contra vitia fortis, & ideo in Eccleſiæ ædificio locandus, vt *ſuper me ædificentur propugnacula argentea,* ſcilicet ſacræ ſcripturæ verbo Dei ſplendidæ, quibus ſim Eccleſiæ munimini & decori. *Et vbera mea ſicut turris,* id eſt, doctrina mea eſt firma, quæ facit auditores in modum turrium ſurgere in altum virtutum.

Nota quod perfectus muro comparatur: vbera illius, id eſt, doctrina turri aſſimilatur; quia vita eius eſt contra vitia mundi munita: doctrina vero eius in virtutibus alta. Imperfectus dicit, *Ego ſum oſtium*, quia docendo aperio minus doctis vitæ introitum, & ideo compingi debeo tabulis cedrinis, id eſt, confirmari ſanctorum exemplis. Ego ſponſa cœpi talis eſſe, ex quo, ſubaudis tempore, ſum facta coram eo quaſi pacem reperiens: hoc eſt, ex quo tempore ceſſauit perſecutio antichriſti, & mihi reddita eſt pax Chriſti, cœpi à ſuis opificibus ædificari murus de viuis lapidibus, & vbera mea cœperunt ſurgere in virtutibus.

Poſt mortem namque antichriſti erit maxima pax in C mundo: ſed breui tempore vt ſcribitur, *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis veniet interitus,* id eſt, dies iudicij, & in illa pace congregabitur Eccleſia in cultum vnius Dei. De qua ſubdit ſponſa.

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus.

Quod eſt dicere. Antichriſto auctore diſcordiæ occiſo, Chriſtus verus pacificus faciet pacem mundo, & in illa pace faciet ſibi vineam, ſcilicet vniuerſalem Eccleſiam; quæ profert palmites vino abundantes, id eſt, doctores potum vitæ fundentes. *Quæ vinea* erit in ea pace *quæ habet* populos, id eſt, gentes omnes: non ſicut illa pax quæ fuit ſub Salomone in vna Iudæorum gente. Et *hanc* vineam *tradet cuſtodibus*, id eſt, prælatis cuſtodiendam & regendam. Hoc ideo dicitur; quia dubitatur vtrum Eccleſia illo tempore aliquibus prælatis regatur, cum dies iudicij imminere credatur. Sed ſciendum eſt, quia Eccleſia illis diebus erit in ſuis officiis & ordinibus ſicut hodie, dicente Domino, *ſicut in diebus* D *Noe plantabant, arabant, & cætera opera faciebant, vſque dum venit diluuium: ita in diebus filij hominis*, id eſt, ante diem iudicij *arabunt, plantabunt & cætera opera facient, vſque dum venerit incendium.* Ideo autem præteritum fuit, & tradidit, pro futuro poſuit, vt certitudinem oſtendat, quod ita eſt à Deo diſpoſitum, quaſi iam ſit tranſactum. Qualem autem fructum illa vinea proferat, ſubiungit.

Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Hoc eſt, quilibet relinquet omnia huius mundi, quæ poſſidet, & dabit ea pauperibus, vt percipiat præmium promiſſum in hac vinea laborantibus. Omnis enim, qui in hac vinea vſque ad noctem, id eſt, vſque ad finem vitæ laborauerit, denarium, id eſt, Chriſtum, qui eſt ſummum bonum, in præmio habebit. Fructus quippe huius vineæ, eſt regnum cœleſte. Per millenarium autem intelligitur perfectio. Hi autem dicuntur perfecti, qui omnia mundi relinquunt, dicente Domino. *Si vis perfectus eſſe* E *vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Per argentum quod eſt in pretio, intelligitur huius mundi ſubſtantia, quæ hominibus videtur pretioſa. Mille ergo argenteos affert pro fructu vineæ, qui omnia huius mundi relinquit, & dat indigentibus propter regnum cœleſte. Aliter. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos,* ſcilicet Chriſtus ex patre Deus, & nobis factus vir, affert pro labore huius vineæ plenum gaudium. Per mille quippe plenitudo gaudij, per argentum accipitur præmium operis. Mille argentei ſunt quatuor libræ, & comprehenſi ſunt omnes electi hoc numero. Omnes electi quippe qui per quatuor Euangelia, de quatuor partibus mundi ad opus huius vineæ vocati, vſque in finem in ea laborabunt, & plenum gaudium in præmio percipiunt. Operarij huius vineæ pondere diei & æſtus fatigati, & ab aduerſariis multis malis vexati dicunt Patrifamilias, vineam ſuam de cuſtodia ſua emiſit, quam cuſtodibus commiſit: ideo non eripit nos de tribulatione, quos videt tantopere cauſa ſui laborare. Reſpondet paterfamilias.

F *Vinea mea coram me eſt.* Hoc eſt, in cuſtodia mea eſt.
Ego video operantes.
Ego video cuſtodientes.
Ego video tribulantes.
Ego video otiantes.

Et reddo vnicuique mercedem ſecundum ſuum laborem. Nam *mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius.* Hoc eſt mille argentei dabuntur operariis, & ducenti cuſtodibus. O vinea *mille argentei erunt tui pacifici*, id eſt, pacem tibi apud Deum impetrantes: *& ducenti* argentei erunt *pacifici his qui cuſtodiunt fructus eius,* hoc eſt, erunt impetrantes pacem vineæ cuſtodibus. Duodecies centum ſunt mille ducenti. Innuit hic numerus, quod hi qui exemplo duodecim Apoſtolorum omnia reliquerunt, & in hac vinea ſecundum doctrinam eorum laborauerunt, hic centuplum accipiunt, & in futuro mille argenteos, id eſt, plenum gaudium habebunt. Cuſtodes autem vineæ, id eſt, G prælati Eccleſiæ ducentos argenteos, id eſt, duplex præmium in corpore & anima reportabunt: quando minores vt ſtellæ, maiores vt luna, docti autem vt ſplendor firmamenti, id eſt, vt ſol fulgebunt.

Notandum quod ſæpius in hoc cantico nuptiali à principio libri vſque in finem vineæ & botri introducuntur, & Eccleſia vniuerſalis & electi in ea innuuntur: cuius vitis eſt Chriſtus, palmites Apoſtoli & omnes electi, vinum doctrina eorum, quæ lætificat corda fidelium. Hæc quæ dicta ſunt de Mandragora, poſſunt etiam intelligi de Sunamite, de qua conqueritur regina auſtri filiæ Pharaonis, ſcilicet Eccleſia gentium, per doctores primitiuæ Eccleſiæ, ita dicens.

Soror noſtra. Sunamitis, videlicet ſynagoga nouiter conuerſa, *paruula eſt*, ſub Helia & Enoch in numero conuerſorum, *& vbera,* id eſt, doctores ſufficientes, & vbera legis, & prophetarum tibi ſpiritaliter exponentes, *non habet. Quid ergo faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Hoc eſt, quid fiet de ea in tempore per- H ſecutionis antichriſti? quando de fide tentanda eſt? Quid reſpondebit aduerſariis de fide ſe interrogantibus? Reſpondet per ſcripturas primitiua Eccleſia, ſcilicet Epiſtolas Petri & Pauli & aliorum. *Si murus eſt ædificemus ſuper eam propugnacula argentea.* Hoc eſt, ſi velit firma eſſe in fide, & conſtans in paſſione, vt murus contra hoſtes in obſidione, componamus ei tales ſcripturas, quibus ſe ab aduerſariis defendat, & copioſe capitoſis reſpondeat, & hæreticis fortiter reſiſtat.

Si autem eſt oſtium compingamus tabulis cedrinis: Hoc eſt, ſi velit verbo & exemplo eſſe aliis introitus ad vitam, proponamus ei multa exempla antiquorum ſanctorum, quibus ſufficienter introducendos ad fidem inſtruat. Synagoga igitur ſcripturis ædificata, exemplis iuſtorum compacta exclamat lætabunda. *Ego murus*, id eſt, firma in fide & fortis in paſſione. *Et vbera mea ſicut turris*, id eſt, doctores mei ſunt alti in virtutibus & hoſtibus terribiles. Vel doctrina mea eſt inexpugnabilis.

Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens, id eſt, ex quo tempore fidem CHRISTI recepi, & eius gratiam promerui.

Iudæa pacem cum Chriſto & hominibus non habuit, poſtquam infelix clamabat: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Per totùm quippe orbem diſperſa omnibus gentibus ſub tributo ſeruit: & omnis populus ſanguinem Chriſti de manu eius requirit. Sed poſtquam ad Chriſtum conuerſa fuerit pacem cum omnibus gentibus habebit. Quaſi coram eo pacem reperit, cum Eccleſiæ communionem promeruit, quam tunc plenam habebit, quando Angelis aſſociata cum principe pacis gaudebit. De qua ſynagoga ſubditur.

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Scilicet Iudæa fuit ſub Salomone in maxima pace, & habuit multos populos ſub tributo, quæ vt fertilis vinea de Ægypto tranſlata, & in terram repromiſſionis plantata, nobis propagines, ſcilicet prophetas protulit, de quibus potus ſcripturarum ſicut de vuis fluxit. Hanc tradidit rex cuſtodibus cuſtodiendam, quando eam diſtribuit principibus regendam: pro cuius fructu *vir mille argenteos attulit*, quando Ptolomæus Rex Ægypti in ſcripturis ſtudioſus copioſam pecuniam pontifici Iudæorum tranſmiſit, eo quod ſibi ſacram ſcripturam per LXX. interpretes miſit.

Hæc vinea poſtmodum in amaritudinem conuerſa non vuas, ſed labruſcas attulit, quando contra legem iuſtum & innocentem Chriſtum veram vitæ vitem occidit, & palmites eius Apoſtolos fructum vitæ ferentes à ſe expulit. Ideo vindemiabant eam omnes qui prætergreſſi ſunt vias, quando Romani, & omnes gentes in circuitu vaſtabant eam.

Hæc vinea iterum prædicatione Heliæ & Enoch exculta, erit vero pacifico ſcilicet CHRISTO vinea in ea pace. Vel in ea *vinea qua habet populos*, id eſt, in Catholica Eccleſia, quæ continet omnes populos.

Quam trades cuſtodibus, videlicet fidei doctoribus, ſub quorum cuſtodia proferet pretioſum fructum, ſcilicet glorioſum ſanguinem martyrum. Pro quo fructu *vir affert mille argenteos*, ſcilicet Chriſtus ex ea vir factus, dabit ei pro labore æternæ vitæ præmium, quod notatur per millenarium. Vnde ſubiungitur.

Vinea mea coram me eſt. Videlicet ſynagoga, prius propter perfidiam non mea, ſed à regno Dei aliena nunc propter fidem mea, coram me eſt, bona operando, & alios docendo, vt remunerem in ea laborantes, & eam cuſtodientes, & puniam eam vaſtantes. Nunc conuertit ſe ad vineam, dicens. *Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius.* Quaſi dicat, ô ſynagoga ad me conuerſa, ne timeas: iam enim coram me reperiſti pacem, quia mille erunt tui pacifici, id eſt, omnes perfecti rogant Chriſti pacem fieri, & ducenti pacifici, id eſt, omnes perfecti veteris & nouæ legis, rogant pacem his, qui cuſtodiunt fructus eius. *Cum præmiſerit mille tui pacifici.* Quæritur quare ſubintulerit *fructus eius*, & non fructus tuos. Quia nimirum verba dirigit ad eos, qui extra vineam ſunt, vt feſtinent per fidem eam ingredi, & per dilectionem in ea operari, vt pro tali fructu mereantur remunerari. Tropologice intelligitur hoc totum de fideli anima, de ſæculo ad ſpecialem vitam conuerſa, de qua dicit vox prælatorum.

Soror noſtra paruula eſt & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?

Quaſi dicat, anima fratris noſtri nuper conuerſi, quæ *noſtra ſoror eſt*, in profeſſione *paruula*, id eſt, rudis & inſcia eſt in conuerſatione: *& vbera*, id eſt, doctrinam reginæ ſufficienter non habet. Quid ergo fiet de ea, in die tentationis, quando à plurimis vitiis, id eſt, à dæmonibus tentanda eſt? Diabolus enim multo acrius tentat ad religionem conuerſos, quam ſæcularibus ſæculi immerſos. Anima *paruula eſt*, antequam creſcat per incrementa virtutum, *& ideo vbera* prædicationis *non habet*, quæ infirmis auditoribus præbeat. Adulta autem eſt quando verbo Dei copulata, Sancto ſpiritu repleta, per prædicationis myſterium in filiorum conceptione fœtatur quos exhortando parturit, conuertendo parit. Reſpondet vox ſpiritu conſimili plenorum: *Si illa anima murus eſt*, id eſt, ſi velit eſſe ſtabiliter in congregatione, *ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*, hoc eſt, inſtruamus eam ſententiis eloquentia lucidis, quibus ſe à tentationibus muniat, & alios ſe à vitiis obſtinere doceat. Et *ſi eſt oſtium*, aliis verbo & exemplo ad conuerſionem, *compingamus illud tabulis cedrinis*, id eſt, ornemus illud multis patrum exemplis, vt multis pateat introitus per illud ad vitam. Anima doctrinis prælatorum vt lapidibus opificum ædificata, & exemplis patrum ornata clamat ſecularibus: Vos qui in ſeculi negotiis laboratis meo exemplo, quaſi per oſtium ad ſpiritualis vitæ requiem intrate: quia ego prius vobis ſimilis in peccatis labilis, facta ſum vt *murus*, in ſpiritalibus ſtabilis: *& vbera mea*, id eſt, doctrina vitæ meæ *vt turris* inexpugnabilia. *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, id eſt, ex quo me de tumultu ſeculi ad quietem clauſtralem contuli; quaſi enim in fremitu bellorum deſudat, qui inter aduerſa mundi & carnis illecebras laborat: ſed quaſi pacem coram Deo reperit, dum in ſpirituali vita requieſcit: quam pacem plenam habebit, quando nullam pugnam inter carnem & ſpiritum ſentiens, in æterna pace gaudebit. Quod autem ſubditur: *vinea fuit pacifica*, intelligitur quæuis iuſtorum congregatio, in qua palmites ſunt viri ſpirituales: vinum vero ſuauis doctrina: Et hæc habet populos, ſcilicet multos ad religionem conuerſos. Hanc *tradidit* verus pacificus Chriſtus *cuſtodibus* ad colendam, ſcilicet prælatis ſpiritualibus, vt Auguſtino, Benedicto ad erudiendam. *Pro fructu eius affert vir mille argenteos*, quando quiſque relinquit omnia quæ ſunt mundi, & clauſtrum intrat, vt centuplum recipiat, & vitam æternam poſſideat. Vel *pro fructu eius affert mille argenteos*, quando Chriſtus huic qui in bono perſeuerauit vſque in finem, vitam æternam dabit. Vnde ſubditur: *vinea mea coram me eſt*, hoc eſt clauſtralis vita, quæ cauſa mei fit in præſentia mea eſt, vt remunerem omnes in ea laborantes pro me, & damnem in ea praue viuentes. Et ô tu anima quæ pacem reperiſti coram me, quando de ſæculo conuerſa es ad me; adhuc plenam pacem habebis, quando me in æterna pace videbis: *quia mille erunt tui pacifici*, id eſt, omnes perfecti pacificabunt me tibi: *& ducenti pacifici erunt his, qui cuſtodiunt fructus eius*, vineæ, id eſt, omnes perfecti in actiua vita & contemplatiua pacificabunt hos apud me, qui ſpiritualis vitæ inſtituta cuſtodiunt. Sicut enim mille, ita centum perfectionem vel plenitudinem præmij ſignificat; & ducenti quantum duo millia. Iuxta Anagogen eſt hæc vox Eccleſiæ iam in cœlo regnantis, ad Angelicam turbam de Eccleſia peregrinante conquerentis.

Soror noſtra paruula eſt. Id eſt, Eccleſia adhuc peregrinans noſtra cohæres futura adhuc in numero electorum imperfecta eſt, *& vbera non habet*, id eſt, plures doctores, qui eam ad perfectionem inſtruant. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt*: hoc eſt, quid fiet de imperfectis in die iudicij, quando à iudice iuſte iudicandi ſunt? Multi non ſunt, qui non ſolum omnia vt perfecti reliquerunt, ſed nec peccata ſua eleemoſynis pauperum redemerunt, & ideo damnati erunt. Reſpondet vox Angelica. *Si eſt* constructa per opifices *vt murus* de viuis lapidibus, *ædificemus* exhortando *ſuper eam* bona opera, vt ſint eis in die iudicij propugnacula vt argentum ſplendida, quando ſiniſtris dicetur: *Diſcedite operarij iniquitatis neſcio vos*, & *ſi eſt* prædicando aperta, *vt oſtium*, vt ſit fidelibus introitus per eam ad vitam, *compingamus eam tabulis cedrinis*, id eſt, admonendo conſtipemus eam ſpiritualibus filiis, qui numerum electorum impleant, & de noſtra ſocietate congaudeant. Eccleſia ergo videns ſe de viuis lapidibus vt murum in habitaculum Dei ædificari, & turrim Angelicam cœleſtis Ieruſalem per ſe reparari, canit exultans.

A *Ego murus, & vbera mea ſicut turris.* Quaſi dicat, Ego ſum conſtructa per opificem Chriſtum de electis hominibus, vt murus de lapidibus, in ambitum Ieruſalem cæleſtis, vt murus in circuitum ciuitatis. *Et vbera mea*, id eſt, doctores, qui mihi lac doctrinæ præbent *ſicut turris* in Ieruſalem erecti ſunt per Angelos qui inde ceciderunt: & ita cœpi ædificari vt ciuitas per doctos opifices Apoſtolos, & illorum ſucceſſores, ex illo tempore; *ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, humanum genus pacem cum Deo & Angelis non habuit, poſtquam in paradiſo mandatum Dei per primum parentem præterijt. Sed quaſi pacem cum Deo reperit, dum in Chriſtum, qui eſt pax vera, credidit. Hanc pacem chorus Angelicus hominibus bonæ voluntatis cecinit, quando princeps pacis Chriſtus de aula cœli in carcerem mundi venit: hanc ſuis hinc diſcedens reliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Hanc pacem deuicta morte, deſtructo belloque cum auctore diabolo, attulit filiis pacis, id eſt, pacificis B dicens: *Pax vobis*. Hac pace optauit ſe ſuper Eccl. gentium Deo pacificari, dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, id eſt, per Chriſtum reddat mihi pacem quam amiſi. Hanc pacem nunc habet in ſe ſpe, poſtea habebit in re: quando ipſam pacem facie ad faciem videbit, & omnes fines Ieruſalem in pace poſſidebit. Hæc Eccleſia fuit vinea vero pacifico Chriſto, in ea pace, *quæ habet populos*, ſubaudis Chriſtianos, vel quæ habet *paruulos*, id eſt, humiles: in qua ipſe fuit vitis vera, vinum Euangelica doctrina. Hanc *tradidit cuſtodibus*, ſcilicet Apoſtolis & aliis prælatis ad propagandam & dilatandam, ſub quibus nobilem fructum protulit, ſcilicet martyres, confeſſores, virgines, & alios fideles. *Pro quo fructu vir* Chriſtus *affert mille argenteos*, ſcilicet omnibus huius vineæ operariis præmij denarium quod eſt plenum gaudium. Vnde ſubditur: *vinea mea coram me eſt*, ſcilicet Eccleſia mea in hac vita, vinea per me patremfamilias plantata, & per Apoſtolos per orbem propagata ſemper erit in cœlis coram me, videns gloriam meam, & patris, & Spiritus C ſancti præſentiam. Et ibi ô vinea *erunt mille tui pacifici*, hoc eſt, omnes Angeli, & ſancti, ô Eccleſia per me pacem tecum habebunt. *Et ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius* hoc eſt, omnes qui huic vineæ bene præfuerint, pacem corporis & animæ in æternum habebunt. Hucuſque rex cum regina auſtri & filia Pharaonis in horto nucum manſit, vbi Sunamitem & Mandragoram in gratiam recepit, quæ nunc ad ſummam reginam dicit.

Quæ habitas in hortis amici auſcultant: fac me audire vocem tuam. Quaſi dicat, ô regina reginarum, quæ cum reginis & filiabus Ieruſalem habitas, hic mecum in hortis, iam te regali ornatu ornaui, iam omnes gentes in tuum dominium congregaui; fac me nunc *audire vocem tuam*, id eſt, petitionem tuam. Quid amplius petas? *Amici*, id eſt, principes mei *auſcultant* quid amplius velis, & quid à me exigas: Reſpondet regina, hæc eſt petitio mea, vt hinc recedas, & me tecum ducas, hoc æquipollenter, dicit.

Fuge dilecte mi & aſſimilare capreæ hinnuloque ceruo- D *rum ſuper montes aromatum.*

Quod eſt dicere. Recede de loco iſto, & reuertere ad Libanum, qui eſt mons aromatum, vbi eſt regale palatium, in quod me duc tecum. Et ſicut caprea ſalubres herbas eligit à noxiis, ita ſegrega me ab hoſtibus meis; & aggrega mihi omnes electos & amicos meos in nuptiis mihi præparatis. Et ſicut hinnulus velociter currit de æſtu in vmbram, ita velociter perduc me in regiam aulam. Scilicet Eccleſia de omnibus gentibus congregata ad Chriſtum, & ab eo omnibus virtutibus adornata, orat, vt eam aliquando de valle lacrymarum ducat in montem Cœlorum, in cœleſte palatium, vbi ab hoſtibus ſuis ſegregata, cum amicis ſuis exultet in perenni gloria. Notandum quod quatuor horti in hoc libro ponuntur, ſcilicet *hortus concluſus, hortus pomorum, hortus aromatum, hortus nucum*. Hortus concluſus fuit virgo Maria, mater Dei incorrupta, in quem hortum ſponſus Chriſtus deſcendit quando in clauſum virginis vterum venit. Hortus E pomorum fuit gens Iudæorum, qui dulcia poma protulit, dum in primitiua Eccleſia multitudinem credentium edidit; quæ cor vnum & animam vnam habuit. In quo horto myrrham meſſuit, dum amaritudinem paſſionis in Iudæa ſuſtinuit. Hortus aromatum fuit Eccleſia gentium, in qua fuit collectio ſanctorum; in quem ſponſus deſcendit, dum per prædicationem Apoſtolorum in gentilitatem venit. Hortus nucum eſt ſynagoga adhuc conuertenda, in quo ſunt multi amara carnis exterius ſuſtinentes, interius dulcedinem virtutum habentes: in quem ſponſus deſcendet, cum per prædicationem Heliæ & Enoch ſynagogam viſitabit. In his hortis Eccleſia habitat, quia pro diuerſis temporibus diuerſos ſtatus mutat. Alia tranſlatio habet *in portis*, & intelliguntur virtutes, vel Apoſtolicæ ſcripturæ, quæ portæ vitæ, in quibus Eccleſia habitat, dum per Apoſtolicas ſcripturas ſe virtutibus ornat. Dicit ergo ſponſus Eccleſiæ.

Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam. Ac ſi Chriſtus dicat Eccleſiæ perfectorum: Quæ per inſtitu- F ta religionis *habitas* in Eccleſiis, in quibus profers germina virtutum, & flores ſanctorum: *fac me audire vocem tuam*, hoc eſt, fac talem prædicationem tuam in perfectis, quæ digna ſit vt ego eam audiam: quia *amici*, id eſt, Angeli per me facti, tui amici, & tui pacifici *auſcultant*, vt eam ad me remunerandam perferant. Vel *fac me audire vocem tuam* id eſt, petitionem tuam, quia Angeli *amici tui auſcultant*, vt eam ad me implendam perferant. Vel *fac me audire vocem tuam*, id eſt, petitionem tuam, quia Angeli &c. Similitudo eſt inde, vbi amici ſponſi auſcultant, quid ſponſa petat, vt eius petitionem à ſponſo obtineat. Deum facit audire vocem ſuam, qui non lucri cauſa, ſed tantum pro Deo de æterna vita proximis prædicat. Vel Deum facit audire vocem ſuam, qui non terrena ſed æterna à Deo poſtulat. Porrò tota prædicatio vel oratio Eccleſiæ eſt, vt fiat inter bonos & malos ſeparatio, vt boni quiete, quam amant, fruantur, & mali vt ad eos conuertantur, aut ab eis diſcernantur. Vnde ſequitur.

G *Fuge dilecte mi.* Id eſt, tranſi à paleis, & ſubtrahe me inimicis. Sicut ille qui fugit, & abſcondit ſe ab eis. *Et aſſimilare capreæ*, diſcernendo bonos à malis, ſicut caprea diſcernit bonas herbas à malis, & aſſimilare hinnulo, diſcernens inceſtos, & requieſcens in caſtis: ſicut hinnulus æſtum declinans, in vmbra requieſcit. Tu dico qui es *hinnulus ceruorum*, id eſt, filius patriarcharum, qui tranſilierunt ſpineta peccatorum, & eſto in granis, ſcilicet in nobis, qui ſumus *montes aromatum*, id eſt, alti in virtutibus & per bona opera redolentes. Vel tu qui es *hinnulus ceruorum*, in humana carne de patriarchis aſſumpta, eſto ſuper *montes aromatum*, videlicet ſuper choros Angelorum, aſſocians eis multitudinem hominum; hinnulum ceruorum poſuit ad diſtinctionem hinnuli capreæ, qui alta petit, ille vero velociter currit. Vniuerſitas regni cœleſtis eſt in hoc verſu comprehenſa: Per dilectum quippe, Chriſtus, per fugam, tranſitus de mundo ad vitam, per capream, Eccleſia, per hinnulum ceruorum, populus ſanctorum, per montes aromatum, ordines Angelorum intelliguntur: qui om- H nes in nuptiis agni congregabuntur, quando Eccleſia à malis ſeparabitur, & in cœleſti Ieruſalem gloria & honore coronata, in ſolio regni pro æmula ſua, ſcilicet Angelica natura damnata, regina locabitur, & ſponſo ſuo Verbo Dei in carne ſibi vnito in gloria quoque copulabitur. Tropologice qualibet fidelis anima in hortis habitat, qua viriditate ſpei, & bonorum operum eſt repleta. Sicca quippe eſt ſpes huius mundi, quia omnia, quæ hic amantur cum feſtinatione areſcunt. Quæ ergo in hortis habitat, oportet vt ſponſo *vocem ſuam audire faciat*, id eſt, in tantum donum prædicationis emittat, in quantum illo delectatur quem deſiderat: quia amici, videlicet omnes electi *auſcultant*, qui vt cœleſtem patriam reuiſant, verba vitæ audire deſiderant, huic dilectus fugit, quia, qui ex carne comprehenſibilis factus eſt, ex diuinitate intelligentiam noſtri ſenſus excedit. *Capreæ & hinnulo aſſimilantur*, qui aſcendunt

A in montes aromatum; quia in illos per gratiam aſcendit & requieſcit, qui ſunt ſemper in odore virtutum. Iuxta anagogen amica in hortis habitat, quando Eccleſia in paradiſo tripudiat. Vel in portis habitat, dum per Apoſtolos qui ſunt portæ vitæ nationes iudicat. Ipſa etiam dies iudicij dicitur, vt ibi: *Non confundetur, cum loquetur inimicis in porta:* ſcilicet Eccleſia in die iudicij non confundetur, cum inimicis ſuis paganis, Iudæis, hæreticis loquetur inſultans eis, quod hic eum confuderunt, & ideo confuſi ſunt. Illa dies eſt porta vitæ: quia iuſti per eam intrabunt in vitam æternam. Eſt etiam porta mortis: quia impij per eam ibunt in ſupplicium æternum. In illa porta facit Eccleſia ſponſum audire vocem ſuam, dicens: *Domine ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum, vt videam faciem tuam, in quam Angeli deſiderant proſpicere.* Et tunc ipſa vocem ſponſi audiet, cum ipſam ſuper omnia bona ſua conſtituet, dicens:
B *Intra in gaudium Domini tui.* Sequitur vox ſponſæ, quam ſponſus vult audire: *Fuge dilecte mi & aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Dilectus à malis fugit, cum ſponſam ſuam de ærumnis mundi ad gaudia cœli ducit. *Capreæ* ſimilis erit, cum electos à reprobis vt grana à paleis eligit. *Hinnulo* ſimilis erit, cum in ſanctis vt hinnulus in vmbra requieſcit. Tunc vero ſuper *montes* erit *aromatum*, quando regnabit ſuper altitudinem Angelorum & hominum, in quibus fragrat odor virtutum. Vel ipſa caprea cum hinnulo erit ſuper montes aromatum, quando Eccleſia cum populo fidelium poſſidebit portas inimicorum ſuorum, ſcilicet cum hæreditabit loca Apoſtatarum Angelorum. Ecce quo iſtud carmen eſt deductum, quod genus humanum lapſum deduxit ante Dei conſpectum. Hic liber ideo legitur de feſto S. Mariæ, quia ipſa geſſit typum Eccleſiæ, quæ virgo eſt & Mater. Virgo, quia ab omni hæreſi incorrupta: Mater, quia parit ſemper ſpirituales filios ex gratia. Et ideo omnia quæ de Eccleſia dicta ſunt, poſſunt etiam de
C ipſa virgine ſponſa & matre ſponſi intelligi. Extat libellus à nobis editus, qui intitulatur *Sigillum S. Mariæ*, in quo tota Cantica ſpecialiter adaptata ſunt eius perſonæ.

Vt labor noſter omnibus fiat fructuoſus, breui epilogo cuncta repetamus.

Hic liber incipit, vbi humanum genus pacem, id eſt, Dei gratiam recepit. Per *oſculetur me*, Chriſti incarnatio notatur: quæ homini pacem attulit, quam in primo parente perdidit: quam Eccleſia ſemper optauit. Chriſtus quippe verbum Dei ſponſus humanæ naturæ, eſt pax vera, cui vnita eſt noſtra natura. Et quando Deus factus eſt homo, tunc vtique homo factus eſt Deus. Pacem vero quam attulit victor mortis, reſurgens credentibus reddidit, dicens: *Pax vobis.* Et hoc erat oſculum oris Dei, pax reddita per verbum Dei: quia tunc impaſſibilis & immortalis facta eſt in Chriſto noſtra natura, ſicut ab initio erat, creata. Per *vbera*, accipitur Euangelica doctrina. Per *vnguenta* ſancti Spiritus cariſmata. Per *nomen vt oleum effuſum*, nouum nomen Chri-
D ſtianitatis innuitur, quod per oleum ſanctum in baptiſmate credentibus imponitur. Per *trahe me*, Chriſti aſcenſio notatur, poſt quem Eccleſia optat trahi in cœlum. Ideo ſequitur: *odor vnguentorum*, quod fuit ſuauitas Spiritus ſancti donorum. *Introduxit me rex*, conuerſionem primitiuæ Eccleſiæ exprimit, quæ poſt datum Spiritum ſanctum contigit. *Nigra ſum*, tribulationem primitiuæ Eccleſiæ innuit, quam à perfidis Iudæis pertulit. *Indica mihi*, anguſtiam depromit, quam ei hæreticorum prauitas intulit. *Si ignoras te*, demonſtrat tutelam Apoſtolorum, quæ ei erat vt tabernacula paſtorum. Per *nardum & faſciculum myrrhæ & botrum cypri*, paſſio Chriſti ei proponitur, vt hanc per patientiam imitetur. Nam per *nardum* incarnatio, per *myrrham* paſſio, per *botrum cypri* reſurrectio Chriſti accipitur. Per *ecce tu pulchra es amica mea*, & reliqua quæ ſequuntur, vſque *in lectulo meo*, laus fidei & laboris primitiuæ Eccleſiæ à Chriſto; & gratiarum actio ipſius Eccleſiæ pro donis Spiritus ſancti: & prædicatio ipſius ad gentes exprimitur. Per illud vero, *in lectulo meo*, vſque *vadam ad montem myrrhæ*, introductio Eccleſiæ gentium notatur, quæ per
E Apoſtolos de deſerto infidelitatis in lectulum Salomonis, & in ferculum ad conuiuium eſt ducta; & à filiabus Sion ſuſcepta, & à rege pacifico magnificè laudata. Per illud, *vadam ad montem myrrhæ*, vſque, *hortus concluſus*, certamen Eccleſiæ innuitur, vbi contra Amana, Sanir & Hermon, id eſt, contra principes gentium, qui erant pardi & leones, ſcilicet ſæui perſecutores armis fidei & patientiæ pugnabant. Per illud autem, *hortus concluſus*, vſque *ſurge Aquilo*, per diuerſa genera herbarum aromaticarum, intelliguntur diuerſi ordines iuſtorum, quaſi diuerſæ legiones martyrum pro Chriſto pugnantium. Per *ſurge Aquilo*, vſque *ego dormio*, exprimitur Eccleſiæ afflictio, qua ſub hæreticis pro fide afflicta eſt. Per *ego dormio*, pax & ſecuritas Eccleſiæ accipitur. Per *ſurrexi vt aperirem*, eius prædicatio innuitur. Per *anima mea liquefacta eſt*, Eccleſia pœnitentium accipitur. Per *qualis eſt dilectus tuus*, vſque *deſcendi in hortum nucum*,
F Eccleſia imperfectorum myſteria Chriſti docetur ab Eccleſia perfectorum. Per *deſcendi in hortum nucum*, vſque *veni dilecte mi*, conuerſio ſynagogæ, & eius certamen ſub antichriſto, & laus membrorum, id eſt, ordinum eius deſcribitur. Inde vſque ad finem libri, vocatio infidelium poſt antichriſtum, & remuneratio fidelium, & ſeparatio bonorum & malorum per vltimum iudicium exprimitur. Poſt quod vniuerſalis Eccleſia, Chriſti ſponſa, per carnem vnita verbo Dei, gloria & honore pro certamine ſuo coronabitur, & in thalamo gloriæ, id eſt, in manifeſta viſione Dei ſponſo ſuo copulabitur.

Sicut patrem Dauid, patre Deo opitulante, explanauimus: ita filium Salomonem, filio Deo adiuuante, elucidauimus. Ideo omnes Spiritui ſancto, compoſitori & expoſitori vtriuſque operis gratias referamus.

Cantica digna choris caſte flagrantis amoris,
Digne ſcripta meo ſunt ſimul officio.
G *Digna Deo regi ſiunt tam hymenæi.*

Explicit expoſitio Honorij ſuper Cantica Canticorum.

SIGILLVM BEATÆ Mariæ, vbi exponuntur Cantica Canticorum.

Diſcipuli ad Magiſtrum.

OPTIMO magiſtro librorum regiſtro, frequentia diſcipulorum videre in Sion Deum Deorum. Omnium fratrum conuentus tuæ diligentiæ grates ſoluit, quod eis ſpiritus ſapientiæ tot inuolucra per tuum laborem in elucidario euoluit. Rogamus igitur
H te omnes vno ore iterum nouum laborem ſubire, & nobis cauſa charitatis aperire cur Euangelium: *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum*, & *Cantica Canticorum* de ſancta Maria legantur, cum nihil penitus ad eam pertinere videantur.

Reſponſio Magiſtri.

Quia pondus diei & æſtus decreui in vinea Domini pro denario portare, nolo terram, vt ſterilis ficulnea, in vacuum occupare, ſed vt oliua fructifera domui Dei aliquid decoris adducere, vt merear in ea quandoque manſionem percipere. Igitur quia veſtrum collegium gratanter ſuſcepit, quem miſi libellum, dabo operam per clauem Dauid vobis reſerare, de quibus videmini dubitare.

Ad gloriam itaque filij Dei, & ad honorem genitricis ſuæ, hic libellus edatur, & nomen ei *Sigillum ſanctæ Mariæ imponatur.* Ipſe autem intellectum tribuat, cuius ſapientia omnem ſenſum ſuperat.

Sigillum Sanctæ Mariæ.

1. Dicitis vos mirari cur Euangelium: *Intrauit Ieſus*, &

A

Cantica in feſtiuitate ſanctæ Mariæ recitentur, cum quaſi nihil de ea ſonare vtraque à ſimplicibus æſtimentur. Debetis igitur in primis de Euangelio ſcire, quod nihil potuit inueniri in tota ſcripturæ ſerie, quod conuenientius, quod aptius, quod dignius legeretur in eius ſacra ſolemnitate. Dicitur itaque, *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.* In caſtello eſt turris alta, in qua contra hoſtes propugnacula: murus vero exterius, qui eſt tutela ciuibus interius. Hoc caſtellum fuit illud ſancti ſpiritus ſacellum, ſcilicet glorioſa Dei genitrix Virgo Maria, quæ iugi Angelorum cuſtodia fuit vndique munita. In qua turris alta, videlicet humilitas, pertingens vſque ad cœli culmina, vnde dicitur: *Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ.* Murus vero exterius, eius caſtitas fuit quæ cæteris virtutibus interius munimen præbuit. Hoc caſtellum Dominus intrauit, quando in vtero virginis humanam naturam ſibi copulauit. *Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria.*

B

Per Martham actiua vita: per Mariam contemplatiua deſignatur, quam vtramque perpetua Virgo Maria in Chriſto excellentius excoluiſſe prædicatur. Omnia namque Euangelij opera, impendit ei per actiuæ vitæ miniſteria. A pueritia namque propter nos exulem, & in hoc mundo hoſpitem ſuſcepit in vteri ſui hoſpitium gemmis virtutum conſpicuum. Propriis vberibus pauit eum eſurientem, ſuper genua conſolabatur flentem. Infirmum eum fouit balneis, nudum inuoluit pannis, vagientem faſciis cinxit, arridenti dulcia oſcula fixit. Nimium erat ſollicita circa frequens miniſterium, fugiens à facie Herodis in Ægyptum, denuo rediens Archelaum inueniens. Multum conturbabatur erga plurima, vbique tuta quærens abſcondendi & cælandi eum latibula. Quod autem dicitur *conqueri de ſorore quod eam ſolam reliquerit in labore*, hoc eſt, Maria videns Chriſtum ab impiis capi, crudeliter trahi, ligari, colaphizari, cædi, derideri, cum reis damnari, in crucis patibulo acerbiter cruciari: ſi poſſibile eſſet vitam ſuam libenter pro ſui ereptione dediſſet.

C

Et cum in eo diuinitatem corporaliter habitare ſciret, quodammodo in animo ſuo anxia querebatur quod ei non ſubueniret, ſed quaſi noxium reliquiſſet, quem velut abiectitium tot malis expoſuit. *Secus pedes Domini ſedens verba illius* corde & aure ſitiebat, quæ etiam in corde ſuo, per contemplatiuæ officium conferens, conſeruabat; & ſemper ſpiritualia meditans cæleſtia deſiderabat. Ipſe quippe fons ſapientiæ in ea manſionem fecerat, & ideo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ in ea abſconditi erant. Nunc Marthæ labore ſublato, in illa vita fruitur non ſignificata, ſed vera Maria illo vno neceſſario, quo filij ſui inhærens complexibus perenniter diuinitatis eius cum Angelis ſaciatur aſpectibus. Ad quam gloriam hodie glorioſa virgo migrauit, in qua eam filius reginam cælorum ſuper omnes ordines Angelorum ſublimauit. *Optimam partem* quam hic *elegit*, duplicem hodie de manu Domini percepit: *quæ nunquam ab ea auferetur*, ſed cum plenum gaudium ſanctis dabitur centuplũ augetur.

D

De Epiſtola.

Cur autem de laude ſapientiæ in eius die legatur, cauſa ſatis probabilis declaratur. Chriſtus eſt Dei Sapientia, cuius hic loquitur perſona: *In omnibus*, ſubauditur gentibus *requiem quæſiui*, ſed *in hæreditate Domini* tantum, id eſt, in Eccleſia *morandi* locum inueni. Quæ gratulando ſubiungit. *Qui me creauit in tabernaculo meo requieuit.* Tabernaculum Eccleſiæ vel Dei eſt beata ſemper Virgo Maria, vt dicitur: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* In quo filius Dei homo veniens requieuit, & de quo *vt ſponſus de thalamo proceſſit. In Iacob inhabita, & in Iſraël hæreditare: & in electis meis mitte radices.* Ordo Apoſtolicus eſt Iacob, id eſt, ſupplantator vitiorum: ipſe etiam Iſraël, ſcilicet vir videns Deum. In quo Iacob virgo Dei habitauit, & cum quo Iſraël regnum Dei hæreditauit, & in ipſis electas radices ſuæ caſtitatis & humilitatis miſit. *Sic in Sion firmata ſum.* Sion dicitur ſpecula, & eſt Eccleſia, in qua Dei genitrix ſcriptis & prædicationibus eſt firmata vt columna; ſuper cuius laudabilem vitam tota Eccleſia innititur fulta. *Et in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui.* Ciuitas ſanctificata eſt ſuperna patria, æterna claritate illuſtrata. In qua nunc perpetua virgo cum Angelis & ſanctis requieſcit, ſed præ omnibus gloria & honore coronata fulgeſcit. Vnde dicit. *In Ieruſalem poteſtas mea.* Sion præſens Eccleſia; Ieruſalem vero cæleſtis patria intelligitur. *Maria autem regina cælorum vocatur, ideo non immerito Ieruſalem poteſtas eius prædicatur. *Et* quia hic *in populo honorificato*, id eſt, in populo credentium exemplo ſanctimoniæ radicauit, ideo *hæreditas illius in parte Dei ſui*, id eſt, filij ſui diuinitate erit. *Et hoc in plenitudine ſanctorum*, id eſt, cum completus fuerit electorum numerus, laudem & gloriam habebit ex omnibus. *Quaſi cedrus exaltata ſum in libano.* Libanus eſt mons in terra repromiſſionis, in quo cedri & de cuius radice fluit Iordanis. Libanus dicitur candidatio, & eſt Iudaicus populus, cultu Dei & ſacra ſcriptura candidatus. In quo glorioſa Virgo vt cedrus fuit exaltata, id eſt,

F

odore & decore ſanctitatis tranſcendens omnium merita: de cuius vtero, vt Iordanis de monte manauit, qui fontem baptiſmatis mundo conſecrauit. *Quaſi cypreſſus in monte Sion.* Cypreſſus inciſa non reuiteſcit, ideo antiquitus portabatur ante mortuorum funera. Dei itaque genitrix Virgo Maria cypreſſus in monte Sion fuit, id eſt, in vera ſpecula, ſcilicet, Eccleſia cuius mens cum ſemel aruit ſicut ficus nunquam reuiruit de mundi gaudiis; ideo prædicatione antefertur omnibus pro Chriſto mortificandis. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Palma datur victoribus, & hoc Cades, id eſt, ſanctificatis, quibus virgo alma extat ſanctificationis palma, dum per eius generoſam ſobolem nanciſcuntur victoriam & ſanctificationem. *Quaſi plantatio roſæ in Iericho.* Iericho dicitur luna, id eſt, Eccleſia, in qua roſa ſignificat martyres, quos omnes ſancta Theotocos eminentia ſuæ paſſionis ita tranſcendit, vt roſa alios flores rubedine præcellit. Cum enim Dei filium ex ſe genitum tam innocenter in cruce torqueri vidit, maiorem præ omnibus martyribus cruciatum in animo ſuſtinuit. Vnde & plus quam martyr fuit, dum alij in corpore, ipſa vero in anima paſſa fuit, vt dicitur: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Oleum ſignificat miſericordiam: campus autem eſt terra inarata, & ſignificat virgines, quæ non ſunt ſulcatæ per virilis amplexus vomeres. In quibus eſt caſta Chriſtothocos valde ſpecioſa, vt in campis oliua decora; de qua profluxit oleum gaudij & miſericordiæ, quod nos ſanans ab infirmitate, vngit in regnum cæleſtis gloriæ. *Quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis.* Aquæ ſunt populi per plateas gradientes, id eſt, in ſeculari vita, ſcilicet in coniugio fulgentes: inter quos præclara virgo vt platanus claruit, cum nobilem prolem fœcunda attulit. *Sicut cynamomum.* Cynamomum dicitur immaculati; & ſignificat innocentes, quibus hæc virga cynamomum extitit, cum de immaculato vtero largitorẽ innocentiæ edidit. Eſt autẽ arbor aromatica cinerei coloris, & ſignificat pœnitentes, quibus iterum hæc glorioſa cynamomum fuit, cum

H

eis remedium vitæ Ieſum profudit. *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi.* Balſamum ſuauiter redolet, hoc frontes Chriſtianorum ſignantur; hoc etiam ſacerdotes & templa Dei conſecrantur. Vt pretioſum balſamum hæc Virgo odorem dedit, cum ſuauem animarum odorem Chriſtum mundo genuit qui nos ad ſuum regnum chriſmate ſignat, & nos ſua templa effectos, ipſe rex & ſacerdos in rege conſecrat. *Quaſi myrrha electa.* Myrrha mortuorum corpora condiebantur. Omnibus mundo renunciantibus & Chriſto commorientibus iam ſæpe dicta Virgo & ſæpius dicenda Maria, non ſolum myrrha extitit, ſed etiam electa, cum carnem ſuam mundi illecebris crucifixit, & ſe ieiuniis & vigiliis afflixit. *Odorem ſuauitatis ſpirauit*, cum Chriſtum generauit odorem Angelorum, qui præ omnibus electa myrrha ſe morti pro nobis Deo patri obtulit in odorem ſuauitatis, vt nos mortificatos vitiis, participes efficeret ſuæ diuinitatis. Nunc ipſa, de qua loquimur, auxiliante, & veſtra

ſimul

A ſimul oratione ſuffragante, ſtylum ad Cantica vertamus. & cur hæc de ea legantur diſſeramus.

Cantica Canticorum.

Glorioſa virgo Maria typum Eccleſiæ gerit, quæ Virgo & mater extitit, etiammater prædicatur: quia ſpiritu ſancto fecundata, per eam quotidie filij Deo in baptiſmate generantur. Virgo autem dicitur, quia integritatem fidei ſeruans inuiolabiliter, ab hæretica prauitate non corrumpitur. Ita Maria mater fuit Chriſtum gignendo, virgo poſt partum clauſa permanendo. Ideo cuncta quæ de Eccleſia ſcribuntur, de ipſa etiam ſatis congrue leguntur. Dicitur ergo.

CAPVT I.

OSculetur me oſculo oris ſui. Quem reges & prophetæ non meruerunt videre vel audire, hunc B Virgo non ſolum meruit in vtero portare, ſed etiam nato crebra oſcula dare; plurima à ſancto eius ore percipere. *Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Qui paſcit Angelos in ſinu patris, hic ſuxit vbera virginis matris. *Fragrantia vnguentis optimis*, id eſt, repleta Spiritus ſancti donis. Quamuis non ſit friuolum ad literam intelligere, virginem chariſſimum filium ſuum vnguentis optimis ſæpe perunxiſſe. *Oleum effuſum nomen tuum.* Oleum aliis liquoribus infuſum ſupernatat, & etiam infirmos ſanat. Nomen autem virginis eſt Maria, quod ſonat maris ſtella. Qui in tribulatione eius auxilium inuocant, omnia aduerſa, vt oleum, per eam ſupernatant: vt puerulus Iudæus, quem in fornace à flamma protexit; quem pater ſuus ob hoc intus proiecit, quia corpus Domini inter Chriſtianos pueros accepit. Qui vero peccatis infirmi in eam confidunt, per oleum Chriſtum citius ſalutem recipiunt. Vt Theophilus, qui ſcripto Chriſtum abnegauit, & ſe diabolo manibus tradidit; per eam C chyrographum à diabolo recepit, & indulgentiam reatus meruit. Similiter Maria multis ſordibus inuoluta, per eam non ſolum veniam facinorum habuit, verumetiam glorioſis miraculis claruit. Qui autem in ſalo huius ſeculi nauigant, & eius humilitatem & caſtitatem imitando vt ſtellam conſiderant, portum vitæ per eam tuti intrant. Vt de quodam fertur, quod quotidie cum ante altare virginis tranſiret, *Aue Maria* inclinando diceret. In extremis poſitus cum dæmones de eo certi conueniſſent, vt eum ad barathrum deducerent, pia virgo ſubito adueniens, & capellanum ſuum profitens, ab impiis iam deſperatum eripuit, & ſic ille vertice tuto per eam euaſit. *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Id eſt, virgines imitantur te. *Trahe me poſt te*, dicit ad filium, ſcilicet ad exercitia virtutum. Maria namque non didicit à filio ſuo cœlos creare; ſed humilitate & manſuetudine radicare, vt dixit. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Ideo tracta eſt poſt Chriſtum in cœlum. D *Curremus in odore vnguentorum tuorum*, id eſt, fideles feſtinantes ad gaudia, imitantur vitæ eius exempla. *Introduxit me rex in cellam ſuam*, id eſt, rex gloriæ aſſumpſit eam in vitam æternam. *Exultabimus & lætabimur in te*, id eſt, fideles gaudent de eius interceſſione. *Memores vberum tuorum.* Vbera Mariæ fuerunt caſtitas & humilitas, in his delectatur iuſtorum ſocietas. *Super vinum*, id eſt, ſuper humanam gloriam, *recti diligunt te*, id eſt, Angeli honorant te. *Nigra ſum*, hoc eſt, nata à pauperibus *Vt tabernacula Cedar* id eſt, aliqua de peccatricibus. *Formoſa ſicut pellis Salomonis*, id eſt, ego ſum pellis veri pacifici, qui texit *meam*, id eſt, *Chriſtum.* Et ideo filia Ieruſalem, id eſt, conſors viſionis veræ pacis. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol*, hoc eſt, quamuis ab humilibus ſim orta, tamen ſol iuſtitiæ elegit me humilem ſibi matrem. Ideo *filij matris meæ pugnauerunt contra me*, id eſt, prophetæ filii ſynagogæ prædicauerunt de me. Vel Apoſtoli, filij gratiæ matris, pugnauerunt contra me, id eſt, pro me contra hæreticos prædicando; qui dixerunt non Deum, ſed fantaſma; vel de homine pepeſiſſe: hi *poſuerunt me cuſtodem in vineis*, id eſt, exemplum virginitatis in omnibus Eccleſiis. E *Vineam meam*, id eſt, virginitatem meam *non cuſtodiui*, ſed Spiritus ſanctus. *Indica mihi quem diligit anima mea.* Anima Mariæ Chriſtum dilexit, ideo omnia ſecreta patris ei innotuit. *Vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Caſtiſſima virgo Maria fuit meridies, de Spiritu ſancto ſplendens, & feruens, in quam Chriſtus declinauit æſtum libidinoſorum. Cubauit in eius humilitate, paſſus eſt in eius caſtitate. *Ne vagari incipiam per greges ſodalium tuorum*, id eſt, notifica omnibus quod in me requieueris, ne hæretici dilacerent me, dicentes: Si virgo peperit, fantaſma fuit. Per Sacramenta apparent tui ſodales, ideo ego vagor per eorum greges: quia in ſectis & in conuenticulis eorum ſum pſalmis illorum. *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres.* Maria ignorauit maculam ſordis, & ideo pulchra id eſt, benedicta inter omnes mulieres. Quæ egreſſa eſt de muliebri leuitate, & abiit de virtute in virtutem. *Poſt veſtigia gregum*, id eſt; per exempla ſanctorum & pauit hædos, id eſt, carnales ſanctis operibus. *Iuxta tabernacula* F *paſtorum*, id eſt, ſecundum doctrinam Apoſtolorum. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* Sicut populus Dei à Pharaone per virgam Moyſi: ita Eccleſia à diabolo per virgam Ieſſe Mariam & florem ſuum, id eſt, Chriſtum liberata eſt. *Pulchræ ſunt genæ tuæ.* Genæ huius virginis ſunt eius conuerſationes, in actiua & contemplatiua vita, quæ ſunt pudibundæ verecundantes peccare: *vt turturis* ſcilicet gementes de terrenis, & ſuſpirantes gaudia regni cœleſtis. *Collum tuum*, id eſt, fides, quæ eam Deo capiti coniunxit, eſt *ſicut monilia*, id eſt, ornatus in tota Eccleſia. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, hoc eſt, Apoſtoli, & eorum ſequaces de his omnibus componunt ad honorem tui ſcripturam, ſapientia & eloquentia ornatam. *Cum eſſet rex in accubitu ſuo*, id eſt, Chriſtus in ſinu patris: *nardus mea dedit odorem ſuum*, id eſt, per humilitatem ingreſſus eſt vt in vterum virginis. Nardus enim humilitatem; odor ſignificat Chriſti incarnationem. G *Inter vbera mea commorabitur*, id eſt, in ventre meo incarnatus portabitur. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi* Tunc erat quando in cruce coram ea pendebat. *Botrus cypri dilectus meus mihi*, hoc eſt, fuit ei lætitia in reſurrectione. *In vineis Engaddi*, id eſt, in Eccleſiis fidelium. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Maria vocatur amica, quia portauit patris ſecreta, *ecce tu pulchra*, coram Deo in humilitate, *ecce tu pulchra*. coram hominibus in caſtitate. Pulchra virginitate, pulchra fœcunditate, pulchra in virtutibus, pulchra in operibus. Pulchra hic laude hominum, pulchra in cœlis laude Angelorum. Pulchra bis prædicatur, quia ſine interiori & exteriori macula declaratur. *Oculi tui*, id eſt, operum tuorum intentiones, *ſicut columbarum*, id eſt, ſinceri & ſimplices. Vel oculi tui, id eſt, exempla quæ alios vt oculi ducunt, donis Spiritusſancti plena ſunt. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*, Chriſtus pulcher ex caſta virgine: decorus ex patre, H *Lectus noſter floridus.* Lectus Chriſti Maria fuit, in qua vt in lecto requieuit. Noſter dicit, quia pater & Spiritus ſanctus ſemper cum eo fuerunt. Floridus ſcilicet in virtutibus. Ipſa etiam domus Dei, in qua habitauit. Ligna principales eius virtutes, Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia. Laquearia bona eius opera. Ipſa campus, videlicet inarata terra, à viro intacta vel humilis.

CAPVT II.

EGo flos campi. Huius flos eſt filius eius, ipſa *lilium conuallium*, id eſt, ornatus humilium parentum. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, id eſt, ſicut lilium carduos & vrticas decore & ſuauitate; ſic Maria præcellit omnes Eccleſias caſtitatis decore & ſanctitatis ſuauitate. *Sicut malum inter ligna ſiluarum*, ſic Chriſtus fuit inter omnes prophetas & Apoſtolos Mariæ, obumbrans eam Spiritu ſancto, ab omni carnali delectatione. *Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi*, hoc eſt, in requiem ad viſionem eius iam veni, vbi pulchritudinem eius ſol & luna mirantur. *Fructus eius dulcis gutturi*

A *meo*, id eſt, gloria eius dulcis animæ meæ. Hanc enim nunc conſpicio, quia introduxit me rex gloriæ *in cellam vinariam*, id eſt, in cœleſtem Ieruſalem: *ibi ordinauit in me charitatem*, vt quem prius vt filium, nunc diligam vt Deum. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis.* Per flores innocentes, per malos, id eſt, domeſticas arbores, alij ſancti intelliguntur. Ab innocentibus ipſa innocens exaltatur, à ſanctis ipſa ſanctior glorificatur. *Amore langueo*, quia in Deum iugiter proſpicere deſiderat. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Hoc eſt, cœleſtia & terreſtria magnificant illam. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem*, id eſt, Sacramento meæ incarnationis vos conſtringo animæ fidelium, loquens per *capreas ceruoſque camporum*, id eſt, per prophetas & Apoſtolos doctores populorum: *ne ſuſcitetis dilectam*, id eſt, ne aliqua peruerſa doctrina inquietetis genitricem meam; *quoadusque ipſa velit*, ſcilicet vt prophetæ & Apoſtoli docuerunt, quod Deum & hominem virgo genuerit.
B *Vox dilecti mei*, ſcilicet filij mei, præcepit hæc quæ dixi, qui de ſinu patris ſaltauit in vterum matris. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Qui ſaltat, nunc ſurſum nunc eſt deorſum. Chriſtus venit ad virginem quaſi ſaltans, quia diuinitate tranſcendit montes, id eſt, in cœlo Angelos humanitate tranſcendit, in terra colles, id eſt, Apoſtolos. De cœlo ſaltauit in virginis vterum, inde in mundum, exinde in infernum, denuo in cœlum.

Similis eſt dilectus filius *meus capreæ*, quæ eligit bonas [illegible] malis, ſic ipſe bonos a peruerſis: *hynnuloque ceruorum*, qui in vmbra quieſcit, ita ipſa in caſta virgine quieuit. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Paries eſt noſtra mortalitas. Poſt parietem Chriſtus ſtetit, cum mortalem carnem de virgine ſumpſit. Sub pariete nos preſſi iacuimus, quia naturaliter mortales fuimus.

Ipſe vero non ſub ſed poſt parietem ſtetit, quia voluntate non natura mortalis extitit. Stetit autem vt parietem impelleret, id eſt, mortalitatem deſtrueret. *Reſpiciens*
C *per feneſtras*, natus de virgine. In mundum reſpexit, quando per Apoſtolos hominibus innotuit. Proſpexit etiam per cancellos, quia per ſcripta prophetarum eſt manifeſtatus.

Ipſa quoque beata Virgo cœli feneſtra fuit, per quam ſol iuſtitiæ in domum mundi ſplenduit. *Dilectus*, videlicet filius *meus loquitur mihi; ſurge:* de mortali vita: *propera*, ad immortalia, *Amica*, id eſt, ſecretalis *mea, formoſa*, in caſtitate, & *veni* ad cœli gaudia: *iam enim hyems* anguſtiæ tuæ erga me tranſiit, *imber* tribulationum tuarum *abiit*, omnis dolor penitus *receſſit. Flores*, id eſt, mercedes tuæ *apparuerunt in terra noſtra*, id eſt, ſplendent in terra viuentium. *Tempus putationis* totius mali à te, & tuæ retributionis aduenit. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, id eſt, vox exultationis & lætitiæ iugiter auditur in tabernaculis iuſtorum. *Ficus* quod tu fuiſti fructuoſa, *protulit groſſos ſuos*, id eſt, bona opera, pro
D quibus remuneraberis. *Vineæ*, id eſt, Eccleſiæ per tua exempla in virtutibus *florentes, odorem* bonorum operum *dederunt*, pro quibus etiam coronaberis. *Surge* de temporali miſeria, *amica mea*, in humilitate: *ſpecioſa mea*, in caſtitate: *& veni* ad æterna præmia: *columba mea*, id eſt, ſimpliciter confidentes *in foraminibus petræ*, id eſt, in vulneribus meis, quæ pertuli pro tua redemptione, *in caverna maceriæ*, id eſt, credens ſententiæ ſacræ ſcripturæ: quæ dicit, *Ipſe Deus veniet & ſaluabit nos.* Et item: *Cuius liuore ſanati ſumus.* Sicut namque maceria vineam, ſic ſacra ſcriptura munit Eccleſiam. Hæc virgo ad memoriam reduxit, cum eum clauis perforatum vidit. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Per faciem pulchritudo gloriæ, per ſonum vocis eius laus ab Angelis intelligitur. *Vox enim tua dulcis*, id eſt, laus tua maxima ab Angelis: *facies tua decora*, id eſt, gloria tua præcipua. *Capite nobis vulpeculas paruas.* Vulpeculæ ſunt hæretici, *quæ demoliuntur vineas*, id eſt, venenis ſuis inficiunt ſimplicium Eccleſias, dicentes: Si virgo peperit fantaſma fuit. Hi quali recte capiuntur, cum tali ſyllogiſmo concluduntur: Deus omnia quæ vult poteſt, à virgine E
naſci voluit: igitur quod virgo genuit, Deus & homo fuit. Nam *vinea* noſtra *floruit*, id eſt, Maria Chriſtum peperit. *Dilectus meus* filius *mihi* ſic *locutus eſt*, vt dixi, & *ego* gratias ago *illi: qui paſcitur inter lilia*, id eſt, delectatur inter caſtrorum agmina; *donec aſpiret dies æternitatis, & inclinentur vmbræ* huius temporalitatis.

Oratio virginis pro conuerſis.

O Dilecte mi, quem genui; qui inceſtos fugiſti, ad pœnitentes iam *reuertere:* & ſimilis eſto capreæ, feceruens caſtos iam ab inceſtis. Aut hinnulo ceruorum velociter currenti ſimilare, ſuſcipiens velociter vota & preces conuerſorum à prauitate; & conſtitue eos ſuper *montes*, id eſt, altos in virtutibus in domo Domini, ſcilicet in Eccleſia. Ipſa etiam Dei genitrix eſt Bethel, id eſt, domus Dei, in qua habitauit filius Dei. Montes F
ſunt eius prophetæ, qui de ea prædixerunt. Sunt etiam Apoſtoli qui de ea prædicauerunt: quæ vero per ſpiritum de Chriſto ſentiat, his verbis pronuntiat.

CAPVT III.

IN lectulo meo, id eſt, in requie meæ contemplationis, *per noctem*, id eſt, in hac vita *quæſiui*, intellige diuinitatem Chriſti, *quem diligit anima mea. Quæſiui illum* in deitate cognoſcere, *& non inueni*, id eſt, non potui ad eius altitudinem pertingere. *Et dixi: Surgam*, corde ad cœleſtia; *& mente circuibo ciuitatem*, id eſt, Angelorum agmina, *per vicos & plateas*, id eſt, per Angelos & Archangelos, *quæram* Chriſtum *quem diligit anima mea. Quæſiui illum* inter ordines Angelorum *& non inueni* ſimilem illi vllum illorum. *Inuenerunt me vigiles*, id eſt, Angeli, *qui cuſtodiunt ciuitatem*, id eſt, Eccleſiam. Non eſt dubitandum quin crebro habuerunt Angeli cum ſacra virgine colloquium. Et interrogaui eos: *Num quem diligit anima mea vidiſtis*, G
id eſt, dicite ſi ſaltem vos Chriſti diuinitatem intelligatis. Qui dixerunt *paululum.* Quanquam Angeli de Deo intelligant multum, tamen ad comparationem ipſius veritatis videtur paululum. Nullus enim Angelorum ita Deum intelligit, vt ipſe cognoſcit. Nam, *Nemo nouit patrem niſi filius, nec filium niſi pater, & cui voluerit filius reuelare*; quod creditur matri feciſſe.

Cum pertranſiſſem eos, id eſt, cum eorum naturam contemplando tranſcenderem, *inueni quem diligit anima mea*, omnem intellectum Angelorum longe excellere. *Tenui eum* patri æqualem credendo, *nec dimittam* eum diligendo, *donec introducam illum* verbo & exemplo *in domum*, id eſt, in Eccleſiam, *matris meæ*, id eſt, gratiæ: *& in cubiculum genitricis meæ*, id eſt, in conuentum ſynagogæ, quod eſt dicere. Quæ Spiritu ſancto reuelante cognoui de Chriſto, hæc Iudæis & gentibus annuncio. H

Corpus de virgine ad Doctores.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem ne ſuſcitetis dilectam, vt ſuperius dictum eſt aliquid docendo contra eam, hoc hic iterum repetitur: ne quid friuolum de ea prædicetur. Sequitur laus Angelorum cum ei occurrerent petendo regna cœlorum, *quæ*, id eſt, quam glorioſa *eſt iſta, quæ aſcendit* ad cœli palatia, *per deſertum*, id eſt, deſerens periculoſum mundum. Ipſa *virgula*, id eſt, recta norma, *fumi, ex aromatibus*, ſcilicet compunctionis, & diuerſarum virtutum: *& hoc myrrhæ*, id eſt, martyribus; *& thuris*, id eſt, confeſſoribus, *& vniuerſi pulueris pigmentarij*, id eſt, vniuerſis fidelibus Chriſti. Ipſe enim eſt verus pigmentarius, id eſt, animarum medicus. Congregatio iuſtorum, eſt collectio eius herbarum. Quibus omnibus virgo fuit condimentum virtutum vt pretioſus puluis aromatum. Quæ ſequuntur, videntur verba eſſe Eccleſiæ de aſſumptione corporis Mariæ. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.*

A Beatæ virginis corpus, veri pacifici, ſcil. Chriſti, lectulus. Quod ſexaginta fortes, id eſt, multa millia ex fortiſſimis Iſraël, id eſt, ſummis Angelorum Deum vere videntium ambiunt, & ad æthera producunt. *Omnes tenentes gladios*, id eſt, contra dæmonis cuſtodias, *& ad bella doctiſſimi*, ſcilicet contra aëreas poteſtates potentiſſimi. *Vniuſcuiuſque enſis*, id eſt, tutela, *ſuper femur ſuum*, id eſt, circa corpus, cuius femur genuit Chriſtum; *propter timores nocturnos*, id eſt, ne timores incutiant ei dæmones. Sequuntur verba doctorum de ea docentium. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon*, Chriſtus verus Rex pacificus *fecit ſibi ferculum*, id eſt, lectum ad conuiuium, *de lignis libani*, id eſt, ex patriarchis & regibus virginem elegit; in qua vt in lecto recubuit ipſe poſitus ad conuiuium: quia fideles de carne, quam de virgine ſumpſit, epulantur. *Columnas eius fecit argenteas.* Columnæ quibus fulcitur virginis vita ſunt quatuor B Euangelia de ea ſcripta, quæ ſunt argentea veritate, videlicet nitida & prædicatione ſonora. *Reclinatorium aureum*, hoc fuit corpus Dominicum de ea ſumptum: in quod Diuinitas ſe reclinauit. Quod fuit aureum, ſcilicet ſapientia & caritate ornatum. Ipſa etiam virgo fuit reclinatorium, in cuius Chriſtus ſe reclinauit vterum: Aureum ſplendore caſtitatis fulgidum. *Aſcenſum purpureum.* Sancta crux fuit, in qua nobis filius eius ſua paſſione aſcenſum ad cœlos fecit. *Media charitate conſtrauit*, id eſt, communem vitam eius dulcedine charitatis repleuit, *propter filias Ieruſalem*, id eſt, ad imitationem fidelium. Ideo *filiæ* Sion, id eſt, animæ filiæ Eccleſiæ, *egredimini* de veſtra carnali conuerſatione: *& videte* oculis cordis, *regem Salomonem*, id eſt, Chriſtum verum pacificum, *in Diademate quo coronauit eum mater ſua*, id eſt, mortali carne qua circumdedit eum *Mater ſua* Maria, *in die deſponſationis illius*, ſcilicet in die natiuitatis, quando deſponſauit Eccleſiam: vel in die paſſionis, quando poſuit pro illa animam; *& in die lætitiæ cordis illius*, C id eſt, in die reſurrectionis eius. Quando eadem virgo & Apoſtoli tantum ſunt lætificati, quantum prius de morte eius contriſtati.

CAPVT IV.

Laus filij de matre.

O *Amica mea* cui notificaui patris ſecreta: *quam pulchra es* humilitate & caſtitate! *quam pulchra es* fide & operatione: *&* ideo decora in cœleſti gloria. *Oculi tui* ſimplices *vt columbarum*, quæ alias aues contuentes non cupiunt eas dilacerare: ita tu videns iuuenes non cupiſti te eis per obſcenos amplexus ſociare. *Abſque eo quod intrinſecus latet*, ſcilicet charitate. Oculi virginis prophetæ ſunt, qui eam longe ante præuidentes, multa de ea prædixerunt. Oculi eius Apoſtoli ſunt, qui eius magnalia & filij ſui miracula populo demonſtrauerunt. Qui columbarum fuerunt, quia Spiritu-D ſancto pleni, ſimpliciter vixerunt. Ipſa etiam beata virgo oculus eſt columbæ, quia præuia dux eſt Eccleſiæ. Abſque eo dulci affectu qui intrinſecus latet, in Dei ſolius conſpectu. *Capilli tui* non erant torti, vt per eos allicerentur iuuenum animi. Virginis capilli ſunt caſti, quia ita eius inhærent religioni, vt capilli capiti. Hi ſunt *vt greges caprarum*, qui ad alta ſcandunt. Ita ipſi de virtute in virtutem ad Galaad, ſcilicet ad Chriſtum noſtri teſtimonij montem aſcendunt. *Dentes tui* non erant cibi delicati edaces. Dentes virginis ſunt, qui de ea ſubtilia exponendo proferunt. Qui vt *greges* detonſarum *ouium* ſunt, *quæ de lauacro aſcenderunt*, quia in baptiſmate lotæ ſunt, & ſe pro Chriſto rebus mundi denudauerunt. *Omnes gemellis fœtibus*, id eſt, pleni gemina dilectione: *& ſterilis non eſt inter eas*, hoc eſt, nullus vacans a bona actione. *Labia tua* non erant doloſa, ſed à vanitate carnis maceratione ſtricta, vt capilli coccinea vitta. *Et eloquium tuum dulce*, quia totum de Deo & futura requie. *Labia* etiam virginis ſunt, qui ſecreta Dei de ea aliis aperierunt. *Eloquium* eius, præ-E dicatio illorum. *Genæ tuæ* erant à viris verecundantes, illorum contubernia deuitantes, abſque eo pudore qui intrinſecus latet in corde. *Sicut fragmen mali punici* exterius rubet, interius candet; ita tu paſſione eras rubens, caſtitate albeſcens. Genæ etiam illius virgines ſunt, qui peccare erubeſcunt. *Collum tuum* non erat in ſuperbia extentum: ideo fecit te Dauid, ſcil. Chriſtus turrim, id eſt, Eccleſiæ munimen. Collum etiam virginis ſunt de ea ſcribentes, qui quaſi collum cibum, verbum Dei deglutiunt, & in alios quaſi in corpus tranſmittunt. Hi ſunt vt *turris Dauid* ab hæreticis inexpugnabiles: *quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, id eſt, multis inſtructi ſententiis. *Mille clypei pendent ex ea*, ſcilicet defenſionis ſacræ ſcripturæ. *Omnis armatura fortium* ad expugnandam prauitatem hæreticorum, ſanctam virginem impugnantium. *Vbera tua* non ſunt illius viri manu tacta; ideo hinnulus qui paſcitur in liliis, ſcilicet Chriſtus, qui delectatur in caſtis, ſuxit ea. *Duo etiam vbera* virginis ſunt duæ leges, quæ de ea & filij eius ſcripta ſunt præconiis. F *Duo hynnuli gemelli capreæ*, ſunt duo populi Eccleſiæ inhiante ſugentes de ſacra ſcriptura lac ſententiarum de ſancta Maria. *Qui paſcuntur in liliis*, id eſt, delectantur in ſcripturis; *donec aſpiret dies*, id eſt Chriſtus, quo gloriam Dei genitricis aſpiciant; *& inclinentur vmbræ*, id eſt, tranſeant quæ nunc in ænigmate conſiderant. Per verba ſequentia vocat matrem Chriſtus ad cœleſtia. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Quid eſt dicere: Veniam cum multitudine Angelorum aduocare reginam cœlorum, quæ eſt mons myrrhæ, id eſt, martyribus, qui ſunt myrrha, id eſt, altitudo & collis thuris, id eſt, confeſſoribus, qui ſunt thus, celſitudo. Et loquar ei hæc verba: *Amica mea*, quæ portaſti patris ſecreta; *tota es pulchra*, quia in ſingulis ſenſibus tuis, vt dixi, es per virtutes gratioſa. Et quia in te non eſt peccati macula, *veni de libano*, id eſt, de caſtitatis candore ad cœli gaudia. *Sponſa* ideo *mea*, quia cum patre ſum vnum, cui genuiſti clauſa filium. G *Veni de libano*, ſcilicet de ſanctæ vitæ candore, nimio, exaltanda in ſupernorum ciuium triclinio. *Veni* ad ſpiritalia gaudia, *coronaberis de monte Amana*, hoc eſt, recipies coronam de triumpho, quam promeruiſti à Diabolo, qui eſt mons Amana, qui eſt nocturna auis, id eſt, ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, ducens errantes ad noctem mortis. *Coronaberis* etiam, id eſt, coronam recipies, *de vertice Sanir & Hermon*, videlicet quod principes ſæculi per fructum ventris tui ſunt humiliati; qui fuerunt *cubilia leonum*, id eſt, habitatio dæmonum, & *montes pardorum*, id eſt, munimenta hæreticorum. *Vulneraſti cor meum*, hoc eſt pro tui amore pertuli in cruce excruciatum vulnerum. *Soror mea*, quia cohæres in regno patris, *ſponſa*, eo quod me Deo patri genueris. *Vulneraſti cor meum*, hoc eſt, tactus ſum intrinſecus dolore, cum viderem te dolentem pendens in cruce. *In vno oculorum tuorum*, id eſt in vno materno affectu, *oculorum*, id eſt bonorum exemplorum. H *Et in vno crine colli tui*, id eſt, in vno ornamento humilitatis quo mihi inhæſiſti, vt collum capiti.

Sequitur laus filij exhibita matri ad domum patris ſui aduenienti.

Quam pulchra ſunt mammæ tuæ, ſcilicet humilitas & caſtitas: de quibus lac ſanctimoniæ ſuxit virginum ſobrietas. Et ideo *ſoror*, id eſt, cohæres in regno, & *ſponſa*, qua genuiſti mihi virgines tuo exemplo. *Pulchriora ſunt vbera tua vino.* Vbera virginis fuerunt exempla in actiua & contemplatiua vita, quibus quaſi lacte pauit paruulos in fide. Ea fuerunt vino pulchriora, id eſt, legali doctrina digniora. *Et odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata*, hoc eſt, ſuauitas tuorum vberum eſt acceptabilior quam ſacrificium carnalium obſeruantiarum.

Laus patris de virgine.

Manus diſtillans labia tua ſponſa. Sponſam vocauit,

A quia ei filium generauit. Labia eius ſunt, qui de ea Dei ſecreta aperiunt: qui vt fauus diſtillant, quia omnes ſermones de ea dulcedine redundant. *Mel & lac ſub lingua tua.* Lingua virginis dicuntur, qui eius præconia loquuntur: de quibus mel & lac manat, quia eorum doctrina ſapientes & inſipientes faciat. *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Odor veſtimentorum ſunt conuerſi per famam eius exemplorum, qui ſunt thus Deo, id eſt, vt incenſum dirigitur eorum oratio.

Iterum Chriſtus de matre.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa. Ipſa erat herbarum vel arborum hortus, id eſt plena virtutibus: quæ erat in partu concluſus, ſcilicet ſignaculo ſancti ſpiritus. *Hortus concluſus* iterum, quia poſt partum non eſt recluſum virginitatis ſignaculum. *Fons ſignatus.* Ipſa etiam erat fons, id eſt, primum exemplum virginitatis. Qui

B fons erat ſignatus, id eſt, Chriſti paſſione conſecratus. *Emiſſiones tuæ*, id eſt, imitatores tui ſunt vt *paradiſus* diuerſarum arborum. Quidam mala punica, ſcilicet martyres: quidam pomorum fructus, videlicet confeſſores: quidam cyprus, qui alios vnguento ſanant exemplis: quidam nardus, id eſt, humiles. Alij crocus charitate rubentes: alij fiſtula vitia mortificantes: alij cynamomum pœnitentes, & vniuerſa ligna libani, id eſt, omnes fideles Chriſti. De te fluxit *fons hortorum*, id eſt, per te venit baptiſma fidelium. Et *puteus aquarum viuentium*, id eſt Chriſtus, qui eſt ſapientia ſanctarum ſcripturarum. Et hæc cum magno impetu de libano fluunt, quia cum abundantia Spiritu ſancti de candore ſanctitatis tuæ exundauerunt. Vnde hæc omnia, quia Deus pater præcepit talia, dicens: *Surge aquilo & veni, auſter perfla hortum meum*, hoc eſt, aquilo, id eſt, Diabolus, locum te tentandi non habeat: ſed auſter, id eſt, Spiritus ſanctus te hortum meum poſſideat. *Et fluant aromata illius*, id eſt, per te incarnetur vnigenitus meus.

C

CAPVT V.

Sequuntur verba Virginis Chriſtum in ſe venire optantis.

Veniat dilectus meus, id eſt, Chriſtus, *in me hortum ſuum & comedat fructum pomorum ſuorum*, id eſt, incorporet ſibi obſequium operum meorum. Verba Chriſti applaudentis matri: *O ſoror mea*, cohæres in patris gloria, *ſponſa* patris, eo quod me genueris. *Veni* in te *hortum meum* carnem aſſumendo, *meſſui myrrham meam* mea paſſione martyres colligendo, *cum aromatibus*, id eſt, cum confeſſoribus. *Comedi fauum cum melle meo.* Per fauum corpus: per mel anima Chriſti accipitur. Fauum quippe cum melle comedit, cum reſurgens corpus de virgine ſumptum animæ vltra non moriturus coniunxit. *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Per lac homines: per vinum Angeli intelliguntur. Vinum cum lacte bibit, cum aſcenderis in humana carne de virgine

D genita homines Angelis ſociauit. Ad quos mox gratulabundus dicit: *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi*, quod eſt dicere: Sicut conuiuantes de variis epulis iocundantur, & de amicorum præſentia congratulantur: ita vos Angeli mei amici congaudete, & congratulamini: quia veſtrum gaudium numeroſa hominum frequentia adauxi. Inſuper noua feſta contuli, dum matrem meam, veſtram vtique reginam, veſtris gaudiis induxi. Per ea quæ ſequuntur, Eccleſiam adhuc hic laborantem, virgo conſolatur: *Ego dormio*, hoc eſt, in gloria requieſco: *& cor meum vigilat* pro vobis orando. *Vox dilecti mei*, ſcilicet filij eſt *pulſantis*, id eſt, ita me monentis: *Aperi mihi*, id eſt, impetra à me tuis precibus, quo iuſte debeam miſereri omnibus *ſoror mea* in patris iam gloria: *amica mea*, gerens diuina ſecreta: *Columba mea*, Spiritu ſancto plena: *immaculata mea*, ab omni ſorde peccati ſegregata: *quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei*, id eſt, electi ſunt cum peruerſis permixti.

E *Sicut guttæ* in caput decidentes, de capillis elabuntur: ita reprobi ad fidem venientes male operando, per noctem, id eſt, Diabolum retrahuntur. Subſequitur virgo: Si vultis preces meas non caſſari, in his debetis me imitari. *Spoliaui me tunica mea*, id eſt, dimiſi ſecularia: & dixi, *Quomodo induar illa*? id eſt, nunquam reuertar ad illa. *Laui* etiam *pedes meos*, id eſt, emundaui affectiones meas, & dixi: *quomodo inquinabo illos*? id eſt, non reuertar ad vomitum cogitando carnales illecebras. Ideo *dilectus meus*, ſcilicet Deus, quem elegi præ omnibus, *miſit manum ſuam*, id eſt, filium ſuum in mundum, per foramen, ſcilicet per me, quæ facta ſum ei ad homines veniendi foramen: humilitate quidem anguſtum, ſed caſtitate lucidum: & ideo illi ſoli peruium. Et *venter meus intremuit ad tactum eius*, id eſt, obſtupuit de ingreſſu illius. *Surrexi*, id eſt, mentem ſurſum erexi, vt aperirem dilecto meo precibus, quo eum placarem pro hominibus & orationi opera iunxi.

F *Manus mea diſtillauerunt myrrham*, id eſt, operationes meæ carnis mortificatione redundauerunt. *Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima*, id eſt, ſtudia mea variis tribulationibus comprobata. Tali modo *aperui dilecto*, ſcilicet filio meo, *peſſulum oſtij mei.* In hac ſignificantia eſt mea intranſitiua grammatica. Sacra namque virgo oſtium fuit, per quod Chriſtus in mundum introiuit: peſſulus autem erat moles peccatorum hominum, quod ideo eius dicitur, quia & ipſa in peccatis nata creditur: hoc ipſa ab oſtio remouit, cum ſanctè viuendo peccata declinauit. Vel cum dilecto ingreditur: quia per ipſam ipſa miſericordia in Eccleſiam venit. Vnde ſequitur: *Et* ille per me *declinauerat*, & in Eccleſiam tranſierat, quotidie peſſulum peccatorum precibus remouet, & per eam ingreſſus gratiæ Chriſti ad nos patet. *Anima mea liquefacta eſt* in compunctione, *vt dilectus locutus eſt*, de mirabili & deſiderabili patris viſione. *Quæſiui illum* cogitando, & inueni magnitudinem eius carnis grauatam nubilo. *Vocaui* valde deſiderando, *& non reſpondit mihi* maieſtatem diuinitatis ſuæ demonſtrando. *Inuenerunt me* contemplando, quærentem *cuſtodes* An-

G geli qui *circuierunt ciuitatem*, id eſt, muniunt Eccleſiam Dei: *percuſſerunt me* dolore, cum dicerent; nec ſe ad perfectum Deum ſcire: *& me vulnerauerunt*, quia magis ad ſtudium quærendi accenderunt. *Cuſtodes murorum*, id eſt, prophetæ & Apoſtoli inſtructores librorum, *pallium meum tulerunt*; id eſt, carnalem vitam exuere docuerunt. O filiæ Ieruſalem, ſcilicet animæ fideles, pro quibus ego ſedule fundo preces. *Adiuro vos* meo exemplo, *ſi inueneritis dilectum meum* filium, patri æqualem, contemplando; *nuncietis ei*, id eſt, per bona opera vos notificetis illi, vt ſicut ego langui eius amore: ita vos omnia incommoda pro eius ſuſtineatis dilectione.

Sequitur laus Eccleſiæ ad virginem de Chriſto.

Qualis eſt dilectus meus ex dilecto; id eſt, quam magnificus filius tuus genitus ex patris vtero, *ô pulcherrima mulierum*, id eſt, benedicta inter omne genus pa-

H tientium. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto*, id eſt, quam glorioſus filius tuus ex patris gremio: ideo quærimus eum fide & operatione: quia ſic adiuraſti nos, id eſt, verbo & exemplo docuiſti nos.

Laus virginis de filio.

Dilectus filius *meus candidus*, id eſt, natus per virginem, *rubicundus* per paſſionem, *electus* à patre *ex millibus*, ſcilicet præ Angelis & ſanctis hominibus. *Caput eius aurum optimum*, id eſt, ſicut aurum omnia metalla: ſic Diuinitas eius præcellit vniuerſa. Siue Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, qui vt aurum decorat eam ſuo fulgore. *Comæ eius ſicut palma elata*, videlicet ſpinis ad noſtram victoriam coronatæ: *quaſi coruus nigra*, id eſt, cum ſceleratis reputatæ. Comæ etiam Chriſti ſunt ei vt capiti inhærentes, vt palma in virtutibus virentes: qui ſunt vt coruus nigri, ſcilicet tribulationibus denigrati ad

A exemplum Chriſti. *Oculi eius ſicut columbæ*, lucentes ſpiritus ſancti plenitudine. Per columbam quippe ſeptiformis gratia ſpiritus ſancti intelligitur, quæ ſeptem naturis vigere dicitur. Vnde & ſuper dominum in columba apparuit. Oculi etiam Chriſti ſunt doctores Eccleſiæ, pleni ſpiritus ſancti munere: & hoc *ſuper riuulos aquarum*, id eſt, in ſcientia ſcripturarum. *Quæ lacte ſunt lota*, id eſt, quorum animæ ſunt candore virtutum emundatæ. *Et reſident iuxta fluenta pleniſſima*, id eſt, conuerſantur per dona ſancti ſpiritus copioſiſſima. *Genæ illius ſicut areola aromatum*, quia amabilis erat oculis omnium eum intuentium. *Genæ* quoque *illius* ſunt verecundi, qui ſunt *velut areola aromatum*, id eſt, collectione virtutum: *conſitæ a pigmentariis*, id eſt, ornatæ doctrinis Apoſtolicis. *Labia eius* ſicut eloquia, delectabilia ſunt vt lilia, candore videlicet caſtitatis decentia: myrrham primam ſtillantia, id eſt, mortificationem per caritatem inſtruentia. *Labia eius* ſunt, voluntatem illius B aperientes; qui *myrrham primam ſtillant*, quia præcipua opera caritatis prædicant. *Manus eius tornales* vel, *tornatiles aureæ*, id eſt, opera eius in perfectione rotunda, & omni gratia fulgentia: *plenæ hyacinthis*, id eſt, virtutibus. Manus quoque ipſius ſunt bona operantes, qui ſunt tornatiles & aurei, id eſt, in moribus perfecti & in bonitate conſpicui: pleni hyacinthis, id eſt, eleemoſynis. *Venter eius eburneus*, id eſt, fragilitas humanitatis eius eſt caſta, quia de virgine nata: & ideo vt ebur quod de Elephante tollitur, quod caſtiſſimum animal eſſe perhibetur. *Diſtinctus ſapphiris*, id eſt, variatus cæleſtibus ſignis. Venter etiam Chriſti ſunt debiles in Eccleſia, qui ſunt eburnei, id eſt, caſti, ſapphiris diſtincti, id eſt, pura conſcientia variati. *Crura illius columnæ marmoreæ*, id eſt, decora firmitas eius in reſurrectione, quæ eſt infrangibile fulcimentum Eccleſiæ: *quæ ſunt fundatæ ſuper baſes aureas*, id eſt, ſuper fidem & caritatem. Crura etiam ipſius ſunt, in iuſtitia fortes, & alios per exempla ſuſtinentes: *qui ſunt columnæ marmoreæ*, id eſt, recti & C inflexibiles à vitiis: *fundati ſuper aureas baſes*, id eſt, in Euangelica & Apoſtolica doctrina ſtabiles. *Species eius vt libani*, id eſt, ipſe eſt pulchritudo omnium ſanctorum, vt libanus eſt decor omnium montium. Et *vt cedri* præ omnibus lignis: ita ipſe electus præ omnibus ſanctis Angelis. *Guttur*, id eſt, doctrina vel promiſſio eius ſuauiſſima; *& totus* ſcilicet in humanitate & diuinitate *deſiderabilis*: vnde & Angelica ſublimitas eſt eius viſione inſatiabilis. *Talis eſt* vt dixi *dilectus* filius *meus*, *& iſte eſt* nunc in patris gloria *amicus meus*, ô filiæ Ieruſalem, ſcilicet Eccleſiæ fidelium.

Eccleſia ad Virginem.

Quo abiit dilectus tuus, qui vbique eſt totus, *ô pulcherrima mulierum?* id eſt, ſanctior omnium parientium. *Quo declinauit dilectus tuus*, quem non capit vllus locus: dic nobis ſi in aliquos veniat familiarius, & te imitando fide & opere *eum tecum quæramus*.

D

CAPVT VI.

Sequitur Reſponſio Virginis.

D*Ilectus meus*, quem cum patre totus non capit mundus, de me carnem ſumens *deſcendit* de ſinu patris *ad hortum ſuum*, id eſt, Eccleſiam, vt colligat virtutes: *vt paſcatur in hortis*, id eſt, vt delectetur in fructuoſis: *& colligat lilia*, id eſt, caſtos in æterna horrea. Ego dilecto meo ad hoc opus placui, & dilectus meus præ omnibus placet mihi. *Qui paſcitur inter lilia*, id eſt, delectatur inter caſtorum agmina, & ſic blande locutus eſt ad me: *Pulchra es* in caſtimonia, & ideo *amica mea*, *ſuauis* per pia exempla: *& ideo decora* in cæleſti gloria *ſicut Ieruſalem*, id eſt, ſicut Angeli, qui vident faciem patris, & fruuntur pace Domini: *terribilis* contra vitia, *vt caſtrorum* acies aduerſus hæreticos, & dæmones *ordinata*. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me* E *auolare fecerunt*; quod eſt dicere: In humanitate mea delectare, quia Diuinitati non poteris perfectè appropinquare: quam quanto ſubtilius oculis mentis inſpexeris, tanto à tua conditione elongari videbis. *Capilli tui* non fuerunt auro *terti*; ideo ſunt Angelorum diademate redimiti. Capilli etiam eius ſunt virgines per imitationem ei inhærentes: quæ ſunt *ſicut grex caprarum* aſcendentes ad alta virtutum. *Quæ de Galaad apparuerunt*, id eſt, pro teſtimonio Chriſti hoc faciunt. *Dentes tui* non fuerunt edacitate aſſueti, ideo nunc deſciantur in dulcedine Dei. Dentes quoque ipſius ſunt ſubtilia de ea exponentes, qui ſunt *ſicut greges ouium* tonſi à peccatis, ſicut *aſcenderunt de lauacro* baptiſmatis. *Omnes gemellis fœtibus*, id eſt, pleni gemina dilectione: *ſterilis non eſt in eis*, id eſt, vacans à bona operatione. *Sicut cortex mali punici* rubet: ita *Gena tua*, id eſt, verecundia tua exterius in caſtitate fulget *abſque occultis tuis*, ſcilicet abſque; caritate quæ interius latet *Sexaginta ſunt reginæ* hoc eſt multæ animæ, quæ ſuos mores in actiua vita regunt per ſex opera miſericordiæ: & *octoginta concubinæ*, F id eſt, multi in contemplatiua vita ſatagunt ſe ſponſi amplexibus innectere, vt poſſint ad octo beatitudines peruenire: *& adoleſcentularum non eſt numerus*, hoc eſt fidelium ſub eis degens populus. Tu *vna* omnium tranſcendiſti merita, & ideo præ omnibus ſola *electa*. *Columba mea*, in quam transfudi ſpiritus ſancti cariſmata: *perfecta mea*, quam perfeci per virtutum munera. Hæc eſt *vna* imitabilis *matri ſuæ*, ſcilicet præſenti Eccleſiæ: *electa genitrici ſuæ*, ſcilicet Angelorum frequentiæ. *Viderunt eam* oculis cordis *filiæ* Sion, id eſt, Eccleſiæ; *& beatiſſimam prædicauerunt*, vt dicitur: *Beatam me dicent omnes generationes. Et reginæ & concubinæ*, id eſt, actiui & contemplatiui *laudauerunt eam*, ita dicentes: *Quæ eſt iſta*, hoc eſt, qualis eſt iſta, quæ *progreditur* de peccatrice maſſa, *quaſi aurora* de tenebris *conſurgens*, de qua procedit Sol iuſtitiæ, hos qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent illuminare. Hæc in præſenti eſt *pulchra* vt in nocte *luna*: *electa* in ſuperna patria *vt ſol* inter ſidera: *terribilis* exemplis contra vitia, *vt caſtrorum acies* G contra dæmones *ordinata*. Quia virgo dilectum in hortum deſcendiſſe dixit, filius affirmando ſubiungit: *Deſcendi* de ſinu patris *in* te *hortum nucum* per materiam carnis. Nuces ſunt, quique fideles, exterius amari per carnis afflictionem; interius in anima dulces. His per partum virginis fructuoſus hortus extitit, in quo lignum vitæ Chiſtus germinauit, quando fructus æternitatis in ſuo tempore pertulit. Hoc ideo feci *vt viderem poma conuallium*, id eſt, remuneratem opera humilium, tuo exemplo viuentium. *Et inſpicerem ſi floruiſſent vineæ*, hoc eſt vineas, ſcilicet Eccleſias, facerem tuam vitam inſpicere, & tuo exemplo in bonis actibus florere. *Et germinaſſent mala punica*, id eſt, vt exemplo tuæ patientiæ cupiant pro me paſſionem ſubire.

Sequuntur verba pœnitentis Eccleſiæ quandoque de Iudæis conuertendæ.

Dolet ſe tam diu de virgine & eius prole errasse, & ſatisfacit his verbis de ſuo errore. *Neſciui te*: glorioſa H virgo, gratia plenam fuiſſe, & fontem gratiæ ex te fluxiſſe. *Anima mea turbauit me*, id eſt, æmulatio legis quam pro anima mea habui, ipſa docuit me facere, & hoc contingit *propter quadrigas Aminadab*, id eſt, propter *Chriſti Euangelia*, vt à me repulſa, imo impulſa fuerent per mundi climata. O Sunamitis iam diu à Diabolo captiua, *reuertere* per fidem ad Chriſti myſteria, *reuertere* per ſpem, *reuertere* per Dei & proximi dilectionem, *reuertere* per operationem: *vt* qui iam dudum ſunt in Chriſto *intueantur te*, verba & facta tua imitando.

CAPVT VII.

Chriſtus ad matrem de Eccleſia conuertenda.

Q*Vid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* quod eſt dicere: in Eccleſia de Iudæis conuertenda.

A non videbitur niſi chorus laudantium Deum, & caſtra contra vitia pugnantium.

Laus Eccleſiæ conuertendæ de virgine.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis! Princeps Dauid Rex intelligitur, qui princeps in populo Dei fuiſſe legitur, de cuius ſemine quia virgo propagatur, eius filia appellatur. *Greſſus* ſunt eius affectiones, qui erunt *pulchri in calceamentis*, id eſt, in ſanctorum exemplis. *Iunctura ſemorum tuorum ſicut monilia*, hoc eſt dicere, fœmora tua ſunt fœlicia, de quibus proceſſit precioſum margaritum; ſcilicet Chriſtus inæſtimabile monile, qui eſt hortus totius creaturæ. *Quæ fabricata ſunt manu artificis.* Artifex eſt Deus pater, manus eius filius, per quem fecit omnia: per quem etiam incarnatio eſt diſpoſita. *Vmbilicus tuus*, ſubaudis beatus, in quo pependit Dei filius. Vt enim in cliuo clypeus:
B ſic pendet in vberibus infantulus. Qui filius eſt *crater tornatilis nunquam indigens poculis*, hoc eſt, omnibus ſe ſitientibus præbet larga pocula intimi guſtus. Vterus etiam tuus beatus, in quo latet vnigenitus Dei incarnatus: qui fuit triticum, de quo conficitur panis fidelium. Ipſe etiam *aceruus*, quia in eo cumulatur credentium populus; *vallatus liliis*, id eſt, ſtipatus virginum choris. *Duo vbera tua*, ſubaudis fœlicia; quia ſuxit ea Dei ſapientia. Caprea eſt Eccleſia: *Duo hinnuli* ſunt duo fidelium populi, ex circumciſione & præputio; qui lac humilitatem & caſtitatem imitando ſuxerunt de vberibus Beatæ virginis. *Collum tuum* beatum, quod ſæpius eſt brachio filij Dei te amplexantis circumdatum. Et ideo *ſicut turris eburnea*, quia caſtitate contra ſuperbiam firmiter munita. *Oculi tui* beati, qui viderunt quod reges & prophetæ videre non meruerunt. Vel *oculi* virginis ſunt eius doctrinæ verba, quæ *ſicut piſcinæ in Heſebon*, id eſt, ad mœrorem pœnitentiæ ſunt ducentia, vt dixit: *Miſericordia eius à progenie in progenies, ſuper eum timentes*, ſcilicet pœnitentes. Et hæc *in porta filiæ*
C *multitudinis*. Porta eſt perpetua virgo, per quam clauſam Rex cœlorum ad nos intrauit in mundum. Et hæc eſt *filia multitudinis*, quia multitudo fidelium per eam intrabit cœli palatium. *Naſus tuus* beatus, qui odorem æternæ vitæ Chriſtum eſt odoratus. Vel naſus eius fuit eius prænoſcentia, quia per ſpiritum ſenſit dicta prophetarum in ſe complenda. *Turris libani*, id eſt, munimen fuit Chriſti, quæ *reſpicit contra Damaſcum*, id eſt, erecta, contra Diabolum. *Caput tuum* beatum, quod toties inclinaſti ad Dei filium oſculandum, *vt carmelus*, id eſt, circumſpectum in virtutibus. *Coma capitis tui* beatæ, quas Chriſtus infans deificis manibus ſuis voluit contrectare. Et hæ *ſicut purpura regis*, quia eas laceraſti præ dolore in tempore eius paſſionis. Et hæc omnia ſunt *iuncta canalibus*, id eſt, fixa in credentium cordibus. Cum Chriſtus matrem laudauit, à capite cœpit: laus autem Eccleſiæ à pede inchoauit; quia Chriſtus de ſummis venit ad ima vt matrem leuaret ad ſumma: Eccleſia
D aut per virginis merita conſcendit ad alta.

Sequitur laus filij.

O Mater cariſſima quam pulchra es in caſtimonia, & ideo *decora*, in cœleſti gloria. Et quia mihi cariſſima exiſtis, ideo frueris cœleſti deſiderio. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Chriſtus fuit palma in cruce, quia per eum adipiſcitur palma victoriæ: Cui aſſimilata eſt ſtatura, id eſt alta gloria Mariæ, quia ſicut ipſe Rex cœlorum, ita ipſa regina Angelorum. *Et vbera tua botris*, id eſt, merita tua aſſimilantur martyribus, qui velut botri preſſi ſunt in paſſionibus. Et ideo contigit, quia ego *dixi*, id eſt, iſtud cum patre ſtatui; De virgine carnem aſſumam. In palmam, id eſt, in crucem aſcendam, fructus eius apprehendam; omnia ad me traham. Et tunc *erunt vbera tua ſicut botrus vineæ*, id eſt, merita tua erunt omnibus imitabilia, vt mea Euangelia, qui ſum vineæ botrus, ſcilicet Eccleſiæ potus. Et hic eſt botrus quem portauerunt
E filij Iſraël in vecte: Vectis erat crux: Botrus vero Chriſtus: Portantes erant Apoſtoli & Prophetæ.

Vinea de qua latus eſt botrus, fuit floridum virginis corpus, qui botrus in prælo crucis eſt preſſus, & inde fluxit fidelium potus. *Et odores tui ſicut malorum*, id eſt, exempla tua ſunt imitanda ſicut Apoſtolorum. *Guttur tuum ſicut vinum optimum.* Bonum vinum eſt legalis inſtructio: Melius eſt Euangelica eruditio: Optimum eſt Spiritus ſancti infuſio. Guttur virginis eſt eius doctrina, à Spiritu ſancto inſpirata, quæ eſt vt vinum ad potandum, id eſt, placens ad imitandum. Dixit enim: *Diſperſit ſuperbos, exaltauit humiles.* Applaudit laudi eius dicens: *Dignum dilecto meo* hoc facere, ſcil. *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. Labiis & dentibus eius ruminandum.* Labia Dei ſunt voluntatem eius aperientes: dentes vero eius vitia conterentes. His eſt doctrina virginis ruminanda, id eſt, memoriæ tradenda, ſcilicet quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*
F In ſequentibus virgo verba repræſentat, quæ pro Eccleſia de Iudæis conuertenda ad filium fecerat. *Ego dilecto meo* pro vobis preces fudi, *& ad me conuerſio eius*, id eſt, per me voluit ad vos in miſericordia conuerti. Ita namque dixi: *Veni dilecte mi* ad ſynagogam per miſericordiam, quoniam ab ea fugiſti ob perfidiæ culpam. *Egrediamur* per fidem *in agrum*, ſcilicet in vniuerſum mundum: *commoremur* per operationem *in villis*, id eſt, in omnibus gentibus. *Mane ſurgamus ad vineas*, id eſt, ad Iudæorum ſynagogas, hoc eſt illud inſtans vltimum mane faciamus in cordibus illorum ſplendeſcere. *Videamus ſi floruerunt vineæ*, id eſt, faciamus eos mente videre qualiter in fide floruit Eccleſia. *Si flores fructus parturiunt*, hoc eſt, faciamus eos videre quomodo claruerunt per martyria. *Ibi dabo tibi vbera mea*, id eſt, ad honorem tui imitabuntur mea exempla.

Notandum quod ter *ſi* dicitur, hoc eſt, ſi hæc & hæc viderint imitabuntur ea cogitando, loquendo, operando. *Mandragora*, id eſt, gentilitas, quæ vt mandragoræ ſine capite Deo fuerunt, *odorem* bonorum operum *in*
G *portis noſtris*, id eſt, in virtutibus *dederunt*. Et quia iam plenitudo gentium intrauit, iam tempus eſt vt æternus Iſraël ſaluus fiat, ad quod *omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi*, quod eſt dicere: Ipſi conuerſi omnia præcepta noui & veteris teſtamenti ſeruabunt ad honorem tui.

CAPVT VIII.

QVis mihi det te fratrem meum, de Iudæa gente natum, *ſugentem vbera matris meæ*, id eſt, in ſynagoga ſub lege educatum; *vt foris te inueniam*, id eſt, à Iudæis, qui à fide adhuc foris ſunt te coli videam: *& deoſculer*, id eſt, ab eis diligi conſpiciam *& iam me nemo deſpiciat*, ſcilicet nullus de Iudæis, qui me virginem permanſiſſe non credat. *Apprehendam te*, id eſt, probabo te carnem de me ſumpſiſſe ſine viri ſemine; *& ducam te*
H per fidem, *in domum matris meæ*, id eſt, in corpus ipſius ſynagogæ: *& in cubiculum genitricis meæ*, id eſt, in intellectum legis Iudaicæ. *Ibi me docebis*, ab eis coli & ſeruare præcepta Domini. *Et dabo tibi poculum*, id eſt, ab eis me imitantibus deferetur tibi opus bonum, *ex vino condito*, ſcilicet ſapientia & charitate inebrians alios, *& muſto malorum granatorum* meorum, id eſt, diuinum ſeruitium virtutibus repletum. *Laua eius ſub capite meo*, id eſt, temporalia pro Chriſto, qui eſt caput meum, deſpicient, *& dextera illius amplexabitur me*, id eſt, ſola cœleſtia ipſo inſtigante quærent.

Filius pro matre alloquitur Eccleſiam de Iudæis nuper conuerſam.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne dilectam ſuſcitetis, id eſt, ne aliquid ſiniſtrum de matre mea virgine ſentiatis. Hoc ideo tertio repetitur, vt quanta veneratione Dei genitrix ſit digna doceatur.

Sequitur laus Eccleſiæ conuerſa de Iudæis admirantis gloriam Virginis.

Quæ eſt iſta, id eſt, quanta vel quàm digna *quæ* vir-tuoſa *aſcendit de deſerto mundi, deliciis affluens* cœli, *innixa ſuper dilectum ſuum?* id eſt, ab eo exaltata ſuper choros Angelorum. Filius matri prauitatem Iudæorum recitat, & conuerſationem quandoque conuerſorum inſinuat. *Sub arbore malo te ſuſcitaui*, id eſt, in cruce te redimens ſuper æthera exaltaui. *Ibi corrupta eſt mater tua*, ſcilicet ſynagoga proprio ore maledicta me crucifigens, cum dixit: *Sanguis eius* ſuper *nos & ſuper filios noſtros. Ibi violata eſt genitrix tua*, id eſt, Lex ab eis præuaricata, quæ dicit: *Iuſtum ne interficias.* Nunc autem quia toto corde ad me conuertuntur, *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, id eſt, imprime imaginem meam in cordibus eorum per dilectionem, *vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, id eſt; exemplum mei imprime per operationem: *quia fortis eſt vt mors dilectio*, id eſt, ſicut prius mortem per infidelitatem meruerunt: ſic nunc per dilectionem vitam inueniant. *Dura ſicut infernus æmulatio*, id eſt, ſicut prius propter duritiam corruerunt in infernum, ſic nunc propter emendationem vitiorum intrabunt in cœlum. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum*, id eſt, qui inter eos erunt charitatem habentes, erunt igne ſancti Spiritus ardentes, & bonis operibus lucentes. Dico tibi quod *aqua multa*, id eſt, ſæculares deliciæ vel diuitiæ *non potuerunt extinguere illorum charitatem: nec flumina*, id eſt, omnia tribulationum genera *obruerunt illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*, hoc eſt, ſi quis eis omnem gloriam mundi obtulerit, à charitate Chriſti eos ſeparare non poterit.

Sequitur ſollicitudo Virginis pro Eccleſia de Iudæis.

Soror noſtra ſynagoga, in hæreditate patris nobis per fidem ſocianda, in numero noſtrorum ciuium dinumeranda, *paruula eſt, & non habet vbera*, id eſt, prædicationem vnde viuendi ſumat exemplum. *Quid faciemus ſorori noſtræ, in die quando alloquenda eſt?* hoc eſt, quid? erit de ſynagoga in tempore quo ab Enoch & Helia erit prædicatio?

Conſolatio Chriſti ad Virginem.

Si murus eſt, ædificemus ſuper eum, hoc eſt, ædificabo eam in virtutibus vt murum, contra vitia vndique munitam. Et hoc per *propugnacula argentea*, hoc eſt, per ſcripturas nitentes eloquentia. *Si oſtium eſt*, hoc eſt faciam eam aliis exemplo oſtium, vt per eam ad vitam ingrediantur. *Compingamus illud tabulis cedrinis*, id eſt, ornabo eam ſpiritualibus filiis.

Virginis promiſſio.

Ego ero murus eis, ſi vitam meam imitabuntur erunt inexpugnabiles à vitiis, *& vbera* tua *turris*, id eſt, per mea exempla erunt tuti in bonis. *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, hoc eſt, ex tempore quo eum precibus pro eis placaui, & eis pacem & gratiam eius impetraui, hoc ideo contigit, quia *vinea fuit pacifico*, ſcil. Chriſto, qui vera vitis voluit in me germinari, beatorum propago. *In ea quæ habet populos*, id eſt, in mea gente, quæ genuit humiles, ſcil. Apoſtolos. *Tradidit eam cuſtodibus*, id eſt, commendauit hanc gentem Apoſtolis, dicens: *In viam gentium ne abieritis, ſed ite ad oues domus Iſraël.* Siue me vineam ſuam tradidit cuſtodibus, cum pendens in cruce dixit: *Ecce mater tua*, quia & alij Apoſtoli impenderunt ei neceſſaria. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*, hoc eſt, quiſque fidelis omnia quæ habet dat vt fructum huius vineæ Chriſtum dicetificiat.

Chriſtus ad fideles.

Vinea mea coram me eſt. Hoc eſt, mater mea in gloria mea. *Mille tui pacifici*, id eſt, multi erunt palmites de me vite, per fidem pullulantes, & te in caſtimonia imitantes, & ob hoc vitam hæreditabunt in pace lætantes. *Et ducenti argentei his, qui fructus eius cuſtodiunt*, id eſt, duplicem mercedem habebunt, qui me fructum vitæ per bona opera ſeruabunt. *Quæ habitas in hortis*, id eſt, iam ô mater ab vtroque coleris: *amici auſcultant*, id eſt, quique electi te imitantes mihi obediunt, nunc *Fac me vocem tuam audire*, id eſt, quid amplius deſideres innoteſce.

Sequitur ſupplicatio Virginis pro ſeparatione iuſtorum à reprobis.

Qui in hac vita inter bonos & malos latuiſti, iam à malis *fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ*, quæ bonas herbas diſcernit à malis: ita in iudicio tuo ſegrega reprobos ab electis. *Hinnuloque ceruorum* aſſimilare, qui ſolet in vmbra requieſcere. Ita tranſiens à paleis requieſce in granis. Et hoc *ſuper montes aromatum*, hoc eſt, ſuper altitudinem Angelorum. inter eos qui ſunt montes & aromata, quia tu exiſtis in omnibus omnia, alti meriti, odoriferi præmij. Hæc de Canticis ſint dicta.

Nunc pauca ad honorem virginis ſunt ſupera adiicienda. Sed cum ſcriptum ſit. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, non præſumo pollutis labiis laudare matrem conditoris. Denique quanta laude digna ſit, ipſe ſanctificator & ſanctitatis amator probauit, qui eam proprio habitu dignam iudicauit. Qui cum à virgine magis naſci elegerit, cauſa iam omnibus patuit, quia ſicut mors per fœminam virginem intrauit, ita vita per fœminam virginem intrare debuit. Et alia cauſa erat.

Quatuor modis facit Deus homines, de terra vt Adam; de ſolo viro vt Euam: de viro & fœmina vt nos: de ſola fœmina Chriſtum, quod ſibi reſeruauit priuilegium. Cur autem cœlos aſcendens non eam ſecum ſumpſerit, ſed eam hic in terris ad exemplum fidelium duos annos reliquit hæc cauſa eſt, vt eius abſentia dolore vt aurum in igne examinaretur, & excellentior poſtea Angelis præficeretur; & cœli etiam nouo gaudio exhilareſcerent, dum cœlici ciues ſuæ reginæ Dei matri feſtiuè occurrerent. Huius natiuitas olim non agebatur, ſed diuinitus reuelata, tali modo agi prædicatur. Solitarius ſanctæ vitæ fuit, qui ſingulis annis harmoniam in cœlo nocte natiuitatis eius audiuit: qui cum miraretur, quod alio tempore hoc non audiret, cœpit Deum rogare quod ſignificaret. Cui Angeli Domini apparuerunt, qui ei talia retulerunt. Virgo perpetua quæ Deum genuit, hac nocte genita fuit. Quod licet ab hominibus ignoretur, ab Angelis in cœlis celebre habetur. Qua reuelatione diuulgata, eius natiuitatis celebratio ab Eccleſia eſt inſtituta. Cur autem mos inoleuit, quod flores & herbæ in eius feſtiuitate conſecrantur, ob duas cauſas fieri comprobatur. Vna quod floribus eius feſtiuitas decoratur, quia ea die de ea cantatur. *Circundabant eam flores roſarum & lilia conuallium.* Per roſas martyres: per lilia intelligimus virgines: per alios flores vel herbas ſanctos quoſque in bonitate olentes. Beata autem Dei genitrix virgo & martyr fuit. Quamuis ergo multum à ſanctis omnibus, tamen à virginibus & martyribus creditur glorificari ſpecialius. Alia cauſa eſt, vt quia iure omnes fructus noui ante guſtum deberent benedici, & hoc vix in monaſteriis obſeruatur; ſtatuit Eccleſia vt in eius feſtiuitate primitiæ frugum à ſacerdotibus benedicerentur. Cur autem eo die proceſſio fiat, duæ cauſæ nobis inſinuant. Vna, quia ſanctiſſimum eius corpus vel illa cum proceſſione Apoſtolorum & aliorum Chriſti diſcipulorum ad tumulandum portabatur. Altera, quia eius beatiſſimus ſpiritus Angelis cum filio Dei procedentibus ad cœleſtia ferebatur. Cuius corpus poſtea reſuſcitatum, & in ſuperna gloria creditur collocatum.

Quod autem Eccleſia candelas in eius feſtiuitate manibus geſtare conſueuit, de ritu gentilium excepit. Romanum Imperium ſubiugauerat ſibi vniuerſum mundum, vnde etiam ſoluebatur Romanis cenſus ab omnibus gentibus. Qui cum veniſſent, ciuitatem cum luminaribus luſtrabant ob honorem ſuorum deorum, imo

A dæmonum, quod ſibi orbem ſubdiderint, vt putabant. Cur autem hoc in Februario, in quo ſignum eſt aquarij, fecerunt; hæc cauſa extitit. Signum aquarij oppoſitum eſt ſigno leonis. Sex etenim ſigna, ſex aliis ſunt oppoſita, dicebant Philoſophi animas ab æterno conditas & in comparibus ſtellis collocatas. Quæ cum ab alto proſpicerent corpuſcula in matribus procreari, cuperent incorporari & hoc deſiderio à cœleſtibus labi. Dogmatizabant rurſus Philoſophi duas ianuas eſſe cœli. Vna in ſigno cancri per quam animæ exirent: alteram in ſigno capricorni, per quam redirent. Et cum animæ de cancro exeuntes ad leonem peruenirent; ibi deſcendere contra aquarium inciperent. Et ſic per omnes planetas laberentur, atque tali modo incorporarentur. Poſtea autem corpus exuerent per regnum Plutonis, ſcilicet tenebroſum, qui etiam Pluto eodem menſe colebatur, reuerti deberent & ſic ad aquarium peruenientes, priſtinam dignitatem reciperent, & per capricornum comparem B ſtellam intrarent. Portabant ergo hac intentione lumina, vt tranſitus eis poſtmodum lucidus concederetur per loca tenebroſa. Hæc quidem illi agebant ex errore decepti.

Nos autem gerimus ſpiritualiter diuino nutu inſtituti. Chriſti imperio totus mundus ſubiicitur, vnde & ab omnibus diuini ſeruitij cenſus ſoluitur. In candela tria conſiderantur, lumen, cera, lichnus. Lumen lucet, cera liqueſcit, lichnus ardendo euaneſcit: quæ ſignificant Chriſtum. Lumen eſt eius Diuinitas vt ipſe dixit: *Ego ſum lux mundi.* Cera eſt eius humanitas, vt item dixit: *Factus ſum tanquam cera liqueſcens.* Lichnus eſt eius mortalitas, quæ igne paſſionis eſt conſumpta, quia hoc Simeon in Chriſto intellexit, ideo eum portando in manibus exultans dixit: *Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Ob hanc ſignificationem portat Eccleſia illa die lumen in manibus, vt cum quinque virginibus, per quinque ſenſus accenſis virtutum lampadibus poſt mortem carnis mereatur regna tene-C broſa euadere, & per ſtellam clariſſimam Dei genitricem Mariam in lumine patre, lumen Chriſtum videre. Votiuis ergo laudibus celebrate reginam cœlorum, vt ipſa pro nobis iugiter interpellet filium regem Angelorum, vt poſt hanc miſeram peregrinationem cum ipſa regnetis in ſæcula Amen.

ITEM INCIPIT ALIA expoſitio in Cantica Canticorum.

Incipit Prologus ſequentis operis.

HÆc cauſa eſt cur libri ſacræ autoritatis non D manifeſtè, ſed quaſi per inuolucrum ſint conſcripti: Cum ſponſus ſponſæ annulum vel quodlibet munuſculum miſerit, linteo inuoluit, poſtea ſigillat. Qui ſigillat ex parte cernit, portitorem videre non licet: ipſa vero cum acceperit euoluit, reſigillat, & videt quid miſſum fuerit. Sponſus Chriſtus miſit ſponſæ ſuæ Eccleſiæ annulum, id eſt, ſacram ſcripturam, & inuoluit linteo, id eſt, carnalibus obſeruantiis. Prophetæ ſcribentes ſigillauerunt litteram, qui ex parte in ſpiritu futura viderunt: Iudæi vero portitores omnino non viderunt.

Sponſa, id eſt, Eccleſia accipiens per clauem Dauid, id eſt, Chriſtum, reſigillauit, carnales obſeruantias quaſi linteum remouit.

Aurum quod latuit, id eſt, ſpiritualem intelligentiam vidit. Dominus demonſtrauit Moyſi in monte ſecum poſito Chriſtum incarnandum, & futurum Eccleſiæ ſtatum & ipſum in duo, id eſt, in contemplatiuos & actiuos diuidendum. Et iuſſit ſub hac figura arcam de lignis & de auro fieri, atque tabernaculum de auro & argento & ære: hyacintho, purpura, cocco, byſſo, pilis caprarum confici. Arca de auro & de lignis facta, eſt Chriſtus de diuinitate & humanitate exiſtens. E

Tabernaculum eſt Eccleſia, Aurum ſapientes vt Apoſtoli.

Argentum eloquentes vt expoſitores.

Æs doctores.

Hyacinthus cœleſtia contemplantes.

Purpura martyres,

Coccus in dilectione Dei ardentes.

Byſſus confeſſores vel virgines. Pili caprarum pœnitentes.

In tabernaculo erat quod dicitur ſancta: in quibus ſacerdotes miniſtrabant: & erat quod dicebatur ſancta ſanctorum, in quod arca ponebatur. Quod dicitur ſancta ſunt actiui, in quibus doctores laborant: quod vero ſancta ſanctorum, ſunt contemplatiui, in quibus Chriſtus habitat.

Quod tabernaculum in domum conuertitur, cum F Eccleſia de hoc carcere aſſumpta, in cœleſti palatio collocabitur. Cuius domus futurum ſtatum præuidens Salomon, conſtruxit ſeptem annis domum Domini Ieroſolymis, de lapidibus quadratis, de lignis cedrinis, de auro puriſſimo. In cuius conſtructione malleus nec ſecuris audiebatur.

Salomon eſt Chriſtus. Templum in Ieruſalem, eſt collectio iuſtorum, in ſupernis ædificatio eſt in cœlis collocatio.

Tres ordines ſunt in Eccleſia: Noë, Iob, Daniel. Noë doctores, Iob coniugati, Daniel contemplatiui.

Igitur lapides quadranguli ſunt homines coniugati, in quatuor virtutibus quadrati; in Prudentia, in Fortitudine, in Iuſtitia, in Temperantia. Prudentia eſt, in diuinis & humanis peritum exiſtere & prouidum. Fortitudo eſt, nec minis nec præmiis de bono ad malum flecti. Iuſtitia eſt, Deo ſua, hominibus ſua reddere. Temperantia eſt in his omnibus modum non excedere, & impetus carnis re-G frenare. Ligna cedrina ſunt doctores, quorum opera ſunt imputribilia, & redolent in virtutibus. Aurum ſunt contemplatiui, qui mundo corde fulgent coram Deo. His viuis lapidibus conſtruitur domus in cœlis ſeptem annis, id eſt, per ſeptem dona Spiritus ſancti. Malleus non auditur ibi, quia dolor & mors non erit ibi.

Salomon ergo de tabernaculo fœderis, id eſt, de præſenti ſtatu Eccleſiæ, & de templo Domini, id eſt, de futuro ſtatu eius materiam ſumens, conſcripſit hunc librum, qui intitulatur Cantica Canticorum, id eſt, excellens omnia Cantica. In quo deſcripſit deſponſationem Eccleſiæ per incarnationem Chriſti, & cuſtodiam eius, qua hic apud Babylonem à paranymphis cuſtoditur, & vltimam copulationem, qua aſſumitur in cœlum.

Huius libri autor eſt Spiritus ſanctus. Scriptor verò Salomon. Materia eius eſt ſponſus, & ſponſa, id eſt, Chriſtus & Eccleſia: quam diuidit in amicos & amicas, id eſt, in contemplatiuos & actiuos. Intentio eius eſt animam iam amore Dei perfectam factam coniungere H Deo. Finalis cauſa & vtilitas eſt perlecto libro ſcire Deum, & proximum diligere. Series autem circa quam ſtylus verſatur talis eſt: Filius regis Ieruſalem deſponſauit ſibi filiam regis Babylonis per internuncios: illa tandem faſtidita delegationibus reſpondit: Ipſe Dominus veſter veniat & loquatur mihi, quod ſibi placeat. Ille veniens ſubarrhauit eam, commendans eam amicis & amicabus, abiit parare nuptias. Denuo reuerſus cum ingenti exercitu, duxit ſponſam à Babylone in Ieruſalem ciuitatem ſuam; illos qui eam male tractauerunt, trufit in carcerem; qui honeſte, inuitauit ſecum ad nuptias, & regni fecit hæredes. Ieruſalem eſt regnum cœlorum: Rex huius ciuitatis Deus: Filius eius Chriſtus: Internuncij prophetæ: Babylonia: iſte mundus: Rex huius ciuitatis Diabolus: Filia eius gentilitas: Aduentus ſponſi Chriſti incarnatio: Arrha ſanguis ipſius. Amicæ ſpirituales, vt Epiſcopi: Amicæ ſeculares, vt reges & principes. Sponſi abſceſſus, eſt Chriſti aſcenſus. Reditus eius, eſt dies iudicij: exercitus, ordines

A Angelorum. Male tractantes, hæretici & mali Catholici. Carcer infernus, honeſte tractantes ſunt boni Catholici : Nuptiæ, dulcedo regni cœleſtis ſine fine.

Explicit Prologus.

Tribus nominibus nuncupatus eſt Salomon ; & ſecundum vnumquodque vnum edidit volumen, videlicet, Parabolas, ſecundum hoc eſt Ydida, id eſt, dilectus, illo rudes & ſtultos inſtruit, & ſic ab illis prius incipit diligi. Eccleſiaſten autem ſecundum hoc, quod eſt Eccleſiaſtes, id eſt, concionator, quibus illos, quos in prouerbiis bonos mores habere docuit concionauit ; vt ſcientes res mundanas eſſe tranſitorias, eas ſpernerent. Secundum hoc quod eſt Salomon, id eſt, pacificus, Cantica Canticorum ; quæ Græcè *ἆσμα ἀσμάτων*, Hebraicè *Sir haſirim*, Latinè autem *Cantica Canticorum* dicuntur : quibus iam inſtructis oſtendit Deum verbo & opere deſiderare. Ideoque in Prouerbiis Ethi-
B cus, id eſt, de moribus tractans : in Eccleſiaſte Phyſicus, id eſt, de natura rerum : in Canticis Theologicus, id eſt, Sermocinans de diuinis dicitur : quia quæ huic realiter, Salomoni vero ſpiritualiter conuenire deputamus. Ipſe enim rudibus in prouerbiis locutus eſt, ipſe præcipuè dilectus, de quo dictum eſt : *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Ipſe quoque concionator, qui eos ſpernere tranſitoria, & tendere ad cœleſtia docuit. Ipſe pacificus, qui destructo pariete fecit vtraque vnum.

IN PROVERBIIS eſt Titulatus.

INCIPIVNT PROVERBIA
C *Salomonis, filij David Regis Iſraël.*

Item Nota.

IAm dum multis qui non ſapientiam, ſed perſonam eligunt loqueretur, oportuit oſtendere autoritatem. In Canticis vero nullam præmiſit, quia non prædicat, ſed tantum perfectæ animæ deſiderium oſtendit.

Titulus quoque bene congruit Chriſto, qui eſt *Salomon filius David*; id eſt, manu fortis. Quis enim manu fortis, niſi de quo dictum eſt ? *Qui confregit portas æreas.*

Regis Iſraël, id eſt, videntium Deum, regem quoque cœleſtis Ieruſalem. Prius enim fideles agnoſcunt Deum, & ſic loquuntur in Ieruſalem.

Hiſtorialiter enim prius vnctus eſt in Hebron, vnde dictus eſt Rex Iſraël apud illam partem regni ; poſtea per totam Iudæam, quæ fuit caput regni. Iſte Salomon præuidens in Spiritu ſancto & in ſuo tempore & in futuro ſtatum Eccleſiæ, hoc modo ad intentionem ſcripturæ ſuæ titulos præmiſit.

Incipiunt Cantica Canticorum, id eſt, hic habet prin-
D cipium collectio ſignorum voces exhibentium, quæ ſignificant Cantica, id eſt, bonas operationes, id eſt, bona verba, quæ dicuntur Cantica Canticorum. Ac ſi apertius dicat, hic notantur operationes & verba, quæ excellunt in perfectione omnia, quibus Deum laudat Eccleſia. Sic ergo incipit perfecta Eccleſia.

CAPVT I.

O*Sculetur me.* Ac ſi dicat, Ille qui in Parabolis, ille qui in Eccleſiaſte mihi prædicauit, vbi dicit : *Audi filia & vide*, & cætera : qui me ab adulterio eripuit, iungat me ſibi. Hanc enim coniunctionem notamus per *oſculetur*, quia iſte liber nuptialis dicitur, vbi quatuor introducuntur perſonæ, ſcilicet Sponſus, Sponſa, amici & amicæ. Sponſus enim prius oſculatur ſponſam, & eam coniungit ſibi *oſculo oris ſui*. Et quia ad horam quidam iuncti ſunt Chriſto, vt Iudas ; *dicit oſculo* : illa coniun- E
ctione quæ præcipitur in veteri per Prophetas, in nouo teſtamento per Apoſtolos : qui ſunt os eius ; quia per eos locutus eſt. *Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Chriſtus audiens deſiderium animæ fidelis, ſibi reſpondet : Quia video te dignam, quod optas implebo : videlicet quia nutries bonos filios mihi. Vnde mihi hoc ſignum eſt ? *quia vbera tua*, id eſt, prædicatores, qui nutriunt auditores, vt pueros ; *meliora ſunt vino*, id eſt, ſeculari ſcientia, quæ inflat hominem vt vinum, vt dicitur : *Addit cornua pauperi*, quia adhuc competit hæreticis, qui quodammodo melius docent quam ſæculares. Addit *fragrantia*, id eſt, redolentia *vnguentis optimis*, id eſt, donis Sancti ſpiritus. *Optimis* poſuit ad diſtantiam carnalium, quaſi dicat : quod tui prædicatores benedicunt non ex mala cogitatione, ſed inſpiratione diuina. Sed bene non tantum in voce, ſed in opere conſiderandum eſt & in cogitatione. Quia fidelis animæ opera ipſa ad Deum clamantia dicunt : *Oſculetur*, dum cogitat, ſi ita operor vt digna ſim Chriſto coniungi. Neque enim aliter intelligendum eſt, Chriſtum Eccleſiæ loqui, niſi quia ipſa cogitet : ſi hoc
egero, talis ero. Eccleſia audiens ſe à ſponſo laudari, F
ſciens quia *omne donum perfectum de ſurſum eſt*, dicit : Domine quod bene doceo non mihi imputandum eſt, ſed nomini tuo, quia *nomen tuum*, id eſt, fama tui nominis, eſt *oleum effuſum*. Oleum cum in vaſe continetur, non multum redolet : ſed poſtquam effunditur, maximum reddit odorem ; ſuppoſitum etiam vulneri interiora penetrat, & vulnera ſanat : ſic dum filius Dei continebatur in ſinu patris non redolebat ; ſed poſtquam deſcendit de cœlo & incarnatus eſt, nomen eius vbique prædicatum eſt, in terriſque receptum ; & bene intellectum, ſanauit vulnera peccatorum. Et quia prædicatum ſanauit nos, ô Chriſte, *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*, id eſt, diligent, & quod nouiter erunt conuerſæ ; non in conuerſatione veteris, ſed noui Adæ ambulabunt. Cum ergo diligunt te illæ propter oleum nominis tui, quanto magis ego. Et quia talis ſum, & hoc per te. *Trahe me poſt te*, id eſt, præcede vt ſequar te. Et ſi caro repugnat,
tamen me trahe ad te. Amicæ audientes ſponſam optantem ſponſo ſuo coniungi, ſponſum quoque aſſentire ſibi G
dicunt. Domina tu traheris, nos quoque fide & opere *curremus*. Curremus ingredi tecum in illam requiem. Nos quoque poſitæ *in odore*, id eſt, in bona fama *vnguentorum tuorum*, id eſt, operum, quæ procedunt tibi ex donis Spiritus ſancti, *poſt te*, id eſt, ad imitationem ſponſi. Quibus ſponſa reſpondet : Vos dicitis quod poſt me curritis, & bene facitis ; quia locum habeo vos remunerandi. Nam *introduxit me Rex in cellaria ſua*, id eſt, in plenitudinem beatitudinis ſuæ ibi me remunerabit. Et eſt dictum à ſimili, quia ſi quis Rex debet ducere reginam, prius diuitias ſuas oſtendit. Amicæ audientes eam introductam eſſe, ſperantes eius beatitudinis participes fieri ; apoſtrophen ad Chriſtum faciunt, ita : O Chriſte, quia ſponſam introduxiſti, ideo vt & nos illuc ſecum introducamur, *exultabimus*, id eſt, bene operabimur. Quando enim quis bene operatur, totum corpus mouetur. Sic etiam *exultabimus & lætabimur*, ſed mente : ac ſi dicat : Et bene operabimur & cogita-
bimus, quod erit nobis gaudium *in te* ſcilicet tendentes, H
id eſt, in ſpe tui. Et quia hoc ad horam poſſit eſſe, dicit : *Memores*, id eſt, memoriter imitantes *vbera tua*, id eſt, præcepta tua, quæ ſunt *ſuper vinum*, id eſt, meliora ſæculari ſcientia, id eſt, nunquam obliuiſcemur præceptorum tuorum, quæ dicunt : *Non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit hic ſaluus erit.* Et hoc merito, quia magiſtri noſtri qui ſunt *diligunt te*, ideoque imitatores eorum debemus te diligere. Sponſa intelligens illas te velle ſequi, timens ne deficiant ingruentibus malis, prædicit ſibi quæ immineant, vt poſtea hortetur ad perſeuerantiam.

Nigra ſum, ſed formoſa, quaſi dicat : Si volueritis imitari me, oportet vos multas tribulationes pati, ſicut & ego paſſa ſum : & ponit effectum pro cauſa, id eſt, *nigra ſum* quidem corpore propter tribulationes, *ſed formoſa* interius. Vobis hoc dico, quæ nitimini

A vt tuis filiæ inſtructæ doctrina, quæ iam locantur in ſuperiori cæleſti Ieruſalem. Et ita *ſum nigra ſicut tabernaculum Cedar*, qui merito fuit niger. Cedar enim interpretatur tenebræ, filius Iſmahelis, qui pro nequitia ſua adeo omnibus odioſus fuit, vt nunquam auſus eſſet in certa ſede manere, ſed ſemper in tabernaculis, de quo ſcriptum eſt: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Non autem debemus intelligere tabernacula eſſe nigra, ſed ipſum in tabernaculis. Ita *nigra ſum* in merito, ſicut Cedar tabernaculum eſt merito: *ſed* interius *formoſa ſicut pellis Salomonis,* de mortuis animalibus ſumpta, à pilis mundata arcam Dei protegebat. Quiſque fidelis eſt pellis Salomonis, propter quem carnem ſuam mortificat, & mundat à pilis ſuperfluitatum, & protegit aurum Domini, id eſt Eccleſiam, in qua continentur ſancta ſanctorum, à pluuiis dæmoniaci impetus. *Nolite conſiderare quod fuſca ſum*, ſcilicet quamuis patior tribulationes, propter quas nigra ſum, nolite tamen terreri conſiderantes quod fuſca ſum: *quia decolo-* B *rauit me ſol*, id eſt, propter Ieruſalem paſſa ſum tribulationes. *Filij matris meæ*, id eſt, ideo quia propter eum ſum paſſa, illi qui iam ſunt filii, id eſt, inſtructi eorum prædicatione quorum ego, *pugnauerunt* poſiti *contra me*, id eſt, imitantes me, contra vitia pugnauerunt. *Contra me* dicit, ad ſimilitudinem eorum, qui volentes imitari aliquos, ponunt ſe in conſpectu eorum, vt plene videant habitum eorum: & quia *poſuerunt me cuſtodem in vineis*, id eſt, propoſuerunt vt exemplo meo ſe cuſtodirent. In vineis, id eſt, in ſeipſis, meo exemplo vineis factis, qui interius per virtutes ſunt virides, exterius per tribulationes, per ieiunia ſicci ſicut vinea. Ego autem tantum illis cuſtodiendis innitebar, quod *vineam meam*, id eſt, vitam meam, per quem vineam aliam, id eſt, alios bonos mihi acquirerem, quibus eſſem cuſtos, id eſt, me ipſum *non cuſtodiui*, id eſt, mei ipſius curam non egi. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Vox amicarum, ac ſi dicat: Quoniam illi iam imitatione mei tantum ſunt pro- C uecti, vt non dicantur filij tui, ſed filij matris tuæ, id eſt, fratres & patres tui; volo & ego imitari te, ſed cum video te in tormentis denigrari, video non minus alios: ideoque cum te ab illis nequeam diſcernere, ô Chriſte, *quem diligit anima mea indica mihi*, id eſt, diſcretionem cognoſcendi. *Vbi paſcas*, id eſt, in quibus ſunt paſcua tua, id eſt, in quibus delecteris. *Vbi cubes*, id eſt, frequenter quieſcas, *in meridie*, id eſt, in feruore caritatis. *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*, id eſt, ad imitationem hæreticorum, qui ſunt greges, id eſt, beſtialiter viuentes, non cœleſtibus inhærentes, ſed laſciuiam implentes: quia adeo ſe extollunt, vt dicant ſe ſodales, id eſt, pares tuis, vel amicos primos. *Si ignoras te ô pulchra.* Ac ſi Chriſtus dicat: Bene facis, quod illos in quibus paſco, diſcernere cupis. Nam *ſi ignoras te*, id eſt, tuos quos tu debes imitari. *ô pulcherrima mulierum*, id eſt, quomodo ſis in virtutibus cæteris ſectis valentior; fies ſordida per mulieres. Ideo ſectas accepimus, quia ſicut mulieres pariunt, & nutriunt filios; ita D quæque ſecta. *Egredieris*, id eſt, ſi ignoras *egredere*, id eſt, egredieris à conſortio bonorum *Et abi*, id eſt, penitus recedes, id eſt, non tantum tu errabis, ſed etiam alios ſeduces. Tu abiens *poſt veſtigia*, id eſt, imitans dicta & opera gregum, id eſt, hæreticorum, & hoc eſt quod dicit: *Paſce*, id eſt, vel nutries *hædos tuos*, id eſt, ſubditos tuos, verbo & opere putridos. *Iuxta tabernacula paſtorum.* Hæretici ſemper aſſociant ſe fidelibus, ſed nunquam habitationem Chriſtianæ religionis intrant: ſed iuxta ſunt, quia fideles ſe ſimilant, ideoque maxima cura adhibenda eſt, ne putantes hæreticos eſſe fideles, poſt illos vagemur. *Tabernacula paſtorum* dicit, quia fideles quique, qui inuigilant vt gregem cuſtodiant, dum in hoc mundo ſunt, ſemper quaſi impeditione laborant. *Equitatui meo*, ac ſi dicat: Dixi ſi ignoras egredieris, ſed neque ignorabetis neque egredieris: Nam educam te à ſeductoribus, ſicut eduxi filios Iſraël à ſuperbia Pharaonis, & hoc eſt quod dicit: *Equitatui*, hoc eſt, exercitui meo, qui mihi militabat, ſcilicet exiſtenti *in curribus*, id eſt, in ſuperbia. Superbia enim in curribus reſi- E debat *Pharaonis*, qui interpretatur diabolus, quaſi diceret: Illis qui erant in tempore Pharaonis, *aſſimilaui te*, vt quemadmodum illos ab Ægypto eduxi, & per mare rubrum in terram tranſduxi deſerti: ſic & te ab Ægypto, id eſt, à tenebris huius mundi per mare rubrum, id eſt, per baptiſmum tranſduxi ad terram promiſſionis, id eſt, matrem tuam Ieruſalem, Pharaone & pompis eius in mari baptiſmatis ſubmerſis, vt ſic amica mea maneres. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis,* ac ſi dicat: Ego educam te, & hoc per genas tuas & collum tuum. Qui enim ſunt genæ tuæ & collum tuum; hoc tibi ſit ſignum, quia pulchræ decore virtutum ſunt, ſcilicet habentes ſimilem vitam vitæ turturis, quæ pro cantu gemitum ſolet edere, & quæ vno marito contenta eſt. Per genas ideo prædicatores intelligimus, quia in genis duo notantur: Dentes ſcilicet quibus cibus annullatur; & ſignum eſt pudoris, quæ in fidelibus notan- F tur prædicatoribus: in quibus ſemper eſt pudor peccandi, & in quibus prædicatoribus dentes ſunt annullantes vitia. Qui turturi merito comparantur, cum tota vita ſua ſit gemitus & dolor pro ſuis & alienis vitiis, & vno ſint contenti marito, ſcilicet Chriſto. Per collum diuerſa ſimilitudine notamus eoſdem; quia per collum inferiora capiti iunguntur, & omnibus ad inferiora traiicitur: ſic per prædicatores præceptorum capitis noſtri, ſcilicet Chriſti, tranſmittuntur in inferiora membra Eccleſiæ: per eos quaſi per columnas: iungimur, Chriſto, qui bene monilibus comparantur, quia ornant Eccleſiam ſapientia & doctrina, & nutriunt ſinum virtutum, ne adulter diabolus manum violentiæ iniiciat. Amici, id eſt, perfecti in Eccleſia, audientes ſe à ſponſo vocari genas & collum, ſeque promitti Eccleſiæ duces futuros, libenter ſibi ducatum offerunt: ita *Murenulas*, id eſt, inaures, quia murenula dum capitur in orbem voluitur vt inauris. Per inaures, quæ ad aurem G pendent: prædicationem, quæ ad aurem tendit, notamus: per rotunditatem inaurium perfectionem notamus prædicationis. *Aureas.* Quid auro eſt precioſius inter metalla? Per aurum notamus caritatem, quæ inter virtutes maior videtur, quia magno labore excoquitur: Ideoque per illud notamus ſapientiam, quia magno labore acquiritur. *Faciemus tibi*, id eſt, ad tuam vtilitatem faciemus prædicationem tuam cum ſapientia & caritate. *Vermiculatas argento*, diſiunctas vt vermes, *argento*, id eſt, diuino eloquio, compoſitionis dictamine lucente vt argento. Et hoc merito, quia ſponſus tuus inenarribilia fecit, & hoc eſt quod dicit. *Cum eſſet Rex*, id eſt, nullius indigens, *in accubitu ſuo*, id eſt, in maieſtate diuinitatis ſuæ, fecit me in virtutibus redundare, & hoc eſt quod dicit. *Nardus mea*, id eſt, humilitas mea, *dedit odorem ſuum*, id eſt, formam bonæ operationis. Cum ſuperius dixit, *faciemus* plurali: hic ideo ſingulari vtitur, quia cum ſint plures in Eccleſia, tamen vnitate fidei vnum ſunt, & non tantum me redolere fecit, ſed & incarnatus & mortuus eſt pro me. Ideoque *dilectus* H *meus*, eſt *faſciculus*, id eſt, pondus myrrhæ, id eſt, triſtitiæ, ſed habitæ de morte eius: quia myrrha in ſepulchris mortuorum ſolebat poni, vnde Magi ad cunabulum Domini vagientis, myrrham tulerunt, mortem eius ſignificantes mihi ad honorem meum: quia plures ſunt qui non modo ad honorem vtuntur, ſed potius ad dedecus: ſed dominicæ paſſionis reminiſci ſummus honor eſt: *Inter vbera mea*, id eſt, in prædicatione mea *commorabitur*, id eſt, quidquid prædicauero, memoria eius condietur vel intus *vbera mea*, id eſt, in corde, quod intus vbera ſitum eſt. Ipſe erat mihi *botrus cypri*, id eſt, calix inebrians. Botrus eſt faſciculus vuarum: Cyprus eſt inſula optimis abundans vineis. Vnde dicit: *Botrus cypri*, id eſt, memoria paſſionis eius inebriauit me, vt non immemor pro meis prædicando, non dubitem mortem ſubire. Vel obliuiſcitur ſui, qui vino cypri inebriatur. *In vineis*, id eſt, in illis qui interius virides, exterius ſicci facti ſunt. Per me inebriabor apud me, pro illo mortem

ſubiturus

A ſubiturus : ſed quia quidam videntur vineæ, & non ſunt, addidit : *Engaddi* , id eſt , purgati. Engaddi eſt mons & interpretatur ſons hædi , id eſt , baptiſmatis, ad quem hædi , id eſt, putridi vitiis conueniunt ; & agni , id eſt, purgati recedunt. Vel ita : Ideo quia me redolentem fecit, commorabitur in corde meo pondus triſtitiæ. *Dilectus meus mihi* id eſt , ſemper paſſionem eius recolens multum dolebo , & ipſe in vineis Engaddi , id eſt , in nobis erit botrus cypri , id eſt , lætitia reſurrectionis eius, vt per vinum lætitiam notemus. Chriſtus audiens compunctionem prædicatorum & benignitatem quam erga minores habent , ad ipſam quam ſuperius dixit: *Indica mihi*, &c. dicit : Ecce quam egreſſuram dixi, & ſordidam futuram , ſi te ignores, cum & ipſi tibi libenter aſſentiant , quos duces tibi ad fidem: pulchra es fide iſtos imitando , & amica mea , id eſt , ſic facta es conſcia ſecretorum meorum. *Ecce tu pulchra es* operatione , & hoc merito : quia *oculi tui* , id eſt , prouiſores tui , quos genas & collum ſuperius dixi , ſicut *columbarum*. B In tranſitione dictum eſt, *oculi tui ſicut columbæ*. In columba ſeptem naturas notamus, quæ virtutibus fidelium annotantur , per quæ ſeptem dona ſancti ſpiritus notamus. Ipſa felle caret, neminem lædit : ſic fidelis omni felle carens nequitiæ , neminem dolo circumuenit. Ipſa alienos pullos nutrit : ſic filios iniquitatis incorporat ſibi fidelis, & doctrina ſpirituali nutrit. Grana decora legit: ſibi fidelis de ſcripturis ſanctis legens , ſalubres eligit ſibi ſententias. In foraminibus petræ nidificat , vt ſerpentum lapſus euitet : ſic fidelis in foraminibus lateris Chriſti ponit ſedem , & ſic diabolum pellit ; quia tanta eſt ſibi ſpes in eo, qui pro ſe mortuus eſt, quod diabolus nullatenus poſſit ingredi. Super riuulos aquarum verſatur , vt in aquis vmbram accipitris proſpiciens , acutè aduentum eius declinet , & inde pullis ſuis potum deferat : ſic fidelis in ſcripturis ſtudens , declinat aduentum hoſtis : vnde & colligit ſententias , quibus pullos potet. Gemitum pro C cantu habet : ſic fidelis ſuis & alienis ingemiſcit delictis Illa audiens laudari ſe à ſponſo , ait ; O Domine tu dicis me pulchram : ſed ecce tu ſolus naturaliter es pulcher, dilecte mi , in diuinitate , & decorus in humanitate. Ego vero per te & tuos. Et quia ego pulchra , & tu pulcher, merito *lectus noſter* , id eſt , ſcientia quo ego & tu quieſcimus, *eſt floridus* virtutibus. Et quia poſſet fieri , vt flante vento tentationis nitorem perdat virtutum , inquit, *ut flos campi* , flante Aquilone. *Tigna domorum noſtrarum cedrina , laquearia cypreſſina.* Tigna ſunt ſuperior pars domus , quæ pluuias repellit ; per quæ prædicatores intelligimus , qui Eccleſiam ab imbre dæmoniaco tuentur Per domos diuerſas , ſecundum regenerationes Eccleſias intelligimus In quibus diuerſi fideles coadunantur , vt in domo diuerſæ parietes : paries tectum, fundamentum *cedrina* , imputribiles, id eſt, indeficientes ſunt, quorum odor operationes fugat ſerpentis , id eſt, dæmonis. Cedrus eſt arbor imputribilis , cuius odor fugat ſerD pentes. *Laquearia noſtra* , id eſt , qui infra prædicatores ſunt vt eremitæ , ſicut laquearia , id eſt, cælatum domus ſub tignis , illa ſunt *cypreſſina* , id eſt , imputribilia Ac ſi dicatur : Et ſi in prædicatione non expellant dæmones, fide tamen & opere indeficientes ſunt. Cypreſſus eſt arbor imputribilis. Cui reſpondet ſponſus. Bene dicis me pulchrum , ideoque lectulum noſtrum floridum: quia ego ſum honor campi , id eſt , honor Eccleſiæ. Per campum ideo Eccleſiam intelligimus : quia quemadmodum diuerſi in campo naſcuntur flores : ſic in Eccleſia diuerſi fideles. Vel campus eſt planus , & apertus : ſic fides ſanctorum.

CAPVT II.

EGo *flos campi & lilium conuallium*, id eſt , honor humilium , qui irrigantur aqua prædicationis ſtillantis ab vtroque monte , id eſt , veteri & nouo teſtamento. *Et ſicut* ego ſum *lilium inter ſpinas* , id eſt , tormenta pungentia & non amitto odorem : *ſic tu amica mea es inter filias* , id eſt , diuerſas ſectas , quæ te pungunt vt ſpinæ : tu tamen nitorem virtutum tenes. Vel ita : *Ego flos* E partus , quia ſicut flos ſine mixtione emittitur : ſic Chriſtus ſine ſemine , id eſt , campo inarato , id eſt , ab intemerata virgine procreatus eſt. *Et lilium conuallium* , id eſt , gloria & decus humilium parentum. Sicut enim lilium ſum inter ſpinas, id eſt , tutores : ſic tu amica mea debes eſſe inter filias pungentes. Et ipſa plura ſi patiar , ad te , confugiam ; cuius fructu , & vmbra reficiar , & odore. Vel ita. Non eſt mirum ſi honorem inter ſpinas retineo , quia tu me ſuſtines. *Sicut malus inter ligna ſpinarum* eſt amabilior , *ſic amicus meus inter filios* , id eſt, fideles in Eccleſia. In malo tria notamus : fructum, vmbram, & odorem Vnde peregrini à calore ſolis & labore itineris feſſi , nullam magis optent arborem cuius vmbra ab ardore refrigerentur & fructu & odore reficiantur : ſic fideles in ardore huius tormenti & itinere feſſi ad Chriſtum confugiunt , & vmbra confeſſionis eius refrigerantur , eiuſque fructu , id eſt , Euchariſtia reficiuntur , & odore bonitatis eius fœtor vitiorum expellitur. Et ideo quia talis eſt , *deſiderabam* eum & *ſedi*, F id eſt , quieui , æſtus tormentorum & ſeculares labores deuitans. *Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi* , id eſt. fructus , id eſt , Euchariſtia , *dulcis gutturi meo* , quia ſicut guttur carnalia : ita cor ſapit ſpiritualia. Si qui autem ita remoti ſunt , vt iam aſpectus hominum aufugiant vt plures eremitæ , & Euchariſtia non fungantur corporaliter ſed ſpiritualiter : tamen fide & ſpe vtuntur. *Introduxit me Rex in cellaria.* Ac ſi dicat : quia ad eum confugi. *Introduxit me in cellam* , id eſt , in beatitudinem vinariam , id eſt , obliuioſam , id eſt, tanta donauit me beatitudine , vt penitus præteritorum obliuiſcerer velut ebrius. *Ordinauit in me caritatem* , id eſt , omnes ordines caritatis poſuit in me , videlicet vt proximum & Deum diligerem , & inimicum propter Deum, ne dubitarem pro ſalute filiorum mortis ſubire patibulum. *Fulcite me floribus.* Ac ſi dicat : quia caritatem me fecit habere , ideo vos diligo. Et quia vos diligo *fulcite* , id eſt, implete me in numerum perfectorum *floribus* , id eſt, G virtutibus. Ac ſi dicatur. Ita abundate virtutibus , quæ vos ſuſtineant, vt ſitis digni participes fieri donorum Dei in Eccleſia , & ita operamini vt ipſa vos veſtiat a frigore iniquitatis. Hoc autem vobis dico non pro terreno commodo , ſed quia pro *amore langueo* , id eſt , intolerabiliter diligo eum , qui ordinauit in me caritatem: quia etiam inimicos nos iuſſit diligere , cui vos coniungere nitor. Et quia eum tantum diligo : ideo *Leua eius ſub capite meo.* , id eſt , ſiniſtra eius ſub capite , id eſt , ſub mente mea , quæ eſt caput cogitationum. Ac ſi dicatur Omnia terrena quæ in creaturis ſunt Dei debiliora, quemadmodū ſiniſtra pars in homine ad comparationem dexteræ , erunt ſub mente mea , id eſt , mens mea deſpiciet ea. *Et dextera illius* , id eſt , cœleſtia amplexabitur me , id eſt , quicquid in hoc mundo fecero ad reſpectum cœleſtium erit. Ac ſi dicatur : Non tantum ego hoc vobis ſuadeo , ſed ipſe vobis dicit. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem*, id eſt, alligo vos, per *capreas, ceruoſque camporum* , id eſt , per fideles in Eccleſia conuerſantes. H *Ne ſuſcitetis* , & ne commoueatis à quiete mentis , id eſt , vt ſitis obedientes magiſtris veſtris. Dum autem fidelibus non rebellibus prædicat , quaſi in lecto quieſcit. Vel ſi ad horam repellatis , non tamen euigilare faciatis , id eſt , ex toto conturbetis *dilectam meam*, id eſt , ſponſam meam , *quoadusque ipſa velit*, ſcilicet vos corrigere, id eſt, quod diu in vobis diſplicuerit , quod ſit dignum correptione. Per hoc quod dicit : *Adiuro* : notamus eos eam volentes quibus prædicatur ad fidem ſanctorum conuertere. Non enim valeret adiuratio per ſanctos Dei ad infideles , magis quod ſi quis paganus aliquem per Iouem adiuraret *O filiæ Ieruſalem* : ſcilicet futuræ. In caprea quatuor notantur , quæ fidelibus quoque conueniunt; Acutus viſus herbas eligendi ſalubres : ſic fidelis diuinas ſententias. De monte ad montem aſcendunt : ſic fideles de virtute in virtutem. Cibum comeſtum ruminant, fideles diuinas ſententias intellectas ad memoriam reducunt. Si quando vulneratur herbam dyctampum comedit: ſic fideles ſi quando ſagitta diaboli percutiuntur , ad

A Chriſtum recurrunt & ſanantur. In ceruis tria notantur. Serpentes tranſglutiunt, & poſtea currunt ad fontem. quo guſtato purgantur à veneno, & pilis renouantur: fideles quoque veneno guſtato diaboli ad fontem Chriſtum currunt, & pilis vitiorum nudantur. Cum fugantur à canibus cornibus ſuper tergum poſitis, per ſpinas faciunt ſibi viam, vt ibi impetum eorum deuitent: ſic fideles cornibus virtutum ſuper fragilitatem carnis poſitis, deuitant minas tyrannorum. Mutant paſcua, in vnum congegati quaſi agmen faciunt, & ſic præcedens vnuſquiſque caput ſequentis ſupportat ne deficiant, propter onus cornuum: ſic fidelis ſi viderit proximum egere neceſſariis ſupportat eum alimenta præbens ei, vt ſanctus Nicolaus illi, qui ſtupro filias deſtinauerat. Si viderit eum pœnitentia peccatorum grauari, alleuat eum partem in ſe recipiens. *Vox dilecti mei.* Ac ſi dicat: Iſta vox quam modo dixi, non eſt mea, ſed *dilecti mei.* Tunc enim nos adiorauit, & omne genus humanum, quando pro nobis redimendis dignatus eſt carnem ſuſcipere, & mortem
B ſubire. Quis enim tam durus, tam lapideus eſt, cum ſit rationabilis; ſi nouerit Deum tanta pro ſeruis paſſum, qui non cogitet ſe monitum fuiſſe ad patriam, vnde eſt oriundus reuerti. Quaſi ipſe Chriſtus voce ſua locutus eſſet; *Ecce venies i.e.* Ac ſi dicatur: vere hoc modo locutus eſt. Nam ipſe venit incarnari, & aduentus eius valet. Ac ſi eſſet locutus, ſi rationabilitatem habueritis. *Saliens*, id eſt, venit, vt ſaltus ſuos oſtenderet, ſcilicet de cœlo in vterum, hinc in crucem, & reliqua. *In montibus*, id eſt, in Apoſtolis, ſed nos minores quaſi *colles transſiliens*, quia pro paruitate intelligentiæ non pleniter ſaltus ſuos nouimus, vt Apoſtoli quibus ſecreta cœleſtia patuerunt. *Similis eſt dilectus* oſtenſione, qualis venit in præcedenti verſu oſtendit, per quos veteres, qui pleniter aduentum eius nouerunt, & pleniter teſtimonium aduentus eius perhibere potuerunt. Nunc enim quia ſapiens, & velox in deſtituendis peccatis, & faciendis
C miraculis. In caprea diſcretionem, qui fuiſſent eligendi, qui non, in hinnulo velocitatem, qui parentibus velocior eſt: in ceruis patriarchas, de quorum progenie Apoſtoli, & ipſe Chriſtus ſecundum carnem natus eſt, accipimus. *Vere ipſe erat* velocior, neque enim leuita, neque ſacerdos ſemiuiuum qui deſcenderat à Ieruſalem in Iericho à vulneribus ſanauerunt, donec Samaritanus eum in iumentum poſuit, & ſtabulario commiſit. *En ipſe ſtat*, Ac ſi dicatur: Quandoquidem vos adiuuat ipſe, bene ſuis, & ipſi obedire debetis; quia *ipſe ſtat poſt parietem*, quia ipſe moratur ad deſtruenda vitia noſtra, quæ ſunt quaſi paries inter nos & ipſum: & hoc eſt dictum ad ſimilitudinem alicuius principis, qui cum vult alicuius ciuitatem intrare, ſtat iuxta muros tam diu, donec interpellat eos. *Reſpiciens per feneſtram.* Cuius gratia noſtri miſerta eſt, *per feneſtras*, id eſt, per præſentia miracula; quia ſicut feneſtræ domum illuminant: ſic miracula Chriſti corda hominum. Quod verò dicimus præſentia non habemus, authoritatem verbi, ſed per hoc quod ſequitur, notamus præterita. Et
D bene reſpexit, quia non tantum prædicauit, ſed miracula fecit: vt qui nobis nollent credere; ſaltem miraculis acquieſcerent. Tanta enim attentio remedendi nos erat in eo *per cancellos*, id eſt, per præteritos patres, videlicet Moyſen & Aaron & cæteros nobis multa miracula promiſit, qui Eccleſiæ principium fuerunt, velut cancelli ſunt templi. *En dilectus meus loquitur mihi*, id eſt, in illis prædictis vobis dicit, hoc eſt mihi, vt vos ad fidem ducam. *Surge*, id eſt, propera, terrenis poſthabitis; *propera* abſque dilatione *amica mea, columba mea*, in fide, *formoſa mea* in operatione, *& veni*, id eſt, fac alios venire quod potes bene facere. *Iam enim hiems*, id eſt, frigus iniquitatis *tranſiit: imber*, id eſt, perſecutio tyrannidis *abiit* & penitus *receſſit: flores*, id eſt, initia virtutum *apparuerunt*, id eſt, incipiunt bene operari, quod eſt ſignum virtutis *in terra noſtra* ſed futura; quicunque ſe colunt vomere correctionis pro ſpe æternæ retributionis. *Tempus putationis*, id eſt, vt amputentur prædicatione ſuperflua, ſi qua in eis maneant. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Ac ſi dicatur: Verè tempus eſt

E Nam audiuit prædicationem meam. Chriſtus ſe turturi comparat propter caſtitatem & gemitum vocis. *Ficus*, id eſt, Iudea hactenus ſterilis, *protulit groſſos ſuos*, id eſt, bona opera. *Vineæ*, id eſt, gentes futuræ vineæ *florentes* in opere, *dederunt odorem ſuum*, id eſt, famam bonæ operationis. *Surge propera amica mea, columba mea*, propter interpoſita, repetit ſuperius dicta. *In foraminibus petræ*, id eſt, in vulneribus Chriſti. Quicquid prædices de vulneribus Chriſti, ne exeat quin de illo loquaris, qui ſunt tibi in hoſtes, vt foramen petræ, columbæ, eſt in ſerpentes. *In cauernis maceriæ*, id eſt, in cuſtodia patrum; quia multi, prophetæ ad vnum tendunt, vt multi lapides ad parietem conſtruendum. *Oſtende mihi faciem tuam*, id eſt, mentem tuam quia vt homo in facie aſpicit: ſic Deus in corde. Ac ſi dicatur: Ita ſit meus tua pura, vt digna ſit in conſpectu meo. *Sonet vox tua*, id eſt, prædicatio *in auribus meis*, id eſt, talis ſit vt digna à me exaudiri. Vere ſi prædicaueris à me exaudieris, & faciem tuam videbo. *Nam vox tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Ac ſi dicat: Tu quidem prædi-
F cabis, ſed cauendum eſt ne hæretici prædicando te decipiant, & hoc eſt quod dicit: *Capite*, id eſt, intercipite ſententias eorum, ne quid habeant contra mittere. *vulpes*, id eſt, hæreticos, propter aſtutiam, *paruulos*, quia ſe humiles fingunt. *Quæ demoliuntur*, id eſt, corrodunt dente deceptionis *vineas*, id eſt, Eccleſias. Et cauendum eſt. *Nam vinea*, ſcilicet futura, *floruit*, id eſt, iam incepit bene operari, & *dilectus meus* loquitur *mihi*, & ideo illi obediam *donec aſpiret*, id eſt, refrigeret nos à labore mundi *dies*, ſcilicet iudicij, *& inclinentur*, id eſt, tranſeant *vmbræ*, id eſt, terrena.

Et vt obedire tibi poſſim, vt ad effectum perueniat. *Reſpires*, id eſt, appareat te mihi in auxilio adeſſe. Sed quod dixit *reuertere*, notandum eſt quaſdam prædicationes non exaudiſſe. Tunc enim videtur Deus abeſſe, quando auditores indurati non acquieſcunt. *Similis eſto capreæ* acutum viſum habens, hinnuloque ceruorum velocius miracula faciens, & genus humanum ab hoſte redimens:
G id eſt, ita venias vt cito eligas qui ſunt eligendi. *Super montes Bethel*, id eſt, nos protegas qui ſumus montes Dei, id eſt, prædicatores in domo Dei. Beth enim interpretatur domus, vel Deus, Domine tu debes reuerti vt per me prædicatio tua repleatur, quia niſi quis prædicet illis, non poterunt conuerti magis quam ego potui. Sed quia prædicatores me inuenerunt, ideo conuerſa ſum. Et hoc eſt quod narrat

CAPVT III.

IN *lectulo meo*, id eſt, eram in lectulo, id eſt, in terrenis diuitiis in quibus dormiui a bono in peccatis. *Per noctes*, id eſt, per paganos autores, qui ad inferni noctem ducunt, *quæſiui*, id eſt, imitando exempla eorum, volui iungi Deo, a quibus nomen Dei audiui, non viam quæ ad eum tendit, *quem diligit* ſcilicet *anima mea*, id eſt, intentio mea. *quæſiui illum.* Ac ſi dicatur; ſæpius pro nimia afflictione, *& non inueni*, id eſt, non potui habe-
H re notitiam oſculi ſui ſuper illos. Et ideo propoſui mecum dicens: *Surgam* à lectulo vitiorum, *& circuibo ciuitatem*, id eſt, nitar imitari dicta & facta illorum, qui ſunt in ciuitate, id eſt, in Eccleſia. Quia ſicut ciuitas circundata eſt muris & magis culta in vrbanitate: ſic fideles in virtutibus coluntur, quibus tutantur: *Per vicos & plateas*, quæ circumeunt ciuitatem, id eſt, circuibo ciuitatem, *vt quem diligit anima mea quæram per vicos*, id, eſt, martyres, qui arctiorem ducunt vitam *per plateas*, id eſt, confeſſores & cæteros bonos, qui latiorem viam habent, id eſt, imitando eos. *Quæſiui illum*, ſcilicet per noctem, *& non inueni.* Repetita eſt cauſa ſuperius dicta. Ideo autem iſtos imitor, cum per auditores, id eſt, libros gentilium non perfecit quia *inuenerunt me*, id eſt, prædicauerunt mihi *vigiles*, id eſt, prædicatores, *qui vigilant* ad cuſtodiendam *ciuitatem*, quibus dixi: *Num quem*

diligit

A *diligit anima mea vidiſtis.* Ac ſi dicatur : Priuſquam illis crederem, perſcrutata ſum, ſi tales verbo & opere quod vidiſſent, id eſt, habuiſſent notitiam Dei viui. *Paululum cum pertranſiſſem eos* quaſi perſcrutata ſum eos, didici errorem meum per illos exuere, & cum paululum pertranſiſſem ab errore meo, per eos, id eſt, per prædicationem eorum. Hoc autem dictum eſt, vt ſi diceret tranſitum feci de loco ad locum: *Inueni quem diligit anima mea*, maiorem ardorem bene operandi habitu, vel maiorem ſcientiam, & quia eum inueni & meo deſiderio & oſtenſione vigilaui, *tenui eum*, id eſt, à memoria mea nunquam poſtea diſceſſit, *nec dimittam, donec introducam*, id eſt, manifeſtem eum prædicatione mea : *in domum*, id eſt, in nationem gentium, quæ eſt mater mea carnaliter, & non ſolum in gentem ſcilicet introducam eum, ſed & *in cubiculum genitricis meæ*, id eſt, in cor quorundam de gentibus, qui ſunt gentes carnaliter. Per cubile ideo cor intelligitur, quia ſicut in cubili membra
B ita in corde cogitationes verſantur. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem.* Chriſtus audiens effectum gentilium in conuertenda Iudæa, adiurat ipſos conuertendos ne ſint rebelles. Vel ipſa in gentilitatem, ne aliquam vim faciat quibus prædicat. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit*, de virtute in virtutem; ſed hactenus *per deſertum*, id eſt, per gentilitatem, hactenus à lege deſertam & miraculis diuinis. *Sicut virgula fumi*, id eſt, rectam in virtutibus : *fumi*: id eſt, bonarum operationum : *ex aromatibus*, id eſt, confeſſoribus; mirrhæ, id eſt, martyrum; *thuris*, id eſt, confeſſorum, *& vniuerſi pulueris*, id eſt, omnium bonorum qui conteruntur ieiuniis, perſecutionibus, vt puluis: *& pigmentarii*, id eſt, Chriſti, qui conficit virtutes vt pigmentarius ſpecies. Hoc eſt dicere : ipſa eſt virgula, id eſt, recte tendens ad alta, quæ rectitudo eſt habens famam bonæ operationis, & hoc ſecundum omnes partes, videlicet martyres, confeſſores, & ceteros bonos, ex quibus omnibus cæteros Chriſtus quaſi aromata conficit. *En lectulum*, ſcilicet Eccleſia gentilis reſpondet dicens : Non eſt mirum ſi talis ſum. *En lectulum*
C Salomonis, id eſt, mei, vbi verus Salomon caput reclinat, *Sexaginta*, id eſt, qui cuſtodiunt ſex opera miſericordiæ; *viſitare infirmos, veſtire nudos, ſitientes potare, eſurientes cibare*, & cætera quæ in Euangelio leguntur, quique ſeruant decalogum mandatorum, id eſt perfecti; & *fortes*, id eſt, perſeuerantes, id eſt, *ex fortiſſimis Iſrael*, ita ſunt perſeuerantes, vt perſeuerantiſſimi, in omnibus Deum videntes. *Ambiunt*, id eſt, nocte & die vigilant, vt lectum cuſtodiant, id eſt, ſe & alios. *Omnes tenentes gladios*, expoſitio eſt quam ambiunt. *Gladios*, id eſt verbum prædicationis, quia occidunt homines in hoc quod ſunt occidendi. & quia quidam etſi ſciant, non tamen apti, dicit *ad bella* vitiorum *doctiſſimi*. Et quia teſtat vt cuius vita contemnitur, prædicatio quoque contemnatur, addit *& enſis cuiuſque*, id eſt, vigilans cuſtodia, *ſuper femur ſuum*, id eſt, carnis concupiſcentiam, quia in fœmore oritur libido. Et hoc *propter timores nocturnos*, id eſt, occultas inſidias diaboli quæ ducunt ad noctem, & quomodo aliquis ad lectum illum prouenire
D poſſit, id eſt, vt ſit ipſe lectus, oſtendit. *Ferculum*, id eſt, menſa, in qua debemus refici, vt poſtea quieſcamus in lecto, id eſt ſcriptura; *ſibi*, id eſt, ad honorem ſuum; *Rex Salomon*, id eſt, Chriſtus, *de lignis*, id eſt, de thuris, *libani*, id eſt, candidorum. Libanus interpretatur candidatio; & hoc eſt dicere, Ad honorem Chriſti factæ ſunt ſcripturæ de vitis patrum, vt illos imitando aſcendamus ad lectum. *Columnas fecit argenteas*, id eſt, vetus & novum teſtamentum fecit lucem & nitorem eloquij cœleſtis; quibus inniteretur ſcriptura patrum : quia niſi affirmarentur geſta patrum non diſcrepare à præcepto noui & veteris teſtamenti, ſtare non poſſent. *Reclinatorium aureum*, id eſt, illos qui & vitas patrum & nouum & vetus teſtamentum exponerent, fecit aureos, id eſt, caritatiuos & ſapientes, tales videlicet in quibus filius hominis caput reclinaret. *Aſcenſum purpureum*, id eſt, crucem Chriſti, cuius exemplo fierent purpurei, id eſt, martyres, propter ruborem

E purpureum notamus, ſanguinem, quo aſcendunt in Ieruſalem. *Media caritate conſtrauit, propter filias Ieruſalem*, id eſt, ordinauit lectum media caritate, id eſt, vt alij præter martyres aſcendant; & hoc *propter filias Ieruſalem*, non propter filios, id eſt, propter molles, qui martyrium ſufferre non poſſunt. Hic Dei miſericordia notatur, qui non omnes martyres iubet fieri, ſed & illos qui ſunt lectus eius, caritatem iubet mediam habere, id eſt, communem martyribus & cæteris. *Egredimini* Ac ſi dicatur, Cum talis ſit Salomon, *egredimini* ab errore veſtro, *& videte*, id eſt, *Salomonem* eſſe cognoſcite *regem* regum, & dominum dominantium. Vos filiæ Ieruſalem ſi cognoſcitis regem veſtrum, eritis ciues eius, vos poſitæ *in diademate*, id eſt, in memoria eius, qui fuit cauſa coronæ ſibi deuicto hoſte, & præda reducta : quo ſcilicet diademate *coronauit eum mater ſua*, id eſt, ſancta Maria. *In die*, id eſt, habentis in memoria
F diem *deſponſationis eius*, id eſt, mortis qua Eccleſiam ſibi deſponſauit. *Et in die lætitiæ cordis eius*, id eſt, habentis diem reſurrectionis, quæ fuit lætitia cordis eius, id eſt, Apoſtolorum & reliquorum bonorum. Vel ita: *In diademate*, id eſt, mementote paſſionis quando ſpinea corona appoſita eſt ſibi, *qua coronauit eum mater ſua*, id eſt, Iudæa *& in die deſponſationis*, id eſt, natiuitatis quia cum carnem aſſumpſit, Eccleſiam ſibi deſponſauit. Quod ſequitur ſicut ſcriptum eſt.

CAPVT IV.

Qvam *pulchra es amica mea.* Chriſtus audiens nimium affectum eius, ſic eam laudat per ſingula. *Quam pulchra es*, ſcilicet in opere, id eſt, in virtutibus, *amica*, cui quæcunque audiui à patre nunciaui, *quam pulchra es*, ſcilicet in opere. *Oculi tui*, id eſt, prouiſores tui, *columbarum* : id eſt, ſunt columbæ, ſeptem dona ſancti ſpiritus. *Abſque eo quod intrinſecus latet*, & cum appareant exterius virtutes. *Capilli tui*, id eſt, moliores, qui adhærent mihi, vt capiti capilli; *ſicut greges*
G *caprarum*, id eſt, aſcendentes de virtute in virtutem, ſcilicet per gregem concordiam notamus. *Quæ aſcenderunt de monte.* In hoc quod ſunt montes videlicet. *Galaad*, id eſt, aceruus *teſtimonij*, id eſt, omnes martyres. Martyr enim teſtis eſt. Galaad eſt mons in quo Iacob & Laban congeſſerunt aceruum lapidum, id eſt, teſtis fœderis. *Dentes tui*, id eſt, prædicatores, qui vitia conterunt, *ſicut greges tonſarum*, id eſt, tonſi ipſi à ſuperfluitatibus vt oues à pondere lanæ & ſordium. *Quæ aſcenderunt de lauacro*, id eſt, de baptiſmo, id eſt, de hoc, quod ſunt baptizati aſcenderunt ad montem virtutum. *Omnes* ſcilicet tui ſunt *gemellis fœtibus*, id eſt, in dilectione Dei & proximi : *& ſterilis non eſt inter eas*; qui opus bonum non faciat. *Sicut vitta coccinea labia tua*, id eſt, prædicatores tui veteri & nouo teſtamento ſcilicet verbo & opere concordantes ſunt vitta, ſcilicet concordantes, ligantes prædicatione fideles Chriſto capiti ſuo. Qui & ſunt coccinei, id eſt, rubei ſanguine martyrij, id eſt, & alios docent & in ſe martyrium ſuſtinent, & hoc probat : quia ipſi ſunt vitta, quia eloquium
H dulce. Neque enim oculum pro oculo exigis, ſed inimicum diligere. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.* Et quia vitia deuorant, Sed exterius martyrium ſuſtinentes. Sunt autem alba in multitudine virtutum; quia poma in Africa exterius ſunt rubicunda, ſi vero frangantur interius ſunt alba, & granata, per quæ notamus multitudinem virtutum. *Abſque eo quod intrinſecus latet*, expoſitum eſt ſuperius. *Sicut turris David collum tuum*, id eſt, prædicatores tui, quibus minores copulantur Chriſto à quibus verba prædicationis traiiciuntur in membra Chriſti. *Sicut turris David*, id eſt, inexpugnabilis defenſio eius, qui eſt manu fortis, quia & milites ſui hoſtem diabolum effugant. *Quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, id eſt, firmis ſententiis quibus expugnetur, repellatur. *Mille clypei*, id eſt, infinitæ bonæ operationes, quæ fideles protegunt vt clypei, *pendent ex ea*, id eſt, interius apparent. *Omnis*

A *armatura fortium*, id eſt, omnes bonæ operationes, omnes ſententiæ tales ſunt, quibus fortes pugnare & tueri poſſunt. *Duo vbera tua*, id eſt, doctores qui manifeſtant ſpiritualem intellectum, duarum litterarum veteris ſcilicet & nouæ, ſunt *ſicut duo binnuli capreæ gemelli*, id eſt, ſecundum vtrumque velociores in complendo comparantes. *Capreæ*, id eſt, patrum, qui deſcripti erant in eligendo bonum & recuſando malum, & de virtute in virtutem aſcendentes. *Gemelli*, id eſt, concordantes, *qui paſcuntur in liliis*, in candidis virtutibus, *donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ*. Ac ſi dicatur: Cum talis ſit vt dixi *vadam ad montem*, id eſt, apparebo per miracula eſſe in te qui es mons *myrrhæ*, id eſt, martyrij: quia myrrha vngebantur corpora mortuorum, vt incorrupta ſeruarentur: ſic martyrium non corruptum ſeruat fideles à tentationibus. *Et ad colles thuris*, id eſt, ad confeſſores, quia & ſi non ſint tam alti vt martyres, tamen vita eorum redolet vt thus. Ac ſic dicatur: Et in martyribus & in con-
B feſſoribus miracula oſtendam, & non tantum quod es martyr & confeſſor, ſed quia tu *pulchra es*, & ſecundum minores *amica mea, & macula*, id eſt, intermiſſio bene operandi *non eſt in te*, quia fidelis cum dormiat Domino dormit; ſiue comedat Domino comedit. Et hoc eſt dictum ad ſimilitudinem loricæ, vbi foramina annulorum maculæ vocantur, per quæ minimum ferrum quem perrumpit: ſed opera fidelium adeo ſunt aſſidua, vt nullatenus perrumpi poſſint. *Veni de libano*. Ac ſi dicatur: Cum ego te tantum diligo, *veni*, id eſt, perſiſte, ita vt te & alios excolendo, vt curſu conſummato & fide ſeruata tandem in æterna beatitudine recipiaris. *De libano*, id eſt, de candore virtutum. *Sponſa mea*, quia filios mihi nutries. Quod ter dicit *veni* notandum eſt, quaſi dicat *veni* in pueritia, vt Ioannes Baptiſta & Nicolaus; *Veni* in iuuentute, vt Martinus; *veni* in ſenectute, vt Ioannes Euangeliſta. Veni ſponte & coactus infirmitate, & de purgatoriis locis. *Coronaberis*, id eſt, ita venias vt digna ſis corona gloriæ. *De*
C *capite Amana*, id eſt, prædicatione tua conuertentur, qui ſunt capita inter membra diaboli. Amana mons eſt, & interpretatur nocturna auis, id eſt, diabolus qui circumquaque hominibus occultas ponit inſidias vigilando, quaſi in nocte, id eſt, in obſcuro. *De vertice Sanir*, id eſt, de illis qui ſuperiores & altiores videri volunt interne, quia Sanir interpretatur Deus vigiliarum, id eſt, Diabolus, qui inuigilat vt quoſcunque deuoret. *Et Hermon* qui anathematizant peccata ſua pœnitentiam agendo. Hermon interpretatur anathematizans. *Et de cubilibus*, id eſt, de illis in quibus leo quieſcit, id eſt, diabolus propter crudelitatem. *De montibus*, id eſt, de illis qui ſunt montes inter *pardos*, id eſt, hæreticos, qui gloriantur de ſecta ſua vt pardi de coloris varietate. *Vulneraſti*, quaſi dicat. Rogo te venire, quia diligo nimium te. Dictum ad ſimilitudinem amantium, qui ſagitta amoris vulnerantur. *Soror mea*, id eſt, cohæres ſponſa propter nutrituram filiorum. *Vulneraſti cor meum* repetitio amoris.
D *In vno*, id eſt, in vnitate fidei, *oculorum*, id eſt, prouiſorum tuorum, *& in vno*, id eſt, in vnitate *crine*, id eſt, crinium, quia plures vnius, id eſt, auditorum, *colli tui*, id eſt, prædicatorum tuorum, id eſt, propter vnitatem prædicatorum tuorum, & vnitatem auditorum, qui circumdant prædicatores ad audiendam prædicationem, vt crines collum. Et ideo quia *pulchræ ſunt mammæ tuæ*. id eſt, illi qui nondum ſatagunt ad prædicandum, & in quibus ſpes tantum eſt, ſicut in mammis ſpes eſt lactendi. *Soror mea, ſponſa mea, & pulchriora ſunt vbera tua vino*, id eſt, perfecti prædicatores tui ſunt meliores vino, id eſt, ſæculari ſcientia. *Et odor vnguentorum tuorum*, id eſt, fama tuorum operum quibus vulnera diaboli ſanantur *ſuper omnia aromata* carnalia. *Fauus diſtillans labia tua*, id eſt, prædicatores tui in noua & veteri litera conſonantes vt labia tua adinuicem ſunt. *Fauus diſtillans*, id eſt, fluentes, & talis eſt eorum prædicatio. *Mel*; id eſt, fortis prædicatio, & lac, id eſt, ſuauis. Mel enim non
E datur infantibus, ſed *lac*. *Sub lingua tua*, id eſt, in corde. *Et odor*, id eſt, fama *veſtimentorum tuorum*, id eſt, bonorum operum, quæ veſtiunt coram Deo, *ſicut odor thuris*, qui omnem fœtorem expellit. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*, quaſi dicat. Ideo ad te vadam, quia potero in te delectari, qui es hortus, id eſt, repleta multis virtutibus, concluſus circumquaque claue virtutum, ne quis bonus egredi, aut malus ingredi poſſit, hortus concluſus virtutibus & operationibus. *Fons*, id eſt, quemadmodum fons irrigat totum hortum: ſic fons baptiſmatis totam Eccleſiam. *Fons*, id eſt, in illa Eccleſia eſt baptiſmus, *ſignatus* crucis ſignaculo. *Emiſſiones tuæ*. Ac ſi dicat. Tu talis es, ſed illi qui prædicatione conuertuntur, quaſi emiſſiones, id eſt, virgulæ, quæ ad radicem magnarum arborum pullulant, erunt *paradiſus*, id eſt, deliciæ, *malorum punicorum*, id eſt, martyrum, & erunt emiſſiones tuæ *cum pomorum*, id eſt, confeſſorum *fructibus*, id eſt, quos ipſi conuertent, id eſt, tales erunt in quibus delectentur magiſtri eorum, videlicet & martyres
F & confeſſores. Ideo per omnia confeſſores accipimus, quia prius dicit punica, poſtea poma. Abſolute dicit erunt illæ emiſſiones *Cyprus cum nardo*. Cyprus eſt arbor in Ægypto, cuius fructus cum oleo coquitur, & fit regale vnguentum: ſic fidelis huius mundi tenebris exiens, emittit fructum donis Sancti ſpiritus coctum. Vnde Chriſtus qui eſt rex regum vngitur. Nardus eſt arbor humillima, tamen odorifera: ita fideles humiliter habent, reddunt tamen odorem bonæ operationis. *Nardus cum croco*, id eſt, humiles martyrium ſuſtinentes. Crocus enim herba eſt rubei coloris, ſignificans martyrium. *Fiſtula & cynamomum*. Fiſtula eſt arbor duri corticis, quæ contritus bibitur, & ſanat viſcera: ſic fideles in carne contritionem patiuntur, quæ in anima ſanat. Cinamomum eſt radix cinerei coloris, & interpretatur immaculatus, & ſignificat illos, qui per pœnitentiam fiunt immaculati & reputatione ſe faciunt vilea vt cinerem. *Cum vniuerſis lignis libani*. Omnes nitore virtutum candidati & validi. Ac ſi dicat. Omnes qui per cyprum
G & nardum &c. deſignari poſſunt, per te conuertentur, id eſt, qui præter iſtos boni ſignificantur. *Myrrha & aloe*. Per myrrham paſſionem martyrij notamus: per aloe quæ in guſtu amariſſima eſt, interius vero recepta ſanat afflictionem carnis, ieiunando, vigilando, & cætera notamus, quæ dum fiunt aſpera & intolerabilia videntur, ſed tamen animam intrinſecus ſanant. *Cum omnibus pigmentariis*, id eſt, cum omnibus donis Spiritus ſancti. Et pulchra eſt coniunctio arborum cum vnguentis, quia cum carnem à laſciuia refrænamus, conſequens eſt vt maiora dona Spiritus ſancti recipiamus. Et *fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano*. Deſcripſit emiſſiones futuras: nunc autem vnde irrigantur, videlicet à fonte baptiſmatis, qui eſt fons hortorum, Eccleſiæ, vnde tota irrigata eſt. *Puteus aquarum viuentium*, per puteum continentium profunditates, id eſt, myſteriorum, per aquas viuentes dona Sancti ſpiritus, quæ nunquam deficiunt.

Et hoc eſt dicere, fons baptiſmatis continet myſte-
H ria donorum Sancti ſpiritus, *quæ fluunt*, ſcilicet in ſubditos *de libano*, id eſt, de candidatis viris & prædicatoribus: *impetu*, id eſt, nullo vitio obſtante, id eſt, ita pleniter Spiritus ſanctus per prædicatores operatur in auditoribus vt nullum vitium queat reſiſtere. *Surge aquilo, & veni auſter*, ac ſi dicat: Cum talis ſit hortus meus & tales emiſſiones futuræ; ſurge ergo aquilo, id eſt, tu ſathanas in frigiditatem, id eſt, qui infrigidas mentes hominum à feruore charitatis. *Surge*, id eſt, præpara te ad impugnandum meos, *& veni*, id eſt, in membris tuis infer tormenta eis. *Auſter perfla hortum meum*, id eſt, ſed tu Spiritus ſanctus fla per hortum meum, id eſt, inſpira meis ne deficiant in tribulationibus, *& fluent aromata illius*, ſi perſeuerauerint paſſi, tunc diffamabuntur eorum bona opera. Vel ita, ac ſi dicat, tales erunt emiſſiones tuæ, vt hoc fiat. *Surge*, id eſt, recede aquilo, qui horto meo inſidiaris: *& veni auſter*, Sancte ſpiritus, *perfla hor-*

A *tum meum*, id eſt, inflamma illos, qui ſunt futuri hortus mei, *& tunc fluent aromata.*

CAPVT V.

V*Eniat dilectus meus in hortum ſuum.* Sponſa à dilecto ſe laudari audiens, ſic eius aduentum adoptat, quoniam tales emiſſiones meæ ſunt, & hoc per me fieri non poteſt. Veniat igitur dilectus meus in me hortū ſuū, id eſt, oſtendat per miracula ſe adeſſe mihi in prædicatione. *Vt comedat*, id eſt, delectetur in *fructibus pomorum ſuorum*, id eſt, ſuper nos, qui ſumus poma ſua, ac quærat tales qui fiant hortus eius. Chriſtus aduentum ſuum ſponſæ promittit dicens: Rogas me venire & ego veniam. Vnde ſit tibi ſignum, quia ego olim *veni in hortum meum*, id eſt, in primitiuam Eccleſiam, ſic in te veniam cum ſis *ſoror mea & ſponſa. Meſſui myrrham meam.* Ac ſi dicat: in his miracula oſtendam, & tandem meſſui, id eſt, quaſi manipulos collegi in hortum, *myrrham meam*, id eſt, martyres meos, *cum aromatibus*, B id eſt, cæteris electis. *Comedi fauum cum melle meo*, ac ſi dicat: Non immerito recepi eos, quia prædicatio eorum & minor & maior deliciæ mihi erat, & hoc eſt quod dicit: *comedi fauum*, id eſt, prædicatores, cum melle, id eſt, forti prædicatione de me facta. *Bibi*, idem eſt quod comedi, *vinum*, id eſt, prædicationem, & hoc eſt dicere, ad illos veni per illos miracula oſtendens, id eſt, per æternam vitæ beatitudinem reperi, quia vita & prædicatio eorum mihi placuerunt. Sic & te ſi legitime certaueris, in æterna beatitudine recipiam. *Comedite amici & bibite.* Ac ſi dicat: Ego ad vos veniam, ſed vos amici, id eſt, prædicatores, quibus omnia reuelaui; ita prædicate vt poſſitis comedere eos, id eſt, delectari in illis quibus prædicatis. *Et bibite*, idem eſt, quod *comedite*, ſed ad minores pertinent: quia infantes non comedunt. *Et inebriamini chariſſimi.* Ita ſitis verbo prædicationis intenti, vt quantum ad vos ſitis obliuiſcentes laboris & paſſionis veſtræ. *Ego dormio.* Sponſa audiens admonitionem ſponſi reſpondet: Sponſus meus hortatur C me ad prædicationem, ſed ego dormio, id eſt, ab omnibus curis quieſco. Et ne intelligeretur carnalis dormitio, dicit: *Cor meum vigilat*, id eſt, ita dormio à terrenis, vt in lege Dei mediter die ac nocte. *Vox dilecti mei pulſantis*, id eſt, ideo ad prædicationem vigilo, quia hæc eſt vox dilecti mei pulſantis, id eſt, monentis, id eſt, quia ipſe ſponſus monet, dicens: *Aperi mihi*, id eſt, aufer mihi velamina peccaminum à cordibus incredulorum. *Soror*, id eſt, cohæres, *amica*, cui commiſi ſecreta mea, columba donis Sancti ſpiritus repleta, *immaculata* ſine intermiſſione bonorum operum. Aperi dico, *quia caput meum*, id eſt, diuinitas mea, *plenum eſt*, id eſt, circumdata *rore*, id eſt, perſecutoribus, quorum ſententiæ nocturnæ ſunt vt ros, qui dicunt ſe in Deum credere, ſed obtenebrati ſunt ſententiis dæmoniacis. *Et cincinni*, id eſt, qui futuri ſunt *mei*, ita in charitate deuoti vt cincinni, id eſt, contorti, capillis capitis mei, qui adhærebunt mihi ſunt *pleni guttis noctium*, id eſt, nocturnis ſententiis, id eſt, qui iam putantur membra Chriſti, nec D non & illi, qui quando conuertebantur, male erant tenentes ſententias perditionis.

Expoliaui me tunica mea, id eſt, reſpuo omnem ſæcularem curam, vt ad prædicationem feſtinarem. *Quomodo induar illa*: id eſt, implicabo me iterum ſæcularibus dimiſſa prædicatione, cum ipſe dicat: *Aperi mihi ſoror mea. Laui pedes meos*, id eſt, meliori intentione operum eorum, vt tantum non verbo ſed opere bonitatis exemplo dimittendo.

Dilectus meus miſit manum ſuam. Ac ſi dicat: Bene potero prædicare, quia dilectus meus mittit, id eſt, immittet manum ſuam in auxilium meum. *Per foramen* id eſt, auditorum aures, id eſt, ipſe faciet vt ipſi libenter auſcultent per foramen, ſcilicet laterum ſuorum, id eſt, cum ipſi audient me pro redimendo humano genere eſſe paſſum compungentur.

Et venter meus, id eſt, molliores mei intremiſcent pro peccatis ſuis dolentes. Reſpicientes *ad tactum eius*, E ſcilicet auxilium eius. Ideo *ſurrexi*, id eſt, ſurgam, aperire ſcilicet corda fidelium dilecto meo. *Manus mea*, id eſt, ideo bene potero prædicare, quia auxilium ſponſi adeſt; & ideo quia vita mea non eſt contemnenda, quia hoc eſt quod dicit: *Manus mea*, id eſt, operationes meæ, *ſtillauerunt*, id eſt, emittendo oſtendere myrrham, id eſt, in opere meo poſſunt percipi, quia ſi neceſſe ſit mortem non recuſabo pati.

Digiti mei, id eſt, diſcretio prædicationis meæ, *pleni myrrha*, id eſt, charitate. Myrrha enim vnguentum, vnde notamus dona Sancti ſpiritus, ſed addit *probatiſſima*; vnde intelligimus charitatem, quia probatiſſima virtutum cæterarum: ſed quia in ſepulchris adhibetur, poſſumus notare ſe velle dicere, tantam ſibi eſſe charitatem cum diſcretione prædicationis, vt non dubitet pro ſalute ſubditorum mortem ſubire. *Peſſulum oſtij mei* ſcilicet vniuerſalem Eccleſiam dicit.

Ac ſi dicat, ipſe iubet aperire quid faciam, vnde eſt ſignum mihi quod olim *aperui peſſulum*, id eſt, clauſu- F ram *oſtij mei*, id eſt, mentem illorum qui ſunt modo mei. *At ille declinauerat*, id eſt, ego aperui dilecto meo, ſed hoc non ſine auxilio eius, quia ipſe declinauerat, id eſt, de cœlo deſcenderat in me, atque tranſierat: ac ſi dicatur, nondum poteſt intelligi totus, & à me comprehendi, & hoc eſt quod dicit. *Atque tranſierat*, quia nulli in hac vita plena viſitatio Dei conceditur, ideo tranſire dicitur, id eſt, in futuro plenius videndo oſtendit. *Anima mea liquefacta eſt*, ac ſi dicat, ideo quia ipſe in me declinauerat, anima mea, id eſt, miſerorum meorum, liquefacta eſt à duritia iniquitatis per calorem Spiritus ſancti, id eſt, poſtquam illis prædicaui, citius acquieuerunt, & hoc eſt quod dicit: *vt locutus eſt.*

Poſtquam prædicaui dilecto meo adiuuante, *quæſiui & non inueni*, Dixi ſuperius quia tranſierat, & quia dixit ſponſa *tranſierat*, id eſt, plenariam diuinitatis notitiam non habuit, *quæſiui* per ſcripturas ſanctas conata G ad perfectionem venire, ſed *non inueni*, id eſt, defeci. *Vocaui*, id eſt, perſeueraui inquirendo, *& non reſpondit mihi*, id eſt, nunquam tantum inquirere potui, vt plenarie eum viderem, & hoc eſt dictum ad ſimilitudinem, quia cum inquiritur is, qui foris reſpondet, tunc inuenitur. *Inuenerunt me.* Ad hoc quod poſſit quæri, quomodo illa cum eſſet in occulto, & idolis ſubdita aperuiſſet corda aliorum. Chriſtus reſpondet *quia inuenerunt me*, ſcilicet in prædicatione, *cuſtodes*, id eſt, prædicatores, *qui cuſtodiunt* ab hoſte *ciuitatem*, id eſt, Eccleſiam, *percuſſerunt*, id eſt, compunctionem habere fecerunt. *Et vulnerauerunt me*, quod magis eſt, id eſt, pœnitentiam mihi peccatorum impoſuerunt. Vel ita *percuſſerunt* cum dixerunt generaliter: quicumque peccauerint, & pœnitentiam non egerint, damnabuntur. *Vulnerauerunt*, cum ſpiritualiter vnuſquiſque ſcelus carpebant. Facta autem prædicatione tulerunt, id eſt, deponere me fecerunt *pallium meum*, id eſt, terrena quibus cooperiebar. *Cuſtodes murorum*, id eſt, ſanctarum ſcripturarum, qui vt muri ciuitatem, ſic cu- H ſtodiunt Eccleſiam. *Vel muri*, id eſt, virtutes, quæ quemlibet tuentur. *Adiuro vos filiæ.* Ad ſi dicat. Quoniam omnia vana pro eius amore contempſi, rogo vos videre vt ita operemini, vt in operibus veſtris noteſcat me vobis prædicaſſe; ita vt amor meus quantus ſit erga vos pro Chriſto, appareat, & hoc eſt quod dicit. *Adiuro*, id eſt, conſtringo vos filiæ ſcilicet futuræ Ieruſalem, ſi proſit quod *inueneritis*, id eſt, quoniam iam cognouiſtis dilectum per me, *vt annuncietis ei*, id eſt, bona opera veſtra oſtendatis: *quia langueo amore*, quia non bene operantur, niſi prædicetur eis, neque prædicatur niſi diligantur. *Qualis eſt dilectus tuus.* Iudæa audiens illam tanto ardore dilecto inſeruire, admirans ait. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?* Ac ſi dicat: Magnus eſt ex dilecto, id eſt, dilectione tua video eum magnum eſſe. Cum tu ſis *pulcherrima mulierum*, id eſt, ſectarum, & quod multum eum diligas cognoſco, quod adiuraſti nos. Quod autem repetitur,

A *qualis eſt dilectus tuus*, pro nimia afflictione facit : quia & ipſa eum diligere cupit. *Dilectus meus candidus*, id eſt, in carne ſine vitiis apparens, & rubicundus ſanguine martyrij : *Electus ex millibus*, millenarius numerus perfectus eſt vniuerſalem notamus, vt dicatur. Iſte ſolus eſt electus à Deo patre inter omnes patriarchas, & prophetas, & Apoſtolos & ceteros ad redimendum genus humanum. *Caput eius*, id eſt, diuinitas quæ caput eſt hominis diuini, eſt *aurum optimum*, id eſt, pretioſa diuinitas eſt inter omnia, ſicut aurum inter cætera metalla. *Coma eius*. Hactenus in ſeipſo, & ſecundum humanitatem & diuinitatem deſcriptus, modo vero in membris ſuis, videlicet in fidelibus. *Comæ*, id eſt, fideles, qui quanquam ſunt molles inter cætera, ſicut capilli inter membra capiti. *Sicut elata*, vel in palmis ſunt ſpicæ ſimul adhærentes, per quas quaſi per catervam fidelium notamus virtutem. Per *elata* intentionem in cœlum, ac ſi dicat. Fideles tui ſunt habentes multas virtutes, propter retributiones cœleſtes *Nigri quaſi coruus*. Coruorum pulli dum implumes ſunt, albi ſunt, & quia ſimiles non ſunt parentibus, Ideo non paſcuntur ab eis ; ſed fame coacti quendam fætorem emittunt, vnde attractæ muſcæ circa roſtra eorum verſantur, & poſtquam multæ glomerantur, ab eis glutiuntur : ſed poſtquam nigreſcunt à parentibus amari paſcuntur.

Sic dum in ſecta Dei iuuenes Eccleſiæ & Chriſti : videlicet parentum noſtrorum, veſtigia recuſamus, ab eis non paſcimur ; ſed fætorem vitiorum emittentes muſcis, id eſt, ſententiis diaboli paſcimur ; ſed quando incipimus denigrari ſententiis, id eſt, paſſionum tribulatione ad imitationem parentum, videlicet Eccleſiæ & Chriſti, ſuſtinentes ; diligimur ab illis, & paſcimur : vnde dicitur, *nigra quaſi coruus*, id eſt, ſuſtinentes nigredinem paſſionum, vt diliguntur à Chriſto & Eccleſia vt coruus à parentibus, cum iam ad ſimilitudinem eorum nigreſcit. *Oculi eius*, id eſt, prouiſores per quos Eccleſiæ ſuæ C vtilitatem prouidet, *ſicut columba*, id eſt, repleti ſeptem donis ſpiritus S. *ſuper riuos aquarum*, id eſt, immorantes ſuper ſententias ſcripturarum præcauent ſibi ita ab aduentu antiqui accipitris, *quæ lacte ſunt lotæ*, id eſt, in primis infantuli doctrina à ſordibus mundari. *Et reſident iuxta fluenta pleniſſima*, hoc eſt, in primis lacte loti, id eſt, potati, poſtea ad plenitudinem donorum ſpiritus peruenerunt. *Genæ illius*, id eſt, prædicatores pudicitiâ vitiorum deuoratores, areolæ aromatum, id eſt ſedes virtutum, *conſitæ*, id eſt, ordinatæ *à pigmentariis*, id eſt, ab Apoſtolis Chriſti, qui in fidelibus virtutes plantant, vt pigmentarius herbas, quibus aromata ſerit in areola. *Labia*, id eſt, prædicatores in veteri & nouo teſtamento, concordantes verbo & opere. *Lilia*, id eſt, nitentes in candore, *diſtillantia*, id eſt, oſtendentia, *primam myrrham* id eſt, charitatem ad martyrium cogentem, id eſt in verbis & operibus tanta charitas quæ martyrium pati non dubitet. *Et manus eius tornatiles aureæ*, per D *manus* opera bona notantur, per *tornatiles* aſſiduitas boni operis, in idem tendentes, vt tornatura, per *aureæ*, caritas cum ſapientia. Et hoc eſt dicere, eius operatores à bono opere nunquam ceſſant, cum charitate & ſapientia agentes.

Plenæ hyacintho, id eſt, quicquid agunt dono ſancti ſpiritus fit ; quia hyacinthus ignei coloris eſt. *Venter eius*, id eſt, molliores in Eccleſia : eburnei, id eſt, caſtitate nitentes, Ebur enim candidum & caſtiſſimum animal eſt *Diſtinctus ſapphiris* ſingulares virtutes ad cœleſtia reſpiciunt. Sapphirus aerij coloris. Vel, *diſtinctus ſapphiris*, quia humana fragilitas partim eſurie, fatigatione, cogitatione, morte ; partim diuina celſitudo ; miraculis, reſurrectionis gloria intelligitur. In hac enim ſententia humanitatis fragilitatem in dominico homine per ventrem intelligimus. *Crura eius*, id eſt, portitores, prædicatores eius : *marmoreæ columnæ*, id eſt, firmiter rectitudinem ſeruant ; per columnam rectitudinem, per marmor ſoliditatem.

Quæ fundatæ ; id eſt, ſtabilitæ ſuper trinitatis fundamentum, quæ eſt aurea inter omnia velut columna E *ſuper baſes. Species eius vt libani*, id eſt, vt libanus celſitudine & gratia arborum alios montes : ſic & Chriſtus omnes ſanctos meritorum celſitudine præcellit. *Electus vt cedri*, id eſt : cedrus, quæ eſt arbor imputribilis & fugans ſerpentes, eligitur in conſtruendis ædificiis : ſic ſolus filius Dei ad redimendum genus humanum. *Guttur illius ſuauiſſimum*, id eſt, prædicatio eius ſuauiſſima, quia interiora ſanat *Et totus deſiderabilis*, quia totus Deus, totus homo, in quem deſiderant angeli proſpicere. Deus in maieſtate patris : homo in virginitate matris, in illa creator : in iſta ſaluator.

Talis, qualem deſcripſi, *eſt dilectus meus*, & ô quæ debetis eſſe filiæ Ieruſalem, *iſte amicus meus* ; quia quanto deuotius quiſque diligit Deum : tanto familiarius habet Deum amicum ſibi. Ac ſi dicat : Talem neceſſe eſt vt intelligas eum eſſe, ſi vis eum habere amicum. *Quo abiit dilectus tuus*. Eccleſia de Iudæis audiens eum talem eſſe optat ſe ſponſam ſibi fieri, dicens.

O pulcherrima mulierum quo abiit dilectus tuus ? ac ſi F dicat : Nos putabamus eum nobiſcum eſſe, ſed video quia receſſit. Oſtende ergo ad quos à nobis abiit, *quo declinauit* ? id eſt, ad quos deſcendit, ita vt in illis maneat, qui eum diligunt. Si oſtenderis nobis qui ſunt ſedes eius, quos imitando, notitiam eius habeamus, tunc nos tecum, id eſt, in ſecta tua poſiti, *quæremus* eum verbo & opere. Eccleſia de gentibus audiens affectum Iudææ, oſtendit ſibi quos debeat imitari ita.

CAPVT VI.

Dilectus meus deſcendit, id eſt, in experientia rei miranda facio. *In hortum ſuum*, id eſt, in Eccleſiam ; & quia in Eccleſia ſunt & grana & paleæ, dicit ad quam partem deſcendit ; videlicet ad perfectos, vt per eos alios ſibi adiungat, non quod non ſit in minoribus. Et G quia liquido appareat eum ibi eſſe, *ad areolam aromatum*, id eſt, ad perfectiores in quibus ordinantur virtutes vt aromata in areolis. *Vt paſcatur in hortis*, id eſt, ad perfectiores deſcendit, vt per illos virtutes acquirat, qui fiant ſibi hortus, in quo delectetur. *Et lilia colligat*, id eſt, multitudinem virtutum ornet in illis.

Ego dilecto meo, id eſt, quia ad areolam deſcendit vt per me fideles ſibi acquirat, *Ego dilecto meo*, obedio, *& dilectus meus mihi* ſcilicet ſuccurrit. *Qui paſcitur*, id eſt, delectatur, *inter lilia*, id eſt, candore virtutum. *Pulchra* : ac ſi dicatur, cum video hanc voluntatem in te vt alios participes mei facias, *pulchra* ergo *es*, id eſt, ſine inuidia *amica mea*. *Suauis*, id eſt, ſine auſteritate inuidiæ in cogitatione, *& decora* in opere.

Sicut Ieruſalem, id eſt, ſicut fuerunt illi qui ſunt iam viſio pacis : *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*. Ac per hoc quod mihi adeo pulchra es, adeo terribilis es hoſti, *vt caſtrorum acies*, id eſt, ſicut milites cum ordinantur ad bellum, vbi nullus locus ſine munimine relinquitur : quia tanto magis malignis ſpiritibus ſumus H terribiles. *Auerte*, auerte ac ſi dicat, & quamuis ſim tam pulchra, propter quod videtur plenitudinem notitiæ meæ te poſſe habere, tamen *auerte oculos* mentis tuæ à me, id eſt, noli laborare vt plenariam de diuinitate ſcientiam habeas. *Et quia ipſi me auolare*, id eſt, recedere à ſcientia tua *fecerunt*, id eſt, quanto magis naturam diuinitatis inquiris : tanto minus videris tibi ſcire, & ideo non debet aliquis laborare plus ſcire, quam oportet, vſque dum veniamus in patriam : vbi euacuabitur quod ex parte eſt, & videamus quaſi à facie ad faciem. Vere es pulchra, quia *capilli tui*, id eſt, fideles tui, *ſicut grex* aſcendentes de virtute in virtutem.

Per gregem notamus concordiam fidei. *Quæ apparuerunt*, ſcilicet caput *Galaad*, id eſt, per me qui ſum caput Galaad, id eſt aceruus teſtimonij. Id eſt, ad quem aceruantur omnes martyres. *Omnes gemellis fœtibus*, id eſt, omnes tui ſunt in dilectione Dei & Chriſti. per *ſterilis*, omne bonum opus, *non eſt in eis*.

Sicut

A *Sicut cortex mali punici genæ tuæ.* Cortex mali punici rubicundus eſt, per quem paſſiones notamus, interius autem granatus & albus eſt, vnde munditiam & multitudinem virtutum intelligimus, & hoc eſt dicere: *Genæ tuæ*, id eſt, prædicatores tui pudici, & vitia annullantes; ipſi exterius ſunt rubicundi paſſionibus, intrinſecus in anima mundati a vitiis, & in virtutibus fulgentes. *Abſque occultis tuis*, id eſt, tu cares illis, quæ debent eſſe occulta, id eſt, hæreſi. *Sexaginta ſunt reginæ.* Ac ſi quæratur, quæ ſunt illæ filiæ, & reginæ, & concubinæ, quæ pulchritudinem ſponſi laudabunt? Reſpondet *ſexaginta*, id eſt, quæ ſex opera miſericordiæ, & decem præcepta legis ſeruant.

Iſti inquam tales ſunt reginæ quæ amore & cœleſtis ſpiritus intuitu prædicatione fidei & veritatis, & ſacri baptiſmatis fonte ſobolem æterno regi ſpiritualem generant. *Octoginta*, id eſt, quæ pro terrenis prædicant. Et per octogenarium, notamus quatuor in cœlo & totidem **B** in terra climata, & ſic totum mundum. Ac ſi dicatur illis, qui pro quolibet terrenorum prædicant, illi ſunt *concubinæ*, id eſt, pro carnalibus ſolummodo Chriſtum prædicando & baptizando docentes. *Et adoleſcentularum non eſt numerus*, adoleſcentulæ ſunt Eccleſiæ, quas ſuperius filias Sion nominauit, id eſt, nouiter in baptiſmate renatæ, quarum ideo dicit *non eſt numerus*, videlicet nec octogenarius nec ſexagenarius; quia propter nouitatem fidei non pleniter poteſt percipi, vtrum ſint ſexaginta an octoginta. *Vna eſt columba mea.* Ac ſi dicat, Quamuis ſponſam meam ita per ſingula laudem, vna tamen & in fide & in cæteris virtutibus, *columba mea*, id eſt, donis ſpiritus ſancti redundans; perfecta mea, in omni bonitate, vna eſt, ſcilicet interius & exterius, matri ſuæ, id eſt, prædicatoribus, qui eam in fide nutrierunt.

Electa genitrici ſuæ, quæ eam in fide peperit. Ac ſi di**C**cat: Vna in fide & electa inter omnes ſectas, & ad ſimilitudinem eorum, qui eos ab errore ad fidem conuertunt, & eorum qui eos poſtea cibo doctrinæ ſalutaris nutriunt. Et quia talis eſt, *videbunt filiæ Sion*, id eſt, nouiter ad ſpeculationem domini conuerſæ ſed & *reginæ*, id eſt, perfecti ſeſe regentes, & non pro terreno lucro ad lectum Salomonis aſcendentes, ſed amore mariti: *& concubinæ*, id eſt, terreni prædicatores, non pro amore vel honore Chriſti prædicantes, ſed pro terreno, *laudauerunt eam*, quia etſi quidem pretio terrenorum prædicant, tamen benedicunt Eccleſiam laudantes.

Eccleſia de Iudæis audiens gentilem à ſponſo adeo laudari, ſic de eius prædicatione admiratur. *Quæ eſt iſta quæ progreditur*, de virtute in virtutem, & bene *quaſi aurora*, quia iam lumen veritatis in ea ortum eſt, tranſactis tenebris ignorantiæ. Aurora quippe in electis ſurgit, cum prauitatis priſtinæ tenebræ fugantur, & ſeſe in noui luminis fulgorem con**D**uertit.

In illa igitur luce quæ diſtricti iudicis aduentu notatur, corpus damnati hoſtis ortum ſurgentis auroræ non videt, quia cum diſtrictus iudex ad iudicium retributionis venerit, ſuorum quiſque mortuorum caligine preſſus, quanta claritate lumen intimi cordis ſurgat, ignorat.

Tunc namque electa mea ad alta rapitur, vt diuinitatis radiis illuſtretur, & quo eius reſpectu profunditur, eo vltra ſe, gratia coruſcante, ſubleuatur. Notatur dies, quæ ſuorum reſtauratione corporum, videns lumen plenius conſummatur. Ortus itaque auroræ eſt vox domini clareſcentis Eccleſiæ, quem videre reprobi neſciunt, quia à conſpectu diſtricti iudicis malorum ſuorum preſſi ad tenebras trahuntur. *Pulchra vt luna*, maiorem lucem in luna notamus, per ſolem vero perfectam. Luna autem à ſole lumen recipit; ſic Eccleſia à Chriſto. Et ſicut luna noctem illuſtrat, ſic Eccleſia noctem mundi.

Quemadmodum ſol ſolus lucet, & omnes tenebras fugat: ſic & Eccleſia fidelium ſola lucet in mundo, **E** & omnes hæreticorum fugat tenebras, quia ſui conditoris imaginem in omni iuſtitia & ſanctitate portat.

Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Quamuis ſponſa tam pulchra ſit, aëreis tamen poteſtatibus terribilis in vnitate, & charitate, fidei & ſpei. *Deſcendi in ortum nucum.* Chriſtus ſuaque Eccleſia Iudæis quæ interruperat verba repetit. Ac ſi dicat, quia talis eſt ſponſus, quod merito laudabunt eam reginæ & concubinæ & filiæ: *Deſcendi*, id eſt, per effectum videlicet, per miracula me faciam videri deſcendiſſe, ad hortum nucũ, id eſt, perfectiores. Et ſi Chriſtus in omnibus membris ſuis ſit, perfectius tamen in Petro, quam in Cornelio: in Martino, quam in Brictio. In nuce tria notantur, amarum exterius in cortice, infra quam teſta .... carnis ex anima conditoris dulcor eſt virtutum. *Vt viderem*, id eſt, per maiores virtutes miraculorum oſtendam, vt faciam *poma videri*, id eſt, fructus illorum, qui ſunt conualles, id eſt, humi**F**les ab vtroque teſtamento irrigari. *Et inſpicerem*, id eſt, vt faciam inſpici, *ſi floruiſſent*, id eſt, ſi iam haberent initia virtutum, qui ſunt futuri *vinea*, id eſt, perfecti, *& germinaſſent*, id eſt, ſi iam haberent initia virtutum emittere, qui ſunt futuri *malapunica*, id eſt, martyres. *Neſciui: anima mea conturbauit me.* Synagoga videns Chriſtum in ſponſam ſuam deſcendiſſe, dolet ſe tantum tardaſſe, & ſic reddit cauſam quare prius ad fidem non veniſſet. *Neſciui* dona ſancti Spiritus hominibus dari, neque filium Dei incarnatum; quia *anima*, id eſt, prauus intellectus, quem in lege mea habebam, *conturbauit me*, id eſt, non ſinebat ad agnitionem veritatis conuerti. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.*

Noli turbata eſſe, ſed *reuertere* ad agnitionem tui redemptoris, qui tibi potius in lege & prophetis promiſſus eſt. *Reuertere* puritate fidei & operum perfectione. *O Sunamitis*, id eſt, captiua iam vinculo infidelita**G**tis. *Reuertere* ad tuum redemptorem, vt ſalueris.

CAPVT VII.

QVid *videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum.* Tu doles ſynagogam obduratam, prope eſt tempus quo chorus bellantium aduerſus malignos ſpiritus & laudantium Deum videbis in ea. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis.*

Nunc laudes Eccleſiæ ab ipſo ſponſo proferuntur, & primo operum conſtantia & mortificatio voluptatum laudantur in ea: quam & filiam principis, id eſt, Chriſti ob gratiam baptiſmatis & nobilitatem virtutum nominat. *Iunctura fœmorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis*, duorum concordia populorum ſpirituali prole fœcundantium in *iunctura fœmorum* deſignatur, quæ *ſicut monilia fabricata ſunt manu artificis*, **H** id eſt, ineffabili largitate conditoris noſtri firmata. In monilibus bona opera exprimuntur.

Vmbilicus tuus, id eſt, fragilitas infirmitatis noſtræ *crater* ſit *tornatilis*, cum conſcientia mortalitatis atque infirmitatis noſtræ admoniti calicem verbi ſalutaris prompta mente proximis propinare ſatagimus. *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.*

Aceruus tritici vallatus liliis, eſt abundantia boni operis, quæ ſola perpetuæ lucis colligitur in ventre memoria. In tritico multiplicatio boni operis; in liliis caſtitas exprimitur. *Duo vbera tua.* De hoc verſu ſuperius dictum eſt, *duo vbera tua*, doctores ſunt vtriuſque populi, *hinnuli gemelli* propter vnam concordiam. *Collum tuum ſicut turris.* Item in collo doctores deſignati ſunt; qui turri eburneæ propter firmitatem & pulchritudinem comparantur, qui ciuitati Dei & robur & decus præſtant. *Oculi tui*, id eſt, prouiſores tui, *ſicut piſcinæ in Heſebon*, id eſt, abundantes in ſapientia. Heſebon ciuitas eſt, quæ dicitur cingulum mœroris. Sicut piſcinæ adaquant totam ciuitatem: ita prædicatores adaquant mentes fidelium,

Digitized by Google

A qui mærore cincti ſunt, id eſt, ieiunio & cæteris laboribus, *quæ ſunt in porta*, ſcilicet in introitu, *filiæ multitudinis*, id eſt, fidelium tendentium ad multum, id eſt, ad Deum. Item oculi Eccleſiæ doctores, propter prouidentiam, ſicut collum propter nutrimentum. Et recte piſcinæ comparantur, quia doctrinæ fluenta ſuis auditoribus præbere non ceſſant. *Naſus tuus ſicut turris libani.*

Item in naſo verbi Dei diſpenſatores cauſa diſcretionis deſignantur. Turris quia eminentiſſimum locum obtinet in Eccleſia, *quæ reſpicit contra Damaſcum*, id eſt, ſanguinarios & impios, quia Damaſcus ſanguinem bibens interpretatur. *Caput tuum vt carmelus, & comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus.* In capite mens deſignatur, in comis cognitiones: & ſicut capite membra, ita mente cogitationes reguntur, vt in carmelo, id eſt, in ſublimibus & in paſſione Chriſti, quæ nomine purpuræ exprimitur, verſentur. Canales
B ſunt præcordia ſanctorum in quibus tales cogitationes verſantur. *Quam pulchra es*, id eſt, ſpiritualibus virtutibus. *Statura tua*, id eſt, rectitudo operationis bonæ ſemper ad victoriam tendit: vberibus doctores propter lac primæ eruditionis comparantur, & hortis æquantur propter myſteria dulciſſimæ æternitatis, *Dixi aſcendam* in palmam. Aperte enim victorioſiſſima crux palmæ comparatur, in quam Chriſtus aſcendens, *apprehendit fructum*, id eſt, dona, quæ largitus eſt ſanctæ Eccleſiæ. Igitur ex illo tempore botrus vineæ germinauit, id eſt, ſancti doctores, qui maiori ſcientia & gratia poſt crucem & reſurrectionem ſaluatoris abundabant. *Et odor oris tui ſicut malorum: guttur tuum ſicut vinum optimum.* In gutture vox præſentis doctrinæ, in odore fama abſentis deſignatur, id eſt, Apoſtolis prædicatoribuſque maximis dedit ad medicandum, & non alteri cui totam curam ſeruitutis & dilectionis impendit. *Ego dilecto meo* ſubdita ſum, *& ad me conuerſio eius*, me ſo-
C lam diligit & adiuuat ne deficiam in via. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commemoremur in villis*, quia nullatenus Eccleſia ad bonum operandum egrediendo procedere: vel in exercitio bonum operandi perſiſtendo commorari: vel ſaltem ad propoſitum bene agendi aſſurgere: vel animos auditorum ſuorum quantum profecerint, diſcernere ſufficit, niſi gratia Dei, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum*, &c. Item in agris Chriſtiani: in villis pagani: in vineis Eccleſiæ: in floribus fides: in fructibus virtutes: in malis punicis Martyres deſignantur. *Ibi dabo tibi vbera mea*, id eſt, paruulorum meorum pædagogos, quia in his omnibus proficiunt doctores ſancti. *Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.* Mandragoræ propter multimoda medicaminum genera ſanctorum virtutibus comparantur. Portæ Eccleſiæ doctores ſunt ſancti. In huiuſcemodi portis mandragoræ dant odorem, cum principales quique ex ſe virtutum palmam emittunt. *Omnia poma noua & vetera, dilecte*
D *mi, ſeruaui tibi.* Poma noua & vetera, præcepta ſiue promiſſa ſunt noui & veteris teſtamenti, quæ omnia ad eius gratiam refert Eccleſia.

CAPVT VIII.

QVis mihi det te fratrem meum. *Vox iſta ſanctorum antiquorum operantium aduentum Chriſti in carne.* *Sugentem vbera matris meæ*, id eſt, in ſynagoga naſci ac nutriri, iuxta humanæ conditionis naturam. *Vt inueniam te foris.* Intus erat dilectus, dum *in principio erat verbum*, foris, dum *caro factum eſt*. *Et oſculer eum*, id eſt, facie ad faciem videbo, & ore ad os loquar.

Et iam nemo deſpiciat me. Ante aduentum Chriſti intra anguſtias Iudææ tantum fuit Eccleſia, poſt aſcenſionem in toto mundo. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ*, & in deuotione venientem excipiam, & peracta carnis diſpenſatione, redeuntem in domum matris meæ: vbi eſt Cœleſtis Ieruſalem mater noſtra.

Ibi me docebis. Facies me potiora ſperare, quam in lege habuiſſem. E *Et dabo tibi poculum ex vino condito*, id eſt, feruentem amorem variis virtutum pigmentis ornatum. *Et muſtum granatorum meorum*, id eſt, glorioſorum martyrum, ſanctorum triumphum, qui per ferrum flammaſque ad te tranſire non dubitant. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Læua Incarnationis dona deſignat, & dextera gaudia futura ſanctorum cum Chriſto exprimit.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, affluens deliciis? Vox ſynagogæ mirantis, quomodo Eccleſia *de deſerto* gentilitatis in ſponſi amplexus aſcendiſſet, *deliciis affluens*, id eſt, omnium donorum pulchritudine. *Innixa ſuper dilectum ſuum*, id eſt, omnia quæ habet ad gratiam dilecti referens, in eum, quem mihi ſoli imitando propoſui.

Sub arbore malo ſuſcitaui te. Reſpondet pro ſponſa ſynagogæ ipſe ſponſus. Sub arbore crucis à perpetua morte reuocaui te. F *Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, id eſt, maior pars plebis Chriſtum negando, & Barrabam eligendo, ad crucem reprobata eſt.

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, Signa brachio vel digito ob memoriam cuiuſlibet rei ligamus per cor cogitatio, & per brachium deſignatur operatio *Quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Fortis eſt vſque ad mortem mea dilectio in te, ô ſynagoga: ſed tua æmulatio dura in me fuit ſicut infernus, ſed verte æmulationem in dilectionem, & eris mihi ſponſa & ſoror & amica. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum*, dilectionis lampades corda ſunt fidelium. Ignis propter feruorem cordis, flammarum propter efficaciam operationis. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Aquas multas & flumina, tentationum dicit incurſus. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* G

Sancti vero totam ſubſtantiam pro dilectionis magnitudine, quaſi nihil deſpiciebant. *Soror noſtra paruula & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ, in die quando alloquenda eſt?* Prima naſcentis Eccleſiæ de gentibus tempora deſignat, quando adhuc & parua fuit, & minus idonea prædicare verbum. Quaſi ſponſus ſynagogæ dixiſſet de ea: *Quid faciemus ſorori noſtræ, in die quando alloquenda eſt?* Ac ſi aperte dicat, parua quidem numero eſt Eccleſia gentium, & necdum verbi myſterium ſufficit ſubire. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.* Ac ſi diceret: Si aliquos in ſe fortes habet, vel claros ingenio, vel philoſophia inſtructos, addemus illis *propugnacula argentea*, id eſt, ſcientiam diuinarum ſcripturarum.

Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis. Si ſunt ſimplices, tamen ſtudio docendi inhiantes, proponamus illis exempla priorum iuſtorum. Cedri virtutes ſanctorum, & tabulæ latitudinem charitatis deſignant. Ad hæc ipſa Reſpondet. H

Ego murus. Ego de viuis compacta ſum lapidibus. *Vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram ipſo quaſi in pace*, id eſt, doctores habens fortiſſimos ſeu turris, & qui paruulos nutrire ſciant. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.* Vinea, id eſt, Catholica Eccleſia fructu abundans fidei fuit pacifico, id eſt, Chriſto; qui omnia pacificauit.

Tradidit eam cuſtodibus Prophetis, vel Apoſtolis, vel Angelicis dignitatibus. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*, id eſt, in retributione æterna huius vineæ affert mille argenteos, id eſt, pro acquiſitione regni cœleſtis cuncta quæ mundi ſunt relinquit.

Vinea mea coram me eſt. Vox ſponſi. Verum etſi de aliis commendem cuſtodibus, tamen te ſemper habeo in mea præſentia, videns & remunerans laboris tui deuotionem in omnibus. *Mille tui pacifici.* Mille, ſubauditur argentei; quaſi dixiſſet, qui pro amore meo cuncta ſua dimittunt in pace habeant reſeruata; ſignans ſimpliciores in Eccleſia, qui omnem ſuam

ſubſtantiam millenario numero deſignatam, pro charitate Dei amittant.

Et ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius, id eſt, argentei his, qui coſtodiunt fructus eius, qui ſunt Doctores ſancti, qui omnia mundi dimittunt, & in verbo prædicationis laborare non ceſſant, in duplici remuneratione, quæ centenario numero deſignatur, donantur.

Quia locutiò noſtra finienda eſt, hoc vltimum vale à me audite. Semper in hortis habita virtutum, & ſcito quod amici, id eſt, angelici ſpiritus, & animæ ſanctorum ſemper te conſiderant, & tuo gaudent profectu.

Fac me audire vocem tuam, id eſt, vox prædicationis quantum vales ſemper audiatur à me. Ad hæc ſponſa reſpondet. *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Ac ſi apertè dicat, quoniam in carne apparens, præcepta ac dona vitæ mihi defers: nunc his peractis reuertere in ſinum patris.

O mi dilecte aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum. Et hoc mihi ſit ſolatium, quæ continua viſione nequeo te cernere, ſaltem crebra viſitatione me conſolari memento.

EXPLICIT EXPOSITIO IN Cantica Canticorum.

Hunc cecinit Salomon miro dulcedine librum,
Qui tenet egregias ſponſi ſponſæque Camœnas:
Et thalami memorat ſocios ſociaſque fideles.
Has rogo mente tua iuuenis mandare memento.
Hæc tibi vera canunt vitæ præcepta perennis,
Quibus ille tuis male friuola falſa ſonabit.
Eccleſia & Chriſti laudes hinc inde canentes:
Cantica ſunt minimi falſi hæc meliora Maronis.*

* magni.

SANCTI PATRIS * NOSTRI Iſaac, magnæ Armeniæ Catholici, Oratio inuectiua aduerſus Armenios idem ſapientes atque Eutyches ac Dioſcorus: Timotheus item Ælurus, Petrus Fullo; Iulianus Alicarnaſſeus, ac Aphtartodocitæ, impiiſſimi ac Chriſti hoſtes hæretici.

* Ideo Catholicus dicitur, quod plus quã mille Epiſcopos ſub ſe habebat, ex Ottone Friſingenſi lib 7 c 32.

Nota P. Combefis O. P.

EX iis quæ Author tradit de Baptiſmo Conſtantini ante 800. annos à ſuo tempore, liquet eum vixiſſe non longè ab anno 1145. quo Baronius ex Ottone Friſingenſi lib. 7. cap. 32. Conſignat Armeniorum legationem ad Romanum Pontificem, quem ſuper iis, in quibus à Græcis diſſentiebant, & quæ illi in ipſis traducebant, iudicem poſtularent. Verum Otto, pauca quædam dumtaxat ad ſacrificij ritum ac ceremonias commemorat, quæ vt Armenij ſola expoſuerint, maioribus aliis ac ſpectantibus ad fidem ſuppreſſis, ſicque Eccleſiæ Romanæ communionem furati ſint, eorum Genijs aſtutiæ fuerit, quam auctor in eis inſectatur, quamque olim Gregorius Nazianz. in Armeniis detexit. Lecto Dialogo Theoriani cum Norſeſe Armeniorum Catholico, haud obſcurè noſtrum in eo Iſaac videor deprehendiſſe, qui Norſeſi conſentiens, ac ſicut ille, Armeniorum errores reſpuens, eidem ſuffectus ſit ex Epiſcopo. Sic enim in eo ſcriptum eſt: *Tunc religioſiſſimus Epiſcopus Iſaac dixit: Sufficiunt hæc de duabus voluntatibus Emmanuelis, iis quidem qui non contentioſe, quæ dicta ſunt, audiunt.* Potuit Norſeſes adniti, vt is ei ſuccederet, quem præcipuè in ſpem haberet: & vt per eum implerentur in negotio fidei ac vnionis, quæ ipſe proponit facturum ſub finem Collationis, nec fortè potuit conſummare. Atque adeò fuerit Iſaac annis aliquot recentior Legatione ex Ottone Friſing. relatâ, quòd ſaltem ſpectat ad annos Sedis: Sin autem alius fuit Iſaac noſter, Norſeſis deceſſor, non ſucceſſor, quòd fortè ſit veroſimilius; ac ita relictis Armeniis ac Sede, iam tum ad Græcos confugit, Armeniorum Eccleſiam grauiter turbarit, ac in cauſâ fuerit, vt habuerint neceſſe adire Romam, ac nonnullâ ſe Cathedræ Petri communione tueri; ac poſtmodum Conſtantinopolim quoque mittere, ac vnionem cum Eccleſiâ Græcâ, quam Romanam vbique appellant, cùm Theorianus, tum Iſaac, tanquam viciniori ac magis notâ, ſollicitare: tametſi, vix quicquam emendatum liquet vtrâque illâ collatione, vti nec famoſiſſimâ illâ in Concilio Florentino, ac ſub eius finem, de quâ extat Decretum Eugenij, Manent certè Armenij quales ante Concilium Florentinum erant, cùm Græcis infenſi, tùm non amici Latinis, ac prioribus erroribus Eutychianorum irretiti, exceptis iis, quæ ſunt diſciplinæ, ac magnâ parte tolerari poſſent integrâ Eccleſiaſticæ vnitatis concordiâ: tametſi auctor, hæreſis nomine notet omnia: quâ nos quoque phraſi Quartadecimanorum, ac ſimilium hæreſes dicimus, veriùs dicturi ſchiſmata, iuxta quod magnus Baſilius hæreſes ac ſchiſmata ad Amphilochium diſtinguit. Pauca ſubinde annotabo, quibus & auctoris mentem, ac quid illa ſani habeat, explicem. Præfert is vbique addictum Romanæ Sedi, ac primam, beatique Petri obſeruantem Sedem, cuius maxima ſanciendis dogmatis auctoritas foret, in quam Armenij hæretici petulantiſſimè haberent. S. Nicon nouus Cretenſium Apoſtolus & ipſe Armeniâ oriundus, eoſdem ferè atque Iſaac Armeniorum errores traducit, ſed breui opuſculo, quod Latinum habetur tom. 3. Bibl. Patrum editionis Pariſienſis, vbi & ipſe Græco ſpiritu azyma reprobat in Armeniis, apud quos conſtantiſſimum eſt viguiſſe ante Niconem, nec poſtmodum abiecta fuiſſe inducto fermento, vt citatus Otto planè indicat, exque eo Baronius, cùm laudato auctore vt fideliſſimo atque ex viſu ſcribente, ſic recitat: *Inter ipſos & Græcos, quædam de ſacrificij ritu habitudo eſt in quibuſdam, in aliis verò diſcrepantia. Ponunt enim fermentatum panem ſicut & illi: aquam autem vino non admiſcent, ſicut nos & illi.* Sic etiam edita Ottonis tomo vnico Viſtij ſcriptorum Germaniæ: ex quibus fideliter exſcribens Baronius ita deuorat, tanquam nihil ad hiſtoriam Eccleſiaſticam referret, vt Armenij dicantur conuenire cum Græcis in fermenti vſu, quo tempore Græci ac Græcizantes, ſic in eis azyma reprehendebant, vt etiam hæreſis notarent. Sic ſæpe, nec ab oculatis teſtibus certa veritas hauriri poteſt.

CAPVT PRIMVM.

De duabus in Chriſto naturis.

Armenij Eutychetis ac ſequacium amplexi hæreſim.

CVm ſic habeat, vt Eutyches ac Dioſcorus, Timotheus quoque Ælurus, ac eorum ſectæ homines, incarnationem Chriſti ſpecie tenus factam prædicantes, atque adeò vnam in eo naturam Manichæorum inſaniâ prædicantes, ſanctoſque omnes Patres in prædatoriâ Epheſinâ ſecundâ Synodo anathematizantes, ac eorum rectam fidem abnegantes, ideoque à Leone ſanctiſſimo Papâ Romæ, ſanctâque Eccleſiâ, ac œcumenicâ apud Chalcedonenſem Synodo, depoſiti, anathemati ſubditi fuerint, vtque impij & Manichæi, Chriſtique hoſtes, à Catholicâ ac Apoſtolicâ Eccleſiâ, per orbis vniuerſi

Epiſcopos expulſi, atque exilio relegati: eorum impia dogmata, negationes, blaſphemias, errores, in Chriſtum pugnam ſuſcipientes Armenij, ſexcentis hæc partibus adauxerunt. Similì quoque ratione, magnam illam negationem, ac terribilem Iuliani Alicarnaſſæi ac Aphtartodocitarum hæreſim inſtaurantes, ac palam Chriſti incarnationem abolentes, negant Chriſtum, conſubſtantiale nobis corpus, craſſum ac mortale, terrenumque, nec non corruptibile ac creatum, ex Mariâ Virgine aſſumpſiſſe: quinimò, corpus non obnoxium corruptioni, ſubtile, impaſſibile, immortale, increatum: ac, inquiunt, viſus eſt homo, vt voluit: manducauitque & bibit. Tum rurſus hanc quoque incorpoream, ac materiæ expertem carnem penitus negantes, exque immundo ac Chriſti hoſte ipſorum corde falſas fabulas comminiſcentes, eandem ipſam, inuiſibilem, immortalem, ac incorruptam carnem, in naturam diuinitatis demutatam aiunt, nec Chriſtum, humanam naturam in ipſo ſeruare incolumem: non corpus eiuſdem nobiſcum ſubſtantiæ; non carnem ac oſſa; non caput; non manus ac pedes; non hominis figuram: ſed factum ſimplicem, ac expertem compoſitionis, quomodò habebat ante incarnationem. Atque vt mellis aut aceti gutta, maris pelago commixta, atque in eo merſa, non amplius oculis conſpicua eſt, autve conſiſtit: Ita, inquiunt, & quod Chriſtus aſſumpſit corpus, confuſum ac merſum deitatis pelago, haud deinceps in ipſo cernitur, aut conſiſtit incolume; nec ſeruat naturam ſuam, aut proprietatem retinet: atque adeò, inquiunt, non duæ ſunt in Chriſto naturæ deitatis ac humanitatis; ſed vnâ duntaxat, tota deitatis. Quare etiam Eccleſiæ Catholicæ traditiones, ac Chriſti Sacramentorum, pro vnius illius naturæ, ratione, quam blaſphemant in Chriſto, mutantes, ſimiliter nouas moliti ſunt; ac Sacramentorum communionem, id eſt, panis ſacrificium, qui eſt Chriſti caro, haudquaquam Chriſti Dei corpus appellant, vti Chriſtus ipſe dixit; ſed Deitatem: iiſque fabulis ac blaſphemiis nixi; quin potiùs ceu arundineum baculum ſibi adhibentes, vnigeniti Filij Dei incarnationem, quam quaterna Euangelia oſtendunt, omneſque Apoſtoli cum deiferis Patribus prædicant, ij penitus negant atque euertunt.

Iuliani quoque Alicarnaſſæi ac Aphtartodocitarum.

Auctoris ſcopus.

Quocircà nos, non tanquam corrigere velimus, ita ſcribimus: Nam nec Angeli emendare poſſint. Qui enim nec ipſi Chriſto Dei Filio incarnato, eiuſque Euangeliſtis ac Apoſtolis credunt, vtique nec vlli alij terreno doctori, autve cœleſti Angelo credentes, fidem ſint habituri, ac eis morem geſturi: ſed vt eorum impietatem ac in Chriſtum hoſtiles animos, ex ipſo Chriſto, ac Euangelio eiuſque Apoſtolis coarguentes, quos illi de Orthodoxorum caſtris in errorem impellere non ceſſant, ab eorum impietate liberemus. Cùm enim nec Chriſto de ſe loquenti credant, nec Euangeliſtis ac Apoſtolis obſequantur, qui eum nobis ſimilem incarnatum prædicant; nec ſanctis ac deiferis Patribus acquieſcunt, qui iis conſonè, perfectum Deum ac perfectum hominem, in duabus perfectis naturis Chriſtum confitentur: ac nec propriis eorum ſeſtiuis libris habeant fidem, quibus, duas naturas, ac duas operationes in Chriſto docentur; vti ex iiſdem ipſis libris linguâ Armenicâ ſcriptis, millies illis probauimus, quomodo non perſpicuè Chriſti hoſtes ſunt ac Manichæi qui vnam naturam vnamque operationem in Chriſto poſt incarnationem blaſphement. Siquidem enim, Chriſtus quidem ipſe alia de ſeipſo, ac Euangeliſtæ, ac Apoſtoli, ſanctique Patres docent, hi autem alia, Chriſto, & Euangeliſtis, ac Apoſtolis contraria, loquuntur ac prædicant, quæ neque Chriſtus, neque Euangeliſtæ, neque Apoſtoli dixerunt; quid aliud oſtendunt, quàm ſe liquidò Chriſtum negare, ac Euangelium; factoſque Apoſtolorum hoſtes, ac ſanctorum Patrum.

Antiqui Armeniorum ſacri libri duas naturas in Chriſto prædicãt.

1. Ratio vt ſint duæ naturæ in Chriſto.

Dicant itaque nobis peſſimi hæretici Armenij; tenebroſi illa circa lumen; erga ſapientiam inſolentes: pro quibus Chriſtus gratis incarnatus eſt: ingrata creata: mali illius figmenta: vnde, aut quibus ex Euangeliſtis ac Apoſtolis, vel deiferis Patribus, inuentam hanc negationem, vt Chriſtus, neque carnem habeat, neque oſſa, neque humanam naturam, neque voluntatem, neque operationem, prædicent: nec ſolam ſimplicem, ac omni nudam compoſitione Deitatem, vnamque naturam ac operationem vti etiam ante incarnationem in Chriſto prædicantes, horreant? Ij enimuerò impietatum redargutionem timentes, ſimulatè reſpondent. Ita verò, Chriſtum Deum ac hominem dicimus. Ad quos dicendum; Benè de vobis ſcripſit magnus ille Gregorius Theologus: *Non inuenio ſimplicem Armeniorum nationem; ſed valde tectam, ac doloſam*: Hoc eſt; non rectos ac apertos, ſed valde malignos, ac occultos. Siquidem enim in Chriſto, neque carnem ac oſſa confitemini, neque hominis naturam, neque operationem, nec ſerui formam, nec corpus paſſibile, ac mortale, obnoxiumque corruptioni, ac eiuſdem nobiſcum ſubſtantiæ; ſed naturam vnam, totam Deitatem, ſimplicem, ac expertem compoſitionis: qui vos Deum ac hominem ſimulatè ad auditores decipiendos, Chriſtum dicere non pudet? Quis quantuſue homo Chriſtus, qui nec carnem, nec oſſa, nec ſerui habeat formam: nec naturam hominis, nec voluntatem, nec operationem, nec caput, nec manus, nec pedes? Quod ſi omnia hæc Chriſtum habere fatemini, atque id veritate, non apparentiâ, quomodo non perſpicuè duas habet naturas, diuinam atque humanam, vti etiam duo nomina, Dei nimirum ac hominis obtinet? Quapropter liquet, cùm non duas naturas in Chriſto fateamini, Deum vos ac hominem Chriſtum dicere per ſimulationem, vt auditores decipiatis. Siquidem ergo Chriſti caro demutata eſt in Deitatis naturam, ac eiuſdem cum Deitate ſubſtantiæ effecta eſt, eſtque vna Deitas Patris, ac carnis Chriſti, ſicut hæretici docent, ac idcircò vna eſt in Chriſto natura, tota Deitas, vtique Chriſti quoque caro, omni tempore ac loco erat à Patre inſeparabilis, vti & Chriſti Deitas. Siquidem ergo Chriſti caro, naturâ Deitatis effecta eſt; quomodo paſſionis tempore eius caro non erat in cœlis inſeparabilis a Patre, inque inferno cum eius animâ, atque cum Latrone in paradiſo, nullo vtriſque locis defectu ac inſeparabilis exiſtens, vti & Deitas fuit? ſed eius corpus in ſepulchro mortuum iacebat, ac inanime, immotumque, ac circumſcriptum, tametſi Chriſti Deitas ab eo inſeparabilis erat. Dum enim hæretici Armenij probare poſſint, ſanctiſſimum Chriſti Dei corpus tempore paſſionis, inſeparabiliter Deo ac Patri vnà cum Deitate conſediſſe, atque in ſepulchro, inque inferno cum animâ, ac cum Latrone in paradiſo, nullo vbique defectu, ac inſeparabile, indiuiduumque, vti & Deitas erat, fuiſſe; planè liquet, eius quoque carnem, naturâ Deitatis factam eſſe. Sin autem illud in ſepulchro mortuum iacebat, & inanime, atque immotum; ac neque in cœlis Deo ac Patri indiuulſo nexu coniunctum conſidebat, neque in inferno cum animâ, nec cum Latrone in paradiſo erat, ſed duntaxat circumſcriptum in ſepulchro iacebat: quomodo illi mendacium ac hæreticorum Chriſtique hoſtium notam effugerint? Siquidem ergo caro Chriſti facta eſt Deitatis, quomodo Dominus ipſe in cruce dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*? Siquidem enim Chriſti caro Deitatis erat, atque in cœlis à Patre indiuulſa exiſtebat, vnaque erat Deitas Patris ac carnis Chriſti, eiuſque caro à Patris Deitate inſeparabilis erat: quomodo vna ac indiuidua Deitas, ipſa ſe diuiſa dereliquit?

Dolo fatentur Deum & hominẽ. Greg. orat. 20.

Alia ratio à carnis Chriſti circumſcriptione.

3. A verbis Domini in cruce. Matt. 27. v.

Enimuerò, quid ad hæc improbi illi? Aiunt nimirum, Chriſtum verba hæc humilia locutum eſſe propter diabolum vt ne ab ipſo effugeret. O abſonam ac impudentem hominum reſponſionem! Perſpicuè enim Chriſtum ſimulatorem prædicant: Vt alia quidem haberet in corde: alia autem linguâ eloqueretur. Quemadmodum enim, qui ſimulatione ac doloſitate pleni exiſtant, nec Chriſtum ſic appellare nequam homines veriti ſunt. Siquidem ergo Chriſtus, qui omnipotens eſſet, omni loco erat, quonâ ab eo diabolus fugere potuit? Vt enim ex omnibus aliis, ſic quoque ex his arguuntur impij, nihil ſapere aut docere ex Sanctorum doctrinâ; ſed ex propriis

Armeniorum euaſio.

faltas

A

Vera ratio vt Chriſtus ſit locutus humilia.

falſas fabulas comminiſci, vt tantùm Chriſti carnem negare poſſint. Siquidem verba hæc humilia, vti omnes ſancti ac deiferi Patres concinnè à Spiritu ſancto interpretantur, eò Chriſtus & loquebatur & agebat, quò carnem ſuam ac humanam naturam abſtrueret; non vt per ſimulationem, diabolum falleret. Alioqui, quomodo priùs dicebat: *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos vt credatis, quia non eram ibi.*

Ioan. 11. v. 14.

Alia inſtantia.

Siquidem ergo Chriſti quoque caro, natura Deitatis erat, nullo vbique defectu, ac inſeparabilis, incircunſcriptaque, Chriſti quoque caro à Patre inſeparabilis erat, quemadmodum & Deitas eius; ſicut ipſe Dominus de ſua ait Deitate: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et iterum: *Ego in Patre, & Pater in me eſt:* quomodò poſt reſurrectionem ait Mariæ: *Noli me tangere: Nondum enim aſcendi ad Patrem meum:* ac iterum ait ipſe Apoſtolis poſtquam reſurrexiſſet: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Siquidem enim eius quoque caro facta Deitatis erat, palam eſt non fuiſſe carnem, ſed ſpiritum ſine materia, ac *ignem conſumentem*, quemadmodum Dominus docet, dicens, *Spiritus eſt Deus.* Dicendo autem Apoſtolis, carnem ſe ac oſſa habere, atque in primis poſtquam reſurrexiſſet, eius eos negantes carnem, ac Chriſti hoſtes, oſtendit.

Ioan. 10. v. 30. Ioan. 14. v. 10. Ioan. 20. v. 17. Luc. 24. v. 38.

B

Deut. 4. v. 24. Ioan. 4. v. 24.

Alia argumentatio.

Cùm ergo ſanctiſſimum Chriſti corpus nec æternum ſit, nec Patri coæternum, aut pariter ſempiternum, nec increatum, nec tale vt nequeat videri oculis, nec circumſcribi, neque palpari, nec adſpectari, nec figurari, nec ſit ſpiritus, qui cœlum ac terram impleat, vti Deitas: nec ſit ſimplex, nec vacans compoſitione, neque Angelis ac hominibus inadſpectabile, neque ignis conſumens: quomodo natura Deitas eſt, vti Acephali nugantur? Quemadmodum enim Verbum caro factum eſt immutabiliter, nihil eius in carnem demutata Deitate: quin poſt etiam incarnationem abſque vlla mutatione Deus perſeuerauit: ſic quoque eius caro immutabiliter nulloque amiſſo deificata, haudquaquam excidit à natura ſua ac proprietate, aut in naturam deitatis conuerſa eſt. Ac idcircò, Chriſtum, Deum ac hominem in duabus naturis & operationibus ac voluntatibus, eius omnes Sancti confitentur atque prædicant. Quod ſi eius caro in naturam Deitatis fuit mutata, peſpicuum eſt, non poſſe Chriſtum dici perfectum hominem, ac eiuſdem nobiſcum ſubſtantiæ.

C

Ioan. 10. v. 30. Ioan. 14. v. 28.

Scita vrgenſque ratio.

Hæretica Armenorum ſanctio.

Cùm de ſua quidem Deitate Dominus dicat: *Ego & Pater vnum ſumus.* De carne autem ſua dicat: *Pater meus, maior me eſt.* Dei autem hoſtes Armenij hi, in ſceleſta, ac execranda, blaſphemaque eorum Synodo, quam fecerunt in Deo odibili eorum loco, quem Tiben Armenicè vocant, in hunc modum per contentionem ſanxerint: *Si quis Chriſti carnem, æqualem Patri Deitatem non dixerit, anathema ſit*: qui non palam Dei hoſtes ſint, ac à tota alieni Chriſtianitate, qui apertè Chriſtum, ac eius diſcipulos anathematizent? Videte itaque Armenij, dæmonum cœtus, in quantam impietatem ac impudentiam prolapſi ſitis, vt nedum ſanctam Synodum Chalcedonenſem, ac cum ea Sanctos omnes malediceretis: verum & ipſum Deum incarnatum impiè Iudæorum more, anathemate damnaretis.

D

Item alia.

Ioan. 8. v. 40. 1 Tim. 2. v. 5. Eph. 5. v. 2. 1. Cor. 15. v. 21.

Cùm igitur Chriſtus ſuam adſtruens incarnationem Iudæis dicat: *Quid me quæritis interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum?* magnus verò Paulus Timotheo ſcribens, dicat: *Homo Chriſtus Ieſus, qui tradidit ſemetipſum pro nobis.* Ac rurſus: *Per hominem mors; & per hominem reſurrectio ex mortuis:* hi autem dicant, non eſſe Chriſtum hominem, ſed duntaxat Deum, nihil abundantiùs in ſua hypoſtaſi habentem, quàm habeat Pater; quomodò prorſus Chriſtiani poſſunt appellari, ac non magis diabolici? Dicendo itaque Ioannes Theologus: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis;* quomodò non item dixit, feciſſe carnem, Verbum, ac in Deitatis naturam conuertiſſe? Ac cum Paulus Timotheo ſcribens de fide, dicat: *Manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum; Deus manifeſtatus eſt in carne:* quidni dixit, carnem feciſſe Deitatem? Poſt trecentos deinceps decem & octo annos à Chriſti Incarnatione, trecenti decem & octo ſancti Patres Nicæam conuenientes, ac fidei ſymbolum ſcribentes: vt habeant Chriſtiani credere ac confiteri Dei Filium; ac cùm dixiſſent de Chriſto, deſcendiſſe de cœlis, incarnatum eſſe; factum hominem; crucifixum; ſepultum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cœlos, atque ad Patris dexteram ſedere: ſiquidem nouerant carnem in Deitatis naturam conuerſam, quidni fidei addiderunt, poſt ea verba: Sedet ad dexteram Patris; nunc quoque carnem feciſſe Deitatem, vti impij iſti confingunt, non quia Chriſti honorent carnem; ſed vt eius corpus inficientur?

Ioan. 1. v. 14.

1. Tim. 3. v. 16.

E

Alia à Patrum Nicanorum ſilentio.

Cùm itaque aliena à Chriſto, ac Apoſtolis, deiferiſque Patribus doceant, alieni à Chriſto conſtituuntur, ac anathema ſortiuntur, vti magnus ille Apoſtolus Paulus ait: *Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Proinde, cùm Chriſti carnem in Deitatis naturam conuerſam, ac Deitati factam conſubſtantialem, nec Chriſtus dixerit, nec Euangeliſtæ conſcripſerint, nec Apoſtoli docuerint, nec trecenti decem & octo ſancti Patres in exponenda fide propoſuerint, aut rei eius mentionem fecerint, anathema ſint Dei hoſtes ac hæretici hi Armenij, qui euangelizent ac prædicent, præter id, quod ab illis acceperunt; perdetque illos Deus, qui loquantur mendacium, quemadmodum etiam magnus ille Athanaſius Alexandrinus arguens illos in hæc verba ſcribit: *Quiſnam infernus eam vocem euomuit, qua dicitur, eiuſdem eſſe ſubſtantiæ corpus, ac Deum Verbum?* Simili quoque ratione Cyrillus Alexandrinus ita ſcribit ad Succenſum: *Conſiderantes igitur modum humanationis, intelligimus duas inter ſe indiſſolubili vnione conueniſſe naturas, citra confuſionem atque mutationem vllam. Caro enim caro eſt, & non Diuinitas, etiamſi Dei caro facta eſt: Itemque Verbum Deus eſt, & non caro, quamuis diſpenſatoria ratione propriam ſibi fecerit carnem:* Id enim vnum interim impij animo conſtitutum habentes, vt Chriſti negent Incarnationem, omnia hæc blaſphemant & comminiſcuntur.

Gal. 1. v. 9.

F

Athan. eſt apud Incarn. acram. cap. 6. Cyr. Epiſt. 2. ad Suc.

G

Capvt II.

De Annunciatione.

Armenij Annunciationem non celebrant.

QVòd autem Armenij, Chriſti palam Incarnationem negent, ex eo liquet. Cùm enim Euangelium dicat, ſexto deinceps menſe à conceptione Eliſabet, miſſum eſſe Archangelum Gabrielem ad Mariam Virginem, qui Dominicam ei conceptionem nunciaret: hi potiùs lætam eiuſmodi ac hortendam ſolemnitatem, primamque mundi ſalutem, ac Dei Genitricis gaudium, more Iudæorum negant; ac velut luctum ſuſcipientes, nulla prorſus ratione feſtiuè colunt, aut celebri vlla memoria habent, Euangeliſtis ac Apoſtolis aduerſantes Hebræorũ inſtar; vt quæ illi, Sancti ſpiritus afflatu cõſcripſerunt, ipſi non recipiãt.

Dominus Martio menſe

Enim verò quid ſceleſti reſpondent? Haudquaquam Dominica Annunciatio Martio menſe contigit, eaque ratione non celebramus ipſam. O multam hominum impudentiam! Mendaces ac ſeductores Sanctos omnes faciunt. Vnde porrò contigiſſe liquet Martio menſe Dei Genitricis Annunciationem? Sanè ſic rem habere, vt Deipara Martio menſe conceperit, teſtis eſt Euſebius Pamphili, vir ſtudioſus ac ſcientiſſimus, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, inter Patres antiquiſſimus, vnus è centum illis decem & octo Sanctis Patribus Nicænæ Synodi, Patrum eloquentiſſimus ac doctiſſimus: Athanaſius quoque ille magnus Alexandrinus, ac ſanctus Ioannes Chryſoſt. omneſque deiferi Patres, qui dicant ſanctã Deiparã vigeſima quinta Martij fauſta nuncia Gabrielis ore accepiſſe, qua ipſi ratione, ac deceſſores à S. Apoſtolis traditũ accepiſſent: eò quòd, inquiunt, illa die Adam fuerat à Deo à principio conditus: quæ eſt primò edita eiuſdem menſis dies, quem Hebræi appellant Niſan, ac noſtris dicitur Martius. *Ea enim die*, inquiunt Euſebius, ac S. Athanaſius, *conditus fuit Adam, eademque, Dei filius ac Verbum in Virginis vtero habitauit, ac demum in ea, prima Dominica, contigit Paſcha, Chriſtique reſurrectio ex mortuis.*

H

conceptus Euſebio ac aliis teſtibus.

A Sin autem etiam vniuerſi Sancti mentiuntur, nec Annunciatio facta eſt menſe Martio: par erat, vt ne illi omninò negarent, ac ſilentio traderent, ſed celebrarent vel Aprili, vel Maio, vel alio menſe: quò ſic perſpicuum eſſet, non quia negent, ſed quia menſe Martio negent, idcircò non eam celebrare. Enimverò ita quoque habentes; nihilminus impij ſunt, qui ſanctos ac à Deo afflatos Patres, mendaces, ac ſeductores exiſtiment, eorumque diuinitus inſpiratam doctrinam, falſam reputent, atque eâ, quas ipſi fabulas comminiſcuntur, firmiores habeant. Quamobrem palam hæretici ac impij inueniuntur, qui ſanctis Patribus non credant, iuxta quod ait diuina Scriptura: *Impius enim eſt, qui honorabilium faciem non reueretur.* Nunc autem, cùm nec Martio, nec Aprili, nec alio menſe feſtum hoc celebrent, nec iuxta Euangelium ſexto deinceps menſe à conceptione Elizabet recolant; palam eſt, negare eos Deiparæ Annunciationem, ac cum eâ, Chriſti natiuitatem ac incarnationem; ac idcircò vnam in illo naturam blaſphemare. Vt enim Patres mendacio fallant, qui menſe Martio aſtruant contigiſſe Annunciationem, debuerant ipſi accuratiùs quærere, ac inuenire: quandonam tandem Eliſabet Zachariæ vxor concepiſſet, ac quonam menſe, atque ab eo deinceps menſes ſenos dinumerare, ſicque Dei Genitricis Annunciationem, iuxta quod Euangelium iubet, celebrare.

Sap. 2. v. 10.

B

Capvt III.

De Chriſti Natiuitate.

Vide Chryſ. hom in Phylogo nium de Chriſti Natalis die.

C

TVm rurſus ab Annunciatione, numeratis nouem menſibus, celebranda erat Chriſti Natiuitas. Nunc autem, cùm neque meminerint conceptionis Eliſabet, nec ſexto menſe ab eius conceptione celebrent Dei genitricis Annunciationem, nec poſt nouem menſes ab Annunciatione, Chriſti Natiuitatem feſtam agant, aut mundi totius, magnamque, ac mirabilem, planeque illuſtrem ſolemnitatem colant: quin potius, Iudæorum more, mœſti ac triſtes, ſanctâ ipſa ac lætâ feſtiuitate, in ictu oculi, die 5. Ianuarij veſperaſcente; non feſtiue quidem celebrent. Abſit: ſed velut ſpecie tenus ac obſcurè, cùm Annunciationem, tum Natiuitatem, ac Baptiſmum recolant, quò ita auditores decipiant: planè arguuntur, apparentiâ tantùm ac inani ſpecie, vtramque iactare celebritatem, non veritate Chriſtum incarnatum prædicare. Hincque palam Euangelium negantes inueniuntur, ac Dei incarnationis hoſtes, ſanctorumque Patrum placitis aduerſantes. Et hæc quidem, quò eos, inani Chriſtum ſpecie incarnatum dicere, probemus; ac idcircò non pudere vnam in ipſo naturam blaſphemare.

D

Capvt IV.

De duabus Chriſti naturis.

SIquidem enim Chriſtus verè Deus eſt ac homo, eiuſdem cum Deo ac Patre ſubſtantiæ, quod ſpectat ad Deitatem: ac eiuſdem ſubſtantiæ cum hominibus, quod ſpectat ad corpus: qui non duas liquidò naturas habeat in vnâ ſuâ hypoſtaſi? Vt enim nos homines eiuſdem cum Deo ac Patre ſubſtantiæ ſimus, Deitatis naturam habentes; Deus quoque ac Pater: eiuſdem nobiſcum ſubſtantiæ exiſtit: idque impij hæretici demonſtrare poſſint, qui bellè vnam in Chriſto naturam prædicent; tanquam nos, eiuſdem cum Deo ac Patre ſubſtantiæ ſimus, ac habeamus deitatis naturam; Deuſque ac Pater eiuſdem nobiſcum exiſtat ſubſtantiæ. Sin autem impium hoc dictu eſt, aut cogitatu, proptereà quia Deus inadſpectabilis ſit, inuiſibilis, figurâ

Argumentum eſt Athanaſii ad Epictetũ quod etiã vrget Theorianus.

E vacans, ſimplex, immortalis, incircunſcriptus, qui capi non poſſit, ac comprehendi: cumque verò Chriſtus vniuerſa hæc habeat pro ſuæ Deitatis ſubſtantiâ, vt qui Deus verus, ac Patri ſit conſubſtantialis; ſitque rurſum verè etiam homo, eiuſdem nobiſcum ſubſtantiæ, quod ſpectat ad corpus, viſibilis, creatus, terrenus, mortalis, paſſibilis, circunſcriptus; qui non vtique duas palam naturas Dei ac hominis habeat? Modò enim hæretici Armenij omnia hæc in Chriſto admittant, Deumque illum ac hominem confiteantur, Deo ac Patri conſubſtantialem, eiuſdemque nihilominùs cum hominibus ſubſtantiæ; cœleſtem ac terrenum; creatum ac increatum; mortalem ac immortalem; paſſibilem ac impaſſibilem; oculis ſubiectum ac non ſubiectum; ſine patre, ac ſine matre; circunſcriptum ac incircunſcriptum: dummodò inquam hæc illi omnia in Chriſto veritate prædicent, liquidò & ipſi duas in eo naturas velint nolint, affirmant. Hæc quippè vniuerſa, propria ſunt duplicis naturæ. Siquidem verò F duas in Chriſto naturas detrectant dicere, palam aſſerunt ſpectro tenus hominis ſpecie apparuiſſe, non verè incarnatum eſſe. Nam alioqui, cùm duo nomina in Chriſto, Deum & hominem aſſerant, quânam homines inſani ratione, naturam, hoc eſt, alterius nominum veritatem, negant? Quamobrem comperta res eſt, nudum nomen humanitatis dicere, vt ne arguantur tanquam Manichæi: rem autem nominis; nempè naturam ac veritatem, negare: ac ideò nec Annunciationem Dominicam, nec eius Natiuitatem prorſus celebrare.

Capvt V.

De Chriſti ſudoribus.

G

PEruestigemus verò, quas illi reliquas omnes blaſphemias ac inficiationes, aduerſus Chriſtum ac Euangelium, Apoſtoloſque, ac ſanctos Patres confinxerunt. Cùm Chriſtus ſuæ mortis tempore orans, ac ſudorem tanquam guttas ſanguinis defluens, ſuæ carnis naturam aſtruat; Chriſtóque aduerſantes Armenij hi, eius ex Euangelio ſudores obliterarint, qui non palam Dei aduerſarij ſunt? Niſi enim reuerâ, eò tale facinus præſumpſerunt, quia veram Chriſti incarnationem inficiari vellent, oſtendant nobis impij homines, quamobrem Chriſti ita ſudores expunxerint: aut quomodò ſapientiores Chriſto & Euangeliſtis ac Apoſtolis effecti, tale quid perpetrare auſi ſint. Siquidem enim verè Deum confitentur, quomodò non Dei hoſtes veritate exiſtunt; cùm quæ ille præſtat ac loquitur, ipſi approbare ac recipere nolint? Siquidem enim Chriſtus more hominis operatur, quò ſuæ carnis naturam aſtruxerit, qui omnia inficientur atque euertant, qui omninò Chriſtiani, ac non magis Chriſti aduerſarij ſint?

Luc. 22. v. 44. Armenij locum Lucæ de ſanguineo ſudore expungunt.

H

Capvt VI.

De pane, vino, & aquâ.

AD hæc rurſus, cùm Chriſtus accipiens panem, danſque diſcipulis ſuis dixerit: *Accipite, comedite: Hoc eſt corpus meum:* ac ſimiliter cùm accipiens calicem, poſtquam cœnaſſet danſque diſcipulis ſuis dixerit: *Bibite ex eo omnes: Hic eſt ſanguis meus:* nec id ſolùm ac ſiluerit, vt dicunt iſti hæretici, decipiuntque eos, qui apud illos idiotæ appellantur; ſed, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro nobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quæratur itaque ab Acephalis, vbinam Chriſti ſanguis effuſus fuerit, ac quo loco? Planè reſponſuri ſunt; in cruce. Quâ ergo ratione in cruce profluxerunt

Offertur aqua in ſacris myſteriis, quia fluxit cum ſanguine è Chriſti latere.

A

ſanguis,& aqua è ſacro eius latere; eâdem nos in communione ſacramentorum eius, Euangelicâ ac Apoſtolicâ traditione, aquam ac vinum miſcentes, percipimus, ac eius Incarnationis myſterium perfectum celebramus, quemadmodum exponit Gregorius Theologus, dicens: *Sanguis & aqua ex latere fluentia: alterum hominis; alterum humanâ conditione maioris.* In vino ergo & aquâ, Dei ac hominis virtutes ſunt ac exhibitiones: cumque ipſi, vino commiſcemus aquam, Dei ac hominis myſterium celebramus. Ex quo vlteriùs probatum manet, eos, qui non mittunt aquam in vinum calicis Miſſæ, Chriſtum Incarnatum minimè confiteri; ſed vnius duntaxat naturæ, Deitatis ſcilicet, celebrare myſterium, Chriſti dimidium negantes, iuxtà quod ſceleſtus ille Timotheus Ælurus ſcripſit: *Chriſti natura, ſola Diuinitas, tametſi incarnatus eſt.*

Orat. 42. propè finem.

Sanguis & aqua Deum ac hominem indicans.

Blaſphema Timothei Æluri propoſitio.

Enimverò quid ad hæc peſſimi illi? Nimirum, vetare Chryſoſtomum in expoſitione Euangelij Matthæi, aquam dicere, eò quòd ſcriptum ſit, vſos eſſe, *Ex vitis genimine: Vitis autem,* inquit, *vinum, non aquam producit.* Hæc illi ad idiotas ac imperitiores loquuntur, qui neſciant quid doctori propoſitum ſit: de quibus nimirum perſonis, ac inquam hæreſim Chryſoſtomus iſtud dixerit. Nempe, cùm id temporis, Marcionis Pontici diſcipulos, quos Hydroparaſtatas appellant, aquam tantùm; non autem vinum & aquam offerre videret: Sic quippe illi offerunt, ac inde nomen illud ſortiti ſunt: aduerſus eos ſcripſit in expoſitione illâ Euangelij Matthæi, oſtendens ſecus facere ac tradat Euangelium. Item porrò à Deo afflatus Chryſoſtomus, docens nos aquam cum vino offerre, ac vtrumque facere, atque ſumere, in hunc modum ſcribit in expoſitione Euangelij Ioannis: *Quoties ad altare accedis, ac Chriſti ſanguinem è calice ſumis, ſic exiſtima, tanquam os tuum Chriſti lateri admoueris, ac de eius latere haurias.* Siquidem ergo ea haurimus ex eius latere, quæ percipimus in Eccleſiâ, pulchrè ſanè ac piè, admodumque è ratione, aquam ac vinum miſcentes, ſacrificio offerimus, ac ea, quæ de Chriſti Dei noſtri latere exierunt, percipimus.

Malè Chryſoſtomo nituntur Armenii, vt ne aquam in calicem mittant.

B

Hom 83. in Matt.

Hom. 84. in Ioan.

Pia vox Chryſoſtomi pro hauſtu ſacri calicis.

C

Qui verò non Armenios pudet, in ſuæ negationis teſtem Chryſoſtomum producere, quem duas naturas, ac duas operationes in Chriſto prædicantem, vnà cum Sanctis vniuerſis palam anathematizent? Sed & Chriſti ſudores, quos Chryſoſtomus ſemper, ac vbique commemorat, ac cum primis Matthæi Euangelium exponens, haudquaquam veriti ſunt expungere, ac omninò negare. Quod porrò calix, quem Chriſtus Apoſtolis tribuit, vinum haberet ac aquam, teſtes ſunt, ſanctus Apoſtolus Iacobus ille Domini frater, ac Marcus Euangeliſta, cùm ita ambo in ſuis Liturgiis dicunt: *Similiter poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aqua, gratias agens, ac benedicens dedit diſcipulis ſuis dicens: Bibite ex eo omnes: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Planè quâ ratione ſanguis eius effundendus erat, eâ quoque tanquam verax ac præſcius, calicem dedit.

Hom. 84. in Mat.

Iacobus ac Marcus in liturgiis, aquam nominãt.

D

Teſtis quoque magnus Baſilius vbi Liturgiam exponit, Sed & Carthaginenſis in Africâ Synodus ducentorum decem ac ſeptem beatorum Patrum, quæ Arcadio ac Honorio magni Theodoſij filiis Auguſtis congregata eſt, dum iis Canonibus quos edidit; Vt ne aliud quicquam in ſacris offeratur, quàm ea ſolùm quæ Dominus tradidit; vt nihil, inquam, præter panem & vinum aquâ mixtum, decernit. Sicut ergo aquam ac vinum commiſcentes, ita ſumimus: nec ab inuicem vinum & aquam ſeparamus, aut ſeorſim alterum ab altero facimus; ſed in vno commiſcentes calice, ſacrificio offerimus: Sic & duas Chriſti naturas, deitatis ac carnis, in vnâ perſonâ, vnâque hypoſtaſi confitemur, nec vllo modo inter ſe ſeparamus, vti Chriſti aduerſarij nugantur: vti planè & illi, vinum duntaxat ſacrificio offerentes, ſolam in Chriſto deitatem prædicant, eiuſque Incarnationem negant.

Baſilius item meminit in Myſtagogiâ.

Græcâ Coll. can 37. Latinâ, 24.

E

Capvt VII.

De pane ac Azymis.

QVâ etiam ratione panem azymum Iudæorum more offerentes nullâ vnione commixtum: vnius rurſus naturæ; ſolius, inquam, deitatis myſterium faciunt. Siquidem enim illi quoque offerunt azymum, quid præ Iudæis amplioris myſterij confitentur? Vti enim Iudæi quidem circunciduntur; nos autem baptizamur: ac ſicut illi Patrem duntaxat Deum confitentur; nos verò vnà cum Patre, Filium quoque ac Spiritum ſanctum: vti illi agnum immolabant, qui quidem erat Chriſti figura; nos autem minimè iam agnum immolamus, qui eſt figura, ſed Chriſtum ipſum, qui eſt veritas; ſic neque azymum panem, vti illi imperfectè ſacrificamus, qui eſt tantùm figura, ac vmbra panis noſtri; ſed perfectum panem, perfectum hominem Chriſtum Deum incarnatum, perfecti panis ſymbolo, vnà cum corpore, prædicantes. Nam ſicut illi vnum duntaxat Hieroſolymis habebant templum: nos autem plura hîc illic innumerabilia: ac ſicut illi Hieroſolymis ſolùm Paſcha celebrabant; nos autem in omni celebramus vrbe: atque vt illi celebrant Lunâ quartadecimâ, quacunque tandem illa die occurrat: nos autem ſemper Dominicâ die; omnia præ illis ampliora habentes: ita liquet, par eſſe, vt noſtri quoque ſacrificij panis, præſtet, ac perfectior ſit azymis Iudæorum, quemadmodum ait S. Paulus ac Gregorius Theologus: *Vetera tranſierunt: ecce noua facta ſunt omnia.*

Pulchra congruentia pro fermentato, quæ nec deſunt pro azymo.

F

1. Cor. 5. v. 17.

CHRYSOSTOMI.

Pari quoque ratione, admirabilis ille Chryſoſtomus ita habet de veteri teſtamento: *Illic litera; hic ſpiritus: illic arca; hic Virgo: illic virga Aaron; hic crux: illic azyma; hic panis: illic agnus; hic Chriſtus.* Enimverò, quid aiunt increduli? Nempe, panem quem Chriſtus dedit azymum fuiſſe: ac idcircò azyma in ſacrificio offerre. Ergo, qui ſemper ac vbique Chriſto aduerſemini, impij homines, verbis pariter, ac factis veſtris, vti probatum fuit, Chriſtum nunc veſtræ impietatis ac negationis teſtem producitis? Eſto, fuerit quem Chriſtus dedit panem, azymus: Equidem ille, ob anguſtias temporis, vt ne tantum ſalutis myſterium ab eo non traditum relinqueretur, eò quòd eâdem horâ Iudæis tradendus eſſet, qualem panem pro tempore inuenit, talem tradidit: vt ne omninò tantâ nos ſalute priuaret, quam nobis ad vſque ſæculi finem largitus eſt, ac dignatione, ſanctiſſimum ſuum corpus manducandum præberet, ac per illud viuificaret, ſuique comparticipes faceret. At neque decebat, vt id temporis perfectum panem in manus acciperet, eò quòd dies illi Azymorum eſſent, vt ne Iudæis anſam præberet accuſandi velut impium, ac ſoluentem legem: hos autem Chriſti hoſtes quiſnam cogit, vt Iudæorum more azymum offerant, & non perfectum panem, ſiquidem perfectum hominem Deum incarnatum prædicant? Planè enim vti vetamur vnà cum Iudæis ieiunare, ac cum eis celebrare Paſcha, & circuncidi, ac Sabbato vacare, atque à ſuillis carnibus abſtinere; ita etiam prohibemur azymum in ſacrificio offerre.

Chryſ.

G

Haud ſatis Chriſti exemplum ad azyma cogit: ac nec è contrà.

H

Alioqui autem peracta fuit Cœna ante feſtum Paſchæ ac Azymorum, inque eâ Chriſtus cum diſcipulis panem comedit, vti Ioannes ille Theologus dicit. Iudas quoque [accepto pane egreſſus,] panis adminiculo prodidit. Nam tertiadecimâ die Lunæ fuit celebrata Cœna; id eſt, magnâ quintâ Feriâ; ſicque fuit fermenti vſus: die autem quartadecimâ ac quintadecimâ fuerunt Paſcha ac dies Azymorum.

Auctoris ſententia de Paſchate Dominico, ac Iudâ.

Qui non magna hæc improbitas, vt ex parte quidem à Iudæis reſiliant, in aliis autem, eis vniantur? Haudquaquam, inquiunt: ſed offerimus in ſacrificio azyma, quemadmodum Chriſtus. Ergo, ſiquidem ea ſolùm, quæ à Chriſto ſunt tradita tenere vultis ac

A credere; operæpretium deinceps habeatis, vt Chriſtianorum myſteria negetis; quæ omnia, quanquam tunc Chriſtus per ſeipſum non tradidit, poſtmodum tamen per Apoſtolos ſuos, ac ſanctos Patres, eius vtique afflatos Spiritu ſancto, ordinauit, quæ quidem, quiſquis non recipit, nedum minimè Chriſtianus eſt, verùm etiam omni infideli infidelior exiſtit.

CAPVT VIII.

De iis, quæ Chriſtus quidem non tradidit, ſed Apoſtoli ac Patres.

Plura ab Apoſtolis ac Patribus tradita.

CHriſtus triginta annorum baptizatus eſt: ergo nec illi quemquam ante annum trigeſimum baptizauerint. Chriſtus baptiſmo intinctus, haudquaquam vnctus eſt vnguento, aut oleo ſanctificato; nec ergo illi vnguento perungantur, aut ſacro oleo. Chriſtus non fuit B baptizatus in piſcinâ, ſed in fluuio; nec ergo illi in piſcina baptizauerint. Chriſtus baptiſmum ſuſcepturus non recitauit ſymbolum fidei trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum; nec itaque illi profiteantur. Chriſtus cùm baptizandus eſſet, non eſt conuerſus ad Occidentem, nec eo ſitu abrenunciauit diabolo, ac eum inſufflauit; neque iterum ad Orientem conuerſus, fœdus cum Deo pepigit; Quippe qui ipſe Deus verus eſſet: ergo nec ipſe rem eiuſmodi, iis, qui ab illis baptizantur, faciant. Chriſtus poſtquam baptizatus fuit, nequaquam ſuum corpus ſumpſit; neque ergo illi ſumant. Chriſtus à baptiſmo, quadraginta duntaxat dies ieiunauit, obtinuitque illa traditio ad vſque annum centeſimum vigeſimum; nos tamen quinquaginta dies Paſchæ proximos ieiunamus. Chriſtus ſacrificij panis myſterium non tradidit in Eccleſiâ; ſed in communi domo, ac in menſâ communi ſedens; ergo nec illi panis hoſtiam in Eccleſiis ſacrificauerint. Chriſtus poſt cœnam, C ac vbi diſcipuli ſaturati eſſent, tum demum ſui corporis communione, eos impertiuit; ergo & ipſi priùs comedant carnes, ac ſaturentur, tumque myſteriorum communionem percipiant. Chriſtus, quanquam fuit pro nobis affixus cruci, haud tamen crucem adorari conſtituit; ergo nec ipſi crucem adorent. Crux lignea erat: ergo illi nec auream, nec argenteam, ferreamve, aut æream, vel lapideam crucem adorauerint. Chriſtus non induit ſuperhumerale, nec orarium, nec manipulum, nec caſulam, neque penulam, ergo nec ipſi ea induant. Chriſtus Miſſæ preces, ac ſacrorum Theophaniorum, ac reliquas omnes, omni negotio ac horâ frequentandas, non dixit; ergo nec ipſi eas dicant, nec ſanctificentur per ſacras preces. Chriſtus Patriarchas, & Metropolitas, & Epiſcopos, Presbyteroſque, ac Diaconos, atque Monachos, non ordinauit; nec preces, quibus illi ordinantur, dixit; ergo nec ipſi ordinentur, nec precum D adminiculo benedicantur. Chriſtus non conſtituit, vt Eccleſiæ ædificarentur, ac ſacræ menſæ conſtituerentur, vnguentoque perfunderentur, ac ſexcentis precationibus ſanctificarentur, nec quicquam eiuſmodi vſurpauit; ergo nec ipſi hoc faciant. Chriſtus feriam quartam ac ſextam non ieiunauit; neque illi ieiunauerint. Chriſtus non conſtituit vt conuerſi ad Orientem oraremus; neque ipſi ad Orientem conuerſi orent. Hæc enim omnia, ac his plura, cùm ſpectent ad Chriſtianorum myſteria, quibus ipſi ſanctificamur, ac efficimur fideles, haudquaquam ipſe per ſe Chriſtus tradidit; quæ tamen vt quis neget ac reiiciat, aut nolit recipere, Chriſtianus appellari non poteſt. Nos verò, quæ ab eius Apoſtolis, ac ſanctiſſimis Patribus tradita accepimus, hæc tenemus; à quibus perfecti quoque panis traditio exiſtit, ac ſecretio quæ fit lanceolâ; nec non ſacrarum imaginum effectio ac adoratio. Neque enim tanquam Chriſto aduerſarentur, ac ei hoſtes eſſent, eiuſque res attenuarent, ac deprimerent, vniuerſa hæc Apoſtoli ac Patres in Eccleſiâ tradiderunt: ſed potius augentes, E ac magnificantes, extollenteſque, ac honorantes, & glorificantes myſteria, atque ad eius gloriam & magnificentiam, noſtramque ſalutem ac gloriationem res eiuſmodi conſtituentes & diſponentes. Qui ergò perfecti panis traditionem reſpuunt, nec volunt admittere, panemque azymum in ſacrificio volunt offerre, etiam reſpuant ac negent omnia hæc à nobis dicta, quæ quidem Chriſtus ipſe haudquaquam per ſeipſum tradidit ſed Apoſtoli ac ſancti Patres. Nam cùm ipſi quidem in ſuo alimento, veſci azymo nolint; qui non eos pudet, vt quam rem adeò abominabilem habent, Dei efficiant corpus? Nihil quippe aliud impij molientes, quàm vt Chriſti perfectam humanationem negent, omnia hæc, alienos ſe à Chriſto ac Sanctis oſtendentes, nugantur ac prætexunt.

CAPVT IX.

F

De Iudaïcis ſacrificiis, quæ Armenij faciunt.

QVod autem Deo aduerſantes hi, propter turpia lucra ſua, Iudaïca ſacrificia inſtaurent, hinc liquet. Nam cùm Chriſtus Deus noſter acceperit panem, ac calicem, dederitque diſcipulis ſuis, atque dixerit: *Accipite, comedite & bibite ex hoc: Hoc eſt corpus meum; & ſanguis: Hoc facite in meam commemorationem*: Armenij hi, non panem, & vinum & aquam, ab iis in ſacrificij vſum accipientes, qui eadem atque illi ſapiunt, prout Euangelica inſtitutio poſtulat, offerunt; ſed boues, & agnos, ac oues: perque Iudaïca hæc ſacrificia, peccatorum remiſſionem eis mentiuntur; docentque in ſacrificiis huiuſmodi habere ſpem, non autem in corpore Chriſti. Quare etiam in ſolemnitatibus, ac Paſchate, non ex Chriſti percipiunt corpore, ſed ex talibus irrationabilibus Iudæorum hoſtiis, per quas ſanctificari ſperant.

Armenij legalia ſacrificia frequentant.

G Siquidem enim ante Chriſti aduentum, cùm Iudæi omnes eiuſmodi ſacrificia offerrent, ac per ea, Deo ſe cultum adhibere putarent, inque talibus hoſtiis gloriarentur, à Deo audierunt: *Non accipiam de domo tuâ vitulos; neque de gregibus tuis hircos*: Ac rurſum per Iſaiam: *Sanguinem taurorum atque hircorum nolo: Quis enim quæſiuit hæc de manibus veſtris?* cumque Dauid hoc ſciret, aiebat: *Si voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis.* Nunc autem, cùm Chriſtus Dei Filius pro nobis mactatus fuerit, ſeque ipſum Deo ac Patri hoſtiam pro nobis obtulerit, panemque ac calicem accipiens diſcipulis dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*: nunc itaque cùm Dei aduerſarij Armenij, Iudaïca iterum ſacrificia inſtaurent, boueſque, ac agnos, & oues immolantes, per ea remiſſionem ſe peccatorum conſecuturos ſperent, atque in illis ſpem habeant, eorumque perceptione ſanctificari ſe putent, glorienturque in eiuſmodi ſacrificiis, non in corpore Chriſti ac ſanguine; quomodò non perſpicuè Iudæi ſunt, ac Chriſti hoſtes? Siquidem enim pecorum vnquam victimæ hominibus profuiſſent, Deumque illis conciliaſſent, ac remiſſionem peccatorum præbuiſſent, quid neceſſe fuit vt Chriſtus mactaretur, quà ſe mactatione, ſacrificium pro nobis obtulit, ac nos Deo reconciliauit? Si enim, cùm nihil nobis irrationales hoſtiæ Deum placabilem poſſent facere, aut peccatorum remiſſionem præſtare, Chriſtus Dei Filius, ſe ipſe Patri pro nobis hoſtiam offerens, dicebat: *Hoc eſt corpus meum, ac ſanguis meus; quod pro vobis frangitur; quique effunditur in remiſſionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationem*: hi autem, ruſus ſpem habere in Chriſti corporis lumine omittentes, in legis vmbrâ ſpem habeant, planè factam per Chriſtum redemptionem negant, æque ſacrificiis liquidò Iudæi cognoſcuntur.

Sacrificia animalium, nunquã omninò accepta.
Pſal. 49. v. 9.
Iſai. 1. v. 9.
Pſal. 50. v. 18.

H

Nam ſi irrationalium victimæ, ſalutem hominibus

Aucti ieiunij Quadrageſimalis dies, poſt annum à Chriſto centeſimū & vigeſimum.

præſtant,

præſtant, ac remiſſionem peccatorum, gratis Chriſtus mortuus eſt: Sin autem tanquam illis nihil iuuantibus Chriſtus mactatus fuit, ac factus victima; palam eſt, eiuſmodi ab illis factas hoſtias, nedum eis ſalutem non conferre; verùm etiam Iudæos oſtendere. Quî verò eos iuuare poſſint, cùm pecora neque in Eccleſiam ingrediantur, neque ſanctificentur, nec in ſanctuarium intrent, nec digna habeantur, quæ ſacram menſam conſcendant, neque vllam prorſus ſanctitatem recipiant: quî, inquam, quidve, illos, qui ea ſacrificant, ac eorum percipiunt carnes, illa iuuerint? Vnde etiam ait Gregorius Theologus: *Sacrificemus, non vitulos, neque agnos cornua producentes & vngulas.* Hi autem, qui eiuſmodi Iudaicas victimas faciant, quique ex eorum ſanguine domorum poſtes Iudæorum more oblinant, atque in feſtis ac Paſchate, loco corporis Chriſti, ex illis percipiant, oſque eorum ſeruent, homines impij, non horrent? Quis ergo ſic habentes, non meritò Iudæos potiùs, quàm Chriſtianos dicat?

Orat. 42.

Capvt X.

De blaſphemiis, quas Armenij in Crucem euomunt, vtque perperam illam baptizent.

Crucium apud Armenios dedicatio.

SEd & viuificæ crucis figuram, cuius nos expreſſione ſanctificamur, ac fugantur dæmones; Deo abominabiles iſti, ſanctam negant, atque vilem: quin turpis eorum lucri ac ventris ſtudio, vnctione irrationalium victimarum, non eius ipſius expreſſione, Crucem aiunt ſanctificari: Quos ita meritò alloquamur. O Armenij dæmonum currus! Siquidem figura Crucis, Chriſtianorum ſacramenta vniuerſa ſanctificat, ipſumque panem, Chriſti corpus facit, ac vinum & aquam, Chriſti ſanguinem efficit; Eccleſiæque ædificium, templum Dei, ac domum Domini conſtituit, necnon vnguentum atque oleum conficit, quorum vnctione, Chriſtiani ſanctificantur, ac fideles appellantur: eamque fideles in vultibus ac frontibus ſuis exprimentes, per eam à Gentibus ac infidelibus diſcernuntur: ſed & in chartarum ac inſtrumentorum ſigillis, ad certam ſcriptorum fidem, atramento crucem exprimentes, eos, qui eam tranſgrediuntur, ac negant, tanquam qui Chriſtum negent, condemnamus: qui rurſum figura crucis, ſeu imperfectum quid ac imbecillum, per alium modum ac Iudaicam victimam, quaſi ipſa immunda foret, ſanctificatur, ac ita adoratur? Cùm enim crux, expreſſâ eius figurâ, omnia Chriſtianorum myſteria ſanctificet; ſiquidem ipſa quoque poſtmodum imbecilla, inutilis, ac profana inuenitur: qui non Chriſtianorum Myſteria inania ſint ac immunda? Quando enim crucis figura, à minori ad maius vniuerſa ſanctificat, iam deinceps oſtendant, quod exhibeant maius ſignum, ac figuram aliam, quâ crucem ſanctificare poſſint. Nā ouium victimam, planè per crucem ſanctificant, quam Chriſtus Dei Filius, clauis in eâ pro nobis confixus, ſanctificauit; eiuſque ſignum, commune vniuerſorum ſanctificationis inſtrumentum effecit. Quemadmodum enim antequam Chriſtus cruci affigeretur, erat illa maledictionis organum, eiuſque figura abominabilis: ex quo autem Chriſtus in eâ fuit affixus, ipſa ſanctitatem aſciuit, eiuſque figura ac ſignum, vim ſanctificandi omnia accepit: omneſque eius in ſe figuram exprimentes, ſanctificari ſe credunt. Ita liquet, ſanctam eſſe quamcunque crucem, ipsâ ſui expreſſione ſanctitatem habentem: ſanctoſque fieri, qui adorant, ac fide oſculantur. Quod ſi ſignum Crucis inutile eſt, ac immundum, vt illi impiè nugantur, planum eſt, eodem modo habere, quæcumque illi per illud ſanctificant: Iamque in eis nihil remanet ſanctum; non vnguentum; non oleum; non corpus ac ſanguis Chriſti, non Dei templum. Nec ipſi ſanctificantur crucem in ſeipſis exprimentes; nec per eius ſignum alios ſanctificant. Neque victima eorum ſancta eſt, quam per crucis ſignaculum ſanctificarunt, ac per quam rurſus, vti inſulsè opinantur, crucem ſanctificant. Nihil eorum proculcatum ſigillum, ob crucis adiectum ſignaculum, deinceps pœnæ conciliabit ac ſupplicij, vti dictum eſt. Res eorum vniuerſæ, quas ſanctas exiſtimant, quas per ſignaculum, ac crucis figuram ſanctificant, communes atque immundæ perſeuerant.

Deincepſque oſtendant nobis, maius aliquod ac ſanctius ſignum, per quod crucem putent ſanctificari. Omninò enim quod ſanctificat aliud, ipſum ſanctius eſt, iuxta quod ait Apoſtolus: *Quod minus eſt, à meliori benedicitur.* Sic verò impij homines, in ſanctiſſimam figuram ac ſignum viuificæ crucis blaſphemi ſunt: ſicque crucem ſtudiis ſuis, quibus ſanctificare exiſtimant, infamant magis, inutilemque ac imbecillem oſtendunt.

Hebr. 7. v. 7.

Capvt XI.

De crucium coniunctione quam Armenij faciunt.

RVrſus qui ligna velut idola deificent, non erubeſcunt? Tres enim cruces ligneas coniungentes, ſanctam Trinitatem impij appellant. Quî verò cœleſti, trinè ſubſiſtentis Deitatis nomen, rebus ligneis affingere audent? Quî porrò ſanctæ Trinitatis inuiſibilis illius, immortalis, incorruptibilis, incomprehenſæ, incogitabilis, inadſpectabilis, indiuiduæ, ligneas imagines facientes ac deificantes, ſanctamque Trinitatem ac Deum nominantes, non per hoc digni palam exiſtunt qui lapidibus obruantur? Sed & ſanctam Trinitatem cruci affixam eſſe, impiè docent. Quòd ſi non ferentes illata crimina, ad neganda eiuſmodi facinora vertantur, oſtendant cauſam cur ita tres cruces iungant, ac quomodò iſta faciant, ac ſanctam Trinitatem appellent. Ac ipſi quidem, qui ſanctæ Trinitatis, inuiſibilis illius, inadſpectabilis, indiuiduæ, incomprehenſæ, imaginem faciant, ac deificent, ac ſanctam, Trinitatem dicant, non horrent: nec eos pudet, vt nos, propter Chriſti Dei, qui verè eſt incarnatus, ac factus homo, ac viſus, eiuſque Deiparæ matris, imaginem, probris afficiant, atque blaſphement?

Quis ergo videns, audienſque eiuſmodi eorum innumeras impietates, ac negationes, & maledicta, & conuicia, ac calumnias, quæ illi aduerſus Chriſtum, eiuſque incarnationem, ac Euangelium, eiuſque omnes ſanctos confinxerunt, atque ſtruxerunt, non eos oderit tanquam Dei ac Chriſti hoſtes, atque ab eis reſilierit, vtque lupos rapaces, atque Iudæos execrabitur? ac ſeu à colubris, ac ſcorpionibus, & Antichriſtis, ab eorum facie fugerit: eorumque baptiſma, non ſanctificationem, ſed pollutionem, ſordeſque, ac immunditiam appellauerit? Quî enim in eis ſanctitas inueniatur? Quippe habitat in eis diabolus, ac cum eo eius dæmones, omniſque hæreſis ac blaſphemia, omniſque aduerſus Eccleſiam Catholicam, ac ſanctos omnes defectio. Aut quomodò eorum acceptabile baptiſma, ac non potius execrandum, ac repudiandum, atque immundum? Quî verò ipſi alios ſanctificare poſſint, qui ſint alieni à gratiâ ſancti Spiritus, ob ſuam ab Eccleſiâ Catholicâ ac Apoſtolicâ defectionem, cuius decreto tanquam vaſa maledictionis, innumerabilibus ditis per orbis vniuerſi Epiſcopos deuoti ſunt; atque vt impij ligati fuerunt in cœlo ac ſuper terram, iuxta quod ait Dominus: *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.*

Matth. 18. v. 19.

Oſtendant ergo, quem Sedium Apoſtolicarum Præſulem eorum communionis habeant, vtque non potiùs, vno omnes conſenſu Synodicè deuouentes, alienos à Chriſto pronunciauerint, ac diabolo tradiderint? Quis ergo intelligens ac timens Deum, profanas ac execrandas eorum Synodos, quas in ſatanicis; ac diabolicis dæmoniaciſque eorum locis, cùm appellato Tiben, tum Mantziciert, Iudaïca ac Caiphæ conciliabula celebrarunt, non animo, corde, ac ore anathematizet:

Duplex Armeniorum hæretica ſynodus.

A in quibus, hæreſim omnem, ac blaſphemiam, omnemque errorem prædicantes, ac ſequacibus ſuis tradentes, omnemque eos aduerſus Eccleſiam Catholicam defectionem docentes, atque ad rectam fidem negandam impellentes, ac alienos à Chriſto conſtituentes, maledictionis ac perditionis filios, ac anathematis hæredes effecerunt. Quis ergo audiens primam ſacram trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum Nicænam Synodum, tres Perſonas, ſeu hypoſtaſes, vnamque ſubſtantiam ſiue naturam in ſanctâ Trinitate prædicantem, non eos tanquam aduerſarios oderit, ac negantes Nicænam Synodum, qui naturam perſonam eſſe impiè ac ſtultè dicant?

Capvt XII.

De piis dogmatibus, quæ Armenij negant.

B

Armeniorum varij errores. Naturam confundunt cum perſonâ.

Qvis audiens ſanctos omnes ac à Deo afflatos Patres, ipſamque Nicænam Synodum, duas in Chriſto naturas prædicantes, quemadmodum ſancta Synodus Chalcedonenſis; hoc eſt, res ſeorſum veras, deitatem ac humanitatem, in vnâ perſonâ ac hypoſtaſi, non ab iſtis reſilierit, dieque ac nocte eos deuouerit, qui vnam naturam totam deitatem in Chriſto prædicent, eumque mediâ parte negent?

Negant Chriſti carnem. Luc. 24. v. 39.

Quis audiens Chriſtum dicentem Apoſtolis poſt reſurrectionem: *Palpate me, ac videte, quia carnem ac oſſa habeo*, non Chriſti aduerſarios ac Antichriſtos iſtos appellauerit, qui eius negent carnem, ac inſtar guttæ mellis aut aceti, deitatis pelago demerſam dicant, atque inuiſibilem, ſine ſubſtantiâ, ac eſſe, factam doceant?

Docent deitate paſſibilē. Matth. 20. v. 28.

Quis iterum, ipſum audiens Dominum ac Deum noſtrum dicentem, quia: *Veni animam meam dare redemptionem pro multis*: ac, *Ego animam meam pono pro ouibus meis*: &, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vitâ*: Itemque dicentem ad Iudæos: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: non

C *Ioan. 10. v. 15. Ioan. 6. v. 52. Ioan. 2. v. 19.*

iſtos, vt Dei hoſtes execrabitur, ac auerſabitur, qui Chriſti deitatem vnà cum carne paſſibilem ac mortalem, ſicut Arius, blaſphement, ipſumque à Patre ſeparent?

Ioan. 1. v. 14. 1. Cor. 12. v. 26. 1. Cor. 6. v. 15. Hebr. 2. v. 17. & 4. v. 15.

Quis ſanctos Apoſtolos audiens, Ioannem Theologum, ac magnum Paulum; illum quidem in Euangelio dicentem: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: Hunc autem ad Corinthios ſcribentem, ac in hæc verba nos alloquentem: *Vos eſtis corpus Chriſti, ac membra ex parte*: &, *Corpora veſtra membra ſunt Chriſti*: &, *Chriſtus per omnia factus eſt nobis ſimilis homo, abſque peccato*: non damnet horum temeritatem ac negationem; vt Chriſtus mortale corpus ac paſſibile, eiuſdemque nobiſcum ſubſtantiæ, non aſſumpſerit: ſed corpus immune à corruptione & immortale, noſtroque diſſimile, ac alienū ab humani corporis ratione? Qui enim hæc dicant Dei aduerſarij, nec Verbum carnem factum credant, & habitaſſe in nobis; nec nos Chriſti corpus ac membra aſſerūt;

D

quin etiam Apoſtolos mendaces ac ſeductores faciunt: nec Chriſtum nobis conſubſtantialem hominem factum confitentur. Quod ſi magnus Apoſtolus Paulus, mortalia ac corruptibilia corpora noſtra, Chriſti corpus ac membra prædicauit, Verbumque caro factum eſt, & habitauit in nobis, quemadmodum Ioannes Thologus dixit: palam eſt Armeniorum corpora, haudquaquam Chriſti eſſe corpora ac membra, ſed Satanæ habitantis in eorum corporibus, eorumque docentis hæreſes, ac zizania in eis ſeminantis, ſuamque illis aduerſam in Deum mentem ac defectionem ſuggerentis. Sic ergo impios, qui ſe à Chriſto alienos conſtituant, non pudet!

Non celebrāt Domini Natalem diem. Appellat ita Chryſ.

Quis audiens Apoſtolos ac ſanctos Patres, Dei ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Natalem diem, primam ſolemnitatem, radicemque ac principium ſolemnitatum, ac ſolemnitatum ſolemnitatem, omniumque ſolemnitatum metropolim appellantes; iſtos omninò Chriſtianos arbitretur, ac non magis Chriſtum negantes, ac diabolicos, qui nullam omninò eius Natalis memoriam faciant, aut celebrent?

hom. in ſ Philogonium, ex quo ſunt hæc petita.

Negant duas in Chriſto voluntates ac operationes.

Quis audiens ſanctos Patres, naturales duas voluntates, ac duas naturales operationes in Chriſto prædicantes, iuxta quod ipſe Dominus in Euangelio docet, non meritò, illos tanquam Manichæos, Apolinariſtas, ac Eutychianiſtas criminetur, qui nec voluntatem, nec operationem confiteantur in Chriſto? ſed vnam voluntatem ac operationem, velut Arius, in Chriſto doceant, eiuſque deitatem Patrenâ abiectiorem oſtendant?

Veteres libri Eccleſiaſtici Armeniorum orthodoxā fidem cōtinent.

Quis videns ac audiens, eorum panegyricos ac ſanctorum exortatorios libros omnes, duas naturas, ac duas voluntates liquidò in Chriſto prædicantes, vti ſexcentis vicibus oſtendimus eis, exque illis eos redarguimus, non mortis reos condemnet, tanquam eos, qui Chriſtum negent, ac ſanctis Patribus aduerſentur, ſintque hoſtes, tum Græcorum, tum Armeniorum à Deo afflatorum veterum Doctorum? Qui ergo impij alij hæretici eò impudentiæ prouexerunt, quò iſti, qui Chriſti Euangelium amputare, ac adulterare præſumpſerint?

F

Hymnum Triſagiū in Trinitatem reduci, Eccleſia Rom. ſuadet. traditio Apoſtolica.

Cùm ſancti Patres hymnum Triſagium in ſanctam Trinitatem Seraphicè ac Euangelicè conſonè reducant, omneſque magnæ vrbis Romæ Antiſtites, à Principibus Apoſtolorum accepiſſe teſtentur, reducendum in ſanctam Trinitatem, ſexcentiſque diris ac depoſitionibus Petrum Fullonem, ob eius in eo hymno auctarium ſubiecerint; quis non omninò iſtos oderit, ac auerſetur, tanquam impios, ac blaſphemos, hæreticoſque, qui nedum ſanctam Trinitatem crucifixam blaſphement; verùm etiam vnum Chriſtum Dei Filium, Neſtoriano errore, in duos filios diuidant?

Quod ſi reprehenſi reſpondeant, dicentes: Minimè gentium, hymnum Triſagion in ſanctam nos Trinitatem referimus, ſed in ſolum Chriſtum: hæc dicentes, Chriſti ſe hoſtes apertè confirmarunt. Interrogentur ergo Armenij illi Acephali: Ergone Chriſtus Dei Filius, cum carne crucifixus fuit, an ſine carne, ac incorporeus? Quod ſi iterum per ſimulationem reſpondeant, cum carne crucifixum. Siquidem ergo Chriſtus cum carne crucifixus eſt,

G

ſicque Armenij veritate confitentur, quidni in hymno Ter ſanctus dicunt; Sanctus Deus; Sanctus fortis; Sanctus immortalis, qui incarnatus ac crucifixus eſt pro nobis, miſerere nobis? Nam ſic dicentes oſtenderent, in Chriſtum ſe incarnatum, eum hymnum referre. Nunc autem, cùm neque carnis mentionem faciant, neque aſſumpti hominis, cùm ex aliis omnibus, tum ex hoc ipſo palam efficitur, omninò negare Chriſti incarnationem; eaque ratio eſt, vt non horreant vnam in Chriſto naturam dicere.

Solidius Theoriani, vt in nullam ſeorſim diuiſam Perſonam reducatur.

Capvt XIII.

Quod nec etiam Armenij ordinationem habeant.

H

Nec ſacerdotiū Armenijs conſtare probat. Cautionis fœdus Gregorij inter & Leontiū.

Qvod neque Armenij habeant ordinationem, ſed ab omni ſacerdotio extranei ſint, inde liquet. Nam S. Gregorius, qui Armeniorum Epiſcopus fuit, ac Leontius beatiſſimus Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus, qui eundem Gregorium ordinauit, ſecuritatis pactum inter ſe inierunt, vt qui pro tempore Armeniorum Epiſcopus præficeretur, ab Eccleſiâ ac Pontifice Cæſarienſi ordinationem acciperet, ex quâ ipſe à principio Gregorius ſacerdotium accepiſſet, quæ omnia in libro de vitâ ac martyrio S. Gregorij accuratiùs explicantur. Illi verò in innumeras prolapſi hæreſes, ac extranei facti ab Eccleſiâ Catholicâ, cùm non accipiant ordinationem ab Eccleſiâ Cæſarienſi, nonne omnino profani ſunt ac laici, quoſque ipſi baptizarunt, ethnici prorſus nec baptizati?

Gregorius cruces ſimplices adorādas erigit à quo exponit.

Si ergo crux, ac ſignum eius, abſque ſtatâ eorum precatione ac ſacrificio, inualida ac inutilis inuenitur, nec eſt digna quæ adoretur, ac venerationi habeatur:

quomodo

A quomodo vir ſanctus priuſquàm ordinaretur Epiſcopus, hactenus exiſtens laïcus, ac cùm nullum adhuc ſuſcepiſſet ordinem, cruces ligneas fabricans, ac per eas Armeniæ idola deſtruens, fuganſque dæmones; quas crucis adhuc laïcus exiſtens fabricauerat, in quibus neque fecerat ſacrificia, ac quas minimè precibus ſanctificaſſet, nec prorſus vnxiſſet, adorationi expoſitas ſtatuens, omnes docuit venerari, atque ad eas recurrere, ac ſub ipſis Deum omnipotentem adorare? Quamobrem perſpicuum eſt, eſſe omnino alienos à Sancto Gregorio, eiuſque doctrinâ ac traditione: quem etiam hoſtis loco habentes, nec eius memoriam recolunt, nec feſtum celebrant, nec ieiunium eius prædicant, nec in eius ſolemnitate ſacrificium peragunt.

B Capvt XIV.

De ſatanico ieiunio, quod ArtZeburij vocant.

Singulare Armeniorum ieiunium exagitatur.

Qvemadmodum etiam in eorum reliquis falſis ſolemnitatibus, præcipuè in abominabili eorum ieiunio, ac feſto, quod Artzeburem appellant: quem & maximè impij homines vt Deum adorant: de quo operæ pretium eſt cum eis diſputare: ſiquidem prætextu ac nomine Sergij, quem ſanctum indigitant, omnes eis ſimiles ſtultos ac mentes, eiuſmodi occultam eorum hæreſim, ac execrabile ieiunium pertrahunt. Rogo ergo vos, dicite ô peſſimi, quiſnam iſte ſi Artzebures; ac quod eius nomen: ac cuius ſit ieiunium hoc: vobis quidem tremendum; apud nos autem, ac Deum, Sanctoſque omnes, abominabiles? Nos porrò, diuinam omnem ſcripturam perlegentes, veteris pariter ac noui Teſtamenti, habentéſque ſanctorum omnium Apoſtolorum Canones, nec non Nicænæ Synodi ſanctorum trecentorum decem C ac octo Patrum, ac reliquarum Synodorum, omniumque à Deo afflatorum Patrũ, nuſquam omnino de Artzebure inuenimus, aut nomen, aut traditionem aliquam. Ac quidem eorum aliqui, ſancti Sergij aiunt eſſe hoc ieiunium.

Quidam aiunt S. Sergij ieiunium.

Quæſo, cuius Sergij? Siquidem enim ſancti Sergij eſt, ac Bachi, ſanctorum martyrum Romanorum, oſtendite de eorum memoriâ ac ſolemnitate, quæ occurrit die 7. menſis Octobris; vt eam vos celebretis hebdomadâ, quæ eſt ante carniſprinium: Sin dicant, non eſſe Sancti Sergij & Bachi martyrum Romanorum; ſed ſancti Sergij martyrio in Armeniâ coronati: Præclarus omninò hic ſanctus veſter Sergius, vnâ quadam menſis die obiit, nec nos-tra, inquiunt, vnâ die huiuſce noſtri menſis, capite cæſus conſummatus fuit. Quod ſi die vnâ menſis obiit, vti alij omnes ſancti, quorſum ieiunium eius, ac conſummati illius ſolemnitas non celebratur, die ipſâ certaminis: ſed pro tempore cum paſchæ carniſpriuio, quod ſemper menſem ingreditur, ac egreditur? Quamobrem perſpicuum D eſt, non eſſe illius ſancti Sergij ieiunium. Nam ſi cuius ſancti eſſet, planè celebraretur, quâ die fuiſſet conſummatus, pro omnium aliorum Sanctorum ratione. Qui autem cùm nullius alterius ſancti vel ieiunium ieiunent, vel ſolemnitatem celebrent; nec ſancti quidem Ioannis Præcurſoris, qui omnium Sanctorum maximus eſt; nec SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; nec ſancti Ioannis Theologi ac Euangeliſtæ, vel Matthæi, aut reliquorum Apoſtolorum; aut ſancti Stephani primi Martyris: nec alterius cuiuſquam Apoſtoli, aut Prophetæ, aut ſanctorum Martyrum, cùm illi tot ac tanti exiſtant: nec ſanctarum martyrum Ripſimes ac Gaianæ, quæ fuerunt coronatæ martyriò in Armeniâ ac ne vel ſancti Gregorij ſacri martyris, qui Armeniæ Epiſcopus extitit; vti rei ipſa experientia teſtis eſt, vt nemo noſtrum ſancti Gregorij in Armeniâ vel ieiunium audierit, vel ſolemnitatem, vel ſacrificium: ac neque vllius ſanctorum Patrum: vel Athanaſij, vel Baſilij magni, vel Gregorij Thaumaturgi, vel Gregorij Theologi, vel Chryſoſtomi, vel Cyrilli, vel Ephræm, vel alicuius alterius Patris: cum ergo è tot ac tantis Sanctis, nullius vel ieiunium ſeruetis, vel memoriam celebretis, vel ſacrificium faciatis, qui hunc ſolum Sergium, E terribili ieiunio, ac die feſto, ſacrificiique oblatione tanquam Deus eſſet, adeò honoratis atque colitis? Quamobrem perſpicuum eſt, præfatos vos ſanctos Patres ideò execrari ac auerſari, quod ſint Romani: noſque ideò, ac quia Romani ſumus, vnum veſtrum Sergium Armenium deteſtamur.

Sergium quendam Armenium martyrem prætexunt.

Nullius ſancti diem Armenij ieiunant, aut feſtiuam colunt.

Sic ſe illi videntes coargui, ſtatim quidem Sergij illam rationem negant, quin & ſuæ ſectæ homines, qui eius ieiunij rationem in Sergium referant, diris deuouent. Tum verò, tanquam probabilius aliud commenti, ieiunium Artzeburis dictum, Niniuæ tradunt eſſe ieiunium.

Alij volunt ieiunium Niniuitarum.

Vbi autem ad eos diximus, cùm nec ſancti Apoſtoli hocce ieiunium ſcripto conſignarint, neque Nicæna Synodus, neque aliquis Sanctorum, exceptâ 4. feriâ, ac Paraſceue, magnâque Quadrageſimâ, ac hebdomadâ paſſionis Chriſti, nec non ieiunio Natiuitatis Chriſti, F ſanctorumque Apoſtolorum, ac Dei Genitricis: quis vobis iuſſit, vt Gentis, quæ longo annorum ſpatio Chriſti aduentum præceſſit, ieiunium obſeruetis? Siquidem enim Iudæorum ieiunia, à Deo per Moſen ſtatuta, vbi iam Chriſtus venit, ſeruare prohibemur; quanto magis ſceleratarum Gentium ieiunia?

Sic ergo coarguti, dicunt iterum, eſſe hoc Adami ieiunium. Poſtquam enim, inquiunt, exiuit è paradiſo, ieiunium illud ieiunauit. Ergo oſtendant, quænam à Deo inſpirata Scriptura, aut Propheta, vel doctor, aut ſcriptor id doceat. Sanè, cùm hiſtoricus ille Moſes, de cœlo, terrâ, omnique creato ſcripſerit: ad hæc verò, de Adami ac Euæ formatione, deque eorum tranſgreſſione, ac exilio è paradiſo; nec non pariter de filiorum procreatione, totaque eorum vitâ ac morte, nequaquam tamen, poſtquam è paradiſo egreſſi eſſent, ieiunaſſe ſcripſit. Siquidem enim paradiſo pulſi illud tunc ieiunium ieiunaſſent, omnino etiam Moyſes illius meminiſſet, quemadmodum etiam conſcripſit eorum res omnes. Cùm ergo Moyſes hiſtoricus ac Propheta, nihil eiuſmodi conſcripſerit, aut omnino dixerit, palam eſt iſtos fabulas confingere, ac mendaces eſſe. G

Alij Adami à paradiſo exulis.

Friuola impugnatio.

Sic autem conuicti ſeductores illi, reſpondent eſſe ieiunium Armeniæ, cùm à ſancto Gregorio baptizanda eſſet. Porrò vt hoc quoque, vti reliqua, mendacio dicant, oſtendamus ex eorum propriis libris. Equidem, antequam Armenij à Sancto baptizarentur, cùm agerentur à dæmonibus, dies ſexaginta à ſancto Gregorio ieiunare iubentur. Poſtquam autem deſtruxiſſent idola, ac Cæſaream Cappadociæ abiiſſent, eſſetque ille ordinatus Epiſcopus ab eius Sedis Pontifice: reuerſus iterum vir ſanctus, ac cùm eos baptizaturus eſſet, triginta dierum ieiunium indixit, vti in vitæ eius ac martyrij libro accuratè ſcriptum legimus.

Alij Armenia iamiam ſuſcepturi baptiſmum.

Quali Armenij ieiunio præparati baptiſmo.

Sic vlteriùs confuſi, ieiunium ſuum ipſum magni Conſtantini ieiunium, cùm Romæ à Silueſtro baptizandus eſſet, dicunt. Quod autem id quoque falſum ſit, perſpicuè liquet: Magnus enim Conſtantinus, cùm H morti proximus eſſet, Nicomediæ baptizatus fuit, ac ſtatim diem obiit. Quod ſi magni Conſtantinus filius, ipſe quoque Magnus appellabatur, reſque vera fuit, quod abſit: quid ad mundum vniuerſum, vt ante annos octingentos Imperator baptizandus ieiunauerit? Qui verò idem Silueſter, cùm Nicænæ Synodi præſes eſſet, handquaquam cum Synodo, ac cum reliquis Synodi traditionibus, ieiunium hoc ab omnibus ſeruari conſtituit? Quiſnam verò Apoſtolorum Canon, aliorumue Sanctorum, aut Synodorum, ita iubet, vt quotieſcunque Imperator à Gentilium errore conuerſus fuerit ad Chriſtianiſmum, ac debuerit baptizari, ſtatim præſcribatur vt Imperatoris catechumeni ieiunium ab vniuerſo mundo ſolemne in perpetuum habeatur atque ſeruetur?

Alij Conſtantini baptizandi.

Auctoris ſententia de baptiſmo Conſtantini.

Oſtendant verò quid nominis illius ieiunij. Ipſi porrò Artzeburem dicunt. Nos autem, nuſquam execrabile illorum nomen inuenimus. Qui verò, omnes Romanorum traditiones atque dogmata anathemate damnantes, atque negantes, ieiunium dictum Artzeburem cuſtodiunt? Quis ergo, Dei aduerſariorum Armeniorum aſtu-

tiam

A tiam ac ſimulationem non perſpiciat, vt hæc illi omnia mentiantur atque confingant, quò ſimpliciores ſeducant, pertrahantque in ſuam hæreſim? Quis ergo ex eorum multâ illâ variatione ac diuerſis nominibus quæ confingunt, non intelligat, nihil omninò, quem dicunt Artzeburem, Chriſtianorum traditionem eſſe, aut vllius Sancti ieiunium; ſed magnam hæreſim, ac terribilem valde, contentioſè ab hæreticis expoſitam ac adinuentam, ad ſchiſma ac diuiſionem à rectâ Romanorum fide inducendam: cuius adminiculo in eorum impietatis barathrum omnes detrahere contendunt: Siquidem igitur ieiunium Sergij martyris eſt, non Artzeburis, vti dicitis: Ac ſiquidem eſt Artzeburis, qui iterum dicitis eſſe Adami? Ac ſiquidem Adami eſt, qui iterum factum eſt Niniue? Ac ſiquidem eſt Niniue, qui factum eſt baptiſmi Armeniorum? Ac ſi quidem eſt baptiſmi Armeniorum, qui iterum inuentum eſt Romæ, ac baptiſmi Conſtantini effectum?

B

Scita deuorati à lupo canis fabula.

Audiant omnia hæc impiorum falſa figmenta: falſi nominis Chriſtiani ac falsò exiſtimati orthodoxi, qui cum hæreticis, hunc animis exitioſum Artzeburem alacri animo ieiunant, ac eorum dolum cogitent: vt mitum execrandum quoddam eiuſmodi ſit illorum ieiunium. Nempe Sergius quidam Armeniorum hæreſis magiſter, canem habebat ſic appellatum, Artzeburem. Porrò ea vox, prænuncium ſignificat. Vtebatur ſæpenumerò Sergius eò aduentûs nuncio ac indicatore, dæmone ipſum agente, cùm in oppidum aliquod, aut vrbem, vel locum venturus eſſet, vbi eius diſcipuli, ac eius hæreſis infecti lue habitarent: cumque illi canem vidiſſent, poſtridie ad aliquot milliaria obuiam magiſtro effuſi procedebant. Porrò contigit, vt canis quandoque emiſſus ad ſolitum munus, à lupo deuoraretur; inque craſtinum profectus eſt Sergius, quò canem deſtinarat. Cùm autem nemo, vti lex erat, obuiam proceſſiſſet, grauiter tulit: venienſque ad eos, vbi cognouit eius præcurſorem catellum minimè adueniſſe, miſit qui eum requirerent: exque inuentis oſſibus, à lupo deuoratum

C cognoſcens, Armeniis omnibus præcepit, vt ſtatutis quot annis diebus, pro eius morte ieiunarent, ac triſtes luctum agerent, idque ieiunij appellauit Artzeburem. Deteſtentur hæc ac auerſentur, qui idcircò quòd ſit magna ac execranda hæreſis, eam adeò peſſimi, ſe magnificare videant intelliganque.

Ratio ab Eccleſia promiſſa infallibilitate.

Quæſo ergo vos, ô Armenij, qui reuerâ dæmonum curtus eſtis, impiorum Acephalorum diſcipuli: Chriſtus Dei Filius, mendaxne videtur, necne? Quod ſi dicant non eſſe mendacem; Atqui Chriſtus ipſe dixit Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*; id eſt, hæreſes: Qui itaque blaſphemè dicitis, Eccleſiam Catholicam ac Apoſtolicam lapſam in hæreſim, periiſſe, ac Chriſtum mendacem facitis, dicentes, Romanos omnes in interitum ire, voſque ſolos conſequi ſalutem? Quomodo Chriſtus, ne vt Propheta quidem verax fuit, ſed mentitus, Eccleſiam ſuam Apoſtolicam in hæreſim

Matt. 16. v. 18.

D prolabi reliquit, quam per Petrum & Paulum, ac Ioannem Theologum, reliquoſque Apoſtolos ſuos fundatam ædificauit? omneſque Pontifices, ſucceſſores, ac confeſſores, diſcipulique Petri & Pauli, Ioannis Theologi, Andreæ, Philippi, ſanctorum Apoſtolorum: Lucæ, ac Matthæi, & Marci Euangeliſtarum, ac Iacobi fratris Domini, hæretici facti in malam rem abeunt; nempe Romani, totius Orientis ac Occidentis, cognati omnes Martyrum ac Sanctorum: Eutychetis autem diſcipuli, & Dioſcori, Timothæi Æluri, Petri Fullonis, ac Iuliani, impij ac profani Armenij, vt vos Chriſti Aduerſarij nugamini, ſaluantur? Siquidem ergo *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*; quinam is ſuam gratiam ab humilibus corde Romanis, ac mitibus animo, auferens, nempe ſui perfectam cognitionem ac rectam fidem; gratiam ſuam ac pietatem dedit, durâ ceruice, ac immitibus animo, & ſuperbis corde Armeniis: Quod enim ſupra omnes Gentes duriores ſint, atque ſuperbi; inanis item gloriæ cupidi, ſæuique, ac immites, res ipſæ quotidie clamant, ac

Ab Armeniorum moribus.

1. Petri 5 v. 5.

E lapides cum omnibus Gentibus clamaturi ſunt, Nulla quippe Gens alia eſt, in qua tot cædes ac homicidia videre ſit; adulteria ac furta; latrocinia, rapinas, ebrietates, proditiones, periuria: negationes, blaſphemias, conuitia, calumnias, iuges ac continuas mutua cæde ſanguinum effuſiones; crudeles ac mortales plagas, lites aſſiduas; immenſam voracitatem, exuperantem prodigalitatem ac incontinentiam; rebellionem, inanem gloriam, ſuperbiam immenſam: omnemque prorſus vitioſitatem ac nequitiam, adulationemque, ac ſimulationem, vti in vna videmus Armeniorum natione, quos Deus propter eorum ſuperbiam ac arrogantiam, in mala poſuit; *deiecitque eos in omnibus Gentibus dum extollerentur ac diſperſit*, vt eſſent incolæ ac ſerui omnium nationum, quemadmodum iis ſimiles dura ceruice, ac tranſgreſſores Iudæos; nec eſt inuenire nationem aliam ſic omnibus nationibus ſubiectam, atque vniuerſis deſpicabilem ac execrabilem, vti impiorum Armeniorum ac Iudæorum nationem; quemadmodum etiam quis ex illis, qui Armeniæ Epiſcopus fuit, ſcripto teſtatur, dicens: *Gens noſtra*, inquit, *Armeniorum, ſuperba eſt, atque impia.*

Pſal. 72. v. 18. & 150. v. 27.

F

Norſeſis Catholici de ſuis Armeniis teſtimonium: plures fuerunt ante Iſaacum, nec liquet cuius ſit dictum.

Siquidem igitur ſupra nationes omnes ſuperbi ſunt, ac dura ceruice, cordeque immenſum ferreo; quinam, ſuam Deus gratiam ac pietatem à mitiſſimis ac humilibus corde Romanis abſtulit; apud quos reliquiæ ſunt eius Apoſtolorum, ac omnium Sanctorum eorumque pretioſa quæque ac venerationem habentia: quos ſtatim atque nati eſſent, glorificans ſuperexaltauit, omneſque Gentes, ſub eorum pedibus, propter illorum pietatem, ſubiecit; vti ait Propheta: *Dedi tibi Gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ: Reges eos in virga ferrea*: id eſt Romanum Imperium. Armenios enim potius, propter eorum ſuperbiam, ac duritiam cordis, & impietatem in finem deſerens, repulit; ſuamque ab eis gratiam auferens, in omnem terræ ventum diſperſit: ac quæque Iudæis per Moyſen, Iſaiam, & Ezechielem comminatus fecit, in Armenios quoque, ob eorum impietatem induxit.

Pſal. 2. v. 8.

G

A Romanorum Pontificum ſingulari prærogatiua.

Qui verò, magnæ vrbis Romæ Antiſtites, ſanctorum Apoſtolorum confeſſores, ac fidei hæredes, qui duas naturas, duaſque operationes in Chriſto prædicent, vti Dominus ipſe in Euangeliis docet, blaſphemant; eorumque pietatem impietatem nuncupant; ac confeſſionem, negationem dicunt; rectamque fidem, alienam à fide doctrinam; nec horrent, qui impiè illos anathemati ſubiiciant? Siquidem enim Apoſtolica Eccleſia, eiuſque Pontifices, in hæreſim prolapſi ſunt, vti Chriſti aduerſarij Armenij blaſphemant: palam eſt mendacem eſſe Chriſtum. Sin autem Chriſtus non eſt mendax, qui ſit verus Deus, eiuſque Catholica ac Apoſtolica Eccleſia, cum ſuis omnibus Pontificibus, rectam fidem tenet, atque prædicat, liquet Eutychetem, & Dioſcorum; Timotheum quoque Ælurum, Petrum Fullonem, ac Iulianum, eorumque dogmatis conſentientes Armenios, ac impietatis negationiſque ipſorum diſcipulos, hæreticos ac blaſphemos, Chriſtique aduerſarios errare. Ac ſicut Iudam Apoſtolum vnum è duodeno Chriſti Apoſtolorum choro, diabolus proditorem factum, abſorpſit:

H ſic & impios Armenios, à duodecim Gentibus quæ crediderunt in Chriſtum ſciſſos, ac proditores negatoreſque rectæ fidei factos, idem ipſe nequam diabolus, tanquam leo glutiuit, qui tam multas negationes ac hæreſes, blaſphemiaſque in eis ſeuerit, ſuamque eos defectionem docuerit.

Libri antiqui Armeniorum ſani.

Omnes enim eorum antiqui libri, cùm duas in Chriſto naturas, ac duas prædicent operationes, carneque paſſibilem, ac impaſſibilem deitate probent, nouaſque omnes illorum hæreſes coarguant, negatores ipſos Chriſti incarnationis demonſtrant, Euangeliique adulteratores, ac hoſtes, aduerſarioſque veterum omnium ſanctorum Patrum, Romanorum pariter ac Armeniorum. Quamobrem etiam perquàm meritò, ac valde è ratione, ab omnibus, quotquot in Chriſtum crediderunt, nationibus in perpetuum diras ſortiuntur. Horreas cœlum, ac vniuerſa terra contremiſcas, ſuper audacia, Dei ac

A *Armenij, ad eorum ſectã tranſeuntes Romanos, per immane ſcelus denuò baptizant.*

Chriſti aduerſariorum, impiorumque Armeniorum! Quis enim audiens non horreat, lugeatque, vt hi, qui Chriſtum mediâ parte negant, Romanos, qui perfectum Chriſtum confitcantur, decipientes, tanquam impios iteratò baptizent; vtque, qui eius Annunciationem ac Natiuitatem, tanquam Iudæi ac Neſtoriani negauerunt, hæc celebrantes, ac honorantes, congruàque religione magnificantes, tanquam negatores condemnent: ac qui Chriſti Euangelium adulterauerunt ac occiderunt, eos qui Euangelium integrum nullâque nouitate violatum retinent ac credunt, blaſphement: quique piam fidem, ac ſanctorum Patrum traditiones negauerunt ac irritas fecerunt, eos qui Sanctorum orthodoxam fidem, ac Eccleſiæ Catholicæ traditiones inuiolatas ſeruant, tanquam præuaricati eſſent, ac exploſiſſent; ac qui Chriſtum incarnatum, omneſque ſanctos ac diuinitùs afflatos Patres, tanquam Ethnici ac profani quidam deuouent; eos, qui Sanctos omnes honore proſequuntur, eorumque memorias celebrant, ac doctrinam illorum credunt, eorumque oſculantur imagines, tanquam Ethnicos ipſi ac infideles, ſcelesto ac profano, immundoque, ac execrabili, & polluto, nec admittendo, aut rationem habente eorum Baptiſmo, denuò baptizent; ſeu potius contaminent, ac alienos à Chriſto efficiant: ac demum, aduerſariorum Dei hæreticorum diſcipuli, eorumque impietatis ſucceſſores, ſanctorum Apoſtolorum diſcipulos, ac ſanctorum Patrum ſectantes fidem, tanquam alienigenas, primis fidei rudimentis imbuant, ipſique propter immenſam ſuam impietatem damnati, pios ac orthodoxos, Caiphæ iudicio condemnare audeant.

B

Audite hæc omnes, qui cum eis amicitias iungitis, ac emendamini, atque ab illis, vt à Iudæis, ac Manichæis, & Antichriſtis fugite, vt ne cum eorum impietatibus pereatis. Audite omnes qui communi cum eis menſa manducatis, triſtem ſententiam omnium ſanctorum ſuffragiis latam; eſſe vos aduerſarios Chriſti.

C

Capita quorum ratione Armenij deuouerunt.

Itaque anathematizantur illi, 1. tanquam Aphtartodocitæ.

Hæreſum capita in Armeniis, aut veritate, aut iudicio auctoris, in nonnullis errantis.

2. Tanquam vnam in Chriſto naturam blaſphemantes.

3. Vt vnam eius operationem impiè prædicantes, ac vnam in ipſo negantes voluntatem.

4. Vt Dei Genitricis Annunciationem non celebrantes.

5. Vt Chriſti imaginem, ac Dei Genitricis, Sanctorumque, non adorantes, ſed idola appellantes.

6. Vt panem azymum Iudæorum more in ſacrificium offerentes.

7. Vt qui in vino ſanguinis Chriſti aquam non miſceant.

8. Vt qui Chriſti Euangelium adulterauerint.

D

9. Vt qui ſanctam Trinitatem in hymno Ter ſanctus, crucifigant.

10. Vt qui Chriſti Natiuitatem negent.

11. Vt qui falsò exiſtimatum ſacerdotium ſuum perſpicue vendant, ac execrabile ſacrificium venale faciant; idcirco tanquam Simoniani à ſanctis Apoſtolis, ac deiferis Patribus anathemate feriuntur. Anathema autem in hunc modum exponitur: Reuerà, inquit, diabolo deuotus exiſtat qui anathematizatur: nullum iam ſalutis locum habeat: alienus ſit à Chriſto. Siquidem ergo tot anathematis ab orbis vniuerſi Pontificibus deuoti ſunt, ac à Chriſto pronunciati alieni, & diabolo traditi: atque ad mundi vſque conſummationem à Chriſtianis vniuerſis deuouentur: quomodò rurſus tanquam veri Chriſtiani à fidelibus debent reputari? Qui verò etiam, falſo nomine Chriſtiani ac orthodoxi, ſceleſtum ſuum baptiſma ac myſteria, vera ac firma exiſtimant? Siquidem igitur ſexcentis vicibus ſubiecti anathemati, diabolo traditi ſunt; quomodo ab anathemate ac diris exeat benedictio? aut quomodo, ſpiritale ac ſanctum opus à diabolo conſummatur? Benedictio enim haudquaquam procreatur ab

Quid, ac quàm horrendũ ſit anathema: Vide ſimilia apud Chryſoſt. hom. de anath.

E

anathemate; nec precatio exit à maledictione: nec Chriſti myſterium peragitur à diabolo: ſuauis item odor, non progreditur ab ſtercore: nec ab vlcere, aliis accedit ſanitas: nec alius quis curatur à vulnere: nec à putridis membris, corpus aliud ſanum efficietur; neque ab hæreſi ac infidelitate, conſummabitur ſpiritale opus: nec quod errantes ac impij baptiſma conficiunt, eſt acceptabile, quemadmodum ait Dominus: *Non enim colligunt de ſpinis vuas, nec de tribulis ficus.* Proinde cùm eorum baptiſma, tum vniuerſim ſacra omnia, perſpicuè reproba ſunt atque irrita, quicquid ſtulti, ac inſipientiſſimi, inconſtanteſque falsò exiſtimati orthodoxi, quæ ipſi celebrant, tanquam vera rataque, ac accepta, credi oportere ac reputari contendant. Enimverò audiant imperiti ac indocti Ioannem Theologum ita in Epiſtolâ dicentem: *Si quis enim,* inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne ei Aue dixeritis, ac nolite in domum recipere. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Quamobrem perſpicuum eſt, eos quoque qui orthodoxi putantur, ac cum hæreticis in cibo ac potu, amicitiâ, ac pace communicant, atque ea, quæ ab illis peraguntur, accepta habent ac rata, impieque ac ſtultè reuerà, Chriſtianos nominant, eorum maledictionis ſocios inueniri, totque aduerſus eos prolatorum anathematum ab vniuerſo orbe, ac Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ ab ortu ad occaſum. Nam vt ait admirabilis Chryſoſtomus: *Si quis videtur amicus eſſe hæreticorum, Dei hoſtis conſtituitur.*

Matt. 7. v. 16.

2. Ioan. 9.

F

Sic ita Chryſoſt. ſent. Acephali à pluribus Synodis damnati.

Sanè, vt quis ſacras Scripturas ipſe ſcrutari valeat, ac ſanctorum Patrum intelligere dogmata, iſtos, alios omnes hæreticos plurimùm impietatibus ſuperare inueniet: vt alij quidem hæretici ſatis habuerint, ſinguli ab vnâ aliquâ Synodo deuoueri: hos autem eorum impietatis duces ac magiſtros, eò quòd præ hæreticis aliis audaciores, ac maiori impietate effecti, innumeras hæreſes, ac blaſphemias, & negationes aduerſus Chriſti incarnationem ac pietatem confinxiſſent, ac perſpicuè Chriſti ſe aduerſarios prodidiſſent, nedum ab vnâ ac ſingulari Synodo damnari oportuit, verùm à multis magniſque vniuerſalibus ac localibus ſacris Synodis, proſcribi neceſſe fuit, ac deuoueri.

G

Arium quidem aduerſus Dei Filium blaſphemantem, prima ſancta œcumenica Synodus, ſanctorum 318. Patrũ deuouit. Macedonium autem Spiritus ſancti aduerſariũ, 150. ſanctorum Patrum .... [Neſtorium verò] blaſphemantem, ac purum hominem ipſum dicentem, ac matrem hominis, quæ verè Deiparens eſſet, prima Epheſida diuinorum ducentorum Patrum ſancta œcumenica tertia Synodus, depoſuit proſcripſitque. At Eutychetem ac Dioſcorum, Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Iacobum Syrum, Iulianum, ac Seuerum, ac iis dogmate conſentientes: priùs quidem cùm necdum apparuiſſent, Gregorius ille miraculorũ patrator, magnus Athanaſius, Gregorius Theologus, Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, Ephræm, Ioannes Chryſoſtomus, Silueſter, Iulius, Damaſus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Cyrillus Alexandrinus, Epiphanius, Baſilius magnus, Angelis ſimiles ac deiferi miraculorumque patratores, ac ſigniferi, S. Patres; prophetico ſpiritu, vti Arium, ac Manichæum, Apollinariumque, ita pariter cum illis, eos, qui naturam vnam in Chriſto blaſphemarent, eiuſque deitatem paſſibilem ac mortalem dicerent, ſexcentis vicibus deuouerunt: Vbi autem apparuiſſent, Eutyches, inquam, & Dioſcorus, Timotheus, Petruſque, ac Iulianus, iiſque ſimilia errantes: primùm quidem ſanctiſſimi, magnus ille Leo, ac Flauianus; magnaque ac œcumenica ſexcentorum triginta à Deo afflatorum Patrum ſancta Chalcedonenſis Synodus, eos deponentes ac deuouentes, diabolo tradiderunt. Similiter autem in Ieruſalem quoque ſub impio Imperatore Anaſtaſio, ac Ioanne Hieroſolymorum Patriarchâ, ſanctiſſimi Theodoſius ac Sabas, congregatione factâ decem millium præpoſitorum ac monachorum eremi, Eutychetem ac Dioſcorum, Timotheum, Petrum Fullonem, Seuerum, ac ſequaces, anathemati tradiderunt. Sed & quinta ſancta œcumenica Synodus, centum ſexaginta quin-

SS. Patres necdum exortam Acephalorum hæreſim exagitant.

H

Tum SS. Leo & Flauianus. Monachi item Palæſtinæ. Vide in vitis SS. Sabæ & Theodoſij. Quinta quoque synodus

A

que ſanctorum Patrum, Conſtantinopolim ſub magno Iuſtiniano Imperatore conueniens, ac ſanctam Synodum Chalcedonenſem confirmans, Eutychetem & Dioſcorum, eiſque adhærentes deuouit.

Synodus Conſtantinop. ſub Mena.

Iterum verò ſanctiſſimus Menas Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac ter beatus Papa Romæ Agapetus, aduerſus Dioſcorum, ac Seuerum, Petrumque Fullonem, ac Petrum Moggum, Synodum congregantes, eoſdem, ac Deo aduerſantia eorum ſcripta, eorumque hæreſis ſectatores deuouentes, diabolo tradiderunt.

Felix aliique Romani Pontifices.

Martinus c Synodo Romana.

Sed & ſanctiſſimi Patriarchæ magnæ vrbis Romæ Felix ac Symmachus, nec non Quintianus, cum vniuerſis orbis terrarum Epiſcopis, Petrum Fullonem, ac ſequaces, vſque tertiò deponentes, tanquam Dei aduerſarios diris ſubiecerunt. Martinus verò Angelo ſimilis Romanus Pontifex, collecto Romæ centum quinquaginta Epiſcoporum cœtu, Synodum agens, eos rurſus, cum Monothelitis eorum erroris ſectatoribus, tanquam Dei aduerſarios, gradu mouens, deuouit. Poſt eum autem ſanctiſſimus quoque Papa Romanus Agatho, vnà cum centum viginti quinque Epiſcopis Romæ Conuentum agens, eos rurſus cum Monothelitis deuouit. Sexta item ſancta ac œcumenica, centum ſeptuaginta ſanctorum Patrum Synodus Conſtantinopoli congregata, Neſtorium, ac Eutychetem, & Dioſcorum, ac ſequaces, vnà cum Monothelitis deuouens, diabolo tradidit. Similiter quoque ſeptima ſancta ac œcumenica trecentorum quinquaginta Patrum Synodus Nicææ congregata, eos & ipſa cum Iconomachis deuouit.

B

Agatho item.

Sexta Synodus.

Septima.

Qui ergo tot diris deuoti fuerint, ac toties diabolo traditi, vnà cum ducibus, ac magiſtris eorum plurimæ hæreſis, quique adhuc à Chriſtianis omnibus deuouerantur; quî adhuc vt Chriſtiani reputari habent, ac non potiùs vt Chriſti aduerſariis ac negatores Chriſti? Qui verò etiam eorum baptiſma ratum habeatur? Enimuerò obturentur ſtultorum immunda ora, quæ eos vere Chriſtianos fruſtrà nominent, eorumque dicant ratum baptiſma. Quod ſi quis etiam libros ac ſcripta legat, quæ illi aduerſus Chriſti incarnationem ac Euangelium, atque in primis aduerſus à Deo afflatos Patres, ac Pontifices magnæ vrbis Romæ, conſcripſerunt, planè vt Iudæos ac Saracenos, Manichæoſque, execratus auerſabitur. Sin autem aliquis, minus ipſe ſcrutari, ac perſpicere poſſit, ex communibus ſaltem blaſphemiis, quibus iugiter, tanquam feri canes, aduerſus orthodoxos Romanos, ac rectam fidem noſtram oblatrant, eorum diſcat impietatem; atque ab illis, ac eorum amicitia reſiliat, eoſque auerſetur, atque ab eorum doctrina aures occludat. *Non* enim *eſt in ore eorum veritas; cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens* ad blaſphemiam *guttur eorum, ac lingua eorum* iugiter *doloſè agunt. Verba* ſiquidem *oris eorum, iniquitas & dolus: Dilexerunt* enim *omnia verba ſubmerſionis, lingua doloſa. Cogitauerunt & locuti ſunt in malignitate: iniquitatem loquuntur in excelſo* incarnationis Chriſti. Quod enim eorum baptiſma alienum ſit, nec Spiritus ſancti gratiæ particeps, ob eorum hæreſim, nec Satanas per eorum baptiſma ab eis exturbetur atque pellatur, nec Spiritus ſanctus domicilio inducatur, ex eo liquet: quòd nedum eorum laici, ac idiotæ; verùm etiam eximij eorum Epiſcopi, ac Sacerdotes; ſeu potius tenebris obſcurati, ac profani homines; & vt mox Manichæi adierint, aut eos luſtrauerint, ſtatim relicto ac prorſus abnegato falſo Chriſtianiſmo, ad Manichæorum perfidiam, ac execrandam vitæ priſtinam rationem, reuertantur. Siquidem enim Spiritus ſancti gratia per eorum baptiſma, aut manuum impoſitionem in ipſis induceretur ac inhabitaret, non ſic facilè ad Chriſti abſolutam negationem verterentur, muniente ac tutante, quæ in eis gratia habitaret. Donet Deus vt omnes nos, eorum nugas ac errores vitemus, vt in futuro quoque æuo liberari contingat ab æternis ſuppliciis, quæ ſunt illis repoſita: gratia ac benignitate Chriſti veri Dei noſtri, cum quo Patri gloria, vna cum ſancto ac viuifico Spiritu, nunc & ſemper.

C

Acephalorum ac Armeniorum in Rom. Pontifices odium.

Pſal. 5. v. 10.
Pſal. 35. v. 4.
Pſal. 51. v. 6.
Pſal. 72. v. 8.

D

Armenij ad defectionem ac apoſtaſiam faciles.

E

SANCTI ISAAC ORATIO inuectiva, aduerſus malè ſentientes ac hæreticos Armenios: ac quotnam cæci illi circa lumen hæreſes habeant.

Pulchrũ exordiũ; vt erroris diſcipuli conuerſi profint, ac ſuis odio ſint.

Cvm Dei prouidentia, Apoſtolorum principem Petrum, fieri iuſſit piſcatorem hominum; eius tunc oratio hamus facta eſt, quo is omnes, ad ſalutem, ab infidelitatis profundo extraheret ac piſcaretur. Ac ſanè animum mergit in putrida profunda ac ſordida, latenteſque draconum aquas: nimirum, Simonis Magi: eiuſque diſcipulos diuinæ adiunxit doctrinæ; qui & ipſi, eiuſdem ſummi principis, diſcipuli euaſere: tumque Petrus ex ſuis diſcipulis, occultam ac tenebris obſitam doctrinam Simonis Magi, dilucidiùs accuratiuſque diſcere cœpit. Sed & magno Paulo, cœleſti illi homini, ac terreſtri Angelo, cùm Dei clementiæ placuit, vt ad agnitionem veritatis vocaret, apparuit in via Saluator, corporaliumque oculorum cæcitate, magno ſuo lumini admouit, ac vſque ad tertium cœlum euexit, iſque ſpiritalibus oculis ſpectator ipſe paradiſi factus, qui olim perſecutor at conuiciator Eccleſiæ eſſet, mox prædicator ac veritatis doctor; Gentiliumque ſacrificiis addictorum cultus vetitor, ac Euangelij portitor euaſit: vt ita graui turbata Hebræorum Synagoga iniret conſilium, dolo interficiendi Paulum. En verò quid breui hac oratione, ſermonis prolixitatem vitantes, viro idiota ac peccatore memetipſo commonui, qui ab impiis hæreticis perſecutiones multas ac pericula ſuſtinui.

F

Iſaac inter hæreticos natus ac educatus.

G

Etenim natus ſum ac educatus in medio hæreticorum ac impiorum, in eorum omnibus doctrinis eruditus, valdeque iniurioſus ac aduerſarius; Chriſtianorumque ac orthodoxorum religionem ludibrio habens. Enimuerò diuina clementia, ſanctorum interceſſionibus, multis hactenus modis, Chriſtianos ab impiorum errore extraxit, atque ſcientiæ veritatis lumini admouit. Miſericordia verò in meam quoque motus humilitatem, non quia dignus eſſem, ſed propter ſuam miſericordiam, mentis meæ aperuit oculos ac intelligentiam, vt quod peius eſſet, à meliori diſcernerem, ac impias hæreticorum traditiones flocci penderem, malaque ac execranda eorum acta, à Chriſtianorum ac orthodoxorum fide ſepararem: cœpique prædicare, éque ſcripturis diuinitùs inſpiratis, quæ ab hæreticis dogmata occulta eſſent ac ignota, diuulgare. Quamobrem apud omnes, res meæ percrebuere: quamque olim ad eos dilectionem ac amicitiam habebam, in inimicitiam ceſſit & odium ac maximam pugnam: adeoque cogentes concilium, ſemel, & iterum, tertioque, in eam, cum Armeniorum Epiſcopis & Presbyteris, ac reliqua plebe, ſententiam ierunt, vt me interficerent. Dicebant enim, eum, qui me traderet ac occideret, peccatorum veniam percepturum, vtque meus ſanguis ſuper eos eſſet, ac filios eorum. Tum verò ſcriptam mulctæ ſententiam, ac plenam ita in hæc verba miſerunt: *Nullam prorſus ſacris operandi poteſtatem habes, eò quòd ab Armeniorum te religione ſeparaueris.* At ego multo gaudio ad eos reſcripſi: *Nedum ſacerdotium, quod non habui, repudio: verùm etiam Epiſcopos, ac religionem veſtram deteſtor ac deuoueo. Idcircò ad inculpatam ac veram fidem confugi, atque ad ſanctiſſimam metropolim recurri: ac amodò delector, valdéque, execrandas ac multas hæreſes veſtras traducere, ac palam facere, cupio.*

Suorum errores traducens, grauiter apud eos offendit.

H

ac quæritur ad mortem.

Suſpendunt à ſacris.

Aliæ enim eorũ hæreſes manifeſtæ ſunt, aliæ occultæ, quarum egò cum illis vnà ſocius ac particeps fui. Nunc verò præſenti ſcripto, illorum eiuſmodi hæreſes declaraui; ſingulis vocibus per tres teſtificans, rogo per eos,

Ioan. 5. v. 7.

A

ac commoneo ſanctos, ac à Deo afflatos auditores, vt ex iis accuratiùs perſpiciant, quo digni ſint honore qui iſta ſapiunt; vtque execrandæ illorum hæreſes fugiendæ ſint: ſiquidem ſcribit magnus Moyſes: " *Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans, & per eam inquinent multos.* Nam & Eſau fornicator ac profanus appellatus eſt, atque à duodecim tribuum, quas Deus ad hæreditatem elegiſſet, ſorte abdicatus, quod propter vnam eſcam primitiua ſua tradiderit; quantò magis profani ac odio proſequendi, qui ab Apoſtolicâ ac Catholicâ Eccleſiâ facti alieni, ac extranei ab inculpatâ fide, à ſanctis ac Apoſtolicis thronis pariter defecerunt? " Ionathas quoque, ignorantiâ tranſgreſſus patris præceptum ſub ipſum prælij tempus guſtato modico melle, mortis ſententiam excepit. Quid verò de talibus dixerim, qui ſanctorum Apoſtolorum, ac diuinorum Patrum mandata tranſgrediantur, ac ſapiant quæ ſunt Hebræorum? " Dauid item propheta, ſubiectos imperio populos deſcribens, Dei iram attraxit, vnâque die ſeptuaginta hominum millia morte ſublata ſunt: potiori iure animabus mortem conſciuerunt, qui aduerſantium Deo Hebræorum zizania, in tanto populo ac plebe ſeminarunt: Quando etiam magnus Paulus ait: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correctionem deuita.* Iſaias quoque dicit: *Exite, ac procul recedite de medio eorum, & immunda nolite tangere.* En verò vnaquàque hac ſententiâ prædicare cœpi.

Deut. 39. v. 18.
Hebr. 12. v. 15.
1. Reg. 14. v. 44.
B
2. Reg. 24.
Tit. 3. v. 10.
Iſa. 52. v. 11.

1. Hæreſis Armeniorum.

Armeniorum 1. hæreſis Monothelismus.

Dei Filium confitentur vnam naturam, & vnam voluntatem, vnamque habere operationem, quæ eſt doctrina Sergij, Pyrrhi, & Pauli, quos ſancta ſexta Synodus Conſtantinopoli celebrata centum ſeptuaginta à Deo afflatorum Patrum, imperante Conſtantino deuouit. Sic autem ſapientes arguit Gregorius Theologus dicens: ' *Credo Dei Filium in duabus naturis, Spiritum & carnem; paſſibilem & impaſſibilem.* Cyrillus quoque ait: *Vnus paſſus eſt atque mortuus, vnuſque idem impaſſibilis permanſit ac immortalis.* Sed & Ephræm ait: *Duæ quidem naturæ in vnum conuenerunt verum Deitas haudquaquam mutata eſt in carnem: aſſumptâque carne, nulla Deitati facta acceſſio eſt.*

Greg. Orat. 41.
Cyrill.
C
Ephræm.

2. Hæreſis.

2. Petri Fullonis additamentum in Triſagio.
3. Felix Epiſt. 44. & alij.
Euſeb.
Greg. Orat. 38.
Quâ Sabelliani, quâ Neſtoriani erroris Triſagij additio.

Errant in diuinâ laudatione, atque in hymno Triſagio adiiciunt, *Qui crucifixus es*, ſuntque Theopaſchitæ, quam hæreſim docuit verſutus Petrus, ac execrantur à Deo inſpiratæ ſcripturæ. Scribunt enim: *Anathema, ſi quis Patrem crucifixum, ac Spiritum ſanctum paſſibilem dixerit.* Ait Euſebius: *De ſanctâ Trinitate ſic intelligimus, qui Seraphim glorificant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth.* Gregorius Theologus ita ait: *Sancta quoque ſanctorum, quæ & Seraphim obtegunt in Triſagij laudatione, in vnâ Deitate.*

Sin autem prætexant, in Filij appellationem referre; Sabelliani ſunt, nec tres Perſonas credunt, Deitatem. Alienas enim hæreſes ſibi vendicant. Atqui non laudant, qui laudent ſolum Filium. Ignorant enim maius hoc dehoneſtamentum eſſe, non honorem. Alij autem excuſant, referre quidem trinam ſanctitatem in Deitatem: at vocem, qui crucifixus eſt, referre in Filium. Hi porrò in Neſtorij errore verſantur, ac ſanctam Trinitatem, quaternitatem confitentur.

D

3. Hæreſis.

3. Crucis in Trinitatis figuram mala coniunctio.

Tres illi cruces coniungunt; ac duas quidem æquali figurâ ac longitudine faciunt; tertiam verò, minorem ac exiliorem; eaſque, ſanctam trinitatem appellant. Ea porrò res grandes duas hæreſes continet: Vna, quia ſancta Trinitas non eſt figuranda in materiâ, ac rebus quæ in terrâ viſibiles ſunt: altera, quòd ſanctæ Trinitatis perſonam vnam minorem confiteantur.

4. Hæreſis.

4. Apoſtaſia à ſedibus Patriarchalibus ac Cæſarienſium metropoli.

Alieni ſunt à ſanctis quattuor, ac Apoſtolicis thronis, nec habent ordinationem; ſiquidem ſanctorum Patrum ſcita tranſgreſſi ſunt, habentque ſcriptam eorum reprehenſionem, ac quotidie legunt in ipſorum libris. Nam Gregorius magnæ Armeniæ Epiſcopus, ordinationem accepit in Cæſareâ vrbe. Cùm ergo magnus Pontifex Leontius malignam Armeniorum mentem perſpectam haberet, per literas ſignificauit Tiridatæ regi, in hæc verba: *A me ſacerdotium accepiſtis: maneat ergo meæ Sedi incuſſum ius ordinationis in veſtrâ Metropoli.* Accepitque validum ac firmum reſcriptum huius tenoris: *Huius rei ſponſores exhibemus dexteram Excelſi, ac pretioſam crucem, in quâ Chriſtus extenſus fuit, nec non baptiſma, in quo ſumus baptizati, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, ac mortis omnium Sanctorum, qui ſunt mortui pro Chriſto, fore vt inconcuſſi perſeueremus, ac ſeruemus tuum mandatum:* Armenij nihilominùs ſpretores facti ſunt, violatoreſque ac tranſgreſſores, Sacramenti huius.

E
Leontij cum Armeniis pacta.

5. Hæreſis.

5. Quod non legitimè offerant.

Errant in ſuâ Miſsâ, nec habent ſacrificium myſticum, quod dixit Chriſtus: *Afferte vitulum ſaginatũ, occidite, & manducantes epulemur:* In quæ verba ait Chryſoſtomus: *Sanctus Pater, qui vult myſticam hoſtiam: Sanctus Filius, qui ſemper occiditur, nec tamen conſumitur: Sanctus Spiritus ſanctus, qui ſacrificium, conſummat ac perficit.* Gregorius quoque Theologus: *Idcircò, ait, Agnus, Ieſus Chriſtus appellatur, propter lenitatem, veteriſque nuditatis indumentum. Quapropter etiam victima myſtica menſæ appoſita, indumentum nobis eſt incorruptionis, ac tunica caſtitatis.*

F
Luc. 15. v. 23.
Chryſ. hom. de Prodigo.
Greg. Orat. 42.

6 Hæreſis.

6. Quod azyma: in qua auctoris cenſura durior ac erronea.

Azymum, mortuam hoſtiam impudenti facie in conſpectu Dei iuxta Hebræorum traditionem ſiſtunt. Quamobrem Paulus multimodè ſcribit: ad Corinthios, in hunc modum: " *Modicum fermentum, totam maſſam fermentat.* Ac rurſum ait, " *Si primum culpa vacaſſet, ſecundum locum non habuiſſet.* Ad Galatas quoque ſcribit: " *Euacuatos eſſe à Chriſto, omnes, qui in lege iuſtificantur, ac excidiſſe à gratiâ.* Aitque iterum: ' *Si quis vnum quid de lege voluerit facere, maledictum eſſe, niſi omnia fecerit.* Saluator quoque dum in cœnaculo cœnam myſticam vellet Apoſtolis reuelare, non in azymo fecit, ſed in pane perfecto: ſiquidem non erat azymorum tempus iuxta legem Hebræorum. Nam etiam myſterium hoc ante Paſcha fuit, quemadmodum magnus quoque Ioannes Euangeliſta ait: *Ante diem feſtum Paſchæ:* Ac rurſum ait: *In craſtinum adducunt Ieſum à Caipha ad Prætorium, vt non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha.*

1. Cor. 5. v. 6.
Hebr. 8. v. 7.
Gal. 5.
G
v. 4.
Gal. 3. v. 10. & 5. v. 3.
Ioan. 13. v. 1.
Ioan. 18. v. 28.

7. Hæreſis.

7. Quòd non miſceant aquã in calice.

Aquam in vinum in diuinis myſteriis non mittunt. De hoc ſcribit Apoſtolus Ioannes Theologus: *Ipſe eſt, qui venit in ſpiritu, & ſanguine, & aquâ: Nam hæc tria vnum ſunt.* Gregorius quoque Theologus ait, exiſſe è latere Domini ſanguinem & aquam: *alterum quidem, tanquam hominis; alterum, vt humanâ conditione maioris.* Epiphanius item ſic ait: *Exiuit ſanguis, vt à perfecto homine: aqua autem ex abundanti adiectio, propter eius elementi puritatem, diuinitatem ſignificauit: Crux quippe menſa appellata eſt; ac Chriſti caro, panis vitæ: ſimili quoque ratione, ſanguis & aqua, quæ effuſa eſt, potus vitæ.* En ergo, ſiquidem aqua diuinitatis myſterium habet, planè iam diuinum ſacrificium ſine aquâ, puri hominis corpus oſtendit.

1. Ioan. 5. v. 6.
Greg. Orat. 42.
Pulcher Epiphanij locus.

H

8. Hæreſis.

8. Quod ſal non adhibeant pani.

Panem abſque ſale habent: nec audis Dominum dicentem diſcipulis: *Vos eſtis ſal mundi.* Et iterum ait: *Omnis victima ſale ſalietur.* Beatus quoque Iob ait: *Nunquid comedi poteſt panis ſine ſale?* Planè morbi omne genus edentibus facit. Ioannes item Chryſoſtomus dicit: *In omni ſacrificio veſtro ſal immittite.*

Matth. 5. v. 3.
Mar. 9. v. 49.
Iob. 6. v. 6.
Chryſ.

9. Hæreſis.

9. Quòd Deiparæ Annunciat. non celebrent.

Annunciationem ſanctiſſimæ Dei Genitricis non nouerunt, primam illam ſolemnitatem, ac noſtræ ſalutis caput. Ait verò Gregorius Thaumaturgus: *Cunctas quidem feſtorum celebritates ac laudationes, tanquam victimas ac holocauſta offerre Deo: præcipuè autem ac præ omnibus, ſanctiſſimæ Dei Genitricis; illius, inquam, gratiâ plenæ, ac ſemper Virginis Mariæ, Annunciationem.* Ac

Gregor. Thaum. Orat. 2. in Annunc.

A

rurſum ait : Si quis ſalutare feſtum hoc celebret, maiorem omnibus retributionem ac gratiam apud Deum eſſe percepturum. Chryſoſtomus eam laudans ſolemnitatem, ſcribit. *Rurſus læta gaudij nuncia : rurſus libertatis indicia, &c.* In diuerſis quoque libris liquidò feſtum hoc Hebraicâ linguâ, quinta menſis Niſan, id eſt, vigeſimâ quintâ Martij, indicant.

Chryſoſt. Orat. in Annunc. quæ etiā tribuitur. Gregor. Thaumat.

10. Hæreſis.

10. Quòd non Christi Natalem diem. Gregor. Orat. 38. Apud Greg. Deus. Armeniorū traditio de die Natali Christi.

Ingrati ſunt ac ſtulti, quod ſpectat ad Natale Domini. Ac neque Gregorium Theologum attendunt, cum ait : *Chriſtus naſcitur, glorificate.* Et iterum ait: *Apparuit enim Chriſtus per Natiuitatem, &c.* Ac rurſum ait : *Ac quidem paulò poſt, etiam purgatione meâ in Iordane purgari videbis, &c.* quibus verbis oſtendit, Domini Baptiſmum poſtmodum venturum eſſe : Hi autem traditiones habent, quibus ſtatuatur : *Si quis Chriſti Natalitia, ac feſtum Luminum ſeparauerit, maledictus eſt.* Scribitque iterum in idem myſterium : *Nunc autem partum accipe, ac præſulta : ſi minùs vt Ioannes ex vtero, &c.* Et poſt pauca ſcribit : *Sit cœleſtium & terrenarum Virtutum communis celebritas. Nam & illas ſimul feſtum agere, ac pari lætitiâ geſtire confido.*

B

11. Hæreſis.

11. Quòd præter ordinem ac extra tempus, Domini feſta celebrent.

Quintâ Ianuarij Annunciationem habent : atque id, non quia ſanctam Dei Genitricem honore proſequantur: ſed quia potiùs dedecore afficiant. Nam Dominicæ Incarnationis myſteria, certo per annum ordine diſtributa ſunt : Ab Annunciatione ac Conceptione ad vſque Chriſti diem Natalem, nouem menſes ſunt : ac poſt octo dies agitur Dominica Circumciſio : poſt dies autem quadraginta feſtum Occurſûs : Domini autem Baptiſma, quemadmodum etiam à Deo inſpiratæ ſcripturæ loquuntur, 6. die Ianuarij. Hæretici verò pridie Luminum, Annunciationis officium pſallunt, ac dicunt : *Hodie ex te incarnatus eſt Dominus ac Deus noſter* : eademque die confitentur Chriſtum natum eſſe, ac Chriſti Natiuitatem pſallunt : atque vt videtur, eiuſmodi hæreſis, Eutychetis ac Seueriani hæreſi ſuffragatur, qui dicunt Chriſtum, ſeu per canalem, per ſanctam Virginem pertranſiſſe, quos etiam deuouit Synodus Chalcedonenſis.

C

12. Hæreſis.

12. Quòd non sexta die Luminum 6. Ianuarij celebrent. Greg. Orat. 39.

Non norunt ſextâ Ianuarij celebrare feſtum Luminum, nec habent officium Baptiſmi Chriſti; ſed tantùm abeunt ad flumen. Confundit autem eos Gregorius Theologus, Orat. quæ incipit : *Rurſum Ieſus meus, & rurſum myſterium.* Et poſt pauca ait : *Initium quidem Chriſti Baptiſma habet.* Ruſumque ait : *Ac Chriſti quidem Natiuitatem aptâ ſolemnitate prius celebrauimus, tum ego feſti dux & auſpex, tum vos.* Per hoc autem rurſum ſeparat Chriſti Natalem diem à feſto Luminum, quemadmodum etiam poſtea ait : *Quoniam baptiſmi feſtum eſt, par eſt, vt ei qui, noſtri causâ formatus eſt, ac baptizatus, abundè dicendo adlaboremus ; Nos autem hodie Chriſti baptiſma honore proſequamur, ac feſtum honeſtè celebremus.*

D

13. Hæreſis.

13. Quòd 9. Ianuar. iterum Annunc.

Hæc magna hæreſis eſt : nam 9. Ianuarij celebrant aliam Annunciationem, ac pſallunt Annunciationis officium, dicunt Euangelium : *Sexto menſe miſſus eſt Archangelus Gabriel.* Atque vt quis velit intelligere, ſuperat humanæ naturæ rationem. Ab eorum enim Annunciationibus, ad tempus quo Domini Natale colunt, implentur 12. menſes.

14. Hæreſis.

14. Quòd vnâ die officium Luminū recitent & de Circumciſione.

Quæ eſt magna peruerſitas ac perdita hæreſis. Celebrant enim 12. Ianuarij in matutinis, ac pſallunt Domini Baptiſma, totumque officium Luminum, eademque die in Miſſâ, dicunt Epiſtolam & Euangelium, ac officium totum de Circumciſione.

15. Hæreſis.

15. Quòd careant vnguento ſacro.

Carent vnguento, nec ſciunt vnde fiat vnguenti materia. Ignorant enim quis dicat Moyſi : *Sume oleum de oliuis, & fac oleum ex eo.* Vnguntur enim Sacerdotes, & Reges, & Prophetæ : quod & olim temporibus Noë, Spiritus ſancti auxilio oſtendit columba, habens in ore ſuo ramum oliuæ, quo Noë ſymbolo, multa Dei benignitas ac clementia innoteſceret. Equidem conficitur oleum ex omni ſpecie : oleum tamen vnctionis, iſtud eſt, quod ex Spiritu ſancto traditum eſt. At illi, aduerſantes legi ac ſanctioni ſanctorum Patrum, oleum ex ſeſamo conficiunt, eoque vnguntur loco vnguenti, ac graui ære vendunt.

E

Exod 30. v.24. Armenij oleo ſeſamino vtuntur, pro oleo oliuarum.

16. Hæreſis.

16. Quòd non vngant oleo baptizandos. Cap.2. Hierar. Eccleſ.

In Baptiſmo non vngunt oleo recens baptizatos. Ait enim ſanctus Dionyſius Areopagita per parabolam ; Curruli certamine coram Rege propoſito, qui in ſtadio poſiti ſunt vbi curſores virtutis ſpecimen exhibent, primùm quidem oleo vngunt corpus, vt ne facilè ab aduerſariis teneantur ; poſſuntque eo deliburi ab iis ſe tueri, à quibus tenendi erant. Sic & ij, qui ad ſacrum Baptiſma venturi ſunt, primùm quidem vngendi ſunt oleo, vt hoſtes effugiant : Diabolus ſiquidem magnus aduerſarius eſt eorum, qui baptizantur : poteruntque olei vnctione ac baptiſmate, Spiritus ſancti opitulante gratiâ, venatorem eiuſmodi, diabolum inquam, effugere. Sanctum quoque Gregorium magnæ Armeniæ Epiſcopum, quando 190000. hominum baptizauit, ac cum 120000. in Euphrate flumine ; ſcripto traditum habent in libris ſuis, tantâ oleum copiâ infudiſſe, vt totum circumquaque populum in flumine cingeret. Sed & de ſancto Siluestro in ſcriptis habent, cùm baptizaturus eſſet magnum Conſtantinum, vnxiſſe oleo ac baptizaſſe ; nihilominus Armenij vnguentum non habent.

F

Greg. baptizandu Armeniis olei copiā multam adhibet. Legitur in actis S. Silueſtri.

17. Hæreſis.

17. Quòd ſolus celebrans dicat orationem Domini. Matth.6 v.9. Gal.4. v.30.

Omnium mandatorum Dei tranſgreſſores effecti, in ſuâ quoque errant oratione. Chriſtus enim ſanctis ſuis diſcipulis ac Apoſtolis, ita dixit orare : *Pater noſter qui es in cœlis* : Illi verò ita ſanxerunt : Ne quis audeat dicere, *Pater noſter*, in vllâ oratione, ſiue ſacerdos, ſiue laicus, excepto dumtaxat peragente rem ſacram. Nec hoc mirum aut nouum videri debet. Sicut enim Deus Abrahæ dixit : *Eiice ancillam & filium eius : non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ* : ſic nec gratiæ diuinæ placuit, vt hæretici ac aliena à fide ſentientes, Deum Patrem inuocarent, atque ad Dei adoptionem vnà cum orthodoxis venirent.

G

18. Hæreſis.

18. Quòd in Baptiſmo nō inſufflent. Gregor. Orat.40. 3. Reg. 17. v. 21. iuxta 70.

In Baptiſmo non inſufflant baptizandos : quem ritum Inuenimus in diuerſis locis veteris ac noui Teſtamenti. Sanè ait Gregorius Theologus, Oratione in craſtinum præclari diei feſti Luminum : *Tres aduerſus Sarepthanæ filium inhalationes habeo, vt & mortuos ſuſcitem.* Alibi quoque in libris ſcribit : *Inhalationem, primum quidem viuificare animam, ac in aquis ſepelientem, Chriſtum induere.*

19. Hæreſis.

19. Quòd non adorent Imagines.

Venerabiles ac ſacras Imagines, Chriſti, & Deiparæ ac Sanctorum, non adorant : cùm tamen habeant in ſuis libris ſancti Silueſtri vitam, quâ habetur, vt magnus Conſtantinus, per ſanctorum Petri ac Pauli Imagines, veritatis cognitionem ac ſalutem adeptus ſit. Rurſum quoque ſcribit Gregorius magnæ Armeniæ : Quòd ſciret Deus eſſe homines adoratores imaginum, noluiſſe ab hac illos conſuetudine prohibere ; ſed pro illis imaginibus, ſuam, ac Genitricis, omniumque Sanctorum dediſſe imagines : ac loco idolorum, pretioſam ac viuificam crucem.

H

In actis Silueſtri. Greg. magna Armenia de Imaginibus ſententia.

20. Hæreſis.

20. Quòd in Quadrag. non intrent in Eccleſiā.

Per ſanctam Quadrageſimam non ingrediuntur Eccleſiam, nec crucem adorant.

21. Hæreſis.

21. Quòd caſeo veſcantur Sabbatis ac Dominicis Quadrag.

Scitum ſanxerunt, vt ſi quis Sabbatum ac Dominicam, diebus ieiunij connumeret, exceptâ die Luminum, anathema ſit : eamque illi maledictionem timentes, per Quadrageſimæ Sabbata ac Dominicas, veſcuntur caſeo ; alij quidem palam, alij verò occultè.

22. Hæreſis.

22. Quòd SS. memorias non celebrent.

Non habent Sanctorum memorias, ſuntque alieni ab omnibus Sanctis, ac improbi : nec animum adhibent

A

Chryſ. Baſil. in 40 Martyres.

Chryſoſtomo dicenti : *Multa cum fiducia viſuros Deum, omnes qui feſtorum amant ac feruenti animo, Sanctorum memorias celebrant.* Sanctus quoque Baſilius ſcribit: *Memoria Martyrum, quenam Martyrum amanti ſatietas ſit?* Sed & ipſi ſcripto conſignatum habent : *Si quis Sacerdos non exactè dies feſtos tenet, deponatur.* Sanctæ Dei Genitricis Dormitionem, ac Exaltationem pretioſæ crucis, tametſi forſitan celebrent : nihilominus tamen furum more transferunt, modo ante, modo poſt feſta, celebrantes : nec eorum mens aperitur, vt attendant quid dicat Gregorius Orat. in ſanctum Cyprianum : *Cyprianus ferè nos effugit : O ingens damnum! &c.*

Armeniorum lex Eccleſiaſtica.

Greg. Orat. 18.

De obſcuro Artzeburij ieiunio.

23. Hæreſis.

23. Quod ieiunent Prophoneſimum.

Ieiunium obſeruant dictum Prophoneſimum, quod ab impiis ac profanis hæreticis traditum acceperunt, congregatis in Matzecert, ſiue Theodoſiopoli : quando ſciſſi ſunt à Chriſtianorum orthodoxa fide, ac ſcelerte illud ieiunium Iezabel ſanxerunt. Nam illa ieiunium prædicauit, non propter iuſtitiam ac ſanctitatem ; ſed vt effunderet ſanguinem, ac ieiunij arte interfecit Nabuthe : quod & Chryſoſtomus in diuerſis ſermonibus exagitat, vt doloſum ieiunium, vt iniuriæ matrem, vt fuſi inique ſanguinis ingurgitatam domum, vt iræ Dei parentem. Ita & hæretici illi, eiuſmodi prædicauerunt ieiunium, non ſanctificationis cauſa, ſed vt ſe ab orthodoxorum fide abſcinderent: ſicque illud confirmarunt ac ratum voluerunt, vt ipſum timeant, ac quod emiſerunt ſacramentum, cùm alioqui ſit ira Dei, ac acephalum, nec ſolemne, tanquam tabernaculum in deſerto, ac ſicut corpus inanime, ac mendacij organum, ac ſicut infrugifera regio. Vbi porrò eorum aliquem habueris obuium, atque ab eo fueris percontatus, quidnam ieiunium eiuſmodi velit : reſpondebit falſa quædam ac execranda: Vbi autem alium quempiam interrogaueris, priorem illum mendacem faciet, ac rejiciet, dicetque alia abſona : ſicque exitioſiſſimum ac inconſonum habent tale ieiunium. Quippe ſcriptum eſt in Prouerbiis : *Qui ſperat in mendacio, paſcit ventos : ambulat in terra inaquoſa ac ſterili, congregabitque ſterilitatem.*

B

C

Prou. 10. v. 4.

24. Hæreſis.

24. Quod lacticiniorum ieiunium non ſeruent.

Lacticiniorum ieiunium, quod Eccleſia Chriſtiana à Silueſtro ac Conſtantino Magno traditum accepit, ac deinceps receperunt omnes ſancti Patres ; quod & magnus ille Imperator confirmauit, ſuſceptis illi impiorum hæreſiarcharum doctrinis, polluerunt, inque eo carnes comedunt.

25. Hæreſis.

25. Quod ſacras veſtes non habeant.

Rem ſacram contemnunt, neque ornatum mutant, aut habent ſacrarum veſtium varietatem pro ſacro miniſterio, quas magnus Silueſter lege ſanxit : ac quarum ſacramentum declarauit. Nempe felonium, quod muri inſtar, dum membra omnia in circuitu claudit, cum Dei timore in interius mentis domicilium ingrediendum innuit, ac illic cum Deo fabulandum. Eorum autem quilibet, iis veſtibus indutus, quarum vſus communis eſt, quaſque nullo paſſim diſcrimine adhibere ſolemus, ita ad altare ingreditur. Eorum item Epiſcopi ac præpoſiti, nedum ſacris operando caput tectum habent ; ſed & inter celebrandum duplex capitis operimentum aſſumunt ; ſicque duplici pileo rem ſacram peragunt.

D

26. Hæreſis.

26. Quod non communicent feria 5. Cœna Dominica.

Magna quinta feria myſticæ Cœnæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, primitiis illis noui teſtamenti, quando Chriſtiani omnes communicant, nec quidem myſticam Cœnam percipiunt.

27. Hæreſis.

27 Quod agnum immolent, &c.

Orat. 41.

Sectantur Hebræos, ac Paſcha faciunt cum agno anniculo, agnique ſanguine poſtes linunt, atque eius ſanguinis reliquias ſeruant pro ſanctificatione. Eos porrò arguit Gregorius Theologus in ea Orat. in qua ſcribit : *Super cuſtodiam meam ſtabo, inquit admirabilis Habbacuc :* poſtque multa ait : *Age verò, à lege recedamus.* Rurſum dicit : *Mactate non vitulos nouellos, nec agnos cornua producentes, & vngulas, &c. verùm Deo in ſuperno altari cum cœleſtibus choris ſacrificium laudis immolate.* Chryſoſtomus quoque in Euangelium Matthæi exponit : *Accipiens panem, benedixit : Hoc facite in meam commemorationem.* Vide vt multis modis nouum teſtamentum, à veteri Hebræorum dirimat : aitque illud datum à Moſe in ſalutem primogenitorum ; iſtud verò à Chriſto Saluatore in remiſſionem peccatorum. Sunt qui dicant, oportere agnum quoque immolare : negat vero Chryſoſtomus, ſcribens, ideo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum nouum teſtamentum condidiſſe, vt vetus aboleretur.

E

Chryſ. hom. 83. in 26. Matt.

28. Hæreſis.

28. Quod bouem aut arietem.

Execrabilis Iudæorum victima. Adducunt bouem, aut arietem, in quorum cornibus, fructus varios coccino depingunt, tumque ad Eccleſiæ fores ſtatuentes, ac butyro membra bouis, ſeu arietis inungentes, pro Eccleſiæ foribus immolant : remque, Dominicam victimam appellant.

F

29. Hæreſes.

29. Quod incruentum ſacrificium, ſine animalium cruento ineſicax ſit.

Stulti ſunt ac improbi, nec credunt Chriſti ſanguinem pro mundi ſalute effuſum : quinimò cùm pro defunctis rem ſacram faciunt, negant fieri animabus requiem, niſi iugulentur oues aut boues, eorumque ſanguis effundatur, pro iis, qui obierunt : alioqui inefficax eſſe incruentum ſacrificium. Hæ quas compendio percurrimus, pluribus omiſſis cauſa breuitatis.

ORATIO GERMANI Patriarchæ Conſtantinopolitani in primam ieiuniorum Dominicam, & in ſanctarum & venerabilium imaginum reſtitutionem.

G

QVAM *dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*, non propter pulchritudinem creaturarum, murorumque elegantiam & marmorum ſplendorem, aliorumque quæ ſolers & induſtrius homo ingenioſè excogitauit. Hæc enim ſecundas apud Deum obtinent, & exigua ratio horum vita animaque carentium habetur. Quod vero potiſſimum Dominus curat, quodque omni ſollicitudine dignum iudicat, eſt homo, pretioſa illa res, quem Deus præ omnibus aliis honorat, cœleſtis ſimul & terreſtris, nexuſque cœleſtium & terreſtrium, paruus mundus, cuius gratia, totus hic eſt mundus. Si igitur tabernacula Dei hominibus replentur, & ſi in domo Domini, & in atriis Dei noſtri, iuſti ſunt plantati ſanguine Chriſti, & ſi florent vt palma, multiplicanturque tanquam cedrus in Libano, verè dilecta ſunt hæc tabernacula. Neque merito quis ea terrena appellauerit. Nam vniuerſorum Dominus in his talibus habitat ; vbi verò ipſe, ibi & cœleſtes ordines, & exercitus Angelorum flammas ſpecie imitantium. Itaque ego ſi vnquam alias totius anni decurſu, hodie profecto dilexi diuinum hoc & ſacrum tabernaculum. Adeo enim repletum eſt hominibus, vt propemodum quaſi effuſi templo capi nequeant, tam arctè vniti & coniuncti cum Deo, & inter ſe vinculo, vt & corpora quodammodo ad vnionem & coniunctionem compellant, vtque in vnum quaſi pegma coagmententur & concreſcant.

H

Tanti verò concurſus cauſa eſt commemoratio ſanctarum imaginum reſtitutarum. Iacebat enim Chriſti imago, non triduo, ſed longiſſimo tempore in obſcuro & tenebricolo loco inuidia Hæreticorum idem cum Iudæis ſentientium : ſed nunc inde voluntate Patris exſurgit, &

A prima huius reſurrectionis annuntiatrix exiſtit grauiſſima inter mulieres & diſcipula Chriſti Regina, quæ à diuino munere nomen habet: & per ipſam ad omnes, qui tunc erant Apoſtolici viri, Chriſtique præcones reſurrectionis huius præconium manat, rurſuſque exornatur Chriſti Eccleſia SS. imaginibus & typis, gratumque odorem acquirit, ab Iconomachorum abominatione, liberata. Vaſis enim vnguentarij vice functa egregia illa diſcipula, & à Deo coronata Regina, omnes qui Copronymi hæreſi infecti erant, tanquam Scarabæos quoſdam, ex cœno progenitos, ſuffocans perdidit: & proprium coniugem Imperatorem Theophilum miſerabiliter à tyrannica impietate captum, tanquam de ſtercore inopem excitauit, vitæ quidem conſors, at ſententiæ exſors. O eximiam mulierem, quæ multarum mulierum clades & damna præſtitit. Eua virum ex paradiſo eiicit, contaminata per inobedientiam illa, quæ ſecundum Deum eſt, ſimilitudine. Sedebat Iob in ſterquilinio, corpore quidem
B grauiter olens, anima autem gratum odorem halans. Et improba illa mulier ſuadebat ei, vt & animam blaſphemiis proferendis inquinaret. Non ita Dei amantiſſima hæc fœmina. Ipſi enim matri nomen competit. Nam cum Deum diligeret, à Deo dilecta eſt, propterque Deum virum quoque tam vehementer amauit, vt eum ex inferno, eoque, quod inibi eſt, tribunali, eripuerit, & ad paradiſum, conatu & ſtudio ſuperis grato, & ſpirituali labore traduxerit, hærentemque in cœno execrandæ hæreſeos Copronymi, ab hac blaſphemia expediuit, validumque certamen ſubiit & ſuſtinuit, vt eum vendicaret Chriſto, cuius nomen vnguentum effuſum.

In hunc modum, ô mulieres amate maritos veſtros; ſic opem ferte, neque in ſolis carnalibus communionem cum viris veſtris habete, amantes illos propter voluptatem; ſed & ſubminiſtrare ea, quæ animæ conducunt; & ſuggerite, quæ ad ſalutem pertinent. Et ſi prius mors illos abripuerit adhuc vitiis inquinatos, curate illorum ſalutem precibus, lachrymis, eleemoſynis, & diuinis ſa-
C crificiis. Potes enim ô mulier, mortuum quoque virum his operibus ſaluum reddere. Quia vero adhuc ſuperſunt retrimenta quædam de abominatione Copronymi, audentque rabidi illi canes, & amici luto ſues contra adorandas & ſacras imagines Chriſti, omniumque Sanctorum, fœnum & ſtercus euomere, (ſic enim impia & blaſphema illorum dicta appello, ſunt autem iſti, qui vulgo Bogomili vocantur, veriſſimi Antichriſti diſcipuli, & proditoris Iudæ condiſcipuli) ideo ad ipſos orationem conuertam. Etenim non tam illis in faciem reſtiti, illorumque impudentes vultus confudi, ſubſidio Chriſti, qui ab illis iniuria & contumeliis afficitur. Paucula vero quædam ex diſputatione illa ſelecta, & delibata, cum veſtra etiam charitate communicabo, vt cognito illorum errore, fraudulentis verbis illicientes non circumueniamini: Multi enim nunc circumeunt, inque domos ſeſe inſinuant, in tenebris ambulantes, & pietatis ſpecie multos ſimul abripiunt. Nam cum ſint tenebricoſi Diaboli, transfigurant ſeſe in Angelos lucis. Rogauit me quidam ex Diabolicorum Bogomilorum numero; quare, inquit, adoratis parietes & aſſeres, & calcem, & diuer-
D ſos colores. His verò ſacras imagines tacite ſignificabat. Ad quem ego, quando vidiſti aliquem Eccleſiæ noſtræ alumnum ad fornaces, vbi calx eſt, vel ad rudera, vbi lapidum cumuli viſuntur, vel ad officinas, vbi venduntur colores, properare, & iſta adorare & colere. Si enim lapidibus & coloribus cultum exhiberemus, neceſſe eſſet; vt vbicunque lapidem vel aſſerem conſpiceremus, ea adoraremus. At longè aliter ſe res habet. Neque tu quantumuis inimicus veritatis, id affirmare auſis. Cultum enim exhibemus non ſimpliciter materiæ, ſed ei, quæ in materiis eluceſcit, figuræ, neque omni figuræ, ſed Chriſti, Caſtiſſimæ Dei Matris, aliorumque SS. Nam honor imaginis tranſit ad prototypum. Et forte quidem hiſtoricè Chriſtus expreſſus eſt vel in hac tabula, vel in pariete, cruci affixus, nudus. Adſtant autem Iudæi porrigentes acetum cum felle, latus fodientes, Pilatuſque in throno conſidens, aſſiſtentibus ei multis ſatellitibus.
E Omnia hæc illis in coloribus & hiſtoriis repræſentantur. At nos relicto eo, qui ſedet in throno, relictis illuſoribus Iudæis, militibuſque Chriſtum vulnerantibus, eum, qui nudus in cruce pendet, & ob ipſis illuditur, adoramus & ſalutamus. Hic ſunt colores, & ibi colores. Hic figuræ, & ibi figuræ. Quare igitur illas quidem odimus, & auerſamur; has verò amplectimur & oſculamur, Qua de cauſa? Ego ibi explicabo. Scimus eorum, quorum prototypa & exemplaria ſancta ſunt, ſanctas itidem imagines eſſe. Quorum verò prototypa execrabilia ſunt, eorum itidem imagines deteſtandas eſſe. Iterum ergo interrogabo te, tu iterum reſponde. Librum Euangeliorum ſanctum eſſe confiteris, eumque, vt theſaurum æternorum bonorum colis, an & hunc auerſaris, & honore indignum, ducis? Nequaquam, inquit, honore indignum, ſed plurimo honore dignum exiſtimans, eum adoro & oſculor. Recte hoc dixiſti. Verè enim omni veneratione dignus & ſanctiſſimus eſt, vereque liber æternæ vitæ. Vide igitur ex ore tuo condemnaberis Bogomile. Dic ergo. Nonne liber hic ex aſſeribus compactus eſt? Nonne ex pellibus? Nonne ex filis pelles connectentibus? Nonne ex atramento? & aliis
F non raro coloribus? An igitur & tu librum Euangeliorum adorans & deoſculans aſſeres & atramentum & pelles adoras & oſcularis? an verba Dei libro illi inſcripta? Verè, inquit, verba Dei in libro ſcripta. An potes vero verba Dei ſcribere, & vt legi poſſint, efficere abſque atramento & charta? Non, inquit. Quid igitur hinc concluditur? Videlicet ad ſcripturam Euangelicorum verborum adhiberi pelles, atramentum, & his ſimilia; Id verò quod honoratur, eſſe ipſa Domini verba in illo libro exarata. Itaque ſi quis verba deleat, ſimul etiam libri honorem & reuerentiam obliterarit, idque quod remanet, inglorium & inhonorum, & adorationis expers effecerit. Sic hæretice & fatue, de ſanctis itidem imaginum picturis cogita, id nimirum quod honoratur & adoratur, eſſe figuram & nomen ſiue Chriſti, ſiue Deiparæ, ſiue alicuius ex cœlitum numero. Hæc verò formari aut pingi aliter nequeunt, niſi ex diuerſis coloribus, figura autem expuncta, inhonora de cætero remanet materia & communis.

Et vt exemplo rem illuſtremus; ſit ſpeculum aliquod
G vel vitreum vel ferreum, & finge è regione alicuius ex ſpeculis conſiſtere Chriſtum. Effigietur verò forma etiam illius, ſplendore ſpeculi & claritudine, & in ea clare reluceat: Si igitur quis deſiderio tactus ad ſpeculum accedat, in quo ſpecies Chriſti relucet, illudque labiis attingat & oſculetur, num talis ſpeculum honorauit, an eam, quæ eſt in ſpeculo, formam Chriſti? Perſpicuum eſt, quod formam. Si enim ſpeculi naturam coluiſſet, eique cultum exhibuiſſet, conſequens eſſet, vt omne vitrum, & omne ferrum adoraret. Si autem hoc nemo vnquam fecit, illud verò duntaxat oſculatus eſt, in quo Chriſti ſpecies apparuit, planum eſt vel cæco, eum illam, quæ in materia eluceſcebat, formam, honoraſſe. Idem de ſacris imaginibus ſtatue. Sed tu, qui hæreticus es, non ſimpliciter Iconomachus, hoc eſt, imaginum hoſtis; ſed aduerſa fronte Chriſtomachus, hoc eſt, Chriſti oppugnator es, eaque de cauſa contra ſacram ipſius imaginem arma corripis, & efferatus es. Nam & Pardales ferunt ho-
H ſtili animo eſſe in humanam figuram, & in eam rabioſe furere. Et ſicubi ſpeciem hominis efformatam viderint, in eam inſanire, & iracundè inſilire, vngueſque exprimere & exacuere. Tales ſunt & filij perditionis, & Antichriſti præcurſores diabolici reuera Bogomili, qui Chriſtum inſigniter oderunt, neque vel oculis vſurpare ſuſtinent venerandam eius imaginem; quin & Idolum illam nominant.

Verè ſepulchrum patens eſt guttur eorum, halans multam fœtoris blaſphemiam, filij tenebrarum, & ad lumen veritatis cæci ſunt. Chriſtus, mundi conditor, cum vidiſſet ſimilitudinem quandam Tiberij Cæſaris, hominis impij & idololatræ, non affecit eam iniuria, neque idolum nominauit, ſed imaginem. Tu verò miſer, non cohorreſcis, cùm impium illum hominem, quoad honorem & cultum præponis Chriſto, cœlorum Regi, ſanctiſque Angelis

A inacceſſo, cumque imaginem illius Idolum eſſe blaſphemas? Vbi autem figuram Cæſaris Chriſtus imaginem appellet, audi. Interrogarunt aliquando Chriſtum Iudæi, tui amici, & fratres, & fœderati, nihil enim à Iudæo differt bogomilus; quin potius omni Hebræo ſceleratior eſt bogomilus; Hebræus enim licet cætera improbus ſit: attamen Deum rerum conditorem eſſe confitetur. At bogomilus diabolo rerum procreationem adſcribit. Obſtupeſce cœlum ſuper hoc, & fundamenta terræ moueantur, & diſrupta abſorbete deſertores iſtos, & in communem rerum effectorem, & creatorem iniurioſos, vt & olim Dathan, & Abiron cum ſuis.

Quod igitur dicere inſtituebamus, hoc erat; Interrogarunt aliquando Chriſtum Iudæi, ſi liceret *cenſum dare Cæſari, an non.* Ille verò reſpondit dicens: *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Illiſque oſtendentibus, ruſus reſpondit: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio. *Dicunt ei, Cæſaris.* Et Chriſtus, *reddite*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Audiſti B execrande bogomile Chriſtum dicentem: Cuius eſt hæc imago & ſuperſcriptio; quodque ſimilitudo Cæſaris in numiſmate expreſſa imago fuerit, non idolum. Sed obiicit. Scriptura teſtatur: *Simulacra gentium argentum & aurum* eſſe, & nec loqui, nec videre, neque ambulare. Cum igitur etiam imagines nihil eorum operentur vel agant, quæ agere ſolent illi, quibus ex appetitu ſeſe mouendi, & loquendi, & ambulandi facultas ineſt; affirmamus, illas idolis non eſſe abſimiles. Inſipiens, & ſtolido corde homo, ſi loquerentur imagines, ſi viderent, ſi audirent, ſi circuirent, non eſſent imagines, neque ſimilitudines, ſed prototypa & homines perfecti. At imago eſt tantum ſimilitudo prototypi, & imitatio quædam notis expreſſa; diuina verò Scriptura idola appellat Dæmonum ſimilitudines. Dæmones enim erant gentilium Dij. Num igitur, quod Dæmones fuerint Dij gentium, abnegabimus nos verum Deum, & vt athei in hoc mundo verſabimur? Hoc enim affirmare tuæ tenebricoſæ mentis eſt, vt cum Dij gentium C dæmonia fuerint, neque vos honoretis Deum, ne cenſeamini dæmonum cultores, ſed Athei ſitis. Si verò hoc Atheum & impium eſt, eadem quoque ratio erit imaginum. Gentiles enim dæmonum formas adorabant. Nos Chriſti & Sanctorum eius. Quæ enim participatio luci ad tenebras, vel quæ conuentio Chriſto ad Belial?

Matt. 22.

Pſal. 113.

Si igitur lux & tenebræ vnum & idem ſunt, tunc itidem imago Chriſti & Idolum vnum & idem erunt, ſed in ſceleratum tuum caput, ter execrande bogomile, hæc blaſphemia expetat. Diſce igitur ô hoſtis veritatis, veritatem. Gentes illæ multorum Deorum cultrices & atheas, dæmonum ſculptiles ſimilitudines effeciſſe, eiſque, vt Diis ſeruiſſe, & vitæ ſuæ curatores, vitæ expertes conſtituiſſe; erantque ſimul & prototypa & ſimilitudines, dæmones & dæmonum effigies. Chriſtus verò cum verus Deus ſit, tanquam vnigenitus filius, & verbum Patris principio carentis, factus eſt homo propter D nos ſecundum veritatem, & non tantum imaginariè, manens id quod erat; ſpeciemque humanæ ipſius formæ exprimimus & honoramus, vt ſanctam, quia & Chriſtus ſanctiſſimus eſt. Idem & in cæteris Sanctis præſtamus; honorando & adorando ſanctas imagines propter exemplarium ſimilitudinem. Nec vt Deos iſtas colimus, abſit; quin & anathemati ſubiicimus illos, qui hanc calumniam nobis irrogant; cum Chriſto excepto, neque ipſa ſanctarum imaginum prototypa, Deos naturâ ſuâ arbitremur; ſed potius legitimos Dei ſeruos, amamuſque illos, quod in veritate Deum amarint, & honoramus, quod pro gloria Chriſti vſque ad finem decertarint.

Iterum ergo interrogo te. Quis eſt, qui dicit; *Idola gentium argentum & aurum eſſe*, & cætera quæ ſequuntur. Dauid, inquies. Ipſe verò Dauid cuius legis diſcipulus & cultor extitit? Num veteris & vmbratilis, an nouæ clareque lucentis? Veteris certè. Et quomodo tu, E qui bogomilus es libros veteris legis expungens, totamque legiſlationem illam à maligno, non à bono Deo profectam aſſeuerans, & omnia illa ſilentio condemnans, ſolum hoc fruſtillum verſuum abſciſſum nobis proponis? Oportet enim te totam legem recipere, vel ſi illam non recipis, neque hunc paucarum ſyllabarum verſiculum approbare. Stultum eſt enim vnum dumtaxat radium ex toto ſole, vt ſplendidum, & vt auriſluum laudare, reliquis omnibus, vt caliginoſis, condemnatis. Vel quomodo potes vnius & eiuſdem fontis aquam dulcem & amaram internoſcere? Et qua tandem ratione volens libenſque hoc præteruolas, nimirum veterem legem, vel potius Deum verum, qui in vetere lege locutus eſt, qui mandando Iſraeli hoc præcepit: *Non facies omnem ſimilitudinem, neque eorum, quæ in cœlo, neque eorum quæ in terra*; illum eundem iuſſiſſe præparari duos aureos tornatiles Cherubinos, & vtrinque ad ſacram arcam collocari? Teſtis verbis meis accedit & Paulus, ille in cœlis gradiens Apoſtolus, facta eorum mentione in F ea, quæ eſt ad Hebræos epiſtola: vbi ſic ad verbum ſcribit: *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuperque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium*; ſuper quibus Cherubinis ſæpè iis, qui digni erant, Dominus apparebat. Ea enim de cauſa à Paulo Cherubim gloriæ nominata ſunt.

Exod. 25.

Hebr. 9.

Vides, cæce, quomodo, vt ſuprà dicebamus, ſanctæ ſint ſimilitudines Sanctorum prototyporum, ſeu exemplarium. At verò dæmones execrandi, & penitus deteſtandi ſunt, eorumque idola execranda, & penitus deteſtanda ſunt; & qui colunt illos, eorumque ſimulacra, pariter cum ipſis ignem æternum hæreditabunt. Ignis verò eſt funiculus hæreditatis Bogomilorum; cum & illis competat illud, *Dij gentium dæmonia.* Et attendas vellim ad orationis ſeriem. Omnis homo, qui ratione & oratione G regitur, Deum, quem colit, eundem confitetur conditorem cœli & terræ, & omnium quæ in terra; & qui verè horum effector eſt, ipſe eſt & Deus. At verò Bogomili effectionem mundi diabolo aſſignant, vt proinde, ſi ſibi conſtare velint, eundem & Deum exiſtimare & adorare debeant: Quo fit, vt Bogomilorum Deus ſit dæmon, Idolumque horum dæmonum, quilibet ex Bogomilis, aſſimilatus ad vnguem ſuo prototypo. Sunt enim & iſti tenebricoſi informes, &, vt vno verbo dicam, dæmonis quaſi vultum & perſonam induti. Similes illis fiant, qui colunt eos, quique eorum blaſphemias recipiunt, ſubiaceantque omnes æterno anathemati.

Pſal. 95.

Suppetebant quidem & alia, quæ prædictis adderem, refutandæ Bogomilorum ſtultitiæ; ſed modò vocat nos diuinæ myſtagogiæ, & ſacrificij offerendi tempus, quod dum auſpicamur omnes veritatis hoſtes, & amici mēdacij, ab omniū, qui Chriſtiano nomine cenſentur, linguis, anathemati ſubdentur. Ego verò, chariſſimi filij, ſi perbreuem cohortationem ad vtilitatem animarum adiecero, dicendi finem faciam. Memini me & aliàs vos in- H ſtruere & monere, vt quinque hebdomadis diebus ſemel dumtaxat circa horam nonam cibum capiatis. Et nunc denuò de eodem veſtram charitatem commoneo. In hoc enim conſiſtit ieiunium, vt ſerius in die cibus, iſque mediocris ſumatur. Quod ſi non ita agis, ſed conſueta hora manducas, non eſt hoc ieiunij obſeruatio, ſed diſſolutio; Etiamſi menſa cibis tenuibus, & minimè ſuperfluis ſit extructa. Non enim hoc ipſo, quod carnibus abſtines, ieiunium obſeruas: Ne fallaris, ſed oportet te ventrem ante horam præfinitam cibos appetentem continere. Seruus Domini es. Prius Dominum tuum cura. Vaca orationi. Appone illi curam ſalutis tuæ quaſi comedendam, hanc enim eſuriens quærit. Quo facto ad curam ventris tui conuertere. Quod ſi hunc Domino tuo præponis, haud Chriſti famulus, ſed mancipium ventris appellandus eris. Et hoc quidem ſemper facere debemus, nempe diuinum cultum & venerationem corporali nutrimento præferre;

A ſed infimi ſumus, vel potius ignaui, reſides & tardi. Si igitur his ieiunij diebus hoc fecerimus, Latinorum aduerſus nos probrum de duplici cibi ſumptione cohibebimus, & euitabimus, ſi nimirum ſemel quotidie & ſerius comedamus.

Sed aiunt; licet ſerius cibum ſumant; at ſerius quoque ex menſa ſurgunt, lautius inſtructo & præparato conuiuij loco, promiſcuè ſimul, piſces, olera, legumina oleo pinguefacta, in dies ſingulos, vſque ad ſatietatem comedunt, vt vix vſque ad eandem craſtini diei tardiorem horam, omniaque quæ vorarunt, digerere poſſint. Contine linguam, ô homo, ad hæc verba, ſicut & os, ad cibum, & tu qui non manducas, manducantem ne ſperne. At ego te hortor, non vt totam Latini ieiunij formam & rationem ſecteris, ſed vt quale quale, quod in ea apparet, bonum amplectaris. Prudens enim & intelligens nouit non modicam ex eo etiam, quod inimicum & noxium eſt, vtilitatem reB portare. Quando igitur Dominus nos monet: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, non vult, vt morem ſerpentis, quem habet, venena ſpargendi & interficiendi; vel vt inſipientiam columbæ imitemur; ſed vt ſerpentis inſtar curam & ſolertiam capitis cuſtodiendi oſtendamus. Id enim vnum elaborat ſerpens, vt præ reliquo corporis tractu, caput illæſum conſeruet. A columba autem mutuari nos cupit animum malitiæ expertem, & vt eos, qui nos iniuria afficiunt, toleremus, neque vindictam expetamus, priuata enim pullis ſuis, ſuſtinet, neque ob id domo excedit: Et hæc tantum ad imitationem proponenda, alia omnia procul abiicienda ſunt. Hoc & tu fac; idque quod in Latinis ieiuniis ineſſe cernitur bonum, quod eſt, tardius cibum ſumere; æmulare. Crebriorem verò cibi ſumptionem, & vberiorem; illis relinque.

Si dicas; à fame ſuperor, & eſuriens manducare coC gor, præſertim cum aliàs venter mala beſtia ſit, & neſcia cicurari; audi quid reſpondeam. Idcirco tempus hoc ieiunij, dilecte, & eſt, & dicitur, vt eſuriamus. Et qui famem fugit, is fugit & ieiunium, & ſatietatem ſequitur. At ſatietas & ieiunium ita ſibi aduerſantur, ſicut aqua & ignis. Quando autem eſuris, in mentem reuoca & reputa paradiſi delicias, & eorum, quæ iſtic ſunt, bonorum fruitionem, futuramque gloriam, & aperi os tuum, & imple Dauidicis cantibus, & liberè ad Chriſtum dicito: *Ego verò in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit mihi gloria tua.* Cum veneris cum ſanctis Angelis tuis, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Summa orationis ſit, per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum cœlorum, cum *anguſta & arcta ſit via*, quæ ducit ad vitam, *lata* verò & *ſpatioſa*, quæ *ducit* ad perditionem. Si ad vitam æternam peruenire velis, amplectere ea, quæ ſenſum affligunt, & contriſtant. Alia enim via in eam D ingredi non licet, ſi autem fugiendo id, quod aſperum & laborioſum, declinaueris ad id, quod ſpatioſum eſt, noueris finem huiuſcemodi viæ eſſe ignem inextinctum, & vermem irrequietum. Ecce teſtificatus tibi ſum, & oſtendi duas iſtas vias, & vtriuſque exitus. Gradere quacunque voles. Hoc vnum te ignorare nolo, licet quis centum ſæcula in hoc mundo affligatur, id totum nihil eſſe ad cruciatus vel vnius diei, qui ſunt in Gehenna. Vtinam verò nobis contingat per puſillas tribulationes, & mediocres ærumnas, malorumque perpeſſiones æternam inuenire in cœlis requiem, gratia & humanitate Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſi gloria cum Patre principio carente, & cum Sancto & verè viuificante Spiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

E

EIVSDEM GERMANI Sanctiſſimi ac Occumenici Patriarchæ, Oratio in diuini corporis Domini ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſepulturam, dicta in die Magni Sabbati. Benedic Domine.

Nota P. Combefis O. P.

Cui Germano adſcribenda ſit hæc oratio, cùm plures iique ſcriptis clari Conſtantinopoli ſederint, haud difficilè ſtatuerim, poſt Gretzeri ex Codice Auguſtano cenſuram, vbi hæc oratio eidem Germano tribuitur atque illæ de cruce exſcriptæ à Gretzero, ac ſingularis in Dominicam Orthodoxiam, quibus ſe author alium prodit à ſeniore Germano ac Confeſſore. F

ORATIO.

HOdierna equidem die Sabbatum agimus, ac inter ſabbata omnia lōgè potiſſimum. Licet nihilominus ſermoni, vt ſilentij grabbatum tollat in humeros, (Ioan. 5 v. 10.) vtque iam à longa per remiſſionem ſupinatione, in Dei incipiat agitari laudem, qui à graui legis fluctuatione hominem abſoluit, ac ſpiritale nobis ſabbatum initiat, cum ita ait: *Venite poſt me, omnes qui laboratis*, (Matt. 11 v. 28.) græ vitioſa impenſioris in corpus amoris affectione; *& onerati eſtis*, inanibus ſtultiſque huius ſæculi curis: *& ego reficiam vos*, alacres ſubuehens animos, ſpe vitæ laborum neſciæ, alaſque deſiderio addens, futuri, ac perpetuò duraturi ſabbatiſſimi, amore. Verùm non placet ea res Iudæis. Nec enim, Dei hoſtes, paternam murmurationis facilitatem emendauerint. Nam quid ſermoni, exque ratione compoſitæ orationi, cum iis G commune, qui iumentis irrationalibus comparati ſunt; quinimò eorum quoque irrationabilitatem vicerunt? (Pſal. 48. v. 13.) ſiquidem, *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, ac aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem* (Iſai. 1. v. 3.) nedum Dominum ac nutritium non cognouit, vt etiam ſupplantationem in (Pſal. 40. v. 10.) eum magnificauerit; ac terra melle ac lacte manante (Deut. 32. v. 15.) ſaturatus, pulli inſtar aduerſus eum qui aleret, recalcitrauerit. Qui nimirum, ad ventris quidem obſequium operoſas ſabbato protendant manus, eique inſtruant ciborum onera; ac bouem quidem ac aſinum à præſepio ſoluant, ac adaquatum abducant; homine autem, cuius gratiâ ſabbatum eſt, ac *ſub cuius Deus pedibus* (Pſal. 8. v. 8.) *boues ſubiecit vniuerſas, ac iumenta omnia*, ſalutem conſequente, aduerſus beneficum conclament, infamentque ſalutis auctorem; decernentes eſſe nefas ſabbato benefacere: ac modò quidem Paralyticum criminantur, (Ioan. 5. v. 10.) quod ſoluat legem, quæ ponderis onere, ob lecti geſtationem, vt par eſt, ceruicem detraheret: (Luc. 13. v. 16.) modò graue ſcrum, incuruæ fœminæ erectionem, velutque H in humeros ad onus incumbunt; hiſque inæqualibus curationum momentis, æquâ lance reſpondentem inſaniam oſtendunt: atque eius, qui benè, vtque erat in votis, inclinatus erat, geſtamini, prohibentes obſtant; ei autem quæ grauiſſimum ſatanæ cyphonem, onероſum illum dorſo abiecиſſet, iniuſtè onus adhibent: aliaque aliis vertunt crimini, beneficij nomine quòd ſabbato ſit collatum.

Enimverò, contra ipſe, ô Iudæe, arguerim: Modò planè, vt vnquam aliquando, ſabbatiſſimum iſti, ac remiſſionem honori habuerunt. (*Pulchra ratio, vt nō Domino ſolutū ſabbatū curandis ægrotis.*) Siquidem enim ſabbatum, ſex dierum fatigationis liberationem promittit, eſtque illud laborum ſolutio, ac corporum iam feſſorum quies; hi autem, cùm plurimam vitæ partem grauibus affecti doloribus exegiſſent, ſolo nunc Chriſti ſermone, laborum requiem inuenerunt, ac morborum inducias; vtique ſabbati virtutem honorarunt: Ipſe verò magis ſabbatum tranſgrederis, qui nunc quoque, ac ſabbato ſanatos homines, prioribus vexari morborum angoribus, atque atteri velis. Ne ergo peccator ſupra eius fabricaueris dorſum, cui peccata condonata

Digitized by

A ſunt, eius te etiam grabato præbens grauiorem. Cùm enim lecto ipſe geſtaretur, grauabatur magis, quam vbi geſtauit, ac ſtrauit ſibi in humeros. Eius quippe vniuerſum ſtratum verſatum eſt, vt Pſaltis more loquar, in infirmitate eius. Ad quietem enim fabrefactum cubile, graue erat homini reſolutis membris, quòd multis hinc annis in eo reclinatus eſſet: vbi autem ei ſubcidiſſet, dulcius molliuſque videri cœpit, ob ſanitatem quam impenſiùs deſideraret. Planè ſiquidem voluntarius quoque labor, vitæque rationibus vtilis fatigatio, quàm morbi cauſa recubitus, inuitaque remiſſio, præoptari dignior. Nunc itaque reuera ſubiectus homo, corporalem hunc ſabbatiſſimum à longis illis ſabbatizauit doloribus: ſed & animo ſabbatizauit, grauiſſimo peccati leuatus onere; quo qui tenetur, haud quicquam laxamenti rationem nouit, quanquam lectulo impoſitus eſt, vt recumbat; quanquam manus pectori admotas ad quietem componat. Non enim Dauidi, peccato grauante, ſtratum requiem præbebat; nec verò

B noctis ſabbatiſmus vniuerſis communis, beato viro quicquam otij ad remiſſionem dabat: ſed erat cubile Regi, locus afflictionis; celſumque ſtratum, vallis fletûs oſtendebatur. Cæterùm, qui in Dauide cordis dolorem remiſſione curaſſet, ipſe nihilominus etiam Paralytici, ſublato vitiante peccato, dolorem diuturnum ſanauit; ablatâque eiuſmodi cauſà, etiam corpus à paralyſi ſolutum manſit. Enimverò, tu quidem Iudæe, qui inuidus ſis, ac hominum oſor, ad coruos, ac rem malam vade, hominumque cadaueribus pariter inſide, atque malè habentium infirmitatibus, quando rem eiuſmodi, cui ſabbati honorem exiſtimas, deliciare: nos autem, quæ noſtræ ſunt ſolemnitatis hodiernâ philoſophabimur die, eumque glorificabimus, qui noſtras tulit infirmitates, ac morbos portauit.

Pſal. 83. v. 7.

Iſai. 5. v. 4.

Itaque, fratres, venerationi habendum eſt ſabbatum iſtud, tanquam dies noſtræ hominum reformationis. Porrò ſolui oportet à corporali præſepi Eccleſiaſticos

C ac rationales boues. (Etenim hodie incumbit ieiunium vt Apoſtolicis legibus obſequamur:) abducique, vt ſpiritalem potentur aquam ex ſepulchri petrà recens ſcaturientem, ſalientemque in vitam æternam, tametſi exit de ſepulchro; quòd planè admirationem habet Sabbatum hoc, primitiæ quidem ſalutis Eccleſiæ Gentium, ſecundique mundi cauſa; atque adeo veterati primi nouatio; ſabbatiſmus verò ac ſolutio eſt Iudaïcorum omnium ſabbatorum. En enim, ſabbatum eſt, exitque ſenno vt crucis lignum Dominico adhuc cruore ſtillans colligat, eoque, deſiderij in Chriſtum, qui pro nobis dignatus eſt pati, ignem accendat: neque is tamen reprehenſionis iactibus lapidandus eſt; quinimò Dei altare adorans, prædicabitur beatus: ipſumque oſculans homo, vittam coccineam, qualis eſt ſcripta Cantico canticorum, labia faciet, diuini defluentis ſanguinis rubore purpurans, atque eum, qui crucem circumfluit aëreum humorem velut aquam ſanctificationis, labiorum

Ieiunium magni ſabbati die ex Apoſtolicà traditione.

Num. 15. v. 32.

Cant. 4. v. 3.

D complexu attrahens, eoque irriguus, in animam hauriet. Cæterùm ſabbatum iſtud ampliorem diuiniorem-que benedictionem percepit, ceu ſublimiorum operum, adhæc verò etiam difficiliorum, requies. Non enim ſolà voluntate & nutu, vti prima olim habuit mundi conditio, ſic magna conſummata fuerunt creationis opera, ac veterati Adæ renouatio: ſed magis Creatoris ſudoribus, proprioque ipſius ac corporali labore, qui in ſe ipſe, aliena ſuſceperit mala, ac paſſiones, eaſque paſſione vltrò defunctus conſumpſerit. Sanè quidem corruptionis impetus, è ſublimi olim paradiſi loco, teneri neſcio effuſus curſu, ac, velut in decliue præceps, nouis ſemper in peius crementis ſubſidente naturâ, ferebatur. At vbi ad magnum illud incorruptæ Deitatis propugnaculum, ac ſepulchri, quod Deum ſuſcepit, petræ impegit; impeditus eſt, ac curſum retraxit: factaque eſt hodierni ſabbati dies, incorruptionis quidem mundo principium; Dei autem hominis in corruptibili corpore, obnoxioque laboribus, vitæ rationis finis. Verùm eius quidem rei abſolutior ſermo, hactenus nobis repoſitus

Eius ſabbati præ antiquo prærogatiua.

E ſit: interim autem, quæ ad heſternam ſpectant diem, ac paſſionem, crucíſque infamiam, modo expendamus. In carnis enim infirmitate, immenſas Deitatis diuitias repoſitas inueniemus. Nec verò prolixâ oratione erit opus, vt Crucifixi potentiam probemus, aut voce cuius ſonus ad orbis fines peruadat. Cœli quippe coram ſacri præcones tanquam producti, ſed ipſorum in glorificatione enarrant gloriam Dei, affuſiſque toti mundo tenebris, mundi lumen quod neſcit occaſum, palam declarant terrarum orbi.

Pſal. 18. v. 4.

Cœli præcones gloria Crucifixi.

Neceſſe autem erat, vt res creatæ, pro Creatoris gloriâ, benè tandem amitterent gloriam, quas priùs malè, ac impiè inſani homines diuinitate donaſſent; ac quibus ſtulti, in auctoris iniuriam honores impendiſſent. Is porrò narrationis cœlorum modus, quàm mirabilis! Quam plenus portento ac vincens naturæ modum! Sanè ſol diei exiſtit oculus; iſque nihilominus excæcatur, videtque miraculum vniuerſa terra, quantam ipſe luſtrans gyro percurrit. Extinguitur mundi luminare.

F In obſcurum cedit magnæ huius domûs lucerna; tumque paterfamilias dormit. Nihil modò Deus *tenebras ponit latibulum ſuum*: quinimò eius ſcientiæ lumen per tenebras, orbis finibus affunditur; *luxque in tenebris lucet*, ac Dei Filius Centurioni manifeſtatur, *nec eam tenebræ comprehenderunt*. Nihil quippe in eo inuenit mundi princeps, irruens cum ſubiecto milite; de quibus ait Pſalmiſta: *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canis, & circuibunt ciuitatem*. Iam quoque priùs turmarum princeps poteſtatum tenebrarum, ſuam in Saluatorem rabiem aggreſſus erat exercere, cùm ille nuper ad Iordanis aquas, diuinæ ſuæ apparitionis radios cœpiſſet diffundere, atque in eius deſertum quoddam receſſiſſet. Noſti tu quiſquis es Euangelij diſcipulus, ſecutam à baptiſmo tentationem. Enimverò contritæ ſunt impudentis omnia edentes molæ; Deique hoſtis ſubmotus eſt; ac *conſummatà omni tentatione*, iuxta quod ait Euangeliſta, *receſſit ab illo, vſque ad tempus*. Hoc porrò iſtud eſt paſſionis tempus. Nunc

Pſal. 17. v. 12.

Ioan. 1. v. 5.

Pſal. 58. v. 7.

Luc. 4. v. 13.

G enim, aduerſus eum, qui terrenæ vitæ ac conuerſationis peſtem illam tunc contudiſſet, iterum *conuertuntur*, crucique affixo, ac morienti inhiant, maligni ſpiritus: Verùm illi *famem patiuntur vt canis*, iuxta Prophetam: quippe qui nihil eorum, quibus aluntur, in eo inueniant. Nam aluntur peccatis hominum; cùm ille omninò immunis à peccato exiſtat. Inde ergo repulſi, *circuibant ciuitatem*; illam nimirum *quæ occidit Prophetas, lapidatque eos, qui miſſi ſunt ad eam*. Etenim miſcentes ſuper, ſanguinibus ſanguines, *homicidas illos ab initio* conuiuas delectant.

Matt. 23. v. 37.

Ioan. 8. v. 44.

Sic itaque, cùm mundialis hæc lucerna mirabilem illam defectionem paſſa eſſet, *populus qui* in trium horarum *tenebris illis verſabatur, vidit lucem magnam* agnitionis Chriſti: Soli Iudæi iuxta Iſaïam, *habentes oculos non vident: Sicut enim tenebræ eorum, ita & lumen eorum: habenteſque aures, non audiunt cœlos*, quan-

Iſai. 9. v. 2.

Iſai. 6. v. 9.

H quam ij penetrabili voce enarrent gloriam Chriſti. Porrò Chriſti gloria eſt, eius in ligno crucis eleuatio; cuius causâ, nouæ illæ ac inſolitæ tenebræ, vniuerſaque heri portentò edita ſigna. Sed & terra deorſum cœlo concinit, ipſa quoque effuſorum in ſanguine inſaniam arguens, fureuſque bacchátis inſtar, ac pulſu agitata aduerſus afflatos dæmoniaco furore homines: amboque extrema hæc, ac quorum complexu omnia teneantur, Dauidicis verbis iubilant: *Sicut audiuimus, ſic & vidimus, in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei Iacob*. Porrò audierunt non defunctoriè, aut vel obiter; verùm cùm quandoque olim ab Vnigenito in teſtes accita eſſent, cõteſtante pridem Iſaïæ verbis futuram in nouiſſimis temporibus Iſraëlis iniuriam, futurumque tanquam præſens exiſteret, repræſentante, atque dicente: *Audi cœlum, & auribus percipe terra: Filios genui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me*. Me quoque illi exaltauerunt; verùm id in cruce. Sublimem ij quoque extulerunt, id verò vt caſu grauiori allideren. Quæ tunc ergo propheticè audierunt, ea nunc opere

Pſal. 138. v. 12.

Pſal. 18. v. 1.

Pſal. 47. v. 19.

Iſai. 1. v. 2.

completa

A

completa vident. Ad hæc, cœlum quidem ad adſpectum caligat, effuſo tenebris acutiſſimi viſus oculo: terra autem omnis dolore bacchatur, ſeſe diſcerpens, ac faciem diſſecans; ſoluſque Iſraël doloris expers agit, ac inſenſibilis. Sic Chriſticidæ, nedum brutis animantibus irrationabiliores, ſed & rebus inſenſatis inſenſibiliores extitere.

Adhuc ſermonem, miraculi in ſole exibiti nouitas detinet? ac quanquam celeriter ad monumenti occaſum tendat, ac iuſtitiæ Solem illic occultatum, à curſu ſiſtit, ſuadens omninò vt amplioris aliquid otij circa ipſum ponat. Sanè quidem Ieſus ille filius Naue, ſecundus poſt Moyſen Iſraëlitici populi ductor, agitatum ſolis currum, rotatum officio prohibuit, verbum diſſyllabum ceu validiſſimum retinaculum ſubiiciens, vt ne eius aurigatio Iſraëlis hoſtibus ſalus fieret. Manſit verò nihilominus luciſer Cùm enim imperator aduerſus hoſtes viſibiles bellum gereret, neceſſarium habebat lumen, quod viſus facultatem moueret, ac viſionem efficeret quò lucis illâ extenſione, plures hoſtium in tenebroſos inferni receſſus detruderet. Quid enim noui videatur vt qui vmbratilis legis ſcita tueretur, eſſetque miniſter occidentis literæ, eos interficeret, qui fugientibus à tenebroſa Ægypto ad beatam illam hæreditatem iter prohiberent? nunc autem noua illa ac inſolita nocturna pugna, meridie ipſo cõmittitur, ac trium horarum tenebræ fiunt? caditque antiquus ille, ac inuiſibilis princeps tenebrarum, eo vulnerante, *qui induit lumen ſicut veſtimentum*; quique ſe, carnis integumento obumbrauit, eoque iam clauis diſciſſo, ac lancea perforato, ob eam, quam ſponte iniit paupertatem. Ij porrò, *qui in* ignorantiæ *tenebris, ac vmbra mortis ſedebant, magnam vident* redemptionis *lucem*, videnteſque vulneratum tyrannum, à tenebris reſiliunt ad lumen; à corruptione ad vitam. Vnius quippe Ieſu victoria, ſalus eſt eorum qui præuaricantes ab eo defeciſſent, quouſque 1 primò venditi diaconis deceptio, auctori hoſtes effeciſſet. Enimuerò, quod dicebam, habebat quidem crucis lignum, eum ſublimem, qui creaturam produxit; eratque illi humano more innixus, qui olim Patriarchæ ſpectaculo exhibitus fuerat innixus ſcalæ. Morte enim pro mea defunctus vita, pro mortui ratione in ligno tenebatur, clauorum compedibus innexus; quibus is, qui vniuerſa Deitate continet, ac vitam mortuis inſpirat, 2 ligno detinente ſuffultus erat. Porrò Angeli aſcendebant, ac deſcendebant in cruce. Aſcendebant, tanquam eo qui erat, crucifixus, *modicum præ illis minorato, ob paſſionem mortis*, Confeſtim autem immenſum rurſus deſcendebant, vt qui omni eum Principatu, ac Poteſtate Angelica ſublimiorem intelligerent. Quid enim aliud, quàm ſuum Creatorem, eadem cum Patre ac Spiritu ſancto ſublimem ſede, Regemque ipſum gloriæ, ac Dominum cogitarent? Non enim crucis pudebat; adeoque trophæi loco, ac mundi totius victoriæ oſtenſio illis erat. *Sedit ſuper* crucis *thronum qui iudicat iuſtitiam*, ac iniquam condemnauit mortem, abs ſubſtantiâ eam humana exterminans. Sed & ſpinea corona, quam in capite ſuſcepit ante crucem, eius confirmabat victoriam, qui ait: *Confidite, ego vici mundum*, & mundi principem: Vtique portando mundi peccatum Nam ſpinæ, peccati ſunt ſymbolum: peccatum verò, præſentiſſimum eſt mortis organum: mors denique, vicarius à diabolo imperator. Vidiſti ſic inſtructum: principem illum perditionis ducem? Vidiſti quanta eius munitio? Vide nihilominus omnis illa generis armatura nudum, ac expedita Chriſti ſapientia victum. Quippe, abripitis aculeum, immunis à peccato exiſtens, atque in ſe ipſe conterit; *qui tollit peccatum mundi*, ac per naturam naſcitur impeccabilis. Inermem oſtendit aculeo inſtructam mortem, prorſuſque inefficacem: quinimmò, amiſſo eam aculeo mortificat, ac extinguit. Idipſum verò iis quoque inſectis accidit, quæ ſunt aculeo inſtructa, vbi cum carni infixerint.

Iof. 10. v. 12. *verbo* apud 70. Hebr. mono'yl [Hebrew word]. Attã; B *ſile Paga. expecta.*

Pſal. 103. v. 2.

I i. 9. v. 2.

1

C Gen. 28. v. 13. *Chriſtus innixus cruce, vt olim ſcalæ Iacob.*

2 Hebr. 2. v. 9.

Pſal 9. v. 5.

D Ioan. 16. v. 33. *Corona ſpinea victoria Chriſti ſymbolum.*

Ioan. 1. v. 29. *Mortis aculeus in Chriſto contritus.*

Chriſti porrò victoria, in vniuerſam naturam tranſit cuius ipſe aſſumpſiſſet primitias. Quippe ea, Per illam viuificatur, ac immortalis efficitur. Cæterùm habere myſterium crucis, triumphi pro victoriâ ſpeciem, res ipſæ clamant. Quanquam enim ego ſiluero, clamabunt lapides: ij, inquam, lapides 3, ſub quibus primi Parentis caluaria fuit defoſſa, vti vera ac antiqua Patrum traditio habet. Velut enim potentiſſimus Rex, eam Adami ſenſuum arcem ſuperauit, bellique pugnâ deuicto dæmone, qui per vim ei dominabatur, ſuum in eâ, iure belli fixit ſceptrum, ac erexit trophæum; palam oſtendens, vt Adam ille, quam præcipuè propoſitam haberet, eius in terram aduentûs cauſa fuerit, vtque eius inſtaurationis, ac reparatæ ſalutis, gratiâ, totum exinanitionis myſterium geſtum ſit: deſcenſus, inquam, è cœlis; incarnatio; ſudor; labor; precatio; mors; effuſio ſanguinis; depoſitio in monumento. Vniuerſa hæc in Adæ refunduntur libertatem, fuitque myſterium, eius quâ fictor proſequebatur, dilectionis argumentum.

E Luc. 19. v. 40.

3 *Adæ cranium in Caluariæ monte ſepultum. Tota incarnatio ad reparandum Adamũ.*

Hæc porrò quondam arx prior diſcrimen perpeſſa erat, cùm illam ligni adminiculo hoſtis quatiens, expugnaſſet, ac direptam poſuiſſet. Quippe obaudiuit primus generis parens, comparatum decipiendo draconis conſilium. *Vidit* quòd *fructus ſpecioſus eſſet ad viſum*: attigit, extendens dexteram; decerpſitque, ac ori admouens, guſtauit, *eò quòd bonus eſſet ad eſum*, eiuſque ſuauem odorem percepit. Pro ſenſuum itaque, ſic à dæmone ſeruituti datorum, ſalute, in Lithoſtroto rectâ crux ſpecie figitur, ducitque Chriſtus à Caluariâ, vbi olim ſenſûs fixerat, curationis exordium: cumque ſolo ſermone paradiſum plantaſſet, ipſâ nunc manuum operâ, ac labore, ſublimiorem plantationem molitur, cuius fructus, æternùm manſura vita. Porrò imitatur optimos ſatores, qui arborum qualitates nihil commodi fructûs edentium, bonis aliis qualitatibus, excîſatum arborum inſitione, commutare nouerunt. Piceæ malleum pinguedine vberem, amaræ nucis amygdalæ radici immittens, amarum arboris ſuccum, in lenem ac dulcem commutauit; guſtuique difficilem, cicurauit. Hoc verò etiam crux altiori ſatione facit, quæ humani generis radici infixa; primò, inquam, condito homini; à mortis eam amaritudine liberat, inque vitalem quandam qualitatem conuertit. Etenim crux lignum eſt vitæ, propter ſuſpenſum in eâ immortalitatis fructum. O ineffabilem Dei benignitatem, ac clementiam! O multam in me, qui multo odio à vitioſitate dignus fui, eius dilectionem, per multam ſuſtinentiam! Sanè quidem iam olim è cœlo inſpectans omnium inſpector, cranium præuidit in Lithoſtroto humi conditum; miſerabiles vtique reliquias fictionis, quam manus fictoris honorauerat, videnſque inflexus eſt; inflexuſque, *inclinat cælos, ac deſcendit*. Qui nequit circumſcribi, cum hominibus in terra verſatur, factus homo. Cucurrit, planè cucurrit huc vſque, vbi etiam ſtitit pedes ſuos, terrenæ vitæ conſummans viam, ſtatque comprehenſo eo, quem currens quærebat: ac *vbi corpus, illic quoque magnarum alarum* adeſt *aquila*, alarum inſtar manus expandens, circumobumbrans pariter, 4 illuſtranſque iacentem hominem, qui habitat in cœlis, nihiloque minus *humilia reſpicit: qui ſuſcitat à terrâ inopem, & erigit de ſtercore pauperem*. Facti quippe eramus tanquam ſtercus terræ, qui fueramus damnati vt putreſceremus, tetrumque odorem exhalaremus.

F Gen. 3. v. 6.

Chriſti ars reparando homine exemplo à vt ruſticis.

G

Pſal. 101. v. 20.

Pſal. 17. v. 10.

Pſal 131 v. 7.

Matt. 24 v. 28.

Ezech. 17. v. 3.

4 Pſal. 112. v. 7.

H

Adam vbi es? quærit iterum: ego enim huc veni, vt te timaret, atque vt te poſſim inuenire, manus meas extendi in cruce: quod quidem ſpectat ad Patrem, gratias agentis ſpeciem exhibens pro tua detectione; quod autem ad te, extendentis manus ad amplexationem. Cæterùm pedes illi, qui tuum quondam animum ſtrepitu terruerunt: hoc enim triſtis eius habitus dabat ſuſpicari: nunc te ſine ſtrepitu comprehenderunt ac ſunt immoti, tui cauſâ ligno affixi. Non enim vt propter peccatum te iudicarem adueni, ſed vt per benignitatem & clementiam ſaluarem: neque vt maledicerem propter inobedientiam tuam, ſed vt per meam obeditionem benedicerem. *Inter ſcapulas meas obumbrabo tibi*, iamque *ſub pennis meis ſperas*. tanquam pullus è paradiſi nido antea ſubductus, ac ſerpentis dentibus læſus. Ego Veritas *ſcuto te* crucis *circumdo, nec timebis à timore nocturno*: te enim dies neſciens veſperam exceptura eſt; *neque à negotio perambulante in*

Gen. 3. v. 10. *Quid Chriſti in cruce figura, vt Patrem & nos ſpectet.*

Ioan. 12. v. 47.

Pſ. 90. v. 4.

tenebris

A

tenebris, atque in inferni caliginoſis tabernaculis verſante: *nec* denique *à ruinâ, & dæmonio meridiano.* Erat enim vt noſti, pomeridianum tempus, quando malo dæmone ſupplantante, pari cum coniuge ruinâ deiectus es. Ab his omnibus liberaberis, circunquaque munitus ſcuto crucis. Tandem ergo *non eſt occultatum os* illud tuum à me. Quanquam autem eſt tua *ſubſtantia in inferioribus terræ*:

Pſal. 138. v. 15.

Anima dicitur ac ſubſtantia corporis.

Quippe ſubſtantia corporis anima eſt, cùm & eâ abeunte diſſoluatur quod ſubſiſtens erat: verùm illuc quoque nunc eo, ac proficiſcor, *æſtimatus cum deſcendentibus in lacum*, quæramque animam tuam *in tenebroſis ac vmbrâ mortis* occultatam; nec deſiſtam ſponte humiliatus, ac inferiùs deſcendens, donec te in cœlum ſubueham, ad laudem quidem meæ in humanum genus benignitatis, ac clementiæ; ad probrum verò diabolici in illud odij, ac inuidiæ.

Pſal. 87. v. 5.

Qui enim tuam in paradiſo conuerſationem nequiuit ferre, quid non moleſtiæ patiatur cùm fueris effectus cœli ciuis? quin & vero Patri meo confeſſor, per iſtas primitias, ac naturam quam aſſumpſi?

B

Vt Chriſtus mortuus.

Quia ergo mors nihil aliud eſt quàm ſeparatio animæ à corpore, ac Emmanuel factus eſt veritate homo, omneſque humanitatis modos per ſummam benignitatem ſuſcepit excepto peccato, moritur pro humanæ naturæ lege: ſponte tamen, non vi mortis compellente; ac anima quidem ſeparatur à corpore, corpuſque moritur, eâ diſiunctione: manet verò Deitas à neutro ſeiuncta, diuiſaque, ambas partes diſiunctas colligens, poſtque etiam mortem, eam quæ fuit ex ipsâ vnione, ſubſiſtentiam in ſeipsâ ſeruans. Ac anima quidem ſponte in infernum deſcendit: corpus autem includitur ſepulchro. Cæterùm, quâ ratione natiuitas ex Virgine non per omnia ſimilis noſtræ habuit, nec omnino humanæ natiuitatis leges ſecuta eſt; ſuntque etiam in quibus partus ſupra humanam rationem mirabilis fuit, ac natura nouata eſt.

C

Quænam illa? Vtique conceptio ſine ſemine: partus dolorum expers; ſeruata poſt partum, vti ante partum virginitas: vt ex rebus adeò mirabilibus, non nudus homo exiſtimaretur qui natus eſſet, ſed veritate Deus cognoſceretur qui carnem induiſſet: Sic ſanè etiam in morte naturalia commixta fue[illegible] iis quæ naturæ rationem excedunt: Sunt autem [illegible]; vt ex poteſtate, ac libera ex ſe voluntate, Patris manibus ſpiritum commendarit; vt in infernum deſcendens, vinctos, qui illic tenebantur, reduxerit; vt triduanum in ſepulchro corpus reſupinum incorruptum manſerit, vegetum illud, vt quod viueret Deitate; vitam ſcaturiens, non corruptionem; quod contineret, non contineretur ſepulchralibus vinculis; quod vngeret, non vngeretur mortuorum aromatibus; quod quidem dierum interuallo obſoletum eſſet, ſuſtentante autem Deitate viuum exiſteret.

D

Age ergo vnguentiferas diſcipulas occupemus, qui ſpiritalis libertatis diſcipuli ſumus. Illæ ſiquidem adhuc legem ſeruant, ſubſidentque ſabbatizantes vmbram legalem: Nunc autem ſermo, ſabbatum negligat; contemnat cuſtodiam; intret in excîſam petram, eâque obtectus, videat ineffabilem Dei inclinationem: Dei vultum liberè aſpiciat: non enim morietur in æternum.

Exod. 33. v. 12.

Quî enim? Quando etiam mortui videntes, viuificati ſunt. Veniat itaque Dauid: ſtet nobiſcum; feſtæ luci præſul exiſtat; canticorum argumenta ſuggerat: perſonam ſubeat hominum cœtûs corruptioni addicti, ac inferno mortalis, eius qui olim Saluatoris præſtolaretur aduentum, ac immortalitatem, quæ nunc exhibetur; modulans in hæc verba: *Expectans expectaui Dominum, & exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ*:

Pſal. 39. v. 2.

Lacum miſeriæ, corruptionis locum poſtmodum ſepulchrum exponens: *Et de luto fæcis*: ex reſoluto corpore in terram & aquam, ex quibus etiam conſtitutum eſt. Hæc maledictionis nobis indictæ mulcta. Enimverò arridens quoque nobis deſiderata edicat: *Et ſtatuit*, inquit, *ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Quo id modo, ac quâ ratione? Ponitur Chriſtus ſuper hanc petram monumenti, ſolidanturque noſtræ naturæ baſes, nec amplius hominum

E

greſſus in mortem *effundentur*: petra ſiquidem immortalitatis aquam ſcaturit.

Pſal. 72. v. 2.

Sanè quidem Vnigenitus, naturales omnes affectiones, quæ vacant crimine, veritate aſſumpſit, qui ſit factus homo ex ſanguinibus Virginalibus, totamque Adæ conſperſionem in ſe ipſe ſuſtentauerit. Ab eo itaque tempore, cùm moueri cœpiſſent, non neceſſitate naturæ, ſed Deitatis conceſſione, hodie in petrâ hac, à motu quieuere, *fueruntque abſorpta* huic *iuncta petræ.*

Pſal. 140. v. 6.

Non enim amplius eſt labor; non ſomnus; non fames; non ſitis, pœnalia illa à præuaricatione in naturam inuecta. Efflorente enim incorruptione, abſoluerunt iſta; eaque ego appellarim *paruulos Babylonis, ad* iſtam *alliſos petram*, atque peremptos: paruulos quidem, eò quòd non imputentur ad culpam:

Pſal. 136. v. 8.

Quippe vacant crimine. Babylonis autem, quia innocuæ eiuſmodi affectiones, poſt caſum in mundi illam confuſionem, abductionemque à ſublimi Ieruſalem in vallem fletûs, occaſione ingreſſæ, humanæ vitæ, quæ plenitudine ac exinanitione conſtat, interitum conſciſcunt.

F

Tu mihi quoque ſermo longiùs exi, ad vſque deſerti viam, Manna collecturus; nec te ſabbati metus inceſſat. Habent enim qui Chriſti aduentu ſabbatizauerint, Iudaïca ſabbata. Adeò igitur decantatum Manna, *Angelorum panis* in Pſalmorum libro fuit appellatum:

Pſal. 77. v. 25.

Chriſti typus in manna.

eratque illud, quod aſſerens dico, huiuſce myſterij præuia deſignatio, ac Chriſtum panem cœleſtem, qui ad nos vſque deſcendit, ceu delineatione expreſſit; quem qui manducant, non moriuntur; vt eâ quoque ratione Angelorum panis vocetur: nam Angeli, immortales ſunt: quodque alioqui congruat, vt qui ſunt Angelicis moribus præditi manducent. Erat certè quondam natura hominum vnius diei, cùm propter diuini mandati tranſgreſſionem, fuiſſet corruptioni addicta. Sed & vermes ebulliebat, quos putredo edit: eratque plenus fœtore, quique naribus difficile efflaretur, olentiæ influxus: quibus vtique corruptionis vitiis, etiam Manna obnoxium erat, vt in proximam craſtinam lucem

G

[illegible]olis, ſeruari non poſſet. Pro more enim inſectorum vnius diei, ipsâ die, cùm naſcebatur, tum interibat: Quod autem amplius ſeruatum eſſet, tanquam mortuum corpus, ac loculo conditum, vermes ebulliebat. Cùm autem dies adueniret quæ præcedit ſabbatum, poſtquam ſabbatum haberet oriri, recondebatur quidem à veſperâ, ac intra vaſa abſcondebatur; eratque omnino à putredine immune, & vt ne veſtigium corruptionis inuaderet, vſque dum diei, quæ ſeptimanæ dierum caput præcedit, diluculum clareſceret: quod ipſum tempus, cœleſtis Panis ſepulturæ deſignabat myſterium, ac incorruptionis delineabat figuras. Ante enim veſperam Paraſceues, in monumento, ſupremo viuentium habitaculo depoſitus, immunis à corruptione ſeruatus eſt, omnique à morte vitiante immutatione, ac alteratione, ſuperior effectus.

H

Nactus verò ipſe incorruptionem, eius vniuerſam naturam participem fecit, ita vt multi corruptionis relictâ ſede; nempe monumentis; rediuiui apparuerint: ac ſecundam induti vitam: quemadmodum ait: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.*

Pſal. 125. v. 6.

Myſtica Dauidis agricultura eſt, ex quâ ſermo fructûs hos colligit, verborumque intellectum, in deiferi, ac viuifici ſepulchri penum mittit.

Verùm, Propheta quidem, plenum labore Iſraëlitici populi in Babylonem deſcenſum, eiuſque inde lætum regreſſum, ſementis, ac meſſis ſymbolo, obſcurè deſignauit: nos autem ſacrum Euangelium, in Dominicum monumentum rapit, illius vocis memores, quæ ait: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Chriſtus grani ſymbolo.

Ioan. 12. v. 24.

Nunc quippe ſeminatur in lacrymis ſupra monumenti pretioſa, quod mundum alit, granum; ac nedum non areſcet, ſed & multum immortalitatis fructum, perfectâ maturitate terrigenis producet. Equidem ſementis Euangelicæ, quicquid ſparſum fuerat ſupra petram, ait Scriptura, *exaruiſſe, eò quòd*

Matt. 13. v. 6.

A *non haberet radicem*, at myſticum, ac noſtrum granum, vti duplici naturâ, ita & radice duplici eſt. Patrem quidem, æternam in cœlis radicem habet; in terris autem, Matrem, ac per eam, Dauidis patrem Ieſſe. Quippe germinauit ex eius radice ſecundum carnem. Cæterùm neque orto Sole inuenietur emarcuiſſe. *Valde* enim *mane*, inquit, *vnâ Sabbati, venerunt mulieres ad monumentum orto iam Sole*, granumque, mortalium ſalutem ſpicæ inſtar ferens, inde emerſerat, ac terram reliquerat. Quidni dico.; neque etiam ſpinas illud heri ſuffocaſſe, quanquam in circuitu complexæ erant, ac beatum conſtringerent caput? Non enim Domino moleſta ſunt, quæ probrum habent; ſed magis propter meam ſalutem, læta: ac coronam exultationis ducit, quod ad contumeliam ſpinarum ſertum geſtat. Gaudebat, quòd portans noſtra peccata, ſpinarum aculeis ſymbolo deſignatat, Patri ſe, pro eorum remiſſione ſacrificium offerret. Porrò id quoque olim, literæ vmbram habentis ſcitè ſtatutum erat; vt qui victimam pro peccato offerebat, capiti hoſtiæ manûs imponeret; tanquam illa, malam actionem, cuius manûs eſſent ſymbolum, in ſe reciperet, ac ſanctificaretur pro offerente: quod ipſum innuens Chriſtus, ait: *Ego pro eis ſanctifico meipſum.*

[Iſai. 11. v. 1. — Marc. 16. v. 2. — *Chriſtus gaudio pro nobis tulit probra.* — B — Leuit. 4. v. 3. &c. — Ioan. 17. v. 19.]

Hanc nos incorrupti, ac vitalis grani ſeminationem, celebri celebramus conuentu; grani inquam, quod iam theſauro in terrâ conditum fuit, *vbi nec tinea, nec ærugo demolitur.* Quippe intacta eſt omnia edentibus corruptionis molis, quæ in Deo ſubſiſtit caro: *ac vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Nec illuc Dei hoſtes, linguas mittant, dicentes: *Venerunt Diſcipuli eius nocte, & furati ſunt eum.* Verùm, hi quidem tanquam ſeminiverbij, ac cadauerum amantes corui, circa ſepulchrum gyrantes, aduerſus eum qui iacet ſepulchro poſitus clamant; appellantes quidem ſeductorem, ſed quem tanquam veracem timeant. Quamobrem etiam aciem ſtruunt contra veritatem, armiſque inſtruuntur aduerſus defuncti corpus. C Nihil enimverò, per veritatem; eo apparatu ſubmoturi ſunt, præter mendacium, ac impudentiſſimam calumniam; eò re geſtâ, vt miraculum reſurrectionis, in præſentiâ multorum teſtium, idque aduerſariorum perficeretur. Nihil enim acto in iudicium vſque adeò ad victoriam valet, quàm vt ipſi ſe accuſatores, patronos exhibeant; atque vt qui heri iniuriis laceſſebant, encomiis hodie celebrent. Quanti hoc miraculi loco habendum putas, vt præcones reſurrectionis, milites videas? Ecce enim *exaltationes Dei* iugiter *in gutture eorum*: quæ Chriſti è ſepulchro cùm reſurrectionem, tum exaltationem annuncient: *Et gladij ancipites in manibus eorum*; qui nihil proditam cuſtodiam confirment. Ac ſanè quod ſpectat ad ipſos, eum milites Apoſtoli Chriſti præcones, non dormitantem, ac à mortuis ſuſcitatum; mundo declaraturi erant, niſi occupans Iudæorum prauitas, illorum quoque animum, datis argenteis ſuſſurata eſſet: quâ priùs ratione Iudam quoque, vim vocalem gutturis perſtringens argenteis vinculis, miſerabili laqueo præfocaſſet. Tandem ergo milites produnt veritatem. Quippe ſordidum eſt id genus hominum, ac pecuniis inſanè inhians: ac bouem quidem in linguâ geſtat, animique libertatem ſeruitutis iugo mancipat. Eorum malos mores, olim iam Dauid deplorat, dicens: *Fili hominum; vt quid graui corde?* quod graui pecuniæ pondere oneretis; illud quoque ſacri Pſaltis contemnentes, in hæc verba docentis: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Et, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* lucri causâ calumniantes Dominicam reſurrectionem. *Scitote quoniam mirificauit Sanctum ſuum; vt non daret eum videre corruptionem.* Quinimò, notas ei fecit vias inſtauratæ vitæ. Alia enim aliis ſuccedanea funebria cantica, vitæ auctori mortuo iacenti pſallet, decem illud chordarum organum, atque ad iſta, alia accinet. *Eripe me, & libera me, de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt* calumniæ *vanitates* aduerſus te: *& dextera eorum, dextera iniquitatis*: quæ acceptione munerum, veritatem prodiderit. Enimverò perdet eos Dominus, *qui poſuerunt mendacium ſpem ſuam, & mendacio protecti ſunt*: iuxta Iſaiam. Nos autem reuelatâ facie, ac nudo capite veritatem prædicantes, ſubiectam materiam iterum reſumamus.

[Matth. 6. v. 20. — Matt. 28. v. 13. — Pſal. 149. v. 7. — D — *Milites pecuniæ auari.* — Oſ. 14. v. 3. — Pſ. 4. v. 3. — Pſal. 61. v. 11. — Pſal. 15. v. 10. — Pſ. 143. v. 7. — Iſai. 28. v. 15.]

E Sanè Propheticus ſermo, Vnigeniti Incarnationem, ac morte conciliandam mortuis immortalitatem, *conſilium antiquum, ac verum* appellauit; ac quidem inducitur per parabolam primus generis parens, ab Ieruſalem deſcendiſſe in Iericho: A diuinâ enim gloriâ, ac gaudio Angelorum, præuaricatione in vallem fletûs deſcendit; deſcendens autem, obuias habuit paſſiones, ac plagas à dæmonibus accepit: Tu verò animi mihi paſſiones, ac plagas intellige. Ac noſtræ vitæ auctori, à Galilæâ, iuxta hiſtoriam, in Ieruſalem per Iericho aſcendenti, diri latrones occurrerunt. Quid enimverò Iudæorum ſynagogâ prædatorium magis, quibus etiam clementis Dei templum, in latronum ſpeluncam commutatum eſt? *Qui etiam ſpoliantes eum, ac plagas imponentes*; puta, nunc quidem flagellantes, nunc clauis configentes, *reliquerunt ſeminiuum.* F Etenim Chriſtus duplici compoſitus naturâ, mortali ac immortali fuit: ac altera quidem manſit à paſſionibus immunis, id conſeruans, quod per naturam erat: altera autem, paſſionem, ac mortem humano more ſuſtinuit. Cùm itaque longanimis ille hæc vltrò ſuſciperet, eius omnes amici ac propinqui à longè ſteterunt, aſpicientes morientem, exceptis Nicodemo & Ioſeph. Quod enim ad eos attinet, *ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & fuit; qui conſolaretur, & inuenit.* Videntes autem nudum, & cui eſſet pollinctore opus, miſericordiâ moti, blandas in eum lacrymas fundunt: ſindonibus alligant, ac in ſtabulum inducunt, communi humanâ lege mandantes humo, ac tegentes ſepulchro. Cæterùm Mater vehementiùs adhuc lamentis incumbit: acerbiora adhuc aſſumit ſuſpiria: vberiores parturit lacrymas. Facti ſunt dolores grauiores; acutiores cruciatus. Nunc enim, neque ipſum habet Filij aſpectum, maximam mœroris ſuccidentem partem; quique per oculos, in ipſum cor medium, refrigerium inſtillaret. G Etenim *Sol cognouit occaſum ſuum*, ſubtus terram ingreſſus; *ac* Solis Matri *facta eſt nox*; grauis illa doloris ac calamitatis: In ipſâ pertranſierunt moleſta omnia beſtiarum more depaſcentia animum. *Accumbens* enim *vt Leo, illud ex Iuda germen*, ſubtus ſpeluncam *obdormiuit.* Nihilominus verò quanquam dormiens, apertos tamen habet omnium inſpectores oculos. Neque enim aſſumpta natura, à Deitate ſeiuncta eſt poſt mortem, in qua ſemel ſubſiſtentiam, ipſi vnita, habuerat. Cæterum Mater, quæ fortiſſimo illo catulo careat, *rugit à gemitu cordis ſui*, exque impenſiori affectu, talia quædam deplorat: *O diuitiarum profundum, ac altitudinem paupertatis! O mortem viuificam, ac morientem immortalitatem! O rerum complexionem, quam lingua ſedulitas diſſoluere non poſſit! Quænam illa, ò Fili, Deuſque, exaltare habens inclinatio? Qui cœlum metiris palmo, quomodo trium cubitorum ſepulchrum ſubis? Qui luce micantem ſinum Patris imples, quomodo inferni ventre comprehenderis!* H *Qui cœlum induis nubibus, quomodo aſpiceris nudus, quodque tegumento careres, petrâ coopertus es? Occidiſti oculorum lumen? nihil mihi iam neceſſarij oculi, poſtquam lumen defecit: conſumam eorum humorem in lacrymas. Sepulchri abſconderis modio, mundialis domûs lucernâ neſciens veſperam? ego quoque candelabrum, vna tecum abſcondar. Non ſuſtineo contrariam immutationem: Ferre non valeo deprecandam conuerſionem. Quæ mihi in famæ ſplendorem erant, in infamiam tranſeunt. Glorioſa, ingloria ſunt: dulcia, amareſcunt: contriſtant me læta. Sum vellus, verum, ſed plenum aquâ lacrymarum; cum ſiccitas ſit in vniuerſâ terrâ.* Suſtinui *enim* qui ſimul contriſtaretur, *ac collacrymaretur, & non fuit. Quæ ſim rubus, torreſio præ mœſtitiâ; ſolique mihi vigent aculei, punguntque viſcera mea. Quæ ſcala; cogitationum aſcenſus deſcenſuſque ſuſtineo: nunc quidem ad ipſos vſque aſcendentium cœlos, ac illic eum contuentium, qui hic tumulo iacet; nunc verò ad vſque abyſſos deſcendentium: Nam & nubes lucida, abyſſi*

[Iſai. 25. v. 1. — Luc. 10. v. 30. — Luc. 19. v. 46. — Luc. 23. v. 49. — Pſal. 68. v. 21. — *Mariæ dolor ſepulto corpore Dominico.* — Pſ. 103. v. 9. — Gen. 49. v. 9. — Pſ. 37. v. 9. — *Mariæ præclarus planctus.* — Iſai. 40. v. 12. — Pſ. 146. v. 8. — Iud. 6. v. 37. — Pſal. 68. v. 2. — Exod. 3. v. 2. 3. — Gen. 28. v. 12. — Exod. 34. v. 16.]

A

Iſai. 19. v. 1.

veſtigiis inambulat triſtis; nubeſque leuis, graui omnino pondere eſt, ac lachrymarum imbribus plena. Quis verò mihi det, vt & nunc quoque vnà cum Filio, in Ægypti miſerabiles tenebras; Infernum, inquam, deſcendam? Vrna ego aurea manna habens, plena ſum amaritudine, ac præ triſtibus, rubiginem animo contraxi.

Hebr. 9. v. 4. Exod. 32. v. 6. Matt. 27. v. 51. Exod. 19. v. 16.

Furore ebrij Iſraëlitæ, ſurrexerunt, ô Dei Verbum, aduerſus te ludere, & ego tua tabula corde conteror. Tuum ego ſum illud triſte templum, ob diſruptum, quod ex me aſſumpſiſti, ſacratum velum; nempe lanceâ ac clauis perforatum. Ignis, & caligo, & procella ſuper montem Deo incenſum, multuſque inde gemituum fumus. Quàm lætum ac illuſtre tui in terram aduentûs fundamentum! quàm mæſtum ac triſte tuæ mortis tectum! Cœpit à gaudio, deſinitque in luctum. Ab ſpeluncâ oriens mundo apparuiſti, inque ſpeluncam ſubiens occidis mundo.

Luc. 2. v. 7.

Inuenta tibi eſt id temporis ſpelunca, cùm non eſſet locus in diuerſorio, nuncque ſpeluncâ aliâ hoſpes exciperis carens monumento.

B

Cæterum Angelicus hymnus tuum illum ceu buccinâ clangente prædicauit aduentum. Verùm ſtella, Perſarum tibi ſiſtebat reges, tuque adorabant, ac ceu Regi offerebant munera; quæ autem nunc tibi à militibus ſunt officia, ignominiam habent; qui & tuam cumulo reſurrectionem muneribus acceptis calumniantur.

Iſai. 19. v. 1.

Tuo in Ægyptum deſcenſu, concuſſa ſunt manufacta, teque impij Deum glorificabant: Nunc quoque terræmotus eſt, lapideſque conteruntur, te in Ægyptum deſcendente, caliginoſam vtique inferni tyrannidem; ac quem vocaſti ex Ægypto Iſraëlem, ſupra quam Pharao durus eſt corde.

Oſ. 11. v. 1. Exod. 10. v. 1. &c.

O Symeon, Symeon! O animi dioptrâ vtique perſpectiuâ acutiſſime; tametſi caligauerant corporis oculi! O optime prædictor, quanquam eras præ ſenio infirmâ voce. Venit gladius; cor meum permadit; diſcerpit viſcera mea. Dic quoque, quando futurum ſit vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ac veritas aſtruatur.

Luc. 2. v. 35.

Hactenus quidem meus Filius crucis cauſa in multorum ruinam poſitus eſt, vt etiam amici, ac propinqui eum relinquentes, longè facti ſint: quando igitur etiam eſt reſurrecturus ad reſurrectionem multorum?

C

Dic rogo ocyus: Dic quando triſtium me prementium carmini accinetur. O Fili Matris conditor, vbi ſunt modò, quos ex miraculis ad vſque ſatietatem ſanitatum donaſti munere? Veniant: currant; ſe pro benefico ſuo, periculo exponant.

Iſai. 35. v. 6.

Claudi iterum ſalite tanquam cerui: aduerſus ingratum ſalite genus; ſerpentes, ac genimina viperarum occidite. Muti linguam expedite; Phariſæos, vt dicendi ſuperate; eam acuite velut calamum ſcribæ, ſcribaſque, qui malitiam ſcribunt, expungite.

Pſal. 44. v. 2. Ioan. 5. v. 7.

Tu plures annos paralyticus, tollens grabbatum tuum, iterum quoque ambula: Oſtende illud non credentibus tuo medico. Quanquam enim etiam ſabbatum eſt, licet tamen illud tollere in Dei gloriam, qui omni tempore glorificatur. Dic incredulis: Fruſtra ſepulchralem hunc lectum obſidetis. Reſurget qui fuit reclinatus: Nihili eſt quod agitur triduum. Fui ego longi temporis mortuus; eius tamen verbum vnicum, è grabbato me, tanquam è ſepulchro excitauit. Hæc tu dicito, qui quondam paralyticus fuiſti:

D

Pſal. 6. v. 6. Ioan. 9. v. 1.

Sin autem non credent, laua lectum tuum; lacrymis ſtratum tuum riga, plangens aduerſus adulteram gentem & homicidam. Cæcus tu à natiuitate, vide oculorum tuorum lumen clauſum: atque vt nullo alio opitulari poſſis, qui ſis mendicus, tu certè vel ad lacrymas vtaris. Irriga terram; facito lutum; repende emplaſtrum tuo medico. Siquidem tractus fueris in ſynagogam, firmius iterum reſiſte: eum manifeſta qui lumine donauit: Lumen illud verum prædica, qui lucernas corporis accendit. Vnà mecum dolete, qui quondam fuiſtis ſurdi; ita planè dolete mecum, ac priſtinam quærite ſurditatem, non ferentes blaſphemias, quæ in Chriſtum iactantur. Qui dæmonum tentamenta experti eſtis, nolite eorum atrociùs iniuriam timere: Vniuerſa ſiquidem tenebrarum turma cum principe ſuo, in crucifixores irruerunt. Porrò inuenerunt opportuna cædi, quæ moliebantur, organa. Ingreſſi ſubierunt; inhabitârunt; in furorem miſeros egerunt. Non videtis vt ſtridant dentibus? Vt veſtimenta diſcindant? vt ſtultè loquantur, blaſphemiæ crimen Deo inferentes? Vt ore ſpument, Domino in faciem ſpuentes?

E

Vt habeant peruerſos oculos? videnteſque Barabbam latronem, Chriſtum exiſtiment, ac ſaluent: videntes autem Chriſtum, latronem putantes, necent?

Iſai. 5. v. 20.

Lumen tenebras vident; & tenebras lumen. Dulce putant amarum, ac amarum confidenter dulce. O generatio praua atque peruerſa! O genus inconſtans ac infidele! Cur heri ſubſternebant veſtimenta tanquam Regi? hodie tanquam ſeruum flagrionem nudant. Celebres heri acclamationes; hodie maledicentiæ.

Matt. 21. v. 9. Deut. 21. v. 23.

Heri illud, Benedictus qui venit in nomine Domini; hodie, Maledictus qui pendet in ligno. Heri, Rex Iſraël; hodie, tyrannus aduerſus Cæſarem. Heri commota eſt tota ciuitas Dominico triumpho? hodie terræmotus eſt vniuerſi orbis, nec illi mouentur à nequitiæ baſi. Enimuerò, ſic illa habeant, quando ab inſenſis? quando ab iis, qui pro Chriſti honore inuidiâ agerentur: Vbinam quæſo amici, ac proximi? Vbi ij, qui pro eo ſe morituros heri gloriabantur? Vbi Petrus? Vos præclara illius turmæ princeps? Sicceine qui cœlorum claues geſtas, facilè adeo à vernaculâ ancillâ oſtiariâ repulſus fuiſti? Sic citò fundamentum conuulſum eſt?

F

Siccine petra mulieris incurſu vulnerata eſt? Tam citò ancillæ ſermo tuis auribus illapſus, conſerui Malchi aurem vltus eſt? Ergo ad gladij vſque extractionem audacia habes, ac vſque ad auriculas hoſtium vindicta! Quidni verò etiam abſcindebas conuiciantes linguas? Quidni etiam effodiebas liuidos oculos? Enimuerò, quid hæc dico? Par magis erat, vt neque omnino facinus aggredereris, qui eius eſſes diſcipulus, qui mitis ac pacificus. Non enim proditio eſt ab infirmitate; ſed longanimitas à clementiâ & benignitate.

Iſai. 53. v. 7. Apoc. 5. v. 5. Pſal. 21. v. 7. Oſee 13. v. 8. Matt. 4. v. 10.

Quanquam enim ouis quoque vocatur propter innocentiam: propter ſummum nihilominus robur etiam appellatur leo. Quanquam à Dauide fuit cognominatus vermis, quòd ſit natus abſque ſemine; tanquam nihilominus etiam vrſa orbata, ac ſicut pardalis aduerſus hoſtes apparuit. Oblitus es vt fueris appellatus Satan, cum contradiceres paſſioni? Quando retrò poſt præceptorem, ceu leonini pectoris petram fuiſti reiectus?

Cauſa probabi- G lis derelicti Petri.

Ea fortè fuerit ratio cur ſis derelictus: Eam ob cauſam, Petre, in abnegationis crimen deuolutus ſis: factumque eſt, vt ancillæ lingua tuo gladio acutior cuderetur. Quòd omnino obſtiteris crucifixoribus: quòd gladio adhibueris conatum, vt crucis amor prohiberetur. Sciebas quam ſemper eſſet paſſio deſiderata Magiſtro: Vt quid illi voluntati reſtitiſti? Vt quid communem ſalutem impedire tentaſti? Enimverò fiduciam habe bone æmulator? non extinguetur tui zeli ignis: diuino iterum excitabitur ſpiritu. Accede mecum ad petram monumenti: iugi eam excauemus lacrymarum guttâ. Libauimus heri ligno crucis impoſita victima, lacrymarum humorem? Porrò victima hæc ſui ipſa ſacerdos eſt: ſiquidem ergo nunc quoque ſecundas exigit lacrymas, ei impendamus, ac ſepulchri foſſam iis foueamus. Siquidem dicat; Tertias adhibete; tertias quoque adhibeamus. Diurnum libamen, triduano mortuo deferamus. Probè noui fore vt incenſus tumulo Iſaiæ carbo, ſplendidus lætuſque rurſus eluceſcat, in noſtram quidem gloriam, ſacerdotum autem probrum. Reſpice Petre: ne deſperaueris. Sine Iudam ſolum nexum laqueo. In talem quippe torquem, argentei ei commutati ſunt.

H

Tu verò, ab deſperationis parte abſtrahere. Tu quidem os ad confeſſionem; oculos verò ad lacrymas dilata. Ne Latro occupet, vt ne occupans, tibi clauigero paradiſi obſtruat portam. Præclarum tibi, monumenti petra ſuggerit argumentum. Equidem mortuum eſt, tuo illud pectore viuens deſiderium in Magiſtrum: Verùm modò reuiuiſcet, reſurgetque. Iam quippe Præceptor reſurget.

Pſal. 40. v. 9. Pſ. 3. v. 6.

Nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat? Sponte ſuâ obdormiuit; ſuâ item ſponte expergiſcitur. Ego, inquit, dormiui, & ſomnum cepi; caput ad crucem acclinans: Haud tamen vim à morte paſſus ſum pro reorum more. Sponte dormiui; ſponte & reſurgam. Deſcendit Præceptor in tuam terram, cuius vectes, vectes æternos: euertet inferni regiam: cete omnia vorans deſolabitur: diſcindet inferni ventrem, quoſque ille vorauit, viuificans reſuſcitaturus eſt. Choros ducent Protoplaſta, eum agnoſcentes qui bonitate finxit, quique per iuſtitiam condemnauit. Eum qui vulnerauit, medicum inuenient. Ipſe, inquient, verberauit, & ſanabit nos: percuſſit, & curabit ſaucios: ſanos nos faciet poſt duos dies; ac die tertiâ reſurgemus ac viuemus.

Oſee 6. v. 2.

A Sunt hi Matris ac Virginis funebres planctus. Adeò lacrymarum imber nubi lucidæ copioſus fuit ; vt vix non aquis obruere ſepulchrum, inſtar arcæ in qua pater ac auctor vitæ noſtræ ceu thalamo ſeruaretur, certaret. Quanquam enim reſurrectionis doctrinam haudquaquam in dubium vocaret, ſub tribus his teſtibus eius ſtatuens fidem : In iis qui legem præceſſerunt : Fuit enim velut in vmbrâ, ac rudi delineatione ſignata in Iſaac & Ioſeph: Sed & lex multis variiſque ſymbolorum vmbris olim deſignauit. Maiori denique expreſſione, ac perfectius enituit in miraculis Filij, in quibus mortuorum ſuſcitatio, ac eorum qui viuis exceſſiſſent, reuocatio ad vitam, eximium quid habuit. Quanquam ergo iuſtitiæ Sol, tria hæc ceu exhauriens quoddam telum nubi lacrymarum imbres patienti imprimeret, & mentis memoriæ, velut conſolans Matrem, atque futuram irrigui lacrymarum requiem promittens, appingens adhiberet : quia tamen erat veritate Mater, ac ſepulchri incola eius reuera Filius erat, B maternorum viſcerum violentiæ ſuccumbebat, Filiique non minus iniuſta, quàm infamis mors, luctum ei inconſolabilem ſcaturiebat.

Maria indubia fides futuræ reſurrectionis : ac vnde ei luctus.

Cæterùm, in infimis terræ locis, noua quædam celebritas, ac feſta dies, mortuis à ſæculo, indicta fuit. Diruperunt potenter inferni vincula : vinciunt viciſſim vincientem : euertunt ; proſtrato inſultant ; læta accinunt pro funere cantica : *Vbi mors ſtimulus tuus ? Vbi tua inferne victoria ? Hæc eſt dies quam fecit Dominus* ſuper chao & erebo, tuâ illâ iniucundâ ac frigidâ regiâ. Sol exiſtens iuſtitiæ, ortus eſt, noſque eius adoratores vitæ editi, exultamus, ac lætamur in eâ. Hæc eſt dies quam tibi ſemper opponebamus, expectantes tuam ruinam, quanquam ipſe pro tuâ impudentiâ ac inſatiabilitate, non nobis attenderes. Deſcendit Abraham princeps Chriſti ſepulturæ, ac reſurrectionis pictor. Vtrunque enim deſignauit in tenello filio. Quærebatur vt magnum Dei conſilium præcurſe figurâ repræſentaret : geſtatum Vnigenito lignum ſuper humeros ; victimam ſine immolatione ; necem illam C necis neſciam. Poſt hunc veniens Ioſeph eius abnepos, ſpectantia ad Chriſtum expreſſiori figurâ edidit. Mihi, inquit ; inuiderunt fratres mei, quòd plus iis à patre diligeret : vendiderunt vt ſeruum : paſſus ſum inſidias ab adulterâ muliere ; deſcendi in reorum lacum, vbi princeps piſtorum ac pincernarum Pharaonis erant : exiui inde eius beneplacito, qui ſaluum facit : ſuper gloriæ thronum ſedi : regnaui : dominatus ſum eorum qui inſidiati eſſent Rogatusque fabulæ expoſitionem prædixit fore, vt quandoque dilectus Filius cœleſtis Patris a cognatis eius ac fratribus ſecundum carnem inſidias pateretur : vt & ipſe venundaretur : vt in ipſum quoque Hebræorum ſynagoga à Deo exfornicata irrueret ; calumniaretur ; occideret ; in caliginis lacum detruderet ; hæc nimirum tenebroſa ergaſtula : fore item vt cùm principibus ſpiritalis Pharaonis congrederetur : cùm morte, inquam, principe pincernarum, quæ amarum condy, ac lethale, mor- D talium naturæ offerens, homicidæ illi ab initio propinat : tecum quoque piſtorum principe inferno, qui tuis illis omnia domantibus molis, vniuerſum hominum ſemen molens, mundi rectoris odium in genus humanum aſis. Fore tandem, vt nouâ ſe ipſe donaret vitâ, mortuorumque ac viuorum dominaretur. Hæc tu repudiabas non enim libenter admittuntur quæ ſunt voluntati contraria.

1 Cor. 15. v. 55. Pſa. 117. v. 24.

Gen. 22. v. 6. Iſaac. Chriſti figura.

Gen. 37. & c. Ioſeph.

Aliquanto tempore poſterior deſcendit Moyſes, non vltra impeditioris linguæ, neque corporeum velamen ſuper animi faciem ferens ; ſed linguâ expeditâ ad myſterij explicationem ; ſed nudo animo liber, annunciauit Agni immolationem ; partam Iſraëli per eius ſanguinem ſalutem ; tranſitum ab Ægypto in terram promiſſionis eorum, qui tyranni vexaſſent, necem ; quibus omnibus futura per Chriſti mortem captiuorum hominum reſtitutio ſignificabatur ; tenebroſæque huius ac caliginoſæ Ægypti principum omnimoda deſtructio : Enimuero ad hæc tu obdurabaris, ac nouus ei eras Pharao, renuens ad liberationem populi. Vetera ſileamus.

Moyſes typo Chriſtum inferis annunciat.

Deſcendit Symeon grandi annorum numeroſitate venerabilis homo, cui magna animi ſecuritas ex vitâ longius productâ acceſſiſſet : de quo tibi ſæpius ſermo erat, metuens eius ſupra naturæ modum longæuitatem, ac timens ne alius quidam Elias foret, neue & ipſe aquilæ aſſumens pennas, ac nubibus celſiora petens, omnia venantis retia tua euaſurus eſſet. Deſcendit, inquam, ille vocaliſſimus præco ; qui nedum nudo auditu expectatum doctus eſſet, ſed & ipſis oculis vidiſſet. *Viderunt*, enim, inquit, *oculi mei ſalutare Dei*. Viderunt ; non à me longè ſtantem, ſed qui eius fuerim ſedes, atque in vlnas portauerim. At neque huius ſenectam reueritus es, nec longæuum honori habuiſti, ſed vt communem quendam hominem ſubmouiſti.

E *Symeon inferno præco.*

Luc. 2. v. 30.

Effluxerat inde non multum temporis, deſcenditque Ioannes, comparato prorſus ad libertatem animi propoſito ; miles periculi amans, ſanguine purpuratus, quem pro rege fudiſſet, in hæc verba clamans ianitoribus tuis : *Parate viam Domini* : *Tollite portas principes veſtras*, hactenuſque modicum *Introibit Rex gloriæ*, exibitque immenſam abducens inferni captiuitatem. Sum ego lucerna eius lucis, quæ modò lucet in mundo. Ego lucifer, iuſtitiæ Solis præcurſor. Ego ſponſi amicus, qui humanam tibi naturam deſponſauit, ac indiuiſo nexu vniuit. Ego in ſuperioribus pariter, ac inferioribus præcurſor. Exultaui ego in tenebroſo materni vteri thalamo, cùm Saluatorem ſenſiſſem ; nuncque tenebroſiori inferni vtero poſitus geſtio, expectans qui ſit liberaturus. Superiores auras ducens dicebam Herodi : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* : in inferioribus agens, tibi inferne clamo : Non licet tibi naturam retinere quam ſibi Deus deſponſauit ; quam is reuocat in cœleſtes thalamos. Hæc tu audiſti, Pharaoque duri cordis morbo laborans, noluiſti Ioannis teſtimonium recipere ; in hoc hactenus glorians, quòd ij, qui ad te deſcenderent, carcere tenerentur ex quo effugium non eſſet.

Item Ioannes.

Luc. 3. v. 4. Pſal. 23. v. 7.

F *Luc. 1. v. 41.*

Matt. 6. v. 18.

Enimuero tuum illud ſupercilium detraxit bonus Lazarus ; non vt alij, momentò expirans, ac ſpiritu donatus ; ſed qui tribus totis diebus tentus exiſſet tuis vinculis. Ac quidem interrogatus dicebat & ipſe Chriſti ſe amicum ; tu enimuerò illudebas, quòd eius qui expectaretur amicos, clauſos carcere haberes, ac ſtatuiſti, vt & in illum victoriam præſumeres. Sed ô diuinam potentiam ! O vocem omnium opificem : Vocat amicus triduanum amicum, vixque vltimos vocis ſonos ediderat, in tuis circunſtrepentes cauernis, cùm ecce Lazarus velut excitatus à ſomno, corpuſque indumenti inſtar indutus, Domino ſe, decenti habitu ſiſtit : tanquam fere diceret : Ecce ego ; quid iubes ſeruo tuo ? Interimque, æreæ tuæ portæ ; inſoporabiles ianitores, aranearum tela ac inſomnium ſuere. Cœpit inde tua tyrannis concidere. Collegiſti enim, ſiquidem is qui expectaretur tanta ex nudo ſermone poſſet, quàm fuerit impoſtabile in manus eius incidere. Nunc itaque, timor te ex timore inuaſit, & quem timebas occurrit tibi, ſuſque amatum, inferne, vt ei occurreres, qui in manu forti, & brachio excelſo, vectum tuum diſcerpit : vinctoſque, diuinâ virtute educit.

Lazarus tuiuſcit G *ac Chriſti reſurrectioni præit.*

Euge itaque Moyſes : Chorum compone ex animabus iuuenculis, nunc recens Chriſti ſanguine carcere eductis. Vlulent carmen pro exitu : *Videns* enim *vidit Deus* de celſis cœlorum *afflictionem populi ſui*, ac miſeriam quâ hic premebantur, *deſcenditque vt eum liberaret* à tenebroſo incolatu : ac modò ceu alios principes, diabolum, mortem, ac infernum, tyrannos illos noſtros ac perſecutores, ſui ſanguinis mari rubro ſubmerſit. *Hi in curribus, & hi in equorum fremitu : nos autem, in nomine Domini [Dei noſtri magnificabimur.] Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt ; nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.* De cætero *Cantemus Domino* : *Glorioſè enim magnificatus eſt.* Adoremus eum, dicentes : Inducens planta nos in monte hæreditatis, in præparato habitaculo tuo, quòd præparauerunt in cœlis manus tuæ, ab eius ædificatione cruciatæ : quòd lignis primùm crucis coaſſaſti, ac manuum clauis compegiſti, tumque ei fundamenti loco, monumenti petram ſuppoſuiſti.

Exod. 3. v. 4.

Pſal. 19. v. 8.

Exod. 15. v. 1.

[A] [n. 1. 1.] Ea enim etiam arte ipſe ædificare noſti ; vt primo faſtigies tectum, tumque fundamentum ſupponas. Fidem verbis aſtruunt, cœlum ac terra, quæ tali modo creata fuerunt. Eia agite vincti omnes, aſcendamus ad antiquam Ieruſalem ; nempe paradiſum. Ante omnes præcurrat Adam. Prima noſtri generis radix, prima in paradiſum tranſplantetur. Sicut præiuit deſcenſu ; præeat & aſcenſu : Vti primus deſcendit in corruptionem ; prior aſcendat in incorruptionem. Pſallat pari modulo cum [al. 22. 1.] Propheta & Rege : *Dominus paſcit me, & nihil mihi* eius oui *deerit ; in loco paſcua ibi me collocauit* ; cùm recens finxiſſet me : *& ſuper aquam refectionis educauit me.* Enimuerò *animam meam*, quam ſpiritalis lupus rapuerat, modò *conuertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ. Etſi* enim *ambulaui in medio vmbræ mortis*, nunc tamen *non timebo mala, quoniam tu mecum es* ; factus mihi ſimilis, [al. 87. 6.] quique ad me vſque deſcenderis, *in mortuos liber. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Hæc porrò ſunt, crux in quâ ſuſtentaſti infirmitatem carnis, & per [B] quam cecidiſti incorporeos hoſtes : ac *contriuiſti quidem virgam* peccatorum, ſaluaſti verò hæreditatem iuſtorum. [ai. 14. 5.] Quiſnam ego ſum Domine meus. Domine, vt vſque adeò dilexeris me ? *Conuertiſti planctum meum in gaudium.* [al. 29. 12.] Quanquam enim *concidiſti* carnis meæ *ſaccum*, damnans morte propter præuaricationem ; nunc tamen *circundediſti me lætitia* immortalitatis, *vt cantet tibi gloria mea*, nec vltrà *compungar* ; quippe qui æternum gaudium [al. 114. 7.] adire habeam. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: quia te eripuit de morte ; oculos meos à lacrymis ac pedes meos à lapſu* : ſumque deinceps aſſumptus, vt ne redigar in terram.

Talis hodie apud inferos feſtus conuentus ; ita mirabilis ; ita præclarus ac lætus, ſupercœleſti Sole inferno facto irradiante, meridiemque ſine vmbrâ in tenebroſis, ac [att. 5. 45.] vmbrâ mortis nunc diei nouante. *Nunc cœleſtis Pater ſolem ſuum oriri fecit ſuper malos & bonos* : Splendor enim remiſſionis, in omnes explicatus eſt : *pluitque ſuper iuſtos ac iniuſtos*, ex Vnigeniti latere duplicem pluuiam, [C] ſanguinis & aquæ: Pluuiam, inquam, vitalem, ac mundatiuam. Vtroque enim, qui in ſquallidis inferni tabernaculis tenebantur, egebant. Quippe mortuus eſt pro omnibus, iuſtis pariter ac iniuſtis : ſeque bonus paſtor inferni foueæ inclinauit, propter collapſam illuc ouem ; quæ planè nudata diuinâ gloriâ, à paradiſi quoque paſcuâ olim expulſa, ſolo vellere protecta erat. Cæterùm hoc quoque ſupremum, fortibus dentibus mandit infernus. O vitam, fermentumque in Deo exiſtentis carnis, quod noſtræ naturæ immiſſum maſſæ, inferni comminutæ molis, eam ſibi conſimilem præſtitit, vitali qualitate donans, ineſamque penitus morti omnium edaci, fecit. Fuit quidem Iu[r. 11. 19.]dæorum manibus immiſſum lignum pani illi qui de cœlo [att. 17. 5.] deſcendit, eamque iam olim trabem propheticus oculus per præſcientiam in ſeipſo habens, acutiſſimè futurum præuidit. Eleuatus eſt panis ille, ac ſpectaculo productus: Viderunt qui in inferni eremo recumbebant: eſurierunt, quâ inde paſcerentur immortalem annonam. Interim ſepulchro quidem reconditur ; ſed non ſuſtinet videre ho[D]rum productiorem famem. Quid enim ait? *Miſereor* ite[arc. 8. 2.]rum *ſuper turbam iſtam, quia iam triduò ſuſtinent me*, qui ſim factus ſimilis deſcendentibus in lacum, & cum eis [oan. 6. 27.] verſatus ; noloque eos ieiunos præterire. Omnes itaque [al. 16. 15.] manducauerunt *cibum permanentem in vitam æternam*, ſuntque ſatiati, apparente eis gloriâ Deitatis Chriſti ; ac cum eo aſcendente vnde deſcenderat, pariter aſcenderunt ; primogenitumque ex mortuis, qui mortis dolores ſoluiſſet, ſecuti ſunt, qui in ventre inferni tenebantur mortui. Quotquot nimirum ab incredulitate cœcati non fuerunt.

Adeſto, igitur Chriſti nomine appellatus cœtus, adoremus, eique procidamus, qui collapſos nos erexit, cui [Phil. 2. v. 10.] hodie *omne genu flectitur, cœleſtium terreſtrium, & infernorum.* Ipſe enim qui eſſet cœleſtis, factus eſt terreſtris, [Gen. 28. v. 12.] inque extremâ abyſſo ambulauit, ſcalam hanc immenſam fabricatus, quæ à cœlis, ad inferni vſque imum pertingeret: haudquaquam Angelis in eâ aſcendentibus ac deſcendentibus: *Non enim legatus, non Angelus ; ſed ipſe Dominus ſaluauit nos : qui deſcendit in inferiores partes terræ, aſcenditque* ſupra omnes exercitus Angelicos, ac Patri [E] [Iſai. 53. v. 9.] [Eph. 4. v. 9.] conſidet. Quippe egebat iterum figmentum fictore ; ac opus, opifice ; quò reformari ac refici poſſet. Sanè quidem olim apparuit Patriarchæ innixus ſcalæ, tanquam adhuc differret deſcendere. Erat autem viſio nocte ; atque in ſomno, non vigiliâ : Necdum enim illuxerat dies quam fecit Dominus, illucens iis, qui in tenebris, & in vmbrâ mortis dormiebant. At quando venit plenitudine temporis, tunc quoque ſalutis noſtræ myſterium peractum fuit. Venite ergo Chriſti. ac pauperum amantes, Chriſto, qui propter nos factus eſt pauper, ac ſicut hoſpes in propriis verſatus eſt, egitque nudus, per hoſpitalitatem conciliemur. Æmulemur Ioſephum ac Nicodemum, bonos præclaroſque Chriſti hoſpites, ac ipſo Abraham illuſtriores. Non enim ignorantes Angelos hoſpitio ſuſceperunt, ſed ipſum Angelorum Dominum. Quorum pietatem probans: *Venite*, inquiet, *benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum. Nudus enim eram, & operuiſtis me* [F] induentes ſepulcralibus linteis : *Infirmus*, propter paſſio[Matt. 25. v. 34.]nem mortis, ac ſponte ſuſceptam crucem ; *& viſitaſtis* [Gen. 9. v. 21.] *me. Hoſpes ac mortuus, & collegiſtis me*, nouo recondentes monumento. Quòd ſi verò Sem ac Iapheth : filij ij fuerunt iuſti Noë ; quòd paternam operuiſſent nuditatem, copioſam benedictionem, tanquam verè patris amantes, meruerunt percipere ; quantam rogo Chriſti amans par iſtud benedictionem perceperit ; quantam gloriam, quòd Regem gloriæ contexerit ac collegerit, cùm ſibi à Patre propinatum calicem bibiſſet, eſſetque nudatus, pro eius qui in paradiſo nudatus fuiſſet, honeſtate ? Nunc enim etiam in expectatione habent, *vt excitetur Dominus tan*[Pſal. 77. v. 65.]*quam dormiens, ſicut potens crapulatus à vino : & percutiet hoſtes ſuos in poſteriora* ; eò quòd impudenti facie aduerſus eum riſerunt, eiuſque ſubſannauerunt nuditatem, vindicis maledictionis rei, qui nedum terram, ſed & impietatem Chananæorum hæreditate acceperunt. Quin hoc, magis quàm illud. Quippe maledictio ac impietas, [G] firmiùs, ac inauferibilis adhæret ; terra verò, conſtanti poſſeſſione retineri non poteſt ; vaganturque omni loco errones, peramplo riſu digni.

[Morale.] Quis non præclarum hoc par beatum prædicet? Quis pro ſarcinâ non æmuletur, quòd inſidentem Chriſtum, ad vitæ metam tendentem, ſuæque in mundo conuerſationis finientem curſum, portare meruerit ? Planè ſcio fratres, vos æmulari, ac in votis habere, vt oneris ſocij, eum portetis, qui portauit veſtra ſcelera, impenſæque illius præclaræ benignitatis ac officij, participes ſitis. Id porrò admodum facilè ſit, ſi modò vultis, non indigens circuitu aliquo ; non circumcurſatione ; non audaci ad Pilatum acceſſu : ſed vt quis tantùm domo proſpectet, licet inuenire eſurientem ; nudum ; tecto carentem. Qui enim pro tuis foribus mendicus ſtat ; vlceroſus ille ; infirmus, ac conſciſſa veſte, Chriſti perſonam gerit: quamque ei commiſerationem impendis, ad eum recurrit qui ſedet in dexterâ Patris. Eius enim vera eſt pollicitatio illa: [Matt. 25. v. 40.] *Quandiu vni ex his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Abluamus lacrymis animæ ſyndonem, eique [H] mixturam mirrhæ ac aloës adiungamus ; ea nimirum quæ ſunt amara ſenſui ſecundum Deum, neque ad vuidum fluidumque voluptatis laxari ſinunt : ſed magis retro Creatorem ceu glutine animam adſtringunt ; ſicque ſuſcipiemus, velut in ſublimi cruce, ſic in excelsâ ac deiferâ menſâ poſitum Chriſtum. Is porrò, vti in reſurrectione, quæ in ianuis ac proxima eſt, ſic & in communi ac futurâ, quando nudi ac aperti aſtituri ſumus illi tribunali, amictum ſalutaris, ac lætitiæ tunicam induerit, ac immortali regno, dulcique communione dignos pro hoſpitalitate habuerit ; quam vtinam conſequamur omnes, gratiâ ac clementiâ eiuſdem Domini ac Dei noſtri Ieſu Chriſti, quem decet omnis gloria, honor, ac adoratio, cum æterno ipſius Patre, ſanctiſſimoque, bono, ac viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum : Amen.

A

D. AMEDEI EX MONACHO Ciſtercienſi Epiſcopi Lauſaniæ.

DE MARIA VIRGINEA MATRE Homiliæ octo.

RECOGNITA PER R.P. RICHARDVM Gibbonum Societatis Ieſu Theologum.

PATRI ADMODVM REVErendo D. Morando Blomne Claromariſci Cœnobij prope Audomarum ordinis Ciſtercienſis.

B

DIGNISSIMO ABBATI S. P.

CVM veteres diuinarum rerum ſcriptores pro operis noſtri, quod præ manibus pridem eſt, conſtructione perquirerem: incidi inter alios in AMEDEVM ex Ciſtercienſis Familia Religioſo, optimum pariter ac ſanctiſſimum Lauſaniæ prope Gebennam Epiſcopum. Scripſit de Laudibus Deiparæ Virginis Homilias non plures octo; ſed eas, Deus bone! quo ardore mentis, quo ſpiritu! Has legi, relegi, quibus cum ſic afficeretur animus, vt non mihi vni, ſed aliis quam multis profuturas ſperarem: ſtatui illas ante annos centum typis expreſſas, iterum in lucem dare. Neque ſanè diu cogitandum fuit ſub cuius eas nomine ac patrocinio emitterem. Venit enim in mentem T.P.R. tum ob inſignem qua prædita eſt humanitatem, quam ego creberrime expertus ſum, quandoquidem nunquam non patuit mihi præclara illa veſtra & antiquis manuſcriptis libris referta Bibliotheca, tum vero ob Religionis ac Regularis obſeruantiæ ſtudium, quod, vt animaduerti, primum in ſe, deinde in grege ſibi credito cupit eſſe quam maximum. Taceo auctorem hunc & veſtri ordinis eſſe, & ſplendorem illi non exiguum afferre (quamquam id hactenus ignotum fuit) ſeu doctrinam, ſeu pietatem ſpectes. Quod ſi quid poteſt apud me ſingularis R.P.T. in noſtrates Anglos, eos præſertim qui in Audomarenſi Anglorum Collegio verſantur, plurimis argumentis teſtata propenſio: non omittam quin perpetuo conſtet haud fruſtra vel in meipſum, vel in illos te tuum affectum & amorem contuliſſe. Exiguum eſt, fateor, quod rependo, dabitur nihilominus aliquando, te fauente & promouente, vt maiora proferam. Eſt enim nunc præ manibus magnus ille, magnus inquam Alredus veſter, Rhieuallenſis abbas, D. Bernardo ſtylo ac pietate non abſimilis, cuius ego varia hinc inde conquiſita opera mea manu exſcripta adhuc premo. Dignus eſt qui lucem videat, & omnium teratur manibus. Expectat Mecænatem. Inueniet ſpero te admodum R. Pater ſibi fauentem & propitium, quem quoad videris iter ad te capeſſentem, hunc Amedeum, at qualem & quantum virum! tibi ac tuis commendo. Accipe igitur Pater optime alumnum quidem veſtrum, ſed tibi à me deſtinatum velut obſidem amoris in te mei: & cum ſancto cœtu tibi commiſſo ſaluus & incolumis viue in annos plurimos. Antuerpiæ è Collegio Societatis Ieſu, XXII. Iul. ipſo B. Mariæ Magdalenæ, M. DC. XIII.

C

D

Tuæ admodum Reuerendæ Paternit.
indignus in Chriſto ſeruus
Richardus Gibbonus.

Homiliarum Amedei argumenta.

I. De fructibus & Floribus B. Virginis Mariæ.
II. De ornatu B. Mariæ.
III. De Chriſti incarnatione, & Virginis conceptione.
IV. De partu Virginis, ſeu Chriſti natiuitate.
V. De martyrio B. Virginis.
VI. De gaudio in Reſurrectione.
VII. De obitu Virginis & Aſſumptione.
VIII. De gloria B. Virginis.

E

GERVASII SOPHERI BRISACENSIS ad Henricum Kolherum Argentoratenſem Canonicum, Friburgenſis Eccleſiæ Rectorem, & Pontificij Iuris Doctorem compendioſum de Diuo Amedeo teſtimonium.

PRæſens hoc ſanctiſſimum Diui Amedei Lauſanenſis Epiſcopi opuſculum, in quo pientiſſimus ille Princeps Eccleſiæ, magnæ & ſanctiſſimæ Matris Mariæ præſtantiſſimus præco, octo concinnauit Homilias pulcherrimas, cum verborum, tum ſententiarum lautitiis, & tantum non omnibus numeris abſolutas. His luculentiſſimis ornatiſſimiſque Homiliis ineſt tantum energiæ, tantum feruoris, quantum nemo niſi ſaxeus plane lector ſurda poteſt aure tranſmiſiſſe. Quin potius ardentiſſimas continuo diiudicabit, ſentietque in Deiparam Virginem ignei amoris faces cordi ſuo admotas, atque acutiſſimos in vniuerſum eius honorem ac reuerentiam ſtimulos experietur. Quibus album addunt calculum Gregorius Reiſchius Friburgenſis Cartuſiæ Prior, imo certè ordinis totius Præſes & gubernator, cuius vnius conſilium plurimum valere etiam ſæculi principes affirmant, quod & primæ notæ Theologus: ſimul atque VValricus Zaſius Iuriſconſultorum conſultiſſimus multis nominibus admirandus. Friburgi, poſtridie Idus Iulias, Ann. Dom. M. D. XVII.

F

R. P. CANISII SOCIETATIS IESV Theologi de Amedeo (Amadeum vocat) teſtimonium.

G

Caniſius lib. 1. de Maria Virgine cap. 3. ſic habet: Ac præter alios quidem Deiparæ amatores atque cultores extitere, quantum ex illorum ſcriptis conijci poteſt, Ignatius, Methodius, &c.

Et paulo poſt Honorius, Idiota, Amadeus, Bonauentura, &c.

Item lib. 4. cap. 68. Notat itidem Amadeus quod glorioſæ Matris huius pectus tam pro filij morte, quam pro Iudæorum perditione ineffabili dolore vreretur. Et poſt: Vicit ſexum, inquit, vicit hominem, & paſſa eſt vltra humanitatem. Torquebatur namque magis, quam ſi torqueretur ex ſe; quoniam ſupra ſe incomparabiliter diligebat id vnde dolebat. Homil. 5. de Maria virginea Matre.

Vide eumdem lib. 5. cap. 4. At cap. 5. ſic habetur: Poſtremo Lauſanenſis Epiſcopus tum pius, tum eruditus Amadeus hoc modo teſtatur: Maria poſt Deum ſupra omnes Cæligenas in ſede gloriæ collocatur &c. hom. 7. de Virginea Matre. Et cap. 6. Vnum adhuc Amadeum adiungam, qui feſti huius excellentiam confirmet ac illuſtret. Quis digne laudibus, inquit, efferat ſacratiſſimam Virginis Aſſumptionem, &c. hom. 7.

H

NOTA.

Amedeum Lauſanenſem Epiſcopum cuius ſunt homiliæ iſtæ, ſanctorum Cathologo adſcriptum habet Menologium Ciſtercienſe ad diem 7. Ianuarij, & conſentiunt Angelus Manrique libro 3. Laureæ Euangelicæ, ac Chriſtophorus de Perales in S. Bernardi vita libro 2. cap. 19. qui de eo plura, nec non Genebrardus libro 2. Chronographiæ, Gallia Chriſtiana in ſerie Epiſcoporum Lauſanenſium, & alij. Vide vitam ipſius in fine harum homiliarum appoſitam.

A

HOMILIÆ VENERABILIS P. Diui Amedei Epiſcopi Lauſanenſis de laudibus glorioſæ Virginis Mariæ,

HOMILIA PRIMA, DE FRVCTIBVS & floribus Sanctiſſimæ Virginis Mariæ.

OMNIS ſancta & rationabilis anima, inueſtigans cœli ſecreta myſteria, & diſtinguens ordines ſupernorum ſpirituum, inuenit primam poſt redemptorem, illam in mulieribus benedictam, illam plenam gratia, quæ Deum genuit, & virginitatis gloriam non amiſit. Hæc igitur Virgo beata omni luce clarior, omni ſuauitate gratior, omnique potentatu ſublimior, totum mundum illuminat, & vnguenti optimi profuſione innouans omnia, Cherubim & Seraphim agmina poteſtate tranſcendit, & maieſtate Glorioſis ergo meritis eius introducat nos rex in cubiculum ſuum, & referet nobis arcana ſecretorum proles Dauidica, quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. (Apoc. 3. 7.) Pandat nobis gaudia genitricis ſuæ, decorem electa matris ſuæ. Moyſes & Prophetæ atteſtati ſunt illi. Euangeliſtæ vero & Doctores, vitam, mores & gratiam eius poſtmodum exceperunt, vt veritas ſibi conſona redderetur, & quod illi futurum prædixerunt, hoc iſti recolerent geſtum.

B

Vnde nos tot & tantis præconiis excitati, curramus in odorem vnguentorum eius, & gratiarum illius attrahentes ſpiramina, dum ab eius aſpectu ſuauiſſimo differimur & retardamur, requieſcamus in floribus, quibus ſe fulciri iubet in canticis dicens. (Cant. 2. 5.) [Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.] Qui ſunt hi flores, niſi diuina in laude eius myſteria, & olim à ſæculis abſcondita ſacramenta, quæ iam in carne apparentia, in ſpiritu manifeſtata, ex dictis Patrum, velut ex quibuſdam gemmis arborum proruperunt. Mala vero explicat Apoſt. dicens, (Gal. 5. 22.) [Fructus ſpiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.] Fulcitur ergo floribus, cum prædicta oracula apparent. Stipatur malis, cum fit quod ſcriptum eſt. (Prou. 31. 31.) [Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius,] Sed quia de veris floribus, & ſempiterno fructu iuſtitiæ ſermo ſe intulit, neceſſe eſt, vt adiuti dono Spiritus, eoſdem flores, & fructus latius exequamur.

C

Aduertamus itaque duos tanquam calathos aureos plenos fructibus, & floribus adornatos, nouum & vetus teſtamentum, hinc & inde, læua dextraque Virginis conſiſtentes. Quorum antiquitas tranſit in læuam, & noua gratia coruſcat in dextra. Iure quippe lex mortis in ſiniſtra, & lex vitæ in dextra, quia illa facit tranſgreſſorem, & hæc tollit tranſgreſſionem. Ipſa Virgo virginum vernans in floribus, & in fructuum ſuauitate delicians apparet media, & velut arbor plantata in medio paradiſi, attollit verticem in altitudinem cœli, & de ſuperno rore concipiens, fructum refert ſalutarem, fructum gloriæ, fructum vitæ, de quo qui ederit, viuet in æternum. Et vt clareſcant quæ dicta ſunt paradiſus eſt hortus, ad quem Eccleſia inuitat dilectum ſuum. (Cant. 5. 1.) [Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomiferarum ſuarum.] Hortum namque dilecti ſe nominat, quem fontes Saluatoris irrigant, & riui donorum inebriant, vt maritata amore ſpiritus lætetur, in ſtillicidiis eius germinans, & gaudeat in prole multorum filiorum, tanquam in vbertate geniminum ſuorum. Hæc vocat dilectum comedere fructum pomiferarum, quia ſeruauit ei poma noua & vetera, dicta ſcilicet vtriuſque teſtamenti. (Cant. 7. 13.) Aut conſummatos ſenſus cordis ſui, quos gerit inter vbera, ſicut legitur, (Cant. 7. 8.) [Erunt vbera tua ſicut botri vineæ.] Vel certè bonos quoſque ſpiritus & An-

D

gelorum & hominum, quorum alij in nouitate vitæ perſeuerant, alij gerunt de vetuſtate & corruptione, quod doleant.

E

Poſſunt quoque per poma noua & vetera, noui & antiqui patres ſignificari, in quibus paſcitur amor ſponſi, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: (Cant. 2. 17.) Inter hos & horum media conſurgit arbor quam diximus ſalutifera, generans cibum vitæ, & manna cœleſte. Manna habens omne delectamentum, & omnem ſuauitatem, ad quod ſi primus Adam attingeret, mortem non guſtaret in æternum. Hunc panem ſe eſſe perhibet filius hominis in Euangelio dicens, [Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.] (Ioan. 6. 51. 52.)

Vt igitur redeamus ad prædictos calathos, & flores læuæ, fructuſque dextræ perpendamus (quia quod lex promiſit in flore, hoc gratia exhibuit in operatione: ibi proferatur quod futurum eſt, hic virtus conſummata laudatur, Illic ſacramentum, hic res ſacramenti eſt.) Attendamus eoſdem calathos Chriſti gloriam, & partum Virginis præferentes, hæc enim ſumma, hic finis teſtamentorum, Chriſtũ proloqui, Chriſtum oſtendere, Chriſtum annunciare, & virginem Mariam. Et id quidem nunc ſacramentis tegitur, nunc ænigmatibus aut ſimilitudinibus obuoluitur, nunc ritu feſto celebratur, nunc ſacrificiis obumbratur, nunc declaratur prophetia, aut Euangelica aſſertione roboratur. Et in hac condenſitate ſaltus Libani, in hoc monte vmbroſo & condenſo, aperit ſe nobis ſponſi dignatio, & thalamus egreſſionis eius, Saluator gentium, & terra germinans Saluatorem, ſtella ex Iacob, & dux de Iſraël, virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius. Alibi namque legimus Chriſtum naſciturum ex Virgine, paſſurum in carne, reſurrecturum in gloria, aſcenſurum in iubilatione, & dona ſpiritus credentibus donaturum. Alibi natum, paſſum, reſurgentem, aſcendentem & dona ſpiritus ſuis infundentem.

F

Sic in ſcripturis veritatis de ſancta matre eius annunciatum eſt, (Iſai. 7. 14.) quia virgo conciperet, & virgo pareret filium, cui nomen Emmanuël, (Mich. 5. 2.) & greſſus eius à principio, à diebus æternitatis. Hunc ſola Virgo meruit ſuſcipere, ſola parere, ſola lactare, in votis & ardenti præſtolatione deprecantis & dicentis Eccleſiæ, (Cant. 8. 1.) [Quis mihi det te fratrem ſugentem vbera matris meæ, & inueniam te foris & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?] Inueniam te, inquit, foris in luce, qui es ſecretum Patris, Inueniam te apparentem in carne, qui lates in inuiſibili maieſtate. Inueniam te ſponſum procedentem è thalamo, qui in ventre virginali conceptus es de Spiritu ſancto. Et deoſculer: Deoſculer vnita tibi in perceptione carnis tuæ & ſanguinis, & iam non ſimus duo, ſed vna caro. Deoſculer in vno ſpiritu adhærens tibi, quia qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. (1. Cor. 6. 17.) Et iam nemo me deſpiciat. Non Deus pater, videns proprium filium incarnatum; non Angelus ſanctos, adorans Deum hominem factum; non ſuperbus dæmon, dolens à Chriſto ſe ſuperatum.

G

Cæterum eſt, vt de Euangelio inferamus aliqua. Legimus Virginem ab Angelo ſalutatam, (Luc. 1. 26.) à Deo deſponſatam, de Spiritu ſancto concepiſſe, Deum verum & hominem genuiſſe, qui ſaluum faceret populum ſuum à peccatis eorum, (Matth. 1. 21.) & regni eius non erit finis: Hic eſt qui repromiſſus eſt Abrahæ, quod in ſemine eius benedicentur omnes gentes. (Gen. 22. 18.) De quo pulchrè Apoſt. ait. [Intuemini quantus ſit iſte] qui ingreditur ad ſaluandas gentes. (Heb. 7. 4.) Verè magnus, quem vnigenitum Pater miſit in mundum, quem virgo corporaliter effudit, quem virgo concepit & peperit, & poſt partum virgo permanſit. Annunciatur ab Archangelo, (Luc. 1. 27.) concipitur de Spiritu ſancto, naſcitur ex ſacra Virgine, (Ibid. 35.) & à Ioanne adhuc clauſo inter materna viſcera præmonſtratur. (Luc. 2. 7.) Suſcipitur à ſene Simeone cum ineffabili gaudio, (Luc. 1. 44.) à quò lumen gentium & gloria plebis Iſraëliticæ prædicatur. (Luc. 2. 28.)

H

Vides ne ergo ſapientiam attingentem à fine vſque ad finem fortiter, & diſponentem omnia ſuauiter? (Sap. 8. 1.) A puero nondum nato, vſque ad ſenem decrepitum, tam congrua ſibi teſtimonia proferentem, & tam dolci

A concordia veritatis organa modulantem? Hinc per Prophetam dicitur, [Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.] Pſal. 18. 7. Cuius egreſſus à Patre, regreſſus ad Patrem; excurſus ad inferos, recurſus ad ſedem Dei. Quis enim ſe à calore eius abſcondet, quem infans ſenſit in vtero, quo ſenex frigidus flagrauit in templo? Ille quaſi ſignificaret ſe velle occurrere Domino, exultabat motu quo poterat. Hic accipiens in vlnas ſuas incredibili deſiderio expectatum Ieſum, diuinum amorem hauſit medullitus, nec ferens in carne fragili ſuauiſſimum odorem ſupercœleſtis eſſentiæ, & vim verbi flammigerantis in oſſibus precabatur ſui corporis diſſolutionem, quo liberius effracto mortali domicilio, præguſtata dulcedine frueretur & natum ſaluatorem, quem apud ſuperos prædicabat, habitantibus in regione vmbræ mortis nunciaret. Sed quid agimus, aut quo rapimur? Ecce dum benedictam in mulieribus prædicare cupimus fructum ventris eius benedictum attollimus, & dum quærimus laudare ſpeciem arboris, fructus nimia dulcedine B detinemur. Omnis enim arbor ex fructu ſuo dignoſcitur, Matth. 7. 17. & ex propria vbertate penſatur. Vt palma ex dactylorum ſuauitate, vitis ex vini liquore, oleaſter ex oliuæ pinguedine. Ita nimirum laus nati genitrici exuberat, & honorem puerperæ partus diuinus accumulat.

Libet dilectiſſimi, quæ præmiſſa ſunt alio ſenſu repetere, & alia rurſus aſſertione comprobare, vt cæca infidelitas arguatur à lumine, & fides Chriſti ſe palpabilem præbeat, & inoffenſam. Exod. 25. 18. Ingrediamur itaque ſancta ſanctorum, & intueamur propitiatorium, habens deſuper duo Cherubim, ipſum cum verſis vultibus reſpicientia, & obumbrantia extenſis alis. Illic inter cætera refulget vrna aurea, habens manna reconditum. Illic eſt virga Aaron, quæ fronduit. Propitiatorium intellige de quo ait Apoſtolus, Hebr. 9. 4. Quoniam [ipſum eſt propitiatio pro peccatis noſtris.] 1. Ioan. 2. 2. Duo Cherubim duo teſtamenta ſignificant. Cherubim namque interpretatur ſcientiæ C plenitudo, & ſcientiæ plenitudo in teſtamentis eſt. Bene ergo Cherubim propitiatorium, verſis ad ſe vultibus reſpiciunt, teguntque Chriſtum, quem teſtamenta concorditer prædicant, figuris & ænigmatibus velant. Vrna aurea beata eſt Maria, aurea per excellentiam vitæ; aurea per integritatem, & puritatem; aurea per plenitudinem gratiæ. Hæc vrna manna reconditum habuit, quæ panem Angelorum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, ſacroſancto geſſit in vtero. Virga vero dicitur, vtpote gratioſa, & recta, ſubtilis, & porrecta. Gratioſa per verecundiam & formoſitatem; recta per iudicium & æquitatem; ſubtilis per contemplationis ingenium; Num. 17. 8. porrecta per vitæ meritum. Effloruit autem de Spiritu ſancto, ſicut virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum, iſta & optimum protulit amygdalum, habentem nucleum & teſtam. Nucleum, vt reficiat; teſtam, vt contegat. Nucleum in diuinitate; D teſtam in humanitate. Vis noſſe nucleum? Audi, quia Ioan. 1. 1. in principio erat Verbum. Teſtam noſſe deſideras? Audi, quia [verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.] Ioan. 1. 14. Vides ergo, quia nucleus in teſta verbum eſt incarnatum. Et quoniam teſta etiam corticem habet, corticem intellige in carnis amaritudine, teſtam in reſurrectione, nucleum in deitate. Cortice Chriſtus nos ſanat, teſta corroborat, nucleo paſtum æternum adminiſtrat. Hoc nucleum, hoc verbum inter vtrumque nos illuminet, Cant. 3. 4. & vſque in cubiculum genitricis ſuæ nos introducat, quod viuit & regnat cum eodem Deo Patre in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

HOMILIA SECVNDA, DE IVSTIFICAtione, vel ornatu Mariæ Virginis.

Quia ſemel annuente Deo beatiſſimæ virginis laudes exorſi ſumus, reſtat, vt eiuſdem præconia medullis cordis, & vocis officio perſoluamus. Intendamus gloriæ eius, & ingreſſi abyſſum tanti luminis, ſplendorem E rutilum ſemitarum illius dilatato corde & inenarrabili percurramus lætitia, dicentes cum Salomone. [Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ.] Prou. 3. 17. Quod ſi dicente eodem Propheta, [Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem;] Prou. 4. 18. quis lucem & ſplendorem ſemitarum eius eloqui ſufficiet? Harum tamen proceſſus & incrementa viarum partim explicare conabimur, vt in gradibus ſuis glorioſa dignoſcatur, & per ſingulos gradus ſuos pronuncietur.

Habuit enim diſtinctos gradus & incrementa diuiſa, vt pulcherrimo caſtitatis ordine incederet, & de virtute in virtutem proficiens, Pſal. 83. 8. videret Deum deorum in Sion, tranſlata à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu. 2. Cor. 3. 18. Primo itaque omnium virtutum decore meruit ornari. Secundo Spiritui ſancto fœdere maritali copulata eſt. Tertio mater inuenta eſt Saluatoris. Quarto animam eius pertranſiuit gladius, & carne ſumpta de carne eius, F mundi perditi ruina reparatur. Quinto exultat in filio reſurgente, & aſcendente ſuper cœlos cœlorum ad Patris dexteram. Sexto de hoc ſæculo rapitur, & occurrente ſibi Domino ſupra cœligenas omnes collocatur. Septimo demum perficietur, cum plenitudo gentium introierit, & omnis Iſraël ſaluus erit. Rom. 11. 25. Gaudet enim vltra quam dici aut credi fas eſt de communi electorum ſalute, ſciens, quod propter eos Dei filius carnem ſuſcepit ex ea. Hebr. 11. 40. Tunc ergo perficietur, Deo melius prouidente, ne ſine nobis conſummarentur.

Iam vero nomina ipſorum graduum conſideremus. Primus dici poteſt iuſtificatio, vel ornatus. Secundus copulatio, vel fœderatio. Tertius virginis partus, aut noua progenies. Quartus mentis robur, ſiue martyrium. Quintus gaudium, vel admiratio. Sextus aſſumptio, vel exaltatio. Septimus plenitudo, ſeu perfectio. Prædicta iuſtificatio, vel ornatus procedit ex timore Dei. Copula quoque talis & fœderatio, ex incredibili pietate prouenit. Nam Virginis partus & noua ſoboles lumen ſcientiæ effudit vniuerſitati. G Opus fortitudinis Chriſto moriente, & matre aſpiciente exhibitum eſt. Eodem vero reſurgente, profundiſſimum & inſcrutabile conſilium, quo hoſtem callidum decepit, & mundum redemit, in gaudium & admirationem profluxit. Inde cœlis apertis bona inuiſibilia reſerantur, & fit quoddam mirabile, vt ſicut Deus in homine, hominis paſſiones experimento didicit; ſic homo aſſumptus in Deum, Dei gloriam pleno intellectu percipiat. Demum ſapientia adducet plenitudinem & perfectionem, vt perfecta in perfecto appareat, & in plenitudine glorietur.

Repetamus quæ dicta ſunt, & eiſdem denuo gradibus commorantes, Dominum innixum ſcalæ, Angelos etiam aſcendentes & deſcendentes ad virginem contemplemur. Mirantur enim puellam caſtiſſimam matrem Domini, cœlique reginam mox futuram, & in his erumpunt vocibus admirationis, & laudis, Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata? Cant. 8. H Quid eſt dealbata, niſi albis veſtibus ornata? ornata ſcilicet ornatu decoris, & honeſtatis, iuſtitiæ, & ſanctitatis. Harum veſtium ornatu Prophetarum eximius fulgebat, cum diceret, [Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis, & corona iuſtitiæ circundedit, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.] Iſa. 61. 10. Hinc per Pſalmiſtam dicitur, [Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.] Pſal. 131. 9. Iſaias vero hortatur Hieruſalem, vt excuſſa de puluere induatur veſtimentis gloriæ ſuæ. Iſa. 52. 2. Et per exprobrationem primo Angelo dicitur, Et tu ſignaculum ſimilitudinis in paradiſo deliciarum Dei fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum tuum. Ezech. 28. 12. Sardius, topazius, iaſpis, chryſolithus, onyx, & beryllus, ſapphirus, carbunculus, & ſmaragdus. Sciendum vero, quod hæ veſtes albæ ſunt, & odoriferæ, precioſæ, & variæ. Albæ propter innocentiam, & puritatem, & lucis æternæ candorem. Odoriferæ propter fragrantiam opinionis, & bonæ famæ. Pretioſæ ob

ſui

A ſui dignitatem, & commoditatem. Variæ ad varios vſus, & qualitates diſtinctas.

Cant.c.9. De albedine iam ſupra dictum eſt. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata? Et alibi legimus, quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens pulchra vt luna, electa vt ſol?] Quaſi aurora ſurgens de tenebris ad lumen, de errore ad fidem, de mundo ad Deum, & in ortus ſui diluculo infecta murice verecundiæ, cum humilitatis venuſto pallore. [Pulchra vt luna,] quia caſta permanens in ſeculum ſeculi, ſupercœleſtis luminis illuſtratione perfunditur, & obumbratione lætatur. [Electa vt ſol.] Vbique claritas, vbique ſplendor, vbique candor veſtium deſignatur. Poſſent & alia dici de hoc candore, vt illud Domini dicentis de ſuis. Apoc.3. Ibid. [Ambulant mecum in albis, quoniam digni ſunt. Et illud, qui vicerit, veſtietur veſtibus albis. Sed breuitatis ſtudio perurgemur, iam de odore earundem veſtium verba ſponſi ſponſam laudantis epithalamio audiamus. [Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.] B Aſſerunt odore thuris dæmones effugari, lachrymas excitari, Deum lachrymis mediantibus placari. Ego vero libenter dixerim, odore virtutum ſanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine, huc illucque raptari, vt in eis impleatur, quod dictum eſt, Cant.4.11. [Fiant tanquam puluis ante faciem venti.] Odor iſte mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui regem in accubitu ſuo per virginem prouocauit, vt ad nos veniens, noſtra reciperet, ſua daret, conſtituens nobiſcum amicitias lege immobili, & pace ſempiterna. Sic itaque fragrantia veſtimentorum ſanctæ Mariæ hoſtes fugat, bonos inuitat, Deum placat.

Nam de pretioſitate earum & varietate, cum Pſalmiſta Pſ.44.3. [Specioſo formæ præ filiis hominum,] de laude ſponſæ eius loqueretur, cecinit dicens, [Aſtitit Regina Pſ.44.10. à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.] Pſ.44.14. Et paulo poſt ſubintulit, [Omnis gloria eius filiæ regis C ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.] Non ſolum autem veſtitu deaurato, & fimbriis aureis decoratur, verum etiam veſte ſtragulata, quam fecit ſibi, dicente Salomone. Prou.31.22. Et omni lapide pretioſo cooperitur. Ezec.18.11. Nulla enim gemma, nullus lapis pretioſus, nulla pretioſa margarita huic deeſt operimento, vt non iam ſimpliciter pretioſum, ſed omni pretioſitate pretioſum iure appellari queat. Nam ſicut vna pretioſitas momento, momenti, imo vltra omne momentum, & partem momenti diſcurrens, multas efficit pretioſitates, ſic multæ in vnam conueniunt, vt vnius participatione in vna ſint vnum. Et hæc pretioſitas eſt charitas, veſtis ſcilicet nuptialis, veſtis non habens maculam, aut rugam, veſtis impartibilis, inconſutilis, deſuper contexta per totum. Qua, per quam, & in qua ſunt omnia chara, quæcunque chara ſunt; omnia bona, quæcunque bona ſunt. Et ipſa ſunt vnum in vnitate, idem in deitate, ſimplum in ſimplicitate. In toto totum obtinent, & de toto gaudent, D ſepoſita ab omni diminutione, & duplicitate, & numeroſitate.

His dictis de pretioſitate ornamentorum; de varietate, cuius ſuperius exempla poſuimus, diſſeramus. Huius duæ ſunt ſpecies, vna in coloribus, alia in vſibus. Item quæ in coloribus conſiſtit, diuiditur in albedinem & nigredinem, in ruborem & viriditatem. Hos principales colores aſſerunt, & hi maximè exornant præfatam veſtem. Viret enim vt oliua vel laurus, & vt iris virens in nubibus. Viret in fide & ſpe æternorum, in obedientia mandatorum, in contemplatione æternæ viriditatis, & virore æternitatis. Rubet vero vt ſphæra ignea, vt regis purpura, vt coccus bis tinctus, præferens amorem Dei & proximi. Fuligo eius vt cornu, & vt elatæ palmarum, aut certè velut ebur intinctum, & vt cœli ſerenitas in mediis noctibus. Color iſte in fundamento ponitur, & cæteris coloribus ſubſternitur, vt nobis innuat virtutem humilitatis in fundamento poni debere. Si candorem quærimus, candet perpetua virginitate, & perfecta puritate. Decoris quoque ſuauitate fortem rhinocerotem inclinat, Deum maieſtatis inuitat. E Alia multa de varietate & ſignificatione colorum à ſpiritalibus ſpiritaliter inueniri poſſunt.

Verum varietas, quæ vſibus accommoda deſeruit, multis & ipſa refulget ſpeciebus. Alia namque ornamenta illud caput altiſſimum, collumque benè ornant & velant. Alia crines & aures; Alia pectus & brachia; Alia manus & digitos. Quædam totum corpus induunt; quædam lumbos accingunt, quædam pedes muniunt. Caput eius mens eius dicitur. Nam ſicut caput regit membra corporis, ita mens ſenſus animæ regit, & moderatur. In collo, quod cæteris membris eminet, & vitalem gratiam capitis artubus ſubminiſtrat, altitudo illius exprimitur, qua præſidens membris Eccleſiæ, caput ſuo connectit corpori, quia Chriſtum coniungit Eccleſiæ, & vitam quam primo loco ſuſcipit, reliquis membris infundit. Rom.5.18. Decebat enim vt ſicut per fœminam mors, ſic per fœminam vita intraret in orbem terrarum. F Et ſicut in Eua omnes moriebantur, ita in Maria omnes reſurgerent. 1.Cor.15.22. Illa male credula verbis ſerpentis, mortis venenum miſcuerat. Gen.3.15. Hæc conterens caput ſerpentis, antidotum vitæ cunctis miniſtrauit, vt mortem occideret, & vitam repararet. Crines capitis ſunt cogitationes cordis, aures auditus interior.

In pectore ſecretum latet, & cogitatio voluitur. Vnde hic mos inoleuit, vt rei pectora tunderent, & quaſi feriendo ſuam iniuſtitiam accuſarent. Per pectus ergo arcana illius glorioſi pectoris deſignantur, per brachia virtutes operum, per manus ipſa opera, per digitos operum diuiſiones. Corpus eius operum eius indiuiſa connexio: Lumbi voluntates eius. Pedes affectus illius ſunt, quibus ingreſſa ſemitas æquitatis, præclara veſtigia poſteris dereliquit. Hi pedes calciantur † eximis mortuorum animalium, quia exemplis præcedentium patrum muniuntur. († *lego exuuiis.*) Lumbi præcinguntur præcinctorio fidei, & cingulo iuſtitiæ. Corpus induitur amictu illo, de quo Apoſt. ait: Gal.3.27. [Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.] G Qui nos hortatur, vt induamur nouum hominem, Eph.4.24. qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Hier.31.22. Vide homo, & obſtupeſce ad tantam nouitatem cum Ieremias dicat, nouum faciet Dominus ſuper terram, mulier ſola circumdabit virum. Eadem, quæ circumdedit, circumdata eſt; circumdans carnem, circumdata eſt à ſpiritu; circumdans virum nouum, circumdata eſt ab homine nouo; circumdans & generans, circumdata eſt, & regenerata; generans in forma humanitatis, regenerata in forma nouitatis.

Tranſeamus ad reliqua, Annuli ornant digitos, quia ſingula opera eius fide & dilectione clareſcunt. Annulus enim ſignificat fidem, & caſtam dilectionem. Cant.5.14. Manus enim tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Tornatiles propter perfectionem operis, aureæ propter fulgorem ſapientiæ, plenæ hyacinthis propter puram & feruidam intentionem. Hyacinthus quippe cæruleus & rubeus, lucidum, & feruens opus demonſtrat.

H Brachia eius illo ſunt impreſſa ſignaculo, de quo Cant.8.6. ſponſus ait in canticis, [Pone me ſignaculum ſuper brachium tuum.] Aut certè eius dexteram operit ignea lux, & ſiniſtra rutilat purpura dominicæ paſſionis. Auribus dependent inaures obedientiæ: Crines ligat vita diſciplinæ: Pectus exornant monilia mundiſſimarum, & lucidiſſimarum cogitationum: Torques aureus additur collo eius. Hoc ſoliti ſunt ſecundi in regnis coronari, & hæc eſt ſecunda corona. Prima namque præfulget in terribili capite dominatoris vniuerſæ terræ. Secunda cecidit in ſorte matris eius. Ipſa enim ſingularis regnat in regno Dei, & Chriſti; dehinc ſub illa, & poſt illam ſancti altiſſimi. Caput eius virginitatis gloria obumbratur, & charitatis coccino velatur. Benedictio Domini ſuper illud, & benedictione omnium gentium repletur.

Coronatur etiam coronis omnium populorum, & exultatione cunctorum promouetur. Cerne in decore diadematis eius ſanctorum concentum, vibratum à repercuſſo lumine; cerne ſculptos lapides, gemmas

A vernantes, ſtellas coruſcantes, Patriarchas expectantes, Prophetas præmonſtrantes, Apoſtolos comitantes, Martyres triumphantes, Confeſſores & virgines exultantes. Corona illa rubet roſis, liliis albeſcit, palleſcit violis, viret laureis, palmis denſatur, oleis impinguatur, omni fructu repleta, omni ſuauitate referta. Hæc nos dilectiſſimi de iuſtificatione virginis, vel ornatu dixiſſe ſufficiat. Supereſt, vt eius ſacra manuductione ad pertractanda profundiora & ſecretiora myſteria in viſione Domini præparemur. Amen.

HOMILIA TERTIA DE INCARNATIONE Chriſti, & Virginis Conceptione de Spiritu ſancto.

Domine audiuimus opera tua, & expauimus, conſiderauimus mirabilia tua & defecimus. Deſcendente verbo tuo, cor noſtrum liquefactum eſt, & omnia interiora
Sap.18.14. noſtra contremiſcentia patuerunt illi. Nam [dum me-
B dium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de regalibus ſedibus venit. Effudiſti enim Pater viſcera charitatis tuæ ſuper nos, & multitudinem miſerationum tuarum vltra cohibere non potuiſti. Effudiſti lucem in tenebris, rorem in ſiccitate, & in magno gelu ignem vehementiſſimum accendiſti. Ideo apparuit nobis filius tuus vt copia ciborum, imminente fame grauiſſima, & vt fons aquæ viuæ animæ laboranti, & deficienti præ ſiti in æſtu. Aut certè ſicut apparere ſolet fortis adiutor, & liberator obſeſſis, iamiamque ruituris in prælio, quibus mors intentatur præ oculis, hoſtili gladio comminante, & armata dextra ſitiente cruorem. Sic ille nobis apparuit, & factus eſt in ſalutem. Verumtamen ſalutis noſtræ exordia repetere, & incarnationem eius retractare, recolere vnde venerit, qualiter deſcenderit, vbi & quomodo conceptus fuerit, optimum, ac ſaluberrimum eſt. Modo vero conceptionis extremum ponimus, vt exequentes propoſitum no-
C ſtrum, illam ineffabilem coniunctionem, qua de Spiritu ſancto B. Mariæ venter efflotuit, latius in fine diſſeramus.

Licet enim ſit ineffabilis, multa tamen iucunditas, mira & ſtupenda ſuauitas vberrim elici poteſt. Illic enim eſt ſumma noſtræ fidei, illic honor ſubſtantiæ, radix vitæ, lumen ſcientiæ, amoris vinculum indiſſolubile, & patens aditus ad æterna. Sed iam occurrat nobis beatus
Pſal.18.7. Dauid, & dicat vnde venerit. [A ſummo cœlo egreſſio eius.] Quid eſt à ſummo cœlo? A Deo, qui eſt ſumma eſſentia, ſummum bonum, ſumma beatitudo. Summa eſſentia eſt, quæ nec loco circumſcribitur, nec mutabilitate mouetur, nec tempore clauditur; ſed omnia loca maieſtatis immenſitate circumſcribit, omnia mutabilia mouet propria immobilitate, claudit cuncta tempora æternitatis infinitate. Summum bonum eſt eadem eſſentia, non ex alio eſſentia, ex alio bonum, non ſolum per dictam immenſitatem, immutabilitatem, & æternita-
D tem; verum etiam propter æternam largitatem creationis, quam parturiuit in tempore; & infinitam ſapientiam, qua antequam quicquam eſſet, cuncta diſpoſuit in æternitate; & amorem ineffabilem, quo opus ſuum complectebatur, antequam produceretur in creationem. Iterum ſumma beatitudo conſiſtit in ſummo bono, ſuique adeptione efficit verè beatos. Eius namque participatione vita æterna acquiritur, perfecta ſapientia tribuitur amoris plenitudo poſſidetur; vt plena ſinceritas ſit in æternitate vitæ, plena iucunditas in lumine ſapientiæ, plena ſuauitas in amoris dulcedine. Hæc de ſumma eſſentia, ſummo bono, & ſumma beatitudine diximus, vt interluceret nobis ſummum cœlum, de quo venit Chriſtus.

Sed quia hoc ſummum cœlum Pater, hoc ſummum cœlum verbum, hoc ſummum cœlum Spiritus ſanctus: Venit Chriſtus à Patre, venit etiam quodammodo à verbo, venit à Spiritu ſancto. Qualiter vero venit à Patre qui nunquam reliquit Patrem? Qualiter à verbo, qui nunquam verbum eſſe deſtitit? Qualiter à Spiritu ſancto, cum Spiritus ſanctus à Patre, & ab ipſo procedat?

E Difficilis eſt hæc quæſtio, & multa indiget profunditate. Et quis erit nobis progreſſus ad hæc ſancta Dei? Quo ordine iter aggreſſum conſequemur? Ecce condenſa nebula, nubeſque lucidiſſima itinera noſtra præpediunt. Aqua illa, quam vidit egredientem de templo ſancto Ezech.47.3.& ſeq.
Ezechiel, non ſolum talos & genua, verum renes & collum operiens diffunditur ſuper nos, ne tranſuadare poſſimus. Adeſt tamen ille in quo ſperamus, in quo ab adoleſcentia confidere edocti ſumus, qui effundat animas noſtras, & leuet nos ſuper nos, ponens pedes noſtros Pſ.17.34.
quaſi ceruorum, vt educat nos ſuper excelſa noſtra, ſtatuens nobis ſpecula in monte cum Moyſe & Helia, qua- Mat.17.3.
tenus quod quærimus reuelata facie contemplari poſſi- 2.Cor.3.18.
mus. Ibi oſtendetur omne bonum, ibi plenius de viſione Domini erudiemur.

Quod ſi voluerimus accedere ad caliginem, in qua ipſe eſt, ingreſſi medium nebulæ, & permoti gloria tantæ maieſtatis, perterriti etiam magnitudine illius infini- F
tatis, non ſubſiſtemus, & erimus quaſi nihil. Deus enim 1.Tim.6.16.
lucem inhabitat inacceſſibilem, cuius ignis ſicut ſtipulam carnes deuorat, cuius faciem nemo videre poteſt, & viuere; ad cuius abyſſum indagandam Angeli non ſufficiunt, ad quem nulla poteſtas aſpirat, præter illam quæ in vnitate perſonæ copulata eſt. Demus itaque gloriam Deo, & cadentes in facies noſtras, adoremus à longè veſtigia Trinitatis, credentes corde, & confitentes ore, quia quicquid de ipſo ſenſerimus, aut dixerimus, ſub ipſo eſt.

Hac fide præmuniti, ad ſoluendam quæſtionem propoſitam redeamus. Chriſtus venit à Patre, venit à verbo, venit à Spiritu ſancto, quando tota Trinitas conceptionem & humanationem illius operata eſt. Nihil enim aliud fuit a ſumma Trinitate venire, quam operante eadem Trinitate concipi & humanari. Ideo dictum eſt, [A Pſ.18.7.
ſummo cœlo egreſſio eius.] Venit etiam vnigenitus à Patre, & à ſe, ſecundum alterius modi intelligentiam. Venit & a Spiritu ſancto. Aliter tamen à Patre, & à ſe ali- G
ter à Spiritu ſancto. A Patre namque genitus æternaliter, ex matre prodiit genitus temporaliter, apud patrem manens inuiſibiliter, & cum hominibus viſibiliter conuerſatus. Hoc enim fuit illi egredi à Patre, quod tempora noſtra ſuſcipere, quod foris viſibiliter apparere, & fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod vero dictu mirabile eſt, iſte venit ab eo, à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat, vt ſine interuallo totus eſſet in æternitate, totus in tempore, totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine, totus in ſua, & Patris maieſtate, quando totus in noſtra humanitate. Si quæris, quomodo? collige veritatem ex imagine. Verbum in corde genitum, aliquando integrè exit in voce, vt perfecte ad alios veniat, & totum in corde remaneat. Sic verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exiit, & Patrem non reliquit. Venit etiam verbum à ſe,
deſcenditque ſub ſe, quando caro factum eſt, & habi- Ioan.1.14.
tauit in nobis, quando ſemetipſum exinaniuit, formam H
ſerui accipiens. Illa exinanitio eius deſcenſio fuit. Ita ta- Philip.2.7.
men deſcendit, vt ſibi non deeſſet. Ita caro factum eſt, vt verbum eſſe non deſineret, nec minuit gloriam maieſtatis, humanitatis aſſumptio.

Secundum quoque qualiter à Spiritu ſancto venerit, cum Spiritus ſanctus ab illo procedat. Procedit quidem ab illo Spiritus ſanctus æterna proceſſione, ſed ille natus ex Maria Virgine, venit de Spiritu ſancto temporali conceptione. De æterna proceſſione Spiritus per Pſalmiſtam dixit, [Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris
eius omnis virtus eorum.] Verbum Patris os Domini Pſ.32.6.
nominauit. In quo ſemel Dominus nobis locutus eſt. Spiritum oris Spiritum ſanctum appellauit, dictum ſpiritum oris, quod ab ore procedat. Nam quod verbum de Spiritu ſancto venerit, ſic habes in Abacuc,
[Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pha- Abac.3.3
ran.] Per auſtrum in quo eſt vitalis calor, virtuſque genitiua, Spiritus deſignatur, qui confert vitæ nouitatem, faciens oriri germina virtutum. Et licet beatus Hieronymus, quem ſequi cupimus montem

A Pharan Patrem appellarit, non incongruè tamen monte Pharan idem Dominus ſignificatur: Mons dictus propter excellentiam charitatis; Pharan, propter gratiarum diuiſionem. Pharan quippe interpretatur diuiſio. Et Spiritus Domini dona ſua ſingulis prout vult diuidit. Venit ergo Deus ab auſtro, quia de calore viuificante, & regenerante conceptus eſt. Venit de monte Pharan, quia de ineffabili celſitudine diuiſionis chariſmatum emanante profluxit.
Dan. 2. 34. Dic nobis ſancte Daniel, qualiter de hoc monte deſcenderit. [Præciſus eſt, ait, de monte lapis ſine manibus.] Quis lapis? Lapis quem
1. Pet. 2. 7. reprobauerunt ædificantes. Lapis angularis, lapis quem
Ephеſ. 2. 20. Gen. 28. 18. vnxit Iacob, lapis in quo ſunt ſeptem oculi, hic præciſus eſt de monte ſine manibus; quia virgo ſacra ſuſcepit
Apoc. 5. 6. eum non ab homine, neque per hominem, ſed de Spiritu ſancto.

Pſ. 71. 6. Dic etiam nobis beate Dauid modum deſcenſionis eius. [Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.] B Prius dicendum eſt, quod hoc vellus, quæ terra, de hinc qualiter pluuia deſcendit in vellus, & qualiter ſtillicidia ſtillant ſuper terram. Vellus cum ſit de carne, exereſcit extra carnem, & carnis paſſiones ignorat. Attactu leni, colore humili, manſuetudinem & humilitatem denunciat. Formæ etiam habilitate, ſimplicitatis & innocentiæ gerit iudicium, & naturali velamine membrorum fouet teneritudinem. Deſignat autem glorioſam virginem, quæ in carne degens, extulit ſe extra carnem, & carnis paſſiones mactauit robore Spiritus. Nam manſuetudine, & humilitate nulli ſimilis extitiſſe dignoſcitur. Simplicitatem eius, & innocentiam dicere nullus ſufficiet. Charitatem, qua humanum genus inceſſanter protegit, & fouet, mentis intelligentia non comprehendit. Porro præfata terra eandem virginem demonſtrat, terræ nomine appellatam, propter quandam ſimilitudinem.
Gen. 2. 7. Sicut enim vetus Adam de terra incorrupta, nullumque
C paſſa contagium formatus eſt, ſic terris terra virgo nouum Adam procreauit.

Pſ. 84. 12. Si non credis mihi prædicanti ortum noui hominis de terra, crede Pſalmiſtæ dicenti, [Veritas de terra orta eſt.] Quæ maior nouitas, quam vt oriatur de terra ille, qui eſt veritas? Crede etiam tubæ ductili Iſaiæ
Pſ. 45. 8. producentis gracilem, & ſuauem admodum ſonum, ac dicentis, [Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iu-
Iſa. 4. 8. ſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.] Qui iterum dixit, [Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis.] Germen Domini in magnificentia & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu ſancto, & ortum de radice Ieſſe in ſummitate
Iſa. 11. 1. virgæ totum effloruit, immo flos fuit. [Et requieuit ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & repleuit eum ſpiritus timoris Domini.] Fructus vero terræ ſublimis fuit, quia benedictus fru-
D ctus Mariæ diuinitatis celſitudine meruit ſublimari. Hæc idcirco diximus, vt terræ nomine Mariam intelligi debere monſtraremus.

Reſtat diſſerere, qualiter pluuia deſcendat in vellus qualiterve ſtillicidia profluant ſuper terram. Pluuia deſcendit in vellus abſque ſtrepitu, ſine motu, ſine vlla ſciſſione, aut diuiſione. Leniter infunditur, tranquille ſuſcipitur, ſuauiter bibitur. Sic ſtillicidia ſenſim & paulatim infundunt terram tam mirabili decurſu, tantaque ſubtilitate, vt in introitu vix pateant, & in exitu germina producant. Ita imber veniens de vltra ſuper cœleſtes aquas, deſcendit in gremium virginis, ſine humano opere, abſque motu concupiſcentiæ, ſalua integritate, & clauſtris virgineis obſeratis leniter infuſus eſt, tranquille ſuſceptus, incarnatus ineffabiliter. Stillauit quoque ſuper terram eius, in introitu non comparens, & in exitu prodiens manifeſtè. Sunt ad hæc tantæ rei aliæ ſimilitudines. Enimvero vt claritas ſolis vitrum abſque læſione penetrat, & vt radius oculorum tranquillo, & claro liquori ſine ſciſſione, & diuiſione immergitur; vt vſque ad fundum vniuerſa rimetur, ſic

E Dei verbum adiit virgineum habitaculum, & inde prodit clauſo virginis vtero. Quippe qui facilè poſſet extra virginem corpus creare de nihilo; facile potuit corpus acceptum de virgine, extra ſine carnis ſciſſione traiicere. Neque enim legi naturæ ſe ſubdidit, ſed legem naturæ ſubdidit ſibi.

Ecce diximus qualiter deſcenderit Dei verbum. Vbi namque deſcenderit, ſimili modo manifeſtum eſt, quia deſcendit in vterum virginis, vterum impollutum, immaculatum, conſecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni noſtræ copulatum, naturæ aſſociatum, impleuit ſacratiſſimum, & ſecretiſſimum ſacramentum, vt eſſent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur. Factus eſt ergo Deus inuiſibilis, homo viſibilis. Impaſſibilis & immortalis, paſſibilem ſe & mortalem exhibuit. Incircumſcriptus, lineis noſtræ ſubſtantiæ circumſcribi voluit. Clauditur aluo puerperæ, cuius immenſitas claudit ambitum cœli & terræ; & quem cœli cœlorum non continent, Mariæ viſcera complectun-
F tur. Si quæris, quomodo factum eſt iſtud, audi ſummum Angelum exponentem Mariæ ordinem rei, & dicentem ei, [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Luc. 1.
altiſſimi obumbrabit tibi.] Gaude ergo, & lætare Ma- 35.
ria quia concipies de ſpiramine; gaude, quia inuenta eris habens in vtero de Spiritu ſancto. Deſponſata qui- Luc. 1.
dem eras Ioſeph, ſed a Spiritu ſancto præuenta. Ille 27.
qui te creauit, ſignauit, & aſſignauit te ſibi; plaſmator tuus ipſe factus eſt ſponſus tuus, factus eſt amator formæ tuæ, qui plaſmator ipſe te vocat dicens, veni Cant. 2.
amica mea, formoſa mea, columba mea, iam enim 10.
hiems abiit, & receſſit. Veni. Ille decorem tuum concupiuit, & tibi coniungi deſiderat. Impatiens moræ, ad te venire feſtinat.

Surge ergo, induere veſtimentum gloriæ tuæ, ornare pretioſiſſimis ornamentis tuis, quia complacuit Domino in te. Surge in occurſum ſponſi tui, & Dei tui,
G & dic ei. [Ecce ancilla Domini.] Feſtina, noli tarda- Luc. 1. 38.
re, quia ille non tardabit, ſed exultabit vt gigas ad cur- Pſ. 18. 6.
rendam viam. Feſtina & tu, obliuiſcere populum tuum, Pſ. 44. 11.
& domum patris tui, currens obuiam ei, vt oſculeris oſculo oris eius, eiuſque beatiſſimis immiſcearis am-
plexibus. Egredere, quia iam thalamus collocatus eſt, Cant. 1.
& ſponſus veniet tibi, veniet tibi Spiritus ſanctus. Ille ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi
ſubito. Dum vero ſperas, dum damna dilationis de- Luc. 1.
ploras, & dilecti turbaris abſentia; velox & improuiſus 35.
ſuperueniet in te, vt inopinato perfruaris gaudio, & noua lætitia perfundaris. Superueniet non ſolum tibi, ſed in te, vt propius reuiſat te, & inſpiret tuam gratiſſimam dilectionem, inſinuans tibi intima aſperſione verbum bonum, verbum plenum congratulationis & admirationis, plenum conſilij, plenum gaudij, plenum ſalutis.

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, vt à tactu eius
H venter tuus contremiſcat, vterus intumeſcat; gaudeat animus, floreat aluus. Macta, id eſt magis aucta, quæ tantâ ſuauitate perfrueris, tam cœleſti oſculo dignaberis, tali ſponſo coniungeris, à tali marito fœcundaberis. [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.] In alios ſanctorum venit, in alios veniet, ſed in te ſuperueniet, quia præ omnibus, & ſuper omnes elegit te, vt ſuperes vniuerſos, qui ante te fuere, vel poſt te futuri ſunt, pleni-
tudine gratiæ. Impleuit quidem Abel tanta innocen- Gen. 4. 8.
tia, vt innocens manibus & mitis corde, de manu fratris necem ſuſciperet. Tua vero innocentia millia no-
centium innocentiæ reddidit, & ſaluti. Tranſtulit Gen. 5.
Enoch, ſed caro, quam generabis; cum aſſumpta fuerit 24.
de terra, omnia trahet ad ſe. Impleuit Abraham fide, & Gen. 17.
obedientia profutura poſteritati, ſed fide tua, & obedien- 1.
tia mundus ſaluatus gratias agit. Impleuit Moſen, & Exod. 19.
legis, non gratiæ latorem inſtituit, tibi autem tribuens & 20.
non ſolum legis latorem, ſed gratiæ & gloriæ largi-
torem. Aſciuit Dauid in Prophetam & Regem, ſed ille 1. Reg. 16. 1.
tibi ſcribit, & filium tuum Dominum ſuum nomi- & 12.
nat. Quid plura memorem? Omnes ſuperas, præces Pſ. 109. 1.

vniuerſis

A vniuerſis non ſolum hominibus, ſed & ſummis cœlorum virtutibus.

Hinc eſt, quod glorioſius præ illis nomen hereditabis: Nam cum alius dicatur Angelus Dei, alius Propheta, alius præco, & quiſque ſuo cenſeatur nomine, pro ordine, & dignitate; tu ſingulari & ſpeciali nomine appellaberis Mater Dei. Et ideo mater ſalutis, mater gratiæ, mater miſericordiæ [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,] ſuperueniet in vbertate, in affluentia, in plenitudine, & in effuſione carnis & animæ. Cumque repleuerit te, erit adhuc ſuper te, & ſuper aquas tuas feretur, facturus in (Gen. 1.2.) te quoddam melius, & mirabilius, quam cum ferebatur ſuper aquas à principio, vt materia creationis in diſtinctionem, formamque produceret. [Et virtus altiſſimi obumbrauit tibi,] obumbrabit tibi Chriſtus Dei virtus & ſapientia. Ille humanam ex te naturà ſuſcipiet, & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non poſſes, habebit in carnis ſuſceptione Obumbrabit ergo tibi, quia luci ſe inacceſſibili aſſumpta à verbo humanitas obiiciet, cuius

B obiectu lux illa temperata, caſtiſſima viſcera tua perfundet.

Libet chariſſimi in tanta ſolemnitate gaudiorum adhuc pauliſper immorari, & de præfata conceptione aliquid quærere; libet ipſum diuinum agalma, ipſum pretioſiſſimum, & ſanctiſſimum vas, in quo Dei verbum conceptum eſt, apoſtrophando interrogare. Rogamus ergo Domina, Dei mater digniſſima, non aſperneris petentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulſantes cum charitate; rogamus, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus ſtimulis agitabaris, cum hæc fierent in te, & verbum carnem ſuſciperet ex te? Vbi erat anima (Exod. 3. 2.) tua, vbi cor, vbi mens, vbi ſenſus, vbi ratio? Ardebas vt rubus, qui olim oſtenſus eſt Moſi, & non comburebaris, liquefiebas, & non conſumebaris. Ardebas liquefacta ſupernis ignibus, liquefacta in igne, vires reſumebas ab igne, vt ſemper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminoſus vnctionem præbuit, vnctio ſemen ſanctum præſtitit. In quo re-

C promiſſum eſt Abrahæ, quod in eo benedicerentur omnes gentes. Hæſiſti enim Virgo pulcherrima ſtrictis amplexibus auctori pulchritudinis, & effecta plus Virgo (Luc. 1. 28. & 21.) immo plus quam Virgo, quia Mater & Virgo, hoc ſacroſanctum ſemen deifica infuſione ſuſcepiſti, [Aue igitur gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.] Ieſus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA QVARTA, DE PARTVS Virginis, ſeu Chriſti Natiuitate.

HEri, dilectiſſimi, ſermo noſter habitus de copula Spiritali, & conceptu Virgineo, ad partum feſtinat, vt quam de Spiritu ſancto concepiſſe cognouimus, Deum verum & hominem genuiſſe profiteamur. Enixa eſt enim puerpera Dei filium, vt mira dignatione, mira

D & incredibili pietate Deus ad corpus, deſcenderet, & aſſumpta carne deſtitutos filios Adæ viſitaret. Factus eſt (*Athanaſ. in Symb.*) ergo Dei filius hominis filius, vt in vnitate perſonæ Deus eſſet & homo; Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus. Exultauit itaque gigas geminæ ſubſtantiæ, modulatis vocibus ex tinnulis ſuauiſſimis in cithara corporis decantare, & in carnis organo compacto dulciſſimos ſonos edere, & ineffabili concordia reſonare; vt lapides ſuſcitaret, ligna commoueret, feras traheret, homines abſtractos à carne educeret in ſublime. Nam ſuauitate mirificæ cantilenæ ſuſcitauit de lapidibus filios Abrahæ, & ligna ſyluarum, id eſt corda Gentilium ad fidem commouit. Feras quoque, id eſt feros motus & incultam barbariem moraliter compoſuit, & homines ab hominibus edoctos in numerum deorum inſtituit. Bene autem Dauid, cuius voces reſonant in extrema terræ, cantoris officio perfunctus eſt, quia de ſemine eius magnus ille præceptor erat naſciturus.

Sed iam qualiter eum beata Virgo peperit, aduer-

E tamus. Peperit eum ſalua virginitate, quia ſaluo pudore concepit. Peperit inuiolata, quia illibata ſuſcepit. Et quia in delictis non concepit, abſque dolore peperit, nullum habens in conceptione contagium, nullum paſſa in partu diſcidium. Si enim, quod nefas eſt cogitare, in carnis voluptate conciperet, procul dubio in partu doleret, dicente ſcriptura. Voluptas pœnam habet. Vnde prima parens omiſſo vero & æterno gaudio, quo poterat in Dei ſui amore & contemplatione perfrui fluxa carnis voluptate reſoluta corruit, & per intemperantiam ignominioſam damna paſſionum, & diræ mortis aculeos tolerauit. Hinc eſt, quod vſque hodie Euæ filiæ in dolore pariunt, & quod cum dulcedine excipiunt, in magna carnis amaritudine profundunt. Non ſolum autem illæ, ſed & omnes filij Adam, qui in carne delectantur, carne cruciantur, vt inde cruciati, vnde delectati; ſentiant ex verbere, quid præſumpſerint ex delectatione, & diſcant carnem non amare, nec carnis deſideria perficere. Qui (Gal. 6.8.) enim in carne ſeminauerit, dicente Apoſtolo, de carne metet corruptionem.

F Porro Dei Genitrix nec in carne delectata, nec carne cruciata, & in conceptione virginior, & in partu extitit ſanior, obſtetricante illa manu, de qua per Pſalmiſtam Deo dicitur, [Fiat manus tua, vt ſaluet me.] Manus (Pſal. 118. 173.) quippe Dei, vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit ſæcula. Hæc manus facta, quando incarnata non ſolum nullum vulnus inflixit, verum atteſtante Propheta, lan- (Iſa. 53. 4.) guores noſtros ipſa tulit, & dolores noſtros ipſa portauit. Plane manus iſta plena remediis, plena medicinis, ſanauit omnem languorem, morbos expulit & mortuos

G ſuſcitauit. Inferni clauſtra diſſipauit, fortem ligauit, & vaſa eius diripuit, & ſpiritum charitatis ſuorum cordibus infudit. Manus iſta ſoluit compeditos, illuminat cœcos, erigit eliſos, diligit iuſtos, cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipit. Tentatos eripit à tentatione, dolentes reficit conſolatione, mœſtis reportat lætitiam, laborantes ſub vmbra ſua protegit, meditantibus leges ſcribit, orantium corda tangit, & benedicit, vt attactu confirmentur, in benedictione amore proficiant, & perſeuerent in opere, dehinc ad patriam reducit, & ad Patrem perducit. Ideo enim caro facta eſt, vt carne carnem traheret, & carni coniungens carnem, glutino charitatis ad Dei inuiſibilia, & inuiſibilem Patrem omnipotentem ouem erraticam reportaret. Nam quia relicto Deo illa in carne cecidit, neceſſe fuit, vt huius incarnatæ manus miniſterio, quaſi quodam vehiculo, ad Patrem ſubleuata rediret. Hac igitur obſtetricante manu, Maria non ſolum non doluit, verum etiam in partu Virgo fuit. Hæc eſt illa ianua, de qua in Ezechielis volumi- (Ezech. 44. 2.) ne legimus. Porta iſta clauſa erit principi, & per eam princeps egredietur. Per hanc nimirum princeps regum terræ Chriſtus egreſſus eſt, quam ſicut in ingreſſu non aperuit, ſic in egreſſu non patefecit. Pertranſiit in pace, & ſemita eius non apparuit. Et ſi miraris clauſo vtero Mariæ, ſignatoque Virginali pudicitia Deum natum,

H mirare quod clauſo, obſeratoque aditu ſepulchri ad ſuperos rediit, & clauſis ianuis ad diſcipulos introiuit. Non enim tollimus admirationem, ſed incredulitatem arcemus.

Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, & vniuerſa opera eius mirari poſſunt, non inueſtigari. [Cunctæ (Eccl. 1. 8.) res difficiles,] ait Salomon, [non poteſt eas homo explicare ſermone.] Nam vt omittam qualiter ex vno paruo grano ingens arborum ſilua oriatur, & qualiter ex Adam & Euæ ſemine, humani generis maſſa producta ſit, aliaque innumera prætercam: Quis explicet naturam cyniphis de terra? vnde alarum extenſio, & pedum deambulatio? vnde ocelli & forma capitis? vnde effigies corporis? vnde aculeus tam ſubtiliſſimus, vt ab oculis interdum euaneſcat? ita concauus, & perforatus, vt exhauſto ſanguine breuiſſimi corpuſculum animantis impleat? Si autem inquiſitione cyniphis ſuccumbit tua ratiocinatio, ô homo, erubeſce altiora te quærere, & fortiora te inueſtigare. Nam ſi teipſum, & breuem abyſſum animi tui non colligis, in infinitatem maieſtatis

qualiter

A qualiter aſcendis? Qui neſcit vſque ad primum limitem numerare, quomodo poterit de Arithmetica iudicare? Qui neſcit quid ſit punctus aut linea, eritne perfectus in Geometria? Qui neſcit ſonum edere, muſicamne poterit docere? An erit peritus Aſtronomus, neſciens quid ſit motus? Ita qui ſe ignorat, alta Dei non penetrat.

Quid eſt enim humana ſapientia diuinæ ſapientiæ comparata? Nec locum puncti, nec punctum puncti apud eam obtinet. Nam vt quoddam mirabile proferam, oculus cyniphis aliqua proportione magnitudini cœli comparari poteſt, humana vero menſura nulla proportione contingit diuinam immenſitatem. Quæ enim pars finitum infiniti? menſurabile immenſurabilis? momentaneum æterni? Aut qua multiplicatione vel numero creatura comparabitur Creatori? Si millia millium extenderis in infinitum, caſſo labore coneris, & ne vlla quidem vel extrema proportiuncula humanam ſcientiam diuinæ ſapientiæ poteris comparare. Vnde ſi Dei eſſentia contemB pletur, hominis ſubſtantia non inuenietur, atteſtante Iſ. 40. 17. Propheta, qui ait, [Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi monumentum, & inane reputatæ ſunt.] Exod. 3. 14. Et Dominus ad Moyſem, [Hæc dices filiis Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos,] Cum ſe eſſe perhibuit, ab illis eſſe remouit. Crede ergo Deo humana paruitas, imo humanum nihil, & ſuper omnipotentiſſima ſapientia ſit firmiſſima argumentatio tua. Illam præpone, illam aſſume, & de illa fac concluſionem. Credo vero quod quicunque authori ſuo perfecte adhæſerint, non arcebuntur lege naturæ, ſed ſupra naturam, cum authore naturæ ſtabilientur. Neque enim authori ſuo natura legem impoſuit, ſed author leges dedit naturæ quas voluit; & quando vult, mutat ipſas leges, ſicut quando de Ioan. 2. 9. & 9. 11. aqua vinum fecit, & de luto formauit oculos. Quando etiam ſeipſum in manibus continens diſtribuit edendum & bibendum diſcipulis ſuis, totus extra remanens, & Matt. 26. 26. 27. 28. intus edentes ſe paſcens. Sic (quod ad rem attinet) foras exiit clauſo vtero Virginis. Hæc contra incredulos, & pro incredulis dicta ſint.

Matt. 23. 37. Nec vos Iudæi intactos prætercam, qui Prophetas ad vos miſſos occidiſtis, & Dei filium, qui ſaluandis vo- C bis venerat, interemiſtis; idem poculum miſcentes Domino Prophetarum, quod & Prophetis ante miſcueratis. Matt. 21. 38. Dixiſtis enim, [hic eſt heres, venite, occidamus eum, & noſtra erit hereditas.] Immo quia heredem occidiſtis, hereditatem amiſiſtis. Nec iam veſtra dicenda eſt hereditas, quam, emenſo mille annorum ſpatio, perdidiſtis. Quare ergo dicitis nondum veniſſe Meſſiam, nondum natum Chriſtum? Aut ipſi mentimini, aut veritatem mendacem facitis, quæ loquitur in Pſalmo de Pſ. 88. 30. Dauid dicens, [Ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, Ibid. 36. 37. & thronum eius ſicut dies cœli.] Et iterum: [Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum? & teſtis in cœlo fidelis.] Rogo, vbi eſt iſta promiſſio, vbi thronus Dauid perfectus ſicut ſol in conſpectu Dei? & perſeue- Gen. 49. 10. rans ſicut dies cœli? Quod ſi veritas non fallit, nec fallitur, præſertim dicente beato Iacob, [Non auferetur D ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.] Venite ad Eccleſiam Dei, & videbitis filium & Dominum Dauid ſedentem in throno ſuo, cum poteſtate magna, & maieſtate.

Quod ſi adhuc impudice, & irrationabiliter contenditis, & dicitis Chriſtus cum venerit, regnabit gens no- Pſal. 21. 27. ſtra cum illo. Videte primitiuam Eccleſiam de gente ve- Eccl. 39. 14. ſtra. Videte fratres veſtros, qualiter regnant cum Chriſto. Ecce corda eorum viuunt in ſæculum ſæculi. Sapientiam eorum narrant populi, & laudem eorum nunciat Gen. 27. 29. omnis Eccleſia Sanctorum. Et adorant eos tribus & populi, & incuruantur ante eos filij matris eorum, id eſt, Eccleſiæ. Erubeſcite inimici Chriſti conculcari ſub pedibus eius, Pſ. 109. 1. cui à Patre dictum eſt. [Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.] & incipite fieri de membris eius, vt bibatis redemptionis ſanguinem, quem patres veſtri fuderunt in ſuam perniciem. E

Et de vobis Gentilibus, quid dicam? Caro noſtra & os noſtrum eſtis, quæ res amplius de veſtra vos reddit ſalute ſollicitos. Quare enim non creditis Chriſtum Deum eſſe? Creditis quidem illum natum, & natum ex Virgine abſque vllo peccato vixiſſe. Sed quia Deum illum eſſe non creditis, erratis perniciose, & perditiſſime delinquitis. Sed dicitis, ita credere à Propheta noſtro edocti ſumus. Si vultis ſcire, quod veſter ille Propheta pſeudo fuerit, ex verbis eius condemnamus eum, & ex ore illius ſtultitiam eius improbamus. Ille dicit Chriſtum vere de Virgine natum, abſque vllo mendacio, & abſque vllo peccato conuerſatum. Sed Chriſtus qui eius teſtimonio ſemper verax fuit, atteſtantibus Prophetis & Apoſtolis, Deum, & Dei filium ſe eſſe aperiſſime in Euangelio profeſſus eſt, ergo ille mendax fuit, qui Chriſtum Deum non eſſe perhibuit. Confugite ergo viſcera F veſtra ad Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, quia ſicut olim in diluuio præter arcam nullus inueniebatur locus ſalutis, ita nunc præter Eccleſiam Chriſti nullus eſt locus diffugij.

His omiſſis redeamus ad id de quo tractabamus, † lege partuum. & differentiam † partium Mariæ & Euæ perpendamus. Eua parit corrupta, Maria incorrupta peperit. Eua in dolore, Maria in ſalute. Eua in vetuſtate, Maria in nouitate. Iſta ſeruum, illa Dominum. Iſta reum, illa iuſtum. Iſta peccatorem, illa iuſtificantem à peccato. Euæ partus mortes multiplicat, partus Mariæ à morte ſaluat. Euæ parturienti draco inſidiatur, partui Mariæ ab Angelis miniſtratur. Euam parturientem tremor cordis occupat, parientem Mariam virtus diuina lætificat. Eua quos parit, multis exponit caſibus, quos parit Maria, ſaluat à malis omnibus. Eua pariente, abundauit malitia, pariente vero Virgine Maria, ſuperabundauit gratia. In partu Mariæ cœli lætati ſunt, & terra Matt. 2. 2. exultauit, infernus etiam commotus expauit. Cœli lætam dederunt ſtellam, irradiantem, & Angelorum glo- Luc. 2. 14. rioſum exercitum collaudantem, & dicentem, [Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] G

Luc. 2. 20. Exultans terra dedit paſtores glorificantes, & magos Matt. 2. 11. adorantes offerenteſque munera, aurum, thus, & myrrham. Ibid. 3. & 16. Infernus conturbatus dedit regem impium, & commouit in iram ſatellitem graſſantem in necem innocentum, nec miſerantem lactantibus vteris, auulſoſque ab vberibus occidentem. Ita pariente Maria, boni lætati ſunt, & mali turbati, quia ille naſcebatur, qui bonis bona redderet, & malos debita vltione feriret. Puta quando enixa eſt puerpera, faciem vniuerſitatis riſiſſe, & lætum orbem ſuo plauſiſſe Domino. Puta cœlum abſterſis nubibus induiſſe decorem, & ſidera dilucentia, adſumus, luxiſſe ei cum iucunditate. Puta noctem effudiſſe lumen in tenebris, & pro caligine miniſtraſſe ſplendorem. Nox illa dedit lumen antequam orietur, & lucem quæ ob nimium ſplendorem iubar ſolis obnubilat.

De hac nocte per Pſalmiſtam dicitur, [Nox illuminatio mea in delitiis meis.] Et conuerſus ad Dominum H dixit, [Tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.] Fulgebat aëris grata & ſerena temperies, & cuncta pacata in ordine ſuo auctorem ſuauitatis & pacis veniſſe teſtabantur. An non putas in ortu Chriſti cuncta pacata, quæ legis illo moriente cuncta turbata? illo moriente turbarentur, & naſcente non pacarentur; morientem ſuo ſenſu ſentirent, naſcentem neſcirent? Si autem illo naſcente cuncta lætata ſunt, mater eius qualiter lætabatur? Si cuncta gaudebant, illa quanto gaudio fruebatur? Aut quæ erat in genitrice lætitia, ſi ita gaudebant omnia? Lingua balbutit, cor refugit, ſenſus expaueſcit ad pondus tanti gaudij. Quomodo enim vas adhuc fragile, adhuc luteum & mortale ad tantam vim gaudiorum poterat durare? quia ille obumbrabat ei in ortu Chriſti, qui in conceptu obumbrauerat.

A ille dabat ſufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præſtabat, & quam gloria maieſtatis replebat ineffabili abundantia, virtus diuinitatis mirabili potentia continebat.

Cum igitur natum repromiſſum edidiſſet, diem ex die in noſtrum diem peperiſſet, conuerſa ad Deum toto corde, vocem gratiarum, & laudis ſuæ auditam fecit in excelſo, obtulit acceptum labiorum ſacrificium, & hoſtiam iubilationis immolauit, & dedit holocauſta cordis pacifica, & thus odoris ſuauiſſimi in incenſum Domini adoleuit. Accipiens vero natum Emmanuel aſpexit lucem incomparabiliter ſole pulchriorem, & ſenſit ignem aquis inextinguibilem. Suſcepit in teſta carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia, & verbum vniuerſa portans, portare meruit inter brachia. Repleta igitur ſcientia Domini, ſicut aquæ maris inundantes rapitur extra ſe, & mente ſurſum eleuata, altiſſima contemplatione defigitur. Miratur ſe virginem aſſumptam in matrem, & Dei genitricem ſe læta miratur. Intelligit in ſe comple- B ta Patriarcharum promiſſa, Prophetarum oracula, & Patrum antiquorum deſideria, qui Chriſtum de Virgine naſci præconabantur, & ortum eius votis omnibus expectabant. Videt Dei filium ſibi commendatum, & Eccl. 45. 4. mundi ſalutem ſibi creditam lætatur. Audit ſibi dicentem, & in ſe loquentem Dominum Deum, ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendaui tibi filium meum, commiſi tibi, vnicum meum. Noli timere lactare quem genuiſti, educare quem peperiſti, agnoſce non ſolum Deum, ſed & filium. Filius meus eſt, filius tuus eſt. Filius meus ex diuinitate, filius tuus ex aſſumpta humanitate. Quo itaque affectu, & ſtudio, qua humilitate, & reuerentia, qua dilectione, & deuotione id expleris, hominibus incognitum eſt, & Deo cognitum, qui renum & cordium eſt ſcrutator. Deo cognitum, qui ſpirituum ponderator eſt.

Sæpe vt credimus, oblita eſus ac potus, ſpretaque carnali neceſſitate, noctes inſomnes agebat, vt Chriſtum mente cogitaret, Chriſtum carne videret, cuius ardebat C deſiderio, cuius flagrabat obſequio. Sæpe etiam agebat, quod in canticis canticorum ſcriptum eſt, [Ego dormio Cant. 5. & cor meum vigilat.] Carne quippe dormiens, animo vigilabat, nocturna quiete ſomnians, quæ per ſingulos dies cogitabat, & vigilans in eiſdem ſe inueniebat & artus ſopori concedens, in pace in idipſum dormiens Pſal. 4. 8. quieſcebat. Vbi erat theſaurus eius, ibi & cor; vbi gloria, ibi & conſcientia. Diligebat Deum ac filium ſuum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus ſuis, ex toto corde, quia toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione, & mandatorum omnium executione. Videbat oculis, & manibus tractabat verbum vitæ. Felix cui præſtitum eſt fouere eum, qui fouet ac nutrit omnia, portare portantem vniuerſa lactare filium qui lac ipſis vberibus infudit, paſcere cuncta paſcentem, & eſcam auibus adminiſtrantem. Pendebat in collo eius Patris ſapientia, & in humeris eius virtus mouens cuncta reſidebat. Stabat in ſinu materno paruulus Ieſus, & in gremio D quieſcebat virgineo ſanctarum requies animarum. Aliquando ſubnixo capite, leua dextraque tenentem, vultu placidiſſimo, genitricem aſpiciebat, quam deſiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat genitricem, quam omnis Spiritus appellat in neceſſitatibus.

At illa repleta Spiritu ſancto, ſanctum pectus pueri ſuo pectori copulabat, & faciem illius, faciei ſuæ applicabat. Nonnunquam oſculabatur manus & brachia, & materna confiſa licentia, ab eius ore ſacratiſſimo dulcia oſcula carpebat. Non ſatiabatur viſu, nec implebatur au- Luc. 10. 24. ditu, quia illum videbat & audiebat, quem multi Reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire, & non audierunt. Proficiebat igitur magis ac magis in amore, & animus inardeſcens mente peruigili, diuinis obtutibus inhærebat. Non labores, non dolores, non diſcrimina, non penurias aut neceſſitudines, non formidines, aut mortes, non regis impiiſſimi furorem, & fugam, reditumue in Ægyptum, & ex Ægypto pro nati charitate formidabat. Erat gratiſſima in opere, lætiſſima in actio- E ne, promptiſſima in obſequio, deuotiſſima in miniſterio, & humillima in famulatu. In cunctis proſpere agebat, cuncta ſtrenue, & ſapienter adminiſtrabat. Vniuerſa humanitatis officia vultu ſereno, & mente tranquilla percurrit. Nam ſicut in theorica nulli ſimilis extitit, ſic in actiua vita ſimilem non inuenit. Sed quo tendit oratio? vincimur, & nos vinci gratulamur. Valde ſupra nos eſt, quod attentauimus, longe inferius iacemus. Ergo redeamus ad nos, & culpas fletibus diluamus. Rogemus matrem pietatis per arcana gaudij, & ineffabiles amores, quos ſingulari priuilegio meruit, vt maternæ pietatis affectum nobis impendat, & pro noſtris exceſſibus apud proprium intercedat filium. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA QVINTA DE MENTIS ROBORE, ſeu martyrio Beatiſſimæ Virginis.

F Memores ſponſionis noſtræ & ſcientes, quod à no- 2. Cor. 3. 5. bis nihil poſſumus facere, non enim ſumus ſufficientes aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, à Patre luminum cordis luminationem, & oris apertionem imploramus. Sciendum itaque duo eſſe genera martyrij. vnum in manifeſto, aliud in occulto, vnum patens, aliud latens, vnum in carne, aliud in Spiritu. Carne ſancti Apoſtoli & martyres paſſi ſunt, qui ob amorem veritatis, in teſtimonium Ieſu ſeipſos impenderunt, & effecti hoſtia Chriſti calicem Domini biberunt, vt per crucem aſcenderent ad maieſtatem, & per mortem temporalem vitæ æternæ participes effici mererentur. Iſti in canticis canticorum aſcendunt in pal- Cant. 7. 8. mam apprehendere fructus eius & per aſcenſum purpureum in lectulum veri Salomonis congregantur, vt diſcumbant in reclinatorio aureo, & deliciis affluant vni- Cant. 3. 10. uerſis, edentes ac bibentes in regno Dei, Chriſto illis ad- Luc. 22. 30. miniſtrante. Spiritu vero ſancti illi paſſi ſunt, qui aliquid paſſione carnis durius in ſuis ſpiritibus pertulerunt. Spi- G ritu paſſus eſt Abraham, quando iuſſus Iſaac filium Luc. 12. 37. ſuum, quem vnice diligebat, immolare, paterno perten- Gen. 22. 1. & ſeq. tatus affectu, & ab imis viſceribus pietate nati mouebatur. Agebat tamen nihilominus iniunctum opus impiger executor, & diuinæ iuſſionis accelerans imperium, itinere trium dierum peruenit ad montem Oreb, vbi, ſicut ei fuerat imperatum, ſtruem lignorum compoſuit, ligatum Iſaac ſuperimpoſuit: acceptoque gladio immolaſſet filium, niſi voce cœlitus lapſa repreſſus audiſſet, Ne extendas manus in puerum, nunc cognoui, quod timeas Deum. Vir iſte ſupra carnem paſſus eſt, quia filium, quem carne propria plus amabat, & fide, & deuotione offerre non diſtulit, & plenam facti deliberationem, tertia die deinde oſtendit.

Ita legiſlator Moſes animo paſſus, quando ſtetit in confractione in conſpectu Dei, & pro populi ſalute rogaturus, ſalutem ſuam longe proiecit dicens, [Aut dimit- Ex. 32. 32. te illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti.] H O iaculum in corde, ô vulnus durius omni vulnere, ô plaga intimis animæ viſceribus inhærens, aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti. Optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, & alio- Rom. 9. 3. rum ſuam reputans ſalutem, alieno, quam ſuo damno, magis affligebatur. Neque enim ſibi fore integrum credidit, ſi aliis morientibus ipſe viueret, & aliis periclitantibus ſolus regnum intraret. Charitas quippe non quæ- 1. Cor. 13. 5. rit quæ ſua ſunt, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Vnde Dauid & ipſe animo paſſus, cum videret Angelum cædentem populum, inge- 2. Reg. 24. 17. muit, & ex toto corde conuerſus ad Deum, ſe peccaſſe, ſe inique egiſſe commemorat, in ſe conuerti gladium exorat. Excuſat Iſraelem, ſe cum ſtirpe ſua deleri expoſtulat, tantum vt mucro madens ſanguine à cæde conquieſcat, & vltrix ira innocentes vltra non perimat. Puto aduertimus ex his, quod mentis martyrium carnis tormenta excedat.

[A] Hoc itaque patiendi genere Glorioſa triumphans, quanto cunctis vicinior, tanto cunctis glorioſior, venerandæ cruci Dominicæ paſſionis inhæſit, hauſit calicem, bibit paſſionem, & torrente doloris potata, nulli vnquam ſimilem potuit perferre dolorem. Currit poſt Ieſum, non tantum in odore vnguentorum, ſed in multitudine dolorum. Non ſolum in gaudio conſolationum, [Cant. 3. 4.] verum & in abundantia paſſionum. Gemebat verum Salomonem mater eius in diademate, quo coronauerat eum nouerca ſynagoga, & ipſa coronata corona tribulationis poſt eum incedebat. [Ioan. 19. 25.] Stabat autem iuxta crucem, vt illud dulciſſimum caput nati, vnctum oleo iuſtitiæ [Ps. 44. 8.] præ participibus ſuis, arundine percuſſum, & ſpinis coronatum triſti ſpectaculo videret. [Ibid. 3.] Aſpiciebat ſpecioſo forma præ filiis hominum non eſſe ſpeciem, neque decorem; excelſum ſuper omnes gentes, deſpectum, & nouiſſimum reputatum; ſanctum ſanctorum cum ſceleratis & iniquis affixum, oculos ſublimis hominis humiliatos, & ceruicem ſuſtinentis omnia, humeris inclinatam pendere; [B] ſereniſſimam faciem Dei emarcuiſſe, & decorem vultus eius abſconditum. Hinc illi per Prophetam dicitur, [Iſa. 45. 15.] [Vere tu es Deus abſconditus.] Quare abſconditus? [Habac. 3. 4.] quia non erat ei ſpecies, neque decor, & [cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.] An non abſconditus, quando manus miſit ad fortia, & palmæ eius clauos conſecutæ ſunt? Lucebat in manibus fixura clauorum, & latus innocuum dedit vulneri locum. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit plantas eius, & baſes eius ſtipiti affixæ ſunt. Hæc vulnera à ſuis, in domo ſua, pro nobis paſſus eſt.

O præſtantiſſima eius vulnera, quibus mortem occidit, [Osee 13. 14.] & inferna momordit! [Mors, inquit, ero mors tua, morſus tuus inferne.] Captus eſt Leuiathan hamo, & [Ps. 21. 7.] dum hiat ad eſcam vermis clamantis in Pſal. [Ego ſum vermis, & non homo: horum vulnerum ferro ſauciatus inhæſit. His ergo tam pretioſis vulneribus irretitus eſt [Cant. 2. 14.] diabolus, & homo liberatus. Habes ergo Eccleſia, habes [C] columba foramina petræ, & cauernam maceriæ, in quibus requieſcas. [1. Reg. 17. 4 & 50.] Ne timeas Goliam furentem, animo atrocem, vultu minantem ingentia, quando à vero Dauid mucrone proprio eneruatus volebat percutere, & percuſſorem inuenit; vulnerare curabat, & grauiter ipſe vulneratus eſt. Nodis ipſe ſe ſuis implicuit, & ſuo ſe conatu deiecit. Non ſua rapuit, & ſua amiſit. Aliena inuaſit, & propria perdidit. Appenſus eſt in ſtatera ſanguis Chriſti, & paterno iudicio præponderans, hominum peccata, & diaboli vincula diſſoluit. Expoliatus itaque tam vaſis precioſiſſimis, quam omni glorioſa ſubſtantia, & [Apoc. 13. 1. & seqq.] armis in quibus habebat fiduciam, hoſtis ille antiquus reſeruatur in iudicio; pro effuſione ſanguinis filij Dei pœnas æternas luiturus. Et vos cum illo Iudæi, ingrati, blaſphemi, parricidæ, ardebitis, vt quos miniſtros inuenit in ſcelere, ſodales habeat in igne.

[Iſa. 1. 2.] Filios, ait Dominus, nutriui, & exaltaui, ipſi autem contemnentes ſpreuerunt me. Vere ille vos enutriuit: [1. Reg. 1. 4.] & exaltauit, & ſcelere veſtro in cruce exaltatus eſt. Induit vos coccino in deliciis, & ornatu gloriæ, & inſania [D] veſtra denudatus eſt. [Prou. 4. 9.] Corona inclyta protexit vos, & coronam ſpineam capiti eius impoſuiſtis. [Pſal. 147. 4.] Cibauit vos ex adipe frumenti, & fel ei in eſcam dediſtis. [Pſal. 68. 22.] [Dederunt, ait, in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.] [Iſai. 54. 2.] Longos fecit funiculos hæreditatis veſtræ, & clauos veſtros conſolidauit, vos autem brachia eius extendiſtis, & manus, quæ mortuos ſuſcitauerant, [Matt. 27. 45. & 51.] clauis affixiſtis. Obſtupuit cœlum ſuper hoc, & indutum eſt tenebris, quaſi ſacco cilicino. Sol & luna retraxerunt ſplendorem ſuum, & habitu mæroris circundati, viſi ſunt flere factorem ſuum. Aer obtenebratus, & denſa caligine conglobatus eſt. Terra tremuit, & commota eſt. Saxa ſciſſa ſunt, monumenta aperta ſunt, & ab inferis mortui ſurrexerunt. Infernus ipſe ſcelus exhorruit, & inferi furiæ conturbatæ ſunt. Iudæus vero terra inſenſibilior, ſaxis durior, inferno crudelior, dæmonibus infidelior, neque ſenſit Dominum, neque ſcidit animum, nec ſcelus exhorruit, nec fidem adhibuit. [E] Et quid facies popule nequam, gens ſcelerata, domus effundens ſanguinem crucifixi cum venerit in nubibus cum poteſtate magna, & maieſtate, deſcendit ardentibus cœlis & terra, & aduentus ſui terrore elementa diſſoluet, & cum venerit, ſignum crucis apparebit in cœlo, & oſtendet dilectus cicatrices vulnerum, & loca clauorum quibus à te in domo tua confixus eſt? Tunc planges te ſuper te planctu quaſi vnigeniti, & dices montibus, operite nos, & collibus cadite ſuper nos à facie gladij columbæ, & ab ira furoris Domini. Pone te in clibanum ignis in tempore vultus ſui, in ira ſua conturbabit te, & deuorabit te ignis. [Pſ. 20. 10.] Turbo veniens rapiet te, tempeſtas ſæua demerget te, ignis æternus ſuccendet te, tartareumque chaos ſero precantem inuoluet. Et ne dicas more tuo ſolito, [Ezech. 12. 20.] In longum prophetat iſte, ecce Dominus aſportari te fecit, vt aſportatur gallus gallinaceus, & ſicut amictorium ſubleuauit te, [Iſai. 22. 17.] vt vilis & exul moriaris in terra non tua, & duplici contritione contritus, ſola vexatione amiſſum intellectum recipias, & diſcas ex pœna, quæ ex culpa præſumpſiſti. [F]

Igitur tam pro nati morte, quam pro Iudæorum perditione, ineffabili dolore Glorioſæ pectus vrebatur, & altiſſimo pietatis iaculo confoſſum, extremas ſpirabat inter anguſtias, hauſit poculum amarius ipſa morte, & quod hominum genus ferre non poſſet, adiuta diuino munere fœmina valuit ſuſtinere. Vicit ſexum, vicit hominem & paſſa eſt vltra humanitatem. Torquebatur namque magis, quaſi torqueretur ex ſe, quoniam ſupra ſe incomparabiliter diligebat id vnde dolebat. Et vt pauliſper omittamus acerbiſſimam illam de morte Nati mœſtitiam, quis explicet quo dolore arcebatur beata Virgo, quibuſve premebatur anguſtiis, cum Propheticis oculis cerneret ſtirpis ſuæ magna quadam ex parte condemnationem gentis attritionem, caſum populi, ruinam patriæ, & ipſius olim ciuitatis ſanctæ Hieruſalem euerſionem. Certe Prophetæ præſcij futurorum prædixerunt excidium Iudæorum, & interitum ſuorum fletu multo proſecuti ſunt. [G] Ipſe Dominus mouit lachrymas ſuper Hieruſalem, [Luc. 19. 41.] & Apoſtoli multo tempore fleuere perfidiam patriæ. [Rom. 9. 3.] Paulus plenus pietate optauit anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, qui erant ſecundum carnem, vt eos ad ſalutem prouocaret, & æmulationem; quanto magis mater pietatis cuncta faceret, omnia libens ſuſtineret, quibuſlibet ſe pœnis & mortibus obiiceret, vt imminentem interitum, & cladem à gente ſua ſubmoueret.

Sed honor regis iudicium diligit, & Dei ſummi iuſtitia irrefragabilis iuſtiſſime diſponebat, quando alma redemptoris, & miſericordiæ mater plangebat. Nec vero quiſquam opponat, Iudæos exoſos Dei genitrici, eo quod filium ſuum morte turpiſſima condemnarunt. Quos enim morti æternæ appropiare videbat, nequaquam odio ſuo dignos exiſtimauit, & ſugillatione, ſed affectu plurimo, ſed lachrymis multis & magna miſeratione. Vnde tam particeps charitatis, quam crucis Ieſu aſſumpſit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulſans, Pater dimitte illis hanc noxam, quia neſciunt quid faciunt. [H] Hæc vox eius, deſiderium eius fuit, quod melius aures pulſantur incircumſcripti Spiritus, replentis omnia, & vbique audientis. Cæterum quicunque diligitis matrem Domini, aduertite, & totis affectuum viſceribus conſiderate, quantum & inimicos Vnigeniti plangeret morientis. Effugit omnem ſenſum, humanos intellectus exuperat concepta de paſſione Nati triſtitia. Nulla huc ſimilitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit comparatio. Quæ enim mater dilexit filium ſuum, vt iſta? Non enim fortuito concepit, vt ceteræ mulieres, ſed vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate matris viſceribus influxit, hoc eſt vnde magis diligebat. Neque vero vt cæteri offenſam in vita ſua matri retulit, ſed gratiæ gratuitatem infudit, dicente de eo ſcriptura, [1. Pet. 2. 22.] [Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.] Item ait de gratia, [Pſ. 44. 3.] [Specioſus forma præ

A filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.] Hoc eſt vnde magis diligebat. Eumdem quoque habuit Deum, quem & filium, Pſ.86.5. quia [homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Et hoc eſt, vnde magis incomparabiliter diligebat. Sola enim à ſæculo meruit habere eumdem filiumque & Deum.

Pſ.41.8. Ergo abyſſo abyſſum inuocante, duæ dilectiones in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus eſt amor vnus, cum Virgo mater filio diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quo igitur magis diligebat plus doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta paſſionis. Quid enim ageret, cum in Caluariæ conſiſteret loco, & videret crucem, clauos, vulnera morientis in innocentia, nec tamen exſatiatam Ioan.19.29. immanitatem Phariſæi furentis inuidia? Pendebat ille luens noſtra, non ſua delicta, & Phariſæi cum ſcribis illudentes percutiebant caput eius, & offerebant acetum felle mixtum ori eius, vt impleretur Prophetia Dauid B dicentis ex perſona Chriſti. [Super dolorem vulnerum Pſal.68.27. meorum addiderunt.] Inter hæc Dei genitrix conſternabatur animo, & dolores vt parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi ſingultus, ibi ſuſpiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æſtus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur & mortis anguſtia toleratur. O veneranda, & plena deuotionis & lachrymarum memoria! recordari, qualiter ſancta illa animæ Glorioſæ paſſa ſit, quaſue pertulerit de Chriſti morte anguſtias! Pallidus vultus Ieſu exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde paſſa eſt. Denique contumeliæ & opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit. Et licet edocta Spiritu reſurrecturum non ambigeret, neceſſe illi tamen fuit paternum calicem bibere, & horam ſuæ paſſionis non ignorare. De hoc illi Luc.2.35. prophetauit Reuerendus ſenex Simeon dicens, [Tuam ipſius animam gladius pertranſibit.] O Domine Ieſu, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, nec matri C tuæ pepercisti, quin gladius animam ſuam pertranſiret. Hac nobis per igneum gladium, atque verſatilem tranſeundum omnibus in communi ad lignum vitæ, quod eſt in medio paradiſi.

Sed ad ordinem redeamus. Poterat ergo beata Maria Tren.1.12. illud, quod ſpecialiter Chriſto conuenit, exclamare, [O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite. & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.] O quantus, & qualis dolor, ô quæ & qualis in illo dolore Maria, & nunc qualis erat, quantum diſtabat ab illa, quæ olim inter choros Angelorum nato obſequia deferebat paſtoribus glorificantibus, & magis adorantibus cum oblatione munerum myſticorum? Diſtabat vero, non virtute, ſed mœrore, non gratia, ſed preſſura. Nam virtute augebatur, & multiplicabatur gratia. Propterea in tanta poſita aduerſitate, nec reſoluit pudorem verecundiæ, nec amittit vigorem conſtantiæ. Ad cuius rei probatio-Ambroſ. nem ait de ea beatus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus: Lego ſtantem iuxta crucem Domini, non lego plo-D rantem. Stare namque in illa cordis amaritudine magnæ aſcribitur conſtantiæ, abſtinere à lachrymis ſummæ verecundiæ annotatur. Cohibebat illa lachrymas præ pudore, ſtabat ſublimiſſima quadam animi magnanimitate. Itaque nec dolor excuſſit lachrymas, nec animum pœna deiecit. Quia hinc pudor honeſtus, illinc fortis conſtantia decertabant. Ergo chariſſimi imitemur matrem Domini, vt inter aduerſa non obliuiſcamur verecundiæ, & memores ſimus conſtantiæ. Non deerunt triſtitiæ, non deerunt aduerſa, non deerunt tentamenta, & mors ipſa tranſitum faciet per nos. Vallemus animum humili verecundia, & firma conſtantia. Viuat in mortem pudor, & inter gladios animi conſtantia perſeueret. Tunc effecti morum ſimilitudine ſimiles genitrici Dei, poſt eam adducemur in templum Regis, & filij ſui. Cui cum Patre & Spiritu ſancto laus eſt ab omni creatura, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

E

HOMILIA SEXTA DE GAVDIO & admiratione B.V. in Reſurrectione & Aſcenſione Ieſu filij ſui ad Patris dexteram.

Cant.5.1 COmedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.] Inuito vos ad menſam ſapientiæ, & ad vini libamina, quæ miſcuit vobis in cratere calicis præclari. Inuito vos ad epulas Glorioſæ, ad conuiuium Dei Genitricis. Felix, qui tali potitus conuiuio, coram recumbentibus in veſte nuptiali fulgebit. Apponetur ei panis vitæ, confirmans, replens, & ſatians ſuauitate mirifica. Et vinum lætitiæ, vinum procedens de genimine vitis, vere vinum reſurrectionis, expreſſum de li-Num.13.24. gno Dominicæ paſſionis. Hoc vinum Botrus ille protulit, qui ablatus è terra promiſſionis in vecte ligneo pe-Luc.15.22. pendit. Edet præterea præfatus conuiua in ſtola pri-Exod.12.11. ma, & annulo pacis, occiſum à Patre vitulum ſaginatum, accinctus renes zona fidei; & caſtitatis, habens F etiam calceamenta in pedibus, vtpote ad omne opus bonum præparatus, agni Paſchalis aſſas igni carnes manducabit. Nec deerit edentis voluntati hinnulus ceruæ gratiſſimæ. & ceruus ſaliens de valle inferi in montem Ioan.21.9. cœli. Dehinc percepto piſce, qui ad littus maris inuentus eſt ſuper prunas apparente diſcipulis Domino in reſurrectione, guſtabit ſimul fauum mellis. Sumenſque Cant.5.1 canticum de canticis canticorum dicet in illa die, [Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.] Affluens itaque deliciis vniuerſis, ita ſecum alios ad prandium inuitabat, comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi. Et ego fratres ad hoc prandium vos inuito. Edite panem vitæ, vinum lætitiæ bibite, inebriamini gaudio reſurrectionis. Ebrietas hæc ſumma ſobrietas eſt, hæc mundi memoriam obliterat, & Deum præſentem animo ſemper inculcat, hac ebrius quiſque cunctorum ſemper obliuiſcitur, & ſolius diuinæ charitatis recordatur. Hac igitur & vos inebriamini dilectiſſimi, cum Dei genitrice inebriamini, & gaudete cum gaudente, qui cum lugente luxiſtis.

G Eccl.3.4. Tempus gaudij, & tempus mœroris, ait Salomon. Mœror abiit, gaudij tempus aduenit, verum gaudium, quod de Chriſti reſurrectione prouenit. Surrexit enim, & erexit animum matris ſuæ. Iacebat illa velut in quodam arctiſſimo mœroris tumulo, donec Dominus iacuit in ſepulchro. Illo namque reſurgente, reuixit Spiritus eius, & quaſi de graui ſomno euigilans, ſolem iuſtitiæ, & radios reſurgentis in luce matutina reſpexit. Intuita eſt ortum ſurgentis auroræ, & præcedentem in filio futuram carnis reſurrectionem. Paſcebatur oculis in carne fulgida reſurgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis, vt intus & foris egrediens, & ingrediens frueretur paſcuis veræ, ſempiternæque felicitatis. Facta igitur extra ſe, ſuique oblita præ gaudio, adhæſit corde lætiſſimo Patri ſpirituum, & conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immenſitate tota refundebatur. Pſ.20.2. Domine in virtute tua lætata eſt valde, & ſuper ſalutare tuum exultata eſt vehementer, deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti H eam. Corona capitis eius Chriſtus eſt, dicente ſapien-Prou.17.6. tiſſimo, quod filius ſapiens corona ſit matris ſuæ. Et quis ſapientior illo, qui eſt Patris ſapientia. Bene autem corona de lapide eſſe dicitur, quia in nouo & veteri teſtamento nomine lapidis Chriſtus ſignificatur. Dictus eſt lapis, propter potentiam, pretioſus propter gloriam. Et vtraque pſalmiſta complexus eſt dicens, [Dominus vir-Pſ.23.10. tutum ipſe eſt rex gloriæ.] Quia Dominus virtutum, ideo lapis; quia rex gloriæ, pretioſus. Nihil vero lapide fortius, nihil gloria pretioſius eſt.

Habes ergo ô Beata, gaudium tuum, impletum eſt deſiderium tuum, & Chriſtus corona capitis tui attulit tibi cœli principatum per gratiam, regnum mundi per miſericordiam, inferni ſubiugationem per vindictam. Ille tibi ab inferis victor aſcendit, ille contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Inferni munitiones obtinuit, & capita draconis alliſit. Dedit hoſtium tuorum ſtrages

innumeras,

A innumeras, & Principem lethi religauit, occidit mortem, & mortis auctorem proiecit in vinculis. Catenis igneis auctor ille mortis religatus eſt.

Inde eduxit ſuos de tenebris, & vincula eorum diſrupit. Animas omnium iuſtorum ambulantes in lumine vultus eius, & in nomine eius exultantes aſſociauit ſibi, in iuſtitia eius exaltatæ ſunt, quæ propter iniuſtitias ſuas humiliabantur. Solus fuit in tranſitu ad inferos Dominus Ieſus, ſicut ex perſona illius Dauid cecinit, dicens, Pſal. 140. 10. [Singulariter ſum ego, donec tranſeam.] Solus in ingreſſu, ſed in egreſſu minime ſolus, qui innumera ſanctorum millia ſecum reduxit. Ioan. 12. 24. Cecidit in terram, & mortuus eſt, vt fructum multum afferret. Depoſuit ſe in ſementem, vt humanum genus colligeret in ſegete. Felix aluus Mariæ, in qua ſeges iſta coaluit. Cant. 7. 2. Felix cui dictum eſt, venter tuus vt aceruus tritici vallatus liliis. An non vt aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum ſeges excreuit? In fonte quippe baptiſmatis peccatis, & nobiſipſis mortui, per lauacrum B regenerationis Chriſto renaſcimur, vt ei viuamus, qui pro omnibus mortuus eſt. Vnde Apoſt. ait. Gal. 3. 27. [Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.] Ergo ex vno grano multæ ſegetes, & ex aluo virginis granum illud. Ideo aceruus nominatur, vt ſeminis, non numeroſitate, virtute, non pluralitate.

Liliis namque vallatus dicitur, eo quod vteri materni perennis integritas ſcripturæ ſacris eloquiis comprobetur. Quid enim ſunt aliud diuina eloquia, niſi quædam lilia emanantia candorem puritatis, & gratum puritati ſpirantia odorem ſuauitatis. Sap. 7. 26. Hinc eſt, quod verbum Patris, & ſapientia, & candor lucis æternæ nominatur. Pſ. 11. 7. Et de diuinis eloquiis per Pſalmiſtam dicitur, [Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum probatum terræ, purgatum ſeptuplum.] Cant. 1. 3. Nam de odore ſcriptum eſt, in canticis canticorum, [Curremus in odore vnguentorum tuorum, id eſt in notitiam eloquiorum. Eloquia enim Domini vnguenta pretioſiſſima ſunt, quibus morbus animarum expellitur, quibus congrua, C vulneribus medicina confertur. Horum antidoto dira ſerpentis venena diffugiunt, horum fomentis acerba vulnera cedunt, horum ope ſauciatus ille curatur, qui incidit in latrones, Luc. 10. 30. cum deſcenderet ab Hieruſalem in Hierico: De quorum item odore in præfatis canticis hæc Cant. 4. 10. ſponſi ad ſponſam vox eſt, [Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.] Cant. 1. 1. Cui alibi dixit, [Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Habet enim Eccleſia ſponſa Chriſti vbera teſtamentorum, quibus infundat paruulis lac conſolationis, perfectis lac exhortationis.

Nec mirum, ſi eius lacte perfecti alantur, quæ ait, Cant. 8. 10. [Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens,] hæc vbera meliora 1. Cor. 1. 25. ſunt vino. Et Paulo atteſtante, [quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.] Meliora ergo ſunt vbera eius vino inanis Philoſophiæ, vino ſæcularis ſcientiæ, vino cupiditatis mundanæ, non quidem expreſſo de vinea Cant. 1. 13. Sorec, neque de vinea Cypri, aut de vinea Engaddi, ſed de D vinea Sodomorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, aut certe Deut. 32. 32. de vua fellis, & botro amaritudinis. Itaque adoleſcentulæ memores vberum ſponſæ, ſuper vinum lactis eius copia enutriri deſiderant, vt eo creſcant in ſalutem. [Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.] Fragrant hæc vbera vnguentis optimis, cum præfata Eccleſiæ teſtamenta perfectis innoteſcunt eloquiis, vt pro ſenſuum capacitate alios hiſtorica ſuperficie nutriant, & alios morali ſuauitate inſtruant, alios myſtica intelligentia ad alta ſuſtollant. Fragrant etiam vnguentis optimis, cum eiſdem teſtamentis additur gratia ſpiritualis intelligentiæ, & virtus charitatis diuinæ, vt velut quædam lilia candeant ex dono intelligentiæ, redoleant ex amoris Cant. 2. 16. ſuauitate. Inter hæc lilia dilectus paſcitur, vt eius dilectæ voce dicitur, [Dilectus, inquit, meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.] Inter lilia quippe paſcitur, cum verbi eius interna dulcedine legentis animus in Cant. 7. 2. ſcripturis ſatiat. His ergo liliis vallata Dei Genitrix audiuit ab ore Salomonis, [Venter tuus vt aceruus tritici vallatus liliis.] E

Poſſunt quoque per lilia ſanctorum animæ deſignari, candentes per vitæ meritum, fragrantes per virtutis exemplum. De candore Pſalmiſta Deo, ait, [Aſperges Pſ. 50. 9. me Domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.] Et de odore ita pronunciat, [Eructauit Pſ. 44. 12. cor meum verbum bonum.] De quo & Apoſtolus, [Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.] 2. Cor. 2. 15. Vallata igitur liliis redemptoris Mater, aptiſſime hunc illis congruentem poterit proferre ſermonem, Gaudium meum & corona mea omnes vos eſtis, Phil. 4. 1. acquiſiti ſanguine meo, & carne ſumpta de carne mea. His etiam liliis ſeptus erat, dum animas iuſtorum ab inferno eriperet, ſuæque gloriæ donatione bearet. Verus enim Iacob in baculo crucis tranſiuit Iordanem mortalitatis, & cum duabus turmis Gen. 32. 10. regreſſus eſt. Ego duas turmas, circumciſionem & præputium, eos qui in lege & ante legem fuere, intelligo. Ergo ſolus obiit, & fœnore multiplicato reuixit. Nam vita omnium ipſe eſt, & vita omnium cum ipſo reſurre- F xit. [Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in 1. Cor. 15. 22. Chriſto omnes viuificabuntur.] Cuius morte pullulauimus, cuius ſanguine radix noſtra ſuccreuit, cuius reſurrectione corpus effloruit.

Effloruit vero non vt fœnum, ſed vt verbum, non vt dies ſæculi, ſed vt dies cœli. Hinc voce ſummi Patris de ſemine Dauid dicitur, [Ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.] Pſ. 88. 3. Igitur æternus flos de radice eius aſcendit, qui aruit ex paſſione, ſed refloruit ex reſurrectione. Refloruit autem non vt denuo decidat, tanquam flos agri, ſed vt verbum Domini maneat in Ioan. 1. 4. æternum. [Nam Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis.] Propterea vir deſideriorum Daniel filium hominis Dan. 7. 13. vſque ad antiquum dierum veniſſe perhibet, vt filium hominis demonſtraret. Quem bene intuens Pſalmiſta ait, Pſ. 44. 7. [Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui,] & quæ ſequuntur. Ecce qui Deum nominat, cuius ſedem in ſæculum ſæculi eſſe memorat. Hunc poſtmodum vnctum à Deo oleo lætitiæ præ conſortibus G narrat. Deus enim ab æterno cum Patre † narrat, regnat † *ſuperfluum videtur narrat.* in ſæculum ſæculi, & homo ex tempore vngitur oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Verè præ conſortibus, cui Pater ait, [Filius meus es tu, ego hodie genui te.] Et illud, Pſal. 2. 7. [Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.] Pſal. 109. Quem vt Patri æqualem ex diuinitate intelligas, audi dicentem in Euangelio, [Ego & Pater vnum ſumus,] & [Qui videt me, videt & Patrem.] Ioan. 10. 30. Ioan. 14. 9. De ipſo quoque Apoſtolus ait, [Quia Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,] & cætera quæ ſequuntur. Phil. 2. 9. Equidem genu infernorum flectitur illi per terrorem, genu terreſtrium per acquiſitionem, genu cœleſtium per beatificationem. Iſtis namque intentat ſupplicia, illos eduxit à miſeria, illos extollit in gloria. Iſtis terribilis in iudicio, illis miſericors in auxilio, & his munificus in præmio. Dæmones enim ſubiicit gladio ſuo, homines redimens ſanguine ſuo, Angelos ſatians vultu ſuo.

Ergo inferna proſternunt genu, trementes potentiam H eius, terreſtria curuant genu, laudantes clementiam eius, cœleſtia flectunt genu, clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Iſai. 6. 3. Ipſe eſt filius tuus ô Maria, ipſe amor tuus, reſurrexit tibi die tertia, & in carne tua aſcendit ſuper omnes cœlos, vt omnia adimpleret. Habes ergo, ô Beata, gaudium tuum, attributum eſt tibi deſiderium tuum, & corona capitis tui. Attulit tibi cœli principatum per gloriam, regnum mundi per miſericordiam, inferni ſubiugationem per potentiam. Tantæ igitur, tamque ineffabili gloriæ tuæ diuerſis affectibus cuncta reſpondent; Angeli in honore, homines in amore, dæmones in tremore. Cœlo namque venerabilis, mundo amabilis, orco terribilis es.

Gaude itaque, & lætare, quia ſurrexit ſuſceptor tuus, gloria tua, exaltans caput tuum. Gauiſa es in conceptione, afflicta in paſſione, iterum gaude in reſurrectione, & Rom. 6. 9. gaudium tuum nemo tollet à te. [Chriſtus reſurgens

A à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.] Propterea vocat te, [Cant. 2. 10. Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.] Amica mea, per coniunctionem; columba mea, per vnionem; formoſa mea, per decus & compoſitionem; ſurge de mœrore, de afflictione, de humiliatione, & puluere, quæ doloris indicia ſunt: propera, tolle moras, onus excute, grauitatem exue, leuitatem indue, curſum arripe, volatum aſſume, & veni. Veni, vt gaudeas gloriam Dei primitias reſurrectionis, primogeniti ex mortuis. Iam hiems tranſiit, qua Petrus torpens negauit, qua corda Iudæorum congelata, extinxêre ſibi ſolem iuſtitiæ, prunis † voluptatum ſuarum ſuccenſi. [Imber abiit, & receſſit, imber turbidus, lutulentus, ruinoſus, mixtus niue & grandine abiit, & receſſit.] Imber conclamantium, & dicentium, crucifige, crucifige eum, abiit, & receſſit. Abiit B quoque imber, quo area Gentilium, & vellus Iudaïci populi meruit exſiccari. Flores apparuerunt in terra noſtra, flores vtique beatorum ſpirituum & Angelorum alternatim vernantium, & locum odore ſuauiſſimo ſpargentium, vbi poſitus Dominus.

† *fortè voluntatum.*

Exod. 37. 7. Hos vetus ſcriptura ſignificans expreſſit, cum duo cœlata Cherubim ſuper Propitiatorium in vtraque ſummitate inſtituit, ac ea in foribus tabernaculi cum palmis 3. Reg. 6. 32. depinxit. Cauſa euidens eſt, figuris fuit obumbrata, nunc re ipſa exhibita. Palmæ præferunt inſigne reſurrectionis; fores, & propitiatorium deſignant illum qui eſt patens aditus ad regnum, & propitiatio pro peccatis ho- 1. Ioan. 2. 2. minum. Duo namque Cherubim, duo ſunt Angeli, quorum vnus ad caput, & vnus ſedit ad pedes, vbi poſitum Ioan. 20. 12. fuerat corpus Chriſti. Qui flores iure nominantur, quia ſummi Dei æternitas ver illis præbet æternum, vt ſemper floreant, numquam marceſcant, numquam decidant, C & ſpecie inuiolabili idem permaneant. Flores etiam viſi Act. 1. 11. ſunt in terra noſtra, cum aſcendente Domino aſtiterunt duo viri iuxta Apoſtolos, qui & dixerunt, [Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cœlum; Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.] Tempus putationis aduenit, putatus eſt infernus, & de corde credentium diabolus Ierem. 15. 19. amputatus. Os Domini ſeparauit pretioſa à vilibus, præcidens ſarmenta de vitibus, & colligens zizania de meſ- Matth. 13. 30. ſibus, vt grana condat in horrea, rogo tradens ad comburendum zizania. O triſte diuortium, luctus & gaudium paſſim mixta. O dulcis & amara dies, cum iuſtus iudex rediens ab inferis, aliis dorſum oppoſuit, aliis faciem deſideratam oſtendit. Alios reliquit in ſupplicio, alios extulit cohæredes in regno. Illos dimiſit arſuros cum diabolo, hos euexit coronandos in cœlo. Viderunt impij, & ſine ſpe ingemuerunt: viderunt boni, & corde pleno lætati ſunt. O miſeri, quibus non ſubuenit miſericordia! ô boni, quibus occurrit in gloria! O miſeri, D quos ipſa vnigeniti paſſio non adiuuit! ô boni, quos a morte perpetua eripuit! Viderunt impij, & ſine ſpe ingemuerunt; viderunt boni, & vocem in iubilo leuauerunt.

Pariterque tu Glorioſa Natum ab inferis aſcendentem vidiſti, Nati gloriam beatiſſimis oculis aſpexiſti, vi- Pſ. 72. 26. Cant. 5. 6. diſti & defeciſti. Defecit caro tua & cor tuum, liquefacta es, vt vocem dilecti filij tecum loquentis audiſti. Factum eſt verbum eius quaſi ignis flammigerans in oſſibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, teque holocauſtum Deo ſuauiſſimum obtuliſti. O Phœnix aromatizans gratius cinamomo & balſamo, & nardo ſuauius regem in aſpectu tuo delectans. O Phœnix congregans omnes ſpecies, & igne circumfuſa ſupereſſentiali, vt cœlum cœlorum, & cœli poteſta- Exod. 30. 35. tes angelicas mirifico repleas ſuauitatis incenſo. Hoc incenſum ſuauiſſimum eſt, hoc thymiama benè compoſitum procedit de thuribulo cordis Mariæ, & vniuerſa ſuauiter olentia excedit. Porro thuribulum ſequens incenſum & eleuatum manu Domini, aſcendit vſque ad thronum Præſidentis. Aſcendit ſtipatum proſecutione E Angelicorum Spirituum, clamantium in excelſis, atque dicentium, [Cant. 3. 6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?] Sed iam ſermo noſter iſte vſque ad aſcenſum pertractus finiatur, vt alius aſcenſum hunc, opitulante Deo, plenius exequatur. Qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA SEPTIMA DE B. VIRGINIS obitu, Aſſumptione in cœlum, Exaltatione ad filij dexteram.

Cogitanti mihi, & ſæpius animo retractanti Dei Genitricis aſſumptionem, quæſtio quidem occurrit, quæ digna inquiſitione, vtilis inuentione, dulcis admodum clarebit communicatione. Quæritur enim, cur aſcendente in cœlum Domino, mater eius quæ tanto eum amplectebatur affectu, non ſtatim ſecuta eſt? Cum enim nulla pec- F cati nube depreſſa, nulla vitę macula reſperſa, ſuper ignem ruberet ob charitatem, luce clarior ob caſtitatem, ipſis etiam præclara cæligenis ob virginei partus nouitatem, mirum videbatur, quare cum Filio non ſtatim ad æthera prouehebatur. Certè Enoch in cordis munditia cum Gen. 5. 24. Deo ambulauit, & non comparuit, quia tranſtulit illum Deus. Elias quoque charitatis igne nimio ſuccenſus, 4. Reg. 2. 11. curru igneo, & equis igneis raptus memoratur. Illa vero excedens Enoch cordis munditia, & amoris prærogatiua maior Elia, quare cum illo quem genuit, non illico in cœlum efferebatur? Erat namque plena gratia, & in mulieribus benedicta. Deum verum de Deo vero ſo- Luc. 1. 28. la meruit concipere, quem Virgo peperit, Virgo lactauit, fouens in gremio, eique in omnibus almo miniſtrauit obſequio. Paſſa eſt demum magis ſpiritu quam carne cum moriente, reuixit Spiritu Dei cum reſurgente, & quare non aſcendit cum aſcendente? Eius quippe ſacratiſſima caro, quæ de Spiritu ſancto grauida fuit, quæ G germine magnifici Regis intumuit, in quo Deus homo, Verbum Caro factum eſt, & mediante Chriſto plenitudo Coloſſ. 2. 9. diuinitatis manſit in ea corporaliter, aſſumpto Domino videretur inferenda cœlo.

Vt quid enim retardata eſt, vel ad momentum? aut paſſa Nati diuortium? Vt quid dilatum eſt feruentius igne tam ſanctum eius deſiderium? Quoniam iſta dilatio diſcipulorum Chriſti non minima conſolatio fuit. Iſta dilatio matri nihil minuit, & mundo contulit remedia ſalutis. Voluit enim Dominus Ieſus, vt ipſo ad Patrem reuertente, Apoſtoli materno ſolatio; & eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti eſſent à Spiritu, ab illa tamen poterunt edoceri, quæ mundo iuſtitiæ ſolem edidit, & frontem ſapientiæ ex prato virgineo, intemerato nobis alueo produxit. Mira denique pietate primitiuæ Eccleſiæ prouiſum eſt, vt quæ Deum in carne hac præſentem iam minimè cerneret, matrem eius viſu iucundiſſimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, H quid tam decorum, ac delectabile, quam matrem Plaſmatoris, & Redemptoris omnium videre? Nam ſi ſepulchrum eiuſdem noſtri Redemptoris, quod extat vſque hodie, ita viſui deſiderabile eſt; ſi lapis, in quo requieuit ſtirps ſancta Ieſſe, tanta eſt expetibilis celebritate, vt affectus & animos cunctorum prouocet in ſe, & quadam pietatis arte trahat ad ſe omnia; quæ vel qualis erat Dei Genitricem cernere lætitia, donec eam diuina pietas communi ſorte degentem nobiſcum conceſſit in terra? Beata gens & felix generatio, quæ tali ſpectaculo meruit illuſtrari. Beatam planè, in cuius medio credentis, & fruentis conſtitit arbor producens fructum vitæ, effulſit Genitrix lucis veræ. Apparuit puteus ille clauſus, & Zach. 13. 1. ſignatus, de quo egreſſus eſt fons domus Dauid, patens in ablutione peccatoris & menſtruatæ. Hoc inſigne priuilegium, hoc cœleſte munus, hæc gratia ſpecialis Eccleſiæ primitiuorum præſtita ſunt.

Denique Virgo Mater, omnium in ſe chariſmatum commercia deferebat. Prima namque viſione ſcintillans ſacri amoris ignibus, proximorum pectora ſuauiter exurebat, animis fidem ſuggerebat, ſuadebat

A verecundiam, honeſtatem venuſtabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem virginitatis,ſerebat nouale caſtitatis,depingens oculis habitum humilitatis,& præferens indiciū veritatis.Splendor indeficiens in circuitu eius,& ignis exardeſcens à facie eius. Fluuius igneus,rapiduſque egrediebatur ab ea,qui hoſtes ſuccenderet, amicos confoueret,iuuaret proximos,concremaret inimicos. Fertur ab iis,qui norunt naturam animantium, quod ſolo viſu, & flatu mortifero vicina quæque ſibi regulus venenatus interimat: Sic illa è regione ignis diuini calore vehementer accenſa, & verbi flammigerantis ſparſa incendiis, odorem reſuſcitantis gratiæ,iis qui longè, & iis qui propè commanebant, exhalabat.

Ezech.1.4. Pſ.17.9. Dan.7.10.

Et aliis quidem,id eſt,aduerſæ partis erat odor mortis in mortem: aliis vero, id eſt credentibus in filium ſuum,odor vitæ in vitam.Sicut enim in Eua omnes moriuntur, ita & in Maria omnes viuificabuntur. Et ſicut Euæ ſcelere fit mundi damnatio, ita fide Mariæ facta eſt orbis reparatio. Illa infecta eſt veneno lethali, quod transfudit ad poſteros, hæc infuſa vitali antidoto, quod fidelis tranſmiſit ad vniuerſos. Corruit illa male credula ſerpenti, ſurrexit iſta, & iuxta verbum, quod dixerat Deus in Geneſi, contriuit caput ſerpentis. Ab initio prænunciata, & nunc Eccleſiæ primitiuorum donata. Ex tunc repromiſſa, & in fine temporum exhibita.

Iſa.57.19. 2.Cor.2.6. Gen.3.15.

B

Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reuerendæ maieſtatis decus aſpicere, & vultum omnimoda ſuauitate imperiali etiam dignitate, & ſingulari præditum poteſtate videre? Quippe nihil inueniebatur illi ſimile in filiis, & filiabus Adæ. Nihil tale in Prophetis, in Apoſtolis, aut in Euangeliſtis. Nihil illi ſimile cœlum vel terra dedêre. Quis enim in nubibus æquaretur ei, aut ſimilis foret matri Domini inter filios Dei? Et vide quam recto ordine citra aſſumptionem effulſit admirabile nomen eius in vniuerſa terra, & fama eius celeberrima vbique diffuſa eſt, priuſquam eleuaretur magnificentia eius ſuper cœlos. Decebat enim Matrem Domini Virginem, & ob Nati ſui honorem, primo terris regnare, & ita demum cœlos cum gloria ſuſcipere. Dilatari & infimis, vt & ſuperna in plenitudine ſancta penetraret, tranſlata ſicut de virtute in virtutem, ſic à claritate in claritatem à Domini Spiritu. Igitur in carne præſens, futuri regni primitias prælibabat. Et nunc accedens ad Deū ineffabili ſublimitate, nunc & proximis condeſcendens inenarrabili charitate. Inde Angelicis frequentabatur officiis, hinc humano famulatu venerabatur. Aſſiſtebat ei paranymphus Gabriel cum Angelis, cui Ioannes gaudens ſibi Virgini matrem Virginem in cruce commendatam,cum Apoſtolis miniſtrabat. Illi reginam, iſti videre dominam lætabantur, & vtrique pro deuotionis affectu obſequebantur.

Pſ.88.7. C *2.Cor.3.18.*

D

At illa reſidens in arce ſublimiſſima virtutum, & pelago diuinorum affluens chariſmatum, abyſſum gratiarum, qua cunctos exceſſerat, credenti & ſitienti populo largiſſima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, & animis medelam afferebat, potens ſuſcitare à morte carnis,& animæ. Quis vnquam ab ea æger vel triſtis,aut ignarus cæleſtium myſteriorum abiit?Quis non lætus & gaudens rediit ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit? Mariæ præſentia gratam veris temperiem exhibebat, & quo fauens ſe verteret, paradiſus erat. [Emiſſiones tuæ, ait ſponſus, paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cynnamomum cum vniuerſis lignis Libani. Myrrha & aloës, cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.] Habet quippe paradiſus glorioſæ Virginis mala punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet & Cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam,ob ſobriam ebrietatem ſenſuum, & ſuaue fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ,fiſtula expoliationis carnis,cynnamomum ſuauitatis, cum vniuerſis lignis Libani, per quam virtutum vniuerſitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloës incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effuſis in oratione, ab illo vnguento, quod conſiſtens in capite, deſcendit in barbam, barbam Aaron, non illius veteris & ſignificantis, ſed noui, & ſignificati. Deſcenditque in oram veſtimenti eius, quod eſt Eccleſia, ipſi vero Aaron, iuxta Paulum,exhibita ſine macula, & ruga.

E *Pſ.132.2. Eph.5.27.*

His ergo, tantiſque bonis exuberans ſponſa, ſponſi mater vnici,ſuauis,& chariſſima in deliciis, vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano à monte Sion vſque ad circumfuſas quaſque, & exteras nationes, pacis flumina,& gratiarum emanationes, cælica infuſione deriuabat. Vnde B. Dauid, cum de filio eius Domino noſtro loqueretur. [Erit,inquiens,in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis,] apte de illa mox intulit, [donec auferatur luna.] Luna ipſa eſt, quæ cœlo, terriſque irradians,aſtris Sanctorum longè ſuperior coruſcat. Donec, ait,auferatur luna quæ eleuato ſole iuſtitiæ ſtetit in ordine ſuo, & prima Eccleſiæ primitiuorum infulſit. Tradit fides maiorum iuxta veritatem hiſtoriæ, ab ortu Saluatoris, vſque ad tranſitum matris Glorioſæ terrarum accolas, ſopita armorum rabie,continua ac tranquilla pace quieuiſſe. Hæc in ſolutione propoſitæ quæſtionis diximus,vt quo fructu Genitrix Regis noſtri dilata ſit,monſtraremus.

Cant.4.15. Pſ.71.7. F

Sanè etiam aduertendum ex hac eius dilatione, vt quæque fidelis anima,vulnerata charitate,& iaculis amoris confoſſa, diſcat non murmurare, ſi eam euenerit non hinc ad vota migrare. Ecce differtur mater Domini,quis audeat murmurare? Differtur vt proficiat, proficit perſeuerando. Amori enim, vel operi iuncta perſeuerantia, plenitudinem creat, parit perfectionem.

Hinc eſt quod voce Pſalmiſtæ de iuſto dicitur,[Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur.] Palma emenſo numeroſo ſpatio florere dicitur,& cedrus Libani annoſo prouectu multiplicatur: Sic iuſtus animo caneſcens, vt palma florebit diuturnitate. Hinc memoratus Pſalmiſta aptè pauca ſubiunxit. [Adhuc multiplicabuntur (haud dubium quin iuſti) in ſenecta vberi.] Aduertendum itaque optimi meriti,ac ſingularis iuſtitiæ Mariam, quæ ſuper Angelos meruit exaltari,prius hic in ſenecta vberi debuiſſe multiplicari. Quod vbi prouenit ex diuino munere, abſconditus honor eius, & forma quam geſſit in occulto,effecta luce clarior, & omni elegantia præſtantior,ora in ſe ſupernorum ciuium,animoſque mirabili dilectione conuertit.

Pſ.91.13. G *Ibid. Zach.13.1.*

Iam vero quis digne laudibus efferat ſacratiſſimam eius aſſumptionem? quis ſatu explicet, quam læta migrauit à corpore, quam læta vidit filium, quam gaudens properauit ad Dominum, Angelorum vallata choris, Apoſtolicis fulta obſequiis, dum Regem cerneret in decore,& Natum cum gloria præſtolantem ſe videret,ſicut expers totius corruptelæ, ſic immmunis ab omni moleſtia? De carnis habitaculo educta eſt perenniter habitatura cum Chriſto.Tranſiit autem in viſione Dei, & beatiſſimam illam animam ſole clariorem, cælo celſiorem, Angelis digniorem, Domino exhalauit. Enimvero in tranſitu eius Glorioſo illuſtratur mons Sion, vbi prouecta dierum deceſſit in ſenectute bona. Ibi expleuit munus vitæ,dans plenam atque perfectam virtutum omnium conſummationem. Ibi orienti magis quam morienti, & abituræ plus quam obituræ occurrunt caſtra Dei, & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cœleſtis. O quam pretioſa in conſpectu Domini mors Genitricis ſuæ!Quæ vita adæquabitur morti eius?quæ gaudia funeri eius? addas licet mundanos honores, addas conuiuia, ac feſta trophæa,addas omne quod demulcet,& quod delectat vniuerſum,his tamen omnibus iucundior,atque ſuauior eſt. Eſt enim abſolutio à carne,via ad vitam,nil habens doloris,acerbitatis nihil,nihil formidinis.Fouet autem pro dolore, delectat pro acerbitate, & pro metu firmat in littore fide ſtationis. Nec tenebras inducit, quæ

H

A lumen æternum aperuit, nec vitam tollit, quam dirigit ad auctorem vitæ.

Hac morte Glorioſa migrauit, ſi tranſitum ad vitam mortem liceat nominare. Imo, vt verum fatear, vita eſt, vbi ſola mors moritur, vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quiete defuncta, fœnore multiplici in poſterum reſeruatur. An non vita, cum itur ad fontem vitæ, & vita æterna à vita perpeti meatu hauritur? Hoc hauſtu indefectiuo ante deceſſum præuenta eſt mater Virgo, ne tranſitu in ipſo vel leuiſſimo mortis guſtu tangeretur. Egrediens itaque vidit vitam, ne mortem videret. Vidit filium, ne carnis abſceſſu doleret. Euadens ergo libera in tam feliciſſima viſione, & potita optato vultu Dei, venerandos ciues cœli in ſui obſequio, & deductione paratos inuenit. Mirantur illi animam meriti ſingularis exutam æterna labe, nullam carnis aut ſæculi maculam habere. Mirantur exutam artubus, gratia totius puritatis candere. Quid enim primum laudent in ea, integritatem, B an humilitatem, prudentiam, robur mentis, an longanimitatem, honorem matris, an partus nouitatem? Sed virtus integra, & plena gratia magis in illa laudatur.

Vnde Dominus aſſiſtens egreſſæ de corpore ita prædicat laudes eius. (Cant. 4. 7.) [Tota pulchra es mater mea, & macula non eſt in te.] Tota, ait, pulchra es, pulchra in cogitatu, pulchra in verbo pulchra in actu, pulchra ab ortu vſque in finem, pulchra in conceptu Virgineo, pulchra in partu diuino, pulchra in rubore paſſionis meæ, pulchra in inſigni candore reſurrectionis Surge ergo amica mea, (Cant. 2. 10.) columba mea, formoſa mea, immaculata mea, & veni. Iam enim hiems tranſiit abſentiæ meæ, imber lachrymarum tuarum abiit, & receſſit, & redeunte ſole flores angelici apparuerunt tibi. Vox tua ô turtur caſtiſſima exaudita eſt. Tempus aſſumptionis aduenit. Igitur cum Virgo Virginum à Deo, & filio ſuo rege regum exultantibus Angelis, collætantibus Archangelis & cœlo, laudibus acclamante deduceretur, impleta eſt (Pſ. 44. 10.) Prophetia Dauid, dicentis ad Dominum [Aſtitit regina C à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate.] (Prou. 31. 28.) Tunc iuxta Salomonis vocem, ſurrexerunt filiæ, & beatiſſ. prædicauerunt, & reginæ pariter laudauerunt illam, (Cant. 6. 8.) [Quæ eſt iſta, aiunt ſupernæ virtutes, quæ aſcendit dealbata, (Cant. 8. 5.) innitens ſuper dilectum ſuum?] Vel iterum, [Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol?] (Cant. 6. 9.) Itemque aiebant, [Quæ eſt iſta, (Cant. 3.) quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Nouus & admirandus eſt nobis ſplendor iſte, nouus & glorioſus hic ordo aſſumptionis, nouus & gratus odor hic ſuauiſſimus.

Tantis vero deducta laudibus, nec ipſa poterat à laude ceſſare, quæ filium Dei ex ſe genitum, in dextera paternæ magnitudinis ſedentem, ſeque gloria aſſumentem videbat. (Pſal. 72. 24.) [Tenuiſti, ait, manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.] (Pſ. 15. 8.) Et rurſum, [A dextris eſt mihi, ne commouear, propter hoc lætatum eſt cor meum, & exaltabit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.] Quoniam non dereliquiſti me in ſæculo, nec dabis corpus genitricis tuæ videre D corruptionem Sed quid ego his immoror? Vt enim paucis multa colligam, aderat Glorioſiſſimæ verbum ſimplex, & multiplex, verbum intelligibile, continens omnia verba laudum, quo laude ineffabili Dominum ac natum ſuum ipſa honorabat. Eleuata igitur cum vocibus exultationis & laudis prima poſt Deum ſuper omnes cœligenas in ſede gloriæ collocatur. Ibi reſumpta carnis ſubſtantia, (neque enim credi fas eſt corpus eius vidiſſe corruptionem) & duplici ſtola induta, Deum & hominem in vtraque natura, quanto cæteris clarius, tanto ardentius vniuerſis, mentis & carnis oculis contemplatur. Exinde humano generi charitate inenarrabili condeſcendens, & illos miſericordiſſ. oculos, quibus cœlum illuſtratur, ad nos conuertens, communem pro clero, populo, & vtroque ſexu, pro viuis quoque ac defunctis leuat orationem. Adeſt huc de cœlo Glorioſiſſima, & prece potentiſſima, propellens omne quod nociuum, & E conferens omne quod bonum eſt, cunctis ex corde rogantibus ſe munimen præſentis vitæ tribuit, & futuræ. Memor quippe quo fructu effecta eſt mater Redemptoris, libentiſſimè ſuſcipit cuiuſlibet preces peccatoris, & pro vniuerſo reatu pœnitentium apud proprium filium intercedit. Sane obtinebit quid volet parens chariſſima, per cuius caſtiſſima viſcera Verbum Dei venit ad nos, orbis piacula, & veteris delicti cautionem ſanguine proprio lauaturus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat cum Deo Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA OCTAVA DE MARIÆ VIRGINIS plenitudine, ſeu perfectione, gloria, & erga ſuos clientes patrocinio.

PLures, dilectiſſimi, dies elapſi ſunt, quibus Epiſcopali ſarcina oneratus, & curis prægrauatus immenſis, epulum adhuc promiſſum de laude B. Mariæ ſanctæ auiditati veſtræ miniſtrare nequiui. Nunc ergo ipſa eadem F Virgine propitiante, vobis non decro, negotiis quidem me paululum ſubtrahens, * noſtris vero piis deſideriis fauens. (* *fortè veſtris.*) Igitur cœli Reginam, Matrem vitæ, fontem miſericordiæ, deliciis affluentem, & innitentem ſuper dilectum ſuum, (Cant. 8. 5.) ſedulò celebremus officio, & laude licet impari prædicemus. Feramus animos in ſublime, intuentes diligentiſſimè, quod virga elegantiſſima orta de radice Ieſſe, ramorum ſuorum mirabili extenſione ſeſe vbique terrarum expandit, (Iſai. 11. 1.) vt diſperſos filios Adæ, ab æſtu, à turbine, & à pluuia vmbra deſiderabili protegeret, fructuque ſaluberrimo aleret eſurientes. Sublimata itaque ſuper omnia ligna Paradiſi, & ſuper altiſſimorum montium præcelſos vertices exaltata, ipſos cœlos inæſtimabili magnitudine penetrauit, cœleſtium ordinum ſtipata choris, & Virginum choreis adornata. O decus, ô gloria, ô magnificentia arboris huius, cuius fructu indeficienti, cuius paſtu immortali, cœligenis atque terrigenis ſit iugis epulatio, continua exaltatio, felix & ſempiterna laudatio. G Beati qui edunt cibum in regno tuo, (Pſ. 83. 5.) [beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.]

In te etiam laudabitur, non Eua, lethi propinatrix, ſed Maria, vitæ propinatrix, mater, & altrix coniunctorum vita viuentium. In te laudabitur Genitrix tua, (Pſ. 33. 3.) audiant manſueti & lætentur. Lucifer glorioſus & arrogans vulneratus ad ima corruit, audiant ſuperbi, & humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriæ coronata conſcendit, audiant humiles & lætentur. Corruit ille elatus magna de ſe præſumendo; introiuit Maria in holocauſtis totam ſe plenitudine gratiæ committendo. Induratus ille malitia, vltra non adiiciet vt reſurgat; confirmata illa charitate, non mouebitur amplius vt cadat. Centro quippe immobili hærens inexpugnabili firmitate, nulla vnquam moueri poterit mutabilitate. Ille dignitatis Angelicæ clariſſimos fines excedens, dum nititur, ad quod creatus ſpiritus non accedit, inane ſectatus, per præcipitia rapitur, horrore tenebroſo tegitur, ad inferiora laci H defluens, vt in æternum doleat, & iuſtiſſimæ damnationis in tormentis pœnas exoluat. Qui merito diabolus, id eſt, Deorſum fluens appellatur, quia defluxit ex ſupernis, & ſtantibus inuidens, quos valet adhuc ſecum ad inferiora demergit.

Suggerit creditoribus ſuis honores, dignitates, excellentias appetere, alta ſapere, in altum cornu extollere, vulgi acclamationes, † fori ſalutationes primas, in conuentibus ſedere, amare, minores contemnere, († *leg. fort. ſalutationes, primas in conuentibus ſedes amare.*) paribus ſe præferre, maioribus inuidere, gloriæ Dei obliuiſci, alios blanditiis, alios minis, aut pœnis ſubiugare ſibi, idolum ſeipſum ſtatuere, omnia facere ad oſtentationem hominum & laudem. Cum ergo miſeros, elatos, inflatos, attonitos, & mente captos vſque ad nubes extulerit, tunc demum eoſdem ad turpia quæque, & inhoneſta crudeliter eneruatos inclinat, inclinatos ſine vlla miſeratione ſecum ad inferna inferiora præcipitat. At Glorioſiſſima, carne integerrima, mente ſereniſſima, viuentium mitiſſima, quo cunctis humilior &

A ſanctior extitit, eo ſuper omnes eleuata, & in cœlū à cœli ciuibus honorificentiſſime, & ex more imperiali ſuſcepta à Patre ſupremo, in regno claritatis æternæ, & in throno excellentiſſimo gloriæ, prima poſt filium, quem ex ſe genuit incarnatum, iuſſa eſt reſidere. Magne Deus, terribilis & fortis, bonitate ineffabilis, humilem ancillam erigis & exaltas, vnde hoſtem æmulum olim expuleras! Triumphet humilitas augmentis gratiarum, & corona inclyta à te decorata; ſuperbia vero inanis, & tenebroſa dehiſcat. Adſtat ergo Beatiſſima ſingulari merito præcipua vultui Conditoris prece potentiſſima ſemper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda & aperta ſunt omnia, cuncta noſtra videt diſcrimina, noſtrique clemens, & dulcis Domina materno affectu miſeretur.

Ezech. 1. 18. Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur quod ante & retro, intus & foris, atque in circuitu plena ſunt oculis; labores hominum, & dolores, caſus, defectus, cæcitates, inualetudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, B & mala quæque humani generis, non æquè, vt Dei genitrix valent examinare, examinando cœleſti auxilio diluere, & propulſare. Quo enim ſublimius immenſi regis cor aſpicit; eo profundius diuinæ gratia pietatis afflictorum & miſereri, & miſeris ſuccurrere nouit. Vnde Maria, id eſt, maris ſtella prouido Dei conſilio vocata eſt, vt nomine declararet, quod re ipſa clarius manifeſtat. Nam ex quo cœlos cum filio ſuo regnatura conſcendit, induta decore, induta pariter fortitudine, præcinxit ſe, mirabiles elationes maris ſolo nutu compeſcitura. Mare quippe præſentis ſæculi nauigantes, ſeque plena fide inuocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eoſque ſecum ouantes ad littus feliciſſimæ patriæ perducit. Dici non poteſt, chariſſimi, quoties hi aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderent, illi in ſyrtes peſſimas non reuerſuri inciderent, hos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret, illos Sirenarum cantus in exitium dulces pertraherent, niſi ſtella maris perpetua Virgo Maria ope validiſſima obſtitiſſet, ſuoſque iam C fracto gubernaculo, & rate conquaſſata, omni humano conſilio deſtitutos, cœleſti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos euehere.

Nouis itaque triumphis, noua perditorum ereptione, nouis populorum incrementis exultans, gratulatur in Domino, nec contenta partis ſpoliis, ſed humanæ ſalutis cupida, hoſte liuido longius propulſato, alias atque alias ſibi exuuias ſemper acquirit. Igitur in manu potenti, & brachio excelſo tyrannorum fines egreditur, munitiſſima quæque domorum aggreditur, inferna ſub pedibus ſuis faciens contremiſcere, & principem mortis nimio terrore perculſum reſilire. Denique ipſa iubente, vehementer euomit prædam, quam cum in ventrem malitiæ traiecerat, reijciens cum dolore, quam cum ingenti ſuperbia detinebat. Surgunt lapſi, redeunt pœnitentes: peccator videbit & iraſcetur. Maxilla eius hamo dominicæ crucis perforata, reddit liberos, quos antea detinuit captiuos, dentibus ſuis fremens & tabeſcens. Per ma- Psal. 111. 10. trem filio, per Virginem reconciliatur Deo vitæ dati, D morti penitus ſubtracti. Deſiderium peccatorum peribit, deſiderium vero B. Mariæ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miſeriæ, & luto fecis, vt de peccati ergaſtulo, & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono reſpirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit diſperſos, reuocat auerſos, eruens eos qui ducuntur ad mortem, quoſque trahi cernit ad ſupplicia liberare non ceſſat.

Non ſolum autem animarum ſaluti, verumetiam humanorum corporum ſanitati, atque neceſſitati pia diligentia prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ ſanctitatis eius dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbenſque innumera beneficia ſanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta & accepta venia, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capiti languidi, phrenetici, maniaci, arreptitij, nocturno timore, aliove E phantaſmate, ſeu certa maligni incurſione deluſi, qui recepta ſoſpitate, diuini muneris largitatem aſſequuntur. Accedunt nihilominus ad eius veſtigia, qui amaro ſunt animo, mœſti, egeni, afflicti, deſolati, ære alieno obligati, quodque grauiſſimum eſt, viuentes cum dedecoris nota reſperſi. Horum, & omnium de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces ſuſcipit, & Nato ſupplicans omne malum ab eis miſeratrix auertit. Enimvero ſicut ignis attactu cera liqueſcit, & velut ardore ſolis defluit glacies, ſic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduerſi ſubſiſtit.

Notandum vero ac ſolerter intuendum quanto affectu, quantave benignitate cognatos ſibi puritate animi complectitur, & diligit, quæ homines nequam & ſceleratos ſuo interuentu, vt ſæpe dictum eſt à morte peccati, & æternis doloribus inceſſanter abſoluit. Gemina quippe dilectione rutilans & inſignis, hinc in Deum ardentiſſime figitur, cui adhærens vnus ſpiritus eſt, hinc electorum corda blande conſolat & attrahit, eiſque nati largitate optima dona partitur. F

Motu ergo celerrimo ſenas Seraphim alas extendens, nunc in fonte vitæ fruitur amore deitatis, nunc terras ſignis, & virtutibus illuſtrans, vbique ſuis, vt mater iucundiſſima & mirificentiſſima occurrit. Quoſdam præſentia ſubactis vitiis reddit victores, quoſdam magnarum virtutum pio interuentu facit compotes, quibuſdam intimæ contemplationis pandit ſinum, aliis in exitu vitæ iter præbet ſecurum, vt nulla deterreat virtus aduerſarij, quibus ducatum præſtat ad Chriſtum mater vnigeniti Dei.

Extant harum aſſertionum exempla plurima, quæ vt notiſſima, & peruulgata compendioſè prætterimus. Sciendum vero certiſſime, quod creberrima miracula, innumera beneficia, ſpiritales viſiones, cœleſtes reuelationes, ſublimes conſolationes almæ Parentis Domini, orbi terrarum aſſidue coruſcabunt, donec finem mundus iſte ſeneſcens inueniat, inclareſcente regno, cuius non eſt finis.

Sed inter hæc ad memoriam redit dies illa famoſa H iudicij, cuius altitudinem ſanctus Propheta Dauid ſe Pſ. 55. 4. timere pronunciat, quam ſemper appropinquare fidelium nullus ignorat. Illo igitur tremendi examinis articulo, obſequentibus Angelis, Archangelis, omnique exercitu militiæ cœleſtis, Rex cœlorum aderit cum præfata piiſſima Genitrice, orbem terræ iudicaturus in iuſtitia, & populos in æquitate. Pſ. 97. 9. Tunc illa fulgebit luce ſplendidiſſima, cuius per vterum intactum, & clauſam ianuam rex gloriæ Deus mundo irradiauit. Illo in tempore patebit veritas Patriarcharum & Prophetarum, qui Virginis partui Deifice olim atteſtati ſunt. Apoſtoli quoque filij eius, virtutum illius imitatores & teſtes, afferent ei gloriam & honorem, quia eius doctrina irradiati, & ſpiritu ſapientiæ illapſo cœlitus confirmati, veri ſolis ſplendoribus Eccleſiam repleuerunt. Exultabunt martyres in decore, & gratia effuſi ſanguinis, mercedem optimam habentes Deum de Deo, qui naſci dignatus eſt ex ea.

Gaudebunt Confeſſores, videntes Glorioſam, quam G in terris poſiti dilexerunt, & vita comite laude celeberrima merita eius proſecuti ſunt. Gaudebunt, inquam, intuentes illud ſingulare diadema, quod in die ſolennitatis & lætitiæ, in die aſſumptionis, & gloriæ, dilectiſſimæ genitrici Chriſtus impreſſit, memorans il- Cant. 3. 11. lud diadema, quo eum illa in die deſponſationis coronauerat. Gant. 1. 3. Current virgines in odore vnguentorum eius, properantes ingredi cum ea ad nuptias, vt in cœleſti thalamo vero Sponſo perenniter ſociatæ, Maria præ- Matth. 25. 7. Apoc. 14. 3. cinente, nouum canticum ſuccinant, quod nemo valet dicere, niſi mente & corpore virgo ſit. Denique omnis ſexus & ætas, omnis ordo & dignitas Beatiſſimam prædicabunt, & populus innumerabilis acclamabit illi in iubilo, meritis eius & precibus ſaluatus, & in dextra pio coronatus à Domino. In quorum numero, & ex quorum collegio nos eſſe contingat, ô Clemens, ô Pia, ô Dulcis Maria, vt cum dies erit iræ, tribulationis,

A & anguſtia, non pro reatu puniamur, ſed pro te Domina digni inueniamur miſericordia eius, qui aſcendit ad Patrem parare famulis ſuis locum, vt eas in amœniſſima cœli regione, lucidiſſimis paradiſi manſionibus inter vernantes ignitos lapides collocaret, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui eſt decus, honor, poteſtas, gloria & magnificentia cum eodem Patre, & Spiritu ſancto per infinità ſæculorum ſæcula. Amen.

Ioan. 14. a.

EPITOME VITÆ DIVI AMEDEI Lauſannenſis Epiſcopi.

B *Amedeus caſtro Caſta iuxta Viennam Allobrogum, magni Antonij oſſibus venerabundam, nobilibus parentibus originem duxit. Hic morum integritate, literarum inſtitutione, atque virtutum decore ſtirpis generoſitatem longè ſuperans in cœnobio Altecumbæ Ciſtercienſem profeſſus ordinem, Abbas præficitur. Succedentibus inde temporibus, circiter annum Dominici Natalis quadrageſimum quartum ſupra milleſimum, Lauſanenſis Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus, multa eidem Eccleſiæ impendit beneficia. Amedeum Gebennarum comitem, qui arcem munitiſſimam ad expugnandam ciuitatem Lauſanenſem in eminentiori propè vrbis mœnia loco, per longam obſidionem erexerat, non tam armis quam prudentia deuictum, machinam ipſam funditus euertere compulit. Eugenius III. Pontif. Max. Conradum II. Fridericum I. Imperatores Auguſtos, & ad indulta iamdudum confirmanda, & ad noua inſtauranda Eccleſiæ ſuæ priuilegia fauentiſſimos habuit. Huic Fridericus in hæc verba ſcribere ſolitus eſt, Chariſſimo Cancellario noſtro Amedeo Lauſanenſi Epiſcopo, qui genere & nobilitate, nec non fidelitate nobis aſtrictus cognoſcitur, &c. Frequens illi mora apud Ponidonem, cœnobio Altacriſtæ vicinum, vt qui eiuſdem religionis, ac habitus monachus eſſet. Fama eſt, illum in die S. Agnetis natum, imbuendum literis traditum, ordinem profeſſum, & Abbatem factum. Quadam eidem Virgini deuotior, ſacra illius duplici feſto inſtituit per totam Lauſanenſem diœceſim peragenda. Scripſit homilias in laudem Chriſtiparæ Virginis octo, tam dicendi ſuauitate, quam myſteriorum profunditate delicioſas. Quæ cum nulli adhuc mortalium manifeſtaſſet, ſollicitatur tamen à ſorore ſanctimoniali, virgine religioſa, quatenus ei iucundum illud munuſculum communicaret. Annuit frater ſororis deſiderio ea conditione, vt illa iucundum quoque munuſculum, quod à glorioſa Virgine accepiſſet, viciſſim impertiret. Mittit continuo ſoror laneam chirothecam, quæ in præſentem diem Lauſanæ in reliquiario ſacroſanctæ Virginis Mariæ viſitur, quamplurimis laudata miraculis. Vnde coniectura facilis, quantum vtrique viuenti adhuc cum diuis commercium. Præfuit Lauſanenſi Eccleſiæ annis quatuordecim. Mortuus illic, & ante altare S. Crucis in æde Diuæ Mariæ ſepultus.*

C

D

Additio ad hanc vitam.

Ex hac vita facilè coniiciat lector noſtrum Amedeum alium eſſe ab Amedeo illo, aliàs Amatore, vel Ioanne Meneſio, de quo R. P. F. Henricus VVillot in ſuis Athenis Orthodoxorum Sodalitij Franciſcani, cui & has Homilias, quas nunc damus, tribuit. Etenim Amedeus noſter ſub Eugenio III. Summo Pontifice, ac Friderico I. Imperatore vixit. Amadeus vero ſub Paulo II. ac Sixto IV. Romanis Pontificibus, inter quos & Eugenium tertium non pauciores ferè quàm trecenti anni interuenerunt: ſiquidem Eugenius vixit circa annum 1146. cum creatus Pontifex anno 1145. obierit anno 1153. Paulus vero, ac Sixtus floruerunt anno 1471. quo ille mortuus, iſte ad Summum Pontificatum euectus eſt. Auctorem habeo Panuinium in Chronico Romanorum Pontificum. Mitto quod noſter Amedeus fuit ex familia Ciſtercienſi, at Amadeus vel Amator ex Franciſcana. Denique Amedeus fertur fuiſſe Epiſcopus Lauſanenſis: de Amadeo haud conſtat Epiſcopus necne fuerit. Quod ſi Patria non nihil ad hanc rem facit, vt debet certè plurimum, Amedeus Allobrox, Amadeus Hiſpanus fuit: quod & Meneſi nomen, & Comitum Villa Regia familia ſatis indicat. Quæ cum ita ſint, maneant Amedeo noſtro ſuæ homiliæ donec aliquis meliora adſerat, quibus contrariam ſtabiliat huic noſtræ ſententiam: quod vbi feceris, libenter veritatis amatores cedemus veritati, quam vnam quærimus, contentiones non fouemus.

E

B. CALIXTI PAPÆ II. Sermones quatuor.

Obiit Romæ an. Chr. 1124. Onuph. Sæcul. XII.

In Sanctum Iacobum Apoſtolum in Galæcia habiti.

De Calixto Papa II. vide Galliam Chriſtianam in Archiepiſcopis Viennenſibus, vide etiam Ciaconium, in vitis ſummorum Pontificum, Poſſeuinum in apparatu, Ludouicum Iacob in Bibliotheca Pontificia & alios, qui tamen omnes harum homiliarum nullam faciunt mentionem, quas primus edidit Ioannes Mariana Societatis Ieſu Presbyter. *Obiit Porrò Calixtus Romæ anno 1124.*

In Vigilia S. Iacobi Zebedæi Apoſtoli,

Lectio ſecundum Marcum, cap. 3.

G In illo tempore aſcendens Dominus IESVS in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, &c.

SERMO B. CALIXTI PAPÆ lectionis eiuſdem primus.

VIGILIÆ noctis ſacratiſſimæ ſolemnitatis Beati Iacobi Zebedæi, Apoſtoli Galæciæ, nobis dilectiſſimi fratres, aduenerunt: in quibus nobis eſt à malis ceſſandum & in bonis actibus perſiſtendum, & diuinæ charitatis intima affectione lætandum. Quam nimirum ſolemnitatem congruum eſt, vt ieiunio & vigilia præuenire ſatagamus, & in quantum poſſumus delictorum noſtrorum maculas, gemitibus, lachrymis, & eleemoſynis tergamus, concordiam & charitatem diligamus, tranſitoria mundi oblectamenta contemnamus, vera patriæ cœleſtis gaudia tota mentis auiditate amemus. Et vt nobis à iuſto iudice debita relaxentur, pro ipſius amore debito inueniri valeamus. Hinc eſt quod Eccleſiaſtica religio ante maiorum ſanctorum ſolemnia ab illicitis abſtinere, ieiunare, ac vigilare conſtituit, vt in hac videlicet die caro per continentiam aliquantulum afflicta à peccatorum ſordibus expietur. Et licet omnibus diebus orare & abſtinere conueniat, hac tamen die amplius ieiuniis, eleemoſynis, ac precibus inſeruire oportet. Et ne ad ea quæ hortamur, dilectiſſimi, torpeatis, à ſæcularibus vobis exemplum accipiatis. Si quilibet famulum cuiuſlibet terreni potentis ſuſcipere deberetis, hoſpitij veſtri domum diligenti ſolicitudine mundam facere ſtuderetis. Si hominum introitu corporea domus emundatur, cur præcipuè Deo venturo domus animæ ſumma munditiæ diligentia non præparatur? Sciendum vero quod qui dignè & mundè æterni regis militem ſolemni officio ſuſcipit, & ipſum regem æternum in milite ſuſcipit. Ipſo in Euangelio teſtante, qui dicit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Si ergo quod vni ex minimis Chriſti fit, ipſi fit, conſtat quia quæ

H

Matt. 25. 40.

vni

A vni ex ſanctis eius fiunt ipſi fiunt, ad hoc tamen Apoſtolica voce moueamur, cum dicitur, *hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*, in ſomno quippe ſumus dum in carnis voluptate torpemus, & in peccandi conſuetudine Rom. 13. 14. manemus. Sicut enim per ſomnum corpus aggrauatur, ita & per carnis voluptatem & peccandi conſuetudinem animus deprimitur. Hinc itaque ſcriptum eſt, 1. Cor. 15. 34. *Euigilate iuſti & nolite peccare*. A ſomno ergo huiuſmodi ſurgimus cum carnis voluptate propoſita, peccandi conſuetudine relicta ad Dei dilectionem, & ſeruitium prompti efficimur. A ſomno attamen iſto nunc præcipue tempus eſt, vt ſurgamus, qui venerabilem magni Iacobi ſolemnitatem, cras celebraturi ſumus, cuius iam vigilias proculdubio recolimus. Hinc etiam Efai. 1. 16. Dominus per Iſaiam hortatur dicens, *lauamini, mundi eſtote*. Lauare itaque nos oportet, confeſſione, pœnitentia, fletu, afflictione mala quæ geſſimus, & in munditia illa perdurare, ne iterum per illicita ſordeamus. Sicut enim qui lauatur à mortuo, & iterum tangit eum ſordidus B efficitur; ſic qui delictum reiterat, coinquinatus habetur. Pſ. 36. 27. Hinc Pſalmiſta ait: *Declina à malo, & fac bonum*, & hinc etiam patet, quia non ſufficit homini abſtinere à malo niſi faciat quod bonum eſt. Quod oſtenditur cum iterum per Iſaiam dicitur: Eſai. 1. 16. *Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere*. Quia ſicut peruerſe agendo à Deo disiungimur, ſic benefaciendo coniungimur. Scitote fratres chariſſimi, quia ſicut eſt inhoneſtum homini pranſuro ad regis terreni menſam, coinquinatis veſtimentis acceſſiſſe; ſic turpe eſt animæ Chriſtiani in celebratione tanti Apoſtoli cum vitiis quibuſdam adueniſſe. Et vltra vt faſtidioſum eſt regi terreno ſi quid ſordidum aut reprehenſibile in reſidente ad menſam eius viderit; Ita inhoneſtum eſt diuinis aſpectibus Dei, ſi quid forte horrendum aut vitioſum in Chriſtiano in celebritate B. IACOBI feſti fuerit. Et idcirco oportet vt non ſolum caueamus in eius diebus à vitioſo lapſu, ſed etiam longe ante abſtineamus, ne graui crimine deturpati, verum etiam bonorum floribus adornati ad feſta C tanti Apoſtoli accedamus. Ne nobis dicatur quod reprobo ad nuptias introgreſſo à bonis operibus nudo à Mat. 22. 12. Domino dicitur: *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem*? At ille obmutuit. Tunc rex ait, *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Animaduertitis, fratres chariſſimi, quoniam velut iſte idcirco quod nudus à veſte nuptiali erat, a conſortio conuiuantium eiicitur, ſic timeo ne a conſortio ſanctorum fiat alienus, qui ad eorum ſolemnia celebranda bonis operibus acceſſit nudus, & ſi ille qui abſque bono opere ad celebranda ſanctorum feſta acceſſit, ab eorum conſortio ſequeſtratur; quid tunc fiet de illo, qui cum malis operibus abſque pœnitentia acceſſit? Timeo ne pari pœna puniatur. Sciendum vero eſt, quod qui iuſte & dignè B. IACOBI feſta celebrauerit, cum ipſo cuius victricem diem colit, proculdubio perenni ſæculo ſanctorum ſolemnitate Angelorum participabit. Si enim ipſius feſta colimus in mundo, multo altius & Angeli colunt in cœ- D lo. O quam dignum eſt, fratres chariſſimi, atque glorioſum feſta Sanctorum colere cum Angelis quorum regna accepturi ſumus vna cum eis in cœlis. Quiſquis igitur aut in fornicatione, aut in homicidio, aut in adulterio, aut in cæteris vitiis lapſus eſt, ad pœnitentiæ recurrat medicamenta, vt ad celebranda tanti Apoſtoli Chriſti ſolemnia idoneus efficiatur: Quatenus celebrata dignè eius ſolemnitate partem æternæ celebritatis ſanctorum habere mereatur. Si enim aliquis forte aliquo crimine lapſus, in his ſacris ſolemniis B. IACOBI fuerit, vel cum delicto antea perpetrato ad feſta eiuſdem abſque pœnitentia acceſſerit, vel à bono opere in his ceſſauerit, vel rebus ſæcularibus præoccupatus fuerit, niſi pœnituerit, fruſtra feſta celebrauit, quia laudes ſuas coram Deo vacuas fecit. Quapropter Dominus per Prophetam non ſolum à prauis actibus ſed & à malis cogitationibus præcipit abſtinendum, nobis dicens: Eſai. 1. 16. *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*.

E Celebrare enim feſta Sanctorum perpetuam populorum requiem demonſtrare eſt. Cum enim à terrenis actibus his diebus quieſcimus, tunc oſtendimus, quod ſicut ille cuius feſta colimus in æterna requie eſt, ita & nos vna cum eo in perenni paradiſi requie erimus Domino dante, ſi à malis ceſſamus actibus, & bonis implicamur. Cumque in eorum vigiliis ieiunamus, tum oſtendimus, quod ſicut à cibis corporalibus abſtinemus, ſic à nociuis actibus abſtinere debeamus. Quandiu enim Adam à cibis interdictis, & vitioſis abſtinuit tamdiu in paradiſo extitit; mox vt comedit ſtatim expulſus eſt. Vnde datur intelligi quod qui ſanctorum vigilias ieiuniis, precibus, & eleemoſynis in præſenti ſanctificauerit, illorum gloriæ particeps in futuro erit. Qui vero in illis non ieiunauerit, aut à bonis, vt prædiximus, ceſſauerit, aut illicita fecerit, à ſanctorum conſortio profecto alienus erit. Et qui in aliis rebus ieiunat & vacat à malo, & bene facit, habebit coronam. Qui vero hac die non ieiunat, & bene non facit, & à malis non ceſſat, ſentiet pœnam. F Sed quod deterius eſt, diabolus inuidus & miniſtrator vitiorum, qui Adam in paradiſo tentauit, quique ſemper ſanctos à bonis operibus non ceſſat auertere, ipſe in ſanctorum ſolemnitatibus intentus magis quam aliis diebus ſtimulis ſuis ſubdole ſolet tentare. Sunt & nonnulli (quod peius eſt) qui diebus feſtiuis magis quam aliis ſolens vitiis deteriorari pluſquam meliorari. Certe non ille qui aut inuidia, aut detractione, aut ebrietate, aut ſuperflua commeſſatione, aut fornicatione, aut ſæcularium rerum occupatione aut homicidio, aut venatione auium, ſiue pecudum, aut ioco alearum ſiue *ſcaquorum*, aut obſidione ſiue vindicta ſiue acie inimicorum, aut in oppreſſione fratrum, aut in aliquo graui crimine deprehenſus fuerit diebus feſtiuis, ſanctorum feſta non celebrat: ſed qui in egenorum diſtributione, aut in hoſpitalitate, aut caſtitate, aut infirmorum viſitatione, aut ſacra lectione, atque prece, aut pacis diſcordantium locutione, aut aliqua bona operatione vſus atque inuentus fuerit. Quod in ſancto Moyſi & populo Iſraëlitico oſtenditur, cum Moyſes in monte Sinai cum Exod. 32. G Domino morabatur, & populus perfidus conflatilem vitulum operabatur. Quid eſt hoc quod Moyſes cum Domino cum diuina contemplatione ſtat, & populus vitulum adorat? niſi quia religioſi quicunque, qui ſanctorum feſta celebrare rite & in contemplatione perſiſtere deſiderant, longe ante à vitiis abſtinent, & peruerſi è contrario, qui antea per multos dies abſtinuerunt nunc à bonis ceſſando peccata committunt. Ob hoc Marc. 3. 4. dicit Scriptura: *Male celebrat Sabbathum qui à bonis* Luc. 6. 9. *operibus vacat*, & Pſalmiſta ait: *Mutauerunt gloriam* Pſal. 105. 20. *ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Gloriam ſuam peruerſi in ſimilitudinem mutant vituli, qui beſtiali more Apoſtolica ſolemnia colunt, qui vitiis in eis inſeruiunt, cum facinoribus ſuis abſque pœnitentia ad celebranda eadem accedunt, & bene dicit: Pſal. 105. 21. *Obliti ſunt dominum qui ſaluauit eos*, quia dominum ignorant, qui eius ſanctorum ſacra ſolemnia non cum bonis actibus, ſed ebrietatibus & luxuriis inceſtis, & otioſis verbis ce- H lebrare appetunt. Populus vero Hebraicus non multa in Ægypto peccata perpetrauit, qui poſtea in adorato vitulo in deſerto corruit, per vitulum Deum offendiſſe dicitur, quid hoc? niſi quia ſunt nonnulli qui ante beati huius Apoſtoli Domini Iacobi feſta ſe à vitiis abſtinent; & nunc laqueis diaboli male operando capiuntur; quod auertat Deus, fratres à vobis ne fiat iſtud. Ecce chariſſimi quomodo Apoſtolicam ſolemnitatem digne celebrare valeamus. Ecce quemadmodum eius ingentem atque honorabilem celebritatem excolere, & noſmetipſos cum ſumma munditia præparare debeamus. Penſandum quippe nobis eſt, vt nos iterum mundos, quantum poſſumus, per abſtinentiam faciamus, & in celeberrimo ſolemnitatis eius die idonei eius officiis adſiſtamus. Quatenus cum venerit in vltima die cum duodena turba Apoſtolica iudicaturus duodenam turbam Iſraëliticam, vltionis iudicium eius præſidiis euadere mereamur, & cum ipſo regnare in cœleſtibus regnis ſine fine.

A *Vigiliarum olim vſus: vide Baron. in Martyrol. Rom.*

Mos Eccleſiaſticus, qui maiorum ſanctorum vigilias, confeſſionibus, lampadibuſque & cereis nocte in Eccleſiis celebrat, à priſcis patribus veteris legis ſumpſit exordium. Oportet igitur pridie ante vigilias baſilicam ſcopis & pulueribus mundare, tapetis, palliis, & cortinis, & iuncis exornare, vt conuenientius in ea clerus & populus precibus poſſit vacare. Quod pœnitentiam ſumere à ſacerdotibus in Eccleſia prædicante vigiliam plebem fidelem oporteat, Codex Exodi oſtendit cum dicit: *Cumque lauaſſet populus veſtimenta ſua, ait ad eos Moyſes: Abſtinete ab vxoribus; eſtote parati vſque in diem tertium; nec appropinquetis vxoribus veſtris.* Sicut igitur plebs Hebræa legem acceptura veſtimenta ſua lauit, & à propriis vxoribus abſtinuit: Sic populus Chriſtianus Apoſtolica ſolemnia celebraturus ante vigilias pridie lauare non ſolum veſtimenta, verum etiam per pœnitentiam à ſacerdotibus acceptam corda & corpora ſua lauare, & à propriis vxoribus vſque ad diem octauum abſtinere debet. Et quidem ſi à legitimis vxoribus eſt abſtinendum, quanto magis ab illicitis pollutionibus. Quod tota nocte populum in Eccleſia coram altari orare, manibus cereos ardentes tenere, ſtare, & non ſedere, vigilare & non dormire oporteat: Teſtatur Dominus qui ait: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lumbos præcipit præcingere, vt luxuriam quæ in lumbis eſt, coercendam eſſe demonſtret. Lucernam quippe tenere manibus præcipit vt bona opera facienda deſignet. Quod ſtare debeant in Eccleſia ſuper pedes qui vigilant, & non ſedere niſi ad tempus teſtatur Paulus qui ait: *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate.* Et Dominus ad Prophetam: *ſta* inquit *ſuper pedes tuos*: Multi facies ſuas tempore ſomni candelis ardentibus ne dormirent exuſti ſunt. Maluerunt enim barbam & capillos ardere, quam coram altari Dei turpibus cogitationibus mentem maculare. Quod cereus vniuſcuiuſque à veſpere vſque ad primam Miſſam finitam ardere debet, teſtatur populus Iſraëliticus, qui per deſerta gradiens à columna ignis, quæ nocte in nube ſuper eum apparebat, meruit illuminari. Perdurabat enim a nocte incipiente vſque ad luciferum, quod eſt ſtella matutina. Sed ſciendum eſt inter cætera, quod *cereus* quem manibus vigilans tenet, Trinitatis fidem demonſtrat. In cera Deus Pater, in filio eius Vnigenitus, in lumine Spiritus paracletus ab vtroque procedens ſignificatur. Quam fidem debet corde firmiter tenere qui candelam manu tenet per noctem. *Pallia, & ſeria, & tapetia*, cæteraque ornamenta quæ ſuſpenduntur his diebus in Eccleſia, *fidem, ſpem, & charitatem*, cæteraſque virtutes inſinuant, quibus cordis noſtri thalamum adornare debemus, quo ſummum hoſpitem, ſcilicet regem ſempiternum IESVM CHRISTVM recipere mereamur. *Iuncus* qui cum cæteris herbis ſub pedibus ſternitur, ſuperbiam quam cum cæteris vitiis ſequentibus ſub pedibus noſtris bene operando calcare debemus, deſignat. Huiuſmodi vigilias populus paſchatis in Ægypto oſtendit, qui mœrorem Ægypti fugere, terramque repromiſſionis ingredi cupiens, nocte euigilans renibus accingitur, calceamentis induitur, baculis ſuſtentatur, oſtium domus ſuæ agni ſanguine conſecratur. Si ergo populus Paſcha ſuum; ſcilicet tranſitum de Ægypto ad terram promiſſionis, de temporalibus videlicet temporalia nocte celebrat, quanto magis & nos vigilando beati IACOBI diem feſtum, quo de temporalibus ad ſedes paradiſicas tranſiuit, celebrare debemus, ipſo enim annuente de huius carnis exilio nos tranſituros ad paradiſum credimus. Sicque ipſi populi terrenum agnum tamen figuratiuum per familias & domos ſuas nocte comedebant: quanto magis & nos in die feſto noſtri IACOBI per Eccleſias ſummo diluculo, expulſis delictorum tenebris, verum agnum immaculatum, peccata mundi auferentem, ſacrificare & communicare debemus, ſi nocte vigilabant, qui ab hoſtibus per Moyſis manum liberari optabant, quanto magis & nos vigilare debemus in beati Apoſtoli nocte, quia eius præſidiis à vitiis & hoſtibus dæmoniacis liberari optamus. Si vero calceamentis induebantur, quanto magis & nos prædicationibus & exemplis mortuorum animalium, id eſt, Primorum Patrum greſſus noſtros introire eorumque acta enarrare debemus, ſi baculis ſuſtentabantur, quia iter arripere feſtinabant, quanto magis & nos efflagitare ſanctos debemus, vt in itinere regni cœleſtis nos adiuuent. Si poſtes domus ſuæ agni ſanguine intingebant, quanto magis & nos dominicæ crucis vexillo cordis noſtri domum vigilanti oculo munire contra tentamenta dæmoniaca debemus? Et, ſi plebs Hebræa, quæ terram repromiſſionis ingredi cupiebat, renibus accingitur, bene ergo Chriſtiana plebs, quæ patriam cœleſtem à Deo ſibi promiſſam ingredi cupit, renes dum vigilat, & debet præcingere & luxuriam refrenare, vt nitidior poſſit ante beatum IACOBVM, vigilare. More enim illorum qui corpus mortuum vigilant, ſanctos vigilamus, dum in Eccleſiis eorum funera precibus exequimur. Alij enim dilectiſſimi necem plorant, alij propter honores & ſpolia accepta gaudent. Alij Pſalterij pſallentes precibus inſtant. Igitur ſicut corpus vigilandum inter vigilantes ſiſtitur, ſic veraciter beatus IACOBVS inter vigilantes ſuos eorum preces coram Deo deferens commoratur. Multi enim teſtantur in eius feſti vigilia dum vigilabant, ſe eum in Apoſtolica effigie vidiſſe. In eius ergo vigilia per cordis compunctionem & oris confeſſionem peccata plorare debemus. Inſuper & gaudere, quia ſi bene eam obſeruauerimus, honores & ſpolia vitæ æternæ accipiemus: *Galacianis* maxime qui ſpolia, i. Venerandum corpus acceperunt, quotidie illis gaudendum eſt & lugendum. Lugendum dum male ea diſponunt; gaudendum dum bene, vt Laurentius, diſpergunt. Pſallitur enim de eo ſic: *diſperſit, dedit pauperibus*, non diuitibus. Item ſicut mos eſt in exequiis defuncti, clericos pſallere; ſic omnibus vigilantibus in beati IACOBI vigilia corde & ore pſallendum eſt. *Præoccupemus*, inquit Pſalmiſta *faciem Domini in confeſſione & in pſalmis iubilemus ei.* Et Apoſtolus ait, *pſallam Spiritu, & pſallam mente.* Multi enim pſalmos ignorantes olim fuere, qui magna præmia legentibus pſalteria in hac nocte dederunt. Quod octo diebus ſiue beati IACOBI, ſiue maiorum ſanctorum ſolemnia obſeruari debeant, teſtatur Paralipomenon qui de templo Salomonis loquitur dicens: *Fecit ergo Salomon ſolemnitatem in tempore illo ſeptem diebus & omnis Iſraël cum eo in Eccleſia magna valde*: & fecit in die octauo collectam ſcilicet in templo. Vigilandum ergo & orandum hac in nocte nobis eſt, ne in tentationibus peruerſis occumbamus. Scriptum quippe eſt: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Et iterum: *Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus eſt.* Et alibi, *Vigila[& ora] in omnibus labora.* Et iterum: *Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie. Fores* ſapientiæ typice *Apoſtoli* ſunt per quos fideles regnum cœlorum ingrediuntur. Igitur qui in Apoſtolorum vigiliis vigilat, ad fores regni cœlorum vigilat. Veruntamen ſi bene vigilauerit quis in hac nocte ad illam remunerationem ſe accepturum ſe parare dicitur quam prudentes Virgines acceperunt quæ lampades ſuas manibus tenuerunt, operibuſque in bonis vſque ad aduentum veri Sponſi ſui perſeuerarunt. Dum enim media nocte clamor ſponſi aduenientis fit, prudentes intrauerunt cum eo ad cœleſtis reginæ nuptias perpetuas; & fatuis dormientibus in peccatis clauditur cœleſtis aulæ ianua, & datur reſponſum. *Amen dico vobis neſcio vos.* Qui enim Deum ignorat in peccatis, ignorabitur ad ianuam regni cœleſtis. Gedeon ſuos bellatores vt lampades ardentes in ollis occultarent, manibuſque geſtarent, & appropinquatis hoſtibus ollas quaſſarent permonuit: Sicque factum eſt, quaſſatæ ſunt ollæ, & pro admiratione charitatis lampadum hoſtes attoniti aufugere. Per *ollas* corpora noſtra, per *lampades* occulta cordis noſtri, bona deſideria, per *hoſtes* dæmones & vitia typice exprimuntur. Lampades in ollis occultamus cum de bonis

Marginal notes: Exod. 19. 14. — B — Luc. 12. 35. — Epheſ. 6. 14. — Dan. 10. 11. — C — *Trinitas in cereo oſtenſa.* — D — Exod. 12. 11. — E — F — *Pſalmorũ vſus.* — H — Pſ. 94. 2. — 1. Cor. 14. 15. — 2. Paral. 7. 8. — Matt. 26. 41. — Matt. 25. 13. — 2. Tim. 4. 5. — Prou. 8. 34. — G — Matth. — Iudic. 7. v. 19.

A cœleſtibus in cordibus noſtris cogitamus. Ollas quaſſamus, cum corpora noſtra præ abſtinentia his diebus affligimus, lampades ardentes oſtendimus, cum bonorum operum exemplum cunctis damus. A facie lampadum fugiunt hoſtes, quia cum in bonis operibus ſemper intentos nos vident dæmones, procul à nobis recedunt, & vitia. Et quidem ſicut in vigilia matutina reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum liberans populum ſuum, ſic ſi beati Iacobi vigilias & ſolemnia luminaribus cordis & corporis diligenter celebrauerimus, in matutinis & Miſſa celebrata à vitiis & hoſtibus dæmoniacis meritis Apoſtolicis credimus liberari: Hæc igitur nox nocti Paſchalis ſolemnitatis in multis conſimilis eſt. Quoniam ſicut illa multis ad ſalutem ſcilicet credentibus; multis ad damnationem, ſcilicet non credentibus eſt: ita hæc nox aliis eſt ad ſalutem, aliis ad damnum. Qui enim turpia vel inania, vel otioſa verba, vel rixas, vel ſtuprum, vel adulteria, vel furta, B vel ebrietates, commeſſationes illicitas commiſerunt, vel iocos ioculatorum diuerſos fecerunt, vel viderunt, *Cantilena immunda.* vel cantilenas mendoſas decantauerunt, niſi reſipuerint, profecto damnabuntur. Qui vero pœnitentes à commiſſis fuerint, & candelas, vt præfati ſumus, manibus tenuerint, & in precibus ac diuinis eloquiis vſque ad diem perſeuerauerint, proculdubio in perenni meritis Apoſtoli à Domino remunerabuntur. Hæc nox caſtos diligit, libidinoſos odit, iniquos fugat, pios amat, ſomnolentos increpat, vigilantes remunerat, collaudantes glorificat, peccantes odit, ſobrios diligit, ebrios repellit, largos multiplicat, auaros damnat, hoſpitales ædificat, crudeles non curat, lætificantes beatificat, iracundos prohibet, maleuolos damnat, amantes ſeruat, pacificos placat, litigantes prohibet, pauperes gratificat, infirmos corroborat, pœnitentes ſaluificat, lugentes veros fouet. Huius ergo ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas lauat, & reddit innocentiam C lapſis, mæſtis lætitiam: fugat odia, concordiam parat, & curuat imperia. Hæc nox eſt quæ per vniuerſum mundum in Chriſto credentes, ſcilicet in hac ſolemnitate à vitiis ſeculi ſegregatos à caligine peccatorum reddit gratiæ, ſociat ſanctitati. Hæc nox eſt de qua dici fas eſt: Pſal. 138. 12. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Quæ tenebris non obſcurabitur, ſed ſicut dies illuminabitur vero lumine, in cordibus ſcilicet verorum celebrantium ſe. O vere beata nox, quæ expoliat à peccatis Ægyptios, ſcilicet pœnitentiam agentes, ditat Hebræos ſcilicet credentes, de terrenis ad cœleſtia tranſeuntes. O vere beata nox, cuius dies meruit ſcire tempus & horam, in qua primus Apoſtolus hac fragili vita ſpoliatur.

Et ſibi pro meritis prima corona datur.

Ceſſemus ergo ab operibus carnis, & operemur bona in his ſacris ſolemniis. Qui enim, vt prædiximus, ab illicitis actibus ceſſauerit, & in bonis vſque in finem perſeuerauerit, ad illum verum montem ſe aſcenſurum ſperare debet, de quo in hodierna lectione Marcus ait: Matt. 3. v. 13. *Aſcendens Dominus Ieſus in montem vocauit ad ſe quos voluit, D & venerunt ad eum, & fecit vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* *Mons, quid in S. ſcript.* *Mons* in ſacro eloquio aliquando Eccleſiam, aliquando cœleſte regnum, aliquando humiles, aliquando altiora præcepta, aliquando virtutes, aliquando ſanctos, aliquando Iudæos deſignat. Eccleſiam, vt veritas ait: *Non poteſt ciuitas abſcondi* Pſ. 14. 1. *ſuper montem poſita.* Cœleſte regnum vt Pſalmiſta ait: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* & reſpondit ei Spiritus ſanctus dicens: *Qui ingreditur ſine macula & operatur iu-* Pſ. 71. 3. *ſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit* Matt. 5. 1. *dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum.* Humiles oſtendit, vt idem Pſalmiſta ait: *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.* Altiora præcepta; vt in Euangelio ſcribitur, *Videns Ieſus turbas aſcendit in mon-* Pſal. 67. 17. *tem.* Virtutes demonſtrat, vt Pſalmiſta ait: *Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?* 2. Reg. 1. 21. Iudæos exprimit vt Dauid ait: *Montes Gelboe nec ros nec pluuia veniant ſuper vos.* Sed E ſuper omnes montes vnus mons Dei, ſcilicet vnigenitus eſt, qui ſuper cunctos Angelos eleuatus eſt. Mons iſte cunctis cœlis eſt excelſior, omnibus abyſſis profundior, terris cunctis latior, omnibus altitudinibus altior. De quo monte Iob cuidam ſibi loquenti ait: *Excelſior cœlo* Iob. 11. v. 8. *eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces eum? longior terra menſura eius & latior mari.* Sicut enim altitudinem cœli & latitudinem terræ, & profunditatem abyſſi & dies ſæculi & pluuiæ guttas vox deficit ad enarrandum, ſic ſublimitatem maieſtatis deificæ mens humana deficit ad excogitandum; ſed tamen augmentatur ad credendum. Quod homo enim ratione humana ex Deo comprehendere nequit, per fidem comprehendi poteſt. Deus qui per rationem humanam comprehendi nequit, fide integra comprehendi poteſt, credenda eſt ergo eius ſublimitas & profunditas immenſa, ſicut erat in principio & nunc & ſemper. Ipſe eſt ergo mons, de quo Propheta Eſa. 2. 3. ait: *Venite, aſcendamus ad montem Domini.* Iſte mons 1. Tim. 2. 4. vocauit ad ſe quos voluit ipſe, *qui vult omnes, homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* F Et fecit vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare; & dedit poteſtatem curandi infirmitates, ejiciendi dæmonia. Apoſtolis, quos ad prædicandum dominus miſit, poteſtatem miracula faciendi præbuit, vt prædicationem ſuam ſequentibus ſignis confirmarent. Dignum enim erat vt noua facerent, qui noua prædicarent. Mar. 3. v. 16. Et impoſuit Simoni nomen Petrus, *Simon* enim Marcus nominat Petrum ad differentiam alterius Simonis, qui dicitur Cananæus. Sed ſciendum quia longè ante, vt in alio Euangelio legitur, *Simoni* datum eſt à domino *Cephas* nomen ſcilicet, cum à fratre ſuo Andrea adductus eſſet ad eum & intuitus illum dixit. *Tu es filius* Ioan. 1. 42. *Ioana; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus,* Ibi vocatur *Cephas*, hic *Petrus*, vt inter Chaldæos, Græcos, & Latinos nomen eius innoteſceret. *Cephas* enim Syriacè, vel Chaldaicè Petrus dicitur, ſiue Græcè, ſiue 1 Cor. 10. 4. Latinè: quod nomen in vtraque lingua à petra deriuatur ab illa ſcilicet de qua Paulus ait: G *Petra autem erat Chriſtus.* Notandum quod ad figuram huius impoſitionis nominis ſacerdos in baptiſmate pueris nomina imponit, & præſul præterea dum reconciliat peccatorem, aptiſſimè confirmat.

Mar. 3. v. 17. *Et vocauit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit illis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui.* Iacobum Zebedæi Marcus dicit ad differentiam alterius Iacobi, qui dicitur Alfeus. Hos duos fratres, *Iacobum* ſcilicet & *Ioannem, filios tonitrui* dominus vocauit. Quia ſicut pater bonus filium ſuum de proprio negotio erudit, ſic tonitruare illos edocuit dum pater in monte Thabor in transfiguratione illis audientibus tonitruauit dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Nec mirum ſi qui de tonitruo ipſius didicerant, poſtea tonitruarunt, Ioannes ſeptem Apocal. Ioan. 1. 1. Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia mirabiliter tonitruauit dicẽs: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Iacobus vero tonitruauit, Domino ei præcipiente in omni Iudæa & Samaria & vſque ad H vltimum terræ limitem Galæciæ. Tonitru ſonos terrificos facit, terram pluuiis irrigat, & fulgorem emittit. Similiter terrificos ſonos iſti duo fratres emiſerunt. Dum Pſ. 18. 5. *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* proceſſerunt. Terram pluuiis irrigarunt dum ſua prædicatione diuinæ gratiæ imbrem credentium mentibus intimarunt. Fulgura emiſerunt dum ſignis & miraculis effulſere.

Mar. 3. 18. *Et vocauit Andream & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thadæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Iſcariotem, qui & tradidit illum.* Duodecim Apoſtoli propriis nominibus à Domino nominantur, & ab Euangeliſtis ſcribuntur, ne pſeudo Apoſtoli ſe de numero electorum præſumant gloriari. Numerus Apoſtolorum non vacat magno myſterio. Duodenarius eſt qui externario & quaternario, conficitur, illos per quos elementa mundi ſanctæ Trinitatis fidem prædicaturos oſtendit. Sciendum

A quod iſti heroes, vt Paulus refert, ante mundi conſtitutionem humani generis ſaluti prædeſtinantur, eliguntur, & ſanctificantur. Iſti barones ſunt piſcatores Dei, animas peccatorum extrahentes de mundano mari periculoſo. Sic enim mundo antea pollicitum fuit à Domino. Hier. 16. v. 16. Ait enim Dominus per Prophetam: *Ecce ego mittam ad eos piſcatores multos & piſcabuntur eos, venatores meos & venabuntur eos.* De his rurſum per Iſaiam Dominus Iſaiæ 60. v. 8. ait: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columba ad feneſtras ſuas, candidiores niue, nitidiores lacte rubicundiores ebore antiquo. Nubes* Apoſtoli vocantur, quia ſicut nubes pluuiam ferentes de loco ad locum tranſmigrant & irrigant, ſic etiam ipſi de ciuitate in ciuitatem euntes pluuiis ſalutaribus verbo Dei terrena corda hominum excæcata irrigant; vt per nubes aqua in terras delabitur, ſic per illos prædicatores Dei filius mundo Iſaiæ 45. 8. reuelatur. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra & germinet Saluatorem.* Cœli deſuper rorant, quando Prophetæ de ſupernis ſedibus Chri- B ſtum mundo prædixerunt, & Angeli de ſupernis à patre ſimiliter venturum nuntiarunt. Nubes iuſtum pluerunt, dum Apoſtoli illum mundo prædicarunt. Terram aperuit, dum Virgo Maria illum recipit. Saluatorem terra germinauit, dum Chriſtum ad mundum ab Adæ peccato ſaluandum virgo Dei genitrix mundo edidit, quod beata Maria *terra* typice ſit, teſtatur Pſalmiſta, *Veritas de terra orta eſt*: quod *aqua* typice Dominus Pſ. 84. 12. Pſ. 21. 5. ſit, teſtatur idem Pſalmiſta, qui in eius perſona ait: *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt oſſa mea.* Aqua effuſa Dei vnigenitus fuit, quia ſicut aqua ſordes abluit, & terram irrigat, ſic ipſe peccata noſtra ſuo ſanguine lauit & corda hominum ſuo ſpiritu & fide irrigauit. *Oſſa* typice Apoſtoli ſunt, quia ſicut oſſa firma ſunt in corpore, ſic Apoſtoli confirmantur & coadunantur in Dei filio, fide & opere. Iſti quaſi columbæ de excelſis feneſtris ad infimas terras deſcendunt, quando ſiue de numine Chriſti ad humanitatem, ſiue de contemplatione ad actionem prædicando condeſcendunt. De C infimis ad excelſas feneſtras redeunt, quando ſiue de humanitate Chriſti ad numen eius, ſiue de actione ad contemplationem loquendo aſcendunt. Nix alba eſt & natura frigida, & olera excoquit, & terras irrigat dum Sol eam calfacit. *Candidiores niue* ergo Apoſtoli fuere, quia quos per fidei confeſſionem prædicando albos fecere, frigidos ſcilicet caloribus vitiorum expulſis reddidere. Olera terrarum nix excoquit quia Apoſtoli tyrannos ſeculares prædicando verberauere, & mundi vitia penitus deſtruxerunt. Sol niuem calefacit, quia Chriſtus Spiritu ſancto Apoſtolos repleuit. Nix terras irrigat, quia Apoſtoli Spiritum ſanctum, quem à Domino acceperunt, credentibus prædicando dedere. *Lac nitidum* eſt per candorem, & dulce per arvinam. *Nitidiores* ergo *lacte* Apoſtoli fuere, quia miraculis mundo effulſere. Dulciores vino & lacte fuere, quia dulciſſimis exhortationibus ſuis mundum puerilem nutrierunt. Ebur Elephanti cum ſit caſtum animal, coitum niſi ſemel non facit, genua ad terram D curuare nequit, pellem & oſſa candida gerit, & pilum habet rubicundum dum ſeneſcit. *Rubicundiores* ergo *ebore antiquo*, per effuſionem ſcilicet ſanguinis Apoſtoli fuere dum corpora ſua diuerſis martyriorum generibus in fide pro Chriſto dedere. *Lauere* enim, inquit Apoc. 7. 14. & 22. 14. Ioannes, *ſtolas ſuas* & corpora ſua per ſanguinis effuſionem & candidas eas fecere in ſanguine veriſſimi agni innocentis per fidei candorem. Elefas caſtum animal eſſe, & genua ad terram curuare non poſſe dicitur, quia Apoſtoli caſti per continentiam fuiſſe dicuntur, & ad terrena negocia nullo modo poſt conuerſionem flecti perhibent. Pellem & oſſa Elefas gerit candida, quia Apoſtoli in fine per operationem bonam candidi facti ſunt. De his iterum Dominus per Prophe- Rom. 10. 15. tam ait: *quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Ante dominicum aduentum inter mundum & Deum erat diſcordia & bellum: ſed iſti barones pacem portantes amicitiam inter illos corroborauere æternam. Iſti ſal terræ, iſti lux mundi, tur- E Apoſtoli. Matt. 5. 13. res fortitudinis Dei, teſtes veritatis, radij veri ſolis, milites cœli, nuntij regis ſummi, feneſtræ nitidæ veri luminis, valuæ poli, claues regni, montes excelſi, tubæ Olympi, præcones Chriſti, prudentes, ſerpentini; ſimplices columbini, agni nouelli, arietes Nabaoth veri, cœli gloriam enarrantes, veri patres, ſeculorum iudices, labrum ablutionis animarum, aurum & argentum diuinum, ſcripturæ diuinæ theſauri. Corbona veteris & noui teſtamenti, manus etiam Domini, pedes Chriſti: oculi Dei, mammæ Eccleſiæ habentur. De quibus vere per Pſalmiſtam dicitur, *cœli enarrant gloriam Dei*. ij Pſal 18. 1. ſunt cœli in quibus Chriſtus habitat & reſidet, in quibus verbis † nimis tonitruat, miraculis fulgurat, gratia † *minis.* rorat, ij ſunt duodecim horæ noctis mundanæ, & duodecim radij ſolis. Iſti magnis myſteriis multiſque figuris & argumentis antequam etiam nati eſſent in mundo præſignantur per duodecim filios Iacob, per duodecim principes duodecim tribuum Iſraël, per duodecim fontes viuentes in Helym ſcilicet in deſerto, per duo- F decim lapides in rationali Aaron inſculptos, per duodecim panes propoſitionis, per duodecim lapides ex quibus factum eſt altare, per duodecim lapides ſublatos de Iordane, per duodecim boues qui ſuſtinebant mare æneum, & per duodecim ſtellas, quæ ponebantur in corona alicuius ſponſæ, per duodecim ſigna cœli, per duodecim menſes anni, per duodecim Romæ ſenatores, & per duodecim ſapientes oſtenduntur. In Apoc 21. 12. nouo etiam Teſtamento per duodecim cophinos fragmentorum, & per duodecim nomina quæ Ioannes in Apocalypſi ſuper portam Hieruſalem ſcripta vidit, & per duodecim fundamenta eiuſdem vrbis deſignantur. Notandum vero quod iuxta numerum duodecim Patriarcharum filiorum ſcilicet Iſraël, & iuxta numerum duodecim Prophetarum Dominus Apoſtolos elegit: & velut ſuper duodecim filios Iſraël tres Patriarchas Abraham, ſcilicet Iſaac & Iacob conſtituit. Sic ex duodecim Apoſtolis tres barones & magiſtros *Petrum* videlicet, *Iacobum & Ioannem* præ omnibus elegit. Hos G tres heroes vno modo ſuper mare Galileæ elegit: hos, dum ſuſcitaret filiam Archiſynagogi in æde cæteris abſentibus diſcipulis ſecum ad videndum miraculum introduxit; his ſua arcana cæteris plenius patefecit; his transfigurationem ſuam in monte Thabor oſtendit, his in paſſione ſua velut cum caris ſuis condoluit, mæſtitiam carnis ſuæ oſtendens eis & dicens: *Triſtis eſt anima mea* Matt. 26. 38. *vſque ad mortem.* Ad iſtorum namque heroum ſimilitudinem Antiſtes in Eccleſia Spiritum ſanctum ſuper presbyteros nunc diſponit. Conſiderandum vero quod duodecim *Apoſtoli*, quos Dominus ad prædicandum miſit, quibus & dedit poteſtatem curandi infirmos & ejiciendi dæmonia, ſacerdotes ſignificant, quibus ipſe verbũ prædicationis & poteſtatem curandi infirmitates animarum per abſolutionis officium, & ejicienda dæmonia per baptiſmi myſterium commiſit, & credendum vt quod per Apoſtolorum manus tunc in corporibus corporaliter faciebat, nunc per ſacerdotum manus ſpiritualiter in animabus etiam ſine infirmis Spiritu ſancto operante fit. Si- H cut enim Apoſtolis Dominus dedit poteſtatem curandi infirmitates corporum & animarum, ſic ſacerdotibus dedit poteſtatem curandi infirmitates animarum & corporum diuinitus. Quod Apoſtolorum nomina ſonant interpretatione, ſacerdotes debent exercere in operatione. Dignum namque eſt vt quorum officiis vtuntur, eorum vocabula operatione imitentur. *Simon* interpretatur obediens, *Petrus* agnoſcens. Bariona, filius columbæ, *Cephas* Petrus. caput. *Ioanna* gratia Dei, obediens fuit, quia Domino vſque ad mortem per ſuſceptæ crucis myſterium obediuit, agnoſcens qui Chriſtum Deum & hominem magis præ cæteris confeſſus eſt dicens: *Tu es Chriſtus filius* Matt. 16. 16. *Dei viui*, filius columbæ fuit, quia repletus Spiritu ſancto Ioan 6. 69. extitit. *Caput* pulchre dicitur, quia eius Eccleſia omnium Eccleſiarum caput habetur, Dei gratia ipſe dicitur, quia eius prædicationibus meritis & precibus cœleſtis gratia datur fidelibus. Sic ſacerdotes debent obedire Deo in

omnibus

A omnibus,& crucis mortem ſubire : pro eo ſi illata fuerit, vel forte pro iuſtitia perſequentur. Agnoſcere etiam debent & ſcripturarum latentia,vt mentibus hominum Dei voluntatem melius poſſint prædicando intimare , filij etiam Spiritus ſancti fide & opere eſſe debent. Capita inſuper omnium ipſi habentur, quorum myſteriis ſacroſanctis omnes fideles ſaluantur , ſanctificantur. Iacobus interpretatur *ſupplantator* , quia de Iudæorum & Gentilium cordibus idololatriam & perfidiam ſua prædicatione ſupplantauit, & vitia reſecauit : ſic ſacerdotes debent ſupplantare hominum vitia exemplis operum bonorum, predicationibuſque ſcripturarum. *Ioannes* interpretatur Dei gratia, quia priuilegium amoris Chriſti,virginitatem cuſtodiendo habere meruit,quia ſacerdotibus exemplum tribuit , vt mente & corpore caſte viuant in Eccleſiis.

In vita B. Andrea.

Andreas interpretatur virilis ſiue decorus,Virilis per patientiam crucis , decorus per confeſſionem cordis. De iſto enim populus ſic eſt confeſſus Ægeæ dicens:

B *Concede nobis hominem iuſtum. redde nobis hominem ſanctum, ne interficias hominem Deo charum,iuſtum,manſuetum,& pium.*Sic ſacerdotes viriles debent eſſe aduerſa tolerando, & decori per mentis & oris confeſſionem ad confitenda

Rom. 10. 10.

peccata. *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Philippus* interpretatur os lampadis, quia de Deo ſenſit fideli corde , omnibus confeſſus eſt prædicando aperto ore. Lampas in anguſto corpore ſuo habet oleum,& in oleo filum,& in filo ignem,& os magnum ſemper habet apertum, per quod claritatem ſuam circum adſtantibus emittit , & tenebras projicit. Per oleum, filium, & ignem fides ſanctæ Trinitatis;& per os prædicatores eiuſdem exprimuntur. Hanc vero fidem ſacerdotes debent habere in corde,& prædicando cunctis confiteri ore, auditorumque mentes tenebroſas illuminare. *Bartholomaus* interpretatur filius ſuſpendentis aquas, quod euidenter filium Dei ſonat, qui prædicatorum ſuorum mentes ad cœleſtia contemplanda erigit & ſuſpendit,vt quod celſa libentius peruolant,eo terrenorum corda veracius dictorum ſuorum guttis inebriant.

C Quod *aqua* populos ſignificet,teſtatur ſcriptura,quæ dicit: *Aquæ vero multi populi,* vt igitur Bartholomæus filius Dei fuit per adoptionem, & aquas. 1. Populos ſuſpendit, ad cœlum per prædicationem ; ſic ſacerdotes debent eſſe filij Dei per obedientiam , & populos aquoſos videlicet in aqua baptizatos ad polorum arcem ſuſpendere per prædicationem. *Matthaus* interpretatur donatus, vel aſſumptus, de maſſa perditorum extitit, quando de telonio illum Dominus ſibi aſſumpſit. Sic ſacerdotes debent eſſe extranei perditis male operantibus per continentiam, & donati gratiæ Dei per operationem bonam. *Thomas* interpretatur *Didymus* & geminus , vel abyſſus , geminus quia duplex in fide fuit, dum Dominum in reſurrectione priuſquam eius fixuras videret , credere noluit , ſed & vidit & credidit. *Abyſſus* quia fideliter , ſacramentorum Chriſti profunditatem propterea cognouit & tenuit, dum in India martyrium gladij pro eo accepit. Thomas dicitur & *Didymus*, hoc eſt , Chriſto ſimilis , quia regali ſtatura fuit Domino conſimilis , ſimili modo prædicatores abyſſus debent eſſe. 2. altitudinem myſteriorum Dei

D ſcripturarumque diuinarum profunditatem agnoſcere, vt poſſint comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit

Marc. 3. 18.

latitudo, longitudo, & ſublimitas , & profundum. *Iacobum Alphai* Marcus nominat ad differentiam *Iacobi Zebedai*. Hic Iacobus ſicut alter ſupplantator interpretatur , quia vita digna, & admonitione, hominum vitia ſupplantauit , quia prædicatores ſua vitia diuerſis afflictionibus , & ſubiectorum crebris admonitionibus ſupplantare debent, bene congruit. De hoc *Iacobo* minore ſcribitur quod vinum & ſiceram non bibit , non animal aſcendit , non carnem manducauit , ferrum in caput eius non aſcendit , oleo non eſt vnctus, balneis non eſt vſus, huic ſoli licebat introire in ſancta ſanctorum. Alij volunt de hoc *Iacobo* , quod frater Domini & cognatus ſit. Idcirco quod Iacobus frater Domini etiam in Euangeliis & in Epiſtola ad Galatas legitur. Alij de alio,

Gal. 1. v. 19.

alij vero ſimul de duobus, alij quidem aſſerunt tres fuiſſe

E ſorores,*Mariã* ſcilicet Matrem Domini, & Mariam matrem Iacobi Alphæi, & Mariam matrem filiorum Zebedæi.Nepos enim & cognatus Apoſtolorum tempore frater eius nuncupatur.Sed quia diuerſa opinio eſt in diuerſis,ita ſane definiendum,vt quicunque illorum per carnis cognationem Domini frater ſit, tamen is per Dei voluntatem quam viuendo tenuit,frater eius fuit, ipſo Domino affirmante , qui ait :

Matt. 12. 50.

Quicunque fecerit voluntatem patris mei,qui in cœlis eſt, ipſe meus frater eſt. Maius eſt eſſe fratrem Domini ſpiritualiter quam carnaliter.Quiſquis ergo aut Iacobum Zebedæi aut Iacobum Alphæi *fratrem Domini* appellat,verum dicit. *Alphaus* Iacobi pater *doctus* interpretatur,quod iiſdem prædicatoribus congruit,qui docti non ſolum vtriuſque Teſtamenti verum etiam diuinitatis Dei firmiter eſſẽ debent. *Thadaus* ipſe eſt quẽ Lucas in Euangelio ſuo & in Actibus Apoſtolorum *Iudam*

Luc. 6. 16.

Iacobi nominauit.Erat enim frater Iacobi fratris Domini, vt ipſe in Epiſtola ſua ſcribit , vnde & ipſe *frater Domini*

F vocabatur teſtantibus ciuibus illius , qui de virtutibus eius ſtupentes aiebant.

Marc. 6. 3. Matt. 13. 55.

Nonne iſte eſt faber Mariæ filius, frater Iacobi & Ioſeph,& Iudæ, & Simonis.Iſte ideſt Thadæus à nonnullis vocatus eſt Letheus. Thadæus corculus interpretatur quaſi cor colens, quia bona cordis ſua deſideria à Deo ſcilicet inſpirata ore per prædicationem coluit,& manu per operationem compleuit,quæ etiam deſideria prædicatores ſimili modo ore admonendo colere, & opere implere debent.*Simonem Cananaum* Marcus ponit ad differentiam Simonis Petri,quem Lucas ſecundum interpretationem *Simon Zelotes* poſuit. *Simon* obediens, *Cananaus* Zelotes id eſt , æmulator interpretatur. *Simon* quia Deo per omnia vſque ad mortẽ obediuit, *Cananaus* quia à Cana vico Galilçæ iſtud cognomen accepit & ſpirituali æmulatione Dei populos prædicando relatus eſt, æmulatio cum in bona ſignificatione ponitur in ſcriptura ſanctum exprimit Apoſtolo dicente, qui ait:

2 Cor. 11. 2.

Æmulor enim vos Dei æmulatione, ſimili modo prædicantes mandatis Dominicis debent obedire , & ſpeciali æmulatione ſuos auditores inflãmare cum Apoſtolo,qui dicit:

G *Æmulor enim vos Dei æmulatione.Iudas,qui tradidit Dominum*, ad differentiam *Iudæ Iacobi* Marcus poſuit , qui autem à vico in quo natus eſt aut ex tribu Iſachar præſagium ſuæ damnationis vocabulum *Iſcarioth* ſumpſit.*Iſachar* quippe qui dicitur *merces* pretium dãnationis inſinuat. *Scarioth* autem quod memoria mortis interpretatur arguit eum non repente perſuaſum , ſed meditatum diutius Dominicæ traditionis patraſſe flagitium.Sed cur Dominus iſtum maleficum elegit , cum ſciret illum ſe traditurum ? ipſe enim ſic eſt de eo teſtatus Apoſtolis dicens:*Vnus veſtrum diabolus eſt*. Cur ergo diabolum in Apoſtolatus ordine prælegit ? idcirco vt domeſticum haberet inimicum, & qui perfectus eſt, etiam nequam familiarem non timet : & vt doceret nos pati malos inter nos & nullũ è cõuictu abiicere:& vt oſtẽderet Apoſtolatũ & Eccleſiaſticos gradus non eſſe meritũ, ſed miniſterium cum tam bene operentur per iſtum impium, ſic per Petrum miracula & Sacramenta diuina.

Act. 1. v. 26.

In eius loco beatus *Matthias*,qui vnus ex ſeptuaginta diſcipulis extitit , ſorte electus ponitur. Matthias Hebraice , latine *donatus* interpretatur , quia

H ordini Apoſtolatus pro Iuda à Deo donatus ſacerdotes oſtendit , quos Dominus ſorte Spiritus ſancti in apoſtolica vice elegit , & ad regendos fideles populos Eccleſiæ ſuæ donauit. *Iudas* qui interpretatur confeſſor , cum in bona ſignificatione ponitur , ſacerdotes oſtendit , qui fidei confeſſionem quam habent in corde debent etiam ore cunctis confiteri, & memorare mortem Dominicæ paſſionis iugiter in prædicatione. Cum vero in mala ſignificatione ponitur Iudas , antiſtites malos, presbyteros , Abbates , monachos , & prælatos , ſanctæ Eccleſiæ iniquos ſignificat, qui Dominum vt Iudas vendunt, cum aut de ſacris ordinibus , aut de Epiſcopis ordinandis , aut de præbendis Eccleſiaſticis , aut de nuptiali benedictione, aut de ſepulturis mortuorum, aut dedicationibus baſilicarum,aut de ſacerdotibus in Eccleſiis iuſte ponendis, vel iniuſte poſitis, aut de defunctorum exequiis , aut aut de pueris baptizãdis,aut de pœnitentiis peccatoribus

A

datis ad excommunicandum in Eccleſia præmiſſis, aut de miſſis & matutinis pretium accipiunt. Sicut mercator & carnifex, qui in macello tres aut ſex aut duodecim aut triginta nummos de appoſita carne facit: ſic ſacerdotes mali & monachi Simoniacam hæreſim ſectantes, Eccleſiaſtica officia vendentes, de Domino aut tres aut ſeptem aut tredecim aut triginta nummos faciunt, dum etiam de miſſis & vigiliis & obſequiis defunctorum gratis cantandis vnum aut ſeptem aut quindecim, aut triginta miſſis quærunt. Sciant igitur ſe damnandos illa vltione in perpetuum qua Iudas perditus damnatur in æuum. Sicut Iudas qui tradidit corpus *Chriſti* & triginta nummorum pretium accepit, damnatur, ſic qui triginta miſſas aut plus aut minus cantat & pretium triginta nummorum aut plus aut minus exinde quærit, punitur. Alij enim ex his mercatoribus vocantur *Iudæ*, alij *Simoniaci*, alij *Giezitæ*. Sicut enim qui Iudas qui primũ accepit pecuniam, & pro ea dedit corpus, dãnatur; ſic Epiſcopi, & ſacerdotes, archipresbyteri & Decani, & Archidiaconi qui prius accipiunt pecuniã, & pro ea dant Eccleſiaſtica dona, damnantur. Et ſicut Simon Magus, qui beato Petro Apoſtolo, vt ab eo Spiritum ſanctum acciperet per quem & miracula faceret, & exinde lucrum quæreret, pecuniam obtulit, à quo etiam audire meruit: *Pecunia tua tecum ſit in perditione*: damnatur. Sic Epiſcopi, ſacerdotes, clerici, & monachi, qui pecuniam, vt aliquos gradus Eccleſiaſticos accipiant maioribus offerunt, damnantur. Et ſicut Giezi cliens Eliſæi prophetæ à Naaman Syro poſt lepræ purificationem pecuniam petiit, & leprã quam princeps amiſerat iudicante, magiſtro accepit, damnatur; ſic qui poſt data ſpiritualia dona & benedictiones Eccleſiaſticas lucrum petunt, lepra peccatorum omnium, quorum pecuniam accipiunt, replebuntur, & diuina vltione damnabuntur. Fugiamus ergo fratres iſtorum facta ne damnationem cum illis feramus in æterna pœna. Diſcamus gratis dare quod gratis à Deo accepimus: *Gratis accepiſtis, gratis date*, impendite cunctis. Non quæſiuit Dominus à nobis pretium cum dedit ſpirituale donum. Non quæramus ab illis quibus damus lucrum terrenum. Sciendum quia in acceptione non eſt peccatum, ſed in petitione. Si enim pecuniam pro dato Eccleſiaſtico officio petimus, peccamus. Si dator ſponte ſua, ſed non aliqua diſtrictione coactus ſine noſtra petitione dat, & nos accipimus, non peccamus. Iterum clerici & monachi qui terram mortuo ad ſepeliendum vendunt, damnantur. Extraneus mercator eſt, qui cum mortuo huiuſmodi forum facit: barbarum forum facit qui terram mortuo vendit. Verum eſt, quod quidam ſuper Canones de Simoniacis ait:

Act. 8. v. 20.

B

Ibid.

4 Reg. 5.

Matt. 10. 8.

C

Iambi dimetri, non accurati.

Receſſit omnis æquitas,
Nuſquam comparet bonitas,
Totum replet iniquitas;
Et vanitatum vanitas.
Nummorum deſiderio
Miſſarum celebratio.
Et omnis conſecratio
Dirigitur ſub pretio:
Sed omnis hæc deſtructio
Et hæc conquinatio
Proceſſit ab initio
De ſacerdotum vitio.
Multi iam pene clerici
Sunt amatores ſæculi.
Non Chriſti iam diſcipuli,
Mammonæ facti famuli.

D

Nec minus damnabuntur prælati mali qui ab illis qui trebam frangunt vel maiora peccata committunt, fraudulenter pecuniam ſcilicet aut viginti aut viginti ſex ſolidos aut marcham argenti aut plus aut minus accipiunt. Sic non accuſator prælatus reo ſtanti coram ſe dicit: Vah, qui trebam fregiſti, vel tanta mala feciſti fac mihi rectũ: emenda trebam, da mihi fideiuſſores pro certo: non dicit vt ſatisfaciat Deo cui peccauit, ſed dicit vt ſibi rectum faciat quem non offendit, at ipſe accuſatus datis fideiuſſoribus prælato aut pecuniam mutuo iuxta illius ad dictum ei dabit, aut diſtricti iudicij ſententia, aut excommunicationis illum prælatus damnabit. Heu, heu res nimis dolosa. Pœnitentiam pro peccato non vult peccanti imponere, nec curat de eius animæ ſalute, ſed pecuniam doloſam & vltra quam credi fas eſt, anathematizatam in marſupio mittit, & animam in inferno recludit. Væ væ talibus, fratres. Prælatus iſte ex illis eſt de quibus ait dominus querimoniam faciens per Prophetam: *Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitates eorum † ſubleuant manus ſuas. Peccata populi*, dicitur, *comedunt*, qui taliter, vt præfati ſumus pecuniam à ſubiectis accipiunt. Peccata populi Dei mali iudices comedunt, qui recta iudicia pecuniã ſubuertunt, vel qui pecuniam ab illis, quos iuſtificare non debent, parcentes accipiunt. Ad iniquitates populi Dei ſubleuant manus ſuas mali Prælati, & mali iudices, qui gaudent cum aliquem ſubiectum ſuum reum ſcilicet inueniunt, quem accuſare poſſint & pecuniam ab eo extorquere. Similiter quilibet Præſul, qui curam à quolibet ſacerdote vel à tenente quemlibet honorem parua occaſione aufert, & alteri pecunia accepta tribuit, damnatur. Sicut Præſul hoc faciens vult vt à gradu ſuo minime deponatur: ſic alium deponere parua occaſione non debet, Domino dicente in Euangelio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Prauus vſus de † Gallia ſurrexit, qui non à priſcis ſanctis Patribus, nec à præſentibus eſt conſtitutus, & ideo ab omnibus Catholicis eſt radendus & abolendus. Surrexerunt quidam falſi hypocritæ dæmoniaci, ſiue clerici, ſiue laici, religioſo habitu induti qui in itinere Vitixbacenſi, vel Iacobenſi, vel Egidiano, vel Romano peregrinantibus, ſiue alios quos incautos inueniunt, in remotis falſas tribuunt pœnitentias. Pergentes enim aliquando cum illis proferunt in primis optima verba, enarrantes cunctis per ordinem omnia vitia: de hinc, vnicuique illorum ſeparatim loquentes in ſecretis interrogant ſingulos de conſcientiis & peccatis perpetratis quibus illi mox vt confeſſi fuerint triginta Miſſas, alteri tredecim pro quolibet peccato imponunt. Fac, inquiunt, triginta nummis triginta miſſas celebrari à talibus presbyteris, qui nunquam ſtuprum facerent, non carnem comederent, non proprium haberent. Sed ille qui neſcit quo modo inuenire tales poſſit, triginta nummos vel pretium illorum, illi qui dicit ſe inuenturum illos tribuit Non curat acceptor de peccatoris ſalute, ſed pecuniam in marſupium mittit, & luxurioſe expendit, & animam ſuam anathematizatam in inferno concludit. Huiuſmodi rem multi ſacerdotes Eccleſiæ faciunt, qui in figura duodecim Apoſtolorum vel triginta nummorum, quibus Chriſtus venditus, triginta nummos aut decem ſolum pro triginta miſſis, & vigiliis ab aliquo ſiue defuncto, ſiue viuo, ſua cupiditate petunt. Sicut Iudas Dominum triginta nummis vendidit, ſic & iſti corpus Chriſti nummis triginta vendunt. O quam malum forum, quam peſſimum lucrum! Iſti ſunt veritatis deſtructores, falſas pœnitentias imponentes, Chriſti corpus peccatoribus gratis dandum vendentes, falſi teſtes peccatorum animas in orcum mittentes, totam Simoniacam hæreſim reparantes, cæci cæcos ducentes. Iſti non ſolum ſunt à prælatis Eccleſiaſticis deſtruendi, ſed etiam à poteſtatibus ſæcularibus deprædandi. Sic & presbyter libidinoſus, qui mulierem pœnitentiæ cauſa ad ſe venientem, prouocat ad peccandum ſecum, libidinoſis ſuggeſtibus ſuis vel deriſoriis dictis, damnatur. Mulier illa ſimilis eſt illi qui cum aquam ad puteum requirit, labitur in eo, & moritur. Similis eſt etiam illi qui in deſerto tramitem rectum requirit, & vrſum in abſconditis ſe deuorantem inuenit. Sacerdos ille ſimilis illi qui in meſſe retia ad capiendam auem extendit, dum canit dulce venit auis miriſſima & cadens in rete decipitur. Vidi in itinere ſancti *Iacobi* quendam ſuſpenſum qui antequam ſuſpenderetur, Peregrinantes ad pergendum ante auroram in capite cuiuſlibet villæ prouocare aſſuetus erat. Clamabat namque modo peregrinali, excelſa voce, *Deus adiuua, ſancte Iacobe.* Cum itaque aliquis peregrinus egrediebatur ad pergendum cum eo ibat ſimul parumper donec veniret in remotis vnde ſocij ſui aderant cum quibus ſtatim interfi-

E

Oſe. 4. v. 8.

† Vulgata: ſubleuabūt animas eorum.

F

Tob. 4. 16.

Matt. 7. 12.

† Luc. 6. 31.

G

H

Fiſtula dulce canit, volucrem dũ decipit auceps.

ciebat

ciebat deprædans eum. Huic planè presbyter ſimilis eſt qui mulierem cauſa pœnitentiæ ad ſe venientem aliis dictis libidinoſis decepit. Hic eſt puteus in quem labitur de ſe bibens: vrſus deuorans agnum, Leo tranſgluticns ouem, latro viatorem perimens, cæcus cæcum ducens. Idcirco Epiſcopis cautè conſiderandum eſt, vt talibus presbyteris, caſtiſſimis poteſtatem dandi pœnitentias tribuant, qui non cupiditate vel odio, vel amore, vel ignominia, vel immunditia, ſed auctoritate canonum, vel poſſibilitate pœnitentis onera pœnitentiæ legitimæ peccatoribus imponant. Aliter eſt pœnitentia de vno eodemque peccato danda infirmo, aliter ſano, aliter clerico, aliter laico, aliter militi, aliter religioſo, aliter iter facienti, aliter in loco ſtanti, aliter adoleſcenti, aliter viro, aliter mulieri. Poſtponamus ergo, fratres, malorum acta ne pereamus cum eis in perpetua pœna. Videat vnuſquiſque ne cupiditatis cauſa ſubdolas pœnitentias tribuat; nec etiam propter miſſas gratis cantandas pretium damnationis ſuæ quærat. Peccator quilibet non admonendus a ſacerdote vt miſſam cantare faciat, ſed presbyter ab ipſo humiliter exorandus eſt, vt eam cantet. Sacerdos inuitus, & non inuitus Euchariſtiam debet facere; ſed peccator ad miſſam non inuitus pro peccatis viuorum & mortuorum oblationes bonorum ſuorum debet offerre. Feſtinemus igitur ad ſanctorum Apoſtolorum conſortium quorum memoriam fecimus bene viuendo, prædicando aſcendere, vt quorum vice fungimur in terris, eorum meritis & interceſſionibus adiuti mereamur cum illis gaudere in cœlis.

SERMO S. CALIXTI PAPÆ in Paſſione S. Iacobi Apoſtoli II.

Celebritatis ſacratiſſimæ fratres B. Iacobi Apoſtoli hodie nobis dies veneranda refulſit, qua votis in hymnis immolare Deo nos condecet ſacrificium laudis, vt pius indultor nobis tribuat veniam qui Apoſtolo ſuæ vitæ contulit palmam. Extitit enim hic Iacobus vt Euangelica teſtatur hiſtoria, Zebedæi gnatus, Ioannis Euangeliſtæ germanus, Hiſpanorum decus, Galæcianorum aduocatus, vita beatus, virtute magnificus, charitate feruidus, opere venuſtus, eloquio luculentus. Quem diuina prouidentia non ſolum in matris gremio conſecrat, verum etiam ante mundi conſtitutionem præelegit, vt per eum huic mundo lumen oſtenderet veritatis, & Hiſpano populo daret paſtorem pietatis. Hic Iacobus
Act. 12. 2. valde venerandus eſt, qui in præclara Apoſtolorum curia primatum tenens, primus eorum martyrio coronari meruit, ſcandere cœlos ſceptrum victoriæ, coronam gloriæ & poli ſedem primus poſſidere, Lucas in Actibus Apo-
Act. 12. 2. ſtolorum neminem illorum ante Beatum Iacobum dicit obiiſſe, ſed & poſtquam eiuſdem narrat paſſionem alii Apoſtoli leguntur vixiſſe. Quapropter patet, quia in Apoſtolico choro reſidet primus martyrio laureatus, Chriſtus eſt Dominus, qui munera ſua diuidit ſingulis, prout vult, quique Beato Stephano protomartyri martyrum in choro principatum dedit tenere in cœlis, & Beatum Petrum Apoſtolorum Principem ob fidei meritum conſtituit in terris, ipſe Beato Iacobo dilecto ſuo per martyrii primum triumphum, inter Apoſtolos primatum præbuit in cœlis. Ideoque tanto proximior eſt ei præ omnibus honorificatus in gloria, quanto eius imitator fuit ante alios Apoſtolos in paſſione. Cuius paſſionis ſolemnia ſacroſancta die octauo Kal. Auguſti cum vigilia & ieiunio & octauis celebrare omnibus Eccleſiis non ſolum Galæciæ, verum etiam totius orbis longè lateque generaliter præcipimus: eiuſdemque electionem ac translationem tertia die Kalend. Ianuarii, qualiter electus eſt à Domino ſuper mare Galileæ, & à Hieroſolymis tranſlatus in Galæciam, ac etiam quinta die nonas Octobris feſtum miraculorum eius qualiter hominem, qui ſeipſum interfecit ſuſcitauit cæteraque miracula fecit, præſulibuſque cunctis in ſynodis ſuis & presbyteris in Eccleſiis viua voce hoc annunciare. Et vt plebs cuncta cum vniuerſo clero ad Eccleſiam conueniat, operibuſque à terrenis ceſſet, dieſque illos in Chriſti laudibus expendat pulſantibus tintinnabulis, taperiſque continuis, & palliis in baſilica extenſis, cantibus multiplicatis more feſtiuo: hæc ſacra colere ſolemnia non minus præcipimus. Et ſi aliqua baſilica alicubi fortè interdicta fuerit ex domini & Apoſtoli parte, his diebus à nobis abſoluitur, & audientium ſolemniter gaudio ingenti in ea celebretur. Hoc modo hic ſolemnia colentibus ſuccedunt præmia, qui illius experiunt beneficia, recuſantibus tormenta. Merito igitur hic celebrent ſolemnia, quemadmodum Apoſtolorum Petri & Pauli colunt celebria. Exultet igitur domino cœli curia immodicis laudibus, lætetur terra gaudiis cœleſtibus his ſacris ſolemniis præcelſi Apoſtoli Chriſti Iacobi gratuletur fidelium Eccleſia eius virtutibus decorata, reſonet Deo iucunda laus, mens humana, patrociniis eius illuſtrata. Illi nimirum oportet nos tota deuotione laudem referre in terris, cui Angeli honorificentiam exhibent in cœlis. Si omnes corporis mei artus verterentur in linguas, & humana reſonarent voce, non ſufficerent magnum Iacobum in Chriſto laudare. Quas ergo laudes illi dicam? qui mox vt vocem domini ſecus mare Galileæ audiuit cunctis relictis ſecutus eſt redemptorem. Quis beatior illo qui propter Chriſtum Herode deuicto in fide conſtans ad paſſionis ſupplicia corpus ſuum tradidit? Quis præconia laudum ei digne † quærat patrare, qui Dei natum in patris claritate transfiguratum meruit videre; *Beati*, inquit Dominus, *oculi qui vident quæ vos videtis*: aut quas etiam laudes fidelium turma & impendat in terris, cui Dominus inter Apoſtolos dedit primatum tenere in cœlis. Sicut enim quis ingreſſus agrum variis floribus affluentem conſpiciens florum plurimam varietatem, huc illucque circumfertur intuitu, ignoranſque quidem quos ex his aſſumere eum oportuit, quos omnino deſereret; ſic ego hoc in pratum virtutum & miraculorum magni Iacobi ingreſſus quid primum dicam ambigo. Deſiderium tamen habeo cunctos decerpere flores eius actuum, ſed quia velut immenſum pelagus habentur, à nobis compendioſe non comprehenduntur. Cum enim excelſa intueor quæ ante Dominicam Aſcenſionem cum aliis aſſeclis præſente Domino egit, præcipuam dilectionem, quam cum eo Dominus habet, obſtupeſco. Cumque inſpicio magnalia quæ poſt Spiritus S. paracliti aduentum per diuinam gratiam operatus eſt, ante quam pateretur, paueſco. Cum vero interioribus cordis mei excelſiora rememorantur inenarrabilia & incomprehenſibilia miracula, quæ à die qua paſſus eſt, vſque ad hodiernum diem non ſolum in Galæcia, verum etiam in omnibus gentibus, quæ nomen eius inuocant, Deo operante egit, immo quæ meis oculis aſpexi, penitus attonitus ſum. Sed quoniam Euangeliſtarum auctoritas quæ de eodem in Euangeliis habentur primum dicere me compellit, eadem narrando explanabo. Veneremur omnes in Domino Iacobum Zebedæi Galæciæ patronum, qui à Saluatore noſtro Ieſu Chriſto venerari meruit præ omnibus inter Apoſtolos, vocatione & electione locum tenens tertius. Locum vero per electionem iuxta Matthæum tenet tertius, quia cum Saluator noſter pertranſiſſet ſecus mare Galilææ primum vocauit Petrum & Andream, deinde progreſſus paululum vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem cum Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua, & vocauit eos dicens. *Venite ſequimini me, Et faciam vos piſcatores hominum.* O mira redemptoris clementia! Ex indoctis fecit doctos, ex peruerſis bonos, ex ſtultis peritos, ex piſcatoribus prædicatores claros. O magnum Saluatoris myſterium, ô admirabile præmium, per quod piſcatores piſcium effici meruerunt piſcatores animarum: quod cum B. Iacobus & Ioannes piſcati fuerunt à Ieſu, nos rurſus ſua prædicatione piſcantur in rete fidei. Ipſi Apoſtoli qui piſcati fuerunt à Saluatore, ipſi nos piſcati ſunt extrahentes de ſalſis aquis, vbi capita ſunt draconis. Hos enim piſcatores generis hu-

† *f. queat.*
Luc. 10. 23.
Matt. 10. 3.
Matth. 4. 19.

A mani reparator ante nati ſui incarnationem, populis in huius ſeculi mari periclitātibus promiſit per Hieremiam [Hier. 16. v. 16.] Prophetam dicēs: *Ecce ego mittam ad vos piſcatores multos.* Merito natus & vocauit ad ſe, & miſit ad prædicandum animas quas pater præelegerat. Felices ergo Apoſtoli qui magiſtrum tantum præſentem ſequebantur, felices qui poterant ſole præſente lucere, felices quibus dictum eſt: [Matt. 4. 19.] *Sequimini me*: & ſtatim dimiſſo patre & rete & nauicula ſecuti ſunt ſaluatorem. Sequuntur dominum nō ſolum paſſibus pedum, ſed imitatione bonorum operum. Iure ergo Dominum conſequuntur, qui eum & paſſibus pedum & imitatione bonorum actuum ſequuntur. Fides vera neſcit affectum rerum temporalium, neſcit conſanguinitatem, ignorat patris & matris naturam, denegat recuſationis cauſam. Denique ſcriptum eſt in veteri lege: [Deut. 33.] *Qui dixerunt patri ſuo & matri ſuæ: non noui te, & fratribus ſuis, ignoro vos, ij cuſtodiere eloquium & pactum meum ſeruauere,* dicit *Dominus.* Iſti fratres, quibus ſeruimus propitio Chriſto dicunt patri, aiunt matri, inquiunt fratribus, B ſororibus, filiis, amicis omnique affectui nō nouimus vos. Vultis vt ſciamus vos, credite in patrem noſtrum & incipiemus vos de patre habere fratres. Non nouimus patrē, non nouimus matrem, vnus eſt enim pater qui nos genuit, nos agnoſcimus patrem, vultis & vos cognoſcamus, & vos cognoſcite verum patrem vt ſimus omnes fratres. Felices ergo Apoſtoli, felices, & ſecundum ſeculum. Iacobus enim & Ioannes ſi parentes ſuos non contempſiſſent non de illis hodie in mundo tot Eccleſiæ perſonarent; niſi contempſiſſent patrem ſuum Iacobus & Ioannes, ego ignorarem magiſtros: parua tamen dimiſere & magna inuenere, terrenum patrem reliquere, & cœleſtem inuenere, in quo omnium credentium patres extitere. Terrenam patris poteſtatem contempſere, ſed ligandi atque ſoluendi poteſtatem accepere. Terrenam hæreditatem contempſere, ſed cœlorum hæredes efficiuntur. In vno vinculo domum ſuam reliquere: in toto orbe Eccleſiarum principes fuere. Notos & affines contempſere, ſed fratres & notos in omni mundo generarunt. Cuncta terC rena reliquere, & cuncta cœleſtia inuenerunt. Si ergo cuncta dimiſerunt, ſibique nihil retinuere, quid de nobis erit, qui parua dimiſimus & omnia poſſidemus? Imo poſſidemus animo ea quæ non habemus, tanquam ea quæ habemus. Iacobus & Ioannes niſi contempſiſſent carnalia non haberēt ſpiritualia; ſic & nos minimè habebimus cœleſtia niſi dimittamus carnalia. Cuncta dimiſere & cuncta proſpera inuenere. Nihil illis etiam temporaliter defuit, quia cunctorum bonorum largitorem ſecum habuere. Sic quippe his qui cuncta dereliquerint nihil deerit, ſi Deū ſecum habuerint, ipſo teſtante qui diſcipulos [Luc. 22. 35.] ſuos interrogauit dicens: *Quādo miſi vos ſine pera & ſacculo & calceamentis, nunquid defuit vobis? at illi dixere, nihil.* Et alibi ipſe dixit: [Matt. 6. 33.] *Quærite primum regnum Dei & omnia adiicientur vobis.* Ipſe enim dominus fecit cuncta, ipſius eſt mundus, ille creauit omnia, qui eum habet & ſua. Qui tantum habet theſaurum, nihil deeſt ei, [Pſ. 36. 3.] *Spera in Domino*, ſicut dicit Pſalmographus, *& fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius*: in diuitiis, id [Pſ. 54. 23.] D eſt epulis eius. Et alibi: *Iacta † cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* [† Vulgata, curam tuam.] Nihil ergo ſollicitet Chriſtianum, non cogitet de die craſtina. *Sufficit enim diei malitia ſua.* Laudemus ergo dominum ſaluatorem noſtrum, qui Germanos Iacobum & Ioannem de mundo elegit, & in regno ſuo lætari facit. Hæc eſt vera fraternitas quæ inter mundanas varietates violari nequiuit, ſed relictis omnibus ſequitur velociter felicia redemptoris veſtigia. Contemnendo terrena peruenerunt ad regna cœleſtia, fratres fuere in terris, & fratres inueniuntur in cœlis, fratres in terreno patre, & fratres inuenti ſunt in cœleſti patre. Iſti ſunt verè fratres, quos elegit Dominus *in charitate non ficta*, & tribuit eis regna cœleſtia, quorū doctrinis micat Eccleſia vt Sol & Luna. Vt Sol quidem fulget, in contemplatiuis: vt Luna, in actiuis. Bina ſunt etiam aulæ cœleſtis luminaria, duoque coram Deo candelabra radiantia, quorum lux nūquam deſinit in ſæcula. Nimirum vnus martyrio purpuratus, alter vero confeſſione candiE datus. Quia *quos Dominus vocauit hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit illos & † magnificauit*, verè magnificauit [Rom. 8. 30.] [† glorificauit Vulg. ed.] illos in cœleſtibus, quia *nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* [Pſ. 138. 7.] Hunc itaque Iacobum & Ioannem fratrem eius redemptor, dum eſſet in monte, nomina aptiſſima diſcipulis imponens, Marco narrante, *vocauit boanerges, quod eſt filij tonitrui*; [Mar. 3. v. 17.] quia ſicut tonitrui voces reſonant in terra & faciunt eam tremere, ſic omnis mundus reſonuit & contremuit vocibus illorum, dum illi *prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* [Mar. 16. v. 20.] Huic vero Iacobo tantam Dominus contulit gratiam, vt ſupra montem Thabor venerandum corpus [Matt. 17. Marc 9. Luc. 9.] ſuum in gloria patris transfiguratum demonſtraret. Conſpexit enim Iacobus dilectus Domini, teſtibus aſtantibus Petro & Ioanne, cum eo, Dominicam faciem, ſicut ſol, reſplendentem, & veſtem eius, velut nix, micantem, & patrem cum eo audiuit loquentem ac dicentem; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* [Matt. 17. 5.] F Et vidit cum eo duos Prophetas loquentes Moyſem videlicet & Heliam: quorum vnus ante multa tempora obierat, alter in cœlum raptus fuit. O mira res; viui apparuere qui iam inter mortuos computabantur. Transfiguratio Saluatoris noſtri typice formam reſurrectionis futuræ & ſpeciem perennis vitæ manifeſtat. Facies enim Domini, quæ velut Titan ſplenduit, ſanctorum gloriam incomparabilem, & lætitiam ineffabilem, quam in vltima die accepturi ſunt, deſignat. Vnde ſcriptura ait: [Matt. 13. 43.] *Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.* Veſtimentum eius, quod tanquam nix emicuit, corporis immortalitatem, quam in reſurrectione accepturi ſumus, demonſtrat. Vnde Paulus: [1. Cor. 15. 43.] *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Vetus lex per Moyſem deſignatur, & prophetia per Eliam oſtenditur: & per tres diſcipulos nouæ gratiæ, quæ per Trinitatis fidem tenetur. Igitur inter duos vates, treſque diſcipulos, vt ſol ſplendens clementiſſimus Redemptor noſter transfiguratus apparere voluit, vt verè diuinitatis & aſſumptæ humanitatis ſuæ lex vetus & prophetia & Euangelium in mundo perhiberent teſtimonium: vt *in ore duorum vel trium teſtium ſtaret omne verbum*, [Matt. 18. 16.] G illud videlicet *Verbum*, quod *caro factum eſt, & habitauit in nobis, huic etiam omnes prophetæ teſtimonium perhibent.* [Ioan. 1. 14.] [Act. 10. 43.] Thabor, quod *lumen veniens* interpretatur ad quem diſcipulos ſuos de valle collium Dominus eduxit, ipſum Dei vnigenitum, lumen æternum in tempore iudicij venturum inſinuat, qui electos ſuos de corruptione ad incorruptionem de mortalitate ad immortalitatem, de infimis ad polorum celſitudinem educet, & lumine vultus ſui faciet lætari in futura reſurrectione: quā B. Iacobus aſpexit typice in eodem monte. O quam beati oculi, qui omniū ſanctorum redemptorem in ſplendore patris transfiguratum viderunt! O meritum ſublime trium, quibus illa videre contigit in mundo, quæ non ſunt credita mundo. O Iſaiæ vaticinium, *non caligabunt oculi videntium dominū.* [Iſa. 32. 3.] Sciendum præterea, quod in monte illo, loco ſcilicet quo dominus transfiguratus eſt, baſilicam miro opere in nomine S. Saluatoris ob memoriam Transfigurationis illius, Chriſtiana religione creſcēte fidelis plebs fabricauit; H monaſticæ regulæ in ea cultores inſtituit. Tradunt etiam incolæ illius montis, quod tantus ſplendor transfigurationis die ſupra montem illum emicuit, vt lapis, qui antea niger erat, in eo vſque ad hodiernum diem albus in modum alabaſtri apparuit. Ex quo lapide loci illius habitatores modicas limis ferreis cruces faciunt, quas peregrinantes illa loca ſacroſancta viſitantes ab eis accipiūnt, & ob teſtimonium Dominicæ transfigurationis eas proprio collo ſuſpenſas ad propria remeantes ſecum deferunt diligenter. Et quanto magis adhuc opus ſcinditur, tanto magis vſque ad anni caput augmentari perhibetur. Ex vino vero, in quo crux eiuſdem lapidis elixatur, multi collinici ſanantur. Felix nimium & Deo gratus, & omni etiam laude digniſſimus Iacobus, cui pater de cœlis mundi ſaluatorem adhuc mortalem in patris munere transfiguratum oſtendere voluit, quod aut Propheta aut Patriarcha olim cernere nequiuit.

A *Felix qui meruit promiſſum cernere Chriſtum.*
Quapropter gratia præcipui amoris à Domino valde
honorati promeruit. Dum enim amator æternus, re-
demptor piiſſimus, ac ſaluator noſter ſuſcitaret filiam
archiſynagogi, in ædes non admiſit quenquam ſequi ſe,
Marc. 5. 37. ſecundum Marcum, ad videndum miraculum, niſi hunc
Iacobum vna cum duobus aſſeclis. Quia ipſe qui nouit
bonos in æternam requiem ſecum introducere, & in-
gratos à ſe prohibere, ipſe etiam dignatus eſt charo ſuo
illud miraculum oſtendere. O ineffabilem ſaluatoris
gratiam! ô eius operationem venerandam! per quam
mundi figulus, per quam vas gemina nece ante confra-
ctum B. Iacobo oſtendit reſtauratum. Deinde hic Iacobus
miro modo illud excellentiſſimum donum à domino
vna cum fratre ſuo Ioanne quæſiuit, quod nemo diſci-
pulorum aliorum aut Prophetarum ante vel poſt petere
Matt. 20. 20. auſus fuit, ſicut Matthæus ait: Quia acceſſit ad Ieſum
mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis Iacobo & Ioanne,
B adorans & petens ab eo, vt vnus ad dexteram; & alius
ad ſiniſtram ſedere poſſent in gloria ipſius. Sciendum
vero quod filii Zebedæi ſedium Chriſti dignitatem acce-
perunt, ſed non illa diſcretione quà mater petebat, vt
vnus ad læuam illius in regno eius, & alius ad dexteram
ſederet: quia nullus in cœleſti regno ad læuam ſeſſurus
Matt. 25. 33. dicitur, cum in extremo examine ad Chriſti dexteram
cuncti electi futuri eſſe legantur. Impoſſibile enim vide-
Act. 1. v. 4. tur vt aliquis inter patrem & filium ſedeat, cum idem
Luc. 24. v. 50. filius ad patris dexteram, & Pater ad filij læuam reſideat.
Sic & B. Lucas in Actuum Apoſtolorum codice teſtatur:
Marc. 16. 19. *Dominus quidem Ieſus*, inquit Marcus, *poſtquam locutus
eſt diſcipulis ſuis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dex-
tris Dei.* Sed ſi myſtico ſenſu vult intelligi læua Chriſti
& dextera, conſtat illos ad læuam eius & dexteram ſe-
diſſe, per ſedem vero Chriſti læuæ hoc in loco præſens
vita, & per ſedem eius dexteræ myſtice intelligitur æter-
Prou. 3. 16. na vita Sic enim ſcriptum eſt: *Longitudo dierum in dex-
tera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* In ſede
C Chriſti læuæ ſedet, quicumque fidelem populum in
præſenti vita dignè regere ſtudet. In ſede eius dexteræ
ſedet quiſquis in æterna vita locum quietudinis tenet.
Filij ergo Zebedæi Iacobus & Ioannes temporaliter ad
læuam Chriſti ambo ſederunt, cum in præſenti vita fide-
libus populis regendis Apoſtolico præſiderent regimine.
In illo videlicet almæ Eccleſiæ regno, de quo ipſa veritas
Luc. 17. 21. dixit: *Regnum Dei intra vos eſt.* Per regnum enim Dei
Eccleſia intelligitur. *Mittet filius hominis Angelos ſuos,*
Matt. 13 41. *& colligent de regno eius omnia ſcandala.* Ad dexteram
igitur Chriſti, id eſt in æterna beatitudine cum cæteris
Apoſtolis noſter Iacobus & Ioannes cupitam domini-
cam faciem cernentes ſedere teſtantur. Vnde venturi
cum illo omnium ſæculorum iudices die vltimo dicun-
tur. Sed quia diximus qualiter ad Chriſti læuam & dex-
teram ſedebant, quid eorum mater, quid ipſi filij, quidve
Zebedæus ſignificet videamus. Myſtice hæc mater vene-
rabilis præſentem deſignat Eccleſiam, quæ ſanctæ rege-
nerationis lauacro duorum filiorum, id eſt duorum po-
D pulorum Iudæorum ſcilicet & Gentilium genitrix exti-
tit, pro quibus accedens ad Dominum orauit in Pſalmo
Pſ. 60. 2. dicens: *A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur
cor meum in petra exaltaſti me.* Populi Iudaici Eccleſia
genitrix extitit, quoniam multi ex eo olim ad Chriſti fi-
dem venere, quorum Paulus fuit, qui ſedem Chriſti læuæ
fidelem populum præteritum, præſentem & futurum
epiſtolarum ſuarum doctrinis regendo tenet. Populi item
gentium mater eſt Eccleſia, multi enim ex eo ad domini-
cam fidem olim per Baptiſmum conuerſi ſunt, quorum
hi duo cæterique multi fuere. His ergo filiis alma mater
Eccleſia ſedem læuæ dominicæ à Chriſto impetrauit,
dum ex eis præſules & ſacerdotes ad regendum populum
fidelem in præſenti vita ſibi conſtituit. Sedem vero do-
minicæ dexteræ illis adeo impetrauit, quia filios, quos
per Baptiſmi gratiam regenerauerit, per fidei & operatio-
nis bonæ conſcientiam in cœleſti beatitudine conſcen-
dere facit, cuius ſponſus eſt Zebedæus, qui interpretatur
hoſtia domini, ſiue *relinquens fugitiuum diabolum.* Illum
E vero Eccleſiæ ſponſum hoc in loco deſignans, qui ſemet-
ipſum hoſtiam viuam obtulit Deo patri in ara crucis pro
noſtris facinoribus; quæ etiam diabolum fugitiuum ac
ſuperbum reliquit, quando à conſortio bonorum Ange-
lorum eum ſequeſtrauit, & apparens in carne de mundo
eiecit, dicens: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras,* Ioan. 12. 31.
hic vero Zebedæus cum in mala ſignificatione ponitur
relinquens fugitiuus diabolus interpretatur. Cum autẽ in
bona, vt in hoc loco, ponitur tunc mutata interpretatione
Zebedæus *relinquens fugitiuum diabolum* interpretatur.
Filius huius ſponſi eſt Ioannes, qui *gratia Dei* interpreta-
tur, illos typicè deſignans, qui acceptam baptiſmatis gra-
tiam vſque ad extremum vitæ ſuæ bonis actibus conſer-
uant, in quibus etiam tanta Dei gratia abundat, vt non
ſolum ſemetipſos ad cœleſtia ſubleuent, verum etiá alios
admonendo atque bene operando inflamment. Huius
etiam ſponſi filius eſt Iacobus magnus, qui interpretatur
Supplantator, & Conſolator. Nam Iacob Supplantator
dicitur, Hus addita aſpiratione vt in Iob ſcribitur: Hus
F Conſolator interpretatur. Igitur Supplantator & Conſo-
lator pulchrè Iacobus dicitur, quia quos olim ſua prædi-
catione à vitiis ſupplantauit, cóſolatione Spiritus ſancti,
per impoſitionem manuum ſuarum hos in fide Chriſti
cóſirmauit. Nunc vero ſe toto corde inuocantes, & ſedu-
los ſuis precibus & præſidiis corã Deo viſus eſt ſupplan-
tare à malis. Et quos ſupplantat à vitiis, hos corroborat
per eandem Spiritus ſancti conſolationem in virtutibus
factis. Et ſicut agricola aut hortulanus ſuperfluas eradicat
herbas de horto ſuo, plantando bonas, ſic beatus Chriſti-
cola Iacobus de agro ſanctæ Eccleſiæ ſpinas & vepres vi-
tiorum ſua prædicatione olim amputauit, inſerendo roſas
& lilia virtutum: illos figurate deſignans qui carnis de-
licta pœnitendo atque bene operando ſupplantant. Sed
G notandum quod deſiderantibus cunctis regnum Dei, ne-
ceſſe eſt habere hos duos filios Zebedæi; quia niſi vnuſ-
quiſque noſtrum hos duos fratres ſecum habuerimus po-
lorum regnum minimè poſſidebit. Niſi enim *gratiã Dei*
habuerimus, & vitia noſtra *ſupplantauerimus*, perennem
vitam minimè habebimus. Gratiam Dei manentem in
nobis habemus Ioannem: ſupplantando carnis vitia ha-
bemus & Iacobũ. In his vero duobus fratribus deſignan-
tur omnes ſancti, qui fuere ab exordio mundi, vſque in
hodiernum diem. Cuncti gratiam Dei habuerunt, cuncti
delicta carnis ſuæ ſupplantauerunt: ſed videndum, quia
prius expedit nobis habere Iacobum, deinde Ioannem;
quia niſi prius vitia à nobis ſupplantauerimus, gratiam
Dei minimè habebimus, Salomone dicẽte: *Spiritus* enim Sap. 1. 5.
ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Prius ergo crimina carnis
debemus ſupplantare, vt gratiam Dei mereamur poſſide-
re. Primum enim Iacobus ſua ſupplantatione cordium
noſtrorum emundat fana; deinde Ioannes exornat diuina
H gratia. Emundet itaque Iacobus templum cordis noſtri,
vt inhabitet in eo gratia Dei. Quod igitur Ioannes inter
cæteros magis à Domino dilectus fuiſſe deſcribitur, & à
carnis pollutione atque à perſecutione gladij alienus di-
gnoſcitur, ſignificat contemplatiuam vitam à Domino
eſſe dilectam, & à carnis corruptione alienam, atque in-
ter aduerſa tranquillam. Quod & beatus Iacobus ſup-
plantator vitiorum & martyrio laureatus fuiſſe legitur,
deſignat actiuam vitam debere vitia à ſe prohibendo ſup-
plantare, & præſentis vitæ aduerſa tolerare, quatenus có-
templationi coniuncta valeat coronari. *Actiua* enim vita
aliquando tranquillitate, aliquando aduerſitate vtitur,
ſed *contemplatiua* vita in tranquillitate magis quam ea
habetur, hoc eſt quod Dominus teſtatur, vbi ad Martham
miniſtrantem loquitur actiuam vitam deſignando dicẽs:
Martha, Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima: Luc. 10. 41.
& mox contemplatiuam vitam ſignificat dicens: *Ma-
ria optimam partem elegit ſibi quæ non auferetur ab ea,*
Qua parte videlicet electa ac cupita & nos perfrui me-
reamur quatenus vna cum beato Iacobo, cuius votiua
celebramus ſolemnia, in cœleſtibus regnis gaudere poſ-
ſimus, præſtante Domino Ieſu Chriſto, qui cum Patre
& Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula
ſæculorum. Amen.

A

SERMO B. CALIXTI PAPÆ in Paſſione B. Iacobi Apoſtoli III.

SPiritali igitur iucunditate, dilectiſſimi fratres, ſalutem in Domino hac ſacra die præcellentiſſimi Apoſtoli IACOBI Zebedæi Galæciæ patroni, cui Chriſtus condoluit in paſſione ſua, velut charus charo ſuo mœſtitiam carnis ſuæ oſtendens ei, & dicens: (Matt. 26. 38.) *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Non in morte tamen triſtis fuit Dominus, ſed vſque ad mortem, quia non dixit, *Triſtis eſt anima mea in morte*, ſed *vſque ad mortem.* Vſque ad mortem fuit triſtis, quia qui corpus humanum ſuſcepit, omnia debuit ſubire, quæ corporis ſunt, vt eſuriret, ſitiret, angeretur, contriſtaretur, diuinitas animæ eius commutari per hos neſcit affectus. In morte non fuit triſtis: nam qui ſponte de ſinu patris vt humanum genus redimeret carne indutus aduenit, ipſe mortem in ligno crucis libenter pro nobis ſubiit. Vnde Iſaias: (Iſai. 53. 7. & 4.) *oblatus eſt* inquit, *quia ipſe voluit:* Et: *dolores noſtros ipſe portauit.*

B

¶ Sed notandum eſt quoque quod vltimum conuiuium Dominus cum B. IACOBO ad mare Tyberiadis poſt reſurrectionem ſuam habuiſſe deſcribitur, propter nimiam charitatem qua eum diligebat aſtantibus cum eo Petro & Thoma, Natanaele, & Ioanne, aliiſque duobus. O vere felicem virum & Deo amabilem, cui ſaluator venerabilis tantam conferre dignatus eſt gratiam, vt cum eo nouiſſime comederet, & colloquium haberet. Quid eſt ergo quod cum ſeptem clientibus Dominus vltimum conuiuium celebrat? quia eos tantummodo qui ſeptiformis gratiæ ſpiritu pleni ſunt futuros ſecum in æterna refectione denuntiat. Ceſſet ergo vnuſquiſque noſtrum à malo & faciat bonum vt Spiritus S. gratiam habere valeat, quatenus in æterna refectione cum Domino refici poſſit. (Rom. 8. 9.) *Quia ſi quis ſpiritum Dei non habet, hic non eſt eius.* Denique cum poſt aduentum Spiritus S. Apoſtolus Chriſti IACOBVS in Iudæa prædicaret verbum Dei & reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti teſtimonium redderet, ſigna multa & miracula faceret innumerabiles populorum cohortes ad fidem conuertit.

C

Pergente itaque eo atque euangelizante verbum ſalutis omnibus gentibus nullus eſt qui ediſcere queat quot gentilium millia conuerſi ſunt eo in tempore ad Chriſtum, ſed & cæcis reddebat viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis colloquium, mortuis vitam, & ab omnibus generibus morborum ad Chriſti laudem & gloriam gentes curabat, omniumque corda gentilium arida, diuini verbi feruore intus accendebat, ſequens monita magiſtri ſui dicentis: (Matth. 3. 15. Ioan. 14. 12.) *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones eiicite.* Et alibi: *Qui credit* inquit, *in me opera quæ ego facio & ipſe faciet.* Non enim aliquibus medicamentis vel electuariis, vel confectionibus, vel ſyrupis, vel diuerſis emplaſtris, vel potionibus, vel ſolutionibus, vel vomitibus, vel cæteris medicorum antidotis, ſed ſola Dei gratia ſibi à Deo impetrata multos languidos videlicet leproſos, phreneticos, manioſos, ſcabioſos, paralyticos arreptitios, phlegmaticos, febricitantes, cephalalgicos, energumenos,

D

podagricos, ſtranguirioſos, calculoſos, hepaticos, fiſtuloſos, phthiſicos, dyſenteriacos, à ſerpentibus leſos, ictericos, lunaticos, ſtomaticos reumoſos, amentes, epiſtroſos, albuginoſos, multiſque morbis dolentes ſanitati integræ clementiſſimus Apoſtolus reſtituit. Non geram fortiſſimam, (Gera.) aut triferam Alexandrinam, aut Sarraceniam aut triferam magnam, aut geram pigram aut geram ruſinam, aut geram paulinam, aut Apoſtolicon aut geralogodion, aut adrianum, aut aliquam potionem illis adhibuit, ſed diuinam gratiam deſuper datam effudit. Melancholia enim aut cholera rubea, aut nigra, aut phlegma, aut ſanguis nullatenus nocere præualuit, vbi eius virtus potentiſſima adfuit. Melius hic generi humano medicinæ diuinæ ſtudiis ſubuenit ſalutaribus quàm Hippocrates aut Dioſcorides, aut Galenus, aut Macer, aut Vindicianus, aut Serenus, aut cæteri medici phyſicæ artis actibus. Hippocrates enim eiuſque ſequaces humano tantum corpori præfuit; hic vero corpori animæque diuinitus præualuit. Nulla valet

E

penna deſcribere quantas virtutes, quantaque ſigna & prodigia Chriſtus per eum gentibus demonſtrauit. Exiguo tempore poſt Chriſti paſſionem vixit, ſed multum populum acquiſiuit. Erat enim forma pulcherrimus, ſpecie decorus, ſtatura procerus, corpore caſtus, mente deuotus, aſpectu amabilis, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, longanimitate aſſiduus, patientia robuſtus, humilitate manſuetus, charitate ſollicitus, ſpe longanimus, vigiliis ſobrius, oratione aſſiduus, doctrina benignus, ſermone veriſſimus, locutione cautus, conſilio prudentiſſimus, in nulla mundi compede catenatus, in egenorum largitate diffuſus, in obſequiis ſeruorum Dei paratus, in aduerſis more ſinapis fortiſſimus, in temperatione tutiſſimus, in hoſpitalitate lætiſſimus, inter opprobria ſecurus, inter odia beneficus. Non enim poterat in eo inuenire humani generis inimicus, vel quod fraude deciperet, vel quod ſimulatione offuſcaret. Quid plura loquendo immoror? In omni conuerſatione ſua quaſi lucifer inter aſtra refulgens inſtar magnæ lampadis micabat.

F

Quoniam rex regum Chriſtus hunc elegerat militem, quem quaſi agnum manſuetiſſimum contra immaniſſimas beſtiarum direxerat legiones. (Matt. 10. 16.) *Ecce*, inquit, *ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*, ſicque vir Dei in Spiritu S. ſtrenuus, bellator fortiſſimus, miles legitimus, ſignifer egregius, ſcuto fidei protectus, lorica iuſtitiæ indutus, gladio verbi Dei fortiter accinctus, galea ſalutis coopertus, (Epheſ. 6. 16.) in præparatione Euangelij pacis calciatus, in prælium publicum contra hoſtem antiquum proceſſit, omnia tela eius nequiſſima contriuit, aëriaſque poteſtates debellauit, & homines adeo Chriſti virtute de manu mortis eripuit, & ſpolia multa victo hoſte in Chriſti Eccleſia reportauit, tam metuendus humani generis inimico quam generi humano pernéceſſarius, vtpote qui non ſuæ tantum animæ ſed multarum per Chriſtum fuit redemptor: cuius non tantum eſt quæ ab eo geſta ſunt narrare miracula, quantum agnoſcere miraculorum virtutem, quæ cœleſti regi in diebus ſuis multum populum acquiſiuit: O venerabilem Chriſti Apoſtolum, ô virum mirabilem, pietate redundantem, miſericordia affluentem, charitate pollentem! Hic enim eſt verus Dei

G

cultor, qui Chriſti Eccleſiam ſanguine ſuo plantauit, magna humilitate ornauit, vera charitate excoluit, verbi prædicatione plantauit, ſuperno perpetuæ ſalutis rore irrigauit. Inde diuina clementia per eius irrigationem in populis plurima fidei dedit incrementa. Hic vero non ſolum in Hieroſolymitanis partibus per prædicationis lumina, vel pietatis opera clarus effulſit, verum etiam vt lucifer æquoreos Oceani campos tranſiliens pro Eo diurni luminis nocturnas ſuo exortu diſcutit vmbras, ſic eius fama exteras nationes & regiones illuminabat gratia miraculorum huc illucque percurrente, vt toto orbe eius gloria vſque in hodiernum diem militaret. De cuius virtutibus & exhortationibus beatus Fortunatus verſificator egregius, Chriſti confeſſor, & præſul cecinit dicens: (Venãtius Fortunatus Poëta ſacer.)

Cultoris Domini toto ſonus exiit orbe:
Nec locus eſt vbi ſe gloria celſa neget.
Nobilis antiquo veniens de germine patrum;
Sed magis in Chriſto nobilior merito.
Culmen honoratum, decus almum, lumen opimum.
Laudibus in cuius militat omne decus.

H

Fons generis, tutor patriæ, correptio plebis
Eloquij flumen, fons ſalis, vnda loquax.
Immaculata Deo conſeruans membra pudore
Hunc quod pro meritis vexit ad aſtra fides.
Pectore ſub cuius regnans patientia victrix.
Fluctibus in tantis anchora ſenſus erat.
Felle carens, animo placidus, dulcedine paſtus
Offenſus neſcit ira referre vices.
Dulcis in eloquio, placidus moderamine ſacro:
In cuius ſenſu perdidit ira locum.
Alterius motus patienti pectore vicit:
Quod lenitas læſit, hoc grauitate tulit.
Templorum cultor recreans modulamine ciues,
Vulneribus patriæ fida medela fuit.

† Fort. Hæreſis in ramis Ex l. V. Fortunati Car. 1. ſequẽtis, at ſuperiores verſus nõ ſunt editi, ne in Moguntina quidem

A

Vltima Chriſt. Brouueri Soc. Ieſu, editione. Sed hos B. Martino, Dumienſi attribuit. Et diſtichō prius lib. 1. Car. 9. legitur.

† Chr. Brouu. emendat: *non perit vua lacu.*

Vincula corporei diſſoluere carceris optans,
Plenius vt Domino ſe ſociaret homo.
Qui dat mundanis miracula plurima terris:
Vnde magis populis vnicus extat amor.
Oſtendens verbis, addens miracula factis:
Vt quod ſermo daret, conſequeretur opus.
Gentiles docet hic, Iudæos increpat idem,
Fructificanſque Deo ſeminat orbe fidem.
† [*In ramis hæreſis, fidei pia germina fixit.*
Quodque oleaſter erat, pinguis oliua viret.
Quæ ſtetit exilis viduatis frondibus arbos,
Iam paritura cibum floret honore nouo.
Imponenda focis ſine ſpe ficulnea triſtis,
Præparat ad fructum ſtercore culta ſinum.
Palmitis vna tremens auium laceranda rapinis,
Hoc cuſtode bono non † *peritura latet.*
Rebus Apoſtolicis direxit † *vinitor antes*
Arua ligone mouens, falce flagella premens.
Ex agro Domini labruſcam excidit inertem,
Atque racemus adeſt, quod fuit ante frutex.
De ſatione Dei zizania vulſit amara,
Surgit & aquatis lætificata ſeges.
Paſtoris ſtudio circum ſua ſepta recurrens,
Ne lupus intret oues, ſeruat amore greges.
Supportante manu trahit ipſe ad pabula Chriſti
Montibus inſtabilem ne voret error ouem.
Cuius vox refluens plebi de fonte ſalubri,
Vt bibat aure fidem, porrigit ore ſalem.
† Noſti damna *quidem, Domino pia vota parauit:*
Et commiſſa ſibi dupla talenta refert.
Vocem diuinam ſpectans operarius almus,
Vt ſibi *dicatur, ſeruule perge bone:*
Quando fidelis enim mihi ſupra pauca † *fuiſti,*
Suprà multa nimis conſtituendus eris.
Ecce tui Domini modo gaudia lætior intra,
Proque labore breui magna parata tibi.]

B

† Virgilianum illud † reſpexit 2. Georg. *Iam canit effœtos extremus vinitor antes.* Vbi Seruius: *Antes*, extremi vinearum ordines, aut maceriæ, qui- † † C bus vinea clau- † duntur.

Cuius ingentem probitatem Sapiens deſcribens inter cætera dixit: *In medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu præſidis apparebit, & in terra alienarum gentium tranſibit. Bona enim & mala in omnibus tentabit.* In medio magnatorum beatus Iacobus miniſtrabit, quoniam regum & principum cordibus æternæ vitæ cibaria ſalubria ſua prædicatione ſubminiſtrauit. In conſpectu præſidis apparuit: quoniam coram Herode rege Dei verbum intrepidus prædicauit. In terra alienarum gentium tranſiuit, quoniam ab Hieroſolyma vſque ad Galæciam nomen dominicum diuulgauit. Bona & mala in omnibus tentauit, quia in Iudaïco & Gentili populo doctrinam Euangelicam inſeruit, & hæreticam prauitatem reſecauit, ſic enim præcepit illi Dominus per Iſaïam Prophetam dicens: *Poſui te in lumen gentibus, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* In lumen gentibus à Domino beatus Iacobus ponitur, quoniam expulſis peccatorum tenebris, gentem ſua prædicatione ad veræ fidei lumen adduxit. In ſalutem vſque ad extremum terræ fuit, quoniam illum qui ſalus totius populi eſt vſque ad marinas inſulas extremas ſuo ſermone notum fecit. Sic Dominus per Prophetam Ioëlem pollicitus eſt olim gentibus dicens: *Exultate filij Sion, & lætamini in Domino Deo veſtro; quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum ſicut in principio.* Tunc exultant filiæ Sion in Domino, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ per bonam operationem & diuinam ſpeculationem in Chriſto lætantur. Doctor iuſtitiæ beatus Iacobus datus filiabus Sion fuit, quoniam iuſtæ fidei viam per quam ad regnum cœlorum irent, filiis Eccleſiæ diuino ſermone patefecit. Deſcendere gratioſum imbrem matutinum ad eos fecit, quoniam gratia Dei ſpiritus ad ipſius prædicationis vocem, vt auditores inflammaret, condeſcendit. *Matutinum imbrem* Propheta ſpiritum ſanctum vocat, quia ſicut imber matutinus terram ne ſolis calor nimius ſemina corrumpat, humidam reddit, ſic mentes auditorum verbum Dei, & ſpiritus almus, ne diuini ſermonis ſemina tentatio dæmoniaca atque vitioſa varietas, & callida diſſipet, munit. *Serotinum imbrem* ſpiritum dominicum Propheta appellat, quoniam velut ros ſerotinus cultam tellurem & incultam infundit, ſed cultam tantum germinare facit: ſic ſpiritus almus quamvis omnes anhelet, tamen in bonis perſeuerat & fructificat. Ait enim ipſe Dominus alibi per Prophetam: *Super quem requieſcit ſpiritus meus niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea. Principium* Propheta Deum patrem vocat, quia cuncta in eo ſumpſere initium, & tandem accipient finem. *Ego principium,* inquit ipſe, *qui & loquor vobis.* Beatus igitur Iacobus ad filias Sion imbrem deſcendere in principio fecit, quoniam Spiritum ſanctum eſſe in Patre & filio prædicando Eccleſiæ filiis oſtendit. Implens illud Iſaïæ dicentis. *Poſuit Dominus os meum quaſi gladium acutum.* Acutus gladius ad dexteram & læuam velociter ſcindit, ſic bonos ſaluandos ad venturi iudicis dexteram, & malos damnando ad læuam venturos iudicauit. Iterum Iſaïas ibidem ait: *Et poſuit me ſicut ſagittam electam*, vel, *occultam.* Illa profecto ſagitta eſt occulta, quæ hoſtem citius interfecit emiſſa. Et quia tria ſunt in ſagitta penetrabilia, videlicet *ferrum, lignum rectum, pluma dirigens,* ſagitta Trinitatem & vnitatem dominicam oſtendit. *Sagitta* itaque *electa.* Beatus Iacobus fuit, quoniam ſicut velox ſagitta trahentis eam, aduerſarium interficit; ſic Trinitatem & vnitatem dominicam prædicando generis humani inimicum in hominibus peremit, & vitiorum aggeres deſtruxit. Ruſumque Propheta ait: *In pharetra ſua abſcondit me.* Pharetra typice eſt intemeratæ Virginis beatæ Mariæ vterus, in quo ſagitta electa, id eſt, Dei filius vnus cum Patre & Spiritu ſancto Deus latuit. Sagitta in pharetra, eſt abſcondita, quia diuinitas in humanitate eſt hoſpitata. In ea namque *habitauit plenitudo totius diuinitatis corporaliter.* In pharetra ergo ſua Dominus B. Iacobum abſcondit, quia in conuerſatione ſuæ humanitatis benignis doctrinis illum imbuit. Dixitque ei rurſum per Prophetam: *Longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida: ad dexteram enim & læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit.* Per funiculos quippe quibus artifices duas res quaſlibet diſſidentes alligare ſimul ſolent, dominica præcepta deſignantur quibus Deus & homo per bonorum operum exhibitionem ſimul alligantur. Inter Deum & hominem per protoplaſti delictum olim facta fuit diſcordia, ſed per dominicorum præceptorum exercitationem facta eſt concordia. Funiculos igitur ſuos Apoſtolus longos fecit, quia à Iudæa vſque ad Mediterraneum mare huc occidentale doctrinas Euangelicas extendit. Clauos ſuos conſolidauit, quoniam Catholicæ fidei monita hominum cordibus infixit. Ad dexteram & læuam penetrauit, quia electis bonorum operum ſuorum remunerationem cæleſtem, & reprobis extremi examinis terrorem pronunciauit. Et ſemen eius gentes hæreditauit, quoniam fideles populos per prædicationem ſuam ſecum regni cæleſtis hæredes fecit: Sicut ſol diei obſcuritates, & luna noctis tenebras illuminat, ſic ſancta doctrinis effulſit Eccleſia. Quemadmodum arcus diuerſis coloribus refulgens inter nebulas cœli, ſic inter aduerſa ferorum gentilium, ac Iudæorum diuerſis virtutibus feruens refulſit quaſi roſa vernans inter ſpinas, & lilium florens iuxta aquas, ſic diuinis exemplis effloruit inter gentes, ſicut thymiamata & thus redolens in igne, ſic omnibus gentibus odor vitæ perennis extitit ad ſalutem, vt omnes ad æternæ beatitudinis regnum reuocaret. Radiabat enim in eo diuina virtus in vita, in moribus, in prædicatione verbi, in lenitate & manſuetudine ſpiritus, in ſignis & prodigiis, in omni etiam mortificatione carnis. Vigiliis, ieiuniis, precibuſque diuinis. Circuibat villas, caſtella, & viculos ingrediens per Iudæorum ſynagogas verbum Dei prædicans opportunè, importunè inſtans, vt omnibus gentibus Dominum ignorantibus vna lex luxque perpetuæ vitæ clareſceret, & ſimul omnes reſurgerent ad vitam, qui ſimul deſcenderant ad mortem. Imo vel propter minas principum vel verba iniquorum prædicare Chriſti nomen in conſpectu & auditu ferorum hominum Iudæorum & gentilium zelo fidei

Marginal notes (left column): † Eccl. 39. v. 4. † In Vulgata: *in terram alienigenarum gentium pertranſiet.* — C — Eſai. 49. 6. Act. 13. 47. — D — Ioël. 2. v. 23. — Ioël. 2. 23.

Marginal notes (right column): E — Iſai. 66. v. 2. ſecundum lxx. — Iſa. 11. 2. Ioan. 8. 25. — Iſa 49. 2. — F — Iſa. 49. 2. — Coloſſ. 2. 9. — Iſa. 54. 2. — G — H

A munitus non ceſſauit vſque ad horam necis ſuæ. Tanquam enim cliens à magno Imperatore miſſus maioribus turbis populorum lumen veritatis immittere non formidabat, vt quo multi congregabantur, multi ſuo exemplo vel doctrina erudirentur. Sicut enim piſcator ibi retia ſua tendit vnde ſcit piſcium multitudinem, auium vel pecudum congregari; vt dum multi congregantur magna pars illorum capiatur, ſic & beatus Iacobus hominum piſcator ferarumque venator, multitudinibus gentium ſuæ prædicationis retia extendere non deſiſtebat, vt quia ſub huius rei obtentu multi congregabantur multi ſagitta eius prædicationis caperentur, ac velut fidelis diſpenſator à Domino conſtitutus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore neceſſario, ſic barbaros populos omnimodis feſtinabat ſpiritualibus reficere cibis, clementer docens, optimè inſtruens, ab erroribus idolorum tota animi virtute retrahere nitens. O pingue vas Spiritus ſancti! quod adipem frumenti Chriſti & lætitiam olei ac ſobriam ebrietatem vini plebi affluenter adminiſtrabat. B Oculus enim fuit cæco, & pes claudo, pater pauperum & miſerorum, conſolator orphanorum & viduarum. Hic velut nauta nauim Eccleſiæ plenam diuitiis gentium, anchoram fidei mittens per mare fluctuantis ſæculi huius, ſalutis ad portum traduxit. Hic velut vinearum procurator Eccleſiæ, vineam magno labore plantauit, vitiorum tribulos extirpans, ſpinas prauorum actuum reſecans, bonos palmites plantans, ædificans euangelicorum dogmatum ſepem circa eam, contra barbaras feras agens: vulpes hæreticas, quarum mos eſt demoliri vineas, procul ab ea expellens. Torcular altaris noui, & turrim fidei inædificauit. Hic prius incultam tellurem, ceu arator modernus ſcienter cultro nouæ prædicationis ſuæ, & aratro fidei ſulcauit, vt poſteri citius arare prædicando poſſent, & tellus vitiorum vepribus mundata ſemen acciperet & afferret abundantius fructum C alium centeſimum, & alium ſexageſimum. Et ſicut qui in nemoroſis locis callem ad quamlibet dirigit vrbem, † modos ſcientiæ faciens; ſic beatus Apoſtolus nouæ legis rectiſſimus Viator vt ad cœlum tranſmitteret fidei erexit, aſperum iter planans, duros repellens lapides, tortuoſum dirigens callem diuinorumque præceptorum nodos agens in virgultis iuxta eam, vt poſteri aptius ire mererentur, exiguam ſemitam latam fecit viam itinere venientium poſt ſe. Ecce enim ſemita verſa eſt in viam. Exigua & tortuoſa erat veteris Teſtamenti ſemita, per quam pauci ad cœlum gradiebantur tempore illo ſcilicet: lata & recta nunc eſt noui Teſtamenti via, per quam multi gradiuntur. Cum itaque magni Iacobi fama longè latéque per orbem creuiſſet & veniebant ad eum Iudæi, tum plures gentiles, & idolorum cultores & baptizabantur & deſtruebantur idola, à quibus fuerant fabricata, vnde dolens hoſtis antiquus videns ſibi deficere gentes, quas Chriſtus acquirebat per famu- D lum ſuum, tota artificij ſui machinamenta ad impugnandam Dei Eccleſiam conuertit, Herodemque regem Hieroſolymitanorum ita inflammauit, & ad tantam rabiem indignationis commouit, vt caperet Apoſtolum & interficeret eum. Sicque Herodes hoſtis Domini iaculo inuidiæ exagitatus miſit manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia, & occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, heu heu valde res doloſa. Illum occidit quem Angelus Domini de carcere in Hieruſalem olim extraxerat. Illum interfecit, quem Dominus de mundo elegerat, ac conſecrarat, dignumque ſibi & charum fecerat. Sed poſtquam magnus Iacobus Apoſtolus Chriſti, & athleta martyr inuictus, Herodis gladium libenter Chriſti amore tolerasſet, alma eius anima vinculis corporeis ſoluta atque terrenis paſſionibus liberata ad ſuum læta reuertitur auctorem, Angelis plaudentibus tandem obuiam conſcendit. Corpus telluri ſpiritum paradiſi ſedibus reddidit: vbi regnat & exultat dignitate meritorum, Angelorum cœtibus aggregatus. Felix ergo pœna vulneris per quam perpetuæ vitæ palmam peperit ipſe ſibi, qui morte contriuit mortem, auream tenens coro- E nam paradiſiaca poſſidet regna: fuſo ſanguine ſuo factus eſt ipſe victima Deo. Occidente itaque Herode Iacobum gaudebat phalanx Angelorum, eo quod recepiſſet ſocium: contriſtabatur in tellure cohors fidelium, eo quod perdidiſſet paſtorem ſuum. Lætabatur cœtus idololatrarum, eo quod calumniatorem ſuum videbat mortuum.

† *ſ. nodos ſemita eiiciens.*

De beati Iacobi nece glorioſa idem beatus Fortunatus Pictauienſis antiſtes, Chriſti confeſſor, luculentis verſibus Elegiacis ſic cecinit, dicens:

Iacobus ex terris animam tranſmiſit Olympo:
O felix, cuius funere mors premitur.
Ante ſepulchra patris dantur modo dona ſalutis:
Et corpus lacerum corpora multa fouet.
Dic vbi mors inimica iaces? vbi vita recumbis?
Quando vides ſancti funere vota dari.
Quem malè credebas obitu finire ſalutem,
Das vitam multis, & tenet ipſe ſuam.
Huc captiua cubas, † qua † te pugnare putabas: F †
Inuadendo peris, téque ferendo necas.
Te tua pœna premit, tua te quoque vincula torquent:
Quos dare vis gemitus, ipſe ferendo gemis.
Martyr ouans cælos retinet, tu lucida teſtis
Mors inimica tibi, Tartara nigra colis.
Florigerum nunc ſede, manet ſine fine beatè,
Inter odoratos thure calente choros.
Non aliquas metuit placato iudice cauſas,
Præmia ſed miles victor habenda petit.
Pro meritis Iacobum ſic ad cæleſtia vectum,
Non premit vrna rogi, ſed tenet vrna Dei.
Si quæras meritum, produnt miracula verum;
Per quæ debilibus fertur amica ſalus.

Sed conſiderandum quod Herodes beati Iacobi decollator typicè diabolum deſignat regnantem in mundo, quoniam Dominum in membris ſuis perſequens dixit: Iob. 2. v. 4. *Pellem pro pelle, & vniuerſa quæ habet homo dabit pro anima ſua.* Et alibi: G *dixit inimicus perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea,* Exod. 15. 9. quoniam ſicut aduerſarius noſter diabolus Chriſti paſſionem, id eſt, noſtram ſalutem per vxorem ſomniantem Pilati euertere cupiuit, dicens: Matt. 27. 19. *Nihil tibi & iuſto illi*: ſic Herodes diabolo ſuadente Apoſtolicam prædicationem gentibus à Deo deſtinatam euertere voluit Iacobum interficiendo.

Herodes interpretatur pelliceus, ſiue pellis gloriæ. Cui rectè hæc interpretatio congruit, quia non de cœleſti gloria ſed de gloria pellis & carnis cogitabat. Tales ſunt illi, Phil. 3. 19. *quorum Deus venter eſt, & finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Itaque Herodes Apoſtolum Domini interficiebat. Per eum enim regnum ſuum perdere putabat, & magis perdere timebat regnum terrenum quam æternum, ſed quia Apoſtoli ſui necem Dominus vindicare voluit Herodem huiuſcemodi mortem ſubire permiſit ſicut Act. 12. v. 23. actuum Apoſtolorum libro dicitur. H Videns autem Herodes quia beati Iacobi mors placeret Iudæis, apprehendit Petrum Apoſtolum & miſit in carcerem: qui Angelo domini ducente illæſus nocte euaſit, facta autem die non inuento Petro dolens Herodes deſcendit à Iudæa in Cæſaream, & ibi moratus eſt. Erat autem iratus Tyriis & Sidoniis, & illi vnanimes venerunt ad eum, & perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, poſtulabant pacem eo quod alerentur regiones eorum ab illo, ſtatuto autem die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voces & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini & conſumptus à vermibus expirauit, eo quod non dediſſet honorem Deo, & beati Iacobi ſanguinem iniuſtè effudiſſet. Itaque Herodes Iacobum occidit, & Angelus Domini eum percuſſit, ab ipſo innocens interficitur, & ab Angelo Domini ipſe occiditur. Non legi aliquem ex perſecutoribus Apoſtolorum à Domino per Angelum interfectum eſſe, niſi hunc Herodem beati Iacobi decollatorem. Vnde intelligitur quia multum hic Iacobus ob honorem

A prælationis inter alios à Domino amabatur: multum ergo diligitur à Domino & in terra & in cœlo. O Herodes, Rex impie, crudelis hoſtis Domini, cur tantum ac talem virum occidiſti? Neſciebas quod interimendus eſſes à Domino. Armigerum interfeciſti & occiſus es à milite; famulum occidiſti & interemptus es à Domino. O alme Apoſtole Dei cur tanta pertuliſti? Idcirco tanta profectò pertuliſti, quoniam dignus eras pro nomine Ieſu contumelias pati. Sciebas enim quod *non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* (Rom. 8. 18.) O pie Deus, cur Apoſtolum interfici permiſiſti, vt regem poſtea interficeres? Ideo profectò vt coronam præparares Apoſtolo, & ſupplicium regi iniquo. Ambo ergo acceperunt ſtipendia meritorum ſuorum, vnicuique ſecundum meritum ſuum contuliſti, quia Apoſtolo coronam regni, & regi gehennam ignis tribuiſti. Impletur itaque in hoc facto quod in libro ſapientiæ legitur: (Sap. 4. v. 17.) *Condemnat autem iuſtus mortuus viuentes impios, & iuuentus celerius conſummata longam vitam iniuſti.* B *Videbunt enim finem ſapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. Videbunt enim & contemnent eum; illos autem Dominus irridebit. Et erunt poſthac decedentes ſine honore: & in contumelia inter mortuos in perpetuum.* Lætatur ergo Chriſti Apoſtolus in illa perpetua beatitudine, vbi lætitia eſt ſine dolore, vita ſine morte, gaudium inenarrabile. Legitimè pro Dei fide certauit in terra, idcirco coronatur in gloria: veneratur ab Angelis, honoratur ab omnibus ſanctis, niue candidior, ebore antiquo rubicundior, modo videt illum facie ad faciem, qui vidit in monte Thabor per ſpeciem: nunc perenniter; tunc temporaliter: nunc cum amore, tunc cum tremore: modo reficitur diuinis epulis cum Domino æternaliter, cum quo ad mare Tyberiadis poſt reſurrectionem vltimum conuiuium celebrat temporaliter, nunc illud C donum excellentiſſimum obtinet in cœlis quod quæſiuit à Domino dum eſſet in terris. Sedem dominicæ dexteræ cum electis poſſidet ſcienter, quam quæſiuit ab eo neſcienter. Cuius ſolemnia non funebria, ſed natalitia dicuntur. Quia tunc viuere cœpit quando de hoc ſæculo migrauit, & ſic de perfecto quodam ſcriptum eſt: (Sap. 4. 14.) *Viuens* de inter peccatores *tranſlatus eſt*: † *quia placita erat Deo anima illius*, de talibus quippe per Salomonem dicitur: (Prou. 11. 8.) *Iuſtus de anguſtia liberatus eſt*, de huiuſmodi viris per Malachiam Dominus dicit: (Malac. 2. 6.) *In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Hinc per Iſaiam Dominus loquitur dicens: *Ego vocaui eum, & benedixi eum, in directo eſt via eius.* Hinc quoque in libro Eccleſiaſtico dicitur: (Eccl. 1. verſ. 13. & 19.) *Timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur*, In libro Sapientiæ dicitur: (Sap. 3. 15.) *Bonorum laborum eius glorioſus eſt fructus, ac in perpetuum coronatus triumphat.* (Pſ. 111. 6.) Deinde Pſalmiſta ait: *In memoria æterna erit iuſtus ab auditione* D *mala non timebit.* Verè dignè *in memoria* vertitur Angelorum & hominum quem Dominus mirificauit gratia prædicationum & miraculorum; *ab auditu malo non timebit*, cum Dominus dicet; (Matt. 25. 41.) *diſcedite à me maledicti.* Hic Iacobus vero non ſolum in nouo Teſtamento legitur, verum etiam in veteri teſtamento deſignatur, in Iacob figuratur, in Iſraël demonſtratur: quia Iacobus à Iacob propheta nomen trahit & ſupplantator, vt ipſe interpretatur, rectè ex eius genere fuiſſe dicitur, & ei aſſimilatur in multis. Notandum vero quod Iacob filius Iſaac gentilem deſignat populum, Eſau Iudaicum, Iſaac Patrem Domini. Rebecca ſpiritum ſanctum Iudaicum populum gratia benedictionis olim dicebat, ſed quia ad fidem quaſi de venatione venire tardauit, gentilis populus fidem Chriſti pro hæreditate accepit. Quemadmodum diſcipuli Iudæis dixerunt: (Act. 13. 47.) *Vobis quidem oportuit primum loqui verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ*, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim Iacob ob matris ſuæ Rebeccæ monitis obediuit, vnde benedictionem patris promeruit. Iacob dando lenticulas primogenita fratris ſui emit; & Iacobus noſter relinquendo terrena mercatur

E cœleſtia. Iacob cohortem angelicam in monte Bethel conſpexit, ſed & Iacobus noſter non Angelos ſed ipſum Dei natum in gloria patris transfiguratum in monte Thabor aſpexit. Iacob Patriarcha ſupplantando fratrem ſuum meruit à patre benedici: Iacobus vitia carnis ſupplantando meruit domino ſociari. Iacob enim duodecim filios genuit: Iacobus multos in fide filios procreauit, Hic eſt typice vnus ex duodecim filiis Iſraël, è quibus creauit populos fideles Eccleſiæ. Hic eſt figuratè vnus ex duodecim fontibus Elim, quos populus Iſraëliticus per deſerta gradiens inuenit cum quadraginta palmis, è quibus vſque hodie vniuerſa irrigatur Eccleſia. Hic eſt typicè vnus ex duodecim principibus à Moyſe conſtitutis ad regendum populum Iſraëliticum, è quibus vſque huc alma regitur Eccleſia. Hic eſt figuratè vnus ex duodecim pretioſis lapidibus in veſtimento Aaron expreſſis, è quibus aſtitit Eccleſia *à dextris Dei in veſtitu deaurato, circundata varietate* meritorum ſuorum. (Pſal. 44. 10.) F Hic eſt vnus ex duodecim panibus propoſitionis, ſemper calidis, ſupra menſam Dominicam oblatis, è quibus paſcitur omnis mundus. Hic eſt typicè vnus ex duodecim exploratoribus à Moyſe miſſis in terram repromiſſionis. Qui reuertentes geſtabant inter duos palmitem cum vua in vecte pendentem, necnon & mala granata. & ficus ferebant, vuam inter duos Chriſtum inter duo teſtamenta intellige, mala granata Martyres, ficus doctrinam Eccleſiæ: exploratores duodecim Apoſtolos, qui vſque in hodiernum diem regni cœleſtis delicias pronuntiare non ceſſant Eccleſiæ Dei. Hic eſt vnus ex duodecim lapidibus Iordanis, qui ab electis viris duodecim tribuum portantur in loca caſtrorum ob teſtimonium miraculorum Dei, in quibus *omnis ædificatio Eccleſiæ conſtruitur.* (Eph. 2. 21.) Hic eſt typicè vnus ex duodecim lapidibus, quos miſit Ioſue in medio Iordanis, in loco vbi ſteterunt pedes ſacerdotum arcam fœderis portantium, (Ioſu. 4. v. 3.) G & permanent immobiles vſque in hodiernum diem, iter fidelibus demonſtrantes in Chriſti baptiſmate, cuius precibus nos adiuuari mereamur apud Deum noſtrum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

TERTIO KAL. IANVARII electionis & tranſlationis S. Iacobi Zebedæi Feſtum celebratur.

Lectio libri Sapientiæ. Sermo IV.

Iacobus placuit Deo & tranſlatus eſt in paradiſo vt det gentibus pœnitentiam, &c.

H SOlemnia ſacra præſentia, † electionis ſcilicet & tranſlationis beati Iacobi Zebedæi Apoſtoli Galæciæ, fratris ſancti Ioannis Euangeliſtæ, dilectiſſimi fratres, hodierna die recenſentes huius pulcherrimæ lectionis verba venuſto, digno, ac odorifero flore expoſitionis ad Domini noſtri Ieſu-Chriſti decus excipere debemus. († *f. eleuationis.*) Ait enim lectio diuina, *Iacobus placuit Deo & tranſlatus eſt in paradiſo.* (Geneſ. 5. 24. Eccl. 44. 16.) Idcirco tranſlatus eſt in terra viuentium, quia Deo placuit in terra morientium, et vbi huius verſiculi prima pars Iacobi ſcilicet ſcribitur; Enoch in Codicis ſapientiæ ſerie habetur: quia illud quod de eodem Enoch ſcribitur, quamvis de Chriſto ſiue de quolibet iuſto typicè intelligatur, tamen de ſancto Iacobo res expoſtulat vt ſignificetur, ſed in primis quærendum eſt cur Enoch tranſlatus ſit in paradiſum, idcirco Enoch viuens proprio corpore *tranſlatus eſt in paradiſum*, quia cum Helia propheta, (Gen. 5. 24. Eccl. 44. 16. 4. Reg. 2. 11.) quem Dominus olim ſimiliter tulit per turbinem in cœlum in fine venturus eſt ad debellandum antichriſtum, ſed vnde viuunt Helias & Enoch, & veſtiuntur, qui extra ſæculum ponuntur, & carnales habentur? quia ille qui filios Iſraël in deſerto manna pauit, ipſe Dominus

piiſſimus

A piiſſimus prout vult paſcit. Et cur miſſurus eſt Dominus homines ad debellandum Antichriſtum & non angelos aut Archangelos? Quia ſicut non Angelum, ſed hominem ſæculi filium ſuum ad debellandum diabolum, & liberandum hominem olim Deus miſit, ſic homines ad vincendum Antichriſtum & non Angelos mittere inſtituit, ſed cur non Apoſtolos, qui proximiores Chriſto & domeſtici Dei ſunt magis quam illi miſſurus eſt: quia ſi Apoſtoli aut quidam ſancti nouæ legis mitterentur, igitur homines veteris legis teſtes non haberent. Tria enim tempora ſunt, aliud ante legem, aliud ſub lege, aliud ſub baptiſmatis gratia: ex quibus veritatis teſtes voluit habere Dei filius contra Antichriſtum. Enoch ſcilicet ex hominibus qui fuere ante legem; Heliam ſub lege; Apoſtolos gratiæ. Apoſtolos olim teſtes habuit in aduentu primo, Heliam & Enoch habiturus eſt in ſecundo, & cur homines adhuc morituros in humana carne ad hoc opus reſeruauit. B Nonne in fine præſentis ſæculi quoſdam diſcipulos ſuos, aut Apoſtolos, aut homines ſanctiores illis ſuſcitare potuiſſet? ſed ſi homines iam mortuos ad hanc vitam tunc reuocaret non bene ſecurè decertarent cum ſcirent ſe eſſe iterum morituros, quia mori formidarent. Lethi enim vmbra tantæ amaritudinis eſt quod qui ſemel eam guſtauit, iterum guſtare valdè pertimeſcat. Igitur Enoch qui interpretatur Dedicatio, Chriſtum innuit, qui Eccleſiam ſuam dedicauit ſanguine ſuo. Quòd verbis exemplis, operibuſque bonis Enoch Deo placuit, ipſum vnigenitum oſtendit, qui in omnibus & per omnia Deo patri placuit, vt ipſe pater ſuper montem Thabor audiente B. Iacobo & ſuper Iordanem teſtatur; de eo ſic dicens: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* [Matt. 3. 17. & 17. 5.] Quod Enoch viuens corpore tranſlatus eſt in paradiſum, ipſum Dei filium à mortuis corpore proprio reſuſcitatum oſtendit, C quem Deus pater triumphato inferni principe non ſolum in paradiſum, verum etiam ſuper omnia agmina polorum ſublimauit. Quod in fine venturus eſt Enoch & daturus pœnitentiam gentibus & antichriſtum triumphaturus Chriſtum manifeſtat, qui huius mundi principem ſæculi diabolum triumphator demum eiecit, vt ipſe ait. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Ipſe pœnitentiam cunctis ad ſe venientibus dedit, vt euangelium dicit, *pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* [Matt. 3. 2.] Et ſicut Enoch placuit Deo & tranſlatus eſt in paradiſum, ſic B. Iacobus fide & opere placuit Deo, cui beneplacitum eſt ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant in miſericordia eius, & tranſlatus eſt in paradiſicam ſedem pollicitam: hic inſuper pœnitentiam cunctis prædicauit; *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur facinora veſtra.* [Act. 3. 19.]

[Eccl. 44. 17. & 18.] *Inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iræ factus eſt reconciliatio. Teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit omnis caro.* D Iſti duo verſiculi præti-tulantur in Noë, Noe, qui interpretatur REQVIES, qui inuenitur perfectus & iuſtus, Dei filium oſtendit, qui iuſtior cunctis iuſtis & perfectior omnibus perfectis eſt: in quo eſt requies æterna, pax continua, tranquillitas aſſidua in quo requieſcunt ſanctorum animæ, vt ipſe diſcipulis ſuis ait: *Inuenietis requiem animabus veſtris.* [Matt. 11. 29.] Quemadmodum Noë in tempore iræ, ſcilicet diluuij, mundum ſeruauit per arcam ligneam quam fecit, & lympham qua natauit, ſic Chriſtus per crucem ſuam & baptiſmi ſui aquam mundum perditum Deo Patri reconciliauit, ſicut B. Paulus ait; *Chriſtus per ſanguinem paſſionis ſuæ mundum reconciliauit Deo,* [2. Cor. 5. 19.] & canit Eccleſia: *Agnus redemit oues, Chriſtus innocens patri reconciliauit peccatores.* Et ſicut Noë tempore diluuij teſtis fuit mundo, ne deleri poſſet omnis caro; ſic Dei filius teſtis datur mundo coram Deo patre, ne poſſit deleri tempore perditionis omnis caro. Ait enim pater de filio ſuo ſic per Prophetam: *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* [Iſa. 55. 4.] Et B. Iob ait: *In cælo eſt teſtis meus & conſcius meus in excelſis.* [Iob. 16. 20.]

E Per Noë, vt diximus, Chriſtum, per arcam, Eccleſiam, per lympham Chriſti baptiſmum per extinctos in aqua, crimina noſtra in baptiſmate extincta: per ſaluatos in arca, fideles ſaluari in Eccleſia inſinuantur. Qui enim extra Eccleſiam ſunt, hæretici ſcilicet, Iudæi, gentiles, & anathematizati, in diluuij perditionem incurrunt; & ſicut Noë in latere arcæ feneſtram fecit, ſic mitiſſimus ac piiſſimus redemptor noſter nobis miſerrimis condolens, latus ſuum pendens in cruce ad aperiendum militi præbuit, vt egrederentur ex eo flumina apertiſſima ſanguinis ſcilicet redemptoris, & lympha baptiſmatis, quibus abluuntur crimina noſtra. Quod Noë vt mundi reliquias ſaluaret arcam extruxit, de ſancto Iacobo fas eſt intelligi, quia ſua prædicatione & proprio ſanguine fuſo, vt mundum ad fidem ſaluatricem reuocaret Eccleſiam conſtruxit. Sic enim ad Chriſti laudem de eo vna cum cæteris Apoſtolis Eccleſia eius meritis & doctrinis gauiſa canit dicens: F *Iſti ſunt qui viuentes in carne plantauerunt Eccleſiam ſanguine ſuo.*

Magnus pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria, qui conſeruauit legem excelſi. [Eccl. 44. 20.] Verſiculus iſte cum quatuor verſibus ſequentibus prætitulatur in Abraham, per Abraham qui *pater excelſus* interpretatur, & *pater multitudinis gentium* dicitur, [Eccl. 44. 20.] Dei filius intelligitur, qui omnium in ſe credentium pius pater habetur, & non ſolum cæteris gentibus, verum etiam in cœlis & Angelis omnibus excelſior approbatus: de quo Pſalmiſta ſic teſtatur dicens: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius.* Eſt enim ſuper omnia, infra omnia & quidquid eſt in ipſo, eſt, de quo B. Iob cuidam ſibi loquenti ſic ait: *Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno & vnde agnoſces eum? Longior terra menſura eius, & latior mari.* [Iob. 11. 8.] Hic inſuper tantus ac talis omnium artifex mundum pugillo continens ventris B. Mariæ Virginis clauſus ſub arca olim pro mundi ſalute extitit, hic in omnibus, & G per omnia legem mandatorum excelſi patris obſeruauit. Quapropter non eſt inuentus ſimilis illi in gloria Angelorum & hominum, vt Pſalmiſta ait, *Non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.* [Pſal. 84. 8.] Et alibi: *Deus quis ſimilis erit tui?* [Pſal. 82. 2.] Et velut Abraham multarum gentium pater extitit, ſic B. Iacobus multorum peregrinantium ad ſe in Galæcia venientium pater & auxiliator piiſſimus extat, qui etiam dum adhuc viueret legem excelſi Dei in omnibus conſeruauit diligenter, ſed non eſt inuentus inter Apoſtolos ſimilis illi in gloria, qui Chriſtum ante Apoſtolos alios prius per Herodis gladium ſequi meruit: in cœlo proximior Chriſto præ omnibus Apoſtolis reſidere meruit in excellentiſſimo throno. Et fuit Dominus in teſtamento cum ipſo, ſicut Dominus in teſtamento circunciſionis, & prolis promiſſione cum Abraham fuit, ſic immo Deus pater & Spiritus ſanctus cum Chriſto in gloria H baptiſmatis & noua prole Catholicorum extitit: & B. Iacobo per diuinæ prædicationis gratiam adfuit. In carne eius fecit ſtare teſtamentum & interpretatione inuentus eſt fidelis, ſicut Dominus in carne Abrahæ circunciſionis fecit ſtare teſtamentum, ſic in Iacobo cæteriſque Chriſti Apoſtolis baptiſmatis nouæ gratiæ teſtamentum perſiſtere fecit. Teſtis & inuentor Abraham fuit circuncíſionis; teſtes & Apoſtoli ſunt nouæ gratiæ baptiſmatis. Et ſicut Abraham in tentatione dominica dum ei dicitur, tolle filium tuum quem diligis Iſaac & offeres illum in holocauſtum, fidelis inuenitur; ſic Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, dum enim in tentatione à diabolo dicitur: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me,* [Matt. 4. 9.] fideliſſimus habetur. Similiter beatus Iacobus in diabolicis tentationibus, in proſperis, & in aduerſis, fidelis extitit quandiu vixit: eodem modo, & nos ſiue à Domino ſiue à diabolo tentari fuerimus, fideliter & patienter agere debemus, de Dominica tentatione, per Apoſtolum ſcriptum eſt: *Tentat vos Deus vt ſciat ſi diligitis eum.* De tentatione diabolica in oratione dominica à Domino dicitur: *Et ne nos in-* [Matt. 6. 13.]

ducas

A *ducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quapropter videat Hiſpanus, ſiue quilibet Chriſtianus, vt ſi fortè inter Mauros fuerit captus, fidelis ſit vſque ad lethi debitum in omnibus, quatenus illam remunerationem accipiat quam repromiſit Deus dicens fidelibus:
Matt. 10. 22. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

Eccl. 44. 22. *Ideo iureiurando dedit illi ſemen in gente ſua, creſcere illum quaſi terræ cumulum, & vt ſtellas cœli exaltare ſemen eius.*] Semen quod Dominus in gente Abrahæ iureiurando dedit ſaluatoris noſtri caro propriè eſt quæ ex Abrahæ proſapia deſcendit. Quæ ſemini optimè aſſimilatur, quia ſicut ex vno ſeminis grano multa grana oriuntur ſic ex eiuſdem carnis ſanguine millia millium gentium & nationum baptiſmatis gratia regenerantur. Hæc vero quaſi terræ cumulus creuit, quia Prophetas & Patriarchas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, omneſque electos ſuper Olympi cacumina accumulator omnium bonorum dominus accumulauit.
B Eccl. 44. 23. Ibid. v. 23. & Pſ. 71. 8. Semen Abrahæ vt ſtellæ exaltatur, quia ſuper choros Angelorum redemptoris caro ſublimatur & hæreditas illius *à mare vſque ad mare* Abrahæ, & *à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.*

A mari vſque ad mare Abrahæ hæredes hæreditantur, quia vbique Chriſti fideles diuina diſponente gratia multiplicantur. Et ſic Abraham *pater multitudinis gentium* habetur, ſic B. Iacobus diuerſorum populorum & nationum ad eius venerandum ſepulchrum in Galæciam venientium, pater pius approbatur. Et ſicut Abrahæ ſemen quaſi terræ cumulus augmentatur, & vt ſtellæ exaltatur, ſic B. Iacobi gens peregrina quotidie augmentatur in terra & ſuper poli ſtellas exaltatur, vna cum eo in cœleſti patria.

Eccl. 44. 26. *Agnouit eum in benedictionibus ſuis & dedit illi hereditatem, & diuiſit ei partem in Tribubus duodecim.* Verſiculus iſte vna cum ſequenti prætitulatur in Iacob. Idcirco quia Iacob valdè benedictiones dilexit,
C Rom. 9. 13. Dominus illum agnouit & amauit, vt ipſe per Prophetam, ait: *Iacob dilexi Eſau autem odio habui.*
Gen. 27. Iacob manus ſuas, & colli nuda hœdorum pellibus protexit ſe ipſum eſſe abnegauit, nomen & loquelam mutauit in fratris effigie ſe finxit mendacium pro vero aſſeruit, fratrem ſupplantauit, patrem fraudauit, vt mereretur ab eo benedici:
Gen. 32. 24. In monte Bethel cum Angelo tota nocte luctatus claudus efficitur, vt benedictionem à Domino accipere mereretur. Quapropter Dominum in ſummitate ſcalæ vidit, & Dominus illum
Gen. 28. 12. agnouit. Idcirco & nos animas noſtras, quas malignus hoſtis à virtutibus ſanctis & felicitatibus paradiſi vitiorum caſibus denudauit, pœnitentia mentis & mortificationibus carnis cooperire debemus, vt mereamur à patre noſtro Deo benedici. Rurſum cum Ange-
Eſa. 9. 6. iuxta lxx. lo, qui eſt *magni conſilij Angelus*, Domini ſcilicet, Ieſus-Chriſtus luctari debemus, non armis vanæ potentiæ, ſed aſſiduis precibus & ieiuniis crebris, & eleemoſynis, & prædicationibus diuinis, quatenus à Do-
D mino non in monte Bethel ſed in cœlo mereamur benedici. Hæreditas quam Dominus tribuit populus Chriſtianus typicè eſt, quam Deus pater vnigenito præſtitit. De qua ipſa veritas ſic teſtificatur dicens: *Laudabilis populus quem Dominus exercituum benedixit dicens, opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Iſraël.* De
Pſ. 15. 5. hac hæreditate Pſalmiſta ait: *Hæreditas mea præclara eſt mihi.* Huius hæreditatis hæres Dei filius eſt, quem Do-
Heb. 1. 2. minus, dicente Apoſtolo, *conſtituit hæredem vniuerſorum per quem fecit & ſæcula.* Hæc hæreditas pars Chriſtiana dicitur quam Dominus filio ſuo diuiſit in tribubus duodecim, quia ab hæreticis & Iudæis & gentibus infidelibus, miſſis duodecim Apoſtolis ſuis, ſcilicet ad prædicandum Dominus ſibi eam ſeparauit. Cum enim aliquis aliquid diuidit partem accipit, & partem relinquit. Sic Dominus in extremi examinis die partem nequam reſpuit prauorum accepit & bonorum. Hinc in veteri volumine ſcribitur. *Separaui vos à cæteris populis vt eſſe-*
† Hier. 9. 10. *tis mei.* Et alibi, † *ſi ſeparaueritis pretioſum à vili, quaſi os meum eritis.*

Et conſeruauit illi homines miſericordiæ, inuenientes E
gratiam in oculis omnis carnis. Iacob, cui Dominus Eccl. 44. 27.
homines miſericordiæ, id eſt, duodecim eiuſdem filios, duodecim ſcilicet mundi Patriarchas conſeruauit, Dei Vnigenitum innuit, cui homines miſericordiæ, id eſt, duodecim Apoſtolos hic & in futuro Deus pater fideliter conſeruauit ſic idem filius patrem pro eis poſtulauit dicens: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo quos* Ioan. 17. 11.
dediſti mihi. Et alibi illis dicit: *Capillus de capite veſtro* Luc. 21. 18.
non peribit. Et ſicut duodecim Patriarchæ inuenere gratiam in oculis omnis carnis, ſic & multo magis gratiam indeficientem inuenere duodecim Apoſtoli in oculis veri numinis Chriſti, filij Dei. Iacob qui Dominum in monte Bethel conſpexit, beatum Iacob innuit qui Dominum in patris numine transfiguratum in monte Thabor vidit, Iacob Supplantator interpretatur: etiam Iacobus noſter ſupplantator ſimiliter dicitur, quia illi qui benedictionem patris fraudulenter occupando F
fratrem ſupplantauit, Iacobum noſtrum oſtendit qui humana vitia & in ſe per mortificationem carnis & in aliis per prædicationem diuini verbi iugiter ſupplantauit.

Dilectus à Deo & hominibus, cuius memoria in be- Eccl. 45. v. 1.
nedictione eſt. In Moyſi perſona verſiculus iſte deſcribi- Moyſes.
tur. Moyſes, qui Aquoſus interpretatur, quia in aqua inuenitur, quique à Deo & hominibus diligitur Chriſtum Dei filium innuit, qui aquoſus fuit, cum per aquam baptiſmatis & ſanguinem ſuæ paſſionis regnum cœlorum fidelibus dedit, quique in aqua inuenitur, cum pœnitentibus per lachrymarum dulcia flumina gratiam ſuam largitur. Sic enim per Prophetam ipſe
ait. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt.* In ipſo Iſa. 55. 6.
amor Dei patris & hominum habetur. Si Chriſtus à Deo & hominibus diligitur, ergo in ipſo per dilectionem homo Deo adunatur, & humana cœleſtibus coniunguntur. O quam pretioſum eſt, fratres, atque glorioſum diligere Redemptorem noſtrum, quem Deus G
pater diligit, ſicut ſponſus ſponſæ in thalamo amore coniungitur, ſic amor noſter patris amori in Chriſto copulatur. Cum enim Chriſtum digno amore diligimus, Deo adunamur. Per peccatum primi hominis à Deo alienati fuimus, ſed per dilectionem in Chriſto ei adunati ſumus. Quandiu amor noſter eſt in Chriſto, tandiu Deus pater eſt nobiſcum, & nos cum
ipſo. *Prouidere* ergo debemus iuxta Apoſtolum, *bona* Rom. 12. 17.
non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, vt per dilectionem Dei & proximi apud Deum & homines amari mereamur. Iacobus almus à Deo diligitur, quia illum quem Dominus ſecus mare Galilææ hodierna die elegit in polorum ſedibus dignè pro meritis coronauit, ab hominibus in hoc mundo etiam ipſe diligitur, quia per quatuor mundi climata à cunctis fidelibus amatur, inuocatur, colitur, & honoratur, & inſuper in Galæcia petitur. Igitur ille piiſſimus Chriſtus
Apoſtolus Iacobus, cuius electionis ac tranſlationis ſo- H
lemnia colimus, in omnibus neceſſitatibus noſtris adiuuare, & ad cœleſte regnum nos perducere dignetur, præſtante Domino noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

S. BRVNONIS ASTENSIS, Signienſium Epiſcopi opera. Nunc primùm in lucem edita ſtudio, & labore D. Mauri Marcheſij Caſinenſis Decani.

REVERENDISSIMÆ ABBATVM Caſinenſium Vniuerſitati D. Aloyſius Squadronus Abbas S. Georgij Maioris.

PRODIT tandem in publicam lucem opus hoc à tenebris, à puluere penè erutum, Præſules quà doctrina, quà pietate Reuerendiſſimi; & ò dubiæ conatum plenum aleæ perſuaſiſſe negantibus, Auctorem hunc eſſe Benedictinæ diſciplinæ Alumnum! Diducto tandem, quo obducebatur inuolucro, agnoſcitur Bruno de facie Monachus Benedictinus, & Abbas vix de obliuione redemptus, Abbates inuiſit, & Monachos intra Caſinenſes lares hoſpitaturus. Quàm amicè reduces de ſacratiore veſtro Parnaſſo Muſas excipietis hoſpitio! iſtud veſtrum in Sanctiſſimum doctorem prauidebam obſequium, qui ea propter curabam enixè, vt quaſi rediuiuus typis nunc cuderetur, ſiue meo conſilio fuiſſet opus, ſiue ope. Fuit meum officium, fateor, vt id facerem. Sic enim noſtratibus Monachis valida reſtituebam incitamenta virtutum; ſic vobis, qui me plauſibili votorum ſuffragio congregationis veſtræ Præſidem conſalutatis, aliquas agere gratias hoc monumento profitebar. At ſi quicquam huiuſmodi penſo vobis donare videor, nolo muneris loco habeatis, at pignoris gratiſſimæ paupertatis. Ita gratitudini meæ, & credito veſtro volo cautum. Valete diù, &c.

Venetiis, M. DC. LI. 19. Kal. Februarij.

D. ALOYSIVS SQVADRONVS Caſinenſis Congregationis Præſes, Abbaſque Sancti Georgij Maioris Venetiarum.

LECTORI BENEVOLO.

LVcem tandem aſpiciunt, vendicata parenti ſuo Opera Sancti Brunonis Aſtenſis, Epiſcopi Signienſis; quorum pars magna hactenus deliteſcebat manu exarata, pars aliis Auctoribus perperam adſcripta prodierat, Et vt nihil dicam de Opere ſententiarum, quæ aliûs S. Brunonis nomine pridem editæ ſunt, quod de eius vero ſuo parenti, aſſertione, diffusè egerit D. Maurus Marcheſius piæ memoriæ, in Diſſertatione ſua, itemque quod ei confuſioni occaſionem præbuerit communitas nominis; quanta fuit hallucinatio, quod ſermones in Euangelia à S. Brunone Signienſi Epiſcopo elaborati, tamdiu lecti ſunt ſub nomine Euſebij Emiſſeni? Quid enim Euſebio Emiſſeno, Græco homini, & hæretico, tempora Conſtantij Imperatoris non tranſgreſſo, cum ſcriptore Latino, vt ſtylus clamat, & Catholiciſſimo, vt ex lectione ſermonum liquet, & multis ſæculis Conſtantium, eiuſque gregalem Euſebio ſubſecuto, vt ex † Petro Caſinenſi, qui horum ſermonum Indicem contexuit, eſt exploratum? Benè Sit Petro, qui Auctorem genuinum diſertè ſignans, depulit obductam huic negotio caliginem; & Sermones nitidiſſimos, ex Auctoris ſuppoſititij infamia vocatos in ſuſpicionem apud non paucos, ſubduxit denique calumniæ; ſimulque vt intelligeremus, potuiſſe Baronium non quidem vniuerſas Emiſſeni nomine editas Homilias, adiudicare Eucherio, ex Senatore noſtri Lirinenſis Cœnobij Monacho, indeque Epiſcopo Lugdunenſi, ſed illas duntaxat, quæ poſt 145. à nobis exhibitas, Emiſſeno item ſeorſum inſcriptæ leguntur, effecit. Quamquam fallacem hanc coniecturam manifeſtè coarguit ipſemet harum Homiliarum Auctor, lectorem diuerſis locis ad ſuos in Leuiticum, in Iſaïam, & in Ioannem Commentarios amandando. Nam præterquam quod non quidem Eucherium, benè tamen noſtrum Brunonem eiuſcemodi Commentaria edidiſſe memoriæ reperitur proditum; ſi locum eiuſdem Homiliæ, cum loco citato Commentarij in Leuiticum tibi hìc exhibiti, conferas, tum ex ſubiecta materia, tum ex ſtylo ipſo vnum eumdemque & Homiliarum, & citati Commentarij Auctorem perſpicuè agnoſces. Nec ambigendum, quin idem eueniat, vbi hoc fiat de iiſdem Homiliis cum prædictis in Iſaïam, & Ioannem Commentariis. Sperandum ſiquidem tum has, tum alias S. Brunonis lucubrationes, quæ adhuc vel ſub alieno nomine latent, vel cum tineis & blattis certant in manuſcriptis Codicibus, alicunde tandem cum bono Deo erupturas. Earum Indiculum repræſentare è re Lectoris viſum eſt; vt ſi tantus theſaurus pœnes aliquem deffoſſus iacet, ad plenam editionem publico non inuidendam ſtimulatus, nobis benignè ſignificet, quô iam editis adiici illæ poſſint.

† *Hic author fuit editus Romæ 1655 vt in hac etiam SS. Patrum Bibl. reperitur. ann. 441 num. 3.*

Commentarium S. Brunonis Aſtenſis In Libros Regum, memoratur ab Anonymo in eius Vita: hactenus tamen non comparet.

Idem meminit duplicis Commentarij in Pſalterium: quod & facit ipſemet S. Bruno initio Commentarij in Pſalterium in lucem nunc proditi. Eorum alterum Boloniæ conſcripſit, etiamnum dans literis operam: in quo vſum verſione S. Hieronymi, cui nomen *Gallicana*, à Canonicis S. Petri in Choro vſurpata teſtatur: & hic Commentarius hactenus latet. Alterum quo verſio vulgata explanatur, nunc damus qualem nanciſci licuit, hoc eſt mutilum & hiulcum à pſalmo 58. ad 64. & à parte pſalmi 77, ad pſalmum 82.

Expoſitionis ſuæ in Iſaïam, meminit, vti præfati ſumus, ipſemet S. Bruno in Homiliis ad illud ex eodem Iſaïa: *Excæca cor populi huius*; nec reticuit hanc eius lucubrationem Anonymus, vitæ S. Viri Auctor. Nunc deſideratur,

Commentarij ſui in Ioannem mentio eſt apud ipſum S. Brunonem, ad Euangelium Nuptiæ factæ ſunt in Cana. Ad noſtras manus nec hoc peruenit.

De Commentario in Librum Iudicum, quem à S. Brunone compoſitum, refert in ſua Diſſertatione Dominus Maurus, nihil occurrit exploratum.

Expoſitionem denique in Pſalmos Oddonis Aſtênſis Monachi Benedictini, nonniſi à pſalmo 44. ad 86. & ab hoc ad 110. habemus: cum tamen integrum Pſalterium ſe expoſuiſſe, & ipſe Oddo ad Sanctum Brunonem ſcribat, & præmiſſa expoſitio titulorum omnium pſalmorum hoc teſtetur.

Neſcimus porrò quo diuino conſilio factum ſit, vt ipſe D. Maurus dum eorum quæ nanciſci potuit operum S. Brunonis editionem moliretur, in legendis, ac amanuenſibus dictandis exoleti characteris manuſcriptis codicibus, orbitatem incurrerit, & cum nihilo ſecius fidentiori quam par eſſet animo, editionis onus ſuſcepiſſet, iamque extremam eius partem vrgeret, ad extrema ipſemet deuenerit. Perſuaſum tamen habemus, demandati nobis muneris rationem proinde poſtulare, vt ſi quidem errata, quæ ex eius orbitate ob[illegible]erunt, emendare non poſſumus, ea ſaltem ſuppleamus; quæ ne ipſe præſtaret, immatura mors fuit impedimento. Quo ſcilicet, quo magis fieri poteſt, abſolutum prodeat in lucem Opus Patris ac Doctoris eximij, Benedictini inſtituti lucidiſſimi ſyderis, Abbatiſque Cœnobij noſtræ fidei commendati: è quo Congregatio ipſa primam originem, & nomen deinde traxit. Quocirca illud in primis ſcholiorum faculis illuſtrari, & opportunis Indicibus locupletari curauimus, & de iis omnibus te præmonitum eſſe voluimus.

A

OPERA HIC CONTENTA.

Expoſitio ſeu Commentarius in librum Geneſis.
Commentarius in Exodum.
Commentarius in Leuiticum.
Commentarius in Numeros.
Commentarius in Deuteronomium.
Expoſitio in librum Iob.
Expoſitio in Pſalterium iuxta vulgatam verſionem.
Expoſitio in Cantica Canticorum.
Commentarius in Apocalypſim.
Homiliæ ſeu Sermones 145. in Euangelia totius anni Euſebio Emiſſeno perperam attributi.
Tractatus in Canticum Zachariæ.
Tractatus de Incarnatione Domini.
Argumentum de ſacrificio Azimo.
B De Sacramentis Eccleſiæ, Myſteriis, atque Eccleſiaſticis ritibus opuſculum.
Vita Sancti Leonis Papæ Noni.
Reſponſio ad Quæſtionem Cur corruptus Status Eccleſiæ.
Vita S. Petri Epiſcopi Anagnini, & priuilegium Canonizationis eiuſdem.
Epiſtola Sancti Brunonis ad Epiſcopum Portuenſem.
Epiſtola eiuſdem ad Paſchalem Summum Pontificem.
Sententiarum libri ſex ab eorum primo de Laudibus Eccleſiæ denominati.
Oddonis Aſtenſis Monachi Benedictini ad Brunonem Epiſcopum Signinum in Pſalmos Expoſitio.
Facula ſeu Scholia in prænotata Opera.

C

DE S. BRVNONE ASTENSI.

Atque ab eo conſcriptis Libris. Diſſertatio Hiſtorica Patris D. Mauri Marcheſij Panormitani Congregationis Caſinenſis.

EN tibi Lector Beneuole, BRVNO cognomento Aſtenſis, Signienſis Epiſcopus cum ſingulari doctrina, tum eximia Virtute Vir: Erutum illum ex peruetuſtis monumentis, ſibique reſtitutum, nunc primum in lucem edimus. Cæterùm iam ab ipſo limine duo Te monitum velim, de Authore vnum, de ipſius Operibus alterum.

Conſtat in primis Sanctum Brunonem natum fuiſſe in Liguria, Aſtæ nè verò, an in oppido Solerio, ſub Iudice lis eſt, Patre Andrea, & Matre Vvilla, Certè D tam Aſtenſes, quàm Solerienſes eum ſibi pro iure patriæ vendicare contendentes, vtrique extructo in honorem conciuis ſui altari, quo die Vir Sanctus migrauit ad Dominum, feſtum habent ac ſolemnem 15. Kal. Auguſti.

Parentum genus Petro Diacono, Breuiario peruetuſto Caſinenſi, necnon Aſtenſium, & Solerienſium monumentis teſtantibus clariſſimum, & illuſtre ex nobiliſſima Aſtenſium ciuium proſapia. Vnde Anonymo, Sanctum Brunonem humili ex loco natum in vita ab eo conſcripta aſſeueranti, qui poſt illum ſcripſere fidem omnes tanquam mendacij reo iure optimo negauerunt. In his autem nominandis, neque ipſa probanda non immoror, cum adeo erudite, vt nihil ſupra pertracta fuerit à R. P.D. Philippo Malabayla in Diſquiſitione de S. Brunonis ortu, Canonicatu, & receſſu è Monte-Caſino, quam infra impreſſam ſubiiciemus ob multa, quæ de eo continet præclara.

Iam tum à puero traditus fuit educandus in Monaſterio Sancti perpetui. Erat illud tum Monachorum ex Ordine Sancti Patris noſtri Benedicti in Diœceſi Aſtenſi: nunc eſt in Alexandrinâ Canonicorum ſæcularium Ædes Collegiata. Poſtea Bononiæ in ampliſſimo illo E litterarum Emporio cum egregiam philoſophicis, ac Theologicis operam nauaſſet, Doctoris lauream aſſecutus eſt. Moxque Epiſcopalis Aſtenſis Eccleſiæ Canonicus effectus. Deinde verò Senis vrbe celeberrima in Canonicorum item ordinem cooptatus, vt ipſemet Teſtis eſt in prœmio ſuorum Commentariorum in Apocalypſim.

Senis Romam profectus ſtudio vitæ Monaſticæ, quam multis iam ab annis vouerat, apud Caſinates noſtros ineundæ (vt habetur ex Breuiario Caſinenſi, ac ipſo Petro Diacono.) Incidit in Petrum cognomento Igneum Albanenſem Epiſcopum; ab eoque exceptus eſt hoſpitio anno 1079. Gregorio VII. Pontifice, vt vitæ illius Acta teſtantur. Romæ eluxit mirificè doctrina, ingeniique vis, qua noſter Bruno præditus fuit, ac præſertim in refellendis Berengarij Hæretici ſophiſmatibus quibus temerè, & impiè negabat Chriſti Cor- F pus, & Sanguinem verè, ac reipſa in Euchariſtia eſſe. Qua ex diſputatione tantam opinionem tum apud Sanctum Pontificem, tum apud omnes Bruno ſibi conciliauit, vt in locum Epiſcopi Signienſis, qui tum forè deceſſerat è viuis, ſuffectus fuerit, inuitus ille quidem ac reluctans: at certè omnium votis, & probante Numine, vt perhibetur in ipſius vita, aliquot viſis, & oſtenſis.

Equidem hic miror à Petro Diacono ſcribi Brunonem ſub Vrbano II. Epiſcopum creatum; exiſtimauerim autem tantum virum errorem in adeo manifeſtum prolapſum haud fuiſſe: ſed Amanuenſem potiùs erraſſe. Ac pro Gregorio Vrbanum poſuiſſe. Facilè enim inter ſcribendum, nomina mutari contingit. Contingit opportunè ſatis ad rem noſtram idem Caſus Baronio, qui dum Petrum Diaconum arguit de errore ſuppoſiti Gregorio Vrbani, ipſemet vel potius eius Amanuenſis Vrbani nomini nomen Paſchalis ſuppoſuit, cum tamen non Paſchalis, ſed Vrbanus apud Petrum Diaconum G legatur.

Certum eſt ductum Brunonem fuiſſe in Galliam ab Vrbano Secundo ſub Annum 1095. quo anno interfuit Concilio Claromontano, & Conſecrationi Ædis Cluniacenſis, in qua cum ipſe Pontifex ritu Pontificio conſecraret Aram principem, aliæ Tres conſecratæ ſunt ipſius iuſſu ab aliis tribus Epiſcopis Lugdunenſi, Piſano, & Brunone Signienſi, vt habetur ex Bibliotheca Cluniacenſi Pariſiis edita. Anno conſequenti 1096. Cum idem Vrbanus II. conſecraturus eſſet ſexto Idus Martias ædem Maioris Monaſterij Turonenſis iuſſit à ſancto Brunone conſecrari pridie Sacellum Infirmorum. Quod ex antiquis monumentis ſcitè obſeruatum à Reuerendo Patre Iacobo Sirmundo è Societate Ieſu Viro ſummè erudito in litteris ac Reuerendiſſ. Abb. D. Conſtant. Caietanum datis.

Bruno poſtquam commiſſam ſibi Eccleſiam annos H aliquot ſanctiſſimè rexiſſet, memor priſtini propoſiti, ac voti arreptâ occaſione ſeceſſit ad Montem Caſinum, obtentâ prius à Paſchali II. licentia, ſi Anonymo credamus, ibique Monachum induit; Si verò Petrum Diaconum conſulamus, nulla ſibi à ſummo Pontifice ad id facta poteſtate. Vnde Paſcalis hominem coarguens de ſuſcepto huiuſmodi conſilio Apoſtolica Sede inconſultâ, vt rediret ad ſuos ægrè eius abſceſſum ferentes præcepit. Ad Pontificem miſſæ à Brunone excuſatoriæ litteræ, quibus tamen minimè placatus fuiſſet illius animus, niſi Oderiſij Abbatis, qui etiam Cardinalis fuit interceſſiſſet gratia.

Neque vero diù Caſini quieuit; Miſſus enim paulò poſt in Galliam cum Boamundo Principe Antiochiæ Legatus Summi Pontificis, eiuſque nomine Concilio præfuit Pictauienſi Anno 1106. Qua de Legatione meminit ſæpius Iuo in ſuis ad diuerſos Epiſtolis, ac præſertim 190. & 191. Miſſus etiam deinde ab eodem Paſchali Legatus in Siciliam ad Rogerium Comitem.

Præterea Brunonem fuiſſe Abbatem in Monte Caſino, conſtat ex Chronico eiuſdem Monaſterij, in quo

A habetur, Othoni, qui ſcribitur obiiſſe anno 1106. ſucceſſiſſe Brunonem. Conſtat etiam illum è Monte Caſino tandem ad ſuos Signienſes rediiſſe. Summi Pontificis iuſſu, qui à Brunone animo iam erat alienatus. Vide Acta Vitæ, & Baronium ad annum 1111.

An autem Bruno Cardinalis fuerit, quemadmodum nonnullis viſum eſt valde animi pendeo. Facit quidem ab illis, qui ita ſentiunt præclara illa tùm in Galliam, tum in Siciliam legatio. Verùm ea certo non videtur eſſe argumento, cum, vt doctè iiſdem literis animaduerſum eſt ab eodem Reuerendiſſimo Patre Sirmundo, multi alij tum fuerint Legatione perfuncti, qui non eſſent Cardinales, puta Hugo Epiſcopus Dienſis, deinde Lugdunenſis, Amatus item primum Oloronenſis, tum Burdigalenſis, Gerardus Engoliſmenſis. Accedit in Concilio Romano, quod decimo ab hac Legatione anno habitum eſt, receuſeri hoc B nomine Signinus Epiſcopus, cum ibidem Domno Præneſtinus nominetur Cardinalis. Non fuiſſe verò Cardinalem antea, cum Vrbanum II. comitatus eſt in Galliam, vel ex ipſa relatione antiqua, quæ vna cum Gregorio Turronenſi in lucem edita anno 1610. manifeſtè colligitur: Nam in ea recenſetur inter Epiſcopos extra numerum Cardinalium, qui deinde ſuo Ordine nominantur. Vt vt ſit, Vir magni nominis fuit, & magnæ authoritatis.

Vixit vſque ad annum 1125. quo obiit ſub Calixto II. Sedit autem in Epiſcopatu Signienſi annos 4. & 4. non, vt habetur in officio Romæ typis mandato anno 1592. 4. & triginta. Cum enim referatur creatus Epiſcopus à Gregorio VII. anno 1079. Obiiſſe autem anno 1123. profectò conſequitur illum annos quadraginta quatuor ſediſſe. In album Sanctorum relatus eſt noſter Bruno à Lucio III. Summo Pontifice quadrageſimo poſt obitum anno Eccleſiæ Signienſis tum Antiſtite D. C Bartholomæo, anno verò 1223. ab Honorio III. conſecratum fuit in ſacra Æde Signina altare in honorem Sancti Brunonis.

Atque hæc de Authore, cætera peti poſſunt ex duplici eiuſdem vita, quam paulo poſt ſubiiciemus, vnam à Petro Diacono in memorato Chronico Caſinenſi, alteram ab Authore Anonymo, qui illam conſcripſit ex mandato, vt ipſemet fatetur, Petri, qui quartus eidem Sancto in Pontificali dignitate ſucceſſit anno nimirum 1190. vt primo tomo Italiæ ſacræ notauit Abbas Diuus Ferdinandus Vghellius; Vir Sacrarum hiſtoriarum conſultiſſimus, Religioni duxi quidquam immutare, ſuus vt antiquitati foret honos ſua fides.

Facere tamen non poſſum quin Anonymum redarguam poſtremo hoc loco, qui dum redeuntem Brunonem ad Signienſes narrat, eiectum illum à Caſinenſibus Monachis, ac malè habitum allatrat. Poterat D quidem anilem hanc fabellam relinquere, atque à Petro Diacono ediſcere motum Monachorum, ex minis ortum, atque ardore Paſchalis Pontificis, diſceſſum Brunonis ad Signienſem Epiſcopatum iubentis. Diſſenſionis cauſa inter Pontificem, & ipſum Brunonem ob conceſſum Henrico Quarto contra Eccleſiæ iura Priuilegium: poterat etiam apud eundem Petrum Diaconum audire, Brunonem è Caſino iam iam diſceſſurum Monachis dicentem: Nolo vt propter me inter vos, & Romanam Eccleſiam ſcandalum oriatur: ideoque virgam Paſtoralem, quam mihi tradidiſtis, recipite. Quibus dictis, è Monte Caſino cum bona Monachorum venia greſſus remouit. Petro autem Diacono omnimoda fides in his adhibenda, non ſolum ob propriam laudati viri authoritatem, verum etiam quia & nouit ipſemet Brunonem, & ea, quæ de illo ſcripſit, hauſit ex Aduerſariis Leonis Oſtienſis, qui eadem ſcribere diſpoſuerat, ſed morte præuentus explere nequiuit, vt ipſemet Petrus Diaconus inquit, in Epiſtola ad Raynaldum Cardinalem, & Montis Caſini Abbatem. Quis verò prædicta nouit Leone Oſtienſe melius, per quem in illis turbinibus à Paſchali Pontifice ad Caſinates litteræ miſſæ ſunt, ne eidem Sancto viro obedientiam exhiberent? Sanè Baronius ipſe in Petri Diaconi ſententiam abit. Anonymo relicto. Cui vbertimâ eruditione præcitati D. Philippi Malabayla ſatis confutato, nos iam parcere poſſumus. E

Iam verò de operibus à Brunone conſcriptis, quod alterum fuit abs me ab initio propoſitum. Ea multa ſunt, & varia, quæ ex manuſcriptis Antiquis fideli cura exſcripta nunc primùm in lucem edi curauimus. Homilias & ſermones accepimus ex Tabulario Ædis Signinæ, & ex Bibliotheca Caſinenſi. Ex eadem Bibliotheca Commentarios in Cantica Canticorum, quorum tamen prologus non videtur eſſe Brunonis, Commentarios in Iob reperit etiam P. Sirmundus Pariſiis in Bibliotheca Regia, Quos elucubrauit in Apocalypſim ex Bibliotheca Ambroſiana habemus, operâ & ſtudio Clariſſimi, ac Reuerendiſſimi Dom. Ioannis Petri Purixelli Archipresbyteri Sancti Laurentij F Mediolanenſis, viri de Eccleſiaſtica hiſtoria benemeriti, præclaro illo ſuo libro de Berengario hæretico, quem noſter Bruno, in luce Romanæ Eccleſiæ mirabili doctrina vicit. In quem etiam Berengarium eodem tempore inſurrexit, conſcriptis in eum libris tribus de Veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti, Guitmundus Epiſcopus Auerſanus, qui dicitur interdum Archiepiſcopus, non quod ea dignitate eſſet, ſed quod nulli ſubeſſet, quam ſummo Pontifici. Hoc à Purixelli fontibus, hauſtum, tecum, Amice Lector, obiter communicandum eſſe duxi.

Sed redeamus ad Brunonis opera. Scripſit inter Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Geneſim, Exodum. (Cuius commentarij maximam partem quæ deſiderabatur ſuppeditauit è Bibliotheca Barberina, perilluſtris D. Carolus Moronus illius cuſtos. Eminentiſſimo D. Franciſco Barberino Protectori noſtro, benignè G annuente.) Iudices, Iſaïam Prophetam. Horum exemplar extat apud Reuerendiſſimos Patres Carthuſianos in Monaſterio Sancti Bartholomæi ad Anagniam. Scripſit Sancti Petri Anagnienſis Epiſcopi res præclare geſtas, res etiam S. Leonis IX. quas multo fuſius proſecutus eſt, quam Vibertus Archidiaconus Sancto Pontifici coætaneus, qui in ipſo Pontificatu hæſit. Horum operum indices hic attexi curauimus. Cæterum alia ſunt aliis temporibus, & occaſionibus ſcripta. Pſalterium ſcripſit antequam crearetur Epiſcopus, vt & Commentarios in Cantica Canticorum. Hoc Canonicis Sacræ Sedis Senenſis, illud Ingoni Aſtenſi Epiſcopo expoſuit. Iam creatus Epiſcopus, ſcripſit in Iſaïam rogatu Damiani Abbatis, & in Apocalypſim precibus Amicorum inductus. Hæc ipſe teſtatur in prologo horum Commentariorum: ſcripſit etiam librum alium in Pſalterium, vt canitur in Æde Beati Petri.

Ex his verò Brunonis operibus nullum quod ſciamus H in lucem prodiit, præter Homilias aliquot ſub nomine Euſebij Emiſſeni (quas facili negotio ipſi Brunoni vendicabimus) & librum iuxta priſcum codicem Caſinenſem inſcribendum opus ſententiarum; ſex libris diſtinctum. Quorum primus, qui eſt de Laudibus Eccleſiæ, nomenclationem vniuerſo operi in pleriſque poſterioribus codicibus dedit. Quod cum perſpectum ſit, eſſe ipſius S. Brunonis Signienſis Epiſcopi, non deſino mirari, quomodo ex inſcriptione duorum, vel trium Codicum, Sanctiſſimo Carthuſianorum Patriarchæ Brunoni aliqui illud adiudicarint. Nam vt ſileatur, pro duobus aut tribus Codicibus Magnæ Carthuſiæ, poſſe nos proferre pro Brunone Signino, plures alios manuſcriptos codices in Bibliothecis minimè ſuſpectis (vt eſt Vaticana, regiæ celſitudinis, Sabaudorum Ducum, & Carthuſiæ S. Bartholomæi apud Triſultum Signia primum) aſſeruatos; plura alia, eaque firmiſſima argumenta, eſſe illud eiuſdem S. Bruni Aſtenſis ſatis probant. Et primum Petrus Diaconus in opere de Viris illuſtribus Monaſterij Caſinenſis cap. 34. minutatim recenſens opera S. Brunonis ipſius Monaſterij

paulò

paulò ante Abbatis, & hoc, de quo agimus, adſcribit ipſi Brunoni. Deinde hoc ipſum manifeſtum facit ſtyli ipſius ratio: quæ quanti ſit ponderis ad germanos librorum authores dignoſcendos, omnibus in comperto eſt. Facili autem negotio differre longiſſimè ſtylum librorum hujuſmodi ſententiarum à reliquis Carthuſiano Patriarchæ attributis, deprehendet, qui vtroſque quantulacunque leget obſeruatione. Verum quid aliunde petimus argumenta, quando ipſemet liber authorem ſuum fuiſſe Benedictinæ Regulæ profeſſorem non vna ratione indicet? Immo aliquando etiam apertè demonſtret? & alicubi etiam fuiſſe ipſummet Brunonem olim Caſinenſem Abbatem? Iudicat inquam, tam frequenti S. Benedicti mentione. Item Sermonis 8. lib. 6. illis verbis vtinam B. Beati Benedicti nomen & memoriam ſemper in corde habeamus: quatenus dum eius memores ſumus, eius vitam & Sanctam conuerſationem imitari per ſemper, & tenere poſſimus. Item ſerm. 4. l. 1. & 12. l. 2. Sanctum Benedictum Patrem noſtrum appellando. Manifeſtè autem ſi Monachum Benedictinum profitetur ipſe author, libro 6. ſerm. 5. de confeſſoribus. Vbi cum veros, ſeu myſticos foſſores puteorum appellaſſet Gregorium, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, & Hilarium, ſubinfert, Sed quid dicam de Beato Benedicto, qui tam egregium nobis puteum fecit: cuius aqua ſaluberrima atque dulciſſima omnibus ſitientibus, & bibere volentibus & refectioni proficit & ſaluti? Nullus, poſt Apoſtolos & Euangeliſtas, puteus factus eſt, qui tot homines ſatiaſſet: & à mortis periculo, cunctiſque animæ paſſionibus liberaſſet. Monſtrat autem in ipſo Caſinenſi Monaſterio ipſoſmet ſermones ſe recitaſſe libro ſexto, ſerm. 2. de Confeſſoribus: quo cum eleganter probaſſet, Sancto Benedicto congruere quod de ſeipſo Saluator protulerat dicens: Ecce pluſquam Salomon hic; exclamat. O Si Regina Saba veniſſet ad Beatum Benedictum: & audiuiſſet ſapientiam ex ore eius: Et ſi nunc venire poſſet, & videre domos eius: famulos & miniſtros eius: filios & fratres eius; menſas & cibos eius: qualiter omnia ſunt ordinata: quam diſpoſita: quomodo omnibus eſt cor vnum & anima vna, & nemo dicit aliquid eſſe ſuum: ſed ſunt illis omnia communia: quomodo ſe diligunt omnes: quomodo ſibi inuicem obediunt omnes (ſunt porrò hæc verba ferè omnia è Regula accepta) quantus amor: quanta charitas eſt inter omnes, quanta dilectio? Oſtendit denique ſe eſſe Brunonem Signinum Epiſcopum ſerm. 6. l. 1. Nam cum quænam eſſent fundamenta, muri plateæ, & portæ cœleſtis Ieruſalem explicaſſet, inſit. Hæc autem omnia in Apocaliptim latius expoſuimus. Hanc porro expoſitionem elaboraſſe Brunonem, vbi ad Epiſcopatum conſcendit, ac proinde antequam Caſini Monachum indueret, ipſemet in illius Præfatione memoriæ prodidit: cum è contra S. Brunonem Carthuſianum in Apocalypſim ſcripſiſſe nullibi legatur.

Quare ratum eſto, opus ſententiarum, ſicut, iuxta concluſionem nomenclationem, De laudibus Eccleſiæ complectens opuſcula Sacra, & Sermones Tomi tertij nomine Sancti Brunonis Carthuſienſis vulgati, eſſe Sancti Brunonis Signienſis Epiſcopi: qui quod ætate eadem cum Sancto Brunone Carthuſiano vixerit, & eodem nomine ſit inſignitus, facilius fuit irrepere errorem in abiudicandis Sanctis Brunonis Signienſis operibus, & alteri ab aliquo qui hunc duntaxat nouerat, adſcribendis.

De homiliis quæ dicuntur editæ ſub nomine Euſebij Emiſſeni, præter quam quod eæ non extant inter volumina duo, quæ circumferuntur Euſebij, ſed ſeparatim duntaxat in alio paruo volumine, quod certe non parum dubitationis affert, ſint ne verè illius; atque eo maximè, quia nemo ex Authoribus, qui de Euſebij homiliis meminerunt, has de quibus loquimur ſub eius nomine notauit. Mutatis telis à Superiore contra Brunonem Carthuſianum pugnâ: huiuſcemodi etiam homilias eſſe noſtri Brunonis contendimus. Patet enim ex manuſcriptis Bibliothecarum Vaticanæ Caſinenſis, Signienſis, Anicianæ, & aliarum quas ſupra notauimus, iiſque per antiquis, in quibus continuato ordine viſuntur inter reliquas Brunonis noſtri Signini homilias. Probat præterea ſtylus, à ſtylo Græco abhorrens, & ſtylo Sancti Brunonis conſentaneo; probat poſtremo idemmet author, dum lectorem remittit Homilia quidem 19. ſuper Euangelium: *Nuptiæ factæ ſunt in Chana Galilea, &c.* ad ſuum commentarium in Ioannem quo ad ſenſum literalem, & Homilia 92. ſuper Euangelium: *Elizabet impletum eſt tempus pariendi*: ad Commentarium in Leuiticum ab ipſo S. Brunone, non autem ab Emiſſeno conſcriptum. Et ambiguitas omnis eliminatur omnino, citato Petri Diaconi libro de viris Illuſtribus Montis Caſini, vbi inter Brunonis Signini homilias enumerat eadem, perperam vſque adhuc ſub nomine Euſebij Emiſſeni hominis Græci, & ariani vulgatas. At de his ſatis ſuperque. Tu Lector erudite pugnam hanc compone Iudex æquiſſimus.

Si quid verò emolumenti, quod certè non exiguum futurum ſperamus, labores noſtri tibi parituri ſunt, totum omne acceptum referre debes Reuerendiſſimis. P. D. Aloyſio Squadrono Abbati Sancti Nicolai in littore Venetiarum, necnon P. D. Paulo Quaglia Congregationis Caſinenſis Generali in Romana Curia Procuratori, qui Benedictinæ gloriæ amplificandæ, ac Reipublicæ literariæ bono nati, tenuitati noſtræ præclaram huiuſmodi prouinciam impoſuerunt. Eorumdem, Reuerendiſſimorum virorum iuſſu compluribus ex Monaſtico noſtro Ordine illuſtrium ſcriptorum feraciſſimo, euulgandis Doctoribus, manum apponemus, quos vna cum Chronico Caſinenſi Leonis Marſicani quatuor etiam Caſinenſibus authoribus adaucto ac ditato, quam primum Deo adiuuante promemus ex locupletiſſimo penario Reuerendiſſ. Abb. D. Conſtantini Caietani, qui Optimorum Monumentorum Promus Condus in Bibliotheca ſua Aniciana, inſigniores quoſque Benedictinos ſcriptores aſſeruauit à ſeſe multorum annorum longo ſpatio, ac diuturna induſtria comparatos. Interim Brunone fruere. Et Vale.

DE S. BRVNONIS ASTENSIS Signienſis Epiſcopi, & Abbatis Montis Caſini, Ortu, Canonicatu, & Receſſu à Caſinatibus. Diſquiſitio R. D. Philippi Malabaylæ Aſtenſis Ciuis, Monachi Ciſtercienſis Congregationis S. Bernardi Viſitatoris.

HVIVS Sancti Bruni, ſeu Brunonis acta primo edidit Petrus Diaconus Caſinenſis in quarta Deciſione, ſeu Parte Chronici Caſinenſis Leonis Marſicani, Epiſcopi & Cardinalis Oſtienſis: deinde Anonymus quidam apud Signienſes. Diſſident hi porrò in nonnullis. Vnde vt cuiuſnam fides in ſingulis alterius fidei ſit præferenda intelligatur, hanc inſtituimus Diſquiſitionem. In cuius gratiam erit præmittendum; Eos, qui hiſtorias conſcribunt id facere, vel a ſe viſa & audita, prout memoria ſuggerit, exhibendo, vel ex aliorum narrationibus illa texendo; Et ſi quidem de prioris generis hiſtoricis agatur, potiorem locum ſibi vendicare illum, qui vel rebus ipſis præſens affuit, vel ab iis qui aderant eas accepit, vel certè rerum memoriæ, vt ait Liuius, proximior vixit: etiamſi hunc tempore poſteriores maioris alioquin ſint authoritatis. Quapropter Baronius, exempli gratia, ſententiam Origenis, negantis S. Lucam fuiſſe ex 72. Diſcipulis Domini, præfert ſententiæ Sancti Epiphanij & aliorum Sanctorum Patrum id affirmantium. Quid mirum ille temporibus Apoſtolorum pro-

l. 1. Deciſ. 1.

tom. 1. an. 58. n. 16.

ximior vixit. Si vero de alterius generis hiſtoricis, monumentorum, vnde res ipſas eruunt, ratio habenda erit; vt ſcilicet præcipuam fidem exigant iis locis aſſeruata, ad quæ proprius ſpectant res ipſæ, quæ traduntur. Exactior namque ſolertia ibidem, quam alibi, in iis indagandis adhibita præſumitur.

His præmiſſis, dicimus; Vtraque ratione Petri fidem fidei Anonymi eſſe præferendam. Primo inquam ratione temporis, quo quiſque vixit. Si quidem Petrus, vt ipſe narrat cap.68. prædictæ Deciſionis quartæ, habitum monaſticum accepit à Gerardo Abbate, Sancti Brunonis immediatè ſucceſſore; ac proinde pluribus annis antequam idem ſanctus ex hac vita migraret. Anonymus autem huius ſancti acta ſcripſit iuſſu Petri, qui quartus à Sancto Brunone Signienſem tenuit ſedem; hoc eſt circa annum Domini 1190. vti videre eſt in Catalogo Epiſcoporum Signienſium in Italia Sacra Abbatis Vghelli: Deinde etiam ratione monumentorum. Nam ſicut quoad ea, quæ ad electionem huius Sancti in Epiſcopum, ſeu ad acta ab eo in Epiſcopatu, vel ad obitum pertinent, maiorem vendicant fidem Signienſis Eccleſiæ monumenta (& proinde eundem Sanctum cum Anonymo, à Gregorio VII. non cum Petro, ab Vrbano II. Epiſcopum creatum, ac cum illo XV. Kalend. Auguſti, non vero cum hoc prid. Kal. Septemb defunctum cenſemus) ita in iis de quibus inſtituta eſt Diſquiſitio, nempe de Ortu, & de Canonicatu, & de Receſſu à Caſino, Caſinenſis Cœnobij, vbi Monaſtico inſtituto nomen dedit, ſunt præferenda monumenta. Antiquiſſimus quippe Monachorum vſus fuit, in libello ad hoc comparato deſcribere ea, quæ ad patriam, ad parentum conditionem, ad exactam in adoleſcentia vitam, ad munia quæ in ſeculo obita pertinent eorum, qui ad conuerſionem noviter veniunt. Quod ſcilicet horum plena cognitio non parum conferat ad rite deliberandum, num is de quo agitur, ad habitum, ſeu ad profeſſionem ac ſuo tempore ad varia religionis officia, ſit promouendus. Nominatim vero extitiſſe Caſini eiuſmodi codicem, argumento ſit liber de Ortu, & Vita Iuſtorum Caſinenſium, quem citato capite 68. Petrus ſe conſcripſiſſe memoriæ prodidit.

In prologo ipſorū actorum.

Neque enim obiiciendum. Quod Petri fides aliquando vacillare deprehenditur. Nam ſi in hiſtoriis, quemadmodum in moralibus, ſemel mendax ſemper mendax eſſet præſumendus, tota corrueret, nedum prophana, ſed & Eccleſiaſtica hiſtoria. Conſtat ſiquidem, ex his, qui de rebus Eccleſiaſticis ſcripſerunt, quoſdam Hæreticos, plures Schiſmaticos, nonnullos etiam Gentiles fuiſſe. Multos etiam vel partium ſtudio, vel fallaci ductos coniectura, vel rerum ignoratione, plurima perperam edidiſſe. Quapropter hac in re ratio illa eſt ineunda, quam qui ex illis ſuas texuerunt hiſtorias, inire. Nimirum vt illos ibi duntaxat ſuſpectos habeant, vel erraſſe putent, vbi ſubeſt iuſta cauſa opinandi, ab aliquo eiuſmodi affectione in errorem eos pertractos: in cæteris fidem adhibeant. Hoc etenim homo habet à natura, vt nemo de eo malum cogitet ſine cauſa. Qua moderatione in re noſtra vſus Baronius, Petrum ipſum non ſemel erroris coarguit: & nihilominus vbi Schiſmaticis non fauet, vel res ſuas, ſuorumque Caſinenſium immodicè non effert, eius dicta pro veris recipere, paſſimque tradere minime veretur.

tom.11. x 12.

Quæ omnia libuit hic afferre, vt appareat, quod cum nulla hic ſubſit, cauſa ambigendi ab aliqua eiuſmodi affectione in errorem adductum Petrum circa ea, in quibus ab Anonymo diſſentit: (quid enim Monacho Caſinenſi, & Ciuibus, Canonicisue Aſtenſibus? illius potius, quam iſtius dictis adhibendum fidem, etiamſi idem Petrus eorum, quæ de Sancto Brunone in dicta Deciſione quarta tradidit, author fuiſſet. Quanto igitur magis vbi perſpectum ſiat, Petrum quidem ea euulgaſſe, authorem vero fuiſſe Leonem Epiſcopum, & Cardinalem Oſtienſem? Quo certè authore in re noſtra nullus magis idoneus deſiderari poſſet, tum ob inſignem viri dignitatem & authoritatem, (vnde eum Baronius nunc integerrimum ſcriptorem, nunc ſinceræ fidei Hiſtoricum appellat) ſed etiam, quod eiuſdem non tantum inſtituti, ſed & Cœnobij Monachus, & in Romana Curia, diro Schiſmate tunc laborante, aſſiduus cum Brunone fuit; ſicque eas, quæ de hoc S. ſcripſit, ab ipſomet ediſcere per otium potuit. His adde; quod cum per eundem Leonem Paſchalis II. ſuas literas, ad S. Brunonem direxerit, per quas ei mandabat, vt relictà Abbatia ad ſuam Signienſem rediret Eccleſiam (quod hic ſtatim fuit executus) præſens adeſſe potuit Leo eius diſceſſui. Qui cum obierit anno ſalutis 1111. & Leo ipſe 1115. adhuc in humanis eſſet, vti probat in Catalogo Oſtienſium Epiſcoporum prætitatus Vghellus, commodè potuit idem Leo in ſua aduerſaria referre, ac etiam in ordinem aliquatenus redigere ea omnia, quæ in dicta quarta Deciſione de S. Brunone Petrus perhibet ſe à Leone accepiſſe.

tom.11. an. 1059. n.18. & 1077. n.23.

Et certè quod ad ipſam quartam partem adiicienda ſe compararet Leo, ſignificauit ipſi in Præfatione ſui Caſinenſis Chronici ad Dioniſium Abbatem, his verbis. Tres autem in partes opus omne diſtinxi. Deſiderius Tertiæ partis initium, & finis erit. Iam vero ſi quarta Pars adiicienda erit, auxiliante Domino, à te initium ſumet. Petrus autem, qui ipſam Quartam partem adiecit, vt ſciretur, cuiuſnam res quæque traditæ in illa ferendæ, eſſent acceptæ, præfatur ſe ipſam Quartam partem exorſurum, ſcribendo ea, quæ à Leone acceperat; vſque ad electionem Gerardi Abbatis ac per conſequens; omnia quæ ad S. Brunonem pertinent: cum Gerardi electio receſſum ipſius Sancti à Caſino, immediatè fuerit ſubſecuta. A Gerardi autem electione, ea ſe ſcripturum, quæ vel ab aliis audierat, vel ipſemet viderat. Hæcque in Epiſtola Nuncupatoria eiuſdem Quartæ Deciſionis, ad Reinaldum Abbatem Caſinenſem, & Cardinalem, his verbis. Ego nempe veſtræ iuſſionis imperio ceruicem ſubmittens, quartam noſtri Chronici Deciſionem, quam vir facundiſſimus Leo Oſtienſis Epiſcopus, morte præuentus, explere nequiuit, ſicut diſpoſuerat, ſcribere ordiar. A Gerardi porro Abbatis tempore, vſque ad hanc diem, partim ex ore venerabilis Senioreti audiui, partim oculis propriis vidi; partim ſeniorum noſtrorum, aliorumque fidelium relatione comperi. Hucuſque Petrus in ea Epiſtola Nuncupatoria, ſed ſuæ integritati reſtituta, cum reliquo Chronico Caſinenſi, ex antiquo Codice M.S. eiuſdem Cœnobij à Matthæo Laureto anno 16. Antea namque, mutila prodierat; deſiderabanturque in ea cum aliis hæc verba. Quæ ſi legiſſet Baronius, non vtique circa Ortum & Canonicatum S. Bruni, dicta Anonymi dictis Petri (maiorem alioquin etiam per ſe fidem, vti monſtrauimus, vendicantis) prætuliſſet.

His ita ſtatutis, Diſquiſitionem aggredimur de iis, in quibus Petrus, ſeu manus Leo & Anonymus diſſidere videntur. Primo namque, diſſident quoad Ortum Sancti Bruni. Hoc eſt non modo quoad parentum conditionem, ſed etiam quoad patriam; Nam, vt ait Cicero, Ortus noſtri partem patria ſibi vendicat. Hanc autem eſſe Aſtam, ſignificauit Leo, cum poſtquam dixiſſet de ſancto Brunone: Aſtenſis Epiſcopi Canonicus extitit: ſtatim ſubdidit: Qui deſiderio regni cœleſtis, patriam, parenteſque relinquens, &c. His ſcilicet verbis ſignificans, ibi fuiſſe eius patriam ac parentes, vbi erat Canonicatus. Quod etiam apertius indicat antiquum Breuiarium Caſinenſe, illis verbis; Hic Liguriâ Prouinciâ ortus ex illuſtri Aſtenſium ciuium, & proſapia, Anonymus vero eum de villa Soleria duxiſſe originem affirmat. Quæ quidem verba, licet de ortu accipi poſſint, prout aliqui pro ſuo arbitrio illa acceperunt, iuxta tamen ſuam primariam, & genuinam ſignificationem, eum oriundum duntaxat inde fuiſſe, demonſtrant. Quæ tamen in re facilè conciliabuntur, vbi oſtenderimus, ipſius parentes vtrumque locum diuerſi anni tempore incoluiſſe.

I. de offic.

Secundò diſſident: Quia Leo S. Brunum ex illuſtri, Anonymus ex humili ortum dicit proſapia, velut in pauperis hortulo plerunque naſcitur lilium vel roſa. Quæ in re proculdubio ſententia Leonis eſt præferenda, tum reſpectu perſonæ tam Leonis, quam Petri, rationibus iam allatis, tum reſpectu monumentorum; cum res ipſa eius generis ſit, de quo accuratior indago in Cœnobiis quam in Epiſcopatibus haberi ſolet. Et hoc etiamſi hac ſententia Leonis nullo alio fulciretur adminiculo, nec quæ ſequuntur, ad illius compro-

bationem

A bationem ſuppeterent firmiſſima argumenta. Facilè ſi quidem erit parentum huius Sancti nobilitatem probare, vbi conſtiterit, ex quanam familia ipſi eſſent. Conſtat porrò illam fuiſſe eã, quæ ab vrbe ipſa Aſta (inter cuius ciues iidẽmet cenſebãtur) Aſtenſis dicta fuerat. Hoc namque apertiſſimè Leo illis verbis: ex illuſtri Aſtenſium proſapia. Vox etenim proſapia idem ſignificat, quod antiqua progenies, ſeu familia: in hocque ſenſu accipitur ab eodem Leone, tum alibi, tum vbi de Giſulfo Abbate l. 1. cap. 19. ſui Chronici ait: Hic ex nobili Beneuentorum Ducum proſapia originem ducens; & ab ipſomet Anonymo dum dicit de S. Brunone, humili quidem parentum exortus proſapia. Quapropter a Poſſeuinus & b Arnoldus Vuion S. Brunum ex illuſtri Aſtenſium ſanguine, Ioſephus vero c Pamphilius ex nobili Aſtenſium Stemmate ortum dicunt. Vnde, & Catalogus Abbatum Caſinenſium à præcitato Laureto, ex antiquo M. S. eiuſdem Monaſterij editus ipſum Sanctum ſuo loco ita recenſet. LX. Brunus Aſtenſis Abbas Caſinenſis quadrageſimus, &c. Et ideo verba illa, ex peruetuſto Breuiario ſupra allata nimirum ex illuſtri ciuium Aſtenſium proſapia, ita erunt interpretanda; Ex illuſtri familia Aſtenſium, qui inter ciues Aſtenſes cenſebantur.

a In appar. Sacro b l. Ligni vitæ lib. 5. c In Chr. ordin. ſui ad an. 1558.

B

Verum hoc ipſum magis certum exploratumque faciunt Aſtenſium, & Solerienſium monumenta, quæ hunc Sanctum ex familia Aſtenſi cognominata ortum perhibent. Id namque Ioannes Baptiſta Ferrarius Canonicus Solerienſis, in vita S. Bruni affirmat haberi in Solerienſibus Tabulariis. Apud Aſtenſes vero (vt de Canonico Cathedralis agentes, ex ipſius Cathedralis Archiuo à nobis duntaxat perluſtrato, proferamus argumenta) à Canonicis illius recolitur memoria cuiuſdam olim Archidiaconi Bruni cognomine Aſtenſis, eodem ſæculo, quo S. Brunus obiit, in lucem editi. Quippe qui in pluribus notis publicis ab anno 1206. vſque ad annum 1218. inter Canonicos ita numeratur, vt appareat vocem Aſtenſis eius nomini adiectam eſſe pro cognomine: quemadmodum ſingulorum aliorum Canonicorum nominibus cuiuſque cognomen eſt additũ. Vnde hunc ipſius S. Bruni ex aliquo fratre pronepotem; ac in eius memoriam Brunum appellatum, pro certo habetur. De quo præterea in nota publica anno 1216 traditur; Quod cum cæteri Canonici,

C

redditus Capitulares, quibus ad eam diem in regulari obſeruantia, accommodatâ inſtituto S. Benedicti, non vero S. Auguſtini, vti credidit Pennotus, communiter vixerant, in ſexdecim præbendas diſpertiri decreuiſſent, ipſe vnus vtpotè regularis zeli gentilis ſui, quem nomine referebat, æmulator, renuit conſenſum præbere. In aliis vero notis ab anno 1219. vſque ad annum 1227. idem Brunus Aſtenſis, Aſtenſis Archidiaconus appellatur. In Necrologio denique ipſius Cathedralis, illius obitus his verbis legitur notatus. 3. Nonas Nou. Obiit Archidiaconus Brunus Aſtenſis, qui reliquit Eccleſiæ Aſtenſi pratum ad Gerſiam. Iacet in mediano monumẽto. In aliis notis præterea eiuſdem Tabularij ab anno 1234. ad annũ 1238. fit mentio Petri Aſtenſis, Aſtenſis Cathedralis Archipresbyteri, iterando ſemper vocẽ Aſtenſis, vt ſcilicet, quæ immediatè additur nomini, pro cognomine accipiatur. In aliis denique ab anno 1243. ad

D

1250. inter Canonicos numeratur Ioannes Aſtenſis, (addita hac voce nomini eodem modo, quo aliorum Canonicorum nominibus propria cognomina) Subdiaconus Apoſtolicus, & Innocentij IV. Capellanus. Extatque Bulla eiuſdem Innocentij, qua Capitulum Cathedralis rogat & attentè monet, vt ipſum Ioannem Aſtenſem de ſe benè meritum, prouiderent de præbenda, ne vacuum nomen Canonici habere videretur. Quæ cum ſatis ſuperque eſſe debeant ad probandum, iis ſæculis extitiſſe Aſtæ Aſtenſem familiam; ex eaque ortum S. Brunum, facilis negotij erit demonſtrare, fuiſſe eam illuſtrem.

Data later. 8. Kalen. Iun. an. 1. pontif.

Nam primo vt ſileamus Simonem Maiolum, in quibuſdam ſuis Notationibus de rebus Aſtenſium, conicere ex ea fuiſſe Ninium Aſtam, qui anno 17. Traiani cum Manilio Vopiſco, vel iuxta Caſſiodorum, cum Piſone Conſulatum geſſit, (vtpote Ciuis Coloniæ Romanæ, quæ ciuium Romanorum iure fruebatur) dignitates illæ Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & Subdiaconatus Apoſtolici, quas Brunus, Petrus, & Ioannes obtinebant, eos ex illuſtri familia fuiſſe ſunt argumento. Ad hæc accedit firma Aſtenſium, Solerienſiumque traditio; quæ Andream S. Bruni Parentem, ex ipſius villa Soleria Dominis facit.

E

In cuius Traditionis confirmationem, Solerienſes, inter adhuc extantia antiqui, dirutique caſtri fundamenta, eam partem oſtentant, quam ad ipſius Sancti parentes pertinuiſſe, per manus à maioribus acceperunt. Proferuntque vetuſta commentaria ſeu Regeſta, vulgo Regiſtra dicta, quibus ſingula prædia, ſeu cuiuſque generis fundi Solerienſis agri cum nominibus eorum, qui tunc eos poſſidebant, leguntur conſignati: ex his enim perſpectum fit, Aſtenſem familiam antiquitus perampla latifundia intra Solerienſium fines, poſſediſſe: & nominibus eorum, qui ea poſſidebant, Domini titulum præmiſſum. Firmius etiam hoc probant Aſtenſes ſuis ſtatutis, ac auitis legibus: quibus cautum eſt; ne inter Illuſtres familias, ſeu Patritias adſcriberentur, quæ alicuius caſtri dominio non potirentur. Vnde eædem familiæ Illuſtres, ſeu Patritiæ, de Hoſpitio ſunt nuncupatæ.

F

Quia ſcilicet ipſa caſtra in Feudum obtinentes à Regibus Italiæ, ſeu ab Imperatore, poſt adiectum Imperio hoc regnum, tanquam illius Beneficiarij, ſeu, vt loquuntur Regia Diplomata, Homines, & Fideles Regis, de huius domo, in qua à Ciuitatibus excipiebantur hoſpitio, haberentur. Qui enim in hac vrbe alia ratione nobilitatem aſſequuntur, hi Nobiles de Populo vocitantur. Nec vllo pacto titulus Illuſtris, antequam adeo vulgaretur, multo vero minus illis ſæculis, iſtis fuiſſet attributus. Quin etiam ex quo Leo S. Bruni parentes ciues Aſtenſes facit; & Anonymus eundem S. Brunum ex villa ſoleria originem duxiſſe dicit; neceſſario ſequitur, Andream & Aſtæ, & Solerij habuiſſe domicilium. At qui cum illuſtrium familiarum mori ac decori repugnet, vitam traducere in villis, inter promiſcuam turbam; vtique eos, tanquam ipſius loci Dominos, Solerium inhabitaſſe erit dicendum. Eo ſcilicet modo, quo nobilibus Aſtenſibus caſtra poſſidentibus, ſtata lege vſuuenit: Nimirum vt hyemem in vrbe, æſtatem in

G

ipſis caſtris exigant. Qua ratione cum liberi vno in loco procreati, edantur in alio; vterque locus pro ipſorum patria habetur. Et fortaſſis ideo Anonymus Sanctum Brunum humili loco natum credidit, quod ex ea villa ipſum originem duxiſſe ſciuerit: neſciuerit autem, parentes tanquam ex illius Dominis, per interualla eam inhabitaſſe.

Tertio, diſſident Leo, & Anonymus circa Eccleſiam, inter cuius Canonicos, abſolutis Bononiæ ſtudiis ſuis Brunus adſcitus. Leo namque eam fuiſſe Aſtenſe Epiſcopium, Anonymus Senenſe affirmat. Qua in re pro Leone primum æquè militant argumenta, ex perſona authoris, & ex monumentis, circa patriam & parentum conditionem allata. Deinde quis ſibi perſuadeat, adeo præclaræ indolis adoleſcentem, à parentibus in Bononienſi Academia, congruis impenſis, pluribus annis ſuſtentatum, poſt aſſecutam Doctoratus Lauream, non quidem in patriam reuocatum, ab

H

iis (quos ipſo tempore, quo Canonicatum Aſtenſem reliquit, adhuc vixiſſe monſtrant iam allata Leonis verba) & ab Epiſcopo ſuo inter conciues Canonicos cooptatum: ſed illis vel inſciis, vel inuitis, aliorſum diuertiſſe, & ignotum ab ignotis inter Canonicos Senenſes tum adſcriptum? Ad quod accedunt varia argumenta, quibus Aſtenſis Eccleſia ſuum Canonicum vendicat. Et primum eius imago, antiquitus picta in tabula ſuperpoſita altari, in quo die natalis ipſius, quæ eſt 18. Iulij, ſolemnia ſacra in eius honorem peraguntur. Ad quem cultum ciuitas Aſtenſis apertè cognouit ſe inuitatam anno 1637. quo Catholici Regis exercitus vigintitrium millium bellatorum, ſub ea per menſem ferè conſedit velut per horas ſingulas oppugnationem aggreſſurus, & tamen etiamſi nec ciuibus aliquod ſubſidium nec illi noua aliqua timendi cauſa ſuperueniſſet, manè diei natalis ipſius, dum Sacroſancti ſacrificij oblatione, huius Beati ciuis, ad auertendam imminentem cladem, imploratur patrocinium, repentè, & veſtigio temporis, ſublatis vaſis, idem diſceſſit; Refert porro hæc imago hunc Sanctum in ea omnino forma, & habitu, quo tunc incedebant huius Cathedralis Canonici Cardinales dicti; Raſum ſcilicet, & cum corona

A qualem deferunt Canonici Regulares, indutumque lineo amictu ſuper veſtem rubri coloris: quæ tum vſos ipſiuſmet Cathedralis Canonicos plures aliæ eorum picta imagines oſtendunt. In tabulario præterea eiuſdem Eccleſiæ, ſtudioſe aſſeruatur publicum documentum donationis eidem factæ de locis Canalium, & S. Stephani, ab Adelaide Comitiſſa; Vbi inter eos, qui chirographum ſuum appoſuerunt, legitur ſubſcriptus Brunus; quem Canonici conſtanter tenent, fuiſſe ipſum Sanctum Brunum: qui tunc, hoc eſt anno ſalutis 1065. annos viginti quinque vel circiter poterat eſſe natus. Nam cum in eius vita Anonymus dicat, Gregorium V I I. de eo loquentem, ipſum non quidem iuuenem, ſed virum ipſo tempore, nempè anno 1079. appellaſſe, circiter quadrageſimum ætatis annum eum tunc egiſſe ſignificauit. Nec obeſſe debet quod nomini ſuo Brunus cognomen Aſtenſis non addiderit; cum eo ſæculo nondum adeo ac in ſequenti, vſu veniſſet (quemadmodum ex notis eiuſdem tabularij comperimus), vt proprium nomini cognomen cuiuſque ita perpetuo adderetur. Et viri religioſi prudentes etiam illud omitterent, quippe qui iuxta B Pſalmiſtæ monitum populum ſuum, ac domum patris ſui ſe profitebantur oblitos. Quod exemplum aliqui integri Religioſi carus ſunt imitati.

Sed quid aliunde petimus hac de re argumenta, cum hoc ipſum indicauerit idemmet S. Brunus, in Prologo Commentarij ſui in Apocalypſim? Ibi etenim narrat, ſe priuſquam ad Epiſcopalem conſcenderet dignitatem (non igitur poſtea, vti vult Anonymus) Pſalterium Ingoni Aſtenſi Epiſcopo, & haud dubium quin in ipſa Cathedrali, & eius etiam Canonicis expoſuiſſe. Hoc eſt corā ediſſeruiſſe, ſeu explicaſſe. Non itaque Doctoris laurea aſſecuta, Bononia Senas petiit, vt idem Anonymus comminiſcitur, ſed à parentibus Aſtam reuocatus, Aſtenſis Epiſcopij, vt ait Leo, Canonicus extitit. Hocque, ſaltem vſque ad tempora Ingonis, qui vti probant Varia publica documenta, ab anno 1072. vſque ad annum ſaltem 1079. Aſtenſi præfuit Eccleſiæ. Etiamſi vero Canonici Aſtenſis Cathedralis, vti ſupra ſignificauimus, verè Canonicam, hoc eſt regularem tenerent vitam ipſe tamen maioris perfectionis deſiderio accenſus, vt ait Leo, & vt ipſe ſuis Epiſtolis memoriæ prodidit, votum à ſe Benedictinum inſtitutum quantocius amplecti cupiens, patria, parentibuſque relictis, Caſinum verſus iter intendit. Verum dum Senis tranſiret, cognitus ab Epiſcopo, qui quantus vir eſſet ex eius tam vulgatis perceperat ſcriptis, retentus, Cantica Canticorum (vt ipſemet in eodem Prologo ſubdit) ſimiliter expoſuit Senenſibus Canonicis: cum quibus & ipſe qualiſcunque Canonicus victitabat. Quæ profecto verba, eum potius aliquandiu ab iis ſuſtentatum, quam ex illorum numero, ſeu, vti dicitur, gremio fuiſſe oſtendunt. Vnde minime mirum, vti accepimus, apud Senenſes nulla omnino de eo extet memoria. Deinde vero Senis Romam deueniens à Summo Pontifice Gregorio VII. Epiſcopatu Signienſi illi impoſito, ne ante annum 1103. voti compos efficeretur præpeditus fuit.

Relatæ cap. 114. p. Chronic.

C

Caſin.

Quarto loco diſſident Leo & Anonymus, quoad receſſum Sancti Bruni à Monte Caſino. De quo Leo: Vocatus ad ſe fratribus; Nolo, inquit, vt propter, me inter vos & Romanum Pontificem ſcandalum oriatur. Virgamque Paſtoralem ſuper altare ponens; Accipite, inquit, quam mihi tradidiſtis. Abſolutioneque Fratribus facta, ad Epiſcopatum ſuum rediit: Anonymus vero; in Caſinenſi Monaſterio, exceptis paucis conuentus erat malignantium Monachorum. Is illum non ſolum contumeliis, verum etiam verberibus, animo irreuerenti & infrunito afficientes, de Monaſterio eiecerunt. Pleriqne tamen ex Monachis, qui ſpiritu Dei agebantur, ſuper Patris iniuria magno ſunt dolore commoti; ipſumque libenti animo reuocaſſent; niſi timuiſſent mandatis Apoſtolicis obuiare. Circa quam diſſidentiam, nequaquam pro Leone, vti fecimus in ſuperioribus, ex perſona, vel monumentorum authoritate accepta argumenta afferemus. Poſſet namque pro Anonymo obiici; Vera quidem dicere Leonem, ſed eum ne ſuorum Caſinenſium nomini officeret, quæ Anonymus ſcribit, conſulto prætermiſſe. Quapropter, vt appareat, quam fidem apud alios mereatur Anonymus, qui ſuæ ſententiæ inconſtantia, & ab auribus prudentis cuiuſque abhorrente narratione, eam ſibi detrahit,

Cap. 44. vit. li.

D

ita ipſum compellabo Cedo Anonyme; Quoti erant Monachi in Caſino, qui ſpiritu Dei agebantur? & ſuper Sancti Patris ſui iniuria ſunt magno dolore commoti? Plerique vt dixi: Atqui Plerique, nonne, vel fere omnes, vel ſaltem maximam partem ſignificat? dices, ſi ergo maxima pars erat, quæ Spiritu Dei agebatur, ac proinde minima, quæ Sancto Abbati inſultabat quomodo paulò ante dixiſti, exceptis paucis, Conuentus erat malignantium Monachorum? Præterea nonne agendo de eodem Sancto, recens à Caſinenſibus in ſuum numerum aggregato, dixiſti: Vniuerſi fratres ſui, qui ſpiritu Dei agebantur, per ipſum inuitati, & tracti currebant in odorem vnguentorum ſuorum? Si igitur ipſo Sancto vni ſibi vacante, vniuerſi ſui fratres in odorem vnguentorum ipſius currebant, quomodo ſub ipſius diſciplina, præter paucos, iidem in conuentum malignantium degenerarunt? Nonne intelligis talia comminiſcendo tantæ Sanctitatis, ac ſapientiæ Abbatis exiſtimationi te temere, ac vehementer detrahere? Nam ſicut gloria Patris eſt filius ſapiens; ita Patris culpæ aſcribitur, ſi qui ſub eo proficere debent, in peius ruant. Si denique plerique Monachorum, quo par erat, Abbatem ſuum honore, & amore proſequebantur, quomodo infrunitos illos, ſi non à repentino inſultu, aut à verborum iniuriis, ab aperta ſaltem vi, in eo eiiciendo inferenda non prohibuerunt? Quomodo denique, non es veritus quantæcunque partis Monachorum Caſinenſium culpam, in totum ipſum Conuentum retorquere? In Conuentum inquam illius Sacri Cœnobij, innumeris titulis illuſtris; & omnium Cœnobiorum, abſit verbo inuidia, facile Principis? Rem itaque ſic ſe habuiſſe exiſtimandum. Non defuiſſe tum Caſini (quemadmodum, vt plurimum, non defuerunt, nec vnquam deerunt in quantumuis ſacro cœtu) aliquos Monachos, qui ſuo ſancto Abbati offenſi, quod eorum exceſſus pro officio ſeuerius caſtigaret, in recedentem à Monaſterio, verbum aliquod inſolenter iactarent; quod vulgatum, & fama ipſa in maius rem ſemper augente (maxime vero apud Signienſes, qui parum æquo animo in Caſinates erant, quod ſuo Epiſcopo apud hos commorante, tandiu fuiſſent deſtituti) ab Anonymo, eodem affectu laborante, facile ſit creditum: ſed (quæ eſt vis veritatis, ni bene memor ſit mendax) ita memoriæ proditum, vt ſi non mendacij, ſaltem manifeſti erroris ſemetipſum coarguat. Nedum enim ipſa legitima ſignificatio vocis Plerique, ſed & id quod ſubditur; nempe: Libenti animo eum reuocaſſent, niſi timuiſſent mandatis Apoſtolicis obuiare: monſtrat, maximam partem illius Conuentus fuiſſe eorum, qui Spiritu Dei agebantur. Si namque vnus ille timor in cauſa fuit, ne ab eis reuocaretur, vtique in longe maiori numero, quam illi malignantes, hi eſſe debuerant, qui eiſdem inuitis S. Abbatem reuocare potuiſſent. Et denique ex iis, quæ de pœnis in filios iniquitatis diuinitus immiſſis, paulo poſt dicuntur hos exiguam duntaxat, non vero maximam tanti Conuentus partem conſtituiſſe, datur intelligi.

E

F

G

In priuileg. caſinen conceſſum.

Et reuera cuius non horreat, nedum fidem adhibere non renuat animus, dum leget, fere omnes Monachos eius Cœnobij, quod, vt Alexander II. paulo ante pronunciarat, Gymnaſium erat Monaſticæ normæ; quodque, (vt cætera ſileantur) eo ipſo tempore adeo felix fuit ſeminarium, vt multi ad Epiſcopatum, plures ad Cardinalatum, & paucis ante annis Stephanus. & Victor III. ſeptennio vero poſt, Gelaſius II. ad Summum Pontificatum ex eo fuerint aſſumpti ſub huius tantæ eruditionis tantæ prudentiæ, tantæque Sanctitatis magiſterio Patris, adeo in profundum malorum veniſſe, vt contempta Sacerdotali. Abbatiali, & Epiſcopali dignitate, ipſum contumeliis afficere, verberibus cædere, & pſonte abeuntem, iniectu in eum ſacrilegis manibus de Monaſterio deturbare auſi fuerint?

H

Concludendum igitur; Anonymum errauiſſe circa parentum S. Bruni conditionem, circa Canonicatum, & circa tēpus, quo Sanctus Pſalteriū explanauit, rerum ignoratione, vel fallaci ductum coniectura. Circa receſſum verò à Caſino, nimia credulitate; Et fortaſſis etiam aliqua erga Caſſinates, diſtorta animi affectione. Quæ dicta eſſe volumus, non vtique in vituperationem ipſius Anonymi, cui immo nos multum debere profitemur, ob egregie impenſam operam, in conſcribenda huius noſtri Sanctiſſimi Ciuis

Vita; ſed Veritatis indagandæ, ac patefaciendæ gratia: Ad laudem Summæ Veritatis: & Beati Brunonis ſerui eius. Amen,

VITA S. BRVNI, SEV BRVNONIS Aſtenſis, Signienſium Epiſcopi, & Abbatis Montis Caſini, Edita libro 4. Chronici Caſinenſis à Petro Diacono, prout eam diſpoſuerat Leo Epiſcopus & Cardinalis Oſtienſis, ſed morte præuentus explere non potuerat; vt teſtatur idem Petrus Epiſtola Nuncupatoria ad Reinaldum Abbatem & Cardinalem.

Cap. 33. BEATISSIMVS Brunus ſeu Bruno Abbas huius Monaſterij quadrageſimus ſedit annis tribus, menſibus decem. Hic Liguria Prouincia ortus ex illuſtri Aſtenſium proſapia, ſed illuſtriores ab infantia poſſidens mores, liberalibuſque ſtudiis à pueritia ſufficienter inſtructus, Aſtenſis Epiſcopi Canonicus extitit. Qui deſiderio regni cœleſtis patriam parenteſque relinquens, huc properans, vt Deo liberius ſub Monachali habitu deſeruire valeret, Romanam primum acceſſit ad Vrbem. His porro diebus Vrbanus Papa II. Vniuerſali præſidebat Eccleſiæ. Factum eſt autem, vt eo tempore quo idem vir ad hunc locum tendebat, Signienſis Epiſcopus ex hac vita diſcederet. Idem vero Romanus Pontifex hunc ſpiritu feruere conſpiciens, dixit ad eum. Sicut tranquillitas maris multoties confert periculum nautis, ita & Monachis à ſæculi turbine remotis quies & ſecuritas ipſa pernicioſiſſimum ſolet inferre naufragium. Vnde noſtris monitis te obedire conuenit, & Signienſis Eccleſia curam, quæ tibi à nobis iniungitur, tanto religioſius ac diligentius, quanto ſcientia & ſapientia polles, regere ſtude. Quibus cum ille ſermonibus minimè præberet aſſenſum, præcepit ei, vt ad ciuitatem prædictam pergeret: ibique vice Romani Pontificis, Epiſcopum ordinans, iret quo vellet. Tum ſupradictus vir illuc adueniens, cum ſibi iniuncta implere ſatageret, idem Papa clam Signienſibus apices deſtinans, admonuit, vt eum Epiſcopum ordinarent. Talia dum ad eius notitiam perueniſſent, intempeſtæ noctis ſilentio, B. Mariæ Eccleſiam egrediens fugam arripuit. Itaque dum meditata implere ſatageret, in quodam triuio virgo, quæ imperiali trabea adornata, cuius facies reſplendebat vt Sol, illi cominus aſtitit. Quam dum ille qualis quæve eſſet, & quo tenderet requiſiuiſſet, illa reſpondit. Sponſam quam non benè fugis, me noueris eſſe. Quaptopter vt ad Eccleſiam redeas ex Dei Omnipotentis parte præcipio. Et caue ne Dei vlterius velis reſiſtere voluntati. Et his dictis diſparuit. Perculſus ad hæc Bruno tantæ Virginis fœminæ eloquio, Deique in ſua ordinatione voluntatem aduertens, ſuccubuit: ac Pontificalem Cathedram lætantibus cunctis ſcandit. Ordinatus autem, in ea qua fuerat mentis intentione permanſit: Vnde adinuentâ opportunitate, ſub ſupradicto Abbate Oderiſio, ad hunc locum perueniens, flentibus qui cum eo venerant, & nihil tale de ipſo ſuſpicantibus, Monachus factus eſt. Signienſes autem grauiter illius ferentes abſentiam, Paſchalem Papam II. adeunt, flenteſque rogant, vt illum potius Epiſcopatus ſui curam gerere cogeret: quam ſibi tantum conſulentem, in Caſinenſi Cœnobio quietum & remotum à ſæculi turbine habitare permittat. Pontifex autem ad illorum verba permotus, ſtrenuos à ſuo latere deſtinat viros, per quos eidem Brunoni ex parte Sedis Apoſtolicæ mandat, vt curæ ouium ſuarum ſtudeat, & Romano Pontifici in cauſis Eccleſiaſticis ſemper adhæreat. Arguens inſuper illum & increpans, cur abſque Apoſtolicæ Sedis licentia, auſus fuiſſet Monaſterium petere: quo illum omnino non permitteret eſſe. Ad hæc præfatus Bruno, per Epiſcopos & Cardinales amicos, hæc reſcripſit. Cuncti proculdubio qui in Romana ſunt Eccleſia, noſcunt, quia niſi contra Eccleſiam Schiſmaticorum ſæuiret inſania, hoc quod nunc egi, à multis iam annis opere impleuiſſem. Nunc vero quia in Romana Eccleſia Petro clauum regente, tota per orbem Chriſti Dei noſtri gratulatur Eccleſia: Ventorum iam turbines ſilent: maria pacata quieſcunt. Idcirco quod Deo ſemel deuoueram, reddere cogor. Melius eſt enim non vouere, quam vouere & non reddere. Quod ſi quis fortaſsè mihi obiiciat quod ſemel acceptum Epiſcopatum relinquere non debebam, licenter reſpondebo: Quod multi ſunt, qui Pontificatus ſui iura non deſerunt, & de ſiniſtris ſunt, dicente Domino: *Principes fuere: & non cognoui: Iudices extiterunt, & non per ſpiritum meum.* (Oſeæ 2.) Porro qui recta intentione Epiſcopatum dimiſerunt, certum eſt eos de æterna felicitate perenniter in Chriſto gaudere. Mihi porro exempla Sanctorum non deſunt, quorum veſtigia ſecutus ſum: Qui relicto tumultu ſæculi, quietam vitam adepti ſunt. Vnde per vos Summum Pontificem obnixè deprecor, vt de reliquo amplius mihi moleſtus non ſit, & quietum portum, in quem Chriſto gubernante perueni, ne me relinquere cogat ſuppliciter poſco. Cumque nulla ratione eumdem Apoſtolicum, nec Signinum populum flectere valeret ſupradictus Abbas Oderiſius rogauit Pontificem, vt præfatum virum ſub monachali habitu in hoc Monaſterio Deo militare permitteret. Cuius præcibus idem Papa aurem accommodans, quieuit.

Poſt hæc autem ab eodem Pontifice vna cum Boëmundo in Gallias directus, vice Romani Pontificis in eiſdem partibus Synodum, ſecundum traditionem Eccleſiaſticam tenuit. Inde quoque Romam reuerſus, quadrageſimoquarto die ab Ottonis Abbatis depoſitione extante, ad hoc Monaſterium rediit: atque à fratribus eſt in huius Cœnobij regimine ac cura prælatus. Idem vero Apoſtolicus ad hunc locum poſtea veniens non ſolum dignum illum eſſe Abbatem in conuentu fratrum peroratus eſt, verum etiam in Apoſtolicam Sedem dignum ſibi ſucceſſorem fore teſtificatus eſt. Non autem idem vir otiosè hic vixiſſe credendus eſt: qui tales ac tantos nobis ſcripturarum expoſuerit libros. De quibus ſummam illorum ſcilicet, qui in noſtris manibus venere, pandere curamus. Super Geneſim ſuper Exodum, ſuper Leuiticum, ſuper Numeros, ſuper Deuteronomium, ſuper Pſalterium, ſuper Eſaïam, ſuper Cantica Canticorum, ſuper Iudicum, ſuper Apocalypſim. De totius anni feſtiuitatibus atque diebus Dominicis compoſuit ſermones ſexaginta nouem. Homilias centum quadraginta quinque.

Cap. 34. Hoc præterea tempore Adenolfus, Lando, & Atenulfus Aquinenſes Comites, diabolicâ inebriati veſaniâ, caſtrum Terame ruſticorum proditione ingredientes, & eiuſdem caſtri habitatores in ſuam fidelitatem iurare facientes, oppida Monaſterio pertinentia deprædare cœperunt. Hoc vbi prædicto Abbati nunciatum eſt, ad eoſdem Comites dirigens, vt caſtrum Monaſterio redderent, & à tantis iniquitatibus & direptionibus ceſſarent, monere ſtuduit. Illi ne audire quidem admonentem paſſi, deteriora in die ſe facturos minabantur. Tunc Abbas habito cum fratribus conſilio, eoſdem ſacrilegos à liminibus Eccleſiæ ſeparauit: ac è veſtigio Robertum Principem euocans, ad eumdem caſtrum recuperandum inuitauit. Qui copioſo valde congregato exercitu, ſuper idem caſtrum adueniens, illud oppugnare modis omnibus cœpit. Cumque hoſtiliter ibi per dies quindecim reſediſſet, iidem Comites miſere ad eumdem Abbatem: Quod ſi illos cum armis ſuis inde exire permitteret, ipſum caſtrum abſque omni controuerſia redderent. Quod dum Abbas annuiſſet ſupradictum caſtrum in Monaſterij huius poteſtatem rediit, die Iduum Auguſtarum anno Domini 1108. Pro quo videlicet caſtro idem Abbas Capuano Principi libras ducentas contradidit.

A Cap. 35. Menſe autem Octobrio, aduenit huc idem Apoſtolicus, adiunctoque ſibi Abbate noſtro Beneuentum Synodi celebrandi cauſa perrexit. In qua Prædeceſſorum veſtigia ſecutus conſtituit: vt ſi quis Eccleſiaſtica beneficia de manu laicorum acceperit, & dans & accipiens communione priuetur. Veſtimenta vero ſæcularia, & pretioſa reprehendit, & clericis talibus vti interdixit. Cum autem Capuam deueniſſet, rogatus ab eodem Abbate, Eccleſiam S. Benedicti, quam Deſiderius Abbas intra eandem ciuitatem renouauerat, ſolemniter dedicauit. In qua etiam de veſtimentis Sanctiſſimi Patris Benedicti recondidit, ſicque ad hoc Monaſterium veniens, Romam reuerſus eſt.

Cap. 36. His porro diebus Rogerius Dux, per præceptum B. Benedicto conceſſit, vt Monaſterij pecora nullum vectigal darent vel ſibi, vel ſucceſſoribus ſuis, ſicut conſueuerant in omnibus finibus Gargani montis. Et vt ab Eccleſia, quæ Paſſari dicitur, vſque ad Salpitanum pontem, & vſque in mare, licentiam hoſpitandi ipſas oues haberent: B appoſitâ pœnâ decem librarum auri. Tunc temporis Laydulfus Pandulfi Comitis filius de Præſenzano, in præſentia eiuſdem Abbatis manifeſtauit, & renunciauit ſe de Vniuerſa parte ſua Caſtello Mortulæ, & Caſa Fortini, & Cucutuzzo, & Rocca de Bantra, pœnâ appoſitâ centum librarum, ſi hoc remouere quæſiſſet. Sed & Ioannes Triuertinæ ſedis Epiſcopus, vna cum Roberto filio Triſtaini, Limeſſani caſtri Domino, obtulit huic loco Eccleſiam S. Illuminatæ intra fines eiuſdem caſtri, cum omnibus Eccleſiis & pertinentiis ſuis.

Cap. 37 Anno Dominicæ Incarnationis MCX. Indict. 3. menſe Iunio ſexta ipſius menſis die cometes apparuit.

Cap. 38. Deinde III. Idus Februarij Imperator Henricus peruenit ad Vrbem.

Cap. 39. Igitur Pontifex miſit in occurſum eius. Cum vero in ſuperiores gradus Eccleſiæ S. Petri euaſiſſet, illic Dominus Papa cum Epiſcopis & Cardinalibus interfuit. Poſt Baſilicæ ingreſſum vterque conſedit. Pontifex inſtaurari Eccleſiaſticum ius petiit. Ille cum Epiſcopis & C Principibus ſeceſſit. Interea Pontifex, & qui cum eo erant, à militibus cuſtodiebantur. Vix tandem ad altare B. Petri pro agendis miſſarum ſolemniis aſcendere licuit. Expleta miſſa, de ſede compulſus deſcendere Pontifex, Cap. 40 deorſum ante B. Petri Confeſſionem cum fratribus ſedit, ibique ad noctem vſque cuſtoditus à militibus, ad hoſpitium tandem extra Eccleſiæ atrium ductus eſt cum fratribus. Capta eſt cum illo clericorum laicorumque copioſa multitudo. Pueri item ac diuerſæ ætatis homines, qui obuiam ei cum floribus & palmis exierant, alios obtruncari, alios expoliari, partim cædi, partim vinciri iuſſit. Ioannes interea Tuſculanus, & Leo Oſtienſis Epiſcopus, vbi Papam captum perſpexerunt, ſub plebeio habitu in Vrbem ſe receperunt.

Cap. 41. Romani igitur cum audiſſent Papam eſſe captiuum, tantus eorum animos tumultus & dolor indignatioque peruaſit, vt protinus Alemannos omnes, qui vel orationis cauſa, vel alterius cuiuſcunque negotij, vrbem ingreſſi fuerant, necarent. Poſtera die egreſſi vrbe conſerta D pugna, plurimos de Imperatoris exercitu obtruncant, & eorum captis ſpoliis, aduerſus Teutones acriorem ineunt pugnam, adeo vt eos porticu pene propellerent, ipſumque Imperatorem equo dejicerent, atque in faciem vulnerarent. Alemanni cum ſe premi à Romanis cernerent, ſeſe in caſtra receperunt. Romani vehementer animati, omnes aduerſus Imperatorem ſe ſacramento conſtrinxerunt. Hæc vbi Imperatori nunciata ſunt, eadem nocte eumdem Apoſtolicum ſecum abducens, tanto metu cum omni exercitu profugit ex porticu, vt non modo ſarcinas, verum & ſocios plurimos in hoſpitio relinquerent. Poſt duos dies Pontificem ſacris veſtibus exui iuſſit: Quod cum factum eſſet, vinctum eum pertraxere, Soractem vſque pergentes. Pontifex autem cum duobus Epiſcopis Sabinenſe, & Portuenſe & Cardinalibus quatuor apud caſtrum Trebicum, cæteri vero Cardinales apud Corcodiſum in cuſtodia tenebantur.

Cap. 42. Itaque cum & Romanorum agros Imperator popularetur in dies, ipſorumque animos pecunia doliſque tentaret, tantam Deus populo conſtantiam tribuit, vt nihil cum eis paciſci, ne Papæ quidem Cardinaliumque promiſſa liberatione, potuerit. E Cernens itaque ſibi ſecus quam putabat contigiſſe, cœpit iureiurando firmare, niſi Pontifex illi morem gereret, & ipſum & omnes quos habebat in vinculis partim occiſurum, partim amputatis membris quibuſque debilitaturum. Sed cum ad id conſtantiam Pontificis flectere nequiret, in hoc tandem plena deliberatione conuenit, vt omnes quos cœperat liberos faceret, dum tamen ſibi in poſterum apud Pontificem proſpicere poſſet. Cæterum Pontifex vitam ponere, quam iura Eccleſiæ violare malebat: quamuis ille non Eccleſiæ iura, non officia quælibet, ſed regalia ſola ſe dare aſſereret. Proponebatur Schiſmatis graue periculum, quod omni pœnè Latinorum imminebat Eccleſiæ. Victus tandem lachrymis ſuſpiriiſque filiorum, totus in lachrymis ſoluitur. Et cogor, inquit, pro Eccleſiæ pace & liberatione id perpeti, quod ne peteret vitam quoque cum ſanguine perfundere paratus eram. Igitur ex verbo F Pontificis, iuratum eſt hoc videlicet modo. Quod vlterius non inquietaret Imperatorem eiuſque Imperium de præſumpto, de temerato Eccleſiarum iure. Eidemque Imperatori priuilegio ſub anathemate confirmaret, vt Epiſcopos & Abbates libere electos abſque ſimonia, idem Imperator anulo & virga inueſtiat: Epiſcopuſque ſic inueſtitus libere conſecrationem ab Archiepiſcopo, ad quem pertinuerit ſumat. Si quis vero à populo & Clero eligatur & non ab Imperatore inueſtiatur, à nemine conſecretur. Et cum hæc Sacramento firmaſſet, Imperator demum quod eumdem Pontificem cum Epiſcopis & Cardinalibus, & omnes qui cum eo, vel pro eo capti eſſent, obſideſque ſecuros perduceret intra portas Tranſtyberinæ ciuitatis: nec vlterius aut caperet, aut capi permitteret iurauit. Die igitur altero coronatus eſt Imperator. Poſt coronationem finitis Miſſarum ſolemniis Imperator in caſtra regreditur: Pontifex autem Vrbem regreſſus eſt. Hinc iam in Romana Eccleſia ſcandala diſſenſionum, & Schiſmatum oriri cœperunt. G

Cap. 43. His quoque diebus dum Abbas noſter Bruno Eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli extra caſtrum Vallis Frigidæ ſolemniter dedicaret, mulier quædam à ſpiritu immundo vexata, ad eum deducta eſt. Cuius calamitati compatiens, oratione præmiſſa, aquam vnde manus lauerat, patienti fœminæ in potum dedit: moxque ab ea malignum ſpiritum excuſſit.

Cap. 44. Præfatus autem Abbas adiunctis ſibi Guala Rhegino Epiſcopo, & Roberto Paſienſi, aliiſque Cardinalibus, memorato Pontifici omnino imminebat, vt priuilegium quod Imperatori fecerat, rumperet: eumque anathematis vinculo innodaret. Hi autem qui cum illo in vinculis fuerant, dicebant: Quod ante diximus, dicimus; quod prædicauimus, conſona voce prædicamus: damnamuſque quod ante damnauimus. Alij autem non modo non damnabant quæ contra Catholicam Eccleſiam fuerant geſta, verum impudenter ſatis tueri nitebantur. Igitur dum eiuſmodi diſſenſionibus Apoſtolica quateretur Eccleſia, relatum eſt Pontifici, memoratum virum illius H diſſidij, & ſcandali ducem ſigniferum fuiſſe. Quod vbi Abbas audiuit, temporis opportunitate captata, dixit ei. Inimici mei dicunt tibi, quia non te diligo, & male de te obloquor. Sed mentiuntur. Ego enim ſic te diligo, vt patrem ac Dominum meum: neminemque alium te viuente, volo habere Pontificem, ſicuti cum multis aliis tibi promiſi. Audio tamen Saluatorem meum dicentem mihi. *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* (Matt. 10.) Vnde & Apoſtolus; *Si quis inquit non diligit Dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit.* (1. Cor. 16.) Debeo igitur diligere te: ſed plus debeo illum diligere, qui te fecit, & me. Huic enim tanto amori nihil vnquam præferendum eſt. Fœdus autem illud adeo fœdum, tam violentum, tam cum proditione factum, tam omni pietati, religionique contrarium, ego non laudo. Quis enim illud laudet, in quo violatur fides, Eccleſiæ libertas amittitur, ſacerdotium tollitur, vnicum & ſingulare oſtium

A Eccleſiæ clauditur, multa oſtia aperiuntur, per quæ qui intrat fur eſt & latro? Habemus canones: habemus Sanctorum Patrum conſtitutiones ab Apoſtolorum temporibus ad te vſque perductas. Via regia incedendum eſt, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apoſtoli illos omnes damnant, & à fidelium communione ſeiungunt, qui per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinerent. Laici enim quantumlibet religioſi ſint, nullam tamen diſponendæ Eccleſiæ facultatem ſunt conſecuti. Hæc enim Apoſtolorum conſtitutio ſancta eſt: cui qui contradicit Catholicus non eſt. Omnis autem qui hæreſim tuetur, hæreticus eſt. Nemo hanc non eſſe hæreſim dicere poteſt, quam ſancta & Apoſtolica Eccleſia in multis Conciliis hæreſim nominat, & cum ſuis auctoribus damnat.

Talis allocutio inter Pontificem & Abbatem inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit. Inter cætera vero, quæ tunc Pontifex in Abbatem locutus eſt, ait: Niſi illum à Monaſterij adminiſtratione remouero, ipſe ſuis argu-

B mentis Eccleſiæ mihi regimen tollet. Quapropter eidem Abbati direxit epiſtolam, qua vetuit, ne vltra Epiſcopus eſſet atque Abbas. Neque enim vltra ferre Apoſtolicam ſedem, Epiſcopum aliquem Monaſterio præeſſe tam celebri. Fratribus etiam per Leonem Hoſtienſem Epiſcopum, & huius Cœnobij Monachum, litteras miſit, mandans, ne ipſi viro vlterius obedirent: ſed ſecundum Deum regulariter ſibi Abbatem eligerent. Sin autem ſecus agerent, in omnibus Monaſterij cellis Abbates ipſe ſtatueret. Hoc vbi Abbas audiuit, conuocatis fratribus oſtendere cœpit, quænam inter ipſum & Summum Pontificem pro cauſis Eccleſiaſticis, eſſet orta diſſenſio. Simulque admonuit, vt ſi Abbatem quem ipſe eligeret vellent, & illos, & hunc locum pro viribus protegerent atque defenderent. Erat tunc in Monaſterio frater Peregrinus nomine, natione Ligur, ſæculari aſtutia callidus, cui regiminis onus imponere decernebat. Quod cum fratres didiciſſent, dixerunt Abbati: Quandiu ipſe vellet eis Abbatis iure

C præeſſe omnes illi vt Domino ac Patri obedirent. Sin autem ea cura deſiſteret, electionem quæ illis ex Regulæ præcepto debebatur, nulli omnino permitterent, ſed ipſi antiquo more, Abbatem ſibi conſtituerent. Hoc Peregrinus ille audiens, & id violenter implere poſſe ſe putans, armatos milites ad cuſtodiendum monaſterium in ſuum auxilium euocat. Poſtera vero die, fratribus Eccleſiam ad miſſam celebrandam cum pace introeuntibus, ſubito armata telis occurrit multitudo furentium, & qui eſſent, qui voluntatem Abbatis nollent implere, quærentium. Fratres autem hæc nimis ægrè & indigne ferentes, vnanimiter in illos irruunt, monaſterioque deturbant. Quod vbi Abbati nunciatum eſt, ad monaſterium continuo aſcendit, vocatiſque ad ſe fratribus: Nolo, inquit, vt propter me inter vos & Romanum Pontificem ſcandalum oriatur. Virgamque paſtoralem ſuper altare ponens: Accipite, inquit, quam mihi tradidiſtis. Abſolutioneque fratribus facta, ad Epiſcopatum ſuum rediit. Vbi in ſancta con-

D uerſatione vſque ad Oderiſij ſecundi Abbatis tempora viuens, feliciter migrauit ad Dominum prid. kal. Septemb. Sepultus eſt in ciuitate Signina, in Eccleſia S. Dei Genitricis & V. Mariæ. Ad cuius memoriam etiam hodie Dominus miracula patrare dignatur ipſius interuenientibus meritis.

Secundū alios & verius. 18. Iulij.

Girardus Abbas XLI. Iſtius monaſterij, nobiliſſima Marſorum Comitum ſtirpe progenitus, cum poſt Ottonis tranſitum, Bruno quo ſupra retulimus ordine, Abbas effectus fuiſſet, ac Rom. Pontif. iuſſione, monaſterij relicta cura, ad Epiſcopatum ſuum remeaſſet, à fratribus vno conſenſu Abbas eligitur.

E

VITA S. BRVNI, SEV BRVnonis ab anonymo deſcripta, ac ita prænotata.

In nomine Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. Hic liber continet legendam B. Brunonis, regiſtratam & exemplatam de verbo ad verbum ex originali antiquo libro in Cathedrali Eccleſia S. Mariæ de Signia exiſtente, tempore Reuerendi Domini Epiſcopi Bernardi Galini. Sub anno Domini M. D. X L I. Pontificatus Domini Pauli Tertij.

Incipit Legenda Diui Brunonis.

PROLOGVS.

BEati Brunonis Signinæ ſedis glorioſæ memoriæ Venerabilis Epiſcopi vitam, Saluatoris auxilio deſcripturus, ipſum ſupplici mente depoſco, qui linguas infantium facit diſertas, & aperit ora mutorum, vt donet mihi ad ſuam laudem & auditorum ædificationem, hoc opus congruo ſermone componere; vt non ſit legentibus tædio: ſed ad fructum eis proficiat animorum. Vos etiam legentes rogo, vt ſi ſermo incultus aures veſtras pulſauerit, rudi ſtylo veniam detis; quia ſapientes non quærunt diſerta, ſed fortia Memineritis etiam regnum Dei non in eloquentia, ſed in fide conſiſtere: ſalutem quoque ſæculo non ab Oratoribus ſed à Piſcatoribus prædicatam. Ego enim vtpote pauper ingenio, cum verecundia præſens negotium aggreſſus ſum, eo quod aurum & argentum non ſit mihi, quia imperitus ſum ſermone & ſcientia, Sed ne forte ab aliquibus in hoc opere præſumptionis argui valeam, noueritis me id ex mandato inchoaſſe Venerabilis viri Petri eiuſdem ſedis Epiſcopi, qui memorato ſancto quartus in Pontificali dignitate ſucceſſit. Cui non immerito obediendum credidi, cum ſcriptum ſit, Quia melior eſt obedientia victimis. *Cuius tanta eſt virtus, vt res etiam impoſſibiles ad poſſibilem plerumque redigat facilitatem.* 1. Reg. 15

F G

Sequitur vita eiuſdem Sancti diſtributa in triginta Lectiones in die feſto & diebus non impeditis per octauam recitandas.

LECTIO PRIMA.

IN Paradiſo Dei multiplices & diuerſæ iugiter arbores oriuntur, non ſolum copioſis frondibus, verum etiam odoriferis floribus, & fructibus ſalutiferis adornatæ. Quid enim aliud ſancti viri ſunt, niſi velut quædam arbores in domo Dei plantatæ, quorum affluentis verba doctrinæ velut extenſarum arborum folia, ſub ſe quieſcentes ab æſtu vitiorum protegunt? Quorum gratiſſimæ opinionis fragrantia, & ſanctæ conuerſationis exempla, velut quidam flores nos ad amorem patriæ

H cœleſtis indeſinenter attrahunt, & bonorum operum famelicos paſcunt? De quibus dicitur in Canticis: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Inter has arbores prædictas Beatus Bruno Signinæ ſedis Epiſcopus, velut cedrus alta Libani, diuina voluntate proceſſit. Can. 4.

Lectio 2. Cuius non ſolum flores, & fructus, id eſt virtutes, & opera charitatis, nos & odore alliciunt, & guſtu reficiunt, ſed etiam frondes, hoc eſt Sanctæ prædicationis, verba, magnum offerunt legentibus, & audientibus ſuauitatis odorem. Cui non incongruè adaptari poteſt ille pſalmi verſiculus. *Iuſtus vt palma florebit &, ſicut cedrus libani multiplicabitur plantatus in domo Domini.* Et illud: *Et eris tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: folium eius non defluet, & omnia quæcunque facies proſperabuntur.* Pſal. 91. Pſal. 1.

Lect. 3. Beatus igitur Bruno ex Lombardiæ Prouincia, de Villa quæ Soletia dicitur, duxit originem: humili quidem parentum exortus proſapia: velut in pauperis hortulo plerumque naſcitur lilium vel roſa. Cuius pater Andreas, Mater vero Vuilla vocabatur. Sed B. Bruno domum ſuam virtutibus extulit, probis actibus decorauit. Nam ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore, ita in ſuo pectore humilitati & timori Domini, qui eſt initium ſapientiæ, ſedem parauerat, vt non immerito in ipſo Spiritus Domini plenius requieſcere crederetur. Sicut ſcriptum eſt: (Iſai. 66.) *Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos.* In omnibus vero ſuis actibus, non vt puerilis ætas ſe habere ſolet, leuis aut inſolens, ſed grauis & maturus quotidianis profectibus apparebat.

Lect. 4. Proinde cum in Monaſterio S. Perpetui, quod in Aſtenſi Epiſcopatu ſitum eſt, à parentibus eſſet traditus non ſolum Eccleſiaſticis officiis, verum etiam regularibus diſciplinis diligentius eruditus eſt. Deinde voluntate parentum, ſe Bononiam transferens, liberalium artium doctrinæ vigilem curam exhibuit. Poſtquam vero non ſolum triuij, ſed etiam quatriuij ſcientiam, cœleſtis gratiæ munere, plenius aſſecutus eſt, diuinæ paginæ propenſius operam dedit. Hauriebatque, iam tunc ſitibundo pectore Euangelicæ fluenta doctrinæ, quam poſſet congruenti tempore ſitienti populo mellito gutture eructare.

Lect. 5. Dum autem in diuinorum librorum doctrina præ ſuis etiam maioribus profeciſſet, vt dicere poſſet (Pſal. 118.) cum Propheta: *ſuper ſeniores intellexi, quia mandata tunc exquiſiui*, rogatus à quibuſdam vltra montanis, Pſalterium ſecundum Gallicanam tranſlationem compendioſa expoſitione percurrit. Poſtquam vero Epiſcopali ſublimatus eſt dignitate, ipſum iuxta Romanam tranſlationem, pleniori & ſublimiori ſtylo ſtuduit explanare. Doctoris itaque nomen aſſecutus & gratiam, Senas petiit. Vbi ab Epiſcopo & Canonicis honorifice ſuſceptus, atque in Canonicum maioris Eccleſiæ gratanter admiſſus eſt.

Lect. 6. Poſt hæc autem quibuſdam negotiis trahentibus, ad Romanam Curiam acceſſit atque à venerabili viro Petro Albanenſi Epiſcopo benigne ſuſceptus eſt. Eodem tempore B. Gregorio VII. in Lateranenſi Palatio reſidente de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quodam Magiſtro Berengario, qui de eodem Sacramento minus fideliter ſentiebat, grauis admodum agitabatur quæſtio: nec inueniebatur aliquis, qui cum eodem Magiſtro de tanti myſterio Sacramenti, diſputare præſumeret; tum quia Magiſter ille in quæſtionum conflictu nimis erat exercitatus, tum quia in huiuſmodi fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Die Secunda, Lectio Prima.

Quia vero iam tempus aduenerat, quo athletæ Chriſti B. Brunonis probitas ac ſcientia vniuerſis in Curia Romana clareſceret, de voluntate Summi Pontificis, cum eodem Magiſtro certamen diſputationis aggreſſus, ipſum rationabili aſſertione ad viam veritatis à ſuo reuocauit errore: atque ad Catholicæ fidei vnitatem per Dei gratiam, reduxit Gubernator etenim in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur: & nauis, quæ compage ſolidata eſt, procellis irruentibus non fertur. Et arbor, quæ firma radice fundata eſt, ventis pulſantibus non mouetur. Tunc ſummus Pontifex conſideratâ viri à Deo dilecti conſtantia Brunonis, & virtute, accerſito ad ſe Albanenſi Epiſcopo, ait. Hominem, quem totum in hoſpitio ſuſcepiſti, tibi affectuoſe commendo, Exiſtimo enim, quod per ipſum Eccleſiæ Dei magna poterunt obſequia Deo clamante, prouenire. Altera vero die Dominus Papa eidem Epiſcopo, de fratrum ſuorum conſilio, & voluntate mandauit, vt ad Signinam ciuitatem accedens, quæ tunc proprio erat viduata Paſtore Canonicis Eccleſiæ S. Mariæ ſalubri perſuaderet conſilio, vt talem virum tamque prudentem ſibi eligerent in Paſtorem.

Lect. 2. Tunc Epiſcopus Albanenſis lætus, & hilaris ad hoſpitium reuerſus ait: Frater Bruno, mandatum nobis inſtat Apoſtolicum, vt ad partes Campaniæ pro quibuſdam cauſis proficiſci debeamus. Rogo, vt comiteris nobiſcum: gratamque nobis exhibeas ſocietatem. Qui cum præſto eſſet aſcendentes equos vſque ad radicem montis Signinæ ciuitatis pariter peruenerunt. Tunc Epiſcopus S. Brunoni dixit: In ciuitate quæ in iſto monte ſita eſt, quædam nobis imminent expedienda negotia: ibique ſi placet honeſte hodie poterimus hoſpitari. Cui Sanctus reſpondit, quod bonum eſt in oculis veſtris facite. Ego enim paratus ſum facere, quod veſtræ placuerit voluntati. Tunc aſcendentes in ciuitatem, apud Eccleſiam S. Mariæ à Canonicis cum honore ſuſcepti atque ibidem hoſpitati ſunt. Sero autem S. Bruno, aſſiſtentibus ſibi pro reuerentia & honore Canonicis eiuſdem Eccleſiæ, quieti membra daturus cum recubuiſſet in lecto, dixiſſe fertur. Hæc requies mea; Cui Epiſcopus Albanenſis reſpondit. In ſæculum ſæculi. De qua reſponſione mirari cœpit B. Bruno, & attentius cogitare, quid ſibi vellet eiuſmodi reſponſio: cuius rei cauſam è poſt facto cognouit.

Lect. 3. Mane autem illuſcente, B. Bruno ad ſuggeſtionem Albanenſis Epiſcopi, luculentum fecit in Capitulo de Vitula ruffa ſermonem, Completo itaque Sermone, Epiſcopus continuò ſeorſum à B. Brunone Canonicis eſt locutus: eiſque ſuadere cœpit, vt talem virum, tanque prudentem ſibi eligerent in Paſtorem. Protinus vero Canonici deliberato inter ſe ſalubri conſilio, in B. Brunonis electione vnanimiter conuenerunt. Diuinæ ſiquidem voluntatis erat, vt lucerna ſuperna candelabrum poſita, vniuerſis in domo Domini conſiſtentibus manifeſtâ luce clareſceret. Et vt fidelis ſeruus, & prudens, commiſſa ſibi cœleſtium talenta donorum ſubiecto gregi fideliter diſpenſaret, conſummato feliciter curſu, à cœleſti Patrefamilias æternæ beatitudinis præmia ſuſcepturus. Epiſcopus itaque Albanenſis Canonicorum voluntate comperta conſuluit eis, vt aliquos ex Canonicis ad ſummum Pontificem deſtinarent, qui eidem ipſorum concordiam, & vnitatem de Paſtoris electione patefacerent.

Lect. 4. Epiſcopo itaque Albanenſi cum B. Brunone ad Vrbem reuerſo, Canonici Signinæ Eccleſiæ aliquos ex fratribus ſuis prudentioribus ad Summum Pontificem direxerunt, qui ſuæ confirmationem electionis ab eo ſuppliciter expoſtularent. Protinus vero B. Papa Gregorius Epiſcopo Albanenſi ſecreto mandauit, vt Sanctum Brunonem modis quibus poſſet, induceret, vt Signinæ Eccleſiæ petitioni non contraitet: & talentum ſcientiæ ſibi commiſſum & traditum in ſudario non abſconderet, quod in Epiſcopali officio vtiliter poſſet expendere, atque opportune multiplicare. Tunc S. Bruno, licet huic oneri, & honori imparem ſe aſſereret: & minus idoneum ſe reputaret: tamen ne diuinæ voluntati videretur reſiſtere, cui tantorum vota cognoſceret conuenire, factæ de ſe electioni humiliter conſenſit. Ad hoc autem munus officij ſuſcipiendum, quædam viſiones ipſum maxime induxerunt: quas ſe præteritis noctibus vidiſſe teſtabatur.

Lect. 5. Quædam ſiquidem Virgo admirabilis decoris in viſione ſibi noctis apparuit, quæ manu eius accepta, ipſum per Lateranenſe palatium quaſi ſpatiandi gratia deducebat, & aureo annulo, quem manu geſtabat, annulari digito S. Brunonis immiſſo, Virgo Chriſti ad propria reuertebatur. In quo videlicet annulo, quaſi deſponſationis Artham ſignificari poſtmodum intellexit, quia Signina Eccleſia fuerat ſibi deſponſata. Nocte vero ſequenti, eamdem ſibi Virginem apparuiſſe, & in vno caniſtro ſeptem alia caniſtra ſibi obtuliſſe referebat. In maiori namque caniſtro Signinam ciuitatem, in ſeptem vero minoribus caniſtris ſeptem caſtella Signinæ Eccleſiæ ſubiecta ſignificari dicebat. De manu igitur Summi Pontificis munere conſecrationis accepto; ſuis comita-

tus

A tus Clericis ad Signinam peruenit Eccleſiam. Vbi ab vniuerſo Clero, & populo cum ſummo honore, magnaque lætitia ſuſceptus eſt, atque in Epiſcopali Sede collocatus. Omneſque tam Clerici quam laici, viri cum mulieribus, puſilli cum maioribus, in hymnis, & laudibus glorificabant Dominum, qui talem ac tantum Signinæ conceſſit Eccleſiæ Paſtorem.

Lect. 6. Beatus igitur Bruno Epiſcopi officium, & Paſtoris nomen adeptus, magnopere ſatagebat: vt concordaret vita cum nomine: profeſſio cognoſceretur in opere. Vt conuenirent vita, & doctrina, manus & lingua. Quia ſi voci vita non diſcordat, ſi vox vitam non remordet, tunc reuerentia diuinæ laudis dulcis eſt ſymphonia. Non enim ignorabat, quia tantum debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita Paſtoris. Primum ergo iuxta mandatum Apoſtolicum irrepræhenſibilem ſe in omnibus exhibere cœpit; ſobrium, caſtum, humilem, manſue-
B 1. Tim. 3. tum, atque benignum. In inceſſu quoque, in ſtatura, habitu, & in omnibus motibus ſuis, nullius vnquam offendebat aſpectum, ſed omnes actus ſermoneſque ſuos, modeſta ſemper grauitate moderabatur. Erat enim in ſermone verax, in iudicio iuſtus, in conſilio prouidus, in diſponendo induſtrius, in iubendo diſcretus, & in vniuerſa morum honeſtate præclarus.

Die Tertia, Lectio Prima.

Proinde gregis ſui circa cuſtodiam, vigilem curam, & attentiſſimam exhibebat diligentiam, ne lupus rapax ſub ſua cuſtodia ouile Domini poſſet irrumpere, oueſque ſibi commiſſas aliquatenus perturbare. Circa vero opera charitatis atque eleemoſinarum, ita erat attentus, vt nihil aliud cogitare videretur. Veſtiebat nudos, eſurientes alebat, peregrinos hoſpitio recipiebat: & omnibus pariter indigentibus ſubuenire curabat. Nam manibus plenis ſemper ſubuenit egenis, itaut cum Beato Iob di-
C Iob. 31. & 29. cere poſſet. *Foris non manſit peregrinus; Oſtium meum viatori patuit. Oculus fui cæco, & pes claudo: Pater eram pauperum: & cauſam quam neſciebam diligenter inueſtigabam.* Præterea Chriſto ſedulum exhibebat officium, & non diebus neque noctibus à diuinis colloquiis, & ab oratione ceſſabat. Diuinorum vero voluminum lectioni iugiter inſiſtebat, & in lege Domini meditabatur die ac nocte, vtpote qui ſacram ſcripturam non ſolum perſpicaciter intellexit, verum etiam eleganter expoſuit, ſicut manifeſte poterunt experiri, qui ſuas expoſitiones, atque ſermones tam in nouo, quam in veteri teſtamento, legere ſtuduerint vel audire.

Exod. 19. Lect. 2. Beatus ſiquidem Bruno non ſecundum litteram occidentem, ſed ſecundum ſpiritum viuificantem; rationale quod Summo Pontifici congruebat (in quo videlicet continebatur Manifeſtatio & Veritas) aſſiduè ferebat in pectore. Quia in mente ſua ſemper erat veritatis
Exod. 25. cognitio manifeſta. Non enim ignorabat, mandatum fuiſſe in veteri teſtamento, vt vectes quibus arca fœderis
D ferebatur, annulis ipſius arcæ iugiter eſſent inſerti, vt cum arca eſſet ad locum aliquem deferenda, nulla de intromittendis vectibus fieret mora. Quia videlicet Doctores Eccleſiæ, qui per vectes ſignificantur, quatuor Euangeliorum lectioni atque doctrinæ inceſſanter debent inſiſtere, vt arcam Domini, hoc eſt Chriſti Eccleſiam in toto orbe terrarum valeant circumferre. Hinc eſt enim, quod cum Saluator humani generis de quinque panibus turbas vellet reficere, prius ipſos benedixit ac fregit: ac deinde per diſcipulorum manus turbis fecit apponi. Quia Sacras Scripturas prius per ſe diſſerendo expoſuit: ac
Mat. 8. poſtmodum earum doctrinam per ſuos diſcipulos, & doctores Eccleſiæ, fidelium populis erogauit. Hinc eſt etiam, quod Doctorès Sanctæ Eccleſiæ columbarum aſſimilantur oculis quæ ſunt lotæ & reſident iuxta fluen-
Can. 5. ta pleniſſima. Doctor itaque S. Bruno, qui ſalientes aquas in vitam æternam de fontibus hauſerat Saluatoris, deriuare fontes ſuos foras, & in plateis ſuis ſalutis aquas diuidere non ceſſabat.

Lect. 3. Paruulos lacte doctrinæ ſimplicioris alebat E prouectos verò ſolido cibo paſcebat. Suſcipiebat infirmos; conſolabatur puſillanimes; publice peccantes coram omnibus arguebat. Principibus ac tyrannis ſe exhibebat Ioannem: Ægyptiis Moyſen: fornicantibus Phinees: Heliam Idololatris: Eliſæum auaris: Petrum mentientibus: Paulum blaſphemantibus: negotiantibus Chriſtum: Ita vt dicere poſſet cum Apoſtolo: *Omnibus* 1. Cor. 9. *omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem.* Verum quia pretioſa vnguenta redolere nequeunt, & electarum aromata ſpecierum ſui odoris fragrantiam non niſi cum conteruntur, vel incenduntur expandunt: vir iſte Sanctus, quam fortis & patiens in perſecutione fuerit, compendioſo duxi ſtylo perſtringere, ne ſermo prolixior tædium valeat in auditorum mentibus generare. Sacroſancta Mater Eccleſia, velut Petri nauicula, inter huius mundi procellas & turbines inuiolata permanet & illæſa, illo gubernatore, qui ventis imperat & mari, ipſam regente & ad portum dirigente ſalutis. Cum igitur ea tempeſta- F te, plurimas ſuſtineret perſecutiones non ſolum ab extraneis, verum etiam à ſuis, qui eam defendere debuerant, quos ipſa nutrierat & exaltauerat, ita quod dicere poſſet cum Propheta: *Filios enutriui & exaltaui, ipſi* Iſa. 1. *autem ſpreuerunt me.*

Lect. 4. Vnus ex filiis Belial, Aynulfus videlicet quondam Signinæ ciuitatis Comes, præſumptione temeraria auſus eſt in Chriſtum Domini, videlicet in B. Brunonem, manus iniicere violentas, ipſumque carcerali cuſtodię mancipare. Cum enim idem Sanctus die quadam ab Vrbe reuerteretur, vbi conſueuerat Apoſtolicis intereſſe conſiliis, & Eccleſiaſtica de mandato Summi Pontificis, tractare negotia: memoratus Comes in itinere ſibi obuiam venit. Et quaſi vnus ex iis, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum, Epiſcopum callida fraudulentia ſalutauit. A quo cum fuiſſet reſalutatus, vſque ad radicem montis, in quo caſtrum Viculi ſitum erat, colloquendo peruenerunt. Vbi cum Comes malignus ad hoſpitium Epiſco- G pum inuitaſſet, ipſeque nihil mali ſuſpicans, gratias ageret dicens, ad ſuam Eccleſiam velle reuerti, prædictus iniquitatis filius, immo peccati ſeruus, fraudem quam mente prætexerat, operis exhibitione detexit dicens Epiſcopo: Velis nolis, nobiſcum venies: nec noſtras manus prius euades, quam Signinam nobis reſtitui facias ciuitatem: quam de iure noſtri Comitatus conſtat exiſtere. Et his dictis, non conſiderata tantæ perſonæ gratia, Dei timore poſtpoſito & Eccleſiaſtici Ordinis reuerentia, ſeruum Domini Brunonem cum ſuis Clericis & ſeruientibus capiens, in caſtrum Viculi violenter adduxit: ipſumque ſanctum in eiuſdem caſtri turre carcerali cuſtodia mancipauit: vbi pro ſcabello in quo ſedere poſſet, papilionem centum ſolidorum dediſſe memoratur. Verum quia ſcriptum eſt: *Iuſtus vt Leo confi-* Prou. 28. *dens abſque terrore erit*, B. Bruno ſicut non extollebatur proſperis, ita nec frangebatur aduerſis. Quod enim facit flagellum grano, fornax auro, torcular vino, vel oleo, hoc fecit perſecutio viro Sancto. *Vaſa ſiquidem figuli* Eccli. 27. *probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* H

Lect. 5. Cum autem ſanctus in cuſtodia teneretur, ad declarandam ſuæ fidei conſtantiam, magnum dignatus eſt Dominus operari miraculum. Nam cum die quadam magnam ſanctus pateretur ſitim, cuidam famulæ domus mandauit, vt ſibi de aqua fontis afferret. Quæ cum allata fuiſſet, protinus vt vir Dei ſigno Crucis edito, de ipſa guſtauit, vinum optimum eſſe cognoſcens, mulierem reprehendit dicens: Ego aquam afferri præceperam: tu quare vinum mihi portaſti: At illa cum iuramento cœpit aſſerere, ſe de fontis aqua tuliſſe. Tunc ſanctus turſum de aqua iuſſit afferri, quæ iterum ad viri Dei benedictionem in vinum conuerſa eſt. Et hoc tertio factum eſt. Omnipotens enim Dominus, qui conſueuit magnificare ſanctos ſuos B. Brunonis conſtantiam & virtutem huius miraculi voluit oſtenſione monſtrare. Per aquam ſiquidem in Sacra Scriptura perſecutio, vel quælibet aduerſitas plerumque intelligitur: quam ſancti viri cum

A magno deſiderio propter iuſtitiam, ſuſtinere conſueuere.
Matt. 5. Vnde ſcriptum eſt: *Beati qui perſecutionem patiuntur*
Act. 5. *propter iuſtitiam.* Et illud. *Ibant Apoſtoli gaudentes à*
conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro no-
mine Ieſu contumeliam pati. Per vinum vero ſanctorum
virtus atque conſtantia, vel etiam æterna lætitia, quæ
ipſis poſt huius vitæ ſtadium promittitur, non incongruè
ſignificatur. Vnde diſcipulis dicit Dominus in Euange-
Ioh. 16. lio; *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Poteſt etiam
per aquam lex Moſaïca, per vinum ſpiritualis intelligen-
tia ſignificari, ſicut de primo Domini miraculo quo de
Rom. 1. aqua vinum fecit, quidam bonus verſificator ait. Mutat
aquam, præſtat vinum, ſic ſe manifeſtat verbum diui-
num. Lex eſt aqua: Gratia vinum.

Lect. 6. Beatus namque Bruno aquam in vinum con-
uertit, quia non ſolum quinque libros Moyſis ſpiritua-
liter expoſuit, verum etiam Pſalterium, Iſaiam Prophe-
tam, Regum libros, Iob quoque, & alia plurima in ſcri-
ptura ſacra ſatis eleganter, aſpiratione Sancti ſpiritus,
B explanauit. Memoratus itaque Comes malignus videns,
ſe ſua penitus intentione fruſtratum, conſiderans etiam
de iniuria ſancto illata ſibi plura imminere pericula, re-
cepta ab ipſo aliquanta pecunia, retentiſque ſibi equita-
turis quas abſtulerat, Sanctum Brunonem Epiſcopum
cum multa verecundia & rubore dimiſit: nil præter
peccatum & infamiam, exceptis his, quæ diximus, de
perpetrata iniquitate reportans. Cum idem Comes val-
de metueret, ne ſuus Epiſcopus hoc factum grauiter ad
animum reuocaret, grauiuſque ſuam vlciſceretur iniu-
riam, Beatus Bruno, quem Spiritus ſancti repleuerat
gratia, cuius mentem perfecta charitas poſſidebat, pecca-
tum iſtud eidem Comiti ex toto corde dimiſit: aſſerens,
ſuis exigentibus meritis, diuinæ fuiſſe permiſſionis, vt
filius in patrem manus injiceret violentas. Exoratus eſt
quoque ipſum Comitem, ne propter hoc, ſuum auxi-
lium in ſuis opportunitatibus expoſcere dubitaret; pro-
mittens ſe ſibi ſuiſque filiis nullatenus defuturum.

C

Quarta die, Lectio prima.

Mandauit quoque vniuerſis amicis, & parrochianis
ſuis, vt eidem Comiti in hac parte malum pro malo
non redderent, nullumque ſibi damnum propter hoc fa-
ctum, vel iniuriam irrogarent. Verumtamen Deus iuſtus
iudex, qui ſicut nullum bonum irremuneratum, ita nul-
Rom. 2. lum etiam malum impunitum relinquit; *Qui reddit vni-*
cuique ſecundum opera ſua, iniuriam ſeruo ſuo illatam
in præſenti ſæculo non reliquit inultam. Non enim lon-
go poſt tempore, eidem Comiti graues inſidias, & per-
ſecutiones ab inimicis eius excitari permiſit, ita vt ca-
ſtrum, & turrem, in qua ſanctum incarcerauerat, amit-
teret, & licet illud caſtrum ſæpè recuperauerit, plurieſ-
que perdiderit, nunquam tamen illud vnius menſis ſpa-
tio potuit poſſidere in pace. Ad tantam denique pauper-
tatis inopiam peruenit, vt vix ſtipendia vitæ poſſet habe-
re. Cui tamen S. Bruno ſicut promiſerat, ſæpius in ſuis
neceſſitatibus ſtuduit ſubuenire: ipſique nec non & filiis
D eius veſtes, pecuniam, aliaque neceſſaria ſæpe largitus
eſt, adimplens illud Euangelij mandatum, quod dicit.
Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos:
Matt. 6. Luc. 6. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Hucuſ-
que de iam dicti Comitis ſcelere, & pœna: de Epiſcopi
quoque patientia & charitate circa ipſum exhibita, ſatis
dictum arbitror. Nunc de tranſitu eiuſdem ſancti ad Ca-
ſinenſe Monaſterium: & de duarum legationum exe-
cutione, quarum altera in Francia, altera in Sicilia fun-
ctus eſt: de pſeudo monachorum & falſorum fratrum
perſecutione, quam idem Sanctus Epiſcopus in Caſino
monte ſuſtinuit, ſuccincto, ſicut Dominus dederit, ſer-
mone narrabo.

Lect. 2. Cum igitur procedente tempore, Dominus
Paſchalis Papa II. Beatum Brunum ſecum in Apuliam
duxiſſet, contigit ipſum pondere magno ægritudinis præ-
grauari. In qua videlicet infirmitate flagranti deſiderio
cupiens à curis ſæcularibus ſecedere, & ad Chriſti ſoli-
tudinem tranſmigrare, ſuper hoc à Domino Papa licen- E
tiam poſtulauit. Tum ſummus Pontifex, licet ei, totique
Curiæ hoc eſſet moleſtum (quia talis tantaque perſona ſi-
bi tam in conſiliis quam in vniuerſis negotiis Eccleſiæ
expediendis præ cæteris eo tempore vtilis erat, & neceſ-
ſaria) tamen quia ipſum contriſtare nolebat, ne forte hac
occaſione infirmitatis languor inualeſceret, ſuam petitio-
nem poſt multam precum inſtantiam, exaudiuit. Epiſco-
pus itaque per diuinam gratiam ſanitate recepta, mox ad
Caſinenſe Monaſterium iter arripuit. Sed Dominus Papa
nolens ipſum ab Vrbis confinio nimium elongari, man-
dauit ei, vt in Caſinenſi Monaſterio habitum Religionis
acciperet. Quò cum Sanctus Bruno iuxta mandatum
Apoſtolicum perueniſſet, tam ab Abbate Oderio, qui
tunc Monaſterio eidem præerat, quam ab vniuerſis eiuſ-
dem Eccleſiæ fratribus honorifice valde ſuſceptus eſt:
ibique, ſecundum Sancti Benedicti Regulam facta pro-
feſſione, habitum Religionis accepit.

Lect. 3. Factus itaque Monachus, magnis in eodem
loco cœpit pollere virtutibus: Et quaſi vas aromatum F
de cœleſtium vnguentorum fragrantia inaſpirabat ſociis
ſuauitatis odorem: itaut tota domus repleretur ex odore
vnguenti. Vniuerſi fratres ſui, qui ſpiritu Dei agebantur,
per ipſum inuitati, & tracti currebant in odorem vn-
guentorum ſuorum. Abbati ſiquidem ſuo deuotum &
obedientem: fratribus vero manſuetum & humilem ſe
exhibebat. Circa diuina vero obſequia tempeſtiuus ac de-
uotus iugiter, in vigiliis, & orationibus ſedulus erat. Cir-
ca omnes ſe ipſum bonorum operum præbebat exem-
plum. Et ſicut oliua fructifera in domo Domini: Et vt vi-
tis abundans, de ſua Sancta conuerſatione virtutum ger-
mina propagabat. Vnde factum eſt: vt ex ingenti neceſſi-
tate à Summo Pontifice ad Galliarum partes cum ſui
Abbatis licentia tranſmiſſus, legationis ibidem officio
fungeretur.

Lect. 4. Vbi pro Chriſto legatione functus, poſt aurum
non abijt; nec ſperauit in pecuniæ theſauris: non requi-
rens, iuxta mandatum Apoſtoli, datum, ſed fructum. Ibi-
que Apoſtolicæ Sedis authoritate Synodum celebrauit: G
in qua ſtuduit errata corrigere: atque Statuta ſalutaria
vtiliter ordinare. Et elaborauit fretus dexterâ cœleſtis au- Phil. 4.
xilij, in eiſdem partibus reformare pacem populis, Eccle-
ſiis ordinem, monachis diſciplinam. Non enim potuit ali-
ter docere, cui ſpiritualis gratia ad meritum, & operum
efficaciam non deerat exemplum. Altera quoque Lega-
tione in Sicilia ſimili diligentia executus eſt tam in cor-
rigendis moribus, quam etiam in virtutibus inſerendis,
multiplices bonorum operum fructus omnipotenti Do-
mino reportando. Cum autem de Gallia reuerteretur, in
itinere ſibi latrones inſidias poſuerunt, volentes ipſum
ſuis facultatibus ſpoliare. Cum autem Sanctus illis ap-
propinquaſſet, tanto in eius aſpectu diuinitus ſunt terrore
percuſſi, vt ad pedes eius cum reuerentia procidentes, de
malo propoſito veniam peterent ipſique in conducti iti-
neris quantum ſibi placuit, obſequium exhibuerunt.

Lect. 5. Poſt hæc reuerſus de legatione, exacto vero
quinquennio, defuncto quoque Oddone, qui Oderiſio in
prælatione ſucceſſerat, Beatus Bruno, de communi fra- H
trum conſilio, eligitur in Abbatem. Et qui Liæ lippien-
tis olim conſortia fugiens, ad Rachelis aſpirabat ample-
xus; intermiſſo Mariæ reſidentis iuxta pedes Domini,
officio, cum Martha, quæ occupatur erga plurima, iterum
coactus eſt miniſtrare. Quamuis igitur inuitus huic oneri
potius quam honori ſupponeret humeros, ad communem
tamen fratrum inſtantiam Abbatiæ ſuſcepto regimine,
in dilectione quidem filiorum paternum exhibebat affe-
ctum; In doctrina vero morum, & Regulæ diſciplina ma-
giſtri non committebat officium: In ſuſcipiendis hoſpi-
tibus charitatis cum omni diligentia exoluebat debi-
tum. Per incrementa namque temporum, & officiorum,
creſcebant in eo iugiter gratiarum chariſmata, & cœ-
leſtium dona virtutum. Non puto prætereundum mira-
culum, quod Dominus ad huius Sancti merita declaran-
da, in eodem Monaſterio dignatus eſt demonſtrare. Nam
cum quandam Eccleſiam Sancti Thomæ extra caſtrum

A Vallis frigidæ ſolemniter dedicans, omnipotenti Deo
Virgil. Geor. 1. & ado. 5. ſalutarem ibidem hoſtiam obtuliſſet: & de aqua perfu-
ſionis eius mulier arreptitia guſtaſſet, ſpiritus immun-
dus ex ea protinus exiuit: & ad eam redire amplius non
præſumpſit.

Lect. 6. Verum ſicut inter flores odoriferos. *Infelix
lolium, & ſteriles naſcuntur auenæ.* Sicut roſa, quæ re-
dolet, creſcit cum ſpina quæ pungit, ſic etiam in trino
fidelium ordine mali bonis inueniuntur admixti; quo-
rum exercitio iuſti proficiunt, & veluti in conflatorio ex
malorum perſecutione clarius eluceſcunt. Hinc enim de
Cant. 2. ſponſa in Canticis dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic
Ezech. 2. amica mea inter filias.* Hinc etiam ad Ezechielem Domi-
Apoc. 2. nus dicit: *Filij hominis, increduli, & ſubuerſores ſunt
tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Hinc eſt quod in
Apocalypſi Angelo Eccleſiæ Pergami Dominus dicit:
*Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ: & tenes nomen
meum: & non negaſti fidem meam.* In Caſinenſi itaque
Monaſterio exceptis paucis, qui manus ſuas lauabant
B inter innocentes, conuentus erat malignantium Mona-
chorum: qui profeſſionem Monaſticam habitu profite-
bantur, ſed operibus negabant. Quia cum in ſua profeſ-
ſione abnegaſſent carnalia deſideria, quæ militant aduer-
ſus animam, toto mentis affectu redierant in Ægyptum
ad pepones, & allia. Qui derelicto pallio fugerant ab
Ægyptia: Crucem Domini quidem portabant, ſed in
angaria Abbatis doctrina erat odibilis, & ſalutaris me-
dicina videbatur illis poculum mortis.

Die Quinta, Lectio Prima.

Spiritus namque immundi, qui eos ad tempus reli-
querant, videntes illorum domos exteriores ornatas ha-
bitu religionis, interius, vacuas virtute charitatis,
aſſumptis ſecum aliis ſpiritibus, eos reuerſi plenius poſſi-
dere cœperunt, & facta ſunt poſteriora illorum homi-
num deteriora prioribus. Hi ſiquidem diabolicis ſuper-
ſtitionibus inſtigati, in Abbatem ſuum conſpirationem
C facientes, ipſum apud Summum Pontificem accuſaue-
runt, ſcientes eum indignationem Domini Papæ Paſcha-
lis incurriſſe, pro eo quod Beatus Bruno, ipſum publicè
reprehenderat de Priuilegiis Henrico Regi contra liber-
tatem Eccleſiæ, atque canonica ſtatuta conceſſis, dicens
illa irritari debere penitus, & caſſari. Pro his, & eiuſmo-
di aſſertionibus Summus Pontifex indignatus, memora-
tis Monachis Apoſtolicas litteras deſtinauit, mandans vt
Beato Brunoni amplius non obedirent: Sed alium Ab-
batem ſibi eligerent: aſſerens eiſdem literis ipſum Ab-
batem ſimul & Epiſcopum eſſe non poſſe. Ex quarum
continentia literarum iidem Monachi occaſione acceptá,
illum non ſolum contumeliis, verum etiam verberibus
animo irreuerenti, & infrunito afficientes, de Mona-
ſterio eiecerunt. Plerique tamen ex Monachis, qui ſpiri-
tu Dei agebantur, ſuper Patris iniuria magno ſunt dolo-
re commoti: ipſumque libenti animo reuocaſſent, niſi
timuiſſent mandatis Apoſtolicis obuiare. Pſeudo quidem
Monachi in clauſtro ſunt velut arundo exterius nitidá,
D interius vacua in horto, ſicut mulier fatua in domo, quaſi
ſtruthio pennata in deſerto.

Lect. 2. Itaque cum Sanctus Bruno ad Epiſcopatum
ſuum reuerſurus iter arriperet, memorati fratres, qui de
Patris receſſu filiali lamentabantur affectu, illum interro-
gaſſe feruntur. Vtrum eſſent amplius ipſum in huius vitæ
Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19. peregrinatione viſuri. Quibus Sanctus, Euangelicâ re-
ſpondit ſententiâ: *Non me videbitis donec dicatis. Bene-
dictus qui venit in nomine Domini.* Quæ videlicet Pro
phetia poſt eius obitum noſcitur fuiſſe completa. Nam
filiis iniquitatis, qui contra Patrem ſuum erexerant cal-
caneum, diuina vltio ſubſecuta eſt. Ex ipſis namque alij
cæcitatis caligine percuſſi, alij pedum vel manuum of-
ficio priuati, alij vero inſanabili ſunt membrorum debi-
litate contracti, vt nullus illorum eſſet immunis à pœna,
qui eſſe noluerũt immunes à culpa. Vt ex infirmitate cor-
poris atrocitas pateſceret criminis, & corporalis in eis
oſtenderet inflictio pœnæ, quam execrabilis apud Deum,
& homines fuiſſet tam horribilis commiſſio culpæ. E
Vnde factum eſt, vt quidam eorum reatum ſuum cogno-
ſcentes, pœnitentiam agerent. Et cum procedente tem-
pore Ioannes bonæ memoriæ, Signinæ Sedis Epiſcopus,
qui eidem Sancto tertius in Epiſcopatu ſucceſſit, ad Ca-
ſinenſe Monaſterium diuertiſſet, præfati Monachi eidem
Epiſcopo peccatum, quod in Beatum Brunonem com-
miſerant, cum magna ſunt contritione cordis confeſſi,
ſuppliciter rogantes, & poſtulantes ab eo, vt de reliquiis
Beati Præſulis aliquam illis portiunculam concedere di-
gnaretur, quatenus qui viuenti de commiſſo reatu mini-
me ſatisfecerant, ſaltem poſt obitum, in ſuis oſſibus ve-
nerantes, præcibus eius veniam poſſent à Deo pro-
mereri.

Lect. 3. His breuiter tranſcurſis, ad reditum memo-
rati Præſulis ſermonis noſtri materiam conuertamus.
Quum itaque vox exultationis, & lætitiæ Clero, & po-
pulo Signinæ ciuitatis ſui Paſtoris inſonuiſſet, gauiſi ſunt
gaudio magno valde: nec erat aliquis inter eos, de cuius
ore non perſonaret gratiarum actio, & vox Laudis. Om- F
nes enim pariter in hymnis, & confeſſionibus benedice-
bant Dominum, qui eis reſtituere dignatus eſt Paſtorem,
& Epiſcopum animarum ſuarum. Cum appropinquaret
autem, exeuntes ei obuiam extra ciuitatem, in lætitia,
& exultatione magna perduxerunt illum ad Eccleſiam
glorioſæ Dei Genitricis Mariæ; vbi congruo ordine com-
pleta oratione, Clericis primum in oſculo pacis à B. Bru-
none receptis, deinde Laicis ad manus, & pedes certa-
tim procidentibus facta eſt ad inuicem magna gratula-
tio, qualem exhibere ſolent filij patribus: vel parentes
filiis de longa peregrinatione reuerſis.

Lect. 4. Deinde vero acceptâ benedictione, vniuerſi
ſunt ad propria in gaudio reuerſi, laudantes, & glorifi-
cantes Deum. Non eſt ſilentio tranſeundum, qualiter po-
pulus eius, & oues paſcuæ eius ipſo in Monaſterio per-
manentes, ſcriptis Apoſtolicis eos ad electionem alterius
inuitantibus, reſponderunt. Nam tale ſuper hoc ſummo
Pontifici feruntur dediſſe reſponſum. Nos inquiunt, pec-
cati non ſumus conſcij, pro quo Signina Eccleſia ſuo G
Paſtore debeat viduari. Vnde ſciatis, nos ipſo viuente
alium nullatenus recepturos: ſed illum ipſum repetimus,
Ipſum cum deſiderio iugiter expectamus; ſperantes de
Dei miſericordia, quod deſiderium pauperum exaudiet
Dominus Et ipſe intelliget clamorem pauperum, qui fa-
cit iudicium iniuriam patientibus: & non derelinquet
ſperantes in ſe. Omni autem anno quamdiu permanſit in
Monaſterio, de manu eius chriſma, & ſanctum oleum
ſuſceperunt: quia chariſſimo venerabantur affectu.

Lect. 5. Beatus igitur Bruno conſiderans, ſe de ſibi
commiſſo grege redditurum in diſtricto iudicio ratio-
nem, vigilanti ſtudio procurabat, ſubditorum ſuorum
errata corrigere; & eos ad frugem melioris vitæ ſaluta-
tibus monitis incitare. Et quaſi currus Iſraël & auriga
eius, filios ſuos ſuſtinebat per patientiam, & regebat
per diſciplinam. More ſiquidem periti medici, pro diuer-
ſitate morborum vinum, & oleum pro curandis vulneri-
bus adhibebat. Semper enim in archiuio ſui pectoris cum
tabulis teſtamenti coniuncta erant & virga diſtrictionis, H
& manna dulcedinis. Maxime autem ſubditos ſuos ex-
hortabatur ad tentationum, & paſſionum tolerantiam;
oſtendens quia *non coronabitur, niſi qui legitime certaue-* 2. Tim. 2.
rit. Quia niſi præceſſerit pugna, non poteſt eſſe victoria.
Vbi autem præceſſerit in pugnæ congreſſione victoria,
tunc dabitur vincentibus & corona. *Omnes autem qui pie* 2. Tim. 3.
volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Aiebat Rom. 8.
autem, *non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad fu-
turam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cum autem tem-
pus adueniſſet, quo Dominus Sanctum ſuum de præſen-
tis exilij peregrinatione ad cœleſtem patriam vocare de-
creuerat, B. Bruno tranſitum ſuum diuina reuelatione
prænoſcens, Clerum, & populum Signinæ ciuitatis ad
ſe vocari fecit, exhortatus eos ad viam ſalutis æternæ.

Lect. 6. Cumque ad eum populus conueniſſet, quia
membra corporis eius iam febrilis calor inuaſerat, mini-
ſtrorum manibus ſuſtentatus, & feneſtræ ſuæ domus in-

A nixus, populum expectantem, ſuæque doctrinæ fluenta
Luc. 9. ſitientem, de fidei conſtantia compedioſo, ſalubrique ſermone commonuit, oſtendens quoniam perſeuerantis eſt ſalus: nec aptus regno cœlorum creditur, qui retro-
Phil. 3. reſpicit, poſtquam ad aratrum manus miſit. Hinc eſt
Leu. 3 quod Apoſtolus Gentium ea quæ retro ſunt obliuiſcens,
Gen. 37. in anteriora ſemper extenditur; donec ſupernæ vocatio-
Pſal. 140. nis brauium conſequatur. In veteri quoque teſtamento vitrus holocauſti minuitur, ſi cauda cum membris reliquis non crematur: Ioſeph niſi talarem tunicam indueret, in polymita patri tunica non placeret. Hinc eſt etiam quod ſacrificium veſpertinum Deo gratius eſſe perhibetur: quia vt ſcriptura ſonat, finis non pugna coronat. Præmia iuſtorum pendent ex fine laborum. Saluator enim noſter vſque in finem ſæculi cum ſuis fidelibus ſe perſeueraturum promittit, vt tandiu perſeuerare nos doceat, donec ſtatus in nobis melior conſumetur. Completo vero ſermone, prædixit eis, nullum de cætero tyrannum in Signina ciuitate turrim, vel quamlibet munitionem ad
B ipſorum iacturam vel oppreſſionem, ædificaturum: ipſoſque grata libertate, diuini dono muneris, perpetuis temporibus gauiſuros. Et his dictis, valedicens omnibus extenta manu benedicit eis. Deinde reuerſus ad lectum, facta confeſſione, cœleſtiumque Sacramentorum perceptione munitus migrauit ad Dominum quintodecimo Kalend. Auguſti anno 5. Pontificatus Domini Calixti Papæ 2. ſui vero Epiſcopatus quadrageſimoquarto. Corpus autem eius ſepultum eſt in Eccleſia Signina cum debita reuerentia, & honore, in qua Deus pro ipſo iugiter miracula operatur. Cui gloria ſit & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE CANONIZATIONE Sancti Brunonis.

DOminus Lucius Papa III. præſentibus multis Cardinalibus cum eo in Eccleſia Signina 40. anno poſt
C obitum B. Brunonis Canonizauit ipſum S. Brunonem. & conceſſit annum Indulgentiæ omnibus eius limina viſitantibus in eius feſto. Cardinales vero qui aſtiterunt dictæ Canonizationi cum dicto ſummo Pontifice fuerunt hi. Dominus Conradinus Portuenſis Albanenſis Epiſcopi, Dominus Paulus Præneſtinus, Dominus Vincentius tituli S. Stephani in Cœlio monte, Dominus Adrianus tituli S. Crucis, Dominus Lambertus tituli S. Mariæ in Tranſtyberim, D. Albertus S. Rom. Eccl. vice Cãcellarius, D. Stephanus tituli Sanctorum Apoſtolorum, D. Octauianus tituli S. Criſogoni, Dominus Iacobus tituli S. Mariæ in Nauicella, Dominus Zeinetius tituli S. Georgij, D. Gratianus SS. Coſmæ, & Damiani, D. Goffredus S. Mariæ in Via lata. Dominus Gerardus Sancti Adriani Diaconi Cardinales.

Ipſa vero Canonizatio facta fuit tempore Domini Bartholomæi Epiſcopi Signini: qui iunxit omnibus ad feſtum venientibus viſitando eius limina 40. dies. Et du-
D rat per totam Octauam. Et ſimiliter cæteri Epiſcopi conceſſerunt.

In nomine Domini Amen. anno Domini 1223. Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri D. Honorij Papæ III. anno eius VII. menſis iulij die xvi. anno centeſimo poſt obitum B. Brunonis Epiſcopi, & Confeſſoris Ciuitatis Signinæ, dedicatum fuit altare ipſius B. Brunonis exiſtens in Eccleſia Signina, ad honorem eiuſdem Sancti, per manus ſupra dicti ſummi Pontificis, aſtantibus infraſcriptis Cardinalibus ſeruientibus ſibi in dicta conſecratione ſiue dedicatione, tribus Epiſcopis ſcilicet D. Petro Præneſtinenſi, D. Nicolao Tuſculano, & D. Andrea Portuenſi: & quatuor Presbyteris D. Stephano. D. Gregorio D. Honorato, & D. Stephano. In quo quidem altari a dicto Pontifice reconditæ ſunt hæ reliquiæ, videlicet. SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Laurentij M. S. Vincentij M. S. Cæſarij M. S. Mauritij M. S. Sebaſtiani M. SS. Coſmæ, & Damiani MM. S. Saturnini M. SS. Quatuor
E Coronatorum, S. Sylueſtri Papæ, S. Gregorij Papæ, S. Brunonis Epiſcopi, & Confeſſoris, S. Mariæ Magdalenæ, S. Agatæ V. & M. S. Luciæ V. M. S. Martinæ V. & M. Omnibus autem Chriſti fidelibus ad hanc dedicationem venientibus in dicto die, dictæ Dedicationis, quæ erit die 18. Iulij. Et omnes Epiſcopi Signinæ Diœceſis anno quolibet iniunxerunt dicto die feſto 40. dies Deo Gratias.

S. BRVNONIS ASTENSIS Signienſium Epiſcopi. Et Abbatis Montis Caſini.

EXPOSITIO SVPER Pentateucum.

F ROGASTI me dulciſſime Frater & coepiſcope Petre, cuius dilectionis affectus tantum erga me ſemper exuberat, vt merito non rogare, ſed iubere debuiſſes, quatenus librum Geneſeos tibi exponerem. Sed quia multis, vt ipſe optime noſti, & quæ euitare non decebat, impeditus fui, ideo vſque ad præſens tuam petitionem adimplere nequiui; magiſque tibi, quem ad ignoſcendum facilem eſſe ſciebam, ad tempus inobediens exiſtere volui, quam ea non agere, quæ ſi non egiſſem, tibi quoque reprehenſibilis apparerem. Tandem igitur, etſi tarde, feci tamen, quod rogando iuſſiſti. A principio autem libri vſque poſt arcæ Noè fabricationem, quoniam difficiliora eſſe videbantur, prout neceſſarium viſum fuit, continuè cuncta expoſita ſunt. Inde vero vſque ad eum locum, in quo Iacob benedictionibus propriis filios benedicit per ſingula quæque capitula, quæcunque expoſitione indigere videbantur, breuiter hiſtoriis prænotatis ſatis compendioſe allegorias ſubpoſuimus. Benedictiones quoque Iacob, quoniam & ipſæ
G difficultatis aliquid habere videbantur, continua expoſitione digeſtas inuenies. Suſcipe ergo quod rogaſti, ſitque tibi pignus amoris, noſtrique te memorem ſemper tuis in orationibus facias.

LIBRI GENESIS.

CAPVT PRIMVM.

IN *principio creauit Deus cælum & terram.* In principio inquam, & ante omnem creaturam creauit Deus cœlum & terram. Hoc enim & Pſalmiſta teſtatur dicens: *Et tu in principio Deus terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Non igitur prius cœlum quam terram, ſed ſimul & cœlum Deus creauit & terram. Vnde eſt illud: *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Nam etſi ſex diebus omnia Deus hoc eodem in libro feciſſe narretur, ſimul tamen ex nihilo cuncta creaſſe dubitari non
H debet. Ipſam omnium, rerum materiam ſimul creauit, ex qua diſcretis temporibus cætera, prout voluit, fieri præcepit. Dicatur ergo: In principio creaturarũ omnium creauit Deus cœlum: & ea ſcilicet quæ continentur in eo, id eſt Angelos, Virtuteſque cœleſtes, & terram iam quaſi prægnantem & parturientem, omniumque eorum materiam & matrem, quæ ex ea oriuntur. Manifeſtum eſt ergo, quoniam nec eorum quæ modo fieri videntur, etſi tempore prima ſint, natura tamen prior terra non extitit.

Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Inanis enim erat terra; Quia ſicut informis materia nondum eas, quas nunc videmus, in ſe formas impreſſas habebat. Erat autem & vacua nullo eam inhabitante. Sed quare ſimiliter de cœlo non dicitur, quod inane fuiſſet & vacuum, niſi quia, vt arbitror, ſtatim in ipſa ſui creatione Angelos habuit habitatores? Terra ergo, etſi naturaliter cuncta quæ ex ea fiunt, in ſe haberet, tamen quia nihil

A adhuc ex ea temporaliter factum fuerat, non immerito inanis vocatur & vacua. *Erant autem tenebræ ſuper faciem abyſſi*; quia nondum lux facta fuerat, quæ nouam illam creaturam illuminaret. Abyſſus vero, alta cœli terræque profunditas intelligitur, quæ quidem tota tenebris replebatur. Dei vero ſpiritus ferebatur ſuper aquas; quia vt bonus artifex hanc quam nunc videmus, tam multiplicem creaturarum varietatem, iam tunc facere diſponebat. Sic enim & nos, exempli gratia domum compoſituri, lignorum materiam oculis, menteque contemplantes, alia trabibus, alia vero columnis, atque alia aliis officiis deſtinamus. Quod autem de aquæ creatione nihil ſuperius dixerat, & tamen quaſi iam creatas eas loquendo introduxit; illud profecto demonſtrat, quod nomine terræ omnia intelligi debeát, quæ in terra continentur, vt ignis & aqua: & nomine cœli, quicquid continet cœlũ, vt eſt aër, cuius creatio ſingulariter non deſcribitur.

Et dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus B *lucem quod eſſet bona, diuiſitque lucem à tenebris, vocauitque lucem diem, & tenebras noctem.* Apparet autem, quod inter dicere & facere Dei nulla diſtantia eſt. Dixit itaque, fiat lux & facta eſt lux. Ipſum quoque dicere Dei quid aliud eſt quam velle? Non enim clamando, vel labia mouendo, immo volendo, perficit omnia. Sed quæ eſt iſta lux, quæ prior Sole, Luna & ſtellis eſſe perhibetur? Audi quod ſequitur. *Vocauit lucem diem, & tenebras noctem*, lux igitur pro die ponitur. Bona ergo lux, quæ à tenebris diuiſa, rerum formas, coloreſque illuminat. Nos autem vix hanc lucem denotare valemus, quoniam maiore, ſolis videlicet, luce perfundimur. Sequitur.

Factumque eſt veſpere & mane dies vnus. Veſpere & mane noctem & diem quidam intelligunt. Nam quoniã noctibus prætermiſſis, omnes per ordinem dies enumerat, vno diei nomine, & diem & noctem intelligere volũt. Sed mirabilis ordo locutionis, in quo ante mane ponitur veſpere, quaſi non à mane, ſed à veſpere operari cœpiſſet. C Si enim dixiſſet, factum eſt mane & veſpere dies vnus, nulla fortaſſe quæſtio eſſet, ſed quia inter duo mane, veſpere poſuit, ad quid illorum referatur, dubitari poteſt: Si enim ad præcedens mane, veſpere refertur, nox proculdubio tota relinquitur: quod ſi ad ſubſequens, die quidem tota prætermiſſa, ſoli noctis termini ponuntur. Vnde conuenientius, factum eſt veſpere & mane non dies vnus, ſed nox vna dici potuit. Sed quia Diuina prouidentia non ad laborem, ſed ad quietem, noctem creauit, nullum eſt inconueniens, ſi in Dei operatione vtique non in nocte, ſed in die fiebat, ſolius diei termini ponantur. Si enim hoc in loco totum, vt volunt, diei noctiſque ſpatium, vnum diem intelligimus, fruſtra vtraque à ſe diuiſit, diuiſiſque diuerſa nomina dedit, vocauit enim lucem diem, ac tenebras noctem. Nulla igitur dies ex nocte conſtat ac die. Quia igitur non ſomnia, quæ in nocte videntur, ſed onera, quæ in die fiunt, hic deſcribuntur, dies vtique, non noctes, enumerare neceſſarium fuit. Fecit ergo Deus in principio cœlum D & terram, & lucem, quibus patratis factum eſt veſpere, atque hoc præcedente mane continuato, factus eſt dies vnus, & tunc quidem à tenebris lucem diuiſit, quo finito die factum eſt veſperé. Neque enim in die noctem fecit, ſed ſuo ordine poſt diem fieri præcepit. Quod autem dictũ eſt, factus eſt dies vnus, & non dicitur, factus eſt dies primus, ad hoc valet, quod primus quidẽ & ſecundus relatiua ſunt, neque ſine altero alter eſſe poteſt. Cum igitur nondum eſſet ſecundus, erat vtique dies vnus, ipſe tamen vnus, primus dici non poterat. His autem ad litteram ita diſpoſitis, quid etiam allegoricè ſignificent, videamus.

In principio creauit Deus cœlum & terram. In quo principio? in eo vtique qui ait: *Ego principium qui & loquor vobis.* Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. In hoc igitur principio omnem mundi fabricam, ipſoſque Angelorũ Ordines ab exordio creauit Deus. In hoc, in fine ſæculorum, carne ſuſcepta, cœlum, & terram, Apoſtolos & Eccleſiam, iuſtos & peccatores, Iudæos & gentiles, verbo prædicationis, & aqua baptiſmatis, & ſancti Spiritus illuſtratione genuit, creauit, & in nouam, priſtinamque naturam reſtaurauit. Adhuc tamen E inanis & vacua erat terra, adhuc infæcunda & abſq; liberis erat Eccleſia, quam etiam Propheta de ſterilitate conſolans, fœcunditatemq; promittens, dicebat: *Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis, quam eius quæ habet virum.* Sed quare inanis & vacua? quia adhuc tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Nemo enim ſcripturas intelligebat, vtpote profundas & ignorantiæ tenebris obuolutas, quæ quidem vt intelligi valeant, abyſſus abyſſum inuocat. Has autem tenebras Chriſtus amouit, quando Apoſtolis ſenſum aperuit vt ſcripturas intelligerent: Si enim has Iudęi intelligerent, ad Eccleſiam confugerent: ſed quia, vt Apoſtolus ait, vſq; hodie dum legitur Moyſes, velamen poſitũ eſt ſupra corda eorum, eas quidem intelligere non valent, cum autem plenitudo gentiũ introierit, tunc amoto velamine, Iſraël ſaluus fiet. Neque enim vlterius inanis & vacua terra noſtra vocabitur, tantorum filiorum plenitudine inhabitata. Hoc autem quomodo fiat, ſequentia docent.

Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Quod enim F per abyſſum, hoc per aquas intelligimus: Hæ ſunt enim aquæ ſalientes in vitam æternam, quas qui biberit non ſitiet vnquã. De quibus dicitur: *Sitientes venite ad aquas.* Super has ergo Spiritus Sanctus ferebatur, qui ſplendore ſuæ illuſtrationis, fugatis tenebris eas illuminauit, atque potabiles & intelligibiles reddidit. Vnde bene ſubditur.

Et dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Ac ſi dicat: Fugatæ ſunt tenebræ, illuminata eſt terra, fiat ergo lux, pereat ignorantia: Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum. Hæc autem lux, hæc Sancti Spiritus fidelibus inſpirata conſcientia, quia ſupernæ maieſtatis oculis perplacuit, à tenebris eam diuiſit. Vnde Apoſtolus: *Quæ enim participatio lucis ad tenebras? Quæ pars fidelis cum infideli? Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Et alibi: *Hæreticum hominem poſt ſecundam correctionem, deuita.* Hanc enim ſeparationem Deus ſignificabat, quando lucem à tenebris diuidebat.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aqua- G *rum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum cœlum, & factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus* Si enim quod verum eſt, in medio aquarum factum eſt firmamentum, & aquas quidem vbique fuiſſe dubitari non poteſt. Quod ſi vbique erant, quæſo vbi redactæ ſunt, tanto cœli terræque ſpatio vacuo derelicto? Non huius igitur, cuius nunc ſunt, fuiſſe ſpiſſitudinis, ſed veluti nebula & nubes cuncta repleſſe manifeſtum eſt. Firmamentum autem quod in medio aquarum perhibetur, non illud intelligitur, quod in principio Deus creaſſe dicitur, alioquin bis cœlum creatum fuiſſet; ſed illud nimirum quod ſine intermiſſione voluitur, in quo Sol & Luna & ſtellæ apparent. Eſt autem & aliud cœlum ſuper hoc, valde dignioris, excellentioriſque naturæ, ſuper quod antiquus hoſtis aſcendere cu- H piens, dicebat: *In cœlum aſcendam.* In cœlo namque erat, cum iſta diceret, ſed altius aſcendere cupiens, talia loquebatur. Vtrum autem ſuperiores aquæ, firmamento interpoſito naturam mutauerint, non facile dixerim. His autem ita peractis factum eſt veſpere, quo mane cohærente fit dies ſecundus. Sed hæc ad litteram. Quid autem ſpiritualiter ſignificent, audiamus.

Fiat, inquit, *firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Quid enim firmamentum niſi Apoſtoli. Vnde Pſalmiſta ait: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Hoc enim firmamentum nos munit & firmat: hoc ſalutis pluuias, lumenq; miniſtrat: hoc inferiores aquas a ſuperioribus diuidat. Aquæ enim quæ ſub firmamẽto ſunt, nouũ eſt teſtamentũ: quæ verò ſuper firmamentum, vetus teſtamentum intelligitur. Sed quomodo has Apoſtoli diuidunt? vis audire quomodo? Præcipit enim lex, vt vnuſquiſq; circũcidat carnẽ præputij ſui. E cõtra Apoſtolus. *Ego*, inquit Paulus, *dico vobis, quoniã ſi circũcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Vides ergo quãta diuiſio, quantũq; interpoſitũ firmamentũ aquis aquas iungi prohibeat? Illud quoq; quod

hic dicitur : *Vocauitque Deus firmamentum cælum*, congruenter Apoſtolis conuenire videtur, celant enim & ſeruant ſecreta cœleſtia. Vnde Apoſtolus. *Audiui*, inquam, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Dixit vero Deus, Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida, factumque eſt ita. Et vocauit Deus aridam terram: congregationeſque aquarum appellauit maria. Iſte autem locus in quem aquæ congregantur, mare, lacus & flumina intelliguntur, ipſaque abyſſus, de qua per quaſdam ſecretas terræ venas fontes aquarum manare videmus. Sic igitur Diuina prouidentia in vnum locum aggregatæ ſunt, vt neque terræ ſuperficiem, vt prius, cooperiant, & tamen ariditatem ſuo humore vbique fœcundent. Ipſa quoque nomina ſatis rebus conuenientia Deus impoſuit, dum & aridam terram vocauit, & aquarum congregationes, maria appellauit. Terra à terendo dicitur, quam & colendo & calcando homines & cuncta animalia aſſidue terunt : Mare vero ab amaritudine, quod & ſalſum & amarum eſſe probauimus. Sed hæc ad litteram; nunc autem ſignificationem videamus.

Congregentur, inquam, *aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida.* Hunc enim locum, in quem aquę congregatæ ſunt, maria, lacus & flumina, ſuperius interpretati ſumus, per quæ vel duo noui, veteriſque teſtamenti volumina, vel Apoſtolos, Eccleſiæque Doctores intelligimus. In his enim omnis ſapientiæ & ſcientiæ plenitudo continetur, quæ nimirum aquarum nomine ſignificantur. Quod autem ait : *& appareat arida*, magis ad hiſtoriam, quam ad allegoriam pertinere videtur. Sed quare mutato nomine aridam Deus vocauit terram, niſi quia iam tunc ſanctam Eccleſiam flagellandam, conterendam, calcandam, multiſque modis affligendam ſignificabat : Aquarum vero congregationes, maria dixit: quoniam etſi ſcire & intelligere ſacras ſcripturas dulce ſit & ſuaue, facere tamen quæ iubent, amarum & aſperum eſt. Mare enim ab amaritudine nomen accepit. Ieiunare namque, vigilare, omniaque mundi huius oblectamenta relinquere, cui non videtur eſſe amarum? Hoc enim Sacræ Scripturæ præcipiunt : merito igitur tali nomine ſignificantur.

Et vidit Deus, quod eſſet bonum, & ait : Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, lignumque pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & afferentem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnum quodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quod eſſet bonum, factumque eſt veſpere, & mane dies tertius. Hæc quoque ad litteram ſatis aperta, ſi ſpiritualiter intelligantur, in Sanctorum Eccleſia fieri videmus. Quid enim per terram, niſi Eccleſiam? Quid per herbam virentem, lignúque faciens fructum, niſi Apoſtolorum & Prophetarum exempla & doctrinam intelligimus: hæc enim ſemper virent & viuunt, ſemper fructificant; & iuxta genus & ſpecies ſuas diuerſos fructus & ſemina ferunt : habent enim in ſemetipſis naturaliter inditum ſemen, quod quidem ſemper ſpargitur & nunquam deficit, ſemper pullulat, ſemperque creſcit. Vide namque ex quanto tempore liber iſte editus eſt. Vide quanta volumina ex ſe fructificauit. Conſidera eius fructus & ſemina, doctrinam ſcilicet atq; præcepta, quam virentia, viuentia, quam valentia ſint. Et alios quidem in veteri, alios in nouo fructus reperies teſtamento. Quot Doctores, tot ſemina, fructuumque varietates. Quod autem dicitur : & vidit Deus quod eſſet bonum, tale eſt ac ſi diceret : nos videre & intelligere fecit, quia nihil niſi bonum ipſe creauit. Et factum eſt veſpere nocteque tranſacta factum eſt mane; atque ita ſimul cum nocte ſua, dies tertius completus eſt. Sic enim húc locũ quidã intelligũt. Quod ſi allegorice intelligatur, hoc modo dici poterit: quia finito huius præteris, laborioſæq; vitæ termino, veſpere fiet & mane: Veſpere quidẽ his qui de luce & felicitate in tenebras & miſerias pręcipitabũtur: mane vero his qui de hac infelici & ærũnoſa vita in lucẽ perpetuam & gaudia æterna transferuntur. Sequitur.

Dixit autẽ Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diẽ ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamẽto cæli & illuminent terrã. Et factum eſt ita. Fecitque Deus magna luminaria, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucẽ ac tenebras. Et vidit Deus quod eſſet bonum, & factum eſt veſpere & mane dies quartus. Duo namque luminaria, Sol & Luna intelliguntur, quæ in firmamento cœli poſita diem ac noctem diuidunt: quæ etiam in ſignum nobis ſunt, & ſereni & pluuiæ, & in quacunque mundi parte fuerimus, mundi climata nobis deſignat. Quæ quidem ſigna quam neceſſaria ſint, nautę intelligunt, qui ſubito in profundum à ventis rapti, niſi per ſigna cœli, quo tendant, ignorant. Dant autem & alia ſigna, de quibus in Euãgelio dicitur: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* Hęc autẽ & tẽpora, & dies, & annos determinant, quod qualiter fiat, quia facile patet, ad alia tranſeamus. Et maius quidem luminare, ſolem dicit, qui in die quidẽ obtinet principatum : minus vero lunam quam noctis tenebris præeſſe videmus. Stellæ quoque & ſplẽdore & magnitudine diuerſæ in cœlo poſitæ, & lumen nobis & ſigna præſtant. Sed hæc ad litterã. Spiritualiter autẽ, duo magna luminaria, Sol videlicet & Luna, nouum & vetus teſtamentum deſignant, & maius quidem nouum, minus vero vetus intelligitur : *Lex enim*, vt Apoſtolus ait, *per Angelos ordinata eſt in manu mediatoris.* De nouo vero teſtamento loquitur dicens : *Nouiſſimis diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* Itemque : *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata, fuit in gloria, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Et paulò poſt: *Nam nunc clarificatum eſt, quod claruit in parte propter excellentem gloriam.* Et his vero & ſimilibus aperte colligitur, nouum quidem teſtamentum maius eſſe quam vetus. Hæc autem in cœli firmamento poſita, id eſt Apoſtolorum & Doctorum pectora firmiter inhærentia, diem & noctem diuidunt, diei noctique præſunt. Dies enim & nox, Eccleſia & Synagoga, gentium & Iudæorum populus intelligitur. Nouum ergo teſtamentum diei præeſt, quia Sanctam Eccleſiam ſui fulgoris radiis illuminat, eamque recti itineris viam deſignando à noctis & tenebrarum, erroriſque caligine ſeparat. Luna vero obſcura & pallida, præeſt nocti & tenebris, quia vetus teſtamentum Iudæorum populo tenebroſo ſemper & cæco, obſcurum & caliginoſum lumen demonſtrat : Cœcitas enim ex parte in Iſraël cõtigit. Vnde Moyſes quando legẽ accepit, totum Synai montem nubes & caligo operuit. Hæc ergo etſi diem & noctem diuidant, vtramque tamen terram illuminant, vtramque Eccleſiam regunt, vtraque in cœlo, id eſt in Apoſtolorum cordibus fixa relucent. Dant autem nobis & ſigna, quibus hoſtium incurſus, inſidiaſque euitare poſſimus : ipſa dies & annos determinant; dum ea quæ videntur, fugitiua & tranſitoria, ea quæ non videntur, æterna eſſe dicunt, ideoque iſta deſpicere, illa vero nos appetere admonent. Vnde Pſalmiſta : *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Itemque : *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Sic igitur hæc clariſſima cœli luminaria in ſignum nobis ſunt, & in tempora, & dies & annos. Stellas quoque fecit Deus, quas & ipſas in firmamento poſuit, vt lucerent ſuper terram, & diei ac nocti præeſſent, & à tenebris lucem diuiderent, per quas quidem ſingulos Prophetarum & Apoſtolorum libros intelligere poſſumus, quibus Doctores Eccleſiæ, qui cœli nomine ſignificantur, illuſtrati, terram noſtram, & Sanctam Eccleſiam illuminant. Cum ergo hoc firmamentum, Sole, Luna, & Stellis, omnique venuſtate tam eleganter decoratum videamus, quid de illo ſuperiore cœlo putabimus, in quo cœleſtium ſpirituum ordines ipſum ſolem Iuſtitiæ admirantes contemplantur?

Et factum eſt veſpere & mane dies quartus. Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quod eſſet bonum, benedixitque illis dicens : Creſcite & multiplicamini,

ni,

A *ni,& replete aquas maris,aueſque multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt veſpere & mane dies quintus.* Duplex animalium ex aquis oritur genus : vnum ſcilicet quod ſemper aquas inhabitat , & extra eas non viuit : alterum vero quod volando ſuperiora petit, terræque veſcitur alimentis. Et mirabilis ordo Diuinæ diſpoſitionis, priuſquam animalia creaſſet , herbas & ligna pomifera fecit , vt ſtatim orta, vnde viuerent, inuenirent: nouiſſime autem creatus eſt homo, cui omnia hæc ad vtendum à Deo donata ſunt. Cete vero tam grandia in vlteriori maris parte eſſe referuntur, vt montium magnitudinem excedant. Cæterorum vero piſcium & volucrum quam diuerſæ multipliceſque ſpecies ſint & genera, dici non poteſt, quæ omnia Deus benedicens , aquas & terras multiplicando replere præcepit , quæ quidem benedictio tantum præualuit , vt & quotidie creſcant , & nihil eorum ex toto perire valeat. Quid autem metaphorice per aquas, niſi baptiſmum intelligimus: Quid vero per piſces & volucres, qui ex eis oriuntur, niſi fidelium populos, qui aquis batiſmatis rege-
B nerantur? quorum quidem alij ſapientiæ & ſcientiæ atque cæterarum virtutum alis aſſumptis vſque ad cœleſtia contemplanda volare nituntur. Ex quibus hæretici & philoſophi importunarum volucrum ſpeciem tenent, quoniam & altius quam neceſſe ſit ſæpius volant, & in rapinis exultantes, animarum ſanguinem auidiſſime fundunt. Cæteros vero qui ab aquis non ſeparantur , ſimplices quoſque intelligimus, qui quamuis per ſapientiam & inanem Philoſophiã volare non norunt, tamen taliter viuunt, vt ab Eccleſiæ piſcatoribus in Chriſti conuiuium præſentari mereantur. Cete vero grandia, & Principes deſignant , ſed piſces quoque ſicut & volucres quidam ſunt, qui more prædonum de rapina viuunt , qui eos quidem ſignificant, qui quamuis Chriſti fidem, baptiſmum ſuſceperint & nomen , tyrannorum tamen & iniquorum vitam agentes, inter immunda animalia computantur. Merito autem his Deus benedixit, quoniam nulli niſi baptizati , Chriſti benedictionem promerentur Sequitur.

Dixit quoque Deus : Producat terra animam viuentem
C *in genere ſuo, iumenta & reptilia & beſtias terra ſecundum ſpecies ſuas , factumque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terra ſecundum ſpecies ſuas , & iumenta & omne reptile terræ in genere ſuo.* Hic autem oritur quæſtio : Cum vniuerſa propter hominem Deus creauit , quare tam multa venenoſa & mortifera & homini inimica facta ſint ? Ad quod dicendum : Quia niſi homo peccaſſet, cuncta eius imperio obedirent, nihil magis anguis quam anguilla noceret : ſicut ouis, ita & lupus ei obſequeretur. Sed poſtquam ſuo conditori ſuperbiendo inobediens extitit, ab ipſis quoque animalibus contemptum haberi cœpit, neque ei obedire voluerunt, quem illi inobedientem viderunt, à quo illius ditioni ſubiecta fuerant, & quæ prius in obſequium creata erant, poſtea in vindictam conuerſa ſunt. Illud quoque quæritur: Quare & ante per tam immenſa & infinita temporis ſpatia mundum Deus non creauerit: vnde tam ſubita mentis permutatio ei acciderit, qui mutari non poteſt? Hæc autem quæſtio ideo inutilis eſſe videtur, quoniam ſi antea vel poſtea id Deo facere placuiſſet, nihilominus ta-
D men quæri poſſet, quare id tunc & non alio tempore egerit. Mutatio autem in Deo nulla eſt, cui nihil noui accidit, cui & præterita & futura præſentialiter adſunt, qui priuſquam mundum faceret in ſuæ mentis diſpoſitione iam factum geſtabat. Neque dum aliquid, in aliquo mouetur, quia nihil, quantum ad ſe, noui agit, ſed quia ante tempora diſpoſuit quomodo & in quo loco, vel tempore diſpoſita ſunt, fieri iubet. Erat igitur mundus priuſquam fieret, qui in Dei diſpoſitione nullum vnquam initium habuit. Nunquam enim Deus non habuit quod habet, alioqui accidentibus ſubiaceret, ſi modo aliquid agere diſpoſuiſſet, quod ante non diſpoſuerat. Ideo enim Ioannes Apoſtolus ait : *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Omnia enim quæ temporaliter fiunt, in ipſo quidem ante tempora viuebant, & vigebant. Vnde bene dicitur : *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Simul enim cuncta creauit , quia quando vel qualiter cuncta fierent , ſimul diſpoſuit. Cum ergo diſpoſito tempore cœlum fieret & terra , nihil noui
E Deo accidit, quia quod tunc tẽporaliter fiebat, apud Deũ, vt tunc fieret, ante tempora diſpoſitum erat. Sed quia de his diſputare periculoſum & difficile eſt, tanta dixiſſe nos ſufficiat Spiritualiter autẽ, ſanctam Eccleſiã intelligimus. Per animam vero viuentem omnem fidelium multitudinem, quæ ideo quidem viuit, quoniam in baptiſmate cum Chriſto ſurrexit. Iumenta autem illos ſignificant, qui aliorum onera miſericorditer portant. De quibus Apoſtolus ait : *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Reptilia vero, ſunt qui magis terrena quã cœleſtia diligũt, ideoq; toto corporis niſu his adhærẽtes, vix aliquãdo oculos mẽtis ad cœleſtia dirigũt. Terræ vero beſtiæ illos ſignificãt, qui maiora nõ cogitãt, quæſtionibus ſe ſe nõ implicãt, ſed aliorũ ducatu & regimine ſemper indigent. Hæc autẽ omnia quia terra noſtra, id eſt ſancta Eccleſia ea produxit, & baptiſmatis aquis regenerauit, bona vocãtur. Hoc eſt enim quod dicitur: *Et vidit Deus quod eſſet bonũ.*

Et ait : Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris. & volatilibus cœli,
F *& beſtiis, vniuerſæque creatura terra, omnique reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum , maſculum & fœminam creauit eos.* Vidit, inquit, Deus quod eſſet bonum & ait: *Faciamus hominem.* Deus eſt ergo qui loquitur, numquid ad Angelos ? abſit. Non enim ab Angelis creatus eſt homo : alioquin non vnus, ſed multi creatores eſſent , at ſolus Deus eſt omnium creator. Sic enim ſcriptum eſt : *Creator omnium terribilis & fortis.* Itemque *Omnia in ſapientia feciſti.* Si igitur quod verum eſt , quod negari non poteſt , ſolus Deus creauit omnia , quos ad hominem creandum inuitabat dicens : *Faciamus hominem* ? Audiamus ergo quid in capite libri huius dicatur : *In principio creauit Deus cœlum & terram :* Habes ergo Deum, id eſt Patrem. Habes & principium, id eſt filium, ſic enim ipſe ait : *Ego principium qui & loquor vobis.* Sed quid ſequitur? *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Habes igitur & Spiritum Sanctum. Quod autem non ſolus Pater cœlum creauerit, ſed ſimul cum eo filius quoque, & Spiritus San-
G ctus, dicat Pſalmiſta : *Verbo* , inquit, *Domini cœli firmati ſunt , & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Tota autem Trinitas, id eſt Deus, & verbum eius, & ſpiritus eius, vnus Deus, & iſte quidem dicit: *Faciamus hominem*, non extra ſe auxilium petens, ſed in ſe cum filio ſuo, & Spiritu Sancto cuncta diſponens. Semel enim locutus eſt Deus, quia ſimul cuncta diſpoſuit , neque vlterius diſponere aliquid neceſſe habet. Veniente ergo tempore, hora, vel momento, in quo, vt aliquid fiat, ante tempora diſpoſitum eſt , Deo quidem in ſua immobilitate permanente, ipſa eius diſpoſitio ineffabili voce proclamat : Tempus venit , hora eſt modo, fiat, factumque appareat, quod vt nunc fiet, ante tempora diſpoſitum eſt. Aut igitur Trinitatem Iudæi credant , aut alios præter Deum , hominis creatores inueniant. Sed quia audiuimus , qui dixerunt , & cui dixerunt : *Faciamus hominem* , videamus etiam ad cuius ſimilitudinem factus ſit homo : *Ad imaginem* , inquit , *& ſimilitudinem noſtram.* Quamuis enim aliud ſit imago, aliud ſimilitudo, hoc tamen in loco idipſum ſigni-
H ficat, & imago & ſimilitudo, ſic ad Dei ſimilitudinem factus eſt homo, ſapiens quidem, iuſtus & bonus, immortalis & incorruptibilis factus eſt , ſiquidem Deus talis eſt. Sed immortalitatem quidem tunc homo amiſit quando peccauit, atque in hoc Deo diſſimilis factus eſt , quamuis nihil Deo per omnia ſimile ſit. Quoties ergo peccamus, Dei ſimilitudinem amittimus. Soli ergo illi Dei ſimilitudinem habent, qui ſapientiam, iuſtitiam, bonitatem, cæteraque his ſimilia rationabiliter cuſtodiunt. Magnus honor homini virtutibus adhærere, ſecundum quas Deo ſimilis eſſe dicitur. Sed quoniam dicitur, *creauit Deus hominem ad imaginem ſuam* , deinde ſubinfertur, *ad imaginem Dei creauit illum*, ſic etiam intelligi poteſt, vt talem corporaliter quoque homini imaginem daret , qualem filium, qui vtique Deus eſt, quandoq; ſuſcepturum ante tempora diſpoſuerat. Sic igitur nõ ſolũ interior, verũ & exterior homo noſter Deo quodãmodo adſimilis eſſet. Neq; hoc Deo ſufficiẽs fuit, quod ad ſimilitudinẽ ſuam fecit hominẽ: ſed

A inſuper omni creaturæ, quæ ſub cœlo, eum præpoſuit. His autem ita diſpoſitis, ſignificationem videamus. Quis enim, inquam, iſte homo qui Dei ſimilitudinem habet, cui piſces maris & volucres cœli, & beſtiæ, vniuerſæque creaturæ terræ, & omnia reptilia ſunt ſubiecta? Quamuis enim Chriſtum hunc eſſe quidam non immerito intelligant, ego tamen, Apoſtolorum & Doctorum ordinem, cæterorumque qui in Eccleſia Dei, obtinent principatũ, hunc eſſe puto, hinc enim Prælati vocantur, quia alij eis ſubiecti ſunt: nam quia Dei ſimilitudinem habent, ideo quaſi ſuperiores omnes eos venerantur. Dei namque ſimilitudinem Apoſtolus habebat qui dicebat: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* His autem piſces maris, id eſt, baptiſmatis aquis regenerati: his volucres cœli, ideſt, Philoſophi & Sapientes: his beſtiæ, ideſt, idiotæ & indiſciplinati: his vniuerſæ creaturæ terræ, ideſt, cuiuſcunque ſexus vel generis vel naturæ, vel conditionis, his omnia reptilia ſunt ſubiecta, cum enim ſæculi amatores, & terrenis voluptatibus inhærentes, eis ſeruiunt, tunc eos B proculdubio etiam reptilia venerantur. Sed quia inter Eccleſiæ Doctores, alij virilem fortitudinem, alij muliebrem mollitiem habent, merito quidem dicitur, Quia maſculum & fœminam creauit eos. Sequitur.

Benedixitque illis Deus & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram. Hæc autem ſuperius expoſita ſunt: *Benedixit,* inquit, *Deus,* & ſub inferens ipſam benedictionem ait: *Creſcite & multiplicamini,* in ſapientia videlicet, virtutibus, & ſanctorum filiorum propagine.

Dixit quoque Deus; Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram. & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſemen generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Hæc quoque eo loco expoſita ſunt vbi dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & lignum faciens fructum.* Hæc autem, ſicut iuxta C litteram, cunctis terræ animantibus ad veſcendum data ſunt, ita & ſecundum ſpiritualem intelligentiam, non ſolum ſapientibus atque Doctoribus, verum etiam cunctis eis vti volentibus hæ delitiæ præparantur. Vnde Apoſtolus: *Iudæis,* inquit, *& gentibus, Græcis, & Barbaris, Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Et Dominus in Euangelio: *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Quis igitur fame pereat, tot tantiſque diuitiis antepoſitis. Sequitur.

Et factum eſt ita, viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, & factum eſt veſpere & mane dies ſextus. Cum igitur Deus cuncta fecerat, & ſexta die qua omnia patrata ſunt, ea inſpiciens, bona cuncta conſpexit, vbi malum, vbi ipſe diabolus princeps mali? An nondum ceciderat, qui, vt dicitur, in veritate non ſtetit, & ab initio mendax fuit? Aut fortaſſe ipſa die, qua factus eſt homo, eius gloriæ inuidendo, atque ideo mortifera ſuadendo, ſimul cum bonitate ipſum quoque principa- D tum amiſit? Simul enim, & non prius hominis & diaboli condemnatio legitur. Nam quia mulier dixit: *Serpens decepit me & comedi,* ſtatim Dominus ſerpenti maledicens ait: *Maledictus eris inter omnia animantia & beſtias terræ.* Mulieri quoque dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas.* Adæ vero: *Maledicta terra in opere tuo.* De his autem quæ in Apoſtolorum & Prophetarum libris nihil certum reperi, & Doctores Eccleſiæ diuerſa ſenſiſſe cognoui, aliis hæc diſcutienda relinquo. Dico autem, quia etſi prius cecidiſſet, nihilominus tamen dici poſſet, quia vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: Valde, inquam bona erant cuncta, quæ fecerat, quoniam & in ipſo diabolo adhuc bonũ eſt, quod Deus fecerat. Sequitur.

CAPVT II.

Igitur perfecti ſunt Cœli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod E *patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum, quia in ipſo ceſſauerat ab vniuerſo opere ſuo quod creauit Deus vt faceret.* Quod autem dicitur, compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, non eſt intelligendum: quaſi in die ſeptimo aliquid fecerit, ſed quod ipſo inchoante omnia ſint completa, atque ipſe terminus fuerit, poſt quem ad complendum nihil defuerit. Sed quid allegorice ſex dies niſi ſex mundi ætates ſignificant? Prima quidem ætas ab Adam vſque ad Noë. Secunda à Noë vſque ad Abraham. Tertia ab Abraham vſque ad Dauid. Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum. Sexta ab aduentu Domini vſque ad finem ſæculi. In his operari Deus non ceſſat, ſicut in Euangelio ipſa veritas ait: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Quis enim, niſi ipſe, ea facit, quæ aſſiduæ fieri videmus, nam etſi ſex diebus omnium ſeminaria fecit, fructum tamen, niſi ipſo iubente & volente, ipſa ſeminaria per ſe facere non poſſint. Namque vt Apoſtolus ait: *Neque qui* F *plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Prius ergo diſpoſuit, deinde creauit, poſtmodum ex ipſis creatis omnia, quæ fiunt, oriri præcepit. Hæc autem tertia operatio Dei non ceſſabit, niſi prius hæc ſexta dies, ideſt hæc vltima ætas finem faciat, qua finita, noua fient omnia, neque vlterius noui aliquid fiet. Sed cum cœlum tunc nouum fiat, & terra noua, fiatque claritas Lunæ vt claritas Solis, & claritas Solis ſeptempliciter, qualem tunc terra putamus ſpeciem habebit? Neque enim poſt illam generalem exuſtionem, eã herbas & ligna fructifera, ſicut prius, producere neceſſe erit, cũ nemo ſit qui eis vtatur. An forſitan ea ſolũmodo erunt, quæ oriendo & moriendo nulla vlterius renouatione indigebunt? Sed quia hoc fortaſſe quærere ſuperfluũ eſt, ad alia trãſeamus. *Et requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.* De hoc enim die ſcriptum eſt: *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Hæc dies finem non habebit, huic nox nulla ſuccedet, neque enim ſicut in cæteris ita & in iſta dicitur: *Et factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus.* G Quare hoc? Quia etſi mane habeat, ad veſperã tamen non declinabit. Huic Deus benedixit. Quid eſt benedixit, niſi quia omnem iucunditatem, omnem lætitiam, & omnem beatitudinem ei tribuit? Sic enim benedixit Deus & ſanctificauit illũ. O admirabilis ſanctificatio, poſt quam peccare nemo poterit. Sequitur: quia in ipſo ceſſauerat ab vniuerſo opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret, in ſex ætatibus, quod quando vellet, qualiter diſpoſuerit, nemo nouit.

Iſtæ generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priuſquam germinaret. Iſtæ inquit, generationes cœli & terræ quando creata ſunt. Vis audire quando? *In die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram.* Quid igitur? nunquid vno & non ſex diebus creauit omnia? Et vno quidem die creauit, quia ſimul omnium materiam fecit: & ſex diebus creauit, quia ex ipſa materia in diuerſas ſpecies cuncta formauit: & quotidie tamen creat, dum alia ex ipſis generando multiplicat. De his autem ſuperius ſufficienter diximus. Sequitur.

H *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur eam, ſed fons aſcendebat de terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Si enim antequam homo fieret, intelligatur quod non pluerit Dominus ſuper terram, & quod fons eam irrigauerit, non valde ad rem pertinere videtur, cum neque pluuiis, neque fontium irrigatione illis tam pauciſſimis diebus terra non multum indiguiſſe videatur. Poteſt igitur intelligi, quod in tota prima ætate vſque ad diluuium Deus non pluerit, ſed fons de terra aſcendens competenti tempore eam irrigauerit, quod quidem Nilus per Ægygtum vſque hodie facere perhibetur. Quod autem interpoſitum eſt: *& homo non erat qui operaretur eam,* recapitulatio eſt. Nam quia de hominis creatione, qui ſexta die factus eſt, parum quid dixerat,

A nunc ad eandem diem reuertitur, vt de eodem homine plenius loquatur. *Formauit*, inquit, *Dominus Deus hominem de limo terræ*; Ecce carnis materia. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, ecce anima. *Et factus eſt homo in animam viuentem.* Totus enim homo ex anima conſtat & corpore; ſed corporis quidem materiam poſuit, animæ non poſuit. Pœnæ enim vbique inuiſibilibus prætermiſſis, de ſolis Moyſes viſibilibus loquitur: Vnde non de his quæ ſuper cœlo ſed de his quæ ſub cœlo ſunt, rationem facit. Exſpectabat enim eum qui dixit: *Qui de terra eſt, de terra loquitur, qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.* Et plura quidem ſunt cuius nos materiam ignoramus: plura quoque quæ non de aliquo, ſed ex nihilo creauit Deus. De qua enim materia facti ſunt cœli, de qua terra? Vnde aquæ, vnde Angeli? Cum igitur animæ creationem ignoremus, illud profecto ſciamus, quia quamvis à Deo inſpirata ſit, eius tamen, B vt hæretici fingunt, pars non eſt, neque enim partem ſui poſſet damnare ſuppliciis. Vtrum autem omnes ſimul creauerit Deus; an ſicut ex carne caro, ita ex anima animæ oriantur, an certè in matris vtero formatas iam corpori eas inſpiret, non parua quæſtio eſt. De primo tamen homine dicitur, quod cum de limo terræ Deus creauerit, deinde ſubinfertur, quod in faciem eius ſpiraculum vitæ inſpirauerit, ad cuius ſimilitudinem ſi cæteri quoque animas habeant: non eſt inconueniens.

Plantauera autem Dominus Deus paradiſum voluntatis à principio in quo poſuit hominem quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, lignum etiam vitæ poſuit, in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali, & fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradiſum. qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phyſon, ipſe eſt qui circuit omnem terrã Euilat vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt, ibique inuenitur bdellium & lapis onichinus: Et nomen fluuio ſecundo C *Geon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluminis tertij Tigris, ipſe vadit contra Aſſyrios: Fluuius autem quartus ipſe eſt Eufrates.* Quantum autem Dominus hominem dilexerit, ex hoc facilè intelligi poteſt, quod talem habitationis locum ei præparauerat, in quo ſi non peccaſſet, & caſtiſſimo coniugio ſine omni concupiſcentia filios procreaſſet, ex quibus electorum numero completo, nulla mortis amaritudine deguſtata ſupernam Ieruſalem conſcendens, nec merito nec numero ab Angelis diſcrepans, æterna beatitudine frueretur. Inter cætera quoque ligna Paradiſi, (quorum odorem, ſaporem, pulchritudinem, & virtutem enarrare nemo poteſt.) Etiam lignum vitæ Dominus poſuit, cui hanc naturam dederat, vt ſi quis de eo guſtaſſet, mori non poſſet. Poſuit & lignum ſcientiæ boni & mali de quo poſtquam primi homines comederunt, quibus bonis caruerint, quibus malis ſubiacuerint, confeſtim intellexerunt. Omne enim contrarium per ſuum contrarium D melius cognoſcitur. Vnde fit vt magnis laudibus ſanitatem ægri extollant de qua quidem dum ſani eſſent, raro loquebantur. Sic igitur & iſti poſtquam peccauerunt videntes quantum diſcrimen quantumque periculum eis immineret, bonum ipſum, quod prius quidem ignorabant, multo amplius quam prius admirari cœperunt. Vocatur igitur lignum ſcientiæ boni, & mali quia in primis præuaricatoribus nos docuit, quam bonum ſit Dei præcepta ſeruare, & quam malum, & periculoſum ſit eius præceptis non obedire. Sed cuius ſaporis, & iucunditatis fluuium illum eſſe putamus, qui de loco voluptatis egreditur? Cum enim in orientis partibus, vt Philoſophi tradunt, flumina ſint, quæ omni potione ad bibendum ſint iucundiora, qualem fluuium illum eſſe dicemus, qui de paradiſo procedit? Sed hæc ad litteram, nunc autem ſignificationem videamus. Paradiſus namque voluptatis, quem à principio Dominus plantauerat, ſanctam Eccleſiam ſignificat. Et benè à principio eam plantaſſe dicitur, quia ante mundi conſtitutionem eam elegit. Interpretatur autem paradiſus hortus delitiarum. Sed quis Eccleſiæ delitias enumerare valeat? Solus enim panis vi- E uus, qui in ea comeditur, omnes delitias ſuperexcellit. Quod autem lignum vitæ niſi Chriſtus? Ipſe enim ait. *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum viuet in æternum.* Itemque *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*; Et Pſalmiſta; *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Et Salomon de Sapientia, quæ Chriſtus eſt, loquens ait: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint, & qui tenuerit eam beatus.* Lignum vero ſcientiæ boni & mali tranſgreſſio eſt mandatorum Dei. Cum enim dicit, *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium, non concupiſces rem proximi tui*; tunc quidem, ne ad hoc lignum accedat, homini interdicitur. Si vero cuncta hæc fecerit homo, moriendo quidem ſentiet quid boni ſit hæc obſeruare, & quid mali ſit iſta tranſgredi. Fluuius vero qui de paradiſo egreditur, doctrina Euangelica intelligitur, cuius quidem ſaporem ille guſtauerat qui dicebat. *Quam dul-* F *cia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel, & fauum ori meo.* Hæc autem in quatuor capita diuiditur, quia quatuor Euangeliorum libri ex ea conſcripti, totum aquis Diuini eloquij irrigant mundum. Vide quantum ipſa quoque fluuiorum nomina Euangeliis conueniant. Phiſon namque, oris mutatio interpretatur: Euangelium vero omnium gentium ora mutauit, vt non iam plures Deos laudent, ſed vnum Deum in veritate colant & venerentur: Gion vero pectus dicitur: quoniam Euangelica prædicatio fidelium pectora & ſapientia repleuit, & contra hoſtes robuſtiora fecit: Tigris autem à velocitate nomen accepit, quia Euangelium quidem veloci curſu totum ſubito mundum repleuit. At vero Eufrates fertilitas dicitur: quoniam Euangel; doctrina cunctis bonis Sanctam Eccleſiam fertilem reddit, & abundare facit.

Tulit ergo Dominus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum, præce- G *pitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo morte morieris.* Extra paradiſum factus in paradiſo ponitur homo. Et quia ocioſitas inimica eſt animæ, ne ocioſè viuat, operari iubetur. Audiant hæc qui ſacra & religioſa loca inhabitant, & quantum diaboli inſidias eos cauere oporteat intelligant, dum non extra paradiſum, ſed in paradiſo hominem tentatum, & victum cognoſcunt. Omnia paradiſi ligna ad veſcendum homini dantur, ſolum vero lignum ſcientiæ boni & mali ei interdicitur: vt nos quoque intelligamus, eis ſolis nos vti debere, quæ Dominus fieri præcepit, ab iis vero abſtinere, quæ ne fiant, interdicit: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum; honora patrem & matrem.* Hæc ſunt poma, hi ſunt fructus quos nos comedere præcipit. *Non occides, non mœchaberis.* Hi ſunt à quibus abſtinere iubet. *Quocunque ergo die comederis, ex eo morte morieris.* Et Adam quidem mox vt comedit, mortuus eſt, non quod H de hac vita confeſtim exiret, ſed, vt quandoque exiret, in ſe ſuſcepit, qui ſi non peccaſſet, nullatenus vnquam mori potuiſſet. Nos quoque talia agentes, morimur, quia à vita, quæ Chriſtus eſt, peccando ſeparamur. Eſt autem mors vitæ amiſſio.

Dixitque Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimili ſibi. Formatis ergo Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omitte enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius, appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia terræ, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ. Dic Adam, quibus in ſcholis iſta didiceris? Quis te docuit vt tam competentia nomina rebus imponeres? Non enim, vt quidam delirant, cœcus & inſipiens factus es, neque tibi peccatum oculos aperuit, ſed perfectus homo ſapienſque creatus, tuæ noſtræque perfectioni multa ſuperbiendo derogaſti. Et benè quidem ab eo nomina ſuſcipiunt, cui & obedire & ſeruire debebant.

Adæ vero non inueniebatur adiutorium ſimile ſibi.

Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam : cumque obdormiſſet , tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea : & ædificauit Dominus Deus coſtam , quam tulerat de Adam in mulierem , & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea : hæc vocabitur virago , quia de viro ſumpta eſt. Quamborem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Erant autem vterque nudi. Adam ſcilicet & vxor eius , & non erubeſcebant. Adam enim ad Dei ſimilitudinem , & imaginem factus, nihil in creaturis ſimile habebat ? facta eſt ergo mulier , quæ & in filiorum propagatione , & in aliis neceſſitatibus eum adiuuaret. Sed, vt maior inter eos dilectio foret, non aliunde, ſed de viri coſta facta eſt mulier ; vnde fit, vt naturali quodam amore, viri inſectantes coſtam ſuam, mulieri adhærere cupiant, quaſi carni ſuæ, cuius amoris appetitum, qui Diuinitus adiuti, in ſe vincere poſſunt, quaſi qui propriam naturam dimicando vicerint, meritò cæteris hominibus præferuntur. Subtracta quoque coſta , locus eius non eſſe, ſed carne repletur , vt ex eo etiam nos infirmiores , & molliores eſſe ſciamus, quod mulieribus adhæremus. Sed quis neget, Adam non tantum ſapientiæ , ſed & prophetiæ ſpiritu repletum fuiſſe, cum ſtatim viſa muliere dixit : *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea ?* Quamvis enim eo dormiente facta ſit mulier, tamen non ſomniando, ſed Deo reuelante , & os ſuum & carnem in ea recognouit, vnde & ſubditur : *Hæc vocabitur virago , quia de viro ſumpta eſt.* De viro namque ſumpta virum pro parte agens, virique coſtam , & carnem ferens , non immerito virago vocatur. Sequitur. *Quamobrem relinquet homo Patrem, & matrem ſuam , & adhærebit vxori ſuæ , & erunt duo in carne vna.* Secundum hoc enim quod de viri coſta facta eſt mulier non magis cum vxore , quam cum omni muliere vna creatio eſt omnis homo. Sunt ergo duo in carne vna, quadam naturali delectationis commixtione, vnitatiſque amore. Hunc autem locum in Epiſtolis ſuis Apoſtolus exponens ait ; *Sacramentum hoc magnum eſt : ego autem in Chriſto & in Eccleſia hoc intelligo.* Quodam namque modo Patrem Chriſtus reliquit , dum ſemetipſum exinaniuit , formam ſerui accipiens. Vnde ipſe ait : *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Reliqui autem , & matrem , Synagogam videlicet , quæ ſecundum humanitatem, ſicut aliorum Iudæorum eius mater extitit. Adhæſit vero vxori ſuæ, quia, vt Apoſtolus ait. *Glorioſam ſibi Eccleſiam diſpenſauit , non habentem maculam neque rugam.* Sunt autem duo in carne vna, quia caput Eccleſiæ Chriſtus eſt. Sequamur igitur , & nos Apoſtolum, & ea quæ diximus, allegoricè exponamus. Immiſit, inquit, *Dominus ſoporem in Adam.* Adam namque Chriſtum ſignificat. Vnde Apoſtolus : *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis,* ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Dormitio Adæ , mortem Chriſti prætendebat. Sicut enim dormiente Adam vna coſta ſubtracta , facta eſt Eua : ita Chriſto mortis ſomno in cruce dormiente, de latere eius ſanguis exiuit, qui & redemit & fabricauit Eccleſiam. Sequitur. *Erant autem vterque nudi, & non erubeſcebant:* vt quid enim erubeſcerent , qui nihil verecundia dignum in ſe cognouerant, in quibus nulla titillatio carnis erat, in quibus nullum membrum contra eorum voluntatem ſe mouebat ? Non magis in ipſis verendis , quam in oculis , vel manibus contemplando mouebantur. Sequitur.

Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ , quæ fecerat Dominus Deus , qui dixit ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus , vt non comederetis de omni ligno paradiſi ? Cui dixit mulier ? De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur , de fructu vero ligni , quod eſt in medio paradiſi , præcepit nobis Deus ne comederemus & ne tangeremus illud ne fortè moriamur. Poteſt autem intelligi, quod ſerpens non ſolum diabolica inſpiratione, qui in eo habitabat , verum etiam in propria natura , Deo largiente , hoc habuerit, vt præ cunctis animalibus callidior eſſet. Malignus autem ſpiritus , quia inuiſibilis eſt , niſi per aliquam formam , mulieri ſe oſtendere non potuit. Si enim vt Apoſtolus ait, *transfigurat ſe ipſe Sathanas in Angelos lucis, facilè ei fuit,* vt in ſerpentem ſe transformaret. Et quidem poterat ibi mulier fraudem eſſe cognoſcere, cum contra naturam ſerpentem loqui audiebat, niſi quia & Dei creaturas omnes bonas eſſe ſciebat, & nihil mali vſquam in aliquo ſuſpicabatur : neque enim audierat ab aliquo aliquem fuiſſe deceptum, quid ergo mali ſuſpicari potuit, præſertim cum non ſerpens, qui videbatur, ſed ipſe diabolus ei in ſerpente tam callidè loqueretur ? quaſi enim neſcius eam interrogat , & cur de omni ligno paradiſi Deus præceperit vt non comederent, ſciſcitatur. Volebat enim ſcire , an Dei præcepti memores eſſent : vt dum ſcientes volenteſque peccarent , maiorem Dei indignationem incurrerent. Sed quid ei mulier reſpondit : *De fructu,* inquit, *lignorum paradiſi, veſcimur : de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi non comedimus, ne moriamur.* Benè, inquam, dicis mulier, in hoc permane, fidem tene, ſcis quale eſt lignum , ſcis tibi eſſe interdictum, ſcis & peccatum & pœnam peccati, nulla, ſi tetigeris, excuſatio eſſe poterit, ſi qua autem erit, id eſt, inutilis erit. Sequitur.

Dixit autem ſerpens ad mulierem. Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum. Vidit ergo mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu eius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum. Non moriemini, inquit ſerpens, ſi comederitis, ſed mentis oculis apertis, ipſa quoque inuiſibilia videbitis, & eritis ſicut Dij, ſicut Angeli in cœlo, quos quia non videtis, quanto vobis præſtantiores ſint ignoratis. Eritis, inquit, ſicut Dij, ſed in quo ? ſcientes bonum & malum. Scire enim, non ad corporis , ſed ad mentis oculos pertinet : neque enim cum oculos aperimus, ſapientiores ſumus , alioqui ſtolidi, & mente capti omnes cæci eſſent. Sed numquid Angeli ſciebant bonum , & malum , & primi homines adhuc ignorabant, quid eſſet bonum & quid malum ? ſi enim hæc ignorabant, ſtulti erant : quod ſi tales erant, ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti non erant , in hoc enim præcipuè Dei ſimilitudinẽ habere dicuntur, quia rationabiles ſunt, eſt enim rationalitas, boni malique diſcretio, qui ergo rationabiles erant, bonum & malum ſciebant, in hoc ergo ab Angelis non differebant. Et quidem in hoc quoque loco callida diaboli perſuaſio manifeſtatur: nam quia arbor illa , quæ ſcientiæ boni & mali vocata, ipſo quoque nomine ne fortè ad ſe accedere præſumerent, eos terrere poterat , malè ipſum nomen diabolus interpretatus eſt. Eritis, inquit, ſicut Dij ſcientes bonum & malum. Quod tale eſt , ac ſi diceret : ſcientes omnia quicquid vtile vel inutile, quicquid proſperum vel aduerſum, quicquid prodeſſe, vel nocere vobis poſſit omnia ſcietis. Mentitur autem diabolus , quia non ideo arbor illa ſcientiæ boni & mali vocata eſt, quod omnia hæc præſtare debuiſſet , ſed bonũ & malũ pro iuſto ponitur & iniuſto. Sed quid tu ô infelix mulier facies ? cui credes, Deo an diabolo ? Dicit enim Deus; *In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Dicit diabolus : *nequaquam moriemini.* Sed ille quidem verax : hic autem à principio mendax. Huic tamen, malo quidem tuo & noſtro credidiſti. Vidiſti arborem, atque in ea & guſtu & viſu delectata es, comediſti, dediſti viro tuo, decepta es & decepiſti, comedit & ipſe, *& aperti ſunt oculi amborum.* Numquid ergo & tui oculi, ô Adam aperti non erant ? Quomodo ergo videns mulierem dixiſti. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea ?* Quales ergo oculi vobis aperti ſunt ? vtique oculi mentis. Tunc enim primum intellexiſtis , quantum bonum amiſeratis, & quantum malum incurrebatis.

Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio paradiſi. Prius namque nudi erant , & non erubeſcebant ; poſtquam autem peccauerunt , quendam

A concupiſcentiæ motum in membris ſuis cognouerint, quem in alterutrum videre erubuerunt. Et prius quidem etſi nudi eſſent, nuditatem tamen in ſe non cognoſcebant, quoniam ipſa eorum nitidiſſima caro ante peccatum quidem, omni veſte ad intuendum delectabilior erat. Sed quare ficus folia conſuentes ſuccinctoria ſibi fecerunt? An fortaſſe quia prima occurrerant: ſiue etiam, quia cæteris quæ tunc aderant, ampliora erant. Feruntur enim ficus folia in orientis partibus eſſe, quæ clipei latitudinem excedant. Habent autem in ſe ficus folia quandam aſperitatem naturalis pruritus; vnde ipſas corporis partes, qua eis operiebantur, quodam feruore concupiſcentiæ ſemper vexari & inquietari ſignificant. Sequitur

Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo, abſcondit ſe Adam & vxor eius. Quam vocem Domini? fortaſſe minantis, & quia peccauerunt, errorem ſignificantis: ſiue etiam quia nudi erant, ei apparere erubeſcebant. Et quare ad auram deambulaſſe dicitur? qui enim auram quærit, æſtuationis calorem ſe paſſum B eſſe demonſtrat. Vnde datur intelligi, quia primi hominis peccatum in feruorem & iram Dominum commouerat: non quod iſtæ paſſiones in Deo ſint, ſed quia eius voluntas niſi humanis affectionibus ſignificari non poteſt. Quod autem hora erat poſt meridiem, eorum mortem & occaſum ſignificabat, propinquabant enim morti, quia de lætitia ad mærorem properabant. Hoc autem quaſi hæreditarium nobis reliquerunt, vt peccantes, nos abſcondamus, & impia quadam excuſatione noſtra facinora occultare ſemper nitamur. Sequitur.

Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Adam vbi es? O piiſſimum Dominum, qui non vult mortem peccatoris ſed vitam; ſemper enim ad pœnitentiam vocat errantes. Quid enim ait? *Adam vbi es*, non ignorando locum, ſed eius compatiendo ruinæ loquitur, ac ſi dicat: *Adam vbi es* in quanta miſeria es, de quanta gloria in quantum barathrum demerſus es? Qui ait.

Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. Audiui, inquit, vocem tuam, C ſenſi iram & indignationem tuam & timui. Quare hoc? eo quod nudus eſſem, quod ad flagella paratus eſſem, quia illam iuſtitiæ veſtem amiſeram, qua, cum indutus eram, neque timebam, neque erubeſcebam. Ideoque abſcondi me. Sed quo fugiam à facie tua? Si enim aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Cui dixit.

Quis enim indicauit tibi quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo tibi præceperam, ne comederes, comediſti. Ac ſi dicat: Si lignum vetitum non comediſſes, nunquam in membris tuis verecundiæ nuditatem cognouiſſes, ſed quia comediſti, iam nunc vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, ideo te abſcondiſti, ideo erubuiſti. Dixitque Adam.

Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi, ac ſi patenter dicat: Verum eſt Domine, negare non poſſum: ſed quod ego comedi, hoc mulier fecit. Sed quæ mulier? quam tu in ſociam dediſti. O infelix homo, in tanta ſapientia creatus, quomodo tam cito D ſenſum amiſiſti? peccatum tuum non tibi, ſed Deo imputas, vt quia tibi mulierem ſociam dederat, ipſe tui lapſus principalis cauſa extiterit. *Dixit deinde ad mulierem: Quare hoc feciſti? quæ ait: Serpens decepit me & comedi.* Vterque comedit, neuter indulgentiam petit, ſed excuſant peccatum, ideo non veniam, ſed maledictionis pœnam incurrunt. Hoc enim ille timebat qui dicebat: Non declines cor meum in verbũ malum ad excuſandas excuſationes in peccatis. *Et ait Dominus ad ſerpentem.*

Quia hoc feciſti, maledictus eris inter omnia animantia & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Non ſolum enim malignus ſpiritus, qui per ſerpentem ſignificatur, verum etiam ipſe ſerpens præ cunctis terræ animantibus ab omnibus maledicitur & odio habetur. Graditur autem ſuper pectus ſuum hoſtis antiquus, quia omE ne ſuum conſilium & ſapientiam, quæ vtique in peccatore continetur, conculcat & diſſipat, eoſque quorum pectora poſſidet, non derelinquit, ſed in eis ſuperbe regnat, graditur, & dominatur. Terram vero comedit cunctis diebus, quia peccatores quos decipit, æternis ſuppliciis inſatiabiliter cruciat. Sunt autem inimicitiæ inter diabolum & Eccleſiam, quæ quidem per mulierem ſignificatur, & inter ſemen & filios vtriuſque, qui diuerſa ſentientes, diuerſa cupientes, diuerſa ſectantes, nunquam pacem & concordiam inter ſe habere poſſunt. Conterit autem Eccleſia ipſius caput, quoniam eius callidæ machinationis principium præcauens, ſtatim in ipſo exordio eius conſilium, ingenium, verſutias diſſipat. Ipſe vero inſidiatur calcaneo eius, quia niſi recte incedat, & in boni operis itinere firmiter gradiatur, mox eam inuadit, & quaſi titubantem ſupplantare & dejicere nititur.

Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Hæc autem iuxta litteram F intellecta, expoſitione non indigent. Eccleſiæ vero ærumnas multiplicatas fuiſſe cognoſces, ſi Sanctorum carceres, vincula & flagella, alioſque diuerſos cruciatus recorderis. Quod vero eius conceptus ſint multiplicati, Propheta teſtatur dicens: *Lætare ſterilis, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum.* Parit autem in dolore, ſicut ipſe Dominus: *Mulier cum parit, triſtitiam habet.* Eſt autem ſub viri poteſtate, quia nemo niſi Chriſtus ei dominatur.

Adæ vero dixit: Quia audiſti vocem vxoris tuæ pluſquam meam, & de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Nulla, inquit, tibi proderit excuſatio, ſed quia præcepta mea contẽnendo, mulieri obediſti, maledicta erit in opere tuo: in tuo quidem, ſed non in meo, cum enim male agis opus tuum eſt, cum vero bene, non tuũ ſed meum: ergo non in G meo, ſed in tuo maledicitur terra, id eſt caro tua, de ligno vetito comediſti, opus tuum eſt. In hoc autem opere quid benedictionis terra amiſerit, quis ignoret? cum manifeſtum ſit quod ea ſua ſponte omnibus omnia neceſſaria miniſtraret, ſi hoc opus primi homines non egiſſent. Vnde & ſubditur: *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Si enim non peccaſſes, omnibus bonis ſine labore abundaſſes, ſed quia peccaſti, ipſius quoque laboris debitum non dabit, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, quoniam paradiſi deliciis male vſus es. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo* quoniam ſuperbiendo quietem deſpexiſti, donec reuerteris in terram, de qua ſumptus es, quia non, vt putabas, Deus eris, ſed puluis es, & in puluerem reuerteris.

Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam, eo quod mater eſſet cunctorum viuentium. Non enim cunctorum viuentium, ſed ſolummodo mater hominum eſt Eua: ſed H quia ſolæ hominũ animæ mori non poſſunt, merito inter cætera terræ animantia, ſoli homines viuentes dicuntur.

Fecit quoque Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. In hoc enim eos mortales eſſe monſtrabat, quia mortuorum pellibus eos veſtiuit, ergo quaſi damnatitij in ipſo ſuo indumento, cui maledictioni ſubiacuerint, oſtendebant, dum ſuæ damnationis ſigna quaſi pro vituperio ferebant. Vnde & ſubditur.

Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Hoc autem ironice intelligitur, & tale eſt, ac ſi diceret: Ecce quoque ſua dignitate imminutus eſt homo, dum ſuperbiendo plus voluit eſſe quam homo.

Videte ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & viuat in æternum. Sicut enim de ligno ſcientiæ boni, & mali guſtando mortis ſe legibus ſubdidit, ita etiamſi de ligno vitæ ſumere potuiſſet, recuperata, quam nuper amiſerat immortalitate, viuere in æternum. Ideoque factum eſt quod ſubditur.

Et emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, vt

opera

A *operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubin,& flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Cherubin namque ſcientiæ plenitudo interpretatur. Significat autem Apoſtolos Eccleſiæque Doctores, in quibus ſapientiæ theſauri reconditi ſunt. Cum autem propter peccatum ſuum aliquis de paradiſo, id eſt de Eccleſia eiicitur, ne ad lignum vitæ, id eſt ad carnem Chriſti participandam accedere præſumat,ab iis interdicitur.Stant autem cum gladio ſpiritus quod eſt verbum Dei, & ab Eccleſiæ introitu conſtanter peccatores repellunt.Eſt autem iſte gladius lucens,& flammeus ſplendidus & ſine rubigine, quo qui percuſſus fuerit, aut illuminatur,aut exuritur. Vnde Apoſtolus, *Aliis*, inquit,*ſumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem.* Eſt autem, & verſatilis, faciliſque, & velox ad faciendum, vndique circa ſe delinquentes percutit, pauperes pariter condemnat, & diuites.

B *Adam vero cognouit Euam vxorem ſuam,quæ concepit, & peperit Caïn dicens: Poſſedi hominem per Deum.* Ego, inquit Eua propter tranſgreſſionem ſub viri poteſtate conſtituta ſum,iam nunc per filiorum generationem hominem habeo in poſſeſſionem. Vnde datur intelligi,quia vbique parenti pari modo ſubiici & obedire debemus.

Rurſumque peperit fratrem eius Abel.Fuit autem Abel paſtor ouium, & Caïn agricola. Caïn qui poſſeſſio interpretatur ad colendum & poſſidendum, terram ſuſcepit: Abel vero, qui dicitur luctus, oues paſcebat, Chriſtum ſignificans, cuius oues nos ſumus, quem Iudæi ſecundum carnem fratres eius, impia ſemperque lugenda morte occiderunt.

Factum eſt autem poſt multos dies vt Caïn offerret de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Caïn vero & ad munera eius non reſpexit. Dominus enim non tan- C tum ad munera quæ ei offeruntur, quantum ad offerentium deſiderium, mentemque reſpicit. Vnde hic quoque ad offerentes prius, quo videlicet animo offerrent, quam ad eorum munera reſpexiſſe dicitur. Sed vnde Caïn, quod ad eius munera Deus non reſpexit, cognoſcere potuit, niſi quia fratris ſacrificium ab igne cœlitus veniente conſumptum vidit, ſuum autem non vidit? Idipſum enim de Abrahæ, Manue, & Heliæ ſacrificio legitur. In hoc enim viri Sancti ſua ſacrificia Deo placuiſſe putabant, quando igne cœlitus miſſo ea conſumi videbant,

Iratus eſt Caïn vehementer & concidit vultus eius. Iraſcitur enim Caïn non tantum quod ſua munera ſpernuntur, quantum quod fratris dona recipiuntur. Quod quidem inuidiæ Zelo contigiſſe non dubium eſt, Magnum igitur malum inuidia, quæ primi homicidij cauſa extitit.

D *Dixitque Dominus ad eum; Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne ſi benè egeris. recipies; ſin autem malè ſtatim in foribus peccatum aderit,ſed ſub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius:* Ac ſi dicat: Noli iraſci, vel contriſtari, noli inuidiæ facibus ſuccendi, nihil aduerſum te Abel commiſit, tu quoque benè age, vt bona recipias. Si enim malè egeris, ſi vel leuiter malè agere cogitaueris, præſto eſt Diabolus, ante ianuam ſtat princeps peccati, qui tui cordis domicilium ingreſſus, tuam malam voluntatem ad effectum vſque perducat. Sub te tamen erit appetitus eius,te aſſentiente veniet, te reſiſtente recedet. Si ergo reſiſtas, omnis eius appetitus, & deſiderium fruſtra fiet. Quod ſi conſenſeris, non tu illius, ſed ipſe dominabitur tui. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Dixitque Caïn ad fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Caïn aduerſus Abel fratrem ſuum, & interfecit eum. Caïn namque Iudæorum populum; Abel vero Chriſtum ſignificat, qui tunc nimirum foras egrediebantur, quando Iudæi ad crucifigendum extra ciuitatem Chriſtum trahebant.

Et ait Dominus ad Caïn: Vbi eſt Abel frater tuus? E *Qui reſpondit. Neſcio, numquid cuſtos fratris mei ſum ego? dixitque ad eum, quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ergo maledictus eris ſuper terram quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam: non dabit fructus ſuos, ſed ſpinas, & tribulos germinabit tibi, vagus, & profugus eris ſuper terram.* Interrogatus Caïn de Abel vbi ſit, ſe neſcire reſpondit, quoniam & Iudæi interrogati de Chriſto quis ſit, & vbi ſit, ſiue timore, ſiue ignorantia, ſe neſcire dicunt. Vnde & in Euangelio interrogantes dicebant. *Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* Et alibi: *Hunc autem quis ſit neſcimus.* Quibus ipſe. *Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis.* Sed quid tunc ſanguinem Abel clamaſſe putamus, niſi hoc quod ſanctorum animæ clamare dicuntur, videlicet: Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter? At vero Chriſtus Dominus noſter cum patenter ait. *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Vnde ſanguinem Chriſti melius clamare, quam F ſanguinem Abel, Apoſtolus teſtatur. Clamat autem etiam nunc ſanguis Chriſti de terra, quia eius paſſionis digna memoria fit quotidie in Eccleſia. Hæc eſt enim illa terra, quæ os ſuum aperiens Chriſti ſanguinem quotidie ſitibunda bibit, quem impius Iudæorum populus fundere non timuit, ideoque in omni terra maledicitur, & apud omnes opprobrio, & deriſioni habetur. Vagus, & profugus eſt ſuper terram,quia vbique diſperſus, numquam ſuæ dominationis poſſidet locum.

Dixit Caïn ad Dominum. Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra, omnis qui inuenerit me occidet me. Hæc verba deſperatione plena ſunt. Maior eſt iniquitas mea quam ſatisfacere, vel pœnitere valeam, vt à te indulgentiam & veniam merear. A terra viuentium eiiciar,à facie tua abſcondar, te vlterius videre non merebor. Inſuper & in hac terra peregrinationis vagus vbique & profugus G ero,& non ſolum cœleſtia,verum nec terrena ſine timore,& triſtitia potero poſſidere.Hæc quoque Iudæis conueniunt, quæ ab hæreditate expulſi, vbique vagi, & profugi, quia ſe Diuina facie illuſtrari non ſentiunt, ab omnibus occidi pertimeſcunt. Quod iam fortè eis accidiſſet, niſi is, quem occiderunt, Chriſtus Deus noſter pro eis oraret dicens: *Ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei.*

Dixitque ei Dominus,Nequaquam ita fiet: ſed omnis, qui occiderit Caïn ſeptuplum punietur. Alia tranſlatio habet: *Septem vindictas perſoluet*, quod quidem planius intelligitur. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret: Nequaquam ita fiet vt tu vis: non morieris modo, neque omnis qui te inuenerit,occidet te,in lógum ſeruaberis, ad ſeptimam generationem peruenies, qui te occiderit, ſeptem in te vindictas perſoluet,id eſt de plena & integra tribulatione te liberabit. Septenarius namque numerus perfectionem deſignat. Hoc ergo ſeptenario dum longè Caïn pro fratricidio pœnitentiam ageret, tandem, vt fertur ſeptima H generatione à Lamech interemptus eſt: Sic ergo ſeptem vindictas Lamech in ea perſoluit,dum morte intercedente ab omnibus anguſtiis eum liberauit, quas vſque ad id tempus per ſeptem iam generationes paſſus fuerat. Si vero dicatur, ſeptuplum punietur, quod quidem noſtra tranſlatio habet, intelligendum eſt, quod plus Lamech, quam Caïn peccauerit, ideoque maiori pœna dignus habeatur ſciebat enim Lamech iam Caïn propter homicidium fuiſſe damnatum; Caïn vero nullum ante ſe pro tali cauſa damnatum audierat, hunc ergo vel pœna Caïn corrigere potuit,Caïn vero nullum, quo inſtrueretur,exemplum præceſſit. Et ſicut in Euangelio dicitur: *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui,& non faciens digna, plagis vapulabit multis; neſciens vero & non faciens vapulabit paucis.* Nihil autem aliud eſt ſeptuplum punietur, niſi omnino abundanter,& valdè punietur.

Poſuitque Dominus ſignum in Caïn,vt non eum interficeret omnis qui inueniſſet eum. Hoc autem ſignum membrorum tremor fuiſſe dicitur,quia quaſi inſaniens,& melancholico ſimilis,ad miſeriam ſui,homines prouocabat.

Quis eum occidere vellet, qui ipſa morte deteriora pati videbatur. Iudæis quoque circumciſionis ſignum à Domino datum eſt, quo à cunctis gentibus diſcernuntur, & quia cunctis gentibus ſubditi ſunt, ſemperque timori & deſpectui dediti, nemo eſt, qui occidere eos velit.

Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit in terra profugus ad orientalem plagam Edem. A facie namque Domini egreditur, qui eius miſericordiæ reſpectum non meretur. Quod bene Iudæis quidem conuenit, qui Chriſtum Dominum fugientes, vagi, & profugi mundum inhabitant, & quia voluptati dediti, non occaſus, ſed ortus, ideſt non mortis perpetuæ, ſed vitæ præſentis memores ſunt, merito ad orientalem plagam Edem habitare dicuntur. Edem namque voluptas, ſiue delicia interpretatur. Ea vero in quibus, vel hiſtoria ſola narratur, vel non multum ad rem pertinere videntur vt allegorice exponantur, huic operi non miſcere diſpoſuimus, quatenus & volumen breuius fiat, & in magis neceſſariis diutius immoremur.

Audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermones meos, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. ſeptuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties. Lamech primus bigamus, duas habuit vxores, quibus, quantum ſcelus fecerat, manifeſtat. Narrant Hebræi. Quod cum aliquando Cain ſuo more ſoliuagus inter frutera per ſiluam incederet, Lamech ſagittandi peritum, ad ſonitum ſagittam direxiſſe, qui cum ſe feram aliquam occidiſſe putaret, inuenit Cain ſuo vulnere interfectum, quo dolore commotus, etiam adoleſcentulum quendam, qui ſecum erat interemit: Siue vt cauſa occultaretur; ſiue etiam, quia eius hortatu res acta fuerat, & hoc eſſe quod dicitur: *quia occidi virum, in vulnus meum*, id eſt Cain, & adoleſcentulum in liuore, ideſt in ira, & indignatione mea. Sed ſiue hoc ſiue alio modo interfecerit, manifeſtum quidem eſt quod Cain Lamech interfecerit. Quod vero Sequitur: *Septuplum vltra dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties*, Prophetiæ iudicantis ſententia eſt. Et fortaſſe idipſum eſt ſeptuplum, quod eſt ſeptuagies ſepties, quoniam vterque numerus perfectionem ſignificat. Si vero maiorem pœnam de Lamech quam de Cain ſumptam vel ſumendam eſſe intelligamus, ideo fieri arbitramur, quia ſaltem exemplo damnationis Cain Lamech deterreri debuit, ne homicidium perpetraret: audierat enim iam Cain propter fratricidium, Dei indignationem, & iram incurriſſe, audierat fortaſſe, & eum Diuinitus fuiſſe ſignatum, ne quilibet contra Dei præceptum eum occidere præſumeret: Multum ergo peccauit, quem nec ſignum impoſitum, nec exemplum damnationis, nec vox Dei minantis, & contradicentis ob homicidium compeſcere potuit.

CAPVT V.

HIc eſt liber generationis Adam, in die, qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum: maſculum, & feminam creauit eos, & benedixit illis, vocauitque nomen eorum Adam in die, qua creati ſunt. Hic, inquit, eſt liber generationis Adam, in quo qualiter ſit generatus, & creatus, pleniſſime continetur. Et ne Adam ſenior fortaſſe, quam Eua eſſe puretur, vna die creatos eſſe dicit: ſiquidem in vno creati ſunt ambo, atque vno nomine vocati, ſcilicet Adam. Simul enim cum Adam facta eſt Eua, non perſona, ſed materia: perſona namque duæ ſunt, materia vero vna. Denique prima coſtă, de qua mulier facta eſt ſimul cum Adam, & in Adam creata eſt, & quia illa coſta pars erat Adam, totus autem homo ille vocatus eſt Adam, merito & illa coſta, immo mulier in coſta, vocata eſt Adam. Hoc eſt enim quod ait. *Vocabitque nomen eorum Adam.* Quod autem dicitur, quia Enoch cœpit inuocare nomen Domini, eſt intelligendum, quod poſt mortem Abel iſte dignius Deum inuocauit, eique ſeruierit. De Mathuſalem vero libri ſcriptorum vitio corrupti, tantum errorem genuerunt, vt multi eum poſt diluuium vixiſſe contenderunt, cum manifeſtum ſit, ſolummodo quinque animas in arca eſſe ſaluatas. Illius igitur difficillimæ quæſtionis hæc facillima erit ſolutio, vt in eius annorũ numero libros dicamus eſſe corruptos.

CAPVT VI.

NOë vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet. Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram & filios procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchra, elegerunt ſibi vxores, ex omnibus quas elegerant. Hoc autem in loco periculoſe quidam errantes, vel Angelos, vel dæmones, filios Dei dici putauerunt, qui mulierum ſpecie delectati ad terram deſcenderant, & quod dictu quoque nefas eſt, cum eis concumberent, vnde, & quodam dæmoniorum genus incubos vocari dicunt. Nos autem filios Dei filios Seth intelligimus, quorum primus eſt Enoch, de quo ſcriptum eſt: quia cœpit inuocare nomen Domini. Sunt enim filij Dei, qui Dei faciunt voluntatem: hominum vero filiæ illæ intelliguntur, quæ de ſtirpe Cain ortæ ſunt. Ecce iterum mulieres fiunt viris cauſa ruinæ. Qui enim Deo debuerant gignere filios mulierum pulchritudine illecti, gigantes generant mundo. Talem igitur, tamque ſuperbam generant prolem, quotieſcunque filiabus hominum, id eſt hæreticæ, & Philoſophicæ prauitati, coniunguntur filij Dei.

Dixitque Deus. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies eius centum viginti anni. Si enim hoc loco ſpiritus ille intelligatur, de quo ſcriptum eſt: *quia inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Diuina eſt vtique comminatio, vt homo, qui animæ viuificanti, & numquam morienti obtemperare noluit, carne caduca, & tranſitoria moriatur, quæ ſemper aduerſus ſpiritum concupiſcit. Sunt autem qui hoc ita intelligunt, ac ſi diceret: Non permanebit ſpiritus iræ, & indignationis meæ in homine in æternum, id eſt, modo de homine vlciſcar, & non vlciſcar in æternum. Quare hoc? quia caro eſt, quia mutabilis eſt, quia fragilis materiæ eſt, miſerebor ergo illius, ſicut dignum eſt, eruntque dies eius centum viginti anni. Non quia plus poſtea non vixerit homo, ſed quia vſque ad diluuium factum non eſſet, quoniam in ſua malitia homines perſtiterunt, viginti annis de numero detruncatis centum vero peractis, factum eſt diluuium. Sciebat enim (quem nihil vnquam latere poteſt) quoniam illi, qui per centum annos inconuertibiles extiterant, etiamſi illis reliquis viginti annis vixiſſent, nihilominus tamen in ſua malitia permanerent, merito igitur non veniunt ad numerum, qui nihil perficiunt in numero.

Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt. Subauditur hoc genus hominum natum eſt. Omne enim animal rationale & mortale cuiuſcumque ſexus, cuiuſcunque naturæ; membrorum numero, ſiue corporis quantitate, aut creſcit aut minuitur: homo enim non ex alia quam ex Adam ſtirpe deſcendens, & iſti quidem ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.

Videns autem Deus, quod multa malitia, hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, & præcauens in futurum, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus: delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli: pœnitet enim me feciſſe eos. Videns, inquit, Deus, hominem, quem ad ſuam imaginem, & ſimilitudinem fecerat, & pro quo cætera mundi animantia, & quæque huic vitæ neceſſaria creauerat, totum omni tempore ad malum eſſe conuerſum, ſe ſe de hominis creatione (etſi pœnitere nequeat) pœnitere dicit. Deus enim non pœnitere, nec dolere, nec iraſci poteſt, tamen cum pœnitentis, & dolentis, & iraſcentis opus agit, & pœnitere, & dolere, & iraſci dicitur, quamuis ipſe in ſe nullam cõmutationem recipiat, cuius vtique natura penitus incommutabilis eſt. Cũ igitur dicit: *pœnitet me feciſſe hominẽ*, tale eſt ac ſi diceret: Quia mea præcepta transgreſſus eſt homo, talẽ me erga eũ exhibebo, ac ſi me pœnituiſſet feciſſe hominem.

A Quod enim feciſſe pœnitet, hoc dolere placet. Ergo quoties de Deo loquimur, vt cum loquentem introducimus, quia aliter de eo loqui non poſſumus, humanis vtimur verbis, humaniſque affectionibus. Sequitur.

Noë vero iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet. Corrupta eſt autem terra coram Domino & repleta eſt iniquitate. Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram, dixit ad Noë: Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate eorum, & ego diſperdam eos cum terra. Fuit, inquit, Noë vir iuſtus atque perfectus: non quantum ad iuſtitiam, & perfectionem conſummatam, ſed in generationibus ſuis, id eſt; in illa hominum generatione, nemo tunc temporis tam perfectus fuit. Sed quid aliud eſt ambulare cum Deo niſi Deum ſequi, & eius cuſtodire præcepta? Quod autem terra dicitur eſſe corrupta, ſolius hominis corruptione, & pec- B cato corrupta eſt, non quod, vel ipſa terra, vel terræ animantia aliquid peccauerint, vnde ipſa terra merito dicatur eſſe corrupta. Omnis quippe caro in loco hoc, nihil aliud intelligitur niſi omnis homo. Merito tamen omnia perduntur cum homine, quæcumque facta ſunt propter hominem, hoc enim eſt quod ait. Finis vniuerſæ carnis venit coram me, id eſt, ſic mihi placet, ſic à me diſpoſitum eſt, vt omnis caro finiatur, & ſimul cum terra diſperdantur homines, & ea quæ facta ſunt propter hominem. In hoc enim etiam ipſam terram diſperdidit Deus, quia multo plus ante diluuium quam poſt diluuium fœcundior fuit. Vnde & poſt diluuium carnes ad edendum homini eſſe conceſſæ dicuntur.

Fac tibi arcam de lignis leuigatis, manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus, & ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo; & triginta cubitorum altitudo illius. Hanc vero arcam, Sanctam Eccleſiam intelligimus, extra quam qui inuentus fuerit, peribit. De lignis vero leuigatis conſtruitur arca, quia & C ſancta Eccleſia de illis ædificatur, qui & gladio ſpiritus bene dolati, & quadrati, & moribus, & virtute ornati, omnique pulchritudine decorati, & nihil tortuoſum, nihil vitioſum habere noſcuntur: caret enim Eccleſia macula & ruga. Per manſiunculas autem ſingulas deſignat Eccleſias, quæ per prouincias & Epiſcopatus diuiſæ infra vniuerſalem Eccleſiam, quaſi quædam cameræ intra domum continentur. Omnia autem ligna, totaque arca bitumine liniri præcipitur, vt tota Eccleſia charitatis vinculo ligata, nulla hæreſi vel diſcordia valeat ſeparari. Bitumen enim charitatem ſignificat, ſine qua Eccleſia nec ſtare nec durare poteſt. Bituminis enim fertur eſſe natura, vt & diuerſa ligna inſeparabiliter iungat, & perpetualiter incorrupta conſeruet. Bene autem intrinſecus, & extrinſecus linire iubetur, quia vera dilectio, & intus per cordis affectionem tenetur & extrinſecus per miſericordiæ operationem exhibetur. Trecentorum vero cubitorum eſt longitudo arcæ, quia à principio primæ æta- D tis vſque ad vltimæ ætatis finem Eccleſiæ extenditur longitudo. Trecenti namque cubiti ſex quinquagenas faciunt, per quas ſex ætates intelligimus, quarum prima eſt ab Adam vſque ad Noë: ſecunda à Noë vſque ad Abraham: tertia ab Abraham vſque ad Moyſen: Quarta, à Moyſe vſque ad Dauid; quinta à Dauid vſque ad Chriſtum. Sexta à Chriſto vſque ad finem ſæculi. Has autem illæ ſex hydriæ ſignificabant, quarum aquas Chriſtus conuertit in vinum. Tanta eſt igitur Eccleſiæ longitudo, quanta eſt huius vitæ dimenſio. Merito autem latitudo quinquaginta cubitorum eſſe perhibetur, vt vnicuique ætati æqualis habeatur. Tanta enim eſt Eccleſiæ latitudo, quantum eſt, & ſpacium mundi. Vnde & Dominus Apoſtolis præcepit dicens: *Ite in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et quia quinquageſimo numero & lex datur, & Spiritus ſanctus mittitur, & per Iubileum annum propriis Dominis hæreditas reſtituitur, inſuper, & Dauid quinquageſimo Pſalmo pœnitentiam agens miſericordiam inuenit, non immerito E per hunc numerum hæc arca diuiditur. Hæ ſunt enim maximæ & principales cauſæ, quibus Eccleſiæ longitudo, & latitudo creſcit & dilatatur. Eſt autem & altitudo Eccleſiæ triginta cubitorum, quoniam ad hanc plenitudinis ſuæ ætatem Chriſtus perueniens baptizatus eſt, ſuæque prædicationis ſumpſit exordium. De hac autem ætate Apoſtolus dicit: *Quia occurremus obuiam Domino in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Ad hanc igitur altitudinem ſe ſe Eccleſia peruenire glorietur, in qua perfecti hominis Saluator noſter monſtrauit indicium.

Feneſtram in arca facies, & in cubito conſummabis ſummitatem eius. Oſtium autem arcæ pones ex latere deorſum, cœnacula, & triſtegia facies in ea. Quid enim per feneſtram niſi Doctores & Apoſtolos intelligimus, qui ſanctam Eccleſiam illuminantes à Domino audire meruerunt: Vos eſtis lux mundi? Omnis enim domus niſi feneſtras habuerit, obſcura eſt & ſine lumine. Merito F ergo Apoſtoli feneſtræ dicuntur, per quos cœleſtis ſapientiæ & doctrinæ claritatis nobis lumen illuxit. In cubito vero conſumatur Eccleſia, quia omnis eius perfectio in vnitate conſiſtit, cui nimirum eſt cor vnum, & anima vna, vnus Dominus vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium, qui vtique ad vnam gloriam, ad vnam beatitudinem, & requiem tendens, vnius eiuſdemque denarij mercedem conſequitur. Oſtium autem, quod ponitur ex latere deorſum, ille eſt, qui ait? Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur. Per hoc enim oſtium, qui non intrat, fur eſt & latro. Ponitur autem ex latere deorſum, quia per humanitatem carnis deorſum aſſumptæ, ſponſæ ſuæ lateri adhærens omnibus ingrediendi præbuit iter. Cœnacula autem & triſtegia, ſiue etiam vt alia tranſlatio habet, *bicamerata*, & *tricamerata*, quamuis & alia multa per hæc intelligi valeant. Cætera autem quæ ſequuntur, non neceſſarium cuncta exponere. Summatim igitur breuiterque exponentes, ibi tantum vbi neceſſe fuerit, allegorias ponamus. Sequitur autem: quod Dominus adducet aquas di- G luuij ſuper terram, & interficiet omnem carnem ponetque fœdus cum Noë, cui & præcipit, vt ingrediens arcam, de cunctis animantibus bina, & bina ſecum tollat, ſimulque & eſcas vnde viuere valeant. Hoc autem ſi allegorice intelligatur: illud ſignificat, quod ſancta Eccleſia aduerſitatum procellis, & aquis perturbationum aſſidue concutitur, & turbatur, & æterna damnatione pereuntibus peccatoribus: hoc fœdus Sancti cum Domino pepegerunt, vt eos non timeant, qui occidunt corpus, quia ipſe eos non deſeret neque derelinquet, ſed vtique ad ſæculi conſummationem cum eis erit. Quod autem de cunctis animantibus Noë ſecum in arcam tulit, omnium gentium diuerſitatem in Eccleſiam conuenire ſignificat. Omnis autem eſca, quæ mandi poteſt, omnis eſt doctrina, tam noui, quam veteris teſtamenti, qua Dei populus ſpiritualiter ſaginatur.

CAPVT VII.

H *Fecit ergo Noë, omnia quæ præcepit Deus.* Quia cum filiis, vxore, & mulieribus arcam ingreſſus: quæcumque Deus illi præceperat, ſecum inuexit, de mundis videlicet animalibus ſeptena & ſeptena, de immundis autem bina, & bina. Septena autem, & ſeptena ſic accipiuntur, quaſi ſi de ſingulis generibus ſeptem, & non amplius introducere iuſſiſſet, & de immundis bina imponuntur tantummodo, vt ſemen ſeruetur. De mundis vero ſeptena introducuntur, vt & ſemen ſimiliter ſeruetur: & Noë de arca egredienti ſuperſit aliquid quod Domino immoletur. Ergo in articulo diei primo diluculo, iam die illuceſcente ingreſſus eſt in arcam, & filij eius, & vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo, Nec debet mouere aliquem, quomodo Noë tot animalia in vnam arcam, & per vnum oſtium coadunare potuerit, quoniam qui ſine labore, & ex nihilo omnia fecit, facile & ſine labore in vnum cuncta collegit: maius enim eſt creare quam adunare. Mihi autem hoc non mirabilius

eſſe videtur, quam quod ex omnibus mundi partibus tot gentes, tam feras, tamque diuiſas Chriſtus Dominus noſter per paucos Apoſtolos in vnam Eccleſiam congregauerit. Quod autem ait, *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & catharactæ cœli apertæ ſunt*, hoc ſignificari videtur, non ſolum per occultos terræ meatus aqua ſurſum ebulliens mundum repleuerit, verum etiam ea quæ ſuper firmamentum eſt per quaſdam cœli feneſtras irrumpens terram inundauerit. Quamuis & hoc rectius intelligi valeat, quod totus aër iſte, qui frequenter cœlum vocatur, in aquas more inſolito ruentes ſolutus fuerit. Quadraginta autem diebus, & quadraginta noctibus factum eſt diluuium, quoniam hic numerus, & ad peccata delenda, & ad pœnitentiam inſinuandam, videtur eſſe ſufficiens, quod etiam noui, & veteris teſtamenti in ſe continet plenitudinem, quoniam ex quatuor & decem conficitur, quater enim decem, vel decies quater quadraginta, faciunt.

CAPVT VIII.

R*Ecordatus eſt autem Dominus Noë, & cunctorum animantium, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.* Deus enim, qui nunquam obliuiſcitur, tunc recordari dicitur quando peccatoribus miſeretur. Adduxit autem ſpiritum, id eſt ventum ſerenitatis ſuper terram, quem nos fortaſſe Aquilonem intelligere poſſumus. Si quis autem mirabatur, vbi tanta aquarum inundatio redierit, cogitet prius vnde exierit, quod quidem vtrumque cognoſcere difficile eſt. Scriptum tamen eſt, quod *Dominus ſuper maria fundauit terram, & ſuper flumina præparauit eam.* Itemque. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Multæ igitur ſunt aquæ, ſiquidem in eis, & cœlum continetur, & terra.

Cumque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noë feneſtram, quam fecerat, dimiſit coruum, qui egrediebatur, donec ſiccaretur aqua ſuper terram. Quid enim coruus iſte niſi peccatores deſignat? Qui ſi aliquando per ſchiſma, vel hæreſim aut cætera peccata ab Eccleſia ſeparantur, in ſua malitia perſeuerantes, & mundi gloriam & amplitudinem diligentes, pœnitentiam agere negligunt, vt matri Eccleſiæ reconcilientur; ſicut enim ille colore, ſic & iſti immutabiles ſunt.

Miſit quoque columbam poſt eum, vt videret ſi iam ceſſaſſent aquæ, quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius; reuerſa eſt ad eum in arcam, aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram, extenditque manum, & apprehenſam intulit in arcam, &c. Columba autem illi ſunt, quibus Dominus ait. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietem, & trementem verba mea?* Tales enim ſi qualibet occaſione quandoque ab Eccleſia recedunt, ad eam redire quantocius feſtinant, neque ſibi requiem vllam fore ſperant, qui talem matrem reliquerunt, ſponte redeunt, pacem & oliuam ore ferunt. Quid enim aliud eſt oliuam ore ferre, niſi pacem oſtendere verbis? & bene virentibus foliis hæc oliua fuiſſe dicitur, vt viua & vera, & non ficta talis pax eſſe credatur. Hoc non agit coruus hoc dedignatur facere hæreticus, hoc ſuperbi ab Eccleſia excommunicati facere contemnunt. Sed quid eſt quod poſt tertiam miſſionem iam ad arcam columba non redit: niſi quia carne ſoluta, aquis ceſſantibus, cunctiſque aduerſis deficientibus maiorem ſibi requiem reperit? Ergo tertia emiſſio, carnis huius mortalis eſt diſſolutio: ergo illos ſuos filios Rachel miſerat de quibus dicitur: *Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari quia non ſunt.* Quid eſt dicere quia non ſunt, niſi quia in hac vita non ſunt: quia ſuperna bona relinquere non poſſunt, vt iterū ad hæc caduca & tranſitoria redeant.

Et aperiens Noë tectum arcæ aſpexit: viditque quia exſiccata eſſet ſuperficies terræ. Cum enim hoc per feneſtram ſatis cognoſcere poſſet, ad hoc tamen intuendum ſuper tectum aſcendere maluit, quia quanto virtutum gradibus altius quilibet aſcenderit, tanto magis mundi huius aquas, aduerſitateſque deſpiciens, ſpem ſibi proſperitatis in futurum promittit.

Egredere de arca, tu, & vxor filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Ecce viri cum mulieribus egrediuntur de arca, qui ſeorſim à mulieribus ingreſſi ſunt arcam. Quia viri Eccleſiaſtici alio tempore vacant orationibus, alio, ſecundum quod Apoſtolus ait, reuertuntur in idipſum, vt vir vxori & vxor viro debitum reddat, ne propter ſuam incontinentiam tentet eos Sathanas.

Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait ad eum: nequaquam vltra maledicam terræ propter homines, ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, non igitur percutiam omnem animam ſicut feci cunctis animantibus terræ. Quia enim omnis caro corruperat viam, totuſque mundus aquis diluuij purificatus fuerat, ideo de omnibus mundis animantibus Deo offerri holocauſtum neceſſe erat, quatenus qui cunctis offenſus fuerat, cunctorum ſacrificio placaretur. Solus autem homo hoc ſacrificio non eſt immolatus, quia reſtabat, vt Chriſtus ſuo tempore immolaretur verus agnus qui tollit peccata mundi. Tamen, & Noë quodammodo, cuius deuotione & pia voluntate magis quam illo animalium fumo delectatus eſt Deus. Vnde, & dicitur: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Nullum animal immundum immolatur Deo, quia ſoli ſancti & à peccatis mundati Deo placent. Quod autem dicitur, ſe non vltra maledicere terræ propter homines, ſubſequenter exponit dicens. *Non ergo percutiam omnem animam ſicut feci.* Quid igitur in loco eſt maledicere? hoc eſt percutere, vel diſperdere. Hoc autem cur fiat, annectitur: Senſus enim & cogitatio hominis prona ſunt ad malum, ipſaque humana natura per ſe fragilis, & miſerabilis, niſi Dei auxilio protegatur, facile labitur in peccatum, vnde digna eſſe videtur cui miſericordia præſtetur. Sed quare ait, *ab adoleſcentia ſua?* niſi quia qui in infantia vel pueritia peccat, magis hoc in ignorantia facit quam ſenſu, & cogitatione.

Sementum, & meſſis, frigus & æſtus, æſtas, & hyems, nox & dies non requieſcent. Quam breuiter, & pulchre omnem temporum varietatem poſuit; vt nobis, & ſpem daret quietæ vitæ, & timorem diluuij auferret.

CAPVT IX.

B*Enedixitque Deus Noë & filiis eius, & dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini & replete terram, & terror veſter, & tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ & ſuper omnes volucres cœli, cum vniuerſis quæ mouentur in terra. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Sicut enim ſuperius, maledictio perditionem, ita & hic benedictio multiplicationem ſignificat. Quæ benedictio tantum valuit, vt vſque hodie efficaciter operetur. Sed quid eſt quod hominem non timeat, cui vultus hominis terribilis non appareat? Quid tam ferox tamque indomitum, quod humano ingenio aut non vincatur, aut non dometur? Quod ſi allegorice intelligatur, creſcunt quotidie ſancti, & non ſolum hominibus, verum etiam ipſis dæmonibus ſunt terrori. Et quia omne quod mouetur & viuit, datur nobis in cibum, & quaſi olera virentia nobis traduntur, erubeſcant qui nobis carnes comedere interdicunt & ipſi quia infirmi ſunt, olera manducent. *Omnia enim*, ſecundum Apoſtolum, *ſunt munda mundis*, conquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum. Sicut enim omnes gentes ad fidei gratiam ſuſcipere (ſecundum quod B. Petro Apoſtolo oſtenſum eſt) ita & omnem cibum comedere, non eſt peccatum. Quædam tamen, quia ſunt nociua: quædam vero, quia ſcandalum generant; quædam quia ſunt faſtidioſa, vel inſuauia, in cibum nunc ab ipſis Catholicis recipiuntur. Vſus quoque multa reſpuit, quæ ſi ſumerentur, non eſſet peccatum. Beatus enim Ioannes locuſtas comedit, quæ nec ipſis gentibus ſunt in vſu. Quod autem ait: *Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis.*

A Magis ad figuram, quam ad litteram attinet. Nullum peccatum eſt ſanguinem manducare: neque enim ob aliud in Actibus Apoſtolorum ab ipſis Apoſtolis interdicitur, niſi ne Iudæis ad fidem venientibus ſcandalum fieret. Vnde & Apoſtolus ait: ſe magis nolle manducare carnem, & bibere vinum, quam vt fratrem ſcandalicet. Allegorice autem, carnem cum ſanguine comedere, eſt; Hæreticis, & criminoſis viris, in ſuis iniquitatibus perſeuerantibus, communicare, non ergo prius hi tales in communionem Eccleſiaſticam ſuſcipi debent, quam ſanguine diminuantur. Hoc enim ſanguine Propheta minui cupiebat cum diceret. *Libera me de ſanguinibus Deus Deus meus.*

Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram animam eius. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, ad imaginem qu[illegible] *Dei factus eſt homo.* Hæ ſunt fortaſſe illæ beſtiæ, de quibus pſalmus ait: Ne tradas beſtiis ani- B mas confitentes tibi, vt non ſolum ab hominibus, verum etiam ab ipſis dæmonibus mors & ſanguis hominis requiratur. Poſſumus autem, & per beſtias hæreticos; & tyrannos intelligere, qui & aſtutia & crudelitate, Dei populum perdere non ceſſant. Requiritur autem ſanguis iſte de manu hominis, vt de manu Cain requiritur ſanguis Abel, Vnde & Dominus in Euangelio ait. *Quia requiretur à generatione iſta omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zacharia filij Barachiæ.* Sequitur. *De manu viri requiram animam viri, & de manu fratris eius requiram animam eius.* Omnes enim fratres ſumus, Domini ſententia. Nemo autem impune proximum & fratrem ſuum interficiet. Vnde & ſubditur. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Non quod omnis homicida temporaliter occidatur, ſed quia niſi reſipuerit, & pœnitentiam egerit pro morte quam fecit, mortem ſuſcipiet æternam. Et hoc quidem merito, ad C imaginem enim Dei factus eſt homo. Quicumque igitur hominis non timet effundere ſanguinem, ſaltem venerari debet in illo imaginem Dei.

Hac quoque dixit Deus ad Noë & ad filios eius: Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos. Hoc enim pactum poſuit Deus Noë cunctiſque animantibus terræ, vt vlterius non inducat aquas diluuij ſuper terram. Quod vt firmam credatur, & nullatenus dubitetur, poſuit inſuper & ſignum quod inter Deum & hominem omni tempore maneat in teſtimonium, arcum videlicet, quem & Deus intuens ſui fœderis recordetur; & homo cum viderit, cognoſcens Deum non immemorem ſui omni expulſo timore tanti teſtimonij illuſtratione conſoletur. Et quia prius per aquam iudicatus eſt mundus, iterũ autem per ignem eſt iudicandus, ideo duo principales colores in arcu apparent, viridis ſcilicet & rubeus: & viridis quidem aquam, rubeus vero ignem prætendit.

Erant igitur filij Noë qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Iapbet, ex quibus diſſeminatum eſt omne humanum genus. Deinde ſequitur, quod Noë plantauit vi- D neam, & bibens inebriatus eſt, & nudatus iacuit in tabernaculo ſuo, quem Cham vidit & irriſit, fratribuſque nunciauit, qui accepto pallio patrem operuerunt eiuſque verenda non viderunt; vnde & à patre iſti benedicuntur, ille vero maledictioni ſubjicitur & ſeruituti. Sed qui per Noë niſi Chriſtum, quid per eius vineam niſi Iudaicum populum intelligamus? *Vinea enim Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt,* cuius vinum ipſe bibit, calicem videlicet mortis, de quo & B. Petro dicebat: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?* Tali ergo calice tunc inebriatus obdormiuit, quando inclinato capite emiſit ſpiritum, Sed quid nuditatis, quid verẽdum, quid irridendum filius eius Cham Iudaicus ſcilicet populus in eo vidit? quid vnde dolerent, & verecundarentur, & operire cuperẽt fratribus nunciauit? Illud ſcilicet, quod vſque hodie nobis Iudæi improperant qui nobis objiciunt mortem vtique Saluatoris noſtri, crucis ignominiam, ſe Deum viuentem nos hominem mortuum adorare: hominem nimirum captum, ligatum, flagellatum, conſputum, E ſpinis coronatum, aceto potatum, & demum crucifixum. Hæc ſunt eius verenda, hæc ſunt quæ videre erubeſcimus: hæc ſunt quæ pallio ſacramentorum & prophetarum teſtimoniis operire nitimur: Vnde Apoſtolus: *Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt ſemel, quod autem viuit, viuit Deo.* Ipſe quoque ſuam operiens nuditatem dicebat. *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus: quæ locuti ſunt Prophetæ, nonne ſic oportuit pati Chriſtũ & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam.* Talis igitur nuditas tali indiget operimento. Iſti duo fratres gẽtiles ſunt: Iſti ſunt Græcus, & Latinus, his enim duobus linguis Dei gloria prædicatur, & Iudæorum proteruitas expugnatur.

CAPVT X.

EVigilans autem Noë ait: *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Chanaan quippe filius fuit Cham, de quo Cananæi, & Ethæi, & Iebuſæi, & Euæi, & Amorrhæi nati ſunt, & cæteri, qui terram promiſſionis in- F habitantes Dei populo reſtiterunt, quorum Iſraëlitæ alios peremerunt, alios ſeruituti ſubiecerunt, vt completetur illud quod dictum fuerat: *Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Vnde non Cham, ſed Chanaan maledicitur, à quo hæ gentes originem ducunt. Interpretatur autem Chanaan negociator, per quem Iudæos intelligimus, qui quoniam Dominum ſuum triginta argenteis negociati ſunt, nulla gens eſt cui ſeruiture non ſeruiant, vt non ſolum ſerui, ſed ſeruorum ſerui merito dicantur. Sequitur. *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius.* De Sem, quoque qui merito nominatus interpretatur, natus eſt Abraham, omniſque Hebræorum populus, vnde Patriarchæ & Prophetæ. Ipſe quoque ſecundum carnem Saluator noſter, omneſque Apoſtoli originem habent, quibus non ſolum Chananæos, verùm etiam omnes gentes ſeruire non dubium eſt. Ideoque in ſuis benedictionibus dicit, vt Iaphet habitet in tabernaculis Sem, id eſt, ſiue in Eccleſiis ab Apoſtolis fundatis: ſiue in G illis manſionibus, de quibus Dominus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* De Iaphet namque qui latitudo interpretatur, gentilis populus natus eſt, qui non ſolum Chananæis, ſed & cunctis gentibus imperauit.

CAPVT XI.

DE eo, quod filij Noë venerunt in campum Sennaar, & vt celebre nomen ſibi facerent, turrem ibi ædificare cœperunt, cuius cacumen cœlum tangeret. Sed Dominus deſcendens eorum linguam confudit, vt ſe ad inuicem non intelligerent, Vnde & Babel ille locus vocatur, qui confuſio interpretatur. Sicque vbique terrarum diffuſi ſunt. Vna enim & ſimili lingua loquebantur omnes, quam vtique Hebræam fuiſſe credimus, hanc autem ſuperbia, & vana gloria confundit, & cum omnes mundi nationes ſe viciſſim intelligere poſſent, iam in paruo terrarum ſpacio quaſi irrationales ſe ſe intelligere nequeunt. Semper enim Deus ſuperbiam odit, ideoque ſuperbos humiliat, & exaltat humiles. Sic enim & diabolum, cum ſuper cœlorum altitudinem ſedem ſuam H exaltare vellet, deiectus eſt. Deſcendit igitur Dominus in monte, deſcendit, qui vbique eſt, quo enim deſcendit, vbi non eſt? deſcendit ergo non per ſe ſed per Angelos ſibi ſubiectos. Ideo, & vocans eos ait: *Venite deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum,* id eſt deſcendite, me vobiſcum ferte, meam in vobis virtutem & poteſtatem habete, quicquid vtile, & neceſſarium fuerit meo nomine agite. Sic igitur deſcendit Dominus.

Hæ ſunt autem generationes Thare. Thare genuit Abraham, & Nachor & Aran. Porro Aran genuit Loth. Mortuuſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum in Hur Chaldæorum. Tradunt Hebræi: Aran, quod idolis ſacrificare noluerint, ante patrem ſuum, id eſt in conſpectu Patris ſui igni traditum à Chaldæis interijſſe. Hur enim ignis dicitur. Abraham quoque ob eandem cauſam

A in igne præcipitatus, & Dei auxilio liberatus, cum Patre, vxore, & Loth nepote ſuo fugit, vt iret in terram Chanaan, veneruntque vſque Aran, & habitauerunt ibi.

CAPVT XII.

D*Ixit autem Dominus Abraham, Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam monſtrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi.* Rem valdè difficilem in principio ſuæ locutionis præcipit Dominus Abrahæ, in quo eius fides maximè commendatur, qui ſtatim relicta domo, iubentis obediuit præcepto, Non permittitur Abrahæ diutius habitare in vno loco, ſed ſemper de loco transfertur ad alium locum, vt facilè intelligamus, quia peregrini ſumus in hoc mundo, neque habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Quod autem ait: *atque in te benedicentur omnes cognationes terræ*, id eſt, in ſemine quod orietur B ex te, in Chriſto videlicet, à quo, & in quo, & per quem omnes benedicuntur, & ſine quo nemo benedicitur.

Egreſſi ſunt de Aran, vt irent in terram Chanaan, in quam prius venire diſpoſuerant. Apparuitque Dominus Abraham, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc, qui ædificauit ibi altare Domino qui apparuerat ei, & inuocauit nomen eius. Cum enim ipſe Dominus dicat. *Non me videbit homo, & viuet.* Et Apoſtolus. *Deum nemo vidit vnquam*, quid eſt quod Dominus Abrahæ apparuiſſe dicitur? non enim Dominus in ſe, id eſt in propria ſubſtantia, quæ vtique ineffabilis, & inuiſibilis eſt, ſed per Angelum apparuit Abrahæ. Audita vero tanta promiſſione Abraham, quamvis pauper, & aduena, tamen non incredulus, vel ingratus, mox altare ædificauit, & Deo de promiſſo gratias egit, magnum videlicet poſteris relinquens exemplum.

Facta eſt autem fames in terra, deſcendit Abraham in Ægyptum. Rogauitque vxorem ſuam, vt eius ſororem ſe C *eſſe diceret, ne eius pulchritudinis cauſa occideretur. Sublata eſt ergo mulier in domo Pharaonis, quam ob cauſam maximis plagis eum Dominus flagellauit.* Bis Sarai propter pulchritudinem rapta eſt, ſed Domino protegente non eſt violata. Sic enim in Heſter libro legitur: Sex menſibus mirtino vngebantur; ſex autem quibuſdam aliis odoramentis, priuſquam ad Reges tales mulieres introducerentur: Hoc ergo temporis ſpatio, ſicut ſcriptum eſt, corripuit pro eis Dominus Reges, ſemperque intacta & incorrupta viro ſuo reddita eſt mulier. Sunt autem qui putant, maximis plagis & Pharaonem, & Abimelech in verendis corporis partibus fuiſſe flagellatos, vt quanto tempore Sarai ſecum habuerunt, vſum cum mulieribus habere nequiuerint. Inde eſt etiam, quod cognita cauſa non reſiſtunt, ſed libentiſſimè mulierem viro reddunt.

CAPVT XIII.

N*Emo autem Abraham reprehendat, quaſi qui vxorem* D *mentiri coëgiſſet*, vt cum eſſet vxor ſe mentiretur eſſe ſororem, re enim vera, ſicut Abraham ipſe fatetur, ſoror eius erat Sarai, de patre tamen, ſed non de matre, vnum enim patrem non vnam matrem ambo habuerunt. Si quis autem ex hoc falſum eſſe contendat, quoniam ſuperius ſcriptum eſt: *Tulit autem Thare Abram filium ſuum, & Sarai nurum ſuam, quod non dixit filiam ſuam*, defendit Abraham illa ſententia, qua dicitur. *Omnes vos fratres eſtis, vnus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt*; Dominus eſt qui loquitur. Secundum hoc igitur, & Abraham & Sara, & ſi non vnam matrem, vnum tamen patrem habere probantur.

CAPVT XIV.

H*Inc autem ſequitur*, Quomodo Loth captus fuerit, & Abraham numeratis trecentis decem, & octo vernaculis ſuis eum liberauit. Inſuper & Melchiſedech E Rex Ieruſalem ſacerdos Dei altiſſimi, quomodo proferens panem, & vinum ei benedixerit decimaſque ab eo ſuſceperit. Abraham namque qui Pater excelſus interpretatur, Deum Patrem ſignificat: Loth vero, qui declinatio dicitur, Sanctam Eccleſiam ſignificat, Quid vero Melchiſedech niſi Chriſtum, de quo in Epiſtola ad Hebræos pleniſſime Apoſtolus loquitur. Tulit igitur Abraham, id eſt Deus omnipotens trecentos decem & octo vernaculos ſuos, id eſt, trecentos decem & octo ſacerdotes, quos in Nicænum Concilium congregauit, atque per eos Loth, id eſt ſanctam Eccleſiam iam in hæreſim declinantem liberauit, & cæcis principibus hæreticæ prauitatis, fidem Catholicam confirmauit. De qua victoria Melchiſedech, id eſt Chriſtus Dominus noſter Rex pacis & iuſtitiæ gratulabundus, qui prius ſeipſum Deo Patri ſacrificium obtulit, iam ex eo tempore victis inimicis eius, ſacerdotio confirmato, quotidie per ſeruos ſuos panem & vinum, carnem videlicet, & ſanguinem ſuum Deo Patri offerre non ceſſat. Decimas autem à Patre ſuſcipit Chriſtus, quia & propter decimam drachmam carnem ſuſcepit, & pro- F pter centeſimam ouem (quæ & ipſa decima eſt) in hunc mundum venit. Sciendum eſt autem, quoniam aliquando allegoricè ſequitur hiſtoriam, aliquando nominum interpretationem. Vnde Abraham, cui pater excelſus interpretatur, ſecundum nominis interpretationem, maior eſt quam Melchiſedech, minor vero ſecundum hiſtoriam. Ideoque Apoſtolus, de his loquens ait: *Sine omni controuerſia qui minor eſt à maiore benedicitur*: Minorem, Abraham ſignificans, cui Melchiſedech benedicit. Nam & Chriſtus, qui Patri æqualis eſt ſecundum Diuinitatem, minor eſt Patre in hoc, quod factus eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

CAPVT XV.

ITerum autem factus eſt ſermo Domini ad Abraham, promittens ei hæredem, & ſemen ad ſtellarum comparationem. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Iam enim Abraham ſimul cum vxore ſene- G ctuti appropinquabat, cum ei Dominus ſæpe filium promitteret, non tamen daret; Sciebat enim Abraham Deum mentiri non poſſe, ideo contra ſpem, in ſpem credebat, fides naturam ſuperabat, nihilque Deo impoſſibile credens, ipſo iubente in qualibet ætate ſe filium habiturum non deſperabat. Quia vero ita credidit, quia hanc fidem habuit reputatum eſt ei ad iuſtitiam, ergo fides iuſtitiam operatur, non circumciſio, ſed fides iuſtum hominem facit, nondum enim Abraham circumciſus erat.

Dixitque Dominus ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam vt poſſideres eam. At ille ait: Domine Deus vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam? Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Per hæc enim animalia, tota Iudæorum progenies, & quicumque è ſtirpe Abrahę deſcenderant, deſignantur. Si quidem per vaccam, partem plebis, quæ Domino ſeruiens legis iugum humiliter ferebat: per capram autem, partem aliam præuaricatri- H cem, & peccatricem, & idolis ſeruientem; per arietem autem duces populi, id eſt, Iudices, Reges & Principes: at vero per turturem, & columbam, Prophetas & ſacerdotes deſignat, quæ bene trium annorum eſſe referuntur; quoniam Hebræorum Regnum, virtus & poteſtas, in tribus ætatibus, quaſi in tribus annis perſeuerauit, viguit, & floruit. Prima ſiquidem ætas ab Abraham, cui hæc oſtenduntur, vſque ad Dauid: ſecunda à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Tertia à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum. Habet autem vnaquaque iſtarum ætatum generationes quatuordecim, In hoc igitur ſacrificio oſtendit Deus Abrahæ, quantus populus & qualis, de eius ſtirpe eſſet futurus, quantumque regnaturus; quanta etiam aduerſa paſſurus.

Qui tollens vniuerſa hæc diuiſit per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit, aues autem non diuiſit. Deſcenderuntque volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham. Merito autem cæteris diuiſis, aues non

A diuiduntur, quoniam in ſolis ſpiritualibus & Catholicis viris, qui per aues intelliguntur, vnitas & concordia regnat. Volucres autem qui ſuper cadauera deſcendunt, vitia ſunt, & maligni ſpiritus, qui ſemper inſatiabili voracitate populum Dei diripere, & laniare conantur. Sed Abraham abigit eas: per quem Sanctos & Apoſtolicos viros intelligimus, qui ſemper Sanctam Eccleſiam ab eorum inſidiis protegunt, & defendunt.

Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum: dictumque eſt ad eum; Scito prænoſcens, quia peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis, verumtamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace ſepultus, in ſenectute bona, generatione autem quarta reuertentur huc, necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus. Cum inquit, ſol occumberet, & B iam nox appropinquaret, ſopor irruit ſuper Abraham, in quo quia, vt ſæpe fit, mira & horrenda videbat, horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Neque enim non terreri poterat, cui, quamvis in ſomnio, Diuina tamen reuelatione talia monſtrabantur. Dictum eſt ergo ad eum: Scito, (inquit Angelus qui loquebatur ei) & multo antequam fiat, prænoſcas, quia peregrinũ futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, id eſt in terra Ægypti, & ſubiicient, Ægyptij eos ſeruituti ſubiicient & affligent quadringentis annis. Hoc autem in Exodo plenius narratur. Verumtamen gẽtem, cui ſeruient, ego iudicabo, quia decem plagis totam Ægyptum potenter afflixit: Hebræi autem exſpoliata Ægypto egreſſi ſunt cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace id eſt pacificè, & quiete ſepultus in ſenectute bona ipſi vero quarta generatione reuertentur huc. Hoc autem verum eſt, ſi non ſecundum Iudæ, ſed ſecundum Leui generationem computetur. Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum, peccatum enim cum conſummatum fuerit, generat mortem. Sordidus igitur ſordeſcat, adhuc ne C fortè conuertatur & ſanetur. iniquus enim eſt qui pœnitentiã agere renuit, qui quanto plus à Domino exſpectatur, tanto maiori pœna dignus nullam habet excuſationẽ.

Cum ergo occubuiſſet ſol facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. Solis occaſus qui finis eſt diei, huius ſæculi finem deſignat. Caligo vero tenebroſa, ipſa eſt de qua dicitur: *Quia Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum.* Sunt etiam tenebræ, quas in inferno patientur iniqui. Clibanus fumans, & lampas ignis huius ſæculi conflagratio eſt, qua vltimo iudicio totus mundus terribiliter ſuccendetur. Benè autem ignis inter diuiſiones illas tranſiſſe, non tamen cadauera conſumpſiſſe dicitur: quia iam peracto iudicio cunctiſque immortalibus factis tranſire per eos ignis poterit, penitus tamen incendere & conſumere non poterit. Si vero per ſolis occaſum mors Chriſti intelligatur, per caliginem vero tenebræ quæ in eius paſſione factæ ſunt, quid erit clibanus & lãpas ignis, D niſi ſpiritus ſanctus, qui die quinquageſima deſcendens ſuper Apoſtolos venit, atque per eos tranſiuit. Sequitur.

In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens, Semini tuo dabo terram hanc. Deinde vero deſcribit terminos terræ, quam ei daturus erat. Tantis enim reuelatis ſecretis, cum iam nihil eſſet in quo Abraham dubitare poſſet, merito & fœdus cum eo ponitur, & hæreditas futura deſcribitur.

CAPVT XVI.

Hinc autem narratur, quod Abraham rogatu vxoris cum Agar eius ancilla dormiens, Iſmaëlem genuerit, ſed cum Domina eius eam affligeret, ipſaque à facie eius fugeret, ab Angelo admonita ad Dominam ſuam reuerſa eſt. Quid autem per has duas mulieres intelligi debeat, Apoſtolus exponens ait, *Hæc enim ſunt duo teſtamenta.* Per Saram ſiquidem Eccleſiam, per Agar vero Synagogam intelligere volens. Vnde Iſaac filios Eccleſiæ, Iſmaël vero Synagogæ filios deſignat. Et prius quidem E quam Sara peperit Agar, quia prius Synagoga quã Eccleſia peperit. Quomodo autem Synagogam Eccleſia afflixit, niſi fortaſsè fidem Chriſti prædicando, quam ipſa audire non vult, ſcire non poſſum. Tamen & ab Eccleſiæ filiis multis in locis temporaliter affligitur Synagoga, tributa ſoluendo, aliaque obſequia ſeruitutis exhibendo. Angelus autem, qui Agar ad dominã ſuam redire admonet, Eccleſiæ doctores ſunt, qui Iudæis, vt ad fidem Chriſti & ad Eccleſiam conuertantur, ſæpiſſimè perſuadent. Reuertetur igitur etſi non modo, aliquando Agar ad dominam ſuam, quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. Quod autem ſequitur de Iſmaële, quia fuerit ferus homo, & manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, quantum ad hiſtoriam non procedit. Sed quia vt dictum eſt, Iſmaël Synagogæ filios ſigni- F ficat, nulli genti eum conuenire, & concordare manifeſtũ eſt. Dum enim legem & circumciſionem defendere nititur, non ſolum à Chriſtianis, verum etiam à cæteris gentibus impugnatur: dumque præter ſuam, omnis religio eis diſpliceat, garrula diſputatione cum omnibus contendit. Omnes igitur eius tabernacula odiunt, omnes Iudæorum ſynagogas abominantur, qui contendere quidem volunt, veritati autem, & rationi acquieſcere nolunt. Dixitque Agar. *Profecto hic vidi poſteriora videntis me.* Agar fugiens monetur ab Angelo, vt redeat ad dominã ſuã, quod ipſa ſibi vtile fore cognoſcens ait: *Tu es Deus qui audiſti me tanquam ſalubre conſilium mihi dediſti, & adiecit, profecto hic vidi poſteriora videntis me.* Dictum eſt etiam quod Agar Synagogam, Angelus autem, Eccleſiæ Doctores ſignificat. Dicat igitur Agar, dicat Synagoga: Vera ſunt, ô Doctores, quæ dicitis, vtilia mihi nunciatis, reuertar igitur ad Eccleſiam reuertar ad dominam meam, video enim quod non videbam, video Chriſtum Dominum meum, video eius poſteriora, cuius videre deſpexi anteriora, præſens mihi locus eſt, & non cognoui, tranſiuit & iam cognoſco, quem vtique non cognouiſſem, niſi ad puteum veniſſem. Sic enim & mulier, Samaritana ad puteum eum cognoſcere meruit. Puteus iſte nouum eſt teſtamentum: G lege Euangelium ſi vis cognoſcere Chriſtum. Vocatur autem puteus iſte puteus viuentis, & videntis me, viuentis quidem, quia mortuum eum Synagoga eſſe putabat: Videntis autem quia quamvis eum multum offendiſſet, miſericorditer tamen ſuper eam reſpexit.

CAPVT XVII.

Longa autem de hinc ſcribitur hiſtoria, quod Deus apparuit Abrahæ, & poſuit ſempiternum fœdus cum eo, & adiecta vna littera vocauit eum Abraham, omnemque terram Chanaan promittit ei poſſeſſionem æternam. Sarai quoque mutato nomine vocauit Saram. Præcipit inſuper, vt Abraham circumcidat carnem præputij ſui. *Maſculus enim qui circumciſus non fuerit, peribit anima eius de populo ſuo.* Merito enim Abraham tunc creuit nomine, quando filius ei promiſſus eſt, in quo hæreditare debeat omnes gentes. Vnde & dicitur; *Nomen tuum non vocabitur vltra Abram, ſed Abraham erit nomen tuum, quia patrem multarum gentium poſui te:* Sara vero quæ H vocatur princeps noſtra, è contra nomine diminuta eſt, vt iam non princeps noſtra, ſed princeps abſolutè dicatur, ſic enim interpretatur Sara. Significat enim, vt diximus Eccleſiam, quæ non vnius populi, ſed omnium gentium princeps eſt. De circumciſione autem Abrahæ dicit Apoſtolus, in epiſtola ad Romanos; *quia ſignum accepit circumciſionem, ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Eſt igitur circumciſio ſignum, eſt autem, & ſignaculum iuſtitiæ fidei. Signum quidem, vt populus, qui vbique gentium diſpergendus erat, ab omnibus agnoſceretur. Iuſtitiæ vero ſignaculum, vt per illius ſuperfluitatis diminutionem Eccleſiæ filij intelligerent, ſe aliter fideles, & iuſtos eſſe non poſſe, niſi membris omnibus circumciſis ſuperflua omnia, & nociua à ſe repellant, & Iudæi quidem vno, nos autem membris omnibus circumcidamur. Pes enim circumciſus non currit ad malum. Manus circumciſa non percutit innocentem. Lingua circumciſa non loquitur mendacium. Auris circumciſa non vult audire detractionem. Audi de-

nique

nique quod ſcriptum eſt. *Circumſcindite corda veſtra, & non corpora veſtra.* Et B. Stephanus loquens Iudæis ait. *Dura ceruice & incircumciſis cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Sola enim iſta ſufficiunt contra eos, qui omnia ad litteram intelligere volunt: aut ſi non ſufficiunt, abſcindant aures, & ſecent corda, quod à nemine vſque hodie factum audiuimus. Aut hoc igitur non intelligunt, aut ſi intelligunt, facere negligunt.

CAPVT XVIII.

DE eo quod tres viri apparuerunt Abrahæ, quibus occurrens adorauit & dixit: *Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri. Quibus acquieſcentibus, tulit Abraham butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis. Poſtquam autem comederunt, dicunt: quod emenſo anno eodem tempore habebit Sara filium, Deinde vero ſurgunt, & vadunt contra Sodomam, Abraham autem deducebat eos. Cui, Dominus Clamor, inquit, Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus eſt nimis, deſcendam igitur illuc. Ierunt autem Sodomam duo Angeli. Abraham vero ſtans loquebatur cum Domino.* Semper enim Abraham in fide creſcit, ſemper de Deo maiora cognoſcere meruit. Ecce enim quod id temporis omnibus incognitum fuit in Trinitate Deum cernit & in vnitate Deum adorat: non quod Trinitatem ipſam viderit, ſed quia per hoc quod viderat, in Trinitate, & vnitate Deum cognoſcere meruit, vnde cum tantum tres viderit, non tamen niſi vnum adorat, non niſi vnum Dominum vocat. De hoc enim Dominus in Euangelio ait: *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Angeli enim, quando volunt, ex aëre corpus aſſumunt, quo & videri, & tangi, & loqui, & manducare, & bibere poſſunt. Sicut enim verum corpus eſt aër, ita, & corpora quæ ſumunt ex aëre, his enim ad tempus induuntur, quo cum ſe expoliauerunt, mox in eundem aërem reſoluuntur. Angelus enim Raphaël ad Tobiam loquens ait? *Pax vobis nolite timere: etenim cum eſſem vobiſcum per voluntatem Dei, videbar quidem vobiſcum, & manducare, & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*, Secundum igitur hanc ſententiam, & cæteros Angelos manducare, & bibere intelligant, quibuſcunque impoſſibile videtur eſſe, vt angeli manducent & bibant. Moyſes tamen eos comediſſe teſtatur dicens: *Cumque comediſſent dixerunt: Vbi eſt Sara vxor tua? Quo audito riſit Sara.* Deſierant enim iam fieri muliebria, tempus menſtrui ab ea ceſſauerat, poſt quod, ſecundum legem naturæ, mulierem parere impoſſibile eſt. Vnde, & à Domino Sara de riſu reprehenditur. Abraham, quamvis, & ipſe ſuperius riſiſſe dicatur non tamen reprehenditur, quoniam non dubitando, ſed admirando riſit, ſciebat enim Deo nihil impoſſibile eſſe. Sequitur autem de peccato Sodomorum, & Gomorræorum, quod pro ſui magnitudine, clamor appellatur. Sic enim, & de peccato Caïn dicitur. *Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Clamant igitur peccata, neque ſecundum hominum voluntates celari poſſunt, ſemperque aures Dei ſollicitant & inquietant. Sed mira Conditoris patientia, qui non ſtatim punit, neque temerè credens accuſanti clamori quamvis omnia ſciat, deſcendit tamen & videt, vtrum ea vera ſint, quæ ſic de peccatoribus nunciantur: magnum videlicet homini exemplum tribuens, vt nemo in iudicando ſententiam temerè depromat. Et hoc eſt quod dicitur? *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita vt ſciam.* Converterunt ſe igitur ſe duo Angeli inde & abierunt Sodomam. Abraham vero ſtans loquebatur cum Domino, ſuiſque orationibus hæc ab eo impetrauit, vt ſi ſaltem decem iuſti ibi inuenti fuiſſent, illæ ciuitates non eſſent deletæ. Infelix igitur illa ciuitas & perditioni iam proxima, quæ ſolis peccatoribus abundans, ſanctos & iuſtos viros habere non meruit.

CAPVT XIX.

VEnerant ergo duo Angeli Sodomam, quos Loth inuitauit, immo in hoſpitium coëgit. Viri autem ciuitatis vt eis impiè abuterentur, domum violenter circundant, quibus ne hoc fiat, duas filias ſuas exponit. Sed cum adhuc importunè inſtarent à minimo vſque ad maximum percuſſi ſunt cæcitate. Loth vero cum vxore & filiabus, ſecutus eſt Angelos. Vxor autem eius poſt ſe reſpiciens verſa eſt in ſtatuam ſalis. Magna eſt virtus hoſpitalitatis, per quam ipſi quoque Patriarchæ Domino placuiſſe probantur. Magna iniquitas Sodomorum, qui tam imprudenter viros etiam ignotos polluere non erubeſcunt. Sed quid dicam de Loth, qui vt hoſpites tueretur propriis filiabus non pepercit? Allegoricè autem duo Angeli duo ſunt teſtamenta: his enim nunciantibus accepimus quicquid ſapientiæ & ſcientiæ habemus: horum ſententia damnantur mali: horum conſilio liberantur, & ſaluantur boni. Sodomitæ autem, hæretici intelliguntur, qui ſemper verbum Dei adulterari conantur, qui vtroque teſtamento abutentes, prauè intelligendo & exponendo illud impiè violare contendunt Loth vero qui declinans interpretatur, Sanctam Eccleſiam deſignat cui ſemper eſt cordi declinare à malo, & facere bonum, Per duas autem filias ipſius carnem noſtram & ſubſtantiam quam poſſidemus, ſignificare puto. Has autem filias Sancti Dei deſpiciunt has inquam furori obiiciunt magiſque his priuari volunt, quam peccare in lege Dei, & teſtamentorum non defendere puritatem. Sed quid per vxorem Loth, niſi fatuam illam Chriſtianorum plebem intelligimus, quæ in bono perſeuerare negligens, facilè ad priſtina peccata dilabitur? Talibus autem Dominus ait; *Nemo mittens manum in aratrum reſpiciat retro.* Merito quidem in ſalis ſtatuam conuerſa eſt mulier, vt de ſe, ne talia patiantur cæteris ſapientiæ præberet exemplum. Bene autem, & duos generos ſuos ſecum Loth educere volebat. Quoniam etiam eos, quos carnaliter diligimus, à morte, ſi poſſumus, liberare debemus. Quid autem eſt quod dicitur. *Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Loth ingreſſus eſt Segor:* niſi quia ſole iuſtitiæ Chriſto Domino noſtro ad iudicium veniente, & ſanctis viris in Segor, id eſt in cœleſti patria receptis mox ignis ſuper Sodomam deſcendet, ille nimirum qui habet incendere totum mundum. Segor enim interpretatur parua: multi enim ſunt vocati pauci vero electi. Parua igitur Segor, quia pauci electi. Nemo autem dubitet, ante ignem iudicium fieri.

Aſcenditque Loth de Segor, & manſit in monte, Duæ autem filiæ eius, cum neminem virorum remanſiſſe ſuper terram putarent, inito conſilio patrem inebriantes cum eo dormierunt & ex eo conſipientes genuerunt Moab, & Ammon. Hic autem ſola hiſtoria narratur, quæ ideo quibuſdam impoſſibilis eſſe videtur, quia non credunt, quod aliquid neſciens cum aliqua concumbere poſſit. Scimus tamen quod in ſomnis aliquando à neſcientibus ſemen effunditur, quod ſi genitali aluo ſuſciperetur, generare poſſe non dubitamus: & non minus quidem Loth, qui inebriari potuit, peccaſſe putamus, quam eas, quæ non luxuriæ ſtimulis agitatæ, ſed filiorum amore ne hominum genus periret penitus, prouocatæ fuerant.

CAPVT XX.

SEquitur autem quod Abraham profectus indè venit in terram auſtralem. Ibi quoque ſicut, & ſuperius dixit Saram ſuam eſſe ſororem. Tulit igitur eam Abimelech: propter quod ipſe, & vxor, & ancillæ eius, flagellati ſunt à Domino. Hoc autem ſuperius expoſitum eſt, vbi Sara propter eam cauſam à Pharaone rapta fuiſſe narratur. Quod autem dicitur: quia orante Abraham ſanauit Deus Abimelech, & vxorem, & ancillas eius, & pepererit, hoc eſt quod ſuperius diximus: ne inter ſe commiſceri poſſent eos in genitalibus ægrotaſſe. Vnde & ſubditur: Concluſerat enim Deus omnem vuluam domus Abimelech, propter Saram vxorem Abrahā. Tamdiu igitur nec ſuis vti potuit, quamdiu aliena deſiderauit abuti vxore.

A

CAPVT XXI.

VIſitauit autem Dominus Saram, & peperit filium eo tempore, quo prædixerat ei Deus, vocauitque nomen eius Iſaac, quod riſus, ſiue gaudium interpretatur. Vnde & ait: Riſum fecit mihi Deus, quicumque audierit, corridebit mihi. Rurſumque ait: Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium quem peperit ei iam ſeni. Creuit igitur puer & ablactatus eſt; fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius. Meritò enim in die ablactionis fit grande conuiuium, vt à lacte ſeparatus magnas inueniat delicias quibus vtatur. Vnde Apoſtolus ait. *Lac vobis potum dedi non eſcam.* Quare hoc? nondum enim peteratis. De ablactatis vero quid dicitur? *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Hoc eſt enim grande conuiuium, hoc Abraham, hoc Apoſtoli præparant filiis ſuis, filiis vtique iam ablactatis, iam ab vberibus auulſis.

B *Cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac, dixit ad Abraham, Eijce ancillam hanc & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Mane igitur ſurgens Abraham, tollenſque panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ Agar tradiditque ei puerum, & dimiſit eam. Quæ cum abiiſſet & erraſſet in ſolitudine Berſabee etiam aqua conſumpta eſſet, abiecit puerum ſubter vnam arborem. Miſertus autem Dominus exaudiuit puerum, oſtenditque ei puteum aquæ.* Puto autem, quod ad turpem, & inhoneſtum ludum, puerum Iſaac Iſmael prouocauerat, de quo Sara tam impatienter eſt indignata. Nam quia primogenita ei ſubripere deſiderabat, ideo eum ad flagitia incitabat. Diximus enim ſuperius, quod Sara Eccleſiam & Agar Synagogam ſignificet: hoc enim & Apoſtolus ipſe teſtatur. Tunc autem quantum ad litteram, Synagogam cum filio teiectam eſſe credo quando capta Ieruſalem vbique gentium diſperſi ſunt Iudæi. Spiritualiter autem tunc eiecta eſt, quando Iudæis verbum Dei audire nolentibus ad C gentes Apoſtoli ſunt conuerſi. Vnde Apoſtolus. *Vobis primum oportuit prædicare verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos feciſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Eiecta eſt igitur Synagoga portans panem; & vtrem aquæ, legem videlicet & Prophetas, quibus ſuos adulterinos reficeret. Hæc enim Iudæi ſecum vbique & portant & legunt, ſed non intelligunt. Sequitur. *Quæ cum abiiſſet & erraſſet in ſolitudine Berſabee.* Erat igitur Synagoga, errat vtique ſed vbique errat in ſolitudine. In qua ſolitudine: In ſolitudine Berſabeæ, ideſt iuxta puteum ſocietatis, ſic enim interpretatur Berſabeæ. Puteum enim ſatietatis Eccleſiam, circa quam pluribus in locis Iudæi morantur, vel ipſam legem quam portant, intelligere poſſumus: circa quam ideo errant, quia praue eam intelligunt. Quod quidem ex eo facile probatur, quia quoties nobiſcum diſputant, cito deficiunt, cito quod proferunt non habent cito eis aqua ſiccatur in vtre; nobis autem non ſiccatur aqua, quia ſpiritus eſt, qui loquitur, cui nemo reſiſtere valet. Sequitur. *Cumque aqua* D *conſumpta eſſet in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborem.* Quando enim Iudæi in diſputatione deficiunt, quando ex lege, & Prophetis competentia teſtimonia, quæ contra fidem Chriſtianam proferant, non inueniunt, tunc eis prodeſt, quandó compuncti conuertuntur ad Chriſtum. Vnde & ſequitur: *Quia exaudiuit Dominus vocem pueri, & oſtendit ei puteum aquæ, impleuitque vtrem, & bibit.* Hunc autem puteum Sanctam Eccleſiam, nouum teſtamentum, & Euangelia eſſe putamus. Huc igitur Iudæi, venite, huc flentes, & pœnitentes accedite, de hac aqua bibite, de hac vtrem legis implete, & aridæ litteræ ſpiritualem intelligentiam adhibete, hoc enim, etſi non modo, aliquando tamen facturi eſtis, vt Apoſtolus ait: *Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet:* tunc. Agar, ideſt Synagoga implebit vtrem, & ſitientem morientemque Iſmaelem, id eſt populum Iudaicum viua, & noua aqua potabit, quam quidem de plenis ſemperque abundãtibus Eccleſia fontibus hauriet.

E De eo quod Abraham, & Abimelech. percuſſerunt fœdus inter ſe, ne nocerent ſibi alterutrum, & de redditione putei, quem vi abſtulerant ſerui Abimelech, deditque Abraham Abimelech oues, & boues & ſeptem agnos. Abraham enim pater multarum gentium. Abimelech vero pater meus Rex interpretatur. Quid igitur per hos patres, niſi animam, & carnem intelligimus? quæ ſi inter ſe conuenerint, nihil molle, & fœmineum habentes, ſed totum virile, & maſculinum poſſidentes merito non matres, ſed patres appellantur. Vnde ipſa veritas ait. *Si duo in vobis conſenſerint de omni re quam petierint, fiet eis.* Sed quoniam anima poſſidet intellectum, conſilium; & rationem, quod caro non habet, aliter viciſſim conuenire non poterunt, niſi animam caro ſequatur. Abraham igitur vir ſanctus & ſpiritualis ſignificat animam, Abimelech verò carnalis homo, & ſæcularis, carnem deſignat. Serui autem Abimelech, id eſt carnis ingluuies, ebrietas, luxuria, & his ſimilia intelliguntur, quæ vtique ſoli carni ſeruiunt. Per Puteum autem, quem iſti ſerui F nequiſſimi abſtulerant Abrahæ, id eſt animæ. ſapientiæ fontem intelligimus, quæ quidem ſimul cum his eſſe non poteſt. Vnde ſcriptum eſt. *In maleuolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, reddito igitur animæ ſapientiæ puteo, & carne iam domita ſpiritui conſcientiæ dat Abraham, id eſt anima donat Abimelech, id eſt carni, oues ſcilicet, vt ſimpliciter viuat, boues autem, vt iam nunc vitiis ſeruiat, ſed iugum Chriſti quod ſuaue eſt, ferens, in eius agro laborare incipiat. Dat ei præterea ſeptem agnas, id eſt ſeptem gratias Spiritus ſancti, quæ ſemper ſint ei teſtimonium, ne contra ſe bellum vlterius ſeruis ſuis mouere permittat. Bene autem interueniente Fichol militiæ principe facta eſt hæc conuentio: quia Fichol, qui os omnium interpretatur, ſapientiam deſignat, quæ & linguas infantium facit diſertas, & ſine qua vera pax, & concordia eſſe non poteſt.

CAPVT XXII.

G QVæ poſtquam geſta ſunt, *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, & offer mihi eum in holocauſtum, &c.* Præcipitur Abrahæ, vt eo in monte immolet filium, in quo Chriſtus Dominus eſt crucifixus. Mons enim viſionis ipſe eſt Sion, qui & ipſe viſio vel ſpeculatio interpretatur, Quamuis igitur non eodem loco, tamen eodem monte vtrumque actum eſt, vt aptiſſime Deus monſtraret, qui per hoc ſacrificium ſignificare vellet. Ducitur ergo Iſaac ad victimam, & cum reſiſtere poſſet, ſponte tamen ſe ligari, & ſupra aram poni permittit. Sicut enim Ioſephus ait: Iam illius erat ætatis, vt patrem, ſi vellet facile ſuperare poſſet, ſed poſtquam hoc Deum præcepiſſe cognouerat, ſponte ſe ad immolandum dedit, ne Dei reſiſteret voluntati. Quis igitur in hoc, Abraham, an Iſaac laudibilior ſit, non facile apparet. Abraham tamen reſurgere mox filium, ſi occideretur, ſperabat, quoniam Deum non poſſe mentiri ſciebat: quomodo enim gens illa cœli ſtellis comparata de Iſaac H naſceretur ſi mortuus non reſurgeret? Interdicitur ergo Abrahæ ne puerum occidat. Puerum autem vſitato locutionis more eum appellat, quomodo maiores quoque natu pueros dici conſueuerant. *Reſpiciens ergo Abraham vidit arietem inter veprem hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Laudatur Abraham de facto, benedicitur à Domino, promittitur ei ſemen inſuperabile, & in quo omnes gentes benedicantur, pro quo Chriſtus intelligitur, in quo qui non benedicitur, non eſt benedictus. Allegoricè autem Abraham qui pater multarum gentium, vel pater excelſus interpretatur, Deum Patrem ſignificat, de quo ſcriptum eſt: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus.* Iſaac vero filium eius Ieſum Chriſtum, qui & ipſe factus eſt obediens Patri vſque ad mortem. Ara vero crucem deſignat, in qua ipſe eſt immolatus. Aries autem qui immolatur pro Iſaac, caro Chriſti eſt, Eſt enim Chriſtus Deus, & homo, ſecundũ Diuinitatem quidẽ immortalis & impaſſibilis: ſecũdũ humanitatẽ vero paſſibilis

A atque mortalis. Chriſto igitur in cruce poſito, ſolus aries immolatur, ſolus agnus occiditur, ſola caro crucifigitur: non enim ſecundum Diuinitatem paſſus eſt Chriſtus Hoc igitur cauſæ extitit, quare pro Iſaac aries eſt immolatus. Quod autem circa cornua, & in capite arietis vepres hærebant, nonne tibi ſpinea coronâ eſſe videtur in capite Saluatoris? Quid eſt autem quod Dominus Abrahæ loquitur dicens. *Nunc cognoui quod timeas Deum?* nunquid prius non cognoſcebat? Tale eſt igitur, ac ſi diceret: Nunc te tentando, te probando cognoui, id eſt cunctis gentibus cognitum feci, quod timeas Dominum: niſi enim Abraham tentaretur, eius obedientia non cognoſceretur.

CAPVT XXIII.

Vixit autem Sara centum viginti ſeptem annis, & mortua eſt, quam empto agro, Abraham ſepeliuit in ſpelunca duplici, in qua Adam, & Eua, Abraham, & B *Sara, Iſaac, & Rebecca, ſepulta eſſe referuntur, in quam & Iacob de Ægypto delatus eſt.* Quid enim per ſpeluncam duplicem, in quâ Patriarcharum corpora requieſcunt, niſi cœleſtem patriam intelligimus? Quæ ideo duplex dicitur, quia bona duplicia Sanctis præſtat. Vnde ſcriptum eſt: *Duplicia in terra ſua poſſidebunt.* Ibi enim vſque ad iudicium ſolæ animæ, poſt iudicium autem animæ & corpora æterna beatitudine perfruentur. Merito igitur non in Sepulchris Cananæorum, ſed in hac tam nobili ſpelunca vir ſanctus, & ſpiritu Dei plenus vxorem ſuam ſepelire voluit.

CAPVT XXIV.

POſt hæc narratur, *quomodo Abraham præcepit ſeruo ſuo, vt poneret manum ſuam ſubter femur ſuum, & iuraret, quod non acciperet vxorem Iſaac filio ſuo niſi de cognatione ſua. Fecit igitur ſeruus quod ei præceptũ fuerat, tulitque decem Camelos de grege Domini ſui, onerauitque* C *eos ex omnibus bonis eius, & pergens in Meſopotamiam inuenit Rebeccam filiam Bathuelis filij Nachor fratris Abrahæ Domini ſui, quæ venerat ad puteum ad hauriendam aquam, cui inaures, & armillas, vaſa aurea, & argentea dedit, & veſtes pro munere, eamque Domino ſuo accepit vxorem.* Dicamus ergo quid femur Abrahæ, quid Iſaac, quid ſeruus, quid decem Cameli, quid Rebecca, quid puteus quid ornamenta ſibi data, quid eius parentes & propinqui ſignificent. Quid enim per femur Abrahæ (de quo, ſicut Matthæus Euangeliſta deſcribit Chriſtus ſecundum carnem originem ducit) niſi Chriſti humanitatem intelligimus? Magnum eſt igitur hoc iuramentum, quod ſuper carnem ſit mundi Conditoris. Quod autem Iſaac Chriſtum ſignificet, Apoſtolus teſtatur dicens: *Non dixit in ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno & ſemini tuo quod eſt Chriſtus.* Decem vero Cameli, prophetarum eſt multitudo, qui ideo decem fuiſſe dicuntur, quoniam decennarius numerus, omnes in ſe numeros continet, hoc eſt ergo decem, quod om- D nes quod decem, multum ergo conueniens fuit, vt ad Rebeccam defendendam, omnes prophetæ ducerentur. Onerati pergunt cameli, quia magnæ ſunt diuitiæ prophetarum. Sed quis eſt iſte ſeruus qui eos ducit? quis inquam niſi Apoſtolorum chorus, & præcipue Paulus ſeruus Ieſu Chriſti. Iſti ergo inueniunt Rebeccam iſti inueniunt ſanctam Eccleſiam, iſti inueniunt patientiam? ſic enim interpretatur Rebecca, Ipſa eſt enim cui Dominus ait. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Sed qualis erat Rebecca, dicat Moyſes: Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro; talis eſt igitur Eccleſia non habens maculam, neque rugam. Hæc autem venerat ad puteum, hæc venerat ad hauriendam aquam, Sed quid inuenit? Seruos Abraham, ſeruus Chriſti eos inuenit, qui viuam & indeficientem ferebant aquam. Sic enim & mulier Samaritana dum venit ad puteum haurire aquam, Chriſtum ibi reperit promittentem aquam viuam. Sed multo melior Rebecca quam mulier Samaritana: ab illa enim vix aqua extorquetur, E hæc autem ſua ſponte promittit. Illa denique dicit; *Quomodo tu cum Iudæus ſis, à me bibere petis quæ ſum mulier Samaritana.* Hæc ait. *Bibe Domine mi, nam, & Camelis tuis potum tribuam.* Sed quid eſt quod iſti aquam ab eis petunt, quibus aquam dare venerant, niſi vt in re viliſſima, & quæ plurimum abundat, eos probent, quam circa proximos habeant miſericordiam, & charitatem quibus Chriſti Sacramenta committere debent? Ideo enim dicitur, *quia non perdet mercedem ſuam, qui vel calicem aquæ frigidæ proximo dederit.* Poſtquam autem obediens, patiens, & miſericors Rebecca eſſe probatur, dantur ei inaures, quibus ornata, fiat apta, & docilis audire verbum Dei. Tales enim & ſic ornatas aures quærebat Chriſtus cum diceret: *Qui habet aures audiendi audiat.* Merito autem prius aures Eccleſiæ ornantur, & ſic per eas venitur ad reliqua membra, quia ipſæ ſunt quæ prius occurrerunt venienti verbo Dei. Ideo Pſalmiſta ab auribus incipiens ait: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.* F Quibus ornatis venitur ad manus: per quas opera intelligimus; quia non ſufficit audire, niſi & ea, quæ audiuntur, opere compleantur. Vnde & ipſe Dominus ait: *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Et Apoſtolus: *Non auditores, inquit legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores.* His autem ita geſtis, interrogatur. Cuius ſit filia: Quæ ait: *Filia ſum Bathuelis, filij Nachor, & Melchæ.* Bathuel enim interpretatur virgo Dei; Nachor requies luminis: Melcha regina eius. Quæ eſt ergo virgo Dei, cuius filiam ſe eſſe Rebecca gloriatur, niſi illa, de qua Apoſtolus ait. *Illa autem Ieruſalem. quæ ſurſum eſt libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* De qua & Ioannes ait. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo a Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Huius ergo virginis filia eſt Rebecca, huius filia eſt Eccleſia, quæ in hac vita moratur, & degit. Sed quid Nachor, id eſt requies luminis, niſi Deus pater intelligitur, in quo ille requieſcit, qui dicitur lumen de lumine? Quid vero Melcha, id eſt Regina eius, niſi Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia? Talibus igitur parentibus, talique progenie exorta magnis ditata muneribus, prophetarum vehiculo, Chriſto Domino deſponſata Rebecca deducitur. Eſt enim ædificata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum. Quid autem vaſa aurea, & argentea, & veſtes, quæ dantur Rebeccæ ſignificant, niſi doctrina, exempla, mores, vitam, conuerſationem, & inſtitutionem Apoſtolorum & prophetarum, quibus inſtructa & ornata Sancta Eccleſia Domino placet. G

Eo autem tempore egreſſus fuerat Iſaac ad meditandum in agro, quem Rebecca cum vidiſſet, deſcendit de camelo, & cooperuit ſe pallio. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret. Eo inquam tempore quo Apoſtoli prædicare cœperunt, quo ad Chriſtum Dominum ſuum Eccleſiam duxerunt, Chriſtus Dominus noſter egreſſus fuerat à Patre & venerat in mundum. De quo ſcriptum eſt: Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. H Sed quare venerat? ad meditandum. De eo namque dictum fuerat: *Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Inde etiam animalia quæ non ruminant, immunda vocantur. Venerat ergo ad meditandum, id eſt, ad hoc venerat, vt nos meditari & ſcripturas ruminare, & ſpiritualiter intelligere doceret. Ideoque hinc dicitur? Quia ambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen eſt viuentis, & videntis. Puteus iſte, ſpiritus Sanctus eſt, qui nos ſpiritualiter ſcripturas intelligere facit. Ambulabat ergo per viam, non per illam, quæ ducit ad litteram, qua Iudæi gradiuntur, ſed per illam quæ ducit ad ſpiritum, qua Eccleſia incedit: quia littera occidit, ſpiritus autem viuificat. Puteus viuentis ideo dicitur: Quia vero mentis oculos & illuminat & videre facit, videntis appellatur. Hac igitur aqua, hoc ſpiritu Chriſtus repletus dicebat. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, Euangelizare*

A *lizare pauperibus miſit me.* Quod autem Rebecca eum videns de camelo deſcenderit timoris & humilitatis eſt indicium, quod vero pallio ſe operuit aut erubuit, decentior apparere voluit. Quanto igitur ſancti viri Deo familiarius appropinquant, tanto magis humiliores, & vt ei placeant, decentius adornare ſe debent. Introduxit autem eam in tabernaculum matris ſuæ, & accepit vxorem, quia eo amore Eccleſiam diligere cœpit, quo prius dilexit Synagogam, illa namque cadente iſta ſurrexit. Vnde & ſubditur. *Et in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.* Plus enim hic optimus filius de morte matris, quam de ſua dolebat, cum in cruce pendens diceret: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Mater enim illius ſecundum carnem, Synagoga fuit, quia de Iudæorum ſtirpe natus eſt Chriſtus.

CAPVT XXV.

B SEquitur autem: quod Abraham duxit aliam vxorem nomine Cethuram, de qua plures filios habuit, deditque cuncta quæ poſſederat; Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac. Non eſt autem putandum quod Abraham vir ſanctus & Deo charus libidinis cauſa alias duxerit vxores: ſed quia nomine pater erat, re etiam multorum filiorum pater eſſe volebat. Significabat præterea, Deum vnam ſanctam vxorem habere, quæ ſibi legitimos & hæreditate dignos filios pareret, & multas haberet concubinas, quæ ſpurios, & ab hæreditate pellendos filios generaret, quales ſunt Iudæi, Pagani, & hæretici. Vnde bene ſubditur. *Quia dedit filio ſuo Iſaac cuncta, quæ poſſiderat.*

Filiis autem concubinarum largitus eſt munera. Ipſe enim Chriſtus ait; *Omnia, quæ habet pater, mea ſunt,* Si enim ſua, ergo & noſtra. Sumus enim, vt Apoſtolus ait. *Hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Filiis autem concubinarum largitus eſt munera, bona ſcilicet temporalia, C mundi ſubſtantiam, intellectum & rationem, multarum artium peritiam, & multa alia dona præcipua, quibus illi male vtuntur, & ſeparauit eos ab Iſaac. *Quæ enim conuentio luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli; quæ conuentio Chriſti cum Belial?* Apoſtolus eſt, qui loquitur. Notandum vero eſt quod eaſdem, & vxores & concubinas vocat.

Vixit autem Abraham, centum ſeptuaginta quinque annis, & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, vtpote in cuius vita nihil reprehenſibile inuenitur. Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmaël in ſpelunca duplici. Et poſt obitum illius benedixit Deus Iſaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis. Habitabat autem Iſaac iuxta puteum viuentis, & videntis omnia, quoniam ſapientiæ, & iuſtitiæ intentus in lege Dei meditabatur die ac nocte. Superuixit autem Abraham, poſtquam Iſaac duxit vxorem, triginta quinque annis.

Quadraginta autem annorum erat Iſaac quando duxit vxorem, pro qua, quia ſterilis erat, rogauit Dominum D *& concepit. Sed collidebantur in vtero eius paruuli. Iuit igitur vt conſuleret Dominum, qui reſpondens ait: Duæ gentes in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Nati ſunt igitur; ſed prior Eſau egreſſus rufus erat, & in morem pellis totus hiſpidus: alter egrediens plantam fratris manu tenebat, ideoque vocatus eſt Iacob.* In Euangelio enim Dominus ait: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* Apparet ergo quia vult rogari Deus, & quod facturus eſt, precibus accelerat. Sterilis erat Rebecca, paritura tamen, quæ non peperiſſet, niſi pro ea Iſaac Dominum rogaſſet. Pugna vero eorum paruulorum in vtero diſcordiam, quam ipſi & filij eorum habituri erant, ſignificabat. Sed quo iuit Rebecca vt conſuleret Dominum, niſi quia more ſolito ſacrificauit, & reſponſum petiit? Accepit autem reſponſum quod maior minori ſeruiret, & populus populum ſuperaret. Non quod Eſau ſeruierit Ia- E cob, ſed quia filiis Iacob vſque ad Chriſti natiuitatem, non ſolum filios Eſau, ſed cunctas gentes in circuitu afflixerint & ſuperauerint, lege veteres hiſtorias & ſic inuenies. Poſt Chriſti vero natiuitatem, iam non Iudæi, ſed Chriſtiani dicuntur ſemen Iacob, eiuſque filij: quibus etiam ſecundum litteram, & ſecundum ſpiritum non ſolum filij Eſau, verum etiam ipſi Iudæi & cunctæ nationes ſeruiunt. Quod autem poſt Chriſti natiuitatem non Iudæi, ſed Chriſtiani dicantur ſemen Iacob, dicat Apoſtolus: *Non vtique omnes qui ſunt ex Iſraël, hi ſunt Iſraëlitæ:* neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij; ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ideſt, non qui filij carnis, hi ſunt filij, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Et in Euangelio dicitur: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Et Dominus ad Iudæos: *Si filij Abrahæ fuiſſetis, opera Abrahæ faceretis.* Ex his ergo manifeſtum eſt, quia iam non Iudæi, ſed Chriſtiani ſemen Iacob appellantur. Qui etiam nunc F Eſau per plantam tenent, quoniam eos nequaquam Iudæi eorumque ſeruitia effugere poſſunt. Per primogenita vero quæ Eſau vendidit, ſacerdotalis dignitas intelligitur; quæ quidem bene Iacob emiſſe dicitur, quia ſancta Eccleſia, quæ per Iacob figuratur, modo poſſidet hanc dignitatem, Iudæis ſine lege, ſine rege, & ſine ſacerdotio permanentibus. Pro panis namque & lentis edulio, pro commodo terrenæ ſubſtantiæ, ne forte locum amitterent, clamauerunt Iudæi: *Non habemus Regem niſi Cæſarem:* hac enim voce negauerunt Chriſtum, & hac Sacerdotem & ſacerdotium amiſerunt, & qui timebant, niſi Chriſtum occiderent, & locum & gentem perdere, eo occiſo, omnia perdiderunt. At vero Iacob & filij Eccleſiæ eſuriunt & ſitiunt, & non ſolum panem & lentis edulium, verum etiam omnia quæ poſſident vendentes, hanc dignitatem & gratiam emunt. Miſeri Iudæi qui tantam dignitatem perdiderunt, & qui omnium primogeniti fuerant, alios ſupra ſe in ſacerdotij dignitate ſtare conſpiciunt. Quanto melius eis fuerat eſuriiſſe & ieiunaſſe, quam vt eis male ſaturatis diceretur. G *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.*

CAPVT XXVI.

SEquitur autem: quod orta fame ſuper terram, Iſaac abijt ad Abimelech Regem Paleſtinorum: dixitque de Rebecca quod ſoror ſua eſſet, ſed cognita cauſa, præcepit Abimelech, ne quis eam tangere auderet. *Seuit autem in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum. Benedixitque ei Deus, & locupletatus eſt valde. Ob hoc inuidentes ei Paleſtini, omnes puteos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham, obſtruxerunt, implentes humo, in tantum, vt ipſe Abimelech diceret; Recede à nobis, quia nobis potentior factus es valde.* Receſſit igitur, ſed iurgium pro puteis non quieuit, donec Abimelech veniens poſuit fœdus cum eo. Sciebat enim Iſaac, Patrem ſuum ſapientiæ virum fuiſſe, cuius viam & exempla ſequens, vbi H habetur conſilium euadendi periculum, ſtultum eſſe putat, caſui ſe committere & fortunæ. Si enim dixiſſet, Rebeccam ſuam eſſe vxorem, poterat fieri vt non occideretur, & poterat fieri vt occideretur; maluit igitur dicere ſuam eſſe ſororem, ne ſuſpenſus ſtaret inter vtrumque: ſic enim & Abraham feciſſe cognouerat. Sic & nos in rebus dubiis facere debemus. Noluit autem Moyſes ſilentio præterire rem tam memorabilem, & quæ raro accidere ſolet, videlicet, quod Iſaac de vno modio ſementis centum colligere meruit. Hoc enim in Euangelio ait Dominus: *Semen cecidit in terram bonam & protulit fructum, aliud trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum.* In hoc igitur eum iuſtum perfectumque virum fuiſſe demonſtrat, qui centeſimum fructum colligere meruit. Sed qui ſunt ſerui Abrahæ qui puteos fodiunt, & tam laborioſe omnibus in locis aquam quærunt? Qui ſunt etiam Paleſtini qui eos obſtruunt & humo replent? Serui enim Abrahæ, maioris videlicet Abrahæ,

Prophetæ

A Prophetæ ſunt, Apoſtoli, & Doctores. Iſti puteos fodiunt: iſti ſcripturas perſcrutantur: iſti libros ſacros ſpiritualiter exponunt; iſti abiecto velamine litteræ, viuam aquam nobis propinant. Philiſtini, qui cadentes poculo interpretantur, Hæretici ſunt, Iudæi, & Philoſophi. Hi enim falſa & hæretica doctrina inebriati, & quaſi frenetici & ebrij propter inſaniæ & falſitatis poculum cadentes, non ſolum alios puteos, verum etiam ipſa quatuor Euangeliorum doctrinæ fluenta claudere & obſtruere conantur. Sed quoniam in quibuſdam nobiſcum ſentiunt, ideo etiam pro quibuſdam puteis non contendiſſe dicuntur. De fœdere autem Abimelech cum Iſaac, idipſum intelligamus, quod ſuperius expoſuimus de fœdere euſdem cum Abraham. Abimelech vero ſignificat carnem, quam & ſuperius ſignificauit. Veniat igitur Abimelech ad Iſaac, veniat caro ad animam, audiat quod ſcriptum eſt: Redite præuaricatores ad cor; faciant fœdus, conueniant pariter; vt iam non carnalem, ſed ſpiritualem intelligentiam ſequantur: bibant aquam de fontibus Iſraël: B quod ſi fecerint iam vlterius puteos Abrahæ obſtruere non optabunt: ſerui quoque eius puteos effodere non ceſſabunt. Quot enim puteos Hieronymus, quot Auguſtinus, quot Ambroſius fodit? vt merito locus ille, in quo iſti habitant, Eccleſia videlicet) Berſabee, id eſt puteus ſocietatis appelletur.

CAPVT XXVII.

Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat, vocauitque filium ſuum, vt ei benediceret: Sed, conſilio Rebeccæ, interuenit Iacob, hædorum pellibus inuolutus, ne cognoſceretur, ferens pulmentum, & patrem ad veſcendum inuitans: quem poſtquam Iſaac tetigit, & oſculatus eſt, eiuſque veſtimentorum fragrantiam ſenſit, benedicens ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini & olei & ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij C *matris tuæ: qui maledixerit tibi maledictus erit, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.* Quid enim per Iſaac niſi Iudaicus populus, qui alio nomine Synagoga vocatur? Quid vero per Eſau, niſi Iudæi carnaliter viuentes? Quid autem per Iacob niſi Chriſtum & Eccleſiam intelligere debemus, cuius ipſe caput eſt? Senuit autem Iſaac, quando ſuccedente baptiſmo circunciſio ceſſare cœpit, qui enim veteraſcit & ſeneſcit, prope interitum eſt. Caligauerunt oculi eius & videre non poterat, quia ſpiritualem intelligentiam ſub velamine litteræ non cognoſcebat. Denique & cum Chriſto loquens, cæcutientibus oculis quis eſſet, neſciebat. Vocauit igitur Eſau, vocauit carnales filios, præcepitque vt more ſolito de venatione ſua ſibi afferret. Nunquam hoſtiis & holocauſtis, nunquam animalium ſanguine & ſacrificiis ſatiatur Synagoga. Præſens erat Chriſtus, cuius eloquia ſuper mel & fauum ſunt dulciora, immolabatur agnus, D qui tollit peccata mundi: adhuc tamen Synagoga carnes quærebat: adhuc hircos immolabat & comedebat, & hoc quidem eſuriens Iſaac ſignificabat. Clamat Dominus: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Itemque: Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus, plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Et tamen Iſaac dicit, inſaturabilis Synagoga poſtulat: affer mihi de venatione tua. Cum autem quotidie Synagoga his ſacrificiis inhiaret, aduenit Iacob, aduenit Chriſtus, ſed quomodo venit? vis audire quomodo? hædorum pellibus inuolutus, id eſt in ſimilitudine carnis peccati. *Exinaniuit enim ſe, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Hoc enim fuit primum hominis indumentum, quando de paradiſo expulſus eſt. Tali igitur veſte indutus venit Chriſtus, ferens ſecum duos hædos optimos, alterum pro peccato, & alterum in holocauſto, carnem videlicet, & ſanguinem ſuum: his etenim peccatum originale ſoluitur, & E Deus ab indignatione placatur. Hos autem hædos coxit Rebecca, quæ interpretatur patientia multa. Multa igitur patientia hoc fecit, quod pro nobis Chriſtus ſe coqui & occidi permiſit, niſi enim patientiam multam habuiſſet, ſe à Iudæis crucifigi non paſſus fuiſſet. Ipſe enim, vt Apoſtolus ait, *dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Oblatus eſt igitur, quia ipſe voluit, & paſſus eſt patientia ſua. De hoc enim hædo dictum fuerat: Ne coquas hædum in lacte matris ſuæ. Coquitur ergo hædus, ſed non in lacte matris, quando occiditur Chriſtus, ſed iam ablactatus. Quid eſt autem quod Iſaac oſculatur & tangit Iacob, & in eius veſtimentorum fragrantia delectatur, niſi quia præſentia carnis cum Iudæis Chriſtus & locutus & conuerſatus eſt, & odore notitiæ ſuæ & miraculorum quæ faciebat, ad tempus ſunt delectati? Scriptum eſt enim, quoniam & eius veſtimenta infirmos ſanarint: quotquot enim tangebant eum, ſani fiebant à quacunque detinebantur infirmitate. Benedicit autem F Iſaac Iacob & non cognoſcit: quoniam vſque hodie Iudæi quoque Chriſtum benedicunt, cui tamen benedicant, non intelligunt: omnes enim Scripturæ benedictionibus plenæ ſunt: nam & Patriarchæ & Prophetæ Chriſti benedictiones ſcripſerunt, quas quidem Iudæi legentes, Chriſtum etiam nolentes benedicunt. Putant enim ſe benedicere alium Chriſtum, qui non eſt alius, quam Antichriſtus. Sicut enim Iacob Chriſtum & Eccleſiam ſignificat, cuius caput ipſe eſt, ita Eſau Antichriſtum & Iudæos carnaliter viuentes deſignat, qui ipſius membra ſunt. Hic autem cum venerit, cum de venatione redierit, omnis legis ceremonias & ſacrificia reſtaurabit. Sed priuſquam hic veniat, audiamus qualiter Iſaac benedicat Iacob: *Ecce*, inquit, *odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Hoc autem & ipſe Dominus ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Talis eſt igitur odor Chriſti, qualis odor campi liliorum & roſarum, & aliorum odoramentorum repleti. Per quæ virtutes intelligimus, & ſancti Spiritus gratias, quibus ipſe vnctus eſt præ participibus ſuis. Vnde & ſubditur. *Det tibi Deus de rore cœli.* Quid enim ros cœli, niſi ſpiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris G Domini? Tali enim rore abundat Chriſtus. Terræ vero pinguedo quæque meliora, quæ terra, id eſt Eccleſia poſſidet, intelliguntur. Vnde conſequenter adiungitur: Frumenti & vini & olei abundantiam. Per hæc enim quibus homines nutriuntur, & viuunt, fidem, ſpem & charitatem, ſiue Apoſtolos & Doctores, qui nos ſpiritualibus nutriunt alimentis intelligimus. De fide enim dicitur: Quod impoſſibile eſt ſine fide placere Deo. De charitate autem: *Deus charitas eſt, qua Chriſtus dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* De ſpe vero: Quia *ſpe ſalui facti ſumus.* Quod autem populi ei ſeruiant, & tribus eum adorent, & quod ipſe ſit Dominus fratrum ſuorum, & filij matris eius, Eccleſiæ vel Synagogæ, ante eum incuruentur, tam manifeſtum eſt, vt expoſitione non indigeat. Ipſe enim ait: *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & confi-* H *tebitur omnis lingua.* Et Apoſtolus; *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Hæc autem dum agerentur, venit Eſau. Venturus eſt enim in fine ſæculi cum magna multitudine Iudæorum. Nondum enim venit, quia nondum Synagoga à Chriſti benedictione ceſſauit: benedicit enim ei & manifeſte per bonos, benedicit & in ſcripturis ſacris per non bonos. Veniet igitur cibos afferens, ſacrificia immolans. Hæc autem ſacrificia non recipiet Iſaac: iſti cibi non placebunt Patriarchis & Prophetis. Iam enim ſuſcepit Iſaac cibos Iacob, iam ſanctorum Synagoga ſaturata eſt de ſacrificiis Chriſti. Sed quia ſcriptum eſt: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter.* Et: *Cum plenitudo gentium introierit, tunc Iſraël ſaluus fiet;* Et: *Si fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reliquiæ conuertentur ad Dominum.*

A

Quia, inquam, hoc ſcriptum eſt, neceſſario credere debemus, quia non ex toto priuabitur Eſau, id eſt populus Iudaicus benedictione patris, ſed quicunque conuertentur ad Dominum ſuſcipient, benedictionem Synagogæ, id eſt Patriarcharum & Prophetarum. A Chriſti ergo natiuitate vſque ad id tempus, Eſau errans in venatione, maximoque labore cibum quærens, tunc conuertetur, tunc gemens, plorans & pœnitens audire merebitur: In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua. Hoc autem ſuperius expoſitum eſt. Et quia pœnituit, eandem cum fratre benedictionem ſuſcipiet. Quod autem ſequitur: Viues gladio, ſecundum litteram ad Eſau pertinet, quia venator extitit. Et fratri tuo ſeruies; quoniam omnium in circuitu Iſraëliticus populus dominatus eſt. Tempuſque veniet, cum excuties & ſolues iugum eius de ceruicibus tuis. Iugum enim eius ſuaue eſt, & onus eius leue. Hoc autem ſciendum eſt, quod non omnia quæ hiſtoria narrat, allegorice ſunt exponenda, alioquin hiſtoria non eſſet.

B

CAPVT XXVIII.

ODerat ergo *Eſau Iacob, & cogitabat occidere eum Nunciata ſunt autem hæc Rebeccæ.* Sed à quo nunciata ſunt, niſi ab eo qui ſolus nouit cogitationes hominum, & nunquam deſerit ſperantes in ſe? Ex præcepto igitur Patris & matris, profectus eſt Iacob in Meſopotamiam ad Labam auunculum ſuum. *Cumque veniſſet in quendam locum & vellet ibi requieſcere, tulit vnum lapidem, & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco. Viditque in ſomnis ſcalam, cuius cacumen cœlos tangebat, & Angelos aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ*, ſibi, & ſemini eius terram, in qua dormiebat, promittentem, & quod eum ſanum duceret & reduceret. Euigilans ergo à ſomno ait: *Vere Dominus eſt in loco iſto: Quam terribilis*, inquit, *eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli. Surgens ergo mane tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, &*

C

erexit in titulum fundens oleum deſuper, vouens ſe decimas ex omnibus eſſe daturum, ſi Dominus eum cuſtodiret, & vitæ neceſſaria ei tribueret. Dicamus ergo quid lapis, quid ſcala, & quid Angeli ſignificent. Lapis enim ille, ſuper quem Iacob dormiuit, Chriſtus eſt, qui pluribus in locis lapis vocatur. Super cuius pectus Ioannes quoque Euangeliſta recumbens, non minora, quam Iacob videre meruit. Super hoc igitur lapide dormiant, (Beati enim mortui qui in Domino moriuntur) quicunque cœleſtia videre deſiderant. Scala vero, quæ cœlum tangebat, virtutum & bonorum operum concatenatio intelligitur: Sicut enim per ſcalam quibuſdam gradibus ad altiora conſcenditur, ita de virtute in virtutem proficientibus *videbitur Deus Deorum in Sion.* Angeli vero qui per hanc ſcalam aſcendebant & deſcendebant, Sanctos viros ſignificabant, qui virtutum gradibus & bonis operibus ad cœleſtia regna conſcendunt, ſic enim itur ad aſtra. Quid eſt autem quod Angeli non ſolum aſcendere, ſed & deſcendere quoque videntur, niſi quia ſancti viri

D

in hac vita ſine peccato eſſe non poſſunt? *Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſos nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quoties igitur ſancti peccant, toties per hanc ſcalam deſcendunt. Bene autem huic ſcalæ innixus: ſiue obfirmatus Dominus ſtare videtur, vt nos quoque doceat, quod ſemper virtutum baculo inniti debeamus. Hic enim non eſt baculus arundineus, & qui facile frangatur, qui innixus fuerit ſecure ſtare poterit. Euigilans autem à ſomno Iacob ait: *Vere Dominus eſt in loco iſto, in quo eum & loquentem audiui, & ſuperdormiens quieui, & ego neſciebam*, ideoque ſi quid peccaui, non exhibens huic lapidi dignam reuerentiam, ignoranter feci. *Quam terribilis eſt locus iſte*; in quo Deus ipſe habitare dignatus. *Non eſt hic locus alius niſi domus Dei, & porta cœli*, in quo, & Angeli habitant, & ſanctorum ſcala conſpicitur. *Erexit igitur lapidem in titulum*: venerans illum in lapide, qui per illum lapidem ſignificabatur, quem quia Deus oleo lætitiæ vnxerat præ

E

participibus ſuis, ipſe quoque ſuper eum oleum fudit. Deinde ait: *Et lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei.* Ille etenim lapis Chriſti carnem ſignificabat, in quo habitabat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, de qua ſcriptum eſt. *Sapientia Dei verbum Dei, ædificauit ſibi domum*, carnem videlicet quam aſſumpſit: quia *verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. Et excidit columnas ſeptem*, id eſt ſeptem Sancti ſpiritus gratiæ, quæ ſemper hanc domum ſuſtinerent. Nondum autem de decimis lex ſcripta erat, & iam ſe Iacob decimas daturum eſſe promittit. Hoc enim & Abraham feciſſe legitur. Mirum enim per hoc ſignificare volebat, vt quia decimus eſt homo, (nouem enim ſunt ordines Angelorum) illuc quaſi pro pignore ſui decimas mitterent, vbi ſe quaſi decimas venturos eſſe ſperarent.

CAPVT XXIX.

F

PRofectus *inde Iacob venit ad quendam puteum, iuxta quem tres greges ouium occupabant. Ibi quia cognouerat Rachel cum grege eſſe venturam, eam præſtolatus eſt, & adaquato grege oſculatus eſt eam. Deinde venit ad Laban, ſeruiuitque ei pro Rachel ſeptem annis: ſeptemque aliis pro Lia.* Dicendum eſt igitur, quid Iacob, quid Laban, & filiæ eius ſignificent. Iacob enim multis de cauſis Chriſtum ſignificat, præſertim hoc in loco quia paſtor extitit. Laban vero candidus interpretatur mundum deſignat, quorum nomina ſatis ſibi conuenire videntur. Quis enim mundi huius candorem, & pulchritudinem non miretur. Lia vero, quia lippis erat oculis, & laborioſa interpretatur, Synagogam, ſiue actiuam vitam demonſtrat. At vero Rachel, quæ decoram faciem habebat, & interpretatur ouis, Eccleſiam, ſiue contemplatiuam vitam oſtendit. Sequamur igitur ordinem. Venit Iacob ad Patrem. Puteus iſte noui veteriſque teſtamenti ſcientia mihi eſſe videtur. Tres vero ouium greges, Iudæi ſunt, Samaritani, & hæretici, hi enim tres de hoc puteo bibunt. Bene autem puteus iſte magno lapide clauditur,

G

illo ſcilicet, de quo ſcriptum eſt; Qui claudit & nemo aperit, qui aperit & nemo claudit, *Ipſe eſt Leo de tribu Iuda qui aperuit librum, & ſoluit ſeptem ſignacula eius.* Stabat igitur Iacob iuxta puteum, ſtabant & greges ouium, ſed quia nondum venerat Rachel, adhuc puteus clauſus erat, Tamdiu enim clauſus eſt puteus, quamdiu Chriſtus loqui non incipit, venit Rachel, aperitur puteus, adaquantur oues, baptizantur fideles, loquitur, & prædicat Chriſtus. Hoc eſt enim quod ait, *Et oſculatus eſt eam.* De hoc enim oſculo dicitur. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Quod autem Rachel nunciauit Laban patri ſuo de aduentu Iacob, hoc datur intelligere, quia ſancta Eccleſia Chriſti aduentum huic mundo præcauit, Qua annunciante occurrit Laban; quia prædicante Eccleſia totus mundus ad Chriſtum conuertitur. Septem autem annis ſeruiuit Iacob pro Lia, ſeptemque pro Rachel, quia ſiue per ſe, ſiue per ſeruos ſuos tota hac vltima ætate, quæ in ſeptem diebus voluitur, pro coniungendis ſibi animabus fidelium Chriſtus Dominus noſter huic

H

mundo ſeruit, *non enim venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Quid eſt autem quod pro Rachel ſubintroducitur Lia, niſi quia prior eſt actiua vita, quam contemplatiua? Prædicare namque, baptizare, eleemoſynas dare, ad actiuam vitam pertinent, quæ niſi præcedant, nemo erit qui in Dei contemplatione delectetur. Quis enim contemplabitur quod neſcit? Sequitur.

Videns autem Dominus quod Iacob deſpiceret Liam, aperuit vuluam eius ſorore ſterile permanente. Sterilis namque à principio erat Eccleſia, cum iam Synagoga innumerabiles filios peperiſſet. Actiua quoque vita ſemper filios facit Deo: Contemplatiua vero ſibi ſoli proficit. Et illa quidem lippis eſt oculis ſed fœcunda: hæc vero decora facie, ſed ſterilis. Hæc, omnibus prætermiſſis, ſolum Deum videre deſiderat: illa ſic ad Deum caligantes mentis oculos dirigit, vt huius vitæ neceſſaria non amittat.

A

CAPVT XXX.

SEd quid eſt, quod hæ ſanctæ mulieres, nimio deſiderio filiorum non ſolum per ſe, verum etiam per ancillas filios pariunt, niſi quia ſancta Eccleſia non ſolum per iuſtos & Catholicos, verum etiam per peccatores & hæreticos, & baptizat & filios generat? non tamen hi tales ancillarum filij dicuntur: quoniam quicunque baptizet, ſola tamen Eccleſia mater eſt. Sequitur autem: Quod Ruben egreſſus in agrum inuenit mandragoras, quas dedit Liæ matri ſuæ: Pro quibus Rachel conceſſit ſorori, vt ea nocte Iacob cum ea dormiret. Dicuntur autem mandragoræ hanc habere naturam, vt ſomnum prouocent, & hominis imitentur imaginem, & ſterili præſtent fœcunditatem: Per quod datur intelligi, quia ſancti viri & ſolius Dei amplexibus inhærentes aliquando quaſi graui ſomno grauati, eos, quibus Deum contemplabantur, oculos claudunt, & cæterorum B hominum imitantes imaginem, nolentes huic vitæ penitus inutiles eſſe, & fœcundi terrenarum rerum diſpoſitionem & procurationem in ſe ſuſcipiunt. Hoc autem & Apoſtolus faciebat, qui, quaſi Rachel raptus vſque ad tertium cœlum, mox quaſi Lia ad maritales deſcendens concubitus, ait: *Vir vxori debitum reddat, ſimiliter & vxor viro:* Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, & mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir. Et quoniam exemplo actiuæ vitæ agit hoc contemplatiua, non immerito dicitur quod Rachel has mandragoras à ſorore emerit, quia viro non niſi vna nocte ei maritum conceſſit, non diutius ab eius contemplatione ſe extraneam fore ſignificauit. Aliter autem cum Lia, aliter cum Rachel habitat Iacob, cum illa carnaliter, cum hac ſpiritualiter. Ex qua filios generat: huic ſe viſibilem præbet. Suſcipiens igitur mandragoras Rachel, id eſt terrenarum rerum ad tempus curam gerens, concepit & peperit filium. C *Lætare igitur ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum.*

Sequitur autem de eo quod Iacob poſtulauit à Laban: vt quicquid in ouibus & capris rufum fuerit & maculoſum & varium, ſibi pro mercede daretur. Hoc autem cum Laban conceſſiſſet, vidiſſetque in ſomnis Iacob omnes mares varios & maculoſos ſuper fœminas aſcendiſſe, tulit virgas populeas virides & amigdalinas & ex platanis, quas ex parte decorticauit, & ex parte cum corticibus reliquit, poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt dum veniſſent greges ad bibendum, in earum conſpectu conciperent. Dicunt enim Philoſophi: quod in conceptu exteriorem viſum natura ſequitur, & quod viſus contemplatur exterius, hoc natura operatur interius. Vnde in conceptu equorum ſiue canum, quidam eis ante oculos mares optimi generis ponere ſolent. Narrant etiam, quandam mulierem Æthyopem peperiſſe, D quoniam eo tempore, quo concipiebat, eius figuram in pariete depictam conſpexerit, quod quidem ex his quæ iam modo narrantur, ſatis veriſimile eſſe videtur. Sed quid per canales quibus aqua effundebatur, niſi Eccleſiæ Doctores intelliguntur? ex quorum ore quaſi ex quibuſdam canalibus, ſapientiæ & ſcientiæ fluenta decurrunt? Quid vero per virgas, niſi ſermones prolixi, longæque ſententiæ ſcripturarum, quæ quidem ex ea parte decorticatæ ſunt, ſecundum quam ſpiritualiter intelliguntur? Ex ea vero cum corticibus relinquuntur, ſecundum quam iuxta litteram & ſolam ſuperficiem exponuntur, quæ quia ſemper creſcunt & nunquam deficiunt, merito virides fuiſſe perhibentur; quarum aliæ quidem his qui vitiorum æſtu ardent, refrigerij & ſuauitatis vmbram præſtant, ſecundum populi platanique naturam: aliæ vero dulcem & delectabilem ſaporem præſtant ad amygdalæ ſimilitudinem. In iſtorum igitur conſpectu & intelligentia, oues ſanctæ Eccleſiæ, quas paſtor bonus nutrit, verbi Dei ſemen concipientes, multarum varietatum filios parturiſcunt: De qualibus ſcriptum eſt: *Omnis gloria eius filiæ Regum ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Non enim vnius coloris Eccleſiæ E filij ſunt, ſed pro diuerſitate virtutum, quaſi quædam gemmæ diuerſi coloris in eis refulgent. Hoc autem Iacob ex eo tempore præuidebat, quando mares in ſomnis ſuper fœminas, non niſi varios aſcendiſſe videbat. Hanc autem varietatem, non ſolum Doctores, Eccleſiæque magiſtri, verum etiam ipſæ plebes habere probantur.

CAPVT XXXI.

DE hinc autem narratur: Quod Iacob fugiens Laban, cum vxoribus & liberis, omnique ſubſtantia, quam poſſidebat, reuertatur in terram natiuitatis ſuæ, quem Laban ſeptem diebus perſecutus comprehendit in monte Galaad. Admonitus autem à Domino, ne contra Iacob quicquam aſpere loqueretur, facto fœdere cum eo, reuerſus eſt in locum ſuum. Iacob vero abiit itinere quo cœperat. Diximus enim, quod Laban hunc mundum ſignificet. Merito igitur Iacob cum vxoribus & filiis omnique F ſubſtantia fugiens Labã, reuertitur in terram Patrum ſuorum, quatenus nobis daret exemplum, vt non diligamus mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.

Fugiamus ergo mundi ſeruitutem cum omnibus amicis & propinquis, quos vel exemplo vel admonitione ſaluare valemus. Reuertamur in terram Patrum noſtrorum, in terram lacte & melle manantem, in terram quam habitat Abraham, Iſaac, & Iacob, noſtramque ſubſtantiam bene diſponentes nobiſcum feramus, vt Deo ſeruiat & non mundo. Non timeamus Laban, id eſt non timeamus hunc mundum, qui ſeptem diebus, id eſt, omni tempore, nos perſequitur, vt ſuæ nos ſubiiciat ſeruituti. Deus enim non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ponamus fœdus cum Laban, ponamus fœdus cum mundi deliciis & voluptatibus, vt neque ipſi ad nos, neque nos ad ipſos vlterius reuertamur. Huius autem fœderis teſtis ſit Galaad. Interpretatur autem Galaad, aceruus teſtimonij, per quem ſcripturas ſacras intelligimus, in quibus ſanctorum teſtimonia ſunt coaceruata. Hæc autem ſeparant nos à mundo: hæc ſunt, quæ nos ſeparant ab huius G ſæculi vanitatibus. Beatus igitur ille qui ſtat iuxta Galaad qui ſanctorum credit teſtimoniis, & in lege Domini meditatur die ac nocte.

CAPVT XXXII.

IVit igitur Iacob itinere quo cœperat. Fueruntque ei obuiam Angeli Dei: quos cum vidiſſet ait: Caſtra Dei ſunt hæc. Miſitque nuncios ad Eſau, vt inueniret gratiam apud eum. Inſuper & munera ei obtulit, vt ſi non precibus, ſaltem muneribus placaretur. Cumque omnibus ante ſe miſſis, ſolus in caſtris remaneret, ecce vir luctabatur cum eo vſque mane, qui cum eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me aurora eſt. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob. At ille: Nequaquam Iacob appellabitur nomẽ tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto H *magis contra homines praualebis? Interrogauit eum Iacob: Dic mihi quo appellaris nomine. Reſpondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit eum in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius, Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ortuſque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel. Ipſe vero claudicabat pede.* Quam ob cauſam non comedunt filij Iſraël neruum, qui emarcuit in femore Iacob. Merito autem Iacob, poſtquam ſeparatus eſt à Laban, obuiam Angelos habuit: quoniam qui mundum relinquunt, mox in Dei militia computantur, & qui caſtra fugiunt ſæculi, videre & habitare merentur caſtra Dei. Nemo autem à mundi Principibus vitiiſque ſæcularibus pacem quærere dedignetur: cum Iacob vir ſanctus, & cui ſe auxilium præſtiturum Deus promiſerat, tam ſuppliciter & precibus & præmiis Eſau placare contendat. Superbis enim Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quid autem in hoc loco ſignificat Iacob niſi Iudæorum populum, qui ab eo originem ducit? Quid vero Angelus niſi Chriſtum deſignat? de quo ſcriptum eſt: Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, &

Digitized by Google

A Angelus teſtamenti quem vos vultis. Si enim luctamen Angeli cum Iacob tantum ad litteram intelligere velimus, nonne ridiculum eſſe videtur? Quid enim vtilitatis fuit, cum Iacob Angelo pugnaſſe? præſertim cum dicatur, quod eum ſuperare non poſſet? Quis hoc credat? Quid eſt denique quod claudicare eum facit, & benedicit? Angelus igitur iſte Chriſtus eſt. Ideoque modo vir, modo Angelus apellatur. Qui carnem ſuſcipiens, & in mundum veniens, vſque mane cum Iacob luctatus eſt, quoniam vſque ad horam reſurrectionis, quæ primo mane facta eſt, eum Iudæi perſequi non ceſſarunt. Luctabatur autem Chriſtus cum Iudæis, quoniam admonendo, agendo, increpando, eos ſæpiſſimè ad iracundiam prouocabat. Luctabantur Iudæi cum Chriſto, inſidiando, accuſando, irridendo, multiſque modis perſequendo. Qui cum eos ſuperare non poſſet, (non potuit quidem quia noluit, oblatus eſt enim quia ipſe voluit, noluit autem per carnem vincere, quia B carnem venerat redimere) tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Sic igitur Chriſtus, & ex parte benedixit Iacob, & ex parte non benedixit. Benedixit pedem rectum, non benedixit pedem claudum. Benedixit Apoſtolos cæteroſque credentes, non benedixit crucifigentes & perſequentes. Secundum igitur hanc partem benedicuntur Iudæi; ſecundum autem illam claudicant. Vnde, & dicitur: *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt a ſemitis ſuis.* Vſque hodie namque vno pede claudicant Iudæi, vetus & non nouum teſtamentum ſuſcipientes. Ergo quia in hæc duo diuiditur Iacob, id eſt credentes, & non credentes, altera eius pars luctatur cum Chriſto, illa videlicet quæ claudicat: altera eius benedictionem petit à Chriſto. Et illa quidem pars quia ſuperbè luctabatur, emarcuit, hæc autem quia piè eum detinere nitebatur, benedicitur. Non enim vi ſed amore tenetur Chriſtus. Cur enim non totus, ſed ex parte percutitur Iacob niſi quia non C totus Iudaicus populus, ſed ex parte ei contrarius extitit. Vnde Apoſtolus: *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël.* Quare autem dicit: Dimitte me aurora eſt? Bonis vtique dicit qui poſt auroram, poſt reſurrectionem per dies quadraginta eum tenere in hoc mundo metuerunt. Vnde ipſe, quaſi qui teneretur dicebat: *Expedit vobis vt ego vadam*, niſi ego abiero paraclitus non veniet ad vos. Neque enim prius eum dimittunt, niſi eis benedicat. Sic enim Euangeliſta dicit: *Et eleuatis manibus ſuis benedixit eis. Et factum eſt dum benediceretur illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum.* Sola ergo pars bonorum eum tenuit: ſola benedicitur, ſola mutato nomine vocatur Iſraël. Interpretatur enim Iſraël vir videns Deum. Soli inſuper huic parti dicitur: Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? In hoc enim contra Deum fortis fuit, qui tam diu eum tenuit donec ei benediceret. Sic enim, & Moyſes eum tenebat, cui Dominus ait: *Dimitte me, vt deſtruam po-* D *pulum hunc, & faciam te in gentem magnam.* Niſi enim teneretur non dixiſſet dimitte me. Præualuerunt autem ſancti contra hoſtes, quoniam ſancti per fidem vicerunt regna. Dixitque Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Vidit enim Iacob Dominum, non in propria ſubſtantia ſua, qui quidem inuiſibilis eſt, ſed per Angelum, qui loquebatur ei. Viderant & Apoſtoli Chriſtum, prius quidem ſecundum humanitatem, poſtea vero contemplatione ſpiritualis intelligentiæ.

Audiens autem Iacob, quod Eſaü veniret ei obuiam, diuiſit pueros ſuos, & vxores dicens, Si percuſſerit Eſau vnam turmam ſaluabitur altera. Gregibus igitur præmiſſis poſuit ancillas, & liberos earum in principio. Liam vero cum ſuis ſecundo loco: Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos. Hoc autem facto Eccleſiæ perſecutiones & Martyrum pugnas ſignificabat Iacob. Prius enim ſubſtantia & poſſeſſionibus priuabantur Sancti. Vnde & Apoſtolos laudans ait: *Nam & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Cumque ſic eos tyranni ſuperare non poſſent, domos eius, & familias auferebant: ſed cum E neque ſic Sancti vincerentur, tormenta eorum corporibus, quæ per Liam intelliguntur, adhibebant: ſic enim ad Rachel, id eſt ad animam ſe pertingere poſſe ſperabant. Sed quia Dominus dixerat: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, quoniam animam non poſſunt occidere*, cæteris omnibus relictis, ſolam animam defendere nitebantur. Idipſum autem & Iob ſignificauit, qui prius omnem ſubſtantiam deinde filios & filias perdidit, poſtmodum vero toto corpore grauiſſimè flagellatus, ſolam animam cuſtodire ſtuduit, de qua Dominus dixerat ad Sathan. Veruntamen animam illius ſerua. Hinc enim per Pſalmiſtam dicitur: *Dominus cuſtodiet te ab omni malo.* Et ſtatim determinans ait: *Cuſtodiat animam tuam Dominus*: Negligitur ergo Lia propter Rachel: negliguntur ancillæ & filiæ eorum propter Liam, negliguntur greges, cunctaque ſubſtantia propter ancillas: quoniam & caro negligenda eſt propter animam, totaque familia negligenda eſt propter carnem, omnique F poſſeſſioni priuata familia præponi debet.

CAPVT XXXIV.

P*Oſtquam autem Eſaü viſo Iacob, reuerſus eſt in Seyr, & Iacob veniens habitauit iuxta vrbem Salem, egreſſa eſt Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam Sichem filius Emor Princeps illius terræ rapuit, & dormiuit cum ea. Vnde Symeon & Leui fratres Dinæ, vehementer indignati, opportuno tempore conſiderato, ingreſſi ſunt vrbem, cunctiſque interemptis, Dinam ſororem ſuam eripuerunt.* Quid enim per Dinam, niſi ſimplices quoſque & carnales intelligimus, qui ad matris ſimilitudinem, lippitudinem in oculis habentes, facillimè decipi poſſunt. Quid vero per Sichem, qui interpretatur humerus, niſi hæretici intelliguntur, qui quaſi viri fortes, quoſcunque decipere poſſunt, in ſuum gregem ferre conantur? Bene autem Sichem filius Emor eſſe dicitur; G Emor enim aſinus interpretatur: hic igitur humerus & hic aſinus, multos ferunt in perditionem æternam. Hæretici igitur, quia aſini filij ſunt, ſanum & rationabilem intellectum habere non poſſunt. Egreditur autem Dina ad videndum mulieres regionis illius, quoniam ſimplices viri ab Eccleſia ſeparantur, quos hæreticorum & Philoſophorum dogmata audire delectat. Mox igitur capiuntur & decipiuntur, & in hæreticorum gregem transferuntur: vnde fit vt anima Deo deſponſata, ſcortum diaboli eſſe incipiat. Sed mira hæreticorum aſtutia non ſufficit eis vnam animam rapuiſſe, quinimmo in totam Eccleſiam animum intendunt: circumciduntur igitur & ſanctorum religionem ſe habere velle diſſimulant, vt inter ſanctos conuerſantes, facilè eos decipere valeant: hoc eſt enim quod dicit Sichem & Emor. Si circumcidamus maſculos noſtros, ritum gentis imitantes, & ſubſtantia eorum & pecora, & cuncta quæ habent, noſtra erunt. Non ergo Religionis cauſa circum- H ciduntur, ſed vt domum, & vniuerſa quæ poſſident, ſibi ſubiiciant. Sed quid faciunt Symeon & Leui? quid faciunt ſacerdotes & Leuitæ? quid faciunt Epiſcopi Eccleſiæque Doctores? Arripiunt gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei, conueniunt in vnum, inuadunt conuenticula hæreticorum, deteguntur hæreſes, patefiunt ſimulationes, à maximo vſque ad minimum aut rapiunt aut occidunt: occidunt autem, quoniam eos anathemate percutientes æternæ morti condemnant: eos vero rapiunt, quos ab hæretica prauitate ad fidem Chriſti conuertere valent. Sic igitur eripiunt Dinam, & ſimplices animas ſanctæ Eccleſiæ reconciliant. Hæc autem vindicta, ex hoc Deo placuiſſe probatur, quia terror Domini omnes per circuitum ciuitates inuaſit, neque ſunt auſi perſequi recedentes: Quod autem Iacob diſplicuiſſe dicitur, ad hiſtoriam magis pertinere videtur.

CAPVT XXXV.

P*Oſt hæc autem præcepit Dominus Iacob, vt aſcenderet Bethel & habitaret ibi. Iacob vero iuſſit omni domui*

ſuæ, vt abiicerent Deos alienos,& mundarentur, & veſtimenta mutarent. Dederunt ergo ei Deos quos habebant,& inaures quæ erant in auribus eorum. At ille infodit ea ſubter therebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem. Bethel enim interpretatur,domus Dei. Merito ergo illuc aſcendunt qui hæreticos interemerunt:prius tamen quã aſcenderant,Deos alienos abiiciunt, quia nemo habitat in domo Domini, qui Diis ſeruit alienis. Mundantur præterea & veſtimenta mutant, vt anima & corpore baptizati Chriſtum induere mereantur. Iacob autem & Deos & inaures terræ infodit, vt ex eo mortui intelligantur,& ad homines decipiendos vlterius non appareant. Sed quare inaures cum eis infodiuntur, niſi vt nemo vlterius in eorum memoria,aures hominum ſollicitare præſumat?Sunt enim inaures aurium ornamenta, pro quibus auditus intelligitur. Aures enim quæ non audiunt, ornatæ non ſunt. Sic igitur Iacob domeſticorum ſuorum aures circumcidens, ad Deorum laudes audiendas, ſurdus & ſine auditu eſſe volebat. Vnde ſcriptum eſt: *Periit memoria eorum cum ſonitu. Si enim non ſit qui audiat,& ſonitus & prædicatio & memoria perit. Venit ergo Iacob in Bethel,& ædificato ibi altari vocauit nomen loci illius,domus Dei. Eodem tempore* mortua eſt Delbora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices *Bethel ſubter quercum, vocatumque eſt nomen loci illius,quercus fletus.* Eodem,inquit,tempore, quo Iacob aſcendit de Bethel,mortua eſt Delbora nutrix Rebeccæ; quoniam eo tempore mortua eſt Synagoga,quo Chriſtus domum Domini, ideſt Eccleſiam ædificare & inhabitare cœpit. Delbora enim interpretatur apis.De hac enim Dominus ait:*Circumdederunt me ſicut apes.* Fuit vero Delbora nutrix Rebeccæ; quoniam Eccleſiam paruulam & lactentem Synagoga eam nutriuit. Ipſa enim & legem & Prophetas nos docuit, & quicquid habemus veteris teſtamenti ab ipſa ſuſcepimus. Locus autem in quo Delbora, id eſt Synagoga ſepulta eſt, vocatur quercus fletus, quia in tenebris exterioribus poſita Synagoga, vmbra eius & refrigerium fletus eſt & ſtridor dentium. Cum enim à calore nimio mali tranſeant ad aquas niuium, melius erat eis ſemper eſſe ſub ſole,quàm ſub illius quercus vmbram ſuccedere,quæ eos nimio frigore & flere & ſtridere cõgeret.

Egreſſus autem inde Iacob, venit in terram, quæ ducit Effratem. In qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Vocauit igitur nomen filij ſui Belom,ideſt filius doloris mei: Pater vero vocauit eum Beniamin,ideſt filius dexteræ. Pulchrè autem in eo loco peperit Rachel,in quo Sancta Eccleſia ſumpſit initium,de qua ſcriptum eſt: *Audiuimus eam in Effrata.* Effrata enim ipſa eſt Bethlehem, in qua Chriſtus Dominus noſter ſecundum carnem natus eſt.Pariens autem filium moritur Rachel,quoniam & Sancta Eccleſia moriendo parit. Patiendo namque decollatus eſt Paulus: Patiendo crucifixus eſt Petrus. Quomodo enim moriendo non pariebat, qui in cruce poſitus prædicando filios generabat?Nullo enim tempore Sancti Martyres plures filios genuerunt Domino, quam eo tempore quo patiebantur. Inde in Euangelio Dominus ait:*Mulier cum parit, triſtitiam habet.* Vocat autem filium ſuum Belom, ideſt filius doloris mei,quia in dolore, ideſt morte,& in anguſtiis eum peperit: Pater vero vocauit eum Beniamin,ideſt filius dexteræ. Si enim Chriſtus dextera vocatur,Iacob autem ſignificat Chriſtum,ergo filij Chriſti,filij ſunt dexteræ. Inde autem & de Beniamin dicitur:Quia vtebatur vtraque manu pro dextera. In morte autem Rachel non fuit fletus, quoniam Sancta Eccleſia non ad mœrorem, ſed ad gaudium moriendo tendit: Fletur autem & flet Delbora anus decrepita & deſpicienda,de qua per Ieremiam dicitur: Plorans plorauit in nocte,& lacrymæ eius in maxillis eius, non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.

CAPVT XXXVI.

HInc autem ſequitur:Quia completis centum octuaginta annis mortuus eſt Iſaac, quem filij eius Eſaü & Iacob ſepelierunt in ſpelunca duplici. Inde narrantur filij Eſaü & duces eorum: Similiter & filij Seyr & duces eorum. *Quod autem dicitur: Iſte eſt Onam, qui inuenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret Aſinos Sebeon Patris ſui,* ſic eſt accipiendum,ac ſi diceret:Iſte Onan ſua arte ſuoque ingenio reperit, vt ex aſino ſimul & equa mulus naſceretur: Siue etiam ad litteram,inuenit aquas, quæ difficilè in ſolitudine reperiuntur.

CAPVT XXXVII.

IOſeph cum ſexdecim eſſet annorum, paſcebat greges cum fratribus ſuis adhuc puer, accuſauitque fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo. Iſraël autem diligebat Ioſeph, fecitque ei tunicam polimitam benè ornatam. Vidit autem in ſomnis ſe ligare manipulos cum fratribus in agro; Surgens autem & ſtans manipulus eius, à fratrum manipulis adorabatur. Quod cum fratribus retuliſſet, reſponderunt ei: Nunquid Rex noſter eris, aut ſubiiciemur ditioni tuæ? Aliud quoque vidit ſomnium quod narrans fratribus ait: Vidi per ſomnium quaſi ſolem & lunam,& ſtellas vndecim adorare me. Quod pater audiens,& intelligens ait: Nunquid ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? Inuidebant ergo ei fratres eius. Ioſeph enim, qui accreſcens interpretatur, Chriſtum ſignificat, cuius regnum & imperium in tantum creuit, vt mundum impleret vniuerſum,de quo Ioannes ait: Me oportet minui, illum autem creſcere.Hinc autem cum adhuc puer eſſet, ſedens in medio ſeniorum audiebat illos & interrogabat, omneſque in eius reſponſis, & doctrina admirabantur.Sic igitur & noſter Ioſeph adhuc puer,& gregem paſcebat. Quod autem dicitur,quia Ioſeph accuſauit fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo, plurale pro ſingulari poſuit: non enim omnes fratres, ſed ſolum Ruben accuſauerat,qui cum Bala concubina patris concubuerat. Sed nunquid Chriſtus aliquando accuſatus eſt? Apoſtolus enim dicit, *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Chriſtus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt,imò qui & reſurrexit,qui etiam interpellat pro nobis.* Si ergo conſtat Chriſtum apud Patrem interpellare pro nobis,non dubium eſt,etiam ipſum accuſare & damnare malos. Fecit autem pater huic filio ſuo dilecto tunicam polimitam,per quam carnem,qua Diuinitas induta eſt,intelligimus,omnium virtutum & gratiarum multitudine variatam. Eius autem manipulum opimo grano plenum, & quo totus mundus nutriendus erat, fratrum manipuli adorant: quia *in nomine Ieſu omne genu flectatur,cœleſtium,terreſtrium,& infernorum.* Ipſam præterea Sol & Luna, & ſtellæ vndecim adorauerunt; quoniam Reges & Principes, totaque Eccleſia, omneſque eius diſcipuli eum adorant & venerantur. Quomodo autem iuxta litteram luna Ioſeph adorare potuit? Siquidem per lunam Rachel intelligitur, quæ iam defuncta erat. Inuidebant igitur ei fratres, & iam eum occidere Iudæi cogitabant,quoniam eius ſomnia,eius monita,atque doctrina eis videbantur eſſe contraria, & talem tanquam auſtum Regem tibi præeſſe metuebant: vnde & dicebant: Venite occidamus eum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & promittit ſe ſcientiam Dei habere, filium Dei ſe nominat.

Poſt hæc autem iubente Iacob, iuit Ioſeph viſitare fratres ſuos,qui paſcebant greges. Cum eum à longe vidiſſent, cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce ſomniator venit,venite occidamus eum,& mittamus in ciſternam veterem. Confeſtim igitur vt peruenit ad fratres, nudauerunt eum tunica talari & polimita,poſtea vero conſilio Iuda vendiderunt eum Iſmaëlitis. Poſtquam enim Iudæi viderunt ſigna & miracula, quæ Chriſtus faciebat, & quod omnis populus eum venerabatur & ſequebatur, zelo & inuidia commoti Pontifices, & Phariſæi, *collegerunt conſilium quomodo Ieſum dolo tenerent, & occiderent.* Deinde *diabolus intrauit in cor,vt traderet eum Iudas Symonis Iſcariotis.* Iuit igitur ad Pontifices,& dederunt ei triginta argenteos. Fuerunt igitur & facto ſimiles, qui nomine non differebant, vt alter Iudas Ioſeph, alter vero venderet Chriſtum.Dixit enim Iudas fratribus ſuis:

A *Ecce Iſmaëlitæ tranſeunt, venite venundetur.* Adquieuerunt ergo fratres,& vendiderunt eum triginta argenteis. Rectè autem Ioſeph, quia minoris erat meriti, minori etiam venditur precio. Per Ruben, qui Ioſeph liberare nitebatur,eam partem populi intelligimus,quæ in morte Saluatoris non fuit conſentiens. Per hædum autem, quem occiderunt, Chriſti mortem: per tunicam vero, quam in eius ſanguine tinxerunt, carnem Chriſti ſanguine proprio cruentatam deſignamus. Liberatur igitur à morte Ioſeph, & eius tunica cruentatur, quoniam & Chriſtus ſecundum carnem paſſus eſt, qui ſecundum diuinitatem mori non poteſt.

CAPVT XXXVIII.

QVod vero ſequitur de filiis Iudę,qui fuerunt nequam in conſpectu Domini, & ab eo occiſi ſunt, & de B ipſo Iuda qui concubuit cum nuru ſua, aliis ad exponendum relinquimus, non magnopere ducentes hominum flagitia ſpiritualibus inſerere ſacramentis. Veruntamen quoniam omnia quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt,nos talia facere timeamus, ne hæc agentibus ſimilia patiamur. Et quidem niſi quia primogenitus Iudæ nequam fuit, ſecundus eius filius Iudæos & hæreticos ſignificare poterat, qui primogenito fratri, id eſt Chriſto inuidentes, aliud verbi ſemen in aures audientium infundere volunt,per quod veritas,quæ Chriſtus eſt,in eorum cordibus oriatur: effundunt igitur illud in terram, illuc videlicet vbi ſciunt,nullum ex eo poſſe fieri fructum.Hoc autem ideo fit,ne in fratris nomine filius oriatur. Secundum legem namque, ſi quis coniugem fratris vxorem duceret, non ſibi, ſed fratri ſuo filios generabat.

CAPVT XXXIX.

C IGitur *Ioſeph ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putifar eunuchus Pharaonis Princeps exercitus,qui præpoſuit eum omnibus quæ poſſidebat: ille vero nihil aliud nouerat niſi panem quo veſcebatur, ſed quia noluit dormire cum domina ſua,vt putabatur,ab ea accuſatus in carcerem miſſus eſt. Deinde vero iubente Pharaone,de carcere eductus, atque ab eo Præpoſitus ordinatus, totam Ægyptum à fame liberauit; vnde & Saluatorem mundi,lingua Ægyptiaca,eum vocauerunt.* Cuius abſtinentiæ Ioſeph fuerit, ex eo facilè dignoſcitur, quia cum multis diuitiis præeſſet,neceſſariis tantum contentus, ſolo pane veſcebatur; vnde & vitiorum ſtrenuus dominator, maximeque libidinis extitit, quæ ex nulla re magis vincitur quam carnis maceratione. Sic & Daniel cum tribus illis nobiliſſimis pueris, pane & leguminibus contentus fuit; Quamuis panis nomine omnis cibus intelligi poſſit.Vnde in Euangelio dicitur: *Cum introiiſſet Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem.*Quod ergo dicitur: nihil nouerat niſi panem quo veſcebatur, D ideſt,nulla gloria vel honore, nulliſque diuitiis delectatus, ſolius corporis neceſſariis vtebatur. Sed quia Ioſeph ſignificat Chriſtum: Chriſtus autem non niſi ſemel venditus eſt, quid ſecunda venditio Ioſeph in Chriſto ſignificauit? Semel enim in ſe, multoties autem in fidelibus ſuis Chriſtus Domin* noſter vẽditus eſt. Vnde ipſe diſcipulis ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit,me ſpernit.*Et Saulo perſequẽti:*Saule,Saule quid me perſequeris?* Itemque: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Sic igitur Chriſtus in ſeruis ſuis & flagellatur,& tenetur, & venditur, & occiditur. Hæc enim quodam tempore lex à tyrannis data fuerat: vt quicumque proderet Chriſtianum,eius facultates haberet,qua cupiditate ducti vbique malos ſtudioſè quærebant Chriſtianos: Sic igitur fiebat vt ſuilmetipſis facultatibus Chriſtiani venderentur. Sed cui vendebant niſi Putifar, niſi Principi Pharaonis,per quem diabolus intelligitur? Putifar enim, os inclinans ad diſcendum, interpretatur. Cum enim Sancti Martyres ante Iudices ducerentur, ſtatim, qui, & vnde ſerui an ingenui,& cuius eſſent religionis,examinabantur. Hoc igitur modo Putifar,os ad diſcendum inclinans,ſubtili examinatione de eis omnibus interrogabat: E qui cum ſe eſſe Chriſtianos dicerent, mox eos omnibus facultatibus ſuis,quantum in ipſo eſt præponebat,diuitias, honores & dignitates eis promittens, ſi ſuæ voluntati conſenſiſſent. Dicitur autem Putifar iſte ad nefarios vſus emiſſe Ioſeph, quia pulcher erat & decora facie, propter quod ſiccatis teſticulis,Diuino iudicio ſic eunuchizatur: deinde vero ſacerdos Heliopoleos conſtitutus, cuius filiam Ioſeph poſtea duxit vxorem. Et hoc quidem tyrannis ſatis conuenire videtur, qui Sanctorum fidem polluere & corrumpere cupientes, multis modis à Domino percuſſi fuiſſe leguntur: & illi præſertim qui ſacras virgines violare tentauerunt. Sed quid per vxorem Putifar niſi idololatriam intelligimus?Cui quia Ioſeph & Sancti Martyres conſentire noluerunt, quaſi ſacrilegi, & adulteri,& carceri & morti & exilio damnati ſunt. Cum hac enim meretrice Iſraël fornicatus eſt,de quo dicitur: *Fornicatus eſt Iſraël poſt Deos gentium.*Poſiti igitur Sancti in carcerem, ibi quoque Deum adiutorem inuenerunt, qui F nunquam deſerit ſperantes in ſe. Quamvis enim Ioſeph, qui venditus, accuſatus & in carcere truſus eſt, omnes Martyres ſignificare poſſet,eos tamen principaliter ſignificat, qui temporibus Diocletiani & Maximiani extiterunt: iſti enim in tantum idololatræ extiterunt, vt quicunque ſacrificare noluiſſet, mox carceri vel exilio traderetur,aut diuerſis ſuppliciis puniretur. Poſt hos autem ſecutus eſt Conſtantinus Maximus Imperator, cui Deus per viſionem piſcinam pietatis reuelare dignatus eſt, in qua & ipſe & totus mundus mundatus eſt à lepra vitiorum. Quæritur igitur Ioſeph, quæritur Silueſter qui Regis ſomnia interpretetur; Trahitur igitur Ioſeph de carcere: ducitur Silueſter de latibulis, in quibus iam ex multo tempore latitauerat,interpretatur ſomnia, exponit myſteria, fit amicus Imperatoris magis quam ille Pharaonis. Ioſeph enim à Pharaone ſecundus, & annulum, & ſtolam, & torquem auream circa collum ſuſcepit:Silueſter vero à Conſtantino primus omnia Romani Imperij Inſignia ſuſcipere meruit, G quibus vſque hodie Romani Pontifices in magnis feſtiuitatibus vtuntur, inde eſt quod Pontifices clamyde,inde eſt quod purpura veſtiuntur. Si ergo Ioſeph Saluator mundi, quia ſolam Ægyptum à fame liberauit, cur & Silueſter Saluator mundi non dicatur, qui pane verbi Dei, & ſpiritualibus alimoniis totum mundum refecit? Illi filia Putifaris: huic Sancta & vniuerſalis Eccleſia traditur, multoque plura Silueſter quam Ioſeph, feciſſe narratur. Ille horrea: iſte Eccleſias aperuiſſe legitur. Ille Ægyptiis ſeruitutem: iſte Chriſtianis tribuit libertatem. Quod autem Iacob cum filiis & nepotibus, totaque domo ac familia ſua lætus ad Ioſeph ſuper plauſtra ducitur in Ægyptum, nonne tibi ſignificaſſe videtur, quod ex voluntate Silueſtri, iubente Conſtantino, ex carcere & exilio, vbi detinebantur,cum gloria & honore omnes Sancti ad propria remearunt? Si enim, quod verum eſt, vbicunque ſunt duo vel tres in Chriſti nomine congregati, ibi & ipſe eſt in medio eorum, H quis negare audeat, quod noſter quoque Iacob ſimul cum ſanctis ſuis de carcere & exilio non duceretur? Longum autem eſt ſingula ſingulis comparare.Illud tantum nos dixiſſe ſufficiat: quia non magis tunc Pharao, amore Ioſeph, profuit Iſraëliticis, quam poſtea Conſtantinus, Silueſtri gratia, profuit Chriſtianis.

CAPVT XLVI.

VEnit *igitur Iſraël in Ægyptum, benedixitque Pharaoni, & habitauit in terra Geſſen, auctuſque eſt & multiplicatus nimis, factique ſunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta & ſeptem annorum. Cumque appropinquare cerneret mortis diem, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum:Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub fœmore meo, & iura mihi, quod de hac terra auferas me,& ſepelias in ſepulchro Patrum meorum.Iurauit igitur Ioſeph,quo iurante,adorauit Iſraël Deum conuerſus ad lectuli caput.* Venit, inquit, Iſraël in Ægyptum, quia & Dominus noſter Ieſus in hunc mundum

veniens, benedixit Pharaoni, cunctiſque mundi huius principibus, qui Sanctorum monitis obedire non tenunt, tantumque in eo auctus eſt, vt à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari eius Imperium dilatetur.

CAPVT XLVII.

QVid autem ſignificet, quod Ioſeph ſub patris fœmore iurauit, iam ſuperius expoſitum eſt, vbi ſub fœmore quoque Abrahæ, ſeruus eius iuraſſe narratur. Quod autem dicitur, & adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput, verſus orientem caput lectuli fuiſſe ſignificat, in qua parte Deum adorare ſolitus erat, iam eo ſolem iuſtitiæ Chriſtum Dominum venerante. De hoc autem Apoſtolus aliam ſequens tranſlationem ſic ait: *Fide Iacob benedixit duobus filiis Ioſeph, & adorauit faſtigium virgæ eius*, vt ſit ſenſus quod dicitur: faſtigio virgæ eius innixus, Deum adorauit, non quod ipſam virgam vel ſceptrum Ioſeph filij ſui, Iacob adoraſſe intelligatur.

CAPVT XLVIII.

H*Is ita tranſactis, nunciatum eſt Ioſeph, quod ægrotaret pater eius, qui aſſumptis duobus filiis ſuis Manaſſe & Efraim iuit ad eum: quos Iacob ſibi hæredes eſſe conſtituit, vt pariter cum filiis ſuis diuiderent poſſeſſionem. Cumque eos Ioſeph applicuiſſet ad patrem, commutatis manibus benedixit eum, poſuitque manum dexteram ſuper caput Efraim, qui et ſinister erat: ſiniſtram vero ſuper caput Manaſſe, qui erat et a dextris. Hoc autem Ioſeph grauiter ferēs, nitebatur patris dextram ſuper caput Manaſſe transferre, qui maior natu erat. Ille vero renuens ait: Scio fili mi, ſcio, & iſte quidem erit in populos & multiplicabitur, ſed frater eius iunior, maior illo erit, & ſemen eius creſcet in gentes. Benedixitque eis in ipſo tempore dicens: In te benedicetur Iſrael atque dicetur: Faciat tibi Deus ſicut Efraim & ſicut Manaſſe, conſtituitque Efraim ante Manaſſen.* Ioſeph enim filios ſuos ſic ad Patrem applicuerat, vt Manaſſes, qui maior erat, eſſet à dextris, Efraïm vero à ſiniſtris, vir ergo Sanctus & ſpiritu Dei plenus, manibus commutatis, & quodammodo ipſis ſuis brachiis crucis ſignum ſuper eos faciens, eis benedixit, deprecans Deum Patrum ſuorum, & Angelum qui eruit eum de cunctis malis, in quo & Patrem & filium intelligebat vt eis benediceret, vt nomen ſuum, & nomen Patrum ſuorum Abraham & Iſaac ſuper eos inuocari faceret, vt videlicet tales exiſterent, qui talium Patrum filij dignè vocarentur. Et quia hæ duæ tribus valdè multiplicatæ ſunt, ſiquidem Efraïm decem tribubus imperauit, quia prouerbium erat in Iſraël, vt cuicunque bona quis optaret, ei in prædicando diceret: *Faciat tibi Deus ſicut Efraim, & ſicut Manaſſe.* Quod autem dicitur: quia conſtituit Efraïm ante Manaſſen, tale eſt ac ſi diceret: conſtituit, firmauit, & præcepit vt exinde Efraïm maior eſſet quam Manaſſes. Sic enim & Ioannes Baptiſta in Euangelio dicit: *Qui poſt me venit, ante me factus eſt.* Dixitque Iacob Ioſeph filio ſuo: En ego morior, eritque Deus vobiſcum, reducetque vos in terram Patrum veſtrorum, do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorræi in gladio & arcu meo. Quod enim Iacob Amorræis violenter terram abſtulerit, nuſquam ſuperius legitur; ſed quia hic dicitur, factum quoque fuiſſe intelligi poteſt: aut ſi ita non intelligitur, prophetia eſt de futuro, vt ſe iam feciſſe dicat, qui filios Ioſeph facturos eſſe cognoſcit. Fortaſsè autem hoc eſt illud prædium, de quo in Euangelio dicitur: *Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar*, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.

CAPVT XLIX.

V*Ocauit autem Iacob filios ſuos & ait eis: Congregamini & audite filij Iacob, audite patrem veſtrum, congregamini vt annunciem vobis quæ ventura ſunt nouiſſimis diebus. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio: effuſus es ſicut aqua, non creſces, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Ruben namque filius Liæ, primogenitus fuit, ipſe autem, & Gad, & dimidia tribus Manaſſè poſſedit omnem terram, quam cœperunt filij Iſraël priuſquam tranſirent Iordanem. Relictis igitur vxoribus, liberis, & gregibus, cunctaque ſupellectile expediti & armati incedebant ante fratres ſuos. Ideoque modo Iacob dicit Ruben: Tu fortitudo mea, qua præcedente, & præliante vincam, & principium doloris mei, quia concubuit cum Bala concubina patris ſui. Vnde in ſequentibus dicit: *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Principium igitur doloris, ſic eſt ac ſi diceret, maximus dolor, prior in donis, vel quia prior benedicitur, ſiue, quia prius hæreditatem ſuſcepit. Maior in imperio, maior quippe in imperio fuiſſet, niſi propter peccatum ſupradictum, primogenita perdidiſſet; Effuſus es ſicut aqua, non conſiderans vbi te præcipitares libidinis furore deuictus. Ideoque non creſces ſi enim non creſcet, quomodo in imperio maior erit? maior enim eſſe debuerat, ſed quia inconſideratè ruit, ſuæque effuſionis impetum non retinuit, neque creſcet, neque maior erit. Vnde & Moyſes ei benedicens ait; *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.* Poteſt autem & ſic intelligi, non creſces in peccatis, videlicet, vt peccatis peccata adiicias, ſed peccaſti, quieſce. Quoniam autem ſuperius dicitur. *Congregamini filij Iſraël, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis diebus nouiſſimis*, iuxta literam quidem ad Ruben, allegoricè autem ad totum populum Iudaicum pertinere videtur, vt ſit vox loquentis Domini, Ruben primogenitus meus. Sic enim ſcriptum eſt. *Filius meus primogenitus Iſraël.* Hunc enim populum quaſi filium primogenitum, præ cunctis gentibus, quodam tempore Deus dilexit, principium doloris mei, id eſt, tu mihi principalis es, maximuſque dolor, tum propter multa alia, tum quia filium meum chariſſimum occidiſti. Prior in donis, quia tibi legem, tibi manna, tibi ſpiritualia dona mandaui. Maior in imperio, quia quamdiu fidelis fuiſti, nulla gens te ſuperare, imo tibi reſiſtere potuit. Effuſus es ſicut aqua, cunctos ſubmergens, & deſtruens inimicos, ſiue etiam, ſupra numerum multiplicatus Non creſces, ſed ſicut timebas, venient Romani, qui tibi locum tollant & gentem. Quare hoc? *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius*, multorum videlicet animas Domino deſponſatas, doctrina, & exemplis, & violentia, maculaſti, & corrupiſti. Et quoniam Pater eſt in filio, & filius in patre, quaſi etiam alter alterius cubile eſſe dicatur.

Simeon, & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilio eorum ne veniat anima mea, & vicla eorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in vanitate ſua ſuffoderunt murum, maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura, diuidam eos in Iacob, & diſperdam eos in Iſraël. Nam quia, vt ſuperius legimus, Symeon & Leui fratres, propter Dinam, ſororem ſuam, Sichen & Emor dolo interfecerunt ideo vaſa iniquitatis bellantia appellantur, quorum conuentus atque conſilia, furore, ira, & indignatione plena, nec ab ipſis ſatisfacientibus, & indulgentiam quærentibus placari potuerunt; ideoque precatur Iacob, ne in eorum conſilium & poteſtatem eius vita & gloria aliquando veniat, ſiue etiam, vt eorum nunquam credat conſiliis, qui dolo & ſimulatione tantum facinus perpetrare potuerunt, de quo & ſubditur: *Quia in furore ſuo occiderunt virum*, Sichen videlicet & Emor. Et in voluntate ſua ſuffoderunt murum, vt totam ciuitatem illorum deſtruentes, vel aditum ſibi ad intrandum præparantes. *Maledictus furor eorum, quia pertinax*, id eſt, implacabilis, *& indignatio in eorū, quia dura*, quæ mitigari non poteſt. Notandum autem quia non ipſis, ſed eorum furori & indignationi maledicit, vt videlicet poſt maledictionem iam hæc in eis vlterius eſſe non valeant. *Diuidam eos in Iacob, & diſperdam eos in Iſraël*, Simeon namque infra ſortem Iudæ ſuſcepit hæreditatem, habitauitque in medio filiorum Iudæ: Leui autem de cunctis tribubus

A datæ ſunt ciuitates ad inhabitandum. Spiritualiter autem per Simeon, & Leui, Iudæos omnes, maximéque ſacerdotes & Leuites intelligamus: qui vaſa iniquitatis bellancia, tota die conſtituebant prælia, qui prauo conſilio inito in furore ſuo occiderunt virum, Chriſtum ſcilicet: & in voluntate ſua ſuffoderunt murum, ipſum eundem qui muniebat & defendebat Ieruſalem. Ideoque *diuiſi ſunt in Iacob, & diſperſi ſunt in Iſraël*, idest, vbique terrarum, vt per Iacob Eccleſiam intelligamus, quæ per totum mundum diffuſa eſt.

Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, & adorabunt te filij Patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti. Sicut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam, lauabit in vino ſtolam ſuam, & in
B *ſanguine vuæ pallium ſuum, pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Tribus namque Iuda, quia templum habebat & legem & Prophetas, à cæteris ſemper laudari meruit. Qualiter autem ſuper ceruices inimicorum manus tenuerit, libri Regum teſtantur. Quomodo vero & Dauid, & alios Reges ab eo, totus populus adorauerit & veneratus fuerit, ibi quoque reperitur. Dictus eſt autem Catulus leonis Iuda, propter fortitudinem, quam ille populus habuit. Aſcendit autem ad prædam, omnes in circuitu ciuitates deuaſtans. Requieuit vt leo, & quaſi leæna, quia quamdiu legem ſibi datam cuſtodiuit, omnes eius quietem & pacem perturbare, ſibique bellum mouere timebant. Vnde & ſubditur: quis ſuſcitabit eum, ad bellum ſcilicet prouocando. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentiū,* manifeſta de Chriſto eſt prophetia. Ipſe eſt enim, quem omnes gentes exſpectabāt, & à quo morte perpetua ſunt liberatæ. Ex quo autem tribus Iuda regnare cœpit, ideſt à temporibus Dauid, de nulla alia niſi de propria tribu
C Regem habuit. Quod ergo dicitur: non auferetur ſceptrum de Iuda, ſic eſt accipiendum, non quod omnino non auferatur, (ductus enim in captiuitatem non ſemper Regem habuit) ſed quia hæc dignitas ab hac tribu non auferetur, vt detur alij tribui, quæ huic debeat imperare. Namque vnoquoque Rege moriente, ſceptrum quidem auferebatur, dignitas tamen & honor regius, quaſi quiddā naturale & hæreditarium in hac tribu permanebat: Vnde & poſt Regis cuiuſlibet obitum, & poſt reditum de captiuitate, ſine omni contentione de hac tribu Rex eligebatur. Hoc autem, ſicut Iacob prædixerat, vſque ad Chriſti aduentum perſeuerauit, tunc enim Herodes, quamvis fraudulenter, in Iudæa regnabat, qui tamen de tribu Iuda vxorem habebat, cum qua & regnū & ſceptrum pariter poſſidebat. Quod autem ſequitur: *Quia ligabit pullum & aſinam ad vitem, & quia lauabit ſtolam & pallium in vino,* quantum ad litteram, pacem, & quietem habituros eſſe ſignificare videtur, vt ſecurè
D dormiat ſub vite ſua, tantamque vini habere abundantiam, vt in eo, ſi neceſſe fuerit, etiam pannos lauare ſufficiat. Spiritualiter autem per Iudam Chriſtum intelligimus, quem non ſolum fratres, verum etiam omnis creatura laudat & benedicit, cuius quidem manus in ceruicibus eſt inimicorum ſuorum: quoniam nemo eſt qui ei reſiſtere valeat. Hunc autem & filij patris ſui adorant, Angeli videlicet atque homines. Ipſe autem eſt & Catulus Leonis, qui omnium fortiſſimus beſtiarum, ad nullius timebit occurſum. Dicitur autem, quod Catulus Leonis quando naſcitur, vſque ad tertium diem quaſi mortuus dormiens non mouetur: die vero tertia rugitu quodam & voce parentis à ſomno excitatur. Chriſtus autem de ſe loquens ait: *Ego dormiui & ſomnum cœpi, & reſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me:* Dormiui in ſepulchro die tertia, reſurrexi, ſcilicet voce patris à ſomno excitatus. Vnde & ſubditur: *Requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* patet vtique, qui non derelinquet animam eius in inferno,

E ſiue ipſe ſeipſum, quoniam poteſtatem habet ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Quod autem ait: *Ad prædam fili mi aſcendiſti*, hoc eſt quod alibi dicitur: *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem*; Aſcendens enim in crucem, prædam de manu diaboli rapuit, id eſt totum mundum. Sed quid eſt quod ait: *Ligans ad vineam pullum ſuum*? Quid per vineam, quid per pullum? *Vinea enim Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt*, pullus autem, gentilis populus laſciuiens & indomitus. Ligauit igitur pullum ad vineam, Iudæos & gentiles in vnam fidem coniungens, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Et ad vitem, ô fili mi aſinam ſuam. Ego inquit, Dominus, ſum vitis vera, & vos palmites. Aſina autem eſt Synagoga, quam ſecundum eam quidem partem, quæ credidit, inſolubili vinculo ſibi Dominus coniunxit atque ligauit. Vnde Paulus huius aſinæ filios, huic viti indiſſolubiliter ligatos dicebat: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti tribulatio, an* F *anguſtia? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita ſeparabit nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Si ergo pullus ligatur ad vineam, id eſt ad Synagogam: aſina autem, id eſt Synagoga ligatur ad vitem, ergo, & pullus ligatur ad vitem. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & ſanguine vuæ pallium ſuum. Stola, & pallium, Chriſti caro eſt, quam militis lancea perforauit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Vnde & dicitur; *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua?* Notandum vero, quod vinum ſanguis vocetur, quia in ſanguinem vinum conuertitur. Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores: oculi Chriſti Prophetæ intelliguntur, qui ſuperſpicaci mentis acumine, vſque ad ſæculi conſummationem Eccleſiæ ſacramenta videre meruerunt. Hi autem ſunt pulchriores vino, quia ſpiritu feruentes omnia ſuperflua, & nociua à ſe mundantes expulerunt: ſic enim & vinum feruendo, & bulliendo purgatur. Dentes autem Apoſtoli ſunt, qui nobis ſcripturarum difficilia & duriora ruminando & exponendo, quaſi infantes nos nutrierunt. Et iſti quidem ſunt lacte candidiores, quia ſuper niuem deal- G bati, nulla in eis apparet macula peccati.

Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidōnem. Hæc autem magis ſortis hæreditatiſque deſcriptio, quam benedictio eſſe videtur, quamvis & ipſa ſors ei pro benedictione data ſit, de qua ſcriptum eſt. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtalin: iſtæ namque duæ tribus iuxta mare Galilææ habitauerunt. Vnde & Matthæus ait. *Cum autem audiſſet Ieſus, quod Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam & habitauit in Capharnaum maritimam in finibus Zabulon, & Nephtalim.* Multum enim Chriſtus in Galilæa conuerſatus eſt, quæ ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Andreæ, Iacobi, & Ioannis habitatio quondam fuit. Pro quibus videlicet Nephtalin merito dicatur ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis. Cerui namque ſunt Apoſtoli, quibus cum à Domino mitterentur, dictum eſt. *Ite in vniuerſum mundum,* H *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Cuius autem pulchritudinis eloquia iſti dederint, lege & vide. Magna eſt igitur benedictio Zabulon & Nephtalin, quiá tantos taleſque viros habere meruerunt.

Iſachar aſinus fortis, habitans in terminis; vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens. Habitat autem Iſachar in terminis, quia, ſicut in libro Ioſuë ſcribitur, ab Auſtro eſt Efraïm, ab aquilone Manaſſe, & coniunguntur ab oriente in tribu Iſachar, ita vt Iſachar ſit terminus vtriuſque. Hic autem, quia parum quid ſecundum litteram dicere valemus, ad allegoriam nos transferamus. Iſachar enim aſinus fortis, Eccleſiæ Doctores ſunt, quia totius Eccleſiæ pondus ferunt. Hi autem habitant in terminis, inter actiuam vitam videlicet & contemplatiuam, nunc orationibus vacant, nunc fidelibus neceſſaria ſubminiſtrant. Iſti vero quia cognoſcunt requiem cœleſtis beatitudinis, quod bona ſit, quia ſciunt etiam hanc terram, id eſt ſanctam

A Eccleſiam optimam eſſe, ſupponunt humeros, ad portandum, totiſque viribus elaborant, vt hanc terram ad illam requiem transferre valeant, vnde & facti ſunt tributis ſeruientes. Quoniam, ſicut Apoſtolus ait, omnibus omnia facti ſunt, vt omnes lucrifaciant; & quaſi omnium tributarij, omnibuſque debitores admonendo, increpando, arguendo, omnibus ſeruiunt. Cum enim Apoſtolus dicat: Græcis ac Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum, nonne tibi omnibus tributa ſoluere videtur? Sequitur.

Dum iudicabit populum ſuum, ſicut alia tribus Iſraël. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, & cadat aſſeſſor eius retro. Salutare tuum exſpectabo Domine. De tribu namque Dan fuit Samſon, qui viriliter ſatis, & ſtrenuè populum iudicauit, & Philiſtæos afflixit. De hac quoque tribu, vt fertur, Antichriſtus eſt naſciturus, de quo cætera, quæ ſequuntur intelligi debent. Fiat, inquit, Dan, id eſt Antichriſtus B coluber in via, quatenus ad antiqui ſerpentis ſimilitudinem, populum in via mandatorum Dei gradientem, ſuæ fallaciæ veneno perdat, & decipiat. Sed qualis ſerpens? ceraſtes in ſemita. Ceraſtes enim, cornutus interpretatur. Lege Danielem, & inuenies quomodo Antichriſtus per cornua ſignificetur. Nam & in Apocalypſi, cornua quoque agni ſimilia habere deſcribitur: per quem eius hypocriſis, & falſa humilitas intelligitur. Erit autem ſerpens iſte cornutus, quoniam regiam præferet dignitatem, pluresque cornibus & violenta fortitudine, quam opere, vel ſermone ad ſe conuertet. Sedebit enim in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Mordens vngulas equi, quid vero per eius vngulas, niſi mundi finem ſignificat? Eſt enim in vngula vltima pars corporis, mordet igitur ſerpens iſte vngulam equi, quia in mundi fine Antichriſtus apparens mundi amatores mordendo deuorabit. Vt cadat aſcenſor eius retro, quia C huius equi aſcenſores, Reges, & Principes, cunctique mundi huius potentes intelligi poſſunt, quibus mundus iſte ſubiicitur, & quaſi à quibuſdam equitantibus regitur, & gubernatur: Hi autem retro cadent, qui autem retro cadit, non videt quo cadit: merito igitur retro cadere iſti dicuntur, quia non intelligunt quæ tormenta poſt caſum mortis eos exſpectant. Quoniam autem non diu poſt hæc, & finis ſequitur, & Dominus in maieſtate ſua ad iudicandum veniet: ideo ſubdidit dicens. Salutare tuum exſpectabo Domine, nequaquam ad Antichriſtum reſpiciens, qui & ipſe cum cæteris retrorſum cadet.

Gad accinctus præliabitur ante eum. Ante quem eum? vtique ante Iſraël. Tribus namque Gad trans Iordanem accepta poſſeſſione, omnibus expeditus, armatus præcedebat fratres ſuos. Hoc enim Moyſes præceperat. Sequitur. Et ipſe accingatur retrorſum, id eſt, ipſe quoque Iſraël accinctus, & ad bella paratus, ſequetur poſt eum. Si autem ſpiritualiter intelligatur, Gad accinctus D præliabitur, cum Chriſtum ſignificat, de quo modo dixerat. *Salutare tuum exſpectabo Domine*, & per Gad, Apoſtolos intelligamus, qui nihil timentes, & ad bella parati, etiam inter ipſos aduerſarios, Chriſti nomen prædicabant. Ipſe vero quaſi bonus Imperator, ſequebatur poſt eos, ſignis & miraculis eis auxiliando. Vnde ſcriptum eſt. *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis,* ipſe quoque Saluator ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Hoc eſt ergo quod dicitur. *Et ipſe accingetur retrorſum.*

Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. Hoc autem ad litteram non procedit, niſi fortè terræ fœcunditatem ſignificet. Spiritualiter autem, Aſer, qui beatus interpretatur, Eccleſiam ſignificat. Panis vero ipſius Chriſtus eſt, qui ait: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* De quo pane ſcriptum eſt. *Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Hoc enim pane non corpora, ſed mentes ſaginantur. Præbebit autem delicias Regibus, id eſt Epiſcopis, & Sacerdotibus, qui

E cœleſti benedictione ſuper menſa altaris hunc panem conficiunt. His autem panis iſte præbet delicias, quia ipſi eius ſaporem guſtant, & intelligunt. Vnde Pſalmiſta: *Guſtate*, inquit, *& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.*

Nephtalim, ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis. Hoc autem ibi expoſitum eſt, vbi Zabulon benedicitur. Hæ enim duæ tribus iuxta mare Galilææ habitabant, vbi Apoſtoli noſtri piſcari conſueuerunt. Omnis igitur benedictio ad illos refertur.

Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu. Merito enim Ioſeph accreſcens filius dicitur, quia in tantum creuit, vt mundi ſaluator, & Dominus Ægypti, & pater Pharaonis vocaretur. Filius quoque eius Efraïm decem tribubus imperauit, ſola Iuda & Beniamin ſequentibus domum Dauid. Fuit autem & decorus aſpectu, in cuius pulchritudinem & Putifar & vxor eius vehementer exarſit. Vnde & Ægyptiæ mulieres filiæque F nobilium, ſi quando tranſibant ad eum intuendum, ſuper murum aſcendebant. Hoc eſt enim, quod ait: *Filiæ diſcurrerunt per murum, vt eius pulchritudinem mirarentur. & iurgati ſunt, inuideruntque illi habentes iacula.* Quid enim per habentes iacula, niſi milites, cæteroſque potentes Ægypti intelligamus? Hi autem cum hominem externum & captiuum ſuper ſe cernerent exaltatum, inter ſe, (vt moris eſt) quod talia paterentur, & fortaſsè contra ipſum Regem, propter inuidiam, iurgati ſunt.

Hoc autem eos feciſſe parum profuit; quoniam vigilanti fortique conſilio & diſpoſitione, Ioſeph cuncta agebat. Vnde & ſubditur: *Sed & in forti arcu eius,* fortis erat manus, fortis erat & arcus, ideoque inſurgentes aduerſarios non metuebat. Sequitur: *Et ſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum eius, per manus potentis Iacob: humiliauerunt enim,* dicit Pſalmiſta, *in compedibus pedes eius,* poſtea vero miſit Rex & ſoluit eum, princeps populorum & dimiſit eum. Hoc autem ſolius Dei voluntate, ſuiſque G intercedentibus meritis actum eſſe manifeſtat cum dicit: *Per manus potentis Iacob*, ideſt, vt Ioſeph ſolueretur, vtriuſque Iacob vel meritum vel potentia fecit. Inde paſtor egreſſus eſt Iſraël lapis, inde inquam, ideſt ex Iacob paſtor egreſſus eſt, paſtor vtique bonus. Sic enim ipſe ait: Ego ſum paſtor bonus, hic enim, ſecundum carnem, de ſemine Iacob natus eſt. Dicatur ergo: *Inde paſtor egreſſus eſt,* quis paſtor? Iſraël. Quis Iſraël? lapis. Ergo non primus Iſraël egreſſus eſt de Iacob, (alioquin de Iacob egreſſus eſſet Iacob) ſed ille Iſraël egreſſus eſt de Iacob, qui vocatur lapis, per quem Chriſtum intelligimus, de quo ſcriptum eſt: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Hinc autem ad Ioſeph loquitur dicens: *Deus patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi.* Hoc enim nullo pacto de Chriſto intelligi poteſt, nullum enim Dominum pater eius habet, immo ipſe eſt & Deus Deorum & Dominus dominantium. Hoc igitur, & cætera quæ ſequuntur, ſuper Ioſeph intelligantur. Sequitur: *Benedictionibus cæli deſuper,* H *& benedictionibus abyſſi iacentis deorſum. Omnipotens,* inquit, *benedicet tibi,* ſed quibus benedictionibus? *Benedictionibus cæli,* inquit, *deſuper.* Similiter enim & Iſaac eum benedixerat dicens: *Det tibi Deus de rore cæli, & benedictionibus abyſſi iacentis deorſum*, ideſt, & de pinguedine terræ abundantiam. Terra enim cœlo comparata, abyſſus vocatur. Poſſumus autem per benedictiones cœli, Dei & Angelorum benedictiones intelligere: at vero per benedictiones abyſſi, Patriarcharum & Prophetarum: Abyſſus enim, dicuntur Prophetæ, propter ſpiritualis ſcientiæ profunditatem. Vnde ſcriptum eſt: *Abyſſus abyſſum inuocat,* ideſt, Apoſtoli Prophetas in teſtimonium vocant. Benedictionibus vberum & vuluæ, ſubauditur: benedicat tibi Omnipotens, Hæ autem benedictiones, ſi ad litteram intelligantur, & dicere & audire ſatis abſurdum & turpe eſſe videtur. Secundum litteram tamen, & filiorum multitudinem, & victus abundantiam ei, ſic benedicendo, optaſſe intelligi poteſt. Sed quid per vbera, niſi duo teſtamenta intelliguntur? Vnde per Salomonem Eccleſiæ dicitur: *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli*

A *capreæ gemellæ.* Hæc autem vbera cunctis fidelibus ſufficienter lac ſubminiſtrant : iis vberibus Eccleſiæ filij nutriuntur : In his benedictiones illæ continentur , quibus omnes populi benedicuntur. Quid vero per vulvam niſi baptiſmum intelligamus ? omnes enim Eccleſiæ filij hac vulua regenerantur & naſcuntur , neque inter eius filios computantur , qui per hanc vuluam non regenerantur : *Niſi* enim *quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Hic autem illæ benedictiones recipiuntur, quibus & anima & corpus mundantur à peccatis. Et nuſquam maiores benedictiones, quam in hac vulua, ſuſcipit homo. Magnæ igitur ſunt vberum & vuluæ benedictiones ; quibus & naſcimur & alimur. Sed quare non prius vuluæ , & deinde vbera ? niſi quia vberibus concipimur , vulua vero naſcimur ? præcedit enim conceptio natiuitatem, præcedit prædicatio baptiſmum : mirabilis generatio , in qua homo prius lactatur, quam naſcatur, quis enim in primitiua Eccleſia prius ad B baptiſmum venit , quam fidei Sacramentis inſtrueretur ? Sequitur : *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt* , ideſt, fortes & efficaces factæ ſunt. Hæc autem benedictionibus Patrum eius quibus ad vitæ in vanum cadere non poſſunt, donec veniret deſiderium collium æternorum; ac ſi dicat : *Hæ* benedictiones , fili mi, ad præſens tibi ſufficiant, his interim contentus viuas, donec veniat deſideratus cūctis gentibus, cuius benedictionibus nullæ vnquam benedictiones cooperari poterunt. Ipſe eſt enim ſemen, in quo benedicentur omnes gentes: ipſe eſt deſiderium collium æternorum, id eſt Patriarcharum & Prophetarum, de quibus dicitur: *Montes exultauerunt vt arietes.* Itemque: *Montes & colles cantabunt coram Deo laudes.* Et iterum: *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Ipſe enim eſt, *in quem deſiderant & Angeli proſpicere. Hæ* autem benedictiones fiant in capite Ioſeph , & eorum qui imitantur Ioſeph : & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. Nazarenus enim erat Ioſeph, vtpote qui primogenitus fuit Rachel, & Deo ab infantia conſecratus. Omne enim maſculinum adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur.

G *Beniamin lupus rapax , mane comedet prædam , & veſpere diuidet ſpolia.* Ieruſalem namque in tribu Beniamin ſita eſt , ibi & templum & altare conſtructum. Dicitur ergo Beniamin lupus rapax , propter altare , ſuper quod quotidie ſine intermiſſione immolabatur , & tamen quaſi rapax lupus , cunctis ſacrificiis ſaturari non poterat. Tanta enim erat ſacerdotum & Leuitarum multitudo , vt vix in ſumptu quotidiano multa animalia eis ſufficerent. Vnde & tale ſacrificium præda vocatur. Hanc autem prædam mane poſt immolationem comedebant : veſpere autem ſpolia , ideſt animalium pelles ſacerdotes & Leuitæ inter ſe diuidebant. Allegoricè autem , Beniamin Paulum Apoſtolum ſignificat , qui de ea tribu originem duxit. Vnde ipſe ait : *Nam & ego Iſraëlita ſum , & ex tribu Beniamin.* Hic autem quaſi lupus rapax , magno furore Sanctam Eccleſiam perſequendo , tantam ſtragem vbique faciebat , vt ab ipſis quoque Apoſtolis , eius ſæuitia timeretur, Ideoque & ipſe dicit : D *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum , qui non ſum dignus vocari Apoſtolus , quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Mane autem & veſpere , tale eſt ac ſi diceret ; primum, & poſtea. Primum enim comedebat prædam perſequendo , vaſtando , & dilaniando Eccleſiam , ſic enim dicitur ; Quia comederunt Iacob. Poſtea vero diuidebant Chriſti ſpolia prædicando , ſacros ordines diſtribuendo , per Epiſcopatus & Eccleſias Epiſcopos & Presbyteros ordinando.

Hæc autem locutus eſt Iacob : benedixitque filios ſuos benedictionibus propriis : finitiſque mandatis quibus filios inſtruebat , collegit pedes ſuos ſuper lectulum , & obiit. O quam precioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Ecce enim Iacob vir Sanctus & Deo charus, quam diu voluit locutus eſt , & quaſi mors & vita in illius eſſet poteſtate , quando voluit , obiit. Vixit autem centum quadraginta ſeptem annis , & conditum aromatibus ſepelierunt eum , ſicut ipſe iuſſerat, filij ſui in ſpelunca duplici. Ibi autem Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Iacob & Lia, &, vt fertur, maximus Adam, conditi E ſunt, ibi etiam oſſa Ioſeph filiis Iſraël delata ſunt.

Explicit Liber Geneſis.

INCIPIT EXODVS.

Librum Exodi expoſiturus Omnipotentem Deum adiutorem inuoco; cuius digito non ſolum duas tabulas, quæ in hoc volumine continentur , verum etiam totum librum ſcriptum & editum credo.

CAPVT PRIMVM.

F HÆC ſunt, inquit, *nomina filiorum, Iſraël, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum cum Iacob , ſinguli cum domibus ſuis introierunt : Ruben , Symeon , Leui, Iuda, Iſachar, Zabulon & Beniamin , Dan , & Nephtalim, Gad, & Aſer. Erant igitur omnes animæ eorum quæ egreſſæ ſunt de fœmore Iacob, ſeptuaginta quinque. Ioſeph autem erat in Ægypto, Quo mortuo, & vniuerſis fratribus eius, omnique cognatione ſua, filij Iſraël creuerunt, & quaſi herba germinantes multiplicati ſunt , ac roborati nimis impleuerunt terram.* Hæc autem ideo præmiſſa ſunt, vt intelligatur, ex quam paucis quaſi ſeminibus tanta hominum creuerit multitudo. Soli enim illi qui ad bella procedere poterant , à viceſimo anno & ſuper numerati fuerunt ſexcenta tria millia virorum, & quingenti quinquaginta ſex : cæteros autem qui numerati non ſunt, multo plures fuiſſe non dubitamus. Semper enim bonorum numerus creſcit & multiplicatur. Quod autem ait : *quia erant omnes animæ quæ egreſſæ ſunt de fœmore Iacob , ſeptuaginta quinque* , per quas filios & nepotes in vtroque G ſexu ſignificat , niſi & eos qui iam defuncti fuerant , & eos qui nondum nati erant , intelligamus , ſtare non poteſt. Nam in Geneſi dicitur : quod omnes animæ domus Iacob quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta , quod vtique verum non eſt , niſi duo filij Iudæ, qui iam mortui fuerant , Her videlicet & Onan , & duo filij Ioſeph , qui in Ægypto nati ſunt , cum cæteris annumerentur. Huic autem quidam hæreticorum ſuum errorem confirmare videntur , qui ex traduce animas deſcendere opinantur, quoniam de fœmore Iacob exiſſe dicuntur : ponitur autem pars pro toto , & à priuilegio maioris partis, totus homo anima vocatur, & tale eſt ac ſi diceret : Omnes homines qui egreſſi ſunt de fœmore Iacob , fuere ſeptuaginta quinque.

Surrexit inter ea Rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſraël multus & fortior nobis eſt , venite ſapienter opprimamus eum. Rex enim iſte, diabolus eſt: rex vtique tenebrarum, quoniam Ægyptus tenebræ interpretatur, & iſte H quidem ignorat, ideſt , non diligit Ioſeph : Hac enim ſignificatione dicitur : *Amen dico vobis, neſcio vos.* Ioſeph autem, Chriſtus eſt, qui verè mundi Saluator, non ſolum Ægyptum , verum etiam totum mundum à fame liberauit. Vnde & ipſe dicebat: *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Huius autem populum Rex niger & tenebrarum ideo perſequitur & opprimere nititur, quia multus ei & fortis eſſe videtur : *Venite* , inquit, *& ſapienter opprimamus eum* , quid eſt ſapienter , niſi aſtute & callidè. Hoc autem cur facere debeant, ſubiungit : Ne fortè multiplicetur , & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, per quos Deum ipſum & Angelos intelligimus. Sequitur: *Expugnatiſque nobis, egrediatur de terra.* Tunc enim reuera diabolus ſe expugnatum & victum eſſe intelligit, quando viri ſancti egrediuntur de terra , quando Ægyptum fugiunt, quando terrena ſpernentes, cœleſtia appetunt, quādo de terrenis ad regna cœleſtia tranſeunt. Præpoſuit itaque magiſtros operum,

A vt affligerent eos oneribus Qualis Rex, tales & præpoſiti. Talibus namque oneribus Propheta afflictus dicebat: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phiton, & Rameſſes. Phiton namque os abyſſi: Rameſſes vero, tinea interpretatur. Quid enim os abyſſi niſi porta inferni? Quid vero tinea, niſi vermis ille qui non moritur, intelligitur? Qui igitur diabolo ſeruiunt, tales & ſibi & diabolo vrbes ædificant: lacum aperiunt & cadunt in eum, quorum vermis non morietur, & ignis non extinguetur.

Præcepit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, vt maſculos occiderent & fœminas reſeruarent. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, & quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit illis domum. Præcepit igitur Pharao, vt in flumine maſculos proiicerent, & fœminas reſeruarent. Semper enim
B Rex iſte iniquus, eos qui fortes ſunt, & eius iniquitati reſiſtere poſſunt, perdere quærit: diligit autem fœminas, quas quidem facile decipere poteſt, per quas ſibi à principio mundum ſubiecit: & quia primum hominem per fœminam perdidit, idcirco & modo per obſtetrices, maſculos occidere nititur. Sed quid per obſtetrices, quæ Deum timent, & Pharaoni non obediunt, niſi Eccleſiæ miniſtros intelligimus? Hi enim ſtatim in Chriſto renatos ſuſcipiunt, alunt & conſeruant, & ad vitam introducunt. Ideoque ædificatur eis domus ab eo, qui ait: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Vnde & Apoſtolus: *Scimus*, inquit, *ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod domum habemus non manufactam in cœlo.* Neque enim iuxta litteram intelligi poteſt, quod Deus obſtetricibus domos ædificauerit; niſi forſaſſe per hoc intelligatur, quod earum familias Deus amplificauerit. Ecce autem nouo iterum inuento conſilio, maſculos omnes in flumen proiicere iubet; hoc eſt flumen vtique quod in ſanguinem verſum eſt, in quo nec
C ipſi piſces viuere potuerunt. Per quod nimirum Philoſophorum & hæreticorum falſam doctrinam intelligimus, in quam qui ceciderit, iniquitatis & deceptionis ſanguine ſuffocabitur.

CAPVT II.

EO tempore natus eſt Moyſes, quem cum pater eius diutius celare non poſſet, poſuit eum in fiſcellam ſcirpeam, & miſit in flumen; cuius miſerta filia Pharaonis, ſuſcepit eum, & adoptauit eum in filium. Narrat autem Ioſephus de Moyſe, cum adhuc puer eſſet, & filia Pharaonis lætabunda eum ad patrem detuliſſet, ſacerdotem quendam idolorum exclamaſſe: Hic eſt qui deſtruet Ægyptum, & inſurgens volebat occidere eum, ſed mox puella accipiens puerum aufugit. Qui tantæ dicitur pulchritudinis fuiſſe, vt ſi quando per ciuitatem egrederetur, certatim viri cum mulieribus, relictis neceſſariis, ad eum ſpeculandum occurrerint. Creuit igitur, cumque omnes ſa-
D pientia & fortitudine præiret, magiſter militum factus eſt. Inde proſpere cuncta gerens, omnes circumquaque inimicos ſuperauit. Cumque Dominus Ægypti, ſi vellet, eſſe potuiſſet, maluit tamen cum fratribus ſuis humiliter viuere. Vnde Apoſtolus: *Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis.* Quid autem Moyſes niſi Chriſtum ſignificat? de quo ipſe ait: *Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis*, quia & ipſe propter Herodis timorem in Ægyptum à parentibus delatus eſt, ibique terra Ægypti (quam filiam Pharaonis intelligimus) aliquanto tempore eum cum parentibus ſuis quaſi proprium defendit & aluit. Inde vero poſtea reuerſus eſt in terram Iuda, completa Prophetia quæ ait: Ex Ægypto vocaui filium meum.

In diebus illis egreſſus eſt Moyſes ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum. Vidit autem & virum Ægyptium percutientem quendam Hebræum, quem ipſe occidens ab-
E *ſcondit ſabulo.* Similiter & Chriſtus Dominus noſter, veniens in hunc mundum viſitare fratres ſuos, totum videlicet genus humanum, multos Ægyptios, id eſt malignos ſpiritus interfecit, virtute priuauit, atque de obſeſſis corporibus eiecit. Qui merito ſabulo abſconduntur, vt per hoc detur intelligi, quod maligni ſpiritus in terra arenoſa, ſterili, & infructuoſa, nec latere nec habitare queunt. Egreſſus autem altera die, cum duos Hebræos rixantes vidiſſet, & eum, qui iniuriam facibat, redarguiſſet, indignatus ille reſpondit: Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? nunc occidere me tu vis, ſicut occidiſti heri Ægyptium? Hic ſermo nunciatus eſt Pharaoni, & quærebat occidere eum. Fugiens ergo Moyſes venit in terram Madian. Sic autem & Chriſtus, cum frequenter pro ſuis iniquitatibus Iudæos redarguiſſet, & ad ſalutis viam eos prouocaſſet, illi è contra inſidiabantur, obſeruabant, & accuſabant, & occidere cogitabant. Vnde & ipſe dicebat. Qui eſt ex Deo, verba
F Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reliquit ergo Iudæos, ſecundum quod ipſe ait. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et venit in terram Madian, id eſt ad gentes. Erant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ, per quas, omnes mundi huius Eccleſias intelligimus: hic enim numerus in Diuina pagina frequenter vniuerſitatem ſignificat. Hæ autem venerant ad puteum adaquare greges, ſed paſtores ſuperuenientes eiecerunt eas, ſurrexit igitur Moyſes: Surrexit Chriſtus, & de manu paſtorum id eſt de violentia Philoſophorum, & hæreticorum Eccleſias liberauit, inſuper, & greges adaquauit, dicens diſcipulis ſuis. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & ſpiritus ſancti.* Quoniam autem, & ſi ob diuerſitatem locorum, multæ in hoc mundo ſint Eccleſiæ, in fidei tamen vnitate, non niſi vnica Catholica & vniuerſalis Eccleſia eſſe creditur, de qua dicitur. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, immaculata mea.* Ideo Moyſes non omnes has puellas, ſed vnam tantum accepit vxorem, quæ bene Sephora nuncupatur, quoniam Sephora, pulchritudo interpretatur. Ipſa eſt enim; de qua Apoſtolus ait, Vt ex-
G hiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam. Ipſe eſt, cui dicitur. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, abi & cæter.* Poſt multum vero temporis mortuus eſt Rex Ægypti, ille videlicet, qui quærebat occidere Moyſen. Quo mortuo clamauerunt filij Iſraël ad Dominum, & exaudiuit eos.

CAPVT III.

MOyſes enim paſcebat oues Iethro cognati ſui. Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Oreb, apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbatur quod rubus arderet, & non comburebatur. Iam incipiunt myſteria, iam reuelantur Sacramenta. Hæc eſt autem prima viſio Moyſi, hic primum cum Deo loqui incipit. Sed quid per rubum, niſi beatam Virginem Mariam, quæ ſic de Iudæorum ſpinoſa & peccatrice gente exorta eſt, ſicut de rubi aſperitate,
H pulchra & odorifera naſcitur roſa. Hæc autem viſa eſt ardens, ſed non arſit, quia ſine carnis concupiſcentia, ſine libidinis æſtu, ſancto Spiritu obumbrata concepit. Hoc eſt enim quod Angelus ait: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Erat igitur ignis in rubo, ſplendor in virgine, lux in Maria; lux illa quæ ait: *Ego ſum lux mundi, lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Volebat autem propius accedere Moyſes, vt videret, quare rubus non combureretur, ſed quia nondum aptus erat tanta cognoſcere Sacramenta, dictum eſt ei. Ne appropies huc, id eſt, ne quæras ea quæ ſupra te ſunt, noli virginis caſtitatem, noli Chriſti incarnationem inueſtigare: ſolue calceamenta de pedibus tuis, quare hoc? locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt; in terra ſancta non licet habere calceamenta: non licet indui pellibus mortuorum, ideo enim Adam in paradiſo nudus exiens zona pellicea indutus eſt. Et ait Dominus, *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, &*

A *Deus Iſaac, & Deus Iacob: vidi afflictionem populi mei in Ægypto & clamorem eius audiui, & deſcendi liberare eum. Veni igitur, & mittam te ad Pharaonem. ne timeas, ego ero tecum, & hoc habebis ſignum quod miſerim te:* id eſt, in hoc te à Deo miſſum eſſe cognoſce, quia Deus ſemper tecum erit, & ſigna, & miracula quæcunque facere volueris, per te & in te ſemper operabitur. Cumque eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Domino ſuper montem iſtum, ideſt ſuper montem Dei Oreb, qui coruus interpretatur, per quem populum gentium intelligimus, à quo & in quo magnum & ſingulare ſacrificium quotidie Domino immolatur. Huic enim coruo Apoſtolus ait: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

Dixitque Moyſes: ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus patrum noſtrorum miſit me ad vos, ſi dixerint mihi: Quod eſt nomen eius, quid dicam eis? Dixitque Dominus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſraël. Qui eſt, miſit me ad vos. Mirabile nomen. B Nunquid enim cœlum non eſt? nunquid terra? mare, Angeli, & homines non ſunt? An quia ſcriptum eſt. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo?* Quid eſt quod dicitur? *Qui eſt miſit me ad vos?* Dicat ergo qui ſemper eſt, qui idem ipſe eſt, qui nunquam cœpit eſſe, qui numquam deſinit eſſe, qui à nullo ſuſcipit eſſe, qui omnibus, dat eſſe, qui de proprio eſſe non mutatur in eſſe, vel non eſſe. Ille qui ſic vocatur, miſit me ad vos: hoc enim nomen nulli alij conuenit, hoc nomen ſolius Dei eſt.

Dixitque Dominus ad Moyſem? Hæc dices filiis Iſraël: Dominus Deus Patrum noſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos, hoc nomen mihi in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem. Ecce iam familiarius nomen, & quod ipſum non intelligant Hebræi dicere non poſſunt. Hoc nomen & vetus & noua generatio cognoſcit, hoc & Synagoga intelligit. *Vade igitur, & dic filiis Iſraël, quia ego vidi afflictionem illorum & educam eos de terra Ægypti, ingredierisque tu, &* C *ſeniores Iſraël ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum per ſolitudinem; vt immolemus Domino Deo noſtro.* Quid eſt enim, viam trium dierum? Quid eſt ſolitudo? Ecce, inquit Dauid, elongaui fugiens & manſi in ſolitudine. Eſt ergo ſolitudo gentium, hic immolatur, hic ſanctificatur, extra hanc non eſt locus veri ſacrificij. Via vero trium dierum, Trinitatis fidem demonſtrat; vno ſiquidem die venitur ad Patrem: ſecundo ad filium: tertio ad Spiritum ſanctum. Sufficit hæc via venientibus ad immolandum, nec infra ſtare nec vltra procedere libet; qui enim aliter egerit, eius ſacrificium non ſuſcipietur. Veniunt Iudæi vſque ad Patrem. Fuerunt hæretici, qui crediderunt in Patrem, & filium, & non ſuſcipiebant Spiritum ſanctum. Fuerunt autem qui multos crederent Deos; ſicut gentiles, qui idola colebant. Nulli autem horum ad præfixum fidei terminum veniebant, abominabile igitur eſt eorum ſacrificium. Sequitur.

D *Sed ego ſcio quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per Manum validam; extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum.* Vere iudicia Dei abyſſus multa: Scit quia non dimittet, mãdat tamẽ vt dimittat, in quo Dei iuſtitia, & Pharaonis iniquitas manifeſtatur. Non vult violenter auferre, quod ab alio, quamuis iniuſte, poſſidebatur: exercet ſuum ius, ne forte iniuſte feciſſe dicatur, quæ contra Ægyptios facturus eſt. Denique & ſuos cautiores reddit, dum ea, quæ ventura ſunt, eis manifeſtat: *Poſt hæc, inquit, exibitis, daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, poſtulabit mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea, ac veſtes, & ſpoliabitis Ægyptum.* Hoc autem alicui iniuſtum eſſe videatur, vt populus Dei fraudulenter rapiat: ſed quia hoc fieri Deus ipſe præcepit, non poteſt iniuſtum eſſe, quod iuſtitia fieri iubet, nondum enim dictum fuerat: Diligite inimicos veſtros, immo lex erat, quæ poſtea promulgata eſt: Diliges amicum tuum, & odio habebis E inimicum tuum. Si igitur inimici erant qui eos affligebant, qui graui iugo ſeruitutis eos deprimebant, qui non ſolum ſua, ſed ſeipſos iniuſte detinebant, cur iniuſtum eſſe dicatur, quod iuſte fieri videatur? Iuſtitia enim eſt, quæ ius ſuum vnicuique tribuit. Vbi enim neque iudex eſt, neque iuſtitia, ibi vindicta eſt neceſſaria. Hæc tamen ſpiritualiter intellecta, magnum videntur habere Sacramentum. Quamuis enim Ægyptum, id eſt, mundum iſtum violentum & tenebroſum fugiamus, ſi qua tamen bona, ſi qua vtilia, & honeſta in eo eſſe iudicemus, amplectenda, rapienda, & tenenda ſunt. Habent enim multoties & ſæculi amatores, ſcientiam litterarum, mores honeſtos, multarum artium peritiam. Multa enim à Poetis & Philoſophis accepimus, quæ valde amplectenda & diligenda ſunt: hæc rapere, hæc poſſidere & habere, his Ægyptum exſpoliare, non eſt peccatum.

CAPVT IV.

Dixit autem Moyſes: Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent. Non apparuit tibi Dominus. F Incredulitas Moyſi ad totum populum refertur. In ſe enim ipſe oſtendit, quam durus ſemper incredulus ille populus fuerit. Non credent ſine ſignis, quoniam Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Generatio enim praua, & peruerſa ſignum quærit. Vnde & ſubditur.

Dixit ergo Dominus ad Moyſen. Quid eſt hoc, quod tenes in manu tua? Reſpondit. Virga. Dixitque Dominus, Proiice illam in terram, proiecit & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Interrogatur enim Moyſes, non propter aliud, niſi vt ſuæ reſponſionis vinculo teneatur. Ipſe enim confeſſus eſt ſe tenere virgam, quam mox in ſerpentem conuerſam fugiens expauit. Signum eſt hoc, & mirabile ſignum. Credat ergo ſigno, qui non vult credere verbis. Sed quid per virgam niſi Dei correctio ſignatur? Vnde ſcriptum eſt: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Itemque. *Virga directionis, virga Regni* G *tui*, Et Salomon, *Qui parcit baculo, odit filium.* Et Apoſtolus: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in miſericordia & manſuetudine?* Hæc autem virga illis vertitur in draconem, qui ſæpius correcti ſe emendare nolunt, quia incorrigibiles exiſtunt, tandem diuinæ vltionis iram, & indignationem ſuper ſe ſæuientem ſentiunt. Vnde Pſalmiſta. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Sic igitur diuina correctio, aliis eſt virga, aliis draco: alios miſericorditer caſtigat: alios inſanabiliter percutit. Huius autem caudam Moſes tenet, & in virgam ſerpens conuertitur; quoniam aliquis vir iuſtus eſt, qui vindictam peccatoribus imminentem, ſuis orationibus auertit. Cum enim Deus vltionis, ab ira placatur, tunc draco ſæuiens, in virgam vertitur. Huius ſerpentis caudam Dauid tenebat, quando videns Angelum percutientem, clamabat: *Ego ſum Domine, qui peccaui, ego inique egi, iſti qui oues ſunt, quid fecerunt. Auertatur, obſecro, furor tuus à populo tuo.* Similiter & Phinees, de quo ſcriptum eſt. *Stetit Phinees & placauit, & ceſſauit quaſſatio.* Sic & Moyſes iſte, cui à Domino H dicitur: *Dimitte me, vt deleam populum iſtum.*

Dixit Dominum rurſus Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis: Retrahe ait, manum in ſinum tuum, retraxit & protulit iterum, & erat ſimilis carnis reliquæ. Si non crediderint tibi, nec audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. Manus namque Moyſi, Hebræorum populus intelligitur. Sinus eius terram promiſſionis: Mitte, inquit, manum tuam, in ſinum tuum, id eſt, duc populum in terram promiſſionis. Traxit autem Moyſes manum de ſinu, ſignificans, populum propter peccata ſua ducendum eſſe in captiuitatem, vnde & manus leproſa apparuit, quia niſi leproſa fuiſſet, de ſinu non traheretur, niſi populus peccaſſet, in captiuitatem non duceretur, Sed quid ait Pſalmiſta. *Vt quid Domine auertis manum tuam, & dextram tuam de medio ſinu tuo in finem?* Hoc eſt enim quod ſequitur. *Retrahe,*

A ait, *manum in ſinum tuum*, id eſt, reduc populum de captiuitate iterum in terram ſuam. Ductus namque in captiuitatem, quoties ſe peccaſſe confitebatur, & pœnitentiam agens Dei miſericordiam implorabat, mox à miſericordiſſimo Domino exaudiebatur, & qui leproſus de patria eiectus fuerat, mundus per pœnitentiam redibat, Vnde & ſubditur. *Retraxit & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ.* Sic igitur qui neque per virgam, neque per ſerpentem, neque per duram correctionem corrigebantur, ſaltem de patria expulſi, ad pœnitentiam redire cogebantur. Quod ſi neque ſic conuertebantur, ſed adhuc in ſua malitia perſiſtebant, eiectos quoque Diuinæ vltionis gladius perſequebatur, quo ſemper cadentes in proprio ſanguine volutabantur. Et hoc eſt quod dicitur. *Neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.*

Quod ſi nec duobus quidem ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis, & funde eam ſuper aridam, & quicquid hauſeris de fluuio, vertetur in B *ſanguinem.* Quod enim dicitur: ſi non audierint ſermonem ſigni prioris, hoc eſt quod in Euangelio Dominus ait: *Si verbis non vultis credere, operibus credite.* Nam & ſigna ſuo modo loquuntur, & non minus ſignis, quam verbis creditur. Sed quid per aquam fluminis, quid per aridam intelligitur? Aquæ enim multæ populi multi. Aqua ſumitur de flumine, quando de toto populo pars aliqua ſeparatur. Funditur autem ſuper terram, quando à ſuæ habitationis loco, ad alias ducitur nationes. Quæ quidem in ſanguinem vertitur, ſi inimicorum gladiis percuſſa cadat. Hoc eſt enim quod Ezechieli dicitur, vt caput, & barbam radat, & accepta ſtatera, in tres partes pilos diuidat: vnam partem igni comburat in medio ciuitatis: alteram gladio concidat: tertiam in ventum diſpergat, poſt quam ſe Dominus gladium miſſurum eſſe dicit. Barba namque Prophetæ, populus eſt Iudæorum, cuius vna pars in medio Ieruſalem igne, & fame periit: altera in eodem loco gladiis hoſtium eſt trucidata: tertia vero ſuper terram effuſa, & vbique gentium diſperſa, C Diuinæ vltionis nuſquam gladium effugere potuit. *Dixitque Moyſes, obſecro Domine, non ſum eloquens heri, & nudiuſtertius*, per quod totum tempus intelligitur præteritum: *inſuper, & modo impeditioris, & tardioris linguæ ſum, ex quo mihi loqui cœpiſti.* Deficit enim omnis ſapientia, & eloquentia, ſummæ illi & incomparabili ſapientiæ, & eloquentiæ comparata. Nam & in hominibus hoc ſæpe contingit vt aliquis, qui ſe ſapientem eſſe putabat, cum aliquo ſapientiore rationem habens, mox quid minus habeat, & quam multis ad diſcendum indigeat, colloquendo intelligat. *Dixitque Dominus ad eum Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum, nonne ego?* Ego, inquit omnes feci, ego propria dona vnicuique largitus ſum ego eloquentem & mutum, ſapientem, & inſipientem creaui: non amiſi poteſtatem, facio quod volo, perge igitur, & ego ero in ore tuo, & cui nec ſapientia nec eloquentia deerit, doceboque te quid loquaris. *At ille:* D *Obſecro, inquit Domine, mitte quem miſſurus es*, tantumque negotium alij agendum committe.

Iratus Dominus in Moyſen ait. Aaron frater tuus Leuites, ſcio quod ſapiens, & eloquens ſit. (Leuites autem erat, quia primogenitus) *Loquere, inquit, ad eum omnia verba mea, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, ipſe loquetur pro te ad populum, & quia eloquens eſt, adimplebit officium oris tui.* Sacerdotum eſt ergo loqui ad populum. Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent, ſicut internuncius & mediator. Abiit Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro cognatum ſuum, dixitque ei: *Vadam in Ægyptum videre fratres meos. Dixitque Iethro: Vade in pace.*

Dixit ergo Dominus ad Moyſen: Reuertere in Ægyptum: mortui enim ſunt qui quærebant animam tuam. Manifeſtum eſt igitur, quia non ſolum Pharao quærebat occidere Moyſen. Omnes autem Reges Ægypti Pharaones dicebantur: ſicut, & Reges Romanorum Cæſares dicuntur. Alius igitur Pharao Ægyptiis modo præerat, qui illi quidem ſucceſſerat quem fugerat Moyſes, *Tulit* E *ergo Moyſes vxorem, & filios, & impoſuit eos ſuper aſinum, reuerſusque eſt in Ægyptum, dixitque ei Dominus. Vide vt cuncta ſigna facies coram Pharaone, quæ tibi facere præcepi, ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.* Quid eſt hoc Domine: tu indurabis cor eius? Tu enim, vt Apoſtolus ait, *cui vis, miſereris*, & quem vis, induras. Quod ſi tu induras, cui nemo reſiſtere valet, quid ad Pharaonem? Cur qui populum dimittere non poteſt, ideo punitur quia non dimittit? non poteſt quidem quia induratur, à quo? à te, Tu enim dicis. Ego indurabo cor eius. Aliter ergo eſt intelligendum. Quod ergo dicitur: ego indurabo cor eius, tale eſt ac ſi diceret. Ego cor eius indurari permittam, nullam vim ei faciam, totum ſe ſibi dimittat, faciat quod velit, vt ſiue bene ſiue male egerit, totum ſibi, & non mihi imputetur. Miſer ille, qui ſic ſuæ voluntati relinquitur. Hinc ergo colligitur, quia quod boni ſaluantur, Dei gratia eſt, qui eos ſuæ miſericordiæ freno ad ſe trahens: etiam cum peccare velint, peccare eos non patitur, hoc autem non vi faciendo, ſed F cor molliendo, & in melius immutando: Quod vero mali pereunt iuſtitia eſt, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Nunquam enim humana natura ad malum procliuis eſt, vt niſi coacta bene agere nequeat. Ex hoc igitur apparet, quam iniquus Pharao iſte fuerit, qui toties flagellatus, qui tot miraculorum ſignis, nullo in ſigno, & naturali bono ad miſericordiam flectebatur. Noluit ergo eum Dominus emollire, ne fortaſſe bonus putaretur, qui ſua ſponte, tam malus, & iniquus erat.

Vade dic Pharaoni: Filius meus primogenitus eſt Iſraël: dixi tibi. Dimitte filium meum, & noluiſti, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Primogenitus eſt namque Dei filius, Iſraël, non natura ſed gratia. Hæc enim gens, prima omnium à Deo electa, præ cunctis dilecta fuit. Quando autem omnia primogenita Ægypti interfecta ſunt, tunc & primogenitum Pharaonis interfecit Dominus; non enim eſt perſonarum acceptor Deus.

Cumque eſſet Moyſes in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circuncidit carnem præputij filij ſui, G *tetigitque pedes eius & ait. Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Ex hoc datur intelligi, quia iam Moyſes de filio circumcidendo admonitus fuerat, ſed quia mater eius alia lege viuebat, ea fortaſſe reſiſtente, aut non potuit, aut neglexit, non igitur iam mater eius, quæ alia lege viuebat, nunc admonetur, ſed quodammodo cogitur vt eum circumcidat; ſi enim ad fratres ſuos, qui omnes circumciſi erant, filium ſuum incircumciſum detuliſſet, quaſi Dei pacti præuaricator, ſcandalum eis mouere poterat. Tulit ergo Sephora acutiſſimam petram. (petra autem erat Chriſtus. & circumcidit præputium filij ſui. Hæc enim petra & Iudæi circumciduntur, & Chriſtiani baptizantur: Quicumque, inquit, *baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis.* De circumciſione autem, in libro Geneſeos pleniſſime expoſuimus. Sequitur: *Tetigitque pedes eius, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Cur enim pedes cum petra tetigit, niſi quia circumciſio & baptiſmus inutilis eſt, ſi poſt baptiſmum vel circumciſionem, pedes ſupra petram non H ſtabiliantur? Vnde Pſalmiſta: *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos*, Quæ cum ait: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, fœminea pietate videtur loqui ac ſi dicat: Hoc ex tua coniunctione beneficij capio, vt filiorum meorum ſanguinem fundam. Quod ſi hoc ad Dominum Sephora dixiſſe intelligatur, ſic exponetur, ac ſi diceret, Nouum genus coniugij, in quo ex ſanguine filij generatur, mirabilis ſponſus, cui vel ex aqua, vel ex ſanguine filij generantur. Et dimiſit eum poſtquam dixit. ſponſus ſanguinum tu mihi es, non quia hoc dixit, ſed ob circumciſionem. Ad hoc enim venerat, vt non mulieris verba attenderet, ſed vt puer circumcideretur.

CAPVT V.

V*Enit ergo Moyſes, & narrauit fratri ſuo quæcunque audierat. Veneratque ſimul ad ſeniores Iſraël, locutuſque eſt Aaron, quæ Dominus iuſſerat, & fecit ſigna,*

&

A *& credidit populus, omneſque gauiſi ſunt, & proni adorauerunt.* Ad maiora tendimus, ideo in exponendis hiſtoriis laborare nolumus, ne forte, ſicut quorumdam mos eſt, quæ per ſe plena ſunt difficilia faciamus. Inde autem venerunt, dixeruntque ei, vt dimitteret populum, quod audire noluit, ſed vehementius quam prius eos afflixit. Hoc autem Dei prouidentia fiebat, quo, & Pharaonis malitia, & Dei potentia innoteſceret.

CAPVT VI.

LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob; in Deo omnipotente, & nomen meum Adonay non indicaui eis. Quid eſt hoc quod dicitur: apparuit Dominus Patriarchis, ſeque & Deum omnipotentem illis eſſe oſtendit, & tamen nomen ſuum quod eſt Adonai non indicauit eis. Quod eſt hoc nomen, quod nobis ſcire licet, & Abraham Iſaac, & Iacob non eſt indicatum? Per hos B enim tres Patriarchas, ex quibus omnes Iudæi originem ducunt, omnem Iudæorum populum intelligere debemus. Dei vero nomen Ieſus Chriſtus eſt. Ipſe enim, & verbum vocatur. Ecce inquit Propheta. *nomen Domini venit de longinquo.* Hunc autem non cognouerunt Iudæi, quia ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Excæcauit enim eos malitia eorum, ſecundum illud. *Excæca cor populi huius vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Interpretatur autem Adonay, Dominus Deus. Saluator autem diſcipulis loquitur dicens. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis ſum etenim. Itemque. Si quis vobis aliquid dixerit dicite: Quia Dominus his opus habet.* Ignorantia igitur iſta Patriarcharum, non eſt Patriarcharum, ſed ſeminis Patriarcharum. Indicauit eis Dominus nomen ſuum, & non indicauit eis. Indicauit ſecundum ſe, non indicauit ſecundum membra. Indicauit primis, non indicauit nouiſſimis. Sic enim terram promiſſionis illis promittit, & illis non datur, Tibi, inquit Dominus, dabo C terram hanc, tibi & non tibi. Tibi in ſemine, non tibi perſonaliter. Poteſt autem & ſic intelligi: Nomen meum Adonay non indicaui eis, quia non quaſi Dominum, ſed quaſi Patrem me illis exhibui, Nunc autem vos liberando & Ægyptios affligendo, qualiter Rex & Dominum eſſe nouerim, cunctis gentibus innoteſcet. Vnde & frequenter dicitur. *Ego Dominus Deus veſter.* Itemque *Et ſcietis, quia ego Dominus.*

CAPVT VII.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Ego Dominus. Hoc eſt quod modo ſuperius dixit, Adonay, hoc eſt illud nomen, quod Patriarchis non indicauit, id eſt, filiis Patriarcharum. Sequitur. *Loquere ad Pharaonem, quæ ego loquar tibi. Et ait Moyſes; En incircumciſus labiis ego ſum, quomodo audiet me Pharao?* Incircumciſus enim labiis eſt, qui ſuperflua vana, & inutilia loquitur: circumciſus vero, qui & interrogare, & reſpondere rationabiliter nouit. Quod hic Iudæi dicant cum labiorum inuſi- D tatam circumciſionem audiant. Et, vt ego quoque incircumciſus labiis eloquar, vtinam & nares tibi circumcidant, vt iam nunc ab inutili circumciſione quieſcant.

Dixitque Dominus ad Moyſen. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, eam videlicet poteſtatem tibi tradendo, vt iuxta voluntatem tuam eum affligas, & in ſignis & miraculis, quæ feceris, obſtupeſcat, tibique in nullo nocere valeat. Et Aaron frater tuus, erit Propheta tuus, vt quia facundus, & eloquens eſt ipſe, pro te loquatur ad Pharaonem, Sed ego indurabo cor eius, hoc autem ſuperius expoſitum eſt. Huic autem ſimile illud eſt quod dicitur. *Et ne nos inducas in tentationem.* Similiter enim & Pharao dicere poterat, *Ne indures cor meum Domine.* Deus enim neque indurat, neque in tentationem aliquam inducit, ſed quia in eius eſt poteſtate, & induratum mollire, & in tentationem euntem retinere, ideo, & indurare, & in tentationem ducere dicitur. *Fecit itaque Moyſes ad Aaron, ſicut præceperat Dominus.*

Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis E *eius, quæ verſa eſt in colubrum.* De virga quidem, cuiuſque commutatione ſatis ſuperius dictum eſt. Bene autem principium ſignorum virga fuit, quoniam quidem correctionem Dei ſignificare diximus. Venit igitur Moyſes ad Pharaonem, non cum gladio, ſed cum virga: vnde ſi pœnitere voluiſſet, facile ad ignoſcendum Dominum, per hoc cognoſcere poterat. Sed quia pœnitere noluit, in colubrum virga conuertitur, vt maioribus dignus ſuppliciis, maioris correctionis tormenta ſe exſpectare intelligat. Et ideo qui virga non corrigitur, draconi, id eſt diabolo puniendus traditur. *Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam, ſimiliter, proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron, virgas eorum.* Infelix Pharao, cum humiliare ſe debuiſſet, ad ſuæ deceptionis figmenta confugit, vt per falſa, quæ ipſe operatur, probet, non eſſe verum quod Dominus ait. Hoc enim Tyranni ſæpe feciſſe leguntur, qui videntes ſigna & miracula, quæ per F Martyres ſuos Deus faciebat, maleficos eos & incantatores eſſe putabant. Ipſi quoque Saluatori noſtro Iudæos dixiſſe legimus: *In Beelzebub principe demoniorum eiicit dæmonia.* Nec mirum, ſi ſuis incantationibus & arte diabolica, hoc malefici facere potuerunt, cum ipſe Sathanas, vt Apoſtolus ait, *transfiguret ſe, in Angelum lucis.* Quod autem virga Aaron virgas eorum deuorauit, nihil Diuinæ vltioni reſiſtere poſſe ſignificat.

Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas & dic ei: vt dimittat populum. Quod ſi audire contempſerit, tolle virgam & extende manum ſuper aquas Ægypti, & ſuper riuos & paludes, & lacus, vt vertantur in ſanguinem, & piſces moriantur. Hoc eſt cum prima plaga, quæ Ægyptus à Domino percutitur. Decem enim plagis flagellauit Dominus Ægyptum, quibus ſignificauit, quibus modis, & propter quam cauſam, mundum affligat vniuerſum. Quoniam autem denarius numerus, omnes in ſe numeros G continet, ideo frequenter decem pro omnibus accipiuntur. Vnde in Apocalypſi de miſeriis dicitur: *Quia habebant tribulationem diebus decem*, id eſt, cunctis diebus, Decem namque, centum, & mille, niſi per ſe, & in ſe reuoluantur, nihil habent vlterius vbi creſcant, vnde cum ſint finiti, ſæpe pro infinitis accipiuntur. Decem ergo plagæ omnes plagas ſignificant, quibus per duritiam cordis noſtri in hoc mundo à Domino flagellamur. Omnis enim homo Pharao dici poteſt, qui Dei præcepta per Eccleſiæ Doctores audiens paruipendit, eiſque indurato corde, & animo reſiſtit. Detinet autem Dei populum in ſeruitute, quando homo quinque corporis ſenſus, animæque virtutes Deo ſeruire non permittit. Hic eſt enim populus Dei qui graui corporis ſeruitute deprimitur. Hic dum in populoſa Ægypto habitat, vitiorum, & malignorum ſpirituum multitudinem vallatus, Deo ſacrificare non poteſt. Vult igitur ire in deſertum, quærere locum ſecretum, iniquorum euadere conuerſationem, hoc au- H tem non corpore, ſed mente. Qui niſi à vitiis & malignis ſpiritibus ſeparatur, vbicumque ſit in deſerto, eſt, quoniam deſertus eſt, derelictus eſt, & à malo populo mente, & ſpiritu ſequeſtratus, iam ſolitarius cum Deo eſt. Cætera videamus. *Vade, inquit Dominus Moyſi, ad Pharaonem, ecce egredietur ad aquas.* Quid enim hoc in loco per aquas niſi ſtultum huius mundi, & Philoſophorum & Poëtarum ſapientiam deſignat? quæ quoniam voluptatem ſummum bonum prædicat, quoniam mundi gloriam & honores, & delicias laudat, quoniam vitia carniſque concupiſcentias non reprehendit, ideo Pharao, omneſque mundi amatores ad eam currunt, eam ſitiunt, eam bibere cupiunt. Ideoque Moyſes correctionis virgam ferens, forteſque manum potenter extendens, eam in ſanguinem conuertit. In ſanguinem quidem eam conuertit, quin quam ſit venenoſa, quam periculoſa, quam fœtida, quam peccatorum ſordibus plena, Chriſtus Dominus noſter eiuſque diſcipuli vera ratione probauerunt.

A Qui ergo non vult mori, qui timet perire, fugiat has aquas, neque ſuſcipiat hanc doctrinam; moriuntur enim, qui eam bibunt quod quidem illi piſces ſignificabant qui in Ægyptio flumine mortui ſunt. Malefici autem, qui ſicut Moyſes ſigna faciunt, hypocritæ intelliguntur, quoniam, & ipſi ſicut Eccleſiæ Doctores Philoſophorum & Poetarum ſcientiam damnant: de quibus ait Dominus: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi,* Hi autem omnia opera ſua faciunt, non ad laudem Dei, ſed turpis lucri gratia, & vt videantur ab hominibus. Foderunt autem aquam Ægyptij per circuitum fluminis, quoniam cognita veritate, hanc vlterius bibere noluerunt. Aquam quippe fodere eſt pure, & ſincere ſapientiæ fontem inueſtigare. Quæ bene quidem circa flumen foditur, quoniam non niſi in Diuinis ſcripturis inuenitur. Fuit autem ſanguis iſte per ſeptem dies, quoniam prædicta Philoſophorum ſcientia in ſanguinem, & peccatum conuerſa, amplius in æternum à viris Catholicis non ſuſcipietur: non enim ſunt dies niſi ſeptem. Hoc eſt ergo, diebus B ſeptem, quod eſt diebus omnibus. Noluit autem Pharao dimittere populum.

CAPVT VIII.

D*ixitque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: extende manum tuam ſuper fluuios, & ſuper riuos, & paludes, & educ ranas ſuper terram Ægypti. Extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* In prima namque plaga Philoſophi, & Poetæ perierunt, omniſque eorum ſcientia & paganorum ritus deſtructus eſt: Ecce autem in hac ſecunda ranæ ebulliunt: Hæretici inſurgunt, qui & loquacitate omnes inquietant, & ſua immunditia cuncta commaculant: non aliunde veniunt, ſed de aquis deſcendunt, quoniam male ſcripturas intelligendo, peruerſeque exponendo, ibi errores concipiunt, & ibi hæretici fiunt. Prius enim Philoſophi & Poetæ, deinde hæretici erronea ſapientia mundum deceperunt. Eo ergo ordine C ponuntur, quo & temporaliter ſe ſe ſequuntur. Merito autem hæreticos ranæ ſignificant, quoniam non in ratione, ſed in loquacitate hæretici confidunt. Fecerunt autem & malefici per incantationes ſimiliter, iam tunc ſignificantes, quoniam & hypoctitæ ſanctorum exempla, quadam ſimilitudine imitaturi erant. *Dixit Pharao, Orate Dominum, vt auferat ranas à me & à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino. Orauitque Moyſes Dominum, & mortuæ ſunt ranæ,* Hoc enim vſque hodie peccatores agunt, & in arcto poſiti Dominum orant, cuius, mox liberati obliuiſcuntur. Mors vero ranarum, hæreticorum monſtrat interitum. *Videns autem Pharao quod data eſſet requies, indurauit cor ſuum, & non dimiſit eos, ſicut præceperat Dominus.*

Dixitque Dominus ad Moyſen? Loquere ad Aaron; Extende manum tuam, & percute puluerem terræ, & ſint cinifes in vniuerſa terra Ægypti Feceruntque ita, & facti ſunt cinifes in hominibus & in iumentis, omniſque puluis terræ verſus eſt in cinifes. Cinifes autem culices, & muſcas minutiſſimas vocant ad quarum differentiam D Muſca canina dicatur. Sed quid per Cinifes, qui & homines & iumenta nimiis anguſtiis inquietabant, niſi cura & ſollicitudo rerum temporalium intelligitur? Cum enim aliquem pro hac ſubſtantia tranſitoria &, fugitiua tam anxie laborare, diſcurrere, ſudare, & feſtinare videas, nonne quod cinifes eum ſtimulent, & ſequantur, tibi videtur? Qui merito de terræ puluere oriuntur, quoniam hæc talis cura & ſollicitudo ad terrena & fugitiua bona, homines inuitant. Et iſti quidem in hominibus ſunt & in iumentis, quoniam & ſapientes, & inſipientes fatigant. Ipſa quoque iuxta litteram, iumenta non fatigarentur, niſi hæc talis ſollicitudo fuiſſet. Hæc enim & boues arare, & equos in bella ruere, cæteraque iumenta hominibus deprimi cogit. Ab hac autem ſollicitudine liberare nos volens Dominus, dicebat: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur.* Hæc autem tertia plaga, qua mundus percutitur, nulla magis, quam iſta eum vexat. Voluerunt E autem, & malefici cinifes facere, & non potuerunt, non quod difficilius ſit facere cinifes, quam ranas, vel colubros: ſed quia ibi tantum poſſunt, vbi eos Deus poſſe permittit. Vnde ipſi quoque dicunt: *Digitus Dei eſt hic,* intelligentes Dei manus hanc eſſe potentiam, quæ à ſolita operatione tam ſubito eos coercere valeat.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic Pharaoni, dimitte populum, alioquin ego immittam in te & ſeruos tuos, & populum tuum & in domos tuas omne genus muſcarum. Factumque eſt ita? Veneruntque muſca grauiſſima in domum Pharaonis, & in omnem terram Ægypti, corruptaque eſt terra ab huiuſcemodi muſcis. Quid enim per muſcas, niſi ſpiritum fornicationis, ipſamque omnium vitiorum turpiſſimam libidinem intelligimus, de qua Apoſtolus? Omne; inquit; *peccatum quod fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Vnde & hic dicitur, quod ab huiuſmodi muſcis terra corrupta eſt. Quid enim ita, vt libidinis æſtus terram, id eſt carnem noſtram corrumpit? Huius autem multæ ſunt ſpecies, idcirco, & muſcæ diuerſorum generum F fuiſſe referuntur? quas quia grauiſſimas dicit, quantum hoc vitium in hominibus graſſetur innotuit. His etenim muſcis adulter, his fornicator, his ſodomita, his cuiuſcunque libidinis operator ſtimulatur, vexatur, incenditur, perſequitur, & corrumpitur. Hæ tamen muſcæ non erant in terra Geſſen, vbi filij Iſraël habitabant, quoniam ſancti viri ieiuniis, vigiliis, orationibus, carniſque maceratione, omnem impetum libidinis à ſe repellunt. *Vocauitque Pharao Moyſen, & Aaron, & ait illis? Ite ſacrificate Deo veſtro in terra hac. Et ait Moyſes: Non poteſt ita fieri, abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro, quod ſi mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij coram eis nos lapidibus obruent.* Abominationes enim Ægyptiorum dicit. Et eſt mirabilis viri prudentia, qui coram ipſo Rege ſuos Deos abominationes appellat. Ægyptij enim, non ſolum hircos & oues, & vaccas, ſed alia multa portenta adorabant. *Viam trium dierum pergemus in ſolitudine, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis.* G Quid vero via trium dierum ſignificet, ſuperius expoſuimus. *Dixitque Pharao: Ego dimittam vos veruntamen ne longius abeatis, rogate pro me.* Conſidera Pharao quid poſſit virtus, & potentia tua: rogas Prophetam, vt ipſe pro te Dominum roget, quatenus à te, & à populo tuo muſcas repellat, adhuc te virga percutit & ferre non potes, quid ſi in ſerpentem virga vertatur? quid ſi ignem de cœlo pluat? noli vlterius indurare cor tuum, noli amplius fallere ſeruos Dei, ne ſi forte pro te orare deſierint, pereas & tu, & populus tuus. Egreſſuſque Moyſes à Pharaone orauit Dominum, & perierunt muſcæ. Ingrauatum eſt autem cor Pharaonis, & noluit dimittere populum. Quia autem Pharao ſæpius induratur, ideo ſæpius flagellatur. Sequitur.

CAPVT IX.

D*ixit autem Dominus ad Moyſen: Vade dic Pharaoni: Hæc dicit Dominus? Dimitte populum meum, alioquin ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper* H *equos & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valde grauis. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die; mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Iſrael nihil omnino periit.* Quid enim per hæc, quæ modo enumerata ſunt, niſi exteriorem ſubſtantiam intelligimus, quam cum Dominus repente peccatoribus aufert, aut probatio eſt, aut vindicta. Sic enim & Beato Iob feciſſe legitur, qui patiens, tamen patienter gratias agens dicebat, *Dominus dedit Dominus abſtulit.* Vir etenim ſanctus in hoc quoque Dei miſericordiam agnoſcebat, quod non ſe, ſed ſua feriebat. Cum ergo in exterioribus homo flagellatur. gratias agat, cõuertatur, & pœniteat, Deiq; miſericordiã recognoſcat, qui eum tam miſericorditer ad pœnitentiam vocat. *Corripit enim Dominus omnem filium, quem recipit. Et Beatus homo qui corripitur à Domino.* Non induretur vt Pharao, ſed confeſſus ſe peccaſſe veniam poſtulet, ne forte vſque

A ad animam vindicta deſæuiat. Vnde ſcriptum eſt. *Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.* Hæc autem quinta plaga eſt, per quam in his, quæ poſſidet, & non in ſe, homo percutitur. *Et ingrauatum eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum.*

Et dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone, ſitque puluis ſuper omnem terram Ægypti. Erunt enim in hominibus, & in iumentis vulnera, & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Ægypti. Factumque eſt ita. Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vulnera, quæ in illis erant. Ecce iam non animantia tantum, ſed ipſi homines percutiuntur, vt qui virgam non ſentiunt, ſaltem tormentis corrigantur. Quid enim per caminum niſi afflictionem? Quid vero per cinerem, niſi populum diuturno iam afflictionis igne crematum? Cinis ergo de camino tollitur, & in cœlum ſpargitur, quoniam afflicti populi preces in cœlo exaudiuntur. Et bene quidem per manus Moyſi cinis in B cœlum ſpargitur, quia Chriſti & ſanctorum manibus omnis populus Domino præſentatur. Vulnera vero, & veſicæ turgentes, quas & videre horribile, & pati intolerabile eſt, futura illa tormenta ſignificant, quibus nulla tormenta comparari poſſunt. Hæc autem tormenta illos expectant, qui obſtinato corde vſque ad finem in ſua malitia perſeuerant. Fit autem hæc plaga, & in hominibus, & in iumentis, quia, & ſapientes, & inſipientes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes æqualiter Diuina vltione affliguntur. Hoc enim ſunt ſtulti ad ſapientes, quod iumenta ad homines. Malefici vero propter vulnera coram Moyſe ſtare non poterant, qui ſicut leproſi, & Chriſti viſione indigni extra caſtra expulſi, in ſanctorum ciuitatem non habitabunt. *Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non dimiſit eos.*

Sequitur autem ſeptima plaga, in qua ſicut & in cæteris monetur Pharao dimittere populum, quod ſi facere contempſerit, minatur Dominus ſe immittere omnes plagas, ſuper eum, & ſuper populum eius, & pluere gran- C dinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die, qua fundata eſt vſque in præſens. Vnde & præcipit Moyſes, vt homines & ea quæ foris ſunt intus congregentur, ne moriantur. Quid eſt autem quod Moyſes prius admonet Pharaonem dimittere populum, deinde omnem plagam, prius quam fiat, ei denuntiat? niſi quia & Chriſtus, qui per Moyſem intelligitur, eiuſque diſcipuli: quos Aaron ſignificabat, prius populum ad pœnitentiam vocabant, deinde mala futuri ſæculi, & infernos cruciatus eis denunciabant? Quaſi enim grandinem ſuper eos pluebant, quando tormenta diabolo & Angelis eis in inferno præparata exponebant. Fulgura autem diſcurrentia tunc mittebant, quando quaſi ignitis iaculis, ſententiis ſcripturarum, vitia, & malignos ſpiritus in humanis pectoribus interficiebant. Cum quibus & ignis mixtus ferebatur, quia ſignorum, & miraculorum fulgor, eorum prædicationem ſequebatur, vt qui verbis credere nolebant, ſaltem miraculorum igne & ſplendore illuminati, territi, & corde compuncti ad Dominum conuerterentur. D Pereunt autem omnia quæ foris ſunt, quia quicumque à ſanctorum fide, & conſortio ſeparati, extra Eccleſiam inuenti fuerint, in iudicio peribunt. Vnde & Moyſes congregari omnia præcipit, ne forte Doctorum incuria & negligentia, foris manentia pereant. Quod autem ait. *Idcirco poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra,* ſic eſt accipiendum ac ſi diceret. Idcirco tuam duritiam patior ideo tibi toties parco, vt per te mea fortitudo monſtretur qui & quoties volo, te ſupero, & ſuperatum vires iterum ſumere permitto, vt narretur nomen meum in omni terra, cui omnis eſt obediens creatura, cuius miraculorum non eſt numerus, cui nemo impune reſiſtere valet, qui per ranas & muſcas non minus, quam per fulgura, qui ad Reges & Principes ſuperandos non armatos milites, ſed locuſtas, & culices mando. *Miſitque Pharao, & vocauit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus reddens mihi ſecundum opera, & iuxta noſtra peccata puniens,* ego & populus meus impij, quibus E toties Dominus miſeretur, & non cognoſcimus, orate *Dominum, vt deſinant tonitrua, & grando, & dimittam vos, & nequaquam vltra hic maneatis.* Felix eſſes Pharao, ſi hanc ſententiam terminaſſes, ſi ſicut dicis, ita feciſſes, ſi cor vlterius non induraſſes. Orauitque Moyſes Dominum, & ceſſauit grando.

Induratum eſt ergo cor Pharaonis, & ſeruorum eius, & non dimiſit populum. Quod autem ſerotina non ſint læſa, poſterioris, & Chriſtiani populi ſalutem ſignificare poteſt.

CAPVT X.

P*Oſt hæc autem, cum Pharao admonitus, ſicut prius noluiſſet dimittere populum, cum Moyſes locuſtas in craſtinum denunciaſſet eſſe venturas, & ille contempſiſſet, extendit Moyſes virgam ſuper terram Ægypti, & Dominus induxit ventum vrentem tota illa die, & nocte, &* F *mane facto ventus vrens leuauit locuſtas, quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Ægypti, operueruntque eam, vaſtantes omnia. Deuorata eſt igitur herba terræ, & quicquid pomorum grando reliquerat.* Quid enim per locuſtas, quæ, quaſi Imperatorum agmina ſemper facto exercitu cuncta vaſtantes incedunt, niſi vitiorum & malignorum ſpirituum multitudinem intelligamus? Has autem ventus vrens eleuat, & portat, quoniam violento, & impetuoſo ſpiritu ſuperbiæ vitia quæque, & maligni ſpiritus deferuntur. Initium enim omnis peccati, ſuperbia: hæc vitia portat, hæc dæmones eleuat, hæc peccatores exaltat. Hac enim ſuperbus ille inflatione, hoc ſuperbiæ vento inflatus dicebat. *Super cœlum aſcendam, & ſuper ſydera cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, & ero ſimilis Altiſſimo.* Sic ergo locuſtæ volant, ſic vitia, & maligni ſpiritus feruntur. Omnis enim inobedientia ſuperbia eſt. Quicunque autem peccat, inobediens eſt. Sic ergo vento ſuperbiæ vniuerſa peccata feruntur. Hæ ſunt illæ lo- G cuſtæ quæ omnia deuorant, corrodunt, cuncta diſſipant, nec quid pulchri in arboribus relinquunt, ideo ſteriles & infructuoſæ fiunt, ad nihil aliud vtiles, niſi vt excindantur & in ignem mittantur. Hoc autem tantum in terra Ægypti, in regno Pharaonis, in terra tenebroſa, quæ ſolis iuſtitiæ radiis non illuſtratur. Sequitur. *Quamobrem Pharao feſtinus vocauit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos, ſed nunc dimittite mihi peccatum etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtum.*

Sic igitur es tu homo quicumque es, ſi ſentis locuſtarum exercitum deuorare terram tuam: ſi ſenſeris luxuriam, auaritiam, diſcordiam, concupiſcentiam, fornicationem, ingluuiem, ebrietatem, vanam gloriam, iram, & cætera his ſimilia, quæ per locuſtas intelliguntur, vaſtare, & diſperdere carnem tuam, curre feſtinus, curre ad Moyſen, deprecare Chriſtum, vt tibi parcat, vt tibi peccatum dimittat. Sed noli cor tuum poſtea indurare cum Pharaone, ne & tu pereas ad ſimilitudinem Pha- H nis. Audi Prophetam dicentem: *Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra,* quod autem or[ante] te Moyſe, omnes locuſtæ à vento eleuatæ, & in mare rubrum proiectæ perierunt, hoc eſt intelligendum, quod vitia & maligni ſpiritus, qui populum iam pœnitentem, & ſe peccaſſe confitentem prius perſequebantur, Chriſto iubente, in baptiſmate omnino delentur. *Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſraël.*

Dixit autem Dominus ad Moyſen: extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti, tam denſæ, vt palpari queant. Extendit Moyſes manum in cœlum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti: tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat. Vbicumque autem habitabant filij Iſraël, lux erat. Ecce qui regem ſequuntur tenebrarum, qui toties admoniti & flagellati, qui tot ſigna & miracula videntes, adhuc indurato corde in malitia perſeuerant, tenebris inuoluti nihil vident, & quaſi lapi-

A des immobiles permanent, vt ſaltem per tenebras exteriores, cordis ſui cœcitatem intelligant. De his enim tenebris Apoſtolus ait : *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et Ioannes : *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt & in tenebris manet.* Qui igitur non vult manere in tenebris, vitiis expulſis ſequatur lucem, lucem videlicet quæ ait : *Ego ſum lux mundi.* Sed quia Moyſes ſignificat Chriſtum, manus eius quam in cœlum extendit, Chriſti manus in cruce extenſas, ſignificare poteſt ; nam & in Chriſti paſſione tribus horis tenebræ factæ ſunt, vt merito in his tribus diebus, tres illas ſignificatas fuiſſe intelligamus. Has autem tenebras non patitur populus Dei, illum ſequens qui ait: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lucem vitæ.*

Vocauit autem Pharao Moyſen, & Aaron, dixitque eis ; vt cætera relinquentes, cum filiis irent ſacrificare Domino. Noluitque Moyſes ſine gregibus ire, ne quid ſibi forsaſſe in ſacrificio deeſſet. Dixitque Pharao : Recede B *a me, & caue ne vltra faciem meam videas: quocunque die apparueris mihi morieris. At ille ait : Ita fiet vt locutus es, non videbo vltra faciem tuam.* Quid eſt hoc quod dicit Moyſes : non videbo vltra faciem tuam ? poſtea enim eum vidit, & locutus eſt cum eo. Sed quia frequenter in ſacro eloquio, videre miſereri, ſignificat, ſic accipi poteſt ac ſi diceret : Non videbo vltra faciem tuam non vltra miſerebor tui, non te vlterius populum dimittere admonebo, neque amplius pro te Deum rogabo, ſed amodo de te me vindicabo.

CAPVT XI.

ET dixit Dominus ad Moyſen : Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet. Dices ergo omni populo, vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua; vaſa argentea & aurea, dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptiis. Hoc autem quid ſignificet, ſu- C perius expoſitum eſt : facilius eſt autem illuc reuerti quam iterum eadem replicare. Fuitque Moyſes vir magnus valde in terra Ægypti coram Pharaone, & omni populo. Magnus quidem fuit in verbis, magnus in miraculis, magnus in conſtantia, & ideo magnus, quia Chriſti figuram gerebat. *Et ait ad Pharaonem. Media nocte ingrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæque eſt ad molam, & omnia primogenita iumentorum, deſcendentque omnes ſerui iſti & adorabunt me dicentes : Egredere tu & omnis populus qui ſubiectus eſt tibi.* Hæc autem in ſequentibus exponemus, ibi videlicet vbi complebuntur. Sequitur. *Poſt hæc egrediemur, & exiuit à Pharaone iratus nimis.* Bona ira qua ſuperbia vincitur, ſtultitia ſuperatur, cor impœnitens ad pœnitentiam, quamuis inutilem reuocatur, & Dei populus de ſeruitute grauiſſima liberatur.

Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron in terra D *Ægypti. Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* Menſis, inquit, iſte aliorum menſium principium eſt, qui apud nos Martius vocatur. Hic autem ſit vobis primus, id eſt maximus, & principalis in menſibus anni, quoniam maiora in hoc menſe quam in cæteris fiunt ſacramenta. Loquimini ad vniuerſum cætum filiorum Iſraël, & dicite eis. Decima die menſis huius vnuſquiſque tollat agnum, per familias, & domos ſuas ; ſin autem minor eſt numerus vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum aſſumat vicinum ſuum qui iunctus eſt domui eius, iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hædum, & ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam. Decima namque die tolluntur agnus, & hædus & ſeruantur vſque ad diem quartam decimam eiuſdem menſis, & tunc immolantur. Nam quid tabulæ teſtamenti decem verba, id eſt decem præ- E cepta principalia ſcripta habuerunt, in quibus tota lex quodammodo continebatur, ideo frequenter per decem, totum vetus teſtamentum intelligitur. Quia vero quatuor ſunt Euangelia, in quibus nouum teſtamentum clauditur, ideo per quatuor, nouum teſtamentum deſignatur. Decima igitur dies vetus teſtamentum, quarta vero poſt decimam, nouum deſignat : Decima autem die tollitur agnus, ſed vſque ad quartam decimam immolandus ſeruatur, quoniam Chriſti paſſio, in veteri teſtamento per figuras & ænigmata ſignificata, tandem in nouo veraciter eſt adimpleta. Ibi Chriſtus monſtratur, hic immolatur. Ibi ſignificatur, hic ſacrificatur, Ibi denique agni immolatio narratur ; hic vero Chriſti paſſio prædicatur. Vetus namque teſtamentum eo tempore finem fecit, quo Chriſtus Dominus noſter ſuis diſcipulis ait. *Amen dico vobis, non bibam amodo, de hoc genimine vitis, vſque in diem illum cum illud bibam vobiſcum nouum in regno meo.* Vetus igitur vinum ſpernitur, no- F uum promittitur, non quod vetus lex omnino deſtruatur, ſed quod nouo & ſpirituali ſenſu intelligatur, hoc autem in Regno Dei, quod eſt Eccleſia. Chriſtus autem, & agnus eſt propter innocentiam, & hædus dicitur, propter ſimilitudinem carnis peccati. De hoc enim dicitur. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* de hoc ſimiliter dicitur. *Ne coquas hædum, in lacte matris ſuæ.* Ad hunc autem veſcendum, vicinos, & propinquos inuitare debemus, vt, qua charitate omnium ſalutem deſideramus innoteſcat. Vicinus etenim noſter omnis Chriſtianus eſt : & quicunque ab Eccleſia longe non eſt. Eſt autem agnus iſte abſque macula. Quoniam ſic ſcriptum eſt. *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Eſt autem, & maſculus agniculus, quia nihil habet molle, nihil femineum, nihil corruptioni obnoxium, nihil carnalis ſentiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur; hædus vero ab omni multitudine immolatur, per quod apertiſſimè deſignatur, & hoc ſacrificium quod modo in Eccleſia aſſidue ſumitur, & illud quod à Iudæis inſanientibus in ara crucis eſt immolatum, G & hoc, & illud vnum idemque ſit tamen aliter, & aliter ſit : vnde illi hædum occidunt, inter iniquos & peccatores, mundi Saluatorem deputantes, ſicut ſcriptum eſt: *Et inter iniquos deputatus eſt.* Itemque : *Niſi eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Nos autem, quia innocentem, ſanctum & iuſtum, & ſine omni contagione peccati, Dei filium eſſe credimus agnum abſque macula, & immolamus & ſumimus. Ideoque quamuis agnus, & hædus immolatur, ſolus tamen agnus à populo manducatur: illud enim ſacrificium in iſto ſumitur, quia hoc in illud veriſſime conuertitur. Numquam enim illud comederetur, niſi hoc in illud conuerteretur. Eſt enim hæc mutatio dexteræ excelſi. Omnis autem multitudo filiorum Iſraël hædum immolauit, ſed quando ? ad veſperam : quoniam proditor Iudas circa hanc horam cum Iudæis loquitur, Chriſtum vendidit, nummos accepit, atque altera die circa horam veſpertinam, id eſt poſt nonam, Saluator noſter ſpiritum emiſit. Vnde Pſalmiſta ait : *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* H Sed quia Dominus noſter Octauo kalendas Aprilis eſt crucifixus, & pridie quam crucifigeretur, hæc agni immolatio facta fuerat, quomodo verum eſt, quod quartadecima die prædicti menſis agnus dicitur immolatus ? Iudæi namque non ſicut nos menſes computant, ſed ſecundum lunæ innouationem, menſium quoque principia faciunt. Sequitur.

Et ſument de ſanguine agni, & ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuper liminaribus domorum, in quibus comedent illum. Super vtrumque etenim poſtem agni ſanguinem ponunt, qui & ore, & corde illum ſuſcipiunt. Qui vero vel indigne illum ſuſcipiunt : vel etiam ſuſcipientes; Chriſti ſanguinem eſſe non credunt, iſti in vnum tantummodo poſtem ſanguinem ponunt de quibus Apoſtolus ait: *Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Nos igitur ; & ore ſumentes, & corde Chriſti ſanguinem eſſe credentes, in vtrúque poſtem

A eum ponamus, & corpore, & mente ſuſcipiamus. Cum autem crucis ſignum in noſtris frontibus facimus, tunc in ſuperliminaribus domorum Chriſti ſanguinem ponimus. Sequitur.

Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azimos panes cum lactucis agreſtibus. Idem enim hoc loco & carnes, & azimos intelligimus, & bene vtrumque poſuit, quoniam de panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis aggreſtibus comedunt, qui corde compuncto & humiliato eas ſuſcipiunt, & crucis amaritudinem compatientes, in cordis palato quodammodo ſentiunt. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni.* Agni enim carnes, ſi vel crudæ vel aqua coctæ edantur, facile ſtomechum peruertere ſolent; ſi vero aſſæ fuerint, & confortant & auidius ſumuntur. Qui ergo à cæteris carnibus eas non diſcernit, & omni cibo ſuauiores eſſe non intelligit, quaſi faſtidiens, digne eas ſumentibus ſalutem, & vitam præſtare non credit: iſte, vel crudas, vel aqua coctas has carnes comedit. Illi vero B aſſas igni eas manducat, qui vitam in eis eſſe credens, auidiſſime ſuſcipit, & ſuſcipiendo Chriſti paſſioni communicat. Ipſe enim Dominus dicit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Non ſunt præterea hæ carnes crudæ, quia paſſus eſt Chriſtus: neque in aqua coctæ, quia non occulte, ſed palam, & cunctis videntibus eſt crucifixus. Redolet caro cum aſſatur, redolet, & paſſio Chriſti.

Caput cum pedibus eius & inteſtinis vorabitis: nec remanebit ex eo quicquam vſque mane. Caput enim Chriſti, ſicut ait Apoſtolus, *Deus eſt*, pedes vero qui terram tangunt, eius carnem ſignificant, quæ de terra ſumpta eſt. Quid vero eius inteſtina, niſi occulta omnia, & profunda myſteria deſignant? Caput ergo illius cum pedibus & inteſtinis vorant, qui & Deum, & hominem eum eſſe credunt, & quæcunque de eo ſcripra ſunt, digne fideliterque ſuſcipiunt. Non enim ſufficit, ſi & Deum & hominem eum eſſe credamus, niſi inteſtina quoque C eius ſuſcipientes, & de Virgine natum, & circumciſum & veraciter paſſum, & die tertia reſurrexiſſe, & cætera quæ de eo ſcripta ſunt, indubitanter crediderimus. Vnde & ſubditur: Nec remanebit ex eo quicquam vſque mane: omnia ſumantur, omnia credantur, nihil de hoc agno remaneat, quod in fidei pectore non claudatur. Mane autem; vitæ huius finis intelligitur, quoniam Chriſtus ſol iuſtitiæ apparebit, & fugatis tenebris; nox vlterius non erit: tunc autem non erit tẽpus cõuertendi, nec agni carnes comedẽdi, quia qui tunc credere incipient, cum fatuis virginibus audient; *Amen dico vobis, neſcio vos.* Si quod reſiduum fuerit, igne comburetis, reſidua enim ſunt, quæ comedi nequeunt, vt eſt pellis, & oſſa. Pellis etenim agni, caro Chriſti eſt, quæ quidem qualiter Deo vnita, qualiter verbum caro factum eſt, neque dici, neque intelligi poteſt. Sed quis illa oſſa comedere, vel, vt ita dixerim, corrodere valeat; vt qualiter ante omnia tempora ſit à patre genitus, diutiſſime, ſi licuerit, ſemperque inueſtigando intelligat? Sunt autem & alia multa, quæ D quoniam comedi, & intelligi non poſſunt, charitatis igne, fideique ardore comburantur. Sufficit enim credere, ſi non datur intelligere. Plures enim credendo, quam intelligendo has carnes comedunt. Comedant ergo qui poſſunt: qui vero non poſſunt, credant, & charitatis igne comburantur. Sequitur.

Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter. Eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Renes quidem accingere eſt, caſtitatis; & continentiæ cingulo luxuriam reſtæuare. Vnde ipſe Dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Calceamenta vero in pedibus habent, qui quaſi alio pergere parati, peregrinos ſe in hoc mundo cognoſcunt: & iſti quidem viam mandatorum Dei currentes, ſecure & ſine timore, vtpote bene calciati, ſuper ſerpentes, & ſcorpiones calcant. Baculos autem in manibus teneant, vt ſe ab increſcentibus aduerſariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus eſt tibi, hoc enim ſuperbiam vin- E cis. Habes caſtitatem, & hic baculus eſt; quo luxuria ſuperatur. Sed quid multa, quot virtutes, tot & baculos habes. Sic igitur præparetur, ſic muniatur, ſic armetur, qui has carnes comedere venit. Cito autem & feſtinanter comedetis eas, vt cum Dominus venerit, iam pleni & ſatiati ſitis, ne tunc credere incipiatis quando per fidem liberari deberis. In fide namque ſuſcipienda, nulla mora debet eſſe. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.*

Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti, ab homine vſque ad pecus; & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia; ego Dominus. Agno etenim immolato, Chriſto Domino crucifixo, poſtquam Ieſus inclinato capite tradidit ſpiritum, mortua ſunt omnia primogenita in terra Ægypti, quoniam originale peccatum, per vniuerſum mundum in omnibus illis periit;qui crediderunt, & baptizati ſunt, vt peccatum, quod per lignum concupiſcentiæ cœpit, per lignum crucis deſtrueretur. Quot enim ſunt homines, tot F ſunt & originalia peccata: omnis enim homo cum eo naſcitur, quod niſi Chriſti ſanguine, & aqua baptiſmatis deleri non potuit. Merito autem ab homine vſque ad pecus omnia primogenita fetluntur, quoniam ſine perſonarum acceptione, in omni gente, & in omni ſexu, & in omni ætate, omnia peccata originalia deſtruuntur. *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Fecit autem Dominus iudicia ſua in cunctis aliis Ægypti, quoniam eius morte interueniente, infernus exſpoliatur, templa ruunt, idola deſtruuntur, & vbique gentium Deorum cultura, & religio abominabitur.

Erit autem nobis ſanguis in ſignum in ædibus in quibus eritis, & videbo ſanguinem ac tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti. De hoc enim ſigno Ioannes Apoſtolus ait: *Vidi ſupra montem Syon agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Vidit etiam duodecim G millia ſignatos ex omni tribu filiorum Iſraël. In his autem non eſt quod percutiatur, quoniam in vtroque poſte, agni ſanguinem ſuſcipientes, & ore, & corde ipſius carnes comedentes, totos ſe & intus, & extra Domino dedicauerunt. Sequitur.

Habebitis autem hanc diem in monimentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Sic enim Dominus ipſe præcepit dicens ſuis. *Hoc facite in meam commemorationem*, cum de hoc ſacrificio loqueretur. Vnde & Apoſtolus ait: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Septem diebus azima comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris, quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Iſraël, à primo die vſque ad ſeptimum. Hoc eſt enim quod Apoſtolus dicit, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Expurgate itaque vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azimi, etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chri-* H *ſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis.* Et Dominus in Euangelio: *Cauete à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis.* Non ſolum enim vetus & praua intelligentia legis, verum & omnis corruptela omniſque deprauatio mentis, fermentum dici poteſt. Azima autem è contra, ſinceritatem & veritatem appellat. Iubemur ergo ſeptem diebus azima comedere, quatenus omni tempore quo viuimus, & in hoc mundo ſumus, ſinceritatis, & veritatis alimentis nutriamur, vt non regnet peccatum in noſtro mortali corpore, neque carnis concupiſcentiis ſeruiamus. Nam quia in ſeptem diebus factus eſt mundus & in ſeptem voluitur atq; conſiſtit, ideo frequenter omne tempus in ſeptem diebus intelligitur. In die, inquit *prima non erit fermentum in domibus veſtris.* Prima namque huius ſolemnitatis dies eſt quoties ad participandam Chriſti carnem & ſanguinem

accedimus,

A accedimus, Cum ergo omni tempore in ſinceritate & veritate vitere debeamus, eo maxime die fermentum malitiæ, & nequitiæ in domibus noſtris eſſe non debet; quo Chriſti carnem, & ſanguinem ſumimus. Mundemur ergo hac die ab omni peccato, ne indigne Chriſti carnem ſuſcipiamus. *Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit.* Hoc enim eſt quod ait: *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſraël, a primo die vſque ad diem ſeptimum*, id eſt toto tempore ſolemnitatis iſtius.

Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis iis quæ ad veſcendum pertinent, & obſeruabitis azima. Quæ ſit autem prima dies, dictum eſt. Septimam vero illam eſſe putamus, de qua Apoſtolus ait. *Relinquitur ergo Sabbatiſmus populo Dei.* Hæc autem quam ſit venerabilis, illi ſciunt, qui in cœleſti Ieruſalem
B ſine omni cura, & ſollicitudine cum Domino gloriantur. In vtraque autem feſtiuitate nihil operis fieri debet, exceptis iis quæ ad veſcendum pertinent, de quibus ipſe Saluator ait. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei qui in cælis eſt.* Hoc autem in nulla feſtiuitate fieri prohibetur: facere eleemoſynam voluntas Dei eſt: veſtire nudos voluntas Dei eſt: & quicquid ad miſericordiam & pietatem reſpicit ſemper operari voluntas Dei, & cibus animæ eſt. Si ergo his & ſimilibus nutritur, & veſcitur anima, & ſola ea, quibus anima veſcitur in feſtiuis diebus operari licet, ergo in feſtiuis diebus bene facere non prohibemur. Sic igitur in his ſolemnitatibus nihil operis agere debemus, exceptis quæ ad veſcendum pertinent, vt nullo ſcilicet die ſuo cibo anima careat. Quod autem ait: *Et obſeruabitis azima*, quam ſincere & caſte nos viuere velit, patenter inſinuat.

In eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Ægypti, & cuſtodietis diem iſtum in generationes
C *veſtras, ritu perpetuo.* Ipſa enim eademque die qua agnus noſter eſt immolatus, infernus exſpoliatus eſt, & vniuerſus mundus de diaboli ſeruitute liberatus. Quocirca omni tempore, ritu perpetuo, hunc diem ſolemnem habet Eccleſia. Primo menſe quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azima, vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam. Hæc autem computatio, niſi ſecundum Hebræos accipiatur, ſtare non poteſt. Sæpe etiam hæc ſolemnitas ſic totum primum menſem tranſit, vt penitus infra menſem Aprilis contineatur: cum tamen, ſecundum Hebræos, numquam niſi quarta decima die menſis primi celebretur, poſt quam celebrationem, mox proximo die Dominico noſtra quoque celebratio. Sequitur. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus veſtris, &c. Confirmatio eſt eorum quæ dicta ſunt. Quæ quidem idcirco repetit, vt firmiſſime memoriæ commendentur.

D *Vocauit autem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſraël, & dixit ad eos. Ite tollentes animal per familias veſtras immolate Phaſe: faſciculumque hyſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem. Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque mane.* De hoc animali quando tollatur ſuperius dictum eſt. Reſtat igitur, vt de hyſſopo dicamus. Dicit enim Pſalmiſta. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor.* Hyſſopus enim naturaliter in petris naſcitur, *petra autem*, dicit Apoſtolus, *erat Chriſtus*. Naſcitur igitur hyſſopus in Chriſto; bona herba hyſſopus, quæ in Chriſto naſcitur, & merito, quia nulla herba tangit ſanguinem Chriſti, niſi ea quæ naſcitur, in Chriſto: ſola enim Eccleſia in Chriſto naſcitur & renaſcitur, ſola Eccleſia in Chriſto fundatur. Hæc eſt ergo hyſſopus quæ tangit, & ſpargit ſanguinem Chriſti, vnde non immerito faſciculus dicitur, quoniam multos in ſe, & ligat, & colligit. Hic ergo faſciculus Chriſti ſanguine tingitur, Chriſti ſanguine inebriatur, Chriſti ſanguine ſuperliminare, & vtrumque poſtem aſpergit, quoniam ſancta Eccleſia interius & exterius hoc ſanguine munitur. Eſt enim in limine, id eſt, in introitu domus, in ore videlicet, vnde

E ſuper vtrumque poſtem aſperſus, & animam, & corpus ſanctificat. Quod autem præcipit, vt nullus vſque mane oſtium domus egrediatur, vt fideliter vſque in finem in ſancta Eccleſia habitemus ſignificare videtur, extra quam qui inuentus fuerit, ſimul cum Ægyptiis Domino iubente, peribit.

Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne genus primogenitum in terra Ægypti a primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Vnde clamor magnus ortus eſt in Ægypto. Vocauitque Pharao Moyſen, & Aaron nocte & ait: Ite, ſacrificate Domino ſicut ſeitis, & euntes benedicite mihi. Quid enim per primogenitum Pharaonis, niſi illud primum, & maximum peccatum, quo in paradiſo primus homo deceptus eſt, intelligamus: quod quia maximam ſtragem dedit mundo, ideo magno ſuſcepto triumpho, quaſi Rex in ſolio Pharaonis ſedere deſcribitur. Captiuam vero quæ
F in carcere erat, multitudinem animarum quæ in inferno propter originale peccatum tenebantur intelligere debemus. At vero, per ancillam quæ eſt ad molam, omnem hominum multitudinem huic laborioſæ vitæ ſeruientem, & quaſi molam, dierum menſium & annorum totam inuoluentem intelligere voluit. Horum autem omnium primogenita Chriſtus interemit, quia non ſolum viuentium, verum, & mortuorum, & nondum natorum originalia peccata ſuo ſanguine interficiens, omnia Deo Patri reconciliauit. Ideoque maximus clamor fit in Ægypto, diabolo cum omni militia ſua lugente, atq; de tanta ſibi erepta præda dolente, iamq; in ſanctorum animabus nullam ſpem habente. Quod autē Pharao ait: euntes benedicite mihi, hoc eſt intelligendum, euntes ab hoc periculo me liberate. *Vrgebantque Ægyptij populum Iſraël de terra Ægypti exire velociter dicentes: omnes moriemur.*

Tulit ergo populus cenſperſam farinam antequam fer-
G *mentaretur, & ligans in palliis poſuit ſuper humeros ſuos, & petierunt ab Ægyptiis, vaſa argentea, & aurea, & veſtem plurimam. Dedit autem Dominus illis gratiam coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & ſpoliauerunt Ægyptum.* Populus enim egrediens ex Ægypto, farinam incorruptam & ſine fermento portat, quoniam Paſcha celebraturi, nouis ſinceriſque cibis vti debemus. Nam quia in hac feſtiuitate de veteri teſtamento in nouum transferimur, omnia nobis ſincera, noua & incorrupta eſſe debent, vt aqua baptiſmatis & noua lege immutati, expoliemus nos veterem hominem cum actibus ſuis, & induamus nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Quid autem Ægypti expoliatio ſignificet, iam ſuperius dictum eſt.

Profectique ſunt filij Iſraël de Rameſſe in Sochot. Rameſſes namque interpretatur, tinea, vel intonuit lætus. Populus igitur egrediens de Rameſſe, id eſt de diaboli ſerui-
H tute, vbi omnium corruptionum tinea vaſtabatur, lætus intonuit, vtpote qui in Sochot veniebat, quod tabernacula interpretatur, dicens cum Pſalmiſta. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Statim enim, vt de Ægypto, id eſt, huius mundi conuerſatione homo exit, in Sochot, id eſt, in Eccleſiæ tabernacula lætus venit. Hic autem ſibi panes azimos facit, hic noua pulmenta ſibi præparat, vt relicto fermento malitiæ, & nequitiæ, viuat in azimis ſinceritatis, & veritatis.

Habitatio autem filiorum Iſraël, qui manſerant in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus de terra Ægypti. Nox iſta eſt obſeruabilis, hanc obſeruare debent filij Iſraël in generationibus ſuis. Hæc namque nox eſt obſeruabilis, quam tam læta dies ſubſequitur, in qua Chriſtus de ſepulchro procedens ſua reſurrectione mundum illuſtrauit.

Dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Hæc eſt religio Phaſe: Omnis alienigena non comedet ex eo. Phaſe enim hoc in loco agnum, qui immolabatur, ſignificat.

A De hoc autem nulli alienigenæ comedere licet, non hæretico, non gentili, non falſo Chriſtiano: ſolis enim Eccleſiæ filiis comedendus traditur: cæteri ſunt alienigenæ, *Omnis autem ſeruus emptitius circumcidetur: & ſic comedet.* Quis eſt iſte ſeruus emptitius? dicat Apoſtolus. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Nos ergo ſumus ſui emptitij, quoniam nobis iſta dicuntur. Nobis igitur hunc agnum comedere licet, ſic tamen ſi prius circumcidamur: noſtra circumciſio non in ſolo præputio, ſed in cunctis membris exigitur, nam & Moyſes incircumciſum labiis ſe eſſe ſuperius eſt conqueſtus. Qualiter autem omnia membra circumcidantur, in Geneſi expoſuimus, cum de Abrahæ circumciſione tractaremus.

Aduena, & mercenarius non comederunt ex eo. Aduena enim eſt omnis homo, quem Eccleſia non genuit; Mercenarius autem, qui non ſincero affectu, neque pro ſalute animæ, ſed pro mercede & lucro, Domino ſeruit, de qualibus Dominus ait. *Mercenarius autem fugit, quia*

B *mercenarius eſt.* Si ergo mali paſtores mercenarij ſunt, mercenario autem de hoc agno edere non licet, quomodo malis paſtoribus conficere licet, quod edere non licet? In vna domo comedetis, nec deferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. Si enim per domos, & familias, vt ſuperius dixit, tollitur agnus, quomodo in vna domo comeditur? Vna vero domus, Sancta Eccleſia eſt, extra quam non eſt locus veri ſacrificij, & quoniam ſcriptum eſt. *Nolite dare ſanctum canibus.* Ideo hic dicitur. Nec deferetis de carnibus eius foras. Quod autem ſequitur. *Nec os illius confringetis*, Beatus Ioannes Euangeliſta expoſuit dicens: *Et primi quidem fregerunt crura, & alterius qui cum eo crucifixus eſt, ad Ieſum autem cum veniſſent, & viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, vt ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Omnis cœtus filiorum Iſraël faciet iſtud. *Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit, eritque*

C *ſicut indigena terræ. Si quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos.* Conſtat ergo, quia non dignitate gentis, ſed merito ſanctitatis homo vel abiicitur vel eligitur, non enim Iudæorum Deus tantum, ſed & gentium. Quicumque ergo in ſanctorum coloniam & ſocietatem tranſire, & noua circumciſione circumcidi & baptizari volunt, accedant ad carnes agni & comedant. Notandum eſt autem, quia ipſa die, qua agnus comeditur exit populus de Ægypto, quoniam nulla eſt participatio luci ad tenebras, neque Chriſto ad Belial.

CAPVT XIII.

LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Iſraël tam de hominibus quam de iumentis, mea ſunt enim omnia. Nam quia nouiter omnia primogenita Ægyptiorum Dominus occiderat, idcirco omnia primogenita filiorum Iſraël ſibi dedicauit, vt nunquam de eorum me-

D moria laberetur primogenita Ægypti à Domino fuiſſe deleta. *Et ait Moyſes ad populum: Hodie egredimini menſe nouarum frugum*, quoniam primum terra gelu ſoluta, nouam herbam incipit producere. *Venietis in terram fluentem lacte, & melle*, quæ propter hoc quod terram viuentium ſignificat, omni terra fertilior eſt: *Ibi celebrabitis hunc morem ſacrorum menſe iſto, ſeptem diebus comedetis azima, nec erit fermentum in domibus veſtris.* Hoc autem quid ſignificet, ſufficienter dictum eſt. Sequitur. *Et narrabis hæc filio tuo in die illa dicens: Hoc eſt quod fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto: & erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum appenſum ante oculos tuos.* Quod enim manu tenemus, & ante oculos habemus, non facile obliuiſcimur. *Cumque introduxerit te Dominus in terram de qua iurauit tibi, ſeparabis omne primogenitum Domino, quicquid fuerit ſexus maſculini. Primogenitum aſini mutabis oue, quod ſi non redemeris, interficietur.* Primogenitum namque aſini oue mutamus, quando ſtultum aliquem & indiſciplinatum, arguendo, increpando, obſecrando, & admonendo ad ouinam ſimplicitatem conuertimus. Hic vero ſi non redimitur, interficietur, quia niſi pœnitentiam egerit, & Eccleſiæ Doctoribus crediderit, morte perpetua morietur. E

Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, precio redimes. Hominis enim primogenitum, fides eſt, ſine qua eſt impoſſibile placere Deo. Hæc omnium virtutum prima in mentibus fidelium naſcitur: hæc prima à ſacerdotibus in Chriſtianorum cordibus gignitur: ſed quia fides ſine operibus mortua eſt, vt pretio redimatur, neceſſe eſt. Baptizatus es, fidem habes, ceſſas à bono opere, moritur fides tua. Si ergo in iis qui à bonis operibus ceſſant, fides ocioſa & mortua eſt, quanto magis in homicidis, adulteris, ſacrilegis, & in ipſis periuris, fides mortua credenda eſt? Apoſtolus enim dicit. *Qui enim ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Non ergo ſemel, F

ſed multoties fides redimenda eſt, quæ niſi redimeretur, cum toties eum mori videamus perpauci eſſent, quibus eam ſemel emiſſe ſufficeret. Inde autem maximas Deo gratias agere debemus, qui nobis hanc legem de redimendo chariſſimo primogenito noſtro inſtituit, quem ſi non habeamus, ei placere non poſſumus. Redimatur ergo, ſed quando? poſt vnum menſem poſt vnum namque menſem offerebantur primogeniti Domino: poſt vnum ergo menſem redimi debent. Quæ enim redimimus noſtra fuiſſe monſtramus. Poſtquam ergo Deo offerimus fidem noſtram, ſi propter peccata à nobis alienata fuerit, tunc redimenda eſt. Sed quanto precio? quinque vtique ſiclis argenti. Ego quinque ſiclos argenti, quinque ſenſus corporis intelligo, qui tunc quidem argentei ſunt, quando pro ſua paritate digni fiunt qui in Dei theſauros reponantur. Quinque igitur ſiclis fides redimitur, quia etſi peccator fuerit homo, poſtquam tamen omnibus viribus mentis, & corporis, poſtquam interioribus & exterioribus ſenſibus Deo ſeruire cœperit, iam non infidelis vocabitur. Viuat ergo Deo, & nunquam G

moriantur primogenita noſtra, ei qui primogenita Ægyptiorum, propter nos interfecit.

Noluit autem Dominus ducere populum per terram Philiſtiim quæ vicina eſt, ne forte ſi bellum inſurgeret contra eum, cito reuerteretur in Ægyptum: ſed circumduxit eos per deſertum longo itinere. Per hoc enim ſignificare voluit, quia non breuis, neque facilis via eſt, quæ nos ad patriam ducit, ſed per multas tribulationes oportet nos intrare regna cœlorum. Denique quanto plus in Dei ſeruitio excitati longius ab hoc mundo recedimus, tanto minus vitiorum inſurgentia bella timemus. Si vero in terram Philiſtiim venientes, quæ Ægyptiis vicina eſt ebrietati, & voluptati operam damus (Philiſtiim namque cadentes poculo interpretantur) facile quidem in prælio victi reuertimur in Ægyptum. Quod autem filij Iſraël armati aſcenderunt de Ægypto: ſignificatio eſt, quia ex quo mundum relinquimus, ſemper contra vitia & malignos ſpiritus, à dextris, & à ſiniſtris armati pugnare debemus. Sequitur. H

Nunquam defuit columna nubis, per diem, neque columna ignis coram populo per noctem. Altera enim eos à ſolis ardore, altera vero à tenebris defendebat. Hæc autem columna, ſancti Spiritus gratia eſt, quæ nos & à vitiorum æſtu defendit, & ne errorum tenebris inuoluamur, illuminat. De hac enim columna dicitur ad Beatam Mariam: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

Profectique de Sochot, caſtrametati ſunt in Ethan, in extremis finibus ſolitudinis. Ethan namque incipiens nauigationem interpretatur. Merito igitur, de Sochot, id eſt de tabernaculis venitur in Ethan, quia poſtquam ad Eccleſiam homo veniens baptizatus eſt, non ocioſus ſedere, ſed per huius maris pericula cum Apoſtolis nauigare debet. Poſituſque adhuc in extremis finibus ſolitudinis, quoniam ad deſerti loca pericoloſa nondum peruenit, præparare incipiat animam ſuam ad tentationem.

CAPVT XIV.

P*Rofectique filij Iſraël de Ethan, venerunt è regione Atharot, quæ eſt inter Magdalum & mare, contra Beh:lſephon.* Atharot interpretatur, corona, Magdalum, turris. Behelſephon, habens ſpecula. Venit igitur populus de Ethan in Atharot, quia iam cœpta nauigatione, quibuſdam virtutum gradibus proficiens, venit ad coronam, ſperans, ſi neceſſe fuerit, mori poſſe pro nomine Chriſti. Eſt autem hæc corona, inter Magdalum & mare, id eſt, inter fidem & baptiſmum, quoniam per fidei fortitudinem, & baptiſmi gratiam, peruenitur ad coronam. Reſpicit autem contra Beheſſephon, quia Dei populus ſpeculatorum Eccleſiæ recordatus, nunquam ſanctæ prædicationis obliuiſcitur, ideoque non timet eos qui occidunt corpus, quia animam non poſſunt occidere.

Nunciatum eſt autem Pharaoni, quod fugiſſet Iſraël, immutatumque eſt cor eius & ſeruorum eius, perſecutuſque eſt Iſraël cum omni exercitu Ægyptiorum. Quos cum vidiſſent Hebræi, timuerunt valde. Dixitque Moyſes? Nolite timere: Dominus enim pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moyſen. Quid clamas ad me? Eleua virgam, & extende manum ſuper mare & diuide illud. Quod cum feciſſet Moyſes, diuiſum atque ſiccatum eſt mare, & ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium maris ſicci. Erat autem aqua quaſi murus à dextris, & à ſiniſtris Perſequentes Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos. Angelus autem Domini, qui præcedebat caſtra filiorum Iſraël, poſuit ſe medium ſimul cum nube inter Ægyptios, & Hebræos, ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. Iamque aduenerat vigilia matutina, & iubente Domino. Moyſes ſupra mare manum extendit, reuerſaque ſunt aquæ ad priorem locum, omneſque Ægyptij mortui ſunt. Quid enim Pharao cum omni exercitu Ægyptiorum, niſi diabolus cum omni militia dæmoniorum? Quid autem Hæbræi, niſi Chriſtianorum populus? Quid vero mare rubrum, niſi baptiſmatis aquæ intelliguntur? Perſequuntur ergo Ægyptij Hebræos, ibique moriuntur, quoniam vitia, & maligni ſpiritus vſque ad baptiſmum Chriſtianos perſequentes, viribus amiſſis pereunt & deficiunt. Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſraël carmen hoc Domino, & dixerunt.

CAPVT XV.

C*Antemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt,* tam potenter deſtruens inimicos, *equum, & aſcenſorem proiecit.* Equus ſuperbia, aſcenſor diabolus, hoc enim equo eleuatus, furibundus in bellum ruit, omniſque eius exercitus hoc equo in omnia facinora præcipitatur. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*, per quem fortis, & laudabilis ſum. *Et factus eſt mihi in ſalutem*, ſuo ſanguine me ſaluans, & liberans. *Iſte Deus meus, & glorificabo. Dominus quaſi vir pugnator.* Vbique pro nobis certat, & vincit, *Omnipotens nomen eius*, cui nihil impoſſibile eſt. *Currus Pharaonis*, de quo modo diximus, *& exercitum eius*, omnium vitiorum ſcilicet multitudinem, proiecit in mare, id eſt perdidit in baptiſmo. Quot enim ſunt vitia, tot ſunt & currus, quibus diabolus fertur. *Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro*, quoniam originale peccatum, & idololatria in baptiſmo perierunt. *Abyſſi operuerunt eos. deſcenderunt in profundum quaſi lapis; vt vltra non appareant.* Cætera vero tranſcurrimus, quia expoſitione non indigent. *Aſcenderunt populi & irati ſunt:* prophetia eſt de futuro: Aſcenderunt enim populi, de quibus in ſequentibus dicetur contra eos ad pugnandum. *Et irati ſunt:* quia quamuis fortiori exercitu & maiori apparatu eis tamen reſiſtere non valebant. *Dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim*; videntes gentem inſuperabilem inſurgentem aduerſum ſe. *Tunc conturbati ſunt Principes Edom*, huius populi fortitudinem audientes. *Robuſtos Moab obtinuit tremor:* prope iam de ſalute deſperatores. *Obriguerunt omnes habitatores Canaan*; Pluſquam febrium terrore perculſi. Vnde Moyſes lætabundus & iubilans ait; Sic Domine ſic fiat ſemper *Irruat ſuper eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui. Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte quem poſſediſti. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ*, de qua iuraſti patribus noſtris. *Firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Hoc autem magis ad ſupernam Ieruſalem, quam ad hanc pertinere videtur, in quam Dei populus eſt introducendus. De qua adhuc ſubditur. *Sanctuarium tuum Domine quòd firmauerunt manus tuæ*, per quod cœlum intelligitur, vbi ſunt ſancta Sanctorum. *Dominus regnabit in æternum & vltra*, hoc quomodo vel dici, vel cogitari poſſit? Dominus regnabit in æternum, & vltra quid dicam? In æternum dixi, quid vltra: dicere non habeo: ſi quid vltra æternum ſciſſem, vltra æternum aliquid dixiſſem. Dixit ergo; *Dominus regnabit in æternum.* Quid eſt in æternum? ſemper, & ſine fine. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare*, inſultatio eſt, *Et reduxit ſuper eos Dominus aquas maris. Filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.* Sūpſit ergo Maria Propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem proiecit in mare:* Quid enim Maria Propheteſſa, niſi Sancta Eccleſia intelligitur? Hæc autem in tympano cantat, quia in carnis maceratione Deum laudat. Nam quia ex mortuorum animalium pellibus tympana fiunt, ideo pro carnis mortificatione ſæpe ponuntur. Hanc autem cæteræ mulieres cum tympanis & choris ſequuntur, quoniam & ipſæ carnem domant, pulchroque & regulari ordine vitæ Domino ſeruiunt: in choro enim, & ordinate ſtatur, & conſonanter canitur. De his autem mulieribus Pſalmiſta dicit: *Adducentur Regi virgines poſt eam*, id eſt poſt Mariam, ab hac namque noſtræ virginis nomen deductum eſt quæ quoniam poſt Filium ſuum, totius Eccleſiæ caput eſt, non immerito cæteræ tympaniſtæ eam tympanizantem ſequuntur.

Tulit autem Moyſes & Aaron Iſraël de medio mari rubro, & ingreſſi ſunt in deſertum Sur. Quid eſt autem quod Iſraël mox vt de mari exiuit, in deſertum venit, niſi quia Chriſtianorum populus ſtatim vt baptizatus eſt, arctam, & periculoſam viam ingreditur, & ad ſui Saluatoris ſimilitudinem, à diabolo tentatur. Sic enim & Chriſtus à baptiſmo ducitur in deſertum, vt à diabolo tentaretur. Quod autem mare rubrum baptiſmum ſignificet, Apoſtolus manifeſtat dicens. *Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Quid eſt in nube & in mari; niſi in aqua & ſpiritu? *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non intrabit in regnum Dei. Ambulaueruntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam, & venerunt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eo quod eſſent amaræ, & oſtendit Dominus Moyſi lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Tres namque ætates ſunt ab Abraham vſque ad Chriſtum, quas per hos tres dies intelligimus, in quibus populus per ſolitudinem, per terram inuiam, & inaquoſam gradiens aquas inuenire non potuit; Nondum enim venerat ille qui ait. *Si quis ſitit, veniat & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Habebant enim Hebræi aquas, ſed non inueniebant, quia tenentes legem non intelligebant. Tandem ergo tertia die tranſacta, tertia die venerunt in Marath, venerunt ad montem myrrhæ, & ad collem thuris? venerunt ad locum, & ad tempus amaritudinis, quando Dominus eſt crucifixus, ibi inuenerunt aquas, quia *de latere eius exiuit ſanguis & aqua*, Tunc velum templi ſciſſum eſt, & ſcripturæ apertæ ſunt. Et iſtæ quidem ſunt aquæ, quæ quoniam prius amaræ erant, ideo populus bibere non poterat. Miſit ergo Moyſes lignum in eas, & in dulcedinem verſæ ſunt, lignum hoc lignum crucis eſt: hoc enim omnis aqua, omnis ſcripturarum amaritudo in dulcedinem vertitur. Cum enim ſcriptura dicat. *Diligite*

A *inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos,* cui hæc aqua non videtur eſſe amara ? quis eam potare, & ſuſcipere velit ? memores tamen crucis Chriſti, memores Chriſti paſſionis, qui pro impiis mortuus eſt, & pro iniquis & perſecutoribus exorauit, Magiſtri exemplum ſequimur, dulceſcunt aquæ, inimicis diligimus, & pro perſecutoribus oramus. Ideo enim ſemper crucem portare præcipimur, vt ipſius ſemper memores, nihil amarum, & impoſſibile Diuinæ ſcripturæ nobis præcipere videantur : nihil enim nobis præcipiunt quod ſit amarius cruce. Chriſti : leges igitur amaritudo vincatur amaritudine crucis, & Chriſti tormenta conſiderantes, tormenta non ſentiemus, Sic igitur omnes aquæ dulceſcunt, quæ cum ligno potatæ fuerint. Merito autem transfretato mari, populus venit in Marath, quia ſtatim baptizatus Chriſti compungitur paſſione, & quæ prius amara videbantur, deſiderio bibendi dulcia reputat. Ibi conſtituit præcepta atque iudicia, & ibi tentauit eum : vbi ? vtique in Marath, id eſt in aquis amaris quæ ligno crucis ſunt dulces B factæ. Vbi enim niſi in ſacris voluminibus conſtituuntur præcepta atque iudicia? Ibi enim & inſtruimur, & iudicamur, ibique à Deo tentamur : inde tentationis præcepta ferimus, quibus obedientes coronamur, inobedientes damnamur.

Venerunt autem in Helym, vbi erant, duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtrametati ſunt iuxta aquas. De Marath namque veniunt in Helym, quod interpretatur, aries, quia poſt Chriſti paſſionem, Apoſtolos Eccleſia ſuſcepit Ductores. Duodecim autem fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, duodecim Apoſtoli, & ſeptuaginta Chriſti diſcipuli intelliguntur, de his enim fontibus aqua manauit, quibus totus mundus reficitur, & irrigatur. Quoniam autem palmæ victoriam ſignificant, merito palmæ illi vocantur : qui per fidem vicerunt regna : Chriſti autem diſcipuli duodecim & ſeptuaginta duo fuerunt : quatenus duodenarius numerus ſepties compleretur, vt ipſo quoque numero, omni gratia Spiritus ſancti eos repletos fuiſſe intelligamus.

C

CAPVT XVI.

PRof. Et que ſunt de Hely, & venit omnis multitudo filiorum Iſraël in deſertum Syn, quod eſt inter Helim, & Sinai.* Syn etenim amphora interpretatur, per quam menſura intelligitur, merito igitur de Hely venit populus in deſertum Syn, quoniam poſtquam ad Apoſtolos Eccleſia venit, qua menſura viueret, inuenit ; audiuit enim Euangelium vbi dicitur. *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.*

Sequitur autem, de eo, quod populus murmurauit dicens: *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panes in ſaturitate; Et dixit Dominus ad Moyſen : Ecce ego pluam panes de cælo, colligat ex eo vnuſquiſque quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita: die autem ſexta colligant duplum quam colligere ſolebant per ſingulos dies.* Murmurauit populus D exaſperans, & incredulus, & quamuis multa armenta boum, & greges ouium habeat, tamen ſibi propter carnes mortem exoptat : deſiderabat enim auium carnes, quibus in Ægypto vti ſolebat. Aues enim in Ægypto, & circa Nilum, multum abundant. Vnde lautiores cibos appetere nemo dubitet eſſe peccatum. Datur autem vnum gomor per ſingula capita, vt, & natura ſe pares eſſe intelligant, & his tantum quæ ſibi ſufficiant contenti viuant, neque de craſtino cogitantes plus colligant, quia neque qui plus collegerat habebat amplius, neque qui minus, habuit minus. Et melius quidem eſt minus colligere & abundare, quam plus, & inutiliter fatigari. Die vero ſexta duplum colligitur, quia die ſeptima non inuenitur, feſtiuitas enim eſt & nihil in ea fieri licet. Nam & nos modo parare debemus, vnde poſt hanc vitam in ſabbatiſmo viuere valeamus.

Dixitque Dominus ad Moyſen : Loquere filiis Iſraël; Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus, E *ſcietiſque quod ſim Dominus Deus veſter. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix operuit caſtra? mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum, cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudine pruinæ ſuper terram. Quod cum vidiſſent filij Iſraël, dixerunt ad inuicem : Manhu? quod ſignificat, quid eſt hoc?* Ignorabant enim quid eſſet. Carnes enim hoc in loco & panes idem ſignificant. Diuina namque ſcriptura, & caro & panis eſt; caro quidem quantum ad litteram ; panis vero ſecundum ſpiritualem intelligentiam. Vnde & Apoſtolus veſpere carnes, mane vero panes ſuſcepit, quia prius iuxta litteram, poſtea vero ſecundum ſpiritum, ſcripturæ intelliguntur : nam & panis de cœlo deſcendit : aues vero de terra aſcenderunt, & quia non eſt difficilis altæque ſcientiæ iuxta litteram ſcripturas intelligere, inde prope terram aues volaſſe referuntur : Illud quoque attendendum ; quod vſque hodie dum ſcripturas legimus, Manhu dicere non ceſſamus : namque per vnamquamque ſententiam interrogantes dicimus, quid eſt hoc ? quid hoc F ſignificat ? quid hoc vel illud interpretatur. Fertur autem & hic panis, pro vtentium voluntate, omnis ſaporis fuiſſe, per quod dabatur intelligi, quia Diuina ſcriptura multis diuerſiſque modis intelligenda eſſet. Nam & ipſi quoque hæretici ad ſuum ſenſum eam conuertunt. Principalis tamen eius guſtus, quaſi ſimile cum melle erat. Quid enim melle dulcius ? quid triticeo pane robuſtius? Sanus ergo intellectus ſcripturarum, & dulcis ad guſtandum, & fortis ad alendum, & roborandum eſſe debet: Infirmus enim cibus infirmos nutrit humores. Quod vero ad menſuram Gomor manna colligebatur, hoc eſt quod Apoſtolus ait : *Non plus ſapere quam oportet ſapere ſed ſapere ad ſobrietatem.* Sanus namque ſenſus menſuram non excedit : hæreticus autem in menſura non continetur. Semper enim alta hæretici dicunt, & fidei menſuram excedentes, terminos à Patribus conſtitutos tranſgrediuntur. Tantum enim vnicuique de hoc pane colligere licet, quantum ei in cibo quotidiano ſufficere poſſit. Hoc enim, & nos Dominus orare iuſſit. G *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* quod quidem nihil aliud ſignificat, niſi vt fides noſtra Catholica, ſola veritate contenta, cuncta ſuperflua à ſe repellat. Verbum enim abbreuiatum poſuit Deus ſuper terram. Quod vero ſuperfluum erat, id eſt, quod in diem alteram ſeruabatur, ſcatebat vermibus, & putrefiebat, & ſole incaleſcente liquefiebat : Quoniam omnis hæreticorum ſuperflua ſcientia, veritatis lumine illuſtrata euaneſcit, & deficit. Præcipitur ergo vt nullius ex eo relinquat vſque mane, quia quod relinquitur ſuperfluum eſt. Et melius quidem eſt, vt in campis liqueſcat, quam vt collectum putrefiat : quoniam & diuinam ſcripturam melius eſt in ſacris voluminibus ocioſam manere, quam in hæreticorum cordibus collectam, praua intelligentia ſordere. Quid eſt autem quod in ſexta die colligitur. Vnde in ſeptimana viuitur, niſi quia in hac vita præparare debemus, vnde in futura viuamus? Præcipitur autem Moyſi, vt ex eo impleat Gomor, & reponat coram H Domino, ſeruetque illud in memoriam in omnem generationem, per quod nimirum intelligere poſſumus, quia ſana, & ſpiritualis intelligentia ſcripturarum nulla vnquam generatione ſit euacuanda: *Cælum enim, & terra tranſibunt, Dei autem verba non præteribunt.*

Filij autem Iſraël comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem. Quid enim per quadraginta annos, niſi vtriuſque teſtamenti tempora intelligimus? Hic etenim numerus ex decem & quatuor conſtat, deces namque quatuor, vel quatuor decem, quadraginta fiunt : per decem igitur omne illud tempus intelligimus, in quo vetus teſtamentum ad litteram obſeruabatur : per quatuor vero hoc in quo quatuor Euangeliorum fides tenetur. Comederunt ergo filij Iſraël manna quadraginta annis, quia ſancti & ſpirituales viri ſpiritualiter, & in nouo & in veteri teſtamento, ſcripturas intellexerunt. Hic autem cibus non deficiet, donec in terram habitabilem, & in terram viuentium veniamus:

quia poſtquam illic venerimus, iam nobis ſcripturæ amplius non erunt neceſſariæ. Erit enim Deus omnia in omnibus. Vnde Apoſtolus: *Siue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur.*

CAPVT XVII.

I*Gitur profecta omnis multitudo filiorum Iſraël de deſerto, Syn per manſiones ſuas, iuxta ſermonem Domini caſtrametata eſt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo, qui iurgatus contra Moyſen petiuit aquam.* Raphidim namque interpretatur ſanitas iudicij. Sanum autem iudicium eſt *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. Et Quod tibi non vis, alij ne feceris, & ſimilia.* De deſerto ergo Syn venit populus in Raphidim, quia priuſquam ab Apoſtolis viuendi menſuram accepit, & eadem menſura qua menſus fuerit, ſibi quoque remetiendum eſſe cognouit, mox ad ſanum iudicium conuerſus, Deum & proximum diligere, nullique hominum nocere diſpoſuit. Cibi autem potuſque penuria, quam tunc corporaliter populus patiebatur, eam, quam nunc ſpiritualiter homines patiuntur, ſignificabat, de qua Dominus quibuſdam comminatur dicens: *Immittam vobis famem, & ſitim,* non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Vnde in Ezechiele dicitur: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, nec poteris loqui, quia domus exaſperans eſt.* Propter peccata namque populi, ſæpe ſilet lingua Doctorum. De plebe namque Iudaica ſub vineæ ſpecie à Domino dicitur; *Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem.*

Et ait Dominus ad Moyſen: Antecede populum & ſume virgam in manu tua, & vade, en ego ſtabo coram te ibi ſupra petram Oreb: percutieſque petram, & exibit ex ea aqua vt bibat populus. Fecitque Moyſes ita coram ſenioribus Iſraël. Quod autem & hæc, & ea quæ ſuperius dicta ſunt, ſpiritualiter intelligi debeant, Apoſtolus manifeſtat dicens: *Quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualiter manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualiter biberunt?* bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petra: *Petra autem erat Chriſtus.* Quis igitur ad litteram ea intelligat, quæ Apoſtolus ſpiritualia eſſe dicit? Venit ergo Moyſes cum omni multitudine filiorum Iſraël ad Petram, quoniam principes Sacerdotum cum tota populi multitudine tenuerunt Chriſtum. Stabat autem Dominus ibi coram populo ſuper petram, nec videbatur, quoniam Deus manens in homine non cognoſcebatur. Sed quid per virgam qua petra bis percutitur, niſi arundinem, & lanceam intelligimus? Semel autem petra noſtra arundine percuſſa non dedit aquas; iterum autem lancea percuſſa eſt, & exiuit ſanguis & aqua. Sunt autem, qui per duplicem virgæ huius percuſſionem, duo crucis ligna intelligere velint. *Et vocauit nomen loci illius tentatio,* propter iurgium filiorum Iſraël: & quia tentauerunt Dominum dicentes. *Eſt ne Deus in nobis an non?* Sic enim & Iudæi tentantes Chriſtum dicebant: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.* Item: *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Et rurſum: *Videamus ſi ſermones illius veri ſint, & ſi eſt vere filius Dei.* His enim verbis quid aliud ſignificabant, niſi: Eſt Deus in nobis an non? Vere non eſt Deus in vobis, quia Deum repellitis à vobis. Et ſicut ipſe ait: Nunc relinquitur vobis domus veſtra deſerta. Erat tamen Deus in vobis, quia Deus erat, qui inter vos manens loquebatur vobis.

Venit autem Amalech, & pugnabat contra Iſraël in Raphidim. Dixitque Moyſes ad Ioſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech: cras ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea. Fecit Ioſue vt locutus ei erat Moyſes, & pugnauit contra Amalech Moyſes autem, & Aaron, & Vr aſcenderunt ſuper verticem collis: Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſi autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Quid enim Amalech, qui populus brutus interpretatur, niſi vitiorum multitudinem ſignificat? Contra hæc autem Ioſue miniſter Moyſi cum viris electis pugnat: quia Sancti, & Catholici viri ſemper contra vitia bellum gerunt, Stat autem Moyſes in vertice collis, virgam Dei in manu tenens, qui Epiſcopi, populique rectores in altioribus Eccleſiæ ſoliis conſtituti, virgam correctionis, & directionis manibus ferunt. Leuat autem Moyſes manus & vincit Iſraël, leuant ſacerdotes, & Epiſcopi puras manus cum precibus ad Deum & victoria datur fidelibus, Remittit Moyſes manus, & ſuperat Amalech, ceſſant ab orationibus Sancti, & regnant in populo vitia, & peccata. His autem facile intelligitur, quam neceſſarium ſit Eccleſiæ rectores ſemper pro populo Dominum exorare. Vnde Apoſtolus ait. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Manus autem Moyſi erant graues. *Sumentes ergo lapidem ſubter eum quo ſedit. Aaron autem & Vr ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte, & factum eſt vt manus illius non laſſarentur vſque ad occaſum ſolis.* Manus, inquit, Moyſi erant graues, quoniam & ſacerdotum manus peccatorum pondere ſemper grauantur. Multum enim maligni ſpiritus in hoc laborant, & Sanctorum manus, & orationes impediunt. Hoc autem Aaron, & Vr ſentientes, lapidem poſuerunt ſubter eum quod ſedit, quatenus ſupra firmam petram firmatus, ſtabilis, & inconcuſſus permaneat. Sed qui per Aaron, qui mons fortis interpretatur, niſi illum intellimus de quo dicitur? Dominus fortis & potens. Dominus potens in prælio? Quid vero per Vr qui ignis dicitur, niſi Spiritus ſanctus qui in igne diſcipulis apparuit? Merito igitur Aaron, & Vr Moyſi manus ſuſtentant ne laſſentur, quoniam quo ſanctorum manus, virtutes, & opera ſtant, neque ruunt, hoc Chriſtus Dominus noſter, & ſancti Spiritus gratia operatur. Factum eſt igitur, vt manus Moyſi non laſſarentur vſque ad occaſum ſolis, quoniam quem Chriſtus, & ſancti Spiritus gratia ſuſtentat, ſine omni laſſatione vſque ad mortem in bonis operibus perſeuerat. Per ſolis enim occaſum, diei, & vitæ terminum intelligimus. Beatus ille, cuius manus talibus adiutoribus ſuſtentantur. Fugauitque Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladij, quod tamen Ioſue vincit, quod vitia, & maligni ſpiritus ſuperantur non Ioſue, ſed Moyſi, non populo, ſed Sanctorum orationibus adſcribendum eſt. Vnde & ſubditur, *Scribe hoc ad monumentum in libro, & trade in auribus Ioſue delebo enim memoriam Amalech ſub cælo.* Ideo enim hoc in libro ſcribi, & memoriæ commendari, & in auribus Ioſue tradi præcipitur, vt quicumque ad ſimilitudinem Ioſue, ſpirituales vincit inimicos, non ſibi ſed ſanctorum meritis & orationibus & Deo miſerenti & adiuuanti victoriam imputet: ipſe enim pugnat, & vincit: ipſe memoriam Amalech ſub cælo delet: ipſe vitiorum multitudinem deſtruit. *Ædificauitque Moyſes altare, & vocauit nomen eius Dominus exauditio mea, dicens. Quia manus ſolij Domini, & bellum Dei erit contra Amalech à generatione in generationem.* Merito enim Moyſes poſt victoriam Domino altare conſtituit, vt ei gratias agat, qui eum exaudiens victoriæ tribuit facultatem: inde autem, & altari nomen impoſuit, Dominus exauditio mea, id eſt, Dominus exaudiuit me: atque addit protinus: quia manus ſolij Domini, id eſt virtus, & fortitudo ſanctorum, in quibus quaſi in propria ſede Dominus ſedet, & habitat. Et bellum Dei erit contra Amalech, id eſt, contra vitia, & malignos ſpiritus à generatione in generationem, quia nunquam pacem, & concordiam inter ſe habebunt.

CAPVT XVIII.

C*Vmque audiſſet Iethro cognatus Moyſi omnia quæ fecerat Dominus Moyſi, & Iſraël populo ſuo, tulit Sephoram vxorem Moyſi quam remiſerat, & duos filios eius, & duxit eos ad Moyſen. Qui mutuo ſe ſalutantes læti ſunt. Obtulitque Iethro holocauſta & hoſtias Domino Deditque conſilium Moyſi, vt conſtitueret tribunos, &*

A *centuriones,& quinquagenarios & decanos qui iudicarent populum, tales videlicet, qui potentes eſſent, & timerent Dominum, in quibus eſſet veritas, & odiſſent auaritiam: ipſe verò maioribus negotiis operam daret. Fecitque Moyſes, vt ille ſuggeſſerat.* Quod enim Moyſes, qui aſſidue cum Domino loquebatur, vtile conſilium Iethro cognati quamuis gentilis non reſpuerit viris Eccleſiaſticis & in ſublimitate conſtitutis exemplum præbuit, vt minoribus, quamuis peccatoribus, bona & vtilia ſuadentibus credere non dedignentur. Vnde,.& Apoſtolus ait: *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* Quales autem iudices eſſe debeant, ſatis compendioſo ſermone comprehendit, dum eos potentes Dominumque timentes, veraces, & ſine auaritia eligi admonet. Impeditur enim, multumque turbatur rectum iudicium, vbi ex his vnum aliquid defuerit. Quod vero Chriſtiani paſſim nec temere, & omnibus communicare debeant, ex hoc facile intelligitur, quia non prius Iethro cum ſenioribus filiorum cibum ſumpſit, quam holocauſta & hoſtias. Domino
B obtulit. Vnde & Beatus Ioannes ait. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis qui enim dicit illi aue communicat operibus illius malignis.*

CAPVT XIX.

M*Enſe tertio egreſſionis Iſraël de Ægypto in die hac venerunt in ſolitudinem Synai. Nam profecti de Raphidim, & prouenientes vſque in deſertum Synai, caſtrametati ſunt in eodem loco. Ibique Iſraël fixit tentoria è regione montis.* Eadem, inquit die qua Iethro receſſit ab eis, filij Iſraël profecti de Raphidim, caſtrametati ſunt in deſerto Synai. Raphidim namque, vt diximus, ſanitas iudicij interpretatur. Venit ergo populus de Raphidim in deſertum Synai, quia poſtquam viri Eccleſiaſtici ſanum iudicium ſuſcipientes, Dei mandata cuſtodire promittunt, ad maiora deducuntur, vt & Deum loquentem audiant, & Spiritus ſancti gratias plenius
C ſuſcipiant. In Synai enim filij Iſraël legem ſuſceperunt, & Deum in nube, & caligine loquentem audierunt. *Moyſes autem aſcendit ad Dominum.*

Vocauitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices filiis Iſraël: Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi, Quod enim ſuper alas aquilarum filios Iſraël Deus portauerit, verum non eſt, niſi fortaſſe metaphorice intelligatur. Nam quoniam aquilæ præ cæteris auibus altius volant, inde ſuper alas aquilarum eleuati fuiſſe dicuntur, quod eos terrena pericula lædere non potuerunt. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, quoniam quaſi proprios, & peculiares præ cæteris gentibus vos magis diligam: & quamuis mea ſit omnis terra, tamen vos ſoli eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta, quia non diabolus, non vitia, neque tyranni, ſed Spiritus ſanctus, ſacerdotes, & virtutes ſuper vos & in vobis regnabunt. *Venit Moyſes, & conuocatis*
D *maioribus natu populi, expoſuit eis omnes ſermones, quos mandauerat Dominus. Reſponditque vniuerſus populus ſimul. Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus.* Omnia enim quæ illi populo dicebantur, nobis dicta eſſe intelligere debemus. Nos enim, ſi volumus ipſo adiuuante gens ſancta, & regnum ſacerdotale: nos diabolo, & operibus eius abrenunciantes, Deo fideliter ſeruire promiſimus. Teneamus ergo fidem, ſeruemus promiſſa, quia propicium & veracem Dominum habemus, cui nos ſeruiſſe non pœnitebit. *Cumque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum, ait ei dicens. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Quod enim in caligine nubis cum Moyſe Dominus loquebatur, iam tunc ſuæ incarnationis myſterium ſignificabat: Sicut enim tunc Moyſi loquebatur, ſed nubis caligine tectus non videbatur: ita & poſtea cum Iudæis loquens, carnis velamine tectus videri non potuit. De hac enim nube ſcriptum eſt. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* E *Et dixit Dominus ad Moyſen. Vade ad populum & ſanctifica illum hodie, & cras, lauentque veſtimenta ſua, & ſint parati ad diem tertium: die autem tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſupra montem Synai, conſtituesque terminum per circuitum & dices: Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius.* Quid enim per hodie, & cras, niſi præſens, & tempus futurum intelligimus? Qui igitur hodie & cras Sanctificatur, omni tempore ſanctificatur. Veſtimenta vero lauare, eſt à peccatorum ſordibus carnem mundare. Nam quia carne anima veſtitur, ideo veſtimenta carnem ſignificant. De his enim veſtimentis dicitur: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Tertius vero dies, tertius poſt agni immolationem menſis intelligitur, quo & nunc Dominus ſuper montem Synai, & poſtea Spiritus ſanctus ſuper Chriſti diſcipulos deſcendens, omnis ſcientiæ plenitudine fecit eos eſſe perfectos. Conſtituuntur autem termini circa montem Synai, quoniam & mons Synai ſuos terminos habet, vltra quos eos, qui vocati fuerint, accedere F non licet, Quod enim Synai hoc in loco Syon ſignificet, audi Apoſtolum dicentem: *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem: & accenſibilem ignem, & turbinem, ac caliginem, ſed acceſſiſtis ad Syon montem, & ciuitatem Dei viuentis:* Qui enim non vocatus ad gradus, & honores Eccleſiaſticos aſcendere nititur, ille proculdubio ad interdictos terminos montis moriturus accedit. Vnde & ſubditur: *Omnis enim qui tetigerit montem morte morietur: manus non tangent eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis; ſiue iumentum fuerit, ſiue homo non viuet. Cum cœperit clangere buccina, tunc aſcendat in montem.* Quæ enim prope ſunt, manu tanguntur, quæ vero longe aut lapidibus aut iaculis feriuntur, per quod non præſentialiter, ſed in futurum, contra hos tales iudicandum eſſe ſignificat, quaſi enim de longinquo ſuper eos lapides & iacula venient, quoniam non modo feriuntur, ſed poſt hanc vitam æternis ſuppliciis damnabuntur. Siue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet, quoniam ſiue ſtultus ſiue ſapiens hæc talia præſumpſerit, mortis periculo ſubiacebit. G Multos enim & fatuos, & ſæculi ſapientia præditos, quamuis non vocentur, montis tamen huius excelſa audacter conſcendere videmus: exſpectent igitur, dum vocentur. Exſpectent dum buccina clangat. Hoc eſt enim quod dicitur. Cum cœperit buccina clangere, tunc aſcendant in montem; tunc aſcendant quando eis inuitatis dicetur. *Amice aſcende ſuperius.*

Deſcenditque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificauit eum. Cumque lauiſſent veſtimenta ſua, ait ad eos. Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris. O quantum ab illicitis abſtinere debent, quibus ipſa quoque licita interdicuntur. De his enim Apoſtolus ait. *Qui habent vxores, tanquam non habentes ſint. Iam aduenerat tertia dies, mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Vide quam bene vtrumque teſtamentum ſibi reſpondeat, & quam cõuenienter Penthecoſtes in vtroque celebretur. H In Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt. *Tunc reuerſi ſunt Ieroſolimam à monte qui vocatur Oliueti, & cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu & fratribus eius.* Hæc tam ſancta coadunatio vocatur Eccleſia, hæc dicitur mons Syon. In hunc montem deſcendit Dominus, ſeruata quodammodo ſimilitudine, & tempore quo deſcendit in montem Synai. Iam enim, inquit Moyſes, aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, &c. Dicamus & nos: Iam enim aduenerat tertius menſis & Pentecoſtes, ideſt quinquageſimus dies inclaruerat, &, ſicut B. Lucas Euangeliſta ſcribit: *Factum eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes,*

&

A *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Ecce enim in vtroque & ſonus auditur, & ignis videtur, ſed in illo nubes caliginoſa, in hoc autem clariſſimi luminis ſplendor apparet, quoniam illud vmbra erat atque figura, hoc autem veritas, quod enim ibi tonitrua, hic Apoſtolorum voces intelliguntur: quod ibi micantia fulgura, hic miracula vbique fulgentia: nubes vero denſiſſima, quæ montem operiebat, Apoſtoli ſunt, ſalutatibus pluuijs Eccleſiam irrigantes: Clangor vero buccinæ perſtrepens vehementer, Doctorum omnium prædicationem longè, lateque intonantem ſignificabat. *Timuit populus qui erat in caſtris. Cumque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices montis: totus autem mons Syna fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcendit fumus ex eo quaſi de fornace.* Hic autem timor admirationis & reuerentiæ erat. B Quod autem dicitur: quia venerunt de loco caſtrorum in occurſum Dei ad radices montis, hoc eſt quod in Actibus Apoſtolorum dicitur: *Facta autem hac voce conuenit multitudo & mente confuſa eſt*, conuenit enim populus de tota Ieruſalem ad radices montis Sion, ideſt, ad eum locum vbi Sion, ideſt, Sancta Eccleſia lactis quodammodo fundamentis ædificabatur, ibi enim erant Apoſtoli, ibi erat mater Ieſu, ibi in ſemine atque principiis erat totus mons Sion, & mente confuſa eſt, præ timore videlicet & admiratione. Vnde & hic dicitur: quia *timuit populus qui erat in caſtris*, hic enim timor illum timorem ſignificabat. Totus autem mons fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace. Hoc enim B. Petrus expoſuit dicens: *In diebus illis effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt, & dabit prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum, ſanguinem & ignem & vaporem fumi.* Non enim poterant non ardere C & non fumare, quos tantus ignis Sancti Spiritus ſuccenderat. Sicut enim per fumum, ignis adeſſe monſtratur, ita per verborum conſtantiam, per linguarum diuerſitatem, Spiritus Sanctus in Apoſtolorum cordibus ardere monſtrabatur. Beata illa corda quæ hoc igne replentur. Beati illi qui ſic ardere merentur. Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: *Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt? & quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram illos loquentes?* Hic ergo fumus monſtrabat exterius, quantus qualiſque ignis arderet interius. Sequitur: *Eratque mons omnis terribilis, & ſonus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur. Moyſes loquebatur, & Dominus reſpondebat ei.* Cui enim mons iſte, ideſt, cœtus Apoſtolicus non videbatur eſſe terribilis, qui homines prius inſcios, & vix vnius linguæ peritos, nunc omnibus linguis loqui audiebat? Creſcebat autem paulatim ſonitus buccinæ & prolixius tendebatur, quoniam Apoſtolorum vox & prædicatio paulatim proficiens creſcebat, & longius audie- D batur, donec *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæc eſt enim illa buccina cui dicitur: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Moyſes autem loquebatur, & Dominus reſpondebat ei; quoniam prædicantibus Apoſtolis, eorum corda Dominus reſpondendo docebat. Siquidem non ipſi, ſed Dominus loquebatur in eis.

Deſcenditque Dominus ſuper montem Synai in ipſo montis vertice, & vocauit Moyſen in cacumen eius. Stat autem Dominus ſuper verticem montis Synai, per quem Sion intelligitur, de quo ait: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius. Ibique in ipſum eius cacumen Moyſen vocat, per quem Apoſtoli intelliguntur, qui ſuper vniuerſam Eccleſiam Principes conſtituti, altiores præ cæteris poſſident ſedes. *Dixitque ad eum: Deſcende & conteſtare populum, ne forte velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Terminos namque tranſcendere, eſt Eccleſiaſticas dignitates contra Dei E voluntatem vſurpare. Stet igitur vnuſquiſque in ſuo ordine, neque prius quam vocetur interdictum ſibi terminum tranſcendere velit. Sacerdotes quoque & populi qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilli & dormiunt multi: Si enim noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Timeat ergo ne percutiatur, qui non ſanctificatus ad Dominum accedere præſumit. Acceſſit enim Rex Ozias, & lepra percuſſus eſt: Acceſſerunt filij Aaron & mortui ceciderunt; Acceſſit Dathan & Abyron & deuorauit eos terra: Acceſſit Oza ad arcam & percuſſus à Domino interijt. Sequitur: *Vade & deſcende, aſcendeſque tu & Aaron tecum; ſacerdotes autem & populus, ne tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.* Hoc audiant Sacerdotes, & ſuis terminis contenti, illuc aſcendere non præſumant, quo ſoli Moyſes, & Aaron iubentur aſcendere: altius enim Epiſcopis quam ſacerdotibus aſcendere conceditur, & quædam Dei ſecretorum agunt Epiſcopi, quæ cæteris ſacerdotibus agere non licet. F Deſcenditque Moyſes ad populum & omnia narrauit eis, ſic enim & Apoſtoli, quæcunque audierant à Domino, narrauerunt nobis.

CAPVT XX.

Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos: Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis. Hos autem ſermones cum Dominus loqueretur, cunctus populus audiebat. Hæc enim ſunt decem verba legis, in quibus tota lex quodammodo continetur, quæ quidem cunctis audientibus prius in monte locutus eſt: poſtea vero bis in talibus lapideis ſcripſit; quoniam primas tabulas Moyſes iratus confregerat. In principio autem locutionis docuit eos quis ſit, dicens. *Ego Dominus Deus tuus*, cui tu non immerito obtemperare & credere debes, quoniam ego eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis.

G *Non habebis Deos alienos coram me.* Hoc eſt enim primum mandatum, in quo omnes Dij abiiciuntur, & vnus & verus Deus adorari præcipitur, qui vbique eſt, in cuius conſpectu ſtat omnis creatura. Et ideo dicit: *coram me*, quia qui coram eo non ſit nuſquam ſit. Pro hoc autem mandato, & Sancti Apoſtoli, & cæteri Martyres ſunt interfecti. Merito igitur ponitur primum, quod prius defendere neceſſe erat.

Secundum autem mandatum eſt: Non facies tibi ſculptile. In quo idolorum & ſimulachrorum omnium religio euacuatur. Neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, vt ſolis, Lunæ, & ſtellarum, & quæ in terra deorſum, vt Saturni, Iouis, & Mercurij: nec eorum quæ ſunt in aquis, vt Neptuni, & Nympharum, & quæ ſub terra, vt Plutonis, Charontis, Cerberi, & ſimilium. Hæc enim omnia gentilitas decepta colebat, & quia eos videre non poterat, eorum ſimulachra adorabat.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, fortis, & Zelotes, H & quia fortis ſum, vindicare me poſſum, quia vero Zelotes, vtrobique merita reddam: Zelotes enim, qui diligit & qui odit intelligi poteſt. *Viſitans iniquitatem Patrum in filiis in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordias in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Filius enim, ſi bonus fuerit, non portabit iniquitatem patris: Si vero malus fuerit & ſuam & patris iniquitatem luendo ſuſtinebit: Quod ſi & pater bonus fuerit, & à patris bonitate filius non receſſerit, multo maioribus bonis pro patris bonitate ditabitur. Inde enim eſt quod ſemen Abrahæ à Domino diligebatur. Inde & de tribu Iuda, propter Dauid, Regnum penitus non aufertur.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra. Hic enim & omne mendacium tollitur, & gratia Dei, ne in vacuum recipiatur, interdicitur. Nam vterque reus eſt, & ille qui in Chriſti nomine iurat & non cuſtodit, & ille qui in Chriſti nomine vocatur

A Chriſtianus, & Chriſti fidem non obſeruat. Et quidem nomen Domini in vanum aſſumitur, & quaſi paruipendens pro nihilo reputat, quicumque ea quæ in nomine Domini vel affirmat vel negat, non cuſtodit. Cum ergo quaſi pignus nomen Domini tibi credetur, recordare pignoris, & noli obliuiſcare promiſſum.

Memento vt diem Sabbathi ſanctifices. Sic enim dicitur: *Sanctificate ieiunium.* Sabbathum enim ſanctificare, eſt à bonis operibus non ceſſare. Cum enim Sabbathum per ſe Sanctum ſit, bene operando fit ſanctius. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ideſt, opera tuæ vtilitatis, cum enim mala agis, non tua, ſed diaboli opera facis. Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt, non facies in eo omne opus. Reprehenditur Chriſtus quaſi malè agens, quoniam multa in Sabbathis operabatur. Sabbatho enim homini, quem ſanauerat, præcepit dicens: *Tolle grabbatum tuum & ambula.* B Tollere namque grabbatum, opus eſt, ſed vtile. Dicit Chriſtus: *tolle grabbatum tuum.* Dicunt Iudæi: *Sabbathum eſt, non licet tibi tollere grabbatum tuum.* Aliter ergo Chriſtus, aliter Iudæi de Sabbatho intelligebant: Nam quia dicitur: Nihil operis facietis in eo, etiam bonum opus ſi in eo fieret, putabant eſſe peccatum. Quorum ſtultitiam Dei ſapientia irridens dicebat: *Si licet Sabbatho curare?* Et nullo quidem die tot homines, quot in Sabbatho Saluator noſter ſanaſſe legitur: vnde datur intelligi, quia ille melius Sabbathum colit, qui plus bonitatis, miſericordiæ, & pietatis in eo operatur. Sed nunquid vno tantum die in hebdomada bona agere & ſabbathizare debemus? Omni namque die Sabbathum eſt illis, qui omni die declinant à malo & faciunt bona. Quieſcere enim ab operibus, quid niſi à peccatis debere quieſcere ſignificabat? Dicatur ergo: *Sabbathum eſt, non facies in eo omne opus, tu & filius tuus & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua,* C *iumentum tuum & aduena qui eſt intra portas tuas;* hæc enim omnia nocere poſſunt, atque in his omnibus peccamus. Non ſolum enim ſi filius & ſeruus meus & aduena qui in mea cuſtodia eſt, per negligentiam furantur & occidunt, & aliis modis delinquunt, peccatum mihi eſt, verum etiam ſi iumentum meum aliis damnum inferat, mihi imputari debet. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſeptimo, ſiue ſabbatho, & ſanctificauit eum. Requieſcamus igitur & nos omni die, nihilque mali operemur, quatenus & dies noſtri omnes benedicantur: *Dies enim illi,* vt Apoſtolus ait, *mali ſunt, in quibus mala opera fiunt.* Omnes igitur dies noſtri vertuntur in ſabbathum, ſi in omnibus quieſcimus & ceſſamus à malo. Nec hoc dico, quod in feſtiuis diebus, etiam à licitis vacare non debeamus, quoniam quicquid contra Sanctorum conſtitutiones fit, peccatum eſt.

D *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Magnum eſt hoc mandatum, quod qui obſeruauerit, & terra habitationis, & longa vita eis promittitur. Quamvis enim etiam iuxta litteralem intellectum mentem ædificet, plerumque ſit pietate, maius tamen aliquid ſignificare videtur. Pater enim noſter ille eſt, cui quotidie dicimus: *Pater noſter qui es in cœlis:* Mater vero noſtra, Sancta Eccleſia, quæ nos ex aqua & Spiritu Sancto, Domino genuit. Hos autem ſi honoramus, omnia legis mandata adimplemus. Qui enim peccat, Dominum inhonorat, qui peccare omnibus interdicit: Qui vero proximum in aliquo lædit, contra Eccleſiam facit, cuius membrum & filius ipſe eſt. Idipſum igitur eſt, honora patrem tuum & matrem, quod eſt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Non occides: Non mœchaberis. Non furtum facies: Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium: Non concupiſces domum proximi tui: Non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. Hæc enim quinque mandata ad proximum, quinque vero ſuperiora

E ad Deum ſpectant. Et quamvis hæc in illis contineantur, ſatiſque in illis intelligi poſſent, voluit tamen nominaliter hæc & ſpecialiter ponere, quoniam in his homines frequentius peccant. Cum enim hæc præ cæteris interdici audiunt, curioſius hæc euitare & fugere debent. De concupiſcentia vero dicit Apoſtolus. *Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Quomodo enim non poteſt eſſe peccatum, quod pœne in omnibus eſt cauſa peccati. Fornicatores enim, adulteros, fures & raptores, concupiſcentia facit, & alia quidem multa ex hac radice oriuntur, quæ ſi ſuccila fuerint, pariter cum ea ceſſabunt.

Cunctus autem populus audiebat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumigantem, & perterriti ac pauore percuſſi, ſteterunt procul dicentes Moyſi: loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Mons enim iſte Apoſtolos deſignat, per quem igne ſpiritus interius ardent, ideo exterius fu- F mare videntur. De his enim dicitur: *Tange montes & fumigabunt,* non enim fumarent niſi arderent, fumus igitur pro incendio ponitur. Per voces autem & ſonitus buccinæ, qui in monte audiuntur, verbum prædicationis intelligitur, per Apoſtolorum ora vbique reſonans: *Non enim,* vt ipſa veritas ait, *ipſi loquebantur, ſed Spiritus Sanctus in eis.* Lampades autem ſplendor ſunt miraculorum. Perterriti autem tunc & pauore concuſſi Iudæi fuerunt quoniam ad Apoſtolos venientes dixerunt: *Quid faciemus viri fratres?* Quibus Beatus Petrus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Quid enim aliud dicere erat? quid faciemus viri fratres, niſi hoc quod populus dicebat Moyſi: Loquere tu nobis & audiemus? Vtrumque enim ex timore procedit. Quid faciemus, inquiunt, loquimini, date conſilium, *non loquatur nobis Dominus ne forté moriamur.* Qui enim Apoſtolis loquentibus credere noluerunt, quandoque ipſum Dominum loquentem, & mortis ſententiam inferentem, G audituri ſunt. Hoc igitur timentes, dicunt: *loquere tu nobis, quid faciemus?* date conſilium, monſtrate viam, non loquatur nobis Dominus, non iraſcatur nobis, peccauimus, veniam petimus: *Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere, vt enim probaret vos venit Deus, & terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Hoc enim & Petrus dicebat. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Nolite timere, non ad perdendum, ſed ad ſeruandum vos, venit Deus. Si enim non veniſſet, & locutus fuiſſet, peccatum non haberetis, à modo excuſationem non habebitis de peccatis veſtris: Probati enim eſtis, vocati eſtis, ſigna & miracula vidiſtis, nolite ergo peccare, convertimini & timete Dominum. Sequitur. *Stetitque populus de longe: Moyſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Dominus.* Quid enim per caliginem, niſi ſcripturarum obſcuram, & profundam ſcientiam intelligimus: Secundum illud: *Tenebroſa aqua in nubibus aeris.* Ab hac autem populus longè ſtat, ſolus Moy- H ſes eam ingreditur, quoniam ſoli ſancti & ſpirituales viri ſecreta ſcripturarum ſacramenta intelligunt, ibique Deum inueniunt. Neque enim credendum eſt, totum illum populum hæc intellexiſſe, quæ tunc in illa caligine Moyſi reuelata fuerunt.

Dixitque præterea Dominus ad Moyſen: Hæc dices filiis Iſraël: Vos vidiſtis quod de cœlo locutus ſim vobis. Non enim de cœlo, ſed de monte Dominus loquebatur. Niſi fortè per cœlum, aërem intelligamus, qui frequenter pro cœlo accipitur. Vnde eſt illud: Volucres cœli, cum vtique volucres in cœlum non aſcendant. Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis. Hoc audiant auari, qui aurum & argentum quaſi Deos colunt & venerantur. Vnde, & auaritia, idolorum ſeruitus dicitur. Altare de terra facietis mihi, altare namque de terra homo eſt, quia de terra factus eſt homo, in hoc enim altari Chriſti carnem, & ſanguinem ſuſcipit: in hoc altari fit illud ſacrificium, de quo Pſalmiſta loquitur dicens: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Vnde & ſubditur. *Et offeretis ſuper eum holocauſta & pacifica veſtra.* In hoc enim altari, vnde Deum nobis

A placabilem & propitium facimus, oues videlicet & bo-
ues. Oues enim offerimus, cum patientiam & ſimplici-
tatem Deo vouemus: Boues autem, quando nos ſub
Chiſti iugo humiliamus. Hoc autem non in ſola Ieru-
ſalem, ſed in omni loco fieri iubet, in quo fuerit me-
morja nominis eius, quoniam & altare vbique habe-
mus, ſiquidem nos ipſi altaria ſumus, & hoſtiæ quas
offerimus, quia non aliunde eas accipimus, ſed in no-
bis eas portamus. *Quod ſi altare lapideum feceritis mi-
hi, non ædificabitis illud de ſectis lapidibus*, fit enim al-
tare de lapidibus, quando ex infructuoſis & peccatori-
bus hominibus Eccleſia ædificatur. Vnde ſcriptum eſt:
Potens eſt Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Non
autem de ſectis lapidibus hoc altare ædificatur, quia
non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente
qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.
Vnde & Apoſtolus ait: *Videte fratres, quia non multi*
B *nobiles ſecundum carnem, non multi potentes vel ſapientes
ſunt inter nos*, ſed quæ ſtulta ſunt huius mundi *elegit
Deus, vt confundat fortia.* Si ergo ſolos ſapientes, diui-
tes, nobiles & potentes, Apoſtoli, admonuiſſent & præ-
dicaſſent, tunc de ſectis lapidibus altare conſtruere cona-
rentur: ſed quia hi tales magis terrena, quam cœleſtia
appetebant: Apoſtolorum prædicationem & Chriſti
paſſionem, ſtultitiam reputabant. Vnde Apoſtolus:
*Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem
ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Ideo autem ſub-
ditur: *Si enim leuaueris cultrum tuum ſuper eo, pollue-
tur*, quid enim per cultrum, niſi gladium ſpiritus, quod
eſt verbum Dei, intelligamus? Hic autem culter ad ma-
ctandam hoſtiam ſuper altare leuatur, quando ſuper po-
pulum Chriſti paſſionem, & qualiter agnus in cruce
immolatus fuerit, Doctores exclamant: polluitur autem
culter, ideſt Sanctorum prædicatio ſuper tali altari ele-
uata, quando contemptui & deriſioni ab eis habetur.
C Vnde ipſe Dominus ait: *Nolite dare Sanctum canibus,
neque mittere margaritas ante porcos.* Sequitur: *Non aſ-
cendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo
tua.* Ecce iam aliud altare cæteriſque excellentius, ad quod
per gradus tamen aſcendere interdicitur. Hoc enim alta-
re fides eſt Trinitatis, ad quam ille qui per gradus aſcen-
dit, qui maius & minus in Trinitate credat & intelligit.
Planè igitur, & non per gradus ad hoc altare aſcenda-
mus, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, æquales
eſſe credamus. Per gradus enim Arius ad hoc altare
aſcendit, ideoque eius turpitudo, eius ſtulta & nefanda
hæreſis cunctis gentibus eſt reuelata: aſcendens enim
cecidit, fuſiſque viſceribus turpiter & inaudita morte
interiit.

*Hæc ſunt iudicia quæ propones filiis Iſraël. Si emeris
ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egre-
dietur liber gratis, cum quali veſte intrauerat, cum tali
exeat ſi habens vxorem, & vxor egrediatur ſimul.* Quid
D enim per Hebræum, qui tranſiens interpretatur, niſi eos
qui ad Eccleſiam & ad fidem Catholicam tranſeunt, in-
telligimus? Hos autem Chriſtus Dominus noſter
(qui per Moyſen, cui iſta dicuntur, ſignificatur) ſuo
pretioſo ſanguine emit. Sed quia in ſex diebus factus eſt
mundus, & in ſex ætatibus conſiſtit, frequenter per ſex
annos vel dies omne vitæ huius tempus intelligitur. Sex
ergo annis ſeruit, qui omni tempore vitæ ſuæ ſeruit.
Sunt autem qui fideliter ſeruiunt, & à Domini ſui ſerui-
tio & ſeruitute nunquam recedere volunt: Sunt autem
alij, qui quamvis ſeruire videantur, & in domo Do-
mini ſui, quæ eſt Eccleſia, omni vitæ ſuæ tempore con-
uerſentur, grauiter tamen ferunt ſeruitutem. De talibus
igitur dicitur: *In ſeptimo anno egredietur liber gratis.* Bo-
nus & clemens Dominus, qui quamvis ſeruum ſuum infi-
delem & nequam eſſe ſciat, de domo tamen eum non ex-
pellit: exſpectat ſeptimū annum, exſpectat finem hebdo-
madæ & terminum vitæ, & ſi vel tunc conuerſus pœni-
tuerit, & nociuam libertatem non dilexerit, adhuc cum
Domino ſuo poterit habitare, alioquin egredietur liber,
ſed mala libertate: Soli enim illi liberi ſunt qui Domi-
no ſeruiunt. Et gratis quidem liber egreditur, quia nihil
apud Dominum de eius pecunia vel ſubſtantia retinetur. E
Vnde & ſubditur: *Cum quali veſte intrauerit, cum tali
exeat:* malè quidem indutus venit, & malè indutus re-
cedit, quoniam illam veſtem candidam perdidit, quam
in baptiſmate ſuſcepit. Induitur autem prima veſte, pri-
mæque conuerſationis indumento. De hac enim veſte
Eccleſia dicit: *Expoliaui me tunica mea, quo modo in-
duar illa?* Qui enim ſic loquitur, non vult à Dei rece-
dere ſeruitute. Si habet vxorem, & vxor egrediatur ſi-
mul, malum maritum mala vxor ſequatur: hæc enim va-
na religio, & ſtulta mundi huius ſapientia intelligitur,
hæc vxor malos & vitioſos filios gignit & nutrit: de hac
enim auari, ſuperbi, & raptores oriuntur. Hæc ergo tam
impia pellatur de Eccleſiæ penetralibus.

*Sin autem Dominus ſuus dederit illi vxorem, & pepe-
rit filios & filias, mulier & liberi eius erunt Domini ſui,
ipſe non exibit cum veſtitu ſuo.* Nulli ſeruorum fit vio-
lentia, nullus retinetur inuitus, vult recedere, relinquat
dominicas veſtes, recipiat proprias, eas videlicet de qui- F
bus modo ſuperius diximus. Huic enim ſeruo Dominus
ſuus dedit vxorem, ſanam ſcientiam, & Eccleſiaſticam
religionem, quæ peperit ei filios & filias, per quos,
mores honeſtos, & virtutes intelligimus, tales enim fi-
lios & filias generat Chriſtiana religio. Hæc igitur mu-
lier cum liberis ſuis ingratum & fugitiuum ſeruum non
ſequitur, ſed ea recedente, cum eo remanet à quo ſeruo
tunc fidem promittenti tradita fuerat. Quod ſi dixerit
ſeruus: *Diligo Dominum meum, & vxorem & liberos,
non egrediar liber: Offerat eum Dominus diis, & applica-
bitur ad oſtium & poſtes, perforabitque aurem eius ſubula,
& erit ſeruus in perpetuum.* Bonus ſeruus qui Dominum
diligit, tamque religioſam vxorem, ac liberos tam præ-
claros, magiſque vult cum his ſeruus morari, quam his
relictis egredi cum libertate. Non enim omnes ſerui
mali. Bonus enim ſeruus & ille eſt cui dicitur: *Euge ſer-
ue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Hunc
ergo ſeruum offert Dominus diis: ille vtique Dominus, G
qui ſuper iumentum ſuum hominem à latronibus vulne-
ratum imponens, duxit in ſtabulum, & curam eius egit.
Sed quibus diis, niſi Epiſcopis Eccleſiæque rectoribus?
Si enim Regum filij Reges dicuntur, cur Dei filij Dij
non dicantur? Dicit enim Pſalmiſta: *Ego dixi, Dij eſtis,
& filij excelſi omnes.* Iſti autem Dij, & oſtium dicuntur
& poſtes; quoniam in introitu Eccleſiæ ſtantes, omnes
venientes in Eccleſiam introducunt. Merito ergo bonus
ſeruus diis offerri, atque ad oſtium & poſtes applicari di-
citur, quoniam omnis qui Chriſtum & Chriſti: nam
religionem diligit, his ſemper adhærere deſiderat, vt
verba vitæ ab eis defluentia, vigilanti ſemperque aperta
aure cordis inceſſanter ſuſcipiat. Qui enim ex Deo, verba
Dei audit. Vnde & ſubditur: *Et perforabit aurem eius
ſubula, & erit ſeruus in perpetuum* illæ enim aures ſunt
apertæ & perforatæ, quem ſemper verbum Dei audire
cupiunt: Sic è contra illæ ſunt clauſæ, de quibus dici-
tur: *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non* H
exaudiet vocem incantantium. Stemus igitur & nos ad
oſtium & poſtes, & aures perforatas & apertas altius eri-
gentes, Dominum dicentem audiamus: *Qui habet aures
audiendi audiat.* Et B. Ioannem: *Qui habet aures audiat,
quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Subula autem qua aures per-
forantur, Sancti Spiritus afflatio intelligitur.

*Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egre-
dietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt*, Quæ enim ſupe-
rius extitit vxor, nunc filia vocatur. Chriſtiana namque
religio & vxor eſt, cum filios generat, & filia eſt, cum
ipſa ab aliis in aliis generatur. Generatur enim à prædi-
catoribus in cordibus auditorum. Vnde hic dicitur: *Si
quis vendiderit filiam ſuam*, vendit enim prædicator fi-
liam ſuam, id eſt Chriſtianam religionem, quando pre-
tio fidei ab auditoribus ſuſcepto eis eam tradit, & in
eorum cordibus quodammodo generat. Bene autem
famula vocatur, quoniam nulli ſine fidei pretio datur:
nemo enim baptizatur, niſi prius fidem promittat. Hæc
autem non egreditur ſicut ancillæ exire conſueuerunt,
ſed caſtè traditur, honeſtè ducitur, & religioſè ſuſcipitur:

benè

benè induta, benè compoſita, & benè ornata, vt merito placeat emptori. Si diſplicuerit oculis Domini ſui, cui tradita fuerit, dimittat eam: populo autem alieno vendendi non habeat poteſtatem, ſi ſpreuerit eam. Multi enim baptizati ſunt, & Chriſtianam religionem cum amore ſuſceperunt, qui malè viuendo & per flagitia ruendo, quantum eis ea diſpliceat, patenter oſtendunt. Iraſcuntur enim & fugiunt, ſi benè agere admoneantur: hi autem dimittunt eam, quia nolunt viuere & habitare cum ea. Populo autem alieno vendendi non habent poteſtatem, quoniam qui eam ſpernit, aliis eam tradere & prædicare non licet, ſecundum illud: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitiam meam, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Vnde & Apoſtolus: *Qui prædicas, non furandum, furaris: qui dicis, non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, & ſacrilegium facis.* Soli igitur illi Chriſti fidem aliis vendant & tradant, qui eam diligunt, & ab ea recedere nolunt.

Sin autem filio ſuo deſponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. Iſte enim filius, animus eſt, qui de cordis vtero procedit & gignitur. Si ergo deſponderit eam filio ſuo, & eam diligens, caſto & ſincero amore colligauerit animo ſuo, iuxta morem filiorum faciet illi, bene dotando, benè ornando benè tractando, matrem familias, & Dominam totius domus conſtituendo. Quod ſi alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias, & veſtimenta, & pretium pudicitiæ non negabit: ſi tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia. His etenim verbis illi apertiſſimè denotantur, qui à ſincera & vera religione in hypocriſin & amorem ſæculi poſtea dilatabuntur. Iſti enim prioris amoris obliti, & à primæ vxoris complexibus longius diſtracti, aliam vxorem filio ſuo, ideſt animo & deſiderio ſuo accipiunt & coniungunt: Sequuntur auaritiam, congregant diuitias, & ſæculi voluptatibus traditi, caduca & tranſitoria diligunt, & quoniam prioris vxoris religione multa conquirunt, eam ſe adhuc habere & tenere ſimulantes, illam laudant, illam extollunt, illam prædicant, illam verborum compoſitione ornant & veſtiunt. Hoc eſt enim & nuptias puellæ prouidere, & veſtimenta & pretium pudicitiæ non negare, nuptias quidem ei prouident, dum eam laudantes, dignam eſſe dicunt, quæ ab hominibus ſuſcipiatur, dum neque legitimos filios ex alia naſci, neque legitimum matrimonium cum alia fieri poſſe teſtantur. Dant autem ei & veſtimenta, dum verborum compoſitione eam exornant. Dant & pretium pudicitiæ, dum eius caſtitatem, verecundiam & mores laudant, & hæc agentes non hypocritæ & ſimulatores, ſed veri & religioſi Chriſtiani eſſe creduntur. Si vero tria iſta non fecerit, & ea quæ modo diximus ſimulare neſcierit, illa egredietur gratis & abſque pecunia, quia & ille religionem perdet, & pecuniam non acquiret. Et multos quidem tales videmus, quia prima ſuæ conuerſationis religione ſeparati neſcientes decipere, quales ſunt interius, tales exterius apparent.

Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. Omnia enim quæ vel in veteri, vel in nouo teſtamento ſcripta ſunt, ſi iuxta litteram intelligi non poſſunt, ſpiritualiter intelligi neceſſe eſt. Homicidæ autem alij corporis, alij animæ. Hæretici enim adulatores animas occidunt, quod quia ſponte faciunt, niſi pœnitentiam egerint, morte æterna morientur. Ad quorum ſimilitudinem de corporis quoque homicidis intelligendum eſt.

Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus eius, conſtituam tibi locum quo fugere debeat. Hoc autem de illo dicitur, qui non ſponte, ſed caſu hominem occidunt: his enim ad ciuitates fugitiuorum fugere conceditur, in quibus manere debent, donec maximus Pontifex moriatur. Sex enim ciuitates æquali ſpatio inter ſe diuiſæ fuerant, in quibus hi tales homicidæ tuebantur. Sed quid per ſex ciuitates niſi ſex dies, in quibus operari licet? Quid vero per maximum Pontificem, niſi Chriſtum intelligimus? Fugiebant ergo homicidæ ad has ciuitates, vt quamdiu in hac vita conſiſterent, non ocioſè in his ciuitatibus, ideſt in his ſex diebus vitam ducerent, ſed dura pœnitentia carnem domantes, mortis periculo euadere deſudarent. Vnde etiam extra eas inuenti impunè occidebantur, quoniam & peccatores ſine pœnitentia reperti damnabantur. Manebat autem in ciuitate, donec Summus Pontifex moreretur, quoniam ante Chriſti paſſionem, etiam peracta pœnitentia, nulli in cœleſtem patriam redire concedebatur.

Si quis de induſtria occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab altari meo auellas eum, vt moriatur. Vbique autem ſubaudiendum eſt, niſi ſatisfecerit, & dignam pœnitentiam egerit. Mors quoque ſicut ſupra, dupliciter intelligi debet.

Qui percuſſerit Patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur. Quamvis enim, patrem & matrem percutere, magnum ſit peccatum, ego tamen maius aliquid hic intelligo: Patrem enim & matrem, Deum & Eccleſiam dici puto: his autem qui derogauerit, vel linguæ iaculo eos blaſphemando percuſſerit, mortis ſententiæ ſubiacebit. Idipſum autem ei contingit, qui patri vel matri maledixerit, quod niſi de Deo & Eccleſia intelligatur, valde ſeuera ſententia eſſe videtur. Maledicere autem Eccleſiæ, malè loqui intelligi poteſt.

Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. Hoc enim & Romanis legibus cauetur, & hi tales plagiarij vocantur. Hominem autem furari & vendere, eſt Chriſtianum aliquem diabolica verſutia à Chriſti fide & religione ſeparare, & diaboli ſubiicere ſeruituti.

Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lecto, ſi ſurrexerit & ambulauerit foras ſuper baculum ſuum, innocens erit, qui percuſſit, ita tamen vt opera eius, & impenſas in medicos reſtituat. Quod enim ait, innocens erit qui percuſſerit, tale eſt ac ſi diceret: non moriatur; quamvis enim peccauerit, non tamen vſque ad mortem. Poſſunt per eos qui rixantur inter ſe, illi qui de lege Diuina arroganter diſputant, intelligi: quorum ſi alter alterum ſuperauerit, & ſophiſticè in errorem duxerit, ſi tamen de fide non agatur, & tale quid non fuerit, vbi anima periclitetur, innocens erit, ideſt non morietur qui percuſſerit, ille videlicet qui ſic proximum ſuum errare fecerit; debet eum tamen & verbis placare, & vel per ſe, vel per aliquem ſapientem, ad veritatis ſcientiam reuocare.

Qui percuſſerit ſeruum ſuum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ſuis, criminis reus erit. Hoc autem de Eccleſiæ Doctoribus dici videtur. Fit enim multoties, vt paſtor Eccleſiæ peccantem ſeruum vel ancillam, ideſt, maſculum vel fœminam ſibi ſubiectos, eorum facinora exaggerando, & futura tormenta minando, duramque Canonum pœnitentiam nunciando, nimis aſpere virga correctionis percutiat. Quod ſi in eius manibus mortui fuerint, ideſt, ſi eos propter immanitatem ſceleris, & importabile onus pœnitentiæ, veniam deſperare ſanſerit, eoſque verbis mitioribus, & antidoto pietatis non confortauerit, quaſi qui malè medendo ægrum occiderit, reus erit. Sin autem vno die ſuperuixerit vel duobus, non ſubiacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt: Si, inquam, vno die vel duobus ſuperuixerit, ideſt, ſi in eius præſentia, nulla impoſſibilitatis, vel deſperationis ſigna monſtrauerit, & correctionis & pœnitentiæ flagella ſuſceperit, poſtea vero ita diſcedens, eodem vel ſecundo die pœnitentiam agere, veniamque ſe poſſe conſequi diffiderit, non ſubiacebit pœnæ. Quare hoc? Quia pecunia illius eſt, quia ſubiectus eius erit, quia ad eum illum arguere, admonere, increpare opportunè, & importunè pertinebat. Ille enim in ſua iniquitate morietur, qui vno vel duobus diebus ſuperuiuens, cum pœnitentiam ferre non poſſet, ad eum non rediit, & miſericordiam non petiit.

Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Viri rixantes, legiſperiti intelliguntur, de ſcriptura diuina inter ſe diſputantes. Prægnans

vero

A vero mulier anima eſt, quæ iam verbi & prædicationis ſemen in cordis vtero ſuſcepit, ſed nondum perfecte intelligendo formauit, neque memoriæ commendauit. Dum ergo viri rixantur, & inter ſe de legibus diſputant, prægnans mulier percutitur, & abortiuum facit, quia in eorum diſceptatione, dum cui credere debeat, anima ignorat, verbum Dei, quod conceperit, imperfectum, informatumque amittit. Percuſſor igitur ſecundum mariti & arbitrorum æſtimationem, ſubiacet damno; quoniam ſecundum Dei, qui animæ maritus eſt, & Apoſtolorum ſententia, hic talis iudicabitur. Ait enim Dominus: *Væ illi per quem ſcandalum venit.* Ait & Apoſtolus. *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Sin autem mors eius fuerit ſubſecuta, vt videlicet amiſſo ſemine in errore anima moriatur, reddet animam pro anima, vt qui animam occidit, in anima moriatur. Hic autem aperte demonſtrat, quod de anima in mulieris figura loqueretur. Oculum pro oculo, dentem, pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro
B aduſtione, liuorem pro liuore. Hoc autem breuiter Dominus exponens ait: *Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*, non quod ibi oculum perdat, qui hic oculum excæcauerit, ſed quia pro hoc & ſimilibus digna pœna ei recompenſabitur.

Si quis percuſſerit cuiuſpiam oculum ſerui ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet liberos, pro oculo quem eruit. Oculum enim ſerui, vel ancillæ Dominus percutit, quando Prælatus aliquis errorem docendo ſubiectum aliquem ſuorum animæ oculo ferit, quem quidem luſcum facit, ſi ſua praua doctrina à veritatis lumine deulando ſeparat. Huic autem nullam ſeruus debet ſubiectionem, ſed liber egreditur ne diutius morando penitus cæcus fiat. Dentem quoque ſi excuſſerit ſeruo vel ancillæ ſuæ, ſimiliter eos dimittet liberos: Idem enim & per dentem & per oculum intelligitur. Dentem namque excutere, eſt ſanum intellectum, quo panis Diuini eloquij ruminatur, & violenter & fraudulenter ab ore cordis euellere.

C *Si bos percuſſerit virum, & mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur; & non comedentur carnes eius. Dominuſque bouis innocens erit.* Boues enim ſacerdotes intelliguntur, qui Chriſti iugum ferunt, & eius agrum colunt, & ſanctam Eccleſiam arando & prædicando fertilem reddunt, de quibus dicitur. *Non alligabis os boui trituranti.* Quot ergo ſacerdotes, tot boues habet Epiſcopus, & quidem ipſe quoque bos eſt. Bos igitur virum aut mulierem cornu percutit, quando ſacerdos aliquis maledicendo, ſuperbiæ cornu & hæretica doctrina, interiorem hominem loquendo, immo vulnerando & feriendo occidit. Hic autem lapidibus obruitur: quoniam multorum ſanctorum Concilio aggregato, plurimorum ſententiis, quaſi multis lapidibus percutitur, & damnatur. Quot enim linguis damnatur tot lapidibus obruitur. Eius vero carnes non comeduntur, quia eius carnalis, homicida, & hæretica ſcientia non ſuſcipitur. Talis bos fuit Arius, Montanus, Manichæus, Nouatus,
D & Iouinianus, qui ſuperbis cornibus multos interemerunt. Dominus autem bouis tamdiu innocens eſt, quamdiu bouis maliciam non cognoſcit. Si vero ſciens conſenſerit, ipſe quoque occidetur: quia non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Hoc eſt enim quod ait: *Quod ſi bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt Dominum eius*, (poteſt enim fieri, vt Domino neſciente bos cornupeta ſit) *nec recluſerit eum occideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & Dominum illius occidetur.* Hic enim per Prophetam dicitur: *Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam ſanguinem eius de manu tua requiram.* Multum ergo ab Epiſcopis eſt prouidendum, ne in eius parochia hæreſis ab aliquo prædicetur.

Quod ſi precium ei fuerit impoſitum, dabit pro anima ſua quicquid fuerat poſtulatus. Precium enim Epiſcopo imponitur quando ei de negligentia quam in ſubiectis habet pœnitentia iniungitur: Vnde & quicquid poſtulatus fuerit, pro anima ſua dare iubetur, quia non aliter

E valet pœnitentia, niſi pœnitens ſe totum illius arbitrio, qui ſibi dat pœnitentiam, tradat. *Filium quoque, aut filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit.* Vnde manifeſtum eſt, quia quantum ad tutelam fidei eandem curam de omnibus ſibi ſubiectis, quam de propriis filiis prælatum habere oportet. *Si ſeruum ancillamque inuaſerit, triginta ſiclos argenti dabit Dominus*: ſeruum enim hoc in loco, Gentiles & cæteros alterius religionis homines intelligimus, qui quamuis inter Dei ſeruos, non tamen inter Dei filios computantur: ſoli enim illi filij ſunt, de quibus dicitur, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Per triginta vero ſiclos decalogi ſcientiam triplicatam accipimus. Dat igitur Dominus bouis triginta ſiclos argenti pro ſerui, vel ancillæ redemptione, quoniam Epiſcopus totam legis plenitudinem ad Trinitatis fidem conuertit, vt eos quos prauus bos vulnerauerit, ipſe rationabili medicina iungendo ſanet.

F *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel aſinus in eam, Dominus ciſternæ reddet precium iumentorum, quod autem mortuum eſt, ipſius erit.* Quis enim per hunc alius ſignificari videtur, niſi ille, qui inueterato odio fratri ſuo inſidiatur, & in odio perſeuerans, tamdiu inſidiarum foueam, apertam tenet donec proximum ſuum in ea capiat, & occidat, qui quoniam prauam voluntatem ad effectum vſque perduxit, iumentorum pretium reddit, quoniam vel dura pœnitentia peccatum ſoluit, vel ipſe pro eo occidetur. Vnde, & ſubditur: *Quod autem mortuum eſt, ipſius erit*, quia quaſi ad collum eius pendens, vt dici ſolet modus illius ſibi, & non alij imputabitur. Ille quoque ciſternam fodit & aperit, qui de profundis fidei quæſtionibus coram ſimplicibus diſputat. Qui enim ciſternam aperuerit, videlicet, vel à tali diſputatione ſubito ceſſando, vel in tantum auditoribus ſatisfaciens, vt omnia plana, & nihil ibi profundum eſſe videatur, quicquid illic erratus perierit, Dominus ciſternæ perſoluet.

G *Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident precium, cadauer autem mortui inter ſe diſpertient.* Si, inquit, bos meus bouem tuum vulnerauerit, & ſeducendo occiderit aliquem de populo tuo, vendamus bouem viuum & diuidamus pretium, id eſt, conueniamus, & tradentes hæreticum hominem Sathanæ; æternæ morti eum damnemus, precium autem eius damnationis, & retributionem à Domino ſuſcipientes pariter diuidamus, vt qui pares fuimus in eius damnatione, pares ſimus in ea, quam ſuſcipiemus, retributione. Cadauer vero mortuum inter nos diuidamus, quia ambo peccauimus, ambo negligentes fuimus; ambo de bouis cadauere, & peccato partem habemus. Nam & ego meum & tu tuum diligentius cuſtodire debuiſti. *Si autem ſciebat, quod bos cornupeta eſſet ab heri, & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum Dominus ſuus, reddat bouem pro boue, & cadauer integrum accipiat*, quoniam ſi Epiſcopus illum hominem de plebe ſua, hæretica dogmata prædicare prius cognouerat, eumque non redarguit, neque ab ea peruerſitate compeſcuit, reddet bouem pro boue, quia pro
H anima illius qui ſeductus, & deceptus fuerat, erit anima eius. Vnde & ſubditur: *& cadauer integrum accipiet*, quia totum peccatum mortis illius in Epiſcopum redundabit.

CAPVT XXII.

SI quis furatus fuerit ouem, aut bouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue. Nam quia boues maiorem præſtant vtilitatem quam oues, merito quantum ad litteram maiori pœna digni ſunt. Quamuis alij conuerſo modo hoc capitulum legere velint.

Sicut enim per boues, ſacerdotes, ita per oues cæteram hominum multitudinem intelligimus. Nam, & ſecundum Canones, maiori pœnæ ſubiicitur, qui ſacerdotem occidit, vel ei iniuriam facit, quam ille qui cæteris hominibus,

A vel iniuriam facit, quam ille qui cæteris hominibus, vel iniuriam vel mortem infert. Ouem enim, & bouem furari, occidere, & vendere eſt, qualicumque occaſione Chriſtianum hominem à Chriſti fide, & à Deo ſeparare. Sed quid per quinque boues, niſi quinque corporis ſenſus? Quid vero per quatuor oues, niſi quatuor corporis elementa intelligendum? Idem igitur, & per boues, & per oues intelligitur, quoniam in vtriſque ſolum corpus hominis figuratur. Qui ergo corde compunctus pro anima quam occidit & à Deo ſeparauit, quinque ſui corporis ſenſus Chriſti iugo ſubiiciens, totum ſe lamentis & pœnitentiæ tradit, ille proculdubio quinque boues pro vno boue reſtituit. Qui vero quatuor ſui corporis elementa in ouinam ſimplicitatem conuertens, pro reatu, quem perpetrauit, ſoli Deo ſeruire compellit ille, nimirum pro vna oue, quatuor oues Domino reddit.

Si effringens fur domum, aut ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus B *ſanguinis: Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur.* Inter manifeſtum namque, & non manifeſtum furtum, & furem, differentiam facere videtur. Eſt autem manifeſtus fur qui die, non manifeſtus autem, qui nocte furatur, & ſecundum humanas quidem leges maior pœna eſt furti manifeſti: hic autem è contra, qui furem in die occidit, reus eſt: qui autem in nocte, innocens eſt. Et ego quidem hunc furem, qui in nocte domum confringit, & fodit, diabolum intelligo, qui ſemper occulte per inſidias domum corporis noſtri, quod & templum Dei vocatur, corrumpere & diſſipare nititur, quatenus virtutum & bonorum operum theſaurum nobis furetur, & rapiat. Hunc autem ſi quis inuenerit, & domum ſuam depopulare ſenſerit occideritque, non ſolum innocens, ſed inſuper munere dignus erit, facile autem ab his inuenitur qui eius inſidias cognoſcunt. Homo autem, quia viſibilis eſt creatura orto ſole, id eſt, in die & in manifeſto furari dicitur, quem C ſi quis pro vindicta ſuarum rerum occiderit, & non magis carnem ſuam, & proximum ſuum quam pecuniam ſuam dilexerit, ipſe quoque in anima morietur. Hac autem lege iudices non tenentur, qui totum quod agunt, amore iuſtitiæ faciunt. Vnde & Apoſtolus ait: *Non enim ſine cauſa gladium portat: vindex enim Dei eſt.* Sequitur. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipſe venundabitur*, ille enim non habet quod pro furto reddat, quia tam nequam, & impius eſt, vt pœnitere neſciat: pœnitentia namque, & furtum, & cætera peccata redimuntur, & ſine pœnitentia nullum peccatum redimi poteſt. Hic igitur venditur diabolo, traditur, in carcerem mittitur, inde non exiet donec ſoluat vniuerſum debitum. Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus eſt, viuens, ſiue bos ſiue aſinus, ſiue ouis, duplum reſtituet? duplum quidem reſtituit, quia, & ea quæ furatus eſt reddidit, & ſuper hoc ſi conuerſus fuerit duram pœniten- D tiam pro peccato agit, vel ſi inconuertibilis fuerit, duplici contritione conteretur.

Si læſerit quiſpiam agrum vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum vt depaſcatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro ſuo vel vinea, pro damni æſtimatione reſtituet. Hoc autem de hæreticis intelligi poteſt, qui ſuperbum, indomitum, luxurioſum, & inſatiabile iumentum, id eſt animum ſuum in Dei agrum, & vineam quod eſt Eccleſia dimittunt, vt eam vaſtet & depaſcatur: Sepulchrum enim *patens eſt guttur eorum.* Hi autem pro damni æſtimatione quicquid melius habent in agro ſuo reſtituunt, quia ipſam animam quæ cunctis, quæ poſſidet, melior eſt, pro hoc facinore amittunt, quod autem ipſe homo ager vocetur, audi Apoſtolum dicentem. *Dei enim agricultura eſtis.* Homo enim & ager, & vinea vocatur, quoniam & frumentum boni operis, & vinum ſacri eloquij generat.

Si egreſſus ignis inuenerit ſpicas, & comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit. Dominus in Euangelio loquitur dicens. Ager enim eſt mundus. Si ergo mundus ager eſt, quid ſpicæ, & aceruí frugum, & ſtantes ſegetes, E niſi homines intelliguntur? Ignis igitur egrediens, ſpicas, & aceruos frugum, & ſtantes ſegetes in agris comprehendit, quãdo furor indignationis & odij, totum populũ conturbat, & amore præliandi æſtuare, & ardere compellit. Huius amẽ incendij damnũ ille reſtituet, qui primus ignẽ ſuccendens, principalis huiuſmodi diſſidij cauſa extitit.

Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam, & ab eo, qui ſuſceperat, furto ablata fuerit, ſi inuenitur fur, duplum reddet. Per hunc autem qui pecuniam amico commendat, nemo melius quam Chriſtus intelligi poteſt qui ait. *Vos amici mei eſtis*, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Pecunia autem, fides, & vera ſcientia intelligitur: vaſa vero, homines ſunt, in quibus Dei theſauri reconduntur. Vnde & vas electionis Apoſtolus dicitur. Amicus vero cui pecunia commendatur, Prælatos Eccleſiæ doctoreſque ſignificat, quoniam pecuniam ſuam, fidem & doctrinam, & populum ſuum iſtis ad cuſtodiendum Deus tradidit. Et bene prius pecuniam F deinde vaſa commendat, quia ſine fide & doctrina, nemo animarum cuſtos eſſe debet. Hæc autem furto à cuſtodibus auferuntur, quoniam hæreticorum vel malignorum ſpirituum erroribus inſidiiſque decepti à Chriſti fide homines ſeparantur. Quoniam autem furum alij inueniuntur, alij vero omnino latent, ideo ſubditur. *Si inuenitur fur, duplum reddet?* hæretici enim inueniri poſſunt: Maligni vero ſpiritus, quia natura inuiſibiles ſunt, inueniri, & ad rationem cogi omnino non poſſunt. Duplum autem hæretici reddunt, quoniam ad fidem conuerſi, eos quoque quos deceperant, conuerti faciunt, inſuper, & pro commiſſis pœnitentiam agunt: Si vero in malitia perſeuerant, duplum tamen nihilominus reddunt: quoniam duplici contritione conteret eos Dominus. Sequitur: *Si latet, Dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quod non extenderit manum ad rem proximi ſui, ad perpetrandam fraudem tam in boue quam in aſino, & oue ac veſtimento, & quicquid damni inferri poteſt ad deos vtriuſque* G *cauſa perueniet, & ſi illi iudicauerint, duplum reſtituet proximo ſuo:* Vſque hodie namque videmus, ſi aliquis de populo male, & in graui facinore moriatur, totum crimen in Epiſcopum conuerti, illum homicidam eſſe illius culpa, & negligentia: illam animam periiſſe, & à Deo furatam clamant. Tunc Epiſcopus currat ad Deos, feſtinet ad Canones, audiat ſibi Apoſtolos Doctores, & ſanctos Patres loquentes & iudicia ponentes, ipſorumque iudicio ſi ſe defendere nequiuerit, damnum perſoluat. Sed quomodo ſe defendet niſi iuramento. Iuramentum autem propria conſcientia eſt. Vnuſquiſque enim ſua conſcientia quaſi iuramento defenditur. Vnde Apoſtolus ait: *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Si ergo tua conſcientia tibi dixerit, ſi hoc iurauerit, (iurat enim, ſi non mentitur) quod hominem illum ſæpe admonueris, ſæpe rogaueris, ſæpe docueris, vt à malo declinare, & ille tibi credere noluerit, conſcientia tua quidem defenderis, quod in te pro- H ximi fraudem non commiſeris; ſed numquid idcirco liberatus es? Apoſtolus enim dicit. *Sed non in hoc iuſtificatus ſum.* Poteſt autem fieri, vt per negligentiam peccauerit, qui fraudem non committit, expecta igitur iudicium, & quamuis conſcientia te defendat, tamen, ſi iudices iudicauerint, duplum reſtitue: duplum enim reſtituere, eſt, & de peccato pœnitentiam agere, & in futuro ne quid tale contingat, magnam vigilantiam & curam habere. In boue autem & aſino, & oue ac veſtimento, poteſt aliquid proprie & differenter intelligi, vt per bouem ſacerdotes, per aſinum ſtultos, per oues ſimplices, per veſtimentum, fidei ornamenta intelligamus.

Si quis commendauerit proximo ſuo aſinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nulluſque hoc viderit, iuſiurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui. Facile hoc capitulum intelligit, qui in ſuperiori non dormiuit. Hoc tantum notandum, quia in his, qui per ſe moriuntur, aut debilitantur, aut violenter ab hoſtibus auferuntur non tenentur cuſtodes, quoniam neque illi ab Epiſcopis requiruntur, qui ſine eorum

culpa

A culpa & negligẽtia pereunt. Exigitur tamen iuſiurandum, ſi nullus hoc viderit, qua conditione ſpirituales cuſtodes ſolui videntur, quis enim audeat dicere, quod nullus hoc viderit, cum ipſe Deus, & Dominus qui eis res ſitas ad cuſtodiendum, tradidit, quod factum eſt, viderit? ipſa enim veritas illis teſtis eſt, qui illi in hoc damno peccauerunt, & quoniam conſcientia defenduntur, conſcientiæ illorum teſtimonium ſuſcipitur, & illi reddere non coguntur. Hoc eſt enim quod ait. *Suſcipietque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogatur.* Quod ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum damno? furto enim ablatum ideo reſtituitur, quia negligentiam ibi fuiſſe aperte dinoſcitur; non enim furantur, quæ diligenter cuſtodiuntur. Si comeſtum à beſtia, perferet ad eum, quod occiſum eſt, & non reſtituet, & hoc quod non negligentia, ſed violentia perit: inimicus enim noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Occiſum autem ideo ad Dominum perfertur, vt videns cadauer, credat animal à beſtia eſſe comeſtum.
B Hoc autem ſi ſpiritualiter intelligatur, ſola Epiſcopi conſcientia perfertur, ſola conſcientia probatur, & ſoli conſcientiæ creditur.

Qui à proximo ſuo quicquam horum mutuum poſtulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit, Domino non præſente, reddere compelletur: Quod ſi in præſentiarum, fuerit Dominus, non reſtituet, maxime ſi conductum fuerit pro mercede operis ſui. Ideo enim non præſente Domino animal debilitatum aut mortuum à ſuſcipiente reſtituitur, quia ſine eius culpa debilitatum aut mortuum eſſe non creditur: Si vero Dominus præſens eſt, animal non redditur, quia ipſe cognouit quod ſine culpa ſuſcipientis debilitatum aut mortuum fuerit, quod quidem ex eo probari poteſt, quoniam ſi ille, qui animal mutuum accepit, præſente Domino illud occidiſſet, nihilominus quidem reddere compelleretur, quaſi abſente Domino hoc feciſſet. Vnde manifeſtum eſt, quia animalis reſtitutio pro ſola culpa & mala cuſtodia iubetur, vbi ergo non eſt culpa, nec reſtitutio. Hæc autem ideo dixi, quia hic
C noſter Dominus, à quo hæc animalia quæ cuſtodimus, mutua & conducta accepimus, quãuis ſemper in præſentiarum ſit, tamen ſine noſtra culpa, ſi aliqua ex eis debilitata aut mortua fuerint, nos tamen reddere non cõpeller.

Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam & habebit eam vxorem: Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt. Sunt ſeductores boni, & ſeductores mali. De bonis enim ſeductoribus Apoſtolus ait: Vt ſeductores, & veraces. Talis ſeductor Chriſtus fuit, de quo Iudæi dicebant: *Scimus quia ſeductor ille dixit adhuc viuens.* Et: *Alij quidem dicebant, quia bonus eſt: alij vero, non, ſed ſeducit turbas.* De malis vero quid attinet dicere? manifeſti enim ſunt. Bonus ergo ſeductor B. Petrus extitit, qui ad fidei iuſtitiæque amorem, Romanorum multitudinem conuertit: Inuenit enim hanc quaſi virginem vacantem, necdum deſponſatam, neque viro traditam, dormiuitque cum ea, & multos ex ea filios genuit. Cum ea namque tunc dor-
D miebat, quándo prædicationi inſiſtebat, & verbi ſemine filios generabat: poſtea vero dotauit eam fide, ſcientia, virtutibus, & Sancti Spiritus gratia eam corroborando, & habuit eam vxorem; quia & gener & dotes patri virginis placuerunt. Sequitur: *Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum quem virgines accipere conſueuerunt.* Si, inquam, talis ſeductor fuerit, qui patri virginis non placeat, quamuis eam ſeduxerit, corruperit & dotauerit, vxorem tamen eam habere non poterit. Simon namque magus Romanam plebem ſeduxit, violauit & corrupit, multiſque magicis illuſionibus, quaſi quibuſdam magnis dotibus ſuo amori copulauit; tamen, quia non ſolum patri huius virginis, ſed & cunctorum omnipotenti Deo diſplicuit, eam vtique vxorem habere non potuit. Pro dotibus tamen illicite maleque compoſitis, pecuniam & precium integrum reddidit, quia pro iniqua ſua præſumptione, æternis incendiis traditus eſt.

E *Maleficos non patieris viuere. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Qui immolat diis occidatur, præter Domino ſoli.* Quibus enim lex mortem corporis irrogat, eos, niſi pœniteant, morte perpetua damnandos eſſe ſignificat. Coire vero cum iumento, hæreticis & immundis commiſceri poteſt intelligi. Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum, aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti, hoc eſt enim quod dicitur: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.* Aduenæ enim illi ſunt, qui aliam patriam ſe habere intelligunt, ſicut Pſalmiſta qui ait: Quoniam aduena ego ſum apud te in terra & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Tales qui affligit, damnationem ſibi acquirit. Viduæ & pupillo non nocebis, ſi læſeris eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli. Quamuis enim ſuper omnibus viduis & pupillis valde pium ſit hoc intelligere, ego tamen hanc viduam[*]. Eccleſiam eſſe puto, de qua ſcriptum eſt: *Viduam eius benedicens bene-*
F *dicam.* Pupilli autem ſunt, quibus diabolus pater antiquus mortuus eſt, & qui ex aqua & Spiritu Sancto regenerati, facti ſunt filij Dei: hoc autem qui lædit, Deum iudicantem exſpectet. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgeas eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes.* Hoc autem auari fœneratores intelligant, quia hoc propter eos vtique ſcriptum eſt.

Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum redde ei: ipſum eſt enim ſolum a quo operietur indumentum carnis eius, nec habebit aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum. quia miſericors ſum. Illis ergo præcipitur veſtimentum reddi, qui tam pauperes ſunt, vt aliud quo operiantur, non habeant. Et in veſtimento quidem cætera intelligere poſſumus, quibus miſeri homines vitam ſuſtentant, quæ ſi eis auferantur, magnum eſt peccatum. Penuria namque conſtricti, non ſolum veſtimentum, ſed ſeipſos tradunt ſeruituti, &, quod adhuc durius eſt, ipſam quoque candidiſſimam fidei veſtem, quam in baptiſmate ſuſceperunt, & qua ſola ani-
G ma induitur, & ſine qua vnde nuditatem & turpitudinem tegant, non habent, neceſſitate compulſi, loco pignoris dare coguntur. Quam qui accipiant, niſi ante ſolis occaſum, id eſt, antequam ad diei, vitæque finem miſer homo perueniat, ei reddant, & à tali obligatione eum abſoluant, fraternam charitatem non habere probantur. Cum enim ille reddere precium nequeat, & tu propter auaritiam ei dimittere nolis, ſubito ille de hac vita ſubtrahitur, & tu pro illo exactori traderis. Hoc illi audiant qui eos quos iniuſte in carcerem clauſerant, tandem ad pecuniam deferendam in fide ſuſceptos abire permittunt: Cumque illi pecuniam habere non poſſint, & iterum ad carcerem reuerti timeant, vtique æternæ damnationis periculum incurrunt.

Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. Dij Apoſtoli Eccleſiæque Doctores ſunt, quibus illi quidem detrahunt, qui de eis male loquuntur, ſicut Iudæi & hæretici: Princeps autem populi noſtri Chriſtus eſt, cui qui maledixerit, maledictus erit.

H *Decimas tuas & primitias non tardabis offerre.* Decimas enim dare iubemur, quoniam ipſi decimæ ſumus. Nos enim ſumus dragma decima, pro qua inuenta mulier gratulatur: his enim decimis electorum numerus adimplebitur. Primitias vero; quoniam primogenita Ægypti & peccata originalia Dominus percuſſit. *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi*, primogenitus enim iſte Chriſtus eſt, de quo dicitur: Qui eſt primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ. Hunc autem Iſraël dono dedit; quoniam cum B. Maria de ipſius ſtirpe nata, in templo Domino obtulit. De bobus quoque & quibus ſimiliter facies, ſi enim per boues prælatos, per oues vero ſubiectos intelligimus, manifeſtum eſt, quia tota Eccleſia in bobus & ouibus conſiſtit: horum autem primogenita ſoli illi intelliguntur, qui ſanctorum fidem & exẽpla ſequuntur, quoniam inter omnes fratres hi primogeniti obtinent principatum. *Septẽ diebus ſit cum matre ſua, die octauo reddes illum mihi.* Per ſeptem namque, vt ſæpe iam diximus,

A omnis hæc præſens vita intelligitur, dies vero octauus quo Chriſtus reſurrexit, dies iudicij eſt, in quo & nos omnes reſurgemus. Vnde & pro octaua quidam pſalmi titulantur. Septem ergo diebus eſt primogenitus cum matre ſua, quia ſancti viri quoaduſque viuunt, ab Eccleſiæ vberibus non recedunt. Octauo vero die redduntur Domino, quia hac vita finita ſtatim poſt carnis reſurrectionem Domino præſentantur. *Viri ſancti eritis mihi: carnem, quæ à beſtiis fuerit prægustata, non comedetis, ſed proiicietis canibus*, quid enim per beſtias niſi hæreticos? Quid vero per carnem à beſtiis prægustatam, niſi vel ſcripturas ab eis deprauatas, vel peccatores ab eis corruptos intelligimus? Talem igitur carnem comedere non debemus, quia neque eorum dogmata recipere, neque his qui ab eis violati ſunt, communicare, ſed canibus & latratoribus, quales ipſi ſunt, proiicere debemus.

CAPVT XVIII.

B *NOn ſuſcipies vocem mendacij, nec iunges manum tuã, vt pro impio dicas falſum teſtimonium.* Prope enim ſimili modo peccat, & qui mentitur, & qui mentientes libenter audiens non redarguit. Manum autem iungit impio, qui eum ſequitur, vt falſum teſtimonium pro eo dicat. Quantum autem peccatum ſit falſum teſtimonium dicere, ex eo apparet, quod inter decem mandata hoc in tabulis lapideis à Domino ſcribitur.

Non ſequeris turbam ad faciendum malum. Sed quia multi ſunt, & eos retinere non vales, ſaltem eorum iniquitatibus auxilium & conſenſum præbere noli. *Nec in iudicio peſſimorum acquieſcens ſententiæ, à vero denies.* Non enim quia à multis falſitatis ſententia datur, ideo non peccat, qui eis acquieſcens à veritate deuiat. Pauperis quoque miſereberis in negotio, in omni enim negotio illis maxime miſericordia facienda eſt, qui plurimum miſericordia indigere videntur.

Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc, ad eum. Inimicus noſter eſt ſermo diuinus, qui ſemper C nobis, id eſt, carni noſtræ contraria præcipit; & quamuis hic noſter bonus inimicus carnem noſtram ſemper affligat, & perſequatur, tamen ſi eius bouem aut aſinum, id eſt doctum, vel indoctum aliquem errare viderimus, ad eum reducere debemus, quatenus eius ſalutifera mandata ſuſcipiant, & ab illius feris præſepibus non recedant. Carnem quoque noſtram quæ prius eius iugo quaſi bos ſubdita fuerat, & quaſi aſinus eius onus portauerat, ſi iam fatigatam fugere, & errare ſenſerimus, ad eum reducere, & quicquid nobis præceperit, ſiue ieiunare, ſiue vigilare, ſiue aliquid aliud agere iuſſerit, adimplere.

Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Alter alterius onera portate.* Aſinus ſub onere iacet, quando peccator pondere peccatorum premitur. Vnde Pſalmiſta ait. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Eſt ergo aſinus corpus humanum, hunc autem ſi te D odientis, & inimici tui fuerit, ſi ſub tali onere iacere videris, noli pertranſire, ſubleua cum eo adiuua eum, da ei conſilium & auxilium, quo tantum onus deponere valeat. Recordare illius Samaritani, qui hominem à latronibus vulneratum ſuo iumento ſuperpoſuit. Et quidem in ſaluatione animarum, nemo inimicitias vel odium attendere debet. *Non declinabis in iudicium pauperis*, ſed ſemper ſine perſonarum acceptione iudicabis.

Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Deus eſt qui loquitur, & qui mentiri non poteſt. Quicumque igitur excæcari, & ſubuerti non vult, libenter munera non recipiat. *Peregrino moleſtus non eris*, ſcitis enim aduenarum animas, quia & ipſi peregrini fuiſtis in terra Ægypti. Hoc autem ſuperius dictum eſt, ſed ideo hic repetit, vt firmius teneat.

Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius, anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui; & quicquid E *reliquum fuerit, comedent beſtiæ agri. Ita facies in vinea & in oliueto tuo. Sex diebus operaberis, ſeptima die ceſſabis, vt requieſcat bos, & aſinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.* Sæpe namque iam diximus, quod ſex anni, & ſex dies, & ſex ætates noſtræ operationis tempus ſignificent, quoniam in ſex diebus totum ſuum opus Deus peregit, & quia ſeptimo requieuit, id eſt, ſeptimus annus & ſeptimus dies pro requie ponitur, in quo & bos & aſinus, & ſeruus, & ancilla, & aduena in cœleſti Ieruſalem requiem habebunt: non quod hi, ſed quod horum ſignificata ibi habitabunt. Quid autem iſta ſignificent, prudens lector intelligit. Tunc enim adimplebitur quod ſcriptum eſt: *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Quod autem hic dicitur, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit comedent beſtiæ agri ad litteram tantũ intelligendũ eſt: Sex ergo annis terra noſtra, vinea & oliuetum exercetur, quoniam in hac præſenti F vita carnem noſtram debemus excolere, quatenus, & frumentum boni operis, & vinum quod lætificet cor hominis & oleum miſericordiæ & pietatis Deo fructificemur. Septimo autem anno requieſcit, quia poſt hanc vitam beatitudo, & requies ſequitur. Omnia, quæ dixi vobis, cuſtodite, & per nomen exterorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro: homines enim per ea iurare ſolent, quæ vel multum diligunt, vel in magna veneratione habent: vt ergo tales deos nec colant, nec venerentur, per eorum nomen iurare prohibentur.

Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabis. Tribus enim vicibus in vno anno feſta celebrat, qui in vnitate, & trinitate Deum adorat. Hoc autem Iudæus non intelligit, quia quamuis ter in anno feſta celebret, tamen Trinitatis myſterium non cognoſcit. *Solemnitatem azymorum cuſtodies, ſeptem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi tempore menſis nouorum, quando egreſſus es de Ægypto.* Hæc eſt autem prima feſtiuitas, quæ quando, vel qualiter celebrari debeat, ſatis diligenter ſuperius expoſuimus.

G *Non apparebit in conſpectu meo vacuus.* Illi enim ter in anno cum muneribus Domino præſentabantur, nos autem ante conſpectum & in præſentia Dei ſumus. Numquam vacuum & ſine muneribus eſſe oportet. Vnde Apoſtolus ait: *Sine intermiſſione orate in omnibus gratias agite*, qui enim ſic agit, neque vacuus eſt, neque ſine munere. Et ſolemnitatem primitiarum operis tui, quæcumque ſeueris in agro. Hæc autem ſecunda ſolemnitas tunc agebatur, quando primum metere incipientes, primitias Domino offerebant. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Et hæc quidem tertia ſolemnitas prima die menſis ſeptembris fiebat, de qua ſcriptum eſt: *Canite in initio menſis tuba, in die inſigni ſolemnitatis veſtræ.* Hic autem menſis ideo in exitu anni eſſe videtur, quoniam totius anni tunc frugibus collectis, iterum à principio homines ſeminare, & annum quodammodo renouare incipiunt. De his autem ſolemnitatibus, vita comite, in H Leuitico plura dicere ſperamus. *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo*, ſoli maſculi Domino præſentari iubentur, quoniam nihil fœmineum nihil molle, nihil voluptati, & luxuriæ deditum recipit, vel intuetur omnipotens.

Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ. Fermentum enim corruptionem & peccatum, malitiam, & peccatum, Apoſtolo teſte, ſignificat. Sanguinem vero victimæ Chriſti ſanguinem intelligimus. Præcepit ergo ſanguinem victimæ ſuper fermento non immolari, id eſt Chriſti ſanguinem ab iniquis, nec recipi, nec Sacrificari. Super fermento namque victimæ ſanguis immolatur, quoniam Chriſti ſanguis, vel ab iniquis ſacerdotibus conficitur, vel iniquis ad bibendum traditur.

Nec remanebit adeps ſolemnitatis meæ vſque mane. Omnis enim adeps Domini erat, ſemperq; in odore ſuauitatis ſuper altare incẽdebatur. De hoc enim adipe dicit pſalmus *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*

A Itemque : *Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui , & holocauſtum tuum pingue fiat.* Vt ergo holocauſtum pingue fiat, vt & guſtu, & odore Deum delectet , nunquam ſine adipe victima immoletur , nunquam ille qui immolat , adipis obliuiſcatur : noli eum ſeruare in alterum diem,quia ignoras ſi venies ad alterum diem ; hodie illum incende, hodie odorem ſuauitatis Domino redde, non ſit macra ſolemnitas, non ſit ſine adipe victima:hoc eſt enim victima ſine adipe , quod ſeruitium ſine fide. Apoſtolus enim dicit:*Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Quando ergo ſic immolas quando carnem maceras, non obliuiſcaris adipis , pingueſcat , & redoleat ſacrificium tuum. Frange eſurienti panem tuum,& egenos vagoſque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Hic enim eſt adeps,hæc eſt pinguedo tuæ ſolemnitatis,ſic pingueſcat ſacrificium, & ſic igne charitatis accendatur in odore ſuauitatis.

B *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Terra namque homo eſt,quia de terra factus eſt, cuius primitiæ,fides, ſpes, & charitas, dici poſſunt, quoniam de baptiſmate natus, has ante omnia fructificauit: ſine his autem in domum Domini offerre non poteſt. Si autem per terram, Eccleſiam intelligamus, primitiæ quidem Apoſtoli erunt, quos Chriſtus in domum patris deferens ait : *Pater,volo vt vbi ego ſum & ipſi ſint mecum.*

Non coques hædum in lacte matris ſuæ. Saluator enim noſter, per ſimilitudinem carnis peccati, hædus vocatur. Hunc autem cum adhuc ad Virginis matris vbera penderet, Herodes iniquus occidere voluit,cui nunc dicitur: *Non coques hædum in lacte matris ſuæ*,id eſt,non occides Chriſtum , cum adhuc lactens & paruulus eſt, ceſſa à ſtultitia tua , quia ſic à Domino præfinitum eſt.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via,& introducat ad locum quem paraui, obſerua eum & audi vocem eius ,nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris ; & eſt nomen meum in C *illo.* Ipſum enim, quem modo hædum dixerat,nunc Angelum appellat, de quo alibi ſcriptum eſt : *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator quem vos quæritis , & Angelus teſtamenti quem vos vultis.* Ideoque ait : *Et eſt nomen meum in illo.* Patris enim nomen in filio eſt,quoniam & filius,ſicut & pater,Deus eſt. Hic ergo Angelus à patre miſſus, nos præcedit & cuſtodit, & in æterna tabernacula introducit. De nobis enim iſta dicuntur, vt Apoſtolus ait : *Omnia hæc in figura contingebant illis*, hunc obſeruate , hunc audite , huic obedire debemus, quia non dimittet ei qui peccauerit, id eſt qui in peccato obſeruauerit. *Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor , inimicus ero inimicis tuis , & affligam affligentes te , præcedetque te Angelus meus , & introducam te ad Ammorræum, & Hethæum, & Pheretæum , Chananæum & Euæum , & Iebuſæum , quos ego conteram.* Per has enim gentes, vitia & maligni ſpiritus intelliguntur, quos Dominus contriuit, & de terra lacte & melle manante eiecit, & de Eccleſia ſpiritualium gra- D tiarum dulcedine abundante, expulit.

Non adorabis deos eorum, nec coles : non facies opera eorum , ſed deſtrues & confringes ſtatuas eorum. Si quis enim Sanctorum Martyrum paſſiones legerit , hoc eos feciſſe inueniet , quapropter & diuerſis tormentis ab impiis interfecti ſunt.

Seruietiſque Domino Deo veſtro , & benedicam panibus tuis & aquis , & auferam iniquitatem de medio tui. Ideo enim de medio noſtri , ideo de anima & corde noſtro, peccata & iniquitates auferuntur , quia panes verbi Dei quos edimus, & aquæ baptiſmatis quibus abluimur, efficaci benedictione à Domino benedicuntur.

Non erit infœcunda , nec ſterilis in terra tua. Primo namque homini dictum eſt : *Cum operatus fueris terram, non dabit fructum ſuum, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi :* nunc autem è contra , terræ noſtræ fœcunditas promittitur, quatenus & nos qui terra ſumus , ſpiritualibus donis ſemper abundantes, & de ſpiritu metamus vitam æternam. E Illa enim terra non eſt ſterilis, in qua virtutum ſegetes oriuntur & creſcunt. Numerum dierum tuorum implebo. Scriptum eſt enim : *Quia viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos* , quoniam neque hic tantum viuunt , quantum ſe viuere ſperant , & ad æternæ beatitudinis dies non perueniunt. Sanctorum vero dies implebuntur, quoniam ſecundum prædeſtinationem ; qui ante ſæcula prædeſtinati ſunt, viuent in æternum.

Terrorem meum mittam in præcurſum tuum , & occidam omnem populum ad quem ingredieris ; Populi enim illi quos illi vincebant,vitia & peccata,quæ & nos vincimus, ſignificabant, & quidem tanto hæc pugna fortior eſt, quanto & inimici ſunt fortiores;fortiores quidem,quia inuiſibiles:Cunctorũque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones primus qui fugabunt Euæum, Chananæum , & Ethæum , antequam introeas. Quamuis enim per crabrones & veſpas aliqua pars illius terræ à ſuis habitatoribus derelicta fuiſſe intelligi poſſit , tamen maior pars , magnis & duris præliis ſuperata eſt. F *Non ejiciam eos à facie tua anno vno , ne terra in ſolitudinem redigatur,& creſcant contra te beſtiæ ; paulatim expellam eos de conſpectu tuo , donec augearis & poſſideas terram.* Hæc autem nos quidem iuxta litteram intelligimus,quæ ſi ocioſus aliquis allegorice expoſuerit , non contradicimus.

Ponam autem terminos tuos à mari rubro,vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto, vſque ad fluuium : tradam in manibus veſtris habitatores terræ , & ejiciam eos de conſpectu veſtro. Per hos enim quatuor terminos , quatuor mundi partes intelligi poſſunt , ex quibus gentium diis, & malignis ſpiritibus expulſis ſancta Eccleſia iam nunc ad eas in pace ſub Chriſto Duce tenet ac poſſidet. Vnde ſcriptum eſt : *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum ; Hoc autem Iudæi non audierunt. Nos autem nec gentium ritus , nec gentium Deos colentes vnum Deum colentes adoramus , qui ait: *Dominum Deum tuum adorabis , & illi ſoli ſeruies:Non* G *habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, ſi ſeruieritis diis eorum , qui tibi certe erunt in ſcandalum.* Propter hoc enim Iudæi ſæpe in captiuitatem ducti quantum ſcandali, ſuſtinuerint , ipſi nouerint. Nos quoque quia has gentes, vitia intelligimus , quorum vtique dij ſunt maligni ſpiritus, non permittamus ea habitare in terra noſtra, ejiciamus ea de carne noſtra, ne & nos diis ſuis ſeruire compellant, & in magnæ tentationis ſcandalum inducant. Donec enim in terra noſtra vitia inhabitant,eorum inſidias euitare non poſſumus, ideoque Apoſtolus ait ; *Non igitur regnet peccatum in veſtro mortali corpore.*

CAPVT XXIV.

M*Oyſi quoque dixit : Aſcende ad Dominum , tu & Aaron , Nadab & Abiu & ſeptuaginta ſenes ex Iſraël, & adorabitis procul : ſolumque Moyſes aſcendet ad Dominum & illi non appropinquabit , nec populus aſcendet cum eo.* H Moyſes enim legiſlator & Dei populi mediator,mediatorem Dei & hominum Ieſum Chriſtum ſignificat,vtriuſque teſtamenti datorem. Aaron vero,qui, mons fortis, interpretatur , Apoſtoli ſunt, de quibus dicitur, *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Nadab vero interpretatur ſpontaneus, per quem Martyres figurantur, qui ſua ſponte morti ſe pro Chriſto tradiderunt ; At vero Abiu, qui interpretatur, Pater meus eſt,ſignificat Epiſcopos & ſacerdotes, qui quaſi patres,cæteros in baptiſmate generant. Vnde Apoſtolus Corinthiis ait;*In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Septuaginta vero ſenes, ſeptuaginta Chriſti diſcipuli accipiuntur. Omnes autem iſti ad Dominum aſcendere , & procul adorare iubentur , ſolus tamen Moyſes ad Dominum aſcendens ei appropinquat , quoniam *nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit , filius hominis qui eſt in cœlo.* Solus enim filius propinquat Patri , ſolus ſedet ad dexteram Patris : Nemo enim nouit Patrem niſi filius,

A & cui voluerit filius reuelare. Aſcendit ergo vnus, aſcendunt & omnes, quoniam per vnum aſcendunt omnes: Solus tamen aſcendit, quia nemo cum eo, vel ad illius ſimilitudinem, vnquam aſcendit. *Venit ergo Moyſes, poſtquam cum Domino locutus eſt, & narrauit plebi omnia verba Domini atque iudicia. Reſpondiſque cunctus populus vna voce: Omnia verba Domini quæ locutus eſt, faciemus.* Nunquam enim Dominus, qualis fuit vel erit, ſed qualis eſt, hominem iudicat. Videbat enim hos quales futuri erant, recipiebat tamen eos quales tunc erant apud Deum, non quales poſtea erant futuri.

Scripſit autem Moyſes vniuerſos ſermones Domini, & mane conſurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël. Miſitque iuuenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Ideo enim Moyſes vniuerſos ſermones ſcripſit, vt temporis longitudine obliuioni non traderentur. Et quoniam in morte teſtatoris teſtamentum confirmatur, hic autem B teſtator mori non poterat, aliquid fieri neceſſe erat, quo teſtamentum iſtud confirmaretur. Confirmatum eſt ergo ſanguine vitulorum, donec, veniret ille qui per vitulos ſignificabatur. Vnde Apoſtolus ait: *Vbi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt: Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Mane ergo conſurgens Moyſes ædificauit altare ad radices montis*, quoniam & Iudæi, qui nunc per Moyſen ſignificantur, primo mane ſuper montem Caluariæ ad radices Ieruſalem & montis Sion Chriſto Domino crucem præparauerunt: altare enim crucem ſignificat. In hoc enim altari Chriſtus Dominus immolatus eſt. Sed quia nulla duodecim tribuum de Chriſti morte ſe excuſare valet, ideo duodecim vituli per duodecim tribus immolantur. Et quamuis vnus fuerit vitulus, quoniam vnus immolatus eſt Chriſtus, tamen quia vnaquæque tribus, immo vnuſquiſque homo tenetur in integrum, ideo duodecim vitulos Moyſes immolari præcepit. C Et quidem vnus Chriſtus crucifixus eſt, vnuſquiſque tamen qui eius morti conſentiens interfecit, totius Chriſti homicida eſt: & quamuis inter omnes occiderint Chriſtum, vnuſquiſque tamen occidit Chriſtum. Poſſumus autem & per duodecim vitulos, duodecim Apoſtolos intelligere, qui in Chriſti paſſione contriſtati & ſcandalizati, & quodammodo immolati ſunt. Vnde Apoſtolus: *Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & omnes mortui ſunt: Sed pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui & viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Et vnus ergo vitulus fuit, quantum ad immolatum, & duodecim fuerunt, immo multo plures quam duodecim, quantum ad compatientes vel occidentes. *Miſſi ſunt autem iuuenes de filiis Iſraël*, per quos omnes Iudæos intelligimus Chriſti morti conſentientes. *Et obtulerunt holocauſta, immolaueruntque pacificas Domino*, quibus & Deus mundo, & inter ſe totus pacatus eſt mundus. Sed quas victimas? *vitulos duodecim*, vnuſquiſque enim vnum vitulum immolauit, quia D quicunque Chriſti morti auxilium præbuit, Chriſti morti in integrum reus habetur.

Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis & miſit in craterem, partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Hunc enim ſanguinem Eccleſia bibit: hic ad totius populi emundationem vbique gentium fuſus eſt. Partem vero quam ſuper altare fudit, illam Chriſti ſanguinis partem intelligimus, quæ de ipſius manibus & pedibus manans crucis lignum cruentauit. *Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo. Qui dixerunt: Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum & ait: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his*, poſtquam enim populus legem ſibi datam audiuit, & fœdus quod cum eo Deus pepigerat, intellexit, promiſitque ſe & legem tenere, & fœdus ſeruare, confeſtim Moyſes aſſumens ſanguinem & ſpargens in populum, confirmauit teſtamentum dicens: E *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Hoc enim & Chriſtus fecit, qui nouum teſtamentum confirmans calicem accipiens ait: *Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Totum enim quod Moyſes agebat, hoc, quod Chriſtus poſtea peregit, ſignificabat.

Aſcenderunt Moyſes & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël, & viderunt Deum Iſraël, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Saphyri, & quaſi cœlum cum ſerenum eſt. Quod enim Moyſes confirmato teſtamento ſimul cum ſenioribus Iſraël ad videndum Deum aſcendit, ſignificatio erat, quod immolato agno & Chriſti ſanguine fuſo, nouoque teſtamento confirmato cœli porta aperitur, & Ieſus ſacerdos magnus Sancta Sanctorum ingreditur, & in cœleſti palatio ab hominibus Deus videtur: *Vbi enim fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Erat autem ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Saphyri*, Saphyrus enim, cœli ſereni habet colorem. F Vnde & ſubditur; *Et quaſi cœlum cum ſerenum eſt.* Qui igitur ad Deum accedere, Deum videre, Dei pedibus appropinquare deſiderat, fuget tenebras, pellat nubes, eiiciat animi perturbationes, ſit totus tranquillus, totus ſerenus, cœlo ſimilis, terræ diſſimilis, quatenus totus clarus & purus Angelorum conſortia mereatur. Sequitur: *Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſraël miſit manum ſuam*, longe enim à peccatoribus ſalus, & qui Deum fugiunt, & funibus peccatorum diſtracti procul ab eo recedunt, eius protectione indigni fiunt. *Videruntque Deum, & comederunt ac biberunt*, Deus enim qui natura inuiſibilis eſt, ſe quodammodo videri permittit, dum qualicumque ſimilitudine potentiam ſuam demonſtrat. Vnde ſuperius in rubo ardente ſe Moyſes eum vidiſſe teſtatur. Quod autem iſti comederint ac biberint, niſi de ſupradicto ſacrificio intelligatur ſcire non poſſum. Sanctorum vero & Deum videntium cibi & potus, ſummi boni contemplatio eſt.

G *Dixit autem Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in montem & eſto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ ſcripſi, vt doceas filios Iſraël.* Quicunque Dominum videre, alloqui & audire deſiderat, aſcendat in montem, propinquet cœlo, & totus à terrenis cupiditatibus eleuetur. Hoc enim Moyſes, toties in montem aſcendens, ſignificabat. Quod vero filij Iſraël legem & mandata in lapidibus ſcripta ſuſcipiunt, eorum duritiam & incredulitatem demonſtrat; lapides enim erant, ideo dura mandata in lapidibus efformata ſuſcipere meruerunt. *Surrexeruntque Moyſes & Ioſue miniſter eius, aſcendenſque Moyſes montem ſenioribus ait: Exſpectate hic donec reuertamur ad vos, habetis Aaron & Vr vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos*, aſcendens enim Moyſes in montem, reliquit pro ſe Vicarios, qui lites, quæſtiones, & diſcordias vice ſua in populo diffinirent.

Cumque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Synai, tegens illum nube ſex diebus: Septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. H Moyſes enim hoc in loco Apoſtolos & Doctores, mons vero Synai, montem Sion, id eſt Sanctam Eccleſiam ſignificat, vt enim Moyſes in monte Synai, ita Apoſtoli & Doctores in monte Sion legem ſuſceperunt. Nubes vero quæ montem operit, eſt omnis ſcientiæ & ſapientiæ plenitudo, quæ ſuper Eccleſiam deſcendit & pluit. *Habitauit autem gloria Domini ſuper Synai tegens illum nube ſex diebus*; quoniam virtus miraculorum & gratia Sancti Spiritus vſque ad ſæculi conſummationem Eccleſiam non relinquit, ſecundum illud quod Dominus ait; *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, ſex enim dies, vt iam ſæpe diximus, totam hanc laborioſam vitam ſignificant. *Septimo autem die vocauit Dominus Moyſen de medio caliginis*, quia finitis huius vitæ laboribus & diebus, de hoc mundo tenebris & caligine pleno, fideles ſuos ad ſe Dominus vocabit.

Erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens

ſuper

A *ſuper verticem montis in conſpectu filiorum Iſraël.* Illud enim eſt gloria Domini, in quocunque glorificatur Dominus. Si enim videns ignem glorifices Dominum, gloria Domini eſt ignis. Similiter autem Sol, Luna, & Stellæ gloria Domini ſunt, quoniam in eis glorificatur Dominus,& ad hunc modum cætera. *Ingreſſuſque Moyſes medium nubula, aſcendit in montem,& fuit ibi 40. diebus & quadraginta noctibus.* Nõ immerito quidem vetus teſtamentum obſcurum & profundũ eſt,ſiquidem in nebula & caligine datum eſt,illa enim nebula prætendebat hanc obſcuritatẽ,quam nos modo ſentimus. Et quia nos quoquo modo nebulam & profundiorem huius libri caliginem intrare incipimus. Omnipotentem Dominum deprecemur, qui lucem habitat inacceſſibilem, vt ea quæ Moyſi in caligine dedit, nobis in luce reuelare dignetur. Illud quoque non vacat à myſterio, quod in 40. diebus lex data eſt; quadragenarius etenim numerus, ex quatuor & decem conſtat, quater enim decem, vel decies quater quadraginta ſunt; In decem ergo vetus, in
B quatuor vero nouum teſtamentum accipias, quoniam ambo teſtamenta vnum ſunt, & alterum in altero datum, & ſine altero alterum eſſe non poteſt, ſicut in quadraginta, quatuor, & decem ſine ſe eſſe non poſſunt: Vtrumque enim teſtamentum, nouum fit, ſi ſpiritualiter intelligamus.

CAPVT XXV.

LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: *Loquere filiis Iſraël: vt tollant mihi primitias ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs,hiacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & biſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelles hiacynthinas, & ligna Sethim, & oleum ad luminaria concinnanda, aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris, lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod ac Rationale.* Præcipit enim Dominus Moyſi, vt eorum primitias & oblationes ad tabernaculi vſum ſuſcipiat, qui
C ſponte & voluntarie Domino offerant. Nullam enim oblationem diligit Deus, niſi eam quæ cum affectu animi & deſiderio offertur. Hæc ſunt autem prima munera quæ filij Iſraël Domino obtulerunt; vnde & primitiæ non immerito vocantur. *Hæc ſunt* inquit, *quæ accipere debetis: Aurum & argentum & æs*, aurum enim pro ſapientia ponitur. Vnde ſcriptum eſt: *Deſiderabilis theſaurus requieſcit in ore ſapientis.* Et Apoſtolus: *Habemus* inquit, *theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: Argentum autem, eloquij puritatem deſignat. Vnde Pſalmiſta ait: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum*: Æs vero, quia præ cæteris metallis clarius ſonat, facundiam & eloquentiam ſignificat. Vnde Apoſtolus: *Si linguis*, ait, *hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Aurum igitur, argentum, & æs ſimul ad tabernaculi ædificium deferuntur; quoniam ſa-
D pientia ſine veritate & eloquentia, mala & inutilis eſt. Ideoque de ſapientibus ſine veritate ſcriptum eſt: Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciunt. De mutis quoque & infacundis ſapientibus dicitur: *Canes muti, non valentes latrare.* Et illud: *Qui abſcondit frumentum, maledicitur in populis.* Itemque: *Sapientia occulta, & theſaurus abſconditus,quæ vtilitas in vtriſque?* Habet igitur Dei tabernaculum aurum, id eſt ſapientiam; habet & argentum,id eſt eloquij puritatem: habet & æs, id eſt eloquentiæ facunditatem. Tale ergo ædificium,talem decet habere materiam. Sequitur: *Hiacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & biſſum.* Hæc autem & Ioſephus exponens, quatuor elementa ſignificare dixit, volens per hiacinthum, qui aërei coloris eſt, aërem ſignificare: per purpuram vero, aquam, quia ex piſcium ſanguine tingitur, qui & de aqua oriuntur, & in aqua verſantur: Coccum vero, quoniam penitus ardentis & ſanguinei coloris eſt, ignem ſignificare voluit: Biſſum vero terram, quoniam de terra oritur. Per

E hoc nimirum ſignificare volens, quoniam Dei tabernaculi, homines ipſi materia ſunt, & ſicut ex his quatuor elementis conſtituitur homo, ita ex hominibus Dei tabernaculum conſtituitur. Aliter autem per has quatuor res nobiliſſimas, quatuor virtutes principales intelliguntur, in quibus cæteræ omnes virtutes continentur, & ſine quibus vanæ & inutiles eſſe probantur, ſunt autem hæ, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Hiacinthus igitur, qui cœleſtem & diuinum colorem habet, prudentiam ſignificat, quæ de cœleſtibus à Deo deſcendit, ſecundum illud, Omnis ſapientia à Domino Deo eſt. Purpura vero,qua Reges & Principes induuntur, iuſtitiam deſignat. Vnde & his qui purpura induti ſunt, dicitur: *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* Per coccum vero, qui ſanguinei coloris eſt, fortitudo ſignatur, qua Sancti Martyres vſque ad ſanguinem pugnantes, in Chriſti fide fortiſſimi extiterunt: At vero per biſſum qui de terra oritur, temperantia intelligitur, quoniam ſicut
F terra omnium elementorum media eſt, & in ſe omnia recipit elementa, ita & temperantia inter omnes virtutes media diſcurrit, omneſque conciliat atque coniungit. Hæc autem in Dei ædificio poſita ſeſe reſpiciant, & ſibi viciſſim decorem & pulchritudinem ſubminiſtrent: aurum ad argentum inſpiciat, & ſapiens ſine puritate eloquij non loquatur; argentum reſpiciat aurum,& ſine ſapientia ipſum quoque quod purum & verum eſt, non dicatur. Non enim quod verum eſt, dicere idoneum & vtile eſt, & non magis mentiri quam verum dicere aliquando nocet; Aurum quoque & argentum, æs intueantur, vt nec ſapientia nec veritas ſit ocioſa, ocioſa quidem eſt, ſi non dicatur, ſi non proferatur, ſi æris vociſque ſono non audiatur: Æs quoque aurum & argentum attendant, & quia facundus & eloquens eſt,ſine ſapientia & veritate ſilentium habeat. Similiter autem prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia, quæ per hiacinthum, purpuram,coccum & biſſum intelliguntur, ſic conſentiant, ſeque viciſſim ſequantur, quoniam vna quælibet earum ſine cæteris inutilis eſt. Sapiens
G enim erat Salomon, ſed quia fortitudine caruit, à mulieribus victus eſt. Ozias Rex iuſtus, quia temperantiam non habuit, ab hoſtibus interfectus eſt. Fortiſſimus inter omnes fuit Sanſon, ſed ſapientiæ pauper, oculos amiſit. Sed quid de temperantia dicam, quæ niſi aliarum auxilio muniatur,facilè Deum & veritatem negare compellit; ipſa tamen cæterarum eſt condimentum, atque ſine ea omnes aliæ vanæ & ſtultæ eſſe videntur. Cætera videamus.

Pelles caprarum & pelles arietum rubricatas, pelles hiacinthinas & ligna Sethim. Hæc quoque ad tabernaculi conſtructionem offerri iubentur. Offerunt ergo pilos caprarum, vt peccatoribus ad pœnitentiam venientibus, non deſint cilicia quibus induantur; Offerunt autem & pelles arietum rubricatas, vt & Martyres inueniant indumentum, Offerunt & pelles hiacinthinas, quibus peccatores quique induti ſola cœleſtia contemplentur. Sed quid per ligna Sethim, quæ fortia & im-
H putribilia eſſe perhibentur, niſi viros ſanctos intelligimus, qui quoniam per fidem vicerunt regna, æternas adepti ſunt repromiſſiones. Bene autem Sethim ſpinas interpretatur; ſiquidem viri ſancti per multas tribulationes intrant in regna cœlorum. Sethim autem locus eſt, de quo in libro Numeri dicitur; Morabatur autem eo tempore Iſraël in Sethim. Cætera autem quæ ſequuntur,ſuo loco exponenda relinquimus. Nunc autem quod inſtat, dicamus.

Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum eius, ſicque facietis illud. Sanctuarium, totum tabernaculum dicit, quod ad eam ſimilitudinem fieri iubet, quæ Moyſi in monte monſtratur. Non ſolum enim verbis narrata, ſed ſpirituali quadam viſione hæc Moyſi à Domino fuiſſe reuelata, non incongruè dici poteſt. Totum autem tabernaculum in duo diuiditur, in ſancta videlicet, & ſancta ſanctorum. Vnde Apoſtolus: Tabernaculum, inquit,

A ſanctum eſt primum in quo erat candelabrum,& menſa, & propoſitio panum, quod dicitur ſancta : poſt velamentum autem, ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam Teſtamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti. Hæc autem ideo præmiſi, vt de arca locuti, facilius quid ſignificent, intelligamus.

Arcam de lignis Sethim compingite, cuius longitudo habeat duos ſemis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo ſimiliter cubitum, & ſemiſſem, & deaurabis eam auro puriſſimo intus & foris. Quid enim per hanc arcam niſi Eccleſiam Catholicam intelligamus? non autem hanc quæ in hoc mundo adhuc degens, multas iniurias patitur, immo illam quæ cœli velamentum tranſgreſſa iam habitat & moratur in Sancta Sanctorum. De qua Apoſtolus ait : *Illa autem Ieruſalem quæ ſurſum eſt, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* De hac autem arca & B Ioannes Apoſtolus ait : *Et apertum eſt templum Domini in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius.* Hæc autem arca compingitur atque conſtruitur de lignis Sethim, id eſt de lignis fortibus & imputribilibus, de lignis ſpinarum, de quibus Chriſtus coronatur. Chriſti namque corona, Sancti ſunt, quoniam pro ipſis & certauit, & vicit & coronatus eſt. Omnis autem huius arcæ dimenſio aliquid imperfectionis habere videtur, quoniam & in longitudine & in latitudine dimidium poſuit, in altitudine vero ſemiſſem, hoc autem ideo fit, quia illa nobilis, & cœleſtis arca nondum perfecta eſt, neque vſque ad ſæculi conſummationem proficietur, quotidie enim aliqui ædificantur in ea, quotidie deferentibus Angelis lapides id eſt ſanctorum animæ illuc aſcendunt, ex quibus eius muri ædificantur. Vnde Pſalmiſta ait. *Benigne fac in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.* Vnde & ſanctorum animabus à Domino dicitur, Adhuc ſuſtinere modicum tempus donec impleatur numerus fratrum veſtrorum. Non C enim perfectam beatitudinem habent ſancti, donec animabus corporibus coniunctis, tota ſimul Sanctorum multitudo ſuper cœlos eleuetur. Et tunc quidem omnibus perfectis, nihil erit, in quo hæc arca creſcat, nihil erit in quo minui timeat : nihil tunc habebit dimidium: quia cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. Deauratur autem auro puriſſimo intus, & foris, quia ſapientiæ nitorem quam interius habet, foris quoque prædicando monſtrauit. Qui enim ſibi datam ſapientiam celant, illi intus, & non foris ſunt deaurati. Cum enim Apoſtolus dicit. *Sapientiam loquimur inter perfectos :* tunc intus & foris ſe deauratum eſſe ſignificat.

Faci ſque ſuper Coronam, auream per circuitum. Quid eſt enim quod hæc arca tota per circuitum coronatur, niſi quia Sanctorum multitudo, quæ per hanc arcam ſignificatur, iam bello peracto, & ſuperatis inimicis pro victoria, & triumpho à Deo eſt coronata? Nemo enim ait Apoſtolus : *coronatur, niſi qui legitime certauerit.* D Iremque. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Coronatur ergo tota arca, coronatur, & vnuſquiſque qui eſt in arca, quoniam, & ſinguli proprias, & omnes ſimul vnam habent coronam, *Facies, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos, duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero,* quatuor circuli, quatuor ſunt virtutes principales, ſine quibus hæc arca, nec moueri, nec portari poteſt. Ponuntur autem per quatuor arcæ angulos, vt hinc habeat prudentiam inde iuſtitiam, hinc fortitudinem, inde temperantiam. Quatuor quoque Euangelia, per quatuor circulos intelliguntur : quæ quoniam ſapientiæ fulgore rutilant, non immerito auro comparantur, horum autem prædicatione hæc arca conſtruitur, leuatur, & portatur. *Facies quoque vectes de lignis Sethim, & operies eos auro, inducesque per circulos, qui ſint in arcæ lateribus, vt portetur in eis; qui ſemper in circulis erunt,* E *nec vnquam extrahentur ab eis.* Quid enim per vectes niſi Doctores? hi autem ſunt de lignis Sethin, vtpote fortes, æterni, & indeficientes. Qui ideo auro operti dicuntur, quoniam ſapientiæ luce præfulgent. Inducuntur autem, per circulos aureos, vt arca portetur in eis, quoniam Euangeliorum ſententiis inuoluti ad arcam ſubleuandam, debent ſemper eſſe parati. Vnde & in circulis ſemper eſſe,& nunquam ab eis extrahi recte iubentur, vt quoties arcam eleuari neceſſe fuerit,nulla in eis mora inueniatur. Arcam enim eleuare, eſt Sanctorum virtutes, triumphos, gloriam,& honorem,& beatitudinem verbis extollere,& prædicare. Arcam enim Apoſtolus leuabat cum diceret. *Quæ oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Chriſtus quoque non ſolum eam leuabat, ſed etiam ſuper cœlos exaltabat, quando dicebat. *Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram,*& reliqua. Non ergo ſeparentur vectes à circulis, non recedant Doctores ab F Euangeliis, ſemper præſto ſint, ſemper ad arcam ferendam, & Euangelium prædicandum ſint parati; vt valeant reddere rationem de quibuſcumque fuerint interrogati, ne forte tunc circulos quærant & non inueniant,quando eis reſpondere & arcam eleuare neceſſe fuerit.

Poniſque in arcam teſtificationem quam dabo tibi: Hanc autem teſtificationem, legem intellige, quam in duabus tabulis lapideis Dominus ſcripſit. Hæc autem in arca poſita eſt, quoniam Sanctorum cordibus tradita eſt. Et bene lex in arca clauditur : Euangelium autem circa arcam per quatuor angulos ponitur, quoniam legis ritus, & cerimoniæ abſconditæ iacent : Euangeliorum vero præcepta per quatuor mundi partes diffunduntur & prædicantur. Erat autem in hac arca, vt Apoſtolus ait, *Vrna aurea habens manna,* per quod Chriſtum intelligimus, omnis ſapientiæ, & ſcientiæ dulcedine plenum. Erat ibi, & Virga Aaron, quæ fronduerat,id eſt, Virgo Maria,quæ arida, & ſine ſemine peperit filium.

G *Facies & Propitiatorium de auro mundiſſimo, duos cubitos & dimidium habebit longitudo eius, ſemiſſem, & cubitum latitudo.* Propitiatorium, oraculum vocat, quo arca tegebatur. Merito autem arca Dei ſanctarum animarum, & beatorum collegio Propitiatorium tegitur, quoniam Dei clementiam, & propitiationem ſuper ſe ſemper intuentes, non ſolum, quæ petunt, & orant, verum & quæcumque deſiderant adipiſcuntur : nihil enim aliud velle poſſunt, niſi quod Dominum velle cognoſcunt : etſi igitur aliquid deſiderant, ſic illud deſiderant, vt à Dei voluntate non recedant. Eſt & Propitiatorium de auro mundiſſimo; quoniam tam ſapienter propitiatur Deus,vt ſua propitiatione nunquam fallatur, quoniam niſi pœnitenti nulli vnquam propitiatur. At vero homines illis propitij ſunt, quibus propitij eſſe non deberent.Et quoniam nec ſemper,nec omnibus propitiatur Deus, ideo in Propitiatorij quoque dimenſione imperfectum aliquid, ſemiſſem videlicet & dimidium poſuit.

H *Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi, & Cherub vnus ſit in latere vno oraculi, & alter in altero:vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum.* Quid enim per duos Cherubin, niſi duo teſtamenta intelligere debemus? Interpretatur enim Cherubin ſcientiæ plenitudo,at vero ſcientiæ plenitudo in his duobus continetur. Qui bene aurei, & productiles eſſe dicuntur:quoniam & ſapientia fulgent,& non ſine magno labore in cordis incude formari poſſunt, eſt autem Cherub vnus in latere vno oraculi,& alter in altero,quoniam niſi per eos,nemo ad oraculum venire poteſt:nemo enim Deum propitium inueniet, niſi prius ab his fidei documenta ſuſcipiat, hoc enim prius etiam quã ſcriberentur Abraham, & cæteros Patriarchas docuerunt,omnis enim Diuina ſapientia hinc manauit. Tegunt autem vtrũque latus propitiatorij, quatenus ipſũ propitiatoriũ & quæcũque ſub eo ſunt, id eſt arca, & vectes,Eccleſia,& Doctores,ſapientia,& ſcientia repleantur,& videntes eorum alas,volare diſcãt,quoniam

in pennis eorum ſanitas eſt, omneſque eorum ſententiæ, homines ad cœleſtia ferunt: his enim alis volant, his ad corda hominum dilabuntur.

Reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi, inde præcipiam & loquar ad te, ſuper propitiatorio ſcilicet ac medio duorum Cherubin, qui erunt ſuper arca teſtimonij, cuncta quæ mandabo te filiis Iſraël. Quod Cherubin ſe mutuo reſpiciunt, amborum teſtamentorum amicitiam, & concordiam ſignificat, idem enim ambo teſtantur, & dicunt. Habent autem vultus verſos in propitiatorium quo tegitur arca, quatenus ab omnibus videantur & cognoſcantur, nulluſque in arca & Sanctorum congregatione ſit, qui eorum faciem extraneam & incognitam habeat. Hoc autem illi audiant qui ſacras ſcripturas meditari negligunt, vt enim de aliis taceam, ipſi quoque Pontifices Cherubin iſtos aliquando non cognoſcunt: & quamvis ad eos vt cognoſcant, vultus conuertant, ipſi tamen eos videre deſpiciunt. In hac autem arca, vt ſuperius dixerat, teſtimonium ponere iubetur, per quod tabulæ teſtamenti intelliguntur, quatenus ſancta Eccleſia nunquam legis ſibi datæ obliuiſcatur, & quoniam duo ſunt teſtamenta, vetus videlicet & nouum, ideo bis in arcam teſtamenti ponere iuſſit. Sequitur, *Inde præcipiam, & loquar ad te*, id eſt, ſi quando tibi loquar, ſi quæ filiis Iſraël, per te mandauero, ibi me quæras, ibi me inuenies, inde tibi loquar; vnde? ſuper propitiatorio; & de medio duorum Cherubin. Qui ergo vult loqui cum Deo? veniat ad Cherubin, currat ad ſcripturarum teſtamenta, ibique Dominum, & loquentem & propitiantem inueniet. Vis enim in Cherub Dominum loquentem audire? *Ego* inquit *ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti. Non habebis Deos alienos abſque me.* Et in nouo: *Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Sic igitur loquitur Deus de medio Cherubin.

Facies, & menſam de lignis Sethim habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem, & inaurabis eam auro mundiſſimo. Poſt arcæ fabricationem, menſam Moyſes facere iubetur, quæ quidem idipſum ſignificat, quod modo Cherubin ſignificare diximus. Menſa enim, in hoc loco Diuina ſcriptura intelligitur de qua menſa ſcriptum eſt: *Paraſti in conſpectu meo menſam.* Itemque. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Diuina namque ſcriptura & Cherubin dicitur, quoniam omnis ſcientiæ eſt plenitudo, & quibuſdam velocibus alis ſubito volans omnia replet; & menſa vocatur, quia multis diuerſiſque deliciis animam paſcit. Fit autem hæc menſa de lignis Sethim, quæ fortia quidem, & imputribilia ſunt, per quod Diuinam ſcripturam æternam & indeficientem eſſe demonſtrat. Eſt autem menſa iſta, & in longitudine, & in latitudine perfecta, & ſine diminutione, quoniam neque in longitudine, neque in latitudine ſemiſſem habet, in altitudine vero habet ſemiſſem: vnde & imperfecta in altitudine eſſe videtur: ad ſemiſſem namque vt cubitus perficiatur, ſemper addere aliquid neceſſe eſt: cubitus autem nihil indiget. Et bene quidem in longitudine & latitudine diminutionis hæc menſa nihil habet, quoniam vſque ad ſæculi conſummationem, quæ eſt eius longitudo, cunctis ad eam venientibus, ſpiritualem cibum ſufficienter miniſtrabit: In latitudine quoque, quam per vniuerſos mundi terminos dilatat, nihil habens diminutionis abundanter reficit omnes: at vero cum in altum ſe extendit, vt de ſuperioribus loquatur, quoniam de Deo & de vnitate, & Trinitate, qualiter etiam Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat, non ad plenum inſtruere, & ſatiare non valet, magnam in altitudine diminutionem hæc menſa habere videtur. Beatus enim Paulus in altitudinem captus; quædam ſe audiſſe dicit, quæ ſuper hanc menſam ponere non audet? *Audiuit*, inquit, enim, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quæ enim loqui, non licet, nec ſcribere licet: quæ vero ſcribere non licet, ſuper hanc menſam non ponuntur. Eſt enim hæc menſa diuina ſcriptura. Patet igitur, quantum diminutionis hæc menſa in altitudine habeat, eſt enim auro mundiſſimo inaurata, quoniam ſinceriſſimo ſapientiæ, & ſcientiæ nitore tota refulget. Sequitur.

Facieſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam alteram coronam aureolam. Quid eſt enim quod huic menſæ labium fieri iubetur, nunquid ipſa locutura eſt, & dictura: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam?* Ipſa certè hoc dicit, quoniam quicumque hoc dicit, per eam dicit, immo ipſa non per ſe, ſed per alios hoc dicit: illi ergo ſunt huius labia, per quos, hæc dicit. Vos quidem, vos Apoſtoli huius menſæ labia eſtis: Vos labia aurea in circuitu eius omnes eius delicias deuoratis. Tu labium aureum Beate Paule, qui dicis, vis audire quid? Sapientiam loquimur inter perfectos. Verè vtique hoc labium aureum eſt. Et illud quidem labium aureum eſt à quo dicitur: *In principio erat verbum.* Quid eſt hoc quod dicere volui? Omnes enim Apoſtoli labia aurea ſunt. Indulge mihi Deus, indulge, qui pollutis labiis, de labiis aureis loqui præſumo. Et ipſi quoque labio fecit coronam interraſilem, altam quatuor digitis. Non ergo menſa, ſed labium coronatur. Quis enim Regum: ſicut Apoſtoli dignus vnquam fuit corona? Quis tot hoſtes vicit? Quis tot Regna ſuperauit, quis toties de ſuis aduerſariis triumphauit? De hac enim corona certus, Apoſtolus dicebat. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Habet igitur labium coronam interraſilem, ſculptam, & variatam, multoque artificio compoſitam, quoniam per multos labores victoriæ palmas, & coronas Apoſtoli ſuſceperunt. Hæc autem corona quatuor digitis alta eſſe dicitur, quoniam quatuor mundi partibus ſuperatis, hanc ſui ſanguinis pretio Apoſtoli mercati ſunt. Ergo, iuxta Regnorum menſuram creuit, & quantitas coronæ. Nam & mundi Principes quot Regna vincebant, tot ſibi diademata antiquitus imponere ſolebant. *Fecit autem & alteram coronam aureolam ſuper illam.* Primam ergo coronam habent, quia mundum vicerunt: ſecundam vero, quia vitia ſuperauerunt. Sic ergo Apoſtoli, Eccleſiæque Doctores, duas merentur habere coronas: vnam pro eis quos ad fidem conuertunt, de qua Apoſtolus ait: *Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi:* Alteram vero, pro vitiis, & malignis ſpiritibus ſuperatis, qua quidem Chriſti Confeſſores coronantur.

Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiuſdem menſæ per ſingulos pedes. Subter corona erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari. Quid vero quatuor circuli aurei, & quid vectes ſignificent, in arcæ conſtructione ſuperius dictum eſt. Quatuor enim circuli, quatuor ſunt virtutes Principales: vectes autem Epiſcopi, & Doctores. Sunt autem iſti circuli in quatuor Angulis, vt omnibus ad menſam venientibus primi occurrant: Huius etenim menſæ cibis ille indignus eſt, qui per hos circulos intrare non vult. Hæc eſt enim illa anguſta porta de qua dicitur; *Intrate per anguſtam portam*, quæ ducit ad vitam. Qui ergo his circulis non tenetur, qui prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam non cuſtodit, huius ſe menſæ facit indignum. Per hos ergo circulos tranſeant vectes, his virtutibus catenati, & connexi teneantur Epiſcopi, & Doctores, nunquam ab eis recedant, nunquam prudentiæ, nunquam iuſtitiæ, nunquam fortitudinis, nunquam temperantiæ obliuiſcantur. His enim vectibus portatur menſa, quoniam ab Epiſcopis ſpiritualis alimoniæ cibaria deferentibus, nutritur populus, quod autem circuli ponantur ſubter coronam, hoc eſt intelligere, quod omnes quicunque circulis adhærent, digni ſunt qui coronari debeant. Sequitur, *Ipſos quoque vectes facies de lignis Sethim, & circumdabis auro, ad ſubuehendam menſam.* Beati Epiſcopi ſi hoc intelligant, ſi ſe ligna Sethim, ligna fortia & incorruptibilia eſſe cognoſcant, ſi auro

A circundati, & virtutum nitore, & ſapientiæ & ſcientiæ luce præfulgeant.

Parabis & acetabula, ac phialas thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo: quid nos peccatores faciemus ad libamina offerenda vocati, cum de auro puriſſimo Deus omnia hæc fieri præcipiat? per hoc enim minores gradus Eccleſiæ intelligimus. Omnia enim hæc vaſa miniſterij ſunt, in quibus ſacrificium offerebatur. Vult igitur Deus noſter quod ait: Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum, vt non ſolum Epiſcopi verum, & Diaconos, & Subdiaconos, & cæteri Eccleſiæ & altaris miniſtri, & doctrina, & vita refulgeant.

Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. Ego panes iſtos omnia ſanctarum ſcripturarum volumina intelligo. Tot enim ſunt panes, quot & volumina. Quinque enim panes Moyſes in hanc menſam, B poſuit, & quidem, ineffabilis ſaporis, & pulchritudinis. Chriſtus autem, quamvis omnes poſuerit, (*ipſe eſt panis viuus, qui de cœlo deſcendit*, tamen quatuor principales obtulit; quibus nullæ deliciæ comparari poſſunt. Poſuit autem & Iſaias, & Ieremias, omneſque Prophetæ. Poſuit, & Beatus Paulus panes ſuos, quos quales ſint non eſt neceſſe laudare. Sed quis omnes enumerare valeant, qui ad hanc menſam panes detulerunt? Et adhuc quidem ſuper hanc menſam panes ponuntur. Idem enim ait. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Non enim ſine cauſa additum eſt, ſemper, quod enim ſemper fit omni tempore fit. Ego autem quia ſuper hanc menſam panes ponere dignus non ſum, precor te Domine Ieſu, vt ſaltem, de his qui poſiti ſunt, cordis ventrem mihi adimplere concedas. Hæc autem de menſa dicta ſufficiant, nunc de candelabro videamus.

Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile eius, & calamos, ſciphos, & ſphærulas ac lilia ex C *ipſo procedentia. Sex calami egredientur de lateribus tres ex vno latere, & tres ex altero. Tres ſciphi quaſi in modum nucis per calamos ſingulos, ſphærulaque ſimiliter & lilium, & tres ſimiliter ſciphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulaque & lilium. Hoc erit opus ſex calamorum, qui producendi ſunt de haſtili. In ipſo autem candelabro erunt quatuor ſciphi in nucis modum ſphærulaque per ſingulos & lilia: ſphærula ſub duobus calamis, per tria loca, qui ſimul ſex fiunt, procedentes de haſtile vno, & ſphærula igitur, & calami ex ipſo erunt, vniuerſa ductilia de auro puriſſimo. Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum vt luceant ex aduerſo.* Totum candelabrum poſuimus, vt prius ad litteram eius forma dignoſcatur, & qualiter factum fuerit intelligatur. Haſtile enim eius vſque ad ſummum continuum erat, in quo per quatuor loca quatuor ſciphi in modum nucis erant, quos fortaſsè nos modo dicere poſſumus. Super D quos ſphærulæ, id eſt rotulæ quædam erant, atque ſuper ipſas rotulas erant lilia per quatuor loca. Erantque tres calami ex vno latere haſtilis, & tres ex altero, qui ſimul ſex fiunt. Sub calamis autem erant ſphærulæ per tria loca, ibi videlicet vbi cum haſtili calami iungebantur. Similiter autem & calami, ſicut haſtile, per tria loca tres ſciphos in modum nucis habebant, & ſuper ſciphos ſphærulas, & ſuper ſphærulas lilia. Septem autem lucernæ deſuper erant, vna in haſtili, & ſex in calamis. Non enim putandum eſt, quod ad inanem viſum paſcendum, ſed ad magnum ſacramentum inſinuandum tam artificioſum & mirabile candelabrum Dominus per Moyſen fieri iuſſit. Hoc enim Candelabrum Chriſtus eſt, qui ait: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Quod quidem merito fit de auro puriſſimo, quia Chriſtus Dominus noſter Dei virtus, & Dei ſapientia, totus mundus & purus ſine omni vitiorum contagione, peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Haſtile autem huius candelabri, corpus Dominicum intelligimus. Calami vero de hoc haſtili procedentes, & ſeptem lucernæ ſuper eos ardentes: ſe- E ptem ſunt gratiæ Spiritus ſancti, quibus Saluator noſter repletus eſt. Vnde per Prophetam dicitur. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Hæ ſunt ergo ſeptem lucernæ, quæ ſuper candelabrum poſitæ lucent ex aduerſo quidem, quia, ſicut in ſequentibus dicetur, contra menſam ex alia parte candelabrum poſitum erat: tota enim menſa his lucernis illuminatur, omniſque locus tenebroſus eſt quem iſtæ lucernæ non illuſtrant. Quatuor vero ſciphi erant in haſtili, per quos quatuor Euangelia intelligimus, quorum tota integra, & perfecta ſcientia continetur in pectore Saluatoris, ſiquidem & inde manauerunt. Bene autem Euangelia ſciphis comparantur, quoniam ipſis propinantibus & fidei vinum vbique fundentibus totus mundus ex eis repletus & inebriatus eſt. Poſuit autem & F quatuor ſphærulas ſuper ſciphos, quoniam vnumquodque Euangelium totum portat, & ſuſtinet mundum: ſphærulæ enim totius mundi rotunditatem, & ambitum ſignificant: & quamvis vnus tantummodo ſit mundus, tamen quia quatuor ſunt Euangelia quibus tenetur & regitur, vnicuique Euangelio totus in integrum mundo aſcribitur: Et quidem non immerito, quia vnumquodque Euangelium per ſe vniuerſo mundo ſufficeret ad fidem, doctrinam, & ſalutem. Quamvis per quatuor ſphærulas, quatuor mundi partes. Oriens videlicet, & Occidens, Septentrio, & Meridies non incongruè intelligi poſſint, vt vnicuique Euangelio vna mundi pars aſcribatur, & ita ſit, vt ſinguli ſciphi ſuas proprias ſphæras habeant. Reſtat autem vt de liliis dicamus. Sicut enim ſinguli ſciphi ſingulas ſphæras ita & ſingulæ ſphæræ ſingula lilia ſuper ſe habent. Sed quid per lilia, niſi virtutum flores, & bonum operum odores, & candidatum Sanctorum exercitum intelligimus? Hæc autem li- G lia tunc primum ſuper Sphæras apparuerunt, quando ſciphi Euangelicæ prædicationis mundum irrorare, & infundere cœperunt. Et merito quidem tali aqua terra irrorata tales fructus germinare, & parere cœpit. Erant autem & tres aliæ ſphærulæ ſub calamis, ibi videlicet vbi calami cum haſtili iungebantur. Et ego quidem ſuperiorem ſphæram Epiſcoporum chorum eſſe puto, quæ ſphæra quoniam lucernis propior erat, maioribus Sacramentis Epiſcopos illuſtrari, & plus luminis, & intelligentiæ eos ſuſcipere ſignificabat. Secunda vero Sphæra, chorus Sacerdotum & aliorum gradium intelligatur qui quidem & ſub Epiſcopis eſt, & non tantum ad luminis claritatem accedit. Tertia vero laicorum omnium, qui non ſolum Epiſcopis, verum etiam cunctis ordinibus Eccleſiaſticis inferiores ſunt, quod autem omnes iſtæ ſphærulæ, calamis ſuperpoſitis adhærebant, omnes Eccleſiæ ordines aliquid gratiarum Sancti ſpiritus participare demonſtrat. Deſcriptis ergo omnibus, quæ H ad candelabri haſtile pertinebant, nunc de eius calamis videamus. Habebat enim vnuſquiſque calamus tres ſchyphos, totidemque ſphærulas, & lilia. Tres enim ſciphi tres ſpecies ſapientiæ ſunt, Phyſica, id eſt naturalis. Ethica, id eſt moralis. Logica, id eſt rationalis. Ex his enim tribus ſapientiæ partibus quaſi ex tribus ſciphis, immo quaſi ex tribus fluminibus omnis ſapientia decurrit, his totus mundus potatur & inebriatur. Hos ergo tres ſchyphos vnuſquiſque calamus, ideſt, vnaquæque gratia Spiritus Sancti habet, quoniam quemcumque Spiritus Sancti gratia tetigerit, omnis ſcientiæ plenitudine eum replere valet, portat enim ſecum hos ſcyphos quibus omnes ſatiat ſitientes. Vnde ipſa veritas ait: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aqua viuæ.* Quod Euangeliſta ſubſequitur exponens ait: *Hoc autem dicebat de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Tres ergo ſcyphi calamis adhærent, quoniam omnis ſapientia à Domino Deo eſt: & ſine gratia Sancti ſpiritus haberi non poteſt. Ipſe etiam iniquis dat ſapientiam, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. De ſphærulis autem & liliis, idipſum quod ſupra intelligatur.

A Vt ergo breuiter intelligatur. Candelabrum, eſt corpus Chriſti: quatuor ſcyphi, quatuor Euangelia: Sphærula vero, vel mundus, vel eius poteſtas, quæ circuit totum mundum: Lilium autem eius Diuinitas, vel virtutum odores? Septem vero lucernæ, ſeptem gratiæ Spiritus ſancti. Sequitur.

Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta ſunt, extinguantur, fiant de auro mundiſſimo. Niſi enim hæ lucernæ in quibuſdam pigrè, & tardè arderent, emunctoriis vtique non indigerent. Ad hoc enim emunctoria lucernis adhibentur, vt melius luceant. Eſt enim aliquis in Eccleſia, cui ſpiritus Sapientiæ datus eſt, qui ſi forte in prædicatione & doctrina piger eſt, eius lucerna emunctorio indiget, vt clarius luceat. Emunctorium autem charitas eſt, qui enim hanc habent otioſi eſſe non poſſunt, ſecundum illud. *Charitas Dei vrget nos.* Hæc ergo emendat, & emungit lucernas pigrè & tardè ardentes, & ipſa pigritiam, & tarditatem quam ab eis tollit, in vaſis ad hoc præparans extinguit & interimit, quatenus, vel ſic omnis lucernæ
B obſcuritas penitus deleatur. Ego quidem hæc vaſa (ſi tamen vaſa dici debent, non enim nomen eius impoſitum eſt) curam, & ſollicitudinem eſſe puto, quam qui habet, pigritiam, & tarditatem in ſe penitus extinxit, qui quoniam ſemper ſollicitus eſt, nunquam eius lucerna obſcuratur. Talis enim erat Apoſtolus, qui ait: *Præter ea, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Iſte enim ſic clarè ardebat, & lucebat, vt emunctorio non indigeret.

Omne pondus candelabri cum vniuerſis vaſis ſuis, habebit talentum auri mundiſſimi. Septies autem decem, vel decies ſepties, ſeptuaginta fiunt. Septem ergo gratias Spiritus ſancti non ſolum in lucernis, verum etiam in ipſo pondere poſſidet hoc candelabrum. Vnde & corpus Domini cum operante Spiritu Sancto credimus fabricatum, ipſumque Saluatorem noſtrum, & Spiritum Sanctum eiuſdem confitemur eſſe ponderis, & æqualitatis. Sequitur. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, attentum eum reddit, & vt dili-
C genter inſpiciat, admonet, quoniam magna ſunt quæ hic apparent, multoque maiora quæ latent. His autem ita compoſitis; ad tabernaculum fabricandum iam nunc cum tentamentis Sancti ſpiritus accedamus.

CAPVT XXVI.

Tabernaculum vero ita facies. Decem cortinas de byſſo retorta, & hiacintho, & purpura coccoque bis tincto variatas opere plumario facies. Quid iſta ſignificent, iam ſuperius diximus. Per hæc enim quatuor elementa, & quatuor virtutes principales ſignificantur. Byſſus enim, quia de terra oritur, terram deſignat. Hiacinthus autem, quia coloris aërei eſt pro aëre ponitur: Purpura vero, qui piſcium ſanguine tingitur, aquam demonſtrat, quoniam & piſces de aqua naſcuntur. Coccus vero, quia igniti, & rubei coloris eſt, pro igne accipitur. Quoniam igitur ex his quatuor elementis homines conſtant, tota harum cortinarum materies, homines ſunt. Si enim Ec-
D cleſiæ parietes ex hominibus conſtruuntur; quare & cortinæ tabernaculi ex hominibus non texantur? Idem enim eſt & Eccleſia, & Tabernaculum. Sint ergo fila in cortinis, quæ in Eccleſiæ parietibus lapides vocantur. Tot hæ ſunt autem cortinæ, ex quibus hoc tabernaculum, id eſt Sancta Eccleſia conſtituitur, quot ſunt gentium nationes? Quæ quidem ideo decem eſſe dicuntur, quoniam denarius numerus omnes in ſe numeros continet; idem ergo eſt decem, quod omnes. Has autem cortinas Apoſtoli texuerunt. Vnde Doctor gentium Beatus Paulus de arte ſcenofactoria viuebat. Tot enim cortinas texuerunt Apoſtoli, quot gentes vel ciuitates ad Dominum conuerterunt. Ponebant igitur Apoſtoli byſſum retortam in cortinis, quando terram, id eſt terrenos & peccatores à mundi voluptatibus ad Chriſti amorem & fidem retorquebant. Ponebant, & hiacinthum, quando ſola cœleſtia contemplari, & diligere, hominibus ſuadebant. Ponebant, & purpuram, quando ad Baptiſmi gratiam eos vocabant: Ponebant, & coccum, quando vt igne ſpiritus flagrarent, & Deum & proximum diligerent, eos admonebant. Ideo enim coccus bis tingitur, quia charitas, & ignis amoris, & ad Deum & ad proximum accenſus extenditur. Si enim ſolum Deum diligas, ſemel tinctus es, ſi ſolum proximum, ſemel tinctus es, ſi vero Deum, & proximum diligas, & coccus es, & bis tinctus es: coccus quidem, quia igne amoris ardes: bis tinctus vero, quia duplici amore rubeſcis. Fiunt autem hæ cortinæ opere plumario; quatenus & ipſæ volare valeant, & omnes eas intuentes volare doceant. Hic enim hæ cortinæ fiunt, ſed hic diutius manere non debent. Sument enim pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient. E

Longitudo vnius cortinæ habebit viginti octo cubitos, latitudo quatuor cubitorum erit. Vnius menſuræ fient vniuerſa tentoria. Cur enim 28. cubitorum eſt cortinarum longitudo, niſi quia in viginti octo vtrumque teſtamentum duplicatur? bis namque decem, & bis quatuor, viginti octo fiunt; Duplicatur autem vtrumque teſtamentum, quando prius ſecundum litteram, deinde vero ſpiritualiter intelligitur. Merito igitur cortinarum longitudo F eſt viginti, & octo cubitorum, quatenus vnaquæque pars Eccleſiæ tantum extendatur, donec, & ſecundum litteram, & ſpiritualiter vtrumque teſtamentum exponatur? vtrumque non ſuſcipere, cortina eſſe non poteſt omnes enim cortinæ vnius menſuræ ſunt. Omnis igitur gens omnis ſecta, omnis anima, quæ vtrumque teſtamentum non recipit, ad vtrumque amplexandum ſe non extendit, & vtrumque dupliciter intelligendum eſſe non credit, in Eccleſiæ cortinis nequaquam intexetur. Latitudo autem cortinarum eſt: quatuor cubitorum, quoniam & lex & prophetæ in quatuor Euangelia coarctantur. Verbum enim abbreuiatum fecit Deus ſuper terram. Qui igitur omnia intelligere non valet, ſaltem quatuor cubitis ſe extendat, & Euangelij breuitatem intelligat.

Quinque cortinæ ſibi iungentur mutuo, & aliæ quinque nexu ſimili cohærebunt. Quod in duas partes cortinæ diuiduntur, duos Eccleſiæ parietes ſignificat: vnum ex circumciſione, alterum ex præputio venientem. Vnde & la- G pis angularis Chriſtus vocatur, duo in ſe coniungens parietes, Iudæos ſcilicet, & Gentiles. Coniunguntur autem cortinæ ad inuicem, per quod ſanctorum pacem, concordiam, & charitatem intelligamus.

Anſulas quoque hiacinthinas in lateribus & ſummitatibus facies cortinarum, vt poſſint inuicem copulari. Quinquagenas anſulas cortina habebit in vtraque parte ita inſertas, vt anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit aptari. Dixit enim vt quinque cortinæ ſibi mutuo iungerentur, quomodo autem iungi debeant, inſinuat. Habebat enim vnaquæque cortina per longum quinquaginta anſulas ex vtraque parte, quibus alteri cortinæ iuxta poſitæ coniungerentur. Erant autem hæ anſulæ hiacinthinæ, id eſt, cœleſtis & aërei coloris, per quas virtutes intelligimus, quæ vtique non terrenam ſed cœleſtem habent originem, nullam enim virtutem niſi inde venientem habemus. His anſulis iunguntur cortinæ, his ſibi inuicem copulantur. Si ergo homo quicunque es, cortina eſſe cupis, ſuſcipe has anſulas, vt alteri cortinæ tibi ſimi- H li copuleris. Si quis huius tabernaculi non deſiderat eſſe cortina: aut ſi cortina eſſe non valet, ſit ſaltem filum, ſit ſaltem vnaquælibet eius particula. Quicquid autem eſt, quia in cortina eſt, anſulam habeat, etſi non omnes, vel vnam, vel duas. Optima anſula fides eſt, ſine qua nullæ cortinæ iunguntur. Hanc enim quia Iudæus non habet, mihi non coniungitur, non enim eſt Iudæo in eo anſula, cui mea anſula copuletur. Similiter autem & hæreticus, quia hanc anſulam non habebat, Chriſtiano non iungitur: quæ enim, vt Apoſtolus ait: *pars fideli cum infideli, quæ ſocietas lucis ad tenebras, quæ conuentio Chriſti ad Belial.* Nam & charitas anſula eſt, & talis anſula, vt ex ea cortinæ copulatæ ex integro ſeparari nequeant. Sunt autem & multæ aliæ anſulæ, vt Iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia, pax, patientia, humilitas benignitas, manſuetudo, largitas, continentia, caſtitas, concordia. Sed quis eas omnes enumerare valeat? Hæ autem

A anſulæ contra ſe veniunt ſe oſculantur, ſe amplexantur, ſe tenent, quando iuſtus iuſtum, prudens prudentem, fortis fortem, modeſtus modeſtum, patiens patientem, humilis humilem, benignus benignum, manſuetus manſuetum, miſericors miſericordem diligit, & charitatis vlnis amplectitur. Has enim anſulas ſi mundi amatores habuiſſent, ſe vtique non odiſſent, non perſequerentur non occiderent & flagellarent, neque tantis ieiuniis alter alterum prouocaret: vnde eos aut in Eccleſiæ cortinis non eſſe, aut ſine anſulis eſſe manifeſtum eſt. Cum enim in vna ſanctorum congregatione plures homines ita ſibi conſentientes, & charitatis vinculo colligatos videas, vt non plures ſed vnus homo eſſe putatur, nonne conſideras quomodo hæ anſulæ ſibi occurrant, ſeque viciſſim teneant. Inde enim in actibus Apoſtolorum dicitur. *Quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.*

B *Facies, & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela iungenda ſunt, vt vnum tabernaculum fiat.* Quomodo enim quinque cortinæ in vna parte, & quinque aliæ in altera iungerentur, dictum eſt. Reſtat ergo dicere, quomodo hæ duæ partes ſibi inuicem iungantur, vt vnum ex eis tabernaculum fiat, ſitque vnum ouile, & vnus paſtor. Itaque inquit; *Circulos aureos facies, quibus cortinarum vela*, id eſt ambæ partes mutuo coniungantur. Superius enim anſas hiacinthinas, hic autem circulos aureos fieri præcipit, quoniam & Iudæi viciſſim inter ſe, & Chriſtiani viciſſim inter ſe, virtutum vinculis teneri poſſunt. Iudæi autem & Chriſtiani, niſi circulis aureis iungi non poſſunt. Circuli enim aurei, vtriuſque teſtamenti libri intelliguntur, qui quare aurei dicantur, ſæpe dictum eſt: his autem Iudæi & Chriſtiani iunguntur, quoniam vnam fidem prædicant, vnum Deum confitentur, & ab vno dati ſunt omnes: non enim crederem Iudæis, niſi Euangelij lex conueniret: non nobis crederent Iudæi, C niſi legi Euangelia concordarent. Quia ergo & noui & veteris teſtamenti omnes inter ſe libri concordant, ideo hæc duo vela: id eſt, circumciſio & præputium ſibi iunguntur. Dum enim libri vtriuſque teſtamenti quaſi quidam circuli concordia quædam & conuenientia ſibi occurrunt, Iudæos, & Chriſtianos in vna fide ligant & ſociant: nam ipſe quoque numerus circulorum numero conuenit librorum, ſunt enim quadraginta, & duo libri veteris teſtamenti: noui vero ſex, quibus Epiſtolæ Pauli, & Epiſtolæ Canonicæ quæ in duobus voluminibus continentur, iungantur, omnes libri quinquaginta fient. Liber enim Ruth, ſicut Hieronymus dicit, in libro Iudicum computatur: & Eſdra, & Neemias, in vno volumine coarctantur: Merito igitur quinquaginta ſunt circuli, ſiquidem, & libri ſunt quinquaginta. Et hæc quidem de cortinis dicta ſufficiant. Nunc de ſagis videamus.

Facies, & ſaga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo ſagi vnius habebit triginta cubitos, D *& latitudo quatuor. Æqua erit menſura ſagorum omnium.* Sicut enim per cortinas viros doctos, & religioſos; ita per ſaga cilicina ſæculares, & peccatores intelligimus; in illis enim hiacinthus, purpura, coccus, & byſſus refulgens: in his autem aſperi, hirſuti & pungentes pili caprarum horrent, quoniam virtutibus decorantur, iſti vero vitiis, & peccatis deturpantur. Et plura quidem ſunt ſaga quam cortinæ, inſuper etiam & longiora, quoniam peccatores & plures ſunt, quam iuſti, & magis diuitiis & honoribus ſublimati. Vnde ipſa Veritas ait: *Quoniam multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Hæ tamen tectum operiunt, hæc à grandinis & pluuiorum iniuriis tabernaculum defendunt, quoniam ſi Monachi & Sacerdotes omnes eſſemus facile à Saracenis & latronibus Eccleſia conculcaretur. Vide pro Regibus, & cæteris qui in ſublimitate poſiti ſunt, orare Apoſtolus iubet: & membra contemptibilia magis neceſſaria eſſe dicit. Quod vero cortinæ, & ſaga in latitudine æqualia ſunt, id eſt quatuor cubitorum, omnes iuſtos & iniuſtos eandem quatuor Euangeliorum fidem tenere demonſtrat. Sequitur.

E quibus quinque iunges ſeorſim, & ſex ſibi mutua copulabis: ita vt ſextum ſagum in fronte tecti duplices. Facies, & quinquaginta anſas in hora ſagi vnius, vt coniungi cum altero queat, & quinquaginta anſas in hora ſagi alterius, vt cum altero copuletur. E Sicut enim cortinæ, ita & ſaga copulantur, earum igitur expoſitio hic quoque ſufficiat. Sextum autem ſagum quod cortinis ſuperabundat medium duplicatur in fronte tecti, & medium operit poſteriora tabernaculi: non quod vnum ſagum ſic diuidatur, alioquin totum tabernaculũ vno ſago tegeretur, ſed quia vnum ſagum ideo additum eſt, vt & cortinæ omnes ſagis operiantur. Anſæ autem, & in ſagis & in cortinis idem ſignificant. Duæ vero ſagorum partes, duo Eccleſiæ parietes ſunt, de quibus iam diximus. Coniunguntur autem hæ duæ partes quinquaginta fibulis æneis, ſicut & duæ partes cortinarum quinquaginta circulis aureis, idem ſunt circuli aurei quod fibulæ æneæ, ſignificant enim, vt diximus quinquaginta libros vtriuſque teſtamenti. Sed in F cortinis coniungendis aurei ſunt, quia Doctores ibi & Religioſos viros coniungunt: hic autem ænei, quia indoctos & peccatores vniunt, qui non tantum ad aurum & ſapientiam quæ in eis fulget, quantum ad æs & ſonantem litteram, & ſimplicem hiſtoriam attendunt, de quibus ſubditur: Quinquaginta fibulas æneas facies, quibus iungantur anſæ, vt vnum ex omnibus operimentum fiat, ſitque in his vnum ouile, vnus paſtor.

Quod autem ſuperfuerit in ſagis, quæ præparantur tecto, id eſt vnum ſagum quod amplius eſt ex medietate eius operies poſteriora tabernaculi, & cubitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera, qui plus eſt in ſagorum longitudine vtrumque latus tabernaculi protegens. Quod ſaga, & in fronte tabernaculi, & in poſterioribus, & in vtraque parte à cortinis ſic abundant ſignificatio eſt, quod & in principio Eccleſiæ, & in eius vltima conſummatione, & modo quamdiu in hoc mundo verſatur, ſemper mali plures ſunt quam boni; tamen quia ſagum & in fronte tabernaculi duplicatur, & poſteriora tegit, maiori in principio, G & fine ſanctam Eccleſiam protectione indigere ſignificat, quoniam & in principio maiorem tribulationem paſſa eſt, & maiorem in fine paſſura eſt. De prima namque eius perſecutione Dominus ait. *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* De vltima autem ſic, *Erit enim tunc tribulatio talis, qualis non fuit ab initio ſæculi, vſque nunc, neque fiet.* Hæc autem de ſagis dicta ſint.

Facies, & operimentum aliud, tecto de pellibus arietum rubricatis, & ſuper hoc rurſum aliud operimentum de hiacinthinis pellibus. Tria enim operimenta habuit tabernaculum, id eſt ſancta Eccleſia: primum cilicinum, ſecundum pelles rubras, tertium pelles hiacinthinas. Quoniam enim peccatoribus ad pœnitentiam conuerſis cilicium conuenit, ideo cilicium pœnitentes ſignificat, quia vero proprio ſanguine Martyres rubricantur, ideo pelles rubricatæ Martyres indicant. At vero hiacinthus, quia cilicum & aereum colorem habet, ideo quidem pro H cœlo ponitur. Quoniam igitur peccatoribus ad fidem conuerſis ſtatim in ipſo fidei initio pœnitentia iniungebatur, non immerito primum eorum operimentum, cilicium erat: ſed cum quidam eorum ſtatim ſuſcepta pœnitentia, prius etiam quam baptizari potuiſſent, ad ſupplicium tracti decollabantur, quid aliud iſti quam pelles rubricatas poſt cilicium induebant? At vero quia mox in rubricatis pellibus corpus inuolutum relinquens, cœli ſecreta anima penetrabat. Tertium quidem operimentum pelles hiacinthinas ſuſcipiebat. Sic igitur primum indumentum pœnitentia, & cilicium: ſecundum Martyrium: Tertium cœlum. His autem breuiter expoſitis de tabulis videamus.

Facies & tabulas ſtantes ante Tabernaculum de lignis Setim, quæ ſingulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine ſingulos ac ſeſquiſſem. Per tabulas, ſicut in ſequentibus apertiſſimè oſtendetur, omnes noui, & veteris teſtamenti libri ſignificantur: quot enim ſunt tabulæ tot ſunt & libri. Stant autem ante tabernaculum, vt ſemper ab his, qui in tabernaculo ſunt, Videantur, quoniam ſacræ legis volumina ſemper ante oculos habere debemus. Fiunt vero hæ tabulæ de lignis Sethin,

quod

A quod ſpina interpretatur, quoniam Sanctorum librorum ſententiæ ſemper pungunt, & redarguunt peccatores. Habent autem denos cubitos in longitudine, quia decem præcepta legis nos docent, & obſeruare ad monent. Neque enim plus longitudinis habere potuerunt: quoniam in illius decem veſtris totius legis plenitudo continetur, quæ qui obſeruauerit, nihil ei deerit ad perfectionem. Habent autem cubitum & dimidium in latitudine, quoniam vnuſquiſque liber imperfectus eſt quantum ad ſe, & vt eius dimidius cubitus compleri valeat, alterius indiget ſupplemento, vnde & ſe viciſſim in teſtimonium vocant. Nam ipſa quoque Euangelia multis in locis lege, & Prophetis confirmantur. O quoties Beatus Paulus in huius tabulæ, quam nunc deauramus expoſitione neceſſarius eſt. Tabulis ergo tabulæ iungantur, omneſque medij & imperfecti cubi aliorum coniunctione compleantur, vnde & ſubditur. In lateribus tabulæ duæ incaſtraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectetur. Quaſi enim per incaſtraturam inter ſe ta- B bulæ connectuntur, quoniam ſacra volumina tam concorditer quibuſdam in locis ſibi conueniunt, vt idem penitus dicere videantur.

Quarum viginti erunt in latere meridiano qui vergit ad auſtrum, quibus quadraginta baſes argenteas, fundes, vt bina baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubjiciantur. Quadraginta namque, & duo ſunt omnes libri veteris teſtamenti, ſi quidem Ruth in Iudicum, & Neemias in Eſdra libro computatur. Noui vero teſtamenti ſunt libri ſex: quatuor videlicet Euangelia, actus Apoſtolorum, & Apocalypſis: cæteri vero non libri, ſed epiſtolæ vocantur. Omnes ergo libri vtriuſque teſtamenti ſunt quadraginta & octo; totidem autem ſunt & tabulæ quibus clauditur tabernaculum. Vide igitur quam conuenienter libri per tabulas intelliguntur. Viginti ergo tabulæ ponuntur in latere meridiano: quatenus denario numero duplicato, totam legem dupliciter intelligendum eſſe ſciamus, vt prius ſecundum litteram, deinde vero C ſpiritualiter totam legem exponamus. Si enim hoc ſolum Iudæi intellexiſſent, hodie non Iudæi ſed Chriſtiani eſſent. Nos ergo, & ſecundum litteram & ſpiritualiter, & legem, & prophetas intelligamus, & has duas baſes vnicuique tabulæ ſubjiciamus, quibus teneatur, & ſuſtineatur. Hoc eſt enim quod ait. Vt binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubjiciantur, duæ enim baſes, duæ intelligentiæ ſunt, littera videlicet & ſpiritus hæ autem ſingulas tabulas tenent, & ſuſtinent, quoniam ſine his duabus intelligentiis ſacræ legis libras nec tenere nec portare valemus. Hæ autem baſes argenteæ ſunt, quoniam, & mundæ, & veræ ſunt. Quod enim argentum eloquij puritatem, & veritatem ſignificet, audi Pſalmiſtam: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Ideo enim in angulis hæ baſes poſitæ ſunt, vt vna qualibet ſublata, tabula ſtare non valeat: cadit igitur tabula, niſi vtraque teneatur. Hoc autem illi audiant; qui vel tantum, & litteram, vel tantum ſpiritualiter ſcripturas intelligere volunt, & dum tantum in vnam baſem tabulam ponunt, caueant ne & ipſi cum tabula cadant.

D *In latere quoque ſecundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes baſes argenteas: binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur.* Hoc autem qui non intelligit, ſupradictam expoſitionem iterum legat.

Ad occidentalem vero plagam tabernaculi, facies ſex tabulas. Hæ tabulæ ſex, libri ſunt noui teſtamenti. Qui bene quidem ad occidentalem plagam ponuntur: quoniam iam ſole vergente ad occaſum poſt omnes alios, & in vltima ætate editi ſunt. *Nos enim ſumus,* ait Apoſtolus, *in quos fines ſæculorum deuenerunt:* Beati illi oculi qui has tabulas videre, & eorum artificioſam compoſitionem cognoſcere merentur.

Et rurſum alias duas facies, quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi. Si enim hæ duæ poſt tergum tabernaculi eriguntur, illas vtique ſex in fronte tabernaculi eſſe oportet. Vnde manifeſtum eſt, quia ſex tabulæ noui teſtamenti in ipſo introitu tabernaculi ſtabant. Et merito E quidem, quia niſi per has, nemo tabernaculum, niſi fur, & latro ingreditur. In his enim tabulis Saluator noſter depictus clamat? *Qui non intrat per me in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Itemque. *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Duas vero tabulas, quæ poſt tergum tabernaculi eriguntur, duos libros Machabæorum eſſe puto, ipſi enim in toto veteri teſtamento vltimum locum tenent. Qui merito poſt tergum tabernaculi ponuntur, quoniam illis temporibus lex conculcata, & abſcondita latuit, nullique fas erat tabulas inſpicere & lectioni operam dare, omneſque Iudæi legibus propriis relictis ad gentium ritus conuerti cogebantur.

Eruntque coniunctæ à deorſum vſque ſurſum, & vna omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ ſunt ſimilis iunctura ſeruabitur, & erunt ſimul tabulæ octo: baſes earum ſedecim argenteæ, duabus baſibus per vnam tabulam ſupputatis. Quid earum iunctura & compago ſignificet, iam dictum eſt: ſignificat F enim concordiam, & vnitatem, quam omnia diuina diuinæ legis volumina inter ſe habent: omnia enim vnum dicũt, omnia vnam fidem prædicant, omnia vnum Deum, & laudant & magnificant. Et hæc quidem eſt eorum compago omnia à deorſum vſque ſurſum ab vltimo vſque ad primum. Ab Apocalypſi vſque ad geneſim, vnam fidem, & vnum Deum prædicando concordant. Quod autem ait, vt duabus quoque tabulis ſimili iunctura ſeruetur, duorum Machabæorum libris auctoritatem tribuit, & ſimul cum cæteris in Canonem ponit. Et quidem iuſte ſatis, ſiquidem in eis magis Dei virtus, & potentia narratur.

Facies, & vectes de lignis Sethim quinque ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, & quinque alios in altero, & eiuſdem numeri ad occidentalem plagam, qui mittentur per medias tabulas à ſummo vſque ad ſummum, ipſaſque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes contineant, quos operient laminis aureis. Quid enim, per quinque vectes, niſi, quinque corporis ſenſus intelligimus? qui tunc quidem de lignis G Sethin fiunt, & laminis aureis operiuntur, quando non carnalia ſed ſpiritualia ſentire incipiunt: hoc enim modo & Imputribiles efficiuntur, & tanquam aurum, immo plus auro refulgent, Sunt enim quinque corporis ſenſus, viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus ſine quibus tabulæ tabernaculi, id eſt diuinæ legis volumina ſtare non poſſunt: iam enim omnia cecidiſſent, & defeciſſent, niſi mentis & corporis oculis viderentur, niſi cordis, & capitis auribus audirentur, niſi interiori & exteriori palato guſtu dulcia ſentirentur, niſi eorum intelligentiæ odor delectaret; niſi eorum tactus corda feriendo pulſaret, & ad ſuperni luminis amorem inflammarent. Hi ſunt ergo quinque vectes, qui per annulos aureos inſerti tabulas continent, vectes namque per annulos aureos inſeruntur, quando prædicti ſenſus ſacrorum librorum præclaris ſententiis inuoluti Diuinam legem neque cadere neque oblitioni tradi permittunt, quot enim ſunt ſententiæ, tot ſunt & aurei circuli, tantiſque circulis vectes inſeruntur, quantis ſententiis intellectus inuoluitur, qui à H ſummo vſque ad ſummum per omnes tabulas inſeruntur. Quod autem omnes tabulæ ſunt deauratæ, omnes libros diurnos ſapientiæ, & ſcientiæ luce præfulgere ſignificat. Hæc autem de tabulis dicta ſunt.

Et eriges tabernaculum iuxta exemplum, quod tibi in monte monſtratum eſt. Vidit enim Moyſes exemplum erigendi tabernaculum, qualiter tamen erigatur, non dicitur. Tunc enim tabernaculum erigetur, quando, perfectis omnibus ſancta Eccleſia, ſuper cœlos exaltabitur. Dicamus tamen, qualiter ſecundum litteram hoc tabernaculum erectum fuiſſe putamus. Erant enim quadraginta octo tabulæ, quibus tabernaculum claudebatur, ſuper quos erant cortinæ habentes longitudine viginti octo cubitos. Tanta igitur erat latitudo tabernaculi, quanta longitudo cortinarum. Omnes autem cortinæ decem erant. Habebat autem vnaquæque in latitudine quatuor cubitos, quæ ſimul iunctæ faciunt cubitos quadraginta, quatuor enim decem, quadraginta faciunt. Aut

A igitur quadraginta cubitorum erat longitudo tabernaculi, aut decem cortinarum cubitis in poſteriora pendentibus ad triginta cubitos eius longitudo contrahebatur. Ideo enim decem cubitos cortinarum poſt tergum tabernaculi pependiſſe puto, quoniam decem cubitorum erat longitudo tabularum, ſuper quas cortinæ tendebantur. Super cortinas autem, & ſaga poſita erant, quorum vnus cubitus pendebat ex vno latere tabernaculi & alter ex altero. Quod ideo quidem fiebat, quia ſaga duobus quidem cubitis longiora erant quam cortinæ. Præterea ſi tabernaculi longitudo plus triginta cubitis erat, tabulis vtique claudi non poterat: Erant enim tabulæ viginti ex vno latere tabernaculi, & viginti ex altero, quæ ſingulæ habebant in latitudine cubitum, & dimidium, qui ſimul iuncti non faciunt niſi cubitos triginta.

Facies, & velum de hiacinto, & purpura coccoque bis tincto, & biſſo retorta ope plumario, & pulchra varietate contextum, quod appendes ante quatuor columnas, de B *lignis Sethim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, & baſes argenteas. Inſeretur autem velum per circulos, inter quod pones arcam teſtimonij, ex quo ſanctuarium & ſanctuarij ſanctuaria diuidentur.* Hoc velum quod poſitum erat inter ſancta, & ſanctum ſanctorum, teſtante Apoſtolo cœlum ſignificat. Ait enim ipſe: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum idest, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta.* Quod adhuc manifeſtius ſanctis Ieſus introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Hiacintus eſt herba ſeu flos, hiacintus eſt & lapis; flos autem & lapis eſt cærulei coloris, quem colorem in nubibus ſole irradiatis ſæpe videmus. Et hiacintum quidem in cœlo videmus, quoniam in ſe hiacintinum colorem cœlum oſtendit. Purpuram etiam & coccum in ſtellarum fulgore quodammodo monſtrari videmus: biſſi C quoque candor aliquando in luna apparet. Quam pulchra autem varietate cœlum ſit contextum, ipſi nobis oculi manifeſtant. Ipſum tamen velum, quod tabernaculum diuidebat: non ſine magno ſacramento tanta varietate contextum fuerat. Hiacintus enim velo intextus mundana deſpicere, cœleſtia amare, etſi non voce, colore tamen prædicabat: purpuram vero qui videbant, (ſi tamen, quod videbant, intelligebant) per eam ad amorem iuſtitiæ accendebantur, purpura enim iuſtitiam deſignat, quam ſolis Fratribus induere licebat. Vnde & illis per ſapientiam dicitur. *Diligis iuſtitiam, qui iudicatis terram*, propter quam cauſam & Romani Pontifices ea vtuntur. His ergo datur purpura, quibus eſt ius in populo facere iuſtitiam. Coccus vero totus ſanguineus, & charitatis flāmeo colore bis tinctus ad Martyrium homines prouocabat, tantaque fortitudine roborabat, vt non ſolum pro Deo & fide tuenda, verum etiam alter pro altero mori non dubitaret. Byſſus vero retorta, carnem affligere, & corporis candorem, & caſtitatem diligere admonebat. Erat autem D hoc velum opere plumario factum, quatenus terrena relinquere, & ad cœleſtia animas volare doceret. Hoc ergo velum, quod ſic prædicat, ſic admonet, ſic docet, ſic ſuadet, Euangelij prædicatio eſt. Vnde & ante quatuor columnas pendere dicitur, per quas quatuor Euangeliſtas intelligimus: Matthæum videlicet, Marcum, Lucam, & Ioannem. Ante hos autem hoc velum pendet, quoniam ab ipſis pingitur, ab ipſis variatur, ab ipſis prædicatur, ab ipſis ſuſtinetur & portatur. Iſti ſunt ergo columnæ Eccleſiæ, non de alio niſi de ligno Sethin & de ligno forti, & imputribili, quoniam iſti ſunt de quibus dicitur. Iuſti autem in perpetuum viuent. Sunt autem hæ columnæ deauratæ: quoniam Euangeliſtarum prædicationi nulla ſapientia vel ſcientia comparari poteſt. Habent autem capita aurea, in quibus deſiderabilis theſaurus requieſcit. Et reuera capita aurea ſunt, de quibus tam aurea, tam fulgida, tam clara, & pretioſa verba manarunt. Vnde per Pſalmiſtam dicitur, *Præceptum Domini lucidum illuminans* E *oculos.* Idemque, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Et quoniam argentum veritatem ſermonis, & eloquij puritatem ſignificat, ſecundum illud: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum*, ideo ſuper baſes argenteas hæ columnæ ſtare dicuntur. Nunquam enim Euangeliſtæ à veritate deuiant, nunquam falſa loquuntur: quæcunque dicunt vera ſunt, iuſta ſunt, ſancta ſunt, munda & nimis credibilia ſunt. Infelices Iudæi, qui his columnis contradicunt, qui baſes argenteas ſuper quas poſitæ ſunt, non attendunt. Inſeritur autem velum per circulos, quoniam Euangelica prædicatio. Chriſti ſententiis illigata tenetur. Hoc autem velum diuidit tabernaculum, & nouum & vetus ſeparat teſtamentum: hoc, quid cœlum à terra, quid iuſti à peccatoribus differant oſtendit. Sequitur.

Pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in ſancta ſanctorum, menſamque extra velum, & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Menſa enim ſtabat in parte aquilonis. De his enim omnibus F ſuperius expoſitum eſt. Propitiatorium enim ponitur ſuper arcam, quando reſpectus diuinæ miſerationis ſubueniendo reſpicit Eccleſiam. Menſa autem ponitur extra velum, quia ſcientia ſacri eloquij nulli inuidioſe abſconditur, ſed cunctos ſatiat qui ad eam cum gratiarum actione accedere deſiderant. Ponitur autem contra menſam candelabrum, vt fercula impoſita videantur: quoniam niſi Chriſto illuſtrante, diuina ſcriptura intelligi non valet: ipſe enim lux eſt vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia Deus ab Auſtro veniet, idcirco in latere meridiano candelabrum ponitur. Quia vero ab aquilone pandentur mala ſuper omnem terram, ideo in parte aquilonis ponitur menſa. Illum enim locum maxime munire debemus, per quem hoſtes in nos irrumpere timemus.

Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hiacinto, & purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta opere plumario. Et quinque columnas deaurabis lignorum Sethin; ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita G *aurea, & baſes æneæ.* Hoc enim tentorium quod fit in introitu tabernaculi, glorioſum Apoſtolorum Chorum intelligimus, quibus cœli, & Eccleſiæ claues, quibus ligandi & ſoluendi poteſtas quibus paradiſi ianuas aperire, & claudere à Deo conceſſum eſt. Fit ergo hoc tabernaculum de hiacinto, quoniam, vt iam ſæpe dictum eſt, hiacintus pro cœlo ponitur. Apoſtoli vero cœli ſunt, de quibus dicitur. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sunt autem, & purpura quoniam purpura Reges deſignat. Reges Apoſtoli ſunt ipſi duodecim tribus Iſraël induti purpura iudicabunt. De ipſis enim dicitur: Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Sunt autem & coccus bis tinctus, quoniam Deum confitendo, & proximum docendo, proprij ſanguinis effuſione cruentari meruerunt. Coccus enim tingitur, quando pro Deo, & proximo Martyrium ſumitur. Sunt vero & biſſus retorta, vtpote virtutibus candidati & ſuper niuem dealbati magnaque in præliis fortitudine roborati: Biſſus enim adhoc retorquetur, vt fortior fiat. Apoſtolorum autem fortitudo, & H virtus quo magis à tyrannis torquebantur, tanto maior eſſe manifeſtabatur. Et iſti quidē ſunt illi Cherubin oculati, & plumati, qui totam Eccleſiam ad cœleſtia ferunt. Quinque vero columnæ, quas deaurari præcipit, quinque libri Moyſi intelliguntur: per hos enim quinque libros omnia vtriuſque teſtamenti mandata intelligimus. Si enim per decem verba tota lex ſignificatur, cur per quinque libros, in quibus ipſa eadem verba cōtinentur, tota lex ſignificari non debent? Ante has autem quinque columnas ducebatur, & tendebatur tentorium, quoniā ſancti Apoſtoli, vbicunque erant legem & Prophetas ante ſe ſemper & in mente habebant. Ante colūnas quidem tentoriū tendebatur, quia ſemper ad colūnas intuebatur. Sunt autem colūnarum capita aurea, quia eorum vox, & prædicatio ſapientiæ, & ſcientiæ ſplendore refulget. Baſes autem æneæ ſunt: quoniam clarum, & bene ſonantem tinnitū reboant, æs enim, præ cūctis metallis clarius ſonat. Sicut igitur per aurum ſapientia, ita per æs, vocis ſonus intelligitur. Merito

A igitur columnæ aurea capita, & baſes argenteas habent, quoniam Euangelica prædicatio: & Diuinæ legis volumina, & ſapientia quidem fulgent, & fama atque ſonitu vbique reſonant.

CAPVT XXVII.

Facies & altare de lignis Sethin, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt, quadrum, & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt & operies illud ære. Finito enim tabernaculo, de altari loqui, & pene idipſum per altare ſignificat, quod per tabernaculum ſignificauit. Mos enim eſt Prophetarum, vnam eandemque rem diuerſis modis ſignificare. Quod quidem in libro Apocalypſis apertè dignoſcitur, vbi vna eademque viſio ſepties diuerſis figuris replicatur. Altare enim hoc in loco Eccleſiam deſignat: quod quare dicatur fieri de lignis Sethin, qui B ſuperiora legit non ignorat. Hoc autem altare quadrum eſt, quoniam in quatuor mundi partes, Sancta Eccleſia extenditur, & dilatatur. Quas quidem Pſalmiſta breuiter enumerans ait: *A ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari.* Habet autem quinque cubitos per vnamquamque partem, quoniam vnicuique Eccleſiæ parti, horum quinque librorum fides, & mandata ſufficiunt. Si enim ſpiritualiter intelligantur, totum & vetus, & nouum teſtamentum in eis continetur, quos quidem ideo Moyſes præ omnibus aliis voluminibus ponit, quoniam & omnes alios in ſe complectuntur, & quaſi primogeniti inter omnes habentur. Merito igitur inter alios obtinent principatum, qui priores ſunt ipſa natiuitate. Non enim eos Euangeliis præfero, quoniam ab vno eodemque fonte, vbi fluxerunt, ipſo quoque numero vtraque volumina conuenirent, niſi quia Deuteronomij replicatur, qui ſecunda lex interpretatur. Et ſecunda quidem lex eſt nouum teſtamentum, ſi quidem prima lex vetus teſtamentum dicitur; non enim ſunt teſtamenta niſi duo. Hic C ergo liber qui dicitur Deuteronomij: medius eſt inter vtrumque, ſiquidem illa replicat & iſta ſignificat. Si autem iſta ſignificat, vbicumque hic liber eſt, qui ſecunda lex dicitur, ibi & Euangelia ſunt. Aut igitur libri Moyſi non ſunt quatuor, aut eorum quintus, ſecunda lex, id eſt Euangelium intelligitur. Habet autem hoc altare, & tres cubitos in altitudine, quia quando Eccleſia surſum erigitur, tres eis cubitos ſufficit menſurare id eſt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credere, & adorare. Noli plus menſurare, quia vlterius egredi non licet: ſi enim vlterius progrediaris, vel ſi tantum non progrediaris, iam de hoc altari non eris, ſed vel Iudæus, vel paganus, vel hæreticus eris. Sequitur. *Cornua autem per quatuor angulos, ex ipſo erunt.* Quatuor enim cornua, quatuor mundi partes intelliguntur, oriens videlicet, occidens, ſeptentrio, & meridies: hæc autem quatuor cornua ex ipſo ſunt: quia quatuor mundi partes, non aliunde, ſed de ipſa Eccleſia ſunt. D Operitur autem totum altare ære, quia tota Eccleſia voce clara, & conſona in Dei laudibus cantare, & iubilare non ceſſat. Ipſa eſt enim cui dicitur. *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Sæpe enim iam diximus, quod æs præ cæteris metallis clarius, & altius reſonat, vnde & pro ſono vocis, Sanctaque prædicatione æs frequenter accipitur.

Facieſque in vſus eius lebetes ad ſuſcipiendos cineres & forcipes atque faſcinulas, & ignium receptacula. Malus lebes ille de quo dicitur. *Moab lebes ſpei meæ.* Hi autem lebetes boni ſunt qui altari deſeruiunt, qui altare mundant qui altaris cineres ſuſcipiunt: per hos enim ſacerdotes intelliguntur, qui Dei altare, quod eſt Eccleſia, ab omni ſorditate tegentes, tergentes, aliorum cineres, & peccata in ſe ſuſcipiunt, & ſuſcipiendo longè ab Eccleſia proiiciunt; Suſcipiunt enim vt deleant non vt teneant: de quibus dicitur: *Peccata populi mei comedent.* Hi autem & forcipes tenent quibus carbones de igne trahunt. Carbones enim de igne trahere, eſt, eos qui tribulationis, & anguſtiarum igne exuruntur, fraterna charitate adiuuare, & conſolari. Conſolatio namque & auxilium, forcipes ſunt quibus afflicti de igne, & anguſtiis liberantur. E Vnde Apoſtolus ait. *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Et Pſalmiſta: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Idipſum autem per fuſcinulas, & per forcipes intelligimus, idem enim eſt, cùm fuſcinula carbones feruentes de olla trahere, quod carbones ardentes de igne eripere. Carnes enim in olla & carbones in igne fideles quique intelliguntur tribulationibus conſtricti. Vis eſſe fuſcinula, bonum quidem eſt in hac fuſcinula eſſe, conſolare mœrentes, ſuccurre miſeris, auxiliare egenis, aperi carceres, libera captiuos. Hæ ſunt enim carnes quas noſtra fuſcinula trahit. Sed quid per ignium receptacula, niſi eos qui charitate feruentes hoſpitalitatem ſequuntur, & omnes quos pro Chriſti nomine affligi, vel eius amore flagrare cognoſcunt, omnemque eius humanitatem exhibentes libenter recipiunt. Si enim carbones Chriſti fideles afflicti, & charitate feruidi intelliguntur, F quicumque eos recipit, ignium receptaculum eſt.

Omnia vaſa ex ære fabricabis, craticulamque in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſuper arulam altaris eritque craticula vſque ad altaris medium. Omnia enim vaſa altaris ex ære fiunt, quatenus omnes Eccleſiæ filij, qui per vaſa intelliguntur, clara, & conſona voce Deum laudent, & prædicent & benedicant. Niſi enim vaſa ſanctos ſignificarent, vas electionis Apoſtolus non diceretur. Quid vero craticula ænea niſi euangelicam prædicationem deſignat? Cur autem ænea dicatur ſæpe iam diximus: huius enim campanæ clariſſimus ſonus vniuerſum mundum repleuit. Quæ bene in modum crucis fieri prohibetur, quoniam à piſcatoribus trahitur. De hac enim Dominus Apoſtolus ait: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis: miſerunt ergo, & concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.* Quia enim Euangelica prædicatio omnia genera hominum, quaſi quodam rete capit, & tenet, ideo in Euangelio dicitur. *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti.* G Quatuor autem annulos æneos, qui per quatuor angulos craticulæ poſiti erant, vel quatuor Euangeliſtas, vel quatuor virtutes principales intelligimus: his enim craticula, id eſt Euangelica prædicatio & leuatur & infertur: non enim ſine prudentia, ſine iuſtitia, ſine fortitudine, ſine temperantia Euangelium, nec ab ipſis Euangeliſtis fieri poteſt. Erat autem hæc craticula vſque ad altaris medium, quoniam Euangelica prædicatio non omnes qui in Eccleſia ſunt, in ſe colligere & retinere valet; eam enim Eccleſiæ partem craticula tenet, quæ Euangelicæ prædicationi obedire non renuit. Medium igitur altaris ſola pars bonorum intelligitur.

Facies, & vectes altaris de lignis Sethin duos, quos operies laminis æneis, & induces per circulos, eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. Hoc autem quid ſignificet, ſatis ſuperius expoſitum eſt. Dictum eſt enim quid vectes, quid ligna Sethin, quid laminæ æneę, & quid circuli H deſignent, atque idem ſæpius dicere ſuperuacuum eſſe putamus. Sequitur. *Non ſolum, ſed inane & vacuum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt.* Quantū enim ad litteram, ideo non ſolidum, ſed inane & vacuum hoc altare factum eſt, vt facilius portari potuiſſet. Quantum autem ad ſignificationem, ideo vacuum & concauum, vt Dei theſaurus in ſe recipere & continere valeat. Quid autem eſt quod totum tabernaculum cum tabulis, & columnis de argento fit, altare autem quod dignius & excellentius eſſe videtur, ex ære conſtruitur, niſi quia Diuina ſcriptura non ſecundum materiam, ſed ſecundum Dei ſignificationem carum, vel vile vnumquodque diiudicat? Vnde & æs ſecundum ſe quidem auro vilius eſt, ſecundum ſignificationem vero carius. Sapientia enim ſi in corde occulta teneatur aurum quidem eſt: ſi vero ad audientium aures de corde proferatur, æs eſt. Quando igitur ſancta prædicatio eſt melior occulta ſcientia, tanto ſecundum ſignificationem æs auro melius. Vnde eſt illud. *Sapientia abſcondita, & theſaurus occultus, quæ vtilitas in vtriſque?* Merito igitur ex ære fit hoc altare,

A quoniam ſolis altaris miniſtris principaliter conuenit prædicare, & aurum quidem & ſapientiam habere omnibus licet, altare verò tangere, & in Eccleſia prædicare, non omnibus licet. Hæc autem de altari dicta ſufficiant, nunc ad atrium tabernaculi veniamus.

Facies, & atrium tabernaculi in cuius Auſtrali plaga contra meridiem erunt tentoria de biſſo retorta: centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine, & columnæ viginti cum baſibus totidem æneæ, quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. Multum enim diſtat inter atrium & tabernaculum: Tabernaculum enim ex hiacintho & purpura coccoque bis tincto, & biſſo contextum eſt. Atrij vero tentoria ex ſola biſſo retorta compoſita ſunt. Præterea in tabernaculo & columnæ, & tabulæ, & cætera ex auro & argento fuerunt: in altero vero pene omnia ex ære facta ſunt. Quid ergo per atrium intelligimus? aliud enim quodammodo tabernaculum, & aliud atrium ſignificat: Tabernaculum enim, vt puto, primitiuam Eccleſiam principaliter deſignat, quæ à Chriſti paſſione vſ- B que ad tempora Conſtantini Imperatoris, maxima ex parte de Sanctis Martyribus constructa eſt, inde vero vſque ad tempora Antichriſti tota Eccleſia huius tabernaculi, atrium vocatur. Vnde inſolito modo multo maius eſt atrium tabernaculi quam ipſum tabernaculum. Eſt igitur atrium tabernaculi Eccleſia Confeſſorum, quæ à tempore præfati Principis vbique gentium dilatata eſt. Huius autem tentoria fiunt de biſſo retorta, quoniam ſufficit nobis carnem torquere, & macerare mentiſque & corporis candorem, & munditiam conſeruare. Nemo modo cocco veſtitur. nemo modo ſanguine cruentatur. Sufficit modo baptiſmate lauari, byſſo veſtiri, & candidis indui veſtimentis, ſecundum illud. *Omni tempore Veſtimenta tua ſint candida.* Erant autem à parte auſtrali tentoria, centum cubitorum in longitudine, ſimiliter autem & ab aquilone erant tentoria totidem cubitorum, tanta enim erat tota atrij longitudo. Sed quare centum cubitorum fuiſſe dicitur? decem namque, & centum & mille, perfecti numeri ſunt, qui replicari quidem poſſunt, C creſcere vero non poſſunt, ſi enim vſque ad decem numeraueris, niſi à capite rurſum incipias, quid dicas non habes, ſimiliter, & centum, & mille ſimiliter. Idem igitur dicere eſt, centum cubitorum, quod multorum cubitorum, & eſt finitum pro infinito.

Centum igitur cubitis in longitudine tenditur atrium, quoniam tanta erit eius longitudo quanta erit huius vitæ dimenſio, vnum enim terminum, & atrium & mũdus habebit. Sunt autem viginti columnæ ex vna parte atrij, & viginti ex altera, quatenus, & hinc, & inde omnes qui in atrio ſunt, videant & legant & intelligant legem veterem duplicatam. Duplicatur enim lex, quando, & ad litteram & ſpiritualiter intelligitur. Nam quia decem ſunt verba legis, ſæpiſſime tota lex per decem ſignificatur. Ergo quia decem, & decem viginti faciunt, legem duplicatam in viginti inuenimus. Legant ergo Iudæi bis decem & ſemel totum decalogum intelligant, alioquin quid viginti columnæ ſignificent, ignorabunt. Quod autem ſignificant viginti columnæ ex vna parte, hoc ſignificant D viginti ex altera parte. Credat ergo Auſtro qui non vult credere Aquiloni, immo credet vtique quia idem dicit vterque, vt in medio duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Erant autem columnæ cum baſibus æneæ, quod quid ſignificet, ſæpius iam dictum eſt. Habebant autem capita cum cælaturis ſuis argentea, quia non ſolum loquebantur, ſed & vera & pura loquebantur, non tantum ad ſonum litteræ, quantum ad ſpiritualem intelligentiam, & eloquij puritatem attendebant. In äere namque ſonus, in argento vero eloquij puritas intelligitur. Nemo miretur ſi columnæ loquuntur, diximus enim per columnas legem ſignificari, quæ qualiter loquitur, incipe legere, & cognoſces.

In latitudine vero atrij quod reſpicit ad occidentem erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem baſeſque totidem. Metiamur ergo vſque ad quinquaginta, neque vltra progrediamur, ibi ſtemus, ibi moremur, ſi & libertatem habere, & perditam hæreditatem recuperare E volumus. Quinquageſimus namque annus Iubilæus vocatur, in quo & ſeruis libertas, & amiſſa hæreditas ex legis imperio propriis Dominis reſtituebatur: totuſque ille annus in lætitia & in iubilo feſtiuus ab omnibus agebatur. Merito ergo ſancta Eccleſia ad hunc numerum ſe dilatando peruenit, ibique dilatata moratur, & de libertate gaudens, de hæreditate exultans, & ab omni ſeruili, & malo opere vacans diem ſollemnem conſtituit in condenſis vſque ad cornu altaris. Decem vero columnæ cum baſibus ſuis, decem verba legis intelliguntur. Habet ergo atrium ex omni parte legem atque mandata, vt ſapientiam diſcat, & peccare timeat & quid credere debeat cognoſcat. Totum enim atrium quaſi quibuſdam columnis bis decem legis mandatis ſuſtinetur, quæ mandata in eo quidem quod aliquando columnæ duplicantur, ſe dupliciter intelligi debere ſignificant, nihilque aliud ſignificant decem, quam viginti, niſi quia viginti quodammodo decem exponunt quoties enim decalogum duplicamus, toties duplicem intellectum ſignificamus.

F *In ea quoque latitudine atrij quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt: in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur, columnæque tres, & baſes totidem:* dictum eſt enim quid ſignificent cubiti quinquaginta. Reſtat ergo vt dicamus quid duo tentoria iſta deſignent, quæ ex vtroque latere ponuntur in introitu tabernaculi. Hæc enim duo tentoria, duo populi ſunt, Iudæorum ſcilicet, & gentium, ex his enim duobus impletur atrium tabernaculi. Iſti ſunt duo parietes quos vnus lapis angularis in Eccleſiæ ædificio coniungit. Vnde Apoſtolus ait: *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Eſt autem vnumquodque tentorium quindecim cubitorum; tot enim ſunt, & pſalmi graduum, hic enim numerus ex pari, & impari conſtat, cuius partes ſunt ſeptem, & octo. Vnde ſcriptum eſt; Da partem ſeptem, nec non & octo. Septem enim hanc vitam, quæ in ſeptem diebus voluitur, deſignat: octo vero, illam G aliam vitam beatam, & immortalem, quæ die octaua, cunctis reſurgentibus incipiet. Ea enim die fiet omnium reſurrectio, quo Chriſtus Dominus reſurrexit. Das ergo partem ſeptem, quoniam huius vitæ debita ſoluis: das partem, & octo, quoniam alteri quoque vitæ propria debita largiris. Dum enim manducas, & bibis das partem ſeptem: ſi vero ieiunas, & vigilas, das partem octo. Si laboras vnde viuas, das partem ſeptem: ſi vero de propriis iuſtiſque laboribus eleemoſynas facis, das partem octauam. Merito igitur quindecim cubitorum ante atrium tabernaculi fiunt tentoria, quatenus omnes illuc venientes & ſeptem, & octo intuentes, in ipſo cubitorum numero, & in ipſa tentoriorũ quantitate intelligant, qualiter in hac vita conuerſari debeant. Dent partem ſeptem, dent partem & octo, & ſic per bona temporalia tranſeant, vt æterna non amittant. Tres autem columnæ, quæ ponuntur hinc, & inde, id eſt, ſex columnæ, quæ in vtroque tentorio erant, id ipſum ſignificant, quod ſex tabulas in introitu tabernaculi, cum de eo loqueremur, ſignificare diximus: ſignificant enim ſex libros noui teſta- H menti. Et merito quidem & in tabernaculo, & in atrio tabernaculi nouum teſtamentum in fronte ponitur, quoniam per ipſum in Eccleſiam intratur. Sicut enim omnes columnæ ſupradictæ vetus teſtamentum ſignificant, ita omnes quæ hic ponuntur, ſiue in lateribus atrij ſiue in ipſo introitu, nouum teſtamentum deſignant, de quibus adhuc ſubditur.

In introitu vero atrij fiet tentorium cubitorum viginti, ex hiacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario. Columnas habebit quatuor cum baſibus totidem. Ipſa materia indicat, quid per hoc tentorium intelligere debeamus, nuſquam enim alibi in toto atrio ponitur hiacinthus, vel purpura, vel coccus. Hoc igitur tentorium, quod in introitu atrij ponitur, & illud quod poſitum eſt in introitu tabernaculi, idem ſignificant, illius igitur expoſitio huic ſufficere poteſt. Significatur enim Apoſtolorum chorus, qui Eccleſiæ portas cuſtodiunt, claues tenent, aperiunt, & claudunt, ligant,

&

A & ſoluunt, & prius ad fidem, deinde vero in regna cœlorum, fidelium animas inducunt. Habet autem tentorium quatuor columnas, & baſes totidem, per quatuor Euangelia cum ſuis ſcriptoribus intelliguntur, quid enim aliud Apoſtoli niſi quatuor Euangelia (magiſtri ſui videlicet doctrinam) prædicabant: Nam & ipſæ eorum baſes, id eſt, ipſi Euangeliorum ſcriptores cum ipſis, & ex ipſis erant, & inter ipſos conuerſabantur. Quod autem viginti cubitorum hoc tentorium fuiſſe dicitur, hoc eſt intelligere, quod ſancti Apoſtoli ſotum vetus teſtamentum dupliciter, id eſt ad litteram & ſpiritualiter exponentes quatuor Euangeliis conuenire, & concordare faciebant. Non enim aliter hoc tentorium quatuor Euangeliorum columnæ ſuſtinent, niſi vtrorumque teſtamentorum ſignificatio conueniret.

Omnes columnæ atrij per circuitum veſtitæ erunt laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis. In laminis enim, & baſibus æneis, prædicationis vox & ſonitus, in B capitibus vero argenteis, eloquij puritas, & ſermonis veritas oſtenditur. Quod quidem in ſuperioribus ſufficienter expoſitum eſt. Per baſes tamen columnarum, ſanctos prædicatores intelligere poſſumus, qui vtriuſque teſtamenti libros, & præcepta quaſi quaſdam columnas ferentes, claro prædicationis ſono, & eloquio mundum impleuerunt. Sequitur. *In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit,* & hoc quidem expoſitum eſt. Quod enim toties baſes, ex ære fieri præcepit: campanas Eccleſiæ fabricare videtur, campanas vtique non tinnientes, ſed rationabiliter loquentes, & ad Chriſti fidem populos inuitantes. Erat autem huius atrij altitudo quinque cubitorum, per quos quinque libri Moyſi ſignificari poſſunt, qui ſi bene intelligantur, totam Eccleſiam ſurſum & ad cœleſtia eleuant.

Cuncta vaſa tabernaculi in omnes vſus & caremonias, tam paxillos eius quam atrij ex ære facies. Omnia ex ære fiunt, quatenus omnes ſimul clara alta, & C conſona voce Deum laudent, prædicent, & benedicant. Sequitur.

Præcipe filiis Iſraël, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum quod appenſum eſt teſtimonio. Et collocabunt eum Aaron & filij eius, & vſque mane luceat coram Domino: Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum à filiis Iſraël. Oleum enim a filiis Iſraël affertur, quando aliquis vir gratia Sancti Spiritus, & pietate, & miſericordia plenus a toto populo eligitur. Suſcipitur autem de arboribus oliuarum, id eſt de doctrina & congregatione ſanctorum, quatenus & pacem diligat, & ſanctorum Patrum dulcedinem & ſaporem imitetur. Sit autem & vita, & moribus purus, immo puriſſimus, & ſicut ait Apoſtolus, irreprehenſibilis. Sit quoque pilo contuſus, non delicatus, non otioſus, ſed in tribulationibus & injuriis per patientjam probatus. Et iſte quidem ad hoc eligitur, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij, vt nunquam taberna-D culum ſit ſine lucerna, vt nunquam ſit ſine lumine, & numquam populus ſit ſine Epiſcopo, & Doctore: ipſe enim eſt lucerna, ipſe ſit & oleo plenus, ipſe ſit miſericordia & pietate repletus. Debet autem ardere hæc lucerna extra velum, vt ab omnibus videatur, vt omnes illuminet: &, ſecundum Euangelium, luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sed extra quod velum? Extra illud velum, quod appenſum eſt teſtimonio, quod claudit teſtamentum quod celat nobis, & abſcondit Diuina myſteria. Hoc autem velo illi clauduntur, qui lucere velamine obumbrati non poſſunt. Hanc autem lucernam collocant Aaron & filij eius: hanc illi ordinant, conſecrant, & conſtituunt, qui & primi ſacerdotis eiuſque ſucceſſorum vicem gerunt. A populo quidem lucerna eligitur & Pontificibus offertur, ab Epiſcopis autem conſecratur, & ordinatur; & in ſede collocatur. Luceat autem vſque mane coram Domino, & donec de hac vita miſera & tenebroſa exeat, Dei populum prædicare & illuminare non ceſſat, vt hac nocte finita oriatur ei ſol iuſtitiæ, & E ingrediatur illum diem de quo Pſalmiſta ait: *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Hic autem cultus ſuper omnes ſucceſſiones perpetuus erit à filiis Iſraël, ſemperque hæc Regula in lucerna tabernaculi, & in Epiſcopo eligendo conſeruetur. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, vt ſacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. Quos enim per oleum & lucernam ſignificauerat, iam propriis nominibus vocat, vt ea quæ obſcurè dixerat, manifeſta faciat. Expoſitis ergo omnibus, quæ ad tabernaculum, eiuſque atrium pertinebant, iam nunc ad veſtes Aaron veniamus, & quomodo ſapientes, & prudentes eas faciant audiamus.

CAPVT XXVIII.

F*Acieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem & loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.* Facies inquit, veſtem ſanctam virtutibus & ſanctitate contextam, ſapientia, & ſanctitate fabricatam, in gloriam & decorem. Qui enim hac veſte induitur, gloria, & decore veſtitur. Vnde de Saluatore dicitur: *Dominus regnauit decorem induit, induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe virtute.* Hanc enim veſtem illi viri cordati & ſapientes faciunt, quibus ipſe Dominus ait: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Hanc enim veſtem ſancti Apoſtoli fecerunt, qui nos ſuis ſermonibus docuerunt qualiter veſtiri, & ornari debeamus, vt Deo miniſtrantium digni apparere videamur. Hos autem non humana ſapientia, ſed ſanctus ſpiritus qui eos repleuerat docuit. In his autem Aaron ſanctificatus miniſtret Domino, & niſi in his indutus, & ob- prius ſanctificatus non miniſtret Domino. Vobis ô Pontifices, vobis ô Eccleſiæ miniſtri iſta dicuntur: Vos eſtis Aaron, vos eſtis ſanctificati, vobis his veſtis indui, & in ſancta ſanctorum ingredi licet.

G *Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, & lineam ſtrictam cidarim, & balteum. Facientque veſtimenta ſancta Aaron fratri tuo & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi.* Hæc autem ſingulariter in ſequentibus exponemus. Notandum autem quod non ſolum Aaron, ſed & filiis eius, ſancta Dominus veſtimenta facere iubet: non enim ſolum Pontifices, verum etiam eorum filij minoris videlicet ordinis ſacerdotes ſanctis veſtibus indui debent: miniſtrant enim Domino, & ipſi, & ad altare accedunt, ſacramenta tangunt, & ſacerdotio funguntur.

Accipientque aurum, & hiacinthum, & purpuram coccumque bis tinctum, & byſſum. Hæc autem vel quatuor elementa ſecundum Ioſephum, id eſt terram, aquam, ignem & aërem: vel quatuor principales virtutes prudentiam ſcilicet, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, ſuperius ſignificare diximus. De auro vero ſæpe dictum eſt, quod pro ſapientia ponatur. Quare autem iſta H ſignificent, per vnumquodque reddidimus rationem. Aurum namque in veſtibus geſtare debet Epiſcopus, quatenus ſapientia, & ſcientia totus refulgeat. Ferat & hiacinthum, vt ſemper cœleſtia meditetur, & contempletur: ferat & purpuram, vt iuſtitiæ obſeruator: ferat & coccum, vt nunquam charitatis obliuiſcatur: ferat & biſſum, vt caſtitate ſit candidus, & in omnibus temperamentum habeat, & diſcretionem. Portat enim & aliter Epiſcopus hiacinthum, pro aëris cœlique intemperie Deum rogans: portat, & purpuram pro aquarum inundatione ſupplicans: portat, & coccum pro nimia ſiccitate ſoliſque ardoribus exorans: portat, & byſſum, quando terræ ſterilitatem ſuis orationibus ad fecunditatem conuertit. Sequitur.

Facient autem & ſuperhumerale de auro, & hiacintho ac purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere plumario. De hoc ſuperhumerali diſcipulis ſuis Saluator ait, *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite quia mitis ſum & humilis corde.* Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus

A meum leue. Vbi enim niſi ſuper humeros iugum & opus portatur. Superhumerale ergo nobis imponamus, quo ad onera deferenda fortes humeros habemus. Ille enim Epiſcopus non habet ſuperhumerale, qui ſuſcepta onera libenter non portat: è contra vero ille habet ſuperhumerale, de quo dicitur: Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, & in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Habeat ergo Epiſcopus ſuperhumerale, & numquam ſuſcepti oneris obliuiſcatur, languidas oues, & fatigatas leuet, ſuper humeros imponat, & ad paſcua reducat, vt confidenter dicere poſſit. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Fit autem hoc ſuperhumerale de auro, hiacinto, purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta, quia niſi per ſapientiam, quæ in auro, niſi per cœleſtem contemplationem, quæ in hiacinto, niſi per regalem, & regiam poteſtatem; quæ in purpura, niſi per fortem Dei, & proximi dilectionem, quæ in cocco bis tincto: niſi per mentis & corporis candiditatem & caſtitatem, quæ in biſſo B ſignificatur, onus officij ſibi impoſiti Epiſcopus ferre non valet: ſi autem his coloribus atque virtutibus Epiſcopus clareſcit, cum Dei adiutorio onus portare valebit, tanto enim maius onus portat Epiſcopus, quanto plures ſunt illi, de quibus redditurus eſt rationem. Vnde Apoſtolus. Obedite, inquit, *Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim pro vobis vigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.* Reſpice ergo Epiſcope ad onus quod portes, reſpice ad ſuperhumerale, vides ibi aurum, da operam & ſtudium ſapientiæ, vides ibi hiacintum, intuere cœlum & contemplare Deum: vides ibi purpuram, ſerua iuſtitiam, vides ibi coccum bis tinctum, pingat te ſi neceſſe fuerit, ſanguis martyrij pro Dei, & proximi dilectione, vides ibi biſſum retortam, carnem doma, macera, & affige, vt, & ſpiritui ſeruiat, ſemperque candidior, & mundior fiat. Fit autem ſuperhumerale opere polimito, multiſque coloribus variato, quatenus in pulchritudine exteriori, qualis interius eſſe debeat. facilius Epiſcopus intelligere valeat: omnis enim gloria C eius ab intus.

Duas horas iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeat. Erat enim ſuperhumerale tam longum, vt ſuper vtrumque Pontificis humerum extenderetur, latitudinem vero breuem & modicam habebat, & ſuperior quidem & inferior hora ita ſibi in vtroque latere ſummitatum iungebantur, vt vna hora ſecundum ſui continuationem ex duabus conficeretur. Dum enim vterque limbus in vtroque latere ſummitatum ſibi occurrerent, tam artificioſe ſibi iungebantur, vt vnus ex duobus fieri videretur. In qua re quid aliud ſignificari putamus niſi vt tota vita noſtra ſic in bonis operibus contineatur, vt & principio finis concordet, & bonum, quod cœpimus, vſque in finem non relinquamus, duæ namque horæ in vnum redeunt, dum prima, & vltima vita noſtra in boni perſeuerantione conueniunt. Sequitur.

Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro & hiacinto, ac purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta. Exterior enim habitus interiorem gloriam de-D monſtrat, ipſumque ſuperhumerale oſtendit quales ſint humeri; quos premit. In auro namque ſapientiam, in hiacinto cœleſtem, & Angelicam vitam, in purpura regiam poteſtatem, in cocco bis tincto Dei, & proximi dilectionem, in biſſo vero retorta corporis caſtitatem, & macerationem ſignificant. Hæc ergo ferat Epiſcopus, his ornetur, his clareſcat, ſine horum varietate ad Dei altare non accedat.

Sumeſque duo lapides Onichinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum opere ſculptoris, & calatura gemmarij ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël, incluſos auro atque circumdatos, & pones in vtroque latere ſuperhumerali memoria filiis Iſraël. Portabitque Aaron nomen eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem. Sume, inquit, duos lapides onichinos, qui & aſpectu pulchri, & ad ſcripturam retinendam ſatis fortes ſunt, quorumque magnitu-E dinis alij non inueniuntur, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël. Ad hoc enim nomina ſcribuntur, ne obliuioni tradantur, vt & legentes inſtruantur. Semper ergo antiquorum Patrum ſit memor Antiſtes, ſemper qualiter vixerint & Deo ſeruierint, recordetur: imitetur eorum vitam, ſequatur doctrinam teneat operationem. Duodecim namque filij Iſraël duodecim ſunt filij Chriſti, quorum mores, doctrinam & vitam imitari, quorum nomina & memoriam ſemper debent Epiſcopi mente tenere, ideoque hic dicitur, vt Aaron portet ea ob recordationem. Quomodo portabit ea coram Domino? ad quid? vt vel eorum interceſſione ad miſericordiam flectatur Dominus: non ſine his vadat Epiſcopus hos ſecum deferat, hos interceſſores habeat, & dicat: Miſerere Deus miſerere populo tuo, vt qui in ſuis meritis non confidit, Apoſtolorum tuorum interceſſionibus liberetur. Et hi quidem lapides in quibus ſanctorum nomina continentur, auro ſunt circundati, & incluſi, quoniam Sancti Dei omnis ſapientiæ, & ſcientiæ luce clareſcunt.

F *Rationale quoque iudicij facies opere polimito, iuxta texturam ſuperhumeralis, ex auro hiacinto, & purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta. Quadrangulum erit, & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine.* Quid rationale ſignificet, ex nomine ipſo, & loco, ſuper quem ponitur, intelligi poteſt. Ponitur enim ſuper pectus Pontificis ad cordis theſaurum & ſapientiæ ſecretarium cuſtodiendum. Niſi enim hoc rationale ſuper pectus Pſalmiſta haberet, nequaquam diceret, in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Vbi enim eſt rationale, ibi eſt & ratio & ſapientia & ſcientia, hoc enim rationale ſignificat; in quo igitur pectore, & corde iſta non fuerint, ibi rationale poni non debet, ſi enim ponatur, inutile eſt, & quaſi ſigillum nihil cuſtodiens eſt. Dicitur autem rationale iudicij, vt qui eo vtitur rationabiliter iudicet, nihil temere, vel incaute, nihil inordinate iudicet. Fit autem hoc rationale opere polimito, pulchraque varietate diſtincto, vt multis virtutibus pectus ornetur, omneſque vno temperamento, & concordia regantur. Eadem G autem textura eſt in rationali, quam ſupra diximus eſſe in ſuperhumerali. Fit igitur, & rationale ex auro hiacinto, purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta, quatenus & in corde per ſcientiam, & in humeris per operationem, vnus atque idem virtutum ſplendor refulgeat. Debet enim Epiſcopus & operari quod intelligit, & intelligere quod operatur, vnde, ſicut in ſequentibus declarabitur, rationale, & ſuperhumerale ſibi iunguntur. Tunc enim vna eademque textura fit vtrumque quando doctrina & operatio cócordant. Eſt autem rationale quadrangulum, quoniam quatuor virtutibus quaſi quatuor angulis perficitur: Hinc enim prudentia, inde iuſtitia, hinc fortitudo, inde temperantia & rationale, & Pontificis pectus exornant. Has enim quatuor virtutes hiacintus, & purpura, coccus, & biſſus ſignificant. Eſt autem & duplex propter actiuam vitam & contemplatiuam, ſiue propter duplicem ſanctarum ſcripturarum intelligentiam. Qui enim Epiſcopus hanc duplicitatem non ha-H bet, populum ſibi commiſſum, ſicut oportet, regere non valet. Habet autem & menſuram palmi tam in longitudine quam in latitudine, vt & pectoris contineat quantitatem, & in Dei palmo ſemper & manu claudatur ſecundum illud; *Cor regis in manu Dei.* Et Pſalmus: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Poneſque in eo quatuor ordines lapidum. In primo verſu erit lapis Sardius & Topaſius & Smaragdus; In ſecundo carbunculus, ſaphirus, & Iaſpis; In tertio Ligurius, Achates, & Amethiſtes: In quarto Chryſolitus, onichinus, & berillus, Incluſi auro erunt per ordines ſuos, habebuntque nomina filiorum Iſraël Duodecim nominibus calabuntur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. Duodecim enim ſunt lapides, quoniam duodecim ſunt Patriarchæ, totidemque Apoſtoli, ex quibus cætera multitudo fidei, & religionis ordinem ducit. Qui merito quidem lapides pretioſi dicuntur, quoniam in Eccleſiæ ædificiis, & ſapientia, & ſanctitate præ

omnibus

A omnibus rutilant. Hi autem lapides ponuntur in ratio-
nali Pontificis vt Patriarcharum, & Apoſtolorum do-
ctrina fide, moribus, virtutibus, & exemplis, ſemper eius
cor & pectus illuminetur, ſemperque eorum nomina
Pontifex cernens & legens, ipſorum conuerſationem ap-
petat, vitam teneat & fidem ſequatur. Ponuntur autem
terni lapides per quatuor ordines, quoniam Trinitatis
fides in quatuor Euangeliis Apoſtolorum officio diuul-
gata eſt. Et quamuis ſingula nomina ſingulis lapidibus
imprimantur, vnuſquiſque tamen non ſingulis, ſed omni-
bus lapidibus decoratur, vnuſquiſque enim omnium co-
lorem, omnium ſplendorem & pulchritudinem imita-
tur, omnes enim, & martyrio rubei; & fide virides, &
charitate igniti, & cœleſti contemplatione clari, & pu-
dicitia candidi, & pœnitentia nigri eſſe videntur. Nihil
denique eſt in coloribus, nihil in moribus, nihil in ſplen-
doribus, nihil in virtute, nihil in ſapientia; vel in deco-
re, quod in ſanctis Apoſtolis non inueniatur.

Facies in rationali cathenas ſibi inuicem cohærentes ex
B *auro puriſſimo, & duos annulos aureos quos pones in vtra-*
que rationalis ſummitate, catenulas quoque aureas iun-
ges annulis qui ſunt in marginibus eius, & ipſarum cate-
narum extrema duabus copulabis vicinis in vtroque late-
re ſuperhumeralis quod rationale reſpicit. Facies, & duos
annulos aureos quos pones in ſummitatibus rationalis, &
in oris quæ è regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora
eius aſpiciunt, nec non & alios duos annulos aureos, qui
ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum,
quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari
poſſit cum rationali, & ſtringatur rationale annulis ſuis,
cum annulis ſuperhumeralis, vitta hiacintina, vt maneat
iunctura fabrefacta, & à ſe inuicem rationale, & ſuper-
humerale nequeant ſeparari. Hoc totum qualiter ad litte-
ram intelligi debeat, ſic collige: Rationale duos annu-
los in duabus extremitatibus ſuperius habebat, quibus
duo annuli ſuperhumeralis appoſitæ erant: duobus au-
tem annulis rationalis duæ catenulæ iunctæ erant. Erant
præterea duo alij annuli deorſum in vtroque latere ſu-
C perhumeralis, per quos vitta hiacintina trahebatur, quæ
duos quoque rationalis annulos continens, ſic rationale,
& ſuperhumerale viciſſim ad ſe conſtringebant, vt à ſe
ſeparari non poſſent. Quid autem rationale & ſuperhu-
merale ſignificet, dictum eſt. Dicamus quid ſignificet,
quod ſic alterum iunguntur, vt à ſe ſeparari non valeant:
Tunc enim rationale, & ſuperhumerale ſibi iunguntur,
quando Pontificis prædicatio, & operatio bene ſimul
conueniunt. Sunt enim per rationale doctrina, & præ-
dicatio, ita per ſuperhumerale, onus, & operatio de-
ſignatur, ſic enim Epiſcopus bene docet & male ope-
ratur: aut ſi è contra bene operatur, & male docet,
eius ſuperhumerale, & rationale non iunguntur. De
his enim, qui bene docent, & male agunt, ipſa per ſe
veritas ait: *Super cathedram Moyſi, ſederunt Scribæ,*
& Pharisæi, quæcumque dixerint vobis ſeruate, & faci-
te, ſecundum opera eorum nolite facere, dicunt enim, &
non faciunt, alligant enim onera grauia, & importa-
D bilia, & imponunt in humeros hominum, digito au-
tem ſuo nolunt ea mouere. Iſti ergo rationale habebant,
ſed ſuperhumerale non habebant: ſi enim ſuperhumera-
le habuiſſent, non ſolum digito aliena onera tangerent,
verum etiam ſuper humeros ea portarent. Hæreticorum
autem quam plures fuiſſe legimus, qui bene quidem
operabantur, ſed male docebant. Ieiunare namque, vi-
gilare, eleemoſynas dare, & ſimilia, bonum opus eſt,
hæc autem Manichæorum, Arrianorum, & Donatiſta-
rum Epiſcopos feciſſe audiuimus, ſed quoniam male
docebant, & errorem prædicabant, quamuis hæc, &
ſimilia agendo ſuperhumerale facere videbantur, ratio-
nale tamen penitus non habebant: ſi enim rationale ha-
buiſſent, irrationabilia, id eſt falſa & erronea prædicare
non poſſent. Ille igitur & ſuperhumerale, & rationale
ſibi mutuo coniuncta, & ligata portat, qui & bene agit,
& bene docet. Sed quid per annulos & catenulas vittam-
que hiacintinam, quibus rationale ſibi iungunt, niſi
fidem, ſpem, & charitatem, ſapientiam & alias virtutes
intelligamus? qui enim has habent, à veritatis doctrina, E
& operatione ceſſare non poſſunt: his enim quaſi qui-
buſdam retinaculis prædicatio, & operatio ſibi iungun-
tur, ſeque ſequuntur, & concordanter ſibi mutuo obſe-
quuntur. Sequitur.

Portabitque Aaron nomina filiorum Iſraël in rationali
iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur Sanctua-
rium, memoriale coram Domino in æternum In pectore
enim & corde Pontificis, ſanctorum nomina, conuerſa-
tio, vita & memoria ſemper eſſe debet, vt eorum iudicio,
doctrina, & exemplo omnia doceat & operetur. Habeat
etiam totius populi nomina in corde ſcripta, vt omnium
memor ſemper pro omnibus ad Deum intercedat.

Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & verita-
tem, quæ erat in pectore Aaron, *quando ingredietur co-*
ram Domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſraël in pe-
ctore ſuo in conſpectu Domini ſemper. Hoc autem Epiſco-
pi audiant, hoc diligentiſſime attendant: conſiderent
quid ſignificet, quod ſupra pectus Aaron, doctrina &
veritas ponitur: ille enim Epiſcopus rationale in pectore F
non habet, immò neque cor, neque pectus habet, in cu-
ius corde non eſt doctrina, & veritas. Quid enim ſine do-
ctrina docebit? quid ſine veritate iudicabit? Ideo enim
rationale iudicij dicitur, vt in rationali ſit doctrina, in iu-
dicio ſit veritas. Semper igitur rationale, ſemper pectus
ſuum intueatur Epiſcopus, ſufficit ibi liber iſte, tota lex
vtriuſque teſtamenti; ſcientiam in pectore habet, ſi ta-
men intelligit quod in pectore habet. Sed quomodo non
intelligat pectus quod in pectore eſt? Quomodo cor illud
non videat, cuius pondere premitur? Ideo enim tam pro-
pe & ſuper ipſum cor, rationale ponitur, vt quid velit, &
quid ſignificet, facile intelligat. Stat rationale ſuper cor,
quaſi magiſter ſuper diſcipulum: clamat voce admirabili,
ſi tamen ſit qui audiat: admonet, cordis oculos regat, vt
ad ſe dirigantur, inſpiciant, & legant: legant, & intelligant,
quid aurum, hiacintus, purpura, coccus, & biſſus, quid
duodecim lapides, quid nomina in eis cœlata, quid do-
ctrina & veritas ſignificet. Hoc enim ſi Epiſcopus intelli-
git, nihil eſt ſui officij quod non intelligat, quod quidem G
ſapiens ille ſignificauerat, qui ait. In veſte enim poderis
quam habebat, totus erat orbis terrarũ, & parentum ma-
gnalia in quatuor ordinibus lapidũ erãt ſculpta. Sequitur.

Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hiacintinam,
in cuius medio ſupra erit capicium, & ora per gyrum eius
textilis ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne
facile rumpantur. Quia enim ſuperhumerale ſuper hanc
tunicam ponebatur, ideo ſuperhumeralis tunica vocatur.
Hac autem tunica totus Pontifex tegebatur, ideo & iux-
ta collum capitium habebat, quo caput etiam tegeretur,
per hanc autem, ſanctam & mundam Epiſcopi conuerſa-
tionem intelligimus, vt ſic ſancta vita, & optima con-
uerſatione totus operiatur, quatenus nihil nudum vel in-
decens, vel non ornatum in eo appareat, vnde, & tota
tunica hiacintina fuiſſe dicitur, quia videlicet Pontifex
indutus non terra, ſed cœlum, non homo, ſed Deus eſſe
putaretur. Hiacintus enim, vt iam ſæpe diximus, quoniam
aërei coloris eſt, cœlum ſignificat. Hac autem veſte indu-
tus erat Apoſtolus qui dicebat. *Noſtra autem conuerſatio* H
in cœlis eſt: In terra enim adhuc degens iſta dicebat; ſed
quia cœlicam, & Angelicam vitam agebat: quia hiacin-
tinis veſtibus indutus iam ſe in cœlo eſſe gaudebat, inde
enim & cœli Apoſtoli dicuntur, quoniam talibus veſti-
bus induuntur. Habet autem hæc tunica capicium, quo
totum caput operiens, viſum & auditum, guſtum &
odoratum quæ in eo ſunt, per illicita, & nociua vagari
non patiatur. Habet autem, & oram textilem per
gyrum in circuitu, ſicut in extremis veſtium partibus
fieri ſolet, vt non facile rumpatur, per quam perſeueran-
tia in bonis intelligitur, de qua ſcriptum eſt. Qui perſe-
uerauerit, vſque in finem hic ſaluus erit. Tunc enim tuni-
ca, id eſt ſancta conuerſatio interrumpitur, quando ab
incepto bono opere qualibet occaſione ſeparatur.

Deorſum vero ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum
quaſi mala punica facies ex hiacinto, & purpura coccoque
bis tincto, & biſſo retorta, miſtis in medio tintinnabulis,

A *ita vt tintinnabulum ſit aureum & malum punicum, rurſumque tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum.* Mala namque punica clariſſimis, & dulcibus granis regulariter ordinatis plena ſunt, per quæ ſanctorum Eccleſias, & congregationes, vbique per totum mundum poſitas intelligere poſſumus in quibus Chriſti, fideles concordia, pace, & dilectione coniuncti continentur. At vero per tintinnabulum. Euangelica prædicatio intelligitur, vnde & aurea dicuntur. Euangelica prædicatio ſapientiæ luce præfulget. Mala vero punica ex hiacinto, purpura, cocco bis tincto, & biſſo retorta fiunt, quoniam Sanctorum cœtus ex ſolis hominibus & virtutibus ædificantur; Sæpe enim iam diximus, quia per hos quatuor colores, quatuor elementa, ex quibus homo conſtat, vel quatuor virtutes principales intelliguntur. Sunt autem inter mala punica, iuxta tintinnabula, vt nulli Eccleſiæ, vel prædicator, vel prædicatio deſit: tunc enim inter mala granata tintinnabula ſonant, quando in conuentu fidelium, & in medio Eccleſiarum prædicatorum, & doctorum voces audiuntur. Vnde adhoc B ſubditur.

Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur, ſonitus quando ingredietur, & egredietur ſanctuarium in conſpectu Domini. Neceſſe eſt ergo Pontifices ſine intermiſſione clamare neceſſe eſt ſemper prædicare, & vocis tintinnabula ſonare, & ad fidem, & ad baptiſmum, & ad pœnitentiam populum vocare. Siue enim ingrediatur, ſanctuarium, ſiue egrediatur de ſanctuario, hoc agere debet, quia quamdiu in Eccleſia eſt, quamdium circa ſe populum cernit, (populus enim ſanctuarium eſt) ſemper ædificationis verba eorum auribus inſonare & inſtillare conuenit. Hoc enim cum vbique agere bonum ſit, ibi tamen præcipue fieri debet, vbi ad Sacramenta ſumenda Dei populus venire conſueuit. Quod quidem ſi Epiſcopus fecerit, non morietur; ſi vero non fecerit, morietur. Quod eſt morietur? non enim hoc de communi morte dici videtur, omnes enim morimur: de alia igitur morte hoc eſt intelligendum à quo omnipotens Deus nos eripere, & liberare dignetur. Sequitur.

C *Facies, & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opera cælatoris, Sanctum Domino, ligabiſque eam vitta hiacinthina, & erit ſuper thiaram imminens fronti Pontificis.* Vis cognoſcere Pontificem, inſpice in fronte, & lege titulum, lege ſanctum Domino, ſic enim titulatur frons Pontificis. Magna quidem reuerentia digna eſt domus illa, quæ ſic titulatur. Hic autem titulus non ſcribitur niſi in auro, & in auro puriſſimo. Quid eſt aurum? ſapientia: hoc enim iam ſæpe dictum eſt. Sed quia non omnis ſapientia mundo eſt, ſiquidem ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum, ideo in auro puriſſimo ſcribitur. Sanctum Domino. Luceat ergo ſapientia in fronte Pontificis, illa ſapientia, quam diſcipulis ſuis ille, qui eſt vera ſapientia, promittit dicens. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Qui enim hanc laminam auream non habent, magno quidem ornamento carent. Ligatur D autem hæc lamina vitta hiacinthina, per quam ſanctam, & cœlicam vitam, & Dei contemplationem intelligimus. Diuina namque ſapientia ſine hac vitta hiacinthina teneri non poteſt, quoniam ſic ſcriptum eſt, *In maleuolam animam non intrabit ſapientia*, Erat autem hæc lamina ſuper thiaram, quoniam omnibus ornamentis ſapientia in Pontifice ſuperior eſt, & clarius lucet: hæc prima quærenda eſt, hæc inſpicienda: & quamuis cætera ornamenta habeat, ſi tamen ſapientiam non habet, non eſt in eo vbi ſcribatur. Sanctum Domino, hoc eſt enim nomen Pontificis, quo qui non titulatur, Pontifex non eſt. Imminet autem hæc ſtella fronti Pontificis: vt nunquam abſcondatur, vt ab omnibus videatur, vt omnes illuminet, & luceat omnibus qui in domo ſunt:

Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerint & ſacrificauerint filij Iſraël in cunctis muneribus & donariis ſuis. Sic enim de Saluatore noſtro ſcriptum eſt. *Verè peccata, noſtra ipſe tulit, & iniquitates noſtras ipſe portauit.* Cum enim populus ad delenda peccata ſacerdotibus E munera offerat, quid aliud ſacerdotes niſi peccata populi in muneribus portant? In muneribus ergo peccatorum onera populus deponit; ſacerdotes vero è contra peccatis onerantur. Hoc autem onus officij ſacerdotibus ſit, vt pro peccatoribus exorantes, & ſuum officium digne adimplentes Dei indignationem, & iram ſemper placare ſtudeant.

Erit autem lamina ſemper in fronte eius, vt placatus ei ſit Dominus. Semper laminam auream Pontifex in fronte geſtare debet, vt eius aſpectu, & præſentia ſemper populus illuminetur: portet laminam in fronte: portet lucernam in vultu: portet ſemper ſapientiam in manifeſto: doceat & prædicet, inſtet ſemper opportunè, & importune, vt ei placatus ſit Deus.

Stringeſque tunicam biſſo, & thiaram biſſinam. Biſſo namque tunica & thiara ſtringitur, quia carnis munditia & maceratione ſanctæ vitæ conuerſatio, & gloria ſiue corona capitis retinetur. Quamuis enim tunica bonæ conuerſationis Epiſcopus ſit indutus, quamuis vitiis F ſuperatis thiara biſſina ſit coronatus, tamen, niſi carnem domando, & caſtitate vtrumque conſtrinxerit, facile & thiaram & tunicam perdere poterit. Vnde & de ſe Apoſtolus ait: *Sic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Sequitur.

Facies, & balteum opere plumario. Dominus enim in Euangelio dicit: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Qui enim præcingitur, baltheo præcingitur. Balteus autem caſtitas eſt. Baltheo præcingitur, qui caſtitatis cingulo carnem ſtringit, ne luxuriando per illicita fluxa vagetur. Fit autem balteus opere plumario, quoniam caſtitas, & leuem hominem reddit, & ad volandum agilem facit.

Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac thiaras in gloriam, & decorem, veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo, & cunctorum conſecrabis manus ſanctificabiſque eos vt ſacerdotio fungantur mihi. Tunicæ namque lineæ quæ multo labore, multaque & frequẽti aquarum ablutione ad candiditatis ni- G torem perducuntur, carnis macerationem, vt iam ſæpe diximus, & caſtitatis munditiam deſignant. Igitur & per tunicas, & per balteos & per thiaras, quæ & ipſæ byſſina erant, pene idem ſignificare videtur, in quo apertiſſime intelligi poteſt, quantum caſtitas, & continentia carnis Domino placeat: hæc eſt enim gloria, & decor Pontificis: his Eccleſiæ miniſtri, & indui & decorari, in his gloriari debent. Manus autem eorum conſecrantur, vt bono operi inſiſtant, vt malum & immundum neque tangant neque agant.

Facies, & fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ. à renibus vſque ad fœminalia, & vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij, vel quando appropinquabunt ad altare, vt miniſtrent in ſanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini eius poſt eum. Ecce iterum in fœminalibus virtus caſtitatis commendatur, vnde & linea fieri iubentur, quoniam per linum H caſtitas deſignatur. Illi enim ſacerdotes non habent fœminalia qui carnem turpitudinis ſuæ non operiunt, qui carnis pudenda non reſtringunt & refrenant, ne fœminea membra aliquatenus ſentiant. Ideoque & renes & totum femur fœminalia operiunt, quia maior ibi carnis titillatio ſentitur; etenim ſi illa pars corporis diligenter cuſtodiatur, non eſt vnde carnis pudicitia corrumpatur. Semper igitur Eccleſiæ miniſtri habeant, fœminalia, quoniam non per interualla tabernaculum ingrediuntur, ſed ſemper in templo Dei ſunt, ſiquidem & ipſi templum Dei ſunt: numquam ſe carnis voluptati ſubiiciant: ſemper lumbos præcinctos habeant ne moriantur; hoc autem ſit eis legitimum non temporale ſed ſempiternum: hanc legem cuſtodiant, numquam fœminalium, & pudicitiæ obliuiſcantur.

CAPVT XXVII.

SEd & hoc facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos paneſque azimos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſint oleo: lagana quoque azima oleo lita, de ſimila triticea cuncta facies, & poſita in caſtra offeres. Hic autem vitulus Chriſtus Dominus noſter intelligitur quia de armento ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum ſecundum carnem originem ducens, pro peccatis noſtris immolatus eſt. Hic eſt enim ille vitulus ſaginatus, quem pro lætitia redeuntis filij benigniſſimus ille pater occidere iuſſit. Notum valde eſt quod dicimus. De hoc autem vitulo, & de duobus arietibus, pleniſſimè in ſequentibus tractabitur. Per panes autem azimos, & cruſtulam abſque fermento, & laganam azimam, incorruptam vitam, & ſanctam conuerſationem, & vtriuſque hominis integritatem intelligimus. Ideo enim & omnia azima intelliguntur, vt non ſint in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis. Sunt autem & oleo lita, gratia videlicet ſancti Spiritus, cuius vnctione omnia bona creſcunt & proficiunt. Sed quia de his omnibus plenius poſtmodum locuturi ſumus, interim de eis taceamus. *Vitulum autem & duos arietes, & Aaron & filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij, cumque laueris patrem cum filiis aqua, & baptizati ab omnibus mundentur delictis, indues Aaron veſtimentis ſuis, vt exutus veterem hominem cum actibus ſuis, nouum induat, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Quæ ſint autem veſtimenta quibus indui debeat, ſubſequitur enumerans & ait: *Id eſt, linea & tunica, & ſuperhumerali quod conſtringes balteo, & pones thiaram in capite eius, & laminam ſanctam ſuper thiaram, & oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, atque hoc ritu conſecrabitur.* Veſties, inquit, eum linea caſtitatis, & tunica ſanctæ conuerſationis, & ſuperhumerali bonæ operationis: cui rationale quoque doctrinæ & veritatis, omniſque ſapientiæ indiſſolubiliter coniungatur. Vnde & balteo vtrumque ſibi ſtringi iubetur. Et pones thiaram, id eſt coronam victoriæ in capite eius, per quam cuius ſit fortitudinis dignoſcatur. Et laminam ſanctam ſuper thiaram, vt in eius fronte ſemper luceat fulgur ſapientiæ. Et oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, vt gratia ſancti Spiritus totus delibutus, & mente, & corpore ſanctificatus, dignus ante Deum apparere valeat. Hæc autem quia iam ſuperius expoſita ſunt, ſub breuitate tranſcurrimus.

Filios quoque illius applicabis & indues tunicis lineis, cingeſque baltheo, Aaron ſcilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque ſacerdotes mei religione perpetua. Sæpe iam diximus, quia per linum pudicitia & carnis munditia deſignatur, quia nihil eſt in veſtimentis quod toties lauetur, toties in aquam mergatur, & ad candorem ſuique munditiam deducatur. Vnde non ſolum Aaron verum etiam filij eius lineis tunicis indui iubentur, quoniam quicunque Deo miniſtrant, & virtute debent eſſe ornati, & baltheo caſtitatis conſtricti. Idcirco & in Euangelio Dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Ad cuius quoque ſignificationis Sacramentum, etiam mitras eis imponere iubet, quoniam & mitræ de lino fiunt, idem igitur per tunicas lineas, & per baltheos, & per mitras ſignificatur. Qui enim caſtitatis veſte induitur, merito quidem vir præcingitur, & vt victor coronatur. Iſti igitur ſunt ſacerdotes Dei, perpetua religione conſecrati.

Poſtquam initiaueris manus eorum, applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij. Tabernaculo enim facto, altari ædificato, veſtimentis ſacerdotalibus compoſitis, indutis ſacerdotibus, hoc nunc ex ordine reſtat, vt de ſacrificio loquatur. Dicatur ergo: *Poſtquam initiaueris, & conſecraueris manus eorum, vt munda dignaque fiant Dei tangere ſacrificium, applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij.* Vitulus enim iſte, vt ſuperius diximus, Chriſtus eſt: Moyſes autem aliquando Chriſtum ſignificat: aliquando verò pro omnium Iudæorum populo ponitur, quoniam omnium Dux & Princeps, omnium in ſe conſilia gerebat. Applicuit ergo Moyſes, id eſt, populus Iudæorum vitulum coram tabernaculo teſtimonij, quando datis triginta argenteis Chriſtum Iudæi tenuerunt, & ad Pontifices deduxerunt, quorum iudicio quia iudicatus & damnatus eſt, ideo ſubditur.

Imponentque Aaron & filij eius manus ſuper caput illius, & mactabis eum in conſpectu Domini iuxta oſtium tabernaculi. Quid enim per Aaron & filios eius, niſi Anna & Cayphas & Sacerdotes & Leuitæ & Scribæ & Phariſæi intelliguntur? Hi autem impoſuerunt manus ſuper caput vituli, quia in Chriſtum Dominum noſtrum manum mittere non timuerunt, clamantes, & dicentes: *Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Vnde etiam Apoſtolus ait: *Chriſti caput Deus eſt.* Illi ergo imponunt manus ſuper caput Chriſti, qui & Deum illum eſſe negant, & Diuinitatem in illo opprimere conantur. Mactauerunt autem eum in conſpectu Domini, quoniam eius morti ſemper præſentialiter Dominus affuit. Et hoc quidem iuxta oſtium tabernaculi teſtimonij, quoniam etſi extra portam paſſus eſt ciuitatis, in ciuitate tamen & iuxta templum iudicatus & damnatus eſt.

Sumptumque de ſanguine vituli pones ſuper cornu altaris digito tuo. Quid enim per altare niſi crucem? Quid vero per cornua altaris, niſi crucis cornua intelligimus? Sanguis igitur vituli ſuper altaris cornua poſitus eſt, quia Chriſti ſanguis de eius digitis, manibuſque profluens, crucis cornua cruentauit. Reliquum autem ſanguinem fundes iuxta baſim eius, baſes autem huius altaris illa crucis pars intelligitur, quæ terræ affixa erat. Funditur igitur ſanguis reliquus ad baſim altaris, quoniam totus ille Chriſti ſanguis, qui de ipſius pedibus diſtillauit, & de eius latere manauit, ad crucis baſim fluendo peruenit. Sequitur.

Sumes & adipem totum qui operit inteſtina, & reticulum iecoris ac duos renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & offeres incenſum ſuper altare. Quid enim per inteſtina & adipem, & ea quæ cordi adhærent, quæ quidem quaſi inuiſibilia in occulto latent, niſi Chriſti dilectionem, quam erga nos habuit, & eius miſericordiam & pietatem intelligere debemus? Hæc enim ſuper crucis altare Chriſtus Dominus noſter in odorem ſuauitatis incendens offerebat, quando pro ſuis perſecutoribus orans dicebat: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* De hoc etiam Pſalmiſta loquitur dicens: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Itemque: *Memor ſit Dominus ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Itemque tres pueri in Daniele: *Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum.* Quid eſt enim quod omnis adeps offerri iubetur, & holocauſtum pingue laudatur? Caro enim macra & ſine pinguedine, neque quando aſſatur, reddit odorem, neque quando comeditur præſtat ſaporem. Hæc autem pinguedo non corporis, ſed Spiritus, non carnis ſed mentis intelligi debet: Animæ namque pinguedo fides eſt, ſpes & charitas, & omnium collectio virtutum: hæc ſuaue redolent, hæc in omni ſacrificio Domino placent, & ſine his nullum ſacrificium eſt acceptabile. Hoc enim adipe pingues erant illi, de quibus dicitur: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Offert ergo Chriſtus adipem ſuum, offert & holocauſtum lætum, & pingue, offert & odorem & ſaporem ſuauitatis. Ipſe eſt enim mons Dei, mons coagulatus & pinguis; Huius enim adipis odore, & cœlum repletur, & terra. Sequitur.

Carnes vero vituli, & corium eius & fimum combures foris extra caſtra, eo quod pro peccato ſit: Hoc enim Apoſtolus exponens quod totum hoc de Chriſto intelligi debeat, manifeſtat dicens; Quorum enim animalium infertur ſanguis in ſancta pro peccato, horum corpora cremantur extra caſtra, ita & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Tunc enim extra caſtra vituli carnes, corium, & fimus com-

A burebantur, quando extra portam in cruce pendens pro peccatis noſtris Chriſtus Dominus noſter duram mortem patiebatur Nemo autem, cum vituli ſimum legerit, ſimum quoque Chriſtum ſignificare abhorreat; hoc enim ſimo pingueſcit terra noſtra: hoc ſimo fertilis fit & caro & anima noſtra. Idipſum enim per ſimum vituli, & per Noë Patriarchæ diſcooperta verenda ſignificari arbitror. Fimus ergo vituli, crucis ignominiam ſignificat. In hoc enim Apoſtolus gloriatur dicens, *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vitulus igitur noſter, id eſt, verbum Dei, habet carnes quibus reficimur. Vnde ipſe ait; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, Habet & corium, quod niſi de litteræ ſuperficie detractum fuerit, ad carnes & ad ſpiritualem intelligentiam accedere non valemus. Nos enim ipſi quando iſta dicimus, vitulum, id eſt verbum Dei quodammodo decoriamus, quod enim corium ſuper carnes, hoc ignominia ſuper litteram, Et hæc de vitulo dicta ſufficiant.

B *Vnum quoque arietem ſumes, ſuper cuius caput ponet Aaron & filij eius manus, quem cum mactaueris, tolles de ſanguine eius, & fundes circa altare: ipſum autem arietem ſecabis in fruſtra, lotaque inteſtina eius ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius, & offeres totum arietem in incenſum ſuper altare.* Quamuis enim vnum, idemque, & per vitulum & per arietem intelligatur, ſiquidem vtrumque Chriſti paſſionem ſignificat, differt tamen, quoniam vitulus illam eius mortem deſignat, de qua Apoſtolus ait; Chriſtus ſemel, pro peccatis noſtris mortuus eſt, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Aries autem hanc illius hoſtiam demonſtrat, quæ nunc quotidie in eius memoria in ſancta Eccleſia pie a ſacerdotibus immolatur. Vnde & ibi ſuper altaris cornu ſanguis ponitur: hic autem ſolummodo circa altare funditur. Ait ergo: *Vnum quoque arietem ſumes, ſuper cuius caput ponent Aaron, & filij eius manus.* Hoc autem in loco Aaron & filij eius, ſanctæ Eccleſiæ Epiſcopos & Sacerdotes deſignant, ſuperius enim Synagogæ ſignificauerunt miniſtros. Ponunt igitur Aaron & filij eius manus ſuper caput arietis, quando Pontifices & Sacerdotes puras manus eleuant ad Chriſti corpus conficiendum. Pro toto quidem corpore, caput ponit, quoniam caput principalior pars corporis eſt. Quem cum mactaueris, inquit, tolles de ſanguine eius, & fundes circa altare, quatenus & ore & corde à fidelibus ſuſcipiatur. Hoc enim altare non conuenientius quam hominis mens & cor intelligi poteſt. Funditur igitur ſanguis circa altare, quoniam mentes & corda ſemper tangens, nunquam Chriſti ſanguis & paſſio a fidelium memoria dilabitur. Semper enim in eius ſanguine natant corda noſtra, ſemperque eius ſanguis, & paſſio verſatur circa mentem noſtram. Vnde & ipſe Dominus ait; Hoc facite in meam commemorationem. Sequitur; Ipſum autem arietem ſecabis in fruſta, arietem enim in fruſta ſecamus, quando omnia, quæ de Saluatore noſtro ſcripta ſunt, particulatim, & per ſententias diuidentes

D exponimus, nunc de eius ineffabili natiuitate, nunc de eius prædicatione, nunc de miraculis, quæ ſolo verbo operabatur, nunc de paſſione, nunc de reſurrectione, nunc de eius aſcenſione verbum facientes. Lotaque inteſtina, ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius, & offeres totum arietem ſuper altare. Quid enim per eius pedes & inteſtina, niſi eius finem & paſſionem intelligimus: finis enim corporis, pedes ſunt: inteſtina vero videre horribile eſt. Quod ergo ſignificatur per ſimum vituli, hoc ſignificatur per inteſtina & pedes arietis. Pedes ergo arietis & inteſtina lauamus, quando Chriſtum Dominum non imbecillitate, ſed voluntate paſſum eſſe probamus, quando ſputa, flagella, ſpineam coronam & totam crucis ignominiam, (hæc ſunt enim eius inteſtina) propria voluntate eum ſuſtinuiſſe, ex ipſius teſtimonio oſtendimus: Oblatus eſt enim, quia ipſe voluit: poteſtatem enim, habuit ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Vnde & dicit, *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet:* Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. E

Hoc enim cum dicimus, eius pedes & inteſtina lauamus, & ea quæ in eo infirma, imbecillia & deſpicienda apparebant, nobilia, fortia, & admiranda eſſe monſtramus. Hæc autem, id eſt inteſtina & pedes arietis ponimus ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius, quoniam poſtquam Chriſtum Deum eſſe, de Virgine natum, inter homines conuerſatum, cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, & cætera quæ fecit, ſingulariter oſtendimus, tunc tandem & his omnibus illud quoque ſuperponere & addere debemus, quia pro nobis paſſus eſt, & propter peccata noſtra mortem turpiſſimam, & crucis ignominiam ſuſtinuit. Hic eſt enim rectus ordo prædicationis, ſi arietem noſtrum, id eſt verbum Dei concidentes & in fruſta ſecantes à capite incipientes, ipſumque caput prius ponentes, dicamus: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Hoc eſt enim caput arietis. Deinde autem cætera quoque membra per ordinem exponentes, poſtquam eum hominem F

factum, de Virgine natum, cum hominibus conuerſatum, & ſimilia quæ de eo ſcripta ſunt expoſuerimus, tandem ad eius paſſionem veniamus, & crucis ignominiam poſt omnia & ſuper omnia addamus, & hoc quidem eſt pedes arietis & inteſtina ſuper conciſas carnes & ſuper caput ponere. Quod quidem Ioannes Euangeliſta feciſſe dignoſcitur, poſtquam enim dixerat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, conſequitur, & particulatim Chriſti doctrina & miraculis poſitis, tandem eius paſſionem & crucis ignominiam per omnia ſuperaddit. Quod autem addit. *Et offeres totum arietem ſuper altare*, tale eſt, ac ſi diceret: Non ſolum Chriſti Diuinitatem & humanitatem, verum etiam paſſionem, reſurrectionem & aſcenſionem, & quæcunque de eo ſcripta ſunt, ſemper in memoria, in corde, & in mente habebis. Diximus enim, quia hoc altare, mens & cor hominis intelligatur. Quoties ergo Spiritu contribulato, corde contrito & humiliato, Saluatoris noſtri benigne memores ſumus, eumque aliis prædicamus, toties ſuper cordis altare to- G

tum arietem immolamus: Oblatio enim Domini eſt odor ſuauitatis: Nulla enim noſtra oblatio eſt Deo ſuauior, quam amor, pietas, & dilectio, qua circa eius memoriam afficimur, & in eius dulcedine ſuſpiramus. Hac enim dulcedine Pſalmiſta plenus dicebat: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

Tolles quoque arietem alterum, ſuper cuius caput Aaron & filij eius ponent manus. Quem cum immolaueris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremum dextræ auriculæ Aaron & filiorum eius, & ſuper pollices manus eorum, & pedis dextri. Fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. Hæc enim tertia oblatio illa eſt, de qua Pſalmiſta loquitur dicens. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Vitulus igitur, vt diximus, Chriſti paſſionem; primus autem aries ipſius corporis & ſanguinis Sacramentum quod quotidie vbique in Eccleſia immo- H

latur: hic autem ſecundus aries, Apoſtolorum & Martyrum paſſiones & tormenta ſignificat. De hoc enim ariete ſcriptum eſt, *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino, filios arietum.* Itemque: *Montes exultauerunt vt arietes.* De hac quoque oblatione & Apoſtolus dicit: *Ego enim iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat.* Itemque: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Ipſe quoque Dominus filiis Zebedæi; *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* qui cum ſe poſſe reſponderent, ait, *Calicem quidem meum bibetis*, id eſt, vos quoque pro me patientes, Dei holocauſtum & oblatio eritis. Super caput ergo huius arietis Aaron & filij eius manus poſuerunt, quoniam incitamento Pontificum & Sacerdotum (qui per Aaron & filios eius intelliguntur) ſtatim poſt Chriſti paſſionem in Apoſtolos Iudæi manus iniecerunt. Primum

A enim Stephanum & Iacobum interfecerunt, demum vero nimis crudeliter vbique Eccleſiam perſecuti ſunt. Et iſti quidem ſuper caput arietis manus poſuerunt, quando primitiuam Eccleſiam diuerſis, multiſque tormentis afflixerunt. Diximus autem ſuperius quod Aaron & filij eius, aliquando Iudæorum Pontifices, & Sacerdotes; aliquando Epiſcopos & Sacerdotes noſtros ſignificent; Illos enim ſignificant, cum male agunt; hos autem ſignificaut, cum bonum aliquod operantur. Illos cum ſanctos perſequuntur; iſtos, cum à Domino conſecrantur. Vnde & ſubditur: *Quem cum immolaueris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremum dexteræ auriculæ Aaron & filiorum eius.* Ecce enim Aaron & filij eius, qui modo Iudæorum Pontifices & Sacerdotes ſignificabant, nunc noſtros Epiſcopos & Sacerdotes ſignificant, qui, quoniam nil ſiniſtrum habent, ideo ſuper eorum dextram aurem & manum & pedem, ſanguis arietis poni iubetur: Iudæi vero dextram autem non habent, quam ſeruo Malcho B. Petrus abſcidit. Nihil enim B ſiniſtrum habent ſancti. Ideo & in Euangelio Dominus ait: *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Sanguis enim arietis nobis aures tangit, quando Martyrum paſſiones nos audire delectat. Sed quia perparum audire prodeſt, niſi & eorum actus imitemur, ideo etiam manus ſanguine tanguntur, quatenus eos & in operatione, &, ſi neceſſe fuerit, in paſſione ſequamur. Tangit autem & pedes, vt bonum exemplum quod ex eis capimus, aliis etiam nos prædicare non pigeat ſecundum illud Apoſtoli: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Quod autem extremum auriculæ ſanguis tangit, hoc eſt intelligere, quod aures ſanctorum vſque ad extremam ſæculi conſummationem verbo Dei nunquam claudentur. Et quoniam Iudæorum quoque populus circa mundi finem ad Dei verbum audiendum aures aperiet, non immerito extremum auriculæ Aaron, ſanguis arietis tetigiſſe dicitur: extremum enim auriculæ tangere eſt vltimos, & extremos ad pœnitentiam vocare. Funditur autem ſanguis arietis ſuper altare C per circuitum, quoniam omnium mentes & corda, in Sanctorum Martyrum paſſionibus, conſtantia & ſanguine delectantur. Siue enim totam Eccleſiam, ſiue vniuſcuiuſque mentem altare intelligamus, ſanguis tamen Martyrum ſuper altare funditur, quoniam fidelium mentibus Martyrum paſſiones narrantur.

Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altari, & de oleo vnctionis aſperges Aaron & veſtes eius, filios, & veſtimenta eorum. Sanguis enim de altari, & oleum vnctionis ſuper Aaron & veſtes eius ſpargitur, quoniam Sanctorum Martyrum paſſiones, & gratia ſancti Spiritus, qua peruncti erant, omnibus Epiſcopis & Sacerdotibus ad prædicandum, & imitandum traduntur. Imitari enim, ad Aaron, prædicare autem ad veſtes eius pertinet. Dum enim Martyrum ſanguis in veſtibus videtur, ipſæ etiam veſtes quodammodo prædicant Martyrum paſſiones. Dum vero Aaron & ſanguine tingitur & oleo vngitur, tunc quidem ſacerdos, & martyrium imitatur, D & gratia roboratur. Ille enim ſacerdos Martyrum ſanguine non tingitur, qui Martyrum ſpernit imitari paſſiones: ſi vero eorum martyria etiam prædicare negligit, proculdubio nec in veſte eorum ſanguinem ſuſcepit. Veſtis enim noſtra caro eſt, hac enim veſte induitur anima: cum ergo lingua carnis martyria Martyrum prædicamus, eorum ſanguinem in veſtimento quodammodo ferimus. Hic autem ſanguis tollitur de altari cordis noſtri, quia quod in corde habemus, hoc agimus & docemus.

Conſecratiſque & ipſis & veſtibus eorum, tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam quæ operit vitalia ac reticulum iecoris, & duos renes atque adipem, qui ſuper eos eſt, armumque dextrum, eo quod ſit aries conſecrationis, tortam panis vnius cruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azimorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini. Conſecratis, inquit, & ipſis & veſtibus eorum, quatenus eorum vitam imitentur, quorum & ipſi & eorum veſtimenta ſanguine aſperguntur, tolles adipem de ariete, & cætera quæ ſequuntur. Non enim, E ſufficit, nos ſolo arietis ſanguine aſpergi, niſi eius adipem & caudam & aruinam & cætera, quæ hic poſita ſunt, de ariete ſuſcipiamus: quoniam non ſolum Martyrum paſſiones, verum & eorum vitam, mores, & ſapientiam amplecti, & imitari debemus. Tolle igitur adipem de ariete, adipem dico non carnis, ſed mentis: mentis enim adeps iuſtitia eſt, prudentia, temperantia, & fortitudo, hoc enim adipe incraſſatur anima. Tolle & caudam, vt ſunt illi de quibus loquimur, ita & tu vſque in finem in bono opere perſeueres: *Qui enim perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit*, cauda enim pro fine ponitur, quoniam finis corporis cauda eſt. Tolle & aruinam quæ operit vitalia, vitalia enim, corda ſunt, quoniam ibi eſt vita. Aruina igitur cordis, ſapientia, & ſcientia intelliguntur. Macrum enim eſt illud cor, quod hac aruina non impinguatur. Tolle, & reticulum iecoris, vt nihil de pinguedine relinquas. Omnis enim arietis huius pinguedo bona eſt? ad iecur enim, ſecundum Phyſicos, digeſtio pertinet, vnde & patrem F familias illud vocant, quoniam eius officio cætera membra nutriuntur. Macrum autem infirmum & debile iecur, digerere cibos non valet. Reticulum igitur iecoris quid erit, niſi illa intelligentia: qua ſanctarum ſcripturarum intelligentias ruminando digerimus. Cibus enim, qui non digeritur, inutilis eſt. Scriptura, quæ non intelligitur infructuoſa eſt. Vt ergo noſtrum iecur pingueſcat, tollamus huius reticulum iecoris: tolle ſimiliter & duos renes, & adipem qui ſuper eos eſt, vt tales ſint renes tui, quales & ſanctorum renes fuerunt: Sint lumbi tui præcincti vbi dominatur libido, dic Domino cum Pſalmiſta: *Proba me Deus & tenta me vre renes meos, & cor meum.* Sed quia caſtitas carnis inutilis eſt, niſi & caſtitas mentis habeatur, adipem quoque qui ſuper renes eſt, tollere iubetur: Tunc enim caſtitas pinguis eſt, quando neque caro à fornicatione, neque anima ab hæretica prauitate, vel vitiorum amore corrumpitur. Tolle & armum dextrum. Audi Apoſtolum dicentem. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti,* vt quomodo Chriſtum te, ita te proximum ferre non G pigeat. Ille enim Epiſcopus non habet armos, qui aliorum onera portare non vult. Eſt autem hic aries conſecrationis, quoniam hoc ariete, & Aaron, & filij eius conſecrantur. Tolles, & tortam panis vnius, & cruſtulam conſperſam oleo, & laganum de caniſtro azimorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini, per tortam enim panis vnius & cruſtulam & laganum, fidem, ſpem, & charitatem intelligimus. Sicut enim panis inter omnes cibos, ita fides omnium virtutum prima, & maxima eſt: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: hæc prima datur, hæc in baptiſmo ſuſcipitur, quam qui non habet, nihil habet. Eſt autem torta panis vnius, quoniam & fides vna eſt. Sic enim Apoſtolus ait. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Sed quare torta? Torta enim ſimilitudinem coronæ exprimit: per fidem autem venitur ad coronam. Vnde Apoſtolus cum dixiſſet. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Mox addidit docens: *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, Cruſtula vero H ſpem ſignificat: Quod enim in ſartagine frigimur, quod in craticula aſſamur, quod in diuerſis tribulationibus affligimur, hoc totum ſpes futuræ beatitudinis operatur. Vnde & Apoſtolus ait: *Si enim quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Quid vero laganæ latitudo niſi charitatem deſignat, de qua ſcriptum eſt. Latum mandatum tuum nimis: In hoc enim mandato tota lex pendet & Prophetæ. Hæc autem omnia & azima ſunt, & oleo lita, quoniam ſincera, & incorrupta ſunt, & Sancti Spiritus gratia perfuſa: Fides enim, quæ Catholica non eſt, & quæ ſine operibus mortua eſt, illa quidem neque azima eſt, neque oleo lita. Similiter autem & ſpes non firma & charitas ficta, neq; azima eſt, neq; oleo lita. Sunt autem omnia hæc in caniſtro azimorũ poſita & collecta, per quod librũ iſtum, librum inquam Exodi intelligimus. In hoc enim libro cuncta Dominus Moyſi & colligere, & ſcribere iuſſit, & ita Aaron, & filiis eius tradere præcepit.

A Quia ergo Aaron & filij eius Epiſcopos, & ſacerdotes deſignant, cui hoc caniſtrum, id eſt liber iſte, niſi Epiſcopis & ſacerdotibus traditus intelligitur? Nobis enim ad legendum, ad meditandum, ad docendum, & obſeruandum, omnia iſta tradita ſunt. Vnde ei ſubditur.

Poneſque omnia ſuper manus Aaron, & filiorum eius, & ſanctificabis eos, eleuans coram Domino. Tunc enim Epiſcopus ſine dubio ſanctificatur, quando ſacram legem, & Diuina volumina ad meditandum & docendum ſuſcipit, & ſe non labiis tantum, ſed toto corde ſeruare promittit. Eleuat autem ea coram Domino, quoniam in vita & ei in doctrina talem ſe exhibet, cuius obſequia ſurſum ferri, & à Deo videri & recipi mereantur. Ille enim ſurſum non eleuat, neque ſe, neque munera ſua, qui vitiorum contagio deturpat & deprimit vitam & animam ſuam. Sequitur.

B *Suſcipieſque munera de manibus eorum & incendes ſuper altaria in holocauſtum odorem ſuauiſſimum in conſpectu Domini, quia oblatio eius eſt.* Niſi enim Domino iſta placuiſſent, nequaquam Moyſi, ſuo mediatori & quodammodo vicario ea Dominus ſuſcipere præcepiſſet: quod enim Moyſes ſuſcipit, hoc & à Deo ſuſcipitur. Incenduntur autem ſuper altare, vt ſuauem reddant odorem, & Domino placeant. Ait enim Apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, aliis ſumus odor vitæ ad vitam: aliis odor mortis ad mortem. Cum enim ea, quæ ſuperius dicta ſunt, fidelium mentibus prædicando infundimus, tunc ſuper cordis altare caniſtrum euacuamus, & ea quæ in eo repoſita fuerant, in odorem ſuauitatis incendimus. Hoc enim odore & Deus placatur, & ad quoſcumque odor iſte peruenerit, in eo delectantur. Hæc enim oblatio Dominus eſt. Vnde Pſalmiſta. *Immola Deo ſacrificium laudis.* Cum enim prædictum caniſtrum ſuper altare, id eſt ſuper fidelium mentes effunditur, cum liber exponitur, cum ſacra ſcriptura prædicatur, tunc ſacrificium laudis Deo immolatur. C Cum ergo ſacerdotes Dei tale ſacrificium offerunt cum populo prædicant, cum fidelium mentes accendunt, & incendunt, tunc cum oblationibus ſuis odor ſuauiſſimus Domino fiunt. Sequitur.

Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, & ſanctificabis illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem ſuam. Sanctificabis, & pectuſculum conſecratum, & armum quem de ariete ſeparaſti, quo initiatus eſt Aaron, & filij eius, cadentque in partem Aaron, & filiorum eius iure perpetuo à filiis Iſraël, quia primitiua ſunt & initia de victimis eorum pacificis, quæ offerunt Domino. Aries enim, quo initiatus, & conſecratus eſt Aaron, hic eſt de quo vſque modo locuti ſumus, cuius pectuſculum & armum Aaron ſuſcipit, quoniam Epiſcopi & ſacerdotes omnium conſilia in pectore, & omnium pondera ſuper humeros ferre debent. Qui enim tot animalium pectora armoſque comedunt, eos, & ſapientes & fortes, &, vt ita dixerim, pectoroſos, & armoſos eſſe oportet. D Ideo enim vobis Epiſcopi, & Sacerdotes pectora dantur, ne locus vobis deſit, in quem Dei theſaurum reponatis. Habetis autem & armos, vt totius Eccleſiæ pondera potenter ferre valeatis. Sed videant ſacerdotes, qui, & armos & pectora ſanctificata comedunt, vt & armos, & pectora ſancta, & iuſta habeant. Sanctum enim pectus ſancta eructat, & ſuper ſanctos humeros non aſcendit iniquitas. Hæc autem & inter primitias computantur, & ideo ſacerdotum ſunt, quia omnes primitiæ ſacerdotibus à populo dantur.

Veſtem autem ſanctam qua vtitur Aaron, habebunt filij eius poſt eum vt vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum. Septem diebus vtitur ea, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ſuis, & qui ingreditur tabernaculum teſtimonij, vt miniſtret Domino in ſanctuario. Vos enim Epiſcopi & Sacerdotes eſtis filij Aaron, ſi tamen Aaron imitamini, & Moyſi fratres eſtis: illius vtique Moyſi qui ait. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Vos ergo habetis veſtem Aaron, vos gloria, & decore omniumque virtutum ornamento induti eſtis: Vos rationale, E & ſuperhumerale habetis, vos Sancti Spiritus gratia inuncti eſtis, veſtræ quoque manus ad Chriſti corpus & ſanguinem conficiendum, omneque bonum & honeſtum agendum ſunt conſecratæ; vos enim ſeptem diebus, hac veſte vtimini, quoniam omnibus diebus ea vtimini, & numquam ea expoliamini. Non enim ſunt dies niſi ſeptem, quod ergo ſeptem diebus fit, omni tempore fit.

Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibus veſcetur Aaron, & filij eius. Diximus enim per hunc arietem, Apoſtolorum omniumque Martyrum multitudinem intelligi. Horum autem carnes comedunt Epiſcopi, & ſacerdotes, eorumque filij; non ſicut illi, de quibus dicitur. Quia comederunt Iacob. Apoſtolorum enim & Martyrum nos carnes comedimus, quoniam ipſi ſunt panis noſter ipſi ſunt cibus noſter, ipſi ſunt refectio noſtra, eorum exemplis viuimus, eorum doctrina nutrimur, eorum ſermonibus, & operationibus ſaturamur. F Horum autem carnes coquimus in loco ſancto, quia eorum ſcripta, doctrinam & exempla, in corde fideli meditamur, & ſana intelligentia ruminamus. At vero hæretici non coquunt has carnes in loco ſancto, quoniam in ſterquilinio hæretici cordis, cuncta malè intelligendo deprauant. Eorum igitur exempla ſequamur, quorum pane ſaturamur. Sequitur.

Panes quoque qui ſunt in caniſtro in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificent offerentium manus. Comedimus iam carnes arietis, comedamus & panes qui ſunt in caniſtro, vterque enim cibus bonus eſt, & ad comedendum ſuauis: audiuimus enim Apoſtolorum & Martyrum vitam & doctrinam, audiamus & ea quæ in hoc caniſtro, id eſt in hoc libro continentur: audiuimus noua, audiamus & vetera: Bonus enim ille eſt, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Hos autem panes in veſtibulo tabernaculi, & in loco ſancto comedere debemus, quatenus non demus ſanctum canibus, nec ſpargamus margaritas ante porcos: G In loco ſancto comedamus illos, in conuentu fidelium eos expendamus, comedamus & exponamus. Quare hoc? vt ſit placabile ſacrificium, vt nomen Dei non blaſphemetur, vtrumque miniſterium non vituperetur, & ſanctificentur offerentium manus. Si enim rectè offeras, non rectè diuidas, peccaſti: ſicut enim videndum eſt quid offeras, & cui offeras, ita & videndum eſt, vbi offeras. Vnde & ſubditur: *Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſanctificata ſunt.* Maiora enim ſcripturarum ſacramenta ſolis fidelibus tradenda ſunt: Quæ enim conuentio fideli cum infideli? Infidelibus ergo fides prædicetur: quod ſi contrectatur, accedat & edat: *Alienigena, enim non veſcetur ex eis.*

Quod ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſiue de panibus vſque mane, combures reliquias igni, non comedentur, quia ſanctificata ſunt. Hoc enim puto eſſe illud quod ſuperius de agno phaſe dictum eſt: Si quid reſiduum fuerit, igne comburatur. Non enim omnia comedi poſſunt, H quoniam non omnia intelligi poſſibile eſt, multa relinquentur vſque mane, & prius hæc nox, hæc vita tenebris & ignorantia plena finietur: prius Sol iuſtitiæ orietur, quam omnia Sanctarum Scripturarum Sacramenta intelligantur. Quæ ergo intelligi non poſſunt, igne fidei comburantur, Sanctoque Spiritui committantur, & firmo charitatis amore credantur. Non enim propter aliud reliquias comedere interdictum fuerat, niſi vt ea quæ intellectui non patent, quæ Dei ſapientia occulta eſſe voluit, nos perſcrutari & inueſtigare omittamus. Qualiter enim verbum caro factum eſt, qualiter vel à Patre, vel à matre Dei filius genitus eſt; qualiter Spiritus Sanctus à Patre procedat & filio, multaque alia his ſimilia, nulli vnquam hominum in hac vita reuelata ſunt.

Omnia quæ præcepi tibi facies ſuper Aaron & filiis eius. Septem diebus conſecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Quid eſt enim, ſeptem diebus conſecrabis manus eorum? Audite Epiſcopi, audite Sacerdotes: nullus dies prætermittatur, omni die conſecrari debent manus veſtræ, non enim ſunt

A dies niſi ſeptem, qui ergo ſeptem diebus conſecratur, omnibus diebus conſecratur. Omnibus autem diebus illius manus conſecrantur, qui ſemper manus & opera ſua cuſtodit vt munda ſint, vt nihil mali operentur, & vt cunctis bonis operationibus inſiſtant. Offert autem & vitulum ad expiandum per ſingulos dies, qui nunquam vnigeniti filij Dei obliuiſcitur paſſionis. Vitulus enim iſte Chriſtus eſt, cuius dum natiuitatem, doctrinam, operationem, miracula, crucem, flagella, paſſionem, ſpineam coronam, & cætera quæ pro nobis ſuſtinuit, in mente habemus, magnum ad peccata expianda ſacrificium Deo offerimus. Offertur autem & vitulus iſte ad expiandum, per ſingulos dies, quoniam vſque ad ſæculi conſummationem Chriſti corporis & ſanguinis Sacramentum, Sancta Eccleſia quotidie offerre non ceſſabit.

Mundabiſque altare, cum immolaueris expiationis hoſtiam, & vnges illud in ſanctificationem. Quod enim hoc

B altare Eccleſiam ſignificet, ſuperius cum de eo loquebamur, oſtendimus. Cum enim vniuſcuiuſque fidelium mens, altare vocetur, multo magis altare, tota Eccleſia & intelligi & dici debet. Hoc autem altare toties mundari oportet, quoties expiationis hoſtia immolatur in eo: *Qui enim* hanc hoſtiam *indigne manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit.* Apoſtoli enim verba ſunt hæc. Mundatur enim altare iſtud pœnitentia, lacrymis, eleemoſynis, & miſericordiæ operationibus: Vngitur autem in ſanctificationem oleo pietatis & gratia Spiritus Sancti: hoc enim oleo ſanctificatur Eccleſia. Sequitur: *Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum, omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur.* Quod enim ſeptem dies omne tempus ſignificent, ſæpe iam diximus: Quod vero omni tempore ſanctificatur, & in melius proficit, ſanctum eſt, immo Sanctum Sanctorum. Sanctificatur autem omnis qui hoc altare

C tangit, quoniam quicunque Eccleſiaſticam religionem ſuſcipit, & ſanctorum exemplis corde tangitur & compungitur, ille proculdubio ſanctus efficitur.

Hoc eſt quod facies in altari: agnos agniculos duos per ſingulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum veſpere: decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo contuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno vno. Quamvis enim duo agni vnum idemque ſignificent, (ſiquidem illum agnum ſignificant qui tollit peccata mundi) aliter tamen quotidie in Eccleſia, aliter in cruce immolatus eſt Chriſtus. Hic enim à fidelibus cum pietate: ibi vero à Iudæis cum crudelitate immolatus eſt. Et quidem mane & veſpere noſter quoque agnus immolatus eſt; quoniam Chriſtus Dominus noſter, mane à Iudæis iudicatus, damnatus, flagellatus & conſputus, ligatus, alapis cæſus, multiſque aliis iniuriis affectus eſt: veſpere autem in cruce pendens ſpiritum emiſit. Vnde Pſalmiſta: *Dirigatur*, in-

D quit, *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Nos quoque duos agnos immolemus, & mane & veſpere Crucis Chriſti & paſſionis memores ſimus; vt per memoriæ cõpunctioniſque ſacrificium quod mane immolamus, ab omnibus aduerſis per totum diem ſecuri eſſe poſſimus: Illud vero quod veſpere agimus ab omni vitiorum infeſtatione per totam noctem reddat eſſe ſecuros. Hoc eſt enim mane & veſpere, quod die & nocte, quod omni tempore. Offeramus autem & decimam partem ſimilæ: offeramus & vinum eiuſdem menſuræ. O admirabile Sacramentum, hoc eſt enim ſacrificium Melchiſedech, hoc eſt ſacrificium Pontificis noſtri: Põtificis inquam, cui dictum eſt, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Similam enim, & vinum obtulit Chriſtus: Similam & vinum & nos quotidie immolamus: Panis enim corroborat & vinum lætificat cor hominis. Conſpargitur autem hæc ſimila, hæc medulla frumenti, hic panis viuus, qui de cœlo deſcendit, oleo contuſo; quoniam eiuſdem Sancti Spiritus operatione panis iſte mutatur in Chriſti carnem, cuius obumbratione & inſpiratione de virgine natus eſt Chriſtus. Quia vero decimam & quartam offerri iubet, illud apertiſſimè ſignificare videtur, quod nullius

E à Deo ſuſcipiatur oblatio, qui nouum & vetus non recipit teſtamentum. Quia enim decem ſunt verba legis, Euangelia vero quatuor, ideo in decem & quatuor, vetus & nouum intelligitur teſtamentum. Igitur fide vtriuſque teſtamenti, & oleo Spiritus Sancti panem & vinum offeramus. Quibus & agnus quidem ideo adhibetur, quoniam in agni carnem & ſanguinem iſta mutantur.

Alterum vero agnum offeres ad veſperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus in odorem ſuauitatis, ſacrificium eſt Domino oblatione perpetua in generationes veſtras. Quia enim vnum idemque vterque agnus ſignificat, ideo vno eodemque ritu & veſpere offertur & mane. Fit autem hoc ſacrificium oblatione perpetua, quoniam vſque ad ſæculi conſummationem in ſancta Eccleſia hæc oblatio non finietur. Sed vbi fit, ſequitur.

Ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, vbi conſtituam vt loquar ad te, ibique præcipiam filiis Iſraël,

F *& ſanctificabitur altare in gloria mea. Sanctificabitur & tabernaculum teſtimonij cum altari & Aaron cum filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi, & habitabo in medio filiorum Iſraël, eroque eis Deus, & ſcient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, vt manerem inter illos ego Dominus Deus eorum.* Ad oſtium namque tabernaculi fit ſacrificium, quia ibi ſunt ſacerdotes, immo ipſi ſunt oſtium, cæteraque fidelium multitudo per eos ingreditur tabernaculum. Ad oſtium quippe fit ſacrificium, vt ſtatim in ipſo fidei introitu & baptiſmate ſuſcepto, Chriſti corporis & ſanguinis in Chriſto regenerati participes fiant. Vnde & iuxta altare labium ponitur, in quo lauantur ſacerdotes. De hoc enim in ſequentibus dicetur.

CAPVT XXXV.

F*Acies quoque altare ad adolendum thymiama de li-*

G *gnis Sethin, habens cubitum longitudinis, id eſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine, cornua ex ipſo procedent, veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam eius, quam parietes per circuitum, & cornua.* Superius enim altare totam Eccleſiam, hoc autem Chriſti humanitatem ſignificat: Vnde propter ſuauitatis odorem qui ſuper eo offerebatur, altare thymiamatis appellatur. Ad hoc autem ſoli Pontifici ad immolandum accedere licebat, quoniam vnius ſummique Pontificis humanitatem ſignificabat. Huius enim altaris fragrantiam ſenſerat Eccleſia cum dicebat: Trahe me poſt te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Huius odorem & Iſaac ſentiens ait: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.* Hic eſt enim ille flos campi & lilium conuallium, in quo ſeptem Spiritus Sancti gratiæ requieſcunt. Eſt autem hoc altare de lignis Sethim, de lignis fortibus & imputribilibus. Vnde & Pſalmiſta de eo loquens ait: *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

H Sethim namque ſpina, interpretatur: ſpinis autem hoc altare coronatum legimus. Eſt autem quadrangulum, vtpote firmum, ſtabile & immobile. Hæc eſt enim illa firma petra ſuper qua fundatur Eccleſia. Eleuatur autem duobus cubitis in altitudine, quia quaſi duobus cubitis, Deo & homine conficitur. Habet autem vnum cubitum in latitudine, quia Deus & homo, vnus eſt Chriſtus. Denique quia filius in patre, & pater in filio, & Spiritus Sanctus ab vtroque procedit, non immerito tribus cubitis hoc altare metitur. Cornua vero ex Chriſto procedunt, quoniam omnis eius virtus & fortitudo, non per accidens, non aliunde venit, ſed ſemper naturaliter & ſubſtantialiter in ſe habet & poſſidet Saluator noſter. Veſtitur autem auro puriſſimo, quia non ſolum ſapientiæ & ſcientiæ luce refulget, verum & ipſe eſt, à quo eſt omnis ſapientia, & cum quo ſemper fuit, & eſt ante æuum: Hæc eſt enim illa domus quam ſapientia ædificaſſe dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Quia ergo tota hæc domus à ſapientia ædificatur, merito totum altare auro puriſſimo veſtitur. Quoniam autem per craticulam, quæ in modum retis facta

A fuerat, eius prædicatio intelligitur, quis digne dicere valeat, quanta ſapientiæ & ſcientiæ luce hæc craticula refulgeat? Hoc enim eſt illud rete quod Dominus in dextram nauigij Apoſtolis mittere iubet. Sequitur.

Facieſque ei coronam aureolam per gyrum, annulos aureos ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipſos quoque vectes facies de lignis Sethin & inaurabis eos. Coronatur enim hoc altare, ſicut Pſalmiſta de homine Deo teſtatur dicens: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum.* Itemque: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Hæc autem corona, aureolà eſt, quoniam ſapienter acquiſita eſt. Quid autem per quatuor annulos aureos, (tot enim ſunt annuli, quot & altaris anguli) niſi quatuor Euangelia intelliguntur? his enim altare & leuatur & portatur, quoniam Euangelica prædicatione Chriſti nomen & gloria vbique terrarum delata eſt. Sed à quibus? A ſanctis vtique Apoſtolis & Euangeliſtis, Epiſcopis, Eccleſiæque Doctoribus: Iſti enim ſunt illi B vectes quibus altare portatur: iſti circulos aureos, id eſt Euangelia penetrant, eorumque ſententiis inuoluti ab eis non ſeparantur. De his enim ſcriptum eſt: Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. Iſti enim & vectes dicuntur & equi. Qui bene dicuntur eſſe de lignis Sethin, vtpote fortes, incorruptibiles & æterni. Sunt autem deaurati, quia multa ſapientiæ luce refulgent.

Poneſque altare contra velum quod ante arcam pendet teſtimonij coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, vbi loquar tibi. Contra velum namque ponitur altare, & non inter velum, quatenus & ab omnibus videatur, & thimiamatis odore quod in eo adoletur, omnes perfundat & repleat. Hoc eſt enim quod Dominus ait: Ego palam locutus ſum mundo, ſemperque docui in Synagogis vbi omnes Iudæi conuenerant. Stat autem altare coram propitiatorio, quoniam Chriſtus Dominus noſter, propitiationis & miſericordiæ nunquam obliuiſcitur, ſemper ad propitiatorium reſpicit, ſemper ad ſe ve-C nientibus miſeretur. Ibi autem loquitur Dominus, in eo loquitur Dominus, quia ipſe eſt Deus & Dominus qui loquitur.

Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuaue fragrans mane quando componet lucernas incendet illud, & quando collocabit eas ad veſperum, vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras. Aaron namque ipſe eſt Ieſus Pontifex & ſacerdos noſter, qui ſuper altari carnis aſſumptæ omnium thymiamatum fragrans odore, cunctos per circuitum ſuæ famæ notitia delectabat: hoc autem faciebat mane & veſpere. Quid eſt mane & veſpere? omni tempore: mane enim diei, veſpere autem noctis eſt initium, mane autem pro die, veſpere autem pro nocte ponitur, dies vero & nox omne tempus ſignificant. Mane ergo & veſpere lucernas Aaron componebat & collocabat, quoniam Chriſtus Dominus noſter, verbi doctrina, virtutum admiratione, gratiarum diuerſitate fideles ſuos omni tempore illuminabat: talibus enim lucernis illuminantur fidelium corda.

D *Non offeretis ſuper eo thimiama compoſitionis alterius, nec oblationem, nec victimam, nec libabitis libamina.* Nihil enim extraneum, vel corruptum, vel vitiatum, nihil deterioris dogmatis offertur in hoc altari, quoniam Chriſtus Dominus noſter peccatum non fecit nec dolus inuentus eſt in ore eius: nihil niſi iuſtitiam, pietatem, manſuetudinem, charitatem, ſapientiam, concordiam, pacem, & ſimilia hoc altare redolet: talis hinc odor funditur, talia thimiamata fragrant. Cum enim Apoſtolus dicat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco,* qualem ipſum Chriſtum odorem eſſe putamus?

Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius ſemel per annum in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabitur ſuper eo, in generationibus veſtris ſanctum ſanctorum erit Domino. Semel enim Pontifex noſter Ieſus Chriſtus ſuper huius altaris cornua, id eſt in humanitate, quam de Virgine matre ſuſceperat, pro peccatis Iudæorum deprecatus eſt patrem, quando dixit: *Pater ignoſce* E *illis quia neſciunt quid faciunt:* Ipſe enim ſacerdos, ipſe hoſtia, ipſe altare in proprio ſanguine introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, hoc enim ſacrificio, huius Pontificis precibus, cunctis generationibus placatus eſt Dominus. Quod autem ſequitur: *Sanctum Sanctorum erit Domino*, de altari intelligi debet, Corpus enim Chriſti, ſanctum ſanctorum eſt, quoniam ab eo cætera ſanctificantur. Hucuſque de altari.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël, iuxta numerum, dabunt ſinguli precium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Quod habetur in numero a viginti annis & ſupra dabit precium. Omnis, inquit, qui numeratur, id eſt qui tranſit ad nomen, qui & re & nomine aſcribitur in populo Dei; ferat precium, non ſit vacuus nec ſine munere, quia redemptio animæ propriæ diuitiæ. Sed quid dabit? dimidium ſicli. Siclus F enim viginti obolos habet, dabit ergo decem obolos. Sed quare decem? vis audire quare? Quia decem ſunt verba legis: Tanto enim precio vnuſquiſque redimit animam ſuam. Non occidiſti, vnum ſiclum dediſti: Non es mechatus, duos ſiclos dediſti. Non feciſti furtum tres ſiclos dediſti; ſic & in cæteris. Tot enim das ſiclos quot præcepta cuſtodis. Vnde & ſecundum menſuram templi dari iubentur. In templo enim lex eſt. In templo decalogus reperitur & metitur. Dant autem precium à viginti annis & ſupra, quia eius precium non recipitur, quia decem non duplicat, quia teſtamentum dupliciter non intelligit, quia ſecundum litteram & ſpiritum, vtriuſque teſtamenti non laudat expoſitionem. Hinc enim Iudæi, hinc & Manichæi reprobantur.

Diues non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Suſceptamque pecuniam quæ collata eſt à filiis Iſraël, trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus illorum. Diues enim ad medium ſicli nihil addit, quoniam qui G decem verba legis obſeruat, nihil eſt quod vlterius agat. Pauper vero nihil minuere debet, quoniam qui in vno offendit, factus eſt omnium reus. Omnis autem hæc pecunia tradatur in vſus tabernaculi teſtimonij, vt quicumque legis mandata cuſtodit, non ad fauorem vulgi, ſed ad animæ vtilitatem hoc faciat, ſemperque illud in mente habeamus: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Tales enim tabernaculo teſtimonij inutiles ſunt, quoniam muri Ieruſalem ex his non ædificantur.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Facies & labium æneum cum baſibus ſuis ad lauandum, pones illud in tabernaculum teſtimonij & altare, &, miſſa aqua, lauabunt in eo Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ad altare vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur. Legitimum ſempiternum erit ipſi & ſemini eius per ſucceſſiones. Quid enim per labium niſi baptiſmum? Quid per baſin eius, niſi fidem intelligimus? Eſt autem labium æneum, quoniam ſine ſono, H confeſſioniſque voce non datur baptiſmus: Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. Vnde pro paruulis, qui loqui non poſſunt, alij fidem promittentes intercedunt. Ponitur autem labium inter tabernaculum & altare, vt quicunque tabernaculum ingredi, vel ad altare accedere deſiderat, prius aqua lauetur, & baptiſmi ſacramento regeneretur. Et prius quidam Aaron cum filiis ſuis, nunc autem ſacerdotes noſtri cum omnium fidelium multitudine in hoc labio lauantur: omnes enim aut ſacerdotes ſumus, aut filij ſacerdotum. Et illi quidem manus & pedes, nos autem totum corpus ſemel lauantes, ab omni vitiorum ſorde mundamus, quamuis non indigeat niſi vt pedes lauet. Lauamus tamen & nos quotidie pœnitentia peccatorum, compunctionis, lachrymis & pietatis, miſericordiæque operationibus. Nam & hoc labium eſt, in quo Sacerdotes ad altare acceſſuri quotidie lauari & mundari debent, ne forte moriantur. Si ergo timent mori, lauentur ne moriantur: non accedant ad

A altare niſi loti: prope eſt aqua, prope ſunt lachrymæ & pœnitentia. Sic enim Dauid, ſic & Petrus mundatus eſt, aliter enim vlterius baptizari non licet.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Sume tibi aromata prima myrrhæ & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt ducentos libros, calami ſimiliter ducentos libros, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarij, Oleum de oliuetis menſuram hin. Per has enim quatuor ſpecies aromaticas, quatuor iam ſæpe dictæ virtutes principales intelliguntur, id eſt, prudentia, iuſtitia, fortitudo & temperantia. Ex his enim ſi oleum Sancti Spiritus eis admiſceatur, fit vnguentum admirabilis compoſitionis, quo quicunque perunctus fuerit, abſque omni dubitatione ſanctificatione ſanctificatur: Hoc enim vnguentum Saluatori noſtro nomen dedit, vt Chriſtus à Chriſmate diceretur. Vnde & ipſe ait: Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me. Sequitur.

Facieſque vnctionis oleum ſanctum vnguentum com- B *poſitum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum teſtimonij & arcam teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum & vtenſilia eius, altare thymiamatis & holocauſti, & vniuerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet; ſanctificabiſque omnia & erunt ſancta ſanctorum, qui tetigerit ea ſanctificabitur. Aaron & filios eius vnges ſanctificabiſque eos vt ſacerdotio fungantur mihi.* Ipſum, inquit, tabernaculum, & quæcunque in tabernaculo ſunt, ex ſupradicto vnges vnguento, quoniam quicquid ex eo vngitur, ſanctum ſanctorum efficitur. Quid enim per tabernaculum & ea quæ in tabernaculo ſunt intelligi debeat, ſuperius dictum eſt.

Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facies aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. Caro, inquit, hominis non vngetur ex eo: non enim carnis eſt hoc vnguentum, ſed mentis. Sed quid eſt, hominis? Nunquid enim, Aaron & filij eius homines non erant? C Homines enim in Diuina ſcriptura pro iniquis & peccatoribus ſæpe accipiuntur, ſecundum illud: Vos autem ſicut homines moriemini. Et Apoſtolus: *Cum enim*, inquit, *alius dicat: Ego ſum Pauli, ego Apolli, ego Cephæ*, nonne homines eſtis? Hoc ergo vnguentum non peccatorum, ſed ſanctorum, non carnalium, ſed ſpiritualium eſt: hoc ſolis ſacerdotibus, ſolis ſanctis, & ſpiritualibus viris attribuitur. Vnde & ſubditur: *Et iuxta compoſitionem eius non facietis aliud.* Hæretici enim & maxime Simoniaci iuxta compoſitionem eius aliud facere nituntur, quoniam ex eiſdem ſpeciebus eiſdem Sacramentorum verbis, ſuos Epiſcopos & Sacerdotes ordinant, ſacros ordines tribuunt, & cætera Sacramenta Eccleſiæ precio vendunt, hoc autem alienis, ſicut & ipſi ſunt, & à fide Catholica extraneis. Ideoque exterminantur de populo Dei, & à ſanctorum conſortio ſeparantur. Hi enim ſunt quos Saluator noſter de templo eiecit. Hactenus de vnguento.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Sume tibi aromata, ſtacten, onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſi- D *mum, æqualis ponderis erunt omnia: facieſque thymiama compoſitum opere vnguentarij, mixtum diligenter & purum, & ſanctificatione digniſſimum.* Quid enim per has quatuor ſpecies odoriferas, quarum virtute naturali vulnera curantur & ſanantur, niſi quatuor Euangelia intelligimus? Omnia autem æqualis ponderis ſunt, quoniam vnius eiuſdemque ſunt veritatis & auctoritatis. Miſcentur autem omnia ſimul, vt quod in vno Euangelio non habetur, in alio reperiatur: atque dum in quibuſdam inter ſe viciſſim concordant, in nullo autem diſcordant, ſuauiorem ſatis reddunt odorem. Onycha autem, quæ vngula interpretatur, non bene à noſtris cognoſcitur. Hæc autem quando ordine, ratione, & ſecundum eam veritatem qua ſcripta ſunt, populis exponuntur, tunc nimirum fit ex eis thymiama compoſitum opere vnguentarij, mixtum diligenter & purum, & ſanctificatione digniſſimum. Huius autem compoſitionis peritiſſimus vnguentarius Apoſtolus fuit, qui, ſicut ſapiens architectus, E fundamentum poſuit, & inter perfectos ſapientiam loquens, omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret: Hoc enim thymiamate redolens dicebat: *Gratias autem Deo, qui dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: aliis enim ſumus odor vitæ in vitam: aliis odor mortis in mortem.*

Cumque in tenuiſſimum puluerem cuncta contuderis, pones ex eo coram teſtimonio tabernaculi, in quo apparebo tibi; ſanctum ſanctorum erit vobis thymiama. Tunc enim in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contundimus, quando Euangeliorum ſententias ſubtiliter indagantes & frequenter ruminatione frangentes, ad ſpiritualem intelligentiam redigimus. Sicut enim, aromata, quando teruntur, ſuauius redolent, ita & ſancta ſcriptura quanto plus ruminatur & frangitur, tanto ſuauiorem præſtat odorem. Ponimus autem ex hoc thymiamate coram teſtimonio tabernaculi, quando nouum teſtamentum veteris teſtamenti teſtimonio comprobamus; Stat enim nouum te- F ſtamentum quodammodo coram vetere, dum ad ſe defendendum eius teſtimonium exſpectat; Sicut enim Euangelium teſtimonium eſt Eccleſiæ, ita & lex teſtimonium eſt tabernaculi, & ibi quidem id eſt in teſtimonio, in ſacris voluminibus apparet Dominus Moyſi, quia Sanctarum Scripturarum documentis Deum cognoſcimus. Vis videre Deum, vis eum cognoſcere, vis audire loquentem? lege Euangelia, lege Exodum, lege libros Moyſi, lege Apoſtolos & Prophetas: hic enim apparebit tibi Dominus, hic eius potentiam & virtutem cognoſces. Vnde Pſalmiſta: *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Eſt autem hoc thymiama Sanctum ſanctorum, quia multo maioris auctoritatis ſunt Euangelia, quam Cantica Canticorum.

Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino. Homo quicumque fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis. Audite hoc hypocritæ, audite hoc auari; qui non ad laudem Dei, non ad animarum ædificationem, ſed ad vſus mortiferos, G vt diuitiis abundetis, vt marſupia impleatis, ſcripturas exponitis, Euangelia prædicatis, & ſanctam non ſanctæ compoſitionem in proprio facitis. Vobis enim per Pſalmiſtam à Domino dicitur. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitiam meam, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum:* Vos ergo peribitis, vos de populo ejiciemini, qui odore ſanctæ compoſitionis illicite perfruimini, vobis enim talem compoſitionem facere, hunc odorem ſpargere, hoc thimiama componere interdictum eſt. Et hæc de thimiamate ſufficiant.

CAPVT XXXI.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Ecce vocaui ex nomine Beſeleel filiorum Huri filij Hur de tribu Iuda & impleui eum ſpiritu Dei ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere ad excogitandum quicquid fieri poteſt in auro & argento & ære, marmore & gemmis & diuerſitate lignorum, deditque ei ſocium Ooliab H *filium Achiſamech de tribu Dan & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam vt faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis & arcam teſtimonij, & quæ ſuperius dicta ſunt.* Beſeleel, interpretatur vmbra Dei, per quam Apoſtolos intelligimus, qui ſub vmbra, & protectione Omnipotentis Dei omnem ſpem habentes, nullum tribulationum & aduerſitatum æſtum timuerunt. Hos autem ex nomine vocauit Dominus, quoniam ex millibus eos pauciſſimos elegit, ſicut ipſe ait, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quod enim nomine vocatur, non caſu ſed prouidentia eligitur, Hi autem ſunt filij Huri filij Hur enim & Huri ignis, vel lumen interpretatur: Sunt ergo Apoſtoli filij Chriſti, Chriſtus autem filius Dei, quoniam ignis de igne, lumen, de lumine Chriſtus eſt. Qui bene de tribu Iuda eſſe dicuntur quoniam de eis ſcriptum eſt. Principes Iuda duces eorum. Iudas enim confeſſio interpretatur. In Chriſti autem, & pro Chriſti confeſſione Apoſtoli mortui ſunt. Huic autem, id eſt Beſeleel, datur

A ſocius Ooliab, qui interpretatur, protectio mea pater, ſignificat autem Epiſcopos & Doctores quorum protectio Deus eſt omnium pater atque creator. Eſt autem Ooliab filius Achiſamech, qui fratrem meum roborans, interpretari dicitur. Ille vero, qui fratrem ſuum roborat, Chriſtus eſt, qui fratri ſuo proprio videlicet Chriſtiano, robur virtutem & conſtantiam ſemper, vbique tribuit. Vnde & diſcipulis ſuis ait. *Non vos deſeram neque derelinquam.* Itemque. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſaculi.* Et alibi: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columba.* Hæc enim & ſimilia Dominus dicens, fratres ſuos roborat. Eſt igitur Ooliab filius Achiſamech, id eſt filius Chriſti, qui ſicut diximus fratres ſuos roborat. Qui merito de tribu Dan eſſe perhibetur, ſiquidem Dan, iudicans, interpretatur: iſtis autem ad iudicandum, vniuerſum mundum Dominus tribuit. Vos ergo Epiſcopi Doctores vos filij illius, qui fratres ſuos roborat: vos filij Achiſamech, conſiderate qui ſocij eſtis Beſeleel, quem Dominus B vocauit ex nomine ſocij eſtis Apoſtolorum, quos Chriſtus ad fidem prius vocauit, quibus nomina impoſuit, quos omnium principes elegit ex omnibus. Hos enim ſpiritus Dei, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, omnique ſcientia repleuit vt tabernaculum Dei, quod eſt Eccleſia admirabili artificio, & ineffabili magiſterio componerent. Quibus vos Epiſcopi, & Doctores omneſque viri eruditi, ſocij, adiutores, & cooperatores dati eſtis: Ædificate ergo domum Dei, inſtate, laborate, orate, & dicite. Benigne fac Deus in bona voluntate tua Sion, & ædificentur, muri Ieruſalem. Quoniam autem de tabernaculo & arca, & menſa & candelabro, & de omnibus quæ hic enumerantur, ſufficienter ſuperius expoſuimus, iſta nos prælibaſſe ſufficiat.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens? Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos, videte, vt ſabbathum meum cuſtodiatis & catera. Satis enim Moyſes iam ſuperius de Sabbatho locutus eſt, ſatiſque nos de Sabbatho expoſuimus. Non enim ſine cauſa Sabbathi obſeruantia toties C replicatur, non ſine cauſa toties Dominus dicit. *Videte vt Sabbathum meum cuſtodiatis:* Cuſtodite inquit, Sabbathum meum, cuſtodite requiem meam: ſic requieſcite vt ego, requieſcite inquam à malo, ceſſate ab iniquitate, hoc enim ſignificat requies Sabbathi, male enim celebrat Sabbathum, qui à bonis operibus vacat. Nam & Chriſtus in Sabbatho operabatur, ſcilicet, ea quæ in Sabbatho operari licebat, quod quidem Iudæi male intelligentes dicebant. Hic homo non eſt à Deo qui Sabbathum non cuſtodit. Bonum ergo in Sabbatho facere licet. Quoties ergo peccamus, Sabbathum violamus, quandiu vero bonum agentes à malo ceſſamus, Sabbathum cuſtodimus, cum Deo quieſcimus, & feſtiuum diem legitime celebramus. Non igitur vno die cum Iudæo, ſed omni die ſabbatizemus cum Deo.

Dixitque Dominus Moyſi completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Synai duas tabulas teſtimonij lapideas ſcriptas digito Dei. Quia enim duri lapidei. & increduli ſemper Iudæi fuerunt, ideo legem in lapidibus ſcriptam D ſuſcipere meruerunt, vt ſaltem per duritiam lapidum, cordis ſui duritiam intelligerent.

CAPVT XXXII.

Videns autem populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron ait: Surge fac nobis Deos qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dicis popule ſtulte, & inſipiens ad Aaron: Fac nobis Deos. Nunquid Aaron ſcit facere Deos? Cur potius non dicis Aaron. ſit nobis Deus, Si enim Aaron creat Deos, Diis melior eſt Aaron. Exſpectate pauliſper donec veniat Moyſes, & ipſe te doceat quid ſit Deus. Venit enim Moyſes, deſcendit Chriſtus, & docuit quid ſit Deus, neſciebat enim adhuc quid eſſet Deus.

Dixitque ad eos Aaron. Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus qua iuſſerat, deferens inaures ad Aaron, Quas cum ille accepiſſet formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixitque hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. E Quid enim ſunt inaures, niſi aurium ornamenta? Quid vero aurium ornamenta, niſi auditus? aures enim quæ non audiunt, nequaquam ornatæ ſunt. Fabricantes ergo vitulum perdunt Hebræi auditum, quoniam ſi bene audirent, vitulum non prædicarent. Vnde ipſe Dominus ait. *Iſraël ſi me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Hoc enim Iacob ſignificauit, qui ad radicem Sichem propter Terebinthum inaures filiorum ſimul cum idolis terræ ſuffodit. Sed quid dicis Iſraël. Iſti ſunt Dij tui qui te eduxerunt de terra Ægypti? numquid boues eduxerunt de terra Ægypti? boues tibi mare rubrum aperuerunt, boues tibi manna dederunt? Mutaſti enim gloriam tuam in ſimilitudinem vituli comedentis fenum. Quid eſt fenum? dicat propheta. Vere fenum eſt populus. Populum ergo comedit vitulus iſte. Fuge ergo vitulum ne forte deuoret te. F

Quod cum vidiſſet Aaron ædificauit altare coram Domino, & preconis voce clamauit dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt. Surgenteſque mane obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas. Et ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Ædificauit enim Aaron altare coram Domino, ſed non Domino. Cuncta enim reſpicit Dominus. Exaggeratio mali eſt. Vnde Pſalmiſta. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Te præſente, teque vidente malum facere non timui, nec erubui multum ergo peccauit Aaron, qui in tanto facinore ſtulto populo conſenſum præbuit, Multũ peccant, & illi Epiſcopi, & ſacerdotes, (Qui tunc quidem per Aaron ſignificabantur) ſi delinquenti populo fauent, & eorũ ſtultitiã non redarguũt.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen: Vade, deſcende, peccauit populus tuus quem eduxiſti de terra Ægypti, Receſſerunt cito de via quam oſtendiſti eis. Peccauit, inquit, populus iam non meus, quoniam alium Deum ſibi elegit: peccauit, inquit populus tuus, populus quem diligis, pro quo ſemper intercedis: Immo nec meus nec G tuus, quoniam me ſpreuit & te. Ironicè igitur accipiatur, populus tuus.

Rurſumque ait Dominus ad Moyſen; Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Duræ, inquit, ſuperbæ, & indomabilis ceruicis eſt populus iſte, neque legis & iuſtitiæ frenis freno coërceri vel retineri valet: dimitte ergo me, noli pro eo intercedere, ceſſet iam nunc deprecatio tua, ipſa enim me tenet, ipſa indignationem meam auertit, ipſa interpoſita me illos flagellare & delere non permittit. Notandum ergo quantum Sanctorum valeant preces, quæ ſolæ Deum retinent, eiuſque indignationem & iram placant. Moyſes autem non ſuam gloriam quærens, ſed pro populo ſollicitus deprecabatur Dominum dicens: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum? Quieſcat ira tua, recordare Abraham, Iſaac, & Iacob, ex quibus iſti originem ducunt. Placatuſque eſt Dominus & non* H *delenit populum ſuum.*

Et reuerſus eſt Moyſes de monte. portans duas tabulas teſtimonij manu Dei ſcriptas ex vtraque parte & factas opere Dei. Scriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis: inde enim dicuntur tabulæ teſtimonij, quia quid Deus velit, quidue nolit, teſtantur, eiuſque voluntatis dant nobis teſtimonium; Dicit enim Apoſtolus; *Concupiſcentiam neſciebam*, ſubauditur, eſſe peccatum. Credamus ergo teſtimonio legis, quæ quia ſemper verum dicit & nunquam mentitur, non immerito teſtimonium appellatur, huic enim teſtimonio nemo contradicere audet, vltima probatio eſt legis auctoritas. Hæc autem ſcripta eſt manu Dei, opere Dei, & ſcriptura Dei; nihil humanum eſt in ea, tota Diuina eſt, tota Deo dictante & ſcribente compoſita eſt; vnde veritate & auctoritate plena eſt. Cur autem ex vtraque parte tabulæ ſcribuntur, niſi vt legis teſtimonia dupliciter legantur & intelligantur. Duplex enim eſt intelligentia legis. Sequitur.

Cum

A *Cum appropinquaſſet ad caſtra, vidit & vitulum & choros. Iratuſque valde proiecit de manu tabulas & confregit eas ad radicem montis.* Iraſcitur Moyſes & frangit tabulas, populus peccat, & tabulæ franguntur, populus peccat, & lex deſtruitur. Vt quid hoc? Si enim Moyſes tabulas non fregiſſet, populo non pepercisſet. Et quid proderat quod orando Deum placauerat, ſi ipſe eos ex legis imperio non occidiſſet? Lex enim dicit; *Qui immolat Diis occidetur, præter Domino ſoli.* Noluit ergo cum tabulis, noluit cum legis rigore ad populum delinquentem venire, ſed tabulas fregit, legem euacuauit, & populo delinquenti pepercit. Quoties enim reſpectu pietatis Epiſcopus peccatori alicui miſeretur, & timens ne in peius ruat, toties tabulas frangit, & legis auſteritatem relinquit. Et quidem ſic tabulas frangere, legiſque rigorem aliquando pro pietate deſerere, non magnum puto eſſe peccatum. Vnde & Moyſes pro fractis tabulis nuſquam à Domino reprehenditur Sed audi quod ſequitur; *Arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contriuit* B *vſque ad puluerem, quem ſparſit in aqua, & dedit ex eo potum filiis Iſrael*, hic enim cui Moyſes iraſcebatur, oſtenditur: vitulo enim iraſcebatur, & peccatum deſtruere conabatur. Contriuit ergo vitulum vſque ad puluerem. Sed quare miſit in aquam, quare ex eo potum dedit filiis Iſraël? Fortaſſe vt fœnum biberent vitulum, quia vitulus comedit fœnum. Bibunt aurum Iudæi, quia cupidi ſunt, & auari: bibunt aurum idoli, quia idololatræ & ſacrilegi. Sic enim hæc mortifera potio, hæc doctrina idololatriæ eorum viſcera penetrant, vt vix aliquando ab idolorum cultura auelli & ſeparari potuiſſent. Hic enim vitulus & hic potus vituli, vitulos Samariæ & decem tribuum idololatriam ſignificabat. Decem enim tribus puluere vituli, id eſt idololatriæ doctrina Ieroboam in Samaria inebriabat, quando vix duæ tribus in Iudæa legi attenderent & Prophetis

Videns ergo Moyſes populum quod eſſet nudatus, (ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudos conſtituerat) & ſtans in porta caſtrorum C *ait; Si quis eſt Domini, iungatur mihi.* Poſtquam enim Moyſes, ſicut oportuit, redarguit Aaron de peccato ſuo, nolens tantum ſcelus penitus inultum eſſe, præſertim quia, ſicut Apoſtolus ait: *Hæc omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram.* præcepit vt vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum interficeret. Cecideruntque in die illo viginti & tria millia hominum. Erat enim populus Dei protectione armiſque nudatus, & propter ignominiam ſordis, vituli videlicet quem adorauerat, inter hoſtes nudus conſtitutus. Vndique enim per circuitum hoſtes habitabant, qui ſi ſcirent populum iſtum ſic peccaſſe, ſic Dominum offendiſſe, ſic ſine viribus eſſe, ſic Dei armis omnique auxilio caruiſſe, facile omnes perdere potuiſſent. Et Aaron quidem Dei protectionis armis eum nudauerat, quia in idolo fabricando ei conſenſerat. *Præcepit ergo Moyſes his qui Domini erant, qui idolum non adorauerant, qui arma non perdiderant, vt gladiis accincti fratres & proximos ſuos interficerent.* Quibus mox iuſſa D complentibus, ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Merito enim eis benedictio datur, eorumque manus & opera Domino, & à Domino conſecrantur, quia & Moyſi obediunt, & Dei iniurias vindicant; & in perimendis idololatris zelo Dei ducti, nec filiis, nec fratribus parcunt. Hoc autem fecerunt filij Leui, qui ſororis Dinæ ſtuprum in Geneſi vindicaſſe leguntur. Reuerſuſque Moyſes ad Dominum ait: *Obſecro Domine peccauit populus iſte peccatum magnum, feceruntque ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non feceris, dele me de libro quem ſcripſiſti. Cui reſpondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Sic enim loquitur Moyſes quaſi homo, ex nimia dilectionis affectione hoc dicit: Aut, inquit, parce eis, aut me ſimul perde cum illis. Tale quidem & Apoſtolus ait; *Optabam & ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Vnde & vſque hodie Ezechias Rex a Iudæis redarguitur, quod pro ſe tantum, & non pro omni E populo orauit dicens: *Bonus ſermo Domini, fiat pax tantum in diebus meis.* Quod autem ait, *Dele me de libro quem ſcripſiſti*, hoc eſt intelligere, dele me de memoria tua. Sic enim in mente Dei, quaſi in libro, Sanctorum omnium nomina ſcripta ſunt, de quo quidem, niſi ad mortem peccauerint, deleri non poſſunt. Hic eſt enim liber vitæ, in quo qui ſcribitur, in æternum & ſine fine viuit. Vnde & Dominus ait, *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Confidenter ergo dicebat Moyſes; Dele me de libro tuo, quia ſe nihil peccaſſe ſciebat, & Deum iniuſte nihil facere poſſe non ignorabat. Sequitur.

Tu autem vade & duc populum iſtum quo locutus ſum tibi, Angelus meus præcedet te: ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecit Aaron. Quando enim pro reatu vituli populum Dominus percuſſit, F (niſi forte illud intelligatur quod ſuperius legitur, viginti tria millia vno die cecidiſſe) nuſquam hic dicitur. Dies autem vltionis, aut in hac vita, aut in alia intelligi poteſt.

CAPVT XXXIII.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen: Vade aſcende de loco iſto tu & populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham, Iſaac & Iacob dicens; Semini tuo dabo eam, & mittam præcurſorem tui. Angelum meum. Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis eſt, ne forte diſperdam te in via. Angelum, inquit, meum mittam ante te: mei autem præſentiam tantam, vt hactenus, vlterius non habebis: Corruptus es enim, me negando, & vitulum adorando: peccaſti enim peccatum maximum. Hæc autem in perſona totius populi dicuntur Moyſi. Quare autem eos præcedere nolit, reddit cauſam: Quia populus, inquit, duræ ceruicis eſt: ego autem ceruicatos & ſu- G perbos ferre non poſſum: Vnde facile accidere poteſt, vt ſi tibi præſens fuero, diſperdam te in via. Quid eſt autem quod ſic veritas loquitur? Quid eſt quod modo non ſe facturum dicit, quod poſtea ſe facturum eſſe promittit? conditionalia enim ſunt verba Dei, qui dum Sanctorum precibus aliquando flectitur, contra hoc quod dixerat, facere videtur. Vnde quamuis modo populo dicat: Non aſcendam tecum, poſtea tamen aſcendit ſecum. Aſcendit ergo ſecum, & non aſcendit ſecum: ſecum quidem, quia ſubſtantia non mutatur: non ſecum autem, quia per pœnitentiam alter efficitur. Vnde & ſubditur: *Audiens populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Alter enim erat quodammodo populus iſte qui pœnitens lugebat: alter ille qui vitulum adorabat, cum hoc igitur, & non cum illo aſcendit Dominus. Verum igitur eſt, quod cum eo & aſcendit, & non aſcendit.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſraël: Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendam in medio tui & H *delebo te; iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi. Depoſuerunt ergo filij Iſraël ornatum ſuum ad montem Oreb.* Sæpe enim Dominus vindictam ſumpſit de populo illo: ſæpe illum multis tribulationibus afflixit, nunc Philiſtæis, nunc Aſſyriis, nunc Chaldæis, nunc aliis nationibus eos tradens, cito tamen eorum miſertus, non eos delebat, ſed in patriam reducebat. Quod ergo hic dicitur: *Semel aſcendam in medio tui & delebo te*, de vtroque Saluatoris noſtri aduentu intelligi poteſt. In primo namque aduentu ſuo eos deleuit, quia virtute, regno ſacerdotio, & Prophetarum oraculo eos priuauit, inſuper & Romano exercitui tradens cunctis gentibus ſubiugauit: At vero in ſecundo, qualiter eos deleat, expoſitione non indiget. Depoſuerunt autem filij Iſraël ornatum ſuum, & pœnitentiæ induti ſunt indumentis, quatenus Dei indignationem mitigarent. Hoc autem fecerunt ad montem Dei Oreb: Oreb enim, coruus interpretatur, cuius color ſatis eſt pœnitentibus familiaris. Quod autem

A quoniam ſolis altaris miniſtris principaliter conuenit prædicare , & aurum quidem & ſapientiam habere omnibus licet, altare verò tangere, & in Eccleſia prædicare, non omnibus licet. Hæc autem de altari dicta ſufficiant,nunc ad atrium tabernaculi veniamus.

Facies, & atrium tabernaculi in cuius Auſtrali plaga contra meridiem erunt tentoria de biſſo retorta : centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine, & columna viginti cum baſibus totidem ænea , quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. Multum enim diſtat inter atrium & tabernaculum : Tabernaculum enim ex hiacintho & purpura coccoque bis tincto , & biſſo contextum eſt. Atrij vero tentoria ex ſola biſſo retorta compoſita ſunt. Præterea in tabernaculo & columnæ,& tabulæ,& cætera ex auro & argento fuerunt:in altero vero pene omnia ex ære facta ſunt. Quid ergo per atrium intelligimus ? aliud enim quodammodo tabernaculum, & aliud atrium ſignificat : Tabernaculum enim,vt puto,primitiuam Eccleſiam principaliter deſignat , quæ à Chriſti paſſione vſ-
B que ad tempora Conſtantini Imperatoris , maxima ex parte de Sanctis Martyribus conſtructa eſt, inde vero vſque ad tempora Antichriſti tota Eccleſia huius tabernaculi,atrium vocatur. Vnde inſolito modo multo maius eſt atrium tabernaculi quam ipſum tabernaculum. Eſt igitur atrium tabernaculi Eccleſia Confeſſorum , quæ à tempore præfati Principis vbique gentium dilatata eſt. Huius autem tentoria fiunt de biſſo retorta , quoniam ſufficit nobis carnem torquere,& macerare mentiſque & corporis candorem , & munditiam conſeruare. Nemo modo cocco veſtitur , nemo modo ſanguine cruentatur. Sufficit modo baptiſmate lauari,byſſo veſtiri,& candidis indui veſtimentis , ſecundum illud. *Omni tempore Veſtimenta tua ſint candida.* Erant autem à parte auſtrali tentoria,centum cubitorum in longitudine, ſimiliter autem & ab aquilone erant tentoria totidem cubitorum, tanta enim erat tota atrij longitudo. Sed quare centum cubitorum fuiſſe dicitur ? decem namque, & centum & mille, perfecti numeri ſunt , qui replicari quidem poſſunt,
C creſcere vero non poſſunt , ſi enim vſque ad decem numeraueris, niſi à capite ruſſum incipias, quid dicas non habes, ſimiliter, & centum, & mille ſimiliter. Idem igitur dicere eſt,centum cubitorum, quod multorum cubitorum , & eſt finitum pro infinito.

Centum igitur cubitis in longitudine tenditur atrium, quoniam tanta erit eius longitudo quanta erit huius vitæ dimenſio,vnum enim terminum,& atrium & mũdus habebit.Sunt autem viginti columnæ ex vna parte atrij, & viginti ex altera,quatenus, & hinc,& inde omnes qui in atrio ſunt,videant & legant & intelligant legem veterem duplicatam. Duplicatur enim lex,quando,& ad litteram & ſpiritualiter intelligitur. Nam quia decem ſunt verba legis,ſæpiſſime tota lex per decem ſignificatur.Ergo quia decem , & decem viginti faciunt , legem duplicatam in viginti inuenimus. Legant ergo Iudæi bis decem & ſemel totum decalogum intelligant , alioquin quid viginti columnæ ſignificent, ignorabunt. Quod autem ſignificant viginti columnæ ex vna parte , hoc ſignificant
D viginti ex altera parte. Credat ergo Auſtro qui non vult credere Aquiloni , immo credet vtique quia idem dicit vterque,vt in medio duorum,vel trium teſtium ſtet omne verbum.Erant autem columnæ cum baſibus æneæ,quod quid ſignificet , ſæpius iam dictum eſt. Habebant autem capita cum cælaturis ſuis argentea , quia non ſolum loquebantur, ſed & vera & pura loquebantur, non tantum ad ſonum litteræ , quantum ad ſpiritualem intelligentiam,& eloquij puritatem attendebant. In ære namque ſonus,in argento vero eloquij puritas intelligitur. Nemo miretur ſi columnæ loquuntur , diximus enim per columnas legem ſignificari , quæ qualiter loquitur, incipe legere, & cognoſces.

In latitudine vero atrij quod reſpicit ad occidentem erunt tentoria per quinquaginta cubitos,& columnæ decem baſeſque totidem. Metiamur ergo vſque ad quinquaginta, neque vltra progrediamur, ibi ſtemus,ibi moremur, ſi & libertatem habere , & perditam hæreditatem recuperare
E volumus. Quinquageſimus namque annus Iubilæus vocatur,in quo & ſeruis libertas, & amiſſa hæreditas ex legis imperio propriis Dominis reſtituebatur:totuſque ille annus in lætitia & in iubilo feſtiuus ab omnibus agebatur. Merito ergo ſancta Eccleſia ad hunc numerum ſe dilatando peruenit,ibique dilatata moratur,& de libertate gaudens , de hæreditate exultans , & ab omni ſeruili , & malo opere vacans diem ſollemnem conſtituit in condenſis vſque ad cornu altaris. Decem vero columnæ cum baſibus ſuis , decem verba legis intelliguntur. Habet ergo atrium ex omni parte legem atque mandata, vt ſapientiam diſcat, & peccare timeat & quid credere debeat cognoſcat. Totum enim atrium quaſi quibuſdam columnis bis decem legis mandatis ſuſtinetur , quæ mandata in eo quidem quod aliquando columnæ duplicantur, ſe dupliciter intelligi debere ſignificant, nihilque aliud ſignificant decem , quam viginti , niſi quia viginti quodammodo decem exponunt quoties enim decalogum duplicamus , toties duplicem intellectum ſignificamus.

F *In ea quoque latitudine atrij quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt : in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur,columnæque tres,& baſes totidem:*dictum eſt enim quid ſignificent cubiti quinquaginta. Reſtat ergo vt dicamus quid duo tentoria iſta deſignent , quæ ex vtroque latere ponuntur in introitu tabernaculi. Hæc enim duo tentoria, duo populi ſunt, Iudæorum ſcilicet, & gentium,ex his enim duobus impletur atrium tabernaculi. Iſti ſunt duo parietes quos vnus lapis angularis in Eccleſiæ ædificio coniungit. Vnde Apoſtolus ait : *Ipſe eſt enim pax noſtra , qui fecit vtraque vnum.* Eſt autem vnumquodque tentorium quindecim cubitorum ; tot enim ſunt,& pſalmi graduum , hic enim numerus ex pari , & impari conſtat , cuius partes ſunt ſeptem , & octo. Vnde ſcriptum eſt ; Da partem ſeptem , nec non & octo. Septem enim hanc vitam , quæ in ſeptem diebus voluitur , deſignat : octo vero , illam aliam vitam beatam , & immortalem , quæ die octaua,
G cunctis reſurgentibus incipiet. Ea enim die fiet omnium reſurrectio , quo Chriſtus Dominus reſurrexit. Das ergo partem ſeptem , quoniam huius vitæ debita ſoluis : das partem,& octo,quoniam alteri quoque vitæ propria debita largiris. Dum enim manducas, & bibis das partem ſeptem : ſi vero ieiunas, & vigilas, das partem octo. Si laboras vnde viuas , das partem ſeptem : ſi vero de propriis iuſtiſque laboribus eleemoſynas facis , das partem octauam. Merito igitur quindecim cubitorum ante atrium tabernaculi fiunt tentoria , quatenus omnes illuc venientes & ſeptem,& octo intuentes,in ipſo cubitorum numero,& in ipſa tentoriorũ quantitate intelligant, qualiter in hac vita conuerſari debeant.Dent partem ſeptem, dent partem & octo , & ſic per bona temporalia tranſeant,vt æterna non amittant. Tres autem columnæ,quæ ponuntur hinc,& inde, id eſt, ſex columnæ, quæ in vtroque tentorio erant , id ipſum ſignificant , quod ſex tabulas in introitu tabernaculi , cum de eo loqueremur , ſignificare diximus : ſignificant enim ſex libros noui teſta-
H menti. Et merito quidem & in tabernaculo , & in atrio tabernaculi nouum teſtamentum in fronte ponitur, quoniam per ipſum in Eccleſiam intratur. Sicut enim omnes columnæ ſupradictæ vetus teſtamentum ſignificant, ita omnes quæ hic ponuntur , ſiue in lateribus atrij ſiue in ipſo introitu, nouum teſtamentum deſignant, de quibus adhuc ſubditur.

In introitu vero atrij fiet tentorium cubitorum viginti, ex hiacintho , & purpura , coccoque bis tincto , & byſſo retorta, opere plumario. Columnas habebit quatuor cum baſibus totidem. Ipſa materia indicat , quid per hoc tentorium intelligere debeamus, nuſquam enim alibi in toto atrio ponitur hiacinthus , vel purpura , vel coccus. Hoc igitur tentorium, quod in introitu atrij ponitur , & illud quod poſitum eſt in introitu tabernaculi , idem ſignificant, illius igitur expoſitio huic ſufficere poteſt. Significatur enim Apoſtolorum chorus,qui Eccleſiæ portas cuſtodiunt, claues tenent, aperiunt , & claudunt, ligant,

A & ſoluunt, & prius ad fidem, deinde vero in regna cœlorum, fidelium animas inducunt. Habet autem tentorium quatuor columnas, & baſes totidem, per quatuor Euangelia cum ſuis ſcriptoribus intelliguntur, quid enim aliud Apoſtoli niſi quatuor Euangelia (magiſtri ſui videlicet doctrinam) prædicabant: Nam & ipſæ eorum baſes, id eſt, ipſi Euangeliorum ſcriptores cum ipſis, & ex ipſis erant, & inter ipſos conuerſabantur. Quod autem viginti cubitorum hoc tentorium fuiſſe dicitur, hoc eſt intelligere, quod ſancti Apoſtoli totum vetus teſtamentum dupliciter, id eſt ad litteram & ſpiritualiter exponentes quatuor Euangeliis conuenire, & concordare faciebant. Non enim aliter hoc tentorium quatuor Euangeliorum columnæ ſuſtinent, niſi vtrorumque teſtamentorum ſignificatio conueniret.

Omnes columnæ atrij per circuitum veſtitæ erunt laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis. In laminis
B enim, & baſibus æneis, prædicationis vox & ſonitus, in capitibus vero argenteis, eloquij puritas, & ſermonis veritas oſtenditur. Quod quidem in ſuperioribus ſufficienter expoſitum eſt. Per baſes tamen columnarum, ſanctos prædicatores intelligere poſſumus, qui vtriuſque teſtamenti libros, & præcepta quaſi quaſdam columnas ferentes, claro prædicationis ſono, & eloquio mundum impleuerunt. Sequitur. *In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit,* & hoc quidem expoſitum eſt. Quod enim toties baſes, ex ære fieri præcepit: campanas Eccleſiæ fabricare videtur, campanas vtique non tinnientes, ſed rationabiliter loquentes, & ad Chriſti fidem populos inuitantes. Erat autem huius atrij altitudo quinque cubitorum, per quos quinque libri Moyſi ſignificari poſſunt, qui ſi bene intelligantur, totam Eccleſiam ſurſum & ad cœleſtia eleuant.

Cuncta vaſa tabernaculi in omnes vſus & ceremonias, tam paxillos eius quam atrij ex ære facies. Omnia ex ære fiunt, quatenus omnes ſimul clara alta, &
C conſona voce Deum laudent, prædicent, & benedicant. Sequitur.

Præcipe filiis Iſraël, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum quod appenſum eſt teſtimonio. Et collocabunt eum Aaron & filij eius, & vſque mane luceat coram Domino: Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum à filiis Iſraël. Oleum enim a filiis Iſraël affertur, quando aliquis vir gratia Sancti Spiritus, & pietate, & miſericordia plenus a toto populo eligitur. Suſcipitur autem de arboribus oliuarum, id eſt de doctrina & congregatione ſanctorum, quatenus & pacem diligat, & ſanctorum Patrum dulcedinem & ſaporem imitetur. Sit autem & vita, & moribus purus, immo puriſſimus, & ſicut ait Apoſtolus, irreprehenſibilis. Sit quoque pilo contuſus, non delicatus, non otioſus, ſed in tribulationibus & injuriis per patientiam probatus. Et iſte quidem ad hoc eligitur, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij, vt nunquam taberna-
D culum ſit ſine lucerna, vt nunquam ſit ſine lumine, & nunquam populus ſit ſine Epiſcopo, & Doctore: ipſe enim eſt lucerna, ipſe ſit & oleo plenus, ipſe ſit miſericordia & pietate repletus. Debet autem ardere hæc lucerna extra velum, vt ab omnibus videatur, vt omnes illuminet: &, ſecundum Euangelium, luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sed extra quod velum? Extra illud velum, quod appenſum eſt teſtimonio, quod claudit teſtamentum quod celat nobis, & abſcondit Diuina myſteria. Hoc autem velo illi clauduntur, qui lucere velamine obumbrati non poſſunt. Hanc autem lucernam collocant Aaron & filij eius: hanc illi ordinant, conſecrant, & conſtituunt, qui & primi ſacerdotis eiuſque ſucceſſorum vicem gerunt. A populo quidem lucerna eligitur & Pontificibus offertur, ab Epiſcopis autem conſecratur, & ordinatur; & in ſede collocatur. Luceat autem vſque mane coram Domino, & donec de hac vita miſera & tenebroſa exeat, Dei populum prædicare, & illuminare non ceſſat, vt hac nocte finita oriatur ei ſol iuſtitiæ, & ingrediatur illum diem de quo Pſalmiſta ait: *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* E Hic autem cultus ſuper omnes ſucceſſiones perpetuus erit à filiis Iſraël, ſemperque hæc Regula in lucerna tabernaculi, & in Epiſcopo eligendo conſeruetur. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, vt ſacerdotio fungantur mihi Aaron, Nudab, & Abin, & Eleazar, & Hithemar. Quos enim per oleum & lucernam ſignificauerat, iam propriis nominibus vocat, vt ea quæ obſcure dixerat, manifeſta faciat. Expoſitis ergo omnibus, quæ ad tabernaculum, eiuſque atrium pertinebant, iam nunc ad veſtes Aaron veniamus, & quomodo ſapientes, & prudentes eas faciant audiamus.

CAPVT XXVIII.

F*Acieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem & loqueris cunctis ſapientibus corde, quos* F *repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.* Facies inquit, veſtem ſanctam virtutibus & ſanctitate contextam, ſapientia, & ſanctitate fabricatam, in gloriam & decorem. Qui enim hac veſte induitur, gloria, & decore veſtitur. Vnde de Saluatore dicitur: *Dominus regnauit decorem induit, induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe virtute.* Hanc enim veſtem illi viri cordati & ſapientes faciunt, quibus ipſe Dominus ait: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Hanc enim veſtem ſancti Apoſtoli fecerunt, qui nos ſuis ſermonibus docuerunt qualiter veſtiri, & ornari debeamus, vt Deo miniſtrantium digni apparere videamur. Hos autem non humana ſapientia, ſed ſanctus ſpiritus qui eos repleuerat docuit. In his autem Aaron ſanctificatus miniſtret Domino, & niſi in his indutus, & niſi prius ſanctificatus non miniſtret Domino. Vobis ô Pontifices, vobis ô Eccleſiæ miniſtri iſta dicuntur: Vos eſtis Aaron, vos eſtis ſanctificati, vobis his veſtis indui, & in ſancta ſanctorum ingredi licet.

Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient: Rationale, G *& ſuperhumerale, & lineam ſtrictam cidarim, & balteum. Facientque veſtimenta ſancta Aaron fratri tuo & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi.* Hæc autem ſingulatiter in ſequentibus exponemus. Notandum autem quod non ſolum Aaron, ſed & filiis eius, ſancta Dominus veſtimenta facere iubet: non enim ſolum Pontifices, verum etiam eorum filij minoris videlicet ordinis ſacerdotes ſanctis veſtibus indui debent: miniſtrant enim Domino, & ipſi, & ad altare accedunt, ſacramenta tangunt, & ſacerdotio funguntur.

Accipientque aurum, & hiacinthum, & purpuram coccumque bis tinctum, & byſſum. Hæc autem vel quatuor elementa ſecundum Ioſephum, id eſt terram, aquam, ignem & aerem: vel quatuor principales virtutes prudentiam ſcilicet, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, ſuperius ſignificare diximus. De auro vero ſæpe dictum eſt, quod pro ſapientia ponatur. Quare autem iſta H ſignificent, per vnumquodque reddidimus rationem. Aurum namque in veſtibus geſtare debet Epiſcopus, quatenus ſapientia, & ſcientia totus refulgeat. Ferat & hiacinthum, vt ſemper cœleſtia meditetur, & contempletur: ferat & purpuram, vt iuſtitiæ obſeruator: ferat & coccum, vt nunquam charitatis obliuiſcatur: ferat & biſſum, vt caſtitate ſit candidus, & in omnibus temperamentum habeat, & diſcretionem. Portat enim & aliter Epiſcopus hiacinthum, pro aeris cœlique intemperie Deum rogans: portat, & purpuram pro aquarum inundatione ſupplicans: portat, & coccum pro nimia ſiccitate ſoliſque ardoribus exorans: portat, & byſſum, quando terræ ſterilitatem ſuis orationibus ad fecunditatem conuertit. Sequitur.

Facient autem & ſuperhumerale de auro, & hiacintho ac purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere plumario. De hoc ſuperhumerali diſcipulis ſuis Saluator ait, *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite quia mitis ſum & humilis corde.* Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus

A meum leue. Vbi enim niſi ſuper humeros iugum & onus portatur. Superhumerale ergo nobis imponamus, quo ad onera deferenda fortes humeros habemus. Ille enim Epiſcopus non habet ſuperhumerale, qui ſuſcepta onera libenter non portat: è contra vero ille habet ſuperhumerale, de quo dicitur: Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, & in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Habeat ergo Epiſcopus ſuperhumerale, & numquam ſuſcepti oneris obliuiſcatur, languidas oues, & fatigatas leuet, ſuper humeros imponat, & ad paſcua reducat, vt confidenter dicere poſſit. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Fit autem hoc ſuperhumerale de auro, hiacinto, purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta, quia niſi per ſapientiam, quæ in auro, niſi per cœleſtem contemplationem, quæ in hiacinto, niſi per regalem, & regiam poteſtatem; quæ in purpura, niſi per fortem Dei, & proximi dilectionem, quæ in cocco bis tincto: niſi per mentis & corporis candiditatem & caſtitatem, quæ in biſſo B ſignificatur, onus officij ſibi impoſiti Epiſcopus ferre non valet: ſi autem his coloribus atque virtutibus Epiſcopus clareſcit, cum Dei adiutorio onus portare valebit, tanto enim maius onus portat Epiſcopus, quanto plures ſunt illi, de quibus redditurus eſt rationem. Vnde Apoſtolus. Obedite, inquit, *Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim pro vobis vigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.* Reſpice ergo Epiſcope ad onus quod portes, reſpice ad ſuperhumerale, vides ibi aurum, da operam & ſtudium ſapientiæ, vides ibi hiacintum, intuere cœlum & contemplare Deum: vides ibi purpuram, ſerua iuſtitiam, vides ibi coccum bis tinctum, pingat te ſi neceſſe fuerit, ſanguis martyrij pro Dei, & proximi dilectione, vides ibi biſſum retortam, carnem doma, macera, & afflige, vt, & ſpiritui ſeruiat, ſemperque candidior, & mundior fiat. Fit autem ſuperhumerale opere polimito, multiſque coloribus variato, quatenus in pulchritudine exteriori, qualis interius eſſe debeat, facilius Epiſcopus intelligere valeat: omnis enim gloria C eius ab intus.

Duas horas iunctas habebis in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeat. Erat enim ſuperhumerale tam longum, vt ſuper vtrumque Pontificis humerum extenderetur, latitudinem vero breuem & modicam habebat, & ſuperior quidem & inferior hora ita ſibi in vtroque latere ſummitatum iungebantur, vt vna hora ſecundum ſui continuationem ex duabus conficeretur. Dum enim vterque limbus in vtroque latere ſummitatum ſibi occurrerent, tam artificioſe ſibi iungebantur, vt vnus ex duobus fieri videretur. In qua re quid aliud ſignificari putamus niſi vt tota vita noſtra ſic in bonis operibus contineatur, vt & principio finis concordet, & bonum, quod cœpimus, vſque in finem non relinquamus, duæ namque horæ in vnum redeunt, dum prima, & vltima vita noſtra in boni perſeueratione conueniunt. Sequitur.

Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro & hiacinto, ac purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta. Exterior enim habitus interiorem gloriam de- D monſtrat, ipſumque ſuperhumerale oſtendit quales ſint humeri; quos premit. In auro namque ſapientiam, in hiacinto cœleſtem, & Angelicam vitam, in purpura regiam poteſtatem, in cocco bis tincto Dei, & proximi dilectionem, in biſſo vero retorta corporis caſtitatem, & macerationem ſignificant. Hæc ergo ferat Epiſcopus, his ornetur, his clareſcat, ſine horum varietate ad Dei altare non accedat.

Sumeſque duo lapides Onichinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum opere ſculptoris, & celatura gemmarij ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël, incluſos auro atque circumdatos, & pones in vtroque latere ſuperhumerali memoria filiis Iſraël. Portabitque Aaron nomen eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem. Sume, inquit, duos lapides onichinos, qui & aſpectu pulchri, & ad ſcripturam retinendam ſatis fortes ſunt, quorumque magnitu- E dinis alij non inueniuntur, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël. Ad hoc enim nomina ſcribuntur, ne obliuioni tradantur, vt & legentes inſtruantur. Semper ergo antiquorum Patrum ſit memor Antiſtes, ſemper qualiter vixerint & Deo ſeruierint, recordetur: imitetur eorum vitam, ſequatur doctrinam teneat operationem. Duodecim namque filij Iſraël duodecim ſunt filij Chriſti, quorum mores, doctrinam & vitam imitari, quorum nomina & memoriam ſemper debent Epiſcopi mente tenere, ideoque hic dicitur, vt Aaron portet ea ob recordationem. Quomodo portabit ea coram Domino? ad quid? vt vel eorum interceſſione ad miſericordiam flectatur Dominus: non ſine his vadat Epiſcopus hos ſecum deferat, hos interceſſores habeat, & dicat: Miſerere Deus miſerere populo tuo, vt qui in ſuis meritis non confidit, Apoſtolorum tuorum interceſſionibus liberetur. Et hi quidem lapides in quibus ſanctorum nomina continentur, auro ſunt circundati, & incluſi, quoniam Sancti Dei omnis ſapientiæ, & ſcientiæ luce clareſcunt.

F *Rationale quoque iudicij facies opere polimito, iuxta texturam ſuperhumeralis, ex auro hiacinto, & purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta. Quadrangulum erit, & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine.* Quid rationale ſignificet, ex nomine ipſo, & loco, ſuper quem ponitur, intelligi poteſt. Ponitur enim ſuper pectus Pontificis ad cordis theſaurum & ſapientiæ ſecretarium cuſtodiendum. Niſi enim hoc rationale ſuper pectus Pſalmiſta haberet, nequaquam diceret, in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Vbi enim eſt rationale, ibi eſt & ratio & ſapientia & ſcientia, hoc enim rationale ſignificat; in quo igitur pectore, & corde iſta non fuerint, ibi rationale poni non debet, ſi enim ponatur, inutile eſt, & quaſi ſigillum nihil cuſtodiens eſt. Dicitur autem rationale iudicij, vt qui eo vtitur rationabiliter iudicet, nihil temere, vel incaute, nihil inordinate iudicet. Fit autem hoc rationale opere polimito, pulchraque varietate diſtincto, vt multis virtutibus pectus ornetur, omneſ- G que vno temperamento, & concordia regantur. Eadem autem textura eſt in rationali, quam ſupra diximus eſſe in ſuperhumerali. Fit igitur, & rationale ex auro hiacinto, purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta, quatenus & in corde per ſcientiam, & in humeris per operationem, vnus atque idem virtutum ſplendor refulgeat. Debet enim Epiſcopus & operari quod intelligit, & intelligere quod operatur, vnde, ſicut in ſequentibus declarabitur. rationale, & ſuperhumerale ſibi iunguntur. Tunc enim vna eademque textura fit vtrumque quando doctrina & operatio cócordant. Eſt autem rationale quadrangulum, quoniam quatuor virtutibus quaſi quatuor angulis perficitur: Hinc enim prudentia, inde iuſtitia, hinc fortitudo, inde temperantia & rationale, & Pontificis pectus exornant. Has enim quatuor virtutes hiacintus, & purpura, coccus, & biſſus ſignificant. Eſt autem & duplex propter actiuam vitam & contemplatiuam, ſiue propter duplicem ſanctarum ſcripturarum intelligentiam. Qui enim Epiſcopus hanc duplicitatem non ha- H bet, populum ſibi commiſſum, ſicut oportet, regere non valet. Habet autem & menſuram palmi tam in longitudine quam in latitudine, vt & pectoris contineat quantitatem, & in Dei palmo ſemper & manu claudatur, ſecundum illud; *Cor regis in manu Dei.* Et Pſalmus: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Poneſque in eo quatuor ordines lapidum. In primo verſu erit lapis Sardius & Topaſius & Smaragdus; In ſecundo carbunculus, ſaphirus, & Iaſpis; In tertio Ligurius, Achates, & Amethiſtes: In quarto Chryſolitus, onichinus, & berillus, Incluſi auro erunt per ordines ſuos, habebuntque nomina filiorum Iſraël Duodecim nominibus calabuntur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. Duodecim enim ſunt lapides, quoniam duodecim ſunt Patriarchæ, totidemque Apoſtoli, ex quibus cætera multitudo fidei, & religionis ordinem ducit. Qui merito quidem lapides pretioſi dicuntur, quoniam in Eccleſiæ ædificiis, & ſapientia, & ſanctitate præ

A omnibus rutilant. Hi autem lapides ponuntur in rationali Pontificis vt Patriarcharum, & Apoſtolorum doctrina fide, moribus, virtutibus, & exemplis, ſemper eius cor & pectus illuminetur, ſemperque eorum nomina Pontifex cernens & legens, ipſorum conuerſationem appetat, vitam teneat & fidem ſequatur. Ponuntur autem terni lapides per quatuor ordines, quoniam Trinitatis fides in quatuor Euangeliis Apoſtolorum officio diuulgata eſt. Et quamuis ſingula nomina ſingulis lapidibus imprimantur, vnuſquiſque tamen non ſingulis, ſed omnibus lapidibus decoratur, vnuſquiſque enim omnium colorem, omnium ſplendorem & pulchritudinem imitatur, omnes enim, & martyrio rubei, & fide virides, & charitate igniti, & cœleſti contemplatione clari, & pudicitia candidi, & pœnitentia nigri eſſe videntur, Nihil denique eſt in coloribus, nihil in moribus, nihil in ſplendoribus, nihil in virtute, nihil in ſapientia, vel in decore, quod in ſanctis Apoſtolis non inueniatur.

Facies in rationali cathenas ſibi inuicem cohærentes ex B *auro puriſſimo, & duos annulos aureos quos pones in vtraque rationalis ſummitate, catenulas quoque aureas iunges annulis qui ſunt in marginibus eius, & ipſarum catenarum extrema duabus copulabis vicinis in vtroque latere ſuperhumeralis quod rationale reſpicit. Facies, & duos annulos aureos quos pones in ſummitatibus rationalis, & in oris quæ è regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora eius aſpiciunt, nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum rationali, & ſtringatur rationale annulis ſuis, cum annulis ſuperhumeralis, vitta hiacintina, vt maneat iunctura fabrefacta, & à ſe inuicem rationale, & ſuperhumerale nequeant ſeparari.* Hoc totum qualiter ad litteram intelligi debeat, ſic collige: Rationale duos annulos in duabus extremitatibus ſuperius habebat, quibus duo annuli ſuperhumeralis appoſitæ erant: duobus autem annulis rationalis duæ catenulæ iunctæ erant. Erant prætcrea duo alij annuli deorſum in vtroque latere ſu- C perhumeralis, per quos vitta hiacintina trahebatur, quæ duos quoque rationalis annulos continens, ſic rationale, & ſuperhumerale viciſſim ad ſe conſtringebant, vt à ſe ſeparari non poſſent. Quid autem rationale & ſuperhumerale ſignificet, dictum eſt. Dicamus quid ſignificet, quod ſic alterum iunguntur, vt à ſe ſeparari non valeant: Tunc enim rationale, & ſuperhumerale ſibi iunguntur, quando Pontificis prædicatio, & operatio bene ſimul conueniunt. Sunt enim per rationale doctrina, & prædicatio, ita per ſuperhumerale, onus, & operatio deſignatur, ſic enim Epiſcopus bene docet & male operatur: aut ſi è contra bene operatur, & male docet, eius ſuperhumerale, & rationale non iunguntur. De his enim, qui bene docent, & male agunt, ipſa per ſe veritas ait: *Super cathedram Moyſi, ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum opera eorum nolite facere*, dicunt enim, & non faciunt, alligant enim onera grauia, & importa- D bilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Iſti ergo rationale habebant, ſed ſuperhumerale non habebant: ſi enim ſuperhumerale habuiſſent, non ſolum digito aliena onera tangerent, verum etiam ſuper humeros ea portarent. Hæreticorum autem quam plures fuiſſe legimus, qui bene quidem operabantur, ſed male docebant. Ieiunare namque, vigilare, eleemoſynas dare, & ſimilia, bonum opus eſt, hæc autem Manichæorum, Arrianorum, & Donatiſtarum Epiſcopos feciſſe audiuimus, ſed quoniam male docebant, & errorem prædicabant, quamuis hæc, & ſimilia agendo ſuperhumerale facere videbantur, rationale tamen penitus non habebant: ſi enim rationale habuiſſent, irrationabilia, id eſt falſa & erronea prædicare non poſſent. Ille igitur & ſuperhumerale, & rationale ſibi mutuo coniuncta, & ligata portat, qui & bene agit, & bene docet. Sed quid per annulos & catenulas vittamque hiacintinam, quibus rationale ſibi iungunt, niſi fidem, ſpem, & charitatem, ſapientiam & alias virtutes E intelligamus? qui enim has habent, à veritatis doctrina, & operatione ceſſare non poſſunt: his enim quaſi quibuſdam retinaculis prædicatio, & operatio ſibi iunguntur, ſeque ſequuntur, & concordanter ſibi mutuo obſequuntur. Sequitur.

Portabitque Aaron nomina filiorum Iſraël in rationali iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum In pectore enim & corde Pontificis, ſanctorum nomina, conuerſatio, vita & memoria ſemper eſſe debet, vt eorum iudicio, doctrina, & exemplo omnia doceat & operetur. Habeat etiam totius populi nomina in corde ſcripta, vt omnium memor ſemper pro omnibus ad Deum intercedat.

Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erat in pectore Aaron, *quando ingredietur coram Domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſraël in pectore ſuo in conſpectu Domini ſemper.* Hoc autem Epiſcopi audiant, hoc diligentiſſime attendant: conſiderent quid ſignificet, quod ſupra pectus Aaron, doctrina & veritas ponitur: ille enim Epiſcopus rationale in pectore F non habet, immo neque cor, neque pectus habet, in cuius corde non eſt doctrina, & veritas. Quid enim ſine doctrina docebit? quid ſine veritate iudicabit? Ideo enim rationale iudicij dicitur, vt in rationali ſit doctrina, in iudicio ſit veritas. Semper igitur rationale, ſemper pectus ſuum intueatur Epiſcopus, ſufficit ibi liber iſte, tota lex vtriuſque teſtamenti; ſcientiam in pectore habet, ſi tamen intelligit quod in pectore habet. Sed quomodo non intelligat pectus quod in pectore eſt? Quomodo cor illud non videat, cuius pondere premitur? Ideo enim tam prope & ſuper ipſum cor, rationale ponitur, vt quid velit, & quid ſignificet, facile intelligat. Stat rationale ſuper cor, quaſi magiſter ſuper diſcipulum: clamat voce admirabili, ſi tamen ſit qui audiat: admonet, cordis oculos regat, vt ad ſe dirigantur, inſpiciant, & legant: legant, & intelligant, quid aurum, hiacintus, purpura, coccus, & biſſus, quid duodecim lapides, quid nomina in eis cœlata, quid doctrina & veritas ſignificet. Hoc enim ſi Epiſcopus intelligit, nihil eſt ſui officij quod non intelligat, quod quidem G ſapiens ille ſignificauerat, qui ait. In veſte enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarũ, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidũ erãt ſculpta. Sequitur.

Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hiacintinam, in cuius medio ſupra erit capicium, & ora per gyrum eius textilis ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facile rumpantur. Quia enim ſuperhumerale ſuper hanc tunicam ponebatur, ideo ſuperhumeralis tunica vocatur. Hac autem tunica totus Pontifex tegebatur, ideo & iuxta collum capitium habebat, quo caput etiam tegeretur, per hanc autem, ſanctam & mundam Epiſcopi conuerſationem intelligimus, vt ſic ſancta vita, & optima conuerſatione totus operiatur, quatenus nihil nudum vel indecens, vel non ornatum in eo appareat, vnde, & tota tunica hiacintina fuiſſe dicitur, qua videlicet Pontifex indutus non terra, ſed cœlum, non homo, ſed Deus eſſe putaretur. Hiacintus enim, vt iam ſæpe diximus, quoniam aërei coloris eſt, cœlum ſignificat. Hac autem veſte indu- H tus erat Apoſtolus qui dicebat. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt:* In terra enim adhuc degens iſta dicebat; ſed quia cœlicam, & Angelicam vitam agebat: quia hiacintinis veſtibus indutus iam ſe in cœlo eſſe gaudebat, inde enim & cœli Apoſtoli dicuntur, quoniam talibus veſtibus induuntur. Habet autem hæc tunica capicium, quo totum caput operiens, viſum & auditum, guſtum & odoratum quæ in eo ſunt, per illicita, & nociua vagari non patiatur. Habet autem, & oram textilem per gyrum in circuitu, ſicut in extremis veſtium partibus fieri ſolet, vt non facile rumpatur, per quam perſeuerantia in bonis intelligitur, de qua ſcriptum eſt. Qui perſeuerauerit, vſque in finem hic ſaluus erit. Tunc enim tunica, id eſt ſancta conuerſatio interrumpitur, quando ab incepto bono opere qualibet occaſione ſeparatur.

Deorſum vero ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies ex hiacinto, & purpura coccoque bis tincto, & biſſo retorta, miſtis in medio tintinnabulis,

ita vt tintinnabulum ſit aureum & malum punicum, rurſumque tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum. Mala namque punica clariſſimis, & dulcibus granis regulariter ordinatis plena ſunt, per quæ ſanctorum Eccleſias, & congregationes, vbique per totum mundum poſitas intelligere poſſumus in quibus Chriſti, fideles concordia, pace, & dilectione coniuncti continentur. At vero per tintinnabulum. Euangelica prædicatio intelligitur, vnde & aurea dicuntur. Euangelica prædicatio ſapientiæ luce præfulget. Mala vero punica ex hiacinto, purpura, cocco bis tincto, & biſſo retorta fiunt, quoniam Sanctorum cœtus ex ſolis hominibus & virtutibus ædificantur; Sæpe enim iam diximus, quia per hos quatuor colores, quatuor elementa, ex quibus homo conſtat, vel quatuor virtutes principales intelliguntur. Sunt autem inter mala punica, iuxta tintinnabula, vt nulli Eccleſiæ, vel prædicator, vel prædicatio deſit: tunc enim inter mala granata tintinnabula ſonent, quando in conuentu fidelium, & in medio Eccleſiarum prædicatorum, & doctorum voces audiuntur. Vnde adhuc ſubditur.

Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus quando ingreditur, & egreditur ſanctuarium in conſpectu Domini. Neceſſe eſt ergo Pontifices ſine intermiſſione clamare neceſſe eſt ſemper prædicare, & vocis tintinnabula ſonare, & ad fidem, & ad baptiſmum, & ad pœnitentiam populum vocare. Siue enim ingrediatur, ſanctuarium, ſiue egrediatur de ſanctuario, hoc agere debet, quia quamdiu in Eccleſia eſt, quamdium circa ſe populum cernit, (populus enim ſanctuarium eſt) ſemper ædificationis verba eorum auribus inſonare & inſtillare conuenit. Hoc enim cum vbique agere bonum ſit, ibi tamen præcipue fieri debet, vbi ad Sacramenta ſumenda Dei populus venire conſueuit. Quod quidem ſi Epiſcopus fecerit, non morietur; ſi vero non fecerit, morietur. Quod eſt morietur? non enim hoc de communi morte dici videtur, omnes enim moriemur: de alia igitur morte hoc eſt intelligendum à quo omnipotens Deus nos eripere, & liberare dignetur. Sequitur.

Facies, & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opera calatoris, Sanctum Domino, ligabiſque eam vitta hiacynthina, & erit ſuper thiaram imminens fronti Pontificis. Vis cognoſcere Pontificem, inſpice in fronte, & lege titulum, lege ſanctum Domino, ſic enim titulatur frons Pontificis. Magna quidem reuerentia digna eſt domus illa, quæ ſic titulatur. Hic autem titulus non ſcribitur niſi in auro, & in auro puriſſimo. Quid eſt aurum? ſapientia: hoc enim iam ſæpe dictum eſt. Sed quia non omnis ſapientia mundo eſt, ſiquidem ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum, ideo in auro puriſſimo ſcribitur. Sanctum Domino. Luceat ergo ſapientia in fronte Pontificis, illa ſapientia, quam diſcipulis ſuis ille, qui eſt vera ſapientia, promittit dicens. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Qui enim hanc laminam auream non habent, magno quidem ornamento carent. Ligatur autem hæc lamina vitta hiacinthina, per quam ſanctam, & cœlicam vitam, & Dei contemplationem intelligimus. Diuina namque ſapientia ſine hac vitta hiacinthina teneri non poteſt, quoniam ſic ſcriptum eſt, *In maleuolam animam non intrabit ſapientia*, Erat autem hæc lamina ſuper thiaram, quoniam omnibus ornamentis ſapientia in Pontifice ſuperior eſt, & clarius lucet: hæc prima quærenda eſt, hæc inſpicienda: & quamuis cætera ornamenta habeat, ſi tamen ſapientiam non habet, non eſt in eo vbi ſcribatur. Sanctum Domino, hoc eſt enim nomen Pontificis, quo qui non titulatur, Pontifex non eſt Imminet autem hæc ſtella fronti Pontificis: vt nunquam abſcondatur, vt ab omnibus videatur, vt omnes illuminet, & luceat omnibus qui in domo ſunt:

Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerint & ſacrificauerint filij Iſraël in cunctis muneribus & donariis ſuis. Sic enim de Saluatore noſtro ſcriptum eſt. *Verè peccata, noſtra ipſe tulit, & iniquitates noſtras ipſe portauit.* Cum enim populus ad delenda peccata ſacerdotibus munera offerat, quid aliud ſacerdotes niſi peccata populi in muneribus portant? In muneribus ergo peccatorum onera populus deponit; ſacerdotes vero è contra peccatis onerantur. Hoc autem onus officij ſacerdotibus ſit, vt pro peccatoribus exorantes, & ſuum officium digne adimplentes Dei indignationem, & iram ſemper placare ſtudeant.

Erit autem lamina ſemper in fronte eius, vt placatus ei ſit Dominus. Semper laminam auream Pontifex in fronte geſtare debet, vt eius aſpectu, & præſentia ſemper populus illuminetur: portet laminam in fronte: portet lucernam in vultu: portet ſemper ſapientiam in manifeſto: doceat & prædicet, inſtet ſemper opportunè, & importune, vt ei placatus ſit Deus.

Stringeſque tunicam biſſo, & thiaram biſſinam. Biſſo namque tunica & thiara ſtringitur, quia carnis munditia & maceratione ſanctæ vitæ conuerſatio, & gloria ſiue corona capitis retinetur. Quamuis enim tunica bonæ conuerſationis Epiſcopus ſit indutus, quamuis vitiis ſuperatis thiara biſſina ſit coronatus, tamen, niſi carnem domando, & caſtitate vtrumque conſtrinxerit, facile & thiaram & tunicam perdere poterit. Vnde & de ſe Apoſtolus ait: *Sic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Sequitur.

Facies, & balteum opere plumario. Dominus enim in Euangelio dicit: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Qui caſtus præcingitur, baltheo præcingitur. Balteus autem caſtitas eſt. Baltheo præcingitur, qui caſtitatis cingulo carnem ſtringit, ne luxuriando per illicita fluxa vagetur. Fit autem balteus opere plumario, quoniam caſtitas, & leuem hominem reddit, & ad volandum agilem facit.

Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac thiaras in gloriam, & decorem, veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo, & cunctorum conſecrabis manus ſanctificabiſque eos vt ſacerdotio fungantur mihi. Tunicæ namque lineæ quæ multo labore, multaque & frequẽti aquarum ablutione ad candiditatis nitorem perducuntur, carnis macerationem, vt iam ſæpe diximus, & caſtitatis munditiam deſignant. Igitur & per tunicas, & per balteos & per thiaras, quæ & ipſæ byſſina erant, pene idem ſignificare videtur, in quo apertiſſime intelligi poteſt, quantum caſtitas, & continentia carnis Domino placeat: hæc eſt enim gloria, & decor Pontificis: his Eccleſiæ miniſtri, & indui & decorati, in his gloriari debent. Manus autem eorum conſecrantur, vt bono operi inſiſtant, vt malum & immundum neque tangant neque agant.

Facies, & fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus vſque ad fœminalia, & vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij, vel quando appropinquabunt ad altare, vt miniſtrent in ſanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini eius poſt eum. Ecce iterum in fœminalibus virtus caſtitatis commendatur, vnde & linea fieri iubentur, quoniam per linum caſtitas deſignatur. Illi enim ſacerdotes non habent fœminalia qui carnem turpitudinis ſuæ non operiunt, qui carnis pudenda non reſtringunt & refrenant, ne fœminea membra aliquatenus ſentiant. Ideoque & renes & totum femur fœminalia operiunt, quia maior ibi carnis titillatio ſentitur; etenim ſi illa pars corporis diligenter cuſtodiatur, non eſt vnde carnis pudicitia corrumpatur. Semper igitur Eccleſiæ miniſtri habeant, fœminalia, quoniam non per interualla tabernaculum ingrediuntur, ſed ſemper in templo Dei ſunt, ſiquidem & ipſi templum Dei ſunt: numquam ſe carnis voluptati ſubiiciant: ſemper lumbos præcinctos habeant ne moriantur; hoc autem ſit eis legitimum non temporale ſed ſempiternum: hanc legem cuſtodiant, numquam fœminalium, & pudicitiæ obliuiſcantur.

A

CAPVT XXVII.

S*Ed & hoc facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos paneſque azimos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſint oleo: lagana quoque azima oleo lita, de ſimila triticea cuncta facies, & poſita in caſtra offeres.* Hic autem vitulus Chriſtus Dominus noſter intelligitur quia de armento ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum ſecundum carnem originem ducens, pro peccatis noſtris immolatus eſt. Hic eſt enim ille vitulus ſaginatus, quem pro lætitia redeuntis filij benigniſſimus ille pater occidere iuſſit. Notum valde eſt quod dicimus. De hoc autem vitulo, & de duobus arietibus, pleniſſimè in ſequentibus tractabitur. Per panes autem azimos, & cruſtulam abſque fermento, & laganam azimam, incorruptam vitam, & ſanctam conuerſationem, & vtriuſque hominis B integritatem intelligimus. Ideo enim & omnia azima intelliguntur, vt non ſint in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis. Sunt autem & oleo lita, gratia videlicet ſancti Spiritus, cuius vnctione omnia bona creſcunt & proficiunt. Sed quia de his omnibus plenius poſtmodum locuturi ſumus, interim de eis taceamus. *Vitulum autem & duos arietes, & Aaron & filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij cumque laueris patrem cum filiis aqua, & baptizati ab omnibus mundentur delictis, indues Aaron veſtimentis ſuis, vt exutus veterem hominem cum actibus ſuis, nouum induat, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Quæ ſint autem veſtimenta quibus indui debeat, ſubſequitur enumerans & ait: *Id eſt, linea & tunica, & ſuperhumerali quod conſtringes balteo, & pones thiaram in capite eius, & laminam ſanctam ſuper thiaram, & oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, atque hoc ritu conſecrabitur.* Veſties, inquit, eum linea caſtitaG tis, & tunica ſanctæ conuerſationis, & ſuperhumerali bonæ operationis: cui rationale quoque doctrinæ & veritatis, omniſque ſapientiæ indiſſolubiliter coniungatur. Vnde & balteo vtrumque ſibi ſtringi iubetur. Et pones thiaram, id eſt coronam victoriæ in capite eius, per quam cuius ſit fortitudinis dignoſcatur. Et laminam ſanctam ſuper thiaram, vt in eius fronte ſemper luceat fulgur ſapientiæ. Et oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, vt gratia ſancti Spiritus totus delibutus, & mente, & corpore ſanctificatus, dignus ante Deum apparere valeat. Hæc autem quia iam ſuperius expoſita ſunt, ſub breuitate tranſcurrimus.

Filios quoque illius applicabis & indues tunicis lineis, cingeſque baltheo, Aaron ſcilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque ſacerdotes mei religione perpetua. Sæpe iam diximus, quia per linum pudicitia & carnis munditia deſignatur, quia nihil eſt in veſtimentis quod toties lauetur, toties in aquam mergatur, & ad candorem ſuique munditiam deducatur. Vnde non ſoD lum Aaron verum etiam filij eius lineis tunicis indui iubentur, quoniam quicunque Deo miniſtrant, & virtute debent eſſe ornati, & baltheo caſtitatis conſtricti. Idcirco & in Euangelio Dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Ad cuius quoque ſignificationis Sacramentum, etiam mitras eis imponere iubet, quoniam & mitræ de lino fiunt, idem igitur per tunicas lineas, & per baltheos, & per mitras ſignificatur. Qui enim caſtitatis veſte induitur, merito quidem vir præcingitur, & vt victor coronatur. Iſti igitur ſunt ſacerdotes Dei, perpetua religione conſeruata.

Poſtquam initiaueris manus eorum, applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij. Tabernaculo enim facto, altari ædificato, veſtimentis ſacerdotalibus compoſitis, indutis ſacerdotibus, hoc nunc ex ordine reſtat, vt de ſacrificio loquatur. Dicatur ergo: *Poſtquam initiaueris, & conſecraueris manus eorum, vt mundæ dignæque fiant Dei tangere ſacrificium, applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij.* Vitulus enim iſte, vt ſuperius diximus, Chriſtus eſt: Moyſes autem aliquando Chriſtum ſignificat: aliquando verò pro omnium Iudæorum populo ponitur, quoniam omnium Dux & E Princeps, omnium in ſe conſilia gerebat. Applicuit ergo Moyſes, id eſt, populus Iudæorum vitulum coram tabernaculo teſtimonij, quando datis triginta argenteis Chriſtum Iudæi tenuerunt, & ad Pontifices deduxerunt, quorum iudicio quia iudicatus & damnatus eſt, ideo ſubditur.

Imponentque Aaron & filij eius manus ſuper caput illius, & mactabis eum in conſpectu Domini iuxta oſtium tabernaculi. Quid enim per Aaron & filios eius, niſi Anna & Cayphas & Sacerdotes & Leuitæ & Scribæ & Phariſæi intelliguntur? Hi autem impoſuerunt manus ſuper caput vituli, quia in Chriſtum Dominum noſtrum manum mittere non timuerunt, clamantes, & dicentes: *Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Vnde etiam Apoſtolus ait: *Chriſti caput Deus eſt.* Illi ergo imponunt manus ſuper caput Chriſti, qui & Deum illum eſſe negant, & Diuinitatem in illo opprimere conantur. F Mactauerunt autem eum in conſpectu Domini, quoniam eius morti ſemper præſentialiter Dominus affuit. Et hoc quidem iuxta oſtium tabernaculi teſtimonij, quoniam etſi extra portam paſſus eſt ciuitatis, in ciuitate tamen & iuxta templum iudicatus & damnatus eſt.

Sumptumque de ſanguine vituli pones ſuper cornua altaris digito tuo. Quid enim per altare niſi crucem? Quid vero per cornua altaris, niſi crucis cornua intelligimus? Sanguis igitur vituli ſuper altaris cornua poſitus eſt, quia Chriſti ſanguis de eius digitis, manibuſque profluens, crucis cornua cruentauit. Reliquum autem ſanguinem fundes iuxta baſim eius, baſes autem huius altaris illa crucis pars intelligitur, quæ terræ affixa erat. Funditur igitur ſanguis reliquus ad baſim altaris, quoniam totus ille Chriſti ſanguis, qui de ipſius pedibus diſtillauit, & de eius latere manauit, ad crucis baſim fluendo peruenit. Sequitur.

Sumes & adipem totum qui operit inteſtina, & reticulum iecoris ac duos renes, & adipem qui eſt ſuper eos, & G *offeres incenſum ſuper altare.* Quid enim per inteſtina & adipem, & ea quæ cordi adhærent, quæ quidem quaſi inuiſibilia in occulto latent, niſi Chriſti dilectionem, quam erga nos habuit, & eius miſericordiam & pietatem intelligere debemus? Hæc enim ſuper crucis altare Chriſtus Dominus noſter in odorem ſuauitatis incendens offerebat, quando pro ſuis perſecutoribus orans dicebat: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* De hoc etiam Pſalmiſta loquitur dicens: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Itemque: *Memor ſit Dominus ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Itemque tres pueri in Daniele: *Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum.* Quid eſt enim quod omnis adeps offerri iubetur, & holocauſtum pingue laudatur? Caro enim macra & ſine pinguedine, neque quando aſſatur, reddit odorem, neque quando comeditur præH ſtat ſaporem. Hæc autem pinguedo non corporis, ſed Spiritus, non carnis ſed mentis intelligi debet: Animæ namque pinguedo fides eſt, ſpes & charitas, & omnium collectio virtutum: hæc ſuaue redolent, hæc in omni ſacrificio Domino placent, & ſine his nullum ſacrificium eſt acceptabile. Hoc enim adipe pingues erant illi, de quibus dicitur: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Offert ergo Chriſtus adipem ſuum, offert & holocauſtum lætum, & pingue, offert & odorem & ſaporem ſuauitatis. Ipſe eſt enim mons Dei, mons coagulatus & pinguis; Huius enim adipis odore, & cœlum repletur, & terra. Sequitur.

Carnes vero vituli, & corium eius & fimum combures foris extra caſtra, eo quod pro peccato ſit: Hoc enim Apoſtolus exponens quod totum hoc de Chriſto intelligi debeat, manifeſtat dicens; Quorum enim animalium infertur ſanguis in ſancta pro peccato, horum corpora cremantur extra caſtra, ita & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Tunc enim extra caſtra vituli carnes, corium, & fimus com-

burebantur,

A buræbamur, quando extra portam in cruce pendens pro peccatis noſtris Chriſtus Dominus noſter duram mortem patiebatur Nemo autem, cum vituli fimum legerit, fimum quoque Chriſtum ſignificare abhorreat; hoc enim fimo pingueſcit terra noſtra: hoc fimo fertilis fit & caro & anima noſtra. Idipſum enim per fimum vituli, & per Noë Patriarchæ diſcooperta verenda ſignificari arbitror. Fimus ergo vituli, crucis ignominiam ſignificat. In hoc enim Apoſtolus gloriatur dicens, *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vitulus igitur noſter, id eſt, verbum Dei, habet carnes quibus reficimur. Vnde ipſe ait; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, Habet & corium, quod niſi de litteræ ſuperficie detractum fuerit, ad carnes & ad ſpiritualem intelligentiam accedere non valemus. Nos enim ipſi quando iſta dicimus, vitulum, id eſt verbum Dei quodammodo decoriamus, quod enim corium ſuper carnes, hoc ignominia ſuper litteram. Et hæc de vitulo dicta ſufficiant.

B *Vnum quoque arietem ſumes, ſuper cuius caput ponet Aaron & filij eius manus, quem cum mactaueris, tolles de ſanguine eius, & fundes circa altare: ipſum autem arietem ſecabis in fruſtra, lotaque inteſtina eius ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius, & offeres totum arietem in incenſum ſuper altare.* Quamuis enim vnum, idemque, & per vitulum & per arietem intelligatur, ſiquidem vtrumque Chriſti paſſionem ſignificat, differt tamen, quoniam vitulus illam eius mortem deſignat, de qua Apoſtolus ait; Chriſtus ſemel, pro peccatis noſtris mortuus eſt, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Aries autem hanc illius hoſtiam demonſtrat, quæ nunc quotidie in eius memoria in ſancta Eccleſia pie à ſacerdotibus immolatur. Vnde & ibi ſuper altaris cornu ſanguis ponitur: hic autem ſolummodo circa altare funditur. Ait ergo: *Vnum quoque arietem ſumes, ſuper cuius caput ponent Aaron, & filij eius manus.* Hoc autem in loco Aaron & filij eius, ſanctæ Eccleſiæ Epiſcopos & Sacerdotes deſignant, ſuperius enim C Synagogæ ſignificauerunt miniſtros. Ponunt igitur Aaron & filij eius manus ſuper caput arietis, quando Pontifices & Sacerdotes puras manus eleuant ad Chriſti corpus conficiendum. Pro toto quidem corpore, caput ponit, quoniam caput principalior pars corporis eſt. Quem cum mactaueris, inquit, tolles de ſanguine eius, & fundes circa altare, quatenus & ore & corde à fidelibus ſuſcipiatur. Hoc enim altare non conuenientius quam hominis mens & cor intelligi poteſt. Funditur igitur ſanguis circa altare, quoniam mentes & corda ſemper tangens, nunquam Chriſti ſanguis & paſſio à fidelium memoria dilabitur. Semper enim in eius ſanguine natant corda noſtra, ſemperque eius ſanguis, & paſſio verſatur circa mentem noſtram. Vnde & ipſe Dominus ait; Hoc facite in meam commemorationem. Sequitur; Ipſum autem arietem ſecabis in fruſta, arietem enim in fruſta ſecamus, quando omnia, quæ de Saluatore noſtro ſcripta ſunt, particulariter, & per ſententias diuidentes D exponimus, nunc de eius ineffabili natiuitate, nunc de eius prædicatione, nunc de miraculis, quæ ſolo verbo operabatur, nunc de paſſione, nunc de reſurrectione, nunc de eius aſcenſione verbum facientes. Lotaque inteſtina, ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius, & offeres totum arietem ſuper altare. Quid enim per eius pedes & inteſtina, niſi eius finem & paſſionem intelligimus? finis enim corporis, pedes ſunt: inteſtina vero videre horribile eſt. Quod ergo ſignificatur per fimum vituli, hoc ſignificatur per inteſtina & pedes arietis. Pedes ergo arietis & inteſtina lauamus, quando Chriſtum Dominum non imbecillitate, ſed voluntate paſſum eſſe probamus, quando ſputa, flagella, ſpineam coronam & totam crucis ignominiam, (hæc ſunt enim eius inteſtina) propria voluntate eum ſuſtinuiſſe, ex ipſius teſtimonio oſtendimus: Oblatus eſt enim, quia ipſe voluit: poteſtatem enim, habuit ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Vnde & dicebat: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum* E *ſolum manet:* Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc enim cum dicimus, eius pedes & inteſtina lauamus, & ea quæ in eo infirma, imbecillia & deſpicienda apparebant, nobilia, fortia, & admiranda eſſe monſtramus. Hæc autem, id eſt inteſtina & pedes arietis ponimus ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius, quoniam poſtquam Chriſtum Deum eſſe, de Virgine natum, inter homines conuerſatum, cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, & cætera quæ fecit, ſingulariter oſtendimus, tunc tandem & his omnibus illud quoque ſuperponere & addere debemus, quia pro nobis paſſus eſt, & propter peccara noſtra mortem turpiſſimam, & crucis ignominiam ſuſtinuit. Hic eſt enim rectus ordo prædicationis, ſi arietem noſtrum, id eſt verbum Dei concidentes & in fruſta ſecantes à capite incipientes, ipſumque caput prius ponentes, dicamus: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Hoc eſt enim caput arietis. Deinde autem cætera quoque membra per ordinem exponentes, poſtquam eum hominem F factum, de Virgine natum, cum hominibus conuerſatum, & ſimilia quæ de eo ſcripta ſunt expoſuerimus, tandem ad eius paſſionem veniamus, & crucis ignominiam poſt omnia & ſuper omnia addamus, & hoc quidem eſt pedes arietis & inteſtina ſuper conciſas carnes & ſuper caput ponere. Quod quidem Ioannes Euangeliſta feciſſe dignoſcitur, poſtquam enim dixerat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, conſequitur, & particulatim Chriſti doctrina & miraculis politis, tandem eius paſſionem & crucis ignominiam per omnia ſuperaddit. Quod autem addit. *Et offeres totum arietem ſuper altare*, tale eſt, ac ſi diceret: Non ſolum Chriſti Diuinitatem & humanitatem, verum etiam paſſionem, reſurrectionem & aſcenſionem, & quæcunque de eo ſcripta ſunt, ſemper in memoria, in corde, & in mente habebis. Diximus enim, quia hoc altare, mens & cor hominis intelligatur. Quoties ergo Spiritu contribulato, corde contrito & humiliato, Saluatoris noſtri benigne memores ſumus, G cumque aliis prædicamus, toties ſuper cordis altare totum arietem immolamus: Oblatio enim Domini eſt odor ſuauitatis: Nulla enim noſtra oblatio eſt Deo ſuauior, quam amor, pietas, & dilectio, qua circa eius memoriam afficimur, & in eius dulcedine ſuſpiramus. Hac enim dulcedine Pſalmiſta plenus dicebat: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

Tolles quoque arietem alterum, ſuper cuius caput Aaron & filij eius ponent manus. Quem cum immolaueris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremum dextræ auriculæ Aaron & filiorum eius, & ſuper pollices manus eorum, & pedis dextri. Fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. Hæc enim tertia oblatio illa eſt, de qua Pſalmiſta loquitur dicens. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Vitulus igitur, vt diximus, Chriſti paſſionem; primus autem aries ipſius corporis & ſanguinis H Sacramentum quod quotidie vbique in Eccleſia immolatur: hic autem ſecundus aries, Apoſtolorum & Martyrum paſſiones & tormenta ſignificat. De hoc enim ariete ſcriptum eſt, *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino, filios arietum.* Itemque: *Montes exultauerunt vt arietes.* De hac quoque oblatione & Apoſtolus dicit: *Ego enim iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat.* Itemque: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Ipſe quoque Dominus filiis Zebedæi; *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* qui cum ſe poſſe reſponderent, ait, *Calicem quidem meum bibetis*, id eſt, vos quoque pro me patientes, Dei holocauſtum & oblatio eritis. Super caput ergo huius arietis Aaron & filij eius manus poſuerunt, quoniam incitamento Pontificum & Sacerdotum (qui per Aaron & filios eius intelliguntur) ſtatim poſt Chriſti paſſionem in Apoſtolos Iudæi manus iniecerunt. Primum

A enim Stephanum & Iacobum interfecerunt, demum vero nimis crudeliter vbique Eccleſiam perſecuti ſunt. Et iſti quidem ſuper caput arietis manus poſuerunt, quando primitiuam Eccleſiam diuerſis, multiſque tormentis afflixerunt. Diximus autem ſuperius quod Aaron & filij eius, aliquando Iudæorum Pontifices, & Sacerdotes, aliquando Epiſcopos & Sacerdotes noſtros ſignificent; Illos enim ſignificant, cum male agunt; hos autem ſignificant, cum bonum aliquod operantur. Illos cum ſanctos perſequuntur; iſtos, cum à Domino conſecrantur. Vnde & ſubditur: *Quem cum immolaueris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremum dextra auricula Aaron & filiorum eius.* Ecce enim Aaron & filij eius, qui modo Iudæorum Pontifices & Sacerdotes ſignificabant, nunc noſtros Epiſcopos & Sacerdotes ſignificant, qui, quoniam nil ſiniſtrum habent, ideo ſuper eorum dextram aurem & manum & pedem, ſanguis arietis poni iubetur: Iudæi vero dextram aurem non habent, quam ſeruo Malcho B. Petrus abſcidit. Nihil enim B ſiniſtrum habent ſancti. Ideo & in Euangelio Dominus ait: *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Sanguis enim arietis nobis aures tangit, quando Martyrum paſſiones nos audire delectat. Sed quia perparum audire prodeſt, niſi & eorum actus imitemur, ideo etiam manus ſanguine tanguntur, quatenus eos & in operatione, &, ſi neceſſe fuerit, in paſſione ſequamur. Tangit autem & pedes, vt bonum exemplum quod ex eis capimus, aliis etiam nos prædicare non pigeat ſecundum illud Apoſtoli: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Quod autem extremum auriculæ ſanguis tangit, hoc eſt intelligere, quod aures ſanctorum vſque ad extremam ſæculi conſummationem verbo Dei nunquam claudentur. Et quoniam Iudæorum quoque populus circa mundi finem ad Dei verbum audiendum aures aperiet, non immerito extremum auriculæ Aaron, ſanguis arietis tetigiſſe dicitur: extremum enim auriculæ tangere eſt vltimos, & extremos ad pœnitentiam vocare. Funditur autem ſanguis arietis ſuper altare C per circuitum, quoniam omnium mentes & corda, in Sanctorum Martyrum paſſionibus, conſtantia & ſanguine delectantur. Siue enim totam Eccleſiam, ſiue vniuſcuiuſque mentem altare intelligamus, ſanguis tamen Martyrum ſuper altare funditur, quoniam fidelium mentibus Martyrum paſſiones narrantur.

Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altari, & de oleo vnctionis aſperges Aaron & veſtes eius, filios, & veſtimenta eorum. Sanguis enim de altari, & oleum vnctionis ſuper Aaron & veſtes eius ſpargitur, quoniam Sanctorum Martyrum paſſiones, & gratia ſancti Spiritus, qua peruncti erant, omnibus Epiſcopis & Sacerdotibus ad prædicandum, & imitandum traduntur. Imitari enim, ad Aaron, prædicare autem ad veſtes eius pertinet. Dum enim Martyrum ſanguis in veſtibus videtur, ipſæ etiam veſtes quodammodo prædicant Martyrum paſſiones. Dum vero Aaron & ſanguine tingitur & oleo vngitur, tunc quidem ſacerdos, & martyrium imitatur, D & gratia roboratur. Ille enim ſacerdos Martyrum ſanguine non tingitur, qui Martyrum ſpernit imitari paſſiones: ſi vero eorum martyria etiam prædicare negligit, proculdubio nec in veſte eorum ſanguinem ſuſcepit. Veſtis enim noſtra caro eſt, hac enim veſte induitur anima: cum ergo lingua carnis martyria Martyrum prædicamus, eorum ſanguinem in veſtimento quodammodo ferimus. Hic autem ſanguis tollitur de altari cordis noſtri, quia quod in corde habemus, hoc agimus & docemus.

Conſecratiſque & ipſis & veſtibus eorum, tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam quæ operit vitalia ac reticulum iecoris, & duos renes atque adipem, qui ſuper eos eſt, armumque dextrum, eo quod ſit aries conſecrationis, tortam panis vnius cruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azimorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini. Conſecratis, inquit, & ipſis & veſtibus eorum, quatenus eorum vitam imitentur, quorum & ipſi & eorum veſtimenta ſanguine aſperguntur, tolles E adipem de ariete, & cætera quæ ſequuntur. Non enim ſufficit, nos ſolo arietis ſanguine aſpergi, niſi eius adipem & caudam & aruinam & cætera, quæ hic poſita ſunt, de ariete ſuſcipiamus: quoniam non ſolum Martyrum paſſiones, verum & eorum vitam, mores, & ſapientiam amplecti, & imitari debemus. Tolle igitur adipem de ariete, adipem dico non carnis, ſed mentis: mentis enim adeps iuſtitia eſt, prudentia, temperantia, & fortitudo, hoc enim adipe incraſſatur anima. Tolle & caudam, vt ſunt illi de quibus loquimur, ita & tu vſque in finem in bono opere perſeueres: *Qui enim perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit*, cauda enim pro fine ponitur, quoniam finis corporis cauda eſt. Tolle & aruinam quæ operit vitalia, vitalia enim, corda ſunt, quoniam ibi eſt vita. Aruina igitur cordis, ſapientia, & ſcientia intelliguntur. Macrum enim eſt illud cor, quod hac aruina non impinguatur. Tolle, & reticulum iecoris, vt nihil de pinguedine relinquas. Omnis enim arietis huius pinguedo bona eſt? ad iecur enim, F ſecundum Phyſicos, digeſtio pertinet, vnde & patrem familias illud vocant, quoniam eius officio cætera membra nutriuntur. Macrum autem infirmum & debile iecur, digerere cibos non valet. Reticulum igitur iecoris quid erit, niſi illa intelligentia: qua ſanctarum ſcripturarum intelligentias ruminando digerimus. Cibus enim, qui non digeritur, inutilis eſt. Scriptura, quæ non intelligitur infructuoſa eſt. Vt ergo noſtrum iecur pingueſcat, tollamus huius reticulum iecoris: tolle ſimiliter & duos renes, & adipem qui ſuper eos eſt, vt tales ſint renes tui, quales & ſanctorum renes fuerunt: Sint lumbi tui præcincti vbi dominatur libido, dic Domino cum Pſalmiſta: *Proba me Deus & tenta me vre renes meos, & cor meum.* Sed quia caſtitas carnis inutilis eſt, niſi & caſtitas mentis habeatur, adipem quoque qui ſuper renes eſt, tollere iubetur: Tunc enim caſtitas pinguis eſt, quando neque caro à fornicatione, neque anima ab hæretica prauitate, vel vitiorum amore corrumpitur. Tolle & armum dextrum. Audi Apoſtolum dicentem. *Alter* G *alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*, vt quomodo Chriſtum te, ita te proximum ferre non pigeat. Ille enim Epiſcopus non habet armos, qui aliorum onera portare non vult. Eſt autem hic aries conſecrationis, quoniam hoc ariete, & Aaron, & filij eius conſecrantur. Tolles, & tortam panis vnius, & cruſtulam conſperſam oleo, & laganum de caniſtro azimorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini, per tortam enim panis vnius & cruſtulam & laganum, fidem, ſpem, & charitatem intelligimus. Sicut enim panis inter omnes cibos, ita fides omnium virtutum prima, & maxima eſt: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: hæc prima datur, hæc in baptiſmo ſuſcipitur, quam qui non habet, nihil habet. Eſt autem torta panis vnius, quoniam & fides vna eſt. Sic enim Apoſtolus ait. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Sed quare torta? Torta enim ſimilitudinem coronæ exprimit: per fidem autem venitur ad coronam. Vnde Apoſtolus cum dixiſſet. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Mox addidit docens: H *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, Cruſtula vero ſpem ſignificat: Quod enim in ſartagine frigimur, quod in craticula aſſamur, quod in diuerſis tribulationibus affligimur, hoc totum ſpes futuræ beatitudinis operatur. Vnde & Apoſtolus ait: *Si enim quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Quid vero laganæ latitudo niſi charitatem deſignat, de qua ſcriptum eſt. Latum mandatum tuum nimis: In hoc enim mandato tota lex pendet & Prophetæ. Hæc autem omnia & azima ſunt, & oleo lita, quoniam ſincera, & incorrupta ſunt, & Sancti Spiritus gratia perfuſa: Fides enim, quæ Catholica non eſt, & quæ ſine operibus mortua eſt, illa quidem neque azima eſt, neque oleo lita. Similiter autem & ſpes non firma & charitas ficta, neq; azima eſt, neq; oleo lita. Sunt autem omnia hæc in caniſtro azimorũ poſita & collecta, per quod librũ iſtum, librum inquam Exodi intelligimus. In hoc enim libro cuncta Dominus Moyſi & colligere, & ſcribere iuſſit, & ita Aaron, & filiis eius tradere præcepit.

A Quia ergo Aaron & filij eius Epiſcopos, & ſacerdotes deſignant, cui hoc caniſtrum, id eſt liber iſte, niſi Epiſcopis & ſacerdotibus traditus intelligitur? Nobis enim ad legendum, ad meditandum, ad docendum, & obſeruandum, omnia iſta tradita ſunt. Vnde ei ſubditur.

Poneſque omnia ſuper manus Aaron, & filiorum eius, & ſanctificabis eos, eleuans coram Domino. Tunc enim Epiſcopus ſine dubio ſanctificatur, quando ſacram legem, & Diuina volumina ad meditandum & docendum ſuſcipit, & ſe non labiis tantum, ſed toto corde ſeruare promittit. Eleuat autem ea coram Domino, quoniam in vita & ei in doctrina talem ſe exhibet, cuius obſequia ſurſum ferri, & à Deo videri & recipi mereantur. Ille enim ſurſum non eleuat, neque ſe, neque munera ſua, qui vitiorum contagio deturpat & deprimit vitam & animam ſuam. Sequitur.

Suſcipieſque munera de manibus eorum & incendes ſuper B *altaria in holocauſtum odorem ſuauiſſimum in conſpectu Domini, quia oblatio eius eſt.* Niſi enim Domino iſta placuiſſent, nequaquam Moyſi, ſuo mediatori & quodammodo vicario ea Dominus ſuſcipere præcepiſſet: quod enim Moyſes ſuſcipit, hoc & à Deo ſuſcipitur. Incenduntur autem ſuper altare, vt ſuauem reddant odorem, & Domino placeant. Ait enim Apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, aliis ſumus odor vitæ ad vitam: aliis odor mortis ad mortem. Cum enim ea, quæ ſuperius dicta ſunt, fidelium mentibus prædicando infundimus, tunc ſuper cordis altare caniſtrum euacuamus, & ea quæ in eo repoſita fuerant, in odorem ſuauitatis incendimus. Hoc enim odore & Deus placatur, & ad quoſcumque odor iſte peruenerit, in eo delectantur. Hæc enim oblatio Dominus eſt. Vnde Pſalmiſta. *Immola Deo ſacrificium laudis.* Cum enim prædictum caniſtrum ſuper altare, id eſt ſuper fidelium mentes effunditur, cum liber exponitur, cum ſacra ſcriptura prædi- C catur, tunc ſacrificium laudis Deo immolatur. Cum ergo ſacerdotes Dei tale ſacrificium offerunt cum populo prædicant, cum fidelium mentes accendunt, & incendunt, tunc cum oblationibus ſuis odor ſuauiſſimus Domino fiunt. Sequitur.

Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, & ſanctificabis illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem ſuam. Sanctificabis, & pectuſculum conſecratum, & armum quem de ariete ſeparaſti, quo initiatus eſt Aaron, & filij eius, cadentque in partem Aaron, & filiorum eius iure perpetuo á filiis Iſraël, quia primitiua ſunt & initia de victimis eorum pacificis, quæ offerunt Domino. Aries enim, quo initiatus, & conſecratus eſt Aaron, hic eſt de quo vſque modo locuti ſumus, cuius pectuſculum & armum Aaron ſuſcipit, quoniam Epiſcopi & ſacerdotes omnium conſilia in pectore, & omnium pondera ſuper humeros ferre debent. Qui enim tot animalium pectora armoſque comedunt, eos, & ſa- D pientes & fortes, &, vt ita dixerim pectoroſos, & armoſos eſſe oportet. Ideo enim vobis Epiſcopi, & Sacerdotes pectora dantur, ne locus vobis deſit, in quem Dei theſaurum reponatis. Habetis autem & armos, vt totius Eccleſiæ pondera potenter ferre valeatis. Sed videant ſacerdotes, qui, & armos, & pectora ſanctificata comedunt, vt & armos, & pectora ſancta, & iuſta habeant. Sanctum enim pectus ſancta eructat, & ſuper ſanctos humeros non aſcendit iniquitas. Hæc autem & inter primitias computantur, & ideo ſacerdotum ſunt, quia omnes primitiæ ſacerdotibus à populo dantur.

Veſtem autem ſanctam qua vtitur Aaron, habebunt filij eius poſt eum vt vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum. Septem diebus vtitur ea, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ſuis, & qui ingreditur tabernaculum teſtimonij, vt miniſtret Domino in ſanctuario. Vos enim Epiſcopi & Sacerdotes eſtis filij Aaron, ſi tamen Aaron imitamini, & Moyſi fratres eſtis: illius vtique Moyſi qui ait. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Vos ergo habetis veſtem Aaron, vos gloria, & decore omniumque virtutum ornamento induti eſtis: Vos ratio- E nale, & ſuperhumerale habetis, vos Sancti Spiritus gratia inuncti eſtis, veſtræ quoque manus ad Chriſti corpus & ſanguinem conficiendum, omneque bonum & honeſtum agendum ſunt conſecratæ, vos enim ſeptem diebus, hac veſte vtimini, quoniam omnibus diebus ea vtimini, & numquam ea expoliamini. Non enim ſunt dies niſi ſeptem, quod ergo ſeptem diebus fit, omni tempore fit.

Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibus veſcetur Aaron, & filij eius. Diximus enim per hunc arietem, Apoſtolorum omniumque Martyrum multitudinem intelligi. Horum autem carnes comedunt Epiſcopi, & ſacerdotes, eorumque filij; non ſicut illi, de quibus dicitur. Quia comederunt Iacob. Apoſtolorum enim & Martyrum nos carnes comedimus, quoniam ipſi ſunt panis noſter ipſi ſunt cibus noſter, ipſi ſunt refectio noſtra, eorum exemplis viuimus, eorum doctrina nutrimur, eorum ſermonibus, & operationibus ſaturamur. Horum autem carnes coquimus in loco ſancto, quia eorum ſcripta, doctrinam & exempla, in corde fideli F meditamur, & ſana intelligentia ruminamus. At vero hæretici non coquunt has carnes in loco ſancto, quoniam in ſterquilinio hæretici cordis, cuncta malè intelligendo deprauant. Eorum igitur exempla ſequamur, quorum pane ſaturamur. Sequitur.

Panes quoque qui ſunt in caniſtro in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificent offerentium manus. Comedimus iam carnes arietis, comedamus & panes qui ſunt in caniſtro, vterque enim cibus bonus eſt, & ad comedendum ſuauis: audiuimus enim Apoſtolorum & Martyrum vitam & doctrinam, audiamus & ea quæ in hoc caniſtro, ideſt in hoc libro continentur: audiuimus noua, audiamus & vetera: Bonus enim ille eſt, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Hos autem panes in veſtibulo tabernaculi, & in loco ſancto comedere debemus, quatenus non demus ſanctum canibus, nec ſpargamus margaritas ante por- G cos: In loco ſancto comedamus illos, in conuentu fidelium eos expendamus, comedamus & exponamus. Quare hoc? vt ſit placabile ſacrificium, vt nomen Dei non blaſphemetur, vtrumque miniſterium non vituperetur, & ſanctificentur offerentium manus. Si enim rectè offeras, non rectè diuidas, peccaſti: ſicut enim videndum eſt quid offeras, & cui offeras, ita & videndum eſt, vbi offeras. Vnde & ſubditur: *Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſanctificata ſunt.* Maiora enim ſcripturarum ſacramenta ſolis fidelibus tradenda ſunt: Quæ enim conuentio fideli cum infideli? Infidelibus ergo fides prædicetur: quod ſi contrectatur, accedat & edat: *Alienigena, enim non veſcetur ex eis.*

Quod ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſiue de panibus vſque mane, combures reliquias igni, non comedentur, quia ſanctificata ſunt. Hoc enim puto eſſe illud quod ſuperius de agno phaſe dictum eſt: Si quid reſiduum fuerit, igne comburatur. Non enim omnia co- H medi poſſunt, quoniam non omnia intelligi poſſibile eſt, multa relinquentur vſque mane, & prius hæc nox, hæc vita tenebris & ignorantia plena finietur: prius Sol iuſtitiæ orietur, quam omnia Sanctarum Scripturarum Sacramenta intelligantur. Quæ ergo intelligi non poſſunt, igne fidei comburantur, Sanctoque Spiritui committantur, & firmo charitatis amore credantur. Non enim propter aliud reliquias comedere interdictum fuerat, niſi vt ea quæ intellectui non patent, quæ Dei ſapientia occulta eſſe voluit, nos perſcrutari & inueſtigare omittamus. Qualiter enim verbum caro factum eſt, qualiter vel à Patre, vel à matre Dei filius genitus eſt; qualiter Spiritus Sanctus à Patre procedat & filio, multaque alia his ſimilia, nulli vnquam hominum in hac vita reuelata ſunt.

Omnia quæ præcepi tibi facies ſuper Aaron & filiis eius. Septem diebus conſecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Quid eſt enim, ſeptem diebus conſecrabis manus eorum? Audite Epiſcopi, audite Sacerdotes: nullus dies prætermittatur, omni die conſecrari debent manus veſtræ, non enim ſunt

dies

dies niſi ſeptem, qui ergo ſeptem diebus conſecratur, omnibus diebus conſecratur. Omnibus autem diebus illius manus conſecrantur, qui ſemper manus & opera ſua cuſtodit vt munda ſint, vt nihil mali operentur, & vt cunctis bonis operationibus inſiſtant. Offert autem & vitulum ad expiandum per ſingulos dies, qui nunquam vnigeniti filij Dei obliuiſcitur paſſionis. Vitulus enim iſte Chriſtus eſt, cuius dum natiuitatem, doctrinam, operationem, miracula, crucem, flagella, paſſionem, ſpineam coronam, & cætera quæ pro nobis ſuſtinuit, in mente habemus, magnum ad peccata expianda ſacrificium Deo offerimus. Offertur autem & vitulus iſte ad expiandum, per ſingulos dies, quoniam vſque ad ſæculi conſummationem Chriſti corporis & ſanguinis Sacramentum, Sancta Eccleſia quotidie offerre non ceſſabit.

Mundabiſque altare, cum immolaueris expiationis hoſtiam, & vnges illud in ſanctificationem. Quod enim hoc altare Eccleſiam ſignificet, ſuperius cum de eo loquebamur, oſtendimus. Cum enim vniuſcuiuſque fidelium mens, altare vocetur, multo magis altare, tota Eccleſia & intelligi & dici debet. Hoc autem altare toties mundari oportet, quoties expiationis hoſtia immolatur in eo. *Qui enim* hanc hoſtiam *indigne manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit.* Apoſtoli enim verba ſunt hæc. Mundatur enim altare iſtud pœnitentia, lacrymis, eleemoſynis, & miſericordiæ operationibus: Vngitur autem in ſanctificationem oleo pietatis & gratia Spiritus Sancti: hoc enim oleo ſanctificatur Eccleſia. Sequitur: *Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum, omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur.* Quod enim ſeptem dies omne tempus ſignificent, ſæpe iam diximus: Quod vero omni tempore ſanctificatur, & in melius proficit, ſanctum eſt, immo Sanctum Sanctorum. Sanctificatur autem omnis qui hoc altare tangit, quoniam quicunque Eccleſiaſticam religionem ſuſcipit, & ſanctorum exemplis corde tangitur & compungitur, ille proculdubio ſanctus efficitur.

Hoc eſt quod facies in altari: agnos agniculos duos per ſingulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum veſpere: decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo contuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno vno. Quamvis enim duo agni vnum idemque ſignificent, (ſiquidem illum agnum ſignificant qui tollit peccata mundi) aliter tamen quotidie in Eccleſia, aliter in cruce immolatus eſt Chriſtus. Hic enim à fidelibus cum pietate: ibi vero à Iudæis cum crudelitate immolatus eſt. Et quidem mane & veſpere noſter quoque agnus immolatus eſt; quoniam Chriſtus Dominus noſter, mane à Iudæis iudicatus, damnatus, flagellatus & conſputus, ligatus, alapis cæſus, multiſque aliis iniuriis affectus eſt: veſpere autem in cruce pendens ſpiritum emiſit. Vnde Pſalmiſta: *Dirigatur,* inquit, *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Nos quoque duos agnos immolemus, & mane & veſpere Crucis Chriſti & paſſionis memores ſimus; vt per memoriæ cōpunctioniſque ſacrificium quod mane immolamus, ab omnibus aduerſis per totum diem ſecuri eſſe poſſimus: Illud vero quod veſpere agimus ab omni vitiorum infeſtatione per totam noctem reddat eſſe ſecuros. Hoc eſt enim mane & veſpere, quod die & nocte, quod omni tempore. Offeramus autem & decimam partem ſimilæ: offeramus & vinum eiuſdem menſuræ. O admirabile Sacramentum, hoc eſt enim ſacrificium Melchiſedech, hoc eſt ſacrificium Pontificis noſtri: Pōtificis inquam, cui dictum eſt. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Similam enim, & vinum obtulit Chriſtus: Similam & vinum & nos quotidie immolamus: Panis enim corroborat & vinum lætificat cor hominis. Conſpargitur autem hæc ſimila, hæc medulla frumenti, hic panis viuus, qui de cœlo deſcendit, oleo contuſo; quoniam eiuſdem Sancti Spiritus operatione panis iſte mutatur in Chriſti carnem, cuius obumbratione & inſpiratione de virgine natus eſt Chriſtus. Quia vero decimam & quartam offerri iubet, illud apertiſſime ſignificare videtur, quod nullius à Deo ſuſcipiatur oblatio, qui nouum & vetus non recipit teſtamentum. Quia enim decem ſunt verba legis, Euangelia vero quatuor, ideo in decem & quatuor, vetus & nouum intelligitur teſtamentum. Igitur fide vtriuſque teſtamenti, & oleo Spiritus Sancti panem & vinum offeramus. Quibus & agnus quidem ideo adhibetur, quoniam in agni carnem & ſanguinem iſta mutantur.

Alterum vero agnum offeres ad veſperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus in odorem ſuauitatis, ſacrificium eſt Domino oblatione perpetua in generationes veſtras. Quia enim vnum idemque vterque agnus ſignificat, ideo vno eodemque ritu & veſpere offertur & mane. Fit autem hoc ſacrificium oblatione perpetua, quoniam vſque ad ſæculi conſummationem in ſancta Eccleſia hæc oblatio non finietur. Sed vbi fit, ſequitur.

Ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, vbi conſtituam vt loquar ad te, ibique præcipiam filiis Iſraël, & ſanctificabitur altare in gloria mea. Sanctificabitur & tabernaculum teſtimonij cum altari & Aaron cum filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi, & habitabo in medio filiorum Iſraël, eroque eis Deus, & ſcient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, vt manerem inter illos ego Dominus Deus eorum. Ad oſtium namque tabernaculi fit ſacrificium, quia ibi ſunt ſacerdotes, immo ipſi ſunt oſtium, cæteraque fidelium multitudo per eos ingreditur tabernaculum. Ad oſtium quippe fit ſacrificium, vt ſtatim in ipſo fidei introitu & baptiſmate ſuſcepto, Chriſti corporis & ſanguinis in Chriſto regenerati participes fiant. Vnde & iuxta altare labium ponitur, in quo lauantur ſacerdotes. De hoc enim in ſequentibus dicetur.

CAPVT XXXV.

F*Acies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Sethin, habens cubitum longitudinis, id eſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine, cornua ex ipſo procedent, veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam eius, quam parietes per circuitum, & cornua.* Superius enim altare totam Eccleſiam, hoc autem Chriſti humanitatem ſignificat: Vnde propter ſuauitatis odorem qui ſuper eo offerebatur, altare thymiamatis appellatur. Ad hoc autem ſoli Pontifici ad immolandum accedere licebat, quoniam vnius ſummique Pontificis humanitatem ſignificabat. Huius enim altaris fragrantiam ſenſerat Eccleſia cum dicebat: Trahe me poſt te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Huius odorem & Iſaac ſentiens ait: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.* Hic eſt enim ille flos campi & lilium conuallium, in quo ſeptem Spiritus Sancti gratiæ requieſcunt. Eſt autem hoc altare de lignis Sethim, de lignis fortibus & imputribilibus. Vnde & Pſalmiſta de eo loquens ait: *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Sethim namque ſpina, interpretatur: ſpinis autem hoc altare coronatum legimus. Eſt autem quadrangulum, vtpote firmum, ſtabile & immobile. Hæc eſt enim illa firma petra ſuper qua fundatur Eccleſia. Eleuatur autem duobus cubitis in altitudine, quia quaſi duobus cubitis, Deo & homine conficitur. Habet autem vnum cubitum in latitudine, quia Deus & homo, vnus eſt Chriſtus. Denique quia filius in patre, & pater in filio, & Spiritus Sanctus ab vtroque procedit, non immerito tribus cubitis hoc altare metitur. Cornua vero ex Chriſto procedunt, quoniam omnis eius virtus & fortitudo, non per accidens, non aliunde venit, ſed ſemper naturaliter & ſubſtancialiter in ſe habet & poſſidet Saluator noſter. Veſtitur autem auro puriſſimo, quia non ſolum ſapientiæ & ſcientiæ luce refulget, verum & ipſe eſt, à quo eſt omnis ſapientia, & cum quo ſemper fuit, & eſt ante æuum: Hæc eſt enim illa domus quam ſapientia ædificaſſe dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Quia ergo tota hæc domus à ſapientia ædificatur, merito totum altare auro puriſſimo veſtitur. Quoniam autem per craticulam, quæ in modum retis facta

A fuerat, eius prædicatio intelligitur, quis digne dicere valeat, quanta ſapientiæ & ſcientiæ luce hæc craticula refulgeat? Hoc enim eſt illud rete quod Dominus in dextram nauigij Apoſtolis mittere iubet. Sequitur.

Facieſque ei coronam aureolam per gyrum, annulos aureos ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipſos quoque vectes facies de lignis Sethin & inaurabis eos. Coronatur enim hoc altare, ſicut Pſalmiſta de homine Deo teſtatur dicens: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum.* Itemque: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Hæc autem corona, aureola eſt, quoniam ſapienter acquiſita eſt. Quid autem per quatuor annulos aureos, (tot enim ſunt annuli, quot & altaris anguli) niſi quatuor Euangelia intelliguntur? his enim altare & leuatur & portatur, quoniam Euangelica prædicatione Chriſti nomen & gloria vbique terrarum delata eſt. Sed à quibus? A ſanctis vtique Apoſtolis & Euangeliſtis, Epiſcopis, Eccleſiæque Doctoribus: Iſti enim ſunt illi
B vectes quibus altare portatur: iſti circulos aureos, id eſt Euangelia penetrant, eorumque ſententiis inuoluti ab eis non ſeparantur. De his enim ſcriptum eſt: Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. Iſti enim & vectes dicuntur & equi. Qui bene dicuntur eſſe de lignis Sethin, vtpote fortes, incorruptibiles & æterni. Sunt autem deaurati, quia multa ſapientiæ luce refulgent.

Poneſque altare contra velum quod ante arcam pendet teſtimonij coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, vbi loquar tibi. Contra velum namque ponitur altare, & non inter velum, quatenus & ab omnibus videatur, & thimiamatis odore quod in eo adoletur, omnes perfundat & repleat. Hoc eſt enim quod Dominus ait: Ego palam locutus ſum mundo, ſemperque docui in Synagogis vbi omnes Iudæi conuenerant. Stat autem altare coram propitiatorio, quoniam Chriſtus Dominus noſter, propitiationis & miſericordiæ nunquam obliuiſcitur, ſemper ad propitiatorium reſpicit, ſemper ad ſe ve-
C nientibus miſeretur. Ibi autem loquitur Dominus, in eo loquitur Dominus, quia ipſe eſt Deus & Dominus qui loquitur.

Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuaue fragrans mane quando componet lucernas incendet illud, & quando collocabit eas ad veſperum, vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras. Aaron namque ipſe eſt Ieſus Pontifex & ſacerdos noſter, qui ſuper altari carnis aſſumptæ omnium thymiamatum fragrans odore, cunctos per circuitum ſuæ famæ notitia delectabat: hoc autem faciebat mane & veſpere. Quid eſt mane & veſpere? omni tempore: mane enim diei, veſpere autem noctis eſt initium, mane autem pro die, veſpere autem pro nocte ponitur, dies vero & nox omne tempus ſignificant. Mane ergo & veſpere lucernas Aaron componebat & collocabat, quoniam Chriſtus Dominus noſter, verbi doctrina, virtutum admiratione, gratiarum diuerſitate fideles ſuos omni tempore illuminabat: talibus enim lucernis illuminantur fidelium corda.

D *Non offeretis ſuper eo thimiama compoſitionis alterius, nec oblationem, nec victimam, nec libabitis libamina.* Nihil enim extraneum, vel corruptum, vel viriatum, nihil deterioris dogmatis offertur in hoc altari, quoniam Chriſtus Dominus noſter peccatum non fecit nec dolus inuentus eſt in ore eius: nihil niſi iuſtitiam, pietatem, manſuetudinem, charitatem, ſapientiam, concordiam, pacem, & ſimilia hoc altare redolet: talis hinc odor funditur, talia thimiamata fragrant. Cum enim Apoſtolus dicat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco,* qualem ipſum Chriſtum odorem eſſe putamus?

Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius ſemel per annum in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabitur ſuper eo, in generationibus veſtris ſanctum ſanctorum erit Domino. Semel enim Pontifex noſter Ieſus Chriſtus ſuper huius altaris cornua, id eſt in humanitate, quam de Virgine matre ſuſceperat, pro peccatis Iudæorum deprecatus eſt patrem, quando dixit: *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt:* Ipſe enim ſacerdos, ipſe E
hoſtia, ipſe altare in proprio ſanguine introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, hoc enim ſacrificio, huius Pontificis precibus, cunctis generationibus placatus eſt Dominus. Quod autem ſequitur: *Sanctum Sanctorum erit Domino,* de altari intelligi debet, Corpus enim Chriſti, ſanctum ſanctorum eſt, quoniam ab eo cætera ſanctificantur. Hucuſque de altari.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël, iuxta numerum, dabunt ſinguli precium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Quod habetur in numero à viginti annis & ſupra dabit precium. Omnis, inquit, qui numeratur, id eſt qui tranſit ad nomen, qui & re & nomine aſcribitur in populo Dei; ferat precium, non ſit vacuus nec ſine munere, quia redemptio animæ propriæ diuitiæ. Sed quid dabit? dimidium ſicli. Siclus
enim viginti obolos habet, dabit ergo decem obolos. F
Sed quare decem? vis audire quare? Quia decem ſunt verba legis: Tanto enim precio vnuſquiſque redimit animam ſuam. Non occidiſti, vnum ſiclum dediſti: Non es mechatus, duos ſiclos dediſti. Non feciſti furtum tres ſiclos dediſti; ſic & in cæteris. Tot enim das ſiclos quot præcepta cuſtodis. Vnde & ſecundum menſuram templi dari iubentur. In templo enim lex eſt. In templo decalogus reperitur & metitur. Dant autem precium à viginti annis & ſupra, quia eius precium non recipitur, quia decem non duplicat, quia teſtamentum dupliciter non intelligit, quia ſecundum litteram & ſpiritum, vtriuſque teſtamenti non laudat expoſitionem. Hinc enim Iudæi, hinc & Manichæi reprobantur.

Diues non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Suſceptamque pecuniam quæ collata eſt à filiis Iſraël, trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus illorum. Diues enim ad medium ſicli nihil addit, quoniam qui
decem verba legis obſeruat, nihil eſt quod vlterius agat. G
Pauper vero nihil minuere debet, quoniam qui in vno offendit, factus eſt omnium reus. Omnis autem hæc pecunia tradatur in vſus tabernaculi teſtimonij, vt quicumque legis mandata cuſtodit, non ad fauorem vulgi, ſed ad animæ vtilitatem hoc faciat, ſemperque illud in mente habeamus: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Tales enim tabernaculo teſtimonij inutiles ſunt, quoniam muri Ieruſalem ex his non ædificantur.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Facies & labium æneum cum baſibus ſuis ad lauandum, pones illud in tabernaculum teſtimonij & altare, &, miſſa aqua, lauabunt in eo Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ad altare vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur. Legitimum ſempiternum erit ipſi & ſemini eius per ſucceſſiones. Quid enim per labium niſi baptiſmum? Quid per baſin eius, niſi fidem intelli-
gimus? Eſt autem labium æneum, quoniam ſine ſono, H
confeſſioniſque voce non datur baptiſmus: Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. Vnde pro paruulis, qui loqui non poſſunt, alij fidem promittentes intercedunt. Ponitur autem labium inter tabernaculum & altare, vt quicunque tabernaculum ingredi, vel ad altare accedere deſiderat, prius aqua lauetur, & baptiſmi ſacramento regeneretur. Et prius quidam Aaron cum filiis ſuis, nunc autem ſacerdotes noſtri cum omnium fidelium multitudine in hoc labio lauantur: omnes enim aut ſacerdotes ſumus, aut filij ſacerdotum. Et illi quidem manus & pedes, nos autem totum corpus ſemel lauantes, ab omni vitiorum ſorde mundamus, quamuis non indigeat niſi vt pedes lauet. Lauamus tamen & nos quotidie pœnitentia peccatorum, compunctionis, lachrymis & pietatis, miſericordiæque operationibus. Nam & hoc labium eſt, in quo Sacerdotes ad altare acceſſuri quotidie lauari & mundari debent, ne forte moriantur. Si ergo timent mori, lauentur ne moriantur: non accedant ad

altare

A altare niſi loti : prope eſt aqua, prope ſunt lachrymæ & pœnitentia. Sic enim Dauid, ſic & Petrus mundatus eſt, aliter enim vlterius baptizari non licet.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens : Sume tibi aromata prima myrrha & electa quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt ducentos libros, calami ſimiliter ducentos libros, caſia autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuary. Oleum de oliuetis menſuram hin. Per has enim quatuor ſpecies aromaticas, quatuor iam ſæpe dictæ virtutes principales intelliguntur, id eſt, prudentia, iuſtitia, fortitudo & temperantia. Ex his enim ſi oleum Sancti Spiritus eis admiſceatur, fit vnguentum admirabilis compoſitionis, quo quicunque perunctus fuerit, abſque omni dubitatione ſanctificatione ſanctificatur : Hoc enim vnguentum Saluatori noſtro nomen dedit, vt Chriſtus à Chriſmate diceretur. Vnde & ipſe ait : Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me. Sequitur.

Facieſque vnctionis oleum ſanctum vnguentum com- B *poſitum opere vnguentary, & vnges ex eo tabernaculum teſtimony & arcam teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum & vtenſilia eius, altare thymiamatis & holocauſti, & vniuerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet ; ſanctificabiſque omnia & erunt ſancta ſanctorum, qui tetigerit ea ſanctificabitur. Aaron & filios eius vnges ſanctifi-abiſque eos vt ſacerdotio fungantur mihi.* Ipſum, inquit, tabernaculum, & quæcunque in tabernaculo ſunt, ex ſupradicto vnges vnguento, quoniam quicquid ex eo vngitur, ſanctum ſanctorum efficitur. Quid enim per tabernaculum & ea quæ in tabernaculo ſunt intelligi debeat, ſuperius dictum eſt.

Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facies aliud, quia ſanctificatum eſt ; & ſanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. Caro, inquit, hominis non vngetur ex eo : non enim carnis eſt hoc vnguentum, ſed mentis. Sed quid eſt, hominis? Nunquid enim, Aaron & filij eius homines non erant? C Homines enim in Diuina ſcriptura pro iniquis & peccatoribus ſæpe accipiuntur, ſecundum illud : Vos autem ſicut homines moriemini. Et Apoſtolus: *Cum enim*, inquit, *alius dicat: Ego ſum Pauli, ego Apolli, ego Cephæ*, nonne homines eſtis? Hoc ergo vnguentum non peccatorum, ſed ſanctorum, non carnalium, ſed ſpiritualium eſt : hoc ſolis ſacerdotibus, ſolis ſanctis, & ſpiritualibus viris attribuitur. Vnde & ſubditur: *Et iuxta compoſitionem eius non facietis aliud.* Hæretici enim & maxime Simoniaci iuxta compoſitionem eius aliud facere nituntur, quoniam ex eiſdem ſpeciebus eiſdem Sacramentorum verbis, ſuos Epiſcopos & Sacerdotes ordinant, ſacros ordines tribuunt, & cætera Sacramenta Eccleſiæ precio vendunt, hoc autem alienis, ſicut & ipſi ſunt, & à fide Catholica extraneis. Ideoque exterminantur de populo Dei, & à ſanctorum conſortio ſeparantur. Hi enim ſunt quos Saluator noſter de templo eiecit. Hactenus de vnguento.

Dixitque Dominus ad Moyſen : Sume tibi aromata, ſtacten, onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſi- D *mum, æqualis ponderis erunt omnia : facieſque thymiama compoſitum opere vnguentary, mixtum diligenter & purum, & ſanctificatione digniſſimum.* Quid enim per has quatuor ſpecies odoriferas, quarum virtute naturali vulnera curantur & ſanantur, niſi quatuor Euangelia intelligimus? Omnia autem æqualis ponderis ſunt, quoniam vnius eiuſdemque ſunt veritatis & auctoritatis. Miſcentur autem omnia ſimul, vt quod in vno Euangelio non habetur, in alio reperiatur : atque dum in quibuſdam inter ſe viciſſim concordant, in nullo autem diſcordant, ſuauiorem ſatis reddunt odorem. Onycha autem, quæ vngula interpretatur, non bene à noſtris cognoſcitur. Hæc autem quando ordine, ratione, & ſecundum eam veritatem qua ſcripta ſunt, populis exponuntur, tunc nimirum fit ex eis thymiama compoſitum opere vnguentarij, mixtum diligenter & purum, & ſanctificatione digniſſimum. Huius autem compoſitionis peritiſſimus vnguentarius Apoſtolus fuit, qui, ſicut ſapiens architectus,

E fundamentum poſuit, & inter perfectos ſapientiam loquens, omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret: Hoc enim thymiamate redolens dicebat : *Gratias autem Deo, qui dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt : aliis enim ſumus odor vitæ in vitam : aliis odor mortis in mortem.*

Cumque in tenuiſſimum puluerem cuncta contuderis, pones ex eo coram teſtimonio tabernaculi, in quo apparebo tibi ; ſanctum ſanctorum erit vobis thymiama. Tunc enim in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contundimus, quando Euangeliorum ſententias ſubtiliter indagantes & frequenter ruminatione frangentes, ad ſpiritualem intelligentiam redigimus. Sicut enim, aromata, quando teruntur, ſuauius redolent, ita & ſancta ſcriptura quanto plus ruminatur & frangitur, tanto ſuauiorem præſtat odorem. Ponimus autem ex hoc thymiamate coram teſtimonio tabernaculi, quando nouum teſtamentum veteris teſtamenti teſtimonio comprobamus ; Stat enim nouum te- F ſtamentum quodammodo coram vetere, dum ad ſe defendendum eius teſtimonium exſpectat ; Sicut enim Euangelium teſtimonium eſt Eccleſiæ, ita & lex teſtimonium eſt tabernaculi, & ibi quidem id eſt in teſtimonio, in ſacris voluminibus apparet Dominus Moyſi, quia Sanctarum Scripturarum documentis Deum cognoſcimus. Vis videre Deum, vis eum cognoſcere, vis audire loquentem? lege Euangelia, lege Exodum, lege libros Moyſi, lege Apoſtolos & Prophetas : hic enim apparebit tibi Dominus, hic eius potentiam & virtutem cognoſces. Vnde Pſalmiſta : *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Eſt autem hoc thymiama Sanctum ſanctorum, quia multo maioris auctoritatis ſunt Euangelia, quam Cantica Canticorum.

Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino. Homo quicunque fecerit, ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis. Audite hoc hypocritæ, audite hoc auari ; qui non ad laudem Dei, non ad animarum ædificationem, ſed ad vſus mortiferos, G vt diuitiis abundetis, vt marſupia impleatis, ſcripturas exponitis, Euangelia prædicatis, & ſanctam non ſanctæ compoſitionem in proprio facitis. Vobis enim per Pſalmiſtam à Domino dicitur. *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras iuſtitiam meam, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum* : Vos ergo peribitis, vos de populo eiiciemini, qui odore ſanctæ compoſitionis illicite perfruimini, vobis enim talem compoſitionem facere, tunc odorem ſpargere, hoc thimiama componere interdictum eſt. Et hæc de thimiamate ſufficiant.

CAPVT XXXI.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens : Ecce vocaui ex nomine Beſeleel filiorum Huri filij Hur de tribu Iuda & impleui eum ſpiritu Dei ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere ad excogitandum quicquid fieri poteſt in auro & argento & ære, marmore & gemmis & diuerſitate lignorum, deditque ei ſocium Ooliab H *filium Achiſamech de tribu Dan & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam vt faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis & arcam teſtimony, & quæ ſuperius dicta ſunt.* Beſeleel, interpretatur vmbra Dei, per quam Apoſtolos intelligimus, qui ſub vmbra, & protectione Omnipotentis Dei omnem ſpem habentes, nullum tribulationum & aduerſitatum æſtum timuerunt. Hos autem ex nomine vocauit Dominus, quoniam ex millibus eos pauciſſimos elegit, ſicut ipſe ait, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quod enim nomine vocatur, non caſu ſed prouidentia eligitur, Hi autem ſunt filij Huri filij Hur enim & Huri ignis, vel lumen interpretatur : Sunt ergo Apoſtoli filij Chriſti, Chriſtus autem filius Dei, quoniam ignis de igne, lumen, de lumine Chriſtus eſt. Qui bene de tribu Iuda eſſe dicuntur quoniam de eis ſcriptum eſt. Principes Iuda duces eorum. Iudas enim confeſſio interpretatur. In Chriſti autem, & pro Chriſti confeſſione Apoſtoli mortui ſunt. Huic autem, id eſt Beſeleel, datur

A ſocius Ooliab, qui interpretatur, protectio mea pater, ſignificat autem Epiſcopos & Doctores quorum protectio Deus eſt omnium pater atque creator. Eſt autem Ooliab filius Achiſamech, qui fratrem meum roborans, interpretari dicitur. Ille vero, qui fratrem ſuum roborat, Chriſtus eſt, qui fratri ſuo proprio videlicet Chriſtiano, robur virtutem & conſtantiam ſemper, vbique tribuit. Vnde & diſcipulis ſuis ait. *Non vos deſeram neque derelinquam.* Itemque. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Et alibi: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Hæc enim & ſimilia Dominus dicens, fratres ſuos roborat. Eſt igitur Ooliab filius Achiſamech, id eſt filius Chriſti, qui ſicut diximus fratres ſuos roborat. Qui merito de tribu Dan eſſe perhibetur, ſiquidem Dan, iudicans, interpretatur: iſtis autem ad iudicandum, vniuerſum mundum Dominus tribuit. Vos ergo Epiſcopi Doctores vos filij illius, qui fratres ſuos roborat: vos filij Achiſamech, conſiderate qui ſocij eſtis Beſeleel, quem Domi- B nus vocauit ex nomine ſocij eſtis Apoſtolorum, quos Chriſtus ad fidem prius vocauit, quibus nomina impoſuit, quos omnium principes elegit ex omnibus. Hos enim ſpiritus Dei, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, omnique ſcientia repleuit vt tabernaculum Dei, quod eſt Eccleſia admirabili artificio, & ineffabili magiſterio componerent. Quibus vos Epiſcopi, & Doctores omneſque viri eruditi, ſocij, adiutores, & cooperatores dati eſtis: Ædificate ergo domum Dei, inſtate, laborate, orate, & dicite. Benigne fac Deus in bona voluntate tua Sion, & ædificentur, muri Ieruſalem. Quoniam autem de tabernaculo & arca, & menſa & candelabro, & de omnibus quæ hic enumerantur, ſufficienter ſuperius expoſuimus, iſta nos prælibaſſe ſufficiat.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens? Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos, videte, vt ſabbathum meum cuſtodiatis & cætera. Satis enim Moyſes iam ſuperius de Sabbatho locutus eſt, ſatiſque nos de Sabbatho expoſuimus. Non enim ſine cauſa Sabbathi obſeruantia toties C replicatur, non ſine cauſa toties Dominus dicit. *Videte vt Sabbathum meum cuſtodiatis:* Cuſtodite inquit, Sabbathum meum, cuſtodite requiem meam: ſic requieſcite vt ego, requieſcite inquam à malo, ceſſate ab iniquitate, hoc enim ſignificat requies Sabbathi, male enim celebrat Sabbathum, qui à bonis operibus vacat. Nam & Chriſtus in Sabbatho operabatur, ſcilicet, ea quæ in Sabbatho operari licebat, quod quidem Iudæi male intelligentes dicebant. Hic homo non eſt à Deo qui Sabbathum non cuſtodit. Bonum ergo in Sabbatho facere licet. Quoties ergo peccamus, Sabbathum violamus, quandiu vero bonum agentes à malo ceſſamus, Sabbathum cuſtodimus, cum Deo quieſcimus, & feſtiuum diem legitime celebramus. Non igitur vno die cum Iudæo, ſed omni die ſabbatizemus cum Deo.

Dixitque Dominus Moyſi completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Synai duas tabulas teſtimonij lapideas ſcriptas digito Dei. Quia enim duri lapidei. & increduli ſemper Iudæi fuerunt, ideo legem in lapidibus ſcriptam D ſuſcipere meruerunt, vt ſaltem per duritiam lapidum, cordis ſui duritiam intelligerent.

CAPVT XXXII.

V*Idens autem populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron ait: Surge fac nobis Deos qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Dicis popule ſtulte, & inſipiens ad Aaron: Fac nobis Deos. Nunquid Aaron ſcit facere Deos? Cur potius non dicis Aaron ſit nobis Deus, Si enim Aaron creat Deos, Diis melior eſt Aaron. Exſpectate pauliſper donec veniat Moyſes, & ipſe te doceat quid ſit Deus. Venit enim Moyſes, deſcendit Chriſtus, & docuit quid ſit Deus, neſciebat enim adhuc quid eſſet Deus.

Dixitque ad eos Aaron. Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad E *Aaron. Quas cum ille accepiſſet formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixitque hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quid enim ſunt inaures, niſi aurium ornamenta? Quid vero aurium ornamenta, niſi auditus? aures enim quæ non audiunt, nequaquam ornatæ ſunt. Fabricantes ergo vitulum perdunt Hebræi auditum, quoniam ſi bene audirent, vitulum non prædicarent. Vnde ipſe Dominus ait. *Iſraël ſi me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Hoc enim Iacob ſignificauit, qui ad radicem Sichem propter Terebinthum inaures filiorum ſimul cum idolis terræ ſuffodit. Sed quid dicis Iſraël. Iſti ſunt Dij tui qui te eduxerunt de terra Ægypti? numquid boues eduxerunt de terra Ægypti? boues tibi mare rubrum aperuerunt, boues tibi manna dederunt? Mutaſti enim gloriam tuam in ſimilitudinem vituli comedentis fenum. Quid eſt fenum? dicat propheta. Vere fenum eſt populus. Populum ergo comedit vitulus iſte. Fuge ergo vitulum ne forte deuoret te. F

Quod cum vidiſſet Aaron ædificauit altare coram Domino, & præconis voce clamauit dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt. Surgenteſque mane obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas. Et ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Ædificauit enim Aaron altare coram Domino, ſed non Domino. Cuncta enim reſpicit Dominus. Exaggeratio mali eſt. Vnde Pſalmiſta. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Te præſente, teque vidente malum facere non timui, nec erubui multum ergo peccauit Aaron, qui in tanto facinore ſtulto populo conſenſum præbuit, Multũ peccant, & illi Epiſcopi, & ſacerdotes, (Qui tunc quidem per Aaron ſignificabantur) ſi delinquenti populo fauent, & eorũ ſtultitiã non redarguũt.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen: Vade, deſcende, peccauit populus tuus quem eduxiſti de terra Ægypti, Receſſerunt cito de via quam oſtendiſti eis. Peccauit, inquit, populus iam non meus, quoniam alium Deum ſibi elegit: peccauit, inquit populus tuus, populus quem diligis, pro quo ſemper intercedis: Immo nec meus nec G tuus, quoniam me ſpreuit & te. Ironicè igitur accipiatur, populus tuus.

Ruſumque ait Dominus ad Moyſen; Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Duræ, inquit, ſuperbæ, & indomabilis ceruicis eſt populus iſte, neque legis & iuſtitiæ frenis freno coërceri vel retineri valet: dimitte ergo me, noli pro eo intercedere, ceſſet iam nunc deprecatio tua, ipſa enim me tenet, ipſa indignationem meam auertit, ipſa interpoſita me illos flagellare & delere non permittit. Notandum ergo quantum Sanctorum valeant preces, quæ ſolæ Deum retinent, eiuſque indignationem & iram placant. Moyſes autem non ſuam gloriam quærens, ſed pro populo ſollicitus deprecabatur Dominum dicens: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum? Quieſcat ira tua, recordare Abraham, Iſaac, & Iacob, ex quibus iſti originem ducunt. Placatuſque eſt Dominus & non deleuit populum ſuum.* H

Et reuerſus eſt Moyſes de monte. portans duas tabulas teſtimonij manu Dei ſcriptas ex vtraque parte & factas opere Dei. Scriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis: inde enim dicuntur tabulæ teſtimonij, quia quid Deus velit, quidue nolit, teſtantur, eiuſque voluntatis dant nobis teſtimonium; Dicit enim Apoſtolus; *Concupiſcentiam neſciebam*, ſubaùditur, eſſe peccatum. Credamus ergo teſtimonio legis, quæ quia ſemper verum dicit & nunquam mentitur, non immerito teſtimonium appellatur, huic enim teſtimonio nemo contradicere audet, vltima probatio eſt legis auctoritas. Hæc autem ſcripta eſt manu Dei, opere Dei, & ſcriptura Dei; nihil humanum eſt in ea, tota Diuina eſt, tota Deo dictante & ſcribente compoſita eſt; vnde veritate & auctoritate plena eſt. Cur autem ex vtraque parte tabulæ ſcribuntur, niſi vt legis teſtimonia dupliciter legantur & intelligantur. Duplex enim eſt intelligentia legis. Sequitur.

A *Cum appropinquaſſet ad caſtra, vidit & vitulum & choros. Iratuſque valde proiecit de manu tabulas & confregit eas ad radicem montis.* Iraſcitur Moyſes & frangit tabulas, populus peccat, & tabulæ franguntur, populus peccat, & lex deſtruitur. Vt quid hoc? Si enim Moyſes tabulas non fregiſſet, populo non pepercisset. Et quid prodeſſet quod orando Deum placauerat, ſi ipſe eos ex legis imperio non occidiſſet? Lex enim dicit; *Qui immolat Diis occidetur, præter Domino ſoli.* Noluit ergo cum tabulis, noluit cum legis rigore ad populum delinquentem venire, ſed tabulas fregit, legem euacuauit, & populo delinquenti pepercit. Quoties enim reſpectu pietatis Epiſcopus peccatori alicui miſeretur, & timens ne in peius ruat, toties tabulas frangit, & legis auſteritatem relinquit. Et quidem ſic tabulas frangere, legiſque rigorem aliquando pro pietate deſerere, non magnum puto eſſe peccatum. Vnde & Moyſes pro fractis tabulis nuſquam à Domino reprehenditur. Sed audi quod ſequitur; *Arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aqua, & dedit ex eo potum filiis*
B *Iſraël*, hic enim cui Moyſes iraſcebatur, oſtenditur: vitulò enim iraſcebatur, & peccatum deſtruere conabatur. Contriuit ergo vitulum vſque ad puluerem. Sed quare miſit in aquam, quare ex eo potum dedit filiis Iſraël? Fortaſſe vt fœnum biberent vitulum, quia vitulus comedit fœnum. Bibunt aurum Iudæi, quia cupidi ſunt, & auari: bibunt aurum idoli, quia idololatræ & ſacrilegi. Sic enim hæc mortifera potio, hæc doctrina idololatriæ eorum viſcera penetrant, vt vix aliquando ab idolorum cultura auelli & ſeparari potuiſſent. Hic enim vitulus & hic potus vituli, vitulos Samariæ & decem tribuum idololatriam ſignificabat. Decem enim tribus puluere vituli, id eſt idololatriæ doctrina Ieroboam in Samaria inebriabat, quando vix duæ tribus in Iudæa legi attenderent & Prophetis.

Videns ergo Moyſes populum quod eſſet nudatus, (ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudos conſtituerat) & ſtans in porta caſtrorum
C *ait; Si quis eſt Domini, iungatur mihi.* Poſtquam enim Moyſes, ſicut oportuit, redarguit Aaron de peccato ſuo, nolens tantum ſcelus penitus inultum eſſe, præſertim quia, ſicut Apoſtolus ait: *Hæc omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram.* præcepit vt vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum interficeret. Cecideruntque in die illo viginti & tria millia hominum. Erat enim populus Dei protectione armiſque nudatus, & propter ignominiam ſordis, vituli videlicet quem adorauerat, inter hoſtes nudus conſtitutus. Vndique enim per circuitum hoſtes habitabant, qui ſi ſcirent populum illum ſic peccaſſe, ſic Dominum offendiſſe, ſic ſine viribus eſſe, ſic Dei armis omnique auxilio caruiſſe, facile omnes perdere potuiſſent. Et Aaron quidem Dei protectionis armis eum nudauerat, quia in idolo fabricando ei conſenſerat. *Præcepit ergo Moyſes his qui Domini erant, qui idolum non adorauerant, qui arma non perdiderant, vt gladiis accincti fratres & proximos ſuos interficerent.* Quibus mox iuſſa
D complentibus, ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Merito enim eis benedictio datur, eorumque manus & opera Domino, & à Domino conſecrantur, quia & Moyſi obediunt, & Dei iniurias vindicant, & in perimendis idololatris zelo Dei ducti, nec filiis, nec fratribus parcunt. Hoc autem fecerunt filij Leui, qui ſororis Dinæ ſtuprum in Geneſis vindicaſſe leguntur. Reuerſuſque Moyſes ad Dominum ait: *Obſecro Domine peccauit populus iſte peccatum magnum, feceruntque ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non feceris, dele me de libro quem ſcripſiſti. Cui reſpondit Dominus: Qui peccauit mihi, delebo eum de libro meo.* Sic enim loquitur Moyſes quaſi homo, ex nimia dilectionis affectione hoc dicit: Aut, inquit, parce eis, aut me ſimul perde cum illis. Tale quidem & Apoſtolus ait; *Optabam & ego anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.* Vnde & vſque hodie Ezechias Rex a Iudæis redarguitur, quod pro ſe tantum, & non pro omni E
populo orauit dicens: *Bonus ſermo Domini, fiat pax tantum in diebus meis.* Quod autem ait, *Dele me de libro quem ſcripſiſti*, hoc eſt intelligere, dele me de memoria tua. Sic enim in mente Dei, quaſi in libro, Sanctorum omnium nomina ſcripta ſunt, de quo quidem, niſi ad mortem peccauerint, deleri non poſſunt. Hic eſt enim liber vitæ, in quo qui ſcribitur, in æternum & ſine fine viuit. Vnde & Dominus ait, *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Confidenter ergo dicebat Moyſes; Dele me de libro tuo, quia ſe nihil peccaſſe ſciebat, & Deum iniuſte nihil facere poſſe non ignorabat. Sequitur.

Tu autem vade & duc populum iſtum quo locutus ſum tibi, Angelus meus præcedet te: ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecit Aaron. Quando enim pro reatu vituli populum Dominus percuſſit, (niſi forte illud intelligatur quod ſuperius legitur, viginti tria millia vno die cecidiſſe) nuſquam hic dicitur. F
Dies autem vltionis, aut in hac vita, aut in alia intelligi poteſt.

CAPVT XXXIII.

L*Ocutuſque eſt Dominus ad Moyſen: Vade aſcende de loco iſto tu & populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham, Iſaac & Iacob dicens; Semini tuo dabo eam, & mittam præcurſorem tui* Angelum *meum*. Non *enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis eſt, ne forte diſperdam te in via.* Angelum, inquit, meum mittam ante te: mei autem præſentiam tantam, vt hactenus, vlterius non habebis: Corruptus es enim, me negando, & vitulum adorando: peccaſti enim peccatum maximum. Hæc autem in perſona totius populi dicuntur Moyſi. Quare autem eos præcedere nolit, reddit cauſam: Quia populus, inquit, duræ ceruicis eſt: ego autem ceruicatos & ſuperbos ferre non poſſum: Vnde facile accidere poteſt, G
vt ſi tibi præſens fuero, diſperdam te in via. Quid eſt autem quod ſic veritas loquitur? Quid eſt quod modo non ſe facturum dicit, quod poſtea ſe facturum eſſe promittit? conditionalia enim ſunt verba Dei, qui dum Sanctorum precibus aliquando flectitur, contra hoc quod dixerat, facere videtur. Vnde quamuis modo populo dicat: Non aſcendam tecum, poſtea tamen aſcendit ſecum. Aſcendit ergo ſecum, & non aſcendit ſecum: ſecum quidem, quia ſubſtantia non mutatur: non ſecum autem, quia per pœnitentiam alter efficitur. Vnde & ſubditur: *Audiens populus ſermonem hunc peſſimum; luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Alter enim erat quodammodo populus ille qui pœnitens lugebat: alter ille qui vitulum adorabat, cum hoc igitur, & non cum illo aſcendit Dominus: Verum igitur eſt, quod cum eo & aſcendit, & non aſcendit.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſraël: Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendam in medio tui & delebo te; iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid H
faciam tibi. Depoſuerunt ergo filij Iſraël ornatum ſuum ad montem Oreb. Sæpe enim Dominus vindictam ſumpſit de populo illo: ſæpe illum multis tribulationibus afflixit, nunc Philiſtæis, nunc Aſſyriis, nunc Chaldæis, nunc aliis nationibus eos tradens, cito tamen eorum miſertus, non eos delebat, ſed in patriam reducebat. Quod ergo hic dicitur: *Semel aſcendam in medio tui & delebo te*, de vtroque Saluatoris noſtri aduentu intelligi poteſt. In primo namque aduentu ſuo eos deleuit, quia virtute, regno ſacerdotio, & Prophetarum oraculo eos priuauit, ſuper & Romano exercitui tradens cunctis gentibus ſubiugauit: At vero in ſecundo, qualiter eos deleat, expoſitione non indiget. Depoſuerunt autem filij Iſraël ornatum ſuum, & pœnitentiæ induti ſunt indumentis, quatenus Dei indignationem mitigarent. Hoc autem fecerunt ad montem Dei Oreb: Oreb enim, coruus interpretatur, cuius color ſatis eſt pœnitentibus familiaris. Quod autem

A ait: *vt ſciam quid faciam tibi*, tale eſt ac ſi diceret: vt ſcire te faciam voluntatem meam, & quid tibi pœnitenti facturus ſim.

Moyſes quoque tetendit tollens tabernaculum extra caſtra procul, vocauitque nomen eius, tabernaculum fœderis. Si enim hoc de illo tabernaculo intelligitur, quod Beſeleel & Ooliab fecerunt, anticipatio eſt, alioquin prius Moyſes tetendit tabernaculum, quam tabernaculum factum fuiſſet, quod fieri nequit. Tendit autem extra caſtra, quia longe eſt à peccatoribus ſalus. Vocatur autem tabernaculum fœderis, quia ibi Deus cum populo poſuit fœdus: ibi & lex poſita erat, in qua totum fœdus continebatur: ibi iudicia dantur: ibi quæſtiones ſoluuntur: ibi cum Moyſe Dominus loquitur: ibi columna nubis ab omnibus cernitur. Sed quid columna nubis niſi verbum incarnatum? Vt enim Dominus in nube, ſic Deus in homine loquebatur, & non cernebatur: videbant enim nubem, videbant humanitatem, audiebant vocem, nec tamen agnoſcebant Deum, ſi
B enim agnouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. De hac enim nube per Prophetam dicitur: *Ecce aſcendet ſuper nubem leuem & ingredietur Ægyptum.* per quam, carnem illam intelligimus, quam de Virgine Maria Chriſtus ſuſcepit.

Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. Facie namque ad faciem, & præſens præſenti loquebatur: interrogabatur, & reſpondebat, ſeque viciſſim audiebant & intelligebant, ſic enim loquitur homo ad amicum ſuum. Non enim Moyſes aliter videbat faciem Dei, qui vtique inuiſibilis eſt, & qui carneis oculis videri non poteſt. Cumque ille reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filius Nun puer non recedebat de tabernaculo. Nec Ioſue de tabernaculo, nec Ieſus de Eccleſia recedit: *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Hic eſt puer, hic eſt filius vnius anni; hic eſt ille paruulus qui maior eſt in regno cœlorum, hic eſt miniſter Moyſi; hic eſt qui venit miniſtrare, non
C miniſtrari, & ponere animam ſuam redemptionem pro multis. Vnde ipſe Moyſi, id eſt ſuis diſcipulis, qui nunc per Moyſen ſignificantur, ait; Ego autem in medio veſtrum fui ſicut qui miniſtrat.

Dixit autem Moyſes ad Dominum; Præcipis vt educam populum iſtum, & non indicas mihi, quem miſſurus es mecum, præſertim cum dixeris, noui te ex nomine, &, inueniſti gratiam coram me. Quia enim ſuperius dixerat, Angelus meus præcedet te, ipſum ſibi Angelum nominatum, & expreſſius indicari poſtulat. Eſt enim vnicuique genti vnus Angelus à Deo præpoſitus. Vnde & Michaël Archangelus proprie gentis Iudæorum eſſe perhibetur, ſicut in Daniele ſcriptum eſt; *Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his niſi Michaël Archangelus princeps veſter*, Iudæis enim loquitur. Sed quid eſt quod ait. Præſertim cum dixeris, noui te ex nomine. Non enim magnum eſt, aliquem cognoſcere ex nomine: quis enim eſt quem Deus non cognoſcat ex nomine? Si ergo omnes cognoſcit ex nomine, quare dixit Moyſi, noui te ex
D nomine? Quid eſt noui te, quid eſt ex nomine? Noui enim te, aliquando ſignificat, diligo te. Vnde & quibuſdam in iudicio dicturus eſt Dominus; *Amen dico vobis, neſcio vos*, id eſt non diligo vos. Sic igitur in hoc loco, noui te, id eſt, diligo te. Vnde hoc probari poteſt? ex nomine. Conſidera nomen tuum, quare enim diceris Moyſes? Vtique quia de aqua aſſumptus es? Quis hoc fecit, nonne ego? Interpretare ergo nomen tuum, & ex ipſo nomine intelliges quia noui te, quia dilexi te, quia à principio inueniſti gratiam coram me.

Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Reſpice populum tuum, gentem hanc. Oſtende, inquit, mihi faciem tuam, vt per hoc me intelligam inueniſſe gratiam ante oculos tuos; oſtende, vt ſciam te, vt videam & intelligam te. Quid eſt hoc? Si enim Dominus loquebatur cum Moyſe facie ad faciem, cur Dei faciem ſibi Moyſes oſtendi deſiderat? Aliud enim eſt loqui facie ad faciem, aliud videre faciem. E
Poteſt enim fieri, vt facie ad faciem cum aliquo loquaris, & cum nec videas, nec videaris, quod quidem in nocte ſæpe contingit. Facie ergo ad faciem, & præſentialiter Moyſes cum Domino loquebatur, tamen erat aliquid & quidem multum aliquid, quod de Deo agnoſcere, & videre deſiderabat, eius enim proprium eſſe, nec videri in hac vita, nec intelligi poteſt. Dixitque Dominus, *Præcedet te facies mea, & requiem dabo tibi.* Illum enim præcedit facies Domini, quem Domini facies ſequitur. *Quærite*, inquit Pſalmiſta, *faciem eius ſemper.* Si ergo ſemper quæritur, ſi ſemper præcedit, nunquam inuenitur, nunquam ad plenum videtur. Et ait Moyſes; Si non tuipſe præcedas, non educas nos de loco iſto, in quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus, inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram. Ac ſi dicat; Non per Angelum, non per miniſtrum, non per internuncium, ſed per
teipſum nos præcede, nobiſque auxiliare. Mirum valde quod loquitur Moyſes, ac ſi vbique præſentialiter F
Deus non ſit, Dei præſentiam exorat. Quamuis enim præſentialiter Deus vbique ſit, eis tamen præſens eſſe non videtur, quos orantes & clamantes non exaudit. Rogat ergo Moyſes, vt ſic populum præcedat, ſic ſemper præſentialiter adſit, vt ſemper in omnibus ſuis neceſſitatibus eis ſubueniat.

Dixit autem Dominus ad Moyſen: Et verbum iſtud quod locutus es, faciam. Inueniſti enim gratiam coram me, & teipſum noui ex nomine. Hoc autem ſuperius expoſuimus, & quomodo per ſe & præcedat eos, & non præcedat, oſtendimus. *Et ait: Oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit: Ego oſtendam omne bonum tibi, & in nomine Domini vocabor coram te, & miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Rurſum ait; *Non poteris videre; non enim videbit me homo & viuet.* Palam igitur eſt quid quæreret, quod ſi impetraſſet, viuere non poſſet. Melius igitur Dominus Moy-
ſi quam Moyſes ſibi ipſi conſulebat: *Ego*, inquit, *Dominus, oſtendam tibi omne bonum*: Ego tibi, etſi non G
modo, aliquando tamen, meipſum oſtendam. Scriptum eſt enim in Euangelio: quia quando Dominus in monte transfiguratus eſt, Moyſes & Elias cum eo loquentes apparuerunt, & tunc quidem omne bonum Moyſi Dominus oſtendit: tunc & in nomine Domini vocatus eſt coram eo. Hoc autem habemus à Principe Apoſtolorum Beato Petro, ait enim: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*: Hic, inquit, eſt eſſe bonum, vbi oſtendiſti Moyſi teipſum qui es omne bonum. Quod autem ſequitur: Miſerebor cui voluero, & clemens ero cui mihi placuerit, tale eſt ac ſi diceret: Tu pro populo rogas, tu pro his quorum corda & cogitationes non cognoſcis, exoras, ego ſcio quos elegerim: ego miſerebor cui voluero, qui nihil volo niſi bonum.

*Et iterum: Ecce eſt locus apud me, ſtabis ſupra petram: cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextra mea, donec tranſeam:
tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Poteſt enim hoc H
fortaſſe ad litteram intelligi, vt Moyſes alicubi poſitus de Domini maieſtate aliquid ſubtilius cognouerit. Et quia ait: Videbis poſteriora mea, incarnationis ſuæ myſterium ei fortaſſe oſtendit. Vidit autem Moyſes & tunc poſteriora Dei, quando Domino in monte transfigurato, verbum videre meruit incarnatum. Quod quidem ideo eius poſteriora dicitur, quia in poſteriori tempore & in vltima ætate actum eſt. Allegorice autem per Moyſen Apoſtolos intelligimus, qui & cum Domino loquebantur, & amici Dei ab ipſo Domino appellati ſunt. Stat autem Moyſes ſuper petram; petra autem erat Chriſtus, quoniam in fide Chriſti Sancti Apoſtoli & ſtabiliti & fundati ſunt. Sunt autem poſiti non ſolum ſuper petram, verum etiam in foramine petræ, quoniam in ingreſſu fidei, & in introitu Eccleſiæ ſtantes, cæteros in Eccleſiam & in Chriſti fidem introducunt. Vocatur enim

fides

A fides petra. Vnde cum Domino Petrus diceret : *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, mox eius fidem Dominus confirmans ait : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, id eſt ſuper hanc fidem tuam, qua me dicis filium Dei viuit, *ædificabo Eccleſiam meam*. Erat igitur Petrus, & ſimul cæteri Apoſtoli cum Petro in foramine petræ, id eſt in porta, & in ingreſſu fidei, ſiquidem fidei ſententia ab eis promulgata eſt, ſuper quam tota Eccleſia fundata eſt. Hos autem protexit Dominus dextera ſua, hos muniuit virtute, & potentia ſua, quia, ſicut ipſe ait, non perdidit ex eis quenquam. Cumque Dominus pertranſiret, & deſuper monte Oliueti cœlos aſcenderet, extollens manus ſuas, ſic enim in Euangelio ſcriptum eſt : Quia eleuatis manibus ferebatur in cœlum) oſtendit eis poſteriora ſua : oſtendit eis glorificatam humanitatem & carnem ſuam ; hæc enim fuerunt eius poſteriora, quia poſtea non eſt cum eis corporaliter conuerſatus. Ipſi eius poſteriora viderunt, quia quamdiu videri potuit, illum euntem viſu ſecuti ſunt. Vnde & ab Anſ B gelis eis dicitur : Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum ? hic Ieſus qui à vobis aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum ; faciem autem eius non viderunt, quia qualiter in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, non eſt eis reuelatum. Hæc eſt enim facies Dei.

CAPVT XXXIV.

AC deinceps : *Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti.* Quod enim tabulæ franguntur, legis ſecundum litteram euacuatio fuit : Quod vero iterum ſcribuntur, noui teſtamenti ſignificatio eſt. Si enim ſpiritualiter intelligatur ſanctè ſcribitur in vtroque teſtamento. *Eſto paratus mane, vt aſcendas ſtatim ſupra montem Synai, ſtabiſque mecum, ſuper vertice montis : nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſquam per totum* C *montem : Boues quoque & oues paſcantur è contra. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales ante fuerant, & de nocte conſurgens aſcendit montem Synai, ſicut præceperat Dominus, portans ſecum duas tabulas.* Quod enim Moyſes Apoſtolos ſignificet, manifeſtum eſt. Solus igitur Moyſes legem accepturus, montem aſcendit, nulluſque per totum montem videtur, quia à principio naſcentis Eccleſiæ, ſoli Apoſtoli à Domino vocati, cum nemo adhuc eius fidem ſuſcepiſſet, & ſuper montem Sion ſuper montem fidei aſcenderunt, & non in tabulis lapideis, ſed in fideli pectore Chriſti fidem ſuſceperunt. Tamen & hoc quod ſolus in monte erat Moyſes, quod nemo per totum montem videbatur, quod nec boues nec oues è contra paſcebantur, ſignificatio erat, quod lex quæ ibi dabatur, litteræ ad tempus velamine tecta, aut à nullis, aut à paucis intelligeretur.

Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo, inuocans nomen Domini. Quo tranſeunte coram eo ait : Dominator Dominus Deus, miſericors & clemens, D *patiens & multæ miſerationis ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt, qui reddis iniquitatem Patrum in filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. Feſtinuſque Moyſes curuatus eſt pronus in terram, & adorans ait, Si inueni gratiam in conſpectu tuo Domine, obſecro, vt gradiaris nobiſcum, populus enim duræ ceruicis eſt, vt auferas iniquitates noſtras atque peccata, noſque poſſideas.* Nullus, inquit, apud te per ſe innocens eſt ; quia nec vnius diei infans ſine peccato eſt. Vnde Pſalmiſta : Quoniam in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Fit ergo innocens per te, qui non eſt innocens per ſe : Quoniam tu ſolus potes facere mundum de immundo ſemine conceptum. Reddit autem Dominus iniquitatem Patrum in filiis, ſi ab iniquitate Patrum filij non recedunt. Alioquin filius non portabit iniquitatem patris. Rogat autem Moyſes Dominum, vt cum populo gradiatur, cumque

E poſſideat, qui quoniam duræ ceruicis eſt, forti indiget poſſeſſore & dominatore.

Reſpondit Dominus ; Ego inibo pactum, & videntibus cunctis ſigna faciam, quæ nunquam ſunt viſa ſuper terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus, in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus ſum. Obſerua cuncta quæ hodie mando tibi. Per pactum enim quod ſe inire promittit, hæc mandata ſiue præcepta intelligere debemus, quæ in ſequentibus poſita ſunt. Legat autem alios libros Moyſi, qui vult cognoſcere ſigna & opera Domini terribilia:

Ego eiiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Ethæum, Pherezæum quoque & Euæum & Iebuſæum. Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ tibi ſint in ruinam, ſed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucoſque ſuccide. Nolite adorare Deum alienum. Dominus Zelotes nomen eius Deus eſt æmulator. Dominus enim Zelotes, & æmulator vocatur diabolus, qui & inuidus eſt, & Dei populum perF ſequi non ceſſat : diligit enim vt perdat, æmulatur vt occidat. Vnde & de quibuſdam Apoſtolus ait : *Æmulantur vos non bene, ſed decipere vos volunt, vt glorientur in carne veſtra.* Hæc autem quæ ſequuntur, quia ſuperius expoſita ſunt expoſitione non indigent.

Cumque deſcenderet Moyſes de monte Synai tenebat duas tabulas lapideas teſtimonij, & ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron & filij Iſraël cornutam Moyſi faciem, timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo, reuerſi ſunt tam Aaron quam Principes Synagogæ, & poſtquam locutus eſt, venerunt ad eum etiam omnes filij Iſraël, quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Synai. Erat, inquit, Moyſes cornutus & ignorabat : fulgebat eius facies & neſciebat. Vnde tibi hæc cornua Moyſes? Vnde hic tantus ſplendor quem populus ferre non valet, niſi ex conſortio ſermonis Dei? Splendor enim iſte litteræ eſt, ſola litteræ intelligentia fulget adhuc in facie tua. Si ergo litteræ intelligentia tantum rutilat, quid faciet G intelligentia ſpiritus? Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait : *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt filij Iſraël non poſſent intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Nam nec clarificatum eſt quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam : tanta eſt enim gloria noui teſtamenti, tantus eſt illorum ſplendor, qui ſcripturas ſpiritualiter intelligunt, (qui enim docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti) vt quod in veteri teſtamento eſt clarificatum, penitus non clarificatum appareat. Quid eſt enim quod Iudæi clare intelligant? Cæcitas enim ex parte contigit in Iſraël. Vocat ergo Moyſes populum, & ad ſe accedere timentes cognoſcunt vocem, quoniam ſola littera ſonat in voce ; faciem timent, quia ibi ſunt oculi, ibi eſt ſplendor, ibi eſt ſpiritualis intellectus ad inſtar ſolis radiis rutilans. Reuertuntur ergo ad Moyſen, reuertuntur ad litteram quæ occidit, reuertuntur ad ſonum vocis, quia rutilantem faciem & ſpiritualem inH telligentiam timentes, prius accedere nolebant. Vnde & ſubditur.

Impletiſque ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam. Ideo enim ſuper faciem velamen ponebat, quia eius faciem videre timebant. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait ; *Vſque hodie enim dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ante oculos Iudæorum.* Dum enim Moyſes, id eſt lex Moyſi legitur, ante Iudæorum oculos litteræ velamen poſitum eſt, ſolumque velamen intuentes, & ſolam litteram attendentes, illud quod ſub velamine eſt videre non poſſunt : infirmos enim oculos habent, & ſplendorem videre metuunt. Nos autem reuelata facie gloriam Domini contemplantes, non tantum velamen quantum illud quod ſub velamine eſt, ſemper inſpicere deſideramus.

A

CAPVT XXXV.

I*Gitur congregata omni turba filiorum Iſraël, dixit ad eos: Hæc ſunt quæ iuſſit fieri Dominus: Sex diebus facietis opus, ſeptimus dies erit vobis ſanctus. Sabbatum eſt requies Domini, qui fecerit in eo opus, occidetur, non ſuccendetis ignem in omnibus habitationibus veſtris per diem Sabbati.* Multa enim iam ſuperius de Sabbatho diximus, ſemperque idem dicere ſuperfluum eſt, nouam vero in eodem ſemper quærere expoſitionem ſuperſtitioſum eſſe videtur. Nemo autem in Sabbatho ignem ſuccendat, nemo lites & diſcordias ſeminet, vnde in iram & furorem populus fidelis accendatur. Ego autem Omnipotenti Deo gratias ago, qui me per hanc ſiluam obſcuram ſatis & denſam, recto, vt opinor, itinere huc vſque perduxit: quæ enim ſequuntur vſque ad finem libri ſuperius omnia & narrata & expoſita ſunt. Deo au- B tem Omnipotenti ſit honor & gloria, virtus & imperium, & nunc, & ſemper, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

INCIPIT LIBER LEVITICI.

CAPVT PRIMVM.

POST Geneſeos & Exodi expoſitionem, ſecundum ordinem quo ſcripti ſunt, duce Ieſu ad Leuiticum tranſeamus. Ad cuius operis explanationem Deum Patrem Omnipotentem, & filium eius Ieſum Chriſtum, vna cum Spiritu Sancto inuoco ſuppliciterque depoſco, vt eodem ſpiritu quo Moyſi mentem ad ſcribendum repleuit, meam quoque ad hunc librum exponendum replere dignetur. Hoc autem volumine Moyſes, imò Spiritus Sanctus per Moyſen de ſacrifi- C ciis pleniſſime diſputat, quibus vtique ſi ſpiritualiter intelligantur, proculdubio & peccata tolluntur, & Deus placatur, & peccatoribus venia datur. Quamuis autem omnia Iudæorum ſacrificia Chriſti quodammodo paſſionem & mortem denuncient, quædam tamen illud maximum & ſingulare ſacrificium, quod in ara crucis Ieſus ipſe hoſtia & ſacerdos Deo Patri obtulit, proprie ſpecialiterque ſignificant: quædam vero hoc quod in eius memoria quotidie in Eccleſia fit à ſacerdotibus: quædam autem ſanctorum Martyrum paſſiones: alia vero ipſam carnis noſtræ macerationem: alia nihilominus cordis & ſpiritus contritionem deſignant. Eorum enim animalium holocauſta, quorum ſanguis infertur in ſancta per Pontificem, quorum carnes non comeduntur, ſed cremantur extra caſtra, proprie Chriſti paſſionem, teſtante Apoſtolo denunciant. Ait enim: *Quorum enim animalium infertur ſanguis in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.* Hoc autem exponens mox D ſubdidit dicens: *Ita & Ieſus vt ſacrificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* De his autem quoniam Deo propitio multa in ſequentibus dicturi ſumus, plura ad præſens dicere non videtur eſſe neceſſe. Nunc ergo ad ipſius libri verba veniamus.

Vocauit autem Moyſen, & locutus eſt ei Dominus de tabernaculo teſtimonij dicens: Loquere filiis Iſraël & dices ad eos: Homo quicunque obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus, id eſt de bobus & de ouibus offerens victimas, ſi holocauſtum fuerit eius oblatio, ac de armento maſculum immaculatum offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonij, ad placandum ſibi Dominum. Homo iſte, qui ad placandum ſibi Dominum victimas offert, Chriſtianorum populus mihi eſſe videtur, qui non ſolum ſuper Eccleſiæ altare viſibile, verum etiam in mentis altari inuiſibili, vitulum de armento Patriarcharum in Chriſti commemoratione quotidie immolare non ceſſat. Vitulum ergo maſculum & immaculatum ſumptum de armento Moyſes offerre præcipitur, quia Iudæorum populus Chriſtum Dominum noſtrum, qui peccatum non E fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, de Patriarcharum & Prophetarum grege, ſcilicet carne venientem, pro totius mundi delictis Domino immolauit. Vnum ergo eundemque vitulum, & Moyſes, & Iudæorum populus, & Eccleſia immolat: Moyſes quidem ſignificando: Iudæi peccando: Eccleſia commemorando. Sed quia non omnis oblatio eſt holocauſtum, ideo ait: Si holocauſtum fuerit eius oblatio. Quando enim oblatio tota incendebatur, holocauſtum dicebatur. Ducitur autem vitulus ad oſtium tabernaculi teſtimonij, quoniam & Chriſtus Dominus noſter à Iudæis captus, deinde ad Pontificem ductus eſt, qui ante oſtium & in ipſius templi atriis habitabat. Sed quoniam nos quoque hunc vitulum immolamus, quomodo etiam à nobis ad oſtium tabernaculi teſtimonij ducatur, dicendum eſſe videtur. Nos enim Dei tabernaculum eſſe Apoſtolus ſignificans ait: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Si ergo templum & tabernaculum Dei ſumus, quod erit oſtium huius tabernaculi? Ego quidem oſtium huius ta- F bernaculi fidem intelligo, per quam velut per oſtium, noſtri pectoris tabernaculum Chriſtus ingreditur. Vnde ipſe Dominus ait: *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum ipſo & ipſe mecum.* Offerimus ergo vitulum ad oſtium tabernaculi, quando Chriſti paſſionem mente legimus & fide credimus. Sic enim ipſe Dominus ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde adhuc ſubditur.

Ponetque manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Hoc autem de Iudæis intelligere difficile eſt, quibus mors Chriſti non proficiens, ſed officiens fuit. Nos autem ducamus vitulum noſtrum ad oſtium tabernaculi, imò credendo, manducando, atque bibendo introducamus eum in ipſum noſtri pectoris tabernaculum. Ponamus manus ſuper caput eius, tangamus eum manibus fidei, tangendo credamus, credendo dicamus: Dominus meus & Deus meus. Sic enim fides tangit. Sic & Apoſtolus Thomas tetigiſſe legitur Tangere enim, credere eſt. Eius namque caput B. Ioannes tangens dicebat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Crede G de Chriſtum Deum eſſe, & tangis caput eius: *Chriſti enim caput*, ait Apoſtolus, *Deus eſt.* Crede hominem eſſe, & tangis pedes eius. Si ergo ſic tetigeris, ſi omnium creaturarum caput, atque principium Chriſtum eſſe credideris, acceptabilis erit hoſtia tua, in expiationem tibi proficiet oblatio tua. Prius itaque tange caput vituli, deinde immola, ne dum quaſi vitulum Chriſtum immolaueris, eum caput atque principium eum eſſe obliuiſcaris. Vides vitulum vnius anni, noli reſpicere ætatem, noli dicere cum vides: Quinquaginta annos nondum habes. Tange caput vituli, dic cum Euangeliſta: *In principio erat Verbum*, hoc enim eſt caput vituli. Quia ergo quid ſit tabernaculum, quid oſtium tabernaculi, quid vitulus, quid ſit etiam manus ponere ſuper caput vituli, dictum eſt; reſtat nunc, vt veniant ſacerdotes & fundant ſanguinem eius per altaris circuitum, ipſumque excorient, membra concidant, in altari componant, H ignem ſupponant, & rite totum perficiant holocauſtum. Hoc eſt enim quod ait.

Et offerent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem eius, fundentque per altaris circuitum, quod eſt ante oſtium tabernaculi: detractaque pelle hoſtiæ, artus in fruſta concident & ſubiicient in altari ignem, ſtrue lignorum ante compoſita, & membra quæ cæſa ſunt, deſuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, inteſtinis & pedibus lotis aqua, adolebit ea ſacerdos ſuper altare in holocauſtum & ſuauem odorem Domino. Qui ſunt iſti filij Aaron, quibus hæc tanta Sacramenta agere licet? Credere namque, vitulum tangere, ad tabernaculi hoſtium ducere, ſuper vtrumque poſtem de eius ſanguine ponere, Chriſti carnem comedere, eius ſanguinem bibere, cunctis fidelibus datum eſt. At vero pellem hoſtiæ detrahere, artus in fruſta concidere, & cætera quæ ſequuntur, Epiſcopis, & ſacerdotibus ſpecialiter con-

ceſſum

A ceſſum eſt. Sunt ergo Epiſcopi & ſacerdotes,filij Aaron,
illius videlicet Aaron, qui rectiſſimè mons fortis inter-
pretatur, mons coagulatus, & pinguis, mons in quo be-
neplacitum eſt Deo inhabitare, qui eſt Dominus fortis
& potens, Dominus potens in prælio. Huius autem
Aaron vos Epiſcopi & ſacerdotes, filij eſtis, accedite er-
go & immolate, effundite ſanguinem vituli per circui-
tum altaris. Quoties enim ſacerdotum miniſterio confe-
ctum Chriſti ſanguinem bibimus, toties filij Aaron cir-
cum altare cordis noſtri vituli ſanguinem fundunt. Pel-
lem vero hoſtiæ detrahunt, quando litteræ velamine ſe-
moto, ea quæ in occulto latebant, ſpiritualiter expo-
nunt: artus autem in fruſta concidunt, quando totius
hoſtiæ ſacramenta particulatim & per ſententias expli-
cant. Ignem vero in altari ſubiiciunt, quia hæc omnia
exponendo ad amorem Dei corda noſtra non ſuccen-
dunt. Tali etenim igne illorum corda ſuccenſa erant,
qui ipſum Dominum hæc per ſe exponentem audientes
B dixerunt. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum
loqueretur nobis in via, & aperiret ſcripturas?* Vt autem
hic ignis ardeat, prius ſtruem lignorum ſuper altari po-
nere neceſſe eſt, hæc autem ligna, fidem, ſpem, pa-
tientiam, humilitatem, cæteramque virtutum conge-
riem intelligimus: niſi enim hæc ligna prius in cordis
altari compoſita fuerint, non ardebit ignis: poſtquam
igne charitatis altare, id eſt audientium corda incalue-
runt, tunc deinde ſacerdotes membra, quæ cæſa ſunt,
deſuper ordinent, caput videlicet, & cuncta quæ adhæ-
rent iecori. Illis enim diuina ſacramenta reuelanda
ſunt, quorum corda audiendi, & agendi deſiderio iam
videntur eſſe accenſa. Prius autem vituli caput ſuper al-
tare ordinare debent Epiſcopi, quia in ſuis ſermonibus
Chriſtum, & Deum & caput omnium creatorum prin-
cipium eſſe ante omnia, audientium corda inſtruere de-
bent: deinde autem eius natiuitatem, eius patientiam,
& humilitatem, eius ſanctam in hoc mundo conuerſa-
tionem, eius charitatem ineffabilem, quam erga nos
habuit eius paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem,
C per ordinem narrent. Hunc enim prædicandi ordinem
Beatus Ioannes ſecutus, à capite incipiens ait; *In prin-
cipio erat verbum.* Lege Euangelium & inuenies. Hæc
ſunt autem membra vituli, ſic concidantur, ſic ordinen-
tur, ſic exponantur, ſic ſuper cordis, & mentis altare
ponantur. Sed quid pro eis quæ iecori adhærent, adipe
videlicet, & pinguedine, niſi illam nimiam miſericor-
diam & pietatem Saluatoris noſtri intelligamus, qua
pro ſuis etiam inimicis orans dicebat: *Pater ignoſce illis,
quia neſciunt quid faciunt.* Hic enim adeps, hæc pin-
guedo vulnera noſtra curauit, & ſanauit, de qua Pſal-
miſta: *Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holo-
cauſtum tuum pingue fiat.* Hæc autem nobis annuncian-
tur, quatenus ad amorem Dei maius accendamur, & ad
Chriſti pietatem, & miſericordiam amplius incitemur.
Sed quid eſt quod ſequitur. *Pedibus, & inteſtinis lotis
aqua?* numquid nos pedes, & Chriſti inteſtina lauare
neceſſe eſt, cui nihil vnquam ſordium, nihil immun-
D dum adhæſit, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt
dolus in ore eius: hoc enim verum eſt. Iudæi tamen
non credunt,ſed quaſi peccatorem, quaſi turpem, & im-
mundum eum iudicant, & damnant. Hinc ergo nos
eum lauare, nos eum ſanctum, & iuſtum probare ne-
ceſſe eſt. Sed quomodo probabimus? Ipſe nos doceat:
Quis ex vobis, inquit, *arguet me de peccato? Venit enim
princeps mundi huius,& in me non habet quicquam.* Hæc
autem,& ſimilia dum ſic ordinant & componunt, ſancti
prædicatores, dum intelligunt, & credunt boni audi-
tores, fit Deo holocauſtum in odorem & ſuauitatem.
Sequitur.

*Quod ſi de pecoribus oblatio eſt, de ouibus ſiue de ca-
pris holocauſtum, agniculum & abſque macula offerunt,
immolabitque ad latus altaris quod reſpicit ad aquilonem
coram Domino; ſanguinem vero illius fundent ſuper al-
tare filij Aaron per circuitum:* & cætera vt ſuperius. Id-
ipſum enim per vitulum, & per agnum, & per hædum
intelligimus Chriſtus enim & vitulus eſt, quia maior

hoſtia & agnus, quia mitis & innocens, & manſuetus: E
hædus,propter ſimilitudinem carnis peccati. Eſt autem
agniculus & abſque macula, caſtus, pudicus, & ſine pec-
cato. Quod autem altare contra aquilonem reſpicit,cor-
da noſtra contra diaboli inſidias ſemper attenta debere
eſſe ſignificat: ab aquilone enim pandentur mala ſuper
omnes habitatores terræ. Deus enim ab Auſtro venit,
diabolus autem ad aquilonem ſedem ſuam poſuit. Cæte-
ra vero quæ ſequuntur ideo non exponimus, quoniam
modo ſuperius in vituli holocauſto expoſita ſunt.

*Sin autem de auibus holocauſti oblatio fuerit Domino
de turturibus, & pullis columbæ, offeret ea ſacerdos ad al-
tare, & retorto ad collum capite, & rupto vulneris loco
decurrere faciat ſanguinem ſuper crepidinem altaris.* Me-
rito enim poſt Chriſti ſacramenta, qualiter etiam nos
ipſos immolare & offerre Domino debeamus oſtendit.
Per turturem enim, & columbam, animæ & carnis ca-
ſtitatem & patientiam intelligimus. Turtur enim caſti-
tiſſimum animal eſt, & viuo, & mortuo ſocio indiſſo-
lutione fidem ſeruans: Columba vero felle & amari- F
tudine caret. Vnde non immerito turtur caſtitatem, co-
lumba vero patientiam ſignificat. Offert igitur ſacerdos
ad altare cordis noſtri turturem & columbam, quando
caſtitatem, & patientiam nos habere & obſeruare ad-
monet. Turturem enim ſacerdos magnus Ieſus offere-
rebat cum diceret: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Colum-
bam autem cum de patientia loqueretur dicens: *In pa-
tientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Habemus ergo
turturem, habemus columbam, immo nos ipſi iam
turtures, & columbæ facti ſumus, ſic tamen, ſi & ca-
ſtitatem, & patientiam tenemus. Quod autem ad col
lum caput retorquetur, eum qui caſtus, & patiens factus
eſt, verecundum etiam & humilem debere eſſe ſignifi-
cat, talium enim non eſt erecta ceruice, ſed capite hu-
militer inclinato incedere. Deinde autem rupto vulneris
loco decurrere facit ſanguinem ſuper crepidinem altaris,
quia ſanctus homo, & Deo deuotus, iam non celat, &
claudit peccatum ſuum, ſed effundit & foras emittit.
Et quia eiuſdem ſanguinis quamvis iam effuſi & à ſe ſe- G
parati non obliuiſcitur, circa ſui cordis altare decurrere
ſanguinem facit, & quaſi turtur, & columba pro pecca-
tis ſuis gemere ſemper flere, & dolere non ceſſat. Sic
enim Pſalmiſta circa ſui cordis altare ſanguinem ſuum
decurrere faciebat cum diceret. *Quoniam iniquitatem
meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt
ſemper.* Quod autem ſanguis peccatum ſignificet, tam
vſitatum eſt, vt exemplis non indigeat. Sequitur.

*Veſiculum vero gutturis, & plumas proiiciet præter al-
tare ad orientalem plagam; in loco in quo cineres effundi
ſolent.* Quid enim per veſiculum gutturis niſi ventris
ingluuiem? Quid vero per plumas niſi morum leuita-
tem, elationem, & mentis inſtabilitatem. Hæc autem
homini proiicere, & à ſe repellere bonum eſt. Sed vbi
proiicere? præter altare? altare enim cor eſt, ſicut iam
ſæpe dictum eſt, quod autem à corde ſeparatur, obli-
uioni quidem datur. Merito igitur præter altare iſta pro-
iiciuntur, vt eorum homo immemor ad ea vlterius non H
reuertatur. Vnde etiam ad orientalem plagam proiici
iubentur, vt præteritorum cum Apoſtolo obliuiſcentes
ad ea quæ ante ſunt, nos extendamus. Semper enim ab
ortu ad occaſum tendimus. Quodcumque igitur ad occa-
ſum nobiſcum non ducimus,ea ad orientalem proiicien-
tes plagam poſt dorſum relinquimus. Occaſum autem
finis vitæ eſt. Quod autem ait: *In loco in quo cineres
effundi ſolent,* tale eſt ac ſi diceret. Ibi ventris ingluuies,
vanitas, & leuitas morum proiiciantur,vbi ſuperflua om-
nia, & inutilia proiici ſolent, ſiquidem iſta quoque ſu-
perflua, & inutilia ſunt.

*Cōfringetque aſcellas eius,& non ſecabitur,nec ferro diui-
det ea.* Aſcellās enim turturis & columbæ confringere iu-
bet,ne caſtitas & patiētia à nobis auolādo ſeparari queat.
Attende diligenter quod dicitur. Turtur,& columba fa-
ctus es noli volare, noli vagus & inſtabilis eſſe, frange aſ-
cellas, quia nociuæ ſunt, ſed noli ſecare, quia naturales
ſunt. Quamvis enim non volas,volandi tamen naturam

non amittis: quamuis non peccas, peccandi tamen potentiam habes Ideoque dicitur: *nec ferro diuides ea.* Quod enim ferro diuiditur, penitus à corpore ſeparatur. Franguntur ergo aſcellæ, & non diuiduntur, quia ſancti viri etiamſi potentiam habent peccandi, pro Deo tamen peccare deſiſtunt: ſecundum illud: *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere malum, & non fecit.* Sequitur.

Et adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito: holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino. Ignis enim iſte feruor charitatis eſt. Hic eſt ille ignis, de quo Dominus ait. *Ignem veni mittere in terram.* At vero bonus animus, ſincerus affectus, ſanus intellectus, ſpiritus contribulatus, ligna ſunt quæ hoc igne ſuccenduntur, Sed vbi? Super cordis vtique altare. Illud enim cor in quo hæc ligna compoſita fuerint, & hoc igne ſuccenſum exarſerit, holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino. Et maxime quidem ſi ſacerdos turturem & columbam & cætera, quæ ſuperius dicta ſunt, docendo, prædicando & admonendo deſuper ordinauerit, Tale enim altare ſemper ardet, ſed tunc præcipue cum ſacerdotis voce & ſpiritu inflammatur. Vnde per Prophetam Dominus dicit: Ego, inquit: *Creaui fabrum, & ſufflantem in igne prunas.* Sequitur iterum de eo ſacrificio, quod in memoriam Chriſti paſſionis Sancta Eccleſia vbique ſacrificat, ideoque & de ſimila fit, & memoriale appellatur.

CAPVT II.

ANima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila eius erit oblatio: fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus, & deferet ad filios Aaron ſacerdotis, quorum vnus tollet pugillum plenum ſimila & olei ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino. Hæc autem ſimila de illo frumento facta eſt, de quo Saluator ait: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, quod quidem Iudæorum molis contritum, (de quibus dicitur. *Molas leonum confringet Dominus*) congrue Chriſti ſignificat paſſionem. Hanc autem anima offert, id eſt aliquis homo bonus & ſpiritualis, & qui magis animæ quam corporis ſequitur voluntates, quoniam corde contrito & ſpiritu contribulato Chriſti paſſionis recordatur. Fundit autem oleum deſuper, Chriſti, pietatem, & miſericordiam admirans, qui dum quaſi frumentum ab impiis moleretur, dum à Iudæis crucifigeretur oleum tamen pietatis & manſuetudinis effundens à miſericordia non ceſſabat. Cum enim ſerui Malchi aurem ſanabat, cum patrem, vt Iudæis ignoſceret, orabat: nonne tunc miſericordiæ oleo Chriſtus abundabat. Iungitur autem & thus, dum ſecum recogitat, quare inimici filij ſui paſſione pater tantum fuerit delectatus. De quo thure pſalmus ait: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Hæc autem dum anima ſupradicta ſecum conſiderat, & per ſe rationem inuenire non valet, defert ſimul omnia, ſimila ſcilicet oleum, & thus ad filios Aaron ſacerdotis. Vnde & ſubditur, *Quorum vnus tollet pugillum plenum ſimila, & oleum ac totum thus,* Audite hoc Epiſcopi, nulla Epiſcoporum electio fit. Venit anima cum oblatione ſua, interrogare vult Epiſcopum de dubitatione ſua: ille igitur Epiſcopus qui eius interrogationi ſatisfacere nequiuerit, & qui eius oblationem ad immolandum, id eſt ad exponendum non ſuſceperit, ille inquam, non erit ex illis vnus de quibus hic dicitur. Quorum vnus eſt. Quod autem non totam ſimilam, ſed pugillum plenum ſimilæ accipit: hoc datur intelligi, quia non omnia, ſed ea tantum Epiſcopus exponere debet, quæ ad animarum ſalutem pertinent, & quæ auditores intelligere & capere poſſunt. Hæc igitur omnia Pontifex accipiens & accipiendo exponens, ponit memoriale, id eſt ad memorandum & intelligendum ſuper altare, ſuper altare vtique cordis illius qui hoc offert & interrogat. Niſi enim ſuper cordis altare hoc ſacrificium poneretur, obliuioni poſſet tradi, & memoriale non eſſet, Fit autem talis oblatio in odorem ſuauiſſimum Domino. Sequitur.

Quod autem reliquum fuerit de ſacrificiis erit Aaron & filiorum eius ſanctum ſanctorum de oblationibus Domini. Reliquiæ enim, quas Auditores capere & intelligere non valent in ſacerdotum pectore atque ſacrario reponi & celari debent: ſecundum illud. *In corde meo abſcondi eloquia tua vt non peccem tibi.* Sanctiſſimæ enim ſunt iſtæ reliquiæ de oblationibus Domini. Quæ autem de ſimila dicta ſunt, de panibus quoque & laganis, & cruſtula intelligantur, ſiquidem iſta & de frumento & ſimila fiunt. Quorum ergo eſt vna materia, vna ſit & ſignificatio: Significant enim carnes agni, illius vtique agni qui tollit peccata mundi. Siue enim in clibano coquantur, ſiue in ſartagine frigantur, ſiue etiam in craticula aſſentur, ſemper tamen Chriſti ſignificant paſſionem: crux etenim Chriſti, & clibanus, & ſartago, & craticula fuit. Omnes igitur ſuſtinet paſſiones qui crucis patitur ignominiam, quod ipſe Dominus ſignificans ait. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me,* omnes paſſiones in ſola cruce intelligi volens. Quod autem omnibus additur oleum, nec in ipſa ſua paſſione Chriſtum à miſericordia ceſſaſſe ſignificat. Semper Chriſtus oleum fundit, quo & miſeretur & ſanat. Manibus autem ſacerdotum iſta traduntur, quæ ab eis exponenda exiguntur. Minutatim vero cruſtula diuiditur, quando diligenter, & per ſententias particulatim totum Chriſti Sacramentum exponitur. Ponitur autem memoriale ſuper altare, quando ad memorandum & intelligendum ſuper audientium corda narratur. Omnia autem hæc azima, ſunt & ſine fermento, quoniam agnus noſter immaculatus, innocens, & ſine peccato paſſus eſt. Vnde omnis oblatio quæ affertur Domino, abſque fermento fieri iubetur, quia nihil corruptum, & vitioſum Dominus ſuſcipit. Sequitur.

Nec quicquam fermenti in mellis adolebitur in ſacrificio Domini. Fermentum quia corruptum, *Modicum enim fermentum,* ait Apoſtolus, *totam maſſam corrumpit.* Mel vero, quia dulce, non enim cum dulcedine mellis, ſed cum amaritudine & lactucis agreſtibus agni carnes comedi iubetur. Sacrificium etenim Deo ſpiritus contribulatus. Primitias tantum eorum offeretis, & munera, ſuper altare vero non componentur in odorem ſuauitatis, ac ſi dicat: In ſacrificio quidem poni non debent, propter cauſam modo dictam. At vero pro primitiis, & muneribus ſacerdotibus offerri non interdico.

Quid quid obtuleris ſacrificij ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal. Sal enim pro ſapientia ponitur. Vnde & Dominus diſcipulis ait. *Vos eſtis ſal terræ,* Vt enim ſale cibus, ita ſapientia ſacrificium conditur, Qui enim Domino ſacrificat, & quod agit non intelligit, quaſi ſine ſale ſacrificium facit. Interior enim ſacerdos intellectus eſt, qui in altari cordis ſanctificando, admirabili, & ſuauis odoris ſacrificio Dominum placat. Hoc autem ideo ſal fœderis dicitur, quoniam, & Deus hoc fieri iuſſit, & populus ſe hoc obſeruaturum eſſe promiſit.

Sin autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torre eas igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias Domino, fundens ſuper ea oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini eſt, de qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & oleum, ob totum thus. Hic autem Catechumenis loqui videtur, quos ad Eccleſiam venientes non interrogare, ſed credere oportet. Sic enim Propheta ait. *Niſi credideritis non intelligetis.* Et iſti quidem primitias frugum ſuarum, id eſt prima fidei rudimenta non quidem de frumento & ſolido cibo, ſed de ſpicis adhuc virentibus Domino offerunt, quando ea quæ à ſacerdotibus illis dicuntur, etſi non intelligant, credere tamen ſe ſe promittunt. Quid enim eſt aliud igne torrere, & in morem farris nouas fruges frangere, niſi charitatis iam in ſe ardentis amore, fidei Sacramenta credere, & nondum penitus, diligenterque diſcutere: qui enim ea diligenter diſcutit, non in morem farris vtique

frangit,

A frangit, ſed in ſimile tenuitatem conterit. Fundunt autem oleum deſuper, ſimul cum fide miſericordiam ſpondentes. Imponunt & thus, diabolo abrenunciantes virtutibus, & bonis operibus adhærentes. Hæc enim quia Domino redolent, thuris ſimilitudinem habent. Poſtquam autem hanc ſuæ fidei oblationem Domino Catechumeni obtulerint, reſtat vt ſacerdos eos doceat, & maiora intelligere faciat. Accipiat ergo partem farris fracti, & oleum, ac totum thus, & ſacrificare incipiat: & ſi non omnes partes farris, id eſt, religionis, Chriſtianitatis, & fidei ſuſceptæ eis exponere valet, ſaltem vnam partem eis exponat. Omnia enim noſtræ fidei religioniſque ſacramenta exponere aut impoſſibile aut difficile eſt. Olei vero & thuris nihil minui debet, quoniam cito facileque doceri poſſunt, vt miſericordes ſint, & ſuæ notitiæ bonum odorem circumquaque diffundant. Quod autem Diuinarum expoſitio ſcripturarum, ſanctaque prædicatio, B ſacrificium ſit, audi quid Pſalmiſta dicat. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et Apoſtolus: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt vitulos labiorum confitentium nomini eius.* Notandum autem, quia in primo ſacrificio ſub ſpecie vituli, & agni Chriſtum immolauimus, deinde autẽ in turture, & columba nos ipſos ſacrificauimus; poſtea vero iterum in ſimila & panibus, laganis & cruſtula immolauimus Chriſtum; modo autem iterum immolare iubemur nos ipſos. Quare hoc? Vis audire quare? vt Chriſtum imitemur, vt eius opera faciamus, vt vnicuique noſtrum cum B. Petro dicat; *Sequere me.* Sit ergo immaculata hoſtia noſtra, quia Chriſti hoſtia maculam non habet. Hoc eſt enim quod ait.

CAPVT III.

QVod ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, maſculum ſiue fœminam immaculatam offeret coram Domino, ponetque manum ſuper caput C *victimæ ſuæ quæ immolabitur in introitu tabernaculi.* Hanc enim hoſtiam illam eſſe puto, de qua Apoſtolus ait: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, Sanctã, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Quæ bene pacificorum hoſtia, dicitur, quia tali ſacrificio Deus nobis pacificatur & reconciliatur. Si quis ergo de bobus pacificorum hoſtiam offerre voluerit, maſculum ſiue fœminam immaculatam offerat. Quid eſt enim de bobus niſi de ordine ſacerdotali? Vnde Apoſtolus; *Non alligabis os boui trituranti.* In hoc autem ordine etiam ſanctæ virgines, & Deo deuotæ intelliguntur, nam, & ipſæ in Dei agro laborant. Qui ergo de hoc ordine maſculum vel fœminam offerre voluerit, immaculatam offerat. Audite hoc qui ad ſacros ordines acceditis: audite, qui vos ipſos ad ſeruiendum Deo offertis; ſi enim immaculati eſtis accedite, immaculatos, & ſine crimine vos Deo offerte, ponite manum ſuper caput victimæ veſtræ, reprimite ſuperbiam D carnis veſtræ. Manum enim ſuper caput victimæ ſuæ Apoſtolus tenebat cum diceret. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Immolate eam in introitu tabernaculi, in introitu inquam, vt vos videant qui in tabernaculo ſunt, & videntes opera veſtra bona glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt, videant cæteri ieiunia veſtra: videant quomodo immolando maceratis & affligitis carnem veſtram, quatenus exemplum capiant de ſancta conuerſatione veſtra: Ecce veniſtis ad tabernaculum, ibi exſpectant vos filij Aaron: ibi vos exſpectant Pontifices, & ſacerdotes, in ſuum Collegium vos recipere cupientes, vos purificare, vos conſecrare, vos Deo offerre volentes. Vnde, & ſubditur.

Fũdentque filij Aaron ſacerdotis ſanguinem eius per circuitum altaris, & offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domini: Adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis intrinſecus eſt: duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis, adolebit ea ſuper altare in holocauſtum lignis igne ſuppoſito in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. Sanguinem enim peccata ſignificare manifeſtum eſt, ſecundum illud: Si non annunciaueris iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de E manu tua requiram: altare vero, mentem & cor intelligi dictum eſt. Fundunt igitur ſacerdotes ſanguinem eius, qui ad ordinem accedens inter boues computatur, per circuitum altaris, quando eum admonent, vt peccatorum ſuorum ſit memor, ſemperque in corde, & circa mentem habens numquam eorum obliuiſcatur: Vnde prius pro ſe, deinde pro populo ſacrificium ſacerdos offerre iubetur. Quamvis enim ſine macula, id eſt ſine crimine ſacerdos eſſe debeat, ſine peccato tamen eſſe non poteſt. Si enim dixerimus, peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Offerunt autem de hoſtia ſupradicta adipem, omnemque pinguedinem, renes & renunculos, & adolent ea ſuper altare in holocauſtum. Sed quare hæc offerunt, & adolent, quia his caro ſuperbit, his in luxuriam omnemque turpitudinem ruit, & corruit. Vnde alibi dicitur: *Pinguis factus eſt dilectus, & recalcitrauit.* Ideoque & Apoſtolus in conuerſationibus, & ebrietatibus nos eſſe prohibet. Itemque F *Carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Et Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* Hoc igitur eſt cauſa, cur omnis corporis noſtri pinguedo tollatur, incendatur & deſtruatur. Dum enim ieiuniis attenuatur corpus, pingueſcit anima, interimit vitia, fitque ſacrificium Domino acceptabile. Renes vero atque renunculi ideo immolantur, quia ibi eſt luxuriæ ſedes. Vnde & Dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Omnia ergo hæc adolere debemus. Sed vbi? In cordis altari. Ex corde enim exeunt cogitationes malæ. Accendatur ergo cor igne ſpiritus, vt refrigeſcat ignis vitiorum. Dicamus cum Pſalmiſta. *Cor mundum crea in me Deus:* Colligamus ligna, colligamus exempla ſanctorum, qualiter vixerint & Deo ſeruierint, qualiter ieiuniis & vigiliis omnem corporis pinguedinem attenuauerint, in mente habeamus. Hæc enim ligna ſi in cordis noſtri altari accenſa fuerint, omnem nociuam pinguedinem adolere & abolere poterunt. G Sequitur.

Si agnum obtulerint coram Domino, ponent manum ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in veſtibulo tabernaculi teſtimonij. Fundentque filij Aaron ſanguinem eius per altaris circuitum, & offerent adipem & caudam totam cum renibus, & cætera vt ſupra. Idipſum autem de agno, & capra intelligatur, quod modo ſuperius de bobus expoſuimus. In boue enim Doctores: in agno, innocentem aliquem & ſimplicem, in capra vero peccatores intelligimus. Siue igitur bouem, ſiue agnum, ſiue capram aliquis offerat, ponat manum ſuper caput victimę ſuæ coërceat ſuperbiam carnis ſuæ, immolet eam caſtiget & affligat. Hoc autem iuxta tabernaculum, qui enim ab Eccleſia longè ſunt, nullum eius ſacrificium, nulla abſtinentia, nulla carnis maceratio prodeſt: ideoque omnis hoſtia ad tabernaculum duci debet, ibique eius ſanguis funditur. Hoc autem à filiis Aaron. Ergo filij Aaron nos occidunt, noſtrum ſanguinem fundunt, nos à peccatis abſoluunt. H Filius enim Aaron ille eſt qui ait. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Itemque mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Sed quare peccata noſtra ſuper altare fundunt, niſi vt igne conſummantur, ſemperque in memoria habeantur? Quomodo autem adipem, renes, omnemque pinguedinem ſacerdotes offerant, ſuperius dictum eſt. De cauda vero quomodo offerri debeat, Saluator noſter oſtendit dicens: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Sequitur.

Omnis adeps Domini erit iure perpetuo, & in generationibus, & in cunctis habitaculis veſtris. Nec adipem, nec ſanguinem omnino comedetis. Cum enim ſit adeps bonus, & adeps malus, quomodo omnis adeps Domini erit? Bonus enim adeps quo anima pingueſcit, & vires ſuſcipit, de quo Pſalmiſta: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea:* Malus adeps quo anima incraſſata ſuperbit, de quo, & dicitur: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Omnis tamen adeps Domini erit, quoniam & adeps carnis Domino offertur. Offertur autem vt incendatur & deſtruatur. Cum enim in cordis

A ſartagine adeps frigitur, cum peccatorum conſcientia caro affligitur, tunc adeps à carne aufertur & Deo offertur. Sic igitur omnis adeps Domini erit. Non comedatur ſanguis, quia in ipſo peccatum: non comedatur adeps, quia in ipſo peccati cauſa ſignificatur. Super altare vero offeratur adeps in corde contrito & humiliato, omnis nociua pinguedo incendatur & deſtruatur. Hoc eſt enim quod ait. *Adipes quibus pecus aduoluitur, & pinnulæ iecoris offerentur ſuper altare.* Sed quare pinnullæ iecoris? Iecoris namque, id eſt hepatis pinnulæ, ſanguinis coagulati, & mortui ſimilitudinem habere videtur. Sanguis igitur & forma ſanguinis ſuper altare ponatur, vt non ſolum peccatum, ſed & peccati ſpecies omnino deſtruatur.

CAPVT IV.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere filiis Iſraël. Anima cum peccauerit per ignorantiam de hoſtia & de vniuerſis mandatis Domini quæ præcepit B *vt non fierent, quippiam fecerit. Si ſacerdos qui eſt vnctus, peccauerit delinquere faciens populum offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij, ponetque manum ſuper caput eius, & immolabit eum Domino. Hauriet quoque de ſanguine vituli, inferens illum in tabernaculum teſtimonij.* Quid enim per hunc vitulum ſignificetur, cuius ſanguis infertur in tabernaculum per Pontificem ipſe Apoſtolus expoſuit dicens. *Quorum enim animalium infertur ſanguis in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra: ita & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum extra portam paſſus eſt.* Neceſſe eſt ergo, vt hoc totum de Chriſto intelligamus, & ex verbis Apoſtoli materiam ſuſcipientes, quod ipſe reliquit, vel breuiter dicit, latius exponamus. Anima enim iſta quæ per ignorantiam peccauit. Anna & Cayphas, Iudæorum populus, & Pilatus intelligitur. Vnde Petrus Apoſtolus Iudæis loquitur dicens. *Et nunc fratres ſcimus quoniam per ignorantiam feciſtis, ſicut, & Principes veſtri:* C Si enim agnouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Hoc enim ipſius quoque Domini teſtimonio probari poteſt qui ait. Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt. Peccauerunt igitur per ignorantiam: De hoſtia quidem, Chriſtum nequiter occidentes. Fecerunt autem & contra legis mandatum, quoniam in lege ſcriptum eſt. *Innocentem & iuſtum non interficies.* Sequitur.

Si ſacerdos qui eſt vnctus peccauerit delinquere faciens populum. Vide ſi non ad Caypham iſta pertineant, qui contra Chriſtum in ſeditionem populum concitauit, dicens: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, & mox ſubditur. Ab illa ergo die cogitauerunt interficere eum. Sicut ergo peccauit ſacerdos, ſic & populum delinquere fecit, Sed quia hoc à ſemetipſo non dixit per ignorantiam feciſſe monſtratur. Quid ergo faciet peccator ſacerdos? hoc videlicet: Offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino. Hoc enim Cayphæ non videtur conuenire: non D enim pro peccato ſuo, ſed ad peccatum ſuum Cayphas Chriſtum occidere iuſſit: neque immaculatum vitulum, ſed hominem dignum morte ſe tunc occidere putabat. Verumtamen quia pro originali peccato Chriſtus Dominus mortuus eſt, originale vero peccatum, & ad Caypham, & ad omnem hominem pertinebat, conſtat etiam quia pro peccato ſuo, ſed quia impie hoc agit, non liberatur a peccato ſuo. Adducit autem illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij, quia ſecundum eius conſilium adductus, & iudicatus eſt: Ponit autem, & manum ſuper caput eius, dum in Chriſto Ieſu ipſam quoque Diuinitatē opprimere conatur. Caput enim Chriſti Deus eſt. Violenta igitur manu Chriſti caput premit, qui eum minuere nititur, & Deum eſſe negat. Immolat autem eum Domino: quia eius iudicio immolatur & crucifigitur. Hucuſque ſacerdos qui vitulum immolat, Caypham ſacerdotem ſignificaſſe ſufficiat, quoniam vſque ad crucem Cayphas Chriſtum perſecutus eſt. Ecce occi- E ſus eſt vitulus, iam eius ſanguis ſpargitur, & in tabernaculum infertur. Quid hoc ſignificat, niſi quia mors & ſanguis Chriſti ipſum quoque cœlum penetrat, ibique aſſiſtit vultui Dei pro nobis. Sic enim Apoſtolus ait: *Non enim in manufacta ſancta introiuit Ieſus*, ſed in ipſum cœlum, vbi apparet nunc vultui Dei pro nobis: *Introiuit enim ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, cum ſanguine vitulorum & hircorum,* quamuis hoc vitulorum & hircorum ſanguine ſignificaretur; ibique proprium ſanguinem ſpargere non ceſſat, mortem ſuam Patri oſtentando, pro nobis interpellando, atque omne hominum genus ſui ſanguinis aſperſione ſanando. Hoc enim ſacerdos ille ſignificabat, qui vituli ſanguinem in tabernaculum ferebat, & contra velum tabernaculi aſpergebat. Vnde & ſubditur: *Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eum ſepties coram Domino contra velum ſanctuarij*, Quare ſepties, quia ſeptem ſunt dies. Quod enim ſepties fit, omni tempore fit. Septies igitur ſpargitur ſan- F guis vituli, quia vſque ad ſæculi conſummationem ſpargitur ſanguis Chriſti: quotidie enim Chriſtus immolatur, quotidie ſanguis Chriſti ſpargitur. Hoc autem contra velum Sanctuarij, id eſt, contra ipſius Dei oculos maieſtatem, atque præſentiam.

Ponetque de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thimiamatis gratiſſimi Domini, quod eſt in tabernaculo teſtimonij Omnem autem reliquum ſanguinem fundet in baſin altaris holocauſti in introitu tabernaculi. Quid enim hæc duo altaria, niſi duos populos ſignificare videntur? Sanguis enim Chriſti non ſolum eos qui tunc credere incipiebant, verum etiam Patriarchas, & Prophetas, & cæteros ſanctos: qui iam de hac vita migrant, à morte redemit. Vnde & Dauid multo ante defunctus ait, *Redemiſti me Domine Deus veritatis.* Altare ergo thimiamatis, animæ iuſtorum: altare vero holocauſti, ſanctorum Eccleſia intelligatur. Poſſumus autem per duo altaria, animam & corpus intelligere. Duo igitur altaria Chriſti ſanguis tetigit: quia duos populos redemit. Sed hæc hactenus.

G *Et adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui operit vitalia, quam omnia quæ intrinſecus ſunt. Duos renunculos, & reticulum quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis ſicut aufertur de vitulo hoſtiæ, pacificorum & adolebit ea ſuper altare holocauſti.* Sed quid hæc omnia in Chriſto ſignificare putamus? Quod eſt enim hoc altare holocauſti ſuper quod Chriſti adeps, & renes, omniſque pinguedo adoleri debent? nonne tibi cor hominis hoc altare eſſe videtur? Super hoc igitur Chriſti adipem, & renes omnemque pinguedinem ponamus: recogitemus, & mente tractemus, quam pinguis virtutibus omnique gratia ſancti Spiritus refectus fuerit. In eo enim, vt Apoſtolus ait, *requieuit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*, quam patiens, quam miſericors, quam caſtus, & continens, & iuſtus fuerit, ſemper in mente habeamus & habendo teneamus, & tenendo imitemur, & diligamus: Audiamus Petrum Apoſtolum dicentem: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et tale quidem ſa- H crificium multum placet Deo, vt eius bonitatis memores ſemper eum intimemus. Sequitur.

Pellem vero, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & inteſtinis, & fimo & reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum, vbi cineres effundi ſolent incenderque ea ſuper ſtruem lignorum, quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur. Hic autem Apoſtoli expoſitio ſola ſufficiat, quam de his animalibus edidit, quorum corpora cremantur extra caſtra, ita enim inquit *Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Exeamus ergo ad eum extra caſtra, improperium eius portantes. Quod nam enim maius improperium quam crucis ignominia? in qua totum Chriſti corpus ſuper lignorum ſtruem, (ſiquidem crux ipſa non ex vno tantum ligno compoſita fuerat) dura valde paſſione aſſatum eſt? Totus ergo vitulus extra caſtra crematur, quia totus ſecundum corpus extra portam paſſus eſt Chriſtus. Et hæc quidem de peccato, & hoſtia ſacerdotis dicta ſunt.

A Quomodo autem etiam omnis turba Iſraël per ignorantiam peccauerit, & poſtea peccatum ſuum intelligens, pro peccato vitulũ immolauerit, in ſequẽtibus audiamus.

Quod ſi omnis turba Iſraël ignorauerit, & per ignorantiam fecerit quid contra mandatum Domini, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret vitulum pro peccato ſuo, adducetque eum ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & ponent ſeniores populi manus ſuper caput eius coram Domino. In quo enim hæc turba peccauerit, & quod per ignorantiam hoc fecit, iam ſuperius dictum eſt. Vnum enim eundemque vitulum & ſacerdos ſupradictus, & Iudæorum populus immolauit, per quem nullum alium intelligimus. Omnia ergo quæ de ſuperiori vitulo dicta ſunt, de iſto, quoque intelligi debent. Et bene quidem de turba hic dicitur, quod poſtea ſuum peccatum intellexerit, & quod rogante pro ea ſacerdote, propitius ei Dominus fuerit, quoniam etſi non omnes, magna tamen ex parte ad fidem Iudæi conuerſi ſunt, & in Chriſtum crediderunt: & vitulum, quem prius ſæuientes occiderant, poſtea pie immolauerunt, B eiuſque ſanguinem biberunt: quo etiam pro eis intercedente à peccato ſuo liberati ſunt. Bis ergo iſti, immo multoties immolauerunt Chriſtum: ſemel quidem grauiter peccando: ſæpius autem eius carnem & ſanguinem manducando & bibendo. Hinc autem narrat, quomodo ignorans turba Chriſtum Dominum interfecerit, quod quidem quamuis ſuperius expoſitum ſit, breuiter tamen repetendum eſſe videtur. Adducetq; eum, inquit, ad oſtium tabernaculi, vbi erant Scribæ, & Phariſæi, Pontifices, & ſacerdotes. Et ponent ſeniores populi (iſti videlicet quos modo diximus) manus ſuper caput eius, Diuinitatem, patientiam, & virtutem, quæ in eo erat, opprimere cupientes. Hoc autem coram Domino, qui eos videbat, & irridebat. Sequitur.

Immolatoque vitulo in conſpectu Domini, inferet ſacerdos, qui vnctus eſt de ſanguine eius in tabernaculum teſtimonij, tincto digito aſpergens ſepties contra velum. Sacerdos autem iſte qui vnctus eſt, nemo melius intelligitur, quam ille de quo ſcriptum eſt. Propterea vnxit te Deus C Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Hic autem tincto digito in ſanguine proprio, intulit illum in ipſum cœli tabernaculum: Quia, vt Apoſtolus ait: per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Aſpergens ſepties contra velum, vſque ad conſummationem ſæculi pro nobis ad Patrem interpellans: hac enim hebdomada finita, vt ſanguinẽ ſuum Chriſtus ſpargat, vt ſanguinem pro nobis ſparſum ad placandum Patri oſtendat, iam vlterius nõ erit neceſſe. Sequitur.

Ponetque de eodem ſanguine in cornibus altaris, quod eſt coram Domino in tabernaculo teſtimonij: reliquum autem ſanguinem fundet iuxta baſin altaris holocauſtorum, quod eſt in oſtio tabernaculi. Dictum eſt enim, quid hæc duo altaria ſignificent, quorum alterum eſt intra tabernaculum, alterum autem in oſtio tabernaculi. Vtrumque autem tetigit ſanguis Chriſti, quoniam & fidelem Synagogam, & tunc incipientem, & in fidei oſtio ſtantem Eccleſiam liberauit. Quod autem ſequitur, ſic faciens & de hoc vitulo, quomodo fecit & prius, aperte D demonſtrat, & hunc, & illum vnum eundemque vitulum eſſe, ſufficiat autem in eo quod ſequitur, Apoſtoli expoſitio.

Sin autem peccauerit princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam quidem à Domino prohibetur, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino hircum de capris immaculatum. Quæ enim ſuperius dicta ſunt, de Chriſti paſſione, & de Iudæis Iudæorumque Pontifice intelliguntur: Hæc autem de Eccleſiæ Principibus, Epiſcopis videlicet, & ſacerdotibus intelligi poſſunt. Non enim huius hoſtiæ ſanguis infertur in ſancta per Pontificem. Magnus enim princeps Beatus Paulus, qui ſe prius blaſphemum fuiſſe teſtatur, ſed ideo miſericordiam ſe conſecutum dicit; quoniam ignoranter fecit. Nam, & de Principe Apoſtolorum Beato Petro ſcriptum eſt. Quia poſtquam ter Dominum negauerat, *recordatus verbi Ieſu quod dixerat egreſſus foras, fleuit amare:* Niſi enim prius oblitus fuiſſet recordatus non diceretur. E Fortaſſe ergo idem erit, per obliuionem, & per ignorantiam peccaſſe. Quanti præterea Eccleſiæ principes ſunt, qui non ſolum ignoranter ſed quod deterius eſt, conſcienter delinquunt, hi autem ſi ſe peccaſſe intelligunt, (intelligunt autem, ſi iam peccare deſiſtunt) & pœnitentiam agunt. De qua bene ſubditur. *Offerant hoſtiam Domino.* Quam hoſtiam? Hircum de capris immaculatum. De capris quidem, quia de ſtirpe Adam, de ſtirpe peccatrice, de ſtirpe quæ in omni ſobole ſua dicit: Quoniam in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Offert ergo hircum, qui ſeipſum offert, qui peccare deſinit, & digne pœnitere incipit. Hircus eſt ergo propter peccatum: immaculatus vero, propter pœnitentiam, & ſanctam conuerſationem. Sequitur. *Ponetque manum ſuam ſuper caput eius. Cumque mactauerit eum in loco vbi mactari ſolet holocauſtum coram Domino, quia pro peccato eſt, tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocauſti, & reliquum fundens ad baſim eius.* Quid enim F aliud eſt, ſuper caput hirci manum imponere, niſi carnem peccatricem & luxuriantem affligere, & dura correctione in ſeruitutem animæ redigere. Vnde Apoſtolus, *Caſtigo,* inquit, *corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Cumque mactauerit eum orando; ieiunando, & vigilando in loco, vbi ſolet mactari holocauſtum coram Domino, id eſt ſancta Eccleſia, in congregatione iuſtorum in ipſo denique ſui cordis ſecretario, (hoc eſt enim coram Domino,) quoniam ad cor reſpicit Deus, mactare quidem eum debet, quia pro peccato eſt. Cum, inquit, *hoc fecerit, tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato.* Ad quid? *Vt tangat de eo cornua altaris, holocauſti, & reliquum fundat:* vt de quo principe loquatur, apertius intelligatur. Tingit autem ſacerdos digitum in ſanguine, & tangit altare, vt quamuis peccatum per pœnitentiam foras effundatur, interius tamen per memoriam ſemper in cordis altari habeatur. Sanguinem enim ſuum ſupra & circa cor ſuum Propheta effuderat, qui dicebat. *Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum coram me eſt ſemper.* Sequitur.

G *Adipem vero eius adolebit ſupra ſicut in victimis pacificorum fieri ſolet, rogabitque pro eo, & pro peccato eius ac dimittetur.* Cum enim carnis pinguedo immolatur: & tollitur, pinguedo animæ & creſcit, & vires ſumit: vbi enim corporis pinguedo non minuitur, neſcio ſi cordis altare ibi ſuccenditur, aut digna pœnitentia exhibetur. Rogabitque pro eo ſacerdos, rogat ſacerdos pro principe, rogat ſacerdos pro ſeipſo. Si enim peccauerit ſacerdos, quis alius orabit pro eo? cum enim idem ſit; & princeps & ſacerdos, aliquando tamen princeps ſæuitiam, ſacerdos miſericordiam exhibet. Eſt autem quaſi contraria videre, eundem hominem, & foris violenter præeſſe, & intus ſacrificiis miniſtrare. Quaſi ergo pro principe orat ſacerdos, cum pro his in quibus foris principando exceſſerit, intus ſacrificando interpellat. Hucuſque de Prælatis: nunc autem de ſubiecto videamus.

H *Quod ſi peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, vt faciat quicquam ex his quæ lege Domini prohibentur, atque delinquat, & cognouerit peccatum ſuum offeret capram, immaculatam, ponetque manum ſuper caput hoſtiæ, & cætera, vt ſupra* Hæc enim anima de populo terræ quæ per ignorantiam peccat, ſubditorum aliquis intelligitur. Vide, quam bene ordinem ſeruet, vt prius de prælatis deinde vero de ſubditis loquatur: ſic enim & ſuperius poſt ſacerdotem Iudæorum populum poſuit, In quantis enim & ignoranter, & ſcienter populus peccet, quid attinet dicere? cum etiam Dauid de ſeipſo dicat. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Et ſæpe quidem plus per ignorantiam quam ſcienter populus peccat: facile enim decipitur, & pro bonis mala ſequitur, diligens ſeductores, odiens bonos prædicatores. Qui ſi ſuum peccatum cognouerit, offert capram immaculatam. Idem autem, & hircus, & capra ſignificant, vna igitur expoſitio in vtroque ſufficere videtur. Dicitur qualiter pœnitentia agatur, quamdiu ſanguis à corde non

A ſeparatur de quo quidem qualiter cordi adhærere debeant, ſatis ſuperius dictum eſt. Hos igitur canones legant, qui veras pœnitentias cognoſcere appetant: in ipſa enim ſatisfactione dignoſcitur, quam graue ſit per ignorantiam peccare: cui enim manum ſuper caput hoſtiæ tenere, & circa cordis altare ſanguinem fundere omnemque pinguedinem auferre, & immolare præcipitur, non parua quidem pœnitentia iniungitur. Quæ autem de hirco & capra dicta ſunt, de oue quoque intelligantur. Omnia enim munda dicuntur, ideoque in eis differentiam quærere, ſuperfluum eſſe videtur. Sic ergo ouem ſacerdos, & anima offerant, quemadmodum hircum & capram obtulerunt. Sequitur.

CAPVT V.

SI peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fuerit quod aut videbit ipſe aut, conſcius eſt nec indicauerit, portabit iniquitatem ſuam. Si, inquit, pec- B cauerit anima, id eſt, homo, in eo, quod audierit vocem iurantis, indicare hoc & prædicare omnibus debet: Hoc enim capite Iudæi, & quicumque veritatem ſciunt, & celant aperte redarguuntur. Vox enim iurantis eſt. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hanc enim vocem Iudæi audierunt, & ipſi ſunt teſtes & negare non poſſunt, & viderunt in ſcriptis ſuis, & qui non viderunt, ſe tamen hoc ſæpe audiſſe ſibi conſcij ſunt. Quia ergo non indicant, quia Chriſti regnum & ſacerdotium non prædicant; ipſi portabunt iniquitatem ſuam. Sic autem & de cæteris, quæ Deus loquitur intelligantur, quoniam omne quod ipſe dicit, iuramentum eſt, ſiquidem firmum, & ſtabile eſt. Quicumque ergo ſcit voluntatem Domini ſui, (hoc eſt enim audiſſe iuramentum) & non facit, plagis vapulabit multis. Nemo enim ſic indicat, & prædicat hoc quod dicit, vt ille qui facit, quod intelligit: melius enim aliquid indicatur agendo, quam dicendo. Iſte ſe iuramentum audiſſe indicat, qui hoc quod C audit, operatur: *Si non dimiſeritis*, dicit Dominus, *hominibus peccata eorum, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*: hoc enim iuramentum eſt: quod quidem illi ſoli bene ſe intelligere indicant, qui in ſe peccantibus peccata dimittunt.

Anima quæ tetigerit aliquid immundum, ſiue quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, vel quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt & deliquit. Omnes autem eos immundos computare debemus, quicunq; nó ſunt noſtræ fidei, noſtræq; profeſſionis: Quorum alij à beſtia, ſunt occiſi, id eſt à diabolo, vel ab hæreticis ſeducti. Vnde Pſalmiſta: *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.* Alij vero per ſe mortui, id eſt per ſuam ſuperbiam in hæreſim, vel in aliquod mortale peccatum præcipitati. Per reptile vero, quia toto corpore terram premit, & ad ſuperiora non erigitur illi figurantur, qui cunctis ſenſibus mentis & corporis, ſola terrena appetunt, auaritiæ inſeruiunt, & cœleſtium obliti, omnibus ſe corporis voluptatibus tradunt. Quæ igitur ani- D ma horum aliquid tetigerit, ſuæque immunditiæ oblita fuerit, rea eſt, & delinquit. Hæc enim tangere, eſt iis adhærere, iis credere, iis communicare, & eorum facta imitari. Recordetur ergo anima immunditiæ ſuæ, cognoſcat ſe peccaſſe, agat pœnitentiam, nec in his vlterius delinquat Sequitur: *Et ſi tetigerit quicquam de immunditia hominis iuxta omnem impietatem qua pollui ſolet, oblitaque cognouerit poſtea, ſubiacebit delicto.* Ego hominis immunditiam, & pollutionem hæreticorum dogma eſſe puto, quod, quaſi ſemen, male effunditur, vt mali filij generentur.

Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis ſuis, vt vel male quid faceret, vel bene, & idipſum iuramento, & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnum de gregibus, ſiue capram, orabitque ſacerdos pro ea, & pro peccato eius. Hoc in loco, male facere, affligere ſignificat. Ille igitur homo iurat ſibi ipſi & corpori ſuo E male facere, qui hoc Deo vouet, mente proponit, corde ſtatuit, & verbis confirmat, quod carnem ſuam maceret & affligat, quod crucem ſuam tollat, & ſequatur Deum; quod vinum non bibat & carnem non comedat. Bene autem facere ille iurauerat. *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Quomodo autem ſic iurat, & obliuiſcitur iuramenti? obliuiſcitur ſi non agit quod iurat. Si poſtea intellexerit peccatum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, quam pœnitentiam? offerat agnum de gregibus, ſiue capra, agnum quidem Domino offert, qui & à peccatis omnino ceſſat, & innocentem vitam agit. Hoc enim & Dominus ſæpe in Euangelio dicit: *Vade, & iam noli peccare.* Ceſſare enim à peccatis magna pœnitentia eſt. Capram vero offerre, eſt, carnem peccatricem mactare, immolare, affligere, & animæ totam in ſeruitutem ſubiicere.

Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures vel duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum. Hoc enim modo, & F pauperibus qui tunc erant, iuxta litteram prouidetur, & ſpiritualis intelligentia non mutatur. Idem enim agnus, & capra, & turtures, & columbæ ſignificare videntur. Quid enim per duos turtures, niſi animæ, & corporis caſtitatem? Quid vero per duos pullos columbarum niſi interioris, & exterioris hominis innocentiam ſignificat? Sic ergo capra in turtures, & agnus vertitur in columbas. Quicquid ergo horum offerat, anima, nulla in oblatione eſt differentia, & vnum quidem offert pro peccato, id eſt corpus, quod dura pœnitentia affligitur & maceratur: alterum in holocauſtum, id eſt ſpiritum, qui interius contribulatur, ſecundum illud: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus Vnde adhuc ſubditur. Dabitque eos ſacerdoti, qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo hæreat, & non penitus abrumpatur, & aſperget de ſanguine eius parietem altaris: quicquid autem reliquum fuerit, faciat diſtillare ad fundamentum eius, quia pro peccato eſt. Ille enim pœnitens ſuam oblationem, id eſt ſeipſum, dat ſacerdoti, qui eius iudicio ſe totum ſubiiciens quicquid G ei iuſſerit, ſe facturum eſſe promittit. Sacerdos ergo primam prædictarum auium, per quam corpus ſignificari diximus, offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas: docens hominem non iam erecta ceruice & ſuperba facie incedere, ſed caput & mentem inclinare, de peccatis erubeſcere, & ſeipſum totum Deo vouere & proſternere. Quod autem ait; vt caput collo hæreat, & non penitus abrumpatur, hanc humilitatem non neceſſariam, ſed ſpontaneam eſſe ſignificat. Non enim imperio, ſed precibus, & monitis ſacerdotis peccatores humiliantur. Coacta enim humilitas in corpore quidem apparere poteſt, in animo vero eſſe non poteſt. Sanguis autem altaris parietes, & fundamentum tangit: quia in peccatorum commemoratione, cor pœnitentis hominis tangitur, vritur, affligitur, & tribulatur. Sequitur. *Alterum vero adolebit in holocauſtum, vt fieri ſolet: rogabitque pro eo ſacerdos, & dimittetur ei:* Alter enim, qui in holocauſtum adoletur, animæ, & ſpiritus eſt, qui charitatis igne ſuccenſus totus Domino immo- H latur. Sed quid eſt quod toties repetit. Rogabitque pro eo ſacerdos, & dimittetur ei? Hoc enim illud eſſe puto quod Dominus ait. Quæcunque ligaueritis, ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Confidenter eum ſacerdos ſoluere poteſt, quem ex toto corde intelligit eſſe conuerſum.

Quod ſi non quiuerit manus eius offerre, duos turtures, vel duos pullos columbæ offerat pro peccato, ſimilam, partem ephi decimam, Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponat, quia pro peccato eſt. Tradetque eam ſacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit ſuper altare in monumentum eius qui obtulit pro eo, & expians. Reliquam vero partem ipſe habebit in munere. Idipſum enim hic per ſimilam intelligimus quod ſuperius per agnum & capram, & turtures, & columbas ſignificari diximus. Ille ergo ſimilam offert,

A qui carnem affligit, & duris pœnitentiæ molis eam quodammodo molit & conterit. Offert autem ephi partem decimam, vt ſeipſum iam per pœnitentiam illam dragmam decimam eſſe intelligat, de qua perdita, in Euangelio mulier gratulatur. Tradit autem eam ſacerdoti, ſeipſum totum eius iudicio ſubiiciens. De qua quidem bene ſacerdos partem ſuper altari incendit, partem vero ſibi pro munere vendicat, quoniam etſi dignam peccatori pœnitentiam iniungat, partem tamen eiuſdem pœnitentiæ ipſe ſuper ſe ſuſcipere debet. Ideo enim de ſacerdotibus dicitur. *Peccata populi mei non comedetis.* Ideo & in Euangelio Scribæ, & Phariſæi à Domino redarguuntur, qui onera grauia, & importabilia ſuper humeros hominum imponunt, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Et hoc quidem in magno munere ſibi ſacerdos imputare debet, qui hanc à Domino gratiam promeruit, vt aliorum peccata, & delere, & tolerare poſſit. Si enim non precio vel gratia, ſed ſolummodo compatiendi animo ſacerdos, de pœnitentia magnum ali- B quid minuerit, nullo modo Deum in hoc offendere videtur. Reuertamur modo ad ſuperiora. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt: Ille enim pœnitens ſine oleo, & thure ſacerdoti ſimilam offert, qui carnem ſuam affligens, nullius ſuauitatis oleo eam inungit, & quaſi fœtidam & ſine odore reputans, & cum Pſalmiſta clamat & dicit. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ.* Et nunc quidem, quod valde dolendum eſt, perpaucos ſine oleo, & thure ad pœnitentiam venire videmus. Hæc autem de illa anima dicta ſunt, quæ bene vel male quid facere iurauerit.

Anima ſi præuaricans cæremonias per errorem in his quæ Domino ſunt ſanctificata, peccauerit, offerat pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis; iuxta pondus ſanctuarij, ipſumque quod intulit, damni reſtituet, & quintam partem ponet ſupra, tradens ſacerdoti, qui rogabit pro eo, offerens arietem, & dimittetur ei: Hoc autem quantum ad litteram de ſacrilegiis dici videtur, quæ nemo quidem dubitat magna & C capitalia peccata eſſe. Sed ſi ſolum damnum reſtituitur, & quinta pars pro pœna ſuperadditur, non multum hoc ſacrilegos terrere videtur. Et ego quidem magnum ſacrilegium eſſe puto, Diuina Sacramenta euacuare. Vnde Apoſtolus. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis:* Ille igitur præuaricans cæremonias & inſtitutiones Dei, in his, quæ Domino ſunt ſanctificata, peccare videtur, ſi vel in ſe vel in alio fidem & baptiſmum, & his ſimilia violauerit. Offerat autem pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, & non qualemcumque arietem, ſed qui emi poteſt duobus ſiclis iuxta pondus ſanctuarij, quid enim per arietem niſi eundem ipſum peccatorem, non iam tamen peccatorem, ſed pœnitentia mundatum, & ideo immaculatum. Duo vero ſicli, duo ſunt teſtamenta. Emitur ergo aries duobus ſiclis, qui duorum teſtamentorum monitis & exemplis à peccatis homo redimitur, & ab errore ad veritatis viam conuertitur. Quod autem ait: *Iuxta pondus ſanctuarij.* De quibus ſiclis loqueretur quodammodo expoſuit. Dam- D num vero reſtituitur, quia Deo per pœnitentiam peccator reconciliatur. Additur autem & quinta pars ſupra, ne ad errorem amplius dilabatur. Quid enim per quintam partem, niſi quinque corporis & animæ ſenſus? hi enim ſi Deo fideles extiterint, nihil eſt in quo homo peccare poſſit. Hæc autem omnia tradat ſacerdoti, totum ſe illius iudicio ſubiiciens, & quicquid iuſſerit, ſit obedire paratus. Quædam autem præterimus quæ vel ad litteram intelliguntur, vel ſuperioribus expoſitionibus abſolui poſſunt. Sequitur.

CAPVT VI.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens; Hæc eſt lex hoſtiæ. Cremabitur in altari tota nocte vſque mane. Ignis ex eodem altari erit. Veſtietur Sacerdos tunica & feminalibus lineis. Tolletque ſacerdos cineres quos vorans ignis excuſſit, & ponens iuxta altare ſpoliabitur prioribus veſtimentis, indutuſque aliis offeret eas extra caſtra, & in loco mundiſſimo vſque ad fauillam conſumi faciet. E Apoſtolus enim dicit: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* In hoc ergo templo, & altare, ſacerdotem quæramus. Huius enim templi ſacerdos intellectus eſt. Ille vtique intellectus qui tunica hiacintina & lineis feminalibus induitur, qui hoc totum, quod eſt deſurſum, & à cœleſtibus habet. Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt: qui quoniam ſincerus & caſtus eſt, neque hæretica prauitate corruptus, lineis feminalibus non immerito veſtitur, in quibus caſtitatis obſeruantia, & cuſtodia deſignatur. Hic ergo ſacerdos tam religioſus & ſanctus, ante cordis altare ſemper aſſiſtit, ignem amoris, & charitatis accendit: quo igne Diuinas ſcripturas inueſtigantes, & Dei magnalia in eis agnoſcentes laudis, & confeſſionis holocauſtum gratiſſimum reuera atque ſuaue Domino immolamus, de quo ſcriptum eſt: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et Apoſtolus: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo.* Hoc autem holo- F cauſtum tota nocte vſque mane, id eſt quanto tempore in hac vita miſera, caliginoſa & ignorantiæ plena ſumus, donec ſol iuſtitiæ nobis oriatur, in cordis noſtri altari cremari iubetur. Quia quamdiu viuimus ſemper veritatem inueſtigare, & in Dei laudibus perſeuerare debemus, Ignem autem ex eodem altari eſſe dicit, quoniam iſte amor ex corde procedit, & in corde generatur. Tolletque ſacerdos cineres quos vorans ignis excuſſit, & ponet iuxta altare, audis quod vorans ignis holocauſtum incendit, & in cineres conuertit: audis quod amor diſcendi, & ſtudium inueſtigandæ veritatis, profunda ſcripturarum myſteria quodammodo vincit, & ad intelligentiæ facilitatem perducit: Hoc etenim eſt holocauſtum incendere, quod eſt ſanctorum ſcripturarum myſteria intelligere. Hos autem cineres tollit ſacerdos, & ponit iuxta altare, quia quicquid intellectus noſter inueſtigando diſcutere & intelligere valet, hoc totum cordi, & memoriæ commendat. Poſtea vero ſpoliatur prioribus veſtimentis, indutuſque aliis offert cineres extra caſtra, & in loco mundiſſimo vſque ad fauillas conſumi facit. G Diligenter attende quod dicitur, vult ſacerdotem egredi extra caſtra, vult holocauſti cineres foras offerri. Ad quid? vt eos iterum incendat. Induitur ergo aliis veſtimentis. Sed quæ ſunt hæc veſtimenta ſine quibus intellectus non fert cineres foras? Ego quidem has veſtes, litteras, voces, & ſermones eſſe puto, quibus niſi induantur, nec foras egredi, nec videri, nec cognoſci poteſt. Quis enim vnquam intelligeret, quid intellectus interius ageret, niſi voce indutus per linguam, & collocutionem duceretur extra? Sic ergo, ſacerdos indutus fert cineres extra caſtra: Cineres quidem, quia ſi adhuc intactas, & nondum meditatas ſcripturarum quæſtiones foras efferret, fortaſſe quod diceret niſi errorem non haberet. Foras autem delatos cineres iterum incendit, non iam meditando ſed exponendo, non cogitando ſed colloquendo. Hoc autem in loco mundiſſimo in ſanctorum congregatione. Scriptum eſt enim, Nolite ſanctum dare canibus neque ſpargere margaritas ante por- H cos. Vſque ad fauillas autem holocauſti cineres conſumit, qui vſque ad plenam intelligentiam ſanctarum ſcripturarum difficultates exponit. Sequitur.

Ignis enim in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus qui numquam deficiet in altari. Quicquid enim ſacerdos exterius vel interius agat, ignis tamen charitatis, dilectionis & illuminationis in cordis altari extingui non debet: niſi enim hic ignis affuerit, omne ſacerdotis officium inutile erit. In hoc ergo ſtudeant, hunc ignem ſacerdos nutriat, huic per ſingulos dies ligna ſubiiciat: recordetur bonitatis, & miſericordiæ Dei recordetur quid fecerit, & quid promiſerit diligentibus ſe. His enim, & ſimilibus lignis de ſanctorũ ſcripturarum ſilua collectis, ignis iſte ſuccenditur, & in Dei dilectione vehementer inflammatur. Super hunc ergo ignẽ ſacerdos ponit holocauſtum, & immolat Deo ſacrificium

A laudis. Hic eſt enim adeps pacificorum, talique pinguedine Deus pacificatur, talique odore placatur. Ignis eſt enim iſte perpetuus qui numquam deficiet in altari, quoniam, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Hucuſque autem de lege holocauſti.

Hæc eſt lex Sacrificij, & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino, & coram altari: Tollet ſacerdos pugillum ſimilæ quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus quod ſuper ſimilam poſitum eſt, adolebitque illud in altari in monumentum odoris ſuauiſſimi Domino. Sacrificium enim & libamen idem ſignificat, atque illud ſpecialiter intelligitur, quod de ſimila fiebat. Filij autem Aaron, ſacerdotes ſunt, & Epiſcopi, qui coram Domino cuius ſemper viſione illuſtrantur, & coram altari, vel in præſentia totius Eccleſiæ in Chriſti commemoratione, hoc ſacrificium quotidie offerent. Quid enim ſimila & oleum, & thus, & altare ſignificent, iam ſuperius dictum eſt. In Chriſti namque paſſione granum illud frumenti nominatiſſimum, B Iudæorum molis contritum, in ſimilam conuerſum, oleum Pietatis, & miſericordiæ fundebat, & ſuauiſſimi thuris odorem in ara crucis patiendo patris naribus afferebat. Hoc autem prædicare, vel commemorare, immolare & offerre eſt. Sequitur.

Reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis ſuis abſque fermento, & comedet in loco ſanctuarij tabernaculi. Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offeretur incenſum ſanctum ſanctorum erit: ſicut pro peccato atque delicto mares tantum ſtirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac ſempiternum eſt in generationibus veſtris de ſacrificiis. Omnis qui tetigerit illa ſanctificabitur. Ideo enim non totam ſimilam, ſed plenum pugillum ſacerdos tollere & immolare iubetur, vt Diuinorum ſecretorum ea tantummodo prædicando populo reuelet, quæ eius intelligentiæ ſufficere poſſe cognouerit. Reliqua vero Aaron cum filiis ſuis, id eſt, ſoli illi qui in ſacris voluminibus ſemper C ſtudendo exercitantur, abſque fermento & prauitatis errorisque corruptione comedant. Hoc autem non vbicumque ſed in loco ſanctuarij tabernaculi, in loco ſecreto, in loco, vbi à minus capacibus non audiantur: quod quidem tunc faciunt, quando ſoli inter ſe ſacerdotes de legibus diſputant, ipſi enim ſunt ſanctuarium, & Dei tabernaculum. Et quia pars huius ſimilæ ad fidei Sacramentum pertinet, ideo tota ſine fermento, & corruptione comedi iubetur, ne forte dum quis incaute comedit, eum in locum incidat, qui ſi praue intelligatur anima periclitetur. Vnde & ſubditur. *Mares tantum ſtirpis Aaron comedent illud.* Sicut comedunt illud quod fit pro peccato, atque delicto. Mares enim ſapientiores, conſtantiores, fortiores, & religioſiores, intelliguntur. Et illis quidem diſcentere & ſcire licet, quod à cæteris audire non licet. Omnis qui tetigerit illa, id eſt qui firmiter crediderit, & nullatenus dubitauerit, ſanctificabitur, ſi tamen quod crediderit, opere compleuerit: credere enim tantum videre eſt: agere vero quod creditur, D tangere eſt. Sequitur.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens. Hæc eſt oblatio Aaron & filiorum eius quam offerre debent Domino in die vnctionis ſuæ. Decimam partem Ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno, medium eius mane, & medium veſpere, quæ in ſartagine oleo conſperſa frigetur. Si enim per Aaron, & filios eius, Epiſcopos & ſacerdotes intelligimus, vtique ad Epiſcopos & ſacerdotes hæc oblatio pertinere videtur. Hanc autem offerre debent in die vnctionis ſuæ, id eſt omni tempore vitæ ſuæ: vnde, & in ſacrificio ſempiterno offerri præcipitur. Non enim in ſempiternum offertur, quod vno tantum die offertur, niſi ipſe vnus dies ſempiternus intelligatur. Non igitur vno ſed omni die Epiſcopus & ſacerdos inungi, & ſanctificari, & ſeipſo melior fieri debet. Offerunt ſimilæ decimam partem ephi, quid enim per ſimilam, niſi ſacerdotis carnem intelligimus? quæ dum compunctionis molis teritur & affligitur, ſuo bono exemplo quaſi quodam cibo cæteros nutrit. Qui autem partem decimam offert, ſeipſum penitus offert, quia omnis homo decima eſt. Vnde, & drachma decima in Euangelio appellatur. De E Leui quoque Apoſtolus ait. *Qui decimas accipit, decimatus eſt.* Merito igitur filij Aaron, decimæ vocantur. Sed quia mane, & veſpere, diem, & noctem ſignificat, medium ſuæ oblationis, mane, & medium veſpere ſacerdos offerre debet: Vt die ac nocte, vt omni tempore ab hac immolatione non deſiſtat. De qua adhuc ſubditur. Quæ in ſartagine oleo conſperſa frigitur. Qualiter autem in cordis ſartagine hæc oblatio ſupernæ vnctionis oleo conſperſa frigitur, illi ſoli intelligunt qui eam offerre conſueuerunt. Poſtquam enim hæc frixura igne ſpiritus feruentius feruere incipit, iam quaſi extra ſe, & quodammodo altius homo eleuatus, ſuæ ditionis non eſſe videtur. Offert autem eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino ſacerdos qui patri iure ſucceſſerit. Et tota oblatio cremabitur in altari, omne enim ſacrificium ſacerdotum igne conſumatur: nec quiſquam comedet ex eo, & hoc quidem melius ſentiendo, quam exponendo intelligimus. F Non enim poteſt calida non eſſe, quæ igne ſpiritus vndique circumdata, tota crematur tota frigitur & tota oleo peruncta igne conſumitur, quod autem ait: Nec quiſquam comedet ex eo, ad hoc valere, puto, vt non ſui oſtentationem, quod hypocritæ faciunt, ſed in ſecreto & in cordis ſecretario tam ſanctam oblationem ſacerdos Domino offerat, hanc ergo offerre debet, cum & tempore & loco mens eius ſupernæ vacat contemplationi. Sequitur. *Iſta eſt lex hoſtiæ pro peccato: In loco vbi offertur holocauſtum immolabitur coram Domino ſanctum ſanctorum eſt. Sacerdos qui offert comedet eam in loco ſancto, in atrio tabernaculi Quicquid tetigerit carnes eius, ſanctificabitur. Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lauabitur, in loco ſancto: vas autem fictile, in quo cocta eſt, confringetur, quod ſi æneum fuerit defricabitur & lauabitur aqua. Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur carnibus eius, quia ſanctum ſanctorum eſt.* Hanc enim hoſtiam qua peccata ſoluuntur, quam ſoli ſacerdoti, & maſculis de genere eius comedere licet, illam eſſe intelligo quæ quotidie G in Sancta Eccleſia à ſacerdotibus immolatur. Maſculus enim iſte non ſexu, ſed fide, ſapientia, fortitudine, & conſtantia iudicatur, qui non ſerpenti facile credat vt hæreticis ſuccumbat. Qui tetigerit carnes eius ſanctificabitur, hoc enim vt ipſe Dominus ait. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lauabitur aqua, vt quid enim veſtis aqua lauatur, quæ tactu ſanguinis ſanctificata eſt, niſi quia ſoli Chriſti ſanguinis aſperſione mundantur, qui in ſancta Eccleſia aqua baptiſmatis regenerantur. Ideoque de Saluatoris noſtris latere ſanguis ſimul cum aqua manauit. Vas autem fictile, in quo cocta eſt, frangitur: æneum autem fricatur & lauatur aqua: nos enim vaſa ſumus, in quibus Chriſti caro coquitur, ſi tamẽ ipſius paſſionis memores ſumus. Vnde ipſe ait. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod Apoſtolus expoſuit diH cens. *Quoties enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Nos ergo tangi, nos fricari, nos lauari debemus vnum enim idemque hæc tria ſignificant. Qui enim pœnitentia, & compunctione affligitur, & maceratur, ille vtique frangitur, & fricatur, & lauatur. Idem autem ipſi ſecundum aliud, & aliud, & fictilia vaſa ſumus & ænea: fictilia quidem, quia de terra. Vnde Apoſtolus. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: ænea vero quia in Dei laudibus clare perſonamus, nihil enim ære clarius ſonat. Et de hac quidem hoſtia quæ in Chriſti commemoratione mirabiliter fit, comedere licet: de illa vero quam ipſe Ieſus in ara crucis obtulit, nulli ſecundum ſe comedere licet. Quod ſeptuaginta diſcipuli intelligentes cum Chriſtus carnem ſuam eis offerret ad manducandum ſcandalizati abiere retrorſum, corpaliter enim carnem Chriſti, quam videbant, non in Sacramento, ſed in fruſta conciſam ſe comedere debere arbitrabantur, de qua & ſubditur. Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato, cuius ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonij ad expiandum, in ſanctuario non comeditur, ſed comburitur igne

vtique

A vtique paſſionis. Hoc autem, teſtimonio ſufficienter ſuperius expoſitum eſt. Sequitur.

Hæc quoque eſt lex hoſtiæ pro delicto ſancta ſanctorum eſt. Idcirco vbi mactabitur holocauſtum, mactabitur & hoſtia pro delicto: ſanguis eius per girum fundetur altaris. Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia, duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia eſt, reticulumque iecoris cum renunculis, & adolebit ea ſacerdos ſuper altare, incenſum eſt Domini pro delicto. Omnis maſculus de ſacerdotali genere in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia ſanctum ſanctorum eſt, Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto, vtriuſque hoſtiæ lex vna erit. Quamuis enim peccatum atque delictum ſæpe indifferenter pro eodem ponantur, differt tamen peccatum à delicto. Facere enim contra mandatum, peccatum eſt: non facere vero quod mandatum præcipit, delictum, Qui enim occidit contra mandatum facit, quo dicitur: Non occides Qui vero patrem, & matrem non honorat mandatum negligit, & delinquit, quo iubetur. Honora patrem, & matrem. B Vnde delictum quaſi derelictum dici videtur, ab eo quod mandatum derelinquatur. Et quia vtriuſque hoſtiæ eſt lex vna, vtriuſque hoſtia ſit expoſitio vna. Cuius videlicet hoſtiæ ſanguis funditur per girum altaris, vt ſemper corda noſtra in Chriſti ſanguine natent, & numquam paſſionis eius obliuiſcamur. Vnde etiam & caudam eius offerre iubemur: vltima enim corporis pars cauda eſt, quam ipſe quoque Saluator offerens ait: *Conſummatum eſt* Et ſtatim, inquit, Euangeliſta, *inclinato capite emiſit ſpiritum.* Huius ergo finis, huius extremitatis, huius caudæ ſemper memores ſimus, in qua Chriſtus pro nobis ſpiritum emiſit; offeramus adipem, pinguedinem, & renes eius; dicamus, prædicemus, & laudemus pietatem, miſericordam, caſtitatem, & continentiam eius. Hoc eſt enim ſacrificium laudis. Et ſacrificium, inquit, *laudis honorificabit me.* Breuiter iſta tranſcurrimus, quoniam facile per ſupradicta intelligi poſſunt. Sequitur.

C *Sacerdos qui offert victimam holocauſti, habebit pellem eius & omne ſacrificium ſimile quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, eius erit ſacerdotis a quo offertur, ſiue oleo conſperſa ſiue arida fuerit. cunctis filiis Aaron æqua menſura per ſingulos diuidetur.* Hoc audiant importuni, & inſatiabiles ſacerdotes, qui expenſas Eccleſiaſticas æqualiter cum cæteris partiri refugiunt. Sed quia per victimam Chriſti Dei verbum & Dei ſapientiam intelligimus, quid per pellem niſi litteram, qua ſpiritualis intelligentia tegitur, ſignificabimus? Sicut enim quondam verbum & ſapientia Dei latebat in carne, ſic & modo niſi ſubtracta pelle & litteræ velamine, non apparet. Sacerdos ergo qui offert victimam, habeat pellem eius; quod, ſi de Caypha, qui Chriſtum morti tradidit, intelligatur, perſpicuum eſt nam & ipſe, vt cæteri Iudæi, nihil niſi pellem, & litteram in diuina ſcriptura conſiderabat. Nobis quoque pellis iſta valde neceſſaria eſt, quoniam niſi pelle cognita, carnes difficile comeduntur. In promptu ergo, & in poteſtate, pellem, litteram, & hiſtoriam ſemper D habemus. Sequitur.

CAPVT VII.

HÆc eſt lex hoſtiæ pacificorum quæ offertur Domino: Si pro gratiarum actione fuerit oblatio offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azima vncta oleo, coctamque ſimilam, & collyridas olei admixtione conſperſas. Quia enim omnibus hoſtiis pacificatur Deus, pene omnes hoſtia pacificorum dici poſſunt. Si autem pro gratiarum actione fiunt oblationes, vt pro tantis ab eo ſuſceptis beneficiis Domino gratias agere velimus, offeramus panes, & lagana, ſimilamque coctam atque colliridas: omnia autem azima & ſine fermento, omnia inſuper oleo peruncta. Nos enim ipſi hæc omnia ſumus. De nobis enim Apoſtolus dicit. *Exſpurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azimi.* Si ergo azimi ſumus, ſi incorrupti & ſinceri ſumus offeramus Deo nos ipſos vt Dei imago reddatur Deo, tali E enim cibo delectatur Deus, ſicut eſca diaboli ſunt peccatores: ita, & ſancti ſunt cibus Dei, omnes oleo peruncti, omnes Spiritus ſancti gratia delibuti, omnes Dei miſericordia perfuſi. Sequitur.

Panes quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus vnus pro primitiis offertur Domino & erit ſacerdotis, qui fundet hoſtiæ ſanguinem; cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vſque mane. Qui ſunt enim iſti panes fermentati, qui cum hoſtia gratiarum offeruntur: mirum ſi non iſti ſunt duo illi latrones, qui ſimul cum Domino ſunt crucifixi, quorum quia alter credidit, idcirco hic dicitur. Ex quibus vnus pro primitiis offeretur Domino: pro primitiis quidem, quia in Chriſti paſſione ipſe prius credidit. Vnde & à Domino audire meruit. Hodie mecum eris in paradiſo. Hoc eſt enim quod ait. *Et erit ſacerdotis qui fundet hoſtiæ ſanguinem.* Illius enim ſacerdotis eſt iſte panis, qui non alium niſi proprium pro nobis ſanguinem fudit, cuius carnes comedentur eadem F die. Qua dictea vtique qua hoſtia offeretur, Omni ergo die comedentur, ſiquidem omni die hoſtia offertur. Quid eſt ergo quod ſequitur. Nec remanebit ex eis quiquam vſque mane? quid eſt hoc mane? huius vtique noctis, huius vitæ finis, & illius diei initium quo Sol iuſtitiæ orietur: tunc enim non erit tempus has carnes comedendi, tunc non erit tempus ad fidem conuertendi. Credere enim comedere eſt. Vis has carnes comedere? crede, & manducaſti. Sequitur.

Si voto vel ſponte quiſquam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die. Sed & ſi quid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt: quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis abſumet. Si quis de carnibus victimæ pacificorum: die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quin potius quæcunque anima tali ſe edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit. Hæc enim hoſtia, ſicut & ſuperior Chriſtum ſignificat: Chriſtus enim & voto & ſponte ſeipſum obtulit: voto quidem, quia ſic diſpoſuerat, ſic ordinauerat, ſic ipſe de ſe ante tempora prædeſtinauerat: ſponte vero, quia omnipotens eſt. Sed G qui ſunt hi duo dies, in quibus has edere licet? Ego quidem duos dies duo teſtamenta intelligo, in quibus nimirum hæ carnes comedentur, quia eorum reuelatione, illuminatione, atque doctrina creduntur & intelliguntur. Primus enim dies, liber iſte eſt, qui nos modo iſta docet, quo docente Moyſes, & Aaron, & multi alij Chriſti carnem comederunt: Secundus vero dies, Euangelium eſt, in quo multo manifeſtius Chriſtus immolatur, & creditur, manducatur & bibitur. Veniamus nunc ad tertium diem; ſed non comedamus in eo vt credamus ei, quia tenebroſus eſt, ſine ſole & lumine eſt, cæcus totus, & erroneus eſt. Per hanc enim prædam hæreticorum doctrinam intelligimus, in qua multæ de Chriſto ſonant blaſphemiæ. Si quis ergo ſecundum hanc doctrinam Chriſtum immolauerit, crediderit, & comederit, nihil ei proderit: quin potius quæcunque anima tali ſe edulio contaminauerit, & his credendo, errauerit, præuaricationis rea erit. Talis enim dies Berengarius quidem extitit, H qui de corpore, & ſanguine philoſophice diſputando ad impoſſibilia nos ducebat. Nos tamen, quod de Chriſto ratione non comprehendimus, igne ſpiritus, & charitatis abſumimus, & non tantum argumentis, quam Sanctorum fidei, & auctoritatibus credimus. Vnde & hic dicitur: *Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis abſumet.* In quibus enim hæreticis ratione, & argumentis reſiſtere non poſſumus, fide, & auctoritate, & charitatis igne reſiſtimus. Sequitur.

Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni, qui fuerit mundus, non veſcetur ex ea. Qui enim hæreticis crediderit, non in Eccleſiæ corpus trajicietur, ſed igni æterno comburetur. Quid enim ſit, immundum tangere, iam ſuperius expoſitum eſt.

Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino peribit de populis ſuis. Et qui tetigerit immunditiam hominis vel iumenti, ſiue omnis rei quæ polluere poteſt, & comederit de huiuſcemodi carnibus

A *interibis de populis ſuis.* Hoc enim Apoſtolus breuiter expoſuit dicens. *Qui enim manducat, & bibit indigne iudicium ſibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.* Breuiter expoſuimus, quia vigilantibus loquimur, & ſolis maſculis de genere Aaron hæc tradere diſpoſuimus.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Loquere filiis Iſraël. Adipem bouis & ouis & capræ non comedetis. Adipem cadaueris morticini, & eius animalis quod à beſtia captum eſt habebitis in vſus varios. Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini comederit, peribit de populo ſuo. Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibum, tam de auibus quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis. Hæc autem quamuis ſuperius ſufficienter expoſita ſunt, pauca tamen de his dicamus. Hic enim non de adipe carnis, ſed de animæ adipe dicere videtur. Animæ autem adeps atque pinguedo, ſapientia, fides, charitas, cæteræque virtutes ſunt: pinguis enim eſt illa anima quæ his abundat: B ſicut è contrario macra eſt, quæ iſta non habet. Sanguis autem pro anima ponitur: quoniam ſedes animæ ſanguis eſt. Vnde in hoc eodem libro in ſequentibus dicitur. Anima omnis carnis in ſanguine eſt. Interdicit igitur Dominus adipem & ſanguinem comedere ſecundum illam ſignificationem qua dicitur. Quia comederunt Iacob. Sic enim comedere, quid aliud eſt niſi perſequi perdere, & occidere? Magnum ergo peccatum eſt, adipem & ſanguinem comedere. Adipem autem morticini, & à beſtia capti animalis in varios vſus habere licet: quia hæreticorum & Philoſophorum ſcientia ſæpe nobis in multis vtilis eſt. Sæpe enim nobis Ariſtotelis, Priſciani, & origenis ſcientia neceſſaria eſt Sequitur.

Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat ſimul, & ſacrificium, id eſt libamenta eius. Tenebit manibus adipem hoſtiæ & pectuſculum. Cumque ambo oblata Domino conſecrauerit, tradat ſacerdoti, qui adolebit adipem ſuper altari. Pectuſculum autem erit Aaron, & filiorum eius. Pacificorum enim omnis victima, quia Deum nobis pacificamus? libamenta vero omne azimum intelligimus. C Non ergo ſine libamentis pacificorum victima offeratur, quia non proderit hoſtia, quæ oblata non fuerit in azimis ſinceritatis & veritatis. Sed quod eſt quid adipem atque pectuſculum, quod homo Deo conſecrauit & deuouit: ſacerdoti Dominus tradere iubet? Vult enim Dominus, vt pectora noſtra, ſacerdotibus demus, atque aperiamus, quatenus eorum conſiliis; & doctrina repleantur: demus eis adipem noſtrum; confiteamur eis peccata noſtra; dicamus eis, quid male pinguis lateſcendo fecerit caro noſtra. Ipſorum enim eſt adolere adipem, ipſorum eſt incendere & delere peccata.

Armus quoque dexter pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis. Qui obtulerit adipem & ſanguinem filiorum Aaron, ipſe habebit, & armum dextrum in portione ſua. Pectuſculum enim elationis, & armum ſeparationis tuli à filiis Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron ac filiis eius lege perpetua ab omni populo Iſraël. Ideo enim D armus dexter ſacerdotibus datur quoniam fortes eſſe debent. Quaſi igitur ad pectus ſuum, quaſi ad ſapientiæ ſecretarium, totus ad eos populus currat, & inde ſitiens bibat. Hoc enim rationale, quoque & ſuperhumerale ſignificant. Pectuſculum enim elationis & armum ſeparationis ſic dicit quaſi pectuſculum elatum & armum ſeparatum: Quod autem ſequitur: *Hæc eſt vnctio Aaron, & filiorum eius in cæremoniis Domini die qua obtulit eos Moyſes*, & cætera, titulus eſt eorum quæ ſequuntur.

CAPVT VIII.

L*Ocutuſque eſt Dominus ad Moyſen: Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum & vnctionis oleum vitulum pro peccato, duos arietes, caniſtrum cum azimis, & congregabis omnem cœtum ad oſtium tabernaculi. Fecit Moyſes vt Dominus imperauit. Congregataque omni turba ante fores ait. Iſte eſt ſermo quem iuſſit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron & duos filios eius. Cumque lauiſſet eos,* E *veſtiuit Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens tunica hiacinthina, & deſuper ſuperhumerale impoſuit, quod aſtringens, cingulo aptauit rationali, in quo erat doctrina & veritas: Cidari quoque texit caput & ſuper eam contra frontem poſuit laminam auream conſecratam in ſanctificationem ſicut præceperat ei Dominus. Tulit & vnctionis oleum quo liniuit tabernaculum & cætera.* Quid enim Aaron cum filiis, quid vitulus, & duo arietes, quid vnctionis oleum & veſtes, & cætera quæ hic enumerantur, ſignificent, diligenter ſatis, & ample in Exodo expoſuimus. De vitulo tamen, & duobus arietibus breuiter hic aliquid dicamus: Obtulit, inquit, *Vitulum pro peccato; cumque ſuper caput eius poſuiſſent Aaron, & filij eius manus ſuas, immolauitque eum hauriens ſanguinem, & tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato & ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta eius. Adipem autem qui erat ſuper vitalia, & reticulum iecoris, duoſque renunculos cum aruinulis ſuis, adolebit ſuper altare, vitulum cum pelle carnibus & fimo cremans extra caſtra ſicut præceperat Dominus.* Vitulus enim iſte qui pro peccato offertur, F Chriſtus Dominus noſter eſt, pro noſtris iniquitatibus immolatus, ſuper cuius caput Aaron & filij eius manus poſuerunt; quia Pontifices, & Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, in eum manus mittere, & Deum negare non timuerunt. Cuius ſanguinis pars altaris cornua tangit, pars ad fundamentum eius funditur, quoniam & Chriſti ſanguinis pars crucis cornua cruentauit, pars eius ad ima decurrendo defluxit. Adeps vero omniſque eius pinguedo adoletur ſuper altare, quatenus illud Propheticum adimpleatur. Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. O pingue ſacrificium: cuius odore mundus repletur, & omnis ægritudo ſanatur. Vitulus autem cum pelle & carnibus & fimo crematur extra caſtra, quia Ieſus, vt Apoſtolus ait, *vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*, Hæc autem de vitulo. Nunc de ariete videamus.

Obtulit & arietem in holocauſtum, ſuper cuius caput cum impoſuiſſent Aaron, & filij eius manus ſuas immolauit eum, & fudit ſanguinem eius ſuper altaris circuitum ipſumque arietem in fruſta concidens, caput eius & artus, & adipem adoleuit, igni lotis prius inteſtinis, & pedibus, totumque ſimul arietem incendit ſuper altare, quod eſſet holocauſtum ſuauiſſimi odoris Domino, ſicut præceperat ei. G Hoc autem eſt illud holocauſtum, quod quotidie in ſancta Eccleſia fit. Offert enim Moyſes, id eſt Chriſtus, arietem in holocauſtum, quoniam etſi ſacerdotum miniſterio fiat, ipſe tamen carnem: & ſanguinem ſuum immolat & ſacrificat. Non enim ſacerdotis, ſed ipſius vox eſt quæ dicit: *Hoc eſt corpus meum:* Et hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hac enim voce totum ſacrificium immolatur, & ſanctificatur. Vnde & ſubditur. *Super cuius caput cum impoſuiſſet Aaron, & filij eius manus immolauit eum*, Aaron, & filij eius manus imponunt, & Moyſes immolat, quoniam etſi Pontifices, & ſacerdotes ſuper Chriſti corpus, H & ſanguinem manus expanſas, & eleuatas habeant, vnus tamen eſt Pontifex qui ſanctificat, & benedicit, cuius virtute ineffabili in ſui corporis ſanguiniſque ſubſtantiam, panis & vinum conuertitur. Fundit autem ſanguinem eius per altaris circuitum, quoniam & Chriſtus ſuum ſanguinem nobis obtulit ad bibendum: altare enim, Eccleſia eſt, quæ Chriſti ſanguine tota aſpergitur & inebriatur. Arietem autem ipſum in fruſta concidens: artus eius adipem, & pedes, lotis prius inteſtinis, Chriſtus Dominus adolebat, & ſuper altare incendebat, quando incipiens à Moyſe & cæteris Prophetis, interpretabatur duobus diſcipulis ſuis ſcripturas, quæ de ipſo erant, vnde ipſi quoque ſui cordis altare holocauſto ſuprapoſito, ardere ſentientes dicebant. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Incipiens enim à Moyſe, forſitan hæc eadem ſacrificia eis exponebat; in quibus mors & paſſio ſua tam manifeſte

ſignifica

A ſignificabatur. Inteſtina vero lauare, eſt, ea quæ turpia, & inhoneſta putabantur, datis rationibus neceſſaria & honeſta oſtendere. Quod ipſe quidem faciebat cum diceret. *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ: nonne ſic oportuit pati Chriſtum.* Turpe enim & inhoneſtum, & valde horribile videbatur eis, Dei filium pati & mori potuiſſe. Sequitur autem tertium ſacrificium, in quo inſtruimur, qualiter Epiſcopi & ſacerdotes conſecrari debeant.

Obtulit, inquit, & arietem ſecundum in conſecratione ſacerdotum, poſuerunt ſuper caput illius Aaron, & filij eius manus ſuas. Quem cum immolaſſet Moyſes ſumens de ſanguine tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius ſimiliter, & pedis, obtulit & filios Aaron. Cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus, & pedes dextri, reliquum ſuper altare per circuitum fudit. B Moyſes enim hoc in loco qui Sacerdotes conſecrat, aliquem Pontificum ſignificare poteſt, cuius miniſteria Epiſcopi, & Sacerdotes conſecrantur. Hic autem in principio conſecrationis offert arietem, ſi eos qui conſecrandi ſunt, de fide Chriſti pleniſſimè inſtruat. Vnde & idem ipſi ſuper caput arietis manus ponunt, quia omnia de quibus interrogantur, ſe credere quodammodo iurant, & confitentur. Tangit autem Pontifex de arietis ſanguine aures, manus, & pedes dextros ſingulorum, vt Chriſti ſanguine eorum auditus operatio, & prædicatio mundetur, & ſanctificetur, vt habeant aures audiendi, & manus ſanctificatas ad bene agendum, & Chriſti corpus conficiendum: vt ſint eorum pedes ſpecioſi ad euangelizandum pacem, & euangelizandi bona. Tanguntur autem in extremitatibus; quoniam non qui cœpit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. Reliquum autem ſanguinem fundit ſuper altare cordis eorum per circuitum, vt ſemper Chriſti paſſionis memores, tollant crucem ſuam, & ſequantur eum. Sequitur.

C *Adipem vero & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit inteſtina, reticulumque iecoris, & duos renes cum adipibus ſuis, & armum dextrum ſeparauit. Tollens autem de caniſtro azymorum quod erat coram Domino, panes abſque fermento, & collyridam conſperſam oleum lagana quoque poſuit ſuper adipes, & armum dextrum, tradens ſimul omnia Aaron, & filij eius.* Quid enim per caniſtrum, in quo ſunt panes azimi, niſi hunc librum, & cætera ſacrarum ſcripturarum volumina intelligimus? in quibus vtique ſingulæ ſententiæ, & panes & collyridæ de lagana ſunt, quibus nutriuntur: quæ quoniam miſericordiam prædicant, & nihil erroris in ſe habent, merito, & oleo conſperſæ, & azimæ eſſe dicuntur. Hæc autem ſuper adipes, & armum dextrũ ponuntur, quoniam quid adipes, & armus dexter ſignificet, ſacrarũ ſcripturarum ſententiis exponitur, & intelligitur. Quod autẽ hæc omnia ſimul compoſita Moyſes ſacerdotibus tradidit, hoc ſignificat: quia poſtquam ſacerdotes conſecrati ſunt, de manu Pontificis librum legis ſuſcipere debent, vt verbum D Dei exponendi & prædicandi habeant poteſtatem.

Qui poſtquam leuauerunt ea Domino, rurſum ſuſcepta de manibus eorum adoleuit ſuper altare holocauſti, eo quod conſecrationis eſſet oblatio, in odore ſuauitatis ſacrificij Domini. Tunc enim ea quæ ſuperius dicta ſunt, illi qui conſecrantur coram Domino eleuantur, quando & ore & corde, ſe omnia obſeruare, credere, & cuſtodire promittunt. Inde vero Moyſes Domini Vicarius de eorum manibus iterum omnia ſuſcipit, & in odore ſuauitatis ſuper altare incendit, ſignificans hoc totum quod factum eſt à Deo recipi, Deo placere, & Deo ſuauiter redolere. Sequitur.

Tulit & pectuſculum, eleuans illud coram Domino de ariete conſecrationis in partem ſuam, ſicut præceperat ei Dominus. Aſſumenſque vnguentum & ſanguinem qui erat ſuper altare, aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta eius, & ſuper filios illius, & veſtes eorum. Ideo enim Moyſes ſibi pectuſculum vendicat, quoniam pectori, & ſapientes Pontifices eſſe debent. Magnum enim pectus eum E habere oportet, qui hæc tanta ſeruare debet, & reponere Sacramenta. Sed quare Moyſes coram Domino pectuſculum eleuat, niſi vt corda & pectora noſtra ſemper ſint eleuata ad cœleſtia contemplanda? Aſpergitur vnguentum & ſanguis ſuper ſacerdotes, & veſtes eorum, vt interius & exterius mundentur & ſanctificentur; vt quales ſunt interius tales exterius appareant; vt prouideant bona, non tantum Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus vnguentum enim gratia eſt ſpiritus ſancti. De ſanguine vero Ioannes Apoſtolus ait: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Sequitur.

Cumque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo, præcepit eis dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas? panes quoque conſecrationis edite qui poſiti ſunt in caniſtro, ſicut præcepit mihi Dominus dicens: Aaron & filij eius comedent eos: quicquid autem reliquum fuerit de carne, & panibus, ignis aſſumet. Ante fores enim F tabernaculi carnes ſacerdotes coquunt, & comedunt, quia in conuentu, in pœnitentia, & in auditu fidelium Diuinas ſcripturas legentes, & exponentes cæteros eas coquere, & comedere, & intelligere docent. Idipſum autem, & de panibus intelligitur, de quibus modo ſuperius diximus. Quod autem reliquum eſt, ignis aſſumit, ignis vtique ſancti Spiritus, ignis fidei, & charitatis, qui nos hoc ſæpe credere facit, quid intelligere non valemus.

De oſtio quoque tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, vſque ad diem quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ. Septem enim diebus finitur conſecratio, ſicut & in præſentiarum factum eſt, vt ritus ſacrificij compleretur. Die ac nocte manebitis in tabernaculo, obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini. Quibus enim per ſeptem dies iubetur non exire de tabernaculo (ſi quidem non ſunt dies niſi ſeptem) numquam de tabernaculo exire debent. Hoc enim tabernaculum, Eccleſia eſt, de qua, niſi peccando, numquam exeunt ſacerdotes: de hac autem omnes hæretici peccando, & ſuperbiendo exierunt. G Septem autem diebus finitur conſecratio, quia quamdiu in hac vita ſumus, ſemper conſecrari, & ſanctificari, & in melius proficere debemus. Maneamus ergo die ac nocte, id eſt, omni tempore in tabernaculo: obſeruemus cuſtodiamus quod ipſe præcepit, ne moriamur. Non enim moriuntur, ſed potius de morte ad vitam tranſeunt, quicumque hoc tabernaculum bene cuſtodiunt. Sequitur.

CAPVT IX.

D*Ixit Moyſes ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo, offers holocauſtum & deprecare pro te, & pro populo. Cumque mactaueris hoſtiam populi, ora pro eo, ſicut præcepit Dominus. Statimque Aaron accedens ad altare, immolauit vitulum pro peccato ſuo: cuius ſanguinem obtulerunt ei filij ſui, in quo tangens digitum tetigit cornua altaris, & fudit reſiduum ad baſin eius, &c.* H Hæc enim omnia ſuperius dicta & expoſita ſunt. Voluit tamen Moyſes poſt ſacerdotum conſecrationem de eis dicere. Aaron autem, in hoc loco Iudæorum Pontifices ſignificare videtur; qui pro peccato ſuo, ſuo quidem quia originali Chriſtum Dominum noſtrum crucifixerunt. Sed ne populus quoque eis ſubiectus, de Chriſti morte innocens putaretur, ideo ſubdidit. Cuius ſanguinem obtulerunt ei filij ſui: Chriſti quoque ſanguinem Pontificibus populus offerebat, quando eum accuſabat, & reum mortis eſſe dicebat, & crucifige crucifige clamabat. Quoniam autem ſacerdotum machinatione Chriſti ſanguis fuſus eſt, ideo digitum in ſanguine ſacerdos tinxiſſe narratur. Quid autem cornua altaris, & baſis eius, quid adeps, omniſque pinguedo, quid pellis, & carnes quæ cremantur extra caſtra, ſignificent, ſatis ſuperius expoſitum eſt. Sequitur.

Immolauit & holocauſti victimam obtuleruntque ei filij ſui ſanguinem eius quem fudit ſuper altaris circuitum.

Ipſam etiam hoſtiam in fruſta conciſam cum capite, & membris ſingulis obtulerunt, quæ omnia ſuper altari cremauit, igni, lotis prius aqua inteſtinis & pedibus. Hæc autem victima holocauſti eadem eſt quæ ſuperior, ſacerdos tamen non idem, & hanc, & illam offerre videtur: ille enim cum crudelitate: hic vero cum pietate immolat. Differt enim Aaron à ſeipſo, aliquando enim Iudæorum Pontifices, aliquando vero quemlibet Eccleſiæ miniſtrum ſignificat. Significat autem ipſum quoque Ieſum, ſacerdotium omnium maximum. Volo autem, exempli gratia, hanc holocauſti victimam ego immolare; offerant ergo mihi filij mei huius victimæ ſanguinem; offerant etiam ipſam hoſtiam in fruſta conciſam, ſimul cum capite, & ſingulis membris. Sed quomodo offerent? Vis audire quomodo? Veniant ad me, interrogent, quid ſanguis iſte ſignificet, hoc eſt enim ſanguinem afferre. Interrogent etiam, quid ſignificet hoſtia, qui fruſta, quid caput, & cætera membra. Quæ omnia ſi ego ſingulariter eis expoſuero, tunc ſuper eorum cordis altare hoſtiam immolo, atque in amorem Chriſti, fidem, & dilectionem os accendo. Hæc quoque iam ſuperius expoſita ſunt. Sequitur.

Et pro peccato populi offerens, mactauit hircum: expiatoque altari fecit holocauſtum, addens in ſacrificio libamenta quæ pariter offeruntur. & adolens ea ſuper altare abſque matutini cæremoniis holocauſti. Hircum enim pro peccato populi offerre, eſt ipſum populum docere, & admonere vt carnem luxuriantem, & peccatricem pœnitentia coërceat, & affligat, neque per illicita vagari permittat: Altare vero expiatur, ſi à prauis cogitationibus cor mundatur, quod quidem niſi mundatum fuerit, holocauſtum in eo acceptabile fieri non poteſt. Vnde Pſalmiſta ait: *Cor mundum crea in me Deus.* Libamenta vero quæ pariter offeruntur, panes & cætera azima intelligantur. Quibus ergo pœnitentiæ medicamentum damus, vt viuant in azimis ſinceritatis, & veritatis, admonere debemus. Hæc autem omnia cuſtodire iubeamus, præter cæremonias matutini holocauſti, quæ per ſe quidem inuiolabiliter conſeruari debent: matutini autem holocauſti cæremonias dicit eas, quas in principio fidei noſtræ Domino præmiſimus, quando diabolo, & omnibus pompis & operibus eius abrenunciauimus. Vera ergo pœnitentia eſt cum has matutini holocauſti cæremonias obſeruamus, ſi tamen poſtea in azimis ſinceritatis, & veritatis viuamus. Sequitur.

Immolauit & bouem atque arietem, hoſtias pacificas populi. Obtuleruntque ei filij ſui ſanguinem, quem fudit ſuper altare in circuitum. Adipem autem bouis, & arietis caudam, renunculoſque cum adipibus ſuis, & reticulum iecoris, poſuerunt ſuper pectora eorum. Per bouem enim & arietem, vel Chriſtum Dominum noſtrum, vel ſanctos intelligere poſſumus, hos autem immolamus, quando eorum tormenta, & paſſiones prædicamus: horum autem ſanguinem offerunt nobis filij noſtri, quando de eorum paſſionibus nos interrogant; quem nos quidem ſuper altare cordis eorum fundimus in circuitum omnia eis exponentes, & vt pro Chriſto, ſecundum eorum exempla, mortem non timeant incitantes. Et quia Doctorum pectora quanto magis quæſtionibus præmuntur, tanto plus Diuina myſteria pandunt, ideo ſuper pectora bouis, & arietis adipem, caudam, renunculos, omnemque pinguedinem poſuerunt. Quodam enim modo mihi ſuper pectus bouis caudam, & adipem ponit ille, qui me de cauda bouis, & adipe interrogat: donec enim ei ſatisfaciam, pectus, & cor meum non paruo pondere premitur, & fatigatur. Quid autem iſta ſignificent, iam ſuperius dictum eſt. Sequitur.

Et armos dextros ſeparauit Aaron, eleuans coram Domino, ſicut præceperat Moyſes. Separat quidem, quia ſui ſunt. Illi enim armus eſt neceſſarius, qui totum pondus, & totius populi peccata ferre debet. Eleuat autem coram Domino: vt non ſua quærat, ſed quæ Ieſu Chriſti, vt cum Apoſtolo dicat. *Viuo autem iam non ego viuit vero in me Chriſtus.* Quod enim ſic ait, membra ſua iam non ſua ſunt, ſed eius cui ſeruiunt. Sequitur autem: *Quod completis holocauſtis Moyſes, & Aaron benedixerit populo, apparuitque gloria Domini omni multitudini: Et ignis egreſſus eſt à Domino deuorauit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare.* Hunc autem ignem fortaſſe, gloriam Domini appellat.

CAPVT X.

Arreptiſque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis ſuis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.. Egreſſuſque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. Si quis aliter euangelizauerit vobis præter quod audiſtis, & accepiſtis, anathema ſit. Ignem enim & incenſum alienum coram Domino offerunt, qui ea, quæ contra fidem ſunt, & in Dei lege non continentur Eccleſiæ prædicat. Talem enim ignem, totoque incenſum Arrius obtulit, ideoque mortuus eſt, & cæteris incendiis mancipatus.

Locutus eſt autem Moyſes, ad Aaron, & eleazarum, & Ithamar filius eius capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini. Hoc autem ſignum doloris eſt atque triſtitiæ, de iniquorum vero damnatione lætandum potius eſt quam dolendum. Vnde ſcriptum eſt. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum.

Dixit quoque Dominus ad Aaron, Vinum & omne quod inebriari poteſt, non bibetis, tu, & filij tui, quando intrabitis tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, quia præceptum eſt ſempiternum in generationes veſtras, vel habeatis ſcientiam diſcernenda inter ſanctum, & prophanum inter pollutum, & mundum. Hæc etiam ad litteram intellecta mentem ædificant. Magnum enim peccatum eſt ebrietas: præter hoc enim quod ſenſum euertit, etiam luxuriam prouocat. Vnde Apoſtolus. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* Hæc autem ebrietas corporis eſt: ſed multo peior eſt ebrietas mentis. Mens enim noſtra ira, indignatione, odio, ſuperbia, inuidia, auaritia & cupiditate repletur, quibus vtique inebriata facile decipitur, & inter ſanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum diſcernere nequit. Nos ergo, quia ſemper in Dei tabernaculo ſumus, omnem ebrietatem fugere oportet, ne moriamur.

Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron & ad filios eius qui reſidui erant. Tollite ſacrificium quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſque fermento iuxta altare, quia ſanctum ſanctorum eſt. Comedetis autem in loco ſancto quod datum eſt tibi, & filiis tuis de oblationibus Domini ſicut præceptum eſt mihi. Pectuſculum quoque quod oblatum eſt, & armum qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo tu, & filij tui. & filiæ tuæ tecum. Tibi enim & liberis tuis repoſita ſunt de hoſtiis ſalutaribus filiorum Iſraël. Sacrificium enim quod remanſit de oblatione Domini, omnis ſanctarum Scripturarum ſeries intelligitur. Et hoc quidem ſacrificium laudis vocatur. Remanſit autem nobis hoc ſacrificium de oblatione Domini, quoniam etſi Chriſtum eiuſque diſcipulos iniqui interfecerint, eorum tamen memoriam, & tanta in eorum laudibus ſcripta volumina delere non potuerunt. Hoc autem ſacrificium comedunt ſacerdotes abſque vlla hæretica prauitate omnique corruptione iuxta altare, id eſt in ſancta Eccleſia in conuentu fidelium, in concilio iuſtorum & congregatione, ibi enim ſecreta Dei reuelãtur, ibi noui, & veteris teſtamenti myſteria exponuntur. Quoniam ſcriptum eſt Nolite ſanctum date canibus neque mittere margaritas ante porcos. Comederunt, & pectuſculum & armum, quatenus & ſapientes fiant, & alter alterius onera portent. In pectore enim eſt cor, mens; & ſapientia: ſuper armos vero onera portamus, De hoc autem ſacrificio Aaron & filiis eius, & filiabus comedere licet, quoniam Deum laudare, ſapientiæ operam dare, & aliorum onera portare, nullus fidelium prohibetur. Hinc autem ſequitur, quod Moyſes: cum quæreret hircum qui oblatus fuerat, exuſtum reperit, & inde iraſcitur contra ſacerdotes, quia

A eum non comederant, per hoc enim neſcio quid aliud ſignificare voluerit, niſi quia pœnitentes & pro ſuis, peccatis ſe diutius affligentes, non in deſpectu & negligentia habere, ſed humiliter, & cum lætitia recipere, & Eccleſiæ corpori reconciliare debemus. Quid enim eſt hircum comedere, niſi peccatores Eccleſiæ reconciliare? Sic enim Petrus Apoſtolus eos comedebat, cui dicitur: *Macta, & manduca.* Hircus autem exuritur, ſi medicina modum excedat, & peccatorem deſperare faciat. Non ergo exuratur, ſed temperate hircus iſte coquatur. Hucvſque de ſacrificiis.

CAPVT XI.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron dicens? Dicite filiis Iſraël: Hæc ſunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. Omne quod habet diuiſam vngulam, & ruminat, in pecoribus comedetis. Quicquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, ſed B *non diuidit eam, ſicut camelus & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis: ſimiliter cirogrillus, & lepus immundus eſt, quoniam etſi ruminet, vngulam tamen non diuidit. Sic & ſus, qui vngulam diuidit ſed non ruminat.* Dicendum ergo nobis eſt, quid ſit vngulam diuidere, quid ruminare, quid comedere. Vngula enim, eſt Diuina ſcriptura, qua pedes animæ muniuntur ad ambulandum: hæc autem vngula, in litteram & ſpiritum, ſiue etiam in nouum, & vetus diuiditur teſtamentum. Ruminare, autem quid eſt, niſi ſanctam ſcripturam diligenter inueſtigare, & cordis dentibus tenuiſſimà frangere, & ad ſpiritualem intelligentiam diutiſſimè voluendo perducere? Iudæi ergo neque vngulam diuidunt, neque ruminant, quoniam neque vtrumque teſtamentum recipiunt, neque quod ſuſcipiunt ruminando ſpiritualiter intelligunt; litteram ſapiunt. Manichæi autem, & ſi ruminando quædam ſpiritualiter intelligant, vngulam tamen non diuidunt, quia non ſuſcipiunt vetus teſtamentum. Ebionitæ vero, è contra, vtrumque ſuſci- C piunt, ſed ſimul cum baptiſmo, circumciſionem, omneſque legis cærimonias obſeruare volentes, ruminare aut nolunt aut neſciunt. Omnes ergo iſti immundi ſunt, ideoque eos comedere: & Eccleſiaſtico corpori eos infundere, & permiſcere prohibetur. Et quamvis B. Petro dictum ſit. Macta & manduca, hos tamen manducare non debet, qui ſanctificari, & ab immunditia diſcedere nolunt. Sic enim ibi ſcriptum eſt: *Quod Deus ſanctificauit, tu ne commune dixeris.*

Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci licitum eſt. Omne quod habet pennulas, & ſquammas, tam in mari, quam in fluminibus & ſtagnis, comedetis, cætera vobis polluta erunt. Soli enim illi piſces ſuper aqua ſaltus dare perhibentur, qui pennolas, & ſquammas habent, per quos illos intelligimus, qui ſemper ſuperiora appetunt & cœleſtia deſiderant, & quamvis multis aduerſitatum procellis feriantur, cum Apoſtolo, tamen dicunt. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Cæteri vero qui ſub vndis latent, ſemperque inferiora, & profunda petunt, nulliſque de- D ſideriis ad ſuperna, & cœleſtia eriguntur, non immerito immundi, dicuntur, & ab Eccleſiæ corpore ſeparantur. Nulla enim pars eſt fideli cum infideli, nulla ſocietas luci ad tenebras.

Hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis: Aquilam, & griphem & haliæetum, miluum ac vulturem iuxta genus ſuum, bubonem, & mergulum & ibi & cignum, & onocrotalum, & porphirionem, herodionem, & charadrion iuxta genus ſuum, vpupam quoque, & veſpertilionem. Hæc enim pœne omnia de præda, & rapina viuunt, aliiſque animalibus importunè inſidiantur, in quibus fures, latrones, ſacrigi, omneſque raptores ab Eccleſiæ corpore repelluntur. Coruinum autem genus ideo abiicitur, quia ab inſita & naturali nigredine numquam lauatur, ſignificat autem peccatores in malitia perſeuerantes & pœnitere neſcientes. Sed quid per ſtrutionem, qui alas quidem habet, volare vero non poteſt, niſi hypocritas intelligimus? Qui quamvis boni ſimilitudinem ferant, bonum tamen facere recuſant. E Quid vero per noctuam, quæ lucem fugit, noctem diligit, niſi eos qui regem tenebrarum ſequuntur, & Chriſtum ſolem iuſtitiæ fugiunt? Omnis enim qui malè agit odit lucem, hæc tamen, ſicut & bubo, de præda & rapina viuit. Vpupa vero turpiſſimum animal in ſtercore nidificat: per quam meretrices, & adulteros intelligimus. Quæ autem de noctua dicta ſunt, de veſpertilione quoque intelligantur.

Omne de volucribus quod graditur ſuper quatuor pedes abominabile erit vobis: Quodcumque autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retro crura ſuper quæ ſalit ſuper terram comedere debetis, vt eſt bruchus in genere ſuo, & attacus, atque ophiamachus, ac locuſta, ſingula iuxta genus ſuum. Quicquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis. Quid enim per volucres niſi ſapientes? Quid vero per quatuor pedes niſi quatuor elementa, ex quibus ſecundum corpus homo conficitur, & ſine quibus ſe mo- F uere non poteſt. Illi ergo quatuor pedibus gradiuntur, qui ſoli corpori obediunt, quod ex quatuor, vt diximus, conſtat elementis. Tales enim Epicurei fuerunt, immo, & ſunt qui corporis voluptatem ſummum bonum prædicant. His autem ſi duo crura retro longiora addantur, quibus ſuper terram ſaliant, & ab inferioribus ad ſuperiora ſe erigant, & exaltent, iam non vlterius inter immunda animalia computabuntur. Duo enim crura, duo ſunt teſtamenta, cunctis vtique cruribus longiora, ſiquidem eorum, fide atque doctrina ſuper ipſos cœlos, & vſque ad thronum Dei, ſpiritus hominis eleuatur. Quicquid ergo ex volucribu quatuor pedes habet & corporali neceſſitate ad terram deſcenders ſuper eam graditur, ſi iterum his cruribus ſaliens, & ſe ad ſuperiora eleuans, volare cœperit, non erit abominabile atque immundum. Quoties enim corpori ſeruimus, toties ſuper terram quatuor pedibus imus. Quatuor enim nos ferunt elementa, quibus non ad voluptatem, ſed ad ne- G ceſſitatem obedire debemus. Semper igitur ſalientes, ſemperque fugientes, nec in vno loco moremur, nec cibo tranſitorio occupemur. Hoc enim, & locuſtæ faciunt: hoc & admonet Apoſtolus dicens. *Et carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Sequitur.

Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus vſque ad veſperam. Et ſi neceſſe fuerit, vt portet quippiam horum mortuum lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad ſolis occaſum. Quid enim horum morticina, niſi eorum mortua opera mortaliaque peccata ſignificant? de quibus Apoſtolus. Non iterum, inquit, *faciamus fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Eorum ergo morticina tangit, quicumque eorum mortua opera imitatur, & agit: Polluitur ergo & erit immundus vſque ad veſperam. Quid eſt enim vſque ad veſperam? veſperam enim hoc loco magis peccati quam diei finem ſignificare videtur. Habet enim peccatū ortum ſuum atque occaſum; habet peccatum mane, & veſperam. Beatus ille cuius peccatum iam peruenit vſque ad veſperum: Beatus ille, cuius peccatum peruenit ad H finem, & ad occaſum, hic enim, quia peccare ceſſauit, quia totum peccatum in eo periit & occidit, iam mundus eſt. Per hos autem qui immundorum animalium morticina ferebant, illos ſignificari puto, qui quamvis ad pœnitentiam accedentes, ſe de præteritis peccatis vehementer accuſent, eorum tamen onera etiam inuiti ferunt, quoniam prauam conſuetudinem & ipſius peccati titillationem nondum penitus abiicere & extirpare poſſunt. Hos autem oportet lauare veſtimenta ſua, quoniam ieiuniis, vigiliis, eleemoſynis, lacrymis, & orationibus conuenit mundare carnem & opera ſua. Sic tamen immundi erunt vſque ad ſolis occaſum, id eſt, donec tota illa titillatio, omniſque feruor prauæ concupiſcentiæ, & totum peccandi deſiderium in eis occidat & moriatur. Ipſum autem per ſolis occaſum, & veſperum ſignificatur. Sequitur.

Quod autem ambulat ſuper manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia; immundum erit. Qui

tetigerit

A *tetigerit morticinum eorum, immundus erit vſque ad veſperum.* De vrſo enim hæc & ſimia & ſimilibus, quantum ad litteram, dicere videtur, hæc enim & quadrupedia ſunt, & ſuper manus ambulant. Nam & Dauid ſuper manus ſuas ambulaſſe legitur. Moyſes autem non de bipede, ſed de quadrupede loquitur. Quæ enim animalia ſuper manus ambulant, manus & oculos, & totam faciem ad terram deprimunt. Significant autem illos homines qui bona ſuperna atque æterna deſpicientes, omni ſtudio & operatione, omni mentis intuitu, & tota cordis intentione, ſola terrena & tranſitoria diligunt. Quibus Apoſtolus loquitur dicens: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum, ſunt quærite, non quæ ſuper terram.* Quos & immundos eſſe ſignificans, ait: Si quis, frater nominatur, & eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Quid ſit autem, eorum morticina
B tangere, & cadauera portare, modo ſuperius diximus. Sequitur.

Et ſuper quod ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum, & veſtimentum; quam pelles & cilicia, & in quocunque ſit opus, tingetur aqua, & polluta erunt vſque ad veſperum, & ſic poſtea mundabuntur. Vas autem fictile in quo horum quicquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum eſt. Non ſolum enim homines, qui immundorum animalium morticina tangunt, verum etiam vaſa, veſtimenta, & ſimilia ſuper quæ illa cadunt, polluuntur, quoniam non ſolum ſponte, ſed & ignoranter peccamus. Quid eſt enim morticinum manu tangere, niſi ſcienter & ſponte peccare? Quid eſt vero ſuper aliquem morticinum cadere, niſi vel neſcienter, vel non ſponte peccare? Et homines quidem vt rationales morticina tangunt; ſuper vaſa vero & veſtimenta, quaſi ſuper irrationabilia cadunt. Per illos igitur, Doctores & Sapientes, per hæc autem, in-
C doctos & inſipientes intelligere poſſumus. Vt enim homo à veſtimento, ita ſapiens diſtat ab inſipiente. Sed quia ſtultitia & ignorantia neminem excuſat, iſti quoque lauent veſtimenta ſua, & polluti erunt vſque ad veſperum. Quid eſt vſque ad veſperum? id eſt vſque ad finem & conſummationem peccati. Vas autem fictile vel pœnitentia frangitur & ſaluatur, vel virga ferrea frangitur & damnatur. Sequitur.

Omnis cibus quem comedetis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua, immundus erit, & omne liquens quod bibitur de vniuerſo vaſe, immundum erit, & quicquid de morticinis huiuſmodi ceciderit ſuper illud, immundum erit, ſiue clibani, ſiue citrapodes deſtruentur. Fontes vero & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio immunda erit, quod morticinum eorum tetigerit, polluetur. Per cibum enim & liquens, fontes, ciſternas, & aquarum congregationes, nihil melius quam Sanctarum Scripturarum volumina intelligimus. Hæc enim & cibus & potus nobis ſunt.
D Super hæc autem ſi pollutorum valorum aqua ceciderit, & immundorum hominum deprauatione hæc corrupta fuerint, qui non tantum homines, quantum equi & muli, quibus non eſt intellectus, dici debent, polluentur & immunda erunt. Quid enim per hæc vaſa, quorum aqua noſtris cibis & potibus ſuperfuſa eos corrumpit & polluit, niſi hæreticos, Iudæos, & Paganos, quorum nefanda ſuperſtitio ſi fidei noſtræ & doctrinæ Euangelicæ admiſceatur, immundam eam & pollutam facit. Hoc eſt enim quod dicit: *Omnis cibus quem comeditis, & omne liquens quod bibitur, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua de vniuerſo vaſe immundo, immundum erit.* Per clibanos vero & citrapodes, in quibus & ſuper quos panis & alij cibi coquuntur, Eccleſiæ Doctores intelligi poſſunt, in quorum pectore cibi ſpirituales decocti, intelligibiles & comeſtibiles fiunt. Et hi quidem merito deſtruuntur, & à ſuis dignitatibus abiiciuntur, ſi in ſe immundum aliquid & pollutum cadere permiſerint. Sequitur.

Si ceciderit ſuper ſementem, non polluet eam. Sin autem quiſpiam ſementem aqua perfuderit, illico polluetur. Illos enim hoc in loco ſementem dicere videtur, qui quamvis ad fidem vocati, nondum tamen baptizati, neque in Eccleſiæ agrum ſeminati ſunt. E Super quos ſi pollutum ceciderit, non polluentur, quoniam & ipſi adhuc polluti ſunt, nihil enim polluitur niſi id quod mundum erat, non enim ſtercore ſtercus polluitur. Sin autem quiſpiam ſementem aqua perfuderit, illico polluetur, quoniam poſtquam homo baptizatus eſt, (ſiquidem ab omni pollutione mundatus eſt) ſi immundum tetigerit, pollui poteſt.

Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vſque ad veſperum, & qui comederit ex eo quippiam, ſiue portauerit, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum. Moritur autem animal mundum, quando Chriſtianus aliquis pro ſuis facinoribus excommunicatur, vel propter hæreſin ab Eccleſia ſeparatur. Qui ergo cum eo participauerit, vel eius mortalem ſiue mortuam doctri-
nam ſuſceperit, tamdiu immundus erit, donec ſuſcepta pœnitentia ſatisfecerit. F Hoc eſt enim, vſque ad veſperum. Veſper enim, finis eſt peccati.

Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit vobis, nec aſſumetur in cibum. Quicquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue ſuper humum trahitur, non comedetis quia abominabile eſt. Quid enim reptilia ſignificent, iam ſuperius dictum eſt. Reptilia enim plus cæteris animantibus toto corpore terræ adhærent, per quæ cupidos & auaros, omnique luxuriæ & carnis voluptatibus deditos non incongruè intelligimus. Hi autem tantis pedibus gradiuntur, quantis vitiis ſuper terram trahuntur. Et quoniam omnia ſua conſilia diſſipant, & nihil niſi tranſitoria & terrena cogitant, ſuper pectus gradientes terram corde & pectore premunt. Præcipit autem Apoſtolus, cum eiuſmodi nec cibum ſumere; Vnde eos immundos eſſe nemo dubitare debet. Hæc autem de mundis & immundis animalibus dicta ſufficiant. G

CAPVT XII.

LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: *Loquere filiis Iſraël & dices ad eos: Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octauo circumcidetur infantulus: ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ, omne ſanctum non tanget, nec ingredietur ſanctuarium, donec impleantur dies purgationis eius.* Hæc iuxta litteram Iudæi obſeruant, quid tamen littera ſignificet, non intelligunt. Quid enim mulier pariens peccat, vt immunda dici debeat? Vt enim quidam Eccleſiæ Doctores ſcripſerunt, ſi ſtatim mulier poſt partum ad agendum Deo gratias Eccleſiam ingrederetur, non peccaret. Quod autem non ſimpliciter dixerit: Mulier ſi pepererit maſculum, ſed ſatis vigilanter addidit, ſi ſuſcepto ſemine maſculum pepererit, non eſt dubium, hoc ad diſtinctionem B. Mariæ Virginis dictum H
eſſe, quæ ſine viri ſemine peperit Saluatorem. Spiritualiter autem, mulier iſta, Synagoga eſſe videtur, quæ Diuinæ legis ſemine ſuſcepto toties maſculum pariebat, quoties bonum aliquid agebat: maſculus enim filius bonum opus eſt. Et quamvis maſculum peperiſſet, & boni operis filios multos genuiſſet, tamen ad ſimilitudinem menſtruatæ mulieris, ſeptem diebus immunda erat. Septem enim iſti dies omne illud temporis ſpatium ſignificant, quod fuit à Moyſe vſque ad Chriſti incarnationem: illa enim hebdomada finita, natus eſt agnus qui tollit peccata mundi, de quo ſcriptum eſt: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Veruntamen quamvis ſeptimana finita eſt, & quamvis Chriſtus natus eſt, nondum tamen Synagoga penitus mundata eſt, quia Chriſti ſanguis nondum fuſus eſt. Maneat ergo adhuc 33. diebus in ſanguine purificationis ſuæ, exſpectet diem, immo annum triceſimum tertium: ipſo enim anno immolatus eſt Chriſtus, ſine cuius ſanguine mundus mundari & lauari non potuit. Quod autem dies pro anno ponatur, in Ezechiele inuenies, vbi dicitur: *Diem*

pro anno, diem, inquam, pro anno *fili hominis dedi tibi.* Septem autem dies, & omne tempus ſignificant, & partem aliquam temporis definitam. Cur autem omne tempus ſignificent, ſæpe iam diximus. Quia vero & menſes & anni partes ſunt, pro aliqua temporis parte ſæpe ponuntur. Quare autem infanculus circumcidatur, valde notum eſt: Sed quare octauo die, dicendum eſt. Octaua enim eſt dies ipſa eſt quæ & prima. In hac enim mundus cœpit, Chriſtus ſurrexit, in hæc & vniuerſalis reſurrectio fiet, tunc enim ab omnibus peccatis circumciſi, mundi & immaculati, æternum nomen ſancti ſuſcipient & hæreditatem.

Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duobus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menſtrua, & ſexaginta & ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Toties enim Synagoga fœminam parit, quoties iniquitatem operatur. Pro hac autem filia duabus hebdomadibus eſt immunda Synagoga, vna videlicet ante Chriſti incarnationem. Per has enim duas hebdomadas totum & hoc & illud ſignificatur. Niſi ergo hanc immundam filiam parere deſiſtat, & ad Chriſti fidem ſe totam conuertat, non minus immunda reputabitur, quam ſi mulier eſſet menſtruata. De menſtrua vero in ſequentibus locuturi ſumus. Dantur autem eis 66. dies ad purificationem, per quos omnes dies vſque ad ſæculi conſummationem intelligere poſſumus, hic enim numerus ex ſenariis conſtat: ſenarius autem numerus boni operis perfectionem in ſacro eloquio ſæpe deſignat, quoniam in ſex diebus Dominus opus ſuum operatur, vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: Omnibus ergo his diebus Synagoga purificari poteſt; quoniam in his omnibus bonum opus facere licet. Et ne fortè dicat: non licet Sabbatho curare; nullum in his diebus Sabbathum ponitur, non enim in ſex diebus Sabbathum continetur. Hic autem totus numerus ex ſenariis ſolis conficitur.

Cumque expleti fuerint dies purgationis eius, pro filio & filia deferat agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiue turturem pro peccato ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradat ſacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & rogabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Defert enim Synagoga, vel aliquis filius Synagogæ agnum anniculum in holocauſtum, ſi intelligens ſe peccaſſe Chriſti paſſionem prædicat vel veneratur, non iam agnum occidendo, ſed comedendo, non damnando, ſed adorando, non perſequendo, ſed credendo. Defert autem & pullum columbæ, ſiue turturem pro peccato. Vbi? ad oſtium tabernaculi. Ad quid? vt tradat ſacerdoti. Quare hoc? qui offeret illa coram Domino & rogabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Quid enim per pullum columbæ niſi animę & corporis in patientiam & innocentiam? Quid vero per turturem, niſi vtriuſque hominis caſtitatem? Hæc autem ille pro peccato offert, qui de peccatis pœnitentiam agens, innocenter & caſtè ſe viuere promittit: hoc autem fiat per conſilium ſacerdotum, qui ſemper ad oſtium tabernaculi ſtantes, pietatis & fidei ianuam cæteris aperiunt, ſuiſque orationibus ſancta vota, & bona deſideria Deo præſentant. Quod autem ait: *Et ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui*, non quia peperit, ſed quia peccauit, mundatione mulierem indigere ſignificat.

Quod ſi non poterit offerre agnum, offerat duos turtures, vel duos pullos columbæ, alterum in holocauſtum, & alterum pro peccato. In hoc autem & pauperibus cauetur, & ſignificatio non mutatur. Chriſtus enim & turtur eſt, immo turturis, ideſt Eccleſiæ caput, & pullus columbæ, quia Eccleſiæ filius, Eccleſiæ namque filia virgo Maria eſt, cuius ipſe Chriſtus eſt filius. Offert ergo homo duos turtures, vel duos pullos columbæ, Chriſtum videlicet & ſeipſum: Chriſtum in holocauſtum; ſe pro peccato, macerando & affligendo. Si quis autem & in agno, & in auibus, ſolum hominem intelligere velit, manifeſta & non laborioſa eſt allegoria.

CAPVT XIII.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens: Homo in cuius carne & cute ortus fuerit diuerſus color ſiue puſtula, aut quaſi lucens quippiam, ideſt plaga lepra, adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipſamque ſpeciem lepra humiliorem cute & carne reliqua, plaga lepra eſt, & ad arbitrium eius ſeparabitur. Sicut enim corpus certis quibuſdam & manifeſtis ſignis leproſum eſſe probatur, ita & in anima ſigna quædam ſunt quibus eius lepra manifeſtatur, & leproſi quidem corporis ſigna modo audiuimus, animæ vero poſtmodum dicentur. Non enim propter corporis lepram hæc Moyſes ſcripſiſſe vel Dominus ſcribere iuſſiſſe videtur, ſed per viſibilem lepram, inuiſibilem oſtendere voluit, atque ideo huius ſigna tam diligentiſſimè poſuit, vt illius quoque ſigna diligentiſſimè inueſtigaremus. Homo igitur qui in anima ſua plagam lepræ eſſe cognouerit, ducat eam ad Aaron & ad filios eius; ducat eam ad Epiſcopos & ſacerdotes: melius enim eſt vt ipſe ſe ducat, quam vt ab aliis ducatur: melius eſt vt ipſe ſe accuſet, quam vt ab aliis accuſetur. Sed ſiue à ſe ſiue ab alio prius ad ſacerdotem anima ducatur, prius ab eo iudicetur, quam aliorum iudicio condemnetur. Solis enim Epiſcopis & ſacerdotibus ſecundum animam condemnandi atque ſoluendi poteſtas à Domino data eſt. Peccat ergo qui leproſum aliquem & peccatorem à communione ſua ſeparandum putat, priuſquam ab Epiſcopis & ſacerdotibus iudicetur. Ducatur ergo leproſus ad ſacerdotem. Sic enim Dominus ait: *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Conſideret autem Sacerdos, diligenterque perquirat, ſi lepra eſt. Habet enim lepra ſua ſigna, neque celari poteſt, facileque cognoſcitur. Quis enim adulterum, homicidam, periurum, ſacrilegum, furem, & raptorem dubitet eſſe leproſum? Talem ergo cum ſacerdos inuenerit, nec timore nec amore mutet iudicium, dicat eum eſſe leproſum, & ſecundum eius arbitrium ſeparetur: ſecundum eius quidem, non ſecundum alterius: ipſius eſt enim iudicare, ipſius eſt ſeparare. Multis enim modis fit iſta ſeparatio: Alij enim à corpore & ſanguine Chriſti: alij ab Eccleſiæ introitu: alij à communione fidelium ſeparantur: ſeparantur etiam à quibuſdam cibis & potibus, aliiſque carnis voluptatibus, vt iam nunc licitè non vtantur his rebus, quibus prius licitè vtebantur. Sequitur.

Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne, reliqua, & pili coloris priſtini, recludat eum ſacerdos ſeptem diebus, & conſiderabit die ſeptimo, & ſiquidem lepra non creuerit, nec tranſierit in cute priores terminos, rurſus includet eum ſeptem diebus aliis, & die ſeptimo contemplabitur: Si obſcurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia ſcabies eſt, lauabitque homo veſtimenta ſua & mundus erit. Hæc enim de illo intelligi debent, de quo mala fama qualibet occaſione diuulgatur. Quaſi enim lucens candor in cute apparet, cum ad alicuius ruborem & verecundiam turpis eius fama ab aliis declaratur: quod ſi verum non eſt, & probari non poteſt, macula quæ putatur, non eſt humilior carne, quoniam nihil minus, ſanus eſt homo in his quibus accuſatur. Si enim humilior macula eſſet, & quaſi foſſam quandam in carne feciſſet, manifeſtum lepræ ſignum & indubitabile dediſſet. Pili quoque coloris priſtini ſunt, quia quantum ad ſe, ſuæ pulchritudinis ſpeciem anima non amiſit, quamvis aliorum detractionibus decoloretur. Hunc ergo recludat ſacerdos ſeptem diebus, & conſideret die ſeptimo. Per ſeptem enim dies quodlibet temporis ſpatium intelligitur, in quo ei qui accuſatur, ad ſe purificandum induciæ dantur, cuius cauſa quia adhuc pendet & nondum definita eſt, quaſi recluſus & non penitus ſuæ libertatis eſſe videtur. Septimus autem dies, qui omnium hebdomadarum vltimus eſt, ille intelligitur, in quo finitis induciis, tota cauſa terminari diſponitur: in quo videlicet die, ſi accuſatores defuerint, & manifeſtis aliquibus indiciis

accuſatio

accuſatio probari non poterit. Hoc eſt enim quod dicit: ſiquidem lepra vltra non creuerit, nec tranſierit priores terminos: creſceret enim lepra & priores terminos tranſiret, ſi id quod prius dicebatur, verum fuiſſe poſtea probaretur. Si, inquam, ita fuerit, rurſus includet eum aliis ſeptem diebus, datis videlicet induciis ſicut & prius. Hoc autem ideo fieri puto, ne vel cauſa indiſcuſſa remaneat, vel accuſatores ad terminum præfinitum occurrere non potuiſſe ſe fingant. Si vero neque tunc accuſatores affuerint, & contemplante ſacerdote obſcurior lepra videbitur, & in cute non creuerit, ideſt, ſi fama quæ prius clarè diuulgabatur, accuſatoribus & iudicibus deficientibus conquieuerit, mundabit eum, quia ſcabies eſt. Quid eſt mundabit eum, niſi mundum eſſe iudicabit eum? non enim lepra, ſed ſcabies, non crimen, ſed criminis ſimilitudo fuit. Lauet tamen homo veſtimenta ſua, & vel iuramento, vel alio modo ſe mundificet, vt qualis eſt, talis etiam eſſe credatur. Hoc autem Dei ſacerdotibus ſæpe contingere videmus. Vnde non immerito Sancti Patres ſacerdotum accuſationes difficiles eſſe voluerunt. Sequitur: Quod ſi poſtquam à ſacerdote viſus eſt, & redditus eſt munditiæ, iterum lepra creuerit, adducetur ad eum, & immunditiæ condemnabitur. Quod quidem tale eſt ac ſi diceret: Si poſt iudicium ſacerdotis ſe non cuſtodierit cæteriſque iudiciis perpetrati criminis lepra apparuerit, iterum ad ſacerdotem adducetur, & tunc immunditiæ condemnatus ipſum quoque quod prius mundus eſſe videbatur, amittat.

Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad ſacerdotem & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque caro viua apparuerit, lepra vetuſtiſſima iudicabitur atque inolita cuti: Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non recludet, quia perſpicua immunditia eſt. Hoc autem de illius criminis lepra intelligitur, quæ vſu & conſuetudine mala, tam manifeſta eſt, vt celari nullatenus poſſit. Hic autem accuſetur & adducatur ad ſacerdotem. Accuſatione enim adducitur; vnde accuſatores, quaſi qui alios adducant & ferant, delatores appellantur. Et videbit & conſiderabit eum ſacerdos, cumque in colore, in capillis, & in ipſa carne viua certiſſima ſigna lepræ conſpexerit, non recludet eum, nec vllas ei inducias dabit, ſed contaminabit eum, ideſt, contaminatum iudicabit, quia perſpicua immunditia eſt, nec eget vlla probatione: viua enim caro in leproſo indicat, quia ſcienter & ſpontè peccauit. Coloris vero & capillorum immutatio vetuſtiſſimam lepram demonſtrat.

Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vſque ad pedes quicquid ſub aſpectu oculorum cadit, conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra immundiſſima iudicabit, eo quod omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit. Ecce iterum alia ſpecies lepræ, per quam inſaniam & phreneſin intelligimus. Sæpe enim & inſanos & phreniticos in ſcelera ruere videmus, & dum ſe aliquid boni, perdita ratione facere arbitrantur, homicidia quoque & multa mala committunt. Hic ergo ægritudinis lepra, cum totum hominem in integrum ſacerdos teneri viderit, nihilque ſcientiæ & rationis in eo conſpexerit, immundiſſima lepra eum teneri iudicabit, & idcirco homo mundus erit. Quomodo enim à peccato mundus non erit, qui quod facit, non intelligit? non enim talibus de peccatis ſuis, immo non ſuis, pœnitentia datur: quia vbi non eſt voluntas peccandi, non debet eſſe pœna peccati. Ideoque quamvis rationem & intellectum Iudæi non amiſerint, tamen quaſi de inſanis & phreneticis Dominus de eis loquitur dicens: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Et illi quidem neſciebant, quia neſcire volebant: his autem non voluntas, ſed ægritudo ſcientiam tollit. Vnde & ſubditur: Quando vero caro viuens in eo apparuerit, tunc ſacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viua ſi lepra reſperſa fuerit, immunda eſt. Non enim viuens, ſed mortuus reputari debet, qui viuentis hominis ratione & ſcientia caret, cui ſi viua caro, & ſenſus rationabilis redditus fuerit, & poſtea in aliquod crimen inciderit, iudicio ſacerdotis, vt pollutus & immundus condemnetur. Caro enim viua, ideſt homo ſui ſenſus & rationis expers, ſi malum aliquod commiſit, ei imputari non debet. Vnde & ſubditur.

Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet. Si enim priſtina ægritudine, & ſolita inſania homo iterum occupetur, leproſus quidem eſt; ſed quia non diſcernit, etſi peccet, mundus tamen & ſine peccato eſt.

Caro & cutis in qua vlcus natum eſt, & ſanatum, & in loco vlceris cicatrix apparuerit alba, ſiue rufa, adducetur homo ad ſacerdotem, qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem, contaminabit eum, plaga enim lepræ orta eſt in vlcere. Hoc autem de illis peccatoribus intelligitur, qui peracta pœnitentia & peccati vulnere ſanato, iterum ad peccatum, quaſi canis ad vomitum relabuntur. Quid enim vlcus ſanatum, niſi peccatum pœnitentia deletum? in cuius cicatrice tunc ſigna lepræ manifeſta apparent; quando ipſa ſatisfactio reuerſione peccati aboletur. Hic ergo homo ad ſacerdotem adductus, quoniam & lepra manifeſta eſt, & ipſe nullo modo ſe defendere valet, nihil aliud reſtat, niſi vt damnetur, quia reus eſt. Non autem eſt neceſſe ſingulariter vbique cuncta exponere, quoniam per ea quæ ſuperius dicta ſunt, facilè intelligi poſſunt. Sequitur: *Quod ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, & vicina caro non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus, & ſiquidem creuerit, adiudicabit eum lepræ: ſin autem ſteterit in loco ſuo, vlceris eſt cicatrix, & homo mundus erit.* Hoc autem nihil aliud eſt intelligere, niſi quia ſi contra accuſatum hominem nulla adhuc certa & manifeſta peccati ſigna apparent, & poſt datas inducias, accuſatoribus non apparentibus, mala fama obſcurior fit, & quodammodo conquieſcens non iam ſicut prius clarè reſonat, neque creſcit, homo mundus & innocens iudicetur.

Caro & cutis quam ignis exuſſit, & ſanata albam ſiue rufam habuerit cicatricem, conſiderabit eam ſacerdos, & ecce verſa eſt in alborem, & locus eius reliqua cute humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt. Hæc quoque ſicut & ſuperiora de illo intelliguntur, qui pœnitentia peracta reuertitur ad peccata. Quamvis autem omnia peccata quodam concupiſcentiæ igne hominem incendant, proprium tamen eſt libidinis & fornicationis ignem vocari. Si ergo libidinis ignis carnem & cutem exuſſerit, ideſt corpus & animam ſibi conſentientem vulnerauerit, & poſtea per pœnitentiam homine ſanato, iterum homo ad peccatum rediens eadem perpetrauerit, conſiderabit eum ſacerdos, in quo ſi lepræ certiſſima ſigna conſpexerit, ideſt, ſi caro in liuorem verſa ſit, & locus lepræ reliqua carne humilior, (hæc enim ſigna certiſſima ſunt) condemnabit eum, quia iterum poſt pœnitentiam lepra ſecuta eſt.

Quod ſi pilorum color non fuerit mutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipſa ſpecies lepræ fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus, & die ſeptimo contemplabitur, ſi creuerit in cute lepra, contaminabit eum: Sin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, vt idcirco mundabitur, quia cicatrix eſt combuſturæ. Qui enim ſuperiora diligenter audiuit, hæc quoque facile intelligere poteſt: nam & hic ſicut & ibi, plenè eædem ſeptem dierum induciæ dantur. Septenarius enim numerus nihil diminutionis habet. Septem igitur dierum induciæ, plenas & integras inducias accuſatis dari debere ſignificant, poſt quas ſi ſpecies lepræ in loco ſuo ſteterit, & induciis deficientibus, mala turpiſque fama conquieuerit, mundus & innocens homo iudicetur: Quoniam non lepra, ſed ſpecies lepræ, non combuſtio, ſed combuſtionis ſimilitudo & plaga fuit. Quantum enim inter eſſe & dicere tantum inter lepram & ſpecies lepræ, & combuſtionem & plagam combuſtionis intereſſe videtur.

Vir, ſiue mulier, in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eos ſacerdos, & ſiquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus ſolitoque ſubtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt. Videtur autem hæc ſpecies ad fidem pertinere. Quid enim per caput niſi mentem? quid vero per barbam niſi faciem? Locus enim barbæ, facies eſt. Niſi enim barba pro facie accipiatur, ſtare non poteſt: ſiquidem mulieres barbam non habent. Lepra igitur in capite, error eſt in mente: lepra vero in facie, peccatum eſt in manifeſto, non enim abſconditum quod in facie eſt. Quicunque ergò de ipſo Deo, & de fide Chriſtiana malè credit & intelligit, lepram in mente & in capite habet: Qui vero, quod credit & intelligit, aliis etiam prædicat & manifeſtat, ille non ſolum in mente, verum etiam in facie lepram habet. Hos autem cum ſacerdos viderit, & ſigna lepræ in eis certa & manifeſta intellexerit, condemnabit eos qui rei ſunt: Si vero manifeſta ſigna apparuerint, recludet eum, vt ſuperiùs. Deinde ſi poſt inducias conceſſas, nihil certi intellexerit, radetur homo abſque loco maculæ, & iterum includetur. Raditur enim & mundatur homo abſque loco maculæ, cum in cæteris abſolutus, in eo ſolummodo, de quo accuſatus fuerat, tenetur. Sin autem poſt ſecundas inducias, & fama conquieuerit, & probatores non affuerint, & nulla iudicia apparuerint, mundabit eum ſacerdos, ideſt mundum eſſe iudicabit, lotiſque veſtibus mundus erit, vel iuramento vel alio quolibet modo ſe purificando. Sin autem poſt emundationem rurſus creuerit macula in cute, non quæritur amplius vtrum capillus in flauum colorem ſit commutatus, quia apertè immundus eſt. Ac ſi dicat: Si poſt emundationem, hæreſim ſuam homo apertè prædicare cœperit, nulla vlterius ſigna quærenda ſunt, quin reus & immundus habeatur.

Vir, ſiue mulier, in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos ſacerdos: ſi deprehenderit, ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi. Vnum enim tantummodo ſignum poſuit, quod non ſolum in leproſis, verum etiam in ſanis reperitur, per quod turpem famam intelligimus, quę ſi ſola obſcura fuerit, ei temerè credi non debet: ſi quidem & viros iuſtos & innocẽtes ſæpius iniuſtè infamatos audiuimus.

Vir, de cuius capite capilli fluunt, & caluus ac mundus erit: & ſi à fronte ceciderint pili, recaluaſter & mundus eſt. Hic quoque, ſicut & ſuperior, mundus iudicatur, quoniam vno ſolo ſigno, & ipſo ambiguo, nemo damnatur. Capillorum enim fluxus, non tantum leproſis, ſed & ſanis ſæpe contingit.

Sin autem in caluitio, vel in recaluatione, albus vel ruſus color fuerit exortus, & hoc ſacerdos viderit, condemnabit eum. Haud dubium ſignũ lepræ, quæ orta eſt in caluitio. Duo enim ſigna hic ponuntur, quorum alterum eſt ambiguum, id eſt caluitium; alterum manifeſtum, ideſt color in caluitio. Merito igitur iſte damnatur, vtpote qui manifeſto indicio condemnatur. Hæc autem & aliter exponi poſſunt, ad pręſens tamen iſta ſufficiant. Sequitur.

Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, & caput nudum, os veſte contectum, contaminatum & ſordidum ſe clamabit omni tempore, quia leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra. Hæc enim leproſis pœnitentia datur, vt poſtquam ad ſacerdotis arbitrium ſeparati fuerint, (aliter enim non ſeparantur) habeant veſtimenta diſſuta, quod quidem doloris & triſtitiæ indicium eſt. Vnde & Iacob & multos alios veſtimenta ſcidiſſe legimus. Habeant etiam & caput nudum, quatenus ſui cordis ſecreta manifeſtent. Caput enim pro mente & corde ſæpe accipitur. Vnde Pſalmiſta: *Sperate in eo omnis congregatio populi, & effundite coram illo corda veſtra.* Itemque: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitias meas Domino.* Hæc enim verba nudi capitis ſunt. Habeant autem & os contectum veſte, non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris. Sileant igitur neque prædicent, quia peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? Cui enim hoc dicitur, vt os contegat iubetur. Clament autem ſe contaminatos & ſordidos omni tempore, quanto magis enim ſe peccator accuſat, & ſua crimina Domino confitetur, tanto citius à miſericordiſſimo Domino veniam meretur: *Si enim*, vt Apoſtolus ait; *noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Habitent autem extra caſtra, duram & agreſtem vitam ducant, iocum & lætitiam fugiant, ſolitariam & inuſitatam conuerſationem ſuſcipiant. Sequitur.

Veſtis lanea ſiue linea quę lepram habuerit in ſtamine atque ſubtegmine aut certa pellis, vel quicquid ex pelle confectum eſt, ſi alba aut ruſa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, oſtendeturque ſacerdoti. qui conſideratam recludet ſeptem diebus, & die ſeptimo rurſum aſpiciens, ſi creuiſſe deprehenderit, lepra perſeuerans eſt; pollutum iudicabit veſtimentum, & omne in quo fuerit inuentum, & idcirco comburetur flammis. Hoc ad litteram intelligere, ridiculum eſſe videtur. Sed quid per veſtem niſi carnem? hac enim induitur anima: De hac enim veſte Apoſtolus ait: *Exuite veterem hominem.* Et Eccleſia in Canticis Canticorum: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa.* Et Propheta: *Veſtimentum*, inquit, *mixtum ſanguine erit in combuſtione & cibus ignis.* Eſt autem hæc veſtis in coniugatis lanea, & in virginibus & continentibus, linea, in cæteris autem omnibus pellicea eſt. Lana enim de carne oritur & carni adhæret: linum vero extra carnem & carne alienum eſt: pellis autem caro mortua eſt. Et quidem de coniugato dicitur: Quia adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: Virgines vero, quaſi longè à carne, carnis non ſequuntur voluptates: Cæteri vero quaſi mortua caro, ipſam ſuam corruptionem nec ſentiunt nec intelligunt. Huius autem veſtituræ lepra, quamvis multiplex ſit, maxima tamen & ſpecialis, fornicatio intelligitur. De qua Apoſtolus: *Omne*, inquit, *peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Tantum enim corporeis vitiis hoc vitium maius eſt, vt ei cætera comparata quaſi non eſſe videantur. Hæc ergo lepra quia non ſolum fornicatores & adulteros, ſed virgines & continentes & coniugatos ſæpe corrumpit, in lanea & linea & pellicea veſte inuenitur. Huius autem ſigna ſunt, macula alba vel ruſa: ſæpe enim fornicatores pallore & rubore deprehenduntur, quoniam & timore & amoris igne inficiuntur. Talem ergo veſtem & ſic pollutam cum ſacerdos viderit, recludet eum ſeptem diebus, ſeptem videlicet annis ei in pœnitentia & emundatione ſupputatis. Non enim ſine cauſa ſancti Patres hunc annorum numerum pœnitentibus conſtituerunt. Nam & de Caïn ipſe Dominus ait: *Omnis qui occiderit Caïn, ſeptuplum punietur.* His autem peractis, ſi dignum fuerit, abſoluatur homo, lauetur & reconcilietur. Vt quid enim peracta pœnitentia abſoluitur homo & reconciliatur, niſi quia ſacerdotis abſolutione & reconciliatione, lauatur atque mundatur. Si vero poſt ſeptem dies, de quibus & nunc ſuperius locuti ſumus, lepram ſacerdos creuiſſe deprehenderit, pollutum iudicabit veſtimentum, quia lepra perſeuerans eſt, & ideo comburetur flammis. Hoc audiant pœnitentes, in quibus peccata non delentur, ſi quotidie creſcant, quia in peccatis perſeuerantes ſemper peccata peccatis adiiciunt: audiant quod dicitur, & ideo veſtimentum comburetur flammis, & recordentur illud Euangelij: Ite maledicti in ignem æternum. Et illud Prophetæ: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non comburetur.

Quod ſi eam viderit non creuiſſe, præcipiat, & lauabitur id in quo lepra eſt, recludetque illud ſeptem diebus aliis, & cum viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam, nec tamen creuiſſe lepram, immundum iudicabitur, & igni comburet, eo quod fuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum lepra. Si, inquit, poſt acceptam pœnitentiam peccatum, quod deleri debuerat, creuit, nihil aliud niſi condemnatio reſtat: Si vero non creuit quidem, nec tamen deletum eſt, (quoniam etſi à peccato ceſſauit, non tamen pœnitentiam egit) lauetur lepra, iniungatur iterum eadem pœnitentia, recludatur aliis ſeptem diebus, vt quod in primis ſeptem diebus deliquit, ſaltem in his ſeptem ſequentibus emendet. Si vero etiam poſt hos ſeptem

A dies ſacerdos viderit faciem priſtinam quidem non reuerſam, nec tamen creuiſſe lepram, immundum iudicabit, vtpote Canonum contemptorem, qui quamvis à peccato ceſſauerit, digna tamen pœnitentia ſatisfacere, vel neglexit, vel non curauit. Qui enim peccatum delere contemnit, aut peccatorem ſe eſſe non intelligit, aut pœnam pro peccato nullam ſe timere oſtendit. Non enim ſufficit homini abſtinere à malo, niſi & bonum operetur. Vnde ſcriptum eſt: Declina à malo & fac bonum. Qui ergo ceſſat à peccato, agat & pœnitentiam pro peccato: aliter enim etſi macula non creſcat, prima tamen ſpecies veſtimento non reuertitur. Talem autem veſtem ſacerdos igni comburit, quia peccatorem pœnitentiam agere nolentem, æterno igni dignum eſſe decernit. Sed quid eſt quod ait: quod confuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum lepra, cum ſuperius dixerit, lepram non creuiſſe? Non creuit quidem, quia ad peccatum homo non rediit: tamen per totam veſtimenti ſuperficiem confuſa B eſt, quia in eo quod non eſt deletum, totum adhuc operit veſtimentum.

Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ poſtquam veſtis eſt lota, abrumpet eum & à ſolido diuidet. Quod ſi vltra apparuerit in locis quæ prius maculata erant, lepra volatilis & vaga debet igne comburi: Si ceſſauerit, lauabit ea quæ pura ſunt ſecundo & munda erunt. Locus enim lepræ obſcurior eſt, poſtquam veſtis eſt lota, ſi poſt acceptam pœnitentiam, quid egerit, & qualiter vixerit, peccator confiteri diſſimulat. Abrumpatur igitur locus, & à ſolido diuidatur, vt manifeſtò appareat ſi quid eſt quod interius lateat: rumpatur autem ſi confitetur. Quod ſi vltra in his locis lepra apparuerit, & homo inconuertibilis nec à peccato ceſſauerit, neque pœnitentiam egerit, debet igne comburi, debet redargui & damnari, debet & igne & ſupplicio dignus iudicari. Si vero ceſſauerit, lauabit ea quæ pura ſunt ſecundo, & munda erunt: Quare enim ſecundo lauantur quæ pura ſunt, niſi quia quamvis pœnitentia ſit homo mundus, tamen niſi à ſacerdote ſit reconciliatus & abſolutus, adhuc à ſacramentis abſtinet vt C immundus: quamvis enim mundus ſit, mundus tamen non videtur, niſi cum cæteris Eccleſiaſticis communicet ſacramentis. Primo ergo lauatur pœnitentia: ſecundo vero reconciliatione & abſolutione. Hucvſque de lepra, nunc de eiuſdem emundatione videamus.

CAPVT XIV.

*Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Hic eſt ritus leproſi quando mundandus eſt: Adducetur ad ſacerdotem; qui egreſſus e caſtris cum inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, vt offerat pro ſe duos paſſeres viuos, quo veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum, & vnum de paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyſſopo tinget in ſanguinem paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundandus eſt ſepties vt iure purgetur, & dimittet paſ*D*ſerem viuum, & in agrum auolet.* Egredietur enim ſacerdos è caſtris ad leproſum reconciliandum, quoniam vſque hodie Epiſcopos noſtros ad peccatores reconciliandos Eccleſiæ ianuas egredi videmus. Non recipitur autem leproſus, nec mundatur, quia nec peccator reconciliari debet, qui pœnitentiam non egerit pro peccato: eſt enim pœnitentia, commiſſa flere, flenda non committere. Fleuit enim Petrus & mundatus eſt. Luget Apoſtolus Corinthios, qui peccauerunt & non egerunt pœnitentiam. Sic & pro Saül lugebat Samuël. Breuis & facilis eſt iſta ſatisfactio: *Declina à malo & fac bonum.* Incipe flere, ſed ex corde, dic flendo, dic. *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Hæc eſt vera reconciliatio, ſic mundatur leproſus, ſic peccator veniam meretur. Audi, quid Dominus dicat: *Cito proferte ſtolam primam & induite illum*: Cito, inquit, nulla ſit mora: Peccator enim quacunque hora conuerſus fuerit & ingemuerit, vita viuet & non morietur. Offert autem pro ſe ille qui purificatur, duos paſſeres, non qualeſcunque, ſed viuos, & quibus veſci licitum eſt, quid enim duos paſſeres, niſi corpus E & animam? de quibus Propheta: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Merito ergo duos paſſeres offert, vt non ex parte ſed totum ſeipſum Domino reddat, non iam mortuum, non peccatis obnoxium, & quia prius immundus erat, eius paſſeribus veſci non licebat, nunc vero quia mundus eſt, tales paſſeres offert quibus veſci, & Eccleſiæ corpori induci licitum eſt. Sed quare lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum cum paſſeribus offert? Lignum enim cedrinum imputribile & odoriferæ naturæ eſt: vermiculus autem igneus & rubeus eſt: hyſſopus autem naturaliter in petra naſcitur: Offerat ergo lignum cedrinum, qui reconciliatur, vt incorruptam à modo vitam & odoriferam agat: offerat & vermiculum, vt Sancti Spiritus & charitatis igne ſuccendatur: offerat & hyſſopum, vt in firmis radicibus illi petræ inhæreat, de qua Apoſtolus dicit: *Petra autem erat* F *Chriſtus.* Immolatur autem vnus de paſſeribus in vaſe fictili, per quem corpus intelligimus, quod quia de terra factum eſt, non immerito in vaſe fictili immolari iubetur. Vas ergo terreum & fictile poſuit, vt manifeſtè intelligamus, quia in hoc paſſere corpus ſignificatur. Hoc autem ſuper aquas viuentes, littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Qui enim hæc ad litteram intelligit, ſuper aquas mortuas paſſerem immolat. Nos ergo ſuper aquas viuentes paſſerem immolamus, quoniam corpus noſtrum ſpiritualiter in paſſere ſignificamus, & non paſſerem occidimus, ſed corpus affligimus. Cui enim hæc verba, niſi ſpiritualiter intelligantur, mortua & ridicula non videantur? Alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyſſopo tinget in ſanguinem paſſeris immolati: viuus enim paſſer, anima eſt, quæ, ſicut immortalis, mori non poteſt, hæc autem tingitur in ſanguine paſſeris immolati; vt eorum peccatorum quæ corpus commiſit, nunquam anima obliuiſcatur, ſanguis enim pro peccato ponitur. Sed quia peccatorum commemoratio aliquando prodeſt, aliquando nocet (prodeſt ſiquidem, ſi ad hoc fiat vt G peccata deleantur: nocet vero, ſi in eis animus delectatus iterum ad ea redire deſideret) ideo ſine ligno cedrino & cocco & hyſſopo anima in ſanguine non tingitur, vnde dum intingitur, incorrupta maneat, in amore ardeat, & petræ inhæreat. Quo ſanguine ille qui mundatus eſt, ſepties aſpergitur, quod enim ſepties fit, ſemper fit, ſepties ergo ſuo ſanguine homo aſpergitur, vt ſuorum peccatorum ſemper ſit memor. Quod autem ait: Et dimittet paſſerem viuum, & in agrum auolet, hoc eſt intelligere, nunquam anima vlterius in carcere claudatur, nec à carne vincatur, nec à ſua voluntate cohibeatur, ipſa ſit domina, ipſa ſit libera, auolet in agrum, ſcrutetur ſcripturas, ibi enim ſunt flores, ibi ſunt odores, dicat cum Iſaac: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Sequitur.

Cumque lauerit homo veſtimenta ſua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua, purificatuſque ingredietur caſtra, ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum ſeptem H *diebus, vt die ſeptimo radat omnes capillos capitis, barbamque, & ſupercilia, ac totius corporis pilos.* Ecce enim homo qui reconciliatur, veſtimenta lauat, vt nemo eum vlterius abhorreat, & cunctis ſe cernentibus non iam leproſus, ſed mundus appareat. Radit & omnes corporis pilos, vt non iam in eo ſuperfluum & inutile inueniatur, lauatur autem & aqua confeſſionis boni voti & ſacerdotalis benedictionis, totuſque purificatus ingreditur caſtra, reconciliatur Eccleſiæ, fit gaudium & exultatio, conuocat ſancta mater noſtra amicas & vicinas dicens: *Congratulamini mihi, quia inueni dragmam quam perdideram.* Ecce in caſtra ingreſſus eſt, manet tamen extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus, quia quaſi totus extra ſe, iam non terrena, ſed cœleſtia cogitat, dicit cum Apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt, & hoc quidem ſeptem cunctiſque diebus, quia non qui cœpit, ſed qui perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit. Et quoniam in hac vita nemo ſine peccato eſt, die ſeptima, quæ vltima eſt, radit homo caput ſuum, barbam, ſupercilia, & totius corporis

pilos,

A pilos, vt totus mundus & purificatus nulla in eo remaneant veſtigia peccati.

Et lotis rurſum veſtibus & corpore, die octauo aſſumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam, abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſim olei ſextarium. Prima enim finita, ſecunda iterum hebdomada incipit, ſiquidem octaua dies alterius ſeptimanæ principium eſt. In hac igitur ſicut & in prima, homo lauatur, aliudque offert hic ſacrificium quo purificatur. In hoc autem ſacrificio iam non paſſeres, ſed agnus immolatur qui tollit peccata mundi. Primus enim agnus, Chriſtus eſt, ſecundus Apoſtolorum chorus, vterque vtique immolatus; Ouis vero annicula & immaculata, Eccleſia eſt, non habens maculam, neque rugam, quæ quoniam in tribus partibus tota conſiſtit, in Aſia videlicet, Africa, & Europa, tres ſimilæ decimæ ei iunguntur. De his enim in Euangelio dicitur: B *Simile eſt regnum cœlorum fermento quod abſcondit mulier in farina ſatis tribus.* Hæc autem ſimila oleo conſpergitur, quia Sancti Spiritus gratia Eccleſia inungitur. Olei vero ſextarius quod ſuperadditur cum primo agno in ſequentibus offerri iubetur. Tres autem, quantum ad litteram decimæ fiunt, ſi de triginta ſextariis tres ſextarios tollas. Sequitur.

Cumque ſacerdos purificans hominem ſtatuerit eum, & hæc omnia coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonij. tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique ſextarium, & oblatis ante Dominum omnibus immolabit agnum vbi immolari ſolet hoſtia pro peccato & holocauſtum, id eſt in loco ſancto. Notandum autem quia ſuperius ſacrificium non ſolum ſacerdos, verum etiam homo qui mundandus eſt offert. Hic autem non homo qui mundandus eſt, ſed ſolus ſacerdos offert ſacrificium. Neque enim conueniens erat, vt hoc ſacrificium homo qui mundabatur, offerret. Statuit autem ſacerdos hominem qui purificatur, ante oſtium tabernaculi, quatenus, & audire, & vi- C dere facile poſſit ea, quæ in tabernaculo fiunt. Deinde vero offert agnum oleique ſextarium, laudans prædicans, commemorans, & exponens Chriſti paſſionem, qualiter iuſtus pro impiis, Dominus pro ſeruis, ne morerentur illi, mortuus eſt ille, quanto oleo affluebat, quanta pietate, & miſericordia inundabat, cum pro ſuis crucifixoribus orabat dicens: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Hoc eſt enim ſacrificium laudis quo peccata delentur, quo ille qui mundatur ad amorem Dei accenditur, & ad pietatem & miſericordiam prouocatur. Aſſumenſque ſacerdos de ſanguine hoſtiæ quæ immolata eſt pro delicto, ponet ſuper extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ & pedis. In aure enim auditus, in manu, & pede operatio intelligitur. Tangit ergo aurem ſanguis Chriſti, vt munda ſit, ſemperque aperta ad audiendum verbum Dei, ſecundum illud. Qui habet aures audiendi D audiat. Et quia ſicut Apoſtolus ait, non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Tangit quoque manum & pedem, vt, & bene operetur & currat in via mandatorum Dei. Quoniam autem ſiniſtra & aduerſa pars neſcire debet quid faciat dextera, in ſola dextra parte tangitur, quaſi qui ſiniſtram non habeat. Tangitur autem in extremitatibus, vt vſque in finem perſeueret.

Et de olei ſextario mittet in manum ſuam ſiniſtram, tingetque digitum dextrum in eo, & aſperget ſepties contra Dominum, quod autem reliquum eſt olei, in leua manu fundet ſuper extremum dextræ auriculæ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus & pedis dextri, & ſuper ſanguinem qui fuſus eſt pro delicto, & ſuper caput eius, rogabitque pro eo coram Domino. Sacerdos enim vtraque manu operatur, quia per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, nec aduerſis frangitur, nec proſperis eleuatur. Portat oleum in ſiniſtra, ſpargit cum dextra: hoc autem ſepties, & contra Dominum. Septies enim ſacerdos contra Dominum oleum ſpargit, quia ſemper & omni tempore pro peccatoribus interpellat. Quid enim oleum niſi ſanctorum ſunt orationes? Hoc enim oleo ſuperni iudicis indignatio E mollitur & mitigatur. Et in ſiniſtra quidem oleum portat, qui quamdiu in hac vita eſt, nunquam à miſericordia ceſſat. Qui bene contra Dominum manu dextra ſpargit, quia quaſi potenti & valida manu omnem ſuam operationem ad Deum dirigit: Reliquum autem ſuper aurem dextram & manum & pedem eius qui mundatur, effundit, vt audiat & intelligat quid ſignificet: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Et illud: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Hoc auris audiat, in hoc & manus & pes delectetur, vt pietatem & miſericordiam operetur. In his autem duobus membris penè omnis operatio noſtra conſiſtit. Fundit autem ſacerdos oleum, & ſuper ſanguinem hoſtiæ, & ſuper caput illius qui mundatur: ſuper ſanguinem quidem, quoniam totus ille ſanguis pietate & miſericordia pinguis, pro ſola pietate & miſericordia fuſus eſt: Super caput vero, vt mens hominis hoc vnguento pingueſcat, ſecundum illud: Tu vero cum ieiunas vnge caput tuum. Cui contrarium eſt: F Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sic igitur homo ſciat inunctus, ſciat & intelligat miſericordia Domini, quia miſericordiæ oleo eſt ſaluatus, miſericordia liberatus, miſericordia reconciliatus, ideoque dicat: *Miſericordias Domini in æternum cantabo:* Dicamus & nos: Quis ſapiens & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini.

Et faciet ſacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocauſtum, & ponet illud in altari cum libamentis ſuis, & homo ritè mundabitur. In hoc enim holocauſto agnus & ouis, & tres decimæ ſimilæ immolantur, quoniam ſanctorum Apoſtolorum & totius Eccleſiæ fides, ſpes, charitas, & miſericordia, patientia & humilitas, pietas, ſapientia & ſancta conuerſatio laudatur, prædicatur, & narratur, & in laudis & iubilationis ſacrificio immolatur: his enim homo imbuitur & docetur, vt ſciat quid agat, quid credat, quid ſequatur, quid fugiat, & quomodo vlterius in conuentu fidelium conuerſari debeat. Quæ ſi be- G nè intellexerit & fideliter egerit, mundus erit.

Quod ſi pauper eſt, & non poteſt manus eius inuenire quæ dicta ſunt, ſumet agnum pro delicto ad oblationem, vt roget pro eo ſacerdos, decimamque partem ſimilæ conſperſæ oleo in ſacrificium, & olei ſextarium, duoſque turtures, ſiue duos pullos columbæ: quorum ſit vnus pro peccato, & alter in holocauſtum, offeretque ea die octauo purificationis ſuæ ſacerdoti. Quantum enim ad ſignificationem, non minus pauper quam diues offerre videtur: offert quidem, non etiam immolat, immolare enim ſacerdotis eſt. Hic autem eſt ille agnus de quo ſuperius diximus, qui tollit peccata mundi. Hæc decima pars ſimilæ in tres decimas ſupra diuiditur: hic olei ſextarius, qui cum agno immolatur, Dei miſericordia eſt: duæ vero turtures, vel duo pulli columbæ, duo paſſeres ſunt de quibus ſuperius diximus. Quia enim hæc, & cætera quæ de hoc ſacrificio ſequuntur, modo ſupra expoſuimus, breuiter hæc dixiſſe ſufficiat.

H Sequitur autem de domo leproſa, de qua ille cuius eſt, nunciat ſacerdoti, quod quaſi plaga lepræ videatur in domo ſua; at ille præcipit vt omnia foras efferantur, & claudatur domus ſeptem diebus: ſi vero die ſeptimo lepram creuiſſe viderit, tunc lapides in quibus lepra eſt, eruat, alioſque pro eis ponat, domum autem intrinſecus radat, & extra vrbem, in locum immundum puluerem proiiciat. Quod ſi etiam poſt hæc ſacerdos ingreſſus, reuerſam lepram eſſe cognouerit, lepra perſeuerans eſt, & domus immunda, quam ſtatim deſtruent, & lapides & ligna & puluerem vniuerſum proiicient extra caſtra in locum immundum. Hæc autem breuiter exponamus, quamvis per ea quæ dicta ſunt, facile intelligi poſſint. Si igitur ô homo quicunque es, videris quaſi plagam lepræ in domo tua, ſi cognoueris doctrinam hæreticæ prauitatis in poteſtate, & in familia, & in grege tuo, nuncia hoc ſacerdoti, nuncia hoc ſanctorum cætui & congregationi, nihil enim temere iudicandum eſt, omnia ratione & ordine fiant. Præcipit ergo ſacerdos & ordo ſanctorum, vt omnia efferantur foras, totuſque populus ſe ab eis ſeparet quorum ſcientia & doctrina videtur

A eſſe leproſa, claudatur domus ſeptem diebus, oppilentur eorum ora, qui malè loqui videntur, interdicatur eis, ne hanc doctrinam in populo ſeminent, donec diligentiſſimè diſcuſſa vtrum ſana an leproſa ſit, à ſacerdotibus iudicetur. Quod ſi fortè die ſeptimo, die ad hoc negotium diffiniendum conſtituto, lepram & hæreſin creuiſſe viderint, creſcit enim quando apertiſſimè manifeſtatur, eruant lapides in quibus lepra eſt, damnent ſententias in quibus hæreſis eſt, ponant alios lapides pro eis, ideſt, catholicæ fidei doctrinam & ſententias eos doceant, omni hæretica prauitate euacuata, radant domum intrinſecus, omnemque errorem ab eorum cordibus & mentibus euellant, totum puluerem, totamque illius lepræ caliginem & immunditiam extra vrbem & extra Eccleſiæ terminos proiiciant. Si vero poſt hæc omnia, quod abſit, lepra reuertatur, & eos qui mundati fuerant, iterum hæretica prauitate ſacerdos viderit
B eſſe contaminatos, lepra perſeuerans eſt & domus immunda. Vnde Apoſtolus ait: *Hæreticum hominem poſt ſecundam correctionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt huiuſmodi:* deſtruatur igitur talis domus, & lapides & ligna & puluis vniuerſus extra oppidum proiiciatur, damnentur, excommunicentur, anathematizentur hæretici, & cum doctrina & hæreſibus ſuis, extra Catholicam Eccleſiam expellantur. Hoc autem in locum immundum; omnis enim labor immundus eſt qui extra Eccleſiam eſt.

Qui intrauerit domum, quando clauſa eſt, immundus erit vſque ad veſperum, & qui dormierit in ea & comederit quidpiam lauabit veſtimenta ſua. Tanto enim tempore domus clauſa eſt, quanto hæreticus ab Eccleſia ſeparatus & excommunicatus eſt.

Intrare autem in eam quid eſt, niſi participare & communicare illi? hoc autem qui fecerit, immundus erit vſque ad veſperum: veſperum autem non diei, ſed peccati: cum enim per pœnitentiam finitur, tunc ad veſperum peccatum & ad finem peruenit. Sed quid eſt, dormi-
C re in ea, niſi in eius doctrina quodammodo quieſcere & delectari? Nam & ille in ea dormit, qui in ea decipitur & ſenſum amittit. Vnde non immerito, tales inſenſati dicuntur, quibus Apoſtolus ait: *Surge qui dormis, ſurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus.* In ea vero comedit, quicunque eius inſania repletur & ſaturatur. Lauet ergo veſtimenta ſua, agat pœnitentiam, audiat quod ſcriptum eſt. Omni tempore ſint veſtimenta ſua candida.

Quod ſi introiens ſacerdos viderit lepram non creuiſſe in domo, poſtquam demolita eſt, purificabit eam reddita ſanitate, & in purificatione eius ſumet duos paſſeres, lignumque cedrinum, & vermiculum atque hyſſopum, & immolato vno paſſere in vaſe fictili ſuper aquas viuentes, &c. vt ſupra. Hoc autem ſuperius totum in prima leproſi mundatione & ſcriptum & expoſitum eſt. Sequitur.

D

CAPVT XV.

L*Ocutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron dicens: Loquimini filiis Iſraël & dicite eis. Vir qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit, & tunc iudicabitur huic vitio ſubiacere, cum per momenta ſingula adhæſerit carni eius, atque creuerit fœdus humor. Omne ſtratum in quo dormierit immundum erit, & vbicumque ſederit.* Quamvis enim aliis verbis ibi dicatur, idem tamen & per domum leproſam, & per hunc virum ſignificatur. Vir enim iſte, hæreticus eſt, qui malo deſiderio generandi, & hæreticos filios procreandi, turpiſſimum ſui erroris ſemen vbique ſeminare non ceſſat. Non tamen ſtatim à principio hæreticus dicendus eſt, (non enim omnis qui errat, hæreticus eſt) ſed cum fœdus humor, & hæreſis turpis, & nefanda, quotidie & per momenta ſingula creuerit, totumque hominem occupauerit, & neque admonitus, neque correptus à ſua prauitate ceſſauerit, tunc iudicabitur huic vitio ſubiacere: tunc denique quicquid tetigerit, quicquid corruperit, ſuoque errore, & doctrina infecerit, immundum erit. Quicunque ergo ei participauerit, ei communicauerit, ei adhæſerit, ei crediderit, & immuta-

E tus fuerit, lauet veſtimenta ſua, pœnitentiam agat, & lacrymarum confeſſionis aquis lotus, immundus erit vſque ad veſperum. Cito enim mūdatur qui pœnitentiam agit, non longum tempus iungitur, à mane vſque ad veſperum dimittuntur peccata. Vna enim eademque hora ortum, & occaſum, mane ad veſperum peccatum habere poteſt, ſi ſtatim homo vt peccat ex corde pœniteat. Ego autem huius hominis ſtratum, & lectum, & ſedem, & ſagma, & ſi quid aliud eſt, omnes eos eſſe puto, qui ei obediunt eumque imitantur & venerantur. Sic enim & Epiſcopi, ſedes ſuas ſingulas Eccleſias vocant.

Si autem ſanatus fuerit qui huiuſmodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui, & lotis veſtibus & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus. Die autem octauo ſumet duos turtures aut duos pullos columbæ, dabitque eos ſacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum. Statim enim vt pœnitet homo ſanatur & mundatur, ſi tamen verè pœniteat. Poſt
F hanc autem primam emundationem, numerat ſeptem dies pro delicti ipſius ſatisfactione: per ſeptem enim dies omne tempus pœnitentiæ intelligimus, & eſt finitum pro infinito. In his enim ſeptem diebus lauabit ſe totum in aquis viuentibus, & erit mundus. Siue enim eleemoſynis, ſiue ieiuniis, ſiue vigiliis, ſiue orationibus, ſiue lacrymis lauetur homo, aquæ viuentes ei, ſunt quoniam, & vitam præſtant, & a morte liberant, primo igitur pœnitentia, ſecundo ipſius pœnitentiæ ſatisfactione mundatur. Die vero octauo, id eſt pœnitentia peracta. Finito enim ſeptimo, in quo adhuc pœnitentia agebatur ſtatim octauus ſequitur dies, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbæ bis enim mundatus eſt homo, tertia tamen adhuc indiget mundatione ſacerdotis videlicet reconciliatione & abſolutione, hoc enim eſt quod dicit. Rogabitque pro eo ſacerdos, & mundabitur à profluxu ſeminis ſui. Quoniam rectus pœnitentiæ ordò prius dolet, pœnitet, deinde ſatisfacit, poſtmodum abſoluitur. Sed quid eſt, quod pœnitentia peracta, duos turtures, vel duos pullos
G columbæ offerre iubetur? niſi quia poſtquam homo pœnitentia mundatus, & Dei gratiæ, & miſericordiæ reconciliatus eſt, totum ſe Deo & vouere, & reddere debet: tota vita ſua iam non mundo & vanitatibus, ſed Deo & virtutibus ſeruiat & inhæreat. Quid enim pœnitere profuit, niſi poſt pœnitentiam ſancte, & iuſtè omnis vita peragatur? Quid vero duo turtures vel duo pulli ſignificent, ſatis iam ſuperius diximus, quos qui benè offert, integrum, perfectum, & acceptabile munus Domino offert. Breuiter autem iſta tranſcurrimus, quædam etiam intacta relinquimus, quoniam per ea quæ dicta ſunt, ſine labore intelligi poſſunt.

Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis ſeptem diebus ſeparabitur, omnis qui tetigerit eam immundus erit vſque ad veſperum, & in quo dormierit vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ polluetur. Hoc enim, & de vna anima: & de tota Eccleſia malignantium intelligi poteſt. Fluxum namque ſanguinis patitur, qui in peccatis perſeuerat. Quæ enim anima redeunte menſe hoc patitur, (ſiquidem menſes ſemper redeunt) peccatum ſem-
H per reiterare non timet. Semper ergo ſanguinem fluit, qui ſemper peccatum operatur. Sanguinem enim peccatum ſignificare manifeſtum eſt. Septem autem diebus ſeparatur, quia niſi pœniteat, & peccare deſiſtat, Eccleſiæ nunquam reconciliari debet. Hanc autem qui tetigerit, (tangere autem, imitari eſt) immundus erit. Sufficit autem vna expoſitio & in viro qui patitur fluxum ſeminis, & in muliere quæ patitur fluxum ſanguinis, vtrumque enim pœnè idem ſignificat atque de eodem intelligi poteſt, vnde vna oblatio, & purificatio eſt vtriuſque.

CAPVT XVI.

L*Ocutus eſt Dominus ad Moyſen: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca vt non moriatur: quia in nube apparebo ſuper oraculum. Niſi hoc ante fecerit, vitulum offeret pro peccato, &*

arietem

A *arietum in holocauſtum. Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit. Accingetur Zona linea, cidarin lineam imponet capiti. Hæc enim veſtimenta ſunt ſancta, quibus cinctus, cum lotus fuerit induetur.* In nube enim Dominus & caligine prius apparebat, quia poſtea carnis velamine tectus apparere debebat: nubes enim illa Chriſti carnem ſignificabat. Apparet autem, & nunc Dominus in nube ſuper oraculum, quoniam in ſacramento, & in propria ſpecie cernitur ſuper altare. Ad hoc autem oraculum, ad hoc altare, & ſacramentum accedere, neque ſemper neque omnibus licet: prius enim offerre neceſſe eſt vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum, id eſt plus credere neceſſe eſt, Chriſtum Dominum pro peccatis noſtris immolatum, & totum in ara crucis corporaliter paſſum. Hoc enim quia Iudæi & infideles non credunt, ad hoc propitiatorium non accedunt: credunt enim paſſum, ſed non pro peccato in holocauſtum. Nos autem, quamuis iſta credamus, non tamen adhuc ſufficit, niſi & ſequentia ſuperaddamus. Veſtiantur ergo lineis veſtimentis, B vt toti candidi & ſuper niuem dealbati, interioris, & exterioris hominis munditiam & caſtitatem, per omnia cuſtodiamus: Hæc enim veſtimenta ſancta ſunt, ideoque omnia de lino fiunt, de quibus in Exodo ſufficienter diximus. Cidarin autem lineam imponit capiti, qui auertit oculos ſuos, ne videant vanitatem: quinque enim corporis ſenſus in capite vigent, qui ſi hanc cidarin ſuper ſe habuerint, caſti, & immaculati erunt. His ergo veſtibus non ſolum ſacerdos, verum etiam totus populus veſtiatur, ſi ad Chriſti corporis, & ſanguinis ſacramentum accedere velit. Caſtitatem autem non ſolum virgines, ſed continentes quoque & coniugati habere poſſunt. Sequitur.

Suſcipietque ab vniuerſa multitudine filiorum Iſraël duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocauſtum. Cumque obtulerit vitulum, & orauerit pro ſe & domo ſua, duos hircos ſtare faciet coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonij, mittens ſuper vtrumque ſortem, C *vnam Domino & alteram capro emiſſario, cuius ſors exierit Domino offeret illum pro peccato? cuius autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces ſuper eo, & emittat illum in ſolitudine.* Vnum autem atque idem & vitulus & aries, & hircus hoc in loco ſignificare videtur. Vitulus enim eſt Chriſtus, quia maior hoſtia: Aries autem, quia ſicut ouis ad victimam ductus non aperuit os ſuum. Hircus vero, propter ſimilitudinem carnis peccati, & quia inter iniquos deputatus eſt. Hunc autem vitulum Aaron obtulit: Iudæi occiderunt, & nos quotidie immolamus. Dicamus nunc de duobus hircis. Primus hircus eſt Chriſtus: ſecundus, Antichriſtus. Primus enim ſorte exijt Domino, & immolatus eſt pro peccato: ſecundus autem multis precibus immo multis maledictionibus ſuſceptis in ſolitudinem mittitur, Iudæi enim vbique terrarum diuiſi fiunt, hircum ſecum in captiuitatem & in ſolitudinem ferunt, hic enim eſt ille Meſſias quem ipſi prædicant, & exſpectant. Et quoniam hoc totum Dei diſpoſitione actum eſt, non humano conſilio eliguntur, ſed ſorte diuiduntur.

D *His rite celebratis, offeret vitulum, & rogans pro ſe, & pro domo ſua, immolabit illum: aſſumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleuerat & hauriens manu compoſitum thimiama in incenſum vltra velum intrabit in ſancta, vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum quod eſt ſuper teſtimonium, & non moriatur. Tollet quoque de ſanguine vituli & aſperget digito ſepties coram Domino contra propitiatorium ad orientem.* Poſtquam inquit, ſacerdos prædictis veſtibus indutus fuerit: poſtquam duos hircos ſorte diuiſerit (ſic enim ſe habet ordo) offerat vitulum, & rogans pro ſe, quia & ipſe peccator eſt, & pro domo ſua, id eſt, pro populo ſibi ſubiecto, immolabit eum. Superius enim offertur, id eſt ad tabernaculum dicitur: hic autem, non tantum offertur, ſed & immolatur, hoc autem non ſine thimiamate, & bono odore, qui enim Chriſti conficit Sacramentum, qui ad eius carnem, & ſanguinem ſumendum accedit morum honeſtate, & virtutum ſuauitate redolere debet. E Sacerdos ergo aſſumpto thuribulo,) thuribulum enim pectus eſt) impleat illud de prunis altaris, vt ſancti Spiritus, & charitatis igne ſuccendatur: deinde vero aromatibus ſuper ignem poſitis tranſeat velum, ingrediatur ſancta, totuſque ſuper ipſum cœlum mente, & ſpiritu eleuatus, virtutum vapore & ſanctarum precum odore, & ſibi & populo Deum repropitietur, Vnde & ſubditur. *Tolletque de ſanguine vituli, & aſperget ſepties coram Domino contra propitiatorium,* ad orientem, ſepties enim vituli ſanguis contra propitiatorium ſpargitur, quia vſque ad ſæculi conſummationem cunctis diebus Chriſti ſanguis pro nobis ad Patrem interpellat.

Cumque mactauerit hircum pro peccato populi inferet ſanguinem intra velum. Sicut præceptum eſt de ſanguine vituli. Quia enim & hircus & vitulus idem ſignificant, idcirco vno eodemque modo immolantur. Sequitur.

Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ingreditur Sanctuarium, vt roget pro ſe & pro domo ſua, & vniuerſo cœtu Iſraël donec egrediatur. Hoc autem ideo iubere videtur, vt in illa tanta contemplatione tantum ſilentium ab omnibus fiat, ac ſi ſolus Pontifex adeſſet, quatenus ſine ſtrepitu, & tumultu omnique inquietudine, mundas preces ad Deum fundere valeat. F

Cumque exierit ad altare quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & pro domo ſua, & ſumptum ſanguinem vituli atque hirci fundet ſuper cornua eius per gyrum, aſpergenſque digito ſepties expiet illud & ſanctificet ab immunditiis filiorum Iſraël. Hoc enim altare Eccleſia eſt, cuius quatuor cornua mundi partes intelliguntur. Hoc autem altare ſepties ſanguine ſpargitur, quia vſque in ſæculi conſummationem tota Eccleſia Chriſti ſanguine expiatur, & ſanctificatur. Siue ergo intus, ſiue extra Pontifex fuerit, ſiue actiuam, ſiue contemplatiuam vitam agat, ſemper, & pro ſe, & pro populo orare debet.

Poſtquam autem mundauerit ſanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem, & poſita vtraque manu ſuper caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & vniuerſa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in deſertum. G Mundatis enim omnibus, & expleto ſacrificio, vtramque manum ſuper caput viuentis hirci Pontifex ponit, & vt omnium iniquitatum reum ſimul capite ſuo diabolo, quibuſcumque viribus poteſt eum damnat, & maledicit. Non ſolum enim noſtri, verum & Iudæorum Pontifices in ſacris voluminibus, quamuis non intelligentes Antichriſtum quotidie damnant: de ipſo enim in pſalmis legentes, ſed non intelligentes aſſidue dicunt. Cuius os maledictione plenum eſt & amaritudine & dolo, ſub lingua eius labor, & dolor, ſedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem, & paulo poſt. *Contere brachium peccatoris, & maligni,* de quo, & Apoſtolus ait. *Quia niſi venerit diſſenſio primum & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Homo ad hoc ſeruitium paratus, per quem in deſertum Antichriſtus mittitur, Iudæorum populus eſt, qui pro ſuis iniquitatibus vbique gentium diperſus, eum colit, & prædicat, ſequitur & veneratur. H

Cumque portauerit omnes iniquitates eorum in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in deſerto, reuertetur Aaron in tabernaculum teſtimonij, & depoſitis veſtibus quibus prius indutus erat cum intraret ſanctuarium relictiſque ibi, lauabit carnem ſuam in loco ſancto, indueturque veſtimentis ſuis. Portat enim Antichriſtus omnes iniquitates, filiorum Iſraël in infernum, in deſertum, & in terram ſolitariam, quia propter eos quos decepit, æternis incendiis mancipatur, dignam ſuæ iniquitatis pœnam ſuſtinebit ibi dimittetur, & deſeretur, cruciabitur & flagellabitur. Deinde autẽ Aaron reuertetur in tabernaculũ teſtimonij, quia cognita veritate Iudæorum Pontifices ad fidem, & ad Eccleſiã conuertentur, ibique depoſitis atque relictis primis veſtibus & ſignificatiuis, lauabunt carnem, ſuã aqua baptiſmatis, & induẽtur ſuis veſtimẽtis, vt litteræ

A

velamine exſpoliati, & veritate, quæ Chriſtus eſt, adornati, non in vetuſtate litteræ, ſed in nouitate ſpiritus in Sancta Eccleſia conuerſentur. Similiter autem ille qui dimiſerit caprum emiſſarium, lauabit veſtimenta ſua & corpus aqua, & ſic egredietur in caſtra. Diximus enim ſuperius, quod homo iſte Iudæorum populus eſt: Vnde manifeſtum eſt, quia non ſolum Pontifices & legis periti, verum etiam totus iudaicus populus iuxta mundi huius conſummationem Antichriſtum relinquet, & ad fidem conuerſus aqua baptiſmatis regeneratus Eccleſiæ caſtris ſociabitur. Vnde Apoſtolus ait, *cum enim plenitudo gentium intrauerit, tunc Iſraël ſaluus fiet.*

Vitulum autem, & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum ſanguis illatus eſt in ſanctuarium, vt expiatio compleretur, aſportabunt foras caſtra, & comburent igni tam pelles quam carnes eorum, & fimum. Semper enim vbicunque hæc fuerint, ſola Apoſtoli expoſitio ſufficere debet, qui ait: Quorum enim animalium infertur ſanguis in ſancta per Pontificem, horum

B

corpora cremantur extra caſtra: ita & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Quibus Apoſtoli verbis apertiſſimè demonſtratur, quoniam per vitulum & hircum Chriſti paſſionem intelligere debemus. Et quicunque combuſſerit ea, lauabit veſtimenta ſua, & carnem aqua, & ſic ingredietur in caſtra: magna enim Dei miſericordia in hac ſententia prædicatur, qua ipſis quoque qui eum occiderunt, ſi ex aqua & Spiritu ſancto regenerati fuerint, venia & indulgentia, Eccleſiæque introitus repromittitur.

Menſe ſeptimo decima die menſis affligetis animas veſtras nullumque facietis opus, ſiue indigena ſiue aduena qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit veſtri atque mundatio, ab omnibus iniquitatibus veſtris coram Domino mundabimini, Sabbathum enim requietionis eſt, & affligetis animas veſtras religione perpetua. Quid eſt enim ſeptimo menſe & decima die menſis, niſi vltima die omnium menſium. Septimus enim in diebus & decimus in numero vltimus eſt. Sicut enim omnes

C

dies in ſeptem, ita omnes numeri continentur in decem. Quod igitur Iudæi in hac die ſe affligebant, nullumque opus faciebant, & quod ſe expiantes ab omnibus ſuis iniquitatibus mundabantur illius vltimi diei ſignificatio erat in quo qui modo non affligitur, non affligetur, in quo omnis mundana operatio ceſſabit, in quo ab omni corruptione, & iniquitatibus ſancti expiati, & innouati, æternam ſuſcipient beatitudinem. Sabbathum enim requietionis erit de quo Apoſtolus ait: *Relinquitur ergo Sabbatiſmus populo Dei.* Non enim hoc iuxta litteram fieri ponent, vt decima die ſeptimi menſis in Sabbato ſemper occurrat.

Expiabit autem ſacerdos qui vnctus fuerit, & cuius initiata eſt manus, vt ſacerdotio fungatur pro patre ſuo, induetur que ſtola linea, & veſtibus ſanctis, & expiabit ſanctuarium, & tabernaculum teſtimonij atque altare; ſacerdotes quoque & vniuerſum populum: eritque vobis hoc legitimum ſempiternum, vt oretis pro filiis Iſraël, & pro cunctis peccatis eorum ſemel in anno. Semel enim

D

hoc in anno in figura fiebat, quia ſemel in veritate fieri debebat. Semel enim ſacerdos magnus Ieſus (qui vnctus eſt oleo lætitiæ præ participibus ſuis qui patri ſuo Melchiſedech in ſacerdotio ſucceſſit, ſicut ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech) omnia expiabit & Sanctificabit: tunc videlicet, quando faciet cœlum nouum, & terram nouam, quando illa creatura, quæ vanitati ſubiecta eſt non volens, liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Tunc induetur ſtola linea, & veſtibus Sanctis, quia apparebit in gloria, & maieſtate. Talibus enim veſtibus in monte transfiguratus, tribus diſcipulis quondam apparuit.

CAPVT XVII.

HInc autem præcipit Dominus, vt nullum ſacrificium offeratur, niſi ad oſtium tabernaculi teſtimonij: volens omnem occaſionem populo auferre, ne ido-

E

lis immolaret, hoc eſt enim quod ait: *Et nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* Quamuis, & per hoc ſignificari poſſit, quod nuſquam veri ſacrificij locus ſit extra Catholicam Eccleſiam. Sanguinem quoque omnium animalium comedere interdicit, ad cuius piaculum ſuper altare ſanguis offerri debet. Quod autem ait: *Anima carnis in ſanguine eſt*, vt anima pro vita intelligatur: non enim caro ſine ſanguine viuere poteſt. Quid igitur eſt ſanguinem comedere, niſi carni vitam auferre? Hoc homicidæ audiant, & ſanguinem comedere, & bibere timeant, quoniam virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus. Sequitur.

Homo quicunque de filiis Iſraël, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio feram, vel auem capiunt, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem eius & operiat illum terra. Quis enim intelligit quid ſint duo greges ouium, & quid ſit ouium ouile, & vnus paſtor, intelligit & qui ſint filij Iſraël, & qui

F

ſint aduenæ, qui peregrinantur apud eos. Hi autem venatione vel aucupio feram vel auem capiunt, quando hæreticos vel Philoſophos Euangelica prædicatione ad fidem conuertunt. Quoniam quidem ſanguinem fundunt, & terra operiunt; quoniam eorum peccata aqua baptiſmatis abluunt, vt quaſi mortua, & ſepulta vlterius non appareant. Vnde Pſalmiſta ait, *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Anima quæ comederit morticinum vel captum à beſtia, lauabit veſtes ſuas, & ſemetipſum aqua, & contaminatus erit vſque ad veſperum; Quod ſi non lauerit, portabit iniquitatem ſuam.* Morticinum etenim eſt, quicunque eam vitam non habet, quæ in Euangelio loquitur dicens: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Captum vero à beſtia eſt, qui ab hæreticis ſeductus eſt, Hos autem comedere eſt eos ſuſcipere, eis communicare, & eos imitari, quod qui fecerit, lauet ſe interius, & exterius aqua, agat pœnitentiam, & immundus erit vſque ad veſperum: quid ſit autem vſque ad veſperum ſæpe iam diximus.

G

CAPVT XVIII.

SEquitur autem de turpitudine, & inceſtu. Quæ quoniam tota Eccleſia ſecundum litteram intelligit, & obſeruat, aliam in eis quærere expoſitionem, aut inutile, aut ſuperfluum eſſe videtur. De quibus quidem reddere rationem valde difficile eſt, niſi forraſſe tales coniunctiones ideo Deus fieri interdixit, vt dilectionis vinculum etiam in extraneos extenderetur. Non enim neceſſe habet aliquis propinquis ſuis alio vinculo, vt plus eos diligat, colligari, quia mater ex ſola ſanguinis propinquitate multum eos diligere debet. Coniungatur igitur aliis, quos nondum diligit, vt quadam affinitate eos diligere, & amare incipiat. Siue ergo propter hoc ſiue propter aliud tales Deus coniunctiones fieri prohibuit, timendæ ſunt, quia ipſe prohibuit. Vnde, & hic dicit. *Cuſtodite leges, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis ego Dominus.* Quod tale eſt ac ſi diceret. Homo qui ea non

H

fecerit, morietur. Quæcumque autem prætermimus, ideo prætermimus, quia aut ſuperius expoſita, aut intellectu facilia ſunt, ſicut modo hic de hoſtia pacificorum, de qua in ſuperioribus ſatis dictum eſt: Sequitur.

CAPVT XIX.

CVm meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ, nec remanentes ſpicas colliges, neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus, & peregrinis decerpenda dimittes. Hæc autem verba, quamuis ad litteram intellectu, pietatis & miſericordiæ plena ſunt, aliud tamen ſignificare poſſunt. Vbi enim peregrini, & pauperes non ſunt diligentiſſimè meſſem colligere, & vſque ad ſolum tondere, nullum videtur eſſe peccatum, pauperes enim iſtos, non ſubſtantia pauperes, ſed ſcientia, eſſe putamus. Peregrinos vero, qui nouiter ad fidem conuerſi ſunt.

Terra

A Terra autem eſt Eccleſia, cuius quidem ſegetes ſunt Sanctarum volumina ſcripturarum. Has autē ſegetes vſque ad ſolum tondet, qui ſacras ſcripturas profundiſſimè exponit. Remanentes vero ſpicas & grana decidentia colligit, qui iterum atque iterum reiterando, ea quæ minus cautè præteriiſſe videbatur, diligentius perſcrutatur & inueſtigat: hoc autem inter ſapientes, & intelligentia diuites fieri debet: inter pauperes vero, & indoctos, ſolam litteram, & ſuperficiem metere, & exponere ſufficit, quos quidem non meſſe, & ſolito cibo onerare debemus, ſed ad fidei inſtructionem pauca verba quaſi paucas ſpicas debemus relinquere: de quibus Apoſtolus. *Lac*, inquit, *vobis potum dedi non eſcam.* De Sapientibus vero ſic ait. Sapientiam loquitur inter perfectos. Alibì ergo vſque ad ſolum, alibi vero in ſola ſuperficie meſſes iſtæ tondendæ ſunt.

Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum. Surdi enim & cæci ſunt non ſolum Iudæi, & gen-
B tiles, ſed quicunque veritatem audire & intelligere nolunt, hos autem non maledicere, ſed humiliter admonendo ad fidem vocare debemus. Coram quibus offendiculum ponere, eſt, aliquid in eorum præſentia agere, vnde rationabiliter ſcandalizari poſſunt. Hoc autem qui non intelligit, legat epiſtolam Apoſtoli ad Romanos, vbi ait: *Non ergo amplius inuicem iudicemus, ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus.*

Iumenta tua non facies coïre cum alterius generis animantibus. Agrum non feres diuerſo ſemine. Veſte, quæ ex duobus texta eſt, non indueris. Hæc enim penè idem ſignificare videntur. Iumenta enim ſua cum alterius generis animantibus coïre facit, qui ſtultos quoſque, & imperitos, quos regere debet, ab hæreticis corrumpi qualibet occaſione permittit. Dei vero Agrum diuerſo ſemine ſerit: qui in Eccleſia prædicando Catholicæ fidei errorem admiſcet, Veſte autem ex duobus texta induitur, qui ex parte Catho-
C lica, & ex parte hæretica fide veſtitur. Quod enim Apoſtolus ait. *Induite vos Dominum Ieſum Chriſtum*, quid eſt, niſi induite fidem Domini Ieſu Chriſti? Veſtis ergo fides eſt.

Homo ſi dormierit cum muliere coitu ſeminis quæ ſit ancilla etiam nobilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata, vapulabunt ambo, & non moriantur, quia non fuit libera. Quia enim, ſicut ſcriptum eſt. Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, quæcunque anima in crimine eſt, ancilla eſt: etſi etiam nobilis, & Eccleſiæ filia, & aqua baptiſmatis ſit regenerata. Niſi ergo pœnitentiæ pretio redimatur, & à peccato liberetur, vt iam non ſit ancilla, ſed libera, cum ea dormiendum non eſt: quia talis coniunctio illicita eſt: Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, quæ participatio Chriſti ad Belial? Fit tamen plerumque talis coniunctio, & viri religioſi, cogente aliqua neceſſitate, ſceleratis hominibus blandiuntur. Sed audi quid ſequitur: *Vapulabunt ambo, & non morientur: Vapulabunt ambo*, inquit: agant pœnitentiam, vt non
D moriantur: morientur ergo niſi vapulauerint. Et mori quidem peius eſt quam vapulare. Sed dicis; Vapulet ille, qui peccauit, cur vapulare debet etiam ille, qui cum eo communicauit? Vis audire quare? Quia non fuit libera. Hoc autem audiant illi, qui excommunicatis communicant. Pro delicto autem ſuo offeret arietem, orabitque pro eo ſacerdos, & dimittetur ei peccatum: arietem enim offert, qui ſtultam ſimplicitatem mactat, & immolat, niſi enim ſtultus fuiſſet, nequaquam cum ancilla concubuiſſet. Sic enim quos ſtultos, & fatuos videmus, pecus vocare ſolemus. Sequitur.

Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis vſque quarto anno: omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabiliter Domino: Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt: Talia enim ligna Apoſtolus plantauerat, qui ait: *Ego plantaui, Apollo rigauit,*
E *Deus autem incrementum dedit.* Quorum quidem præputia auferebat cum diceret. *Nemini quicquam debeatis; niſi vt inuicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Nam non adulterabis, non occides non mœchaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui, & ſimilia: hæc enim præputia tollenda ſunt. Quæ enim prius ſublata fuerint omnia poma quæ germinauerint immunda erunt, ideoque non comedentur vſque in quartum annum. Quatuor enim anni, quatuor Euangelia ſunt, quorum aqua atque doctrina quæcunque ligna virorata non fuerint immunda erunt, neque eorum poma comedi, neque eorum fides & verba ſuſcipi debent. Quarto autem anno tranſacto, id eſt, quatuor Euangeliorum fide, & doctrina pleniſſime ſuſcepta, omnis prædictarum arborum fructus ſanctificabitur laudabiliter Domino; & ideo quinto anno fructus comedere, & poma colligere licet, quia quatuor annis expletis, & ligna & poma
F ſanctificata ſunt.

Non comedetis carnem cum ſanguine. Carnem enim comedere cum ſanguine eſt, ſine pœnitentia & ſatisfactione peccatorem Eccleſiæ reconciliare. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia, non enim auguriis & diuinationibus, ſed Diuinæ legis præceptis, & Prophetarum, & Apoſtolorum verbis credere fidelium Eccleſia debet. Somnia autem multos errare fecerunt, ideoque ſomniatores & falſo fingentes non facilè audiendi ſunt. *Neque in rotundum tondebitis comam, nec radetis barbam.* Si enim, vt ſæpe diximus, mens caput eſt animæ, quæ erunt huius capitis comæ niſi cogitationes? harum autem aliæ bonæ, aliæ malæ. Non ergo comam tondeamus, ne forte ſimul cum malis, bonas quoque cogitationes ſuccidamus, ſed ſolis malis radicitus ſucciſis, bonæ extendantur & creſcant. De malis enim cogitationibus, vt ſuccidantur, Pſalmiſta loquitur dicens: *Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad pe-*
G *tram:* de bonis vero vt creſcere permittantur, ſic ait. Quia cogitatio hominis confitebitur tibi & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi. Barbam vero radere non debemus, vt viri potius, quam fœminæ videamur, magiſque virorum fortitudinem quam mulierum mollitiem imitemur. Vnde & ſanctas mulieres, quæ plerumque animi fortitudine viros ſuperant rectiſſimè barbatas dicere ſolemus. Quod enim noſtri ordinis homines barbas radunt, alia ſignificatio eſt: qui & hæc & ſimilia magis ſpiritualiter quam ad litteram intelligere, magiſque viri fortes eſſe quam videri volunt. Creſcat ergo nobis barba interius radatur exterius, illa enim ſine impedimento creſcit: hæc autem niſi radatur multa generat impedimenta, & niſi à valde ocioſis in ea qua debet honeſtate, & pulchritudine cuſtodiri non poteſt. Multa autem prætermittimus quæ facilia eſſe videntur.

CAPVT XX.

H Hinc autem præcipit, vt occidatur quicunque de ſemine ſuo dederit idolo Moloch. Moloch enim. Rex noſter interpretatur, in quo omnia idolorum portenta ſignificari poſſunt, quorum regimine infelices homines ſe tutos eſſe arbitrabantur. Vnum autem idolum poſuit, vt quod in vno præcipitur in omnibus obſeruetur. Quod quidem ſi non feciſſet, nequaquam Pſalmiſta dixiſſet: *Et immolauerunt filios ſuos, & filias dæmoniis.*

Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. Fornicatur enim anima quæ Deo per fidem coniuncta eſt, ſi ad dæmoniorum miniſtros, ſe conuertens, vanis eorum credat ſuperſtitionibus. Quomodo enim non fornicatur, cuius fides tota corrumpitur? His autem, & cæteris peccatis pro quibus homo occidi iubetur, niſi digna pœnitentia deleta fuerint, ſecundum maiorem intelligentiam anima perimitur. Vnde quicumque ex his aliquid commiſerit, eum ad ſacros ordines accedere Canones interdicunt.

A

CAPVT XXI.

D*Ixitque Dominus ad Moyſen: Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantum in conſanguineis ac propinquis, id eſt ſuper patre, & matre, & filio ac filia fratre quoque & ſorore Virgine, quæ non eſt nupta viro, ſed nec in principe populi ſui contaminabitur.* Nõ eſt enim omnium ciuium vna mors, ſed multæ ſunt mortes, in quibus ſe ſacerdos contaminare non debet: Alium enim auaritia occidit, alium ſuperbia necat: alium luxuria perimit: atque alium diſcordia interficit, tales ergo mortes ſacerdos fugiat. Eſt autem alia mors, quam ſacerdos vtique Iudæorum euitare non poterat: illa videlicet, qua pater eius, & mater, filius, & filia, totaque cognatio moritur, hoc eſt enim originale peccatum, quo ante Chriſti incarnationem nemo vnquam mundari potuit. B Præter igitur hanc ſolam mortem neceſſario contaminantur omnes in nulla morte, & maiori peccato Dei ſacerdos contaminetur. Quamuis enim ſine crimine, non tamen ſine peccato homo viuere poteſt. Quia vero ſoror, quæ viro nupta eſt præter peccatum originale, aliud quoque per carnis voluptatem contraxiſſe videtur, hac quoque morte & peccato, ſacerdotem contaminari vetat. Et hoc eſt quod dicit. *Fratre quoque, & ſorore Virgine.* Accedit ergo ſacerdos ad propinquorum mortem, quando eadem morte, & ipſe tenetur. Quod autem ait. Sed nec in principe populi ſui contaminabitur, ego de illo principe hoc intelligo de quo ipſe Dominus ait. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam:* cuius quidem, mors ſuperbia eſt, deſperatio & mala voluntas. Sequitur.

Nec radent caput nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras, ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius: incenſum enim Domini, & panes Dei offerunt, C *& ideo ſancti erunt Scortum, & vile proſtibulum non ducet vxorem, nec eam, quæ repudiata eſt à marito quia conſecratus Deo ſuo, & panes propoſitionis offert, ſit ergo ſanctus quia & ego ſanctus ſum, qui ſanctifico vos.* Caput enim & barbam radere, & in carnibus inciſuram facere doloris, & triſtitiæ indicium erat. Sed & idolorum Sacerdotes hoc ritu Diis ſuis olim immolare ſolebant. Vnde Ieremias, *Sacerdotes eorum ſedent, habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbas raſas, quorum capita nudata ſunt.* De carnis vero inciſione in libris Regum inuenies. Quid autem per ſcortum, & vile proſtibulum, & eam quæ repudiata eſt à marito, niſi eam animam intelligimus, quæ ab hæreticis corrupta, a dæmonibus, viciata, & à Deo repudiata eſt: Huic autem ſacerdos iungere non debet, quia filij qui ex ea generantur, non legitimi, ſed ſpurij ſunt. Vnde ipſe Dominus ait, *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Talium igitur conſortia fugiant ſacerdotes, qui conſecrati ſunt, & pollui non debent. Panes quoque propoſitionis offerunt quos canibus dare, ipſe D Dominus prohibet.

Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit nomen patris ſui flammis exuretur. Quæ enim eſt anima, quæ non ſit filia ſacerdotis? illius videlicet ſacerdotis, cuius ſacerdotium manet in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, in cuius nomine, & regenerati, & baptizati ſumus Quæ ergo anima ab hæreticis corrupta atque ſeducta fuerit (hoc eſt enim in ſtupro deprehendi) & Chriſti fidem negando patris ſui nomen violauerit, de quo ſcriptum eſt. Non accipies nomen Dei tui in vanum flammis exuretur, flammis vtique æternis, & igne inextinguibili.

Pontifex, id eſt, ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotium conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, ſuper patre quoque & matre non contaminabitur, nec egredietur de ſanctis, nec polluet ſanctuarium Domini quia oleum ſanctæ vnctionis, Dei ſui ſuper eum eſt, ego Dominus, E cæteri enim Sacerdotes à propinquorum ſuorum morte non prohibebantur: ſummo vero Pontifici ad nullum omnino mortuum accedere licebat. Quare hoc? Quia Ieſus ſacerdotum omnium maximus ſolus ſine peccato natus, ſolus ſine peccato in hoc mundo conuerſatus eſt: ipſe enim nec patris, nec matris mortem ſenſit, patris videlicet Dauid, cuius ſæpiſſime filius appellatur: matris vero Synagogæ, de qua ſecundum carnem natus eſt. Horum inquam mortem & peccatum ipſe non ſenſit, quoniam etſi carnem de eis ſuſcepit, carnis tamen peccatum de eis non ſuſcepit. Et ipſe quidem maximus eſt inter fratres ſuos, de quibus ipſe ait: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Ipſe quoque ſe oleo lætitiæ vnctum ſignificat dicens: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me: Eſt autem indutus ſanctis veſtibus, decore videlicet & fortitudine. Vnde Pſalmiſta ait: *Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit* F *ſe virtute.* Cuius quidem caput diſcoopertum non eſt, quia eius Diuinitas ab hominibus viſa non eſt vt enim Apoſtolus ait. *Chriſti caput Deus.* Veſtimenta quoque eius non ſunt ſciſſa, quia eius fides non eſt diuiſa. Nam & ſecundum litteram de eius veſte milites dixiſſe legimus; Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Infelix Cayphas, qui veſtimenta ſua ſcidit, huius præcepti immemor erat. Sequitur.

Virginem ducet vxorem, viduam & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiet, ſed puellam de populo ſuo, ne commiſceat ſtirpem generis ſui, vulgo gentis ſuæ, quia Ego Dominus, qui ſanctifico eum. Hic enim eſt illa virgo de qua Apoſtolus ait, *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Itemque. *Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam vel aliquid huiuſmodi.* Vidua vero, repudiata, ſordida, & meretrix Synagoga eſt, quæ tanto talique ſponſo derelicto, toties poſt Deos gentium fornicata G eſt, Ducit igitur puellam de populo ſuo, de populo ſibi obediente (omnis enim populus ſuus eſt) ne forte commiſceat ſtirpem, & genus ſuum meretricibus infidelibus.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere ad Aaron. Homo per familias de ſemine ſuo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. Docet nos Dominus, quales ad altaris miniſterium ſacerdotes eligi debeant: Sint, inquit, ſine macula: niſi enim per maculam, crimen intelligamus impoſſibile quodammodo iubere videtur, ſiquidem nemo eſt ſine peccato. *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede ſine manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, ſi herguioſus.* Cæcus enim eſt qui ſacras ſcripturas praue intelligit, quales ſunt Iudæi, & hæretici. Claudus vero, quia in via mandatorum Dei non recto gradu incedit. Vnde de quibuſdam dicitur: Et claudicauerunt à ſemitis ſuis. Ideoque H Apoſtolus ait: *Sicut in die honeſte ambulemus.* Et naſo quidem bonum malumque odorem diſcernimus: quod ſi paruus fuerit, non ſentit ad plenum, ſi vero grandis, modum excedit. Paruum enim naſum habebant, quibus Apoſtolus ait; *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote*, grandem vero, quibus ait. Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Tortus autem, & bonum & malum, & malum, & bonum, dicit odorem, qui quanto cæteris turpior, tanto iniquior eſt. Pedem vero & manum fractam habet, qui ſola inertia languens bonum aliquid neque dicit, neque agit, iacet ergo, & corpori ſeruiens, nihil niſi ocium, & delicias diligit: & talis quidem non immerito à ſacerdotio remouetur. Gibbus vero, cœli neſcius, terram ſolam intuetur, per quem auarum, & cupidum intelligimus, cuius omnis ſpes & deſiderium circa terrena, & tranſitoria verſatur. Oculus autem lippus, etſi videat, deformis tamen exterius & turpis eſt; quod ſi forte ſeipſum videret ſuam turpitudinem erubeſceret. Et tales quidem in Eccleſia multos videmus, qui ingenij quidem acumine

A bene vident, ſed turpis vitæ ægritudine tabeſcunt. E contra vero oculus qui albuginem habet, ipſe ſe nihil videre, certo indicio manifeſtat, per quem illi intelliguntur, qui peccare non erubeſcunt, quorum opera quicunque videt, cæcos eos eſſe non dubitat. Qui autem iugem habet ſcabiem, ſemper inquietus eſt, laborat, & fatigatur, creſcit ſcabies & non ſanatur, tales autem ſunt ſæcularium dignitatum amatores, qui quanto plus huic vitio inſiſtunt, tanto amplius inardeſcunt, laborant, feſtinant, fatigantur, nihil eis ſatis eſt, quos labor ipſe delectat, & quia iugem ſcabiem patiuntur, aut vix, aut nunquam ſatiantur. Vnde ipſe Dominus ait. *Quam difficile eſt diuitem intrare in Regna cælorum.* Sed quid per impetiginem, quæ latenter & quaſi inſenſibiliter creſcens ſubito circumſtantia loca inuadit & occupat, vnde etiam & nomen accepit, niſi luxuriam intelligimus, quæ ſi ſaltem per cogitationem corde inſederit, ſemper creſcens totum hominem corrumpit. Quid vero per herginioſos, niſi hypocritas, & inanis gloriæ appetitores? qui B quamuis in teſticulorum magnitudine alios ſuperant, in filiorum tamen procreatione, cæteris, nec æquales inueniuntur. Hi autem opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus, boni Iudæi volunt non eſſe, & cum ſit bonorum omnium ſteriles, fœcundiſſimos ſe eſſe iactant: quid vero niſi teſticulorum magnitudinem oſtentant, quando dilatant philacteria ſua, & magnificant fimbrias? Quod autem Sequitur. Veſcetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario, ſic eſt intelligendum, vt quamuis ille qui maculam habet, Epiſcopus eſſe non poſſit, de panibus tamen & cibis ſpiritualibus ei comedere licet. Multis enim audire licet, quibus prædicare non licet. Multi Chriſti carnem & ſanguinem ſuſcipiunt, qui ſacerdotes fieri non poſſunt. Nemo enim qui maculam habuit, id eſt, qui crimen commiſit, etiam poſt peractam pœnitentiam ſacerdos fieri debet, quamuis poſt pœnitentiam Sacramentis Eccleſiæ licite veſcatur. Vnde & ſubditur.

C

CAPVT XXII.

Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerint filij Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. In quo eſt immunditia, dixit, non in quo fuit? Si enim pœnitentia mundatus eſt conficere quidem ei Sacramenta non licet, ad Sacramenta tamen accedere licet. Hoc autem adhuc manifeſtius exponit dicens. *Homo de ſemine Aaron qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis, non veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur.* Nota quod dicitur. Donec ſanetur. Non autem de qualibet immunditia, ſed de crimine hoc intelligi debet.

Omnis alienigena non comedet de ſanctificatis. Inquilinus ſacerdotis & mercenarius non veſcetur ex eis. Quem autem ſacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis. Quia enim alienigena Eccleſiæ filius non eſt: inquilinus vero ac mercenarius non amore D ſed pro lucro temporali Domino ſeruiunt, merito à ſanctificatis repelluntur. Qui enim indigne manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit. Illi autem quos ſacerdos emit de quibus Apoſtolus ait: Empti eſtis precio magno, & qui eius domum fideliter cuſtodiunt, accedant & comedant.

Si filia ſacerdotis cuilibet de populo nupta fuerit, de his quæ ſanctificata ſunt, & de primitiis non veſcetur. Sin autem vidua vel repudiata, & abſque liberis, reuerſa fuerit ad domum Patris ſui ſicut puella conſueuerat aletur cibis patris ſui. Quis autem ſit iſte ſacerdos, manifeſtum eſt; cuius vtique filia eſt omnis anima aqua baptiſmatis regenerata, quæ ſi alicui de populo nupſerit, id eſt ſi hæretico, aut infideli ſe coniunxerit, ſtatim à ſpiritualibus cibis, & à Chriſti Sacramentis aliena fit. Sin autem hæreticorum ſpreuerit contubernia, & relicto errore ad Eccleſiam redierit, omneſque hæreticæ prauitatis filios, & opera reliquerit, iterum Clementiſſimi Patris ſui, qui nullum ad ſe venientem eiiciet foras, cibis aletur. Magna E hic Dei miſericordia prædicatur, nulli deſperandi occaſio datur: Peccator quacunque hora conuerſus fuerit, vita viuet, & non morietur.

Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit Sacerdoti in Sanctuarium. Hoc eſt enim quod ſuperius dixit. Anima ſi præuaricans cerimonias per errorem, in his quæ Domino ſunt ſanctificata peccauerit, ipſum quod intulerit damnum, reſtituet, & quintam partem ponet ſupra, tradens ſacerdoti. Quod ergo hic dicitur, per ignorantiam, ibi dicitur per errorem. Comedere autem hoc loco, diſperdere & diſſipare ſignificat ſecundum illud. Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt. Et Apoſtolus. *Si vos mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumemini.* Per ignorantiam ſiue per errorem ſanctificata comedit, quicumque Diuinæ legis oblitus, ſacrilegium facit, & bona Eccleſiæ diſpergit, & diſſipat, hoc autem qui fecerit damnum reſtituat, & quintam partẽ ſuperaddat, quid eſt quintam partem ſuperaddere, F niſi ſeipſum ſacerdotis iudicio, & Eccleſiæ ſatisfaciendo humiliare? Quinta enim pars vocatur homo, quia quinque ſunt corporis ſenſus, ſine quibus nec peccare nec pœnitere poteſt: Siue etiam quia in quatuor partes bona Eccleſiæ diuiduntur, quicunque in decimis, & primitiis aliiſque Domino ſanctificatis peccauerit, in integrum reſtituat, (cuius vt diximus quatuor partes ſunt,) & quintam ſuperaddat, cuius iudicio per omnia ſit obedire paratus: nihil enim maius ſeipſo habet, quod pro damni reſtitutione ſacerdoti tradere poſſit: ſicque fit vt quinque partes reddat, qui in quatuor peccauit.

Sequitur autem de eo, vt quicumque holocauſtum, vel pacificorum victimam Domino obtulerit, ſiue ſponte pro voto offerat, maſculum offerat, & immaculatum, omniſque macula non ſit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem, non offerat Domino. Docet enim nos Dominus in Euangelio, quæ ei offerre debeamus, vbi de tributis loquens viſa Cæſaris imagine ait. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari,* G *& quæ ſunt Dei Deo.* Si ergo Dei imago ſumus: Si nos ipſos Deo offerre debemus, lauemus maculas peccatorum, quia immundum & maculatum Deus non recipit. Beati ergo immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Illi enim cæcum non offerebant, qui noſtræ mentis oculos illuminatos eſſe volebant. Nec fractum quidem, vt interioris hominis oſſa firma, & ſolida ſint, & in via Dei non deficiant. Oſſa enim animæ virtutes ſunt. At vero neque ea offerebant, quæ vel cicatricem, vel papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem habebant, ab omni videlicet corruptione nos & mundos, & ſinceros eſſe volentes: vnde & ſuperius omne fermentatum offerri Domino prohibetur. Omnia enim hæc quæ carnem corrumpunt, animæ corruptionem ſignificant. Cicatricem autem pro vulnere poſuit, ſecundum illud. *Putruerunt, & corrupta ſunt cicatrices meæ.* Alioquin ſi vulnere iam ſanato, cicatricem habens non ſuſcipiatur, pœnitentia, quod abſit negatur. Sequitur.

H *Bouem, & ouem, aurem, & cauda amputatis voluntarie offerre poteſt: votum autem ex his ſolui non poteſt.* Non enim quaſi ex debito exigitur, quod voluntarie datur. Vnde Apoſtolus. *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non quaſi ex triſtitia, aut ex neceſſitate:* Quod vero vouemus, & nolentes ſoluere debemus. Vnde Pſalmiſta. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Animalia ergo, quæ diminuta ſunt, voluntarie offerri poſſunt, quoniam ea quæ voluntarie facimus, quamuis ad perfectionem, & ad plenum non faciamus, à Deo tamen ſuſcipiuntur. Votum autem ex eis ſolui non poteſt, quia quæcunque vouemus, in integrum, & ſine aliqua diminutione ſoluere debemus. Melius eſt ergo non vouere, quam vota non ſoluere, & de voto aliquid amputare, & quaſi ſine aure, & cauda vota ſua detruncata, & diminuta offerre. Per autem autem, & caudam, initium & finis intelligitur. Bene ergo offert, qui in bono perſeuerat.

Omne

A *Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis. Domino.* Quid enim teſticuli ad Dominum, vt abſque teſticulis nullum animal offeratur, Animal ſine teſticulis infecundum & ſterile eſt. Quicunque ergo bene non operatur, ſine teſticulis, & infructuoſus eſt. Vnde in Canticis Canticorum Eccleſiæ dicitur: *Capilli tui, ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & ſterilis non eſt in eis.*

De manu alienigenæ non offeretis panem. Deo veſtro, & quicquid aliud dare volueris, quia corrupta, & maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea. Eſt autem alienigena, qui de Eccleſia non eſt, & quoniam munera impiorum odit Deus, talium oblationes recipiendæ non ſunt.

Bos, ouis, & capra, cum genita fuerint ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ, die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino. Cuiuſcunque enim conditionis homo ſit, ſi ſeptem diebus ſub vbere matris Eccleſiæ B fuerit, & ab eius fide, & doctrina non receſſerit, octauo die & deinceps Domino offerri poterit: non enim ſunt dies niſi ſeptem. Qui ergo ſeptem diebus ſub vbere eſt, quamdiu viuit, ab vbere non recedit. Talis ergo, vel octauo die, id eſt ſtatim poſt hanc vitam Domino offerri, & in ſanctorum concilium recipi poteſt, vel deinceps, ſi forte purgatorio indiguerit. Non enim omnes qui ſaluantur, mox vt obierint in beatitudinem ſuſcipiuntur. Quod autem ait. *Non immolabuntur vna die matres cum fetibus ſuis.* Tale eſt ac ſi diceret: Quamuis Eccleſiæ filij quotidie immolentur & tranſeant, mater tamen viuit, & durat, & filios parere non ceſſat. Sequitur.

Si immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino, vt poſſit eſſe placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quicquam in mane alterius diei. Cum enim Apoſtolus dicat. Gratias ago Deo ſemper pro vobis, quid eſt quod hoſtia, quæ pro gratiarum actione immolatur, tota vna die comeditur, niſi quia vna dies totum hoc temporis ſpacium intelligitur? In hac ergo die gratias C agere, Deo ſeruire, nos ipſos immolare, calicem ſalutaris accipere debemus, quia poſt hanc vitam non eſt pœnitentiæ locus. Ille enim pro gratiarum actione hoſtiam immolat, qui Dei beneficiorum memor ſimul cum Pſalmiſta dicit. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Sequitur.

CAPVT XXIII.

H*Æ ſunt feriæ Domini quas vocabitis ſanctas. Sex diebus facietis opus, dies ſeptimus, quia Sabbathi requies eſt, vocabitur ſanctus, omne opus non facietis in eo, Sabbathum Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris.* De Sabbatho in Exodo ſufficienter diximus, quod quidem tunc bene celebramus quando à malo declinamus, & in bono perſeueramus. Sunt autem & aliæ feſtiuitates quas Iudæi habebant celeberrimas, quæ quamuis non ſemper in Sabbatho fierent, Sabbathum tamen vocaD bantur. Vnde in Euangelio dicitur. *Factum eſt autem in Sabbatho ſecundo primo,* id eſt in ſecundo principali Sabbatho, Primum enim principale Sabbathum in Martio erat, ſecundum vero, quando ſpicarum manipulos offerrebant. Tertium autem in menſe ſeptimo colebatur. Erant ergo tria prima id eſt principalia Sabbatha, in quibus omne maſculinũ apparebat coram Dño. Et de primo quidẽ in quo Paſcha celebratur, & in azimis agnus comeditur, ſatis in Exodo dictũ eſt. Dicamus ergo nunc de Sabbatho noſtro primo, id eſt de ſecũda principali feſtiuitate.

Cum ingreſſi, inquit, *fueritis terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem, qui eleuabit faſciculum coram Domino, vt acceptabilis ſit pro vobis altero die Sabbathi, & ſanctificabit illum. Atque in eodem die quo manipulus conſecratur cædetur agnus immaculatus anniculus in holocauſtum Domino; & libamenta offerentur cum eo: Duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini* E *odoremque ſuauiſſimum, liba quoque, & vini quarta pars hin.* Dominus enim in Euangelio loquitur dicens. Meſſis quidem multa operarij autem pauci rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam: Meſſes ergo, populi: operarij vero, Apoſtoli intelliguntur. Hos autem miſit Dominus metere vbi ipſi non ſeminarunt. Dicatur ergo: Cum meſſueritis ſegetem, & in Dei area, quæ eſt Eccleſia, fidelium manipulos congregaueritis, feretis primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem. Primitiæ enim illi fuerunt, qui in primitiua Eccleſia crediderunt, hos autem ipſi Apoſtoli per ſe ſacerdoti obtulerant, id eſt Domino reddiderant. Qui eleuauit faſciculum coram Domino, ſic enim ipſe ait: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Nemo enim eleuatur, niſi ab ipſo & per ipſum. Bene autem faſciculum poſuit, quia multi ſunt vocati, pauci vero electi. Hoc autem fiebat altero die Sabbathi, qui nunc ab ipſo Domino dies Dominicus appellatur, vt iam tunc ipſi Sabbatho quodammodo dies iſta videretur auferre principatum. Atque F ipſo eodem die cædebatur agnus in holocauſtum, quoniam vno eodemque tempore, & populus ſaluatur & Chriſtus immolatur. Vnde adhuc ſubditur: *Et libamenta offerentur cum eo, duæ ſcilicet decimæ ſimilæ conſperſæ oleo* per quas duos populos intelligimus, Iudæos & gentiles, qui nimirum oleo conſperſi ſunt, quoniam Dei miſericordiam & Sancti Spiritus gratias ſuſcipere meruerunt. Et ne hoc tantum ſacrificium vno die finiretur, liba quoque & vinũ quotidie in Eccleſia offeruntur, & ſacerdotis miniſterio in Chriſti carnem & ſanguinem commutatur.

Panem & polentam & pultes non comedetis ex ſegete, vſque ad diem qua offeretis ex ea Deo veſtro. Niſi enim prius conuertatur & Domino offeratur, neminem in Eccleſiæ corpus traiicere poſſumus. Comedere autem in hoc loco illud ſignificat, quod B. Petro dictum eſt: Macta & manduca. Sunt ergo etiam ſegetes immundæ, neque comedi debent, niſi prius Domino offerantur, & baptiſmate lauentur.

Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulos, ſeptem hebdomadas plenas vſque ad al- G *teram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis veſtris: Panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini, offeretiſque cum panibus, ſeptem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt holocauſtum cum libamentis ſuis in odorem ſuauiſſimum Domino.* Omnes enim iſtæ feſtiuitates pene idem ſignificare videntur. Vnde quamuis non vno modo dicatur, vnum tamen ſacrificium omnibus offertur: ſiue enim agnus, ſiue vitulus, ſiue hircus pro peccato immoletur, Chriſti tamen paſſionem ſignificat. Similiter autem & ſegetes & panes primitiarum, & duo arietes, homines ſunt qui Domino offerantur. Mos enim eſt Prophetarum, ſæpius non eiſdem verbis idem repetere, omnes enim Iudæorum feſtiuitates hanc noſtram ſolemnitatem ſignificabant, de qua dicitur: *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis vſque ad cornu altaris.* Nos H enim non ter in anno, ſed toto anno feſtiuitatem agimus, ſi a ſeruili & iniquo opere ceſſamus, & in bono opere perſeueramus. Septem autem hebdomadæ hanc noſtram feſtiuitatem præcedunt, quia nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. A Chriſti namque paſſione, quinquageſimus annus & Iubilæus in Eccleſia agitur, ſiquidem & à ſeruitute liberati ſumus, & cœleſtis patriæ hæreditas nobis reſtituta eſt. In hac ergo tanta ſolemnitate, offeramus ſacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis noſtris, vetera enim tranſierunt. Sed quid offeremus? panes primitiarum duos. In his enim duobus panibus Eccleſia tota cõſiſtit. Duo enim panes, duo populi ſunt, Iudæorũ ſcilicet & gentium. Hos autem ex omnibus quos creauerat, in primitias & decimas ſibi Dominus elegit. Qui bene de ſimila fermentata eſſe dicuntur, quoniã ſicut mali ita & boni de maſſa peccati originẽ ducũt. Offeruntur autem cum his panibus ſeptem agni immaculati, per quos nihil melius, quam ſeptem gratias Sancti

A Spiritus intelligere poſſumus, ſine quibus Deo nemo offertur. Quæ merito agni & immaculati dicuntur, quoniam innocentes & immaculatos homines faciunt. Offeramus autem & vitulum, vt Chriſti paſſionis ſemper memores ſimus. Offeramus & duos arietes, & ad honorem Dei & totius Eccleſiæ ædificationem laudemus duos Apoſtolorum Principes, delectatur enim Dominus tali ſacrificio, & ſuas ſuorumque laudes & triumphos eum audire delectat. Sequitur.

Facietis & agnum & hircum pro peccato duoſque agnos anniculos hoſtiam pacificorum, cumque eleuauerit ea ſacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vſum eius. Hic ſacrificium quidem duplicatur, ſed ſignificatio non mutatur, quod enim per vitulum, hoc etiam per agnum & hircum intelligitur, & quod per duos arietes, hoc per duos agnos ſignificatur.

Menſe ſeptimo, prima die menſis, erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum, omne opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis in eo holocauſtum Domino. B Primam enim huius menſis diem, Sabbathum dicit, non quod ſemper ſabbathum eſſet, ſed quia vt ſabbathum colebatur, in qua & tubis clangebant, & holocauſtum Domino offerebant, nullumque opus ſeruile in ea faciebant, quoniam hanc noſtram feſtiuitatem ſignificabant, in qua à malo ceſſamus, & voce & corde Deum laudamus, ſemperque laudis & iubilationis holocauſtum immolamus.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens, Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino, omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac peribit de populis ſuis, & qui operis quippiam fecerit, delebo eum de populo ſuo, ſabbathum enim requietionis eſt. Nono die menſis à veſpere vſque ad veſperum celebrabitis ſabbatha veſtra. Similiter autem à quintodecimo die menſis huius ſeptimi erunt feriæ tabernaculorum ſeptem diebus Domino. Diximus enim, per hunc menſem, vltimam ætatem ſignificari, quæ C ſic eſt vltima in ætatibus, vt dies ſeptimus in diebus. Merito ergo menſis iſte totus feſtiuus agitur, in quo feſtiuum Eccleſiæ tempus ſignificatur. Totus quidem, quia in principio, in medio, & in fine, decimus namque pro fine ponitur, quoniam decimus in omni numero finis & terminus eſt, dies vero decimus quintus in menſis medio eſt. Quia ergo prima & decima, & quinta decima huius menſis dies celebris eſt à priuilegio maiorum partium, totum menſem feſtiuum eſſe demonſtrat. Non ſolum enim diem ſeptimum, verum & ſeptimum menſem, & ſeptimum annum, ſabbathum vocat, quoniam in his omnibus requies & ſolemnitas agebatur. Hæc eſt autem illa ſolemnitas in qua ſemel in anno Pontifex ingrediebatur in ſancta Sanctorum, quæ quoniam hoc tempus acceptabile, & hos dies ſalutis ſignificabat, nunc expiare, nunc animas affligere, nunc holocauſtum immolare debemus: peribit enim qui modo non affligitur: peribit qui modo pœnitentia non expiatur, & qui laudis & iubilationis non immolat holocauſtum. D Nunc enim eſt ſabbathum requietionis, in quo ab omni iniquitate & quieſcere & ceſſare debemus. Hoc ergo ſabbathum à veſpere vſque ad veſperum celebramus, vt vſque in finem, vſque in vltimum diem in quiete ab omni malo perſeueremus. Quid eſt enim, à veſpere vſque ad veſperum, niſi à primo vſque ad ſecundum Chriſti aduentum? Chriſti namque natiuitas, ſextæ ætatis finis & veſperum & ſeptimanæ mane & principium fuit. Hæc autem ætas ſimul cum hoc mundo veſperum & finem habebit. Hucuſque de die decimo, nunc de quinto decimo videamus.

A quintodecimo die menſis huius ſeptimi, erunt feriæ tabernaculorum ſeptem diebus Domino, dies primus vocabitur celeberrimus atque ſanctiſſimus, omne opus ſeruile non facietis in eo, & ſeptem diebus offeretis holocauſta Domino. Dies quoque octauus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino, eſt enim cœtus atque collecta, omne opus ſeruile non facietis in eo. E Quamuis enim in verbis differant, in ſignificatione tamen, & hæc & ſuperiora eadem ſunt. Prima namque die menſis huius tubis clangebant, quia in principio huius ætatis maior vox prædicatorum vbique terrarum inſonuit. De hac enim die ſcriptum eſt. Canite in initio menſis tuba in die inſigni ſolemnitatis veſtræ. Decima vero die illa, magna feſtiuitas agebatur, in qua ſolus Pontifex non ſine ſanguine ad expiandum populum ingrediebatur Sancta Sanctorum: at vero quintadecima die eiuſdem menſis erat feſtiuitas tabernaculorum, in qua filij Iſraël habitabant in tabernaculis ſeptem diebus. Hæc autem omnia quid aliud ſignificabant, niſi quia nos in hoc ſeptimo menſe, in hac vltima ætate, oris & cordis tuba Deum laudare, corpus & animam à peccatis omnibus expiare, & in Eccleſiæ tabernaculis ſeptem diebus, id eſt, quanto tempore viuimus, quiete habitare, & Deo ſeruire debeamus. Hæc ſunt enim illa tabernacula de quibus Pſalmiſta dicit: *Quam dilecta ſunt tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* F Huius autem ſolemnitatis primus dies, & octauus celeberrimi ſunt, in quibus ſeruile opus & peccatis obnoxium agere non licet, ſed laudis ſemper & iubilationis ſacrificia immolari debent. Vnde Apoſtolus dicit: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, vitulos labiorum confitentium nomini eius.* Sed quare præ cæteris primus & octauus dies ſunt celeberrimi, niſi quia in principio fidei Apoſtoli & Martyres claruerunt, & in vltimis diebus Iudæi pariter & gentiles, cognita veritate, ad fidem conuertentur? Vnde octauus dies cœtus & collectionis dies vocatur, quoniam maximus cœtus ſanctorum tunc in Eccleſiam colligetur. Sequitur.

Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro, celebrabitiſque ſolemnitatem ſeptem diebus per annum. Quid enim per hanc arborem pulcherrimam eiuſque fructus, niſi hoc quod Pſalmiſta loquitur dicens: *Et erit tanquam lignum quod plantatum G eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo?* Et reuera pulcherrima arbor Chriſtus Dominus noſter cuius fructus dulciſſimos & ſuauiſſimos primo die & ſtatim in ipſo naſcentis Eccleſiæ principio ſancti Apoſtoli collegerunt. De quibus Pſalmiſta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo.* Per ſpatulas autem palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, quamuis ſanctorum verba, ſententiæ & exempla intelligi poſſunt, hic tamen nos intelligere ſufficit, quod ex his vmbracula fiebant, quibus à ſolis ardore homines tuebantur. Quid enim ſic à ſolis ardore & à ſuperueniente aduerſitate nos defendit, vt ſanctorum conſolatoria verba & exempla? Vnde Apoſtolus: *Quæcunque,* inquit, *ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Hæc autem de feſtiuitatibus breuiter dicta ſint.

CAPVT XXIV. H

SEquitur autem de oleo puriſſimo, quod in lucernis ſuper candelabrum Aaron ponebat à veſpere vſque ad mane, coram Domino. De hoc enim ſatis in Exodo diximus. Candelabrum enim Chriſtus eſt, cuius lucernæ cum oleo, ſeptem gratiæ Spiritus ſancti intelliguntur, quibus totius Eccleſiæ tabernaculum illuminatur. Sequitur.

Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas, quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam ſtatues coram Domino, & pones ſuper eos thus lucidiſſimum, vt ſit panis in monumentum oblationis Domini. Per ſingula ſabbatha mutabuntur coram Domino ſuſcepti à filiis Iſraël fœdere ſempiterno, eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco ſancto. Hæc enim ſimila ſacræ legis Scriptura & ſcientia eſt, de qua duodecim panes, id eſt, duodecim

Apoſtolorum prædicationes & ſermones cocti & compoſiti ſunt. Quos illi duodecim cophini bene ſignificant, qui de quinque panum fragmentis in Euangelio implentur. Habent autem ſinguli duas decimas, quæ totum legis decalogum dupliciter, id eſt ſecundum litteram, & ſecundum ſcientiam ſpiritualem exponunt. Si enim ad litteram tantum decem verba legis intelligerentur, ex vna decima panes ſuos Apoſtoli compoſuiſſent. Sunt autem hi panes poſiti ſuper menſam puriſſimam, quia ſuper vtriuſque teſtamenti doctrinam, quæ per menſam ſignificatur, quaſi quædam expoſitiones ſuperadditi ſunt. Super quos & thus lucidiſſimum non immerito ponitur, quia doctrina Apoſtolica & guſtu ſuauis & odore delectabilis eſt. Vnde Apoſtolus: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt, aliis enim ſumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem.* Mutantur autem per ſingula ſabbatha, quoniam omni feſtiuitate, & quotieſcunque populus conuenit in vnum, ſemper Apoſtolorum doctrina exponi & recitari, & quodammodo innouari debet. Hos autem comedit Aaron & filij eius in loco ſancto, quia Epiſcopi & Sacerdotes hos ſemper meditari, & in conuentu fidelium exponere debent. Sequitur.

Ecce autem egreſſus filius mulieris Iſraëlitis quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſraël, iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlita. Cumque blaſphemaſſet nomen Domini & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen, miſeruntque eum in carcerem, donec noſſent quid iuberet Dominus. Deinde vero iubente Domino, omnes qui audierunt, poſuerunt manus ſuper caput eius. & lapidauit eum omnis populus. Ego enim hunc virum qui de fideli matre & infideli patre natus, contra Iſraëlitam & Catholicum iurgatur, hæreticorum aliquem intelligo, cuius mater Eccleſia, cuius pater diabolus eſt, in Eccleſia enim natus à Diabolo ſeductus, eius filius factus eſt, cuius opera operatur. Sic enim ipſe Dominus ait: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Hic autem iurgatur in caſtris contra Iſraëlitam, quoniam hæreticus contra Catholicum diſputans in Eccleſia, Deum blaſphemare & maledicere non timet. Ideoque mittitur in carcerem, ſeparatur à communione fidelium, conueniunt Epiſcopi, fit Concilium, adſunt accuſatores, ponunt manus ſuper caput eius, conuincunt eum, lapidatur ab omni populo, maledicitur & damnatur, & à toto Concilio dignus morte iudicatur, omnes in eum lapides projiciunt, quicunque damnationis ſententiam ſuper eum confirmant.

Sequitur autem de ſeptimo anno, qui ſimiliter vt ſeptimus dies, & ſeptimus menſis totus celeberrimus habebatur, agrum non ſerebant, vineam non putabant, ſed omnia quæ ſua ſponte terra ferebat, omnibus communia erant. Non quaſi propria colligebantur à quoquam, ſed quaſi communis benedictio in cibum ſolummodo ſuſcipiebantur ab omnibus. Idipſum autem per ſeptimum annum intelligimus quod per ſeptimum diem, & ſeptimum menſem ſignificari diximus, ſignificant autem hanc ſeptimanam vltimamque ætatem, in qua ſancta Eccleſia in Dei laudibus ſabbatizat, in qua à ſeruili, & iniquo opere quieſcens, mundana, & tranſitoria deſpiciens, de craſtino non cogitans, vno communi & ſpirituali vtitur cibo ſine ſuo labore atque ſudore ſibi præparato. Hoc autem etiam de vita futuri ſæculi intelligi poteſt, in qua vt quiete & ſine labore viuamus, in huius laborioſo tempore quaſi in ſex annis fatigamur: Quæ enim ſeminauerit homo, vt Apoſtolus ait, hæc & metet. Sequitur.

Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt ſeptem ſepties, quæ ſimul faciunt, annos quadraginta nouem. Et clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra. Quæ autem de ſeptimo anno & ſeptimo menſe, & ſeptimo die dicta ſunt, de anno quoque quinquageſimo, qui Iubilæus dicitur, intelligantur. Clangebant autem buccina in ſeptimo menſe decima die menſis, quo videlicet menſe annus quadrageſimus nonus finiebatur, & collectis omnibus terræ fructibus, annus quinquageſimus, qui & Iubilæus, incipiebat. Buccinæ vero ſonus, Iubilæi denunciatio erat. Hoc autem anno terra quieſcebat, feſtum & lætitia ab omnibus agebatur, ſeruitus ſoluebatur, libertas dabatur, omniſque homo ad priſtinam ſuam poſſeſſionem reuertebatur. Hic autem annus tunc ſpiritualiter incipiebat, quando Chriſtus Dominus noſter de diaboli ſeruitute ſuo ſanguine mundum redemit, & primam nobis poſſeſſionem reſtituens Paradiſi ianuas fidelibus ſuis aperuit. Hoc autem & de æterna beatitudine ſatis conuenienter intelligi poteſt, quæ poſt hanc ſeptimam annorum hebdomadam exſpectatur. Hac enim ætate, & hoc millenario finito, (ſi tamen finiatur) annus Iubilæus, annus iubilationis & laudis, annus quietis & beatitudinis incipiet ſanctis.

Si attenuatus frater tuus, vendiderit tibi poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus eius, poteſt redimere quod ille vendiderat: Sin autem non habuerit proximum, & ipſe pretium ad redimendum potuerit inuenire computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, & quod reliquum eſt reddet emptori ſicque recipiet poſſeſſionem ſuam. Quod ſi non habuerit quod reddat, habebit emptor quod emit vſque ad Iubilæum. In ipſo enim omnis venditio redit ad Dominum, & ad poſſeſſorem priſtinum. Quanta ratione & honeſtate, quanta miſericordia & pietate hæc verba plena ſunt. Non enim poſſeſſio, ſed tempus frugum, non terra, ſed fructus terræ venditur. Sic enim neque emptor precium, neque venditor amittit poſſeſſionem vtrique cauetur, huius abundantia illius inopiam ſupplet, & è contra illius inopia huius abundantiam abundare amplius facit, nemo in tali venditione decipitur in qua & terminus eſt & conditio: Iubilæus enim terminus eſt, conditio vero, quia etiam ipſe vſusfructus omni tempore redimi poteſt. Hic ergo neque vſura creſcit, neque auarus fænerator aliena diripit, quoniam & tempus computatur & fructus. In his autem & ſimilibus allegoriam quærere, non eſt neceſſarium, quæ ſic ratione & honeſtate, miſericordia, & pietate plena ſunt. Vbi enim Diuina ſcriptura, vel ratione caret, vel ſcelus iubere videtur, ibi neceſſario allegoria quærenda eſt.

Qui vendiderit domum intra Vrbis muros habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor poſſidebit eam & poſteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Iubilæo. Sin autem in villa fuerit domus quæ muros non habet, agrorum iure vendetur, ſi ante redempta non fuerit in Iubilæo reuertetur ad Dominum. Hic præter litteram, aliud quid videtur eſſe quærendum. Quid enim per ciuitatem muratam, niſi Eccleſia? Quid vero per villam quæ muros non habet niſi ea quæ extra Eccleſiam ſunt? De Eccleſiæ namque muro ſcriptum eſt. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* In hac autem ciuitate domum ſuam vendit; quicumque in Eccleſia poſitus crimen committit. Vnde in perſona quorundam Apoſtolus ait, *Lex enim ſpiritualis eſt ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.* Vnus autem annus tota hæc præſens vita intelligitur. Qui ergo domum ſuam carnem ſuam, & ſeipſum diabolo peccando vendidit, niſi priuſquam huius vitæ annus & terminetur eam pœnitentia redimat, nec in ipſo quidem Iubilæo eam redimere poterit. Iubilæum autem hoc loco vltimum diem vocat quando ſancti liberati à ſeruitute corruptionis in primam poſſeſſionem, & in gloriam filiorum Dei transferentur. At vero qui in villa & extra Eccleſiam peccant, quoniam Dei protectionis muro non defenduntur, etſi prius domum, & carnem ſuam, quæ diabolo multis modis vendita eſt redimere non poſſunt, & in Iubilæo tamen eam recipiunt. Iubilæum autem infideles non habent. Quocunque autem die de ſeruitute aliquis liberatur, iubilæus eſt illi. Habet ergo homo Iubilæum quocumque die baptizatur. Hoc ergo Iubilæo domus illa quæ in villa & extra Eccleſiam vendita eſt, ad Dominum ſuum reuertitur, quia tunc homo de diaboli ſeruitute liberatur. Sed iſte quidem Iubilæus, niſi ſemel haberi non poteſt, alij vero Iubilæi toties habentur, quoties per pœnitentiam reddita liber-

A tate peccata ſoluuntur. Quod autem ait. *Quia ædes Leuitarum, quæ in vrbibus ſunt ſemper poſſunt redimi, ſuburbana vero eorum nunquam debeant vendi,* ad litteram tantum intelligere ſufficit, ædificia enim Eccleſiaſtica pro ipſius Eccleſiæ vtilitate, ad penſionem quidem locari poſſunt, penitus autem alienari non poſſunt. Et hoc quidem quia in vrbibus ſunt & non facile celantur vel obliuioni traduntur, ſuburbana vero, quia ab hominum conſpectu longe ſunt, ad tempus etiam, & conditionaliter ſine periculo vendi non poſſunt. Habent ergo ſempiternam poſſeſſionem,& nullotenus alienari debent.

Sequitur autem de his, qui neceſſitate compulſi aliis ſemetipſos aliquando vendunt, vt non quaſi ſerui, ſed quaſi coloni & mercenarij habeantur, & ſi vel à ſe vel ab aliò redimi poſſunt, violenter non teneantur. Non eſt enim æterna ſeruitus quæ ſoluitur Iubilæo. Ergo etiam hic ſatis honeſte, & miſericorditer vtrique parti cauetur, dum neque ille qui emit, pretium perdit, neque ille qui B venditur pro ſeruo tenetur, & ementis beneficio à penuria liberatur, tenetur enim vt precium ſoluat, quo ſoluto iam non tenetur, ergo iam non ſeruus ſed debitor eſt. Vtinam hoc capitulum Chriſtiani, ad litteram intelligerent & ſeruarent, & ſub hac conditione diuites pauperibus ſubuenirent, quatenus & pauperes diuitibus ſeruientes viuere poſſent, & diuites pauperum ſeruitio contenti eos non affligerent; & importuno fœnore ſuas eis poſſeſſiunculas non ſubriperent: ſæpe enim vidimus parua pecunia mutuata, totam ſubito pauperum ſubſtantiam deuorari.

Hinc autem ſequitur ſermo valde prolixus, in quo multa beneficia pollicetur Dominus filiis Iſrael, ſi ei obedientes fuerint, & eius mandata cuſtodierint: E contra vero ſi inobedientes fuerint, & ei ex aduerſo inceſſerint, omni eos penuria, & peſte affligere minatur, quod quidem ſeptem plagis ſignificat. Hæc autem omnia iuxta litteram eis accidiſſe, intelligere poterit quicumque eorum hiſtorias diligenter legerit: Scripta ſunt autem, vt C Apoſtolus ait, *ad correctionem noſtram in quos fines ſæculorum deuenerunt.* In his autem, quia ſatis per ſe plana, & facilia ſunt, diutius immorari non videtur eſſe neceſſe. De his qui ſemetipſos vouerunt Deo.

CAPVT XXVII.

HOmo *qui votum fecerit & ſpoponderit Deo animam ſuam ſub æſtimatione dabit pretium. Si maſculus fuerit, à vigeſimo, vſque ad ſexageſimum, dabit quinquaginta ſiclos argenti, ad menſuram ſanctuarij: ſi mulier, à trigeſimo. A quinto autem anno vſque ad vigeſimum, maſculus dabit viginti ſiclos, fœmina decem.* Cum per prophetam Dominus dicat. Vouete & reddite Deo veſtro, quid eſt quod hoc loco vota non redduntur, ſed redimuntur: Ego quidem non de omni voto hoc intelligo. Qui enim quod vouet reddit, quid neceſſe habet redimere, quod vouit: niſi forte ſe vouiſſe pœniteat, præſertim cum hoc de anima ipſa dicatur. Qui ergo peccat in voto redimat votum, & det pretium ſub æſtimatione. D Sub æſtimatione quidem, quia & ſexus, & ætas, & facultas in ſoluendo pretio conſiderari debet: aliter enim viri, aliter fœminæ, aliter infantes, & pueri, & aliter adoleſcentes, aliter iuuenes, & aliter ſenes, aliter pauperes, & aliter diuites, aliter ſapientes, & aliter inſipientes iudicandi ſunt. Et quamuis in precio quidem ſit maius & minus, tamen in ſatisfactione æqualitas eſt. Nihil enim minus ſatisfacit qui quinque ſiclos ſoluit, quam ille qui ſoluit quinquaginta. Inde etiam mulierem, quæ duo minuta in gazophilacium poſuit, plus omnibus poſuiſſe Dominus ipſe teſtatur, non enim habuit amplius quid poneret. Sic ergo in dandis pœnitentiis ætas, fortitudo, ſcientia, facultas, conditio, voluntas & ſimilia conſideranda ſunt. Multi enim ſunt, qui neque vinum bibunt neque carnes edunt, qui non tantum ſatisfaciunt quantum illi, qui his in ſobrietate pro corporis qualitate & neceſſitate vtuntur. Sic enim Apoſtolus eos laudat qui comedunt omnia, ſicut & illos qui comedunt olera, & ſicut illos qui iudicant omnem diem, ita & illos qui iudicant diem inter diem. E Ille ergo qui maſculus eſt & fortis, à vigeſimo anno vſque ad ſexageſimum (in his enim viget ætas) dabit quinquaginta ſiclos, id eſt maiori & perfectiori pœnitentia ſatisfaciet. Hoc autem ad menſuram Sanctuarij, id eſt ſecundum iudicium ſacerdotum. Mulier autem, quæ mollior eſt, & cui de virili fortitudine, & ſcientia aliquid deeſt, dabit triginta. Qui numerus, quamuis in quantitate differat à ſuperiori in redemptione tamen animæ inferior non eſt, Sic enim triginta ſiclis redimitur anima, ſicut & quinquaginta. Trigeſimo namque anno aquas ſanctificans baptizatus eſt Chriſtus, die vero quinquageſima, in Spiritu ſancto & igne Apoſtoli baptizantur. Vnde ipſe Dominus ait. *Vos autem baptizabimini in Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Tanti ergo Siclis redimitur anima, quæ ita vel ita mundata ſoluitur à peccatis. Sufficit enim animæ, ſi tanto pretio redimatur, quanto ipſe Saluator venditus eſt. Multa enim de quinquaginta & triginta dici poſſunt, ſed ad præſens iſta ſufficiant. Similes F autem & viginti ſiclis perfectiſſime redimitur, & votum, & anima, quoniam qui legis decalogum intelligendo, & obſeruantia duplicat, nihil eſt quod vltra ſatisfacere valeat. Quindecim quoque ſiclorum redemptionem Salomon perfectam eſſe ſignificans ait. Da partes ſeptem, nec non & octo, his enim partibus conſtat iſte numerus, per quas præſens vita & futura ſignificantur. Vtrique autem vitæ dat partem, qui ſic per iſtam tranſit, vt alteram non amittat. Cur autem vtramque vitam vnum ſignificet, notiſſimum eſt. Veniamus nunc per ordinem ad decem ſiclos, per quos quia decem verba legis intelliguntur, nullo alio precio melius quam hoc, anima redimitur. Perfecte autem ille quoque animam ſuam redimit, qui pro eius redemptione, quinque ſiclos perſoluit id eſt, qui quinque corporis ſui ſenſus ad ſeruiendum Domino, tradit. Reſtat nunc, vt de tribus ſiclis dicamus, & perfectam in eis quoque redemptionem eſſe oſtendamus. Duo enim ſicli, anima, & corpus, tertius autem, omnis noſtra poſſeſſio intelligitur. Perfecte ergo animam ſuam redimit, qui G corpus, & animam, omnemque ſuam poſſeſſionem Domino reddit, Vnde ipſe Dominus ait. *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Conſtat ergo, quaniã animæ redemptio, quamuis in quãtitate differat, in ſolutionis autem perfectione non differt.

Si pauper fuerit, & æſtimationem reddere non valebit, ſtabit coram ſacerdote, & quantum ille æſtimauerit & viderit eum poſſe reddere, tantum dabit. Hæc enim paupertas non temporalium diuitiarum, ſed ſcientiæ, & virtutum eſſe videtur, quam qui patitur, non ſecundum Canonum rigorem, ſed ſecundum bene prouidi ſacerdotis æſtimationem iudicari debet. Hoc eſt enim quod Dominus ait: Quia ſeruus neſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digna plagis vapulabit paucis. Inde & phreneticis, & inſanis peccata, quæ committunt, non imputantur.

Animal autem quod immolari poteſt Deo, ſi quis vouerit, ſanctum erit, & mutari non poterit, (id eſt nec melius malo, nec peius bono.) quod ſi mutauerit & ipſum quod H *mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum eſt Domino.* Nullum enim animal niſi mundum, hoc autem qui vouerit, reddere oportebit, & mutare non poterit. Vouere enim & iurare proxima ſibi & valde ſimilia ſunt. Si quis autem pro voto (niſi forte impoſſibile & contra legem fuerit) aliud aliquid reddiderit pro quo à voto ſe ſolui arbitretur, errat: ſed illud quod pro voti redemptione fit, Domini eſt, id eſt, à Domino recipitur, & ipſum inſuper votum quia non præteriri nec mutari debet, fieri & compleri oportet. Sancta ergo vota reddenda, iniqua vero redimenda ſunt. Vnde, & ſubditur.

Animal immundum quod immolari Domino non poteſt, ſi quis vouerit, adducetur ante ſacerdotem, qui iudicans vtrum bonum, vel malum ſit, ſtatuet pretium, quod ſi dare voluerit is qui offert, addet ſuper æſtimationem quintã partem. Quid enim animal immundum, niſi opus malũ? quod quia Dominus non recipit, ei immolari non poteſt. Hoc autem ſicut vouere, ita & facere malũ eſt. Verumtamen ſi

quis tale aliquid vouerit, veniat ad ſacerdotem, eique ſuum votum manifeſtet, qui iudicans vtrum bonum an malum ſit, ſi forte malum eſſe cognouerit ſtatuet precium quo redimatur: melius eſt enim vt redimatur, quam vt agatur.

Hoc autem pretium, pœnitentiæ ſatisfactio eſt, quod pretium ſi dare voluerit ille qui offert, (in voluntate enim eſt pœnitentia) addet ſuper æſtimationem quintam partem, quatenus, & ſtultum votum relinquat, & tota virtute & fortitudine, quæ quidem in quinque corporis ſenſibus conſiſtit, agat. Tale enim votum illi fecerunt, qui ſe non prius manducare, & bibere vouerant, quam Apoſtolum interficerent.

Homo ſi vouerit domum ſuam, & ſanctificauerit Domino conſiderabit eam ſacerdos, vtrum bona an mala ſit, & iuxta precium, quod ab eo ſuerit conſtitutum, venundabitur. Sin autem ille qui vouerat, voluerit redimere illam, dabit quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum. Hoc enim, quamuis ad litteram ſufficiat intelligere, ſpiritualiter tamen aliquid ſignificare poteſt. Sæpe enim in Diuino eloquio, & domus, & templum, & tabernaculum, homo vocatur. Vnde manifeſtum eſt, quia nemo fidelium eſt, qui domum ſuam Deo non vouerit & ſanctificauerit, ſiquidem ſeipſum per fidem, & baptiſmum Domino tradidit. Conſiderat autem ſacerdos hanc domum vtrum bona an mala ſit, conſtituitque pretium quo vendatur Deo. De malo vero, perſona mutata, Apoſtolus ait, Ego inquit *carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Altera ergo mundatur vt ſplendeat: altera vero damnatur, vt pereat: quam ſi ille qui vouerat, redimere voluerit, (indiget enim redemptione, quoniam mala eſt, non per naturam, ſed per vitium) dabit quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum. Qui ergo peccando perdidit domum, non niſi pœnitendo & ſatisfaciendo, eam iterum habere poteſt, talis enim domus non vouendo, ſed peccando perditur, qui enim bene vouet, hoc reddit quod vouet, Scriptum eſt enim. *Vouete, & reddite.* Tale ergo votum non indiget redemptione, indigeret autem, ſi redditum non eſſet, vel ſi redditum violatum eſſet.

Quod ſi agrum poſſeſſionis ſuæ vouerit & conſecrauerit Domino iuxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium, ſi triginta modiis hordei ſeritur terra, quinquaginta ſiclis vendetur argenti. Si ſtatim ab anno incipientis Iubilæi vouerit agrum quantum valere poteſt tantum æſtimabitur. Sin autem poſt aliquantum temporis ſupputabit ſacerdos pecuniam, iuxta annorum, qui reliqui ſunt numerum vſque ad iubilæum, & detrahent ex precio. Quod ſi voluerit agrum ille qui vouerit, addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eum. Hæc autem, & cætera, quæ ſubſequuntur de agrorum poſſeſſione, ad litteram intelligantur, quæ quidem vt ſcriberentur, multis de cauſis neceſſarium fuit. In eo enim quod pretium, error, fraus lites & preces tolluntur, & ſacerdotum auaritia refrenatur (hæc enim omnia inter ementes, & vendentes accidere ſolent, quæ quidem ideo hic eſſe non poſſunt quoniam & pretium, & tempus, & venditionis modus determinate ponuntur) neque à ſacerdotibus carius, neque ab iis qui eam emunt, poſſeſſio vilius æſtimari poteſt, quoniam non eorum verbis, ſed legis teſtimonio cuncta finiuntur. Denique quintam partem ſuper æſtimationem addere præcipit, quatenus ille qui poſſeſſionem ſuam Domino vouit, non magnum deſiderium redimendi habeat, dum ſibi ad redimendum, cariorem eſſe cognoſcit, poterat enim homo à principio, & priuſquam Domino conſecraretur, eam quam vouerat poſſeſſionem redimere, quæ ideo ei carius quam aliis vendebatur, quoniam alij non poſſeſſionem ipſam ſed vſusfructus ſolum ſolummodo emebant, ipſe vero ipſam poſſeſſionem iure hæreditario redimebat: Semel enim Domino aliquid conſecratum, nec vendi nec redimi vlterius poterat, aliæ poſſeſſiones in Iubilæo ad proprios Dominos reuertebantur. Poterat ergo quilibet ſuam poſſeſſionem Domino dare, alij vero vendere, & penitus à ſe alienare, non poterat? ſuperius dixit, vt cuncta regio poſſeſſionis eorum ſub redemptionis conditione venderetur. Valde ergo hæc ſcribere neceſſarium fuit, vt cum de aliis poſſeſſionibus ſupra dixerat, de Domini quoque poſſeſſionibus non taceret, ne forte inter has, & illas nullam putarent eſſe diſtantiam. Sequitur.

Sin autem voluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerat redimere non poterit, qui cum quoque Iubilæi venerit dies ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotum. Hoc eſt enim quod modo diximus, quia ille qui vouerat, ſtatim à principio agrum ſuum redimere poſſet, Si vero prius alteri cuilibet venderetur (vendebatur autem non poſſeſſione ſed vſu) iam vlterius ille qui vouerat, eum redimere non poterat, ſed veniente Iubilæo, quaſi Deo conſecratus ad ius ſacerdotum pertinebat.

Si ager emptus eſt, & non de poſſeſſione maiorum ſanctificatus fuerit Domino, ſupputabit ſacerdos iuxta annorum numerum vſque ad Iubilæum precium, & dabit ille qui vouerat eum Domino: In Iubilæo autem reuertetur ad Dominum, qui vendiderat eum & habuerat in ſortem poſſeſſionis ſuæ. Quia enim iure hæreditario alterius agrum nemo emere poterat, ſi quis agrum, cuius vſum exuerat, & quem de poſſeſſione antiquorum parentum ſuorum non poſſidebat Domino vouiſſet, non ideo quidem Domini erat, ſed veniente Iubilæo ad priorem Dominum qui eum vendiderat, & cuius hæreditas fuerat, reuertebatur: ille vero qui eum emerat & Domino vouerat vſque ad Iubilæum ſi vellet eum redimendi licentiam habebat. Expoſitis autem omnibus quæ in hoc profundiſſimo volumine expoſitione indigere videbantur, Domino noſtro Ieſu Chriſto gratias agamus, quem quicunque ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed veri luminis ſplendore illuſtratur. Cui cum Patre coæterno & Spiritu ſancto eſt honor & gloria, regnum & imperium, virtus & poteſtas, & nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit Liber Leuitici.

INCIPIT LIBER NVMERI.

CAPVT PRIMVM.

LOCVTVS eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Synai, in tabernaculo fœderis, primo die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex Ægypto, dicens: Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum qui ſexus eſt maſculini, à viceſimo anno & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſraël, & numerabitis eos per turmas ſuas tu & Aaron. Eruntque vobis principes tribuum ac domorum in cognationibus ſuis illi quorum nomina hæc ſunt. Quicunque enim in Euangelio Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dicentem audiuit: Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt, intelligere debet quid ſignificet quod Dei populus numeratur? nouit enim Dominus & nomina & numerum electorum ſuorum, & reuera beati qui in Dei exercitu numerati, & quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, de his enim perire aliquem impoſſibile eſt, ideoque ſoli maſculi & viri fortes à viceſimo anno, & ſupra, in hoc loco non immerito numerantur, tales enim pugnare & in hoſtem ciere decet, quos & ſexus & ætas & fortitudo commendat. Sed quare à viceſimo anno & ſupra, niſi quia bis decem viginti fiunt? Decem enim ſunt verba legis, in quibus omnis ſcientiæ plenitudo continetur, quæ quicunque duplicauerit, vt & ſecundum litteram & ſpiritualiter ea intelligat, ſecure contra Iudæos, & hæreticos & diſputare & pugnare valebit: Qui vero hoc numero aliquid minus habent, in tali certamine facile ſuperantur. Viginti quoque annos habere, eſt, Diuinæ legis ſcientiam dupliciter intelligere: qui vero ea quæ intelligit, operatur, etiam ſupra viginti aliquid habere videtur.

Sed

A Sed quid per Moyſen & Aaron, qui & pugnatores numerant, & viginti ſuper eos principes eligunt, niſi Chriſtus Dominus noſter ſignificatur? Ipſe enim & legiſlator eſt, ſicut Moyſes, & ſacerdos ſicut Aaron. Ipſe quoque duodecim ſuæ militæ principes elegit, quos & Apoſtolos nominauit, quibus in Euangelio loquitur dicens: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. De hoc autem capitulo iſta ſufficiant.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Tribum Leui noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël, ſed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonij, cuncta vaſa eius, & quicquid ad cæremonias pertinet, ipſi portabunt, & tabernaculum & omnia vtenſilia eius, & erunt in miniſterio, & per girum tabernaculi metabuntur. Numeratur quidem tribus Leui, ſicut poſtea declarabitur, eius tamen numeri ſumma cum cæteris non ponitur, maioribus enim hæc tribus vacat myſteriis. Multam enim differentiam habet à reliquo populo clericorum ordo, qui per hanc tribum ſignificatur. Ipſe enim con-
B ſtitutus eſt ſuper tabernaculum teſtimonij, ipſe ſuper totam Eccleſiam obtinet principatum, ipſe eius vaſa & cæremonias, ipſum quoque tabernaculum & cuncta eius vtenſilia portat, quoniam totam Eccleſiam eiuſque Sacramenta regit, ordinat, & diſponit. Vnde non immerito, quoniam iſti totius tabernaculi miniſtri ſunt & cuſtodes, circa ipſum tabernaculum proxima ſua tentoria figunt, poſt eos autem cætera multitudo, vnuſquiſque ſecundum ordinem ſibi diſpoſitum, caſtrametatur. Nemo vero præter illos ad tabernaculum deponendum vel erigendum, aut aliquo modo diſponendum, accedere audebat, quoniam quicunque externorum acceſſerat, occidebatur. Hoc autem ſi noſtri Reges & Principes intelligerent, Eccleſiaſtica ſibi officia non vſurparent.

CAPVT II.

Ipſe quoque caſtrorum ordo tam bene diſpoſitus, magnum aliquid ſignificare videtur: In medio enim ta-
C bernaculum figebatur, cui proximi per girum Leuitæ caſtrametabantur: Deinde vero ad orientalem plagam Iudas figebat tentoria, in cuius exercitu Iſachar & Zabulon annumerati, per turmas ſuas ſemper primi egrediebantur: Ad meridiem autem ponebant caſtra filij Ruben, in quibus Symeon & Gad connumerati ſunt: Ad Occidentalem vero plagam, erant caſtra filiorum Efraim, & ſimul cum eis Manaſſes, & Beniamin: At vero ad Aquilonem, caſtrametati ſunt filij Dan, atque iuxta eos Aſer & Neptalim, & iſti quidem ſemper nouiſſimi proficiſcebantur. Merito igitur de Eccleſia dicitur: Quia pulchra eſt vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Nihil in ea inordinate, indecenter, temere & incompoſite fieri debet, vnuſquiſque in ſuo ordine maneat, priori inferior non ſe præferat.

CAPVT III.

D *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Applica tribum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis, vt miniſtrent ei, & excubent & obſeruent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonij, & cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius. Dabiſque dono Leuitas Aaron & filij eius, quibus traditi ſunt à filiis Iſraël; Aaron autem & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotij. Externus qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.* Intelligite hæc Leuitæ, aperite oculos, videte, non vos ſuperbia inflet, ſcitote, quia miniſtri eſtis Epiſcoporum & Sacerdotum, & non ſolum miniſtri, verum etiam dono dati ad ſeruiendum, ad obediendum, eorumque monitis & iuſſionibus obſequendum. Sic enim vos, ſi aliter feceritis, moriemini, ſicut & externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Ego tuli Leuitas à filiis Iſraël pro omni primogenito qui aperit vuluam in Iſraël, eruntque Leuitæ mei. Meum eſt enim omne primogenitum; Ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægy-
E *pti, ſanctificaui mihi quicquid primum naſcitur in Iſraël, ab homine vſque ad pecus, mei ſunt, Ego Dominus.* In primogenitis enim Ægyptiorum, quos Dominus percuſſit, primum & originale peccatum in cunctis fidelibus ſe ſuo ſanguine & aqua baptiſmatis delere ſignificauit. Pro his autem omnia primogenita filiorum Iſraël ſibi vendicauit, quia deſtructo originali peccato, fidem, (quæ Chriſtianæ religionis prima & maxima eſt, & ex qua anima, quæ mortua erat, viuificatur) ſe diligere ſibique placere oſtendit: Sicut enim illo peccato moriuntur omnes, ita hac virtute viuificantur omnes, ſecundum illud: Iuſtus ex fide viuit. Sed quia non omnes qui fidem habent, Eccleſiæ Sacramentis digni & idonei ſunt, ideo ſola Leuitica tribus ad ſeruiendum in tabernaculo pro cunctis primogenitis, à Deo eligitur, vt ſicut hæc tribus vna erat in genere, ita omnis Clericorum ordo, vnus idemque ſit in Religione. Hoc enim Apoſtolus ſignificans, Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos ſine crimine eſſe iubet.

F Hinc autem præcipit Dominus Moyſi, vt numeret omnes maſculos de tribu Leui, ab vno menſe & ſupra, numeret & omnes primogenitos maſculini generis ſimiliter ab vno menſe & ſupra, de cæteris tribubus filiorum Iſraël. Sed quia plures fuerunt primogeniti totius Iſraël quam ſoli maſculi tribus Leui, omnes eos qui ſuperfuerunt, ex tunc & poſtea, pretio quinque ſiclorum poſt vnum menſem redimi præcepit. Siclus autem viginti obolos habet. Quid eſt autem quod ſoli maſculi numerantur, niſi quia illi in Dei militia computantur; qui neque fœmineæ ſint fragilitatis, neque ſicut Eua, facile decipiuntur? Numerantur autem ab vno menſe & ſupra, qua in re, totam hanc militiam ex ſolis fidelibus conſtare ſignificatur. Poſt vnum etenim menſem omnes primogeniti ad templum ferebantur, & Domino à parentibus offerebantur, quia ergo ante vnum menſem Deo non dantur, merito ante vnum menſem in Dei exercitu non computantur. Numerantur ergo per vnum menſem, id eſt, poſtquam Eccleſiæ coniuncti, & Deo redditi ſunt, & iam per fidem ei adhærent. Vnde etiam poſt vnum
G menſem redimuntur, quia ante vnum menſem nullius pretij ſunt, ſiquidem nec templo allati, nec in templo Deo oblati, nec Eccleſiæ ſociati ſunt. Redimuntur autem primogeniti, quinque ſiclis argenti, per quos iſti quinque libri Moyſi ſignificantur. Qui bene argentei eſſe dicuntur, quoniam puri ſunt & veraces, nullaque falſitate corrupti, ſecundum illud: Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum. Hi autem ſicli ad menſuram ſanctuarij à ſacerdotibus ſuſcipiuntur, ſi dupliciter, id eſt, ad litteram & ſpiritualiter intelliguntur. Inde enim & viginti obolos habere dicuntur, quoniam in hoc numero legis verba duplicantur, decem enim ſunt, quæ ſi dupliciter intelligantur, omnem Diuinæ legis continent in ſe plenitudinem: Si vero duplicata non fuerint, tales ſicli non erunt ad menſuram ſanctuarij. Qui autem ſic redimuntur, non ſe continuo à ſeruitio tabernaculi liberos eſſe putent, liberi quidē ſunt ab altaris officio, non ta-
H men liberi ſunt à ſeruitio, in eo enim quod quinque ſiclos dederunt, horum quinque librorum fidem, ſcientiam & doctrinam, ſe recipere, tenere, & obſeruare promiſerunt. Redimamus ergo primogenita noſtra, redimamus fidem noſtram, indiget enim redemptione, quia ſine operibus mortua eſt, demus pro ea quinque ſiclos, reddamus Domino hos quinque libros, reddamus, inquam, non ſolum legendo, verum etiam & credendo & agendo, eorumque doctrinam & fidem tenendo.

CAPVT IV.

Sequitur autem de eo, quod Dominus præceperat Moyſi, vt numeraret filios Leui, eos ſcilicet qui erant à triginta annis & ſupra, vſque ad annum quinquageſimum, conſtituerunt vnicuique cuius ſeruitij in tabernaculo eſſe deberet. Præcepit ergo vt filij Caath portarēt arcam teſtimonij, & menſam propoſitionis, in qua ſemper panes erāt, & ſimul cum ea thuribula, mortariola, cyathos

& crateras, ferent & candelabrum cum lucernis, forcipibus, emunctoriis, & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt, ſimiliter autem & altare aureum, nec non & aliud altare cum omnibus vaſis ſuis, & iſta quidem ſunt onera filiorum Caath. Filij verò Gerſon, portabant omnes cortinas tabernaculi & atrij tabernaculi, & tectum, & tentorium, & funiculos. At vero filij Merari, tabulas, & vectes & columnas & baſes ferebant. Hæc autem omnia fiebant iuxta præceptum & diſpoſitionem Aaron & filiorum eius, ipſi enim tabernaculum erigebant, ipſi, quando caſtra mouenda erant, tabernaculum & Sancta Sanctorum ingredientes, ipſumque tabernaculum deponentes, arcam, menſam & candelabrum, cæteraque onera filiorum Caath pallio hiacinthino inuoluentes, eos ſic inuoluta portare iubebant. Qua in re manifeſtum eſt, quoniam ſicut ad Epiſcopos contemplationi vacare, & maiora Eccleſiæ Sacramenta tractare & agere pertinet, ita Leuitæ cæterique ordines minores in exterioribus officiis fideliter laborare & deſudare debent, vt nemo inutilis, nemo otioſus inueniatur, ſed maiorum iuſſionem & diſpoſitionem, confeſtim minorum obedientia conſequatur. Quid autem arca teſtamenti, quid menſa & candelabrum, quid cortinæ & tabulæ, quid columnæ cæteraque ſignificent, diligentiſſime in Exodo expoſuimus. Quod autem omnia hæc pallio hiacinthino exterius inuoluta feruntur, hoc ſignificare puto, quod omnis fidelis anima ſiue in proſperis ſiue in aduerſis, ſanctam, cœlicam & Angelicam vitam & agere & oſtendere debebat. Tali enim pallio inuolutus erat ille, qui adhuc in terris poſitus dicebat: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, hiacinthus enim cœli colorem imitatur. Sed quare iſti à trigeſimo vſque ad quinquageſimum annum numerantur, niſi quia Eccleſiæ miniſtros ætate & ſapientia fortes & prudentes eſſe oportet? Maxime enim hac ætate viget ætas, vtpote iuuentus, quæ aliarum ætatum præcipua eſt, viginti enim anni ſunt à trigeſimo vſque ad quinquaſimum, quo numero quid ſignificetur, ſatis iam diximus. Et trigeſimo quidem anno Saluator noſter baptizatus eſt, doctrina & opere, ſuæ maieſtatis potentiam oſtendere cœpit.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Præcipe filiis Iſraël, vt eiiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutuſque eſt ſuper mortuos, tam maſculos quam fœminas eiicite de caſtris, ne contaminent ea cum habitauerint vobiſcum. Leproſa eſt enim omnis anima infidelis & crimino ſa, præcipue autem Simoniaca & hæretica prauitate infecta. Semine autem fluere, eſt errorem in populo ſeminare. Pollutus vero ſuper mortuo dicitur, qui mortui hominis cadauer tetigit, per quem nemo melius, quam corporis vel animæ homicida intelligi poteſt. Tales autem de Eccleſia eiiciantur, ne ſua cohabitatione eam polluant: Qui enim tetigerit picem inquinabitur ab ea. Et: Corrumpunt bonos mores colloquia mala.

Vir, ſiue mulier, cum tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintam partem deſuper ei in quem peccauerint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabitur Domino, & erit ſacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, vt ſit placabilis hoſtia. Hoc autem capitulo manifeſte oſtenditur, quoniam illi qui aliena rapiunt, niſi ea in integrum reſtituant, & de iniuria ſatisfaciant, quod eorum confeſſio ſit inutilis, & pœnitentia infructuoſa. Quintus enim in ſenſibus, tactus eſt, per quem furta & rapinæ fiunt, hanc ergo quintam partem raptores reddunt, quando, ſe non vlterius fraudulenter aliena tangere promittunt. Bene autem, ſi non fuerit qui recipiat hæc, Domino dantur, quoniam ipſius ſunt omnia, & ei iure cuncta debentur, ipſe enim pœnitentis affectum recipit, ipſe nulli pœnitenti & ſatisfacere volenti indulgentiæ ianuam claudit. Sunt autem hæc ſacerdotis, quia ad ipſum pertinet & pœnitentes ſuſcipere, & ſuis interceſſionibus peccata delere. Quid per arietem, qui offertur pro expiatione, ſignificatur, niſi quia omnis qui ſic peccat, poſt ſatisfactionē innocenter viuere debet, vt iā nō lupus ſit rapiēs, ſed aries, nulli nocēdo, aliter enim nec hoſtia placabilis nec pœnitentia erit fructuoſa.

Si ſpiritus Zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem ſuam quæ polluta eſt, vel falſa ſuſpicione appetitur, adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partē ſati farinæ hordeacei. Non fundet ſuper eam oleum, nec imponet thus, quia ſacrificium Zelotypiæ eſt, & oblatio inueſtigans adulterium. Vir enim iſte Zelotypus Chriſtus Ieſus intelligi poteſt, cuius vxor non ſolum Eccleſia, verum etiam vnaquæque anima intelligitur, dicitur enim Zelotypus, id eſt, ſuſpicioſus, non ſecundum ſe qui omnia nouit, ſed ſecundum nos, qui eius membra ſumus, taliter enim ſe eſurire & ſitire, & nudum & infirmum eſſe dicit, non vtique quod eius Omnipotens natura horum aliquid patiatur. Sic ergo in nobis Zelotypus eſt, ſicut eſuriens & ſitiens, nudus & infirmus. Spiritu ergo Zelotypiæ ipſe Ieſus incitatur in nobis, quando nos pro eius amore contra aliquem incitamur, quem in fide Catholica ſuſpicioſum habemus. Talem autem debemus ducere ad ſacerdotem, id eſt, ad Concilium Epiſcoporum & Sacerdotum, & offerre oblationem pro illo, quam oblationem? decimam partem ſati farinæ hordeacei. Decem enim ſunt verba legis, quorum quidem decimam partem hanc farinam eſſe puto, ſatum ergo farinæ, totum librum legis, vnumquodque vero mandatorum, decimam partem ſati intelligimus. Vt, verbi gratia, *non mœchaberis*, hoc ergo mandatum hic offertur, hoc in Concilio recitatur, hoc aduerſum mulierem adducitur quæ de adulterio accuſatur. Vnde & bene talis farina hordeacea dicitur, quia mæſtis faucibus cordis ab vtraque parte ſuſcipitur. Quis eſt enim qui de hæreſibus libenter vel tractet, vel tractare audiat? Super hanc autem farinam, neque oleum funditur neque thus imponitur, quoniam tali accuſationi nemo miſericordiam, nemo ſuauitatis aſſenſum præbere debet: debet autem omnibus horribilis, & fœtida apparere. Hoc autem audiant illi, qui adulando hæreticos vngunt, & qui eorum verbis quaſi ſuaui aliquo odore delectantur.

Deferet ergo eam ſacerdos, & ſtatuet coram Domino, aſſumetque aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Quid enim per aquam Sanctam, niſi Sanctarum Scripturarum exempla: quid vero per vas fictile, niſi humanum corpus intelligimus? Vnde Apoſtolus tali aqua plenus, dicebat. *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Pauxillum vero terræ, corpus Chriſti eſt. Qui de pauimento tabernaculi, id eſt de carne virginis ſuſcipitur, in qua quaſi in tabernaculo ad tempus habitauit. Offert ergo ſacerdos, id eſt, aliquis religioſus, & ſapiens, & ſtatuit coram Domino ſupradictam farinam, id eſt, zelotypiæ oblationem ſiue accuſationem, quoniam omnia de quibus mulier accuſatur in concilio manifeſtat. Deinde vero aſſumit aquam ſanctam in vaſe fictili, quoniam omnia fidei Catholicæ documenta colligit in Sacrario pectoris ſui. Quibus pauxillum terræ de pauimento tabernaculi admiſcet, per quam Chriſti de virgine incarnationem intelligimus. His autem ita compoſitis, recitat Sacerdos, & mulieris accuſationem, & poſt hoc Symbolum Catholicæ fidei, & hoc eſt quod ait.

Cumque ſteterit mulier coram Domino, diſcooperiat ſacerdos caput eius, & ponat ſuper manus illius ſacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ. Stat enim mulier coram Domino, quoniam ille qui accuſatur, conſiſtit in præſentia ſacerdotum. Caput vero illis diſcooperitur, quando quid in mente habeat, & quam fidem teneat ſacerdotis interrogationibus manifeſtatur. Tunc vero ſacrificium recordationis, id eſt, fides Catholica, & oblatio zelotypiæ, id eſt accuſatio criminis ponuntur ſuper manus eius, id eſt plagam, & manifeſte ei recitantur: deinde vero ſequitur excommunicatio, vt ſi aliter credit, vel pro aliis alia fingit, eis quæ ſequuntur maledictionibus ſubiiciatur. Et hoc eſt quod ſequitur.

Ipſe autem tenebit aquas amariſſimas, in quibus cum execratione maledicta congeſſit, adiurabitque eam, & dicet ea quæ ſequuntur. Ipſe, inquit, id eſt ſacerdos, (qui

A & mulieris accuſationem, & fidei Symbolum in concilio recitauit)tenebit aquas amariſſimas,per quas libellum examinationis intelligimus, qui totus maledictionibus & anathemate exaratus eſt. Dabitque has aquas bibere mulieri, quoniam totam hanc maledictionem, ea audiente, & intelligente leget. Qua recitata, reſpondebit mulier, id eſt anima quæ de fide accuſatur, Amen,amen: id eſt, fiat quod dicitis, ſi ego aliam quam vos tenetis fidem, teneo. Prius tamen ſacerdos tollet pugillum de eo quod offertur, & incendet ſuper altare. Quod enim hoc ſacrificium fidei Symbolum ſignificet, iam ſuperius diximus. De quo quidem pugillo tollimus,quando partem aliquam, & illam præcipue de qua anima accuſabatur, à toto ſeparamus. Hanc autem ſuper cordis accuſati hominis altare incendimus, poſtquam hanc fidei partem ei & tenere, & credere, & diligere, rationibus ſuademus. Deinde vero tollet ſacerdos de manu eius ſacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponetque ſuper altare, ſacrificium enim zelotypiæ deci-
B mam partem ſati farinæ ſuperius diximus, quando decimam quidem legis mandatum expoſuimus, illud ſcilicet, quo dicitur non mæchaberis: Decimam autem non ſecundum ordinem,ſed ſecundum numerum dicimus. Hoc autem tollit ſacerdos de manu eius, quando eam non mæchatam fuiſſe oſtendit. Eleuat autem coram Domino & ponit ſuper altare,Si hoc omnes qui præſto ſunt,in auribus audire, & corde intelligere, & credere facit. Cor enim vniuſcuiuſque altare dicitur. Quod autem poſt aquarum bibitionem,mulieris venter,ſi rea fuerit, tumeſcit, femurque putreſcit, hoc ſignificare puto, quod poſtquam excommunicatus & damnatus eſt,omnis eius doctrina, & prædicatio gignendi & pariendi vires amittit, omnibuſque inutilis,ventoſa,& fætida eſſe videtur: Sicut enim ventre,& femore mulieres,ita doctrina & prædicatione, adulterinos ſuos hæretici gignunt, & pariunt.

CAPVT VI.

C *LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens. Loquere ad filios Iſraël & dices ad eos. Vir ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino. & ab omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt: acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibent, vuas recentes ſiccaſque non comedent cunctis diebus quibus ex voto, Domino conſecrantur, quicquid ex vinea eſſe poteſt ab vua paſſa vſque ad acinum,non comedent,* [*Hoc enim votum, priuſquam Sanctificentur & baptizentur,omnes Chriſtiani faciunt, quoniam ad fidem venientes, diabolo & omnibus operibus eius,omnibuſque pompis eius abrenunciant. Quid eſt enim aliud, vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibere, niſi à vitiis, & peccatis abſtinere quibus anima inebriata, ſenſum, & rationem, omnemque virtutem & fortitudinem amittit.Vnde bene non ſolum vinum, verum & vuas & quicquid ex vinea vſque ad acinum eſſe poteſt, abijcere præcipit, vt non ſolum agendo, verum etiam neque cogitando peccemus. Omni tempore conſecra-*
D *tionis ſuæ nouacula non tranſibit ſuper caput eius, vſque ad completum diem quo Domino conſecratur. Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius.*] Caput etenim animæ mentem dicimus,cuius quidem capilli ſanctæ cogitationes intelliguntur, Hic autem Nazaræus ſemper ornatus, & nunquam priuatus eſſe debet. Qui enim ſemper bene cogitat, non facile peccat: malæ enim cogitationes ſunt cauſa peccandi: ſecundum illud *ex corde enim exeunt cogitationes malæ adulteria, furta, homicidia.* Creſcant ergo mentis capilli, creſcant bonæ cogitationes, quibus Nazaræus ſemper ornetur, & tueatur. Sequitur. Omni tempore conſecrationis ſuæ non ingredietur nec ſuper patris quidem,& matris & fratris ſororiſque funere contaminabitur. Super mortuum enim ingredi, eſt, mortale, & criminale peccatum committere. Patris autem & matris; fratris, & ſororis funere contaminatur quicunque mala parentum exempla imitatur. Hac autem figura, omnia membra quæ nos ſcandalizant à corpore noſtro

E ſeparare iubemur. Hinc autem & Dominus patris funere cuidam ſe contaminare volenti ait, *Dimitte mortuos ſepelire,mortuos ſuos,tu autem vade,& prædica Regnum Dei.* Mortem ergo fugiamus,vitam ſequamur:Ego inquit Dominus,ſum via,veritas & vita. Sequitur. *Si autem mortuus fuerit ſubito quiſpiam coram eo polluetur caput conſecrationis eius, quod radet illico, & in eadem die purgationis ſuæ,& rurſum ſeptima.* Tunc enim ſubito quiſpiam moritur coram eo, quando ſuggerente diabolo peccatum aliquod agit quo anima moriatur,quæ coram eo & in eo eſt. Et tunc quidem caput conſecrationis eius polluitur, quando eius mens eiuſque ſancta conuerſatio abominabilis & ſordida efficitur. Quod radet illico: vt in ipſa capillorum tonſione inſinuet quo dolore, & qua pœnitentia interius conſtringatur. Neque enim decet, vt exteriori capillatione pulcher appareat, qui mentem interius peccando decaluauit: neque erubeſcat pœnitere qui non erubuit peccare. In hoc enim qui caput radit crimen ſe egiſſe oſtendit, quoniam aliter Nazaræo caput radere
F non licebat. Quid ergo aliud eſt caput radere, quam per pœnitentiam peccatum oſtendere? Ille autem raditur illico, & in eadem die, qui ſtatim pœnitentia ductus, non tardat conuerti ad Dominum, neque differt, de die in diem. Raditur autem rurſus; & die ſeptima,vt quemadmodum cœpit, ſic vſque in finem in pœnitentia perſeueret. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. Vnde & Dauid. *Et peccatum meum coram me eſt ſemper.* Septima enim dies vltima eſt. Prima ergo die,& ſeptima raditur, qui ex quo peccat, pœnitere non ceſſat. Semper ergo raſus ſemper pœnitens, & dolens appareat, qui crimen committit, neque ſe Nazaræum, & iuſtum fingat, qui iuſtitiam peccando amiſit.

In octauo autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ ſacerdoti in introitu tabernaculi teſtimonij: Facietque ſacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum. & deprecabitur pro eo, quia peccauit ſuper mortuo, ſanctificabitque caput eius in die illo, & conſecrabit Domino dies ſeparationis illius, offerens agnum
G *anniculum pro peccato.ita tamen vt dies priores irriti ſint, quoniam polluta eſt ſanctificatio eius.* Quamuis enim dies iudicij octaua dicatur,(vnde & quidam pſalmi pro octaua intitulantur) tamen omnis dies, octaua eſſe poteſt, quia huius vitæ hebdomada finita, anima à corpore ſeparatur. Hac ergo die ille Nazaræus(qui quamuis peccauerit,digna tamen pœnitentia peccata deleuit) offert Ieſu ſacerdoti magno duos turtures, vel duos pullos columbæ, id eſt, corporis & animæ caſtitatem & innocentiam. Hoc autem in introitu tabernaculi teſtimonij, id eſt; in ingreſſu regni cæleſtis. Faciet quoque ſacerdos alterum pro peccato,& alterum in holocauſtum,quoniam per hæc & peccata ei dimittet, & Deo patri reconciliabit, & deprecabitur pro eo:Semper enim, vt Apoſtolus ait, *pro nobis apud Patrem interpellat.* Et tunc quidem reconciliabit eum, & ſanctificabit,& conſecrabit Domino offerens agnum anniculum:quia enim poſt peccatum humiliter pœnitens, quaſi agnus, innocenter vixit. agni innocentia à peccato ſolui promeruit, viuat ergo vt
H agnus, viuat vt humilis & innocens, qui ſuam pœnitentiam vult ſibi eſſe fructuoſam. Quod autem ait:Ita tamen vt dies priores irriti ſint,illud eſſe videtur, quod per Ezechielem Dominus ait:Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: Si ergo peccauerit iuſtus & pœnitentiam egerit, ſaluabitur quidem, non quia iuſtus fuit, ſed quia pœnitentiam egit, vnde & priores iuſtitiæ dies non immerito periiſſe videntur. Ea vero quæ ſequuntur de illo Nazaræo intelligantur, qui omni tempore vitæ ſuæ ſine crimine vixit, & vſque in finem in bonis operibus perſeuerauerit. Talis enim Apoſtolus extitit, qui ait: *Nihil enim mihi conſcius ſum.* Tales & Epiſcopos & Sacerdotes eligi præcipit. Sequitur.

Iſta eſt lex conſecrationis cum dies,quos ex voto decreuerat, complebuntur: Adducet eum ad oſtium tabernaculi fœderis,& offert oblationem eius Domino.agnum anniculum immaculatum in holocauſtum, & ouem anniculam

A *immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum hoſtiam pacificam.* Noſtrorum enim Nazaræorum vota non ad tempus fiunt, ſed ſimul cum vita complentur. Cum enim Sancti ex hac vita tranſeunt tunc eorum votis impletis ad oſtium tabernaculi deducuntur: tunc & cœleſtis palatij ianuas ingrediuntur, tunc ſacerdos magnus letus offert oblationes eorum Domino, quoniam ſanctam vitam & bonam illorum conuerſationem commendans Deo Patri, eos reconciliat. Per agnum autem, & ouem, & arietem, in quibus totum genus ouium continetur, perfectam innocentiam, humilitatem & ſimplicitatem intelligimus. Merito igitur cum his offertur, qui in his vixit, & ab his virtutibus non receſſit. Quoniam autem tali ſacrificio delectatur & pacificatur Deus, & peccata dimittit, ideo recte holocauſtum & pro peccato, & hoſtia pacifica dicitur. Caniſtrum ergo panum azymorum qui conſperſi ſunt oleo, & lagana abſque fermento vncta oleo, ac libamina ſingulorum, offeret ſacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato quam in B holocauſtum: Arietem vero immolabit hoſtiam pacificam, offerens ſimul caniſtrum azymorum, ac libamina quæ ex more debentur. In his enim omnibus quæ azyma ſunt & ſine fermento, ſancta & ſincera & incorrupta vita Nazaræi deſignatur, qui vixit non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis, cuius omnia opera, quia nunquam miſericordia & pietate caruerunt, merito hæc non ſolum azyma, ſed & oleo vncta referuntur. Hæc ergo offert Chriſtus ſacerdos magnus pro Nazaræo, quia in talibus illum commendans, Dominum ei per omnia placabilem reddit. Ipſe enim dixit: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo.* Siue ergo arietem ſiue azymum aliquis pro nobis offerat, innocentis & ſinceræ vitæ noſtræ commendatio intelligatur. Sequitur.

Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ. Tolletque capillos eius ſacerdos, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum, & azymam coctum arietis tortamque abſque C *fermento, vnam de caniſtro, & laganum azymorum vnum, & tradet in manibus Nazaræi priuſquam raſum fuerit caput eius, ſuſceptaque rurſum ab eo, eleuabit coram Domino, & ſanctificata ſacerdoti erunt, ſicut pectuſculum, quod ſeparari iuſſum eſt.* Qui modo voto completo, Nazaræus raditur, non doloris vel pœnitentiæ, vt ſupra, indicium & oſtentatio eſt, ſed vt eius capilli in pacificorum ſacrificio ponantur, quatenus non ſolum operibus, verum & cogitationibus Deum placet. Diximus enim, per capillos bonas cogitationes ſignificari, quæ nimirum totius ſacrificij ſunt condimentum, quoniam ad cor reſpicit Deus. Quod vero ſacerdos tollit armum arietis & tortam & laganum, & tradit in manibus Nazaræi, ſuſceptaque rurſus ab eo eleuat coram Domino, hoc ſignificare videtur, quia quicquid boni habemus, a Chriſto accepimus, per quem & nos ipſos & bona noſtra Deo tandem reddituri ſumus. Vnde Apoſtolus ait: Quid enim habes quod non accepiſti? quod ſi accepiſti, quid glorиaris quaſi non acceperis? Armum habes D quo aliena onera feras, tortam, azymam & laganum habes, fidem videlicet, & ſcientiam incorruptam, quæ te paſcunt & nutriunt, noli quaſi de tuo gloriari, quoniam aliunde ea ſuſcepiſti, idcoque quaſi non tua, ea ſacerdoti te reddere oportet, cuius & ſunt, ſicut & pectuſculum, quod ſeparari iuſſum eſt. De Chriſti namque pectore, Euangelica prædicatio, fides noſtra, omniſque noſtra bona operatio procedit. Omnia ergo illius ſunt. Et quamquam omnibus bene agere licet, euangelizare tamen non omnibus licet, ideo de pectuſculo dicitur, quod ſeparari iuſſum eſt. Quid eſt autem quod ſequitur: Poſt hæc autem Nazaræus poteſt bibere vinum? Siquidem per vinum, vitia & peccata ſuperius ſignificauimus, aliud ergo eſt hoc vinum, illud videlicet, quo anima inebriata, omnium ærumnarum, omniumque quas hic paſſa eſt tribulationum, obliuiſcitur. De quo Pſalmiſta: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Hæc autem de Nazaræo dicta ſunt.

CAPVT VII.

E *SEquitur autem de duodecim principibus, qui ſex plauſtra, & 12. boues Domino obtulerunt, quibus tabernaculum & cuncta eius onera portarentur.* Quæ quoniam valde neceſſaria erant, & Leuitæ ſine eis tabernaculi onera, cunctamque ſupellectilem difficile ferre poterant, in his allegoriam quærere, non videtur eſſe neceſſarium. Ibi allegoria neceſſario quærenda eſt, vbi littera aliquid iubet, vel quod inutile ſit, vel quod omnino careat ratione.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Singuli duces per ſingulos dies efferant munera in dedicationem altaris. Primo die obtulit oblationem ſuam Naaſon filius Aminadab de tribu Iuda, fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum, phiala argentea habens ſeptuaginta ſiclos iuxta pondus ſanctuarij, vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium. Mortariolum F *ex 10. ſiclis aureis, plenum incenſo, bouem de armento & arietem in holocauſtum, hircum pro peccato, & in ſacrificium pacificorum boues duos, arietes quinque hircos quinque agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Naaſon filij Aminadab.* Vnuſquiſque enim fidelis, tabernaculum dici poteſt, ſecundum quod Apoſtolus ait: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, & altare quod in eo fit, ſacrificium Deo acceptabile.* Hoc autem altare tunc dedicatur, quando homo ad fidem conuertitur, & per baptiſmum Domino conſecratur. Ad cuius dedicationem Eccleſiæ duces, Epiſcopi videlicet & ſacerdotes, munera offerunt, quoniam legis præcepta, fidei documenta, ſanctorum exempla & viuendi regula eum inſtruunt, qui nouiter conuerſus in Chriſti militia incipit. Quid enim per acetabulum, & mortariolum, quæ ex ſolis denis numeris conficiuntur, niſi hunc librum legis intelligimus, qui ex decem præceptis conſtituitur? Computa ſingulorum numerum, & denarium numerum vbique inuenies. Quæ quidem bene ſimila oleo conſperſa, & incenſo plena eſſe dicuntur, quoniam liber iſte, & ea doctrina, quæ G oleo ſancti Spiritus, & miſericordiæ & pietatis vnctione abundat, & odore ſuauiſſimæ intelligentiæ plenus eſt. Et quoniam totus ſapientiæ & ſcientiæ luce præfulget, non immerito aurea, & argentea, prædicta vaſa eſſe dicuntur. Sicli vero ad menſuram ſanctuarij computantur, quoniam omnia legis præcepta, veritatis iuſtitiæque libra ſunt ponderata. Offerunt præterea prædicti Duces in huius altaris dedicationem, bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum, quoniam Chriſti labores, paſſionem, & innocentiam, Domini nouiter conuerſo annunciant. Hic enim bos de armento Patriarcharum & Prophetarum aſſumptus, agrum Eccleſiæ coluit, & verbi ſemine ſeminauit. Hic aries ad victimam ductus non aperuit os ſuum. Hic eſt agnus qui tollit peccata mundi. Huius ergo exempla laborando, patiendo, & innocenter viuendo ſequimur. Nulli autem abſurdum videatur, quod etiam hircus dicitur pro peccato: quia propter peccata noſtra inter iniquos deputatus eſt Obtu- H lerunt autem & boues duos in ſacrificio pacificorum, arietes quinque, hircos quinque & agnos anniculos quinque quatenus nouus miles in his, & laborare, & ſui corporis ſenſus regere diſcat: duos enim boues habemus, animam ſcilicet & corpus, quibus & iugum Chriſti, quod ſuaue eſt, ferimus, & in agro eius deſudamus: quæ duo ſi in nobis conſenſerint, quicquid petierimus, vt ait Euangeliſta, impetrabimus. Habemus autem & quinque ſenſus, per quos Deum nobis pacificamus, ſi tamen innocentes, & mundi fuerint. Omnia enim animalia munda ſunt. Hircos tamen immolare eſt carnis maceratione libidinoſum ſenſum occidere & ſuperare. Similia autem dona & ſacrificia cæteri quoque duces obtulerunt. Omnibus ergo hæc vna expoſitio ſufficiat.

Sequitur autem de candelabro, quod ab auſtrali parte poni præcipitur, vt luceat ſuper menſam, quæ ab aquilone poſita erat: hoc enim candelabrum Chriſtus eſt, de quo in Exodo ſufficienter diximus. Quod bene ab auſtro ponitur, quoniam Deus ab auſtro venit, & ſanctus

A de monte pharan. De menſa quoque in eodem libro tractauimus, per quem vtriuſque teſtamenti doctrina ſignificatur, quæ quidem niſi huius candelabri lumine nec intelligitur, nec illuminatur. Eſt autem poſita ab aquilone vbi ſeptem diaboli eſſe ſcriptura commemorat. Prius ergo ad hanc menſam accedat, eiuſque dapibus reficiatur, quicunque diabolo pugnaturos occurrit.

Hinc autem præcipit Dominus Moyſi, vt tollat Leuitas de medio filiorum Iſraël, & purificet eos, atque aſpergat aqua luſtrationis, radantque omnes pilos corporis ſui; deinde tollant duos boues, & congregata omni multitudine filiorum Iſraël, ponent filij Iſraël manus ſuas ſuper Leuitas, & offeret eos Aaron coram Domino, vt ſeruiant in miniſterio eius. Leuitæ quoque ponent manus ſuper capita boum, ex quibus Moyſes vnum offert pro peccato, & alterum in holocauſtum, & orat pro eis: ſicque purificati Leuitæ poſtea tabernaculum ingrediuntur. Quod autem tunc Leuitæ purificabantur, & aqua Sanctificata aſpergebantur, & totius carnis pilos radebant, hoc ſignificabant, B quod noſtri quoque Leuitæ, omniſque Clericorum ordo ab omni vitiorum ſorde purificati, ab omni crimine lauari, & ab omni ſuperflua & praua cogitatione mundari debent. Ponunt quoque filij Iſraël manus ſuper eos, vt Leuitæ intelligant, quanto oneri quantoque labori ſubiiciantur: pro omnibus enim eos laborare oportet, qui manus omnium ferunt, & quod omnium manus in tabernaculo agere deburrant, hoc illi ſoli faciant, qui omnium manus in ſe ſuſceperunt. Et Aaron quidem offert eos Deo, quoniam Epiſcoporum eſt, reliquos ordines, & conſecrare & Deo offerre. Sed quid per duos boues; ſuper quos Leuitæ manus ſuas ponunt, niſi corpus & animam intelligimus: Qui enim corpus & animam ſuam ſapienter domant, ab omni praua concupiſcentia compeſcunt, illi nimirum his bobus ſuper capita manus ſuas tenent. Horum enim ſapiens domitor Apoſtolus erat, qui ait. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Si autem ſic domiti fuerint, tunc Moyſes ideſt Saluator noſter, alterum offert pro peccato, C & alterum in holocauſtum, quatenus eorum ſacrificio, & peccata ſoluantur, & Dei gratia ſuſcipiatur. Breuiter autem in hoc libro de ſacrificiis, dicere diſpoſuimus, quoniam in Leuitico de eis pleniſſimè diſputauimus. Neque difficilia hæc illis fore putamus, qui per illum librum tranſeuntes ad iſtum perueniunt. Ingrediuntur autem Leuitæ, poſt hanc purificationem in tabernaculum: quoniam qui ſic purificantur, & Eccleſiæ, & cœli tabernaculo digni fiunt.

Hoc autem capitulo præcipit Dominus: vt Leuitæ à viceſimo anno vſque ad quinquageſimum in tabernaculo ſeruiant, deinde vero cuſtodes vaſorum fiant: quinquageſimo enim anno, ideſt Iubilæo, omnis ſeruus redditur libertati, in qua & Leuitæ incipiunt quieſcere à labore, neceſſe enim fuit vt in iuuentute laborarent, & carnem domarent quatenus carnis voluptates facilius ſuperarent, hac autem ætate, quoniam iam, & vires deficiunt, & calor minuitur, quieſcere iubentur: cuſtodiunt D tamen tabernaculum, & ea quæ in illo ſunt, quia ſæpe contingit, vt virtutes quæ per laborem acquiruntur per otium perdantur. Noſtri corporis tabernaculum, & ſiquæ virtutes, in eo ſunt, nos cuſtodire oportet, quoniam in qualibet ætate peccare poſſumus, nobiſque diabolus callidus latro ſemper inſidiatur.

CAPVT IX.

PRæcipit autem Dominus filiis Iſraël, vt faciant Phaſe in tempore ſuo, ideſt quarta decima die menſis primi. Qui autem immundi ſunt ſuper anima hominis, aut in via procul; quoniam ſuo tempore hoc agere nequeunt, faciant illud quartadecima die ſecundi menſis ad veſperam cum azimis & lactucis, agreſtibus. Quid eſt enim quod phaſe, ideſt agni immolatio non fit niſi quartadecima die? niſi quia ad Chriſti carnem & ſanguinem nemo accedere debet, qui lumine decem dierum veteris teſtamenti, & quatuor noui, nondum eſt illuſtratus, E decem enim ſunt verba legis, Euangelia vero quatuor, quorum lumine, quorumque fide mundus illuminatur: Ad phaſe ergo faciendum dignus non eſt, qui hoc lumine, & his diebus illuminatus non eſt. Idipſum autem eſt pollui ſuper anima hominis, quod eſt pollui ſuper mortuo, quod quidem ſuperius iam dictum & expoſitum eſt. Procul autem in via ſunt, qui propter peccata in quibus perſeuerant, longè ab Eccleſiæ religione, & à Deo facti ſunt, de quibus Pſalmiſta ait: *Longe eſt à peccatoribus ſalus.* Hi autem phaſe cum cæteris facere non poſſunt: quoniam qui hoc manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Mundentur ergo prius. Et ad Deum, & ad Eccleſiam reuertantur, & ſic comedant. Et hæc quidem tranſcurrimus, quoniam in Exodo pleniſſime dicta ſunt. De hoc autem ſacrificio peregrino, & aduenæ comedere, nubes ſcilicet, licet, per quos gentiles ad fidem conuerſos intelligimus, quæ in nocte quidem illuminabatur, & in die à ſolis calore defendebat, per hanc autem Sancti F Spiritus gratiæ figurantur, quibus noſtræ ignorantiæ tenebræ illuminantur, & à vitiorum æſtu, & à luxuriæ ardore defendimur. Nos enim ſumus tabernaculum Dei, de quibus ipſe ait: *Inhabitabo in illis, & ambulabo.* Sed quid eſt quod ad huius imperium, tabernaculum, & figitur, & mouetur? niſi quia cum benè agimus, non noſtræ poteſtatis, ſumus, ſed ſpiritus, qui in nobis eſt: ipſo enim regimur, ipſo docemur, ipſo recto itinere ad patriam dirigimur.

CAPVT X.

L*Ocutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, ad quarum vocem caſtra moueantur, populus congregetur, exercitus ad prælium præparetur, & in Calendis, aliiſque feſtiuitatibus ſuper holocauſtis cum eis decantetur.* Per has duas tubas, duo teſtamenta intelligere poſſumus, quæ quare argenteæ dicantur, manifeſtum eſt argentum enim eloquij puritatem deſignat. Sunt autem & ductiles, quia ſuper incude G cordis noſtri Sancti Spiritus malleo quotidie fabricantur: ductile enim ſine malleo, & incude fieri non poteſt. Cum enim teſtamentorum præcepta diſcimus, doctorum linguas quaſi malleum corda noſtra ferientes ſentimus. His autem tubis Apoſtoli, & Doctores de cunctis mundi partibus populum ad Eccleſiam conuocauerunt: his nos ad bella parare, his contra hoſtes dimicare, his nos, & vitia, & malignos ſpiritus ſuperare docent: harum quoque ſonitu diſcimus, qualiter viuamus, qualiter in via mandatorum Dei curramus, qualiter mores noſtros componamus, qualiter quoque Deo laudis, & iubilationis hoſtias immolare debeamus: ſic enim eorum ſonus ſecundum audientium capacitatem diſtinguitur, vt vnuſquiſque quid agere debeat, facilè in eis cognoſcere valeat.

Hic autem Moyſes hortatur Obab filium Raguhelis cognatum ſuum, vt ſecum proficiſcatur, cui ille ait: *Non vadam, ſed reuertar ad terram in qua natus ſum.* H Et ille: *Noli*, inquit, *nos relinquere, tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris noſter ductor.* Quid eſt enim, quod Moyſes gentilem hominem ductorem exercitus ponere vult, cuius ipſe Dominus ductor erat? Sciebat, quod homo vanus & ſuperbus, niſi quibuſdam laudibus & blanditiis ſuæ ſalutis conſiliis non acquieſceret. Vnde & nobis regula datur, potentes homines & ſuperbos, etiam adulationibus ad iuſtitiam & veritatem conuertere, non eſſe peccatum.

Profectique ſunt de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per tres dies prouidens caſtrorum locum. Nubes quoque Domini ſuper eos erat. Quid enim triam dierum via, niſi fides Trinitatis? Primo ſiquidem die venitur ad patrem: ſecundo ad filiũ: tertio ad Spiritum Sanctum, tanta eſt via, nec infra ſtare, nec vltra procedere licet: alioquin præcedens arca relinquitur, & fides Eccleſiæ non tenetur. Qui vero ſic ambulant, ſemper nube & gratia Spiritus Sancti obumbrantur.

A

CAPVT XI.

INterea ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audiret, iratus eſt, & accenſus ignis Domini in eos, deuorauit extremam caſtrorum partem. Cumque clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominum, & abſorptus eſt ignis. De hoc enim Apoſtolus ait: *Neque murmuraueritis, ſicut quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore*, hæc autem omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram. Corrigamur ergo, ne & nos ſimiliter pereamus: ignis enim iſte, ignem æternum ſignificat, qui impiè murmurantes, & Deo detrahentes exuret, præter eos dumtaxat, qui pœnitentia ducti ad Chriſtum, qui per Moyſen ſignificatur, fugientes, eius auxilio tueri merebuntur.

Sequitur autem de eo, quod populus carnium deſiderio fleuit, cupiens eſſe in Ægypto, quoniam in men- B tem ei venerunt cucumeres & pepones, porrique & cæpe & allia. Vnde & Dominus iratus eſt valde, ſed & Moyſi res intoleranda viſa eſt. *Dedit ergo eis Dominus carnes, mandans illis multitudinem coturnicum in menſam, qui volabant in circuitu caſtrorum, altitudine duorum cubitorum ſuper terram.* Quid eſt hoc popule ſtulte & inſipiens, pane cæleſti abundas, & cœpas & allia concupiſcis? manna reſpuis & carnes affectas? manifeſta eſt igitur hæc allegoria. Vſque hodie namque Iudæorum populus litteram ſequitur quæ occidit, non ſpiritum qui viuificat, carnalem in lege, non ſpiritualem intelligentiam quærit. Venit Chriſtus, venit panis viuus qui de cœlo deſcendit, dedit manna, dedit cibum qui non perit, ſed qui permanet in æternum, habentem omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuauitatis, dedit Euangelicam prædicationem, aperuit ſenſum diſcipulis ſuis, vt ſcripturas intelligerent. Hoc eſt igitur manna, quo C interior homo noſter & reficitur & pingueſcit. Qui legis præcepta, non niſi ad litteram intelligi volunt, quid aliud quam cucumeres & pepones, porroſque & cœpas & allia comedunt? In his autem etiam hæreticorum, Philoſophorum, & Poëtarum ſcripturæ ſignificantur. Vnde non ſolum Iudæos, ſed promiſcuum quoque vulgus, qui cum eis de Ægypto aſcenderat, eodem deſiderio hæc hiſtoria fleuiſſe commemorat. Nos ergo non coturnices iuxta terram volantes quæramus, neque carnalem ſequamur intellectum, qui altius à littera non ſeparatur, ſed poſt illam aquilam volare diſcamus, quæ ait: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* Et merito quidem tunc Dominus iratus eſt valde, merito quoque Moyſi res intoleranda viſa eſt: quis enim tolerare poſſit, quod manna reſpuitur, & cæpe & allia eliguntur? Quis facile ferat, quod populus tanto labore, de tam dura ſeruitute ereptus, pro comedendis alliis in Ægyptum redire deſiderat? Sed videamus quid ſequitur: Adhuc carnes, inquit, erant in D dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatur in populum, percuſſitque eum plaga magna nimis. Apparet ergo eos per omnia eſſe infelices, quorum praua deſideria Deus exaudit: fortaſsè hos non occidiſſet, niſi eis carnes malè quæſitas dediſſet. Rogemus ergo Dominum, ne nos exaudiat, cum malè aliquid poſtulamus: Hæc enim omnia, ait Apoſtolus, in figura contingebant illis, ſcriptà ſunt autem ad correctionem noſtram.

Nunc autem præcipit Dominus Moyſi, vt eligat ſeptuaginta duos viros de ſenioribus Iſraël, qui ſimul cum eo onus populi ferant, & non ipſe ſolus grauetur. Quod cum factum eſſet, deſcendit Dominus per nubem, & auferens de ſpiritu qui erat in Moyſi, dedit illis. Cumque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt, nec vltra ceſſauerunt. Manifeſtiſſime namque iſti ſeptuaginta & duo viri, ſeptuaginta & duos Chriſti diſcipulos deſignant, quos non de alio, ſed de illo ſpiritu qui in Chriſto erat, (quem tunc quidem Moyſes ſignificabat) Deus impleuit, quo repleti, Chriſti magnalia prædicauerunt, neque vlterius à prædicatione ceſſauerunt.

E

CAPVT XII.

LOcutaque eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter vxorem eius Æthiopiſſam, dicentes: Dominum non ſolum Moyſi, ſed ſibi quoque eſſe locutum. Vnde & Dominus iratus eſt valde, erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines. Dixitque Dominus ad Aaron & Mariam. Quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt? cui ego ore ad os loquor, & palam, & non per ænigmata & figuras Deum videt, cæteris autem prophetis per ſomnium & viſiones apparebo. Iratuſque contra eos abiit: Nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum. Et ecce in Maria apparuit candens lepra quaſi nix. Orauitque pro ea Moyſes dicens: Domine Deus obſecro ſana eam. Cui Dominus: Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem dierum rubore ſuffundi? Separetur ſeptem die- F *bus extra caſtra, & poſtea reuertatur.* Significationem videamus. Moyſes enim Chriſtum: vxor eius Æthiopiſſa Eccleſiam de peccatoribus collectam: Maria plebem Iudaïcam: Aaron vero Iudæorum Pontifices & Sacerdotes deſignat. Sæpe enim Iudæorum plebs atque Pontifices contra Chriſtum locuti ſunt, dicentes, ſibi quoque in ſcripturis Prophetarum Deum eſſe locutum, quibus magis credendum eſſet quam Chriſto, qui quaſi vxorem Æthiopiſſam diligens & complectens, cum publicanis & peccatoribus manducabat. Vnde & eis Dominus, quaſi Moyſi credentibus in Moyſe credere fingentibus dicebat: *Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi, de me enim ipſe ſcripſit.* Quod autem ſuper homines Chriſtus mitiſſimus fuit, ex eo intelligi poteſt, quia ſicut agnus ad victimam ductus non aperuit os ſuum, & pro ſuis quoque crucifixoribus orauit. Et fideliſſimus quidem in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, extitit, quia ſe pro ea morti tradere non du- G bitauit. In hoc autem quod dicit, quia palam & non per ænigmata & figuras Deum videt, manifeſtiſſime docet, quod non de Moyſe, ſed de Chriſto, in figura Moyſi, hæc Dominus loquebatur. Moyſi enim Dominum videre cupienti, Dominus ipſe in Exodo loquitur dicens: *Non me videbit homo, & viuet.* Et Ioannes Apoſtolus: *Deum nemo vidit vnquam.* Noſter quoque Moyſes ſic ait; *Nemo vidit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Conſtat ergo primum Moyſen, non niſi per ænigmata & figuras Deum vidiſſe. Quod autem ſequitur: Quod Dominus contra eos iratus, abiit, & nubes receſſit à tabernaculo, quid aliud ſignificare putamus, niſi quia Iudæos Saluatori noſtro detrahentes, eique credere nolentes, ſimul cum ipſo Pater & Spiritus Sanctus dereliquit? Et tunc quidem in Maria apparuit candens lepra quaſi nix, quia impia Iudæorum plebs, ex tunc ſuæ infelicitatis maculis eſt polluta, pro qua tamen, ſicut pro Maria Moyſes, Chriſtus orauit dicens: *Pater ignoſce* H *illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Manet tamen adhuc Synagoga extra caſtra, quoniam nondum ſeptem dies completi ſunt, vt redeat ad Eccleſiam: Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc Iſraël ſaluus fiet: tunc ergo ſeptem dies iſti complebuntur, quoniam non ſunt dies niſi ſeptem. Patrem autem in faciem ſpuere, eſt, aliquem Eccleſiæ Prælatum quemlibet ſubiectorum ſuorum pro ſuis facinoribus palam & manifeſtè redarguere & excommunicare. Qui quidem ſeptem dierum rubore perfunditur, ſi vſque ad peractam pœnitentiam, vel etiam quamdiu viuit, pro ſuis peccatis erubeſcit.

CAPVT XIII.

HInc autem narratur: Quod Moyſes ex præcepto Domini, miſerit duodecim viros ex principibus Iſraël de deſerto Pharan, vbi tunc populus morabatur, ad conſiderandam terram promiſſionis, erat autem tempus quando præcoquæ vuæ veſci poſſunt. Pergentes igitur explorauerunt terram, abſcideruntque palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri, reuerſique

A ſunt poſt quadraginta dies, portantes quoque de malis granatis & de ficis. Oſtendentes autem fructus terræ dixerunt filiis Iſraël: *Venimus ad terram, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt, ſed cultores fortiſſimos habet, & vrbes grandes atque muratas, vnde nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. Caleph vero & Ioſuë dicebant: Aſcendamus & poſſideamus terram. Fleuit ergo turba nocte illa; volens ſibi ducem conſtituere, & reuerti in Ægyptum.*

CAPVT XIV.

CVmque Caleph & Ioſuë, ſciſſis veſtibus præ dolore, eos confortarent, ipſique eos iam lapidibus obruere vellent, apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis, cunctis videntibus, Ego quidem hos 12. Principes, duodecim Apoſtolos intelligerem, niſi quia timuerunt, & B ad terram promiſſionis populum aſcendere diſſuaſerunt, eiſque ruinæ mortiſque cauſa fuerunt: alia ergo interpretatio quærenda eſt. Sed intelligamus modo per iſtos, omnes Eccleſiæ Principes, ideſt Epiſcopos, vt per Caleph & Ioſuë, ſolos bonos, per cæteros autem omnes alios ſignificemus denarius enim numerus, quoniam omnes in ſe numeros continet, aliquando plures, aliquando omnes ſignificat, & hic quidem decem remanent, duobus tantum de duodecim ſubtractis. Per hos ergo decem malos principes, omnes malos Eccleſiæ principes intelligamus, omnes enim & boni & mali terram viuentium laudant, omnes eius gloriam & beatitudinem extollunt, eiuſque felicitatis fructus ante audientium aures & oculos prædicando ponunt, ſed quoniam malè viuunt, & malè de ſe exemplo prauæ actionis ab ea repellunt. De his enim Dominus ait: *Quoniam habentes clauem ſcientiæ, ipſi intrare nolunt, & eos qui volunt intrare, non permittunt.* Malis ergo pereuntibus ſoli boni principes terram viuentium ingrediuntur.

C *Et dixit Dominus ad Moyſen: Vſquequo detrahet mihi populus iſte? quovſque non credet mihi? voluitque eos interficere, ſed orans pro eis Moyſes dicens: Deus patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens, qui viſitas peccata patrum in filiis in tertiam & quartam generationem, dimitte obſecro peccatum populi huius. Dixitque Dominus: Dimiſi iuxta verbum tuum. Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra. Attamen omnes qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna quæ feci, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non intrabunt terram promiſſionis.* Quia enim patiens eſt Dominus, diu peccatores exſpectans, non ſtatim punit: quia vero miſericors eſt, eorum iniquitates & ſcelera aufert, qui per pœnitentiam conuertuntur. Nullum tamen innoxium derelinquit, quia non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis homo. Viſitat autem peccata pa-

D trum in filiis in tertiam & quartam generationem, in illis dumtaxat, qui patres ſuos iniquitate & ſcelere imitantur alioquin filius non portabit iniquitatem patris. Dimiſit autem Dominus propter Moyſen ſeruum ſuum populi peccatum, ſed non dimiſit pœnam peccati, omnes enim propter peccatum hoc per annos quadraginta in deſerto mortui ſunt; quicunque à viginti annis & ſupra numerati fuerant. Et in hoc quidem verum eſſe probatur quod dicitur: *Quia non vindicat Dominus bis in idipſum.* Quod autem ait, *qui tentauerunt me iam per decem vices*, finitum pro infinito poſuit, idemque eſt per decem vices, quod eſt per multas vices, quoniam hic numerus omnes in ſe numeros continet.

CAPVT XV.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere ad filios Iſraël & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis in terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocauſtum, aut victimam pacificam, vota ſoluentes vel ſponte offerentes munera, aut

E *in ſolemnitatibus veſtris adolentes odorem ſuauitatis Domino de bobus, offeret, quicunque immolauerit victimam, ſacrificium, ſimila decimam partem ephi conſperſa oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin, & vinum ad liba fundenda eiuſdem menſura dabit in holocauſto ſiue victima per ſingulos annos, & per arietes erit ſacrificium duarum decimarum ſimila, quæ conſperſa ſit oleo tertia partis hin, & vinum ad libamentum tertia partis eiuſdem menſura offert in odorem ſuauitatis Domino. Quando verò de bobus fecerit holocauſtum aut hoſtiam, impleat votum, vel pacificas hoſtias Domino dabit per ſingulos boues ſimila tres decimas conſperſa oleo, quod habebit medium menſura hin, & vinum ad libamina fundenda eiuſdem menſura, in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. Sic facietis per ſingulos boues, & arietes, & agnos, & hædos. Tam indigena quam peregrini eodem ritu offerent ſacrificia, vnum præceptum atque iudicium erit tam vobis quam aduenis terra.* Significationem videamus. Quare enim fi-

F liis Iſraël modo dicitur. Vt priuſquam ad terram promiſſionis venerint, in omni holocauſto ſimilam & oleum & vinum offerant, niſi quia in deſerto hæc non habebant? Præcipitur ergo eis, vt priuſquam his abundauerint, quicunque immolauerit agnum, offeret & ſacrificium ſimilæ decimam partem ephi, & olei & vini quartam partem hin: Qui vero immolauerit arietem, offerat cum eo duas decimas ſimilæ & olei & vini tertiam partem hin: At vero qui bouem Domino obtulerit, offeret ſimul cum eo tres decimas ſimilæ, & vini & olei totum hin. Hoc autem holocauſtum, & hæc ſacrificia, non quæramus extra nos. Omnia hæc ſi volumus, in nobis inuenire poſſumus. Nos ſumus agni & arietes & boues, nos & ſimila & decimæ ſumus, nos & oleo & vino ſumus perfuſi. Omnia ergo hæc offerimus, ſi tantum nos ipſos Domino offeramus. Si vis eſſe aries & agnus, ſis innocens, patiens, & manſuetus: Si vis eſſe bos, ſubiicere & humiliare ſub iugo Chriſti, & labora

G firmiter & confidenter in agro Eccleſiæ: Si vis eſſe ſimila, ſis totus candidus, & ſine fermento, & quanto plus contereris & affligeris, tanto candidior, & pulchrior fias. Decima vero dicitur homo, quia ipſe eſt dragma decima, ipſe eſt & ouis centeſima. Hæc autem decima ſimilæ, id eſt homo, azimus ſincerus & incorruptus oleo Sancti Spiritus, & vino Euangelicæ prædicationis, totus & intus & extra perfuſus eſt, hoc enim oleo ſanati & hoc vino inebriati ſumus. Quamvis autem plures decimæ hic enumerentur, omnes tamen idem ſignificant. Nihil enim plus duæ decimæ hic ſignificant quam vna, nihil plus tres quam duæ, vna enim totam fidelium multitudinem deſignat: duæ vero Iudæorum populum & gentilium: tres vero totidem mundi partes, Aſiam videlicet, Africam & Europam. De his enim tribus mundi partibus in Euangelio dicitur. *Simile eſt regnum cælorum fermento quod abſcondit mulier in farinæ ſatis tribus.* Vides ergo quid ſit farina, vides quæ ſint & tria ſata farinæ.

H Hic autem præcipit Dominus filiis Iſraël, vt ſicut de areis, ita etiam de cibis & pulmentis Domino primitias offerant, per quod miſericordiam in pauperes & eleemoſynarum largitatem facile intellexerim. Sequitur autem, *vt ſi per ignorantiam omnis multitudo peccauerit, offerat vitulum de armento holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, & ſacrificium eius ac liba, vt cæremonia poſtulant, hircumque pro peccato rogabitque pro eis ſacerdos & dimittetur eis.* Hoc autem peccatum illud eſſe puto, quo filiis Iſraël Chriſtum occiderunt, quod quidem per ignorantiam factum eſſe, ipſe quoque oſtendit dicens: *Non enim ſciunt quid faciunt.* Et Petrus Apoſtolus: *Et nunc fratres*, inquit, *ſcimus, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Agant ergo pœnitentiam, & offerant vitulum eundem ipſum quem occiderunt, laudando, & prædicando, credendo, bibendo, & manducando: vt tali ſacrificio delectatus Dominus dicat: *Sacrificium laudis honorificauit me.* Quid vero per ſacrificium, & liba, & cæremonias intelligi debeat, modo ſuperius diximus, cum de ſimila & oleo & vino loqueremur.

A Hircum autem pro peccato offerre, eſt carnem peccatricem pœnitentiæ igne comburere, vt à peccato ſoluatur. Sacerdos autem, animus eſt: qui in ara cordis geminatus, & compunctionis hoſtiam offerens, & pro ſe & pro aliis exaudiri meretur: animi enim præcipuè culpa ſit, quod per ignorantiam peccamus, eiuſdem ergo interuentu fiat, vt exaudiamur. Quod ſi anima vna neſciens peccauit, offerat capram anniculam pro peccato ſuo, & deprecabitur pro ea ſacerdos, vt ſupra. Hoc autem ad vnumquemlibet pertinet, qui neſcienter erat, & aliter quam ſe veritas habet, intelligi credit. Hic ergo cognito peccato ſuo offerat capram, quæ quoniam eiuſdem generis eſt, idipſum ſignificat, quod modo hircum diximus ſignificare. Anima vero quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, quoniam aduerſus Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo. Hoc autem perſpicuè de hæretico intelligitur, vnde, & merito rebellis vocatur. Magna enim B ſuperbia eſt, vt, tota Eccleſia reclamante, & fidei Catholicæ dogmata oſtendente, aliquis contra rebellare, ſuam ſententiam contentioſè defendere velit. Talis ergo peribit, cuiuſcunque gentis ſit, cuiuſcunque ordinis, cuiuſcunque conditionis, & religionis.

Sequitur autem de homine, quem filij Iſraël extra caſtra ducentes (quoniam in Sabbato ligna collegerat) lapidibus obruerunt. Per hoc autem datur intelligi, quod illi qui pactum Dei violant, & Eccleſiæ Dei inſtituta cum cæteris fidelibus cuſtodire, & obſeruare recuſant, ab Eccleſia pelli, & ab omnibus damnari, & excommunicari debeant: tot enim lapidibus obruitur, quot aſſentientibus excommunicatis confirmatur.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſraël & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacinthinas, quas cum viderint recordabuntur omnium mandatorum Domini, ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias forni- C *cantes, ſed magis memores præceptorum Domini faciant ea.* Hoc autem capitulum non multa expoſitione indiget, ſiquidem ipſe qui ſcripſit, expoſuit. Ad hoc enim vittas hiacinthinas in fimbriis ponere iuſſit, vt ſignum quoddam eis eſſet, quo cœleſtium mandatorum memores, vana & inutilia non cogitarent, hiacinthus enim cœli colorem habet. Sint ergo vittæ hiacinthinæ, ſanctæ cœlibeſque cogitationes, quæ fimbriis, id eſt ſententiis mandatorum Dei innexæ, ab omni fornicatione oculos noſtros tueantur: De fornicatione enim oculorum Dominus ait. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

CAPVT XVI.

Sequitur autem de ſeditione, quam Chore, Dathan, & Abiron fecerunt contra Moyſen & Aaron volentes ſibi ſacerdotium vendicare, conſentientibus eis ducentis quinquaginta viris de maioribus Synagogæ, & hos quidem ſe terra aperiens deglutiuit, cæteros autem D thuribula tenentes & incenſum offerentes, ignis conſumpſit. Deinde vero præcepit Dominus, vt Eleazar filius Aaron tolleret thuribula quæ in igne iacebant, eaque in laminas produceret, & altari eas affigeret, vt videntes eas filij Iſraël, ſemper huius facti memores eſſent, & ad ſacerdotium ſolis filiis Aaron conſtitutum, accedere non præſumerent. Quoties enim Dominum filios Iſraël pro ſuis iniquitatibus puniſſe legimus, ſemper illud Apoſtoli meminiſſe debemus. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram.* Timeat ergo omnis homo contra Epiſcopos Eccleſiæque Principes ſeditionem facere, & ea quæ ſe non pertinent, iniuſtè ſibi timeat vendicare: qui enim hoc agit, Deo blaſphemat. Vnde hic dicitur: *Si deſcenderint in infernum viuentes, ſcietis quia blaſphemauerunt Dominum.* Quare autem thuribula in laminas producta altari affigantur, ipſe qui ſcripſit, expoſuit. *Quod enim ſunt litteræ legentibus, hoc ſunt hæ laminæ legem neſcientibus.* Has ergo circa cordis altare affixas E habet, qui earum non obliuiſcitur. Vtinam noſtri Reges, & Principes, vtinam Symoniaci Eccleſiæque inuaſores has in cordis altari affixas habuiſſent, & mortis Chore, Dathan, & Abiron non obliuiſcerentur. Qui vero hæc thuribula in mortibus peccatorum Sanctificata eſſe dicit, Sanctam Eccleſiam ex cohabitatione Symoniacorum, & inuaſorum pollui, eorumque ſeparatione ſignificari, ſignificat.

CAPVT XVII.

Hic autem præcipit Dominus Moyſi, vt tollat ſingulas virgas per ſingulas tribus & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribat, nomen autem Aaron ſcribat in virga leui, ponatque eas in tabernaculum fœderis, cuius autem virga germinauerit, ipſius ſit ſacerdotium. Rogemus autem nos & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, F vt virgas, & regimen noſtrum germinare faciat, ne ſicci, & ſine fructu in domo eius inueniamur. Non eſt enim Pontifex cuius virga non germinat. Hoc autem miraculum contra eos obiici poteſt, qui virginem parere potuiſſe negant: non enim mirabilius eſt virginem parere, quam virgam ſiccam ab vna nocte flores, & fructus germinare.

CAPVT XVIII.

Dixitque Dominus ad Aaron. Tu & filij tui, at domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarij, & tu & filij tui ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotij veſtri. Sed & fratres tuos de tribu Leui & ſceptrum patris tui ſume tecum, præſtoque ſint & miniſtrent tibi, ad vaſa tamen Sanctuarij, & ad altare non accedant: hæc enim ad ſacerdotes pertinent, & quæcunque intra velum ſunt. Non enim Epiſcopi, & ſacerdotes, verum etiam cæteri ordines clericorum iniquitatem ſanctuarij G totiuſque Eccleſiæ peccata ſuſtinent & portant: Magnum vtique onus, & graue ad ferendum multumque neceſſarium eſſet, vt propriis iniquitatibus careret qui aliorum portant iniquitates, cæteroſque à peccatorum pondere ſubleuare præcipiuntur. Valde enim nos ſemper ſollicitos eſſe oportet qui & proprias & aliorum iniquitates flere iubemur. Interdicitur autem leuitis ad vaſa ſanctuarij, & ad altare accedere, ne fortè ea, quæ Epiſcoporum ſunt temere vſurpare præſumant.

Locutuſque eſt Dominus ad Aaron. Omnis oblatio & ſacrificium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum, in ſanctuario comedes illud: Mares tantum comedent ex eo, quia conſecratum eſt tibi. Sicut enim omnes decimæ Leuitarum erant, ita omnes primitiæ omneſque oblationes, & omnia ſacrificia erant Sacerdotum: in quo ſicut, & in cæteris omnia maiora ſacramenta ad ipſos pertinere ſignificatur: Comedebant autem illud in ſanctuario, quia occultiora Diuina myſteria in conuentu fidelium exponere debemus. In quo H non ſint niſi mares, qui & fide, & intellectu ſint fortiores. Hoc enim ſoli ordini ſacerdotali conſecratum, & dedicatum eſt.

Primitias autem quas vouerint, & obtulerint filij Iſraël, tibi dedi & filiis, & filiabus tuis iure perpetuo, qui mundus eſt in domo tua veſcetur ex eis. Primitiæ namque, non tantum prima, ſed & meliora quoque intelligi poſſunt. Vnde in Exodo auri, & argenti, & gemmarum primitiæ leguntur. Omnes ergo primitiæ ſacerdotum ſunt, eorumque filiorum, & filiarum, quoniam, quæcunque fidelia ſunt, quæcunque ſancta, quæcunque religioſa, quæcunque in virtutibus moribuſque præcipua, ſacerdotum ſunt, & illorum qui ab eis per aquam baptiſmatis generantur, & regenerantur: Siue maſculi ſint ſiue fœminæ, id eſt, ſiue perfecti, ſiue minus perfecti, omneſque vnam fidem vnamque doctrinam participant. Ab hac autem participatione ſoli hæretici ſeparantur, quia immundi ſunt, quamvis & ipſi ſacerdotum filij ſint.

Præcipit

A Præcipit autem Dominus, vt omnia primogenita, & omne animal immundum redimatur: munda vero non redimantur. Quorum ſanguinem fundet ſacerdos ſuper altare, & adipem adolebit: carnes vero illius erunt, ſicut pectuſculum, conſecratum, & armus. Quid enim per primogenita niſi fidem & animam intelligimus? quæ nimirum prima, præcipua, & chariora ſunt. Hæc autem ſacerdotum eſſe dicuntur, quoniam eorum miniſterio & fides & animæ Deo offeruntur. Aliter enim nemo baptizatur niſi prius fidem, & animam ſuam ſacerdotibus offerat. Animal autem immundum redimitur, quia fides & anima violata, pœnitentiæ pretio reſtauratur.

Mundum vero non redimitur ſed offertur, quia non indiget redemptione quod liberum eſt, & nulli obnoxium ſeruituti. Sanguis autem illorum ſuper altare funditur, quoniam illorum vita & anima Domino redditur. Delectatur autem Deus in illorum adipe, per quem ani-
B mæ virtus, & fortitudo ſignificatur. Carnes vero eorum ſunt ſacerdotum, ſicut & pectuſculum conſecratum, & armus, quia ſic pertinet ad ſacerdotes ſanctorum vitas prædicare, ſicut & conſilia dare, & onera portare. De hominis autem primogenitis iam ſuperius diximus, quæ quidem poſt vnum menſem quinque ſiclis redimuntur, quatenus poſtquam baptizantur & Deo offeruntur, quinque ſui corporis ſenſus ſic ſacerdotibus tradant, vt iam non voluptatibus ſed Domino ſeruiant. Præcipitur autem Leuitis, vt ipſi quoque primitias offerant, decimam videlicet partem decimarum, quæ eis à populo offerebantur. Vnde manifeſtum eſt, non ſemper primum aliquid primitias ſignificare. Decimas autem ideo damus quoniam ipſi decimæ ſumus: Nos enim ſumus dragma decima, nos ſumus, & ouis centeſima: quod enim centeſimum eſt, decimum eſt. Nos ſumus, & decimus ordo quoniam nouem ſunt ordines Angelorum. Quoniam igitur decimas damus, noſmetipſos quaſi decimas in decimis Domino commendamus. Hæc autem breuiter tranſcurrimus, quoniam iam ſuperius de
C his locuti ſumus.

CAPVT XIX.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron dicens: Iſta eſt religio victimæ quam conſtituit Dominus: Præcipe filiis Iſraël, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit iugum, tradetiſque eam Eleazaro ſacerdoti, qui eductam extra caſtra immolabit in conſpectu omnium, & tingens digitum in ſanguine eius aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quam ſanguine & fimo flammæ traditis. Quid enim per hanc vaccam, niſi carnem intelligimus? Quæ bene quidem rufa dicitur, vt pote proprio ſanguine cruentata. Eſt autem & ætatis integræ, quia in iuuentute paſſus eſt Dominus. Nulla autem macula in ea eſt: Quia ſicut de Saluatore noſtro ſcriptum eſt, peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore
D eius. Vnde & hæc iugum non portaſſe dicitur, in quo vitiorum ſeruitus deſignatur. Et quoniam Dominus noſter ſacerdotibus eorumque principibus à populo traditus eſt, ideo & hæc Eleazaro tradi iubetur. Quod vero extra caſtra ducitur, & in conſpectu omnium immolatur, totaque ſimul cum pelle carnibus, & ſanguine, & fimo, flammis traditur, Apoſtolus expoſuit dicens: *Quorum enim animalium infertur ſanguis in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra: Ita & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Sed quid illud ſignificaſſe putabimus, quod Sacerdos tingens digitum in ſanguine eius contra fores tabernaculi ſepties aſpergebat? niſi fortè hoc quod Iudæi clamantes dixerunt. *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Benè autem hoc ſepties fiebat, quia parentes, & filij, & nepotes, & quicunque ex eis fuerint vſque ad ſæculi conſummationem, hac maledictione tenentur obnoxij. Quia enim non ſunt dies niſi ſeptem, quod ſepties fit, cunctis diebus fieri intelligitur. E
Lignum quoque cedrinum & hyſſopum, coccum bis tinctum, ſacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat, & tunc demum lotis veſtibus & corpore ſuo ingredietur in caſtra, commaculatuſque erit vſque ad veſperam. Sed ille qui combuſſit eam, lauabit veſtimenta ſua, & corpus, & immundus erit vſque ad veſperam. Lignum autem cedrinum, quod imputribile eſt, redolentiſque naturæ ſanctos ſignificat: hyſſopus quoque, qui in petra naturaliter naſcitur, eos deſignat, quorum Chriſtus eſt fundamentum. Similiter autem, & coccus bis tinctus eos demonſtrat, qui Dei, & proximi dilectione inflammantur. Merito ergo hæc ſimul cum vacca in flamma ponuntur quoniam ſancti viri Chriſti paſſioni compatiuntur, eamque legendo & memorando, magno igne interius ſuccenduntur. Toties enim lignum cedrinum, & hyſſopus, & coccus cum vacca exuritur quoties illi, qui per hæc ſignificantur, Chriſti paſſionis memores, doloris triſtitiæque igne torquentur. Hoc autem de Apoſtolis cæteriſque, ſatis conuenienter intelligi poteſt, qui eius paſſioni interfuerunt. Per ſacerdotem autem qui F
vaccam immolat, & per hominem qui eam comburit, non ſolum Cayphas, & ille impius populus qui tunc temporis erat, verum, & totus populus Iudæorum, omneſque eorum ſacerdotes qui eis, & in genere & in malitia ſuccederent rectiſſime ſignificantur. Et iſti quidem immundi erunt vſque ad veſperam, per quam mundi huius fidem intelligimus, tunc enim lauabunt veſtimenta ſua tunc aqua baptiſmatis interius; & exterius purificabunt faciem ſuam, tunc caſtra ingredientur, & per fidem ad Eccleſiam conuertentur, ſecundum illud. *Conuertentur ad veſperam: In diebus enim illis ſaluabitur Iuda, cum plenitudo gentium introierit, tunc Iſraël ſaluus fiet.*

Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, vt ſint multitudini filiorum Iſraël in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis, quia pro peccato vacca combuſta eſt. Cumque lauerit, qui vaccæ portauerit cineres, veſtimenta ſua, immundus erit vſque G
ad veſperam. Quid enim per cineres vaccæ, niſi Chriſti reliquiæ deſignantur? Quæ ſint autem eius reliquiæ dicit Euangeliſta: Poſtquam, inquit, manducauit, ſumens reliquias, dedit eis, & dixit, Hæc ſunt verba quæ locutus ſum apud vos manens. Has ergo reliquias, id eſt verba Chriſti & prædicationem Euangelicam, quæ ipſe cælos aſcendens diſcipulis dereliquit, collegit vir mundus, cœtus videlicet Apoſtolicus. Notandum autem, quia neque Sacerdos, neque ille qui vaccam comburit, ſed ſolus ille qui cineres colligit, vir mundus dicitur. Ducunt ergo Apoſtoli cineres vaccæ id eſt Apoſtolicam prædicationem extra caſtra Iudæorum, & effundunt eos in loco puriſſimo, id eſt, in Eccleſia gentium, nolentes iam dare ſanctum canibus, & mittere margaritas ante porcos. Et magis quidem Chriſti verba ſunt nobis in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis & emundationis quam illi cineres eſſent filiis Iſraël. Sed quare vir iſte qui mundus eligitur, poſtquam cineres, qui & ipſi mundi ſunt, portat, & aqua abluitur, & immundus dicitur? niſi fortaſſe quia quantum ad alio- H
rum comparationem mundus eſt, quantum autem ad perfectionem quandiu viuit, mundus non eſt? Quis enim gloriabitur mundum ſe habere cor? aſtra enim non ſunt munda in conſpectu Dei. Qui enim mundus eſt, adhuc indiget vt pedes lauet. Hoc enim Dominus dicit.

Qui tetigerit cadauer hominis & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus aſpergetur ex hac aqua die tertio & ſeptimo, & ſic mundabitur; ſi die tertio aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari. Quicunque ex Adam naſcitur cadauer hominis tetigit, quia priuſquam cadauer & mortis legibus ſubditus eſſet, neminem generaſſe legitur. Propter hoc igitur quantum ad ſe, omnis homo ſeptem diebus eſt immundus, quia niſi aqua baptiſmatis regeneretur, nunquam eſt mundus. Vnde hic dicitur: vt huiuſmodi homo aſpergatur hac aqua die tertio, quatenus ſub trina merſione baptizatus illuminari à Domino mereatur. Aſpergatur autem & ſeptimo die, vt per manus impoſitionem ſeptem gratiis ſancti Spiritus

confirmetur.

A confirmetur. Quare autem die ſeptimo emundari non poteſt qui die tertio hac aqua aſperſus non fuerit, niſi quia nemo ab Epiſcopo confirmatur, qui prius in Trinitatis nomine non ſit baptizatus Sequitur.

Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aſperſus ex hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſraël, quia aqua expiationis non eſt aſperſus, immundus erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum. Quid enim per animæ morticinum, niſi hæreticos intelligimus? qui non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam mortui ſunt. Horum autem morticinum tangere, eſt eorum impietatibus acquieſcere. Qui autem hoc egerit, niſi prædicta aqua, id eſt Euangelica doctrina aſperſus & mundatus fuerit, polluet tabernaculum Domini, cæteros videlicet in errorem inducens, & ipſe peribit & immundus erit, & ſpurcitia eius manebit ſuper eum, ſicut ipſa veritas ait. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Sequitur.

B *Iſta eſt lex hominis qui moritur in tabernaculo, Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuerſa vaſa quæ ibi ſunt, polluta erunt ſeptem diebus. Vas quod non habuerit operculum, & ligaturam deſuper, immundum erit.* Tabernaculum enim Eccleſia eſt, in qua nemo moritur niſi Chriſtianus: moritur autem, ſi à fide Catholica ſeparatur. In huius autem tentorio quicunque fuerint, eiuſque fidei & Collegio ſe ſociauerint, immundi erunt. Vnde & merito illa vaſa hoc in loco immunda eſſe dicuntur, quia nec operculum habent nec ligaturam: Quoniam omnes illi immundi ſunt, cuius aures ad huius mortui fidem & doctrinam clauſæ non ſint. Quid autem per ſeptem dies ſignificetur, ſæpe iam diximus.

Si quis in agro tetigerit cadauer occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſiue os illius, vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus. Sicut enim per tabernaculum, Eccleſia, ita & per agrum ea quæ extra Eccleſiam ſunt, ſignificantur. Septem ergo, id eſt omnibus diebus ſunt immundi, qui extra Eccleſiam ſunt, ſiue quia cadauer primi C hominis quem diabolus occidit, naſcendo tetigerunt, ſiue quia ipſi in multis peccando, & peccatoribus adhærendo, ſeipſos peremerunt. Os autem mortui tangere, eſt, de doctrina hæretici hominis vnam quamlibet partem ſuſcipere. Sepulchrum vero mortui tangit, qui totum eius librum fœtore, & putredine plenum veneratur & recipit. Qualiter autem & iſti mundari debeant, audiamus.

Tollent de cineribus combuſtionis atque peccati, & mittent aquas viuas ſuper eos in vas in quibus cum homo mundus tinxerit hyſſopum, aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſuppellectilem, & homines huiuſcemodi contagione pollutos, atque hoc modo mundus luſtrabit immundum, tertio, & ſeptimo die: expiatuſque die ſeptimo lauabit, & ſe, & veſtimenta, & immundus erit vſque ad veſperum, hoc enim quod Apoſtolus ait. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, cum ex hoc loco ſumpſiſſe arbitramur. Sicut enim hic cineres peccati intelliguntur cineres vaccæ combuſtæ pro peccato, ita & ibi peccatum D intelligitur hoſtia pro peccato. Et in eo qui viuas aquas ſuper cineres ponebant, hanc doctrinam viuificatricem per illos cineres ſignificari quodammodo innuebant. Hæc autem aqua ab homine mundo cum hyſſopo ſpargitur, quoniam quicunque hanc doctrinam prædicat, & mundus eſſe debet, & ſuper illam petram radicatus, & fundatus, de qua dicitur. *Petra autem erat Chriſtus.* In petra autem naturaliter naſcitur hyſſopus. Sic ergo homo mundus purificat hominem immundum, & quæcunque illius ſunt, fidem videlicet, intellectum, ſcientiam, & doctrinam, eiuſque animæ tentorium, id eſt corpus. Quid autem per diem tertium, & ſeptimum ſignificetur, iam ſuperius diximus. Quare etiam, qui ſic expiatus eſt, iterum lauetur, & ſit immundus vſque ad veſperam, & hoc dictum eſt: eadem autem ſæpius replicare non eſt opus.

CAPVT XX. E

SEquitur autem de eo, quod populus veniens in deſertum Sin, deficiente aqua, verſus eſt in ſeditionem contra Moyſen & Aaron. Qui ex præcepto Domini congregata ante petram omni multitudine dixerunt. *Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? percuſſitque virga bis ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dedi eis.* Quantum enim fides poſſit, quantumque incredulitas noceat, hoc in loco apertiſſime monſtratur. Hoc autem in Exodo expoſuimus. Quamuis enim, hoc & illud miraculum non idem ſit, vtriuſque tamen expoſitio eadem eſt, magiſque ad hunc locum illa expoſitio, quam ad illum pertinere videtur. Valde autem nobis timendum eſt, ne & nos increduli ſimus dum hos tantos viros propter vnius rei in- F credulitatem in tantum diſcrimen veniſſe videmus. Hoc tamen & illis ad vtilitatem, & nobis accidit ad exemplum. Vtilis enim eſt illa mors quæ hominem à labore ſoluit, & in gaudium, & quietem inducit. Aſcendit igitur Aaron ſuper montem Hor, ibique iubente Domino mortuus eſt: Hor enim, lumen, interpretatur, merito ergo in monte luminis moritur, qui tenebras fugiens ad gloriæ claritatem feſtinat.

CAPVT XXI.

A*Vdiuit autem Chananæus, veniſſe Iſraël, pugnauitque contra eum, & vicit, duxitque prædam ex eo. At Iſraël voto ſe Domino obligans ait: Si dederis populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius. Tradidit ei Dominus Chananæum, quem ille interfecit, ſubuerſis vrbibus eius.* Chananæus enim iſte diabolus eſt, qui contra nos in primo homine pugnauit, & vicit, & non paruam G à nobis prædam tulit, dum ipſa nos immortalitate priuauit. Contra hunc autem voto obligati ſumus, quicumque ad fidem venientes eique abrenunciantes aduerſus eum arma ſuſcepimus. Toties ergo eum interficimus, eiuſque vrbes ſubuertimus, quoties ad fidem incredulos, & ad pœnitentiam peccatores conuertimus.

[*Hinc autem narratur; quod populus iam itinere & labore fatigatus murmurauit contra Moyſen. Vnde & Dominus miſit in eos ignitos ſerpentes qui eos occidebant. Orauitque Moyſes pro eis. Cui præcepit Dominus vt ſerpentem æneum faceret, quem percuſſi aſpicientes ſanarentur.*] De hoc enim Serpente Dominus ait. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Aſpice ergo ſerpentem, id eſt crede in Chriſtum. Igniti autem ſerpentes, maligni ſpiritus intelliguntur, qui cunctis viuentibus nequiores igne & furore crudelitatis omnia ſuperant, & iſti quidem eorum animas perdunt, & contra eos maxime poſſunt, qui contra Chriſtum murmurare, eique male viuendo de- H trahere non ceſſant. Qui ergo ab his ſerpentibus percuſſi fuerint, currant, non ad ſerpentem, ſed ad ſimilitudinem ſerpentis; currant ad eum qui iniquitatem non fecit, & tamen inter iniquos deputatus eſt: Qui in ſimilitudinem carnis peccati apparuit, vt de peccato damnaret peccatum in carne; Qui nunc exaltatus eſt in lignum ſalutis, vt illum deiiceret qui prius in lignum concupiſcentiæ aſcenderat.

Venit, deinde populus contra Arnon in fines Amorrei. [*Siquidem Arnon terminus eſt diuidens Moabitas & Amorreos. Vnde dicitur in libro bellorum Domini. Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon, ſcopuli torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.*] Hoc inquit ſcriptum erat in libro Bellorum Domini, quem nos quidem non habemus quoniam filij Iſraël, ſicut in mari rubro, Domino pro eis dimicante, victores extiterunt, ſic & vincerent in torrentibus. Arnon. Amorreos autem, quia

A duri erant & fortes, metaphorice ſcopulos vocat. His tamen victis & humiliatis, in eorum finibus requieuerunt filij Iſraël, id eſt, infra ipſos Amotreorum, & Moabitarum. Præceperat enim Dominus filiis Iſraël, ne tangerent filios Moab, & Amor, quia fuerant filij Loth, Similiter autem nec filios Eſau, qui habitabant in Seir & Edom.

Ex eo autem loco apparuit puteus, ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen. Congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Iſraël carmen iſtud, Aſcendat puteus concinebant, puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis. Iſte puteus, nouum teſtamentum eſt, quem Eccleſiæ principes, Apoſtoli videlicet & Doctores in datione legis parauerunt, foderunt, & expoſuerunt. Quod autem ait. *In baculis ſuis*, hoc audiant illi qui baculos habent, & vel baculos abijciant; vel puteos fodiant. In eo enim, quod iſti principes cum baculis ſuis puteum fodiebant, eos qui baculos habent, id eſt, Eccleſiæ regimina, B ſanctarum ſcripturarum profunda ſcrutari, & cunctis ſitientibus viuam aquam propinare iubebant. Quod autem ſuperius ſignificari diximus per Chananæos quos deleuit Iſraël, idipſum ſignificatur per Sehon Regem Amorræorum, & Og Regem Baſan. Illa ergo expoſitio hic quoque ſufficiat.

CAPVT XXII.

SEquitur autem de Balaam, qui cupiditate ductus fuit ad Balach filium Sephor, vt malediceret filiis Iſraël: Cum enim Dominus & prius, ne illuc iret, interdiceret, cernens eum nimirum eundi cupidum, poſtea abire permiſit, tamen ne populo malediceret, interdixit. Infelices ergo, qui in malis deſideriis à Domino exaudiuntur, & quoniam auari facile cupiditate decipiuntur, iterum & miraculo aſinæ loquentis, & Angeli voce idipſum, quod prius, iubentis admonetur. Iuit ergo Balaam, & quia maledicere populo auſus non fuit aliam viam C inuenit, ne promiſſa pecunia priuaretur. Hoc autem diximus, vt quantum ſit auaritiæ malum, intelligatur. Verba autem Balach & ſacrificia Balaam alius exponat, ego enim in eis laborare non curo. Sola ergo illa exponamus, quæ Prophetiæ ſpiritu Balaam dixiſſe videtur.

CAPVT XXIII.

D*E ſummis ſilicibus videbo eum, de collibus conſiderabo illum. Populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur, Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſraël: Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* In illo enim populo Balaam, non ſuo, ſed Spiritu Dei, iam totam Eccleſiam videbat: Vnde, & ſe illius morte mori, & ei ſimilis fieri optabat; Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur. Quid autem per ſummos ſilices, & colles, niſi vtriuſque teſtamenti altos, difficiles, & figuratos ſermones intelligamus? Ad hos ergo accedat, D hos videat & legat, quicunque Dei populi vitam, conuerſationem gloriam, felicitatem cæteraque videre, & conſiderare deſiderat. In hoc enim ſpeculo videtur Eccleſiæ pulchritudo. Et iſte quidem populus ſolus habitabit. Vbi? Vtique in terra viuentium: Nec reputabitur inter gentes, ſine baptiſmate morientes: qui, quoniam innumerabilis eſt populus vocatur.

Iterum Balaam aſſumpta parabola ait. Sta Balach & auſculta audi fili Sephor. Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? Ad benedicendum adductus ſum benedictionem prohibere non valeo. Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſraël. Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoria Regis in illo. Deus eduxit eum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis. Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël. Temporibus ſuis dicetur Iacob & Iſraël quid operatus ſit Deus. Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur. Non accubabit donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat. E Quare ô inſipiens Balaam toties Deus tentas quem tuipſe nec mentiri, nec mutari, vt Deum, poſſe teſtaris? Sufficere tibi debuerat quod ſemel dixit, cuius voluntas nec ſacrificij, nec locorum mutatione mutatur, vnde manifeſtum eſt, quia non ſponte Dei populo benedicit, ſed quia benedictionem prohibere non vales. Doles quia non eſt idolum in Iacob, ideoque nefando tuo conſilio factum eſt, vt poſtea ſacrificarent Beelfegor. Dominus adduxit eum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis, quoniam ſingulari omnipotentia omnia ſuperat, ſicut & hoc animal vno cornu quicquid inuadit, proſternit. Et quamuis modo non ſit idolum in Iacob, ſuo tamen tempore dicetur de illo, quod aureos, argenteos, ligneoſque Deos operatus ſit. Lege Prophetas, & hoc eos de Iſraël dixiſſe inuenies. Leoni autem hic populus comparatur, & prædam deuoraſſe ſanguinemque bibiſſe refertur, quod qui non intelligit, & hos, & Regum & F Machabæorum libros legat, in quibus, quam multum ſanguinis fuderit, inueniet.

CAPVT XXIV.

I*Terum autem Balaam aſſumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: Dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui viſione omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperientur oculi eius: Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël, vt valles nemoroſæ, vt hortus iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri ſuper aquas: fluet aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas extolletur propter Achab Rex eius, & auferetur regnum illius. Qui benedixerit tibi, erit ipſe benedictus, qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.* Ecce enim Balaam ſeipſum obturatum, & excæcatum dicit, cuius oculi non aperiuntur, nec in eius ruina & damnatione. Nemo enim eſt cuius oculi ad veritatem G cognoſcendam vel poſt mortem non aperiantur. Tabernacula autem hominum collectiones, ſingulares Eccleſias dicit, quæ quoniam virtutibus, & Sapientia, & Sanctitate abundant, valli nemoroſæ, & horto irriguo & cedris comparatur. De ſitula autem illius fluit aqua, de cuius pectore ſemper manat indeficiens Sapientia. Semen autem illius erit in aquas multas, per quas ex illo populo in multas gentes fieri deſignat: extolletur propter Achab Rex eius, Primus enim huius populi Rex fuit Saül, qui ſicut legitur in libris Regum, pugnauit contra Agag Regem Amalech, pro quo in ſuperbiam eleuatus quaſi ad gloriam ſui triumphi eum reſeruauit, & Deo inobediens fuit, qui ab homine vſque ad pecus totum Amalech delere præcepit, vnde & Regnum amiſit, ut de eius ſtirpe Rex vlterius non naſceretur. Longa eſt hiſtoria, quam qui legerit, clarius hæc intelliget.

Sumpta iterum parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: Dixit homo cuius obturatus eſt oculus, qui cadens apertos habet oculos: Videbo eum, ſed non modo, intuebor illum, ſed H *non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth: & erit Idumæa poſſeſſio eius, hæreditas Seir cedet inimicis ſuis: Iſraël vero fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur & perdat reliquias ciuitatis.* Balaam enim, quia ſcienter peccat, ideo de ſe rectiſſime dicit: quod cadens apertos habeat oculos ſicut è contra ille clauſis oculis cadit, qui neſciens & ignoranter peccat. Quod autem ait: *Videbo eum, ſed non modo, intuebor illum, ſed non prope*, de vltimo iudicio intelligi poteſt, quando & boni & mali omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, de quo ſtatim ſubinferens ait: *Orietur ſtella ex Iacob*, quia totus mundus illuminabitur: *Et conſurget virga de Iſraël*, quia ſtultorum imperitia corrigetur. Hoc autem totum de Chriſto intelligatur, qui de Iſraël ſecundum carnem originem ducens, cunctis mundi nationibus dominatur. Et ipſe quidem perdet reliquias ciuitatis, atque Ieruſalem, cuius reliquiæ ſunt omnes iniqui, ſolis

A bonis in eius ædificia introductis, poteſt autem & iuxta litteram intelligi de Dauid hoc quod dicitur. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël &c. Ipſe enim in illo populo cunctis Regibus, & fortitudine, & Sanctitate clarior fuit. Ipſe percuſſit Moab, & menſus eſt eum funiculo coæquans terræ. Quære hoc in libris Regum. *Ipſe quoque vaſtauit filios Heth*, per quos Chananæos, & Philiſtæos, & cœteros qui prius in terra promiſſionis habitauerant intelligere debemus. De quo & Rebecca in Geneſi loquitur dicens. *Tædet me vitæ propter filias Heth, & ſi acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere. Facta eſt autem Idumæa poſſeſſio eius, ſicut ſcriptum eſt: Et poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium, & facta eſt vniuerſa Idumæa Dauid ſeruiens. Eſt autem & Seir in Idumæa.*

Cumque vidiſſet Amalech, aſſumpta parabola ait. Principium gentium Amalech cuius extrema perdentur. Et hos enim, ſicut & illos, ſuperauit Dauid. Vidit quo-B que Cinæum, & aſſumpta parabola ait: Robuſtum quidem eſt habitaculum tuum, ſed ſi in petra poſueris nidum tuum, & fueris electus de ſtirpe Cham, quamdiu poteris permanere? Aſſur enim capiet te. Quid enim hic aliud quæramus, cum hos ab Aſſyriis captos eſſe ſciamus.

Aſſumpta parabola iterum locutus eſt. Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? Venient in triremibus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt Et hoc quidem completum eſſe videmus. Scimus enim Romanos trans mare nauibus aduectos, & has, & multas alias gentes ſuo imperio ſubiugaſſe, quos quidem iam periiſſe diceremus, ſi non adhuc eos deterius perituros eſſe putarem.

CAPVT XXV.

C *Morabatur autem eo tempore Iſraël in Setim. Et fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos eorum. Initiatuſque eſt Iſraël Beelphegor. Et iratus Dominus ait ad Moyſen: Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſraël. Dixitque Moyſes ad Iudices Iſraël. Occidat vnuſquiſque proximos ſuos qui initiati ſunt Beelphegor.* Aliud enim Dominus iubet, aliudque Moyſes facere videtur. Præcipit enim Dominus vt cunctos populi principes contra ſolem ſuſpendat in patibulis. Et fortaſſe idipſum ſignificat, & quod Dominus iubet, & quod Moyſes agit. Magnum enim patibulum, & pœnam prope intolerabilem mihi ille ſuſtinere videtur, qui fratrem, & filium palam ſcienterque interficit. Quid enim eſt aliud contra ſolem, niſi palam & manifeſte? Non enim tanto dolore afficerentur, ſi hoc vel in nocte, vel neſcienter agerent. Si quis autem hoc aliter intelligat, D non contendo. Occiſa eſt autem ibi hominum multitudo, viginti tria millia. Et tunc quidem ſtetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio, interficiens fornicatores, ſcilicet Zarin filium Salu, & Chozbi filiam Sur. Interficiamus ergo & nos fornicationis Spiritum, & in nobis caſte viuendo, & in aliis bene monendo, quatenus iram Dei placare valeamus. Hoc enim ſi Sacerdotes egerint, reputabitur eis ad iuſtitiam vſque in ſempiternum.

CAPVT XXVI.

Poſt hæc autem Moyſes iubente Domino, poſuit manus ſuas ſuper caput Ioſue coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine. Et replicans omnia quæ mandauerat Dominus dedit ei partem gloriæ ſuæ, conſtituit eum pro ſe ducem populi. Hoc enim & Chriſtus Dominus feciſſe legitur, qui priuſquam cœlos aſcenderet, vicarios ſibi totiuſque Eccleſiæ duces, Apoſtolos conſtituit. Quibus, & partem gloriæ ſuæ tribuens, ſigna, & virtutes in ſuo nomine facere præcepit, Qui quaſi Chriſti manus ſuper capita habentes, ab omni poteſtatis incurſu, omniſque aduerſitatis impetu ſecuri extiterunt.

E

CAPVT XXVII.

Dixitque Dominus ad Moyſen. Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum, vnum offeretis mane, & alterum ad veſperam. Decimam partem ephi ſimilæ, quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo, & habeat quartam hin, & libabitis quartam partem hin per agnos ſingulos in ſanctuario, alterumque agnum ſimiliter offeretis ad veſperam. Quid enim per duos agnos niſi duo teſtamenta intelligimus? in quibus omne ſacrificium laudis & iubilationis pleniſſime continetur. Hos autem mane, & veſpere, immo ſepties in die offert Eccleſia, ſecundum illud: *Septies in die laudem dixi tibi.* Quamuis per mane, & veſperam, quæ ſunt diei extremitates, totus dies rectiſſime intelligi poſſit, His autem duobus agnis additur de-F cima ſimilæ, & vini, & olei quarta, quoniam illud in decem verbis, hoc autem in quatuor Euangeliis continetur. Idem ergo per agnos ſignificatur, quod per decimam & per quartam intelligitur: hæc enim teſtamenta & agni ſunt, quia nulli nocent, omneſque innocenter viuere docent, & ſimila, qua anima nutritur, & oleum, quo ſanatur, & vinum quo inebriatur. Merito ergo tale ſacrificium, mane, & veſpere, id eſt tota die fieri iubetur, quatenus ſine intermiſſione Deus laudetur, populus ad agni innocentiam prouocetur, anima cœleſti pane ſatietur, mens oleo ſancti Spiritus inuncta ſanetur, & calice Euangelij potata inebrietur. Et quoniam non eſt precioſa laus in ore peccatoris, tale ſacrificium in ſanctuario, id eſt, in conuentu fidelium fieri præcipitur. Sequitur.

Die autem Sabbathi, offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio, & cætera vt ſupra, & hoc ſacrificium idem eſt quod ſuperius Duas autem decimas offerre, eſt legem intelligere. Quæ oleo quidem aſpergitur, ſi miſericordia G temperetur, temperatur autem, ſi ſpiritualiter intelligatur, littera enim occidit.

In calendis autem, id eſt menſium exordiis, offeretis holocauſtum Domino: vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem immaculatos, & tres decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio per ſingulos vitulos, & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ per arietem, quartam per agnum, hoc erit holocauſtum per omnes menſes quæ ſibi anno vertente ſuccedunt. Hircus quoque offeretur Domino pro peccato in holocauſtum ſempiternum cum libamentis ſuis. De hoc enim ſacrificio, & de his vitulis Apoſtolus ait: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt vitulos labiorum confitentium nomini eius.* Hæc igitur hoſtia laudis, & duo vituli labiorum, duo teſtamenta intelliguntur, ſine quibus ad laudem proferendam labia mouere neſcimus. Offeramus autem & arietem vnum, prædicemus Chriſti paſſionem, qui ſicut ouis ad victimam ductus non aperuit os ſuum.

H Huic autem arieti iungamus ſeptem agnos, id eſt ſeptem ſancti Spiritus gratias in eo eſſe ſemperque manere debemus. Sæpe autem iam diximus, quid per decimam intelligatur, ſiquidem ipſe eſt dragma decima, ipſe eſt & ouis centeſima, vnde etiam non ſolum decima, ſed & decima, decimæ dici poteſt: ſi enim centum ouibus decimam dare volueris, decem dabis, decies enim decem, centum fiunt, huius autem decimæ ouis centeſima decima eſt: eſt ergo homo decima decimæ. Quod autem ſimila dicatur homo, audi Apoſtolum: Expurgate, inquit, vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Conſperſio enim pro farina ponitur. Denique cui niſi farinæ additur fermentum? Quid niſi panis dicitur azymus? Sed vnde panis, nonne de ſimila? Simila ergo homo. Hæc autem ſimila oleo ſpargitur, quia Dei miſericordia, & ſancti Spiritus gratia homo perunctus, & ſanatur, & renouatur. De hac ergo ſimila id eſt, de hominibus demus tres decimas per ſingulos vitulos, duas per arietem, & decimam decimæ per vnumquemque agnum. Tres enim decimæ, tres mundi partes ſunt: duæ vero duo populi, at vero decima decimæ, omnis homo.

Vnum

A Vnum ergo idemque ſignificant omnes. Hoc eſt enim omnis homo quod duo populi, quod tres mundi partes. Quia ergo per duo teſtamenta conuertuntur omnes, & per Chriſti paſſionem redimuntur omnes, merito tres decimę ſequuntur vitulum, duæ arietem, & decima decimæ agnum. Sed quare hæc omnia vino perfunduntur, niſi vt ſpiritualis intelligentiæ ſapore dulceſcant, inſipida enim & irrationabilia hæc eſſe videntur, vt ergo ſaporem habeant, hoc ſpiritualis expoſitionis odore perfundantur. Sed quoniam ipſa quoque expoſitio ſecundum menſuram fieri debet plus vini ponitur in vitulis, quam in ariete, quam in ſingulis agnis. Cur autem hirco Chriſtus immoletur, hæc eſt maxima, & principalis cauſa, quia quaſi impius damnatus eſt, & inter iniquos deputatus eſt, & quaſi ſceleratus cum latronibus crucifixus eſt. Quem nos ergo veneramur in agno, hunc Iudæi abominantur in hirco. Similiter autem, & in Paſcha, & in Pentecoſte, & prima & decima die ſeptimi menſis ſacrificare iubet.
B Hæc igitur vna ſit omnium expoſitio.

CAPVT XXVIII.

Qvintadecima vero dies menſis ſeptimi, quæ vobis erit ſancta atque venerabilis, omne opus ſeruile non facietis in ea, ſed celebrabitis ſolemnitatem Domino ſeptem diebus, offeretiſque holocauſtum Domino in odorem ſuauiſſimum: vitulos de armento tredecim, arietes duos, agniculos quatuordecim immaculatos, & in libamentis eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas, per vitulos ſingulos, qui ſunt ſimul vituli tredecim, & duas decimas arieti vno, ideſt, ſimul arietibus duobus, & decimam decimæ agnis ſingulis, qui ſunt ſimul agni quatuordecim, & hircum pro peccato. Quid enim per ſeptimum menſem, eiuſque primam, & decimam & quintam diem ſignificetur, & quare opus ſeruile in eo non fiat, cur etiam ſeptem diebus hæc ſolemnitas celebretur in Leuitico expoſuimus. Nunc ergo de ſacrificiis videamus, quæ in hac ſolemnitate ſine omni
C differentia vno eodemque modo per ſeptem dies fiebat, præter hoc tantum, quod de vitulis per ſingulos dies vnus minuebatur: prima enim die offerebantur tredecim, ſecunda duodecim, tertia vndecim, ſic & in reliquis vſque ad ſeptimam, in qua non niſi ſeptem offerebantur. Sed quid per vitulos niſi Apoſtolos? qui niſi tredecim eſſent, aut Paulus, aut Matthias inter eos locum non haberet. His autem vitulis tota Eccleſia & arata & ſeminata eſt. Duo vero arietes, & agni quatuordecim, idipſum ſignificant. Significant enim duo teſtamenta, quæ in quatuor Euangeliis, & in decem verbis continentur. Sunt ergo & duo, & quatuordecim, quoniam ex quatuor & decē fiunt. Similiter autem & tres decimæ, & duæ decimæ, & decima decimæ idipſum ſignificant. In his enim omnis homo ſignificatur. De quo duæ quidem, & tres decimæ fiunt, quoniam in duos populos, & in tres mundi partes homo diuiditur. Merito ergo hæ decimæ vitulis, & arietibus, & agnis iunguntur, quatenus omnis homo cuiuſcunque gen-
D tis ſit, & in quacunque mundi parte habitet, ſanctorum Apoſtolorum, duorumque teſtamentorum fidem & doctrinam ſequatur & teneat. Offerebant itaque Pontifices, Apoſtolos in vitulis, teſtamenta in arietibus & agnis, totamque Eccleſiam vbique diffuſam in decimis offerebant; Et de his quidem modo ſuperius diximus. Quod autem vnus vitulus de numero per ſingulos dies ſubtrahatur, fortaſsè Apoſtolorum obitum deſignat, quorum numerus, dum alter poſt alterum de hoc mundo exiret, quotidie quodammodo minuebatur. Arietes autem, & agni, & decimæ, neque creſcunt, neque minuuntur, quoniam ſemper & teſtamenta duo ſunt, & Euangelia quatuor, & verba legis decem, & Eccleſia vna, ex Aſia, Africa, & Europa, ex Iudæis & gentibus conſtituta.

Die octauo, qui eſt celeberrimus, omne opus ſeruile non facietis in eo offeretis holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino: vitulum vnum & arietem vnum, & agnos agniculos immaculatos ſeptem, ſacrificiaque eius & libamina ſingulorum per vitulum & arietem & agnos rite celebrabitis, & hircum pro peccato. Dies enim octauus idem eſt qui & primus, etiam Dominicus appellatur, & ab
E omni Chriſtiano celeberrimè colitur, & veneratur. Hac die mundus cœpit, hac die Chriſtus à mortuis reſurrexit: hac etiam die vltima reſurrectio fiet. Vnde & quidam pſalmi pro octaua titulantur. Hac ergo die omnis Eccleſia inſtantius quam in cæteris offert Domino holocauſtum. & hoſtiam laudis, Chriſtum videlicet laudando, & prædicando, hoc enim per vitulum & arietem & ſeptem agnos ſignificatur. Quamvis per vitulum Pater, per arietem Filius, per ſeptem vero agnos ſpiritus ſeptiformis intelligi poſſit. Tale autem ſacrificium nos Apoſtolos offerre præcipit dicens. *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, ideſt, vitulos labiorum confitentium nomini eius. Quod ſi labiorum vitulos offerimus, cur etiam labiorum arietes & agnos non offeremus? Labiorum autem ſacrificia laudes Dei ſunt. Vnde & dicitur. *Sacrificium laudis honorificabit me.*

CAPVT XXIX.

F *Narrauit Moyſes filiis Iſraël, omnia quæ ei Dominus imperauerat. Et locutus eſt ad principes tribuum filiorum Iſraël. Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus: Si quis veſtrum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum ſuum, ſed omne, quod promiſit implebit.* Omnia enim vota, & iuramenta quæ bona ſunt, & contra iuſtitiam non fiunt, reddi debent. Ideoque Eccleſiæ Principes quibus iſta dicuntur, quicquid vouerint aut iurauerint, reddere oportet, quoniam tam cauti debent eſſe & in vouendo & in iurando vt nihil contra iuſtitiam iurent vel voueant. Vnde & ſubditur. *Quod puella quæ eſt in domo patris, vel vxor alicuius ſi aliquid vouerit, & iurauerit, & hoc pater, vel maritus audiens non contradixerit rea erit, & quicquid promiſerit, eam reddere oportebit: ſi vero audiens contradixerit, non tenebitur iuramento.* Iſti enim patres, & mariti, Eccleſiæ principes eſſe videntur, quorum ſingulæ & vxores & filiæ ſunt: vxores quidem, quia de eorum ſemine pariunt: filiæ vero, quia eorum miniſterio regenerantur. Horum ergo eſt vota diſcernere, & iuramenta iudicare. Nemo ergo agere præſumat quæcunque Eccleſiæ Doctores interdicunt, etiamſi ea nouerit aliquis. Iniuſta enim vota irrita eſſe debent. Quæ autem vota, vel iuramenta iſti, vel conſenſu approbant, vel dictis confirmant, ea reddere neceſſarium eſt. Quare hoc? Quia quicquid dicunt, iuſtum eſt. Sic ergo fit vt iuſta vota, & ſancta promiſſa omnis homo perſoluere debeat: quia nemo eſt qui ea perſoluere, & reddere interdicat: iniuſta vero omnia irrita fiant. Veruntamen qui ſcienter contra iuſtitiam iurat, quamvis hoc eo iuramento quod à ſanctis interdicitur: non teneatur, non tamen putare debet ſe confeſtim liberum eſſe à peccato: non iurare debuerat quod peccatum eſſe ſciebat: pœniteat ergo, non quia iuramentum non agit, ſed quia ſcienter contra iuſtitiam iurauit.
G Vidua & repudiata quicquid vouerint, reddent. Quid enim ſi malè vouerint? mala enim vota reddi non debent dicatur ergo quicquid bene vouerint. Quia enim ſuæ libertatis ſunt, & nullius poteſtate premuntur, liberè poſſunt vouere, quod volunt. Per has tamen, eas animas intelligere poſſumus, quæ à mundi huius complexibus & voluptatibus ſeparatæ, à ſtultis hominibus repudiantur & deſpectui habentur: tales autem quia ſapientes ſunt, & bona tantum agere deſiderant, quidquid vouere voluerint earum iudicio relinquatur. Si vero vxor, vel voto, vel iuramento ſe obligauerit, vt ieiunio, vel abſtinentia alia affligat animam ſuam, niſi maritus hoc audiens confeſtim interdixerit, reddere oportebit. Hoc autem nihil aliud ſignificare videtur, niſi quia Præpoſitorum iudicio ſubiectorum vita temperari debeat: quibus ſi bonum aliquid vouentibus, aſſenſum præbuerint, eos iam vlterius ſine periculo reuocare non poſſunt.
H

CAPVT XXX.

Sequitur autem de Madianitis, contra quos filij Iſraël ex præcepto Domini pugnantes, eos vicerunt, omneſque

interfecerunt.

A *interfecerunt. Inter quos & Balaam,& quinque principes illorum occiſi ſunt, nulluſque ex eis remanſit, præter virgines tantum quas filij Iſraël ſibi reſeruantes, manſerunt cum eis extra caſtra ſeptem diebus, ſecundum hoc quod eis iuſſerat Moyſes.* Per has enim ſicut & per alias gentes, Dei populo aduerſantes, dæmonum exercitum, & vitiorum multitudinem intelligere debemus. Sed quid per quinque principes,niſi quinque noſtri corporis ſenſus intelligamus? cum his enim prædicti hoſtes contra nos veniunt:cum his nobis bella ciuilia mouent, noſtriſque armis nos impugnant, & nos contra nos pugnare compellunt: ſi ergo hos primum vicerimus, & ſecundum priorem ſtatum interfecerimus, ſubito in nobis omnium vitiorum corruet multitudo. Per virgines autem,quas filij Iſraël ſibi reſeruant,eas animas intelligimus,quæ diaboli corruptionem fugientes ad Chriſti fidem & Eccleſiæ ſocietatem ſe transferunt,& pro ſua pulchritudine Dei populo placent. B Cum quibus nimirum manent ſeptem diebus extra caſtra, quia & illi qui à gentilitate ad Deum conuertuntur, & illi per quos conuertuntur, omni tempore manent extra Synagogam. Vnde neque hic dicitur, quod, vt prius, poſt ſeptem dies ad caſtra reuertantur: ſeptem enim dies omne tempus ſignificant.

Qui occiderit hominem,vel occiſum tetigerit,luſtrabitur die tertio,& ſeptimo, & de omni præda (ſiue veſtimentum fuerit,ſiue vas,& aliquid in vtenſilia per eum,de caprarum pellibus & pilis & ligno) expiabitur. * Iudæi enim homicidæ,ſunt, etiam tetigit, quicunque de Adam natus eſt,cui dictum fuerat: quocumque die de hoc ligno comederis, morte morieris. Iſti ergo vt ſaluari poſſint,tertio & ſeptimo die expientur,ſicut & cætera quæ de omni præda venerunt & diabolo capta ſunt,ſiue vas fuerit, ſiue veſtimẽtum, ſiue quidlibet aliud de caprarum pellibus, vel pilis, vel ligno in aliqua vtenſilia præparatum, per quod non ſolum homines, verum etiam eorum fidem ſcientiam,vitam,mores, omnemque conuerſationem,& cunctá interioris hominis ſupellectilem intelligere poſſumus. C Omnia enim ſimul cum ipſo homine purificanda ſunt.

Aurum & argentum, & æs,& ferrum, & ſtannum, & plumbum, & omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur: Quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur, & lauabitis veſtimenta veſtra,& purificati poſtea caſtra intrabitis Per aurũ enim & argentum, & cætera, quæ ignem ſuſtinere poſſunt,eos intelligimus, quibus Deus fortitudinem tribuit, vt igne paſſionis & Martyrij, ab omni vitiorum corruptione mundarentur. Per cætera vero,Confeſſores ſignificantur, qui quamvis igne Martyrij non ſunt expiati,aqua tamen baptiſmatis ſanctificati ſunt. Et iſti quidem die ſeptimo, id eſt in hac vltima ætate, lauantes in ſacro fonte veſtimenta, carnem ſuam, non ſolum Eccleſiæ, verum etiam & cæli caſtra purificata ingrediuntur.

CAPVT XXXI.

D HIc autem Moyſes deſcribit quadraginta manſiones, quas populus fecit, donec veniret ad terram promiſſionis. De quibus,ſi ſecundum hominum interpretationem,& ſecundum res in eis geſtas,aliquis tractare vellet,in longum ſermonem eas extendere poſſet. Nos autem de numero pauca dicamus, quod per quadraginta manſiones totidem anni ſignificentur. Quadragenarius enim numerus,ex quatuor conſtat & decem; (quater enim decem,vel decies quatuor,quadraginta faciunt) decem autem, & quatuor, vt iam ſæpe diximus, vetus, & nouum teſtamentum deſignant, quoniam illud in decem verbis, & hoc in quatuor concluditur Euangeliis. Sicut ergo illi per quadraginta manſiones ad terram promiſſionis tranſierunt, ita & nos per decem legis mandata, & quatuor Euangelia tranſeuntes,duce Ieſu,in terram viuentium,intraturi ſumus. Beati autem illi, qui in his manſionibus morantur, & habitant: Beati qui in ſacris voluminibus vtriuſque teſtamenti delectantur:ſemper manna abundãt, nunquam pane cœleſti carent,nunquam eis deficit panis viuus qui de cœlo deſcendit. Illi cibo ſpirituali,nutriuntur, illi aqua de petra reficiuntur,illos ſancti Spiritus gratiæ in die obumbrant,in nocte illuminant; illi reuera dicere poſſunt: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* E Beati ergo ſunt,ſi non murmurauerint,ſi Deum non tentauerint,ſi in fide non hæſitauerint,ſi carnes non quæſierint,ideſt,ſi legem carnaliter non intellexerint,& cœpas,& allia non concupierint. Veruntamen quia Rameſſes interpretatur tinea,quotieſcunque pœnitentia, vel alio quolibet modo vitiorum tineas à nobis excutimus,de Rameſſe nos exire intelligamus,& tunc quidem vitiis ſuperatis, & Diis Ægyptiorum contritis, Phaſe confidenter facere poſſumus. Quoniam autem Sochot,tabernacula interpretatur,quando in cõcilio iuſtorum & congregatione religioſè viuimus, in Sochot nos eſſe ſciamus.Quia vero Ethan dicitur conſummatus: quando aliquod bonum opus perficimus, in Ethan nos eſſe gaudeamus. At vero quia Athairot,interpretatur corona,quoties de aliquo vitio triũphamus,toties in Athairot caſtrametamur. F Ante Magdalum autem tentoria figimus,quando turres,& muntiones diaboli expugnamus: ſic enim interpretatur Magdalum.Sumus autem in Mara,ſi peccatorum recordatione,vel ſæculi aduerſationibus amaricamur, quoniam Mara amaritudo interpretatur: Quia vero Elim, dicitur aries, tunc in Elim habitamus, quando Apoſtolorum innocentiam & ſimplicitatem imitamur: Vnde & merito in Elim,duodecim fontes,& ſeptuaginta palmæ eſſe dicuntur, per quæ duodecim,& ſeptuaginta duo Chriſti diſcipuli figurantur. Quando vero populum ad baptiſmum & ad fidem inuitamus, ſuper mare rubrum tentoria figimus, ſiquidem & illi,& in nube,& in mari ſunt baptizati. Sed veniamus in deſertum Sin, accedamus ad ſeruiturem Dei, & præparemus animas noſtras ad tentationem. Sin enim tentatio interpretatur. Per hoc enim poſtea tranſire poterimus in Dethcca, quod interpretatur, remiſſio, illis enim remittuntur peccata,qui diabolicas ſuperant tentationes. G Quoties aliquid fermentamus, & manus & opera ad corruptionem laxamus toties in Alis & in Raphidim nos eſſe doleamus: Alis enim fermentare: Raphidim vero, manus laxare dicitur. Vnde & merito ibi aqua populo defuiſſe legitur, facilè enim populus corrumpitur, & peccat, ſi ei Euangelicæ doctrinæ aqua defuerit.Et tunc quidem quodammodo in Synai legem recipimus, quando nos in ſacris voluminibus exercemus. Quando vero illicita concupiſcimus, tunc ad Aſeroth, Anguſtiarum domum feſtinamus, ſic enim interpretatur. Hoc ergo modo cognita hiſtoria, & nominum interpretatione, facilè ſingulorum ſignificationes prudens lector inueniet. Quæ nos quidem per ſingula diceremus, niſi quia facilia ſunt, & breuitati operam damus.

CAPVT XXXII.

H D*Ixitque Dominus ad Moyſen: Præcipe filiis Iſraël, vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, vt ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana, ſint pecoribus ac iumentis, quæ à muris ciuitatum mille paſſuum ſpatio tendentur,ſintque duo millia cubiti ex omni parte.* Per hoc enim apertiſſimè datur intelligi, quod Clericorum ordo ſublimiorem locum in tota Eccleſia tenere debeat; aliiſque omnibus, quaſi propriis iumentis ac pecoribus imperitare, vnde & paſtores non immerito vocantur. Quod vero ſuburbana mille paſſum ſpatio tenduntur,omnem mundi ambitum eorum regimini & ditioni ſubditum eſſe oſtendit, idem enim ſignificant mille, quod omnes, quoniam hic numerus perfectus eſt,omneſque in ſe numerus continet, qui in ſe quidem replicari poſſunt, creſcere vero non poſſunt. Notandum autem, quod duo millia cubiti in mille paſſibus concluduntur: vnde conſtat,quod duo cubiti in mille paſſibus concluduntur: vnde & conſtat, quod duo cubiti vnum paſſum faciunt.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Quando tranſieritis Iordanem intrantes terram Chanaan, diſperdite cunctos habitatores regionis illius, & eorum ſimulachra

A *confringite, mundantes terram.* Qui ergo per baptiſmum ad Eccleſiam venimus, terram, id eſt, carnem noſtram ab omni vitiorum ſorde mundemus, vnumque & verum Deum colamus, & adoremus.

Ait autem Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos, Quando tranſgreſſi fueritis Iordanem in terra Chanaan, decernite quæ vrbes eſſe debeant in præſidia fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fuderunt, in quibus cum profugus fuerit cognatus occiſi, eum non poterit interficere, donec ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius iudicetur: De ipſis autem vrbibus quæ ad fugitiuorum ſubſidia præparantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, tam filiis Iſraël, quam aduenis atque peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens ſanguinem fuderit. Si quis autem vel ferro vel lapide, vel ligno, vel manu per odium, aut per inſidias hominem occiderit, cognatus occiſi, ſtatim vt inuenerit eum iugulabit. Si vero fortuito & abſque odio & inimicitiis hoc egerit priuſquam ſic eſſe probatum fuerit, innocens B *liberabitur & non occidetur, ſed ad ciuitatem ad quam confugerat, reducetur, manebitque ibi, donec ſacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus eſt, moriatur.* Tres enim ciuitates trans Iordanem: & tres in terra Chanaan, idem ſignificant: per quas, fides, ſpes, & charitas intelligi poſſunt: nunquam enim poterit eſſe ſecurus, qui domum ſuam in his ciuitatibus non fundauerit. Ad has autem quicunque fugerit, non occidetur, ſi enim ſecundum litteram abſolute intelligamus, vt illi, qui ſponte, ſiue, quod maius eſt, per odium, vel per inſidias hominem occidunt, in his ciuitatibus fugiendi ſubſidium non habeant, (quod nefas eſt dicere) pœnitentiæ ianuas claudimus. Aliter ergo intelligendum eſt. Plerumque enim per homicidas corporis, animarum homicidas intelligimus: Animarum vero homicidæ, maximè Iudæi, & Hæretici intelliguntur, qui falſa perſuaſione animas à Chriſti fide ſeparantes, interficiunt. Horum autem illos volentes, & per odium & per inſidias peccare intelli- C gamus, qui ſic peccant, vt numquam ſe peccaſſe pœniteant, & malum quod velle cœperunt, numquam voluiſſe deſiſtant. Nemo enim ſic eſt volens, ſicut ille cuius voluntas non mutatur. Alios autem, etſi peccauerint volentes, tamen quia iam ſunt nolentes & pœnitentes, dicamus eos ſanguinem fudiſſe nolentes. Ille ergo fundit ſanguinem volens, qui voluntate in fundendo ſanguinem eſt perſeuerans. Si quis ergo fuderit ſanguinem volens, id eſt, ſi quis à voluntate fundendi ſanguinem non receſſerit, moriatur. Qui vero fuderit ſanguinem nolens, id eſt, iam pœnitens, & non fudiſſe volens, fugiat ad has ciuitates, & ſaluabitur. Si enim fidem Eccleſiæ receperit, ſi ſpem Eccleſiæ habuerit, ſi charitatem Eccleſiæ tenuerit, non morietur. Quod ſi extra has ciuitates eum inuenerit propinquus occiſi, confeſtim eum iugulabit. Quis ſit autem iſte propinquus, lege in Euangelio de Samaritano & inuenies Chriſtum eſſe, qui eos quidem, quos extra has ciuitates inuenerit, occidet, & æternæ morti damnabit. Quod autem iſte homicida non reuertitur ad propria, donec ſacerdos magnus moriatur, hoc Moyſes D ſignificaſſe videtur, quia ante Chriſti paſſionem nemo etiam poſt per actam pœnitentiam, ad cœleſtem patriam reuertebatur. Iudæi quoque vel hæretici, quicunque Ieſum ſacerdotem magnum nondum venire, vel mortuum eſſe, vel reſurrexiſſe credunt, in patriam reuerti non poſſunt, ſic enim nondum iſtis Chriſtus mortuus eſt: ſicut Mariæ nondum ad patrem aſcenderat, cum ait. Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Nobis autem Chriſtus iam mortuus eſt: nos iam eius morte, eiuſque ſanguine redempti ſumus. Nobis ergo ad propria redire, & de huius mundi exilio in ciuitatem ſanctam Ieruſalem ipſe nos introire concedat, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt gloria & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit Liber Numeri.

E

INCIPIT LIBER DEVTERONOMII.

QVIA in aliis libris Moyſi, quod Dominus dedit, locuti ſumus, reſtat nunc quoque in hoc vltimo libro, quod ipſe donauerit, dicamus. Dicitur autem liber iſte, Deuteronomium quod ſecunda lex interpretatur, quoniam & nouum ſignificet teſtamentum, & ea quæ in aliis dicta ſunt, in iſto quodammodo innouantur, & replicantur. Nos autem ea quæ in ſuperioribus libris expoſita ſunt, prætermittentes, cætera, non omnia tamen, ſed difficiliora quæque cum Dei adiutorio exponere aggrediamur. Ab hoc capitulo loquendi exordium ſumamus.

CAPVT XIII.

SI audieris in vna vrbium tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos. Egreſſi ſunt filij Belial de medio tui, & auerterint habitatores F *vrbis terræ tuæ, atque dixerint; Eamus & ſeruiamus Diis alienis, quære ſollicite, & diligenter rei veritate perſpecta, ſi inueneris certum eſſe quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, ſtatim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, Omnia quoque quæ in illa ſunt, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo tuo, vt ſit tumulus ſempiternus; non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua.* Si audieris, inquit, vbicumque fueris ab aliquo nunciante tibi filios Belial, id eſt, hæreticos, qui iugo fidei non tenentur. (Belial enim, abſque iugo, interpretatur.) Si, inquit, audieris eos de medio tui exiiſſe; & fidem Eccleſiæ reliquiſſe, alioſque ſecum à iuſtitia auertiſſe, & Deos alienos, id eſt, malignos ſpiritus ſecutos eſſe, quære rem diligenter, quam cum veram eſſe cognoueris, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, omnem illam nefandam congregationem percuties, & G delebis: inſuper, & omnia quæ illius ſunt, ſimul cum ipſa in medio eius ſuccendes, id eſt, æternis incendiis condemnabis. Simul enim cum hæreticis, omnis eorum peruerſa ſcientia & doctrina (quæ per eorum ſcientiam intelligitur) abominari, & damnari debet, quatenus ſic deſtruatur, vt vlterius in memoria non habeatur. Hoc eſt enim quod ait: Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua, per quod intelligere debes, vt nihil de illa hæreſi adhæreat menti, & fidei tuæ. Sequitur.

CAPVT XIV.

FIlij eſtote Domini Dei veſtri. Non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo, quoniam populus ſanctus eſt Domino Deo tuo, & te elegit, vt ſis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ ſunt ſuper terram. Imitetur Deum qui eius eſſe vult. Decet enim, vt parentum imaginem in ſe filij repreſentent. Se autem incidere, & caluitium ſuper mortuo facere, magni doloris H indicium eſt. De mortuo vero non dolere, ſed gaudere debet Chriſtianus. Qui enim bene moritur, ad Deum tendit. Doles ergo ô mulier quod vir tuus ad Deum tendit: doles ô homo, quia frater vel filius tuus ad Deum vadit, non bene doles. Videamus etiam quid Apoſtolus dicat: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*, Iſti enim adhuc viuentes huic mundo mortui erant. Et ſæpe quidem videmus ſuper his qui ſic mortui ſunt, vel & qui ſic mori deſiderant, fratres, & propinquos dolere, & iſti ergo non bene ſuper mortuo dolent. Ille quoque non bene dolet, qui ſuper iniquo mortuo dolet: de mali namque perditione non dolendum, ſed gaudendum eſt: dolendum potius erat de vita ipſius, quæ iuſtitiæ & bonitati contraria erat. De talibus tamen quamdiu viuunt, & dolere, & flere debent ſancti, ſi forte eorum orationibus conuertantur. Sic enim & Samuel flebat Saülem: poſt mortem vero pro eis flere,

infructuoſum eſt. Denique cum Dominus dicat. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo*, quis de illo dolere audeat, de quo Dominus ridet & gaudet? De nullo igitur mortuo dolendum eſt niſi de illo qui fidei moritur, & à Deo ſeparatur. Sequitur autem de animalibus mundis, & immundis, de quibus in Leuitico ſufficienter diximus.

Omne quod mundum eſt comedite, quicquid autem morticinum eſt ne veſcamini ex eo. Peregrino qui inter portas tuas eſt, da vt comedat, aut vende ei, quia tu populus ſanctus Domini Dei tui es. Hoc autem iuxta litteram illi obſeruantes ſaluabantur: & ſic per illam vmbram Dei populus erant, ſicut & nos modo per veritatem. Nos enim, ſecundum Apoſtolicam doctrinam, nihil immundum & commune iudicamus. Quicquid in macello venit, comedimus, nihil interrogantes propter conſcientiam. Scientes etiam, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, neminem ad fidem venientem ab Eccleſiæ corpore ſeparamus. Omnem cibum Eccleſia ſuſcipit, id eſt, omnem hominem ſuo corpori inducit. Nos ergo ſumus peregrini, nos immunda à Iudæis emimus & comedimus. Iudæi enim fuerunt Apoſtoli, qui nos iſta docuerunt, vt nihil commune, & immundum eſſe credamus, hanc fidem ipſi nobis vendiderunt, hanc animæ precio emimus, pro hac Chriſti ſerui facti ſumus. Et quidem ſicut nos modo niſi omnia comedamus, perimus, ſic & illi tunc ſi comediſſent, periſſent. Omnia enim comedit, qui omnia comedenda fatetur.

Non coques hedum in lacte matris ſuæ. Illis hoc dicitur, qui Chriſtum adhuc lactentem, & puerum occidere voluerunt. Et hoc quidem in Exodo expoſuimus:

Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcentur tibi eo tempore, & repones inter ianuas tuas venietque Leuites, qui aliam poſſeſſionem non habet tecum, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris. Multa enim Moyſes in ſuperioribus libris de decimis locutus eſt: nunc autem aliam decimam introducit, quæ valde dignior cæteris eſſe videtur. Per hanc enim ſpiritualiter legis intelligentiam ſignificari puto, decem enim ſunt verba legis, quæ prius quidem Iudæi ad litteram intelligentes & obſeruantes, vnam decimam dabant. Veniente autem tertio anno, id eſt, tertio ſæculorum tempore iam alia decima datur, quia eadem decem verba ſpiritualiter intelliguntur. Tria enim ſunt tempora: primum ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Hoc autem tertium quod nunc agitur, à Chriſti natiuitate cœpit. Hoc ergo tertio anno, ſiue tertio tempore, Eccleſiæ Doctores cordis ſui Cellario condiderunt.

Bene autem dicitur. Ex omnibus quæ naſcuntur eo tempore, quia etſi prius littera nata fuiſſet, litteræ tamen intelligentia ſpiritualis hoc tempore nata eſt. De hac autem decima viuunt Leuitæ, de hac decima viuit Clericorum ordo, de hac comedunt, & ſaturantur, quicunque cibis ſpiritualibus delectantur, hanc peregrini, id eſt gentiles ad fidem venientes, hanc pupilli, & viduæ, nequiſſimum Patrem, & maritum diabolum deſerentes ſuſcipiunt. Sunt ergo duæ decimæ, duæ mandatorum intelligentiæ.

CAPVT XV.

S*Eptimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, aut fratre ſuo, repetere non poterit: quia annus remiſſionis eſt Domini, a peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habes poteſtatem, & omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* Septimus enim dies, & ſeptimus annus, ſicut iam in aliis expoſuimus, hæc vltima ætas intelligitur, de qua Apoſtolus ait. *Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt*, In hac vltima autem ætate remiſſionem facere debemus, ſicut Dominus ait: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Itemque. *Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cæleſtis, dimittet vobis peccata veſtra.* Hæc ſunt ergo debita quæ à proximo, vel ab Eccleſiæ ciuibus non repetere, ſed dimittere debemus. Quod autem, ab aduena & peregrino hæc repetere concedit, damnatis & in infidelibus hanc remiſſionem non valere ſignificat, ſiue enim dimittas, ſiue non dimittas, ille tamen nihilominus periturus eſt, Quid enim Iudæis in infidelitate perſiſtentibus profuit quod Dominus ait. *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Debitum ergo ab his exigitur, ſiquidem non dimittitur. In eo vero quod ait. Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos, ad eleemoſynarum largitatem nos prouocare videtur. Sequitur.

Fenerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum, dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. De diuitiis ſpiritualibus Eccleſia non fenerauit: Nulla enim gens eſt, cui ipſa fidem ſuam non prædicauerit, & cum omnes gentes fidem eius ſuſcepiſſent, ipſa nullius gentis fidem ſuſcepit, & ipſa quidem tandem dominabitur omnibus, cui præter Deum nemo dominabitur.

Cum tibi venditus fuerit frater tuus hebræus, aut hebræa, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris, ſed dabis, & viaticum de gregibus, & de area & de torculari. Sin autem dixerit. Nolo egredi, eo quod diligat te, & domum tuam, & bene ſibi apud te ſentiat eſſe, aſſumes ſibulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & ſeruiat tibi vſque in æternum. Ancilla quoque ſimiliter facies. Non auertas ab eis oculos tuos, quando dimiſeris liberos, quoniam iuxta mercedem mercenarij per ſex annos ſeruiuit tibi. Quoniam enim, Hebræus transiens, interpretatur, omnis homo Hebræus intelligi poteſt, qui ab infidelitate ad Eccleſiam tranſit. Hos autem Doctores Eccleſiæ pretio Domino emunt. Idem vero per ſex annos, quod per ſex dies, ſignificatur, non enim ſunt dies niſi ſex, in quibus ſeruile opus fieri liceat. Qui igitur ſex annis ſeruit, quamdiu viuit à ſeruitute non recedit. Sed ſciendum eſt, quia ſeruorum Dei alij ſponte ſeruiunt & gratam habent ſeruitutem, alij vero non ſponte, & oneroſam ferunt ſeruitutem. Et multos quidem tales in Eccleſia videmus, qui nihil boni ſeruitij ſua ſponte faciunt, ſeruiunt, tamen, aut verecundia aut timore. Hos autem in ſeptimo anno, id eſt vitæ termino completo, liberos abire Eccleſia permittit, qui nulla vlterius ſeruitute ſeruiunt, ſed melius eis fuerat adhuc ſeruiſſe, quam tali libertate liberos abijſſe, Et vide quam bonus Dominus, qui nec & ipſos malos ſeruos, & ingratos, vacuos abire permittit, ſed dat eis viaticum de gregibus & de area, & torculari, intelligit enim hoc ſacramentum, intelligit, & hoc nomen neque ignorat quid viaticum ſignificet. Vnde & vltima hora pœnitentibus hoc viaticum recipere perſuadet, qui per totam vitam vſque ad ſedem iudicis ſecuri perferantur. Hoc enim viaticum Chriſti corpus & ſanguis eſt, quod prius quidem de gregibus accipiebatur, nunc autem de area, & torculari ſuſcipitur. Quis enim hoc non intelligat, quis neſciat quid agnus ſignificet, qui in Paſcha immolabatur: Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. De area namque ſuſcipitur panis, & vinum de torculari, quæ ineffabiliter in Chriſti carnem & ſanguinem conuertuntur. Sequitur autem de bono ſeruo, qui libentiſſime ſeruiens, numquam à Domini ſui vult recedere ſeruitute. Quare hoc? Quia eum diligit, & domum eius quæ eſt Eccleſia, ſemperque ſibi apud eum bene eſſe ſentit. Hunc ergo ducit Dominus ad ianuam domus ſuæ, & perforat autem eius, vt ei ſeruiat in perpetuum, qui enim ad ianuam ducitur, ab omnibus qui ſunt, in domo videtur: merito ergo bonus ſeruus ducitur ad ianuam, vt, quam fidelis, & obediens ſit omnibus innoteſcat, cæterique bonum exemplum de eo capiant, & qui nondum aures perforatas habent, ſibi ad eius exẽplum perforari faciant. Tales enim aures Dominus quærebat, cum diceret. *Qui habet aures audiendi audiat.* Ille ergo quia per ſex annos, id eſt, omni tempore vitæ ſuæ, quaſi mercenarius ſeruiens, ſui laboris mercedem, ſemper exſpectauit, benè remuneratus ad ſupernæ patriæ rediit libertatem: ſeruiuit ergo

A non vt ſeruus, ſed vt mercenarius: quoniam ſeruo pro labore non dantur mercedes.

Sequitur autem de primogenitis, quæ ſi maſculi generis & ſine macula fuerint, cuncta Deo ſacrificari iubentur. Et de his quidem in ſuperioribus libris ſatis locuti ſumus, Quod autem hic dicitur, vt primogenita quæ maculã habent, non immolentur Domino ſed comedantur ab his qui mundi ſunt, & ab his, qui mundi non ſunt, hoc ſignificat: quod criminoſi ad ordinem quidem ſacerdotalem ſubuehi non poſſunt, ab Eccleſiæ tamen corpore, & à communione fidelium ſeparari non debent. Sed hoc ſolum in eis obſeruandum eſt, vt Iudæorum ſanguis non comedatur, ſed quaſi aqua ſuper terram fundatur. Qua in re manifeſtè oſtenditur, quoniam etſi iniquis communicamus, iniquorum tamen peccatis non acquieſcere, ſed ea vehementer abiicere & abominari debemus.

CAPVT XVI.

B QVod autem ſequitur de tribus feſtiuitatibus, quas Iudæi celeberrimas habebant, ideo hic non exponimus, quia in aliis libris, & maximè in Leuitico ſufficienter expoſuimus.

Non plantabis lucum & omnem arborem, iuxta altare Domini Dei tui, nec facies tibi atque conſtitues ſtatuam, quæ odit Dominus Deus tuus. His enim verbis omnis idolorum cultura omniſque infidelium ſuperſtitio interdicitur.

CAPVT XVII.

HOc autem capitulo præcipit, *vt omne ambiguum, omneſque maiores cauſæ ſacerdotum iudicio finiantur: quorum ſententiæ, quicunque ſuperbiens obedire noluerit, moriatur.* Qua in re ſacerdotum ſcientia, & iuſtitia, populique circa eas obedientia qualis, & quanta eſſe debeat, breuiter inſinuat.

G *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, volueriſque tibi Regem conſtituere, de gente tua, & de fratribus tuis eum conſtitues: Qui cum fuerit conſtitutus, non multiplicet ſibi equos, nec reducat populum in Ægyptum: præſertim cum Dominus vobis præceperit, vt per eandem viam non reuertamini, nec habeat vxores plurimas quæ eius animum alliciant: neque habeat in menſa pondera argenti & auri. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni, ſcribat ſibi deuteronomium legis huius, accipiens exemplar à ſacerdotibus, & legat illud cunctis diebus, faciens ea, quæ in eo ſcripta ſunt; neque declinet ad dextram, vel ad ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius.* Vtinam hoc capitulum Reges noſtri intelligant, intellectumque cuſtodiant, neque tantis malis Eccleſiam Dei afficiant. Hoc autem non ſolum de ſecularibus, verum etiam ſpiritualibus Eccleſiæ Regibus intelligi poteſt. Verum, eum de gente noſtra, de gente vtique Chriſtiana & religioſa, & de noſtris fratribus ideſt de melioribus Eccleſiæ filiis eligere & conſtituere debemus. Qui cum fuerit conſtitutus, non multiplicet ſibi equos, D quorum ſuperbo apparatu in bellum ruat, humilemque populum proſternat, per hoc enim intelligere poſſumus, vt ſuperborum famulatu atque conſiliis non eleuetur. Hoc autem Rex Dauid intelligens ait. *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur.* Nec reducat populum in Ægyptum ſermone videlicet vel exemplo eum ad peccata conuertens. Per eandem autem viam reuertitur qui ad peccatum, quod pœnitendo reliquerat, iterum redit. Nec habeat vxores plurimas, quæ eius animum illiciant. Hoc autem Salomon ſurda aure præteriens, non ſolum plurimas, ſed etiam alienigenas duxit vxores, à quibus miſerabiliter allectus, idola adoraſſe legitur. Spiritualiter autem, multæ vxores, multarum religionum ſectæ intelligi poſſunt. In menſa vero pondera auri, & argenti prohibentur, quoniam his facillimè in contemptum Dei, & in ſuperbiam eleuatur. Hunc autem librum qui inter noua & vetera medius diſcurrit, ſcribere ſibi & obſeruare præcipitur, vt

E poſſit ſecundum Euangelium, proferre de Theſauro ſuo noua, & vetera. Cuius quidem exemplar à ſacerdotibus ſuſcipitur, ſi ſecundum eorum doctrinam cuſtoditur. Ille vero nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinat, qui à veritate & à recto itinere non recedit.

CAPVT XVIII.

N*On habebunt ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partem & hæreditatem cum reliquo Iſraël, quia ſacrificia Domini, & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum; Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum, ſicut locutus eſt illis.* Hac ſententia mundum relinquere, & ſoli Deo adhærere iubemur, & qui Deum in partem ſuſcepimus, nullam aliam partem quæramus, ne fortè dum aliam partem quærimus, hanc, quæ omnibus melior eſt, amittamus. Magna enim eſt hæreditas. Si illum hæreditamus, qui omnia poſſidet. Hoc autem illi cuſtodiunt, qui ſolis F neceſſariis contenti omnia communia habent. Sequitur. *Hoc erit iudicium ſacerdotum à populo, & ab his qui offerunt victimas, ſiue bouem ſiue ouem immolauerint, dabunt ſacerdoti armum ac ventriculum, primitias frumenti, vini, & olei & lanarum partem ex ouium tonſione. Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis fratribus tuis, vt ſtet & miniſtret nomini Domini, ipſe & filius eius in ſempiternum.* Armum enim omnium victimarum ſacerdotes ſuſcipiunt, vt per hoc omnium onera ſe portare intelligant: ſecundum quod ad Aaron Dominus ait, Tu & filij tui & domus patris tui, portabitis iniquitatem ſanctuarij. Eum ergo qui tantis oneribus premitur, multos armos habere oportet. Sed quare ventriculum ſacerdotes ſuſcipiunt, niſi vt ſanctarum ſcripturarum cibum coquant & digerant, atque ex eo cuncta membra Eccleſiaſtici corporis paſcant & nutriant? In ventriculo enim, ideſt ſtomacho, omnis cibus digeritur, quo omnia membra corporis nutriuntur. Suſcipiunt propterea ſacerdotes, frumenti vini & olei & lanarum primitias, vt ha- G bentes victum & amictum his contenti ſint. Sed quales eos eſſe putamus, quibus omnes primitiæ dantur? ſed quare dantur? vis audire quare? quia primi ſunt, quia maiores ſunt, quia in omnibus obtinent principatum, & omnia eis debent eſſe ſubiecta. Iſti ergo primi ſedeant, primi ambulent, iſtos cætera turba ſequatur, qui enim eos ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

Dixitque Dominus ad Moyſen. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ in nomine meo loquetur audire noluerit, ego vltor exiſtam. Multos enim Prophetas huic populo Deus dedit, qui quamvis Dei mandata, & viam vitæ eis nunciarent, & Moyſi in ſermone, & miraculis ſimiles eſſent, non ſolum tamen eis non crediderunt, verum etiam ſicut Dominus ait, alios lapidauerunt, alios occiderunt, alios contumeliis affecerunt. Poteſt autem hoc ſpecialiter de illo propheta intelligi, qui de ſeipſo loquitur dicens. Non eſt propheta ſine honore H niſi in patria ſua & in gente ſua, quem Deus Pater non ſolum ſuſcitauit, verum etiam à mortuis reſuſcitauit. Hic autem & ſimilis eſt Moyſi: quia propheta, & maior tamen, & Dominus Moyſi. Qui & patris ſui verba ſe loqui ſignificans aiebat. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me Patris.

CAPVT XIX.

SEquitur autem de tribus ciuitatibus fugitiuorum, quas inter ſe æquali ſpatio diuidi præcipit, vt habeat è vicino qui propter homicidiũ fugerit, quo euadere poſſit. *Hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita ſeruanda eſt: Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullum habuiſſe odium comprobatur, ſed abiiſſe cum eo ſimpliciter in ſiluam ad ligna cædenda, & in inciſione lignorum ſecuris fugerit de manu, ferrumque lapſum de manubrio amicum eius percuſſerit & occiderit,*

A *hic ad vnam ſupradictarum vrbium confugiet & viuet, ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis, dolore ſtimulatus perſequatur & apprehendat eum, ſi longior fuerit via, & percutiat animam eius qui non eſt reus mortis: quia nullum contra eum odium prius habuiſſe monſtratur.* Tres enim iſtæ ciuitates, vt in libro Numeri expoſuimus, fides, ſpes, & charitas intelliguntur. Quæ quidem æquali ſpatio inter ſe diuiduntur: quia his qui ſaluati ſunt, æqualiter, ſimulque occurrunt. Per ſiluam autem, in qua ligna, cæduntur, hæ & aliæ ſcripturæ diuinæ legis intelligi poſſunt. In hac autem ſilua ſimpliciter ligna cædimus, quando fideli intentione ſingulas ſententias diſponimus.

Fit autem aliquando, vt dum de his loquimur, aliquid minus idoneum ad intelligendum, ferro de manubrio delapſo, percutiamus, & occidamus. Tunc enim ſecuris manum fugit, & ferrum de manubrio labitur, quando gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei, incautè profertur. B Tales ergo in hac ſilua fratribus circumſtantibus ligna incidere debent, qui & cædendi periti ſint, & ferrum verbum Dei retinere valeant, ne fortaſsè aliquid contra fidem proferant, vel quod pro ſui obſcuritate ſcandalum faciat, ipſi quoque qui hæc ligna cædendi peritiam habent, non omnia coram omnibus cędere debent: quædam enim ſunt, quæ non niſi in conuentu ſapientiam debent exponi. Quæ quidem illa ſacrificia ſignificabant, quæ Aaron cum ſolis filiis maſculis in ſanctuario comedebat: de quibus nullis aliis edere licebat. Qui ergo hoc modo fratrem percuſſit. Si in aliqua prædictarum ciuitatum refugium habuerit, non occidetur: refugium enim habet in ciuitate fidei ſi propria conſcientia defendatur, ſe contra fidem neſcienter eſſe locutum, & quod dixit, non ideo dixerit, vt aliquem pro odio à fide Catholica auertiſſet: (hoc enim Iudæi, & hæretici faciunt) ideoque quanto tempore in hoc odio permanent ad has ciuitates nullum ſuffugium habent. Similiter autem de ſpe, & charitate intelligatur. Proximus autem hominis occiſi, Chriſtus C eſt qui per Samaritanum in Euangelio ſignificatur. Et ipſe quidem eos homicidas interficit, quos longè à prædictis ciuitatibus reperit. De hoc capitulo ſumus locuti in fine libri ſuperioris.

Non aſſumes & transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in poſſeſſione tua. Neſcio enim quam poſſeſſionem melius hic queamus intelligere quam fidem noſtram & doctrinam Euangelicam. Huius autem terminos qui transferre conatur; & aliter quam à ſanctis Patribus conſtituti ſunt, mouere nititur, æternæ damnationis reus efficitur.

CAPVT XX.

HInc autem Moyſes hortatur populum, *vt ſi quando contra aduerſarios ſuos ad bellum exierint, & eorum exercitum maiorem viderint, non timeat, quia Deus ſecum eſt: & iam prælio appropinquante ſacerdotes populum* D *commoneant & confortent: Duces quoque per ſingulas turmas, exercitu, audiente proclament: Quis eſt homo qui ædificauit eam, vadat & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio: Quis eſt homo qui deſponſauit vxorem, & non accepit eam, vadat & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis eſt homo formidoloſus & corde pauido reuertatur in domum ſuam nec pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt. Cumque ſiluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerit, vnuſquiſque ſuos cuneos ad bellandum præparabit.* Hæc enim Eccleſiæ principio & fini conueniunt: hæc ad tyrannorum tempora rectiſſimè referuntur: in quibus exiguus Chriſtianorum populus contra innumerum perſequentium exercitum dimicabat & dimicabit. Docet ergo Moyſes, qualiter Eccleſiæ duces, milites ſuos in tali tempore inſtruere debeant, fortes enim quoque hortatur ne timeant, & vt confidenter in hoſtem ruant, non in ſuis viribus ſed in Dei virtute confidant, qui

E in eis remanens pugnat & vincit. Ipſe enim non ſolum viros ſed virgines & mulieres tanta fortitudine corroborauit, vt impios Imperatores vincerent, & Romanorum inexpugnabile exercitum ſuperarent. Sed quid per hominem qui nouam domum ædificauit, & nondum eam dedicauit, niſi Chriſtianum aliquem intelligimus, qui quamvis in baptiſmo veterem hominem exuerit & iam in nouum factus Deum in domo ſua, ideſt, in ſeipſo, qui templum Dei ab Apoſtolo vocatur, habitatorem ſuſceperit nondum tamen ad illam perfectionem peruenit, vt ſicut ſe, alium diligat, & mundum penitus contemnat. Qui enim ad hoc peruenit, totum ſe ab integro Domino dedicauit. Qui vero hoc non habet, nondum idoneus eſt, vt tyrannorum gladios contra ſe prouocans ad martyrium tendat: reuertatur ergo in domum ſuam, maneat in ſe. teneat fidem in occulto, & ſit, vel bonus Confeſſor, qui Martyr eſſe non meruit: melius eſt enim ei vt ſic maneat, quam vt in bello moriatur, moriatur, inquam, F non corpore, ſed anima, ſi enim corpore moreretur Martyr eſſet. Qui ergo præ timore, Deum negat, ille, ſecundum animam in bello moritur. Idipſum autem, & de illo intelligatur, qui vxorem deſponſauit & nondum eam accepit: vxore enim deſponſauit, qui fidem & Chriſtianam religionem promiſit: cum hac enim vxore proles bonorum operum generantur. Hanc autem etſi deſponſauerit, nondum tamen accepit, quia ad fidei & religionis perfectionem nondum peruenit; huius autem perfectionis eſt, mundum contemnere, & Deum, & proximum toto corde diligere. Reuertatur ergo in domum ſuam, & hic & ille, ne fortè in bello moriatur, & alius homo, & illius domum, & huius vxorem accipiat, ideſt tollat: Hac enim ſignificatione Apoſtolus ait.

Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, & ſi quis accipit, ideſt, ſi quis vobis veſtra bona tollit. Hominem autem, diabolum vocari, ipſe nos Dominus docuit dicens: Inimicus homo hoc fecit, hic ergo homo Deum negantibus, & domum & vxorem tollit.

G *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem, ſi acceperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo, ſin autem fœdus inire noluerit, & cœperint contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua percuties in ea omne quod maſculini generis eſt, in ore gladij abſque mulieribus, & infantibus, iumentis, & cæteris quæ in ea ciuitate ſunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de præda hoſtium tuorum, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Hoc autem non ſolum de vna ciuitate, vel tota gente, ſed de vnoquolibet infideli intelligi poteſt. Ciuitas enim omnis homo eſt, habitatque in ea non parua ciuium multitudo, virtutum quidem, ſi bonus eſt, vitiorum vero, ſi malus. Ad hanc autem expugnandam accedimus, quando primitius infidelem hominem ad Chriſti fidem conuertere tentamus. Et primum quidem ei offerimus pacem, Chriſtum videlicet Dei filium prędicantes. Ipſe enim H eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Quam ſi acceperit portas ad audiendum, & credendum aperuerit, cunctus populus qui in eâ eſt, ſaluabitur. Bonus enim eſt populus ille qui Euangelio portas aperit, & Chriſtum ad ſe venientem ſuſcipit. Vnde bene dicitur, *vt cunctus populus ſaluetur*, non qui in ea fuerat, ſed qui in ea eſt. Audito enim verbo fidei, ſtatim omnis erronea multitudo receſſit, & ſola ibi cum populo ſuo fides remanſit. Hæc autem ciuitas ſeruit Eccleſiæ ſub tributo, quia fidelis homo ſemper tributa bonorum operum perſoluit: vtinam & nos ſecundum hunc modum omni tempore tributarij ſimus. Per eos autem qui fœdus recipere nolunt, & contra prædicatores pugnare incipiunt, illos intelligimus, qui non facilè conuertuntur, ſed vana Philoſophia & dialecticis Syllogiſmis contra fidem, & Euangelium diſputant. A talibus tamen ſancti prædicatores non ſtatim recedant; ſed quaſi inimiciſſimam ciuitatem, eos oppugnantes, nunc ſcripturarum exemplis, non miraculorum ſignis, nunc aliis, & aliis rationibus eos aggrediebantur, donec victi ſuccumberent, & ab infidelitate ad fidem conuerterentur.

conuerterentur. Qui cum veritati acquieuiſſent, confeſtim Chriſti bellatores, omnes eorum maſculos, omnes eorum ſyllogiſmos, omnia eorum argumenta, omnia falſarum ſcripturarum exempla pro quibus prius ſe defendebant, & in quibus confidebant, in eis perimebant, & deſtruebant, in tantum vt quidam eorum etiam ſuos codices exurerent, & ſe erraſſe confiterentur. Fœminas autem, & pueros, & iumenta reſeruabant, id eſt, eas ſcientias & rationes, quæ, aut, ſicut fœminæ, bonum aliquid parerent, aut, ſicut pueri, nihil nocerent: aut, ſicut iumenta, aliquid prodeſſent. Multas enim ſcientias habent gentiles, quas nemo prohibet habere Chriſtianos. Prædam autem exercitui diuidere, & hoſtium ſpolia comedere, quid aliud eſt, niſi eos qui nouiter diabolo erepti ſunt, viris catholicis tradere, qui eos pleniſſime Chriſtianam doceant religionem, & corpori Eccleſiaſtico per omnia introducant? Sequitur: *Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde ſunt*, & non ſunt de his vrbibus quas in poſſeſſione accepturus es: De his autem ciuibus qui dabuntur tibi, nullum omnino permittas viuere: per hos enim, quos filij Iſraël viuere non permittunt, vitiorum exercituum, & Iudæorum, & hæreticorum, & omnium in infidelitate permanentium intelligimus. Hæc enim omnia æternæ morti deſtinata ſunt.

Quando obſederis ciuitatem multo tempore & munitionibus circumdederis vt expugnes eam, non ſuccides arbores de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem, quoniam lignum eſt & non homo, nec poteſt bellantium contra te tangere numerum. Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in cæteros apta vſus, ſuccide & extrue machinas donec capias ciuitatem quæ contra te dimicat. Idipſum per hanc ciuitatem, & per illam de qua modo ſuperius diximus intelligi poteſt: quod enim in illa ciues boni, hoc in iſta arbores fructiferæ: & quod in illa ciues mali, hoc in iſta ligna agreſtia de quibus machinas fieri præcipit, hoc datur intelligi, quia pagani, & hæretici plerumque à nobis ſuis ſcriptis ſuperantur.

CAPVT XXI.

QVando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi hominis cadauer occiſi, & ignoratur cædis reus: egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur a loco cadaueris ſingularum per circuitum ſpatia ciuitatum, & quam viciniorem cæteris eſſe perſpexerint ſeniores ciuitatis eius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram ſcidit vomere, & ducent eam ad vallem aſperam atque ſaxoſam, quæ numquam arata eſt, nec ſementem recepit, & cadent in ea ceruices vitulæ: accedentque ſacerdotes filij Leui, quos elegit Dominus Deus tuus, vt miniſtrent ei: & venientes maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lenabuntque manus ſuper vitulam; quæ in valle percuſſa eſt, & dicent: Manus noſtræ non effuderunt hunc ſanguinem, nec oculi viderunt, propitius eſto populo tuo Iſraël quem redemiſti Deus, & non reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſraël, & auferetur ab eis reatus ſanguinis: tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fuſus eſt, cum feceris quæ præcepit Dominus. Valde hic locus difficilis eſt ad exponendum. Incipiamus tamen, & ſequamur eum qui ait: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Per cadauer ergo hominis occiſi Chriſti corpus intelligamus, cuius vtique cædis reus, ſecundum quendam modum, ignoratur. quod enim enm Iudæi occiderint non ignoratur, cauſa tamen, qua eum occiderint, ignoratur: Hoc enim Pilatus ipſe teſtatur dicens: *Nullam cauſam mortis inuenio in homine iſto.* Et Petrus Apoſtolus. *Nullam, inquit, cauſam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato vt interficerent eum.* Vſitata enim locutio eſt, vt cum de aliquo, qui pro ſuo reatu occiſus eſt interrogamus, quis eum occiderit? reſpondeamus: peccatum ſuum. Hoc ergo modo ignoratur, quis Chriſtum occiderit, quoniam nullum peccatum in eo fuit, pro quo occidi debuiſſet. Quid ergo ſuper hoc fieri debet? *Egrediatur* inquit, *maiores natu & iudices populi, & metiantur a loco cadaueris ſingularum per circuitum ſpatia ciuitatum, & quam viciniorem eſſe perſpexerint, inde ſeniores ciuitatis illius egredientes faciant*, quod ſequitur. Per maiores enim natu, & iudices populi, Apoſtoli intelliguntur, ipſi enim in Eccleſia primi fuerunt: ipſi à Deo iudices conſtituti, duodecim tribus Iſraël iudicabunt. Ciuitas vero cadaueri proxima eſt Ieruſalem, cuius ſeniores quidem ſunt Patriarchæ, & Prophetæ, mortem hominis innocentis cunctis gentibus nunciare iubentur. Et Apoſtoli quidem plano facilique ſermone Chriſti mortem annunciant: Prophetæ vero, ſuo more, per ænigmata & figuras. Hoc autem ſequentia manifeſtabunt Menſi ſunt enim Apoſtoli à loco cadaueris, id eſt à ciuitate Ieruſalem omnes huius mundi ciuitates, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, vbique Chriſti mortem prædicantes vbique eum ſine cauſa à Iudæis crucifixum eſſe prædicantes. Hoc autem vt firmius crederetur, non fuit ſufficiens ſolos Apoſtolos hoc dixiſſe, ſed eiuſdem ciuitatis ſeniores ad ipſum teſtificandum egrediuntur: Et iſti quidem mentiri non potuerunt, tum quia ſeniores ſunt, tum quia ibi proximi fuerunt. Nulla enim nunc pars mundi eſt in qua Prophetarum libri non inueniantur; nuſquam inuenitur locus, in quo Chriſti paſſionem prophetæ in ſcripturis ſuis non prædicauerunt: prædicant autem per allegorias, quemadmodum hic in figura vitulæ obſcure ſatis de Chriſto loquuntur, non enim tantum loquuntur verbis ſed etiam factis Tollunt enim vitulam de armento, id eſt Chriſtum Dominum noſtrum de grege Patriarcharum, quæ non traxit iugum, nec terram ſcidit vomere, quia Saluator noſter omni libertate præditus, nulli vitiorum fuit obnoxius ſeruituti, magiſque nos de cœleſtibus, quam de terra cibum quærere docuit. Ait enim. *Operamini cibum, non qui perit, ſed qui permanet in æternum.* Et ducunt illam ad vallem aſperam, atque ſaxoſam, id eſt ad gentilem populum, qui vitiorum aſperitate & incredulitatis duritia horruerat, Quæ vallis nunquam arata eſt, nec ſementem recepit, quia ante id temporis, neque Eccleſiæ cultores, neque verbi Dei ſemen gentilitas cognouerat. *Et cadent in ea ceruices vitulæ.* Quid eſt hoc? In Iudæa occiſus eſt, Chriſtus, & in gentibus vitula iugulatur. Quid eſt ergo quod Apoſtolus ait: *Chriſtus ſemel mortuus eſt.* Semel enim mortuus eſt, & iam non moritur, toties tamen mori dicitur, quoties eius mors in Eccleſia nunciatur & memoratur. Sic enim dicere ſolemus: *Cras erit Natiuitas Domini: cras erit Paſcha, cras erit Aſcenſio Domini*, cum cras tamen niſi ſola commemoratione iſta non fiant. Sic igitur, & Prophetæ toties vitulam inter nos occidunt, quoties per eorum ſcripta Chriſti paſſionis memores ſumus. Adducunt etiam ad huius vitulæ occiſionem ſacerdotes filios Leui, vt per hoc manifeſte intelligamus, ſacerdotum hoc factum fuiſſe conſilio, vt Chriſtus crucifigeretur. Sed ne aliquis dicat: vos ſeniores, vos Prophetæ, vos Chriſtum occidiſtis, quia, ſicut hic dicitur, vos vitulam iugulaſtis, & veſtra prophetia extitit cauſa vt Chriſtus occideretur: propter hoc ergo veniunt maiores natu ad interfectum, leuantque manus ſuper vitulam, & dicunt, Manus noſtræ non effunderunt hunc ſanguinem, nec oculi viderunt. Ac ſi dicant. Nos quidem Chriſti mortē prænūciauimus non præcepimus, neque iuſſimus, vt occideretur, ſed vt veneraretur, vnde ſciatis quia manus noſtræ non effuderunt ſanguinem eius, nec oculi viderunt. Quid enim non viderunt? peccatum vtique vel cauſam pro qua occideretur? (quod enim non eſt, videri non poteſt) Ignoratur ergo cædis reus, ſiquidem ab ipſis prophetis non cognoſcitur. Et veniunt, inquit ad interfectum, cum enim de Chriſti paſſione Prophetæ loquuntur, tunc ad interfectum veniunt: Cum vero de Natiuitate, ad natum, cum de reſurrectione, ad reſurgentem, ſic & in aliis. Sed quid eſt quod ad interfectum venientes, ſuper vitulam manus ponunt, niſi quia idem ſunt & vitula, & interfectus. Manus autem, opera ſignificant, quoniam manibus opera fiunt, & eſt cauſa pro effectu. Manus ergo ſupra vitulam ponunt, qui omnia ſua opera, omnemque ſcripturam manuum ſuarum Chriſto Domino noſtro conuenire demonſtrant.

A Tunc deinde orant pro populo, ſed non pro omni populo: orant enim pro eis quos ſuo ſanguine Chriſtus redemit. Lege Prophetas, & hoc eos pluribus in locis orare inuenies. Quos enim redemit Chriſtus, niſi eos qui per fidem ad eius gratiam reuertuntur. Quod autem ſequitur. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fuſus eſt, cum feceris quod præcepit Dominus. Iudæis quidem ſpecialiter dicitur. Vnde poſt Chriſti paſſionem quidam pœnitentia ducti ad Apoſtolos venientes dixerunt, Q id faciemus viri fratres. Quibus Beatus Petrus ait Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ. Hoc eſt ergo quod Dominus præcipit, quod qui fecerit innocens erit à ſanguine Chriſti.

Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuoſque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſque habere vxorem, introduces in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt, B *ſedenſque in domo tua flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua.* Hoc autem ſi ad litteram intelligatur, ridiculum quiddam eſſe videtur. Per hanc enim mulierem quidam expoſitores Philoſophorum ſcientiam intellexerunt. Ego vero animam hominis eſſe puto, quæ ſecundum ſuam naturam cunctis mulieribus pulchrior eſt. Qui autem contra inimicos ad pugnam exeunt, Doctores Eccleſiæ ſunt. Hoſtes vero, quicumque noſtræ religionis non ſunt. Contra hos autem pugnare, eſt, eorum eis errorem oſtendere & ad Chriſti fidem eos inuitare. Et taliter quidem ſe Apoſtolus Epheſi *ad beſtias pugnaſſe dicit.* Vincuntur autem iſti, & captiui ducuntur, quando derelicto errore ad fidem conuertuntur. Tunc ergo Chriſti milites quicumque ibi animam pulchram conſpiciunt eam amant, & vxorem ducere concupiſcunt, (pulchra enim eſt omnis anima quæ Chriſti fidem pollicetur.) Hanc autem ducunt in domum ſuam, id eſt in C Eccleſiam ſibi commiſſam. Quæ cæſariem quidem radit, & vngues circũcidit, quia quidquid inutile, & ſuperfluum habet, ſpernit & abiicit, quid enim tam ſuperfluum eſt homini, vt vitia & peccata? quibus niſi caruerit, ſaluari non poterit. Deponit inſuper, & veſtem in qua capta eſt, veterem ſcilicet hominem exuens cum actibus ſuis. Quod autem ait, *Sedenſque in domo tua flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe* hoc eſt intelligere, quia priuſquam ad Eccleſiam venerit priuſquam baptiſmi ſacramenta ſuſcipiat. flebit. & pœnitentiam aget, eo quod parentum ſuorum ſit malitiam imitata. Pater enim eius diabolus fuit, ſecundum quod quibuſdam Dominus ait. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Mater vero eius gentilitas. Vno vero menſe flere, eſt ſecundum tempus ab Epiſcopo diſpoſitum pœnitentiã agere: quia menſis à menſura dierumque numero dicitur. Idem quoque eſt flere vno menſe quod eſt vna dierum menſura & diſpoſitione, Poſtea vero ingreditur ad eam iam baptizatam, & dormit cum illa, & fit vxor eius, quia iam familiarius ei adhæret, Eccleſiæque ſacramenta pandit, & verbi Dei ſemine impregnans, D bona opera quaſi filios parere facit. Sequitur.

Sin autem poſtea non ſederit in animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam, quia humiliaſti eam. Neque enim bono Epiſcopo illa anima placere poteſt, quæ voluptatibus dedita, non Deo, ſed vitiis famulatur. Hæc eſt ergo cauſa, quare eam liberam dimittat, & ſuæ poteſtatis eſſe ſinat pecunia tamen eam non vendit, quia pro nullo lucro rerum temporalium eam negligit, magiſque illius curam habet, quam aliarum pecuniarum. Neque vero per potentiam illam opprimit, quia non diligit Deus coacta ſeruitia.

Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos fueritque filius odioſæ primogenitus: volueritque ſubſtantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia, iſte eſt enim principium liberorum eius. & huic debentur primo- E *genita.* Per hunc hominem Epiſcoporum aliquem intelligere poſſumus, qui quamuis vnam Eccleſiam regat tamen quia in duas partes Eccleſia diuiditur, in bonos ſcilicet & malos, duas vxores habere videtur, An hæ autem iſtæ vxores de Epiſcopo generant, quia vtriuſque filios ipſe per baptiſmatis aquam regenerauit. Quaſi enim de Epiſcopo generare eſt ſecundum eius doctrinam filium baptizare. Sed quis Epiſcoporum eam vxorem, id eſt eam partem ſuæ plebis non diligat, quæ Deo fideliter ſeruit, & à Chriſtiana religione non recedit? Quis vero eam odioſam non habeat, quæ luxuriæ & voluptatibus, periuriis, & homicidiis, furtis, & adulteriis, aliiſque iniquitatibus, dedita eſt. Veruntamen, quia ſicut ſcriptum eſt: Filius non portabit iniquitatem Patris, ſi bonus filius ex matre tamen ſceleratã naſcatur, non propter hoc perdet primogenita ſua: ſimiliter autem econtra, ſi ex optima matre filius iniquus oriatur, non ideo primogenitus erit. Solus ergo ille primogenitus, & ſacerdotalis dignitatis dignus iudicetur, qui bonus eſt, cuiuſcunque F ſit filius, ſiue homicidæ, ſiue adulteri ſiue pro alio crimine infamis. Dictum eſt enim, quia filius non portabit iniquitatem Patris. Quod autem ſeruorum filii ad ſacros ordines non admittuntur ideo fit, quia non eſt Eccleſiæ Dei, aliena violenter rapere, ſi enim eorum Domini conceſſerint, nemo eos propter ſeruitutem à ſacris ordinibus repellit. Seruitus enim non eſt peccatum, ipſi quoque mox vt ordinantur, liberi fiunt. Quod enim Eccl ſiæ eſt, in nullius bonis eſt. Suſcipiunt autem duplicia primogeniti, quia ſecundum Apoſtolum, duplici honore Presbyteri digni habentur.

Si genuerit homo filium contumacem & proteruum qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit: apprehendent eum & ducent ad ſeniores ciuitatis, & ad portas iudicij, dicentque ad eos. Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuria atque conuiniis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis & morietur, & auferetis malum de medio veſtri, vt vniuerſus G *Iſraël audiens pertimeſcat.* In hoc capitulo nihil ſignificari puto, niſi quia ſacerdotes, & Epiſcopi, qui omnium aliorum ſpirituales patres, & matres, eos filios qui eorum monitis, & Euangelicis inſtitutis non obediunt, ſed potius errores ſequentes, omni luxuriæ, omnique iniquitati ſe ſubiiciunt, excommunicare, & æternæ morti damnare debeant. Ille excommunicatur, qui à toto populo, vt iam ſæpe diximus, lapidibus obruitur. Hoc autem non ſine ordine fiat, ducatur prius ad ſeniores & ad portam iudicij, ducatur ad concilium & quid ſanctorum patrum decreta de eo iubeant audiatur.

Quando peccauerit homo quod morte plectendum eſt & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem. Conſtat ergo ſecundum hæc verba, quia non omnis homo maledictus eſt qui pendet in ligno, ſed ille ſolus, qui peccatis ſuis H iuſte iudicatus & damnatus & ſuſpenſus eſt, hic enim maledictus erat, etiamſi in ligno non ſuſpenderetur. Cur ergo, & cæteri pro ſuis iniquitatibus iuſte damnati, quacumque pœna interficiantur, non ſimiliter à Deo maledicti dicuntur? Ideo fortaſſe quia primus homo tunc in ligno pependit, quando pomum vetitum ex arbore rapuit, pro quo ipſe, & humanum genus morti eſt adiudicatus. In hoc ergo ligno quicumque pendet, & adhuc originali peccato tenetur, maledictus eſt. Ideoque præcipit, vt huius maledicti cadauer in ligno non permaneat, ſed in eadem die qua ſuæ mortis peccatũ intellexerunt, in aqua baptiſmatis ſepeliatur. Sed quærendũ nobis, eſt, quare Apoſtolus hanc ſententiam ad Chriſtum referens ait. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum,* Quia ſcriptũ eſt. Maledictus omnis qui pendet in ligno, hoc enim lex non dicit, ſed maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno præmiſſo tamen, ſi peccauit quod morte plectendum eſt, Chriſtus autem nihil peccauit, nihil ergo hoc

A ad eum. Sed quare ô Beate Paule dixiſti, Maledictus omnis, qui pendet in ligno, & non dixiſti, maledictus à Deo, eſt omnis qui pendet in ligno, cur non addidiſti à Deo? immo, cur ſubtripuiſti quod in lege eſſe ſciebas? Ideo vtique quia à maledicto populo maledictus eſt Chriſtus: à Deo tamen non maledictus, ſed ſuper omnia benedictus eſt. Vnde & Pſalmiſta in eius perſona dicit. *Maledicent illi, & tu benedices.*

CAPVT XXII.

N*On videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum, duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter autem facies de aſino, & de veſtimento, & de omni re fratris tui quæ perierat, ſi inueneris ea non negligas quaſi aliena.* B Hoc ſpecialiter Epiſcopis, & Presbyteris dicere videtur: vt non ſolum ouium ſuarum, verum etiam & aliorum, ſi eas errare conſpexerint, curam habeant. Sæpe enim videmus ſub ſpecie peregrinationis non tantum Laicos, ſed Monachos, & Presbyteros vagabundos errare, quorum Epiſcopos alios cognoſcimus, alios ignoramus. Hos autem ſi poſſumus, prædicatione, & admonitione ad fratres noſtros reducere debemus: aut ſi non poſſumus, quamdiu apud nos ſunt, quaſi noſtrorum, debemus curam agere, ne noſtra negligentia pereant.

Si videris aſinum fratris tui, aut bouem cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſubleuabis cum eo. Sumus enim in via mandatorum Dei, in qua pſalmiſta nequaquam fatigatus dicebat, Viam mandatorum tuorum cucurri. Frater noſter Chriſtus eſt, qui nos ſecum dicere præcepit. Pater noſter qui es in cœlis. Fratres enim ſunt, qui vnius Patris filij ſunt. Huius aſinus eſt ſtultus aliquis, piger & luxurioſus: huius bos eſt, quicunque in eius agro laborare conſueuit. C Tales ergo ſi in hac via cecidiſſe videmus, (multis enim modis cadunt peccatores) ſecundum quod poſſumus eos ſubleuare debemus: bonum enim habemus adiutorem, qui etiam ſine nobis aſinum ſuum & bouem ſubleuare, non eſt inualidus, adiuuemus ergo, vt & nos adiuuemur.

Non induetur veſte mulier virili, nec vir vtetur veſte feminea, abominabilis apud Deum qui fecit hæc. Non vt hæc litteræ ſonare videtur, veſtis mutatio, ſed virtutis emulatio abominabilem facit. Hypocrita enim ſe fingens, cum ſit viribus & voluptatibus femina, veſte induitur virili, ſimiliter autem & vir ſanctus, ſi eam mollitiem, quæ interius non eſt, exterius oſtendit, femineo vtitur veſtimento. His autem Apoſtolus conſentiens ait. *Prouidemus bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.*

Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum auis inueneris & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem: D *non tenebis eam cum filiis ſuis, ſed abire patieris, captos tenens filios, vt bene ſit tibi, & longo viuas tempore.* Si enim propter hoc bene mihi eſſe, & longo tempore viuere ſcirem, nidos auium qualicumque labore per ſiluas inueſtigarem. Sed errant Iudæi, ſi per miſericordiam quam habent in auibus ſibi bene eſſe, & longo tempore viuere ſperant.

Sit ergo hæc auis Apoſtolus Paulus. Nam & ipſe Dominus ſe auem eſſe ſignificans ad Ieruſalem loquitur dicens. Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Hæc autem auis, & in arbore, & in terra nidificauit, quia in altis ciuitatibus, & in locis humilibus populum ad fidem collegit. Hæc & ouis & pullis deſuper incubat, charitate, fide, & prædicatione baptizatos, & non baptizatos fouens & nutriens. (Adhuc enim quaſi oua ſunt, qui nondum baptizati ſunt.) Quicunque ergo per viam ambulans, ad patriam & ad Deum tendis, tene pullos huius auis, diſce ab eis quod ipſi à matre didicerunt. Non teneas ipſam auem, permitte eam volare, vt aliis in locis nidificet, & aliis ciuitatibus prædicet. Hoc enim Apoſtoli faciebant, & in ciuitatibus quæ fidem ſuſceperant E Epiſcopis ordinatis, mox ad alias conuolabant.

Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſit reus labente aliquo & in præceps ruente. Nouam enim domum ædificat, qui veterem hominem exuere, nouum imitari, & in nouitate vitæ ambulare, Eccleſiam ſibi commiſſam admonet & docet. Qui murum per circuitum facit, quando fidem, ſpem, & charitatem, patientiam, & humilitatem, totis viribus tenere, & cuſtodire ſuadet. Niſi enim hoc fecerit, & in hoc muro fabricando ſtudioſus fuerit, ipſe ſanguinis effuſi reus erit, alio in præceps ruente, & Dei Eccleſiam ſuo ſanguine maculante. Hoc eſt enim quod per Ezechielem Dominus ait. Niſi annunciaueris iniquitatem ſuam, ipſe quidem morietur ſanguinem autem eius de manu tua requiram. De tecto quidem cadere eſt, de fidei ſublimitate, & animi puritate in criminalia quælibet peccata corruere. Semper ergo F Epiſcopos verbo Dei inſiſtere, & murum ſanctæ prædicationis opponere iam cadentibus & peccato propinquantibus, oportet.

Non ſeres vineam tuam altero ſemine, ne & ſementis quam ſeuiſti & quæ naſcuntur ex vinea, pariter ſanctificentur. Vinea enim Dei Sabaoth, ait Propheta, domus Iſraël, cuius ſemen eſt Euangelica prædicatio; non ergo ſeminentur altero ſemine. Quod enim alterum eſt, bonum non eſt. Quomodo ergo ſimul cum his, quæ ex vinea naſcuntur: ſanctificari poteſt? Hæreſis enim Catholicæ doctrinæ fraudulenter interpoſita, quodammodo pariter ſanctificatur, & non ſanctificatur, eis enim qui eam intelligunt, non ſanctificatur, eis vero, qui non intelligunt ſanctificatur quoniam quaſi ſancta ab eis recipitur. Vnde valde ſanctis prædicatoribus eſt cauendum, qualiter hæreticorum & Philoſophorum exempla ſuis ſermonibus interponant.

Non arabis in boue ſimul, & aſino. In boue enim ſimul & in aſino arare, eſt mundum, & immundum, ſapientem, & ſtultum, iuſtum, & peccatorem, in prædicatione pares facere, & ſimul mittere ad Euangelizandum: non enim minus deſtruit alter quam alter ædificet. G

Non indueris veſtimento, quod ex lana linoque contextum eſt. Animæ namque veſtimentum, caro eſt, quæ ſi caſta fuerit, lino texitur, lana vero, ſi luxurioſa. Linum enim propter candorem, caſtitatem, lana vero, quia de carne oritur luxuriam ſignificat, quæ de carnis petulantia naſcitur. Qui ergo lino veſtiri non poteſt, lana induatur, id eſt, qui non poteſt ſe continere, cui vult nubat, tantum in Domino: hoc enim Apoſtolus ait. Nemo autem lana ſimul induatur, & lino, ne vel fornicator caſtitatem ſimulet, vel caſtitatem ſimulans, fornicetur.

Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui quo operieris. Hoc autem in libro Numeri expoſuimus.

Sequitur autem de viro, *qui diffamans vxorem ſuam,* H *dicit ſe non inueniſſe eam virginem: vnde eam dimittere volens, à parentibus puella ducitur ad ſeniores Vrbis, & ad portam iudicij, ibique eum accuſant, quod filiam ſuam dimittere velit, ſimulque ſigna virginitatis illius oſtendentes, coram ſenioribus veſtimentum expandunt, quod apprehendentes, verberant eum, inſuper & centum ſiclis argenti eum condemnant quos ille dat patri puellæ, quia diffamauit virginem Iſraël, neque eam vlterius dimittere poterit. Quod ſi verum eſt quod ei obiicit, eiiciatur puella extra domum, & lapidibus obruatur.* Hæc puella, religio Chriſtiana mihi eſſe videtur. Hanc autem vxorem ducit, quicunque caſto ei amore coniungitur. Cuius pater Epiſcopus, cuius mater Eccleſia eſt, Hæc autem iam à pluribus diffamata eſt, qui eius caſtitatem propterea cognoſcentes, vehementiſſime eam dilexerunt, hoc autem fit, quando aliquis in fide dubitans, contra veritatem & religionem, quam ſuſceperat, loquitur. Talis ergo à parentibus puellæ ad ſeniores vrbis, & ad concilium vniuerſale ducatur vbi non vnus, ſed plures ſeniores & Epiſcopi inueniantur, ibique baptizetur, qui fidem in qua ba-

A ptizatus eſt, & quam ab initio ſuſcepit, iniuſte diffamauit,& dixerit eſſe violatam. Simulque parentes puellæ, id eſt, illi qui eam fidem & religionem ipſum docuerant, ſigna virginitatis & incorruptionis oſtendentes, veſtimentum expandant, & librum aperiant, in quo manifeſta documenta Chriſtianæ fidei continentur. Quæ poſtquam Eccleſiæ ſeniores cognouerint, nihilque in puella eiuſque parentibus reprehenſibile inuenerint, verberent illum, diris linguæ verberibus eum redarguentes. Inſuper & centum ſiclis argenti eum condemnent per quos omnium vtriuſque teſtamenti mandata intelligimus: centenarius autem numerus perfectus eſt, atque ideo omnia ſignificat, quia omnes in ſe numeros continet. Argentei autem iſti ſicli dicuntur,propter eloquij puritatem. Quos bene patri puellæ homo iſte dare præcipitur, quatenus eum,vel iuramento, vel quolibet alio modo certiſſimum faciat, ſe deinde fideliter tenere & credere, quæcumque vtriuſque teſtamenti mandata præcipiunt. Quod poſtquã fecerit, iam vlterius vxorem ſuam dimittere non poterit. B Quod ſi verum eſt,quod ei obiecit eijciatur puella extra domũ patris,& lapidibus obruatur,hoc autem tale eſt ac ſi diceret.Si illa fides atque religio corrupta,& violata inuẽta fuerit eijciatur de pectore Epiſcopi,qui eam genuit, & ab omnibus lapidibus obruta excõmunicata intereat.

Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur id eſt adulter, & adultera & auferes malum de medio Iſrael. Mors enim carnis, animæ mortem ſignificat, quam illi quidem patiuntur, qui tale nefas committunt.

Si puellam virginem deſponſauerit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate & concubuerit cum illa, educentur vterque ad portam ciuitatis illius,& lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit, cum eſſet in ciuitate; vir quia humiliauit vxorem proximi ſui,& auferes malum de medio tui. Quid enim per puellam virginem, niſi in fide Catholica baptizatam? Quid vero per virum, qui eam deſponſauit,niſi Chriſtum intelligimus. Vnde,& Apoſtolus ait:Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Hæc autem puella in ciuitate corrumpitur, C quando ab aliquo in Eccleſia, hæretica prauitate ſeducitur. Vterque ducitur ad portam ciuitatis, id eſt, ante præſentiam Epiſcoporum, per quos quaſi per portam cætera multitudo ingreditur. Ibique lapidibus obruuntur, id eſt damnantur, & excommunicantur. Sæpe enim iam diximus quid lapides iſti ſignificent. Et puella quidem merito excommunicatur, quia cum eſſet in ciuitate clamare debuit, & ea quæ ſibi ab hæretico dicebantur, viris Catholicis debuit propalare: Hæreticus vero, quia humiliauit,& violauit vxorem proximi ſui. Proximus enim Chriſti, hæreticus dicitur, quia etſi malus, Eccleſiæ tamen filius eſt.

Sin autem in agro reperit vir puellam, quæ deſponſata eſt, & apprehendens concubuerit cum illa: ipſe morietur ſolus, puella nihil patietur, nec eſt rea mortis, quoniam, ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum, & occidit animam eius:ita & puella perpeſſa eſt:ſola erat in agro clamauit, & nullus affuit qui liberaret eam. Si enim per ciuitatem Eccleſia intelligitur,quicunque in Eccleſia non D eſt in agro eſt. Puella ergo deſponſata, & per fidem Deo coniuncta, ſi forte ignoranter ad hæreticorum turbam venerit, ibique de fide aliquem male diſputantem audierit, & idipſum interrogans, & verum catholicum, & verum ſit, intelligere volens, cum nemo ibi niſi hæreticus ſit, quamuis multum clamet, nullus tamen adeſt, qui ei veritatem reſpondeat. Hoc igitur, cum ad Epiſcoporum iudicium venerit, talis anima innocens iudicabitur, qui non ſua ſponte, ſed neſcienter furtim, & per latrocinium violata eſt: hæreticus autem moriatur,id eſt æterna morte condemnetur.

Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit,dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ centum ſiclos argenti,& habebit eam vxorem,quia humiliauit, & illã non poterit dimittere eam cũctis diebus vitæ ſuæ. Videtur enim mihi, quod per hanc puellam Grammatica, dialectica, Rethorica, & cæteræ artes liberales ſignificentur, quæ quidem quantum ad ſe, virgines ſunt E incorruptæ. Dicitur autem hæc puella non habere ſponſum, quia quamuis pluribus coniuncta ſit, tamen ſic vniuſcuiuſque propria ſit, vt quæ in vno eſt,in altero eſſe non poſſit. Vnde dicitur Grammatica Ariſtarchi,eo quod illius propria fuerit. Sic ergo & tu cum aliquam artem diſcere incipis, quamuis de alia generetur, attamen quæ animo tuo coniungitur, tua eſt, & alterius non eſt. Hoc autem facile intelligunt, qui Dialecticam ſponſam ſibi ſuſcipere meruerunt. Hæ enim puellæ, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio Cypriano, cæteriſque Eccleſiæ Doctoribus coniunctæ,multos eis filios,multa librorum volumina pepererunt. Veruntamen illi qui eis coniunguntur, patri illarum centum ſiclos argenti dare iubentur. Quis eſt enim pater illarum, niſi ille de quo dicitur. Omnis ſapientia à Domino Deo eſt,& cum eo fuit ſemper & eſt ante æuum. Huic autem centum ſiclos dare, eſt omnia quæ in his & in aliis ſcripturis iſtarum magiſterio compoſitis continentur, fideliter & ſine errore exponere, & intelligere: aliter enim ſicli non erunt argen- F tei, niſi ab omni corruptione fuerint alieni. Qualiter autem centum omnia ſignificent, modo ſuperius diximus. Si ergo hæc res ad iudicium venerit, hoc erit Epiſcoporum iudicium, vt ſapientes, & bene periti Eccleſiæ filij, ſemper ſapientiæ & lectioni operam dantes cuncta fideliter exponant, & intelligant, tamque nobilium puellarum coniugia non abijciant.

Non accipiet homo vxorem Patris ſui, nec reuelabit operimentum eius De hoc enim Apoſtolus Corinthios redarguens ait. *Auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris quis habeat.* Præterea quia vnaquæque fidelis anima eſt vxor Dei,qui omnium pater eſt, qui aliquam animam in peccatum & in errorem inducit, patris vxorem corrumpere intelligi poteſt.

CAPVT XXIII.

NOn intrabit eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis,& abſciſſo veretro Eccleſiam Dei. Per hoc enim G ſignificatur, quod in cæleſtem patriam nullus intrabit, qui bonorum operum ſterilis, ſpiritualis generationis, & fœcunditatis inſtrumenta non habuit.

Non ingredietur manſer hoc eſt de ſcorto natus in Eccleſiam Domini vſque in decimam generationem. Quid eſt enim, vſque ad decimam generationem, niſi vſque ad vltimam generationem? Decimam enim generationem vltima eſt, quia, & decimus numerus eſt. Qui ergo de ſcorto, id eſt de hæreticorum adulterio natus eſt, nunquam Sanctorum Eccleſia ſociabitur. *Ammonites, & Moabites etiam poſt decimam generationem, non intrabunt in Eccleſiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Ægypto.* Quid per hos intelligere debemus, niſi vitia, & malignos ſpiritus, qui nos fame,& ſiti ſpiritualis cibi, & potus necare cupientes, quibuſcunque modis poſſunt aduerſum nos bella concitant:omnique calliditate,& fraudulentia nos decipere conantur? Cum his ergo H numquam pacem habeamus, numquam eis bona quæramus, ſed ſemper eos delere,& à nobis repellere ſatagamus. *Non abominaberis Idumæum, quia frater eſt, nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eius tertia generatione, intrabunt in Eccleſiam Domini.* Idumæi de genere Eſau ſunt & terreni interpretantur at vero Ægyptij tenebræ dicuntur: per hos igitur gentilis populus ſignificatur, primum quidem terrenus, & peccator, totuſque niger, & tenebroſus, ex his autem, qui tertia generatione naſcuntur, id eſt tertia merſione in baptiſmo regenerantur, intrant in Eccleſiam Dei. Poteſt autem per tertiam generationem hoc vltimum tempus intelligi,ſiquidem in tria tempora hæc ſæcula diuiduntur, id eſt ante legem, ſub lege & ſub gratia, hac igitur vltima ætate, quæ tertia eſt, nulli Eccleſia clauditur:Idumæis,& Ægyptiis terrenis, & peccatoribus cunctiſque gentibus aperitur. *Quando egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos in pugnam cuſtodies te ab omni re mala.*

A Hoſtes noſtri maligni ſpiritus ſunt, à quibus facilè ſuperamus, niſi nos à vitiis cuſtodiamus.

Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio egredietur extra Caſtra, & non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aqua: & poſt ſolis occaſum regredietur in Caſtra. Iudæi nocturno ſomnio polluuntur, quia in tenebris legis præcepta Seminantes, & quaſi per ſomnium exponentes, ſemper ſordidi oreſ fiunt, ideoque extra caſtra egreſſi & à Deo ſeparati, non prius ad Eccleſiæ Caſtra reuertentur, quam ad veſperam, & ſolis occaſum, ideſt ad ſæculi conſummationem venientes, aqua Baptiſmi lauentur, & mundentur. *Conuertentur ad veſperam*, vt ait Pſalmiſta. *Habebis locum extra caſtra ad quem egredieris ad requiſita naturæ gerens paxillum in baltheo. Cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo, operies, quo releuatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio Caſtrorum vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos & ſint caſtra tua ſancta.* B Stercora, & egeſtiones vitia ſunt, & peccata. Hæc autem in caſtris fidelium fieri non licet. Quicquid igitur ſordidum, quicquid fætidum, quicquid nefarium, & vitioſum eſt, à fidelium domibus, & à ſanctorum caſtris procul pellatur. Dominus enim ambulans & habitans, talium fœtorem abhorrens, commorari illic dedignabitur. Cætera vero, quæ hic dicuntur, magis ad narrationem, quam ad ſignificationem pertinere videntur.

Meminerimus tamen in operiendis ſtercoribus, illius pſalmi: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: & quia Charitas operit multitudinem peccatorum. Non trades ſeruum Domino ſuo qui ad te confugerit. Habitabitque tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna Vrbium tuarum requieſcet, ne contriſtes eum. Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*: huius autem Dominus diabolus eſt. Si igitur talis ſeruus pœnitentia ductus ad nos confugerit, non abiiciamus eum, neque a noſtra communione repellamus, ſed habitet nobiſcum, & C in Sanctorum Cœtu conuerſetur, nemo eum contriſtet, nemo eum de peccatis turpiter reprehendat. Hoc enim agere quid aliud eſt niſi eum iterum diabolo tradere, & in deſperationem adducere? *Non enim meretrix de filiabus Iſraël, neque ſcortator de filiis Iſraël.* Hoc iuxta litteram in corpore, & ſecundum ſpiritualem intelligentiam in anima, omnes Chriſtiani diligentiſſime obſeruare debent. De animæ namque fornicatione aduerſum Iſraël dicitur. *Fornicatus eſt Iſraël per Deos gentium: Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium Canis in domum Domini Dei tui, quicquid illud eſt, quod vouerint, quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum tuum.* His verbis Sacerdotes Dei ea inuenta ſuſcipere interdicuntur, quæ iniuſtè, & cum peccato acquiruntur: vnde ſcriptum eſt: *Victimæ impiorum abominabiles Deo.* Itemque: *Qui offert ſacrificium de rapina, quaſi qui immolat filium in conſpectu patris. Non fœneraberis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno: Fra-* D *tri autem tuo abſque vſura id, quod indiget commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Hæc verba pietate & dilectione plena ſunt, quibus admonemur, vt ſine vſura iis ſubueniamus, quos vt idem genus noſtrum, & eiuſdem religionis diligere debemus. Vnde non minus in nouo, quam in veteri teſtamento fœneratores damnantur. Non vacat tamen à myſterio, quod alieno populo, Iudæis fœnerare ad vſuram licet. Nos enim ad vſuram, & legem, & Prophetas ab eis accepimus. In vſura enim non ſolum id, quod datur, ſed etiam id, quod non datum eſt, perſoluitur. Vnde manifeſtum eſt, nos ad vſuram legem & Prophetas ſuſcepiſſe, qui in eorum ſolutione præter litteram, ſpiritualem quoque intelligentiam ſoluimus. Sacra enim ſcriptura, & pecunia nobis eſt, & aurum, & argentum, & cibus, & potus, & frumentum, & vinum, & aqua, & oleum, & ſimilia. *Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* Mirum niſi per hoc intelligere volueris, quod in Euangelio Dominus ait: *Nolite Sanctum dare Canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Vt quæ hic dicuntur vuæ ibi vocentur margaritæ? Vinea igitur proximi noſtri, vi- E nea Chriſti Domini noſtri, hæc eſt, quam modo vindemiamus, cuiuſque vuas exponendo comedimus. Manifeſtum ergo eſto, quia maiora Sacramenta foras efferenda, & omnibus exponenda non ſunt. *Si intraueris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu tua conteres, falce autem non metes idipſum.* Per ſegetem, & per vineam ſacra ſcriptura ſignificatur, ingreſſus igitur in hanc ſegetem amici mei, ingreſſus in hunc librum Domini mei, ſpicas frango, & cum labore ſententias euello, quas manu animæ, hoc eſt intelligentia conterens, granum ab ariſtis, & ſpiritum à littera ſecerno, falce autem non meto, quia nec facilè, nec cito multa exponendo tranſcurro. Sufficit mihi vix paucos manipulos manibus per dies euellere. Iudæi enim falce metunt, qui totum ſubito librum legentes, & colligentes, nihil intelligunt. Vtinam & ipſi pauca legentes intelligere procurarent.

CAPVT XXIV.

F *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua: Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit eam de domo ſua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam, quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino.* Quid per hanc mulierem, quæ propter ſuam fœditatem, à viro ſuo dimittitur, niſi aliquam hæreticorum ſectam intelligamus? Cui ſi aliquis homo malè coniunctus, eius fœditatem, & errorem, diuina inſpiratione, intellexerit dimittet eam de domo ſua, ideſt de ſecreto pectoris ſui, & ſcribet libellum repudii, & dabit in manu eius, quia non ſufficit ſolis, & ſimplicibus verbis, verum etiam ſcripto, & iuramento, tam nefando coniugio ſeparari. Hoc enim ordine tale diuortium adhuc in Eccleſia fieri videmus. *Hæc autem ſi alterum maritum duxerit,* (multos enim maritos G habet vnaquæque hæreſis) *& ille ſimiliter propter eandem rem oderit, & dimiſerit eam, vel certè in ea mortuus fuerit prior maritus recipere non poterit eam*, tum quia polluta, & abominabilis eſt, tum quia firmiſſima libelli ſeparatione ab ea diuiſus eſt. Hæc autem nobis ad ſignificationem, Iudæis vero ad Cordis duritiam dicta ſunt, ſic enim in Euangelio Dominus ait: *Propter duritiam cordis illorum, præcepit eis libellum repudii ſcribere Moyſes, & dimittere vxores ſuas,* Non quod bonum quantum ad litteram, hoc eſſet, ſed quia dura Corda aliter molliri non poterant. Vnde & alibi dicitur. *Quia dedit illis præcepta non bona. Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam neceſſitatis iniungetur publicæ.* Hoc de illis intelligimus, qui nouiter ad fidem venientes, Chriſtianæ religioni iunguntur, vt bonorum operum filios ex ea, & cum ea generent, & ipſi quidem tamdiu vacare, & ab Eccleſiaſticis diſpoſitionibus alieni eſſe debent, donec in hac religione perfecti, & do- H mum ſuam bene diſpoſuiſſe inueniantur, poſtea vero ad bellum procedere, & contra hæreticos, & Tyrannos pugnare poterunt. *Non accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam, quia animam ſuam appoſuit tibi.* Has duas molas, nouum, & vetus Teſtamentum ſignificare puto, & inferior quidem vetus, ſuperior vero nouum deſignat. ipſa enim ſcriptura voluitur: ipſa exponitur, ipſa in farinam cuncta conuertit. Ipſa nos paſcit, ipſa nobis præparat vnde viuamus. Nos igitur loco pignoris, hanc vel illam ab Eccleſia non ſuſcipiamus. Fidem dedimus, nihil charius habuimus: non itaque pignus, ſed proprium ſit quidquid ab ea accepimus. Quod enim pro pignore datur, hoc nequit ſemper haberi, neque vt volumus vti poſſumus. Non ergo loco pignoris, ſed quaſi proprias has molas ſuſcipiamus. Neque enim ſine eis viuere valemus. Quid enim nobis proprium erit, ſi vita ipſa pignus fuerit? Vnde & merito hic dicitur: *quia animam ſuam appoſuit tibi*: quod tale eſt ac ſi diceret: Nihil tibi melius, nihil pretioſius dare potuit, in his eius vita, eius doctrina, eius fides, eiuſque anima conſiſtit. Tene ergo quod habes, proprium tibi ſit, quod accepiſti, quia nihil tibi melius in

A hac vita dari potuit. *Si deprehenſus fuerit homo ſollicitans fratrem ſuum de filiis Iſraël, & vendito eo accipiens pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.* Hoc etſi ad litteram de plagiariis intelligatur, de malis etiam Iudicibus intelligi poteſt: qui auaritia obcæcati, pretio iuſtitiam peruertunt, & innocentes homines damnant, & vendunt. In morte vero corporis pœna animæ ſignificatur. *Obſerua diligenter, ne incurras in plagam lepræ: ſed facies quæcunque docuerint te Sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple ſollicitè. Memento quæſo quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto.* Non de corporis, ſed de animæ lepra iſta dicuntur. Animæ namque lepra peccatũ eſt, illa anima leproſa, quæ peccati maculis eſt vulnerata. Hanc lepram incurrunt, qui Dei ſacerdotibus credere nolunt. Hac & Maria percuſſa eſt, quia contra Moyſen locuta eſt. Hac & Iudæi percutiuntur, quoniam de Chriſto malè loquuntur. Cætera vero, quæ hic ſequuntur, quo-B niam honeſtate, miſericordia, & pietate plena ſunt, ad litteram ſufficit intelligere, neque aliam ſignificationem videntur exquirere. *Memento quod & tu ſeruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus. Idcirco præcipio tibi, vt facias hanc rem. Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, ne reuertaris vt tollas eum: ſed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.* Ac ſi dicat: Ne deſpicias aduenas & peregrinos, quia & tu aduena fuiſti in terra Ægypti. Sufficiebat autem Iudæis omnia hæc ad litteram obſeruaſſe, quamvis alterius eſſent rei ſignificatiua. Hæc enim quoniam hic narrantur, quamvis tunc temporis eis ad iuſtitiam contingebant, modo tamen eis mortem miniſtrant. Vnde Apoſtolus ait: *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Quid enim per hunc agrum, quem Iudæi metunt, in quo & obliuioſi manipulos relinquunt, niſi hunc librum legis intelligimus? Hunc C quotidie metunt & colligunt, multoque plura poſt ſe per obliuionem relinquunt, quam apertis oculis ante ſe congregant, atque intelligentiam ſpiritualem aduenis, pupillis & viduis relinquunt. Si enim conſideremus, quanta in paucis verbis ſint ſacramenta, valdè obliuioſos ſtultos, & metendi neſcios hos meſſores inueniemus, qui quæque meliora relinquentes, paleis ſe onerant, & vacuis ariſtis. Quantum enim ad ſpiritualem intelligentiam, non præcipiendo eis dicitur: ad tollendos manipulos non reuertantur, ſed prophetizando, quia ſic futurum eſſe ſciebat. Sic enim dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Illi enim ad tollendos manipulos reuertuntur, qui ſacras ſcripturas legentes, iterum atque iterum eadem repetunt, quia, vt quidam ait, verba decies repetita placebunt. Vnde etiam animalia quæ non ruminant, immunda eſſe dicuntur. Quid eſt enim ruminare, niſi eundem cibum ſæpius voluere? Aduena autem pupillus & vidua Eccleſia Gentium eſt, quæ de longè, & ex omnibus mundi partibus ad Chriſtum, & ad fidem venit. Hæc eſt enim Regina Auſtri, D quæ *venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.* De qua vidua & Pſalmiſta loquitur dicens: *Viduam eius benedicens benedicam pauperes eius ſaturabo panibus. Si fruges collegeris oliuarum, quicquid remanſerit in arboribus, non reuerteris vt colligas: ſed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in vſus aduenæ pupilli, ac viduæ.* Idipſum per oliuam, & vineam intelligitur, quod modo per agrum ſignificari diximus. Diuina enim ſcriptura & frumentum nobis, & oleum miniſtrat, & vinum. In quibuſdam enim locis quaſi panis difficilè editur: in quibuſdam vt vinum facilè ſorbetur, vbique autem quaſi medicamentum & oleum animæ medetur.

CAPVT XXV.

SI fuerit cauſa inter aliquos, & interpellauerint Iudices, quem iuſtum eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. Si E *autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* In hoc iudicio iuſtitia comprobatur, ſi illis qui iuſtitiam habent, iuſtitiæ palmam tribuant, iniuſtos autem diſſimili retributione afficiant. Merito autem in quadragenario plagarum numero correctionis modus conſtituitur, quoniam illa diſciplina perfecta, & integra eſt, quæ vtriuſque teſtamenti authoritate munitur. Quia enim quadragenarius numerus ex quater decies conſtat, vtrumque ſignificat teſtamentum: quater enim decem, vel decies quatuor, quadraginta fiunt. Cur autem in decem vetus, & in quatuor nouum teſtamentum ſignificetur, manifeſtum eſt. Hanc autem diſciplinam ſe Apoſtolus ſuſtinuiſſe ſignificat, dicens: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Vna ei adimebatur, ne fœde laceratus abiret. Et rectius eis videbatur, vt vnam ſubtraherent, quam vt numerum F lege conſtitutum excederent. *Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas.* De hoc Apoſtolus dicit: *Numquid de bobus cura eſt Deo:* Significans hoc ad litteram non debere intelligi. Iſti enim boues Apoſtoli ſunt, & Doctores, qui in area Eccleſiæ Sanctarum Scripturarum frumenta terentes, triticum à paleis, & ſpiritualem intelligentiam ſeparant à litteris. His autem os ligari non debet, quia dignus eſt operarius mercede ſua. Vnde idem Apoſtolus ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, non magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* Decet enim vt carnali cibo eum reficias, qui te ſpiritualibus delitiis pauit. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël.* Iſti ſunt illi fratres, de quibus dicitur: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Iſti G etſi non corpore, mente tamen & ſpiritu, omnes ſimul habitant. Ex his autem vnus quilibet abſque liberis moritur, quando Epiſcopus ex hac vita tranſiens, nullum ex ſuis ſubiectis in Eccleſia ſua talem relinquit, qui eius cathedra dignus habeatur. Quæritur ergo ex alia Eccleſia, cui vxor defuncti coniungatur. Et ipſe quidem defuncti frater erit, non natura, ſed officio. Et vt eiuſdem bonitatis ſit, & humanitatis, eiuſdem fidei, & charitatis, & quaſi frater fratri conſimilis. Iſte autem ſuſcitabit ſemen fratris ſui, vt quos vel in peccatis mortuos, vel malo ſomno grauatos inuenerit, ad bonum opus euigilare faciat. Et primogenitum nomine illius appellabit. Primogenitum quidem, non quod prius genitus ſit, ſed qui merito ſanctitatis inter omnes eius genitos primus, & maximus habeatur. Et iſte quidem vocabitur Epiſcopus, hoc eſt enim nomen defuncti, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël, vt numquam Eccleſia Epiſcopo careat, & numquam hoc nomen in ea deficiat. Si autem noluerit accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit H maiores natu, dicetque: *Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſraël, nec me in coniugem accipere. Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit, Nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius & dicet? Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui. Et vocabitur nomen illius in Iſraël. Domus diſcalceati.* Quare ante portam ciuitatis iudicium quæritur, niſi quia ibi Iudices ſedent? Dominus de ſe ipſo loquitur dicens: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Et ante hanc portam ſedent Epiſcopi, vt eius lumine illuſtrati, nuſquam deuient à veritate recedentes. Ad hos omnes cauſas deferri, eorumque iudicio definiri opus eſt. His ergo præſentibus accedit ad fratrem viri ſui, & quia eam in coniugium accipere noluit, tollit calceamentum de pede eius: Quid eſt calceamentum de pede tollere, niſi euangelizandi licentiam auferre? Vnde ait Apoſtolus: *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Spuit inſuper in faciem

eius,

A eius, quia palam & manifeſtè eum contemptibilem, & tanti honoris indignum eſſe oſtendit. Hoc autem de illis rectiſſimè intelligi poteſt, qui maiores ambientes, minoribus ſe Eccleſiis præfici contemnunt. Quos non animarum ſalutem, ſed honoris gloriam quærere non eſt dubium. Iuſtum autem eſſet, vt ſemper excalceati, & expuitionum potius, quam talis coniugij digni iudicarentur. Hoc eſt enim quod ait: Et vocabitur nomen eius in Iſraël domus diſcalceati. Quis enim calceare eum audeat, quis calceati officium illi tribuat, qui ipſa nominis appellatione ſe excalceatum eſſe demonſtrat? *Si habuerint inter ſe iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volenſque vxor alterius eruere virum ſuum de manu fortioris, miſeritque manum, & apprehenderit verenda eius, abſcindes manum illius, nec flecteris ſuper eam vlla miſericordia.* Viri iſti, qui inter ſe rixantur, Epiſcopi ſunt, qui pro rebus Eccleſiaſticis ſæpiſſimè inter ſe contendunt. Horum autem ille quidem fortior eſt, cuius cauſa pro ſua iuſtitia maiores vires habere vi-
B detur. Vxor vero alterius non ſolum tota eius Eccleſia, verum etiam aliquis de plebe illius intelligi poteſt. Hic autem volens eruere Epiſcopum ſuum de manu fortioris, mittit manum & apprehendit verenda eius, ſi illum, cui rationibus reſiſtere non valet, conuitiis laceſſit, & aliquid ei, vnde erubeſcere debeat, in faciem apponit. Super hoc autem nulla miſericordia habenda eſt: ſed manus illa procaciſſima ſtatim eſt abſcindenda, & lingua illa in frenis fortiter cohibenda. Quod autem & lingua manum habeat, ſcriptura teſtatur: *Mors & vita in manu linguæ.* Hæc autem mihi nuper accidiſſe memini. Qui dum pro Eccleſia Sipontina cum Beneuentano Epiſcopo litigarem, mox Archidiaconus eius per verenda arripere me conatus, iniuſtè me diffamare cœpit. Sed eius linguæ ſuperba manus confeſtim abſciſſa eſt. Et à Concilio reprehenſus veniam ſatisfaciens petiit, & impetrauit. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iuſtum & verum, & modius*
C *æqualis & verus erit tibi, & multo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Si huius ſæculi negotiatores hæc ſecundum litteram intelligerent, & cuſtodirent, non tantum lucrarentur in eis decipiendo, quantum lucrarentur cuſtodiendo. Nos autem non habeamus diuerſa pondera in ſacculo pectoris noſtri, ſed ſint æqua omnia, & iuſta. Nihil ſine ordine, nihil ſine libra, & vera menſura faciamus. Et quia *non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, nos quoque in iudicio perſonam non accipiamus. Sequitur autem de eo, quod Moyſes præcepit filiis Iſraël, *vt poſtquam in terra promiſſionis quiete habitarent, delerent totum Amalech de ſub cœlo, quoniam occurrit eis in via, & extremos agminis eius interfecit, quando exercitus erat fame, & labore confectus.* Quid enim per Amalech, qui Populus brutus, ſiue Populus lingens interpretatur, niſi Hæreticos intelligimus? Qui &
D quaſi bruta animalia Deum non timent, & eos quos poſſunt lingendo, & adulando decipiunt. Et iſti quidem populo Dei, ad ſupernam patriam feſtinanti, in via occurrunt. Iſti eius iter impedire nituntur. Iſti, quia primos, & fortiores non valent, extremos quoſque, & imperfectiores decipiunt, & occidunt. Sed notandum eſt, quia tunc maximè hæreticorum perſuaſio vires habet, quando populus fame & labore conſumitur. Fame vtique audiendi verbi Dei. Qui enim hoc cibo ſunt refecti, hæreticorum non timent inſidias. Illi quoque facile ab eis vincuntur, quos in via mandatorum Dei iam labore fatigatos currere tædet. Hunc ergo populum deleuit Eccleſia, & poſt Tyrannorum bella, cum iam videretur eſſe quieta, ſuperauit.

CAPVT XXVII.

PRæcepit autem Moyſes, vt poſtquam populus tranſierit Iordanem, erigat ingentes lapides, quos poſtquam
E calce leuigauerint, ſcribant in eis lucidè, & apertè, omnia verba legis huius, vt poſſit intrare terram lacte & melle manantem. Faciat quoque altare ſuper montem Hebal de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impolitis, & offerat ſuper eo holocauſtum Domino Deo ſuo. De his lapidibus ſcriptum eſt: *Lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram.* Hos ergo lapides illi erigunt, qui iam per Iordanem tranſierunt. Iordanem enim Ioſuë, Iordanem aperuit Ieſus. Ipſe nos docuit quid Iordanis aqua ſignificet, quoniam ibi baptizatus diſcipulis ſuis præcepit dicens: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Iſti ergo ſunt, qui erigunt ingentes lapides. Iſti ſunt, qui vbique terrarum edificant Eccleſias. Iſti totius mundi Reges & Principes ad fidem conuertunt. Iſti quidem hos lapides leuigantes, iſti eos & charitatis glutino ſolidantes, ſcribunt in eis dilucidè, & apertè, non autem in nube & caligine, omnia verba, quæ in hoc libro
F nouæ legis continentur. Hæc enim vt Apoſtolus ait, *non atramento, ſed ſpiritu Dei in cordibus noſtris ſcripta ſunt.* Scripta ſunt quoque verba in corde Iudæorum, ſed neque lucidè, neque apertè, ideoque de eis dicitur: Cæcitas ex parte contingit in Iſraël. Quod autem ait: *Vt poſſit intrare in terram lacte, & melle manantem*, ex hoc ſignificare videtur, quod nemo terram viuentium intrabit, qui prius per baptiſmum non tranſierit, & nouæ legis fidem, atque doctrinam non ſuſceperit. Sed quid per altare ſignificatur, quod de lapidibus impolitis, & ſaxis informibus ſuper montem Hebal conſtruitur? Eccleſia vtique, in qua omnia ſacrificia Chriſtianæ religionis quotidie fiunt. Fit autem hoc altare ſuper montem Hebal, quoniam Sancta Eccleſia in Gentili populo maxima ex parte, conſtituta eſt. Hebal enim vetus vorago interpretatur. Vetus autem vorago in hoc populo erat, quoniam ibi ab antiquis temporibus, maior Inferni, perditioniſque porta patebat. Conſtituitur autem hoc altare ex lapidibus, & ſaxis informibus, quæ ferrum non tetigit, quoniam & Sancta Eccleſia ex impiis, &
G peccatoribus, & inſenſatis, & Idololatris conſtituta eſt. Qui quidem lapides colebant, & duri, increduli infructuoſique Dei formam, & pulchritudinem, ad cuius imaginem facti fuerant, non habebant, non immerito ideo lapides vocantur. Hos autem ferrum non tetigit, quoniam nondum ſanctæ prædicationis ferramentis dolati, & formati erant. Nondum enim ad eos dolandos venerat ille qui ait: *Vt ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Super hoc autem altare holocauſtum Domino offertur, & victima pacifica immolatur, quia multis modis ei in Sancta Eccleſia quotidie ſacrificatur. Non eſt autem neceſſarium nos hic aliquid de ſacrificiis dicere, de quibus in ſuperioribus libris multa loquuti ſumus. Quod autem ait: *Comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo*, non de carnali, ſed de ſpirituali cibo intelligi debet. Hic enim cibus in Eccleſia ſumitur: hic cibus coram Deo comeditur? *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* Verbum ergo Dei cibus, hoc autem cibo nutritur & pin-
H gueſcit anima. Quæ vero ſequuntur, ideo non exponimus, quoniam facilia ſunt, & maxima ex parte ſecundum litteram intelliguntur. His igitur prætermiſſis, ad canticum accedamus.

CAPVT XXVIII.

AVdite Cœli quæ loquor, *audiat terra verba oris mei.* Quantum ad litteram, cœli & terra audire non poſſunt, quia inſenſibiles ſunt, & aures quæ audiant non habent. Allegoricè autem, per cœlos iuſti, per terram peccatores deſignantur. Magna ergo dicturus eſt, qui bonos & malos, & Angelos atque homines, iuſtos & peccatores ad audiendum inuitat. Et merito quidem cœli dicuntur, quorum conuerſatio in cœlis eſt. Merito etiam terra vocantur, qui de terra facti, ſola terrena, & tranſitoria diligunt. *Concreſcat pluuia inſtar doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum.* Pluuia enim & rore

A fœcundatur terra, quibus parturiens germinat, & germinans conſeruatur. Talem igitur doctrinam ſuam fieri optat, qua campus animæ madefactus, in bonorum operum fructus prorumpat. *Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina, quia nomen Domini inuocabo.* Talis, inquit, ſit doctrina mea, & ſic mentes, quas irrigat viuificet, nutriat, & fœcundet, ſicut imber, & pluuiarum ſtillæ ſuper herbam & gramina, creſcere ea faciat. Hoc autem ideo, *quia nomen Domini inuocabo,* cuius inuocatione ſanctificantur, & gubernantur omnia. *Date magnificentiam Deo noſtro, Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia.* Date, inquit, ò cœli & terra, magnificentiam Deo noſtro, ideſt, magnificate. Dominum enim magnificare, eſt Dei magnificentiam prædicare. Neque aliter magnificatur, qui neque creſcere, neque minui poteſt. Dei perfecta ſunt opera. Nihil imperfectum fecit Deus, multa tamen imperfecta videmus, quæ Dei opera eſſe non dubitamus. De prima B igitur creatione hoc intelligatur, in qua nihil fuit diminutum: nihil aliqua parte vitiatum. Magnificemus ergo illum, qui omnium primordia, perfecta creauit. *Et omnes viæ eius iudicia.* Via eius eſt fides. Hac enim venitur ad eum, ſed hæc iudicat infideles. Hæc ergo iudicium eſt. Similiter autem & patientia iudicantur impatientes, iuſtitia & pietate, impij, ſic & in aliis. Omnes ergo viæ eius iudicia. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus.* Vnde manifeſtum eſt, quia viæ eius non ſolum iudicia ſunt, verum etiam iuſta iudicia. Lætentur ergo boni, timeant & mali. Sed quare timeant? *Quia peccauerunt ei.* Boni vero lætentur, quia filij eius ſunt, & in ſordibus non ſunt. Si enim adhuc in ſordibus eſſent, eius filij non eſſent. Nunc autem ad poſteriora mentem dirigens, & Iudæos Idola colentes, & contra Chriſtum inſurgentes, in ſpiritu contemplatus, exclamat dicens: *Generatio praua atque peruerſa, haccine reddis Domino, Popule ſtulte & inſipiens?* Hoc inquit, C de te ipſe promeruit, quia hæc tanta bona, quæ in ſequentibus enumerantur, tibi largitus eſt? *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, fecit & creauit te?* Ipſe inquit, quem tu derelinquis, quem in Diis aliis prouocas, & ad iracundiam concitas, ipſe, non alius, eſt pater tuus, qui te ab initio poſſedit, & fecit, & creauit, Hoc autem ſi neſcis, fac quod ſequitur, & verum hoc eſſe probabis. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Quid dicent tibi? Hoc videlicet: Quia iſte, quem tu inſipiens relinquis, & deſpicis, pater tuus eſt, & poſſeſſor, & creator. Hoc enim maiores tui teſtantur. Hoc Iſaias, Ieremias, & cæteri Prophetæ confitentur. Et ipſe quidem cum omnium Dominus eſſet, cum omnes gentes in poteſtate habuiſſet, te ſolum tamen in partem elegit. Te ſolum ſuæ hæreditatis funiculum eſſe voluit. Hoc eſt enim quod dicit. *Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit numerum populorum iuxta numerum filiorum Iſraël. Pars autem Domini populus eius.* D *Iacob funiculus hæreditatis eius.* Vide igitur, quantum eum diligere, & quam fidelis ei eſſe debeas, qui ex omnibus mundi nationibus, te ſolum ſibi in hæreditatem ſuſcepit. Hæc autem diuiſio gentium, & hæc ſeparatio filiorum Adam illa eſſe videtur, quæ in Turris ædificatione facta eſt, ſiue potius quæ in eius diſpoſitione erat ante ſæcula. *Tunc enim conſtituit Dominus terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſraël.* Quoniam tot mundi partes fore conſtituit, quot & filios Iſraël præſciuit. Duodecim enim ſunt mundi partes totidem venti inde ſpirantes. Cum enim quatuor ſint venti principales, vnuſquiſque autem duos collimitaneos habeat, vnum videlicet à dextris, & alterum à ſiniſtris duodecim eſſe non dubium eſt. Si autem per filios Iſraël Apoſtolos ſignificemus, hoc ſic erit, intelligendum. Quia quod ipſi, in prædicationem, mundum in partes duodecim diuiſerunt, ſic eſſe futurum prius à Domino conſtitutum fuerat. Alia vero tranſlatio ſic habet. *Conſtituit terminos gentium, ſecundum numerum Angelorum Dei.* Vt tot ex E electis cœlos aſcendere intelligamus, quot malis inde ruentibus boni Angeli ibi remanſerunt. *Inuenit eum in terra deſerta in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis.* Quod eſt inuenit eum? niſi cognouit, atque probauit? Tunc enim aliquem ex toto inuenimus, quando eum qualis ſit manifeſtè cognoſcimus. Et quia in aduerſis homo cognoſcitur, merito eum in deſerto inueniſſe Dominus dicitur. Quamvis enim Dominus huic populo plurima bona Deus præſtiterit, multoties tamen, ſicut ſuperius legitur, eum tentauit: & ad iracundiam prouocauit. Ipſe autem è contra ſemper ei miſerebatur. Vnde ſubditur. *Circunduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.* Hoc eſt quod ſuperius dicitur. Sufficit vobis circuire montem iſtum. Et circuimus, inquit Moyſes, montem Seir longo tempore. Per quadraginta namque annos circumduxit eos Dominus per deſertum, donec illi omnes interirent, qui prius à viginti anni, & F ſupra numerati fuerant. Semper autem docuit qualiter ſe habere debuiſſent, & quaſi pupillam oculi eos cuſtodiuit. Qua in re maxima, perfectaque cuſtodia ſignificatur. Viſitata namque locutio eſt, vt eos, quos multum diligimus quaſi oculos noſtros diligere dicamus. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum: atque portauit in humeris ſuis.* Sic, inquit, Dominus ſemper filios Iſraël cuſtodiuit, & docuit ad iuſtitiam: & ad bonum opus prouocauit: ac ſuper eos in columna nubis & ignis volitauit: Sicut aquila ſuper pullos ſuos facere conſueuit. Metaphoricè loquitur, vt per hoc, & attentiſſima cura in illum populum fuiſſe demonſtretur. *Dominus ſolus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.* Stulte igitur loquebantur filij Iſraël, quando vitulum aureum adorantes dicebant. Iſti ſunt Dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum.* Iam nunc de futuris, quaſi de præteritis loquitur. Vocat au- G tem terram promiſſionis, terram excelſam, ſiue quia montuoſa eſt: ſiue quia aliis terris fœcunditate excellentior, & nobilior eſt: ſiue etiam quia terram viuentium ſignificat. Ibi autem potius comedebat fructus agrorum: quibus fructibus, & corpus, & anima replebatur. Agri enim ſunt iſti libri, quorum fructum nunc exponendo comedimus. Hunc autem qui bene comedit, ſuper excelſam terram conſtitutus eſt. Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Hoc videtur exponere pſalmiſta, vt ait. Dedit eis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. *Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant.* Hoc eſt enim. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram.* Quod eſt. *Dedit eis regiones gentium.* Et hoc eſt. *Comedere fructus agrorum; & ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Quod eſt *cuſtodire iuſtificationes eius, & legem eius exquirere.* Qui enim ſacras ſcripturas benè vult meditari, ab omni perturbatione eum oportet eſſe quietum. Ideoque filij Iſraël ſuper excelſam terram ſunt conſtituti, vt H neminem timentes, quiete viuerent, & populorum labores poſſiderent; quatenus omni cura ſemota Dei iuſtificationes, & legem eius exquirant. Quid enim aliud per petram, & ſaxum duriſſimum; niſi hanc legem intelligamus, quæ in tabulis lapideis ſcripta fuerat? De hac tamen petra, & de hoc ſaxo duriſſimo exſugimus, cuius dulcedine anima ſatiatur. Diuina namque ſcriptura, & cibus nobis eſt, & medicamentum. *Butirum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan. Et hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum.* Hæc ſecundum litteram vera ſunt. Percuſſerunt filij Iſraël Og Regem Baſan: & non ſolum armenta eius oues, & agnos, & arietes, verum etiam omnem eius terram poſſederunt. Poſſumus autem ſpiritualiter per armenta, & oues, & agnos, & arietes, omnem Patriarcharum, & Prophetarum multitudinem intelligere, qui quoniam de ſpiritualibus parentibus nati ſunt, non immerito dicuntur filij Baſan. Baſan enim pinguedo interpretatur. Dicuntur autem armenta propter multitudinem, oues, propter

A ſimplicitatem: propter innocentiam agni, & propter ducatum arietes. De his autem & butyrum,& lac,& adipem ſumimus quoniam eorum verbis & exemplis reficimur. Talis enim cibus dulcis eſt,& ſuauis. Sed quid per hircos, qui in omni ſacrificio pro peccatis immolantur, niſi Chriſtus intelligitur, pro peccatis noſtris immolatus, ſicut Apoſtolus ait. De peccato damnauit peccatum in carne. Iudæi ergo immolando, quodammodo Chriſtum manducabant in hircis: quem nos modo comedimus in medulla tritici. Bene igitur vtrumque poſuit, vt & noſtrum & illorum ſacrificium demonſtraret. Quod vero per ſanguinem vuæ meraciſſimum, Chriſti ſanguis ſignificetur ex eo maxime intelligi poteſt, quod eum non vinum, ſed ſanguinem vocat. Iam tunc ergo ille populus Chriſti carnem & ſanguinem in figura comedebant: quem nos modo in veritate comedimus. Ita vnde ille populus circa ſe tantam Dei largitatem, & benignitatem ſentiens melior, & Deo fidelior eſſe debuerat, inde in ſuperbia elatus, iniquior factus eſt, vnde & ſubditur. *In-* B *craſſatus eſt dilectus, & calcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus*. O mala pinguedo, quæ contra Deum recalcitrare facit. De hac dicitur. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Ipſa enim verborum inculcatio nimiam illorum, & ſuper abundantem iniquitatem oſtendit. *Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in Diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.* Hoc autem exponit. *Immolauerunt Dæmoniis, & non Deo: Diis quos ignorabant. Noui recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Plana ſunt, hæc, quæ quidem illum populum Idololatriæ deditum fuiſſe ſignificant, qui & vnum Deum factorem ſuum dereliquit: & nouos Deos coluit, quos eius parentes non coluerunt. *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Hoc vidit Dominus & ad iracundiam prouocatus concitatus eſt, quia prouocauerunt eum filij ſui: & filiæ.* Huic autem ſimile In pſalmis dicitur. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Quanto enim nobis C aliquis familiarior eſt, tanto, magis, ſi in aliquo offendat dolemus. Et ait. Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum. Quod ſeruis ſuis Dominus faciem ſuam abſcondit, ſeque ab eis videri non patitur, iræ, & indignationis indicium eſt. Ideoque Dauid rogat Dominum dicens, *Oſtende nobis faciem tuam & ſalui erimus.* Conſiderat autem nouiſſima eorum, quia quanto tempore in malis perſiſtunt, & quando ad bonum conuertuntur, quæ pœna eos in futurum expectet, intelligit. *Generatio enim peruerſa eſt & infideles filij. Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis. Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus. & in gente ſtulta irritabo eos.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret. Ipſi me prouocauerunt, irritauerunt, & ſpreuerunt. Et ego illos prouocabo, & irritabo, & ſpernam: ipſi adorauerunt pro Deo illum, qui non eſt Deus, & ego prouocabo eos recipiamque pro ipſis eum qui non eſt populus, vt vel ſic dolore tabeſcant, dum locum ſuum alios tenere, & bona ſua alios poſſidere D conſpexerint. Sed quomodo populus gentium non eſt populus? Quare autem ſi non eſt populus à Prophetis Populus dicitur? Apoſtolus dicit. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt perdat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* Sicut enim ea intelligimus, quæ non ſunt, ita eum intelligamus, qui non erat populus. Ea enim apud homines quaſi non eſſe dicuntur, quæ tam parua, & humilia ſunt, vt quodammodo non eſt videantur. Vnde etiam vſitata locutione illud quod paruipendimus, nihil eſſe dicere ſolemus. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit ad inferni nouiſſima. Deuorabitque, terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* In hoc igne omnia pœnarum genera ſignificari poſſunt; quibus, vel in hoc ſæculo, vel in futuro peccatores cruciantur. Quoniam illis iratus eſt Dominus. Ardet autem hic ignis vſque ad inferni nouiſſima, quoniam, vt ſcriptura teſtatur, inextinguibilis eſt. Deuorat autem terram cum

E germine ſuo, ſiue hic iuxta litteram, Ciuitates, & homines, ſiue etiam in inferno peccatores, eorumque filios, & ſequaces. Montium autem fundamenta diuitiæ ſunt, & honores in quibus potentes huius ſæculi confidunt, quibuſque eleuati ſuperbiunt. Et has quidem vltimus ignis, ſimul cum ſuis poſſeſſoribus comburet. *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Nam & in hac vita ſuper Iudæos multa mala, multaſque tribulationes congregauit Dominus: & in futuro quanta ſuper omnes iniquos congregaturus ſit, quid attinet dicere, Sagittæ autem complentur in eis, quia nulla reſtat omnium ſagittarum: nulla reſtat omnium pœnarum, quæ non ſæuiant ſuper eos. *Conſumentur fame.* Siue hic ab hoſtibus obſeſſi: ſiue etiam, vt ille diues, qui guttam aquæ à Lazaro petebat. *Et deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.* Hoc ſecundum litteram completum eſt: quoniam multoties eorum morticinia, & aues, & beſtiæ, & ſerpentes deuorauerunt, ſecundum illud. *Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli & carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ.* Allegorice autem aues ſerpen- F tes, beſtiæ maligni ſpiritus intelliguntur, qui præ nimia immanitate, iniquorum pœnis ſaturari non poſſunt. De quibus adhuc ſubditur. *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene.* Qui hoc non intelligit, legat Regum ſolue, & Machabæorum libros, ſi quis autem hæc de Iudæis, qui modo ſunt, intelligere velit, ſciat omnes à maiori, vſque ad minorem morti, & perditioni debitores? *Et dixi, vbi nam ſunt. Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Ac ſi dicat. Qui modo læti, & exultantes omnes Iudææ ciuitates repleuerant, vbi nunc ſunt vtique in captiuitate, & vbique terrarum diſperſi. Hoc modo ſuperius dixerat. *Et conſiderabo nouiſſima eorum.* Dicendo enim vbi nam ſunt: eorum nouiſſima conſiderat. Ceſſauit autem ex hominibus memoria eorum, quoniam qui prius inter homines nominatiſſimi fuerant. iam nunc nulla memoria, & nulla bona fama digni habentur. *Sed propter iram inimico-* G *rum diſtuli, ne forte ſuperbirent hoſtes eorum. Et dicerent. Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Prius hoc illis accidiſſet: ſed diſtulit Deus, vt eorum inimici intelligerent, quod inſuperabiles eſſent, ſi à Deo non receſſiſſent: At per hoc, quando eorum inimici eos ſuperarent, non ſua fortitudine hoc fieri intelligerent: Sed Dei indignatione, qui ab eis iratus receſſerat. Hucuſque Dominus: nunc autem loquitur Moyſes. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent: & intelligerent, & nouiſſima prouiderent.* Non enim periiſſent, ſi in legis, & Prophetarum conſilium ſapienter credidiſſent. Denique ſi nouiſſima prouidiſſent, & quæ, & quanta pro ſuis iniquitatibus paſſuri erant, præſciuiſſent, & intellexiſſent, ea forſan non egiſſent. *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Cognoſce inquit, popule ſtulte, & inſipiens, quia non tua, ſed Dei fortitudine, quanto tempore cum H eo fuiſti, infinitam hominum multitudinem cum paucis ſuperaſti. Hoc autem ideo fiebat, quia Iudæorum Deus omnes eorum inimicos in ſeruos eis vendebat. Qui enim Deo fideliter ſeruiunt, quodammodo eius beneficia ſub ſeruitio emunt. Si autem Deus ſuus Deus gentium dicatur, hoc erit intelligendum, Quod maligni ſpiritus ſuos fideles decipiant, & vendant, In magnum ſibi pretium computantes, ſi eos in æternum cruciandi poteſtatem à Deo ſuſcipiant, *Non enim eſt Deus noſter vt Dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Hoc, inquit, inimici noſtri teſtantur, quia Deus noſter maior omnibus eſt, Hucuſque Moyſes: nunc autem Dominus, quod cœpit exequitur. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorræ. Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum vinum eorum & venenum aſpidum inſanabile.* Merito, inquit, ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum ſicut ceſſauit memoria Sodomorum, ex quibus iſti iniqua imitatione originem ducunt. Vinea enim

A id eſt Iudæorum gens & propago, Sodomorum, & Gomorreorum vineam & gentem malis moribus, & iniqua conuerſatione imitabatur, quaſi alterius vineæ naturam vinea ſequitur, ex ea paſtinata, Huius autem vuæ & botri fellei, & amariſſimi ſunt. Huius vinum fel Draconum, & venenum aſpidum eſt. Quoniam omnis Iudæorum doctrina amara mortifera, & inſanabilis eſt. *Nonne hæc condita ſunt apud me & ſignata in theſauris meis?* Non ſum inquit, oblitus, firmiter in theſauris memoriæ teneo ea, quæ gens iſta contra me ſemper operata eſt. Mea eſt vltio? mihi vindicta. Et, ego retribuam eis in tempore, huic vltioni prædeſtinato. Vt labatur pes eorum. Ne vel ſtare, vel fugere, vel reſiſtere valeant. Hoc autem cito. *Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.* Iterum autem Moyſes loquitur. Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur. Ac ſi dicat. Vere prope eſt dies perditionis, ſed non timeant boni, quia Dominus iuſtus Iudex iudicabit populum ſuum, & iudicando miſerebitur ſeruorum ſuorum. Quid B eſt iudicabit, niſi à malis ſeparabit? Hac enim ſignificatione dicitur. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam.* Videbit quod infirmata ſit manus. Quid eſt videbit? Numquid & modo nos videt? Videbit igitur, id eſt videri faciet, quod manus, & virtus illorum infirmata ſit, qui prius alios potenter affligebant, & ſicut duo ex illis ante fugabant decem millia, ita modo decem millia fugabuntur à duobus. *Et clauſi quoque defecerunt, reſiduique, conſumpti ſunt.* Quia capta ciuitate, aut trucidati aut venditi ſunt. Et tunc tandem ſe peccaſſe, & fruſtra Deos coluiſſe, & dæmonia adoraſſe, & de eorum victimis in vanum ſe comediſſe diſcent. Hoc eſt enim quod ait. *Et dicit. Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam.* De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. Hoc autem illi dixerunt: illos autem Dominus irridens ait. Surgant modo, ſi poſſunt, Dij veſtri. Et opitulentur vobis, & in hac tanta neceſſitate vos protegant quod quia non poſſunt, videte cognoſcite, & nunc tandem intelligite, quod ſolus. *Ego ſum Deus, & non eſt*
C *alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam.* Ipſo enim viuente, moriuntur omnes, ipſo vocante, reſurgunt omnes. Percutiam, & ego ſanabo Repoſitio eſt. *Et non eſt qui de manu mea poſſit eruere. Leuabo ad cœlum manum meam & dicam Viuo ego in æternum.* Quando Saluator noſter eleuatis manibus ſublatus eſt in cœlum, oſtendit ſe viuere in æternum. Nemo enim ibi moritur, quo ipſe viuens aſcendit. *Si acuero vt fulgur gladium meum.* Per quem æternam damnationem intelligimus. Et arripuerint, iudicium manus meæ. Faciam quod ſequitur. *Reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Hoc autem erit in iudicio, quando reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* In hoc omnium tormentorum genera non ſolum venire, ſed etiam ſemper manere ſuper iniquos deſignat, De cruore occiſorum inebriabitur; ſubauditur, gladius meus. Inebriabitur quoque de captiuitate nudati inimicorum capitis. Omnium iniquorum caput Diabolus eſt. Qui tunc nudus erit, quo-
D niam omnis eius fraus, & iniquitas omnibus reuelabitur. Huius autem captiuitas illi ſunt, quicumque ab eo capti & decepti ſunt. De his ergo inebriabitur gladius Dei. *Laudate gentes populum eius.* Sicut mali, de quibus vſque modo locutus eſt, digni ſunt, qui laudentur. Sed dicet aliquis quomodo tu nos illum populum laudare præcipis, quem Dominus deſpectui habens, occidi permiſit? Ad quod ipſe. Quia ſanguinem, inquit, *ſeruorum vlciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum, & propitius erit terra populi ſui.* Quod quidem non faceret, ſi eos deſpectui habuiſſet. Terram autem carnem dicit, quæ poſt reſurrectionem glorificata, æternæ beatitudini ſociabitur.

CAPVT XXXIII.

H*Æc eſt benedictio, qua benedixit Moiſes homo Dei filiis Iſraël ante mortem ſuam* Et ait; *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte*
E *Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.* Hæc ad litteram non procedunt. Recordemur ergo illius capituli, vbi dicitur: *Si ambulans per viam, nidum in arbore, vel in terra inueneris, & auem pullis, vel ouis deſuper incumbentem, dimitte auem, captos tenens filios, vt bonum ſit tibi, & longo viuas tempore.* Et nos ergo dimittamus auem iſtam, & filios teneamus. Hæc auis littera eſt, quæ ſub alarum velamine pullos, & oua, id eſt ſpiritualem ſenſum claudit. Quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora vero in terra nidificat. Per huius igitur voluminis viam ambulantes, huius auis nidum in arbore, id eſt in loco difficili, & alto inuenimus. Dimittamus ergo auem, immo hinc eam auolare cogamus, vt pullos eius, id eſt ſpiritualem intelligentiam teneamus. Quod ſi fecerimus, bene nobis erit, & longo viuemus tempore. Times mori? Dimitte litteram, quæ occidit. Vis viuere? Tene litteræ filios, id eſt intellectum ſpiritualem. Spiritus enim viuificat. Expulſa igitur littera, videamus quid per iſtos tres montes, id eſt Sina, Seir, &
F Pharan ſignificetur. Ego enim per hos, legem, & Prophetas, & Euangelia ſignificari puto. Vt per Sina, vbi lex data eſt, ſignificentur hi quinque libri Moiſis, per Seir vero, qui hiſpidus interpretatur, intelliguntur Prophetæ, ad exponendum duri: Euangelia autem ſignificentur per Pharan, qui frugifer dicitur, quoniam in illum ſemen, ſicut ſemen Euangelij, fructificauit. *Venit* ergo *Dominus de Sina*, quia eius aduentus primum in lege inuenitur. *Oritur in Seir*, quia eius natiuitas in Prophetis manifeſtatur, *apparet in monte Pharan*, quia in Euangeliis auditur, & per miracula declaratur. Venit autem non ſolus, ſed *cum eo ſanctorum millia. In dextera eius ignea lex*, qua & peccata vruntur, & mentes illuminantur. *Dilexit populos* ſecundum illud. *Qui dilexit & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Omnes ſancti in manu illius ſunt.* Quare in manu? Quia ipſe eos regit, ipſe eos tenet, & vagari non permittit. *Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Hoc bene Maria ſoror Lazari intellexit. Et etiam per pedes eius Apoſtoli intelliguntur,
G qui eius doctrinam ſeminauerunt vbique. *Legem præcipit nobis Moiſes.* Non vtique aliam, niſi eam quam accepit de doctrina eius, quoniam & ipſe appropinquauit. Sic autem de ſe, quaſi de alio loquitur. *Hæreditatem multitudinis Iacob.* Hæc enim omni hæreditate melior eis fuerat, ſi tamen eam intellexiſſent, quam nulli hoſtes eius extorquere potuerunt. *Erit apud rectiſſimum Rex, congregatis principibus populi cum tribubus Iſraël.* Ac ſi dicat. Hic Dominus, & Rex, veniens de Sina, in terris quidem cum hominibus conuerſabitur, ſed à Patre non ſeparabitur. Erit enim ſemper Rectiſſimus apud Rectiſſimum de quo alibi dicitur: *Et Verbum erat apud Deum.* Principes autem populi cum tribubus Iſraël congregati erant, quando ſimul cum diſcipulis ſuis in Iudæa prædicabat. *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.* Quid per Ruben, qui primogenitus fuerat, niſi eos intelligimus, qui primi in illo populo vitam ſecuti, Chriſto crediderunt? Iſti viuent
H in æternum, & non ſicut cæteri morientur. Sed parui ſunt numero, quamuis magni ſint virtutibus, & ſanctitate. Semper enim *multi ſunt vocati, pauci vero electi. Hæc eſt Iudæ benedictio. Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum ſuum introduc eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduerſarios eius erit.* Per Iudam Chriſtum intelligamus, qui ſecundum carnem de ſtirpe illius natus eſt. Cuius vocem ſemper Dominus exaudit, ſecundum quod ipſe ait: *Ego autem ſciebam quod ſemper me audis.* Introduxit autem eum Dominus ad populum ſuum, quia prius in hunc mundum, vt nos vocaret, deinde in infernum, vt liberaret, poſtea vero in cœlum, vt exaltaret nos, introiuit. Pugnauit autem Dominus pro eo, cuius manibus & fortitudini nemo reſiſtere valet. Et ipſe adiutor illius fuit contra aduerſarios eius, per quos & Iudæi, & maligni ſpiritus intelliguntur. *Leui quoque ait. Perfectio tua, & doctrina tua à viro ſancto tuo, quem probaſti in tentationem, & iudicaſti ad aquas contradictionis.* Perfectio tua, inquit, ô

Deus

A Deus, & doctrina tua, detur, & confirmetur viro ſancto tuo. Id eſt huic ordini ſacerdotali, ne forte iterum tentatus ſuccumbat. Sed perfectus, & ſapiens in omnibus perſeueret. Hoc autem dicit propter ſe, & Aaron, qui minus perfecti ad aquas contradictionis inuenti ſunt. Quando filij Iſraël murmurantes, tentauerunt Deum. Nota, quod in principio locutionis ſe ipſum accuſat. *Sapiens enim in principio accuſator eſt ſui.* *Qui dixit patri ſuo, & matri ſua: Neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro illos. Et neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Iudicia tua, ò Iacob, & legem tuam, ò Iſraël, ponent thimiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum.* Hoc eſt quod in Exodo legitur: *Quia præcepit Moyſes filiis Leui, & tranſeuntes nemini pepercerunt.* Horum igitur exemplo, Domini Sacerdotes gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, euaginantes, nulli delinquenti parcere diſcant, Dei amorem omni amori anteponant. Et iſti quidem eloquium, & pactum Dei, & iudicia, & legem Iſraël cuſtodierunt, B eos occidentes, qui vitulum aureum adorauerunt. Sic enim in hac lege Dei, & noſtra iudicatum eſt, vt quicunque alium Deum adorauerit, vel ei immolauerit, moriatur. Ponunt autem thimiama in furore Dei, quia ſuis orationibus iram Dei placant, tanquam ſuauiſſimo thimiamatum odore. Hoc & Aaron feciſſe legitur, qui accepto thuribulo, flammæ ſe oppoſuit, quæ iam extrema caſtrorum deuorauerat. Ponunt quoque holocauſtum ſuper altare, ſacrificium laudis, & oblationis in Eccleſia prædicantes. Benedic fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius, & qui oderunt eum, non conſurgant: O ſi hæc intelligerent illi, qui Dei Sacerdotibus tantum aduerſantur. Quia quantum ſacerdotes benedicuntur, tantum eorum inimici maledicuntur. *Et Beniamin ait. Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Quis eſt iſte amantiſſimus Domini? Beatus vtique Paulus, de tribu Beniamin originem ducens. Sed qualem hunc eſſe putaC mus, qui amantiſſimus Domini vocatur? Videamus modo qualiter Deum amat, cuius dicitur amantiſſimus. Ipſe dicit: *Si quis non amat Dominum Ieſum Chr ſtum anathema ſit.* Vis etiam videre, quam confidenter in hoc idem habitat? *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Principatus, neque Poteſtates, neque aliqua creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Et in eo quidem quaſi in ſuauiſſimo thalamo requieſcit Chriſtus, de quo ipſe ait. *An experimentum eius quæritis, qui in me loqu tur Chriſtus. Et inter humeros illius requieſcit.* Talem equum talem habere ſeſſorem. *Ioſeph quoque ait. De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli & rore, atque abiſſo ſubiacente. De pomis fructuum Solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius benedictio illius. Qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi.* Quid per Ioſeph, qui accreſcens interpretatur, niſi populum Chriſtianum D intelligimus? Qui paruo tempore creſcens, & multiplicans, mundum repleuit? Huius autem terra benedictione Domini perfunditur, quia ſtatim à principio eius, caro, quæ de terra ſumpta, primi hominis maledictione tenebatur, in baptiſmo benedicitur, & ſanctificatur. Deinde vero populus iſte fœcundatur, & ſatiatur de pomis cœli & rore, id eſt Apoſtolorum verbis, & doctrina, atque de abiſſo ſubiacente, id eſt de alta, & profunda Sanctarum Scripturarum intelligentia, & de pomis fructuum Solis & Lunæ, per quos dulciſſimos Chriſti, & Eccleſiæ ſermones intelligimus, quibus interior homo noſter reficitur. Et de vertice antiquorum montium, id eſt de ſublimi, & ſpirituali intelligentia Prophetarum. Et de pomis collium æternorum, per quæ ſignificantur dulciſſima verba Apoſtolorum. De frugibus terræ, & de plenitudine eius. Quæ ſi de terra viuentium intelligantur, magnæ, & immenſæ diuitiæ ei promittuntur. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt.* Sed quis eſt ille, qui in rubo apparuit? cuius be-

E nedictio ſuper caput & verticem huius venire imprecatur? Si enim rubus ille Virginem Mariam ſignificauit, profecto Chriſtus eſt, qui in rubo apparuit. Bene autem populus iſte Nazaræus dicitur, vtpote Domino ab infantia conſecratus *inter fratres ſuos. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius. In ipſis ventilabit Gentes vſque ad terminos terræ. Hæ ſunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manaſſe.* Omnes enim ſecundum creationem fratres ſumus, quoniam ex eiſdem parentibus nati ſumus. Chriſtianus tamen populus inter omnes fratres ſuos pulcherrimus eſt, quia ipſe ſolus aqua baptiſmatis regeneratus, & ſuper niuem dealbatus eſt. Qui bene tauro primogenito comparatur, vtpote maior, & fortior, cæteriſque omnibus ad laborandum aptior. Sunt vero cornua illius inſuperabilia, quaſi cornua rhinocerotis, quoniam nihil eis reſiſtere poteſt. Non autem ſine cauſa pluraliter cornua poſuit, cum non niſi vnum cornu habeat rhinoceros, vnde & Latinis vnicornis dicitur. Duo F namque cornua duo ſunt teſtamenta, quæ populus iſte dupliciter intelligens, omnium Gentium errores ſuperat, & vanitates. In ipſis enim ventilat Gentes, in ipſis concludit Philoſophos, in ipſis vincit Iudæos: in ipſis prædicat, & conuertit omnes mundi terminos. Diuiditur autem populus iſte in Ephraim & Manaſſe, per quos & Iudæos, & Gentiles ſignificare poſſumus, quorum alter fructificans, alter obliuio interpretatur. Quæ vtraque ſatis conuenienter conueniunt ſanctis, qui & bona fructificant, & iniuriarum ſuarum omnium obliuiſcuntur. *Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſachar in tabernaculis tuis. Populos ad montem vocabunt. Ibi immolabunt victimas iuſtitiæ. Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.* Quid per Zabulon, qui habitaculum interpretatur fortitudinis, & per Iſachar, qui aſinus fortis alibi vocatur, niſi Sancti Eccleſiæ Doctores ſignificantur. Iſti enim quaſi turres, inexpugnabile ſunt habitaculum. Iſti quaſi fortes aſini, aliorum onera ferunt. Lætatur igitur Zabulon in exitu ſuo, quia ſentiens ſe Dei fortitudine munitum, ſecurus ad pugnam exit contra hoG ſtes, ex quibus magnis ſpoliis onuſtus redit. Lætatur & Iſachar in tabernaculis ſuis, nullo præ lætitiæ pondere grauatus, cum tot quotidie animas offerat Deo. Vocant autem populos ad montem dicentes cum Propheta: *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Hoc enim faciunt, quando ad fidem, & ad Eccleſiam Gentes inuitant. Et ibi quidem immolant victimas iuſtitiæ. Id eſt ſacrificium laudis, & oblationis. Sugunt autem inundationes maris quaſi lac. Siue quia mundi iniurias, & aduerſitates pro Deo libenter ferunt, ſiue quia legis huius doctrinam, quæ aliis amara, & impotabilis eſſe videtur, ſpirituali intelligentia, quaſi lac bibere gaudent. De qua ſubditur. *Et theſauros abſconditos arenarum.* Sicut enim aurum in arena, ita & ſpiritualis intelligentia in littera inuenitur. *Et ad Gad ait. Benedictus in latitudine Gad. Quaſi Leo requieuit cœpitque brachium & verticem. Et vidit Principatum tuum, quod in parte ſua Doctor eſſet repoſitus, qui fuit cum Principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, iudicium ſuum cum Iſraël.* Hunc & Iacob beneH dicens ait. *Gad accinctus præliabitur ante eum.* Quid per Gad niſi Apoſtolos intelligimus? Qui gladio accincti ſpiritus, prima acie bella geſſerunt? Illi autem in latitudine benedicuntur, ſiue quia in mundi latitudinem prædicare mittuntur. *In omnem enim terram exiuit ſonus eorum.* Et illi quidem quamuis à pluribus inimicis vndique inuadantur, ſecuri tamen vt Leo requieſcunt, de quo ſcriptum eſt. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Ceperunt autem brachium, & verticem. Omnem videlicet mundi fortitudinem, & ſublimitatem ſibi ſubiugantes. Ipſi enim Romam, quæ mundi caput eſt, ſuperauerunt, ipſi eius brachia, id eſt Imperatores, & Principes ad fidem conuerterunt. In iſtorum auté parte, & principatu Doctor eſt repoſitus, quia in eorũ cordibus lex & Chriſtus, id eſt Legis, & Euangeliorũ repoſita eſt doctrina. Doctoré igitur habent in corde, ſicut Dominus ait. *Non enim vos eſtis, qui loquimini: ſed Spiritus Sanctus qui habitat in vobis.* Et ille quidem Doctor cum principibus populi fuit, quia

ipſa quoque præſentia corporis, ad tempus cum Apoſtolis conuerſatus eſt,& iuſtitiam, ac iudicia in Iudæa operatus eſt. *Dan quoque ait. Dan catulus leonis fluet largiter de Baſan.* De huius namque ſtirpe fuit Samſon, de hac erit & Antichriſtus. Vterque autem catulus leonis, quia vterque fortis, alter debellando malos, alter perſequendo bonos. Vnde & largiter fluere dicuntur, quia cum magna fortitudine in bella ruunt. Baſan autem, qui pinguedo interpretatur, terram Iuda ſignificat, quæ omni terra pinguior, & fertilior eſſe perhibetur. Ex hac autem vterque eorum procedit. *Et Nephtali dixit. Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini mane,& meridiem poſſidebit.* Interpretatur Nephtali latitudo, per quem eos intelligimus, qui charitatis amore dilatati, nemini manus claudunt, ſed in faciendis eleemoſynis ſemper eas apertas habent. Meritò igitur abundantia perfruuntur, qui bona ſua aliis libenter largiuntur. Talibus autem in Iudicio dicturus eſt Dominus. *Venite benedicti Patris mei,quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui,& dediſtis mihi bibere, &c.* Iſti autem mane,& meridiem poſſidebunt,quia numquam ad occaſum mortis declinabunt. Mane ergo, & meridiem poſſidere eſt, lucem æternam hæreditare. *Aſer quoque ait. Benedictus in filiis Aſer. Sit placens fratribus ſuis, & tinget in oleo pedem ſuum. Ferrum, & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi, aſcenſor cœli auxiliator tuus.* Quid per Aſer, qui Beatus interpretatur, niſi Chriſtianorum populus figuratur, qui ſolus æterna beatitudine perfruetur? Hic autem in filiis benedicitur, quoniam infideles, etſi filij ſunt, quia boni à Deo creati ſunt,benedictione tamen paterna digni non ſunt.Placet autem fratribus ſuis,per quos Angelos intelligimus. Tingit in oleo pedem ſuum,quia miſericordiæ per viam graditur.Et ferro, & ære calceatur, quia poteſtatem à Deo accepit calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones.Talis poteſtas calceamentum ferreum, & æneum eſt. Quod autem eius iuuentus,& ſenectus ſimilis dicitur,eius gloria,& beatitudo immutabilis demonſtratur. *Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi.* Admiratio eſt in laudem Creatoris, qui ex tam iniquis parentibus,& ex adeo fragili materia, ad tantam rectitudinem populum iſtum, ſecundum ſuam voluntatem conuertit. Huius auxiliator Aſcenſor cœli eſt. Chriſtus videlicet Dominus noſter, qui aſcendit ſuper omnes cœlos. Ipſe enim ait. *Non vos deſeram, neque derelinquam.* Itemque. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Magnificentia eius diſcurrunt nubes,habitaculum eius ſurſum,& ſubter brachia ſempiterna. Eijciet à facie tua inimicum, & dicet:Contere.* Hoc ſecundum litteram mirabile eſt,quod nubes plouiis oneratas,diſcurrere,aquas ferre, eaſque ordinate nunc effundere,& nunc tenere videmus. Noſtræ quoque nubes, Apoſtoli videlicet & Doctores,aquis ſpiritualibus,& doctrina Euangelij pleni,eius virtute & magnitudine diſcurrunt,& noſtræ mentis agrum inebriant, variiſque virtutum fructibus fertilem faciunt. Eſt autem habitaculum eius ſurſum, quoniam in cœlo ſedes eius. Subter autem ſunt & brachia ſempiterna:quoniam eius virtus & fortitudo ſuos fideles hic defendere,& tenere non conſtat.Ideoque eijcit à facie noſtra inimicum:Diabolum videlicet, de quo dicitur. *Inimicus veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Cui dicit: *Contere.* Dicere autem Dei facere eſt. *Ipſe enim dixit,& facta ſunt.* Hoc eſt quod Apoſtolus ait. *Dominus conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter. Habitabis Iſraël confidenter & ſolus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cœlique caligabunt rore.* Hoc & Propheta dicit. *Saluabitur Iuda,& Iſraël habitabit confidenter.* Interpretatur enim Iſraël, vir videns Dominum. Hic autem eſt populus fidelis, qui & nunc mentis intuitu eum videt,& poſtea facie ad faciem videbit. Sed quomodo confidenter vbicunque non habiter, qui ſemper in Dei protectione confidens,ait. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo?* Erit ſolus oculus Iacob in terra frumenti,& vini. Idem eſt Iacob qui Iſraël:dictum eſt alibi quid Iſraël ſignificet.Iacob hoc in loco carnalem populum Iudæorum deſignat. Dolet ergo Moyſes,quod alios populos cœlum,& ſpiritualia intueri videt. Iudæos autem ſolum tranſitoria appetere cernit, nihilque aliud deſiderare, niſi frumentum & vinum,in quibus omnia carnalia,& corpus fouentia intelliguntur. Hoc autem vitium quamuis in multis aliis inueniatur,ſolis tamen Iudæis attribuitur,quoniam plus cæteris dominatur in eis. *Cœlique caligabunt rore.* Et hoc ipſum ad eorum iniquitatis & auaritiæ cumulum dici videtur,qui quamuis cœlum rore caligare videant, ſola tamen terrena aſpiciunt. Ipſe Dominus ait: *Niſi ego veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccatis ſuis.* Cœlos rore caligare,& nubibus operiri viderunt,cum Apoſtolos prædicare,& ſpiritualis doctrinæ pluuias effundere ſenſerunt. Veruntamen ad terram oculos deprimentes,ſurſum eos erigere non curauerunt. Nulla ergo eis excuſatio reſtat. *Beatus es tu Iſraël,quis ſimilis tui popule qui ſaluaris in Domino.Scutum auxilij tui,& gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Miſer, inquit,Iacob,cuius oculus ſolam terram reſpicit.Tu vero Iſraël Beatus, qui ſecundum tui nominis interpretationem,oculos erigens Deum contemplaris.Quis ſimilis tui, ô popule Chriſtianorum, quem Iſraël ſignificat,qui ſaluatis in Domino? In quo Domino? In eo vtique, qui ait. *Vos vocatis me Magiſter & Domine. Et bene dicitis. Sum etenim.* Sicut autem huius populi ſimilem Dominus non habet, ita & populus ipſe ſimilem non habebit. Scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ Chriſtus eſt. Ipſe, inquit, te protegit. Ipſe te defendit. Ipſe pro te pugnat. Ipſe tuos proſternit inimicos. Ipſe & ſcutum tibi, & gladius eſt,cuius fortitudine gloriaris, omnes ſuperans inimicos. Nunc autem ad ipſum conuertitur, & ei ſic loquitur dicens. *Negabunt te, ô Chriſte, inimici tui,& tu eorum colla calcabis.* Quamuis enim ſis fortis & potens, quamuis ſis Dominus virtutum, & Rex gloriæ, te tamen Iudæi negare non timebunt, dicentes: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Et: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Et: *Non hunc, ſed Barabbam.* Sed tu, ô Chriſte, eorum colla calcabis, & eorum ſuperbiam humiliabis.

CAPVT XXXIV.

ASCendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo in verticem Phaſga, contra Hiericho, & oſtendit ei Dominus omnem terram promiſſionis, dicens:Hæc eſt terra, pro qua iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob dicens:Semini tuo dabo eam:Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Dei in terra Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra Phogor. Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. Quid eſt quod Moyſes ſeruus Dei,qui in omni domo ſua fideliſſimus fuit,qui facie ad faciem cum Deo loquebatur, & quem Dominus nouerat ex nomine propter vnum peccatum,terram promiſſionis intrare non permittitur? Moyſes legiſlator,cui in nebula & caligine lex data eſt,hoc in loco eos ſignificat,qui tantum ſecundum litteram legem intelligunt. Caligine enim obuoluti,id ipſum quod legunt, videre non poſſunt. *Vſque hodie namque, dicit Apoſtolus, dum legitur Moyſes,velamen poſitum eſt ante faciem illorum.* Vnde & merito ibi Moyſes tantummodo incredulus inuenitur, vbi incredulum populum ſignificauit. Venit enim ad petram, & dubitauit: quoniam ipſe non ibi erat, ſed populus incredulus, qui tunc in eo ſignificabatur. Hæc igitur ſignificatio fuit cauſa vt dubitaret. Quid hæc petra niſi legem ſignificat, in petra ſcriptam, in lapidibus datam, duro & incredulo populo attributam? Venit & tunc Moyſes ad petram: venit vſque hodie incredulus populus ad legem. Putat eſſe ſiccam, putat eſſe ſine aqua, quia non videt ibi intelligentiam ſpiritualem. Percutit eam ſemel, non egreditur aqua. Semel percutit, quia ſolam litteram pronunciat, & intelligit. Percute iterum, ô Iudæe, & habebis aquam. Intellige ſpiritualiter, ne ſiti moriaris. Nam & Moyſes in prima percuſſione nihil habuit. Quare hoc?

Quia

A Quia adhuc incredulus erat, & hanc vnam increduli populi percuſſionem ſignificabat. Redit fides. Percutit iterum, & egrediuntur aquæ largiſſimæ. Crede & tu, & habebis aquas. Et non tantum hoc: ſed quod melius eſt, non terram promiſſionis, quæ toties captiuatur, verum terram viuentium intrabis, quæ in omni ſecuritate lætatur. Hoc enim accidit Moyſi: qui illius terræ habuit habitationem pro nihilo ducens, ad gloriam melioris terræ tranſlatus eſt. Monitio ergo eſt, non indignatio, quod ei à Domino dicitur: Vidiſti eam oculis tuis, & non intrabis ad illam, quia ad meliorem tranſiturus es. Per hoc autem ſignificatur: Quod quicunque ad litteram hanc legem intelligunt, vident quidem ibi cœleſtis patriæ diuitias, gloriam, & iucunditatem, ad eam tamen tranſire non poterunt. Voluit autem Dominus ſepulchrum Moyſi eſſe occultum, ne ad litteræ vetuſtatem reuertamur, quæ per Moyſen ſignificatur: ſed ſpiritum viuificantem ſequamur, vt in æternum viuamus. Quod nobis præſtare B dignetur ipſe, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

INCIPIT EXPOSITIO Sancti Brunonis Epiſcopi Signienſis ſuper Pſalterium.

ILLE bene, & ſapienter iudicare poteſt, qui prius diligenter cauſam examinat. Vnde & Propheta iſte nobiliſſimus cum dixiſſet. *Iudica me Deus*, confeſtim ſubdidit, dicens: *Cauſam meam.* Hoc autem tale eſt ac ſi diceret, non fugio iudicium, ſi prius cauſa mea diligenter examinata fuerit. Qui vero aliter hoc agere præſumit, multoties ea laudat, quæ iure lau-G danda non ſunt, & ea reprehendit, quæ iure reprehendenda non ſunt. Hoc autem peccatum quam magnum ſit, Propheta oſtendit, vbi ait: *Væ, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Cum adhuc adoleſcentulus eſſem, expoſui Pſalterium ſecundum aliam tranſlationem, quæ videlicet tranſlatis pluribus in locis tantum differt ab hac tranſlatione, qua Romana Eccleſia vtitur, vt nullo modo ſecundum illius expoſitionem hæc tranſlatio intelligi poſſit. Et illa quidem multos habet expoſitores hanc autem, ſi aliquis expoſuerit, neſcio. Rogatus igitur ab amicis meis, & præcipuè à Peregrino venerabili Abbate, dedi operam, vt hæc quoque, ſicut & illa, propriam haberet expoſitionem. Quam qui totam ex ordine diligenter legerit, ſcio quia non iudicabit eſſe ſuperfluam, facileque intelligere poterit, quanta diſtantia ſit inter primam, & hanc ſecundam expoſitionem. Non enim dicere erubeſco, quod B. Paulus Apoſtolus, & magiſter gentium dicere D non erubuit: *Cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Nulli iniuriam facit, qui ſibi ipſi ſe ipſum præfert. Et illa quidem expoſitio valde compendioſa eſt: ſed hæc melior mihi eſſe videtur. Non curaui vnius rei multas ponere ſententias: ſed illa mihi ſufficere viſa eſt, quæ ſuperioribus, & inferioribus conuenienter continuari poſſit. Habent enim hoc Prophetarum dicta, vt multis modis ſeparatim intelligi poſſint. Vnde multa exempla dare potuiſſem, ſi hoc neceſſarium eſſe cognoſcerem. Nullum titulum dereliqui, omnes poſui, & expoſui, qui quidem ad pſalmos intelligendos valde mihi neceſſarij eſſe videntur. Illud ſuper omnia memoriæ commendandum eſſe confirmo, quod toties nobis Propheta dicit, & quaſi obliuioſis & non obedientibus, toties præcipit canticum nouum ſemper cantare, ſemper pſallere, & iubilare, die noctuque in Dei laudibus perſeuerare, & in Saluatoris noſtri ineffabili miſericordia fideliter, firmiterque ſperare. Canticum vero nouum cantare eſt legis, & Propheta-E rum verba non ſecundum litteræ vetuſtatem annunciare, ſed ſecundum ſpiritualem intelligentiam exponere, & prædicare. Vnde Apoſtolus ait: *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Hinc quoq; in Apocalypſi Ioannis Apoſtoli dicitur: *Ecce noua facio omnia*, quoniam ſpiritualiter intellecta noua fiunt omnia.

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.

Pſalmus iſte non habet titulum, ſed ipſe non ſolum Pſalmorum, verum etiam omnium Sanctarum Scripturarum titulus quodammodo eſſe videtur. Titulus enim ad hoc ponitur, vt breuiter nobis inſinuet, quid in ſequenti ſcriptura quærere, & intelligere debeamus. Et hoc quidem agit iſte pſalmus, qui ſtatim in ipſo ſuo principio docet nos beatitudinem quærere, ac per hoc declinare à malo, & facere bonum. Hoc eſt enim ad quod tendit omnis homo, & ad quod peruenire deſiderat, neque eſt aliquis, qui beatus eſſe non cupiat. Peruerſi tamen homines dum in hac vita beatitudinem quærunt, F neque in hac, neque in alia eam habebunt. Quam vtique habuiſſent, ſi huius pſalmi conſilio credidiſſent, & declinare à malo, & bona facere voluiſſent. Qui igitur beatus eſſe deſiderat, non abeat in conſilio impiorum, non ſtet in via peccatorum, neque in cathedra peſtilentiæ ſedeat. Si conſilium impiorum audiſti, fuge illud, & noli ire in eo. Quid eſt enim ire in eo, niſi illud facere, & manere in eo? Si viam peccatorum intraſti, noli ibi ſtare, ſed recede ab ea. Si cathedram peſtilentiæ aſcendiſti, deſcende citò, & nihil ibi iudices, nihil doceas in ea. Non peccare enim impoſſibile eſt: in peccato vero perſeuerare iniquiſſimum eſt. *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Peccatores igitur ſunt, qui in hoc pſalmo ad beatitudinem inuitantur. Ad quam illi ſoli poterunt peruenire, qui quamuis peccabunt, in peccatis tamen non perſeuerabunt. Et hoc quidem ſignificat non ire, non ſtare, & non ſedere. Sola igitur perſeuerantia in maG lo facit impedimentum ad beatitudinem, & hoc ſolum peccatum eſt, quod non dimittitur hominibus neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Ecce docuit nos Propheta, quid vir iuſtus, & ad beatitudinem feſtinans fugere debeat. Nunc autem audiamus quid eum agere oporteat, non enim ſufficit nobis declinare à malo, niſi & bona faciamus. Sed prius mala pellenda ſunt, quia terra prius purganda eſt, quam plantanda, vel ſeminanda.

Sed in lege Domini fuit voluntas eius.

Quicquid vtrumque Teſtamentum facere, vel non facere iubet, lex Domini eſt. Non poteſt itaque vir iuſtus manere in conſilio impiorum, neque ſtare in via peccatorum, neque in cathedra peſtilentiæ ſedere, cuius voluntas & deſiderium eſt legem Domini adimplere. Quod ait *fuit*, non ſic accipias, quaſi iam ceſſauerit, audi quod ſequitur.

Et in lege eius meditabitur die ac nocte.

Quid eſt die ac nocte? Omni tempore in proſperis, & aduerſis, & proſpera enim & aduerſa à lege Domini, H & à cuſtodia mandatorum eius maximè miſeros homines ſeparare ſolent. Venit quidam adoleſcens ad Dominum, qui in proſperis erat, multaſque pecunias poſſidebat: Qui cum eum interrogaret, quomodo ad vitam æternam peruenire poſſet: Cumque ei Dominus diceret, vt omnia venderet, & pauperibus erogaret, ſicut ſcriptum eſt, triſtis abiit, quia multas habebat poſſeſſiones. Sic igitur proſpera ſeparant homines à Deo, & à lege Dei. De aduerſis autem facilè intelligitur, cum Dominus dicat, etiam electos in errorem inducendos eſſe propter multas tribulationes, ſi fieri poſſit. Magna igitur laus iuſti eſt in lege Domini meditari die ac nocte. Vnde & magna retributio in ſequenti verſiculo ei promittitur.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

Quid eſt maius, quam Chriſto Domino comparari? *Scimus*, inquit Ioannes Apoſtolus, *quoniam ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eum ſicuti eſt. Fulgebũt* enim Sãcti, *ſicut Sol in regno Dei.* Hoc enim lignum ſeipſum eſſe ipſe

A Dominus oſtendit, dicens : *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Et Salomon de ſapientia, quæ Chriſtus eſt, loquens, ſic ait : *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & quo tenuerit eam beatus.* Et illud in Apocalypſi : *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Hoc igitur lignum plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Quatuor ſunt flumina paradiſi, quatuor ſunt Euangeliorum volumina quæ illis fluminibus ſignificantur. Vis videre lignum vitæ? Secus decurſus aquarum inuenies : ſic autem & Chriſtum in quatuor Euangeliorum fluminibus reperies. Ibi enim & quis, & qualis, & quantus ſit facilè dignoſcitur. Ad hoc præterea lignum ſit decurſus omnium aquarum : quia *ad ipſum*, vt ſcriptum eſt, *fluent omnes gentes. Aquæ enim multæ*, dicit Scriptura, *populi multi.*

Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Ex quo mundus iſte factus eſt fructum ſuum lignum hoc dare non deſtitit. *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Dedit tamen maximè, & abun-
B dantius fructum ſuum in tempore ſuo, in tempore incarnationis, & aduentus ſui. Quis autem eos fructus, ea dona, illas diuitias, & delicias enumerare valeat, quas ex tunc fidelibus ſuis Dominus tribuit? Vnde & dicitur : *aſcendit in altum captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus.*

Et folium eius non decidet.

Hæc folia verba ſunt : verba autem Chriſti non cadent. Sic enim ipſe ait : *Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Et omnia quæcumque faciet proſperabuntur.

Proſperantur quidem omnia, quæcumque Chriſtus facit : ſed non omnibus proſperantur. Vnde & Apoſtolus ait : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Non ſic impij, non ſic.

Non erunt, inquit, impij beati, non enim meditabuntur in lege Domini die ac nocte, non erunt tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum : quid igitur erunt? audi, quod ſequitur.

C *Tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.*

Beati ligno vitæ aſſimilantur : Impij vero pulueri comparantur, præſertim illi pulueri, qui vento ſuperbiæ circumfertur, & à terræ, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ ſtabilitate eleuatus nuſquam comparet. Et ideo quia tales ſunt.

Non reſurgent impij in iudicio.

Quid eſt igitur quod Apoſtolus ait : *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Qui ſunt enim illi qui reſurgent, & non immutabuntur, niſi impij & peccatores? Reſurgent igitur impij, & peccatores, ſed non in iudicio, iam enim iudicati ſunt. Reſurgent ergo, non vt iterum iudicentur, ſed tantum, vt damnentur. Damnabuntur autem non ſolum impij, verum etiam peccatores, in peccatis perſeuerantes. Et tunc iter impiorum peribit, hoc eſt, in itinere & opere ſuo impij peribunt, via vero iuſtorum laudabilis apparebit.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum.

Quæ eos perducit ad regna cœlorum.

D

Pſalmus Dauid.

Quare fremuerunt gentes.

Huic pſalmo, qui ſecundus eſt, primus titulus imponitur, quem ideo ſuum eſſe dicit, vt maior ei auctoritas & fides adhibeatur. Quis enim ea non credat, quæ tanti Regis & Prophetæ auctoritate roborantur? Si autem ad illum Dauid reſpiciamus, qui in iſto loquitur, & de quo iſte alibi ait : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Iam nullus erit, qui in aliquo contradicere audeat. Hæc autem breuis expoſitio nobis ſufficiat in omnibus pſalmis, qui hoc titulo prænotantur. Egregie autem ab ipſa Chriſti paſſione incipit, quam ſemper in memoria habere debemus, per quam liberati, & ſaluati ſumus. Et merito quidem contra eos cum quadam indignatione loquitur, qui in Chriſtum Dominum manus mittere non timuerunt.

Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania?

Audiuimus modo ſuperius de Chriſto, quod ipſe ſit
E lignum vitæ, cuius folia non cadent, cuius verba non præteribunt, cuius omnia opera, & quæcunque faciet proſperabuntur. Quare ergo fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania? quare aſtiterunt reges terræ, Herodes videlicet, & Pilatus, & Principes ſacerdotum conuenerunt in vnum aduerſus Dominum Patrem, & aduerſus Chriſtum filium eius? quare vel hoc non attendebant, quod tantum, talemque fructum hæc arbor nobiliſſima tunc temporis dabat : mortuos ſuſcitando, cæcos illuminando, leproſos mundando, omnes languores, omneſque infirmitates ſanando? Gentes & populi hoc in loco idem ſignificant, quamuis per gentes Romanos, & per populos Iudæos intelligere poſſimus, qui aduerſus Chriſtum Dominum pariter in vnum conuenerunt. Fremere autem non eſt hominum, ſed ferarum, vt eorum ſæuitiam, & crudelitatem in hoc verbo intelligamus. Conuenerunt igitur omnes iſti iniquitatis filij, atque dixerunt.

Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.

F Ligatos ſe eſſe, & ſub iugo poſitos conqueruntur, quoniam aſſueta peccata à Chriſto Domino & à diſcipulis eius facere prohibentur. Redarguebat enim eos Dominus non ſolum de his, quæ malè agebant, verum etiam de iniquis cogitationibus, ſicut in Euangelio ſæpè inuenimus. Quale eſt illud : *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Miſeri qui eumdem non violenter trahentem, ſed clementer ad ſe vocantem non audiebant, quando eis paterna pietate dicebat : *Venite ad me, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos : iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Merito igitur fiet eis quod ſequitur.

Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.

Quia hoc, inquit, & illa fecerunt, & Chriſto Domino credere noluerunt, ſtultos, & fatuos ſubſannatione & irriſione dignos eos Dominus oſtendet. Tales enim affectiones in ea non ſunt, ſed eius voluntatem & operationem aliter niſi aſſuetis noſtris locutionibus oſtendere non poſſumus. Cum enim ea facit, quæ irati & furen-
G tes homines facere ſolent, quamuis iratus non ſit, in ira tamen, & furore ea facere narratur : vnde & ſubditur.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

Hoc autem erit in iudicio, quando impiis & peccatoribus dicet : *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Quia enim hæc dicendo irati, & ſæuientis conſuetudinem imitabitur, ideo in ira & furore hæc dicturus, & facturus eſſe narratur.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.

Iſte verſus ibi continuatur, vbi dicitur : *Quia conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius* ſubauditur, dicentem. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Quem Iudæi Chriſtum, nos Regem vocamus. Chriſtus Dominus noſter, & Deus eſt, & homo, qui ſecundum humanitatem quidem non ſolum à Patre verum etiam à ſe ipſo, & à Spiritu Sancto, & Rex & Dominus conſtitutus eſt. Ipſe enim, qui ſecundum diuinita-
H tem neque, factus eſt creatus, ſecundum humanitatem ſeipſum creauit, & fecit. Hanc igitur diſtinctionem in memoria habeamus, quæ pene in omnibus pſalmis valde nobis neceſſaria erit. Omnia enim ad humanitatem referenda ſunt, ſi quando contriſtatur, ſi quando aliquid patitur, ſi quando aliquid poſtulat, & ſimilia, *Ego*, inquit, *conſtitutus ſum Rex ab eo*, vbi *ſuper Sion montem ſanctum eius*, Ad quid, *Prædicans præceptum Dominum.* Sion ſpecula interpretatur : aqua videlicet & ſpecula : omnes Epiſcopi ſuperintēdētes, & ſpeculatores, vocātur. Vnde & Ezechieli dicitur, *Filij hominis ſpeculatorem poſui te Domus Iſraël*, Quāuis Rex Regū, & Dominus Dominantiū ſit Saluator noſter ipſe tamē ſolius mōtis Siō Regē ſe dicere dignatur. Sed audiant Epiſcopi, quare ordinati ſunt, quare, & à quo ſuper Siō cōſtituti ſunt. Non vtiq; ad tyrānicā, & ſæcularem poteſtatē exercendā : ſed ad ſpeculandū, & prædicandum, & cōtra hæreticos, & malignos ſpiritus pugnādum.

A *Dominus dixit ad me : filius meus es tu.*
Hoc autem ad diuinitatem ſpectat. Ego inquit, qui
ſecundum humanitatem Rex à Deo conſtitutus ſum, ſe-
cundum diuinitatem non adoptiuè, ſed ſubſtantialiter
eius filius ſum, hoc enim ipſe Pater teſtatus eſt, dicens.
*Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui, Ego ho-
die genui te.* Non habet Deus niſi hodie, cum nihil præ-
teritum, nihil futurum; ſed omnia ſibi præſentia ſunt.
Quid igitur aliud dicere potuit, niſi hodie? Nihil enim
aliud eſt. *Ego hodie genui te*, quam ſi ſimpliciter dixiſſet.
Ego genui te. Æternus eſt enim Pater, æternus eſt &
Filius. Sed ante æternum nihil eſt. Hodie igitur æter-
nitas eſt. Quod itaque ait. *Ego hodie genui te*, tale eſt ac
ſi dixiſſet: ante tempora, & ſine initio genui te. Poteſt
autem & ſecundum humanitatem ſic intelligi, vt à Pa-
tre ei dicatur. Ego qui ante tempora genui te, ex me
hodie, ideſt, temporaliter ex Virgine genui te. Ipſe eſt
enim Pater omnium, ipſe non ſolum humanitatem filij
ſui, verum etiam nos omnes & genuit & creauit.
B *Poſtula igitur à me, & dabo tibi gentes hereditatem
tuam.*
Diximus ſuperius quia ſi filius aliquid poſtulat, non ſe-
cundum diuinitatem, ſed ſecundũ humanitatem poſtulat.
Poſtulat ergo non ſolum à Patre, ſed etiam à ſeipſo, & à
diuinitate, quæ in ipſo eſt. *Et dabo tibi gentes hereditatem
tuam.* Iudæi inquit ſpreuerunt te dicentes. *Non habemus
Regem niſi Cæſarem, & nolumus hunc regnare ſuper nos*,
ſuſcipe igitur omnes gentes in hæreditatem. Inde eſt
enim quod alibi dicitur: *Omnes gentes ſeruient ei, &
quia dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine
vſque ad terminos orbis terræ.* Hoc eſt enim vſque ad ter-
minos orbis terræ, quod & poſſeſſionem tuam terminos
terræ.
Reges eos in virga ferrea.
Quid eſt in virga ferrea? Imperio forti, & inſu-
perabili, & cui nemo reſiſtere poterit. Omnia metalla
ferro domantur, omnia regna mundi Chriſti imperio
ſubiugantur.
C *Et tanquam vas figuli confringes eos.*
Vaſa figuli ſemel fracta redintegrari non poſſunt. Im-
pij, & peccatores, ſemel in iudicio damnati miſericor-
diam vlterius non inuenient.
Et nunc reges intelligite.
Ecce Rex magnus iuſtus, & potens Deus conſtitutus
eſt, cui & nos, & omnes gentes obedire oportet. Intel-
ligite ergo & regnandi doctrinam, & diſciplinam ab eo
ſuſcipite. Et hoc eſt quod ait.
*Erudimini, qui iudicatis terram: ſeruite Domino in
timore.*
In timore ſeruire, eſt ſeruitium diligenter agere, &
in Dei ſeruitio negligentiam non habere. Reges igitur,
qui ad populum iuſtè regendum, & ad iuſtitiam exer-
cendam conſtituti ſunt, ſic iuſtitiam exerceant, vt mi-
ſericordiæ non obliuiſcantur, non autem cordis impetus,
ſed diuinæ legis moderamina ſequantur.
Et exultate ei cum tremore.
Non vobis inquit, ſed Deo exultate, non in honori-
D bus & diuitiis, ſed in Domino gaudete. Hinc eſt enim
quod Apoſtolus ait: *Gaudete in Domino ſemper, iterum
dico gaudete*, Benè autem addidit cum tremore, ne timor
Domini, & æternæ felicitatis deſiderium mundi huius
lætitia, & proſperitate pellatur. Per hos autem Reges,
non ſolum Reges gentium, verum etiam Epiſcopi, om-
neſque Eccleſiæ Prælati intelligi debent. Denique om-
nis homo Rex dici poteſt, qui ſeipſum benè regit, & do-
mum ſuam benè diſponit.
*Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Domi-
nus, & pereatis de via iuſta.*
Omnis doctrina, & inſtitutio religionis diſciplina dici
poteſt. Hanc autem qui non recipit, & tenet, non im-
merito Dei iram & indignationem incurrit. Tales au-
tem pereunt de via iuſta, quia in viam peccatorum de-
clinantes per iuſtorum viam ad beatitudinem non per-
uenient. Hæc autem diſciplina cum omnibus homini-
bus neceſſaria ſit, illis tamen maximè neceſſaria eſt, qui
alios regere, & docere debent. Beati illi qui hanc diſci- E
plinam ſuſcipiunt, & qui non in vanitatibus mundi, ſed
in Domino confidunt,
*Quoniam cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes
& ſoli qui confidunt in eo.*
In breui autem dixit, quia citò & poſt modicum ad
iudicium Dominus veniet. Vnde, & Ioannes Apoſtolus
ait. *Filioli nouiſſima hora.* Et Apoſtolus. *Nos ſumus in
quos fines ſæculorum deuenerunt.* Iam ſuperius diximus,
quomodo Dei iram intelligere debeamus.

PSALMVS DAVID CVM FVGERET à facie filij ſui Abſalon.

QVid ſignificet Pſalmus Dauid, modo ſuperius di-
ctum eſt, & Dauid quidem fugam legimus, Chriſti
autem fugam non legimus, quia contra de ſe ipſo alibi
dicit. *Perijt fuga à me.* Quem cum Iudæi ſimul cum Iuda F
traditore capere veniſſent, non fugit, ſed obuiam iuit.
Et, vt ſuæ diuinitatis potentiam oſtenderet, vno verbo
proſtrauit. Ipſe tamen eſt cui in Canticis Canticorum
Eccleſia dicit. *Fuge dilecte mi.* Et de diſcipulis quidem
eius dicitur, quia, *Relicto eo, omnes fugerunt.* Non igi-
tur in ſeipſo, ſed tamen in diſcipulis ſuis fugit Ieſus:
ſic autem dicitur quia baptizabat, ſed diſcipuli eius.
Vterque autem & Iudas, & Abſalon ſimili morte, ideſt
ſuſpendio interierunt. Interpretatur autem Dauid ma-
nufortis, Abſalon vero, patris pax interpretatur. Et vi-
detur per contrarium eſſe dictum, ſicut & Iudæ à Domi-
no dicitur: *Amice ad quid veniſti?* cum amicus vtique
non eſſet.
Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me?
Secundum humanitatem loquitur Dominus, & con-
queritur Patri de Iudæorum coniuratione contra ſe fa-
cta, quæ non ſolum ex Romanis, qui ibi erant verum, etiã
ex numero diſcipulorum multiplicata erat. Vnde & di-
cit quia *multi inſurgunt aduerſus eum, & multi dicunt G
animæ eius:* quia *non eſt ſalus illi in Deo eius.* Videbat
enim iam tunc non ſolum Iudæos verum etiam per to-
tum mundum Reges, & Principes, omneſque homines
iniquos totumque malignorum ſpirituum exercitum
contra fideles ſuos, contra membra ſua, contra corpus
ſuum, quod eſt Eccleſia, crudeliter inſurgere. Quia di-
citur in vnoquoque ſuorum ipſe affligitur, tribulatur,
& perſecutionem patitur, non immerito, quod illis ac-
cidit, ſibi imputat, & illorum pœnas quaſi proprias
conqueritur.
*Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es, gloria mea, &
exaltans caput meum.*
Mentiuntur inquit, qui dicunt *non eſt ſalus illi in Deo
eius:* quia ad ſalutem pertinent ea, quæ hic enumeran-
tur. Suſcepit enim Pater filium ad ſe incarnatum, & ho-
minem factum reuertentem, glorificauit, & in ſuæ ma-
ieſtatis ſedem exaltauit. Secundum illud. *Dixit Dominus
Domino meo ſede à dextris meis.* Videtur autem mihi
quod ſi Eccleſia in hoc pſalmo loquatur conuenientius H
accipi poſſit. Dicat igitur Eccleſia, dicat populus Chri-
ſtianus, quem prius ſoli Iudæi, poſtea verò totus mun-
dus grauiſſimis pœnis affligere, & perdere cœpit. *Do-
mine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me?* multi in-
ſurgunt aduerſum me. Multi ex omnibus mundi huius
nationibus *dicunt animæ meæ, non eſt ſalus illi in Deo
eius.* Hoc eſt enim quod infideles contra ſanctos dicere
ſolebant, quod Deus illorum eos liberare non poſſet.
*Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exal-
tans caput meum.* Hæc eſt ſanctorum non modica con-
ſolatio: quia ſtatim poſt martyrium coronabantur, glo-
rificabantur, & in æternam beatitudinem à Domino
ſuſcipiebantur. Hoc enim Saluator illis promiſerat,
quia vbi ipſe eſſet, ibi eſſet & miniſter eius. Et vbi eſſet
corpus, illic congregarentur & aquilæ, & cum exaltatus
eſſet, omnia traheret ad ſe ipſum. Vnde & modo Eccleſia
dicit: *Et exaltans caput meum.* Caput noſtrum Chriſtus

A eſt, qui poſt reſurrectionem ſuam die quadrageſimo cœlos aſcendit.

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Cum, inquit, tribularer, & pœnis grauiſſimis ab impiis & infidelibus cruciarer, tunc ego voce mea, voce cordis mei, illa voce, quæ in ſilentio clamat, & cœli ſecreta penetrat, clamaui ad Dominum, & ipſe exaudiuit me de monte ſancto ſuo, id eſt, de illo altiſſimo & clariſſimo ſecretario gloriæ ſuæ. Cum enim Deus vbique ſit, eſt tamen aliquis locus, vbi gloriam ſuam clarius, & manifeſtius reuelare dignatur. Poſſumus autem per hunc montem Chriſtum Dominum intelligere, de quo & à quo ſanctorum voces exaudiuntur. Et quid mirum ſi illos exaudit, pro quibus etiam mortuus eſt? Vnde & Apoſtolus dicit: *Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*, cuius vox loquentis congrue ſatis modo introducitur.

Ego dormiui & ſomnum cœpi, & reſurrexi quoniam
B *Dominus ſuſcepit me.*

Breuiſſime ſatis in his verbis paſſionem ſuam reſurrectionem, & aſcenſionem oſtendit. Quomodo, inquit, eorum voces ad me clamantes non exaudirem, pro quibus mori quoque non dubitaui? Hoc eſt enim quod ait: *Ego dormiui.* Mors Chriſti dormitio: vnde & bene ſubdidit. *Et ſomnum cœpi.* Cœpit quidem, ſed non diu dormiuit. Et idcirco ſubdidit, dicens: *Et reſurrexi.* In eo vero quod addidit. *Quoniam Dominus ſuſcepit me.* Poſt dies multos cœlos ſe aſcendiſſe oſtendit. Nunc autem Eccleſiam, quæ loqui cœperat, audiamus.

Non timebo, inquit, *millia populi circumdantis me.*

Multi quidem inſurgunt aduerſum me, & valde multiplicati ſunt inimici mei, ſed ego iam vlterius non timebo, etiam ſi multa millia poſt iſtos me circumdantes inſurgant aduerſum me. Sed dicam. Sicut ſemper in omnibus meis tribulationibus dicere ſoleo.

Exurge Domine, ſaluum me fac, Deus meus.

Talibus armis viri ſancti, & religioſi ſe defendunt
C non gladiis, ſed orationibus pugnant.

Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa.

Non timebo, inquit, quia non eſt conueniens vt timere debeam. Vnde hoc? Quoniam tu percuſſiſti, & quotidie percutis, & tandem in iudicio virga ferrea percuties omnes aduerſantes mihi. Et hoc merito, quia ſine cauſa mihi aduerſantur.

Dentes peccatorum contriuiſti.

Dentes peccatorum intelligimus eorum potentiam, eorum ſcientiam, eorum fortitudinem, eorum argumentationes. Et omnia alia, quibus ſe defendere, vel alios impugnare poſſunt. Hæc autem contriuit Dominus, quia dedit fidelibus ſuis os, & ſapientiam, cui omnes aduerſarij ſui reſiſtere non potuerunt.

Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

Inſultatio eſt. Erubeſcant, inquit, inimici mei, qui mihi quondam dicere ſolebant: *non eſt ſalus illi in Deo eius:* quia ſicut modo videre, & cognoſcere certiſſime
D poſſunt *Domini eſt ſalus.* Hinc vero Eccleſia de inimicorum contritione, & ſua ſalute lætabunda ad Dominum conuertitur: *Et ſuper populum tuum*, ô Domine, quem ſic honoraſti, cui hanc ſalutem & victoriam dediſti, *ſit benedictio tua*, & nunc, & ſemper per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMVS DAVID IN FINEM in carminibus.

C*Vm inuocarem te exaudiſti me Deus.*

Quid ſignificet pſalmus Dauid, in ſecundo pſalmo dictum eſt. Poterat aliquis intelligere hunc pſalmum ad tempora Dauid, & ad Synagogam pertinere, niſi ipſe Dauid in finem dixiſſet: *Finis enim legis Chriſtus eſt.* Qui de ſe ipſo loquitur, dicens: *Ego ſum alpha, & Omega*, primus & nouiſſimus, initium & finis, In finem igi-
E tur, id eſt, ad tempora Saluatoris noſtri iſta referantur, & in carminibus, & laudibus Eccleſiæ cantentur, ad quam propriè, & ſpecialiter pertinere videntur.

Cum inuocarem te, exaudiſti me Deus iuſtitiæ meæ.

Pſalmus iſte valde diſiunctus eſt, & multa indiget continuatione. Eccleſia eſt, quæ loquitur, quæ inde Deo gratias agit, quia in magnis ſuis tribulationibus eam exaudiuit. Magnas autem tribulationes in tempore Apoſtolorum, & Martyrum ſuſtinuit, & in ſæculi conſummatione paſſura eſt. *Erit enim tunc tribulatio talis, qualis non fuit, neque fiet.* Exaudiſti, inquit, me modo, non meis meritis, neque mea iuſtitia, quia ſi qua iuſtitia eſt in me, non mea, ſed tua eſt. Tu enim es Deus & Dominus, Creator, & dator iuſtitiæ meæ.

In tribulatione dilataſti me.

Plus enim in tribulationibus & aduerſitatibus, quam in proſperitatibus ſancta Eccleſia dilatata eſt. Cuius quidem termini ſunt à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Modo tamen & in Africa, & in multis aliis mun-
F di partibus defeciſſe videtur, in quibus quondam ſatis glorioſa erat.

Miſerere mihi Domine, & exaudi orationem meam.

Ecce docet nos mater noſtra ſancta Eccleſia, quomodo ipſa Deum inuocauit, & quomodo nos inuocare debeamus. Sufficit nobis iſta oratio in omnibus petitionibus noſtris. Si infirmitas, ſi terræ ſterilitas, ſi ſæuiens aduerſarius, ſi perſecutio aliqua ſuperuenerit dicamus: *Miſerere mihi Domine, & exaudi orationem meam*, & ſufficit nobis, cui enim Dominus miſeretur, & qui in ſuis petitionibus à Domino exauditur, quid amplius quærit?

Filij hominum vſquequo graues corde.

Non ſuam ſolummodo, ſed aliorum quoque ſalutem quærit Eccleſia. Ecce enim in ſuis tribulationibus exaudita ad ipſos ſuos conuertitur inimicos, ad fidem, & ad beatitudinem eos inuitans. Filij hominum illi ſunt, qui vnam ſolummodo generationem habent, & qui nondum ex aqua & Spiritu ſancto regenerati Deum Patrem
G habere meruerunt. Tales autem ſunt graues corde, dura, & lapidea corda habentes, in quibus veræ fidei, & cæleſtis diſciplinæ ſcribi & contineri verba non poſſunt. Sicut autem leuia ſurſum, ita & grauia deorſum trahunt. Timeant ergo graues corde, ne ſua duritia, & grauitate ad inferna trahantur.

Vt quid diligitis vanitatem, qui quæritis mendacium?

Illi enim vanitatem diligunt, & mendacium quærunt, qui vel falſos Deos adorant, vel in mundi huius diuitiis ſpem ſuorum ponunt. Vnde & Apoſtolus diuites admonet, non ſuperbè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.

Scitote quoniam magnificauit Dominus ſanctum ſuum.

Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: filij hominum relinquite Deos falſos, relinquite idola, & vanitates, credite in Chriſtum filium Dei, & ſalui eritis. Et hoc ſcitote, & nullatenus dubitetis, quia magnificauit Dominus ſanctum ſuum, Chriſtum videlicet, filium ſuum, qui ideo
H quidem ſua ſponte mortuus eſt, vt à morte perpetua nos liberaret. Quomodo autem ſecundum humanitatem Chriſtus Dominus magnificatus ſit, ipſemet oſtendit, cum dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Et quaſi illi iam creduli dicerent, peccatores ſumus, idola coluimus, ſanctorum ſanguinem fudimus, & multa millia peccata commiſimus, non ſuſcipiet nos, confortat eos piiſſima mater noſtra ſancta Eccleſia. Nolite, inquit, timere, ego clamabo & orabo pro vobis.

Et Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.

Iraſcimini ergo, *& nolite peccare.*

Hoc autem non diceretur niſi iraſci aliquando bonum eſſet. Si enim odium aliquando bonum eſt: quare & ira aliquando bona non ſit? Audi ergo quod Dominus ait: *Qui non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et certe omnia hæc, quæ vtique amanda ſunt, ſi ad peccata nos trahere, & à Deo ſeparare voluerint,

odienda

A odienda ſunt. Talibus igitur, & taliter iraſci non eſt peccatum, ideoque ſubdidit. *Et nolite peccare.* Iraſcimini, inquit, præteritæ veſtræ conuerſationi, iraſcimini vitiis & peccatis. Taliter illi irati erant, quibus Apoſtolus dicebat: *Quem ergo fructum habuiſtis, tunc in quibus nunc erubeſcitis?* Et nolite amplius peccare ſicut prius peccare ſoliti fuiſtis. Sed ſunt quædam peccata, & ipſa quidem maxima, à quibus facilè abſtinere poſſumus. Quale eſt illud, de quo Dominus ait: *Iſraël ſi me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*

Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Cubilia cogitationum corda noſtra ſunt, ibi oriuntur, ibi quieſcunt, ibi fructificant bonum fructum, ſi bonæ ſunt: & malum, ſi malæ ſunt. Hinc eſt enim quod Dominus ait: *Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, periuria, & falſa teſtimonia, & ſimilia, quæ* B *coinquinant hominem.* De his compungimini, de his pœnitentiam agite, has in ipſo initio ſuccidite, & eas ad effectum perducere nolite. Poſtea verò facite quod ſequitur.

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.

Quod ſi feceritis confidenter. *Sperate in Domino.* Quid? ea bona ſuſcipere, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus* & vobis & omnibus *diligentibus ſe.* Sacrificium iuſtitiæ facit, qui ſeipſum pro peccatis ſuis iudicat & affligit. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Quod autem carnis afflictio ſacrificium ſit, audi eundem Apoſtolum, dicentem. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

Ego, inquit, dixi vobis, ſperate in Domino, & quid C ſperare debeatis oſtendi: ſed ſunt multi, qui ſpem non habent, & in ſuis cogitationibus dicunt. Quis oſtendit nobis illa bona? quis inde certus nuncius venit. Quomodo ſperare, vel credere poſſumus? Miſeri qui iſta dicunt: quoniam hæc verba deſperatione plena ſunt. Sed tamen qui ſunt iſti, qui tam impiè loquuntur, niſi illi qui à fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt? per hæc autem tria, quibus humana neceſſitas maximè ſuſtentatur, omnia bona huius mundi caduca, & tranſitoria ſignificantur. Qui vero in talibus ſpem ſuam poſuerunt, æterna bona ſperare non poſſunt. Talis erat ille, de quo in Euangelio dicitur, qui cellaria ſua deſtruere, & maiora conſtruere cogitabat, qui lætabundus animæ ſuæ dicebat. *Habes multa bona tibi præparata in annos multos, gaude igitur, & epulare,* cui à Domino reſponſum eſt. *Stulte, hac nocte anima tua rapietur à te: quæ autem paraſti cuius erunt?* Et inde eſt quod Apoſtolus præcipit, non ſperare in incerto diuitiarum. Inde eſt etiam quod dicit, diuites non poſſe intrare in regnum Dei. Nunc autem audiamus, quid boni quoque dicant, D & ſentiant.

Signatum eſt, inquiunt, ſuper nos lumen vultus tui, Domine.

Hoc autem tale eſt ac ſi diceret: ſigno Chriſti ſignati ſumus, in eius militia connumerati, eius doctrina illuminati, in ipſo ſperamus, & quæcumque nobis promiſit, firmiſſimè expectamus. Hoc ſigno legimus in Apocalypſi de omni tribu filiorum Iſraël duodecim millia eſſe ſignatos, per quos videlicet tota Eccleſia, omniſque fidelium multitudo ſignificatur: eſt illud ſignum, quod Propheta vocauit thau, quo quicumque ſignatus non fuerit in iudicio peribit. Benè autem hoc ſignum lumen vocatur, quoniam qui hoc ſignum non habet, cœcus eſt, & in tenebris ambulat: Voluntas autem in vultu cognoſcitur, vnde & à vultu voluntas dicitur. Quod eſt igitur lumen vultus tui, niſi lumen voluntatis tuæ? Hoc enim lumen, & hoc ſignum ſecundum voluntatem tuam, & tibi factum eſt patibulum mortis & nobis factum eſt cauſa ſalutis. Sequitur.

E *Dediſti lætitiam in corde meo.*

Vox Eccleſiæ eſt, quæ de hac ſanctorum reſponſione lætitiam ſe habere ſignificat.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Illi inquit, qui deſperantes dicunt: quis oſtendit nobis bona, neque pacem, neque quietem habebunt, ego vero in idipſum, ideſt, pariter, & ſimul cum omnibus filiis meis dormiam, & requieſcam in æterna pace. Et hoc ideo, quia tu Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, ideſt me ſolum & ſingularem hanc tam immenſam tuæ beatitudinis ſpem habere donaſti.

IN FINEM PRO EA QVÆ HÆREDItatem conſequitur, pſalmus Dauid.

F VErba mea auribus percipe Domine.

Quid ſignificet, *in finem*, multo ſuperius diximus: ſimiliter autem quomodo intelligatur *Pſalmus Dauid*, in ſecundo pſalmo expoſuimus. Ea verò, *quæ hæreditatem conſequitur*, Sancta Eccleſia eſt, vnde Apoſtolus. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti,* nos eſſe dicit. Hanc hæreditatem perdidit Synagoga, quæ de Saluatore noſtro ad ſe veniente, ait. *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.* Huius autem hæreditatis teſtamentum in illo pſalmo ei datum eſt, in quo dicitur. *Diſpoſui teſtamentum electis meis.*

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus. Eccleſia loquitur quæ pro Synagoga in hæreditatem ſucceſſit. Docet autem nos, quam inſtanter perſeuerantes, quam violenter orare debeamus, in eo quod ipſum toties repetit. Vnde in Euangelio dicitur, *quia* G *regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Hanc autem violentiam ipſe Dominus nos facere iubet, dum ait. *Petite, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* Dicit autem & ſimilitudinem de illo, qui petebat ab amico ſuo tres panes, cumque ille dare noluiſſet, & ipſe per totam noctem petitionibus inſtaret, propter violentiam tandem illius, & importunitatem ſurrexit, & dedit illi quotquot habebat neceſſarios. Bonæ autem petitiones, non tantum voce, quantum affectu & deſiderio fiunt. Secundum illud, *Deſiderium pauperum exaudiet Dominus.*

Quoniam ad te orabo, Domine mane exaudies vocem meam. Mane igitur oret qui exaudiri deſiderat. Quid eſt igitur quod hic idem Propheta alibi ait: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi,* & illud, *in noctibus extollite manus veſtras in ſancta.* Et certè nullo tempore attentius, & quietius, quam in nocte viri religioſi orare poſſunt. Mane igitur orare tale eſt, ac ſi diceret: ſi vis à Domino exaudiri, mane ora, fuge nocte, fuge opera tenebrarum, pelle vitia & peccata. Audi Apoſtolum di- H centem: *Filij lucis, & diei ſumus, non noctis & tenebrarum.* Et alibi: *Fuiſti, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Talis igitur nox, taleſque tenebræ prius relinquendæ ſunt, & tunc orandum. De his autem tenebris exit homo, & ad mane venit ſtatim, vt pœnitentiam agere incipit. Sicut enim mane finis noctis eſt, & initium diei, ita & pœnitentia finis eſt peccati, & initium ſanctitatis, & religionis.

Mane adſtabo tibi: Quia inquit, nos exaudire non vis, niſi mane, quam citiùs potero noctis tenebras relinquam, & ad mane feſtinabo. Et tunc adſtabo tibi, quaſi famulus ad ſeruiendum paratus. Et videbo, quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. Hæc igitur erat cauſa quare in nocte non exaudiebas quoniam qui in nocte ſunt, in iniquitate ſunt.

Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Tales enim in iudicio audituri ſunt, tollantur impij, ne videant gloriam Dei. Quotieſcumque iſta dicimus, de illis ſolummodo peccatoribus

intelligimus,

A ptizatus eſt, & quam ab initio ſuſcepit, iniuſte diffamauit, & dixerit eſſe violatam. Simulque parentes puellæ, id eſt, illi qui eam fidem & religionem ipſum docuerant, ſigna virginitatis & incorruptionis oſtendentes, veſtimentum expandant, & librum aperiant, in quo manifeſta documenta Chriſtianæ fidei continentur. Quæ poſtquam Eccleſiæ ſeniores cognouerint, nihilque in puella eiuſque parentibus reprehenſibile inuenerint, verberent illum, diris linguæ verberibus eum redarguentes. Inſuper & centum ſiclis argenti eum condemnent per quos omnium vtriuſque teſtamenti mandata intelligimus: centenarius autem numerus perfectus eſt, atque ideo omnia ſignificat, quia omnes in ſe numeros continet. Argentei autem iſti ſicli dicuntur, propter eloquij puritatem. Quos bene patri puellæ homo iſte dare præcipitur, quatenus eum, vel iuramento, vel quolibet alio modo certiſſimum faciat, ſe deinde fideliter tenere & credere, quæcumque vtriuſque teſtamenti mandata præcipiunt. Quod poſtquã fecerit, iam vlterius vxorem ſuam dimittere non poterit. B Quod ſi verum eſt, quod ei obiecit eijciatur puella extra domũ patris, & lapidibus obruatur, hoc autem tale eſt ac ſi diceret. Si illa fides atque religio corrupta, & violata inuẽta fuerit eijciatur de pectore Epiſcopi, qui eam genuit, & ab omnibus lapidibus obruta excõmunicata intereat.

Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur id eſt adulter, & adultera & auferes malum de medio Iſraël. Mors enim carnis, animæ mortem ſignificat, quam illi quidem patiuntur, qui tale nefas committunt.

Si puellam virginem deſponſauerit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate & concubuerit cum illa, educentur vterque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit, cum eſſet in ciuitate; vir quia humiliauit vxorem proximi ſui, & auferes malum de medio tui. Quid enim per puellam virginem, niſi in fide Catholica baptizatam? Quid vero per virum, qui eam deſponſauit, niſi Chriſtum intelligimus. Vnde, & Apoſtolus ait: Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Hæc autem puella in ciuitate corrumpi- C tur, quando ab aliquo in Eccleſia, hæretica prauitate ſeducitur. Vterque ducitur ad portam ciuitatis, id eſt, ante præſentiam Epiſcoporum, per quos quaſi per portam cætera multitudo ingreditur. Ibique lapidibus obruuntur, id eſt damnantur, & excommunicantur. Sæpe enim iam diximus quid lapides iſti ſignificent. Et puella quidem merito excommunicatur, quia cum eſſet in ciuitate clamare debuit, & ea quæ ſibi ab hæretico dicebantur, viris Catholicis debuit propalare: Hæreticus vero, quia humiliauit, & violauit vxorem proximi ſui. Proximus enim Chriſti, hæreticus dicitur, quia etſi malus, Eccleſiæ tamen filius eſt.

Sin autem in agro reperit vir puellam, quæ deſponſata eſt, & apprehendens concubuerit cum illa: ipſe morietur ſolus, puella nihil patietur, nec eſt rea mortis, quoniam, ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum, & occidit animam eius: ita & puella perpeſſa eſt: ſola erat in agro clamauit, & nullus affuit qui liberaret eam. Si enim per ciuitatem Eccleſia intelligitur, quicunque in Eccleſia non D eſt in agro eſt. Puella ergo deſponſata, & per fidem Deo coniuncta, ſi forte ignoranter ad hæreticorum turbam venerit, ibique de fide aliquem male diſputantem audierit, & idipſum interrogans, & vtrum catholicum, & verum ſit, intelligere volens, cum nemo ibi niſi hæreticus ſit, quamuis multum clamet, nullus tamen adeſt, qui ei veritatem reſpondeat. Hoc igitur, cum ad Epiſcoporum iudicium venerit, talis anima innocens iudicabitur, qui non ſua ſponte, ſed neſcienter furtim, & per latrocinium violata eſt: hæreticus autem moriatur, id eſt æterna morte condemnetur.

Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit, dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ centum ſiclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit, & illã non poterit dimittere eam cũctis diebus vitæ ſuæ. Videtur enim mihi, quod per hanc puellam Grammatica, dialectica, Rethorica, & cæteræ artes liberales ſignificentur, quæ quidem quantum ad ſe, virgines ſunt E incorruptæ. Dicitur autem hæc puella non habere ſponſum, quia quamuis pluribus coniuncta ſit, tamen ſic vniuſcuiuſque propria ſit, vt quæ in vno eſt, in altero eſſe non poſſit. Vnde dicitur Grammatica Ariſtarchi, eo quod illius propria fuerit. Sic ergo & tu cum aliquam artem diſcere incipis, quamuis de alia generetur, attamen quæ animo tuo coniungitur, tua eſt, & alterius non eſt. Hoc autem facile intelligunt, qui Dialecticam ſponſam ſibi ſuſcipere meruerunt. Hæ enim puellæ, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio Cypriano, cæteriſque Eccleſiæ Doctoribus coniunctæ, multos eis filios, multa librorum volumina pepererunt. Veruntamen illi qui eis coniunguntur, patri illarum centum ſiclos argenti dare iubentur. Quis eſt enim pater illarum, niſi ille de quo dicitur. Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum eo fuit ſemper & eſt ante æuum. Huic autem centum ſiclos dare, eſt omnia quæ in his & in aliis ſcripturis iſtarum magiſterio compoſitis continentur, fideliter & ſine errore exponere, & intelligere: aliter enim ſicli non erunt argen- F tei, niſi ab omni corruptione fuerint alieni. Qualiter autem centum omnia ſignificent, modo ſuperius diximus. Si ergo hæc res ad iudicium venerit, hoc erit Epiſcoporum iudicium, vt ſapientes, & bene periti Eccleſiæ filij, ſemper ſapientiæ & lectioni operam dantes cuncta fideliter exponant, & intelligant, tamque nobilium puellarum coniugia non abijciant.

Non accipiet homo vxorem Patris ſui, nec reuelabit operimentum eius. De hoc enim Apoſtolus Corinthios redarguens ait. *Auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris quis habeat.* Præterea quia vnaquæque fidelis anima eſt vxor Dei, qui omnium pater eſt, qui aliquam animam in peccatum & in errorem inducit, patris vxorem corrumpere intelligi poteſt.

CAPVT XXIII.

NOn intrabit eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Dei. Per hoc enim G ſignificatur, quod in cæleſtem patriam nullos intrabit, qui bonorum operum ſterilis, ſpiritualis generationis, & fœcunditatis inſtrumenta non habuit.

Non ingredietur manſer hoc eſt de ſcorto natus in Eccleſiam Domini vſque in decimam generationem. Quid eſt enim, vſque ad decimam generationem, niſi vſque ad vltimam generationem? Decimam enim generationem vltima eſt, quia, & decimus numerus eſt. Qui ergo de ſcorto, id eſt de hæreticorum adulterio natus eſt, nunquam Sanctorum Eccleſia ſociabitur. *Ammonites, & Moabites etiam poſt decimam generationem, non intrabunt in Eccleſiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Ægypto.* Quid per hos intelligere debemus, niſi vitia, & malignos ſpiritus, qui nos fame, & ſiti ſpiritualis cibi, & potus necare cupientes, quibuſcunque modis poſſunt aduerſum nos bella concitant: omnique calliditate, & fraudulentia nos decipere conantur? Cum his ergo numquam pacem habeamus, numquam eis bona quæramus, ſed ſemper eos delere, & à nobis repellere ſatagamus. *Non abominaberis Idumæum, quia frater eſt, nec* H *Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis tertia generatione, intrabunt in Eccleſiam Domini.* Idumæi de genere Eſau ſunt & terreni interpretantur at vero Ægyptij tenebræ dicuntur: per hos igitur gentilis populus ſignificatur, primum quidem terrenus, & peccator, totuſque niger, & tenebroſus, ex his autem, qui tertia generatione naſcuntur, id eſt tertia merſione in baptiſmo regenerantur, intrant in Eccleſiam Dei. Poteſt autem per tertiam generationem hoc vltimum tempus intelligi, ſiquidem in tria tempora hæc ſæcula diuiduntur, id eſt ante legem, ſub lege & ſub gratia, hac igitur vltima ætate, quæ tertia eſt, nulli Eccleſia clauditur: Idumæis, & Ægyptiis terrenis, & peccatoribus cunctiſque gentibus aperitur. *Quando egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos in pugnam cuſtodies te ab omni re mala.*

A Hoſtes noſtri maligni ſpiritus ſunt, à quibus facilè ſuperamos, niſi nos à vitiis cuſtodiamus.

Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio egreditur extra Caſtra, & non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aqua: & poſt ſolis occaſum regredietur in Caſtra. Iudæi nocturno ſomnio polluuntur, quia in tenebris legis præcepta Seminantes, & quaſi per ſomnium exponentes, ſemper ſordidiores fiunt, ideoque extra caſtra egreſſi & à Deo ſeparati, non prius ad Eccleſiæ Caſtra reuertentur, quam ad veſperam, & ſolis occaſum, ideſt ad ſæculi conſummationem venientes, aqua Baptiſmi lauentur, & mundentur. *Conuertentur ad veſperam*, vt ait Pſalmiſta. *Habebis locum extra caſtra ad quem egredieris ad requiſita naturæ gerens paxillum in baltheo. Cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo, operies, quo releuatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio Caſtrorum vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos* B *& ſint caſtra tua ſancta.* Stercora, & egeſtiones vitia ſunt, & peccata. Hæc autem in caſtris fidelium fieri non licet. Quicquid igitur ſordidum, quicquid fætidum, quicquid nefarium, & vitioſum eſt, à fidelium domibus, & à ſanctorum caſtris procul pellatur. Dominus enim ambulans & habitans, talium fœtorem abhorrens, commorari illic dedignabitur. Cætera vero, quæ hic dicuntur, magis ad narrationem, quam ad ſignificationem pertinere videntur.

Meminerimus tamen in operiendis ſtercoribus, illius pſalmi: *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: & quia Charitas operit multitudinem peccatorum. Non trades ſeruum Domino ſuo qui ad te confugerit. Habitabitque tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna Vrbium tuarum requieſcet, ne contriſtes eum. Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati:* huius autem Dominus diabolus eſt. Si igitur talis ſeruus pœnitentia ductus ad nos confugerit, non abiiciamus eum, neque a noſtra communione repellamus, ſed habitet nobiſcum, & C in Sanctorum Cœtu conuerſetur, nemo eum contriſtet, nemo eum de peccatis turpiter reprehendat. Hoc enim agere quid aliud eſt niſi eum iterum diabolo tradere, & in deſperationem adducere? *Non enim meretrix de filiabus Iſraël, neque ſcortator de filiis Iſraël.* Hoc iuxta litteram in corpore, & ſecundum ſpiritualem intelligentiam in anima, omnes Chriſtiani diligentiſſime obſeruare debent. De animæ namque fornicatione aduerſum Iſraël dicitur. *Fornicatus eſt Iſraël per Deos gentium: Non offeres mercedem proſtribuli, nec pretium Canis in domum Domini Dei tui, quicquid illud eſt, quod vouerint, quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum tuum.* His verbis Sacerdotes Dei ea inuenta ſuſcipere interdicuntur, quæ iniuſtè, & cum peccato acquiruntur: vnde ſcriptum eſt: *Victimæ impiorum abominabiles Deo.* Itemque: *Qui offert ſacrificium de rapina, quaſi qui immolat filium in conſpectu patris. Non fæneraberis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno: Fra-* D *tri autem tuo abſque vſura id, quod indiget commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Hæc verba pietate & dilectione plena ſunt, quibus admonemur, vt ſine vſura iis ſubueniamus, quos vt idem genus noſtrum, & eiuſdem religionis diligere debemus. Vnde non minus in nouo, quam in veteri teſtamento fœneratores damnantur. Non vacat tamen à myſterio, quod alieno populo, Iudæis fœnerare ad vſuram licet. Nos enim ad vſuram, & legem, & Prophetas ab eis accepimus. In vſura enim non ſolum id, quod datur, ſed etiam id, quod non datum eſt, perſoluitur. Vnde manifeſtum eſt, nos ad vſuram legem & Prophetas ſuſcepiſſe, qui in eorum ſolutione præter litteram, ſpiritualem quoque intelligentiam ſoluimus. Sacra enim ſcriptura, & pecunia nobis eſt, & aurum, & argentum, & cibus, & potus, & frumentum, & vinum, & aqua, & oleum, & ſimilia. *Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* Mirum niſi per hoc intelligere volueris, quod in Euangelio Dominus ait: *Nolite Sanctum dare Canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Vt quæ hic dicuntur vuæ ibi vocentur margaritæ? Vinea igitur proximi noſtri, vi-

E nea Chriſti Domini noſtri, hæc eſt, quam modo vindemiamus, cuiuſque vuas exponendo comedimus. Manifeſtum ergo eſto, quia maiora Sacramenta foras efferenda, & omnibus exponenda non ſunt. *Si intraueris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu tua conteres, falce autem non metes idipſum.* Per ſegetem, & per vineam ſacra ſcriptura ſignificatur, ingreſſus igitur in hanc ſegetem amici mei, ingreſſus in hunc librum Domini mei, ſpicas frango, & cum labore ſententias euello, quas manu animæ, hoc eſt intelligentia conterens, granum ab ariſtis, & ſpiritum à littera ſecerno, falce autem non meto, quia nec facilè, nec cito multa exponendo tranſcurro. Sufficit mihi vix paucos manipulos manibus per dies euellere. Iudæi enim falce metunt, qui totum ſubito librum legentes, & colligentes, nihil intelligunt. Vtinam & ipſi pauca legentes intelligere procurarent.

CAPVT XXIV.

F *SI acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua: Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit, dederitque ei libellum repudij, & dimiſerit eam de domo ſua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam, quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino.* Quid per hanc mulierem, quæ propter ſuam fœditatem, à viro ſuo dimittitur, niſi aliquam hæreticorum ſectam intelligamus? Cui ſi aliquis homo malè coniunctus, eius fœditatem, & errorem, diuina inſpiratione, intellexerit dimittet eam de domo ſua, ideſt de ſecreto pectoris ſui, & ſcribet libellum repudij, & dabit in manu eius, quia non ſufficit ſolis, & ſimplicibus verbis, verum etiam ſcripto, & iuramento, tam nefando coniugio ſeparari. Hoc enim ordine tale diuortium adhuc in Eccleſia fieri videmus. *Hæc autem ſi alterum maritum duxerit*, (multos enim maritos G habet vnaquæque hæreſis) *& ille ſimiliter propter eandem rem oderit, & dimiſerit eam, vel certè in ea mortuus fuerit prior maritus recipere non poterit eam*, tum quia polluta, & abominabilis eſt, tum quia firmiſſima libelli ſeparatione ab ea diuiſus eſt. Hæc autem nobis ad ſignificationem, Iudæis vero ad Cordis duritiam dicta ſunt, ſic enim in Euangelio Dominus ait: *Propter duritiam cordis illorum, præcepit eis libellum repudij ſcribere Moyſes, & dimittere vxores ſuas*, Non quod bonum quantum ad litteram, hoc eſſet, ſed quia dura Corda aliter molliri non poterant. Vnde & alibi dicitur. *Quia dedit illis præcepta non bona. Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam neceſſitatis iniungetur publica.* Hoc de illis intelligimus, qui nouiter ad fidem venientes, Chriſtianæ religioni iunguntur, vt bonorum operum filios ex ea, & cum ea generent, & ipſi quidem tamdiu vacare, & ab Eccleſiaſticis diſpoſitionibus alieni eſſe debent, donec in hac religione perfecti, & do- H mum ſuam bene diſpoſuiſſe inueniantur, poſtea vero ad bellum procedere, & contra hæreticos, & Tyrannos pugnare poterunt. *Non accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam, quia animam ſuam appoſuit tibi.* Has duas molas, nouum, & vetus Teſtamentum ſignificare puto, & inferior quidem vetus, ſuperior vero nouum deſignat. ipſa enim ſcriptura voluitur: Ipſa exponitur, ipſa in farinam cuncta conuertit. Ipſa nos paſcit, ipſa nobis præparat vnde viuamus. Nos igitur loco pignoris, hanc vel illam ab Eccleſia non ſuſcipiamus. Fidem dedimus, nihil charius habuimus: non itaque pignus, ſed proprium ſit quidquid ab ea accepimus. Quod enim pro pignore datur, hoc nequit ſemper haberi, neque vt volumus vti poſſumus. Non ergo loco pignoris, ſed quaſi proprias has molas ſuſcipiamus. Neque enim ſine eis viuere valemus. Quid enim nobis proprium erit, ſi vita ipſa pignus fuerit? Vnde & merito hic dicitur: *quia animam ſuam appoſuit tibi*: quod tale eſt ac ſi diceret: Nihil tibi melius, nihil pretioſius dare potuit, in his eius vita, eius doctrina, eius fides, eiuſque anima conſiſtit. Tene ergo quod habes, proprium tibi ſit, quod accepiſti, quia nihil tibi melius in

hac vita dari potuit. *Si deprehenſus fuerit homo ſollicitans fratrem ſuum de filiis Iſraël, & vendito eo accipiens pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.* Hoc etſi ad litteram de plagiariis intelligatur, de malis etiam Iudicibus intelligi poteſt: qui auaritia obcæcati, pretio iuſtitiam peruertunt, & innocentes homines damnant, & vendunt. In morte vero corporis pœna animæ ſignificatur. *Obſerua diligenter, ne incurras in plagam lepræ: ſed facies quæcunque docuerint te Sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple ſollicitè. Memento quæſo quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto.* Non de corporis, ſed de animæ lepra iſta dicuntur. Animæ namque lepra peccatũ eſt, illa anima leproſa, quæ peccati maculis eſt vulnerata. Hanc lepram incurrunt, qui Dei ſacerdotibus credere nolunt. Hac & Maria percuſſa eſt, quia contra Moyſen locuta eſt. Hac & Iudæi percutiuntur, quoniam de Chriſto malè loquuntur. Cætera vero, quæ hic ſequuntur, quoniam honeſtate, miſericordia, & pietate plena ſunt, ad litteram ſufficit intelligere, neque aliam ſignificationem videntur exquirere. *Memento quod & tu ſeruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus. Idcirco præcipio tibi, vt facias hanc rem. Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, ne reuertaris vt tollas eum: ſed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.* Ac ſi dicat: Ne deſpicias aduenas & peregrinos, quia & tu aduena fuiſti in terra Ægypti. Sufficiebat autem Iudæis omnia hæc ad litteram obſeruaſſe, quamvis alterius eſſent rei ſignificatiua. Hæc enim quoniam hic narrantur, quamvis tunc temporis eis ad iuſtitiam contingebant, modo tamen eis mortem miniſtrant. Vnde Apoſtolus ait: *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Quid enim per hunc agrum, quem Iudæi metunt, in quo & obliuioſi manipulos relinquunt, niſi hunc librum legis intelligimus? Hunc quotidie metunt & colligunt, multoque plura poſt ſe per obliuionem relinquunt, quam apertis oculis ante ſe congregant, atque intelligentiam ſpiritualem aduenis, pupillis & viduis relinquunt. Si enim conſideremus, quanta in paucis verbis ſint ſacramenta, valdè obliuioſos ſtultos, & metendi neſcios hos meſſores inueniemus, qui quæque meliora relinquentes, paleis ſe onerant, & vacuis ariſtis. Quantum enim ad ſpiritualem intelligentiam, non præcipiendo eis dicitur: ad tollendos manipulos non reuertantur, ſed prophetizando, quia ſic futurum eſſe ſciebat. Sic enim dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Illi enim ad tollendos manipulos reuertuntur, qui ſacras ſcripturas legentes, iterum atque iterum eadem repetunt, quia, vt quidam ait, verba decies repetita placebunt. Vnde etiam animalia quæ non ruminant, immunda eſſe dicuntur. Quid eſt enim ruminare, niſi eumdem cibum ſæpius voluere? Aduena autem pupillus & vidua Eccleſia Gentium eſt, quæ de longè, & ex omnibus mundi partibus ad Chriſtum, & ad fidem venit. Hæc eſt enim Regina Auſtri, quæ *venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.* De qua vidua & Pſalmiſta loquitur dicens: *Viduam eius benedicens benedicam pauperes eius ſaturabo panibus. Si fruges collegeris oliuarum, quicquid remanſerit in arboribus, non reuerteris vt colligas: ſed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in vſus aduenæ pupilli, ac viduæ.* Idipſum per oliuam, & vineam intelligitur, quod modo per agrum ſignificari diximus. Diuina enim ſcriptura & frumentum nobis, & oleum miniſtrat, & vinum. In quibuſdam enim locis quaſi panis difficilè editur: in quibuſdam vt vinum facilè ſorbetur, vbique autem quaſi medicamentum & oleum animæ medetur.

CAPVT XXV.

SI fuerit cauſa inter aliquos, & interpellauerint Iudices, quem iuſtum eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. Si autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus. In hoc iudicio iuſtitia comprobatur, ſi illis qui iuſtitiam habent, iuſtitiæ palmam tribuant, iniuſtos autem diſſimili retributione afficiant. Merito autem in quadragenario plagarum numero correctionis modus conſtituitur, quoniam illa diſciplina perfecta, & integra eſt, quæ vtriuſque teſtamenti authoritate munitur. Quia enim quadragenarius numerus ex quater decies conſtat, vtrumque ſignificat teſtamentum: quater enim decem, vel decies quatuor, quadraginta ſiunt. Cur autem in decem vetus, & in quatuor nouum teſtamentum ſignificetur, manifeſtum eſt. Hanc autem diſciplinam ſe Apoſtolus ſuſtinuiſſe ſignificat, dicens: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Vna ei adimebatur, ne fœde laceratus abiret. Et rectius eis videbatur, vt vnam ſubtraherent, quam vt numerum lege conſtitutum excederent. *Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas.* De hoc Apoſtolus dicit: *Numquid de bobus cura eſt Deo:* Significans hoc ad litteram non debere intelligi. Iſti enim boues Apoſtoli ſunt, & Doctores, qui in area Eccleſiæ Sanctarum Scripturarum frumenta terentes, triticum à paleis, & ſpiritualem intelligentiam ſeparant à litteris. His autem os ligari non debet, quia dignus eſt operarius mercede ſua. Vnde idem Apoſtolus ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, non magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* Decet enim vt carnali cibo eum reficias, qui te ſpiritualibus delitiis pauit. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël.* Iſti ſunt illi fratres, de quibus dicitur: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Iſti etſi non corpore, mente tamen & ſpiritu, omnes ſimul habitant. Ex his autem vnus quilibet abſque liberis moritur, quando Epiſcopus ex hac vita tranſiens, nullum ex ſuis ſubiectis in Eccleſia ſua talem relinquit, qui eius cathedra dignus habeatur. Quæritur ergo ex alia Eccleſia, cui vxor defuncti coniungatur. Et ipſe quidem defuncti frater erit, non natura, ſed officio. Et vt eiuſdem bonitatis ſit, & humanitatis, eiuſdem fidei, & charitatis, & quaſi frater fratri conſimilis. Iſte autem ſuſcitabit ſemen fratris ſui, vt quos vel in peccatis mortuos, vel malo ſomno grauatos inuenerit, ad bonum opus euigilare faciat. Et primogenitum nomine illius appellabit. Primogenitum quidem, non quod prius genitus ſit, ſed qui merito ſanctitatis inter omnes eius genitos primus, & maximus habeatur. Et iſte quidem vocabitur Epiſcopus, hoc eſt enim nomen defuncti, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël, vt numquam Eccleſia Epiſcopo careat, & numquam hoc nomen in ea deficiat. Si autem noluerit accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque: *Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſraël, nec me in coniugem accipere. Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit, Nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius & dicet? Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui. Et vocabitur nomen illius in Iſraël. Domus diſcalceati.* Quare ante portam ciuitatis iudicium quæritur, niſi quia ibi Iudices ſedent? Dominus de ſe ipſo loquitur dicens: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Et ante hanc portam ſedent Epiſcopi, vt eius lumine illuſtrati, nuſquam deuient à veritate recedentes. Ad hos omnes cauſas deferri, eorumque iudicio definiri opus eſt. His ergo præſentibus accedit ad fratrem viri ſui, & quia eam in coniugium accipere noluit, tollit calceamentum de pede eius: Quid eſt calceamentum de pede tollere, niſi euangelizandi licentiam auferre? Vnde ait Apoſtolus: *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Spuit inſuper in faciem

eius, quia palam & manifeſtè eum contemptibilem, & tanti honoris indignum eſſe oſtendit. Hoc autem de illis rectiſſimè intelligi poteſt, qui maiores ambientes, minoribus ſe Eccleſiis præfici contemnunt. Quos non animarum ſalutem, ſed honoris gloriam quærere non eſt dubium. Iuſtum autem eſſet, vt ſemper excalceati, & expuitionum potius, quam talis coniugij digni iudicarentur. Hoc eſt enim quod ait: Et vocabitur nomen eius in Iſraël domus diſcalceati. Quis enim calceare eum audeat, quis calceati officium illi tribuat, qui ipſa nominis appellatione ſe excalceatum eſſe demonſtrat? *Si habuerint inter ſe iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volenſque vxor alterius eruere virum ſuum de manu fortioris, miſeritque manum, & apprehenderit verenda eius, abſcindes manum illius, nec flecteris ſuper eam vlla miſericordia.* Viri iſti, qui inter ſe rixantur, Epiſcopi ſunt, qui pro rebus Eccleſiaſticis ſæpiſſimè inter ſe contendunt. Horum autem ille quidem fortior eſt, cuius cauſa pro ſua iuſtitia maiores vires habere videtur. Vxor vero alterius non ſolum tota eius Eccleſia, verum etiam aliquis de plebe illius intelligi poteſt. Hic autem volens eruere Epiſcopum ſuum de manu fortioris, mittit manum & apprehendit verenda eius, ſi illum, cui rationibus reſiſtere non valet, conuitiis laceſſit, & aliquid ei, vnde erubeſcere debeat, in faciem apponit. Super hoc autem nulla miſericordia habenda eſt: ſed manus illa procaciſſima ſtatim eſt abſcindenda, & lingua illa in frenis fortiter cohibenda. Quod autem & lingua manum habeat, ſcriptura teſtatur: *Mors & vita in manu linguæ.* Hæc autem mihi nuper accidiſſe memini. Qui dum pro Eccleſia Sipontina cum Beneuentano Epiſcopo litigarem, mox Archidiaconus eius per verenda arripere me conatus, iniuſtè me diffamare cœpit. Sed eius linguæ ſuperba manus confeſtim abſciſſa eſt. Et à Concilio reprehenſus veniam ſatisfaciens petiit, & impetrauit. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iuſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, & multo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Si huius ſæculi negotiatores hæc ſecundum litteram intelligerent, & cuſtodirent, non tantum lucrarentur in eis decipiendo, quantum lucrarentur cuſtodiendo. Nos autem non habeamus diuerſa pondera in ſacculo pectoris noſtri, ſed ſint æqua omnia, & iuſta. Nihil ſine ordine, nihil ſine libra, & vera menſura faciamus. Et quia *non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, nos quoque in iudicio perſonam non accipiamus. Sequitur autem de eo, quod Moyſes præcepit filiis Iſraël, *vt poſtquam in terra promiſſionis quiete habitarent, delerent totum Amalech de ſub cœlo, quoniam occurrit eis in via, & extremos agminis eius interfecit, quando exercitus erat fame, & labore confectus.* Quid enim per Amalech, qui Populus brutus, ſiue Populus lingens interpretatur, niſi Hæreticos intelligimus? Qui & quaſi bruta animalia Deum non timent, & eos quos poſſunt lingendo, & adulando decipiunt. Et iſti quidem populo Dei, ad ſupernam patriam feſtinanti, in via occurrunt. Iſti eius iter impedire nituntur. Iſti, quia primos, & fortiores non valent, extremos quoſque, & imperfectiores decipiunt, & occidunt. Sed notandum eſt. quia tunc maximè hæreticorum perſuaſio vires habet, quando populus fame & labore conſumitur. Fame vtique audiendi verbi Dei. Qui enim hoc cibo ſunt refecti, hæreticorum non timent inſidias. Illi quoque facile ab eis vincuntur, quos in via mandatorum Dei iam labore fatigatos currere tædet. Hunc ergo populum deleuit Eccleſia, & poſt Tyrannorum bella, cum iam videretur eſſe quieta, ſuperauit.

CAPVT XXVII.

PRæcepit autem Moyſes, vt poſtquam populus tranſierit Iordanem, erigat ingentes lapides, quos poſtquam calce leuigauerint, ſcribant in eis lucidè, & apertè, omnia verba legis huius, vt poſſit intrare terram lacte & melle manantem. Faciat quoque altare ſuper montem Hebal de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impolitis, & offerat ſuper eo holocauſtum Domino Deo ſuo. De his lapidibus ſcriptum eſt: *Lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram.* Hos ergo lapides illi erigunt, qui iam per Iordanem tranſierunt. Iordanem enim Ioſuë, Iordanem aperuit Ieſus. Ipſe nos docuit quid Iordanis aqua ſignificet, quoniam ibi baptizatus diſcipulis ſuis præcepit dicens: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Iſti ergo ſunt, qui erigunt ingentes lapides. Iſti ſunt, qui vbique terrarum edificant Eccleſias. Iſti totius mundi Reges & Principes ad fidem conuertunt. Iſti quidem hos lapides leuigantes, iſti eos & charitatis glutino ſolidantes, ſcribunt in eis dilucidè, & apertè, non autem in nube & caligine, omnia verba, quæ in hoc libro nouæ legis continentur. Hæc enim vt Apoſtolus ait, *non atramento, ſed ſpiritu Dei in cordibus noſtris ſcripta ſunt.* Scripta ſunt quoque verba in corde Iudæorum, ſed neque lucidè, neque apertè, ideoque de eis dicitur: Cæcitas ex parte contingit in Iſraël. Quod autem ait: *Vt poſſit intrare in terram lacte, & melle manantem*, ex hoc ſignificare videtur, quod nemo terram viuentium intrabit, qui prius per baptiſmum non tranſierit, & nouæ legis fidem, atque doctrinam non ſuſceperit. Sed quid per altare ſignificatur, quod de lapidibus impolitis, & ſaxis informibus ſuper montem Hebal conſtruitur? Eccleſia vtique, in qua omnia ſacrificia Chriſtianæ religionis quotidie fiunt. Fit autem hoc altare ſuper montem Hebal, quoniam Sancta Eccleſia in Gentili populo maxima ex parte, conſtituta eſt. Hebal enim vetus vorago interpretatur. Vetus autem vorago in hoc populo erat, quoniam ibi ab antiquis temporibus, maior Inferni, perditioniſque porta patebat. Conſtituitur autem hoc altare ex lapidibus, & ſaxis informibus, quæ ferrum non tetigit, quoniam & Sancta Eccleſia ex impiis, & peccatoribus, & inſenſatis, & Idololatris conſtituta eſt. Qui quidem lapides colebant, & duri, increduli infructuoſique Dei formam, & pulchritudinem, ad cuius imaginem facti fuerant, non habebant, non immerito ideo lapides vocantur. Hos autem ferrum non tetigit, quoniam nondum ſanctæ prædicationis ferramentis dolati, & formati erant. Nondum enim ad eos dolandos venerat ille qui ait: *Vt ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Super hoc autem altare holocauſtum Domino offertur, & victima pacifica immolatur, quia multis modis ei in Sancta Eccleſia quotidie ſacrificatur, Non eſt autem neceſſarium nos hic aliquid de ſacrificiis dicere, de quibus in ſuperioribus libris multa loquuti ſumus. Quod autem ait: *Comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo*, non de carnali, ſed de ſpirituali cibo intelligi debet. Hic enim cibus in Eccleſia ſumitur: hic cibus coram Deo comeditur? *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* Verbum ergo Dei cibus, hoc autem cibo nutritur & pingueſcit anima. Quæ vero ſequuntur, ideo non exponimus, quoniam facilia ſunt, & maxima ex parte ſecundum litteram intelliguntur. His igitur prætermiſſis, ad canticum accedamus.

CAPVT XXVIII.

A*Vdite Cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Quantum ad litteram, cœli & terra audire non poſſunt, quia inſenſibiles ſunt, & aures quæ audiant non habent. Allegoricè autem, per cœlos iuſti, per terram peccatores deſignantur. Magna ergo dicturus eſt, qui bonos & malos, & Angelos atque homines, iuſtos & peccatores ad audiendum inuitat. Et merito quidem cœli dicuntur, quorum conuerſatio in cœlis eſt. Merito etiam terra vocantur, qui de terra facti, ſola terrena, & tranſitoria diligunt. *Concreſcat pluuia inſtar doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum.* Pluuia enim & rore

A hac vita dari potuit. *Si deprehenſus fuerit homo ſollicitans fratrem ſuum de filiis Iſraël, & vendito eo accipiens pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.* Hoc etſi ad litteram de plagiariis intelligatur, de malis etiam Iudicibus intelligi poteſt: qui auaritia obcæcati, pretio iuſtitiam peruertunt, & innocentes homines damnant, & vendunt. In morte vero corporis pœna animæ ſignificatur. *Obſerua diligenter, ne incurras in plagam lepræ: ſed facies quæcumque docuerint te Sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple ſollicitè. Memento quæſo quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto.* Non de corporis, ſed de animæ lepra iſta dicuntur. Animæ namque lepra peccatū eſt, illa anima leproſa, quæ peccati maculis eſt vulnerata. Hanc lepram incurrunt, qui Dei ſacerdotibus credere nolunt. Hac & Maria percuſſa eſt, quia contra Moyſen locuta eſt. Hac & Iudæi percutiuntur, quoniam de Chriſto malè loquuntur. Cætera vero, quæ hic ſequuntur, quo- B niam honeſtate, miſericordia, & pietate plena ſunt, ad litteram ſufficit intelligere, neque aliam ſignificationem videntur exquirere. *Memento quod & tu ſeruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus. Idcirco præcipio tibi, vt facias hanc rem. Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, ne reuertaris vt tollas eum: ſed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.* Ac ſi dicat: Ne deſpicias aduenas & peregrinos, quia & tu aduena fuiſti in terra Ægypti. Sufficiebat autem Iudæis omnia hæc ad litteram obſeruaſſe, quamvis alterius eſſent rei ſignificatiua. Hæc enim quoniam hic narrantur, quamvis tunc temporis eis ad iuſtitiam contingebant, modo tamen eis mortem miniſtrant. Vnde Apoſtolus ait: *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Quid enim per hunc agrum, quem Iudæi metunt, in quo & obliuioſi manipulos relinquunt, niſi hunc librum legis intelligimus? Hunc C quotidie metunt & colligunt, multoque plura poſt ſe per obliuionem relinquunt, quam apertis oculis ante ſe congregant, atque intelligentiam ſpiritualem aduenis, pupillis & viduis relinquunt. Si enim conſideremus, quanta in paucis verbis ſint ſacramenta, valdè obliuioſos ſtultos, & metendi neſcios hos meſſores inueniemus, qui quæque meliora relinquentes, paleis ſe onerant, & vacuis ariſtis. Quantum enim ad ſpiritualem intelligentiam, non præcipiendo eis dicitur: ad tollendos manipulos non reuertantur, ſed prophetizando, quia ſic futurum eſſe ſciebat. Sic enim dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Illi enim ad tollendos manipulos reuertuntur, qui ſacras ſcripturas legentes, iterum atque iterum eadem repetunt, quia, vt quidam ait, verba decies repetita placebunt. Vnde etiam animalia quæ non ruminant, immunda eſſe dicuntur. Quid eſt enim ruminare, niſi eumdem cibum ſæpius voluere? Aduena autem pupillus & vidua Eccleſia Gentium eſt, quæ de longè, & ex omnibus mundi partibus ad Chriſtum, & ad fidem venit. Hæc eſt enim Regina Auſtri, D quæ *venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.* De qua vidua & Pſalmiſta loquitur dicens: *Viduam eius benedicens benedicam pauperes eius ſaturabo panibus. Si fruges collegeris oliuarum, quicquid remanſerit in arboribus, non reuerteris vt colligas: ſed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in vſus, aduenæ pupilli, ac viduæ.* Idipſum per oliuam, & vineam intelligitur, quod modo per agrum ſignificari diximus. Diuina enim ſcriptura & frumentum nobis, & oleum miniſtrat, & vinum. In quibuſdam enim locis quaſi panis difficilè editur: in quibuſdam vt vinum facilè ſorbetur, vbique autem quaſi medicamentum & oleum animæ medetur.

CAPVT XXV.

SI fuerit cauſa inter aliquos, & interpellauerint Iudices, quem iuſtum eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. Si E *autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* In hoc iudicio iuſtitia comprobatur, ſi illis qui iuſtitiam habent, iuſtitiæ palmam tribuant, iniuſtos autem diſſimili retributione afficiant. Merito autem in quadragenario plagarum numero correctionis modus conſtituitur, quoniam illa diſciplina perfecta, & integra eſt, quæ vtriuſque teſtamenti authoritate munitur. Quia enim quadragenarius numerus ex quater decies conſtat, vtrumque ſignificat teſtamentum: quater enim decem, vel decies quatuor, quadraginta fiunt. Cur autem in decem vetus, & in quatuor nouum teſtamentum ſignificetur, manifeſtum eſt. Hanc autem diſciplinam ſe Apoſtolus ſuſtinuiſſe ſignificat, dicens: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Vna ei adimebatur, ne fœde laceratus abiret. Et rectius eis videbatur, vt vnam ſubtraherent, quam vt numerum F lege conſtitutum excederent. *Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas.* De hoc Apoſtolus dicit: *Numquid de bobus cura eſt Deo:* Significans hoc ad litteram non debere intelligi. Iſti enim boues Apoſtoli ſunt, & Doctores, qui in area Eccleſiæ Sanctarum Scripturarum frumenta terentes, triticum à paleis, & ſpiritualem intelligentiam ſeparant à litteris. His autem os ligari non debet, quia dignus eſt operarius mercede ſua. Vnde Idem Apoſtolus ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, non magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* Decet enim vt carnali cibo eum reficias, qui te ſpiritualibus deliciis pauit. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël.* Iſti ſunt illi fratres, de quibus dicitur: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Iſti G etſi non corpore, mente tamen & ſpiritu, omnes ſimul habitant. Ex his autem vnus quilibet abſque liberis moritur, quando Epiſcopus ex hac vita tranſiens, nullum ex ſuis ſubiectis in Eccleſia ſua talem relinquit, qui eius cathedra dignus habeatur. Quæritur ergo ex alia Eccleſia, cui vxor defuncti coniungatur. Et ipſe quidem defuncti frater erit, non natura, ſed officio. Et vt eiuſdem bonitatis ſit, & humanitatis, eiuſdem fidei, & charitatis, & quaſi frater fratri conſimilis. Iſte autem ſuſcitabit ſemen fratris ſui, vt quos vel in peccatis mortuos, vel malo ſomno grauatos inuenerit, ad bonum opus euigilare faciat. Et primogenitum nomine illius appellabit. Primogenitum quidem, non quod prius genitus ſit, ſed qui merito ſanctitatis inter omnes eius genitos primus, & maximus habeatur. Et iſte quidem vocabitur Epiſcopus, hoc eſt enim nomen defuncti, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël, vt numquam Eccleſia Epiſcopo careat, & numquam hoc nomen in ea deficiat. Si autem noluerit accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit H maiores natu, dicetque: *Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſraël, nec me in coniugem accipere. Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit, Nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetque in faciem illius & dicet? Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui. Et vocabitur nomen illius in Iſraël. Domus diſcalceati.* Quare ante portam ciuitatis iudicium quæritur, niſi quia ibi Iudices ſedent? Dominus de ſe ipſo loquitur dicens: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Et ante hanc portam ſedent Epiſcopi, vt eius lumine illuſtrati, nuſquam deuient à veritate recedentes. Ad hos omnes cauſas deferri, eorumque iudicio definiri opus eſt. His ergo præſentibus accedit ad fratrem viri ſui, & quia eam in coniugium accipere noluit, tollit calceamentum de pede eius: Quid eſt calceamentum de pede tollere, niſi euangelizandi licentiam auferre? Vnde ait Apoſtolus: *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Spuit inſuper in faciem

eius,

A eius, quia palam & manifeſtè eum contemptibilem, & tanti honoris indignum eſſe oſtendit. Hoc autem de illis rectiſſimè intelligi poteſt, qui maiores ambientes, minoribus ſe Eccleſiis præfici contemnunt. Quos non animarum ſalutem, ſed honoris gloriam quærere non eſt dubium. Iuſtum autem eſſet, vt ſemper excalceari, & expuitionum potius, quam talis coniugij digni iudicarentur. Hoc eſt enim quod ait: Et vocabitur nomen eius in Iſraël domus diſcalceati. Quis enim calceare eum audeat, quis calceati officium illi tribuat, qui ipſa nominis appellatione ſe excalceatum eſſe demonſtrat? *Si habuerint inter ſe iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volenſque vxor alterius eruere virum ſuum de manu fortioris, miſeritque manum, & apprehenderit verenda eius, abſcindes manum illius, nec flecteris ſuper eam vlla miſericordia.* Viri iſti, qui inter ſe rixantur, Epiſcopi ſunt, qui pro rebus Eccleſiaſticis ſæpiſſimè inter ſe contendunt. Horum autem ille quidem fortior eſt, cuius cauſa pro ſua iuſtitia maiores vires habere vi-B detur. Vxor vero alterius non ſolum tota eius Eccleſia, verum etiam aliquis de plebe illius intelligi poteſt. Hic autem volens eruere Epiſcopum ſuum de manu fortioris, mittit manum & apprehendit verenda eius, ſi illum, cui rationibus reſiſtere non valet, conuitiis laceſſit, & aliquid ei, vnde erubeſcere debeat, in faciem apponit. Super hoc autem nulla miſericordia habenda eſt: ſed manus illa procaciſſima ſtatim eſt abſcindenda, & lingua illa in frenis fortiter cohibenda. Quod autem & lingua manum habeat, ſcriptura teſtatur: *Mors & vita in manu linguæ.* Hæc autem mihi nuper accidiſſe memini. Qui dum pro Eccleſia Sipontina cum Beneuentano Epiſcopo litigarem, mox Archidiaconus eius per verenda attripere me conatus, iniuſtè me diffamare cœpit. Sed eius linguæ ſuperba manus confeſtim abſciſſa eſt. Et à Concilio reprehenſus veniam ſatisfaciens petiit, & impetrauit. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iuſtum & verum, & modius*

C *æqualis & verus erit tibi, & multo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Si huius ſæculi negotiatores hæc ſecundum litteram intelligerent, & cuſtodirent, non tantum lucrarentur in eis decipiendo, quantum lucrarentur cuſtodiendo. Nos autem non habeamus diuerſa pondera in ſacculo pectoris noſtri, ſed ſint æqua omnia, & iuſta. Nihil ſine ordine, nihil ſine libra, & vera menſura faciamus. Et quia *non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, nos quoque in iudicio perſonam non accipiamus. Sequitur autem de eo, quod Moyſes præcepit filiis Iſraël, *vt poſtquam in terra promiſſionis quiete habitarent, delerent totum Amalech de ſub cœlo, quoniam occurrit eis in via, & extremos agminis eius interfecit, quando exercitus erat fame & labore confectus.* Quid enim per Amalech, qui Populus brutus, ſiue Populus lingens interpretatur, niſi Hæreticos intelligimus? Qui & quaſi bruta animalia Deum non timent, & eos quos

D poſſunt lingendo, & adulando decipiunt. Et iſti quidem populo Dei, ad ſupernam patriam feſtinanti, in via occurrunt. Iſti eius iter impedire nituntur. Iſti, quia primos, & fortiores non valent, extremos quoſque, & imperfectiores decipiunt, & occidunt. Sed notandum eſt, quia tunc maximè hæreticorum perſuaſio vires habet, quando populus fame & labore conſumitur. Fame vtique audiendi verbi Dei. Qui enim hoc cibo ſunt refecti, hæreticorum non timent inſidias. Illi quoque facile ab eis vincuntur, quos in via mandatorum Dei iam labore fatigatos currere tædet. Hunc ergo populum deleuit Eccleſia, & poſt Tyrannorum bella, cum iam videretur eſſe quieta, ſuperauit.

CAPVT XXVII.

PRæcepit autem Moyſes, vt poſtquam populus tranſierit Iordanem, erigat ingentes lapides, quos poſtquam

E calce leuigauerint, ſcribant in eis lucidè, & apertè, omnia verba legis huius, vt poſſit intrare terram lacte & melle manantem. Faciat quoque altare ſuper montem Hebal de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impolitis, & offerat ſuper eo holocauſtum Domino Deo ſuo. De his lapidibus ſcriptum eſt: *Lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram.* Hos ergo lapides illi erigunt, qui iam per Iordanem tranſierunt. Iordanem enim Ioſuë, Iordanem aperuit Ieſus. Ipſe nos docuit quid Iordanis aqua ſignificet, quoniam ibi baptizatus diſcipulis ſuis præcepit dicens: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Iſti ergo ſunt, qui erigunt ingentes lapides. Iſti ſunt, qui vbique terrarum edificant Eccleſias. Iſti totius mundi Reges & Principes ad fidem conuertunt. Iſti quidem hos lapides leuigantes, iſti eos & charitatis glutino ſolidantes, ſcribunt in eis dilucidè, & apertè, non autem in nube & caligine, omnia verba, quæ in hoc libro nouæ legis continentur. Hæc enim vt Apoſtolus ait,

F *non atramento, ſed ſpiritu Dei in cordibus noſtris ſcripta ſunt.* Scripta ſunt quoque verba in corde Iudæorum, ſed neque lucidè, neque apertè, ideoque de eis dicitur: Cæcitas ex parte contingit in Iſraël. Quod autem ait: *Vt poſſit intrare in terram lacte, & melle manantem*, ex hoc ſignificare videtur, quod nemo terram viuentium intrabit, qui prius per baptiſmum non tranſierit, & nouæ legis fidem, atque doctrinam non ſuſceperit. Sed quid per altare ſignificatur, quod de lapidibus impolitis, & ſaxis informibus ſuper montem Hebal conſtruitur? Eccleſia vtique, in qua omnia ſacrificia Chriſtianæ religionis quotidie fiunt. Fit autem hoc altare ſuper montem Hebal, quoniam Sancta Eccleſia in Gentili populo maxima ex parte, conſtituta eſt. Hebal enim vetus vorago interpretatur. Vetus autem vorago in hoc populo erat, quoniam ibi ab antiquis temporibus, maior Inferni, perditioniſque porta patebat. Conſtituitur autem hoc altare ex lapidibus, & ſaxis informibus, quæ ferrum non tetigit, quoniam & Sancta Eccleſia ex impiis, &

G peccatoribus, & inſenſatis, & Idololatris conſtituta eſt. Qui quidem lapides colebant, & duri, increduli infructuoſique Dei formam, & pulchritudinem, ad cuius imaginem facti fuerant, non habebant, non immerito ideo lapides vocantur. Hos autem ferrum non tetigit, quoniam nondum ſanctæ prædicationis ferramentis dolati, & formati erant. Nondum enim ad eos dolandos venerat ille qui ait: *Vt ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Super hoc autem altare holocauſtum Domino offertur, & victima pacifica immolatur, quia multis modis ei in Sancta Eccleſia quotidie ſacrificatur. Non eſt autem neceſſarium nos hic aliquid de ſacrificiis dicere, de quibus in ſuperioribus libris multa loquuti ſumus. Quod autem ait: *Comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo*, non de carnali, ſed de ſpirituali cibo intelligi debet. Hic enim cibus in Eccleſia ſumitur: hic cibus coram Deo comeditur? *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* Verbum ergo Dei cibus, hoc autem cibo nutritur & pin-

H gueſcit anima. Quæ vero ſequuntur, ideo non exponimus, quoniam facilia ſunt, & maxima ex parte ſecundum litteram intelliguntur. His igitur prætermiſſis, ad canticum accedamus.

CAPVT XXVIII.

AVdite Cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Quantum ad litteram, cœli & terra audire non poſſunt, quia inſenſibiles ſunt, & aures quæ audiant non habent. Allegoricè autem, per cœlos iuſti, per terram peccatores deſignantur. Magna ergo dicturus eſt, qui bonos & malos, & Angelos atque homines, iuſtos & peccatores ad audiendum inuitat. Et merito quidem cœli dicuntur, quorum conuerſatio in cœlis eſt. Merito etiam terra vocantur, qui de terra facti, ſola terrena, & tranſitoria diligunt. *Concreſcat pluuia inſtar doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum.* Pluuia enim & rore

fœcundatur

fœcundatur terra, quibus parturiens germinat, & germinans conſeruatur. Talem igitur doctrinam ſuam fieri optat, qua campus animæ madefactus, in bonorum operum fructus prorumpat. *Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina, quia nomen Domini inuocabo.* Talis, inquit, ſit doctrina mea, & ſic mentes, quas irrigat viuificet, nutriat, & fœcundet, ſicut imber, & plouiarum ſtillæ ſuper herbam & gramina, creſcere ea faciat. Hoc autem ideo, *quia nomen Domini inuocabo,* cuius inuocatione ſanctificantur, & gubernantur omnia. *Date magnificentiam Deo noſtro, Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia.* Date, inquit, ô cœli & terra, magnificentiam Deo noſtro, ideſt, magnificate. Dominum enim magnificare, eſt Dei magnificentiam prædicare. Neque aliter magnificatur, qui neque creſcere, neque minui poteſt. Dei perfecta ſunt opera. Nihil imperfectum fecit Deus, multa tamen imperfecta videmus, quæ Dei opera eſſe non dubitamus. De prima igitur creatione hoc intelligatur, in qua nihil fuit diminutum: nihil aliqua parte vitiatum. Magnificemus ergo illum, qui omnium primordia, perfecta creauit. *Et omnes viæ eius iudicia.* Via eius eſt fides. Hac enim venitur ad eum, ſed hæc iudicat infideles. Hæc ergo iudicium eſt. Similiter autem & patientia iudicantur impatientes, iuſtitia & pietate, impij, ſic & in aliis. Omnes ergo viæ eius iudicia. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus.* Vnde manifeſtum eſt, quia viæ eius non ſolum iudicia ſunt, verum etiam iuſta iudicia. Lætentur ergo boni, timeant & mali. Sed quare timeant? *Quia peccauerunt ei.* Boni vero lætentur, quia filij eius ſunt, & in ſordibus non ſunt. Si enim adhuc in ſordibus eſſent, eius filij non eſſent. Nunc autem ad poſteriora mentem dirigens, & Iudæos Idola colentes, & contra Chriſtum inſurgentes, in ſpiritu contemplatus, exclamat dicens: *Generatio praua atque peruerſa, haeccine reddis Domino, Popule ſtulte & inſipiens?* Hoc inquit, de te ipſe promeruit, quia hæc tanta bona, quæ in ſequentibus enumerantur, tibi largitus eſt? *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, fecit & creauit te?* Ipſe inquit, quem tu derelinquis, quem in Diis aliis prouocas, & ad iracundiam concitas, ipſe, non alius, eſt pater tuus, qui te ab initio poſſedit, & fecit, & creauit. Hoc autem ſi neſcis, fac quod ſequitur, & verum hoc eſſe probabis. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Quid dicent tibi? Hoc videlicet: Quia iſte, quem tu inſipiens relinquis, & deſpicis, pater tuus eſt, & poſſeſſor, & creator. Hoc enim maiores tui teſtantur. Hoc Iſaias, Ieremias, & cæteri Prophetæ confitentur. Et ipſe quidem cum omnium Dominus eſſet, cum omnes gentes in poteſtate habuiſſet, te ſolum tamen in partem elegit. Te ſolum ſuæ hæreditatis funiculum eſſe voluit. Hoc eſt enim quod dicit. *Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit numerum populorum iuxta numerum filiorum Iſraël. Pars autem Domini populus eius. Iacob funiculus hæreditatis eius.* Vide igitur, quantum eum diligere, & quam fidelis ei eſſe debeas, qui ex omnibus mundi nationibus, te ſolum ſibi in hæreditatem ſuſcepit. Hæc autem diuiſio gentium, & hæc ſeparatio filiorum Adam illa eſſe videtur, quæ in Turris ædificatione facta eſt, ſiue potius quæ in eius diſpoſitione erat ante ſæcula. *Tunc enim conſtituit Dominus terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſraël.* Quoniam tot mundi partes fore conſtituit, quot & filios Iſraël præſciuit. Duodecim enim ſunt mundi partes totidem venti inde ſpirantes. Cum enim quatuor ſint venti principales, vnuſquiſque autem duos collimitaneos habeat, vnum videlicet à dextris, & alterum à ſiniſtris duodecim eſſe non dubium eſt. Si autem per filios Iſraël Apoſtolos ſignificemus, hoc ſic erit, intelligendum. Quia quod ipſi, in prædicationem, mundum in partes duodecim diuiſerunt, ſic eſſe futurum prius à Domino conſtitum fuerat. Alia vero tranſlatio ſic habet. *Conſtituit terminos gentium, ſecundum numerum Angelorum Dei.* Vt tot ex electis cœlos aſcendere intelligamus, quot malis inde ruentibus boni Angeli ibi remanſerunt. *Inuenit eum in terra deſerta in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis.* Quod eſt inuenit eum? niſi cognouit, atque probauit? Tunc enim aliquem ex toto inuenimus, quando eum qualis ſit manifeſtè cognoſcimus. Et quia in aduerſis homo cognoſcitur, merito eum in deſerto inueniſſe Dominus dicitur. Quamvis enim Dominus huic populo plurima bona Deus præſtiterit, multoties tamen, ſicut ſuperius legitur, eum tentauit: & ad iracundiam prouocauit. Ipſe autem è contra ſemper ei miſerebatur. Vnde ſubditur. *Circunduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.* Hoc eſt quod ſuperius dicitur. Sufficit vobis circuire montem iſtum. Et circuimus, inquit Moyſes, montem Seir longo tempore. Per quadraginta namque annos circumduxit eos Dominus per deſertum, donec illi omnes interirent, qui prius à viginti anni, & ſupra numerati fuerant. Semper autem docuit qualiter ſe habere debuiſſent, & quaſi pupillam oculi eos cuſtodiuit. Qua in re maxima, perfectaque cuſtodia ſignificatur. Vſitata namque locutio eſt, vt eos, quos multum diligimus quaſi oculos noſtros diligere dicamus. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum: atque portauit in humeris ſuis.* Sic, inquit, Dominus ſemper filios Iſraël cuſtodiuit, & docuit ad iuſtitiam: & ad bonum opus prouocauit: ac ſuper eos in columna nubis & ignis volitauit: Sicut aquila ſuper pullos ſuos facere conſueuit. Metaphoricè loquitur, vt per hoc, & attentiſſima cura in illum populum fuiſſe demonſtretur. *Dominus ſolus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.* Stulte igitur loquebantur filij Iſraël, quando vitulum aureum adorantes dicebant. Iſti ſunt Dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum.* Iam nunc de futuris, quaſi de præteritis loquitur. Vocat autem terram promiſſionis, terram excelſam, ſiue quia montuoſa eſt: ſiue quia aliis terris fœcunditate excellentior, & nobilior eſt: ſiue etiam quia terram viuentium ſignificat. Ibi autem potius comedebat fructus agrorum: quibus fructibus, & corpus, & anima replebatur. Agri enim ſunt iſti libri, quorum fructum nunc exponendo comedimus. Hunc autem qui bene comedit, ſuper excelſam terram conſtitutus eſt. Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Hoc videtur exponere pſalmiſta, vt ait. Dedit eis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. *Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant.* Hoc eſt enim. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram.* Quod eſt. *Dedit eis regiones gentium.* Et hoc eſt. *Comedere fructus agrorum; & ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Quod eſt *cuſtodire iuſtificationes eius, & legem eius exquirere.* Qui enim ſacras ſcripturas benè vult meditari, ab omni perturbatione eum oportet eſſe quietum. Ideoque filij Iſraël ſuper excelſam terram ſunt conſtituti, vt neminem timentes, quiete viuerent, & populorum labores poſſiderent; quatenus omni cura ſemota Dei iuſtificationes, & legem eius exquirant. Quid enim aliud per petram, & ſaxum duriſſimum, niſi hanc legem intelligamus, quæ in tabulis lapideis ſcripta fuerat? De hac tamen petra, & de hoc ſaxo duriſſimo exſugimus, cuius dulcedine anima ſatiatur. Diuina namque ſcriptura, & cibus nobis eſt, & medicamentum. *Butirum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan. Et hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum.* Hæc ſecundum litteram vera ſunt. Percuſſerunt filij Iſraël Og Regem Baſan: & non ſolum armenta eius oues, & agnos, & arietes, verum etiam omnem eius terram poſſederunt. Poſſumus autem ſpiritualiter per armenta, & oues, & agnos, & arietes, omnem Patriarcharum, & Prophetarum multitudinem intelligere, qui quoniam de ſpiritualibus parentibus nati ſunt, non immerito dicuntur filij Baſan. Baſan enim pinguedo interpretatur. Dicuntur autem armenta propter multitudinem, oues, propter

A ſimplicitatem: propter innocentiam agni, & propter ducatum arietes. De his autem & butyrum,& lac,& adipem ſumimus quoniam eorum verbis & exemplis reficimur. Talis enim cibus dulcis eſt,& ſuauis. Sed quid per hircos, qui in omni ſacrificio pro peccatis immolantur, niſi Chriſtus intelligitur, pro peccatis noſtris immolatus. ſicut Apoſtolus ait. De peccato damnauit peccatum in carne. Iudæi ergo immolando, quodammodo Chriſtum manducabant in hircis: quem nos modo comedimus in medulla tritici. Bene igitur vtrumque poſuit, vt & noſtrum & illorum ſacrificium demonſtraret. Quod vero per ſanguinem vuæ meraciſſimum, Chriſti ſanguis ſignificetur ex eo maxime intelligi poteſt, quod eum non vinum, ſed ſanguinem vocat. Iam tunc ergo ille populus Chriſti carnem & ſanguinem in figura comedebant: quem nos modo in veritate comedimus. Ita vnde ille populus circa ſe tantam Dei largitatem, & benignitatem ſentiens melior, & Deo fidelior eſſe debuerat, inde in ſuperbia elatus, iniquior factus eſt, vnde & ſubditur. B *Incraſſatus eſt dilectus, & calcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus.* O mala pinguedo,quæ contra Deum recalcitrare facit. De hac dicitur. Prodiſt quaſi ex adipe iniquitas eorum. Ipſa enim verborum inculcatio nimiam illorum, & ſuper abundantem iniquitatem oſtendit. *Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in Diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.* Hoc autem exponit. *Immolauerunt Dæmoniis, & non Deo: Diis quos ignorabant. Noui recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Plana ſunt, hæc, quæ quidem illum populum Idololatriæ deditum fuiſſe ſignificant, qui & vnum Deum factorem ſuum dereliquit: & nouos Deos coluit, quos eius parentes non coluerunt. *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Hoc vidit Dominus & ad iracundiam prouocatus concitatus eſt, quia prouocauerunt eum filij ſui: & filiæ.* Huic autem ſimile In pſalmis dicitur. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Quanto enim nobis C aliquis familiarior eſt, tanto, magis, ſi in aliquo offendat dolemus. Et ait. Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum. Quod ſeruis ſuis Dominus faciem ſuam abſcondit, ſeque ab eis videri non patitur, iræ, & indignationis indicium eſt. Ideoque Dauid rogat Dominum dicens, *Oſtende nobis faciem tuam & ſalui erimus.* Conſiderat autem nouiſſima eorum, quia quanto tempore in malis perſiſtunt, & quando ad bonum conuertuntur, quæ pœna eos in futurum expectet, intelligit. *Generatio enim peruerſa eſt & infideles filij. Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis. Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo eos.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret. Ipſi me prouocauerunt, irritauerunt, & ſpreuerunt. Et ego illos prouocabo, & irritabo, & ſpernam: ipſi adorauerunt pro Deo illum, qui non eſt Deus, & ego prouocabo eos recipiamque pro ipſis eum qui non eſt populus, vt vel ſic dolore tabeſcant, dum locum ſuum alios tenere, & bona ſua alios poſſidere D conſpexerint. Sed quomodo populus gentium non eſt populus? Quare autem ſi non eſt populus à Prophetis Populus dicitur? Apoſtolus dicit. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt perdat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* Sicut enim ea intelligimus, quæ non ſunt, ita eum intelligamus, qui non erat populus. Ea enim apud homines quaſi non eſſe dicuntur, quæ tam parua, & humilia ſunt, vt quodammodo non eſt videantur. Vnde etiam vſitata locutione illud quod paruipendimus, nihil eſſe dicere ſolemus. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit ad inferni nouiſſima. Deuorabitque, terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* In hoc igne omnia pœnarum genera ſignificari poſſunt; quibus, vel in hoc ſæculo, vel in futuro peccatores cruciantur. Quoniam illis iratus eſt Dominus. Ardet autem hic ignis vſque ad inferni nouiſſima, quoniam, vt ſcriptura teſtatur, inextinguibilis eſt. Deuorat autem terram cum germine ſuo, ſiue hic iuxta litteram, Ciuitates, & homines, ſiue etiam in inferno peccatores, eorumque filios, E & ſequaces. Montium autem fundamenta diuitiæ ſunt, & honores in quibus potentes huius ſæculi confidunt, quibuſque eleuati ſuperbiunt. Et has quidem vltimus ignis, ſimul cum ſuis poſſeſſoribus comburet. *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Nam & in hac vita ſuper Iudæos multa mala, multaſque tribulationes congregauit Dominus: & in futuro quanta ſuper omnes iniquos congregaturus ſit, quid attinet dicere, Sagittæ autem complentur in eis, quia nulla reſtat omnium ſagittarum: nulla reſtat omnium pœnarum, quæ non ſæuiant ſuper eos. *Conſumentur framea.* Siue hic ab hoſtibus obſeſſi: ſiue etiam, vt ille diues, qui guttam aquæ à Lazaro petebat. *Et deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.* Hoc ſecundum litteram completum eſt: quoniam multoties eorum morticinis, & aues, & beſtiæ, & ſerpentes deuorauerunt, ſecundum illud. *Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli & carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ.* Allegorice autem aues ſerpentes, beſtiæ maligni ſpiritus intelliguntur, qui præ nimia F immanitate, iniquorum pœnis ſaturari non poſſunt. De quibus adhuc ſubditur. *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene.* Qui hoc non intelligit, legat Regum Ioſue, & Machabæorum libros, ſi quis autem hæc de Iudæis, qui modo ſunt, intelligere velit, ſciat omnes à maiori, vſque ad minorem morti, & perditioni debitores? *Et dixi, vbi nam ſunt. Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Ac ſi dicat. Qui modo læti, & exultantes omnes Iudææ ciuitates repleuerant, vbi nunc ſunt vtique in captiuitate, & vbique terrarum diſperſi. Hoc modo ſuperius dixerat. *Et conſiderabo nouiſſima eorum.* Dicendo enim vbi nam ſunt: eorum nouiſſima conſiderat. Ceſſauit autem ex hominibus memoria eorum, quoniam qui prius inter homines nominatiſſimi fuerant. iam nunc nulla memoria, & nulla bona fama digni habentur. G *Sed propter iram inimicorum diſtuli, ne forte ſuperbirent hoſtes eorum. Et dicerent. Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Prius hoc illis accidiſſet: ſed diſtulit Deus, vt eorum inimici intelligerent, quod inſuperabiles eſſent, ſi à Deo non receſſiſſent: At per hoc, quando eorum inimici eos ſuperarent, non ſua fortitudine hoc fieri intelligerent: Sed Dei indignatione, qui ab eis iratus receſſerat. Hucuſque Dominus: nunc autem loquitur Moyſes. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent: & intelligerent, & nouiſſima prouiderent.* Non enim periſſent, ſi in legis, & Prophetarum conſilium ſapienter crediſſent. Denique ſi nouiſſima prouidiſſent, & quæ, & quanta pro ſuis iniquitatibus paſſuri erant, præſciuiſſent, & intellexiſſent, ea forſan non egiſſent. *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Cognoſce inquit, popule ſtulte, & inſipiens, quia non tua, ſed Dei fortitudine, quanto tempore cum H eo fuiſti, infinitam hominum multitudinem cum paucis ſuperaſti. Hoc autem ideo fiebat, quia Iudæorum Deus omnes eorum inimicos in ſeruos eis vendebat. Qui enim Deo fideliter ſeruiunt, quodammodo eius beneficia ſub ſeruitio emunt. Si autem Deus ſuus Deus gentium dicatur, hoc erit intelligendum, Quod maligni ſpiritus ſuos fideles decipiant, & vendant, In magnum ſibi pretium computantes, ſi eos in æternum cruciandi poteſtatem à Deo ſuſcipiant, *Non enim eſt Deus noſter vt Dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Hoc, inquit, inimici noſtri teſtantur, quia Deus noſter maior omnibus eſt, Hucuſque Moyſes: nunc autem Dominus, quod cœpit exequitur. *De vinea ſodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorræ. Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum vinum eorum & venenum aſpidum inſanabile* Merito, inquit, ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum ſicut ceſſauit memoria Sodomorum, ex quibus iſti iniqua imitatione originem ducunt. Vinea enim

A id eſt Iudæorum gens & propago, Sodomorum, & Gomorreorum vineam & gentem malis moribus, & iniqua conuerſatione imitabatur, quaſi alterius vineæ naturam vinea ſequitur, ex ea paſtinata, Huius autem vuæ & botri fellei, & amariſſimi ſunt. Huius vinum fel Draconum, & venenum aſpidum eſt. Quoniam omnis Iudæorum doctrina amara mortifera, & inſanabilis eſt. *Nonne hæc condita ſunt apud me & ſignata in theſauris meis?* Non ſum inquit, oblitus, firmiter in theſauris memoriæ teneo ea, quæ gens iſta contra me ſemper operata eſt. Mea eſt vltio? mihi vindicta. Et, ego retribuam eis in tempore, huic vltioni prædeſtinato. Vt labatur pes eorum. Ne vel ſtare, vel fugere, vel reſiſtere valeant. Hoc autem cito. *Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.* Iterum autem Moyſes loquitur. Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur. Ac ſi dicat. Vere prope eſt dies perditionis, ſed non timeant boni, quia Dominus iuſtus Iudex iudicabit populum ſuum, & iudicando miſerebitur ſeruorum ſuorum. Quid B eſt iudicabit, niſi à malis ſeparabit? Hac enim ſignificatione dicitur. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam.* Videbit quod infirmata ſit manus. Quid eſt videbit? Numquid & modo nos videt? Videbit igitur, id eſt videri faciet, quod manus, & virtus illorum infirmata ſit, qui prius alios potenter affligebant, & ſicut duo ex illis ante fugabant decem millia, ita modo decem millia fugabuntur à duobus. *Et clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt.* Quia capta ciuitate, aut trucidati aut venditi ſunt. Et tunc tandem ſe peccaſſe, & fruſtra Deos coluiſſe, & dæmonia adoraſſe, & de eorum victimis in vanum ſe comediſſe diſcent. Hoc eſt enim quod ait. *Et dicet. Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam.* De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. Hoc autem illi dixerunt: illos autem Dominus irridens ait. Surgant modo, ſi poſſunt, Dij veſtri. Et opitulentur vobis, & in hac tanta neceſſitate vos protegant quod quia non poſſunt, videte cognoſcite, & nunc tandem intelligite, quod ſolus. *Ego ſum Deus, & non eſt* C *alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam.* Ipſo enim viuente, moriuntur omnes, ipſo vocante, reſurgunt omnes. Percutiam, & ego ſanabo Repoſitio eſt. *Et non eſt qui de manu mea poſſit eruere. Leuabo ad cœlum manum meam & dicam Viuo ego in æternum.* Quando Saluator noſter eleuatis manibus ſublatus eſt in cœlum, oſtendit ſe viuere in æternum. Nemo enim ibi moritur, quo ipſe viuens aſcendit. *Si acuero vt fulgur gladium meum.* Per quem æternam damnationem intelligimus. Et arripuerint, iudicium manus meæ. Faciam quod ſequitur. *Reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Hoc autem erit in iudicio, quando reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* In hoc omnium tormentorum genera non ſolum venire, ſed etiam ſemper manere ſuper iniquos deſignat, De cruore occiſorum inebriabitur; ſubauditur, gladius meus. Inebriabitur quoque de captiuitate nudati inimicorum capitis. Omnium iniquorum caput Diabolus eſt. Qui tunc nudus erit, quo- D niam omnis eius fraus, & iniquitas omnibus reuelabitur. Huius autem captiuitas illi ſunt, quicumque ab eo capti & decepti ſunt. De his ergo inebriabitur gladius Dei. *Laudate gentes populum eius.* Sicut mali, de quibus vſque modo locutus eſt, digni ſunt, qui laudentur. Sed dicet aliquis quomodo tu nos illum populum laudare præcipis, quem Dominus deſpectui habens, occidi permiſit? Ad quod ipſe. Quia ſanguinem, inquit, *ſeruorum vlciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum, & propitius erit terræ populi ſui.* Quod quidem non faceret, ſi eos deſpectui habuiſſet. Terram autem carnem dicit, quæ poſt reſurrectionem glorificata, æternæ beatitudini ſociabitur.

CAPVT XXXIII.

HÆc eſt benedictio, qua benedixit Moiſes homo Dei filiis Iſraël ante mortem ſuam* Et ait; *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte* E *Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.* Hæc ad litteram non procedunt. Recordemur ergo illius capituli, vbi dicitur: *Si ambulans per viam, nidum in arbore, vel in terra inueneris, & auem pullis, vel ouis deſuper incumbentem, dimitte auem, captos tenens filios, vt bonum ſit tibi, & longo viuas tempore.* Et nos ergo dimittamus auem iſtam, & filios teneamus. Hæc auis littera eſt, quæ ſub alarum velamine pullos, & oua, id eſt ſpiritualem ſenſum claudit. Quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora vero in terra nidificat. Per huius igitur voluminis viam ambulantes, huius auis nidum in arbore, id eſt in loco difficili, & alto inuenimus. Dimittamus ergo auem, immo hinc eam auolare cogamus, vt pullos eius, id eſt ſpiritualem intelligentiam teneamus. Quod ſi fecerimus, bene nobis erit, & longo viuemus tempore. Times mori? Dimitte litteram, quæ occidit. Vis viuere? Tene litteræ filios, id eſt intellectum ſpiritualem. Spiritus enim viuificat. Expulſa igitur littera, videamus quid per iſtos tres montes, id eſt Sina, Seir, & Pharan ſignificetur. Ego enim per hos, legem, & Prophe- F tas, & Euangelia ſignificari puto. Vt per Sina, vbi lex data eſt, ſignificentur hi quinque libri Moiſis, per Seir vero, qui hiſpidus interpretatur, intelliguntur Prophetæ, ad exponendum duri: Euangelia autem ſignificentur per Pharan, qui frugifer dicitur, quoniam nullum ſemen, ſicut ſemen Euangelij, fructificauit. *Venit* ergo *Dominus de Sina,* quia eius aduentus primum in lege inuenitur. *Oritur in Seir,* quia eius natiuitas in Prophetis manifeſtatur, *apparet in monte Pharan,* quia in Euangeliis auditur, & per miracula declaratur. Venit autem non ſolus, ſed *cum eo ſanctorum millia. In dextera eius ignea lex,* qua & peccata vruntur, & mentes illuminantur. *Dilexit populos* ſecundum illud. *Qui dilexit & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Omnes ſancti in manu illius ſunt.* Quare in manu? Quia ipſe eos regit, ipſe eos tenet, & vagari non permittit. *Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Hoc bene Maria ſoror Lazari intellexit. Et etiam per pedes eius Apoſtoli intelliguntur, G qui eius doctrinam ſeminauerunt vbique. *Legem præcipit nobis Moiſes.* Non vtique aliam, niſi eam quam accepit de doctrina eius, quoniam & ipſe appropinquauit. Sic autem de ſe, quaſi de alio loquitur. *Hæreditatem multitudinis Iacob.* Hæc enim omni hæreditate melior eis fuerat, ſi tamen eam intellexiſſent, quam nulli hoſtes eius extorquere potuerunt. *Erit apud rectiſſimum Rex, congregatis principibus populi cum tribubus Iſraël.* Ac ſi dicat. Hic Dominus, & Rex, veniens de Sina, in terris quidem cum hominibus conuerſabitur, ſed à Patre non ſeparabitur. Erit enim ſemper Rectiſſimus apud Rectiſſimum de quo alibi dicitur: *Et Verbum erat apud Deum.* Principes autem populi cum tribubus Iſraël congregati erant, quando ſimul cum diſcipulis ſuis in Iudæa prædicabat. *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.* Quid per Ruben, qui primogenitus fuerat, niſi eos intelligimus, qui primi in illo populo vitam ſecuti, Chriſto crediderunt? Iſti viuent in æternum, & non ſicut cæteri morientur. Sed parui H ſunt numero, quamuis magni ſint virtutibus, & ſanctitate. Semper enim *multi ſunt vocati, pauci vero electi. Hæc eſt Iudæ benedictio. Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum ſuum introduc eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduerſarios eius erit.* Per Iudam Chriſtum intelligamus, qui ſecundum carnem de ſtirpe illius natus eſt. Cuius vocem ſemper Dominus exaudit, ſecundum quod ipſe ait: *Ego autem ſciebam quod ſemper me audis.* Introduxit autem eum Dominus ad populum ſuum, quia prius in hunc mundum, vt nos vocaret, deinde in infernum, vt liberaret, poſtea vero in cœlum, vt exaltaret nos, introiuit. Pugnauit autem Dominus pro eo, cuius manibus & fortitudini nemo reſiſtere valet. Et ipſe adiutor illius fuit contra aduerſarios eius, per quos & Iudæi, & maligni ſpiritus intelliguntur. *Leui quoque ait. Perfectio tua, & doctrina tua à viro ſancto tuo, quem probaſti in tentationem, & iudicaſti ad aquas contradictionis.* Perfectio tua, inquit, ô

Deus

A Deus, & doctrina tua, detur, & confirmetur viro ſan-
cto tuo. Id eſt huic ordini ſacerdotali, ne forte iterum
tentatus ſuccumbat. Sed perfectus, & ſapiens in omni-
bus perſeueret. Hoc autem dicit propter ſe, & Aaron,
qui minus perfecti ad aquas contradictionis inuenti ſunt.
Quando filij Iſraël murmurantes, tentauerunt Deum.
Nota, quod in principio locutionis ſe ipſum accuſat.
Sapiens enim in principio accuſator eſt ſui.Qui dixit patri
ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro
illos. Et neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium
tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Iudicia tua, ô Iacob,
& legem tuam, ô Iſraël, ponent thimiama in furore tuo,
*& holocauſtum ſuper altare tuum.*Hoc eſt quod in Exodo
legitur: *Quia præcepit Moyſes filiis Leui, & tranſeuntes*
nemini pepercerunt. Horum igitur exemplo, Domini Sa-
cerdotes gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, euagi-
nantes, nulli delinquenti parcere diſcant, Dei amorem
omni amori anteponant. Et iſti quidem eloquium, &
pactum Dei, & iudicia, & legem Iſraël cuſtodierunt,
B eos occidentes, qui vitulum aureum adorauerunt. Sic
enim in hac lege Dei, & noſtra iudicatum eſt, vt qui-
cunque alium Deum adorauerit, vel ei immolauerit, mo-
riatur. Ponunt autem thimiama in furore Dei, quia ſuis
orationibus iram Dei placant, tanquam ſuauiſſimo thi-
miamatum odore. Hoc & Aaron feciſſe legitur, qui ar-
repto thuribulo, flammæ ſe oppoſuit, quæ iam extrema
caſtrorum deuorauerat. Ponunt quoque holocauſtum
ſuper altare, ſacrificium laudis, & oblationis in Eccle-
ſia prædicantes. Benedic fortitudini eius, & opera ma-
nuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius, &
qui oderunt eum, non conſurgant: O ſi hæc intellige-
rent illi, qui Dei Sacerdotibus tantum aduerſantur. Quia
quantum ſacerdotes benedicuntur, tantum eorum ini-
mici maledicuntur. *Et Beniamin ait. Amantiſſimus Do-*
mini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die
morabitur, & inter humeros illius requieſcet. Quis eſt iſte
amantiſſimus Domini? Beatus vtique Paulus, de tribu
Beniamin originem ducens. Sed qualem hunc eſſe puta-
C mus, qui amantiſſimus Domini vocatur? Videamus
modo qualiter Deum amat, cuius dicitur amantiſſimus.
Ipſe dicit: *Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum*
anathema ſit. Vis etiam videre, quam confidenter in hoc
idem habitat? *Certus ſum, quia neque mors, neque vita,*
neque Principatus, neque Poteſtates, neque aliqua creatu-
ra poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto
Ieſu. Et in eo quidem quaſi in ſuauiſſimo thalamo re-
quieſcit Chriſtus, de quo ipſe ait. *An experimentum eius*
quæritis, qui in me loquitur Chriſtus. Et inter humeros il-
lius requieſcit. Talem equum talem habere ſeſſorem. *Io-*
ſeph quoque ait. De benedictione Domini terra eius, de po-
mis cœli & rore, atque abiſſo ſubiacente. De pomis fructuum
Solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis
collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudi-
ne eius benedictio illius. Qui apparuit in rubo, veniat ſuper
caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi. Quid per Ioſeph,
qui accreſcens interpretatur, niſi populum Chriſtianum
intelligimus? Qui paruo tempore creſcens, & multipli-
D cans, mundum repleuit? Huius autem terra benedictio-
ne Domini perfunditur, quia ſtatim à principio eius,
caro, quæ de terra ſumpta, primi hominis maledictione
tenebatur, in baptiſmo benedicitur, & ſanctificatur.
Deinde vero populus iſte fœcundatur, & ſatiatur de po-
mis cœli & rore, id eſt Apoſtolorum verbis, & doctri-
na, atque de abiſſo ſubiacente, id eſt de alta, & profun-
da Sanctarum Scripturarum intelligentia, & de pomis
fructuum Solis & Lunæ, per quos dulciſſimos Chriſti,
& Eccleſiæ ſermones intelligimus, quibus interior ho-
mo noſter reficitur. Et de vertice antiquorum montium,
id eſt de ſublimi, & ſpirituali intelligentia Prophetarum.
Et de pomis collium æternorum, per quæ ſignificantur
dulciſſima verba Apoſtolorum. De frugibus terræ, & de
plenitudine eius. Quæ ſi de terra viuentium intelligan-
tur, magnæ, & immenſæ diuitiæ ei promittuntur. *Omne*
enim datum optimum, & omne donum perfectum deſur-
ſum eſt. Sed quis eſt ille, qui in rubo apparuit? cuius be-
nedictio ſuper caput & verticem huius venire impreca- E
tur? Si enim rubus ille Virginem Mariam ſignificauit, pro-
fecto Chriſtus eſt, qui in rubo apparuit. Bene autem po-
pulus iſte Nazaræus dicitur, vtpote Domino ab infantia
conſecratus *inter fratres ſuos. Quaſi primogeniti tauri pul-*
chritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius. In ipſis ven-
tilabit Gentes vſque ad terminos terræ. Hæ ſunt multitudi-
nes Ephraim, & hæc millia Manaſſe. Omnes enim ſecun-
dum creationem fratres ſumus, quoniam ex eiſdem pa-
rentibus nati ſumus. Chriſtianus tamen populus inter om-
nes fratres ſuos pulcherrimus eſt, quia ipſe ſolus aqua ba-
ptiſmatis regeneratus, & ſuper niuem dealbatus eſt. Qui
bene tauro primogenito comparatur, vtpote maior, &
fortior, cæteriſque omnibus ad laborandum aptior. Sunt
vero cornua illius inſuperabilia, quaſi cornua rhinocero-
tis, quoniam nihil eis reſiſtere poteſt. Non autem ſine
cauſa pluraliter cornua poſuit, cum non niſi vnum cornu
habeat rhinoceros, vnde & Latinis vnicornis dicitur. Duo
namque cornua duo ſunt teſtamenta, quæ populus iſte
dupliciter intelligens, omnium Gentium errores ſuperat, F
& vanitates. In ipſis enim ventilat Gentes, in ipſis conclu-
dit Philoſophos, in ipſis vincit Iudæos: in ipſis prædicat,
& conuertit omnes mundi terminos. Diuiditur autem
populus iſte in Ephraim & Manaſſe, per quos & Iudæos,
& Gentiles ſignificare poſſumus, quorum alter fructifi-
cans, alter obliuio interpretatur. Quæ vtraque ſatis conue-
nienter conueniunt ſanctis, qui & bona fructificant, &
iniuriarum ſuarum omnium obliuiſcuntur. *Et Zabulon*
ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſachar in tabernaculis
tuis. Populos ad montem vocabunt. Ibi immolabunt victi-
mas iuſtitiæ. Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, &
theſauros abſconditos arenarum. Quid per Zabulon, qui ha-
bitaculum interpretatur fortitudinis, & per Iſachar, qui
aſinus fortis alibi vocatur, niſi Sancti Eccleſiæ Doctores
ſignificantur. Iſti enim quaſi turres, inexpugnabile ſunt
habitaculum. Iſti quaſi fortes aſini, aliorum onera ferunt.
Lætatur igitur Zabulon in exitu ſuo, quia ſentiens ſe Dei
fortitudine munitum, ſecurus ad pugnam exit contra ho-
ſtes, ex quibus magnis ſpoliis onuſtus redit. Lætatur & G
Iſachar in tabernaculis ſuis, nullo præ lætitiæ pondere
grauatus, cum tot quotidie animas offerat Deo. Vocant
autem populos ad montem dicentes cum Propheta: *Ve-*
nite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei
Iacob. Hoc enim faciunt, quando ad fidem, & ad Eccle-
ſiam Gentes inuitant. Et ibi quidem immolant victimas
iuſtitiæ. Id eſt ſacrificium laudis, & oblationis. Sugunt au-
tem inundationes maris quaſi lac. Siue quia mundi iniu-
rias, & aduerſitates pro Deo libenter ferunt, ſiue quia legis
huius doctrinam, quæ aliis amara, & impotabilis eſſe vi-
detur, ſpirituali intelligentia, quaſi lac bibere gaudent. De
qua ſubditur. *Et theſauros abſconditos arenarum.* Sicut
enim aurum in arena, ita & ſpiritualis intelligentia in lit-
tera inuenitur. *Et ad Gad ait. Benedictus in latitudine Gad.*
Quaſi Leo requieuit cœpitque brachium & verticem. Et
vidit Principatum tuum, quod in parte ſua Doctor eſſet
repoſitus, qui fuit cum Principibus populi, & fecit iuſtitias
Domini, iudicium ſuum cum Iſraël. Hunc & Iacob bene-
dicens ait. *Gad accinctus præliabitur ante eum.* Quid per H
Gad niſi Apoſtolos intelligimus? Qui gladio accincti ſpi-
ritus, prima acie bella geſſerunt? Iſti autem in latitudine
benedicuntur, ſiue quia in mundi latitudinem prædicare
mittuntur. *In omnem enim terram exiuit ſonus eorum.* Et
iſti quidem quamuis à pluribus inimicis vndique inua-
dantur, ſecuri tamen vt Leo requieſcunt, de quo ſcriptum
eſt. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.*
Ceperunt autem brachium, & verticem. Omnem videli-
cet mundi fortitudinem, & ſublimitatem ſibi ſubiugantes.
Ipſi enim Romam, quæ mundi caput eſt, ſuperauerunt, ipſi
eius brachia, id eſt Imperatores, & Principes ad fidem
conuerterunt. In iſtorum autẽ parte, & principatu Doctor
eſt repoſitus, quia in eorũ cordibus lex & Chriſtus, id eſt
Legis, & Euangeliorũ repoſita eſt doctrina. Doctorẽ igi-
tur habent in corde, ſicut Dominus ait. *Non enim vos eſtis,*
qui loquimini: ſed Spiritus Sanctus qui habitat in vobis. Et
iſte quidem Doctor cum principibus populi fuit, quia

A ipſa quoque præſentia corporis, ad tempus cum Apoſtolis conuerſatus eſt,& iuſtitiam, ac iudicia in Iudæa operatus eſt. *Dan quoque ait. Dan catulus leonis. fluet largiter de Baſan.* De huius namque ſtirpe fuit Samſon, de hac erit & Antichriſtus. Vterque autem catulus leonis, quia vterque fortis, alter debellando malos, alter perſequendo bonos. Vnde & largiter fluere dicuntur, quia cum magna fortitudine in bella ruunt. Baſan autem, qui pinguedo interpretatur, terram Iuda ſignificat, quæ omni terra pinguior, & fertilior eſſe perhibetur. Ex hac autem vterque eorum procedit. *Et Nephtali dixit. Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini mane,& meridiem poſſidebit.* Interpretatur Nephtali latitudo, per quem eos intelligimus, qui charitatis amore dilatati, nemini manus claudunt, ſed in faciendis eleemoſynis ſemper eas apertas habent. Meritò igitur abundantia perfruuntur, qui bona ſua aliis libenter largiuntur. Talibus autem in Iudicio dicturus eſt Dominus. *Venite benedicti Patris mei,quia eſuriui, & dediſtis mihi*
B *manducare, ſitiui,& dediſtis mihi bibere, &c.* Iſti autem mane,& meridiem poſſidebunt,quia numquam ad occaſum mortis declinabunt. Mane ergo, & meridiem poſſidere eſt, lucem æternam hæreditare. *Aſer quoque ait. Benedictus in filiis Aſer. Sit placens fratribus ſuis, & tinget in oleo pedem ſuum. Ferrum, & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi, aſcenſor cœli auxiliator tuus.* Quid per Aſer, qui Beatus interpretatur, niſi Chriſtianorum populus figuratur, qui ſolus æterna beatitudine perfruetur? Hic autem in filiis benedicitur, quoniam infideles, etſi filij ſunt, quia boni à Deo creati ſunt, benedictione tamen paterna digni non ſunt. Placet autem fratribus ſuis, per quos Angelos intelligimus. Tingit in oleo pedem ſuum, quia miſericordiæ per viam graditur. Et ferro, & ære calceatur, quia poteſtatem à Deo accepit calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. Talis poteſtas calceamentum ferreum, & æneum eſt. Quod autem eius iuuentus,& ſenectus ſimilis dicitur, eius gloria,& beatitudo
C immutabilis demonſtratur. *Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi.* Admiratio eſt in laudem Creatoris, qui ex tam iniquis parentibus,& ex adeo fragili materia, ad tantam rectitudinem populum iſtum, ſecundum ſuam voluntatem conuertit. Huius auxiliator Aſcenſor cœli eſt. Chriſtus videlicet Dominus noſter, qui aſcendit ſuper omnes cœlos. Ipſe enim ait. *Non vos deſeram, neque derelinquam.* Itemque. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Magnificentia eius diſcurrunt nubes, habitaculum eius ſurſum,& ſubter brachia ſempiterna. Eijciet à facie tua inimicum, & dicet: Conterere.* Hoc ſecundum litteram mirabile eſt, quod nubes pluuiis oneratas, diſcurrere, aquas ferre, eaſque ordinare nunc effundere,& nunc tenere videmus. Noſtræ quoque nubes, Apoſtoli videlicet & Doctores, aquis ſpiritualibus,& doctrina Euangelij pleni, eius virtute & magnitudine diſcurrunt,& noſtræ mentis agrum inebriant, variiſque virtutum fructibus fertilem faciunt. Eſt autem habitaculum eius ſurſum, quoniam in cœlo ſedes eius. Subter autem ſunt &
D brachia ſempiterna: quoniam eius virtus & fortitudo ſuos fideles hic defendere,& tenere non ceſſat. Ideoque eijcit à facie noſtra inimicum: Diabolum videlicet, de quo dicitur. *Inimicus veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Cui dicit: *Conterere.* Dicere autem Dei facere eſt. *Ipſe enim dixit,& facta ſunt.* Hoc eſt quod Apoſtolus ait. *Dominus conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter. Habitabit Iſraël confidenter & ſolus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cœlique caligabunt rore.* Hoc & Propheta dicit. *Saluabitur Iuda,& Iſraël habitabit confidenter.* Interpretatur enim Iſraël, vir videns Dominum. Hic autem eſt populus fidelis, qui & nunc mentis intuitu eum videt,& poſtea facie ad faciem videbit. Sed quomodo confidenter vbicunque non habitet, qui ſemper in Dei protectione confidens, ait. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo?* Erit ſolus oculus Iacob in terra frumenti,& vini. Idem eſt Iacob qui Iſraël: dictum eſt alibi quid Iſraël ſignificet. Iacob

E hoc in loco carnalem populum Iudæorum deſignat. Dolet ergo Moyſes, quod alios populos cœlum,& ſpiritualia intueri videt. Iudæos autem ſolum tranſitoria appetere cernit, nihilque aliud deſiderare, niſi frumentum & vinum, in quibus omnia carnalia,& corpus fouentia intelliguntur. Hoc autem vitium quamuis in multis aliis inueniatur, ſolis tamen Iudæis attribuitur, quoniam plus cæteris dominatur in eis. *Cœlique caligabunt rore.* Et hoc ipſum ad eorum iniquitatis & auaritiæ cumulum dici videtur, qui quamuis cœlum rore caligare videant, ſola tamen terrena aſpiciunt. Ipſe Dominus ait: *Niſi ego veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccatis ſuis.* Cœlos rore caligare,& nubibus operiri viderunt, cum Apoſtolos prædicare,& ſpiritualis doctrinæ pluuias effundere ſenſerunt. Veruntamen ad terram oculos deprimentes, ſurſum eos erigere non curauerunt. Nulla ergo eis excuſatio reſtat. *Beatus es tu Iſraël, quis ſimilis tui popule qui ſaluaris in Domino. Scutum auxilij tui,& gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Miſer,
F inquit, Iacob, cuius oculus ſolam terram reſpicit. Tu vero Iſraël Beatus, qui ſecundum tui nominis interpretationem, oculos erigens Deum contemplaris. Quis ſimilis tui, ô popule Chriſtianorum, quem Iſraël ſignificat, qui ſaluaris in Domino? In quo Domino? In eo vtique, qui ait. *Vos vocatis me Magiſter & Domine. Et bene dicitis. Sum etenim.* Sicut autem huius populi ſimilem Dominus non habet, ita & populus ipſe ſimilem non habebit. Scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ Chriſtus eſt. Ipſe, inquit, te protegit. Ipſe te defendit. Ipſe pro te pugnat. Ipſe tuos proſternit inimicos. Ipſe & ſcutum tibi, & gladius eſt, cuius fortitudine gloriaris, omnes ſuperans inimicos. Nunc autem ad ipſum conuertitur, & ei ſic loquitur dicens. *Negabunt te, ô Chriſte, inimici tui,& tu eorum colla calcabis.* Quamuis enim ſis fortis & potens, quamuis ſis Dominus virtutum, & Rex gloriæ, te tamen Iudæi negare non timebunt, dicentes: *Nolumus hunc regnare*
G *ſuper nos.* Et: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Et: *Non hunc, ſed Barabbam.* Sed tu, ô Chriſte, eorum colla calcabis, & eorum ſuperbiam humiliabis.

CAPVT XXXIV.

ASCENDIT ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo in verticem Phaſga, contra Hiericho, & oſtendit ei Dominus omnem terram promiſſionis, dicens: Hæc eſt terra, pro qua iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob dicens: Semini tuo dabo eam: Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Dei in terra Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra Phogor. Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. Quid eſt quod Moyſes ſeruus Dei, qui in omni domo ſua fideliſſimus fuit, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur, & quem Dominus nouerat ex nomine propter vnum peccatum, terram promiſſionis intrare non permittitur? Moyſes legiſlator, cui in nebula & caligine lex data eſt, hoc in loco eos ſignificat, qui tantum ſecundum litteram legem intelligunt. Caligine enim obuoluti, id ipſum
H quod legunt, videre non poſſunt. *Vſque hodie namque, dicit Apoſtolus, dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ante faciem illorum.* Vnde & merito ibi Moyſes tantummodo incredulus inuenitur, vbi incredulum populum ſignificauit. Venit enim ad petram, & dubitauit: quoniam ipſe non ibi erat, ſed populus incredulus, qui tunc in eo ſignificabatur. Hæc igitur ſignificatio fuit cauſa vt dubitaret. Quid hæc petra niſi legem ſignificat, in petra ſcriptam, in lapidibus datam, duro & incredulo populo attributam? Venit & tunc Moyſes ad petram: venit vſque hodie incredulus populus ad legem. Putat eſſe ſiccam, putat eſſe ſine aqua, quia non videt ibi intelligentiam ſpiritualem. Percutit eam ſemel, non egreditur aqua. Semel percutit, quia ſolam litteram pronunciat, & intelligit. Percute iterum, ô Iudæe, & habebis aquam. Intellige ſpiritualiter, ne ſiti moriaris. Nam & Moyſes in prima percuſſione nihil habuit. Quare hoc?

Digitized by Google

Quia adhuc incredulus erat, & hanc vnam increduli populi percuſſionem ſignificabat. Redit fides. Percutit iterum, & egrediuntur aquæ largiſſimæ. Crede & tu,& habebis aquas. Et non tantum hoc: ſed quod melius eſt, non terram promiſſionis, quæ toties captiuatur, verum terram viuentium intrabis, quæ in omni ſecuritate lætatur. Hoc enim accidit Moyſi: qui illius terræ habuit habitationem pro nihilo ducens, ad gloriam melioris terræ tranſlatus eſt. Monitio ergo eſt, non indignatio,quod ei à Domino dicitur:Vidiſti eam oculis tuis,& non intrabis ad illam, quia ad meliorem tranſiturus es. Per hoc autem ſignificatur: Quod quicunque ad litteram hanc legem intelligunt,vident quidem ibi cœleſtis patriæ diuitias, gloriam, & iucunditatem, ad eam tamen tranſire non poterunt. Voluit autem Dominus ſepulchrum Moyſi eſſe occultum, ne ad litteræ vetuſtatem reuertamur,quæ per Moyſen ſignificatur:ſed ſpiritum viuificantem ſequamur, vt in æternum viuamus. Quod nobis præſtare dignetur ipſe, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

INCIPIT EXPOSITIO Sancti Brunonis Epiſcopi Signienſis ſuper Pſalterium.

ILLE bene, & ſapienter iudicare poteſt, qui prius diligenter cauſam examinat. Vnde & Propheta iſte nobiliſſimus cum dixiſſet. *Iudica me Deus*, confeſtim ſubdidit, dicens: *Cauſam meam.* Hoc autem tale eſt ac ſi diceret, non fugio iudicium, ſi prius cauſa mea diligenter examinata fuerit. Qui vero aliter hoc agere præſumit, multoties ea laudat, quæ iure laudanda non ſunt, & ea reprehendit, quæ iure reprehendenda non ſunt. Hoc autem peccatum quam magnum ſit, Propheta oſtendit, vbi ait: *Væ, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Cum adhuc adoleſcentulus eſſem, expoſui Pſalterium ſecundum aliam tranſlationem, quæ videlicet tranſlatis pluribus in locis tantum differt ab hac tranſlatione, qua Romana Eccleſia vtitur, vt nullo modo ſecundum illius expoſitionem hæc tranſlatio intelligi poſſit. Et illa quidem multos habet expoſitores hanc autem, ſi aliquis expoſuerit, neſcio. Rogatus igitur ab amicis meis, & præcipuè à Peregrino venerabili Abbate, dedi operam, vt hæc quoque, ſicut & illa, propriam haberet expoſitionem. Quam qui totam ex ordine diligenter legerit, ſcio quia non iudicabit eſſe ſuperfluam, facileque intelligere poterit, quanta diſtantia ſit inter primam,& hanc ſecundam expoſitionem. Non enim dicere erubeſco, quod B.Paulus Apoſtolus, & magiſter gentium dicere non erubuit: *Cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Nulli iniuriam facit, qui ſibi ipſi ſe ipſum præfert. Et illa quidem expoſitio valde compendioſa eſt: ſed hæc melior mihi eſſe videtur. Non curaui vnius rei multas ponere ſententias: ſed illa mihi ſufficere viſa eſt, quæ ſuperioribus, & inferioribus conuenienter continuari poſſit. Habent enim hoc Prophetarum dicta, vt multis modis ſeparatim intelligi poſſint. Vnde multa exempla dare potuiſſem, ſi hoc neceſſarium eſſe cognoſcerem. Nullum titulum dereliqui, omnes poſui, & expoſui, qui quidem ad pſalmos intelligendos valde mihi neceſſarij eſſe videntur. Illud ſuper omnia memoriæ commendandum eſſe confirmo, quod toties nobis Propheta dicit, & quaſi obliuioſis & non obedientibus,toties præcipit canticum nouum ſemper cantare, ſemper pſallere, & iubilare, die noctuque in Dei laudibus perſeuerare, & in Saluatoris noſtri ineffabili miſericordia fideliter, firmiterque ſperare. Canticum vero nouum cantare eſt legis, & Prophetarum verba non ſecundum litteræ vetuſtatem annunciare, ſed ſecundum ſpiritualem intelligentiam exponere, & prædicare. Vnde Apoſtolus ait: *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Hinc quoq; in Apocalypſi Ioannis Apoſtoli dicitur: *Ecce noua facio omnia*, quoniam ſpiritualiter intellecta noua fiunt omnia.

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.

Pſalmus iſte non habet titulum, ſed ipſe non ſolum Pſalmorum, verum etiam omnium Sanctarum Scripturarum titulus quodammodo eſſe videtur. Titulus enim ad hoc ponitur, vt breuiter nobis inſinuet, quid in ſequenti ſcriptura quærere, & intelligere debeamus. Et hoc quidem agit iſte pſalmus, qui ſtatim in ipſo ſuo principio docet nos beatitudinem quærere, ac per hoc declinare à malo, & facere bonum. Hoc eſt enim ad quod tendit omnis homo, & ad quod peruenire deſiderat, neque eſt aliquis, qui beatus eſſe non cupiat. Peruerſi tamen homines dum in hac vita beatitudinem quærunt, neque in hac, neque in alia eam habebunt. Quam vtique habuiſſent, ſi huius pſalmi conſilio credidiſſent, & declinare à malo, & bona facere voluiſſent. Qui igitur beatus eſſe deſiderat, non abeat in conſilio impiorum, non ſtet in via peccatorum, neque in cathedra peſtilentiæ ſedeat. Si conſilium impiorum audiſti, fuge illud, & noli ire in eo. Quid eſt enim ire in eo, niſi illud facere, & manere in eo? Si viam peccatorum intraſti, noli ibi ſtare, ſed recede ab ea. Si cathedram peſtilentiæ aſcendiſti, deſcende citò, & nihil ibi iudices, nihil doceas in ea. Non peccare enim impoſſibile eſt: in peccato vero perſeuerare iniquiſſimum eſt. *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Peccatores igitur ſunt, qui in hoc pſalmo ad beatitudinem inuitantur. Ad quam illi ſoli poterunt peruenire, qui quamuis peccabunt, in peccatis tamen non perſeuerabunt. Et hoc quidem ſignificat non ire, non ſtare, & non ſedere. Sola igitur perſeuerantia in malo facit impedimentum ad beatitudinem, & hoc ſolum peccatum eſt, quod non dimittitur hominibus neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Ecce docuit nos Propheta, quid vir iuſtus, & ad beatitudinem feſtinans fugere debeat. Nunc autem audiamus quid eum agere oporteat, non enim ſufficit nobis declinare à malo, niſi & bona faciamus. Sed prius mala pellenda ſunt, quia terra prius purganda eſt, quam plantanda, vel ſeminanda.

Sed in lege Domini fuit voluntas eius.

Quicquid vtrumque Teſtamentum facere, vel non facere iubet, lex Domini eſt. Non poteſt itaque vir iuſtus manere in conſilio impiorum, neque ſtare in via peccatorum, neque in cathedrā peſtilentiæ ſedere, cuius voluntas & deſiderium eſt legem Domini adimplere. Quod ait *fuit*, non ſic accipias, quaſi iam ceſſauerit, audi quod ſequitur.

Et in lege eius meditabitur die ac nocte.

Quid eſt die ac nocte? Omni tempore in proſperis, & aduerſis, & proſpera enim & aduerſa à lege Domini, & à cuſtodia mandatorum eius maximè miſeros homines ſeparare ſolent. Venit quidam adoleſcens ad Dominum, qui in proſperis erat, multaſque pecunias poſſidebat: Qui cum eum interrogaret, quomodo ad vitam æternam peruenire poſſet: Cumque ei Dominus diceret, vt omnia venderet, & pauperibus erogaret, ſicut ſcriptum eſt, triſtis abiit, quia multas habebat poſſeſſiones. Sic igitur proſpera ſeparant homines à Deo, & à lege Dei. De aduerſis autem facilè intelligitur, cum Dominus dicat, etiam electos in errorem inducendos eſſe propter multas tribulationes, ſi fieri poſſit. Magna igitur laus iuſti eſt in lege Domini meditari die ac nocte. Vnde & magna retributio in ſequenti verſiculo ei promittitur.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

Quid eſt maius, quam Chriſto Domino comparari? *Scimus*, inquit Ioannes Apoſtolus, *quoniam ſimiles ei erimus, quoniā videbimus eum ſicuti eſt. Fulgebūt* enim *Sācti, ſicut Sol, in regno Dei.* Hoc enim lignum ſeipſum eſſe ipſe

A Dominus oſtendit, dicens: *Si in viridi ligno hoc faciunt,
in arido quid fiet?* Et Salomon de ſapientia, quæ Chri-
ſtus eſt, loquens, ſic ait: *Lignum vitæ eſt his, qui appre-
henderint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Et illud in
Apocalypſi: *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ,
quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Hoc igitur lignum planta-
tum eſt ſecus decurſus aquarum. Quatuor ſunt flumina
paradiſi, quatuor ſunt Euangeliorum volumina quæ illis
fluminibus ſignificantur. Vis videre lignum vitæ? Secus
decurſus aquarum inuenies: ſic autem & Chriſtum in
quatuor Euangeliorum fluminibus reperies. Ibi enim &
quis, & qualis, & quantus ſit facilè dignoſcitur. Ad hoc
præterea lignum ſit decurſus omnium aquarum: quia *ad
ipſum*, vt ſcriptum eſt, *fluent omnes gentes. Aquæ enim
multæ*, dicit Scriptura, *populi multi.*

Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Ex quo mundus iſte factus eſt fructum ſuum lignum
hoc dare non deſtitit. *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt, &
ſine ipſo factum eſt nihil.* Dedit tamen maximè, & abun-
B dantius fructum ſuum in tempore ſuo, in tempore incar-
nationis, & aduentus ſui. Quis autem eos fructus, ea dona,
illas diuitias, & delicias enumerare valeat, quas ex tunc
fidelibus ſuis Dominus tribuit? Vnde & dicitur: *aſcendit
in altum captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus.*

Et folium eius non decidet.

Hæc folia verba ſunt: verba autem Chriſti non cadent.
Sic enim ipſe ait: *Cœlum, & terra tranſibunt, verba au-
tem mea non præteribunt.*

Et omnia quæcumque faciet proſperabuntur.

Proſperantur quidem omnia, quæcumque Chriſtus
facit: ſed non omnibus proſperantur. Vnde & Apoſto-
lus ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia coope-
rantur in bonum.*

Non ſic impij, non ſic.

Non erunt, inquit, impij beati, non enim medita-
buntur in lege Domini die ac nocte, non erunt tanquam
lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum:
quid igitur erunt? audi, quod ſequitur.

C *Tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.*

Beati ligno vitæ aſſimilantur: Impij vero pulueri com-
parantur, præſertim illi pulueri, qui vento ſuperbiæ cir-
cumfertur, & à terræ, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ ſtabilitate
eleuatus nuſquam comparet. Et ideo quia tales ſunt.

Non reſurgent impij in iudicio.

Quid eſt igitur quod Apoſtolus ait: *Omnes quidem
reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Qui ſunt enim
illi qui reſurgent, & non immutabuntur, niſi impij &
peccatores? Reſurgent igitur impij, & peccatores, ſed
non in iudicio, iam enim iudicati ſunt. Reſurgent ergo,
non vt iterum iudicentur, ſed tantum, vt damnentur.
Damnabuntur autem non ſolum impij, verum etiam
peccatores, in peccatis perſeuerantes. Et tunc iter impio-
rum peribit, hoc eſt, in itinere & opere ſuo impij peri-
bunt, via vero iuſtorum laudabilis apparebit.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum.

Quæ eos perducit ad regna cœlorum.

D Pſalmus Dauid.

Quare fremuerunt gentes.

Huic pſalmo, qui ſecundus eſt, primus titulus impo-
nitur, quem ideo ſuum eſſe dicit, vt maior ei auctoritas
& fides adhibeatur. Quis enim ea non credat, quæ tanti
Regis & Prophetæ auctoritate roborantur? Si autem ad
illum Dauid reſpiciamus, qui in iſto loquitur, & de quo
iſte alibi ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*
Iam nullus erit, qui in aliquo contradicere audeat. Hæc
autem breuis expoſitio nobis ſufficiat in omnibus pſal-
mis, qui hoc titulo prænotantur. Egregie autem ab ipſa
Chriſti paſſione incipit, quam ſemper in memoria ha-
bere debemus, per quam liberati, & ſaluati ſumus. Et
merito quidem contra eos cum quadam indignatione
loquitur, qui in Chriſtum Dominum manus mittere
non timuerunt.

Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania?

Audiuimus modo ſuperius de Chriſto, quod ipſe ſit
lignum vitæ, cuius folia non cadent, cuius verba non E
præteribunt, cuius omnia opera, & quæcunque faciet
proſperabuntur. Quare ergo fremuerunt gentes & populi
meditati ſunt inania? quare aſtiterunt reges terræ, Hero-
des videlicet, & Pilatus, & Principes ſacerdotum conue-
nerunt in vnum aduerſus Dominum Patrem, & aduerſus
Chriſtum filium eius? quare vel hoc non attendebant,
quod tantum, talemque fructum hæc arbor nobiliſſima
tunc temporis dabat: mortuos ſuſcitando, cæcos illumi-
nando, leproſos mundando, omnes languores, omneſ-
que infirmitates ſanando? Gentes & populi hoc in loco
idem ſignificant, quamuis per gentes Romanos, & per
populos Iudæos intelligere poſſimus, qui aduerſus Chri-
ſtum Dominum pariter in vnum conuenerunt. Fremere
autem non eſt hominum, ſed ferarum, vt eorum ſæuitiam,
& crudelitatem in hoc verbo intelligamus. Conuenerunt
igitur omnes iſti iniquitatis filij, atque dixerunt.

*Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis
iugum ipſorum.*

Ligatos ſe eſſe, & ſub iugo poſitos conqueruntur, F
quoniam aſſueta peccata à Chriſto Domino & à diſcipu-
lis eius facere prohibentur. Redarguebat enim eos Do-
minus non ſolum de his, quæ malè agebant, verum
etiam de iniquis cogitationibus, ſicut in Euangelio ſæpè
inuenimus. Quale eſt illud: *Vt quid cogitatis mala in
cordibus veſtris?* Miſeri qui eumdem non violenter tra-
hentem, ſed clementer ad ſe vocantem non audiebant,
quando eis paterna pietate dicebat: *Venite ad me, qui
laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: iugum
enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Merito igitur fiet eis quod ſequitur.

*Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſan-
nabit eos.*

Quia hoc, inquit, & illa fecerunt, & Chriſto Domi-
no credere noluerunt, ſtultos, & fatuos ſubſannatione
& irriſione dignos eos Dominus oſtendet. Tales enim
affectiones in ea non ſunt, ſed eius voluntatem & ope-
rationem aliter niſi aſſuetis noſtris locutionibus oſtende-
re non poſſumus. Cum enim ea facit, quæ irati & furen-
tes homines facere ſolent, quamuis iratus non ſit, in ira G
tamen, & furore ea facere narratur: vnde & ſubditur.

*Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo con-
turbabit eos.*

Hoc autem erit in iudicio, quando impiis & peccato-
ribus dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus
eſt diabolo & Angelis eius.* Quia enim hæc dicendo irati,
& ſæuientis conſuetudinem imitabitur, ideo in ira &
furore hæc dicturus, & facturus eſſe narratur.

*Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion mon-
tem ſanctum eius.*

Iſte verſus ibi continuatur, vbi dicitur: *Quia conue-
nerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chri-
ſtum eius* ſubauditur, dicentem. Ego autem conſtitutus
ſum Rex ab eo. Quem Iudæi Chriſtum, nos Regem vo-
camus. Chriſtus Dominus noſter, & Deus eſt, & homo,
qui ſecundum humanitatem quidem non ſolum à Patre
verum etiam à ſe ipſo, & à Spiritu Sancto, & Rex & Do-
minus conſtitutus eſt. Ipſe enim, qui ſecundum diuinita-
tem neque, factus eſt creatus, ſecundum humanita- H
tem ſeipſum creauit, & fecit. Hanc igitur diſtinctionem
in memoria habeamus, quæ pene in omnibus pſalmis
valde nobis neceſſaria erit. Omnia enim ad humanitatem
referenda ſunt, ſi quando contriſtatur, ſi quando aliquid
patitur, ſi quando aliquid poſtulat, & ſimilia, *Ego*, inquit,
conſtitutus ſum Rex ab eo, vbi *ſuper Sion montem ſanctū
eius*, Ad quid, *Prædicans præceptum Domini.* Sion ſpecu-
la interpretatur: aqua videlicet & ſpecula: omnes Epiſcopi
ſuperintēdētes, & ſpeculatores, vocātur. Vnde & Ezechieli
dicitur, *Fili hominis ſpeculatorem poſui te Domus Iſraël,*
Quāuis Rex Regū, & Dominus Dominantiū ſit Saluator
noſter ipſe tamē ſolius mōtis Siō Regē ſe dicere dignatur.
Sed audiant Epiſcopi, quare ordinati ſunt, quare, & à quo
ſuper Siō cōſtituti ſunt. Non vtiq; ad tyrānicā, & ſæcula-
rem poteſtatē exercendā: ſed ad ſpeculandū, & prædican-
dum, & cōtra hæreticos, & malignos ſpiritus pugnādum.

A *Dominus dixit ad me : filius meus es tu.*

Hoc autem ad diuinitatem ſpectat. Ego inquit, qui ſecundum humanitatem Rex à Deo conſtitutus ſum, ſecundum diuinitatem non adoptiuè, ſed ſubſtantialiter eius filius ſum, hoc enim ipſe Pater teſtatus eſt, dicens. *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui, Ego hodie genui te.* Non habet Deus niſi hodie, cum nihil præteritum, nihil futurum; ſed omnia ſibi præſentia ſunt. Quid igitur aliud dicere potuit, niſi hodie? Nihil enim aliud eſt. *Ego hodie genui te*, quam ſi ſimpliciter dixiſſet. Ego genui te. Æternus eſt enim Pater, æternus eſt & Filius. Sed ante æternum nihil eſt. Hodie igitur æternitas eſt. Quod itaque ait. *Ego hodie genui te*, tale eſt ac ſi dixiſſet: ante tempora, & ſine initio genui te. Poteſt autem & ſecundum humanitatem ſic intelligi, vt à Patre ei dicatur. Ego qui ante tempora genui te, ex me hodie, ideſt, temporaliter ex Virgine genui te. Ipſe eſt enim Pater omnium, ipſe non ſolum humanitatem filij ſui, verum etiam nos omnes & genuit & creauit.

B *Poſtula igitur à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Diximus ſuperius quia ſi filius aliquid poſtulat, non ſecundum diuinitatem, ſed ſecundũ humanitatem poſtulat. Poſtulat ergo non ſolum à Patre, ſed etiam à ſeipſo, & à diuinitate, quæ in ipſo eſt. *Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Iudæi inquit ſpreuerunt te dicentes. *Non habemus Regem niſi Cæſarem, & nolumus hunc regnare ſuper nos*, ſuſcipe igitur omnes gentes in hæreditatem. Inde eſt enim quod alibi dicitur: *Omnes gentes ſeruient ei, & quia dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Hoc eſt enim vſque ad terminos orbis terræ, quod & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea.

Quid eſt in virga ferrea? Imperio forti, & inſuperabili, & cui nemo reſiſtere poterit. Omnia metalla ferro domantur, omnia regna mundi Chriſti imperio ſubiugantur.

C *Et tanquam vas figuli confringes eos.*

Vaſa figuli ſemel fracta redintegrari non poſſunt. Impij, & peccatores, ſemel in iudicio damnati miſericordiam vlterius non inuenient.

Et nunc reges intelligite.

Ecce Rex magnus iuſtus, & potens Deus conſtitutus eſt, cui & nos, & omnes gentes obedire oportet. Intelligite ergo & regnandi doctrinam, & diſciplinam ab eo ſuſcipite. Et hoc eſt quod ait.

Erudimini, qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore.

In timore ſeruire, eſt ſeruitium diligenter agere, & in Dei ſeruitio negligentiam non habere. Reges igitur, qui ad populum iuſtè regendum, & ad iuſtitiam exercendam conſtituti ſunt, ſic iuſtitiam exerceant, vt miſericordiæ non obliuiſcantur, non autem cordis impetus, ſed diuinæ legis moderamina ſequantur.

Et exultate ei cum tremore.

D Non vobis inquit, ſed Deo exultate, non in honoribus & diuitiis, ſed in Domino gaudete. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Benè autem addidit cum tremore, ne timor Domini, & æternæ felicitatis deſiderium mundi huius lætitia, & proſperitate pellatur. Per hos autem Reges, non ſolum Reges gentium, verum etiam Epiſcopi, omneſque Eccleſiæ Prælati intelligi debent. Denique omnis homo Rex dici poteſt, qui ſeipſum benè regit, & domum ſuam benè diſponit.

Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.

Omnis doctrina, & inſtitutio religionis diſciplina dici poteſt. Hanc autem qui non recipit, & tenet, non immerito Dei iram & indignationem incurrit. Tales autem pereunt de via iuſta, quia in viam peccatorum declinantes per iuſtorum viam ad beatitudinem non peruenient. Hæc autem diſciplina cum omnibus hominibus neceſſaria ſit, illis tamen maximè neceſſaria eſt, qui alios regere, & docere debent. Beati illi qui hanc diſciplinam ſuſcipiunt, & qui non in vanitatibus mundi, ſed in Domino confidunt, E

Quoniam cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes & ſoli qui confidunt in eo.

In breui autem dixit, quia citò & poſt modicum ad iudicium Dominus veniet. Vnde, & Ioannes Apoſtolus ait. *Filioli nouiſſima hora.* Et Apoſtolus. *Nos ſumus in quos fines ſeculorum deuenerunt.* Iam ſuperius diximus, quomodo Dei iram intelligere debeamus.

PSALMVS DAVID CVM FVGERET à facie filij ſui Abſalon.

QVid ſignificet Pſalmus Dauid, modo ſuperius dictum eſt, & Dauid quidem fugam legimus, Chriſti autem fugam non legimus, quia contra de ſe ipſo alibi dicit. *Periit fuga à me.* Quem cum Iudæi ſimul cum Iuda traditore capere veniſſent, non fugit, ſed obuiam iuit. Et, vt ſuæ diuinitatis potentiam oſtenderet, vno verbo proſtrauit. Ipſe tamen eſt cui in Canticis Canticorum Eccleſia dicit. *Fuge dilecte mi.* Et de diſcipulis quidem eius dicitur, quia, *Relicto eo, omnes fugerunt.* Non igitur in ſeipſo, ſed tamen in diſcipulis ſuis fugit Ieſus; ſic autem dicitur quia baptizabat, ſed diſcipuli eius. Vterque autem & Iudas, & Abſalon ſimili morte, ideſt ſuſpendio interierunt. Interpretatur autem Dauid manufortis, Abſalon vero, patris pax interpretatur. Et videtur per contrarium eſſe dictum, ſicut & Iudæ à Domino dicitur: *Amice ad quid veniſti?* cum amicus vtique non eſſet. F

Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me?

Secundum humanitatem loquitur Dominus, & conqueritur Patri de Iudæorum coniuratione contra ſe facta, quæ non ſolum ex Romanis, qui ibi erant verum, etiã ex numero diſcipulorum multiplicata erat. Vnde & dicit quia *multi inſurgunt aduerſus eum, & multi dicunt animæ eius*: quia *non eſt ſalus illi in Deo eius.* Videbat enim iam tunc non ſolum Iudæos verum etiam per totum mundum Reges, & Principes, omneſque homines iniquos totumque malignorum ſpirituum exercitum contra fideles ſuos, contra membra ſua, contra corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, crudeliter inſurgere. Quia dicitur in vnoquoque ſuorum ipſe affligitur, tribulatur, & perſecutionem patitur, non immerito, quod illis accidit, ſibi imputat, & illorum pœnas quaſi proprias conqueritur. G

Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Mentiuntur inquit, qui dicunt *non eſt ſalus illi in Deo eius*: quia ad ſalutem pertinent ea, quæ hic enumerantur. Suſcepit enim Pater filium ad ſe incarnatum, & hominem factum reuertentem, glorificauit, & in ſuæ maieſtatis ſedem exaltauit. Secundum illud. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Videtur autem mihi quod ſi Eccleſia in hoc pſalmo loquatur conuenientius accipi poſſit. Dicat igitur Eccleſia, dicat populus Chriſtianus, quem prius ſoli Iudæi, poſtea verò totus mundus grauiſſimis pœnis affligere, & perdere cœpit. *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me?* multi inſurgunt aduerſum me. Multi ex omnibus mundi huius nationibus *dicunt animæ meæ, non eſt ſalus illi in Deo eius.* Hoc eſt enim quod infideles contra ſanctos dicere ſolebant, quod Deus illorum eos liberare non poſſet. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Hæc eſt ſanctorum non modica conſolatio: quia ſtatim poſt martyrium coronabantur, glorificabantur, & in æternam beatitudinem à Domino ſuſcipiebantur. Hoc enim Saluator illis promiſerat, quia vbi ipſe eſſet, ibi eſſet & miniſter eius. Et vbi eſſet corpus, illic congregarentur & aquilæ, & cum exaltatus eſſet, omnia traheret ad ſe ipſum. Vnde & modo Eccleſia dicit: *Et exaltans caput meum.* Caput noſtrum Chriſtus H

A odienda ſunt. Talibus igitur, & taliter iraſci non eſt peccatum, ideoque ſubdidit. *Et nolite peccare.* Iraſcimini, inquit, præteritæ veſtræ conuerſationi, iraſcimini vitiis & peccatis. Taliter illi irati erant, quibus Apoſtolus dicebat: *Quem ergo fructum habuiſtis, tunc in quibus nunc erubeſcitis?* Et nolite amplius peccare ſicut prius peccare ſoliti fuiſtis. Sed ſunt quædam peccata, & ipſa quidem maxima, à quibus facilè abſtinere poſſumus. Quale eſt illud, de quo Dominus ait: *Iſraël ſi me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*

Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Cubilia cogitationum corda noſtra ſunt, ibi oriuntur, ibi quieſcunt, ibi fructificant bonum fructum, ſi bonæ ſunt: & malum, ſi malæ ſunt. Hinc eſt enim quod Dominus ait: *Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, periuria, & falſa teſtimonia, & ſimilia, quæ* B *coinquinant hominem.* De his compungimini, de his pœnitentiam agite, has in ipſo initio ſuccidite, & eas ad effectum perducere nolite. Poſtea verò facite quod ſequitur.

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.

Quod ſi feceritis confidenter. *Sperate in Domino.* Quid? ea bona ſuſcipere, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus:* & vobis & omnibus *diligentibus ſe.* Sacrificium iuſtitiæ facit, qui ſeipſum pro peccatis ſuis iudicat & affligit. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Quod autem carnis afflictio ſacrificium ſit, audi eundem Apoſtolum, dicentem. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

Ego, inquit, dixi vobis, ſperate in Domino, & quid ſperare debeatis oſtendi: ſed ſunt multi, qui ſpem non C habent, & in ſuis cogitationibus dicunt. Quis oſtendit nobis illa bona? quis inde certus nuncius venit. Quomodo ſperare, vel credere poſſumus? Miſeri qui iſta dicunt: quoniam hæc verba deſperatione plena ſunt. Sed tamen qui ſunt iſti, qui tam impiè loquuntur, niſi illi qui à fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt? per hæc autem tria, quibus humana neceſſitas maximè ſuſtentatur, omnia bona huius mundi caduca, & tranſitoria ſignificantur. Qui vero in talibus ſpem ſuam poſuerunt, æterna bona ſperare non poſſunt. Talis erat ille, de quo in Euangelio dicitur, qui cellaria ſua deſtruere, & maiora conſtruere cogitabat, qui lætabundus animæ ſuæ dicebat. *Habes multa bona tibi præparata in annos multos, gaude igitur, & epulare,* cui à Domino reſponſum eſt. *Stulte, hac nocte anima tua rapietur à te: quæ autem paraſti cuius erunt?* Et inde eſt quod Apoſtolus præcipit, non ſperare in incerto diuitiarum. Inde eſt etiam quod dicit, diuites non poſſe intrare in regnum Dei. Nunc autem audiamus, quid boni quoque dicant, D & ſentiant.

Signatum eſt, inquiunt, ſuper nos lumen vultus tui, Domine.

Hoc autem tale eſt ac ſi diceret: ſigno Chriſti ſignati ſumus, in eius militia connumerati, eius doctrina illuminati, in ipſo ſperamus, & quæcumque nobis promiſit, firmiſſimè expectamus. Hoc ſigno legimus in Apocalypſi de omni tribu filiorum Iſraël duodecim millia eſſe ſignatos, per quos videlicet tota Eccleſia, omniſque fidelium multitudo ſignificatur: eſt illud ſignum, quod Propheta vocauit thau, quo quicumque ſignatus non fuerit in iudicio peribit. Benè autem hoc ſignum lumen vocatur, quoniam qui hoc ſignum non habet, cæcus eſt, & in tenebris ambulat: Voluntas autem in vultu cognoſcitur, vnde & à vultu voluntas dicitur. Quod eſt igitur lumen vultus tui, niſi lumen voluntatis tuæ? Hoc enim lumen, & hoc ſignum ſecundum voluntatem tuam, & tibi factum eſt patibulum mortis & nobis factum eſt cauſa ſalutis. Sequitur.

E *Dediſti lætitiam in corde meo.*

Vox Eccleſiæ eſt, quæ de hac ſanctorum reſponſione lætitiam ſe habere ſignificat.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Illi inquit, qui deſperantes dicunt: quis oſtendit nobis bona, neque pacem, neque quietem habebunt, ego vero in idipſum, ideſt, pariter, & ſimul cum omnibus filiis meis dormiam, & requieſcam in æterna pace. Et hoc ideo, quia tu Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, ideſt me ſolum & ſingularem hanc tam immenſam tuæ beatitudinis ſpem habere donaſti.

IN FINEM PRO EA QVÆ HÆREDItatem conſequitur, pſalmus Dauid.

V*Erba mea auribus percipe Domine.*

F Quid ſignificet, *in finem*, modo ſuperius diximus: ſimiliter autem quomodo intelligatur *Pſalmus Dauid*, in ſecundo pſalmo expoſuimus. Ea verò, *quæ hæreditatem conſequitur*, Sancta Eccleſia eſt, vnde Apoſtolus. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, nos eſſe dicit. Hanc hæreditatem perdidit Synagoga, quæ de Saluatore noſtro ad ſe veniente, ait. *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.* Huius autem hæreditatis teſtamentum in illo pſalmo ei datum eſt, in quo dicitur. *Diſpoſui teſtamentum electis meis.*

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus. Eccleſia loquitur quæ pro Synagoga in hæreditatem ſucceſſit. Docet autem nos, quam inſtanter perſeuerantèr, quam violenter orare debeamus, in eo quod ipſum toties repetit. Vnde in Euangelio dicitur, *quia* G *regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Hanc autem violentiam ipſe Dominus nos facere iubet, dum ait. *Petite, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* Dicit autem & ſimilitudinem de illo, qui petebat ab amico ſuo tres panes, cumque ille dare noluiſſet, & ipſe per totam noctem petitionibus inſtaret, propter violentiam tandem illius, & importunitatem ſurrexit, & dedit illi quotquot habebat neceſſarios. Bonæ autem petitiones, non tantum voce, quantum affectu & deſiderio fiunt. Secundum illud, *Deſiderium pauperum exaudiet Dominus.*

Quoniam ad te orabo, Domine mane exaudies vocem meam. Mane igitur oret qui exaudiri deſiderat. Quid eſt igitur quod hic idem Propheta alibi ait: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, & illud, *in noctibus extollite manus veſtras in ſancta.* Et certè nullo tempore attentius, & quietius, quam in nocte viri religioſi orare poſſunt. Mane igitur orare tale eſt, ac ſi diceret: ſi vis à Domino exaudiri, mane ora, fuge noctem, fuge opera tenebrarum, pelle vitia & peccata. Audi Apoſtolum di- H centem: *Filij lucis, & diei ſumus, non noctis & tenebrarum.* Et alibi: *Fuiſti, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Talis igitur nox, taleſque tenebræ prius relinquendæ ſunt, & tunc orandum. De his autem tenebris exit homo, & ad mane venit ſtatim, vt pœnitentiam agere incipit. Sicut enim mane finis noctis eſt, & initium diei, ita & pœnitentia finis eſt peccati, & initium ſanctitatis, & religionis.

Mane adſtabo tibi. Quia inquit, nos exaudire non vis, niſi mane, quam citiùs potero noctis tenebras relinquam, & ad mane feſtinabo. Et tunc adſtabo tibi, quaſi famulus ad ſeruiendum paratus. Et videbo, quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. Hæc igitur erat cauſa quare in nocte non exaudiebas quoniam qui in nocte ſunt, in iniquitate ſunt.

Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Tales enim in iudicio audituri ſunt, tollantur impij, ne videant gloriam Dei. Quotieſcumque iſta dicimus, de illis ſolummodo peccatoribus

intelligimus,

A intelligimus, qui in peccatis perſeuerantes ad pœnitentiam redire nolunt. De quibus Apoſtolus ait: *Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Vnde & ſubditur.

Odiſti Domine, omnes, qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium. Non dixit: qui operati ſunt, vel qui locuti ſunt, ſed præſens tempus poſuit, vt perſeuerantiam ſignificaret. Qui enim in talibus perſeuerant, odio digni ſunt, & perditione. Et quamvis omne mendacium peccatum ſit, de hæreticis tamen hoc maximè intelligere debemus, & de omnibus aliis, qui, cauſa decipiendi alios, mentiuntur. Hoc enim & ſequentia ſignificare videntur.

Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus. Vir ſanguinarius omnis homicida dici poteſt. Sed quia ſubdidit, & doloſum, de hæreticis hoc intelligendum eſt: qui per dolos, & deceptionem animas hominum B interficiunt Et certè multo periculoſior eſt mors animæ, qua hæretici interficiunt, quam ſit mors corporis, quam cæteri homicidæ faciunt, quoniam illa æterna eſt, hæc autem temporalis: illa ſeparat animam à Deo, iſta ſolummodo à corpore diuidit. Meritò igitur talis homo abominatur à Deo, qui omni fera crudelior eſt.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo Domine in domum tuam. Ecce modo conſequitur Eccleſia hæreditatem, ſicuti in titulo huius pſalmi de ea ſcriptum eſt. Domum namque Dei, in quam ſe introire confidit, cœleſtem patriam, & terram viuentium intelligimus. In quam videlicet Domum non ex ſuis meritis, ſed in multa Dei miſericordia ſe introire dicit, *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Templum Dei Chriſti humanitas eſt, in qua habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. C Hanc autem adorare debemus, ſicut in alio pſalmo nobis præcipitur. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt. Cœlum mihi ſedes eſt*, dicit Dominus, *terra autem ſcabellum pedum eorum.* Si enim terra ſcabellum Dei eſt, & ſcabellum Dei adorare debemus, ergo & terram adorare debemus. Nulla autem alia terra eſt, quæ adoranda ſit, niſi hæc ſola, quam Verbum Dei ſibi ſubiunxit, ideſt, Chriſti humanitas, quæ hoc in loco templum Dei vocatur. Hanc autem adorant ſancti quanto tempore in hac vita ſunt, & hanc adorant quando ibi ſunt. Et hoc quidem in timore Dei, quia ſic eam timent & adorant, ſicut ipſum Patrem & Deum.

Deduc me, Domine in tua iuſtitia. Ego, inquit Eccleſia, ad ſuſcipiendam hæreditatem feſtino: ſed dum in hac vita ſum, tua maxima protectione indigeo. Vnde multum te rogo, vt in tua iuſtitia me deducas, & ab ea iuſtitia me declinare non permittas. Ecce enim inimici D mei, maligni ſpiritus, Iudæi, hæretici, & tyranni omnibus modis iter meum impedire nituntur. *Tu verò propter inimicos meos*, ne à recto itinere me ſeparare valeant, *dirige in conſpectu tuo viam meam.*

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt. Ideo, inquit, timendi ſunt, quia cum mendacio, & deceptione omnia faciunt, vtpote in quibus veritas non eſt, & quorum cor omni bonitate vacuum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Sepulchrum quando clauſum eſt non fœtet, apertum autem ſui fœtoris plenitudinem manifeſtat. Tales enim ſunt hæretici, qui vtinam ſemper tacuiſſent, & numquam fœtore ſuæ hæreſis alios violaſſent. Sed ſicut ſequitur ſemper *linguis ſuis doloſè agunt*, & ſimplicium animas occidunt, & gluttiunt. *Iudica illos Deus.* Iam quaſi ſtomachata loquitur, & quia eos ſuſtinere non valet, iudicium, & damnationem eis imprecatur.

Decidant à cogitationibus ſuis. Ecce iterum compatiendo loquitur, & magis illorum vitam, quam mortem affectat. *Iudica*, inquit, *illos Deus*, niſi *decidant à cogitationibus ſuis*, E quibus fideles tuos ſe ſubuertere poſſe confidunt, & *ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* Vnde, & quo? Ab Eccleſia tua in ignem æternum: hoc enim ſequitur poſt iudicium. Et hoc meritò *quoniam exacerbauerunt te Domine.* Nulli enim ita Dominum exacerbant, & ad iracundiam prouocant, ſicut hæretici, quia nulli tantum Eccleſiæ nocent. Tyranni enim in corpora, hæretici verò in animas ſæuiunt.

Et lætentur omnes qui ſperant in te. Læti lætitia ſpirituali & æterna, & hoc eſt quod ſequitur: *In æternum exultabunt, & inhabitabis in eis.* Quæ enim lætitia tam magna, quam deſiderium & amorem ſuum ante oculos ſemper habere? *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. Qui gloriatur*, inquit Apoſtolus, *in Domino glorietur.* Aliam gloriam neſciunt ſancti, quia nihil ſe, niſi à Deo habere ſciunt, in quo debeant gloriari. Vnde & alibi dicunt: *In Deo faciemus virtutem.* Nam & ipſe Dominus de ſe ipſo ait: *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt.* F Hoc videlicet ſignificans, quia ipſa ſuæ humanitatis gloria ad diuinitatem referenda erat.

Quoniam tu, Domine, benedices iuſto. Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Meritò, inquit, Domine, ſancti tui in te lætantur, qui tantam à te retributionem expectant. Sciunt enim, quoniam benedices eos illa deſiderabili, & diu expectata benedictione, qua eos in iudicio benedicturus es, dicens: *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* In te, inquiunt, ſancti, totaque Eccleſia, lætari, Domine, & gloriari debemus, quoniam ecce ſumus quod ſumus, in te inimicos ſuperamus, & à te modo coronati ſumus. Tuæ bonæ voluntatis protectione, & defenſione, quaſi ſcuto forti, & inſuperabili muniti, ſemper, atque defenſi,

G

IN FINEM IN CARMINIBVS pro octaua, Pſalmus Dauid.

QVid ſignificet in finem & in carminibus, & pſalmus Dauid iam ſuperius expoſuimus. Quia igitur in multis pſalmis hic vnus titulus eſt, vna nobis expoſitio ſufficiat. Quod autem ait *pro octaua* ad diem vltimæ reſurrectionis refertur. Illa enim dies, quæ prima eſt ipſa eſt & octaua, quæ dies Dominicus vocatur, in qua Chriſtus Dominus à mortuis reſurrexit. De qua die alibi dicitur: *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea.* Hac enim die creauit Deus cœlum, & terram, & lucem à tenebris ſeparauit, hac die, vt modo diximus, reſurrexit. hac die Spiritum Sanctum diſcipulis dedit, hac die mundum in iuſtitia & æquitate iudicans, vnicuique dabit ſecundum opera ſua.

Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. H Iſtæ affectiones in Deo non ſunt, in eo tamen eſſe videntur quando ea facit, quæ illi facere ſolent, in quibus ſunt. Semper autem ſancta Eccleſia memor eſt illius octauæ, ſemperque hunc pſalmum cantat in memoriam illius diei. Rogat itaque Dominum, vt paterna pietate, & miſericordia eam corripiat, & non ira & furore, ſicut illos, quos in illa die octaua tam dura, terribilique ſententia iudicaturus, & damnaturus eſt.

Miſerere mihi, Domine, quoniam infirmus ſum. De animæ infirmitate loquitur, quæ maior eſt, quam infirmitas corporis. Hoc enim ſequentia manifeſtant, dum dicit: *Et anima mea turbata eſt valde.* Quoties enim homo peccat, toties anima infirmatur: Et quoties ad pœnitentiam redit, toties ab infirmitate conualeſcit. *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.* Suis oſſibus ſuſtentatur corpus, quæ ſi defecerint, ſtare non poteſt. Similiter autem & anima ſuis oſſibus ſuſtentatur, & portatur, quæ ſi conturbata fuerint, miſerabiliter ruit. Sed quæ ſunt oſſa animæ? Primum quidem fides, ſpes, & charitas: deinde ratio, ſapientia, memoria, & intellectus, poſtea vero cæteræ virtutes. Hæ vero in-

A firmantur in anima, quando aliquod magnum peccatum homo committit. Pro his enim, qui maiora peccata commiſerunt, modo quidem ſancta Eccleſia orare videtur, dum non vnum, vel duo, ſed omnia oſſa, & totam animam valde conturbatam eſſe dicit. Quamuis enim pro omnibus orandum ſit, pro his tamen maximè hoc faciendum eſt, qui maiori detinentur infirmitate.

Et tu, Domine vſquequo? Vſquequo, inquit, ô Domine, differs medicinam, & non ſubuenis animæ tanta, & tam graui infirmitate laboranti? *Conuertere, & eripe animam meam.* Quamdiu in peccatis homo perſeuerat, iratus & aduerſus eſt ei Deus. Si autem ad pœnitentiam conuertatur, ſtatim placatur, & pœnitentiam reſpicere dignatur. *Saluum me fac* non meis meritis, quia merita nulla ſunt, ſed *propter miſericordiam tuam.* Salua me, inquit, & ſana animam meam, ne infirmitas iſta me ad mortem & ad inferos trahat, & mergat. Hoc enim illis contingit, B qui vſq; ad mortem in peccatis perſeuerãt, & pœnitentiã recipere negligũt. Tales n. nulla venia digni ſunt, & nihil eſt, quod eis vlterius ſubuenire poſſit. Vnde & ſubditur.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Apparet igitur eos per omnia eſſe damnatos, qui neque Dei memoriam habent, neque ſuorum peccatorum veniam quærunt, & ne mihi quoque, dicit Eccleſia, ſimilia contingerent, feci quod ſequitur.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. His autem verbis apertiſſime docet quid illis agendum ſit, qui magna peccata commiſerunt. Laboraui, inquit, & in omnibus modis operam dedi, vt ea, quæ commiſeram peccata delerem: neque vero adhuc ceſſabo: ſed per ſingulas noctes lectum meum lauabo, & lacrymis ſtratum meum rigabo. Per lectum & ſtratum corda noſtra intelligere debemus, in quibus peccata & oriuntur, & continentur. C Vnde & Dominus in Euangelio ait. *Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, periuria, falſa teſtimonia: & ſimilia: quæ coinquinant hominem.* Lauandus eſt igitur ille lectus, qui his ſordibus coinquinatur. Quod nimirum faciebat ille, qui dicebat. *Cor mundum crea in me Deus.* Vnde & Salomon ait. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum.* Hoc autem & publicanus ille intelligens, pectus ſuum percutiebat, quoniam in illo lecto ſui pectoris peccata, quæ commiſerat, eſſe ſciebat: Sed quid eſt per ſingulas noctes lectum lauare niſi pro vnoquoque peccato ieiuniis & orationibus, præcipueque lacrymarum inundationi ſatisfactioni, & pœnitentiæ operam dare. Noctes autem dicuntur peccata, quia & in tenebris fiunt, & ad tenebras omnia trahunt. Vnde & Dominus ait. *Omnis qui male agit lucem fugit.* Et Ioannes Apoſtolus: *Qui odit fratrem ſuum in tenebris manet, & neſcit quo vadat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius.* Per tenebras, videlicet, peccata ſignificans.

D *Turbatus eſt præ ira oculus meus.* Iſte eſt ille oculus, de quo in Euangelio Dominus ait: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit, quod ſi nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Quid eſt igitur iſte oculus, niſi catholicus intellectus? Hunc igitur oculum ſancta mater Eccleſia ſibi propter iram turbatum eſſe dicit. Bona ira, qua talis oculus conturbatur, bona conturbatio, de qua Sancta Eccleſia gloriatur. De hac ira in alio Pſalmo dicitur. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Iraſcitur igitur, & turbatur Eccleſiæ oculus, id eſt, catholicus intellectus contra inimicos ſuos, per quos Iudæos, hæreticos, tyrannos, & malignos ſpiritus intelligimus, qui eam à veritate ſeparare, & ad ſuæ prauitatis errorem trahere conantur. Et mirum ſi iraſcantur: quoniam non paucis diebus, ſed longo iam tempore ſcandalum deceptionis, & hanc malæ perſuaſionis perſecutionem ab eis paſſa eſt. Vnde & ſubditur. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Iam quaſi dicat eos me audire tedet, & eorum errores audire faſtidio. Vnde & valde conuenienter ſubdidit dicens.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Quoniam nihil iam vobiſcum habeo. *Nulla conditio Chriſti ad Belial, nulla pars fideli* (dicit Apoſtolus) *cum infideli. Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Hoc E eſt enim quod modo ſuperius ait: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Sed nondum quod ait. *Vocem fletus mei.* Altiùs enim ſonat, & clarius à Domino auditur vox lacrymarum, quam linguæ & oris. Et inde eſt quod alibi dicitur. *Non taceat pupilla oculi tui.*

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit. Quando vnum atque idem toties repetitur, ideo fit, vt conſtantius, firmiuſque credatur.

Erubeſcant: & conturbentur omnes inimici mei, auertantur retrorſum, & erubeſcant valde velociter. Hæc verba, & in bonam, & in malam partem accipi poſſunt. Et ſicut in ſuperiori, ita, & in hoc verſu idem ſæpius repetitur. Videtur mihi tamen quod ſancta Eccleſia magis conuerſionem inimicorum, quam eorum mortem deſideret. Poteſt igitur ad bonam partem ſic intelligi. *Erubeſcant*, quia contra veritatem pugnauerunt. *Et conturbentur*, contra ſe ipſos, erroreſque ſuos. F *Auertantur retrorſum*, à falſitate, quam ſequuntur, & ad veritatem redeant, quam deſtruere nituntur. *Et erubeſcant valde velociter.* Tempus enim breue eſt, iudicium inſtat; qui dedit hodiernum diem, non promiſit dubium cras, nouiſſima hora eſt. *Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.*

PSALMVS DAVID QVEM CANTAVIT Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.

SEmei qui & Nabath, pater Ieroboam de ſtirpe Iemini, Dauid Regi maledixiſſe legitur, cum fugeret à facie filij ſui Abſalon, pro cuius verbis iſte factus eſſe putatur. Mutato itaque nomine vocatur *Chuſi*, ideo fortaſsè, quia Semei bonam Chuſi verò malam habet interpretationem. Interpretatur autem *Chuſi*, Ethiops: Semei G vero, audiens Dominum, Iemini autem dextera interpretatur. Et meritò quidem *Chuſi* vocatur vt mente, & corpore fœdus fuiſſe credatur: qui tanto Regi & Prophetæ maledicere non dubitauit. Dicitur tamen fuiſſe filius Iemini: vt hoc ei in oppoprium fiat, quod tam nequam de bono patre genitus fuerit.

Domine Deus meus in te ſperaui, libera me ab omnibus perſequentibus me, & eripe me. Hæc vox ipſius Prophetæ eſt, & aliorum omnium, qui eiuſdem perfectionis ſunt. Iſti autem in ſolo Deo ſpem habentes omnes ſuos perſecutores & inimicos vicerunt, & contempſerunt. Quamuis enim aliquando occiderentur, victores tamen erant, quoniam à ſua fidei ſtabilitate nullo tormentorum genere diuelli poterant. Et hanc quidem fortitudinem non ſuis viribus imputabant; ſed ſoli Deo, qui numquam deſerit ſperantes in ſe.

H *Nequando rapiat vt Leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Inimicus noſter diabolus, ſicut ſcriptum eſt. *Tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Cuis dentes, & inſidias illi ſoli effugere potuerunt, qui in Domino ſperantes, ab ipſo & liberati, & ſaluati ſunt. Vnde iſte prius dixit. *Domine Deus meus in te ſperaui.* Deinde verò ſuæ ſpei retributionem quærens ſubdidit dicens. *Libera me, & eripe me.*

Domine Deus meus ſi feci iſtud. Quod iſte Chuſi niger, & Ethiops, & veritatis inimicus mihi improperat, hoc eſt: *Si eſt hæc iniquitas in manibus meis.* Quam ipſe dicit, *& Si ego reddidi retribuentibus mihi mala*, ſicut ipſe mentitur: *Decidam merito*, ideſt ſicut dignum, & iuſtum eſt: *Ab inimicis meis inanis.* Hæc autem ſunt verba Semei, quem ipſe Dauid mutato nomine non immerito vocat *Chuſi*. *Egredere egredere vir ſanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem Domus Saül, quoniam inuaſiſti regnum pro eo.* Hoc autem falſum eſſe omnes cognoſcunt quicumque Regum hiſtorias legunt, & intelligunt. *Inanis* autem

A intelligi poteſt, qui virtute & fortitudine, omnique bonitate vacuus eſt. Vnde hæc talis imprecatio dura valdè eſſe videtur; quam vtique Dauid non feciſſet, niſi ſe veritatem dicere certiſſimè ſciret: Sequitur adhuc de ipſa eadem imprecatione.

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat eam & conculcet in terrã vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. In illum videlicet puluerem de quo in alio Pſalmo dicit. *Quem proiicit ventus à facie terræ.* Per quem impij, & peccatores intelliguntur, quibus quicunque aſſociatus fuerit, nullam omnino gloriam habebit. Vita vero illius in terra à diabolo conculcatur, qui eius iniquis perſuaſionibus ſuperatus ſola terrena, & tranſitoria quærit. Sequitur.

Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum. Oſtende, inquit, iram, & indignationem tuam oſtende patientiam, & fortitudinem tuam in terra inimicorum tuorum. Iam tunc videbat Propheta,
B & per Spiritum Sanctum intelligebat, quando iſta ſcribebat, quid illa maledictio ſignificabat, quam contra ipſum Chuſi faciebat. Hæc eſt enim illa maledictio, de qua ipſe Dominus ait. *Maledicent illi, & tu benedices.* Ergo Semei maledicendo Dauid, Iudæorum populum ſignificabat, qui hanc maledictionem contra Dominum, & Saluatorem noſtrum facturus erat, quaſi qui regnum patris inuaſiſſet, & ſe falſo Dei filium eſſe dixiſſet contra quos Apoſtolus loquitur, dicens. *Quia non rapina arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Iſti ſunt igitur illi inimici, de quibus modo Propheta dicit. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum. Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandaſti.* Præcepit Dominus filiis Iſraël vt inimicos ſuos interficerent, & vſque ad internecionem omnes delerent. Rogat igitur ſecundum hoc præceptum ipſe quoque ſuis inimicis faciat, & populum illum ingratum, impium, & proditorem occidat & diſperdat, & gentium populum, qui melior eſt, in hæreditatem, ſibi aſſociet. Hoc eſt enim
C quod ſequitur. *Et ſynagoga populorum circumdabit te.* Synagoga populorum gentium populus eſt, qui prius quidem in tenebris ſedebat: nunc verò Chriſti lumine illuſtrata eum ſicut Regem, & Dominum circundat, colit, & veneratur.

Et propter hanc in altum regredere. Propter hanc enim Dominus, & Saluator noſter, & paſſus eſt reſurrexit, & cœlos aſcendit: quia nihil horum feciſſet, niſi Eccleſiam dilexiſſet. Aſcẽdit igitur, vt eam traheret ad ſeipſum, ſicut ipſe alibi ait: *Cum exaltatus fuero à terris, omnia traham ad me ipſum. Domine iudica populos.* Non vlterius habeant, inquit, illum iudicem, & regem, quem habere ſolebant: ſed tu potius iudica, qui es iuſtus iudex, qui omnia iudicas in æquitate. *Iudica me, Domine.* Tu, inquit, me iudica, qui mei cordis ſecreta cognoſcis, & fac alios intelligere? quia non ſum talis, qualem Chuſi me eſſe dicebat. Hoc autem fiet in iudicio, quando huius viri beatiſſimi puritas, & innocentia, & ipſi Sauli, & cunctis
D aliis reuelabitur. Iudica igitur, ſed quomodo?

Secundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam manuum mearum ſuper me. Felix conſcientia, quæ tale ſibi de ſeipſo teſtimonium reddit. Sed quare dixit: *Super me?* Si enim manus noſtræ, per quas videlicet opera manuum noſtrarum intelligimus, innocentes ſunt, ſuper nos vtique ſunt. Maior eſt igitur innocentia noſtra, quàm nos ipſi quia ſine innocentia miſeri ſumus, felices verò ſi eam habeamus.

Conſumetur nequitia peccatorum, & dirige iuſtum ſcrutans corda, & renes Deus. Hoc autem ſic poteſt intelligi, vt ipſi Dauid ſpecialiter de ſe ipſo loquatur, vt nequitia peccatorum, qui ſimul cum filio ſuo Abſalon eum tunc temporis perſequebantur, conſumetur, & citò finiatur. Et ipſe qui iuſtus, & innocens eſt, ad regni ſui gubernacula dirigatur. Quod autem ait. *Scrutans corda & renes Deus.* Tale eſt, ac ſi diceret, tu omnia vides, te nihil latet, tu ea, quæ dico, vera eſſe cognoſcis, & tenes: & corda ſcrutatur Deus, quia quid in corde habeamus, & quid in renibus, vbi luxuria dominatur, ipſe intelligit.

E *Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.* Hæc autem dicit gratias agendo, quaſi iam exauditus, & in Regnum à Domino reſtitutus. Recti corde illi ſunt, qui neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes firmi ſtabileſque in veritate perſiſtunt: quibus illi contrarij eſſe videntur, de quibus dicitur. *In corde, & corde locuti ſunt mala.*

Deus iudex iuſtus fortis, & longanimis numquid iraſcitur per ſingulos dies? Niſi conuertamini arcum ſuum vibrauit. In ſe ipſo probauit hoc Propheta, quia Deus eſt iuſtus iudex, & ideo dixit: *Iuſtum adiutorium meum à Domino.* Vnde & alibi ait, *Quia reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Quod vtique non feciſſet, ſi iuſtus iudex non fuiſſet, Bene autem ſubditur, & fortis, vt data ſententia, volentes, nolenteſque id quod iudicatum eſt, teneant, & cuſtodiant. Sed ne diſtrictus nimium & ſeuerus putaretur, addidit: *& longanimis:* Non enim ſtatim punit, ſed in multa patientia peccatores expectat quia
F *non vult mortem peccatoris*, ſicut Propheta ait, *ſed magis, vt conuertatur, & viuat*, Vnde & ſubditur. *Numquid iraſcitur per ſingulos dies?* Si enim longanimis & patiens non fuiſſet per ſingulos dies immo per ſingulas horas atque momenta iraſceretur, dum tanta in nobis ſit frequentia peccandi. Veruntamen quamuis tam benignus & patiens ſit, niſi conuertamini, nulla (ſubauditur) vlterius excuſatio erit. Quoniam ſicut ipſe ait, *niſi veniſſet & locutus fuiſſet, peccatum homines non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccatis ſuis.* Vnde & ſubditur. *Gladium ſuum vibrauit.* Iſte gladius ſermo diuinus, & Euangelica prædicatio intelligitur, de quo videlicet Apoſtolus ait. *Viuus eſt enim Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* De quo & alibi dicit: *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Tali autem gladio ſancti prædicatores armati ſunt, de quibus dicitur, *Et gladij ancipites in manibus eorum.* Hunc igitur gladium vibrauit Dominus, quando ſuis diſcipulis ait. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine pa-*
G *tris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quæ igitur excuſatio eſſe poteſt? *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & ipſe parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Item autem & per gladium, & per arcum [illegible]. Hunc autem arcum id eſt, vtriuſque teſtamenti [illegible] tunc temporis Saluator noſter tetendit, atque parauit, quando librum ſeptem ſigillis ſignatum aperuit, & ſuis diſcipulis ſenſum dedit, vt ſcripturas intelligerent. Vaſa vero mortis, quæ hunc arcum ferunt, Apoſtoli, & Doctores ſunt, de quibus ipſe vas electionis Beatus Paulus Apoſtolus ait. *Aliis ſumus odor vitæ, ad vitam, aliis odor mortis ad mortem.* Illi autem ſagittarij vitia, & malignos ſpiritus interficiebant, & de ſuis habitaculis igne ſancti Spiritus ſagittis inflammatis pellebant. Et hoc eſt, quod ait. *Sagittas ſuas ardentibus effecit.* Iſtæ ſagittæ illæ ſententiæ ſunt, quas ſancti Apoſtoli, & Doctores in ſuis
H ſermonibus proferebant. Bene autem his, qui ardentes ſunt has ſagittas Dominus & fecit, & dedit, vt tali igne ſuccenſi alios inflammarent, & quoſcunque tangerent, ad Dei amorem ſuccenderent. Sequitur.

Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Hic autem verſus ibi continuatur. *Ne quando rapiat vt Leo animam meam.* Quem enim alium fructum diabolus concipere, vel parere potuit, niſi iniuſtitiam, dolorem, & iniquitatem? Ipſe enim hoc in hominibus operatur, vt iniuſti, & iniqui ſint, ac per hoc ad dolorem, & omnium pœnarum miſerias ſimul ſecum eos perducat. Talis eſt cogitatio illius, talis doctrina, talis & fructus doctrinæ. Vnde & ſubditur.

Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Lacus iſte infernus eſt, quem ipſe diabolus, & fecit, & aperuit. Talis eſt enim oratio illius, malus artifex, qui in ſolis tormentis, & tormentorum locis conſtruendis delectatur. Nec ceſſat quotidie effodere aliis maiorem, aliis minorem, prout digni ſunt foueam parat. Sed ipſe quoque cadet in foueam, quam fecit:

A quia ignis æternus & ſibi paratus eſt, & angelis eius. Et tunc quidem fiet ei quod ſequitur.

Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem eius iniquitas eius deſcendet. Quantò enim omni creatura iniquior eſt, tantò ei maior pœna parata eſt. Ego verò inquit Propheta. *Confitebor & laudabo Dominum ſecundum iuſtitiam eius.* Quia tam iuſtus eſt, vt nunquam à iuſtitia ſeparetur. *Et pſallam nomini Domini altiſſimi.*

IN FINEM PRO TORCVLARIBVS Pſalmus Dauid.

QVid ſignificet in finem, & quid Pſalmus Dauid dictum eſt. Torcularia verò tot ſunt, quot ſunt, & Eccleſiæ, vbicumque ſunt. In his torcularibus illud vinum conficitur, & propinatur, quo ſancti omnes ine- B briati, terrenorum omnium obliuiſcuntur. Vnde in alio pſalmo dicitur. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hoc vino ebrietant illi, qui cum linguis omnium loquerentur, inſani eſſe putabantur.

Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Sic loquuntur ebrij, ſic loquuntur, illi, qui ſanguinem Chriſti bibere meruerunt. Lætantur quod nomen ſummi & æterni Dei iam non ſolum in Iudæa, vt quondam, ſed vbique gentium laudatur, & prædicatur, & qui prius multa nomina falſorum Deorum venerabantur, nunc vnius ſolius, & veri Dei nomen laudant, & prædicant.

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Ex eo namque tempore cœpit hoc nomen admirabile eſſe in vniuerſa terra, ex quo magnificentia Dei ſuper cœlos eleuata eſt. Magnificentia Dei Chriſtus eſt, vel quia Pater per Filium magnificatus eſt, vel quia ipſe Filius tam C magnus à Patre factus eſt: vt omnis creatura, & quæ in cœlis, & quæ in terra eſt ei ſubiiciatur. Vnde & in ſequentibus dicitur.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Hæc autem ad humanitatem referenda ſunt, & quod ſuper cœlos eleuatus, & quod magnus dicitur eſſe factus. Diuinitas enim: quæ vbique eſt, quomodo vel aſcendere, vel deſcendere poteſt? Infantes autem, & lactentes illi ſunt, de quibus Beatus Petrus Apoſtolus ait. *Quaſi modo geniti infantes, ſine dolo, rationabile lac concupiſcite, vt in ea creſcatis in ſalute.* Per quos, videlicet omnis Chriſtiana multitudo intelligi debet. De talibus enim Dominus ait. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et Apoſtolus. Nolite, inquit, *pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.*

Propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum, & defenſorem. A talibus, inquit, tam puris, tam innocentibus, D & religioſis laudes tuas prædicari voluiſti, vt qui olim per viliſſima animalia Pharaonem ſuperaſti, nunc per ſimplices, & infantes omnes tuos inimicos ſuperares. Inimici autem & defenſores illi ſunt, qui errorem & falſitatem quibuſcumque argumentationibus defendunt. Quod quidem quamvis, & aliis conueniat, de hæreticis tamen ſpecialiter intelligi debet.

Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum lunam, & ſtellas, quas tu fundaſti. Quia eleuata eſt, inquit, *magnificentia tua ſuper cœlos.* Reſtat nunc vt & nos illuc aſcendamus, & videamus opera digitorum tuorum lunam, & ſtellas, quas tu fundaſti. Hoc enim ipſe quoque Dominus dixerat. *Pater volo, vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.* Per lunam autem ſtellis, & totam Eccleſiam vniuerſaliter, & vnumquemque fidelium ſingulariter intelligimus. Hæ ſunt iſtæ ſtellæ, de quibus Apoſtolus ait. *Luna enim differt à ſtella in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum, quia alia erit claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum.* Opera autem digitorum Dei ſancti di- E cuntur, qui Sancti ſpiritus gratia in hac tanta pulchritudine formati ſunt, vt ſicut ſol fulgeant in regno Dei. Quod autem per digitum Dei Spiritus ſanctus intelligi debeat, ipſe Dominus oſtendit, dicens. *Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt?* De quo digito magos quoque in Ægypto dixiſſe legimus. *Digitus Dei eſt hic.* Hos autem fundauit Dominus & ſic fundauit, & in fide ſua, & in Eccleſia ſua, vt inde nullo modo diuelli poſſint.

Quid eſt homo, quia memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. De quo autem homine hic intelligere debeamus, docet nos in epiſtola ad Hebræos Apoſtolus, vbi ait. *Eum* (inquit) *qui paulò minus ab Angelis minoratus eſt, videmus Ieſum propter tolerantiam paſſionis.* Admirando igitur dicit, *quid eſt homo aut quid eſt filius hominis.* Quia talis tantuſque eſt, vt humana lingua explicari non poſſit, coronatum autem eum F eſſe oſtendit, quia dimicauit, & legitimè certauit. *Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum,* hoc autem exponit, dum dicit.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas inſuper, & pecora campi. Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Et de ouibus quidem in Euangelio Dominus ait. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Per quos, videlicet, tota fidelium multitudo intelligitur. Boues autem Epiſcopi ſunt, & Doctores, à quibus ager Dei, qui eſt Eccleſia colitur & aratur. Pecora vero campi omnes illi, qui extra Eccleſiam ſunt, intelligi poſſunt, de quibus Hiſtoriographus ait. *Quæ ſunt veluti pecora, quos prona finxit, & obedientia ventri?* Vnde & egregiè dixit. *Inſuper & pecora campi.* Quia non ſolum fideles verum etiam infideles, quamvis nolentes, Chriſto Domino ſubiecti ſunt. Sed quid per volucres cœli, niſi omnes Angelos, & bonos, & malos intelligamus? Piſces vero maris potentiores huius ſæculi mihi eſſe videntur, qui prædam ſemper parati hoc mare magnum, & ſpatio- G ſum perambulant, circumdant, affligunt, & poſſident. Omnia in his cauſis verbis enumerata ſunt, quæ memoriæ digna fuerunt. Conſtat igitur omnia tibi eſſe ſubiecta. Iſte pſalmus non finitur, quia tunc incipit cum finiti videtur. Et ideo fortaſsè: quia laudes Dei ſemper cantari, & numquam finiri debent.

IN FINEM PRO OCCVLTIS FILII.

OCculta filij Dei illa ſunt, quæ nec ipſis ſuis diſcipulis in hac vita manifeſtare voluit. Cum enim Apoſtoli eum quondam interrogarent, & dicerent. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël.* Reſpondit eis. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Vnde & alibi dicit: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, niſi Pater ſolus.* Bene autem in finem hic Pſalmus titulatur, quoniam ad ſæculi conſummationem, & ad tempora Antichriſti ea, quæ hic di- H cuntur referenda ſunt.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Eccleſia loquitur & non labiis tantum, ſed toto corde, totaque mentis affectione Deum ſe laudare, & omnia eius mirabilia narrare promittit: vt & nos diſcamus qualiter Deum laudare debeamus. Quod autem ait. *Narrabo omnia mirabilia tua.* Sic eſt determinandum, quæcumque ad meam notitiam peruenire potuerunt.

Lætabor, & exultabo in te, & pſallam nomini tuo, Altiſſime. Alij, inquit, in ſæculi honoribus, & dignitatibus lætentur, & exultent: mihi vero ſufficit, vt tibi ſoli placere queam, & tuum nomen laudare, & prædicare valeam.

In conuertendo inimicum meum retrorſum. Quod enim ait. *In conuertendo.* Tale eſt ac ſi diceret: dum conuertam inimicum meum retrorſum, in te lætabor, & exultabo. Neque enim humana virtute retrorſum conuerti,

A vel fugari diabolus potuiſſet, niſi diuinum auxilium præſentialiter adeſſet. Vnde & ſubditur, *Infirmabuntur, & pereant, à facie tua.* Non igitur humana fortitudo, ſed facies Dei, quam ſuſtinere non poteſt, eum terret, vt retrorſum conuertatur. Prius ſingulariter inimicum dixit: ſed vt multa millia in eius exercitu eſſe oſtenderet, pluralem numerum ſubdidit, dicens. *Infirmabuntur, & pereant.*

Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam, ſedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem. Ideo, inquit, inimicus meus vincitur, ideo fugatur, infirmatur, & perit, quia iuſtam cauſam habeo, & iuſtum iudicium mihi iudicaſti. Hoc eſt enim quod dicit. *Iudicium meum, & cauſam meam iuſtam feciſti.* Id eſt, iuſtam eſſe iudicaſti. In his verbis manifeſtè oſtenditur, quia Dominus noſter iuſtus iudex eſt, qui non perſonam, ſed cauſam attendit, qui nec ipſum diabolum à ſua actione, vel accuſatione, niſi iuſto iudicio repellit, & hoc eſt, quod ſequitur. *Sedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem.* In- B dignum ergo eſt, vt in ſede iudiciaria ſedeat, qui æquitatem neque iudicat neque intelligit.

Increpaſti, & gentes periit impius. Sic enim in Euangelio Dominus ait. *Quia veniens Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato.* Increpauit igitur Dominus gentes Apoſtolica prædicatione, in qua, non ipſi, ſed Spiritus ſanctus loquebatur, ſicut ipſe dixerat. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus, qui loquitur in vobis. Et periit impius:* quia tunc prius & regnum, & poteſtatem diabolus amiſit, qui vſque ad id temporis omnes gentes in ſua poteſtate tenebat, & poſſidebat, *Nomen eorum deleuiſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Omnia nomina falſorum deorum, quæ in hoc vno nomine continentur, ſiquidem omnes dij gentium dæmonia, iam deleta ſunt, quia nulla gens eſt, quæ modo eos veneretur: & colat.

Inimici defecerunt frameæ in finem. In finem, inquit, & ex toto defecerunt frameæ huius noſtri inimici, per quas tyrannos, & hæreticos intelligere poſſumus. Et ideo C quidem iam eos defeciſſe dicit, quia ſine dubio eos defecturos eſſe cognoſcit. Vſitata locutio eſt, vt quod certiſſimè futurum eſſe, ſperamus, iam factum eſſe dicamus.

Et ciuitates eorum deſtruxiſti. Fuit aliquando ipſa Roma, quæ aliarum ciuitatum caput eſt, ciuitas eorum: ſed illa quidem, quæ illorum erat iam deſtructa eſt, iam ſimul cum illis in tormentis eſt. Hæc vero, quæ nunc eſt, non illorum, ſed Sanctorum Apoſtolorum, & ipſius Dei ciuitas eſt.

Periit memoria eorum cum ſonitu. Sic enim periit Iericho, quorum muros non machinis, non arietibus, nec aliquo impetu, ſed ſolo tubarum clangore cecidiſſe legimus. Cum ſonitu igitur falſorum deorum memoria periit, quia prædicantibus Apoſtolis idola confracta, & templa deſtructa ſunt. *Et Dominus in æternum permanet, cuius regni non erit finis.*

Parauit in iudicio ſedem ſuam. Sedes Dei Apoſtoli ſunt, ſedes Dei Epiſcopi ſunt, & Sacerdotes, in quibus D Deus ſedet, & iudicat: non enim ipſorum eſt iudicium, ſed Dei, quia non illorum eſt lex, qua iudicant, ſed Dei. *Et ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate.* Et modo quidem per iſtos, poſtea verò in illo iudicio vniuerſali, & per ſe ipſum, & per iſtos.

Iudicabit populos cum iuſtitia: & factus eſt Dominus refugium pauperum. Illorum videlicet pauperum, de quibus Apoſtolus ait. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Quod enim dixit *in opportunitatibus*, hoc ſubdendo expoſuit *in tribulatione:* quia tunc maximè Dei adiutorio indigemus, quando in aliqua tribulatione ſumus. *Et ſperent in te omnes, qui nouerunt nomen tuum.* Quia; inquit, adiutor es, & in tribulationibus ſanctos tuos non deſeris, *Sperent in te omnes, qui quærunt nomen tuum.*

Quoniam non derelinquis quærentes te; Domine, Pſallite Domino, qui habitat in Sion. Sion ſpecula interpretatur, per quam Eccleſia intelligitur, cuius ſpeculato- E res ſunt Epiſcopi, & Doctores, Vnde & Ezechieli dicitur: *Fili hominis ſpeculatorem poſui te domus Iſraël.*

Annunciate inter gentes mirabilia eius. Hoc quidem iam factum eſt, quia *in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Quoniam requirens ſanguinem eorum memoratus eſt, & non eſt oblitus orationes pauperum. Annunciate, inquit, & nolite timere: quia corpus quidem occidere poſſunt animam autem occidere non poſſunt, Neque illorum obliuiſcitur Dominus, qui pro eius nomine moriuntur, quoniam illorum ſanguinem requirens, ipſorum quidem aduerſarios punit, eos vero in æternam beatitudinem inducit.

Miſerere mihi Dominè, & vide humilitatem meam de inimicis meis, Non eſt, inquit, *Dominus oblitus orationes pauperum.* Clamantium ſubauditur, atque dicentium: *Miſerere mihi, Domine, & vide humilitatem meam de inimicis meis.* A quibus, te iubente, tot, & F tanta ſuſtineo. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem laudes tuas in portis filiæ Sion*, Portæ mortis hæretici ſunt, & quicumque ad mortem, & perditionem animas hominum trahunt. Talis porta fuit Simon magus, talis Arrius, & Sabellius, tales & multi alij, quorum doctrina, & perſuaſione multæ animæ perierunt. Tyranni quoque portæ mortis fuerunt, qui terrore tormentorum multos Deum negare fecerunt. De his autem portis ſancti liberati, & exaltati, laudes Dei annunciare non ceſſant in portis filiæ Sion, id eſt, in auditu, & auribus animarum fidelium. Nam & aures portæ ſunt, per quas Sanctæ prædicationis verba ad corda audientium ingrediuntur.

Et exultabo in ſalutari tuo. Exultabo, inquit, in tantum de ſalute mea, quæ temporalis eſt quantum de ſalute tua, quæ æterna eſt. Hoc autem dicit de ſalute animæ, quia de portis mortis liberata, iam ſecura eſt, & vlterius mori non timet.

Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo G *iſto quem occultauerunt mihi comprehenſus eſt pes eorum.* Hoc eſt enim quod alibi dicitur. *Qui fratri ſuo foueam parat, ipſe prius cadet in eam.* Qui enim alios decipere nituntur, ipſi abſque dubio decipiuntur.

Cognoſcatur Dominus iudicia faciens in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. Modò, inquit, ab impiis, & peccatoribus non cognoſcitur Dominus, neque adhuc ſuæ fortitudinis potentiam, & ſeueritatem eis oſtendit, ſed potius ſuper eos ſolem ſuum oriri facit, & in multa patientia eos expectat. Cognoſcetur tamen cum ad iudicium venerit, & ſuæ maieſtatis gloriam oſtenderit. Et tunc quidem lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, *quia in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Tunc quoque ſuper eos hæc ſententia dabitur, quæ in ſequenti verſiculo declaratur.

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Dominum. Si peccatores in inferno modo non eſſent, non vtique diceretur: *conuertantur peccatores in infernum.* Sed modo quidem in anima ibi ſunt, H vbi audita ſententia, ſimul cum corporibus præcipitabuntur.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem. Numquam enim fit quod vſque in finem non fit. Numquam igitur patientia iuſti peribit, ſiquidem vſque in finem non peribit. Vnde manifeſtum eſt, ideo præcipue peccatores eſſe damnatos, quia pauperes Chriſti afflixere, quorum obliuio nunquam erit. Cum autem hæc Propheta dictaret, & martyrum afflictiones tyrannorum atque hæreticorum perſecutiones deſcriberet, datum ſibi diuinitus eſt, vt maiora conſpiceret, & ipſum Antichriſtum perditionis filium videret, de quo ſcriptum eſt, *quia extollet ſe, & eleuabitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Erit autem tunc tribulatio talis qualis* (ſicut ipſe Dominus ait) *numquam fuit, neque erit.* Hoc igitur in ſpiritu Propheta conſpiciens de tanta ſanctorum, qui tunc temporis erunt afflictione perterritus exclamat dicens.

A *Exurge Domine non praualeat homo, indicentur gentes in conſpectu tuo.* Exurge, inquit, Domine, Sanctis tuis in adiutorium, quia tam iniquus eſt homo iſte, tantuſque eum iniquorum omnium perſequitur exercitus, vt nemo ei reſiſtere poſſit. De hoc enim perditionis filio ſcriptum eſt, quia poſt ſe omnes homines trahet, & ante ſe innumerabiles. Quod igitur ait, *indicentur gentes in conſpectu tuo.* Tale eſt, ac ſi diceret, veni citò ad iudicium, & breuientur dies huius, quoniam ſi iſte iniquus diu regnauerit, omnes ſancti tui peribunt. Hoc eſt enim quod Dominus ait. *Niſi abbreuiati fuiſſent dies illi non eſſet ſalua omnis caro.* Regnabit enim, ſicut ſcriptum eſt. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, ideſt, non amplius quam tribus annis, & dimidio.

Conſtitue Dominè legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt. Exurge, inquit, quaſi dicat, in adiutorium fidelibus tuis, ne fortè eis præualere va-
B leat. Super gentes autem, quæ eum ſequuntur, & eum colunt, & adorant, legiſlatorem illum conſtitue, vt tandem ſciant, & intelligant, quoniam homines ſunt, qui te relinquentes, hoc monſtrum venerantur. Erit autem, & ipſe legiſlator, quia ſicut fecit Moyſes, & Saluator noſter ita ipſe quoque ſuam legem dabit. Quod autem ait; *quia homines ſunt.* Tale fuit ac ſi dixiſſet, quia ſtulti, & fatui ſunt. Secundum quam ſignificationem & Apoſtolus ait: *Cum alius dicat: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cepha, nonne homines eſtis?*

Vt quid Domine receſſiſti longe? deſpicis in opportunitatibus in tribulatione. Exurge ait, quid moraris? cur à ſeruis tuis longè receſſiſti? quare in his opportunitatibus, hoc eſt, in tantis tribulationibus eis non ſubuenis? Neque enim aliquando opportunius illis erit adiutorium tuum, quam modò, cum tanti hoſtis perſecutionem patiuntur.

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper. Ille, inquit,
C ſuperbit & ſæuit: pauper vero, ideſt, ſancta Eccleſia omni humano auxilio deſtituta, incenditur & cruciatur. Poteſt autem & ſic intelligi, quia quanto amplius ille ſuperbit, & ſæuit, tanto amplius & illa in Dei amore ſuccenditur, & inflammatur. *Comprehendentur in cogitationibus ſuis quas cogitant.* Non diu, inquit, celabitur, non diu cordis illius malitia occultabitur: ſed cito & ipſe, omneſque diſcipuli eius, qui cum eo ſunt eiuſdem iniquitatis & malitiæ conſcij comprehendentur, & confundentur, de quibus in Euangelio Dominus ait: *Quia ſurgent multi pſeudo Chriſti, & pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna, & prodigia multa, ita vt in errorem inducantur ſi fieri poſſit etiam electi.* Hinc autem vſque in finem pſalmi ipſius Antichriſti vitam, & hiſtoriam ſcribit.

Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.

Nihil eſt, quod homines impios, & iniquos magis ad iniquitatem exercendam moueat, & incitet quam adu-
D latores qui eorum opera iniqua laudant, & extollunt. Et inde fit, vt numquam ad pœnitentiam redeant, & à ſua prauitate quieſcant.

Irritauit Dominum peccator. Quid eſt enim irritauit, niſi quia ad immenſam iram, & indignationem contra ſe eum commouit & incitauit? vt & ipſum dura morte perderet, & Sanctorum ſanguinem, quem crudeliter effuderat, requireret, & vindicaret. Vnde & ſubditur *ſecundum multitudinem iræ ſuæ non inquiret.* Hoc autem ſub interrogatione legendum eſt, & tale ac ſi diceret, ergo ne Dominus ſic irritatus, & ad tantam iracundiam prouocatus, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non inquiret? Illius, videlicet, vt modo diximus perditionem, & pauperum ſuorum vltionem? Vnde & in ſequentibus dicit: *Propter quid irritauit impius Dominum? Dixit enim in corde ſuo, non requiret Deus.*

Non eſt Deus in conſpectu eius polluuntur viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius. Omnia iudicia Dei & vera & iuſta ſunt: quæ ideo à facie eius auferri dicuntur, quia neque iuſtè iudicabit, neque eius iuſta iudicia timebit. Si enim timuiſſet, in hanc tantam crudelitatem, & ſuperbiam non ſe eleuaſſet. Om-
B nium ſuorum inimicorum dominabitur. Quos enim alios inimicos eius, niſi ſanctos intelligere debemus? Horum autem ſecundum quemdam modum dominabitur Antichriſtus, & ſecundum quemdam modum non dominabitur. Dominabitur quidem quia ſic in ſua poteſtate eos habebit, vt ſecundum voluntatem ſuam eos cruciet, & affligat. Non dominabitur autem, quia ad conſenſum ſuæ prauæ voluntatis eos trahere non valebit.

Dixit enim in corde ſuo non mouebor de generatione in generationem ſine malo.

Quam iniquus, & impius ſit in eo facilè quis cognoſcere poteſt, quod tanto deſiderio ſemper in malo delectatur. Qui de generatione in generationem, de loco ad locum ſine malo, & ſine animarum perditione ſe non tranſire minatur.

Cuius os maledictione, & amaritudine plenum eſt & dolo. Merito Antichriſtus iſte vocatur, qui Chriſto per omnia contrarius eſt. De Chriſto enim hic ipſe Propheta
F alibi ait. *Quam dulcia faucibus meis, eloquia tua Domine, ſuper mel, & fauum ori meo.* De hoc vero è contrario dicit, quia eius fœtidum os maledictione, & blaſphemijs, amaritudine, & dolo plenum ſit.

Sub lingua eius labor & dolor: ſedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Verba, inquit, quæ ſub illius lingua ſunt, ad laborem, & dolorem, & ad ſummam infelicitatem eius auditorum animas perducet. Sedere autem eum dicit in inſidiis ſimul cum diuitibus huius ſæculi, qui ſola terrena, & tranſitoria diligunt quos ſuis muneribus, decepit, & ditauit, *vt interficiat innocentem*, ideſt, animam religioſam & ſanctam ſuis iniquis perſuaſionibus ſupplantet, & perdat. Bene autem addidit in occultis: quia ſuper omnes homines doloſus, & callidus erit.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Non vtique ad miſerendum, ſed ad perdendum, & decipiendum. Vnde & ſubditur. *Inſidiatur in occulto, ſicut leo in cubili ſuo.* Sed
G quid inſidiatur? *Inſidiatur*, inquit, *vt rapiat pauperem.* Et rapere pauperem quid eſt? *Rapere ait pauperem eſt dum attrahit eum*, dum ſuæ prauitatis errori eum aſſociat. Hoc autem poſtquam faciet *in laqueo ſuo humiliabit eum*, quia ſic captum, & ſubiugatum quaſi proprium ſeruum, eum habebit. Miſer, & per omnia infelix, qui ea mala non videt, quæ poſt modicum ſuper eum ventura ſunt de quibus modo ſubditur. *Inclinabit ſe, & cadet cum dominabitur pauperis.* Ipſe eſt enim, quem ſicut Apoſtolus ait: *Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & auferet illuſtratione aduentus ſui.* Et quia ſupra modum ſe exaltauit, inferius cæteris humiliabitur, & in pœnas præcipitabitur. *Omnis enim qui ſe exaltat* (dicit Dominus) *humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Dixit enim in corde ſuo oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne videat vſque in finem. Cum inquit, homo iſte iniquus, & perditionis filius crudeliſſimis, & exquiſitis tormentis ſanctos Dei interficeret, hoc in corde ſuo ſtul-
H tiſſimè cogitabat, quod ex toto, & vſque in finem eorum Dominus oblitus fuiſſet: quoniam non ſtatim eos vindicabat.

Exurge Domine Deus meus, & exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperem in finem. Exurge, inquit, ſanctis tuis in adiutorium, & exaltetur manus tua, exaltetur virtus, & potentia tua ſuper eos, & ne obliuiſcaris pauperem, ſicut ipſi malitiosè arbitrantur, vſque in finem. Numquam enim fit, quod vſque in finem non ſit: ſiquidem ſanctorum finis numquam erit.

Propter quid irritauit impius Dominum? Inſultatio eſt aduerſus eum, quem iam per ſpiritum ſanctum in illam altiſſimam tormentorum foueam tam miſerabiliter corruiſſe Propheta intuetur. Et quare hoc ſibi contigerit, ſubdidit, dicens: *Dixit enim in corde ſuo, non requiret Deus.* Magnum igitur peccatum eſt de iuſtitia Dei peruerſum aliquod non ſolum dicere, verum etiam cogitare.

Vides quoniam tu laborem, & dolorem conſideras, vt tradas eos in manibus tuis.

Non obliuiſceris, inquit, aliquando, ſed ſemper vides & paterna pietate conſideras laborem & dolorem, quem

A pro ſuo nomine ſancti tui patiuntur, vt ipſis tuis manibus Patri eos tradas, & repræſentes. De hac enim traditione Apoſtolus ait, quia tunc omnia ei ſubiecta erunt, cum tradiderit regnum Deo & Patri. *Tibi enim derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor.* Ex quo, inquit, pauper, antiquum patrem diabolum dereliquit, & per aquam, & Spiritum Sanctum regeneratus filius tuus factus eſt, tibi ſoli ſemper adhæſit : tibique ſoli derelictus, nullum alium tutorem, & defenſorem habuit, Quod autem diabolus pater ſit iniquorum omnium , & nondum baptizatorum, ipſe Dominus oſtendit, vbi ait. *Vos ex patre diabolo eſtis, & patris veſtri opera facitis.* Talibus igitur Apoſtolus ait : *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc aut lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Et Ioannes Apoſtolus. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credũt in nomine eius.* Sunt ergo modo filij Dei, qui prius erant filij diaboli ; Pupilli autem, ideſt, orfani (ſicut alia tranſl atio habet) ideo dicũtur, vel quia primus eorũ pater B eis mortuus eſt, vel quia adhuc in hac vita peregrinantes, nondũ in illa beatitudine Deo Patri coniuncti ſunt. Vnde & ſuis diſcipulis Dominus dicebat. *Non vos relinquam orfanos , veniam ad vos.* Qui vtique ex ſola ipſius abſentia orfani eſſent, ſi ad eos Dominus non veniſſet.

Conteres brachium peccatoris , & maligni.

Sicut brachium Patris Filius vocatur, de quo per Prophetam dicitur. *Et brachium Domini, cui reuelatum eſt* : ita & brachium diaboli Antichriſtus dicitur, quia in eo, & per eum operatur, & præliatur : de cuius contritione, & perditione ſatis iam ſuperius dictum eſt. *Requiretur delictum eius nec inuenietur.* Delictum diaboli ſuperbia eſt, qui in corde ſuo dixiſſe legitur. *Super cælum aſcendam, & ero ſimilis altiſſimo.* Quia videlicet ſuperbiã Antichriſtus quoque ſupra omne quod dicitur Deus , aut quod colitur, eleuatur , & exaltatur. Hoc autem ſi poſt mortem Antichriſti, in regno Chriſti, quod eſt Eccleſia, requiratur, inueniri non poterit. Per quod datur intelligi; quia illi, qui tunc temporis erunt in timore, & tremore, C & maximè humilitate Domino ſeruient. Vnde etiam ſcriptum eſt, quia in diebus illis ſaluabitur Iuda. *Et cum plenitudo gentium introierit , tunc Iſraël ſaluus fiet.* Quis enim tunc ſuperbire audeat , cum & Antichriſtum pro ſua ſuperbia damnatũ & iudicij diem inſtare cognoſcat.

Regnabit Dominus in æternum , & in ſæculum ſæculi. Cuius regni, ſicut ſcriptum eſt. *non erit finis.* Vos autem gentes , quæ ſimul cum Antichriſto damnatæ eſtis, *peribitis de terra eius* , ideſt de terra viuentium, quia in eam non intrabitis. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus deſideria cordis exaudiuit auris tua.* Prophetarum eſt pro futuris præterita ponere , quoniam ea , quæ futura ſunt iam quaſi præterita conſpiciunt. Deſiderium autem pauperum , ideſt, Sanctorum, qui in tempore Antichriſti futuri ſunt , hoc erit , vt ipſe, ſicut dignus eſt, iudicetur , & damnetur : & Sancti Dei de eius inſidiis liberentur , & in æternam beatitudinem introducantur. D Sciendum autem quod deſiderium non in ore , ſed in corde eſt. Ad cor igitur reſpicit Deus , & magis cordis deſideria, quam oris orationes exaudit. Quando autem hoc ſanctorum deſiderium exauditur , ſequentia manifeſtant.

Iudicare pupillo , & humili. Cum venerit, inquit, iudicare pupillo & humili , tunc ſecundum ſua deſideria ſancti ſuſcipient. Pupillo autem iudicare eſt, pupilli cauſam iuſtam oſtendere , & prædicare. Hæc autem quæ de Antichriſti iuſtiſſima damnatione, & perditione dicta ſunt , ideo & dicta, & ſcripta ſunt, *vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram* , ne ſibi quoque ſimilia contingant , quæ illi , quem imitari non timuit, contigiſſe audiuit.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

Iſte titulus ſatis iam ſuperius expoſitus eſt , qui ideo toties ponitur , vt omnes pſalmi eiuſdem auctoris eſſe credantur.

In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ , tranſmigra in montes ſicut paſſer ? Contra hæreticos Eccleſia loquitur , iam illorum perſuaſionibus , & argumentationibus fatigata. *In Domino* (inquit) *confido*, & ideo veſtra conſilia paruipendo , quæ vtique illi ſoli recipiunt , qui in Domino non confidunt. Quomodo ergo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer : Neque vos montes , neque nos ſecundum veſtram intelligentiam paſſeres ſumus, qui exaltando vos montes, nos humiliando paſſeres vocatis. Eſtis tamen & vos montes inflatione ſuperbiæ tumidi , montes , videlicet Gelboè , quibus quondam maledixit Dauid. Nos quoque paſſeres ſumus, de laqueo venantium liberati , per quem videlicet laqueum veſtræ inſidiæ ſignificantur. Vnde & alibi dicitur : *Paſſer inuenit ſibi domum.* Hæretici igitur ad ſui comparationem veros Catholicos paſſeres deputant : quos ipſe quoque Saluator noſter exigui pretij eſſe oſtendit, dum dicit : Nonne duo paſſeres aſſe veneunt ?

F *Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum , parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Ad ipſum Dominum Sancta Eccleſia ſuæ locutionis verba conuertit , & de hæreticorum non modica perſecutione conqueritur, dicens : Vides Domine, & cognoſcis : quoniam ecce iſti , contra quos loquimur , hæretici, & peccatores tetenderunt arcum. Omnis hæreticorum falſa, & hæretica compoſitio ſiue in ſcripto, ſiue ſine ſcripto ſit , arcus eis eſt , quo ſanctorum animas interficiant. Pharetram vero ipſorum corda intelligimus, in quibus ſuæ deceptionis ſententias , veluti ſagittas collectas , & paratas habent , quibus , cum opportunum fuerit, rectos corde ſubdole & in obſcuro ſagittent, & vulnerent.

Quoniam quem perfeciſti, deſtruxerunt. Et hoc, inquit, te non latet : ſed ſatis tibi manifeſtum eſt , quoniam ſanctus, & Catholicus intellectus, quem tu nos docuiſti, & in nobis perfeciſti , iam penè deſtructus eſt. Vnde multos valde eorum praua doctrina ſignificat eſſe deceptos: quod G quidem in tempore Arrij factum eſſe cognouimus , qui totum ferè mundum ſubuertit , & in ſuum errorem tranſire coëgit. *Iuſtus autem quid fecit :* Sequitur. *Pluit ſuper peccatores laqueos.* Sic enim ſe habet ordo, Sed prius ea , quæ interpoſita ſunt exponamus , poſtea vero & hæc , & cætera , quæ ſequuntur , videamus ?

Dominus in templo ſancto ſuo , Dominus in cælo ſedes eius. Quando , inquit. Sancti iſta dicebant : *Dominus in templo ſancto ſuo :* per quod , videlicet eoſdem ipſos intelligimus. *Dominus in cælo , vbi eſt ſedes eius.* Quod quidem hoc ipſum ſignificat , hæc eadem in cordibus illorum tractabat & conſiderabat. Vnde Apoſtolus ait. *Nos enim quid oremus , neſcimus : ſed Spiritus ſanctus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod autem & templum Dei , & ſedes Dei Sancti dicantur, certiſſimum eſt.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Non reſpiceret ſi non diligeret. Sic enim ſcriptum eſt : *Quia reſpexit Dominus Petrum.* Oculi igitur eius in pauperem reſpiciunt: H vt eius ſemper miſereatur , ſemper eum cuſtodiat , eiuſque omnes cogitationes , & actus dirigat , & diſponat. *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Solo , inquit , intuitu cuncta cognoſcit , aperiens oculo omnia videt, & nihil eſt , quod eius interrogationi , ideſt , perſpicaci inquiſitioni occultari valeat.

Dominus interrogat iuſtum, & impium. Et iuſtum, inquit, & impium interrogat Dominus, & cognoſcit, quia vtriuſque conſcientia ſibi reſpondet , & quæcumque intus latent , ei interroganti , & perſcrutanti ſe manifeſtant. *Qui autem diligit iniquitatem , odit animam ſuam.* Hæc eſt diffinitio impij, ille , quaſi dicat, impius eſt , qui diligit iniquitatem , & odit animam ſuam. Vtrumque enim valde impium eſſe videtur , & iniquitatem diligere & animam ſuam odio habere. Et peius quidem eſt iniquitatem diligere quam iniquitatem agere : ſicut minus malum eſt aliquando peccare, quam in peccato perſeuerare.

Pluit ſuper peccatores laqueos. Hic verſus, ſicut ſuperius

diximus,

A diximus, ſbi continuatur, vbi dicitur. *Iuſtus autem quid fecit?* In eo enim, quod pluere dicit, magnam laqueorum ſuperabundantiam oſtendit. Quot ſunt peccata, tot ſunt, & laquei, quibus peccatores capiuntur, & illaqueantur. Funibus enim peccatorum ſuorum tenebitur impius. Pluribus igitur tenebitur, & ligabitur laqueis, qui plura, & maiora peccata commiſerit, *ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Hic eſt calix iræ, & furoris Dei quo peccatores inebriabuntur per quem ipſa mors, & pœnarum omnium tormenta ſignificantur. Sed ſi ea, quæ hic enumerantur non totus calix ſed pars calicis erit multa alia, & fortaſsè grauiora adhuc eos tormenta expectant.

De igne autem in Euangelio ſcriptum eſt, qui etiam æternus & inextinguibilis vocatur. Eos verò in ſulphure puniendos eſſe intelligere poſſumus, qui in luxuriis, & carnis voluptatibus defecerunt. In ſpiritu vero procellarum illi peribunt qui ſanctam Eccleſiam perturbantes, B numquam quieſcere, & pacem habere voluerunt. Et quia ipſi in hac vita quaſi procellæ tempeſtatis fuerunt, dignum eſt, vt ipſi quoque ſpiritu procellarum ſemper cegantur, & ſubmergantur.

Quoniam iuſtus Dominus iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Et iuſtum inquit, & impium interrogauit Dominus, & quia iuſtus eſt, & iuſtitiam diligit ſecundum hoc quod æquitas poſtulat, iuxta opera ſua vnicuique tribuit,

IN FINEM PRO OCTAVA Pſalmus Dauid.

TOtus hic titulus iam ſuperiùs expoſitus eſt, neque vt iterum exponatur, neceſſe eſt.

Saluum me fac, Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Vox iuſtorum eſt ante Chriſti incarnationem ipſius aduentum C deſiderantium. Fuit aliquando, vt non ſolum gentiles, verum etiam Iudæi, qui Dei populus vocabantur, idola colerent, dæmonia adorarent, vanitatem quærerent, ſimulque omnes à veritate recederent. Sic igitur ſanctitate, & veritate vbique deficiente, cum nuſquam ſit, vnde auxilium à Deo ſperare poſſit, vir iuſtus non immerito exclamat, dicens: *Saluum me fac Domine quoniam defecit ſanctus.*

Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. Vana, inquit, locuti ſunt vnuſquiſque, ſiue Iudæus ſit, ſiue gentilis, ad proximum ſuum. Proximum autem non tantum conſanguinitate, quantum malitia intelligere debemus. Qui enim hoc modo proximi ſunt, ſe ad vanitatem, & ſtultitiam viciſſim hortantur, habentes labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt mala. Et de ſanctis quid dicitur, *quia omnibus erant cor vnum, & anima vna.* Iſti verò non vnum, ſed duplicia corda omnes habere dicuntur. Duplicia quidem, quia mutabilia & nulla veritatis conſtantia ſtabilita.

D *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* Eorum videlicet qui dixerunt. *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter eſt Dominus?* Tales omni tempore fuerunt, qui linguam, & ſcientiam ſuam magnificantes, errores ſeminare non timuerunt. Hoc enim fecerunt gentiles philoſophi, qui ſapientiores in populo habebantur: qui quoniam in omnibus ad cultum Dei pertinentibus errabant, non omnes vnum, idemque ſed ſingulas, atque diuerſas ſui erroris ſententias dabant. Iſti igitur dicere poterant: linguam & ſcientiam noſtram magnificabimus, ſententiæ noſtræ à nobis ſunt, & non aliunde eas ſuſcepimus. Quis enim noſter eſt magiſter, & dominus, cui ea quæ loquimur, & ſcimus, adſcribere debeamus? Meritò igitur Apoſtolus ait: quia *ſtultam fecit Dominus ſapientiam huius mundi.* Nam & inter Iudæos hæreticos multos fuiſſe legimus, ſicut Saduceos, qui negabant reſurrectionem, quorum impiam hæreſim ipſe per ſe Saluator noſter certiſſimis rationibus deſtruere dignatus eſt. E Quam videlicet hæreſim à philoſophis deſcendiſſe non dubium eſt.

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Reſponſio Domini eſt ad illos, qui in huius pſalmi initio dicunt. *Saluum me fac Domine.* Nunc, inquit, in adiutorium exurgam, & inopes, & pauperes, de poteſtate diaboli, & à tantis erroribus liberabo. Quomodo, & per quem hoc ſuæ benignitatis adiutorium faciat, ſubdendo manifeſtat.

Ponam ſuper ſalutare meum, fiducialiter agam in eo. Salutare Dei Chriſtus eſt, per quem hanc tantam ſalutem Dominus operatus eſt. De quo nimirum ſalutari in alio pſalmo dicitur: *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.* De quo & Patriarcha Iacob ſic ait: *Salutare tuum expectabo Domine.* Bene autem ait: *Fiducialiter agam in eo*, quia, tanto talique duce præliante, nihil periculi eſt cum de ipſo, ſcriptum ſit; *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.*

Eloquia Domini, eloquia caſta. Ecce audiſtis eloquia, F & promiſſionem Dei, dicit propheta: firmiſſime itaque credite & nullatenus dubitetis, quia quod promiſit, ſine dubio adimplebit. Vnde hoc? Quia eloquia illius caſta, & vera ſunt, & ipſe nullo modo mentiri poteſt. *Argentum igne examinatum, terræ purgatum ſeptuplum.* Talia, inquit, ſunt eloquia Domini, tam pura, tam caſta, tam vera, & nulla falſitate corrupta. Quaſi argentum igne examinatum, terræ purgatum ſeptuplum intelligitur, quod tantum excoquitur, donec omni terrena corruptione purgetur. Vnde & numerus ponitur perfectionis, in quo omnes numeri continentur. Quod igitur ſepties purgatur, nulla indiget purgatione.

Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. Vox illorum eſt, qui Chriſtum in carne videre meruerunt. Et tale eſt, ac ſi diceret. Ecce veniſti, completa eſt promiſſio patris, & ſermones prophetarum, iam nihil timemus, quia tu ſeruabis, & cuſtodies nos ab hoc præſenti tempore vſque in æternum. Impiis autem quid fiet? Sequitur.

G *In circuitu impij ambulant.* Non recto, inquit, itinere incedunt, ſed in circuitu oberrantes, veritatis finem & terminum inuenire non poſſunt. *Secundum altitudinem tuam multiplicati filios hominum.* Ac ſi dicat: Si iſti in circuitu ſemper ambulant, & veritatis viam ignorant, quare ſic multiplicati ſunt? quare omnibus bonis huius vitæ ſic abundant? Ad quod ipſe: Altum eſt, inquit, hoc ſecretum, & inueſtigabile, & maioris inquiſitionis. Hæc autem quæſtio de bonorum infortunio, & iniquorum proſperitate in multis locis Sanctarum ſcripturarum inuenitur. Poteſt autem, & ſic intelligi, vt ſanctorum numerus multiplicandus ſit, ſecundum numerum illorum, qui cœli altitudinem inhabitant. Vnde ſcriptum eſt quia *ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei.*

IN FINEM PSALMVS DAVID.

H ISte titulus iam ſuperius expoſitus eſt.

Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? quouſque auertis faciem tuam à me? Vox Prophetæ eſt, & aliorum Chriſti natiuitatem, ſuæque redemptionis diem cum magno deſiderio expectantium. De quibus ipſe Dominus ait: *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.* Iſti igitur conqueruntur quod tanto tempore eorum Dominus oblitus, eiſque iratus fuerit, & faciem ſuam ab eis auerterit, & per filij ſui incarnationem eos iam tandem non viſitauerit.

Quam diu ponam conſilia in animam meam? dolorem in corde meo per diem. Non ſufficit mihi, inquit, conſilium meum non ſufficit mihi conſilium animæ meæ. Veniat iam nunc ille Angelus magni conſilij, veniat, quæſo, ille *admirabilis conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*, & auferat hunc dolorem de corde meo, quem habeo per diem, ideſt, per ſingulos dies, ſiue

potius illius diei,luciſque deſiderio : cuius aduentus illuſtratione me illuminati confido.

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me ? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus, Ne auertas, inquit, vlterius faciem tuam à me ; ſed iam nunc reſpice, & exaudi me, vt amplius ne exaltetur inimicus meus ſuper me.

Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in morte. Illumina, inquit oculos meos, illumina oculos mentis meæ : mitte nobis illam tuam clariſſimam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, mitte nobis filium tuum, cuius ſanguine mors ipſa moriatur, & peccatum originale deleatur. Hoc eſt enim, quod ſancti maximè timebant, ne in illius peccati morte deficerent.

Ne quando dicat inimicus meus prævalui aduerſus eum. Illi ſunt, quibus præualet inimicus, & de quorum interitu gloriatur, qui vel à peccato originali nondum liberati ſunt, vel qui in grauioribus peccatis ſine pœnitentia moriuntur.

Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero. Hoc eſt enim gaudium,& exultatio malignorum ſpirituum,vt viri iuſti moueantur : vt Deo, à fide, à veritate, à iuſtitia, & & omni bonitate ſeparentur.*Ego autem in tua miſericordia ſperabo.* Nihil enim aliud eſt niſi ſola Dei miſericordia, quod ab eorum inſidiis hos valeat liberare.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo. Ecce, inquit,habeo quod deſideraui, quod quæſiui, & tanto tempore expectaui, videlicet, ſalutare tuum, Ieſum Chriſtum filium tuum. Amodo igitur gaudebit, exultabit, & lætabitur cor meum in ſalutari tuo. *Cantabo, Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini tuo altiſſime.* Quid per Altiſſimum, niſi Deum Patrem intelligamus, cui non immerito cantare, & pſallere iſte promittit : quoniam in aduentu filij ſui omnia bona, quæ deſiderari, vel ſperari poſſunt, ei largitus eſt.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

SÆpe iam diximus quid ſignificet. In finem. Et quid ſignificet Pſalmus Dauid.

Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus:corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis. Eccleſia loquitur & Iudæorum populum increpat : qui de Domino, & Saluatore noſtro, quoniam humilis, & in forma ſerui apparuit, ſicut ſtultus, & inſipiens, & diuinas Scripturas non intelligens. Dixit *non eſt Deus.* Vnde & corrupti ſunt, Patriarcharum : & Prophetarum fidem, & veritatem non tenentes. *Et abominabiles facti ſunt.* Deo, ſcilicet,& hominibus in prauis voluntatibus ſuis.

Non eſt qui faciat bonum,non eſt vſque ad vnum. Non eſt, inquit, in illo populo, at verò nec in omnibus aliis, qui faciat bonum. Quia enim fidem non habent nullum eorum opus in bonum illis imputatur, quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Quod autem ait. *Vſque ad vnum.* De illis intelligitur,quibus eſt vnus Deus,vna fides, vnum baptiſma, & ſicut Apoſtolus ait, & cor vnum : & anima vna.

*Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum,vt videat ſi eſt intelligens,aut requirens Deum.*Et quales eos inuenit ? Sequitur, *Omnes declinauerunt ſimul,inutiles facti ſunt.* Probatum eſt igitur à diuina auctoritate, quia non eſt,qui faciat bonum,non eſt vſque ad vnum.Simul autem declinauerunt quia à veritate recedentes, omnes pariter ad errorem tranſierunt. Inutiles igitur facti ſunt, quoniam neque Deo, neque ſibi ipſis vtilia agunt.

Sepulchrum patens,eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Non ſufficit, inquit illis, quod bona non faciunt, ſed ad ſuæ damnationis cumulum quibuſcumque modis poſſunt mala operantur. Eſt autem os eorum ſepulchrum patens : quia ſic ſunt iſtis ſuis auditoribus fœtor mortis ad mortem, ſicut Apoſtoli odor vitæ ad vitam. Vnde, & bene ſubditur. *Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Venenum aſpidum inſanabile eſt. Qui igitur eorum doctrinam credunt & tenent, ſic vulnerantur, vt ſanari non poſſint.

Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. In eo enim quod ait : *& viam pacis non cognouerunt.* Non de ſolis Iudæis, ſed de omnibus, qui extra Eccleſiam ſunt, & fidem Chriſti non habent omnia hæc intelligenda eſſe demonſtrat. Quæ eſt enim via pacis, niſi Saluator noſter, qui, & pax, & via vocatur ? ipſe enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & ipſe eſt, via,veritas, & vita.

Non eſt timor Domini ante oculos eorum. Quia,inquit, omnes iſti,de quibus modo ſuperius locuti ſumus, viam pacis non cognouerunt,ideo,*non eſt timor Dei ante oculos eorum*, ac per hoc mala facere non erubeſcunt, & bona facere non curant. Sequitur. *Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem. Et qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis, & illi, qui Deum non inuocauerunt, & illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

Quoniam Deus in generatione iuſta eſt. Quam tantopere affligere, & perdere conantur ? Per eos qui operantur iniquitatem omnes iniquos homines intelligere poſſumus, ſiue Iudæos, ſiue gentiles. Per eos verò, qui deuorant plebem Dei, ſicut eſcam panis tyranni, & hæretici ſpecialiter ſignificantur. De qualibus ſcriptum eſt : *quia comederunt Iacob,& locum eius deſolauerunt.* Quanta autem auiditate ſanctos Dei, & anima, & corpore perdant, in eo manifeſtè oſtendit, quod quaſi eſcam panis plebem Dei eos devorare dicit. At vero per illos,qui *illic trepidauerunt timore vbi non erat timor* : Iudæos propriè intelligimus qui contra Saluatorem noſtrum conſpirantes dicebant. *Si dimittimus eum ſic,venient Romani,& tollent nobis, & locum,& gentem.* De quibus bene ſubditur : *Conſilium inopis confudiſtis : quoniam Deus ſpes eius eſt.* Hic autem eſt ille inops. De quo Apoſtolus dicit. *Qui cum omnium diues eſſet pro nobis pauper factus eſt.*Huius autem conſilium miſeri Iudæi ſpreuerunt, damnauerunt,& recipere noluerunt;ſed potius inſultando dicebant. *Confidit in Deum, liberet nunc eum ſi vult.* Et hoc eſt,quod dicitur. Quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Qui dabit ex Syon ſalutare Iſraël, dum auertet Dominus captiuitatem plebis ſuæ. Quis inquit, infelices Iudæi, cuius veſter adiutor, & defenſor veniens ex Sion dabit ſalutem Iſraël, ſicut veſtri Prophetæ teſtantur ? Sic enim in Prophetarum libris ſcriptum eſt : *quia ex Sion veniet qui auferet, & auertet captiuitatem Iacob*, per quem nullum alium niſi Chriſtum intelligimus. Decepti ſunt igitur Iudæi Antichriſtum expectantes, quem ipſi Meſſiam appellant.

Lætetur Iacob, & exultet Iſraël. Hoc autem ſi ad litteram intelligatur, ironicè dictum eſſe videtur,quoniam non lætitia, & exultatio, ſed magna triſtitia, & calamitas eos expectat. Si autem illa pars populi,quæ in Chriſtum credidit, vel ſi Iacob, & Iſraël ſpecialiter accipiatur,manifeſta intelligentia eſt.

Pſalmus Dauid.

Quia in hoc titulo non ponitur. In finem, ad ipſum Dauid qui hæc ſcribit hæc verba referuntur. Et ipſe in hoc pſalmo Deum interrogat,atque ipſius reſponſionem accipere meretur.

Domine quis habitabit in tabernaculo suo ? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo ? Propheta eſt,qui loquitur, immo ipſe Dominus loquitur in Propheta,ſicut ipſe alibi dicit : *Audiam quod loquatur in me Domine Deus.* Hæc autem loquitur ad iuſtructionem noſtram, vt Domino reſpondente, intelligamus, quid agere, & tenere, & quid fugere, & reſpicere debeamus.

Qui ingreditur ſine macula,& operatur iuſtitiam. Quis enim ſine macula,niſi ille ſolus,*qui peccatum non fecit,nec dolus inuentus eſt in ore eius* ? Quomodo autem & illud intelligimus, *quia peccator quacumque hora conuerſus fuerit,omniũ iniquitatum eius non recordabor.* Tales igitur

A ſine macula incedere intelligere debemus, quoniam qualeſcunque fuerint, tamen per pœnitentiam conuerſi nequaquam in peccatis perſeuerant. Bene autem ſubditur. *Et operatur iuſtitiam*, quia non ſufficit abſtinere à malo, niſi & bona faciamus. Vnde eſt illud. *Declina à malo, & fac bonum.*

Qui loquitur veritatem in corde ſuo, & non egit dolum in lingua ſua. Quod eſt intelligere, vt non aliud in corde, & aliud in lingua loquatur, ſed quod lingua ſonat, in corde habeatur.

Nec fecit proximo ſuo malum. Hoc eſt enim quod in Euangelio Dominus ait: *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.* Quid ſi fecit, & poſtea ſatisfecit, & pœnitentiam egit? Semper autem illud Apoſtoli in mente habeamus, quod in malo perſeuerantibus ait. *Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die reuelationis & iuſti iudicij Dei.* Hac enim ſententia multa determinari poſſunt, quæ valde difficilia eſſe videntur. *Et opprobrium non accepit, aduerſus proximum* B *ſuum. Quid eſt non accepit?* Non ſibi placuit, non gratum neque acceptabile habuit: ſed ſi fecit, feciſſe pœnituit. Sunt enim quidam, ſicut ſcriptum eſt, qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus. Præteritum ſecundum conſuetudinem ſuam pro futuro poſuit. Ad nihilum, inquit, ad mortem, & perditionem, Deo iubente & contemplante, in die iudicij ducetur iniquus, diabolus, videlicet, iniquorum omnium caput, cum omni exercitu ſuo. Et tunc quidem fiet quod ſequitur. *Timentes autem Dominum magnificat.* Tunc enim Dominus ſanctos ſuos magnificabit, & glorificabit, & ſuper cœlos exaltabit. Hoc verſiculo interpoſito, ad illum redit, de quo loqui cœperat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit eum. Omnis ſanctorum promiſſio, ſi bona eſt, quaſi iuramentum firma, & ſtabilis eſſe debet, & cum omne iudicium malum ſit, illud tamen peſſimum eſt, quod decipiendi cauſa fit. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* Hoc C enim & iuxta litteram magnum peccatum eſt, quia in tali facto charitas perit, & pauperes ſuis facultatibus expoliantur. Poteſt tamen, & de illis hoc intelligi, qui gratis non tribuunt, quod gratis acceperunt: & qui omnia opera ſua faciunt, vt ab hominibus videantur. *Et munera ſuper innocentem non accepit.* Hoc audiant iudices, hoc audiant ſæculi potentes: qui multoties ſuſceptis muneribus, innocentes affligunt.

Qui facit hæc non commouebitur in æternum. Qui, inquit, facit hæc, quæ modò ſuperius, enumerata ſunt, iſte in tabernaculo Dei habitabit, & in monte ſancto eius requieſcens in æternum non commouebitur.

TITVLI INSCRIPTIO IPSI DAVID.

De illa tituli inſcriptione loquitur, quæ Hebraicis, Græcis, & Latinis litteris facta eſt, & ſuper caput Saluatoris noſtri, in cruce pendentis poſita eſt. In qua, D videlicet, inſcriptione continebatur, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Quod autem ait. Ipſi Dauid ad ipſum Chriſtum Dominum, reuera manu fortem, hæc omnia, quæ in hoc pſalmo dicuntur, referenda eſſe oſtendit.

Conſerua me Domine, quoniam in te ſperaui. Sicut anima rationabilis, & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Quoties igitur Saluator noſter aliquid petit, quoties ſe conſeruari, ſe adiuuari, & liberari poſtulat, quoties ſe in Deo ſperare, vel confidere, vel aliquid tale dicit, nihil ad diuinitatem, ſed omnia ad humanitatem referenda ſunt. Diuinitas enim, quæ Patri per omnia æqualis, & ſimilis eſt nihilo indiget. Dicat igitur Chriſtus Dominus, non ſecundum diuinitatem, ſed ſecundum humanitatem, *conſerua me Domine, quoniam in te ſperaui.* Prope habebat, cui loquebatur, ibi erat in quem ſperabat, humanitas diuinitatem rogat, non timore perterrita, quæ tanto adiutorio fulciebatur, ſed vt verum hominem ſe ipſum oſtenderet, talia E loquebatur. *Dixi Domino Deus meus es tu.* Vnde hoc probas? Quoniam bonorum meorum non indiges. Quæ ſunt igitur bona tua? *Omnia quæ habet Pater mea ſunt.* Et pater quid habet? Omnia quæcumque ſunt, ſi bona ſunt, & illius & mea ſunt. Nihilo igitur indiget Filius nihilo indiget Pater, nihilo indiget Spiritus ſanctus. Solus igitur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus Deus eſt, & vnus Deus, quia ipſe ſolus eſt. Qui ſuis bonis contentus eſt, & de alienis bonis nihil habet.

Sanctis, qui in terra ſunt eius mirificauit omnes voluntates meas inter illos. Mirificauit enim Dominus, multumque mirabiles fecit voluntates ſuas in omnibus ſanctis, qui in terra eius ſunt. Quicquid enim in hoc mundo eſt, in terra illius eſt, qui, cum omnium diues eſſet, egenus, & pauper fieri, & tot, & tanta pro nobis ſuſtinere voluit. Cæteri vero præter ſanctos, & illos, qui inter illos ſunt, de his Saluatoris noſtri voluntatibus non admirantur: quia nihil horum verum eſſe credunt.

F *Multiplicatæ ſunt enim infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Iſtæ autem infirmitates, quas ſancti, & cæteri, qui inter illos erant, qui eorum doctrina, & prædicatione ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, prius quidem multiplicatæ erant, ſed poſtea cum Chriſtus Dominus prædicaret, & ad fidem eos vocaret, accelerauerunt, cucurrerunt, crediderunt, & ſanati ſunt. Et multos quidem ſecundum carnem, plures vero ſecundum animam Dominus ſanauit. Vnde & has infirmitates: quas multiplicatas fuiſſe dicit, non corporum, ſed animarum intelligere debemus.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Hoc in loco in bona ſignificatione conuenticula accipiuntur. Hæc ſunt illa conuenticula, de quibus Dominus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* In hæc igitur conuenticula, & in has domos congregabuntur ſancti: qui, quamuis infirmi, & peccatores prius fuiſſent, (quod in ſanguinibus ſignificatur) omnes tamen, qui illuc conuenient, puri, & ſancti ab omni vitiorum G ſorde mundati erunt. *Nec memor ero nominum illorum per labia mea.* Quales ipſi erant, talia prius nomina habebant. Vocabantur enim fornicatores, adulteri, homicidæ, periuri, ſacrilegi: & aliis nominibus: quibus mali homines vocari ſolent, Nunc autem & dij, & Filij Dei nominantur, Ego inquit, *dixi Dij eſtis, & Filij Excelſi omnes.*

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Iſti, inquit, ſunt hæreditas mea, quam videlicet hæreditatem calicem paſſionis bibendo, & proprium ſanguinem fundendo acquiſiui. De quibus Apoſtolus ait: *Empti enim eſtis pretio magno glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, Fuit autem Dominus pars calicis Chriſti; quia eius paſſioni compaſſus eſt Dominus; oſtenſum eſt igitur, quæ ſit hæreditas Chriſti: oſtenſum eſt etiam quæ ſit hæreditas Sanctorum. Solus enim Dominus hæreditas ſanctorum eſt: quia ſpretis omnibus, quæ in mundo ſunt, ſolum Dominum in partem ſibi elegerunt. Bona commutatio, vt & ipſi ſint hæreditas Domini, & hæreditatem habeant Dominum. *Tu es, qui reſtituiſti hæreditatem meam.* H Humanitas loquitur, & diuinitati gratias agit, cum is fortitudinem diaboli vicit cuius munere hæreditatem ſuſcepit.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Funibus, & perticis hæreditates ſuas homines diuidunt. Quos, videlicet, funes aliquando in bonam terram, aliquando in ſterilem, & lapidoſam, aliquando etiam in vepres, & ſpinas cadere neceſſe eſt. Sed Dominus commendans, & laudans hæreditatem ſuam, totam præclaram, & fœcundam eſſe oſtendit, dum ſibi funes in præclaris cecidiſſe dicit. Et ſi fortaſſe, quod ſæpe contingit, aliis præclara eſſe non videatur, ſibi tamen per omnia præclara eſſe videtur. Vnde & ſubditur; *Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.*

Benedicam Dominum, qui mihi tribuit intellectum. Inſuper eſt hoc quoque benedicam Dominum, quod vſque ad noctem increpauerunt me renes mei. Lætus Dominus, & Saluator noſter de tam præclara hæreditate ſuo labore

conquiſita, de omnibus, quæ fecit, & quæ à Iudæis paſſus eſt, Deo, & Patri benedicit gratias agit. Bonus intellectus bona doctrina, & prædicatio Chriſti, per quam diabolus victus eſt, & mundus à morte liberatus. Hic eſt ille intellectus, & illa doctrina, de qua ipſe alibi ait. *Mea Doctrina non eſt mea.* Erat enim ſua ſecundum diuinitatem, ſed non erat ſua ſecundum humanitatem. Vnde intellectum ſuum non ſuum eſſe, ſed ſibi à Deo tributum eſſe dicit. Renes autem eius Iudæi ſunt, de quibus ſecundum carnem originem duxit. Iſti autem eum increpare, blaſphemare, maledicere, & crudeliter perſequi vſque ad mortem, quam per noctem intelligimus, non deſtiterunt. Ipſe tamen eorum perſecutiones non curabat, tanto, talique ipſius diuinitatis, quæ in ipſo erat munitus præſidio. Et hoc eſt, quod dicit.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Non eſt commotus, id eſt, iratus, vt in aliis fieri ſolet, Saluator noſter in illa ſua tam dura paſſione: ſed è contrario pietate, & miſericordia feſſus, pro ipſis ſuis crucifixoribus orabat, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Sic igitur diuinitas à dextris ei erat, quæ non ad iram, & vindictam, ſed ad pietatem & miſericordiam eum prouocabat.

Propter hoc delectatū eſt cor meum. Propter hoc, inquit, delectatum eſt cor meum, quoniam diuinitas ſemper mihi à dexteris eſt, quæ me in omnibus dirigit, & cuſtodit. *Et exultauit lingua mea.* Lingua, videlicet, interioris hominis, per quam intellectus, de quo modo diximus, ſignificatur. *Inſuper, & caro mea, requieſcit in ſpe.* In ſpe vtique velocis, & citò occurrentis reſurrectionis. Vnde & ſubditur.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem Diuinitas enim ſimul cum anima in inferno deſcendit, nec tamen corpus in ſepulchro dereliquit. Anima enim à corpore ſeparari potuit diuinitas autem non potuit: quia Deus vbique eſt, & omnia continet. Indignum valde eſſet, vt illa caro ſanctiſſima corruptionem aliquam videret, quæ ſine omni corruptione de Virgine nata, ſine omni peccato in hoc mundo eſt conuerſata.

Notas mihi feciſti vias vitæ. Exiui, inquit, à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, Omnes viæ mihi notæ ſunt, & eundi, & redeundi itinera cognoui. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Deum ſemper videre, & cum illo ſemper eſſe ſumma lætitia eſt. *Delectationes*, gaudium, & exultatio erunt mihi ſedenti *in dextera tua vſque in finem.*

ORATIO DAVID.

IPſius Dauid, qui eam dictauit, hanc orationem eſſe intelligamus: quoniam ſi Saluatoris noſtri eam eſſe voluiſſet, ſicut ſolitus eſt, in finem addidiſſet.

Exaudi Domine, iuſtitiam meam. Vox Prophetæ eſt, & totius Eccleſiæ omniumque fidelium vtriuſque Teſtamenti. Exaudi, inquit, *Domine iuſtitiam meam.* Qui ſe iuſtitiam habere cognoſcit, confidenter Deum orare poteſt. *Intende deprecationi meæ.* Eiuſdem orationis repetitio eſt, ſicut, & id, quod in ſequenti ſcribitur verſu.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis. Non habent Sancti labia doloſa, & ideo mundas & puras faciunt orationes. *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.* Facile in vultu, & in oculis voluntas deprehenditur. Vnde & multoties ante quam ſententia contra reos à iudice proferatur, in facie, & oculis ipſius cognoſcitur: Tale eſt igitur, ac ſi diceret, oſtende te iratum, auerte faciem tuam ab inimicis meis, & in facie tua cognoſcant iuſtum eſſe iudicium meum, & cauſam meam.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Probauit Deus Abraham, probauit Iob, & Tobiam, probauit & multos alios: & viſitauit in nocte anguſtiarum, & tribulationis. Vnde ſubditur: *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Et certè quam multi probantur adhuc, qui tamen, vtrum probentur, ignorant, & mala, quæ patiuntur, non ad probationem ſibi eſſe intelligunt. Recordentur igitur iſtorum ſanctorum, & in ipſis ſuis tribulationibus gratias agant, vt in ipſis quoque iniquitas non inueniatur.

Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Quæ, inquit, dico, non ad inanem laudem, & commendationem dico: quia ſi hoc facerem, tunc loqueretur os meum opera hominum. Verba labiorum Dei vtriuſque Teſtamenti præcepta intelligimus. Quæ quicumque tenere, & obſeruare deſiderant, duras & aſperas vias eos incedere, & cuſtodire neceſſe eſt.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: vt non moueantur veſtigia mea. Nemo ſuis viribus ſine Dei adiutorio ad perfectionem peruenire poteſt. Vnde ſemper Dei miſericordia quærenda eſt, qui in via mandatorum ſuorum pedes noſtros confirmet, vt ab his, quæ ſibi placita ſunt, nulla diabolica perſuaſione moueantur veſtigia noſtra.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti me, Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Multoties, inquit, clamaui, & adhuc clamo, & tu multoties me exaudiſti, & adhuc exaudis. Tu enim (quaſi dicat) me ſemper exaudiendo hanc clamandi fiduciam mihi dediſti, vt te clamare, & orare numquam deſiſtam.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te à reſiſtētibus dextera tua. Quotidie miſericordias ſuas mirificat Deus, quia & peccatores ad ſe conuertit, & in ſe ſperantes ſaluos faciens, ab iniquorum hominum, & ſpirituum malignorum inſidiis liberat. Iſti enim ſunt, qui reſiſtunt dexteræ Dei, iſti ſunt, qui pugnare non ceſſant contra Eccleſiam Dei.

Cuſtodi me Domine, vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt. Nihil eſt, quod maiori cuſtodia indigeat, quam pupilla oculi, quæ ſi violata fuerit, lumen amittitur. Huic igitur vir iuſtus ſe ipſum comparat, vt ſine Dei cuſtodia fragilem ſe, & facilè periturum eſſe oſtendat. Per alas vero Dei quid aliud, quam virtutes intelligamus, ſine quibus ad cœleſtia volare non poſſumus? Quas ſi habuerimus impiorum impetus, & inſidias non timebimus, cum de fide Apoſtolus dicat. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugarunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, &c.* Fides igitur, & aliæ virtutes nos protegunt, & defendunt, ſine quarum munitione inimicorum inſidias euadere non valemus.

Inimici mei animam meam circumdederunt. Ad quid? Vt eam caperent, & deciperent, & ſuis erroribus implicarent. Sed ſicut alibi dicitur: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Adipem ſuum concluſerunt.* Quid per adipem, niſi omnium iniquitatum, & deceptionum craſſitudinem, & ſuperabundantiam intelligamus? De hoc adipe alibi quoque dicitur: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Vnde, & tauri pingues vocantur, qui tali adipe impinguati ſunt. Nunc autem adipem impij & peccatores, tyranni, videlicet, Iudæi, & hæretici, mente conceperunt, in corde concluſerunt, memoriæ commendauerunt, vt ſuo tempore contra ſanctos Dei doloſè, & violenter effunderent. Vnde & ſubditur: *Os eorum locutum eſt ſuperbiam.* Hoc autem faciebant, quando Chriſtum blaſphemabant, & ſanctos deridebant: eiſque imprecando dicebant, quod hominem mortuū adorarent, qui de manibus illorū liberare nō poſſet, ſicut neq; ſe ipſum de Iudæorū manib⁹ liberare potuit.

Proiicientes me nunc circumdederunt. Vnde proiicientes? vis audire vnde? De domibus noſtris, de poſſeſſionibus noſtris, de habitationibus noſtris, de honoribus noſtris, de dignitatibus noſtris. Sed quare circumdederunt? Vt eos caperent, tenerent, ligarent, flagellarent, & poſt multos cruciatus morti condemnarent. Hoc autem faciebant, quia Deum neſciebant, neque poſt hanc vitam

A aliam eſſe credebant. Vnde & ſubditur. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Quia enim aliam vitam ignorabant, ſola terrena, & tranſitoria cogitabant.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis. Quanta crudelitate Sanctos Dei interficerent, his paucis verbis apertiſſimè demonſtratur,

Exurge Domine præueni eos. Exurge, inquit, Domine ſanctis tuis in adiutorium, præueni eos, qui illos præuenire, & decipere conantur, vt citò pereant, & eas, quas diligunt diuitias, amittant. Hoc autem contra Iudæos ſpecialiter dicere videtur, qui primam perſecutionem contra Eccleſiam mouerunt: & in Chriſtum Dominum noſtrum impias manus mittere non timuerunt. Qui cum Sanctos Apoſtolos interficere, & Chriſti nomen & memoriam penitus de terra auferre conarentur, à Romanis præuenti, capti, & ſubuerſi, & in ſeruitutem deducti ſunt. *Eripe animam meam ab impio.* B Eripe, inquit, animam meam ab illo impio Iudæorum populo, qui legem, & Prophetas male interpretando, multos decepit, & in errorem cadere fecit. *Frameam inimicorum de manu tua.* Frameam inimicorum intelligere debemus omnia inſtrumenta, & materialia, & ſpiritualia, quibus, & ſe defendere, & Chriſtianos impugnare poſſunt. Plures enim ſuis rationibus, ſuis ſyllogiſmis, & argumentationibus, quaſi materialibus armis Iudæi, & hæretici de Chriſtianis interfecerunt. Rogant igitur Dominum ſancti quatenus hanc frameam eis auferat, ne ſimplicem populum in ea interficere, & decipere valeant. Quod autem ait. *De manu tua.* Tale eſt, ac ſi diceret: virtute & fortitudine tua. Neque enim tantum ad verba, quantum ad loquentis voluntate attendere debemus.

Domine à paucis diſpertire eos. Per paucos enim illos intelligimus, de quibus in Euangelio Dominus ait: *Multi enim ſunt vocati pauci vero electi.* Ab his autem C in iudicio ſeparabuntur mali, quando agni ponentur à dextris, hædi autem à ſiniſtris. *Et ſupplanta eos in vita ipſorum.* Prius enim quàm de hac vita Iudæi tranſeant, ſe ſupplantatos fuiſſe intelligent. Hoc autem erit poſt mortem Antichriſti, quando cognita veritate, illi, qui tunc erunt ad fidem conuertentur ad veſperam, & alibi: *In diebus ſaluabitur Iuda.* Poteſt autem, & ſic intelligi, quod ait. *Et ſupplanta eos.* Ac ſi dixiſſet: ſupplantari eos permitte, quod non tantum imprecando quantum prophetando dixit: quoniam ſic futurum eſſe præuidit.

De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Venter inquit, illorum, id eſt paucorum, à quibus iſti ſeparati ſunt. *De abſconditis tuis, & ſecretis tuis adimpletus eſt.* Per quem ſapientiæ, & ſcientiæ theſauros intelligimus, quos nulli alij habent, niſi illi, qui Chriſti fidem, & Euangelicæ prædicationis doctrinam ſuſcipere meruerunt. *Iſti vero è contra ſaturati ſunt porcina.* Quæcumque D in lege, & Prophetis, & Euangeliorum libris à Domino prohibita ſunt, per carnem porcinam ſignificantur. Quod igitur ait. *Saturati ſunt porcina.* Tale eſt, ac ſi diceret: vitiis omnibus & peccatis pleni ſunt. Et quæcumque in ſcripturis Sanctis Dominus facere interdixit, iſti facere non timuerunt. *Et reliquerunt quæ ſuperfuerunt paruulis ſuis.* Eamdem enim doctrinam atque errorem, quem poſt Chriſti paſſionem Iudæi, qui tunc erant, docuerunt, & tenuerunt, tenent & iſti, qui modò ſunt: tenebunt & illi, qui poſt eos futuri ſunt, vſque ad eos, qui in fine ſæculi ſaluandi ſunt.

Ego autem cum iuſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor, dum manifeſtabitur gloria tua. Ego, inquit Propheta, & Eccleſia, & ſanctorum omnium multitudo cum iuſtitia, quam te iubente, cuſtodiui, & tenui: apparebo in conſpectu tuo. & ſatiabor non porcina, vt iſti, ſed illis tuis deliciis ineffabilibus, quibus Angeli vtuntur, & reficiuntur, dum manifeſtabitur gloria tua.

E

IN FINEM PVERO DOMINI Dauid qui locutus eſt ad eum verba cantici huius in die qua eripuit eum de manu omnium inimicorum eius; & de manu Saül Et dixit.

IN *finem*, inquit, Hæc referenda ſunt ad illum, videlicet, finem, de quo Apoſtolus ait. *Finis legis Chriſtus eſt*, qui etiam de ſeipſo loquitur dicens: *Ego ſum Alpha, & Omega, primus, & nouiſſimus, initium, & finis.* In finem igitur hæc transferantur, & puero Domini Dauid, id eſt, Saluatori noſtro adſcribantur. Dauid enim manu fortis interpretatur. Sed quis tam fortis, vt ille, de quo dicitur: *Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in prælio?* Hæc igitur Filius locutus eſt ad Patrem. F in die paſſionis ſuæ, quando ab omnibus inimicorum ſuorum inſidiis penitus liberatus eſt, & diabolus ſuperatus, qui per Saül ſignificatur, cum iam vlterius perſequi ceſſauit.

Diligam te Domine, virtus mea, Domine firmamentum meum & refugium meum. Loquitur Filius ad Patrem, loquitur humanitas ad diuinitatem, ſuæque dilectionis, & affectum ſimul & cauſam oſtendit: dum ſuam virtutem, ſuum firmamentum, ſuum refugium, ſuum liberatorem, ſuum adiutorem, & protectorem eum eſſe dicit. Hæc autem eum dixiſſe puto cum ad crucem duceretur, in qua ſe inimicos omnes ſuperare, & de ipſo humani generis hoſte triumphare non dubitabat. Meritò inquit, diligo te, ſemperque diligam, quod quidem ipſo tantæ obedientiæ experimento facile probari poteſt. *Domine virtus mea, Domine firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, ſperabo in eum.* Prophetarum eſt ſubitò mutare perſonas.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ. Cornu in diuina G pagina pro fortitudine ponitur, ſicut in hoc loco, vbi dicitur; *Vinea facta eſt dilecto in cornu filio olei.* Sequitur. *Adiutor meus, laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.* Hoc autem fecit in illa hora, qua dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Nunc autem ipſam ſuæ paſſionis breuiter hiſtoriam narrat.

Circumdederunt me gemitus mortis. Hoc autem factum eſt, quando turba (vt in Euangelio loquitur) & qui vocabatur Iudas venit cum gladiis, & fuſtibus comprehendere eum: quando iniecerunt manus in Ieſum, & tenuerunt eum, & vinctum duxerunt ad Principes ſacerdotum. In eo verò, quod gemitus mortis, & humanæ paſſionis affectus ſibi accidiſſe dicit, verum ſe hominem eſſe oſtendit, & non fantaſticè, vt quidam hæretici prædicauerunt, ſed in veritate idem ipſe, & captus, & ligatus, & crucifixus, & mortuus eſt. *Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Torrentes iniquitatis Iudæos vocat quia quaſi torrens inundans cum magno impetu, & H furore ſuper eum in illa nocte venerunt. Vnde & diſcipuli perterriti, eo relicto, fugerunt omnes.

Dolores inferni circumdederunt me. Per quod datur intelligi magnos & intolerabiles dolores eum in illa nocte, & in illo die ſuſtinuiſſe. Quamuis enim in poteſtate illius erat ſecundum voluntatem ſuam illos dolores ſuſtinere, & mitigare, dignum tamen eſt, quod eos tales fuiſſe dicit, quales cæteri homines ſuſtinere ſolent. Quamuis fideles ſui cognoſcant & intelligant, quantum nos dilexerit, qui talia, tantaque pro nobis ſua ſponte ſuſtinere voluit.

Præuenerunt me laquei mortis. Laquei mortis illi ſunt, qui ea quæ capiunt, & tenent, ad mortem trahunt. Tales laquei fuerunt Iudæi: qui eum præuenientes, & ſimul cum Iuda proditore ſuper eum irruentes, vſque ad mortem eum non dimiſerunt.

Et in tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et ipſe quid fecit. Sequitur. *Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus in conſpectu eius, & introiuit in aures eius.* Audiuimus in Euangelio quid clamauerit, & quomodo Dominum

A innocauerit. Audiuimus, & nunc ipſo dicente, quod exauditus fuerit, quod quidem firmiſſimè credimus, & nullatenus dubitamus. Quod autem ait. *De templo ſancto ſuo.* Quid conuenientiùs, quam de ſe ipſo intelligi poteſt? Templum namque Dei ipſe eſt, in quo, ſicut Apoſtolus ait. *Inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Vnde & ipſe dicebat: *Soluite templum hoc, & ego in triduo reſuſcitabo illud.* Quod ſtatim dicebat Euangeliſta exponens ait: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* In ſe ipſo igitur erat, & ille, qui orabat, & ille, qui exaudiebat, neque indigebant collocutione, quorum vna voluntas, & conſcientia erat. Vnde, & dicit, *Et clamor meus in conſpectu eius:* quia neque diuinitas ab humanitate, neque humanitas, à diuinitate aliquando ſeparatur. Hucuſque Dominus ſuæ paſſionis hiſtoriam texit, cætera quæ ſequuntur Eccleſia loquitur de his, quæ poſt Chriſti paſſionem in ea facta ſunt.

Et commota eſt, & contremuit terra. Poſtquam, inquit, Dominus cœlos aſcendit, & vbique gentium ad B prædicandum diſcipulos miſit, tota terra commota eſt, aliis defendētibus aliis impugnantibus veritatem, & tunc quidem completum eſt, quod Dominus ait, *Nolite putare, quia veni mittere pacem in terram, non veni mittere pacem, ſed gladium.* Ex hoc, inquit, erunt quinque in domo vna, duo in tres, & tres diuidentur in duos. Filius pugnabit contra patrem, & filia contra matrem, & nurus contra ſocrum ſuam. Sic igitur terra commota eſt, & ſic contremuit. Timebat enim vnuſquiſque ſuæ parti, ne in tanto conflictu vinceretur. *Et fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt: quoniam iratus eſt eis Dominus.* Non ſolum, inquit, terra commota eſt, verum etiam ipſi montes, & ipſorum montium fundamenta conturbata, & commota ſunt. Quid enim per montes, niſi potentiores huius mundi, ſapientiores intelligamus? Hoc enim ſunt illi ad homines inferiores, quod montes ſunt ad loca planiora. Fundamenta verò montium Romani Principes mihi eſſe videntur, qui tunc temporis totum mundum portabant, regebant, & ſuſti- C nebant. Omnes autem iſti contra ſanctos Dei, & fidem Chriſtianam commoti & conturbati ſunt. Quare: *Quia iratus eſt eis Deus.* Niſi enim eis iratus fuiſſet, ſicut alios ad ſe trahebat, ita iſtos quoque ad ſe traxiſſet. *Nemo enim venit ad me* dicit Dominus, *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Scit enim Dominus qui ſunt eius. Vnde ipſe ait. *Ego ſcio quos elegerim.* Vnde & Apoſtolus dicit. *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi nobiles, inter vos, non multi potentes ſed ignobilia mundi elegit Deus.* Sciant igitur omnes homines iniqui, & qui veritatem impugnare, & Eccleſiam Dei affligere non ceſſant, quoniam iratus eſt eis Deus.

Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exardeſcit. Hoc eſt enim quod alibi ait: *Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Et illud. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Hic eſt igitur ille ignis, de quo Dominus in iudicio dicturus eſt.

Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabo- D *lo, & Angelis eius.* Si igitur ignis æternus eſt, vtique & fumus æternus eſt. Vterque autem & ignis, & fumus magnum tormentum eſt.

Carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Et qui ſunt iſti carbones, niſi homines iniqui, quales illi ſunt, quos modo montes, & montium fundamenta vocauit? Iſti autem ſemel ſuccenſi numquam amplius extinguentur: ſed ſemper, & ſine fine ardebunt. *Et inclinauit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.* Iſti ſunt, illi cœli de quibus dicitur, *Cœli enarrant gloriam Dei.* Per quos Apoſtolos intelligimus. Quos tunc quidem Dominus inclinauit, quando in mundum vniuerſum eos prædicandum mittens, ait. *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et magna quidem inclinatio eſt, quando cœli ad terram, iuſti ad peccatores Filij Dei ad idololatras, & dæmoniorum ſeruos mittuntur. Tales enim erant illi ad quos vocandos, ſanandos, lauandos, illuminandos, & reſuſcitandos ſancti Apoſtoli miſſi ſunt. Et non ſolum eos inclinauit, & miſit, verum etiam ſimul cum illis abijt, & deſcendit. Sic E enim ipſe eis promiſerat, dicens. *Non vos deſeram, neque derelinquam.* Itemque. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cōſummationem ſæculi.* Sed quid eſt, quod ait: *Et caligo ſub pedibus eius.* De peccatoribus namque Apoſtolus dicit. *Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Si tenebræ, & caligo. Talis igitur caligo, taleſque tenebræ doctrina Apoſtolica illuminatæ ſub Chriſti pedibus ſe humiliare, & iacere gaudent.

Et aſcendit ſuper Cherubin, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum. Quos modò ſuperius cœlos dixerat, nunc Cherubin vocat, & eos, quos montes vocauerat, nunc ventos appellat. Interpretatur enim Cherubin, ſcientiæ plenitudo. Et vbi tanta ſcientiæ plenitudo, quanta in ſanctis Apoſtolis, quos prius Dei filius, deinde verò Spiritus ſanctus inſtruxit, & docuit? Et vide elegantiam locutionis in cœlis deſcendere, in Cherubin aſcendere dicitur, Neque enim aliter cœli terræ iungi F potuiſſent, niſi ſe inclinarent, & deſcenderent. Super Cherubin verò aſcendit, vt eis volantibus, pennas ventorum ſupergrediatur. Diuerſæ quidem ſunt rationes, vt ſancti Apoſtoli nunc cœli, nunc Cherubin, nunc nubes, nunc boues, nunc equi vocentur, & aliis nominibus diuerſis ex cauſis, illis conuenientibus. Aſcendit igitur ſuper Cherubin, id eſt, ſuper Apoſtolos ſuos, quibus, ſicut ipſe ait, dederat os, & ſapientiam, cui non poſſent reſiſtere omnes eorum aduerſarij. *Aſcendit,* inquit, *& volauit,* Vbi *Super pennas ventorum.* Bene autem Apoſtolus volaſſe dixit: vt eorum celeritatem oſtenderet, qui breuiſſimo tempore totum mundum ſua prædicatione repleuerunt. Sicut enim alibi dicitur. *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed quid eſt, quod ait, *Super pennas ventorum?* Per ventos enim, ſicut diximus, Reges, & Principes cæterique huius ſæculi potentes ſignificantur, qui hoc mare magnum, & ſpatioſum, id eſt, mundum iſtum ventilant, & perturbant, & vix aliquando quieſcere ſinunt. Soli enim venti G mari dominantur: ibique maxime ſuam poteſtatem oſtendunt. Super tales igitur Dominus volaſſe dicitur: quia eius virtus atque poteſtas omnes mundi huius poteſtates ſupergreditur, & nihil eſt, quod eius imperio non ſubijciatur. Siue etiam ſuper eos volauit, quia habitationis locum in eis non accepit, ſed deſuper volans ad alios feſtinauit.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum. Quaſi aliquis diceret: ſi ita volauit, & ſuper pennas ventorum volauit, vbi eum quæremus? vbi reperiemus? Cui reſpondetur, *Et poſuit tenebras latibulum ſuum.* Dico ergo; *Si Deus lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt vllæ,* quomodo in tenebris latet? At fortaſſe quia, ſicut ſcriptum eſt, *Deum nemo vidit vnquam?* Satis enim in tenebris eſt id, quod videri non poteſt. Aliter tamen in tenebris latet Dominus, vbi ab his, qui pio deſiderio eum quærunt, facile reperi- H tur. Tenebræ enim dicuntur vtriuſque teſtamenti ſcripturæ, quia obſcuræ ſunt, & non ab aliis, quam à fidelibus penetrari poſſunt. Qui igitur Deum quærit, & eum cognoſcere, & videre deſiderat, has tenebras ingrediatur, & ibi inueniet illam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc enim ſignificauit Moyſes qui in montem Synaï, vt cum Domino loqueretur, nebulam, & caliginem intraſſe legitur. Sequitur. *In circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris.* In circuitu, inquit, huius latibuli tabernaculum Dei, id eſt, viri religioſi, maioriſque ſcientiæ quotidie morantur, ibi ſuum ingenium exercent, ibi Dei voluntatem, & notitiam quærunt, & quærendo inueniunt. Cum enim Euangelium, vel alia quælibet diuina ſcriptura in Eccleſia legitur, & totus populus, qui Dei tabernaculum vocatur, intentis auribus circum aſſiſtit, tunc quidem in circuitu prædicti latibuli Tabernaculum Dei ſtare videmus. De quo latibulo adhuc ſubditur.

Tenebroſa aqua in nubibus aëris. Tenebroſus enim &

tenebroſa,

A tenebroſa, à tenebris denominantur. Quia igitur latibulum in tenebris eſt, aqua quoque quæ in latibulo eſt, non immeritò tenebroſa vocatur. Iſtæ nubes, Apoſtoli & Prophetæ, eorum Scripturæ intelliguntur, quæ, quoniam obſcuræ ſunt, tenebroſæ eſſe dicuntur. De quibus videlicet nubibus, quod in ſequentibus dicitur audiamus?

Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt. Præ fulgore hoc in loco vna pars eſt, tale eſt igitur, ac ſi diceret. Præ fulgore, id eſt præclaræ, & ſplendidæ nubes, per quas Apoſtolos ſignificari diximus, tranſierunt. *In quorum tranſitu grando, & carbones ignis* facti ſunt, vndecumque tranſiuerunt. In eo vero quod eos tranſiſſe dicit, quantam in prædicatione ſollicitudinem habuerint apertiſſimè manifeſtat. Non diutiùs morabantur in vno loco, ſed ſemper de loco tranſibant ad alium locum. Quid vero per grandinem, & carbones ignis, niſi eorum verba, & ſermones intelligimus, quibus peccatoribus, B niſi conuerterentur, & pœnitentiam agerent, omnium tormentorum grandinem, æterni ignis flammas, & incendium minabantur? Hanc enim grandinem & hos carbones ignis. Beatus Ioannes Baptiſta ſpargebat, cum diceret, *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum, iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Bene autem dixit, *in conſpectu eius* quia ſemper eos reſpicit Deus, & numquam eorum obliuiſcitur.

Et intonuit de cœlo Dominus: & Altiſſimus dedit vocem ſuam. Hic verſus ſuperioris verſus expoſitio eſſe videtur. Siue enim cœli, ſiue nubes, ſiue Cherubin Apoſtoli dicantur, eadem ſignificatio eſt. *Intonuit igitur de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam,* quando per ora Apoſtorum, quos modo ſuperius nubes vocauit, quis ignis, quæ grando, qualis cruciatus, & quanta tormenta peccatores expectant, manifeſtauit. Vnde adhuc ſubditur.

Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multi- C *plicauit, & conturbauit eos.* Ecce iterum, quæ grandinem & carbones ignis dixerat, modo ſagittas & fulgura vocat. Tales ſagittas, & talia fulgura, illi duo fratres mittere, & iaculari ſolebant, qui Boanerges, id eſt, filij tonitrui in Euangelio vocantur, Iacobus videlicet, & Ioannes. *Diſſipauit autem eos, & conturbauit:* contra quos has ſagittas, & fulgura mittebat, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum malitiam. Sic enim diſſipari, & conturbare eos Dominus volebat, quibus dicebat. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Sic Apoſtolus, ſe ipſum diſſipatum, & conturbatum eſſe oſtendit, vbi ait: *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* O vtinam & nos ita diſſipari, & conturbari mereamur. Et prius quidem pauci ſagitarij, & fulguratores fuerunt, ſed boni: poſtea vero, creſcente numero electorum multiplicati ſunt ſuper numerum. Et tunc quidem factum eſt, quod ſequitur.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terræ. Ab increpatione tua, Domine, ab D *inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.* Tot ſunt fontes aquarum, quot ſunt Prophetæ, & Apoſtoli, omneſque ſancti prædicatores, eorumque librorum volumina. Iſti quoque dignè ſatis fundamenta orbis terræ dicuntur, quia, ſuper eos tota Eccleſia fundata eſt. Vnde Apoſtolus ait: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Iſti autem fontes, & hæc fundamenta tunc apparuerunt & reuelata ſunt, quando Eccleſiæ Doctores iam, ſuper numerum multiplicati, vbique gentium prædicare, peccatores increpare, ſcripturas exponere, & in ipſis ſcripturis oſtendere iram Dei, & indignationem, & tormentorum omnium inundationem, eos expectare, qui in peccatis ſuis perſeuerant, & pœnitentiam agere recuſant. Hucuſque ſancta Eccleſia de Apoſtolorum prædicatione, & gentium conuerſione locuta eſt. Hinc vero tyrannorum perſecutiones, quas paſſa eſt, & magnas Dei miſericordias, quas in ipſis perſecutionibus, & inter ipſa tormenta experta eſt, narrare incipit.

Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de E *multitudine aquarum: eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, ab his qui oderunt, quoniam confortati ſunt ſuper me.* Dicit quia miſit de ſummo ad ſe liberandam: ſed quid miſerit, hic quidem non dicit: alibi verò dicit: ibi videlicet, vbi ait.

Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Quos igitur ibi catulos leonum dicit, hoc in loco aquas multas, & fortiſſimos inimicos vocat. De talibus autem Sancta Eccleſia ſæpè liberata eſt, ſola Dei miſericordia, & veritate, quam prædicabat, opitulante. Miſit autem de ſummo, de ſeipſo, quem ſummum bonum de ſuæ diuinitatis altiſſimo ſecreto: vnde veniunt omnia bona, ſicut ſcriptum eſt: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Sic igitur de talibus adeo liberata eſt, ac ſi de aquarum multa profunditate, vel de leonum faucibus traheretur.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ. Præuenerunt me, inquit, & quaſi incautam præoccupauerunt cum magna ira, & furore ſuper me irruentes, ad Reges, & F Præſides trahentes, flagellantes, multiſque modis inſultantes. Sed quid fecit Dominus? *Et factus eſt,* inquit, *Dominus protector meus & eduxit me in latitudinem, ſaluum me fecit, quoniam voluit me.* Quia, inquit me dilexit, & voluit, & amittere noluit, de magnis tribulationibus, & anguſtiis me traxit, & in latitudinem adduxit. Per latitudinem autem, gaudium, & exultationem, & ſecuritatem ſignificat.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam manuum mearum retribuet mihi. Et de tribulationibus, inquit, me liberauit, & adhuc de ſeruitio retributionem, & mercedem expecto: quia iuſtus iudex eſt, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Vnde & ſubditur.

Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo. Hoc eſt itaque, vnde adhuc retributionem expectat. Quid eſt autem vias Domini cuſtodire, niſi eius mandata obſeruare? Impiè autem à Deo agit, qui aliquo G caſu ab eo ſeparatur.

Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo ſunt ſemper: & iuſtitiam eius non repuli à me. Magnæ namque, & dignæ cauſæ ſunt iſtæ expectandæ retributionis. Qui enim vias Domini cuſtodit, & nullo caſu ab eo recedit, iudicia eius obſeruat, & tenet, & numquam iuſtitiam eius à ſe repellit: quid amplius facere poteſt? Et quaſi aliquis diceret: ecce bene vſque hodie hæc omnia feciſti; ſed te facturam eſſe nondum promiſiſti. Ad quod ipſa:

Et ero immaculatus coram eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea. Et feci: inquit, & faciam, & ad antiquæ conuerſationis prauitatem, & iniquitatem numquam reuertar. Vnde certa ſum (dicit Eccleſia, vel quæcumque fidelis anima) *quia retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam manuum mearum in conſpectu oculorum eius.* Quia manibus opera fiunt: omni opera quocumque modo fiant, per manus ſignificari poſſunt, & eſt cauſa pro effectu. Quod autem H dicit: *In conſpectu oculorum eius.* Talia ſua opera eſſe oſtendit: quæ Deo placeant, & eius viſionem mereantur. Nunc autem mutat perſonam, & ad ipſum Dominum ſuæ locutionis ſermonem dirigit.

Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; Et cum electo electus eris, & cum peruerſo ſubuerteris. Hoc autem his verbis dicere videtur: quia Dominus ſanctus eſt, ſanctos non deſeret, & quia innocens eſt, innocentes non nocebit, & quia populo ſuo electus eſt, & electum ſuum non derelinquet. Quod autem ſequitur. *Et cum peruerſo ſubuerteris,* ſic eſt accipiendum, ſicut, & multa alia, quæ quamuis ipſe non faciat, facere tamen dicitur, quia facientes quodammodo imitari videtur. Cum enim numquam pœniteat, vel iraſcatur, & pœnitere tamen, & iraſci dicitur, cum pœnitentis, & iraſcentis affectum oſtendit. Sic igitur cum idem ſemper, & immutabilis ſit, ſubuerti tamen, & à

A propria voluntate mutari videtur, cum eum, quem prius dilexerat, poſtea propter ſuam peruerſitatem à ſe repellit. Vnde & ſequitur.

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. In populo namque humili, quem Dominus ſaluum faciet, omnes, quos modo ſuperius dixit, & ſancti, & innocentes & electi continentur. Per ſuperbos vero qui humiliandi ſunt ſoli peruerſi ſignificantur.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas. Lucerna Eccleſia, & Epiſcopi ſunt, & ſacerdotes, omneſque alij, quorum verbis, & exemplis cætera multitudo illuminatur. De tenebris autem Apoſtolus dicit: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In corpore autem Eccleſiaſtico & boni, & mali: & iuſti, & peccatores, & perfecti, & imperfecti, & ſapientes, & inſipientes continentur. Inter hos autem multi ſunt, qui tenebræ vocantur. Si enim boni ideo lucerna dicuntur, quia alios illuminant: qua-
B re & mali tenebræ non dicantur, qui & verbis & exemplis alios excæcant.

Pro talibus igitur orat Eccleſia, vt illuminentur, ne tenebrarum principem ſequentes in maiores tenebras demergantur. Nam & ipſe inde tenebrarum princeps dicitur, quia iniquorum hominum princeps eſt, qui tenebræ dicuntur.

Quoniam à te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Ideo, inquit, rogaui te, vt illumines tenebras meas, qui magnam in illis patior tentationem, à qua, videlicet, niſi à te, & per te liberari non poſſum. Tu igitur & meis precibus & tua benignitate eos illuminabis, & à ſuis tentationibus liberabis, & ego in te Deo meo, & protectore meo tranſgrediar murum. Magnus inter nos & Deum murus poſitus eſt, quem niſi diuino adiutorio tranſire non poſſumus. Per hunc autem murum malignorum ſpirituum incitamenta, & vitiorum omnium impedimenta intelligimus. Nunc iterum mutat perſonam, & laudes Domini, cui loquebatur, quaſi exau-
C dita prædicat, & extollit.

Deus meus impolluta via eius. Qualis, inquit, eſt hic Deus meus quam clemens, quam benignus, quam verax: qui nulli mentitur, & numquam deſerit ſperantes in ſe. *Impolluta via eius.* Omnia opera eius pura & ſancta, & omnes viæ eius miſericordia & veritas. *Eloquia Domini igne examinata, protector eſt omnium ſperantium in ſe.* Eloquia, inquit, Domini igne ſunt examinata, & in tribulationibus, & anguſtiis, omnium tormentorum incendiis à fidelibus probata, quia quæcumque illis promiſit, fideliter adimpleuit. Et hoc eſt, quod dicit: *Protector eſt omnium ſperantium in ſe.*

Quoniam, quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum? Vnde & alibi dicitur: *Omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.*

Deus, qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam. Tanta virtute præcincta eſt Eccleſia, vt tunc quoque vincat, quando victa eſſe putatur. Nulla ſibi maior victoria eſt, nullus triumphus maior, quam
D tormentis non ſuccumbere, & moriendo patientiam non amittere. Vnde & viam ſuam immaculatam eſſe dicit, quia inter ipſa tormenta fidem cuſtodiuit, & recto, & inuiolato itinere ad Deum iuit.

Qui perfecit pedes meos tamquam ceruû, & ſuper excelſa ſtatuit me. Pedes animæ bona opera ſunt, virtutes, & mores honeſti, quibus in via mandatorum Dei currit, quibus ſuſtinetur, atque portatur, & ſuper excelſa cælorum ſtatuitur, & exaltatur. Iſti autem pedes ceruorum pedibus comparantur, quia citò facilique curſu ad ſtatutum locum eam perducunt.

Qui docet manus meas ad prælium, & poſuit, vt arcum æreum, brachia mea. Per manus, & brachia bonus intellectus, & bona intentio ſignificantur, qui ſapienter à Domino edocti contra omnes iniquorum inſidias viriliter præliantur.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me, & diſciplina tua ipſa me docebit. Securus
E ad prælium vadit, qui tali protectione ſaluatur, tali dextera ſuſcipitur, & tali diſciplina docetur.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea. Siue, inquit, fugere, ſiue hoſtes perſequi volui, validos, & veloces greſſus, & veſtigia habui. Vtrumque enim vtile eſt, & fugere, & pugnare, vbi neceſſe eſt. Fugiunt illi, qui peccandi timore vbicumque ſe abſcondunt, vel qui peccandi inſtrumenta à ſe repellunt. Illi verò perſequuntur, qui dura pœnitentia vitia ſuperant, & qui orationibus & ieiuniis ipſos malignos ſpiritus à ſe repellunt. Sed qui hoc non intelligit, martyrium, agones, & Beatorum Benedicti, Antonij, & Hilarionis hiſtorias legant.

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant, affligam illos, nec poterunt ſtare. Qui ſic loquitur non timet inimicos, nec fugere, ſed pugnare deſiderat. Beati illi, qui ſic pugnant, qui omnia vitia, omneſque voluptates, carniſque concupiſcentias in ſe interficiunt. Hoc enim ſignificauit Do-
F minus per Moyſen, vbi omnes gentes, quæ terram promiſſionis poſſidebant, vſque ad internecionem occidere iuſſit.

Cadent ſubtus pedes meos. Quod per pedes, virtutes & bona opera ſignificentur, modo ſuperius diximus, quibus videlicet omnes vitiorum exercitus vincitur, & conculcatur. Ecce iterum Eccleſia mutat perſonam, & ad ipſum Dominum ſuæ locutionis verba conuertit. *Et præcinxiſti me virtute ad bellum.* Tanta enim virtute præcinxit Dominus ſanctos ſuos, atque muniuit, vt nullo tormentorum genere, nulla Philoſophorum diſputatione vinci potuiſſent.

Supplantaſti omnes inſurgentes in me ſubtus me. Quid eſt ſupplantaſti, niſi cadere feciſti? Vnde & modo dixit: *Cadent ſubtus pedes meos.* Hoc autem de Iudæis ſpecialiter dicere videtur, qui vbique Chriſtianis ſubiecti ſunt, & neque armis, neque rationibus eis reſiſtere poſſunt. Vnde & ſubditur: *Et inimicorum meorum dediſti mihi dorſum ad flagella paratum.* De quibus adhuc ſubditur.

G *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Magnum argumentum eſt eos à Deo reprobatos eſſe, quia tempore ſuæ obſidionis quando à Romanis capti ſunt, iam per mille annos, & amplius ad Dominum clamare non ceſſant, nec tamen exauditi ſunt, cum prius quidem in omnibus ſuis afflictionibus paruo tempore caſtigàti ſemper à Deo exauditi, & liberati fuerint.

Et comminuam illos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. Hoc autem loco digne ſatis Domini perſona introducitur ad verba Eccleſiæ reſpondentis. Dixerat enim modo Eccleſia, quia clamauerunt Iudæi ad Dominum, nec exaudiuit eos. Cui ipſe, nec exaudiui, inquit, nec exaudiam, ſed comminuam illos vt puluerem ante faciem venti, & vt lutum platearum delebo eos. Et hoc quidem ex maxima parte iam factum eſt, & adhuc in iudicio futurum eſt. Sed quia de Iudæis loqui cœperat, ad Patrem conuerſus de illorum conqueritur infidelitate. Et hoc eſt quod dicit.

H *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium. Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, ob auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Eripies, inquit, me, ô Pater, de contradictionibus huius populi, qui ſemper mihi & contradixit, & contradicit, & meam doctrinam ſuſcipere noluit. *Et conſtitues me in caput gentium*, quas ego pro Iudæis in hæreditatem ſuſcepi. Quaſi dicat, populus gentium, quem ego prius non cognoui, & meæ gratiæ & beneuolentiæ alienum, & extraneum feci, audito meo nomine, protinus mihi & ſeruiuit, & obediuit. E contra vero *filij alieni mentiti ſunt mihi*, quos ego ſemper vſque ad meæ paſſionis tempora, vt proprios, & chariſſimos filios cuſtodiui. *Filij alieni inueterati ſunt* in peccato inobedientiæ ſuæ, ſiue etiam quia ſolius litteræ vetuſtatem ſequentes, nouam doctrinam ſuſcipere noluerunt. Quod autem ait: *Et claudicauerunt à ſemitis ſuis*, ab intelligentia Legis, &

A Prophetarum per quam incedere debebant, eos declinaſſe, & aberraſſe ſignificat. Hucuſque Dominus. Hinc vero Eccleſia, ſicuti cœperat, ſuam continuat orationem.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ. Viuit, inquit, Dominus, cuius reſurrectioni Iudæi contradicunt, & ipſe ſit per omnia benedictus, ipſe exaltetur ſuper omnes inimicos ſuos, qui ſua morte me ſaluauit, & de cunctis periculis liberauit. Sequitur.

Deus, qui das vindictam mihi, & ſubdidiſti populos ſub me. Liberator meus, Domine, de gentibus iracundis, & ab inſurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me. Deus, inquit, qui das vindictam mihi & in hoc ſæculo ex parte, & in futuro ex toto, & ſubdidiſti populos ſub me, quoſdam videlicet, ſua ſponte ad obediendum, cæteros vero reſiſtere non valentes, tu, inquam, qui es liberator meus de gentibus iracundis, per quas Iudæos, hæreticos, & tyrannos intelligimus, ſpero, & confido, dicit Eccleſia, & certa ſum, quia ſicut ſemper B feciſti, ſic ſemper mihi facies. Quid? *Et ab inſurgentibus in me exaltabis me, & à viro iniquo eripies me.* Vir iſte iniquus, & iſti inſurgentes, Antichriſtus cum omni exercitu ſuo conuenienter intelligi poteſt. Dicit igitur, quia ſicut à primis ſuis perſecutoribus liberata eſt, ita & ab vltimis cum Dei adiutorio liberabitur.

Propterea confitebor tibi in populis, Domine, & nomini tuo pſalmum dicam. Promittit ſe omni tempore in populis, qui vbique gentium diſperſi ſunt, Deum laudare, eiuſque nomini iubilare, qui ſic ſemper, & vbique ad eam exaudiendum, & liberandum præſto eſt.

Magnificans ſalutare Regis ipſius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum. Tibi, inquit, confitebor, qui magnificans magnificaſti ſalutare Regis ipſius. Cuius ipſius? Ipſius, videlicet, populi de quo modo Dominus ſuperius ait: *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi.* Huius enim Regis ſalutem ita magnificauit Deus, vt non ſolum ipſum, verum etiam omnes illos ſaluaret, qui credunt in ipſo. Vnde & C ſubditur: *Et faciens feciſti miſericordiam Chriſto ſuo Dauid. Et ſemini eius vſque in ſæculum.* Hanc, inquit, ſalutem, & miſericordiam pariter, & communiter fecit Deus, & Regi ipſius Dauid, & ipſi populo, qui ſemen eius non ad tempus, ſed vſque in ſæculum.

Hic autem modus locutionis in diuina pagina ſæpe reperitur, vt *expectans expectaui.* Et: *Euntes ibant, & venientes venient.* Et: *Gaudens gaudebo.* Et *faciens faciet.* Et ſimilia.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

ISte pſalmus Dauid ad finem, ad Chriſtum, ad Eccleſiam, & ad illos referatur, qui dicunt. *Nos ſumus, in quos fines ſæculorum deuenerunt.*

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

D Multis ex cauſis ſancti Apoſtoli cœli dici poſſunt, ſiue quia in tota Eccleſia excellentiores, & maiores ſunt: ſiue quia ambitu ſui principatus vniuerſa concludunt: ſiue quia diuina ſecreta celant, & continent, ſiue quia templum Dei ſunt, & Spiritus Dei viſibiliter eis datus pleniſſime habitat in ipſis: ſiue quia ad cœli ſimilitudinem cunctis virtutibus, quaſi quibuſdam clariſſimis ſtellis, celati, & variati ſunt. Iſti enarrant gloriam Dei, iſti annunciant opera manuum eius. Qui non immerito firmamentum vocantur, quoniam in illorum fidem tota Eccleſia, & firmata, & fundata eſt. Vnde & Apoſtolus dicit. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Tales igitur digni fuerunt, qui ad gloriam, Dei prædicandam in totum mundum mitterentur. Neque digniori nomine, Propheta, quia in hoc pſalmo loquitur, eos vocare potuit, quam cœlum, & firmamentum.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Hoc ipſum ſignificat *dies diei eructat verbum,* quod ſignificat *Cœli enarrant gloriam Dei.* Quos enim E modo cœlos dixerat, nunc dies vocat, quos ipſe quoque Filius in Euangelio nomine ... diei nominat, dicens: *Vos eſtis lux mundi.* Nam & hoc nomen honoris eſt, & dignitatis. Eructat igitur dies verbum diei, quando ſancti Apoſtoli populo Chriſtiano, qui & ipſe dies eſt, vero lumine illuminatus Euangelicæ prædicationis verbum annunciat. Sed ô ſcelus, & malum intolerabile, quia ſicut eructat dies verbum diei, ita & nox nocti ſcientiam indicat. Si enim Apoſtoli, & omnes fideles dies vocantur: quare hæretici, omneſque infideles nox non dicantur? Quando igitur iſti ſuum errorem, ſuamque cæcitatem ſuis auditoribus prædicant, tum proculdubio & nox nocti ſuam ſcientiam indicat.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

Hoc eſt enim, quod alibi dicitur: *Loquebantur variis linguis Apoſtoli magnalia Dei.* Omnibus linguis loquebantur, & pleni Spiritu ſancto totius ſapientiæ, & ſcientiæ ſermones faciebant. Vbi?

F *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et quid dicebant? Sequitur.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat a calore eius. Hæc eſt prima prædicatio Apoſtolorum, in qua Chriſti natiuitas, aſcenſio, & vltimum iudicium breuiſſime continetur. Tabernaculum Chriſti ipſa eius humanitas eſt, in qua, vt Apoſtolus ait. *Inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Hoc autem poſuit Dominus in ſole: quia cunctis gentibus reuelauit. Quod enim in ſole non eſt in tenebris eſt, & videri non poteſt. Sola igitur illa in Sole ſunt, quæ videri poſſunt, & in tenebris non ſunt. Vnde & alibi dicit, *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.* Secundum humanitatem igitur Saluator noſter in Sole eſt, ſecundum vero diuinitatem ſuper Solem, quia ſecundum humanitatem videri potuit, ſecundum diuinitatem videri non G potuit. Procedens autem tamquam ſponſus de thalamo ſuo, id eſt, de vtero virginali, vbi illud coniugium ineffabile factum eſt, vbi diuinitas humanitati inenarrabiliter coniuncta eſt, *exultauit ad currendam viam.* Hæc eſt autem illa via de qua alibi dicit: *De torrente in via bibet, propterea exaltauit caput.* In quo manifeſtè oſtenditur quia omnes, quæ de eo ſcribuntur, ſua ſponte ſuſtinuit paſſiones. Via igitur illius fuit de virgine naſci, prædicare, miracula facere, mori, reſurgere, & tandem poſt omnia cœlos aſcendere. Sed quare dicitur, *Vt gigas?* vt gigas enim factus eſt Dominus, quia fortis & inſuperabilis. Inſuper autem & gigantes geminæ naturæ eſſe putabantur. Sic enim in Geneſi ſcriptum eſt, quia *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant.* De quibus poſtea gigantes nati eſſe narrantur. Sit igitur hoc dictum ſecundum hominum opinionem. *Fuit autem à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius,* H quia ſicut ipſe ait, *exiuit à Patre & venit in mundum, iterum reliquit mundum & iuit ad Patrem.* Per ſummum itaque cœlum Deum Patrem intelligamus, qui ſuper omnia eſt & ſupra quem nihil eſt. A ſummo ergo vſque ad ſummum dicere nihil aliud eſt, quam dicere per omnia & Patri æqualis eſt. Quod autem dicit. *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.* Dupliciter intelligi poteſt, vt vel de calore Spiritus ſancti, vel de calore æterni incendij intelligatur. Neque enim fieri poteſt, vt vnum iſtorum homo non ſentiat. Qui igitur in hac vita ſancti Spiritus calore inflammatur, illius caloris incendium non ſuſtinebit, finita autem hac prima Apoſtolorum prædicatione, ſecundam videamus, in qua de lege Domini, & iuſtitia, de timore, & iudiciis eius pleniſſimè diſputat.

Lex Domini irreprehenſibilis, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Audite, inquiunt Apoſtoli, intelligite, & auribus percipite legem Domini: quia lex Domini ſancta, & irreprehenſibilis

A bilis eſt, non ſubuertens, non decipiens, neque interfi-
ciens animas, ſed potius conuertens, & ſaluans, & ad beatitudinem perducens. Vnde ſubditur: *Teſtimonium Domini fidele.* Fidele quidem; quia neminem decipit, nulli mentitur, ſed omnibus veritatem dicit, & ipſis paruulis ſapientiam præſtat. Per legem autem, & per teſtimonium vnum atque idem ſignificatur. Poſſumus autem per paruulos illos intelligere de quibus Dominus ait. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis, in regnum cælorum.* Sed qualiter paruuli eſſe debeamus, Apoſtolus docet. *Nolite, inquit, paruuli effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.*

Iuſtitia Domini recta, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Ecce iterum aliis nominibus eandem legem Domini vocat. Omnis autem Scriptura, quæ malum interdicit, & bonum agere præcipit, lex Domini eſt. Cui, videlicet, legi quicumque obedit, & credit, ſecundum interiorem hominem, & lætificatur, & illuminatur. Sicut è contra qualiter agit
B cæcus eſt, & in tenebris ambulat, & magnus mœror, & triſtitia eum expectat.

Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi. De hoc timore alibi dicitur, *initium ſapientiæ timor Domini*, Nemo igitur ad huius legis notitiam peruenire, & eam, quæ in ipſa continetur, ſapientiam habere poteſt, niſi prius in Deum credat, ipſum timeat, & adoret. Eſt autem timor Domini ſanctus & æternus, quia eos, in quibus eſt, ſanctos, & æternos facit. *Iudicia Dei vera iuſtificata in ſemetipſa*, ſiue legem, ſiue præceptum, ſiue teſtimonium, ſiue iuſtitias ſiue iudicia dicas, nulla differentia eſt. Sunt autem iudicia Dei vera, & naturaliter vera, non aliunde, niſi in ſemetipſa iuſtificata, neque indigent probatione, quia naturali veritate muniuntur.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum. Quid enim tam deſiderabile vt ſapientia, vt iuſtitia, vt veritas, vt ipſa ſui veritatis cognitio? Omnia enim hæc & quæcumque alia viri iuſti, & timentes Deum deſiderare poſſunt, in lege
C Domini continentur. Vnde & in primo pſalmo de viro iuſto dicitur: Quia *meditabitur in lege Domini die ac nocte.* Et inde apparet, quia dulcior ſibi eſt ſuper mel, & fauũ, qui eius captus amore, nullo tẽpore ab ea ſeparatur.

Nam & ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendo illa retributio multa. Ideo, inquit, ſeruus tuus legem tuam, & iudicia tua diligit, & cuſtodit, ideo ſuper omnia quæcumque ſunt, deſiderabiliora, & dulciora habet, quia in cuſtodiendo illa, multam ſe retributionem habere non dubitat.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Quicumque, inquit, intelligit delicta ſua, quicumque cognoſcit peccata ſua, dicat mecum: *Ab occultis meis munda me, Domine.* Hoc enim ipſe fecit, quando in Berſabea peccauit, & Vriam interfecit. Multum enim valet, ſicut ſcriptum eſt, deprecatio iuſti aſſidua. De alienis autem peccatis Apoſtolus dicit: *Nemini cito manum impoſueris, neque communices peccatis alienis*, & ſtultum eſt aliena fouere peccata, cui non ſufficit plangere ſua.

D *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Hoc eſt enim quod Apoſtolus dicit: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* In illis enim regnat peccatum, & dominatur, qui non ſolum cogitant, & faciunt: verum etiam in ipſo perſeuerant. Qui ſi conuertantur, & ad pœnitentiam redeant, tunc immaculati erunt, quia ſicut ſcriptum eſt: *Quacumq; hora peccator conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.* Et tunc quidem emundabitur à delicto maximo, per quod nullum aliud conuenientius intelligitur, quam perſeuerantia in peccato. Hoc eſt enim illud peccatum, quod non dimittetur hominibus neque in hoc ſæculo, neque in futuro. De quo & Apoſtolus dicit: *Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Merito igitur hoc peccatum maximum dicitur, ſiquidem numquam à Domino dimittitur. Si aute m legatur, (vt quidam codices habent.) *Si mei non fuerint dominati.* De malignis ſpiritibus intelligetur, qui tanto
E tempore hominibus dominantur, & non amplius, quanto tempore in peccato perſeuerant. Sequitur.

Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Si, inquit, ab hoc maximo peccato mundatus fuero, tunc & verba mea, & cogitationes cordis mei tibi placebunt, & tua viſione digna in conſpectu tuo ſemper erunt. Tanta eſt miſericordia Creatoris noſtri, vt vna eademque hora fiat & pœnitentia, & remiſſio.

Domine adiutor meus, & redemptor meus. Ipſe qui redemit, ipſe adiuuat, ne in ſeruitutem iterum redeamus. Quod niſi feciſſet, illa tanti pretij redemptio nihil nobis profuiſſet.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

IN *finem* quidem hæc referuntur, id eſt ad Chriſtum, F
& ad tempora Chriſti, ipſius tamen Prophetæ vox eſt, qui iſta ſcripſit. Vnde & bene dicitur: *Pſalmus Dauid.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Chriſto Domino noſtro loquitur Propheta, & ipſam illius diuinitatem pro eiuſdem ipſius humanitate interpellat. *Exaudiat te*, inquit, *Dominus*, qui in te eſt, qui ſecundum humanitatem tuam tibi Dominus eſt. Quando? *In die tribulationis*, hoc eſt in tempore paſſionis. *Protegat te nomen Dei Iacob.* Qui modo indignè ſatis tantam perſecutionem pateris à filiis Iacob. Non cognoſcunt nomen tuum, non credunt te illum eſſe, qui quondam Moyſi interroganti, quod tibi nomen eſſet, reſpondiſti? *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, hoc eſt nomen meum.* Ille igitur te protegat, cuius nomen hoc eſt. Quod nihil aliud dicere eſt, niſi tu ipſe protege te ipſum, quoniam tu ipſe, qui ſecundum diuinitatem es Deus Iacob, modo ſecundum humanitatem interficeris à filiis Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto. De quo ſancto? De te G
ipſo: tu enim es ſanctus ſanctorum, in cuius aduentu ceſſauit vnctio. Non aliunde quæras auxilium, quia in te eſt, qui & tibi & omnibus nobis auxilium præſtat.

Et de Sion tueatur te. Poteſt autem per Sion ipſe Saluator noſter intelligi. Nam & ipſe mons eſt, & non qualiſcumque, ſed omnibus aliis ſublimior: *Mons Dei mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare.* Idem igitur ſignificat: *De Sion tueatur te.* Quod ſignificat. *Mittat tibi auxilium de ſancto.* Si autem & ſic dicatur. *De Sion tueatur te*, id eſt, ab his, qui habitant in hac deſtruenda Sion te protegat, & defendat, non erit inconueniens, quia ipſi ſunt, qui eum occiderunt.

Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. Ipſe eſt enim ſacerdos magnus ſecundum ordinem Melchiſedech, qui admirabili potentia panem & vinum in ſui corporis, & ſanguinis ſubſtantiam vertit, ſuiſque diſcipulis dedit, dicens eis: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine.* Altera verò die, poſtquam hoc H
fecit, ſeipſum in ara Crucis pro nobis immolauit. Et tunc quidem fecit illud pingue, & ſuaue, & Deo acceptabile holocauſtum, quo primum, & originale peccatum deletum eſt, & humanum genus gratiæ Dei reconciliatum eſt. Huius autem holocauſti odore ſuauiſſimo, & cœlum & terra repleta eſt, vt merito de ipſo dicatur: *Odoratus eſt Dominus odore ſuauitatis.* Et hoc quidem holocauſtum omnia illa holocauſta ſignificabant, quæ à Patriarchis, & Prophetis ab ipſo mũdi initio immolata ſunt.

Tribuat tibi Dominus ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet. Deſiderium namque cordis eius, & conſilium hoc fuit, vt pro ſalute noſtra moreretur & reſurgeret, cœlos aſcenderet, & Spiritum Paraclytum ſuis diſcipulis mitteret, quo mundum illuminaret, & ad ſe conuerteret. Hoc autem conſilium, & deſiderium, ſicut ante multum tempus Propheta orauerat, ipſo Domino volente & diſponente iam completum eſt.

Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri

A *magnificabimur.* Ideo, inquit, hæc oramus, & precamur, quia de ſalute tua lætabimur, ſiue tibi à Domino data, ſiue nobis à te conceſſa. *Et in nomine Domini Dei noſtri,* id eſt, in nomine ſancto tuo, quo Chriſtiani vocabimur, erit magnificatio, exaltatio, & gloriatio noſtra. Vnde adhuc id ipſum orantes, & deprecantes, vniuerſaliter dicimus.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Hoc autem Propheta cum dixiſſet, ſuaſque orationes per Spiritum ſanctum exauditas eſſe cognoſceret, gratulabundus ait: *Nunc cognoui quoniam ſaluum faciet Dominus Chriſtum ſuum.* Quid apertius? Quid manifeſtius? Miſeri Iudæi vel nunc cognoſcite de Chriſto hæc eſſe pronunciata. *Et exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo.* Quod, ſicut ſuperius expoſuimus, de ſe ipſo intelligamus. *In potentatibus ſolus dextera eius.* Verè in potentatibus, quia nullus alius vnquam cum tanta gloria, tanto honore, tanto talique triumpho inimicos ſuperauit.

B *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur.* Cæteri, inquit, in curribus, & equis glorientur, prælientur, & magnificentur, nobis autem hoc ſolum ſufficit, vt in noſtris neceſſitatibus nomen Domini inuocemus, quoniam *omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.*

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos vero ſurreximus & erecti ſumus. Docet nos Propheta, quia illi, qui derelicto diuino adiutorio, in ſæcularibus adiutoriis ſpem ſuã ponunt, inde obligati & impediti citius cadunt, vnde victoriam expectabant. Sancti verò in ſolo Deo ſpem habentes, nũquam eius auxilio & conſolatione deſtituentur.

Domine ſaluum fac Regem, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te. Quantum Rex & Propheta Dauid hunc nepotem, ſiue potius filium ſuum (ſic enim pluribus in locis vocatur Dominus) ſemper dilexerit, in eo manifeſtiſſime oſtendit, quod pro eo etiam exauditus orare non ceſſat. *Exaudi nos,* inquit, *in die, qua inuocauerimus te* in nomine ipſius, quatenus adimpleatur id,
C quod ſuis diſcipulis promiſit, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

IN FINEM PSALMVS DAVID.

Hic titulus, & ſuperior eandem habent expoſitionem, & ſicut in illo, ita in iſto Propheta loquitur de Chriſto.

Domine in virtute tua lætabitur Rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Ecce iterum amorem ſuum, & ſollicitudinem Propheta oſtendit, quam de Saluatoris noſtri humanitate corde geſtabat. Atque à fine ſuperioris pſalmi pſalmum iſtum incipere videtur. Dixerat enim. *Domine ſaluum fac Regem.* Nunc autem de eodem Rege dicit. *Domine in virtute tua lætabitur Rex, & de ſalute tua exultabit vehementer.* In quibus verbis & ſuam orationem exauditam eſſe, & Chriſti ſaluationem, & victoriam apertiſſimè oſtendit. Neque enim aliter lætari, & exaltari potuiſſet, niſi eius voluntas, & deſiderium adimpletum fuiſſet. Vnde & ſubditur.

D *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.* Quamuis enim voluntas non in labiis, ſed in corde ſit, labiorum tamen voluntas eſſe dicitur, quia quæ volũtas in corde ſit, in labiis oſtenditur.

Quoniam præuenisti eum in benedictione dulcedinis. Prius enim quam Saluator noſter de Virgine naſceretur, omnes Patriarchæ, & Prophetæ cum benedictione dulcedinis bedixerunt.

Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Nemo coronabitur, (dicit Apoſtolus) *niſi qui legitimè certauerit.* Dignum ergo fuit, vt Saluator noſter coronaretur, cuius prælium, & victoria tam famoſiſſima narratur. Corona Chriſti Eccleſia eſt, quæ tota de lapidibus pretioſis, ſicut in Apocalypſi legitur, conſtructa, & fabricata eſt. Sic enim & Apoſtolus illis, quos ad fidem conuerterat ait: *Fratres mei, gaudium meum, & corona mea. ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Hoc igitur modo locutionis illi, qui ſunt cauſa coronæ, accipiuntur pro ipſa corona. Poſſumus autem per coronam ipſam victoriam E intelligere, quæ videlicet ipſius coronæ cauſa eſt, quæ ſi iuſta, & rationabilis fuerit, tunc de lapide pretioſo facta eſt. Vnde è contrario dicitur: *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Effrahim*

Vitam petiit à te. Petiit quidem, quando dixit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Et tu quid feciſti? *Et tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum ſæculi.* Plus, inquit, feciſti, quam ipſe rogabat, quoniam ipſe paucorum dierum vitam poſtulabat, tu verò *tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum ſæculi.*

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum. Quomodo?

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi. Et ſuper hæc omnia, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Hæc omnia valde potiora ſunt, quam hæc vita præſens: quoniam hæc omnia æterna ſunt, præſens verò vita cum omnibus bonis ſuis caduca eſt, & citò tranſiens.

Quoniam Rex ſperauit in Domino, & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur. Merito, inquit, Domine, F omnia hæc ſibi feciſti, & adhuc, ſi neceſſe fuerit maiora facies, quoniam in te ſemper ſperauit, & non in ſe, ſed in tua miſericordia confidit. Vnde & multum tibi ſit commendatus; quia nihil eſt, vel erit, quod eum à te commouere, & ſeparare valeat in æternum. Sæpè iam diximus, quia quoties de Chriſto talia ſcribuntur, omnia ad humanitatem referenda ſunt, quam modo tam diligenter, & curioſè ipſi diuinitati Propheta commendat. Hucuſque de Chriſti humanitatis commendatione, nunc autem contra illos inuehitur, qui Saluatorem noſtrum vſque ad mortem perſecuti ſunt.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis Hoc autem exponit: *Et dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.* Siue enim inueniant, ſiue inueniantur, væ illis erit, quia hanc tantæ fortitudinis dexteram, nec effugere, nec ſuſtinere valebunt, qua ſemel confracti, velut vaſa figuli, iam vlterius reintegrari non poterunt.

Pones eos vt clibanum ignis. Quando? *In tempore* G *vultus tui.* Et Dominus quid faciet? *Dominus in ira ſua conturbabit eos.* Et ignis quid? *Et deuorabit eos ignis* O dura comparatio, ſi clibanus erunt, interius ſuccenſi in ſe ipſis ſemper ardebunt, & extingui non poterunt. Et hæc quidem tanta mala tunc temporis ſuper eos venient, quando ante conſpectum Domini ſui venientes bona ſperare debuerant.

Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filiis hominum. In hoc enim & ipſos, & bona ipſorum, & opera, & filios eorum, per quos eorum imitatores intelligimus, ſimul omnia perire ſignificat. Et hoc merito. *Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilium, quod non potuerunt ſtabilire.* Deſtructum eſt impium conſilium Iudæorum, quo Chriſti nomen omnino delere conati ſunt.

Quoniam pones eos dorſum. Hoc in diuina pagina multoties Dominus facere dicitur, quod prohibere poteſt, & fieri permittit, ſicut eſt illud. *Quia indurauit Dominus cor Pharaonis.* Similiter autem & hic: *Quoniam pones* H *eos dorſum.* Dorſum & non faciem Iudæi oſtendunt, quia vſque hodie ſemper Chriſtum fugiunt, & eius miſericordiam non requirunt. Et quoniam tales ſunt, non iſti, ſed illi ſoli ſaluandi ſunt, qui in fine ſæculi futuri ſunt, quos dignè ſatis Dei reliquias vocat. De quibus ſcriptum eſt: *Si fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reliquiæ conuertentur.* Illi igitur ſunt, quorum vultum Deus præparauit, quorum faciem illuſtrauit, & ad ſe videndum illuminauit.

Exaltare Domine, in virtute tua, cantabimus, & pſallemus virtutes tuas. Exaltare, inquit, Domine, ſatis inter impios conuerſatus es, victi ſunt inimici, coronatus es corona de lapide pretioſo, exaltare igitur, & ſic cœlos aſcende. Nos autem cantabimus, & vbique gentium prædicabimus virtutes tuas. Hinc eſt enim quod in Canticis Canticorum dicitur: *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.*

A

IN FINEM PRO SVSCEPTIONE Matutina Pſalmus ipſi Dauid.

QVid ſignificet *in finem*, ſatis dictum eſt. Suſceptio matutina Chriſti reſurrectio eſt, qui die tertia primo mane à mortalitate ad æternam immortalitatem ſuſceptus eſt. Bene autem in hoc pſalmo reſurrectionem præmiſit, qui de ſola paſſione locuturus erat, vt illi, qui per totum pſalmum de Chriſti paſſione contriſtantur ipſa tituli inſcriptione conſolentur, neque dubitent reſurrecturum eum mortuum eſſe cognouerint.

Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea. Sæpè iam diximus, quia Saluator noſter Deus & homo eſt, & altera pars in eo clamat, altera verò clamantem exaudit. Humanitas quoque quando clamat non tantum pro ſe quantum pro nobis clamat, quia diuinitati ineffabiliter coniuncta nihil eſt, quod B pro ſe timere debeant. Sic autem & lingua loquitur pro omnibus membris, & cum in ſe nihil patiatur, in vnoquoque tamen membro ſe pati oſtendit. Percutitur oculus, minus, vel pes, & dicit lingua, cur me percutis? non pro ſe, videlicet, ſed pro aliis loquens, & aliorum paſſiones ſuas eſſe oſtendens. Hoc igitur modo locutionis Saluator noſter ſecundum humanitatem nunc loquitur, dicens: *Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Et quaſi ipſa diuinitas cauſam clamoris quæreret, qua præſente, neque clamare, neque timere debuiſſet, ſubdidit, dicens: *Longè à ſalute mea.* Non, inquit pro me clamo, caput ſum, lingua ſum, pro membris meis clamo, quæ iam per totum mundum pro meo nomine tam dura tormenta pati conſpicio. Mea namque paſſio cauſa illis erit, vt illa omnia patiantur. Inſuper autem & pro illis clamo, qui tanto mei ſanguinis pretio redempti peccare non ceſſant, & in ſuis iniquitatibus C perſeuerant, pro quibus nimirum, & nunc, & ſemper me ad te clamare neceſſe erit. Et hoc eſt quod ait.

Verba delictorum meorum. Hæc verba non ſunt mea, non ad me pertinent, verba ſunt delictorum infirmitatum, & paſſionum fidelium meorum. *Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Per diem & noctem omne tempus intelligamus, quia ſicut Apoſtolus ait *Quotidie interpellat pro nobis.* Poſſumus tamen per diem, & noctem, & proſpera & aduerſa intelligere. Dicat igitur Saluator noſter, dicat humanitas diuinitati, omni tempore clamabo, numquam te orare deſiſtam, & non mihi imputetur ad inſipientiam, quia etſi mihi clamor iſte neceſſarius non eſt, illis tamen, pro quibus clamo, ſemper neceſſarius eſt.

Tu autem in ſancto habitas, laus in Iſraël. Pro me, inquit, clamare ideo neceſſe non habeo, quia tu in me habitas, & mecum es, & ſine clamore me exaudis, quem laudat & prædicat Iſraël. Clamat tamen Dominus aliquando etiam pro ſe, non vt ei clamare neceſſarium D ſit, ſed vt nos ipſius conſilium, & voluntatem in eius clamore cognoſcamus. Hoc autem ſequentia manifeſtabunt.

In te ſperauerũt patres noſtri, ſperauerũt, & liberaſti eos.

Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Semper, inquit, clamandum eſt, & numquam à clamore ceſſandum eſt, etſi non illico exaudiamur à clamore tamen ceſſare non debemus. Clamor iſte non oris, ſed cordis eſt, quamuis & oris clamor valde vtilis eſt, ſi & corda & ora ſimul conueniant. Hoc autem fecerunt Patres noſtri, hoc Patriarchæ & Prophetæ fecerunt, hoc fecit & iſte, qui hunc pſalmum ſcribit. Et quia firmiter crediderunt, & ſperauerunt, ideo exauditi ſunt, & non ſunt confuſi. Hinc autem totam ſuam paſſionem ex ordine narrat, & ea, quæ poſt tantum temporis futura erant, quaſi iam facta fuiſſent, cunctis gentibus manifeſtat, vt qui Apoſtolis credere nolunt, vel hunc pſalmum legentes, & audiẽtes credãt, & vera eſſe cognoſcãt.

Ego autem ſum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes, qui videbant me, aſpernabantur me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.

E

Sperauit in Domino eripiat eum, ſaluum faciat eum quoniam vult eum.

Patres, inquit, *noſtri ſperauerunt in te, & liberati ſunt, ſperauerunt & non ſunt confuſi.*

Mihi autem hoc ipſum improperatur, quod in te ſpero, quaſi ſpes mea vana ſit, & nihil mihi profutura ſit. Sic enim & hic, & in Euangelio ſcriptum habemus, & hic quidem dicitur: *Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.* Ibi verò: *Filius Dei eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei; confidit in Domino, liberet eum ſi vult.* Quod hic dicitur: *Sperauit in Domino.* Ibi: *Confidit in Deo.* Et quod hic dicitur: *Saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Ibi dicitur: *Liberet eum, ſi vult.* Vide igitur quam bene ſibi conueniant verba Prophetæ, & verba Euangelij. Nunc autem ſignificationem videamus. *Ego,* inquit, *ſum vermis, & non homo.* Ac ſi dicat, ſicut inter animalia vermis viliſſimus eſt, ſic me inter homines abiectum, & peccatorem F deputant. Vnde & Propheta in perſona illorum loquitur, dicens: *Nos autem reputauimus eum quaſi leproſum, & abiectum à Deo, & humiliatum.* Eſt autem Saluator noſter quodammodo vermis, quia de ſola Virgine ſine aliqua virili commixtione natus eſt. Sic enim naſcuntur vermes, aut de ſolo ligno aut de ſola terra; nulla diuerſorum ſexuum commixtione. Ego, inquit, quem ipſi inter impios & peccatores deputant, non ſum genitus, neque natus, vt cæteri homines, qui in iniquitatibus cõcepti, & in peccatis nati ſunt. Factus tamen ſum opprobrium hominũ, & abiectio plebis, qui me ſpernẽtes, latronem elegerunt, dicentes: *Nolumus hunc, ſed Barrabam.*

Quoniam tu es, qui abſtraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te iactatus ſum ex vtero de ventre matris meæ, Deus meus es tu. Quod enim ait: *Abſtraxiſti me de ventre,* ad id reſpondere videtur, quod modo dixerat: *Ego ſum vermis, & non homo.* Vt per hoc contra legem naturæ, & non ſicut alios homines eum G natum eſſe intelligamus. Quod vero ſequitur: *Spes mea ab vberibus matris meæ in te iactatus ſum ex vtero, & de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Sic eſt intelligere, vt ante quam carnem ſuſciperet, & de Virgine naſceretur, quoniam Patri per omnia æqualis erat, nec eum in aliquem ſperaſſe, nec Deum, vel Dominum, vel maiorem habuiſſe firmiſſimè credamus. Omnia igitur hæc, vt iam ſæpè diximus, & cætera, quæ ſequuntur ad humanitatem referenda ſunt.

Ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet. Sic enim Chriſti diuinitas humanitati coniuncta eſt, vt numquam ab ea diſcedere poſſit, & ſic eam in omnibus adiuuare valeat, & nullius alterius adiutorio egeat, ſed propter nos talia loquitur, vt noſtram naturam in Chriſto eſſe ſciamus, & verum hominem eſſe credamus, & qualiter omnia hæc facta fuerint, cognoſcamus.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me. H Tauri pingues Principes Sacerdotum, Scribæ, & Phariſæi, omni malitia, & nequitia incraſſati, & pleni intelliguntur. Vituli verò, cætera populi multitudo, quæ quaſi doctores, & magiſtros eos ſequebatur.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Aperuerunt, inquit, ſuper me os ſuum, ſimul omnes vna voce clamantes, *crucifige,* & *ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Quorum voces propter nimiam crudelitatem leoni rugienti comparantur. *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Sicut aqua effuſus eſt Dominus, aliis quidem ad ſalutem & emundationem, aliis vero ad ruinam, & perditionem. Sic enim de ipſo ſcriptum eſt. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël.* Vbi enim funditur aqua, facilè homines ruere ſolent. Quod autem ait: *Et diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Diſcipulorum fugam ſignificare videtur. Qui non immeritò oſſa vocantur, quoniam inter omnia membra Eccleſiaſtici corporis firmiores, & fortiores fuerunt. De quibus adhuc ſubditur.

Et factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei. Cor Chriſti Apoſtoli ſunt, in quibus

voluntas,

A voluntas , conſilia , & maiora ſecreta Domini continentur. Per ventrem vero illos intelligere poſſumus, qui molliores , & imperfectiores in Eccleſia ſunt , quales illi erant, qui tunc temporis nondum perfectè credebant. Erat enim turba multa, quæ conuenerat ad diem feſtum, credula quidem , ſed non perfectè. Cuius etiam timore Principes Sacerdotum dicebant : *Non in die feſto , ne forte tumultus fieret in populo.* In medio igitur talium ſancti Apoſtoli facti ſunt tanquam cera liqueſcens , quia nimio terrore perterriti , neque ſibi ipſis , neque illis aliquam conſolationem dederunt.

Exaruit velut teſta virtus mea. Scimus quia teſta fragilis eſt , & exiguæ firmitatis. Huic igitur virtutem ſuam Saluator noſter comparat , quia in tempore paſſionis ſuæ fragilem ſe , & ſine fortitudine oſtendere voluit. Vnde & Petro pugnare volenti , ſic ait : *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum ? Quomodo ergo im-*
B *plebuntur ſcripturæ , quia ſic oportet fieri ?* Hæc eſt itaque cauſa quare ſicut teſta virtus eius exaruit. *Et lingua mea adhæſit faucibus meis.* Hoc eſt autem quod Propheta ait: *Sicut agnus ad victimam ductus eſt , & non aperuit os ſuum. Et in puluerem mortis deduxerunt me.* Affectu videlicet , & deſiderio ſuo , non quod caro eius , vt in alio pſalmo dicitur, videret corruptionem.

Quoniam circumdederunt me canes multi , concilium malignantium obſedit me. Canes , & concilium malignantium Iudæos vocat , contra eum ſine cauſa, & ratione latrantes.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Hoc autem tam planum eſt , vt expoſitione non egeat. Quod quidem exemplum ad Iudæos refellendos validiſſimum eſt , quia de nullo alio niſi de Chriſto hoc intelligere poſſunt, cuius manus , & pedes crudeliſſimis clauis confixerunt.

Dinumerauerunt omnia oſſa mea. Nullus eſt cuius oſſa
C ſic numerari , & ſeparatim videri valeant , ſicut illius, qui in cruce extenditur. Quod igitur ait : *Dinumerauerunt.* Tale eſt , ac ſi dixiſſet, dinumerabilia fecerunt. Poſſumus autem per oſſa ſicut iam ſuperius diximus , ipſos Apoſtolos intelligere. Qui fortaſſe ideo numerati ſunt , ne aliquis illorum euadere potuiſſet.

Ipſi vero conſiderauerunt , & conſpexerunt me ; diuiſerunt ſibi veſtimenta mea , & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Hoc autem Propheta in ſpiritu , & Euangeliſtæ ſuis oculis inſpicientes , vno ſimilique modo dixerunt. Credat igitur Prophetis, qui non vult credere Euangeliſtis. Vna autem illa veſtis , quæ diuiſa non eſt , illa eſt , de qua milites dixerunt : *Non ſcindamus eam , ſed mittamus ſortem cuius ſit* : vt hæc ſcriptura adimpleretur, ſicut Ioannes Apoſtolus ait.

Tu autem Domine , ne longe facias auxilium tuum à me , ad defenſionem meam aſpice. Erue à framea animam meam : & de manu canis vnicam meam. Quid enim per frameam niſi diabolicam deceptionem intelligimus, qua omnes pereuntium , & damnatorum animæ decollan-
D tur ? Canis autem idem ipſe diabolus eſt , qui cum omni exercitu ſuo contra ſanctos latrare , & irrationabiliter loqui non ceſſat. De quo ſubditur.

Libera me de ore leonis , & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Leo iſte diabolus eſt, quo alibi dicitur. *Quia inimicus noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* At vero per vnicornes Iudæos ſignificat , qui ſoli inter omnes gentes vno cornu muniebantur , per quod videlicet cornu legem intelligimus per Moyſem diuinitus ſibi datam, in qua ſingulariter gloriabantur. Finita hiſtoria ſuæ paſſionis , nunc de Eccleſia incipit loqui.

Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio Eccleſiæ laudabò te. Fratres ſuos Apoſtolos dicit, quibus & per ſe ipſum poſt paſſionem ſuam , & Spiritum Sanctum, quem eis miſit, nomen & gloriam paternæ maieſtatis oſtendit, quorum officio Eccleſiam regeret , & doceret , & vbique gentium Dei magnalia prædicaret.

Qui timetis Dominum laudate eum , vniuerſum ſemen Iacob magnificate eum. Timeat eum omne ſemen Iſraël,
E *quoniam non ſpreuit ; neque deſpexit preces pauperum , neque auertit faciem ſuam à me , & dum clamarem ad eum exaudiuit me.* Quotidie in Eccleſia Dominus prædicat , quia eius verba quotidie in Eccleſia prædicantur, ipſius enim verba ſunt , quæcumque in vtroque Teſtamento ſcripta ſunt. Ipſe eſt igitur , qui docet ipſe eſt qui prædicat. Vnde & diſcipulis ait : *Non enim vos eſtis , qui loquimini , ſed Spiritus Patris veſtri , qui loquitur in vobis.* Semen vero Iacob & Iſraël nos ſumus , qui Dominum & Saluatorem noſtrum Patrem habemus , qui per Iacob , & Iſraël ſignificatur. Et ipſe quidem eſt Iacob, quia diabolum vicit , & ſupplantauit , ipſe eſt & Iſraël, cui tota paternæ maieſtatis gloria reuelatur. Vnde & ſcriptum eſt : *Deum nemo vidit vnquam ; vnigenitus Filius , qui eſt in ſinu Patris , ipſe narrauit.*

Apud te eſt laus mihi in Eccleſia magna. Quod autem ait : *apud te* , tale eſt ac ſi diceret, de te, quia omnis laus filij ad patrem refertur Eccleſia verò magna, Eccleſia Catholica & Vniuerſalis eſt , non in vna mundi parte , ſed
F in toto mundo diffuſa. *Vota mea Domino reddam coram timentibus eum.* Vota ſua ſui corporis , & ſanguinis Sacramenta dicere videtur propter id quod ſequitur.

Edent pauperes , & ſaturabuntur. Et hæc quidem vota eius , iure dicuntur , quia ante ſecula pro ſalute noſtra Deo Patri offerre diſpoſuit. Ipſam namque diſponere, vouere fuit. Hæc autem vota quotidie redduntur , & offeruntur coram fidelibus ſuis , & timentibus eum. *Edent pauperes , & ſaturabuntur , laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Illi , inquit, pauperes , qui non mundi honores , diuitias , & dignitates , ſed Dominum requirunt , quibus ipſa paupertas pro Domino placet, edent cibum illum ineffabilem, & ſaturabuntur, ſecundum hominem interiorem , & laudabunt Dominum de tanto beneficio ſibi attributo. *Qui enim manducat hunc panem* (dicit Dòminus) *viuet in æternum.* Vnde & ſubditur.

Viuet cor eorum in ſæculum ſæculi , reminiſcentur , &
G *conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ.* In eo enim, quod dicit. *Reminiſcentur,* oblitos eos fuiſſe oſtendit. Et re vera antequam Apoſtoli prædicarent, in tantam, & Dei & ſui obliuionem venerant, vt per pauci inuenirentur, qui veritatem cognoſcerent. Prædicantibus igitur Apoſtolis, recordati ſunt illius beatitudinis , quam in primo homine amiſerunt , & conuerſi ſunt ad Dominum vniuerſi fines terræ. Et hoc eſt quod ſubditur.

Et adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium (& hoc merito) *quoniam Domini eſt regnum , & ipſe dominabitur gentium.* Prius diabolus regnabat , & vbique gentium dominabatur , ſed in Chriſti paſſione , & regnum & poteſtatem amiſit.

Manducauerunt , & adorauerunt omnes diuites terræ. Egregiè modò diuites dicit , quos paulò ante pauperes vocauerat , quoniam etſi caducis , & tranſitoriis diuitiis pauperes ſint, æternis tamen , & ſpiritualibus bonis diuites ſunt. *In conſpectu eius procident vniuerſi , qui deſcendunt in terram.* Sic videtur mihi eſſe dictum , *qui deſcendunt in terram* , ſicut illud in Euangelio. *Qui illuminat*
H *omnem hominem venientem in hunc mundum* , vt in terram deſcendere , & in mundum venire idem ſignificet. Omnes igitur , qui in mundum veniunt , omnes , qui in terram deſcendunt, procident ante Deum, ſicut ſcriptum eſt. *Viuo ego* (dicit Dominus) *quia mihi curuabitur omne genu , & confitebitur omnis lingua.*

Et anima mea ipſi viuet , & ſemen meum ſeruiet illi. Non eſt itaque Chriſti illa anima , quæ Deo non viuit, neque illud ſemen , quod Deo non ſeruit.

Annunciabitur Deo generatio ventura , & annunciabunt cœli iuſtitiam eius populo , qui naſcetur , quem fecit Dominus. Generatio ventura , & populus , qui naſcetur vnum mihi ſignificare videntur. Hæc autem generatio populus gentium eſt, qui repulſa Synagoga , illis diebus prædicandus & vocandus erat. Vnde & Apoſtolus Iudæis verbum Dei audire nolentibus ait : *Vobis primum oportuit prædicari verbum Dei , ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos feciſtis æternæ vitæ , ecce conuertimur ad gentes.* Bene igitur hic dicitur: *Populus qui naſcetur, quem*

A *fecit Dominus*: quoniam ille populus tunc à Domino factus eſt, quando per aquam baptiſmatis regeneratus eſt.

PSALMVS DAVID.

QVare ſuperius.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Populus gentium nouiter regeneratus, & ad fidem vocatus, loquitur in hoc pſalmo. Hic eſt ille populus, de quo modo in fine ſuperioris pſalmi dicitur: *Populus qui naſcetur, quem fecit Dominus.* Qui ideo à Domino factus eſſe perhibetur, quoniam ab antiqua vetuſtate in nouam creaturam per aquam baptiſmatis reformatus eſt. Dicat igitur populus iſte: Dominus regit me, iam nihil timeo, bonum rectorem & paſtorem habeo, qui me in loco paſcuæ collocauit, & ſanctorum ſuorum Eccleſiæ aſſociauit. Vbicumque ſunt
B noui, & veteris Teſtamenti volumina, ibi eſt & paſcuæ locus, ibi ſunt illi cibi, quibus anima reficitur, & ſanatur. De quibus ſubditur.

Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Omnis diuina Scriptura, & Euangelica prædicatio aqua refectionis eſt. Hæc eſt illa aqua, de qua dicitur: *Sitientes venite ad aquam.* Dicitur autem aqua refectionis, quoniam qui ex ea ſatiatus fuerit, ſicut Dominus ait: *Non ſitiet vltra.* Hæc eſt aqua totius ſapientiæ, qua fidelium animæ educantur, lauantur, & ſanantur.

Deduxit me ſuper ſemitam iuſtitiæ propter nomen ſuum. Quam pulcher ordo locutionis, primum ad paſcuæ locum, deinde ad aquas refectionis, demum ad ſemitam iuſtitiæ ſe narrat eſſe deductum. Per ſemitam iuſtitiæ incedit, qui ad errorem non declinat, & à veritate non recedit. Hanc ſemitam neſciunt Iudæi, hæretici, & pagani, hæc ſolummodo Chriſtianorum eſt: quia ipſi ſoli veritatem ſequuntur, & tenent, ipſi ſoli nomen Domini ſuſcipere meruerunt, & tanto patronymico digni à Chri-
C ſto Chriſtiani vocantur.

Nam etſi ambulem in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Cur enim timeat quem Dominus deducit, & per talem ſemitam incedit? Vmbra mortis hæretici ſunt, omneſque alij ſeductores. In vmbra enim illius figura, & ſimilitudo naturaliter exprimitur, cuius eſt ipſa vmbra. Sunt igitur iſti tales vmbra mortis, quia ſicut mors occidit corpora, ita & iſti animas interficiunt. Per medium tamen iſtorum viri ſancti ambulare non timent, quoniam ipſum Deum protectorem habent, qui eos ſuperari, & decipi non permittit.

Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Scio, inquit, te & virgam habere & baculum. Et contra eos quidem, qui minus delinquunt, virgam habes, contra eos vero, qui amplius delinquunt, baculum portas. Siue etiam quia in hac vita virga percutis, in futura vero non virga, ſed baculo. Hæc eſt igitur conſolatio mea, quia te vltorem eſſe cognoſco, qui inimicos meos ſine pœna tranſire non patieris.

D *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Ecce iterum alia conſolatio, vt ſuos inimicos timere non debeat. Menſam ante ſe paratam eſſe dicit, cuius cibi, & potus immortales faciunt, & ab omni hæretica prauitate ſe vtentes defendunt. Hæc menſa diuina ſcriptura, & vtriuſque Teſtamenti ſcientia intelligitur, qua viri Eccleſiaſtici refecti, hæreticorum non timent verſutias.

Impinguaſti in oleo caput meum. Quaſi ei aliquis diceret: quid tibi hæc menſa faciet, ſi intelligentia deſit? Ad quod ipſe menſam, & intelligentiam ſe habere oſtendit, dum caput ſuum in oleo impinguatum eſſe dicit. Quid enim per caput, niſi mentem? quid per oleum niſi ſancti Spiritus gratias intelligimus? Tali oleo Saluator noſter inunctus dicebat: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me.* Vnde & alibi dicitur. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.*

Et poculum tuum inebrians quam præclarum eſt. Hoc
E poculum de hac menſa ſuſcipitur, quo ſancti inebriati terrenorum obliuiſcuntur, & ipſas ſuas iniurias non cognoſcunt. Præclarum eſt autem hoc poculum, quia nihil in ſe continet nebuloſum; nihil niſi dulce, & ſuaue, & veritatis fulgore illuminatum.

Et miſericordia tua ſubſequatur me omnibus diebus vitæ meæ. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret, ecce multa bona mihi feciſti, in loco paſcuæ me collocaſti: ſuper aquas refectionis me educaſti, in ſemitam iuſtitiæ me deduxiſti, in conſpectu meo menſam poſuiſti, poculo tuo me inebriaſti: vnum ſolum modo reſtat, quod ſi habuero, ſufficit mihi, ſi non habuero, nihil ſum. Hoc eſt igitur, quod peto, vt miſericordia tua quaſi pedagogus & magiſter ſubſequatur me, quæ à recto itinere me deuiare non patiatur omnibus diebus vitæ meæ; vt hac vita finita habitem in domo Domini, in illa, videlicet, cœleſti Hieruſalem *in longitudine dierum.* Nemo igitur ex operibus ſuis ſine Dei miſericordia ſe ſaluari poſſe confidat.

F

PSALMVS DAVID.
Prima Sabbati.

PRima Sabbati dies Dominicus intelligitur. In ipſo die fecit Deus cœlum, & terram: in ipſo die à mortuis reſurrexit, in ipſo die Spiritum ſanctum Apoſtolis dedit, & in ipſo die vltima reſurrectio fiet, quando ad iudicandum viuos, & mortuos Dominus veniet.

Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in ea. Videns propheta per Spiritum ſanctum in illa vltima & prima die, vna enim eſt & prima & vltima: Omnes & bonos & malos, quicumque fuerunt & ſunt & erunt pariter aſtare ante tribunal Chriſti, nullo iam litigante, nullo iam ſibi aliquid vendicante, ſed vnoquoque iudicium expectante dicit, *Domini eſt terra, & plenitudo eius* Vbi tunc Reges? vbi Principes? vbi ſæculi potentes? vbi illi qui nunc terram fraudulenter diuidunt, & ipſis ſuis fratribus partes ſuas auferunt? vnuſquiſque ſe abſcondet, nemo tamen ſe abſcon- G
dere poterit. *Tunc dicent montibus cadite ſuper nos, & collibus, abſcondite nos.* Et tunc quidem manifeſtum erit, quia Domini, & ſolius Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in ea. Cuius enim eſſe debet, niſi illius, qui eam fecit? Et quando eam fecit. Prima Sabbati. Et quando eam recuperabit. Prima Sabbati.

Ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit illam. Diſputent philoſophi, & quærant inter ſe quomodo ſuper liquidum elementum terra ſtare poſſit. Mihi tamen non videtur mirabilius ab aquis, quam ab aëre ſuſtineri, ſi tamen vel ab aquis, vel ab aëre ſuſtineatur. Ego autem ad faciliorem me tráſfero intelligentiam, quia ſuper pro iuxta frequenter dicere ſolemus. Veluti cum dicimus illa talis ciuitas ſuper mare, vel ſuper Tiberim ſita eſt: quod vtique non ſuper aquam, ſed iuxta intelligimus. Sic igitur omnis terra, vel ſuper maria, vel ſuper flumina poſita eſt: vt eius termini nuſquam alibi niſi ſuper maria, vel ſuper flumina eſſe poſſint. H

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Video inquit ante iudicem aſtare omnes: video ibi diuites, & pauperes. Quis horum vocabitur quis horum aſcendet in montem Domini? numquid ſoli diuites? numquid ſoli potentes? Iſti enim ſunt, qui vocari, & honorati ſoliti erant. Per montem Domini, & per locum ſanctum eius hoc in loco terra viuentium ſignificatur. Vis audire quis aſcendet, & quis ibi ſtabit?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. His paucis verbis docet Propheta quis ibi aſcendet, & quis ibi ſtabit. Perfectus mihi eſſe videtur, qui & manibus & mundo corde innocens eſt. Per quem, videlicet, illi ſignificantur, qui neque facto, neque conſilio aliis nocent. Et tales quidé raro inueniuntur: Ego ſemper in his anguſtiis, & difficultatibus ad illa verba Prophetæ recurro, quibus ipſe dicit. *Peccator, quacúq; hora conuerſus*

A *fuerit, & ingemuerit, vita viuet & non morietur.* Et poſt hanc talem conuerſionem inter innocentes peccatorem iam non peccatorem eſſe confido. *Qui non accepit in vano animam ſuam.* Ille enim animam ſuam ab aquis baptiſmi purificatam, & renouatam in vano accipit, qui poſtea peccare non timens, & in peccatis perſeuerans ad eamdem quam prius habuerat deformitatem redire compellit. *Nec iurauit in dolo proximo ſuo.* Non prohibet Propheta iurare, ſed in dolo iurare prohibet. In dolo igitur iurat, qui id, quod iurat ſua ſponte, non obſeruat. Sequitur.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hic inquit, qui talis eſt, hic vocabitur, hic aſcendet, hic modo benedictionem ſuſcipiet, illam vtique benedictionem, quam ſuis fidelibus ſe daturum Dominus eſſe promiſit. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Et hoc quidem habebunt B ſancti non ex ſuis meritis, ſed miſericordia Dei ſaluatoris ſui.

Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Omnes, inquit iſti, qui cœlos aſcendunt, qui benedicuntur, & ſaluantur, collecti ſunt de illa vniuerſorum hominum generatione, quæ Deum quærit, & eius faciem videre deſiderat.

Tollite portas, Principes, veſtras: & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Habent maligni ſpiritus ſuas portas, per quas hæreticos, Iudæos, & tyrannos omneſque ſeductores, inſuper vitia, & peccata, omnemque illorum doctrinam, & ſeductionem intelligere poſſumus. Præcipit igitur Propheta malignis ſpiritibus, quos Principes vocat, has ſuas portas tollere, & ipſis ſuis tormentis ſecum habere. Hoc eſt enim, quod in iudicio dicturus eſt Dominus. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Portæ vero æternales Apoſtoli ſunt, & Doctores, per quos C quaſi per quaſdam portas, modo intratur in Eccleſiam, per quos poſtea intrabitur in cœleſtem Hieruſalem. Dicit ergo Propheta, vt facto iudicio, eleuentur, & aperiantur, & per eos omnes fideles in patriam introducantur. Quod autem ait. *Et introibit Rex gloriæ.* Saluatoris noſtri humanitatem ad iudicium veniſſe oſtendit. Ipſa enim iudicabit, quia Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Dignum enim eſt, vt ille iudicet qui iudicatus eſt. Vnde in alio pſalmo dicitur. *Deus iudicium tuum Regi da.* Quia igitur humanitas Saluatoris noſtri localis eſt, & peracto iudicio illuc reuertetur, vbi nunc eſt, ideo modo dicitur. *Et introibit Rex gloriæ.*

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Tu ipſe dic, de cuius progenie natus eſt, & qui melius eum cognoſcis. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* De hoc prælio ipſe Dominus ait. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperuenerit, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.*

D *Tollite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Non fuit ei ſufficiens ſemel dicere, id quod multum videre deſiderabat, & in quo plurimum delectabatur. Videbat enim iam tunc ſanctorum omnium glorificationem, inter quos ſe ipſum quoque ſtare videbat: videbat & iniquorum omnium damnationem, & perditionem, videbat portas æternales apertas, & eleuatas, & ad ſuſcipiendum tantam fidelium multitudinem præparatas, videbat & portas infernales clauſas, & confractas, & æternis incendiis deſtinatas: Et bonas quidem portas hortatur, vt ſurſum ad cœleſtia aſcendant: Malis verò principibus dicit, vt ſuas portas tollant, & claudant, & in infernum deſcendant, & tunc quidem clauſæ erunt portæ mortis, quia nemo vlterius per illas tranſibit ad mortem.

IN FINEM PSALMVS DAVID. E

IN hoc pſalmo Eccleſia loquitur, & ideo in finem titulatur, quoniam ipſa eſt, ſicut Apoſtolus ait: *In quam fines ſeculorum deuenerunt.*

Ad te Domine, leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Ad te, inquit, Domine leuaui animam meam, quæ ſub magno vitiorum pondere prius oppreſſa iacebat. De hoc autem pondere alibi dicitur: *Quoniam iniquitates meæ ſuperpoſuerunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Tali pondere oneratis Dominus ait: *Venite ad me qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Deus meus, in te confido non erubeſcam.* Quod tale eſt ac ſi diceret, quia in te confido, non ſit vana, & inutilis fiducia mea, non mihi præualeant inimici, *& ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum.* Et hoc eſt quod ait.

Neque irrideant me inimici mei. Per quos hæreticos F & tyrannos, & ipſos malignos ſpiritus intelligimus. *Etenim vniuerſi, qui te expectant, non confundentur.* Diuinum vtique, & non humanum auxilium in magnis noſtris neceſſitatibus ſperare, & expectare debemus. Et ſi fortaſsè non, ſicut volumus, tam cito veniat, expectandum eſt, & nullatenus deſperandum.

Confundantur iniqui facientes vana. Illi, inquit qui te expectant, non ſunt digni confuſione, ſed potius iniqui confundantur, qui vana faciunt, & operantur. Quamvis enim nomine vanitatis omne malum, omniſque ſtultitia intelligi poſſit; illi tamen hoc nomine vocari videntur, qui idola faciebant, & colebant.

Vias tuas Domine, notas fac mihi, & ſemitas tuas edoce me. Hoc intereſt inter vias, & ſemitas, quod intereſt inter amplas, & anguſtas vias, & anguſta quidem via ducit ad vitam, ampla verò ad perditionem. Rogat itaque Eccleſia Dominum, vt ſuas vias & ſemitas eam edoceat, ne fortè in illam amplam viam declinet, quæ inde ampla dicitur, quia maxima, & infinita multitudo per illam G ingreditur. Vnde & ſubditur.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Ego, inquit, Dominus, *ſum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me.* Hæc eſt igitur illa via, ad quam orat vt dirigatur, quia per nullam aliam ad beatitudinem, quò feſtinat, peruenire poteſt. Errat itaque & paruo itinere ad mortem tendit quicumque per viam veritatis non incedit.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiæ tuæ, quæ à ſeculo ſunt. Non eſt, inquit, nouum tibi, & inuſitatum miſericordias facere, & fideles tuos exaudire. Hoc enim iam ab illo ſæculo facere cœpiſti, quando illam maximam, & ineffabilem miſericordiam facere voluiſti. Nam etſi prius multas miſericordias Dominus fecerit, tamen à tempore ſuæ paſſionis, noſtræque redemptionis maiorem ſuæ miſericordiæ copiam oſtendit: quia non vnum populum, ſed omnes gentes ſuo H ſanguine redemit. Vnde eſt illud: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Quare? *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.* De qua, videlicet, miſericordia ſequitur.

Delicta iuuentutis, & ignorantiæ meæ ne memineris, ſecundum magnam miſericordiam tuam memor eſto mei Deus. Rogat igitur Eccleſia Dominum, vt huius tam magnæ miſericordiæ ſuæ memor ſit, quæ tam valido argumento ſuper nos confirmata eſt. Delicta vero iuuentutis, & ignorantiæ illa intelligere poſſumus, quæ ante conuerſionem fecerat, cum adhuc ignorantiæ tenebris teneretur.

Propter bonitatem tuam Domine. Hoc, inquit, quod poſtulo, non ideo poſtulo, quod tanto tuo beneficio digna ſim: ſed propter bonitatem tuam Domine, quam facere ſolitus es ſperantibus in te. *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem ſtatuit delinquentibus in via.* Hæc eſt via mandatorum Dei, de qua dicitur: *Beati immaculati qui habitant in lege Domini.* Et illud: *Viam*

mandatorum tuorum cucurri. In hac autem via multi delinquunt, & non ea puritate, & diligentia, qua debent, per eam incedunt. Sed quia dulcis eſt Dominus, & facilis ad miſerendum, *qui non vult mortem peccatoris, ſed potius vt conuertatur, & viuat*, propter hoc *legem ſtatuit delinquentibus in via.* Et quam legem? Peccaſti; quieſce, *declina malo & fac bonum.* Quacumque hora conuerſus fueris, omnium iniquitatum tuarum non recordabor. Nuſquam locus eſt deſperationi, quia dulciſſimus Dominus dulciſſimam nobis ſtatuit legem. Et certè pauci vel nulli ſaluari potuiſſent, niſi hanc dulciſſimam legem Dominus ſtatuiſſet. Bene autem ſubditur: *Et rectus:* quia quamvis dulcis ſit numquam tamen à rectitudine recedit. De quo ſcriptum eſt, *quia reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Dulcis igitur eſt, ſed pœnitentibus, rectus vero in malitia perſeuerantibus.

Diriget mites in iudicio, docebit manſuetos vias ſuas. Mites & manſueti idem ſignificant. Graues enim & maturi homines mites vocantur. De qualibus dicitur.

In populo graui laudabo te. Manſueti vero quaſi manu aſſueti dicuntur. Vnde è contrario illa animalia praua vocamus, quæ manus refugiunt, & tangi non patiuntur. Dirigit igitur Deus mites in iudicio, & docet manſuetos vias ſuas, quia hos tales homines à via iuſtitiæ, & æquitatis errare non permittit. Soli enim illi boni iudices ſunt, & bene iudicant; qui mala repellunt. & bona eligunt. Sed quæ ſunt viæ Domini? *Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas.* Et quibus hæ viæ præparatæ ſunt? *Requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.* Per has ipſe incedit, per has & nos incedamus, vt & ipſe ad nos, & nos ad ipſum peruenire valeamus. Per has autem illi incedunt, qui vtriuſque Teſtamenti teſtimonia diligunt, requirunt, & cuſtodiunt.

Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, copioſum eſt enim. Sed quod eſt nomen Domini? Nomen Domini eſt Ieſus: Ieſus autem Saluator interpretatur. Sic enim ad Beatam Mariam Angelus ait: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabitur nomen eius Ieſus.* Quare? *Quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Saluat igitur Dominus, propitiatur, & miſeretur fidelibus ſuis, *propter nomen ſuum*, ideſt, ſecundum ſignificationem nominis ſui, quoniam ideo Saluator vocatus eſt, vt ſaluaret, & ſe inuocantibus miſericordiam præſtaret. Copioſum autem peccatum ſuum eſſe impropriè dixit, vt valdè magnum eſſe oſtenderet.

Quis eſt homo, qui timet Dominum? Legem ſtatuit ei in via, quam elegit. Quis eſt, inquit, homo, qui timeat Dominum? Nihil timeat, ſi peccauit, pœniteat, lætetur, & gaudeat, quia legem ſibi ſtatuit Dominus in via, quam elegit. Per viam, inquit, veritatis incedere elegit, ſi fortaſsè ab ea declinauit: Recordetur quia lex ſibi poſita eſt, agat tantummodo pœnitentiam, & dimittetur ſibi.

Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hereditate poſſidebit terram. Tantum poteſt lex, quæ à Domino peccatoribus ſtatuta eſt, vt quicumque eam cuſtodierint, & de peccatis ſuis pœnitentiam egerint; bonis æternis non priuentur, ſed ipſi, & ſemen eorum, per quod eorum imitatores intelligimus terram viuentium in hæreditatem poſſidebunt. Magna omnipotentis Dei miſericordia in hoc verſiculo prædicatur, & magna ſuper pœnitentibus datur.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis. Et Dominus, inquit, & teſtamentum Domini firmamentum eſt omnibus timentibus eum. Hoc autem teſtamentum ad hoc nobis datum eſt, vt per ipſum, & in ipſo, ille nobis manifeſtetur, qui ipſius teſtamenti auctor eſt. Magnum habemus firmamentum, & conſolationem, vt ſpes noſtra firma ſit, cum Dei notitiam habeamus. Firma enim, & ſtabilis eſt illa domus, quæ ſuper talem petram fundata eſt.

Oculi mei ſemper ad Dominum. Et quaſi aliquis diceret: dum ſemper oculis ad eum intendis, cauendum tibi eſt, ne quaſi incauta in laqueum pedem mittas. Ad quod ipſa: *Quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Hoc autem ſanctis martyribus multoties accidiſſe legimus, qui dum ſolum Deum quærerent, & videre, & habere deſiderarent, in ipſis ſuis verbis, & actionibus cogniti, quod Chriſtiani eſſent, mox capti, ligati, & illaqueati ad ſupplicia trahebantur. Sed Dominus, qui numquam deſerit ſperantes in ſe, tantam illis conſtantiam dabat, vt moriendo ipſos ſuos vincerent inimicos, & nullis tormentis vinci potuiſſent.

Reſpice in me, & miſerere mei, quoniam vnicus, & pauper ſum ego. Vnicam ſe & pauperem Eccleſia eſſe dicit, quia ipſa ſola eſt ex omnibus mundi huius nationibus, quæ vnum, & verum Deum veneratur, & colit. Eſt autem & pauper illis, videlicet, diuitiis, quibus alij homines diuites ſunt. Quando Sancta Eccleſia loquitur, aliquando perfectorum, aliquando vero imperfectorum perſonam in loquendo ſuſcipit. Sicut in hoc loco, vbi eius verba ſolis perfectionibus conuenire videntur.

Tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt, de neceſſitatibus meis eripe me. Tempora quoque diſtinguenda ſunt, quia non omnia, quæ dicit, omnibus temporibus aptari poſſunt, quoniam aliter loquitur in proſperis, & aliter in aduerſis. Ecce enim modo tribulationes cordis ſui dilatatas eſſe dicit, cum à tyrannis, & hæreticis perſecutionem patiatur. Vnde & ſubditur.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me. Multum ſe ab inimicis humiliatam, & laboribus fatigatam eſſe oſtendit, ſuoſque inimicos multiplicatos, & iniquo odio ſuccenſos eſſe conqueritur. Vnde iam non præſentem vitam, ſed ſolam ſuorum peccatorum remiſſionem, & veniam poſtulat. Sic enim & Apoſtolus dicit: *Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.*

Cuſtodi animam meam, & eripe me Domine, non confundar, quoniam inuocaui te. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret, non pro corpore rogo, neque hanc vitam, quæ non eſt mihi niſi labori & dolori, longam habere deſidero, animam ſolam cuſtodi, & eripe, & ſufficit mihi. *Domine non confundar, quoniam inuocaui te.* Sed intelligant, iſti tandem aliquando, quia te inuocare non eſt confuſio. Sic enim ſcriptum eſt, quia: *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.* Et tunc quidem ſanctos Dei ſapientes eſſe cognoſcent, quos ſtultos, & fatuos eſſe putabant,

Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quoniam ſuſtinui te Domine, Ecce quales ſunt pro quibus nunc rogo, innocentes ſunt, recti ſunt, tales ſunt, qui tua gratia & miſericordia digni ſunt. Qui mihi adhæſerunt non carnali amore, neque carnali affectione, non adhæſerunt mihi propter me, ſed quoniam ſuſtinui te.

Redime me Deus Iſraël, ex omnibus anguſtiis meis. Tunc enim Sancta Eccleſia ex omnibus anguſtiis ſuis redimetur & liberabitur, quando tota plena, & integra cum omnibus ſuis membris ſuper cœlos exaltabitur.

PSALMVS DAVID.

IN hoc pſalmo loquitur ipſe Dauid, & ſimul cum eo omnes alij, qui eiuſdem perfectionis ſunt.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor. Iudicari ſe rogat Propheta, quoniam iuſtam cauſam ſe habere cognoſcit, quod vtique non feciſſet, ſi iniuſtam cauſam ſe habere cognouiſſet. Innocentem autem ſe dicit eſſe ingreſſum, quoniam etſi peccauit, non tamen in malitia perſeuerauit. Scimus enim quia neque innocenter ad Berſabee ingreſſus eſt, neque innocenter Vriam interfecit. Sed quoniam dignè pœnituit, & per Prophetam à Domino audire meruit.

Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum. Ac ſi non peccaſſet,

Innocentem,

A innocentem, & iuſtum ſe eſſe oſtendit. Qua in re, magna peccatoribus conſolatio datur, vt poſt pœnitentiam ita ſe intelligant à peccatis eſſe ſolutos, ac ſi numquam ea commiſiſſent. Et mihi videtur ideo Prophetam iſta dixiſſe, & ſcripſiſſe, vt exemplo ſui ad hanc tantam ſpem cæteros prouocaret. *Et in Domino ſperans non infirmabor.* Quid eſt non infirmabor, niſi hanc, quam nunc habeo innocentiam, & animæ ſanitatem non amittam? Hoc tamen non ſuis viribus, ſed ſola Dei miſericordia ſe complere poſſe confidit. Dat autem etiam in hoc edicto cæteris exemplum, vt poſt pœnitentiam ad peccata non reuertantur.

Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Nam etſi Propheta hoc non dixiſſet, Dei tamen eſt, & ad ipſum ſolum pertinet ſcrutari renes & corda. Vnde non tantum, rogando, quantum annunciando hæc dixiſſe videtur. Ipſe enim eſt, qui ſolo intuitu probat & tentat, interrogat & cognoſcit, quid in re- B nibus, & quid in corde habeamus, & intentionem noſtram bonam eſſe videt, & pœnitentiam fructuoſam, ſi quid rubiginis & reliquiarum adhuc ibi eſt, vrit, & ſanat. Vnde ipſe ait: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.*

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret, ſi miſericordiam tuam ante oculos non habuiſſem, & me pœnitentem per tuam miſericordiam à peccatis abſolutum eſſe non cognouiſſem, numquam, vt me iudicares, & probares, te rogaſſem. Bene autem ait: *Et complacui in veritate tua*, quia in hoc quoque vita magnificatur, quia pœnitentibus miſericordiam facit, ſicut ſe facturum eſſe promiſerat.

Non ſedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui congregationes malignorum, & cum impiis non ſedebo. Iſti duo verſus vnum atque idem dicere videntur. Perfecti autem ſunt quicumque ſiue ante C pœnitentiam, ſiue poſt pœnitentiam hæc veraciter dicere poſſunt. Quid enim perfectius, quam vanitati non acquieuiſſe, & hoc ipſum in poſterum firmiter ſe facturum eſſe promittere? De talibus enim Apoſtolus dicit: *quia vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Vnde & in alio pſalmo dicitur: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.*

Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. Non poſſumus hoc ad litteram intelligere, vt Rex & Propheta Dauid cum ſolis iuſtis, & innocentibus conuerſari potuiſſet, niſi fortè ſic intelligamus, quia mente & voluntate cum talibus conuerſabatur, cum cæteris autem ſolo corpore habitabat. Sic enim & abſentes, & præſentes ſimul eſſe poſſumus. Abſentes, videlicet, ab his, cum quibus ſumus, & præſentes cum his, cum quibus non ſumus. Si enim non placet mihi conſilium illius, qui mecum eſt, abſens ab eo ſum. Si vero placet mihi conſilium illius, qui mecum non eſt, vbicumque eſt præſens illi ſum. Sic enim & Apoſtolus ait: *Ne-* D *ſtra conuerſatio in cælis eſt.* Sic & Corinthiis & abſentem, & præſentem eſſe dicebat. Lauat igitur manus ſuas inter innocentes, quia ad ſimilitudinem illorum, cum quibus, & inter quos mente & animo conuerſatur. Omnia opera ſua quæ per manus ſignificantur, purificat, & ſanctificat. *Et circuibo altare tuum Domine.* Quare?

Vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuerſa mirabilia tua. Nondum templum fabricatum erat, ſed tabernaculum, quod fecerat Moyſes, & arca Teſtamenti, & altare aureum ibi erat. Hoc igitur altare ſe circuire, & ea quæ legebantur ſe audire promittit. Solum enim Eptaticum tunc ibi legebatur, quoniam Prophetarum libri nondum compoſiti erant. Audiebat itaque tibi laudes Domini, & omnia mirabilia eius, quæ in illis libris pleniſſimè continentur, quæ, ſicut modo ſe facere promittit, poſtea in omnibus iſtis pſalmis enarrauit, & prædicauit.

Domine dilexi decorem domus tuæ. Hoc autem exponit: *Et locum tabernaculi gloriæ tuæ.* His autem verbis domum illam, & locum illum multum ſe frequentaſſe E oſtendit, in quo ſupradictum tabernaculum, & ea, quæ in ipſo erant, continebantur. Et hoc quidem faciebat ſicut modo dixit, vt audiret vocem laudis Domini, & enarraret vniuerſa mirabilia eius. Quantum autem decorem domus Domini, & locum tabernaculi eius dilexerit in quo ſatis intelligere poſſumus, quia templum eius cum magno deſiderio facere voluit: omneſque expenſas ibi neceſſarias præparauit, quibus poſtea Salomon filius eius vice illius templum Domini conſtruxit.

Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates ſunt. Ne perdas, inquit, cum impiis animam meam, neque me in pœnis illis aſſocies, quorum concilia, & congregationes iniquas ego ſemper fugi & odio habui: ſed potius pone me cum innocentibus, inter quos mente, & animo conuerſatus ſum.

Dextera eorum repleta eſt muneribus. Hoc eſt enim F quod modo dixit: *In quorum manibus iniquitates ſunt.* Illorum namque manus muneribus & iniquitatibus plenas eſſe dicit, quia ad hoc munera dant, vel ſuſcipiunt vt innocentes, & ſimplices homines perdant, & affligant. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum redime me, & miſerere mei.* Ego inquit in innocentia mea ingreſſus ſum, & idcirco in illa tua beatitudine ſimul cum innocentibus me eſſe confido. Quantæ puritatis, & perfectionis vir iſte fuerit, ipſa eius verba apertiſſime manifeſtant. Nam & ipſe Dominus hoc ipſum oſtendit, qui pluribus in locis tantum eum commendat.

Pes enim meus ſtetit in via recta, in Eccleſiis benedicam Dominum. Hoc autem videtur eſſe expoſitio eorum, quæ modo dixit. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum.* Neque enim dubitandum eſt eorum pedes ſtare in via recta, qui innocenter ingrediuntur. Quod autem ait: *In Eccleſiis benedicam Dominum.* Iſtorum omnium pſalmorum commendatio eſt, in quibus per G omnes Eccleſias vbique diffuſas quotidie Deus laudatus, & benedicitur.

PSALMVS DAVID PRIVSQVAM liniretur.

DE illa vnctione dicit, quæ facta eſt ſibi in Hebron poſt mortem Saül, quando Rex conſtitutus eſt. Vnde apparet illis diebus hunc pſalmum factum fuiſſe, quibus Saül interfectus eſt, qui eum iniquo odio perſequebatur.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Videtur mihi quando Propheta iſta ſcribebat, quia, & Saülis mortem, & ſe in proximo Regem conſtituendum per Spiritum Sanctum præuidebat. Vnde, & bene in titulo dicitur. *Pſalmus Dauid priuſquam liniretur.* Dominus, inquit, illuminatio mea eſt, qui ſic me illuminare, & ſua ſecreta, & futura myſteria reuelare dignatur qui mihi per ſpiritum ſuum in me loquentem, & ſalutem, & defen- H ſionem ſe daturum eſſe promittit, & ego quem timebo? Neminem quaſi dicat, timebo, tanto adiutore, & defenſore protectus. Vnde, & ſubditur.

Dominus defenſor vitæ meæ, à quo trepidabo. Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas? A quo, inquit, trepidabo dum appropiant nocentes, & ſuper me irruere meditantur, vt edant carnes meas? In hoc enim quod dicit: *vt edant carnes meas*, quanto odio eum perſequerentur manifeſtè oſtendit. *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.* His autem verbis Saülis mortem, & aliorum, qui in prælio ceciderunt, ſignificaſſe videtur.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, ſi inſurgat in me prælium in hoc ſperabo. Talem, inquit, adiutorem, & defenſorem habeo, vt nulla aduerſantium caſtra, nullos inimicorum exercitus, & nulla inſurgentium prælia timeam.

Vnam petij à Domino, hanc requiram. Vnam inquit, rem petij à Domino, hanc ſemper requiram, hanc omnibus

aliis

A aliis præferam, quam ſi mihi dederit diues ſum: ſi vero non dederit omnia alia pro nihilo duco. Et quæ eſt illa? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc non dicunt huius ſæculi potentes, qui ſi honores, dignitates, & diuitias habeant, & eorum inimici eis reſiſtere non valeant, (totum enim hoc habebat Dauid) hanc talem petitionem facere non curant, quia non æterna, ſed tranſitoria diligunt. Domum Domini cœleſtem dicit Hieruſalem, cuius habitationem, omnibus diuitiis præferebat. Et quaſi aliquis diceret, quare in illa domo tantopere habitare deſideras? Ait.

Vt videam voluntatem Domini, & protegar à templo ſancto eius. Nemo in hac vita Dei voluntates, & conſilia ad plenum cognoſcere valet. Vnde, & multoties nobis diſplicet, cum iniquis proſpera, & bonis aduerſa contingere videmus. Deſiderat itaque Propheta ibi eſſe, vbi omnem veritatem cognoſcat, & nullas inimicorum inſidias timeat.

B *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui, in petra exaltauit me. Nunc autem exaltauit caput meum ſuper inimicos meos, circuibo, & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis, cantabo, & pſalmum dicam Domino.* Ideo, inquit, circuibo, & immolabo & pſalmum dicam Domino, quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, & cætera quæ ſequuntur. Nunc ſignificationem videamus. Quaſi dicat, potuerunt, Saül, & omnes alij inimici mei eiicere me, & meos de domo mea, & de tabernaculo meo: ſed de ampliſſimo tabernaculo Dei me fugare, & eiicere non potuerunt: Tabernaculum Dei mundum iſtum intelligit, qui ad tabernaculi ſimilitudinem cœli velamine tectus eſt. In hoc autem tabernaculo ita Dominus eum abſcondit, & cuſtodiuit: vt omnes eius inimici neque capere, neque inuenire eum potuiſſent. Dies autem malorum illi ſunt, in quibus mali dominantur, & ſuas faciunt voluntates. Quod autem ait. *Nunc autem exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Tale C fuit ac ſi dixiſſet, nunc autem quando Saül, & cæteri inimici mortui ſunt & ſuper populum ſuum Regem me Dominus conſtituere voluit: nunc, inquam exaltauit Dominus caput meum, id eſt, virtutem, & fortitudinem meam ſuper omnes inimicos meos. Sicut enim in libris Regum legitur, nulli tunc temporis in illis partibus fuerunt, qui eius virtuti, & fortitudini reſiſtere potuiſſent. Et pro tanto à Deo ſibi collato beneficio nunc quidem non immerito dicit. *Circuibo, & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis.* De hoc autem tabernaculo in ſuperiori pſalmo ſatis locutus eſt. Hoc eſt enim illud tabernaculum, quod fecerat Moyſes, de quo & Apoſtolus dicit: *Tabernaculum factum eſt primum in quo erat candelabrum, & Arca teſtamenti, & menſa propoſitionis, quod dicitur ſancta.* Et hoc quidem illis diebus in illa terra erat, ad quod videlicet Dauid toto tempore ſuæ perſecutionis accedere non potuit. Nunc autem, pace ſibi conceſſa, ſe illuc ire promittit, vota ſua D reddere, & laudis, & iubilationis hoſtias immolare, & in pſalmis Deo cantare. Sequitur.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuum, vultum tuum, Domine requiram.

Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſeruo tuo.

Sic loquitur Propheta, ac ſi iam ad tabernaculum Domini veniſſet, vbi ſe cantare, & iubilationis hoſtias immolare promiſerat. Et tale eſt, ac ſi diceret. Ecce, Domine, quod ſemper deſideraui, ad tabernaculum tuum veni, & ante conſpectum tuum aſſiſto: nunc igitur exaudi vocem meam, qua clamaui ad te, nunc miſerere mei, & exaudi me. Vnde? De hoc, videlicet, quod ſuperius dixit: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc eſt enim, quod ait: *Tibi dixit cor meum: quæſiui vultum tuum: vultum tuum Domine requiram.* Quid eſt enim vultum tuum, Domine, requiram, niſi vnam petij à Do-E mino hanc requiram? Et quis poteſt videre vultum Domini niſi ille, qui habitat in domo Domini? O Rex ſapientiſſimus, & aliorum omnium religioſiſſimus, qui regnum, quod illis diebus acceperat relinquere, & cœleſtia gaudia toto corde deſiderabat? *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus.* Sic loquitur Propheta, ac ſi faciem ſuam ab eo Dominus auertiſſet, eique ſe iratum oſtendiſſet, atque dixiſſet, impoſſibilia petis, ea quæ poſtulas, modo impetrare non potes: dabuntur tamen tibi in tempore ſuo, & noli timere, quia non te deſeram, neque derelinquam. Hoc enim ſequentia ſignificare videntur.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Dominus autem aſſumpſit me.

Quis eſt iſte pater, niſi mundus iſte, de quo Dominus ait: *Filij huius mundi prudentiores filiis lucis ſunt in generatione ſua.* De quo, & Hieremias: *Maledictus,* inquit, F *qui nunciauit patri meo dicens: natus eſt tibi filius maſculus.* Mater verò iniquitas eſt, ſicut hic idem Propheta teſtatur vbi ait. *Quoniam in iniquitatibus conceptus ſum.* Dicitur autem & de diabolo, quia omne ſublime videt, & quia ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Qua in re omnium iniquorum ſuperbia mater eſſe oſtenditur. Illi igitur ſoli à Domino ſuſcipiuntur, quos iſte pater, & hæc mater derelinquit.

Legem mihi conſtitue, Domine, in via tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos. Quia, inquit, petitio mea modò exaudiri non poteſt, & me adhuc in hoc mundo inter inimicorum meorum inſidias habitare iubes, eandem mihi legem conſtitue in via tua, quam & aliis conſtituiſti. De hac autem lege in alio pſalmo dicitur. *Quis eſt homo, qui timet Dominum? Legem ſtatuit ei in via, quam elegit.* Et quare illam legem ſibi conſtitui dicit, quam omnibus hominibus conſtitutam eſſe cognoſcit, niſi quia plus cæteris ſe peccare timet, ſi fortè à via iuſtitiæ aliqua occaſione declinauerit? G Vnde & Dominus ait: *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digna, vapulabit multis, qui vero neſcit, & non fecit, vapulabit paucis.*

Ne tradideris me in animas perſequentium me. Per hos autem malignos ſpiritus intelligimus, quorum deſiderium eſt, maximè vt viros iuſtos à recto itinere declinare, & in peccata ruere faciant. Sunt enim, ſicut ſcriptum eſt. *Eſca eius electa.* De quibus ſubditur: *Quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Iſti enim ſunt, qui B. Iob accuſauerunt, & falſum teſtimonium contra eum reddiderunt, & ante conſpectum Dei ſanctos eius accuſare non ceſſant die ac nocte. Sed mentita eſt iniquitas ſibi. Vnde & in alio pſalmo legitur: *Conuertetur dolor eius in caput eius, & iniquitas eius in verticem eius deſcendet.*

Credo videre bona Domini in terra viuentium. Quamvis, inquit, falſi teſtes inſurgant contra me: ego tamen credo, & nullatenus dubito, quia petitio mea exaudita eſt, & video bona Domini in terra viuentium. Audio H enim ipſum Dominum in me loquentem: audio Spiritum Sanctum me conſolantem, & dicentem: *Expecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Hinc eſt enim quod alibi ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

IPSI DAVID.

Iſte titulus hoc dicere videtur, quod ipſe Dauid loquatur ea, quæ in hoc pſalmo continentur. *Ipſi Dauid,* id eſt, Chriſto Domino Saluatori noſtro.

Ad te Domine clamaui, Deus meus ne ſileas à me, & ero ſimilis deſcendentibus in lacum. Hæc vox non eſt ſolummodo Dauid, ſed omnium aliorum, qui eamdem fidem habent, quam habet Dauid. *Ad te,* inquit, *Domine clamaui, ne ſileas à me.* Quid eſt, *ne ſileas à me,* niſi reſponde mihi? Et quid eſt, reſponde mihi, niſi exaudi orationem meam? Si enim hoc non feceris, ero ſimilis

A deſcendiribus in lacum. In illum, videlicet lacum, de quo alibi dicit: *Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foueam, quam fecit. Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, & dum extollo manus meas ad templum Sanctum tuum.* Hinc eſt enim quod alibi ait: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta.* Idem enim ſignificat *in ſancta*, quod *Ad templum ſanctum tuum.* Quotieſcumque igitur in orationibus noſtris manus extollimus, ad templum ſanctum Dei eas extollimus, quoniam etſi ipſum templum non videamus, cordis tamen intentione diriguntur.

Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem, ne perdas me.

Pura oratio eſt, nec indiget expoſitione: quoniam facilis eſt ad intelligendum.

Cum his, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem ſunt in cordibus eorum. Hoc fecit Iudas proditor, qui Saluatorem noſtrum verbis pacificis, & oſculo tradi-
B dit, cum quo ſe partem habere non dubitent, quicumque eum in tali facto imitati fuerint. Hoc eſt enim quod eis Propheta in ſequentibus imprecatur.

Da illis, Domine, ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam ſtudiorum ipſorum retribue illis. Redde retributionem eorum ipſis. Illam videlicet retributionem, qua digni ſunt. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius non conſiderauerunt.* Omnia opera Domini bona, quia *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Ad tanti igitur operatoris exemplum omnia opera noſtra dirigere debemus, vt in noſtris quoque operibus non niſi bonum inueniatur. Iſti autem è contra fecerunt, & nihil niſi malum in ſuis operibus eſſe voluerunt. Et ideo fiat illis quod ſequitur.

Deſtrue illos, nec ædificabis eos. Vtilis deſtructio eſt, quam bona ædificatio ſequitur. Talis Apoſtolus deſtructus, & reædificatus dicebat: *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Iſti autem ſic deſtruentur, ſicut illi
C de quibus dicitur: *Et tanquam vas figuli confringes eos.*

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. Gratias agit Deo, quia videt eſſe completum totum id, quod ſuper iniquos, & proditores imprecatus fuerat. Spiritus enim, qui in eo loquebatur, ſubito & in momento quod futurum erat, quaſi iam factum eſſet, ſibi oſtendebat.

Dominus adiutor meus, & protector meus, & in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum. Deſpicit iam contra eos amplius loqui, quos tam miſerabiliter deſtructos videt, atque damnatos. Sed lætatur, & ſicut cœperat in agendo gratias perſeuerat, de adiutorio & protectione ſibi diuinitus conceſſa.

Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. Hoc autem & de pœnitentia, & de baptiſmo intelligi poteſt, quibus totus homo iuueneſcit, & renouatur. Quod autem ait: *Et ex voluntate mea confitebor illi*, illam confeſſionem laudabilem eſſe oſtendit, quæ non coacta, ſed ſpontanea eſt, quam charitas, & amor,
D & dilectio facit.

Dominus fortitudo plebis ſuæ. Hoc eſt enim, quod alibi ait: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur.* Ipſe eſt fortitudo noſtra, qui ſuis diſcipulis ait: *Sine me nihil poteſtis facere: Et protector ſalutarium Chriſti ſui eſt.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: Quos filius ſaluauit, & ſuo ſanguine redemit, eos Pater protegit, & defendit, vt per ſalutaria eos, qui ſaluati ſunt, intelligamus. Nunc autem Propheta ad Deum conuertitur, & vt populum & hæreditatem ſuam ſaluet, benedicat, regat, & extollat orat, dicens.

Saluum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditatem tuam, & rege eos, & extolle illos vſque in ſæculum.

E

PSALMVS DAVID IN CONSVMMAtione Tabernaculi

HOc tabernaculum ſancta Eccleſia eſt. Quod quidem tunc & perfectum, & conſummatū eſt, quando Saluator noſter in cruce poſitus ſpiritum emiſit. Cum enim dediſſent ei acetum cum felle mixtum, & ille guſtaſſet, & bibere noluiſſet, ait: *Conſummatum eſt, & inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Conſummatum, inquit, & perfectum eſt tabernaculum, in quo tempore meæ incarnationis vſque ad hanc horam laborare non deſtitit.

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. Filij Dei illi ſunt, de quibus Euangeliſta ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Et in alio loco. *Cariſſimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Arietes vero Apoſtoli ſunt, & Doctores, qui in toto grege Eccleſiaſtico maiores ſunt, & principatum tenent, & ex aqua & Spiritu ſancto non hædos ſed agnos Domino
F generant. Dicat igitur Propheta, & ſimul cum eo quilibet fidelis: ecce tabernaculum conſummatum eſt, & valde dignum eſt, vt in eius conſummatione Deo noſtro munera offeramus. Sed quæ munera? *Filios arietum.* Quid verò per filios arietum, niſi agnos, ideſt innocentes, ſimplices, & manſuetos intelligimus? Talia igitur munera filij Dei, ideſt, Epiſcopi, & Sacerdotes quotidie offerunt Deo. Hinc eſt enim quod Dominus ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*

Afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius. Gloriam, & honorem illi offerunt, qui verbis, & operatione illum prædicant & laudant. Offerunt autem & illi gloriam nominis eius, qui de ſalute, quam in nobis operatus eſt, ei gratias agunt, eum magnificant, & benedicunt. Nomen namque illius eſt Ieſus, quod Saluator interpretatur.

Adorate Dominum in aula ſancta eius. Ecce, inquit, tabernaculum conſtructum eſt, & aula Dei: per quam Eccleſia intelligitur conſummata eſt, ibi eum adorate, ibi
G eum prædicate, & magnificate. Cum autem hæc diceret Propheta, vidit in Spiritu Apoſtolos, & prædicatores vbique gentium Deum laudare, & prædicare, & infinitam multitudinem ad fidem Chriſti, & ad Eccleſiam feſtinare. Vnde nimia lætitia commotus ait: *Vox Domini ſuper aquas Deus Maieſtatis*, (ſubauditur intonuit) *ſuper aquas, & Dominus intonuit ſuper aquas multas.* Aquæ multæ, ſicut ſcriptum eſt populi multi: Super has igitur aquas vox Domini ſonat & inſonat, quando ſancti prædicatores verbum Dei in Eccleſia prædicant. Et quia non ipſi ſunt qui loquuntur, ſed Spiritus Sanctus, qui loquitur in eis, bene hic dicitur. *Quia Deus maieſtatis intonuit ſuper aquas multas.* Poſſumus autem per aquas multas, baptiſmatis quoque aquas intelligere. Super quas vox Dei ſanctificantis eas, & benedicentis per ora Sacerdotum quotidie auditur. Et quaſi aliquis diceret: vnde hoc probas, quod hæc vox Domini ſit, quæ intonuit ſuper aquas multas, ſubdidit dicens,

H *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.* Niſi, inquit, vox Domini eſſet, hanc tantam virtutem, & efficaciam non haberet, quid enim mirabilius, quid glorioſius, quam cæcos illuminare, leproſos mundare, mortuos ſuſcitare, & impios, & peccatores, tam ſubitò aquis baptiſmatis ſanctificare? Hæc vox. Deſtruxit templa Deorum, confregit idola, fugauit dæmonia, & maiores mundi huius poteſtates ab altitudine ſuæ ſuperbiæ humiliauit, & ad Chriſti fidem conuertit. Vnde & in ſequentibus dicitur. *Quia confregit cedros*, flammas diuiſit ſolitudines combuſſit, ceruos præparauit, & condenſa reuelauit. Probatum eſt igitur, quia hæc vox Domini eſt, quæ tanta virtute, tantaque magnificentia declaratur. Sed cuius Domini?

Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus ſicut filius Vnicornuorum. Per cedros autē diuites, & potentes huius ſæculi intelligere debemus,

quarum quidem aliæ ſua ſponte confringuntur, & ſub Chriſti iugum humiliantur, ſed talis confractio bona eſt: aliæ verò in nimiam altitudinem ſuperbiæ eleuatæ, excidentur, confringentur, & in ignem mittentur, ſicut ſcriptum eſt: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et confringet Dominus cedros Libani: per Libanum, & cedros Libani Hieruſalem, & habitatores eius ſignificantur, quoniam illa ciuitas inter alias ciuitates aliquando nobiliſſima fuit, eiuſque habitatores, & diuites, & potentes, & ſapientes fuerunt. Hos autem iam ex maxima parte confractos, & comminutos eſſe videmus, quos tamen adhuc maiorem in iudicio pœnam habituros eſſe putamus. Vnde & in Zacharias Propheta loquitur.

Aperi Libane, portas tuas, & deuoret ignis cedros tuas. Et hoc quidem in tempore Titi, & Veſpaſiani completum eſt, quando capta vrbe, & ſimul cum illo templo nobiliſſimo tota ſuccenſa, eius habitatores, & igne, & fame, & aliis pœnis miſerabiliter perierunt, præter illos, qui in captiuitatem, & in ſeruitutem ab hoſtibus ducti fuerunt.

De quibus adhuc ſubditur. *Et comminuet eos tanquam vitulos Libani.* De illo vitulo dicit, de quo in Exodo, & in Leuitico ſcriptum eſt, qui immolandus prius totus in fruſtra concidebatur, & ſuper ſtruem lignorum componebatur, Et tunc demum, igne ſuppoſito, totus incendebatur, ad cuius videlicet, ſimilitudinem has cedros ſuperbiſſimas comminuendas eſſe minatur. *Et dilectus ſicut filius vnicornuorum.* De hoc dilecto Dominus ait. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* De quo in Canticis Canticorum Eccleſia dicit. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, & electus ex millibus.* Itemque *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Hic igitur dilectus comminuet, confringet, & diſſipabit illum populum impium, & ingratum, ſicut filius vnicornuorum, omnia ſibi irato occurrentia proſternit atque comminuit. Hoc autem animal Rinoceros græcè vocatur, cui ſuper naſum ſolummodo cornu eſt tantæ valitudinis, vt nullum ſibi animal reſiſtere poſſit. Egregiè igitur Rinoceroti Saluator noſter comparatur, de quo ſcriptum eſt. *Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis ſolitudinem & commouebit Dominus deſertum Cades. Magna flamma erat inter Iudæos, & Gentiles, quia vterque populus ſuæ legis, & Religionis igne ſuccenſus, nullam ad inuicem communionem habere volebant. Vnde & Beatus Petrus à Iudæis redarguitur, quod ad hominem præputium habentem intrauerit. Qui nimirum, reddita ratione, omnem illam flammam, & indignationem, quæ in illorum cordibus verſabatur, extinxit. In quo, videlicet, exemplo manifeſtè apparet, quomodo vox Domini flammam ignis intercidit. Vnde & ſubditur. *Quia vox Domini concuſſit ſolitudinem*, (id eſt Gentiles) *& commouebit deſertum cades*, Id eſt Iudæos. Nam & illi audito verbo prædicationis timore futuri iudicij concuſſi, & commoti ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, & pœnitentiam agere cœperunt. Quibus interrogantibus Beatus Ioannes præcurſor Domini reſpondiſſe legitur. *Ego ſum vox clamantis in deſerto parate viam Domino.* Itemque *pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Et Iudæis quidem dicebat. *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Militibus vero, qui ex Gentibus erant: *neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis. Eſtote contenti ſtipendiis veſtris?* Sic ita quæ vox Domini & ſolitudinem concutiebat, & deſertum commouebat. Sed quod deſertum? *Deſertum cades.* Cades enim interpretatur ſancta per quod ſatis conueniēter ille populus figuratur, qui ex cunctis gentibus à Deo electus, & ſanctificatus fuerat.

Vox Domini præparantis cedros, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Quid per cedros niſi Apoſtolos intelligamus, ad currendum agiles ad prædicandum veloces: ſerpentes interficientes. venenum non timentes, & ad fontes aquarum deſiderantes? Hos autem præparauit Dominus ad Euangelium prædicandum, & ad Scripturas reuelandas, & exponendas. Vnde & ſubditur. *Et reuelabit condenſa.* Per hos enim Dominus reuelauit condenſa multumque obſcura vtriuſque Teſtamenti Sacramenta. Vnde & Ioannes Apoſtolus cum hæc condenſa videret, & librum ſeptem ſigillis ſignatum conſpiceret: multumque fleret, quod nullus ad librum aperiendum idoneus inueniretur, dictum ſibi eſt, vt non fleret, quia *vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.* Sic igitur Dominus prius Apoſtolis, & per Apoſtolos nobis hæc condenſa reuelare dignatus eſt. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Quod vtique non feciſſent, niſi liber apertus, & condenſa reuelata fuiſſent.

Dominus diluuium inhabitat, & ſedebit Dominus Dux in æternum. Et ſuperius quidem aquas multas poſuit, nunc autem non multas aquas, ſed ipſum diluuium ponit in quo nulla defuit aqua: vt per hoc intelligamus vniuerſum mundum ante ſæculi conſummationem ad fidem Chriſti conuertendum eſſe: vnde & ſubditur: *Quia ſedebit Dominus Rex in æternum.* Cum enim omnia ei ſubiecta fuerint, omneſque mundi huius nationes eius fidem ſuſceperint, tunc omnibus manifeſtum erit, quia ſolus Rex & Dominus regnat in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit. Dedit enim iam, ſed maiorem adhuc daturus eſt: quia totus mundus per ipſum, & ab ipſo iudicabitur. Vnde & Apoſtolus dicit: *An neſcitis, quia mundum iudicabitis? Si ergo mundus per vos iudicabitur, indigni eſtis qui de minimis iudicetis.* Et tunc quidem *benedicet populum ſuum in pace.* Quid eſt in pace? in ſe ipſo. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Qui igitur illa benedictione ſuſcipient, ſimul cum ea ſuſcipient, & æternam pacem.

PSALMVS CANTICI IN DEDICATIONE Domus Dauid.

DOmus Dauid Eccleſiæ eſt, quæ quotidie dedicatur, & ſanctificatur. Quotidie igitur pſalmus iſte cantandus eſt, ſiquidem in dedicatione Domus Dauid cantari iubetur. Et conſummatio quidem breui tempore fuit: dedicatio verò longo tempore perſeuerat: quoniam etſi breui tempore baptizatur homo & Chriſtianus efficitur, quanto tamen tempore viuit dedicandus, lauandus, purificandus, & ſanctificandus eſt. Vnde & de Sacerdotibus per Moyſen à Domino præcipitur, vt poſt conſecrationem ſuam adhuc ſeptem diebus manus eis vngantur. Omni namque tempore ſit, quod ſeptem diebus ſit, quia non ſunt dies niſi ſeptem.

Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Ipſa Eccleſia loquitur hæc verba in dedicatione ſua, & in dedicatione filiorum ſuorum. Exaltabo te, inquit, ô Domine, laudabo, & magnificabo nomen tuum Et certè Deus exaltari non poteſt, quia ſuper omnia excelſus eſt, *& magnitudinis eius non eſt finis.* Exaltari tamen dicitur à nobis: quando eius magnitudinem, potentiam, & gloriam prædicamus, & his qui eum ignorant, annunciamus. Quod autem ait. *Quoniam ſuſcepiſti me*, tale eſt ac ſi diceret: multum te offendi, longe à te receſſi: longe eſt enim à peccatoribus ſalus, abij (quod non debui) in regionem longinquam, porcos paui, egere cœpi, & in me tandem reuerſa: tuæque dulcedinis recordata, ad te per pœnitentiam redij. Tu verò quid feciſti? Suſcepiſti me, ornaſti, decoraſti, ad conuiuium tuum me vocaſti, & tui corporis, & ſanguinis deliciis ſatiaſti, & idcirco tantis tuis beneficiis memor exaltabo te. *Nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Lætantur inimici noſtri maligni ſpiritus, quando peccamus, delectantur verò, & iucundantur, quando in peccatis perſeueramus. Hoc igitur dicere, & cantare poteſt illa anima, quæ citò pœnitet, & non diu in peccato perſeuerat. Vnde & ſubditur.

A *Domine Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me, Domine abſtraxiſti ab inferis animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Multum, inquit, anima mea iam infirmabatur, & iam inter mortuos computabatur, & cum deſcendentibus in lacum à malignis ſpiritibus ad inferos trahebatur, quando ego, & mei & tui recordata clamaui ad te, & quod ego digna non eram, exaudiſti me, ſanaſti, ab inferis abſtraxiſti & à deſcendentibus in lacum me ſola tua pietate, & miſericordia ſaluaſti. Nonne vides quam bene omnia hæc Eccleſiæ dedicationi conueniant?

Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius. Pſallite, inquit Eccleſia, Domino omnes ſancti eius; laudate, prædicate, & magnificate eum in hac mea, & veſtra dedicatione, qui ſic nos diligit, ſic mundat, ſic ſanat, ſic lauat, & ſic ab omni peccatorum noſtrorum ſorde purificat, & ſanctificat & confitemini memoriæ ſanctitatis eius, ſicut & ipſe noſtri ſemper memoriam habet, & fidelium ſuorum numquam obliuiſcitur. B Et ſuper hæc omnia ita facere valde neceſſe eſt. Vnde hoc?

Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate ipſius. Contendite inquit, vt eum placare, & eius bonam voluntatem habere valeatis, & nolite eum ad indignationem, & iracundiam prouocare, quoniam ira intolerabilis eſt in indignatione eius, & vita æterna eſt in illius bona voluntate. Et quaſi aliquis diceret: tu nos pſallere, & prædicare iubes, & inimicorum inſidias non conſideras, qui ad rapiendum & tenendum, & interficiendum parati ſunt. Ad quod ipſa.

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Hæc, inquit, perſecutio citò tranſiet, citò hæc triſtitia vertetur, in gaudium, qui vſque ad veſperum habebit triſtitiam, in matutino habebit lætitiam, *Nolite itaque timere eos, qui occidunt corpus, quoniam animam non poſſunt occidere.* Per veſperum ergo, quod diei finis eſt, mortem hanc temporalem intelligamus, quæ & ipſa vitæ noſtræ terminus eſt, quo videlicet termino omnis fletus C ſanctorum, & triſtitia ceſſat, & confeſtim ad matutinum, id eſt, ad illius diei initium veniunt, de quo ſcriptum eſt. *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.*

Poſſumus autem per veſperam huius mundi finem, per matutinum verò alterius vitæ initium intelligere, quando ſancti de huius vitæ tenebris exeuntes in æternæ lucis beatitudinem intrabunt. Quam egregiè ſancta mater Eccleſia membra ſua, & filios ſuos conſolatur in tempore dedicationis ſuæ.

Ego autem dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum. Diues, inquit ſum, omnibus bonis abundo, *Dominus regit me, & nihil mihi deeſt.* In hac autem mea abundantia & dixi, & dico: non mouebor in æternum. *Neque mors, neque vita, neque ſublimitas, neque profundum, neque præſentia, neque futura, neque aliqua creatura poterit me ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Sæuiant inimici quantum velint, minentur flammas, & cruces, & omnia tormentorum genera, ſuper firmam petram firmata ſum, non mouebor in æternum.

D *Domine in bona voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* Et decorem, inquit, mihi dediſti, & ſuper decorem hanc, quam habeo, virtutem addidiſti: hoc autem nullis præcedentibus meritis, ſed ex bona voluntate tua. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Quid enim habes quod non accepiſti?* Omnis igitur virtus, conſtantia, & fortitudo ſanctorum non ipſorum, ſed Dei eſt. Vnde & ſubditur.

Auertiſti faciem tuã à me, & factus ſum conturbatus. Et Dominus quidẽ à ſanctis ſuis faciem ſuam non auertit: ſed vt probentur, & manifeſti fiant, eos aliquando affligi permittit, & tunc quidem faciem ſuam auertiſſe videtur. Sed ſi conturbantur, & ipſa tormenta ſuſtinere non valent, ſubito ad protegendum, & conſolandum, vt facile intelligant ſe ſuis viribus pugnare non poſſe. Vnde & alibi dicunt. *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Sed quid debent facere Sancti, quando E ſe inter ipſa tormenta conturbatos eſſe cognoſcunt? Sequitur.

Ad te, Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Ecce quomodo, & quibus armis pia Mater ad pugnandum inſtruit filios ſuos, Nam & Saluatorem noſtrum Diſcipulos ſuos in tempore ſuæ paſſionis admonuiſſe legimus: Orate, inquit, *ne intretis in tentationem: ſpiritus enim promptus eſt, caro autem infirma.* Orant igitur ſancti, non vt mortem euadant, ſed ne in tormentis contra Deum aliquid agant. Vnde & ſubditur. *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Hoc autem tale eſt ac ſi diceret: quid prodeſt mihi ſanguinem fudiſſe, & tot, & tanta tormenta ſubſtinuiſſe, ſi modò inimici mei me corrumpere, & decipere poterunt: Poſſumus autem & de Chriſti ſanguine hoc intelligere quem ideo Eccleſia ſuum eſſe dicit, quoniam pro ipſa ſolummodo effuſus eſt.

Numquid confitebitur tibi puluis? aut annunciabit veritatem tuam? Hic eſt ille puluis de quo alibi dicitur. F *Quem proiicit ventus à facie terræ.* Si igitur ſancti peribunt, & tormentorum timore, & ſuæ fidei ſinceritate corrupti fuerint quis confitebitur Domino? Quis veritatem eius amplius prædicabit & annunciabit? Sequitur.

Audiuit Dominus, & miſertus eſt mihi. Dominus factus eſt adiutor meus. Hæc autem verba, quæ Eccleſia, vel ſancti Martyres in tempore ſuæ afflictionis dicebant, ſiue potiùs mente tractabant. Audiuit Dominus afflictorum omnium conſolator, & dignam eis, atque neceſſariam tribuit conſolationem. Vnde, & ſubditur.

Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi. Hoc autem faciebat Dominus, quando vel à tormentis aliqua occaſione ſanctos ſuos liberabat, vel tolerandi fortitudinem, & conſtantiam dabat. *Conſcidiſti ſaccum meum, & præcinxiſti me lætitia.* Quid per ſaccum niſi corpus mortale, & corruptibile, in quo quaſi in viliſſimo ſacco anima clauditur, & continetur, intelligamus? Hoc autem niſi conſciſſum fuerit, & anima libera inde auolauerit, plenam lætitiam ſancti Dei habere non poſſunt. G *Vt cantem tibi gloria mea, & non compungar.* Hæc inquit, Domine, qui gloria mea es, mihi præſtitiſti, planctum meum in gaudium conuertiſti, ſaccum meum conſcidiſti, lætitia me præcinxiſti, vt à modo ſecura, & ſine omni ſollicitudine tibi cantem canticum lætitiæ, & exultationis, & non compungar. Ibi compunctio nulla eſt, vbi neque peccatum, neque peccandi timor vllus eſt.

Domine Deus confitebor tibi. Confeſſio iſta, ſicut pluribus in locis pro laude ponitur, qua ſimul cum Angelis in cœleſti Hieruſalem ſancti omnes ineffabili gaudio, & lætitia Domino iubilant.

IN FINEM PSALMVS DAVID

SÆpè iam diximus, quid ſignificet in finem & quid ſignificet Pſalmus Dauid.

H *Nos enim ſumus* (dicit Apoſtolus) *in quos fines ſæculorum deuenerunt.* Eccleſia itaque loquitur in hoc pſalmo, in qua quia omnes continentur, omnium ſuſcipit perſonas. Nunc pro ipſis Apoſtolis cæteriſque Eccleſiæ Doctoribus, nunc pro martyribus nunc pro confeſſoribus, nunc pro perfectis, nunc pro imperfectis, nunc pro quibuſdam, nunc pro omnibus: quæ ſi etiam pro ipſo capite aliquando loquatur, non erit inconueniens, quia & caput pars corporis eſt, & ipſa maxima, & principalis. Vnde & in ſuperiori pſalmo dicit. *Quæ vtilitas in ſanguine meo?* Ideſt, in ſanguine, quem pro me fudiſti.

In te Domine ſperaui non confundar in æternum, in tua iuſtitia libera me, & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eripias me, Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij vt ſaluum me facias. Docet nos mater noſtra ſancta Eccleſia quanta inſtantia orationi incumbere, & inſiſtere debeamus in eo quod id ipſum toties repetit. Nam & Apoſtolus hoc dicit. *Sine intermiſſione orate.* Et Dominus in Euangelio. *Petite,*

A *inquit, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Dat etiam ſimilitudinem de illo, qui ab amico ſuo tres panes petebat, cumque ille per totam noctem ſurgere noluiſſet, & ipſe è contra petitioni tota nocte inſtaret, tandem illius improbitate fatigatus, ſurrexit, & dedit illi quotquot habebat neceſſarios.

In te inquit, Domine ſperaui, & quia in te ſperaui. *Non confundar in æternum.* Vnde & Apoſtolus, Spes, inquit, *non confundit*, Confunderet enim ſi ſemper ſperaret, & ſperata numquam reciperet. Sicut deſperatione nihil eſt deterius, ita firma ſpe nihil eſt melius. Quod autem ait. *In tua iuſtitia libera me, & eripe me.* Tale eſt ac ſi diceret, quia iuſtus es, ita fac vt iuſtitia dictat. Cætera vero quæ ſequuntur idem ſignificant.

Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu. Ideo, inquit, dixi: *eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij*, quoniam alium protectorem, aliud firmamentum, & aliud refugium præter te ego non B habeo. Scio enim quia maledictus eſt omnis, qui ſperat in hominem, & ponit ſpem ſuam in brachium ſuum, & à Deo recedit cor eius. *Et propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me.*

Nomen Domini eſt Ieſus: Ieſus autem Saluator interpretatur. Magna igitur ratio eſt, vt propter nomen ſuum ſaluet, protegat, ducat, & nutriat fideles ſuos, qui ideo ſic vocatus eſt, vt iſta faceret, & niſi hæc facturus eſſet, ſic vocatus non fuiſſet.

Et educes me de laqueo iſto, quem occultauerunt mihi, quoniam tu es protector meus, Domine. Quis enumerare valeat omnes laqueos, quos tyranni hæretici, & maligni ſpiritus occultauerunt ſanctis & fidelibus Chriſti? quid eſt igitur quod ſingulariter hic dicitur, de laqueo iſto niſi quia cum deceptio in genere vna ſit, multæ tamen ſunt ſpecies deceptionis? Vnde & alibi dicitur. *Anima mea ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Et illud. *Quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Quoniam tu es protector meus Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Timeo, in- C quit, inimicorum laqueum, timeo eorum occultas, & callidas deceptiones, faciant de corpore quidquid velint, ſpiritum vero tibi commendo. Hoc enim & de Beato Iob legitur, quia cum Dominus dediſſet poteſtatem Santan ſuper eum, animam tamen conſeruare præcepit. Nam & ipſe Saluator noſter in cruce poſitus ſpiritum ſuum Domino commendauit, quatenus nos doceret quid in tali euentu facere debeamus.

Redemiſti me Domine Deus veritatis. Tibi, inquit Spiritum meum commendo, qui ſupra modum me dilexiſti, dum tui ſanguinis pretio me redemiſti: & hoc quidem ne ſpiritus meus periret, feciſti. In eo vero, quod Deum veritatis eum vocat maiorem ſe ſecuritatem inde habere oſtendit, quia non poteſt non facere quod promiſit. Dixerat enim. *Non vos deſeram neque derelinquam. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Itemque. *Nolite timere eos, qui occidunt* D *corpus animam autem non poſſunt occidere, Odiſti obſeruantes vanitatem ſuperuacuè.* De vanitate dicit Salomon. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et Apoſtolus. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens.* Et hic idem Propheta, *Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens.*

Cum igitur nemo ſit ſine vanitate bene hic additum eſt: ſuperuacuè vt illos ſolos odio habere intelligamus, qui ſuperuacuè vanitatem faciunt, & obſeruant, non autem eos, qui etiam nolentes, vt Apoſtolus docet, *Vanitati ſubiecti ſunt.* Illi itaque ſuperuacuè ſubiecti ſunt vanitati, quibus ipſa vanitas ita placet, vt numquam ceſſent à vanitate. Per quos videlicet illos intelligimus, qui vſque in finem in ſua malitia perſeuerant.

Ego autem in Domino ſperabo, & exultabo, & lætabor in tua miſericordia. Qui ita loquitur apertè oſtendit ſe non eſſe de illis, qui ſuperuacuè vanitatem obſeruant.

Quia reſpexiſti humilitatem meam, ſaluam feciſti de neceſſitatibus animam meam, nec concluſiſti me in manus inimici. Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. Ideo, inquit, exultabo, & lætabor de miſericordia tua, quia maximam, & inæſtimabilem miſericordiam tuam ſuper me eſſe cognoſco. De hoc videlicet, quia in tempore perſecutionis reſpexiſti humilitatem meam, & ſaluam feciſti de multis neceſſitatibus animam meam, & cum inimicus meus captam, & deceptam, & penitus ſuperatam me eſſe putaret, liberaſti me, & non concluſiſti in manus inimici, ſed ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos, quia inde amplius dilatata ſum, vnde me anguſtatam, & ad nihilum redactam eſſe credebant. Nullo namque tempore tantum creuit Eccleſia, tantumque dilatata eſt, quantum in tempore perſecutionis. Occidebatur vnus, & eius fide, & conſtantia multi alij ad fidem conuertebantur. E

Miſerere mihi Domine quoniam tribulor. Vnde? *Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* F Quid Eccleſia modo ſe lætam, & exauditam, & de omnibus ſuis anguſtiis, & neceſſitatibus liberatam eſſe dicit: modò verò conturbatam, afflictam, contriſtatam, & multis iniuriis circumuentam, conqueritur, ad diuerſa tempora referendum eſt: Quoniam aliquando de pace ſibi diuinitus conceſſa gaudebant ſancti, aliquando vero tantis anguſtiis afficiebantur vt tæderet eos etiam viuere, ſicut Apoſtolus ait. Vnde, & modo dicit. *Miſerere mihi Domine, quoniam tribulor.* Et mox ipſius tribulationis cauſas oſtendens, ſubiungit dicens: *Conturbatus eſt in ira oculus meus anima mea, & venter meus.* Sed quid per oculum Eccleſiæ, niſi Apoſtolos, & Doctores intelligamus? Iſti ſunt enim, qui cæteros illuminant, & viam veritatis oſtendunt, & viam mandatorum Dei dirigunt, & errare non permittunt. Per animam autem idem ipſi ſignificantur; qui & aliis vitam præſtant. Et ſic ſunt in Eccleſia, vt anima in corpore. Venter vero illi ſunt, qui omnibus aliis molliores, & imperfectiores ſunt. In his autem tota Eccleſia conſiſtit. In ira igitur, & furore iniquorum hominum totam ſe Eccleſia conturbatam G eſſe oſtendit, dum & oculum, & animam, & ventrem conturbatum ſibi eſſe dicit.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Hæc eſt igitur cauſa quare ſic Eccleſia conturbata eſt, quia omnes dies vitæ illius in dolore, & gemitibus fiunt, & finiunt. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.* Maior eſt paupertas hominum, quam diuitiarum. Vnde & pauperem ſe Eccleſia eſſe dicit, quando aliqua occaſione filios amittit. Tali igitur paupertate infirmatur, quia, his deficientibus, non eſt qui veritatem defendere valeat. Vnde ipſa quoque oſſa ſua conturbata eſſe dicit, per quæ fortiores quoſque intelligimus, qui cætera membra portare, & ſuſtinere ſolebant.

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis nimium, & timor notis meis. Fuit enim aliquando, vt ipſi vicini & propinqui plus ſanctos affligerent, & irriderent, quam cæteri eorum inimici. Quod quidem & Beato Iob amicos olim feciſſe cognouimus. H Erant autem, & timor notis ſuis, illis videlicet, qui eiuſdem erant religionis, ſed non eiuſdem perfectionis, quia ad ipſos multoties accedere timebant: ne forte ſimul cum illis caperentur, & tenerentur. Hoc enim faciebat etiam Nicodemus: qui non in die, ſed in nocte veniebat ad Ieſum. Vnde & ſubditur.

Qui videbant me foras fugiebant à me, excidi tamquam mortuus à corde. Qui inquit, videbant me, id eſt, qui me videre deſiderabant, illico vt me videbant, propter cauſam modo ſuperius dictam, fugiebant. Vnde factum eſt, vt mei penitus obliuiſcerentur. Et hoc eſt quod dicit. *Excidi tamquam mortuus à corde & à memoria eorum. Et factus ſum ſicut vas perditum.* Quoniam ſic me habuerunt quaſi impium, & perditioni obnoxium. Vnde & in Euangelio Dominus ait. *Veniet hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.*

Viſita

A Vſitatiſſimum eſt in diuino eloquio per vaſa hominem ſignificari. Vnde, & vas electionis Paulus Apoſtolus vocatur. Hoc autem, & in perſona Saluatoris noſtri mater Eccleſia dicere poteſt, qui ſicut vas perditum factus eſt: quoniam *inter iniquos deputatus eſt*. Qui & ipſe audiuit vituperationem multorum circum habitantium, quando genu flexo illudebant ei dicentes: *Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud:* & multa alia.

In eo dum congregarentur omnes ſimul aduerſum me, vt acciperent animam meam conſiliati ſunt. Hoc enim erat iniquorum conſilium, & hac de cauſa aduerſus ſanctos congregabantur, vt mala morte eos perderent: & occiderent & duris tormentis eorum animas extorquerent. Illi autem quid faciebant? Dicat Eccleſia.

Ego vero, inquit, *in te ſperaui Domine, dixi, tu es Deus meus in manibus tuis tempora mea. Libera me, &* B *eripe me de manibus inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua miſericordia. Domine non confundar, quoniam inuocaui te.* Hæc ſunt arma ſanctorum, ſic ſe defendant, non gladiis, ſed orationibus pugnent. Sunt autem in manibus Dei tempora noſtra; quia ſecundum eius arbitrium & viuere, & mori neceſſe habemus. Illuminat verò faciem ſuam ſuper nos, quando ſe nobis placabilem oſtendit: noſtraſque orationes exaudit.

Erubeſcant impij, & deducantur in infernum, muta efficiantur labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & contemptu. Hoc autem erit in iudicio, quando impij, & peccatores ſe erraſſe cognoſcent: & cognoſcendo erubeſcent, & ita confuſi in infernum demergentur. Et tunc demum muta efficiantur labia doloſa, quæ modo loquuntur aduerſus iuſtum, & catholicum virum in ſuperbia, & contemptu.

C *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te, & perfeciſti eam ſperantibus in te in conſpectu filiorum hominum.*

Eodem inquit, tempore, quo impij erubeſcent, & in infernum deducentur, cognoſcent ſancti, & ipſo experimento intelligent, quanta ſit multitudo dulcedinis Dei, quæ, adhuc eis abſcondita eſt. Quod autem ait. *Et perfeciſti eam ſperantibus in te in conſpectu filiorum hominum.* Hoc eſt quod in Euangelio Dominus ait. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cœlis.* Poſtquam autem hanc ſuæ dulcedinis multitudinem ſanctis ſuis Dominus reuelauerit, quid deinde illis faciat audiamus.

Abſcondes eos, inquit, *in abdito vultus tui à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Tabernaculum Dei, & illud abditum, in quo videri poteſt vultus, & facies Dei, idem ſignificat, per quod videlicet, quid aliud quam cœleſtis regni palatium intelligamus? Iſti autem ſancti Dei, D qui ſic in hoc ſæculo conturbantur, & fatigantur, ſine aliqua conturbatione, & contradictione, ſimul cum Deo creatore ſuo ſine fine gaudebunt. Vnde & Eccleſia Dominum benedicit, qui in illa ciuitate munitiſſima miſericordiam ſuam ſanctis ſuis tam magnificè mirificauit. Et hoc eſt, quod dicit.

Benedictus Dominus, qui mirificauit miſericordiam ſuam in ciuitate circumſtantiæ. Quod autem hic dicitur. *In ciuitate circumſtantiæ.* In alia tranſlatione dicitur. *In ciuitate munita.* Et bene quidem ciuitas circumſtantiæ dicitur, quæ tantis circumſtantiis, & defenſionibus muniatur.

Ego autem dixi in pauore meo, proiectus ſum à vultu oculorum tuorum. Ego (inquit Eccleſia) in pauore meo, in tempore doloris, & intolerabilis afflictionis meæ dixi, quod dicere non debui, Quid *Proiectus ſum à vultu oculorum tuorum.*

Ideo exaudiſti vocem deprecationis meæ, dum clamarem ad te. Ideo, inquit, vt oſtenderes, & me certiſſimè intelligere faceres, quia non eram proiecta à vultu oculorum tuorum, illico dum clamarem ad te exaudiſti E vocem deprecationis meæ, Hinc autem Eccleſia hortatur ſuos vt Deum diligant, viriliter agant, & in Domino confortentur. Hoc eſt enim, quod ait.

Diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus & retribuet his qui abundanter faciunt ſuperbiam. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.

HVIC DAVID INTELLECTVS.

DE ſe ipſo loquitur Propheta, & intellectum iſtius pſalmi diuinitùs ſibi datum eſſe dicit. Eſt enim de laude pœnitentiæ & confeſſionis peccatorum. Pœnitentia igitur, & confeſſione Deo ſe reconciliatum intelligit, qui in peccato in Vriam, & Berſabeæ à Deo receſſit.

Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. F Vox Prophetæ eſt, & aliorum, qui ſe peccaſſe intelligunt, & per confeſſionem, & pœnitentiam peccatorum veniam ſe habere confidunt, & gaudent. Quid enim prodeſt pœnitentiam agere, niſi poſt pœnitentiam peccatum ſibi homo dimiſſum eſſe confidat? Quis non credat vel Prophetæ dicenti. *Peccator quacumque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet & non morietur?* Illos igitur Propheta beatos eſſe dicit, quorum iniquitates, & peccata per confeſſionem, & pœnitentiam dimiſſa, & tecta ſunt. Charitas enim, ſicut ſcriptum eſt, *operit multitudinem peccatorum.*

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Hoc eſt enim, quod per Prophetam Dominus ait. *Quacumque hora peccator pœnitentiam egerit, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Conſtat enim, quia non imputabit, ſi non recordabitur. Quod autem ait. *Non eſt in ore eius dolus.* Ad puram pœnitentiam, & mundam confeſſionem ſpectare videtur. Vnde, & alibi dicitur. *Effundite coram illo corda veſtra.* G Et illud, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Itemque. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.*

Quoniam tacui inueterauerunt omnia oſſa mea, dum clamarem tota die. Hoc ſilentium magis in corde, quam in ore eſt: nam ſi cor taceat, & os loquatur, nihil prodeſt. Non ad os ſed ad cor reſpicit Deus. In corde igitur eſt pœnitentia, in corde eſt vera confeſſio, ſecundum illud. *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.*

Corde igitur clamat, qui de peccati perpetratione intus affligitur, & ex toto corde peccatum, in quo prius delectabatur à ſe repellit. Quoniam, inquit: *tacui inueterauerunt omnia oſſa mea. Quod autem inueteraſcit, & ſeneſcit.* Dicit Apoſtolus, *prope interitum eſt.* Omnis igitur virtus, omniſque animæ vigor, & fortitudo, quæ per oſſa ſignificantur, deficiunt, & pereunt, quando homo in peccatis delectatur, & cor ſilentium tenet, neque clamat, neque pœnitet, neque ſe peccaſſe confitetur. Sed quid eſt quod ait. *Dum clamarem tota die?* Si enim H tacebat, quomodo clamabat. Hoc eſt igitur, quod modo diximus, quia ſi cor taceat clamor oris nihil valet. Clamet ore, clamet corde, & plus corde, quam ore, qui exaudiri deſiderat.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Beatus ille, ſuper quem manus Domini grauatur, & quem Dominus pro peccatis ſuis affligere, & viſitare dignatur. Flagellat enim ſicut ſcriptum eſt, omnem filium, quem recipit. E contra vero peccanti populo dicit. *Non iraſcar tibi amplius. Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Ecce quantum ſibi profuit quod manus Domini ſuper eum grauata eſt, & quod ſpina correctionis compunctus, & vulneratus eſt, quia in hac ærumna, & afflictione ad pœnitentiam conuerſus eſt. Vnde & ſubditur.

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui. Nihil abſconditur Deo, omnia videt; ipſe eſt, qui ſcrutatur renes & corda: ipſi tamen tunc delicta, & iniuſtitias noſtras manifeſtamus, quando dura

A pœnitentia, lacrymis, & cordis contritione nos peccaſſe oſtendimus.

Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Hoc omnis homo debet dicere, & ſtatuere in corde ſuo, quod peccata ſua non abſcondat, neque foueat, ſed contra ſe ipſum pronunciet, & manifeſtet. Et hoc Domino. Ipſe autem quid faciet? Sequitur: Et tu remiſiſti impietatem cordis mei. Hoc eſt enim quod alibi dicitur. *Dic tu prius peccata tua, vt iuſtificeris*, Et iuſtus in principio accuſator eſt ſui. Et Apoſtolus. Si, inquit, *nosmetipſos iudicauerimus, non vtique iudicaremur.* Qui enim ſe ipſum iudicat, ille iniuſtitias ſuas aduerſum ſe ipſum pronunciat.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Pro hac, inquit, cauſa videlicet, vt remittas ei impietatem cordis ſui, orabit ad te omnis ſanctus.

Nemo enim ſanctorum eſt, qui quotidie Domino non dicat: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quod autem ait, *In tempore*
B *opportuno.* Hanc præſentem vitam ſignificat, quæ quidem pœnitentiæ, & orationi, & ſatisfactioni opportuna eſt, ſicut Apoſtolus ait *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hæc autem poſt hanc vitam locum non habebunt. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Orat quotidie vir ſanctus pro peccatis ſuis, quamuis ad eum peccata appropinquare non valeant, vt pote in diluuio aquarum multarum poſito, & conſtituto. Vnde enim, quaſi dicat, peccatorum ſordes ad eum tranſire valeant, qui tantarum aquarum diluuio vndique munitur? Hinc nouum, hinc vetus Teſtamentum, hinc Prophetarum libri, hinc Apoſtolorum, omniumque Doctorum Scripturæ, hinc lacrymarum affluentia, hinc confeſſio & pœnitentia; denique quidquid eſt, quo peccata abluantur, & extergantur: inter aquas computari poteſt.

Tu es mihi refugium a preſſura, quæ circumdedit me, exultatio mea, redime me a circumdantibus me. Orat, inquit, Sanctus, vt ſuperius dictum eſt. Sed quid
C orat?

Hic, quod modo diximus, tu es mihi refugium, tu es mihi exultatio, tu redime me à circumdantibus me. Quam egregie dictum eſt, à circumdantibus me. Stat vir ſanctus in medio aquarum ſupradictarum, videt vitia, & peccata, omneſque inimicos circunſtantes, & ad eum tranſire deſiderantes, & orat, atque orando à ſe repellit. Si ergo vir ſanctus orat, ne inuadatur, & capiatur, quanto magis ille, qui iam captiuus detinetur, orare debet, vt liberetur.

Intellectum dabo tibi, & inſtruam te in via hac, qua ingredieris, firmabo ſuper te oculos meos. Hic eſt ille intellectus, qui, ſicut in titulo dicitur, datus eſt Dauid. Et hic quidem modo promittitur viro ſancto, ſolummodo præuideat, & cuſtodiat, ſe, ne datum ſibi intellectum amittat, *& fiat ſicut equus, & mulus in quibus non eſt intellectus.* Quid per equum & mulum niſi ſuperbos homines, potentes, & luxurioſos intelligamus? Hi autem ſi hunc intellectum, quo hic pſalmus titulatur, & pœni-
D tentibus datur, habuiſſent, non ſe tam facili curſu in tanta flagitia præcipitaſſent. Quid autem vir ſanctus, & religioſus contra tales facere debeat, audiamus.

In freno (inquit) *& camo maxillas eorum conſtringes, qui non approximant ad te.* Si inquit, iſti equi, & muli à te fugerint, & tibi approximare, & ad pœnitentiam redire noluerint, in freno & camo maxillas eorum conſtringes. Per frenum, & camum nihil conuenientius intelligere poſſumus, quam maledictiones, interdictiones, excommunicationes, & quaſcumque à fidelibus ſeparationes. Hæc ſunt enim illa retinacula, quibus refrenari, & quamuis nolentes, & recalcitrantes ad intellectum, & pœnitentiam tales equi, & muli reduci ſolent.

Multa flagella peccatorum, ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit.

Sciant peccatores, dicit Dominus, cuius verba hæc ſunt, quia niſi reſipuerint, & pœnitentiam egerint, multa flagella, multa tormenta, & multi, magnique cruciatus eos expectant, ſi vero conuerſi fuerint, & in Dei E miſericordia ſperauerint, credant, & nullatenus dubitent, quia ſperantes in Domino miſericordia circumdabit. Ecce quantum valet pœnitentia, & vera confeſſio peccatorum. Nunc autem ad eos conuertitur Dominus, qui confeſſione, & pœnitentia iuſtificati ſunt, & hortatur eos, vt lætentur, & exultent, & glorientur. Hoc autem in Domino in quo, & per quem omnes ſuos vicerunt inimicos. Et hoc eſt, quod dicit. *Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.*

PSALMVS DAVID.

Ipſe Dauid, qui hunc pſalmum edidit, ipſe in eo loquitur, & eius eſſe dicitur. Non modicam igitur habet auctoritatem, qui tanti viri teſtimonio confirmatur.

Gaudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Gaudeant, inquit, alij immundi huius honoribus, & digni-
tatibus, in fallacibus diuitiis, & ſuauitatibus, quorum F quidem gaudium citò finem habebit: vos autem iuſti gaudete in Domino, quia æternus eſt Dominus & veſtrum gaudium æternum erit. Vnde & in Euangelio Dominus Diſcipulis ait. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Rectos autem decet collaudatio:* Quia non eſt pretioſa laus in ore peccatoris. Peccatori enim dixit Deus.

Quare tu enarras iuſtitias meas? Illi igitur laudent, qui eum diligunt, & qui recti ſunt, qui ſurſum cor, & oculos habent. Sed quomodo laudabunt? In cithara, inquit, & in pſalterio. Et hoc eſt, quod ait.

Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decem chordarum pſallite ei. In cithara cantabat Dauid, & Saülis furorem placabat: & dæmonium, quo vexabatur, ab eo pellebat. In cithara igitur canit, qui corda tumentia placat. Talis citharœdus erat Apoſtolus, in cuius verbis ipſi Philoſophi delectabantur. At vero in pſalterio decem chordarum illi cantant, qui decem legis mandata cuſto-
diunt. Sed hoc ad Vetus pertinet Teſtamentum, nunc G autem de Nouo audiamus.

Cantate, inquit, *ei canticum nouum, bene pſallite ei in iubilatione.* Nouum Teſtamentum non indiget ligneis inſtrumentis, vocem humanam quærit, & linguam rationabilem. Nouum autem canticum eſt canticum Chriſti natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis. Illi autem bene pſallunt, & in iubilatione pſallunt, qui & corde, & ore Deum laudant, & bona quæ dicunt opere complent. Vnde, & ſubditur.

Quoniam rectus eſt ſermo Domini, & omnia opera eius in fide. Rectus ſermo, rectum quærit prædicatorem, & quia omnia opera eius fidelia ſunt, bene, & fideliter nunciari debent.

Diligit miſericordiam, & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra. Hoc eſt igitur quod cantare debemus, hoc omnibus nunciandum eſt, & quod Dominus diligit, hoc diligamus, & miſericordiam, & iuſtitiam faciamus, & præcipue miſericordiæ intendamus, quo-
niam & ipſe exaltat miſericordiam iudicio, ſiquidem mi- H ſericordia Domini plena eſt terra. Miſericordia vbique eſt, & bonis & malis miſeretur Deus. Et quaſi diceret, conſidera ſi potes, & quantus eſt iſte Dominus, cuius miſericordia plena eſt terra, ſubdit dicens.

Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.

Vnde, & ſtatim in ſequentibus ait. *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Si enim dixit, verbo dixit. Dicere autem voluiſſe fuit. Verbum autem Dei, & voluntas Dei ipſe filius eſt. Breuiter in hoc verſiculo Trinitatis myſterium declaratur. Quid eſt enim Dominus, & Verbum eius & Spiritus eius, niſi Pater & Filius, & Spiritus Sanctus? Vnus igitur eſt Deus, cuius voluntate cœli facti ſunt, & cuius inſpiratione confirmati ſunt. Vnde, & alibi dicitur: *In voluntate tua Domine vniuerſa ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, tu enim feciſti omnia, cælum & terram, &*

vniuerſa,

A *vniuerſa, quæ cœli ambitu continentur.* Si autem per cœlos Apoſtolos intelligamus, manifeſtum eſt, quia verbo Domini (per quod Saluatorem noſtrum intelligimus) & facti, & firmati, & redempti ſunt, & Spiritum ſanctum ſecundum eiuſdem promiſſionem, virtutem, & fortitudinem ſuſceperunt.

Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abiſſos. De hoc modo locutionis iam in alio pſalmo locuti ſumus vbi dicitur. *Magnificans ſalutem Regis eius.* Sicut enim ibi dicitur. *Magnificans magnificat*, ſic in hoc loco. *Congregans congregat, & ponens ponit* (inquit) *Dominus congregat, ſicut in vtrem aquas maris.* Quid per aquas maris, niſi omnes mundi huius nationes intelligamus? Has autem quaſi in vtrem, ſic in vnam Catholicam, & vniuerſalem Eccleſiam congregauit Deus. Magnus eſt hic vter, & multas in ſe continet aquas. Hunc ſancti Apoſtoli impleuerunt, & in theſauros Dei delaturi ſunt. Vnde & ſubditur. *Ponens in theſauros abiſſos.* Id ipſum enim & per mare, & per abiſſos ſignificatur. B Vnde enim niſi de abiſſo hæc tanta aquarum abundantia funditur? De theſauris autem in Euangelio Dominus ait. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlis. Et Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Et: *ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.* Et: *vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Inter hos igitur theſauros ponit Dominus, & abiſſos, & aquas maris. De quibus etiam Beato Iob à Domino dicitur. *Numquid ingreſſus es, theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?*

Timeat Dominum omnis terra; ab ipſo autem commoueantur vniuerſi, & omnes, qui habitant orbem. Non eſt enim, vt ait Apoſtolus, perſonam acceptor Deus: ſed in omnibus gentibus, qui tenet eum & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi, & mare, & abiſſos, & grandines, & niues in theſauris ſuis reponit. Timeat igitur eum omnis terra, nullum alium timeat, quia nullus alius timendus & colendus eſt: ab ipſo commoueantur, & ad ipſum fugiant omnes habitatores terræ, quis enim timenC dus eſt niſi ille qui omnia fecit? Hoc eſt enim quod ait.

Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. Nullum inquit propheta, timeatis, quia Dominus vobiſcum eſt, qui omnium conſilia, & cogitationes contra vos inſurgentium reprobat, & diſſipat.

Conſilium vero Domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in ſæculum ſæculi. Sicut ipſe diſpoſuit, & ante tempora præfiniuit, ſic & non aliter fieri oportet. Et malorum pœna, & veſtra gloria ſic diſpoſita eſt, vt omnino immutari non poſſit. Beati igitur, qui illum credunt, & qui ab ipſo prælecti, & prædeſtinati ſunt, quia nullo modo prædeſtinata ſibi beatitudine carebunt. Et hoc eſt quod ait.

Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eorum: populus, quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi. Hinc autem ſubdidit, & ponit ordinem ipſius electionis.

De cœlo proſpexit Dominus, & vidit omnes filios hoD minum. De cœlo, inquit, de illo ſuæ maieſtatis profundiſſimo ſecreto proſpexit, & vidit, & cognouit omnes filios hominum, & alios quidem prædeſtinauit ad gloriam, alios vero ad ſupplicia. Vnde Apoſtolus ait. *Numquid non habes poteſtatem figulus luti, facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam?* Vnde, & Dominus in iudicio dicturus eſt, bonis quidem, vt ſuſcipiant regnum, quod ſibi paratum eſt ab origine mundi, malis verò, vt eant in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Nota quod ait. Et illis paratum eſſe regnum, & illis paratum eſſe ſupplicium. Vnde manifeſtum eſt, quia nemo ad malum, vel ad peccatum agendum prædeſtinatur, ſed vel ad gloriam, vel ad ſupplicium prædeſtinati ſunt omnes, Sequitur. *De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant orbem.* Repetitio videtur eſſe eorum, quæ dicta ſunt.

Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit in omnia opera eorum. Singillatim omnium corda fecit E Deus, quia neque omnibus omnem, neque æqualem omnibus ſapientiam, & intelligentiam dedit. Qui intelligit in omnia opera eorum; & quia omnium opera intelligit, vnicuique ſecundum opera ſua merita retribuit. Ab eo loco, vbi dicitur. De cœlo proſpexit Dominus. Vſque ad hunc locum tenor ſententiæ pendet, & hic tandem ſubaudiendum eſt id quod ſuperius diximus.

Non ſaluabitur Rex per multam virtutem ſuam, neque gigas ſaluus erit in multitudine fortitudinis ſuæ. Soli, inquit, ſaluabuntur qui Deum, & eius mandata cuſtodiunt, & ad vitam æternam prædeſtinati ſunt, cæteri vero omnes non confidant in virtute ſua, neque in multitudine fortitudinis ſuæ, quia neque Rex poterit ſaluari per virtutem ſuam, neq; gigantes per fortitudinem ſuam.

Falſus equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non erit ſaluus. His autem verbis nihil aliud ſignificare videtur, niſi quia ſola Dei miſericordia eſt quæ hominem ſaluare, & à pœnis eripere poteſt. Nemo confidat in equi velocitate, quia ſæpe mentitur, & ſubito cadens neF que ſe ipſum, neque ſeſſorem ſuum ſaluare valet. Quod autem de Rege, de gigante, & equo dicitur, de omnibus quoque aliis rebus intelligatur.

Ecce oculi Domini ſuper timentes eum, ſperantes autem in miſericordia eius, vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret, illi, qui in ſe ipſis, & in ſua fortitudine, & virtute confidunt, non ſaluabuntur, Illi vero, qui Deum timent, & in ſola eius miſericordia ſperant, & confidunt, ſecuri ſunt quia ſemper ſuper eos Dominus reſpicit, & eos eruere, & perire non permittit, aliter autem eos cibis ſpiritualibus in fame, quam iniqui homines in hoc ſæculo patiuntur: De qua videlicet per Prophetam dicitur.

Immittam in eos non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Poteſt autem & de illa fame hoc intelligi, qua in inferno mali cruciantur. Vnde & diues ille dicebat Abrahæ. *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Anima autem noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiuG tor, & protector noſter eſt, & in ipſo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus. Hortatur ſe ipſum, & animam ſuam, & in ſe ipſo omnes alios, vt ſecuri ſint, & patienter expectent, quia, & bonum habent protectorem, & ea, quæ ſperant & expectant, ſine omni dubitatione ſuſcipient. Et hoc eſt quod dicit.

Fiat Domine, miſericordia tua ſuper nos ſicut ſperauimus in te. Magna eſt virtus ſpei, quæ per omnes pſalmos tantum commendatur. Hanc autem maligni ſpiritus amiſerunt, & ſummo ſtudio laborant, vt eos, quos decipiunt, ad deſperationem perducant. Hoc eſt enim illud peccatum, quod non dimittetur hominibus, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Bene autem pluraliter poſuit *anima noſtra*, quia ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur *omnibus eſt cor vnum & anima vna.* Vnde & alibi dicit. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.*

H

PSALMVS DAVID CVM immutauit coram Abimelech vultum ſuum, & dimiſit eum, & abiit.

NOn legitur quod Dauid immutaſſet vultum ſuum coram Abimelech, ſed potius coram Achis Rege Geth, quando ſe furioſum eſſe ſimulauit, timens ne ab eo occideretur, de cuius regno multos interfecerat. Vocat igitur Achis Abimelech quia in ſaluatione ſua qualis fuit Achis, talis fuit & Abimelech, quoniam vterque illæſum eum abire permiſit. Et ſicut Achis ita & Abimelech vultum, id eſt animum, & voluntatem Dauid eo tempore nõ cognouit. Inde enim Abimelech poſtea cum omnibus ſuis a Saüle interfectus eſt, quia non tenuit Dauid, & eum abire permiſit. Sic igitur verũ eſt quia Dauid immutauit vultum ſuum, & coram Achis, & coram Abimelech. Et corã Achis quidẽ quia ſe furioſum eſſe ſimulauit,

coram Abimelech vero quia cum ab eo interrogaretur cur ſolus veniſſet. Reſpondit, *Rex præcepit mihi ſermonem, & non vult, vt aliquis ſciat.* In qua re manifeſtè ſignificat ſe in domo Abimelech, ſecurum non fuiſſe. Vnde in hoc pſalmo Deum laudat, & benedicit, qui & in domo Abimelech, & in domo Achis eum cuſtodiuit.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Docet nos propheta qualiter nos Deum benedicere, & laudare debeamus. Non ad horam, ſed omni tempore, & in proſperis, & in aduerſis.

In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur. Ideo, inquit, omni tempore laudabo Dominum, quia quidquid ſum ab eo ſum, nihil in me laudabile inuenitur, quod meum ſit: ad ipſum igitur referatur virtus, & fortitudo mea, humilitas, ſapientia, & patientia mea, & quidquid boni inueniri poteſt in anima mea. Hoc audiant humiles & manſueti & lætentur mecum: neque pœniteat eos humiles ſemper fuiſſe & manſuetos. Sic enim & alibi dicit. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.*

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in inuicem. Beneuolus eſt Propheta, ſocios quærit, hortatur alios ad laudem Dei, vt quicumque ſecum fuerint in laudibus, & magnificatione, ſint quoque participes in remuneratione.

Inquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. In hoc quoque ſuæ beneuolentiæ affectum ſatis nobis manifeſtè oſtendit, dum ad exemplum ſui nos docet, quid in noſtris tribulationibus ſe Deum inquiſiſſe, & exauditum eſſe dicit, vt & nos ſimiliter faciamus, & ſimiliter exaudiamur. Hoc eſt enim quod dicit.

Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent. Vnde hoc? Quia *iſte pauper clamauit & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius liberauit eum.* Se ipſum pauperem dicit, quia quamuis diues eſſet, in diuitiis tamen ſpem non habebat, & mundi huius diuitias pro nihilo ducebat. Accedite, inquit ad eum per pœnitentiam, qui ab eo receſſiſtis per inobedientiam, & illuminamini, Ipſe eſt enim *lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De quo & Moyſes dicit. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Et certe doctrina illius interioris hominis illuminatio eſt. Qui autem ſic illuminati fuerint, in iudicio non confundentur. Vnde & hic dicitur. *Et vultus veſtri non erubeſcent.*

Immittet Angelum Dominus, in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Vnde & Apoſtolus ait. *Quia Angeli ſunt adminiſtratores ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt Salutis.*

Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo. Iſte qui hoc dicit, iam eius deguſtauerat ſuauitatem: Et fortaſſe in eo loco vbi ait.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel & fauum ori meo. Sed quæ ſunt illa eloquia, quæ tantam ſanctis dulcedinem præſtant. Lege in Euangelio, & inuenies. *Cum exaltatus fuero à terris, omnia traham ad me ipſum. Qui credit in me habet vitam æternam. Vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui venit ad me non eÿciam foras. Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Hæc ſunt, & ſimilia, quæ nos guſtare perſuadet, quatenus in his videamus, & cognoſcamus quam dulcis eſt Dominus, & quam ſuauis. *Beatus vir, qui ſperat in eo.* Vnde & alibi dicit. *Sperate in eo omnis conuentus plebes, & effundite coram illo corda veſtra: quia Deus adiutor noſter in æternum.* Beatus enim ille eſt, cuius Deus in æternum adiutor eſt.

Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. Hinc eſt quod Salomon ait. *Time Deum, & mandata eius cuſtodi.* Hoc eſt omnis homo. Propter hoc enim factus eſt omnis homo, vt Deum timeat, & mandata eius cuſtodiat.

Qui Deum timet, nihil negligit. In hoc enim quod dicit: *Timete Dominum omnes ſancti eius.* Vniuerſa Legis, & Prophetarum mandata comprehendit; & nihil fuit, quod amplius dicere potuiſſet. Qui enim ex amore Deum timet, omnia deſiderat facere, quæ ipſi præcipit, & omnia fugere, quæ interdicit: nihilque illi deeſt ad perfectionem, qui ad hanc peruenire potuit dilectionem. Vnde & ſubditur. *Quoniam nihil deeſt timentibus eum. Initium ſapientiæ timor Domini.*

Diuites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Quanta ſunt, quibus diuites egent, & quam multa, vnde penuriam patiuntur? Sancti verò omnia habent, quæcumque habere concupiſcunt. Nam etſi nondum habeant in re, omnia tamen habent in ſpe. Neque enim beati eſſe potuiſſent, ſi eis aliquid defuiſſet. Vnde & Apoſtolus dicit: *Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Cum enim Scriptura dicat: Quia erit Deus omnia in omnibus. Quomodo aliquid minus poterunt habere, qui ſimul in Deo omnia poſſidebant?

Venite filÿ, audite me, timorem Domini docebo vos. Dixit ſuperius, vt Deum timeant, non autem quomodo timere debeant, oſtendit. Venite, inquit, & redite ad me, quia peccando receſſiſti à me. Nunc autem collectis, & in vnum congregatis ait.

Quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Et quaſi aliquis reſpondeat, ego ſubdidit dicens. *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolũ.*

Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & ſequere eam. In his paucis verbis plena inſtructio eſt timoris Domini, & perfecta doctrina Chriſtianæ Religionis. Totum hic dicitur & quid effugere, & quid agere debeamus. Qui enim in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, & qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam. Pacem verò quærit, & ſequitur qui omnes diligit, & neminem odit. Vnde, & Apoſtolus dicit: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et alibi. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.*

Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Dixit quid facere, & quid non facere debeamus: nunc dicit, inſpectorem Deum deſuper eſſe, qui vniuſcuiuſque facta conſiderat. Et iuſtos quidem ad hoc reſpicit, vt exaudiat, iniuſtos verò, vt de terra viuentium perdat. Vnde & ſubditur.

Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Sed quid mirum ſi eos audiuit, & de tribulationibus liberauit, qui ſemper cum illis eſt, & nunquam ab eis ſeparatur? Et hoc eſt quod dixit.

Iuxta eſt Dominus, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.

Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit: humiles autem ſpiritu ad diſtinctionem illorum mihi eÿcere videtur, qui corpore humiles ſunt id eſt, qui humilitatem foris oſtendunt, quam interius non habent. Et tales quidem facit hypocryſis: humiles vero ſpiritu ſola ſancti Spiritus gratia facit. Tales autem humiles ſaluabit Dominus, de aliis vero dicit: longe eſt à peccatoribus ſalus.

Multæ tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus. Iam liberatos eos eſſe dicit, quos liberandos eſſe cognoſcit.

Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex eis non conteretur. Oſſa ſanctorum multoties confracta fuiſſe legimus, & non ſolum confracta, verum etiam combuſta, & in puluerem redacta. Sed ſicut alibi dicitur. *Dominus cuſtodit te ab omni malo.* Et ſtatim quomodo hoc intelligi debeat oſtendit dicens: *Cuſtodiet animam tuam Dominus.* Sic & in hoc loco non oſſa corporis, ſed oſſa animæ intelligere debemus. Oſſa animæ fides, ſpes, charitas, humilitas, & miſericordia, cæteræque virtutes intelliguntur, ſine quibus debilis eſt, & in via mandatorum Dei currere non poteſt. Hæc ſunt illa oſſa, quæ Dominus cuſtodit, & ex quibus nec vnum frangi permittit. *Qui enim offenderit in vno, factus eſt omnium reus.*

A *Mors peccatorum peſſima, & qui oderunt iuſtum delinquent.* Peſſima quidem eſt illa mors, cui numquam vita ſuccedit: peſſima eſt illa mors, quæ & corpus, & animam perdit: *Et qui oderunt iuſtum, delinquent.* Si in alio non delinquerent mali, niſi in eo quod iuſtos ſine cauſa odio habent, ſufficeret illis ad perditionem. Poſſumus autem per iuſtum Saluatorem noſtrum intelligere, qui de ſe ipſo, ſuiſque aduerſariis in Euangelio dicit: *Quia odio habuerunt me gratis.* De quibus bene dicitur, quia delinquent, quia vſque hodie contra Chriſtum peccare non ceſſant, neque ceſſabunt vſque ad ſæculi conſummationem.

Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non derelinquet omnes, qui ſperant in eo. De illa redemptione ſatis conuenienter intelligere poſſumus, quam ſui ſanguinis effuſione Dominus fecit, neque credibile eſt, vt eos derelinquat, quos tanto prætio redemit.

B

IPSI DAVID.

DIcit Rex, & propheta Dauid, vt ipſe pſalmus aſcribatur ipſi Dauid, ideſt, ſaluatori noſtro, qui reuera manu fortis vocatur. Loquitur autem in hoc pſalmo Saluator noſter, ſed ſicut ſæpe diximus, ſecundum humanitatem.

Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Iudica, inquit Domine nocentes me, & redde illis, ſicut digni ſunt, & expugna impugnantes me, vt ſuis non valeant, reſiſtere inimicis. Hoc autem contra illos dictum eſſe intelligere debemus, qui inconuertibiles fuerint, & vſque in finem in ſua malitia perſtiterunt. Namque pro aliis in Cruce poſitus orauit Dominus, & dixit. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non eſt igitur inconueniens, ſi nunc pro eis, nunc contra eos orare videtur, quia alij ſunt pro quibus orat, & alij contra quos orat.

C *Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.* His armaturis non eget Dominus, qui ſolo nutu omnes ſuos poteſt deſtruere inimicos. Rogat tamen, vt armis gens illa diſperdatur, quoniam ita diſpoſitum erat. Et hoc ſuum adiutorium eſſe dicit, quia ad Iudæos expugnandos his armis vti voluit. Vnde & ſubditur.

Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui me perſequuntur, dic animæ meæ ſalus tua ego ſum. Per frameam Titum & Veſpaſianum, & Romanum exercitum intelligimus, à quibus Iudæorum populus multis modis interemptus, & perditus eſt. Effunde, inquit, frameam aduerſus eos, qui me perſequuntur, & conclude eos in ciuitate Hieruſalem. Sic enim legitur, quod in Paſchali feſtiuitate, cum ſecundum conſuetudinem totus populus in vnum conueniſſet, repente exercitus ſuperueniens eos concluſit, vt nullus euadere potuiſſet, & iuſto Dei
D iudicio factum eſt, vt illis diebus obſiderentur, in quibus in Chriſtum Dominum noſtrum manus mittere non timuerunt. Sed mira Dei potentia qui per quadraginta duos annos expectauerat, vt eis pateret, ſi pœnitere voluiſſent. Quia verò in ſua malitia perſtiterunt, plurimis fame & ſiti, gladiis, & incendiis interemptis, cæteri in opprobrium & ſeruitutem cunctis gentibus traditi ſunt. *Dic animæ meæ ſalus tua ego ſum.* De qua ipſi mentientes dicebant. *Non eſt ſalus illi in Deo eius.*

Confundantur, & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui cogitant mihi mala. Hæc ſi ad litteram intelligantur, plana ſunt, tamen, vt ad litteram intelligantur ipſa ratio cogit: quoniam ſecundum litteram completa eſſe videmus. Si enim in tempore paſſionis Chriſti Iudæi pœnituiſſent, & de hoc quod facere volebat erubuiſſent, & ab illa ſua praua intentione retro conuerſi fuiſſent, & Saluatorem noſtrum non crucifixiſſent iſti duo verſus in bonam partem exponi potuiſſent. Eorum autem, quæ in hoc pſalmo dicuntur, quædam ante paſſionem, quædam in ipſa paſſione, quædam verò poſt paſſionem dicta eſſe

videntur. Quod quidem nulli inconueniens videri debet: E
quia ille, qui loquebatur, & illa cui loquebatur, præterita, & futura præſentia habent, neque aliter videns ea, quæ ſunt quam ea, quæ futura ſunt.

Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini affligens eos. Sicut enim puluis vento reſiſtere non poteſt, ſed vbique ſpargitur, raptatur, & ventilatur, ſic & puluis ille inimicorum impetum ſuſtinere non valens, vbique gentium diſperſus eſt. Poſſumus autem per Angelum Domini, qui eos affligit, vel omnes eorum inimicos intelligere, quia in hoc quoque Domino ſeruiunt, vel aliquem Angelum ad eorum afflictionem eſſe conſtitutum. De talibus enim Angelis alibi dicitur. *Immiſit in eos iram indignationis ſuæ indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.*

Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Tales vias ſignificabat eis Dominus, cum diceret. *Videte ne fuga veſtra fiat hyeme, vel Sabba-*
to. Si autem allegoricè hæc intelligamus, quid aliud F
ſunt Iudæi, niſi puluis qui omnium pedibus conculcatur, & quem proiicit ventus à facie terræ. Omnes autem illorum viæ tenebroſæ, & lubricæ ſunt, quia ſua malitia excæcati ſemper in errore ſunt, & ad tenebras, & perditionem feſtinant: ſemperque cadentes, & in omnibus delinquentes ad bonum aliquod agendum ſurgere non valent. Sed quid mirum cum Angelus Domini malus eos perſequatur, qui numquam niſi ad malum eos hortatur?

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum Laquei ſui, vane exprobauerunt animam meam. Gratis, inquit, & ſine cauſa abſconderunt mihi interitum laquei, & deceptionis ſuæ per quem, videlicet, laqueum Iudam proditorem intelligere poſſumus, qui ſimulatæ pacis oſculo eum illaqueauit & tenuit. Vane autem exprobauerunt illam ſanctiſſimam animam inter impios: & peccatores eam reputantes, quia ſicut de eo ſcriptum eſt.
Inter iniquos reputatus eſt. Vnde & ei exprobrando di- G
cebant. *Reus eſt mortis, & niſi eſſet malefactor, non tibi tradidiſſemus eum: & ſecundum Legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.*

Veniat illis laqueus, quem ignorant, & captio quam occultauerunt, apprehendat eos, & in laqueum incidant in idipſum. Sicut enim ſcriptum eſt. *Qui fratri ſuo foueam parat, ipſe prius cadet in eam: & eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur, vobis.* Sic enim Iudæis factum eſt, & laqueus, quem ignorabant, venit ſuper eos. Sic enim in Euangelio legitur: *Quia cum appropinquaret Dominus Hieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam dicens. Quia ſi cognouiſſes* (ſubabditur fleres) *nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.*

Abſcondita quidem, quia ſicut hic dicitur, *Laqueus, quem ignorabant, venit ſuper eos, & captio, quam occultauerunt, apprehendet eos. Et in laqueum ſuum inciderunt in idipſum.* Ideſt ſimul, & communiter omnes. His ver-
bis ſatis manifeſtè oſtenditur, quia ſola paſſio Chriſti H
cauſa ruinæ, & perditionis eorum.

Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutare eius. Suæ reſurrectionis lætitiam prænunciat, quæ ſtatim die tertia facta eſt, inferno ab ipſa Saluatoris anima expoliato, & corpore de ſepulchro reſuſcitato.

Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? eripiens inopem de manu fortioris eius, egenum, & pauperem à rapientibus eum. Per oſſa Chriſti Apoſtolos intelligimus, omneſque alios, qui in Eccleſia fortiores ſunt, & à quibus totum corpus Eccleſiaſticum portatur, & ſuſtinetur. Iſti autem omnes laudant, & magnificant Deum, qui Saluatorem noſtrum cum tanto triumpho de manibus inimicorum eius liberauit, qui fortiores illo, & potentiores eſſe videbantur. Qui ideo inops, egenus, & pauper, quia in tempore ſuæ paſſionis, quando amici, & adiutores magis neceſſarij videbantur, nemo fuit qui eum adiuuaret.

Exurgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant

A *me, & retribuebant mihi mala pro bonis, & ſterilitatem animæ meæ.* Venerunt enim, ſicut in Euangelio dicitur, multi falſi teſtes ante ipſum, quorum teſtimonia conuenientia non erant, & nouiſſimè venerunt quidam, qui eum interrogantes; dicebant. Nonne tu dixiſti quia deſtrueres templum hoc manufactum, & in tribus diebus illud ædificares? Hoc enim Euangeliſta in tertia perſona narrat quod etiamſi tertia, & in ſecũda dictum fuiſſe dubitare non debemus. Sed quoniam iſti mentiebantur, mendacium autem Deus ignorat, bene hic dicitur. *Quæ ignorabam interrogabant me.* Retribuebant autem illi mala pro bonis, ſicut ipſe Dominus ait. *Multa bona opera operatus ſum vobis, propter quod horum vultis me occidere?* Itemque. *Si malè locutus ſum teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè, cur me cædis?* Reddebant autem illi ſterilitatem, quia ſicut arbores malæ, & infructuoſæ nullum bonum fructum reddiderunt. Hæc eſt enim illa vinea electa, quæ pro vino dedit acetum, &

B cum debuiſſet facere vuas, fecit labruſcas.

Ego autem dum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio in ſinu meo conuertebatur. De hoc cilicio dicit Apoſtolus, quia apparuit in ſimilitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Carnem igitur Chriſti cilicium intelligamus, qua ipſe indutus peccator, & cilicio dignus æſtimabatur. Solum igitur cilicium in tempore ſuæ paſſionis oſtendere voluit, quia diuinitatis potentiam, quæ ſub illo cilicio latebat, non manifeſtauit. Humiliauit autem in ieiunio animam ſuam, quia quamvis pro illis oraſſet, ſuoque corpori ingerere voluiſſet, paucos tamen illis diebus ſibi coniunxit, & incorporauit. Tale autem ieiunium patiebatur Beatus Petrus, quando ei à Domino dictum eſt. Macta, & manduca. Quod enim manducamus, ſic in noſtram ſubſtantiam transfertur, vt vnum, idemque nobiſcum ſit. Vnde

C & Dominus ait. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in ipſo.* Oremus igitur, vt ipſe nos comedat, & ſic in ſui corporis ſubſtantiam conuertat, vt numquam ab eo ſeparari valeamus. Quod autem ait. *Et oratio mea in ſinu meo conuertebatur*, apertè inſinuat, quia pro ipſis ſuis inimicis, vt non perirent in corde ſuo orabat. Et certè hæc oratio omnes illos ſaluauit quicumque de illo populo ſaluati ſunt. Ego autem illam orationem, quæ in Chriſti pectore conuertebatur, ſic modificatam fuiſſe puto, vt illis omnibus eius mors non imputaretur, quicumque ex illo populo conuerterentur, qui vero in ſua malitia perſeuerarent, & in hac vita, & in alia punirentur.

Sicut proximum, & ſicut fratrem noſtrum ita complacebam, tanquam lugens, & contriſtatus ita humiliabar. Sic, inquit, complacebam mihi, & delectabar in illo populo ſicut in proximo & fratre meo. Ita enim grammatica reſolui poteſt, quæ aliter non procedit. E contra vero tanquam lugens, & contriſtatus, ita ab eo humi-

D liabar. Hoc eſt enim quod alibi dicitur. *Qui retribuebant mihi mala pro bonis, detrahebant mihi.*

Aduerſus me lætati ſunt, & conuenerunt, congregauerunt in me flagella, & ignorauerunt. Totum hoc ad litteram completum eſt. Quod autem ait. Et ignorauerunt. Apoſtolus exponens ait. *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ignorauerunt præterea cauſam & rationem cur hoc facere debuiſſent.

Diſſoluti ſunt, nec compuncti ſunt, tentauerunt me, & deriſerunt deriſu, ſtriderunt in me dentibus ſuis. Diſſoluti, inquit, ſunt, nullo legis vinculo tenentur, quod volunt hoc faciunt, & ſui cordis deſideria ſequuntur, nec compuncti ſunt de hoc tanto ſcelere, quod in mea morte commiſerunt, me tentantes me irridentes, ſuper me dentibus ſtridentes. Omnia enim hæc, & alia multa Iudæos contra Chriſtum feciſſe non dubium eſt.

Domine quando reſpicies? reſtitues animam meam à malefactis eorum, & à leonibus vnicam meam. Domine, inquit, quando reſpicies? quando me vindicare venies, quando à malefactis eorum reſtitues animam meam, & ab his leonibus tam crudeliter ſæuientibus vnicam

E meam? Adhuc me, quaſi dicat, perſequi non ceſſant: adhuc me blaſphemiis, & iniuriis perſequuntur, adhuc quantum in ipſis eſt animam meam interficiunt, quoniam me reſurrexiſſe negant. Nondum enim credunt Iudæi Chriſto Domino noſtro animam ſuam reſtitutam eſſe.

Confitebor tibi Domine in Eccleſia magna in populo graui laudabo te. Ecce inquit, reliqui Synagogam, reliqui Iudæorum ſtultitiam, & leuitatem, à modo confitebor tibi, & laudabo te per fideles meos in Eccleſia magna, in Eccleſiâ Catholica, & per vniuerſum mundum diffuſa. Et in populo graui laudabo te, quem ventus ſuperbiæ & vanitatis non extollit.

Vt non inſultent in me qui aduerſantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuebant oculis. Quia enim iam totus mundus credit in Chriſtum, ideo Iudæi neque poſſunt, neque audent inſultare Chriſto. Illi autem annuunt oculis, qui malitiam celant in corde, & in vultu,

F & in oculis beneuolentiam oſtendunt. Hoc enim faciebant Iudæi, qui Saluatoris noſtri doctrinam multoties laudabant, & oculis, & tota facie eius verbis annuebant, & quomodo in ſermonibus eum caperent; cogitabant, & ſubditur.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & ſuper iram doloſè cogitabant. Iram quoniam in corde habebant, ſed oſtendere timebant: nec tamen ita ſufficiebat eis, ſed ſuper iram dolos quoque cogitabant, quibus interficerent eum.

Dilatauerunt in me os ſuum, dixerunt, euge, euge, viderunt oculi noſtri, vidiſti Domine, ne ſileas, Domine ne diſcedas me. Dilatauerunt enim Iudæi os ſuum nimiumque ſuperbè contra Dominum locuti ſunt, poſtquam eum ſpiritum emiſiſſe cognouerunt: & ad Pilatum accedentes dixerunt: *Domine, ſcimus, quia ſeductor ille dixit: adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum, ne fortè veniant Diſcipuli eius,*

G *& furentur eum: & dicant plebi, quia ſurrexit: & erit nouiſſimus error peior priore.* Sic igitur dilatauerunt Iudæi os ſuum, ſeductorem eum vocantes, & quod numquam reſurgeret prædicantes. Et tunc quidem dixerunt, euge, euge, quod vnaquæque gens ſecundum ſuæ linguæ proprietatem poſt victoriam dicere ſolet. Quod autem ait. *Viderunt oculi noſtri.* Tale fuit, ac ſi diceret: tandem vidimus, & cognouimus, qualis iſte erat, qui ſuis illuſionibus populum ſuum decipiebat, & Dei filium ſe eſſe dicebat: ecce mortuus eſt, & ſe ipſum à morte liberare non potuit. Hæc illi dixerunt. Tu vero Domine, qui hanc illorum ſuperbiam audiſti, & vidiſti, ne ſileas, ſed reſponde ſtultis ſecundum ſtultitiam ſuam. *Domine ne diſcedas à me.* Sed eſto mihi in adiutorium, & diſperge illos in virtute tua, & deſtrue eos protector meus Domine.

Exurge Domine, & intende iudicium meum Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam. Tende, in-

H quit, iam nunc, & intra in iudicium meum & in cauſam meam, & incipe iudicare, & cunctis gentibus reuelare, quam iniuſtè iudicatus, & damnatus ſum, & præcipuè à populo meo, quem ego tantum dilexi, cui tanta bona præſtiti, quem de Ægyptiaca ſeruitute liberaui, cui mare rubrum aperui, quem per quadraginta annos manna paui, in terram promiſſionis introduxi: & tandem pro eis in mundum veni, & carnem aſſumpſi. Sic enim ipſe dixit. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt Domus Iſraël.*

Iudica me ſecundum magnam miſericordiam tuam Domine Deus meus, vt non inſultent me inimici mei, nec dicant in cordibus ſuis: euge, euge animæ noſtræ, nec dicant: abſorbuimus eum. Iudica me, inquit, ſecundum magnam miſericordiam tuam, quæ tantum dilatata eſt, vt mundum vniuerſum impleret, nullumque relinqueret miſericordia dignum, cui de aduerſario ſuo iuſtitiam non faceret. Iudica me, inquit, retractetur iudicium, & in ipſa illorum deſtructione, & perditione cognoſcatur eos meritò eſſe damnatos. Non inſultent in me, neque dicant, quod dicere ſoliti ſunt, euge, euge, beatæ animæ

noſtræ

noſtræ, cum gladios tuæ vltionis ſuis ceruicibus imminere proſpexerint.

Erubeſcant,& reuereantur ſimul qui gratulantur malis meis:induantur pudorē,& reuerentia qui maligna loquuntur aduerſus me. Et hoc quidem iam totum completum eſt, totumque in iudicio complendum eſt.

Exultent, & lætentur, qui volunt iuſtitiam meam; & dicant ſemper magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius. Egregiè ſatis poſt iniquorum deſtructionem, & confeſſionem eos exultare, & lætari præcipit, quos de iuſtitia lætos eſſe cognoſcit. Et illi ſemper magnificent Dominum, qui Chriſti pacem habere & tenere deſiderant, quia ſine pace impoſſibile eſt placere Deo.

Sed & lingua mea (dicit humanitas Saluatoris noſtri) meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. Meditari autem Dei iuſtitiam, & laudem ſe dicit, quia ſemper in memoria eas habet, & numquam obliuiſcitur.

IN FINEM PVERO DOMINI Pſalmus Dauid.

HIc eſt ille puer, de quo ſcriptum eſt. *Puer natus eſt nobis,& filius datus eſt nobis.* Huic igitur puero Domini Dauid dicit in hoc Pſalmo Rex & Propheta Dauid. *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Quid ſignificet In finem,& quid ſignificet Pſalmus Dauid. Sæpe iam diximus.

Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius.

Hoc, inquit, dixit iniuſtus in ſemetipſo,hoc cogitauit in corde ſuo, hoc diſpoſuit in mente ſua, vt delinquat. Quid eſt, vt delinquat? Vt furetur, vt occidat, vt fornicetur, vt periurium, & perditionem faciat: vt fratrem ſuum decipiat,& alia opera iniquitatis exerceat. Et hoc ideo quia non timor Dei ante oculos eius.Si enim Deum timuiſſet,talia facere non deſideraret.

Quoniam doloſè egit in conſpectu eius, vt inueniret iniquitatem ſuam, & odium. Inde, inquit, cognoſcetur, quod non eſt timor Dei ante oculos eius, quoniam doloſè egit in conſpectu eius, & non ſolum dixit in corde, verum etiam egit in opere. Et idcirco dignum eſt, vt inueniat iniquitatem ſuam,& odium. Eadem enim menſura, qua menſus eſt, remetietur ſibi.

Verba oris eius iniquitas, & dolus, noluit intelligere, vt bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni via non bona, malitiam autem non odiuit. Vero nomine iniuſtus vocatur, qui talia operatur. Plana ſunt hæc, neque indigent expoſitione.

Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Miratur Propheta de tam variis, & diuerſis voluntatibus hominum, cum alij tanto deſiderio ſequantur vitia alij vero tanto ſtudio imitentur virtutes, & neminem niſi per ſuperbiam perire, neminem; niſi per miſericordiam ſaluari oſtendit. Domine inquit, non in terra ad plenum, ſed in cælo perfectè, & ex toto cognoſcitur miſericordia tua. Omnes enim, qui ibi ſunt, ſola Dei miſericordia ſaluati ſunt. Cum enim (vt Apoſtolus ait. *Omnes peccatores eſſemus,Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et hoc ſola miſericordia fecit. Vnde, & bene dicitur.

Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Si enim vnuſquiſque ſanctorum, quia iam in cælis eſt, vel poſt iudicium futurus eſt, ſingulariter interrogetur quomodo huc veniſti, vel quomodo huc intraſti? Quid reſpondere aliud poterit, niſi miſericordia me adduxit? Bene igitur hic dicitur. Domine in cælo miſericordia tua. Sequitur. Et veritas tua vſque ad nubes. Si, inquit, miſericordia in cælo eſt, in cælo inuenitur, & cognoſcitur. Veritas vbi? vis audire vbi? In nubibus. Per nubes enim Prophetæ, & Apoſtoli, Epiſcopi, & Sacerdotes, omneſque Eccleſiæ Doctores ſignificantur. Iſti enim ſunt,qui ſuper Eccleſiam pluunt, & pluuiis Doctrinæ ſpiritualis totam terram irrigant. Vſque ad hos igitur peruenit veritas Dei: quia iſti ſunt, qui Sanctarum Scripturarum veram intelligentiam percipere meruerunt.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei, & iudicia tua abyſſus multa. Si dixiſſet: Iuſtitia tua ſicut montes tui, planius eſſet. Sed hic modus locutionis in diuina Pagina frequenter inuenitur. In aliis vero ſcripturis aut raro, aut numquam. Tale autem eſt, & illud. *Deus iudicium tuum Regi da,& iuſtitiam tuam filio Regis.* Debuerat enim dixiſſe, filio tuo, quia ipſe erat ille Rex cui loquebatur. Dixerat ſuperius: *Quia veritas Dei venit vſque ad nubes.* Nunc autem reddit cauſam quare vſque ad nubes, & non amplius venit. Ideo quaſi dicat, veritas Dei ad inferiora non deſcendit, quia iuſtitia Dei, & iudicia Dei, quæ veritate muniuntur, & conſiſtunt, altiſſima, & profundiſſima ſunt, ad quæ accedere difficile eſt: Et altiſſima quidem ſunt, ſicut montes Dei, profundiſſima vero, vt abyſſus multa. Idem autem & per montes Dei, & per abyſſum ſignificatur. Iſti ſunt illis montes de quibus dicitur. *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.* Hæc eſt illa abyſſus de qua legitur.

Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum. Per montes igitur, & per abyſſum vtriuſque teſtamenti volumina intelligimus. Quæ quidem tam alta, & profunda ſunt, vt ad eorum notitiam valde pauci valeant peruenire. In quibus, videlicet, voluminibus quia iuſtitia, & iudicia Dei continentur, eiuſdem altitudinis, & profunditatis eſſe dicuntur. Apparet igitur quia veritas Dei, & iuſtitia, & iudicia Dei, vtriuſque Teſtamenti volumina inſcrutabilia ſunt, & humano ingenio inueſtigari non poſſunt. Vnde Apoſtolus ait. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius.* Gaudeamus quod veritas Dei vſque ad nubes deſcendit, quia de his, quæ in nubibus ſunt, ad nos quoque aliquid diſtillabit. Miſeri Iudæi,à quibus nubes iſtæ,ne ſuper eos pluant, prohibitæ ſunt. Mandabo (inquit Dominus) *nubibus meis, ne pluant ſuper eos imbrem.*

Homines & iumenta ſaluos facies Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordias tuas Deus. Quid enim per homines niſi ſapientes, rationabiles, & viros iuſtos intelligamus? Quid vero per iumenta,niſi ſtultos, fatuos, libidinoſos, & carnis voluptatibus deditos? Quantum homines à iumentis, tantum iſti inter ſe differre videntur. Tamen & hos, & illos ſaluat Dominus,qui non venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Multos enim vidimus ſanctam, & religioſam vitam in monaſteriis ducere qui prius fuerunt ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus. De hac autem tanta Dei miſericordia Propheta admiratur,& dicit. Quemadmodum ad quam menſuram,ad quantam ſuperabundantiam multiplicaſti miſericordias tuas Deus?

Filij autem hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt. Alæ Dei ſunt miſericordia, & veritas, fides, ſpes, & charitas: cæteræque virtutes ſine quibus neque ipſe venit ad nos, neque nos ad ipſum volare poſſumus. Quis enim eum adduxit ad nos, niſi charitas, & miſericordia? In iſtarum igitur protectione ſperent Chriſtiani, quia nihil aliud eſt, quo ſe à vitiis, & malignis ſpiritibus defendere valeant: hos autem vocat filios hominum, ad illorum fortaſsè diſtinctionem, quos iumenta vocauerat. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et hic modo in Eccleſia & poſtmodum in illa cæleſti Hieruſalem inebriabuntur ſancti ab vbertate tantarum deliciarum, quæ & hic, & ibi abundant. Sic enim Sancti Apoſtoli ebrij erant, quos, quia linguis omnibus loquebantur, non Spiritu ſancto, ſed vino potius à Iudæis ebrij putabantur.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Non ſolum, inquit, inebriabuntur, verum etiam illuminabuntur, quoniam apud te eſt fons vitæ,& lumen vitæ. Lumen namque vitæ,& fons vitæ Chriſtus

eſt, qui fideles ſuos illuminat, & reficit. De hoc fonte, qui biberit, non ſitiet & vltra? & hoc eſt illud lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Eſt autem & Pater lumen, non duo tamen, ſed vnum lumen. Vnde & hic dicitur. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Quia niſi per te ad illud lumen venire non poſſumus. Sic enim ipſe Dominus ait. *Ego ſum via veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me.*

Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret, vt ad illud lumen venire valeamus, mitte miſericordiam tuam, ſcientibus te, quæ nos regat, & ducat, & ad illius luminis claritatem introducat. Mitte etiam iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde quia iuſtum eſt, vt a iuſtitia ducantur, qui iuſtitiæ mandata cuſtodierunt.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatorum non moueat me. Miſericordia, inquit, tua & iuſtitia tua ipſa me ducat, non pes ſuperbiæ me portet, neque manus peccatorum me trahat. Non ſuperbia ſit mihi pes, quia in hoc pede ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Hoc pede portabatur diabolus quando dicebat. *In cœlum aſcendam ſuper aſtra Dei, & ædificabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti, & ſimilis ero Altiſſimo.* Meritò igitur de illa cœleſti beatitudine expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare: quia tam iniquas manus habebant, & tali pede portabantur.

PSALMVS IPSI DAVID.

IPſi Dauid, qui eum ſcripſit hic pſalmus aſcribatur, & ipſe in eo loquatur.

Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem. Non æmuleris, inquit, non imiteris, non tibi placeat habitare inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitates, vt ſimilia doceas, & ſimilia concupiſcas.

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum citò cadent.

Videntur, quaſi dicat, iſti tales ad tempus florere, & in ſuis iniquitatibus proſperari? ſed tanquam fœnum quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, velociter areſcent, & ſicut olera, & viriditas herbarum cito cadent, & ita cadent vt vlterius ſurgere non valeant: quia non erit eis poſt hæc pœnitentiæ locus.

Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius.

Spera, inquit, in Domino, non in viribus tuis, non in incerto diuitiarum, & fac bonitatem, fac eleemoſynas, fac miſericordiam & pietatem, vt & ipſe miſericordiam inuenias, & inhabita terram, dominare carni tuæ, Eccleſiam Dei non derelinquas, ibi mane, ibi diſce, ibi mores tuos inſtitue, ibi totam vitam tuam ad illius exemplum informa. Et paſceris in diuitiis eius, per quas vtriuſque teſtamenti, ſiue etiam Chriſti corpus, & ſanguinem intelligimus. Et iſtæ quidem diuitiæ omnibus mundi huius diuitiis præferendæ ſunt.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Non delecteris, inquit, in mundo, neque in vanitatibus, & concupiſcentiis mundi: quoniam mundus tranſit, & concupiſcentiæ eius, ſed potius delectare in Domino, ipſe ſit omne bonum tuum, omniſque delectatio tua, & dabit tibi quidquid deſiderat anima tua. Qui enim in Domino delectatur, ſemper cum Domino eſſe, & habitare deſiderat. Hoc autem dabitur ſanctis, quia ſimul cum eis ſine fine manebunt.

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Quomodo ei reuelabo quod ipſe ſcit, & melius me ipſo intelligit? *Ipſe enim ſcit cogitationes hominum, & ſcrutatur renes, & corda.* Reuelamus igitur ei vias noſtras, ſi non abſcondimus peccata noſtra: & tunc quidem non abſcondimus, quando lacrymis, & pœnitentia delemus. Siue etiam reuela Domino viam tuam, ſi eſt aliquid boni deſiderij in corde tuo, noli tardare, & bonum, quod deſideras, agere incipe, ſpera tantummodo in eo, & ipſe faciet, ipſe ad bonum effectum perducet, quod tu incipere times, & dubitas.

Et educet tanquam lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum ſicut meridiem. Spera, inquit, in eo, ſequere eum, ipſe diriget viam tuam, & ſuo clariſſimo lumine illuminabit, neque te errare permittet. Et iuſtitiam, quam agere cupis, & iudicium tuum, quo te ipſum iudicare diſponis, & Angelis, & hominibus reuelabit, & tanquam lumen, & ſicut meridiem ſplendeſcere faciet.

Subditus eſto Domino, & obſecra eum. Hoc ſolum, quaſi dicat, tibi eſt neceſſarium, vt ſoli Deo ſubditus ſis, & ſi quid aduerſi tibi acciderit, eum orare non obliuiſcaris. Quam egregiè & perſuaſoriè exhortatur nos ad ſeruitium Dei, & melioris vitæ conuerſationem. *Ne æmulatus fueris eum, qui proſperatur in via ſua.* Hoc autem exponit. *In homine faciente iniquitatem.*

Illum, inquit, qui proſperatur in via Dei, qui ſedulus eſt in ſeruitio Dei, non autem illum, qui proſperatur in via ſua, id eſt iniquitate ſua. Siquidem iniquorum via ipſa iniquitas eſt. Et certè multos tales videmus, qui malè agendo in hac vita, ad tempus multum creſcunt, quos perituros eſſe non dubitamus.

Deſine ab ira, & derelinque furorem, ne æmuleris, vt nequiter facias. Eſt autem ira, breuis comotio animi, furor verò ira inueterata. Vtraque autem fugienda ſunt, quia frequenter iraſci magnum peccatum eſt, quia ſine ſcandalo fratrum fieri non poteſt. De furore verò quid dicam, cum vel nihil, vel parum ab odio differat? *Ne æmuleris, vt nequiter facias.* Æmulare, inquit, alios in bonum, in malum autem neminem æmuleris.

Quoniam qui nequiter agunt exterminabuntur. Exterminari autem quid aliud eſt, quam extra terminos fieri: Qui autem extra terminos erunt in promiſſam ſanctis hæreditatem non intrabunt. De qua hæreditate ſubditur.

Qui vero expectant Dominum, ipſi hæreditate poſſidebunt terram. Illam videlicet terram de qua alibi dicitur. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Quomodo autem Dominum expectare debeamus, ipſe nos docet.

Vigilate, inquit, *quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus eſt.* Vigilare igitur eum oportet, qui Dominum expectat: vigilat autem, qui in bonis operibus perſeuerat.

Puſillum adhuc & non erit pec[illegible], & quæres locum eius, nec inuenies. Breuis eſt vita hominis & citò de hac vita tranſeunt, ipſi quoque, qui ſolam diligunt, & tranſeundo ſimul cum ea cuncta amittunt. Poſtea vero ſi locus eorum quæratur (quia nullum in hoc ſæculo locum habent) inueniri non poterit.

Manſueti autem poſſidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Hoc enim in Euangelio Dominus ait. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et tunc quidem delectabuntur in multitudine pacis, quam quidem in hoc mundo plenam, & perfectam [illegible] aliquis habere poteſt, cum ſpiritus concupiſcat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum.

Obſeruabit peccator iuſtum, & fremet ſuper eum dentibus ſuis: Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit quod veniet dies eius. Hoc autem de martyribus intelligitur, quos iniqui homines inſidiando obſeruabant, & rapientes ad ſupplicia trahebant, & ſuper eos dentibus frementes duris, & exquiſitis tormentis eos interficiebant. Sed Dominus irridebat eos, id eſt, irriſione dignos iudicabat: qui tempus, & diem ſanctorum vltionis, & illorum perditionis præuidebat.

Gladium euaginauerunt peccatores, tetenderunt arcum ſuum, vt decipiant inopem & pauperem, vt trucident rectos corde. Et hæc quidem de tyrannis & martyribus maniſeſtiſſima prophetia eſt, quamvis hoc etiam de hæreticis intelligi poſſit. Nam & illi materialibus armis, & iſti ſuarum deceptionum gladiis multos ſanctorum interfecerunt.

cerunt, Poſſumus autem per gladios manifeſtam perſecutionem, & per arcus occultam deceptionem intelligere. Vnde adhuc ſubditur.

Gladius eorum intret in cor ipſorum, & arcus eorum conteratur. Intrant enim gladij tyrannorum in corda eorum, quia ipſi ſui gladij, quibus ſanctos interfecerunt, ſunt eis cauſa mortis, & perditionis, arcus verò hæreticorum iam contritus eſt, quia omnis eorum hæreſis, & deceptio in multis conciliis damnata eſt.

Melius eſt Modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret, pauperes quidem ſunt ſancti, & ſuis diuitiis, & honoribus pro Chriſti nomine expoliati: ſed melius eſt modicum, quod habent ſuper multas diuitias, quas poſſident peccatores. Iſti enim habent parua & ſufficit eis: illi vero, multa, & habendi cupiditate, & auaritia torquentur.

Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iuſtos Dominus. Per brachia peccatorum omnem illorum fortitudinem intelligimus, quam quidem in diuitiis maximè conſtare videmus, quas ſi aliquo caſu amiſerint, protinus eos omnem fortitudinem ſimul cum eis amiſiſſe videmus. Confirmat autem iuſtos Dominus, quoniam temporalium rerum amiſſione ditiores, & fortiores fiunt, ſiquidem propter hoc centuplum accipiunt, & vitam æternam ſuſcipiunt.

Nouit Dominus vias immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Ideo, inquit, confirmat iſtos Dominus: quoniam ipſe nouit vias eorum. Ipſi enim ſunt, de quibus dicitur. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Qui enim ſic ambulant digni ſunt, quibus Dominus auxilietur. *Et hæreditas eorum in æternum erit.* Hic quaſi dicat, pauperes fuerunt, & ſuas hæreditates pro Chriſti nomine perdiderunt: ſed hæreditas eorum, & maior, & melior erit in æternum.

Non confundentur in tempore malo. Quid eſt in tempore malo? In tempore malis præparato, id eſt in die iudicij, quando mali ſuſcipient æterna mala. Et in diebus famis ſaturabuntur. Et in diebus famis quid eſt? Id ipſum tempus de quo modo diximus: quia ſancti non eſurient, ſicut ſcriptum eſt, neque ſitient vltra: mali vero omnem famem omnemque penuriam patientur. Vnde & ſubditur. *Quoniam peccatores peribunt.* Peribunt quidem non ſolum famis afflictione, verum etiam omni genere tormentorum. Et hoc probat.

Inimici autem Domini mox vt honorati, & exaltati fuerint; deficientes vt fumus deficient. Quod autem dixit, mox, non ideo dixit, vt ſtatim fiat, ſed quia citò, & poſt modicum fiet. Deficient autem vt fumus, quia ſe in ſuperbiam exaltando, & eleuando deficient. Hæc eſt enim natura fumi, vt ſe à terris eleuando deficiat.

Mutuatur peccator, & non ſoluit: iuſtus autem miſeretur, & commodat.

Et hæc quidem iuſta cauſa eſt, vt pereant mali: quia nolunt ſoluere quod mutuantur. Quid enim habemus, niſi quod mutuo accepimus? Sic & Apoſtolus dicit. *Quid enim habes quod non accepiſti? quod ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Dicitur autem mutuum, quaſi meum tuum. Quod igitur mutuo datur, non ex toto datur, quia aliquid inde expectatur. Sed quid Dominus expectat à nobis, de his, quæ dedit nobis? Audi ipſum dicentem. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quod itaque minimis ſuis damus, ſibi damus, immo non damus, ſed reddimus. *Iuſtus autem miſeretur, & commodat.*

Peccator, inquit, non vult ſoluere, quæ mutuo accepit, iuſtus vero è contra, & aliena ſoluit, & propria largitur, & commodat.

Quoniam benedicentes eum poſſidebunt terram, maledicentes autem illum diſperient. Facile, inquit, aliquis in his omnibus, quæ ſuperius dicta ſunt, intelligere poterit, quia benedicentes eum poſſidebunt terram. Non ſolum autem homines, verum etiam omnis creatura benedicit Dominum. Niſi enim omnis creatura benediceret Dominum, non dicerent illi tres pueri in camino poſiti. *Benedicite omnia opera Domini Dominum.* Quod ſi omnis creatura benedicit Dominum, qui ſunt illi, de quibus hic dicitur: *Maledicentes autem eum diſperient?* Apoſtolus quibuſdam male agentibus dicit: *Vos eſtis propter quos nomen Dei blaſphematur inter Gentes.* Iſti igitur ſunt, qui Dominum maledicunt. Hoc tamen, & de Iudæis ſpecialiter intelligi poteſt: de quibus dicitur.

Maledicent illi, & tu benedices, qui inſurgunt in me, confundantur.

A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius cupit nimis.

Qui à Domino dirigitur ſecurus incedere poteſt. A Domino autem illi diriguntur, qui de via mandatorum eius non recedunt. Hanc autem viam diligit Dominus. Per hanc viam iſte ſe cucurriſſe alibi ait. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum.*

Cum ceciderit iuſtus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius.

Non poteſt fieri vt homo in longo itinere non offendat, & ſine peccato in hac vita nemo viuere poteſt. Septies namque cadit iuſtus, & reſurgit.

Et ideò non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius. Quid eſt firmat manum eius: niſi cadentem ſuſtinet, & iterum ad bonum opus præparat, & accingit.

Iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius egens pane. Hoc autem Propheta mihi his verbis dicere videtur: ab hoc tempore meæ iuuentutis, quo mihi hæc Deus reuelare dignatus eſt, vſque ad ſæculi conſummationem per ſingula ſæcula, Spiritu ſancto me ducente, cuncta conſideraui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen, id eſt, filios, & imitatores eius fame perire. Illi namque pereunt fame qui cibis ſpiritualibus non nutriuntur.

Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen eius in benedictione erit. Si enim egeret, aliis ſubuenire non poſſet. In hoc igitur abundare probatur, quod aliis miſeretur, & commodat & ſpiritualia, & temporalia, quæ habet cum aliis partitur. Et ideo ſemen eius in benedictione erit: per quod, vt diximus eius imitatores intelligimus: ſiue etiam ſemen doctrinæ eius in benedictione erit quia ſemper creſcet, & in melius proficiet.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſæculi.

Hoc conſilium ſufficit omnibus ad ſalutem, hæc eſt vera regula perfectionis, mala fugere, & bona agere & ab Eccleſiæ & fidelium ſocietate non recedere.

Quoniam Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur. Declina, inquit, à malo, & fac bonum. Quare? Quoniam Dominus amat iudicium & reddet vnicuique ſecundum opera ſua, & non derelinquet eos, qui à malo declinant, & bona agunt, ſed in æternum eos conſeruabit. De malis autem quid fiet? Sequitur.

Iniuſti autem punientur, & ſemen impiorum peribit, iuſti vero hæreditate poſſidebunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.

Hoc autem, & de præſenti Eccleſia, & de terra viuentium intelligi poteſt.

Sed quia dicit in ſæculum ſæculi, conuenientius de illa terra intelligitur, quæ nullo modo auferri poterit, quam & in æternum poſſidebunt.

Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Iuſtum eſt enim, vt æternam poſſideat hæreditatem, qui in hoc ſæculo poſitus ſoli ſapientiæ operam dedit, & non receſſit à veritate: quid eſt enim iudicium loqui, niſi veritatem dicere, & tenere? Vnde & ſubditur.

Lex Dei eius in corde ipſius. Quomodo enim à veritate recedere poteſt qui ſecundum legem Dei iudicat, & aliam legem ignorat? *Et ideo non ſupplantabuntur greſſus eius.* Illi enim ſupplantantur, qui ad errorem trahuntur, & à veritate ſeparantur. Hoc autem illi non timent,

A

qui legem Domini in memoria, & in corde habent, & in ea aſſiduè meditantur.

Conſiderat peccator iuſtum, & quærit perdere eum. Conſiderat, inquit, obſeruat, & inſidiatur ei, & quærit, quomodo eum perdere,& decipere poſſit. Dominus autem, qui numquam deſerit ſperantes in ſe, non derelinquet eum in manibus ſuis. Iſte peccator diabolus eſt peccatorum omnium maximus, qui ſemper ſanctis inſidiatur: eoſque accuſare non ceſſat. Sequitur. *Nec damnabit eum,cum iudicabitur illi.* Non dixit cum iudicabit illum, ſed cum iudicabitur illi, quoniam illud diſtrictum iudicium ad malorum damnationem, & ad bonorum vindictam, & gloriam fiet.

Expecta Dominum, & cuſtodi vias eius, & exaltabit te, vt inhabites terram.

Expecta, inquit Dominus, ſecurus eſto, & nihil timeas, qui non te, ſed tibi iudicaturus veniet, & cuſtodi vias eius, de quibus te inimicus trahere, & in vias ſuas

B

inducere conatur,& exaltabit te ad illam ſupernam beatitudinem, vt inhabites illam terram, in qua nec mortem, nec inimicorum inſidias timeas, *cum perierint peccatores videbis.* Magna conſolatio eſt inimicorum pœnas, & perditionem videre.

Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſuper cedros Libani, Tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.

Libanus, qui candidatio interpretatur, Sanctam Eccleſiam ſignificat, quæ baptiſmatis aquis mundata, & lauata, & ſuper niuem dealbata eſt. Per cedros autem illos intelligimus qui ſapientia, ſanctitate, & virtutibus altiores, & fortiores in Eccleſia ſunt. Super hos autem exaltatos & eleuatos multoties impios videmus, & quaſi humillima fruteta eos conculcant, & deſpiciunt. Quod autem dicit. *Tranſiui, & ecce non erat.* Tale eſt ac ſi diceret, poſtquam vidi impium ſic exaltatum, & eleuatum ad ea, quæ ſibi poſt modicum tempus futura erant, mente, & cogitatione tranſiui, & ecce non erat: ibi videlicet,

C

vbi prius eſſe ſolebat, quæſiui eum inter illa ſuarum domorum ſuperciliosa faſtigia, & non eſt inuentus locus eius, quoniam iam alij omnia occupauerunt qui nullas inde ſibi gratias agebant.

Cuſtodi veritatem, & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Vide locutionis elegantiam, quomodo alternatim iuſtorum præmia, & iniquorum perditionem deſcribit, quatenus hinc ſuos auditores prouocet ad bonum, inde vero retrahat à malo. Cuſtodi,inquit,veritatem, & vide æquitatem, & noli æmulari inter malignantes, neque imiteris illos, qui ſic exaltati, & eleuati tam citò caduot, & deficiunt, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Illi, quaſi dicat, & ſeipſos & quæcunque habent ſubito amittunt, ſancti vero de hoc ſæculo exeuntes ditiores fiunt. Nihilque fuit, quod in hac vita habuiſſe viſi ſunt ad comparationem reliquiarum, quæ illis in alia re ſeruantur.

D

Iniuſti autem diſperient, ſimul reliquiæ impiorum peribunt. Contrariis ſuo more contraria ponit, quia ea, quæ boni habebunt, mali habere non poterunt.

Salus autem iuſtorum à Domino eſt, quia nihil de ſuis viribus præſumpſerunt, & protector eorum eſt in tempore tribulationis. Et ideo ab inimicis ſuperati non potuerunt.

Et adiuuabit eos Dominus & liberabit eos, & eripiet eos à peccatoribus, & ſaluos faciet eos, quoniam ſperauerunt in eum. Talis autem eiuſdem rei repetitio, & inculcatio firmiorem facere debet promiſſionem, ſemperque notandum quanta ſit virtus ſpei, quæ ſic vbique commendatur.

PSALMVS DAVID IN COMMEMOratione de Sabbato.

Sabbatum requies interpretatur, per quam videlicet requiem æternæ beatitudinis, quietem intelligimus.

E

Vnde Apoſtolus dicit. *Quia relinquit Sabbatiſmum populo Dei.* Huius igitur quietis Eccleſiæ filij memores duram de peccatis ſuis in hoc pſalmo pœnitentiam agunt.

Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.

Iſtæ affectiones, ſicut iam in alio pſalmo diximus in Deo non ſunt. In eo tamen eſſe videntur, quando ea facit, quæ irati homines facere ſolent. Vox pœnitentis eſt, iudicij diem timentis, & Dei miſericordiam implorantis. Et tale eſt, ac ſi dicat multum peccaui, & dum iudicij diem & tormenta malis præparata in ſcripturis ſanctis lego, & conſidero, nimio terrore & timore conficior. Sed tu Domine in illo tremendi iudicij die fac miſericordiam cum ſeruo tuo, & ne in ira arguas me, neque in furore corripias me. *Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit?* Non ergo intres in iudicium cum ſeruo tuo.

F

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Sagittæ Dei illæ ſententiæ ſunt, quæ in vtroque Teſtamento contra peccatores mittuntur. Tales autem in ſuperiori pſalmo multas modo audiuimus, & in Euangeliis, cæteriſque ſcripturis diuinis multas reperimus. Qualis eſt illa: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Et Apoſtolus: *ſecundum duritiam tuam*, inquit, *& cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Has autem ſagittas ſibi infixas eſſe dicit, quia his & ſimilibus eius animus vulneratus,nimio terrore concutitur. Hoc eſt enim,quod ait: *Et confirmaſti ſuper me manum tuam.* Beati illi,qui hanc manum ſentiunt, & his ſagittis ſe vulneratos eſſe cognoſcunt. Qui enim de peccatis non dolent, manum Dei ſuper ſe imminentem, & ad feriendum præparatam non intelligunt. Vnde adhuc ſubditur.

G

Non eſt ſanitas in carne mea à vultu iræ tuæ, & non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Quanta inſtantia pœnitentiam egerit, carnem afflixerit, totumque ſe interius, exteriuſque mactauerit, his verbis manifeſtiſſimè declaratur: Quia te, inquit, iratum mihi eſſe cognoſco, & peccata mea ſemper ante oculos & faciem habeo, ideo nec in carne ſanitas, nec in oſſibus pax mihi eſt, quia ieiuniis, & aliis fatigationibus affligor, ſi tamen vel ſic peccatorum meorum veniam merear. Poſſumus autem & per oſſa virtutes intelligere, quæ regnantibus peccatis pacem, & quietem habere non poſſunt.

Quoniam iniquitates meæ poſuerunt ſe ſuper caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Ecce cauſa totius afflictionis in hoc verſu reuelatur. Ideo, inquit, ſic infirmatus ſum, quoniam iniquitates meæ poſuerunt ſe, & quodam modo ſedem ſibi fecerunt ſuper caput meum, per quod mentem intelligimus, quo videlicet capite ſubiugato, nihil erit quod eis reſiſtere valeat.

H

Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, & iam vlterius earum pondus ſuſtinere non valeo. Hoc nulli alij dicere poſſunt, niſi illi ſoli, qui dignam pœnitentiam agunt, quoniam cæteris omnibus non grauia, ſed valde leuia, & delectabilia ſua peccata eſſe videntur. Ad hoc enim Propheta hunc vnum pœnitentem poſuit, vt in eius verbis omnes alij diſcant, qualiter pœnitentiam agere debeant.

Computruerunt, & deteriorauerunt omnes cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Vbicumque ſunt cicatrices, ibi vulnera, vel vlcera fuiſſe non dubium eſt. Quod igitur ſua incuria, & inſipientia cicatrices ſuas deterioraſſe & computruiſſe dicit, ſe iam pridem ab infirmitate ſanatum, ſed iterum infirmatum ſe eſſe oſtendit. Hoc autem illis contingit, qui peracta pœnitentia ad peccata iterum redeunt. Sanantur autem Dei miſeratione etiam iſti, ſed tales cicatrices difficilius ad ſanitatem perueniunt.

Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.

ingrediebar. Pro talibus, inquit, tantiſque delictis vſque in finem, id eſt, penitus, & ex toto afflictus, turbatus, & contriſtatus ſum.

Quoniam anima mea completa eſt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Multas illuſiones patitur anima, cui peccata dominantur, quoniam poſt multas, & iniquas cogitationes ad deſperationem aliquando vſque perducitur. Quod vero ait: *Et non eſt ſanitas in carne mea,* vel afflictionum, & ieiuniorum immenſitate infirmatam, vel luxuriis & voluptatibus, aliiſque corruptionibus violatam eſſe oſtendit.

Incuruatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque. Multi pœnitentes incuruantur, & humiliantur, ſed non vſquequaque: quia etſi duram pœnitentiam agant, in aliquibus tamen peccare non ceſſant. *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Nihil eſt pœnitenti homini fructuoſius, quam hic talis compunctionis gemitus atque rugitus. Vnde & alibi dicitur: *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernis, & ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus.* Quaſi dicat, qualiſcumque, aliquando fuerim, & in quibuſcumque rebus deſiderium meum occupatum fuerit, tu tamen vides quale nunc ſit deſiderium meum. Et hæc penitentia mea, iſtæ lacrymæ, & hic gemitus meus a te abſcondi non poteſt.

Cor meum conturbatum eſt in me, & deſeruit me fortitudo mea. Non poteſt dubitari valde interius eſſe conturbatum: qui tam dura pœnitentia exterius ſatisfecit. Talis autem conturbatio bona eſt, quia hac tali conturbatione omnes mali humores reiiciuntur, & anima infirma ſanatur. *Et deſeruit me fortitudo mea.* Si enim ea fortitudo, quæ propriè, & naturaliter hominis eſt, eum non deſeruiſſet, nequaquam ſic a vitiis ſuperatus fuiſſet. Tam diu igitur lachrymis, & orationibus inſiſtendum eſt, donec amiſſa fortitudo redeat, & mens a ſui feruoris conturbatione quieſcat. *Et lumen oculorum meorum non eſt mecum.* Lumen oculorum ſuorum Deum ipſum eſſe dicit, quem propter peccata, quæ commiſerat, dignè ſatis a ſe receſſiſſe conqueritur, & dolet. Hucuſque clamorem pœnitentis audiuimus, hinc autem Saluatorem noſtrum de ſua paſſione loquentem audiamus. Et certè Saluator noſter pro peccatoribus paſſus eſt, qui idcirco hoc in loco paſſionem ſuam narrare videtur, quatenus huic tam dignè pœnitenti peccatori conſolatio detur.

Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Nihil eſt, inquit, O homo quod queraris, nihil eſt quod de tuis miſeriis lamenteris, vide me afflictum, vide me crucifixum, vide me peccata tua portantem, vide me mundi miſerias ferentem, & auferentem. Conſolare igitur, ſpem habeto, non frangaris aduerſis. Non tibi notum eſt quomodo amici mei Iudæi, ironia eſt: Sic enim & Iudam amicum vocauit: *Amice ad quid veniſti?* cum vtique amicus non eſſet. *Et proximi mei* (ſecundum carnem) *aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.* Non enim appropinquauerunt vt crederent, ſed potius vt, occiderent. *Et proximi mei a longe ſteterunt.* Hoc autem de Diſcipulis intelligitur, qui, *eo relicto*, ſicut in Euangelio legitur, *fugerunt omnes.*

Et vim faciebant, qui quærebant animam meam. Vim quidem faciebant quia & ipſum violenter poſt ſe trahebant, & Diſcipulos, vt modo diximus, fugere coegerunt. *Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitatem.* Et quid aliud niſi vanitatem locuti ſunt Iudæi, contra eum frementes: inſanientes, crucifige clamantes, falſos teſtes producentes, & multis opprobriis, & blaſphemiis ei illudentes? *Et dolos tota die meditabantur.* Quia enim, ſicut ſcriptum eſt, nullam cauſam mortis inueniebant in eum, ideo tota die dolos meditabantur, quibus eum accuſarent, & interficerent eum.

Ego autem velut ſurdus non audiebam. Non audiſſe ſeſe dicit, quia eorum blaſphemiis & interrogationibus reſpondere noluit. Vſitata locutio eſt, vt ea nos non audire dicamus, ad quæ reſpondere non curamus. Vnde & quidam illorum dicebant: *Nonne audis quanta iſti aduerſum te teſtificantur? Et ſicut mutus, qui non aperit os ſuum.* Ipſe eſt enim, de quo ſcriptum eſt: *Tanquam ouis ad victimam ductus eſt, & non aperuit os ſuum.* Vnde & ſubditur.

Et factus ſum vt homo non audiens, & non habens in ore ſuo increpationes. Tanta namque patientia eorum verba ſuſtinebat, ac ſi nihil haberet, quod eis reſponderet, vel vnde eos increpare potuiſſet, qui omnium ſecreta videbat, & vnumquemque de omnibus quæ malè egerat reprehendere poterat.

Quoniam in te Domine ſperaui, dixi: tu exaudies me, Domine Deus meus. Ideo, inquit, neque illos redarguere, neque me in aliquo defendere volui, quia non in me, ſed in Domino ſperaui, cuius virtutem, & poteſtatem ſuper illos, & ſuper omnia eſſe ſciebam, qui me ſufficienter defendere poterat.

Dixi, tu exaudies me Domine Deus meus. Et hoc, quaſi dicat, ſufficiens mihi erat, quia ſecundum meam voluntatem exaudiendum me eſſe ſciebam. Cur enim in loquendo, vel reſpondendo, vel aliquo alio modo ſe fatigaret, cui ſola voluntas, & cordis oratio ſufficiebat?

Quia dixi, ne aliquando inſultent in me inimici mei. Hæc erat igitur voluntas illius; hæc oratio verſabatur in corde eius, ne inimici eius ſibi inſultare potuiſſent. Quod autem ait: *Ne aliquando*, intelligendum eſt poſt paſſionem, & reſurrectionem, ſiquidem illis tribus diebus data eſt illis poteſtas facere in eum, quod facere voluiſſent. Vnde & ipſe dicebat: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Et alibi: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ,* id eſt in affectu, & voluntate Iudæorum, vt faciant in eum quod voluerint. Poſt paſſionem vero & reſurrectionem nequaquam ei Iudæi inſultare potuerunt, cum & ipſi propter hoc peccatum vbique diſperſi ſint, & Chriſti nomen, & gloria vbique prædicetur. *Et dum commouerentur pedes mei, in me magna locuti ſunt.* Pedes Dei Apoſtoli ſunt, qui eius Euangelium in omnem terram detulerunt. De quibus dicitur: *Quam pulchri pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Iſti autem pedes tunc moti ſunt, quando Dominus ait: *Si me quæritis, ſinite hos abire.* Deinde vero impij Iudæi, & magna & mala & ſtulta & nefanda, ſicut in eius paſſione legitur, contra Dominum locuti ſunt.

Quoniam ego ad flagella paratus ſum, & dolor meus ante me eſt ſemper. Non me, inquit præparaui ad reſiſtendum, ſed ad flagella ſuſcipiendum. Poterat enim reſiſtere, facileque omnes ſuos perdere inimicos ſi voluiſſet; Sicut B. Petro pugnanti & gladio eum defendere volenti ait: *Mitte gladium in locum ſuum. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Et quaſi dicat, niſi hoc fiat, ego a dolore, quem habeo de diaboli poteſtate, & humani generis perditione liberari non poſſum. Et hoc eſt quod ait: *Et dolor meus ante me eſt ſemper.* Semper quidem donec moriendo vincam, & eos, qui captiui tenentur, eripiam.

Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio, & cogitabo pro peccato meo. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: Quaſi iniquum, & peccatorem, & in Deum blaſphemantem, & contra legem agentem me damnant, & iudicant: ſed ego ipſe pronuncio, & notum facio, quæ ſit iniquitas mea, & quod ſit peccatum meum. Volui mundum eſſe ſaluum, & genus humanum de diaboli eripere poteſtate, & hoc eſt peccatum meum, pro hoc, ſi neceſſe fuerit, ego ipſe cogitabo.

Inimici autem mei viuent, & confortati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè. Hæc autem ſub interrogatione, cum quadam indignatione legenda ſunt. *Inimici*, inquit, *mei viuent?* Non viuent, ſed morte morientur, & temporali videlicet & æterna. *Et confortati ſunt ſuper me?* Non confortati, ſed humiliati, & diſſipati. *Et multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè?* Non multiplicati, ſed ſicut digni ſunt, modis omnibus minorati. Et certe, ſicut videmus, gens illa modo non creſcit, quæ ante Chriſti paſſionem quaſi herba terræ creſcebat, & pullulabat.

Qui retribuebant mihi mala pro bonis detrahebant mihi. Quod enim Iudæi mala pro bonis ei retribuerent, ipſe Dominus oſtendit, dicens: *Multa bona opera operatus ſum vobis, propter quod horum vultis me occidere?* Detractiones vero illorum quia ſatis notæ ſunt, nobis exponere non eſt neceſſe, quoniam ſubſecuti ſunt iuſtitiam.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me, intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ. Docet nos Saluator noſter quod illi, qui iuſtitiam habent, confidenter Dei adiutorium quærere poſſunt, in eo quod ſe ipſum in exemplum ponit, vt quia iuſtitiam ſubſecutus eſt, à Domino non relinquatur.

PRO IDITHVM CANTICVM DAVID.

IDithum, tranſiliens eos interpretatur. Hunc itaque pſalmum cantat Dauid in laudibus illorum, qui eos tranſiliunt, & quaſi non audientes prætereunt, qui contra eos vanitates loquuntur, & qualibet fatuitate ad indignationem prouocare nituntur. Per hos autem perfectiores quoſque intelligere poſſumus qui ſilentium elegerunt, ne vel verbi leuitate peccarent. De talibus enim Hieremias ait: *Bonum eſt homini cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit.*

Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Dixi, inquit, mente propoſui, & corde ſtabiliui, firmiterque firmaui in tantum cuſtodire vias meas, & opera mea, vt non delinquam in lingua mea. Hoc enim valde difficile eſt vt in lingua homo non peccet. *Qui enim in verbo non offendit* (dicit Scriptura) *hic perfectus eſt vir.* Et *qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit & animam ſuam.* Et *mors & vita in manibus linguæ. Qui enim putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.*

Poſui ori meo cuſtodiam dum conſiſteret peccator aduerſum me. Hoc eſt enim, quod alibi dicitur: *Sepi aures tuas ſpinis, & fac ori tuo oſtium, & ſpinas.* Et hoc quidem debent facere viri ſancti, quando eorum verba magis generant ſcandalum, quam vtilitatem. Vnde & Dominus ait: *Nolite ſanctum dare canibus, neque ſpargere margaritas ante porcos.* Fugiamus igitur ſermonem habere cum illis, qui verbis noſtris non ædificantur: ſed potius ad blaſphemias, & opprobria concitantur. Vnde & ſubditur.

Obmutui, & humiliatus ſum & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. Quia, inquit, peccator ad reſiſtendum, & veritatem impugnandam ſtabat contra me, & ego intelligebam neque tibi tunc, neque aliis verba mea proficere poſſe, obmutui, & ſic humiliatus ſum, ac ſi illius inſipientiæ reſpondere non poſſem. Et ſilui à bonis, quia ipſa verba ſancta, & catholica inter porcos ſeminare, & ſpargere ceſſaui. Hoc enim fecit & Apoſtolus, cui cum Iudæi acquieſcere noluiſſent, ait: *Vobis primum oportuerat prædicari verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos feciſtis æternæ vitæ, ſanguis veſter ſuper caput veſtrum, ecce conuertimur ad Gentes. Et dolor meus renouatus eſt.* Super illorum videlicet perditione, qui tam obſtinati veritati reſiſtebant, & ſuæ ſalutis medicinam recipere nolebant.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. Concaluit, inquit, cor meum intra me. Sancti Spiritus inflammatione, & in ipſa mea meditatione, ignis charitatis, & amoris ardere cœpit, vt adhuc pro illis orarem, quatenus eorum corda Deus molliret, & ad ſui notitiam, & veritatis viam eos reuocaret.

Locutus ſum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi. Non pro ſe, ſed pro aliis viri ſancti & perfecti, qui in hoc pſalmo loquuntur, in hac vita eſſe cupiunt. Vnde quia aliis proficere non poſſunt pro ſe ipſis orant, vt tandem in illam beatitudinem ſuſcipiantur. *Locutus ſum,* inquit, *in lingua mea.* In lingua interioris hominis te rogaui, vt finem meum mihi notum faceres. Quanto tempore in hac vita ſumus, ad quem finem perueniamus certi non ſumus. Quicumque igitur, vt Apoſtolus ait, cupit diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ille proculdubio ſuum finem videre deſiderat. Cupit præterea videre, & numerum dierum ſuorum, illum videlicet numerum, qui eſt, & ſemper eſt, & finem non habet. Iſti enim dies non habent numerum, quia quando vnus eſt, alter iam tranſiit, & alter nondum eſt. Quod autem non eſt, quomodo numerari poteſt? Poteſt enim dici, quia fuit, vel futurum eſt: ſed non poteſt dici, quoniam eſt. *Vt ſciam quid deſit mihi.* Quicumque ad illam beatitudinem peruenerit, pro certo cognoſcet quantum in hac vita ſibi defuerit. Erit enim Deus omnia in omnibus, & nullus aliquo indigebit.

Ecce veteres poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquã nihil ante te eſt. Quod enim inueteraſcit, dicit Apoſtolus, *& ſeneſcit, prope interitum eſt.* Vnde & dies ſuos iam ad finem veniſſe oſtendit, dum eos inueteratos eſſe dicit. Subſtantia vero iſta noſtra temporalis tamquam nihil eſt ante Deum, quia non ſolum hoc, verum etiam ſicut Propheta ait: *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo.* Quia enim Deus æternus eſt, & omnia ante eum æterna ſunt, temporalia, & tranſitoria ante eum pro nihilo computantur.

Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens, quamquam in imagine Dei ambulet, homo tamen vane conturbabitur. Quamuis, inquit, hæc noſtra ſubſtantia nihil ſit, homo tamen fatuus, & vanus in ea laborat, & conturbatur. Vniuerſa namque vanitas eſt homo quanto tempore viuit, quia niſi prius mundo, carniſque concupiſcentiis moriatur, à vanitatibus non recedit. Bonum eſt homini ſic mori, quoniam qui ſic moritur, melius viuit. Et valde quidem inconueniens eſt, vt homo ad imaginem Dei factus, circa hæc tam vana, & inutilia occupetur, & conturbetur. Debet enim ad illum reſpicere, ad cuius imaginem factus eſt: quam videlicet imaginem ſi tenere, & cuſtodire potuiſſet, nihil vnquam ſibi deeſſet.

Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea. Laborat, inquit, fatigatur, & conturbatur, vt has citò ſecum perituras diuitias congregare valeat, & ignorat, cui congregat eas, quia quas filiis, & nepotibus ſe relinquere ſperat, ſuis potius aduerſariis & inimicis derelinquit.

Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus, & ſubſtantia mea tamquam nihil ante te eſt? Illi, inquit faciant quod velint, habent has diuitias quæ ſibi placent: mihi verò non placent, quoniam omnis ſubſtantia mea, omnes diuitiæ, & expectatio mea Dominus eſt, quem ſi habuero ſatis mihi eſt, omnemque meam ſubſtantiam pro nihilo duco, quoniam ſubſtantia mea, vt modo diximus, tamquam nihil ante te eſt. Quod autem tamquam nihil ante te eſt, ante me quoque tamquam nihil eſt.

Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me, opprobrium inſipienti dediſti me.

Aliis, inquit, ſicut tibi placet, has tales diuitias tribue: mihi vero hoc ſolum præſta, vt ab omnibus meis iniquitatibus, me eripias, & ad fatuos, & inſipientes me vlterius non mittas. Et hoc eſt quod dicit. *Opprobrium inſipienti dediſti me.* Vnde & ego obmutui, & non aperui os meum. Cur enim eis loquerer, qui me audire nolebant, qui te blaſphemabant, & me verberabant, mihi illudebant, & te maledicebant.

Quoniam tu feciſti me, amoue à me plagas tuas, à fortitudine enim manus tuæ ego defeci in increpationibus. Pulchrè autem dixit, Quoniam tu feciſti me, vt ex hoc facilius in adiutorium moueatur, quod factor, & creator memoratur. Si enim homines, & omnia animalia inde filios ſuos tantum diligunt, quia ipſa eos genuerunt, quanto magis eum, qui omnia creauit, & fecit quod omnem ſuam diligat creaturam credere debemus? Et ſi omnem diligit, præcipue illam diligit, quæ cæteris melior eſſe videtur. *Amoue à me,* inquit, *plagas tuas.* Iſtæ, quaſi dicat, plagæ tuæ ſunt, tu mihi eas facis, tu inquam, qui facis immiſſiones per Angelos malos: qui Iob ad flagellandum ſatanæ tradidiſti, & malignos ſpiritus

in porcos miſiſti : cui non immerito quotidie dicimus. *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* A fortitudine manus tuæ, quæ me tam grauiter affligi permittit. Ego defeci in increpationibus & caſtigationibus tuis. Scio enim quia corripis, & caſtigas omnem filium, quem recipis, & quia ſine cauſa nihil facis. Et hoc eſt quod dicit.

Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius. Sic eſt humana natura in primo homine violata, vt nullus hominum ſit, qui quantum in ſe eſt, flagellis dignus non ſit. Qui igitur non flagellatur, non ſuis meritis, ſed ſoli Dei miſericordiæ imputare debet. Aranea vero in hoc loco bonam videtur habere ſignificationem.

Illa itaque anima ſicut aranea tabeſcit, quæ in inſtantia operis diuinicus ſibi iniuncti ſe quotidie affligere non ceſſat. Hoc autem de illis conuenienter intelligere poſſumus, qui vigiliis ieiuniis, & orationibus dediti in lege Domini meditantur die ac nocte.

Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Hoc autem in alia tranſlatione non habetur, & tale videtur eſſe, ac ſi diceret, quamuis in Dei ſeruicio boni quotidie laborantes ſe ipſos macerent, & affligant : mali tamen nullum inde bonum exemplum capientes in ſua nihilominus vanitate perſiſtunt.

Exaudi Deus orationem meam, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas, ne ſileas à me. Quatuor orationes in hoc vno verſu continentur, quibus pene vnum atque idem ſignificatur, in quibus nimirum docemur quanta inſtantia Deum orare debeamus.

Quoniam incola ego ſum apud te in terra, & peregrinus ſicut omnes patres mei.

Dignus eſt, vt exaudiatur qui in terra incola eſt, & mente & Spiritu apud Deum eſt, Incola autem dicitur, qui non propriam, ſed alienam terram colit. Tales autem erant illi, qui dicebant.

Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Eſt autem & peregrinus, quoniam à patria longe eſt, & ad patriam redire feſtinat. Hinc eſt autem quod Patriarchæ, & Prophetæ peregrinos ſe eſſe dicebant, quoniam ad hæreditatem ſibi promiſſam properabant, per quam noſtram quoque hæreditatem ſignificabant.

Remitte mihi vt refrigerer priuſquam eam, & amplius non ero. In illam hæreditatem ſiue ciuitatem, ſicut ſcriptum eſt non intrabit aliquis coinquinatus & immundus. Vnde & priuſquam illuc eat, omnia vitia, & peccata, quibus anima vritur, ſibi à Domino dimitti exorat. Illa vero anima refrigerium ſentit, quæ ſe à vitiorum æſtu, carniſque concupiſcentiis liberatam eſſe cognoſcit. Quod autem ait. *Et amplius non ero.* Hoc eſt intelligere, niſi priuſquam eam, id eſt, de corpore exeam, peccata mea mihi remiſerit, amplius ibi cum electis tuis eſſe non potero. In hac igitur vita his, qui ſaluandi ſunt, remittitur omne peccatum : ſed non omnibus remittitur pœna peccati.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

ISte titulus iam ſuperius expoſitus eſt.

Expectans expectaui Dominum, & reſpexit me, & exaudiuit deprecationem meam, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Eccleſia loquitur in hoc pſalmo, cuius membra ſunt omnes, qui ad vitam prædeſtinati ſunt à primo homine vſque ad finem ſæculi. *Expectans*, inquit, *expectaui Dominum.* Omnes enim Patriarchæ, & Prophetæ, aliique omnes, quos ſanctus Spiritus illuminauit, Chriſti aduentum cum magno deſiderio expectabant. Vnde & ipſe Dominus ait. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Sciebant enim quia niſi ipſe veniret, à peccato primi hominis liberari non poterant. De his autem erant vir ille iuſtus Simeon, qui *reſponſum acceperat à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini.* Hoc autem illi expectabant, & Dominus reſpexit eos, & exaudiuit deprecationem illorum, mittens eis filium ſuum in tempore præfinito, quem tanto tempore expectauerant. Vnde & Apoſtolus ait. *Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, natum de muliere, factum ſub lege: vt eos, qui ſub lege erant, redimeret. Et eduxit eos de lacu miſeriæ.* Per quem infernum intelligimus, in quo omnes ſanctorum animæ vſque ad id tẽporis captiuæ tenebantur. *Et de luto fæcis.* Per quod prauam, & erroneam Iudæorum Doctrinam ſignificat. Quid enim eſt lutum fæcis, niſi vini purgamentum? Non eſt igitur vinum hæc doctrina, quam Iudæi habent : ſed vini potius fæx, & purgamentum vini, videlicet, Legis & Prophetarum, quod quidem illi ſoli bibunt, qui non ad litteram, ſed ſpiritualiter ſcripturas intelligunt. De hoc igitur luto educti ſunt, qui illorum intelligentiam, & errorem non ſequuntur.

Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos, & immiſit in os meum canticum nouum, hymnum Deo noſtro. Eccleſiæ pedes, oculi, manus, & lingua ſancti Apoſtoli ſunt, eorumque ſucceſſores. Hos autem ſtatuit Dominus ſuper illam petram, de qua Apoſtolus ait : *Petra autem erat Chriſtus.* Vnde, & alibi dicit : *Fundamentum autem aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Ecce ſuper petram pedes tuos poſuit, & quid poſtea fecit? *Et direxit greſſus meos*, fecit tibi aliud? *Et immiſit in os meum canticum nouum.* Ad quid? *Hymnum Deo noſtro.* Pulcher ordo locutionis pedes firmauit, greſſus direxit, canticum docuit, & ſoli Deo cantare præcepit. Canticum nouum : canticum prius inauditum Euangelica prædicatio eſt : in qua Chriſti natiuitas, paſſio, reſurrectio, & aſcenſio declaratur. De quo & alibi dicitur : Dominus præcipit cantare canticum nouum, & Iudæi infelices nolunt cantare, niſi canticum vetus. Canticum vetus cantare eſt in vetuſtate litteræ, & non in nouitate ſpiritus ambulare. Vetus igitur canticum cantant, qui iuxta litteram legem intelligunt.

Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino. Multi enim cæci erant, & in erroris tenebris ſedebant, qui ſtatim, audita prædicatione, & in nomine Domini baptizati, illuminati ſunt. Et Deum timere, & in ipſo ſolo ſpem habere cœperunt, qui prius falſos Deos offendere timebant, & in incerto diuitiarum ſpem habebant. De talibus ad Timotheum Apoſtolus ait : *Præcipe diuitibus huius ſæculi, non ſuperbè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.*

Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitatem, & inſanias falſas. Sic igitur nomen Domini ſpes noſtra, & in cunctis noſtris neceſſitatibus ipſum inuocemus, quia, ſicut Apoſtolus ait : *Quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Illi autem reſpiciebant in vanitatem, & inſanias falſas, qui idola vana, muta, & ſurda colebant, & falſos Deos adorabant. Poſſumus autem per inſanias falſas etiam arteſpicias intelligere, à quibus miſeri homines reſponſa petebant.

Multa feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt, qui ſimilis ſit tibi. Quis mirabilia Dei enumerare valebit? Nihil fecit Deus, quod mirabile non ſit. Sed illud mirabilius eſt, quod tantum ſe humiliauit, quod carnem noſtram ſuſcepit, quod miſerias noſtras ſuſtinere voluit. Sed & illud valde mirabile eſt, quod taliter & per tales mundum conuertit, & ab antiqua ſua ſuperſtitione ſeparauit. Quis talia vmquam cogitare potuit? Quis tantam miſericordiam mente concepit? Quis, non dicam pro malis ſeruis, ſed pro filiis cariſſimis ſic ſe humiliauit? Dicat ergo Eccleſia, dicant Apoſtoli : *Multa feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia tua*, qui nobis ad euangelizandum tantam efficaciam virtutemque dediſti, & tam fragili miniſterio tibi omnia ſubiugaſti, & hoc eſt, quod dicit.

Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Annũciantibus Apoſtolis, & Chriſti fidem prædicantibus, multiplicati ſunt fideles, tantaque fuit

A credentium multitudo, vt ſicut ſtellæ cœli numerari non poſſit. Sunt autem etiam in hoc multiplicati ſuper numerum, quia valde maior eſt numerus baptizatorum, quam ſit numerus electorum. Vnde & Dominus in Euangelio ait: *Quia multi ſunt vocati, pauci vero electi. Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus, autem perfeciſti mihi. Finis enim Legis*, vt Apoſtolus ait, *Chriſtus eſt, ad iuſtitiam omni credenti.* In Euangelio quoque dicitur: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Sacrificia itaque & oblationes vſque ad Chriſtum ſuum tempus habuerunt, quia Chriſti paſſionem ſignificabant. Deinde vero neceſſaria non fuerunt, quia debuit ceſſare vmbra, veniente veritate. Bene igitur hic dicitur: *ſacrificium & oblationem noluiſti*, quia quod prius in ſignificatione erat, in veritate agere cœpit. Et hoc eſt quod ait: *Corpus autem perfeciſti mihi.* Quod tale eſt ac ſi diceret, pro illis omnibus ſacrificiis, quæ vſque ad id temporis fiebant, corpus tuum, & ſanguinem tuum mihi dediſti.

Holocauſta etiam pro delicto non poſtulaſti. Vt quid
B enim poſtularet holocauſta vlterius pro peccato, qui ſuo ſanguine deleuit omnia peccata? Dicit autem holocauſtum totum incenſum, quia hæc talis hoſtia tota Domino incendebatur. *Tunc dixi: ecce venio.* Hucuſque Eccleſia locuta eſt; nunc autem loquitur Saluator noſter, & ad primum huius pſalmi verſum reſpondet, & tale eſt, ac ſi dicat, tu expectans expectaſti me, & meum aduentum deſideraſti, & ego tunc dixi: ecce venio, carnem ſuſcipio, & ad te liberandum feſtino.

In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Dixit modo Saluator noſter ſecundum diuinitatem ecce venio: nunc autem humanitas diuinitati coniuncta, obſequium ſibi & obedientiam promittit, dicens: *In capite libri huius ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam, ego autem, Deus meus*, ſummo quaſi dicat, deſiderio hoc *volui*, & volo, & quod mihi præceperis per omnia, & in omnibus facere parata ſum. Quod autem in capite huius libri dicitur: *ſed in lege Domini fuit*
C *voluntas eius*, hoc eſt quod hic dicit, *vt faciam voluntatem tuam.* Et quod ibi dicitur: *in lege eius meditabitur die ac nocte*, hoc eſt quod hic dicit: *Legem tuam in medio cordis mei.* Et hæc quidem ſatis conuenientia ſunt. Hæc pauca verba ad noſtram conſolationem Saluatoris noſtri diuinitas, & humanitas inter ſe dixerunt, & illa veniendo, quod promiſerat impleuit, & hæc obediendo, eius voluntatem faciendo, nos moriendo redemit. Nunc autem ad verba Apoſtolorum redeamus, & quid amodo velint dicere, audiamus.

Bene nunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo. Dixerat modo ſuperius Eccleſia ſiue Apoſtolorum cœtus: *annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.* Nunc autem non ſolum nunciaſſe, ſed bene ſe nunciaſſe dicit. *Bene*, inquit, *nunciaui*, quia quæ verbo dixi, opere compleui; *bene nunciaui*, quia perſonam hominis non accepi. Hoc autem in Eccleſia magna, in Eccleſia catholica, & per totum mundum diffuſa. *Ecce labia mea non prohibebo.* Ego,
D quaſi dicat, in prædicatione nihil habeo niſi labia ſola, cætera tua ſunt, tu mihi dixiſti: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*; tu mihi præcepiſti, vt quod dicerem, non cogitarem, non enim nos ſumus, qui loquimur, ſed ſpiritus tuus, qui loquitur in nobis. Tu igitur loquere, quia ego ad loquendum labia mea non prohibebo, & quæcumque mihi inſpiraueris, dicere non timebo.

Domine tu cognouiſti, iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. Non celaui miſericordiam tuam & veritatem tuam à Synagoga multa. Ecce ſatis probatum eſt, quia bene nunciauit iuſtitiam Dei in Eccleſia magna. Et inde Deum teſtem inuocat, quia iuſtitiam non abſcondit, veritatis, & ſalutis verba dixit, miſericordiam, & veritatem non celauit. Qui enim ſic annunciat, bene annunciat, & melius annunciare non poteſt.

Tu autem Domine, ne longè facias miſericordias tuas à me. Sed, ſicut ſolitus es, ſemper in loquendo adiuua
E me, & ab inſurgentibus aduerſariis protege me. Promiſerat enim quod labia ad loquendum non prohiberet, & quia non dubitat poſt verba verbera ſibi eſſe parata, rogat, vt miſericordia præſto ſit, & non longius recedat. Quod autem ait: *Miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.* Inde ſe hanc loquendi audaciam, ſiue potius fiduciam habuiſſe oſtendit, quod Dei miſericordia, & veritas numquam eum dereliquit. Sic enim ipſe Dominus eis promiſerat: *Non vos deſeram, neque derelinquam.* Et: *ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.*

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus. Hoc eſt enim, quod Apoſtolus ait: *Nolo vos ignorare fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia: quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.*

Comprehenderunt me iniquitates meæ. Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. Hoc Sanctorum proprium eſt, vt mala, quæ ſibi accidunt, ſibi, & non aliis imputent,
F & pro ſuis peccatis ſibi accidiſſe dicant: *Et non potui, vt viderem.* Non potui, inquit, circumſpicere vt viderem aliquem adeſſe, niſi hoſtem, & inimicum. Vnde adhuc ſubditur.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Hic modus locutionis à grammaticis hiperbole dicitur, & non ſolum in paganorum libris, ſed in diuina quoque pagina frequenter inuenitur. *Et cor meum dereliquit me.* Cor noſtrum tunc nos dereliquiſſe dicimus, quando timoris immenſitate extra nos ſumus, & ſoliti vigoris diminutionem patimur. Poſſumus tamen per cor noſtrum, amicos & propinquos noſtros intelligere. De quibus enim dicitur: *Quia omnibus erat cor vnum, & anima vna.* Quando iſti tales ab inuicem ſeparantur, vnuſquiſque dicere poteſt: *cor meum dereliquit me.*

Complaceat tibi Domine, vt eripias me Domine in auxilium meum reſpice. Complaceat, inquit, tibi, quia iam & mihi placuit, vt eripias me, quia ſine tuo adiu-
G torio liberari non valeo.

Confundantur, & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Hoc faciunt maligni ſpiritus, hoc faciunt hæretici, & tyranni, qui magis animam, quam corpus occidere & perdere cupiunt. Poteſt autem hoc & ad bonam partem intelligi, vt de peccatis erubeſcant, & ad Dominum conuertantur. Vnde & ſubditur.

Auertantur retrorſum. A praua ſua intentione, qua ad malum currere feſtinant, *& erubeſcant*, ſicut Apoſtolus ait: *Quem ergo fructum habuiſti tunc, in quibus nunc erubeſcitis?* Sic enim erubeſcere laudabile eſt.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi, euge euge. Hæc vox inſultantium eſt, & de victoria gloriantium. Sed hoc quoque ſicut & ſuperiora, & ad bonam & ad malam partem accipi poteſt.

Exultent & lætentur, qui quærunt te Domine, & dicant ſemper: magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Sicut enim mœror, & triſtitia expectat malos, ita
H gaudium, & æterna lætitia expectat bonos, qui Chriſtum Dominum noſtrum diligunt, & quantum poſſunt extollunt, & magnificant.

Ego vero egenus, & pauper ſum, Dominus curam habet mei. Egeni & pauperes erant Sancti, quia non ſolum rebus neceſſariis, ſed omni quoque humano auxilio, & fortitudine deſtituti erant. Et hoc quidem propter Chriſtum, quia & ipſe, *cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt.* Sed Dominus eorum curam habet, qui *diues eſt in omnibus, qui inuocant eum.*

Adiutor meus, & liberator meus eſto Domine, ne tardaueris. Orat Dominum, ne tardet venire, & ne moras faciat, ſed cito ad iudicium veniat, & ſanctos ſuos adiuuet, & liberet, ne tantas mundi huius calamitates vlterius patiantur.

A

IN FINEM PSALMVS DAVID.

IN finem pſalmus iſte referendus eſt, quia de Chriſto loquitur, qui initium & finis eſt.

Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. Ego, inquit Propheta, pſalmos compono, de me tamen intelligendi non ſunt. Beatus autem ille eſt, qui ſuper egenum, & pauperem, & pſalmos, & alias ſcripturas intelligit. Sic enim ipſe Dominus ait: *Oportet impleri omnia quæcunque ſcripta ſunt in Lege & Prophetis, & Pſalmis de me.* Saltem hoc Iudæi attendere debuiſſent, quod pſalmi in finem titulantur. Si enim eos de ſe Propheta intelligi voluiſſet, In finem nequaquam dixiſſet. Egenum & pauperem Saluatorem noſtrum dicit, qui ideo pauper factus eſt, vt fideles ſuos diuites faceret. Nam & Diſcipulos ſuos ad exemplum ſui pauperes eſſe voluit, quibus ipſe ait: *Qui non reliquerit omnia quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ideoque relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.* B Sequitur. *In die malo liberabit eum Dominus.* Dies iudicij dicitur dies malus, quia in ipſo puniendi ſunt mali. In illa die illi ſecuri erunt, qui fidem Chriſti ſuſceperunt,& Prophetis,& Apoſtolis crediderunt,& ſuper Chriſtum ſcripturas factas intellexerunt. De quo & ſubditur.

Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum, & emundet in terra animam eius, & non tradat eum in manus inimici eius. Videns Propheta per Spiritum ſanctum Saluatorem noſtrum paſſioni appropinquantem, & Iudæos aduerſus eum vndique confluentes, iſtam, quam nunc audimus, facit pro eo orationem. *Dominus,* inquit, *conſeruet eum* ab omnibus periculis atque inſidiis inimicorum ſuorum, *& viuificet eum* die tertia. Hoc autem non dixiſſet, niſi eum moriturum præuidiſſet, quia nihil viuificatur, niſi prius moriatur. Et beatum facit eum ſuper ſedem ſuam, ad dexteram ſuam collocando. Sicut Apoſtolus ait: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Et emundet in terra animam eius.* C Hoc in alia tranſlatione non habetur. Sed vnde emundari poteſt anima Chriſti, niſi fortè à falſa ſuſpicione Iudæorum, qui eum ſeductorem eſſe dicebant? *Et non tradat eum in manus inimici eius.* Iſte autem inimicus diabolus intelligitur, de quo ipſe Dominus ait: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* In cuius manus ſi Dominus traditus fuiſſet, nequaquam eum alligare potuiſſet.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Iſte lectus, & hoc ſtratum Saluatoris noſtri carnem ſignificat, in qua, velut in lecto nobiliſſimo illa eius ſanctiſſima anima, ſimul cum diuinitate quieſcebat. Hanc igitur modo dicit lectum doloris, quia pro nobis doluit, & omnes illas in ſola carne ſuſtinuit paſſiones. Quod autem vniuerſum ſtratum eius in infirmitate verſatum eſſe dicit, totum corpus eius à planta pedis vſque ad verticem afflictum, & contribulatum eſſe oſtendit. Vnde & crucis paſſio inter alias paſſiones duriſſima eſſe monſtratur. D

Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Tibi, inquit, ſic afflicto, ſic morte turpiſſima condemnato, dixi ego,& dico: Domine miſerere mei, ſana animam meam, quæ nullo alio medicamine, niſi iſta, quam nunc pateris, paſſione ſanari potuit. Sana, inquam, quia peccaui tibi, hoc eſt enim quod alibi ait. *Tibi ſoli peccaui.* Et hoc fuit illud peccatum, quod commiſit in Vria,& Berſabee, pro quo, videlicet, ſcripſit illum pſalmum, cuius initium eſt: *Miſerere mei Deus.* Vnde & hic dicit: *Ego dixi Domine miſerere mei.* Ego, inquit, dixi, & tunc dixi; Domine miſerere mei, quando illum pſalmum edidi, cuius initium eſt; *Miſerere mei.* Hucuſque Propheta, nunc autem loquitur Dominus.

Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius? Similiter dicitur & in alio pſalmo, vbi Saluatoris noſtri perſona introducitur; *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt.* Qui hic E vero nomine vocantur inimici, ibi dicuntur amici, ſed per contrarium. *Inimici,* inquit, *mei dixerunt mala mihi* inter ſe tractantes quomodo me occiderent. Sic enim ſcriptum eſt, *Quia collegerunt Principes ſacerdotum concilium, quomodo Ieſum dolo tenerent & occiderent.* Vnde & vnus illorum, Caiphas nomine dicebat: *Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo,& non tota gens pereat.* Et hoc eſt, quod hic dicitur: *Quando morietur, & peribit nomen eius? Ab illa namque die,* (dicit Euangeliſta,) *cogitauerunt interficere eum.* Quod enim eum occidere cogitabant, hoc erat dicere; *Quando morietur, & peribit nomen eius?*

Et ingrediebantur, vt viderent; vana locutum eſt cor eorum, congregauerunt iniquitatem ſibi. Deſcribit Saluator noſter qualiter facta fuerit proditio ſua. Neque dubitandum eſt eo ordine factam fuiſſe, quo hic enarratur. Et ingrediebantur, (inquit) alij, vt viderent, quid Principes ſacerdotum, & cæteri maiores ordinaſſent, & conſtituiſſent, & qua morte eum occidere voluiſſent, & quid inuenerunt? F Vana locutum eſt cor eorum, vana quidem, quia, & ipſum occidere, & eius nomen penitus delere cogitabant. Vnde congregauerunt iniquitatem ſibi; bene dixit ſibi, quia iniquitas illorum in capita eorum conuerſa eſt.

Et egrediebantur foras, & loquebantur. Sic, inquit, inſtructi, totoque malorum conſilio cognito, egrediebantur foras, & cæteris, qui eiuſdem proditionis, & iniquitatis participes erant, ea, quæ intus cognouerant, loquebantur. Et illi quid faciebant? Simul in vnum ſuſurrabant. Satis hic manifeſtè oſtendit quam concordes omnes fuerint in nece Saluatoris, vnde & ſubditur.

Omnes inimici mei aduerſum me cogitabant mala mihi. Nullus erat, qui contradiceret, omnibus placebat, vna voluntas erat omnium, vt ſalus mundi occideretur. Hoc igitur ordine Saluator noſter captus, ligatus, flagellatus, iudicatus, damnatus, ſpinis coronatus, ad crucis patibulum ductus eſt. *Verbum iniquum mandauerunt aduerſum me.* Verbum iniquum illud fuit, quo omnes vna & conſona voce crucifige clamauerunt. G

Sed numquid qui dormit, non adijciet, vt reſurgat? Hoc eſt enim quod alibi ait: *Ego dormiui, & ſomnum cepi, & reſurrexi.* Mors Chriſti dormitio fuit, dormiuit quantum voluit, ſurrexit quando voluit, qui, ſi noluiſſet, numquam obdormiſſet. *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperabam, qui edebat panes meos, ampliauit aduerſum me ſupplantationem.* Væ tibi Iudas, contra quem iſta dicuntur, qui Dominum & Magiſtrum pacis oſculo tradidiſti, qui de te bonam ſpem prius habebat, & te ſicut alios diligebat: ſuis panibus & ſpiritualibus, & corporalibus nutriebat, & per te quoque baptizabat, & miracula faciebat. Tu miſer ampliaſti aduerſum eum ſupplantationem: tu ſponte tua te obtuliſti ad traditionem, tu dixiſti. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* cum nemo ad tradendum niſi diabolus, & auaritia tua te ſollicitaret.

Tu autem, Domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam illis. Hæc oratio Chriſti humanitatis intus H fuit, in corde fuit, in ſola voluntate fuit, cui ad precandum verba neceſſaria non erant, qui ſecundum voluntatem ſuam omnia habebat. Propter nos igitur hæc ſcripta ſunt, quæ ſi ſcripta non fuiſſent ad noſtram notitiam non perueniſſent. Valde autem neceſſarium fuit, vt hæc, & multa alia, & his ſimilia à Prophetis prædicerentur vt cum facta, & adimpleta eſſent, facilius crederentur; & Iudæi, & hæretici inde vincerentur. Credant Iudæi, vel ex hoc Chriſti reſurrectionem, quod vident ſe iam ſuſcepiſſe ſuam retributionem.

In hoc cognoui, quoniam voluiſti: quia non gaudebit inimicus meus ſuper me. Quid eſt, *in hoc cognoui,* niſi in hoc eos, qui hæc lecturi,& audituri ſunt, cognoſcere feci? Tale eſt autem & illud, quod dicitur Abrahæ: *Nunc cognoui quod timeas Deum.* Iſte autem inimicus, vel diabolus, vel Iudæorũ populus intelligitur, qui de Chriſti morte gaudere non potuerunt, quia eam, quam habebant virtutem, & poteſtatem, ambo amiſerunt. *Propter innocentiam*

autem meam ſuſcepiſti me, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. Magna eſt virtus innocentiæ, quam ipſe Dominus tantum commendat, vt ipſam ſuam humanitatem per innocentiam Deo placuiſſe oſtendat. Talis enim illa humanitas facta eſt, in qua nullum locum habere potuiſſet macula peccati. Si enim talis non fuiſſet, cur præ cæteris Domino placuiſſet? His igitur verbis nos quoque ad innocentiam Dominus prouocat, & illis aliis, quibus in Euangelio Diſcipulis ait: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & vſque in ſæculum fiat, fiat. Dignum fuit, vt Saluator noſter Deus benediceret propter ſuæ humanitatis reſurrectionem, & in cœlis ſuſceptionem, & ad Patris dexteram confirmationem. *Iſraël* autem, qui vir videns Deum interpretatur, non Iudæos, ſed Chriſtianos ſignificat, quoniam illi excepti, iſti vero ad videndum, & cognoſcendum illuminati ſunt. Vnde & Dominus ait: *In iudicium ego veni in hunc mundum: vt qui non vident, videant & qui vident cæci fiant.*

IN FINEM INTELLECTVS filiis Chore.

Chore Caluaria interpretatur: in Caluariæ autem loco Dominus noſter crucifixus eſt: ibique Eccleſiam ſibi genuit, & redemit. Huius igitur pſalmi intelligentia filiis Chore attribuatur, ideſt, populo Chriſtiano, qui in hoc pſalmo dicit: *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.*

Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Deſiderant cerui ad fontes aquarum, ſed non ſemper. Quando enim ſuo more ſerpentes deuorant, & graſſantis in ſe veneni æſtuationem nimiam patiuntur, tunc fontes aquarum inuenire deſiderant: vt aquæ refrigerio ſitim, caloremque extinguant. Venenum autem animæ eſt omne vitium & peccatum. His autem carere non valemus niſi ad Deum accedamus, & ad ipſum confugiamus, & eius aquas bibamus. De quibus Dominus ait. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo non ſitiet vnquam.*

Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Hanc ſitim patiebatur ille, qui dicebat. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Similiter autem, & Iſaïas, qui ait: *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes.* Hanc & multi alij, quibus hæc vita oneri erat, & ad illam totis viribus anhelabant? *Sitiuit, inquit anima mea ad Deum viuum*, & ſitiendo dixit: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Merito Deus viuens dicitur Dominus quoniam in ipſo eſt omnis vita, & in ipſo viuunt omnia, & ſine quo nihil viuere poteſt.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Solebant Pagani inſultando dicere Chriſtianis: vbi eſt Deus veſter? Exurgat nunc ſi poteſt, & adiuuet vos, & ſi Deus eſt liberet vos de manibus noſtris; ſic & Nabuchodonoſor illis tribus pueris dicebat: *Et quis eſt Deus, qui eripiat vos de manibus meis?* Cui illi ſapientiſſimè reſpondentes dixerunt: *Potens eſt Deus ſi vult, de manibus tuis nos liberare. Quod ſi noluerit, ſcias, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream non adoramus.* Sed quid faciebant ſancti, quando eis ab infidelibus talia dicebantur? Flebant & orabant, & ipſis ſuis lacrymis paſcebantur. Non eſt omnium huius talis refectionis declaratio, perfectorum eſt, quibus ſola Dei contemplatio placet.

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam. Cum mihi, inquit, ab infidelibus talia dicerentur, recordatus ſum, *quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & perueniam vſque ad domum Dei:* & tunc quidem videbo Deum meum Saluatorem meum, de quo iſti mihi modo dicunt; *Vbi eſt Deus tuus?* Videbunt namque ſancti, cum ad illam beatitudinem peruenerint, & corporeis oculis Chriſti humanitatem, & ſpiritualibus oculis eius diuinitatem; vt vterque viſus vtilis ſit, & non maneat otioſus. Vnde & Ioannes Apoſtolus de Domino ait: *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt.* Hæc, inquit, recordatus ſum, & effudi in me animam meam, & quaſi fugientem retinui, & ad priſtini vigoris fortitudinem reuocaui.

In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis. Ingrediar, inquit, *in locum tabernaculi admirabilis.* Sed quomodo ingrediar? *In voce exultationis & confeſſionis.* Docet nos Propheta cum quanto gaudio, & lætitia ſanctorum animæ in illa beatitudine ſuſcipiantur. Vnde & ſubditur: *Sonus epulantis.* Illa, inquit, vox exultationis, & confeſſionis ſic erit vt ſonus epulantis, nihilo indigentis, plaudentis, & gaudentis, & deliciis ineffabilibus ſe reficientis. Non potuit inuenire aptiorem ſimilitudinem, quæ ſuæ receptionis dulcedinem, & iucunditatem oſtenderet.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam confitebor illi. In eo, quod ſe ipſum hortatur & conſolatur, magnum ſuis auditoribus præſtat exemplum, qualiter ſe habere debeant, quando magnis iniquorum opprobriis, & iniuriis fatigantur. *Quare*, inquit, *triſtis es anima mea:* ſuſtine patienter, & non conturberis: quoniam hæc omnia cito tranſibunt, ſed potius ſpera in Deo, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe; ſæuiant aduerſarij, quantum velint, minentur, & inferant mortem, & ſupplicia, quæ velint, quoniam ego confitebor illi, & nunquam timore mortis negabo Deum meum. Dicunt illi, *vbi eſt Deus tuus.* Dico ego quia præſto eſt, & ſtatim de corpore exeuntem animam meam ad ſe ſuſcipiet. Nunc autem ad ipſum Dominum conuertitur, ſibique loquitur, & eas, quas in ſe ipſo fluctuationes patitur, confitetur. *O ſalutare vultus mei & Deus meus ad me ipſum anima mea conturbata eſt: propterea, vt eam conſoleris, memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonis à monte modico.* Saluatorem vultus ſui eum eſſe dicit quia vultum, & imaginem Dei, ad quam facti ſumus, nemo eſt, qui retinere valeat, niſi ipſe eam cuſtodiat, & ſaluet. Vnde & ipſam ſuam animam, in qua præcipuè Dei ſimilitudo, & imago exprimitur conturbatam, & à ſua pulchritudine deformatam eſſe fatetur. Perdit enim homo vultum, & imaginem Dei, quando aliquo peccato ſeparatur a Deo, atque eius vultum, & imaginem ſuſcipit, cui ſe peccando coniungit. Tale eſt igitur ac ſi dicat: conſerua in me Domine imaginem tuam, quam mei tuique inimici auferre conantur. Quid ſignificet terra Iordanis, & Hermonis, ipſe exponit, dum dicit: *A monte modico.* Terra enim Iordanis plana eſt. Hermon quoque ſicut hic dicitur, mons modicus eſt. Per terram igitur Iordanis, & Hermonis humiles, & manſuetos intelligimus. In tali igitur terra, & in tali monte iſte, qui hic loquitur ſedens, & habitans, in humilitate, & manſuetudine Deo ſeruire promittit. Tales enim diligit Deus, de quo ſcriptum eſt: *Quia depoſuit potentes de ſede, & exaltat humiles.*

Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum, omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Eccleſia loquitur in perſona martyrum, & tale eſt ac ſi dicat, omnia excelſa ſapientiæ, & ſcientiæ tuæ, & omnes fluctus, & inundatio doctrinæ tuæ ſuper me tranſierunt, quoniam abyſſus inuocat abyſſum in voce cataractarum tuarum. Hæc eſt igitur cauſa, quod neque tormentis, neque ipſa morte ab amore Dei ſeparari poteſt, quoniam vtriuſque teſtamenti doctrina, quæ ſibi per Apoſtolos nunciata eſt, eam confirmat, atque corroborat, abyſſus enim vocat vtrumque teſtamentum propter ſapientiæ & ſcientiæ profunditatem. Dei vero cataractæ, ſiue feneſtræ Apoſtoli ſunt, à quibus tota domus, totaque Eccleſia illuminatur. In voce itaque cataractarum Dei abyſſus inuocat abyſſum, quia voce, & prædicatione Apoſtolorum vtrumque ſibi reſpondet, & concordat teſtamentum.

A *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte declarauit.* Non abſconditur quod in die fit, neque quod in nocte ſine lumine declaratur. Mandauit igitur Dominus in die miſericordiam ſuam, quia cunctis gentibus eam reuelauit, dum *proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Declarauit autem, & manifeſtam fecit eamdem ſuam miſericordiam in nocte, & quotidie declarat, & manifeſtat dum de magnis periculis, & tribulationibus fideles ſuos liberat, & eripit. Tanti ergo beneficij memor vir ſanctus dicit animæ ſuæ: *Spera in Deo, quoniam confitebor illi.*

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo ſuſceptor meus es. Apud me, inquit, & in corde meo eſt oratio, quam dicere volo Deo vitæ meæ. Deus vitæ noſtræ ille eſt, qui nobis vitam dedit, & datam cuſtodit, qui inſpirauit in faciem primi hominis, & dedit ei ſpiraculum vitæ. Sed quæ eſt illa oratio? Sequitur: *Dicam Deo, ſuſceptor meus es.*

B *Quare me oblitus es, & quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus, dum confringuntur omnia oſſa mea, exprobrauerunt me, qui tribulant me, dum dicitur mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus?* Hucvſque illa oratio extenditur, quam apud ſe habere, & Deo ſe dicere promiſit. In principio orationis huius, beneuolentiam captat, & ſuſceptorem ſuum Deum eſſe dicit. Suſceptor noſter non ſine cauſa dicitur Deus, qui nos ſuſcipit naſcentes, ſuſcipit ad Eccleſiam, & ad fidem venientes, ſuſcipit ad ſe per pœnitentiam reuertentes, ſuſcipit de hac vita exeuntes, & tandem in promiſſam patriam redeuntes. *Quare me oblitus es, & quare me repuliſti?* Contraria his, quæ modo dicta ſunt, dicere videtur. Si enim ſuſcepit, quomodo oblitus eſt vel quomodo repulit? Ipſam audiamus. *Et quare,* inquit, ſi me non repulit, *triſtis incedo dum affligit me inimicus?* Si me, inquit, non repuliſſet, in afflictionibus meis gauiſa fuiſſem, & patienter cuncta ſubſtinuiſſem. Multos C ſanctorum legimus, qui inter ipſa ſua tormenta gaudebant, & maiora ſibi inferri deſiderabant. Dolet igitur mater Eccleſia pro illis, qui ad hanc tantam perfectionem pertingere non meruerunt. Sequitur de eadem oratione: *Et quare triſtis incedo dum confringuntur omnia oſſa mea?* Non dolet de oſſibus, quia confracta ſunt, ſed hoc potius dolet, quia quando frangebantur triſtis erat, quia frangebantur. Per hanc autem oſſium confractionem, quæ vtique grauiſſima afflictio eſt, alias omnes ſanctorum paſſiones intelligamus, quas quamvis ſancti cum dolore ſuſtinebant, ſe tamen pro Chriſti nomine ſubſtinuiſſe gaudebant. Sequitur adhuc: *Et quare triſtis incedo,* quia *exprobrauerunt me, qui tribulant me, dum* ab eis *dicitur mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus?* Docet nos, vt illatas nobis iniurias in corde non habeamus. Sed ſi quid pro Chriſti fide ſubſtinuimus nos ſubſtinuiſſe gaudeamus. Vnde & ſubditur.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Ceſſet, inquit, omnis triſtitia, cuncta cum gaudio perferamus, *quia non ſunt condigna paſſiones huius vitæ ad* D *futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Spera in Deo quoniam confitebor illi; ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Spera, inquit, in Deo, dicit ſibi ipſi & animæ ſuæ & quia ea, quæ egimus, minus perfectè egimus, doleamus, ſpem tamen bonam in hoc habeamus quia ſemper confitebimur illi, & *neque mors, neque vita poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu,* qui eſt ſalutare vultus noſtri, & Deus noſter.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

QVid ſignificet, *in finem,* & *pſalmus David,* ſæpe iam diximus.

Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. Vox alicuius fidelis eſt, Dei adiutorium implorantis. *Iudica,* inquit, *me Deus,* hoc autem exponit, *& diſcerne cauſam meam.* Non videtur hic aliud iudicium quærere, niſi vt inter ſe, & aduerſarios ſuos cauſa diſcernatur. Scit enim quia nihil contra eos fecit, vt ſic eum affligere E debuiſſent. Vnde quia iuſtitiam ſe habere confidit, vt cauſa ſua diſcernatur exorat. Hoc autem etiam nunc multoties fieri videmus, vt ab ipſis, qui Chriſtiani eſſe putantur, viri Catholici tantas iniurias patiantur, vt contra eos Dei adiutorium implorent. Et cum pro eis orare debuiſſent, aduerſus eos orare cogantur. Sic enim ipſe Dominus ait: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vobis.* Sequitur. *De gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo eripe me.* Et iſte quidem non contra eos, ſed pro ſe tantum orare videtur. Sibique hoc ſolum ſufficere oſtendit, ſi ipſe ſolummodo liberetur, etiam ſi de illis vindicta non capiatur.

Quia tu es Deus meus, & fortitudo mea. Tu, inquit, eripe me, qui ſolus es Deus meus, & fortitudo mea, quia alia arma mihi non ſunt & alium adiutorem non habeo, & ideo ſi me reliqueris, nemo erit, qui mihi ſubueniat. *Sed quare me repuliſti?* Et quaſi ipſe diceret: non te repuli, ſubdidit, dicens; *Quare ergo triſtis incedo, dum affligit me inimicus?* F In hoc enim ſancti ſe eſſe repulſos, & gratiam Dei amiſiſſe timent, quod plenam patientiam in ſuis iniuriis non habuerunt, & contriſtati ſe vindicari optauerunt. Vnde & ſubditur.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Vt tale aliquod quaſi dicat, mihi vlterius non contingat, & de inimicis me vindicare non cupiam, & pro iniuriis mihi illatis contriſtatus non incedam, emitte mihi lucem tuam. Quia enim eam, quam debuit patientiam non habuit, & lucem, & veritatem ſe amiſiſſe pertimeſcit. Sic ſibi ad inuicem lux & veritas coniunctæ ſunt, vt ſine ſe eſſe non poſſint. Nam & qui videt, non errat, & qui errat, non videt. *Emitte mihi,* inquit, *lucem tuam, & veritatem tuam,* & ſic meæ mentis oculos illumina, & me totum in tua veritate confirma, vt nihil, quod tibi diſpliceat, agere valeam. G *Ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Quid per montem ſanctum Dei, & per tabernacula Dei, niſi Eccleſiam Dei intelligamus, vnam videlicet per fidem, multas vero ſecundum locorum diuerſitates? In hanc autem, ſiue in has omnes introducti ſumus per lucem, & veritatem. Et qui nondum in ſanctam Eccleſiam intrauerunt, adhuc in tenebris, & in errore ſunt, & nondum ad lucem, & veritatem peruenerunt.

Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam. Hac, inquit, luce, & veritate, quia in Eccleſiam introductus ſum, eadem ipſa me regente, & ducente, introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam. Hoc altare in cœlis eſt, hoc altare Saluatoris noſtri humanitas eſt. Altare enim ab altitudine dicitur, Chriſti verò humanitas omni creatura ſublimior, & altior eſt. Vnde & non immerito altare vocatur. Bene autem dixit: *Ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam,* quia omnes homines in hac ætate reſurgere habent. Vnde & Apoſtolus ait: *Quia omnes occurremus* H *Deo in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* In hac enim ætate Chriſtus Dominus à mortuis reſurrexit.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus Interim, inquit, & prius quam ad illud altare perueniam, confitebor tibi, & laudabo te in hac Eccleſia tua, & in hoc monte ſancto tuo. Quomodo? In cithara, & in ſuaui modulatione, in Euangelica prædicatione, qua & frænitici placantur, & dæmonia fugantur. Nam citharæ à furiis mentem placarunt Saülis: Hinc autem ad ſe ipſum, & ad animam ſuam conuertitur, multumque animam ſuam reprehendit, quod pro aliqua mundi huius aduerſitate ſe contriſtauit, afflixit, & conturbauit. Et hoc eſt quod dicit: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* Non eſt vnde contriſtari debeat, quæ tanta in cœleſtibus bona expectat.

Spera in Deo, quoniam confitebor illi, qui eſt ſalutare vultus mei; & Deus meus.

IN FINEM FILIIS CHORE ad intellectum.

CHore, vt iam diximus, caluaria interpretatur. Caluariæ autem mons paruulus eſt, extra portas Hieruſalem, vbi Iudæi crucifixerunt Ieſum. Et cæteri quidem Iudæi vocantur filij Sion & filij Hieruſalem, iſti autem Caluariæ filij vocari elegerunt: maiorisque honoris & dignitatis viſus eſt illis caluariæ monticulus, quam tota altitudo & fortitudo montis Sion, & Hieruſalem. Bene autem dictum eſt *ad intellectum*: quia quantum ad viſum non magnum eſt, vt illius montis filius aliquis vocetur.

Deus auribus noſtris audiuimus, & patres noſtri annunciauerunt nobis. Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. In hoc pſalmo loquuntur filij chore, per quos ſanctos martyres intelligimus, & non ſua nobis narrant, ſed ea, quæ à patribus ſuis audierunt, & quæ Dominus operatus eſt in diebus eorum, & in diebus antiquis. Loquitur Moyſes in libris ſuis, quomodo Dominus Pharaonē, & Ægyptum flagellauit, quomodo de eius impia ſeruitute Hebræos liberauit, quomodo mare rubrum eis aperuit, & per medium eius ſiccis pedibus eos tranſire fecit, quomodo eis ſitientibus de petra aquam produxit, quomodo eos quadraginta annis in deſerto manna pauit, & quomodo eis in monte Syna Legem dedit, & tabernaculum teſtimonij fieri præcepit: Deinde autem Ioſuë, & cæteri poſt ipſum mira, & ſtupenda narrant, quæ pro illo populo Dominus operatus eſt. *Deus* (inquiunt filiis Chore) *auribus noſtris audiuimus*: A quibus *Patres noſtri annunciauerunt nobis.* Quid nunciauerunt nobis? *opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Et quid fuit illud?

Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos. Euæi namque Ieſubæi, Ethæi, Ferezæi, Chananæi, ac aliæ gentes, quæ fortiſſimæ memorantur, illam terram tenebant, & poſſidebant, quando filij Iſraël ex præcepto Domini eam ingreſſi ſunt, ſed quia manus Domini pugnabat pro iſtis contra eos, non potuerunt eis reſiſtere, ſed diſperſi, & deleti ſunt omnes. Iſtæ autem gentes, vitia ſunt & maligni ſpiritus, quos noſtris viribus ſine Dei adiutorio ſuperare non poſſumus. Superare tamen neceſſe eſt, ſi terram, & carnem noſtram quietem habere & tenere volumus. Semper igitur pugnandum eſt, & nunquam pax cum eis habenda eſt, donec vincantur & expellantur.

Non enim gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos. Manus inquit, & fortitudo tua gentes diſperdidit, & plantaſti, & habitare feciſti patres noſtros in promiſſa ſibi hæreditate. Afflixiſti populos & expuliſti eos: qui eam prius poſſidebant. Tu vtique hoc feciſti, quia hoc illi facere non potuiſſent: non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium, & fortitudo illorum non ſaluauit eos. Quis igitur?

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuit tibi in illis, de hac dextera ſcriptum eſt: *Dextera Domini fecit virtutem.* De hoc brachio, dicitur: *Et brachium Domini cui reuelatum eſt.* De hac patris illuminatione Apoſtolus dicit: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Chriſtus igitur Dominus noſter eos ſaluauit, & ab hoſtibus liberauit, quem ſi adhuc coluiſſent & in eum credidiſſent, nec terram, nec gentem amiſiſſent. Quid eſt autem quoniam complacuit tibi in illis, niſi quia illi placuerunt tibi?

Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutem Iacob. Tu inquit, qui illos ſaluaſti, ab hoſtibus liberaſti, & omnes eorum inimicos eis ſubiugaſti, tu ipſe es Rex meus & Deus meus: Qui mandas ſalutes Iacob, per quem Chriſtianum populum intelligimus, qui de peccatis ſolis pœnitentiam agendo, malignos ſpiritus quotidie ſupplantat. *Iacob* enim, ſupplantator interpretatur.

In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos. Quia te, inquit coadiutorem habemus, cuius fortitudini nemo reſiſtere valet, ſecuri ſumus, quia in te, & in fortitudine tua ventilabimus, & quaſi magno ventorum turbine pellemus, & fugabimus inimicos noſtros, & in nomine tuo, quod inuocabimus, ſpernemus omnes inſurgentes in nos: *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.*

Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. Omnis inquit, ſpes mea, & omnis fortitudo mea tu es, neque in gladio confido, quia neque arcus neque gladius ſine tuo adiutorio me ſaluare poteſt. Per arcum & gladium omnem humanam fortitudinem, & defenſionem intelligamus.

Liberaſti enim nos ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt confudiſti. Iam, inquit, experti ſumus adiutorium tuum, nihil dubitamus de potentia tua, quia iam ſæpe *liberaſti nos, ex affligentibus nos, & eos, qui nos oderunt, confudiſti*, vt te auxiliante nobis reſiſtere non valerent.

In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſæcula. Laus, inquit, noſtra Dei eſt, non noſtra, quia quod vincimus, quod hoſtes ſuperamus, Deus hoc facit, qui per nos & in nobis pugnat & vincit, & in nomine tuo, quo Chriſtiani vocamur, & ſumus, confitebimur, & laudabimur per omnia ſæcula. Quæ enim tanta laus tantaque gloria nobis eſſe poteſt, quanta vt Chriſtiani vocemur & ſimus? Paſſiuè autem dictum eſt, *confitebimur*, quod raro quidem inuenitur. Hucvſque illi filij Eccleſiæ locuti ſunt, qui in proſperitate fuerant, vnde, & Deo gratias egerunt, quia ad ſimilitudinem antiquorum Patrum, ſemper à Deo protecti, nullius inimicorum inſidias timuerunt. Nunc autem ſancti Martyres loquuntur, & illi præcipuè, qui maiora tormenta, maioreſque paſſiones ſuſtinuerunt, quales in tempore Decij, & in tempore Diocletiani, & Maximiani fuiſſe legimus.

Nunc autem repuliſti, & confudiſti nos, & non egredieris Deus in virtutibus noſtris. Superioribus reſpondet, vbi dicitur *liberaſti enim nos ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt confudiſti*, nunc autem *repuliſti, & confudiſti nos.* Eccleſia vna eſt, quæ, pro temporum diuerſitate nunc loquitur pro illis, qui fuerunt in proſperis, & nunc loquitur pro illis, qui fuerunt in aduerſis. *Nunc*, inquit. In hoc tempore tantæ perſecutionis *repuliſti, & confudiſti nos.* Deus nunquam repellit ſanctos ſuos & nunquam eos confundit: repellere tantum, & confundere videtur, quando eos orantes non exaudit, & quando in magnis afflictionibus eis non ſubuenit. Sed ne aliquis hæc ex impotentia contingere arbitretur, legat ſuperiora, & Dei omnipotentiam cognoſcere poterit. Et fortaſsè ideo illa promiſſa ſunt, vt aliquis hæc audiens non conturbetur. Quod autem ait: *Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris* non affirmatiuè, ſed ſuſpenſiuè legendum eſt. Egreditur autem Deus in virtutibus ſanctorum ſuorum, quando eos adiuuat, & inimicos vincere facit. Vincuntur enim, ſi eorum voluntatibus etiam moriendo non acquieſcunt.

Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & eos qui nos oderunt, diripiebant ſibi. Hoc autem in alia tranſlatione ita legitur: *Auertiſti nos retrorſum præ inimicis noſtris, & qui oderunt nos diripiebant ſibi.* Et hoc quidem planum eſt ad intelligendum; Auertiſti, inquit nos retrorſum præ inimicis noſtris, id eſt, plus quam inimicos noſtros, in quo ſe quidem fugiſſe, illos vero campum tenuiſſe oſtendit.

Hos autem inimicos, malignos ſpiritus intelligamus, propter ea, quæ ſequuntur, *& eos qui nos oderunt diripiebant ſibi.* Iſti autem ſunt Iudæi, hæretici, & pagani. Tale eſt igitur ac ſi diceret: Cum inimici noſtri maligni ſpiritus nos tenere, & ſibi penitus ſubiugare non potuiſſent, eos qui nos oderunt, Iudæos videlicet, hæreticos, paganos, ſibi diripere cœperunt, vt quia nos habere non poterant, ſaltem illos non amitterent.

Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus

diſperſiſti

diſperſiſti nos. Sic enim erant aliquando Martyres, vt oues eſcarum, & ſoli morti deſtinatæ, quia non ad hoc in carcere ſeruabantur, vt dimitterentur, ſed vt maiori & exquiſito ſupplicio punirentur. In gentibus autem diſpergebantur; quia longè à patria in exilium mittebantur.

Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Vendidiſti, impropriè dictum eſt, quia emptio & venditio ſine pretio eſſe non poteſt. Idem igitur eſt, vendidiſti, ac ſi diceret tradidiſti. Multoties ſancti ſine pretio dati ſunt, & nulla pretij multitudo fuit in commutationibus eorum. Aliquando tamen non ſine pretio dabantur, quia multi videntes eorum conſtantiam, & miracula, quæ per ipſos fiebant, ad Chriſti fidem conuertebantur.

Poſuiſti nos in opprobrium vicinis noſtris, deriſum & contemptum his, qui in circuitu noſtro ſunt. Hoc autem ſicut dicitur, ita factum fuiſſe, nemo dubitare poteſt, qui ſanctorum paſſiones & vitas audiuit.

Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in plebibus. Fuit aliquando, vt qui inimico ſuo maledicere voluiſſet, de Chriſtianis ſimilitudinem traheret, atque diceret; Vtinam talem te videam, qualem illum vel illum Chriſtianum vidi. Erant autem & in commotionem capitis in plebibus, quia quando nudi, catenati, vndique verberibus circumuenti, ad ſupplicia trahebantur, quicunque eos videbant, capita ſua ſuper eos agitantes, vanos & fatuos eos eſſe dicebant. Idipſum autem legimus & de Iudæis, quia ſuper Saluatorem noſtrum mouentes capita ſua, illudentes dicebant: *Vah qui deſtruis templum Dei.*

Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio vultus mei operuit me. Vnde? *A voce exprobrantis, & obloquentis, a facie inimici, & perſequentis.* Hæc tam plana ſunt, vt expoſitione non egeant, & facilè alienam quoque verecundiam vnuſquiſque in ſeipſo perpendere poteſt.

Hæc omnia venerunt ſuper nos, & obliti non ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo, & non receſſit retro cor noſtrum. Hæc talis commemoratio, non oſtentatio eſt, ſed magis gratiarum actio eſſe videtur. Quamvis, inquit, hæc omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, veniſſent ſuper nos, tamen nos te obliti non ſumus, ſed potius nos ipſos propter te obliti ſumus. *Et iniquè non egimus in teſtamento tuo,* quia omnia præcepta tua fideliter cuſtodiuimus. *Et non receſſit retro cor noſtrum,* ſed ſemper ad ea quæ ante ſunt nos extendimus, ad promiſſum brauium feſtinantes.

Et declinaſti ſemitas noſtras à via tua. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret: Quia ſemitæ noſtræ prius bonæ non erant, à via tua eas ſeparaſti, & nos per viam tuam ſolummodo incedere docuiſti, & ideo errare non potuimus, quia non per ſemitas noſtras, ſed per tuam viam ambulauimus, & ambulamus. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis.*

Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nonne Deus requiret iſta? Non ſumus, inquit, obliti nomen Dei noſtri, neque extendimus manus noſtras ad Deum alienum, ſcientes, quia Deus iſta requiret, neque nobis aliquid prodeſſet, quod humiliati fuimus in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis: *Nemo enim mittens manus ſuas in aratrum, ſi reſpiciat retro, aptus eſt regno Dei.* Vmbræ mortis, & impij homines, & ipſa tormenta intelligi poſſunt. Sicut enim per vmbram corpus adeſſe cognoſcimus, ita vbi iſta ſunt, mortem adeſſe intelligimus. Sequitur: *Ipſe enim nouit occulta cordis:* Ideo, inquit, iſta requiret, quia nihil eum latet, & omnia videt, quicquid in corde eſt, quicquid vbicunque eſt, eius oculis occultari non poteſt.

Quoniam propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, Nondum mortuus eſt, qui morte afficitur, mortis affectio, ipſa paſſio eſt. & tamdiu morte afficitur homo, quamdiu tormentis exagitatur. Oues autem occiſionis illæ ſunt, quæ ad nihil aliud niſi ad mortem reſeruantur. Similiter autem & ſancti longo tempore in carcere tenebantur, non ad remiſſionem, ſed potius ad internecionem.

Exurge quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem. Non enim dormitabit neque obdormiet, qui cuſtodit Iſraël. Dormire tamen dicitur, quando ſanctos ſuos, quaſi non ſentiens, affligi permittit. In finem autem ille repellitur, qui ex toto à Deo ſeparatur.

Quare faciem tuam auertis? Qui faciem auertit, non vult videre illum, à quo faciem auertit. Faciem igitur Dominum auertere eſt, fideles ſuos in afflictionibus non videre. Vnde & ſubditur: *Obliuiſceris inopiam noſtram, & tribulationem noſtram.* Neque dormitio, neque obliuio, neque ira neque indignatio, neque aliquid tale poteſt eſſe in Deo, in eo tamen eſſe dicuntur, & quare eſſe dicuntur, ſæpe iam diximus.

Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, adhæſit in terra venter noſter, exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. Exurge, inquit, Domine nobis in adiutorium, & libera nos ab his tantis tribulationibus, propter nomen tuum, quod inuocamus, & quo Chriſtiani vocamur, *quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra. Caro enim quæ corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem;* Siue etiam, in puluere humiliata eſt, quia iniquorum hominum conuerſatione deterior facta eſt. Iſte eſt ille puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Humiliatur quoque in puluere anima, quando venter in orationibus adhæret terræ, ſed talis humiliatio bona eſt. Poſſumus autem per ventrem eos intelligere, qui in Eccleſia molliores & imperfectiores ſunt, & qui magis terrenis quam cœleſtibus adhærent. Pro talibus autem orandum eſt, quia in tempore perſecutionis facilè decipiuntur, quia terrena & tranſitoria amittere timent. *Exurge igitur Domine in auxilium noſtrum, quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra.*

IN FINEM PRO HIS QVI COMMVtabuntur filiis Chore ad intellectum Canticum pro dilecto.

Hic, inquit, pſalmus factus eſt pro filiis Chore, non tamen pro omnibus, ſed pro his tantum, qui commutabuntur ad intellectum. Qua in re manifeſtè oſtendit, etiam inter filios Chore fuiſſe aliquos, qui ad ſpiritualem intellectum commutati non ſunt. Illi igitur filij Chore, qui ad ſpiritualem intelligentiam mutati ſunt, cantant hoc canticum pro dilecto, pro illo videlicet dilecto, de quo Dominus ait: *Hic eſt filius meus dilectus.* Cui etiam in hoc pſalmo dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*

Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Dicit Propheta, dicit aliquis filiorum Chore: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Verbum bonum, hunc pſalmum dicit, quem non ore cantaſſe, ſed de cordis ſecretario ſe eructaſſe fatetur. Vt per hoc intelligamus quam firmum, & ſtabile, & quantæ auctoritatis ſit totum hoc, quod in hoc pſalmo continetur. *Dico ego opera mea Regi;* Iſte eſt ille Rex qui alibi dicit; *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Huic autem Regi, dicit Propheta hæc opera ſua, quæ modo eructauit de arcano cordis ſui.

Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Sic eſt, inquit, lingua mea, ſicut calamus ſcriptorius, qui velociter ſcribit, qua in re ſubito, & ſub breuiſſimo tempore, multa ſe vidiſſe, & prophetaſſe oſtendit.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Ecce nunc incipit dicere opera ſua Regi, quem ſuper omnes filios hominum forma ſpecioſum eſſe dixit. Quis enim ita ſpecioſus ſicut ille, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius?* Ipſe enim ſolus ſine peccato natus eſt, & in ipſo ſolo humana

natura

Digitized by Google

natura formam ſuam, & pulchritudinem non amiſit. Tanta autem gratia erat in labiis eius, vt facilè & ſine omni impedimento diceret, quæcunque dicere voluiſſet. Vnde & in Euangelio dicitur: *quia mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore eius.* Et alibi dicitur *quia mirabantur omnes in doctrina eius.* Hæc labia loquentia erudierant, Moyſen, quando ſe impeditioris, & tardioris linguæ eſſe dixerat.

Propterea benedixit te Deus in æternum. Propterea, inquit, quia præ cunctis ſpecioſior, & eloquentior es, *benedixit te Deus in æternum.* Omnes homines quando baptizantur, benedicuntur: multi tamen poſtea peccando benedictiones amittunt, quorum quidem benedictio non manet in æternum. *Accingere gladio tuo circa femur potentiſſime.* Tu, inquit, potentiſſime, qui talis es, accingere circa femur gladio tuo, & præpara te ad præliandum, quia multa & duriſſima prælia acturus es, & de diabolo omnique exercitu eius triumphaturus. Nos quoque gladio caſtitatis ſemper circa femur accincti eſſe debemus, quo, & contra hoſtes pugnare, & carnales motus qui in lumbis, & fæmore dominantur, ſuperare valeamus. Vnde & Dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.*

Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede & regna. Quia inquit ſpecioſiſſimus es, in ſpecie tua, & pulchritudine tua intende, & ad hoc exemplar fideles tuos, & Eccleſiam tuam reforma, vt ipſa quoque ſpecioſa ſit non habens maculam neque rugam. Vnde & Apoſtolus ait. *Filioli mei quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* In illis enim formatur Chriſtus, qui ad eius pulchritudinem reformantur. Proſpere autem procedit Dominus, & vbique regnat, quia ſicut de eo alibi dicitur: *Omnia quæcunque faciet proſperabuntur,* & poteſtas eius poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, deducet te mirabiliter dextera tua. Tu, inquit, procede, & dextera tua virtus, & fortitudo tua, mirabiliter te deducet, quia nullo alieno eges auxilio, cuius fortitudini nemo reſiſtere valet. Bene autem dixit, *mirabiliter*, quia miraculis mundum conuertit, patientia vicit, & per ſimplices homines, & illiteratos, omnem mundanam & philoſophicam ſapientiam deſtruxit. Et hoc quidem *propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam.* Decet enim multumque conuenit regem, veracem eſſe, & manſuetum & iuſtum, & qui hæc non habuerit, non rex, ſex tyrannus vocari debet.

Sagitta tua acuta potentiſſime, populi ſub te cadent in corde inimicorum Regis.

Quia enim populus, collectiuum nomen eſt, ſic poteſt dici potentiſſimus populi, ſicuti potentiſſimus populorum. Sunt autem ſagittæ Domini acutæ, quia, ſicut Apoſtolus ait. *Viuus eſt ſermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sagittæ igitur Chriſti omnes illæ ſententiæ ſunt, quæcunque ad conuincendos inimicos de vtriuſque teſtamenti pharetra educuntur. Dicatur ergo: *Sagitta tua acuta potentiſſime populi cadent ſub te.* Vbi? *In corde inimicorum Regis.* Si dixiſſet in corde inimicorum tuorum, planius eſſet, hic autem modus locutionis in veteri teſtamento, ſicut iam alibi diximus, frequenter inuenitur, in aliis autem ſcripturis, ſi inueniatur, neſcio. Egregiè autem dixit: *ſub te cadent,* quia ſuper eum nihil cadere poteſt, quia enim omnia ſub ipſo ſunt, neminem niſi ſub ſe ferire poteſt. Hæc autem ſagittæ vbicunque cadant, modo quidem vtiliter capere poſſunt, quia eorum terrore fugantur inimici, & totus vitiorum exercitus diſſipatur. In iudicio vero, in quoſcunque ceciderint, miſeri erunt, quia ſemel vulnerati, iam vlterius ſanari non poterunt ſatis omnes intelligimus, quæ erunt illæ ſagittæ, quæ malos in iudicio ſagittabunt.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga recta eſt, virga regni tui. Quem in titulo dilectum, & nunc in hoc pſalmo Regem dixit, modo apertius, & manifeſtius Deum vocat, quatenus Iudæi ſcripturarum deprauatores, neque de Salomone, neque de alio quolibet præter Chriſtum exponere valeant. Eſt autem ſedes Chriſti in ſæculum ſæculi, quia regni eius non erit finis. *Virga recta eſt, virga regni tui:* virga, inquit, & ſceptrum regni tui rectum eſt, & à iuſtitia, & æquitate non recedit: neminem ſine cauſa virga percutis, neminem, qui flagellis dignus eſt, impunitum abire permittis. Vnde & ſubditur.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Idem enim virgæ correctionis illius rectæ eſſe probatur, quia iuſtitiam diligit, & odit iniquitatem. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Hoc eſt enim quod per Prophetam ipſe Dominus ait. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me. Euangelizare pauperibus miſit me.* Aliis ad menſuram datur ſpiritus, in ipſo vero requieſcit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter: Conſortes eius Apoſtoli ſunt, omneſque alij, qui non ſuis meritis, ſed eius adoptione ad hæreditatem participandum electi ſunt: Bene autem hoc oleum, lætitiæ oleum dicitur, quia omnibus, qui vnguntur, ſi tamen vnctionem non amittant, gaudium, & lætitiam præſtat. De hac vnctione ſcriptum eſt. *Et vnctio eius docebit vos de omnibus.*

Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis eius. Per has tres ſpecies omnes alias intelligimus. & myrrha quidem inter alias amariſſima: caſia vero, quæ & fiſtula dicitur, dulciſſima eſt: at vero gutta, quæ ammoniacum nominatur, multis & magnis infirmitatibus medetur. Fluebant igitur & hæc, & alia omnia remedia infirmitatum à veſtimentis Chriſti, quia *quicunque*, ſicut in Euangelio dicitur. *Eum tangebant, ſani fiebant, à quacunque infirmitate detinebantur:* Veſtimentum Chriſti, ipſa eius humanitas eſt: quia videlicet veſte pretioſa Diuinitas induta, ab hominibus videri non poterat: nam, & ipſæ fimbriæ veſtimenti eius, multos infirmos ſanaſſe leguntur: non erat igitur illis neceſſarium medicamina ſuſcipere, qui ad Chriſti veſtimenta accedere poterant, ſiquidem non ſolum ſpecies apta ſanitati, ſed ipſa quoque ſanitas ab eius veſtibus defluebat. Sequitur: *A gradibus eburneis.* Similiter, inquit, & à gradibus eburneis myrrha, & gutta, & caſia defluebant, per quos videlicet gradus illos intelligimus, de quibus Dominus dixerat, *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Non ſolum enim tactu veſtium, ſed ipſa quoque corporis vmbra, multos Apoſtoli ſanaſſe leguntur. Vnde etiam ſcriptum eſt. *Quia in plateis ponebantur infirmi, vt veniēte Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum.* Sed quare eburnei iſti dicuntur, niſi quia candidi, fortes, & caſtiſſimi erant? Ebur namque os elephantis eſt: elephantes vero caſtiſſima animalia ſunt, & non coëunt niſi ſemel. Merito autem gradus dicuntur Apoſtoli, quia per ipſos aſcenditur ad ſedem Dei. Vnde & ſubditur: *Ex quibus te delectauerunt filiæ Regum in honore tuo.* Ex quibus, inquit, id eſt, per quos filiæ Regum aſcendentes, delectauerunt te, cantantes, ſubauditur, & pſallentes in honore tuo. Filiæ regum ſingulæ Eccleſiæ ſunt, vbicunque ſunt, quas ſancti Apoſtoli Domino genuerunt. Iſti ſunt illi Reges, de quibus dicitur. *A templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera.*

Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumamicta varietate. Multæ ſunt filiæ Regum, ſed Regina vna eſt, per quam Catholicam Eccleſiam, vel Beatam Virginem Mariam intelligimus, quæ ipſius quoque Eccleſiæ, & Regina & Domina eſt. Hæc autem ſtetit à dextris Dei, quia ipſa plus, quam omne creatum honoratur à Deo. Sed quomodo ſtat? *In veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Hanc veſtem amiſit primus homo, qn̄do peccauit, carnis videlicet immortalitatem, vnde & ſe nudum intelligens ait. *Audiui Domine vocē tuam, & abſcondi me, eo quod nudus eſſem.* Hæc autē veſtis variata dicitur, quia omnibus eſt intexta virtutibus. Eſt autem & deaurata, quia ſapienter compoſita eſt; aurum enim pro ſapientia ponitur, quia ſic eſt ſapientia inter alias virtutes, ſicut eſt aurum inter alia metalla. Omnis namque virtus fatua eſt, quæ auro ſapientiæ non deauratur. Habent enim & alij homines virtutes, ſed ſolæ virtutes Chriſtianorum

deauratæ ſunt. Quid prodeſt Iudæo caſtitas? quid prodeſt paganorum humilitas? cum & ille pereat cum ſua caſtitate, & ille pereat cum ſua humilitate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Quamvis hoc de tota Catholica, & Vniuerſali Eccleſia conuenienter intelligi poſſit, ego tamen de beata Virgine Maria ſingulariter hoc exponam, quæ totius Eccleſiæ, ſicut iam dixi, Domina eſt. Videns igitur Propheta per Spiritum Sanctum Gabrielem Archangelum cum ea loquentem, & Chriſti incarnationem ſibi annunciantem, loquitur ei & dicit: *Audi filia, & vide*; Audi, inquit, filia mea, de genere meo, de progenie mea, nobilitas & gloria generis mei, audi quæ Angelus loquitur, quæ cœleſtis nuncius tibi promittit: eſto cauta, eſto ſollicita, diligenter auſculta, quia magna valde ſunt, quæ tibi nunciantur. Vide ergo, & intellige, inclina aurem tuam, & ſuſcipe verbum in corde, & in vtero tuo: Virgo concipies & virgo paries. Inclina autem, quia per aurem ingredietur in te, qui naſcetur ex te: Verbum enim eſt, & via verbi, auris eſt. Non enim aliter concepit B. Maria, niſi audiendo, & credendo, ſi non audiſſet, non credidiſſet, audiuit & credidit, & credendo concepit. *Et obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui.* Neceſſe habet B. Maria illum populum obliuiſci, qui filium ſuum interfecit, & eandem ipſam valde, & ſuper omnia odio habet.

Quoniam concupiuit Rex ſpeciem tuam. Valde enim pulchra erat, quæ vna & ſola ex omnibus mulieribus electa ad amorem ſui Domini ipſum prouocare potuit. Per quam pulchritudinem quid intelligi debeat, iam ſuperius audiuimus, & adhuc in ſequentibus dicturi ſumus. *Quia ipſe eſt Dominus Deus tuus*; Ideo, inquit, audire, & obedire debes his quæ tibi ab Angelo dicuntur, *quia ipſe eſt Dominus Deus tuus*, quem tibi de te naſciturum eſſe promittit. *Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus*; Vide, inquit, quantus erit hic filius tuus, quem filiæ Tyri, inter alias mulieres nobiliſſimæ, cum muneribus adorabunt. Sed quia Tyrus, anguſtia, interpretatur, per filias Tyri, eas animas intelligimus, quæ ſe in hoc mundo in carcere, & anguſtiis eſſe cognoſcunt, & ad cœli amplitudinem totis deſideriis tranſire deſiderant. Munera vero quæ ſancti Domino offerunt, virtutes & bona opera intelligimus.

Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Non ſolum, inquit, filium tuum adorabunt filiæ Tyri, ſed te quoque deprecabuntur, tibique vota perſoluent. Nam & ſi eius vultum, & imaginem intelligamus, non erit inconueniens, cum ſic eam, vbicunque depingitur, ab omnibus venerari videamus. Deprecantur autem & alio modo vultum & pulchritudinẽ B. Virginis Marię omnes diuites plebis, quia nemo eſt, qui eius pulchritudinem & ſanctitatem habere non deſideret. Diuites autem plebis, illæ animæ ſunt, quæ non temporalibus, ſed ſpiritualibus diuitiis abundant. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*; Nolite, inquit, ad exteriorem pulchritudinem attendere, illam quæ interius eſt, conſiderate, quia *omnis gloria eius ab intus eſt*: Nam etſi virginitas carnis totis luceat, ea tamen, quę intus eſt, ſimul cum aliis omnibus virtutibus, magis commendatur. Sed vis audire ipſam Virginem beatam magis de humilitate, quam de virginitate gloriantem? *Exultauit*, inquit, *ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

In fimbriis aureis circumamicta varietate. Varietas iſta, non colorum, ſed virtutum eſt, quæ in te omnium virtutum abundantiam eam habuiſſe ſignificat. Fimbriæ vero, quæ terram contingunt, eius in hoc mundo conuerſationem præclaram, ſanctam & ſapientiæ plenam oſtendunt: Vnde & merito aureæ dicuntur, quia aurum in diuino eloquio ſapientiam deſignat, ſecundum illud: *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis.*

Adducentur Regi virgines poſt eam. Iſta, inquit, ſicut Regina & Domina, anteibit, & præcedet, aliæ vero omnes eam ſequentur, & poſt eam Regi Chriſto Domino adducentur. *Proximæ eius afferentur tibi, in lætitia & exultatione*, proximæ autem illæ dicuntur, quæ mente & ſpiritu eam imitantur, & benè viuendo ei ſimiles ſunt. Omnes autem iſtæ ſimul cum ea, in lætitia, & exultatione Domino offerentur, & in templum Regis adducentur.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Duodecim filios quos Patriarchas vocamus, habuit Iacob, ex quibus omnis Iudæorum multitudo originem duxit, qui ideo Saluatoris noſtri patres dicuntur, quia ſecundum carnem de illorum progenie natus eſt. Similiter autem & Chriſtus duodecim diſcipulos habuit, ex quibus omnis Eccleſiaſtica multitudo genita eſt. Habuit igitur Dominus pro patribus filios, quia ſecundum numerum prædictorum Patrum, filios ſibi, id eſt, ſanctos Apoſtolos eligere voluit. De quibus ſubditur: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Iſti enim ſunt quibus Dominus ait: *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ; ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.*

Memores erunt nominis tui Domine in omni progenie & generatione. Nam & ipſi in ſuis ſcripturis memores ſunt, & per omnes quicumque illorum doctrina, & prædicatione crediderunt, æternam Chriſti nominis memoriam faciunt. Vnde & ſubditur.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in ſæculum ſæculi. Hoc igitur fecit Apoſtolica prædicatio, vt omnes populi omni tempore Domino confiteantur.

In finem filiis Chore pro arcanis.

Pſalmus iſte quem cantant filij Chore, ideo pro arcanis titulatur, quia Chriſti incarnatio in eo continetur, quam Iudæi credere nolunt, & vſque hodie illis arcana, & occulta eſt. De Chriſti namq; incarnatione dicitur hic, *Dominus virtutum nobiſcum*, ipſe eſt enim Emmanuël, qui, nobiſcum Deus, interpretatur.

Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Vox Prophetæ eſt, & aliorum eiuſdem fidei ante Chriſti incarnationem. Deus noſter, dicunt iſti, refugium noſtrum eſt, & virtus & adiutorium in tribulationibus multis quas paſſi ſumus, & nunquam deſeruit nos, quaſi inimici noſtri multo plures & fortiores nobis fuiſſent. Quare igitur timeamus, tanti adiutoris muniti præſidio? Et hoc eſt quod dicit.

Propterea non timebimus dum conturbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Propterea, inquiunt, neque nos timebimus, neque illi, qui tunc temporis erunt, dum tota terra contra ſanctam Eccleſiam conturbabitur, & in ſanctorum mortem omnes homines iniqui conſpirabunt. Sed quid eſt, quod ait. *Et transferentur montes in cor maris?* Montes, Apoſtoli ſunt & Doctores, at vero, cor maris, Romani Principes ſunt, & alij huius ſæculi potentiores, quorum conſilium, & voluntatem, omnes alij ſequebantur. Tunc igitur montes transferebantur in cor maris, quando Apoſtoli & Doctores ante Reges & Principes ducebantur. Sed quid poſtea?

Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eius. Sonuerunt quidem aquæ maris, & turbatæ ſunt, quia omnes populi & nationes, quæ per aquas ſignificantur, nimia ira commoti, contra ſanctos, vt interficerentur, clamare cœperunt. Sancti vero quid fecerunt? *Conturbati ſunt montes in fortitudine eius*: Conturbati enim ſunt, cum in carcerem concludebantur, cum catenis ligati traherentur, cum flagellis, & ſcorpionibus cæderentur, cum vngulis raderentur, cum in cataſta extenderentur, cum igne ſuppoſito vrerentur. Sed quis omnia tormentorum genera enumerare valeat, quibus ſancti Dei ab impiis affligebantur? Hanc enim conturbationem Saluator noſter ſignificabat, cum in tempore ſuæ paſſionis, vſque ad mortem ſe conturbatum eſſe dicebat. Et illæ guttæ ſanguinis, quæ de toto eius corpore ſudabant, has tam diuerſas ſanctorum Martyrum paſſiones ſignificabant.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Exterius, inquit, in corpore & ad tẽpus conturbatur Eccleſia de Sanctorum afflictione, interius vero conſolatur, & lætificatur de ſancti Spiritus inundatione. Sic eſt enim Spiritus Sanctus, quaſi quoddam magnum flumen, de quo ſeptẽ gratię

quaſi ſeptem riui procedentes, totam ciuitatem Dei, quæ eſt Eccleſia, irrigant, ſatiant, lætificant, & fœcundant. *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Huius, inquit, fluminis aquis ſanctificauit Altiſſimus, mundauit, & purificauit tabernaculum ſuum, vt, quia ipſe ſanctus eſt, ſanctum ſit, & tabernaculum eius. Sic enim ipſe ait: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Deus in medio eius non commouebitur*, ſecura eſt illa domus, quæ talem habet habitatorem, qui quoniam nunquam ab ea commouetur, & ſeparatur, ideo nunquam ab inimicis penitus ſuperatur. De ipſa enim dictum eſt. *Quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Vnde & ſubditur.

Adiuuabit eam Deus vultu ſuo. Quid eſt autem, adiuuabit eam vultu ſuo, niſi illuſtratione & lætitia faciei ſuæ? Hinc enim eſt, quod alibi dicitur. *Illuminet Dominus vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur nobis.* Quanto enim Dominus adiuuat, lætam faciem: & quando non adiuuat, iratam faciem habere deſcribitur. *Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna, dedit vocem ſuam Altiſſimus, & mota eſt terra:* Iſta conturbatio, bona eſt, ecce gentes, quæ ſuperius contra ſanctos: & contra Eccleſiam conturbatæ erant, modo contra ſeipſas conturbatæ eſſe dicuntur, iam incipiunt abominari ea quæ diligebant, & ea diligere, quæ odio habebant. Et inclinata ſunt Regna. Quia ipſi quoque Imperatores ſub iugo Chriſti ſe humiliauerunt, & fidem quam impugnabant, cum gaudio ſuſceperunt. Hoc autem ſub tempore Conſtantini Imperatoris conuenienter intelligi poteſt, quando ſanctis omnibus à vinculis abſolutis, Eccleſiæ apertæ ſunt, & nemo fuit, qui contra Chriſtianam fidem inſurgere auderet: Et nunc quidem omnibus liberè prædicantibus, totus mundus pene ad fidem conuerſus eſt. Vnde & ſubditur. *Dedit vocem ſuam Altiſſimus, & mota eſt terra.* Dedit enim Altiſſimus vocem ſuam per ora Epiſcoporum, & Doctorum, & mota eſt terra ab infidelitate ad fidem, à tenebris ad lucem, à diabolo ad Deum. Sed quid dicebat terra in illa ſua tanta commotione? Sequitur.

Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob. Hoc autem tale eſt, ac ſi dicerent. Victi ſunt dij noſtri, quia falſi, miſeri, & ſine viribus erant, nunc autem *Dominus virtutum nobiſcum eſt*, Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, cui nulla creatura reſiſtere poteſt, qui tam ſubito tamque mirabiliter totum ad ſe mundum conuertit. *Suſceptor noſter Deus Iacob.* Quia expulſis Iudæis, nos gentiles in hæreditatem ſuſcepit.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram auferens bella vſque ad fines terræ. Lætantur ſancti, & admirantur de tanta pace tam ſubito ſibi diuinitus conceſſa: *Venite*, inquiunt, *& videte opera Domini*, & reuera, & ſpecialiter opera Domini, & quæ nullus alius niſi ipſe ſolus facere potuiſſet, ac per hoc ea, quæ modo facta ſunt, prodigia, & magna miracula eſſe dicuntur. Sed quæ ſunt illa? *Auferens bella vſque ad fines terræ.* Cum enim paulò ante, pacē Eccleſia nuſquam habuiſſet, ſubito per Dei miſericordiam factum eſt, vt vſque ad fines terræ, nemo contra eam loqui auderet. De qua videlicet pace adhuc ſubditur: *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igne.* Hoc autem contra Arrianos dicere videtur, quorum impia hæreſis in Niceno Concilio ſimul cum Principe ſuo ipſo eodem tempore damnata eſt. Et quamvis omnis illorum armatura diſſipata ſit, adhuc tamen, & arma, & bellatores ignis perpetuus exſpectat.

Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Venite, inquit, & videte opera Domini, & agamus ei gratias, qui data pace nos hortatur dicens. Vacate & videte, vacate, inquit, electioni & orationi, & omni ſpirituali operationi. Et videte, cognoſcite, & intelligite, quoniam ego ſum Deus, cuius virtutē, & potentiam nunc tantopere admiramini. Et exaltabor, quaſi dicat, in cunctis gentibus. Et in omni terra, quæ vſque ad hæc tempora mihi aduerſari videbatur.

Dominus virtutum nobiſcum ſuſceptor noſter Deus Iacob. Idipſum repetunt, quod ſuperius dixerat, & gratulabundi, verum per omnia eſſe confirmant, quia Dominus virtutum nobiſcum eſt, quoniam niſi fortis, & potens eſſet, ea quæ ſuperius dicta ſunt, nullatenus facere potuiſſet.

IN FINEM PRO FILIIS CHORE.

PSalmus iſte factus eſt pro filiis Chore, id eſt, pro Apoſtolis qui in ſola Chriſti paſſione & cruce gloriantur. Vnde Apoſtolus ait. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* De his autem in hoc pſalmo dicitur. *Principes populorum conuenerunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ nimium eleuati ſunt.*

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo, in voce exultationis.

Hanc conſuetudinem habuerant antiqui, vt præ lætitia manibus plauderent. Vnde eſt illud. *Plaudite Romani ego Caliopius recenſui.* Hortatur igitur Eccleſia omnes gentes, vt ineffabiliter gaudeant, & lætentur, quoniam Saluator noſter cœlos aſcendit, manibus namque plaudere, maiorem lætitiam ſignificat, quam verbis explicari valeat. Et illi quidem bene manibus plaudunt, qui eam lætitiam, quam de Domino habent bene operando oſtendunt, ſi quidem manibus opera fiunt. Iubilatio vero in voce exultationis, ineffabile gaudium eſt, quod magis in corde quam in ore modulatur.

Quoniam Deus ſummus, terribilis, & Rex magnus ſuper omnes Deos: Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris; elegit nos in hæreditatem ſibi, ſpeciem Iacob quam dilexit. Duplicem cauſam reddit, quare manibus plaudere & iubilare debemus: alteram quidem noſtram, & alteram Saluatoris noſtri: noſtram autem, pro tanto beneficio, quia nobis populos ſubiecit, & nos ſibi in hæreditatem elegit. Plaudite, inquit. Quare? Quoniam Dominus, qui modo pauper & humilis apparuit, nunc ſummus, & terribilis, & Rex magnus ſuper omnes Deos eſſe probatur. Summus quidem, quoniam omnia ei ſubiecta ſunt, quæcumque in cœlo, vel in terra ſunt.

Terribilis vero, quia reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Et ipſe quidem eſt Rex magnus ſuper omnes Deos, quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Nulla namque gens, vel populus eſt, de quibus ſe aliqui ſanctorum pedibus non humiliaſſent. Quod autem ait: *Elegit nos in hæreditatem ſibi*, hoc eſt, quod Dominus alibi dicit: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Vocat autem eandem hæreditatem, id eſt, ſanctam Eccleſiam, ſpeciem Iacob, quia ipſa eſt de qua Apoſtolus ait. *Elegit ſibi gloriam, Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam.* Quod vero ſequitur: quam dilexit, hoc eſt quod alibi Dominus ait. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Iterum inquit, plaudite, & amplius plaudite, quia aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. In iubilatione aſcendit Dominus, id eſt, in maximo gaudio, & lætitia Apoſtolorum, qui cum in tanta gloria tantaque virtute aſcendere videbant. Siue etiam in iubilatione Angelorum, quos omnes cum ſumma exaltatione obuiam ei veniſſe, dubitare non debemus, quorum voces & laudes, quæ excellentiſſimæ erant, quamvis neſciamus quales erant, per vocem tubæ intelligere poſſumus. Et quis vnquam dicere, vel cogitare valeat, quanta tunc lætitia in cœlis fuerit, quando Chriſtus Dominus cœlos aſcendit? Videor videre omnes Angelos, & Archangelos, illam Saluatoris noſtri glorioſiſſimam humanitatem humiliter adorantes, & pro tanta talique victoria de hoſte ſuperbiſſimo ſic ſuperato, gratias agentes. Et hoc totum in his verbis

A ſignificatum eſſe puto, quod hic dicitur. *In iubilatione, & in voce tubæ.*

Pſallite Deo noſtro pſallite, pſallite Regi noſtro pſallite. Quanto iubilo cor iſtius hominis plenum erat, qui toties, & cum tanta frequentatione nos pſallere præcipit, videtur mihi his verbis dicere. Pſallite, Pſallite, & inceſſanter pſallite ne vos Angeli pſallendo vincant, ſed quod ipſi in cœlis faciunt, & vos in terra faciatis. Et ne fortaſſe aliquis ſic admonitus, & exhortatus, præ nimia lætitia, vt quondam, ad motus corporis, & ad ſaltationes ſurgere voluiſſet, ſubdidit dicens: Pſallite ſapienter. Et hoc quare? *Quoniam Rex omnis terræ Deus*: Non eſt, inquit, qualiſcunque Rex iſte cui pſallitis, magnus & potens eſt, & omnis terræ Rex Dominus eſt. Et vnde hoc probat? vis audire vnde?

Regnabit Dominus ſuper omnes gentes. Victi, inquit, ſunt inimici, & Regnum, & poteſtatem diabolus amiſit, non Iudæorum Deus tantum, immo & gentium, non
B regnet amplius peccatum in veſtro mortali corpore, quia ſolus Chriſtus Rex eſt, & vbique regnat. Et vbi eſt?

Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam, ſicut ſcriptum eſt. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Et alibi. *Dominus in cœlo ſedes eius.* Sed ne longe tibi eſſe videamur, audi Apoſtolum dicentem. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in vobis.* Anima namque iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Nam & ſuper aſellum ſedere non eſt Dominus dedignatus.

Principes populorum conuenerunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ nimium eleuati ſunt. Interrogauit Moyſes Dominum, quod eſſet nomen eius? Cui Dominus reſpondens ait. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.*

Hic eſt itaque ille Deus, & Dominus, cum quo in die Aſſenſionis ſuæ conuenerunt principes populi, ſancti videlicet, Apoſtoli, atque in ipſa die mandatum acceperunt, vt irent in vniuerſum mundum, & prædicarent Euangelium omni creaturæ, & tot quidem Dij fortes
C terræ a Domino conſtituti ſunt ſicut & Moyſes, cum ad Pharaonem mitteretur, dictum eſt ei à Domino, Ecce poſui te Deum Pharaonis. Fortes autem dij fuerunt iſti, & aliis omnibus fortiores, quoniam non ſolum in terra, ſed in cœlo quoque poteſtatem acceperunt, & claudere, & aperire quibuſcumque voluerint. Vnde & Beato Petro Dominus ait. *Quodcunqunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis.* Ideoque hic dicitur. *Nimium releuati ſunt.* Nimium quidem, quantum ad humanam opinionem. In alia tamen tranſlatione, non dicitur, nimium, ſed valde eleuati ſunt, quod ſatis conuenientius ſonare videtur.

PSALMVS CANTICI FILIIS CHORE ſecunda Sabbathi.

Filij chore illi ſunt, qui in Caluariæ locum Chriſtum crucifixum, diabolum victum, originale peccatum
D deletum, & humanum genus Chriſti ſanguine redemptum eſſe non dubitant, Quod vero ait. Secunda Sabbathi, ſic eſt intelligere, Prima namque ſabbathi reſurrexit Dominus, ſuiſque Diſcipulis ſe manifeſtauit, ſecunda vero de eius reſurrectione certiſſimi facti, inter ſe tractare cæperunt, quod eius reſurrectionem manifeſtarent, & eius gloriam prædicarent. At vero Apoſtolorum prædicatio, quid aliud ſit, quam Eccleſiæ conſtructio? De Eccleſiæ vero conſtructione, totus hic Pſalmus compoſitus eſt.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius.

Magnus quidem eſt quia omnia continet, & vbique eſt. Eſt autem & laudabilis nimis, quia quantum laudari debet laudari non poteſt. Sed vbi laudabilis eſt, niſi in ciuitate ſua, & in monte ſancto ſuo? Ciuitas eius & mons ſanctus eius, Eccleſia eſt, quæ per Sion, & Ieruſalem ſignificatur. Alibi Dominus laudari non dignatur, niſi in ciuitate ſua, & in monte ſancto ſuo, id eſt, in monte Sion. De quo ſequitur. E

Dilatans exultationes vniuerſæ terræ, mons Sion, latera aquilonis ciuitas Regis magni. Mons, inquit, Sion, & latera aquilonis ſunt ciuitas Regis magni, quoniam ex Iudæis, & gentilibus, facta eſt Eccleſia, vt per Sion Iudæos, per latera vero aquilonis, gentiles intelligamus. Hinc eſt enim, quod Dominus dicitur, lapis angularis, coniungens duos parietes, vnum ex præputio, & alterum ex circumciſione. Ex his enim duobus parietibus Eccleſia tota conſiſtit. Vnde & in Euangelio Dominus ait. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Latera autem aquilonis, omnes illi intelliguntur, quos diabolus perflat, & ventilat, ibi enim fuit ſedes eius, ſicut ipſe ait. *Ponam ſedem meam ad aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* Vnde & alibi dicitur, *Ab aquilone pandetur malum ſuper omnes qui habitant terram.* De talibus igitur ſancta Eccleſia fabricata eſt, quia non venit Dominus vocare
iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Quod autem ait. F
Dilatans exultationes vniuerſæ terræ, tale eſt ac ſi diceret: Mons Sion ciuitas eſt Regis magni, dilatans exultationes vniuerſæ terræ: De Sion enim, ſicut ſcriptum eſt, *exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, inde enim venerunt Apoſtoli: inde fides, & doctrina Chriſtiana, inde iſti Pſalmi; inde omnis lætitia, & exultatio, quibus Eccleſia gratulatur, per vniuerſum mundum dilatata eſt.

Deus in gradibus eius dignoſcetur, dum ſuſcipiet eam. Venit, inquit, Dominus ad hanc ciuitatem ſuam, ſed nondum ſuam, quia nondum ſuo ſanguine redemptam, & neque cognitus neque ſuſceptus eſt: *In propria enim venit, & ſui eum non ſuſceperunt.* Sed dum ſuſcipiet eam, in gradibus eius dignoſcetur. Hoc autem erit in iudicio, quando & boni & mali adſtabunt ante tribunal Chriſti. Iſti ſunt illi gradus, de quibus ſuperius dicitur. *A gradibus eburneis.* Gradus Eccleſiæ Apoſtoli ſunt, quia ipſi nos portant, & ſuſtinent, & per illos omnes aſcendimus. In illis autem cognoſcitur Dominus, qui in illis & per ipſos omnia iudicabit. Et bene quidem in Diſcipulis co- G
gnoſcitur magiſter, quia ſi ipſi ſapientes ſunt, iam de Magiſtro non dubitatur.

Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt, & conuenerunt in vnum. Hoc eſt autem quod in titulo dicitur, *ſecunda Sabbathi*: ſecunda namque ſabbathi poſtquam Dominus à mortuis reſurrexit, congregati ſunt Diſcipuli, & conuenerunt in vnum, ſimulque, vt in Euangelio legitur, clauſi manebant propter metum Iudæorum, inter quos, & ſemel, & iterum, Chriſtus apparuit, & dixit eis. *Pax vobis ego ſum nolite timere. Gauiſi ſunt ergo Diſcipuli, viſo Domino.* Et hoc eſt quod ait.

Ipſi videntes tunc admirati ſunt. Bene autem dixit, tunc, quia in ipſo principio non mirum, ſi admirabantur de tanti miraculi nouitate. Non tamen mirari debuerant, quod ille à mortuis reſurrexit, qui ipſis præſentibus & videntibus; alios reſuſcitauit, & adhuc omnes reſuſcitare habet. Nunc autem Propheta ad ea viſum intendit, quæ Apoſtoli paſſi ſunt, poſtquam ad inuicem diuiſi vbique
gentium prædicare cœperunt. Neque enim alia dicere H
poterat, niſi ea quæ ſibi intus oſtendebantur. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et inde fit vt prophetæ materiæ continuationem, & ordinem non teneant, ſed modo ad hæc, modo ad illa ſubito transferantur, & ſæpiſſime prius ea dicuntur, quæ poſtea facta ſunt.

Conturbati ſunt, & commoti ſunt, tremor apprehendit eos, ibi dolores vt parturientis: in ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. Poſtquam, inquit Apoſtoli prædicare cœperunt, & deorum culturam falſam eſſe, certiſſima ratione oſtenderunt & terrorem futuri iudicij nunciauerunt, & ſignis multis atque miraculis ſuam doctrinam confirmauerunt, conturbati ſunt, omnes qui eos audiebant, & commoti ſunt, tremor apprehendit eos. Conturbati quidem ſunt, alij bene, alij non bene. Sed nos modo de his, qui bene conturbati, & commoti ſunt, dicere volumus. Bene autem conturbatur, qui contra ſeipſum, ſi male vixit & credidit, & contra priſtinam ſuam

A conuerſationem conturbatur. Commoti ſunt autem, ab infidelitate ad fidem, à tenebris ad lucem, à falſitate ad veritatem tranſeuntes. Et hoc ideo, quia tremor futuri iudicij, & pœnarum quæ incredulos exſpectant, apprehendit eos. Ibi dolores ſicut parturientis. Boni iſti dolores ſunt, quia cito in gaudium conuertentur: Vnde & Dominus ait. *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo.* Tales igitur dolores habebant illi, qui ad fidem veniebant, & pro peccatis ſuis dolebant, & flebant, *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*, Nonne vides, quam ſubito hic mutatur perſona? Quære a principio pſalmi vſque huc, & non inuenies prophetam, niſi hic, ad ſecundam loqui perſonam. Hoc autem ideo dixi, vt non quæramus omnia in prophetis, quæ in aliis ſcripturis quærere ſolemus. In ſpiritu, inquit, vehementi. O Domine conteres naues Tharſis Hic eſt ille ſpiritus, de quo in Actibus Apoſtolorum legitur: *Factus eſt repente*
B *de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.* Hic igitur ſpiritus contriuit naues Tharſis, quia innumerabiles huius mundi ciuitates, oppida, caſtella, & villas, quæ per naues ſignificantur, ſecundum priorem ſtatum contriuit, & in melius commutauit. Bene autem Tharſis mundum ſignificat, quæ in mari poſita ſolis nauigiis, negociationibus & deceptionibus dedita fuit.

Sicut audiuimus ita, & vidimus in ciuitate Domini virtutum in ciuitate Dei noſtri Deus fundauit eam in æternum. Ponit ſe Propheta cum omnibus aliis, qui admirantur de tam ſubita, omnium gentium conuerſione: Sicut audiuimus, inquit, a Patriarchis, & Prophetis, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, per quam Eccleſia ſignificatur. Dominus virtutum dicitur Saluator noſter, quia ipſe eſt, qui per ſe, & per ſuos, tantas vbique virtutes operatur. Pulchre autem dixit; *Deus fundauit eam in æternum*, quia fundamentum eius moueri non poteſt Vnde & Dominus ait. *Quia portæ inferi non præua-*
C *lebunt aduerſus eam.*

Suſcepimus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quicumque miſericordiam inuenire, & a peccatis ſuis liberari deſiderat, veniat ad templum Dei, veniat ad Eccleſiam Dei, quia nuſquam alibi eſt remiſſio peccatorum.

Secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ. Sicut, inquit, nomen tuum vbique auditum eſt, neque eſt aliqua gens, quæ nomen tuum ignoret, ita fac vt laus quoque tua vbique dilatetur & extendatur, & nulla gens ſit vſque ad fines terræ, quæ te non laudet, atque magnificet. Et beati illi qui te laudabunt, miſeri vero, qui te non laudabunt. Vnde hoc? *Quia iuſtitia plena eſt dextra tua, quæ reddet vnicuique ſecundum opera ſua.*

Lætatur igitur mons Sion, Qui te quotidie laudare non ceſſat. *Et exultent filiæ Iudæ*, id eſt, animæ Confeſſorum, quæ & ipſæ in tuis laudibus perſeuerant. Iudas enim Cōfeſſor interpretatur. *Propter iudicia tua Domine*, Talia
D enim ſunt iudicia tua, quæ beatos facient, & lætificabunt omnes fideles tuos. Nunc autem apoſtropham ad ipſos Apoſtolos facit, eoſque hortatur, vt huius montis Sion ſolliciti ſint, & omni diligentia eum muniant, & cuſtodiant. Et hoc eſt quod dicit.

Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius: ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera. Circumdate, inquit, *Sion*, vos, qui cuſtodes, & ſpeculatores eſtis, veſtriſque eam vndique munite præſidiis, *Et complectimini eam*, vlnis amoris, & charitatis, ne forte ab aliis amatoribus diripiatur *Narrate*, & prædicate *in turribus eius*, per quas ſingulas Eccleſias, non mente; ſed locis a ſe diuerſas intelligimus, *Ponite corda veſtra in virtute eius*, id eſt, toto corde, totaque intentione, intendite in virtutes, & fortitudines illius. *Et diſtribuite gradus eius*, Ordinate Epiſcopos, Presbyteros, aliosque gradus Eccleſiaſticos per ſingulas ciuitates *Vt enarretis in progenie altera.* Hoc
E eſt enim quod Apoſtolus ait. *Plures facti ſunt ſacerdotes ſecundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere.* Si enim ſemper viuerent, ipſi ſoli ſufficerent, & alij ordinandi non eſſent, nunc autem aliis obeuntibus alios ſuccedere neceſſe eſt, per quos doctrina Apoſtolica enarretur in progenie altera. Sed quid narrabitur in progenie altera?

Quoniam hic eſt Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi, & ipſe reget nos in ſæcula. Sufficit igitur nobis hoc in Eccleſia prædicare: Quia Chriſtus Deus noſter, & Rex noſter eſt in æternum, & quia ipſe nos regit, & diligit, nunquam de eius regimine recedamus, nunquam ad aliam doctrinam tranſeamus, & quæcunque præcipit humiliter faciamus, & nullum alium rectorem ſuſcipiamus, & ſufficit nobis.

IN FINEM FILIIS CHORE.

Iſte titulus ſatis iam expoſitus eſt.

F *Audite hæc omnes gentes auribus percipite, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues & pauper.* Magna ſe in hoc pſalmo Propheta locuturum eſſe oſtendit, cum tantam omnium gentium faciat vocationem neminem dimittit, omnes vocat, & diuites, & pauperes audire iubet.

Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Simul nos & attentos & beneuolos facit, dum ſe ſapientiam, & prudentiam locuturum eſſe promittit. Et reuera ſumma ſapientia hæc eſt, vt homo in virtute ſua non confidat, neque in diuitiis ſuis glorietur, vt miſericordiam diligat, ſe ipſum cognoſcat, & carnem ſuam luxuriis: & voluptatibus non ſubiiciat.

Inclinabo ad ſimilitudinem aurem meam. In eo quod ad ſimilitudinem aurem ſuam inclinare ſe dicit, & per ſimilitudinem, ſe loqui, & non ſua, ſed aliena ſe dicere oſtendit. Et hoc eſt quod alibi ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus aperiam in pſalterio propoſitio-*
G *nem meam*, Pſalterium, inſtrumentum eſt Muſicæ artis, quod decem chordas, & non amplius habet. Decem autem ſunt verba legis, in quibus alia omnia continentur, Ille igitur in pſalterio cantat, qui legis mandata cuſtodit, & operatur.

Vt quid timebo in die malo? Nunc in ſimilitudine loqui incipit, & ſeipſum aliis in ſimilitudinem ponit, vt quod ipſe dicit de ſe, hoc vnuſquiſque intelligat in ſe. Dies autem mala, dies iudicij eſt, quæ ad ſola mala ſuſcipienda, malis hominibus præparata eſt. *Vt quid timebo*, inquit, *in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Iniquus eſt ille calcaneus, qui firmus non ſtat, & totum hominem ruere facit. Multos calcaneos habemus, & plures intus quam foris habemus. Omnia opera noſtra calcanei nobis ſunt: boni quidem calcanei, ſi bona ſunt: mali vero, ſi mala ſunt, in his enim aut cadimus aut ſtamus. Ille igitur non timebit in die malo, qui bonum dum vixit calcaneum habuit.

H *Qui confidunt in virtute ſua, quique in abundantia diuitiarum ſuarum gloriantur.* Illi inquit, timeant in die mala, qui confidunt in virtute ſua, & qui gloriantur in multis diuitiis ſuis. Et ideo timeant, quia calcaneos iniquos habent, tales enim calcanei iniqui ſunt, quia cito deficient, & eos, quos portant, ſuſtinere non poterunt. Et vnde hoc probas?

Frater non redimet, redimet homo? Quis eſt iſte frater, cujus redemptio nam neceſſaria eſt? Hic eſt ille, qui alibi ait: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Ipſe eſt igitur Saluator noſter, qui eos vtique non redemit, qui confidunt in virtute ſua, & qui gloriantur in diuitiis ſuis. Et ſi ille eos non redemit, qui & Deus eſt, & homo, nunquid aliquis eos redimet homo?

Poterit ne ſacerdos vel Leuita ſanare, quos non ſanauit Samaritanus? *Non dabit Deo petitionem ſuam, nec pretium redemptionis animæ ſuæ:* Ideo, inquit, non redimetur, quia eius petitiones Deus non audit, & quia pretium redemptionis animæ ſuæ non reddit. Illorum enim

petitiones

petitiones & orationes ſuſcipit Deus, qui bonam intentionem habent, & mundo corde eum deprecantur. Illi vero redimunt animas ſuas, qui eleemoſynis, & aliis operibus pietatis, & miſericordiæ ſatisfaciunt pro peccatis ſuis. *Laborabit in æternum, & viuet in finem* Quia, inquit, mali tales, & tales ſunt, ideo in æternum laborabunt, & ad quietem numquam peruenient. Et viuent, vſque in finem, ſed numquam peruenient ad finem, vellent enim mori, & ad finem peruenire, ſi poſſent.

Quoniam non videbit interitum. cum viderit ſapientes morientes. Ideo, inquit, homines iniqui, in tormentis, & doloribus viuent, vſque in finem, quia non intelligunt neque conſiderant, quam iuſte & quam ſancte ſapientes moriuntur. *Pretioſa eſt enim in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Illi vero cogitant & in cordibus ſuis dicunt: vna conditio eſt omnium, & boni, & mali, & iuſti, & peccatores, & ſapientes, & inſipientes, & omnes pariter moriuntur, & in puluerem reſoluuntur, nulla differentia eſt, gaudeamus in hac vita, quia neſcimus, quid futurum ſit in alia vita. Talis autem cogitatio iniqua eſt, & deſperatione plena: quapropter *ſimul inſipiens & ſtultus peribunt.* Hic eſt ille inſipiens, qui dixit in corde ſuo: *Non eſt Deus*, per quem infideles homines intelligimus. Stultus vero eſt, qui ſola terrena, & tranſitoria diligit, quæ tam cito & tam facile amittuntur. Vno igitur, & ſimili modo iſti peribunt, quia talis fidelis, aut parum aut nihil differt ab infideli. Talis autem ſtultus erat ille cui Dominus ait. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* Vnde & ſubditur.

Et relinquent alienis diuitias ſuas. Hoc eſt enim quod in alio pſalmo dicitur. *Theſaurizant, & ignorant cui congregent ea. Et ſepulchra eorum domus eorum in æternum*, Poſtquam in ſepulchris habitare cœperint, numquam alias domus vlterius habebunt: Nam & infernus ſepulchrum eſt, & ipſa eorum corpora ſepulchra ſunt fœtida quidem, & putredine plena.

Tabernacula eorum in omni generatione & progenie, inuocabunt nomina eorum in terris ipſorum. Sicut enim in cæleſti Ieruſalem manſiones multæ ſunt, ita & in inferno multa tabernacula, & pœnarum receptacula ſunt. Et ſicut ibi alij ab aliis differunt in gloria, ita & ibi alij ab aliis differunt in tormentis. *Tabernacula* igitur *eorum*, id eſt, maligni ſpiritus, qui ſimul cum eis in ipſis tabernaculis habitabunt. *In omni generatione, & progenie*, per quod tempus infinitum deſignatur. Inter ipſa tormenta, quibus eos cruciabunt, nomina eorum turpiſſima inuocabunt, vt hoc ipſum ſit eis ad maiorem pœnam atque triſtitiam, quod talibus nominibus vocabuntur. Intelligendum eſt itaque quod inter ipſa flagella, adulteros, fornicatores, ſacrilegos, fures, latrones, periuros homicidas, ſodomitas, prædatores, & aliis nominibus, quæ ipſi melius in memoria habent maligni ſpiritus eos in perpetuum vocabunt. Et ille quidem terræ populus erunt terræ ipſorum in quibus in æternum habitabunt.

Et homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Hæc eſt cauſa quare homines iniqui, quæ ſuperius dicta ſunt, patiantur, quia cum in honore eſſent, & ad Dei imaginem & ſimilitudinem facti eſſent, non intellexerunt ad cuius imaginem facti erant, ſed potius luxurioſe turpiterque viuentes, iumentis inſipientibus ſimiles eſſe voluerunt. Aſini igitur facti ſunt, qui ſi voluiſſent, dij eſſe poterant. Sic enim ſcriptum eſt: *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.*

Hæc via eorum ſcandalum ipſis. Quis dicere valeat, quanta hæc via iniquorum, & in hac vita, & in alia ſcandala illis, & pericula pariat? Hæc via facit, vt numquam pacem habeant vt ſe viciſſim interficiant, & vt alter alterum iniquo odio proſequatur. *Et poſtea in ore ſuo benedicent*, Poteſt autem hoc intelligi, vt poſt ſcandala, & contentiones, iſti tales, ſe inuicem, non in corde, ſed in ore ſuo benedicant, quod ad fictam pacem pertinere videtur. Si autem poſt hanc vitam hoc intelligimus, quid erit aliud: *Poſtea in ore ſuo benedicent*, niſi, poſtea benedixiſſe deſiderabunt? Et hoc in ore ſuo, per quod cogitationem conuenientius quam verba intelligere poſſumus.

Sicut oues in inferno poſiti ſunt. Ouibus modo aſſimilantur, non propter aliud, niſi quia nulla ratione ſe defendent, ſed omni virtute & fortitudine priuati, quaſi viliſſima animalia, ad mortem trahentur. Et mors quid faciet? Et mors depaſcet eos; non dixit, deuorabit eos, ſed depaſcet eos, vt per hoc mortem ipſam indeficientem ſemperque rediuiuam intelligamus.

Et obtinebunt eos iuſti in matutino. Vnde obtinebunt eos, quia iuſti iacebunt, & nihil poterunt contra eos. Hoc autem erit in matutino, quando hac nocte longiſſima tranſacta, orietur iuſtis ſol iuſtitiæ, *Et auxilium eorum veteraſcent in inferno*, vbi ipſi erunt, ibi erit auxilium eorum, per quod videlicet omnes eorum amicos, & propinquos, qui eis auxiliari nolebant, intelligere debemus. Iſti autem veteraſcent in inferno, quia non modico tempore ibi habitabunt. Et à gloria ſua expulſi ſunt, Hoc ſi in initio dixiſſet conuenientius videretur quia quando mortui ſunt, tunc quidem à gloria ſua expulſi ſunt. Sed hæc in Prophetis quærenda non ſunt, quia quocunque vadit, ſpiritus, illuc & rotæ ſequuntur.

Verumtamen Deus liberabit animam meam de manu inferi, dum acceperit me. Quaſi ei aliquis diceret? Sic loqueris tu de aliis, quaſi tu quoque in infernum deſcendere, & ibi habitare non habeas. Ad quod ipſe: ſcio quidem quia deſcendam verumtamen Deus liberabit animam de manu inferi. Quando? dum acceperit me. Felix illa dies, & nimium felix, qua Saluator noſter illuc deſcendit, & ſanctorum animas, quæ ibi captiuæ tenebantur, eripuit. Hinc eſt enim quod hic ipſe alibi ait. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.*

Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Ne timueris, inquit, neque diuitem neque pauperem, quia & diuites cito pauperes fiunt & ſanctorum paupertas cito, in diuitias commutatur. Timent multoties viri religioſi, quando viros impios, & ſuperbos, qui eos odio habent in potentia & diuitiis creſcere videut, quos modo Propheta conſolatur, & hortatur, ne timeant, quoniã hi tales cito deficiunt.

Quoniam non cum morietur, accipiet hæc omnia, neque ſimul deſcendet cum eo gloria domus eius. De talibus quidem dolendum eſt, quia pereunt, ſed gaudendum eſt, quia ſuæ iniquitatis merita recipiunt.

Quoniam anima eius in vita ipſius benedicetur. In vita ſua tantum benedicitur impius, ſed ab adulatoribus ſibique ſimilibus: poſtquam autem mortuus fuerit, æternam exſpectat maledictionem. *Et confitebitur tibi dum benefeceris ei.* Videmus enim iſtos tales, quando eis ſecundum ſuam voluntatem proſpera accidũt, Deum multoties benedicere, & laudare, nec tamen ab iniquitate quieſcunt, ſed ipſis ſuis proſperitatibus deteriores fiunt.

Et introibit vſque in progeniem patrum ſuorum. Hoc enim ipſi quaſi ludenter dicere ſolent, quia ibi eſſe, & habitare volunt, vbi ſunt parentes eorum. Parentes autem illorum illi ſunt, quorum opera imitantur: cum illis igitur erunt in pœnis, à quibus non differunt in operibus, Vnde & ſubditur, *Et vſque in æternum non videbit lumen*, quia de tenebris cæcitatis & erroris, ibunt in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium.

Et homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Hoc autem iam ſuperius dixerat, ſed in eo quod iterum repetit, eos in ſua malitia perſeueraſſe oſtendit.

PSALMVS ASAPH.

Asaph, Synagoga, id eſt Congregatio interpretatur. Ipſa itaque loquitur in hoc pſalmo, & dicit, ſe hoc à Domino mandatum accepiſſe, vt ceſſet à ſacrificiis, quæ offerre conſueuerat, & offerat Deo ſacrificium laudis, & iubilationis.

A *Deus Deorum Dominus locutus eſt,& vocauit terram: A ſolis ortu & occaſu, ex Sion ſpecies decoris eius.* Dicit Euangeliſta de his qui Chriſtum Dominum receperunt, quia dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Omnes igitur fideles & Dij ſunt, & filij Dei, de quibus, & Dominus ait. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Deus* itaque qui deorum, id eſt, ſanctorum omnium ſpecialiter Dominus eſt, ipſi enim ſunt, qui ei ſeruiunt & obediunt, locutus eſt, & per ſe ipſum, & per Apoſtolos ſuos. Et vocauit terram. Quam terram? A ſolis ortu vſque ad occaſum. Non enim Iudæorum Deus tantum, immo & gentium quoniam vnus Deus eſt, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Hinc eſt enim quod alibi dicitur: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Ex Sion ſpecies decoris eius: Omnes, inquit, ab oriente vſque in occidentem vocati ſunt, Sion vero, & Ieruſalem in medio eſt: ſecundum illud. *Deus autem* B *Rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ* Egregie itaque falſum eſt, quod illa ciuitas in medio ſita eſt, ex qua omnia in circuitu fidem, & doctrinam ſpeciem & pulchritudinem ſuſcipere debebant. In Sion namque ſanguis ille fuſus eſt, quo totus mundus purificatus, antiquam pulchritudinem decoremque recepit. Et hæc quidem de primo Chriſti aduentu dicta ſunt, nunc de ſecundo audiamus.

Deus manifeſtus veniet, Deus noſter & non ſilebit. Venit enim in primo aduentu ſuo occultus, & in forma ſerui, & ideo cognitus non eſt: *Si enim*, vt Apoſtolus ait, *cum cognouiſſent, nunquam Dominum crucifixiſſent*, Veniet autem manifeſtus, non iudicandus, ſed iudicaturus. Vnde, & ipſe ait. *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes.* Vnde, & hic dicitur, *Congregate illi ſanctos eius.* Et tunc quidem non ſilebit, qui prius quidem *tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum:* Tacuit enim, ſicut ſcriptum eſt, ſed non ſemper tacebit C tacere enim, & iudicare, inconuenientia ſunt.

Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida. Ideo prophetiæ graues ſunt, quia pluribus in locis neque tempus neque ordinem ſeruant, Iſte enim verſus poſtea dicendus eſſet, quia ea, quæ ſequuntur, prius fient, quam ea, quæ in hoc verſu narrantur. Prius enim vocabitur & cœlum, & terra ſurſum, & populus à populo diſcernetur, & omnes ſancti ante iudicem congregabuntur, & prius cœli ſententiam dabunt, & iuſtitiam annunciabunt, & ſic tandem in conſpectu eius ignis ardebit, *& in circuitu eius tempeſtas valida.* Sic enim ſe habet ordo, & hoc eſt quod ait.

Aduocauit cœlum ſurſum,& terram vt diſcerneret populum ſuum. Prophetarum eſt pro futuris præterita ponere, quia ſic vident ea, quæ futura ſunt, ac ſi iam facta fuiſſent. Per cœlum & terram omnis bonorum & malorum multitudo ſignificatur. Et merito boni cœli vocantur, quia illuc ituri ſunt, & quia ſemper cœleſtia dilexerunt. Mali vero, non immerito terra dicuntur, quia ſola terre- D na & tranſitoria diligunt, & ad inferiora terræ trahendi ſunt. Aduocabit igitur Dominus & cœlum & terram ſurſum, quoniam & bonos & malos, vt Apoſtolus ait, omnes aſtare oportet ante tribunal Chriſti, vt reddat vnuſquiſque rationem de peccatis ſuis. Quod autem ait ſurſum, aperte oſtendit, non in terra, ſed ſurſum in aëre iudicium eſſe futurum. Sed quare aduocare? *Vt diſcerneret populum ſuum.* Sic enim in Euangelio ſcriptum eſt. *Quia ſeparabit bonos à malis, ſicut paſtor ſeparat agnos ab hædis, & ſtatuet agnos quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris.* Satis autem in ipſa ſua poſitione intelligere poterũt, quibus gloria,& quibus pœna ſit præparata.

Congregate illi ſanctos eius, qui ordinauerunt teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Vos, inquit, Angeli, quorum officium eſt, congregate illi ſanctos eius, per quos, Epiſcopos, & ſacerdotes alioſque omnes Eccleſiaſtici ordinis intelligimus. Et digne quidem non ſimul cum aliis, ſed ſeparatim per ſe iſti congregantur. Poſt hos autem veniunt Apoſtoli, de quibus ſubditur. *Annunciabunt* E *cœli iuſtitiam eius.* Deinde vero ponitur ipſe Dominus & Saluator noſter, de quo hic dicitur. *Quoniam Deus iudex eſt.* Ordinauerunt autem Epiſcopi & Sacerdotes teſtamentum Dei ſuper ſacrificia: quia in ipſis Iudæorum ſacrificiis expoſuerunt & oſtenderunt, nouum teſtamentum, eſſe ſignificatum. Cum enim vtrumque teſtamentum Dei ſit, illud tantummodo eius eſſe dicitur, quod ſpiritualiter intelligitur: Quod enim in vtroque teſtamento ad litteram intelligitur, vetus eſt: & quod ſpiritualiter intelligitur, nouum eſt. Inter nos igitur, & Iudæos, ſola littera differentiam facit, quam ſi illi non ſequerentur, hodie nobiſcum omnes Chriſtiani eſſent, ſed littera eos occidit, ſicut & ſpiritualis intelligentia Eccleſiam viuificat. Nouum itaque teſtamentum, expoſitio eſt veteris teſtamenti. Immolat Iudæus agnum,& hædum,& taurum,& ego dico, Chriſtum in his eſſe ſignificatum, hoc quid aliud eſt, niſi teſtamentum ſuper ſacrificia ordinare?

Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius, quoniam Deus iu- F *dex eſt.* Annunciauerunt, inquit, non ſuam iuſtitiam, vel iudicium ſed Dei. *quoniam Deus iudex eſt*, cuius iuſtitiam & iudicium cæteri nunciabunt. Non enim ſolummodo Apoſtoli, ſed Regina quoque Auſtri,& Niniuitæ, in illo iudicio iudicabunt. Sed omnes iſti iudicabunt ſicut diſcipuli, Chriſtus autem ſicut Dominus, & Magiſter. Data autem ſententia, & iudicio hoc ordine completo, tunc ſequetur, id quod ſuperius dixit: *Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Hæc autem magis timenda quam exponenda & magis cum timore cogitanda, quam lingua proferenda ſunt. Huculque Aſaph (per quem omnes Patriarchas, & Prophetas intelligimus) de vtroque Chriſti aduentu locutus eſt. Nunc autem Dominus ad ea, quæ locutus eſt reſpondere incipit.

Audi populus meus, & loquar Iſraël & teſtificabor tibi, quoniam Deus Deus tuus ego ſum. Satis, quaſi dicat, G locutus es, audi nunc & ego loquar, & ſub teſtificatione tibi dicam, vt ea, quæ dicam, firmiſſime teneas, & nullatenus mutare præſumas, *Quoniam ego ſum Deus, Deus tuus*, qui te, niſi mihi obediens fueris, impunitum abire non patiar. Quem enim ſic audire, & cui ſic obedire debemus, ſicut Deo noſtro, & Domino noſtro? Longè hoc inferius poſitum eſt, quod attentiſſime audire iubet, & ſe locuturum eſſe promittit, ibi videlicet vbi dicitur. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Et in fine Pſalmi: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter eſt, in quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Et tale eſt, ac ſi diceret, Tu ipſe ſuperius eos laudaſti, & ſanctos vocaſti, qui ordinauerunt teſtamentum Dei ſuper ſacrificia, vide ergo, vt non ſecundum litteram, ſed ſecundum ſpiritualem intelligentiam ſcripturas intelligas. Quod ſi feceris, tunc mihi placebunt ſacrificia tua, quæ quidem aliter intellecta, vaniſſima ſunt. Et hoc eſt quod dicit.

Non ſuper ſacrificia arguam te, holocauſta autem tua H *in conſpectu meo ſunt ſemper.*

Non inquit, ſuper ſacrificia tua arguam te, quia ſic facta, & ſic intellecta, non redarguenda, ſed laudanda ſunt. Talia enim holocauſta placent Deo, ſemperque ſunt in conſpectu eius. Sic enim legitur de ſacrificio Abel. *Quia reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain vero,& ad munera eius, non reſpexit.* Vnde manifeſtum eſt, quia ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, & alij omnes, in quibus erat Spiritus ſanctus, ipſa ſacrificia quæ faciebant, ſpiritualiter intelligebant. Quod in hoc pſalmo manifeſtiſſimè probatur, in quo Dauid Propheta taliter, & talia de ſacrificiis loquitur.

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Hæc verba ſuperioribus contraria eſſe videntur, ſed non ſunt. Sunt hirci, & vituli quos ſuſcipit Dominus, & ſunt hirci & vituli quos Dominus non ſuſcipit. Hircus eſt homo luxurioſus, vitus, vitulus ſuperbus, qui ſi ad pœnitentiam redeant, & carnem ſuam immolare, & affligere incipiant, talis vitulus & talis hircus ſuſcipiuntur à Domino. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait.

Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem rationabile obſequium veſtrum. Alios autem vitulos & hircos Deus non curat. Suſcipiebat tamen & illos aliquando propter ſignificationem, non autem propter ſui ſanguinis effuſionem.

Quoniam mea ſunt, omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues. Vt quid enim vitulos & hircos repellat, qui boues ſuſcipit & iumenta? Non animalia, ſed ſacrificia repellit, quia & hæc bona ſunt ſicut & illa. Nam & illa ſacrificia pro ſua ſignificatione aliquando Domino placuerunt, quæ ſi modo fierent, pro ſacrilegio haberentur. Sed quid per feras ſyluarum, niſi feroces homines, & rapinæ deditos intelligimus? Et iſti quidem Domini ſunt, quia multoties in melius commutati Domino ſeruiunt. Iumenta vero & boues, quia in montibus ſunt, bonam ſignificationem habere videntur. Sunt igitur iumenta, ſed bona, qui aliena onera ferunt. De quibus Apoſtolus ait. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Boues vero Epiſcopi ſunt, & ſacerdotes, qui vomere linguæ agrum Dei aſſiduè colunt. Et iſti quidem in montibus ſunt, per quos, Eccleſias intelligimus.

Cognoui omnia volatilia cæli, & ſpecies agri mecum eſt. Per volatilia cæli omnes illos ſignificat, qui ſapientiores in Eccleſia ſunt, & altius volant. Talis fuit Beatus Ioannes, qui ſpeciem aquilæ habere deſcribitur. Talis, & Beatus Paulus, qui vſque ad tertium cœlum raptus ſe fuiſſe dicit. Tales ſunt, & omnes alij, qui in ſcripturis intelligendis & exponendis, die ac nocte meditantur. Speciem vero agni virginum choros vtriuſque ſexus intelligimus. Quos ſecum ſe Dominus habere dicit, quia in talibus delectatur. Vnde & ipſe in Canticis Canticorum dicit: *Ego flos campi, & lilium conuallium.*

Si eſuriero non dicam tibi. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret. Si tale mihi ſacrificium vlterius offerre volueris, & me tali cibo delectari arbitraris, nolo te habere coquum nolo te habere ciborum meorum conſiliarium inferiorem. Quare hoc? *Meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Sufficiant iſti mihi, ſi me Iudæi audire nolunt, & litteram, quæ eos occidit, tenere volunt.

Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Irridendo hæc dicit, & Iudæorum ſacrificia ſe per omnia abominari oſtendit. In Chriſti namque paſſione, omnia illa ſacrificia completa ſunt. Vnum ſacrificium habemus, & ipſum æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. *Finis legis, Chriſtus eſt, ad iuſtitiam omni credenti.* Habemus autem & alia ſacrificia, laudis videlicet & iubilationis. Vnde & ſubditur.

Immola Deo ſacrificium laudis & redde Altiſſimo vota tua.

Hoc eſt illud ſacrificium de quo dicitur: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis, ſemper Deo, id eſt, vitulos labiorum confitentium nomini eius.* Talia ſacrificia diu noctuque facit Eccleſia, quæ cantando, & pſallendo, & prædicando, totum tempus expendit. Debemus autem Altiſſimo reddere vota noſtra, vt bona deſideria, quæ in corde habemus, reddere non differamus.

Inuoca me in die tribulationis eripiam te, & magnificabis me. Dixit nobis quid facere debeamus, promittit & remunerationis præmium, ſi ea faciamus. Sed ſicut in faciendo, ita etiam in petendo deſides ſumus.

Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iuſtitias meas: Non eſt precioſa laus in ore peccatoris. Sed quis eſt ſine peccato? *Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* De quo ergo peccatore hoc intelligimus niſi de illo, qui in peccato perſeuerat, & ad pœnitentiam redire contemnit? Quid enim pertinet ad illum Dei iuſtitias prædicare, qui ipſi iuſtitiæ contrarius eſt? De talibus enim Apoſtolus ait. *Qui prædicas non furandum, furaris, qui doces non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, ſacrilegium facis. Et aſſumis teſtamentum meum per os tuum;* Repetitio eſt eorum quæ dicta ſunt: quia teſtamentum quod ſanctum eſt tam polluto ore prædicari non debet. Poſſumus autem & per teſtamentum, Chriſti corpus & ſanguinem intelligere. Vnde & Dominus ait. *Hic eſt calix noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Tu vero odiſti diſciplinam. Et prædicas illam? *Et proiecisti ſermones meos poſt te:* Et annuncias illos? Ille proiicit ſermones Dei poſt ſe, qui ſua ſponte contra eos facit, & ad eos reſpicere dedignatur.

Si videbas furem, ſimul currebas cum eo. Cum fure currit, qui vel faciendo vel conſentiendo talia operatur. *Et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.*

Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua concinnabat dolum. In hoc verſu, hæretici, & prædicatores doloſi, & fallaces, & omnes deceptores, & adulatores notantur.

Sedens aduerſum fratrem tuum detrahebas, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Frater noſter, & filius matris noſtræ, omnis Chriſtianus eſt. Sedere autem, perſeuerare eſt, de illo igitur loquitur, qui vſque in finem in ſua malitia perſeuerat. Tales autem quomodo prædicare non erubeſcant? Hinc eſt enim quod Moyſes hominem leproſum, os ſemper clauſum, & coopertum habere præcipiat.

Hæc feciſti & tacui: exiſtimaſti iniquitatem, quod ero tibi ſimilis. Hæc, inquit, omnia quæ ſuperius dicta ſunt feciſti, vidi cognoui & tacui: non autem ſemper tacebo, ſed dignis correctionibus tibi reſpondebo, alioquin tibi ſimilis eſſem. Parum enim in ſcelere differunt, & facientes, & conſentientes. Si hoc exiſtimaſti, magnam iniquitatem feciſti, & magnum peccatum prioribus peccatis addidiſti.

Arguam te, & ſtatuam illa contra faciem tuam. Non, inquit, tacebo, ſed ſicut dignus es arguam te, & omnia illa mala quæ commiſiſti, & quæ me putas eſſe oblitum, ſtatuam contra faciem tuam, vt de ſingulis reſpondeas, & dignam pro vnoquoque retributionem ſuſcipias. *Intelligite hæc omnes qui obliuiſcimini Dominum, nequando rapiat, & non ſit, qui eripiat.* Non vnius hominis, ſed communis, & vniuerſalis comminatio eſt, & quod vni peccatori videtur eſſe dictum, & omnes & ſinguli ſibi dictum eſſe intelligere debent. Quare? *Ne quando rapiat*, ille videlicet qui rapere ſolet. *Et non ſit qui eripiat.* Quis enim illum eripiat, cui ipſe Deus iratus eſſe cognoſcitur?

Sacrificium laudis honorificabit me. Hic verſus ſicut iam diximus, ſuperioribus continuatur, & ideo ad iſta quæ modo dicuntur, pertinere non videtur. *Et illic iter eſt in quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Illic, inquit, hoc eſt in ſacrificio laudis eſt iter, in quo, qui ambulauerit, & in eo perſeuerauerit, oſtendam illi ſalutare Dei. Salutare, ſiue ſalus, quam Deus dabit, non temporalis, ſed æterna erit, quam qui ſuſceperit, neque mortem, neque infirmitatem vlterius timebit.

IN FINEM PSALMVS DAVID cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Berſabee.

HVnc Pſalmum ſcripſit Dauid pro illo peccato quod commiſit in Vriam, & Berſabee, dans exemplum aliis peccatoribus, qualiter pœnitere debeant, & vt peccata ſua manifeſtare non erubeſcant. Satis digna pœnitentia fuit, quæ tam cito Dominum ad miſericordiam commouit. Scriptum eſt enim. *Quia venit ad eum Nathan Propheta, & dixit ei: Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum. Sed quare dixit; In finem,* cum ad ipſum pſalmus iſte pertineat? niſi forrò quia Saluatori noſtro loquitur, per quem ſe à peccato liberari ſperat.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Multas miſericordias fecit Deus ſemper & faciet, ſed illa miſericordia, ſuper omnes alias magna fuit, qua

A mundum redemit, & proprio ſanguine peccatum originale deleuit. Hæc eſt illa miſericordia, de qua & alibi dicit, *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.* Confirmata quidem, quia ibi probatum eſt, quantam miſericordiam habuerit. Hanc itaque miſericordiam, primum ſibi fieri poſtulat, quia illud peccatum ſuper omnia peccata eſſe cognouerat. Et magnam ſpem habet quod minora dimittet peccata, qui tam ſpontaneus eſt ad tam magnum ſoluendum peccatum.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Quam ſingulariter magnam miſericordiam dixerat, nunc pluraliter miſerationum multitudinem dicit, vt per hoc quoque intelligatur illa miſericordia non ſolum magna, ſed immenſa, & inæſtimabilis eſſe. Illud autem peccatum, iniquitatem ſuam eſſe dicit, quia communis fuit omnium, vnde & pariter interfecit, & afflixit omnes. Nunc autem de proprio ſuo peccato loquitur, & ſuper communem omnium remiſſionem, hanc ſibi amplius
B & ſpecialiter fieri poſtulat. Et hoc eſt, quod dicit.

Amplius laua me ab iniuſtitia mea, & a delicto meo munda me. Multi enim ab originali peccato liberati ſunt, qui, niſi amplius lauentur non ſufficit eis. Et illud quidem non potuit dimitti, niſi per illam magnam miſericordiam, de qua modo diximus, per quam videlicet, Chriſti paſſionem intelligimus; cætera vero omnia & antea & poſtea ſine Chriſti ſanguine dimitti potuerunt: Tale eſt igitur ac ſi diceret: Scio & certus ſum, quia *aſperges me hyſſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*, ſed & modo *amplius laua me ab hac iniuſtitia mea, & ab hoc delicto munda me.* Et illa quidem abſolutio & remiſſio communis erit omnium, hanc autem amplius ſuper illam, mihi ex toto corde pœnitenti ſpecialiter tribue. Et hoc eſt quod ait.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Dignam ſe pœnitentiam agere oſtendit, dum ſe iniquitatem ſuam cognoſcere, & delictum ſuum ſemper ſe ante oculos habere dicit. Et
C taliter quidem pœnitentibus multis in locis veniam ſe Dominus daturum eſſe promittit. Dat propterea nobis exemplum, qualiter nos quoque pœnitere debeamus.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Rex erat Dauid, & in ſuo tempore potentiſſimus, & qui præter Deum neminem timebat, ideoque dicit: Tibi ſoli peccaui: tibi ſoli rationem redditurus, quia nemo alius eſt, qui me de peccato modo reprehendere audeat. Neque me tibi abſcondere poſſum, quia quod feci, coram te feci. qui omnia vides, & quem nullum latet ſecretum. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas dum iudicaris.* Ecce cogitat Dominus dimittere peccatum, ſi ſermones ſuos iuſtus eſſe defendere velit. Sciebat Dauid ſermones Domini, vt pote ille ſicut ipſe dicit, in quo Dominus loquebatur, & tantam in Deo & in ſermonibus eius conſtantiam & firmitatem eſſe cognouerat, vt quod promiſerat, penitus negare non poſſet. Dum igitur attenderet, & pœnitentiam cordis ſui, & ſermones Domini,
D quibus digne pœnitentibus venia promittitur, nulla ratione de miſericordia & venia ſibi concedenda dubitare poterat. Iudicabat igitur, & ſeipſum in pœnitentia ſua, & Deum ipſum in ſermonibus eius, & vtraque ſibi conuenire videbat. Dicebat ergo in corde ſuo. Dimitte mihi peccatum meum, *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*: id eſt, vt iuſti, & ſine reprehenſione inueniantur ſermones tui. *Et vincas dum iudicaris.* Si enim ſermones Dei veri non eſſent, non vinceret Deus, ſed potius vinceretur, Vincitur enim in iudicio, cuius ſermones reprehenſibiles inueniuntur. Vicit igitur Deus, dimittendo peccatum, quia ſicut promiſerat, ita factum eſt, & ſermones illius veri facti ſunt. His verbis inſtruuntur omnes, qui digne pœnitentiam agunt, vt nullo modo diffidant de miſericordia Dei, quia quod promiſit, firmum, & ſtabile eſt. Sequitur.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.

Reddit aliam cauſam, quare Dominus ad miſericordiam faciendam ſibi ſe inclinare deberet, quoniam in E iniquitatibus conceptus & natus ſit, & ab ipſa radice hoc habebat, vt carnis voluptatibus ſubiaceret.

Ecce enim veritatem dilexiſti. Tu, inquit veritatem diligis, & ea quæ dico, vera eſſe cognoſcis, & ideo confidenter talia loquor, quia me veritatem dicere Scio. Vnde & ſubditur. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Multa enim per ſpiritum ſanctum, & de præſentibus, & de futuris Propheta cognouerat, quæ aliis hominibus incerta, & occulta erant, & quæ niſi per ſpiritum ſanctum ſciri non poterant. Tale autem eſt & illud quod ſubinfertur.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Hyſſopus modo pro ſanguine ponitur, quoniam hyſſopo ſanguis agni, qui immolatus fuerat, aſpergebatur. Quid eſt igitur. Aſperges me hyſſopo, niſi aſperges me ſanguine filij tui? cum enim dicat: Aſperges me, & ponat hyſſopum cum quo aſperſio fiat, nec tamen dicat, F
quid ſit illud quod aſpergatur, quid aliud intelligere poſſumus niſi id quod cum hyſſopo ex præcepto Domini olim aſpergebatur: Hoc autem erat ſanguis illius agni, qui illum agnum ſignificabat, qui tollit peccata mundi, cuius ſanguine aſperſi mundati, & a peccato originali mundati ſumus, qui dilexit nos, vt Apoſtolus ait, & *& lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Nihil niue candidius inuenitur, niue tamen candidiorem ſe futurum eſſe dicit, per quod videlicet ſanctorum clarificationem inæſtimabilem eſſe ſignificat.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam. Hoc autem gaudium tunc completum eſt, quando Saluator noſter in infernum deſcendit, & iſtum, ſimul cum omnibus aliis ſanctis, de locis illis tenebroſis eripuit. Vnde ſcriptum eſt. *O mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne. Et exultabunt oſſa humiliata:* Creditur enim, quod Dauid vnus de illis fuerit, qui ſimul cum Domino ſurrexerunt, vnde & oſſa ſua, non immerito exultare dicit, quæ tanto tempore in puluere humiliata fuerunt.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. G
Auerte, inquit, iam nunc faciem tuam à peccatis meis, & obliuiſcere eorum, & vlterius ea non aſpicias & miſerere mei quem in tanta gloria ſuſcepturus, & ante alios vocaturus es. Neque enim decet, vt maculatum hic eſſe permittas, cui tantam in illa alia vita gloriam paras.

Cor mundum crea in me Deus. Et expelle omnem vanitatem omnem ſtultitiam & malam cogitationem de corde meo, ibi eſt enim fons, & origo boni, & mali, ibi vitia oriuntur, ibi radices figunt, quæ niſi cito euulſa fuerint, ſupra modum, & in immenſum creſcunt. *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, periuria, homicidia, falſa teſtimonia, & ſimilia quæ inquinant hominem.* Vnde ſcriptum eſt. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Spiritus ſanctus, qui rectus eſt, & rectos facit, inuocari non poteſt, inuocari tamen dicitur, quando domum, quam pro ſuis offenſis reliquerat H
nouiter iterum habitare incipit.

Ne proiicias me a facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum, ne auferas a me. His enim verbis, antequam pœnitentiam egiſſet Deum ſibi fuiſſe indignatum, & ſpiritum ſanctum a ſe receſſiſſe oſtendit. Orat igitur, vt ſpiritus ſanctus ſibi reddatur, cuius ſicut prius illuſtratione conſolatur.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Spiritus rectus, & Spiritus ſanctus, & ſpiritus principalis, vnus idemque eſt, & nulla differentia in eo eſt. Vocatur autem & aliis nominibus Spiritus ſanctus, ſecundum differentiam gratiarum. Quando igitur rectos facit, ſpiritus rectus, & quando ſanctos facit, ſpiritus ſanctus, & quando ad principatum & honorem ſuum aliquem reuocat, Spiritus principalis, ab hominibus dici poteſt. Sicut dicitur ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus intellectus, ſpiritus conſilii, & ſpiritus fortitudinis quod autem dicit. Redde mihi lætitiam ſalutaris, tui videtur

A mihi, quod illud magnum gaudium, quod de incarnatione ſaluatoris noſtri habere ſolebat, tunc amiſerit, & ſicut prius, videre non poterat.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Fac inquit, quod te facere rogo, vt doceam iniquos vias tuas, vt in eo exemplo inſtruantur, & per illas vias, per quas me ad te venire, & gratiæ tuæ reconciliatum eſſe cognoſcunt, ipſi quoque per eaſdem vias veniant ad te, & gratiæ reconcilientur. Et non ſolum iniqui, ſed impij quoque meo exemplo ad te conuertantur.

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis mea, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Quamuis enim in ſanguinibus, omnia peccata intelligi poſſunt, de carnis tamen voluptatibus, & eius concupiſcentiis ſpecialiter dicere videtur. De quibus & Apoſtolus ait. *Non in cubilibus, & impudicitiis, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum,* totius videlicet pudicitiæ amatorem, & carnis curam

B ne feceritis in deſideriis veſtris. *Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam*, Linguam interioris hominis, lingua quæ loquitur tibi in corde meo de iuſtitia tua, quia valde iuſtus es, vt tibi vindices creaturam tuam, & ei inimicum tuum dominari non permittas.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Domine, inquit, labia mea aperies, quæ vſque hodie clauſa fuerunt, & conſcientia peccati in tuis laudibus aperire timui. Sed quia peccatum meum per gratiam, & miſericordiam tuam mihi dimiſſum eſt, amodo non tacebo, ſed os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique. Neque erubeſcerem hircum offerre pro peccato, ſicuti famulus tuus Moyſes, & mihi, & meis ſimilibus offerre præcepit. Vtique *holocauſtis non delectaberis.* Satis inquit mihi notum eſt, quia huiuſmodi ſacrificia tibi non placent, niſi pro ſola ſignificatione ea recipias. Et quaſi aliquis dicat: Si hoc ſacrificium Deus non ſuſcipit, quod

C aliud ſacrificium ſuſcipere habet? Ad quod ipſe.

Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. Et hoc quidem ſacrificium illorum eſt, qui de peccatis ſuis pœnitentiam agunt. Quod quidem in omnibus illis ſacrificiis ſignificabatur, quæ Moyſes pro peccato offerri præcepit. Valde itaque conuenientius eſt, vt homo ſeipſum immolet, & affligat, & offerat Deo, quam vt vice ſua hircum, vel capram vel animalia interficiat: illa enim interfectio, hanc contritionem, afflictionem, & humiliationẽ ſignificabat.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem. Sion, ſpeculatio interpretatur, cuius fortitudine Ieruſalem cuſtodiebatur, & defendebatur, per quam nimirum Eccleſiæ cuſtodes, & ſpeculatores ideſt Apoſtolos, & Epiſcopos & ſacerdotes intelligimus. Propheta itaque, qui vſque nunc orauit, nunc exauditus, more ſolito de Eccleſia loqui, & pro ea orare incipit. Orat igitur pro illis, qui eius muros conſtruunt,

D & ædificant, per quos, ſicut diximus, Epiſcopi, & ſacerdotes ſignificantur, ſine quibus neque muri ædificari, neque lapides dolati poſſunt. Quot ſunt Chriſtiani, tot ſunt lapides huius ciuitatis, qui bitumine charitatis coniuncti, firmi, & ſtabiles perſeuerant.

Tunc acceptabis, ſacrificium iuſtitia, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Tunc, inquit, quando Ieruſalem, id eſt ſancta Eccleſia ædificabitur, & muri eius conſtruentur: acceptabis ideſt gratum, & acceptabile habebis ſacrificium iuſtitiæ, non taurorum & hircorum vt quondam. Et oblationes & holocauſta, ſubauditur eiuſdem iuſtitiæ, Inde enim omnes ſancti, iuſti dicuntur, quia iuſtitiam faciunt, prædicant, & cuſtodiunt. Ideo enim vſque hodie perſecutiones patiuntur ſancti, quia iuſtitiam prædicant, & defendunt, quorum videlicet afflictio & perſecutio quid aliud eſt, quam ſacrificium gratum Deo, & acceptabile? De tali enim ſacrificio veraciter dicitur, *quia odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*, Vitulos, vtique labiorum confitentium nomini eius. Sed qui ſunt vituli labiorum, niſi ſacrificium laudis, & iubilationis: Tales vitulos offerunt Epiſcopi & ſacerdotes, quando laudes Dei in Eccleſia prædicant, quando vtriuſque teſtamenti ſententias exponunt, & ſuper altare cordium noſtrorum offerunt, & ponunt nam & corda noſtra, altaria ſunt, in quibus laudis & iubilationis vera quotidie ſacrificia fiunt.

IN FINEM INTELLECTVS DAVID, cum venit Doeg Idumæus, & annunciauit Saül, & dixit ei, Venit Dauid in domum Abimelech.

IN finem, inquit huius ſæculi, pſalmus iſte referendus eſt, ſecundum intellectum Dauid, qui in eo conqueritur de his, quæ tunc temporis facta ſunt, cum Doeg Idumæus venit ad Saül, & annunciauit ei quod Dauid

F veniſſet in domo Abimelech. Tunc enim ſicut ſcriptum eſt, Doeg, ex præcepto Saülis, interfecit Abimelech Sacerdotem, omneſque alios ſacerdotes de familia ipſius. Bene autem Doeg Idumæus, motus ſanguineus interpretatur, qui tam facile moueri potuit ad Domini ſacerdotes interficiendum, tantumque ſanguinis effundendum. Significat autem Antichriſtum, qui & ipſe ad ſanctorum ſanguinem effundendum paratiſſimus erit. Abimelech Patris mei regnum interpretatur, per quod eccleſiam intelligimus, quæ gens ſancta, & regale ſacerdotium vocatur, cuius ſacerdotes ideo Antichriſtus interficiet, quia Chriſtum Dominum noſtrum ſuſceperunt.

Quid gloriaris in malitia? qui potens es in iniquitate? Tanta erit malitia, & potentia Antichriſti, quod niſi, vt in Euangelio legitur, Dominus abbreuiaſſet dies eius, non eſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos abbreuiabuntur dies illi. Regnabit enim ſicut ſcriptum eſt, per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id eſt, per

G tres annos, & dimidium & non amplius, in quibus mundum pœne totum, & per ſe, & per diſcipulos ſuos ad ſe conuertet. Vnde ſcriptum eſt. *Quia omnes homines poſt ſe trahet & ante ſe innumerabiles.* Hic igitur in ſola malitia gloriabitur, qui dixit in corde ſuo. *Non mouebor a generatione in generationem ſine malo: cuius os maledictione & amaritudine plenum eſt & dolo.* Cui nunc Propheta non abſque indignatione dicit, Quid gloriaris in malitia? Quæ eſt iſta, O omnium hominum turpiſſime, & nequiſſime gloria tua? Quæ eſt iſta potentia tua, quæ nihil aliud niſi malitiam, & iniquitatem operatur? non ſufficit tibi mala agere, ſed inſuper in ſcelere gloriaris, qui lætaris cum malefeceris, & exultas in rebus peſſimis.

Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua. Tota, inquit, die, toto tempore vitæ ſuæ hoc cogitabit, & mente tractabit, quomodo iniuſtitiam & iniquitatem operetur, quomodo ſanctos interficiat, & decipiat, quomodo miſeros homines ad ſe conuertat, & ſecum ad perditionem trahat.

H Sicut nouacula acuta feciſti dolum, Sæpe enim nouacula acuta dum pilos radere debet, carnem vulnerat, ſic ille iniquiſſimus, dum ſe iuſtitiam defendere, & malos homines perdere ſimulabit, contra ſanctos arma conuertet, & eos digne ſatis interficiendos eſſe prædicabit, *Et tunc quidem erit tribulatio talis, qualis non fuit ab initio ſeculi vſque nunc, neque fiet.* Et pauci quidem erunt, qui eius dolis, & deceptionibus non ſeducentur, cum eum potentiſſimum, ſapientiſſimum, & miraculis coruſcare videant.

Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem. De eius malitia & iniquitate Apoſtolus loquitur dicens: *Quia niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo iniquus, filius perditionis, qui eleuabitur, & extollet ſe ſupra omne, quod dicitur, Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, & oſtendat ſe tanquam ſit Deus.* Vnde & ſubditur.

Dilexiſti omnia verba præcipitationis in lingua doloſa. Et quis eſt, cui hæc verba, quæ modo dicta ſunt, præcipitationis, & doloſa non videantur? Et quis vnquam

tanta præcipitatione, tantaque barathri ſubmerſione dignus eſt, quanta ille, cuius lingua doloſa, tantas blaſphemias loqui non pertimeſcit? De ipſo namque dicit Apoſtolus. Quia Dominus Ieſus interficiet eum ſpiritu oris ſui, & auferet illuſtratione aduentus ſui. Nec tamen dubium eſt, quin maior eum adhuc in iudicio præcipitatio exſpectet. Vnde & ſubditur.

Propterea deſtruet te Deus in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Propterea, inquit, quia tam nequam es, tam ſuperbus, tam iniquus, & doloſus, deſtruet te Deus in finem. Quid eſt in finem? penitus & ex toto, non ſic tantum, vt non ſis, ſed vt in honore nullo ſis, & in miſeriis & anguſtiis omnibus ſis. Et euellet te de huius mundi habitatione, in quo tantam hominum multitudinem decepiſti, & perdidiſti. Et emigrare te faciet de tabernaculo tuo, id eſt, de corpore illo nefandiſſimo, in quo omnis plenitudo iniquitatis, pluſquam in aliquo alio homine habitauit. *Et radicem tuam de terra viuentium*, vt omnis vita tua ſemper ſit in terra morientium, & nunquam in malo deficientium.

Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent. Videbunt, inquit, iuſti. Sed quid videbunt? Interitum, & perditionem, & illam terribilem præcipitationem hominis huius nefandiſſimi. Et quid timebunt? Dominum & creatorem ſuum, cuius omnipotentiam & ſuper hunc in hoc ſæculo potentiſſimum, & ſuper omnes alios eſſe videbunt. Et ſuper eum ridebunt. Ridere enim gaudere eſt, quia riſus gaudium eſt.

Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſibi, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua. Apparet quam iniquus erit homo ille, de cuius interitu, omnes iuſti ridebunt, & gaudebunt, & contra quem tale teſtimonium perhibebunt. Ecce inquit, homo omnium hominum perditiſſimus, qui Dei adiutorium numquam quæſiuit qui totum ſe ad ſeruiendum diabolo tradidit, & à ſua iniquitate nomen accepit, vt quia Chriſto Domino per omnia contrarius fuerat, Antichriſtus diceretur, *qui ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum*, quia cum omnibus mundi huius diuitiis ſuperabundaret, & omnibus quæ ad lætitiam, & iucunditatem pertinent, affluentiſſimè frueretur, Deum ſe eſſe dixit, & ſicut Deum ſe adorari præcepit. *Et præualuit in vanitate ſua*, quia ſicut voluit, ita factum eſt. Hæc eſt enim illa beſtia de qua in Apocalypſi legitur. *Quia data eſt ei poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes, qui habitant in terra, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, & agni.* Sic igitur homo iſte præualuit in vanitate ſua, faciens omnia ſecundum deſideria iniqua cordis ſui.

Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini, ſperaui in miſericordia Dei mei in æternum & in ſæculum ſæculi. Ille inquit, de quo vſque nunc locuti ſumus, ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, ego autem ſperaui in ſola miſericordia Dei mei, & ſperabo in æternum, & in ſæculum ſæculi. Fuit autem Dauid ſicut oliua fructifera in domo Domini, quia ſancti Spiritus oleo inunctus, & plenus multos alios illuminauit, & ſanauit, & miſericordiæ pinguedine lætificauit. Hæc eſt illa oliua de radice Ieſſe, de qua illa virga egreſſa eſt in cuius flore requieſcit ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini de quo & alibi dicitur. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

Confitebor tibi Domine in ſæcula, quia feciſti. Dixit: Quia feciſti, & non dixit quid fecerit, vt per hoc eum omnia feciſſe intelligamus. Et quis alius laudandus eſt, niſi ille qui omnia fecit? *Et exſpectabo nomen tuum quoniam bonum eſt ante conſpectum ſanctorum tuorum.* Hoc eſt illud nomen de quo Propheta ait. *Ecce nomen Domini venit de longinquo: ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Nomen Domini, verbum Domini, ſermo Domini & ſapientia Domini Chriſtus eſt, qui in aduentu ſuo, & iucundus bonis, & iratus malis apparebit. Vnde & bene ſubditur. Ante conſpectum ſanctorum tuorum. Bonum inquit, ſuaue, & ad videndum delectabile eſt nomen tuum. Sed vbi? ante conſpectum ſanctorum tuorum. Illis quidem quale eſt, tale apparebit, cæteris vero quale modo ſuperius dictum eſt, ardens furor eius, & grauis ad portandum.

IN FINEM PRO AMALECH, intelligentia Dauid.

Amalech populus brutus interpretatur, de quo videlicet in huius pſalmi initio dicitur. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Et reuera ſtultus, brutus, & inſipiens eſt qui hoc dicit. Et hæc quidem eſt intelligentia Dauid, & aliorum omnium qui Deum eſſe credunt.

Dixit inſipiens in corde ſuo Non eſt Deus. Quamvis generaliter de cunctis gentibus, quæ Deum ignorant, hoc intelligi poſſit, ſpecialiter tamen de Iudæis intelligitur, qui videntes Saluatorem noſtrum humana carne veſtitum, hominem tantum & non Deum eſſe crediderunt. Vnde etiam dicebant: *Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* E contra vero Apoſtolus. Non rapinam, inquit, *arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Similiter autem & ipſe Dominus. Si mihi, inquit, *non creditis, operibus credite.* Et alibi: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis.* Corrupti inquit, ſunt à fide patriarcharum, & Prophetarum, quia quem ipſi Deum eſſe negant, hunc Patriarchæ & Prophetæ adorauerunt, & coluerunt, & ideo dignè ſatis, & Deo & hominibus abominabiles facti ſunt in prauis voluntatibus ſuis.

Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Quia, inquit, tales ſunt, & à ſanctorum Patrum fide receſſerunt, non eſt inter eos aliquis, qui faciat bonum. Quia quod ex fide non eſt, malum eſt. Nam ipſæ quoque orationes eorum, ſicut ſcriptum eſt, fiunt eis in peccatum. Non eſt igitur in eis qui faciat bonum, at vero nec in aliis omnibus vſque ad vnum. Vnus igitur populus eſt, & ipſe ſolus, qui faciat bonum per quem populus Chriſtianus ſignificatur. Nulla enim alia fides eſt, quæ ſaluare poſſit, niſi ſola fides Chriſtianorum. Et hoc quidem ſequentia manifeſtant.

Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Ecce quales eos inueniat? Sequitur,

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Probatum eſt igitur à diuina auctoritate, quia non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Ad illum videlicet vnum, per quem, vt modo diximus, populus Chriſtianus ſignificatur. Ipſe enim ſolus eſt, qui eam intelligentiam habet, de qua in titulo huius Pſalmi dicitur. Intelligentia Dauid: ipſe ſolus requirit Deum, quia ipſe ſolus habet eam fidem, quæ ducit ad Deum. Cæteri vero omnes declinauerunt. Vnde & quo? à veritate ad errorem, à luce ad tenebras, à bono ad malum. Et hoc fecerunt ſimul, & æqualiter omnes, ideoque inutiles & vani facti ſunt omnes: Inutiles quidem, quia neque ſibi ipſis, neque aliis prodeſſe poſſunt.

Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis. Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. Quoniam Deus diſſipat oſſa hominum ſibi placentium. Nonne, inquit, aliquando cognoſcent, & intelligent, omnes qui hæc, & illa operantur, quoniam Deus diſſipat oſſa eorum, qui ſibi ipſis & non Deo placere contendunt? Quid enim per oſſa, niſi omnem illorum virtutem & fortitudinem intelligamus? Hæc autem

A maxima ex parte iam diſſipata ſunt, & tandem omnino diſſipabuntur. Per hos autem non ſolum Iudæos, ſed tyrannos quoque & hæreticos intelligere debemus. Omnes enim iſti, & iniquitatem pariter operantur & plebem Dei deuorant, ſicut eſcam panis. De talibus namque dicitur: *Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.* Per quod nimirum apertiſſimè ſignificatur, cum quanta auiditate ſanctos Dei homines iſti malitioſi interfecerunt. Iſti ſunt, de quibus Apoſtolus ait. *Qui cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum adorauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, qui mutauerunt imaginem incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, volucrum, & ſerpentium.* Vnde & ſubditur: *Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor,* neque enim hæc talia timenda erant, quæ ipſi, ſua malitia excæcati, quaſi Deum timebant, & venerabantur. Iudæi quoque illic trepidauerunt timore vbi non erat timor, qui niſi Chriſtum interfeciſſent, & locum & gentem ſe amittere timebant, B dicentes: *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. Confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* Et merito quidem ſpreuit illos Deus, & in eorum locum gentes elegit, quoniam & ipſi ſpreuerunt Deum, dicentes. *Non habemus Regem niſi Cæſarem. Et nolumus hunc regnare ſuper nos.* Et Chriſto Domino latronem prætulerunt.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël dum auertet Dominus captiuitatem plebis ſuæ? Legitur in Prophetarum libris. *Quia de Sion veniet, qui auferet & auertet captiuitatem a Iacob.* Ipſe enim eſt Saluator noſter qui in medio terræ, id eſt, in ciuitate Ieruſalem ſalutem operatus, omnes ſuos fideles de diaboli captiuitate liberauit. Fruſtra igitur Iudæi alium exſpectant, qui eos de captiuitate eripiat.

Exultabit Iacob & lætabitur Iſraël. In hoc, inquit, & non in alio exultabit Iacob, ille videlicet qui malignos ſpiritus & vitia ſupplantat. Et lætabitur Iſraël, quando facie ad faciem Deum videbit. C Cum enim idem ſit Iacob & Iſraël ſecundum aliud tamen Iacob, & ſecundum aliud dicitur Iſraël, & Iacob quidem dicitur in hac vita, Iſraël vero in alia vita, quia in hac vita ſupplantator eſt, in alia vero Deum videbit, ſicut Ioannes Apoſtolus ait. *Nunc filij Dei ſumus & nondum apparuit quid erimus, ſcimus enim, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.*

IN FINEM IN CARMINIBVS intellectus Dauid, cum veniſſet Ziphæi, & dixiſſet ad Saül, Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos?

VBicumque Dauid intellectum ſuum ponit, non ad litteram, ſed ſpiritualiter intelligenda eſſe oſtendit. Quis enim hæc ad litteram intelligere non poterat, quæ in hoc titulo narrantur. Sed aliter ipſe, & aliter alij hæc D intelligebant. Neque ſimplex hic narratur hiſtoria, quod Ziphæi, qui germinantes interpretantur, veniſſe dicuntur ad Saül, quatenus ei traderent Dauid. Per Ziphæos itaque Iudæi intelligantur, qui diuitiarum & filiorum germine abundabant. Et iſti quidem ſunt, qui terræ principibus Saluatorem noſtrum ad mortem tradiderunt.

Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. Deus, inquit, in nomine tuo, id eſt, per inuocationem nominis tui, ſaluum me fac. Inuocauit enim filius patrem ex nomine quando ait: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, hoc enim nomen proprium illius eſt, qui omnium rerum pater eſt: ſed filij quidem naturaliter pater eſt, aliorum vero vel adoptione, vel creatione. *Et in virtute tua libera me*, quæ tanta eſt, vt nihil ei reſiſtere poſſit. Hæc ſola virtus retinet malignos ſpiritus, vt ſuam vbique voluntatem facere non valeant, quæ ſi eis oppoſita non fuiſſet, nihil aliud eſt, quod eis reſiſtere potuiſſet. E Vnde & de principe eorum ſcriptum eſt. *Quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparari poſſit, qui factus eſt, vt neminem timeat*, verumtamen ſic Dei virtute ligantur, vt nec in porcos habeant poteſtatem.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Non ei orare neceſſarium erat, cui voluntas ſola ſufficiebat. Orat igitur non pro ſe, ſed pro nobis, vt eius exemplo, & magiſterio doceamur, quid in tali euentu agere debeamus.

Quoniam alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum. Et ſuperius quidem Ziphæi, malo autem alieni dicuntur Iudæi, quoniam etſi carne propinqui erant mente tamen & mala voluntate alienos ſe faciebant, dum tanto odio in eum inſurgebant. Iſti ſunt, de quibus alibi dicitur. *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Fortes autem erant, non viribus, ſed iniquitatis & malitiæ ſuperabundantia. Talem fortitudinem illi habent, qui animi fortitudinem non habent. *Et non propoſuerunt Deum* F *ante conſpectum ſuum.* Si enim ante mentis oculos Deum habuiſſent tam impiè, & tam crudeliter agere nequaquam potuiſſent, ſed excæcauit illos malitia eorum, & quia facerent non conſiderauerunt.

Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Tantum adiuuit pater filium, quantum ipſe filius voluit, ad hoc enim venerat, vt moreretur, qui ſi mori noluiſſet nullatenus occidi potuiſſet. Sed quid naſci profuiſſet, ſi mortuus non fuiſſet? In hoc igitur eum Pater adiuuit, in quo omne eius deſiderium adimpleuit mortem deſtruendo, diabolum vincendo, & hominem liberando. Vnde & alibi dicitur: *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei. Et Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* Quis enim alius eam ſuſcipere debuit, niſi diuinitas ipſa, quæ ei ineffabiliter coniuncta erat. Statim enim vt Saluator noſter ſpiritum emiſit, ſimul cum diuinitate illa ſanctiſſima anima, inferni clauſtra penetrauit, & inferno exſpoliato, ſanctorum animas, quæ ibi captiuæ tenebantur, ſecum eduxit. Fortior igitur ille fuit, qui ſuſcepit G animam Chriſti, quam illi qui malitioſè quærebant animam Chriſti. De quibus ſubditur.

Auerte mala inimicis meis. Illa, inquit, mala auerte inimicis meis, quæ ipſi mihi facere voluerunt. Voluerunt enim, ſi potuiſſent, auferre memoriam eius de terra, quorum nomina merito deleta ſunt de libro vitæ. *Et in veritate tua diſperde illos.* Tale eſt hoc quod modo dicitur: *In veritate tua diſperde illos.* Quale illud quod alibi ait. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.* Multis enim in locis minatur Dominus mortem, & perditionem populo Iudæorum, ſi ab eius fide, & cultura recedat. Neceſſe eſt itaque vt diſperdatur, & confundantur, quatenus Deus verax ſit, & eius ſermones adimpleantur.

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Ipſi inquit, inſurgunt aduerſum me, & quærunt perdere animam meam, & quod ego mea ſponte facturus ſum, ad hoc quaſi inuitum me cogere volunt: Ego tamen voluntariè ſacrificabo tibi, H & meipſum offeram, vt eos qui in me credituri ſunt, hac mea morte ab æterna morte eripiam. *Et confitebor nomini tuo.* Et per diſcipulos, fideleſque meos, vbique gentium laudabo nomen tuum. Quoniam hoc bonum eſt, hoc ſanctum iuſtum eſt, vt nomen tuum vbique laudetur & prædicetur.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me. In poteſtate illius erat, & inimicos compeſcere & tribulationes mitigare: & quicquid erat in voluntate, totum erat & in poteſtate. Vnde & ipſe ait. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Et ſuper inimicos meos reſpexit oculus tuus.* Reſpexit vtique vidit, & cognouit, & pœnitentes miſericorditer ſuſcepit, in malitia vero perſeuerantes, perdidit, & nunquam eorum amplius miſerebitur.

IN FINEM IN CARMINIBVS intellectus Dauid.

VBi intellectus ponitur littera excluditur, & maior intelligentia quæritur.

Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam, intende in me & exaudi me. Docet nos Saluator noſter, quanta inſtantia orare debeamus, dum vnum atque idem toties repetit. Sæpe iam diximus, quia iſtæ orationes illi neceſſariæ non ſunt, in cuius voluntate & poteſtate vniuerſa poſita ſunt. Sed ſi Chriſti humanitas hoc in corde dicebat, præſto erat diuinitas, quæ exaudiebat.

Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Iſtæ afflictiones, omnium hominum communes, & naturales ſunt, quas niſi Saluator noſter habuiſſet, verus homo fuiſſe non crederetur. Neceſſe igitur fuit, vt eas ſe habuiſſe oſtenderet, & hæreticos aliter credentes, & prædicantes conuinceret. Habuit igitur Dominus has afflictiones, ſed ſicut voluit, ita eas habuit, quantum voluit, contriſtatus eſt, & quantum voluit conturbatus eſt. Sic enim in Euangelio legitur: Quia in morte Lazari infremuit ſpiritu, & conturbauit ſeipſum. Sed quid eſt, quod ait. In exercitatione mea? quæ eſt iſta exercitatio Chriſti? Non orat otioſus Saluator noſter, quotidie prædicationi Inſtabat, & miraculis, & ſermonibus, ſuos adiutores ad viam veritatis prouocabat. Sed in hac ſua exercitatione non numquam contriſtatus eſt, magis quidem de illorum infidelitate, quam de illatis ſibi iniuriis ab illorum peruerſitate.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates. Ideo, inquit, *conturbatus ſum à voce inimici, & tribulatione peccatoris, quoniam declinauerunt in me iniquitates*, id eſt, quam iniqui, & impij erant, in mea paſſione oſtenderunt omneſque ſuas iniquitates in me conuertentes, & declinantes, manifeſtauerunt. Dicendum autem, inimicum & peccatorem ſingularem numerum pro plurali poſuit, quod quidem & in Diuinis, & in ſæcularibus litteris vſitatiſſimum eſt. *Et in ira moleſti erant mihi.* Putet dicere, quantas moleſtias homines illi ſuper omnes homines ſceleſtiſſimi, flagellando, conſpuendo, alapis cædendo, & ſimilia faciendo Saluatori noſtro intulerunt.

Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me. Cito tranſiit illa conturbatio, & illa formido ſuper eum cadere quidem potuit, manere vero non potuit. Si enim in illa tanta tempeſtate aliquo modo non conturbaretur, noſtræ naturæ particeps fuiſſe non putaretur. Vnde & ſubditur.

Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Venerunt quidem timor, & tremor ſuper eum, ſed nihil potuerunt in eum. Cum enim Iudæis ad ſe capiendum venientibus obuiam pertexiſſet, omneſque vno verbo in terram ſtrauiſſet, ſatis manifeſtè oſtendit, & ſe non timere, & quicquid volebat in poteſtate habere. Vbi enim tanta potentia eſt, ibi timor locum habere non poteſt. Per tenebras autem, quæ eum contexerunt, illam iniquorum ſæuientium multitudinem intelligimus, de qua Ioannes Apoſtolus ait: *Quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quod enim peccatores, tenebræ dicantur, audi Apoſtolum dicentem. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret. Iam tædet me horum conuerſatio, iam tædet me huius loci habitatio, alias tranſeundum eſt. alias populus, qui mihi obediat quærendus eſt. Hoc etiam enim quod alibi ait: *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et Angelorum voces, vt Ioſephus refert, in templo auditæ ſunt. Relinquamus has ſedes. Aſſumpſit igitur Dominus pennas ſicut columbæ, & relicta Iudæorum terra, volauit ad gentes, ibique requieuit, qui in Iudæa requiem non inuenit. Vnde ipſe ait. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Bene autem columbæ pennas Dominus aſſumpſit, illius videlicet columbæ, quæ ſuper eum deſcendiſſe legitur, quando vox Patris audita eſt. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Quæſiuit pennas, & inuenit, ipſe enim eas habebat, volauit, & in ſolitudine quieuit. Solitudo dicitur, vbi hominum habitatio non eſt. Talis autem prius erat populus gentium, quia quaſi bruta animalia voluptati deditus erat, & Dei cognitionem non habebat. Et quaſi aliquis diceret: Vtinam hoc à principio feciſſes, neque tanto tempore cum illa gente impia, & ingrata permanſiſſes, ait. *Exſpectabam eum qui me ſaluum faceret à puſillo animo, & tempeſtate:* Sic, inquit, docebas vt omnia ſuo ordine fierent, & ego Diuinitatis diſpoſitionem exſpectarem, quæ in omnibus regebat, à puſillo animo & tempeſtate ſaluum faciebat. Naturaliter Iudæos puſillos animo eſſe facile intelligere poterit, quicumque eorum hiſtorias legerit. Vnde & rebelles & increduli ſæpe dicuntur.

Præcipita Domine & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem die ac nocte. Præcipitati ſunt Iudæi, quia vbique gentium violenter tracti, & ſeruituti ſubiugati ſunt. Diuiſæ autem ſunt linguæ eorum, quia non vna lingua loquuntur vt prius, ſed alij græcè, alij latinè, alij vero barbaricè loquuntur, ſecundum prouincias, & loca in quibus habitant. Qua in re eos diuidendos, & in omnes mundi partes diſpergendos, iam ex tunc ſignificabat. Et merito quidem ſic diuiduntur, & ab inuicem ſeparantur, vt vel ipſa paucitate deficiant, & quieſcant, qui die ac nocte ad litigandum: & contradicendum, parati ſunt. Vſque hodie namque Iudæi, vbicumque ſunt, contra veritatem loqui, & pugnare non ceſſant. Hanc autem illorum iniquitatem, & contradictionem, & per ſingulas ciuitates, & præcipuè in ciuitate Ieruſalem, ſe vidiſſe Dominus hoc in loco teſtatur, dicens. *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate die ac nocte.*

Circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia. Iniquitas, inquit, & labor & iniuſtitia, radicata, & fundata in medio eius, circundabit eam ſuper muros eius. Sic enim ſe habet ordo. Miſera illa ciuitas, quæ in circuitu, & in medio talibus munitur præſidiis. Quid autem per muros eius, niſi ſcribas, & ſacerdotes, cæteroſque alios, qui populi munimentum eſſe videbantur intelligere debeamus? qui quanto ſapientiores erant, tanto amplius omni iniquitate, & malitia abundabant.

Et non defecit de plateis eius vſura & dolus. Si in plateis erat vſura & dolus quid in locis abditis, & occultis fuiſſe putamus? Si palam talia fiebant, multo deteriora in abſcondito fieri non dubitamus. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſupportaſſem vtique & ſi is, qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me vtique ab eo: tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum conſenſu* illorum, ſubauditur, malis conſiliis acquieſcens, me ad mortem tradidiſti. Veniat mors ſuper illos, qui te in hoc facinus induxerunt. Nunc autem ſignificationem videamus: vulgare eſt vt inimicus inimicum maledicat, & perſequatur, & de eo malè loquatur, ſed vt amicus Dominum, & Magiſtrum aliquis tradat, perſequatur, & maledicat, omnino abſurdum, inconueniens, extraneum, & importabile eſt. Quis enim à tali homine ſe abſcondere, taliſque hominis inſidias effugere valeat? Erat autem Iudas vſque ad id temporis vnanimis cum Domino ſibique familiaris, eiuſque ſecretorum, & conſilij particeps quem, ſicut cæteros, Dominus diligebat, quamvis talem aliquando futurum eſſe ſciebat. Sola præſentia iudicat Dominus, nec Præterita, nec futura intuetur, qualiſcumque fueris, ſi hodie bonus es ſecurus eſto. Peccator, quacumque hora conuerſus fuerit, dicit Dominus, *omnium iniquitatum eius non recordabor.* Sed vigilandum eſt ſem-

A per quia neſcimus diem neque horam. Tu vero, inquit, homo vnanimis, dux meus, ideſt, dux & Apoſtolus ſicut cæteri aliorum omnium à me conſtituti. *Et notus meus*, quem ego inter primos, magiſque familiares diſcipulos habebam.

Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, & ſpirituales videlicet & corporales, ſecúndum illud: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Nam & ipſe de illis vnus erat quibus Dominus dixerat. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Et iſti quidem erant illi cibi dulciſſimi, quos ſimul cum Domino capiebat: *In domo Domini ambulauimus cum conſenſu*, ſæpe enim in templum Salomonis cum conſenſu & reuerentia Dominum ſecutus, ſe ſibi coram omni populo, & amicum, & diſcipulum eſſe oſtendit. Vnde ſi Deum non timebat, vel faciem hominum erubeſcere debuerat.

Veniet mors ſuper illos. Super quos illos? Super
B illos, qui tui conſilij participes fuerunt, qui tibi pecuniam dederunt, & tanti ſceleris conſcij fuerunt. Et deſcendant in infernum viuentes. Ecce iſti iam iudicati & damnati ſunt, & ſententia mortis iam venit ſuper eos, nihil aliud reſtat, niſi vt facta reſurrectione, deſcendant in infernum viuentes, qui modo in anima ibi ſunt tormenta patientes.

Quoniam nequitia in hoſpitiis eorum in medio eorum. Niſi enim nequitia in cordibus illorum eſſet, quæ per hoſpitia intelligimus, nunquam tantum ſcelus agere potuiſſent.

Ego autem ad Dominum clamaui, & Dominus exaudiuit me. Ille clamor, non oris, ſed ſolius voluntatis fuit. Magnus eſt clamor voluntatis eius & clariſſimè reſonat in auribus diuinitatis, & nulla moræ diſtantia eſt, inter orationem & exauditionem. Nam & Moyſes longè Chriſto inferior, in corde clamabat, & labia non mouebat, & tamen dictum eſt à Domino, quid
C clamabas ad me?

Veſpere, & mane, & meridie narrabo: & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Notandum quia ordine commutato, prius veſpere, deinde mane, poſtmodum vero meridie poſuit. Promittit igitur Saluator noſter ſe narrare, & annunciare per diſcipulos & fideles ſuos, ea quæ veſpere, & ea quæ mane, & ea quæ meridie ſibi facta ſunt, quoniam & memoria digniſſima ſunt, & eo, quo ponuntur ordine facta ſunt Veſpere namque in cruce poſitus ſpiritum emiſit. Vnde eſt illud. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Mane vero die tertia reſurrexit: meridie autem cœlos aſcendit. Narrat igitur Eccleſia ea quæ facta ſunt veſpere & mane, & meridie, quia Chriſti paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem, quotidie cantare, & prædicare non ceſſat. Et hanc quidem vocem exaudit Deus, quia nulla laus vel iubilatio eſt, in qua amplius delectetur.

Liberabit in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Qui ſunt iſti, qui appropinquant Domino, & quos inter multos
D alios ſecum fuiſſe dicit, à quibus, vt tamen pacem habeat animam ſuam liberari petiit? Quomodo enim ſecum erant, ſi ab eis animam ſuam liberari deſiderat? Ego puto aliquos fuiſſe, qui ipſo tempore paſſionis ei ad cuſtodiam dati fuerant, ne effugere potuiſſet. Vnde & alibi dicit. *Periit fuga à me, & non eſt, qui requirat animam meam.* Vt enim exemplo facilius hoc intelligatur. Mihi quoque hoc accidiſſe ſcio, qui cum aliquando captus fuiſſem, mihi quidam ad cuſtodiam dati ſunt, qui præ cæteris odio habebant: & ipſe quidem ſemper mecum erant, iuxta me ſedebant, ſine quibus nihil agere poteram. Erant igitur mecum, ſed non pro bono, neque meæ voluntatis mecum erant. Puto quia hoc exemplo facilè intelliguntur qualiter cum Domino illi fuerint, quos ſecum inter multos fuiſſe dicit. Hucvſque Saluator noſter locutus eſt. Cætera quæ ſequuntur Propheta loquitur.

Exaudiet Deus & humiliabit eos, qui eſt ante ſæcula & manet in æternum.

E *Exaudiet*, inquit, Deus, & abſque dubio audiet ea, quæ Iudæi contra eum malè, & mendaciter loquuntur. *Et humiliabit eos*, vt ſicut aliquando excelſiores fuerunt cunctis gentibus, ita è contra pro ſuis iniquitatibus, ſubiiciantur omnibus gentibus.

Qui eſt ante ſæcula & manet in æternum. Cui illi inſultando dicebant. *Nunc cognouimus quia dæmonium habes, quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Quibus ipſe: *Ante* inquit, *quam Abraham fieret, ego ſum.*

Non eſt enim illis commutatio, & non timuerunt Deum. Non eſt inquit, illis commutatio, vt pote, illis, qui Deum non timent, vt à malitia ſua per pœnitentiam commutentur, & ſanentur. Vnde & per Prophetam Dominus ait: *Excæca cor populi huius, ne forte conuertantur & ſanem eos.* Et ideo non immerito *extendit Dominus manum ſuam in retribuendo illis.*

Contaminauerunt teſtamentum eius. Teſtamentum
F Dei Iudæi commaculant, quia peruersè, & contra fidem illud exponunt, & ea quæ de Chriſto dicta ſunt, illi de Antichriſto dicta eſſe prædicant. Quo circa digne ſatis diuiſi, & diſperſi ſunt, per vniuerſum mundum: *Ab ira vultus eius.* Egregiè autem dixit: *Ab ira vultus eius*, quia citiſſimè in vultu ira cognoſcitur. *Et appropinquauit cor eius.* Longè erat prius a Iudæis cor, & voluntas Dei, quia eius voluntatem cognoſcere non poterant: nunc autem de patria eiecti, & tanto tempore exiliati, tantiſque calamitatibus oppreſſi, facilè Dei voluntatem cognoſcere, & Deum ſibi iratum eſſe intelligere poſſunt. Appropriauit autem, & aliter Iudæis cor, & ſapientia Dei, quando Saluator noſter inter eos prædicare cœpit.

Mollierunt ſermones ſuos ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Hoc enim faciebant Iudæi cum [illegible] rent. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non es tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominis.* Nonne tibi illi ſermones ſatis molles & dulces
G eſſe videntur? Ipſi tamen ſunt iacula, quibus eum ferire, & vulnerare nitebantur. Hoc enim ideo dicebant, ſicut in Euangelio legitur, vt caperent eum in ſermonibus. Sed Ieſus cognita nequitia eorum ait. Quid me tentatis hypocritæ?

Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipſe te enutriet. Tu, inquit, vir fidelis, & Chriſtiané, fuge Iudæorum conſortium. Quia ſicut Apoſtolus ait, *ſermo illorum vt cancer ſerpit, & facile ſuos decipiunt auditores.* Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipſe te docebit, ipſe te enutriet, doctrina Catholica, & ſpirituali. Hoc eſt enim quod Iacobus Apoſtolus ait: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet, a Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat & dabitur ei.*

Non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Ille dat fluctuationem, qui ponit hominem hic contra tentationem: *Deus autem neminem tentat.* Quando igitur homo tentatur in his, quæ contra fidem eſſe videntur, cito ad ſe redeat, & hanc talem cogitationem ſiue potius tenta-
H tionem, à Deo non eſſe cognoſcat. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.* Illi inquit, fideles tuos in puteum erroris præcipitare nituntur, ſed, quod illis infelicius erit in puteum interitus & perditionis eos deduces.

Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Vniuerſalis comminatio eſt, contra homicidas, Iudæos hæreticos omneſque doloſos, & deceptores & animarum interfectores. Iſti autem non dimidiabunt dies ſuos, quia non tantum viuent; quantum ſe viuere ſperant. Vnde & bene ſubditur, *Ego vero in te ſperabo Domine*, neque mihi longos huius vitæ dies conſtituam, ſed quacunque hora tibi placuerit, & me vocare volueris, paratus ero. Bene autem dixit dies ſuos, quia aliter Deus aliter ipſi dies ſuos ordinant atque diſponunt, neque attendunt quod alibi dicitur. *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.*

IN FINEM POPVLO QVI A SANCTIS longè factus eſt Dauid. Inſcriptione tituli cum tenuerunt eum Allophili in Geth.

POpulus ille, qui à ſanctis, & à fidelibus Dauid longè factus eſt, Iudæi ſunt. Sed quando factus eſt hoc ? In tituli inſcriptione, quando Chriſtum ſuum Regem eſſe negauerunt, dicentes Pilato. *Noli ſcribere Regem Iudæorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum.* Et tunc quidem tenuerunt eum Allophili in Geth. Allophili, ſine capite interpretantur, per quos eoſdem ipſos Iudæos intelligimus, qui de collati ſunt & ſine capite, nullum de gente ſua Regem habentes, vel ſacerdotem. Geth vero torcular dicitur. Significat autem ciuitatem Ieruſalem, in qua velut vuæ in torculari, ſic totus ille populus, & torcular compreſſus, proprio ſanguine totam illam terram perfudit, & cruentauit. Sic itaque Ieruſalem non ſolum ſanctorum qui in ea interfecti ſunt, ſed ſuæ quoque gentis torcular facta eſt.

Miſerere mihi Domine quoniam conculcauit me homo, tota die bellans contribulauit me. Eccleſia loquitur contra illos, qui à ſanctis longè facti ſunt. Multis modis mali homines, Iudæi videlicet, hæretici, & tyranni, ſanctam Eccleſiam olim conculcauerunt, & afflixerunt. & adhuc etiam falſi Chriſtiani eam affligere & conculcare non ceſſant. Vnde & valde conuenienter dixit ; Tota die, quia hæc afflictio, & conculcatio, non ceſſabit cum die.

Conculcauerunt me inimici mei tota die. Non ſolum, inquit, homo, non ſolum ille populus, qui cum prope eſſet, longè à ſanctis factus eſt in circuli inſcriptione, verum etiam omnes alij inimici mei conculcauerunt me, & adhuc quidem conculcare non ceſſant, quia nondum conculcationis finitus eſt dies. Sed dic mihi quando iſta tua conculcatio cœpit ? Ab altitudine diei. Dies iſte Chriſtus eſt, qui de ſe ipſo ait. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Ex quo autem dies iſte ſuper cœlos exaltatus, & eleuatus ex tunc ſancta Eccleſia, & affligi, & conculcari cœpit, hoc enim ipſe Dominus Diſcipulis ſuis prædixerat. *Veniet, inquit, hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.*

Quoniam multi qui debellant me timebunt, ego vero in te ſperabo Domine. Seipſam conſolatur Eccleſia conſiderans, quæ pœna ſit præparata aduerſariis ſuis, & quæ gloria ſit præparata ſibi pro afflictionibus ſuis. Illi, inquit, qui me debellant, in iudicio timebunt, ego vero, quia in te ſperabo, nihil timebo : mea igitur triſtitia vertetur in gaudium, horum vero gaudium in triſtitiam conuertetur.

In Deo laudabo ſermones meos, tota die in Deo ſperabo, non timebo, quid faciat mihi homo. Laudet igitur vnuſquiſque ſermones ſuos, ſed non ideo, quia ſui ſunt, ſed potius, quia de Deo loquuntur, & de Deo ſunt. Laudabiles ſint ſermones noſtri, & à veritate non recedant, & tempori locoque conueniant. Tales enim conſcientia noſtra laudare poteſt, aliter vero laudare non poteſt. Tota die, omni tempore vitæ meæ, quicquid mihi contingat, ſiue proſpera ſint ſiue aduerſa, *in Domino ſperabo*, & ideo *non timebo quid faciat mihi homo.*

Tota die verba mea execrabantur aduerſum me. Ego, inquit, in Deo laudabam ſermones meos, & fideles atque Catholicos eſſe dicebam ; illi è contra aduerſum me diſputantes exercebantur, & blaſphemabant omnia verba mea, & ſuis rationibus ea infirmare, & deſtruere conabantur. Vnde & ſubditur. *Omnia conſilia eorum in malum.* In malum namque ſunt omnia Iudæorum, & hæreticorum conſilia, quæ & animas interficiunt, & ſimplices quoſque à via veritatis deuiare faciunt.

Inhabitabunt, & abſcondent, ipſi calcaneum meum obſeruabunt. Tales erant illi, de quibus in Euangelio dicitur : *Quia cum intraſſet Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum ſabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.* Vnde & Apoſtolus conqueritur de quibuſdam falſis fratribus, qui ſub introierunt, vt explorarent conſcientias eorum. De quibus ipſe quoque Dominus ait : *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et iſti quidem inter ſanctos doloſè habitantes, & cordis malitiam abſcondentes Chriſtianos ſe eſſe fingebant, & quoſcunque poterant, vel accuſabant vel decipiebant. Obſeruabant autem calcaneos eorum, quia ſi in aliquo eos offendere vel cadere, vel contra legem facere cognouiſſent, hoc memoriæ commendabant, & opportuno tempore eis accuſando obiiciebant. *Calcaneus* enim pro caſu ponitur, quia qui cadit calcaneo cadit. *Sicut exſpectauit anima mea, pro nihilo ſaluos facies eos ;* Deſiderium ſanctorum eſt, & hoc exſpectant, vt, ſicut digni ſunt, impij puniantur, niſi ab impietate ſua ad Deum conuertantur. Quod autem ait : *Pro nihilo ſaluos facies eos*, tale eſt ac ſi diceret : Nihil in eis eſt, pro quo ſaluari debeant. Vnde & ſubditur : *In ira populos confringes ;* Hoc autem erit in iudicio, quando Deum iratum ſibi eſſe intelligentes, in ignem mittentur æternum.

Deus vitam meam nunciaui tibi, poſui lacrymas meas in conſpectu tuo. Felix illius hominis conſcientia, qui de vita ſua tantum confidit, & lacrymas ſuas ante Deum ponit. Omnia videt Deus, & ipſa corda noſtra illi loquuntur, & quicquid in eis eſt, ſibi annunciant. *Sicut in repromiſſione tua, conuertantur inimici mei retrorſum, in quacunque die inuocauero te*, ſicut inquit tu promiſiſti : In quacunque die te inuocauero. Conuertantur retrorſum, vt mihi reſiſtere non valeāt inimici mei. Promiſſio namque illius hæc eſt : *Non vos deſeram, neque derelinquam.* Et *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Itemque : *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* *Ecce cognoui quoniam Deus meus es tu.* Ecce, inquit, cognoui quoniam Deus meus es tu, qui nunquam deſeris ſperantes in te, & ecce quæ mihi futura ſunt, mihi tam ſubito intus reuelare dignaris. Subito enim dum loquerentur ſancti, plerumque ſpiritu prophetiæ de his quæ illis futura erant, inſtruebantur.

In Deo laudabo verbum, & in Domino laudabo ſermonem, in Deo ſperabo, non timebo, quid faciat mihi homo. Quoniam, inquit, Deus meus tu es, in te laudabo verbum, & in te laudabo ſermonem, & fidem tuam quam prædicaui, & doctrinam tuam, quam annunciaui, nullo timore negabo, ſed vſque ad mortem confirmabo. Et quoniam in te ſperabo, non timebo quid faciat mihi homo. Nihil enim poteſt humana fortitudo contra Dei potentiam & voluntatem.

In me ſunt Deus vota, quæ reddam laudationes tibi. Nemo ſe excuſare poteſt, ſiue diues ſiue pauper ſit, vnuſquiſque in ſeipſo, & in corde ſuo habet, quod Deo vouere, & reddere poteſt. Non habes aurum, non habes argentum, non habes pecuniam, quam Deo offeras, neque ipſe hoc exigit à te, audi ipſum dicentem : *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Hoc ſit ſemper in voto tuo, & in deſiderio tuo, vt eum ſemper laudes, & benedicas, & ab omni iniquitate quieſcas, & ſufficit ſibi. Hinc eſt enim, quod toties in his pſalmis dicitur : *Laudate Dominum, Benedicite Dominum, Confitemini Domino, Pſallite Domino, & Iubilate Domino.* Hæc enim etiam tacendo, Deo ſoluere potes, ſi cor mundum habeas, & in eo, qui te fecit, delecteris, & gaudeas. Vnde & alibi dicitur ; *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et Apoſtolus : *Gaudete*, inquit, *in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.* Et hoc quidem eſt illud ſacrificium laudis, quod Deo quotidie immolare iubemur.

Quoniam eripuiſti animam meam de morte, non qualicunque pretio, ſed proprio ſanguine tuo. Vnde Apoſtolus ait : *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* *Oculos meos à lacrymis*, quas vel fumus vel dolor, vel aliqua moleſtia excutere ſolet, qui enim in igne erunt, ſine fumo & moleſtia eſſe non poterunt. Hanc autem moleſtiam illi non ſentiēt, de quibus dicitur ; *Abſterget Deus omnem lacrymam ab*

oculis

Digitized by Google

A *oculis ſanctorum mors non erit vltra, neque luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor, quia prima abierunt*, & facta ſunt omnia noua. *Pedes meos à lapſu.* Quid igitur illis profuit, de quibus ſuperius dicitur; *Ipſi calcaneum meum obſeruabant? Væ ſoli, quia cum ceciderit, non eſt qui ſubleuet eum.* Sancti vero ſoli non ſunt, quia ſemper cum Domino ſunt, cui & dicunt: *Tenuiſti manū dexteram meam. Vt placeam coram Domino in lumine viuentium*; Ideo, inquit, eripuiſti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu, vt placeam coram Domino in lumine viuentium, quia aliter ibi neque eſſe, neque placere Domino potuiſſem. Et bene quidem dixit; *In lumine viuentium*, quia illi ſoli in lumine erunt, & illi ſoli vitam habebunt. Illa enim vita, quæ ſemper in tormentis eſt, potius mors quam vita dicenda eſt.

B

IN FINEM NE DISPERDAS DAVID, in tituli inſcriptione, cum fugeret à facie Saül in ſpeluncam.

QVando dictum eſt, *ne diſperdas?* In tituli inſcriptione. Quando fuit illa inſcriptio? Cum Dauid fugeret à facie Saül in ſpeluncam. Hoc autem ſecundum litteram nunquam factum eſt, & ideo in finem referendum eſt. In tituli namque inſcriptione, de qua iam ſuperius diximus, cum Iudæi dixiſſent Pilato; *Noli ſcribere, Regem Iudæorum*; reſpondit illis; *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Hoc autem tantum valuit quantum ſi dixiſſet; Ne diſperdas. Seruata eſt itaque ſcriptura, & velint nolint Iudæi. Rex Iudæorum eſt Chriſtus. Et tunc quidem fugit Dauid idest, Saluator noſter in ſpeluncam ſepulchri, à facie Saül, per quem Iudæorum Principes intelligimus. Bene autem dixit. Fugit, quia quaſi furtiuè, & ſub celeritate, eius corpus ſepulturæ traditum eſt.

C *Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.* Confidenter hoc Eccleſia dicere poteſt, quia ad hoc mortuus eſt, vt eius miſeretur. In te, inquit, confidit anima mea, qui tantum me dilexiſti, vt animam tuam poneres pro anima mea. *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Et in vmbra alarum tuarum ſpero, donec tranſeat iniquitas. Vidi te, inquit, quaſi dicat, in cruce modo pendentem, manus & brachia velut alas extendentem, ſub vmbra iſtarum alarum protege me, quia ego in vmbra alarum tuarum ſpero. Omnis enim ſpes Chriſtianorum, crux & paſſio Domini eſt, hanc autem ſpem habet Eccleſia, donec mundus tranſeat cum iniquitatibus ſuis, deinde vero iam ſpes non erit, ſuſceptis omnibus, quæ ſperari poſſunt. Vnde Apoſtolus ait; *Nunc autem manent fides, charitas, tria hæc, maior autem his eſt charitas*, quia ſemper erit.

Clamabo ad Deum altiſſimum, & ad Dominum, qui benè fecit mihi.

D Clamabo, inquit, donec tranſeat iniquitas, poſtea vero clamare neceſſe non erit. Sed ad quem clamabo? Ad Deum altiſſimum, & ad ſummum bonum: ad illum clamabo, à quo procedunt omnia bona; ad Dominum, qui benè fecit mihi. Computa nunc ſi vales, quanta bona fecerit tibi Deus: Cum non eſſes, te creauit & fecit, & non ſolum fecit, ſed ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam te fecit: vitam, & miſericordiam tribuit tibi: proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: Sed audiamus adhuc, quomodo Dominus nobis benefecerit.

Miſit de cælo, & liberauit me, dedit opprobrium conculcantes me. Miſit, inquit de cœlo, de ſeipſo, de ſinu ſuo, & de corde ſuo, & liberabit me: dedit in opprobrium conculcantes me, malignos ſpiritus, Iudæos, hæreticos, & tyrannos. Omnes iſti in opprobrium dati ſunt: quia ſtatim vt de hac vita exeunt in tenebras demerguntur. Miſit igitur de cœlo, ſed quid miſit?

Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, E id eſt, Ieſum Chriſtum filium ſuum. Egregiè eum non miſericordem neque veracem, ſed potius propter excellentiæ magnitudinem miſericordiam, & veritatem eum vocauit. *Animam meam eripuit de medio catulorum leonum*, per quos iniquos homines, & malignos ſpiritus intelligimus, qui iam ad deuorandum parati erant: Inter quos longo tempore *dormiui*, ſed *conturbatus* dormiui: non erat ille ſomnus quietis & pacis, ſed conturbationis, & obliuionis. Sic phrenetici dormire ſolent, & qui horribilia in ſomnis ſomnia vident. Sæpe enim ſomnis perterriti, & conturbati, iterum dormire timent, ne eis ſimilia videre contingat.

Filij hominum, dentes eorum arma & ſagitta, & lingua eorum machæra acuta.

Non mirum, inquit, ſi inter tales conturbatus dormiui, meique oblitus, pacem inter eos, & quietem habere non potui, quorum dentes arma & ſagittæ ſunt, quorum linguæ machæræ acutæ ſemper ad diſputandum, ad li- F tigandum, ad blaſphemandum, ad maledicendum, decipiendum & contradicendum, præparati ſunt.

Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Dixit modo ſuperius *quia miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam.* Ideſt Saluatorem noſtrum, de quo in titulo dicitur, quod in ſpelunca ſepulchri latuerit, nunc autem eum rogat, vt ſuper cœlos aſcendat, & cunctis gentibus ſuam gloriam manifeſtet. Quo expleto ad narrationem reddit, & ea, quæ cœperat per ordinem narrat.

Laqueos parauerunt pedibus meis, & inculcauerunt animam meam. Multi ſunt laquei, & multæ ſunt deceptiones, quas homines iniqui ſanctis opponunt, quibus eos capiunt, & cadere faciunt. Anima autem, quæ erecta ſtat, cœleſtia contemplatur: quæ vero incuruata eſt, ſola terrena & tranſitoria intuetur. Qui igitur ſola terrena, & tranſitoria quærit, animam ſuam incuruatam eſſe dubitare non debet.

G *Foderunt ante faciem meam foueam, & ipſi inciderunt in eam.* Sic enim alibi ſcriptum eſt.

Qui fratri ſuo foueam parat, ipſe prius cadat in eam. Fouea itaque dolus & deceptio eſt, quam quicunque facit, ſibi ipſi foueam parat, non tantum deceptionis, ſed mortis quoque, & perditionis. De qua videlicet fouea Dominus ait: *Si cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foueam cadent?*

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſalmum dicam Domino. Faciant illi quicquid velint, dicant: quod velint, laudent dogmata ſua, vituperent noſtra, cor meum tamen ſemper paratum eſt ad cantandum, ad iubilandum, ad laudandum, & ad prædicandum verbum vitæ & ſalutis cunctis gentibus nunciandum. Et hoc eſt quod dicit. *Cantabo & pſalmum dicam Domino.* Sed Vbi: In pſalterio & cythara. Hoc eſt enim quod ſequitur.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara, exurgam diluculo. Quid per pſalterium & cytharam, niſi vetus & nouum teſtamentum intelligamus. Decem chor- H das habet pſalterium, quia decem ſunt verba legis. In cithara vero, vel tres vel quatuor cordæ ſufficiunt. Et tres quidem myſterium Trinitatis, quatuor vero totidem Euangeliorum libros deſignat. Cantāt igitur ſancti, vel in pſalterio, vel in cythara, quia alium cantum, & cytharam non habent niſi vetus, & nouum teſtamentum. Si igitur pſalterium, & cythara ab Eccleſia tollantur, quid dicat, quid cantet, & quid prædicet, non habebit. Eſt igitur omnis gloria eius in pſalterio & cythara, quia ſine cantu, ſine doctrina & ſcientia nullam gloriam habere poteſt. Et quamvis omnis modulatio pſalterij & cytharæ, ſuauis ſit, & dulcis ad audiendum, illa tamen dulciſſima eſt, quæ tribus chordis in cythara modulatur. Et talis quidem eſt ille cantus, quem, ſicut Iſaïas Propheta, & Ioannes Apoſtolus dicit. *Seraphin & quatuor animalia cātare non ceſſant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, plena eſt omnis terra gloria eius.* Merito igitur dicit Eccleſia. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cythara*, & ego quidem exurgam diluculo. Tu, inquit,

pſalterium & cythara ſemper eſto perfecta, vt nullum mihi impedimentum, vel moras faciatis, quia ego quidem ad cantandum exurgam valde diluculo. In hoc autem per totum diem à mane vſque ad veſperum, id eſt omni tempore vitæ ſuæ, ſe cantare, & iubilare promittit, quod ſe diluculo exurgere dicit.

Confitebor tibi in populis Domine, & pſalmum dicam tibi inter gentes. Parata, inquit, ſum, pſalterium habeo, cytharam habeo, & in pſalterio, & in cythara confitebor tibi, & laudabo te, in populis Domine, & pſalmum dicam tibi inter gentes. Quia enim Iudæi audire nolunt, pſalmos ſe inter gentes cantare promittit. Pſalmos autem cantare, eſt, verbis, & actione legis mandata adimplere.

Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.

Miſericordia Dei veritas Dei, Saluator noſter eſt, & quia omni miſericordia, & veritate plenus eſt, & in ipſo, & per ipſum, patris miſericordia & veritas, cunctis gentibus reuelata eſt. Hoc, inquit, confitebor, hoc prædicabo, hoc in omnibus gentibus nunciabo. Quoniam vſque ad cœlos, & vſque ad nubes, immo ſuper omnes cœlos, & ſuper omnes nubes miſericordia tua & veritas tua magnificata & exaltata eſt. Sed vt vera ſit hæc prædicatio mea, iam nunc exi de ſpelunca, egredere de ſepulchro, & exaltare Deus ſuper cœlos, & ſuper omnem terram gloria tua manifeſtetur.

IN FINEM NE DISPERDAS DAVID in tituli inſcriptione.

HOc præcipit Dauid, vt neque Pilatus, neque Iudæi diſperdere audeant ea, quæ poſita ſunt in tituli inſcriptione. Erat enim ibi poſitum, hæbraïcè, græcè & latinè. *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* Ergo & hæbræi, & græci, & latini teſtes ſunt, quod infelices Iudæi Regem ſuum, & Dominum ſuum crucifixerunt.

Si vero vtique iuſtitiam loquimini, iuſte iudicate filij hominum. Ipſe Propheta loquitur & Iudæos redarguit de iniquitate ſua. Si verè, inquit, quod vtique facitis, iuſtitiam loquimini, quare non iuſtè iudicatis, niſi quia filij hominum eſtis? *eſt enim omnis homo mendax, Deus autem verax.* Sicut igitur filij hominum mendaces ſunt, ita & filij Dei veraces ſunt; *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Soli namque Chriſtiani veraces ſunt, ſiquidem ſoli Chriſtiani, filij Dei ſunt. Vocatis, inquit, Chriſtum, Magiſtrum bonum, dicitis, quia viam Dei in veritate docet, dicitis, quia non eſt ſibi cura de aliquo, & quia non reſpicit perſonam hominis, verum dicitis, iuſtitiam loquimini, quia ita eſt, vt dicitis. Quare ergo non iuſtè iudicatis? quare eum morti condemnatis? quare aduerſus eum, crucifige clamatis? & quaſi malefactorem eum accuſatis?

Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniquitates manus veſtræ concinnant. Ex corde enim exeunt, dicit Dominus, *cogitationes malæ, furta, homicidia, periuria, falſa teſtimonia, & ſimilia.* Hæc ſunt igitur, quæ mali & iniqui homines operantur in corde ſuo, ideſt in terra, quia tale cor, terra eſt, fatuum eſt, graue & ad inferiora trahens. Illorum autem manus, iniquitates concinnant, quorum opera in malitia, & iniquitate concordant.

Alienati ſunt peccatores ab vtero, errauerunt à ventre, locuti ſunt falſa. Iſti ſunt illi peccatores, de quibus alibi dicitur: *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Itemque: *Quoniã alieni inſurrexerunt in me*; Alieni facti ſunt, qui proximi erant, & è contra proximi facti ſunt, qui alieni erant. Vnde ſcriptum eſt: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Illis autem dicitur: *Non populus meus vos*: Iſti autem errauerunt ab vtero, quia ex quo nati ſunt, veritatem recipere noluerunt, & ideo à ventre locuti ſunt falſa. Quid enim ille, qui errat, niſi falſitatem dicere poteſt?

Ira illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis. Sed cuius ſerpentis? *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & veneficia quæ incantantur à ſapiente.* Crudeliſſimum genus ſerpentis, eſt aſpis, de quo ſcriptum eſt: *Quia venenum aſpidum inſanabile*, contra quam nulla incantatio poteſt, niſi ipſa ſuas audiat incantationes, obturat enim aures quando incantatur, & ſic omnes incantationes pro nihilo ducit. Tales ſunt Iudæi, qui indurato corde, Chriſtianæ religioni ſemper aduerſati, Euangelicam prædicationem neque audire, neque recipere volunt. Incantatores autem, ſancti prædicatores ſunt, qui quamvis ſapienter eos incantent, ipſi tamen eorum ſermones, & incantationes audire deſpiciunt, magiſque ſe præparant ad contradicendum & maledicendum, quam ad audiendum & credendum. Sed eorum diſputationes & argumentationes facilè vincuntur & diſſipantur. Vnde & ſubditur.

Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus. Quid enim per dentes & molas eorum intelligamus, niſi eorum argumenta, ſyllogiſmos & ſcripturarum difficultates, quibus nos vulnerare, & decipere conantur? Sæpe enim dum loquimur cum illis, ita ſubito omnes illorum rationes contritas, & confractas eſſe videmus, vt penitus nihil habeant, quod reſpondere valeant. Vnde & ſubditur.

Ad nihilum deuenient, velut aqua decurrens. Fit enim multoties, vt ille qui quaſi torrens inundans, paulò ante exemplis & rationibus abundare videbatur, mox deſiccatus, & rationibus deſtitutus, omnino quid dicat, inuenire non valeat. Quod qui non intelligit, illam diſputationem legat, quam ſimul cum Iudæis B. Silueſter habuiſſe narratur. Et hoc quidem ideo fit, quia *Dominus intendit arcum ſuum donec infirmentur*: Arcus Dei, Apoſtoli ſunt & Doctores, per quos ſagittas ſuas, & ſcripturarum certiſſimas rationes contra eos Dominus immittit, donec infirmati & victi, conquieſcant. Hinc eſt enim quod ſuis diſcipulis Dominus ait: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere, omnes aduerſarij veſtri.*

Sicut cera liquefacta auferentur. Hoc autem eſſet in iudicio & poſt iudicium, quando ſimul cum principe ſuo mittentur in ignem. Vnde & ſubditur. *Super eos cecidit ignis, & non viderunt ſolem*; Præteritum pro futuro, ſuo more, poſuit: In iudicio, inquit, mox vt illa ſententia terribilis data fuerit, quaſi cera liquefacta auferentur, quia tantæ violentiæ reſiſtere non valebunt. Et tunc quidem ignis ille, quo totus mundus ſuccendetur, cadet ſuper illos, atque ita de igne tranſibunt in ignem. Et non videbunt ſolem, quia, ſicut ſcriptum eſt, *tollentur impij ne videant gloriam Dei.* Nam etſi ad momentum eum videant, propter illud quod ſcriptum eſt, *quia videbit eum omnis oculus*, ſubito tamen inde auferentur, vt hoc ipſum ſit eis ad tormentum, quod eum videre deſiderabunt, & videre non poterunt.

Priuſquam producat ſpinas veſter ramnus, ſicut viuentes, ſicut in ira abſorbet eos. Ramnus quidem genus ſpinarum eſt, quod & florem gratiſſimum, & ſpinas acutiſſimas habet. Significat autem Saluatorem noſtrum, florem pulcherrimum de radice Ieſſe, qui de ſe ipſo loquitur dicens: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Hic autem ramnus modo quidem flores dat, quorum odore & ſuauitate mentes noſtræ reficiuntur & delectantur. Per quos videlicet flores, eius verba odorifera & ſuauiſſima intelligimus. Spinas autem nondum oſtendit, ſed cum magna patientia peccatores exſpectat: *Non enim vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*: Spinoſus autem & terribilis in iudicio apparebit, ſed peccatoribus, qui eius vulnera & aculeos ſuſtinere non poterunt. Sed priuſquam ramnus iſte veſter ô ſancti & fideles Dei ſpinas producat, & ſuæ ſeueritatis aculeos oſtendat, ſicut viuentes, ſicut in ira abſorbebit eos ignis. Nondum enim ad iudicium Dominus venit, iam tamen omnium iniquorum & damnatorum animæ igne ſorbentur & cruciantur. Ante iudicium igitur ſolæ animæ, poſt iudicium vero, & corpora ſimul cruciabuntur & animæ. Et tunc

quidem

A quidem *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum;* Interim autem *manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum:* Et peccata quidem ſanguinem non habent, ſed per ſanguinem mortem intelligimus. quia in ſanguinis effuſione, mortem eſſe cognoſcimus. Nunquam melius manus ſuas, & opera ſua, (quæ per manus ſignificantur) ſancti Dei lauare poſſunt, quam peccata interficiendo, quorum contagione fuerunt maculatæ.

Et dicet homo, ſi vtique eſt fructus iuſto, vtique eſt Deus iudicans eos in terra. Contraria contrariis conueniunt, & tale eſt ac ſi diceret: Dicat, ſciat & intelligat omnis homo, quia ſi boni habebunt fructum & retributionem de bonitate ſua, mali quoque ſuſtinebunt iudicium & pœnam de malitia ſua. Sed vbi eſt Deus? vbique. Eſt igitur in terra. Videt itaque & iudicat omnia, quæ ſunt in terra.

B

IN FINEM NE DISPERDAS, in tituli inſcriptione, quando miſit Saül, & cuſtodiuit domum eius, vt eum interficeret.

NEmo diſperdere poterit, quæ Spiritus Sanctus diſperdere interdixit? Hoc autem Principes Sacerdotum, cæterique Iudæi, qui per Saül ſignificantur, facere voluerunt: ſed quia hoc non potuerunt, miſerunt cuſtodes, qui eius ſepulchrum cuſtodirent, vt eum interficerent. Sed quomodo eum iterum interficere poterant, qui adhuc in ſepulchro mortuus quieſcebat? In hoc enim eum interficere volebant, in quo eius reſurrectionem impedire conabantur. Sunt enim vſque hodie, qui, quantum in ipſis eſt, eum interficiunt, dum eius reſurrectioni contradicunt.

C *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.* Sæpe iam diximus, quia quoties Chriſtus aliquid petit, aliquid orat, & aliqua re ſe indigere oſtendit, quod non ad diuinitatem, ſed ad ſolam humanitatem omnia ſpectent. Ipſa quoque humanitas nec locutione nec deprecatione indigebat, quæ in ſola voluntate omnia habebat, & poſſidebat. Omnia autem completa ſunt, quæ in Chriſti voluntate erant, quæ & Propheta ideo ſcribit, vt nos quoque ea ſciamus, quæ quidem, niſi ſcripta fuiſſent, ad noſtram notitiam non perueniſſent. Hoc igitur ſola voluntate impetrabat humanitas Chriſti, quod precibus, & orationibus alij homines impetrare ſolent. Orat autem aliquando etiam voce Saluator noſter, non pro ſe, ſed pro nobis, vt nos orando doceat, inſtruat, & ſuam voluntatem, & noſtram vtilitatem cognoſcere faciat. Quod igitur hic dicitur, *eripe me & libera me,* & ſalua me, tale eſt ac ſi diceret: Volo vt eripias me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalues me, ſic enim loquitur; & ſic orat voluntas Chriſti: non D rogando, ſed volendo loquitur. Sic & nos dicere ſolemus de omnibus rebus, quas in noſtra voluntate & poteſtate certiſſime conſtare cognoſcimus.

Quia ecce occupauerunt animam meam, irruerunt in me fortes, neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine. Saluator noſter non habuit neceſſe iſta dicere, ſed nos habuimus neceſſe iſta audire: attamen ſi dixit, intus dixit, & in corde dixit, & quod intus dixit, hoc Propheta Spiritu Sancto eum docente, audiuit & ſcripſit. Occupauerūt autem Iudæi animam Chriſti, non tantum in re, ſed deſiderio & ſpe. Vſitatiſſimus eſt iſte modus locutionis, vt id nos habere dicamus, quod certiſſimè nos habituros eſſe ſperamus. *Irruerunt in me fortes*; fortes enim ideo dicuntur, quia id quod de Chriſti morte voluerunt, ad effectum vſque perduxerunt. Vnuſquiſque enim in ea re fortis eſt, in qua ſuam intentionem adimplere valet. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine.*

Sine iniquitate cucurri & dirigebar. Et quis hoc ignorat? quæ eſt iſta excuſatio? quæ eſt iſta defenſio? Nunquid hoc Diuinitas ignorabat, quæ humanitati ineffabiliter coniuncta, omnino eam mundiſſimam & irrepre-

E henſibilem eſſe ſciebat. Non eſt tamen inconueniens, ſi hoc quod dixi conſcientia Chriſti, ad iniquos homines conuincendos, ſcribere voluit Propheta Chriſti. Multa enim intus dicit Deo conſcientia noſtra, quæ foris non loquitur lingua noſtra. *Exurge in occurſum mihi & vide,* volo, inquit, vt in occurſum mihi, & in adiutorium venias, & iſtorum voluntatibus reſiſtas, vt contra permiſſionem meæ voluntatis, nullam in me habeant poteſtatem. Hoc eſt enim quod Pilato Dominus dixerat: *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi deſuper tibi datum fuiſſet.* Et vide. Quid? illorum impiam voluntatem, & prauam intentionem, quod non ſolum me interficere volunt, (quod & mihi placet & tibi) verum etiam nomen meum, & memoriam nominis mei, omnino de terra auferre conantur. *Et tu Domine Deus virtutum Deus Iſraël, intende ad viſitandas omnes gentes.* Ille eſt Deus virtutum, in cuius manu & poteſtate ſunt omnes virtutes, qui eas tribuit, cui vult, diſpenſat, quomodo vult, repellit à ſe, quos F vult, & trahit ad ſe, quoſcunque vult. Ipſe eſt & Deus Iſraël, per quem omnes eos intelligimus, qui in eum credunt, eum diligunt & cognoſcunt: Tu inquit, *Domine Deus virtutum Deus Iſraël, intende ad viſitandas omnes gentes,* quia illi ad quos miſſus ſum, me recipere noluerunt. Hoc autem iam completum eſt, quia omnes gentes per diſcipulos ſuos Dominus viſitauit, & ad fidem vocauit, dicens eis: *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Omnes quidem vocati ſunt, non omnes autem electi ſunt. Qui enim iniquitatem operantur, & indurato corde in malitia vſque in finem perſeuerant, etiamſi baptizati ſunt, & fidem Chriſti ſuſcepe runt, non tamen illorum miſerebitur Deus.

Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Iſti, inquit, Iudæi, qui modo ſunt, quaſi dicat, inconuertibiles ſunt: illi vero, qui futuri ſunt, ad te tandem conuertentur. Sed quando? ad veſperū. G finita hac vltima ætate, cum mundus iſte veniet ad veſperam, & tunc quidem Iudæi conuertentur, ſicut ſcriptum eſt. *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter.* Et alibi: *Si fuerit numerus filiorum Iſraël, ſicut arena maris conuertentur. Et famem patientur vt canes:* Modo, inquit, ſtomachati, & ſui erroris, & malitiæ pleni, verbum vitæ credere faſtidiunt, ſed tunc quidem quaſi canes valde famelici, ad cibos Eccleſiaſticos, & ſpirituales ſuſcipiendos importunè ſe ingerent, & longam famem ſe ſuſtinuiſſe oſtendent. Vnde & ſubditur. *Et circuibunt ciuitatem,* ſanctæ videlicet Eccleſiæ, vt eius cibis ſpiritualibus alantur, quos prius attingere nolebant, & canum ſollicitudine fideliter eam cuſtodiunt.

Ecce ipſi loquuntur in ore ſuo, & gladius eſt in labiis eorum. Ecce ipſi, inquit, Iudæi, qui modo ſunt, & qui fidem recipere nolunt, loquentur contra Apoſtolos Eccleſiæque Doctores. In ore ſuo, in ore peruerſo, & ad litigandum & contradicendum parato. Hoc eſt enim quod di-H cit: *Et gladius in labiis eorum.* Sicut enim *gladius ſpiritus eſt verbum Dei,* ita gladius mortis & perditionis ſunt verba Iudæorum.

Quoniam quis audiuit? Hoc dicebant Iudæi contra Apoſtolos, & hoc vſque hodie dicunt contra Eccleſiæ Doctores. *Quoniam quis audiuit?* Quis Prophetarum hanc nouam quam vos prædicatis doctrinam nunciauit? Et hoc quidem dicunt, quia littera eos occidit, & ad ſpiritualem intelligentiam accedere nequeunt, quoniam *excæcauit eos malitia eorum.* Et non ſolum ipſi, ſed aliæ quoque gentes ſimilia ſentiebant. Vnde & ſubditur: *Et tu Domine deridebis eos, & pro nihilo habebis omnes gentes.* Hoc eſt enim quod alibi dicitur: *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Pro nihilo vero habet Dominus omnes gentes, quia, ſicut Propheta ait: *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputati ſunt ei.*

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia tu Deus ſuſceptor meus es. Tu, inquit, pro nihil habes omnes gentes, quas & ego ſimiliter haberem, ſi voluiſſem, ſed fortitudinem meam oſtendere nolo, quam, videlicet

A fortitudinem totam ad te referam, & à te cuſtodiam, & quaſi propriis viribus deſtitutus, à te ſemper defenſionem & auxilium exſpectabo. *Quia tu Deus ſuſceptor meus es*, qui iuxta meæ voluntatis arbitrium mihi omnia ſubminiſtras. *Deus meus, miſericordia eius præueniet me*; Secundum hominem loquitur,& ideo Deum ſe habere dicit, & miſericordiam aliunde exſpectat, quæ miſericordia tam præſto eſt, vt eum ſemper præueniat, ſi vocanda eſt.

Deus meus oſtende mihi bona inter inimicos meos. Quæ bona? *Ne occidas eos?* Quare? *Nequando obliuiſcantur legis tuæ*, hoc enim non de Iudæis, ſed de Chriſtianis dicit, *nequando obliuiſcantur legis tuæ.* Vnde & in alia tranſlatione, non legis *tuæ*, ſed *populi mei* habetur. Hæc igitur miſericordia ideo Iudæis facta eſt, ne penitus occiderentur, ne fortè ſimul cum eis lex quoque periret, & obliuioni traderetur, cum nemo eſſet, qui eam doceret.

B *Diſperge illos in virtute tua, & deſtrue eos protector meus Domine.* Ne, inquit, occidas eos,in hac arctiſſima, qua ſimul clauduntur, obſidione; Sed diſperge illos, in omnes gentes,& populos,& nationes. In virtute tua,cui nemo reſiſtere valet. Et deſtrue eos, non vt occidantur ſed potius vt à priſtina dignitate remoueantur.

Cætera huius Pſalmi deſiderantur.

FRAGMENTVM
Expoſitionis Pſalmi 64.

RECTVM cor ille habet, qui à veritate & rectitudine non recedit, ſicut è contra prauum cor illi habent,qui illum ſequuntur,de quo ſcriptum eſt: *Quia ab initio mendax fuit, & in veritate non ſtetit.*

C

IN FINEM PSALMVS DAVID. Canticum Ieremiæ, & Hiezechiel de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficiſci.

HVnc pſalmum ſcripſit Dauid de Babylonis captiuitate, & dicit hunc eſſe Canticum *Ieremiæ & Hiezechiel*, quoniam & ipſi de eadem captiuitate ſcripſerunt,& in ea fuerunt. Quod ergo Dauid prophetauit & ſcripſit, hoc Ieremias ſimul cum Hiezechiele ſuſtinuit & vidit. Iſti enim duo Prophetæ ſimul cum aliis in captiuitatem ducti ſunt, eoſque conſolabantur & æquo animo eſſe admonebant, & poſt annos ſeptuaginta in patriam eos redituros eſſe prædicabant.Hoc autem faciunt quotidie in Eccleſia Epiſcopi,& Sacerdotes,qui per illos duos prophetas ſignificantur,& poſt annos ſeptuaginta,omnes ſanctos,qui in huiuſmodi captiuitate tenentur,ad patriam D cœleſtis Ieruſalem redituros eſſe confirmant. Quid enim per annos ſeptuaginta, niſi totam hanc vitam præſentem intelligamus? Septies namque decem, vel decies ſeptem, ſeptuaginta faciunt. Sed vterque iſte numerus, vniuerſitatem ſignificat, quoniam & in decem omnes numeri, & in ſeptem omnes dies continentur.

Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ieruſalem. Vterque populus loquitur de captiuitate liberatus: alter Babyloniorum: alter dæmoniorum: Quanto tempore (quaſi dicat populus ille) in captiuitate fui, non potui te laudare, quia & dura captiuitate comprimebar, neque conueniens mihi videbatur, vt cantarem canticum Domini in terra aliena. Nunc autem quia liberati ſumus, multum decet, vt laudes tuas & hymnos tuos cantemus & clariſſime reſonemus tibi in Sion, & vota noſtra quæ tibi vouimus in captiuitate, nunc reuerſi, reddamus tibi in Ieruſalem. Hoc ipſum dicere poſſunt illi quoque, qui per pœnitentiam ſunt liberati, & Sacramentis Eccleſiæ reconciliati.

Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Exaudi, inquit, orationem meam, vt totus mundus & purificatus veniat ad te,qui ex hoc multis modis me maculatum eſſe confiteor, & cognoſco, quod tanto tempore inter homines iniquos, & inter vitia & peccata conuerſatus ſum. Scio enim, & certus ſum, quia omnis caro ad te veniet. Hoc eſt enim quod per Prophetam Dominus ait: *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.* Vnde & Apoſtolus ait: *Omnes enim ſiue boni ſiue mali adſtabimus ante tribunal Chriſti.*

Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos, & impietatibus noſtris tu propitiaberis. Ideo enim multa indiget purificatione,multaque miſericordia, quia verba iniquorum, cum quibus habitabat, multis modis præualuerunt ſuper eum, & maculauerunt eum, ſed bonam ſpem habet, quia Dominus miſerebitur eius.

B *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*, ſed beatus ille, quem Dominus ſua pietate elegit, & de tanta hominum multitudine ſibi aſſumpſit, iſte enim perire non poterit, ſed abſque vlla dubitatione bona ſibi prædeſtinata percipiet. Et iſte quidem habitabit in tabernaculis eius, de quibus ipſe Dominus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum,mirabile in æquitate. Prius,inquit,quam veniamus ad illa tabernacula tua, ad quæ vtinam aliquando peruenire valeamus, *replebimur hic in bonis domus tuæ*, per quam ſancta Eccleſia ſignificatur.Sed quis enumerare valeat, quæ & quanta bona ſunt in Eccleſia Dei, quibus quotidie fideles ſatiãtur,& implentur?Hic habemus omnes libros vtriuſque teſtamenti:Hic habemus & multos alios,quos ſancti Patres ediderunt nobis: Hic habemus Chriſti corporis,& ſanguinis diuitias,& delitias inenarrabiles. C Hæc ſunt igitur illa bona,de quibus hic dicit. *Replebimur in bonis domus tuæ.*De qua videlicet domo ſubditur: *Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate.* Non ſolum, inquit, illa ſuperna tabernacula ſancta ſunt, quibus vtique nulla alia tabernacula comparari poſſunt. Sed etiam hoc templum Dei, quod in terris eſt, ſanctum & venerabile eſt. *Et mirabile in æquitate.* Vides quia de æquitate laudatur Eccleſia, ſed pauci ſunt illi, ad quos iſta laus pertinere videtur. Sic enim de ea dicitur, *quia non habet maculam neque rugam*, quod quidem ſi ad vniuerſitatem referatur, ſtare non poteſt.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter ſpes omnium finium terræ, & in mari longè. Exaudi, inquit, nos Deus ſalutaris noſter, cuius ſanguine ſaluati, & redempti ſumus,in quo ſperent, & per quem ſe ab omni malo liberari confidunt omnes fines terræ,per quos tota vniuerſalis & Catholica Eccleſia ſignificatur: Per eos vero, qui ſunt in mari longè, Scotos, & Britannos, & alias maris inſulas intelligere poſſumus.

D *Præparas montes in virtute tua accinctus potentia, qui conturbas fundum maris ſonum autem fluctuum eius, quis ſuſtinebit?* Tu, inquit, nos exaudi qui præparas montes in virtute tua, per quos Apoſtolos & Doctores intelligimus qui ſapientiæ ſermone & religione omnibus aliis ſublimiores ſunt.Hos autem præparauit Dominus ad pugnandum, & ad prædicandum, ad hæreticos conuincendum, & totum populum gubernandum & regendum. Eſt autem Dominus accinctus potentia, & tanta talique potentia,vt nemo ſibi reſiſtere valeat. Vnde & alibi dicitur. *Accingere gladio tuo circa femur.* De talibus autem gladiis ſcriptum eſt, *& gladij ancipites in manibus eorum.* Vnde & Apoſtolus ait: *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ille igitur eſt accinctus potentia, qui tali gladio confirmatus eſt. Conturbat quoque Dominus fundum maris, ſicut ipſe per Iſaiam dicit. *Ego Dominus qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius.* Quid per mare niſi mundus iſte ſignificatur? de quo alibi dicitur: *Hoc mare magnum,*

Digitized by Google

A *& ſpatioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus.* Audiamus igitur, quomodo hoc mare conturbatur à Domino. *Veni*, inquit, *ignem mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Ex hoc erunt quinque in domo vna, duo in tres, & tres diuidentur in duos. Sic igitur conturbat Dominus fundum maris, quando bonos ſeparat à malis, & alios contra alios inſurgere facit, dum alij iuſtitiam impugnant, & alij vſque ad mortem pro iuſtitia pugnant. Sonitum fluctuum eius quis ſuſtinebit. Habet hoc mare, & bonos fluctus: & malos fluctus. Boni fluctus, boni homines ſunt, & mali fluctus mali homines ſunt. Clamant & iſti & illi, & tantum ſonum multoties reddunt vt ſe viciſſim ſuſtinere non valeant, nec iſti nec illi. Nam neque boni audire volunt fatuitates malorum, neque mali ſuſtinere & recipere volunt ſalutiferas voces bonorum. Fit autem multoties, vt illi, qui ſanctorum voces audire dedignantur, viſis ſignis & miraculis conuertantur. Vnde & ſubditur.

Turbabuntur gentes, & timebunt omnes, qui habitant B *fines terræ à ſignis tuis.*

Videntes enim ſigna, quæ ſancti faciebant, ijdem ipſi, qui prius eorum prædicationem deriſerunt, mox conturbati, & in admirationem conuerſi, Chriſtum timere incipiebant: in cuius nomine tam mira, & ſtupenda fieri videbant.

Exitus matutini, & veſpere delectabis. Bonus exitus, in quo Dominus delectatur. Et alius quidem fuit. *Exitus Iſraël ex Ægypto & domus Iacob de populo barbaro.* Delectatur itaque Dominus exitus illorum, qui exeunt, & fugiunt de cœtu malorum. Matutinus eſt ille exitus, qui cito, vel in primæua ætate fit: veſpere autem qui ſero, vel vltima ætate fit. Omnes tamen recepit Deus, & primis, & nouiſſimis denarium tribuit: recordare illius Euangelij, in quo pater familias conducit operarios in vineam ſuam. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam multiplicaſti locupletare eam:* Miratur Propheta de tam ſubita omnium gentium conuerſione, & de tanto populo vndique ad Eccleſiam confluente. Atque in hoc non C immerito terram à Deo viſitatam eſſe dicit. Vnde eſt etiam illud. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Inebriauit autem Dominus terram ab vbertate domus ſuæ, & torrente voluptatis ſuæ potauit eam, per quod nimirum ſancti Spiritus gratias intelligimus, quibus Eccleſia inebriata omnibus linguis loquitur, & omnes ſcripturas exponit, & terrenorum omnium oblita à ſtultis hominibus, non ebria tantum, ſed etiam inſana eſſe putatur. Bona ebrietas, quæ ſic homines conuertere poteſt. Sed quid eſt, *multiplicaſti locupletare eam*, niſi multipliciter locupletaſti eam? Multipliciter quidem: quia ſapientia, & ſcientia, fortitudine, & pietate, virtutibus, & honeſtate, gloria, & honore, & omnibus bonis, quæ à viro iuſto deſiderari poſſunt.

Flumen Dei repletum eſt aqua. Quid mirum, inquit, ſi terra inebriata eſt, quæ tanto flumine irrigatur? Hoc eſt illud flumen de quo alibi dicitur. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et hoc quidem flumen repletum D eſt aqua, quia ſeptem ſunt gratiæ Spiritus ſancti, de hoc vno flumine procedentes, quibus omnes habitantes in terra reficiuntur, & ſatiantur. Vnde & ſubditur. *Paraſti cibum illorum, quia ita eſt præparatio tua.* Hæc aqua, & cibus, & tota refectio eſt. Et hanc præparauit Dominus cibum ſanctorum ſuorum, quia ſine hoc cibo ad tantum laborem tolerandum præparati non poſſent.

Riuos eius inebrians, multiplicans generationes eius Habet & hoc aqua ſuos, riuos per quos aſſidue currit, & fluit: Iſti autem ſunt Epiſcopi & ſacerdotes, qui omnibus aliis neceſſaria ſubminiſtrant, & ad quos, quaſi ad riuos, ſua vaſcula deferentes alij plus, & alij minus pro ſenſus capacitate inde ſuſcipiunt. Dicatur ergo.

Tu inquit, Domine paraſti hanc aquam cibum illorum riuos eius inebrians, & multiplicans generationes eius, quod vtique non feciſſes, niſi eius riuos inebriaſſes, & eius generationes multiplicaſſes. Si enim in riuis non inueniretur, vbi hæc aqua quæreretur? Sed quia riui ebrij ſunt, quicunque eam quærunt, protinus ibi paratam inueniunt. E Multiplicat autem Dominus huius aquæ generationes, quia multi & innumerabiles ſunt, qui quotidie renaſcuntur ex ea, nullus enim in Eccleſia eſt, qui inter eius generationes non computetur. Et diuites, & pauperes, & quicumque in Eccleſia ſunt, omnes eius filij ſunt: *Niſi enim qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei.* Aqua eſt igitur quæ foris, & aqua quæ intus homines lauat, ſed altera videri poteſt, altera vero videri non poteſt.

In ſtillicidiis ſuis lætabitur, dum exoritur: Statim inquit, vt hæc aqua à flumine ſub oritur, & deriuatur, in ſtillicidiis ſuis lætatur.. Eos, quos riuos ſuperius dixerat, nunc ſtillicidia vocat. Quamuis per ſtillicidia illi qui riuis inferiores & minoris meriti ſunt, conuenienter intelligi poſſint. Quicunque igitur ille eſt, in quem defluit gratia Spiritus ſancti, ſtatim in ipſo exortu, ſpirituali lætitia lætificatur.

Benedicens coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. F

Et hoc quidem ſuperioribus iungitur, & tale eſt ac ſi diceret: Tu quidem riuos eius inebrians, & generationes multiplicans, & coronam benedicens, facis ea, quæ ſuperius dicta ſunt. Annus autem benignitatis Dei ex eo tempore cœpit, ex quo Saluator noſter in hunc mundum venit. De quo anno ipſe Dominus ait: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me: prædicare captiuis remiſſionem, cæcis viſum, & annum acceptabilem Domino.* De quo & Apoſtolus dicit. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Totus autem hic annus coronatus eſt, quia quotidie Chriſti fideles, contra vitia, & malignos ſpiritus, præliantur, vincunt, & coronantur: *Nemo* autem, dixit Apoſtolus, *coronabitur niſi, qui legitime certauerit.* Omnes autem anni vſque ad hunc annum, ſub maledictione fuerunt, ſed iſte annus, & corona huius anni Chriſti benedictionem ſuſcipere meruit. Notandum tamen, quod non annum, ſed anni coronam Dominus hic G benedicere dicitur, ne per hoc ſolos pugnatores, & victores, hanc benedictionem habere intelligamus. *Et campi tui replebuntur vbertate*; Campi Dei, ſingulæ Eccleſiæ ſunt vtriuſque teſtamenti fœcunditate, & ſancti Spiritus vbertate, omniumque virtutum abundantia replétæ. Sterilis erat omnis terra, quæ in primo homine maledicta fuerat, ſed in Saluatore noſtro benedictionem ſimul, & fecunditatem ſuſcepit.

Pingueſcent fines deſerti, & exultatione colles accingentur. Per fines deſerti illos intelligimus, qui quamuis deſerto propinqui ſunt in deſerto tamen non ſunt, quoniam etſi inter alios conuerſantur, malos: tamen non imitantur. Iſti autem pingueſcent, illa videlicet pinguedine, de qua in alio pſalmo dicitur: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Et illi quidem fines, qui ſic pingues ſunt, omnis boni operis fructificatione vberes ſunt. *Et exultatione colles accingentur*, per quos omnes illos intelligere debemus, quos religione, virtute, & ſanctitate, excellentiores in Eccleſia eſſe videmus. H Iſti autem accincti ſunt exultatione, quia optimos gladios habent, quibus ſuos iugulant inimicos. Beati, qui talibus gladiis ſunt accincti, taliterque ad præliandum parati.

Induti ſunt arietes ouium. Videtur hoc in loco, illos arietes excludere, qui ſteriles ſunt, & ouibus ad filiorum progeniem vtiles non ſunt. Illi igitur arietes, illi totius gregis ductores & principes gloria & honore, veſte nuptiali & ſtola immortalitatis induti ſunt, qui verbo prædicationis inſiſtunt, & multos filios Domino generant. *Et conualles abundabunt frumento*, Quid enim per conualles, niſi humiles, mites, ſimplices, manſuetos, & totam fidelium multitudinem intelligamus? qui aliunde, id eſt ab Eccleſiæ cultoribus, Epiſcopis videlicet & Sacerdotibus verbi Dei ſementem ſuſcipientes, frumentum boni operis, laudis, & iubilationis abundanter Domino reddunt. Vnde & ſubditur: *Etenim clamabunt, & hymnum dicent.* Hoc eſt ergo frumentum, quod conualles Domino reddunt, & hic eſt fructus labiorum

Digitized by Google

A confitentium nomini eius. Nihil etenim eſt, in quo Deus amplius delectetur, quam in ſacrificio laudis, & iubilationis.

IN FINEM PSALMVS DAVID
Canticum Reſurrectionis.

DE illa reſurrectione loquitur, de qua Apoſtolus dicit. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Qui vult reſurgere, vt prius moriatur neceſſe eſt. Vnde & Apoſtolus dicit; *Mortuus ſum mundo.* Ipſe autem ſeipſum reſurrexiſſe oſtendens ait; *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Et alibi: *Inſipiens,* inquit, *quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur.* Bene igitur reſurgit, qui viuus moritur, & Deo viuit, quales iſti ſunt, qui in hoc pſalmo iubilant & pſallunt.

Iubilate Deo omnis terra. Eccleſia loquitur, & hortatur B omnem terram ad laudem Dei, & iubilationem. Iubilatio, ineffabile gaudium eſt, quod de amore Dei in mente habetur. Pſalmum vero dicere, eſt in pſalterio cantare; In pſalterio vero ille cantat, qui decem chordas ſonat, & tangit, id eſt, decem legis mandata cuſtodit. *Iubilate,* inquit, *Deo omnis terra,* ipſe ſit gaudium veſtrum, & vita veſtra. *Pſalmum dicite nomini eius,* vt quæcunque facitis, in eius nomine faciatis. *Date gloriam laudi eius,* vt iubilatio veſtra & cantatio veſtra, glorioſa & laudabilis fiat. Deum laudare quilibet, poteſt, ſed laudi gloriam dare, perfectorum eſt, qui ea, quæ cantant, opere complent. Et tales quidem, bene pſalmos dicunt, & bene in pſalterio cantant, dulcemque & bene conuenientem omnium chordarum ſonitum reddunt.

Dicite Deo, quam terribilia ſunt opera tua. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait; *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, cur me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti alind facere vas in honorem, & aliud in con-* C *tumeliam? O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Hoc nobis ſufficiat, admiremur opera, & iudicia Dei, non ea diſcutiamus, quæ ſupra nos ſunt, & noſtram ſcientiam excedunt. *In multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui.* Hoc autem tale eſt ac ſi diceret; Propter multitudinem virtutis & fortitudinis tuæ, non dimittent, quin tibi mentiantur inimici tui.

Omnis terra adoret te & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo Altiſſime. Dignum eſt, vt omnis creatura eum adoret, à quo facta eſt. Scriptum eſt enim: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Quid ſit autem pſallere, & pſalmum dicere, ſuperius diximus.

Venite & videte opera Domini, quam terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Venite, inquit, & videte opera Domini, quæ inferius in hoc pſalmo continentur, & conſiderate quam terribilis, & quam metuendus eſt in conſiliis, & in voluntatibus ſuis, de omnibus, quæ agit D ſuper filios hominum. Et quia ea comprehendere non valemus, ſunt nobis tantum in admiratione, & gratiarum actione.

Qui conuertit mare in aridam, & flumina pertranſibunt pede, ibi lætabimur in idipſum. Per *mare,* mundum, per *aridam* vero, Eccleſiam intelligamus: Illud procellis & tempeſtatibus erigitur, hæc firma ſemper & ſtabilis manet. Conuertitur autem mare in aridam, quando gentiles, & idololatræ ad Eccleſiam tranſeunt, & Chriſtianorum fidem ſuſcipiunt. Per *flumina* vero, quia aquæ multæ, populi multi, diuerſæ huius mundi gentes, & nationes ſignificantur. Quæ autem flumina pede tranſire poſſumus, ea ingredi non timemus. Quando igitur ſancti prædicatores Epiſcopi & ſacerdotes, ſecure & ſine timore in populis prædicant, tunc dicere poſſumus, quia per flumina pede tranſeunt. *Ibi lætabimur in idipſum;* Vbi prius erat timor, ibi lætitia nunciatur. Ibi, ergo, id eſt in populis, qui per flumina ſignificantur, lætantur modo ſancti in idipſum, id eſt ſimul & communiter omnes. E Omnium communis lætitia eſt, quia vna fides omnium eſt, nullus nulli contradicit, ſed omnes pariter Chriſtum laudant, & benedicunt. De quo ſubditur.

Qui dominatur in virtute ſua in æternum. Solus Deus dominatur propria virtute, quia omnipotens eſt, & nullius eget auxilio. Vnde & alibi dicitur: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Dominatur autem in æternum, quia *regni eius non erit finis. Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt,* vt eas cuſtodiat, & ab omnium inimicorum defendat inſidiis. De Iudæis autem quid dicis? *Qui in ira prouocant, non exaltentur in ſemetipſis.* Hæc eſt illa domus exaſperans, pro qua Propheta orare prohibetur. Videant igitur iſti furibundi prouocatores, & præuaricatores, vt non exaltentur in ſemetipſis, id eſt, in virtute & fortitudine ſua, quia ſublata eſt illis omnis fortitudo & gloria ſua. Videmus itaque, quia Iudæi abijciuntur, & gentes eliguntur, vt adimpleatur quod ſcriptum eſt: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam:* F Et quibus dictum fuerat, *non populus meus vos,* illi vocantur filij Dei viui. Et hoc eſt quod ſuperius dixerat: *Venite & videte opera Domini, quam terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.*

Benedicite gentes Deum noſtrum, & obaudite vocem laudis eius. Vos, inquit, gentes, quæ à Domino electæ, & in hæreditatem vocatæ eſtis, *benedicite Dominum Deum noſtrum & auditam facite vocem laudis eius.* Sic enim in alia tranſlatione habetur. Quid eſt autem, auditam facere vocem laudis eius, niſi ea prædicare, & annunciare, quæ pertinent ad gloriam & laudem eius? Quod autem hic dicitur: *Obaudite vocem laudis eius,* ſic videtur eſſe dictum, ac ſi dixiſſet. Quando laus eius annunciatur, vos è contra ad audiendum, & obediendum eſtote parati. Vnde obedire, quaſi obaudire dicitur.

Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos. Eccleſia vna eſt, & ipſa vna pro omnibus loquitur. Viuunt igitur omnium fidelium animæ, ſi Eccleſiæ anima vitam habet. Pedes quoque G omnium fidelium firmi ſtant, ſi Eccleſiæ pedes non mouentur. Pedes autem eius ſunt, fides, conſtantia, & intentio bona.

Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum. Et in hac quidem examinatione quales iſti pedes fuerint, ſatis probatum eſt, niſi enim firmi fuiſſent, in tanto diſcrimine ſtare non potuiſſent. In igne igitur quaſi argentum examinati ſunt ſancti, per quem videlicet ignem omnia tormentorum genera ſignificantur.

Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Hoc facere dicitur Dominus, quod cum prohibere poſſit, fieri permittit. Vnde & quotidie dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem,* non quod ipſe inducat, ſed quia induci non prohibet. Laqueus Iniquorum, omnis illorum fraudulenta deceptio & violentia eſt, quibus viros iuſtos capiunt, & tenent, ſuæque ſubijciunt poteſtati. Impoſuit autem tribulationes ſuper dorſa illorum, quia & verberibus eos, & multis modi affligi permiſit. Vnde & Apoſtolus H de ſe ipſo dicit; *Ter virgis cæſus ſum, & à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Super capita vero eorum, homines impoſuit, vel ſpiculatores ad decollandum, vel qui quolibet alio modo eorum capitum haberent poteſtatem.

Tranſiuimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. Omnia, ſicut diximus, tormentorum genera per ignem, & aquam ſignificantur. Sed inducti ſunt in refrigerium, quia ſtatim vt eorum animæ de corpore exibant, in ſupernæ beatitudinis gloriam introducebantur.

Introibo in domum tuam in holocauſtis. Holocauſta, inquit, tibi offeram, atque per ipſa in domum tuam introibo. Holocauſtum autem, totum incenſum interpretatur. Ille igitur offert holocauſtum, qui ſeipſum totum Domino immolat, paratus per omnia eius facere voluntatem.

A *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Quæcunque, inquit in corde meo facere diſpoſui de ſeruitio tuo, omnia reddam, & nihil prætermittam.

Hæc locutum eſt os meum in tribulatione mea. Solent homines in anguſtiis, & tribulationibus poſiti, & plura, & maiora vota vouere, hæc, inquit, vota tibi perſoluam quæ locutum eſt os meum, os interioris hominis, illud os, quod tibi ſoli loquitur, & a te ſolo ſub ſilentio auditur. *Holocauſta medullata offeram tibi, cum incenſo, & arietibus. Offeram tibi boues cum hircis.* Holocauſta, inquit, medullata, holocauſta plena, integra, læta, & pinguia, & in nullo diminuta offeram tibi. Talis eſt illa hoſtia, de qua Apoſtolus ait: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Offertur autem holocauſtum cum incenſo in odorem ſuauitatis, vt Domino placeat. Sicut illa de quibus dicitur: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Hoc incenſum offerebat Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, de

B quo legitur: Quia *ſorte exiit, vt incenſum poneret in ordine vicis ſuæ.* Vnde & in Apocalypſi dicitur; Quia *ſtetit Angelus iuxta aram templi, & data ſunt ei incenſa multa, vt adoleret ea ante altare aureum, quod eſt ante conſpectum Domini.* Offeruntur autem & arietes in hoc holocauſto, per quos Apoſtolos intelligimus, totius Eccleſiaſtici gregis patres, & ductores, & principes: Offeruntur autem & boues, Epiſcopi videlicet & ſacerdotes, à quibus ager Dei colitur, & aratur: & ad verbum vitæ ſuſcipiendum præparatur. Hirci quoque in hoc holocauſto Domino offeruntur, per quos peccatores ſignificantur, dura pœnitentia mundati, & ſanctificati. Valde medullatum eſt illud holocauſtum, in quo tanta & talia offeruntur. Cum tali itaque holocauſto mater noſtra ſancta Eccleſia, in domum Dei ſe intraturam eſſe promittit, quoniam omnes iſtos in gaudio, & exultatione Domino præſentabit. Hoc ſignificauit ſacrificium Noe, in quo de omnibus animalibus mundis aliquod immolatum eſt.

C *Venite & audite me, & narrabo vobis omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Omnes ad audiendum inuitat, vt exemplo ſui ad Dei amorem prouocet, & incendat, qui tanta bona facit diligentibus ſe.

Ad ipſum ore meo clamaui. Ore inquit, meo, ore cordis ore interioris hominis clamaui ad Dominum. *Et exultaui ſub lingua mea*, id eſt, in ſilentio cordis mei, cuius exultatio intus eſt, neque voce manifeſtatur. Quæ enim exultatio ſub lingua eſt, in corde latet, quæ vero in lingua eſt, foris auditur.

Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Deus. Hoc autem eſt, ac ſi diceret; Si vis exaudiri, ſit munda, & pura oratio tua, & de his, & pro his ora, quæ ſpectant ad ſalutem animæ tuæ. Hoc eſt enim, quod in Euangelio Dominus ait; *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Qui autem aliter petunt, & ſi multoties accipiant, quod petunt, non tamen exaudiuntur à Domino, quia Dominus neſcit dare, niſi bona data filiis hominum.

D *Propterea exaudiuit me Deus, & intendit voci deprecationis meæ.* Propterea, inquit, quia non aſpexi iniquitatem in corde meo, vt ea mihi concedi peterem, & deſiderarem, quæ ad iniquitatem pertinent, exaudiuit me Deus, & fecit mihi ſecundum deſideria cordis mei.

Benedictus Dominus, qui non amouit deprecationem meam, (ſubauditur, à ſe.) *Et miſericordiam ſuam a me.* Si amouiſſet, non exaudiſſet.

IN FINEM IN HYMNIS PSALMVS DAVID.

IN finem hic pſalmus referatur, in hymnis & laudibus cantetur. Pſalmus cum cantico, operationem cum laude ſignificat. Multi habent canticum, qui pſalmum non habent, quia laudem habent ſine operatione.

Deus miſereatur nobis, & benedicat nos, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur nobis. Ecce, inquit, ſicut in ſequentibus legitur, *terra noſtra dedit fructum ſuum. & Virgo Mater peperit Saluatorem.* Et ideo *benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Ter hoc in loco dicitur Deus, quia Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, Deus eſt Spiritus Sanctus, & ideo non pluraliter, ſed ſingulariter dicitur, *benedicat nos Deus.* Totus mundus ſub maledicto erat, ſed veniente Chriſto, benedictioné ſuſcipere meruit. Ipſe eſt enim, de quo ad Abraham Dominus ait: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et Apoſtolus: *Chriſtus*, inquit, *Ieſus, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Hoc eſt itaque quod modo Eccleſia dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Bene autem dixit: *Deus noſter,* quia non Iudæorum Deus tantum, ſed omnium gentium, & Deus, & Dominus, & Saluator eſt. Vnde conuenienter ſubditur: *Et metuant eum omnes fines terræ.* Hic igitur Deus noſter miſereatur nobis & benedicat nos qui ad hoc venit, vt miſericordiam faciat, & tantam miſericordiam, quantá nec dicere nec cogitare valemus. Vnde & alibi dicitur: *Miſericordia Domini plena eſt terra.* F

Illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur nobis: Vultum, inquit, ſuum ſuper nos illuminet, lætam, & hilarem faciem nobis oſtendat, vt per hoc omnem iram, & indignationem fugatam eſſe intelligamus, & eius gratiam, & bonam voluntatem nos habere ſciamus. Siue etiam. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos*; Vt qui ad eius imaginem, & ſimilitudinem facti ſumus, ad eandem imaginem & ſimilitudinem reformemur. Huc uſque in tertia perſona locutus. Nunc ad ipſum Patrem Apoſtrophem facit, & cætera, quæ ſequuntur, ad ſecundam perſonam loquitur.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum. Ipſe, inquit, quem terra noſtra dedit, & quem Virgo Maria genuit, ipſe miſereatur nobis, & benedicat nos, vt eundem ipſum cognoſcere valeamus, qui & via noſtra eſt, & ſalutare noſtrum, hunc enim ſoli Chriſtiani cognoſcunt, & quantæ bonitatis, & miſericordiæ ſit, ſoli Chriſtiani intelligunt. Eſt autem Chriſtus via Patris, quia per ipſum venitur ad Patrem Vnde ipſe ait: *Ego ſum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Eſt autem & ſalutare, quia per ipſum vbique gentium ſalutem operatur. Hoc eſt illud ſalutare, de quo alibi dicitur, *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.* Et Iacob Patriarcha; *Salutare*, inquit, *tuum ex ſpectabo Domine.* De quo modo hic dicitur: In omnibus gentibus cognoſcatur & manifeſtetur ſalutare tuum. Sed quare dixit: *In terra*, niſi quia in terra & in carne cognitus eſt, qui in ſuæ diuinitatis potentia videri non poterat? Et Iudæi quidem cum videntes non cognouerunt, quia ſolam terram viderunt. G

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Quia, inquit, in omnibus populis, & in cunctis gentibus Apoſtolica prædicatione, & miraculorum admiratione, ſalutare tuum Domine manifeſtatum eſt, amodo *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*, quem ſoli Iudæi vſque nunc confiteri, & laudare ſolebant, ſiquidem *notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius*? Nunc autem è contra illis ſolis à laude, & confeſſione ceſſantibus, omnes gentes & omnes populi te confitentur. H

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Lætentur, inquit, & exultent gentes, quia bonum iudicem habent, qui non quærit occaſiones, quibus eas damnet, & perdat, (hoc enim iudex illorum humani generis inimicus facere ſolebat,) ſed potius hoc quærit, vt eis miſereatur, & vt eas dirigat in viam veritatis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Pauci, inquit, ſunt, quos amiſiſti: multi & innumerabiles ſunt, quos filij tui ſanguine acquiſiſti, & redemiſti. Pauci ſunt Iudæi, ad omnium gentium comparationem, multi ſunt, qui vbique ſe præparant ad laudes tuas, & ad gratiarum actionem. Taceant igitur Iudæi, quia & pauci, & indigni ſunt, qui laudes tibi dicere debeant, & *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*

IN FINEM PSALMVS CANTICI David.

IN hoc pſalmo cantat ipſe Propheta Dauid, ſed quoniam de Chriſto, & de Eccleſia loquitur, ideo in finem præpoſuit.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant à facie eius, qui oderunt eum. Exurgat, inquit Deus, in adiutorium fidelibus ſuis, exurgat & Chriſtus à mortuis, quem Iudæi ſtulti, & vani, quaſi eum retinere valeant, clauſum in ſepulchro cuſtodiunt. *Et diſſipentur inimici eius*, per quos Iudæos, & malignos ſpiritus intelligimus, Iſti ſunt, de quibus alibi dicitur: *Diſſipati ſunt, nec compuncti. Et fugiant à facie eius qui oderunt eum*; Quis dubitat, malignos ſpiritus tunc fugiſſe, (ſi tamen fugere potuerunt) quando Chriſtus Dominus ad inferos deſcendit, & ſanctorum animas, quæ ibi captiuæ detinebantur, eripuit? Fugiunt & Iudæi vſque hodie à facie eius, quia ſua malitia excæcati, neque videre eum, neque cognoſcere volunt. Sed hæc in iudicio plenius fient, quando à facie eius cum dedecore expulſi, mittentur in ignem æternum.

Sicut deficit fumus deficiant. Deficit fumus, dum à terra exaltatur, & altius eleuatur, ſic Iudæi & omnes ſuperbi in ſua elatione deficiunt, & pereunt. *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei*: Sic pereant, vt ſemper ardeant, & ſui ipſius illi æterno & inextinguibili igni nutrimentum præbeant. *Et iuſti epulentur*; Epulentur, inquit, iuſti, nunc quidem in azimis ſinceritatis & veritatis, poſtea vero deliciis ineffabilis ſatietatis & felicitatis. *Et exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Ipſa contemplatio Diuinæ maieſtatis, & refectio illis eſt inæſtimabilis, & lætitia inenarrabilis.

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen eſt ei. Cantare, ad vocem, pſalmum vero dicere, ad operationem ſpectat. Et cantare igitur & pſalmum dicere debemus, vt ea, quæ cantamus, opere compleamus. Hoc eſt enim, pſalmum dicere nomini eius, quia Dominus nomen eſt ei, Qui illum Dominum, & ſe ſeruum eſſe intelligit, & ea diligentia, & reuerentia ei ſeruit, qua bonum ſeruum ſuo Domino ſeruire oportet, iſte bene cantat & bene pſallit, & bene eius nomini pſalmum dicit, quia ſic eum dicit, ſicut bonus ſeruus ſuo Domino dicere debet. Iter vero ei illi faciunt, qui ad ſe veniendi viam ſibi parant, ſecundum hoc quod ſcriptum eſt: *Parate viam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Si habes humilitatem, viam ſibi præparaſti, per quam ad te veniat. Si habes patientiam & charitatem, & hæ viæ ſunt, per quas eum ambulare delectat. Quot virtutes habes, & quot opera bona feciſti, tot vias quibus ad te veniat, Domino præparaſti. Et ipſe quidem eſt, qui aſcendit ſuper occaſum, quia mortem ipſam moriendo calcauit, deiecit & ſuperauit. Aſcendit autem etiam in hoc ſuper occaſum, quia vnde cecidiſſe putabatur, inde excelſus, & maximus triumphator apparuit.

Gaudete in conſpectu eius. Vos, inquit, qui & cantatis, & in conſpectu eius adſtatis, gaudere & exultare, quia digna vos veſtri ſeruitij retributio, exſpectat, *Quoniam oculi eius ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* De aliis autem quid dicis? *Turbabuntur à facie eius*; Qui enim modo ſibi non cantant, non pſallunt, non obediunt, & eius nomen non cognoſcunt, illi quidem turbabuntur à facie eius, quia in iudicio tollentur, & in ignem mittentur, vt non videant gloriam eius. Sed vis audire cuius eius? *Patris orphanorũ & iudicis viduarum*; iſti ſunt illi orphani, quorum pater aliquando diabolus fuit: iſti ſunt illæ viduæ, quæ illi aliquando turpi matrimonio coniunctæ fuerunt, modo autem quia eis mortuus eſt, & quamuis inuitus ab eis ſeparatus Saluatoris noſtri tutelam & defenſionem habere ſe gaudent. Sicut igitur boni gaudebunt in conſpectu eius, ita & mali turbabuntur ante faciem eius, qui pater orphanorum, & iudex viduarum eſt.

Deus in loco ſancto ſuo, Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo, Hic, inquit, eſt ille Deus, qui vnanimes in vna domo habitare facit, id eſt, in loco ſancto. Per quem videlicet locum, ſancta Eccleſia ſignificatur. Iſti ſunt, de quibus in Actibus Apoſtolorum ſcribitur. *Quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & nemo dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia.* Tales ſunt vſque hodie, qui in locis religioſis, & regularibus habitant, de quibus non immerito dicitur, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Qui educit vinctos in fortitudine. Per hos autem Patriarchas, & prophetas, omneſque ſanctorum animas, quæ captiuæ in inferno tenebantur, intelligere poſſumus. De quibus alibi dicitur. *Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit.* Hos autem in quanta fortitudine Dominus eduxerit, quid attinet dicere cum tantum pro eis educendis, & liberandis laborem ſuſceperit? Quæ enim alia cauſa fuit quod in mundum venit, quod carnem aſſumpſit quod crucis paſſionem ſuſtinere voluit, niſi vt omne genus humanum de diaboli laqueis, & vinculis liberaret? *Similiter & eos, qui in ira prouocant, qui habitant in ſepulchris.* Non fuit potentius illas animas de inferno eripere, quam iſtas, quæ in hoc mundo ſunt, de ſepulchris, in quibus mortuæ iacent, reſuſcitare. Et illæ quidem ſubito, & in vna hora liberatæ ſunt; iſtæ autem quotidie liberantur, & reſuſcitantur. Sepulchra dicuntur peccatorum foris dealbata, intus fœtore, & putredine plena. Sed qui ſunt illi, qui in ira prouocant, niſi illi qui quotidie peccant, & ad pœnitentiam redire contemnunt? Iſti autem ſecundum duritiam cordis ſui, ſicut Apoſtolus ait, *theſaurizant ſibi iram in die iræ*, quibus, ſi hoc modo de vita exierint, nunquam eis amplius placabitur Deus.

Deus dum egredereris coram populo tuo, & dum transgredereris per deſertum, terra mota eſt. Hæc autem non ſecundum litteram de monte Sina, ſed ſpiritualiter, de ſancta Eccleſia intelligenda ſunt: Quando enim ſancti Apoſtoli per totum mundum ad prædicandum miſſi ſunt, tunc quidem coram populo ſuo Dominus egrediebatur, & per terras inuias, & deſertas tranſgrediebatur. Et tunc nimirum terra mota eſt, quia infinita omnium gentium multitudo ad fidem conuerſa eſt. In hoc deſerto clamabat Beatus Ioannes Baptiſta, quando dicebat. *Ego vox clamantis in deſerto.*

Etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei mons Sina, à facie Dei Iſraël. Cœli, Apoſtoli ſunt, de quibus dicitur. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Iſti autem diſtillauerunt à facie Dei, quia illa pluuia, & illa doctrina quam prædicabant, & effundebant, non illorum, ſed Dei erat. Vnde & Dominus ait: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus, Patris mei, qui loquitur in vobis.* Diſtillauerunt igitur à facie Dei. Sed cuius Dei? A facie Dei Iſraël. Vnus eſt igitur Deus vtriuſque teſtamenti, & vna doctrina eſt quam & Moyſes, & Apoſtoli prædicauerunt. In hoc autem Manichæi reprobantur, qui alium Deum veteris teſtamenti., & alium noui dicebant. Similiter autem & mons Sina diſtillauit à facie Dei; non ſolum enim cœli, id eſt Apoſtoli, verum etiam tota Eccleſia, quæ per montem Sina ſignificatur, hanc eandem pluuiam effundit, & hanc eandem doctrinam annunciat. In monte Sina data eſt lex, & in monte Sion Euangelium datum eſt: Ego, inquit Dominus, *conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum Domini.*

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, etenim infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam. Non, inquit, cœli, non Eccleſia, ſed tu Deus feciſti omnia hæc, ſegregans pluuiam voluntariam tuæ hæreditati. Non eſt hæc pluuia coacta, ſed voluntaria, quia & ſponte datur, & ſponte ſuſcipitur. Hanc autem quia Iudæi ſuſcipere noluerunt, ſegregauit Deus hæreditati ſuæ. Vnde & de illa vinea, quæ in amaritudinem conuerſa eſt à Domino

A dicitur. *Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam imbrem.* Et alibi. *Pluam ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram non pluam.* Sic igitur hæc pluuia ſegregata eſt hæreditati Dei, quæ eam irrigaret, fœcundaret & ſanaret. *Etenim infirmata eſt*, ſed ſtatim vt hanc pluuiam ſuſcepit, ſanata eſt. Et hoc eſt quod dicit, *Tu vero perfeciſti eam.* Qui igitur infirmus eſt, perfectus non eſt. Sanitas itaque animæ, perfectio eſt.

Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Animalia Dei omnes fideles intelliguntur, cuiuſcunque ſexus, cuiuſcunque ætatis, ordinis; & conditionis. Multa & diuerſa ſunt hæc animalia, quæ in hac Domini hæreditate nutriuntur, & manent. Hæc autem ſignificata ſunt in archa Noe; quæ omnia animalia, & munda, & immunda ſuſcepit. Sed qui ſunt iſti pauperes, quos in dulcedine ſua Dominus parauit: Iſti ſunt, de quibus ipſe in Euangelio ait, *Beati pauperes quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* De quibus, & Apoſtolus dicit. *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam* B *nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Hos autem præparauit Dominus in dulcedine ſua quando ait. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt; nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Ad ſuam dulcedinem eos informauit, vt omnes diligerent, & ſanarent, & ad beatitudinem inuitarent. Pauper Dominus pauperes diſcipulos elegit, *quia cum omnium diues eſſet pro nobis pauper factus eſt.*

Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Dominus, inquit, dabit verbum pauperibus ſuis euangelizantibus virtute multa. Sic enim ipſe in euangelio ait. *Ponite in cordibus veſtris, non præmeditari qualiter reſpondeatis, ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Quod igitur hic verbum, ibi *os & ſapientia dicitur.* Euangelizabant autem Apoſtoli virtute multa ſicut ſcriptum eſt: *Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et in actibus Apoſtolorum dicitur. *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & gratia magna erat in omni-* C *bus illis.* Si autem legamus *virtutem multam*, ſicut quidam codices habent hoc erit intelligere: qui prædicabant Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Poteſt autem & per conuerſionem ſic intelligi. Dominus dabit virtutem multam euangelizantibus, & prædicantibus verbum. *Rex virtutum dilecti & ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Supplendæ ſunt ſcripturæ ad intelligendum aliquid deeſt. Rex virtutum; Deus Pater eſt, qui volens Apoſtolos diuidere ſpolia dilecti filii ſui, & domus ſpeciei, occulta inſpiratione eis præcepit, vt inter medios cleros dormirent, & quieſcerent. Et hoc quidem ſecundum literam hæc verba ſignificant. Nunc autem ſignificationem videamus. Per virtutes hoc in loco non ſolum virtutes, ſed & Angelos quoque Archangelos, Principatus, & Poteſtates, & cæteros ordines intelligere debemus quia nullus ordo ſine virtute eſſe poteſt. Spolia dilecti, & domus ſpeciei, idem ſignificant. Significant autem omnes Eccleſias per totum mundum conſtitutas, quæ tamen om-D nes vnius vniuerſalis & Catholicæ Eccleſiæ membra ſunt. Et hæc quidem ſunt ſpolia dilecti, illius, videlicet, de quo Dominus ait. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ipſum audite.* Hæc autem ſunt illa ſpolia de quibus per Prophetam dicitur. *Sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.* De quibus ſpoliis ipſe quoque Saluator noſter ait. *Cum fortis armatus cuſtodit, atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. ſi autem fortior & ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Hæc autem ſpolia, & has domos ſpeciei, & pulchritudinis tunc Dominus dimiſit quando per ſingulas prouincias, per ſingulas gentes, & nationes, Apoſtolos ad prædicandum ire diſpoſuit. De quibus dicitur. *Quia in omnem terrã exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ. Et hæc quidem oratio imperfecta eſt. niſi ei aliquid addatur: Si dormiatis, inquit, inter medios cle-E ros, eritis pennæ columbæ deargentatæ. *Et poſteriora dorſi eius ſequentur vos in ſpecie auri.* His autem ſic poſitis, facilis eſt intelligentia. Per duos cleros, duo teſtamenta, ſiue actiua & contemplatiua vita ſignificantur. Clerus autem, ſors, vel hæreditas interpretatur. Dormiant igitur inter duos cleros ſancti Apoſtoli, ibi dormiant omnes Eccleſiæ Doctores, ibi dormiant Epiſcopi & Sacerdotes, ibi quieſcant, ibi delectentur, ibi die, ac nocte meditentur, ſicut de viro iuſto in primo pſalmo dicitur: Quia *in lege eius meditabitur die ac nocte*, ſic dormire, delectabile eſt, qui ita quieſcit, non eſt otioſus. Dormiant itaque inter duos cleros, hinc nouum, & inde vetus habeant teſtamentum, inde ſuſcipiant quod aliis prædicent, inde cibum ſumant, quo alios nutriant. Non ſit eorum prædicatio noua, & peregrina, ſed firma ſit, & auctoritate plena. Audiant Apoſtolum dicentem: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Si autem hoc fecerint, erunt pennæ columbæ deargentatæ, quibus eleuatæ, leui ac celeri facilique curſu ad cæleſtia tranſvolabunt. Hæc eſt illa co-F lumba, de qua in Canticis Canticorum Dominus dicit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea, immaculata mea.* Tota ſancta Eccleſia columba vocatur, quia ſimplex & innocens eſt. Vnde in Euangelio Dominus ait: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Sed quare, deargentatæ, dicitur? niſi quia eius eloquia vera ſunt & pura, & quaſi argentum, igne examinata, & nulla erroris falſitate corrupta? Talia ſunt eius eloquia, quia talia ſunt eloquia Domini, ſicut ſcriptum eſt: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, terræ probatum ſeptuplum. Et poſteriora dorſi eius ſequentur eos in ſpecie auri.* Si non haberet iſta columba, anteriora, non haberet poſteriora. Sed quia anteriora habet, poſteriora quoque eam habere neceſſe eſt. Caput Eccleſiæ, Chriſtus eſt, primi vero poſt caput, Apoſtoli ſunt, Epiſcopi & Sacerdotes, iſti præcedunt, iſti in tota Eccleſia principes à Domino conſtituti ſunt, omnes vero alij iſtos ſequuntur, & imitantur. Et iſti quidem ſunt illi poſteriores, qui eos ſequuntur in ſpecie auri. Sed quare in ſpecie auri? niſi quia G omnes ſplendidi, omnes mundi, & puri, omnes baptizati, & ſuper niuem dealbati, omnes ſpiritualis ſapientiæ, & ſcientiæ luce fulgentes, & in veſtitu deaurato Domino placentes. Sequitur.

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam. Tunc, inquit, Rex virtutum, rex cæleſtis præcepit Apoſtolis Eccleſiæque Doctoribus, vt dormirent inter medios cleros, quando eos ſuper Eccleſiam Reges conſtituit & ordinauit. *Niue dealbabũtur in Selmon*, omnes iſti Reges, & quicunque eos imitati fuerint, niue dalbabuntur in Selmon. Selmon, vmbra interpretatur, ſignificat autem illam cæleſtem Ieruſalem, ad quam quicunque peruenerit, in vmbra, & in refrigerio erit. Hanc autem vmbram deſiderabat ille qui dicebat: *Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Et niue quidem dealbabuntur Sancti in Selmon, quia ibi ſuſcipient veſtes candidas, veſtes ſplendidas, & nuptiales, & tales veſtes ibi omnes habebunt. quales Dominus tribus ſuis diſcipulis manifeſtauit, quando ſe coram eis in monte transfigurauit, Sic H enim ſcriptum eſt: *Quia apparuit facies eius ſplendida ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Et quaſi aliquis interrogaret Prophetam, quid diceret eſſe Selmon? reſpondit.

Montes Dei, montes vberes. Selmon iſte, de quo interrogas, *mons coagulatus*, & *mons pinguis eſt.* Vere montes Dei, & montes vberes, quia & ſolus Deus ibi regnat, & tanta bonorum omnium eſt ibi vbertas, quantam neque cogitare, neque dicere lingua ſufficiat. Sicut Apoſtolus ait: *Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Eſt autem mons ille coagulatus, quia nemo ibi indiget lacte, nullus ibi habet imperfectam ſcientiam, quæ in lacte ſignificatur. Vnde & quibuſdam Apoſtolus ait: *Facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Ibi vero perfecti ſunt omnes & non lacte, ſed caſeo, id eſt ſolido cibo vtuntur omnes, quoniam non per ſpeculum,

A

culum,& in ænigmate,ſed facie ad faciem omnia vident omnes. Pinguis quoque eſt ille mons, immo pinguiſſimus, quia totus in Sancti Spiritus oleo natat, & nemo ibi eſt qui omnes ſancti ſpiritus gratias non habeat.

Vt quid ſuſcipitis montes vberes? mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare, in eo enim Dominus habitabit vſque in finem. Hucuſque de illo monte cæleſti locutus eſt. Nunc autem de aliis montibus dicere incipit, de Chriſto videlicet,& Ioanne Baptiſta. Sicut enim in Euangelio legitur, *omnes putabant Ioannem eſſe Chriſtum erat enim lucerna lucens & ardens,ſed non erat ipſe lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Cum enim veniſſent ad eum ſacerdotes & Leuitæ, & interrogarent eum, ſi ipſe eſſet Chriſtus? reſpondit: *Non ſum ego Chriſtus,fortior me ille eſt, cuius ego non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti.* Magnus igitur mons, & valde vber,& plenus erat B. Ioannes, ſed maior, & altior erat ille,cui ipſe teſtimonium perhibebat. Vt quid,inquit, ſuſpicitis montes vberes? quare Ioannem admiramini? quare Chriſtum eum eſſe putatis? Contra eos loquitur, eoſque

B

redarguit, qui ad Ioannem veniebant, & Chriſtum eum eſſe putabant. Vnde & ſubditur: An putatis quod Ioannes ſit ille mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare? Magnus quidem mons Ioannes, cui ipſe Dominus teſtimonium perhibet dicens; *Inter natos mulierum, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, ſed alterius dignitatis eſt ille, in quo beneplacitum eſt Deo habitare. Ipſum Ioannem interrogate, & ipſe dicet vobis, quanta ſit differentia inter ſe & illum. Sed dicat ipſe Chriſtus quomodo beneplacitum ſit Deo habitare in eo. *Ego,*inquit, *ſum in Patre, & Pater in me eſt, qui videt me,videt & patrem.* Et:*Ego & Pater vnum ſumus.* Hoc neque Ioannes,neque vllus alius dicere poteſt. Habitat enim Deus in Ioanne, ſed vt in alio: Habitat pater in filio, vt idem in eodem. Quamuis enim alius ſit pater, & alius filius, non eſt tamen aliud pater,& aliud filius. *Etenim Dominus habitabit vſque in finem;* Quid eſt vſque in finem,niſi penitus,& ex toto? Sic enim dicitur & illud; *Patientia pauperum non*

C

peribit in finem. Habitabit igitur Pater in filio vſque in finem, & quia neque Pater neque Filius habebit finem, ideo neque iſta eius habitatio habebit finem.Semper igitur in filio pater, & ſemper in patre filius, & in vtroque Spiritus. Sanctus.

Currus Dei decem millium multiplex,millia lætantium. Ecce, dicet aliquis, audiuimus de Chriſto quis ſit, & quomodo Pater habitet in eo, de aliis autem quid dicit? quid ſunt? & quomodo eſt Deus in eis? Currus,inquit, Dei ſunt,& ſicut in curru ſuo,ſic ſedet in eis,quando vult aſcendit, quando vult deſcendit, quando vult currere facit, & quando vult quieſcere facit. Sed non quæras de numero, quia infinitus eſt,& quia decem millium multiplex eſt. & quia infinita millia lætantium ſunt in hoc curru. Tantum ſignificant decem millia, quantum ſi dixiſſet, infinita millia, quoniam omnis numerus in hoc numero continetur. Sic enim & in Apocalypſi dicitur de ſanctis,quia habebunt tribulationem diebus decem,quod tale eſt ac ſi dixiſſet,diebus omnibus. In hoc quoque manifeſtum eſt, eum finitum numerum pro infinito poſuiſ-

D

ſe,quia cum prius dixiſſet,*decem millia*,poſtea ſimpliciter & indeterminate poſuit,*millia.* Sunt igitur currus iſti,infiniti, & omnes lætantes,& in Domino gloriantes.

Dominus in illis, in Sina in ſancto. Et hoc quidem ad ipſius gloriam ſpectat,quod,cum currus iſti innumerabiles ſint,omneſque per ſe diuiſi,ſimul tamen & in ſingulis, & in omnibus Dominus eſt.Et hoc ideo,quia vbique eſt, quod ſibi proprium eſſe videtur. Dominus, inquit,eſt in illis: ſed in Sina,hoc eſt,per Sina eſt in illis. Sed quid eſt in Sina,niſi in Sancto, id eſt, per Sanctum? Sina enim, mandatum interpretatur. De mandato vero dicit Apoſtolus: *Scimus quia lex quidem ſancta eſt, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.* In nullo igitur alio habitat Deus, niſi in his qui ſuſcipiunt, & cuſtodiunt mandatum eius. Eſt itaque Dominus in illis, in Sina in Sancto, id eſt per mandatum ſanctum. *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus;* Hic,

E

inquit, Deus & Dominus noſter aſcendens in altum, prius quidem in crucem, deinde in cœlum, captiuam duxit captiuitatem, ſicut ipſe ait: *Cum exaltatus fuero à terris,omnia traham ad me ipſum.* Captiui diaboli erant omnes, ſed captiui Chriſti facti ſunt plures, non omnes: multi enim adhuc in captiuitate detinentur,qui,ſi voluiſſent, in captiuitate non eſſent. Dedit autem dona hominibus, & maxima dona,quando Spiritum ſanctum Apoſtolis miſit, & tantam gratiam illis dedit, vt linguis omnium loquerentur, & omnes languores & infirmitates ſanarent.

Etenim qui non credunt inhabitare, Dominus Deus benedictus, benedictus Dominus de die in diem. Alia vero tranſlatio ſic habet;*Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum benedictus Dominus die quotidie.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: Illi, qui prius non credebant Dominum Deum carnem ſuſcepiſſe, & cum hominibus habitaſſe,& conuerſatum fuiſſe,modo per Spiritum Sanctum ad fidem conuerſi, clamant, & dicunt; Benedictus ſit Dominus per ſingulos dies. In hac autem tranſlatione

F

ſic ipſa grammatica confuſa eſſe videtur, vt vix eam intelligere valeamus, tamen, quia vtraque tranſlatio idem ſignificare debet, per eam,quæ manifeſtior eſt obſcuriorem exponere debemus. Sic igitur diſtinguamus Etenim qui prius non credunt inhabitare, poſtea per Spiritum Sanctum illuminati dicunt; Dominus Deus ſit benedictus, benedictus ſit Dominus Deus. Et hoc de die in diem, id eſt per omnes,& per ſingulos dies.

Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutaris noſter, Deus noſter Deus ſaluos faciendi,& Domini exitus mortis. Hoc dixerunt Apoſtoli ſuſcepto Spiritu Sancto, quando per vniuerſum mundum ad prædicandum ire cæperunt.Et reuera proſperum iter habuerunt, quia & omnes gentes ad fidem conuerterunt, & coronas victoriæ ſuſcipere meruerunt. *Proſperum,*inquit, *iter faciet nobis Deus ſalutaris noſter,*per quem ſpecialiter Chriſtum Dei filium intelligere poſſumus,qui nos ſua morte ſaluauit. Et ipſe eſt Deus noſter, quia quamuis ſit Deus omnium, proprie tamen

G

& ſpecialiter Chriſtianorum Deus eſt. Ipſe quoque eſt Deus ſaluos faciendi,quia ad hoc venit,vt mundam redimeret,& ſaluaret. Et ipſe eſt Deus domini exitus mortis; Per quod intelligitur,quia ipſe eſt Deus etiam ſui ipſius. Quia enim ſimul eſt,& Deus, & homo; Secundum humanitatem quidem & ſeruus eſt, & creatura eſt, & ſui ipſius creatura,& ſeruus eſt: Sed ille ſeruus, noſter Dominus eſt. Et ipſe quidem eſt exitus mortis, quia ſicut in Adam omnes mortui ſunt,ita,& in Chriſto omnes viuificati ſunt,ipſe eſt introitus vitæ, ipſe eſt & exitus mortis, quia per ipſum mors receſſit, & per ipſum vita acceſſit.

Veruntamen Deus conquaſſabit capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Quamuis,inquit,ipſe ſit exitus mortis, multos tamen interficiet,qui digni ſunt morte. Inimici autem eius, & in delictis ſuis perambulantes, Iudæi ſunt, qui in ſua malitia perſeuerantes, à via iniquitatis non recedunt Horum autem capita, & verticem capilli, horum ſuperbiam, altitudinem, & ſublimitatem Dominus conquaſſabit,

H

quando eos in ignem æternum præcipitabit. De iſta autem conquaſſatione in alio pſalmo dicitur. Iudicabit in nationibus implebit ruinas conquaſſabit capita multa in terra aproſa.

Dixit Dominus,ex Baſan conuertam,conuertam in profundum maris. Quando Dominus hoc dixerit, propheta ſcis, qui cum in ſeipſo loquentem audiebat, ſicut ipſe dicit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* Baſan, confuſio interpretatur, ſignificat autem Iudæorum terram, quæ propter peccata eorum in confuſionem venit,& diſperſionem.Mare vero,mundus iſte eſt,cuius profundum,maiores poteſtates, & nequiores homines intelliguntur. Ex Baſan igitur in profundum maris conuerſus eſt Dominus,quia de Iudæa tranſiuit ad gentes,& vbi erat maris profunditas, ibi conſtitutum eſt Eccleſiæ caput, atque ſublimitas. Hoc eſt enim quod alibi ait: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Et Apoſtolus: *Vobis*, inquit, *primum oportuerat prædicare verbum*

Digitized by Google

A *Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos feciſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Donec intingatur pes tuus in ſanguine,* ac ſi dicat: Dominus dixit quod ex Baſan ſe conuerteret in profundum maris, & ego reſpondi: Exſpecta pauliſper, donec intingatur pes tuus in ſanguine. Neque enim conueniebat, vt ante paſſionem Iudæam relinqueret, qui à Iudæis crucifigendus erat. In ſanguine autem pedes Chriſti tincti ſunt, quia cruci clauis affixi, proprio ſanguine cruentati ſunt.

Lingua canum tuorum ex inimicis. Boni ſunt iſti canes, qui Dei eſſe dicuntur, quia ex inimicis amici facti ſunt, Ex illis videlicet inimicis, de quibus modo ſuperius dixerat: *Veruntamen Deus conquaſſabit capita inimicorum ſuorum.* Iſtorum autem canum ſola lingua nobis neceſſaria fuit; quæ nos doceret & prædicaret, atque lingendo vulnera noſtra ſanaret. Boni canes, qui oues Dei cuſtodiunt, & à luporum inſidiis, & rapacitate defendunt. *Ab ipſo viſi ſunt greſſus tui Deus: ingreſſus Dei mei regis, qui eſt in ſancto ipſius*; Ab ipſo, inquit, pede
B qui in ſanguine tinctus eſt, ab ipſo, inquit, viſi & cogniti ſunt greſſus tui Deus, quia ipſe pes docuit nos per vias tuas incedere, & à via pietatis, & miſericordiæ non declinare. *Ingreſſus Dei mei, & reges mei, qui eſt in ſancto ipſius,* id eſt, qui habitat in humanitate quam ipſe ſuſcepit, & fecit, viſi ſunt & cogniti ſunt in illo ſanctiſſimo pede.

Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuenum tympaniſtriarum. Eoſdem ipſos, quos canes dixerat, nunc principes vocat, Et iſti quidem coniuncti pſallentibus, toti videlicet Eccleſiaſticæ multitudini, ſicut principes, & magiſtri, in pſallendo, in cantando, in prædicando, in miracula operando, omnes alios præuenerunt. Cantantes & prædicantes in medio iuuenum tympaniſtriarum; Iſtæ iuuenes tympaniſtriæ, Eccleſiæ primitiuæ fuerunt, quas Sancti Apoſtoli per ſe ipſos docuerunt, & prædicauerunt. Bene autem tympaniſtriæ dicuntur, quia omnes ſancti tunc temporis tympana ferebant, & ad verbera ſuſcipienda parati erant. Tympana
C enim ex corio ſicco & extenſo fiunt, quæ verberibus percuſſa longius reſonant. Tympana tunc ferebant Apoſtoli, quando, vt in Actibus Apoſtolorum legitur, grauiſſime verberati, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. In Eccleſiis benedicite Dominum, Dominum de fontibus Iſraël,* Præcipit Propheta prædictis Principibus qui venerunt de fontibus Iſraël, vt benedicant Saluatorem noſtrum, qui & ipſe ſecundum carnem de eiſdem fontibus originem ducit.

Ibi Beniamin adoleſcentior in pauore: Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, & principes Neptalim. Ibi, inquit, inter illos Principes, excellentiſſime & ſapientiſſimè cantat Beniamin adoleſcentior, id eſt, B. Paulus Apoſtolus, qui de ſeipſo ait: *Nam & ego Iſraëlita ſum de ſemine Abraham, & de tribu Beniamin.* De quo & in Actibus Apoſtolorum dicitur. Quod *teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* Quod autem hic dicitur: *In pauore*, in alia
D tranſlatione dicitur, *in mentis exceſſu*, atque vtrumque idem ſignificat: raro enim mentis exceſſus ſine pauore fieri ſolet. Vnde & Daniel poſt mentis exceſſum, multis diebus ſe ægrotaſſe dicit. Sed non fuit paruus hic mentis exceſſus, qui per tantum temporis antea fuerat prophetatus: audiuit enim ibi arcana verba, quæ non licet homini loqui. Per *Principes* autem *Iuda Zabulon, & Neptalim,* qui aliorum duces memorantur, Petrus & Andreas, Iacobus, & Ioannes ſpecialiter intelliguntur. Vnde ſcriptum eſt: *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Neptalim,* inde enim Apoſtoli vocati ſunt, vnde & viri Galilæi dicuntur.

Manda Deus virtutem tuam. Rogat Propheta Dominum, vt virtutem ſuam mandet Principibus ſuis, qua corroborati neminem timeant, vt opus ſibi iniunctum fideliter ſapienterque perficiant. Vnde & ſubditur. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Merito ſe inter illos annumerat, qui eodem ſpiritu ſimul cum illis
E inſtructus & plenus erat. Et hoc illis confirmari orat, ſine quo nihil eos poſſe non dubitat. *A templo ſancto tuo quod eſt in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera*; Non dicit, quod in templo offerent munera, ſed potius hoc dicere videtur, quod de templo ſuſcipient munera, quæ offerent. Ieruſalem igitur, Eccleſia eſt. Templum vero ſanctum quod in ea eſt, Saluatoris noſtri humanitas intelligitur, in quo videlicet templo requieſcit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Reges vero, Apoſtoli ſunt, & omnes alij, qui ſeipſos & alios ſapienter regunt. Iſti ergo reges de hoc templo ſuſcipiunt omnia munera quæ Domino offerunt, & ea munera quæ de hoc templo non ſuſcipiuntur, Domino offerri non poſſunt. Quod autem hoc templum ſit Eccleſia, ipſe Dominus oſtendit Dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

Increpa feras ſyluarum, concilium taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur hi, qui probati ſunt argento. Feræ ſyluarum, hæretici ſunt: feræ quidem
F quia crudeles, immites, & animas hominum occidere, & deuorare cupientes: Syluarum vero, quia Eccleſiaſticam fugiunt conuerſationem, & ſolitario extraneoque cibo, & doctrina delectantur. Tales autem increpet Dominus, & à ſua feritate compeſcat, ne ſimplices animas decipiant, & perdant. *Concilium taurorum inter vaccas populorum,* mali tauri & malæ vaccæ, malum concilium faciunt, qui ad hoc conueniunt, vt ſancti ab Eccleſia excludantur. Tales enim erant illi de quibus in Euangelio dicitur. *Qui conſpirauerunt aduerſus Ieſum, vt ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum extra Synagogam fieret.* Tale fuit concilium Ariminenſe: Tale fuit concilium Arianorum: Tale & Epheſinum p im m, in quibus omnes Catholici Epiſcopi damnati ſunt, & exilio deſtinati. Miſeræ illæ vaccæ, miſeræ illæ animæ, quæ de talibus tauris impregnantur, & de talibus filios pariunt. Quod autem ait. *Qui probati ſunt argento,* hoc eſt intelligere, qui ad ſimilitudinem argenti multarum afflictionum igne examinati ſunt.

Diſſipa gentes; quæ bella volunt. Hoc autem quamuis
G de omnibus gentibus quæ contra ſanctam Eccleſiam pugnant, intelligatur de ſupradictis tamen hæreticis, quos tauros vocauerat, ſpecialiter intelligi debet. *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia preueniet manus eius Deo:* Ægyptus tenebræ interpretatur: Æthiopes vero naturaliter nigri ſunt. Per hos ergo omnes illos intelligere poſſumus, qui à Catholicæ Eccleſiæ fide & vnitate ſe diuidentes, in erroris tenebras, & caliginem demerſi ſunt, ſeu poſtea cognita veritate, de fide, & vnitate legatos miſerunt, veniam quæſierunt, & obedientiam promiſerunt. Lege concilia, & iſto modo reconciliatos inuenies, & Arianos, & Neſtorianos, & Donatiſtas, quorum Epiſcopi & Presbyteri præter hæreſiarchas, propriis ordinibus reſeruatis miſericorditer ab Eccleſia ſuſcepti ſunt. Nam & iuxta litteram, & de Ægypto, & de Æthiopia multos veniſſe non dubium eſt. Spiritualiter autem, vndecumque venerunt, de Ægypto, & de Æthiopia eos veniſſe Propheta ſignificat. Sic enim ſatis conuenienter
H dicere poſſumus quando aliquem hominem Eccleſiæ reconciliari videmus: de Ægypto vel de Æthiopia venit iſte. Veniunt igitur legati de Ægypto, quando peccatores pacem quærunt, & obedientiam promittunt. Quod autem ait. *Æthiopia præueniet*, reconciliationis celeritatem, & deſiderium oſtendit. *Manus eius Deo,* ſubauditur ad obediendum, ad ſubſcribendum, ad iurandum, & ad ſeruiendum præparata eſt.

Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino. Quia, inquit, tota Eccleſia vnita eſt, & de tot & tantis, tamque diuerſis ſententiis in vnam fidem Catholicam, & Apoſtolicam conuenerunt omnes, cantate, iubilate, & pſallite de tanta lætitia conceſſa: *Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cælos cælorum ad orientem.* Hoc autem de Saluatore noſtro dicitur, qui videntibus diſcipulis & admirantibus, ſuper omnes cœlos aſcendit, & omnes Angelorum ordines tranſcendit, & peruenit ad orientem, per quem Pater ſignificatur, ex quo omnia oriuntur.

Ecce

A *Ecce dabit vocem ſuam, vocem virtutis ſuæ, date honorem Deo.* Dat quotidie Dominus vocem ſuam, vocem virtutis ſuæ; per Euangelia, per legem, per Prophetas, per clerico, & per laicos, & per totam ſimul Eccleſiam, qui eum die ac nocte laudare, honorare, benedicere non ceſſant. Et non dubito, hanc iubilationem, & laudationem, quæ nunc vbique gentium in tota Eccleſia fit, tunc temporis Prophetam præuidiſſe, quando iſta ſcribebat, & cantare iubebat.

Super Iſraël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Quid per Iſraël niſi Eccleſiam, & populum Chriſtianum intelligamus? Iſte enim ſolus ex cunctis gentibus Deum videre & cognoſcere meruit. Interpretatur enim Iſraël, vir videns Deum. Eſt itaque ſuper hanc magnificentia eius, quia iſte ſolus eſt, qui ab eo magnificatur, glorificatur, & honoratur. *Et virtus eius in nubibus.* Nubes Apoſtoli ſunt Eccleſiæque Doctores, in quibus niſi virtus Dei eſſet, nequaquam ea, quæ faciebant, facere potuiſſent. De his nubibus ſcriptum eſt. **B** *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* His nubibus tota terra irrigata, & fœcundata eſt, quæ prius ſicca, & arida erat.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis Deus Iſraël ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus, *Mirabilis,* inquit, *Deus in ſanctis ſuis,* per quos talia, & tam magnifica operatur *Deus Iſraël.* Illius videlicet Iſraël, de quo modo ſuperius dixi. *Super Iſraël magnificentia eius. Ipſe dabit virtutem,* quam in nubibus nunc eſſe dixit: *Et fortitudinem plebi ſuæ;* quæ omnes ſuos ſuperet inimicos. Vnde & nos omnes gratias agentes, dicamus. *Benedictus Deus.*

IN FINEM PRO HIS, QVI COMmutabuntur: Pſalmus Dauid.

PRo his enim qui commutabuntur, & qui ab infidelitate ad fidem tranſient, orat Dominus in hoc pſalmo, dicens: *Non erubeſcant in me; qui te exſpectant,* **C** *Dominus Deus virtutum.*

Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Sæpè iam diximus, & ſæpè dicendum eſt: Quia quoties Saluator noſter aliquid poſtulat, & aliqua re indigere videtur, nihil ad diuinitatem, ſed omnia ad humanitatem referenda ſunt. Sed neque, ipſa humanitas oratione indigebat, cui omnia, quæ volebat in poteſtate erant: Quæ autem Chriſti humanitas vel voluit, vel noluit, ita Propheta ea ſcribit ac ſi ea locuta fuiſſet atque eandem ipſam loquentem introducit. Valde pauca in tempore ſuæ paſſionis locutus eſt Dominus, quæ nobis Euangeliſtæ diligenter narrant. Multa autem & in hoc pſalmo, & in aliis dicit propheta Dominum locutum fuiſſe, quæ in Euangeliis non inueniuntur. Vnde manifeſtum eſt, quia ſimiliter ſcribit Propheta ea, quæ Dominus locutus eſt corde, ſicuti ea, quæ locutus eſt ore: Vtraque enim ſimili modo, & videbat, & audiebat, & quæ Dominus loquebatur, & quæ Dominus volebat, vel cogitabat. Sed dicet aliquis. Si Dominus ea **D** voluit, quæ in hoc pſalmo, & in aliis quibuſdam continentur, & quæ ipſe petere videtur, quare ſecundum eius voluntatem factum non eſt, cum omnia in eius voluntate poſita eſſent? Lege in Euangelio, & inuenies, eum idem & voluiſſe, & noluiſſe, Cum enim dixiſſet: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Illico ſubiunxit: *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Volebat enim proculdubio, quod petebat, ſed ſic volebat, ſi Pater quoque idipſum voluiſſet. Si igitur aliquid petat, & quod petit non accipiat, nemo propter hoc eius voluntatem non eſſe completam, dicere audeat. Neque eſt inconueniens, ſi natura mutabilis, mutabilem habeat voluntatem. Omnia enim quæ noſtra ſunt, præter peccatum, eum ſuſcepiſſe dubitare non debemus: Quod autem ait. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam,* & multa alia, quæ ſequuntur, non ore, ſed cordis intentione locutus eſt Dominus. *Aquæ multæ,* dicit ſcriptura, *populi multi.* Iſtæ aquæ vndique **E** inundantes, & ſuper eum impetuoſe influentes, Iudæi ſunt; Quid inde vſque ad eius animam intraſſe dicuntur, quia vſque ad mortem eum perſequi non ceſſauerunt. *Infixus ſum in limo perfundi, & non eſt ſubſtantia.* In prædictas profundiſſimas aquas cadens, ad limum vſque peruenit, per quem videlicet limum, Iudæorum nequiſſimam voluntatem intelligimus. Dedit enim eis poteſtatem, vt illis tribus diebus ſuam aduerſus eum complerunt voluntatem. Vnde & ipſe in Euangelio ait.

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. Non erat igitur ſubſtantia, quæ de illo limo eum extrahere valuiſſet, quoiam hoc erat in voluntate ipſius, vt ſic teneri potuiſſet. Vnde & Pilato dicebat. *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi fuiſſet deſuper.*

Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Hoc ſignificatur per altitudinem maris, quod ſignificatur per limum profundi. Tempeſtas autem, quæ eum demerſit Iudæorum ſæuiens multitudo fuit, quæ eum **F** cœpit ligauit, & tenuit.

Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret. Nil profuit, quod tantum in eis laboraui, quod tantum prædicando clamaui, vnde ſic raucæ factæ ſunt fauces meæ, vt quaſi mutus, & loqui non valens, non reſponderem eis. Hinc eſt enim quod dicitur. *Quia ſicut agnus ad victimam ductus eſt, & non aperuit os ſuum.* Oculi autem eius qui defecerunt, Apoſtoli mihi eſſe videntur, qui tunc quidem defecerunt, quando eo relicto fugerunt. Et hoc ideo, quia non in eorum, ſed in ſolo Dei adiutorio ſpem habebat. Vnde & Petro pugnare volenti ſic ait: *Mitte gladium tuum in locum ſuum: an putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri.* Oculi autem eius, ideo Apoſtoli dicuntur, quia per illos alios illuminat, & per illos, omnes alios recto itinere ad patriam ducit.

G *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*

Gratis enim, & ſine cauſa oderunt Iudæi Dominum, ſicut ipſe quoque in Euangelio ait. *Quia odio habuerunt me gratis.* Quod autem ſuper capillos capitis ſui multiplicatos eos eſſe dicit, infinitos eos, & innumerabiles eſſe oſtendit. Non ſolum enim illi, qui tunc temporis erant, ſed iſti quoque qui nunc ſunt, & cæteri, qui futuri ſunt, in eodem odio ſunt. Et hoc fortaſſe fecit illa maledictio illorum, quam ſuper ſe ipſos, & ſuper filios ſuos imprecati ſunt dicentes. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Confortati ſunt ſuper me, qui me perſequuntur inimici mei iniuſte. Confortati quidem, quia tantum fortiores apparuerunt, vt in eum facerent, quod facere optauerunt. *Quæ non rapui tunc exoluebam.* Hæc enim, vt ipſi oſtendebant, maxima cauſa fuit interfectionis illius, quia filium Dei ſe eſſe dixit. Vnde & clamantes dicebant. Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Quæ **H** quidem magna rapina fuiſſet, ſi Saluator noſter veritatem non dixiſſet. Sed audi quid Apoſtolus dicat: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Exſoluit igitur, quæ non rapuit, quia inde pœnas perſoluit, quod illud quod erat ſe eſſe dixit. Exſoluit, & aliter quod non rapuit, quia rapina primi hominis, fecit, vt ipſe pro nobis moreretur.

Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea, à te non ſunt abſcondita. Magna inſipientia ſtultis, & infidelibus hæc eſſe videtur, vt Deus tantum ſe humiliaret, vt pro hominibus moreretur. Iudæi quoque in magnum peccatum hoc ei imputabant, quod in Sabbato curaret, & Dei filium ſe eſſe teſtabatur. Sed hoc peccatum, & hanc inſipientiam ille ſciebat in cuius obedientiam Saluator noſter hæc omnia ſuſtinebat.

Non erubeſcant in me, qui te exſpectant Domine Deus virtutum, non reuereantur ſuper me, qui requirunt te Deus Iſraël. Erubeſcerent enim, ſi non reſurrexiſſet, & ſi hoc,

quod

A quod ſe facturum eſſe promiſerat, non feciſſet. Et ſancti quidem exſpectant, & requirunt Dominum, quia in eius aduentu ſe beatos fore non dubitant.

Quoniam propter te ſuſtinui improperium. Magnum enim improperium fuit, quod filius Patris obediendo ſuſtinuit. Vnde & ſubditur, *Operuit reuerentia faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & hoſpes filiis matris meæ*, Per hos autem, Iudæos intelligimus, qui eiuſdem Synagogæ, cuius, & ipſe, filij erant. His autem extraneus Dominus, & peregrinus factus eſt, quia eum ſpernentes dixerunt. *Nolumus hunc regnare ſuper nos. Et Nolumus hunc, ſed Barrabbam. Et Non habemus Regem niſi Cæſarem.*

Quoniam Zelus Domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Domus Dei, Eccleſia eſt, cuius amor Chriſtum comedit, & inſeparabiliter ſibi coniunxit. Quæ enim comedimus ſic ſecundum aliquam partem ſui in noſtram ſubſtantiam transferuntur, vt ab ea ſeparari non valeant. Ceciderunt autem B ſuper filium opprobria exprobrantium patrem, quia Pater opprobria tantum, filius vero, & opprobria ſuſtinuit, & paſſionem.

Et operui in ieiunio animam meam, & factum eſt mihi in opprobrium. Volebam, inquit, Iudæos mihi coniungere, & meo corpori, quod eſt Eccleſia, incarnare, & ſociare, ſed ieiunus ſum, neque hunc cibum ſuſcipere valui. Talis erat ille cibus, qui Beato Petro in linteo oſtenſus eſt, quando ei à Domino dictum eſt; *macta, & manduca.* Operuit autem Dominus in hoc ieiunio animam ſuam, quia, & deſiderium ſuum eis celauit, & virtutem, quæ intus erat, non manifeſtauit. Et hoc quidem ei in opprobrium factum eſt, quia inde maiorem audaciam habuerunt, vnde eum humiliatum, & quaſi ſine viribus eſſe viderunt.

Et poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Animam quidem ideſt, virtutem, & fortitudinem, quæ in anima eſt, operuit Dominus, atque celauit, cilicium vero eorum oculis antepoſuit, per quod C caro ſignificatur, talem ſe illis oſtendit, qualem eum eſſe putabant. Vnde & Propheta in eorum perſona dicit? *Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Cilicium ergo viderunt, hominem humiliatum in ſimilitudinem carnis peccati, nullam virtutem, & fortitudinem oſtendentem. Vnde & Pilato dicebant; *Niſi eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Si enim animæ, & diuinitatis fortitudinem Dominus oſtendiſſet, quis ei reſiſtere potuiſſet? Quia igitur poſuit, & oſtendit veſtimentum ſuum, cilicium, ideo factus eſt illis in parabolam, vt deriſorie, & parabolice de eo loquerentur.

Aduerſum me exercebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant; qui bibebant vinum. Tota illa nox, qua Saluator noſter captus eſt ludentium exercitium, Saltatio, & ebrietas fuit. Sedebant autem in porta templi ſiue potius in porta mortis, vbi talia conuenticula fieri ſolent.

Ego vero orationem meam ad te Domine. Illi, inquit, D hoc faciebant, ego vero orabam in corde meo, & orationem meam ad te Domine dirigebam. Sed quid orabat Dominus? Audi quod ſequitur. Tempus beneplaciti Deus, ſubauditur, ecce aduenit. Et quis eſt iſte beneplacitus: dicat ipſe pater. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Tempus autem Chriſti, quamuis omne tempus ſuæ incarnationis intelligi poſſit, illud tamen præcipue intelligitur, in quo maiorem miſericordiam operatus eſt, tempus videlicet ſuæ paſſionis Vnde & ſubditur. *In multitudine miſericordiæ tuæ, exaudi me in veritate ſalutis tuæ,* Multa, quaſi dicat, ſit iſta miſericordia tua, & vera ſit iſta ſalus tua, quam per me modo operaris, quatenus & multi ſalui fiant, & vera ſalute ſalui fiant. Vera ſalus illa eſt, cui neque infirmitas, neque mors ſuccedere poteſt: maxima medicina eſt, qua mortis aculeus fractus eſt.

Eripe me de luto vt non inhæream, libera me ex odientibus me, & de profundo aquarum: non me demergat tempeſtas aquæ. Dictum eſt ſuperius, quid per lutum ſiue limum, E & quid per profundum maris, & aquarum tempeſtatem intelligere debeamus. Et ſuperius quidem in limo profundi infixum, & tempeſtate ſubmerſum ſe eſſe dicit. Hic autem, vt eripiatur exorat, quia, vt diximus, vſque in tertium diem poteſtatem in eum habuerunt, poſtea vero de eorum poteſtate ereptus, nihil vlterius aduerſus eum facere potuerũt Sed quare hic dicit: *Non me demergat tempeſtas aquæ,* cum ſuperius dicat: *Et tempeſtas demerſit me?* niſi vt intelligamus eum pro ſola anima orare, vt nullam in eam habeant poteſtatem. Sic enim, & de Beato Iob cum Sathan ei detraheret, à Domino dictum eſſe legitur. *Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerua.*

Neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Hic autem manifeſte oſtenditur, quia hæc oratio, non ad corpus ſed animam pertinet: ſola enim Saluatoris noſtri anima in infernum deſcendit, qui per hunc puteum profundum ſignificatur. Et ipſe quidem ibi teneri non potuit, ſed ligato diabolo, & inferno exſpoliato, cum magna victoria inde aſcendit. F

Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me, ne auertas faciem tuam à puero tuo quoniam tribulor, velociter exaudi me. Satis velociter exauditus eſt: quia ipſa hora, qua voluit, & ſicut ipſe cum patre diſpoſuit, à mortuis reſurrexit.

Intende animæ meæ in adiutorium, & libera eam propter inimicos meos eripe me, vt non gaudeant de me inimici mei. Hæc autem plena ſunt & expoſitione non indigent. Diximus ſuperius, qualiter has Saluatoris noſtri orationes factas eſſe intelligere debeamus.

Tu enim ſcis improperium meum, confuſionem, & verecundiam meam. Omnia hæc idem ſignificant. Quæ ideo patrem ſcire dicit, quia inde eum magnam vltionem accepturum eſſe non dubitat. *In conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me,* tu eos vides, tu eos cognoſcis, te fugere non poterunt, tibi de his omnibus rationes eos reddere oportet. Miſeri, & per omnia infelices, quibus tam dura accuſatio, & tam terribile iudicium imminet. G

Improperium exſpectauit cor meum, & miſeriam. Sciebat Saluator noſter, quando eis prædicabat, & eorum infirmos ſanabat, & mortuos ſuſcitabat, omnia hæc ſibi eſſe ventura, & de tali vinea aliam vindemiam exſpectare non debuit.

Suſtinui, qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit, conſolantem me quæſiui, & non inueni. Et mirum certe, cum tot millia ibi eſſent, qui eum cognouerant, prædicantem audierant, & tam multa eius miracula viderãt, quod nemo ad eum acceſſit, qui ei compateretur, & qui eum conſolaretur, tantus terror inuaſerat omnes bonos, & ſic diabolus aduerſus eum concitauerat, & inflammauerat omnes malos, vt & illi eſſent extra ſe, & quid facerent, ignorarent. Nam & ipſi diſcipuli relicto eo fugerunt omnes, & ipſe, qui inter eos maximus erat, & qui alios, ſicut ei mandatum fuerat, confirmare debebat, timore perterritus ter eum negauit. Et hinc eſt quod Dominus dixerat. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* H

Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Hoc autem, & Euangeliſta ſimiliter narrat, quia dederunt ei acetum cum felle mixtum.

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem & in ſcandalum.

Hanc autem maledictionem, & alias omnes, quæ ſequuntur quotidie Iudæi legentes, & non intelligentes ſeipſos excommunicant, & maledicunt, quod vtique non feciſſent, niſi eas propheta ſcripſiſſet. Eandem menſam ſpiritualem habent Iudæi, quam & nos habemus, legem videlicet & Prophetas, & alias ſcripturas, quibus animæ nutriuntur, ſed non eſt inter eos, qui panem frangat & ſcripturas eis exponat, ſicut ſcriptum eſt: Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Sequuntur igitur litteram, & ſicut Apoſtolus ait, ipſa littera eos occidit, atque eo modo fit eis in laqueum, quo decipiantur,

A & occidantur. Et hanc retributionem & hoc ſcandalum inde habebunt, quod ſolam litteram ſequuntur, & ſpiritualem intelligentiam non quærunt. Vnde & ſubditur,

Obſcurentur oculi eorum ne videant. Hoc eſt enim, quod per Prophetam dicitur: *Excæca cor populi huius, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Et dorſum illorum ſemper incurua, Incuruatum eſt dorſum Iudæorum, & non ad ea reſpiciunt, quæ ſurſum ſunt, ſed ad ea, quæ inferius latent: temporalia quærunt, & non æterna: iam non homines ſed beſtiæ facti ſunt.

Effunde ſuper eos iram tuam, & indignatio iræ tuæ apprehendat eos. Hoc iam ex parte factum eſt, ſed abundantius in iudicio exſpectatur.

Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui habitet. Habitatur quidem vſque hodie Iudæa, ſed non à Iudæis, quoniam ab eis derelicta, & deſerta eſt, & nullus eſt ex eis, qui quaſi in hæreditate ſua habitet in ea. Sed quare hoc?

B *Quoniam quem tu percuſſiſti, ipſi perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Hoc eſt enim, quod alibi ſcriptum eſt: *Percutiam paſtores, & diſpergentur oues gregis.* Addiderunt autem, & alium dolorem ſuper dolorem vulnerum eius, quia non fuit eis ſufficiens quod Dominum occiderunt, niſi & ſeruos interficerent. Hæc quidem adhuc futura erant, quando Dominus iſta loquebatur, ſed quia certiſſime ventura erant, ſic de eis loquitur, ac ſi iam tranſacta fuiſſent.

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum. Dominus iniquitatem facere non poteſt, ſed pro iniquitate meritum iniquitatis intelligere debemus. Ponit igitur Dominus iniquitatem, ſuper iniquitates, quia omnes illorum enumerat iniquitates, vt nulla prætermittatur, pro qua pœnam non ſuſcipiant. Et non intrent in tuam iuſtitiam, Quid eſt in tuam iuſtitiam, niſi in locum, in quo iuſti, & iuſtitia habitat? per quem vtique illa habitatio ſupernæ beatitudinis ſignificatur.

C *Deleantur de libro viuentium.* Hoc autem exponit. *Et cum iuſtis non ſcribantur*, Mali enim in illo libro ſcripti non ſunt, ſed inde ex eo delentur, quod in eo ſcribi non permittuntur. Liber autem ille, quid aliud eſt niſi memoria omnipotentis Dei, in qua ſimul omnia, & prima, & nouiſſima continentur?

Pauper, & dolens ego ſum, & ſalus vultus tui Deus ſuſcepit me. Hæ ſunt, quaſi dicat, illæ gratiæ, quas ab illo populo ſuſcipio, quia cum omnium diues eſſem, pauper & dolens pro eo factus ſum. Vnde & alibi dicitur. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, Et ſalus bonæ voluntatis tuæ Deus ſuſcepit me, qui vt alios ſanarem, infirmari volui. Vultus pro voluntate ponitur, quia in vultu voluntas cognoſcitur.

Laudabo nomen Dei mei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Hoc eſt illud nomen, de quo ipſe Dominus per Prophetam dicit: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Hoc autem nomen ille laudat, & cum cantico laudat, qui & ſe ſeruum, & ipſum Dominum eſſe cognoſcens, ſic ei ſeruit, & ſic ei obedit, ſicut bonum ſeruum bono Domino ſeruire oportet.

D *Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas.* Hic eſt ille vitulus ſaginatus, de quo in Euangelio dicitur: *Occidite mihi vitulum ſaginatum, vt epulemur, & ſatiemur.* Nouellus eſt iſte vitulus, quia nunquam amplius talis vitulus immolatus fuit. Ac per hoc bene placuit, Deo ſuper vitulum iſtum, neque in aliquo alio ſic aliquando delectatus eſt, vt merito de eo dicatur. Quia *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Produxit autem iſte vitulus & ſibi & nobis cornua & vngulas, quibus inimicos ſuperare, & ſub pedibus conculcare valemus. Vnde Apoſtolus ait. *Dominus conteret Sathanam ſub pedibus veſtris velociter.* Omnia mandata vtriuſque teſtamenti, & arma nobis, & cornua ſunt ad ſuperandos inimicos.

Videant pauperes, & lætentur, quærite Dominum, & viuet anima veſtra. Iſti ſunt illi pauperes, qui magiſtri exempla ſecuti, ſua ſponte pauperes facti ſunt. Et de Iudæis quidem dicitur ſuperius: *Obſcurentur oculi eorum ne videant*: de his autem dicitur. *Videant pauperes, & lætentur*; vt adimpleatur illud quod in euangelio Dominus ait. *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & videntes cæci fiant.* Lætentur itaque pauperes, quorum oculi aperti ſunt, ad videnda & intelligenda omnia Diuina myſteria, illuminati. Quærite Dominum, quia ad hoc illuminati eſtis, vt eum quæratis, & inueniatis, quem ideo Iudæi inuenire non poſſunt, quia cæci ſunt, & in tenebris ambulant. Viuunt autem, qui Dominum quærunt, quia in ipſo vitam inueniunt. E

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non ſpreuit. Dignum, inquit, eſt, vt Dominum pauperes quærant, qui eorum iuſta deſideria ſemper exaudit. Vincti autem Domini illi ſunt, qui quaſi vinculis colligari ſeipſos compeſcunt, vt ad illicita non accedant. Omnia Diuina mandata vincula quædam ſunt, qubus retineri debemus.

Laudent illum cœli & terra mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Si hæc omnia Dominum laudant, nihil relinquitur, quod eius laudibus idoneum ſit. Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, in inferno autem quis confitebitur tibi? F

Quoniam Deus ſaluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ. Sion, ſancta Eccleſia eſt, cuius ſpeculatores, prædicti pauperes ſunt, quibus ideo dictum eſt, vt videant, quoniam ad hoc ſuper ſpeculam ſunt, vt ciuitatem cuſtodiant, & à longe videant. Tanta eſt autem lætitia de ſalute Sion, vt ex hoc omnis creatura Deum laudare, & benedicere debeat. Ciuitates vero Iudæ, ſingulæ Eccleſiæ ſunt, quæ per totum mundum ab Apoſtolis ædificatæ, non Iudæos, ſed Chriſtianos habitatores habent.

Et hæreditate acquirent eam, & ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea. Hanc, inquit hæreditatem, vt diximus, non Iudæi, ſed Chriſtiani habebunt, hanc hæreditatem ſemen & filij Apoſtolorum poſſidebunt. Et omnes qui diligunt nomen eius, & qui ſe intelligunt ſeruos eius, habitabunt in ea. G

IN FINEM DAVID IN REMEMORATIONE, ideo quod ſaluum me fecit Dominus.

IN finem, inquit, hæc referantur, & ad Chriſtum dirigantur, & ab ipſo adiutorium quæratur & exſpectetur, quæ ego, quaſi dicat, in rememoratione ſcripſi, ideo, quod Dominus me ſaluum fecit. Hæc autem in cunctis noſtris neceſſitatibus dicamus, & omnibus noſtris actionibus præponamus, quæ ad exemplum ſui Propheta nos dicere voluit.

Domine Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.

Hæc oratio ſufficit nobis in omnibus, quæ poſtulamus, præſertim ſi ab inimicis & aduerſariis affligimur, vbique & in omnibus Dei adiutorium quærendum eſt, quia vbique & in omnibus neceſſarium eſt, quoniam ſine eius adiutorio nihil facere poſſumus. Si bona agere volumus, bene, & vtiliter oramus: & ſi, quod non debemus, mala agere volumus, bene & vtiliter oramus, magnum enim Dei adiutorium eſt, ſi malis deſideriis reſiſtat, & fieri non permittat. Qui igitur malum aliquod facere cupit dicat prius: *Deus in adiutorium meum intende*, & non poterit facere quod facere cupit. Feſtinet igitur Dominus in adiutorium bonis, vt faciant quod volunt: feſtinet & malis in adiutorium, vt non faciant, quod volunt. H

Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Hæc oratio, & contra inimicos fit, & pro inimicis: Pro inimicis quidem, ſi reſipiſcunt: contra eos autem, ſi in malitia perſeuerant. Bene enim confunditur, & erubeſcit, qui peccata ſua recognoſcens ab iniquitate quieſcit, & eum diligere incipit, quem occidere deſiderabat. Vnde & ſubditur.

Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui cogitant mihi mala. Auertantur, inquit, retrorſum ab iniqua ſua intentione, & ad pœnitentiam redeant cum digna ſatisfactione. Et erubeſcant, ea erubeſcenda, de qua Apoſtolus loquitur dicens: *Quem ergo fructum habuiſtis tunc: in quibus nunc erubeſcitis?*

Auertantur ſtatim, & erubeſcant, qui dicunt mihi euge euge. Cito, inquit auertantur, & non tardent conuerti ad Dominum, neque differant de die in diem. Et erubeſcentes conuertantur, ne & ipſi audiant, quod per Prophetam dicitur: *Facies meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere.* Quod autem ait, Euge, Euge, inſultatio eſt, quam iniqui homines contra ſanctos, quaſi iam ab eis ſuperatos, facere ſolebant.

Exultent, & lætentur, qui quærunt te Domine. Qualeſcumque fuerint, dicunt Martyres, & quomodocunque nos afflixerint, ſi te quæſierint, & ad te conuerſi fuerint rogamus, vt eandem nobiſcum lætitiam, & exultationem habeant. Boni diſcipuli, qui magiſtri exempla ſecuti, pro perſequentibus, & calumniantibus orant. Sic enim ipſe Dominus pro ſuis crucifixoribus orauit dicens. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Et dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.* Qui filium diligunt, diligunt & patrem, & ſimul cum filio magnificant patrem.

Ego vero egenus & pauper ſum, Deus adiuua me. Egeni, & pauperes erant ſancti, & omni humano auxilio deſtituti, quia præter Deum nemo erat, qui eis auxilium præſtare auderet. Vnde & vnuſquiſque illorum Domino dicit. Deus adiuua me, & illud quod ſequitur.

Adiutor meus & liberator meus eſto. In magna ſe afflictione eſſe ſignificant, dum tanta inſtantia adiutorium poſtulant. Vnde & ſubditur: Domine ne tardaueris, cito, inquiunt, ſuccurre, iam vires deficiunt, & reſiſtere non valemus.

PSALMVS DAVID FILIORVM Ionadab, & priorum captiuorum.

ISte eſt ille Ionadab, qui præcepit filiis ſuis, vt vinum non biberent, & in hoc mundo hæreditatem non haberent, quibus Ieremias vinum ante poſuit, & bibere præcepit: illi vero bibere noluerunt, dicentes; ſibi hoc à patre ſuo interdictum fuiſſe. Vnde & per eundem Prophetam Dominus ait. *Præualuit ſermo Ionadab ſermonibus meis, & magis filij Ionadab obediunt patri, quam filij Iſraël obediunt mihi.* Iſti itaque & alij omnes, qui in illa captiuitate maiores, melioreſque fuerunt, & cæteri omnes, qui per illos ſignificati ſunt, in hoc pſalmo loquuntur modo, & Dei adiutorium implorant. Non eſt igitur iſte pſalmus totius captiuitatis, ſed illorum ſolummodo, qui meliores ſunt, & in illa & in iſta captiuitate.

Deus in te ſperaui, Domine ne confundar in æternum, in tua iuſtitia libera me, & eripe me. Dicunt ſe in Domino ſperaſſe. Dicit Apoſtolus: Quia *ſpes non confundit.* Deus autem iuſtus eſt, ideoque liberantur, & eripiuntur de omnibus anguſtiis ſuis.

Inclina ad me aurem tuam, & libera me. Aurem ad aliquem Dominum inclinare, quid aliud eſt, quam exaudire, ſicut è conuerſo à voce alicuius aurem auertere, nihil aliud eſt, quam audire nolle.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias. Et protector, & locus munitiſſimus eſt Deus fidelibus ſuis, quia contra eum, quem ipſe vult defendere, nullæ inimicorum valebunt inſidiæ. Vnde & ſubditur.

Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu. Firmamentum quidem, quia ſine te nulla eſt fortitudo, refugium vero, quia ad te fugientibus præſidium es & beatitudo. *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.* Peccatores iniqui, & contra legem agentes, Iudæi, hæretici, & tyranni ſunt, à quibus omnes ſancti vt eripiantur, Dominũ orant.

Quoniam tu es patientia mea Domine, ſpes mea à iuuentute mea. Tu ſcis, inquit, quia tantas eorum iniurias ſuſtineo, quod niſi tamen patientiam dediſſes, iam penitus ſuccubuiſſem: ſed tu es patientia mea, & ſpes mea à iuuentute mea, ab illa videlicet ætate, qua contra diabolum arma ſuſcepi. In hac autem ætate ſunt, & pueri, & adoleſcentes, & ſenes, & quicumque ad pugnandum idonei ſunt. Eſt autem iuuentus flos ætatis, in qua nimirum ætate omnes mortui reſurgent, in qua & Saluator noſter à mortuis reſurrexit. Quicunque igitur viriliter ſe habet, & viriliter pugnat cuiuſcunque ætatis ſit, inter iuuenes computari debet.

In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es meus protector, in te decantatio mea ſemper. Dixi, inquit; *quia tu es patientia mea, & ſpes mea à iuuentute mea,* qui vtique ad ipſam iuuentutem peruenire non potuiſſem, niſi tu me confirmaſſes, educaſſes, docuiſſes, & prouexiſſes: totum igitur quod ſum, gratia tua ſum. Et in te erit decantatio mea ſemper, quia omni tempore tibi cantabo.

Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Eſt autem prodigium nouum aliquod, & inuſitatum, & dicitur prodigium, quaſi porrodigium, eo quod longè oſtendatur digito. Erant igitur ſancti prodigium multis, qui cernentes duriſſima tormenta, quæ pro Chriſti fide patiebantur, digito eos oſtendentes, ſtupebant & admirabantur. Et tunc quidem Dominus aderat adiutor fortis, in opportunitatibus in tribulatione.

Repleatur os meum laude tua, vt poſſim cantare gloriam tuam tota die magnificentiam tuam. Quia, inquit, factus es mihi adiutor fortis dignum eſt, vt os meum impleatur laude tua, & abundanter impleatur, vt tota die omni tempore poſſim cantare gloriam tuam, & magnificentiam tuam, qui tam mirabilis es in ſanctis tuis, & tam fortes & potentes eos facis ad pugnandum contra inimicos tuos.

Ne proiicias me in tempore ſenectutis. Quid eſt in tempore ſenectutis? *Cum defecerit virtus mea Deus ne derelinquas me.* Cuiuſcunque ætatis ſit homo virtute, & conſtantia in eo deficiente inter ſenes reputatur, ſicut è contra ſuperius de iuuentute diximus, quæ magis pugnandi robore, quam ætatis tempore conſideratur. Rogat itaque, vt ſi quando virtus in eo defecerit, more ſolito Dominus adſit, & nunquam ab eo derelinquatur.

Quia dixerunt inimici mei mihi mala, & qui cuſtodiebant animam meam conſilium fecerunt in vnum, dicentes; Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat eum. Non mirum ſi adiutorium poſtulat, contra quem tam prauum, & tam iniquum conſilium inimici inuenerunt. Hæc autem & alia quædam, quæ in hoc pſalmo dicuntur, etiam de Saluatore noſtro conuenienter intelligi poſſunt. Multoties enim homines iniqui inde ſanctos Dei grauius affligebant, & à Deo derelictos eſſe putabant, & quaſi impios, & ſacrilegos iudicabant, quia Deus auxilium differebat, & eis tam cito non ſubueniebat. Vnde ſubditur.

Deus ne elonges à me. Deus meus in auxilium meum reſpice. Vt eorum conſilium vanum, & inutile inueniatur, cum te & præſentialiter adeſſe, & adiutorem eſſe cognouerint.

Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confuſione, & pudore, qui quærunt mala mihi. Conſtat enim, quia ſi confunderentur, & erubeſcerent, & ab iniquitate ſua deficerent & quieſcerent, quia ſanctorum orationibus, quos interficiunt, adhuc veniam inuenire poſſent, quod ſi in malitia perſeuerauerint, æterna confuſione confundentur, deficient, & peribunt. Facilius ad miſericordiam flectitur iudex, ſi ille, qui iniuriam paſſus eſt, pro reo orare incipiat.

Ego autem ſemper in te ſperabo Domine, & adiiciam ſuper omnem laudem tuam.

Faciant illi, inquit, quod volunt, & quod homines iniqui facere ſolent, quia ſpem meam nunquam mihi auferre

A poterunt, ſed ſemper & in proſperis, & in aduerſis in te ſperabo Domine, & ſuper omnem laudem abijciam laudem tuam. Quid eſt enim, ſuper omnem laudem ſemper adiicere laudem niſi ſemper laudare, & à laudibus numquam ceſſare? Vnde & ſubditur.

Os meum pronunciabit iuſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum. Et certè ad maximam laudem Dei pertinet, eius iuſtitiam nunciare. Salutare Dei Chriſtus eſt, quem tota die, & omni tempore laudare, & prædicare debemus.

Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. Non eſt conueniens vt negotiatores nuntient iuſtitiam Domini, & ſalutare Domini, neque conueniens eſt, vt intrent in potentias Domini. Et hoc quidem de Simoniacis ſpecialiter intelligi debet, qui quoniam de templo ab ipſo Domino eiecti ſunt, vtique & prædicare, & in potentias Domini intrare prohibiti ſunt. Quid autem per potentias Domini, niſi Eccleſiaſticas dignitates intelligere debemus? Illi igitur intrent B in potentias Domini, illi Eccleſiæ dignitates ſuſcipiant, qui tales negotiationes non cognouerunt. Omnes autem negotiationes malæ ſunt, quæ cum fraude, & deceptione fiunt.

Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Nullam inquit aliam iuſtitiam pronunciabo, nullam aliam iuſtitiam prædicabo, niſi iuſtitiam tuam, illam videlicet iuſtitiam, quam tu Deus docuiſti me à iuuentute mea. Hæc eſt illa domeſtica iuſtitia, quæ in vtroque teſtamento inuenitur, qua homines iuſtificantur, & miſericorditer iudicantur. Iuuenum, & perfectorum iuſtitia eſt, ſecundum legem iudicare, & à mandatis Domini non declinare. *Et vſque nunc pronunciabo mirabilia tua.* Non videtur ſufficiens, vſque nunc, ſi ſimpliciter intelligatur, nunc, ſed quia, nunc, præſens tempus ſignificat, ille quidem videtur pronunciare iuſtitiam Dei, vſque nunc, qui omni tempore eam pronunciat. *Et vſque in ſenectam, & ſenium Deus ne derelinquas me:* Quid per ſenectam & ſenium, niſi vltimam ſenectutem, & vitæ terminum in- C telligimus? Tale eſt igitur ac ſi dicat: Ego quidem omni tempore pronunciabo mirabilia tua, & tu omni tempore mihi adeſto aduerſus eos, qui audire nolunt mirabilia tua.

Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt. Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia. Hoc eſt illud brachium, de quo dicitur. *Et brachium Domini cui reuelatum eſt.* Per quod Saluator noſter intelligitur, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Hoc autem brachium nunciant ſancti, qui patrem omnia per filium dicunt eſſe operatum. Et hæc quidem illorum prædicatio extenditur in omnem generationem quæ ventura eſt. Nunciant autem, & potentiam, & iuſtitiam Dei, & eum omnipotentem, & iuſtiſſimum eſſe annunciant, nunciant præterea & altiſſima magnalia, quæ Dominus fecit, per quæ, non mundi creationem, non diluuij inundationem, non maris rubri diuiſiones, non Pharaonis interitum, non multa alia, quæ altiſſima eſſe videntur, intelligimus, ſed illa, quæ ſuper omnia altiſſima D ſunt, Chriſti videlicet incarnationem, paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem. Vnde nimia admiratione commotus, non immerito exclamat, *Deus quis ſimilis tibi?*

Quantas oſtendiſti mihi tribulationes? Vis audire quantas? multas. Et quales? malas. Quis enim enumerare valeat, quantas, & quam malas tribulationes pro Chriſti nomine ſancti ſuſtinuerunt? Vix enim Beati Pauli tribulationes enumerare ſufficimus.

Et conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me; Niſi prius auerſus fuiſſet, non diceretur, quia *conuerſus viuificaſti me.* Auerſus erat nobis & iratus, & nos mortui eramus, quia mortis princeps nobis dominabatur. Conuerſus eſt ad nos, & ipſe, qui vita eſt, viuificauit nos, & de abyſſis terræ iterum reduxit nos: Reduxit, quando infernum exſpoliauit, reduxit, quando de mundi huius conuerſatione, & vana ſuperſtitione eripuit, reducet in iudicio, quando omnes ſuos fideles ad ſe vocabit, quod quia ſine dubio futurum eſt, non inconuenienter, factum eſſe dicit. E

Multiplicaſti iuſtitiam tuam. Multiplicauit quidem iuſtitiam ſuam Dominus, quoniam quibus multas, & malas tribulationes oſtendit, eos & viuificauit & de abyſſis terræ iterum iterumque reduxit. *Et conuerſus exhortatus es me.* Exhortatus eſt Dominus fideles ſuos, per leges, per prophetas, per Euangelia, per Apoſtolos, & quotidie hortatur nos, & docet, quid agere debeamus. *Et ego confitebor tibi in vaſis pſalmorum.* Vaſa Pſalmorum, inſtrumenta ſunt muſicæ artis quæ decem chordas, & non amplius habent, in quibus ille bene, & ſuauiter Domino cantat, qui decem legis mandata obſeruat. *Veritatem tuam pſallam tibi in cythara Deus ſanctus Iſraël.* Cythara, vt iam alibi diximus, ad nouum pertinet teſtamentum, cui vel tres, vel quatuor chordæ ſufficiunt, quoniam nouum teſtamentum in quatuor Euangeliis continetur, in quibus clariſſimè, & ſuauiter reſonat myſterium Trinitatis. Maximè autem veri- F tas Dei in cythara canitur, per quam Chriſtum intelligimus, qui de ſeipſo loquitur dicens, *ego ſum via, veritas, & vita.*

Gaudebunt labia mea, dum cantauero tibi, & anima mea, quam redemiſti. Gaudebunt, inquit labia mea, labia interioris hominis, labia, quæ tibi in ſilentio loquuntur, & à te ſolo audiuntur, illa labia gaudebunt, dum cantauero tibi, quia non modicam de cantatione ſua mercedem exſpectabunt. Et anima mea, quam redemiſti, ſimiliter faciet.

Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam. Idipſum, per linguam, & per labia ſignificatur, quia meditatio non oris, ſed cordis eſt, vnde totus ille cantus, non oris tantum, ſed cordis potius eſſe monſtratur. *Dum confuſi & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.* Meditantur ſancti iuſtitiam Dei, & tunc præcipuè meditantur, & laudant, quando inimicos ſuos confuſos eſſe vident: ſiue bona confuſione, vt de peccatis erubeſcant, G ſiue vt in ſua malitia perſeuerantes, in æternum confundantur, & pereant. Et tunc quidem magnam ſibi iuſtitiam factam eſſe gaudent, quando eos erubeſcentes, & de his quæ contra iuſtitiam fecerunt pœnitentes eſſe intelligunt.

PSALMVS IN SALOMONE.

Salomon, interpretatur Pacificus, Significat autem Saluatorem noſtrum, de quo Apoſtolus ait. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Hic eſt ille Rex pacificus, cuius vultum deſiderat vniuerſa terra. Et ipſe quidem dominatur à mari vſque ad mare: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Quod quidem, ſi de primo Salomone intelligitur non eſt verum.

Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. Hoc autem de Saluatore noſtro dicit Propheta, H qui de ſe ipſo loquitur dicens: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Ipſe enim & Rex eſt, & filius Regis, qui iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iuſtitia. Ipſe igitur iudicium teneat, ipſe iuſtitiam faciat, qui non reſpicit perſonam hominis, & potens eſt vnicuique reddere ſecundum opera ſua.

Iudicare populum tuum in tua iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Da, inquit, Domine iudicium tuum filio Regis, id eſt, filio tuo. Hic enim modus locutionis in libris veteris teſtamenti frequentiſſimus eſt. Iudicare, hoc eſt ad iudicandum populum tuum, in tua iuſtitia, & pauperes tuos in tuo iudicio: Iſte, quaſi dicat à tua iuſtitia, & à tuo iudicio nunquam recedet: quia non differt à te in iuſtitia, qui à te non differt in ſubſtantia. Pauperes Dei, illi ſunt, qui ſua ſponte pauperes ſunt, & non terrena, ſed cæleſtia quærunt.

Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Suſcipiant, inquit, & montes, & colles hanc pacem & hanc iuſtitiam, quam tu modo das populo tuo, quod nihil aliud eſt dicere, vel intelligere, niſi, ſuſcipiant filium tuum.

A *Ipſe eſt enim pax noſtra,* ſicut Apoſtolus ait : ipſe eſt & iuſtitia, ſine qua nemo iuſtificatur. Sed quid per montes, & colles, niſi Apoſtolos & Doctores, vel Eccleſias, & ciuitates intelligamus? Iſti enim inter omnes alios altiores ſunt, & quaſi montes, aliis præeminent.

In ſua iuſtitia iudicabit pauperes huius populi, & ſaluos faciet filios pauperum. Hic inquit, filius Regis in ſua iuſtitia, quam, naturaliter, & ſubſtantialiter habet, & quam aliunde non accepit, iudicabit pauperes huius populi, de quo modo dixit : Iudicare populum tuum. Pauperes quidem ipſe iudicabit, quia diuites à diabolo iudicantur. *Et ſaluos faciet filios pauperum.* Pauperes & filij pauperum Apoſtoli ſunt, & eorum imitatores, iſti ſunt illi pauperes, *Qui relictis omnibus ſecuti ſunt Dominum.* Hos autem ſaluabit Dominus, & in ſua iuſtitia iudicabit.

Et humiliabit calumniatorem. Per quem diabolus ſignificatur, qui populum Dei calumniari, & accuſare non ceſſat. Hic autem, quia ſupra modum ſe exaltauit, B in omnes pœnas comprimetur, & humiliabitur. *Et permanebit cum ſole, & ante lunam in ſæculum ſæculi.* Permanebit, inquit, in ſæculum ſæculi cum ſole, qui ante lunam fuit, & ante ſolem, ſiquidem ipſe fecit, & lunam & ſolem. Ante lunam fuiſſe aliquid eſt, ſed cum ſole manere quid eſt? Dicitur autem de eo in alio loco. *Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum.* Poſſumus igitur per ſolem, claritatem, intelligere, vt ſicut dicitur, lumen de lumine, ſic etiam dicatur ſol de ſole, & claritas de claritate. Permanet itaque cum ſole in ſæculum ſæculi, quia nunquam recedit à patre, ſemperque in eadem gloria, & claritate manet cum patre. Manet autem, & ante lunam, quia ſicut ſuo Domino tota ſibi ſeruit Eccleſia. In eo enim quod ante eam manet, dilectionis affectio deſignatur.

Et deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Nota eſt hiſtoria Gedeonis, qui aliquando ad prælium iturus, & cum hoſtibus pugnaturus, hoc ſignum victoriæ à Domino accepit, vt vellus in C area poneret. Poſuit itaque & ſemel & iterum : & prius quidem vellus madidum, terra vero ſicca apparuit, deinde autem vellus ſiccum, terra vero madida apparuit. Hæc ſimilitudo in Chriſti incarnatione ſeruata eſt. Vellus in medio areæ, Iudæa eſt in medio terræ. Sicut pluuia prius in vellus, ita & Chriſtus prius in Iudæam deſcendit, Sed poſtea ſiccato vellere, ſtillicidia ſuper terram ſtillarunt, quia relicta Iudæa, Dominus, & doctrina Domini in omnes terras, & in omnes gentes pertranſiit. Hoc enim tunc factum eſt, *quando in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Iſti fuerunt illæ nubes, quibus totus irrigatus eſt mundus.

Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna. Hæc pax, & hæc iuſtitia inter ſanctos, & in Eccleſia à diebus Saluatoris noſtri orta eſt, quia ipſi ſunt qui iuſtitiam pacemque cuſtodiunt. Nam & ſecundum litteram, quando Dominus natus eſt, maxima pax vbique erat, D toto mundo ſub Romano Imperio conſtituto. Vnde & digne ſatis in eius Natiuitate Angelorum voces auditæ ſunt, clamantium & dicentium. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et hæc quidem pax & iuſtitia, non auferetur à ſanctis & ab Eccleſia Chriſti, donec ipſa eleuetur & ſuper cœlos extollatur, quæ modo hoc in loco per lunam ſignificatur. Et luna à ſole, & Eccleſia à Chriſto ſuæ claritatis lumen ſuſcipiunt.

Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ. Vbique dominatur Chriſtus, nulla gens eſt quæ eius non ſit ſubdita poteſtati. Ipſe enim eſt, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Quod autem ſignificat à mari, vſque ad mare, hoc ſignificat à flumine magno Eufrate vſque ad terminos orbis terræ.

Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Per Æthiopes, qui naturaliter nigri ſunt, omnes peccatores ſignificantur. Procidunt igitur Æthio- E pes coram illo, quia peccatores homines, qui antiquitus ſuam pulchritudinem amiſerunt, ad fidem conuerſi eum colunt, adorant, & venerantur. Inimici vero eius Iudæi ſunt, qui vſque ad mortem iniquo eum odio perſecuti ſunt. Iſti autem terram lingunt, qui ſola terrena, & tranſitoria quærunt. Et quanto amore terram diligunt, in eo oſtenditur, quod eam lingere dicuntur. Poſſumus autem per iſtos inimicos & prædictos Æthiopes intelligere, qui quamuis prius inimici fuiſſent, nunc autem cognita veritate eum ſuppliciter colunt, & venerantur, & cum magna humilitate pro eius amore ipſam terram oſculantur.

Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent : Reges Arabum, & Saba dona adducent. Tharſis exploratio lætitiæ; Arabia inſidiæ, Saba vero captiuitas interpretatur. Et illi igitur, qui ſolam lætitiam explorantes voluptati dediti erant, & illi, qui aliis inſidiabantur, & perdere, & decipere conabantur, & illi, qui quaſi ſerui captiui à diabolo tenebantur poſtea baptizati, & Chriſti F fidem ſuſcipientes, & munera ſua & ſe ipſos Domino offerunt. Hoc ipſum faciunt, & inſulæ quæ in mari poſitæ ſingulas quaſque Eccleſias ſignificant, quæ in huius mundi procelloſa amplitudine continentur.

Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. *In nomine Ieſu omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Vnde & alibi. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, confitebitur omnis lingua.*

Quia liberabit pauperem à potente, & inopem cui non erat adiutor. Quotidie Dominus liberat pauperem à potente, quotidie deponit potentes de ſede & exaltat humiles. Quamuis per potentes diabolus intelligi poſſit: per pauperem vero, & inopem, quilibet peccator ad pœnitentiam conuerſus. Valde namque pauper eſt, qui diabolo ſeruit : ſicut è contra illi ſoli diuites ſunt, qui Domino ſeruiunt.

Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet. Hoc eſt enim quod alibi dicitur. *Peccator quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet & G non morietur.* Diximus enim per pauperem, peccatorem ſignificari : qui ideo quidem pauper erat, quia veras diuitias non habebat.

Ex vſuris, & iniquitate liberabit animas eorum. Non poterant diuites eſſe, qui vſuras quotidie perſoluebant. Sed cui, niſi diabolo, vſuras dabant? crudeli videlicet, & auariſſimo fœneratori. Dat enim & ipſe pecuniam ſuam ad menſam, vt veniens cum vſuris eam recipiat. Pecunia diaboli omne malum eſt : pecunia eius, peccatum eſt : cuius vſura, ipſa anima eſt, quicunque hanc pecuniam ſuſcipit, & tenet, animam ſibi pro vſura reddere oportet : reddatur igitur ſibi pecunia ſua, vt ab eius vſuris anima liberari valeat. Hoc autem, quia ſine Dei adiutorio fieri non poteſt, ideo hic dicitur : *Ex vſuris, & iniquitate liberabit animas eorum.* Et præclarum nomen coram ipſo : Præclarum nomen eſt quod Dominus ait: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Et; *vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ.* Vocantur autem & aliis H nominibus præclaris valde ſibique conuenientibus.

Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ. Viuet, inquit, non ad tempus vt cæteri Reges, ſed in æternum, & in ſæculum ſæculi: *Et dabitur ei de auro Arabiæ.* Hoc in Magis completum eſt qui inde venientes aurum, thus, & myrrham Domino attulerunt. Aurum Arabiæ optimum eſt, quod illi quidem dare videntur, qui purè & ſapienter Domino ſeruiunt, ſiquidem aurum pro ſapientia ponitur. *Et orabunt de ipſo ſemper* : Ipſe docuit nos orare, ab ipſo habemus illam optimam, & pleniſſimam orationem, quam quotidie facimus: *Pater noſter qui es in cælis*, & cætera, quæ ſequuntur. Quando Saluator noſter hanc orationem diſcipulos ſuos docebat, credo quia iā ex tunc in ſpiritu ibi erat Propheta, & in hac tam pulchra, & cōpendioſa oratione delectabatur. *Tota die benedicent eum :* ſicut enim tota die oramus, ita etiam tota die Dominum benedicimus. Hoc enim Apoſtolus dicit, *ſine intermiſſione orate.* Quod ſi ore facere non poſſumus,

A deſiderio tamen, & bona intentione facere poſſumus. Si enim deſiderium non oraret nequaquam diceretur. *Deſideria cordis eorum audiet auris tua.*

Et erit firmamentum in terra. Quid eſt enim firmamentum erit in terra, niſi cœlum erit in terra? Hoc enim dicit Moyſes: quia *vocauit Dominus firmamentum cælum.* Bene autem firmamentum vocatur Dominus, quia in ipſo eſt & ſol & luna, & ſtellarum omnium pulchritudo. Et ipſe quidem eſt firmamentum in terra. Quia in ipſo firmata & fundata eſt Eccleſia, ſicut Apoſtolus ait. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod eſt Chriſtus Ieſus. In ſummis montium ſuper extolletur.* Nullus mons tam altus, nulla poteſtas tam excelſa quæ ei non ſubijciatur, & inferior non ſit. Vnde & in alio pſalmo dicit: *Vt quid ſuſpicitis montes vberes? mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare? Super libanum fluctus eius.* Per libanum, qui candidatio interpretatur, Ieruſalem intelligitur, quæ inter alias ciuitates pulcherrima, & nobiliſſima fuit. De qua Za-

B charias Propheta ait: *Aperi libane portas tuas, & deuoret ignis cedros tuas.* Quia igitur iſte mons, in ſua ſuperbia ſtetit, & ſicut cæteri montes Saluatori noſtro humiliare ſe noluit, ideo ſuper libanum fluctus, tempeſtates, inundationes, ira & indignatio Dei deſcendit, & deſcendet. *Et florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.* Ipſe Propheta ſua verba exponit, & quem montem dixerat, ciuitatem vocat: Et florebunt, inquit de ciuitate turpiter expulſi, & violenter extracti, ſicut fœnum terræ, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur.

Et erit nomen eius benedictum in ſæcula. Legamus in Euangelio, & audiamus benedictionem matris, & filij. *Benedicta tu*, inquit, *inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*: Hæc benedictio non habebit finem, ſed permanebit in æterna ſæcula. *Et ante ſolem permanebit nomen eius, & ante lunam ſedes eius*: Si, ante, hoc in loco tempus ſignificat, non eſt magnum, quod dicitur, cum arbores & herbas ante ſolem & lunam

C fuiſſe legamus. Sic igitur intelligatur, vt ſuperius dicitur. *Et permanebit cum ſole, & ante lunam in ſæculum ſæculi.* Vbi Chriſtus, ibi & nomen Chriſti; Eſt igitur nomen eius cum ſole & ante ſolem, id eſt cum patre, & ante patrem, hoc eſt in conſpectu patris: quia pater & filius relatiua ſunt, & ſine ſe eſſe non poſſunt. Eſt autem & ante lunam ſedes eius, per quam Chriſti humanitas ſignificatur, quam omnes ſancti ſemper videre, & ante oculos habere deſiderant. De hac autem ſede dicitur. *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.*

Et benedicentur in eo omnes tribus terræ. Ipſe enim eſt, de quo ad Abraham Dominus ait. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod Apoſtolus exponens. *Non dixit*, inquit, *in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. Omnes gentes magnificabunt eum*: ſecundum illud. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Sed quomodo magnificabunt?

D *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia magna ſolus.* Ab omnibus igitur magnificatur Chriſtus, à quibus pſalmus ipſe cantatur: Ipſe ſolus facit mirabilia, quia & Pater & ipſe, & Spiritus ſanctus, vnus & ſolus Deus eſt, qui omnia operatur. *Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & in ſæculum ſæculi*: quid eſt enim, nomen maieſtatis eius, niſi laus, & fama, gloria, & potentia eius? per quam videlicet laudem Euangelica prædicatio intelligi poteſt?

Et replebitur maieſtate eius omnis terra. Hic eſt ille lapis abſciſſus de monte ſine manibus, quem Daniel tantum creuiſſe dicit, vt impleret vniuerſam terram. Hoc tum quia Propheta futurum adhuc eſſe videbat, rogat, vt cito fiat, & præ nimia lætitia bis dicit, *fiat fiat.*

DEFECERVNT LAVDES DAVID filij Ieſſe. Pſalmus Aſaph.

E HOc quod dicit, *Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe*, ad ſuperiorem pſalmum pertinet. Quod autem ſequitur, *Pſalmus Aſaph*, ſequentis pſalmi titulus eſt ſufficiat: vobis quaſi dicat, vſque nunc laudaſſe Dauid filium Ieſſe: amodo autem laudate Dauid filium Dei. Ecce natus eſt, natiuitatem eius ſecundum carnem, & laudes eius magnas, & præclaras in ſuperiori pſalmo prophetauimus, & prædicauimus, Reſtat nunc vt omni tempore dicamus, *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia magna ſolus, & benedictum nomen maieſtatis in æternum, & in ſæculum ſæculi. Pſalmus Aſaph.* Aſaph, congregatio interpretatur, per quam Eccleſia intelligitur, de omnibus huius mundi gentibus congregata, de qua in hoc pſalmo dicitur. *Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.*

F *Quam bonus Deus Iſraël his, qui recto ſunt corde.* Vox Prophetæ eſt, vel Eccleſiæ Dei bonitatem, & potentiam admirantis. Quam bonus inquit, eſt Deus Iſraël, ſed illis præcipue bonus eſt, qui recto ſunt corde. Rectum cor illi habent, qui recta & Catholica cogitant, & ad falſas cogitationes, & periculoſas diſputationes non tranſeunt. Torquentur namque corda hominum, quando aliter, quam debent, vel de ipſo Deo, vel de eius diſpoſitione, vel de rerum veritate ſentiunt. Vnde & ſubditur. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns*: De cordis & animæ pedibus & greſſibus loquitur: qui tunc quidem mouentur, & cadunt, quando homo contra Deum pro aliqua re murmurat, vel ſcandalizatur. Vidit iſte, qui hic loquitur, homines iniquos, & peccatores, pacem, & proſperitatem habere, & huius mundi gloria & diuitiis abundare: ſeipſum autem, & alios Domino ſeruientes, penuriam pati, & multis aduerſitatibus torqueri,

G & cæpit illis inuidere, & ſimilia deſiderare. Neque hoc ſibi iuſtum eſſe videbatur, quod malis proſpera, bonis vero aduerſa contingerent: atque ex hoc in eam, quam hic narrat, corruit tentationem. Sed in ſe reuerſus, conſiderans, quæ præmia ſint præparata bonis, & quæ pœna ſit præparata malis, ſeipſum conſolatus eſt, & pedes ſuos iam motos, & cadentes firmauit & ſtabiliuit. Vnde & ſubditur.

Quia non eſt declinatio morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum. Inde eorum pacem, & proſperitatem, quaſi dicat abominatus eſt, & ſuæ ſibi indigentiæ placuit, quia nulla via illis eſt, qua mortem æternam declinare, & effugere valeant, & ſic plagati, ita vulnerati ſunt, vt nulla medicina ſubueniat. Firmamentum pro medicamine poſuit, quia qui infirmi ſunt, inde firmantur, & ſanantur.

In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo, inquit non eſt declinatio morti eorum, quia in laboribus hominum non ſunt. Boni labores, qui immortales homines faciunt: & boni homines,

H qui ſic laborant, vt immortales fiant. Hoc ipſum & de flagellis intelligimus, quibus Apoſtoli flagellati, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Nam, & illa flagella bona ſunt, quibus Dominus flagellat omnem filium, quem recipit.

Ideo tenuit eos ſuperbia eorum. Simul enim cum diuitiis, pace, & proſperitate, creſcit ſuperbia. *Operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.* Miſeri, qui tales veſtes, & talia ornamenta habent, iſti in conuiuio Dei eſſe non poſſunt, & quales ſunt, tales in iudicio apparebunt, & ipſa ſua veſtimenta eos abominabiles facient.

Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. Ex abundantia cordis os loquitur, non eſt vacuum illud cor vnde tanta iniquitas procedit, diabolus, ibi habitat fons & origo

A totius iniquitatis. Vnde & ſubditur. *Tranſierunt in diſpoſitione cordis.* Ad ea, inquit, facere tranſierunt, quæ in corde à diabolo diſpoſita fuerunt. Et hoc exponit.

Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitias. Illud peccatum maius eſt, quòd meditatione, & conſilio fit. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Iſti ſunt de quibus dicitur; *Peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicauerunt.* In excelſo autem illi præcipuè loquuntur, qui Deum blaſphemant, & ei detrahere non timent. Sicut ille inſipiens, qui in corde ſic dixit. *Non eſt Deus.* Sicut omnes illi, qui idola colebant, & falſos Deos adorabant, de quibus adhuc ſubditur.

Poſuerunt in cœlum os ſuum. Os ſuum ponere in cœlum, eſt: contra ipſam Diuinitatem loqui. Quod gentiles quidem faciebant, qui non in cœlo, ſed in ſtatuis aureis, & argenteis Diuinitatem quærebant. Hæretici quoque, vt Ariani, in cœlum os ſuum poſuerunt, qui
B de ipſa Diuinitate malè diſputantes, filium à patre diuidere conati ſunt. *Et lingua eorum tranſiuit ſuper terram.* Si ſuper terram tranſiit, quo iuit, niſi quia in cœlos aſcendit? vnum igitur idemque ſignificat: Et poſuerunt in cœlum os ſuum: Et lingua eorum tranſiit ſuper terram.

Ideo reuertetur populus meus huc. Iuerant iſti, quo non debuerant, & cogitauerunt quæ cogitanda non erant, quando zelantes in peccatoribus, eorum pedes moti ſunt, ſed quia non eſt declinatio morti eorum, ideo reuertetur populus meus huc. Quid eſt huc: Ad ſanam intelligentiam, de qua modo loquimur, magis eligemus nobis labores, & indigentiam bonorum quam pacem, & affluentiam malorum. *Et dies pleni inuenientur in eis.* Dies pleni illi ſunt, qui bonis omnibus abundant. Et tales quidem poſt hanc vitam habebunt ſancti, quando bonis omnibus in illa beatitudine ſuperabundabunt.

C *Et dixerunt quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias.* Hoc eſt enim, quòd modo dicebat. *Ideo reuertetur populus meus huc.* Multum enim alienati erant, quando hæc talia cogitabant, & dicebant. Nonne audis, quia hoc dicebant. *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo,* quomodo obtinuerunt tantas diuitias? Si Deus hoc ſciuit, & ſi huius rei ſcientia apud Deum eſt? Hoc enim tale erat, ac ſi dicerent. Neſcit Deus, quæ in hoc mundo fiunt, quoniam ſi ſciret, hoc tam magnum malum fieri non permitteret. Talis autem cogitatio, & diſputatio, mala eſt, & Chriſtianæ religioni multum contraria. Vnde & ſubditur.

Et dixi; Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & ſine cauſa fui flagellatus tota die, & index meus in matutino. Dolet mater Eccleſia de illis, qui in illa tali cogitatione, & diſputatione fuerunt. Si inquit, illa diſputatio vera eſſet, & ſi in excelſo ſcientia non fuiſſet, quid mihi prodeſſet tot, & tanta pro
D Domino ſuſtinuiſſe? Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, quæ non ſolum opere, ſed ipſa quoque cogitatione Deum offendere timebam, & ſine cauſa peccatorum conſortia fugi, & inter innocentes manus, & opera mea purificare ſtudui, & ſine cauſa ab impiis hominibus tot, & tanta flagella ſuſtinui, & ſine cauſa Iudex meus, & duriſſimus atque nequiſſimus magiſter meus, in matutino incipiens tota die quaſi malum diſcipulum me verberabat, & ad ſuum errorem me trahere conabatur.

Si dicebam narrabo ſic. Ordo eſt dicebam: Si narrabo ſic, ſicut iſti, de quibus ſuperius dictum eſt. Ecce, ſubauditur periit natio filiorum tuorum, quibus iſta dicere diſpoſui.

Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Ecce populus eius, qui deuiauerat, ad Eccleſiam reuerſus eſt, de quo modo ſuperius dixerat. Ideo conuertetur populus meus huc. Nunc autem contra eos loquitur, à quibus reuertitur, & quorum perſuaſionibus in illam diſputationem, populus ille inductus fuerat. Et certè hæc talis diſputatio non modicum ipſos quoque Philoſophos ſollicitauerat. Vnde & quidam inter eos E
ſapiens ait. Si Deus non eſt, vnde bona? Si vero eſt, vnde mala?

Exiſtimabam, inquit, vt cognoſcerem. Quid? *Quia non eſt declinatio morti eorum nec firmamentum in plaga eorum.* Hoc autem ipſum cognoſcere, labor eſt ante me, & niſi ad nouiſſima eorum mentis oculum intenderem, nullatenus hoc cognoſcere valerem. Et hoc eſt, quod dicit. *Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſima eorum.* De hoc Sanctuario Dominus ait. *Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum,* per quod videlicet cordis ſecretum intelligimus. Quis enim videat potentes huius ſæculi bonis omnibus abundare, & eos non iudicet eſſe felices? Solent enim homines dicere, quod tales à Domino diligantur, & alio modo illa tanta bona habere, & poſſidere non poſſent. Ac per hoc ſola eorum nouiſſima conſideranda ſunt. Vnde & ſubditur.

Veruntamen propter dolos diſpoſuiſti eis mala. Quæ F
mala? Deieciſti eos dum alleuaretur. Subito enim dum in maioribus proſperitatibus iſti tales eſſe videntur, cadunt, & moriuntur, & ſine vllo miſericordiæ reſpectu ad pœnas trahuntur. Nemo igitur ante finem hæc talia cognoſcere poteſt, ſed ipſe finis omnia manifeſtat.

Quomodo facti ſunt in deſolatione ſubito defecerunt, & perierunt iniquitates ſuas, velut ſomnium exſurgentis. Cito tranſeunt omnia, quæ in hoc ſæculo ſunt, etſi longè eſſe videantur, & ſic ſunt quaſi ſomnium exurgentis, qui antequam à ſomno euigilaret, magnas diuitias ſe in ſomno habere videbat, exurgens autem nihil inuenit, ſic autem & diuites mortis ſomno dormientes, quando euigilauerint, & reſurrexerint, de illis ſuis tantis diuitiis nihil reperient.

Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges. Ciuitas Dei Eccleſia eſt, in qua hæ diuitiæ imaginariæ pro nihilo reputantur, quoniam ad veras diuitias feſtinant.

Quia delectatum eſt cor meum. Delectatum quidem, G
non in diuitiis ſupradictis, ſed in te, in amore tuo, in diuitiis ſpiritualibus. Et renes mei reſoluti ſunt. Renes inquit, mei igne tuo quaſi cera reſoluti ſunt, & nullam in eis inimicus virtutem habet & poteſtatem. De quo alibi dicitur. *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Et ego ad nihilum redactus ſum,* ſecundum malorum hominum opinionem qui me quaſi mortuum, & huic mundo inutilem per omnia eſſe iudicant. Et neſciui. Quod eſt neſciui: Stultum & inſipientem me oſtendi ſecundum hoc quod Apoſtolus ait. *Si quis videtur ſapiens inter vos, ſtultus fiat vt ſit ſapiens.* Pro ſtulto ab inſipientibus habetur, qui mundi honores, & diuitias ſpernit, & carnis voluptatibus non obedit.

Vt iumentum factus ſum apud te. Qui me ad hoc officium conſtituiſti, vt aliis ſeruirem, & aliorum onera ferrem. Vnde Apoſtolus ait. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Nam & Saluator noſter, vt H
iumentum fieri dignatus eſt, qui ouem perditam ſuper humeros poſuit, & ad paſcua reportauit. *Et ego ſemper tecum.* Semper cum Deo eſt, & ſi in hoc mundo eſt, qui ab eius fide, & dilectione non recedit.

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me. Quæ eſt iſta dextera, qua Eccleſia tenetur, & ducitur, & cum gloria aſſumitur? dextera noſtra, bona intentio eſt: ſiniſtra vero intentio mala. Vnde & in Euangelio Dominus ait. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Qui eleemoſynam facit, & dextera & ſiniſtra ea facere poteſt, vel dare: dextera illa dat, qui bona intentione & in abſcondito dat, vt à Deo videatur: ſiniſtra vero dat, qui mala intentione, & pro vana gloria dat, vt videatur ab hominibus, de quibus Dominus ait: *Quia receperunt mercedem ſuam.* Dextera igitur, & non ſiniſtra operatur Eccleſia, & ideo non immerito per dexteram à Domino tenetur, deducitur, & cum gloria aſſumitur. Prophetatum eſt; ſic de futuris loqui, ac ſi iam

A facta ſint, quia quæcunque vident, ſine dubio ventura eſſe cognoſcunt.

Quid enim mihi reſtat in cælo? & à te quid volui ſuper terram. Seipſum repræhendit, quia aliquid aliquando in terra habere vel poſſidere voluit, cui tanta in cœlo gloria parabatur. Nulla ſunt, quæ in terra habentur, ad comparationem illorum, quæ in cœlo poſſidentur.

Defecit cor meum, & caro mea. Eorum, quaſi dicant deſiderio, quæ in cœlo parantur, iam cor meum, & caro mea ſecundum priorem ſtatum defecerunt, & non terrena iam nunc, ſed cœleſtia quærunt. Vnde & ſubditur. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in ſæcula.* Nullam, inquit, aliam partem volo, nullam aliam de omnibus, quæcunque ſunt partem requiro, Deus ſit pars mea, & pars cordis & totius deſiderij mei per omnia ſæcula.

Quia ecce qui elongant ſe a te, peribunt. Soli, inquit, illi viuent, qui te partem habent, & tibi adhærent, qui vero te fugiunt, ſine dubio peribunt. *Perdes omnes, qui fornicantur abs te.* Qui ſunt, enim, qui fornicantur B abs te, niſi illi, qui ſe elongant à te? Iſti enim alios amatores quærunt, quibus ſe illicitè coniungunt. Vnde ſcriptum eſt. *Fornicatus eſt Iſraël poſt Deos gentium.* Magna fornicatio eſt diabolo conſentire, & de ipſo filios habere. Omnia vitia & omnia peccata diaboli progenies & ſemina ſunt.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Ego, quaſi dicat, non me elongabo à Deo, non eum fugiam, non alium amatorem ſuſcipiam, ſibi ſoli adhærebo, ſibi ſoli ſeruiam, & omnem ſpem, & amorem meum in Domino ponam.

Vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. Eccleſia, eſt, quæ loquitur, & ſic de ſeipſa quaſi de alio loquitur. Ipſa eſt enim filia Sion, de qua alibi dicitur. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem.* Si enim dixiſſet. Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis meis, planius eſſet. Sed, ſicut iam ſæpe diximus iſte modus locutionis apud veteres frequentiſſimus eſt. Tale eſt C enim & illud, *Deus iudicium tuum Regi da,* vbi cum dicere debuiſſet, & iuſtitiam tuam filio tuo, non tamen, filio tuo dixit, *ſed filio Regis.* Sed quid per portas, niſi aures intelligamus? Ipſa enim ſunt, quæ laudes Dei ſuſcipiunt, & audiunt, & quibus laudes Dei annunciantur.

INTELLECTVS ASAPH.

Asaph, ſicut ſæpe dictum eſt Synagoga interpretatur, & ipſa quidem eſt, quæ loquitur in hoc pſalmo, & conqueritur & plangit deſtructionem Ieruſalem, quæ tempore Nabuchodonoſor Regis facta eſt.

Vt quid repuliſti nos Deus in finem. Multoties quaſi dicant, repuliſti, & afflixiſti nos propter peccata noſtra, ſed numquam, ſicut modo repuliſti nos. Quid eſt enim repellere in finem, niſi ex toto repellere, & vſque in finem? *Iratus eſt furor tuus ſuper oues gregis tui.* Quibus iraſceris? quibus tantam iram, & indignationem oſten- D dis? de grege tuo ſumus oues, & ſimplices, imbelles, & ſine fortitudine ſumus, & ſine tuo adiutorio tantæ potentiæ reſiſtere non valemus.

Memento congregationis tuæ, quam creaſti ab initio. Ab initio enim ſimul cum aliis hominibus etiam hos creauit Dominus. Quamvis ab initio, à temporibus Abrahæ conuenienter intelligi poſſit. Ab eo enim Iudæorum populus, & fidem, & circumciſionem accepit, vt Dei populus ſpecialiter vocaretur.

Liberaſti virgam hæreditatis tuæ. Quid per virgam, niſi ſceptrum, & correctionem? Quid vero per hæreditatem, niſi eundem Iudæorum populum intelligamus? Inde eſt quod per Prophetam dicitur. *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quia comminata eſt virga percuſſoris tui.* Et alibi: *Væ Aſſur virga furoris mei.* Fuit aliquando ille populus quaſi virga in manu Dei, quia per ipſam omnes gentes in circuitu flagellauit, & caſtigauit. Hunc autem multoties liberauit Dominus, prius quidem de Ægyptia ſeruitute: poſtea vero de multis anguſtiis. *Mons Sion in* E *quo habitas.* Hæc inquiunt, hæreditas, tua eſt, mons Sion, in quo te habitare promiſiſti, ſecundum illud. *Et factum eſt in pace locus eius & habitatio eius in Sion.* Quod autem ait. In idipſum, ſic poteſt intelligi, vt ſimul & communiter in eo habitet cum aliis omnibus, qui in eo ſunt vt per hoc & locum & gentem quadam ratione defendere cogatur.

Eleua manum tuam in ſuperbiam eorum in finem. Sic in hoc loco intelligitur, in finem, ſicut & ſuperius vt quid repuliſti Deus in finem. Quanta malignatus eſt inimicus in ſanctis tuis, & gloriati ſunt, qui te oderunt in medio atrio tuo. Multi ſancti & boni tunc temporis ducti ſunt in captiuitatem, quamvis valde pauci fuiſſent ad malorum comparationem. Quomodo autem contra ſanctos malignati ſunt, & quomodo in mediis atriis gloriati ſequentia manifeſtant.

Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognouerunt, ſicut in via, ſupra ſummum. Quod autem his dicunt ſigna ſua ſigna, magni doloris indicium eſt. Poſuerunt, inquiunt, F ſigna ſua ſigna. Sed vbi poſuerunt? Supra ſummum. Hoc enim vſque hodie victores faciunt, & captis vrbibus, ſupra ſummum, ideſt, in turribus, & locis ſublimioribus ſigna ſua ponere videmus, qua in re, & illorum gloria, & loci calamitas apertiſſimè demonſtratur. *Et non cognouerunt in via.* Hæc eſt illa via quam Dominus fecit in mari rubro, in qua periit Pharao cum omni exercitu ſuo, qui populum Dei per talem viam ſtultiſſimè perſequebatur. Et ipſi quidem cognouerunt. Quid cognouerunt? Dei omnipotentiam, & ſuam fatuitatem. Sed Chaldæi nihil tale cognouerunt, nullum ſignum viderunt, ſed audacter, & ſecurè fecerunt quæcumque facere voluerunt. *Quaſi in ſilua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas eius in idipſum bipenni & aſcia deiecerunt eas.* In hoc oſtendit ſecurè eos ſine reuerentia circa Sanctuarium ſe habuiſſe, dum ipſius templi valuas quaſi alia ligna ſecuribus & aliis ferramentis exciderunt. Quod autem dicit, in idipſum, vnam eandem voluntatem in hoc opere tam nefario, eos habuiſſe oſtendit.

G *Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Omnia hæc ſecundum litteram facta ſunt, quæ tamen & ſpiritualiter intelligi poſſunt.

Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum inter ſe; venite comprimamus omnes dies feſtos Domini à terra. Hæc vna cogitatio & voluntas omnium fuit, vt ſic omnia deſtruerentur, vt numquam ſolennitates ibi amplius fierent, vel dies feſti colerentur.

Signa noſtra non vidimus. Sicut ab antiquis temporibus in tali euentu videre ſoliti ſumus. Iam non eſt Propheta inter nos, qui nobis veritatem dicere audeat. Ibi enim erat. Ieremias, qui ideo in lacum miſſus eſt, quia veritatem eis nunciabat. Et nos non cognoſcet amplius. Sic miſeri homines dicere ſolent, quando in magnas veniunt calamitates, & quaſi deſperantes, penitus ſe à Deo derelictos eſſe dicunt.

Vſquequo Deus improperabit inimicus? irritat aduerſarius nomen tuum in finem? Quando in finem dicunt, H magnas & multas blaſphemias eos contra Dominum locutos fuiſſe oſtendunt. Neque credendum eſt verbis pepercisse, qui manibus talia operabantur.

Vt quid auertis faciem tuam. Et tantas populi tui afflictiones non reſpicis? Et dextram tuam de medio ſinu tuo in finem? Sinus Dei illa ciuitas fuit, in qua priuſquam Deum offenderes, totius ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri reconditi in lege & Prophetis continebantur. Ibi erant, & dextra Dei, tantaque eius virtus & fortitudo, vt omnes in circuitu vinceret inimicos.

Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Hucvſque Synagoga, & populus Iudæorum locutus eſt, ſuas deflens miſerias, & calamitates. Hinc Eccleſia loquitur, & de ſua exultat felicitate. Deus, inquit, Rex noſter, modo quidem noſter & ſpecialiter noſter, ſed Deus omnium ante ſæcula operatus eſt, in diebus noſtris. Salutem in medio terræ. Quid eſt in medio terræ? In ciuitate Ieruſalem, quæ in medio gentiũ ſita eſt.

A Siue, in medio terræ, in vtero virginis. Siue, in medio terræ, in aſſumpta humanitate. Siue in medio terræ ſalutem operatus eſt, quia non vnius gentis, ſed omnium gentium hanc ſalutem voluit eſſe communem. Nunc ad ipſum Saluatorem conuertitur, & ſibi loquitur cætera, quæ ſequuntur.

Tu confirmaſti in virtute tua mare. Hoc eſt illud mare, de quo dicitur. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum,* per quod mundus iſte ſignificatur. Hoc autem confirmauit Dominus in virtute ſua, vt iam non fluctuet ſicut prius, vt quietum maneat & ſuper ſe Domino gradienti ſe placabile & calcabile præbeat. Mare ab amaritudine dicitur, ſed quia Spiritus ſancti gratia confirmatum & inunctum eſt, omnem amaritudinem in dulcedinem conuertit. *Tu contribulaſti capita draconum ſuper aquas.* Capita draconum, vitia ſunt & peccata, quæ ſi ſuccisa fuerint, maligni ſpiritus, qui per dracones ſignificantur quaſi mortui, & decollati, nihil poſſunt. B Hæc autem capita contribulauit Dominus ſuper aquas, quia omnia vitia, & peccata in baptiſmate deleuit.

Tu confregiſti capita draconis magni. Hic eſt ille magnus draco, qui in paradiſo cum muliere locutus eam ſeduxit, & de ligno vetito comedere fecit, ac per hoc peccatum intrauit in mundum, & per peccatum, mors, quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Sed huius magni draconis caput, per quod originale peccatum ſignificatur, Chriſti morte confractum eſt, & eius ſanguine deletum. Magnus draco, magnum habuit caput, quod magno malleo conterendum fuit. *Dediſti eum in eſcam populo Æthiopum*, vt verſa vice ab illis deuoretur, quos ipſe prius deuorare ſolebat. Deuorare autem, ſuperare eſt, per Æthiopes naturaliter nigros, peccatores ſignificantur, qui aquis baptiſmatis regenerati, & ſuper niuem dealbati ſunt.

Tu dirupiſti fontes & torrentes. Fontes & torrentes, C legis & prophetarum & vtriuſque teſtamenti volumina intelligitur, qui videlicet fontes prius clauſi & obturati erant, ſed eorum venas Dominus aperuit, & arctiſſima vincula, quibus claudebantur, dirupit, & aquarum ex eis effluentiam emanare iuſſit. Hinc eſt enim quod Ioannes Apoſtolus cum videret librum ſeptem ſigillis ſignatum, multumque fleret eo, quod nullus dignus ad librum aperiendum inueniretur, dictum eſt ei, *Ne fleueris, quia ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.*

Aperire igitur librum, quid aliud fuit, niſi id quod hic dicitur. Tu dirupiſti fontes & torrentes? Te exſiccaſti fluuios Ethan. Ethan, fortis interpretatur, per quem diabolus intelligitur, de quo in Euangelio Dominus ait. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Sed quid per fluuios eius, niſi omnes hæreticorum libros, & omnia dogmata impietatis intelliguntur? Hos autem deſiccauit Dominus, qui in multis Conciliis per Eccleſiæ Doctores, omnes hæ- D reſes deſtruxit. Et bene quidem conueniens fuit, vt fluuios Ethan deſiccaret, qui Eccleſiæ fontes & torrentes aperuit.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox. Legitur in Geneſi, quia *diuiſit Deus lucem à tenebris vocauitque lucem diem, & tenebras noctem. Et fecit tunc duo magna luminaria, Solem ſcilicet, & lunam, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Dies igitur, Chriſtianos, & nox, Iudæos ſignificat. Et diei quidem præeſt maius luminare, nocti vero minus. Luminare autem maius, nouum teſtamentum eſt, cuius claritas, & doctrina, ad ſolis ſimilitudinem, totum mundum illuminauit. Minus vero luminare, vetus eſt teſtamentum, quod quaſi in nocte ſic ſuper Iudæos palleſcit, & tenebreſcit. Vnde & Apoſtolus ait. *Nam neque clarificatum eſt, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* Tanta eſt enim claritas noui teſtamenti, vt veteris teſtamenti claritas pro tenebris habeatur. Vtrumque tamen teſtamentum, vnum eſt, & vtrumque clarum & ſplendidum eſt, ſi ſpiritualiter intelligatur. Quod igitur ait. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox,* tale eſt ac ſi diceret, & Chriſtiani, & Iudæi, & illuminati, & cæci, & boni, & mali, tui E ſunt, quia tu feciſti omnes, & vero rectoque iudicio iudicabis omnes. Tu feciſti ſolem, & lunam. Dictum eſt modo, quid per ſolem, & quid per lunam ſignificetur. Miſeri Manichæi, qui alium Deum noui teſtamenti, & alium veteris eſſe dicebant. Ecce enim Saluator noſter, vtrumque teſtamentum hoc in loco feciſſe dicitur. *Tu feciſti omnes terminos terræ, æſtatem, & ver tu feciſti ea.* Nihil eſt enim quod Chriſtus non fecerit, quia ipſe eſt per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Placuit tamen Eccleſiæ, ſiue Prophetæ, hæc ſingulariter enumerare, vt in his ita expoſitis, eius omnipotentiam exaltaret. Poſſumus tamen per æſtatem, & ver, perfectos, & imperfectos intelligere, quorum alteri feruentiſſimo ſancti Spiritus igne ſuccenſi ſunt, alteri vero eodem igne appropinquant, & iam proximi ſunt.

Memor eſto huius creaturæ tuæ. Diuinitati loqui videtur, & eam, quam aſſumpſit, humanitatem ei com- F mendat. Quam ideo creaturam vocat, vt verus Deus, & verus homo, Saluator noſter eſſe credatur. Et valde conueniens erat, vt, qui tanta de potentia diuinitatis eius vſque nunc locutus fuerat, de humanitate quoque aliquid diceret, atque illis hæreticis occaſionem tolleret, qui eum non hominem, ſed Deum tantum eſſe credebant. *Inimicus improperauit Domino, & populus inſipiens exacerbauit nomen tuum.* Ideo, inquit, huius creaturæ tuæ memor eſto, quia humani generis inimicus diabolus, & ſimul cum eo Iudæorum populus inſipiens multum ei aduerſabitur. Prophetarum autem eſt, pro futuris præterita ponere, multa enim improperia iſti Domino intuliſſe leguntur. Nam & ipſe diabolus ad hoc vſque tentando peruenit, vt ad ſe adorandum eum inuitaret.

Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Nunc autem pro illis omnibus orat, contra quos poſt Chriſti paſſionem omnes beſtias inſurgere conſpicit. Per beſtias G autem malignos Spiritus, hæreticos, &. tyrannos intelligere debemus. De quibus Apoſtolus ait. *Quid mihi prodeſt, quod ad beſtias pugnaui Epheſi ſi mortui non reſurgunt?* Et reuera crudeliſſimæ beſtiæ omnes iſti ſunt, qui non ſolum corpora: ſed animas quoque perdere nituntur. Quid ſignificet, in finem, ſæpe iam diximus.

Reſpice in teſtamento tuo, quia repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domorum iniquitatum. Reſpice, inquit in teſtamento tuo, per quod Eccleſiam intelligimus quæ ipſum teſtamentum ſuſcipere meruit, & propter ipſum multas patitur tribulationes. Et valde quidem neceſſarium eſt, vt ea reſpicias. Quare? *Qui repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domorum iniquitatum.* Non fuit eis ſufficiens, vt iniquitatum pleni eſſent niſi ipſas iniquitatum domos in ſe ſuſcepiſſent. Domus iniquitatum, maligni ſpiritus ſunt, quia omni malitia, & iniquitate pleni ſunt. Repleti ſunt igitur domorum iniquitatum illi, qui obſcurati ſunt caligine terræ, per quos Iudæi, & hæretici, H omnes homines iniqui ſignificantur, qui terreni erroris caligine obſcurati & excæcati ſunt, vt veritatis lumen videre non valeant. Reſpice itaque in teſtamento tuo, quia omnes iſti ad hoc intendunt, vt illud deleant, & deſtruant.

Ne auertatur humilis factus confuſus. Iſte humilis, vnuſquiſque fidelis eſt, qui tunc quidem fugaretur & auerteretur, ſi teſtamentum ſibi datum, defendere non valeret, quod nimirum, quod abſit, ad magnam confuſionem ſibi contingeret.

Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Per pauperem & inopem, eundem ipſum humilem ſignificat. Et pauper quidem eſt qui nihil habet: inops vero, qui quamvis ſine opibus ſit pro naturæ tamen neceſſitate aliquid habet.

Exurge Deus iudica cauſam tuam. Exurge, inquit, Deus in adiutorium ſeruis tuis, & tu ipſe defende, & iudica cauſam tuam, quam iſti malitioſi ſuis argumentationibus deſtruere conantur. *Memor eſto improperiorum tuorum, eorum dico, quæ ab inſipiente ſunt tota die.* Quanta mala, & quam nefanda. Iudæi, & hæretici

A dicant contra Chriſtum? ſi tamen eſt locus, vbi dicere audeant.

Ne obliuiſcaris voces quærentium te. Ne obliuiſcaris, inquit, voces eorum, qui te quærunt, ſed exaudi, & libera eos de omnibus anguſtiis ſuis, ſicut digni ſunt. Similiter autem & ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendat ſemper ad te, vt eam ſemper videas, ſemper de eis vindictam ſuſcipias, & numquam tanti mali obliuiſcaris.

IN FINEM NE OBLIVISCARIS Pſalmus Aſaph.

AD finem referatur iſte pſalmus? id eſt, ad Chriſtum. Quod autem dicitur, ne corrumpas multis modis intelligi poteſt: Veluti, ne corrumpas tituli inſcriptionem. Vel ne corrumpas aliquam ſcripturam, quod Iu- B dæi facere ſolent: Vel, ne corrumpas te ipſum. Siue, ne facias aliquam illicitam corruptionem. Aſaph autem, Synagoga interpretatur. Bona Synagoga eſt iſta, quæ Deum laudat, & eius mirabilia narrat.

Confitebor tibi Deus confitebimur tibi, & inuocabimus nomen tuum. Promittit Synagoga, & vniuerſaliter in omnibus, & ſingulariter in vnoquoque Saluatorem noſtrum ſe laudare, & eius nomen inuocare, & omnia eius mirabilia narrare. Sic enim, & Moyſi quondam dixiſſe leguntur. *Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus, faciemus*, & tamen non fecerunt. Sed non videntur offendere, qui iſta promittunt, dare, qui iſta promittunt, quoniam ſecundum ſuam intentionem alios iudicant, & hoc eſt in eorum voluntate, vt omnes alij ſimiliter faciant. Bonam enim voluntatem habebant illi, qui dicebant: *Oſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſraël, Oſanna in excelſis.* Et hoc erat in deſiderio illorum, vt alij quoque eum laudarent, & benedi- C cerent. Nunc autem ſequentia videamus.

Dum accepero tempus ego iuſtitiam iudicabo. Hæc autem loquitur Saluator noſter, & ad ſuperiora reſpondet: Ego, inquit, cum accepero tempus iuſtitiam iudicabo, & vnicuique ſecundum merita dabo, & eos, qui me confitentur, & meum nomen inuocant, & mea mirabilia prædicant, dignis muneribus remunerabo, hoc autem erit in iudicio, quando & boni & mali omnes adſtabunt ante tribunal Chriſti. Et ibi quidem erit Aſaph, ibi erit tota Synagoga, ibique à ſe diuidentur, & qui Chriſtum confeſſi ſunt, & laudauerunt, & qui Chriſtum confeſſi non ſunt, & eum negauerunt.

Liquefacta eſt terra, & omnes inhabitantes in ea. In eo quod terra eiuſque habitatores liquefacti eſſe dicuntur, ſine viribus, ſine fortitudine, ſine propria figura, & pulchritudine eſſe monſtrantur. *Ego confirmaui columnas eius.* Columnæ totius terræ Apoſtoli ſunt & Doctores. Has autem columnas confirmabat Dominus, quando dicebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Et: *Eſtote fortes in bello, &* D *pugnate cum antiquo ſerpente.* Et: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Bene confirmatæ ſunt iſtæ columnæ, totam terram portare & ſuſtinere valent, multi tamen ſunt, qui ſuper eas aſcendere nolunt.

Dixi iniquis: nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Hoc enim dixit Dominus per legem, per Prophetas, per Iſaïam, per Ieremiam, per Ezechielem, & per iſtos pſalmos, & per ſcripturas vtriuſque teſtamenti, hoc & per Apoſtolos dixit, & per Epiſcopos, & ſacerdotes quotidie dicit, & tamen iniqui iniquè agere non ceſſant, & delinquentes ſuæ poteſtatis, & iniquitatis cornua exaltant: per cornua iniquorum omnis eorum virtus & fortitudo figuratur.

Nolite extollere in altum cornu veſtrum. Hoc autem exponit. *Et nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.* Aduerſus Deum iniquitatem illi loquuntur, qui de ipſa Diuinitate diſputantes, peruerſa dogmata introducunt. Hoc fecit Arrius, hoc Manichæi, & multi alij perditionis E filij. Nam & Iudæi aduerſus Deum iniquitatem locuti ſunt, quando contra Saluatorem noſtrum crucifige clamauerunt.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertu montibus. Eſt vobis, ſubauditur, via euadendi. Omnes mundi terminos poſuit, quia per montes deſertos & inhabitabiles auſtralis & ſeptentrionalis plaga deſignatur, nemo enim effugere poterit iudicium Dei. De quo & ſubditur: *Quoniam Deus iudex eſt.* Sed quomodo iudicat? *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Deponit potentes de ſede & exaltat humiles: eos humiliat, qui iuſtè humiliandi ſunt? eos exaltat, qui merito exaltandi ſunt. In poteſtate illius eſt, & humiliare & exaltare quos vult, hanc poteſtatem nullus habet alius. Et hoc ideo, quia.

Calix in manu Domini vini meri plenus eſt mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen eius fex eius non eſt exinanita. Calix iſte in manu Domini menſura retribu- F tionis eſt. Et benè in manu Domini eſſe dicitur, quia in manu, & in poteſtate illius eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua: In hoc autem calice merum, & purum vinum, & mixtum vinum ſimul cum fece continetur. Et alij quidem merum vinum, alij mixtum, alij vero fecem de hoc calice bibunt. Dicendum eſt igitur, qui ſunt illi, qui merum, & qui mixtum, & qui fecem bibunt. Merum autem illi bibunt, qui de hac vita exeuntes, nihil in ſe habent, quod puniatur. Mixtum vero, illi peccatores, qui pœnitentiam ex corde ſuſcipiunt. Vnde ſcriptum eſt: *Peccator quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.* Iſti enim, vt Apoſtolus ait, ſaluabuntur quidem, ſic tamen quaſi per ignem. Saluari autem per ignem, quid eſt niſi bibere vinum mixtum? Fecem autem illi peccatores bibunt, qui vſque in finem in ſua malitia perſeuerant. De quibus Apoſtolus ait: *Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum* G *opera ſua.* Quod autem ait. Et inclinauit ex hoc in hoc, ad magnam Dei miſericordiam ſpectat, qui de vino mero in mixtum vinum tantum inclinat, vt bibentes non pereant, & pœnitentiæ remedium & pœnam tolerare valeant. Fex autem non minuitur, quia valde plures ſunt illi, qui fecem bibunt, quam ſint omnes illi, qui merum vinum bibunt, & mixtum. Vnde & ſubditur.

Bibent omnes peccatores terræ. Fecem videlicet, quæ ſemper ſic abundat, vt non minuatur, per quod intelligitur, quia pœna malorum nullum finem habebit. Sic enim in alia tranſlatione legitur. Quod vero in iſta dicitur, ex eo, de calice intelligitur. De calice vero peccatores in ſua malitia perſeuerantes, ſicut ſuperius diximus, nihil aliud niſi fecem bibent. *Ego autem in ſæcula gaudebo, cantabo Deo Iacob.* Illi quaſi dicat, neque gaudere neque cantare poterunt, qui omnium tormentorum fecem indeficienter, quotidie & ſine fine bibent: Ego autem & fideles mei gaudebo in ſæcula, & cantabo, & ineffabilis ſuauitatis dulcedine eos inebriabo. Hinc eſt, H enim quod alibi dicitur. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Et omnia cornua peccatorum confringam, & exultabuntur cornua iuſti. Diximus per cornua potentiam, & fortitudinem ſignificari. Tunc igitur ſine cornibus erant, qui nunc cornuti eſſe videntur: & è contra nunc magna cornua habebant, qui nunc ſine cornibus eſſe videntur, quoniam boni tunc fortes erunt atque potentes: mali vero miſeri erunt & per omnia infelices.

IN FINEM IN LAVDIBVS PSALMVS Aſaph Canticum ad Aſſirios.

LEgitur de Sennacherib rege Aſſyriorum, cum veniſſet ad obſidendam Ieruſalem, quia Angelus Domini vna nocte percuſſit de Aſſyriis, centum octoginta quinque millia. In laudibus igitur tantæ victoriæ cantat

A Aſaph canticum iſtud ad Aſſyrios, id eſt, contra Aſſyrios. Sed quia dixit, in finem, ea quæ tunc ſecundum litteram facta ſunt, ad Eccleſiam ſpiritualiter referenda eſſe oſtendit.

Notus in Iudæa Deus in Iſraël magnum nomen eius. Totus mundus erat in errore, & idolis ſeruiebat, quando ſola Iudæa veri Dei cognitionem habebat. Vnde & merito hic dicitur. *Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.* Sed quia Iudæa confeſſio, Iſraël vero, vir videns Deum interpretatur, per Iudæam Eccleſia ſignificatur, quæ ſola ex cunctis gentibus Deum confitetur & laudat. Per Iſraël vero, populus Chriſtianus, qui ſolum vnum Deum cognoſcit & adorat.

Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ieruſalem, viſio pacis interpretatur, & ipſe eſt ille locus, de quo modo dicitur; *Factus eſt in pace locus eius,* quoniam ibi à Salomone templum ædificatum eſt. Differunt autem Sion & Ieruſalem, quia Ieruſalem tota ciuitas. Sion vero, ſola arx & fortitudo vocata eſt. De qua B dicitur. *Capit Dauid arcam Sion.* Vtraque autem ſanctam Eccleſiam ſignificat, in qua Saluator noſter Rex & Pontifex à Domino conſtitutus ait. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptum Domini.*

Ibi confregit cornu, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Hoc autem ſecundum litteram illud eſt quod modo diximus, quia percuſſit Angelus Domini de Sennacherib centum octoginta quinque millia. Et tunc quidem totum illorum bellum confractum & diſſipatum eſt. Hoc quoque in Eccleſia quotidie fit, & omnia arma diabolicæ artis totumque eius bellum quotidie à pluribus franguntur, & diſſipantur, Cornua diaboli illa ſunt, quæ alios vocant, & ad prælia concitant, Arcus autem, hæretici & fraudulenti, qui bonos in occultis ſagittant & vulnerant, Scuta vero omnes illorum argumentationes, vel quæcunque alia ſunt, quibus ſe contra veritatem defendunt: Per gladium autem illos intelligimus, qui manifeſta perſecutione contra Eccleſiam ſæuiunt.

C *Illuminans tu mirabiliter.* Tu, inquit, mirabiliter illuminans Eccleſiam tuam confregiſti in ea omnia illa, quæ ſuperius dicta ſunt. Mirabilis illuminatio eſt, quam Spiritus ſanctus operatur. Hoc autem Apoſtoli probauerunt, qui tam ſubito tales facti ſunt, quibus ipſi Philoſophi reſiſtere non valerent. Vnde ipſe Dominus ait. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. A montibus æternis turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Æterni montes Apoſtoli ſunt, & Doctores. Ab his autem conturbati ſunt Philoſophi, hæretici, omneſque alij, ore & garrulitate ſapientes, corde vero inſipientes, cum eorum ſapientiæ, & rationibus reſpondere non poſſent.

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Sed vnde iſte tam validus ſonus? *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui aſcenderunt equos.* Si de Aſſyriis intelligatur, manifeſtum eſt, quia & ſeipſos, & omnia ſua ſubito amiſerunt, grauiſſimo ſomno dormientes, & numquam poſtea euigi- D lantes. Illi quoque qui per eos ſignificati ſunt, & qui ſimiliter populum Dei, & ſanctam Eccleſiam perſequuntur, quotidie dormientes, & morientes, & ſeipſos & ſua omnia perdunt, & nihil ſuarum diuitiarum inuenient, hoc autem fit ab increpatione Dei, qui vnicuique illorum aſſidue in Euangelio dicit. *Stulte hac nocte anima tua rapietur à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Per equos autem omnia illa ſignificantur, quibus potentiores & fortiores homines ſunt. Sic dicere ſolemus, ſuper bonum equum aliquem ſedere quem vel diuitiis vel honore vel aliqua alia magna re præditum videmus.

Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi, ex tunc ab ira tua? Ideo, inquit, ab increpatione tua dormierunt, qui aſcenderunt equos, quia tu terribilis es, & nemo tuæ voluntati reſiſtere valet, ex tunc ab ira tua. Quod ipſe dixit ex tunc, hoc expoſuit dicendo ab ira tua. Statim enim vt iraſcitur, neceſſe eſt, vt omnes illi ſuperentur, & cadant, contra quos ipſe iraſcitur. Vnde & ſubditur.

E *De cœlo iudicium iaculatum eſt, & confeſtim terra tremuit, & quieuit.* Statim inquit, vt iudicium de cœlo iaculatum eſt, & ſententia à ſede tua proceſſit, ſtatim inquit factum eſt, quod fieri iuſſiſti. Securi erant Aſſyrij & nihil timebant, & ſubito in cœlis ſententia data eſt, & ſtatim omnes ab Angelo interfecti ſunt. Et hoc eſt quod dicit. Terra tremuit, & quieuit, Terram eos vocat, qui ſub vna hora & tremuerunt, & quieuerunt. Qua in re tam repentinam illam fuiſſe oſtendit, vt vix eis timere, & dolere licuiſſet. Sic factum eſt & in Pharaone, qui cum ſecure per medium maris rubri Dei populum perſequeretur, iudicium de cœlo iaculatum eſt & ſtatim cum omni ſuo exercitu in profundum demerſus eſt. Et multa talia reperire poterit, qui in Diuinis voluminibus quærere voluerit. *Dum reſurgeret in iudicio Deus, vt ſaluos faceret omnes quietos terræ.* Tunc inquit, contra Aſſyrios fecit Deus ea, quæ modo dicta ſunt, dum reſurgeret in iudicio aduerſus eos, qui longo tempore eorum ſuperbiam ſuſtinuerat. Surrexit tandem, vt ſaluos faceret omnes quietos terræ, per quos omnes illos intelligimus, qui in Ieruſalem clauſi F tenebantur: ibi enim erat tunc Iſaias Propheta, & Rex Ezechias, & multi alij viri religioſi. Audiamus itaque Apoſtolum dicentem. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram.* Redeant peccatores ad pœnitentiam, & ne tardent conuerti ad Dominũ, ne iudicium de cœlo iaculetur, quia iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Gaudeant & quieti terræ, quia ad hoc ſurgit Dñs quotidie in iudicio, vt ſaluos faciat omnes quietos terræ. De quibus ſubditur.

Quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Ideo, inquit, ſaluat Dominus quietos terræ, quia cogitatio quieti hominis eum laudat, & confitetur. Vnde ipſe ait. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones meos? Et reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi.* Reliquiæ cogitationum, bonæ cogitationes intelligi poſſunt, quæ aliis bonis cogitationibus ſine intermiſſione ſuccedunt. Et hæ quidem agunt Domino diem feſtum, quia ſine his nulla feſtiui- G tas eſt Deo acceptabilis. De bonis namque cogitationibus bona opera originem ducunt, ſicut è contra de malis, mala opera oriuntur.

Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius offertis munera. Vos, inquit, qui in ciuitate clauſi eſtis, & circa templum habitatis, in quo eum eſſe non dubitatis, & qui quotidie ſibi ſacrificia, & munera offertis, vt vobis eum propitium, & placabilem faciatis, vouete vota veſtra, & reddite ea Domino Deo veſtro: Quia in aliquo peccato eſt, dimittat illud, & voueat ſe non amplius eſſe facturum: vobiſcum eſt prophetarum maximus Iſaias, audite eum dicentem. *Quieſcite agere peruerſe diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, & defendite viduam.*

Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Vouete, inquit, Domino Deo veſtro, Domino forti atque terribili, qui tam ſubito aufert ſpiritum principum, & qui tam terribilis eſt apud Reges terræ. Neque dubium eſt in illo exercitu, multos H Reges, & Principes fuiſſe, ſimulque cum aliis periiſſe. Hæc autem omnia ſecundum litteram vera ſunt quæ ad ſpiritualem intelligentiam facillimè & conuenienter trahi poſſunt. Sed nos titulum ſecuti ſumus, qui ad Aſſyrios ſcriptus eſt.

IN FINEM PRO IDITHVM, Pſalmus Dauid.

PErfectionis ſunt illi Pſalmi, in quorum titulus ponitur, Idithum, qui tranſiliens cæteros, interpretatur. Et hoc quidem iam in aliis pſalmis expoſitum eſt.

Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum, Et intendit mihi.

Voce inquit, mea, per meipſum, voce interioris hominis, tota mentis intentione clamaui ad Dominum, vox mea ad Dominum iuit, & in aures eius introiuit, ſicut alibi

dicitur.

A dicitur. *Et clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius. Et Dominus intendit mihi.* Quid eſt autem, intendit mihi, niſi exaudiuit me? Sic igitur oret, qui exaudire deſiderat.

In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis. In die, inquit, tribulationis meæ exquiſiui Dominum, qui adiutor eſt in opportunitatibus in tribulatione. Sed quomodo quæſiui? manibus meis. Plus eſt manibus Dominum quærere, quam voce. Illi manibus Dominum quærunt, qui benè operando, ad eum venire contendunt.

Nocte coram eo, & non ſum deceptus: Non decipiuntur qui nocte Dominum quærunt, & in tribulationibus quærunt. *Quia iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde. Multæ tribulationes iuſtorum & de his omnibus liberabit eos Dominus.* Nam & Propheta nocte ſe Deum quæſiuiſſe oſtendit. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Itemque: *In noctibus extollite manus veſtras in*
B *ſancta, & benedicite Dominum.*

Noluit conſolari anima mea. Cum, inquit, in tribulationibus eſſem, multos habui conſolatores, quorum conſolationes recipere noluit anima mea. Sic & Beatus Iob ſuis conſolatoribus ait. *Conſolatores oneroſi omnes vos. Sic & Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari, quia non ſunt.* Carnalis igitur erat iſta conſolatio, quam vir iſte Sanctus recipere noluit. *Memor fui Dei & delectatus ſum.* Memor inquit, fui Dei, qui *ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*, & tantas pro nobis omnibus ſuſtinuit tribulationes. Et delectatus ſum, in tribulationibus meis. *Non enim ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Exercitatus ſum, & defecit pauliſper ſpiritus meus. In tali exercitio fuerat Apoſtolus qui ait: *Nolo vos ignorare fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia, quia ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Defecerat
C vtique pauliſper ſpiritus eius, quem tædebat etiam viuere. Sic igitur ſancti Martyres in agone ſuo multoties exercitabantur, vt ſpiritu pauliſper deficiente, de hac vita exire optarent.

Anticipauerunt vigilias oculi mei. Non erat mirum ſi dormire non poterat, qui in tali exercitio erat, præſertim cum Dominus dicat: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.* Vigilabat vtique & mortem potius, quam vitam optabat, quia ſatis ipſa morte duriora erant tormenta, quæ ſuſtinebat. Vnde & ſubditur: *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Quomodo enim turbari non poterat, tot, & tantis anguſtiis vndique circumſeptus? Sed in hoc eius perfectio comprobatur, quia locutus non eſt, & patienter cuncta ſuſtinuit. Saluatoris noſtri exempla ſecutus, qui *ſicut agnus ad victimam ductus non aperuit os ſuum.*

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Cogitaui, inquit, dies antiquos, & inueni, quod om-
D nes, qui piè volunt viuere in Chriſto, neceſſe eſt, vt perſecutionem patiantur ab impiis & diſſimilibus. Sic Abel, ſic Abraham, ſic Moyſes, ſic Dauid, & ſic alij ſancti ſuſtinuerunt. *Et annos æternos in mente habui.* Et cognoui & vidi, quia ſanctorum gloria erit in æternum, & malorum tormenta finem non habebunt. Hanc conſiderationem debent habere omnes boni, & hanc in ſuis ſuſcipere conſolationem. Vnde adhuc ſubditur.

Et meditatus ſum nocte cum corde meo exercitabar, & ventilabam in me ſpiritum meum. Hæc, inquit, in nocte cogitabam, hæc in corde meo tractabam, hoc erat exercitium, & ſtudium meum, & in hac tam nobili meditatione ventilabam ſpiritum meum. Egregiè dictum eſt, ventilabam, vt ſpiritus eius, qui ex indignatione ſuccenſus fuerat, ex hac meditatione tam delectabili refrigerium caperet.

Et dixi: *Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet, vt beneplacitum ſit ei adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à ſæculo, & generatione?* Nunquid *obliuiſcetur miſereri Deus aut continebit in ira miſericordiam ſuam?* Ecce qui ab aliis noluit conſolari,
E modo ſe ipſum ipſe conſolatur, & ſubinterrogatione ea confirmat, quæ quaſi negatiuè dicere videtur. Et tale eſt, ac ſi diceret: Putant ſtulti, quod nos Dominus proiecerit, & quod nimium iratus vlterius nobis non miſerebitur. Sed non eſt ita. Cito enim ſe placabilem oſtendet, qui nunc implacabilis eſſe videtur neque, vt ipſi putant, abſcidet miſericordiam ſuam vſque in finem, & ab hoc ſæculo, vſque ad futuram generationem vnde & ſubditur.

Et dixi: *Nunc cœpi.* Quid eſt, nunc cœpi? Nunc cognoui, & intellexi, quia numquam deſeret Dominus ſanctos ſuos: In præteritis, quaſi dicat cognoſcitur, quid in his, quæ futura ſunt, facturus eſt Dominus. Et hoc eſt, quod ait: *Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi. Quæ? Quia memor fui operum Domini, & quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, & quia meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & quia in obſeruationibus tuis me exercebo.* Totum hoc, inquit, eſt immutatio dexteræ
F excelſi: & totum hoc operatur dextera Domini, vt homo, ſic mutetur de primis in nouiſſima, de nouiſſimis in prima, & ſic memor fiat, & recordetur operum Domini, & mirabilium eius. In hac enim tali commutatione & meditatione, cognoſcunt, ſancti, & bonorum præmia, & malorum ſupplicia, & hoc quidem tribuit eis non modicam conſolationem. Nota hic, quomodo inter ſe commutat præterita, & futura: Memor fui, inquit, & memor ero. Et, meditatus ſum, & meditabor. Semper mirabilia Dei in memoria habenda ſunt, ſemper eius opera meditanda ſunt, & ſemper in eius mandatis & obſeruationibus nos exercere debemus.

Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter tu es Deus, quis facis mirabilia ſolus. Nunc Dei mirabilia narrare incipit, ſicut modo ſuperius ſe facturum eſſe promiſit, dicens: Quia memor ab initio mirabilium tuorum. Omnis via Dei eſt in ſancto, quia nunquam à ſanctitate & iuſtitia recedit. Poſſumus autem
G per ſanctum ipſum Dei filium intelligere, qui de ſeipſo ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et in ipſo quidem eſt via Dei, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? omnes dij gentium dæmonia Dominus autem cœlos fecit.* Et ipſe ſolus facit mirabilia, quia quæcumque omnes alij faciunt, ſi tamen bona ſunt quæ faciunt, non à ſe ſed ab ipſo faciunt.

Notam feciſti in populis virtutem tuam. Quam virtutem? *Liberaſti in brachio tuo populum tuum, filios Iſraël, & Ioſeph.* Hæc virtus, qua de Ægyptia ſeruitute populum ſuum Dominus liberauit, cunctis populis, & nationibus nota facta eſt, quia valdè glorioſa, & ſine fine memorabilis eſt. Sed non minus illa quoque laudabilis eſt, qua in brachio ſuo, id eſt, per filium ſuum, omne hominum genus de diaboli ſeruitute Dominus liberauit, hæc enim in illa ſignificata eſt, & vno eodemque brachio, & hæc & illa facta eſt. Quod autem dicit, *filios*
H *Iſraël, & Ioſeph.* Sic videtur eſſe dictum, ſicut illud in Euangelio: *Ite dicite diſcipulis eius, & Petro.* Nam & Petrus vnus de diſcipulis erat, ſicut & Ioſeph vnus fuit de filiis Iſraël: Et de Petro quidem manifeſta ratio eſt, quare nomine vocatus fuerit: de Ioſeph vero, quid aliud intelligere debemus, niſi quia omnes alij gratia Patris liberati ſunt, Ioſeph vero, ſui ipſius merito liberatus eſt? Per hos autem, omnes Chriſtianos intelligere debemus, vnum Deum videntes, & cognoſcentes, & in fide, & in bonitate cordis creſcentes. Interpretatur enim Iſraël, vir videns Deum. Ioſeph vero, augmentum, ſiue accreſcens.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, turbatæ ſunt abyſſi. Poteſt hoc intelligi iuxta litteram, quando filij Iſraël per mare rubrum ſiccis pedibus tranſierunt, aquis vtriuſque cedentibus, quod quidem inter maxima, & præclara Dei miracula connumerandum eſt. Secundum ſpiritualem vero intelligentiam, *aquæ multæ, populi multi*, qui, poſtquam Dominus populum ſuum liberauit in brachio ſuo, ab infidelitate ad fidem conuerſi, in eum crediderunt, cum viderunt,

Digitized

A & timuerunt. Abyſſi vero turbatæ ſunt, per quas huius ſæculi potentiores intelligimus, qui ſic ſunt in hoc mundo, ſicut abyſſi in medio maris. Vnde Apoſtolus ait. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi potentes inter vos, non multi nobiles, non multi ſapientes, ſed quæ ſunt ſtulta mundi elegit Deus, vt perdat ſapientiam, & quæ infirma ſunt elegit Deus, vt confundat fortia, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret.* Iſti ergo conturbati ſunt, & cum magno furore contra ſanctos inſurrexerunt. Hos autem ſecuta eſt infinita iniquorum omnium, & procelloſa multitudo. De qua & ſubditur. *Multitudo ſonitus aquarum* quid mirum ſi de abyſſi perturbatione multarum aquarum ſonitus exiit? Quid mirum ſi de ſæuitia diuitum, & potentum populi ſtulti & indiſciplinati contra ſanctos clamor erupit? Quis enim contra Saluatorem noſtrum omnem illam multitudinem concitauit, vt omnes vna voce, crucifige clamarent, niſi Principes & ſacerdotes? Sic igitur ex abyſſi conturbatione, factus eſt ſonitus aquarum multarum. B Sed non idcirco Apoſtoli, & Doctores tacuerunt, & à Chriſti prædicatione ceſſauerunt. Vnde & ſubditur.

Vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ tuæ pertranſierunt, vox tonitrui tui in rota. Valde maiores, & terribiliores ſunt voces nubium, quam voces aquarum, & valde magnum timorem, & terrorem faciunt illæ ſagittæ, quæ de nubibus exeunt: præſertim cum vox tanti tonitrui ſit in rota, & Apoſtolica prædicatio non vnam partem teneat, ſed vniuerſum in circuitu compleat mundum. Nubes enim, Apoſtoli & Doctores ſunt, quorum doctrina tota Eccleſia irrigatur & fæcundatur. Sagittæ vero eorum, ſententiæ intelliguntur, quibus vitiorum & ſpirituum iniquorum fugatur exercitus.

Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota eſt terra. Coruſcationes iſtæ, quæ de nubibus, & tonitruis exeunt, ſigna & miracula ſunt, quæ per Apoſtolos vbique fiebant. Hæc autem vidit terra, & commota eſt, quia maximè propter ſigna & miracula, quæ fiebant, omnes infideles, & increduli ad fidem conuerte- C bantur. Vnde & in Euangelio de Apoſtolis dicitur: Quia *profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. Hoc de Saluatore noſtro ad litteram intelligi poteſt, qui ſuper aquas maris ſiccis pedibus ambulauit, vbi humana veſtigia inueniri non poſſunt. Spiritualiter autem mare mundum ſignificat, ſicut iam ſæpè in aliis pſalmis dictum eſt. Aquæ vero multæ, multi populi ſunt, & hoc quidem iam ſæpè diximus. Fecit igitur Dominus viam ſibi in mari, & ſemitas in aquis multis, quoniam ex quo mundus iſte ad fidem eius conuerſus eſt, per eum inuiſibiliter ambulare, & Eccleſias ſuas vbique viſitare non ceſſat. Sicut ipſe ſuis Diſcipulis ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Veſtigia vero eius non cognoſcuntur, vel quia hoc inuiſibiliter ait, vel quia pauci ſunt, ad malorum comparationem, qui eius veſtigia imitantur. Sic D enim & de Spiritu ſancto, qui ſimiliter inuiſibilis eſt, ipſe Dominus ait: *Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocē eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat*; Vnde eius quoque veſtigia inuiſibilia eſſe monſtrantur. Si autem & ſecundū litteram de filiis Iſraël hæc intelligantur, non erit inconueniens, qui & in mari rubro, & in Iordane, vias & ſemitas habuerūt, ſicut ſacra narrat hiſtoria. Vnde & ſubditur.

Deduxiſti ſicut oues populum tuum, in manu Moyſi & Aaron. Intelliguntur autem per Moyſen & Aaron, Epiſcopi & Sacerdotes, qui populum Chriſtianum (ipſe eſt enim populus Dei) regunt & ducunt, & in terram viuentium, quæ per terram promiſſionis ſignificatur, recto itinere introducunt.

INTELLECTVS ASAPH.

VVlt Aſaph, vt iſte pſalmus ſecundum ſuam intelligentiam exponatur, & ideo ait: *Aperiam in parabolis os meum*, vt non ſecundum litteram, ſed parabolicè intelligatur. E

Attendite populus meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. In hoc pſalmo loquitur Propheta & Apoſtoli Eccleſiæque Doctores, quibus totus populus à Domino commiſſus eſt. Dicat igitur cœtus Apoſtolicus: Attendite populus meus, populus mihi ad regendum commiſſus, legem meam, legem, quam ego prædico, & cuſtodio, legem qua viuo, & pro qua, ſi neceſſe fuerit, mori non timeo. Inclinate autem veſtram, aurem videlicet cordis veſtri, vt, qui habet aures audiendi, audiat in verba oris mei, quoniam ea quæ dicturus ſum, altioris quam putantur, intelligentiæ ſunt. Vnde & ſubditur.

Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio ſæculi. Eſt autem parabola alicuius rei ſimilitudo, cum aliud dicitur, & aliud intelligitur. Quales ſunt, quæ dicuntur Parabolæ Salomonis, quales & illæ, quibus frequentiſſime in Euangeliis Dominus loquitur. F Idem autem hoc in loco, & parabolæ, & propoſitiones ſignificant.

Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis. Multa ſunt, quaſi dicat, quæ audiuimus, & audiendo cognouimus, & quæ patres noſtri narrauerunt nobis, quæ nos quoque modo vobis in parabolis nunciamus.

Non ſunt occultata à filiis eorum in generatione altera. Nos, inquit, eorum filij, non occultamus, quæ à patribus audiuimus, ſed in altera generatione ea prædicamus, per quam videlicet gentilem populum intelligimus: Quoniam qui abſcondit frumentum maledicetur in populis.

Narrantes laudes Domini & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Patres, inquit, noſtri omnia narrauerunt nobis, & laudes Domini, & virtutes Domini, & mirabilia Domini. Lege in libris Moyſi, & in aliis libris veteris teſtamenti, & omnia hæc inuenire poteris.

Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob & legem poſuit in Iſraël. Iſraël & Iacob, lex & teſtimonium, idem ſignifi- G cant. Hæc eſt illa lex, quæ per Moyſen in monte Sinai filiis Iſraël à Domino data eſt. De qua & ſubditur.

Quanta mandauit Patribus noſtris. Ad quid? *Vt notam facerent eam filiis ſuis.* Et hoc quare? *Vt cognoſcat generatio altera.* Non debet itaque neque lex neque aliqua ſcientia occultari, quæ ad hoc data eſt, vt ab aliis in alios tranſiret, & tranſeundo pluribus proficiat. Sic enim lex, quæ Iudæis data fuerat, ad gentiles vſque peruenit, & magis in hoc populo quam in illo operata eſt, & quotidie operatur.

Filij, qui naſcentur, exurgent, & narrabunt eam filiis ſuis. Filij, inquit, qui naſcentur, & noua generatione per aquam & ſpiritum renaſcentur, non erunt otioſi, non erunt pigri, vel faſtidioſi, ſed exurgent, & ad prædicandum ſe viriliter præparabunt, & narrabunt eam filiis ſuis. Hoc autem adimpletum eſt in Apoſtolis Apoſtolorumque ſucceſſoribus.

Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei ſui, & mandata eius exquirant. Hoc, inquit, filij, qui naſcentur, hortabuntur filios ſuos, vt ponant in H Deo ſpem ſuam, & non in incerto diuitiarum, non in cultura, vel reſponſis falſorum Deorum, neque in aliqua alia ſuperſtitione. *Et non obliuiſcantur operum Dei ſui*, qui tam mirabiliter de tantis periculis eos liberauit. *Et mandata eius exquirant*, & die ac nocte meditentur in eis.

Ne fiant ſicut patres eorum. Et quales fuerunt patres eorum? Audi quod ſequitur. Genus prauum & peramarum. De quibus ipſe Dominus ait: *Generatio praua atque peruerſa ſignum quærit.* Genus *quod non direxit cor ſuum*; Non direxit ad bonum, non direxit ad iuſtitiam vel ſanam intelligentiam, ſed potius retorſit & reflexit ad omnem iniquitatem. *Et non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.* Si Deo ſe non credidit, & cum Deo eſſe noluit, cui ſe credidit, & cum quo fuit? cum illis vtique quibus filios & filias immolauit. Sicut ſcriptum eſt: *Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Et hoc quidem probat

A per filios Ephraim, quia ſpiritus, & voluntas eorum non erat cum Deo.

Filij Effrem intendentes arcum, & mittentes ſagittas ſuas, conuerſi ſunt in die belli. Hoc autem, ſicut in Iſaia legitur, factum eſt in diebus Achaz Regis Iuda, quando Ephraim, qui fratres ſuos adiuuare debuerat, ſe coniunxit gentibus ad expugnandam Ieruſalem. Sed quia in parabolis iſta dicuntur, omnia hæc ad Chriſtianorum tempora referenda ſunt. Sæpè enim hoc in Eccleſia fieri videmus, vt illi, de quibus maxima ſpes habetur, & qui paratiores ad prælianduṁ eſſe videntur, in tempore neceſſitatis arma deponant, & turpiter ſe in deditionem hoſtibus tradant. De quibus bene ſubditur.

Non cuſtodierunt teſtamentum Dei ſui, & in lege eius noluerunt ambulare. Hoc autem de filiis Ephraim manifeſtum eſt, quia in diebus Ieroboam legem Domini abijcientes vitulos aureos adorauerunt, & penitus ſe ad Idololatriam tranſtulerunt: Similiter autem, & Chriſtiani multoties hæretici fiunt, & legem Dei violare non

B timent.

Et obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ oſtendit eis. Ingrati filij ſunt, & merito exhæredicandi, qui patris benefactorum obliti, eius inimicis ad ipſum patrem ſuum expugnandum ſe ſociare non metuunt præſertim illius patris cuius fidem, & doctrinam ſignis, & miraculis probatam eſſe cognoſcunt. Sed nos, dicet aliquis, mirabilia non vidimus. Ad quod ipſe. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Si tu, inquit, non vidiſti, at patres tui viderunt, quibus non minus quam tibi ipſi credere debes & teſtes tibi dedit, quia mirabilia viderunt, & regnum, in quo facta ſunt, & ipſum locum, vbi facta ſunt, vt nullatenus inde dubitare debeas. Nec vero minora miracula poſtea per Apoſtolos, alioſque ſanctos per totum mundum facta ſunt, quæ fuerunt illa, quæ tunc temporis per Moyſen in Ægypto facta leguntur. Et illa quidem miracula nihil Ægyptiis profuerunt: hæc autem mundum pænè totum ad fidem conuerterunt. Hæc autem

C contra illos dicta ſunt, qui teſtamentum Dei non cuſtodierunt, & in lege eius ambulare noluerunt.

Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in vtre. Et hæc parabola eſt, & allegoricam quærit expoſitionem. Sæpè iam diximus, quia mare mundum ſignificat: aquæ vero multæ, populi multi ſunt. Quæ vero aquæ in vtre clauduntur niſi permiſſione, erumpere non valent. Modo igitur omnes aquæ in vtre clauſæ ſunt, & quocunque volunt, ſecure vadunt Chriſtiani, neque timent vllas maris huius inundationes, & tyrannorum perſecutiones.

Et eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Quia omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.* Nubes autem, quæ eos præibat, duplex eis beneficium præſtabat: in die obumbratio, & in nocte illuminando. Hæc igitur nubes, Spiritus ſanctus eſt: Hæc nubes obumbrat populum Dei, ne carnis concupiſcentias, & vitiorum æſtum ſentiat. Vnde & B. Mariæ

D ab Angelo dicitur: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Hæc eum illuminat, & in via mandatorum Dei errare non ſinit.

Interrupit in eremo petram, & adaquauit eos velut abyſſus multa. Hæc eſt illa petra, de qua Apoſtolus ait: *Petra autem erat Chriſtus.* Hæc petra prius arundine, deinde lancea percuſſa, & vulnerata eſt, *& continuo exiuit ſanguis & aqua.* Nam & de illa alia dicitur, quod bis virga percuſſa fuerit. Tanta autem affluentia ex hac petra profluxit, vt totum mundum lauaret, & ſatiaret, & peccatorum contagione mundaret. Vnde & ſubditur.

Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Quatuor magna flumina de hac petra exierant, quibus Sancta Eccleſia irrigatur.

Et appoſuerunt adhuc peccare, in ira concitauerunt excelſum in ſiccitate.

Non fuit eis ſufficiens in aqua peccaſſe, niſi in eſca quoque ſimiliter deliquiſſent. Appoſuerunt itaque pec-

E catum ſuper peccatum, vtpote qui omni bonitate ſicci erant, & in terra ſicca tunc temporis morabantur.

Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Valde amplius peccabant, in cordibus diffidendo, quam in ore clamando, & eſcas petendo. Nam ipſi quoque eorum duces Moyſes, & Aaron ad aquas contradictionis ſimiliter peccaſſe leguntur. Vnde etiam prohibiti ſunt, ne intrarent in terram promiſſionis. Magnum igitur peccatum eſt diffidentia, & in his, quæ petuntur à Domino, ſpem non habere.

Et male locuti ſunt de Deo, & dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Hæc ſunt illa verba, quæ intus dicebant, & quibus in cordibus ſuis Deum tentabant, & ore quidem quærebant eſcas, cordibus vero dicebant, nunquid in deſerto dare nobis poterit eſcas? & eſt hoc quod ait.

Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Stultiſſimi, & inſipientes,

F nonne conuenientius erat dicere, quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, certi ſumus, & nullatenus dubitamus, quia ille, qui aquas tam affluenter dedit, etiam panes abundantiſſimè nobis miniſtrabit? Neque enim difficilius eſt Deo, de cælo dare panes, quam de petra producere aquas. In his autem, & ſimilibus admonendi ſumus, ne ſimilia faciamus. Et talis expoſitio ſufficiat nobis.

Ideo audiuit Dominus, & diſtulit, & ſuperpoſuit. Quid diſtulit Dominus, & quid facere ſuperpoſuit? Hoc videlicet quod in ſequentibus legitur. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos:* Diſtulit iram, & compleuit petitionem: vt prius Dei omnipotentiam, deinde ſuam infidelitatem, & malitiam recognoſcerent. Vnde & ſubditur. *Et ignis accenſus eſt in Iacob; & ira aſcendit in Iſraël.*

Qui non crediderunt in Deum ſuum, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Ideo, inquit, ignis iræ & indignationis Dei accenſus eſt contra Iacob, & aſcendit, ſuper filios

G Iſraël, quia neque crediderunt, neque ſperauerunt, ſicut credere, & ſperare debuerunt. Cum enim tot, & tanta ſigna, & mirabilia vidiſſent, nullatenus de Dei omnipotentia dubitare debuiſſent. Hæc aut.m per anticipationem dicta ſunt; quia ea, quæ ſequuntur, prius quã iſta, facta ſunt.

Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna manducare. Habuerunt illi ſuas nubes, ſuos cælos, & ſuum manna, habemus & nos noſtras nubes, noſtros cælos, & noſtrum manna. Valde quidem maioris digniorisque naturæ. Noſtræ nubes, & noſtri cæli, Apoſtoli ſunt, & Doctores, noſtrum manna, vtriuſque teſtamenti doctrina, & ſpiritualis intelligentia eſt. Et talis quidem cibus deſcendit à nubibus noſtris talemque panem pluunt nobis cæli noſtri. Poſſumus & per hunc panem, Chriſti corpus intelligere, de quo nimirum quotidie dicimus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* De quo pane ſubditur adhuc.

Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, frumentationem miſit eis in abundantiam, Panis

H cæleſtis eſt corpus Chriſti, panis cæleſtis, eſt intelligentia, & ſcientia ſpiritualis, tali cibo reficiuntur Angeli, & tali pane omnia ſupercæleſtia viuunt, talem & modo homines manducant, & tamen frumentationem in Eccleſia ſuſcipiunt. Hæc autem frumentatio de illo frumento fit, de quo in Euangelio Dominus ait: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Et excitauit Auſtrum de cælo, & induxit in virtute ſua Africum. Auſter, & Africus idem ſunt. De quo videlicet Auſtro alibi dicitur: *Deus ab Auſtro veniet.* Hunc autem commouit Dominus, & ſecundum ſuæ virtutis potentiam excitauit. Et ille quid fecit?

Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Prius aquas, deinde panes, poſtea vero carnes quæſierunt, nihil eſt negatum eis, ſed omnia eis abundanter ille conceſſit, qui *diues eſt in*

A

omnibus, qui inuocant eum. Super nos quoque excitatur Auſter, qui aquilonis frigus & deſidiam pellat, & corda noſtra calefaciat, & nimij frigoris immenſitate iam penè emortua reuiuiſcere faciat. Sed quid per carnes, niſi carnalis intelligentia? Et quid per volatilia pennata, niſi ſpiritualis intelligentia deſignatur? Vtramque nobis dedit Dominus, & abundanter dedit, quia vtroque modo ſcripturas intelligimus, & exponimus. Vnde & ſubditur.

Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum. Cadunt autem hæc & in medio, & circa caſtra Chriſtianorum, quia & ſapientes, & inſipientes his quotidie ſatiantur. Et hoc eſt quod dicit.

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, & non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Non maiori appetitu quæſierunt illi tunc temporis illas eſcas carnales, quam Chriſtiani modo quærunt iſtas eſcas ſpirituales: ſed aliter illi, quæſierunt, & aliter iſti modo quærunt, & ideo non eadem, neque æqualia merita recipiunt. Et de illis quidem propter infidelitatem ſuam dictum eſt, quod ſequitur.

B

Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit plurimos eorum, & electos Iſraël impediuit. Non qualeſcunque, ſed maiores, & fortiores murmuraſſe oſtendit, dum electos Iſraël impeditos dicit.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Quam ſtulti, quam increduli, & iniqui fuerint, in eo oſtenditur, quod neque miracula neque flagella eos corrigere, & dirigere potuerunt. Vnde & ſubditur.

Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Quid ſit autem, cum feſtinatione deficere, ſequentia manifeſtant.

Cum occideret eos, tunc inquirebant eum, & conuertebantur ante lucem, & veniebant ad eum. Qui enim ſic occiduntur, vtique cum feſtinatione deficiunt, & moriuntur. Quia vero ante lucem ſtabant, & ſui cordis malitiam abſcondere non poterant, ideo conuertebantur, ſed non ex corde conuertebantur. Et veniebant ad eum, non corde tamen, ſed facie, & ſimulatione veniebant.

C

Et memorati ſunt, quia Deus adiutor eorum eſt, & Deus excelſus liberator eorum eſt. Si obliti non fuiſſent, non diceretur, *& memorati ſunt.* Tale eſt & illud, quod alibi dicitur: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fides habita eſt illis in teſtamento eius. Hoc eſt enim, quod in Euangelio & per Prophetam Dominus ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Quid eſt autem, *nec fides habita eſt illis in teſtamento eius*? niſi quia non crediderunt, nec fidem habuerunt in teſtamento eius. Omnia autem hæc in parabolis dicuntur, vt nemo eos imitetur, qui ſimilia pati formidat. Qui enim ſimilia agunt, dignum eſt, vt ſimilia patiantur. In his autem Dei quoque miſericordia conſiderari debet, qui, ſicut difficilis eſt in peccatis perſeuerantibus, ita facilis & miſericors eſt conuerſis, & pœnitentibus. Vnde & ſubditur.

D

Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos. Peccator enim quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet & non morietur.

Et multiplicauit, vt auerteret iram ſuam ab eis. Quid multiplicauit Dominus, niſi miſericordiam, indulgentiam, & pietatem? Quia enim his abundabat, & plenus erat, ideo non accendit omnem iram ſuam, vt eos confeſtim interficeret pro tantis offenſis & iniquitatibus ſuis.

Et memoratus eſt, quia caro ſunt. Quæ ſemper ſpiritui reſiſtit, &, ſicut Apoſtolus ait, aduerſus ſpiritum concupiſcit. *Spiritus vadens & non rediens.* Quaſi aliquis diceret: Et ſi caro interficeretur, ſpiritus quid faceret? Ad quod ipſe: Vadens, inquit, vaderet, neque rediens rediret. Poſtquam enim à corpore ſeparatur anima, niſi Diuino Oraculo, vſque ad tempus omnibus conſtitutum, nunquam ad illud reuertetur amplius.

E

Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, in ira concitauerunt eum in terra ſine aqua. Vſque hodie qui in deſerto ſunt, & ab Eccleſia longè ſunt, & aquis ſpiritualibus non irrigantur, eum exacerbare & concitare non ceſſant.

Et conuerſi ſunt. Vnde & quo? A bono ad malum. *Et tentauerunt Deum, & ſanctum Iſraël exacerbauerunt.* Decies tunc Iudæi Dominum tentaſſe leguntur. Prima tentatio fuit in mari rubro, de qua ſcriptum eſt: *Et irritauerunt aſcendentes in mari rubro.* Secunda, de vituli creatione. Tertia, quando murmurantes dixerunt: *Quare eduxiſti nos de terra Ægypti? anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, & miſit in eos ignitos ſerpentes. Quarta, & quinta, ad aquas contradictionis, vna ante mortem Mariæ, altera poſt mortem eius. Sexta, quando manna computruit. Septima & octaua, de coturnicibus. Nona, de Chore. Decima, de exploratoribus.

F

Non ſunt recordati manus eius, qua die liberauit eos de manu tribulantis.

Cœtera deſiderantur.

FRAGMENTVM Pſalmi 81.

EXVRGE Deus iudica terram. Exurge, inquit, Deus, quem ad Patris dexteram ſedere conſpicio, veni ad iudicium, & iudica terram, damna impios & peccatores. Et ſicut vnus de principibus cadant, qui non ſurſum aſpiciunt, ſed ſola terrena & tranſitoria quærunt, ſufficiant tibi tui, illos honora, & glorifica. *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*; Nulla enim gens eſt, in qua Dominus non hæreditauerit, & in ſortem ſibi aliquos elegerit. Quia, ſicut ſcriptum eſt, *omnes gentes ſeruient ei.*

G

CANTICVM PSALMI ASAPH.

VVlt Aſaph vt iſte pſalmus cum cantico, & laudibus dicatur, in quo Dei virtus, & magnificentia, & iniquorum exterminium, & perditio prædicatur.

Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas neque compeſcaris Deus. Cum veneris, inquit, O Deus iudicare terram, ſicut in fine ſuperioris pſalmi legitur, quis erit ſimilis tibi? Veniſti quondam ſed humilis, & in forma ſerui, vidimus te non habentem ſpeciem neque decorem, venies autem clariſſimus, & potentiſſimus in ſede maieſtatis tuæ, & quis ſimilis tibi? quis non timebit te Domine? quis ſimilis Deo inter filios Dei?

Ne taceas, neque compeſcaris Deus. Tacuiſti, & ſicut agnus ſine voce ad victimam ductus, os non aperuiſti, redde eis vicem Domine. Locuti ſunt illi, & nimis ſuperbe locuti ſunt in tempore ſuo, loquere & tu in tempore tuo, cognoſcant te excelſum, qui humilem cognoſcere noluerunt.

H

Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt. Sonuerunt quidem, & ſtulte, crudeliter, & ſine ratione, crucifige clamauerunt. *Et qui te oderunt, extulerunt caput.* Sic enim in Euangelio dicitur: *Quia illudebant ei mouentes capita ſua.* Caput autem leuare, contra Dominum ſuperbire eſt.

In plebem tuam aſtute cogitauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Non ſolum, inquit, contra te, ſed & contra plebem tuam, & contra Eccleſiam tuam, & Iudæi, & omnes alij, de quibus modo dicturi ſumus, cogitauerunt malum conſilium. Et hoc aſtute, doloſe, & fraudulenter. *Et cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos*, & quid cogitauerunt, audiamus.

Dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memorabitur nomen Iſraël amplius. Notandum, quia vbicunque loquitur Aſaph, ſemper de veteri hiſtoria parabolas ponit, vt ea, quæ antiquis Patribus acciderunt,

parabolicè ad Eccleſiam transferamus. Sicut in hoc loco, vbi Iſraël pro Eccleſia ponitur, eiuſque aduerſarij, pro Eccleſiæ perſecutoribus accipiuntur. Hoc enim Eccleſiæ aduerſarij, non ſolum cogitauerunt, & dixerunt, verum etiam facere conati ſunt, vt Chriſtianorum nomen omnino de memoria hominum tolleretur. Vnde & ſubditur.

Quoniam cogitauerunt conſenſum in vnum. Cogitauerunt, inquit, & conuenerunt in vnum conſenſum: malum vtique atque peruerſum, vt Eccleſiam deſtruerent, & ſanctos Dei interficerent, & fidem Catholicam omnino delerent.

Aduerſus te teſtamentum diſpoſuerunt. Qui? *Tabernacula Idumæorum,& Iſmaëlitarum, Moab & Agarreni Gebal & Amon, & Amalech, & alienigenæ cum habitantibus Tyrum,* & cætera. Quæ ſequuntur, Per hos autem, qui Iudæorum populum quondam grauiter perſecuti ſunt, eos intelligimus, qui Eccleſiam Dei vſque hodie perſequuntur. Nam & Iudæi male legem interpretantes, & hæretici, & pagani aduerſus Dominum ſuum teſtamentum diſpoſuerunt: omneſque alij, qui nouam Doctrinam introducunt, aduerſus Dominum aliud teſtamentum facere diſponunt. Sed videamus modo, qui ſunt iſti, qui ſanctam Eccleſiam perſequuntur. Primum quidem, *tabernacula Idumæorum,* qui terreni interpretantur: per quos omnes illos intelligimus, qui non animæ ſed corpori ſeruiunt, & ſola terrena & tranſitoria diligunt. A quibus non differunt, *Iſmaëlitæ,* qui ſibi obedientes interpretantur, ſibi autem obedientes ſunt, qui cordis ſui deſideria ſequuntur, & quocunque voluntas eos duxerit,ire non erubeſcunt. *Moab* vero,qui,ex patre, interpretatur, furtiua & illicita coniunctione in ebrietate conceptus eos ſignificat, qui Eccleſiæ Sacramentis ab hæreticis generantur, tales enim, bonos parentes habere videntur,ſed ex patre diabolo eſſe probantur. Sed quid per *Agarrenos,* qui extranei dicuntur,niſi eos intelligamus, qui ab Eccleſia longe ſunt, & ſanctorum fidem & doctrinam recipere nolunt? *Gebal* vero vallis vana dicitur, per quam ſteriles,& infructuoſi, & falſam humilitatem ſimulantes, ſignificantur. At vero *Amon,* qui, populus turbidus interpretatur, hæreticos deſignat, ſicut,& frater eius *Moab,* de quo modo ſuperius diximus. Turbidi enim ſunt hæretici, nihil puritatis in ſe habentes. Sunt autem, & ebrietatis, & fornicationis filij, vtpote inſani, & in errore generati. Per *Amalech,* autem, qui populus brutus dicitur, homines ſtultos & indiſciplinatos intelligimus, qui voluptatem ſummum bonum eſſe putantes, ſimul animam cum corpore mori arbitrantur. *Alienigenæ* vero illi ſunt, qui idola colentes nullam Dei cognitionem habent. *Tyri* autem *habitatores,* nauigiis & negotiationibus dediti fuerunt, quos Propheta tam diuites fuiſſe deſcribit, vt aliarum ciuitatum principes eſſe potuiſſent. Scribit etiam de Rege Tyri, quem omni lapide pretioſo decoratum fuiſſe dicit. Sed ideo cecidit,quia in nimiam ſuperbiam ſe erexit. Tyrus igitur mundum ſignificat, eius vero habitatores, diuites & potentes huius mundi intelliguntur. Quod itaque aduerſus teſtamentum Dei ſupradictas gentes, ſimul cum habitantibus Tyrum veniſſe dicit, Hoc eſt intelligere, quia non ſolum multæ prouinciæ & nationes,ſed totus mundus generaliter contra Eccleſiam coniurabit. Sed quid mirum? cum ipſe diabolus eorum princeps eos regeret, & ſecundum ſuam voluntatem dirigeret. Hoc eſt enim quod ſequitur.

Etenim Aſſur ſimul venit cum illis. Aſſur quippe, dirigens, interpretatur: Nullos autem alios diabolus dirigit ad ſe niſi eos quos à via veritatis retorquet & aberrare facit. *Facti ſunt in ſuſceptionem filiis Loth:* Omnes inquit, iſti de quibus ſuperius locuti ſumus, facti ſunt in ſuſceptionm & in adiutorium filiis Loth, per quos, hæreticos ſignificari diximus. Eccleſiæ inimici maximi, & principales hæretici ſunt, & idcirco quicunque Eccleſiam perſequuntur, hæreticorum adiutores fiunt; nunc autem eos excommunicat, & magnis imprecationibus eis maledicit.

Fac illis ſicut Madian, & Siſara, & ſicut Iabin in torrente Ciſon. Omnes iſti diſperierunt in Endor, facti ſunt ſicut ſtercus terræ. Madian, interpretatur de iudicio: Siſara, gaudij excluſio: Iabin, ſapiens: Ciſon, duritia eorum: Endor vero, fons generationis. Madian itaque eos ſignificat, qui de iudicio miſeri exibunt. Siſara vero, eos ſignificat, à quibus omne gaudium excludetur, & ſemper in doloribus erunt. At vero Iabin, ſapientes huius ſæculi oſtendit, qui apud Deum ſtulti eſſe dicuntur. Omnes autem iſti peribunt in Ciſon & Endor, id eſt, in duritia ſua. Et ipſo fonte ſuæ generationis, per quod originale peccatum intelligimus, à quo qui Chriſti ſanguine liberatus non fuerit, procul dubio in æternum peribit. Hoc bellum ſub Barach & Debbora vxore eius factum eſt.

Pone Principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee & Salmana, omnes Principes eorum, qui dixerunt, hæreditate poſſideamus nobis ſanctuarium Dei. Hi quatuor Principes ſub Gedeone mirabili prælio ſuperati ſunt. Interpretatur autem Oreb, foramen, Zeb, lupus: Zebee, victima: Salmana,vmbra prohibendi. Per Oreb, eos intelligimus, qui vndique perforati, nullum vitiis, & malignis ſpiritibus ingrediendi obſtaculum opponunt. Zeb autem,rapaces, & prædatores ſignificat. Zebee vero diaboli martyres ſunt, qui ſe viciſſim interficiendo quotidie ei vbique immolantur. At vero Salmana, hypocritas deſignat, qui nihil aliud ſunt niſi vmbra, ſimulatio, & multoties ea, quæ prohibere videntur, vehementer fieri optant. Ad horum igitur ſimilitudinem, omnes illos perituros eſſe, dubium non eſt, quicunque ſanctuarium Dei, Dei hæreditatem non timent, & id, quod Diuini iuris eſt, ſibi vendicare non formidant. Et merito horum talium Principes hoc in loco ſpecialiter maledicuntur, ſiue quia ſuo malo exemplo ad hoc ſcelus cæteros impellunt: ſiue, quia inde eos per potentiam non expellunt.

Deus meus pone illos, vt rotam. Vt celerrimo & præcipiti curſu: ſubito ad inferiora terræ deuoluantur: *Et ſicut ſtipulam ante faciem venti,* quatenus violento malignorum ſpirituum turbine ad perditionem, mortemque trahantur. *Et ſicut ignis, qui comburit ſyluas, velut ſi flamma incendat montes, ita Perſequeris eos in tempeſtate tua, & in ira tua conturbabis eos.* Bene autem ſyluis comparantur, quia multi ſunt: & montibus quia ſuperbiæ ſpiritu tumidi ſunt, quibus, vt in Euangelio legitur, ignis æternus & flamma inextinguibilis præparata eſt.

Imple faciem eorum ignominia. Et reuera ignominia, & talibus maledictionibus digni ſunt, qui Sanctuarium Dei eiuſque miniſtros ita conculcant, ſibique ſubijciunt, & in tantis contumeliis afficiunt. Lege omnes Diuinas ſcripturas, & nullos alios inuenies ita excommunicatos, & maledictos, ſicut illos, qui Eccleſias affligunt,& qui cogitare, & dicere non metuunt *Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei.* Omnes enim iſti ſacrilegi ſunt, & nos ſcimus, quia omnes ſacrilegi, excommunicati, & maledicti, & damnati ſunt. Hoc eſt enim quod hic dicitur. *Imple facies eorum ignominia,* & quando iſti quærent nomen tuum, dicentes, Domine Domine, tunc confundantur æterna confuſione, & conturbentur, non ad horam, ſed in ſæculum ſæculi. Et reuereantur, & pereant. Et tunc tandem *cognoſcent quoniam nomen tibi Dominus:* quem ſub tantis interdictis, tantis prohibitionibus, tantis excommunicationibus, & maledictionibus offendere non timuerunt.

Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Tunc, inquit, quando ad iudicium venies Dominus, omnes, & amici, & inimici *cognoſcent, quoniam nomen tibi Dominus,* & quoniam *tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.* Et tunc ô Deus, quis ſimilis erit tibi? *Ne taceas neque compeſcaris Deus, quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui te oderunt, extulerunt caput.* Tu quidem altiſſimus es, ipſi tamen malo ſuo caput extollere non timuerunt.

A

IN FINEM PRO TORCVLARIBVS filiis Chore.

IN finem referatur iſte pſalmus, ad Chriſtum videlicet, de quo hic dicitur. *Et reſpice in faciem Chriſti tui.* Eſt autem pro torcularibus, quorum ſuaui nouoque vino ſancti inebriati, omnium terrenorum obliuiſcuntur, & ſola Dei tabernacula videre, & intrare concupiſcunt. Detur autem ad cantandum filiis Chore, id eſt populo Chriſtiano, qui magis gloriatur de Caluariæ loco, quam de tota Ieruſalem: Chore namque Caluaria interpretatur. Alij itaque dicantur filij Sion: nos autem filij Caluariæ nominamur, & ſumus.

Quam amabilia ſunt tabernacula tua Domine virtutum, concupiuit, & defecit anima mea in atria Domini. Hæc ſunt illa tabernacula, de quibus Dominus ait, *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Vnde Apoſtolus dicit: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum,* B *per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, &c.* Sunt igitur tabernacula & multa & vnum, quia & multæ manſiones in vna domo continentur. Ad hæc autem tabernacula, & horum tabernaculorum atria ſancti Dei venire cupientes, nimio deſiderio deficiunt. Sed quibus deficiunt? Omnibus mundi huius voluptatibus, & quæcunque in hoc mundo haberi vel deſiderari poſſunt.

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Optima ſpes reſurrectionis, quod animam ſuam, quæ per cor ſignificatur, & carnem ſuam in Deum viuum exultaſſe dicit, quoniam ad ipſum, & ad eius tabernacula ſe venire confidunt. Sed quid mirum ſi viri ſancti, & Deo amabiles ad illa tabernacula feſtinant, cum paſſer, & turtur, parua animalia, domos, & nidos ſibi quærant, & inueniant? Hoc eſt enim quod dicit: *Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos: Altaria tua Domine virtutum, Rex* C *meus, & Deus meus,* non inuenient ſibi, ſubauditur, domum & tabernaculum vbi ponantur & ſtabiliantur? Altaria Dei, dicuntur ſancti, quia Deo conſecrati ſunt, & in eis habitat Deus, in eis quotidie fiunt holocauſta & ſacrificia Dei. Vnde Apoſtolus ait: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*

Beati qui habitant in domo tua Domine. Ideo, inquit, tanto deſiderio in domum tuam ſancti venire, & habitare deſiderant, quia ſciunt eos eſſe beatos, qui habitant in domo tua. Vnde & hic idem Propheta alibi dicit; *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Vnde autem ſit illa beatitudo, audiamus. *In ſæculum ſæculi laudabunt te*; Ab omnibus itaque occupationibus, & fatigationibus expediti, ſolis Dei laudibus, & iubilationibus vacabunt. Et hoc eſt quod ipſi deſiderant, vt Deum omni tempore, & ſine intermiſſione laudare, & benedicere valeant. Qui D autem habet quod deſiderat, beatus eſt. Et hoc quidem in hac vita nullus hominum habere poteſt.

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te Domine. Beatus, inquit, eſt ille vir, cui in hac vita ſic auxiliaris, vt ad illam domum tuo adiutorio conſcendere poſſit. Nemo enim venit ad te, niſi tu traxeris eum. *Aſcenſus in corde eius diſpoſuit.* Vbi? *in conualle lacrymarum. Et in loco quem diſpoſuiſti ei*; Conuallis lacrymarum, & locus laboris, & certaminis à Deo nobis diſpoſitus, hic mundus eſt. Hic igitur pro peccatis plorandum eſt, quia *beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Hic in vinea Dei laborandum eſt, quia, qui laborauerit mercedem recipiet. Hic contra vitia, & malignos ſpiritus totis viribus certandum eſt, quia *nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Diſponamus, & ordinemus aſcenſiones in corde noſtro, & quoſdam gradus nobis faciamus, per quos de hac valle in illum montem, vbi eſt illa domus, aſcendere valeamus. Si diſpoſuiſti ieiunare, vnum gradum feciſti; ſi diſpoſuiſti eleemoſynas dare, alterum feciſti, ſi diſpoſuiſti debitoribus tuis debita dimittere, & omnibus in te peccantibus E indulgere, & hic gradus eſt. Iſto igitur modo illa ſcala conficitur, qua de hac valle profundiſſima in cœlum aſcenditur. Qui autem hoc fecerit beatus erit. Vnde hoc ſequitur.

Ecce enim benedictionem dabit, qui legem dedit, ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Qui, inquit, hanc legem dedit, & hunc ad ſibi ſeruiendum locum diſpoſuit, ipſe dabit, & benedictionem, qua ad beatitudinem perducamur. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Et tunc quidem *videbitur Deus Deorum in Sion,* in illa videlicet Sion, quæ dignè ſatis ſpeculatio interpretatur. Sed à quibus videbitur? ab illis, qui ambulabunt de virtute in virtutem, & qui per illam ſcalam aſcendent, de qua modo ſuperius diximus. Pulchra via eſt, de virtute in virtutem ambulare, de fide in ſpem, de ſpe in charitatem, de charitate in humilitatem, de humilitate in patientiam, de patientia in obedientiam, de obedientia in continentiam, & ſic tranſire F de virtute in virtutem, donec veniatur ad ſummam virtutem, id eſt, ad Saluatorem noſtrum, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia.

Domine Deus virtutum exaudi precem meam, auribus percipe Deus Iacob. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: Vt quolibet modo ad te conſcendere valeam, exaudi orationem meam, quia aliter ad te venire non poſſum. Per Iacob, illi intelliguntur, qui vitia ſuperant, malignos ſpiritus ſupplantant, & tales quidem in Dei militia non immerito computantur.

Protector noſter aſpice Deus, & porrige manum ad te venientibus, quia niſi tu traxeris nos, in hoc itinere tam arduo, ſine dubio deficiemus. *Et reſpice in faciem Chriſti tui,* qui ideo homo factus eſt, ideo noſtræ humanitatis formam ſuſcepit, vt vbi ipſe eſt, & nos ſimus, & Regem noſtrum, noſtræque humanitatis participem ſemper videamus, & videndo gaudeamus.

Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. G Ideo, inquit, in illam domum, vel in arcam illius domus tanto deſiderio intrare feſtino, quia melior eſt dies vna, vna quidem, quia finem non habebit, *nox* enim, ſicut ſcriptum eſt, *non erit illic*, melior, inquit, eſt dies vna, non dicam in domo tua, ſed foris in atriis domus tuæ, ſuper millia, vbicunque fuerint. Nihil igitur ſunt omnia quæcunque ſunt, & vbicunque ſunt, ad illius beatitudinis comparationem.

Elegi abiectus eſſe in domo Domini, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quamuis ſtella ibi differat à ſtella in claritate, nemo tamen ibi abiectus erit, ſed magis iſte ibi deſiderat minimus eſſe, qui in hoc mundo potentiſſimus eſſe, vbi non ſunt niſi tabernacula peccatorum, ſiquidem ſanctorum conuerſatio in cœlis eſt.

Quoniam miſericordiam, & veritatem diligit Dominus, gratiam, & gloriam dabit Deus. Et gratiam quidem dabit peccatoribus, quia miſericors eſt, gloriam vero pœnitentibus, ſibique ſeruientibus, quia verax eſt. H Illi ſola miſericordia ſaluantur, iſti pro victoria coronantur, aliter autem neque miſericors neque verax dici potuiſſet.

Dominus non priuabit bonis ambulantes in innocentia. Illi ſunt ambulantes in innocentia, quibus Apoſtolus dicit: *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* Et quibus Dominus ait; *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Et: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Cui enim nocebit, qui ipſos ſuos diligit inimicos? Tales autem non priuabuntur, bonis, ſed æternis cum Domino deliciis perfruentur *Domine Deus virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.* Et ideo beatus, qui in domo tua habitabit. Ipſe eſt enim cui dicitur; *Spera in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

IN FINEM FILIIS CHORE.

MVlta bona in hoc pſalmo promittuntur, & dantur filiis Chore, quia ipſi ſoli ſunt, quibus Chriſti Incarnatio, & Paſſio fructuoſa fuit.

Pſalmus Dauid.

Ipſe Dauid loquitur in hoc pſalmo, & ſic de futuris quaſi de præteritis loquitur, & dicit Dominum in aduentu filij ſui terram ſuam benedixiſſe, & de diaboli captiuitate liberaſſe.

Benedixiſti Domine terram tuam. In aduentu inquit filij tui benedixiſti Domine terram tuam, quæ adhuc ſub maledictione illa iacebat, qua primo homini dictum fuerat; *Maledicta terra in opere tuo.* Tuam inquit terram benedixiſti, illam videlicet, quæ in te credit, tibique ſeruit, alia vero adhuc ſub antiqua benedictione manet.

Auertiſti captiuitatem Iacob. Illius vtique Iacob, qui Patris benedictionem ſuſcipere meruit, per quem populus Chriſtianus ſignificatur, qui Chriſti ſanguine, & aqua baptiſmatis de diaboli captiuitate liberatus eſt.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. De populo Chriſtiano loquitur, cui ſimul cum originali peccato omnia peccata in baptiſmo remittuntur. Vnde & alibi dicitur: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Mitigaſti omnem iram tuam. Tanta erat ira, & indignatio Dei vſque ad id temporis, vt ipſi quoque Patriarchæ & Prophetæ neceſſario in infernum deſcenderent. *Auertiſti ab ira indignationis tuæ;* Auertiſti, inquit, te ab ira indignationis tuæ, & quos prius videre nolebas, nunc quaſi filios chariſſimos amplexaris.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Quoniam quidem, inquit, tu gratuita bonitate tua conuerſus es ad nos, & eos, qui multum te offenderunt, reſpicere dignaris, conuerte nos quoque ad te, quia viæ noſtræ prauæ ſunt, per quas incedere ſoliti ſumus; Tu enim es Deus Saluator noſter, & in te ſolo conſiſtit tota ſalus noſtra. *Et auerte iram tuam à nobis, vt non in æternum iraſcaris nobis.* Sic, inquit, conuerte nos ad te, & ſic auertas iram tuam à nobis, vt nunquam amplius iraſcaris nobis. Nunquam enim fit, quod in æternum non fit. Vnde & ſubditur.

Neque extendas iram tuam à progenie in progenies. Fuiſti, quaſi dicat, iratus primis, rogamus te ne iraſcaris nouiſſimis. Satis tibi ſit, quod præcedens progenies ſenſit iram tuam, amodo ea progenies, quæ ſecutura eſt, inueniat miſericordiam tuam. *Deus tu conuertens viuificabis nos,* qui nequaquam, niſi conuerteres, viuificares nos. Nemo enim viuificabitur, niſi quia prima conuerſatione conuerſus fuerit. *Et plebs tua lætabitur in te,* tota penitus ab omni via mala conuerſa ad te. Et quia hæc tanta conuerſio, & immutatio niſi per aduentum filij tui fieri non poteſt, veniat iam nunc diu deſideratus, tantoque tempore exſpectatus. Et hoc eſt quod ait.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. In eo enim oſtendit Dominus miſericordiam ſuam, quia dedit nobis ſalutare ſuum. Hæc miſericordia omnes alias miſericordias ſuperauit, quia *proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Oſtendit quam miſericors eſſet, dum modum miſericordiæ ſuperaſcendit. Cum autem hæc propheta tractaret, ſubito ſenſit Dominum in ſe loquentem, ſuæque petitioni reſpondentem, & ait.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Dominus ergo eſt, qui loquitur in Prophetis, & ea, quæ Prophetæ dicunt, non ſunt Prophetarum, ſed Dei. Vnde & diſcipulis Dominus ait: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris mei, qui loquitur in vobis: Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertentur ad ipſum.* Quid eſt autem, loquetur pacem in plebem ſuam, niſi quia dabit pacem populo ſuo, & ſanctis ſuis? Inde enim in Chriſti natiuitate voces Angelorum auditæ ſunt, dicentium: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod enim dicitur, *hominibus bonæ voluntatis,* hoc eſt quod hic dicitur, *& in eos, qui conuertentur ad ipſum:* Aliis enim non datur hæc pax niſi his, qui bonam voluntatem habent, & qui ad ipſum conuertuntur, per quos videlicet ſoli Chriſtiani ſignificantur. Quid ergo de Iudæis fiet, qui ad ipſum conuerti noluerunt? Audi Apoſtolum dicentem: *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël: Non enim repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* Ex parte populus ille inconuertibilis fuit, multi tamen ex eis in Chriſtum crediderunt, quorum gratia & inter eos naſci, & prius ad eos venire, & prius eos prædicare Dominus voluit. De quibus ſubditur.

Verumtamen prope eſt timentibus eum ſalutare ipſius. Quamvis, inquit, maxima pars illius populi Dei filium recipere noluit, *verumtamen prope eſt timentibus eum ſalutare ipſius.* Neque enim iuſtum eſſet, vt propter malos, bonos abiecerit, & propter inimicos, amici & timẽtes eum, perirent. Propter igitur illos paucos eum timentes & in eum credentes, factum eſt, *vt inhabitet gloria in terra noſtra:* Inde enim beatiſſima Virgo Maria, inde & Apoſtoli fuerunt, de quorum gloria maxima & principali tota Eccleſia lætatur. Hinc eſt autem quod per Prophetam dicitur: *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, velut Sodoma eſſemus, & velut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.*

Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax complexæ ſunt ſe. In Chriſti namque natiuitate, & in eius glorioſiſſima humanitate euenerunt, ſeſeque viciſſim complexæ ſunt, miſericordia & veritas, iuſtitia & pax, omneſque aliæ virtutes, quia nihil fuit bonitatis, nihil fuit virtutis & honeſtatis, quod in ipſo non fuerit: Quoniam, ſicut Apoſtolus ait, *in ipſo requieuit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Ipſe denique eſt miſericordia, ipſe eſt veritas & iuſtitia, ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Et hæc quidem *veritas de terra orta eſt, & hæc iuſtitia de cœlo proſpexit;* Beata Virgo Maria, & terra vocatur & cœlum, terra per naturam, cœlum per gratiam, terra, quia de terra facta eſt, cœlum, quia Dei habitatio eſt. Veritas igitur de terra orta eſt, quia Saluator noſter de Virgine natus eſt, ipſe enim & via eſt & veritas & vita. Et iuſtitia de cœlo proſpexit, quia idem ipſe Saluator noſter, qui de ea natus eſt, quæ & cœlum vocatur & terra, mundum iſtum miſericorditer reſpicere, & impios & peccatores iuſtificare dignatus eſt. Bene autem cœlum dixit, quam terram vocauerat, ne tantæ perſonæ iniuriam tali nomine feciſſe videretur.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Certiſſime, inquit, credite, & nullatenus dubitare velitis, quia reuera Dominus dabit benignitatem, &, ſicut per me ipſum, & per alios Prophetas promiſit, in tempore præfinito mittet nobis filium ſuum, & terra noſtra, ſicut modo dixi dabit fructum ſuum. Felix terra quæ talem fructum dedit, feliciſſima Virgo quæ talem filium genuit.

Iuſtitia ante eum ambulabit. Iuſtitia, inquit, ante eum ambulabit: Quia in omnibus iuſtitiam ſequetur, & in nullo à iuſtitia deuiabit. Vnde & ſubditur: *Et ponet in via greſſus ſuos;* In via namque iuſtitiæ greſſus ſuos ponunt, qui per viam iuſtitiæ incedunt. De qualibus Dominus ait: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

IPSI ORATIO DAVID.

DAuid Propheta in perſona totius Eccleſiæ, loquitur ipſi Dauid, qui veraciter vocatur Dauid, ideſt manu fortis. De quo alibi dicitur: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Inclina Domine aurem tuam ad me, & exaudi me, quoniam egenus, & pauper ſum ego. Iſte pſalmus planus eſt & totus deprecationibus plenus, neque eget multa

expoſitione.

expoſitione. Sed *beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Diuitibus autem quid dicitur? *Væ vobis diuites, qui habetis conſolationem veſtram.* Ecce enim iſte, qui hic loquitur, quoniam egenus & pauper eſt, inde præcipue ſe exaudiri ſperat. Hinc eſt enim, quod Apoſtolus ait: *Præcipe diuitibus huius ſæculi, non ſuperbe ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.* Quam enim ſpem in Deo habere poſſunt, qui in incerto diuitiarum ſpem ſuam ponunt; Pauperes ſunt, qui nihil habent. De quibus Apoſtolus ait: *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Egeni vero illi dicuntur, qui & multis egent, & paucis & minimis contenti ſunt. De illis itaque hæc intelligamus, qui ſua ſponte egeni, & pauperes ſunt.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Qui ſanctus eſt, dignus eſt, qui à Domino cuſtodiatur. Sed ego omnes illos ſanctos intelligo, qui ſacramentis Eccleſiæ ſanctificati, fidem tenent, & ab Eccleſia non recedunt, quamuis peccatores eſſe videantur. Sic enim & in legibus habetur, de locis Domino dedicatis, ſi deſtruantur, ſacer tamen permanet locus. *Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te,* Et hic ſimiliter ratio redditur, cur eum Dominus ſaluare debeat, dum dicit: *Sperantem in te.* Certum eſt enim, quia ſpes non confundit, & quia nunquam deſerit Dominus ſperantes in ſe.

Miſerere mihi Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Longo tempore ſe clamaſſe oſtendit, in eo, quod tota die ſe clamaſſe dicit. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Sine intermiſſione orate.* Et Dominus in Euangelio *Petite*, inquit, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Et alibi dicitur: *Quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Apparet igitur in his verbis, quantum poteſt violenta & diuturna oratio.

Lætifica animam ſerui tui, quia ad te Domine leuaui animam meam. Digna eſt illa anima lætificari, quæ Domino offertur, & præſentatur. Bonis actionibus leuatur anima ad Deum, ſicuti malis mergitur in infernum.

Quoniam tu Domine ſuauis; & mitis es, & copioſus in miſericordia omnibus inuocantibus te, auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. Iam non quærit, vt ex ſuis factis, ſed ex ſola Dei bonitate exaudiatur: Exaudi, inquit, orationem meam, & deprecationem meam. Quare? Quia ſuauis es, quia mitis es, & peccatoribus ad te conuerſis benignus es: Inſuper & copioſus es in miſericordia omnibus inuocantibus te. Multi ſunt inuocantes & miſericordiam poſtulantes, ſed miſericordia tua copioſior eſt, quam vel dici vel cogitari poſſit.

In die tribulationis meæ clamaui ad te quoniam exaudiſti me. In multis, inquit, tribulationibus meis expertus ſum benignitatem tuam, quia in die tribulationis meæ ſemper clamaui ad te, & confidenter clamaui, quoniam ſemper exaudiſti me. Hoc autem Dii gentium facere non poſſunt, neque in ſuis tribulationibus ad ſe clamantes exaudire valent. Et hoc eſt quod ait.

Non eſt ſimilis tibi in Diis Domine, & non eſt, qui facere poſſit ſecundum opera tua. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit: Ideoque *omnes gentes, quaſcunque feciſti,* relictis diis ſuis, qui eos adiuuare, & de tribulationibus liberare non poſſunt, *venient ad te, & adorabunt coram te Domine, & honorificabunt nomen tuum.* Hoc autem maxima ex parte iam factum eſt, & adhuc circa finem ſæculi futurum eſt, quando plenitudo gentium intrabit, & quando Iſraël ſaluus fiet. Et hoc merito.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus. Si illi, inquit, dij eſſent, adorandi, & honorandi eſſent: ſed quia tu ſolus Deus es, tu ſolus magnus, & faciens mirabilia, tu ſolus honorandus, & adorandus es.

Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. In via Dei ſunt omnes fideles, ſicut in via diaboli ſunt omnes infideles. Indigent tamen, vt à Domino deducantur, & eius auxilio ſuſtineantur, quatenus ſemper in veritate ambulare valeant, & nullatenus ad errorem trahantur.

Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Initium ſapientiæ, timor Domini. Vnde & alibi dicitur: *Time Deum & obſerua mandata eius, hoc eſt enim omnis homo:* Illa corda timent Deum, quæ ſpirituali ſunt lætitia perfuſa, quæ vero ſpirituali lætitia perfuſa ſunt, iam non terrena ſed cœleſtia diligunt & ſperant. Quid eſt igitur, *lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum,* niſi da mihi cor perfectum, & tui amoris lætitia plenum? Hoc autem ſi feceris, & tale cor ſi mihi dederis, *confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & honorificabo nomen tuum, in æternum.* Vnde hoc?

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eripuiſti animam meam ex inferno inferiori. Magna quidem miſericordia eſt, quæ ex inferno inferiori animam liberat. Sicut in illa ſuperna beatitudine, alij ab aliis differunt in gloria, ita in inferno alij ab aliis in tormentis differunt. Illæ igitur animæ liberantur ex inferno inferiori, quæ ex maioribus, & grauioribus tormentis liberantur, non quod ibi aliquando fuerint, ſed quia ibi futuræ eſſent, niſi gratia Dei liberatæ fuiſſent.

Deus iniuſti inſurrexerunt in me, & Synagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te ante conſpectum ſuum. Siue Dauid, ſiue Eccleſia, conqueritur hic de aduerſariis ſuis. Verum eſt, quod dicunt, quia & iniuſti inſurrexerunt aduerſus eos, & ſine Dei reſpectu, & timore, animas eorum perdere quæſierunt Nam & Dauid à Saule, & aliis iniquis, qui cum eo erant: Et Eccleſia à tyrannis, & hæreticis multas perſecutiones paſſa eſt.

Et tu Domine Deus meus miſerator, & miſericors, patiens, & multum miſericors, & verax: reſpice in me, & miſerere mei, da poteſtatem puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ. Hæc tanta verborum inculcatio, magnæ ſubiectionis, magnique amoris ſignificatio eſt, multumque ei placere deſiderat, quem tam laudabili, vt ita dixerim alloquitur adulatione. Dedit autem Dominus poteſtatem puero ſuo Dauid etiam in hac vita, quia Regem, & valde potentem eum conſtituit, & ab omnibus inimicis ſuis eum ſaluauit. Similiter autem & Eccleſiæ filiis, quæ in hoc loco eius ancillæ vocantur, magnam ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, poteſtatem Dominus tribuit.

Fac mecum Domine ſignum in bonum, vt videant, qui me oderunt, & confundantur. Multa ſigna fecit Dominus cum ſanctis ſuis, & omnia in bonum, quia maxime propter ſigna, quæ fiebant, ad fidem gentiles conuertebantur. Quæ quidem maligni ſpiritus, & alij eorum inimici videntes, confundebantur, magnoque dolore, & inuidia torquebantur. Facit autem Dominus etiam cum peccatoribus ſignum in bonum, quando eos Diuina inſpiratione ad ſe conuertit, & duram pænitentiam agere facit. Et fit multoties alicuius impij, & ſcelerati hominis tam ſubita commutatio in bonum, vt pro ſigno, & miraculo habeatur. Vnde bene per Prophetam dicitur: *Conuertetur libanus in Chermel.* Dicat itaque quilibet peccator: Fac mecum Domine ſignum in bonum, quatenus omnes boni admirentur, & gratias tibi agant de mea conuerſione, & videant, qui me oderunt & confundantur, & inde confundantur, *quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.*

FILIIS CHORE. PSALMVS CANTICI.

HVnc pſalmum cantant filij Chore, læti, quia prius in Caluariæ loco Eccleſia ædificatur, de qua hic dicitur; *Fundamenta eius in montibus ſanctis* Quia vero hic pſalmus cantici eſt, non legendus, ſed cantandus eſt, vt in eo maiori lætitia plenum eſſe intelligamus, quia non legi, ſed cantari iubetur.

A deſiderio tamen; & bona intentione facere poſſumus. Si enim deſiderium non oraret nequaquam diceretur. *Deſideria cordis eorum audiet auris tua.*

Et erit firmamentum in terra. Quid eſt enim firmamentum erit in terra, niſi cœlum erit in terra? Hoc enim dicit Moyſes: quia *vocauit Dominus firmamentum cœlum.* Bene autem firmamentum vocatur Dominus, quia in ipſo eſt & ſol & luna, & ſtellarum omnium pulchritudo. Et ipſe quidem eſt firmamentum in terra. Quia in ipſo firmata & fundata eſt Eccleſia, ſicut Apoſtolus ait. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod eſt Chriſtus Ieſus. In ſummis montium ſuper extolletur.* Nullus mons tam altus, nulla poteſtas tam excelſa quæ ei non ſubijciatur, & inferior non ſit. Vnde & in alio pſalmo dicit: *Vt quid ſuſpicitis montes vberes? mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare? Super libanum fluctus eius.* Per libanum, qui candidatio interpretatur, Ieruſalem intelligitur, quæ inter alias ciuitates pulcherrima, & nobiliſſima fuit. De qua B Zacharias Propheta ait: *Aperi libane portas tuas, & deuoret ignis cedros tuas.* Quia igitur iſte mons, in ſua ſuperbia ſtetit, & ſicut cæteri montes Saluatori noſtro humiliare ſe noluit, ideo ſuper libanum fluctus, tempeſtates, inundationes, ira & indignatio Dei deſcendit, & deſcendet. *Et florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.* Ipſe Propheta ſua verba exponit, & quem montem dixerat, ciuitatem vocat: Et florebunt, inquit de ciuitate turpiter expulſi, & violenter extracti, ſicut fœnum terræ, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur.

Et erit nomen eius benedictum in ſæcula. Legamus in Euangelio, & audiamus benedictionem matris, & filij. *Benedicta tu*, inquit, *inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*: Hæc benedictio non habebit finem, ſed permanebit in æterna ſæcula. *Et ante ſolem permanebit nomen eius, & ante lunam ſedes eius*: Si, *ante*, hoc in loco tempus ſignificat, non eſt magnum, quod dicitur, cum arbores & herbas ante ſolem & lunam C fuiſſe legamus. Sic igitur intelligatur, vt ſuperius dicitur. *Et permanebit cum ſole, & ante lunam in ſæculum ſæculi.* Vbi Chriſtus, ibi & nomen Chriſti; Eſt igitur nomen eius cum ſole & ante ſolem, id eſt cum patre, & ante patrem, hoc eſt in conſepectu patris: quia pater & filius relatiua ſunt, & ſine ſe eſſe non poſſunt. Eſt autem & ante lunam ſedes eius, per quam Chriſti humanitas ſignificatur, quam omnes ſancti ſemper videre, & ante oculos habere deſiderant. De hac autem ſede dicitur. *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.*

Et benedicentur in eo omnes tribus terræ. Ipſe enim eſt, de quo ad Abraham Dominus ait. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod Apoſtolus exponens. *Non dixit*, inquit, *in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. Omnes gentes magnificabunt eum*: ſecundum illud. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Sed quomodo magnificabunt?

D *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia magna ſolus.* Ab omnibus igitur magnificatur Chriſtus, à quibus pſalmus ipſe cantatur: Ipſe ſolus facit mirabilia, quia & Pater & ipſe, & Spiritus ſanctus, vnus & ſolus Deus eſt, qui omnia operatur. *Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & in ſæculum ſæculi*: quid eſt enim, nomen maieſtatis eius, niſi laus, & fama, gloria, & potentia eius? per quam videlicet laudem Euangelica prædicatio intelligi poteſt?

Et replebitur maieſtate eius omnis terra. Hic eſt ille lapis abſciſſus de monte ſine manibus, quem Daniel tantum creuiſſe dicit, vt impleret vniuerſam terram. Hoc tum quia Propheta futurum adhuc eſſe videbat, rogat, vt cito fiat, & præ nimia lætitia bis dicit, *fiat fiat.*

DEFECERVNT LAVDES DAVID filij Ieſſe. Pſalmus Aſaph. E

HOc quod dicit, *Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe*, ad ſuperiorem pſalmum pertinet. Quod autem ſequitur, *Pſalmus Aſaph*, ſequentis pſalmi titulus eſt ſufficiat: vobis quaſi dicat, vſque nunc laudaſſe Dauid filium Ieſſe: amodo autem laudate Dauid filium Dei. Ecce natus eſt, natiuitatem eius ſecundum carnem, & laudes eius magnas, & præclaras in ſuperiori pſalmo prophetauimus, & prædicauimus, Reſtat nunc vt omni tempore dicamus, *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia magna ſolus, & benedictum nomen maieſtatis in æternum, & in ſæculum ſæculi. Pſalmus Aſaph.* Aſaph, congregatio interpretatur, per quam Eccleſia intelligitur, de omnibus huius mundi gentibus congregata, de qua in hoc pſalmo dicitur. *Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.* F

Quam bonus Deus Iſraël his, qui recto ſunt corde. Vox Prophetæ eſt, vel Eccleſiæ Dei bonitatem, & potentiam admirantis. Quam bonus inquit, eſt Deus Iſraël, ſed illis præcipue bonus eſt, qui recto ſunt corde. Rectum cor illi habent, qui recta & Catholica cogitant, & ad falſas cogitationes, & periculoſas diſputationes non tranſeunt. Torquentur namque corda hominum, quando aliter, quam debent, vel de ipſo Deo, vel de eius diſpoſitione, vel de rerum veritate ſentiunt. Vnde & ſubditur. *Mei autem pænè moti ſunt pedes, pænè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns*: De cordis & animæ pedibus & greſſibus loquitur: qui tunc quidem mouentur, & cadunt, quando homo contra Deum pro aliqua re murmurat, vel ſcandalizatur. Vidit iſte, qui his loquitur, homines iniquos, & peccatores, pacem, & proſperitatem habere, & huius mundi gloria & diuitiis abundare: ſeipſum autem, & alios Domino ſeruientes, penuriam pati, & multis aduerſitatibus torqueri, G & cæpit illis inuidere, & ſimilia deſiderare. Neque hoc ſibi iuſtum eſſe videbatur, quod malis proſpera, bonis vero aduerſa contingerent: atque ex hoc in eam, quam hic narrat, corruit tentationem. Sed in ſe reuerſus, conſiderans, quæ præmia ſint præparata bonis, & quæ pœna ſit præparata malis, ſeipſum conſolatus eſt, & pedes ſuos iam motos, & cadentes firmauit & ſtabiliuit. Vnde & ſubditur.

Quia non eſt declinatio morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum. Inde eorum pacem, & proſperitatem, quaſi dicat abominatus eſt, & ſuæ ſibi indigentiæ placuit, quia nulla via illis eſt, qua mortem æternam declinare, & effugere valeant, & ſic plagati, ita vulnerati ſunt, vt nulla medicina ſubueniat. Firmamentum pro medicamine poſuit, quia qui infirmi ſunt, inde firmantur, & ſanantur.

In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo, inquit non eſt declinatio morti eorum, quia in laboribus hominum non ſunt. Boni labores, H qui immortales homines faciunt: & boni homines, qui ſic laborant, vt immortales fiant. Hoc ipſum & de flagellis intelligimus, quibus Apoſtoli flagellati, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Nam, & illa flagella bona ſunt, quibus Dominus flagellat omnem filium, quem recipit.

Ideo tenuit eos ſuperbia eorum. Simul enim cum diuitiis, pace, & proſperitate, creſcit ſuperbia. *Operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.* Miſeri, qui tales veſtes, & talia ornamenta habent, iſti in conuiuio Dei eſſe non poſſunt, & quales ſunt, tales in iudicio apparebunt, & ipſa ſua veſtimenta eos abominabiles facient.

Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. Ex abundantia cordis os loquitur, non eſt vacuum illud cor vnde tanta iniquitas procedit, diabolus, ibi habitat fons & origo

A totius iniquitatis. Vnde & ſubditur. *Tranſierunt in diſpoſitione cordis.* Ad ea, inquit, facere tranſierunt, quæ in corde à diabolo diſpoſita fuerunt. Et hoc exponit.

Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitias. Illud peccatum maius eſt, quod meditatione, & conſilio fit. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Iſti ſunt de quibus dicitur; *Peccatum ſuum, quaſi Sodoma Prædicauerunt.* In excelſo autem illi præcipuè loquuntur, qui Deum blaſphemant, & ei detrahere non timent. Sicut ille inſipiens, qui in corde ſic dixit. *Non eſt Deus.* Sicut omnes illi, qui idola colebant, & falſos Deos adorabant, de quibus adhuc ſubditur.

Poſuerunt in cœlum os ſuum. Os ſuum ponere in cœlum, eſt: contra ipſam Diuinitatem loqui. Quod gentiles quidem faciebant, qui non in cœlo, ſed in ſtatuis aureis, & argenteis Diuinitatem quærebant. Hæretici quoque, vt Ariani, in cœlum os ſuum poſuerunt, qui B de ipſa Diuinitate malè diſputantes, filium à patre diuidere conati ſunt. *Et lingua eorum tranſiuit ſuper terram.* Si ſuper terram tranſiit, quo iuit, niſi quia in cœlos aſcendit? vnum igitur idemque ſignificat: Et poſuerunt in cœlum os ſuum: Et lingua eorum tranſiit ſuper terram.

Ideo reuertetur populus meus huc. Iuerant iſti, quo non debuerant, & cogitauerunt quæ cogitanda non erant, quando zelantes in peccatoribus, eorum pedes moti ſunt, ſed quia non eſt declinatio morti eorum, ideo reuertetur populus meus huc. Quid eſt huc: Ad ſanam intelligentiam, de qua modo loquimur, magis eligemus nobis labores, & indigentiam bonorum quam pacem, & affluentiam malorum. *Et dies pleni inuenientur in eis.* Dies pleni illi ſunt, qui bonis omnibus abundant. Et tales quidem poſt hanc vitam habebunt ſancti, quando bonis omnibus in illa beatitudine ſuperabundabunt.

C *Et dixerunt quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias.* Hoc eſt enim, quòd modo dicebat. *Ideo reuertetur populus meus huc.* Multum enim alienati erant, quando hæc talia cogitabant, & dicebant. Nonne audis, quia hoc dicebant. *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo,* quomodo obtinuerunt tantas diuitias? Si Deus hoc ſciuit, & ſi huius rei ſcientia apud Deum eſt? Hoc enim tale erat, ac ſi dicerent. Neſcit Deus, quæ in hoc mundo fiunt, quoniam ſi ſciret, hoc tam magnum malum fieri non permitteret. Talis autem cogitatio, & diſputatio, mala eſt, & Chriſtianæ religioni multum contraria. Vnde & ſubditur.

Et dixi; Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & ſine cauſa fui flagellatus tota die, & iudex meus in matutino. Dolet mater Eccleſia de illis, qui in illa tali cogitatione, & diſputatione fuerunt. Si inquit, illa diſputatio vera eſſet, & ſi in excelſo D ſcientia non fuiſſet, quid mihi prodeſſet tot, & tanta pro Domino ſuſtinuiſſe? Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, quæ non ſolum opere, ſed ipſa quoque cogitatione Deum offendere timebam, & ſine cauſa peccatorum conſortia fugi, & inter innocentes manus, & opera mea purificare ſtudui, & ſine cauſa ab impiis hominibus tot, & tanta flagella ſuſtinui, & ſine cauſa Iudex meus, & duriſſimus atque nequiſſimus magiſter meus, in matutino incipiens tota die quaſi malum diſcipulum me verberabat, & ad ſuum errorem me trahere conabatur.

Si dicebam narrabo ſic. Ordo eſt dicebam: Si narrabo ſic, ſicut iſti, de quibus ſuperius dictum eſt. Ecce, ſubauditur periit natio filiorum tuorum, quibus iſta dicere diſpoſui.

Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Ecce populus eius, qui deuiauerat, ad Eccleſiam reuerſus eſt, de quo modo ſuperius dixerat. Ideo conuertetur populus meus huc. Nunc autem contra eos loquitur, à quibus reuertitur, & quorum perſuaſionibus in illam diſputationem, populus ille inductus fuerat. Et certè hæc talis diſputatio non modicum ipſos quoque Philoſophos ſollicitauerat. Vnde & quidam inter eos E ſapiens ait. Si Deus non eſt, vnde bona? Si vero eſt, vnde mala?

Exiſtimabam, inquit, vt cognoſcerem. Quid? *Quia non eſt declinatio morti eorum nec firmamentum in plaga eorum.* Hoc autem ipſum cognoſcere, labor eſt ante me, & niſi ad nouiſſima eorum mentis oculum intenderem, nullatenus hoc cognoſcere valerem. Et hoc eſt, quod dicit. *Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſima eorum.* De hoc Sanctuario Dominus ait. *Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum*, per quod videlicet cordis ſecretum intelligimus. Quis enim videat potentes huius ſæculi bonis omnibus abundare, & eos non iudicet eſſe felices? Solent enim homines dicere, quod tales à Domino diligantur, & alio modo illa tanta bona habere, & poſſidere non poſſent. Ac per hoc ſola eorum nouiſſima conſideranda ſunt. Vnde & ſubditur.

Veruntamen propter dolos diſpoſuiſti eis mala. Quæ F mala? Deieciſti eos dum alleuaretur. Subito enim dum in maioribus proſperitatibus iſti tales eſſe videntur, cadunt, & moriuntur, & ſine vllo miſericordiæ reſpectu ad pœnas trahuntur. Nemo igitur ante finem hæc talia cognoſcere poteſt, ſed ipſe finis omnia manifeſtat.

Quomodo facti ſunt in deſolatione ſubito defecerunt, & perierunt iniquitates ſuas, velut ſomnium exſurgentis. Cito tranſeunt omnia, quæ in hoc ſæculo ſunt, etſi longè eſſe videantur, & ſic ſunt quaſi ſomnium exurgentis, qui antequam à ſomno euigilaret, magnas diuitias ſe in ſomno habere videbat, exurgens autem nihil inuenit, ſic autem & diuites mortis ſomno dormientes, quando euigilauerint, & reſurrexerint, de illis ſuis tantis diuitiis nihil reperient.

Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediges. Ciuitas Dei Eccleſia eſt, in qua hæ diuitiæ imaginariæ pro nihilo reputantur, quoniam ad veras diuitias feſtinant.

Quia delectatum eſt cor meum. Delectatum quidem, G non in diuitiis ſupradictis, ſed in te, in amore tuo, in diuitiis ſpiritualibus. Et renes mei reſoluti ſunt. Renes inquit, mei igne tuo quaſi cera reſoluti ſunt, & nullam in eis inimicus virtutem habet & poteſtatem. De quo alibi dicitur. *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Et ego ad nihilum redactus ſum,* ſecundum malorum hominum opinionem qui me quaſi mortuum, & huic mundo inutilem per omnia eſſe iudicant. Et neſciui. Quod eſt neſciui: Stultum & inſipientem me oſtendi ſecundum hoc quod Apoſtolus ait. *Si quis videtur ſapiens inter vos, ſtultus fiat vt ſit ſapiens.* Pro ſtulto ab inſipientibus habetur, qui mundi honores, & diuitias ſpernit, & carnis voluptatibus non obedit.

Vt iumentum factus ſum apud te. Qui me ad hoc officium conſtituiſti, vt aliis ſeruirem, & aliorum onera ferrem. Vnde Apoſtolus ait. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Nam & Saluator noſter, vt H iumentum fieri dignatus eſt, qui ouem perditam ſuper humeros poſuit, & ad paſcua reportauit. *Et ego ſemper tecum.* Semper cum Deo eſt, & ſi in hoc mundo eſt, qui ab eius fide, & dilectione non recedit.

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me. Quæ eſt iſta dextera, qua Eccleſia tenetur, & ducitur, & cum gloria aſſumitur? dextera noſtra, bona intentio eſt: ſiniſtra vero intentio mala. Vnde & in Euangelio Dominus ait. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Qui eleemoſynam facit, & dextera & ſiniſtra ea facere poteſt, vel dare: dextera illa dat, qui bona intentione & in abſcondito dat, vt à Deo videatur: ſiniſtra vero dat, qui mala intentione, & pro vana gloria dat, vt videatur ab hominibus, de quibus Dominus ait: *Quia receperunt mercedem ſuam.* Dextera igitur, & non ſiniſtra operatur Eccleſia, & ideo non immerito per dexteram à Domino tenetur, deducitur, & cum gloria aſſumitur. Prophetatum eſt; ſic de futuris loqui, ac ſi iam

A facta ſint, quia quæcunque vident, ſine dubio ventura eſſe cognoſcunt.

Quid enim mihi reſtat in cœlo? & à te quid volui ſuper terram. Seipſum repræhendit, quia aliquid aliquando in terra habere vel poſſidere voluit, cui tanta in cœlo gloria parabatur. Nulla ſunt, quæ in terra habentur, ad comparationem illorum, quæ in cœlo poſſidentur.

Defecit cor meum, & caro mea. Eorum, quaſi dicant deſiderio, quæ in cœlo parantur, iam cor meum, & caro mea ſecundum priorem ſtatum defecerunt, & non terrena iam nunc, ſed cœleſtia quærunt. Vnde & ſubditur. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in ſæcula.* Nullam, inquit, aliam partem volo, nullam aliam de omnibus, quæcunque ſunt partem requiro, Deus ſit pars mea, & pars cordis & totius deſiderij mei per omnia ſæcula.

Quia ecce qui elongant ſe a te, peribunt. Soli, inquit, illi viuent, qui te partem habent, & tibi adhærent, qui vero te fugiunt, ſine dubio peribunt. *Perdes omnes, qui fornicantur abs te.* Qui ſunt, enim, qui fornicantur B abs te, niſi illi, qui ſe elongant à te? Iſti enim alios amatores quærunt, quibus ſe illicitè coniungunt. Vnde ſcriptum eſt. *Fornicatus eſt Iſraël poſt Deos gentium.* Magna fornicatio eſt diabolo conſentire, & de ipſo filios habere. Omnia vitia & omnia peccata diaboli progenies & ſemina ſunt.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Ego, quaſi dicat, non me elongabo à Deo, non eum fugiam, non alium amatorem ſuſcipiam, ſibi ſoli adhærebo, ſibi ſoli ſeruiam, & omnem ſpem, & amorem meum in Domino ponam.

Vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. Eccleſia, eſt, quæ loquitur, & ſic de ſeipſa quaſi de alio loquitur. Ipſa eſt enim filia Sion, de qua alibi dicitur. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem.* Si enim dixiſſet. Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis meis, planius eſſet. Sed, ſicut iam ſæpe diximus iſte modus locutionis apud veteres frequentiſſimus eſt. Tale eſt enim & illud, *Deus iudicium tuum Regi da,* vbi cum di- C cere debuiſſet, & iuſtitiam tuam filio tuo, non tamen, filio tuo dixit, *ſed filio Regis.* Sed quid per portas, niſi aures intelligamus? Ipſa enim ſunt, quæ laudes Dei ſuſcipiunt, & audiunt, & quibus laudes Dei annunciantur.

INTELLECTVS ASAPH.

Asaph, ſicut ſæpe dictum eſt Synagoga interpretatur, & ipſa quidem eſt, quæ loquitur in hoc pſalmo, & conqueritur & plangit deſtructionem Ieruſalem, quæ tempore Nabuchodonoſor Regis facta eſt.

Vt quid repuliſti nos Deus in finem. Multoties quaſi dicant, repuliſti, & afflixiſti nos propter peccata noſtra, ſed numquam, ſicut modo repuliſti nos. Quid eſt enim repellere in finem, niſi ex toto repellere, & vſque in finem? *Iratus eſt furor tuus ſuper oues gregis tui.* Quibus iraſceris? quibus tantam iram, & indignationem oſtendis? de grege tuo ſumus oues, & ſimplices, imbelles; & D ſine fortitudine ſumus, & ſine tuo adiutorio tantæ potentiæ reſiſtere non valemus.

Memento congregationis tuæ, quam creaſti ab initio. Ab initio enim ſimul cum aliis hominibus etiam hos creauit Dominus. Quamvis ab initio, à temporibus Abrahæ conuenienter intelligi poſſit. Ab eo enim Iudæorum populus, & fidem, & circumciſionem accepit, vt Dei populus ſpecialiter vocaretur.

Liberaſti virgam hæreditatis tuæ. Quid per virgam, niſi ſceptrum, & correctionem? Quid vero per hæreditatem, niſi eundem Iudæorum populum intelligamus? Inde eſt quod per Prophetam dicitur. *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quia comminata eſt virga percuſſoris tui.* Et alibi: *Væ Aſſur virga furoris mei.* Fuit aliquando ille populus quaſi virga in manu Dei, quia per ipſam omnes gentes in circuitu flagellauit, & caſtigauit. Hunc autem multoties liberauit Dominus, prius quidem de Ægyptia ſeruitute: poſtea vero de multis anguſtiis. *Mons Sion in quo habitas.* Hæc inquiunt, hæreditas tua eſt, mons E Sion, in quo te habitare promiſiſti, ſecundum illud. *Et factum eſt in pace locus eius & habitatio eius in Sion.* Quod autem ait. In idipſum, ſic poteſt intelligi, vt ſimul & communiter in eo habitet cum aliis omnibus; qui in eo ſunt vt per hoc & locum & gentem quadam ratione defendere cogatur.

Eleua manum tuam in ſuperbiam eorum in finem. Sic in hoc loco intelligitur, in finem, ſicut & ſuperius vt quid repuliſti Deus in finem. Quanta malignatus eſt inimicus in ſanctis tuis, & gloriati ſunt, qui te oderunt in medio atrio tuo. Multi ſancti & boni tunc temporis ducti ſunt in captiuitatem, quamvis valde pauci fuiſſent ad malorum comparationem. Quomodo autem contra ſanctos malignati ſunt, & quomodo in mediis atriis gloriati ſequentia manifeſtant.

Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognouerunt, ſicut in via, ſupra ſomnum. Quod autem his dicunt ſigna ſua ſigna, magni doloris indicium eſt. Poſuerunt, inquiunt, ſigna ſua ſigna. Sed vbi poſuerunt? Supra ſummum. F Hoc enim vſque hodie victores faciunt, & captis vrbibus, ſupra ſummum, ideſt, in turribus, & locis ſublimioribus ſigna ſua ponere videmus, qua in re, & illorum gloria, & loci calamitas apertiſſimè demonſtratur. *Et non cognouerunt in via.* Hæc eſt illa via quam Dominus fecit in mari rubro, in qua periit Pharao cum omni exercitu ſuo, qui populum Dei per talem viam ſtultiſſimè perſequebatur. Et ipſi quidem cognouerunt. Quid cognouerunt? Dei omnipotentiam, & ſuam fatuitatem. Sed Chaldęi nihil tale cognouerunt, nullum ſignum viderunt, ſed audacter, & ſecurè fecerunt quæcumque facere voluerunt. *Quaſi in ſilua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas eius in idipſum bipenni & aſcia deiecerunt eas.* In hoc oſtendit ſecurè eos ſine reuerentia circa Sanctuarium ſe habuiſſe, dum ipſius templi valuas quaſi alia ligna ſecuribus & aliis ferramentis exciderunt. Quod autem dicit, in idipſum, vnam eandem voluntatem in hoc opere tam nefario, eos habuiſſe oſtendit,

Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. G Omnia hæc ſecundum litteram facta ſunt, quæ tamen & ſpiritualiter intelligi poſſunt.

Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum inter ſe; venite comprimamus omnes dies feſtos Domini à terra. Hæc vna cogitatio & voluntas omnium fuit, vt ſic omnia deſtruerentur, vt numquam ſolennitates ibi amplius fierent, vel dies feſti colerentur.

Signa noſtra non vidimus. Sicut ab antiquis temporibus in tali euentu videre ſoliti ſumus. Iam non eſt Propheta inter nos, qui nobis veritatem dicere audeat, Ibi enim erat. Ieremias, qui ideo in lacum miſſus eſt, quia veritatem eis nunciabat. Et nos non cognoſcet amplius. Sic miſeri homines dicere ſolent, quando in magnas veniunt calamitates, & quaſi deſperantes, penitus ſe à Deo derelictos eſſe dicunt.

Vſquequo Deus improperabit inimicus? irritat aduerſarius nomen tuum in finem? Quando in finem dicunt, H magnas & multas blaſphemias eos contra Dominum locutos fuiſſe oſtendunt. Neque credendum eſt verbis peperciſſe, qui manibus talia operabantur,

Vt quid auertis faciem tuam. Et tantas populi tui afflictiones non reſpicis? Et dextram tuam de medio ſinu tuo in finem? Sinus Dei illa ciuitas fuit, in qua priuſquam Deum offenderes, totius ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri reconditi in lege & Prophetis continebantur. Ibi erant, & dextra Dei, tantaque eius virtus & fortitudo, vt omnes in circuitu vinceret inimicos.

Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Hucvſque Synagoga, & populus Iudæorum locutus eſt, ſuas deflens miſerias, & calamitates. Hinc Eccleſia loquitur, & de ſua exultat felicitate. Deus, inquit, Rex noſter, modo quidem noſter & ſpecialiter noſter, ſed Deus omnium ante ſæcula operatus eſt, in diebus noſtris. Salutem in medio terræ. Quid eſt in medio terræ? In ciuitate Ieruſalem, quæ in medio gentiũ ſita eſt.

A Siue, in medio terræ, in vtero virginis. Siue, in medio terræ, in aſſumpta humanitate. Siue in medio terræ ſalutem operatus eſt, quia non vnius gentis, ſed omnium gentium hanc ſalutem voluit eſſe communem. Nunc ad ipſum Saluatorem conuertitur, & ſibi loquitur cætera, quæ ſequuntur.

Tu confirmaſti in virtute tua mare. Hoc eſt illud mare, de quo dicitur. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum,* per quod mundus iſte ſignificatur. Hoc autem confirmauit Dominus in virtute ſua, vt iam non fluctuet ſicut prius, vt quietum maneat & ſuper ſe Domino gradienti ſe placabile & calcabile præbeat. Mare ab amaritudine dicitur, ſed quia Spiritus ſancti gratia confirmatum & inunctum eſt, omnem amaritudinem in dulcedinem conuertit. *Tu contribulaſti capita draconum ſuper aquas.* Capita draconum, vitia ſunt & peccata, quæ ſi ſucciſa fuerint, maligni ſpiritus, qui per dracones ſignificantur quaſi B mortui, & decollati, nihil poſſunt. Hæc autem capita contribulauit Dominus ſuper aquas, quia omnia vitia, & peccata in baptiſmate deleuit.

Tu confregiſti capita draconis magni. Hic eſt ille magnus draco, qui in paradiſo cum muliere locutus eam ſeduxit, & de ligno vetito comedere fecit, ac per hoc peccatum intrauit in mundum, & per peccatum, mors, quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Sed huius magni draconis caput, per quod originale peccatum ſignificatur, Chriſti morte confractum eſt, & eius ſanguine deletum. Magnus draco, magnum habuit caput, quod magno malleo conterendum fuit. *Dediſti eum in eſcam populo Æthiopum*, vt verſa vice ab illis deuoretur, quos ipſe prius deuorare ſolebat. Deuorare autem, ſuperare eſt, per Æthiopes naturaliter nigros, peccatores ſignificantur, qui aquis baptiſmatis regenerati, & ſuper niuem dealbati ſunt.

Tu dirupiſti fontes & torrentes. Fontes & torrentes, C legis & prophetarum & vtriuſque teſtamenti volumina intelligitur, qui videlicet fontes prius clauſi & obturati erant, ſed eorum venas Dominus aperuit, & arctiſſima vincula, quibus claudebantur, dirupit, & aquarum ex eis effluentiam emanare iuſſit. Hinc eſt enim quod Ioannes Apoſtolus cum videret librum ſeptem ſigillis ſignatum, multumque fleret eo, quod nullus dignus ad librum aperiendum inueniretur, dictum eſt ei, *Ne fleueris, quia ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.*

Aperire igitur librum, quid aliud fuit, niſi id quod hic dicitur. Tu dirupiſti fontes & torrentes? Te exſiccaſti fluuios Ethan. Ethan, fortis interpretatur, per quem diabolus intelligitur, de quo in Euangelio Dominus ait. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Sed quid per fluuios eius, niſi omnes hæreticorum libros, & omnia dogmata impietatis intelliguntur? Hos autem deſiccauit Dominus, qui D in multis Conciliis per Eccleſiæ Doctores, omnes hæreſes deſtruxit. Et bene quidem conueniens fuit, vt fluuios Ethan deſiccaret, qui Eccleſiæ fontes & torrentes aperuit.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox. Legitur in Geneſi, quia *diuiſit Deus lucem à tenebris vocauitque lucem diem, & tenebras noctem. Et fecit tunc duo magna luminaria, Solem ſcilicet, & lunam, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Dies igitur, Chriſtianos, & nox, Iudæos ſignificat. Et diei quidem præeſt maius luminare, nocti vero minus. Luminare autem maius, nouum teſtamentum eſt, cuius claritas, & doctrina, ad ſolis ſimilitudinem, totum mundum illuminauit. Minus vero luminare, vetus eſt teſtamentum, quod quaſi in nocte ſic ſuper Iudæos palleſcit, & tenebreſcit. Vnde & Apoſtolus ait. *Nam neque clarificatum eſt, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* Tanta eſt enim claritas noui teſtamenti, vt veteris teſtamenti claritas pro tenebris habeatur. Vtrumque tamen teſtamentum, vnum eſt, & vtrumque clarum & ſplendidum eſt, ſi ſpiritualiter intelligatur. Quod igitur ait. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox,* tale eſt ac ſi diceret, & Chriſtiani, & Iudæi, & illuminati, & cæci, & boni, & mali, tui E ſunt, quia tu feciſti omnes, & vero rectoque iudicio iudicabis omnes. Tu feciſti ſolem, & lunam. Dictum eſt modo, quid per ſolem, & quid per lunam ſignificetur. Miſeri Manichæi, qui alium Deum noui teſtamenti, & alium veteris eſſe dicebant. Ecce enim Saluator noſter, vtrumque teſtamentum hoc in loco feciſſe dicitur. *Tu feciſti omnes terminos terræ, æſtatem, & ver tu feciſti ea.* Nihil eſt enim quod Chriſtus non fecerit, quia ipſe eſt per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Placuit tamen Eccleſiæ, ſiue Prophetæ, hæc ſingulariter enumerare, vt in his ita expoſitis, eius omnipotentiam exaltaret. Poſſumus tamen per æſtatem, & ver, perfectos, & imperfectos intelligere, quorum alteri ferventiſſimo ſancti Spiritus igne ſuccenſi ſunt, alteri vero eodem igne appropinquant, & iam proximi ſunt.

Memor eſto huius creaturæ tuæ. Diuinitati loqui videtur, & eam, quam aſſumpſit, humanitatem ei commendat. Quam ideo creaturam vocat, vt verus Deus, F & verus homo, Saluator noſter eſſe credatur. Et valde conueniens erat, vt, qui tanta de potentia diuinitatis eius vſque nunc locutus fuerat, de humanitate quoque aliquid diceret, atque illis hæreticis occaſionem tolleret, qui eum non hominem, ſed Deum tantum eſſe credebant. *Inimicus improperauit Domino, & populus inſipiens exacerbauit nomen tuum.* Ideo, inquit, huius creaturæ tuæ memor eſto, quia humani generis inimicus diabolus, & ſimul cum eo Iudæorum populus inſipiens multum ei aduerſabitur. Prophetarum autem eſt, pro futuris præterita ponere, multa enim improperia iſti Domino intuliſſe leguntur. Nam & ipſe diabolus ad hoc vſque tentando peruenit, vt ad ſe adorandum eum inuitaret.

Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Nunc autem pro illis omnibus orat, contra quos poſt Chriſti paſſionem omnes beſtias inſurgere conſpicit. Per beſtias autem malignos Spiritus, hæreticos, & tyrannos intelligere debemus. G De quibus Apoſtolus ait. *Quid mihi prodeſt, quod ad beſtias pugnaui Epheſi ſi mortui non reſurgunt?* Et reuera crudeliſſimæ beſtiæ omnes iſti ſunt, qui non ſolum corpora: ſed animas quoque perdere nituntur. Quid ſignificet, in finem, ſæpe iam diximus.

Reſpice in teſtamento tuo, quia repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domorum iniquitatum. Reſpice, inquit in teſtamento tuo, per quod Eccleſiam intelligimus quæ ipſum teſtamentum ſuſcipere meruit, & propter ipſum multas patitur tribulationes. Et valde quidem neceſſarium eſt, vt ea reſpicias. Quare? *Qui repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domorum iniquitatum.* Non fuit eis ſufficiens, vt iniquitatum pleni eſſent niſi ipſas iniquitatum domos in ſe ſuſcepiſſent. Domus iniquitatum, maligni ſpiritus ſunt, quia omni malitia, & iniquitate pleni ſunt. Repleti ſunt igitur domorum iniquitatum illi, qui obſcurati ſunt caligine terræ, per quos Iudæi, & hæretici, H omnes homines iniqui ſignificantur, qui terreni erroris caligine obſcurati & excæcati ſunt, vt veritatis lumen videre non valeant. Reſpice itaque in teſtamento tuo, quia omnes iſti ad hoc intendunt, vt illud deleant, & deſtruant.

Ne auertatur humilis factus confuſus. Iſte humilis, vnuſquiſque fidelis eſt, qui tunc quidem fugaretur & auerteretur, ſi teſtamentum ſibi datum, defendere non valeret, quod nimirum, quod abſit, ad magnam confuſionem ſibi contingeret.

Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Per pauperem & inopem, eundem ipſum humilem ſignificat. Et pauper quidem eſt qui nihil habet: inops vero, qui quamvis ſine opibus ſit pro naturæ tamen neceſſitate aliquid habet.

Exurge Deus iudica cauſam tuam. Exurge, inquit, Deus in adiutorium ſeruis tuis, & tu ipſe defende, & iudica cauſam tuam, quam iſti malitioſi ſuis argumentationibus deſtruere conantur. *Memor eſto improperiorum tuorum*, eorum dico, *quæ ab inſipiente ſunt tota die.* Quanta mala, & quam nefanda, Iudæi, & hæretici

dicant

dicant contra Chriſtum? ſi tamen eſt locus, vbi dicere audeant.

Ne obliuiſcaris voces quærentium te. Ne obliuiſcaris, inquit, voces eorum, qui te quærunt, ſed exaudi, & libera eos de omnibus anguſtiis ſuis, ſicut digni ſunt. Similiter autem & ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendat ſemper ad te, vt eam ſemper videas, ſemper de eis vindictam ſuſcipias, & numquam tanti mali obliuiſcaris.

IN FINEM NE OBLIVISCARIS Pſalmus Aſaph.

AD finem referatur iſte pſalmus? id eſt, ad Chriſtum. Quod autem dicitur, ne corrumpas multis modis intelligi poteſt: Veluti, ne corrumpas tituli inſcriptionem. Vel ne corrumpas aliquam ſcripturam, quod Iudæi facere ſolent: Vel, ne corrumpas te ipſum. Siue, ne facias aliquam illicitam corruptionem. Aſaph autem, Synagoga interpretatur. Bona Synagoga eſt iſta, quæ Deum laudat, & eius mirabilia narrat.

Confitebor tibi Deus confitebimur tibi, & inuocabimus nomen tuum. Promittit Synagoga, & vniuerſaliter in omnibus, & ſingulariter in vnoquoque Saluatorem noſtrum ſe laudare, & eius nomen inuocare, & omnia eius mirabilia narrare. Sic enim, & Moyſi quondam dixiſſe leguntur. *Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus, faciemus,* & tamen non fecerunt. Sed non videntur offendere, qui iſta promittunt, dare, qui iſta promittunt, quoniam ſecundum ſuam intentionem alios iudicant, & hoc eſt in eorum voluntate, vt omnes alij ſimiliter faciant. Bonam enim voluntatem habebant illi, qui dicebant: *Oſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſraël, Oſanna in excelſis.* Et hoc erat in deſiderio illorum, vt alij quoque eum laudarent, & benedicerent. Nunc autem ſequentia videamus.

Dum accepero tempus ego iuſtitiam iudicabo. Hæc autem loquitur Saluator noſter, & ad ſuperiora reſpondet: Ego, inquit, cum accepero tempus iuſtitiam iudicabo, & vnicuique ſecundum merita dabo, & eos, qui me confitentur, & meum nomen inuocant, & mea mirabilia prædicant, dignis muneribus remunerabo, hoc autem erit in iudicio, quando & boni & mali omnes adſtabunt ante tribunal Chriſti. Et ibi quidem erit Aſaph, ibi erit tota Synagoga, ibique à ſe diuidentur, & qui Chriſtum confeſſi ſunt, & laudauerunt, & qui Chriſtum confeſſi non ſunt, & eum negauerunt.

Liquefacta eſt terra, & omnes inhabitantes in ea. In eo quod terra eiuſque habitatores liquefacti eſſe dicuntur, ſine viribus, ſine fortitudine, ſine propria figura, & pulchritudine eſſe monſtrantur. *Ego confirmaui columnas eius.* Columnæ totius terræ Apoſtoli ſunt & Doctores. Has autem columnas confirmabat Dominus, quando dicebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Et: *Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente.* Et: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Bene confirmatæ ſunt iſtæ columnæ, totam terram portare & ſuſtinere valent, multi tamen ſunt, qui ſuper eas aſcendere nolunt.

Dixi iniquis: nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Hoc enim dixit Dominus per legem, per Prophetas, per Iſaïam, per Ieremiam, per Ezechielem, & per iſtos pſalmos, & per ſcripturas vtriuſque teſtamenti, hoc & per Apoſtolos dixit, & per Epiſcopos, & ſacerdotes quotidie dicit, & tamen iniqui iniquè agere non ceſſant, & delinquentes ſuæ poteſtatis, & iniquitatis cornua exaltant: per cornua iniquorum omnis eorum virtus & fortitudo figuratur.

Nolite extollere in altum cornu veſtrum. Hoc autem exponit. *Et nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.* Aduerſus Deum iniquitatem illi loquuntur, qui de ipſa Diuinitate diſputantes, peruerſa dogmata introducunt. Hoc fecit Arrius, hoc Manichæi, & multi alij perditionis filij. Nam & Iudæi aduerſus Deum iniquitatem locuti ſunt, quando contra Saluatorem noſtrum crucifige clamauerunt.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus. Eſt vobis, ſubauditur, via euadendi. Omnes mundi terminos poſuit, quia per montes deſertos & inhabitabiles auſtralis & ſeptentrionalis plaga deſignatur, nemo enim effugere poterit iudicium Dei. De quo & ſubditur: *Quoniam Deus iudex eſt.* Sed quomodo iudicat? *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Deponit potentes de ſede & exaltat humiles: eos humiliat, qui iuſtè humiliandi ſunt? eos exaltat, qui merito exaltandi ſunt. In poteſtate illius eſt, & humiliare & exaltare quos vult, hanc poteſtatem nullus habet alius. Et hoc ideo, quia.

Calix in manu Domini vini meri plenus eſt mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen eius fex eius non eſt exinanita. Calix iſte in manu Domini menſura retributionis eſt. Et benè in manu Domini eſſe dicitur, quia in manu, & in poteſtate illius eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua: In hoc autem calice merum, & purum vinum, & mixtum vinum ſimul cum fece continetur. Et alij quidem merum vinum, alij mixtum, alij vero fecem de hoc calice bibunt. Dicendum eſt igitur, qui ſunt illi, qui merum, & qui mixtum, & qui fecem bibunt. Merum autem illi bibunt, qui de hac vita exeuntes, nihil in ſe habent, quod puniatur. Mixtum vero, illi peccatores, qui pœnitentiam ex corde ſuſcipiunt. Vnde ſcriptum eſt: *Peccator quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.* Iſti enim, vt Apoſtolus ait, ſaluabuntur quidem, ſic tamen quaſi per ignem. Saluari autem per ignem, quid eſt niſi bibere vinum mixtum? Fecem autem illi peccatores bibunt, qui vſque in finem in ſua malitia perſeuerant. De quabus Apoſtolus ait: *Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Quod autem ait. Et inclinauit ex hoc in hoc, ad magnam Dei miſericordiam ſpectat, qui de vino mero in mixtum vinum tantum inclinat, vt bibentes non pereant, & pœnitentiæ remedium & pœnam tolerare valeant. Fex autem non minuitur, quia valde plures ſunt illi, qui fecem bibunt, quam ſint omnes illi, qui merum vinum bibunt, & mixtum. Vnde & ſubditur.

Bibent omnes peccatores terræ. Fecem videlicet, quæ ſemper ſic abundat, vt non minuatur, per quod intelligitur, quia pœna malorum nullum finem habebit. Sic enim in alia tranſlatione legitur. Quod vero in iſta dicitur, ex eo, de calice intelligitur. De calice vero peccatores in ſua malitia perſeuerantes, ſicut ſuperius diximus, nihil aliud niſi fecem bibent. *Ego autem in ſæcula gaudebo, cantabo Deo Iacob.* Illi quaſi dicat, neque gaudere neque cantare poterunt, qui omnium tormentorum fecem indeficienter, quotidie & ſine fine bibent: Ego autem & fideles mei gaudebo in ſæcula, & cantabo, & ineffabilis ſuauitatis dulcedine eos inebriabo. Hinc eſt, enim quod alibi dicitur. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Et omnia cornua peccatorum confringam, & exultabuntur cornua iuſti. Diximus per cornua potentiam, & fortitudinem ſignificari. Tunc igitur ſine cornibus erant, qui nunc cornuti eſſe videntur: & è contra nunc magna cornua habebant, qui nunc ſine cornibus eſſe videntur, quoniam boni tunc fortes erunt atque potentes: mali vero miſeri erunt & per omnia infelices.

IN FINEM IN LAVDIBVS PSALMVS Aſaph Canticum ad Aſſirios.

LEgitur de Sennacherib rege Aſſyriorum, cum veniſſet ad obſidendam Ieruſalem, quia Angelus Domini vna nocte percuſſit de Aſſyriis, centum octoginta quinque millia. In laudibus igitur tantæ victoriæ cantat

Aſaph

Aſaph canticum iſtud ad Aſſyrios, id eſt, contra Aſſyrios. Sed quia dixit, in finem, ea quæ tunc ſecundum litteram facta ſunt, ad Eccleſiam ſpiritualiter referenda eſſe oſtendit.

Notus in Iudæa Deus in Iſraël magnum nomen eius. Totus mundus erat in errore, & idolis ſeruiebat, quando ſola Iudæa veri Dei cognitionem habebat. Vnde & merito hic dicitur. *Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.* Sed quia Iudæa confeſſio, Iſraël vero, vir videns Deum interpretatur, per Iudæam Eccleſia ſignificatur, quæ ſola ex cunctis gentibus Deum confitetur & laudat. Per Iſraël vero, populus Chriſtianus, qui ſolum vnum Deum cognoſcit & adorat.

Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ieruſalem, viſio pacis interpretatur, & ipſe eſt ille locus, de quo modo dicitur; *Factus eſt in pace locus eius,* quoniam ibi à Salomone templum ædificatum eſt. Differunt autem Sion & Ieruſalem, quia Ieruſalem tota ciuitas. Sion vero, ſola arx & fortitudo vocata eſt. De qua dicitur. *Capit Dauid arcam Sion.* Vtraque autem ſanctam Eccleſiam ſignificat, in qua Saluator noſter Rex & Pontifex à Domino conſtitutus ait. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptum Domini.*

Ibi confregit cornu, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Hoc autem ſecundum litteram illud eſt quod modo diximus, quia percuſſit Angelus Domini de Sennacherib centum octoginta quinque millia. Et tunc quidem totum illorum bellum confractum & diſſipatum eſt. Hoc quoque in Eccleſia quotidie fit, & omnia arma diabolicæ artis totumque eius bellum quotidie à pluribus franguntur, & diſſipantur, Cornua diaboli illa ſunt, quæ alios vocant, & ad prælia concitant, Arcus autem, hæretici & fraudulenti, qui bonos in occultis ſagittant & vulnerant, Scuta vero omnes illorum argumentationes, vel quæcunque alia ſunt, quibus ſe contra veritatem defendunt: Per gladium autem illos intelligimus, qui manifeſta perſecutione contra Eccleſiam ſæuiunt.

Illuminans tu mirabiliter. Tu, inquit, mirabiliter illuminans Eccleſiam tuam confregiſti in ea omnia illa, quæ ſuperius dicta ſunt. Mirabilis illuminatio eſt, quam Spiritus ſanctus operatur. Hoc autem Apoſtoli probauerunt, qui tam ſubito tales facti ſunt, quibus ipſi Philoſophi reſiſtere non valerent. Vnde ipſe Dominus ait. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. A montibus æternis turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Æterni montes Apoſtoli ſunt, & Doctores. Ab his autem conturbati ſunt Philoſophi, hæretici, omneſque alij, ore & garrulitate ſapientes, corde vero inſipientes, cum eorum ſapientiæ, & rationibus reſpondere non poſſent.

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Sed vnde iſte tam validus ſonus? *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui aſcenderunt equos.* Si de Aſſyriis intelligatur, manifeſtum eſt, quia & ſeipſos, & omnia ſua ſubito amiſerunt, grauiſſimo ſomno dormientes, & numquam poſtea euigilantes. Illi quoque qui per eos ſignificati ſunt, & qui ſimiliter populum Dei, & ſanctam Eccleſiam perſequuntur, quotidie dormientes, & morientes, & ſeipſos & ſua omnia perdunt, & nihil ſuarum diuitiarum inuenient, hoc autem fit ab increpatione Dei, qui vnicuique illorum aſſidue in Euangelio dicit. *Stulte hac nocte anima tua rapietur à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Per equos autem omnia illa ſignificantur, quibus potentiores & fortiores homines fiunt. Sic dicere ſolemus, ſuper bonum equum aliquem ſedere quem vel diuitiis vel honore vel aliqua alia magna re præditum videmus.

Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi, ex tunc ab ira tua? Ideo, inquit, ab increpatione tua dormierunt, qui aſcenderunt equos, quia tu terribilis es, & nemo tuæ voluntati reſiſtere valet, ex tunc ab ira tua. Quod ipſe dixit ex tunc, hoc expoſuit dicendo ab ira tua. Statim enim vt iraſcitur, neceſſe eſt, vt omnes illi ſuperentur, & cadant, contra quos ipſe iraſcitur. Vnde & ſubditur.

De cælo iudicium iaculatum eſt, & confeſtim terra tremuit, & quieuit. Statim inquit, vt iudicium de cœlo iaculatum eſt, & ſententia à ſede tua proceſſit, ſtatim inquit factum eſt, quod fieri iuſſiſti. Securi erant Aſſyrij & nihil timebant, & ſubito in cœlis ſententia data eſt, & ſtatim omnes ab Angelo interfecti ſunt. Et hoc eſt quod dicit. Terra tremuit, & quieuit, Terram eos vocat, qui ſub vna hora & tremuerunt, & quieuerunt. Qua in re tam repentinam illam fuiſſe oſtendit, vt vix eis timere, & dolere licuiſſet. Sic factum eſt & in Pharaone, qui cum ſecure per medium maris rubri Dei populum perſequeretur, iudicium de cœlo iaculatum eſt & ſtatim cum omni ſuo exercitu in profundum demerſus eſt. Et multa talia reperire poterit, qui in Diuinis voluminibus quærere voluerit. *Dum reſurgeret in iudicio Deus, vt ſaluos faceret omnes quietos terræ.* Tunc inquit, contra Aſſyrios fecit Deus ea, quæ modo dicta ſunt, dum reſurgeret in iudicio aduerſus eos, qui longo tempore eorum ſuperbiam ſuſtinuerat. Surrexit tandem, vt ſaluos faceret omnes quietos terræ, per quos omnes illos intelligimus, qui in Ieruſalem clauſi tenebantur: ibi enim erat tunc Iſaias Propheta, & Rex Ezechias, & multi alij viri religioſi. Audiamus itaque Apoſtolum dicentem. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram.* Redeant peccatores ad pœnitentiam, & ne tardent conuerti ad Dominũ, ne iudicium de cœlo iaculetur, quia iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Gaudeant & quieti terræ, quia ad hoc ſurgit Dñs quotidie in iudicio, vt ſaluos faciat omnes quietos terræ. De quibus ſubditur.

Quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Ideo, inquit, ſaluat Dominus quietos terræ, quia cogitatio quieti hominis eum laudat, & confitetur. Vnde ipſe ait. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones meos? Et reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi.* Reliquiæ cogitationum, bonæ cogitationes intelligi poſſunt, quæ aliis bonis cogitationibus ſine intermiſſione ſuccedunt. Et hæ quidem agunt Domino diem feſtum, quia ſine his nulla feſtiuitas eſt Deo acceptabilis. De bonis namque cogitationibus bona opera originem ducunt, ſicut è contra de malis, mala opera oriuntur.

Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius offertis munera. Vos, inquit, qui in ciuitate clauſi eſtis, & circa templum habitatis, in quo eum eſſe non dubitatis, & qui quotidie ſibi ſacrificia, & munera offertis, vt vobis eum propitium, & placabilem faciatis, vouete vota veſtra, & reddite ea Domino Deo veſtrò: Quia in aliquo peccato eſt, dimittat illud, & voueat ſe non amplius eſſe facturum: vobiſcum eſt prophetarum maximus Iſaias, audite eum dicentem. *Quieſcite agere peruerſe diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, & defendite viduam.*

Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Vouete, inquit, Domino Deo veſtro, Domino forti atque terribili, qui tam ſubito aufert ſpiritum principum, & qui tam terribilis eſt apud Reges terræ. Neque dubium eſt in illo exercitu, multos Reges, & Principes fuiſſe, ſimulque cum aliis periiſſe. Hæc autem omnia ſecundum litteram vera ſunt quæ ad ſpiritualem intelligentiam facillimè & conuenienter trahi poſſunt. Sed nos titulum ſecuti ſumus, qui ad Aſſyrios ſcriptus eſt.

IN FINEM PRO IDITHVM, Pſalmus Dauid.

PErfectionis ſunt illi Pſalmi, in quorum titulus ponitur, Idithum, qui tranſiliens cæteros, interpretatur. Et hoc quidem iam in aliis pſalmis expoſitum eſt.

Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum, Et intendit mihi.

Voce inquit, mea, per meipſum, voce interioris hominis, tota mentis intentione clamaui ad Dominum, vox mea ad Dominum iuit, & in aures eius introiuit, ſicut alibi

dicitur,

dicitur. *Et clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius. Et Dominus intendit mihi.* Quid eſt autem, intendit mihi, niſi exaudiuit me? Sic igitur oret, qui exaudire deſiderat.

In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis. In die, inquit, tribulationis meæ exquiſiui Dominum, qui adiutor eſt in opportunitatibus in tribulatione. Sed quomodo quæſiui? manibus meis. Plus eſt manibus Dominum quærere, quam voce. Illi manibus Dominum quærunt, qui benè operando, ad eum venire contendunt.

Nocte coram eo, & non ſum deceptus: Non decipiuntur qui nocte Dominum quærunt, & in tribulationibus quærunt. *Quia iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde. Multæ tribulationes iuſtorum & de his omnibus liberabit eos Dominus.* Nam & Propheta nocte ſe Deum quæſiuiſſe oſtendit. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Itemque: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.*

Noluit conſolari anima mea. Cum, inquit, in tribulationibus eſſem, multos habui conſolatores, quorum conſolationes recipere noluit anima mea. Sic & Beatus Iob ſuis conſolatoribus ait. *Conſolatores oneroſi omnes vos. Sic & Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari, quia non ſunt.* Carnalis igitur erat iſta conſolatio, quam vir iſte Sanctus recipere noluit. *Memor fui Dei & delectatus ſum.* Memor inquit, fui Dei, qui *ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*, & tantas pro nobis omnibus ſuſtinuit tribulationes. Et delectatus ſum, in tribulationibus meis. *Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Exercitatus ſum, & defecit pauliſper ſpiritus meus. In tali exercitio fuerat Apoſtolus qui ait: *Nolo vos ignorare fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia, quia ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Defecerat vtique pauliſper ſpiritus eius, quem tædebat etiam viuere. Sic igitur ſancti Martyres in agone ſuo multoties exercitabantur, vt ſpiritu pauliſper deficiente, de hac vita exire optarent.

Anticipauerunt vigilias oculi mei. Non erat mirum ſi dormire non poterat, qui in tali exercitio erat, præſertim cum Dominus dicat: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.* Vigilabat vtique & mortem potius, quam vitam optabat, quia ſatis ipſa morte duriora erant tormenta, quæ ſuſtinebat. Vnde & ſubditur: *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Quomodo enim turbari non poterat, tot, & tantis anguſtiis vndique circumſeptus? Sed in hoc eius perfectio comprobatur, quia locutus non eſt, & patienter cuncta ſuſtinuit. Saluatoris noſtri exempla ſecutus, qui *ſicut agnus ad victimam ductus non aperuit os ſuum.*

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Cogitaui, inquit, dies antiquos, & inueni, quod omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, neceſſe eſt, vt perſecutionem patiantur ab impiis & diſſimilibus. Sic Abel, ſic Abraham, ſic Moyſes, ſic Dauid, & ſic alij ſancti ſuſtinuerunt. *Et annos æternos in mente habui.* Et cognoui & vidi, quia ſanctorum gloria erit in æternum, & malorum tormenta finem non habebunt. Hanc conſiderationem debent habere omnes boni, & hanc in ſuis ſuſcipere conſolationem. Vnde adhuc ſubditur.

Et meditatus ſum nocte cum corde meo exercitabar, & ventilabam in me ſpiritum meum. Hæc, inquit, in nocte cogitabam, hæc in corde meo tractabam, hoc erat exercitium, & ſtudium meum, & in hac tam nobili meditatione ventilabam ſpiritum meum. Egregiè dictum eſt, ventilabam, vt ſpiritus eius, qui ex indignatione ſuccenſus fuerat, ex hac meditatione tam delectabili refrigerium caperet.

Et dixi: *Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet, vt beneplacitum ſit ei adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à ſæculo, & generatione? Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus aut continebit in ira miſericordiam ſuam?* Ecce qui ab aliis noluit conſolari, modo ſe ipſum ipſe conſolatur, & ſubinterrogatione ea confirmat, quæ quaſi negatiuè dicere videtur. Et tale eſt, ac ſi diceret: Putant ſtulti, quod nos Dominus proiecerit, & quod nimium iratus vlterius nobis non miſerebitur. Sed non eſt ita. Cito enim ſe placabilem oſtendet, qui nunc implacabilis eſſe videtur neque, vt ipſi putant, abſcidet miſericordiam ſuam vſque in finem, & ab hoc ſæculo, vſque ad futuram generationem vnde & ſubditur.

Et dixi: *Nunc cœpi.* Quid eſt, nunc cœpi? Nunc cognoui, & intellexi, quia nunquam deſeret Dominus ſanctos ſuos: In præteritis, quaſi dicat cognoſcitur, quid in his, quæ futura ſunt, facturus eſt Dominus. Et hoc eſt, quod ait: *Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi. Quæ? Quia memor fui operum Domini, & quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, & quia meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & quia in obſeruationibus tuis me exercebo.* Totum hoc, inquit, eſt immutatio dexteræ excelſi: & totum hoc operatur dextera Domini, vt homo, ſic mutetur de primis in nouiſſima, de nouiſſimis in prima, & ſic memor fiat, & recordetur operum Domini, & mirabilium eius. In hac enim tali commutatione & meditatione, cognoſcunt, ſancti, & bonorum præmia, & malorum ſupplicia, & hoc quidem tribuit eis non modicam conſolationem. Nota hic, quomodo inter ſe commutat præterita, & futura: Memor fui, inquit, & memor ero. Et, meditatus ſum, & meditabor. Semper mirabilia Dei in memoria habenda ſunt, ſemper eius opera meditanda ſunt, & ſemper in eius mandatis & obſeruationibus nos exercere debemus.

Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter tu es Deus, quis facis mirabilia ſolus. Nunc Dei mirabilia narrare incipit, ſicut modo ſuperius ſe facturum eſſe promiſit, dicens: Quia memor ab initio mirabilium tuorum. Omnis via Dei eſt in ſancto, quia nunquam à ſanctitate & iuſtitia recedit. Poſſumus autem per ſanctum ipſum Dei filium intelligere, qui de ſeipſo ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et in ipſo quidem eſt via Dei, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? omnes dij gentium dæmonia Dominus autem cælos fecit.* Et ipſe ſolus facit mirabilia, quia quæcumque omnes alij faciunt, ſi tamen bona ſunt quæ faciunt, non à ſe ſed ab ipſo faciunt.

Notam feciſti in populis virtutem tuam. Quam virtutem? *Liberaſti in brachio tuo populum tuum, filios Iſraël, & Ioſeph.* Hæc virtus, qua de Ægyptia ſeruitute populum ſuum Dominus liberauit, cunctis populis, & nationibus nota facta eſt, quia valdè glorioſa, & ſine fine memorabilis eſt. Sed non minus illa quoque laudabilis eſt, qua in brachio ſuo, id eſt, per filium ſuum, omne hominum genus de diaboli ſeruitute Dominus liberauit, hæc enim in illa ſignificata eſt, & vno eodemque brachio, & hæc & illa facta eſt. Quod autem dicit, *filios Iſraël, & Ioſeph.* Sic videtur eſſe dictum, ſicut illud in Euangelio: *Ite dicite diſcipulis eius, & Petro.* Nam & Petrus vnus de diſcipulis erat, ſicut & Ioſeph vnus fuit de filiis Iſraël: Et de Petro quidem manifeſta ratio eſt, quare nomine vocatus fuerit: de Ioſeph vero, quid aliud intelligere debemus, niſi quia omnes alij gratia Patris liberati ſunt, Ioſeph vero, ſui ipſius merito liberatus eſt? Per hos autem, omnes Chriſtianos intelligere debemus, vnum Deum videntes, & cognoſcentes, & in fide, & in bonitate cordis creſcentes. Interpretatur enim Iſraël, vir videns Deum. Ioſeph vero, augmentum, ſiue accreſcens.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, turbatæ ſunt abyſſi. Poteſt hoc intelligi iuxta litteram, quando filij Iſraël per mare rubrum ſiccis pedibus tranſierunt, aquis vtriuſque cedentibus, quod quidem inter maxima, & præclara Dei miracula connumerandum eſt. Secundum ſpiritualem vero intelligentiam, *aquæ multæ, populi multi*, qui, poſtquam Dominus populum ſuum liberauit in brachio ſuo, ab infidelitate ad fidem conuerſi, in eum crediderunt, eum viderunt,

& timuerunt. Abyſſi vero turbatæ ſunt, per quas huius ſæculi potentiores intelligimus, qui ſic ſunt in hoc mundo, ſicut abyſſi in medio maris. Vnde Apoſtolus ait. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi potentes inter vos, non multi nobiles, non multi ſapientes, ſed quæ ſunt ſtulta mundi elegit Deus, vt perdat ſapientiam, & quæ infirma ſunt elegit Deus, vt confundat fortia, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret.* Iſti ergo conturbati ſunt, & cum magno furore contra ſanctos inſurrexerunt. Hos autem ſecuta eſt infinita iniquorum omnium, & procelloſa multitudo. De qua & ſubditur. *Multitudo ſonitus aquarum* quid mirum ſi de abyſſi perturbatione multarum aquarum ſonitus exiit? Quid mirum ſi de ſæuitia diuitum, & potentum populi ſtulti & indiſciplinati contra ſanctos clamor erupit? Quis enim contra Saluatorem noſtrum omnem illam multitudinem concitauit, vt omnes vna voce, crucifige clamarent, niſi Principes & ſacerdotes? Sic igitur ex abyſſi conturbatione, factus eſt ſonitus aquarum multarum. Sed non idcirco Apoſtoli, & Doctores tacuerunt, & à Chriſti prædicatione ceſſauerunt. Vnde & ſubditur.

Vocem dederunt nubes. etenim ſagittæ tuæ pertranſierunt, vox tonitrui tui in rota. Valde maiores, & terribiliores ſunt voces nubium, quam voces aquarum, & valde magnum timorem, & terrorem faciunt illæ ſagittæ, quæ de nubibus exeunt: præſertim cum vox tanti tonitrui ſit in rota, & Apoſtolica prædicatio non vnam partem teneat, ſed vniuerſum in circuitu compleat mundum. Nubes enim, Apoſtoli & Doctores ſunt, quorum doctrina tota Eccleſia irrigatur & fæcundatur. Sagittæ vero eorum, ſententiæ intelliguntur, quibus vitiorum & ſpirituum iniquorum fugatur exercitus.

Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota eſt terra. Coruſcationes iſtæ, quæ de nubibus, & tonitruis exeunt, ſigna & miracula ſunt, quæ per Apoſtolos vbique fiebant. Hæc autem vidit terra, & commota eſt, quia maximè propter ſigna & miracula, quæ fiebant, omnes infideles, & increduli ad fidem conuertebantur. Vnde & in Euangelio de Apoſtolis dicitur: Quia *profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. Hoc de Saluatore noſtro ad litteram intelligi poteſt. qui ſuper aquas maris ſiccis pedibus ambulauit, vbi humana veſtigia inueniri non poſſunt. Spiritualiter autem mare mundum ſignificat, ſicut iam ſæpè in aliis pſalmis dictum eſt. Aquæ vero multæ, multi populi ſunt, & hoc quidem iam ſæpè diximus. Fecit igitur Dominus viam ſibi in mari, & ſemitas in aquis multis, quoniam ex quo mundus iſte ad fidem eius conuerſus eſt, per eum inuiſibiliter ambulare, & Eccleſias ſuas vbique viſitare non ceſſat. Sicut ipſe ſuis Diſcipulis ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Veſtigia vero eius non cognoſcuntur, vel quia hoc inuiſibiliter ait, vel quia pauci ſunt, ad malorum comparationem, qui eius veſtigia imitantur. Sic enim & de Spiritu ſancto, qui ſimiliter inuiſibilis eſt, ipſe Dominus ait: *Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocẽ eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat*; Vnde eius quoque veſtigia inuiſibilia eſſe monſtrantur. Si autem & ſecundũ litteram de filiis Iſraël hæc intelligantur, non erit inconueniens, qui & in mari rubro, & in Iordane, vias & ſemitas habuerũt, ſicut ſacra narrat hiſtoria. Vnde & ſubditur.

Deduxiſti ſicut oues populum tuum, in manu Moyſi & Aaron. Intelliguntur autem per Moyſen & Aaron, Epiſcopi & Sacerdotes, qui populum Chriſtianum (ipſe eſt enim populus Dei) regunt & ducunt, & in terram viuentium, quæ per terram promiſſionis ſignificatur, recto itinere introducunt.

INTELLECTVS ASAPH.

VVlt Aſaph, vt iſte pſalmus ſecundum ſuam intelligentiam exponatur, & ideo ait: *Aperiam in parabolis os meum*, vt non ſecundum litteram, ſed parabolicè intelligatur.

Attendite populus meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. In hoc pſalmo loquitur Propheta & Apoſtoli Eccleſiæque Doctores, quibus totus populus à Domino commiſſus eſt. Dicat igitur cœtus Apoſtolicus: Attendite populus meus, populus mihi ad regendum commiſſus, legem meam, legem, quam ego prædico, & cuſtodio, legem qua viuo, & pro qua, ſi neceſſe fuerit, mori non timeo. Inclinate autem veſtram, aurem videlicet cordis veſtri, vt, qui habet aures audiendi, audiat in verba oris mei, quoniam ea quæ dicturus ſum, altioris quam putantur, intelligentiæ ſunt. Vnde & ſubditur.

Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio ſæculi. Eſt autem parabola alicuius rei ſimilitudo, cum aliud dicitur, & aliud intelligitur. Quales ſunt, quæ dicuntur Parabolæ Salomonis, quales & illæ, quibus frequentiſſime in Euangeliis Dominus loquitur. Idem autem hoc in loco, & parabolæ, & propoſitiones ſignificant.

Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis. Multa ſunt, quaſi dicat, quæ audiuimus, & audiendo cognouimus, & quæ patres noſtri narrauerunt nobis, quæ nos quoque modo vobis in parabolis nunciamus.

Non ſunt occultata à filiis eorum in generatione altera. Nos, inquit, eorum filij, non occultamus, quæ à patribus audiuimus, ſed in altera generatione ea prædicamus, per quam videlicet gentilem populum intelligimus: Quoniam qui abſcondit frumentum maledicetur in populis.

Narrantes laudes Domini & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Patres, inquit, noſtri omnia narrauerunt nobis, & laudes Domini, & virtutes Domini, & mirabilia Domini. Lege in libris Moyſi, & in aliis libris veteris teſtamenti, & omnia hæc inuenire poteris.

Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob & legem poſuit in Iſraël. Iſraël & Iacob, lex & teſtimonium, idem ſignificant. Hæc eſt illa lex, quæ per Moyſen in monte Sinai filiis Iſraël à Domino data eſt. De qua & ſubditur.

Quanta mandauit Patribus noſtris. Ad quid? *Vt notam facerent eam filiis ſuis.* Et hoc quare? *Vt cognoſcat generatio altera.* Non debet itaque neque lex neque aliqua ſcientia occultari, quæ ad hoc data eſt, vt ab aliis in alios tranſiret, & tranſeundo pluribus proficiat. Sic enim lex, quæ Iudæis data fuerat, ad gentiles vſque peruenit, & magis in hoc populo quam in illo operata eſt, & quotidie operatur.

Filij, qui naſcentur, exurgent, & narrabunt eam filiis ſuis. Filij, inquit, qui naſcentur, & noua generatione per aquam & ſpiritum renaſcentur, non erunt otioſi, non erunt pigri, vel faſtidioſi. ſed exurgent, & ad prædicandum ſe viriliter præparabunt, & narrabunt eam filiis ſuis. Hoc autem adimpletum eſt in Apoſtolis Apoſtolorumque ſucceſſoribus.

Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei ſui, & mandata eius exquirant. Hoc, inquit, filij, qui naſcentur, hortabuntur filios ſuos, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non in incerto diuitiarum, non in cultura, vel reſponſis falſorum Deorum, neque in aliqua alia ſuperſtitione. *Et non obliuiſcantur operum Dei ſui*, qui tam mirabiliter de tantis periculis eos liberauit. *Et mandata eius exquirant*, & die ac nocte meditentur in eis.

Ne fiant ſicut patres eorum. Et quales fuerunt patres eorum? Audi quod ſequitur. Genus prauum & peramarum. De quibus ipſe Dominus ait: *Generatio praua atque peruerſa ſignum quærit.* Genus *quod non direxit cor ſuum*; Non direxit ad bonum, non direxit ad iuſtitiam vel ſanam intelligentiam, ſed potius retorſit & reflexit ad omnem iniquitatem. *Et non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius*, Si Deo ſe non credidit, & cum Deo eſſe noluit, cui ſe credidit, & cum quo fuit? cum illis vtique quibus filios & filias immolauit. Sicut ſcriptum eſt: *Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Et hoc quidem probat

A per filios Ephraim, quia ſpiritus, & voluntas eorum non erat cum Deo.

Filii Effrem intendentes arcum, & mittentes ſagittas ſuas, conuerſi ſunt in die belli. Hoc autem, ſicut in Iſaia legitur, factum eſt in diebus Achaz Regis Iuda, quando Ephraim, qui fratres ſuos adiuuare debuerat, ſe coniunxit gentibus ad expugnandam Ieruſalem. Sed quia in parabolis iſta dicuntur, omnia hæc ad Chriſtianorum tempora referenda ſunt. Sæpè enim hoc in Eccleſia fieri videmus, vt illi, de quibus maxima ſpes habetur, & qui paratiores ad præliandum eſſe videntur, in tempore neceſſitatis arma deponant, & turpiter ſe in deditionem hoſtibus tradant. De quibus bene ſubditur.

Non cuſtodierunt teſtamentum Dei ſui, & in lege eius noluerunt ambulare. Hoc autem de filiis Ephraim manifeſtum eſt, quia in diebus Ieroboam legem Domini abijcientes vitulos aureos adorauerunt, & penitus ſe ad idololatriam tranſtulerunt: Similiter autem, & Chriſtiani multoties hæretici ſiunt, & legem Dei violare non
B timent.

Et obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ oſtendit eis. Ingrati filij ſunt, & merito exhæreditandi, qui patris benefactorum obliti, eius inimicis ad ipſum patrem ſuum expugnandum ſe ſociare non metuunt præſertim illius patris cuius fidem, & doctrinam ſignis, & miraculis probatam eſſe cognoſcunt. Sed nos, dicet aliquis, mirabilia non vidimus. Ad quod ipſe. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Si tu, inquit, non vidiſti, at patres tui viderunt, quibus non minus quam tibi ipſi credere debes & teſtes tibi dedit, quia mirabilia viderunt, & regnum, in quo facta ſunt, & ipſum locum, vbi facta ſunt, vt nullatenus inde dubitare debeas. Nec vero minora miracula poſtea per Apoſtolos, alioſque ſanctos per totum mundum facta ſunt, quæ fuerunt illa, quæ tunc temporis per Moyſen in Ægypto facta leguntur. Et illa quidem miracula nihil Ægyptiis profuerunt: hæc autem mundum penè totum ad fidem conuerterunt. Hæc autem
C contra illos dicta ſunt, qui teſtamentum Dei non cuſtodierunt, & in lege eius ambulare noluerunt.

Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in vtre. Et hæc parabola eſt, & allegoricam quærit expoſitionem. Sæpè iam diximus, quia mare mundum ſignificat: aquæ vero multæ, populi multi ſunt. Quæ vero aquæ in vtre clauduntur niſi permiſſione, erumpere non valent. Modo igitur omnes aquæ in vtre clauſæ ſunt, & quocunque volunt, ſecure vadunt Chriſtiani, neque timent vllas maris huius inundationes, & tyrannorum perſecutiones.

Et eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. *Quia omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.* Nubes autem, quæ eos præibat, duplex eis beneficium præſtabat: in die obumbratio, & in nocte illuminando. Hæc igitur nubes, Spiritus ſanctus eſt: Hæc nubes obumbrat populum Dei, ne carnis concupiſcentias, & vitiorum æſtum ſentiat. Vnde & B. Mariæ
D ab Angelo dicitur: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Hæc eum illuminat, & in via mandatorum Dei errare non ſinit.

Interrupit in eremo petram, & adaquauit eos velut abyſſus multa. Hæc eſt illa petra, de qua Apoſtolus ait: *Petra autem erat Chriſtus.* Hæc petra prius arundine, deinde lanceæ percuſſa, & vulnerata eſt, *& continuo exiuit ſanguis & aqua.* Nam & de illa alia dicitur, quod bis virga percuſſa fuerit. Tanta autem affluentia ex hac petra profluxit, vt totum mundum lauaret, & ſatiaret, & peccatorum contagione mundaret. Vnde & ſubditur.

Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Quatuor magna flumina de hac petra exierant, quibus Sancta Eccleſia irrigatur.

Et appoſuerunt adhuc peccare, in ira concitauerunt excelſum in ſiccitate.

Non fuit eis ſufficiens in aqua peccaſſe, niſi in eſca quoque ſimiliter deliquiſſent. Appoſuerunt itaque
E peccatum ſuper peccatum, vtpote qui omni bonitate ſicci erant, & in terra ſicca tunc temporis morabantur.

Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Valde amplius peccabant, in cordibus diffidendo, quam in ore clamando, & eſcas petendo. Nam ipſi quoque eorum duces Moyſes, & Aaron ad aquas contradictionis ſimiliter peccaſſe leguntur. Vnde etiam prohibiti ſunt, ne intrarent in terram promiſſionis. Magnum igitur peccatum eſt diffidentia, & in his, quæ petuntur à Domino, ſpem non habere.

Et male locuti ſunt de Deo, & dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Hæc ſunt illa verba, quæ intus dicebant, & quibus in cordibus ſuis Deum tentabant, & ore quidem quærebant eſcas, cordibus vero dicebant, nunquid in deſerto dare nobis poterit eſcas? & eſt hoc quod ait.

Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Stultiſſimi, & inſipientes,
F nonne conuenientius erat dicere, quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, certi ſumus, & nullatenus dubitamus, quia ille, qui aquas tam affluenter dedit, etiam panes abundantiſſimè nobis miniſtrabit? Neque enim difficilius eſt Deo, de cœlo dare panes, quam de petra producere aquas. In his autem, & ſimilibus admonendi ſumus, ne ſimilia faciamus. Et talis expoſitio ſufficiat nobis.

Ideo audiuit Dominus, & diſtulit, & ſuperpoſuit. Quid diſtulit Dominus, & quid facere ſuperpoſuit? Hoc videlicet quod in ſequentibus legitur. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos:* Diſtulit iram, & compleuit petitionem: vt prius Dei omnipotentiam, deinde ſuam infidelitatem, & malitiam recognoſcerent. Vnde & ſubditur. *Et ignis accenſus eſt in Iacob; & ira aſcendit in Iſraël.*

Qui non crediderunt in Deum ſuum, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Ideo, inquit, ignis iræ & indignationis Dei accenſus eſt contra Iacob, & aſcendit, ſuper filios
G Iſraël, quia neque crediderunt, neque ſperauerunt, ſicut credere, & ſperare debuerunt. Cum enim tot, & tanta ſigna, & mirabilia vidiſſent, nullatenus de Dei omnipotentia dubitare debuiſſent. Hæc autem per anticipationem dicta ſunt; quia ea, quæ ſequuntur, prius quã iſta, facta ſunt.

Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna manducare. Habuerunt illi ſuas nubes, ſuos cœlos, & ſuum manna, habemus & nos noſtras nubes, noſtros cœlos, & noſtrum manna. Valde quidem maioris digniorisque naturæ. Noſtræ nubes, & noſtri cœli, Apoſtoli ſunt, & Doctores, noſtrum manna, vtriuſque teſtamenti doctrina, & ſpiritualis intelligentia eſt. Et talis quidem cibus deſcendit à nubibus noſtris talemque panem pluunt nobis cœli noſtri. Poſſumus & per hunc panem, Chriſti corpus intelligere, de quo nimirum quotidie dicimus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* De quo pane ſubditur adhuc.

Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, frumentationem miſit eis in abundantiam, Panis
H cœleſtis eſt corpus Chriſti, panis cœleſtis, eſt intelligentia, & ſcientia ſpiritualis, tali cibo reficiuntur Angeli, & tali pane omnia ſupercœleſtia viuunt, talem & modo homines manducant, & tamen frumentationem in Eccleſia ſuſcipiunt. Hæc autem frumentatio de illo frumento [illegible], de quo in Euangelio Dominus ait: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Et excitauit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africum. Auſter, & Africus idem ſunt. De quo videlicet Auſtro alibi dicitur: *Deus ab Auſtro veniet.* Hunc autem commouit Dominus, & ſecundum ſuæ virtutis potentiam excitauit. Et ille quid fecit?

Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata Prius aquas, deinde panes, poſtea vero carnes quæſierunt, nihil eſt negatum eis, ſed omnia eis abundanter ille conceſſit, qui *diues eſt in*

omnibus,

A *omnibus, qui inuocant eum.* Super nos quoque excitatur Auſter, qui aquilonis frigus & deſidiam pellat, & corda noſtra calefaciat, & nimij frigoris immenſitate iam penè emortua reuiuiſcere faciat. Sed quid per carnes, niſi carnalis intelligentia? Et quid per volatilia pennata, niſi ſpiritualis intelligentia deſignatur? Vtramque nobis dedit Dominus, & abundanter dedit, quia vtroque modo ſcripturas intelligimus, & exponimus. Vnde & ſubditur.

Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum. Cadunt autem hæc & in medio, & circa caſtra Chriſtianorum, quia & ſapientes, & inſipientes his quotidie ſatiantur. Et hoc eſt quod dicit.

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, & non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Non maiori appetitu quæſierunt illi tunc temporis illas eſcas carnales, quam Chriſtiani modo quærunt iſtas eſcas ſpirituales: ſed aliter illi, quæſierunt, & aliter iſti B modo quærunt, & ideo non eadem, neque æqualia merita recipiunt. Et de illis quidem propter infidelitatem ſuam dictum eſt, quod ſequitur.

Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit plurimos eorum, & electos Iſraël impediuit. Non qualeſcunque, ſed maiores, & fortiores murmuraſſe oſtendit, dum electos Iſraël impeditos dicit.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Quam ſtulti, quam increduli, & iniqui fuerint, in eo oſtenditur, quod neque miracula neque flagella eos corrigere, & dirigere potuerunt. Vnde & ſubditur.

Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Quid ſit autem, cum feſtinatione deficere, ſequentia manifeſtant.

Cum occideret eos, tunc inquirebant eum, & conuertebantur ante lucem, & veniebant ad eum. Qui enim ſic occiduntur, vtique cum feſtinatione deficiunt, & moriuntur. Quia vero ante lucem ſtabant, & ſui cordis ma- C liciam abſcondere non poterant, ideo conuertebantur, ſed non ex corde conuertebantur. Et veniebant ad eum, non corde tamen, ſed facie, & ſimulatione veniebant.

Et memorati ſunt, quia Deus adiutor eorum eſt, & Deus excelſus liberator eorum eſt. Si obliti non fuiſſent, non diceretur, *& memorati ſunt.* Tale eſt & illud, quod alibi dicitur: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fides habita eſt illis in teſtamento eius. Hoc eſt enim, quod in Euangelio & per Prophetam Dominus ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Quid eſt autem, *nec fides habita eſt illis in teſtamento eius?* niſi quia non crediderunt, nec fidem habuerunt in teſtamento eius. Omnia autem hæc in parabolis dicuntur, vt nemo eos imitetur, qui ſimilia pati formidat. Qui enim ſimilia agunt, dignum eſt, vt ſimilia patiantur. In his autem Dei quoque miſericordia conſiderari debet, qui, ſicut difficilis eſt in peccatis perſeuerantibus, D ita facilis & miſericors eſt conuerſis, & pœnitentibus. Vnde & ſubditur.

Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos. Peccator enim quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet & non morietur.

Et multiplicauit, vt auerteret iram ſuam ab eis. Quid multiplicauit Dominus, niſi miſericordiam, indulgentiam, & pietatem? Quia enim his abundabat, & plenus erat, ideo non accendit omnem iram ſuam, vt eos confeſtim interficeret pro tantis offenſis & iniquitatibus ſuis.

Et memoratus eſt, quia caro ſunt. Quæ ſemper ſpiritui reſiſtit, &, ſicut Apoſtolus ait, aduerſus ſpiritum concupiſcit. *Spiritus vadens & non rediens.* Quaſi aliquis diceret: Et ſi caro interficeretur, ſpiritus quid faceret? Ad quod ipſe: Vadens, inquit, vaderet, neque rediens rediret. Poſtquam enim à corpore ſeparatur anima, niſi Diuino Oraculo, vſque ad tempus omnibus conſtitutum, E nunquam ad illud reuertetur amplius.

Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, in ira concitauerunt eum in terra ſine aqua. Vſque hodie qui in deſerto ſunt, & ab Eccleſia longè ſunt, & aquis ſpiritualibus non irrigantur, eum exacerbare & concitare non ceſſant.

Et conuerſi ſunt. Vnde & quo? A bono ad malum. *Et tentauerunt Deum, & ſanctum Iſraël exacerbauerunt.* Decies tunc Iudæi Dominum tentaſſe leguntur. Prima tentatio fuit in mari rubro, de qua ſcriptum eſt: *Et irritauerunt aſcendentes in mari rubro.* Secunda, de vituli creatione. Tertia, quando murmurantes dixerunt: *Quare eduxiſti nos de terra Ægypti? anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, & miſit in eos ignitos ſerpentes. Quarta, & quinta, ad aquas contradictionis, vna ante mortem Mariæ, altera poſt mortem eius. Sexta, quando manna computruit. Septima & octaua, de coturnicibus. Nona, de Chore. Decima, de exploratoribus.

Non ſunt recordati manus eius, qua die liberauit eos de manu tribulantis. F

Cœtera deſiderantur.

FRAGMENTVM
Pſalmi 81.

EXVRGE Deus iudica terram. Exurge, inquit, Deus, quem ad Patris dextram ſedere conſpicio, veni ad iudicium, & iudica terram, damna impios & peccatores. Et ſicut vnus de principibus cadant, qui non ſurſum aſpiciunt, ſed ſola terrena & tranſitoria quærunt, ſufficiant tibi tui, illos honora, & glorifica. *Quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus;* Nulla enim gens eſt, in qua Dominus non hæreditauerit, & in ſortem ſibi aliquos elegerit. Quia, ſicut ſcriptum eſt, *omnes gentes ſeruient ei.* G

CANTICVM PSALMI ASAPH.

VVlt Aſaph vt iſte pſalmus cum cantico, & laudibus dicatur, in quo Dei virtus, & magnificentia, & iniquorum exterminium, & perditio prædicatur.

Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas neque compeſcaris Deus. Cum veneris, inquit, O Deus iudicare terram, ſicut in fine ſuperioris pſalmi legitur, quis erit ſimilis tibi? Veniſti quondam ſed humilis, & in forma ſerui, vidimus te non habentem ſpeciem neque decorem, venies autem clariſſimus, & potentiſſimus in ſede maieſtatis tuæ, & quis ſimilis tibi? quis non timebit te Domine? quis ſimilis Deo inter filios Dei?

Ne taceas, neque compeſcaris Deus. Tacuiſti, & ſicut agnus ſine voce ad victimam ductus, os non aperuiſti, redde eis vicem Domine. Locuti ſunt illi, & nimis ſuperbe locuti ſunt in tempore ſuo, loquere & tu in tempore tuo, cognoſcant te excelſum, qui humilem cognoſcere noluerunt. H

Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt. Sonuerunt quidem, & ſtulte, crudeliter, & ſine ratione, crucifige clamauerunt. *Et qui te oderunt, extulerunt caput.* Sic enim in Euangelio dicitur: *Quia illudebant ei mouentes capita ſua.* Caput autem leuare, contra Dominum ſuperbire eſt.

In plebem tuam aſtute cogitauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Non ſolum, inquit, contra te, ſed & contra plebem tuam, & contra Eccleſiam tuam, & Iudæi, & omnes alij, de quibus modo dicturi ſumus, cogitauerunt malum conſilium. Et hoc aſtute, doloſe, & fraudulenter. *Et cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos*, & quid cogitauerunt, audiamus.

Dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memorabitur nomen Iſraël amplius. Notandum, quia vbicunque loquitur Aſaph, ſemper de veteri hiſtoria parabolas ponit, vt ea, quæ antiquis Patribus acciderunt,

parabolicè ad Eccleſiam transferamus. Sicut in hoc loco, vbi Iſraël pro Eccleſia ponitur, eiuſque aduerſarij, pro Eccleſiæ perſecutoribus accipiuntur. Hoc enim Eccleſiæ aduerſarij, non ſolum cogitauerunt, & dixerunt, verum etiam facere conati ſunt, vt Chriſtianorum nomen omnino de memoria hominum tolleretur. Vnde & ſubditur.

Quoniam cogitauerunt conſenſum in vnum. Cogitauerunt, inquit, & conuenerunt in vnum conſenſum: malum vtique atquę peruerſum, vt Eccleſiam deſtruerent, & ſanctos Dei interficerent, & fidem Catholicam omnino delerent.

Aduerſus te teſtamentum diſpoſuerunt. Qui? *Tabernacula Idumæorum,& Iſmaëlitarum, Moab & Agarreni Gebal & Amon, & Amalech, & alienigenæ cum habitantibus Tyrum,* & cætera. Quæ ſequuntur, Per hos autem, qui Iudæorum populum quondam grauiter perſecuti ſunt, eos intelligimus, qui Eccleſiam Dei vſque hodie perſequuntur. Nam & Iudæi male legem interpretantes, & hæretici, & pagani aduerſus Dominum ſuum teſtamentum diſpoſuerunt: omneſque alij, qui nouam Doctrinam introducunt, aduerſus Dominum aliud teſtamentum facere diſponunt. Sed videamus modo, qui ſunt iſti, qui ſanctam Eccleſiam perſequuntur. Primum quidem, *tabernacula Idumæorum,* qui terreni interpretantur: per quos omnes illos intelligimus, qui non animæ ſed corpori ſeruiunt, & ſola terrena & tranſitoria diligunt. A quibus non differunt, *Iſmaëlitæ,* qui ſibi obedientes interpretantur, ſibi autem obedientes ſunt, qui cordis ſui deſideria ſequuntur, & quocunque voluntas eos duxerit,ire non erubeſcunt. *Moab* vero,qui,ex patre, interpretatur, furtiua & illicita coniunctione in ebrietate conceptus eos ſignificat, qui Eccleſiæ Sacramentis ab hæreticis generantur, tales enim, bonos parentes habere videntur,ſed ex patre diabolo eſſe probantur. Sed quid per *Agarrenos,* qui extranei dicuntur,niſi eos intelligamus, qui ab Eccleſia longe ſunt, & ſanctorum fidem & doctrinam recipere nolunt?*Gebal* vero vallis vana dicitur, per quam ſteriles,& infructuoſi, & falſam humilitatem ſimulantes, ſignificantur. At vero *Amon,* qui, populus turbidus interpretatur, hæreticos deſignat, ſicut,& frater eius *Moab*, de quo modo ſuperius diximus. Turbidi enim ſunt hæretici, nihil puritatis in ſe habentes. Sunt autem, & ebrietatis, & fornicationis filij, vtpote inſani, & in errore generati. Per *Amalech,* autem, qui populus brutus dicitur, homines ſtultos & indiſciplinatos intelligimus, qui voluptatem ſummum bonum eſſe putantes, ſimul animam cum corpore mori arbitrantur. *Alienigenæ* vero illi ſunt, qui idola colentes nullam Dei cognitionem habent. *Tyri* autem *habitatores,* nauigiis & negotiationibus dediti fuerunt, quos Propheta tam diuites fuiſſe deſcribit, vt aliarum ciuitatum principes eſſe potuiſſent. Scribit etiam de Rege Tyri,quem omni lapide pretioſo decoratum fuiſſe dicit. Sed ideo cecidit,quia in nimiam ſuperbiam ſe erexit. Tyrus igitur mundum ſignificat, eius vero habitatores, diuites & potentes huius mundi intelliguntur. Quod itaque aduerſus teſtamentum Dei ſupradictas gentes, ſimul cum habitantibus Tyrum veniſſe dicit, Hoc eſt intelligere, quia non ſolum multæ prouinciæ & nationes,ſed totus mundus generaliter contra Eccleſiam coniurabit. Sed quid mirum? cum ipſe diabolus eorum princeps eos regeret, & ſecundum ſuam voluntatem dirigeret. Hoc eſt enim quod ſequitur.

Etenim Aſſur ſimul venit cum illis. Aſſur quippe, dirigens, interpretatur: Nullos autem alios diabolus dirigit ad ſe niſi eos quos à via veritatis retorquet & aberrare facit. *Facti ſunt in ſuſceptionem filiis Loth:* Omnes inquit, iſti de quibus ſuperius locuti ſumus, facti ſunt in ſuſceptionm & in adiutorium filiis Loth, per quos, hæreticos ſignificari diximus. Eccleſiæ inimici maximi, & principales hæretici ſunt, & idcirco quicunque Eccleſiam perſequuntur, hæreticorum adiutores fiunt; nunc autem eos excommunicat, & magnis imprecationibus eis maledicit.

Fac illis ſicut Madian, & Siſara, & ſicut Iabin in torrente Ciſon. Omnes iſti diſperierunt in Endor, facti ſunt ſicut ſtercus terræ. Madian, interpretatur de iudicio: Siſara, gaudij excluſio: Iabin, ſapiens: Ciſon, duritia eorum: Endor vero, fons generationis. Madian itaque eos ſignificat, qui de iudicio miſeri exibunt. Siſara vero, eos ſignificat, à quibus omne gaudium excludetur, & ſemper in doloribus erunt. At vero Iabin, ſapientes huius ſæculi oſtendit, qui apud Deum ſtulti eſſe dicuntur. Omnes autem iſti peribunt in Ciſon & Endor, id eſt, in duritia ſua. Et ipſo fonte ſuæ generationis, per quod originale peccatum intelligimus, à quo qui Chriſti ſanguine liberatus non fuerit, procul dubio in æternum peribit. Hoc bellum ſub Barach & Debbora vxore eius factum eſt.

Pone Principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee & Salmana, omnes Principes eorum, qui dixerunt, hæreditate poſſideamus nobis ſanctuarium Dei. Hi quatuor Principes ſub Gedeone mirabili prælio ſuperati ſunt. Interpretatur autem Oreb, foramen, Zeb, lupus: Zebee, victima: Salmana,vmbra prohibendi. Per Oreb, eos intelligimus, qui vndique perforati, nullum vitiis, & malignis ſpiritibus ingrediendi obſtaculum opponunt. Zeb autem,rapaces, & prædatores ſignificat. Zebee vero diaboli martyres ſunt, qui ſe viciſſim interficiendo quotidie ei vbique immolantur. At vero Salmana, hypocritas deſignat, qui nihil aliud ſunt niſi vmbra, ſimulatio, & multoties ea, quæ prohibere videntur, vehementer fieri optant. Ad horum igitur ſimilitudinem, omnes illos perituros eſſe, dubium non eſt, quicunque ſanctuarium Dei, Dei hæreditatem non timent, & id, quod Diuini iuris eſt, ſibi vendicare non formidant. Et merito horum talium Principes hoc in loco ſpecialiter maledicuntur, ſiue quia ſuo malo exemplo ad hoc ſcelus cæteros impellunt: ſiue, quia inde eos per potentiam non expellunt.

Deus meus pone illos, vt rotam. Vt celerrimo & præcipiti curſu: ſubito ad inferiora terræ deuoluantur: *Et ſicut ſtipulam ante faciem venti,* quatenus violento malignorum ſpirituum turbine ad perditionem, mortemque trahantur. *Et ſicut ignis, qui comburit ſyluas, velut ſi flamma incendat montes, ita Perſequeris eos in tempeſtate tua, & in ira tua conturbabis eos.* Bene autem ſyluis comparantur, quia multi ſunt: & montibus quia ſuperbiæ ſpiritu tumidi ſunt, quibus, vt in Euangelio legitur, ignis æternus & flamma inextinguibilis præparata eſt.

Imple faciem eorum ignominia. Et reuera ignominia, & talibus maledictionibus digni ſunt, qui Sanctuarium Dei eiuſque miniſtros ita conculcant, ſibique ſubijciunt, & in tantis contumeliis afficiunt. Lege omnes Diuinas ſcripturas, & nullos alios inuenies ita excommunicatos, & maledictos, ſicut illos, qui Eccleſias affligunt,& qui cogitare, & dicere non metuunt *Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei.* Omnes enim iſti ſacrilegi ſunt, & nos ſcimus, quia omnes ſacrilegi, excommunicati, & maledicti, & damnati ſunt. Hoc eſt enim quod hic dicitur. *Imple facies eorum ignominia*, & quando iſti quærent nomen tuum, dicentes, Domine Domine, tunc confundantur æterna confuſione, & conturbentur, non ad horam, ſed in ſæculum ſæculi. Et reuereantur, & pereant. Et tunc tandem *cognoſcent quoniam nomen tibi Dominus:* quem ſub tantis interdictis, tantis prohibitionibus, tantis excommunicationibus, & maledictionibus offendere non timuerunt.

Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Tunc, inquit, quando ad iudicium venies Dominus, omnes, & amici, & inimici *cognoſcent, quoniam nomen tibi Dominus*, & quoniam *tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.* Et tunc ô Deus, quis ſimilis erit tibi? *Ne taceas neque compeſcaris Deus, quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui te oderunt, extulerunt caput.* Tu quidem altiſſimus es, ipſi tamen malo ſuo caput extollere non timuerunt.

A

IN FINEM PRO TORCVLARIBVS filiis Chore.

IN finem referatur iſte pſalmus, ad Chriſtum videlicet, de quo hic dicitur. *Et reſpice in faciem Chriſti tui.* Eſt autem pro torcularibus, quorum ſuaui nouoque vino ſancti inebriati, omnium terrenorum obliuiſcuntur, & ſola Dei tabernacula videre, & intrare concupiſcunt. Detur autem ad cantandum filiis Chore, id eſt populo Chriſtiano, qui magis gloriatur de Caluariæ loco, quam de tota Ieruſalem: Chore namque Caluaria interpretatur. Alij itaque dicantur filij Sion: nos autem filij Caluariæ nominamur, & ſumus.

Quam amabilia ſunt tabernacula tua Domine virtutum, concupiuit, & defecit anima mea in atria Domini. Hæc ſunt illa tabernacula, de quibus Dominus ait, *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Vnde Apoſtolus dicit: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum,* B *peramplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, &c.* Sunt igitur tabernacula & multa & vnum, quia & multæ manſiones in vna domo continentur. Ad hæc autem tabernacula, & horum tabernaculorum atria ſancti Dei venire cupientes, nimio deſiderio deficiunt. Sed quibus deficiunt? Omnibus mundi huius voluptatibus, & quæcunque in hoc mundo haberi vel deſiderari poſſunt.

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Optima ſpes reſurrectionis, quod animam ſuam, quæ per cor ſignificatur, & carnem ſuam in Deum viuum exultaſſe dicit, quoniam ad ipſum, & ad eius tabernacula ſe venire confidunt. Sed quid mirum ſi viri ſancti, & Deo amabiles ad illa tabernacula feſtinant, cum paſſer, & turtur, parua animalia, domos, & nidos ſibi quærant, & inueniant? Hoc eſt enim quod dicit: *Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos: Altaria tua Domine virtutum, Rex* C *meus, & Deus meus,* non inuenient ſibi, ſubauditur, domum & tabernaculum vbi ponantur & ſtabiliantur? Altaria Dei, dicuntur ſancti, quia Deo conſecrati ſunt, & in eis habitat Deus, in eis quotidie fiunt holocauſta & ſacrificia Dei. Vnde Apoſtolus ait: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*

Beati qui habitant in domo tua Domine. Ideo, inquit, tanto deſiderio in domum tuam ſancti venire, & habitare deſiderant, quia ſciunt eos eſſe beatos, qui habitant in domo tua. Vnde & hic idem Propheta alibi dicit; *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Vnde autem ſit illa beatitudo, audiamus. *In ſeculum ſeculi laudabunt te;* Ab omnibus itaque occupationibus, & fatigationibus expediti, ſolis Dei laudibus, & iubilationibus vacabunt. Et hoc eſt quod ipſi deſiderant, vt Deum omni tempore, & ſine intermiſſione laudare, & benedicere valeant. Qui autem habet quod deſiderat, beatus eſt. Et hoc quidem D in hac vita nullus hominum habere poteſt.

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te Domine. Beatus, inquit, eſt ille vir, cui in hac vita ſic auxiliaris, vt ad illam domum tuo adiutorio conſcendere poſſit. Nemo enim venit ad te, niſi tu traxeris eum. *Aſcenſus in corde eius diſpoſuit.* Vbi? *in conualle lacrymarum. Et in loco quem diſpoſuiſti eis;* Conuallis lacrymarum, & locus laboris, & certaminis à Deo nobis diſpoſitus, hic mundus eſt. Hic igitur pro peccatis plorandum eſt, quia *beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Hic in vinea Dei laborandum eſt, quia, qui laborauerit mercedem recipiet. Hîc contra vitia, & malignos ſpiritus totis viribus certandum eſt, quia *nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Diſponamus, & ordinemus aſcenſiones in corde noſtro, & quoſdam gradus nobis faciamus, per quos de hac valle in illum montem, vbi eſt illa domus, aſcendere valeamus. Si diſpoſuiſti ieiunare, vnum gradum feciſti: ſi diſpoſuiſti eleemoſynas dare, alterum feciſti, ſi diſpoſuiſti debitoribus tuis debita dimittere, & omnibus in te peccantibus indulgere, & hic gradus eſt. E Iſto igitur modo illa ſcala conficitur, qua de hac valle profundiſſima in cœlum aſcenditur. Qui autem hoc fecerit beatus erit. Vnde hoc? ſequitur.

Ecce enim benedictionem dabit, qui legem dedit, ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Qui, inquit, hanc legem dedit, & hunc ad ſibi ſeruiendum locum diſpoſuit, ipſe dabit, & benedictionem, qua ad beatitudinem perducamur. *Venite,* inquit, *benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Et tunc quidem *videbitur Deus Deorum in Sion,* in illa videlicet Sion, quæ dignè ſatis ſpeculatio interpretatur. Sed à quibus videbitur? ab illis, qui ambulabunt de virtute in virtutem, & qui per illam ſcalam aſcendent, de qua modo ſuperius diximus. Pulchra via eſt, de virtute in virtutem ambulare, de fide in ſpem, de ſpe in charitatem, de charitate in humilitatem, de humilitate in patientiam, de patientia in obedientiam, F de obedientia in continentiam, & ſic tranſire de virtute in virtutem, donec veniatur ad ſummam virtutem, id eſt, ad Saluatorem noſtrum, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia.

Domine Deus virtutum exaudi precem meam, auribus percipe Deus Iacob. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: Vt quolibet modo ad te conſcendere valeam, exaudi orationem meam, quia aliter ad te venire non poſſum. Per Iacob, illi intelliguntur, qui vitia ſuperant, malignos ſpiritus ſupplantant, & tales quidem in Dei militia non immerito computantur.

Protector noſter aſpice Deus, & porrige manum ad te venientibus, quia niſi tu traxeris nos, in hoc itinere tam arduo, ſine dubio deficiemus. *Et reſpice in faciem Chriſti tui,* qui ideo homo factus eſt, ideo noſtræ humanitatis formam ſuſcepit, vt vbi ipſe eſt, & nos ſimus, & Regem noſtrum, noſtræque humanitatis participem ſemper videamus, & videndo gaudeamus.

Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Ideo, inquit, in illam domum, vel in arcam illius domus G tanto deſiderio intrare feſtino, quia melior eſt dies vna, vna quidem, quia finem non habebit, *nox* enim, ſicut ſcriptum eſt, *non erit illic,* melior, inquit, eſt dies vna, non dicam in domo tua, ſed foris in atriis domus tuæ, ſuper millia, vbicunque fuerint. Nihil igitur ſunt omnia quæcunque ſunt, & vbicunque ſunt, ad illius beatitudinis comparationem.

Elegi abiectus eſſe in domo Domini, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quamuis ſtella ibi differat à ſtella in claritate, nemo tamen ibi abiectus erit, ſed magis iſte ibi deſiderat minimus eſſe, qui in hoc mundo potentiſſimus eſſe, vbi non ſunt niſi tabernacula peccatorum, ſiquidem ſanctorum conuerſatio in cœlis eſt.

Quoniam miſericordiam, & veritatem diligit Dominus gratiam, & gloriam dabit Deus. Et gratiam quidem dabit peccatoribus, quia miſericors eſt, gloriam vero pœnitentibus, ſibique ſeruientibus, quia verax eſt. Illi ſola miſericordia ſaluantur, iſti pro victoria coronantur, H aliter autem neque miſericors neque verax dici potuiſſet.

Dominus non priuabit bonis ambulantes in innocentia. Illi ſunt ambulantes in innocentia, quibus Apoſtolus dicit: *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* Et quibus Dominus ait; *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Et: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Cui enim nocebit, qui ipſos ſuos diligit inimicos? Tales autem non priuabuntur, bonis, ſed æternis cum Domino deliciis perfruentur *Domine Deus virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.* Et ideo beatus, qui in domo tua habitabit. Ipſe eſt enim cui dicitur; *Spera in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

A

IN FINEM FILIIS CHORE.

MVlta bona in hoc pſalmo promittuntur, & dantur filiis Chore, quia ipſi ſoli ſunt, quibus Chriſti Incarnatio, & Paſſio fructuoſa fuit.

Pſalmus Dauid.

Ipſe Dauid loquitur in hoc pſalmo, & ſic de futuris quaſi de præteritis loquitur, & dicit Dominum in aduentu filij ſui terram ſuam benedixiſſe, & de diaboli captiuitate liberaſſe.

Benedixiſti Domine terram tuam. In aduentu inquit filij tui benedixiſti Domine terram tuam, quæ adhuc ſub maledictione illa iacebat, qua primo homini dictum fuerat; *Maledicta terra in opere tuo.* Tuam inquit terram benedixiſti, illam videlicet, quæ in te credit, B tibique ſeruit, alia vero adhuc ſub antiqua benedictione manet.

Auertiſti captiuitatem Iacob. Illius vtique Iacob, qui Patris benedictionem ſuſcipere meruit, per quem populus Chriſtianus ſignificatur, qui Chriſti ſanguine, & aqua baptiſmatis de diaboli captiuitate liberatus eſt.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. De populo Chriſtiano loquitur, cui ſimul cum originali peccato omnia peccata in baptiſmo remittuntur. Vnde & alibi dicitur: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Mitigaſti omnem iram tuam. Tanta erat ira, & indignatio Dei vſque ad id temporis, vt ipſi quoque Patriarchæ & Prophetæ neceſſario in infernum deſcenderent. *Auertiſti ab ira indignationis tuæ;* Auertiſti, inquit, te ab ira indignationis tuæ, & quos prius videre nolebas, nunc quaſi filios chariſſimos amplexaris.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Quoniam quidem, C inquit, tu gratuita bonitate tua conuerſus es ad nos, & eos, qui multum te offenderunt, reſpicere dignaris, conuerte nos quoque ad te, quia viæ noſtræ prauæ ſunt, per quas incedere ſoliti ſumus; Tu enim es Deus Saluator noſter, & in te ſolo conſiſtit tota ſalus noſtra. *Et auerte iram tuam à nobis, vt non in æternum iraſcaris nobis.* Sic, inquit, conuerte nos ad te, & ſic auertas iram tuam à nobis, vt nunquam amplius iraſcaris nobis. Nunquam enim fit, quod in æternum non fit. Vnde & ſubditur.

Neque extendas iram tuam à progenie in progenies, Fuiſti, quaſi dicat, iratus primis, rogamus te ne iraſcaris nouiſſimis. Satis tibi ſit, quod præcedens progenies ſenſit iram tuam, amodo ea progenies, quæ ſecutura eſt, inueniat miſericordiam tuam. *Deus tu conuertens viuificabis nos,* qui nequaquam, niſi conuerteres, viuificares nos. Nemo enim viuificabitur, niſi quia prima conuerſatione conuerſus fuerit. *Et plebs tua lætabitur in te,* tota D penitus ab omni via mala conuerſa ad te. Et quia hæc tanta conuerſio, & immutatio niſi per aduentum filij tui fieri non poteſt, veniat iam nunc diu deſideratus, tantoque tempore exſpectatus. Et hoc eſt quod ait.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. In eo enim oſtendit Dominus miſericordiam ſuam, quia dedit nobis ſalutare ſuum. Hæc miſericordia omnes alias miſericordias ſuperauit, quia *proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Oſtendit quam miſericors eſſet, dum modum miſericordiæ ſuperaſcendit. Cum autem hæc propheta tractaret, ſubito ſenſit Dominum in ſe loquentem, ſuæque petitioni reſpondentem, & ait.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Dominus ergo eſt, qui loquitur in Prophetis, & ea, quæ Prophetæ dicunt, non ſunt Prophetarum, ſed Dei. Vnde & diſcipuli Dominus ait: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris mei, qui loquitur in vobis: Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertentur ad ipſum.* Quid eſt autem, loquetur E pacem in plebem ſuam, niſi quia dabit pacem populo ſuo, & ſanctis ſuis? Inde enim in Chriſti natiuitate voces Angelorum auditæ ſunt, dicentium: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod enim dicitur, *hominibus bonæ voluntatis,* hoc eſt quod hic dicitur, *& in eos, qui conuertentur ad ipſum:* Aliis enim non datur hæc pax niſi his, qui bonam voluntatem habent, & qui ad ipſum conuertuntur, per quos videlicet ſoli Chriſtiani ſignificantur. Quid ergo de Iudæis fiet, qui ad ipſum conuerti noluerunt? Audi Apoſtolum dicentem: *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël: Non enim repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* Ex parte populus ille inconuertibilis fuit, multi tamen ex eis in Chriſtum crediderunt, quorum gratia & inter eos naſci, & prius ad eos venire, & prius eos prædicare Dominus voluit. De quibus ſubditur.

Veruntamen prope eſt timentibus eum ſalutare ipſius. F Quamuis, inquit, maxima pars illius populi Dei filium recipere noluit, *veruntamen prope eſt timentibus eum ſalutare ipſius.* Neque enim iuſtum eſſet, vt propter malos, bonos abiecerit, & propter inimicos, amici & timẽtes eum, perirent. Propter igitur illos paucos eum timentes & in eum credentes, factum eſt, *vt inhabitet gloria in terra noſtra:* Inde enim beatiſſima Virgo Maria, inde & Apoſtoli fuerunt, de quorum gloria maxima & principali tota Eccleſia lætatur. Hinc eſt autem quod per Prophetam dicitur: *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, velut Sodoma eſſemus, & velut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.*

Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax complexæ ſunt ſe. In Chriſti namque natiuitate, & in eius glorioſiſſima humanitate euenerunt, ſeſeque viciſſim complexæ ſunt, miſericordia & veritas, iuſtitia & pax, omneſque aliæ virtutes, quia nihil fuit bonitatis, nihil fuit virtutis & honeſtatis, quod in ipſo non fuerit: Quoniam, ſicut Apoſtolus ait, *in ipſo requieuit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Ipſe denique eſt miſericordia, ipſe eſt veritas & iuſtitia, ipſe eſt pax noſtra, qui fecit G vtraque vnum. Et hæc quidem *veritas de terra orta eſt, & hæc iuſtitia de cœlo proſpexit;* Beata Virgo Maria, & terra vocatur & cœlum, terra per naturam, cœlum per gratiam, terra, quia de terra facta eſt, cœlum, quia Dei habitatio eſt. Veritas igitur de terra orta eſt, quia Saluator noſter de Virgine natus eſt, ipſe enim & via eſt & veritas & vita. Et iuſtitia de cœlo proſpexit, quia idem ipſe Saluator noſter, qui de ea natus eſt, quæ & cœlum vocatur & terra, mundum iſtum miſericorditer reſpicere, & impios & peccatores iuſtificare dignatus eſt. Bene autem cœlum dixit, quam terram vocauerat, ne tantæ perſonæ iniuriam tali nomine feciſſe videretur.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Certiſſime, inquit, credite, & nullatenus dubitare velitis, quia reuera Dominus dabit benignitatem, &, ſicut per me ipſum, & per alios Prophetas promiſit, in tempore præfinito mittet nobis filium ſuum, & terra noſtra, ſicut modo dixi dabit fructum ſuum. Fe- H lix terra quæ talem fructum dedit, feliciſſima Virgo quæ talem filium genuit.

Iuſtitia ante eum ambulabit. Iuſtitia, inquit, ante eum ambulabit: Quia in omnibus iuſtitiam ſequetur, & in nullo à iuſtitia deuiabit. Vnde & ſubditur: *Et ponet in via greſſus ſuos;* In via namque iuſtitiæ greſſus ſuos ponunt, qui per viam iuſtitiæ incedunt. De qualibus Dominus ait: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

IPSI ORATIO DAVID.

DAuid Propheta in perſona totius Eccleſiæ, loquitur ipſi Dauid, qui veraciter vocatur Dauid, id eſt manu fortis. De quo alibi dicitur: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Inclina Domine aurem tuam ad me, & exaudi me, quoniam egenus, & pauper ſum ego. Iſte pſalmus planus eſt, & totus deprecationibus plenus, neque eget multa

expoſitione.

Digitized by Google

expoſitione. Sed *beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Diuitibus autem quid dicitur? *Væ vobis diuites, qui habetis conſolationem veſtram.* Ecce enim iſte, qui hic loquitur, quoniam egenus & pauper eſt, inde præcipue ſe exaudiri ſperat. Hinc eſt enim, quod Apoſtolus ait: *Præcipe diuitibus huius ſæculi, non ſuperbe ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.* Quam enim ſpem in Deo habere poſſunt, qui in incerto diuitiarum ſpem ſuam ponunt; Pauperes ſunt, qui nihil habent. De quibus Apoſtolus ait: *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Egeni vero illi dicuntur, qui & multis egent, & paucis & minimis contenti ſunt. De illis itaque hæc intelligamus, qui ſua ſponte egeni, & pauperes ſunt.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Qui ſanctus eſt, dignus eſt, qui à Domino cuſtodiatur. Sed ego omnes illos ſanctos intelligo, qui ſacramentis Eccleſiæ ſanctificati, fidem tenent, & ab Eccleſia non recedunt, quamuis peccatores eſſe videantur. Sic enim & in legibus habetur, de locis Domino dedicatis, ſi deſtruantur, ſacer tamen permanet locus. *Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te,* Et hic ſimiliter ratio redditur, cur eum Dominus ſaluare debeat, dum dicit: *Sperantem in te.* Certum eſt enim, quia ſpes non confundit, & quia nunquam deſerit Dominus ſperantes in ſe.

Miſerere mihi Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Longo tempore ſe clamaſſe oſtendit, in eo, quod tota die ſe clamaſſe dicit. Hinc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Sine intermiſſione orate.* Et Dominus in Euangelio *Petite*, inquit, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Et alibi dicitur: *Quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Apparet igitur in his verbis, quantum poteſt violenta & diuturna oratio.

Lætifica animam ſerui tui, quia ad te Domine leuaui animam meam. Digna eſt illa anima lætificari, quæ Domino offertur, & præſentatur. Bonis actionibus leuatur anima ad Deum, ſicuti malis mergitur in infernum.

Quoniam tu Domine ſuauis; & mitis es, & copioſus in miſericordia omnibus inuocantibus te, auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. Iam non quærit, vt ex ſuis factis, ſed ex ſola Dei bonitate exaudiatur: Exaudi, inquit, orationem meam, & deprecationem meam. Quare? Quia ſuauis es, quia mitis es, & peccatoribus ad te conuerſis benignus es: Inſuper & copioſus es in miſericordia omnibus inuocantibus te. Multi ſunt inuocantes & miſericordiam poſtulantes, ſed miſericordia tua copioſior eſt, quam vel dici vel cogitari poſſit.

In die tribulationis meæ clamaui ad te quoniam exaudiſti me. In multis, inquit, tribulationibus meis expertus ſum benignitatem tuam, quia in die tribulationis meæ ſemper clamaui ad te, & confidenter clamaui, quoniam ſemper exaudiſti me. Hoc autem Dii gentium facere non poſſunt, neque in ſuis tribulationibus ad ſe clamantes exaudire valent. Et hoc eſt quod ait.

Non eſt ſimilis tibi in Diis Domine, & non eſt, qui facere poſſit ſecundum opera tua. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit: Ideoque omnes gentes, *quaſcunque feciſti*, relictis diis ſuis, qui eos adiuuare, & de tribulationibus liberare non poſſunt, *venient ad te, & adorabunt coram te Domine, & honorificabunt nomen tuum.* Hoc autem maxima ex parte iam factum eſt, & adhuc circa finem ſæculi futurum eſt, quando plenitudo gentium intrabit, & quando Iſraël ſaluus fiet. Et hoc merito.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus. Si illi, inquit, dij eſſent, adorandi, & honorandi eſſent: ſed quia tu ſolus Deus es, tu ſolus magnus, & faciens mirabilia, tu ſolus honorandus, & adorandus es.

Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. In via Dei ſunt omnes fideles, ſicut in via diaboli ſunt omnes infideles. Indigent tamen, vt à Domino deducantur, & eius auxilio ſuſtineantur, quatenus ſemper in veritate ambulare valeant, & nullatenus ad errorem trahantur.

Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Initium ſapientiæ, timor Domini. Vnde & alibi dicitur: *Time Deum & obſerua mandata eius, hoc eſt enim omnis homo:* Illa corda timent Deum, quæ ſpirituali ſunt lætitia perfuſa, quæ vero ſpirituali lætitia perfuſa ſunt, iam non terrena ſed cæleſtia diligunt & ſperant. Quid eſt igitur, *lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*, niſi da mihi cor perfectum, & tui amoris lætitia plenum? Hoc autem ſi feceris, & tale cor ſi mihi dederis, *confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & honorificabo nomen tuum, in æternum.* Vnde hoc?

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eripuiſti animam meam ex inferno inferiori. Magna quidem miſericordia eſt, quæ ex inferno inferiori animam liberat. Sicut in illa ſuperna beatitudine, alij ab aliis differunt in gloria, ita in inferno alij ab aliis in tormentis differunt. Illæ igitur animæ liberantur ex inferno inferiori, quæ ex maioribus, & grauioribus tormentis liberantur, non quod ibi aliquando fuerint, ſed quia ibi futuræ eſſent, niſi gratia Dei liberatæ fuiſſent.

Deus iniuſti inſurrexerunt in me, & Synagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te ante conſpectum ſuum. Siue Dauid, ſiue Eccleſia, conqueritur hic de aduerſariis ſuis. Verum eſt, quod dicunt, quia & iniuſti inſurrexerunt aduerſus eos, & ſine Dei reſpectu, & timore, animas eorum perdere quæſierunt Nam & Dauid à Saule, & aliis iniquis, qui cum eo erant: Et Eccleſia à tyrannis, & hæreticis multas perſecutiones paſſa eſt.

Et tu Domine Deus meus miſerator, & miſericors, patiens, & multum miſericors, & verax: reſpice in me, & miſerere mei, da poteſtatem puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ. Hæc tanta verborum inculcatio, magnæ ſubiectionis, magnique amoris ſignificatio eſt, multumque ei placere deſiderat, quem tam laudabili, vt ita dixerim alloquitur adulatione. Dedit autem Dominus poteſtatem puero ſuo Dauid etiam in hac vita, quia Regem, & valde potentem eum conſtituit, & ab omnibus inimicis ſuis eum ſaluauit. Similiter autem & Eccleſiæ filiis, quæ in hoc loco eius ancillæ vocantur, magnam ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, poteſtatem Dominus tribuit.

Fac mecum Domine ſignum in bonum, vt videant, qui me oderunt, & confundantur. Multa ſigna fecit Dominus cum ſanctis ſuis, & omnia in bonum, quia maxime propter ſigna, quæ fiebant, ad fidem gentiles conuertebantur. Quæ quidem maligni ſpiritus, & alij eorum inimici videntes, confundebantur, magnoque dolore, & inuidia torquebantur. Facit autem Dominus etiam cum peccatoribus ſignum in bonum, quando eos Diuina inſpiratione ad ſe conuertit, & duram pænitentiam agere facit. Et fit multoties alicuius impij, & ſcelerati hominis tam ſubita commutatio in bonum, vt pro ſigno, & miraculo habeatur. Vnde bene per Prophetam dicitur: *Conuertetur libanus in Chermel.* Dicat itaque quilibet peccator: Fac mecum Domine ſignum in bonum, quatenus omnes boni admirentur, & gratias tibi agant de mea conuerſione, & videant, qui me oderunt & confundantur, & inde confundantur, *quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.*

FILIIS CHORE. PSALMVS CANTICI.

HVnc pſalmum cantant filij Chore, læti, quia prius in Caluariæ loco Eccleſia ædificatur, de qua hic dicitur; *Fundamenta eius in montibus ſanctis* Quia vero hic pſalmus cantici eſt, non legendus, ſed cantandus eſt, vt in eo maiori lætitia plenum eſſe intelligamus, quia non legi, ſed cantari iubetur.

A *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Fundamenta, inquit, eius in montibus ſanctis. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Iam ſuperius de fundamentis dictum eſt: *Fundamentum aliud*, ait Apoſtolus, *nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* De quo & B. Petro Dominus ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* Fundamentum igitur fundamentorum Chriſtus eſt, ſiquidem & Apoſtoli & Prophetæ fundamenta ſunt. Quæ igitur ciuitas ſuper tales montes fundata eſt, merito de ea dicitur: *Fundamenta eius in montibus ſanctis. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*; Si ſolas portas tantum diligit, dic mihi quæſo, quantum totam diligit ciuitatem; Tabernacula Iacob, iſti Iudæi intelliguntur, qui à Domino recedentes vbique gentium diſperſi ſunt.

Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Sed quæ glorioſa? An forſitan illa, quod tota ex auro, & margaritis, & lapidibus
B pretioſis ædificari dicitur? hæc vtique glorioſa ſunt: Alia tamen illa, quæ de ea dicta ſunt. Sed vis audire quæ? *Memor ero Raab & Babylonis; ſcientium me.* Et reuera glorioſa, & pluſquam glorioſa ſunt hæc. Conſidera modo quid viri iuſti de Dei miſericordia ſperare & præſumere valeant, ſi etiam Raab & Babylonis Dominus memor erit? Altera meretrix fuit: altera Dei populum captiuatum ſuſtinuit. Et illa quidem exploratores, ne occiderentur, abſcondit, hæc vero populum præuaricantem aliquanto tempore ex Dei præcepto in ſeruitute detinuit. Talium igitur Dominus memor erit, qui memor eſt omnium ſcientium eum: neque enim aliter iſtarum memor eſſet, niſi quia eum ſcire, & quamuis poſt multa flagella, in eum tamen credere meruerunt. Valde enim notandum eſt quod ait: *Scientium me.* Qualiſcunque igitur prius fuerit, ſiue meretrix, ſiue ſanctorum perſecutor, ſi tandem conuerſus fuerit, & Dominum cognouerit, ſaluus erit. Vnde & ipſe Dominus
C ait, *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Audiamus nunc & alia glorioſa, quæ dicuntur de Ciuitate Dei. *Ecce*, inquit, *alienigenæ, & tyrus, & populus Æthyopum, hi fuerunt in ea.* Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Num Iudæorum Deus tantum; immo & gentium.* Similiter autem & Apoſtolus Petrus: *In veritate*, inquit, *comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Quicunque igitur Deum timet, & iuſtitiam operatur, vndecunque veniat, ab hac piiſſima ciuitate ſuſcipitur, & non quaſi alienigena, ſed quaſi ciuis, & indigena habetur. Ita Cornelius centurio ſuſceptus eſt, qui primus de gentibus Eccleſiæ filius factus eſt. Hoc & illud vas ſignificabat, quod immundis animalibus plenum erat, quando Apoſtolo dictum eſt: *Macta & manduca.* Hoc & illæ ſimiæ ſignificant, quæ ſimul cum pauonibus Salomoni afferuntur. Quid ſimia turpius? quid pauone pulchrius? In tabernaculo Domini erant & cilicia, & pili caprarum, neque hircum in holocauſtum Dominus reſpuit,
D cui tauri & agni offerebantur, aurum, & lapides, & ligna, cæteraque quibus templum Domini conſtructum eſt, non ibi nata, ſed aliunde allata ſunt. Sic igitur & Eccleſia Dei ex omnibus gentibus ædificata, omnes homines recipit, neminem ad ſe venientem repellit. *Et Tyrus & populus Æthyopum hi fuerunt in ea*, Glorioſa ſunt hæc, quæ & iuſtis & peccatoribus magnam ſpem dare poſſunt, & immenſam afferre lætitiam. Vis in Eccleſiam ſuſcipi? Tyrios imitare, quorum opera, & auxilio templum Domini ædificatum eſt: Imitare & centurionem, qui Synagogam Iudæis ædificauit. Moyſes, ſicut legitur, Æthyopiſſam duxit vxorem, pro qua Maria ſoror eius, quia murmurauit, lepra à Domino percuſſa, extra caſtra eiecta eſt. Huius Æthyopiſſæ filij ſunt Æthyopes iſti, de quibus nunc dicitur; *Et populus Æthyopum hi fuerunt in ea.* Hæc eſt illa Æthyopiſſa, quæ in Canticis Canticorum loquitur dicens: *Nigra ſum, ſed formoſa filia Ieruſalem.* Hanc autem, quia Synagoga odio habet, ideo lepra percuſſa eſt, & vſque ad ſæculi conſummationem intra Eccleſiæ caſtra non ſuſcipietur. E Hæc igitur glorioſa imo glorioſiſſima ſunt, quæ dicuntur de ciuitate Dei, in qua ſerui, liberi fiunt; ignobiles, glorioſi, & ibi, non alibi, eſt illa aqua, quæ Æthyopum poſſit immutare colorem. Et hæc quidem tantam omnium hominum curam, & diligentiam habet, vt non immerito omnium mater eſſe dicatur. Vnde & ſubditur.

Mater Sion dicet homo. Ac ſi dicat: Hæc eſt mater, & reuera mater, quæ pietatis ſinum omnibus aperit, nulla materna viſcera claudit, omnes ſuſcipit, omnes ex affectu fouet & nutrit. Sequitur. *Et homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus:* Multa ſuperius glorioſa dicta ſunt de ciuitate iſta, ſed hoc, quod modo dicitur, omni gloria glorioſius eſt, nulla gloria huic gloriæ comparari poteſt. Ipſe Altiſſimus qui fundauit & fecit eam, ipſe homo factus eſt, & natus eſt in ea. Et vnde hoc probas? vis audire vnde?

Dominus narrauit in ſcripturis populorum ſuorum, & F
Principum eorum, qui fuerunt in ea. Interroga patres tuos & annunciabunt tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Lege ſcripturas omnium populorum, Prophetarum ſcilicet & Apoſtolorum, quæ omnium communes ſunt, quæ ad noſtram, & omnium doctrinam ſcripta ſunt, & docebunt te. Lege Moyſen, Iſaiam, Ieremiam, & inuenies. Lege Euangelia, quæ non ſunt minoris auctoritatis quam illa. Lege Paulum ſeruum Ieſu Chriſti, *qui vocatus eſt Apoſtolus, & ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Probatum eſt igitur, quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Reſtat vnum glorioſum adhuc, quod de hac ciuitate dictum eſt, & ipſum audiamus.

Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te. Nam & hoc valde glorioſum eſt, quod huius ciuitatis habitatores perpetuam lætitiam habebunt, & miſeriam nullam ſentient, vbi enim miſeria eſt, ibi lætitia locum
non habet. G Hæc autem lætitia ſpiritualis eſt, hoc gaudium, non feſtum temporaneum, ſed æternæ felicitatis eſt. De qua Apoſtolus ait: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Lætamini ergo in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.*

CANTICVM PSALMI FILIIS CHORE.
In finem pro Melech ad reſpondendum. Intellectus Eman Ezraitæ.

SI canticum pſalmi eſt, & cantandum pariter, & legendum eſt. In hoc enim pſalmo Chriſti paſſio prædicatur, quæ nobis & lætitiam ſimul, & triſtitiam facit. Quis enim de ſalute ſua non lætetur? Quis de paſſione Chriſti non contriſtetur? Cantemus, igitur hunc pſalmum, de redemptione noſtra gaudendo: nos enim ſumus filij Chore, à quibus cantari iubetur: Et legamus H eundem pſalmum, Chriſti paſſioni compatiendo. Refeatur autem in finem, ideſt, ad Chriſtum, quia *finis legis Chriſtus eſt. Ipſe eſt alpha & omega, initium & finis.* Cantetur autem & legatur pro Melech, ad reſpondendum Iudæis, quia ipſi ſunt, qui Regem ſuum, ſicut in hoc pſalmo legitur, interfecerunt. Melech namque Rex, interpretatur. Iſte autem intellectus Eman Ezraitæ eſt, quia Eman Ezraites iſto modo hunc titulum intellexit. Interpretatur autem Eman, formido eorum: Ezraites vero, ſemen Dei. Per hunc igitur Apoſtolos intelligamus, qui Iudæorum formido ſunt, quoniam ipſi eos iudicabunt, & damnabunt: Qui & ipſi ſunt ſemen Dei, de quibus per Prophetam dicitur: *Omnes, qui viderint eos, dicent: Quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* De hoc autem paruo ſemine per vniuerſum mundum à Domino ſeminato, tota Eccleſiæ multitudo pullulauit. Cui enim duodecim grana frumenti, paruum ſemen non videantur?

Digitized by Google

A *Domine Deus ſalutis meæ.* Filius ſecundum humanitatem loquitur ad Patrem, & de Iudæorum perfidia conqueritur, qui tam inhoneſte, & tam crudeliter eum tractauerunt; Mentiuntur Iudæi, qui dicunt: *Non eſt ſalus ipſi in Deo eius*, quem Ipſe ſuæ ſalutis Deum & Dominum eſſe dicit. *In die clamaui, & nocte coram te*; In die namque & in nocte, in proſperis & in aduerſis clamauit Dominus, & palam prædicauit in Synogogis Iudæorum, vt eos ab errore conuerteret, & veritatem cognoſcere faceret, Vnde & Patrem, teſtem inuocat, dum hoc coram eo ſe feciſſe dicit. Hinc eſt enim quod ipſe in Euanlio ait: *Ego palam locutus ſum mundo, & in abſcondito locutus ſum nihil, & ſemper docui in Synagogis eorum, vbi omnes Iudæi conuenerunt.* Qui *ſi non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

Intret oratio mea in conſpectu tuo, inclina aurem tuam ad precem meam Domine. Vſque nunc, quaſi dicat, clamaui, & prædicaui, ſed parum me clamaſſe, & prædi- B caſſe profuit, quoniam meis verbis deteriores facti ſunt, qui mihi credere, & obedire debuiſſent. Nunc itaque non illos prædico, ſed te potius oro, vt ab eorum impietate me defendas. Quare hoc?

Quia repleta eſt malis anima mea. Si enim ſponte ſua paſſus eſt Dominus, vtique & ſponte ſua malis repleta eſt anima, neque potuit contra voluntatem ſuam aliquid mali accidere animæ ſuæ. Vnde & alibi dicitur. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Et vita mea in inferno appropiauit*, Bene dicit, animam ſuam in inferno appropiaſſe, quia quamuis ibi fuiſſet, nullas tamen eius incommoditates ſuſtinuit, quando eum expoliauit. Sic igitur & longe fuit à tormentis, & tormentis appropiauit, ſecundum Iudæorum æſtimationem loquitur, qui nihil eum in perferendis tormentis ab aliis hominibus differre putabant. Vnde & ſubditur.

Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio. Ego autem liber inter mortuos fui neque aliquod ibi impedimentum inueni. Fa- C ctus eſt igitur Dominus ſicut homo ſine adiutorio. & ſicut alij homines, qui in infernum deſcenderunt, non autem ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum ſtultam Iudæorum opinionem. Secundum eandem æſtimationem, ea quoque, quæ ſuperius dicta ſunt, intelligi poſſunt.

Sicut vulnerati dormientes proiecti in monumentis, quorum non meminiſti amplius, & quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt; poſuerunt me in lacum inferiorem, in tenebris, & in vmbra mortis. Sic, inquit, ſecundum æſtimationem, & iudicium ſuum, poſuerunt me Iudæi in tenebris, & in vmbra mortis, ſicut ibi ponuntur vulnerati dormientes proiecti in monumentis; Per hos autem homines iniqui ſignificantur, diabolicis ſagittis vulnerati, & interfecti, & infernalibus monumentis demerſi, & proiecti. Qui longe à memoria Dei facti ſunt, in pœnis dormientes, ſemperque & ſine fine morientes Et hoc ideo, quia propter ſcelera ſua in loca illa pœnalia de manu Dei expulſi ſunt. Inter hos autem ſtultiſſima Iudæo- D rum æſtimatio & opinio, Saluatorem noſtrum ponere non timuit.

In me confirmata eſt ira tua, & omnes elationes ſuper me induxiſti. Vbique ſubaudiendum eſt, ſecundum illorum iudicium, & æſtimationem. Putabant enim Deum ſibi iratum fuiſſe, & omnia illa mala, quæ ſibi inferebant, merito accidiſſe. Bene autem illæ pœnæ, elationes vocantur, & ſæuientis maris tempeſtatibus comparantur.

Longe feciſti notos meos à me. Notos ſuos Apoſtolos dicit: qui timore perterriti, eo relicto, fugerunt omnes, De quibus in Euangelio dicitur: *Quia ſtabant noti eius à longe, vt viderent finem. Poſuerunt me abominationem ſibi*: Illi qui in lacu inferiori, vt ſupra diximus, eum poſuerunt, etiam abominabilem habere non meruerunt. *Traditus ſum, & non egrediebar*: Quid neceſſe fuit vt proditione caperetur qui inter eos conuerſabatur, & nuſquam egrediebatur? Non fugit Dominus, ſed è contra illis venientibus ſua ſponte obuiam iuit, & in ſe irruentibus, ait. *Quem quæritis?* Illis autem reſpondentibus *Ieſum Nazarenum*, dicit: *Si me quæritis, ſinite hos abire*, de diſcipulis ſuis loquens, de quibus ſubditur. E

Oculi mei infirmati ſunt præ inopia. Oculos ſuos, Apoſtolos vocat, ob nimiam dilectionem qua eos diligebat. Vnde & ipſe ait. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Hac autem ſignificatione idem & ipſe alibi ait: *Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proiice abs te*: per oculum videlicet eos ſignificans, quos chariſſimos habemus, & quaſi oculos amamus. Iſti autem in tempore paſſionis, mortis timore in tantum infirmati ſunt, & ipſe, qui inter eos fortior habebatur, ter eum negaret. Et hoc quidem præ inopia: Copia & Inopia, contraria ſunt. Copia Apoſtolorum Chriſtus erat, quia virtutem, conſtantiā, & fortitudinē, & quæcunque eis neceſſaria erant, in ipſo habebant, & poſſidebant. Quia igitur copiam fugerunt, omnium bonorum inopiam habuerunt, *Clamaui ad te Domine, tota die expandi manus meas ad te*: Clamauit autem, ſicut in Euangelio legitur, voce magna dicens: F *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum & inclinato capite emiſit ſpiritum.* Expandit vero in cruce poſitus manus ſuas tota die, ſicut per Prophetam dicitur. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Hac benigna manuum ſuarum extenſione totum mundum Dominus amplexatus eſt, omneſque in ſe credentes ad ſe attraxit.

Nunquid mortuis facis mirabilia, aut medici reſuſcitabunt & confitebuntur tibi, Clamauit Dominus in cruce, & quid clamauerit Propheta manifeſtat, Sed hæc verba ſolus Pater audiuit, cui ſoli filius loquebatur. Cætera vero, quæ non corde tantum ſed ore locutus eſt omnes, qui aderant audire potuerunt. Veluti quando dixit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Clamauit igitur Saluator noſter, & pro illis, qui tunc temporis in eum credebant, & pro omnibus aliis, qui in toto mundo credituri erant; alios vero omnes mortuos, & tenebras, vocat, quos neque verbis, neque miraculis credituros eſſe cognouerat. Et hoc eſt quod dicit: *Nunquid mortuis facies mirabilia?* Multo mirabilia fecit Dominus per ſan- G ctos ſuos coram impiis, & peccatoribus quos mortuos dicit, quæ ipſi non Diuina virtute, ſed magicis artibus facta eſſe dicebant. *Aut medici tui reſuſcitabunt eos & confitebuntur tibi, & laudabunt te?* Sic, inquit, mortui ſunt & inſenſibiles facti, vt neque verbis, neque miraculis, neque medicinis reſuſcitari valeant. Medici Dei, Apoſtoli & Doctores ſunt, qui & mortuos reſuſcitabant, & omnes langores, & infirmitates ſanabant.

Nunquid enarrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, aut veritatem tuam in perditione? Tales quaſi dicat, non ſolum mortui ſunt verum etiam iam fœtidi, & perditioni traditi in ſepulchris dealbatis putreſcunt: quid igitur eis Dei miſericordiam, & veritatem prædicare valeat.

Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua & iuſtitia tua in terra obliuionis? Iſti, inqui, tenebræ ſunt terra obliuionis, in quorum memoria nihil boni eſt, cum ex H totò ſint erroris tenebris obuoluti. Talibus itaque mirabilia Dei, facere, & eius iuſtitiam prædicare ſuperfluum & inutile eſt.

Et ego ad te Domine clamaui. Sed non pro his clamaui ad te: *ego enim ſcio, quos elegerim.* Pro quibus igitur clamauit Dominus? vtique pro diſcipulis ſuis, & pro omnibus aliis, qui per verba illorum credituri erant in eum Lege in Euangelio, & ſic eum feciſſe inuenies Et pro talibus quidem illico à patre exauditus eſt. Hoc eſt enim quod ait: *Et mane oratio mea præueniet te.* Mane autem fieri dicitur, quod ſubito fit, & ſine omni dilatione: ſicuti e contra, quod tardè fit, ſero fieri dicitur.

Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me; Hæc ſententia ſuperiori videtur eſſe contraria, dum dicit ſe exauditum, & ſtatim dicit orationem ſuam eſſe repulſam. Quomodo enim exauditus eſt, ſi eius oratio repulſa eſt? Determinandum eſt itaque, vt ſecundum diuerſa tempora vel ſecūdum diuerſas perſonas hoc

A intelligatur. Nunquam enim Pater eius repulit oratio nem, nunquid faciem ſuam ab eo auertit: repuliſſe tamen, & faciem auertiſſe dicitur, quando ſanctos in magnis afflictionibus poſitos, non tam ſubito liberat. & exaudit, ſed aliquandiu affligi permittit. Non repellitur igitur oratio Chriſti, quamuis in aliis mane, & in aliis ſero exaudiatur, oſtendit autem quantam compaſſionem in ſeruis ſuis habeat, cum eos diutius affligi non patiatur.

Egens ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Pro iſtis, inquit de quorum intolerandis doleo paſſionibus cum omnium diues eſſem, egenus, & pauper factus ſum, pro his quoque in laboribus & fatigationibus ſum à iuuentute mea: Ex quo in Iudæa prædicare cæpi, pro his exaltatus ſum in cruce, humiliatus in ſepulchro, & confuſus ſum ignominia crucis, & morte turpiſſima ab impiis condemnatus.

In me pertranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Hoc eſt enim quod alibi dicitur. *Quod non* B *rapui, tunc exoluebam.* Omnes iræ Dei; quæ peccatoribus debebantur, in Chriſtum tranſierunt; quia pro omnibus moriens, omnes iras Dei, & indignationes mitigauit. Terrores quoque Dei conturbauerunt eum. Quia, ſicut ipſe ait, nullam in eum haberent poteſtatem niſi deſuper datum eis fuiſſet.

Circumdederunt me ſicut aquæ, tota die, circumdederunt me ſimul. His autem verbis, & à multis & cum magna inſtantia & diligentia ne euadere potuiſſet, ſe à Iudæis circumuentum & cuſtoditum fuiſſe oſtendit.

Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria. Per hos autem Apoſtolos, intelligimus, qui, *eo relicto omnes fugerunt*, & ipſo volente & iubente teneri non potuerunt ſic enim ipſe ajt: *Si me quæritis, ſinite hos abire*; vt adimpleatur ſermo quem dixerat, *Pater quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

C

INTELLECTVS ETHAN EZRAITÆ.

Ethan robuſtus, & Ezraites, ſemen Dei interpretatur. Robuſtorum igitur & filiorum Dei intelligentiam, per quos Apoſtoli & Martyres ſignificantur, in hoc pſalmo ſequi & tenere debemus. Eſt autem hic pſalmus, Eccleſiæ teſtamentum, vt firmiſſime credat, & nullatenus dubitet de omnibus, quæ per hanc cartulam donationis ſibi promittuntur.

Miſericordias tuas Domine in æternum cantabo, in generatione, & progenie pronunciabo veritatem tuam in ore meo. Promittit Propheta ſe in æternum cantare miſericordias Dei, & in omnes generationes ſe pronunciare veritatem eius. Et reddit cauſam quare hoc faciat.

Quoniam dixiſti in æternum, miſericordia ædificabitur in cœlis & quoniam dixiſti, quia in æternum præparabitur veritas tua in eis. Cœli dicuntur omnes ſancti; ſicut è contra, terra vocantur omnes peccatores. Vnde & primo homini dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Quoniam autem ſancti æterni ſunt, æterna eſt miſericordia, & veri- D tas, qua ſaluati ſunt. Si vero æterna eſt, & vt Deum laudent in æternum, neceſſe eſt, quoniam omne optimum opus, ſemper ſuum laudat factorem. Semper igitur laudabunt miſericordias Domini, quicunque ſaluati ſunt per miſericordias Domini.

Diſpoſui teſtamentum electis meis. Alia cauſa, quare in æternum cantet miſericordias Domini: Quia dixiſti, inquit, diſpoſui teſtamentum electis meis, & cætera, quæ ſequuntur, fidelibus tuis dare promiſiſti, ideo & per meipſum, & per eos, qui hæc mea verba ſuſcipient, miſericordias tuas in æternum cantabo. *Iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in ſæculum ſæculi ſedem tuam.* Hoc eſt itaque illud teſtamentum quod ſe Dominus electis ſuis dare diſpoſuit. Quod autem ſe Dominus iuraſſe dicit, ſui ſermonis firmitatem oſtendit, quia omne quod promittit, quaſi iuramentum, & pluſquam iuramentum eſt, ſiquidem nullo modo immutari poteſt. Vſque in æternum, inquit, præparabo ſemen tuum, quia nunquam deficient verba tua, E nunquam deficient filij tui. Et in ſæculum ſæculi ædificabitur ſedes tua, quia de te naſcetur cuius ſedes & cuius regnum in æternum manebit. Cantat igitur Dauid, ſicut iam diximus, miſericordias Domini in æternum, ſiquidem ſemen eius & doctrina eius manet in æternum.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in Eccleſia ſanctorum. Illi, inquit, cæli, in quibus miſericordia tua, & veritas tua in æternum præparata eſt, confitebuntur, & laudabunt mirabilia tua, & veritatem tuam in Eccleſia ſanctorum. Rationabiles ſunt iſti cæli, qui Deum laudare, & prædicare didicerunt. Quicunque autem Euangelium prædicant, multa quidem mirabilia, & veritatem ſine dubio prædicant.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei? Et hoc quidem prædicant cœli, & quod prædicant, verum eſt, quoniam nulla creatura, quamuis magni meriti ſit, filio Dei comparari poteſt. Et ipſe quidem ſolus Dei filius eſt per naturam, alij vero omnes per gratiam, & adoptionem. F Quando autem homines videntes mirabilia, quæ per Apoſtolos fiebant, eos quaſi Deos adorare volebant, tunc nimirum hæc Apoſtoli dicere cogebantur. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Deo inter filios hominum?* Nos, quaſi dicant, homines ſumus, & illius ſerui ſumus, quem vos inſipienter nos eſſe putatis. Iſti ſunt illæ nubes, de quibus dicitur: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* Dabant autem pluuias iſtæ nubes, non tamen à ſe, ſed quas de illo fonte clariſſimo ſuſcipiebant.

Deus, qui glorificatur in concilio ſanctorum. Hic eſt, inquit, ille Deus, qui ab omnibus ſanctis glorificatur, & magnificatur. *Magnus, & metuendus ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt*; Illi ſunt in circuitu eius, & appropinquant ſedi eius, qui magis familiares ſibi ſunt, & amplius ab eo diliguntur. Vnde & in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus dicit ſe vidiſſe ſedẽtem in ſede, & in circuitu ſedis viginti quatuor ſeniores. Omnes autem iſti & magni, & metuendi ſunt, ſed ille maior eſt, & magis metuendus eſt. Vnde & ſubditur. G

Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Modo docet nos Propheta, qui ſunt illi, qui in circuitu eius ſunt, & quibus omnibus ipſe fortior, & potentior eſt, vtpote Deus virtutum & cui nemo ſimilis eſt. *Veritas*, inquit, *tua in circuitu tuo*, Illi quaſi dicat, ſunt in circuitu tuo, & familiarius tibi adhærent, qui prædicauerunt, & docuerunt veritatem tuam, per quos Patriarchas & Prophetas, Apoſtolos & Doctores intelligimus. Merito autem vocantur iſti, veritas Dei, quia in verbis iſtorum multis aſſertionibus probatum eſt, quam verax eſt Deus.

Tu dominaris poteſtati maris. Hoc eſt illud mare, de quo dicitur: *Hoc mare magnum & ſpatioſum*, per quod mundus iſte ſignificatur, cuius princeps, & poteſtas diabolus extitit, de quo ipſe Dominus ait: *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Vnde & Apoſtolus: *Non eſt*, inquit *nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mũdi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ* H *in cæleſtibus.* Huic autem poteſtati, ſiue potius poteſtatibus. (multi enim ſunt) dominatur Dominus, & ſecundum ſuam voluntatem eos coercet, vt non quantum volunt, mare illud perturbare valeant. Et hoc eſt, quod dicit: *Motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Tanta eſt enim diaboli inſufflatio. & eius malignitatis inſpiratio, vt niſi iras hominum, qui eius veneno aſſidue inficiuntur, Dominus mitigaſſet, omnes ſe viciſſim homines interficerent.

Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. Ipſe enim non ſolum ſuperbus eſt, ſed Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ alibi dicitur. Hunc autem quaſi vulneratum, humiliauit Dominus, quia potenter eum ligauit, & domum eius expoliauit, Qui tamen poſt mille annos ſoluendus eſſe narratur. *Et in virtute brachij tui diſperſiſti inimicos tuos*; Per hos inimicos, Iudæos intelligere poſſumus, qui de patria eiecti in vniuerſum mundum diſperſi ſunt in Saluatoris noſtri virtute atque potentia.

A *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, orbem terrarum, & plenitudinem eius tu fundaſti.* Tu, inquit, quem Iudæi crucifixerunt, & cœli, & terræ Dominus es, tu ipſe fundaſti orbem terrarum, & omnia, quæ in eo ſunt tu feciſti, cuius fundamentum, quale ſit, niſi tua reuelatione, nullus hominum ſcire poteſt.

Aquilonem, & mare tu creaſti. Magna laus, & gloria eſt Saluatoris noſtri, dum omnium rerum creator eſſe deſcribitur. Poſſumus tamen per aquilonem, illum intelligere, de quo dicitur, *ab aquilone pandentur mala ſuper omnes habitatores terræ.* Per mare vero eius miniſtros ſibique obedientes: ſiquidem ſoli venti mari dominantur. Dei igitur creatura eſt diabolus, quamvis nimia ſuperbia eleuatus, dicere auſus fuerit, quod Altiſſimo ſimilis fieret. Vnde & B. Iob Dominus ait: *Ecce Behemoth quem feci tecum*; oſtendens, quia ſicut fecit Iob, ſic fecit & Behemoth. *Thabor & Hermon in no-*
B *mine tuo exultabunt.* Interpretatur autem Thabor lumen veniens, Hermon vero anathema eius; Iſti duo montes, Apoſtolos & Eccleſiam ſignificant, qui & ipſi multis in locis montes vocantur. Sunt enim Apoſtoli, lumen veniens, qui non otio dediti, ſed ſollicitè vbique diſcurrentes totum mundum ſua doctrina illuminauerunt; Eccleſia vero, anathema eius, quem nominare faſtidioſum & turpe eſt, ſemper in ore habet, quia eum ex communicare, exſufflare, effugare, & maledicere non ceſſat. Hoc autem probare poteris, ſi ſacerdotes audieris, quando ſcrutinia faciunt. Et iſti quidem in nomine eius ſemper exultant, quia & dici & eſſe Chriſtiani vehementiſſimè gaudent. *Tuum brachium cum potentia*; Brachium patris filius eſt, & brachium filij Apoſtoli ſunt. Tanta autem in Apoſtolis potentia fuit, vt dæmonia fugarant, omnes ſuos inimicos ſuperarent, omneſque languores, & infirmitates ſanarent.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua. Et
C brachium, & manus, & dextera, idem ſignificant. Hæc autem manus, & hæc dextera tunc firmata, & exaltata eſt, quando Spiritum Sanctum Apoſtoli ſuſceperunt, quoniam tunc & ſacerdotes, & excellentiores omnibus hominibus facti ſunt. Vnde & eiſdem ipſis Dominus ait. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere: & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Firmetur*, inquit, *manus tua, & exaltetur dextera tua.* Ad quid? ad conſtruendam & præparandam ſedem tuam. Quibus inſtrumentis? *Iuſtitia, & iudicium preparatio ſedis tuæ.* Sedes Dei, Eccleſia eſt, in qua Saluator noſter maximus Pontifex ordinatus eſt. Hinc eſt enim, quod omnes Epiſcopi Eccleſias, in quibus ordinati ſunt, ſedes ſuas vocent. Præparatur autem iuſtitia, & iudicio Sedes Dei, quia nulla pulchritudo ibi eſt, vbi iuſtitia, & iudicium non eſt. Quid igitur miſericordia? Nunquid & ipſa huic præparationi neceſſaria non eſt? Ad quod ipſe.

Miſericordia, & veritas præibunt ante faciem tuam. Hoc eſt enim, quod alibi dicit: *Miſericordia & veritas*
D *complexa ſunt ſe*, iunctæ ſibi in Chriſto ſunt miſericordia & veritas, quæ & iuſtitia vocatur, & naturaliter iunctæ, quia & iuſtitiam faciendo, miſericors eſt, & miſericordiam faciendo iuſtus eſt. Præcedunt igitur hæ duæ virtutes ante faciem Chriſti, quia in omnibus ſuis actionibus eas ſequitur, à miſericordia, & veritate nunquam recedit. Vnde & merito alibi dicitur: *Vniuerſa via Domini, miſericordia & veritas. Beatus populus*, Chriſtianorum, *qui ſolus ſcit iubilationem*: Iubilatio gaudium ineffabile eſt, quod intus in cordis ſecretario de Deo habetur quod quidem neque verbis neque litteris exponi poteſt. Hoc autem ideo dixit Propheta, quia hæc verba, quæ modo loquitur, gaudium, & iubilationem omnibus fidelibus facere debent.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Domine, inquit, in lumine vultus tui ambulabunt Chriſtiani tui, quia tu eris oculus illorum, & ad tuorum luminum ſimilitudinem eorum oculos illuminabis. Soli igitur Chriſtiani illuminati ſunt, alij vero omnes cæci ſunt, & in tenebris ambulant. *Et in nomine tuo exultabunt tota die*, de tanto videlicet patronymico gloriantes, qui à Chriſto Chriſtiani vocantur. *Et in tua iuſtitia exaltabuntur.* Si E
ſaluator noſter tantam iuſtitiam haberet, non exaltarentur, qui pro eo moriuntur, ſed potius illi, qui de eo malè loquuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Tu, inquit, es gloria, tu es præmium, & corona virtutis eorum: Vnde non tantum tota die, ſed omni temporē, & gaudere, & exultare poſſunt. Magnam gloriam ſuſcipit de virtute ſua, qui Deum ipſum habere meretur pro victoria virtutis ſuæ. *Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.* Si quæritur à te, vnde cornu Chriſtianorum virtus, & poteſtas eorum tantum exaltata ſit? reſponde, quia ſic placuit Deo, & in beneplacito eius, nullis præcedentibus meritis ſic exaltati, & ſublimati ſunt.

Quoniam Domini eſt aſſumptio, & ſancti Iſraël Regis noſtri. De aſſumptione carnis noſtræ loquitur, quam non Angelus non Archangelus, ſed ipſe per ſeipſum Dei filius, vt nos redimeret, & exaltaret, aſſumere dignatus
eſt. In hac igitur aſſumptione eſt omnis virtus, & forti- F
tudo, gloria, & poteſtas, & omnis beatitudo noſtra, Apoſtrophe ad patrem.

Tunc locutus es in aſpectu filiis tuis & dixiſti. Poſui adiutorium ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea. Sic de futuris, quaſi præteritis loquitur, ſecundum Prophetarum conſuetudinem tunc, inquit, quando Saluator noſter carnem aſſumpſit locutus eſt Dominus filiis ſuis, per quos omnes mundi nationes intelligimus, omneſque ſuos fideles intelligere fecit, ea, quæ de Chriſti incarnatione, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione ſcripta ſunt, ſiue in his pſalmis: ſiue in lege, & prophetis, ſiue in aliis ſcripturis vtriuſque teſtamenti. Vnde & in aſpectu locutum eſſe dicit, hoc eſt, palam & manifeſtè qui prius in occulto, & in obſcuro loqui conſueuerat. Nunc igitur ea audiamus, quæ de vnigenito filio ſuo locutus eſt Dominus filiis ſuis, ſiue per Prophetas, ſiue per Apoſtolos, ſiue per alios quoſcunque prædicatores: *Poſui*, inquit, *ad-*
iutorium ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea G
Quando iſta dicuntur, non ad Chriſti Diuinitatem, ſed ad ſolam humanitatem reſpicere debemus. Poſuit enim Dominus adiutorium redemptionis, & ſalutis noſtræ, ſuper potentem: immo vero ſuper omnipotentem, de quo alibi ait: *Ponam in ſalutare, fiducialiter agam in eo.* Et exaltauit, & ſuper plebem ſuam principem elegit, ſicut ipſe ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptum Domini.*

Inueni Dauid ſeruum meum. Inueni, inquit, Dauid ſeruum meum: hominem fortem, ſapientem, ſine peccato, & ſine carnis concupiſcentia natum? Seruus autem pro parte carnis, Chriſtus vocatur. *Oleo ſancto meo vnxi eum*, de quo videlicet alibi dicitur: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. In ipſo enim*, ſicut ſcriptum eſt, *requieſcit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Qui de ſeipſo alibi dicit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me euangelizare*
pauperibus miſit me. H

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Manus, & brachium Patris eius virtus, & fortitudo eſt: quæ quantum Chriſtus voluit, tantum auxiliata eſt.

Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Hic eſt ille inimicus, & filius iniquitatis, de quo ipſe Dominus in Euangelio. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Nullus alius in hoc mundo, præter Chriſtum, natus eſt, in quo diabolus aliquid de ſuo non inueniſſet. ipſe enim ſolus ſine peccato natus eſt: ipſe eſt, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Non quærit itaque diabolus in homine, niſi, quæ ſua ſunt, & in quo aliquid de ſuo non inuenerit, nihil ei ſuis accuſationibus nocere poterit. Quomodo igitur Saluatori noſtro nocere potuit: ad quem, ſi ipſe voluiſſet, nunquam accedere potuiſſet. Vnde & ſubditur.

Et concidam inimicos eius à facie ipſius, & odientes eum in fugam conuertam. Hoc autem & de malignis ſpiritibus & de omnibus aliis eius inimicis intelligi poteſt.

Quod

A Quod tamen ſi ad iudicium referatur, non erit inconueniens.

Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo. Per veritatem, & miſericordiam Patris, quæ cum ipſo, & in ipſo erat, ipſam eius Diuinitatem intelligere poſſumus, quæ ſemper eum in omnibus & regebat, & fouebat. Vnde & ſubditur. *Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Vnum nomen eſt, & patris, & filij, quia ſicut pater, & filius Deus vocatur. Exaltatus eſt igitur Saluator noſter in nomine Patris, quia humanitas neque in nomine ſuo neque in virtute exaltata eſt, ſed in nomine Diuinitatis.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Per mare, & flumina, mundus iſte ſignificatur, ſiquidem *aqua multa populi multi.* Eſt igitur manus Domini in mari, & in fluminibus, quia eius virtus atque potentia, vbique gentium dominatur.

Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, &
B *ſuſceptor ſalutis meæ.* Pater meus es tu, ad Diuinitatem ſpectat, cætera vero ad humanitatem. Lege in Euangelio, & inuenies eum in multis locis Patrem ſuum, Deum vocaſſe. Vnde & Iudæi Pilato dicebant. *Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.*

Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. Ipſe enim ſecundum Diuinitatem & primogenitus, & vnigenitus eſt Patris, ſicut ſecundum humanitatem & primogenitus, & vnigenitus eſt matris. Poſuit tamen eum pater ſecundũ humanitatem quodãmodo primogenitum omnium, quia conſtituit eum habere primogeniti honorem, & dignitatem inter omnes. Hunc honorem perdidit Eſau, qui pro lentis edulio vendidit primogenita ſua. Et non ſolum primogenitum poſuit eum, ſed etiam præ cunctis regibus terræ excelſum fecit eum.

In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam: Fuit ei aliquando ſecundum humanitatem, neceſſaria miſericordia Patris, quia, & ipſe, ſicut cæteri homines, indigentiam
C patiebatur. Hoc autem probatur in muliere Samaritana, cui, cum fatigatus ſitiret, bibere petiit. Sed modo ea neceſſaria non eſt, nobis autem neceſſaria eſt. Propter nos igitur dicitur, *in æternum,* qui ſola Dei miſericordia ſaluati ſumus. *Et teſtamentum meum fidele ipſi.* Fidele vtique teſtamentum eſt, quia firmum, & ſtabile eſt, & nihil ex his, quæ promittit, euacuari poteſt.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſedem eius. Hoc eſt enim quod B. Mariæ ab Angelo dicitur: *Quia dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Et alibi: *Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Vnde & ſubditur: *Et thronus eius ſicut dies cœli.* Dies terræ. temporales ſunt, & aliquando finem habebunt; dies vero cœli æterni ſunt, & nunquam finem habebunt.

Erit igitur thronus eius, ſicut dies cœli, quia æternus erit, & finem non habebit. Cætera quæ ſequuntur, ad Eccleſiam pertinent, & ineffabilem Dei miſericordiam ſuper eam oſtendunt.

Si, inquit, *dereliquerint filij eius legem meam, & in*
D *iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtificationes meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint.* Quid faciam illis? Vis audire quid?

Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Et quid amplius? *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo ei in veritate mea, neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita:* Quid maius, vel quid æquale Dominus ſeruis ſuis promittere potuit? Nullus locus relinquitur deſperationi, quoniam omnibus miſericordiam facit, omnibus quidem, qui ad pœnitentiam conuertuntur, aliis autem non fit ita promiſſio. Sic enim ipſe Dominus ait: *Peccator, quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Quid eſt omnium iniquitatum? hoc videlicet quod hic dicitur.

Si dereliquerint legem meam, ſi in viis meis non ambulauerint, ſi iuſtificationes meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint. Per iuſtificationes Dei, omnia Eccleſiaſtica ſacramenta intelligere debemus. Viſitat E
autem Dominus in virga iniquitates noſtras, & in verberibus peccata noſtra, quando pro peccatis noſtris quæ grauiſſimis pœnis, vel etiam ipſa morte mulctanda eſſent, facili nos correctione caſtigat, & ſiue in hac vita, ſiue in alia vita nos miſericorditer affligere, & caſtigare dignatur, & hoc quidem promittit Dominus in veritate ſua, vt firmiſſimè credatur ei, in quo ſemper veritas eſt, & qui mentiri numquam poteſt. Prophanaret autem Dominus teſtamentum ſuum, & irrita faceret verba ſua, ſi ea quæ dicit non adimpleret, & contra ea aliquid faceret. Quod autem ſingulariter ait. *Non diſpergam ab eo, neque nocebo ei:* tantumdem valet ac ſi pluraliter dixiſſet, eis: quoniam ipſe caput noſtrum eſt & nos membra eius ſumus: de quibus ipſe ad patrem ait: *Pater, volo, vt ſicut ego, & tu vnum ſumus, & ita, & ipſi in nobis vnum ſint.*

Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar. Sic F
enim & alibi dicitur, quia ſemel loquitur Dominus, & ſecundo idipſum non repetit, quoniam omne, quod dicit firmum & ſtabile eſt, & nulla indiget reiteratione. Firmiter igitur iurauit Dominus in ſancto ſuo, id eſt, in dilecto filio ſuo, quod nunquam ei mentiatur. Per ipſum filium ſibi ipſi iurauit, quia non habuit maius, per quod iurare potuiſſet.

Sed quid iurauit? *Semen eius in æternum manebit, & Sedes eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* Semen igitur eius, doctrina eius, & filij eius manebunt in æternum. Sedes autem eius, Eccleſia eſt, ſiue vnaquæque anima fidelis, quoniam anima iuſti, ſedes eſt ſapientiæ. Hæc autem erit ſicut ſol in conſpectu eius, quia, ſicut ipſe Dominus ait, *fulgebunt ſancti, ſicut ſol in regno Dei, & ſicut luna perfecta in æternum,* quia numquam amplius decreſcet, ſed in ſua perfectione, & plenitudine manebit in æternum. Et ex omnibus his, quæ iuraui & promiſi, teſtis vobis eſt in
cœlo fidelis, ipſe eſt Saluator noſter, qui pro nobis loquitur, qui cauſam noſtram agit, & pro nobis quotidie interpellat. Hucuſque Dominus locutus eſt, nunc propheta loquitur, conqueritur; de teſtamento ſuo à Domino reprobato. Et hoc eſt quod ait. G

Tu vero repuliſti, & ſpreuiſti, & diſtuliſti Chriſtum tuum: auertiſti teſtamentum ſerui tui, prophanaſti in terra ſanctuarium eius. Tu verò, inquit, teſtamentum filij tui Dauid in æternum confirmaſti, & teſtamentum ſerui tui Dauid repuliſti, ſpreuiſti & auertiſti. Et hoc ideo, quia diſtuliſti Chriſtum tuum: Si enim nobis eum miſiſſes, non diceretur de nobis quod de illis dicitur, ad quos miſſus eſt: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* In hoc enim ſpatio dierum, quod fuit à Dauid vſque ad Chriſtum, multas & magnas perſecutiones paſſa eſt Synagoga. Primum quidẽ ab Aſſyriis tempore Iſaiæ: deinde à Caldæis tempore Ieremiæ: poſtea vero à Græcis, tempore Machabæorum. Nam & templum deſtructum eſt, & ciuitas deſolata, & multi Iudæorum ad gentilem ritum
à patriis legibus tranſlati ſunt. Hoc eſt igitur quod Propheta plangit, & teſtamentum ſibi datum, prophanatum eſſe conqueritur. Quod vero ſanctitatem in terra prophanatam eſſe dicit, porcinas carnes ſuper altare immolatas eſſe ſignificat. H

Deſtruxiſti omnes maceries eius, poſuiſti munitiones eius in formidinem. Nulla, quaſi dicat, fuit fortitudo, quæ eos defendere potuiſſet: muri fortiſſimi, quaſi maceries deſtructi ſunt, & turres munitiſſimæ in formidinem eis factæ ſunt.

Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam, factus eſt in opprobrium vicinis ſuis, quicquid contra illum populum fit, ſibi Dauid dicit eſſe factum. Et illi quidem diripiunt populum Dei, qui viam tranſeunt, & per ſemitam rectitudinis incedere neſciunt. Vicini quoque illorum, & qui prius eos timere ſolebant, nunc hoſtibus iuncti, in opprobrium eos habebunt.

Exaltaſti dexteram inimicorum eius, lætificaſti omnes inimicos eius, auertiſti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello. Hæc ad litteram vera ſunt, ſi ad

Caldæorum tempora referantur. Nam & cætera, quæ ſequuntur, ſecundum litteram intelligenda ſunt.

Diſſoluiſti eum ab emundatione, & ſedem eius in terram colliſiſti. Hæc autem completa ſunt, quando ſacrificia perdiderunt, quibus, ſecundum legem, emundari ſolebant. Non enim licet Iudæis extra patriam ſacrificare.

Minoraſti dies temporum eius, perfudiſti eum confuſione. Minorati ſunt illi dies, quibus ille populus, ſe regnare, & terram illam ſe poſſidere ſperabat. Vnde etiam dicere ſolebant. *Templum Domini, Templum Domini eſt.* In illo videlicet templo ſpem habentes, & illam ciuitatem inſuperabilem eſſe credentes. Hucuſque Propheta. Amodo vero Eccleſia loquitur, cuius immenſas afflictiones, & tribulationes, iſtæ perſecutiones ſignificabant, quas nunc vſque Iudæorum populum ſuſtinuiſſe Propheta narrauit. Bene itaque poſt illas, iſtas ponere voluit, quia & in pluribus conſimiles ſunt, & ſicut diximus, in illis ſignificatæ ſunt. Dicat igitur Eccleſia, & inter ipſa tormenta quæ patitur, miſericordias ſibi promiſſas, ad memoriam Domino reducat. Promiſerat enim Dominus, quod in virga quidem eam viſitaret, miſericordiam vero ſuam ab ea non ſepararet. Sed fortaſſe apud Deum virga eſt, quod ipſa putat eſſe tormenta.

Vſquequo, inquit, Domine iraſceris. An in finem? Ceſſet iam nunc indignatio tua, & miſerere populo tuo. *Vſquequo exardeſcet, ſicut ignis, ira tua.* Quæ ſic loquitur, non virgam, ſed ſcorpiones ſe ſentire ſignificat.

Memorare Domine, quæ mea eſt ſubſtantia. Non enim fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt: terra ſum, fragilis ſum. & hæc tam dura tormenta, quæ tu pro virga habes, ſuſtinere non poſſum. *Non enim vane conſtituiſti filios hominum*: quos vtique in vanum conſtituiſſes, ſi ſupra id, quod poſſunt, eos tentari permiſiſſes, & de tantis afflictionibus non eripuiſſes.

Quis eſt homo, qui viuit, & non videbit mortem? aut quis eruet animam ſuam de manu inferi. Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret, Quia niſi ſanctis ſuis in tormentis poſitis Dominus ſubueniſſet, omnes timore mortis eum negarent, & mortem fugientes temporalem, mortem æternam viderent, & ſuſtinerent: & animas ab inferi cruciatibus eripere non valerent.

Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua. Tu, inquit, promiſiſti Dauid, non Prophetæ Dauid, ſed filio tuo Dauid, quod miſericordias tuas non auferes ab eo, & non ſolum promiſiſti, verum etiam in veritate tua iuraſti, quia omnis promiſſio tua iuramentum eſt. Vbi igitur ſunt modo illæ tantæ miſericordiæ tuæ?

Memor eſto opprobrij ſeruorum tuorum, quod continui in ſinu meo multarum gentium. Memor eſto, inquit, illius opprobrij, quod non ſolum à Iudæis, ſed ab aliis quoque multis gentibus ſerui tui lacerati ſunt, cuius ego, dicit Eccleſia, oblita non ſum, & quod in ſinu meo, & in corde meo firmiter continui, & memoriæ commodaui. Et quod eſt illud? Sequitur.

Quod exprobrauerunt inimici tui Domine quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.

Hoc eſt enim, quod Iudæi, & alij infideles contra nos, ad magnam iniuriam noſtram dicere ſolent: quia hominem crucifixum, & morte turpiſſima condemnatum adoramus. Eccleſia tamen, honeſtè commutationem dicere voluit, quam ipſi mortem turpiſſimam dixerunt. Et reuera magis commutatio quam mors dici debet, per quam à tenebris tranſitur ad lucem, & à miſeriis ad gloriam, & ſummam felicitatem.

Benedictus Dominus in æternum fiat fiat. Puto, quod Dei miſericordias ſubito Eccleſia adueniſſe ſenſit, quando inter ſuas querelas hanc benedictionem, & gratiarum actionem tam celeriter inſeruit. Nam & Iob grauiſſimè afflictus ſimile quid dixiſſe videtur, *Dominus*, inquit, *Dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

ORATIO MOYSI HOMINIS DEI.

IN libris Moyſi iſte pſalmus non inuenitur: quia tamen Moyſes dicit eſſe principium in quo Deus creauit cœlum, & terram, ipſe eſt de quo hic dicitur. *Priuſquam fierent montes aut formaretur orbis terra, à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus.* Hominis quoque defectio in hoc pſalmo narratur, cuius creatio in illis libris continetur. Et conueniens fuit, vt idem ipſe, qui ſcripſit creationem, ſcriberet quoque hominis defectionem.

Domine refugium factus es nobis, à generatione, & progenie. Eccleſia loquitur, & lætatur de aduentu Saluatoris noſtri quia optimum ſe cognoſcit nunc habere refugium: quæ ante hoc tempus nullum habuit adiutorem. Domine, inquit, refugium factus es nobis ab hac generatione, & progenie tuæ incarnationis. Ad te fugientes ſecuri ſumus, qui nullum refugium, prius habuimus. Neque dicant tibi Iudæi: *Quadraginta annos nondum habes*: quia non ſolum ante Abraham, ſed ante quoque quam cœlum, & terra, tu es. Et hoc eſt quod dicit.

Priuſquam fierent montes, & formaretur orbis terra, à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus. Et Deus, inquit es, & æternus es, & neque finem habes qui modo propter nos, & ad refugium noſtrum, homo factus es.

Ne auertas hominem in humilitatem. Quid eſt, in humilitatem? Eſt enim humilitas bona, quam vtinam omnes habeamus, & humilitas mala, qua vitiis, & malignis ſpiritibus homo ſubiugatur. Hanc igitur humilitatem timet iſte, & in hanc venire formidat. *Et dixiſti. Conuertimini filij hominum.* Et refugium, inquit, nobis factus es, & per prophetas & per Apoſtolos tuos, alioſque prædicatores nobis dixiſti, Conuertimini filij hominum. Et hoc quidem conſilium tuum bonum eſt, & cum magno deſiderio facere debemus. Quare?

Quoniam mille anni ante oculos tuos ſicut dies heſterna, quæ præteriit: & ſicut cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habetur. Sic ſunt, ſubauditur, anni eorum. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & pertranſeat, veſpere decidat, induret & areſcat.* Tota, quaſi dicat, hæc vita præſens nihil eſt, etiamſi mille annis viueret homo, quoniam mille anni ante oculos tuos ſic ſunt, quaſi dies præterita, quæ fuit & non eſt. Et ſicut cuſtodia in nocte, quæ pro ſua breuitate pro nihilo habetur, ſic ſunt anni omnium hominum, cum homo infelix mane, ſicut herba, tranſeat. Mane & ſero, oppoſita ſunt, & ſicut ſero tarde, ita & mane cito ſignificat. Mane itaque ſicut herba, tranſiit homo, quia cito ſuæ pulchritudinis florem amittit. Et hoc eſt, quod ait: Mane floreat & pertranſeat. Mane eſt homini, quando in iuuentute eſt, vnde & flos ætatis dicitur eſſe iuuentus, Veſpere decidat. Quid eſt veſpere decidat niſi in ſenectute moriatur & cadat? Eſt enim ſenectus, occaſus vitæ. Induret & areſcat, quod eſt intelligere: Puluis in puluerem reuertatur, & ſola oſſa arida, & ſicca de illo flore, & illa pulchritudine remaneant. Apparet in his verbis, quod Moyſes in hac ſua oratione, non diligentius creationem, quam defectionem hominis deſcripſit. Sequitur.

Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati ſumus. Et quia *poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, & ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.* Et *quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & nos in ira tua defecimus, ideo anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Ideo, inquit, anni noſtri, inutiles, fragiles, breues, & vani, ſicut aranea meditabuntur, & computabuntur, quia ſicut ſuperius dictum eſt, defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati ſumus. Et hoc quidem propter peccatum primi parentis. Poſuit autem Dominus iniquitates noſtras in conſpectu ſuo, quia non eſt oblitus earum, neque ſine vindicta eas abire permiſit. Et hoc eſt quod dicit: ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui: ſæculum noſtrum, vitam noſtram, & prauam conuerſationem ſignificat. Ecce audiuimus cauſam quare anni noſtri ſicut aranea meditabũtur. Sequitur. *Dies annorum noſtrorum pauci*

A *ſunt in ipſis aliquando ſeptuaginta anni cum bona valetudine ſunt, & hoc in pluribus contingit; pauci vero etiam vſque ad octoginta aliquando perueniunt, ſed hoc in potentatibus.* Eſt autem homo in bona valetudine quando omnibus membris ſua officia ſana, & integra referuantur. Sicuti illi, qui ſanatiui dicuntur, & rariſſimè infirmantur. Et iſti quidem in potentatibus ſunt, quia ſicut ſani, & incolumes potenter ſe habent. Vidimus enim aliquos in minori ætate, viſum & auditum, & aliorum membrorum officia*, maxima ex parte, & in hac ætate, quæ pænè vltima eſt, quoſdam potenter ſe habuiſſe, & plurimum eorum, labor, & dolor. Vſque ad hanc, inquit ætatem bene valentes aliqui peruenire poſſunt, vlterius vero tranſire, labor & dolor eſt, tuſſis & anxietas anguſtiæ, & miſeriæ, præſertim cum ipſa ſenectus infirmitas ſit. Quæ autem ſuauitas, vel huius vitæ delectatio eſſe poteſt illi, qui neque videt, neque audit, qui amiſſis dentibus cibum molere non valet, & quaſi lapis toto die in vno loco fixus, parum quid à mortuo differre videtur? Poſſumus

* amiſſa.

B autem per annos ſeptuaginta & octoginta, actiuam, & contemplatiuam vitam intelligere vt per ſeptem, actiuam intelligamus, quia tota hæc vita præſens in ſeptem diebus continetur: per octo vero, contemplatiuam, quia octaua dies alterius hebdomadæ initium eſt, per quam videlicet hebdomadam illa altera vita ſignificatur. Illi autem, ad bonam ſenectutem perueniunt, qui vel actiuæ vel contemplatiuæ vitæ deſeruiunt. Vnde & alibi dicitur: *Da partem ſeptem, nec non & octo.* Id eſt, da partem actiuæ, & partem contemplatiuæ, quatenus ſic tranſeamus per bona tẽporalia vt non amittamus æterna, quod autem vltra eſt, & ab hac vtraque vita recedit, & labor, & dolor eſt.

Quoniam ſuperuenit ſuper nos manſuetudo, & corripiemur. Illis, inquit, ſenibus, qui ad bonam ſenectutem perueniunt, ſuperuenit manſuetudo, omni ſuperbia & prauitate fugata & ſuperata. Et corripiuntur, quia tota eorum vita in melius commutata, iam in vltima hora in vinea Dei laborare incipiunt.

C *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ.* Ille vtique, qui eum offendere timet, ille vero, qui eum offendere non timet, nondum cognouit, quam horribile ſit incidere in manus Dei viuentis. *Aut præ timore iram tuam dinumerare?* Subauditur, quis nouit? Ille præ timore dinumerat iram Dei, qui digna pœnitentia conuerſus, ſecum in corde reputat, quoties, & quibus modis offenderit Deum.

Dexteram tuam Domine notam fac mihi. Poteſt autem hoc intelligi, vt ſuæ correctionis dexteram nos in hac vita ſentire faciat, ne in altera vita nos durius affligat. Poſſumus autem per dexteram Dei, ſaluatorem noſtrum intelligere, pro eo quod ſubditur.

Et eruditos corde in ſapientia. Et tale eſt, ac ſi diceret: Vt iram tuam cognoſcere valeamus, notifica nobis filium tuum & Prophetas & Apoſtolos tuos, qui ſapienter eruditi ſunt, & quorum verba obſcura valde, & difficilia ſunt. Qui enim iſtos cognoſcit, & intelligit, nihil ei deeſt ad veræ ſcientiæ plenitudinem. Et iſte quidem cognoſcit dexteram viam, quæ ducit ad vitam, vt ſiniſtram reſpuat, quæ ducit ad mortem.

D *Conuertere Domine aliquantulum.* Conuertere, inquit, Domine aliquantulum ab indignatione tua. Et deprecabilis, & exorabilis eſto ſuper ſeruos tuos, quos tantum dilexiſti, vt eis mitteres filium tuum.

Repleti ſumus mane miſericordia tua, & exultauimus & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris. Nato Domino nox præceſſit, & finita eſt, & factum eſt mane huius vltimæ ætatis. Ab hac igitur mane repleti ſumus miſericordia tua Domine, & exultauimus & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris. Quid ergo de illis diciris in quibus tantis tormentis afflicti & humiliati eſtis? Sequitur.

Delectati ſumus pro diebus, in quibus nos humiliaſti, & pro annis in quibus vidimus mala. Magis, quaſi dicat, in illis delectati ſumus, & delectamur, quia maiorem pro illis honorem, & gloriam exſpectamus.

Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua Domine, & dirige filios eorum. Serui eius, opera eius ſunt, quia ipſe eos creauit, & fecit, ſuper quos tunc quidem reſpicit,

E quando eos errare & peccare non permittit. Filij vero eorum ſunt, qui in fide, opere & doctrina eos imitantur. *Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos,* vt ad cuius imaginem facti ſumus, ad eiuſdem imaginem reformemur. Fulgebunt enim ſancti ſicut ſol, in regno Dei. Vnde & Ioannes Apoſtolus ait. *Chariſſimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus; Scimus enim cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos,* vt nihil in operibus noſtris prauum, & peruerſum, & diſtortum inueniatur, ſicut in operibus illorum, de quibus dicitur: *Non enim cogitationes veſtræ, cogitationes meæ, neque viæ veſtræ, viæ meæ dicit Dominus, quia ſicut exaltati ſunt cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.*

LAVS CANTICI DAVID.

F Laus cantici Dauid continetur in hoc pſalmo: illius videlicet Dauid, de quo dicitur. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, tibi autem non appropinquabunt: Et ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

Qui habitat in adiutorio Altiſſimi in protectione Dei cœli commorabitur. Contra Iudæos & malignos ſpiritus loquitur Propheta, aduerſum Saluatorem noſtrum inſidias ponentes, & impia, & nefaria de eo cogitantes. Qui habitat, inquit, vbicumque habitat, etiamſi inter inimicos ſuos, & aduerſarios habitat in adiutorio Altiſſimi, non timebit à timore nocturno, neque à ſagitta volante per diem, neque à negotio perambulante in tenebris, neque à ruina & dæmonio meridiano. Et ideo non timebit, quia in protectione Dei cœli commorabitur. Quid enim timeret, quem omnipotens Pater, & ipſa Diuinitas, quæ in eo eſt, ſemper & vbique protegit, & defendit?

Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu & refugium meum Deus meus. Hoc dixit Saluator noſter, ſecundum humanitatem, quia nihil horum habet ſecundum Diuinitatem. G Ipſe, inquit, ſi quando ei neceſſe fuerit, hoc dicet. Et ipſo hoc dicente, ſiue potius cogitante vel volente, ſtatim eius voluntas implebitur. Quid igitur facient contra eum, qui inſipienter inſurgunt in eum? Et ego quidem, dicit Propheta, ſperabo in eum, Si ſeipſum Chriſtus Dominus defendere non potuiſſet, ſperare in eum, vanum, & inutile fuiſſet. Probatum eſt itaque eum neminem timuiſſe, qui aliorum omnium vnica ſpes, & defenſio eſt.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Ideo, inquit ſperabo in eum, quia ipſe me liberabit de omnibus anguſtiis meis. Venatores iſti maligni ſpiritus ſunt in quorum retibus peccatores capiuntur. Quot ſunt vitia, tot ſunt, & laquei, quibus miſeros homines ligant & tenent. Verbum aſperum illud eſt, quod Dominus in iudicio dicturus eſt. *Ite maledicti in ignem æternum.* Nunc ad ipſum Chriſtum verba ſua Propheta conuertit.

H *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.* Deus enim neque ſcapulas neque pennas habet, ſed metaphorice loquitur, vt per ſcapulas, & pennas, omnem eius protectionem, & defenſionem intelligamus.

Scuto circumdabit te veritas eius. Magnum, & inſuperabile ſcutum eſt, veritas, ad fallaces & iniquos homines conuincendos. Hoc ſcuto ſuperati ſunt Iudæi, quia nihil in verbis Chriſti digne reprehendere potuerunt. *Non timebis à timore nocturno.* Timorem nocturnum illum dicit, quando ipſa nocte, qua traditus eſt, Iudæi ſimul cum Iuda traditore cum gladiis, & fuſtibus irruerunt in eum, qui ſi timuiſſet, potius fugiſſet, quam eis obuiam iſſet.

A ſagitta volante per diem. In nocte comprehenſus eſt Dominus, & in die ſagittatus. Tunc enim Iudæi eum ſagittauerunt, quando crucifige clamauerunt. *Sed ſagittæ paruulorũ factæ ſunt plagæ eorum. A negotio perambulante in tenebris.* Negotiũ illud quod in tenebris ambulabat, illud conſiliũ intelligitur, quod de morte Saluatoris

in cordibus Scribarum & Phariſæorum verſabatur. Ipſi enim dignè ſatis in hoc loco tenebræ vocantur, quia cæci ſunt, & duces cæcorum. *A ruina & dæmonio meridiano.* Poſtquam Pilatus eum defendere non potuit, & lotis manibus in Iudæorum poteſtatem crucifigendum eum tradidit, tunc iſta ruina facta eſt, tunc beſtiarum ſæuitia, & crudelitate in eum irruentes ad crucem eum traxerunt: Erat autem hora ſexta, & crucifixerunt eum. Vnde & hic dicitur. A Dæmonio meridiano, niſi enim populus ille iniquiſſimus à dæmonio duceretur, & vexaretur, hoc malum tam magnum facere non potuiſſet.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Per mille, & decem millia omnia malignorum ſpirituum millia intelligere debemus, quæ quidem in Chriſti paſſione omnia ceciderunt, omnemque poteſtatem & fortitudinem amiſerunt. Tunc enim diabolus ligatus eſt, qui poſt mille annos ſoluendus eſſe dicitur. Poterat hoc intelligi de futuro iudicio niſi à dextris poſuiſſet, tunc enim nullus à dextris ponetur, ſed omnes à ſiniſtris ferientur, & cadent. *Tibi autem non appropinquabunt.* Cadent quidem & poteſtatem amittent, & quamuis ad nocendum omnes in vnum conſilium, & prauam voluntatem conueniant, tamen ad Saluatorem noſtrum appropinquare non audebunt.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis. Omnia, quaſi dicat, patienter ſuſtinebis, & cum te ſtatim vindicare poſſis, non tamen te protinus vindicabis. Verumtamen, qualiter puniendi ſint, conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis, vt ſuo tempore de eis vindictam ſuſcipias, & facias vltionem.

Quoniam tu es Domine ſpes mea altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non accedent ad te mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Singula ſingulis reſpondent. Quod enim hic dicitur. *Quoniam tu es Domine ſpes mea.* Hoc eſt quod ſuperius ait. Sperabo in eum. Et quod hic dicitur. *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum,* hoc eſt quod ſuperius dixit. Qui habitat in adiutorio altiſſimi. Dicatur ergo. Quoniam tu es Domine ſpes mea, ideo certus ſum quia flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, id eſt, mihi, quoniam ego ſum tabernaculum tuum. Vnde alibi dicitur. *Tu autem in ſancto habitas Rex Iſraël.* Et quoniam altiſſimum poſuiſti refugium tuum, ideo non accedent ad te mala, non enim poſſibile eſt in tantam altitudinem malum aſcendere.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. Ideo, inquit, ab Angelis portaberis, ne in lapidem pedem offendas, quia ſic eis à Domino mandatum eſt. Non enim dubitandum eſt, Angelos ei ad ſeruiendum, & obediendum ſemper præſto fuiſſe, cum de aliis quoque dicatur. Quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris. Vnde & alibi dicitur, Quia *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Angeli itaque eum cuſtodiebant, ne forte lapides eum lædere potuiſſent, per quos Iudæos, & alios iniquos intelligere poſſumus. Omnia autem hæc ad humanitatem referenda ſunt.

Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Per aſpidem & Baſiliſcum, leonem, & draconem diabolum intelligimus. Et aſpis quidem eſt, quia eius venenum inſanabile eſt. Baſiliſcus autem, quia Rex eſt totius iniquitatis. Leo vero, quia ſemper circumit quærens quem deuoret. Draco autem, quia tortuoſus & numquam recta incedens via. Super hunc autem ambulat Dominus pedibuſque conculcat, quia omnes eius verſutias deſtruit, & ſuperat. Hucuſque Propheta. Nunc autem ipſe Pater de filio loquitur, & hoc quidem ſecundum humanitatem.

Quoniam in me ſperabit, liberabo eum. Hinc eſt enim quod ipſe ait. *Conſerua me Domine, quoniam in te ſperaui. Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Et hoc eſt quod ibi dicitur. *Dixi Domino Deus meus es tu.* Vbique filius ſecundum humanitatem, & Deum ſuum & Dominum & Regem ſuum patrem vocat. Inuocabit me & ego exaudiam eum: Hoc enim ipſe Dominus ait. *Pater gratias ago tibi, quoniam exaudiſti me, ego enim ſciebam, quia ſemper me audis. Cum ipſo ſum in tribulatione.* Non ego pater filium derelinquit. Vnde & cum alibi dixiſſet. Quare me dereliquiſti? ſubdidit mox dicens. Longe à ſalute mea.

Eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Ego, inquit, eripiam eum de omnibus anguſtiis, & neceſſitatibus ſuis. Et glorificabo eum, collocando ad dexteram meam. Longitudine dierum adimplebo eum, quia regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi, & regni eius non erit finis. Et oſtendam illi ſalutare meum, per quod videlicet ſalutem æternam & incommutabilem intelligimus.

PSALMVS CANTICI in die Sabbati.

HIc pſalmus in die Sabbati cantari debet. Prima feſtiuitas Sabbatum eſt, quæ colitur Diuino præcepto. Vnde & bene requies interpretatur. Hanc diem benedixit Deus, & omne opus ſeruile in ea fieri interdixit. Eſt autem opus ſeruile, non quod ſerui faciunt, ſed quod etiam liberos homines, ſeruos facit. Omne igitur peccatum eſt opus ſeruile, quia quicunque facit peccatum ſeruus eſt peccati. Bene itaque celebrant Sabbatum qui mala fugiunt & bona agunt. Tales igitur in pſalterio decachordo cũ cantico, & cythara hunc pſalmũ cantent.

Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſimè, ad Annunciandum mane miſericordiam tuam & veritatem tuam per noctem: In decachordo pſalterio cum cantico & cythara: Quia delectaſti me Domine in factura tua, ideo bonum mihi eſt confiteri Domino. Eccleſia loquitur, in factura Domini, & in cunctis eius operibus nimium delectata, quæ per ſex dies, vſque ad Sabbatum operatus eſt Dominus. Vult itaque in ipſo Sabbato Dominum laudare, benedicere, & prædicare, quatenus nec ipſum Sabbatum ſine gloria ſit, cum omnes alij de ſuis actionibus ſint glorioſi, Magna laus eſt, & in immenſum creſcit, ſi ſingula, quæ illis diebus facta ſunt, propriis laudibus enarrare velimus. Neque in tantis laudibus Sabbatum nobis ſufficere poteſt, niſi aliter quam Iudæi Sabbatum intelligamus. Bonum eſt, inquit, *confiteri Domino,* de hac ipſius tam admirabili operatione, & pſallere, & laudare nomen tuum Altiſſimè vt ab omnibus audiatur. Vnde & alibi dicitur. *Clama ne ceſſes quaſi tuba exalta vocem tuam.* Itemque. *Exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ieruſalem* Et non ſolum de his, ſed de miſericordia quoque & veritate tua, te omni tempore & laudare & prædicare debemus. Et hoc eſt quod dicit. *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam & veritatem tuam per noctem.* Hoc eſt enim mane & nocte, quod eſt omni tempore, vt per mane, quod diei initium eſt, totum diem intelligamus. Non enim maius fuit mundum facere, quam redimere: neque magis Deum laudare debemus de creatione, quam de redemptione, quæ ſola Dei miſericordia, & veritate nobis facta eſt. Bonum eſt itaque laudare, prædicare, & annunciare. Sed quomodo?

In decachordo pſalterio, cum cantico. & cythara. Decem chordas habet Pſalterium, per quas decem verba legis ſignificantur. In cythara vero, vel tres, vel quatuor chordæ ſufficiunt, & hoc quidem iam ſæpè diximus. Per pſalterium igitur, vetus teſtamentum, nouum vero per cytharam intelligamus. Hæc autem duo inſtrumenta nobis ſufficiunt ad Dei magnalia prædicanda. Sed quia cum cantico fieri iubet, lætitiam in tali ſermone adeſſe ſignificat. *Quia delectaſti me Domine in factura tua.* Hoc iam ſuperius expoſitum eſt, & hucuſque ſermonis continuatio deſcendit. *Et in operibus manuum tuarum exultabo.* Et hoc merito? *Non enim qui cœperit, ſed qui vſque in finem perſeuerauerit hic ſaluus erit.*

Quam magnificata ſunt opera tua Domine. Digna exclamatio, & non modici miraculi nobilis admiratio.

A Hinc eſt enim quod alibi dicitur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua, ex me, conſortata eſt, & non potero ad eam; nimis profundæ ſunt cogitationes tuæ.* Cur aliud vas in honorem fiat, & aliud in contumeliam, cur antequam naſcantur, Iacob eligatur, & Eſau reprobetur, ſoluat qui poteſt. Vnde & digne ſatis Apoſtolus exclamans ait: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius*, inueſtigabiles quidem, quia nimis profundæ.

Vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit ea. Vir, inquit, inſipiens, & ſtultus, neque cognoſcit, neque intelligit opera Dei, illa videlicet opera, quæ modo magnificata eſſe dixit. Sed quæ ſunt illa? Vt peccatores intereant in ſæculum ſæculi, & hoc eſt quod dicit.

Cum exorientur peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant, in ſæculum ſæculi. Exoriuntur peccatores ſicut fœnum, quod hodie eſt, ſicut Dominus ait, & cras in clibanum mittitur. B Apparent autem & clariores inter alios incedunt, nec tamen ab iniquitate recedunt? non ad aliud niſi vt moriantur & pereant. Hoc autem ſi vir inſipiens & ſtultus intellexiſſet, ab illa ſua iniquitate fortaſſe quieuiſſet.

Tu autem altiſſimus in æternum Domine. Subauditur eos punies, & ipſas ſuas iniquitates cognoſcere facies. Vnde & viro ſtulto alibi dicitur. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Et hoc eſt quod ait.

Quoniam ecce inimici tui Domine peribunt & diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum. Cornu Eccleſiæ, virtus, & poteſtas; fides, & doctrina, ſic exaltata eſt, vt nullus ei reſiſtere valeat, Vnde ipſe Dominus ait. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Sic enim dicitur de vnicorni, quod nullum animal eius impetum valeat ſuſtinere.

Et ſenectus mea in miſericordia vberi. Hinc eſt enim, quod dicitur. *Et ingredieris in abundantiam ſepulchrum.* Senectus Eccleſiæ, huius ſæculi conſummatio eſt, in qua C tam vberem miſericordiam ſuſcipiet, vt nulla vlterius miſericordia indigeat. Satis magna miſericordia eſt, quæ omnes miſerias excludit.

Et reſpexit oculus tuus inimicos meos, & inſurgentes in me malignantes, audiuit auris tua. Non eſt, quaſi dicat, mihi neceſſe, oſtendere tibi, vel accuſare inimicos meos, tu eos vidiſti, & audiſti, tu eos optime cognoſcis, & quam vindictam de eis ſuſcipere debeas.

Iuſtus, vt palma florebit. Egregie vir iuſtus palmæ comparatur quoniam in Diuina ſcriptura palma victoriam ſignificat. Vnde Moyſes ait: *Si fuerit cauſa inter aliquos, & iudices interpellauerint, quem iuſtum eſſe proſpexerint, illius iuſtitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis.* Et nota, quod ipſi victoriæ iuſtum comparauit, vt eius laudem amplius extolleret. Floret igitur clareſcit & gloriatur quaſi palma iuſtus, quia de omnibus ſuis triumphat inimicis. *Nemo enim coronatur niſi, qui legitimè certauerit. Et ſicut cedrus libani multiplicabitur.* Quæ ſuper alias arbores pulchrior, D maior & excellentior eſt. Quales igitur ſunt cedri inter alias arbores, tales viri iuſti inter alios homines. Sed quibus rebus hi tales multiplicantur, niſi ſcientia, miſericordia, pietate, omnibuſque diuitiis ſpiritualibus? de quibus adhuc ſubditur.

Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt. Domus Dei, Eccleſia eſt, in cuius atriis viri iuſti plantati & fundati ſunt, vt ſemper ab omnibus videantur. Ibi doctrina & iuſtitia florent, & ſui odoris ſuauitate alios ſatiant. Vnde Apoſtolus ait. *Chriſti enim bonus odor ſumus in omni loco.* Nam & cedrus odoriferæ naturæ eſſe perhibetur.

Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi. Adhuc, inquit, & quanto tempore mundus iſte erit multiplicabuntur, multorum propagine filiorum, & virtutum omnium abundantia. In ſenectute vberi, ſenes ſunt Sancti, cuiuſcunque ætatis eſſe videantur: matura eſt eorum vita, & ab omni leuitate, & vanitate aliena. *Et bene patientes erunt.* Nam & latrones & adulteri, & multi alij E multoties patientes ſunt, & multis & variis tormentis pro ſuis iniquitatibus cruciantur, ſed non bene patientes ſunt, quia nullam de hac ſua patientia mercedem recipiunt. Sancti vere patientes erunt vt annuncient. Quid?

Quoniam iuſtus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. Hæc fuit maxima & principalis cauſa, vt ſancti interficerentur, quoniam omnes deos gentium dæmonia eſſe dicebant, & ſolum Dominum noſtrum Iuſtum & verum Deum eſſe fatebantur, qui redderet vnicuique ſecundum opera ſua.

LAVS CANTICI IPSI DAVID, in die ante Sabbatum, quando fundata eſt terra.

LAus inquit huius cantici cantetur, & iubiletur ipſi F Dauid. Cui ipſi, niſi Saluatori noſtro, qui reuera eſt ipſe Dauid, id eſt manu fortis? Cantetur autem in die ante Sabbatum, quia de his, quæ in illa die operatus eſt à cunctis gentibus, & laudandus, & glorificandus eſt. In illa enim die quæ ante Sabbatum eſt, Saluator noſter crucifixus eſt, & diabolus ſuperatus eſt, & de eius impia poteſtate humanum genus liberatum eſt, & originale peccatum deletum eſt, & ipſa die fundata eſt terra, De qua hic dicitur. *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Ipſa enim die fundata eſt Eccleſia, quam ipſe nos lauit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

Dominus regnauit decorem induit. Lætatur Propheta de his, quæ in die, quæ eſt ante Sabbatum, facta ſunt, Quia ipſa die princeps huius mundi iudicatus, & damnatus eſt, & Saluator noſter victor, & triumphator regnum ſuſcepit, atque de eius violenta dominatione genus humanum liberauit. Sed qualem decorem cum in ſua reſurrectione induiſſe putamus, cum in faciem ipſius G transfigurati, præ nimio ſplendore, Diſcipuli intendere non potuiſſent?

Induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe virtute. Tantam virtutem, & fortitudinem habebunt ſancti poſt reſurrectionem, vt nulla creatura eos in aliquo lædere poſſit. Quid igitur de Saluatoris noſtri fortitudine, & virtute dicere attinet?

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Ibi continuatur, vbi in titulo dicitur, quando terra fundata eſt. Per terram enim Eccleſia ſignificatur, quæ tunc quidem fundata eſt, & firmata, quando pro eius redemptione Saluator noſter, crucem ſubire, & mori dignatus eſt, Et ipſa quidem non commouebitur, tantique beneficij memor nunquam ab eius fide, & dilectione ſeparabitur. De qua & ſubditur.

Parata ſedes tua Deus ex tunc à ſæculo tu es. Eadem ipſa eſt ſedes Dei, quia in ipſa ſedet & iudicat Deus, & ſicut ſcriptum eſt, anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, Sed ex tunc iſta ſedes parata eſt, & tanti ſeſſoris digna facta eſt, H ex quo eius ſanguine lota & mundata eſt. Et ſedes quidem eius ex tunc parata eſt: ipſe autem non ex tunc ſed à ſæculo eſt. Idem autem ſignificat à ſæculo eſt, ac ſi diceretur ſemper eſt.

Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina voces ſuas, à vocibus aquarum multarum.

Poſtquam hæc ſedes parata fuit, & prædicatores, quos Chriſtus ſuos vicarios, & Epiſcopos ſuper eam ordinauit, prædicare cœperunt, tunc eleuauerunt flumina voces ſuas Domino, eum laudantes, & benedicentes, & de ſua conuerſione, & iuſtificatione gratias agentes. Per flumina enim populi figurantur, quia, ſicut ſcriptum eſt, aquæ multæ populi multi. Et bene flumina populos ſignificant, quia ſicut in fluminibus, vndæ ſibi ſuccedunt ad inferiora labentes, ita & in populis alij aliis ſuccedunt ad mortem feſtinantes.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelſis Dominus. A vocibus, inquit, aquarum multarum, mirabiles elationes maris factæ ſunt, quia contra voces ſanctorum prædicantium & fidelium populorum Deum laudantium,

A totus mundus conturbatus,& commotus eſt. Ecce mare contra flumina pugnat contra pauperes diuites, contra humiles ſuperbi, & potentes huius mundi contra eos, qui ſe defendere nolunt. Nemo igitur tanti maris elationes, & impetus ferre potuiſſet, niſi virtus Dei adeſſet, quæ tanti furoris iras mitigaſſet. Sed audiamus, quod ſequitur. Mirabilis in excelſis Dominus. Et certè conueniens erat, vt contra mirabiles, mirabilis poneretur: & mirabilior eſt ille,qui contra mirabiles pugnat,quam ſint maris elationes quæ ſanctos impugnant. Et verè mirabilis in excelſis eſt, tam ſtupenda cunctiſque admiranda mirabilia faciens. Vnde & ſubditur.

Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis. Teſtimonia Dei hoc in loco, omnes eius promiſſiones dicit. Promiſerat enim Dominus diſcipulis ſuis, quod eos non deſereret, neque derelinqueret, & quia opera, quæ ipſe faciebat, ipſi quoque ſimiliter facerent. Quia igitur, ſicut promiſerat, ita factum eſt, eius teſtimonia B nimis credibilia facta teſtatur.

Domum tuam decent ſancta Domine, in longitudinem dierum. Hoc eſt enim quod Dominus ait: *Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Omnia igitur ſancta & bona omnia religione, & veneratione præclara decent Eccleſiam Dei, quæ per domum ſignificatur. Et hoc quidem non ad tempus, ſed in longitudinem dierum, per quod intelligitur, in æternum, & in ſæculum ſæculi.

PSALMVS IPSI DAVID quarta Sabbati.

Dictum eſt, quid ſignificet, ipſi Dauid. Quarta Sabbati illuminatus eſt mundus: ipſa namque die fecit Deus ſolem, lunam, & ſtellas, quibus totus mundus illuminatur. Huius diei immemores ſunt,qui Deum cœli neſcire & omnia non videre dicere audent, ſicut C illi, qui in hoc pſalmo dicunt. *Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Et qui huiuſmodi clariſſima luminaria extinguere conantur, quæ in illis ſignificata ſunt, quæ quarta Sabbati Dominus facit. Quibus ipſe Dominus ait: *Vos eſtis lux mundi.* Fit igitur iſte pſalmus contra Eccleſiæ perſecutores,qui quoniam in tenebris ſunt lucem videre non poſſunt:*Omnis enim qui male agit lucem fugit.*

Deus vltionum Dominus,Deus vltionum liberè egit. Eccleſia loquitur, & tyrannos, hæreticos,aliosque homines iniquos redarguit, qui tantopere veritatem impugnant & errorem defendere nituntur. Et quaſi dicat: Deus qui vltionum Dominus eſt,& qui nihil inultum relinquit,ſed omnibus iniuriam patientibus iuſtitiam facit,liberè egit, libertatem fecit, & de diaboli ſeruitute mundum redemit? & vos è contra populum Dei in errorem & diaboli ſeruitutem trahere conamini? Ceſſate iam nunc, D ceſſate, & ad vltorem, & liberatorem oculos erigite. Si non ceſſaueritis,vltor eſt: ſi ceſſaueritis liberator eſt.

Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis. Inconuertibiles eos eſſe cognoſcit, ideoque ad Dominum conuerſus eum rogat, vt in ſua ſuperbia perſiſtentibus retributionem reddat, quatenus vltorem cognoſcant, qui liberatorem habere noluerunt. Exaltatur autem Dominus, & contra ſuperbos eleuatur, quando ſe eis iratum oſtendit.

Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? Exſpectat Dominus peccatores, & non ſtatim punit,ſi fortè conuertantur, & ſanentur. Illi autem non ſolum peccare non ceſſant, ſed quod nequius eſt, in ipſis iniquitatibus gloriantur.

Vſquequo pronunciabunt & loquentur iniquitatem? loquentur omnes, qui operantur iniuſtitiam? Non ſufficit eis malum agere, niſi & alios agere doceant. Tales enim ſunt,qui in cathedra peſtilentiæ ſedent,quia pronunciare, & loqui ad doctrinam pertinet.

Populum tuum Domine humiliauerunt. Humiliauerunt enim alios quidem tormentis,alios blandiriis & promiſ- E ſionibus: alios vero falſæ doctrinæ perſuaſionibus. Quid eſt enim humiliauerunt,niſi ſuæ voluntati ſubdiderunt? Et hæreditatem tuam vexauerunt. Tales homines,dæmonia ſunt,& ideo quos inuadunt,vexare dicuntur. Magna vexatio eſt iſta de qua modo ſuperius diximus.

Viduam, & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Hoc autem ſecundum litteram verum eſſe non dubium eſt. Allegoricè autem per viduam,illa anima ſignificatur,quæ à Deo diuiſa eſt, & eorum erroribus ſociata. Dicitur enim vidua,quaſi à viro diuiſa. Aduenæ vero illi ſunt,qui Eccleſiam relinquentes,ad eos venerunt,& cum eis eſſe,& habitare elegerunt. Per pupillos autem,illi ſignificantur, qui ſimpliciores ſunt, & quaſi infantes facile decipiuntur. Et iſti quidem ſunt,quos Eccleſiæ perſecutores interfeciſſe dicuntur.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob. Hanc tantam blaſphemiam illi dicere po- F tuerunt, qui Deum Iacob non eſſe credebant. Si enim Deus eſt, & videre eum & intelligere omnia neceſſe eſt. Vnde & deos gentium Propheta deridens ait: *Dicite mihi, quæ prima fuerunt; & vltima quæ futura ſunt: & dicam, quia dij eſtis vos.*

Intelligite nunc, qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Vel nunc,quaſi dicat,intelligite,quando tot ſigna, & miracula in eius nomine fieri videtis, & Deum eſſe credite,& omnia videre,& intelligere cognoſcite. Quis enim niſi Deus hominem fecit? quis ei aures & oculos dedit? Quod ſi ipſe omnia fecit, qua præſumptione hæc dicere auderis? Et hoc eſt quod ait.

Qui plantauit aurem non audiet? qui finxit oculum non conſiderat? Qui enim potuit,quod maius eſt,& illud,poteſt quod minus eſt. Non enim ſine viſu, & auditu eſſe poteſt,qui omnibus aliis & viſum,& auditum tribuit.Sed quia dixit. Non conſiderat, potius de ſenſibus interioribus ſignificare videtur. *Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiam.* Ille,inquit qui corripit omnes gentes, & de ſuis prauitatibus caſtigat, vos ſolos de veſtra inſipientia,& ſtultitia non arguet? Et ille, qui do- G cet omnem hominem ſcientiam,ita ſuam ſcientiam amiſit,vt veſtras iniquitates neque videat,neque intelligat.

Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanè ſunt. Omnia igitur videt, cui neque ipſæ cogitationes abſcondi poſſunt. Taceant itaque inſipientes, in populo & ſtulti aliquando quieſcant, & hæc vlterius nec cogitare nec dicere audeant.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Illi ſoli beati ſunt, qui à Deo, & de lege Dei eruditi ſunt: Sicut è contra illi miſeri ſunt, qui ſapientiam huius mundi, quæ apud Deum ſtultitia eſt, à philoſophis & hæreticis aliiſque magiſtris peruerſorum dogmatum didicerunt. Vt mitiges eum à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Illos mitigat Deus à diebus malis, quos ita ſua miſericordia cuſtodit,vt etiam inter iniquos fideliter viuere,& conuerſari poſſint. Vnde Apoſtolus ait: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Donec fodiatur peccatori fouea.* Quotidie foditur H peccatori fouea, quia quanto plus peccat,tanto ſibi profundior fouea paratur.

Quia non repellet Dominus plebem ſuam,& hereditatem ſuam non derelinquet, quoadvſque iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui tenent eam, omnes qui recto ſunt corde. Mitigabit enim Dominus ſanctos ſuos à diebus malis, ſiue in hac vita,ſiue etiam in alia vita, vt neque hic,neque ibi malos dies habeant.Et inde manifeſtum eſt,quia non repellet Dominus plebem ſuam,& hęreditatem ſuam non derelinquet, ſicut ipſe ait. *Non deſeram neque derelinquam:* Et, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Et tunc quidem iuſtitia conuertetur in iudicium, quia tunc de ſingulis, & de omnibus tractabitur,& iudicabitur, vtrum iuſtitiã, vel iniuſtitiam habeant. Et qui ſunt illi,qui vel nunc eam tenent,vel tunc eam habebũt? Omnes qui recto ſunt corde. Hoc eſt enim quod alibi dicitur. Quam bonus Iſraël Deus his,qui recto ſunt corde. Rectum cor illi habent,qui via regia incedentes,ad falſitatem,& iniquitatem non flectuntur.

A *Quis exurget mihi aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem.* Hinc probatur, quod hæreditatem ſuam, & Eccleſiam ſuam Dominus non derelinquet, quia ipſe eſt, qui exurgit ei in adiutorium aduerſus malignantes,& qui ſtat ſecum ad pugnandum contra eos,qui operantur iniquitatem.

Niſi quia Dominus adiuuiſſet me,paulominus habitaſſet in inferno anima mea. Niſi inquit,hoc fuiſſet,quia Dominus adiuuiſſet me, tantis multoties calamitatibus oppreſſa fui,vt paulò minus ſuccubuiſſem,ac per hoc habitaſſet in inferno anima mea, ſed tu ſemper præſto mihi aderas optimus auxiliator hoc eſt enim quod ait:

Si dicebam ,motus eſt pes meus , miſericordia tua Domine adiuuabat me. Pes autem mouetur, quando mens à ſua ſtabilitate flectitur,& præ timore quid ei agendum ſit , dubitare incipit.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam: Hoc eſt
B autem quod Apoſtolus ait: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Neque enim aliter mundi huius aduerſitates Eccleſia Dei ſuſtinere poſſet, niſi ei in ſuis magnis neceſſitatibus tam miſericrdiditer Dominus ſubueniſſet. Sed probatum eſt, quia quando humano auxilio penitus deſtituitur,Diuinum auxilium in proximo eſt futurum.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Hoc eſt enim,quod alibi dicitur. Quia non habitabit iuxta te malignus,neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.Bene autem hic dicitur: Quia non adhærebit ei ſedes iniquitatis, de quo ſupra dixit: *Quia hæreditatem ſuam non derelinquet.* Conueniens enim eſt, vt qui bonos ſibi aſſociat, malos quoque à ſe repellat. Sedes autem iniquitatis homines dicuntur iniqui, quia in eis iniquitas ſedet,& habitat: Fingit autem Dominus dolorem in præcepto, quia ſine labore, & dolore eius præcepta ſeruari non poſſunt. Vnde ipſe ait: *Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam,*
C *& ſequatur me.* Non placet igitur ei iniquitas,qui tantam iuſtitiam diligit & æquitatem. *Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.* Docet nos, quod per ſedem iniquitatis homines iniquos intelligere debemus? ipſi enim ſunt,qui captant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem morti condemnant. Sed quid eſt in animam iuſti captare, niſi magno deſiderio in eius perditionem inhiare.

Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium ſpei meæ. Non multum ei timere neceſſe eſt iniquorum hominum inſidias,& perſecutiones,qui ipſum Dominum in refugium & in adiutorium firmiſſimè habere ſperat. Sicut illi qui ait: *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos,ſicut ſperauimus in te.* Hoc enim ille non dixiſſet, niſi ſummam ſpem in Deum habuiſſet.

Et reddet illis Dominus iniquitates ipſorum & in malitia eorum diſperdet illos Dominus Deus noſter. Hoc autem erit in iudicio, quando pro ſuis iniquitatibus, & maximè quia Eccleſiam Dei tanto odio perſecuti ſunt,in ignem mittentur æternum.Reddere autem iniquitates,ni-
D hil aliud eſt,quam reddere mercedem de iniquitatibus.

LAVS CANTICI IPSI DAVID.

NOn omne Canticum laudabile eſt: ſed illud Canticum eſt dignum laude, quod non ſolum voce, ſed mentis quoque intentione Chriſto cantatur, hoc eſt enim, ipſi Dauid.

Venite exultemus Domino iubilemus Deo ſalutari noſtro. Inuitat nos Propheta, vt conueniamus, & Domino exultemus, iubilemus, cantemus, ploremus, adoremus, & ipſum benedicamus, & ante faciem eius procidamus. *Ipſe eſt enim Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius:* & ideo dignum eſt vt ei ſeruiamus, & per omnia & in omnibus ei obediamus. Deo autem exultare & iubilare, eſt ei immenſo amore intus, & extra, in corde, & in ore dignis laudibus perſonare

Quod autem in titulo dicitur. Laus Cantici ipſi Dauid, E
hoc eſt, quod hic dicitur. *Iubilemus Deo ſalutari noſtro;* quia ſalutare noſtrum Chriſtus eſt, qui per Dauid ſignificatur.

Præoccupemus faciem eius in confeſſione. Venturus eſt Dominus ad iudicium, & videbit eum omnis oculus, ſicut ſcriptum eſt: quia *videbit omnis caro ſalutare Dei.* Præoccupemus igitur faciem eius in confeſſione,vt cum venerit, non quaſi extraneos,& ignotos nos reſpiciat,ſed læta facie nobis occurrat, & illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. *Et in pſalmis iubilemus ei.* Hinc fortaſsè Eccleſia vbique gentium conſuetudinem ſuſcepit,vt die,ac nocte in pſalmis Deo iubilare non ceſſet. In pſalmis autem cantare, eſt, decem legis mandata ſeruare, quoniam pſalmi à pſalterio dicuntur, cuius decem chordæ decem legis mandata ſignificant.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos. Ideo, inquit, ei cantare, & iubilare debemus, quoniam ipſe eſt, & magnus Deus, & magnus
Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos. Hoc eſt F
enim quod alibi ait. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Relinquantur igitur cæteri dij, & ipſe ſolus adoretur, qui maximus & potentiſſimus eſt in vniuerſa terra.

Quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Plebs illius nos ſumus, & ideo eum laudare debemus, quia non repellet nos neque à ſeipſo, neque à laudibus ſuis. Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ. Hoc autem ad illud reſpondet quod ait.

Quoniam Deus magnus Dominus. Magnus enim eſt,in cuius manu omnia concluduntur. Manus autem Dei, eius virtus, & potentia intelligitur. *Et altitudines montium ipſe conſpicit.* In quo nihilominus & magnus & excelſus ſuper omnes eſſe monſtratur. Huic autem loco conuenire videtur, quod dicitur. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè agnoſcit.* Quid igitur per montes, niſi huius ſæculi altiores & potentiores intelli-
gamus? Horum autem altitudines, quia Deo non pla- G
cent, à longe eum cognoſcere dicit. Sunt tamen & alij montes per quos Apoſtoli ſignificantur,quorum altitudines,quia bonæ ſunt, eas Dominum videre delectat. Sanctorum altitudines,virtutes ſunt,& mores honeſti: alius enim humilitate: alius patientia: alius continentia:alius alia qualibet virtute eleuatur & aliis præeminet.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. Et in hoc ſimiliter magnus Dominus eſſe oſtenditur, quod mare, & aridam feciſſe dicitur. Per mare autem, mundum iſtum, & per aridam, Eccleſiam intelligere poſſumus, quæ ſic in medio huius maris à Domino fundata eſt, vt eius procellis & tempeſtatibus moueri non poſſit. Ipſe autem fecit vtrumque quia & bonos, & malos ipſe fecit, & nihil eſt, quod ipſe non fecerit.

Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter,nos autem populus eius,& oues paſcuæ eius. Iterum
nos inuitat,vt veniamus,adoremus & ploremus,atque ex H
toto nos humiliemus ante Deum, omnium rerum factorem, & creatorem, qui nos fecit, & refecit, & ad antiquam imaginem reformauit. Quod quidem iuſtiſſime facere debemus, *quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.* Si Deo,& Domino noſtro non ſeruimus,omnino ingrati & abominabiles ſumus. *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Magna gloria & magnus honor nobis eſt,vt eius populus,& eius oues dicamur.Nos ſumus ille populus de quo dicitur. *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi.* Oues autem eius ſumus,ſi humilitatem,& patientiam habeamus,& ſi in eius paſcuis delectemur, per quæ vtriuſque teſtamenti volumina ſignificantur & ſi eius vocem audiamus. Sicut ipſe ait. *Oues meæ vocem meam audiunt,& ego Dominus agnoſco eas,& vitam æternam do eis. Et ſequuntur me.* Et ipſe quidem eſt,qui nos quotidie admonet dicens.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda

veſtra Sicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto. Hodie inquit, ſi vocem eius audieritis, cuius oues, & populus eſtis, nolite facere, ſicut fecerunt Patres veſtri, quorum vtique filij eſtis, ſi eos in eadem perfidia imitamini. Hoc autem de illis dicit, qui quoties eum in deſerto tentauerunt ad iracundiam prouocauerunt, inobedientes extiterunt, & ideo in terram ſibi promiſſam non intrauerunt. De quibus alibi dicitur. *Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, in iram concitauerunt eum in terra ſine aqua.* Dicitur igitur nobis, ne eos imitemur, & ne ad Dei præcepta audienda, & ſuſcipienda corda noſtra induremus ne forte & nobis ſimilia contingant. *Et illi quidem probauerunt, & viderunt opera Dei,* & in mari diuiſo, & in Pharaone ſubmerſo, & in aqua de petra, & in manna de cælo, & in multis aliis, quæ enumerare longum eſt & tamen non crediderunt verbis eius, nec exaudierunt vocem Domini.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper hi errant corde. Proximus eis fuit Dominus per annos quadraginta ad regendum & cuſtodiendum, aliquando etiam ad puniendum, & neque beneficiis, neque flagellis, cordis ſui duritiam amiſerunt. Vnde & ſubditur. *Et dixi ſemper, hi errant corde*, Dicere Dei, vidiſſe & cognouiſſe fuit. Et tale eſt ac ſi diceret: Et vidi eos ſemper errantes, & in malitia perſeuerantes. Et hoc eſt quod dicit.

Ipſi vero non cognouerunt vias meas, Quid eſt, vias meas non cognouerunt, niſi per vias meas ambulare noluerunt? *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* In eo, quod ſe iuraſſe dicit firmum hoc, & incommutabile eſſe oſtendit Quod autem, ait, *ſi introibunt in requiem meam*, comminatio eſt, Vocatur autem eclipſis hic modus locutionis, vbi ſemper aliquid deeſt ad plenitudinem orationis: poteſt enim ſubaudire, non mihi credatur, vel non amplius potero, vel tale aliquid quod conuenire videatur.

QVANDO DOMVS ÆDIFICABATVR poſt captiuitatem, Canticum huic Dauid.

VIdit Dauid Propheta, quando Domus ædificabatur poſt captiuitatem, & præcepit hoc canticum cantari huic Dauid, id eſt. Saluatori noſtro, à quo illa domus ædificata eſt. Hæc domus, ſancta Eccleſia eſt, quam Saluator noſter in ligno crucis ædificauit, poſt longam captiuitatem, in qua totum humanum genus diabolus poſſedit, & tenuit. Similiter autem, & ſub Ieſu ſacerdote magno templum Domini reædificatum eſt, poſt Babylonis captiuitatem, aqua iſta, de qua nunc loquimur captiuitas ſignificabatur.

Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Quod modo Propheta in titulo præcepit, hoc canticum cantari huic Dauid, hoc eſt, quod modo dicit: Cantate Domino canticum nouum: quoniam per Dauid ipſe Dominus, & Salua or noſter ſignificatur. Inuitantur autem ad cantandum non ſolum Iudæi, ſed omnis terra, quia *non Iudæorum Deus tantum*, vt ait Apoſtolus *immo & gentium,* Debent autem cantare canticum nouum, canticum natiuitatis, paſſionis reſurrectionis, & aſcenſionis. Hæc enim noua ſunt, & à prioribus inaudita. Cantant præterea & illi canticum nonum, qui non litteræ vetuſtatem, ſed ſpiritualis intelligentiæ nouitatem ſequuntur.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius. Dignum eſt, vt ſemel & iterum, & multoties ad cantandum inuitet, quos non vni genti, ſed cunctis gentibus populis, & nationibus cantare oportet: Cantate, inquit, & cantando benedicite nomen eius, id eſt, ſic viuite, ſic agite, ſic prædicate, vt in vobis nomen eius benedicatur. Benedicite in Patre filium, in Filio Patrem, & in vtroque Spiritum Sanctum, hoc eſt enim nomen eius, quia hi tres vnus Deus. Quis enim Apoſtolos Chriſti virtutes, & miracula narrare, & eius miſericordias prædicare audiat, & non continuo dicat. Sit nomen Domini benedictum. Bene nunciate de die in diem ſalutare eius, bene, inquit, conſtanter, & ſapienter nunciate de die in diem, omni tempore, & per ſingulos dies, eam ſalutem quam vbique gentium Dominus operatus eſt. De qua alibi dicitur. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

Annunciate inter gentes opera eius, in omnibus populis mirabilia eius, Hoc enim fecerunt Apoſtoli, quia ſicut ſcriptum eſt. *Profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et alibi. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis terribilis eſt ſuper omnes Deos. Et ideo terribilis ſuper omnes Deos, quoniam omnes dij gentium dæmonia. Ideo vero laudabilis quoniam ipſe cælos fecit. Quis enim ſic magnus, ſic laudibilis, & ſic terribilis eſt ſicut ille, qui omnia fecit, A priuilegio maioris partis omnium rerum creatorem eſſe oſtendit, dum eum cælos feciſſe dicit.

Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. Confeſſio. Martyrium, pulchritudo vero baptiſmum, ſignificare videtur. Et de Confeſſionibus quidem Dominus ait. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo.* De baptiſmo vero. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Vnde & alibi dicitur: *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Tales igitur erunt in conſpectu Dei, qui vel Martyrio vel baptiſmo ſic ſanctificati. Qui vero vel hoc vel illo modo ab eo ſanctificantur, & ſancti, & magni efficiuntur. Et hoc eſt quod ait, ſanctitas, & magnificentia in ſanctificatione eius. Poſſumus autem per Confeſſionem, & pœnitentiam intelligere, quia & ipſa ſanctificat, & liberat à peccatis.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem afferte Domino gloriam nomini eius Afferte, inquit, Domino patriæ gentium, & quid afferre debeatis, audite Afferte Domino gloriam & honorem Et quam gloriam? afferte Domino gloriam nomini eius. Quid eſt nomini eius? Ad honorem nominis eius, vel, quæ conueniat, nomini eius. Magnum eſt nomen, magna ſit & gloria. Nomen eius omnia continet, gloria eius omnia repleantur.

Tollite hoſtias, & introite in atria eius, adorate Dominum in aula ſancta eius. Aula ſancta eius Eccleſia eſt, & fidelium multitudo. Vult igitur, vt hoſtias noſtras ibi offeramus, vbi à pluribus videantur, vt fides noſtra non ſit occulta, ſed manifeſta. Qui aliud non habet, quod Domino offerat, offerat ſeipſum obſequium ſuum, fidem ſuam, quia non eſt maius, quod offerre poſſit. Si promiſiſti caſtitatem, humiliatem patientiam obedientiam, & his ſimilia, bonam hoſtiam Domino obtuliſti. Non erubeſcas coram multis adorare Dominum, vt multi te videant, & bonum de te exemplum ſuſcipiant, quatenus in te illud adimpleatur, quod ſcriptum eſt. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

Commoueatur à facie eius vniuerſa terra. Vos, quaſi dicat, eius facies, eius imago & ſimilitudo eſtis, quia ad eius imaginem & ſimilitudinem facti eſtis. Commoueatur igitur à vobis vniuerſa terra, nihil terrenæ corruptionis in vobis permaneat, vt penitus ad eius faciem, & pulchritudinem reformemini ad cuius imaginem facti eſtis. *Dicite in nationibus Dominus regnauit à ligno*, Qui tales ſunt talia dicere digni ſunt. A ligno Dominus regnare cæpit, quia per lignum regnum redemit. Non cognoſcebant prius homines regem ſuum, ſed poſtquam factus eſt principatus ſuper humerum eius cognitus eſt Dominus & regni gubernacula ſuſcepit. *Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur*, ab hoc enim dicitur Rex, vt regat, & corrigat, & inde eum Regem eſſe probat, quia rexit & correxit orbem terræ, qui non commouebitur. Per orbem terrę non totum mundum, ſed meliorem partem mundi intelligere debemus, populum videlicet

A delicet Chriſtianum,qui ſic à rege ſuo correctus & inſtructus eſt, vt numquam ab eo ſeparetur & commoueatur. Iudicabit populos in æquitate, Hoc autem erit in iudicio,quando reddet ſingulis ſecundum opera ſua.Et gentes in ira ſua, quia non fecerunt voluntatem ſuam. Vnde & alibi dicitur: *Dominus in ira ſua conturbauit eos & deuorabit eos ignis. Lætentur cæli, & exultet terra moueatur mare, & plenitudo eius.* Hæc verba tantam lætitiam ſonant quanta in hac vita haberi non poteſt. Tunc igitur iſta lætitia erit ſanctis, quando Dominus iudicabit populos in æquitate. Cæli, Apoſtoli, terra, Eccleſia, mare, & plenitudo eius omnes baptiſmatis aquis regenerati intelliguntur. Tales piſces promittebat Dominus Apoſtolis, quando dicebat: *Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum.*

Gaudebunt campi, & omnia: quæ in eis ſunt. Quod per mare, & plenitudo eius ſignificatum eſt, hoc per B campos, & quæ in eis ſunt intelligi poteſt Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum, Et hæc ſimiliter ſignificant, quæ ſuperiora. Diuerſis namque ex cauſis, & piſces maris, animalia cætera, & ligna ſyluarum homines dici poſſunt. Sed quare omnia hæc tunc gaudebũt & exultabunt Sequitur. *Ante faciem Domini quoniã venit,iudicare terram?* Duplex gaudium erit, vnum, quia prius venit redimere & docere, alterum, quia venit iudicare terram. Niſi enim prius redimere veniſſet,nullum de ſecundo aduentu gaudium eſſet. Illi igitur de ſecundo aduentu gaudebunt, qui ſe in primo redemptos & electos eſſe intelligent, ſiue piſces maris, ſiue bruta camporum animalia, ſiue dura, & infructuoſa ſyluarum ligna fuerint. Venit igitur Dominus iudicare terram. Sed quomodo iudicabit.

Iudicabit orbem terræ, in æquitate, & populos in veritate ſua, Iſte verſus bonis gaudium & malis triſtitiam parit.

C

PSALMVS IPSI DAVID
cum terra eius reſtituta eſt.

TVnc factum eſt quod dicit iſte pſalmus, cum terra eius reſtituta eſt ipſi Dauid. Tunc enim Saluatori noſtro terra ſua reſtituta eſt, quando diabolo ſuperato, mundus ei ſeruire, & in eum credere cepit,poſſumus autem per terram ſuam, ſuam quoque carnem intelligere, quam cum in cruce mortuam reliquiſſet, die tertia viua ſibi reſtituta eſt.

Dominus regnauit exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Exultet, inquit, terra,gaudeat Eccleſia, lætentur inſulæ multæ, per quas ſingulæ Eccleſiæ ſignificantur, quæ quamuis ſpatio locorum diuiſæ ſint, in fide tamen,& dilectione vnum ſunt,& vnam Eccleſiam faciunt. Sed vnde lætentur? Quia Dominus regnauit,quia terra ſua, & regnum ſuum ſibi reſtitutum eſt. Gaudeant quia bonum D habent Imperatorem, quæ tanto tempore ſub, diaboli grauiſſima ſeruitute oppreſſæ doluerunt. Qui ideo, quaſi dicat in aduentu ſuo cognitus non eſt,quia humilis apparuit,& in forma ſerui, & maieſtatem ſuam in primo aduentu reuelare noluit. Et Hoc quod ait.

Nubes & caligo in circuitu eius. Nubem,& caliginem carnem ipſam vocat, qua Diuinitas induta, & circumamicta videri non potuit,*Si enim eum cognouiſſent*, vt ait Apoſtolus,*nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* De hac nube ſcriptum eſt. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & corruent omnia ſimulacra eius.* De hac nube iſtæ pluuiæ exeunt, quibus tota Eccleſia irrigatur. Cum autem venerit Dominus in ſede maieſtatis ſuæ, tunc hæc nubes non erit caliginoſa ſed in tanta claritate apparebit,vt eius ſplendore obſcuretur ſol & luna perdat lumen ſuum. Cuius autem Sedis correctio, iuſtitia,& iudicium erit. Et hoc eſt quod dicit. *Iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius.* Totus mundus ab hac ſede iudiciaria iudicabitur, & corrigetur. Sed quomodo? Non iniuſte, non temere, ſed iuſtitia, & iudicio.

Et tunc quidem ignis ante eum præibit, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Poſtquam,inquit, hæc ſedes E ſuæ correctionis ſententiam dederit, illico ignis præibit ante eum. *Et inflammabit in circuitu inimicos eius;* vt de igne temporali, quo mundus ardebit in ignem æternum tranſeant,qui finem non habebit.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Nunc ad primum aduentum, de quo in principio pſalmi loqui cæperat reuertitur, & ea per ordinem narrat,quæ tunc temporis facta ſunt. Ipſe quaſi dicat, ſuæ Diuinitatis potentiam celauit, ſed fulgura eius, per quæ Apoſtolos & Doctores intelligimus, manifeſte cunctis illuxerunt, & claruerunt. Hæc autem fulgura, & vocis magnitudine, & miraculorum ſplendore terribilia, totam terram commouerunt. Hoc eſt enim quod ait. *Vidit, & commota eſt terra.* Alij bene, & alij male, commoti ſunt. De hac autem commotione Dominus ait. *Nolite putare, quia veni pacem mittere in terram, non veni pacem mittere ſed gladium. Veni enim ſeparare filium aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam,& nurum aduerſus ſocrum ſuam & inimici hominis domeſtici eius.* F

Montes ſicut cera fluxerunt ante faciem Domini, à facie Domini tremuit omnis terra. Quos modo fulgura dixit,nunc montes vocat. Et merito montes vocantur Apoſtoli,quia & ſanctitate, & ſcientia omnibus aliis altiores ſunt. Iſti autem ſicut cera fluxerunt,quia multos alios illuminauerunt,Bene autem dixit:*ante faciem Domini:*quia dignum eſt,vt talia candelabra,taleſque cerei,ante faciem Domini ſemper aſſiſtant. *A facie Domini tremuit omnis terra:*Quid eſt à facie Domini,niſi à cognitione veritatis? Illa igitur terra tremuit, quæ Dominum cognoſcere meruit: eſt enim *initium ſapientiæ timor Domini.* Vnde & ſubditur.

Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius,& viderunt omnes populi gloriam eius. Ecce iterum cœli vocantur Apoſtoli, vt montibus ſublimiores eſſe credantur, Et iſti ſunt illi G cæli,qui prædicant,& narrant iuſtitiam, & gloriam Dei; Gloriam videlicet reſurrectionis & aſcenſionis, quam ſoli,& omnes illi populi vident, qui in Chriſtum credunt, & Chriſtianorum fidem recipiunt.

Confundantur omnes,qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Omni confuſione digni ſunt, qui poſt Apoſtolorum prædicationem,& tantã miraculorum virtutem, & oſtenſionem adhuc idola adorare non erubeſcunt, & in ſimulachris gloriantur.

Adorate eum omnes Angeli eius. Poſſumus per Angelos, qui Saluatorẽ noſtrum adorare iubentur,non ſolum virtutes Angelicas, ſed Apoſtolos quoq; & Doctores intelligere,quoniam Angeli nuncij,interpretantur. *Audiuit,& lætata eſt Sion,*Ipſum,inquit adorate,quem audiuit,& lætata eſt Sion. Hoc eſt enim quod ſuperius ait. *Exultet terra, & lætẽtur inſulæ multæ.* Idem igitur per Sion,& per terram,& inſulas ſignificatur. De quibus adhuc ſubditur. *Et exultauerunt filiæ Iudæ,propter iudicia tua Domine,* Filiæ Iudæ ſingulæ Eccleſię: vel ciuitates intelliguntur. Quæ H inde lætantur, quia iudicia Dei vera eſſe cognoſcunt, in quibus ſe de inimicis ſuis vindicandas eſſe non dubitant.

Quoniam tu es Dominus altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus ſuper omnes Deos. Omnes inquit,te adorare debent, quoniam tu ſolus es Dominus omnium, & tu ſolus es altiſſimus ſuper omnem terram, cui omnis creatura ſubiecta eſt,ſecundum illud: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Nimis autem ſuper omnes Deos exaltatus eſt Dominus,quia non ſolum dæmonia, ſed ipſi quoque Angeli omnes ei ſubiecti ſunt.

Qui diligitis Dominum odite malum. Nihil aliud odiendum eſt, niſi malum, quia & Deus noſter omnem ſuam diligit creaturam, & ſolum malum odio habet. Qui igitur diligit Deum, diligit omnem creaturam Dei,malum autem non diligat,quia non eſt malum creatura Dei. Sunt igitur, & mali homines diligendi, ſed vitia, quæ in eis ſunt, quia mala ſunt; diligenda non ſunt. *Cuſtodit Dominus animam ſeruorum ſuorum,& de manu peccatoris liberauit eos.* Odite inquit,malum, & ne timeatis hominem

malum; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia animam non poſſunt occidere.* Et hoc eſt quod dicit. *Cuſtodit Dominus animas ſeruorum ſuorum, de manu peccatoris liberauit eos.* Non enim in anima, ſed in ſolo corpore habent poteſtatem. Vnde & alibi dicit: *Dominus cuſtodit te ab omni malo.* Et ne fortè de corporis afflictionibus hoc intelligeres, ſubdidit dicens. *Cuſtodiat animam tuam Dominus.*

Lux orta eſt iuſto & rectis corde lætitia. Hæc, inquit, lux, de qua hucvſque locuti ſumus. Hic Deus noſter, qui eſt altiſſimus ſuper omnem terram: & hæc lætitia, de qua Sion lætata eſt, & exultauerunt filiæ Iudæ. Non omnibus orta eſt, quia non ab omnibus recepta eſt. Hæc enim lux in propria venit, & ſui eam non receperunt. Quibus igitur orta eſt? Iuſtis, & rectis corde, per quos Chriſtianorum populos intelligimus. Vnde & bene ſubditur: *Lætamini iuſti in Domino.* Quoniam vobis natus eſt Dominus. *Et confitemini memoriæ ſanctitatis eius,* quia non eſt oblitus promiſſionis ſuæ, ſed quæcunque per legem, & prophetas promiſerat, veniens, & carnem ſuſcipiens adimpleuit.

PSALMVS IPSI DAVID.

QVid ſignificet, Ipſi Dauid, ſatis manifeſtum eſt. Hoc in iſtis pſalmis ſignificat, ipſi Dauid, quod in prioribus ſignificat. *In finem.*

Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit Dominus. Hoc Iudæi non intelligunt, & ideo in vetuſtate litteræ permanentes, ſe ipſos occidunt. Hoc enim & Apoſtolus dicit. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat. Finis legis Chriſtus eſt quia.* In ipſo littera finita eſt. & poſt ipſum ſecundum litteram legem intelligere: magnum peccatum eſt. Nos igitur cantemus Domino canticum nouum canticum natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis. Hæc ſunt enim mirabilia quæ Dominus hic feciſſe dicitur. Quid mirabilius Chriſti natiuitate? Quid mirabilius eius reſurrectione, & aſcenſione? Et quid mirabilius eius paſſione? in qua ipſa ipſius dextera eam ſaluauit, & moriendo omnes ſuos inimicos ſuperauit? Et hoc eſt quod dicit.

Saluauit eum dextera eius, & brachium ſanctum eius. Non neceſſe habuit aliunde auxilium quærere, ſufficiebat ſibi dextera ſua, & fortitudo brachij ſui. Mors Chriſti, voluntatis fuit, non imbecillitatis. Mortuus eſt, quia voluit, qui ſi noluiſſet, nunquam occidi potuiſſet. Hinc autem narrare incipit, quomodo hæc mirabilia facta fuerunt & dicit, Deum Patrem hoc feciſſe, qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus eum, & incarnari, & mori conſtituit. Et hoc eſt quod ait.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Salutare Dei Chriſtus eſt, qui de Virgine natus, in multis argumentis notiſſimus nobis factus eſt. Vnde Apoſtolus dicit. *Nihil me iudicaui ſcire inter vos, vt ſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum.* Inde; & Beatus Apoſtolus ait: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Quod autem ait. *Ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam,* vel eundem ipſum intelligere debemus: vel Euangelicam prædicationem, quæ & per ipſum & per diſcipulos ſuos vbique gentium manifeſtata. Vnde Apoſtolus ait: *Non enim erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt ad iuſtitiam omni credenti.*

Memor fuit miſericordiæ ſuæ Iacob, & veritatis ſuæ domus Iſraël. Si dicatur, quod Iacob fuerit memor miſericordiæ Dei & domus Iſraël veritatis eius, planum eſt, ſed multum ab alia tranſlatione differt. Alia enim tranſlatio hoc ſignificat. Quod Deus memor fuit miſericordiæ ſuæ, quam promiſit Iacob, & veritatis ſuæ, quam promiſit domui Iſraël. Vt igitur vtraque tranſlatio conueniat, ſic dicatur. Memor fuit miſericordiæ ſuæ, quam promiſit filiis Iacob, & veritatis ſuæ, ſicut promiſit filiis domus Iſraël, Iacob, & Iſraël idem ſignificat, per quem populum Chriſtianum intelligimus, qui & vitia ſupplantat, & mentis intuitu Deum videt. Poteſt tamen in hac vita Iacob, & in alia Iſraël rectè vocari. Iſte autem memor fuit ſemper, & erit, miſericordiæ & veritatis Dei. Deus quoque illius non immemor fuit, ſed quod promiſit fideliter adimpleuit.

Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Hoc eſt autem quod alibi dicitur. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Videre autem cognoſcere eſt. In iudicio tamen etiam corporeis oculis, & boni & mali eum videbunt. Vnde ſcriptum eſt. *Quia videbit omnis caro ſalutare Dei. Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite.* Magni gaudij hæc verba indicatiua ſunt, quia & iubilare, & cantare, & exaltare, & pſallere, nihil aliud, quam gaudium, & lætitiam ſignificare videntur: Iubilatio tamen intus, cætera vero exterius fiunt. Quomodo autem pſallere debeatis, attendite.

Pſallite Deo noſtro in cithara, & cithara. Duas citharas poſuit, quarum alteram noui teſtamenti, alteram veteris eſſe puto. Vult igitur, vt ſancti prædicatores vtriuſque teſtamenti auctoritate confirment, & prædicent myſterium Trinitatis. Sæpe enim iam diximus, quia tres, vel quatuor chordæ in Eccleſia ſufficiunt, quod quid ſignificet, iam ſæpe dictum eſt. In voce vero pſalmi, quia die noctuque tota vbique Eccleſia concrepat, quid aliam quæramus expoſitionem. *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ, Iubilate in conſpectu Regis Domini.* Et corneas & argenteas tubas habebant Iudæi, quibus populum nunc ad prælia concitabant, nunc vero ad caſtra redire, & quieſcere ſuadebant. Per has autem, ſanctorum ſermones longos, & extenſos, lucidos, & claros intelligere poſſumus quibus populum Dei docent, & prædicant, & in conſpectu Regis ſui Domino iubilant. Valde honeſtè, ſuauiter, & ſapienter eos iubilare oportet, qui in conſpectu tanti Regis Domino iubilant: nihil eſt enim; quod in conſpectu eius non ſit, omnia videt, & nihil ſe ſibi abſcondere valet.

Moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo. Nihil fuit quod adhunc ſonitu tam clarum & magnificum tubarum, & citharatum non moueretur, aliis contradicentibus, aliis Deum laudantibus, & benedicentibus.

Flumina plaudent manibus in idipſum. Non poſſent flumina manibus plaudere, niſi flumina populos deſignarent. Sed ſicut ſcriptum eſt, aquæ multæ populi multi. Plaudunt igitur flumina manibus in idipſum, quia vna, & conſona voce multi populi in Dei laudibus perſeuerant. *Montes exultauerunt ante faciem Domini.* Hoc autem iam in aliis pſalmis expoſitum eſt, & quod montes, Apoſtolos ſignificent, ſæpe dictum eſt. Qui inde exultare dicuntur, quoniam Dominus, & venit, & venturus eſt, primum quidem redimere ſecundum vero iudicare terram. Quomodo iudicaturus ſit ſequentia manifeſtabunt.

Iudicabit orbem terræ in iuſtitia, & populos in æquitate. Hoc eſt enim quod alibi dicitur. Quia reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

PSALMVS DAVID.

QVid ſignificet, Pſalmus Dauid, quam multoties dictum eſt, non indiget expoſitione.

Dominus regnauit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubin moueatur terra.

Dixi ſemel, dixi iterum, nunc autem tertio dico. Dominus regnauit. Et ideo dixi, vt populi iraſcantur & confundantur, quia velint nolint, Dominus regnauit. Iraſcantur, & boni populi aduerſus eos, qui vſque nunc eos affligebant, & captiuos detinebant, audiunt Apoſtolum dicentem. *Iam non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Neque decet, vt regnante Domino alium ſuper ſe regnare patiantur. Sed quis Dominus regnauit? Ille vtique qui ſedet ſuper Cherubin. Interpretur autem Cherubin ſcientiæ plenitudo, per quos Apoſtolos intelligere poſſumus,

A poſſumus, quos Spiritus ſanctus totius ſcientiæ plenitudine repleuit. Ad laudem vero Saluatoris noſtri pertinet ſiue ſuper iſtos, ſiue ſuper illos alios Cherubin ſedere dicatur. Nam & iſti, & illi, & omnis creatura ſibi ſubiecta eſt, & ſuper omnes ordines Angelorum, & hominum ipſe ſedet, & imperium tenet. Quod autem nunc dicitur. Mouetur terra, hoc eſt quod ſupra dixit, iraſcantur populi.

Dominus in Sion magnus, & excelſus ſuper omnes populos. Hic inquit, Dominus noſter qui à tempore ſuæ paſſionis regnare cœpit, in cœlo, & in terra, & ſuper Angelos, & ſuper omnes homines, maior, & ſublimior eſt. Sed ſi vis ſcire, quam magnus eſt Dominus, vade ad Sion perge ad Eccleſiam, & ibi cognoſcere poteris, quam magnus eſt Dominus. Ibi enim eius magnitudo, eius virtus, & fortitudo, eius honor, & gloria, ſine intermiſſione ab omnibus prædicatur. Vnde & ſubditur.

B *Confiteantur nomini tuo magno, & terribili, quoniam ſanctum eſt.* Magnum quidem eſt nomen Chriſti, & terribile & ſanctum, ad cuius inuocationem mortui ſuſcitantur, dæmonia fugantur, leproſi mundantur, & omnes languores, & infirmitates ſanantur, quod nimirum ſemper, & laudare, & prædicare debemus. Et hoc quare? Quia honor regis iudicium diligit honor autem Regis, laus & prædicatio eſt. Qui igitur Regem (ſic enim interpretatur Chriſtus) Sincero affectu in hac vita laudant, & prædicant, illi in iudicio non timebunt: non enim diligerent ſi timerent. Sed quia dictum eſt, quia honor Regis iudicium diligit. Confeſſio igitur facit, vt iudicium non timeamus, ſed potius diligamus.

Tu paraſti æquitatem iudicium; & iuſtitiam in Iacob tu feciſti. Tu inquit, paraſti, & feciſti tale iudicium tuum, vt non ſolum æquum verum etiam, ipſa æquitas iure dici debeat. Quis igitur non diligat iudicium tuum, ſi tamen honorauit nomen tuum? Timeant illi, qui tibi
C contrarij fuerunt, & nomen tuum blaſphemauerunt. Et iuſtitiam in Iacob tu feciſti. Si de carnali Iacob intelligamus, qui Chriſti nomen ſanctum, & terribile quotidie blaſphemare non ceſſat, iam ex parte in eum iuſtitia facta eſt, quia vbique gentium diſperſus eſt.

Exaltate Dominum Deum noſtrum. Exaltate, inquit, laudate, prædicate, & honorate eum, quia, vt modo diximus, honor Regis iudicium diligit, & quicumque eum dignè prædicant, & honorant, in iudicio mercedem, & honorem ſuſcipient. *Et adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Saluator noſter, & Deus, & homo eſt. Omnis autem homo, terra eſt: Terra vero ſcabellum Dei eſt, ſic enim ipſe Dominus ait: *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Debemus igitur adorare ſcabellum pedum eius, ideſt, ſaluatoris noſtri humanitatem, quoniam ſancta eſt, ſicut ad virginem Angelus ait. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Ipſe eſt enim,
D quem adorauit Abraham, qui cum ſtaret ad ilicem. Mambre, vidit tres viros venientes ad ſe; & vnum adorauit. Ipſe eſt cui Moyſes, & Aaron ſeruierunt, & cuius nomen inuocauerunt. Vnde ſubditur.

Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuël inter eos, qui inuocant nomen eius. Moyſes, & Samuël, quantum ad litteram, ſacerdotes non fuerunt, tales tamen regale ſacerdotium vocantur gens ſancta, & populus acquiſitionis. Sunt igitur ſacerdotes etſi ſacerdotis officio non fungantur, quicunque ſacerdotalem, & religioſam vitam agunt.

Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos, & in columna nubis loquebatur ad eos. Iſti, inquit, & cæteri omnes, hunc Regem, & Saluatorem noſtrum, & non alium, inuocabant, & ipſe, & non alius exaudiebat eos. Et in columna nubis loquebatur ad eos: Tunc loquebatur in columna nubis, quia poſtea locuturus erat in columna carnis: prius nube, poſtea carne inuolutus, audiri quidem potuit, ſed videri non potuit. Miſeri Iudæi, ſola hæc vobis ſufficere poſſent, niſi littera vos deciperet, & occideret: adhuc vobis nubes oppoſita

E eſt, ne eum videre valeatis. Cæcitas enim ex parte contigit in Iſraël, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Cuſtodiebant teſtimonia eius, & præcepta eius, quæ dederat illis. Ipſe eſt igitur, qui legem dedit, ipſe eſt, qui tabulas ſcripſit, vt vnus atque idem vtriuſque teſtamenti auctor, & Dominus, & legiſlator eſſe credatur: Dominus Deus noſter, qui homo factus es, qui de virgine natus es, qui crucifixus es, qui à mortuis reſurrexiſti, cœlos aſcendiſti, & ſcabellum fieri voluiſti, tu & non alius, exaudiebas eos. Deus tu propitius fuiſti illis. Quis omnes illas propitiationes enumerare valeat, quas illi populo Dominus fecit? Vindicauit tamen peccata illorum Dominus in hac vita ne eos perderet in alia vita. Et hoc eſt quod ait. *Et vindicans omnia ſtudia eorum.* Tunc itaque maximè illis propitius erat, quando de eorum præuaricationibus vindictam ſumebat.

F *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius, quoniam ſanctus eſt Dominus Deus noſter.* Audiſtis quaſi dicat, quis qualis, quantus eſt Dominus Deus noſter, vos eum exaltate, vos eum adorate, qui in monte ſancto eius eſtis, qui eum cognoſcitis, & in Eccleſia habitatis. Quoniam ſanctus eſt Dominus Deus noſter, qui propter nos, & propter peccata noſtra, inter iniquos reputari voluit.

PSALMVS IN CONFESSIONE.

TOtus iſte pſalmus ad lætitiam pertinet, & nihil niſi læta, & iucunda ſonare videtur. Vnde in confeſſione, in hymnis ſemper, & laudibus, & gratiarum actione cantari debet.

Iubilatè Deo omnis terra. Sæpe iam diximus, quia Iubilatio, ineffabile gaudium eſt, quod de ſupernæ felicitatis contemplatione, in mente habetur. Vult igitur Propheta, vt omnis terra Domino iubilet, & poſtpoſitis omnibus,
G quæ in mundo ſunt, ſolius Dei amore, & deſiderio teneatur. Seruite Domino in lætitia: Multi ſeruiunt Deo, ſed non in lætitia, quia non ſponte, ſed coacti hoc faciunt. Seruire autẽ in lætitia docet nos Apoſtolus vbi ait *Gaudete in Domino ſemper, iterũ dico gaudete modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus prope eſt.* Similiter autem & Propheta Eccleſiam hortatur dicens: *Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis, quam eius, quæ habet virum.*

Intrate in conſpectu eius in exultatione. Si enim omnia quæcunque ſunt, in conſpectu eius ſunt, & nihil ſe ab eius oculis abſcondere poteſt, vbi erant iſti, qui in conſpectu eius intrare iubentur? Secundum quendã modum, & ſunt, & non ſunt in cõſpectu eius non ſunt illi, de quibus Dominus dicturus eſt: *Amen dico vobis neſcio vos*, illi autem ſunt in cõſpectu eius qui digni ſunt viſionis illius. Intrare itaque in conſpectu eius, nihil aliud eſt, niſi ita hominem ſe præparare, ſuper quem Dominus reſpicere dignetur.
H Omnia autem in exultatione, in gaudio & lætitia ſpirituali fieri debent. *Scitote, quod Dominus ipſe eſt Deus.* Et vnde hoc probas? Quia ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Solus igitur ille eſt Deus, qui omnia fecit: non autem illi, qui ab hominibus facti ſunt. De quibus ſcriptum eſt.

Simulacra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Neque tu feciſti filium tuum, neque te fecit pater tuus, ſed ſolus Deus fecit nos, & non ipſi fecimus nos, quid ergo ſumus nos.

Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Ipſe inquit, eſt Deus, & Dominus, & creator noſter, nos autem populus eius ſumus, ab ipſo creati, & facti, & de poteſtate diabolica liberati. Sumus autem & oues paſcuæ eius, quicumque audimus vocem eius. Sic enim ipſe ait: *Oues meæ vocem meam audiunt & ego Dominus cognoſco eas.* Hæc eſt illa paſcua, de qua alibi ait. *In loco paſcuæ ibi me collocauit*, per quam vtriuſque teſtamenti volumina ſignificantur. *Intrate portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis confeſſionum.* De portis cœleſtis Ieruſalem dicere videtur, quoniam eos inuitat, qui in Eccleſia ſunt. Et quoniam iſtas iam intrauimus, vt illas quoque intremus, hortatur.

A in illas autem niſi in hymnis, & confeſſionibus, intrare non poſſumus. Primum itaque neceſſe eſt, vt peccata noſtra confiteamur, & ſic in hymnis confeſſionum ad eius atria perueniamus. Vnde ſcriptum eſt. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem*, vt ſaluemini. Et quoniam non eſt precioſa laus in ore peccatoris, peccatorum confeſſio illam confeſſionem præcedere debet, quæ ad laudem pertinet, & iubilationem. Et altera quidem confeſſio, & hic, & ibi erit, altera vero ibi non erit, nullus enim ibi peccatum confitebitur, vbi peccatum nullum erit.

Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius, & vſque in ſæculum ſæculi veritas eius. Iſta laus nullum finem habebit, quia & in Eccleſia quanto tempore hic erit, poſtea in cœleſti Ieruſalem de ſuauitate ſua de miſericordia & veritate ſua, in æternum, & in ſæculum ſæculi laudabitur Dominus.
B Vnum enim idemque eſt, & laudare Dominum, & laudare nomen Domini.

PSALMVS IPSI DAVID.

QVando dicitur ipſi Dauid de Saluatore noſtro intelligi debet, cui in hoc pſalmo Eccleſia loquitur, & de miſericordia & veritate eum laudat.

Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Quinquageſimus pſalmus totus miſericordiæ plenus eſt, iſte autem qui centeſimus eſt iudicium exaltat, & in matutino omnes peccatores interficiendos eſſe dicit. Merito igitur Eccleſia, & de miſericordia eum laudat, atque ei iudicium prædicat, in quo peccatores puniendos eſſe cognoſcit. *Pſallam: & intelligam in via immaculata, quando venies ad me: Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.* Et iſti quidem bene pſallunt, quia & voce & opere pſallunt, ſiquidem ambulando pſallunt. Et quod maius eſt, ſic ſe pſallere dicunt, vt intelligant,
C quando Dominus veniet ad eos. Illi enim, qui dormiunt, non poſſunt cognoſcere, & intelligere, quãdo ad eos Dominus veniat. Qui vero vigilant, & ſolliciti ſunt, quaſi incauti præueniri non poſſunt. Hinc eſt enim, quod Dominus ait. *Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit:* Ideo enim vigilare debent, vt iudicem venientem à longe videant, & cognoſcant: Et hoc eſt quod modo dicit Eccleſia Pſallam, & ita Pſallam, vt intelligam & cognoſcam, quando venies ad me.

Non dormitabo neque dormiam, ſed vigilabo, cantabo, & ſollicita ero, vt te adhuc de longe venientem ſentiam & aſpiciam. Hinc autem vitam ſuam, & conuerſationem ſuam in hoc mundo Eccleſia narrat, quatenus eius exemplo inſtruamur, qualiter nos quoque viuere debeamus. Perambulabam, inquit, mandatorum tuorum ſemitam currendo, & cuſtodiendo. De qua videlicet ſemita Apoſtolus ait. *Bonum certamen certaui curſum conſummaui fidem ſeruaui.* Sed quomodo ambulabam? In
D innocentia cordis mei. Si innocentia fuerit in corde, non erit malitia in opere. Ex corde enim exeunt, dicit Dominus *Cogitationes malæ, homicidia, periuria, furta, falſa teſtimonia, & cætera, quæ coinquinant hominem.* Vbi autem ambulauerit audiamus. *In medio Domus tuæ,* Domus Dei, vel totus Chriſtianorum populus: vel mundus iſte intelligi poteſt. Eccleſia vero, quæ hic loquitur, perfectiores quique intelligi debent. Hæc autem ambulat in innocentia cordis ſui in medio domus Dei, quia & bonis, & malis, & fidelibus, & infidelibus bonum exemplum tribuit ſuæ ſanctæ, & honeſtæ conuerſationis. Vnde & Dominus ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

Non proponebam ante oculos meos rem malam. Si propoſuiſſet vtique, vel ipſa faceret, vel facientibus conſentiret. Sed hoc ipſa non fecit quid igitur fecit? Facientes, inquit, *præuaricationes odiui.* Et non adhæſit mihi cor prauum. Præuaricatores ſunt, qui legem ſibi impoſitam tranſeunt. Nobis autem hæc lex impoſita eſt, declinare à malo, & facere bonum. Sed quis eſt, qui in hoc mandato aliquando non offendat? Facientes igitur præuaricationes eos intelligimus, qui nunquam ad pœnitentiam redeunt, ſed omni tempore in malo opere perſeuerant Tales autem odio digni ſunt, quia iam apud Deum damnati ſunt. Et iſti quidem cor prauum habent, cor peruerſum & indomabile, quod ſic in malitia induratum eſt, vt verba vitæ recipere nequeat. E

Declinantes à me malignos non cognoſcebam. Maligni namque ſunt, quicumque ab Eccleſia declinant, & qui eius verba ſalutifera recipere fugiunt. Hos autem non cognoſcit Eccleſia, ſed quaſi infideles, & penitus alienos, & extraneos habet, neque diuina Sacramenta cum eis participat. *Detrahentem aduerſus proximum ſuum occulte hunc perſequebar.* Magnum peccatum eſt detractio pro quo eccleſia tantum commouetur, vt ipſis detractoribus faciat perſecutionem. Eccleſiæ autem perſecutio, F
Interdictis, & Excommunicationibus fit. Qui vero occulte detrahunt, non ſine odio ſunt, & tales quidem homicidis annumerantur. Proximus autem noſter omnis Chriſtianus intelligitur, quia & frater noſter eſt, & eiuſdem patris filius. Detrahere autem eſt, de alicuius propria bonitate, aliquid diminuere velle.

Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc ſimul non edebam. Bene autem ſuperbos in oculo notauit, quia nuſquam ſic ſuperbia deprehendi poteſt ſicut in oculis & ſuperciliis eleuatis. Initium autem omnis peccati ſuperbia eſt. De qua alibi dicitur. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, ipſa enim eſt, quæ ipſos Angelos ruere fecit. In corde vero inſatiabili, auari deſignantur. Et videtur diffinitionem pro definito poſuiſſe. Auarus enim eſt, qui corde inſatiabilis eſt, Præcepit autem poſtolus cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Tales igitur à Chriſti corpore iuſtiſſime ſeparantur.

Oculi mei ſuper fideles terræ, vt ſedeant hi mecum. Illos, quaſi dicat à me repellebam, & ſeparabam. Fideles vero miſericorditer reſpiciebam, mihique ſociabam. Fideles autem, terræ, illi ſunt, quicunque in Eccleſia fidem Catholicam tenent, & fideliter Domino ſeruiunt. G
Tales igitur vult Eccleſia, vt ſedeant, ſecum habitent, & iudicent ſecum. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Miniſtri Eccleſiæ Epiſcopi ſunt, & ſacerdotes. Ipſe quoque Dominus ſe miniſtrum eſſe oſtendens ait. *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Tales ergo ad miniſtrandum elegit Eccleſia, qui immaculati, & ſine crimine ſunt. Vnde & vaſa altaris de auro puriſſimo eſſe iubentur, & nullum aliud vas miniſtrat altari, niſi illa, quæ ſunt de auro puriſſimo.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam. In nomine ſuperbiæ, omnia vitia, & peccata continentur. Sed hoc de illa ſuperbia intelligitur, quæ ad tantam contumaciam peruenit, vt penitus ſe humiliare, & ad pœnitentiam redire contemnat. Hæc autem malignorum ſpirituum propria eſt. Vnde & Apoſtolus dicit: *Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.* H
Hoc autem ſpecialiter de hæreticis dicere videtur, qui neque ſeipſos, neque alios ad Eccleſiam dirigunt, ſed quoſcunque poſſunt, ab ea diuertunt.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Ideo Eccleſia, vt ſuperius oſtenſum eſt, præuaricatores ſuperbos, auaros, malignos detractores, & fallaces à ſe repellebat, eorumque conſortia fugiebat, quia omnes tales iam apud Deum condemnatos eſſe; videbat. Vnde etiam omnes peccatores ſe in matutino interfeciſſe dicit, quia eos in iudicio damnandos, & interficiendos eſſe iudicauit. Sic igitur ſua ſententia iam Eccleſia damnauit & interfecit omnes illos, quos in iudicio damnandos eſſe cognouit. Iſte modus locutionis in diuina pagina ſæpe inuenitur. Vnde & Moyſes de leproſis, ſcribens præcipit ſacerdoti, vt recludat eos ſeptem diebus, & ſi viderit lepram creuiſſe contaminabit eos. Quid eſt, contaminabit eos, niſi contaminatos eſſe iudicabit? Matutinum autem vocatur, dies ille, quia huius ſæculi finis, & alterius initium erit. Hoc, inquit Eccleſia, ideo facie-

bam,

bam, vt diſperdam de ciuitate Domini, id eſt, de cœleſti Ieruſalem, omnes qui operantur iniquitatem, per quos eos intelligimus, qui in malitia perſeuerant. Quid eſt autem, vt diſperdam, niſi vt diſperdendos eſſe oſtendam.

ORATIO PAVPERIS CVM ANXIATVS fuerit, & coram Domino effuderit precem ſuam.

HIc titulus planus eſt, neque indiget expoſitione. Omnis autem homo in eo pauper eſt, in quo alieno eget auxilio. Eſt igitur hæc oratio omnium illorum, qui in ſuis neceſſitatibus Diuinum auxilium implorant.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perueniat. Ne auertas faciem tuam à me, in quacumque die tribulor inclina ad me aurē tuam, in quacunque die innocauero te velociter exaudi me. Pauperes iſti, qui hic loquuntur, illi ſunt, qui ſua ſponte pauperes ſunt, & qui relićtis omnibus ſecuti ſunt Dominum. De quibus Apoſtolus ait. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Quanta autem inſtantia, quo mentis affećtu, qua animi deuotione Deum orare debeamus, ipſi nos docent, dum eadem iterantes, & replicantes, vnum idemque toties dicunt. Tale enim eſſe videtur quando iterum iterumque & multoties dicimus *Kyrie eleyſon*, Orationes autem non tantum compoſitione, quantum mentis affećtu domino placent.

Quia defecerunt, ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt. Immortales fačti ſumus, ſed propter peccatum primi hominis ad tantam dierum breuitatem deuenimus, vt dies noſtri non immerito fumo comparentur, quoniam lacrymis, & caligine omnique amaritudine pleni cito deficiunt. Et oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt, Hoc enim & ſecundum litteram plerumque ſanćtis contingit, quia, & ſpontanea afflićtione, & calamitate aliunde ſuperueniente, ſupra modū exuruntur, & cruciantur. Poſſumus autem per oſſa Eccleſiæ, ipſos Apoſtolos cæteroſq. fortiores intelligere, qui nō minores cruciatus paſſi ſunt, quā ſi in frixorio cōfrixi fuiſſent.

Percuſſus ſum ſicut fœnum, & aruit cor meum. Vere fœnum eſt populus, *ſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Omnes homines quaſi fœnum percutiuntur, & percuſſi moriuntur, & mox omni viriditate, omni flore, & lætitia deſtituti deficiunt, & areſcunt & in puluerem puluis conuertitur. Cum enim ipſum cor, in quo tota vita erat, areſcere dicat, ſatis aliorum membrorum miſeriam innoteſcit. Hoc autem cur ſibi contingat audiamus.

Quia oblitus ſum, inquit, *comedere panem meum.* Adhuc omnes homines primi parentis exempla ſequuntur, qui, cum omnibus deliciis abundaret, illius panis, qui ſibi ad edendum fuerat conceſſus oblitus, ad lignum vetitum acceſſit, & cibum ſibi interdićtum comedit, ſic & nos, ea quæ nobis interdićta, ſunt libentius audimus, & agimus, quam ea quibus animæ viuunt, & ſine quibus viuere nequeunt. Tunc enim panem ſuum anima comedit, quando ea facit; quibus, ad vitam ducatur æternam.

A voce gemitus mei adhæſerunt oſſa mea carni meæ. Quid enim homo ſic percuſſus, & vulneratus, niſi dolere, & gemere potuit? A voce autem tanti gemitus, & oſſa, & caro ſibi coniunćta ſunt, quia communem dolorem vtraque ſenſerunt Quid enim oſſa Eccleſiæ, niſi fortiores quoſque ſignificant? Caro vero, molliores, & imperfećtiores deſignat. Omnes ergo & perfećti, & imperfećti in hoc ſibi coniunćti ſunt, quia in carnis paſſionibus in gemitu, & dolore, & in ipſa morte non differunt, ac per hoc alij pelicano, alij nićticoraci, alij vero paſſeri ſimiles ſunt, vt vel ſic tantæ ſuæ infirmari ſuccurrere poſſint. Et hoc eſt quod ait.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, & factus ſum ſicut nićticorax in domicilio, vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer vnicus in ædificio. Helias, & Ioannes Baptiſta, Antonius, & Hilarion, & Beatus Benedićtus ſint nobis in exēplum, qui ad pelicani ſimilitudinem hominum conuerſationem fugientes, ſolitariam vitam elegerunt. Pelicanus auis quædam eſt ad ciconiæ quantitatem, quæ ſolitudine nimium delećtata, tantam ibi penuriam patitur, vt vix oſſibus hæreat. Tales igitur fuerunt iſti viri religioſi, de quibus modo diximus, quos tanta millia hominum vſque hodie imitantur vt, muri cœleſtis Ieruſalem ex his maxime cōſtrui videantur. De talibus autem Ieremias loquitur dicens. *Bonum erit homini cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit.* Poteſt autem homo etiam in ciuitate ſolitarius eſſe, ſi non implicat ſe negotiis ſæcularib⁹ & vigiliis ieiuniis, lećtionibus & orationibus vacat. Nićticorax vero, quæ & noćtua vocatur, ſatis nobis nota eſt, quæ non in die ſed in noćte apparet, totamque noćtem cantu qualicunque, & vigiliis agit. Huic autem vir iuſtus aſſimilatur, qui fačtus velut nićticorax in domicilio, ſui videlicet corporis ſublimitate ſe vigilaſſe dicit. Et tale eſt, ac ſi diceret: *Factus ſum veluti nićticorax in domicilio* in eo videlicet quia vigilaui. Solæ igitur vigiliæ hanc inter eos ſimilitudinem faciunt, illius quidem vigiliæ ſunt in ſupercilio domorum, huius vero vigiliæ ſunt in ſupercilio oculorum. De talibus autem vigiliis Dominus ait: *Vigilate quia neſcitis diem neque horam.* Itemque. *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.* Et Apoſtolus *Vigilate*, inquit, *& orate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini in Domino: omnia veſtra in charitate fiant.* Bene igitur vigilat, qui in bono opere perſeuerat. Vtinam omnes ſic vigilemus; & ſic noćtuis ſimiles ſimus, vt in huius vitæ noćte caligoſa non dormiamus, ſed bonis operibus inſiſtamus. *Et factus ſum ſicut paſſer vnicus in ædificio*, Ad magnam humilitatem ſpećtat, quod ſe paſſeri comparare voluit. Paſſer enim, & corpore, & pretio, parua auis eſt, ſicut in Euangelio Dominus ait. *Nonne duo paſſeres veneunt dipondio, & vnus ex ipſis non cadit ſuper terram ſine patre veſtro.* Legerat iſte, qui tantum ſe humiliat, quia *omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Deponit enim Domin⁹ potentes de ſede, & exaltat humiles. Et non tantum paſſerem ſe eſſe dicit, ſed vnicum quoque, & ſingularem, cui familia nulla ſit, diuitiæ nullæ, & qui cibo egeat quotidiano Eſt autem in ædificio, qui ab Eccleſia non ſeparatur. Aliter autem hæc expoſita ſunt in illa expoſitione, quam ſuper aliam pſalmorum tranſlationem feci, quæ qui audire voluerit, ibi legere, & cognoſcere poterit.

Tota die exprobrabant me inimici mei, & qui me laudabant, aduerſus me iurabant.

Semper viri Sanćti inimicos, & aduerſarios habent, nunquam, deſunt, qui eis detrahant, qui eis inſidientur, & de eis male loquantur. Et plerumque fit, vt qui prius eos laudauerant, poſtea inuidia dućti contra eos conſpirantes, eos perſequantur. Hoc enim ipſi Saluatori noſtro, hoc & Apoſtolis accidiſſe legimus. Neque nobis deeſſent exempla, ſi plura ponere placuiſſet.

Quia cinerem ſicut panē manducabam, & potum meum cum fletu temperabam.

Ideo, inquit, exprobrabant me inimici mei, mihique detrahebant, quia omnes ſuſcipiebam, & ipſos idolatras ad pœnitentiam conuerſos, mihi aſſociabam. Quod enim intereſt inter cinerem, & panem, hoc intereſt inter peccatores, & ſanćtos. Tunc enim Beatus Petrus Apoſtolus cinerem ſicut panem manducare iuſſus eſt, quando linteum immūdis animalibus plenum ſibi oſtenſum eſt, atque deſuper Dominum dicentem audiuit: Mačta, & manduca. Potum autem cum fletu temperabant, quia tales homines lugentes, & flentes ſibi in conuiuio ſociabant. Hinc eſt enim, quod Saluatori noſtro Iudæi detrahentes dicebant. *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit magiſter veſter?* Hinc eſt, quod Phariſæi pro Zachæo murmurabāt, quod ad hominem peccatorem diuertiſſet. Similiter autem & ille, qui dicebat. *Hic ſi eſſet propheta, ſciret, vtique qualis eſſet hæc mulier, quæ tangit eum quia peccatrix eſt.*

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me. Propter iram tuam, quaſi dicat, & indignationem tuam, omnia, quæ ſuperius dićta ſunt, mihi accidiſſe non dubito.

A to. Quia in ipſo primordio meæ creationis multum me exaltans,& eleuans,& ad tui imaginem,& ſimilitudinem me formans, propter inobedientiam meam merito alliſiſti me,& de immortali, mortis legibus me ſubdidiſti qui ita à te creatus fueram, vt niſi pecaſſem, neque mortem, neque carnis miſerias,& paſſiones aliquando ſenſiſſem.

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt,& ego ſicut fænum arui. Ab eo,inquit, tempore ex quo eleuans alliſiſti me, dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ſub omni celeritate tranſierant, & ego ſicut fænum,viriditate, & floris pulchritudine amiſſa exarui,& factus de puluere, in puluerem redij. Tranſeunt præterea dies noſtri ſicut vmbra, ſi opera noſtra veritatis tantum ſimilitudinem imitentur, & non ipſam teneant veritatem.

Tu autem Domine in æternum permanes,& memoriale tuum in ſæculum ſæculi. Dies,inquit,noſtri cito deficiunt, ſed tu Domine manes in æternum,in quo viuunt,& permanent omnia etiamſi defeciſſe videantur. In te igitur firma eſt ſpes noſtra,vt non ex toto deficiamus, quamuis B deficere videamur. Manet itaque memoriale tuum in ſæculum ſæculi, quia memoria tui nũquam deficiet in ſanctis tui.

Tu exurgens miſereberis Sion, quia venit tempus miſerendi eius. Sion ipſa eſt,quæ hæc omnia loquitur Eccleſia Dei. Quotidie autem exurgit Dominus in adiutorium, & quotidie miſeretur Eccleſiæ ſuæ. *Quia venit tempus miſerendi eius* ex quo pro ea paſſus eſt Saluator eius, Vnde & Apoſtolus ait? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

Quia beneplacitum habuerunt ſerui tui lapides eius, & terra eius miſerebuntur. Iſti ſerui Apoſtoli ſunt,& cæteri, qui huius ciuitatis muros ædificant. Dignum eſt ergo,vt hanc ciuitatem Dominus diligat,eiuſque miſereatur,cuius muri ex tam precioſis lapidibus facti ſunt, vt ipſius eius opificibus placeant,non ſolum murorum lapides,ſed tota terra cum ſuis pertinentiis eis placere monſtrantur. Iſti ſunt illi lapides, de quibus dicitur. *Lapides viui voluuntur ſuper terram, per quos viri ſancti & Catholici* C *ſignificantur.*

Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Iſti enim ſunt illi lapides, de quibus illam ciuitatem conſtructam eſſe diximus. Vnde & ſubditur.

Quoniam ædificauit Dominus Sion:& videbitur in maieſtate ſua. Vnde ædificauit niſi ex lapidibus,quos ex gentibus collegerunt? Sed vbi videbitur in maieſtate ſua,niſi in hac Sion ciuitate ſua? Hic enim cognoſcitur Dominus, hic magnus, & excelſus ab omnibus prædicatur.

Et reſpexit in orationes pauperum,& non ſprenit preces eorum. Bene autem hic dicitur, quia reſpexit Dominus in orationes pauperum, quoniam pſalmus iſte titulatur, *Oratio pauperum.* Pauperes autem ſunt omnes ſancti,quia nullam ſpem habent in incerto diuitiarum, ſunt autem diuites diuitiis ſpiritualibus, quas nemo illis ſubripere valet.

Scribantur hæc, Et quare ſcribantur. *In generatione* D *altera.* Et hoc quare? *Et populus,qui creabitur, laudabit Dominum.* Si enim ſcripta non fuiſſent, ad nos vſque non veniſſent, ſed iam ex longo tempore oblita fuiſſent. Profuerunt igitur, quæ ſcripta ſunt, quia in ipſis & per ipſa laudatur,& prædicatur Dominus,in hac altera generatione, & in hoc altero populo, qui poſtea creatus, & baptizatus eſt.

Quoniam proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram proſpexit. Ad quid? *Vt audiret gemitus vinculatorum, & ſolueret filios interemptorum*; Digna cauſa,quare Dominum laudare debeamus, *quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo*, de illo eminentiſſimo ſecretario maieſtatis ſuæ,vt eorum gemitus audiret, eius nomine ligati in carcere tenebãtur,& eoſdem ipſos ſolueret,illorum videlicet filios, qui pro eo interempti ſunt. Et reuera dignum erat,vt tantorum parentum filij, eorum gratia ſoluerentur,qui ſi ſoluti non eſſent, quomodo nomen eius, & laus eius in Sion, & in Ieruſalem nunciari potuiſſet? Et hoc eſt quod ait.

E *Vt annunciëtur in Sion nomen Domini, & laus eius in Ieruſalem.* Sion eſt Ieruſalem,ſancta Eccleſia eſt, in qua ab iis, qui ſoluti ſunt,& de diaboli laqueis liberati ſunt, nomen Domini,& laus eius quotidie prædicatur.

In conueniendo populos in vnum, & regna, vt ſeruiant Domino, Tunc,quaſi dicat, nomen Domini, & laus eius inſtantius prædicanda eſt, quando multus populus conuenit in vnum ad verbum audiendum, & Domino ſeruiendum. Hinc igitur & nos admonendi ſumus, vt in magnis feſtiuitatibus quando multus populus ad Eccleſiam conuenit, Deum laudemus & eius magnalia prædicemus.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Legitur in Euangelio: Quia egreſſus de templo dixit Ieſus diſcipulis ſuis. *Videtis has ſtructuras & hos magnos lapides? Amen dico vobis,non remanebit lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.* Et cum ſederet in monte oliueti, reſponderunt ei diſcipuli eius. *Dic nobis, quando fient,& quod ſignum aduentus tui,* Hoc eſt igitur, F quod hæc ſequens Eccleſia iam in generatione altera loquitur de primitiua Eccleſia: Cum,inquit,Dominus eſſet in via virtutis ſuæ,& ſignis multis atque miraculis ſuam virtutem,& potentiam populis reuelaret, tunc reſpondit ei Eccleſia primitiua,cetus videlicet Apoſtolicus, *Paucitatem dierum meorum Domine nuncia mihi, & ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël*, ne celaueris nobis. Putabant enim in illis verbis Dominicis ſignificari mundi finem proximum affuturum. Vnde & Dominus ait: *Cum audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri, oportet enim primum hæc fieri ſed non ſtatim finis.*

Et ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in ſæculum ſæculi anni tui.

Hæc quoque vel dicere, vel cogitare tunc temporis Apoſtoli potuerunt,quamuis in Euangelio non inueniantur. Scribit enim multoties Propheta non minus cogitationes hominum,quam locutiones. Rogabant igitur,ſiue pro ſeipſis,ſiue pro ciuitate Ieruſalem,ſiue pro hoc mundo vniuerſo,vt non reuocarentur in dimidio dierum ſuo- G rum, quia nondum tantum vixerant, quantum ſe adhuc viuere ſperabant. Illi enim ſunt dies noſtri,quos non Diuina prouidentia,ſed nos ipſi nobis promittimus,& conſtituimus. Vnde eſt illud. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Dicat igitur. *Et ne reuoces me in dimidio dierum meorum:* quia in poteſtate tua eſt,quemcunque volueris terminum conſtituere: quoniam omnes anni tui ſunt,omneſque tuæ obediunt voluntati. Et hoc probat, quoniam omnes anni ſui ſunt, & terra, & cæli ſui ſunt,quia ipſe omnia fecit. Hoc eſt enim quod ait

Initio terram tu fundaſti Domine, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Siue dicatur. *In principio fecit Deus cælum, & terram,* ſiue dicatur. *In principio fecit Deus terram,& cælum,* nulla differentia eſt. Non enim quia prius dicitur, ideo prius, vel poſterius aliquid eſt. Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, *qui manet in æternum, creauit omnia ſimul.*

Ipſi peribunt tu autem permanebis, & omnes, vt veſtimentum veteraſcent, Sic enim in Euangelio Dominus ait. H *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Tranſibunt autem,quia de hac ſpecie,in qua modo ſunt,in aliam mutabuntur: Erit enim,ſicut ſcriptum eſt. *Cælum nouum,& terra noua*; & illi cæli, qui ſuperiores ſunt mutabuntur in melius.

Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Omnis, quaſi dicat, creatura, aliquo modo mutabilis eſt,& in eo quod mutabilis eſt, id quod fuerat quodammodo periiſſe videtur. Sed tu omnino immutabilis es, & ſemper idem ipſe es, nihilque aliud eſſe potes, niſi id quod es. *Et anni tui non deficient.* Non ergo fient illi anni ſolari circuitione, ſed alio quodam modo nondum nobis reuelato.

Filij ſeruorum tuorum inhabitabunt ibi. Vbi in illis cœlis in melius commutatis.

Et ſemen eorum in ſæculum ſæculi dirigetur: Semen & filij, idem ſignificant, per quos omnes illos intelligimus, qui ſanctos imitantur. Et iſti quidem ideo habitabunt

A ibi, quia quanto tempore in hac vita ſunt, per omnia ſæcula diriguntur: & ſemper in melius proficientes, & à via veritatis nunquam aberrantes, eos per omnia imitantur, quorum filij eſſe dicuntur.

PSALMVS DAVID.

QVid ſignificet Pſalmus Dauid, ſæpè dictum eſt.

Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen ſanctum eius.

In aliis Pſalmis hortatur Dauid omnes alios homines, vt Deum laudent, & benedicant, nunc vero hortatur ſeipſum, & animam ſuam, & omnia interiora ſua. Qua in re tantum Dominum diligat, quantum ei adhærere, ſeruire, & obedire deſideret, apertiſſimè oſtendit. *Benedic*, inquit, *anima mea Dominum*, quia tu es, quæ facta fuiſti ad imaginem, & ſimilitudinem eius, quam videlicet imaginem, & pulchritudinem niſi per ipſum recuperare non vales. B *Et omnia interiora mea*, quæcunque ſunt in corde in mente & in memoria mea, benedicant, *nomen ſanctum eius*. Nomen eius, filius eſt, quia per ipſum, & patrem cognoſcimus, & eundem ipſum. Tolle nomen, & rei cognitio periit. Merito igitur filius, & nomen, & cognitio patris dicitur, quia per ipſum cognoſcitur pater. *Nemo enim nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Quando vis cognoſcere aliquem, nomen quæris, ſimiliter ſi vis cognoſcere Patrem, filium reſpice. Audi ipſum dicentem: *Qui me videt; videt & patrem.*

Nos hoc facimus, vt Deus habeat nomen, quia aliter eum cognoſcere, & inuocare non poſſumus. Quod ſi aliter eum cognoſcere non poſſumus, ipſe eſt nomen eius, per quem eum cognoſcimus. Sed per quem cognoſcimus eum niſi per verbum, per ſermonem, per ſapientiam, & veritatem? Nihil cognoſcitur niſi per hæc, & hæc omnia filius eſt: per filium igitur cognoſcimus patrem. Eſt igitur filius nomen Patris.

C De hoc autem nomine dicit modo propheta, vt omnia interiora eius benedicant nomen ſanctum eius.

Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Quænam autem iſtæ retributiones, ſint audiamus. *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes languores tuos. qui redimet de interitu vitam tuam, qui ſatiat in bonis deſiderium tuum: qui coronat te in miſeratione, & miſericordia, renouabitur ſicut aquila iuuentus tua.* Magnæ ſunt iſtæ retributiones, & tam magnæ, vt nunquam eas obliuiſci debeamus. Factus eſt enim Dominus propitius omnibus iniquitatibus noſtris. Quia non ſolum originale peccatum, ſed ſimul cum eo omnia alia ſuo ſanguine deleuit. Et hoc eſt quod dicit. Qui ſanat omnes languores noſtros, omnes quidem quia nullum ad ſanandum relinquit. Animæ loquitur, & de eius languoribus dicit.

Redemit autem de interitu vitam eius: quod fieri non poſſet, niſi prius eius peccata dimiſiſſet. Satiauit quoque in bonis deſiderium eius, quia firmiſſimam ſpem ſibi tribuit D æternæ felicitatis. Vnde Apoſtolus ait. *Spe enim ſalui facti ſumus.* Corona autem eam in miſeratione, & miſericordia: quia ipſe, qui dat coronam, idem ipſe dedit victoriam: neque vincere potuiſſet, niſi eius auxilium affuiſſet. Quod autem ait. *Renouabitur ſicut aquila iuuentus tua*, de reſurrectione dicere videtur, quando ad antiquam dignitatem homo ex toto renouabitur. Dicitur autem de aquila, quia ad vltimam veniens ſenectutem, iterum iuueneſcit, & renouatur. Cui aſſertioni locus iſte maximam tribuit auctoritatem. Quod ſi ſemel, vel multoties fiat, dubitari poteſt.

Faciens miſericordiam Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas. Cum enim Dominus, & miſericordiam, & iudicium faciat omnibus, qui pro eius nomine iniuriam patiuntur; maximè tamen hoc in Moyſe, & filiis Iſraël manifeſtum apparuit. Loquebatur Dominus cum eis quaſi vir cum amico ſuo, & tam mira & E ſtupenda inter eos operatus eſt, vt incredibilia eſſe videantur his, qui Deo omnia poſſibilia eſſe non credunt.

Miſericors, & miſerator Dominus, patiens, & multum miſericors: non in finem iraſcetur, neque in æternum indignabitur. Magnam ſpem, magnamque conſolationem omnes peccatores de his verbis ſuſcipere poſſunt, quibus tam immenſa omnipotentis Dei miſericordia prædicatur. Iraſcetur, quaſi dicat, ſed non in finem: Indignabitur, ſed non in perpetuum: quacunque hora peccator conuerſus fuerit, ſaluus erit.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Ex præteritis, quaſi dicat, futura cognoſcimus. Multoties eum offendimus, multoties eum ad indignationem prouocauimus, ipſe autem non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: quod ſi feciſſet, diu eſt, ex quo nos funditus perdidiſſet.

Quia ſecundum altitudinem cœli à terra, confirmauit Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes eum. F Iniquitates vero tantum elongauerunt? Quantum diſtat oriens ab occaſu, elongauit à nobis iniquitates noſtras. Videmus itaque quia & miſericordia immenſa eſt, & iniquitates in immenſum à nobis ſeparatæ ſunt. Demus igitur operam, vt miſericordia vlterius à nobis non recedat, & iniquitates ad nos vlterius non accedant. Tanta eſt miſericordia, vt hominem de terra trahat in cœlum, ſic elongatæ ſunt iniquitates, vt ex toto mortuæ, & omnino non eſſe credantur. Valde igitur cauendum eſt ne forte pro eis aliæ oriantur.

Sicut miſeretur pater filij, ita miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Nobilis comparatio, ad immenſæ miſericordiæ declarationem. Sed audiamus modo compatientis affectum, quem tanta miſericordia conſequitur. *Quia ipſe*, inquit, *ſcit figmentum noſtrum.* Ipſe ſcit de quam fragili materia facti ſumus. *Quia ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Et ideo parcit piiſſimus pater tantæ naturum fragilitati. Vnde & ſubditur.

G *Memento Domine, quod puluis ſumus; homo ſicut fœnum dies eius, & ſicut flos agri ita efflorebit.* Ecce de qua materia homo factus eſt. Ecce quam labilis & fragilis eſt. Quid puluere vilius? quid flore debilius? Sic eſt homo, & ſic ſunt dies eius ſicut fænum quod ſub vna hora, & floret, & viriditatem amittit. Et hoc probat.

Quia ſpiritus pertranſit ab eo, & non erit, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Videmus enim, quia ſub vno momento & eſt homo, & non eſt homo, quoniam quamdiu ſpiritus in eo eſt, homo eſt, ſtatim autem vt ab eo recedit, homo non eſt. *Et non cognoſcet amplius locum ſuum*, immo iam non ſuum, quia ſimul cum ſpiritu, & locum, & cætera perdit. Poſtquam homo moritur, nihil habet in hoc mundo, in alio vero, (de malis loquor) ſola ſibi tormenta reſtant.

Miſericordia autem Domini à ſæculo eſt, & vſque in ſæculum ſæculi ſuper timentes eum.

Hæc eſt igitur, quæ neque poſt mortem hominem deſerit, hæc eſt, quam homo, ſed bonus homo, ſemper habebit.

H *Et iuſtitia eius ſuper filios filiorum, cuſtodientibus teſtamentum eius, & memoria retinentibus mandata eius, vt faciant ea.* Et ſimiliter poſt mortem manet omnibus illis, qui Dei teſtamentum, & mandata cuſtodiunt. Quid enim prodeſt memoria retinere niſi, & opere ea faciamus? Alij igitur ſola miſericordia, alij iuſtitia, & miſericordia ſalui fiunt, ſine miſericordia vero nemo ſaluatur.

Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum eius omnibus dominabitur. Poſt multas miſericordias, quas ſeruis ſuis Dominus fecit, oſtendit etiam, in quo loco ſimul cum eis habitare debeat. Ibi enim parauit Dominus ſedem ſuam, vbi videntibus Diſcipulis glorioſus aſcendit poſt paſſionem ſuam. Omnium autem dominabitur regnum eius, quia nulla gens eſt, nulla poteſtas, vel altitudo, quæ ab Eccleſia non iudicetur.

Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Prius animam ſuam inuitauit, nunc autem ipſos

A Angelos & omnem creaturam inuitat ad laudandum, & benedicendum Dominum.

Poſſumus autem per Angelos, quia nuncij interpretantur, omnes illos intelligere, qui euangelizandi officium habent: inter quos Apoſtoli obtinent principatum, nam & iſti potentes ſunt in virtute, & verbum eius audiunt & prædicant, & faciunt.

Benedicite Dominum omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Et hoc quidem ſanctis conuenire poteſt, per quos tantas virtutes operatus eſt Dominus, vt non immerito eius virtutes dicantur.

Benedicite Dominum omnia opera eius? Omnia opera eius benedicunt Dominum, quæ tam ſapienter, & mirabiliter facta ſunt, vt in omnibus benedicatur Dominus. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Dominum.* Sed nullus locus eſt, qui non ſit dominationis eius. In omni igitur loco benedic anima mea Dominum. Et ſicut iſte pſalmus non finitur, ita & benedictio non

B finiatur.

PSALMVS IPSI DAVID

HVnc Pſalmum facit Dauid, ipſi Dauid, ideſt Saluatori noſtro: Ipſi videlicet, qui omnia fecit, qui mundum redemit, qui à mortuis reſurrexit, & cælos aſcendit, *qui ponit nubem aſcenſum ſuum, & ambulat ſuper pennas ventorum.*

Benedic anima mea Dominum; ſeipſum hortatur ad benedicendum, vt omnes alij eum ſequantur, & ſicut ipſe facit, ſimiliter faciant optimus magiſter, qui non ſolum verbis, ſed ipſa quoque actione diſcipulos inſtituit. *Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Deus, qui naturaliter magnus eſt, Apoſtolica prædicatione vehementer magnificatus eſt; quia tantus in Eccleſia prædicatur, & creditur, quantus eſt.

C *Confeſſionem, & decorem induiſti.* Induit. Dominus confeſſionem, quia non ſolum laudatur ab omnibus, verum etiam ſic ipſe laude veſtitus, & circumdatus eſt, vt ab eo ſeparari non poſſit. Pulchra veſtis & bene compoſita, ſine qua cætera ornamenta non placent. Quid enim placeret, niſi quod laudabile eſt? Sed quis dicere valeat quantum, qualemque decorem in ſua reſurrectione induerit Dominus, cum de ſanctis eius dicatur: Quia *fulgebunt ſicut ſol in regno Dei*, Vnde, & ſubditur. *Amictus lumen ſicut veſtimentum.* Hæc ſunt igitur ornamenta Saluatoris noſtri, Confeſſio, decor, lumen, charitas, pulchritudo, his adde immortalitatem, potentiam, fortitudinem, cæteraſque virtutes. Et hoc quidem eſt indumentum confeſſionis, quo nunc in hoc pſalmo induitur Dominus.

Extendens cælum ſicut pellem, qui tegit in aquis ſuperiora eius. In hoc autem docet nos propheta; quod facile ſine omni difficultate ipſos cælos fecerit Deus, & ad magnam illis laudem, & gloriam ſpectat, quod ipſum

D opus maximum, & principale ſine labore feciſſe narratur. De aquis autem, quibus cœlum tegitur, ſic alio loco ſcriptum habemus: *Et aquæ, quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini.* Itemque, *Et diuiſit aquas quæ erant ſuper firmamentum, ab his, quæ erant ſub firmamento.* Poſſumus autem per cœlos Apoſtolos intelligere, quos quaſi Pelles Dominus extendit, quia vinarios vtres fecit. Iſti ſunt illi vtres noui, de quibus in Euangelio Dominus ait. *Nemo ponit vinum nouum in vtres veteres, ſed in vtres nouos ponunt vinum nouum.* Hoc vino multi inebriati, terrenorum omnium obliuiſcuntur. Horum vero ſuperiora Prophetæ ſunt, qui non vino, ſed aquis teguntur. Bene autem tegi dicuntur, vt non intus iſtæ aquæ, ſed foris eſſe monſtrentur: quia multoties Prophetæ nec ab ipſis Prophetæ intelliguntur.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum. Hoc eſt enim quod in Euangelio de Domino dicitur: Quia *videntibus diſcipulis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Ambulauit autem ſuper pennas ventorum, quia nulli venti in illam altitudinem aſcendere poſſunt. Hic autem nullam aliam expoſitionem quærere debemus, ne forte huic tam veriſſimæ, & clariſſimæ expoſitioni iniuriam facere videamur. E

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Quia enim Angeli, nuncij interpretantur, illi, qui naturaliter ſpiritus ſunt, quando mittuntur, Angeli fiunt. Tanta eſt igitur potentia Chriſti, vt, quando vult, de ſpiritibus Angelos faciat, & ipſos Seraphin, qui ardentes, vel incendentes interpretantur, ad id quod voluerit miniſtrandum, mittat. Hoc eſt enim, quod dicit: *Et miniſtros tuos ignem vrentem.* Sic enim dicit Iſaias Propheta: Quia *miſit Dominus vnum de Seraphin, qui cum carbone tetigit labia eius.* Si autem per conuerſionem dicamus, quod Angelos, & miniſtros ſuos, ſpiritus, & ignem vrentem Dominus faciat, non erit inconueniens. Angeli vero, & miniſtri, Rectores Eccleſiæ ſunt, qui & ſpiritus, & ignis, F non inconuenienter dici poſſunt.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem eius. Si ad litteram intelligatur, manifeſtum eſt. Quæ tamen ſit eius ſtabilitas, niſi ſola virtus, & potentia Dei, ſciri non poteſt. *Non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, Hæc verba veriſſima ſunt, quia ille, qui loquitur, mentiri non poteſt. Per terram autem Eccleſiam intelligimus, cuius fundamentum, & ſtabilitas, Chriſtus eſt, & quia ſupra firmam petram, ſicut Dominus ait, fundata eſt, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Et de hoc quidem fundamento dicit Apoſtolus: Quia *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.*

Abyſſus ſicut pallium amictus eius. Eſt autem abyſſus, aquarum immenſa profunditas: *aqua* vero *multa*, ſicut ſcriptum eſt, *populi multi.* Terra vero Eccleſiam ſignificat. Sic igitur aliquando abyſſus, ideſt, ſæuiens populorum multitudo totam Eccleſiam operiebat, ſicut pallium totum illud operit, cui ſuperponitur. Vnde & ſubditur. *Super montes ſtabunt aquæ*; Quid per montes niſi Apoſtolos, Eccleſiæque Doctores intelligamus? Super hos autem G ſtabant aquæ, quia non minus Prælatos, quam ſubditos affligebant. Videmus enim vſque hodie non ſolum Eccleſiam, verum etiam ipſos Epiſcopos hanc abyſſi violentiam ſuſtinere.

Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Fugiebant autem multoties aquæ iſtæ, de quibus loquimur, ab increpatione Dei, quia ſignis, & miraculis, & Apoſtolorum prædicatione populi perterriti ad fidem Chriſti conuertebantur. In voce namque tonitrui, Apoſtolorum prædicatio ſignificatur.

Aſcendunt montes & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Iſti ſunt illi montes, de quibus modo diximus, *ſupra montes ſtabunt aquæ.* Aquis autem fugientibus, iſti aſcendunt, quia ceſſante perſecutione, Eccleſiæ prædicatores eleuantur, honorantur, & à populis venerantur. Campi vero deſcendunt, quia omnis Eccleſiaſtica multitudo ſub eorum pedibus ſe humiliat. Sicut enim campi H ſubiacent montibus, ita Epiſcopis, & ſacerdotibus omnes Chriſtiani ſubiacere debent. Hinc eſt enim, quod illi Prælati, & iſti ſubiecti vocantur. Illi in ſuum locum aſcendunt, & iſti in ſuum locum deſcendunt, quia illi primum, & iſti ſecundum locum in Eccleſia tenent. *Terminum poſuiſti eis, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram*; Terminum poſuit Dominus ſupradictis aquis, quæ & terram, & montes occupauerant, quem tranſgredi non licet, quia non amplius poſſunt mali contra Eccleſiam, niſi quantum Dominus eis facere permittit. Hinc eſt enim, quod alibi dicitur. *Quis concluſit oſtiis mare? Circumdedi illud terminis meis, & poſuit vectem, & oſtia, & dixit: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ. Iſtæ ſunt illæ conualles, de quibus alibi dicitur: *Et conualles abundabunt frumento*, per quas ſingulas Eccleſias intelligimus, quæ in humilitate, & ſimplicitate fructum boni operis abundanter Domino reddunt. Hæ autem irrigantur fontibus Sanctorum Scripturarum, quos inter eas Dominus mittit, &

A & affluenter currere facit. Et hoc eſt, quod dicit. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Idem enim hoc in loco montes, & conualles, & fontes, & aquæ ſignificant.

Potabunt eas omnes beſtiæ ſiluarum. Beſtiæ ſiluarum illi intelliguntur, qui de gentium feritate ad fidem Chriſti conuerſi ſunt. Et iſti quidem has aquas modo bibunt, & in eius potu ſuauiſſimo delectantur. *Exſpectabunt onagri in ſiti ſua.* De iſtis onagris alibi ſic à Domino dicitur; *Quis dimiſit onagrum liberum? & vincula eius quis ſoluit? cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula in terra ſalſuginis.* Per hos ergo illos intelligimus, qui ab omnibus mundi huius impedimentis liberi, & ſoluti, vel in Monaſteriis, vel in locis ſolitariis Domino famulantur. Et iſti ſimiliter has aquas exſpectant in ſiti ſua, quia his quotidie reficiuntur in magno deſiderio ſuo. *Super eas volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces ſuas:* Per volucres cœli, Eccleſiæ prædicatores, per petras vero, ipſæ Eccleſiæ ſignificantur. Dant
B igitur volucres cœli voces ſuas de medio petrarum, quando Epiſcopi, & Sacerdotes verbum Dei prædicant in medio Eccleſiarum. Qui bene ſuper aquas habitare dicuntur, quia à diuinis voluminibus non recedunt, & die ac nocte in lege Domini meditantur.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis. Tu, inquit, Domine hæc omnia operaris, rigans montes de ſuperioribus ſuis. Habent enim montes iſti ſuperiora, quibus à Domino irrigantur. Per ſuperiora montium, vtriuſque teſtamenti ſcientiam, & ſancti Spiritus gratias intelligimus, quibus Eccleſiæ Doctores irrigantur, & ſatiantur. Vnde & ſubditur. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Terra enim Eccleſia eſt, quæ de fructu operum Dei quotidie ſatiatur, ſiue ſpiritualem, ſiue corporalem ſatietatem intelligamus. Ipſe enim & ſpiritualis, & corporalis cibi, & creator, & operator eſt: *Omnis* enim *ſapientia ab ipſo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante æuum.*

Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum. A te, inquit, terra tua ſatiatur, ipſa vero non quaſi
C ingrata, & tuorum beneficiorum oblita, iumentis tuis fœnum tribuit, & hominum ſeruituti herbam producit. Iſte cibus iumentorum eſt, quæ, quoniam hominibus ſeruiunt, ſeruitus hominum iure dicuntur. Iumenta Dei, Epiſcopi ſunt & ſacerdotes, iumenta quidem, quia aliorum onera ferunt. Vnde eſt illud: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* His autem Eccleſia miniſtrare debet cibum corporis, à quibus ipſa nihilominus ſuſcipit cibum cordis. Vnde Apoſtolus ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, non magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* Et Dominus in Euangelio; *Dignus eſt,* inquit, *operarius mercede ſua.* Et hoc eſt quod ait.

Vt educat panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Terra eſt illa, terra ſunt & illi: Dat illa fructum ſuum, & illi ſimiliter ſuum. Bonum fructum dat, ſed meliorem ſuſcipit: fœnum dat, ſed panem recipit. Et qualem panem? Panem vtique viuum qui de cœlo deſcendit. Suſcipit ſimiliter, & vinum, calicem videlicet noui teſtamenti. Hoc autem lætificat cor hominis, quia
D vitam præſtat æternam.

Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Non ſolum panem, & vinum, ſed oleum quoque ſuſcipit Eccleſia ab Apoſtolis, per quod ſancti Spiritus gratiæ ſignificantur. Sine hoc oleo nulla ſpiritualis lætitia eſt. Bene autem faciem poſuit, quia & lætitia, & triſtitia in facie cognoſcitur, & quia dixerat, quod *vinum lætificat cor hominis,* conuenienter addidit: *Et panis cor hominis confirmet.* Hinc eſt igitur, quod Dominus ait: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi autem vita non eſt, neque vita neque fortitudo eſſe poteſt.

Satiabuntur omnia ligna ſiluarum, & cedri libani, quas plantaſti. Bona ligna, & boni cedri, quæ tali pane ſatiantur. Per hæc enim gentium populus ſignificatur, ex quibus domus Dei conſtituitur, Iudæorum populo reprobato. Has autem cedros plantauit Dominus, & ideo in tantam altitudinem creſcere poſſunt. Inde eſt enim,
E quod alibi ait: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Illic paſſeres nidificabunt;* In his arboribus nidificant paſſeres, quia in iſtorum tutela, & poteſtate ſerui Dei monaſteria conſtruunt, in quibus nocte dieque Domino ſeruiunt.

Fulicæ domus dux eſt eorum. Fulicæ domus, aqua eſt, quoniam hæc auis in aquis viuit, & manet. Fulicæ igitur domus paſſeres ducit, quia ſine aquarum ducatu ſancti Dei ad cœleſtia volare non poſſunt. Vnde & Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei.* Soli igitur Chriſtiani hanc ducem habent, quia ipſi ſoli ex aqua, & ſpiritu regenerantur. *Montes, excelſi ceruis, petra refugium herinaciis;* Duos montes excelſos habemus, nouum videlicet, & vetus teſtamentum. Ad hos autem cerui Eccleſiæ refugium habent, per quos Apoſtoli, & Doctores ſignificantur. De his enim eſt ille, qui dicit: *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.* Ad hos igitur ſemper recurrere debemus, vbi conſilium, & conſo-
F lationem ſemper inuenimus. Petra vero, eſt refugium herinaciis, per quos, peccatores intelligimus, vitiorum aculeis vndique plenos, & circumſeptos: *Petra autem,* dicit Apoſtolus, *erat Chriſtus: Qui,* ſicut ipſe ait, *non venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.*

Fecit lunam in tempore, ſol cognouit occaſum ſuum. Vno enim eodemque tempore & Eccleſia, quæ per lunam ſignificatur, initium habuit, & ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter venit ad occaſum. Sicut enim de latere Adam dormientis Eua facta eſt, ita de latere Chriſti in cruce pendentis Eccleſia fabricata eſt.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluarum. Eo, inquit, tempore, quo ſol iuſtitiæ Saluator noſter occubuit, tenebræ factæ ſunt, quibus & intus, & extra miſeri Iudæi ſunt excæcati, & facta eſt ſuper eos nox, & caligo tenebrarum. Et in ipſa nocte pertranſierunt omnes beſtiæ ſiluarum, per quos maligni ſpiritus ſignificantur, qui nimiam ſuper eos decipiendi, & poſt ſe trahendi habuerunt poteſtatem. De
G quibus adhuc ſubditur.

Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærunt à Deo eſcam ſibi. Hinc eſt enim, quod alibi dicitur: Quia *inimicus noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Iſti autem ſine Dei permiſſione neque rapere, neque eſcam habere poſſunt. Habet tamen fiduciam diabolus, quod influat Iordanis in os eius. *Sunt enim,* ſicut ſcriptum eſt, *eſca eius electæ.* Iſte voluit Iob deuorare, ſed non potuit: Iudam vero cum multis aliis deuorauit.

Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis ſe collocabunt. Ortus eſt enim Sol, quia Saluator noſter die tertia à mortuis reſurrexit. Et tunc catuli leonum congregati ſunt, & in ſuis cubilibus collocati Saluatorem noſtrum terrore nimio perterriti dolentes exſpectabant, quem illuc venturum eſſe non dubitabant.

Exiet homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Hoc autem tunc completum eſt, quando poſt reſurrectionem ſuam Saluator noſter Diſci-
H pulis ait: *Ite in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Tunc enim Apoſtoli, qui per hunc hominem ſignificantur, ad opus ſuum exierunt, & Euangelicam prædicationem cunctis gentibus nunciare cœperunt. Et vſque ad veſperam, id eſt, finem vitæ ſuæ conſtanter, & fideliter operationem ſibi iniunctam operati ſunt.

Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, repleta eſt terra creatura tua. Non eſt hæc admiratio de cœli terræque creatione, ſed de mundi huius tam ſubita conuerſione. Heri, quaſi dicat, Apoſtoli prædicare cœperunt, & hodie noua creatura, nouoque populo repleta eſt terra. Vnde omnia in ſapientia Deum feciſſe dicit, quia niſi per Chriſtum, hæc nullo modo fieri potuiſſent. Ipſe eſt enim & virtus, & ſapientia Patris.

Hoc mare magnum, & ſpacioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus. De hoc mundo loquitur, qui ad maris

A ſimilitudinem ſemper turbatus, vix aliquando valuit eſſe quietus; nunc autem nouo Chriſtianorum populo repletus, Apoſtolorum naues ſuſcipit vbique piſcandum, & nauigandum. Ibique modo ſecure nauigant Chriſti piſcatores, vbi perire & mergi ſolebant ipſi Imperatores. Per illa autem reptilia, quorum non eſt numerus, illi ſignificantur, qui toto corpore terræ coniuncti, ſola terrena, & tranſitoria quærunt, quorum videlicet tanta eſt multitudo, vt numerati non poſſit. Sunt autem in hoc mari alia quoque animalia puſilla, & magna, per quæ pauperes, & potentes, bonos, & malos, ſapientes, & inſipientes intelligere poſſumus. Hic quoque eſt ille Draco antiquus, qui eſt diabolus, & Sathanas, qui, ſecundum ſcripturam, ſeducit vniuerſum orbem. Et hoc eſt quod dicit.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Poſtquam Draco iſte per ſuam ſuperbiam cecidit, talem eum Dominus formauit, & ad talem ſuæ minorationis formam redegit, vt iam non ſolum viri, ſed ipſæ quoque mulie- B res ei illudere, eumque decipere poſſint. *Omnia à te exſpectant Domine, vt tu des eſcam illis in tempore*; Omnia, inquit, animalia, & bona & mala, & quæ te offendunt, & quæ tibi ſeruiunt, non aliunde habent eſcam niſi a te: tu enim es, qui ſolem tuum oriri facis ſuper bonos, & malos, & pluis ſuper iuſtos & iniuſtos.

Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia replebuntur vbertate. Ipſe igitur facit, vt bonis omnibus abundemus, ipſe facit, vt omnium rerum penuriam patiamur. Vnde & ſubditur.

Auertente autem te faciem tuam turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Non omnibus, qui conturbantur, iratus eſt Dominus, ſed omnes quibus iratus eſt, & perire, & conturbari neceſſe eſt. De quibus alibi dicitur. *Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, confundantur, & pereant.* Quod autem ait: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur*, & bonis, & malis commune eſſe videtur. Sed aliter bonis aufertur ſpiritus, C & aliter malis: Bonis enim aufertur ſpiritus, vt in pace quieſcant; malis vero, vt tabeſcendo deficiant, crucientur, & pereant. Et iſti quidem ex toto conuertentur in puluerem ſuum, quia ſicut ante corruptibiles fuerunt, ita & poſt reſurrectionem, & corruptibiles & paſſibiles erunt.

Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Nullus hominum eſſet, qui in hunc talem puluerem non reuerteretur, & qui non omni tempore miſer, & corruptibilis eſſet, niſi ſpiritum ſuum Dominus mitteret, qui homines recrearet, & renouaret. Rogat itaque Propheta, vt ſpiritum ſuum Dominus mittere dignetur, quo facies terræ creetur, & renouetur. Bene autem faciem dixit, quia ſubſtantia eadem erit, ſola facie & pulchritudine renouata.

Sit gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis. Sit, inquit, gloria Domini in operibus ſuis, vt tam glorioſa maneant in ſæculum ſæculi, ſicuti ab eo pulchra, & glorioſa creata ſunt. Aliter enim non lætabitur Dominus in operibus ſuis.

D *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt.* Reſpicit Dominus terram, & tremere facit, quando ſua inſpiratione peccatorem viſitat, & ad pœnitentiam conuertit, vt in timore, & tremore ſibi deſeruiat. Per montes autem, diuites, & potentes ſignificantur, qui quamuis difficile intrent in regnum Dei, tacti tamen Spiritu ſancto, fumigare foris, & intus ardere incipiunt. Foris autem fumigare, eſt, per lacrymas, & compunctionem, quotidie pœnitentiam demonſtrare. Niſi enim ignis intus arderet, fumus exterius non appareret.

Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ero. Quaſi diceretur ſibi: Satis cantaſti, & ſatis iubilaſti, iam quieſcendum eſſet, & cantus terminandus eſſet. Ad quod ipſe: Et cantaui, inquit, & cantabo, non ad horam, ſed omnibus diebus vitæ meæ. Et pſallam Deo meo, non modo tantum, ſed quamdiu ero. Et hoc ſolum deprecor, vt placeat tibi laudatio mea, quia ego ſemper delectabor in eo. Hoc eſt enim quod ait.

Suauis ſit ei laudatio mea, ego vero delectabor in Domino. Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint. Multi in Eccleſia ſunt, quos & cantus, & lectiones, & prædicationes audire tædet, & non ſolum corde, ſed ore quoque multoties murmurant, quod laudes Dei non citius finiuntur, quia magis in fabulis, & vanitatibus, quam in Dei laudibus delectantur. Quibus nunc Propheta loquitur dicens: *Deficiant peccatores à terra*, exeant faſtidioſi de Eccleſia; *Et iniqui ita* deficiant, *vt in ea non ſint*, cum ſibi ipſis nihil proficiant, & aliis impedimentum faciant. *Tu vero benedic anima mea Dominum*, & nunquam eorum perſuaſionibus acquieſcas, ſed, ſicut cœpiſti in Dei laudibus omni tempore perſeuera. E

ALLELVIA.

INterpretatur *Alleluia*, laudare Deum, & certe niſi Deo valde acceptabile, & nobis vtilliſimum eſſet laudare Dominum, nunquam toties Propheta Dominum laudare iuberet. F

Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. Illis loquitur Propheta, qui ex gentibus ad fidem conuerſi ſunt, & antiquorum narrat hiſtoriam, quomodo Ægyptios multis plagis Dominus percuſſerit, & de eorum duriſſima ſeruitute populum ſuum glorioſiſſimè liberauerit. Qua in re, Eccleſiæ quoque liberatio, & perſecutorum perditio ſignificatur: Vos, quaſi dicat, qui falſos Deos laudare ſoliti fuiſtis, nunc confitemini, & laudate Dominum, quia ipſe ſolus, & Deus, & Dominus eſt. *Et inuocate nomen eius*, quia nullus alius inuocandus eſt. *Annunciate inter gentes opera eius*, quatenus ea quæ vos didiciſtis, omnes alios doceatis, & intelligere faciatis.

Cantate ei, & pſallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Sibi, inquit, cantate, ſibi pſallite, non veſtram, ſed eius gloriam quærite, eius virtutes & mirabilia narrate. G Hinc eſt, quod Apoſtolus ait: *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Dominum Ieſum.* Vnde & ſubditur.

Laudamini in nomine ſancto eius. Laus veſtra non ſit veſtra, ſed omnis laus & gloria ad eum referatur, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. Dolebant ſancti multoties, quando eis poſt miracula, magnus honor à populis exhibebatur. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Lætetur, inquit, non in miraculorum operatione, ſed in ſolo Domino cor quærentium Dominum. Sic enim, & in Euangelio Diſcipulis ſuis Dominus ait: *Nolite gaudere, quia dæmonia ſubijciuntur vobis in nomine meo, ſed in hoc potius gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*

Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. Quærite Dominum in ſcripturis, quærite Dominum in miraculis, & cum eum cognoueritis, confirmamini in amore eius. *Quærite faciem eius ſemper.* Hanc autem faciem quærebat Moyſes cum diceret: *Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam, vt videam te.* Semper enim hoc quærere debemus, quo- H modo ante eius faciem ſecuri, & læti veniamus.

Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigia, & iudicia oris eius. In his enim bene ſatis cognoſcitur Dominus, quia niſi Deus eſſet, ea nullatenus facere potuiſſet. Vult igitur Propheta, vt eius ſigna, & miracula, eius verba, & iudicia vbique gentium prædicentur, vt qui aliter eum cognoſcere non poſſunt, ſaltem in virtutibus eum cognoſcant. Sed qui ſunt illi, qui eum cognoſcere, & prædicare iubentur?

Semen Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius. Dicunt Iudæi in Euangelio, *Semen Abrahæ ſumus.* E contra Dominus reſpondens ait: *Si ſemen Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis.* Non ſunt igitur ſemen Abrahæ, neque filij Iacob, niſi illi, qui Abraham, & Iacob imitantur: Ambo autem iſti in Chriſtum crediderunt, quoniam, ſicut ſcriptum eſt, & Abraham eum adorauit, & Iacob dixiſſe legitur: *Salutare tuum exſpectabo Domine. Ipſe Dominus Deus noſter, in vniuerſa terra iudicia eius:* Nos, inquit, ſumus ſemen eius, & ipſe eſt Dominus

A Deus noſter, cuius iudicia non Iudæi, ſed vniuerſa terra ſuſcepit.

Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi, quod mandauit in mille generationes. De hoc teſtamento in ſequentibus legitur: Quod promiſit Dominus terram Chanaan Abrahæ in hæreditatem. Mandauit autem hoc verbum in mille generationes, quando dixit: *Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arena, quæ eſt in littore maris.* Poſuit itaque finitum pro infinito, quia ad ſtellas cœli, & arenam maris comparatæ, valdè paucæ ſunt mille generationes. Sed quia ſcriptum eſt: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, magis Chriſtianis quam Iudæis hoc teſtamentum factum eſſe videtur. Vnde Apoſtolus ait: *Non dixit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus.*

Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac, & ſtatuit illud Iacob in præceptum, & Iſraël in teſtamentum æternum, dicens; Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ. Statuit, inquit, Dominus, B & præcepit, non Eſaü, ſed Iacob, vt ad illam hæreditatem feſtinaret, quæ æterni teſtamenti conſcriptione ſibi debetur, dicens ei: *Tibi dabo terram Chanaan*, & ſimul cum ea totam menſuram atque funiculum hæreditatis veſtræ. Qua in re Pherezæi, Iebuſæi, Euæi, & cæteræ gentes ſignificantur. Hoc autem dixit illis Dominus, cum adhuc pauciſſimi eſſent, & quaſi incolæ, & peregrini in illa terra habitarent. Sed quia firmam ſpem habuerunt, & verbis Dominicis fideliter crediderunt, omnia eis adimpleta ſunt, quæcunque illis promiſerat Deus. Hæc autem nobis ideo recitantur, vt nos quoque firmam ſpem habeamus, fideliterque credamus, quia non priuabimur promiſſa nobis hæreditate, ſi Patres noſtros imitati fuerimus, & eorum fidem, doctrinam, & patientiam tenuerimus: ſcientes, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*, quæ valde meliora ſunt, quam terra Chananæorum. Vnde & ſubditur.

C *Cum eſſent in numero breui, pauciſſimi, & incolæ in ea, & pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.* Si ergo illi cum tanto labore ad illam hæreditatem, quæ temporalis eſt, peruenerunt, quanto magis nos ad illam, quæ æterna eſt, cum ſummo ſtudio feſtinare debemus?

Non permiſit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nam & Pharaonem, & Abimelech propter eos correptos fuiſſe, ſcriptura commemorat. Quibus Dominus præcepit dicens: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*; Chriſtos ſuos eos dicit, non quod oleo viſibili, ſed quia Sancti Spiritus gratia Diuinitus iuuncti fuerunt.

Et vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit. Quare Dominus hanc famem ſuper terram eſſe voluerit, ſequentia manifeſtant. Hæc fames fuit cauſa, vt Ioſeph, qui in Ægypto venditus fuerat, Dominus terræ conſtitueretur, atque eius prouidentia à famis periculo liberaretur. Hæc fuit cauſa, vt Iacob cum filiis ſuis in Ægyptum deſcenderet, & filium, quem D mortuum eſſe putabat, incolumem inueniret. Et hoc eſt, quod dicit.

Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Dei igitur diſpoſitione, & malitia fratrum ſuorum venditus eſt Ioſeph, vt nos intelligamus, multa in hoc mundo Dei diſpoſitione fieri, quæ malum initium habere videntur. Nam & Saluatoris noſtri paſſio, venditio, & traditio Dei diſpoſitione ad noſtram ſalutem facta eſt, quam tamen iniuſtam fuiſſe non dubitamus.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret verbum eius; In eo enim, quod animam eius ferrum pertranſiſſe dicit, magnos dolores, & anguſtias eum ſuſtinuiſſe oſtendit. Sed poſtquam venit verbum eius, & eloquium Domini inflammauit, & illuminauit eum, vt ſomnium Regis interpretari potuiſſet, illico ab his tantis anguſtiis liberatus eſt. Et hoc eſt quod ait.

Miſit Rex, & ſoluit eum, Princeps populorum, & di- E *miſit eum, & conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret principes ſuos ſicut ſeipſum, & ſeniores ſuos prudentiam doceret.* Magnam ſapientiam in Ioſeph Pharao cognouiſſe oſtenditur, quem totius terræ principem, & dominum conſtituit, & ad docendos maiores, & ſeniores ordinauit. Putabant enim illam ſomniorum interpretationem non Diuino beneficio, ſed artis magiſterio, & ingenij ſublimitate eum habuiſſe. Vnde & alios ſicut ſeipſum hanc doctrinam docere poſſe putabant. Multa ſunt in hoc facto, quæ Saluatori noſtro conuenire poſſunt. Quoniam ſicut Ioſeph venditus eſt à Iuda fratre ſuo, ita & ipſe venditus eſt à Iuda diſcipulo ſuo. Et omnium gentium Rex, & Dominus à Patre conſtitutus, non ſolum Ægyptum, ſed vniuerſum mundum à fame perpetua liberauit. De qua videlicet fame per Prophetam dicitur: *Immittam in vobis non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* Et ipſe quidem peritiſſimus F eſt, non ſolum ad ſomnia interpretanda, verum etiam ad omnia ſcripturarum profundiſſima myſteria reuelanda.

Et intrauit Iſraël in Ægyptum, & Iacob habitauit in terra cham. De genere Cham, natus eſt Chanaam, à quo Ægyptij originem ducunt. Si Iacob non timuit intrare in Ægyptum, cur noſtri timeant ad prædicandum inuadere mundum? cum audiant: quia *auxit Dominus populum ſuum nimis, & confirmauit eum ſuper inimicos eius?* Nam & iſti & illi valde multiplicati, & ſuper omnes inimicos ſuos confirmati ſunt.

Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Quare Ægyptij de facto reprehendantur, ſi eorum corda Dominus conuertit, & hoc facere voluiſſent? Vſitatus eſt in Diuina pagina iſte modus locutionis, vt hoc Dominus facere dicatur, quod cum prohibere poſſit facere permittit. Dat enim Dominus malis occaſionem, vt eorum iniqua deſideria foris manifeſtentur, & malum, quod in corde habent, celari non poſſit. Cum igitur Ægyptij populum Dei ve- G hementer affligerent, ad eorum conſolationem Moyſen, & Aaron Dominus venire præcepit. Et hoc eſt quod dicit.

Miſit Moyſen ſeruum ſuum, & Aaron quem elegit ipſum. Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigiorum ſuorum, in terra cham. Quæ autem fuerunt illa ſigna, & prodigia audiamus.

Miſit tenebras, & obſcurauit eos, qui exacerbauerunt ſermones eius. Illæ tenebræ quæ tunc Ægyptios obſcurabant, illas quas Iudæi hæretici, & Pagani, & nunc, & ſemper paſſuri ſunt, ſignificabant. Iſti enim ſunt, qui exacerbant ſermones eius, & doctrinæ Catholicæ, & Apoſtolicæ contradicunt.

Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces: Aquæ Ægyptiorum, quæ in ſanguinem conuerſæ ſunt, Philoſophorum, & hæreticorum doctrinam deſignabant, quæ nihil aliud eſt, niſi venenum, ſanguis, & peccatum. Pereunt igitur qui hunc ſanguinem bibunt, & hanc doctrinam ſuſcipere non metuunt.

H *Miſit in terra eorum ranas, & in cubilibus Regum ipſorum.* Iſtæ ranæ, Poëtæ, & Philoſophi, Iudæi, & hæretici intelligantur, qui de ſola loquacitate gloriantes contra veritatem loqui non ceſſant. Et tales quidem Regibus & potentibus familiares ſunt, qui in eorum vanitatibus & erroribus delectantur.

Dixit, & venit cinomia, & ciniſes in omnibus finibus eorum. Cinomia, genus muſcarum eſt turpiſſimum, & importuniſſimum. At vero ciniſes culices dicuntur, qui quanto cæteris ſunt minutiores, tanto ſunt aculeis grauiores. Quid igitur per muſcam caninam, & ciniſes, niſi luxuria deſignatur, quæ inter alia vitia, & turpiſſima, & moleſtiſſima eſſe probatur. Hoc vitium, quia de carne eſt, & naturaliter carni adhæret, non ſine labore, & Dei adiutorio vinci, & fugari poteſt.

Poſuit pluuias eorum in grandinem, & ignem comburentem in terra ipſorum: Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit omne lignum finium eorum.

A Per grandinem, & ignem combuſentem, & immenſam Dei iram, & furorem intelligere poſſumus, quibus homines iniqui ſimul cum omnibus quæ poſſident flagellandi, & perdendi ſunt.

Dixit & venit locuſta, & bruchus cuius non erat numerus, & comedit omne fœnum terræ eorum. Locuſta & bruchus, qui quaſi cum exercitu, & multitudine ſemper incedunt, omnia vitiorum genera ſignificant: quibus omne fœnum illius terræ comeditur, & diſſipatur, per quod ipſos homines intelligimus, ſiquidem per fœnum, populus ſignificatur.

Et percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum. Hæc plaga plus omnibus aliis terruit Ægyptios, ita vt Hebræos ire rogarent, & exire compellerent, quæ ſola inter alias bonam videtur habere ſignificationem. Significat enim originale peccatum in omnibus hominibus Chriſti ſanguine eſſe deletum. Hucvſque Ægyptiorum plagas: hinc vero
B Iudæorum beneficia diuinitus eis à Deo collata ſcribere incipit.

Et eduxit eos in argento, & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus, non ſolum Chriſtiani, ſed alię quoque gentes, aurum habent, & argentum: virtutes, & mores honeſtos, & multarum artium peritiam, quæ omnia ab illis ſuſcipere, & mutuare, non eſt peccatum. Et notandum, quia qui Deum ſequuntur, non infirmantur, ſi tamen via regia incedant, & ab ea non recedant.

Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum, quia cecidit timor eorum ſuper eos expandit nubem in protectionem eorum; & ignem vt luceret eis per noctem. De hac nube dicit Apoſtolus: *Quia omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari,* ideſt, ex aqua & ſpiritu ſancto, vt per mare, aquam: per nubem vero, Spiritum Sanctum intelligamus. Ipſe eſt igitur, qui nos à calore, & cunctis tribulationibus protegit, qui tenebras noſtras illuminat, & viam veritatis oſtendit.

C *Petierunt carnes, & venit coturnix.* Per coturnices, ſpiritualis intelligentia ſignificatur, quæ de ſuperioribus, & ab aquis originem habet. Quod enim omnia hæc ſpiritualiter intelligenda ſint, Apoſtolus nos inſtruit dicens. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt; & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Vnde & ſubditur. *Et pane cæli ſaturauit eos.* Panis enim hic, qui de cœlo deſcendit, vel Chriſti caro, vel ſpiritualis intelligentia eſt.

Dirupit petram, & fluxerunt aquæ & abierunt in ſicco flumina. Similiter autem & de pectore Chriſti quatuor magna flumina eruperunt, quibus tota terra, quæ prius ſicca, & arida erat abundanter irrigata, & ſatiata eſt. Et hæc omnia, quæ ſuperius locuti ſumus, ideo fecit Dominus populo ſuo: quia *memor fuit verbi ſancti ſui, quod locutus eſt ad Abraham puerum ſuum.* Promiſerat enim Dominus Abrahæ, quod in ſemine eius omnes gentes hæreditaretur, & quia ſic eſſet ſemen eius, ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena, quæ eſt in littore maris.

D *Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.* Quomodo enim ſine lætitia, & exultatione eſſe poterant, qui ſic à Domino fouebantur, defendebantur, & tantis beneficiis ditabantur.

Et dedit eis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. Ad quid? *Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant.* Niſi enim victis hoſtibus pacem habuiſſent, & terram quiete poſſediſſent, neque iuſtificationes legitimè. Cuſtodire, neque legem diligenter exquirere poſſent.

ALLELVIA, ALLELVIA, PRIMVM Alleluia præcedentis pſalmi eſt, ſequens ſequentis.

DOcet nos Propheta, quanta inſtantia Deum ſemper laudare debeamus, qui in laudibus deſinit, & in laudibus incipit. Quando Pſalmus finit, laudare præcipit, & quando incipit, laudare præcipit, vt ſemper laus Dei continua ſit, & nulla in Dei laudibus interpoſitio fiat. E

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Nobilis ratio, quare Deum laudare debeamus, quia & bonus, & miſericors eſt. Si enim omne bonum laudabile eſt, & nihil laudari debet, niſi quod bonum eſt, quantum ille laudandus eſt, qui ſolus eſt bonus, & à quo ſunt omnia bona? Legitur in Euangelio, quia cum quidam dixiſſet Domino. *Magiſter bone,* reſpondens ait. *Quare me dicis bonum, cum nemo ſit bonus niſi ſolus Deus? ſi Deum me eſſe credis, bene dicis: Si vero non credis, quare hoc dicis?* Deus enim à ſeipſo & ſubſtantialiter bonus eſt, cætera vero non à ſeipſis, neque ſunt, neque bona ſunt, ſed à Deo ſunt quicquid ſunt. Laudemus igitur Dominum, quoniam bonus eſt, & ſubſtantialiter bonus, & qui nunquam poteſt eſſe niſi
bonus. *Et quoniam in ſæculum miſericordia eius,* Quod autem ait, in ſæculum, tantum eſt, ac ſi dixiſſet, in æternum. Vnde & alibi dicitur: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* F

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ecce, quaſi aliquis dicat, laudare parati ſumus, ſed laudare non ſufficimus. Quis enim ad plenum loquetur potentias Domini? Et quis loquendo ſemperque clamando audiri faciet omnes laudes eius? innumerabiles ſunt, modum excedunt, *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.*

Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Si illud, quaſi dicat, facere non potes, ſaltem hoc facias, & beatus eris. Beati enim ſunt qui cuſtodiunt iudicium eius. Sed quod eſt iudicium eius? *Declina à malo, & fac bonum.* Verum quidem eſt, quia omnes laudes Dei dicere non potes; at vero à malo de-
clinare, & bonum facere quis non poteſt? Omni autem tempore iuſtitiam faciunt, qui ſecundum hoc, quod poſſunt, hoc mandatum cuſtodiunt, quia & declinare à malo iuſtitia eſt, & bonum facere iuſtitia eſt. G

Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, & viſita nos in ſalutari tuo. Bene autem dixit, *in beneplacito populi tui,* quia & bonorum, & malorum recordatur Dominus, bonorum quidem ad miſerendum, malorum vero ad puniendum. Sed talis recordatio, bonis quidem placet, malis vero non placet. Rogauit autem Propheta, vt eos Dominus viſitaret in ſalutari ſuo. Quod ſi de Chriſti incarnatione intelligitur, factum quidem eſt, ſed non in tempore ſuo, ipſe tamen etiam ante incarnationem ſuam, eos & viſitabat, & regebat, & gubernabat.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua. Sic inquit viſita nos modo in ſalutari tuo, vt videamus noſmetipſos, & participes ſimus in illa bonitate, quam
facturus es electis tuis. Et lætemur in lætitia gentis tuæ, per quam videlicet gentem, populus Chriſtianus ſignificatur. Hoc eſt enim quod Iudæis non credentibus Dominus ait: *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Omnes enim deſiderabant aduentum Chriſti, & omnes deſiderabant connumerari, & ſociari Eccleſiæ Chriſti. *Vt lauderis cum hæreditate tua:* Fac nos, quaſi dicat, eſſe in lætitia gentis tuæ, vt à nobis quoque ſimul lauderis cum hæreditate tua, & fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Hinc autem narrare incipit præuaricationes illius populi, qui ſemper incredulus extitit, & multis modis Deum tentauit, & ad iracundiam prouocauit. Similiter autem facit, & Daniel, qui confitetur peccata ſua, & peccata populi ſui, vt eius orationibus, & ſupplicationibus, tandem Dominus ad miſericordiam moueatur. *Peccauimus cum Patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus: Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, & non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ;* Iſti ſunt illi H

Patres, de quibus Apoſtolus ait: *Quoniam increduli fuerunt, eorum cadauera proſtrata ſunt in deſerto.* De quibus & Dominus dicit. *Non introibunt in requiem meam.* Iſti enim ſi mirabilia Dei, quæ in Ægypto viderant, intellexiſſent, & tantæ miſericordiæ, quam ſibi Dominus fecerat, memores fuiſſent, nunquam contra hoſtes ire timoiſſent. Et qui prius non timuerant mare rubrum intrare, poſtea timuerunt contra Chananæos pugnare Et fortaſsè neque mare rubrum tunc introiſſent, niſi Ægyptios ſuper ſe irruentes timuiſſent.

Et irritauerunt aſcendentes in rubrum mare. Hinc eſt enim quod Moyſes illis timentibus, & deſperantibus ait: *Ne timueritis Ægyptios iſtos, quia Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Hæc eſt itaque prima tentatio, qua Dominum irritauerunt, poſtquam de Ægypto exire cœperunt. *Et liberauit eos*, non eorum meritis, ſed propter nomen ſuum, quia niſi eos liberaſſet, magnam iacturam feciſſet nomini ſuo: omnes enim dicerent, quod eos liberare non potuiſſet. Hoc autem ideo fecit, *vt notam faceret eis potentiam ſuam.* Sed quid profuit, cum ipſi eam cognoſcere noluerint.

Et increpauit mare rubrum, & exſiccatum eſt, & eduxit eos in aquis multis ſicut in deſerto, & liberauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimicorum, & operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remanſit. Quid per mare rubrum niſi baptiſmum? Quid vero per Pharaonem, & exercitum eius niſi diabolum, & vitiorum multitudinem intelligamus? Iſti vero vſque ad baptiſmum populum Dei perſequuntur, ſed ibi pereunt, & deſtruuntur.

Et crediderunt in verbis eius, & cantauerunt laudes eius, cito fecerunt, & obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius. Videntes, inquit, mirabilia Dei, quæ fecerat, verbis eius crediderunt, & laudes eius cantauerunt: cito autem hoc fecerunt, & ſubito defecerunt, & obliti operum eius non ſuſtinuerunt conſilium eius. Si enim conſilium eius ſuſtinuiſſent, & feciſſent, non periiſſent.

Et concupierunt concupiſcentias in deſerto, & tentauerunt Deum in ſiccitate. Quid iſtæ tentationes ſignificent, Apoſtolus docet vbi ait: *Neque tentemus Deum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & a ſerpentibus perierunt: Et hæc*, inquit, *omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram.*

Et dedit eis petitiones eorum, & miſit ſaturitatem in animas eorum. Dabat eis Dominus, quod petebant, vt vel ſic à murmuratione ceſſarent, & de eius omnipotentia non dubitarent.

Et irritauerunt Moyſen in caſtris, & Aaron ſanctum Domini, aperta eſt terra, & deglutinit Dathan, & operuit ſuper Synagogam Abiron, exarſit ignis in Synagoga eorum, & flamma combuſſit peccatores. Tali morte digni ſunt, qui Dei ſacerdotibus detrahunt, & violenter ſibi ſacerdotium vindicare conantur.

Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli manducantis fœnum. Gloria noſtra Deus eſt. Hanc autem gloriam Iudæi in vitulum commutauerunt, quando pro Deo vitulum adorauerunt. Hic autem vitulus eos deuorabit, quia fœnum ſunt, ſicut ſcriptum eſt: *verè fœnum eſt populus*, fœnum autem vitulus manducat.

Et obliti ſunt Deum, qui liberauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro: Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius ne diſperderet eos. Hoc autem factum eſt, quando conſiderata terra promiſſionis, Ioſuë, & Caleph, & cæteri, qui cum eis fuerant, reuerſi ſunt, qui cum nunciaſſent ea, quæ viderant, territus eſt populus, & ſe illuc tranſire negauit, oblitus tot, & tantorum miraculorum quæ iam coram eis, & in Ægypto, & in mari rubro Dominus fecerat. Vnde & Dominus iratus eos occidere voluit. ſed Moyſes eius iram confregit, & auertit, ne eos occideret, & diſperderet. Vnde & ſubditur. *Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*: Pro nihilo quidem quia ſe periculis pro ea tradere noluerunt, & ideo in eam non intrauerunt, quam tam immenſo deſiderio & videre, & habere cupierunt. *Et non crediderunt in verbis eius*, quibus Moyſes Ioſuë, & Caleph eos hortabantur, & ne timerent, confortabant.

Et murmurauerunt in tabernaculis ſuis, nec exaudierunt vocem Domini, & eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto, & vt deiiceret ſemen eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus. Dicens Moyſi: *Dimitte me, vt deleam populum iſtum, & faciam te in gentem magnam.* Hiſtoria quidem narratur nobis, ſed quæ valdè conſideranda eſt, & memoriæ commendanda, ne & nos miraculorum Chriſti, & virtutum eius, quæ nobis quotidie leguntur, obliuiſcamur, & promiſſam nobis hæreditatem paruipendamus, ſed viriliter contra omnes aduerſarios noſtros dimicemus, vt ad eam tranſire valeamus.

Et conſecrati ſunt Beelphegor, & manducauerunt ſacrificia mortuorum. Neſcio quid nefandius vnquam iſti facere potuiſſent, qui ſeipſos diabolo conſecrarunt, eique ſacrificarunt, & ipſis eius ſceleſtis ſacrificiis manducauerunt. Vnde iratus Dominus dixit Moyſi: *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſraël.*

Et irritauerunt eum in ſtudiis ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina. Hoc autem totum deſcendit ex conſilio Balaam, qui docuit Balac, vt virgines ſuas Iudæis opponeret, quarum amore miſeri homines ſuperati, earum Diis immolarent, & ad hoc ſcelus tam immenſum deuenirent. Cum magno igitur ſtudio, atque frequentia ad eas intrantes, magnam iram Dei contra ſe concitauerunt, donec Phinees ſuperueniens cum gladio, fornicatores interfecit. Etiam viginti tria millia hominum ceciderant, quando Phinees pro eis orauit, & exauditus eſt. Et hoc eſt, quod ait.

Stetit Phinees, & exorauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam à generatione vſque in generationem vſque in ſæculum. Hunc igitur & nos imitari debemus, vt fornicationis ſpiritum, vbicunque eſt, verbi Dei gladio confodiamus.

Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius, & diſtinxit in labiis ſuis. Iſtæ ſunt aquæ contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſraël contra Dominum, quando Moyſes dixit eis: *Audite rebelles, & increduli, num de petra hac poterimus vobis producere aquas?* Et tunc quidem Moyſes diſtinxit in labiis ſuis, per quod ſignificatur, quia cum magna ſupplicatione deprecatus eſt Dominum pro eis in ſecreto pectoris ſui. Illæ autem aquæ hæc quatuor Euangeliorum flumina ſignificabant, quæ de Chriſti pectore emanantia, omnibus ad bibendum abundanter ſufficiunt. Quæ non immerito aquæ contradictionis dicuntur, quia valde multi ſunt, qui eis contradicunt. Hinc autem ea narrare incipit, quæ facta ſunt, poſtquam Iordanem tranſierunt, & terram promiſſionis intrauerunt. Præceperat autem illis Dominus, vt omnes gentes diſperderent, quarum terram poſſeſſuri erant, quod quia non fecerunt, multa mala ab eis poſtea paſſi ſunt. Sed quia omnia in figuram contingebant illis, & ſcripta ſunt ad correptionem noſtram, nos demus operam, vt totam vitiorum gentem, quæ in carne noſtra habitat & dominatur, vſque ad internecionem interficiamus, & diſperdamus, vt nunquam amplius contra nos inſurgere valeant, ne fortè de nobis quoque dicatur, quod ſequitur.

Non diſperdiderunt gentes, quas dixerat Dominus illis, & commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum, & immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam; infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum. Simplex hic narratur hiſtoria, & quam ſtulti & iniqui iſti fuerint, quantumque à primis ſuis parentibus, quibus terra fuerat

promiſſa,

A promiſſa, degenerauerint, apertiſſimè oſtendit. Vt omnes intelligant, iuſto Dei iudicio eis accidiſſe omnia mala, quæ ſuper eos veniſſe narrantur. Sic enim tota terra eorum iniquitatibus violata, & contaminata eſt, vt merito eam Deus abominari debuiſſet.

Et fornicati ſunt in obſeruationibus ſuis, & iratus eſt Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam, & tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum, ſæpe liberauit eos. Et in hoc quidem magna Dei clementia declaratur, quia quamvis Deum ſic offendiſſent, quoties tamen humiliati ad eum clamabant, toties eos exaudiebat, & de inimicorum ſuorum manibus liberabat. Et hoc quidem præcipuè in tempore Iudicum factum fuiſſe, qui leget, inueniet.

B *Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in ſuis iniquitatibus.* Si enim eius conſilio credidiſſent, & ab eius imperio non receſſiſſent, ſic in ſuis iniquitatibus ab aduerſariis ſuis humiliati non fuiſſent.

Et reſpexit eos cum tribularentur. Si tamen pœnitentes eum orabant, & inuocabant. Hoc enim quod dicit: *Cum exaudiret orationes eorum.* Quomodo enim eorum orationes exaudire poſſet, niſi eum oraſſent & inuocaſſent?

Et memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ. Deus non pœnitet, ſed pœnitere videtur, quando pœnitentis imitatur affectum, ſi eum, quem affligebat, ſubito aliquis amplecti, & honorare incipiat, pœnitere videtur.

Et dedit eos in miſericordias, in conſpectu omnium qui eos ceperant. Non enim interficiebant eos, neque à patriis legibus recedere cogebant, ſemperque ſecum Prophetas habebant, qui eos conſolabantur, & Dei miſericordias eis promittebant.

C *Saluos nos fac Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua.* De illis nunc Propheta ſpecialiter loquitur, qui in fine ſæculi futuri ſunt, de quibus alibi dicitur: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter.* Itemque: *Si fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reliquiæ conuertentur.* Pro iſtis itaque orat Propheta, quos vbique gentium videt eſſe diſperſos, vt in vnam fidem congregentur, & Chriſtum confiteantur, & in eo glorientur, quod eum laudare tandem digni facti ſunt.

Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo & vſque in ſæculum, & dicit omnis populus, fiat fiat. Nunc, inquit, quia Iudæi & gentiles ex omnibus mundi partibus ſimul in vnum congregati ſunt, omneſque in vnam fidem conuenerunt, omnes eum benedicunt, & eius benedictiones confirmantes, dicunt, *fiat fiat.*

D

ALLELVIA.

QVid ſignificet *Alleluia*, ſatis quidem dictum eſt, ſed ſatis factum non eſt. Et ideo toties nos Propheta hortatur laudare Dominum, quia nunquam ſatis laudare poſſumus.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Hos nunc hortatur Propheta ad laudes Domini, qui Chriſti ſanguine redempti ſunt, & ex omnibus mundi partibus in vnam Catholicam Eccleſiam congregati.

Dicant nunc, qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos. Nunc, inquit, in hoc tempore ſuæ redemptionis confiteantur Domino, & nunc eius laudes dicant, & prædicent omnes, qui redempti ſunt à Domino, illi videlicet, quos Dominus redemit de manu inimici, & de poteſtate diaboli liberauit, & de omnibus nationibus in vnam fidem congregauit. Hoc eſt quod ait.

A ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari. Mare, E quod totum circumit mundum, nunc pro ſola parte Auſtrali ponitur.

Errauerunt in ſolitudine in ſiccitate, & viam ciuitatis habitationis non inuenerunt. Omnes, inquit, iſti, errauerunt, ſed Chriſti gratia illuminati ſunt. Sed vbi errauerunt? In ſolitudine, & non ſolum in ſolitudine, ſed in ſicca ſolitudine. Hæc eſt illa ſolitudo, de qua Propheta dicit: *Ego vox clamantis in deſerto.* Totus mundus erat ſolitudo, quando Dominus venit, omnis terra arida, & ſterilis erat, nondum homines illam viam inuenerunt, quæ ducit ad ciuitatem habitationis. *Ego*, inquit Dominus, *ſum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me.* Hæc eſt igitur illa via quæ ducit ad Patrem, & ad ciuitatem habitationis. Illa ſola eſt ciuitas habitationis, in quam quicunque intrant, æternam habent, & felicem habitationem.

F *Eſurientes, & ſitientes anima eorum in ipſis defecit.* Omnes, inquit, adhuc eſurientes, & ſitientes erant, quia veritatis, & ſapientiæ cibum, & potum nondum guſtauerunt, & ideo anima eorum fame, & ſiti in ipſis defecerat, *non autem fame panis*, vt Propheta ait, *neque ſitis aquæ, ſed audiendi verbum Dei.*

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Hoc autem tunc factum eſt, quando audita Euangelica prædicatione, ſe in errore, & diaboli laqueis eſſe cognouerunt. Sed mox clamantes, & pœnitentiam agentes, ſaluati, & liberati ſunt. *Et* tunc quidem *eduxit eos Dominus in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.*

Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Egregiè autem dicitur, vt miſericordiæ, & mirabilia laudent Dominum, quia per miſericordias quas fecit, & per mirabilia, quæ filiis hominum oſtendit, laudatur, & magnificatur Dominus. Et dignum quidem eſt vt eum laudent, qui ea bona ſuſcipere meruerunt, quæ ſuperius expoſita ſunt.

G *Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis.* Hoc eſt enim, quod ſuperius dixit, quia *de neceſſitatibus eorum liberauit eos*, qui eſurientes & ſitientes erant. Inanes erant illæ animæ, quæ Chriſti fide, & cognitione vacuæ erant. Has autem ſatiauit Deus omnibus bonis, quia vtriuſque teſtamenti dulcedinem, & veritatem intelligere fecit.

Sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, vinculis ligatos in mendicitate & ferro. Subauditur, liberauit Dominus: hoc enim ibi inferius continuatur vbi dicitur: *Et de neceſſitatibus eorum liberauit eos.* Hic eſt ille populus, de quo Propheta ait: *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: ambulantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.* Sedebant enim iſti in tenebris erroris, & cæcitatis, & ſub illius arboris vmbra, quæ non refrigerium, ſed mortem dabat. Erant autem vinculis ferreis ligati in mendicitate, quia ſpiritualibus diuitiis pauperes dura diaboli catena ſtringebantur. Hoc autem cur eis acciderit, ſequentia manifeſtant.

H *Quia exacerbauerunt eloquium Domini, & conſilium altiſſimi irritauerunt.* Neque ipſi per ſe vel à Doctoribus ſuis cognoſcere poterant veritatem, neque his, qui Diuino oraculo eam prædicabant, credere volebant, ſed potius contra Diuinæ legis prædicatores, errorem ſuum omnibus modis defendere nitebantur. Et hoc quidem erat, eloquium Domini exacerbare, eiuſque conſilium irritare. Vnde & ſubditur.

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, & infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. Magnus labor eſt veritatem inueſtigare, quam quidem nemo ſuo ingenio, ſine Diuino auxilio inuenire poterit. Et ideo omnes ſæculi ſapientes ſtulti facti ſunt, & ad veritatis cognitionem pertingere non potuerunt. Cor autem, cum vincit, exaltatur, cum vincitur, humiliatur. Quod igitur hic dicitur. *Humiliatum eſt in laboribus cor eorum*, tale eſt ac ſi diceret: Quamvis diu multum die noctuque cogitando, & meditando laboraſſent, victum tamen, & humiliatum eſt cor, & ingenium eorum, quoniam ad veritatis notitiam ſuo ingenio peruenire non potuerunt, ſed omnino

infirmati ſunt, nec fuit inter eos neque ſcriptum, neque ſapiens aliquis, qui eos in hoc labore adiuuare potuiſſet. Cum igitur ſic meditando tribularentur, & affligerentur, audita ſubito Euangelica prædicatione illuminati ſunt, & clamantes ad Dominum de iſtis tantis ſois neceſſitatibus liberati ſunt. Et hoc eſt quod dicit.

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Quæ autem fuerint iſtæ neceſſitates, audiamus.

Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit. Et hoc quidem iam ſuperius expoſuimus, quia erroris, & cæcitatis tenebras patiebantur.

Confiteantur Domino miſericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et hoc ſimiliter expoſitum eſt. Quod tamen valde dignum eſt, vt ſæpius repetatur, quia magna Dei miſericordia eſt, magnaque miracula, quæ nobis in hoc pſalmo narrantur. Sed quæ miracula?

Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Valde dura, & fortia eſſe oſtendit, in eo quod ærea, & ferrea ea eſſe dicit. Omnia machinamenta diaboli tam fortia ſunt, vt merito ærea & ferrea eſſe dicantur. Non eſt ergo mirum, ſi verba vitæ ad corda iniquorum penetrare non poſſunt, quæ tam fortiter clauſa, & obſerata ſunt. Omnia vitia, & peccata machinamenta diaboli ſunt, quæ verbo Dei obſiſtunt, ne ad cor hominis penetrare valeant. Vincit tamen virtus, & potentia Dei, & quamvis miſer homo in via iniquitatis clauſus, & ligatus ſit, inde tamen eum trahit, & ad viam veritatis reuocat. Et hoc eſt quod dicit.

Suſcepit eos de via iniquitatis eorum. Et quaſi aliquis diceret: Quid cauſæ eſt, quod ſic homines à diabolo & vinci, & humiliari poſſunt, ait: *Propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.* Ipſi, quaſi dicat, hoc faciunt qui falſitatem, & iniuſtitiam diligunt, & eam, quam diligere debent, veritatem odio habent. Et hoc eſt quod ait.

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & idcirco appropiauerunt vſque ad portas mortis. Omnem, inquit, eſcam ſalutiferam, & viuificatricem, per quam vtriuſque teſtamenti doctrina ſignificatur, abominata eſt anima eorum, & ideo ad portas mortis appropinquauerunt, quia hæreticis, & ſchiſmaticis aliiſque deceptoribus ſe ſociauerunt. Iſti enim ſunt portæ mortis, quia per iſtos intratur ad mortem.

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Hoc autem iam ſuperius expoſitum eſt. Sed quomodo de neceſſitatibus eorum liberavit eos? Sequitur.

Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum. Hoc autem de Saluatore noſtro intelligitur, qui ad ſanandas, & liberandas omnes gentes à Domino miſſus eſt.

Confiteantur Domino miſericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum. Nunc, quaſi dicat miſericordiæ, & mirabilia neceſſaria ſunt, quando ſancti prædicatores ad prædicandum, & ſacrificium laudis immolandum mittuntur. Hoc eſt enim quod ait.

Vt ſacrificent ſacrificium laudis; & annuncient opera eius in exultatione. De hoc ſacrificio dicit Apoſtolus: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt, vitulos labiorum confitentium nomini eius.* Vituli namque labiorum, laudes, ſermones, & verba ſunt, quæ Apoſtoli prædicare, & nunciare mittuntur. Sed vt hoc in exultatione facere valeant, neceſſe eſt, vt miſericordiæ, & mirabilia Dei cum eis vadant.

Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Iſti qui deſcendunt mare in nauibus, Apoſtoli ſunt & Doctores. Et ipſi quidem fecerunt operationes in aquis multis, quia prædicauerunt, & virtutes multas fecerunt in populis multis. Et hoc eſt quod dicit. *Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Tunc enim in profundo maris Apoſtoli mirabilia viderunt, quando inter impios, & peccatores mortuos ſuſcitabant, cæcos illuminabant, & alia miracula faciebant. Deſcendit autem vnuſquiſque in nauicula corporis ſui, quæ quidem fragiles erant, & naufragio deſtinatæ, ſed ſpiritus, qui præſidebat, fortis erat, & nauigandi peritus. Vnde & Dominus ait: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.*

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Hoc eſt enim, quod per Prophetam Dominus ait: *Ego Dominus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius.* Tantum enim & non amplius poterunt mali contra bonos, quantum eis Dominus facere permittebat. *Dixit* igitur *Dominus*: (dicere autem, voluiſſe fuit.) *Et ſtetit ſpiritus procellæ.* Et quia Dominus hoc voluit, vt ſpiritus procellæ ſtaret, & mare in ſuo feruore, & tempeſtate perſeueraret, ideo exaltati ſunt fluctus eius. Et quid fecerunt tunc illi de quibus modo diximus, qui deſcendunt mare in nauibus?

Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. Et aſcendere malum eſt, & deſcendere peius, in vtroque enim mortis periculum adeſt. Vnde & dicit. Quia *anima eorum in malis tabeſcebat.* Malis, metaphoram ſequitur. Et ideo nunc aſcendere, nunc vero deſcendere dicit. Poſſumus autem intelligere, quod tunc aſcendebant, quando ante tyrannos ad tribunal iudicij trahebantur: Tunc vero deſcendebant, quando in ima carceris trudebantur.

Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deglutita eſt. Hæc verba quid aliud ſignificant, niſi timoris, & perturbationis intolerabilem immenſitatem. Hinc eſt enim, quod Apoſtolus dicit: *Nolo vos ignorare fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.*

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Quomodo autem liberauit, audiamus. *Statuit procellam eius in auram & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt, quod ſiluerunt, & eduxit eos in portum voluntatis eorum*, & ita quidem de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Plana ſunt hæc, & iucunda ad intelligendum.

Confiteantur Domino miſericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et hoc quare: *Vt exaltent eum in Eccleſia plebis, in cathedra ſeniorum laudent eum.* Conſtat igitur quia aliter eum exaltare non poſſunt niſi Dei miſericordiæ, & mirabilia adſint. Inde eſt enim, quod alibi dicitur: *Quia profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quid eſt autem in Eccleſia plebis niſi in populo gentium? Et quid eſt *in cathedra ſeniorum*, niſi in Synagoga Iudæorum: De hac enim cathedra Dominus ait: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.*

Quia poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, terram frugiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea? è contra vero, *qui poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum, & collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis.* Hoc eſt igitur vnde Apoſtoli, & prædicatores, & in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum Dominum exaltare, & laudare debent, quia deponit ſuperbos exaltat humiles: quia conuertit libanum in chermel, & Chermel in ſaltum reputatur. Quia conuertit deſertum in terram fructiferam, & terram fructiferam in deſertum. Et vt planius dicatur quia Iudæorum malitiam repulit & gentium ſimplicitatem elegit. Quid enim aliud erat gentilitas, niſi deſertum, & terra ſitiens, & ſine aqua? Et ibi quidem poſuit Dominus flumina, & exitus aquarum, quoniam illis Apoſtolos dedit & ſanctarum volumina ſcripturarum. Iudæa vero terra fructifera quondam fuit, ſed à malitia inhabitantium in ea, in ſalſuginem, & ſterilitatem conuerſa eſt. Quod autem ſequitur. *Poſuit deſertum in ſtagnum aquæ, & terram ſine aqua in exitus aquarum*, repetitio eſt. Ibi autem, id eſt, in terra ſine aqua, per quam Eccleſia ſignificatur, collocauit Dominus eſurientes? illos, videlicet de quibus dicitur. *Et famelici ſaturati ſunt.* Et iſti quidem conſtituerunt, compleuerunt, ædificauerunt, & cunctis bonis abundare fecerunt ciuitatem habitationis

per

A per quam vel Eccleſia, vel cœleſtis Ieruſalem intelligi poteſt.

Et ſeminauerunt agros, plantauerunt, & fecerunt fructum natiuitatis. Quotidie ſeminatur ager Dei, & plantatur vinea Dei & quotidie reddunt fructum nouum, fructū natiuitatis, nouæque natiuitatis. *Plures enim*, vt Apoſtolus ait, *facti ſunt ſacerdotes ſecundum legem idcirco quod morte prohiberentur permanere*, vt ſemper alij aliis ſuccedant, qui in agro Dei, & in vinea Dei, laborare non deſinant.

Et benedixit eos, & multiplicati ſunt nimis, & iumenta eorum non minorauit. Iumenta hoc in loco Epiſcopi ſunt & ſacerdotes. Hæc autem minorata non ſunt, quia ſicut modo diximus alij pro aliis quotidie ordinantur. Dicuntur autem iumenta, quaſi iuuamenta, quod nomen quantum huic ordini conueniat, quis non intelligat.

Pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolorum. Modo, quaſi dicat, iumenta minorata non ſunt, quamvis in tempore perſecutionis omnes Eccleſiæ
B prædicatores valde pauci aliquando facti ſunt, & multum ab iniquis hominibus vexati, & afflicti ſunt.

Effuſa eſt contentio ſuper principes eorum, & ſeduxerunt eos in inuio, & non in via. Inde, quaſi dicat vexati ſunt ſancti à malorum hominū tribulatione, quia ſuper principes eorum contentio effuſa eſt, qui eos ſeduxerunt in inuio, & non in via. Iſti Principes hæretici ſunt, qui ſemper contendere parati, & ſuos decipiunt, & ſanctos quieſcere non patiuntur. Decipiunt autē eos in inuio, & non in via, quia nemo eſt, qui in omnibus decipiatur. Vbi ſeducitur homo, in inuio, & eſt nō in via, vbi nō ſeducitur, in via eſt.

Et adiuuauit pauperem de inopia, & *poſuit ſicut oues familias.* De quibus modo ſuperius dixit *pauci facti ſunt*, eoſdem ipſos propter ipſam paucitatem pauperes vocat. Vicina ſibi ſunt paucitas, & paupertas, & pene idem ſignificare videntur. Quomodo autem Dominus adiuuerit pauperem de inopia, ideſt de ſupradicta paucitate, exponit dicens. *Et poſuit ſicut oues familias*, quoniam ſicut
C greges ouium ſic eos multiplicauit, ſingulas autem familias ſingulas Eccleſias intelligere poſſumus.

Videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Videbunt, inquit, recti ea, quæ in hoc pſalmo ſunt, & lætabuntur, quoniam totus iſte pſalmus miſericordia plenus eſt. Iniqui vero taceant, & contra Deum vlterius non loquatur. Nullas excuſationes habere poterit, qui poſt tantam plenitudinem miſericordiarum ab iniquitate non recedit.

Quis ſapiens, & cuſtodiat hæc, & tunc intelliget miſericordias Domini. Ille inquit, ſapiens eſt, qui iſta cuſtodit. Et qui iſta cuſtodierit, ille ſine dubio intelliget miſericordias Domini. Intelligere autē, hoc in loco, ſuſcipere eſt. Nemo enim ſic eas intelliget, ſicut ille, qui eas ſuſcipiet.

CANTICVM PSALMI DAVID.

QVid eſt autem, *Canticum pſalmi*, niſi laus bonæ operationis. Laudantur igitur in hoc pſalmo opera
D bona, & qui ea operantur. Eloquitur contra Philoſophos, & hæreticos, qui ſuam ſcientiam extollentes, ſanctorum irrident doctrinam, & ſimplicitatem. Sed vir iuſtus ea non curat, neque propter hoc Diuinæ legis ſcientiam, & doctrinam prædicare ceſſat.

Paratum cor meum Deus. Paratum cor meum, cantabo & pſalmum dicam Domino. Faciant illi, quicquid velint, dicant quod velint, laudent dogmata ſua, vituperent noſtra; cor meum tamen ſemper paratum eſt ad cantandum, & iubilandum, ad laudandum, & prædicandum, & verbum vitæ, & ſalutis, cunctis gentibus nunciandum. Et hoc eſt quod dicit. *Cantabo, & pſalmum dicam Domino.* Sed vbi? in pſalterio & cithara. Hoc eſt enim quod ſequitur.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara, & ſurgam diluculo. Quid per pſalterium & citharam, niſi vetus & nouum teſtamentum intelligamus? decem cordas habet pſalterium, quia decem ſunt verba legis. In cithara vero, vel tres, vel quatuor cordæ ſufficiunt, & tres quidem myſterium Trinitatis: quatuor vero totidem Euangeliorum libros deſignant. Cantant igitur ſancti, vel in Pſalterio, vel in cithara, quia alium cantum, & doctrinam non habent, niſi veteris, & noui teſtamenti. Si igitur pſalterium, & cithara ab Eccleſia tollatur, quid dicat, quid cantet, & quid prædicet non habebit. Et igitur omnis gloria eius in pſalterio, & cithara, quia ſine cantu ſine doctrina, & ſcientia, nullam gloriam habere poteſt. Et quamvis omnis modulatio pſalterij, & citharæ ſuauis ſit, & dulcis ad audiendum illa tamen dulciſſima eſt, quæ à tribus chordis in cithara modulatur: & talis quidem eſt ille cantus, quem, ſicut Iſaïas Propheta, & Ioannes Apoſtolus dicit: *Seraphin, & quatuor animalia cantare non ceſſant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, plena eſt omnis terra gloria eius.* Merito igitur dicit Eccleſia. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara*, & ego quidem exurgam diluculo: Tu inquit, pſalterium, & tu cithara
F ſemper eſto parata, vt nullum mihi impedimentum, vel moras faciatis, quia ego quidem ad cantandum exurgam valde diluculo. In hoc autem ſe per totum diem à mane, vſque ad veſperum, ideſt, omni tempore vitæ ſuæ ſe cantare, & iubilare promittit, quod ſe diluculo exurgere dicit.

Confitebor tibi in populis Domine, & pſalmum dicam tibi inter gentes. Parata, inquit, ſum, pſalteriū habeo citharam habeo, & in pſalterio, & cithara confitebor tibi, & laudabo te in populis Domine, & pſalmum dicam tibi inter gentes. Quia enim Iudæi audire nolunt, pſalmos ſe inter gentes cantare promittit. Pſalmos autem cantare eſt, verbis, & actione legis mandata adimplere.

Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos gloria tua, & vſque ad nubes veritas tua. Miſericordia Dei & veritas Dei Saluator noſter eſt, quia omni miſericordia, & veritate plenus eſt, & in ipſo, & per ipſum Patris miſericordia, & veritas cunctis gentibus reuelata eſt. Hoc,
G inquit, confitebor, hoc prædicabo in omnibus gentibus nunciabo: quoniam vſque ad cœlos, & vſque ad nubes miſericordia tua, & veritas tua magnificata & exaltata eſt. Sed vt vera ſit hæc prædicatio mea, iam nunc exi de ſpelunca, egredere de ſepulchro, & exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua manifeſtetur.

Saluum me fac dextera tua, & exaudi me. Dicit Eccleſia, vt liberentur electi tui, ſaluum me fac dextera & fortitudine tua, & exaudi me. Salus huius piiſſimæ matris, omnium filiorum liberatio eſt.

Deus locutus eſt in ſancto ſuo: Lætabor, & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor. Propheta loquitur modo, & Eccleſiam conſolatur, quæ de humani generis calamitatibus ab ipſa origine incipiens lamentabatur, quæ tamen de ſola ſignificatione gaudebat, qua fugere poterat à facie arcus: *Deus*, inquit, *locutus eſt in ſancto ſuo*, ideſt in dilecto filio ſuo, & ea locutus eſt, quæ lætitiam tibi dabunt & exultationem, quoniam
H vſque ad fines terræ te dilatabit, & totam terram, quam dimenſus eſt, & per ſuas partes diuiſit, tibi dabit. *Lætabor*, inquit, *& diuidam Sichimam*: Egregiè Dominus à lætitia incipit, quia eius lætitia omnibus ſuis fidelibus gaudium præſtat. Vnde & in eius natiuitate gaudium paſtoribus promittens Angelus ait: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator; qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.* Sichima, humeri interpretatur, & ſignificat illos humeros, qui ſuper humerale in Exodo ferre iubentur. Ipſi autem ſunt SS. Apoſtoli, Epiſcopi, & Sacerdotes, qui ideo humeros ornatos habent, vt alios omnes ſapienter, & fortiter portent. Ipſi enim ſunt, quibus Dominus ait: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite, quia mitis ſum, & humilis corde.* Hos igitur diuiſit Dominus, & totam conuallem tabernaculorum inter eos partitus eſt. Conuallis tabernaculorum, totus iſte mundus intelligitur, in quo tabernacula Dei poſita ſunt, per quæ omnes Eccleſiæ ſignificantur, de quibus ſubditur.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim

fortitudo capitis mei : Iuda Rex meus, Moab olla ſpei mea. In Idumaam extendam calceamentum meum, mihi allophili ſubditi ſunt. Ecce omnia ſua ſunt, omnia hæc ad Eccleſiam pertinent, & ita ſancta mater Eccleſia vbique gentium magnificata & dilatata eſt. Sed quid per *Galaad* quæ ceruus teſtimonij interpretatur, niſi Eccleſiæ Doctores & Magiſtros intelligamus ? Ipſi enim ſunt in quibus vtriuſque teſtamenti teſtimonia coaceruata ſunt, quibus & ſeipſos, & omnes alios defendere debent. Et merito primi ponuntur, qui inter omnes alios obtinent principatum. *Manaſſes* vero interpretatur obliuio, per quem nimirum illi ſignificantur, qui ſancti ſpiritus calice inebriati terrenorum omnium obliuiſcuntur, & ſola cœleſtia concupiſcunt. Tales erant illi, de quibus in Actibus Apoſtolorum dicitur : Quia *omnibus erat cor vnum & anima vna, & nemo dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia.* Inter hos autem Monachi quoque & Eremitæ connumerantur. At vero per *Ephraim*, qui frugifer dicitur, omnes illos intelligere debemus, qui boni operis fructum Domino reddunt. In his autem & clerici, & laici, & maſculi, & fœminæ, & diuites, & pauperes, & liberi, & ſerui, & omnes alij, qui otioſi non ſunt, ſed in vinea Dei fideliter laborant, intelliguntur. Quod autem ait. *Fortitudo capitis mei*, tale eſt ac ſi diceret. Fortitudo mea. Ad hanc autem ſignificationem, & boues noſtros, & operarios noſtros, fortitudinem noſtram dicere ſolemus. *Iuda Rex meus.* Iuda confeſſio interpretatur. Iſti autem ſunt, qui pro aliis pugnant, & Deum aſſiduè laudant, & benedicunt, & inter ipſa tormenta Deum ſuum, & creatorem ſuum Chriſtum eſſe confitentur. Et tales quidem digni ſunt, qui Reges à Domino conſtituantur. *Moab olla ſpei mea.* Bene poſt confeſſionem, ollam poſuit, quia ſola confeſſio ſanctorum carnibus ollam implebat, & eos ad ignem, & ad alia tormenta ducebat. Per *ollam* enim hoc in loco, omnia tormentorum genera ſignificantur. Interpretatur autem *Moab* ex patre, per quem eos intelligimus, quibus in Euangelio Dominus ait : *Vos ex patre diabolo eſtis.* Iſti igitur ſunt, quos prius ſibi ipſi, deinde verò fidelibus ſuis, ollam ſe Dominus habere ſperabat. Sperabat quidem, quia libenter, & ſua ſponte ſuſtinuit paſſionem. *In Idumaam extendam calceamentum meum*, id eſt calceatos meos, per quos Apoſtolos ſignificat, qui, ſicut ſcriptum eſt, *calceati erant in præparationem Euangelij pacis.* Hos autem extendit Dominus, & miſit in *Idumaam*, quæ ſanguinea interpretantur, quod quid ſignificet, manifeſtiſſimum eſt. *Mihi Allophili ſubditi ſunt* ; Per Allophilos, qui ſine capite, interpretátur vniuerſaliter omnes infideles, & quicunque Dei cognitionem non habent, intelligere debemus. Quomodo enim caput habebant, qui cæci, & ſurdi, aures, & oculos non habebant ? Si enim oculos habuiſſent, nequaquam ligna, & lapides Deos eſſe dixiſſent. Illi tamen Apoſtolica prædicatione Saluatori noſtro ſubditi ſunt, quia de talibus Eccleſiæ muri fabricati ſunt. Iſti enim ſunt illi lapides impoliti, & incircumciſi, quos ferrum non tetigit, quia de talibus altare ſibi Dominus fieri iuſſit. Hucvſque Dominus locutus eſt. Hinc autem Eccleſia ſuæ narrationis ordinem ſeruat.

Quis deducet me in ciuitatem munitam ? aut quis deducet me vſque in Idumaam ? Quis, inquit, deducet me in ciuitatem munitam, ideſt, in cæleſtem Ieruſalem, vbi neque ollas Moab, de quibus modo locutus eſt, neque ſanctorum ſanguine cruentatos Idumæorum gladios timeam ? Aut ſi pedes meos in Idumæam extendere vis, quis erit, qui me deducat, & itineris viam oſtendat, & euntem, & redeuntem cuſtodiat ?

Nonne tu Deus, qui repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, iratus es & miſertus es nobis ? Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris ? Egredieris vtique, quia ſic promiſiſti nobis, & ſic te facturum eſſe ſperamus ; Hoc eſt enim, quod in Euangelio Dominus ait ; *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum* faciet, quia ego ad patrem vado. Itemque : *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur : In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Da nobis auxilium de tribulatione. Quia nos aliunde auxilium non exſpectamus. *Et vana eſt ſalus hominis*, ſiquidem vniuerſa vanitas eſt ipſe homo.

In Deo faciemus virtutem. In Deo, inquit, faciemus virtutem, *& ipſe egredietur in virtutibus noſtris.* Quia, ſicut ipſe dixit, ſine ipſo nihil facere poſſumus. *Et ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Tale eſt & illud, quod alibi dicitur : *Ad nihilum deuenient, ſicut aqua decurrens*, ad nihilum deducitur, cuius intentio non adimpletur, eſt enim vſitatiſſimus iſte modus locutionis, vt nihil eum feciſſe dicamus, qui id, quod cœpit, facere non potuit. Sic igitur ad nihilum deuenerunt, qui ſuas voluntates ad effectum perducere non potuerunt.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

Iſte titulus iam multoties expoſitus eſt. Quando Propheta ponit *in finem*, non vult vt de ſe, ſed de Chriſto intelligatur. Et ipſe quidem loquitur in hoc pſalmo, & de Iudæis conqueritur, qui tantis eius beneficiis ingrati fuerunt, & pro bonis mala reddiderunt.

Deus laudem meam ne tacueris. Vult Saluator noſter, vt totus mundus cognoſcat, & prædicet, miſericordiam, fortitudinem, & patientiam ipſius, qui cum ſolo verbo omnes ſuos inimicos perdere potuiſſet, quod ad fortitudinem ſpectat, noluit tamen, ſed nimia miſericordia plenus pro eis orabat dicens : *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Et ſicut ouis ad occiſionem ductus, cum eum irriderent, maledicerent, ligarent, flagellarent, damnarent, ſpinis coronarent, &, (quod dicere contremiſco) conſpuerent, & colaphizarent, crucifigerent, & aceto potarent. Sed quis omnia dicere valeat ? Ipſe tamen patienter cuncta ſuſtinuit. Sed melius eſt, vt ipſum audiamus, ipſe nobis dicat, quid ille populus ſtultus, & inſipiens, impius, & ingratus contra eum fecerit : *Quia os*, inquit, *peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt*, verè peccatoris, qui illud peccatum facere non timuit, cui nullum peccatum vnquam comparari poteſt. Verè doloſi, qui laudando, extollendo, magiſtrum bonum vocando, in omnibus inſidiando, cum falſis teſtibus accuſando, legis iniurias obiiciendo, ipſum legis conditorem contra legem feciſſe mentiebatur. *Nos*, inquiunt, *legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Et cum nullam cauſam mortis Pilatus in eum inuenire potuiſſet, ac per hoc eum dimittere voluiſſet, illi omnes è contra vna voce clamauerunt, *crucifige ; crucifige* dicentes. Cumque ille diceret.

Quid enim mali fecit ? Illi nihil habentes, quod ei reſpondere potuiſſent, non ad interrogata reſponderunt, ſed iterum crucifige clamauerunt. Et tunc quidem completum eſt, quod modo Dominus ait, quia *os doloſi & peccatoris ſuper me apertum eſt.* Dicitis Iudæi, quia legem habetis, quare ergo ſecundum legem non iudicatis? quare iuſtum, & innocentem condemnatis ? quare contra eum, qui neque victus, neque confeſſus eſt, crucifige, crucifige clamatis ? Sed audiamus quid Dominus dicat.

Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. Quid dicetis ad hæc ? Nonne veſter propheta illud prædixit ? Non potuit mentiri Spiritus ſanctus, qui in eo loquebatur, ipſe veſtra conſilia iniqua, ipſe veſtros dolos ipſe veſtros ſermones odij, & mendacij plenos, antea per tam multos annos reuelauit, & hoc malum tam immenſum, quod ad perditionem veſtram facturi eratis, manifeſtauit. Verum eſt igitur, & negare non poteſtis, quia locuti eſtis aduerſus eum, lingua doloſa, lingua fallaci, lingua merito damnanda, & flammis perpetuis crucianda. Verum, inquam, eſt, & negare non poteſtis, quia ſermonibus eum circumdediſtis, & ſicut ipſe ait, gratis eum odio habuiſtis, & nullam iuſtam cauſam contra eum inuenire potuiſtis.

Scio quia cauſam veſtram, quamvis iniquam defenderetis, & ſicut ſemper ſoliti eſtis, contra veritatem contenderetis, & pugnaretis, niſi propheta veſter, & Rex veſter iſta prædixiſſet, cui contradicere non audetis. Sed iterum quid Dominus dicit, audiamus.

Pro eo vt diligerent me detrahebant mihi. Et tu Domine quid faciebas? *Ego autem orabam: poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Hoc eſt enim quod per prophetam Dominus ait: *Vinea mea electa ego te plantaui, quomodo conuerſa es in amaritudine vitis aliena?* Et alibi. *Popule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te, reſponde mihi.* Longum eſt, ſi enarrare velimus, quæ, & quanta beneficia illi populo impio, & ingrato Dominus fecerit: Non ſum miſſus, dicit Dominus, *niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Magna cauſa dilectionis eſt hæc, multùm pro hac cauſa eum diligere debuiſſent, quod ipſemet pro illis ſe veniſſe teſtatur. Suſcitabat mortuos illorum, illuminabat cœcos, curabat paraliticos, mundabat leproſos, ſanabat hydropicos, illi vero è contra, quid detrahentes dicebant? Hic homo non eſt à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit. In his igitur, & multis aliis detrahebant ſibi pro quibus eum multum diligere, & honorare debuiſſent. Ipſe vero orabat, & pro ipſis ſuis inimicis, & pro omnibus aliis, vt eius paſſio omnibus proficeret ad vitam æternam.

Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius. Dignum eſt vt peccatores peccatorem ſuſcipiant, & qui noluerant ſuſcipere Chriſtum ſaluatorem, Antichriſtum ſuſcipiant deceptorem. Stat autem diabolus à dextris huius populi, quia ipſe eos poſt ſe trahit, ad ſiniſtram impellit, & ab itinere recto diuellit: oſtendit eis viam ſiniſtram, dexteram claudit, & eos per illam tranſire non patitur.

Cum iudicatur, exeat condemnatus. Hoc erit in iudicio, quando ſimul cum eo, quem nunc ſequitur, mittetur in ignem æternum. *Et oratio eius fiat in peccatum.* Quotidie orant Iudæi, & pſalmos, & Prophetas legunt, ſed omnis eorum oratio in peccatum vertitur eis, quia in hoc ipſo Dominum offendunt, quod eius verba ore impio, & polluto dicere præſumunt.

Fiat habitatio eius deſerta, & non ſit, qui inhabitet in ea. Iſte verſus in hoc loco ſuperfluus eſt, & in alia tranſlatione non habetur. Sed fortaſsè ideo additus eſt, vt numerus maledictionum conueniret numero denariorum, quibus Dominus venditus eſt:

Fiant dies eius pauci. Pauci quidem fuerunt dies, quia poſt quadraginta duos annos capta vrbe, & templo deſtructo, omnes in captiuitatem ducti ſunt. Quod ſi de Iuda intelligatur, neque pauci neque multi fuerunt, quia ſtatim abiens laqueo ſe ſuſpendit. Et Epiſcopatum eius accipiat alter. Et Iudæ quidem Epiſcopatum accepit Mathias: Synagogæ vero ſuſcepit Eccleſia.

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Quot in illa captiuitate illius miſeri populi orphani, & quot viduæ factæ fuerunt, quis dicere valeat? De Iuda autem non legitur, quod vel vxorem, vel filios habuiſſet, ſed quia propheta hoc dicit, dubitari non debet:

Commoti amoueantur filij eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus ſuis.

Et hoc ad litteram factum eſt quia & commoti, & amoti & mendici, & pauperes facti, & de ſuis habitationibus eiecti ſunt.

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni omnes labores eius. Iſte fœnerator diabolus eſt, qui pecuniam ſuam dedit eis ad menſam, quam ſine vſura nunquam ſuſcipiet, vſura autem animæ fuerunt: pecunia vero vitia & peccata fuerunt. Diripient autem alieni labores eius, quia quæcunque operati ſunt, malignorum ſpirituum erunt.

Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius. Iam per mille annos, & amplius, eſt populus iſte in captiuitate, & nullum neque Dei, neque hominis auxiliū meruit, vt ad propria remearet, nulluſque fuit, qui vel ipſis, vel filiis eorum libertatis miſericordiam præſtaret.

Fiant nati eius in interitum, in vna generatione deleatur nomen eius.

Hoc autem in illa obſidione completum fuit, de qua iam ſuperius diximus: In vna vero generatione deletum nomen eius eſt, quia tranſactis 42. annis, in quibus vna generatio completur, nulla terra poſtea nominata eſt regnum Iudæorum.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Hoc eſt enim quod in Euangelio Dominus ait: *Et veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram,* quatenus in eos vindicetur, quicquid vel ipſi, vel eorum parentes commiſerunt. Peccatum matris eius, vel peccatum Ieruſalem, vel originale peccatum mihi eſſe videtur, quod Eua commiſit, omnium viuentium mater, quod quidem in nullis aliis deletur, niſi in illis, qui Chriſti ſanguine redempti ſunt.

Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum. Quid eſt, quod hucvſque ſingulariter locutus nunc vero pluraliter loquitur: niſi vt intelligamus vnum idemque ſignificari, ſiue ſingulariter ſiue pluraliter iſta dicantur? De illis loquitur, qui in malitia perſeuerantes numquam ad pœnitentiam redire volunt. Vult igitur, vt iſti tales ſemper Domino contraria operentur, ſemperque ſeipſis deteriores fiant, & ſicut ſcriptum eſt: ſordidi ſordeſcant, quatenus maiora tormenta patiantur, diſpereat igitur de terra viuentium memoria eorum, & in libro vitæ non ſcribantur. Et hoc quare?

Pro eo, quod populus iſte non eſt recordatus facere miſericordiam. Qui tot, & tantas miſericordias à Domino ſuſcepit.

Et perſecutus eſt hominem pauperem, & mendicum. Seipſum dicit, *qui cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt. Et compunctum corde morti tradidit:* Magnæ crudelitatis eſt, inopi, & pauperi, & corde compuncto non parcere. Compunctus corde fuiſſe Dominus in eo oſtenditur, quod & pro Lazaro lacrymatus eſt, & pro ciuitate Ieruſalem, iam aduerſus eum conſpirante, fleuiſſe legitur.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & prolongabitur ab eo. Illum dilexit, cuius os maledictione, & amaritudine plenum eſt & dolo: & illum habere noluit, in quo omnes gentes benedicuntur. Qui igitur benedictionem habere noluit cum Chriſto, maledictionem habebit cum Antichriſto.

Et induit maledictionem, ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius: In his verbis oſtenditur, quia ſic maledictio, & intus & extra ei adhæret, & coniuncta eſt, vt ab eo ſeparari non poſſit. Qua in re cor impœnitens, & mentis induratio deſignatur. Vnde & ſubditur.

Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.

In eo enim quod ſemper dicit, coniunctionem inſeparabilem oſtendit.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam. Quotidie Iudæi malè de Chriſto loquuntur, & nunquam ei detrahere ceſſant. Vnde manifeſtum eſt, quia ſicut hic dicitur, hoc opus componitur eis, & omnes huius pſalmi maledictiones venient ſuper eos.

Et tu Domine Domine fac mecum miſericordiam propter nomen tuum, quoniam ſuauis eſt miſericordia tua. Sæpe iam diximus, quia quoties Saluator noſter aliquid petit, & aliqua re indigere videtur, nihil ad Diuinitatem, ſed omnia ad humanitatem referenda ſunt. Neque vero ipſa humanitas aliquo indigebat, niſi quantum indigere volebat. Poſtulat igitur, ſed pro nobis, qui membra illius ſumus: poſtulat, vt nos poſtulare doceat in neceſſitatibus noſtris, qui non armis, ſed orationibus pugnare debemus. Fecit igitur pater miſericordiam propter nomen ſuum, quod inuocauit, cuius miſericordia ſuauis eſt, quia tunc adeſt, quando neceſſaria eſt.

Libera me, quoniam egenus, & pauper ego ſum. Egenus

A quidem, & pauper eſt, qui ſe à ſuis inimicis defendere non poteſt. Talis, quantum ad ſe, erat humanitas Chriſti, ſed quia Diuinitas ſibi coniuncta erat, nihil erat, quod ipſa non poſſet. Simul itaque & pauper, & diues erat, & egebat, & non egebat.

Et cor meum conturbatum eſt in me. Et hoc quidem ad humanitatem ſpectat. Quis enim, niſi homo, ſicut de eo ſcriptum eſt, cœpit tædere, & mœſtus eſſe? Facit humanitas, quod ſuum eſt, & Diuinitas quod ſuum, quia niſi hoc faceret, quis eum hominem eſſe crederet? Si enim ſolius Diuinitatis naturam, & potentiam oſtendiſſet, nemo eum hominem crediſſet. Valde ergo nobis neceſſarium fuit, vt has affectiones in ſe eſſe Saluator noſter oſtenderet.

Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum. Declinante vmbra ſubito ſolis ſplendor aufertur à nobis, ita cæcitatis errorisque tenebris creſcentibus, ſolem iuſtitiæ, & veritatis lumen Iudæi videre non poſſunt. *Et excuſſus*

B *ſum ſicut locuſta.* Quaſi vaſtatorem, & deprædatorem eum à ſe repellere conati ſunt, quia niſi hoc feciſſent, & locum, & gentem ſe amittere timebant.

Genua mea infirmata ſunt præ ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum. Genua, & caro hoc in loco dicuntur Apoſtoli, qui alibi oculi, pedes, & oſſa, & fortia quæque vocantur. Et hoc ideo, quia molles, & timidi facilè labentes, & ad fugiendum parati in Chriſti paſſione apparuerunt. Sed non mirum, quia adhuc ieiuni erant, & ſancti ſpiritus plenariam vnctionem nondum acceperant, & ideo infirmati ſunt, & eo relicto fugerunt, ſuſcepto autem poſtea ſpiritu ſancto quam fortes fuerunt eorum actus teſtantur. *Et ego factus ſum opprobrium illis.* Et Apoſtoli, inquit, infirmati ſunt, & ego ipſe factus ſum opprobrium illis.

Viderunt me, & mouerunt capita ſua. Viderunt me flagellatum, crucifixum ſpinis coronatum, & mouerunt capita ſua, dicentes. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud readificas ſalua teipſum.*

G *Adiuua me Domine Deus meus, & ſaluum me fac propter miſericordiam tuam, vt ſciant, quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam.* Hoc eſt enim, quod alibi ait: Qui non haberent in eum poteſtatem, niſi deſuper datum ſibi fuiſſet. Et Iudæi hoc fecerunt, & Dominus hoc fecit, ſed Iudæi hoc facere non potuiſſent, niſi Dominus voluiſſet. Et Dominus quidem hoc fecit propter nos, & propter ſalutem noſtram: Iudæi vero propter odium, & inuidiam ſuam Dominus ergo hoc fecit. Quia ſicut ſcriptum eſt, proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.

Maledicent illi, & tu benedices. Quotidie Iudæi maledicunt, ſed eorum maledictiones ſuper eorum capita conuertuntur, non poſſunt celare malitiam ſuam, quia omnia ſacrilegia ipſorum, ipſe eorum Propheta manifeſtat. Hinc eſt enim, quod Iſaac benedicens filium ait. *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Hinc & alibi ſcriptum eſt. *Maledicam benedictionibus veſtris, & benedicam*

D *maledictionibus veſtris. Qui inſurgunt in me, confundantur.* Confuſi ſunt enim, quoniam Deus ſpreuit eos. Sed maior adhuc vos confuſio exſpectat, de qua & ſubditur.

Induantur, qui detrahunt mihi reuerentia, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Qui ſunt illi, qui detrahunt Saluatori noſtro, niſi qui eum hominem tantum, vel patre minorem eſſe dicunt? Iſti induentur non ſolum confuſionem, ſed duplici confuſione, temporali ſcilicet & æterna. Vnde & Propheta alibi ait. *Indue ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos Domine Deus noſter.* Hoc enim ſignificatur in diploide, per quem duplex genus veſtis intelligitur.

Confitebor tibi Domine nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Magnus eſt enim Dominus, & laudabilis nimis. Sed ſolus filius nimis eum laudare poteſt, cæteri vero, neque ſatis eum laudare poſſunt. Nimis ergo eum laudat, ad aliorum comparationem, quia nemo eſt, qui ad hanc menſuram laudationis contingere valeat. Sed vbi eum laudat? In medio multorum. Quid eſt in medio multorum? in Eccleſia Catholica, & per vniuerſum mundum diffuſa. E

Qui aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluum faceret perſequentibus animam meam. Stabat Diuinitas humanitati à dextris, quia ad conſolandum ſtabat, ad dirigendum, ad fouendum, & in omnibus defendendum. Stat præterea pater filio à dextris, & filius patri ſedet à dextris, vt per hoc ſecundum diuinitatem in omnibus æquales eſſe credamus.

PSALMVS DAVID.

IN hoc pſalmo, minor Dauid loquitur de maiori Dauid, quem Dominum ſuum eſſe dicit, & Patri æqualem eſſe oſtendit.

Dicit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Prius F continuationem ponamus, & ſic poſtea ad expoſitionem veniamus. Loquitur autem Pater filio, vt Propheta teſtatur; in his tribus verſibus. *Dicit Dominus Domino meo, donec ponam;* & Tecum principium. Loquitur vero Propheta ad Chriſtum, in his duobus verſibus: *Virgam virtutis tua, & Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Loquitur denique Propheta ad Patrem, *Dominus à dextris tuis.* Vſque ad finem pſalmi. Eodem ergo ordine, quo poſita ſunt, nunc exponere incipiamus. Memores eſſe debemus, quod legiſperitis in Euangelio Dominus ait: *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? dicunt ei: Dauid. Ait illis. Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens; Dicit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis? Quomodo enim Dominum vocat ſi filius eius eſt? & non potuerunt*, dicit Euangeliſta, reſpondere ei. Hæc quæſtio vſque hodie apud Iudæos indiſſolubilis manat: nemo enim hoc intelligere poteſt, niſi qui Deum, & hominem eſſe Chriſtum, credit. Vnde nobis G hæc quæſtio facillima eſt, qui Saluatorem noſtrum, & ſecundum Diuinitatem Dominum Dauid, & ſecundum humanitatem, filium eſſe Dauid non dubitamus. Et hoc eſt, quod ait. Dicit Dominus pater, Domino meo, filio ſuo, Sede à dextris meis. Sedere autem cum Deo in vna ſede, & à dextris ſedere, æqualitatem ſignificat. Iudæi vero, neque Deum eſſe, neque Deo æqualem, neque in cœlum aſcendiſſe, neque ſimul in eadem ſede à dextris eius eum ſedere, credunt. Et ab hac quidem infidelitate ſua non prius recedent, donec ponantur ſcabellum pedum eius. Hoc autem erit in iudicio, quando in ſua maieſtate eum videntes, & Deum, & hominem certiſſimè eſſe cognoſcent. Probat ergo Propheta ab auctoritate ipſiusque Patris, quia filius æqualis eſt Patri, & quia ſedet, & ſedebit ad dexteram Patris, donec inimici eius fiant ſcabellum pedum eius. Poſtquam autem hoc fuerit, iam vlterius hoc teſtimonium Prophetæ neceſſarium non erit, quia ita eſſe omnes videbunt. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum.* Et hoc, inquit Propheta, dicit Dominus Domino meo, quia ipſe ſimul cum eo omnium H creaturarum principium eſt. Qua in re nihilo minus patri æqualis eſſe oſtenditur. Quod autem ipſe principium ſit, & ad patris dexteram ſedeat, in die virtutis ſuæ, & in ſplendoribus ſanctorum, cunctis gentibus reuelabitur. Dies virtutis ſuæ ille erit, quando ſimul cum ſanctis ſuis in ſplendore maieſtatis ſuæ mundum iudicaturus ſe reuelabit. Tunc enim illum ſplendorem ſuſcipient ſancti de quo dicitur. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in Regno Dei.*

Ex vtero ante luciferum genui te. Et hoc ſimiliter ait propheta dicit Dominus Domino meo, quia genui te. Vnde? Ex vtero. Quando? ante luciferum: Nullum tempus oſtenditur, quando ante luciferum dicitur, quoniam in infinitum aſcenditur. Sed quid eſt ante luciferum, niſi antequam dici, vel intelligi, vel cogitari poſſit? Luciferum namque mihi eſt, quicquid mihi obſcurum aliquid oſtendit & intelligere facit. Inde enim dicitur luciferum, eo quod lucem ferat. Eſt igitur Dominus ante luciferum genitus, id eſt, antequam mente cōcipere valeamus. Quod

enim

A enim tempore non concluditur; humana mente conci-
pi non poteſt. Sed quid eſt quod ait, Ex vtero? Deus
enim neque cor,neque vterum habet, neque aliqua par-
tium diuiſio in illo eſt,qui ſemper & totus eſt hoc,quod
eſt. Quod igitur ait. *Ex vtero ante luciferum genui te*,tale
eſt ac ſi diceret:Ex meipſo ante omnem creaturam,& an-
tequam dici,vel cogitari valeat,genui te. Hucuſque pater
ad filium:Nunc autem Propheta ſimiliter ad ipſum filium
loquitur.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Ex Sion
dicit ſcriptura, exiuit lex,& verbum Domini de Ieruſa-
lem. Virga igitur virtutis Domini,lex & verbum eius,&
Euangelica prædicatio eſt,qua omnes gentes reguntur,&
corriguntur. Hoc autem de Ieruſalem tunc exiuit,quan-
do ſuis diſcipulis Dominus ait:*Ite in vniuerſum mūdum.*
prædicate Euangelium omni creaturæ. Dominaberis in me-
dio inimicorum tuorum. Omnes,& Iudæi, & gentiles vſ-
que ad id temporis, eius inimici erant. Inter quos mo-
B do Dominus dominatur, & virgam, Sceptrum,& impe-
rium tenet.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos
in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quid eſt
enim,iurauit,niſi, ſtatuit firmum, atque firmauit? Om-
nis ſermo Dei, & omnis diſpoſitio eius, iuramentum eſt.
Non autem pœnitebit eum, quia ipſe eſt,in quo ſibi be-
ne complacuit. Tu es,inquit, ſacerdos in æternum, Se-
cundum hoc quod Apoſtolus ait. Hic autem eo quod
maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium,
non ſecundum ordinem Aaron, qui iam deſtructus eſt,
ſed ſecundum ordinem Melchiſedech,cuius generatio ſi-
cut ſcriptum eſt,neque initium dierum neque finem ha-
bet. Sacrificium Melchiſedech, panis & vinum fuit, in
quibus Chriſti corpus, & ſanguis ſignificabatur. Ma-
gnus ſacerdos, magnum ſacrificium fecit, in quo vni-
uerſum mundum Deo Patri reconciliauit. Hucuſque
Propheta ad filium, nunc vero ad patrem loquitur
C dicens.

Dominus à dextris tuis,confringet in die iræ ſuæ reges.
Filius,inquit,tuus Dominus meus, quem ſuperius à dex-
tris tuis ſedere dixiſti, confringet in die iræ ſuæ. Reges.
Hic eſt enim ille lapis abſciſſus de monte ſine manibus,
qui in Daniele illam ſtatuam comminuit,per quam om-
nia regna mundi ſignificantur. Hæc autem magna con-
fractio erit in iudicio,quando dicetur aduerſariis poteſta-
tibus. *Ite maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt dia-*
bolo,& Angelis eius. Vnde & ſubditur.

Iudicabit in nationibus;implebit ruinas,conquaſſabit ca-
pita multa in terra copioſa. Tunc enim iudicabit Domi-
nus omnes gentes,tunc adimplebit ruinas, Quia poſt il-
lam ruinam, nullam vnquam amplius ruina fiet. Tunc
multa capita conquaſſabit, multos elatos diuites, & ſu-
perbos humiliabit. Et hoc in terra copioſa, immo co-
pioſiſſima. Ibi enim erunt omnes Angeli,& boni & ma-
li,ibi erunt omnes homines quicunque fuerunt, & ſunt,
& erunt,ibi erit & ipſe iudex omnium Dominus & Sal-
D uator noſter, qui iudicabit populos in æquitate, & gen-
tes in ira ſua. *Qui quoniam de torrente in via bibit propte-*
rea exaltauit caput, Per triginta & amplius annos ſalua-
tor noſter,ſicut cæteri homines,in via fuit,ad mortem fe-
ſtinauit,de torrente bibit,humanas miſerias, & paſſiones
ſuſtinuit & propterea exaltauit caput. Neque enim aliter
exaltati potuiſſet, qui ſecundum diuinitatem altiſſimus
eſt, & vbi amplius exaltari poſſit, nihil eſt.

ALLELVIA.

LAudate,inquit,Dominum. Hoc ſolum nobis ſufficit
laudare,prædicare,& benedicere Dominum.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio iu-
ſtorum,& congregatione:magna opera Domini,exquiſita in
omnes voluntates eius confeſſio, & magnificentia opus eius,
& iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Docet nos pro-
pheta, qualiter Deum laudare, & prædicare debeamus,
dum dicit:In toto corde meo.Sic enim ipſe Dominus ait.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex to- E
*ta mente tua,& ex omnibus viribus tuis.*Qui enim ita eum
diligit, ille eum laudat in toto corde ſuo, etiamſi taceat
& lingua non moueatur. Sed vbi eum laudare debemus?
In concilio ſanctorum,& congregatione. In Eccleſia itaque
laudandus eſt Dominus, quia ibi ſolummodo eſt & con-
ſilium & congreatio ſanctorum, Noli eum laudare ſi-
mul cum illis qui extra Eccleſiam ſunt, quia nulla com-
municatio Chriſti ad Belial, nulla pars fidelis cum infi-
deli. Vnde & Propheta ait: *Exite de medio eorum. Et*
immundum ne tetigeritis.

Magna opera Domini exquiſita. Præcepit laudare,
dixit quomodo: dixit vbi, nunc autem dat materiam
quæ eum laudare debeamus.Opera illiusmateria ſunt, in
quibus eius laudes inueniuntur, ſi tamen ſi bene exqui-
ſita fuerint. Non ſolum in maioribus operibus ſuis,ſed in
minoribus quoque,magnus,& laudabilis eſt Deus noſter. F
Non longe petamus exempla, dicamus cum hoc eodem
Propheta, mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Sed &
Apoſtolus ait. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ*
Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inue-
ſtigabiles viæ eius. Magna igitur ſunt opera Domini, ſed
exquiſita.

In omnes voluntates eius confeſſio & magnificentia. Si
quæris,quaſi dicat, voluntatem eius, & ſi vis ſcire, quid
Dominus requirat à nobis, ſcias, quia in omnes volun-
tates eius conueniunt ſimul confeſſio, & magnificentia,
hoc enim ſignificat titulus huius pſalmi, id eſt, laudare
Dominum.

Opus eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.
Nunquam igitur etiam in malis ex toto peribit creatu-
ra Dei: Iuſtitia vero non eſſet æterna, ſi vel electi præ-
miis, vel damnati carerent ſuppliciis. Dixerat ſuperius.
Magna opera Domini exquiſita, nunc autem magna eſſe
oſtendit in eo, quod in ſæculum ſæculi manſura oſten-
dit. Neque vacat, quod prius pluraliter opera, poſtea G
vero ſingulariter opus dicat, quia omnia vnum ſunt in eo,
quod bona ſunt.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & mi-
ſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Quæ ſuperius
opera dixerat, nunc mirabilia vocat. Et hoc merito,quia
nihil fecit Deus quod mirabile non ſit.Horum igitur,ſiue
operum,ſiue miſerabiliū placuit Deo memoriā facere ne
forte vetuſtate obliuioni traderentur. Memoriam vero,
litteras & ſcientiam dicit, quæ in nouo vel veteri teſta-
mento continentur. Voluit igitur Deus, vt ſcripturæ fie-
rent, & vt ſacra volumina ſcriberentur, ad ſuorum ope-
rum recordationem. Hanc autem memoriam,& hunc ci-
bum ſpiritualem dedit eſcam timentibus ſe. Vnde in
Euangelio Dominus ait. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed*
*in omni verbo Dei.*Eſca ſunt igitur verba Dei,ſiquidem de
illis homines viuunt.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui virtutem operum
ſuorum annunciabit populo ſuo,vt det illis hærediatem gen- H
tium. Memor erit Dominus in ſæculum teſtamenti, quia
ſicut promiſit,& teſtamento confirmauit,ita fecit populo
ſuo. Cui videlicet populo virtutem operum ſuorum an-
nunciauit, & quanta virtus ſit in operibus ſuis intellige-
re fecit. Hanc enim virtutem habent opera Dei, vt eam
facientibus vitam poſſint præſtare æternam Vnde & ſub-
ditur. *Vt det illis hæreditatem gentium.* Gentium autem
hæreditatem.cæleſtem Ieruſalem intelligimus,de qua ille
ſuperbus cum tota gente ſua expulſus eſt.

Opera manuum eius veritas,& iudicium. Ipſum igitur
imitari debemus, vt noſtra quoque opera vera, & iuſta
ſint,quibus,vt modo audiuimus,virtutem operum ſuorum
annunciare, & reuelare dignatus eſt. *Fidelia omnia man-*
*data eius confirmata in ſæculum ſæculi,*Et fidelia quidem
ſunt,& ab omnibus,qui nos præceſſerunt confirmata, &
corroborata,& qui cumque ea cuſtodierunt, beati erunt.
Facta in veritate,& æquitate, quia nihil falſum,nihil ini-
quum,vel impoſſibile in eis inuenitur, Iugum enim eius
ſuaue, eſt, & onus eius leue.

Redemptionem miſit populo ſuo. Et quam redem-
ptionem niſi ſanguinem filij ſui? Vnde Apoſtolus ait:

A *Empti enim eſtis precio magno glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Mandauit in æternum teſtamentum ſuum.* Mandauit, inquit, Dominus firmiterque præcepit, vt teſtamentum ſuum, teſtamentum confirmatum ſanguine filij ſui maneat in æternum. Vnde & in ſuperiori pſalmo dicitur, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Sanctum, & terribile nomen*, Sanctum bonis, terribile malis: Imo ſanctum, & terribile, & bonis & malis, quia & boni, & mali venerari illud &, timere debent. Hoc nomine ſanctificantur omnia: in hoc nomine pelluntur dæmonia: qui hoc nomen non timet, ſtultus & fatuus eſt, qui uero hoc timet, ſapiens eſt, Vnde & ſubditur.

Initium ſapientiæ timor Domini. Recte ergo dicitur, quia ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. *Intellectus bonus.* Sed quibus eſt bonus? *Omnibus facientibus eum.* Bene dicit, & bene intelligit, qui dicit; *Initium ſapientiæ, timor Domini*, ſi tamen facit quod intelligit, vt B timeat Dominum. Hinc eſt enim quod alibi dicitur, *Time Deum, & obſerua mandata eius, hoc eſt omnis homo.*

Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi. Laudatio, inquit: eius, qui ita intelligit, & ita timet Dominum, manet in ſæculum ſæculi, quia illi ſoli laudandi, ſunt, qui bene intelligunt, & bene agunt.

ALLELVIA CONVERSIONIS Aggæi, & Zachariæ.

PRæcipit propheta, vt laudemus Dominum de conuerſione Aggæi, & Zachariæ, qui poſt longam captiuitatem in patria reuerſi ſunt. Aggæus, feſtiuus, Zacharias, memoria Domini interpretatur. Significant autem illos, qui feſtiue, & ſolemniter viuentes, opus ſeruile facere fugiunt, ſemperque Deum in memoria habentes, eum laudare, & benedicere non ceſſant, donec de hu- C ius mundi captiuitate ad ſupernam patriam transferantur Et de talibus quidem in hoc pſalmo loquitur propheta.

Beatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius cupit nimis. Verum eſt itaque, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini, ſi quidem beatus eſt, qui dominum timet. De timore dilectionis loquitur, quia alius timor non valet ad beatitudinem. Nam & dæmones eum timent, ſed talis timor non beatitudinem, ſed pœnam habet, Qui vero caſto amore timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Bene autem dixit, nimis, quia non tantum poteſt in mandatis eius ſibi ſeruire, & obedire, quantum ei ſeruire, & obedire deſiderat.

Potens in terra erit ſemen eius. Et hoc quidem ad beatitudinem ſpectat Semen eius illi ſunt, qui eum imitantur. Terra vero, quæ alia niſi terra viuentium intelligitur? Ibi igitur potentes erunt, qui huius viri beati imitatione filij erunt. Vnde & ſubditur *Generatio rectorum benedicetur.* illa videlicet benedictione, qua Dominus in iudicio dicturus eſt. *Venite benedicti Patris* D *mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Gloria, & diuitiæ in domo eius. In domo patris mei, dicit Dominus *manſiones multæ ſunt. Stella ibi differt à ſtella in claritate:* Sed in quacunque illarum domo, vir beatus, & iuſtus fuerit, gloriam, & diuitias habebit. *Et iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Si iuſtus æternus eſt, & iuſtitia æterna erit, neque manente iuſto poterit perire iuſtitia.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde Et quod lumen? *Miſericors, & miſerator, & iuſtus Dominus.* Ex hoc igitur lumine, omnia, quæ dicta ſunt, & quare dicenda ſunt, habent illi, qui recto ſunt corde hoc autem lumine dicit Euangeliſta. *Quia lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt.* Exortum eſt autem hoc lumen ſolis rectis corde, quia Chriſti natiuitas aliis non profuit, niſi illis, qui recto corde eum ſequuntur, & in eum credunt.

E *Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat,* Homo, inquit, qui miſeretur, & commodat, ſiue ſpiritualem ſiue temporalem ſubſtantiam largiatur feſtiuus, Iucundus, & hilaris eſſe debet, Quia, vt Apoſtolus ait, *hilarem datorem diligit Deus.* Itemque. Qui miſeretur, in hilaritate, Et iſte Quidem verſus ſpecialiter Aggæo pertinere videtur, qui feſtiuus interpretatur, cæteriſque omnibus, qui per eum ſignificantur.

Diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. Iſte, inquit, vir diſponet ſermones ſuos in iudicio quia priuſquam loquatur, omnia verba ſua iudicabit, & cum tanta grauitate loquetur; vt putes eum in iudicio ſententiam dare, Et hoc eſt quod ait, *Quia in æternum non commouebitur*, neque in aliam partem à veritate flectetur. Tales fuerunt ſancti Apoſtoli, tales eſſe debent Eccleſiæ rectores.

In memoria æterna erit iuſtus. Similiter autem & iſte verſus ad Zachariam pertinet, qui memoria Domini interpretatur, & ad alios, qui per eum ſignificantur, qui, F quoniam ſemper Domini memores fuerunt, ipſi quoque in Domini memoria ſemper erunt. *Et iſti quidem auditu malo non timebunt.* quem illi audituri ſunt, quibus in iudicio dicetur. *Ite maledicti in ignem æternum.*

Paratum eſt cor eius ſperare in Domino confirmatum eſt cor eius, non commouebitur donec videant inimicos ſuos. Ideo, inquit, non timebit iuſtus, quia paratum eſt cor eius ſperare in Domino, Spes autem, vt ait Apoſtolus, non confundit. Vnde & vir iuſtus alibi dicit:

In te Domine ſperaui non confundar in æternum. Ille autem habet cor paratum ad ſpem, qui ſic Domino ſervit, vt merito ſperare debeat. Vnde & ſubditur. *Confirmatum eſt cor eius.* In ſpe videlicet & dilectione. Et inde non commouebitur, donec videat inimicos ſuos, donec ad iudicium veniat, vbi inimicos ſuos ab auditu malo timere conſpiciat.

Diſperſit dedit pauperibus. Hæc eſt ſumma perfectionis, ſicut in Euangelio Dominus ait: *Si vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo.* Qui quia iſta fecit, ideo ſe- G curus eſt. vnde & ſubditur: *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Et ipſe quidem, & iuſtitia eius, & virtus, & potentia eius, quæ per cornu ſignificantur, ſemper erunt. non ſolum ſemper erunt ſed ſuper cœlos exaltata ſemper in gloria erunt.

Peccator videbit, & iraſcetur, Hanc inquit, iuſti exaltationem videbit peccator, Per quem diabolus intelligitur. *Et iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet:* per motum exteriorem, interior malitia deſignatur, & quantum de ſanctorum ſalute diabolus doleat, in eo oſtenditur, quod ſi iraſci, & dentibus fremere deſcribitur. Et tunc quidem deſiderium peccatorum peribit, ſiue quod maligni ſpiritus habebunt de bonorum perditione: ſiue quod iniqui homines habebunt de ſua liberatione. Non erit vlterius locus, neque bonis, vt timeant mala, neque malis, vt ſperent bona.

H

ALLELVIA.

QVid ſignificet *Alleluia*, ſæpe iam diximus. *Neque vult Propheta*, vt a Dei laudibus ceſſemus, quibus toties Deum laudare præcipit.

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Pueri à puritate dicuntur. Iſti ſunt illi pueri, de quibus dicitur: *Quaſi modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalute.* Non eſt enim pretioſa laus in ore peccatoris,: *Peccatori enim dixit Deus quare tu enarras iuſtitias meas?* Vos igitur puri, & pueri laudate Dominum laudate nomen Domini. Quid eſt, laudate nomen Domini? aut quod eſt nomen Domini? Audi quid per Prophetam Dominus dicat: Ego Dominus, *hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Hoc nomen totius Trinitatis eſt, quia & Pater Dominus, & Filius Dominus, & Spiritus ſanctus Dominus, non

A tres tamen, ſed vnus eſt Dominus. Hoc nomen proprium illius eſt, qui omnium Dominus eſt, & qui nullum habet Dominum. Nullus enim alius eſt, qui omnium Dominus ſit, vel qui Dominum non habeat. Hoc autem nomen illi laudant qui ſe ſeruos eſſe cognoſcunt. Quid eſt igitur, laudare nomen Domini, niſi cognoſcatis & confiteamini vos eſſe ſeruos? Qui enim aliter agit, nomen Domini negat, & damnat. Confiteri autem non tantum voce, quantum opere debemus, vt ei ſicut vero, & pio Domino fideliter ſeruiamus.

Sit nomen Domini benedictum. Laudate, inquit, & dicite, *Sit nomen Domini benedictum.* Ex quo, & vſquequo? *Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.* Quid eſt, *ex hoc nunc?* Ex hoc præſenti tempore, quia, nunc, præſens tempus ſignificat. *Et vſque in ſæculum*: Quid eſt? vſque in principium, & vſque in finem, quia ante principium, nullum ſæculum eſt, & poſt finem nullum. Ecce, quaſi dicat, audiuimus ex quo, & vſquequo, ſed à quo loco, B & vſque ad quem eum laudare debemus.

A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudate nomen Domini. Nam & iſti termini boni ſunt, quia vltra procedere non valemus. Ite igitur Prædicatores, & laudate Dominum à ſolis ortu & occaſu, & de omnibus eum laudate, quæcumque facta ſunt à mundi initio, & quæcumque fient vſque in finem. Et altiſſimè eum laudate, quoniam altiſſimus eſt. Hoc eſt enim quod ait.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius. Super omnes gentes excelſus eſt Dominus, ſiue quæ in cœlo, ſiue quæ in terra ſunt, in Cœlo Angeli, in terra homines, ſed ipſe ſuper omnes eſt, & omnium Dominus. *Et ſuper cælos gloria eius.* Magna quaſi dicat, gloria ſibi in hoc mundo eſt, ſed ad comparationem illius gloriæ, quæ ſuper cœlos eſt, iſta gloria nulla eſt.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra? Ex quanto mentis affectu, & ex quanto cordis amore, & deſiderio hæc verba procedunt. Quantum eum diligit, tantum in eius C laudibus delectatur. Sed notandum, quia in altis habitat Dominus, quamuis ſola humilia diligat: humilia reſpicit in cœlo, & humilia in terra reſpicit, quia & hic, & ibi ſola humilia diligit. Superbos inde deiecit, qui quotidie ſuperbos humiliat, & exaltat humiles. Sed quid eſt in altis? In cœlis, in Angelis, in Apoſtolis, in Chriſtianis: Nam & Chriſtiani ſatis alti ſunt, quia quicunque Chriſtiani non ſunt, ſub eis ſunt.

Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Ecce quomodo reſpicit Dominus humilia in cœlo, & in terra: Solos humiles reſpicit in cœlo, quia iam alij ibi non ſunt, ſolos humiles trahit in cœlum, quia alij ibi eſſe non poſſunt. Et conſidera quanta ſit Dei omnipotentis miſericordia, Inopes, & pauperes ſunt iſti, quos de terra ſuſcipit, & de ſtercore, & putredine ſuſcitat, & reſuſcitat, & cum principibus populi ſui in cœleſtibus collocat.

Qui habitare facit ſterilem in domo. Non iam ſterilem, D ſed matrem, & fecundiſſimam matrem, multorumque filiorum lætantem. Hæc eſt illa ſterilis de qua ſcriptum eſt.

Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis quam eius, quæ habet virum. Filij huius ſterilis ſunt iſti pueri, qui in hoc pſalmo Dominum laudant. Hæc autem habitat in illa domo, immo ipſa eſt modo Domina, & Regina illius domus, in qua Synagoga, & gentilitas habitabat. Poſſumus autem per hanc domum cœleſtem quoque patriam intelligere, in qua cum tota ſua progenie mater Eccleſia habitabit.

ALLELVIA, ALLELVIA.

QVid ſignificet Alleluia, & ſæpè dictum eſt, & ſæpè dicendum eſt. Significat enim laudare Dominum. Quod quidem Propheta non toties dixiſſet, niſi valde E neceſſarium eſſe cognouiſſet. Hoc ſit igitur opus Eccleſiæ in hoc opere delectetur, & die nocteque iucundetur.

In exitu Iſraël, ex Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius Iſraël poteſtas eius, Iſraël regnauit in ea. Sub figura Iſraëlitici populi, Chriſtianum populum Propheta deſcribit, de diaboli poteſtate, & huius mundi tenebris liberatum. Iſraël vero & Iacob idem ſignificant. Quando, inquit, Iſraël, id eſt Chriſtianus populus, qui Deum cognoſcit, & videt, exiuit de terra Ægypti, id eſt, de huius mundi tenebris & erroribus. Et quando domus Iacob, per quam idem ipſe populus ſignificatur, exiuit de populo Barbaro, per quem malignorum ſpirituum, & vitiorum exercitus intelligitur, tunc facta eſt ſanctificatio eius. Cuius eius? illius quem in titulo pſalmi laudare iubemur, vbi dicitur: *Laudate Dominum:* Iudæa, quæ confeſſio interpretatur, Eccleſia eſt, quæ etiam inter ipſa tormenta Dominum confiteri, & laudare non ceſſat. Hæc autem facta eſt ſancti- F ficatio eius, quia hanc ſolam ipſe ſanctificauit, & ab omni vitiorum contagione mundauit. Similiter autem, & Iſraël factus eſt poteſtas eius, quia ipſe in eodem populo Chriſtiano regnum tenet, imperium, & poteſtatem. Quod autem ſequitur. Iſraël regnauit in eam alia tranſlatione non habetur. Poſſumus autem per Iſraël Saluatorem noſtrum intelligere, qui de ſeipſo ait. *Nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Interpretatur enim Iſraël, vir videns Deum. Per iſtos autem qui prius de Ægypto exiſſe dicuntur, Apoſtolos intelligimus, cæteroſque, qui in primitiua Eccleſia fuerunt, per quos totus mundus poſtea ad fidem Chriſti conuerſus eſt. Vnde & ſubditur.

Mare vidit, & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. De hoc mari alibi dicitur: *Hoc mare magnum & ſpatioſum,* per quod mundus iſte ſignificatur. Hoc igitur mare vidit Apoſtolos, alioſque prædicatores ad ſe venientes, & fugit. Quid eſt, fugit, niſi locum eis conceſ- G ſit, & ad tranſeundum. Viam aperuit? Talis fuga bona eſt, quæ non odio, ſed obſequio fit. Qui ita, fugiunt, non reſiſtere, ſed obedire parati ſunt. Per Iordane vero, populus baptizatus deſignatur, qui prius quidem præceps ad inferiora ruebat, ſed Chriſti fide ſuſcepta, ad ſuperiora redire, & ad cœlos conſcendere cœpit.

Montes exultauerunt vt arietes, & colles velut agni ouium. Montes, & colles, diuites, & potentes deſignant. Et iſti quidem videntes ſigna, & mirabilia, quæ per Apoſtolos fiebant, protinus ad fidem conuerſi tanto gaudio exultauerunt, vt arietes & agnos eſſe non dubitares, per quos omnes & Prælati, & ſubiecti Eccleſiæ ſignificantur, ac per hoc de ouibus Chriſti eſſe monſtrantur, qui ſimul cum aliis eadem ſpirituali lætitia gratulantur. Et bene quidem prius *mare,* poſtea vero *montes, & colles* poſuit: quia prius minores poſtea vero maiores credere cœperunt. Vnde Apoſtolus ait. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles inter vos, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confunderet fortia.* H

Quid eſt mare, quod fugiſti & tu Iordanis quia reuerſus es retrorſum? Montes quare exultaſtis ſicut arietes, & colles velut agni ouium. Hæc tanta admiratio ex magna lætitia procedit. Lætatur enim Propheta, quod vndique totum mundum ad fidem Chriſti concurrere videt. Quid eſt, inquit, *mare quod fugiſti,* & vos, *montes quare exultaſtis?* Non eſt hoc ex vobis. Ex Deo eſt hæc fuga, & hæc exultatio. Et hoc eſt quod ait.

A facie Domini commota eſt terra, à facie Dei Iacob. Quid eſt *à facie Domini?* à cognitione veritatis. Niſi enim Deum vidiſſent, & cognouiſſent veritatem, hanc commotionem tam magnam homines non feciſſent. Hinc eſt Deus Iacob, qui populum ſuum tam ſubito docuit diabolum fugere, & vitia ſupplantare.

Qui conuertit ſolidam petram in ſtagnum aquæ, & rupem in fontes aquarum. Hic eſt, inquit, verus Deus, qui de ſola petra aquam producit, & de ſiccis rupibus fontes manare facit. Et de petra quidem dicit Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus,* Rupes vero, Apoſtolus, & Doctores

A designant. De quibus Dominus ſitienti populo fontes producit ſalientes in vitam æternam.

Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Se inter alios Propheta connumerat, quia & ipſe rupes eſt, de qua non modici fontes erumpunt. Hæc, inquit, gloria tua eſt, iſti fontes aquarum tui ſunt, non eſt noſtrum quod facimus, quia non à nobis facimus. *Non nobis igitur non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Labor noſter ſit gloria ſciant omnes, quia ſine te nihil facere valemus. Hoc autem rogamus vt facias ex ſola miſericordia & veritate tua, quia ſic te facere promiſiſti. Et hoc eſt quod ait.

Super miſericordia tua, & veritate tua, ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum. Nunquam hoc gentes dicere præſumant, quod ſi dixerit, ſciant, quia Deus noſter vbique eſt, & in cœlo, & in terra eſt, & quicquid vult vbique operatur. Hoc eſt quod ſequitur.

Deus autem noſter in cœlo, ſurſum, in cœlo: & in terra omnia quæcunque voluit fecit. Cæteri vero Dij quid fa-
B ciunt? vel quid ſunt? nihil faciunt, & nihil ſunt. Si tamen vis audire, quod ſunt, vt per hoc intelligas, quia qui hoc ſunt, Dij non ſunt audi quod ſequitur.

Simulacra gentium, argentum, & aurum opera manuum hominum; os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo; neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Satis probatum eſt, quoniam qui tales ſunt, Dij non ſunt. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Non contra illos, ſed pro illis orare videtur, quia & aurum bonum eſt, & argentum bonum eſt, & nihil mali faciunt vel facere poſſunt.

Domus Iſraël ſperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt. Per hos autem Patriarchas, & Prophetas, & Apoſtolos intelligamus, qui pleni Spiritu ſancto præ cæteris Deum videre, & intelligere meruerunt.
C Iſti autem in Domino ſperauerunt, & ſperata ſuſceperunt.

Domus Aaron ſperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt. Iſti ſunt Epiſcopi, ſacerdotes, cæterique omnes, qui in Clericorum ordine Domino ſeruiunt.

Qui timent Dominum ſperent in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt. Tota Eccleſia in his tribus verſibus continetur, & omnibus qui in ea ſunt, adiutor, & protector factus eſt Dominus. Vnde & ſubditur.

Dominus memor fuit noſtri & benedixit nos. Si noſtri memor non fuiſſet, filium ſuum ad nos redimendum, & benedicendum non miſiſſet: Ipſe eſt enim, de quo ſcriptum eſt. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Dominus igitur benedixit nos. Sed quæris fortaſſe, quos? *Benedixit domum Iſraël, benedixit domum Aaron, benedixit omnes timentes ſe Dominus puſillos cum maioribus:* nullus relictus eſt, omnes benedicti ſunt, ſi tamen de domo Iſraël, vel de domo Aaron, vel de Deum timentibus ſunt.

D *Adiiciat Dominus ſuper vos, & ſuper filios veſtros.* Adiiciat, inquit, Dominus Pater in quæ dicta ſunt, ſuper vos, & ſuper filios, & imitatores veſtros omnem benedictionem, & bonorum operum fructificationem.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. Et cœlum fecit Dominus, & terram & bonos, & malos, & iuſtos, & peccatores ipſe fecit, & nihil eſt, quod ipſe non fecerit.

Cœlum cœli Domino terram autem dedit filiis hominum. Cœlum dedit Domino cœli, quia Saluatori noſtro ad ſaluandum & regendum Eccleſiam dedit. Terram vero dedit filiis hominum, quia ſuper peccatores, alios peccatores dominari promiſit.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, ſed nos, qui viuimus benedicimus Dominum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum, ſuper nos, inquit, qui viuimus, qui iam non in terra ſed in cœlo ſumus, (cœlum enim vocatur Eccleſia) ſuper nos inquam effunde benedictionem tuam, quia *non mortui laudabunt te Domine*: mortui enim ſunt, qui à te ſeparati ſunt. *Neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſed nos qui viuimus, & benedicimus Dominum, ex hoc nunc*, id eſt, ex hoc tempore quod nunc inſtat. *Et vſque in ſæculum.* E

ALLELVIA.

SAtis ſcit quid ſignificet *Alleluia.* Laudate igitur Dominum, quia hoc ſignificat *Alleluia.*

Dilexi quoniam exaudiuit Dominus vocem orationis meæ. Dilexit, inquit, Dominum de quo in hoc titulo dicitur. *Laudate Dominum.* Et merito dilexi; quoniam exaudiuit Dominus vocem orationis meæ. Quid amplius mihi facere debuit.

Quia inclinauit aurem ſuam mihi Non ſolum exaudiuit, ſed aurem quoque mihi inclinauit: excelſus eſt
ipſe, humilis ego, ſed *ipſe humilia reſpicit.* Et ideo *in* F
diebus meis inuocabo eum, expertus ſum bonitatem: non timeo aduerſitatem, quæ ſi acciderit, inuocabo eum omnibus diebus vitæ meæ.

Circumdederunt me dolores mortis pericula inferni inuenerunt me. Et ipſe, ſicut in ſequentibus legitur, *liberauit me.* Magnos dolores, & magna pericula fuiſſe oſtendit, quæ mortis, & inferni fuiſſe dicit. Magni enim ſunt illi dolores, qui mortis doloribus comparantur, & magna ſunt illa pericula, quæ inferni periculis aſſimilantur.

Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, dicens. O Domine libera animam meam miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſerebitur. Non ille, qui quæritur, ſed ille, qui quærit, inuenire aliquid dicitur. Quærebat igitur iſte tribulationem, & dolorem, quæ ſe inueniſſe oſtendit. In hoc autem aperte monſtratur, quando deſiderio pro Chriſti nomine mori ſancti optabant. *Et nomen Domini inuocaui*, dicens. *O Domine libera animam meam.* Non pro corpore rogat,
nullam corporis mentionem fecit, ſed ſolius animæ libe- G
rationem poſtulat. *Miſericors Dominus, & iuſtus & Deus noſter miſeretur.* Quomodo?

Cuſtodiens paruulos Dominus. Vnde hoc ſcis? Quia iam ſæpè *humiliatus ſum, & liberauit me*: Quia ſæpè eum liberauit, inde certus eſt quod adhuc eum liberabit. Miſericors Dominus, & iuſtus: Hæc enim duo ſunt, quæ bonis hominibus maximam ſpem dare poſſunt, quia miſericors, & iuſtus eſt Dominus, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe. Humiliatio hoc in loco pro afflictione, & tribulatione ponitur.

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Quia animam ſuam Dei miſericordia liberatam eſſe intelligit, nunc eam hortatur, vt in requiem ſuam conuertatur, & terrenorum omnium obliuiſcatur, & in ſola Dei contemplatione amodo delectetur. Bene autem fecit illi Dominus, & valde bene, qui de tantis periculis eum liberauit.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à
lacrymis, pedes meos à lapſu, placebo Domino in regione H
viuorum. Ex hoc inquit credo, & nullatenus dubito, quia placebo Domino in regione viuentium, quia iam eripuit animam meam de morte, & de omnibus diaboli laqueis, & deceptionibus liberauit. Liberauit inſuper & oculos meos à lacrymis, quibus per ſingulas noctes lectum meum rigare ſolebam. Et pedes meos à lapſu, quia victus eſt ille, qui calcaneo meo inſidiabatur.

ALLELVIA ALLELVIA.

LAudate, inquit, Dominum, laudate, & præcipuè in hoc pſalmo, in quo omnis, qui credit, laudare iubetur.

Credidi, propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis: ego dixi in exceſſu mentis meæ omnis homo mendax. Loquitur Propheta in perſona Martyrum, & hortatur eos ad calicem paſſionis: Ego, inquit, in exceſſu

A mentis meæ eleuatus, à primo homine vſque ad vltimum, humanam naturam diligentiſſimè conſideraui, & ſic in omnibus eam corruptam, & vitiatam inueni, vt mens mea me dicere compelleret: *Omnis homo mendax.* Eſt autem mendacium non in verbis tantum, ſed etiam in rebus. Vnde & denarios falſos vocamus, & aurum, & argentum, falſum eſſe dicimus, & quicquid à puritate ſuæ naturæ degenerat, mentiri non dubitamus. Cum igitur, ſic omnes homines corruptos viderem, & ab hac corruptione, niſi Chriſti ſanguine, liberari non poſſe cognoſcerem, credidi in Chriſtum, & quia credidi, locutus ſum, & quia locutus ſum, humiliatus ſum nimis. Hoc enim ipſe Dominus in Euangelio ait. *Niſi credideritis, quia ego ſum moriemini in peccato veſtro.* Niſi, inquit, credideritis quia ego ſum Ieſus, qui Saluator interpretatur, ſine quo nemo ſaluari poteſt, moriemini in peccato veſtro, in mendacio veſtro, & in prima corruptione veſtra. Hæc eſt igitur cauſa, quare vnuſquiſ-
B que ſanctorum Martyrum dicat. *Credidi*, & quia credidi locutus ſum, prædicaui, & palam cunctiſque audientibus Chriſti fidem annunciaui. Et quia hoc feci, humiliatus ſum, afflictus ſum, & multis tormentis cruciatus ſum, & hoc nimis quidem: quantum ad carnis fragilitatem, non quantum ad bonitatem Diuinæ retributionis. Vnde & ſubditur.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Hinc eſt enim quod Beatus Iob Domino ait. *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti, pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & neruis compegiſti me, vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Hinc & Apoſtolus ait: *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Quia, inquit maius non habeo, quod ei retribuere poſſim, ecce meipſum offero, calicem ſalutaris accipiam, & accipiendo, nomen Domini inuocabo, & in ipſa
C morte eum confitebor, & laudabo. Scio enim quia pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Verè pretioſa, quæ vitam meretur æternam, quæ animam de corpore egredientem, confeſtim in æternam beatitudinem introducit.

O Domine ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Iuſtum eſt, inquit, vt moriar pro te, quia ſeruus tuus ego ſum, ſeruus inquam tuus, & naturalis ſeruus, vtpote ancillæ tuæ filius. Ancilla Dei, eſt Eccleſia, cuius filius iſte eſt, qui ſe Dei ſeruum eſſe gloriatur.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ligatus, inquit, eram, dura me catena diaboli ſtringebat, & trahebar, ſed tu dirupiſti vincula mea, tu ſoluiſti originale peccatum, quod, niſi tuo ſanguine, ſolui non poterat. Tibi ergo ſacrificabo hoſtiam laudis, tibi reddam vitulos labiorum meorum, & poſt omnia, ſi iuſſeris, calicem quoque ſalutaris accipiam.

Vota mea Domino reddam. Vbi? *In atriis domus Domini.* Et vbi eſt hoc? *In conſpectu omnis populi eius.* Pla-
D nius hoc oſtende. In medio tui Ieruſalem: Voui, inquit, firmiterque promiſi quia ſacrificarem Domino hoſtiam laudis, & iubilationis: Et hæc quidem Domino reddam, non in occulto, non in qualicumque loco celebri, & manifeſto. In ipſis atriis domus Domini, & in conſpectu omnis populi eius, in medio tui Ieruſalem, vbi omnes vndique confluentes me videant, & me videndo nomen Domini laudent, & glorificent. Hoc eſt enim quod Dominus ait. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.*

ALLELVIA ALLELVIA.

QVid iſte titulus ſignificet, pſalmi huius initium declarat.

*Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum
E omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.*

Inuitat Propheta, non ſolum Iudæos, ſed ſimul cum eis omnes gentes ad laudandum Dominum, quia non Iudæorum Deus tantum, ſed omnium gentium Dominus eſt. Natus enim erat prius in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius: nunc autem quia pro omnibus paſſus eſt, & omnes gentes ſuo ſanguine redemit, omnes eum laudare, & benedicere debent. Nunc enim confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: nunc certiſſima ratione probatum eſt, quantum ſit clemens, & miſericors. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et veritas Domini manet in æternum*, quia completum eſt quod promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de liberatione noſtra, & reſtauratione populi ſui. Secundum illud.

Et liberauit nos ab inimicis noſtris, & de manu omnium qui nos oderunt: ſicut locutus eſt, per os ſanctorum ſuorum Prophetarum, qui à ſæculo ſunt.

F

ALLELVIA.

ISte titulus tantum huic pſalmo conuenire videtur, ac ſi eius proprius eſſet, & aliorum non eſſet. Vnde in ſequentibus dicit. *Conſtituite ſolemnem in confrequentationibus vſque ad cornu altaris.*

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Nulla ratio conuenientior inueniri potuit, vt eum laudemus; quam quia bonus, & miſericors eſt. Si enim bonus, & miſericors non eſſet; quid in eo eſſe poterat vnde laudandus eſſet? Tolle bonitatem, & nihil laudabile manet. Sed aliter Deus bonus eſt, & aliter omnis eius creatura bona. Ipſe enim à ſeipſo bonus eſt, cætera vero non à ſeipſis, ſed ab ipſo. Laudemus igitur bonitatem, & miſericordiam Domini, & nunc præcipuè laudemus, quando confirmata eſt miſeri-
G cordia eius, & tam manifeſta nobis facta eſt bonitas eius. Vnde & ſubditur.

Dicat nunc Iſraël quoniam in ſæculum miſericordia eius. Nunc, inquit, hoc dicat, quia nunc maximè dicendum eſt, quando dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.

Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius: dicant nunc omnes, qui timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Omnes hoc dicant, quia omnes hanc miſericordiam experti ſunt, & omnibus hæc bonitas, & miſericordia neceſſaria fuit. Et qui hoc dicere noluerit, huius bonitatis, & miſericordiæ particeps non erit, ſed illi ſoli dicant, qui dominum timent: qui vero non timent, etiamſi dicant, nihil eis dixiſſe profuerit. Sed quid per Iſraël, qui, videns Deum, interpretatur, niſi patriarchas, & Prophetas, & Apoſtolos, cæteroſque magis Deo familiares intelligamus. Quid vero per domum Aaron, niſi Epiſcopi, & ſacerdotes, & cæteri eiuſdem ordinis ſignificantur? At vero per eos, qui Deum timent,
H omnis multitudo Eccleſiaſtica deſignatur.

In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudinem. Et hoc ad bonitatem, & miſericordiam, qui quoties Eccleſia in tribulationibus fuit, toties clamans ad Dominum exaudita eſt, & non ſolum exaudita eſt, ſed amplè, & magnificè, & in latitudinem exaudita eſt.

Dominus mihi adiutor eſt, & non timebo, quid faciat mihi homo. Non eſt timenda hominis fortitudo, vbi Dominus auxilium præſtat. Nam etſi faciat, quod homines facere ſolent, ſua tamen beatitudine non priuatur. *Dominus mihi adiutor, & ego videbo inimicos meos.* Ego inquit, videbo inimicos meos Dominus autem pugnabit pro me, cui nemo reſiſtere valet.

Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine: bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus. Hinc eſt enim quod alibi dicitur: *Maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium*

A *ſuum, & à Deo recedit cor eius.* Non eſt autem peccatum, hominum auxilium quærere, ſed ita quærere, vt totam ſpem in eorum auxilium ponat, & ſine eorum auxiliis de ſuis neceſſitatibus ſe homo liberari poſſe diffidat magnum peccatum eſt. Tunc enim maximè ſuum auxilium fidelibus ſuis præſtare Dominus, ſolet, quando de hominum auxilio deſperant.

Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini vltus ſum eos. In hoc loco, in præpoſitio ſubaudienda eſt, vt dicatur, In eos, ſicut in alia tranſlatione habetur. In hebræo tamen nihil horum eſt, ſed tantum dicitur. *In nomine Domini vltus ſum.* Nulla gens eſt, quæ Eccleſiam non circundediſſet, & quæ perſecutionem ei non feciſſet, ſed de omnibus liberauit eam Dominus, & non ſolum liberauit, ſed etiam vltionem fecit, quia omnes eius perſecutores ſtatim ad tormenta ducuntur, vt de hac vita exeant.

Circundantes circundederunt me, & in nomine Domini B *vltus ſum eos.* Hoc autem nihil aliud ſignificat, niſi magnam inſtantiam afflictionis, & perſecutionis. Vnde & ſubditur.

Circundederunt me ſicut apes. Sicut apes, quidem, quoniam & multi erant, & nimio furore, & indignatione ſuccenſi, eos vulnerare, & affligere non ceſſabant. De quibus enim dicit Poëta: *Illis ira modum ſupra laſaque venenum, morſibus inſpirant, & vulnera cæca relinquunt. Et exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Verè ignis, & ita illorum in ſpinis ardebat, & ardendo ſpinas ipſa conſumebat. Quid enim ſunt, iniqui homines niſi ſpinæ aculeis, & punctionibus pleni. *Et in nomine Domini vindicabitur in eis.* Quamvis enim de his talibus quotidie vindicetur Eccleſia, maiorem tamen de illis adhuc vindictam exſpectat.

Impulſus verſatus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Multis modis impellebantur, verſabantur, & tentaC bantur ſancti, vt à ſtatu ſuæ rectitudinis caderent, cadere autem penitus non poterant, quos Dominus ſuſcipiebat, & aliquando caſui proximos firmabat, & ſtabiliebat. Vnde adhuc ſubditur.

Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Quod ego, inquit, contra ſteti, quod pugnaui, quod vici, & fortis fui, non mea fortitudo, nec mea laus eſt, ſed tota fortitudo mea, & laudatio mea Dominus eſt, qui factus eſt mihi in ſalutem. Vnde & alibi dicunt viri ſancti. *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Vox lætitiæ, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Inde inquit, eſt vox lætitiæ, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, quia Dominus eos. Defendit, & factus eſt eis in ſalutem. Et niſi Dominus hoc feciſſet, nulla inter eos lætitia eſſe poſſet, quoniam nullo modo ſuis aduerſariis reſiſtere potuiſſent.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exultauit me. Dextera patris, filius eius eſt, quia per D ipſum omnia operatur. Hæc autem dextera fecit omnem hanc ſanctorum virtutem, quando Saluator noſter morte ſua diabolum ſuperauit: ibi enim omnes ſancti conſtantia, & fortitudine ſuper ſuos inimicos omnes exaltati ſunt, & ab æternæ mortis periculo liberati. Vnde & ſubditur.

Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini: caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Non loquitur de morte corporis, quæ ineuitabilis eſt, ſed potius de morte animæ, quæ tunc ſolummodo moritur, cum à Deo ſeparatur. Et hinc eſt quod Dominus ait. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quoniam animam non poſſunt occidere.* Sic igitur ſancti caſtigati quidem poſſunt, occidi vero non poſſunt.

Aperite mihi portas iuſtitiæ. Quare? *Ingreſſus in eas confitebor Domino.* Quia inquit, mortem iam non timeo, aperite mihi portas iuſtitiæ, docete me, quid facere debeam. Doctoribus Eccleſiæ loquitur iſta, qui habentes clauem ſcientiæ, cæteris iuſtitiæ viam oſtendunt. Et vide cum quanta fiducia loquitur. *Ingreſſus*, inquit, *in eas confitebor Domino,* nihil erit, quod me terrere poſſit, vt iuſtitiam non prædicem, & Dominum non confitear. E At illi non multas, ſed vnam portam oſtendentes dixerunt: *Hæc eſt porta Domini, iuſti intrabunt in eam:* Non quæras inquiunt, multas portas, quia vna porta eſt per quam iuſti ingrediuntur. Si quis te de aliqua re interrogauerit, dic ſolummodo, Chriſtianus ſum, & ſufficit tibi. Hæc eſt porta Domini iuſti ingrediuntur per eam, & qui aſcenderit aliunde, fur eſt, & latro.

Confitebor tibi Domine quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Porta, quam quærebat, inuenit, & ipſam portam, Chriſtum eſſe intelligit, cui etiam loquitur dicens: *Confitebor tibi Domine*, te quæram, te laudabo *quoniam exaudiſti me*, & ab omnibus periculis me liberans, *factus es mihi in ſalutem.*

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Venite, inquit Eccleſia, & videte lapidem, quem reprobauerunt ædificantes hic iniuſtè abiectus, & reprobatus in caput anguli factus eſt, duos in ſe coniungens parietes, vnum ex circumciſione, & alte- F rum ex præputio venientem, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Mali ædificatores, qui meliorem lapidem reprobant, & viliſſimos lapides in conſtructione domus Dei ponere nituntur. Iſti ſunt illi ædificatores, qui Synagogam malè conſtituentes, ſiue potius deſtruentes de ſalutare noſtro dixerunt: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Et: *Nolumus hunc ſed Barrabam.* Hoc lapide reprobato tota corruit Synagoga ſed à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quis non miretur quod ſuper hunc lapidem Eccleſia tota conſtituitur, quem Iudæa inſipiens reprobauit. Hinc eſt, quod alibi dicitur: *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi.* Et; *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Quid igitur mirum ſi obedientes ſaluantur, & mendaces, & impij reprobantur.

Hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea. Hæc inquit, dies in qua iſte lapis reprobatus eſt, & Eccleſia Chriſti ſanguine redempta eſt. Hæc eſt illa G dies, quam ad lætitiam & exultationem noſtram fecit Dominus. Exultemus igitur, & lætemur in ea, & dicat vnuſquiſque noſtrum. *O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare.* Nulla dies opportunior eſt ad poſtulandam ſalutem & proſperitatem, quam illa; quæ ſalutis, & proſperitatis initium eſt, & ad ſalutem & proſperitatem nobis dedicata eſt. Dicamus etiam ſimul omnes. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, vt ſimul ab hominibus benedicatur, à quo omnia benedicuntur. Venit Dominus in nomine Domini, ſicut ipſe Iudæis loquens ait. *Ego veni in nomine Patris mei & non recepiſtis me: alius autem veniet in nomine ſuo, & illum recipietis.* Quid eſt autem. *In nomine ſuo veniet*, niſi à ſeipſo, & ſeipſum glorificare veniet? *Benediximus vos de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.*

Vos, inquit, benedicite Dominum, quia nos quoque iam in alio pſalmo vos benedicimus dicentes. *Benedicti* H *vos à Deo, qui fecit cœlum, & terram.* Et hanc benedictionem non à nobis habuimus, ſed de domo Domini, & ab ipſo Domino eam accepimus qui reuera eſt & Deus, & Dominus, & illuxit nobis. Illuxit quidem, quia cum adhuc in tenebris ignorantiæ, & cæcitatis eſſemus, ipſe nos illuminauit, & iuſtitiæ, & veritatis portas aperuit, in cuius commemoratione ſemper hanc diem lætam, & ſolemnem agere debemus. Vnde & ſubditur.

Conſtituiſti diem ſolemnem in confrequentationibus vſque ad cornu altaris. Omnes, inquit, conuenite, nemo ſe abſentare audeat, tantaque ſit multitudo, & frequentia populi, vt ipſius altaris cornua premant. Et vnuſquiſque in hac tanta ſolemnitate fiducialiter dicat: *Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu & exaltabo te.*

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Iſte vltimus verſus ſuperioribus non continuatur, quia pſalmi huius initium eſt. Et ideo in fine ponitur, ne laus finiatur, ſed quaſi tota in circuitu ſine fine voluatur.

Aleph.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Iſte pſalmus ſecundum ordinem hebraïcarum litterarum, ſcriptus eſt, & ab vna quoque littera octo verſus incipiunt, quarum prima eſt Aleph, quæ, doctrina, interpretatur; vltima vero Tau, quæ ſignum, vel conſummatio dicitur. Huius igitur pſalmi doctrinã ſequatur & teneat, quicunque ad conſummationem, perfectionem, & ad ſummum bonum venire deſiderat. Signetur autem ſigno crucis, vt de Chriſti militia eſſe cognoſcatur. Paucæ quidem ſunt litteræ, id eſt, viginti duæ in quibus tamen omnis, & diuina, & humana ſcientia continetur. Qua in re quantæ perfectionis pſalmus iſte ſit, apertiſſime declaratur. Quod enim vnaquæque littera in octo verſus extenditur, quid aliud ſignificat, niſi quia omnis doctrina Diuina & ſpiritualis temporalia nos relinquere, & æterna quærere docet? Dies enim octaua, & huius vitæ finis eſt, quæ in ſeptem diebus agitur & alterius initium, quæ finem non habebit. Vnde & quidam pſalmi pro octaua titulantur. Ad octauam itaque diem iſtæ litteræ, & illi verſus nos feſtinare docent, quatenus hanc vitam poſt ponentes ad aliam feſtinamus.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, inquit, qui ambulant in lege Domini, ſic tamen, ſi immaculati in hac vita fuerint, & vitam immaculatam duxerint. Hoc eſt enim ambulare in lege Domini, quia hoc lex Domini præcipit, vt immaculati ſimus, & per viam immaculatam incedamus. Vnde & ſubditur.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius. Sic tamen ſi in toto corde exquirunt eum. Et illi quidem in toto corde eum exquirunt, qui ſe à macula cuſtodiunt. Ambulare autem in lege Domini, & ſcrutari teſtimonia eius, idem ſignificant. Nullus verſus eſt in hoc pſalmo, in quo non inueniatur, vel lex, vel via, vel iuſtitia, vel mandatum, vel verbum, vel teſtimonium, vel iudicium, vel aliud aliquid quod legem ſignificare videatur, ſequitur.

Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt. Dixit illos eſſe beatos, qui ſcrorantur teſtimonia eius, à quibus tamen omnes illi ſeparandi ſunt, qui, operantur iniquitatem; quoniam hi tales neque ambulant in viis eius, neque in toto corde exquirunt eum.

Tu mandaſti, mandata tua Domine cuſtodiri nimis. Nimis quidem quantum ad humanam fragilitatem, & negligentiam, quia vix inuenitur aliquis qui ſicuti debet, ea cuſtodiat. Et quia nimis cuſtodienda ſunt mandata eius. *Vtinam dirigantur viæ meæ & opera mea ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*, quæ per mandata ſignificantur. Quia tunc non confundar, dum reſpiciam in omnia mandata tua, quæ ſint modo diximus, nimis, cuſtodienda eſſe mandaſti. Reſpicere autem, cuſtodire eſt. Ac per hoc vt non confundar, & vt ſeruitium meum tibi acceptabile ſit, *confitebor tibi Domine in directione cordis.* Quid eſt autem in directione cordis, niſi in directo, & mundo corde? *In eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.* Sic inquit in directo corde te laudabo, ſicuti iudicia iuſtitiæ tuæ, recta eſſe didici, & cognoui.

Iuſtificationes tuas cuſtodiam. Quas tu mandaſti cuſtodiri nimis. Et ideo *non me derelinquas vſquequaque.* Quod eſt intelligere, numquam me penitus derelinquas.

Beth.

Quid interpretatur domus. Domus Dei Eccleſia eſt, cuius habitatores hanc doctrinam tenent, & cuſtodiunt: atque per eam hoc ſeptenario finito ad diem octauam, ſe venire ſperant, & ſic deinde ad ſummum bonum, quod per vltimam litterã ſignificatur ſe conſcendere confidunt.

In quo corrigit iunenior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Per primam litteram, quæ doctrina interpretatur, ſermones, mandata, eloquia, iuſtificationes, & cætera, quæ iam ſuperius dicta ſunt, ſignificantur. Illi itaque iuuenes corrigunt vias ſuas, qui hanc doctrinam, & hos ſermones cuſtodiunt, qui in hoc pſalmo continentur. Neceſſe habent adoleſcentuli, & iuniores corrigere vias ſuas, quia ipſi ſunt, qui facilius, & ſæpius peccant.

In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Repellere videtur Dominus à mandatis ſuis illum hominem, cui auxilium non præſtat, vt eius mandata cuſtodire velit, & valeat. Rogat igitur iſte adiutorium, vt cuſtodire poſſit, quia maximum deſiderium habet cuſtodiendi. Et hoc quidem ſignificat dicens: *In toto corde meo exquiſiui te.* Qui enim in toto corde Deum quærit, multum deſiderat eius facere voluntatem.

In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Difficile peccant, qui verba Dei in corde reponunt, & memoriæ commendant. Sunt autem aliter abſcondenda eloquia Dei, neque omnibus reuelanda, ſicut ipſe Dominus ait. *Nolite dare ſanctum canibus, & nolite margaritas ſpargere ante porcos.* Talibus igitur eloquia tua manifeſtare timui, ne fortè audiendo te blaſphemarent, vt ſoliti ſunt, & maledicerent, ac ego per hoc peccarem tibi. Tu enim Domine benedictus es, & tales maledictiones non curas, ego tamen eos audire non poſſum. *Doce me iuſtificationes tuas.* Hoc eſt enim, quod ſuperius ait. *Ne repellas me à mandatis tuis.*

In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Doce me inquit, iuſtificationes tuas, quoniam etſi aliis eas celaui, aliis tamen eas manifeſtaui, & illis, quibus prædicere debui, prædicaui.

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Non ſolum, inquit, pronunciaui iudicia oris tui, ſed pronunciando ſic delectatũs ſum, ſicut, in omnibus diuitiis. Sunt quidam, qui prædicant, & non vadunt per viam teſtimoniorum; ſed alia quidem via incedunt, longè à teſtimoniis Dei. Vnde Apoſtolus ait? *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

In mare datis tuis me exercebar. Non vult iſte recedere ab illa doctrina, quæ in hoc pſalmo contin t-r, & prædicare iubetur, neque obliuiſcitur, quomodo prima littera interpretetur. Recordatur inſuper illius verſus, in quo ſuperius dicitur. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius in toto corde exquirunt eum.* Vnde ſubinferens dicit.

In tuis iuſtificationibus meditabor non obliuiſcar ſermones tuos. Beatus enim ille eſt, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Hic autem pſalmus nihil aliud iubet, niſi in lege Domini meditari, & eius mandata, & teſtimonia perſcrutari.

Gimel.

Quod retributio vel plenitudo interpretatur. Hoc autem in hoc litera ſignificatur, quod illi, qui hanc doctrinam, quæ in hoc pſalmo continetur, fideliter tenuerint, & cuſtodierint, plenam retributionem à Domino ſuſcipient. Prima namque littera, quæ doctrina interpretatur, per omnes alias currit, donec vltimæ coniungatur. Ad quid enim aliud niſi ad ſolam doctrinam omnes litteræ inuentæ ſunt? Totum autem ad doctrinam pertinet, & quod nuntiando, & quod iubendo, vel operando dicitur.

Retribue ſeruo tuo, viuam & cuſtodiam ſermones tuos. Non eſt parua doctrina, quando ab aliis docemur, quomodo Deum orare debeamus. Retribue, inquit, ſeruo tuo, quod eis retribuere promiſiſti, qui tua mandata cuſtodiunt. Hoc enim in Euangelio Dominus ait. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit mortem non guſtabit in æternum.* Hoc igitur, quaſi dicat, mihi retribue vt in æternum viuam, & cuſtodiam ſermones tuos.

Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Nonne vides quomodo retributionem quærit, de his, quæ ſe facturum eſſe promittit? Si, inquit, aperueris oculos mentis meæ, ego conſiderabo mirabilia de lege tua, & docebo, & cuſtodiam legem tuam. Aliter enim conſiderare quid valet?

Incola ego ſum in terra. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Aperi, inquit, oculos meos quia non terrena, ſed cœleſtia videre, & habere deſidero, & ideo non abſcondas à me mandata tua. Doce me, quaſi dicat, doctrinam tuam, quam carnales oculi videre, & intelligere non valent. Sic enim diſcipulis ſuis Dominus ait: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei cæteris autem in parabolis.*

A *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua: funes peccatorum circũplexi ſunt me, legem autem tuã non ſum oblitus.* Funes peccatorum, tyranni, & hæretici ſunt, qui viros Catholicos ad peccata trahere conantur. Sed quia legem Dei non obliuiſcuntur, talibus, funibus trahi non poſſunt.

Media autem nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Si enim legem Dei oblitus eſſet, nequaquam ad confitendum media nocte ſurrexiſſet. Poſſumus autem per mediam noctem, ſeviſſimæ perſecutionis tempus intelligere: ſed vir iuſtus neque ſic perterritus à Dei confeſſione ceſſabat. Sed inter ipſa tormenta Chriſtianum ſe eſſe clamabat.

Confitetur autem ſuper iudicia iuſtitiæ Dei, qui legem Dei iuſtitiam eſſe contendit: Nulla legis expoſitio tali confeſſione planior eſt.

Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Sola lætitia quam habet de bona B operatione omnium, & de ſeruitio Dei, quod faciunt omnes, facit eum participem omnium.

Miſericordia tua Domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me. Qui omnibus, quaſi dicat, miſericordiam facis, mihi quoque hanc miſericordiam facias: vt legem & iuſtificationes tuas me doceas. Plena eſt autem omnis terra miſericordia Domini, qui ſuper iuſtos, & iniuſtos pluit, & ſolem ſuum ſuper omnes oriri facit.

Teth.

Teth, bonum interpretatur, & Dei bonitatem, ſcientiam, diſciplinam, & iuſtificationes nos quærere hortatur. In his autem tota doctrina Eccleſiæ continetur.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine ſecundum verbum tuum. Omnes bonitates quas fidelibus ſuis Dominus ſe facturum eſſe promiſerat, in Chriſti paſſione completæ ſunt. Singulariter autem, ſicut promiſit, vnicuique propriam bonitatem facit: aliam humilibus, aliam per- C ſecutionem patientibus & ſimilia.

Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi. Doce me inquit, bonitatem facere, diſciplinam Eccleſiaſticam tenere, & ſcientiam Catholicam defendere, quia non hæreticorum perſuaſionibus non Poetarum fabulis, non Philoſophorum ſuperſtitionibus, ſed ſolis tuis mandatis obediui, & credidi.

Priuſquam humiliarer ego deliqui. Prius, inquit, quam ſub iugo tuo, quod ſuaue eſt, humiliarer, & diaboli ſuperbiam, & inſtitutionem à me repellerem, ego multis modis deliqui, & in pluribus te offendi. Propterea eloquium tuum ego cuſtodiui, vt in me adimplerem, quod ſcriptum eſt. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.*

Bonus es tu Domine. Et naturaliter bonus, & ſine quo nihil eſt bonum. *Et in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*, quatenus bona ſit, tibique placeat intelligentia mea. Ideo enim hæreticorum doctrina praua eſt, quia D non in Dei bonitate, ſed in eorum malitia eſt.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum. Satis quidem iniqui erant, ſed me affligendo iniquiores facti ſunt, & plus ſolito ſuper me crudeliores effecti ſunt. Ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Faciant quicquid poſſunt, & adhuc, ſi volunt iniquiores fiant, quia neque mors, neque vita, poterit me ſeparare à charitate tua, & à tuorum cuſtodia mandatorum.

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Quia mollibus, quaſi dicat, verbis, & blanditijs nos decipere non potuerunt, nunc cor illorum contra nos induratum eſt, vt in nullo vlterius parcant. Ego vero legem tuam meditatus ſum, & quid lex tua me facere iuberet, non ſum oblitus.

Bonum mihi quod ſic humiliaſti me. Et tantis me flagellis affligi permiſiſti. *Vt diſcerem iuſtificationes tuas:* quas audiendo, vel legendo diſcere non potui, eas patiendo pleniſſime intellexi.

Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti. Manſura fugitiuis, & æterna temporalibus non ſine iniuria comparari poſſunt.

Ioth.

E Ioth, ſcientia vel principium interpretatur. Hæc littera ad veram ſcientiam nos inuitat, vt non ſecundum litteram, ſicut Iudæi, ſed ſpiritualiter legem, & Prophetas intelligamus, & illud omnium rerum principium eſſe ſciamus, cuius manus nos fecerunt & plaſmauerunt.

Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. Quid per manus, niſi virtus, & potentia ipſius ſignificatur? Nihil corporeum in his verbis intelligatur quia non manibus operatur Deus, ſed voluntate. *Ipſe enim dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Reſpice ad primam litteram, quæ ſcientia interpretatur, ne littera te decipiat, vt hæc verba ſecundum litteram intelligere velis. Vnde & ſequitur. *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua:* Nonne audis quia & iſte ſpiritualem quærit intellectum? Quoniam ſicut Apoſtolus ait. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.*

F *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verbo tuo ſperaui.* Hoc erit in iudicio, quando omnes, qui Deum timent ſiue Angeli, ſiue homines videntes ſanctam Eccleſiam glorioſam, & quaſi ſolis radios fulgentem, de illius gloria, & honore lætabuntur. Sed hoc habebit, quia in verbo Dei, & in promiſſionibus eius ſpem firmiſſimam poſuit, & nulla ratione ab eo ſeparari potuit.

Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua. Omnia iudicia Dei vera, & æqua ſunt, ſiue malis proſpera, ſiue malis aduerſa contingant, quamuis ſuper hoc etiam viri iuſti aliquando ſcandalizari ſoleant Hoc autem Eccleſia ſe cognouiſſe dicit, & ideo de ſuis calamitatibus & afflictionibus lætatur, Vnde & ſubditur.

Et in veritate tua humiliaſti me. Verax eſt Dominus & quando exaltat, & quando humiliat ſanctos ſuos, quia non minus eos adiuuat humiliando, quam exaltando. Hoc autem ideo dicere videtur, quia Dominus ait. *Non vos deſeram neque derelinquam.* Non eſt hoc deſerere, ſed G probare, & ad maiorem gloriam præparare.

Fiat nunc miſericordia tua, vt conſoletur me. Gaudeo quaſi dicat, de his quæ pertuli, ſed amodo mihi fieri conſolationis miſericordiam peto. *Secundum eloquium tuum ſeruo tuo.*

Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam. Veniant, inquit, nunc mihi ſeruo tuo miſerationes tuæ, & viuam ſecundum eloquium tuum, & ſecundum promiſſiones tuas. Sic ſe habet ordo. Bene autem dicit, ſecundum eloquium tuum quia, in multis locis vtriuſque teſtamenti promittit Dominus miſericordiam, & adiutorium, fidelibus ſuis. *Quia lex tua meditatio mea eſt.* Bona ratio cur eius Dominus miſereatur. Quorum enim miſerebitur Dominus, ſi illos non audit, qui eius mandata cuſtodiunt?

Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me. De hoc, inquit, confundantur ſuperbi, & erubeſcant, quia iniquitatem fecerunt in me. Et hoc in- H iuſte, quia ego ad viam veritatis, & inuitabam. Bona confuſio, quia non contra eos, ſed pro eis orat. *Ego autem exercebor in mandatis tuis.* Hoc eſt ſanctorum ſtudium, & exercitium, vt mandata Dei ſemper cuſtodiant.

Conuertantur ad me, qui timent te, & qui nouerunt teſtimonia tua. Omnes enim, qui Deum timent, & qui eius teſtimonia intelligunt, quocunque vadant, ſemper ad eccleſiam conuertuntur & eius præcepta ſequuntur. Multi enim quotidie peccando ſeparantur ab ea, ſed pœnitendo reuertuntur ad eam.

Fiat cor meum immaculatum in tuis iuſtificationibus, vt non confundar. Confundantur igitur illi, qui Dei iuſtificationes corde ſordido, & maculato tractare præſumunt. Quod quidem hæreticorum proprium eſt, qui Diuinas ſcripturas corde peruerſo interpretantur.

Caph.

Hoc elementum, quod manus interpretatur, ad pugnandum, & ad laborandum nos inuitat. Tales manus habet ille, qui dicit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui*

A *docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Et Apoſtolus. *Vnuſquiſque laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt.* Et alibi: *Labores manuum tuarum manducabis.* In magno namque prælio hoc in loco Eccleſia ſe eſſe oſtendit, dum dicit: *Quia factus ſum ſicut vter in pruina. Et paulo minus conſummauerunt me in terra.*

Defecit in ſalutari tuo anima mea, & in verbũ tua ſperaui. Tantum, quaſi dicat, fuit deſiderium ſalutis tuæ, quæ æterna eſt, vt ex toto in anima mea deficeret deſiderium ſalutis meæ, quæ temporalis eſt. Et ideo in verbo tuo, & in promiſſione tua ſperaui, quæ mihi ſalutem præſtat æternam. Bona illa defectio, quæ ad tantam refectionem animam perducit.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Iſti oculi, non carnis, ſed mentis ſunt, qui mundi vanitates videre deficiunt, & deſpiciunt, vt ſola Diuina eloquia contemplentur. *Dicentes, quando conſolaberis me.* Tales oculi B loquuntur, ſicut alibi dicitur. *Non taceat pupilla oculi tui.* Omnia membra noſtra loquuntur Deo, & non minus oculos, quam linguam audit. Per ſingula membra corporis noſtri, videt Deus, & intelligit intentionem cordis noſtri.

Quia factus ſum ſicut vter in pruina. Hoc eſt igitur, vnde quærit conſolationem. Nulla res fuit, in qua ſanctorum calamitas conuenientius oſtendi potuiſſet, quam in vtre, in pruina contracto, & congelato. Iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Non ideo, inquit, iuſtificationes tuas oblitus ſum, quia tantis miſeriis circumuentus, quaſi vter in pruina factus ſum.

Quot ſunt dies ſerui tui? Quos videlicet in his calamitatibus ſuſtinere habeo? *Quando facies de perſequentibus me iudicium.* Iam, quaſi dicat, manus deficiunt, & contra eos pugnare non valeo.

Narrauerunt iniqui fabulationes. Quibus menté meam decipere nituntur. Sed non ita illæ ſunt vt lex tua Domine. Vnde hoc? Omnia mandata tua veritas, illorum C vero fabulationes, omni falſitate, & errore plenæ ſunt.

Iniqui perſecuti ſunt me, ſuccurre mihi, & adiuua me. Nimis duram, & intolerabilem perſecutionem in his verbis eſſe oſtendit. Vnde & ſubditur.

Paulo minus conſummauerunt me in terra. Mala conſũmatio, qua humana vita in terra finitur. Qui enim ſic fruitur, ad æternam beatitudinem non extenditur. *Ego vero non dereliqui mandata tua.* Quod ſi feciſſem, penitus in terra conſummatus eſſem.

Secundum miſericordiam tuam viuifica me. Vt ſicut cœpi, ita ſemper cuſtodiam teſtimonia oris tui. Non ſine cauſa viuificari ſe poſtulat, qui quaſi vtrem in pruina ſe eſſe dicit.

Lamech.

Interpretatur autem lamech, diſciplina. Huius diſciplinæ diſcipuli ſunt omnes Chriſtiani, hanc tenent, & prædicant, hanc defendunt, & per hanc ſaluari confidunt.

In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo. D Cœlum vocari Eccleſiam omnes ſcripturæ Diuinæ, & præcipuè Euangelia nos docent. In Eccleſia igitur verbum Dei, & doctrina vtriuſque teſtamenti permanet in æternum. Vnde & Dominus ait. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient. Et in ſæculum ſæculi veritas tua.* Idipſum autem & per verbum Dei, & per veritatem Dei ſignificatur. Omnis namque doctrina Dei veritas eſt, & nihil reprehenſibile in ea eſt.

Fundaſti terram & permanet. Hæc terra, Eccleſia eſt, quã & cœlum modo vocauit, cuius fundamentum Chriſtus eſt, ſicut Apoſtolus ait. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Hoc autem ſimiliter in æternum permanet, ſed non in hoc mundo permanet in æternum.

Ordinatione tua perſeuerant dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Præter Angelum, & hominem, omnia alia tenent ordinem ſibi à Domino conſtitutum. Sed boni ſunt iſti dies, qui in Domini ordinatione perſeuerant, per quos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores intelligere poſſumus. Seruat terra ſtabilitatem ſuam tenent & dies ordinem ſuum. E Quoniam omnia ſeruiunt tibi. Merito, inquit, & terram fundaſti, & dies ordinaſti, quoniam per hæc, & in his omnia alia ſeruiunt tibi.

Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forſitan periiſſem in humilitate mea. Tunc inquit, quando humiliabar, quando me impij flagellabant, & cruciabant, tunc forſitan periiſſem in ipſa mea humilitate & afflictione. *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt*, quæ me confortat, & conſolatur. Vnde Apoſtolus ait: *Vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas. Et hoc ideo *quia in ipſis viuificaſti me*, quoniam vt modo dixi, forſitan ſine ipſis periiſſem in humilitate mea.

Tuus ſum ego ſaluum me fac. De ſalute animæ loquitur, quoniam nullos alios ſecundum animam ſaluat Dominus niſi illos, qui illius ſunt. Cum enim omnia ſua ſint, ſoli tamen illi ſui eſſe dicuntur, qui ei ſeruiunt, & in eum credunt. F Quia iuſtificationes tuas exquiſiui. Multis in cauſis hanc ſuæ ſalutis cauſam reddit, quia Domini mandata cuſtodit.

Me exſpectauerunt peccatores, vt perderent me. Et tu quid feciſti? Teſtimonia tua intellexi, & ideo me perdere non potuerunt. Neque timui eos, qui corpus occidunt, quia animam non poſſunt occidere, & hoc quidem teſtimonium tuum eſt.

Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Vidi, inquit Propheta, & certiſſimè cognoui, latum mandatum tuum nimis, finem eſſe omnis conſummationis, & perfectionis, & qui illud obſeruat, ſecurus eſt, & ab inimicis ſuperari non poteſt. Qui enim Deum, & proximum diligit, Deum, & proximum offendere timet. Latum & nimis latum eſt hoc mandatum, quoniam omnia alia in eo continentur.

Mem.

Interpretatur autem Mem, ex quo, vel ex ipſis. Superioribus continuatur, & de eodem mandato primo, & G maximo loquitur adhuc. Et bene hic dicitur, ex quo vel ex ipſis, quia de illo mandato loquitur, quod & vnum eſt, & multa. Audiamus igitur quid ſequentia dicant, & ex ipſo, & ex ipſis.

Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt. Et hoc quidem non feciſſet, niſi multum eum dilexiſſet. *Eſt autem maximum & primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex omnibus viribus tuis, &c.*

Super omnes inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Hoc, inquit, mandatum omnibus inimicis meis prudentiorem, & ſapientiorem me fecit, quia vitam mihi præſtat æternam. Et hoc eſt, quod dicit, quia in æternum mihi eſt, in quo qui offendit, factus eſt omnium reus. Cætera vero, quæ ſequuntur aliorum mandatorum ſunt. Ac per hoc intelligere poſſumus, quid ſignificet, ex quo, vel ex ipſis. *Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.* H Satis diſcipuli melius legem intelligunt, quam ipſi ſui magiſtri, ſi eam cuſtodiunt; quia ille bene meditatur in legem, qui eam obſeruat. Vnde Apoſtolus ait. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*

Super ſeniores intellexi, quia mandata tua quæſiui. Quæſiui autem plus agendo, quam legendo. Neque magiſtri neque ſeniores legem intelligunt, niſi faciant quod intelligunt.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verbum tuum. Neque enim aliter verbum Dei cuſtodire potuiſſet, niſi à malo declinaſſet, cum Dominus à malo declinare præcipiat.

A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi. Vt à iudiciis tuis non declinarem.

Si vis, inquit Dominus, *perfectus eſſe ſerua mandata.* Itemque. *Qui diligit me, mandata mea cuſtodit. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum*

A *ori meo.* Hoc illi ſoli dicere poſſunt, qui verba Dei, & audire, & facere concupiſcunt. Multi enim ſunt, (ex quibus ego quoque vnus ſum) quibus audire dulce eſt, facere autem valde amarum eſſe videtur.

A mandatis tuis intellexi. Non ſolum quaſi dicat, mandata tua intellexi, ſed ab ipſis intelligendi formam & ipſum quem prius non habebam, intellectum ſuſcepi. Propterea odio habui omnem viam iniquitatis, quam videlicet viam illi multum diligunt, qui tua mandata non intelligunt. Hoc autem quod ſequitur. Quoniam tu legem poſuiſti mihi, in alia tranſlatione non habetur. Sed magna ratio eſt, vt iniquitatem odio habeamus, quia lex iuſtitiæ, & æquitatis nobis poſita eſt.

Nun.

Hoc elementum quod ſempiternum, vel piſcis interpretatur, hanc doctrinam ſempiternam eſſe ſignificat, &
B omnibus eam cuſtodientibus vitam promittit æternam. Sed neceſſe eſt vt piſces fiant, & in aquis baptiſmatis natent, qui per eam ad beatitudinem venire deſiderant. Vnde & Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Hoc, inquit, verbum tuum, & hæc doctrina tua, lucerna, & lumen mihi eſt, vt recto itinere incedere valeam, quoniam qui hoc lumine non ducuntur cæci ſunt, & in tenebris ambulant. Ideoque iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Hoc iuramentum omnes illi faciunt, quicumque Chriſti fidem ſuſcipiunt. Propter hoc etiam *humiliatus ſum vſquequaque Domine.* Illi reuera humiliantur, & ex toto humiliantur, qui tanto lumine & tali lucerna illuminantur. *Viuifica me ſecundum verbum tuum.* Hoc eſt illud verbum quod Dominus ait. *Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

C *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Quæ ſunt iſta voluntaria, quæ ſic placere Domino rogat, niſi illa iuramenta, quæ ſe vouiſſe, & ſtatuiſſe modo ſuperius dixit? *Et iudicia tua doce me*, quia aliter ea etiam cum iuramento cuſtodire non vales.

Anima mea in manibus meis ſemper. Similiter autem, & Beatus Iob ait. *Quare lacero carnem meam dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Ille animam ſuam in manibus portat, qui bonis operibus eam Domino repræſentat. Semper ſit anima noſtra in manibus noſtris, vt numquam eius obliuiſcamur, & numquam eam cadere patiamur. Et legem tuam non ſum oblitus. Non habent animam ſuam ſecum, qui legem Dei obliuiſcuntur. Qui vero eam præ manibus habent, legis Dei obliuiſci non poſſunt.

Poſuerunt peccatores laqueos mihi & à mandatis tuis non erraui: Si legem Domini oblitus fuiſſet, inter peccatorum laqueos, mandata Dei cuſtodire non potuiſſet.

D *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum.* Si quaſi aliena ſibique accomodata Dei teſtimonia habuiſſet, numquam ea in ſempiternum habere potuiſſet, ſed quia iure hæreditario acquiſita ſunt, ideo ea amittere non timet. Hinc eſt autem, quod hæc littera, à qua iſti verſus incipiunt ſempiternum interpretatur. Quia exultatio cordis mei ſunt. Illis igitur teſtimonia Dei hæreditaria ſunt, qui ea cum exultatione cuſtodiunt, ab aliis vero facile dilabuntur.

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum. Et hoc quare? *Propter retributionem*, quam me pro hoc facto habere non dubito. In æternum Dei iuſtificationes ſe facere promittit, quia in æternam hæreditatem eas adquiſiuit.

Samech.

Samech, adiutorium interpretatur, vnde & hic dicitur. *Adiutor & ſuſceptor meus es tu.* Et: *Adiuua me & ſaluus ero.* Et illi quidem hoc adiutorium habebant, qui hanc doctrinam, & hanc legem cuſtodiunt.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Ille diligit legem, qui legis mandata obſeruat. Præcipit autem lex. Sicut Dominus ait. *Vt diligas amicum tuum & odio habeas inimicum tuum.* Sed alia lex è contra dicit: Diligite E
inimicos veſtros. Diligamus ergo homines iniquos ſecundum naturam, ſed non diligamus ſecundum vitium, quod operantur, & ſic vtrumque facere poterimus: & legem diligere, & iniquos odio habere.

Adiutor, & ſuſceptor meus es tu, & in verbo tuo ſperaui. Igitur ſignificat littera *Samech*, quia illorum adiutor eſt Dominus, qui in verbo eius ſperant, & promiſſiones firmiſſime expectant.

Declinate à me maligni. Quare? *Et ſcrutabor mandata Dei mei*, quia illa diligo, vos autem odio habeo. Iſti ſunt illi iniqui, de quibus modo dixit. *Iniquos odio habui*, qui niſi ab eo receſſerint, & declinauerint, legem Dei ſcrutari non valent. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala.*

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & viuam. Omnis, qui venit ad me, dicit Dominus, *non eiiciam foras.* Soli autem illi viuunt, qui à Domino ſuſcipiuntur. *Et ne confundas me ab expectatione mea*: Illi confundentur F
ab expectatione ſua quibus in iudicio ianua claudetur, & à Domino dicetur. *Amen dico vobis neſcio vos.*

Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in tuis iuſtificationibus ſemper. Deus qui operatur in nobis, & velle, & poſſe, & ſine cuius adiutorio nihil boni facere poſſumus.

Spreuiſti omnes diſcedentes à iuſtificationibus tuis, quia iniuſta cogitatio eorum eſt. Iniuſta & omnino iniqua eſt cogitatio illorum, qui ita recedunt à mandatis Domini, quibus homines iuſtificantur, vt vlterius ad ea per pœnitentiam non reuertantur.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Omnes homines in Adam præuaricatores facti ſunt, qui legem ſibi impoſitam tranſgrediens, ad arborem ſibi interdictam acceſſit. In illa itaque præuaricatione pereunt, quicumque Chriſti ſanguine non ſunt redempti. Qui vero redempti ſunt niſi legem ſibi datam cuſtodiant, iterum præuaricatores fiunt. Omnes igitur pec- G
catores, præuaricatores eſſe non dubium eſt. *Ideo dilexi teſtimonia tua.* Ipſa enim ſunt, in quibus homines præuaricatores fiunt, & per quæ à peccato præuaricationis liberantur.

Infige amore tuo carnes meas. Vt tui timoris gladio vulneratæ, carnis concupiſcentiis non moueantur. *A mandatis enim tuis timui.* Tua mandata me docuerunt, & intelligere fecerunt, quam magnum peccatum, ſit carnis voluptatibus agitari.

Ain.

Ain, fons, ſiue oculus interpretatur. Eſt igitur hæc doctrina, & fons viuus, quo animæ ſatiantur, & clariſſimus oculus, quo illuminantur. Qui de hoc fonte non bibunt, ſemper ſitiunt, & qui hoc oculo non illuminantur, nunquam de errorum tenebris liberantur.

Feci iudicium, & iuſtitiam, ne tradas me perſequentibus me. Eadem menſura, qua menſi fueritis, dicit Do- H
minus, *remetietur vobis.* Qui igitur rectum iudicium, & iuſtitiam fecit, non eſt ei timendum, vt perſecutoribus ſuis in iudicio tradatur. Iſti perſecutores, maligni ſpiritus ſunt, quibus, qui traditus fuerit, non dimittetur vſque ad nouiſſimum quadrantem.

Elige ſeruum tuum in bonum, vt non calumnientur mihi ſuperbi. De illa electione loquitur quæ in iudicio fiet, quando agni ponentur à dextris, hædi vero à ſiniſtris. Elige, inquit ſeruum tuum, & pone me in partem bonam, vt non calumnientur mihi illi ſuperbi, qui nec tibi ipſi aliquando humiliari voluerunt.

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ. Hæc verba ineffabilis deſiderij indicia ſunt. Sed deficiunt oculi noſtri in vtraque contemplatione, quia neque Saluatorem noſtrum, neque eius eloquia ad plenum in hac vita comprehendere valemus.

Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Hanc inquit, miſericordiam mihi facias, vt illo fonte, & illo oculo, de quibus modo ſuperius dixi, me reficere, & illuminare digneris.

A *Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.* Illi ſoli debet dari intellectus, qui ſe ſeruum eſſe cognoſcit, & Domini ſui mandata offendere timet. Si non ſeruauerit, damnabilis erit, quæ ſine intellectu ſeruare non poterit.

Tempus faciendi Domine diſſipauerunt iniqui legem tuam. Nunc, inquit, eſt tempus faciendi quod poſtulo, quia nunc maxime intellectus neceſſarius eſt, quando contra veritatem hæretici pugnant. Hoc eſt enim quod dicit: *Diſſipauerunt legem tuam.*

Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion: In metallis aurum, & in gemmis Topazion pretioſius eſt. Ideo, inquit, dilexi mandata tua ſuper omnia, quæ in hoc mundo deſiderari poſſunt. Quia ſeruus tuus ego ſum & tibi per omnia placere, & voluntatem tuam facere concupiſco. *Propterea ſimiliter ad omnia mandata tua facienda dirigebar: &* propterea *omnem viam iniquitatis odio habui.* Bonus ſeruus, qui Domini ſui voluntati concordans, hoc diligit, quod ipſe, hoc odit, quod ipſum

B odiſſe cognoſcit.

Phe.

Phe, interpretatur, os, de quo in ſequentibus dicitur: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Docet nos iſta littera, vt os aperiamus, & hanc doctrinam tam ſanctam, & perfectam ſuſcipiamus, memoriæ commendemus, & in cordis habitaculo reponamus.

Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideo. ſcrutata eſt ea anima mea. Magnum, & perfectum os habet iſte, qui ita loquitur. Mirabilia quidem ſunt teſtimonia Dei, quia tam alta ſunt, vt humano ingenio intelligi non valeant: tam vera, vt nemo eis reſiſtere poſſit, tantæ efficaciæ: vt à morte animam liberent, & ad vitam perducant æternam. *Ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Quæ enim ſcientia tam perfecta eſt, cum magno deſiderio perſcrutanda eſt.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat me, & intellectum dat paruulis. Et me, inquit Eccleſia, illuminat declaratio, & expoſitio ſermonum tuorum, & paruulis

C qui in me ſunt, tribuunt intellectum. Talis eſt igitur hæc doctrina, vt pro capacitate vtentum, & maioribus, & minoribus idonea ſit.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Os videlicet interioris hominis aperuit, & ſpiritū ſapientiæ & intellectus, Domino largiente, ſuſcepit. *Quia mandata tua deſiderabam.* Illis igitur datur ſapientia, qui mundo corde eam deſiderant. Vnde & Iacobus Apoſtolus ait: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Domino, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Secundum iudicium, inquit, & teſtimonium Apoſtolorum, & Prophetarum diligentium te, Aſpice in me & miſerere mei, & illam miſericordiam mihi facias, quam per eos mihi facere promiſiſti.

Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia. Hoc eſt enim, quod alibi dicitur: *A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius cupit nimis.* Et alibi: *Illuminare his, qui in tenebris,*

D *& vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Vbi autem greſſus mentis directi ſunt, ibi iniuſtitia dominari non poteſt.

Redime me à calumniis hominum, vt cuſtodiam mandata tua. Multæ ſunt calumniæ hominum, quibus aſſidue ſanctis iniuſtè calumniantur, & quieſcere non permittunt, & ideo ea diligentia, qua debent, Dei mandata cuſtodire non poſſunt.

Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum. Tunc faciem ſuam ſuper nos Dominus illuminat, quando lætam faciem nobis oſtendit, pellendo aduerſa, & proſpera tribuendo. *Et doce me iuſtificationes tuas;* Nunquam legis, & mandatorum obliuiſcitur, ſed pæne in vnoquoque verſu, legis ſcientiam ſibi dari exoptat.

Exitus aquarum tranſierunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Quanta viri perfectio, qui lacrymarum inundatione aquarum exitus ſe tranſiſſe dicit, quia legem Domini, ſicut voluit, cuſtodire non potuit.

Sade.

E *Sade*, Iuſtitia interpretatur, de qua hic dicitur: *Iuſtitia tua Iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.* Hæc igitur littera ad iuſtitiam nos inuitat, cuius virtus non modica in huius pſalmi doctrina continetur.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Ideo Dominus iuſtitiam diligit, & ideo nos hæc littera ad iuſtitiam prouocat, quia iuſtus eſt, & omne eius iudicium rectum eſt, quem ſicut Dominum, & magiſtrum per omnia, & in omnibus imitari debemus.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Quia enim iuſtus eſt Dominus, ideo iuſtitiam, & teſtimonia ſua, & veritatem ſuam nimis cuſtodiri præcepit. Nimis quidem, quia in eorum obſeruatione ipſa vita poſtponenda eſt. Dicitur autem *nimis*, non ad iuſtitiæ contemplationem, ſed ad hominum opinionem.

Tabeſcere me fecit zelus domus tua quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Tale eſt & illud, quod alibi dici-

F tur: *Zelus domus tua comedit me.* Nimio dolore ſe defeciſſe oſtendit, quia domum Dei ab hæreticis deſtrui, & diſſipari conſpexit. Ipſi enim ſunt inimici eius, qui verba Dei, & ſanum intellectum obliti ſunt, & aliter ſcripturas exponunt, quam ab antiquis Patribus didicerunt.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. Vehementer ignitum eſt eloquium Dei, quo mentis oculi illuminantur, peccata exuruntur, & ad Dei amorem corda fidelium accenduntur. Et *ſeruus tuus dilexit illud*, Niſi enim dilexiſſet, pro eo defendendo ad mortem vſque non pugnaſſet.

Adoleſcentior ſum ego, & contemptus. Adoleſcentiorem, quaſi dicat inimici mei me reputant, & puerilem intelligentiam me habere dicunt, & quaſi ſtultus, & inſipiens contemptus ſum ab eis. *Ego autem iuſtificationes tuas non ſum oblitus*, ſicut illi obliti ſunt, quorum me obliuio tabeſcere fecit.

Iuſtitia tua iuſtitia in æternum. Non eſt talis, inquit, iuſtitia tua, quæ obliuioni tradenda ſit, æterna enim eſt,

G & ſuperiari non poteſt. Vnde & ſubditur. *Et lex tua veritas.* Veritas autem à mendacio ſuperari non valet. Pro hac autem iuſtitia tua, quam tanta inſtantia tenere, & defendere ſtudui, *tribulatio, & anguſtiæ inuenerunt me.* Et tu quid feciſti? *Mandata autem tua meditatio mea eſt.* Si enim à ſola iuſtitia quam prædicabant ſancti Dei, ceſſare voluiſſent, illas tantas tribulationes, & anguſtias paſſi non fuiſſent.

Æquitas teſtimonia tua in æternum. Egregie teſtimonia Dei non æqua eſſe, ſed ipſam potius æquitatem eſſe dicit, vt ſe iuſtiſſime, & non ſine cauſa pro eis pugnaſſe oſtendat.

Intellectum da mihi & viuam? Solum intellectum poſtulat, & in ipſo vitam ſuam eſſe confirmat, quo videlicet intellectu, & teſtimonio Dei contra inimicos defendere, & ipſos inimicos expugnare valeat.

Coph.

H *Coph*, interpretatur vocatio. Hæc littera monet nos ſemper vocare, & ſine intermiſſione clamare ad Dominum, ſicut ſequentia manifeſtant, vt in omnibus neceſſitatibus noſtris nobis ſubueniat, & à noſtris perſecutoribus nos eripiat.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Sic igitur clamet, qui exaudiri deſiderat, non voce, ſed corde clamet, quia non ad vocem, ſed ad cor reſpicit Deus In vanum extollitur vox, niſi ex corde procedat oratio. *Iuſtificationes tuas requiram?* Et hæc quidem cauſa non minima eſt exaudiendæ orationis.

Clamaui ad te, & ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua. Neque enim aliter eius mandata cuſtodire valemus, niſi ipſe nos protegat, & ſaluos faciat, & à vitiorum, & dæmoniorum infeſtatione defendat.

Preueni in maturitate, & clamaui, & in verbo tuo ſperaui. Maturitas pro congruo ponitur & opportuno. *Omnia tempus habent*, & de arbore illa nobiliſſima dicitur: Quia *dabit fructum ſuum in tempore ſuo.* Clamat igi-

tur in maturitate, quia tunc clamat, quando clamare oportet, & ſic clamat, ſicut oportet. & qui ita clamat. in verbo & promiſſione Dei firmiſſime ſperare poteſt Vnde & ſequitur. *Et in verbo tuo ſperaui.*

Preuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Diluculo, inquit, ſummo mane, nocte tranſacta, erroris, & tenebrarum obſcuritate fugata, veni ad meditandum eloquia tua, vt ſic ad te, & ad tui cognitionem pertingere poſſem. Qui lucem videre vult, de tenebris eum exire oportet.

Vocem meam exaudi Domine ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum iudicium tuum viuifica me. Non ex meritis, ſed ex miſericordia exaudiri ſe poſtulat, & ſecundum eius iudicium iuſtificari quærit, qui ſolis pœnitentibus miſericordiam facit.

Appropiauerunt perſequentes me iniqui, à lege autem tua longe facti ſunt. Mihi, inquit, appacuerunt iniqui, vt me perderent, & deciperent, ſed à lege tua longe facti ſunt, cui per omnia contradicunt.

Prope es tu Domine. Illi, inquit, à lege tua longe ſunt, quia in errore, & falſitate ſunt? ſed tu Domine prope es, quia ibi es, qui veritas es. Vnde & ſubditur. *Et omnia mandata tua veritas*: Omnia mandata Dei vera ſunt, quia ab ipſa veritate compoſita ſunt.

Initio cognoui de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea. Initium Chriſtus eſt, qui de ſe ipſo ait: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Sed Chriſtus hoc dicit de teſtimoniis ſuis, & de verbis ſuis: Quia *cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ab ipſo ergo initio cognouimus, & educti ſumus, quia teſtimonia eius in æternum fundata ſunt. Stulti igitur ſunt, qui ea diſſipare, & deſtruere conantur.

Res.

Res, caput interpretatur. Hoc eſt illud caput ſiue principium, de quo alibi dicitur: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* De hoc & in ſequentibus dicitur: *Principium verborum tuorum veritas.* Hoc igitur principium Chriſtus eſt, à quo hæc omnia mandata ſuſcepimus. Hæc itaque littera iubet ſemper ad caput reſpicere, & capitis reuerentia omnia hæc mandata fideliter cuſtodire.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus. Vide inquit, hanc humilitatem, & afflictionem meam, & eripe me, quia multi ſunt perſequentes me & tribulantes me. Ego tamen legem tuam non ſum oblitus, pro qua omnes iſtas ſuſtineo paſſiones, & humiliationes.

Iudica iudicium meum & redime me. Iudicium ſuum quo iniuſte ab iniquis iudicatus, & damnatus eſt, iudicari, & vindicari rogat, & ſe de illorum impia ſeruitute redimi & liberari poſtulat. *Propter eloquium tuum viuifica me?* Hoc eſt illud eloquium, quod Dominus ait: *Si quis ſermonem meum ſeruabit, mortem non videbit in æternum.*

Longe eſt à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Boni, inquit, ideo ſaluantur, & viuificantur, quia eloquia Domini exquirunt, & cuſtodiunt, quod quia mali facere negligunt, ideo longe eſt à peccatoribus ſalus.

Miſerationes tuæ multæ nimis Domine, ſecundum iudicium tuum viuifica me. Hoc eſt illud iudicium miſericordiæ plenum, quo Dominus ait; *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Itemque, *Dimitte & dimittetur vobis.*

Multi perſequentes me & tribulantes me. Ego autem, ſicut ipſe ſcis *à teſtimoniis tuis non declinaui*, neque inter ipſa tormenta te confiteri, & laudare ceſſaui.

Vidi non ſeruantes pactum & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Hoc de Iudæis, vel de Chriſtianis timore mortis Dominum negantibus, dicit, quia inde multum dolebat & tabeſcebat, quod pactum non obſeruabant, & eloquia Domini non cuſtodiebant. Quibus Dominus ait? *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia poſt hæc non habent vltra quod faciant.*

Vide quia mandata tua dilexi Domine, in tua miſericordia viuifica me. Notandum eſt quod homo tantæ perfectionis quaſi de futuris pertimeſcens, ſemper miſericordiam petit.

Principium verborum tuorum veritas. Omnia inquit, mandata tua dilexi, quorum principium veritas eſt, ex quo fonte eiuſdem puritatis omnia deducuntur, *Et ideo in æternum manent omnia iudicia iuſtitiæ tuæ?* Si vera non eſſent in æternum manere non poſſent, cum omnia falſa cito deficiant, & pereant. nihilque diu durabile ſit, quod à veritate recedit.

Sin.

Sin. dentes interpretatur. Tyranni & hæretici, dentes diaboli ſunt, qui ſanctos decipere, & deuorare nituntur. De quibus alibi dicitur. *Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.* Et de quibus ſimiliter in hoc loco Eccleſia dicit.

Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Gratis quidem hoc faciebant, quia nulla iuſta cauſa erat, quod hoc facere debuiſſent. Vnde & Dominus Iudæis in Euangelio dicit; *Quia odio habuerunt me gratis. Et à verbis tuis formidauit cor meum.* Non illos inquit, tantum timebam, quantum ne te offenderem, & timore perterritus in verba tua peccarem.

Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut, qui inuenit ſpolia multa. Pro ſpoliis computat eloquia Dei, quæ hoſtibus deuictis retinere, & deffendere potuit.

Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi. Non iniquos, inquit, qui me crudeliter perſequebantur, ſed eorum iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, vt gratis, & ſine cauſa hoc feciſſe intelligantur. *Legem autem tuam dilexi*, pro qua me ipſum tradere non dubitaui.

Septies in die laudem dixi tibi. Finitum pro infinito poſuit, & tale eſt ac ſi diceret: quoties me in die tentauerunt, toties me paratum ad laudes tuas prædicandas, & confitendas inuenerunt. Et hoc eſt quod dicit, *Super iudicia iuſtitiæ tuæ.* Ad quid enim hæ laudes pertinebant, niſi ad iudicia iuſtitiæ tuæ Dei? Hinc autem conſuetudo inoleuit, vt ſepties in die Eccleſia laudes Domino cantet.

Pax multa diligentibus nomen tuum Domine. Multam pacem habet, qui ipſos ſuos diligit inimicos. Vnde Apoſtolus ait: *Si fieri poteſt quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et non eſt illis ſcandalum:* *Beatus eſt*, inquit, Dominus, *qui non fuerit ſcandalizatus in me*; Scandalum eſſet eis ſi murmuraſſent, & patienter omnia non ſuſtinuiſſent.

Exſpectabam ſalutare tuum Domine. Ideo, inquit, inter ipſa tormenta non ſcandalizabar, quia ſalutem tuam exſpectabam, quam mihi futuram eſſe non dubitabam. *Et idcirco mandata tua dilexi*, quæ nunquam mihi mentita ſunt, & in omnibus vera eſſe probaui. Vnde adhuc ſubditur.

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit vehementer. Et hoc ipſum repetit adhuc, *Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua*: Quod tu ipſe melius noſti. Vnde hoc? *Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo ſunt.*

Thau.

Thau. ſignum vel conſumatio, ſicut in principio huius pſalmi dictum eſt, interpretatur. Et quia ibi expoſitum eſt, vt iterum hic exponatur, non videtur eſſe neceſſe.

Apropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine, ſecundum eloquium tuum da mihi intellectum. Hoc eſt illud eloquium, quod alibi dicit: *Intellectum dabo tibi & inſtruam te.* Rogat igitur vt intellectum ſibi det ſicut ei ſe daturum eſſe promiſit.

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo Domine, ſecundum eloquium tuum eripe me. Et hoc eſt ſimiliter, quod Dominus ait. *Non vos deſeram neque derelinquam.* Et. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Itemque. *Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis tuæ eripiam te, & magnificabis me.*

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me

A *iuſtificationes tuas.* Ideo rogauit vt intellectum ſibi daret, quia eius iuſtificationes pleniſſime eructare, & prædicare deſiderat. Vnde & ſubditur.

Pronunciabit lingua mea eloquia tua. Et hoc omnibus nunciabo, quia omnia eloquia tua, & omnia mandata tua, iuſta, & ſancta, & æqua ſunt, & nihil erit, quod ab eorum laudibus me terrere poſſit.

Fiat manus tua, vt ſaluum me faciat, quia mandata tua elegi. Ego, inquit, mandata tua omnibus nunciare, & prædicare elegi, tu ſolummodo mihi adiutorium præſta, ne mihi præualeant inimici. Nemo eſt enim, qui dextræ tuæ reſiſtere poſſit.

Concupiui ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt. Non corporis, ſed animæ ſalutem quærit, quam Dominus ſuis fidelibus ſe præcipue daturum eſſe promiſit, dicens eis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, quoniam animam non poſſunt occidere.* Vnde & alibi dicitur: *Dominus cuſtodit te ab omni malo.* Et hoc
B determinat quomodo cuſtodit. *Cuſtodiet animam tuam Dominus.* Et hoc eſt quod ait.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Iudicia, inquit, tua, quæ ego prædico, & lex tua, quæ meditatio mea eſt. Ipſa me adiuuabunt, & à cunctis periculis liberabunt.

Erraui ſicut ouis, quæ perierat, require ſeruum tuum Domine, quia mandata tua non ſum oblitus. Loquitur Dominus in Euangelio de homine, qui habebat centum oues, & relictis nonaginta nouem, vnam venit quærere, quæ perierat, inuentam autem, ſuper humeros impoſuit, & ad paſcua reportauit, de cuius inuentione maximam lætitiam factam fuiſſe narrat. Hæc autem ouis, humana natura eſt, pro qua Dominus in mundum venit, quæſiuit, inuenit, & adhuc quotidie quærit, & inuentam ad cœleſtia vehit.

Canticum Graduum.

Quindecim pſalmi ſunt, qui Canticum Graduum titulantur. Prius itaque de ipſo numero tractandum eſt,
C quare quindecim tantummodo ſint. Quinque ſunt libri Moyſi, qui per triplicem intelligentiam ducti, in quindecim ſurgunt. Eſt autem prima intelligentia, litteralis, ſecunda ſpiritualis, tertia actualis. Prima occidit, ſecunda viuificat, tertia ad beatitudinem hominem perducit. De tertia namque ſcriptum eſt, *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Itemque. *Non auditores legis iuſti ſunt, ſed factores.* Legere igitur, & audire, bonum eſt: ſpiritualiter vero intelligere, melius eſt, agere autem, quod intelligitur, optimum eſt. Sed quis agat, quod non intelligit? Quis intelliget, quod non audiuit, nec legit? Sic igitur de littera ſpiritualis intelligentia oritur, de ſpirituali vero intelligentia, operatio procedit. In illis enim quinque libris ſi iſto modo intelligantur, omnis diuina, & ſpiritualis intelligentia pleniſſimè continetur. Quindecim igitur pſalmi, triplicatam, perfectamque ſcientiam oſtendunt. Sed notandum, quod non dicitur, primus gradus, ſecundus gradus, vel tertius gradus, ſed vnuſquiſque vocatur *Canticum Graduum*, quaſi vnuſquiſque tanti ſit, vt per ſe ad
D id quo tenditur, aſcendentem perducere poſſit. Horum autem quindecim pſalmorum, ille, qui penultimus eſt, ſanctorum Eccleſiam continet pſallentium, & dicentium *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Tales autem erant illi, de quibus dicitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & nemo dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia.* Inde autem vno gradu venientes ad vltimum, ſeipſos hortantur dicentes: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Narrat autem Propheta, & eoſdem ipſos per ſingulos pſalmos loquentes introducit, quomodo ad hunc felicis habitationis locum venerint, quomodo mundi conuerſationem reliquerint, quæ impedimenta habuerint, & quid eis veniendo contigerit.

Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Aliquis de illa ſancta congregatione hoc dicit, quod, dum in mundi huius ſæculari conuerſatione, multas tribulationes ſuſtinerit, & Deo familiarius adhærere cupiens, ſui deſiderij vota complere non poſſet, tandem intimo corde clamauit, & à Domino exauditus eſt. Quomodo autem clamauerit, audiamus. E

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Non ſolum hæretici, qui eum decipere, & ad ſe trahere conabantur, ſed ipſi ſui propinqui, & amici magnum ſibi impedimentum faciebant, qui ad ſæculi voluptates, & vanitates eum trahentes, ſæcularibus implicare volebant. Vnde non immerito eorum labia iniqua & linguam doloſam eſſe dicit, qui ſiue mentis propoſitum tam ſanctum, & vtile mutare, & ad mortis præcipitium trahere nitebantur. Ipſe vero dum hæc ſcandala ſuſtineret, ſibi ipſi, & animæ ſuæ talia loquebatur.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Quod conſilium inuenire poteris ad iſtorum dolos, & deceptiones euitandum, & repellendum.

Sagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatoriis. Sagittæ, inquit, potentis dabuntur tibi, illis te defende, F illas eis oppone: dic eis, quod Dominus ait. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et: Niſi quis reliquerit omnia, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes: & ſequere me, & habebis theſaurum in cælo.* Iſtæ ſunt illæ ſagittæ potentis immo omnipotentis. Acutæ cum carbonibus, ſancti ſpiritus, quibus omnes inſidiæ, & omnia machinamenta diaboli deſolantur.

Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar multum incola fuit anima mea. Sic, inquit, liberatus ſum ab eis, ego tamen multum doleo, quia tardius feci: & quia tanto tempore cum eis conuerſatus ſum. Quoniam tenera habitaui cum habitantibus Cedar, & multum incola eiſque conſentiens fuit anima mea. *Cedar*, tenebræ interpretatur Habitat igitur cum habitantibus Cedar, qui cum talibus commoratur: tenebræ enim ſunt iſti tales, & tenebroſum G Principem imitantur.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Non tamen quod eorum vitiis conſentirem, & eorum iniquitatibus prout poteram, multoties non contrairem Sed *dum loquebar illis*, & verba ſalutis nunciabam, *impugnabant me gratis.*

Canticum Graduum.

Et iſte ſpalmus graduum eſt, & ad altiora conſcendere docet. Et nullus pſalmus eſt qui graduum non ſit, ſed quindecim, tantum ſufficiunt, propter eam cauſam quam ſuperius diximus.*

Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Idem ipſe, qui ſupra, loquitur adhuc. Cum me, inquit, cum aliter à labiis iniquis, & à lingua doloſa defendere poſſem, leuaui oculos meos in montes: reſpexi ad Apoſtolos, & ad eorum imitatores, vt eorum ſentirem auxilium, quorum exemplum imitari cupiebam. Et confeſtim illorum, & Domini auxilium ſuſcipere H merui. Et hoc eſt quod dicit.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram, non det in commotionem pedem tuum, neque obdormiet qui cuſtodit te. Sibi ipſi loquitur, ſicut & ſuperius. ubi ait.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam. Recitat enim ea, quæ ſibi contigerant, antequam ſanctorum iungeretur congregationi, Sic igitur prius ſeipſum conſolabatur, & confortabat, & pedem mentis ſuæ firmum ſtare optabat, vt ab illo ſuo voto, ſanctoque propoſito moueri non poſſet.

Ecce non dormitabit neque obdormiet qui cuſtodit Iſraël. Securus, inquit, eſto, quia cuſtos tuus ſemper vigilat, & nunquam dormit nunquam ſuorum obliuiſcitur, quia nunquam dormiet ille, qui cuſtodit Iſrael: per quem eos intelligamus, qui eius contemplatione delectantur, ſemperque eum videre deſiderant.

Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum

A *num dextera tua.* Satis oſtendit, quia quibuſcunque modis poterat, confortabat ſeipſum, vt votum, & deſiderium ſuum complere non timeret, cum talem tantumque haberet cuſtodem, protectorem,& defenſorem.

Per diem ſol non vret te neque luna per noctem. Nam & ſecundum literam hoc plerumque habent ſancti, qui locum ſecretum, & ſolitarium ſolique contemplationi idoneum ſibi eligunt, vbi neque ſolis,neque lunæ,neque alicuius rei iniuriam patiuntur. Sed per ſolem Chriſtum intelligimus, qui eſt Iuſtitiæ ſol, à quo omnia illuminantur: Per lunam vero illi ſignificantur, qui in tota Eccleſia poſt ſolem virtute, & miraculis ſunt clariores. Et iſti quidem iudicaturi ſunt, quorum præcepto omnes mittentur in ignem, quicunque in iudicio damnabuntur,per diem autem, & per noctem,omne tempus ſignificatur. Nunquam igitur neque ſol neque luna eos exuret, qui Domini faciunt voluntatem,quia nunquam fit, quod per diem & per noctem non fit.

Dominus cuſtodit te ab omni malo. Sed ne de corporis
B afflictionibus hoc intelligere velis, audi quod ſequitur. *Cuſtodiat animam tuam Dominus.*

Dominus cuſtodiet introitum tuum. In ſanctorum congregationem. *Et exitum tuum.* de hoc mundo ad cœleſtia feſtinantem. *Ex hoc nunc & vſque in ſeculum.* Quid eſt,*hoc nunc* Ex hoc præſenti tempore, in quo hæc facere diſponis,ſi in hac bona voluntate perſeueraueris.

Canticum Graduum.

Iſte quoque pſalmus illorum graduum eſt,per quos ad ſummum perfectionis conſcenditur.

Lætatus ſumi in his,quæ dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus. Legeram,quaſi dicat,in ſcripturis vtriuſque teſtamenti & videram ibi ſagittas potentis acutas cum carbonibus deſolatoriis, per quas, Diuinæ legis ſermones, & teſtimonia ſignificantur. Et valde lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, & dixi: Amodo nihil dubito, & certus ſum quia in domum Domini ibimus, & ſicut optauimus, in ſanctorum congregatione habitauimus.

C *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem.* Nondum inquit, veneram in Ieruſalem, id eſt, in illam ſanctorum congregationem, & iam pedes mei ſpe certa, & deſiderio ibi ſtabant, & firmati erant. Tale eſt illud,quod Apoſtolus adhuc in terris poſitus, dicit? *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.*

Ieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Non loquor, inquit, de illa Ieruſalem quæ occidit Prophetas, ſed de illa, *quæ ſic ædificatur, vt ciuitas, cuius participatio eſt in idipſum*, cuius habitatores, & volunt,& nolunt idem atque ipſum, quibus omnibus eſt cor vnum & anima vna de quibus non immerito dicitur. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Illuc enim aſcenderunt tribus tribus Domini, teſtimonium Iſraël ad confitendum nomini tuo Domine. Quaſi aliquis Dicat: Qui ſunt illi, qui habitant in hac Ieruſalem, in qua tantam concordiam eſſe dicis? Cui ipſe. Omnes tribus Domini,omnes viri Catholici & religioſi,
D omnes Martyres,& confeſſores, & quicunque Deo fideliter ſeruiunt, huius ciuitatis ſunt habitatores. Illuc aſcendit & teſtimonium Iſrael. Ad quid?ad confitendum nomini tuo Domine. Hoc eſt illud teſtimonium quod filiis Iſraël in monte Sina à Domino datum eſt. Hoc igitur teſtimonium non Iudæi, ſed Chriſtiani habent. Illi hoc habent, qui non ad literam, ſed ſpiritualiter illlud intelligunt, & in eo Dominum confitentur, & laudant.

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio ſuper domum Dauid Merito inquit, illuc aſcenderunt tribus Domini, & teſtimonium Domini, quia illic ſederunt, & ſedent ſedes in iudicio præparatæ, ſedes illæ, quæ diſtributæ ſunt ſuper domum Dauid. De quibus ſedibus ipſe Dauid ſuis diſcipulis loquitur dicens,*Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Sic igitur diuiſæ ſunt iſtæ ſedes, & ſic tota domus Dauid, id eſt, tota Eccleſia in eas diuiditur, vt vnuſquiſque Apoſtolus ibi ſuam habeat ſedem. E
Vſque hodie vnuſquiſque Epiſcopus ſedem ſuam vocat illam Eccleſiam, in qua ordinatus eſt.

Rogate, quæ ad pacem ſunt Ieruſalem. Omnes,inquit, qui in Ieruſalem habitatis, & quicunque hæc verba auditis, rogate pro his, quæ pertinent ad pacem Ieruſalem; Quia ſine pace impoſſibile eſt placere Deo. Et dicite,ſibi ſit abundantia diligentibus te, ſit abundantia & totius felicitatis diligentibus te, vt qui de tua pace lætantur, ipſi quoque pace perpetua perfruantur. Vnde & ſubditur.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Fiat, inquit, nobis pax in virtute tua, vt quod à nobis habere non poſſumus, tuis meritis obtineamus. *Et ſit abundantia in turribus tuis*, per quas paſtores, & rectores Eccleſiæ ſignificantur, quibus tota ciuitas defenditur & cuſtoditur. Tanta abundantia eſt iſtis neceſſaria quæ aliis omnibus ſufficere valeat.

Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te. Iſti ſunt illi fratres, qui dicunt; *Ecce quam* F
bonum,& quam iucundum habitare fratres in vnum. Pro quibus ſemper orandum eſt, vt in illa pace, & concordia perpetuo perſeuerent.

Et propter domum Domini Dei mei,quæ ex tuis lapidibus ædificatur, *quæſiui bona tibi.* Vnde & alibi dicitur; *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.*

Canticum Graduum.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Habitatio Dei,& in conuentu Angelorum,& in Eccleſia eſt, quæ per cœlum ſignificatur. Vnde alibi dicitur: *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael.* Ad te inquit, leuaui oculos mentis meæ, ad te venire, & te videre deſiderans: Qui in cœlo habitas, qui turpia, & inhoneſta fugis, cui pulchra, & nitida placent.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita G
oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum,donec miſereatur nobis. Reſpiciunt ſerui,& ancillæ ad manus dominorum dominarumq; ſuarũ,vt vel neceſſaria ſuſcipiant ab eis,vel ſi flagellantur, liberentur ab eis. Ita & nos ad Dominum reſpicere ſemper debemus, vt & neceſſaria nobis ſubminiſtret, & à cunctis periculis & aduerſitatibus liberet.

Miſerere nobis Domine miſerere nobis, quia multum repleti ſumus contemptione. Non ſolum ab aliis, ſed ab ipſis quoque Chriſtianis peruerſis, & ſuperbis. Serui Dei multoties contemptui habentur,quia eorum vita à vita illorum diſſimilis eſt, & quia mundi ſapientiam fugiunt, quæ apud Deum ſtultitia eſt.

Et multum repleta eſt anima noſtra. Vnde? *Opprobriis diuitum, ſuperborum deſpectionibus.* Iſti enim ſunt, qui eos præcipue deſpiciunt, & irrident, quoniam & diuitias fugiunt, & nimia humilitate ſe cunctis ſubiiciunt. Sed hæc deſpectio, & hoc opprobrium retorquebitur in illos, quia prope eſt, vt diuites pauperes fiant, & ſuperborum colla humiles premant. Quia ſicut ſcriptum H
eſt:*Deponit Dominus potentes de ſede & exaltat humiles.*

Canticum Graduum.

Niſi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Iſraël,niſi quia Dominus erat in nobis, dum inſurgerent homines in nos, forſitan viuos deglutiſſent nos. Nunc, inquit, ſancti in vnum congregati, quibus eſt cor vnum, & anima vna, recordentur priſtinæ ſuæ conuerſationis, & de quantis periculis eos Dominus liberauerit, & dicant: Niſi quia Dominus liberauit nos, proximi fuimus morti, & perditioni. Bene autem, *Iſraël*, iſti vocantur, qui in Dei viſione,& contemplatione, tanto affectu, & deſiderio delectantur. Viui autem deglutiuntur, qui, ne temporaliter moriantur,à Deo ſeparati in æternum moriuntur. Vnde adhuc ſubditur.

Dum iraſceretur animus eorum aduerſus nos forſitan, velut aqua, abſorbuiſſent nos. Qui ita abſorbentur, non anima, ſed corpore pereunt. Sic enim abſorpti ſunt

omnes

A omnes Martyres, qui, ſi veritatem negare voluiſſent, obſorpti vtique non fuiſſent. Sed quia Dominus præſens aderat, ſic iſti liberati ſunt, vt neque corporis, neque animæ iacturam ſuſtinerent.

Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Nota, quod dicit, *anima noſtra*, quaſi multorum vna anima ſit, quia de illis eſt, quibus eſt cor vnum, & anima vna. Torrentem ſe pertranſiſſe dicit, per quem, duram, & repentinam paſſionem, ſed tolerabilem, oſtendit. Quæ ſi etiam intolerabilis fuiſſet, ipſi tamen cum adiutorio Dei viriliter eam pertranſiſſent.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Et hoc oſtendit. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Et hoc quomodo? *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus* Cuius adiutorio? *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram.* His verbis aperte demonſtrat, & deceptionum retia circumpoſita fuiſſe, & ſe in ipſa retia incidiſſe, & B vel ſignis, vel rationibus retia rupiſſe, & ita ſe cum Dei adiutorio euaſiſſe. Sed notandum, quod Apoſtoli in mari, maligni vero ſpiritus in aëre retia ponunt. Ipſi enim ſunt, de quibus Apoſtolus ait: *Quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus.*

Canticum Graduum.

Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem. Mons Sion, munitiſſimus locus fuit in Ieruſalem, ad totius ciuitatis cuſtodiam ædificatus: Per quem, Apoſtoli, & cæteri Eccleſiæ cuſtodes, & defenſores ſignificantur. *Sicut*, inquit, *mons Sion*, ille videlicet mons Sion, *qui habitat in Ieruſalem*, per quem modo aliquem ſanctorum ſignificari diximus. *Non commouebitur*, neque ab ea ſeparabitur *in æternum.* Ita & omnes illi, qui confidunt in Domino, non commouebuntur in æternum, neque ab ea ſanctorum C congregatione diuidentur, vbi omnibus eſt cor vnum, & anima vna. Siue enim in terra, ſiue in cælo ſint, omnes ſimul erunt, omnes eiuſdem ciuitatis ciues, & habitatores erunt, & ſimul omnes ſine fine gaudebunt.

Montes in circuitu eius. Non timeat, inquit, Ieruſalem, non timeat ſanctorum, & pacificorum congregatio, quia montes ſunt in circuitu eius, qui eam protegunt, & defendunt. Et non ſolum montes, ſed ipſe *Dominus* vigilat *in circuitu populi ſui. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum*, ſecundum promiſſionem ſuam, qua ſuis diſcipulis ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Securi igitur maneant, qui non ſolum Angelorum, & Apoſtolorum, ſed ipſius quoque Domini cuſtodia muniuntur. Et vnde hoc probas?

Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Et hoc ideo, *vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* Sic Dominus defendit ſanctos ſuos, & ea conſtantia confirmat, vt quamuis multories peccatores in corpore ſæuiant, animam tamen ſuperare D non poſſunt. Virgam quoque ipſam Dominus auertit, & non quantum volunt, ſanctos ſuos, eos flagellare permittit. Sors autem iuſtorum, Eccleſia dicitur, quia ipſa, eſt quam ſibi in partem Dominus elegit.

Benefac Domine bonis, & rectis corde. Quid eſt benefac, niſi libera, protege, cuſtodi, virgam peccatorum auerte, & retine manus eorum, ne ad iniquitatem eas extendant.

Declinantes autem ad obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Nemo militans Deo, dicit Apoſtolus, *implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt placeat ei, cui ſe probauit.* Multæ ſunt obligationes diaboli, quibus homines ligat, & trahit. Et valde timendum eſt, quod hic dicitur, quoniam qui ad tales obligationes declinant, ſimul cum operantibus iniquitatem ad ſupplicia ducentur æterna. Et tunc quidem ducentur, quando *pax* æterna, & indeficiens veniet *ſupra Iſraël.* Hoc audiant Monachi, & qui ſæculum reliquerunt, & quam bonum, & quam iucundum ſit fratres habitare in vnum, didicerunt, & iterum E ad ſæculi negotia declinare non optent.

Canticum Graduum.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus, ſicut conſolati. Prædicit Propheta in hoc pſalmo hoc, quod dixerunt Iudæi reuertentes de captiuitate ſua, & hoc ſimiliter, quod dixerunt Chriſtiani, quando ipſi quoque de ſua captiuitate reuerſi ſunt. Dicunt Iudæi, dum conuerteret Dominus captiuitatem Sion, & de Babylonia captiuitate nos in patriam reuocaret, facti ſumus ſicut conſolati. Et tunc quidem *repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*; Non ex toto conſolati, ſed quaſi conſolati facti ſunt, quia quamuis in patria habitarent, nondum tamen liberi redditi erant, ſed adhuc ſub Babylonia tenebantur poteſtate. Magno tamen gaudio, & exultatione repleti ſunt, cum & templum reædificari, & ciuitatem reſtaurari viderent, & vnuſquiſque, quod multum optauerant, maneret ſub vite ſua, & ſub ficu ſua. F Nunc autem quid de Chriſtianorum quoque captiuitate Propheta dicat, audiamus.

Tunc, inquit, *dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum illis, magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes, conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro.* Vſque ad tempora Conſtantini Imperatoris vbicunque inter gentes Chriſtiani erant, ſub dura paganorum captiuitate premebantur. Et tunc quidem dicebant hoc, quod Propheta eos dicturos eſſe prædixerat. Et hoc eſt, quod ſequitur: *Magnificauit Dominus facere cum illis*, cum Iudæis videlicet, quos inter inimicos cuſtodiuit, & tandem de captiuitate liberauit. *Magnificauit Dominus* ſimiliter *facere nobiſcum*; Vnde nos quoque *facti ſumus lætantes*, & non minus quam illi, gaudio & exultatatione repleti ſumus. Adhuc tantum vnum reſtat, quod rogamus, vt velociter fiat, & quod eſt illud? Vt noſtra quoque captiuitas conuertatur. Et maiora quidem fecit Dominus cum Chriſtianis in captiuitate ſua, quam cum Iudæis in ſua, quia multa ſigna, & miracula G per eos tunc operatus eſt, quod per illos feciſſe non legitur. Auſter autem ventus eſt pluuialis, & torrentes deſiccatos aquis implet, & currere facit. Sic igitur factum eſt in captiuitate, quando magno agmine, quaſi pleno flumine, omnes captiui ad propria remeabant. Legimus, quod in tempore prædicti Principis, omnes ſancti cum magno honore de exilio reuerſi ſunt.

Qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent, euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Seminabant, & flebant, prædicabant & lugebant, & non ſolum pro bonis, ſed pro ipſis quoque ſuis perſecutoribus plorabant, & orabant. Et idcirco cum gaudio metent, quia omnes illos, quos flendo, & patiendo conuerterant, cum gaudio in iudicio Domino præſentabunt. Vnde & ſubditur.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Bene autem dicit, venient, quia in cælis ſunt, & inde venturi ſunt, & quot animas vnuſquiſque conuertit, tot manipulos Domino offeret.

H

Canticum Graduum.

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam: niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. Hinc eſt enim, quod diſcipulis ſuis Dominus ait: *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Vnde & Apoſtolus dicit; *Neque qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Nihil enim proficit prædicatio, niſi ſpiritus ſanctus interius operetur.

In vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Contra hæreticos loquitur, omneſque falſos prædicatores, de quibus in Euangelio Dominus ait: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et Apoſtolus: *Multi*, inquit, *ambulant, de quibus dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter*

deſignant. De quibus Dominus ſitienti populo fontes producit ſalientes in vitam æternam.

Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Se inter alios Propheta connumerat, quia & ipſe rupes eſt, de qua non modici fontes erumpunt. Hæc, inquit, gloria tua eſt, iſti fontes aquarum tui ſunt, non eſt noſtrum quod facimus, quia non à nobis facimus. *Non nobis igitur non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Labor noſter ſit gloria ſciant omnes, quia ſine te nihil facere valemus. Hoc autem rogamus vt facias ex ſola miſericordia & veritate tua, quia ſic te facere promiſiſti. Et hoc eſt quod ait.

Super miſericordia tua, & veritate tua, ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum. Nunquam hoc gentes dicere præſumant, quod ſi dixerit, ſciant, quia Deus noſter vbique eſt, & in cœlo, & in terra eſt, & quicquid vult vbique operatur. Hoc eſt quod ſequitur.

Deus autem noſter in cœlo, ſurſum, in cœlo: & in terra omnia quæcunque voluit fecit. Cæteri vero Dij quid faciunt? vel quid ſunt? nihil faciunt, & nihil ſunt. Si tamen vis audire, quod ſunt, vt per hoc intelligas, quia qui hoc ſunt, Dij non ſunt audi quod ſequitur.

Simulacra gentium, argentum, & aurum opera manuum hominum; os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Satis probatum eſt, quoniam qui tales ſunt, Dij non ſunt. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Non contra illos, ſed pro illis orare videtur, quia & aurum bonum eſt, & argentum bonum eſt, & nihil mali faciunt vel facere poſſunt.

Domus Iſraël ſperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt. Per hos autem Patriarchas, & Prophetas, & Apoſtolos intelligamus, qui pleni Spiritu ſancto præ cæteris Deum videre, & intelligere meruerunt. Iſti autem in Domino ſperauerunt, & ſperata ſuſceperunt.

Domus Aaron ſperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt. Iſti ſunt Epiſcopi, ſacerdotes, cæterique omnes, qui in Clericorum ordine Domino ſeruiunt.

Qui timent Dominum ſperent in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt. Tota Eccleſia in his tribus verſibus continetur, & omnibus qui in ea ſunt, adiutor, & protector factus eſt Dominus. Vnde & ſubditur.

Dominus memor fuit noſtri & benedixit nos. Si noſtri memor non fuiſſet, filium ſuum ad nos redimendum, & benedicendum non miſiſſet: Ipſe eſt enim, de quo ſcriptum eſt. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Dominus igitur benedixit nos. Sed quæris fortaſſe, quos? *Benedixit domum Iſraë, benedixit domum Aaron, benedixit omnes timentes ſe Dominus puſillos cum maioribus:* nullus relictus eſt, omnes benedicti ſunt, ſi tamen de domo Iſraël, vel de domo Aaron, vel de Deum timentibus ſunt.

Adiiciat Dominus ſuper vos, & ſuper filios veſtros. Adiiciat, inquit, Dominus Pater ea quæ dicta ſunt, ſuper vos, & ſuper filios, & imitatores veſtros omnem benedictionem, & bonorum operum fructificationem.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. Et cœlum fecit Dominus, & terram & bonos, & malos, & iuſtos, & peccatores ipſe fecit, & nihil eſt, quod ipſe non fecerit.

Cœlum cœli Domino terram autem dedit filiis hominum. Cœlum dedit Domino cœli, quia Saluatori noſtro ad ſaluandum & regendum Eccleſiam dedit. Terram vero dedit filiis hominum, quia ſuper peccatores, alios peccatores dominari promiſit.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, ſed nos, qui viuimus benedicimus Dominum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum, ſuper nos, inquit, qui viuimus, qui iam non in terra ſed in cœlo ſumus, (cœlum enim vocatur Eccleſia) ſuper nos inquam effunde benedictionem tuam, quia *non mortui laudabunt te Domine*: mortui enim ſunt, qui à te ſeparati ſunt. *Neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſed nos qui viuimus, & benedicimus Dominum; ex hoc nunc*, id eſt, ex hoc tempore quod nunc inſtat. *Et vſque in ſæculum.*

ALLELVIA.

SAtis ſcit quid ſignificet *Alleluia.* Laudate igitur Dominum, quia hoc ſignificat *Alleluia.*

Dilexi quoniam exaudiuit Dominus vocem orationis meæ. Dilexit, inquit, Dominum de quo in hoc titulo dicitur. *Laudate Dominum.* Et merito dilexi; quoniam exaudiuit Dominus vocem orationis meæ. Quid amplius mihi facere debuit.

Quia inclinauit aurem ſuam mihi. Non ſolum exaudiuit, ſed autem quoque mihi inclinauit: exceſſus eſt ipſe, humilis ego, ſed *ipſe humilia reſpicit.* Et ideo *in diebus meis inuocabo* eum, expertus ſum bonitatem: non timeo aduerſitatem, quæ ſi acciderit, inuocabo eum omnibus diebus vitæ meæ.

Circumdederunt me dolores mortis pericula inferni inuenerunt me. Et ipſe, ſicut in ſequentibus legitur, *liberauit me.* Magnos dolores, & magna pericula fuiſſe oſtendit, quæ mortis, & inferni fuiſſe dicit. Magni enim ſunt illi dolores, qui mortis doloribus comparantur, & magna ſunt illa pericula, quæ inferni periculis aſſimilantur.

Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, dicens. *O Domine libera animam meam miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſerebitur.* Non ille, qui quærit, ſed ille, qui quærit, inuenire aliquid dicitur. Quærebat igitur iſte tribulationem, & dolorem, quæ ſe inueniſſe oſtendit. In hoc autem aperte monſtratur, quando deſiderio pro Chriſti nomine mori ſancti optabant. *Et nomen Domini inuocaui,* dicens. *O Domine libera animam meam.* Non pro corpore rogat, nullam corporis mentionem fecit, ſed ſolius animæ liberationem poſtulat. *Miſericors Dominus, & iuſtus & Deus noſter miſeretur.* Quomodo?

Cuſtodiens paruulos Dominus. Vnde hoc ſcis? Quia iam ſæpè *humiliatus ſum, & liberauit me:* Quia ſæpè eum liberauit, inde certus eſt quod adhuc eum liberabit. Miſericors Dominus, & iuſtus: Hæc enim duo ſunt, quæ bonis hominibus maximam ſpem dare poſſunt, quia miſericors, & iuſtus eſt Dominus, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe. Humiliatio hoc in loco pro afflictione, & tribulatione ponitur.

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Quia animam ſuam Dei miſericordia liberatam eſſe intelligit, nunc eam hortatur, vt in requiem ſuam conuertatur, & terrenorum omnium obliuiſcatur, & in ſola Dei contemplatione amodo delectetur. Bene autem fecit illi Dominus, & valde bene, qui de tantis periculis eum liberauit.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu, placebo Domino in regione viuorum. Ex hoc inquit credo, & nullatenus dubito, quia placebo Domino in regione viuentium, quia iam eripuit animam meam de morte, & de omnibus diaboli laqueis, & deceptionibus liberauit. Liberauit inſuper & oculos meos à lacrymis, quibus per ſingulas noctes lectum meum rigare ſolebam. Et pedes meos à lapſu, quia victus eſt ille, qui calcaneo meo inſidiabatur.

ALLELVIA ALLELVIA.

LAudate, inquit, Dominum, laudate, & præcipuè in hoc pſalmo, in quo omnis, qui credit, laudare iubetur.

Credidi, propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis: ego dixi in exceſſu mentis meæ omnis homo mendax. Loquitur Propheta in perſona Martyrum, & hortatur eos ad calicem paſſionis: Ego, inquit, in exceſſu

mentis

mentis meæ eleuatus, à primo homine vſque ad vltimum, humanam naturam diligentiſſimè conſideraui, & ſic in omnibus eam corruptam, & vitiatam inueni, vt mens mea me dicere compelleret: *Omnis homo mendax.* Eſt autem mendacium non in verbis tantum, ſed etiam in rebus. Vnde & denarios falſos vocamus, & aurum, & argentum, falſum eſſe dicimus, & quicquid à puritate ſuæ naturæ degenerat, mentiri non dubitamus. Cum igitur, ſic omnes homines corruptos viderem, & ab hac corruptione, niſi Chriſti ſanguine, liberari non poſſe cognoſcerem, credidi in Chriſtum, & quia credidi, locutus ſum, & quia locutus ſum, humiliatus ſum nimis. Hoc enim ipſe Dominus in Euangelio ait. *Niſi credideritis, quia ego ſum moriemini in peccato veſtro.* Niſi, inquit, credideritis quia ego ſum Ieſus, qui Saluator interpretatur, ſine quo nemo ſaluari poteſt, moriemini in peccato veſtro, in mendacio veſtro, & in prima corruptione veſtra. Hæc eſt igitur cauſa, quare vnuſquiſque ſanctorum Martyrum dicat. *Credidi*, & quia, credidi locutus ſum, prædicaui, & palam cunctiſque audientibus Chriſti fidem annunciaui. Et quia hoc feci, humiliatus ſum, afflictus ſum, & multis tormentis cruciatus ſum, & hoc nimis quidem: quantum ad carnis fragilitatem, non quantum ad bonitatem Diuinæ retributionis. Vnde & ſubditur.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Hinc eſt enim quod Beatus Iob Domino ait. *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti, pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & neruis compeg ſti me, vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Hinc & Apoſtolus ait: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Quia, inquit maius non habeo, quod ei retribuere poſſim, ecce meipſum offero, calicem ſalutaris accipiam, & accipiendo, nomen Domini inuocabo, & in ipſa morte eum confitebor, & laudabo. Scio enim quia pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Verè pretioſa, quæ vitam meretur æternam, quæ animam de corpore egredientem, confeſtim in æternam beatitudinem introducit.

O Domine ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Iuſtum eſt, inquit, vt moriar pro te, quia ſeruus tuus ego ſum, ſeruus inquam tuus, & naturalis ſeruus, vtpote ancillæ tuæ filius. Ancilla Dei, eſt Eccleſia, cuius filius iſte eſt, qui ſe Dei ſeruum eſſe gloriatur.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ligatus, inquit, eram, dura me catena diaboli ſtringebat, & trahebat, ſed tu dirupiſti vincula mea, tu ſoluiſti originale peccatum, quod, niſi tuo ſanguine, ſolui non poterat. Tibi ergo ſacrificabo hoſtiam laudis, tibi reddam vitulos labiorum meorum, & poſt omnia, ſi iuſſeris, calicem quoque ſalutaris accipiam.

Vota mea Domino reddam. Vbi? *In atriis domus Domini.* Et vbi eſt hoc? *In conſpectu omnis populi eius.* Planius hoc oſtende. In medio tui Ieruſalem: Voui, inquit, firmiterque promiſi quia ſacrificarem Domino hoſtiam laudis, & iubilationis: Et hæc quidem Domino reddam, non in occulto, non in qualicumque loco celebri, & manifeſto. In ipſis atriis domus Domini, & in conſpectu omnis populi eius, in medio tui Ieruſalem, vbi omnes vndique confluentes me videant, & me videndo nomen Domini laudent, & glorificent. Hoc eſt enim quod Dominus ait. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

ALLELVIA ALLELVIA.

QVid iſte titulus ſignificet, pſalmi huius initium declarat.

Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

Inuitat Propheta, non ſolum Iudæos, ſed ſimul cum eis omnes gentes ad laudandum Dominum, quia non Iudæorum Deus tantum, ſed omnium gentium Dominus eſt. Natus enim erat prius in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius: nunc autem quia pro omnibus paſſus eſt, & omnes gentes ſuo ſanguine redemit, omnes eum laudare, & benedicere debent. Nunc enim confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: nunc certiſſima ratione probatum eſt, quantum ſit clemens, & miſericors. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et veritas Domini manet in æternum*, quia completum eſt quod promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de liberatione noſtra, & reſtauratione populi ſui. Secundum illud.

Et liberauit nos ab inimicis noſtris, & de manu omnium qui nos oderunt: ſicut locutus eſt, per os ſanctorum ſuorum Prophetarum, qui à ſeculo ſunt.

ALLELVIA.

ISte titulus tantum huic pſalmo conuenire videtur, ac ſi eius proprius eſſet, & aliorum non eſſet. Vnde in ſequentibus dicit. *Conſtituite ſolemnem in confrequentationibus vſque ad cornu altaris.*

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Nulla ratio conuenientior inueniri potuit, vt eum laudemus; quam quia bonus, & miſericors eſt. Si enim bonus, & miſericors non eſſet; quid in eo eſſe poterat vnde laudandus eſſet? Tolle bonitatem, & nihil laudabile manet. Sed aliter Deus bonus eſt, & aliter omnis eius creatura bona. Ipſe enim à ſeipſo bonus eſt, cætera vero non à ſeipſis, ſed ab ipſo. Laudemus igitur bonitatem, & miſericordiam Domini, & nunc præcipuè laudemus, quando confirmata eſt miſericordia eius, & tam manifeſta vobis facta eſt bonitas eius. Vnde & ſubditur.

Dicat nunc Iſraël quoniam in ſeculum miſericordia eius. Nunc, inquit, hoc dicat, quia nunc maximè dicendum eſt, quando dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.

Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius: dicant nunc omnes, qui timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Omnes hoc dicant, quia omnes hanc miſericordiam experti ſunt, & omnibus hæc bonitas, & miſericordia neceſſaria fuit. Et qui hoc dicere noluerit, huius bonitatis, & miſericordiæ particeps non erit, ſed illi ſoli dicant, qui dominum timent: qui vero non timent, etiamſi dicant, nihil eis dixiſſe proficit. Sed quid per Iſraël, qui, videns Deum, interpretatur, niſi patriarchas, & Prophetas, & Apoſtolos, cæteroſque magis Deo familiares intelligamus. Quid vero per domum Aaron, niſi Epiſcopi, & ſacerdotes, & cæteri eiuſdem, ordinis ſignificantur? At vero per eos, qui Deum timent, omnis multitudo Eccleſiaſtica deſignatur.

In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudinem. Et hoc ad bonitatem, & miſericordiam, qui quoties Eccleſia in tribulationibus fuit, toties clamans ad Dominum exaudita eſt, & non ſolum exaudita eſt, ſed amplè, & magnificè, & in latitudinem exaudita eſt.

Dominus mihi adiutor eſt, & non timebo, quid faciat mihi homo. Non eſt timenda hominis fortitudo, vbi Dominus auxilium præſtat. Nam etſi faciat, quod homines facere ſolent, ſua tamen beatitudine non priuatur. *Dominus mihi adiutor, & ego videbo inimicos meos.* Ego inquit, videbo inimicos meos Dominus autem pugnabit pro me, cui nemo reſiſtere valet.

Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine: bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus. Hinc eſt enim quod alibi dicitur: *Maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium*

ſuum, & à Deo recedit cor eius. Non eſt autem peccatum, hominum auxilium quærere, ſed ità quærere, vt totam ſpem in eorum auxilium ponat, & ſine eorum auxiliis de ſuis neceſſitatibus ſe homo liberari poſſe diffidat magnum peccatum eſt. Tunc enim maximè ſuum auxilium fidelibus ſuis præſtare Dominus, ſolet, quando de hominum auxilio deſperant.

Omnes gentes circundederunt me, & in nomine Domini vltus ſum eos. In hoc loco, in præpoſitio ſubaudienda eſt, vt dicatur, In eos, ſicut in alia tranſlatione habetur. In hebræo tamen nihil horum eſt, ſed tantum dicitur. *In nomine Domini vltus ſum.* Nulla gens eſt, quæ Eccleſiam non circundediſſet, & quæ perſecutionem ei non feciſſet, ſed de omnibus liberauit eam Dominus, & non ſolum liberauit, ſed etiam vltionem fecit, quia omnes eius perſecutores ſtatim ad tormenta ducuntur, vt de hac vita exeant.

Circundantes circundederunt me, & in nomine Domini vltus ſum eos. Hoc autem nihil aliud ſignificat, niſi magnam inſtantiam afflictionis, & perſecutionis. Vnde & ſubditur.

Circundederunt me ſicut apes. Sicut apes, quidem, quoniam & multi erunt, & nimio furore, & indignatione ſuccenſi, eos vulnerare, & affligere non ceſſabant. De quibus enim dicit Poëta: *Illis ira modum ſupra læſaque venenum, morſibus inſpirant, & vulnera cæca relinquunt. Et exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Verè ignis, & ita illorum in ſpinis ardebat, & ardendo ſpinas ipſa conſumebat. Quid enim ſunt, iniqui homines niſi ſpinæ aculeis, & punctionibus pleni. *Et in nomine Domini vindicabitur in eis.* Quamvis enim de his talibus quotidie vindicetur Eccleſia, maiorem tamen de illis adhuc vindictam exſpectat.

Impulſus verſatus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Multis modis impellebantur, verſabantur, & tentabantur ſancti, vt à ſtatu ſuæ rectitudinis caderent, cadere autem penitus non poterant, quos Dominus ſuſcipiebat, & aliquando caſui proximos firmabat, & ſtabiliebat. Vnde adhuc ſubditur.

Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Quod ego, inquit, contra ſteti, quod pugnaui, quod vici, & fortis fui, non mea fortitudo, nec mea laus eſt, ſed tota fortitudo mea, & laudatio mea Dominus eſt, qui factus eſt mihi in ſalutem. Vnde & alibi dicunt viri ſancti. *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Vox lætitiæ, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Inde inquit, eſt vox lætitiæ, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, quia Dominus eos. Defendit, & factus eſt eis in ſalutem. Et niſi Dominus hoc feciſſet, nulla inter eos lætitia eſſe poſſet, quoniam nullo modo ſuis aduerſariis reſiſtere potuiſſent.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exultauit me. Dextera patris, filius eius eſt, quia per ipſum omnia operatur. Hæc autem dextera fecit omnem hanc ſanctorum virtutem, quando Saluator noſter morte ſua diabolum ſuperauit: ibi enim omnes ſancti conſtantia, & fortitudine ſuper ſuos inimicos omnes exaltati ſunt, & ab æternæ mortis periculo liberati. Vnde & ſubditur.

Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini: caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Non loquitur de morte corporis, quæ ineuitabilis eſt, ſed potius de morte animæ, quæ tunc ſolummodo moritur, cum à Deo ſeparatur. Et hinc eſt quod Dominus ait. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quoniam animam non poſſunt occidere.* Sic igitur ſancti caſtigari quidem poſſunt, occidi vero non poſſunt.

Aperite mihi portas iuſtitiæ. Quare? *Ingreſſus in eas confitebor Domino.* Quia inquit, mortem iam non timeo, aperite mihi portas iuſtitiæ, docete me, quid facere debeam. Doctoribus Eccleſiæ loquitur iſta, qui habentes clauem ſcientiæ, cæteris iuſtitiæ viam oſtendunt. Et vide cum quanta fiducia loquitur. *Ingreſſus*, inquit, *in eas confitebor Domino*, nihil erit, quod me terrere poſſit, vt iuſtitiam non prædicem, & Dominum non confitear. At illi non multas, ſed vnam portam oſtendentes dixerunt: *Hæc eſt porta Domini, iuſti intrabunt in eam:* Non quæras inquiunt, multas portas, quia vna porta eſt per quam iuſti ingrediuntur. Si quis te de aliqua re interrogauerit, dic ſolummodo, Chriſtianus ſum, & ſufficit tibi. Hæc eſt porta Domini iuſti ingrediuntur per eam, & qui aſcenderit aliunde, fur eſt, & latro.

Confitebor tibi Domine quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Porta, quam quærebat, inuenit, & ipſam portam, Chriſtum eſſe intelligit, cui etiam loquitur dicens: *Confitebor tibi Domine*, te quæram, te laudabo *quoniam exaudiſti me*, & ab omnibus periculis me liberans, *factus es mihi in ſalutem.*

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Venite, inquit Eccleſia, & videte lapidem, quem reprobauerunt ædificantes hic iniuſtè abiectus, & reprobatus in caput anguli factus eſt, duos in ſe coniungens parietes, vnum ex circumciſione, & alterum ex præputio venientem, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Mali ædificatores, qui meliorem lapidem reprobant, & viliſſimos lapides in conſtructione domus Dei ponere nituntur. Iſti ſunt illi ædificatores, qui Synagogam malè conſtituentes, ſiue potius deſtruentes de ſalutare noſtro dixerunt: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Et: *Nolumus hunc ſed Barrabam.* Hoc lapide reprobato tota corruit Synagoga ſed à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quis non miretur quod ſuper hunc lapidem Eccleſia tota conſtituitur, quem Iudæa inſipiens reprobauit. Hinc eſt, quod alibi dicitur: *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi.* Et; *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Quid igitur mirum ſi obedientes ſaluantur, & mendaces, & impij reprobantur.

Hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea. Hæc inquit, dies in qua iſte lapis reprobatus eſt, & Eccleſia Chriſti ſanguine redempta eſt. Hæc eſt illa dies, quam ad lætitiam & exultationem noſtram fecit Dominus. Exultemus igitur, & lætemur in ea, & dicat vnuſquiſque noſtrum. *O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare.* Nulla dies opportunior eſt ad poſtulandam ſalutem & proſperitatem, quam illa; quæ ſalutis, & proſperitatis initium eſt, & ad ſalutem & proſperitatem nobis dedicata eſt. Dicamus etiam ſimul omnes. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, vt ſimul ab hominibus benedicatur, à quo omnia benedicuntur. Venit Dominus in nomine Domini, ſicut ipſe Iudæis loquens ait. *Ego veni in nomine Patris mei & non recepiſtis me: alius autem veniet in nomine ſuo, & illum recipietis.* Quid eſt autem. *In nomine ſuo veniet*, niſi à ſeipſo, & ſeipſum glorificare veniet? *Benediximus vos de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.*

Vos, inquit, benedicite Dominum, quia nos quoque iam in alio pſalmo vos benedicimus dicentes. *Benedicti vos à Deo, qui fecit cœlum, & terram.* Et hanc benedictionem non à nobis habuimus, ſed de domo Domini, & ab ipſo Domino eam accepimus qui reuera eſt & Deus, & Dominus, & illuxit nobis. Illuxit quidem, quia cum adhuc in tenebris ignorantiæ, & cæcitatis eſſemus, ipſe nos illuminauit, & iuſtitiæ, & veritatis portas aperuit, in cuius commemoratione ſemper hanc diem lætam, & ſolemnem agere debemus. Vnde & ſubditur.

Conſtituiſti diem ſolemnem in confrequentationibus vſque ad cornu altaris. Omnes, inquit, conuenite, nemo ſe abſentare audeat, tantaque ſit multitudo, & frequentia populi, vt ipſius altaris cornua premant. Et vnuſquiſque in hac tanta ſolemnitate fiducialiter dicat: *Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu & exaltabo te.*

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Iſte vltimus verſus ſuperioribus non continuatur, quia pſalmi huius initium eſt. Et ideo in fine ponitur, ne laus finiatur, ſed quaſi rota in circuitu ſine fine voluatur.

A

Aleph.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Iſte pſalmus ſecundum ordinem hebraïcarum litterarum, ſcriptus eſt, & ab vna quoque littera octo verſus incipiunt, quarum prima eſt Aleph, quæ, doctrina, interpretatur; vltima vero Tau, quæ ſignum, vel conſummatio dicitur. Huius igitur pſalmi doctrinã ſequatur & teneat, quicunque ad conſummationem, perfectionem, & ad ſummum bonum venire deſiderat. Signetur autem ſigno crucis, vt de Chriſti militia eſſe cognoſcatur. Paucæ quidem ſunt litteræ, id eſt, viginti duæ in quibus tamen omnis, & diuina, & humana ſcientia continetur. Qua in re quantæ perfectionis pſalmus iſte ſit, apertiſſime declaratur. Quod enim vnaquæque littera in octo verſus extenditur, quid aliud ſignificat, niſi quia omnis doctrina Diuina & ſpiritualis temporalia nos relinquere, & æterna quærere docet? Dies enim octaua, & huius vitæ finis B eſt, quæ in ſeptem diebus agitur & alterius initium, quæ finem non habebit. Vnde & quidam pſalmi pro octaua titulantur. Ad octauam itaque diem iſtæ litteræ, & iſti verſus nos feſtinare docent, quatenus hanc vitam poſt ponentes ad aliam feſtinamus.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, inquit, qui ambulant in lege Domini, ſic tamen, ſi immaculati in hac vita fuerint, & vitam immaculatam duxerint. Hoc eſt enim ambulare in lege Domini, quia hoc lex Domini præcipit, vt immaculati ſimus, & per viam immaculatam incedamus. Vnde & ſubditur.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius. Sic tamen ſi in toto corde exquirunt eum. Et illi quidem in toto corde eum exquirunt, qui ſe à macula cuſtodiunt. Ambulare autem in lege Domini, & ſcrutari teſtimonia eius, idem ſignificant. Nullus verſus eſt in hoc pſalmo, in quo non inueniatur, vel lex, vel via, vel iuſtitia, vel mandatum, vel verbum, vel teſtimonium, vel iudicium, vel aliud aliquid C quod legem ſignificare videatur, ſequitur.

Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt. Dixit illos eſſe beatos, qui ſcrutantur teſtimonia eius, à quibus tamen omnes illi ſeparandi ſunt, qui operantur iniquitatem; quoniam hi tales neque ambulant in viis eius, neque in toto corde exquirunt eum.

Tu mandaſti, mandata tua Domine cuſtodiri nimis. Nimis quidem quantum ad humanam fragilitatem, & negligentiam, quia vix inuenitur aliquis qui ſicuti debet, ea cuſtodiat. Et quia nimis cuſtodienda ſunt mandata eius. *Vtinam dirigantur viæ meæ & opera mea ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*, quæ per mandata ſignificantur. Quia tunc non confundar, dum reſpiciam in omnia mandata tua, quæ ſint modo diximus, nimis, cuſtodienda eſſe mandaſti. Reſpicere autem, cuſtodire eſt. Ac per hoc vt non confundar, & vt ſeruitium meum tibi acceptabile ſit, *confitebor tibi Domine in directione cordis.* Quid eſt autem in directione cordis, niſi in directo, & mundo corde? *In eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.* Sic inquit in directo corde te laudabo, ſicuti iudicia iuſtitiæ tuæ, D recta eſſe didici, & cognoui.

Iuſtificationes tuas cuſtodiam. Quas tu mandaſti cuſtodiri nimis. Et ideo *non me derelinquas vſquequaque.* Quod eſt intelligere, numquam me penitus derelinquas.

Beth.

Quid interpretatur domus. Domus Dei Eccleſia eſt, cuius habitatores hanc doctrinam tenent, & cuſtodiunt: atque per eam hoc ſeptenario finito ad diem octauam, ſe venire ſperant, & ſic deinde ad ſummum bonum, quod per vltimam litterã ſignificatur ſe conſcendere confidunt.

In quo corrigit iunenior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Per primam litteram, quæ doctrina interpretatur, ſermones, mandata, eloquia, iuſtificationes, & cætera, quæ iam ſuperius dicta ſunt, ſignificantur. Illi itaque iuuenes corrigunt vias ſuas, qui hanc doctrinam, & hos ſermones cuſtodiunt, qui in hoc pſalmo continentur. Neceſſe habent adoleſcentuli, & iuniores corrigere vias ſuas, quia ipſi ſunt, qui facilius, & ſæpius peccant.

E *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* Repellere videtur Dominus à mandatis ſuis illum hominem, cui auxilium non præſtat, vt eius mandata cuſtodire velit, & valeat. Rogat igitur iſte adiutorium, vt cuſtodire poſſit, quia maximum deſiderium habet cuſtodiendi. Et hoc quidem ſignificat dicens: *In toto corde meo exquiſiui te.* Qui enim in toto corde Deum quærit, multum deſiderat eius facere voluntatem.

In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Difficile peccant, qui verba Dei in corde reponunt, & memoriæ commendant. Sunt autem aliter abſcondenda eloquia Dei, neque omnibus reuelanda, ſicut ipſe Dominus ait. *Nolite dare ſanctum canibus, & nolite margaritas ſpargere ante porcos.* Talibus igitur eloquia tua manifeſtare timui, ne fortè audiendo te blaſphemarent, vt ſoliti ſunt, & maledicerent, ac ego per hoc peccarem tibi. Tu enim Domine benedictus es, & tales maledictiones non curas, ego tamen eos audire non poſſum. *Doce* F *me iuſtificationes tuas.* Hoc eſt enim, quod ſuperius ait. *Ne repellas me à mandatis tuis.*

In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Doce me inquit, iuſtificationes tuas, quoniam etſi aliis eas celaui, aliis tamen eas manifeſtaui, & illis, quibus prædicere debui, prædicaui.

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Non ſolum, inquit, pronunciaui iudicia oris tui, ſed pronunciando ſic delectatus ſum, ſicut, in omnibus diuitiis. Sunt quidam, qui prædicant, & non vadunt per viam teſtimoniorum; ſed alia quidem via incedunt, longè à teſtimoniis Dei. Vnde Apoſtolus ait? *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

In mare datis tuis me exercebar. Non vult iſte recedere ab illa doctrina, quæ in hoc pſalmo contin tur, & prædicare iubetur, neque obliuiſcitur, quomodo prima littera interpretetur. Recordatur inſuper illius verſus, in quo ſuperius dicitur. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius in toto* G *corde exquirunt eum.* Vnde ſubinferens dicit.

In tuis iuſtificationibus meditabor non obliuiſcar ſermones tuos. Beatus enim ille eſt, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Hic autem pſalmus nihil aliud iubet, niſi in lege Domini meditari, & eius mandata, & teſtimonia perſcrutari.

Gimel.

Quod retributio vel plenitudo interpretatur. Hoc autem in hoc litera ſignificatur, quod illi, qui hanc doctrinam, quæ in hoc pſalmo continetur, fideliter tenuerint, & cuſtodierint, plenam retributionem à Domino ſuſcipient. Prima namque littera, quæ doctrina interpretatur, per omnes alias currit, donec vltimæ coniungatur. Ad quid enim aliud niſi ad ſolam doctrinam omnes litteræ inuentæ ſunt? Totum autem ad doctrinam pertinet, & quod nuntiando, & quod iubendo, vel operando dicitur.

Retribue ſeruo tuo, viuam & cuſtodiam ſermones tuos. Non eſt parua doctrina, quando ab aliis docemur, quomodo Deum orare debeamus. Retribue, inquit, ſeruo tuo, H quod eis retribuere promiſiſti, qui tua mandata cuſtodiunt. Hoc enim in Euangelio Dominus ait. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit mortem non guſtabit in æternum.* Hoc igitur, quaſi dicat, mihi retribue vt in æternum viuam, & cuſtodiam ſermones tuos.

Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Nonne vides quomodo retributionem quærit, de his, quæ ſe facturum eſſe promittit? Si, inquit, aperueris oculos mentis meæ, ego conſiderabo mirabilia de lege tua, & docebo, & cuſtodiam legem tuam. Aliter enim conſiderare quid valet?

Incola ego ſum in terra. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Aperi, inquit, oculos meos quia non terrena, ſed cœleſtia videre, & habere deſidero, & ideo non abſcondas à me mandata tua. Doce me, quaſi dicat, doctrinam tuam, quam carnales oculi videre, & intelligere non valent. Sic enim diſcipulis ſuis Dominus ait: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei cæteris autem in parabolis.*

Digitized by Google

A *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Non ſolum, quaſi dicat, deſideraui facere mandata tua, quibus fideles tui iuſtificantur, ſed etiam, hoc concupiui, vt ſemper ea facere deſiderarem. Et vt mens mea ab hoc tam nobili deſiderio nunquam recederet. *Increpaſti ſuperbos, maledicti, qui declinant a mandatis tuis.* Quid enim ſuperbius, quam Domini ſui mandata contemnere? Increpat Dominus ſuperbos, vbi ait. *Qui eſt ex Deo, verbum Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Si vero ex Deo non ſunt, vtique maledicti ſunt. De perſeuerantibus loquitur & qui ad pœnitentiam redire contemnunt. In vnoquoque verſu doctrina huius pſalmi ſe manifeſtat, quam vtilis omnibus & neceſſaria ſit.

Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui. Exquirere mandata Dei, non ſolum legere, & intelligere ſufficit, ſed & cuſtodire neceſſe eſt. B Qui autem hoc faciunt, ab omni opprobrio, & contemptu iniquorum hominum liberantur, & ſimul cum ſanctis à Domino honorantur. Quæ autem fuerint hæc opprobria, ſequentia manifeſtant.

Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur. Ea videlicet loquebantur, quæ ad viri iuſti opprobrium, & contemptum intolerabilem pertinebant. Ille vero quid faciebat? *Seruus autem tuus exercebatur in tuis iuſtificationibus.* Exercebatur autem meditando legendo cuſtodiendo, & pro earum cuſtodia dura tormenta patiendo. Vnde & ſubditur.

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſolatio mea iuſtificationes tuæ ſunt. Quia idem ſignificant, mandata, iuſtificationes, eloquia, ſermones, & cætera, quæ ſuperius diximus. Ideo pene vbique alterum pro altero ponitur. Exercebar, inquit, & meditabar in mandatis tuis, & hoc ſolum erat conſolatio mea. Vnde Apoſtolus C ait: *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

Deleth.

Hoc autem, tabulæ, vel ianuæ, interpretatur. Non ſolum omnes litteræ, ſed vnaquæque per ſe tantum doctrinæ plenitudinem habet, vt ſufficere videatur. Hæc littera nos docet cordis ianuas huic doctrinæ tam ſacræ aperire, vt in mentis noſtræ tabulis inſcribatur, & imprimatur. De his tabulis Apoſtolus ait. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta non atramento in tabulis lapideis, ſed ſpiritu Dei viui in tabulis carnis.*

Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum: vias meas annunciaui, & exaudiſti me doce me iuſtificationes tuas. Hoc eſt illud verbum quod per Prophetam Dominus ait: *Peccator quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Viuifica me,* inquit, *ſecundum verbum tuum.* Quia D ego conuerſus ſum, & vias meas, & peccata mea tibi nunciaui dicens: *Adhæſit pauimento anima mea.* Sordidata erat puluere pauimenti anima mea, cui nimium adhæſerat, eiuſque voluptates ſecuta fuerat. Hoc pauimentum, caro eſt, cui anima coniuncta eius puluere peccatorum, nimium ſordidatur, ſed ad Dominum conuerſa viuificatur. Hoc enim quod dicit. Et exaudiſti me. Amodo vero doce me iuſtificationes tuas, quatenus non pauimenti, & carnis voluptatibus, ſed tuis mandatis obediam. Vnde & ſubditur.

Viam iuſtificationum tuarum inſinua mihi & exercebor in mirabilibus tuis. Hoc eſt igitur, quod homo poſt conuerſionem, & pœnitentiam agere debet, vt ſemper in bonis perſeueret, & peccatorum ſuorum recordetur. Hoc eſt enim, quod ſequitur.

Dormitauit anima mea præ tædio. De hoc tædio alibi dicitur: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Præ tædio itaque anima dormitat, quia præteritorum recordatione aliquando à bono opere ceſſat, & ſe omnia corrigere poſſe quodammodo diffidit. Ex hoc autem non immerito iſta ſe accuſat, & ab hac non modica tentatione liberari poſtulat. Et hoc eſt quod ait: Confirma me E verbis tuis, vt firmiſſimè credam prædictæ promiſſioni tuæ in qua peccatori conuerſo veniam polliceris.

Viam iniquitatis amoue à me. Sic enim dormitare, via iniquitatis eſt, quia deſperationi proxima eſt. *Et de lege tua miſereri mei.* Hæc eſt illa lex benigniſſima, quam peccatoribus Dominus poſuit. *Si dimiſeritis,* inquit, *hominibus peccata eorum, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Tu peccaſti in Deum: homo in te dimitte tu illi, vt & tibi dimittatur, & vt pro centum denariis, decem millia talenta reddere non cogaris, & in carcerem mittaris.

Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus. Audita, quaſi dicat, tanta Dei miſeratione, omnes diabolicæ fraudis tentationes à me remoui, & ſolam veritatis viam elegi, per quam qui ambulat, errare non poteſt. Ac per hoc iuditia tua non ſum oblitus, ſed firmiſſime memoriæ commendaui. Qui enim eorum obliuiſcitur, F per viam veritatis incedere neſcit.

Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere. Quid eſt autem *adhæſi teſtimoniis tuis Domine,* niſi hoc quod modo dixit, *iudicia tua non ſum oblitus*? Et talis quidem non habet, vnde confundi, & erubeſcere debeat.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. Hic verſus, ſuperioris expoſitio eſt. Multum enim delectari poteſt in via mandatorum Dei, qui curſu finito tam magnam retributionem exſpectat.

Het.

Ipſa interpretatur, ipſa, inquit, doctrina; quæ per primam huius pſalmi litteram ſignificatur, dat nobis intellectum, & deducit nos in ſemita mandatorum Dei, & ipſa inclinat cor noſtrum in teſtimonia eius, & auertit oculos noſtros ne videant vanitatem, & cætera, quæ ſequuntur, & tandem ducit nos ad Tau id eſt, conſummationem, & æternam felicitatem.

G *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* Hanc inquit doctrinam, & hanc legem pone mihi Domine viam, quæ me ducit ad tuas iuſtificationes, & exquiram eam ſemper. Quid enim ſic quærendum ſic diligendum & cuſtodiendum eſt, ſicut id quo iuſtificari, & ſanctificari ſperamus?

Da mihi intellectum. Ad quid? *Et ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Ille habet bonum intellectum, qui hoc facit, qui verò hoc non facit, & legem Domini non cuſtodit, non habet bonum intellectum, quoniam *intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui Iam non viam quærit, quæ amplior eſt, ſed ſemitam poſtulat, quia *anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam:* ſcit enim quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regna cælorum.* Multi enim viam incedunt, qui per maiorum ſemitam mandatorum incedere nequeunt. Sed ſi- H cut Apoſtolus ait, *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo.*

Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Non eſt auaritia ſolummodo pecuniæ, ſed honoris, quoque, & dignitatis. Sic igitur cor ſuum in legis teſtimonia declinari deſiderat, vt contra legem nihil faciat, & omnes mundi concupiſcentias à ſe repellat. Hoc enim ſequentia manifeſtant.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Multæ ſunt mundi vanitates, quæ neque interioribus neque exterioribus oculis videre debemus. Ille autem in via Dei viuificatur, qui in bono opere aſſiduus eſt, & ea, quæ agit, non negligenter ſed diligenter agit.

Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Quid prodeſt nobis ſcire, & intelligere eloquia Dei, ſi Deum offendere, & eloquia facere non timemus? Et certe non ſunt pauci, qui hoc vitio laborant.

Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum, iudicia enim tua iucunda. Amputa, inquit, hoc opprobrium, & vitium meum, quod in me eſſe homines ſuſpicantur, ſiue verum ſit, ſiue non ſit: Et ſi verum eſt, quod dicunt,

A ampura, vt non ſit: Si verum non eſt, & hoc ipſum amputa, vt in eorum opinione non ſit amplius. Quoniam hæc talis opinio, & me affligit, & illos occidit. Iudicia enim tua iucunda, Quia nunquam à iuſtitia recedunt, vt bonum malum, & malam.

Ecce concupiui mandata tua. Ecce, inquit, ſatis in his, quæ dicta ſunt ſuperius oſtendi, quia mandata tua non ſolum feci, ſed & facere concupiui. Facere enim quilibet poteſt, ſed cum deſiderio facere, cœleſtis gratiæ eſt *In æquitate tua viuifica me*, Quid eſt in æquitatate tua viuifica me, niſi quia æquus, & iuſtus es, redde mihi mercedem meam?

Vau.

Interpretatur ipſe. Ipſe inquit, dedit nobis hanc doctrinam à quo eſt omnis ſapientia, & cum quo fuit ſemper, & eſt ante æuum, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt Aleph & Tau, Alpha & Omega ideſt initium & finis.

B *Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.* Lege in Euangelio, & pluribus in locis inuenies Saluatorem noſtrum, & miſericordiam & ſalutem, & regnum cœlorum, & vitam æternam promiſiſſe fidelibus ſuis. Hoc igitur iſte poſtulat, vt ſecundum eloquium ſuum donec ei miſericordiam, & ſalutem.

Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis. Hoc, inquit, verbum reſpondebo exprobrantibus, & maledicentibus mihi: quia ſperaui in ſermonibus tuis, & ita non timebo, quid faciat mihi homo Tu enim dixiſti nobis. Non vos deſeram, neque derelinquam, & multa his ſimilia; & in his quidem ſermonibus tuis multam ſpem habemus.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque quia in iudiciis tuis ſperaui. Quid eſt autem in iudiciis tuis ſperaui, niſi quod modo dixit, *Quia ſperaui in ſermonibus tuis?* Rogat autem vt nunquam mortis timore à verbo veritatis eum recedere patiatur.

C *Et cuſtodiam legem tuam ſemper,* Quid eſt ſemper? *In æternum & in ſæculum ſæculi.* Satis legem Dei bene cuſtodit, qui à verbo veritatis nunquam recedit. Hinc autem quomodo prius ſe habuerit, & quam fidelis Domino fuerit, oſtendit.

Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. In latitudine ambulat, qui charitatem cuſtodit, & Deum, & proximum diligit. Hoc eſt enim maximum, & primum mandatum, de quo alibi dicitur. Latum mandatum tuum nimis. Vnde & Apoſtolus: Plenitudo inquit, legis eſt dilectio. Et quia omnia mandata in hoc vno mandato continentur, bene hic dicitur. *Quia mandata tua exquiſiui.*

Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. Breuiter in hoc verſu ſapientia Martyrum, & patientia declaratur. Sapientes namque erant, qui de teſtimoniis Domini loquebantur. Fortes vero, qui ante ipſos Reges loqui timebant. Patientia autem, in eo oſtenditur, quia de ipſis ſuis iniuriis non erubeſcebant.

D *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis.* Nunquam, ac ſi dicat, mandatorum tuorum obliuiſcar, ſed die, ac nocte meditabor in eis, quæ tantum ſemper dilexi, vt in eorum obſeruatione morti me tradere non dubitarem. Nimis enim hoc aliquis diligere videtur, quod plus diligit, quam ſeipſum. Hoc autem ſecundum humanam opinionem dicit, qui amori Dei nec ipſa vita præferenda eſt.

Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, vehementer exercebor in tuis iuſtificationibus. Quantum ea dilexerit, in eo quoque oſtendit, quod ſe manus ſuas ad ea eleuaſſe dicit. Ille quippe manus ſuas ad Dei mandata eleuat, & dirigit, qui non ſolum audire & intelligere, ſed etiam quantum poteſt, facere conatur. Vnde & vehementer ſe in eis exercere promittit. Quid eſt enim vehementer, niſi intellectu & operatione.

Zain. E

Interpretatur autem Zain, oliua vel fornicatio. Hæc igitur littera docet nos pacificos, & fructiferos eſſe, vt ſimul cum viro iuſto dicamus. *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei* Semperque miſericordiam diligamus, quæ oliuæ nomine ſignificatur. Audiamus prætetea Apoſtolum quoque dicentem. Fugite fornicationem, & mentis & corporis fornicationem fugiamus.

Memento verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Dicit enim Dominus in Euangelio. *Beati miſericordes, & beati pacifici*, qui modo per Zain litteram ſignificantur. Memento, inquit, verbi, & promiſſionis tuæ, in quo dediſti maximam ſpem mihi ſeruo tuo, & aliis omnibus qui pacem diligunt & miſericordiam.

Hæc me conſolata eſt, in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me. Hæc, inquit ſpes conſolata eſt me in humilitate, & afflictione mea, quia eloquium, & promiſſio tua viuificabit me. Vnde & alibi dicit. *Humiliatus ſum vſquequaque Domine viuifica me ſecundum verbum tuum.* Vnde autem humiliatus ſit oſtendit. F

Superbi inique agebant vſquequaque. Quam impie, & inique aduerſus eum egerint ſuperbi, in eo oſtenditur, quod eos vſquequaque inique egiſſe dicit. A lege autem tua non declinaui. Et ideo quidem non declinaui, quia ſemper eam in memoria habui. Et hoc eſt quod dicit.

Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo Domine. Quid eſt enim à ſæculo niſi ſemper. Et conſolatus ſum, Conſolatus, inquit, ſum in iudiciis tuis, quibus multa bona promittis fidelibus tuis.

Defectio animi tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Quantum zelum in lege Dei cuſtodiendo habuerit, in eo monſtratur, quod ſic de peccatoribus & tranſgreſſoribus dolebat, vt animi incurreret defectionem.

Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco incolatus mei. In hoc quoque non modicus zelus oſtenditur, quo Dei iuſtificationes ſibi cantabiles fuiſſe dicit Non enim ſibi cantabiles eſſent, niſi cum magno amore, & lætitia eas feciſſet, vnde, & ſubditur. G

Memor fui nocte nominis tui Domine. Valde bene Dei mandata cuſtodiebat, qui in nocte & inter ipſa tormenta eius nomen confiteri non metuebat. *Et cuſtodiui legem tuam.* Illam videlicet legem, qua dicitur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non poſſunt occidere.*

Hæc mihi facta eſt, quia iuſtificationes tuas exquiſiui. Sola cuſtodia mandatorum Dei, illius noctis, & tribulationis cauſa fuit; quia ſi à mandatis Dei recedere voluiſſet, illam noctem, & illa tormenta paſſus non eſſet.

Heth.

Hæc octaua littera (quæ merito vita interpretatur, ſiquidem octaua die fiet reſurrectio mortuorum) docet nos de omnibus, quæ in mundo ſunt, ſolum Deum & vitam æternam eſſe quærendam.

Portio mea Domine dixi cuſtodire legem tuam. Alij quaſi dicat, de his, quæ in mundo ſunt ſibi eligent, quod illis placuerit, mihi autem ſufficit, vt Dominus ſit portio mea, poſſeſſio mea, & omnes diuitiæ meæ. Et vt hoc obtinere valeam, me legem Domini cuſtodire promitto. H

Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo miſerere mei ſecundum eloquium tuum.

Ille Dei faciem in toto corde deprecatur, qui ſummo ſtudio nititur ad eius imaginem reformari, vel qui ante eius faciem venire deſiderat. Sicut ille, qui dicit. *Oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus.*

Quia cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Tu, inquit, peccatori conuerſo, & pœnitenti veniam promiſiſti, miſerere itaque mei ſecundum eloquium tuum, quia ego quidem conuerſus ſum, & vias meas cogitaui, & correxi, & pedes meos, & veſtigia mea ad teſtimonia tua direxi. Et hoc quidem ſponte, & bona voluntate feci, quia non diligis coacta ſeruitia. Hoc eſt enim quod ait.

A *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua: funes peccatorum circũplexi ſunt me, legem autem tuã non ſum oblitus.* Funes peccatorum, tyranni, & hæretici ſunt, qui viros Catholicôs ad peccata trahere conantur. Sed quia legem Dei non obliuiſcuntur, talibus, funibus trahi non poſſunt.

Media autem nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Si enim legem Dei oblitus eſſet, nequaquam ad confitendum media nocte ſurrexiſſet. Poſſumus autem per mediam noctem, ſeviſſimæ perſecutionis tempus intelligere: ſed vir iuſtus neque ſic perterritus à Dei confeſſione ceſſabat. Sed inter ipſa tormenta Chriſtianum ſe eſſe clamabat.

Confitetur autem ſuper iudicia iuſtitiæ Dei, qui legem Dei iuſtitiam eſſe contendit: Nulla legis expoſitio tali confeſſione planior eſt.

Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Sola lætitia quam habet de bona
B operatione omnium, & de ſeruitio Dei, quod faciunt omnes, facit eum participem omnium.

Miſericordia tua Domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me. Qui omnibus, quaſi dicat, miſericordiam facis, mihi quoque hanc miſericordiam facias: vt legem & iuſtificationes tuas me doceas. Plena eſt autem omnis terra miſericordia Domini, qui ſuper iuſtos, & iniuſtos pluit, & ſolem ſuum ſuper omnes oriri facit.

Teth.

Teth, bonum interpretatur, & Dei bonitatem, ſcientiam, diſciplinam, & iuſtificationes nos quærere hortatur. In his autem tota doctrina Eccleſiæ continetur.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine ſecundum verbum tuum. Omnes bonitates quas fidelibus ſuis Dominus ſe facturum eſſe promiſerat, in Chriſti paſſione completæ ſunt. Singulariter autem, ſicut promiſit, vnicuique propriam bonitatem facit: aliam humilibus, aliam per-
C ſecutionem patientibus & ſimilia.

Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi. Doce me inquit, bonitatem facere, diſciplinam Eccleſiaſticam tenere, & ſcientiam Catholicam defendere, quia non hæreticorum perſuaſionibus non Poetarum fabulis, non Philoſophorum ſuperſtitionibus, ſed ſolis tuis mandatis obediui, & credidi.

Priuſquam humiliarer ego deliqui. Prius, inquit, quam ſub iugo tuo, quod ſuaue eſt, humiliarer, & diaboli ſuperbiam, & inſtitionem à me repellerem, ego multis modis deliqui, & in pluribus te offendi. Propterea eloquium tuum ego cuſtodiui, vt in me adimplerem, quod ſcriptum eſt. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.*

Bonus es tu Domine. Et naturaliter bonus, & ſine quo nihil eſt bonum, *Et in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*, quatenus bona ſit, tibique placeat intelligentia mea. Ideo enim hæreticorum doctrina praua eſt, quia
D non in Dei bonitate, ſed in eorum malitia eſt.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum. Satis quidem iniqui erant, ſed me affligendo iniquiores facti ſunt, & plus ſolito ſuper me crudeliores effecti ſunt. Ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Faciant quicquid poſſunt, & adhuc, ſi volunt iniquiores fiant, quia neque mors, neque vita, poterit me ſeparare à charitate tua, & à tuorum cuſtodia mandatorum.

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Quia mollibus, quaſi dicat, verbis, & blanditiis nos decipere non potuerunt, nunc cor illorum contra nos induratum eſt, vt in nullo vlterius parcant. Ego vero legem tuam meditatus ſum, & quid lex tua me facere iuberet, non ſum oblitus.

Bonum mihi quod ſic humiliaſti me. Et tantis me flagellis affligi permiſiſti. *Vt diſcerem iuſtificationes tuas*: quas audiendo, vel legendo diſcere non potui, eas patiendo pleniſſime intellexi.

Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti. Manſura fugitiuis, & æterna temporalibus non ſine iniuria comparari poſſunt.

E
Ioth.

Ioth, ſcientia vel principium interpretatur. Hæc littera ad veram ſcientiam nos inuitat, vt non ſecundum litteram, ſicut Iudæi, ſed ſpiritualiter legem, & Prophetas intelligamus, & illud omnium rerum principium eſſe ſciamus, cuius manus nos fecerunt & plaſmauerunt.

Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. Quid per manus, niſi virtus, & potentia ipſius ſignificatur? Nihil corporeum in his verbis intelligatur quia non manibus operatur Deus, ſed voluntate. *Ipſe enim dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Reſpice ad primam litteram, quæ ſcientia interpretatur, ne littera te decipiat, vt hæc verba ſecundum litteram intelligere velis. Vnde & ſequitur. *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Nonne audis quia & iſte ſpiritualem quærit intellectum? Quoniam ſicut Apoſtolus ait. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.*

F *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tuo ſperaui.* Hoc erit in iudicio, quando omnes, qui Deum timent ſiue Angeli, ſiue homines videntes ſanctam Eccleſiam glorioſam, & quaſi ſolis radios fulgentem, de illius gloria, & honore lætabuntur. Sed hoc habebit, quia in verbo Dei, & in promiſſionibus eius ſpem firmiſſimam poſuit, & nulla ratione ab eo ſeparari potuit.

Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua. Omnia iudicia Dei vera, & æqua ſunt, ſiue malis proſpera, ſiue malis aduerſa contingant, quamuis ſuper hoc etiam viri iuſti aliquando ſcandalizari ſoleant Hoc autem Eccleſia ſe cognouiſſe dicit, & ideo de ſuis calamitatibus & afflictionibus lætatur, Vnde & ſubditur.

Et in veritate tua humiliaſti me. Verax eſt Dominus & quando exaltat, & quando humiliat ſanctos ſuos, quia non minus eos adiuuat humiliando, quam exaltando. Hoc autem ideo dicere videtur, quia Dominus ait. *Non vos deſeram neque derelinquam.* Non eſt hoc deſerere, ſed probare, & ad maiorem gloriam præparare.

G *Fiat nunc miſericordia tua, vt conſoletur me.* Gaudeo quaſi dicat, de his quæ pertuli, ſed amodo mihi fieri conſolationis miſericordiam peto. *Secundum eloquium tuum ſeruo tuo.*

Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam. Veniant, inquit, nunc mihi ſeruo tuo miſerationes tuæ, & viuam ſecundum eloquium tuum, & ſecundum promiſſiones tuas. Sic ſe habet ordo. Bene autem dicit, ſecundum eloquium tuum quia, in multis locis vtriuſque teſtamenti promittit Dominus miſericordiam, & adiutorium, fidelibus ſuis. *Quia lex tua meditatio mea eſt.* Bona ratio cur eius Dominus miſereatur. Quorum enim miſerebitur Dominus, ſi illos non audit, qui eius mandata cuſtodiunt?

Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me. De hoc, inquit, confundantur ſuperbi, & erubeſcant, quia iniquitatem fecerunt in me. Et hoc in-
H iuſte, quia ego ad viam veritatis, & inuitabam. Bona confuſio, quia non contra eos, ſed pro eis orat. *Ego autem exercebor in mandatis tuis.* Hoc eſt ſanctorum ſtudium, & exercitium, vt mandata Dei ſemper cuſtodiant.

Conuertantur ad me, qui timent te, & qui nouerunt teſtimonia tua. Omnes enim, qui Deum timent, & qui eius teſtimonia intelligunt, quocunque vadant, ſemper ad eccleſiam conuertuntur & eius præcepta ſequuntur. Multi enim quotidie peccando ſeparantur ab ea, ſed pœnitendo reuertuntur ad eam.

Fiat cor meum immaculatum in tuis iuſtificationibus, vt non confundar. Confundantur igitur illi, qui Dei iuſtificationes corde ſordido, & maculato tractare præſumunt. Quod quidem hæreticorum proprium eſt, qui Diuinas ſcripturas corde peruerſo interpretantur.

Caph.

Hoc elementum, quod manus interpretatur, ad pugnandum, & ad laborandum nos inuitat. Tales manus habet ille, qui dicit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui*

A *docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Et Apoſtolus. *Vnuſquiſque laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt.* Et alibi: *Labores manuum tuarum manducabis.* In magno namque prælio hoc in loco Eccleſia ſe eſſe oſtendit, dum dicit: *Quia factus ſum ſicut vter in pruina. Et paulo minus conſummauerunt me in terra.*

Defecit in ſalutari tuo anima mea, & in verbū tua ſperaui. Tantum, quaſi dicat, fuit deſiderium ſalutis tuæ, quæ æterna eſt, vt ex toto in anima mea deficeret deſiderium ſalutis meæ, quæ temporalis eſt. Et ideo in verbo tuo, & in promiſſione tua ſperaui, quæ mihi ſalutem præſtat æternam. Bona illa defectio, quæ ad tantam refectionem animam perducit.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Iſti oculi, non carnis, ſed mentis ſunt, qui mundi vanitates videre deficiunt, & deſpiciunt, vt ſola Diuina eloquia contemplentur. *Dicentes, quando conſolaberis me.* Tales oculi
B loquuntur, ſicut alibi dicitur. *Non taceat pupilla oculi tui.* Omnia membra noſtra loquuntur Deo, & non minus oculos, quam linguam audit. Per ſingula membra corporis noſtri, videt Deus, & intelligit intentionem cordis noſtri.

Quia factus ſum ſicut vter in pruina. Hoc eſt igitur, vnde quærit conſolationem. Nulla res fuit, in qua ſanctorum calamitas conuenientius oſtendi potuiſſet, quam in vtre, in pruina contracto, & congelato. Iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Non ideo, inquit, iuſtificationes tuas oblitus ſum, quia tantis miſeriis circumuentus, quaſi vter in pruina factus ſum.

Quot ſunt dies ſerui tui? Quos videlicet in his calamitatibus ſuſtinere habeo? *Quando facies de perſequentibus me iudicium.* Iam, quaſi dicat, manus deficiunt, & contra eos pugnare non valeo.

Narrauerunt iniqui fabulationes. Quibus mentē meam decipere nituntur. Sed non ita illæ ſunt vt lex tua Domine. Vnde hoc? Omnia mandata tua veritas, illorum
C vero fabulationes, omni falſitate, & errore plenæ ſunt.

Iniqui perſecuti ſunt me, ſuccurre mihi, & adiuua me. Nimis duram, & intolerabilem perſecutionem in his verbis eſſe oſtendit. Vnde & ſubditur.

Paulo minus conſummauerunt me in terra. Mala conſūmatio, qua humana vita in terra finitur. Qui enim ſic fruitur, ad æternam beatitudinem non extenditur. *Ego vero non dereliqui mandata tua.* Quod ſi feciſſem, penitus in terra conſummatus eſſem.

Secundum miſericordiam tuam viuifica me. Vt ſicut cœpi, ita ſemper cuſtodiam teſtimonia oris tui. Non ſine cauſa viuificari ſe poſtulat, qui quaſi vtrem in pruina ſe eſſe dicit.

Lamech.

Interpretatur autem lamech, diſciplina. Huius diſciplinæ diſcipuli ſunt omnes Chriſtiani, hanc tenent, & prædicant, hanc defendunt, & per hanc ſaluari confidunt.

In æternum Domine permanet verbum tuum in cælo.
D Cœlum vocari Eccleſiam omnes ſcripturæ Diuinæ, & præcipuè Euangelia nos docent. In Eccleſia igitur verbum Dei, & doctrina vtriuſque teſtamenti permanet in æternum. Vnde & Dominus ait. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient. Et in ſæculum ſæculi veritas tua.* Idipſum autem & per verbum Dei, & per veritatem Dei ſignificatur. Omnis namque doctrina Dei veritas eſt, & nihil reprehenſibile in ea eſt.

Fundaſti terram & permanet. Hæc terra, Eccleſia eſt, quā & cœlum modo vocauit, cuius fundamentum Chriſtus eſt, ſicut Apoſtolus ait. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Hoc autem ſimiliter in æternum permanet, ſed non in hoc mundo permanet in æternum.

Ordinatione tua perſeuerant dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Præter Angelum, & hominem, omnia alia tenent ordinem ſibi à Domino conſtitutum. Sed boni ſunt iſti dies, qui in Domini ordinatione perſeuerant, per quos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores intelligere poſſumus. Seruat terra ſtabilitatem ſuam tenent & dies ordinem ſuum. Quoniam omnia ſeruiunt tibi. Merito, inquit, & terram fundaſti, & dies ordinaſti, quoniam per hæc, & in his omnia alia ſeruiunt tibi. E

Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forſitan periiſſem in humilitate mea. Tunc inquit, quando humiliabar, quando me impij flagellabant, & cruciabant, tunc forſitan periiſſem in ipſa mea humilitate & afflictione. *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt*, quæ me confortat, & conſolatur. Vnde Apoſtolus ait: *Vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas. Et hoc ideo *quia in ipſis viuificaſti me*, quoniam vt modo dixi, forſitan ſine ipſis periiſſem in humilitate mea.

Tuus ſum ego ſaluum me fac. De ſalute animæ loquitur, quoniam nullos alios ſecundum animam ſaluat Dominus niſi illos, qui illius ſunt. Cum enim omnia ſua ſint, ſoli tamen illi ſui eſſe dicuntur, qui ei ſeruiunt, & in eum credunt. Quia iuſtificationes tuas exquiſiui. F
Multis in cauſis hanc ſuæ ſalutis cauſam reddit, quia Domini mandata cuſtodit.

Me exſpectauerunt peccatores, vt perderent me. Et tu quid feciſti? Teſtimonia tua intellexi, & ideo me perdere non potuerunt. Neque timui eos, qui corpus occidunt, quia animam non poſſunt occidere, & hoc quidem teſtimonium tuum eſt.

Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Vidi, inquit Propheta, & certiſſimè cognoui, latum mandatum tuum nimis, finem eſſe omnis conſummationis, & perfectionis, & qui illud obſeruat, ſecurus eſt, & ab inimicis ſuperari non poteſt. Qui enim Deum, & proximum diligit, Deum, & proximum offendere timet. Latum & nimis latum eſt hoc mandatum, quoniam omnia alia in eo continentur.

Mem.

Interpretatur autem Mem, ex quo, vel ex ipſis. Superioribus continuatur, & de eodem mandato primo, & G
maximo loquitur adhuc. Et bene hic dicitur, ex quo vel ex ipſis, quia de illo mandato loquitur, quod & vnum eſt, & multa. Audiamus igitur quid ſequentia dicant, & ex ipſo, & ex ipſis.

Quomodo dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea eſt. Et hoc quidem non feciſſet, niſi multum eum dilexiſſet. *Eſt autem maximum & primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex omnibus viribus tuis, &c.*

Super omnes inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Hoc, inquit, mandatum omnibus inimicis meis prudentiorem, & ſapientiorem me fecit, quia vitam mihi præſtat æternam. Et hoc eſt, quod dicit, quia in æternum mihi eſt, in quo qui offendit, factus eſt omnium reus. Cætera vero, quæ ſequuntur aliorum mandatorum ſunt. Ac per hoc intelligere poſſumus, quid ſignificet, ex quo, vel ex ipſis. *Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.* Satis diſcipuli melius legem intelligunt, quam ipſi ſui magiſtri, ſi eam cuſtodiunt; quia ille bene meditatur in legem, qui eam obſeruat. Vnde Apoſtolus ait. H
Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.

Super ſeniores intellexi, quia mandata tua quæſiui. Quæſiui autem plus agendo, quam legendo. Neque magiſtri neque ſeniores legem intelligunt, niſi faciant quod intelligunt.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verbum tuum. Neque enim aliter verbum Dei cuſtodire potuiſſet, niſi à malo declinaſſet, cum Dominus à malo declinare præcipiat.

A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi. Vt à iudiciis tuis non declinarem.

Si vis, inquit Dominus, *perfectus eſſe ſerua mandata.* Itemque. *Qui diligit me, mandata mea cuſtodit. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum*

A *ori meo.* Hoc illi ſoli dicere poſſunt, qui verba Dei, & audire, & facere concupiſcunt. Multi enim ſunt, (ex quibus ego quoque vnus ſum) quibus audire dulce eſt, facere autem valde amarum eſſe videtur.

A mandatis tuis intellexi. Non ſolum quaſi dicat, mandata tua intellexi, ſed ab ipſis intelligendi formam & ipſum quem prius non habebam, intellectum ſuſcepi. Propterea odio habui omnem viam iniquitatis, quam videlicet viam illi multum diligunt, qui tua mandata non intelligunt. Hoc autem quod ſequitur. Quoniam tu legem poſuiſti mihi, in alia tranſlatione non habetur. Sed magna ratio eſt, vt iniquitatem odio habeamus, quia lex iuſtitiæ, & æquitatis nobis poſita eſt.

Nun.

Hoc elementum quod ſempiternum, vel piſcis interpretatur, hanc doctrinam ſempiternam eſſe ſignificat, &
B omnibus eam cuſtodientibus vitam promittit æternam. Sed neceſſe eſt vt piſces fiant, & in aquis baptiſmatis natent, qui per eam ad beatitudinem venire deſiderant. Vnde & Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Hoc, inquit, verbum tuum, & hæc doctrina tua, lucerna, & lumen mihi eſt, vt recto itinere incedere valeam, quoniam qui hoc lumine non ducuntur cæci ſunt, & in tenebris ambulant. Ideoque iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Hoc iuramentum omnes illi faciunt, quicumque Chriſti fidem ſuſcipiunt. Propter hoc etiam *humiliatus ſum vſquequaque Domine.* Illi reuera humiliantur, & ex toto humiliantur, qui tanto lumine & tali lucerna illuminantur. *Viuifica me ſecundum verbum tuum.* Hoc eſt illud verbum quod Dominus ait. *Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

C *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Quæ ſunt iſta voluntaria, quæ ſic placere Domino rogat, niſi illa iuramenta, quæ ſe vouiſſe, & ſtatuiſſe modo ſuperius dixit? *Et iudicia tua doce me*, quia aliter ea etiam cum iuramento cuſtodire non vales.

Anima mea in manibus meis ſemper. Similiter autem, & Beatus Iob ait. *Quare lacero carnem meam dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Ille animam ſuam in manibus portat, qui bonis operibus eam Domino repræſentat. Semper ſit anima noſtra in manibus noſtris, vt numquam eius obliuiſcamur, & numquam eam cadere patiamur. Et legem tuam non ſum oblitus. Non habent animam ſuam ſecum, qui legem Dei obliuiſcuntur. Qui vero eam præ manibus habent, legis Dei obliuiſci non poſſunt.

Poſuerunt peccatores laqueos mihi & à mandatis tuis non erraui: Si legem Domini oblitus fuiſſet, inter peccatorum laqueos, mandata Dei cuſtodire non potuiſſet.

D *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum.* Si quaſi aliena ſibique accomodata Dei teſtimonia habuiſſet, numquam ea in ſempiternum habere potuiſſet, ſed quia iure hæreditario acquiſita ſunt, ideo ea amittere non timet. Hinc eſt autem, quod hæc littera, à qua iſti verſus incipiunt ſempiternum interpretatur. Quia exultatio cordis mei ſunt. Illis igitur teſtimonia Dei hæreditaria ſunt, qui ea cum exultatione cuſtodiunt, ab aliis vero facile dilabuntur.

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum. Et hoc quare? *Propter retributionem*, quam me pro hoc facto habere non dubito. In æternum Dei iuſtificationes ſe facere promittit, quia in æternam hæreditatem eas adquiſiuit.

Samech.

Samech, adiutorium interpretatur, vnde & hic dicitur. *Adiutor & ſuſceptor meus es tu.* Et: *Adiuua me & ſaluus ero.* Et illi quidem hoc adiutorium habebant, qui hanc doctrinam, & hanc legem cuſtodiunt.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Ille diligit legem, qui legis mandata obſeruat. Præcipit autem lex. Sicut Dominus ait. *Vt diligas amicum tuum & odio ha-*

E *beas inimicum tuum.* Sed alia lex è contra dicit: Diligite inimicos veſtros. Diligamus ergo homines iniquos ſecundum naturam, ſed non diligamus ſecundum vitium, quod operantur, & ſic vtrumque facere poterimus: & legem diligere, & iniquos odio habere.

Adiutor, & ſuſceptor meus es tu, & in verbo tuo ſperaui. Igitur ſignificat littera *Samech*, quia illorum adiutor eſt Dominus, qui in verbo eius ſperant, & promiſſiones firmiſſime expectant.

Declinate à me maligni. Quare? *Et ſcrutabor mandata Dei mei*, quia illa diligo, vos autem odio habeo. Iſti ſunt illi iniqui, de quibus modo dixit. *Iniquos odio habui*, qui niſi ab eo receſſerint, & declinauerint, legem Dei ſcrutari non valent. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala.*

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & viuam. Omnis, *qui venit ad me*, dicit Dominus, *non eiiciam foras.* Soli autem illi viuunt, qui à Domino ſuſcipiuntur. *Et ne*
F *confundas me ab expectatione mea*: Illi confundentur ab expectatione ſua quibus in iudicio ianua claudetur, & à Domino dicetur. *Amen dico vobis neſcio vos.*

Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in tuis iuſtificationibus ſemper. Deus qui operatur in nobis, & velle, & poſſe, & ſine cuius adiutorio nihil boni facere poſſumus.

Spreuiſti omnes diſcedentes à iuſtificationibus tuis, quia iniuſta cogitatio eorum eſt. Iniuſta & omnino iniqua eſt cogitatio illorum, qui ita recedunt à mandatis Domini, quibus homines iuſtificantur, vt vlterius ad ea per pœnitentiam non reuertantur.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Omnes homines in Adam præuaricatores facti ſunt, qui legem ſibi impoſitam tranſgrediens, ad arborem ſibi interdictam acceſſit. In illa itaque præuaricatione pereunt, quicumque Chriſti ſanguine non ſunt redempti. Qui vero redempti ſunt niſi legem ſibi datam cuſto-
G diant, iterum præuaricatores fiunt. Omnes igitur peccatores, præuaricatores eſſe non dubium eſt. *Ideo dilexi teſtimonia tua.* Ipſa enim ſunt, in quibus homines præuaricatores fiunt, & per quæ à peccato præuaricationis liberantur.

Infige amore tuo carnes meas. Vt tui timoris gladio vulneratæ, carnis concupiſcentiis non moueantur. *A mandatis enim tuis timui.* Tua mandata me docuerunt, & intelligere fecerunt, quam magnum peccatum, ſit carnis voluptatibus agitari.

Ain.

Ain, fons, ſiue oculus interpretatur. Eſt igitur hæc doctrina, & fons viuus, quo animæ ſatiantur, & clariſſimus oculus, quo illuminantur. Qui de hoc fonte non bibunt, ſemper ſitiunt, & qui hoc oculo non illuminantur, nunquam de errorum tenebris liberantur.

H *Feci iudicium, & iuſtitiam, ne tradas me perſequentibus me. Eadem menſura, qua menſi fueritis*, dicit Dominus, *remetietur vobis.* Qui igitur rectum iudicium, & iuſtitiam fecit, non eſt ei timendum, vt perſecutoribus ſuis in iudicio tradatur. Iſti perſecutores, maligni ſpiritus ſunt, quibus, qui traditus fuerit, non dimittetur vſque ad nouiſſimum quadrantem.

Elige ſeruum tuum in bonum, vt non calumnientur mihi ſuperbi. De illa electione loquitur quæ in iudicio fiet, quando agni ponentur à dextris, hædi vero à ſiniſtris. Elige, inquit ſeruum tuum, & pone me in partem bonam, vt non calumnientur mihi illi ſuperbi, qui nec tibi ipſi aliquando humiliari voluerunt.

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ. Hæc verba ineffabilis deſiderij indicia ſunt. Sed deficiunt oculi noſtri in vtraque contemplatione, quia neque Saluatorem noſtrum, neque eius eloquia ad plenum in hac vita comprehendere valemus.

Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Hanc inquit, miſericordiam mihi facias, vt illo fonte, & illo oculo, de quibus modo ſuperius dixi, me reficere, & illuminare digneris.

A *Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.* Illi ſoli debet dari intellectus, qui ſe ſeruum eſſe cognoſcit, & Domini ſui mandata offendere timet. Si non ſeruauerit, damnabilis erit, quæ ſine intellectu ſeruare non poterit.

Tempus faciendi Domine diſſipauerunt iniqui legem tuam. Nunc, inquit, eſt tempus faciendi quod poſtulo, quia nunc maxime intellectus neceſſarius eſt, quando contra veritatem hæretici pugnant. Hoc eſt enim quod dicit: *Diſſipauerunt legem tuam.*

Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. In metallis aurum, & in gemmis Topazion pretioſius eſt. Ideo, inquit, dilexi mandata tua ſuper omnia, quæ in hoc mundo deſiderari poſſunt. Quia ſeruus tuus ego ſum & tibi per omnia placere, & voluntatem tuam facere concupiſco. *Propterea ſimiliter ad omnia mandata tua facienda dirigebar: &* propterea *omnem viam iniquitatis odio habui.* Bonus ſeruus, qui Domini ſui voluntati B concordans, hoc diligit, quod ipſe, hoc odit, quod ipſum odiſſe cognoſcit.

Phe.

Phe, interpretatur, os, de quo in ſequentibus dicitur: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Docet nos iſta littera, vt os aperiamus, & hanc doctrinam tam ſanctam, & perfectam ſuſcipiamus, memoriæ commendemus, & in cordis habitaculo reponamus.

Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideo ſcrutata eſt ea anima mea. Magnum, & perfectum os habet iſte, qui ita loquitur. Mirabilia quidem ſunt teſtimonia Dei, quia tam alta ſunt, vt humano ingenio intelligi non valeant: tam vera, vt nemo eis reſiſtere poſſit, tantæ efficaciæ: vt à morte animam liberent, & ad vitam perducant æternam. *Ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Quæ enim ſcientia tam perfecta eſt, cum magno deſiderio perſcrutanda eſt.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat me, & intellectum dat paruulis. Et me, inquit Eccleſia, illuminat declaratio, & expoſitio ſermonum tuorum, & paruulis C qui in me ſunt, tribuunt intellectum. Talis eſt igitur hæc doctrina, vt pro capacitate vtentum, & maioribus, & minoribus idonea ſit.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Os videlicet interioris hominis aperuit, & ſpiritũ ſapientiæ & intellectus, Domino largiente, ſuſcepit. *Quia mandata tua deſiderabam.* Illis igitur datur ſapientia, qui mundo corde eam deſiderant. Vnde & Iacobus Apoſtolus ait: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Domino, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Secundum iudicium, inquit, & teſtimonium Apoſtolorum, & Prophetarum diligentium te. Aſpice in me & miſerere mei, & illam miſericordiam mihi facias, quam per eos mihi facere promiſiſti.

Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia. Hoc eſt enim, quod alibi dicitur: *A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius cupiet nimis.* Et alibi: *Illuminare his, qui in tenebris, D & umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Vbi autem greſſus mentis directi ſunt, ibi iniuſtitia dominari non poteſt.

Redime me à calumniis hominum, vt cuſtodiam mandata tua. Multæ ſunt calumniæ hominum, quibus aſſidue ſanctis iniuſtè calumniantur, & quieſcere non permittunt, & ideo ea diligentia, qua debent, Dei mandata cuſtodire non poſſunt.

Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum. Tunc faciem ſuam ſuper nos Dominus illuminat, quando lætam faciem nobis oſtendit, pellendo aduerſa, & proſpera tribuendo. *Et doce me iuſtificationes tuas;* Nunquam legis, & mandatorum obliuiſcitur, ſed pæne in vnoquoque verſu, legis ſcientiam ſibi dari exoptat.

Exitus aquarum tranſierunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Quanta viri perfectio, qui lacrymarum inundatione aquarum exitus ſe tranſiiſſe dicit, quia legem Domini, ſicut voluit, cuſtodire non potuit.

E Sade.

Sade, Iuſtitia interpretatur, de qua hic dicitur: *Iuſtitia tua Iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.* Hæc igitur littera ad iuſtitiam nos inuitat, cuius virtus non modica in huius pſalmi doctrina continetur.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Ideo Dominus iuſtitiam diligit, & ideo nos hæc littera ad iuſtitiam prouocat, quia iuſtus eſt, & omne eius iudicium rectum eſt, quem ſicut Dominum, & magiſtrum per omnia, & in omnibus imitari debemus.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Quia enim iuſtus eſt Dominus, ideo iuſtitiam, & teſtimonia ſua, & veritatem ſuam nimis cuſtodiri præcepit. Nimis quidem, quia in eorum obſeruatione ipſa vita poſtponenda eſt. Dicitur autem *nimis*, non ad iuſtitiæ contemplationem, ſed ad hominum opinionem.

Tabeſcere me fecit zelus domus tuæ quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Tale eſt & illud, quod alibi dici- F tur: *Zelus domus tuæ comedit me.* Nimio dolore ſe defeciſſe oſtendit, quia domum Dei ab hæreticis deſtrui, & diſſipari conſpexit. Ipſi enim ſunt inimici eius, qui verba Dei, & ſanum intellectum obliti ſunt, & aliter ſcripturas exponunt, quam ab antiquis Patribus didicerunt.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. Vehementer ignitum eſt eloquium Dei, quo mentis oculi illuminantur, peccata exuruntur, & ad Dei amorem corda fidelium accenduntur. *Et ſeruus tuus dilexit illud,* Niſi enim dilexiſſet, pro eo defendendo ad mortem vſque non pugnaſſet.

Adoleſcentior ſum ego, & contemptus. Adoleſcentiorem, quaſi dicat inimici mei me reputant, & puerilem intelligentiam me habere dicunt, & quaſi ſtultus, & inſipiens contemptus ſum ab eis. *Ego autem iuſtificationes tuas non ſum oblitus,* ſicut illi obliti ſunt, quorum me obliuio tabeſcere fecit.

Iuſtitia tua iuſtitia in æternum. Non eſt talis, inquit, iuſtitia tua, quæ obliuioni tradenda ſit, æterna enim eſt, G & ſuperiari non poteſt. Vnde & ſubditur. *Et lex tua veritas.* Veritas autem à mendacio ſuperari non valet. Pro hac autem iuſtitia tua, quam tanta inſtantia tenere, & defendere ſtudui, *tribulatio, & anguſtia inuenerunt me.* Et tu quid feciſti? *Mandata autem tua meditatio mea eſt.* Si enim à ſola iuſtitia quam prædicabant ſancti Dei, ceſſare voluiſſent, illas tantas tribulationes, & anguſtias paſſi non fuiſſent.

Æquitas teſtimonia tua in æternum. Egregie teſtimonia Dei non æqua eſſe, ſed ipſam potius æquitatem eſſe dicit, vt ſe iuſtiſſime, & non ſine cauſa pro eis pugnaſſe oſtendat.

Intellectum da mihi & viuam? Solum intellectum poſtulat, & in ipſo vitam ſuam eſſe confirmat, quo videlicet intellectu, & teſtimonio Dei contra inimicos defendere, & ipſos inimicos expugnare valeat.

Coph.

Coph, interpretatur vocatio. Hæc littera monet nos H ſemper vocare, & ſine intermiſſione clamare ad Dominum, ſicut ſequentia manifeſtant, vt in omnibus neceſſitatibus noſtris nobis ſubueniat, & à noſtris perſecutoribus nos eripiat.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Sic igitur clamet, qui exaudiri deſiderat, non voce, ſed corde clamet, quia non ad vocem, ſed ad cor reſpicit Deus In vanum extollitur vox, niſi ex corde procedat oratio. *Iuſtificationes tuas requiram?* Et hæc quidem cauſa non minima eſt exaudiendæ orationis.

Clamaui ad te, & ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua. Neque enim aliter eius mandata cuſtodire valemus, niſi ipſe nos protegat, & ſaluos faciat, & à vitiorum, & dæmoniorum infeſtatione defendat.

Preueni in maturitate, & clamaui, & in verbo tuo ſperaui. Maturitas pro congruo ponitur & opportuno. *Omnia tempus habent*, & de arbore illa nobiliſſima dicitur: Quia *dabit fructum ſuum in tempore ſuo.* Clamat igitur

A tur in maturitate, quia tunc clamat, quando clamare oportet, & ſic clamat, ſicut oportet. & qui ita clamat. in verbo & promiſſione Dei firmiſſime ſperare poteſt Vnde & ſequitur. *Et in verbo tuo ſperaui.*

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Diluculo, inquit, ſummo mane, nocte tranſacta, erroris, & tenebrarum obſcuritate fugata, veni ad meditandum eloquia tua, vt ſic ad te, & ad tui cognitionem pertingere poſſem. Qui lucem videre vult, de tenebris eum exire oportet.

Vocem meam exaudi Domine ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum iudicium tuum viuifica me. Non ex meritis, ſed ex miſericordia exaudiri ſe poſtulat, & ſecundum eius iudicium iuſtificari quærit, qui ſolis pœnitentibus miſericordiam facit.

Appropiauerunt perſequentes me iniqui, à lege autem tua longe facti ſunt. Mihi, inquit, appatuerunt iniqui, vt me perderent, & deciperent, ſed à lege tua longe facti ſunt, cui per omnia contradicunt.

B *Prope es tu Domine.* Illi, inquit, à lege tua longe ſunt, quia in errore, & falſitate ſunt? ſed tu Domine prope es, quia ibi es, qui veritas es. Vnde & ſubditur. *Et omnia mandata tua veritas*: Omnia mandata Dei vera ſunt, quia ab ipſa veritate compoſita ſunt.

Initio cognoui de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea. Initium Chriſtus eſt, qui de ſe ipſo ait: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Sed Chriſtus hoc dicit de teſtimoniis ſuis, & de verbis ſuis: Quia *cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ab ipſo ergo initio cognouimus, & edocti ſumus, quia teſtimonia eius in æternum fundata ſunt. Stulti igitur ſunt, qui ea diſſipare, & deſtruere conantur.

Res.

Res, caput interpretatur. Hoc eſt illud caput ſiue principium, de quo alibi dicitur: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* De hoc & in ſequentibus dicitur: *Principium verborum tuorum veritas.* Hoc igitur principium Chriſtus C eſt, à quo hæc omnia mandata ſuſcepimus. Hæc itaque littera iubet ſemper ad caput reſpicere, & capitis reuerentia omnia hæc mandata fideliter cuſtodire.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus. Vide inquit, hanc humilitatem, & afflictionem meam, & eripe me, quia multi ſunt perſequentes me & tribulantes me. Ego tamen legem tuam non ſum oblitus, pro qua omnes iſtas ſuſtineo paſſiones, & humiliationes.

Iudica iudicium meum & redime me. Iudicium ſuum quo iniuſte ab iniquis iudicatus, & damnatus eſt, iudicari, & vindicari rogat, & ſe de illorum impia ſeruitute redimi & liberari poſtulat. *Propter eloquium tuum viuifica me?* Hoc eſt illud eloquium, quod Dominus ait: *Si quis ſermonem meum ſeruabit, mortem non videbit in æternum.*

Longe eſt à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Boni, inquit, ideo ſaluantur, & viui- D ficantur, quia eloquia Domini exquirunt, & cuſtodiunt, quod quia mali facere negligunt, ideo longe eſt à peccatoribus ſalus.

Miſerationes tuæ multæ nimis Domine, ſecundum iudicium tuum viuifica me. Hoc eſt illud iudicium miſericordiæ plenum, quo Dominus ait; *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Itemque, *Dimitte & dimittetur vobis.*

Multi perſequentes me & tribulantes me. Ego autem, ſicut ipſe ſcis *à teſtimoniis tuis non declinaui*, neque inter ipſa tormenta te confiteri, & laudare ceſſaui.

Vidi non ſeruantes pactum & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Hoc de Iudæis, vel de Chriſtianis timore mortis Dominum negantibus, dicit, quia inde multum dolebat & tabeſcebat, quod pactum non obſeruabant, & eloquia Domini non cuſtodiebant. Quibus Dominus ait? *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia poſt hæc non habent vltra quod faciant.*

Vide quia mandata tua dilexi Domine, in tua miſeri- E *cordia viuifica me.* Notandum eſt quod homo tantæ perfectionis quaſi de futuris pertimeſcens, ſemper miſericordiam petit.

Principium verborum tuorum veritas. Omnia inquit, mandata tua dilexi, quorum principium veritas eſt, ex quo fonte eiuſdem puritatis omnia deducuntur, *Et ideo in æternum manent omnia iudicia iuſtitiæ tuæ?* Si vera non eſſent in æternum manere non poſſent, cum omnia falſa cito deficiant, & pereant. nihilque diu durabile ſit, quod à veritate recedit.

Sin.

Sin. dentes interpretatur. Tyranni & hæretici, dentes diaboli ſunt, qui ſanctos decipere, & deuorare nituntur. De quibus alibi dicitur. *Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.* Et de quibus ſimiliter in hoc loco Eccleſia dicit.

Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Gratis quidem hoc faciebant, F quia nulla iuſta cauſa erat, quod hoc facere debuiſſent. Vnde & Dominus Iudæis in Euangelio dicit: *Quia odio habuerunt me gratis. Et à verbis tuis formidauit cor meum.* Non illos inquit, tantum timebam, quantum ne te offenderem, & timore perterritus in verba tua peccarem.

Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut, qui inuenit ſpolia multa. Pro ſpoliis computat eloquia Dei, quæ hoſtibus deuictis retinere, & deffendere potuit.

Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi. Non iniquos, inquit, qui me crudeliter perſequebantur, ſed eorum iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, vt gratis, & ſine cauſa hoc feciſſe intelligantur. *Legem autem tuam dilexi*, pro qua me ipſum tradere non dubitaui.

Septies in die laudem dixi tibi. Finitum pro infinito poſuit, & tale eſt ac ſi diceret: quoties me in die tentauerunt, toties me paratum ad laudes tuas prædicandas, & confitendas inuenerunt. Et hoc eſt quod dicit, *Super* G *iudicia iuſtitiæ tuæ.* Ad quid enim hæ laudes pertinebant, niſi ad iudicia iuſtitiæ tuæ Dei? Hinc autem conſuetudo inoleuit, vt ſepties in die Eccleſia laudes Domino cantet.

Pax multa diligentibus nomen tuum Domine. Multam pacem habet, qui ipſos ſuos diligit inimicos. Vnde Apoſtolus ait: *Si fieri poteſt quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et non eſt illis ſcandalum: Beatus eſt*, inquit, Dominus, *qui non fuerit ſcandalizatus in me*; Scandalum eſſet eis ſi murmuraſſent, & patienter omnia non ſuſtinuiſſent.

Exſpectabam ſalutare tuum Domine. Ideo, inquit, inter ipſa tormenta non ſcandalizabar, quia ſalutem tuam exſpectabam, quam mihi futuram eſſe non dubitabam. *Et idcirco mandata tua dilexi*, quæ nunquam mihi mentita ſunt, & in omnibus vera eſſe probaui. Vnde adhuc ſubditur.

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit vehementer. Et hoc ipſum repetit adhuc, *Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua*: Quod tu ipſe melius noſti. H Vnde hoc? *Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo ſunt.*

Thau.

Thau. ſignum vel conſumatio, ſicut in principio huius pſalmi dictum eſt, interpretatur. Et quia ibi expoſitum eſt, vt iterum hic exponatur, non videtur eſſe neceſſe.

Apropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine, ſecundum eloquium tuum da mihi intellectum. Hoc eſt illud eloquium, quod alibi dicit: *Intellectum dabo tibi & inſtruam te.* Rogat igitur vt intellectum ſibi det ſicut ei ſe daturum eſſe promiſit.

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo Domine, ſecundum eloquium tuum eripe me. Et hoc eſt ſimiliter, quod Dominus ait. *Non vos deſeram neque derelinquam.* Et. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Itemque. *Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis tuæ eripiam te, & magnificabis me.*

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me

A *inſtificationes tuas.* Ideo rogauit vt intellectum ſibi daret, quia eius iuſtificationes pleniſſime eructare, & prædicare deſiderat. Vnde & ſubditur.

Pronunciabit lingua mea eloquia tua. Et hoc omnibus nunciabo, quia omnia eloquia tua, & omnia mandata tua, iuſta, & ſancta, & æqua ſunt, & nihil erit, quod ab eorum laudibus me terrere poſſit.

Fiat manus tua, vt ſaluum me faciat, quia mandata tua elegi. Ego, inquit, mandata tua omnibus nunciare, & prædicare elegi, tu ſolummodo mihi adiutorium præſta, ne mihi præualeant inimici. Nemo eſt enim, qui dextræ tuæ reſiſtere poſſit.

Concupiui ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt. Non corporis, ſed animæ ſalutem quærit, quam Dominus ſuis fidelibus ſe præcipue daturum eſſe promiſit, dicens eis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus: quoniam animam non poſſunt occidere.* Vnde & alibi dicitur: *Dominus cuſtodit te ab omni malo.* Et hoc B determinat quomodo cuſtodit. *Cuſtodiet animam tuam Dominus.* Et hoc eſt quod ait.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Iudicia, inquit, tua, quæ ego prædico, & lex tua, quæ mediatio mea eſt. Ipſa me adiuuabunt, & à cunctis periculis liberabunt.

Errani ſicut ouis, quæ perierat, require ſeruum tuum Domine, quia mandata tua non ſum oblitus. Loquitur Dominus in Euangelio de homine, qui habebat centum oues, & relictis nonaginta nouem, vnam venit quærere, quæ perierat, inuentam autem, ſuper humeros impoſuit, & ad paſcua reportauit, de cuius inuentione maximam lætitiam factam fuiſſe narrat. Hæc autem ouis, humana natura eſt, pro qua Dominus in mundum venit, quæſiuit, inuenit, & adhuc quotidie quærit, & inuentam ad cœleſtia vehit.

Canticum Graduum.

Quindecim pſalmi ſunt, qui Canticum Graduum ti- C tulantur. Prius itaque de ipſo numero tractandum eſt, quare quindecim tantummodo ſint Quinque ſunt libri Moyſi, qui per triplicem intelligentiam ducti, in quindecim ſurgunt. Eſt autem prima intelligentia, litteralis, ſecunda ſpiritualis, tertia actualis. Prima occidit, ſecunda viuificat, tertia ad beatitudinem hominem perducit. De tertia namque ſcriptum eſt. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Itemque. *Non auditores legis iuſti ſunt, ſed factores.* Legere igitur, & audire, bonum eſt: ſpiritualiter vero intelligere, melius eſt, agere autem, quod intelligitur, optimum eſt. Sed quis agat, quod non intelligit? Quis intelliget, quod non audiuit, nec legit? Sic igitur de littera ſpiritualis intelligentia oritur, de ſpirituali vero intelligentia, operatio procedit. In illis enim quinque libris ſi iſto modo intelligantur, omnis diuina, & ſpiritualis intelligentia pleniſſimè continetur. Quindecim igitur pſalmi, triplicatam, perfectamque ſcientiam oſtendunt. Sed notandum, quod non dicitur, primus gradus, ſecundus D gradus, vel tertius gradus, ſed vnuſquiſque vocatur *Canticum Graduum*, quaſi vnuſquiſque tanti ſit, vt per ſe ad id quo tenditur, aſcendentem perducere poſſit. Horum autem quindecim pſalmorum, ille, qui penultimus eſt, ſanctorum Eccleſiam continet pſallentium, & dicentium *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Tales autem erant illi, de quibus dicitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & nemo dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia.* Inde autem vno gradu venientes ad vltimum, ſeipſos hortantur dicentes: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Narrat autem Propheta, & eoſdem ipſos per ſingulos pſalmos loquentes introducit, quomodo ad hunc felicis habitationis locum venerint, quomodo mundi conuerſationem reliquerint, quæ impedimenta habuerint, & quid eis veniendo contigerit.

Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Aliquis de illa ſancta congregatione hoc dicit, quod, dum in mundi huius ſæculari conuerſatione, multas E tribulationes ſuſtinerit, & Deo familiarius adhærere cupiens, ſui deſiderij vota complere non poſſet, tandem intimo corde clamauit, & à Domino exauditus eſt. Quomodo autem clamauerit, audiamus.

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Non ſolum hæretici, qui eum decipere, & ad ſe trahere conabantur, ſed ipſi ſui propinqui, & amici magnum ſibi impedimentum faciebant, qui ad ſæculi voluptates, & vanitates eum trahentes, ſæcularibus implicare volebant. Vnde non immerito eorum labia iniqua & linguam doloſam eſſe dicit, qui ſiue mentis propoſitum tam ſanctum, & vtile mutare, & ad mortis præcipitium trahere nitebantur. Ipſe vero dum hæc ſcandala ſuſtineret, ſibi ipſi, & animæ ſuæ talia loquebatur.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Quod conſilium inuenire poteris ad iſtorum dolos, & deceptiones euitandum, & repellendum.

Sagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatoriis. Sa- F gittæ, inquit, potentis dabuntur tibi, illis te defende, illas eis oppone: dic eis, quod Dominus ait. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et: Niſi quis reliquerit omnia, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & ſequere me, & habebis theſaurum in cælo.* Iſtæ ſunt illæ ſagittæ potentis immo omnipotentis. Acutæ cum carbonibus, ſancti ſpiritus, quibus omnes inſidiæ, & omnia machinamenta diaboli deſolantur.

Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar multum incola fuit anima mea. Sic, inquit, liberatus ſum ab eis, ego tamen multum doleo, quia tardius feci: & quia tanto tempore cum eis conuerſatus ſum. Quoniam tenera habitaui cum habitantibus Cedar, & multum incola eiſque conſentiens fuit anima mea. *Cedar*, tenebræ interpretatur Habitat igitur cum habitantibus Cedar, qui cum talibus com- G moratur: tenebræ enim ſunt iſti tales, & tenebroſum Principem imitantur.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Non tamen quod eorum vitiis conſentirem, & eorum iniquitatibus prout poteram, multoties non contrairem Sed *dum loquebar illis*, & verba ſalutis nunciabam, *impugnabant me gratis.*

Canticum Graduum.

Et iſte ſpalmus graduum eſt, & ad altiora conſcendere docet. Et nullus pſalmus eſt qui graduum non ſit, ſed quindecim tantum ſufficiunt, propter eam cauſam quam ſuperius diximus.*

Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Idem ipſe, qui ſupra, loquitur adhuc. Cum me, inquit, cum aliter à labijs iniquis, & à lingua doloſa defendere poſſem, leuaui oculos meos in montes: reſpexi ad Apoſtolos, & ad eorum imitatores, vt eorum ſentirem auxilium, quorum exemplum imitari cupiebam. Et confeſtim illorum, & Domini auxilium ſuſcipere H meruі. Et hoc eſt quod dicit.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram, non det in commotionem pedem tuum, neque obdormiet qui cuſtodit te. Sibi ipſi loquitur, ſicut & ſuperius. ubi ait.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam. Recitat enim ea, quæ ſibi contigerant, antequam ſanctorum iungeretur congregationi, Sic igitur prius ſeipſum conſolabatur, & confortabat, & pedem mentis ſuæ firmum ſtare optabat, vt ab illo ſuo voto, ſanctoque propoſito moueri non poſſet.

Ecce non dormitabit neque obdormiet qui cuſtodit Iſrael. Securus, inquit, eſto, quia cuſtos tuus ſemper vigilat, & nunquam dormit nunquam ſuorum obliuiſcitur, quia nunquam dormiet ille, qui cuſtodit Iſrael: per quem eos intelligamus, qui eius contemplatione delectantur, ſemperque eum videre deſiderant.

Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper ma-

A *num dexteræ tuæ.* Satis oſtendit, quia quibuſcunque modis poterat, confortabat ſeipſum, vt votum, & deſiderium ſuum complere non timeret, cum talem tantumque haberet cuſtodem, protectorem, & defenſorem.

Per diem ſol non vret te neque luna per noctem. Nam & ſecundum literam hoc plerumque habent ſancti, qui locum ſecretum, & ſolitarium ſolique contemplationi idoneum ſibi eligunt, vbi neque ſolis, neque lunæ, neque alicuius rei iniuriam patiuntur. Sed per ſolem Chriſtum intelligimus, qui eſt Iuſtitiæ ſol, à quo omnia illuminantur: Per lunam vero illi ſignificantur, qui in tota Eccleſia poſt ſolem virtute, & miraculis ſunt clariores. Et iſti quidem iudicaturi ſunt, quorum præcepto omnes mittentur in ignem, quicunque in iudicio damnabuntur, per diem autem, & per noctem, omne tempus ſignificatur. Nunquam igitur neque ſol neque luna eos exuret, qui Domini faciunt voluntatem, quia nunquam fit, quod per diem & per noctem non fit.

Dominus cuſtodit te ab omni malo. Sed ne de corporis
B afflictionibus hoc intelligere velis, audi quod ſequitur. *Cuſtodiat animam tuam Dominus.*

Dominus cuſtodiet introitum tuum. In ſanctorum congregationem. *Et exitum tuum.* de hoc mundo ad cœleſtia feſtinantem. *Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.* Quid eſt, *hoc nunc* Ex hoc præſenti tempore, in quo hæc facere diſponis, ſi in hac bona voluntate perſeueraueris.

Canticum Graduum.

Iſte quoque pſalmus illorum graduum eſt, per quos ad ſummum perfectionis conſcenditur.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus. Legeram, quaſi dicat, in ſcripturis vtriuſque teſtamenti & videram ibi ſagittas potentis acutas cum carbonibus deſolatoriis, per quas, Diuinæ legis ſermones, & teſtimonia ſignificantur. Et valde lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, & dixi: Amodo nihil dubito, & certus ſum quia in domum Domini ibimus, & ſicut optanimus,
C in ſanctorum congregatione habitauimus.

Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem. Nondum inquit, veneram in Ieruſalem, id eſt, in illam ſanctorum congregationem, & iam pedes mei ſpe certa, & deſiderio ibi ſtabant, & firmati erant. Tale eſt illud, quod Apoſtolus adhuc in terris poſitus, dicit? *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.*

Ieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Non loquor, inquit, de illa Ieruſalem quæ occidit Prophetas, ſed de illa, *quæ ſic ædificatur, vt ciuitas, cuius participatio eſt in idipſum,* cuius habitatores, & volunt, & nolunt idem atque ipſum, quibus omnibus eſt cor vnum & anima vna de quibus non immerito dicitur. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Illuc enim aſcenderunt tribus tribus Domini, teſtimonium Iſraël ad confitendum nomini tuo Domine. Quaſi aliquis Dicat: Qui ſunt illi, qui habitant in hac Ieruſalem, in qua tantam concordiam eſſe dicis? Cui ipſe. Omnes tribus Domini, omnes viri Catholici & religioſi,
D omnes Martyres, & confeſſores, & quicunque Deo fideliter ſeruiunt, huius ciuitatis ſunt habitatores. Illuc aſcendit & teſtimonium Iſrael. Ad quid? ad confitendum nomini tuo Domine. Hoc eſt illud teſtimonium quod filiis Iſraël in monte Sina à Domino datum eſt. Hoc igitur teſtimonium non Iudæi, ſed Chriſtiani habent. Illi hoc habent, qui non ad literam, ſed ſpiritualiter illud intelligunt, & in eo Dominum confitentur, & laudant.

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio ſuper domum Dauid. Merito inquit, illuc aſcenderunt tribus Domini, & teſtimonium Domini, quia illic ſederunt, & ſedent ſedes in iudicio præparatæ, ſedes illæ, quæ diſtributæ ſunt ſuper domum Dauid. De quibus ſedibus ipſe Dauid ſuis diſcipulis loquitur dicens. *Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Sic igitur diuiſæ ſunt iſtæ ſedes, & ſic tota domus Dauid id eſt, tota Eccleſia in eas di-

E uiditur, vt vnuſquiſque Apoſtolus ibi ſuam habeat ſedem. Vſque hodie vnuſquiſque Epiſcopus ſedem ſuam vocat illam Eccleſiam, in qua ordinatus eſt.

Rogate, quæ ad pacem ſunt Ieruſalem. Omnes, inquit, qui in Ieruſalem habitatis, & quicunque hæc verba auditis, rogate pro his, quæ pertinent ad pacem Ieruſalem; Quia ſine pace impoſſibile eſt placere Deo. Et dicite, ſibi ſit abundantia diligentibus te, ſit abundantia & totius felicitatis diligentibus te, vt qui de tua pace lætantur, ipſi quoque pace perpetua perfruantur. Vnde & ſubditur.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Fiat, inquit, nobis pax in virtute tua, vt quod à nobis habere non poſſumus, tuis meritis obtineamus. *Et ſit abundantia in turribus tuis,* per quas paſtores, & rectores Eccleſiæ ſignificantur, quibus tota ciuitas defenditur & cuſtoditur. Tanta abundantia eſt iſtis neceſſaria quæ aliis omnibus ſufficere valeat.

Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pa-
F *cem de te.* Iſti ſunt illi fratres, qui dicunt; *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Pro quibus ſemper orandum eſt, vt in illa pace, & concordia perpetuo perſeuerent.

Et propter domum Domini Dei mei, quæ ex tuis lapidibus ædificatur, *quæſiui bona tibi.* Vnde & alibi dicitur; *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.*

Canticum Graduum.

Ad te leuaui oculos meos; qui habitas in cœlis. Habitatio Dei, & in conuentu Angelorum, & in Eccleſia eſt, quæ per cœlum ſignificatur. Vnde alibi dicitur: *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael.* Ad te inquit, leuaui oculos mentis meæ, ad te venire; & te videre deſiderans: Qui in cœlo habitas, qui turpia, & inhoneſta fugis, cui pulchra, & nitida placent.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur
G *nobis.* Reſpiciunt ſerui, & ancillæ ad manus dominorum dominarumq; ſuarũ, vt vel neceſſaria ſuſcipiant ab eis, vel ſi flagellantur, liberentur ab eis. Ita & nos ad Dominum reſpicere ſemper debemus, vt & neceſſaria nobis ſubminiſtret, & à cunctis periculis & aduerſitatibus liberet.

Miſerere nobis Domine miſerere nobis, quia multum repleti ſumus contemptione. Non ſolum ab aliis, ſed ab ipſis quoque Chriſtianis peruerſis, & ſuperbis. Serui Dei multoties contemptui habentur, quia eorum vita à vita illorum diſſimilis eſt, & quia mundi ſapientiam fugiunt, quæ apud Deum ſtultitia eſt.

Et multum repleta eſt anima noſtra. Vnde? *Opprobrium diuitum, ſuperborum deſpectionibus.* Iſti enim ſunt, qui eos præcipue deſpiciunt, & irrident, quoniam & diuitias fugiunt, & nimia humilitate ſe cunctis ſubiiciunt. Sed hæc deſpectio, & hoc opprobrium retorquebitur in illos, quia prope eſt, vt diuites pauperes fiant, & ſuperborum colla humiles premant. Quia ſicut ſcriptum
H eſt: *Depoſuit Dominus potentes de ſede & exaltauit humiles.*

Canticum Graduum.

Niſi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Iſraël, niſi quia Dominus erat in nobis, dum inſurgerent homines in nos, forſitan viuos deglutiſſent nos. Nunc, inquit, ſancti in vnum congregati, quibus eſt cor vnum, & anima vna, recordentur priſtinæ ſuæ conuerſationis, & de quantis periculis eos Dominus liberauerit, & dicant: Niſi quia Dominus liberauit nos, proximi fuimus morti, & perditioni. Bene autem, *Iſraël*, iſti vocantur, qui in Dei viſione, & contemplatione, tanto affectu, & deſiderio delectantur. Viui autem degluttiuntur, qui, ne temporaliter moriantur, à Deo ſeparati in æternum moriuntur. Vnde adhuc ſubditur.

Dum iraſceretur animus eorum aduerſus nos forſitan, velut aqua, abſorbuiſſent nos. Qui ita abſorbentur, non anima, ſed corpore pereunt. Sic enim abſorpti ſunt

omnes

A omnes Martyres, qui, ſi veritatem negare voluiſſent, obſorpti vtique non fuiſſent. Sed quia Dominus præſens aderat, ſic iſti liberati ſunt, vt neque corporis, neque animæ iacturam ſuſtinerent.

Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Nota, quod dicit, *anima noſtra*, quaſi multorum vna anima ſit, quia de illis eſt, quibus eſt cor vnum, & anima vna. Torrentem ſe pertranſiſſe dicit, per quem, duram, & repentinam paſſionem, ſed tolerabilem, oſtendit. Quæ ſi etiam intolerabilis fuiſſet, ipſi tamen cum adiutorio Dei viriliter eam pertranſiſſent.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Et hoc oſtendit. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Et hoc quomodo? *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus* Cuius adiutorio? *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram.* His verbis aperte demonſtrat, & deceptionum retia circumpoſita fuiſſe, & ſe in ipſa retia incidiſſe, &
B vel ſignis, vel rationibus retia rupiſſe, & ita ſe cum Dei adiutorio euaſiſſe. Sed notandum, quod Apoſtoli in mari, maligni vero ſpiritus in aëre retia ponunt. Ipſi enim ſunt, de quibus Apoſtolus ait: *Quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus.*

Canticum Graduum.

Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem. Mons Sion, munitiſſimus locus fuit in Ieruſalem, ad totius ciuitatis cuſtodiam ædificatus: Per quem, Apoſtoli, & cæteri Eccleſiæ cuſtodes, & defenſores ſignificantur. *Sicut*, inquit, *mons Sion*, ille videlicet mons Sion, *qui habitat in Ieruſalem*, per quem modo aliquem ſanctorum ſignificari diximus. *Non commouebitur*, neque ab ea ſeparabitur *in æternum.* Ita & omnes illi, qui confidunt in Domino, non commouebuntur in æternum, neque ab ea ſanctorum
C congregatione diuidentur, vbi omnibus eſt cor vnum, & anima vna. Siue enim in terra, ſiue in cælo ſint, omnes ſimul erunt, omnes eiuſdem ciuitatis ciues, & habitatores erunt, & ſimul omnes ſine fine gaudebunt.

Montes in circuitu eius. Non timeat, inquit, Ieruſalem, non timeat ſanctorum, & pacificorum congregatio, quia montes ſunt in circuitu eius, qui eam protegunt, & defendunt. Et non ſolum montes, ſed ipſe *Dominus* vigilat *in circuitu populi ſui. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum*, ſecundum promiſſionem ſuam, qua ſuis diſcipulis ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Securi igitur maneant, qui non ſolum Angelorum, & Apoſtolorum, ſed ipſius quoque Domini cuſtodia muniuntur. Et vnde hoc probas?

Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Et hoc ideo, *vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* Sic Dominus defendit ſanctos ſuos, & ea conſtantia confirmat, vt quamuis multoties peccatores in corpore ſæuiant, animam tamen ſuperare
D non poſſunt. Virgam quoque ipſam Dominus auertit, & non quantum volunt, ſanctos ſuos, eos flagellare permittit. Sors autem iuſtorum, Eccleſia dicitur, quia ipſa, eſt quam ſibi in partem Dominus elegit.

Benefac Domine bonis, & rectis corde. Quid eſt benefac, niſi libera, protege, cuſtodi, virgam peccatorum auerte, & retine manus eorum, ne ad iniquitatem eas extendant.

Declinantes autem ad obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Nemo militans Deo, dicit Apoſtolus, *implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt placeat ei, cui ſe probauit.* Multæ ſunt obligationes diaboli, quibus homines ligat, & trahit. Et valde timendum eſt, quod hic dicitur, quoniam qui ad tales obligationes declinant, ſimul cum operantibus iniquitatem ad ſupplicia ducentur æterna. Et tunc quidem ducentur, quando *pax* æterna, & indeficiens veniet *ſupra Iſraël.* Hoc audiant Monachi, & qui ſæculum reliquerunt, & quam bonum, & quam iu-

E cundum ſit fratres habitare in vnum, didicerunt, & iterum ad ſæculi negotia declinare non optent.

Canticum Graduum.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus, ſicut conſolati. Prædicit Propheta in hoc pſalmo hoc, quod dixerunt Iudæi reuertentes de captiuitate ſua, & hoc ſimiliter, quod dixerunt Chriſtiani, quando ipſi quoque de ſua captiuitate reuerſi ſunt. Dicunt Iudæi, dum conuerteret Dominus captiuitatem Sion, & de Babylonia captiuitate nos in patriam reuocaret, facti ſumus ſicut conſolati. Et tunc quidem *repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*; Non ex toto conſolati, ſed quaſi conſolati facti ſunt, quia quamuis in patria habitarent, nondum tamen liberi redditi erant, ſed adhuc ſub Babylonia tenebantur poteſtate. Magno tamen gaudio, & exultatione repleti ſunt, cum & templum reædificari, & ciuitatem reſtaurari viderent, & vnuſquiſque, quod multum optauerant, maneret ſub vite ſua, & ſub ficu ſua.
F Nunc autem quid de Chriſtianorum quoque captiuitate Propheta dicat, audiamus.

Tunc, inquit, *dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum illis, magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes, conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro.* Vſque ad tempora Conſtantini Imperatoris vbicunque inter gentes Chriſtiani erant, ſub dura paganorum captiuitate premebantur. Et tunc quidem dicebant hoc, quod Propheta eos dicturos eſſe prædixerat. Et hoc eſt, quod ſequitur: *Magnificauit Dominus facere cum illis*, cum Iudæis videlicet, quos inter inimicos cuſtodiuit, & tandem de captiuitate liberauit. *Magnificauit Dominus* ſimiliter *facere nobiſcum*; Vnde nos quoque *facti ſumus lætantes*, & non minus quam illi, gaudio & exultatatione repleti ſumus. Adhuc tantum vnum reſtat, quod rogamus, vt velociter fiat, & quod eſt illud? Vt noſtra quoque captiuitas conuertatur. Et maiora quidem fecit Dominus cum Chriſtianis in captiuitate ſua, quam cum Iudæis in ſua, quia multa ſigna, & miracula
G per eos tunc operatus eſt, quod per illos feciſſe non legitur. Auſter autem ventus eſt pluuialis, & torrentes deſiccatos aquis implet, & currere facit. Sic igitur factum eſt in captiuitate, quando magno agmine, quaſi pleno flumine, omnes captiui ad propria remeabant. Legimus, quod in tempore prædicti Principis, omnes ſancti cum magno honore de exilio reuerſi ſunt.

Qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent, euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur Seminabant, & flebant, prædicabant & lugebant, & non ſolum pro bonis, ſed pro ipſis quoque ſuis perſecutoribus plorabant, & orabant. Et idcirco cum gaudio metent, quia omnes illos, quos flendo, & patiendo conuerterant, cum gaudio in iudicio Domino præſentabunt. Vnde & ſubditur.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Bene autem dicit, venient, quia in cælis ſunt, & inde venturi ſunt, & quot animas vnuſquiſque conuertit, tot manipulos Domino offeret.

H Canticum Graduum.

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam: niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. Hinc eſt enim, quod diſcipulis ſuis Dominus ait: *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Vnde & Apoſtolus dicit; *Neque qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Nihil enim proficit prædicatio, niſi ſpiritus ſanctus interius operetur.

In vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Contra hæreticos loquitur, omneſque falſos prædicatores, de quibus in Euangelio Dominus ait: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et Apoſtolus: *Multi*, inquit, *ambulant, de quibus dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter*

eſt. Iſti ſunt qui ſurgunt ante lucem, & qui manducant panem doloris. Sed vanum eſt illis ante lucem ſurgere, qui antequam illuminentur & doceantur, prædicare & docere incipiunt. Vnde & ſubditur.

Surgite poſtquam ſederitis. Prius, inquit, ſedete, prius, diſcipuli eſtote, prius Diuinæ legis magiſtros audite, & non panem doloris & erroris, ſed cibum ſpiritualem, & Catholicum ab eis ſuſcipite.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hæc eſt hæreditas Domini, filij merces fructus ventris. Modo, quaſi dicat, difficile boni diſcernuntur à malis, quia & illi, & illi prædicant, & illi, & illi altaris ſacramenta ſuſcipiunt, vtrique Deum laudant, & benedicunt. Sed tunc hæreditas Domini, & merces filij, & fructus ventris cognoſcetur, quando ſomnum dilectis ſuis Dominus dabit. Somnus hoc in loco quietem ſignificat. Hic igitur erit in iudicio, quando à vigiliis, & fatigationibus, quibus ſeruos ſuos Dominus vigilare præcepit, ad ſomnum, & quietem, & ad perpetuam felicitatem vocabit. Et iſti quidem ſunt merces filij, quia hanc mercedem de labore ſuo Chriſtus ſuſcepit: Iſti ſunt fructus ventris, quos ſimul omnes in vno filio ſuo vnigenito, & primogenito beatiſſima Virgo Maria Domino peperit.

Sicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum. Iſti excuſſi, electi, & expulſi, Apoſtoli ſunt. Quibus ipſe Dominus ait: *Si vos perſecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam.* Horum autem filij ſunt, quicunque eos imitantur: qui vero eos imitantur, tales ſunt, quales ſagittæ in manu potentis. His enim ſagittis fugatur exercitus vitiorum, his ſuperatur multitudo dæmoniorum, his vincitur omnis turba hæreticorum.

Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis. Et qui ſunt illi, qui implent deſiderium ſuum ex ipſis, niſi illi qui libenter eos audiunt, & eorum doctrinam, & mandata cuſtodiunt? Tales autem *non confundentur, quando loquentur inimicis ſuis in porta.* Inimici noſtri, maligni ſpiritus ſunt, qui in iudicio ad accuſandum præparati erunt, quando porta vitæ aperietur bonis, & porta mortis aperietur malis. Iſti autem tunc confundentur, qui eis reſiſtere non valebunt, per quos illos intelligimus, qui in peccatis perſeuerantes, ad pœnitentiam non redierunt.

Canticum Graduum.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Illi inquit, qui ſunt beati, qui non mortem, non rerum temporalium amiſſionem, non mundi miſerias, ſed Dominum timent. Hinc eſt enim, quod Dominus ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ſed potius eum timete, qui & corpus, & animam poteſt perdere in gehennam.* Beati qui ambulant in viis eius, & cuſtodiunt mandata eius, quia mandata eius, viæ ſunt, per quas ad eum venire debemus.

Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. In alia tranſlatione, non fructuum tuorum, ſed manuum tuarum habetur. Vnde & Apoſtolus ait: *Laboret vnuſquiſque manibus ſuis quod bonum eſt.* Sed non ideo eſt homo beatus, quia de tali labore viuit. De animæ igitur labore intelligi debet, quæ pro bona operatione, qua in hac vita operatur, in alia vita cœleſtibus deliciis perfruetur. Hæc autem Hyppallage græcè vocatur, quando per contrarium aliquid dicitur. Non enim labores fructuum, ſed fructus laborum ſuorum homines manducant. Tale eſſet ſi diceretur: Hic homo detur illi equo, cum dici debuiſſet, ille equus detur huic homini. Tale eſt illud in Virgilio. *Dare claſſibus Auſtrum.* Cum dici debuiſſet: Dare claſſes Auſtro.

Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Quid hic facient, qui vxores non habent, ſi ad litteram hoc intelligitur? Omnis virtus, quam multum diligis, & in qua multum delectaris, vxor tibi eſt, ſiue ſapientia, ſiue humilitas, ſiue miſericordia, ſiue obedientia, ſiue quælibet alia ſit. Hæc autem quaſi vitis abundans erit tibi, ſemper fructifera, ſuauis, & iucunda, vbicunque fueris in hac ampliſſima domo quam tibi, & cunctis viuentibus Dominus præparauit. Bona vxor quæ virum ſuum non derelinquit, & vbicunque eſt, ſemper illi præſtat lætitiam & honorem, vbique honorabilis eſt, qui ſecum talem ducit vxorem.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Filij tibi ſunt, qui te imitantur, tuamque doctrinam tenent, & cuſtodiunt. Iſti autem ſi Deum timueris, & in viis eius ambulaueris, tales erunt in circuitu menſæ tuæ, & circa doctrinam pectoris tui, quales oliuæ nouellæ fructu pacis, & miſericordiæ plenæ.

Ecce ſic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum. Ecce, inquit, audiſti, quam benedictionem ſuſcipiunt omnes, qui Deum timent, quam bene viuant, quales vxores, & filios habeant. Inſuper & hæc alia benedictio veniat ſuper te, & maneat ſemper.

Benedicat te Dominus ex Sion: & videas, quæ bona ſunt in Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum. Et ſit pax æterna, & indeficiens ſuper Iſraël, illum videlicet Iſraël, qui Deum cognoſcit, & diligit. Hæc eſt illa Sion, de qua Dominus alibi ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius,* per quem Eccleſia ſignificatur, ad prædicandum, & docendum præceptum eius. Prædicare autem, magis Pontificum quam Regum eſſe videtur. Inde igitur, id eſt, de Sion Rex, & Pontifex maximus Ieſus benedicit fideles ſuos, vt videant, quæ bona ſunt in cæleſti Ieruſalem, omnibus diebus vitæ ſuæ, qui nunquam finem habebunt. Et videant filios, imitatores ſuos Et filiorum ſuorum, non vſque in tertiam, & quartam generationem, ſed vſque in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Canticum Graduum.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea dicat nunc Iſraël. ſæpe expugnauerunt me à iuuentute mea? etenim non potuerunt mihi. Sicut in præcedenti pſalmo omnes boni æterna benedictione benedicuntur, ita & in hoc omnes iniqui & peccatores æterna maledictione maledicuntur. Quod autem ait; *Dicat nunc Iſraël,* inſultatio eſt aduerſus eos, qui populum Dei ſe viciſſe gloriabantur, nunc, inquit, poſt victoriam, ſecurus, & felix dicat Iſraël, dicat populus, qui Deum cognoſcit, & videt, ſæpe expugnauerunt me inimici mei, ſicut ipſi dicunt à iuuentute mea, ſæpe expugnauerunt me? Non equidem expugnauerunt neque præualere mihi potuerunt.

Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitates ſuas. Pugnauerunt quidem, quaſi dicat, peccatores multum contra me, ſed mentiuntur, ſi dicant, quod expugnauerunt me, fabricam, & incudem me fecerunt, & duris magniſque malleis ſupra dorſum meum fabricauerunt, & me quidem in vas pulcherrimum & precioſum conuerterunt, ſibi autem iniquitates prolongauerunt. Vnde in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus ait: *Tempus enim prope eſt, qui nocet noceat adhuc, & qui ſordidus eſt ſordeſcat adhuc, & iuſtus iuſtificetur adhuc.*

Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum. Merito illæ ceruices concidentur, quæ in nimiam ſuperbiam elatæ, contra ipſum Deum blaſphemias iaculare non timuerunt. Hinc autem eos maledicere incipit, quia inconuertibiles, & morti obnoxios eos eſſe cognoſcit. *Confundantur,* inquit, *& reuereantur omnes, qui oderunt Sion.*

Fiant ſicut fœnum ædificiorum, quod priuſquam euellatur, areſcit. Sic ſunt iniqui homines, ſicut fœnum ædificiorum, qui quoniam fidei, & bonitatis humorem non habent, facile ſiccantur, & igni æterno, & inextinguibili præparantur.

De quo non implebit manum ſuam, qui metet, & ſinum ſuum, qui manipulos colliget. Meſſores iſti, Angeli ſunt, qui non in manum, neque in ſinum, fœnum illud fœtidum colligent, ſed, ſicut in Euangelio legitur, *in faſciculos ligabunt, & mittent illud in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos, benediximus vos in nomine Domini. Ego, inquit, non immerito iſtos maledico quia ſanctos Apoſtolos, & prædicatores per ſe tranſeuntes, & prædicantes viderunt,

& audierunt, & eorum benedictiones ſuſcipere non meruerunt, quoniam eorum verbis credere noluerunt. Vnde non dubium eſt, omnes illos æternæ morti eſſe deſtinatos quicunque Euangelicam, & Apoſtolicam prædicationem non receperunt.

Canticum Graduum.

De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi orationem meam. In eo quod de profundis ſe clamaſſe dicit, in magnis anguſtiis ſe fuiſſe oſtendit, & ſpiritualium, & carnalium paſſionum. Ille quoque de profundis clamat, qui ex intimo corde Deum exorat.

Fiant aures tuæ intendentes in orationem ſerui tui. Sufficere poterat, quod dixit: *Exaudi orationem meam*, ſed aures eius ad ſuam orationem intentas eſſe poſtulat, per quas ei benignitatis velociſſimam exauditionem intelligere poſſumus. Seruum quoque ſe confitetur, vt Domini clementiam facilius impetrare valeat.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Si enim, non dicam ad alias, ſed ad ſolas primi hominis iniquitates Dominus reſpexiſſet, nullus hominum ſaluari potuiſſet.

Quia apud Dominum propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Non obſeruabit Dominus, quaſi dicat, iniquitates noſtras, quia magna propitiatio, & miſericordia apud eum naturaliter eſt; *qui non vult mortem peccatoris, ſed magis, vt conuertatur & viuat.* Vnde & ſubditur. *Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine*, Hæc eſt illa lex à Domino data: *Peccator quacunque hora conuerſus fuerit, vita viuet, & non morietur.* De qua adhuc ſubditur.

Suſtinuit anima mea verbum tuum, ſperauit anima mea in Domino. Et reuera magnam ſpem tribuit peccatoribus lex iſta benigniſſima, pietate, & miſericordia plena.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino. Speret, inquit, Iſraël in Domino, non carnalis, ſed ſpiritualis Iſraël: non ille qui eum interfecit, ſed ille, qui in eum credit, & firmiſſime ſperat A cuſtodia matutina, qua ipſe Dominus à mortuis reſurrexit, vſque ad noctem, qua iſte dies, & hæc ætas vltima finiatur. Quis enim tantam ſpem habere poteſt, quantam ille populus, pro quo Dominus mortuus eſt. & reſurrexit?

Quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. Hæc eſt maxima, & probabilis ratio, quare Iſrael in Domino ſperet, quia quamuis multum peccauerit, miſericordia tamen, & redemptio vincit. Magna redemptio, & nimis copioſa, vt pro vno peccato Chriſti ſanguis, præcioſiſſimus funderetur. Vnde Apoſtolus ait? *Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius. Agamus gratias Saluatori noſtro, quia hæc redemptio iam facta eſt, quam Propheta futuram eſſe prædixit.

Canticum Graduum.

Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Hæc vox perfectorum eſt, neque ad iactantiam ſuam iſta loquuntur, ſed vt eos alii imitentur, & talia facere pertimeſcant. *Domine*, inquit, *non eſt exaltatum cor meum*, vt de ſcientia, vel aliis virtutibus, quas mihi tribuiſti, me extollerem, & ſuperbirem. *Neque elati ſunt oculi mei*, in quibus ſuperbia maxime notari, & deprehendi ſolet.

Neque ambulaui in magnis. Vt in illis delectaret, quæ ab omnibus magna, & pretioſa eſſe videntur. *Neque in mirabilibus ſuper me.* Multi enim ideo errauerunt, quia ad ea ſe extendere conati ſunt, quæ ſupra nos ſunt, & humanam intelligentiam excedunt. Talia itaque miranda veneranda, & credenda ſunt, & non argumentis Dialecticis pertractanda. Inde enim Arrius infelix cecidit quia de Trinitate inſeparabili dialectice diſputare non timuit Vnde & ſubditur.

Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſicut ablactatus (ſubauditur ſi peccauerit) *ſuper matre ſua, ita retribues in animam meam.* Hoc eſt enim, quod Apoſtolus dicit: *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*, quia ſicut ſcriptum eſt; *Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Fidem Catholicam non ſuperbi, ſed humiles docuerunt. Quam magnum autem peccatum ſit, non humiliter ſentire, ſed ſuper alios ſe exaltare, & aliam fidem, & doctrinam prædicare, ac per hoc ſanctam Eccleſiam omnium Chriſtianorum matrem ſcandalizare, in eo oſtenditur, quod vir iſte Catholicus dicit; *Sicut ablactatus*, ſi peccauerit, *ſuper matre ſua*, non eius, ſed aliam doctrinam prædicando, merito damnandus, & excommunicandus eſt. *Ita retribues in animam meam*, Iſte eſt ille ablactatus, de quo Propheta dicit: *Quem docebit ſcientiam? quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*, per quos illi intelliguntur, qui doctrinam Eccleſiaſticam didicerunt, & ad tantam ſcientiam peruenerunt, vt iam non lacte egeant, vt Apoſtolus ait, ſed ſolido cibo. Talibus igitur parcendum non eſt, ſi extraneam doctrinam prædicare voluerint.

Speret Iſraël in Domino ex hoc nunc, & vſque in ſeculum. Ex quo enim Iſraël ſe humiliauit, & fidem Catholicam ſuſcepit, & matrem Eccleſiam offendere timuit, firmiſſime ſperare in Domino potuit, qui ſi aliter feciſſet, nullam ſpem habere potuiſſet.

Canticum Graduum.

Memento Domine David, & omnis manſuetudinis eius, De Saluatore noſtro loquitur, *qui quaſi agnus manſuetus ad victimam ductus non aperuit os ſuum.* Rogat igitur Patrem, vt filij ſui humilitatis manſuetudinis patientiæ, & obedientiæ nunquam obliuiſcatur.

Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Et hoc ſimiliter orat, vt ſit memor illius iuramenti, & illius voti, quod Domino iurauit. & vouit. Voluntas Chriſti de Eccleſia ædificanda, quia immutabilis eſt, pro iuramento, & voto accipitur. Et hoc eſt, quod dicit.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtratus mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Tota hæc replicatio verborum idem ſignificat, quæ ideo quidem fit, vt firmius credatur. Et tale eſt, ac ſi diceret: Non prius introibo in tabernaculum domus meæ, cœleſtis videlicet Ieruſalem, neque aſcendam in lectum ſtratus mei, per quem illa habitatio ineffabilis quietis ſignificatur, donec locum inueniam Domino, & tabernaculum dignum ſuæ habitationis. Et ſicut ipſe mihi domum in cœlis præparauit, ita & ego ſibi in terris domum præparabo. Per *ſomnum* vero & *dormitionem* & *requiem* idipſum ſignificatur, quod per domum & lectum ſignificari diximus. Et tale eſt, ac ſi Saluatoris noſtri humanitas diceret: Non prius in illam domum æternæ quietis, & beatitudinis intrabo, quam Eccleſiam Catholicam in terris ædificabo.

Ecce audiuimus eum in Ephrata inuenimus eum in campis ſyluæ. In Ephrata, quæ alio nomine vocatur Bethelem natus eſt Dominus, ibi prius viſus, & auditus eſt, ibi primos ſuæ infantiæ vagitus emiſit, quibus Angeli ganizantes cantauerunt. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Campi ſyluæ Iudea eſt, quam Dominus per ſeipſum excoluit, & ſeminauit, & prædicauit, malas arbores extirpauit vitiorum, & malignorum ſpirituum ſpineta eradicauit. Et fortaſſe illa terra, inde etiam campi ſyluæ vocatur, quia ſyluæ gentium, quæ in ea habitabant, à filiis Iſraël inde inciſæ, & extirpatæ ſunt. Ibi igitur Eccleſia cœpit, qua poſtea per vniuerſum mundum dilatata, tabernaculum Dei hoc in loco vocatur, De quo & ſubditur.

Introiuimus in tabernaculum eius, adorauimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Oſtendit iam tabernaculum eſſe conſtructum, quod ſe Dominus conſtruere ſub iuramento promiſerat: in quod ſe quoque ſimul cum aliis intraſſe, & adoraſſe oſtendit. Pedes eius Apoſtoli ſunt, qui eius fidem & doctrinam, vbique gentium portaue-

runt.

A rum. De quibus dicitur? *Beati pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Hoc autem ad litteram intelligi poteſt, quia in illo loco adorant Chriſtiani vbi Saluator noſter ſuis pedibus ambulauit.

Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Ecce quaſi dicat, completum eſt votum, feciſti quod promiſiſti exurge in requiem tuam, & duc tecum ipſam arcam, quam modo feciſti ſanctificationis tuæ. Merito autem Eccleſia, arca vocatur, in qua quæque arcana, & meliora repoſita ſunt. Non poteſt hæc arca tota modo ſimul aſcendere: aſcendit tamen quotidie, & in iudicio ſimul tota aſcendet.

Sacerdotes tui induantur iuſtitia. & ſancti tui exultent. Tu inquit, exurge, ſacerdotes vero tui, Apoſtoli tui, eorumque ſucceſſores, induantur iuſtitia, vt arcam & Eccleſiam tuam, iuſte, & ſapienter regere valeant, & omnes ſancti tui ſub eorum regimine, & cuſtodia exultent

Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti B *tui.* Hic verſus primo huius pſalmi verſui iungitur vbi dicitur: *Memento Domine Dauid*, Rogat itaque Dominum, vt non auertat faciem Chriſti filij ſui, ſed vbique & in omnibus eum exaudiat, eius per omnia compleat voluntates. Et quia non eſt alius maior, vel charior, per quem eum rogare poſſit, per eundem ipſum eum deprecatur dicens: *Propter Dauid ſeruum tuum*, te exoro vt *non auertas faciem Chriſti tui.* Hinc eſt enim quod Dominus ait: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Nunc autem oſtendit, ſubito ſibi reuelatum eſſe, quantum pater eum diligat eiuſque faciat voluntates, dum dicit.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam: Sicut filius patri, ita, & pater filio iurauit, vt per hoc eiuſdem potentiæ, & æquales intelligamus. Saluatoris noſtri filij, & illius ventris fructus Apoſtoli ſunt, qui de ſemine, & doctrina pectoris eius creati, & generati ſunt. Sedes autem eius Eccleſia eſt, ſuper quam iſti ſunt Reges & C Pontifices ordinati. *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filij eorum uſque in ſæculum ſæculi ſedebunt ſuper ſedem meam,* Non ſolum inquit filios tuos ponam ego ſuper ſedem meam ſed ipſi, & filii eorum, per quos eorum imitatores ſignificantur, ſedebunt ſuper ſedem meam in ſæculum ſæculi. Sic tamen, *ſi cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.* per quæ vtriuſque teſtamenti teſtimonia ſpiritualiter intellecta ſignificantur.

Quoniam elegit Dominus Sion præelegit eam in habitationem ſibi. Ideo ſubauditur de ea dixit, *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam præelegi eam:* Non eſt alia cauſa, quod in ea habitare debuiſſet, niſi quia ipſe ſibi eam elegit in habitationem. Ipſe enim cuius vult, miſeretur, quem vult, indurat: *Et non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui ſecundum voluntatem ſuam Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit.*

Viduam eius benedicens benedicam pauperes eius ſatu- D *rabo panibus.* Vidua Chriſti Eccleſia eſt, quam modo vocauit *Sion.* Sed quare vidua: niſi quia virum ſuum videre deſiderat, & videre non poteſt? Dicitur enim vidua, quaſi à viro diuiſa. Et virum igitur habet, & vidua eſt, quia notandum eſt per immortalitatem viro ſuo coniuncta eſt. *Pauperes eius ſaturabo panibus.* Pauperes Chriſti illi ſunt, de quibus dicitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Hi autem panibus ſaturati ſunt, quia ſpiritualibus diuitiis abundant.

Sacerdotes eius induam ſalutare. Per quos Epiſcopi, & ſacerdotes ſignificantur. Hi autem ſalutare induti ſunt, quia veritatis, & ſapientiæ ornamento veſtiti ſunt. Vnde Apoſtolus ait. *Exuite veterem hominem cum actibus ſuis, & induite nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Et ſancti eius exultatione exultabunt.* Et modo quidem exultant in ſpe, poſtea autem exultabunt in te.

Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. Illuc enim, id eſt, ad Sion, & ad Eccleſiam pro- E duxit Dominus & ante omnes alios prædicatores præmiſit cornu Dauid, id eſt Ioannem Baptiſtam præcurſorem filij ſui, qui ſe ipſum cornu eſſe oſtendens ait. *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domino.* Et ipſe quidem eſt quem Dominus parauit lucernam Chriſto ſuo. ſicut ſcriptum eſt. *Erat enim Ioannes lucerna lucens, & ardens, ſed non erat ille lux ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.*

Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. Et Chriſti & Ioannis inimici, æterna confuſione induentur. Super ipſos autem iam effloruit ſanctificatio: quia quales ſunt, tales ab hominibus fidelibus eſſe creduntur.

Canticum Graduum.

Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, quoniam illuc mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum. Sicut vnguentum in capite F *quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Sic enim ſe habet ordo, nunc autem ſignificationem videamus. Beati iſti fratres, ſuper quos Dei benedictio, & tanta gratiarum abundantia deſcendit. Iſti ſunt illi fratres, de quibus. Dominus ait. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Et alibi. *Omnes vos fratres eſtis.* Et; *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt.* ipſe eſt autem, cui quotidie dicimus: *Pater noſter qui es in cælis.* Et diues, & pauper, nobilis, & ignobilis, Dominus, & ſeruus, imperator, & mendicus, omnes vna voce dicunt, *Pater noſter qui eſt in cælis*, vt ſe vnius Patris filios, & ſe fratres eſſe oſtendant. Ille nobilior, qui melior: multi ſunt hic ſerui qui in alia vita Domini erunt, & è contra, multi hic Domini, qui ibi dura ſeruitute comprimentur. Boni fratres, beatus Sergius, & Bacchus, qui tanta pro Chriſto tormenta paſſi ſunt. Boni, Coſmas, & Damia- G nus. Boni Ioannes, & Paulus. Boni Mauritius, & ſocij eius. Bonus, & Dyoniſius cum ſociis ſuis. Boni & multi alij. qui pro Chriſti fide morti ſe tradiderunt. *Et iſtorum, quidem eſt regnum cælorum, qui contempſerunt vitam mundi, & peruenerunt ad præmia regni, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Tales autem fratres habitant in vnum, talibus eſt cor vnum, & anima vna: nemo dicit aliquid eſſe ſuum, ſed ſunt illis omnia communia. Mali fratres, qui corpore ſimul ſunt, ſed per odium à ſe inuicem longi ſunt. *Bonum eſt*, inquit, *& iucundum habitare fratres in vnum.* Vnde hoc? *Quoniam illuc*, id eſt, inter tales fratres mandauit Dominus benedictionem ſuam, & vitam, quæ finem non habeat. Quomodo mandat. *Sicut vnguentum in capite*, quod à capite *deſcendit in barbam*, de barba vero vſque in oram veſtimenti eius. *Et ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Caput Eccleſiæ Chriſtus, cuius membra omnes nos ſumus. De hoc autem corpore Apoſtolus ait *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus* H *in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Habet igitur barbam Chriſtus in corpore ſuo, habet oculos, & aures, habet manus, & pedes, & cætera membra. Barba Chriſti, Apoſtoli ſunt: barba quidem, quia in corpore ſunt primi, & ipſi capiti vniti, barba, quia nihil molle nihil fœmineum in ſe habentes, viriles, & fortes, & maſculi ſunt. Vnde & merito non barbati, ſed ipſa potius barba vocantur. Præcipit autem Dominus ſacerdotibus, vt barbam non radant & comam non nutriant. Nutrire comas, & barbam non habere, mulierum eſt. Sacerdotes autem non muliebres, ſed viriles facies habere debent. Non ſolum igitur Apoſtoli, ſed & ſancti Martyres Chriſti barba vocari poſſunt, quia & viriliter pugnauerunt, & hoſtes potentiſſimos vicerunt. Vnguentum igitur de capite in barbam deſcendit, quia ſancti ſpiritus gratia de Saluatoris noſtri Diuinitate prius in Apoſtolos, & Martyres venit. De hoc enim vnguento ipſe Dominus ait: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus me miſit.* De hoc

A & Pſalmiſta: *Dilexiſti*, inquit, *iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Hoc & Eccleſia ſentiens dicit: *Trahe me poſt te*, & *curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Hoc vnguento ſanantur infirmi hoc omnes languores, & omnes infirmitates ſanabat Ieſus, hoc & ſacerdotes, & Eccleſiæ conſecrantur, hoc chryſmate & Chriſtus ipſe, & Chriſtiani omnes vocantur. Hoc igitur de capite deſcendit in barbam, de Chriſto in Apoſtolos, nihil enim virtutum, & gratiarum habuerunt Apoſtoli, quod ab ipſo non accepiſſent. Vnde & Apoſtolus ait: *Quid enim habes, quod non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid glorıaris, quaſi non acceperis? Alij enim datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* De Apoſtolis autem hæc tanta gratiarum B abundantia per totum corpus Eccleſiaſticum in cætera membra decurrens, vſque ad veſtimenti oram peruenit. Veſtimenti ora, extremi illi intelliguntur, qui omnium vltimi in fine ſæculi futuri ſunt. Vide ergo quanta ſit vnguenti huius abundantia, quæ tam longo curſu deſfluat, & tantam gentem vngat, & ſanet. Hoc vnguentum Simon magus ab Apoſtolis emere voluit, vnde & merito cum omni pecunia ſua damnatus eſt. Vocatur autem *Aaron* Saluator noſter, omnium videlicet ſacerdotum primus & maximus, cuius filij ſacerdotes ſunt, & qui eius filii non ſunt ſacerdotes eſſe non poſſunt. Interpretatur autem *Aaron*, mons fortitudinis, quæ interpretatio illi maxime conuenire videtur, qui Dominus fortis vocatur, & potens, Dominus potens in prælio. Sequitur. *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion*, *Hermon*, anathema, id eſt, diuiſio, *Sion* ſpeculatio interpretatur. Et Hermon quidem Apoſtolos: Sion vero Eccleſiam ſignificat. Merito autem *Hermon* vocantur Apoſtoli, quia ipſi primi omnium a Synagoga diuiſi, & ſeparati, Chri- C ſtum Dominum ſecuti ſunt. Vnde Apoſtolus ait: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam*, & reliqua. Non ſolum autem Apoſtoli, verum etiam omnes Chriſtiani hoc nomine vocari poſſunt. Omnes enim hoc nomen in baptiſmo ſuſcipiunt, quia ibi diabolo, & omnibus pompis eius abrenunciantes, à peccatis omnibus, & à vitiis ſeparantur, & à ſiniſtra in dexteram tranſeuntes, ab hædis diuiſi, agnis, & ouibus ſociantur. Vnde & in alio pſalmo dicitur: *Ad me ipſum anima mea turbata eſt: propterea memor ero tui Domine de terra Iordanis & Hermonij à monte modico*; Terra Iordanis & Hermonij illi ſunt, qui per baptiſmum à vitiis ſeparati ſunt, quoniam per *Iordanem* baptiſmus, & per *Hermon* diuiſio & ſeparatio ſignificatur Solæ igitur baptizatorum animæ de terra Iordanis, & Hermonij Dominum laudant. De quibus, & alibi dicitur; *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* De monte igitur Hermon deſcendit ros in montem Sion, per quem, fides, doctrina, & Euangelica prædicatio intelli- D gitur, quæ ab Apoſtolis in Eccleſiam venit. Hoc enim rore, & hac pluuia tota Eccleſia irrigatur, fæcundatur, lauatur, atque mundatur. Mali montes Gelboë, quibus Dauid maledicens ait: *Montes Gelboe nec ros nec pluuia veniat ſuper vos, vbi ceciderunt fortes Iſraël, Saul & Ionathas.* Per hos enim hæretici deſignantur, qui non rore Apoſtolico, ſed turbine diabolico perfunduntur. Beati illi fratres, qui tali rore, tali pluuia, tali vnguento, & tali gratia perfuſi audire meruerunt, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare, fratres in vnum. Quoniam illuc mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.*

Canticum Graduum.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini. Nunc inquit, quando in vnum congregati eſtis, quando ſcitis, & intelligitis, quam bonum ſit, & quam iucundum habitare fratres in vnum, nunc benedicite Dominum, quia veſtræ benedictiones laudabiles ſunt, & Domino placent? nunc igitur benedicite Dominum omnes ſerui Domini, quia aliorum benedictiones non ſuſcipit Dominus, niſi eorum, qui ſunt ſerui Domini. E Quicunque enim ſerui Domini non ſunt, diaboli ſeruos eſſe, dubium non eſt.

Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Qui ſtatis, inquit, ad obediendum, ad ſeruiendum, ad orandum, ad pugnandum in domo Domini, vos benedicite Dominum. Qui enim extra ſunt, ſub maledicto ſunt, & neque benedicere, neque maledicere poſſunt. Sed qui ſunt illi, qui in atriis ſunt, niſi illi, qui domum cuſtodiunt, & alios introducunt.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Beati qui hoc ad litteram, & agunt, & intelligunt, & media nocte ad confitendum Domino ſurgunt, quia hoc tempus valde orationi idoneum eſt. Extollunt autem & illi manus ſuas in ſancta, qui eas eleuant ad eleemoſynas faciendas. Hoc autem in nocte faciunt, ſi in abſcondito faciunt, *vt neſciat ſiniſtra quid dextra faciat.* Et iſti quidem benedicunt Dominum, quia F quicunque eas ſuſcipiunt Dominum benedicunt, & gratias agunt.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram. Hanc benedictionem facit tota congregatio ſimul ſuper illum, qui nouiter venit, & aliis ſe ſociauit.

ALLELVIA.

LAudate nomen Domini, laudate ſerui Dominum. Quid enim aliud ſignificat *alleluia*, niſi laudate Dominum? Nomen Domini laudat ſeruus, quando & voce, & obedientia ſeruum ſe eſſe oſtendit.

Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Qui enim recedunt à domo Domini, & mala ſua conuerſatione extranei fiunt, non ſunt digni, qui Dominum laudent.

Laudate Dominum, quoniam benignus eſt Dominus, pſallite nomini eius, quoniam ſuauis eſt. Laudare, inquit, G cum debetis, non ſolum quia ſerui eſtis, verum etiam, quia tam benignus, & ſuauis eſt, vt pro ſua benignitate, & ſuauitate ſua, omnis creatura eum laudare, & benedicere debeat.

Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus, Iſraël in poſſeſſionem ſibi. Optima ratione probatum eſt, quoniam benignus eſt Dominus atque ſuauis, ſiquidem prius quam Iacob naſceretur, & prius quam boni, vel mali aliquid egiſſet, nullis præcedentibus meritis, ſola bonitate ſua eum elegit. Et non ſolum ipſum, ſed totum Iſrael, id eſt, totam eius progeniem, quæ poſtea ab ipſo Iſrael vocata eſt, elegit ſibi dominus in poſſeſſionem, & hæreditatem.

Quia ego cognoui, quod magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus diis. Ideo, inquit, hæc dico, & benignum, & laudabilem prædico, quia certiſſime cognoui, quod magnus eſt Dominus, & Deus noſter magnus eſt præ omnibus diis. Et vnde hoc probas.

Quia omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Maior eſt igi- H tur, & omnibus Angelis, qui in cœlo ſunt, & omnibus diis gentium, qui in terra, in mari, & in inferno à ſtultis hominibus eſſe creduntur, ſiquidem omnia quæcunque voluit fecit, vbicunque aliquid facere voluit.

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Nubes iſtæ, Apoſtoli ſunt, & Doctores, quos ab extremis terris per omnes mundi partes ad prædicandum Dominus miſit; quorum doctrinæ pluuiis tota terra ſatiata, irrigata, & purificata eſt. Fulgura autem in pluuiam fiebant, quando Apoſtolis prædicantibus, multa miracula per eos Dominus faciebat, & vitia, & malignos ſpiritus ignitis ſcripturarum ſagittis in hominibus interficiebat.

Qui producit ventos de theſauris ſuis. Quid enim per ventos quibus nubes pelluntur, & fugantur, niſi tyrannos, & potentes homines intelligamus, qui ſanctos prædicatores vbique perſequebantur? Theſaurus autem Dei

A ipſa eius voluntas eſt, in qua omnia continentur, ſicut ſcriptum eſt: *In voluntate tua Domine vniuerſa ſunt poſita.* Exeunt ergo venti de theſauris Dei, quia ex iudicio Dei fit quod mali contra bonos inſurgunt, & ſæuiunt. Vnde & Dominus diſcipulis ait: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*: qui tamen nullam in eos haberent poteſtatem, niſi datum eis fuiſſet deſuper.

Qui percuſſit primogenita Ægypti, ab homine vſque ad pecus. In eo, quod omnia Ægypti primogenita Dominus percuſſit, omnia originalia peccata per totum mundum in ſe credentibus delenda eſſe ſignificabat.

Miſit ſigna, & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius. Similiter autem & per ſanctos ſuos, cunctis videntibus, ſigna multa, & miracula per totum mundum Dominus fecit,

Qui percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes. Per gentes multas, & Reges fortes, vitia, & maligni ſpiritus ſignificabantur, qui vbique gentium percutiendi, & perdendi erant.

B *Seon Regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan.* Interpretatur autem, *Seon*, tentatio oculorum, *Amorrhæi*, amarum: *Og*, concluſio: *Baſan*. confuſio: *Chanaan*, commotio. Quid igitur per Seon, niſi luxuria deſignatur? ipſa eſt enim quæ oculum tentat, & turpia, & inhoneſta cogitare, & videre facit: Ipſa eſt propter quam quotidie dicimus: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et bene Seon Amorrhæorum Rex eſſe dicitur, quia & luxuria carnis, quamuis dulcis ſit, animæ tamen venenoſa, & amariſſima eſt. *Og* ? vero, qui tectum vel concluſio interpretatur, auaros ſignificat, qui omnia tegunt, abſcondunt. & claudunt. Qui merito in *Baſan*, id eſt, in confuſione regnare perhibetur, quoniam & auari per auaritiã ſuam, vniuerſa confundunt, rapiunt, & diſſipant. *Chanaan* vero, qui commotio dicitur, ipſe diabolus eſt vitiorum omnium Rex, princeps, qui totum mundum perturbat, & commouet, & nunquam quietum eſſe permittit. Et quia non vnius regni, ſicut cæteri, obtinet principatum, bene hic dicitur: *Et omnia regna Chanaan.* C *Percuſſit* igitur Dominus *gentes multas, & occidit reges fortes*, quia ipſum diabolum cum omni exercitu ſuo fugauit, & ſuperauit. Sed quid amplius?

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraël populo ſuo. Totus mundus ſucceſſit in Eccleſiæ hæreditatem, cui prius diabolus imperabat.

Domine nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuum in ſæculum ſæculi. Victi ſunt inquit, inimici, omnes Reges terræ ſuperati ſunt, *perijt memoria eorum cum ſonitu*, ſolummodo nomen tuum, & memoria tua manet in æternum.

Quia iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis conſolabitur. Scimus, quaſi dicat, & certi ſumus, quia amodo non Reges ſupra dicti, ſed ſolus Dominus, qui eſt iuſtus iudex, iudicabit populum ſuum. Et conſolabitur in ſanctis ſuis, de tantis periculis ſua gratia liberatis. Cætera, quæ ſequuntur vſque ad finem pſalmi, iam ſuperius expoſita ſunt.

D *Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, & non clamabunt in gutture ſuo, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum; ſimiles illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Domus Iſraël benedicite Dominum, domus Aaron benedicite Dominum, domus Leui, benedicite Dominum, qui timetis Dominum, benedicite Dominum, benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ieruſalem.*

ALLELVIA.

TOtus iſte pſalmus laudibus Domini plenus eſt, quæ per *Alleluia* ſignificantur.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæcu- E *lum miſericordia eius.* Laudate, inquit, Dominum, quoniam naturaliter bonus, & miſericors eſt, & hoc ſibi ſoli proprium eſt, nulluſque alius hoc naturaliter habet.

Confitemini Deo Deorum, confitemini Domino Dominorum. Illum, inquit, laudate, ſemperque & ſine fine laudate, qui omnium Deorum & Dominorum Deus, & Dominus eſt, à quo & vos, & omnis creatura regitur, & gubernatur, & ſine quo nihil eſt.

Qui facit mirabilia magna ſolus. Et quæ magna mirabilia fecit ipſe ſolus?

Qui fecit cælos in intellectu, qui fundauit terram ſuper aquas, qui fecit luminaria magna ſolus, ſolem in poteſtatem diei, lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis. Vere magna ſunt hæc, & quæ ipſe ſolus, & nemo alius fecit. Cæli intellectuales illi ſunt, qui his, quos videmus, ſuperiores ſunt, quos cogitare quidem, & intelligere poſſumus, oculis autem videre non poſſumus. Per hos autem Prophetæ, & Apoſtoli ſignificantur, qui in regno cælorum, quod eſt Eccleſia, ſuperiores, & maioris intelligentiæ F ſunt. Quod autem terra ſuper aquas fundata eſſe dicitur, noſtram ſcientiam excedit. Mihi autem non videtur mirabilius, terram ſuper aquas eſſe fundatam, quam, aquas quæ eiuſdem ponderis ſunt, ſuper terras in aere volare. Poſſumus autem per terram, Eccleſiam intelligere, quæ ſuper multos populos fundata eſt, qui per aquas ſignificantur, ſiquidem *aquæ multæ, populi multi.* Legitur autem in Geneſi, quia *fecit Deus duo magna luminaria, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Et hoc eſt, quod hic dicitur: *Solem in poteſtatem diei, & lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis.* Per hæc enim duo magna luminaria, duo teſtamenta ſignificantur, quorum alterum, quod clarius eſt, præeſt diei, id eſt Chriſtianis: alterum vero præeſt Iudæis, qui ſemper in nocte ſunt, & in tenebris ambulant.

Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum. Iam ſuperius dictum eſt, quia *Ægyptus* mundum ſignificat, cuius primitiua, orginalia peccata fuerunt. Sed hæc percuſſa, & deleta ſunt.

G *Et eduxit Iſraël de medio eius, in manu forti, & brachio excelſo.* Sic & populus Chriſtianus fortiſſima Chriſti, dextera in cruce extenta, & eleuata, de huius mundi tenebris liberatus eſt.

Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones, & eduxit Iſraël per medium eius. Hoc autem in baptiſmo fieri videmus, quod vnuſquiſque baptizandorum aperit, & ex eo mundatus & ſanctificatus educitur. Ibi autem perit diabolus cum omni exercitu ſuo, quod in ſequenti verſiculo declaratur.

Et excuſſit Pharaonem, & exercitum eius in mari rubro; qui tranſduxit populum ſuum per deſertum. Sancti quoque per hoc deſertum, in quo clamat Ioannes Baptiſta, ad patriam feſtinantes, cœleſtis panis deliciis ſaturantur.

Qui eduxit aquam de petra rupis. Petra autem, dicit Apoſtolus, *erat Chriſtus*, qui fidelibus ſuis in Euangelio clamat: *Si quis ſitit veniat, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

H *Qui percuſſit Reges magnos, & occidit reges mirabiles, Seon Regem Amorrhæorum, & Og, Regem Baſan; & dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraël ſeruo ſuo*, hæc autem ſuperius expoſuimus.

Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri Dominus & redemit nos de manu inimicorum noſtrorum. Ideo, inquit, percuſſit Dominus ſupradictos Reges, & inimicos noſtros, qui nos multum afflixerant, & humiliauerant, quia in ipſa humilitate, & afflictione noſtra, benigne, & miſericorditer memor fuit noſtri.

Qui dat eſcam omni carni. In quo eius miſericordia maxima, & ineffabilis commendatur. *Confitemini Deo cæli.* Quia nulli alij, ſed ipſe ſolus laudandus eſt. *Confitemini Domino Dominorum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

A

DAVID PSALMVS IEREMIÆ.

In hoc pſalmo Dauid introducit Ieremiam loquentem, qui ſimul cum aliis in captiuitatem Babyloniam deductus eſt.

Super flumina Babilonis illic ſedimus,& fleuimus,dum recordaremur tui Sion. Iſte pſalmus & ſecundum litteram intelligitur de Iudæis, qui Babyloniam in captiuitatem ducti ſunt, & ſpiritualiter de Chriſtianis, qui in huius mundi captiuitate multa à tyrannis, & hæreticis paſſi ſunt. *Babylon*, confuſio interpretatur, cuius flumina omnes mundi huius populos, & nationes ſignificant, ſiquidem *aquæ multæ & populi multi.* Sancti igitur memores cæleſtis Ieruſalem, ad cuius beatitudinem omnes alios ſecum ducere cupiebant, quaſi ſuper altam fluminis ripam ſedentes, & præcipitium metuentes, prædicabant; & flebant, & nihil multoties proficiebant. Flebant igitur non timore, ſed nimio deſiderio illius beatitudinis,ad B quam venire feſtinabant.

In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Per ſalicem, quæ tenaciſſima arbor eſt, & ad ligandum aliquid ſatis idonea, memoria ſignificatur, qua videlicet memoria, omnia quæcunque ſcimus, quaſi in vno faſce ligata tenemus. Videntes igitur prædicatores,quod verba ſua ab infidelibus deſpiciebantur, & nihil prædicando proficiebant, quamuis multi ab ipſa prædicatione aliquando ceſſabant, & ſuæ prædicationis organa memoriæ commendabant.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.. Non ad diſcendum, ſed ad reprehendendum, & irridendum eos interrogabant, & ideo ſancti tacebant, & reſpondere nolebant, Vnde & ſubditur. *Et qui adduxerunt nos*, irridendo dicebant. *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Quibus nos in cordibus noſtris reſpondebamus: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Hoc eſt enim quod C Dominus ait: *Nolite dare ſanctum canibus, neque ſpargere margaritas ante porcos:* Vnde & alibi dicitur: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Hinc eſt quod ſancti Martyres à tyrannis interrogati, ſicut in eorum paſſionibus legitur, multoties eis reſpondere nolebant.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea. Qui ſolam hanc vitam diligit, & totum ſe carnis voluptatibus, & deſideriis tradit, ille vtique obliuiſcitur cæleſtis Ieruſalem. Et hunc quidem obliuiſcitur dextera ſua, quia nihil agit quod ſpectat ad vtilitatem animæ ſuæ.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Optat ſe mutum, & elinguem in aliis fieri, ſi eius laudes, vbi opportunum fuerit, non prædicauerit.

Si non propoſuero te Ieruſalem in principio lætitiæ meæ Non enim propoſuiſſet, ſi pluſquam eam, aliud aliquid dilexiſſet? quid enim ſic optandum, & diligendum eſt, ſicut ſummum bonum, & vita æterna?

D *Memento Domine filiorum Edom in die Ieruſalem. qui dicunt, exinanite exinanite vſque ad fundamentum in ea. Edom*, qui ſanguineus vel terrenus interpretatur, omnes Eccleſiæ perſecutores,& præcipue tyrannos, & hæreticos deſignat, Et iſti quidem ſunt, qui & voce, & corde dicere non ceſſant, vt vſque ad fundamentum domus Domini deſtruatur. In die autem, qua Ieruſalem glorificabitur, venturi ſunt iſti in memoriam Domini, vt penitus confundantur.

Filia Babylonis miſera, beatus, qui tribuet tibi retributionem tuam, quam tu retribuiſti nobis. Filia Babylonis, filia mortis & confuſionis, caro noſtra eſt, vere miſera, & miſericordiæ indigna, ipſa nos afflixit, ipſa nos mortis legibus, tantiſque Paſſionibus, & calamitatibus ſubdidit. Hoc & nos ipſi facere debemus, vt ei vicem reddamus, & præter eas, quas in vita patitur, ſpontaneis paſſionibus, & tribulationibus affligamus.

Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Beatus,inquit,& ille erit qui paruulos Babylonis tenebit, E ligabit, infrenabit, & creſcere non permittet, per quos motus carnales, voluptates, & concupiſcentiæ ſignificantur, quæ interimi, dum paruæ ſunt, & teneri poſſunt, adultæ vero, ſine magno labore, magnaque Dei miſericordia, teneri, & ſuperari non poſſunt. Hos autem ad petram allidere, eſt, Chriſti memoria, fortitudine, & adiutorio ſuperare.

IPSI DAVID.

Ipſi, inquit, *David*, qui omnia fecit qui mundum redemit, cui Angeli ſeruiunt, qui *humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit.* Loquitur Eccleſia in hoc pſalmo, & ex toto corde eum laudat, & benedicit.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Non labiis tantum te laudabo, ſicut quidam facere ſolent, ſed in toto corde meo: Quia non ad labia, ſed ad cor te reſpicere ſcio,& intelligo. F *Quoniam exaudiſti omnia verba oris mei:* Hoc autem feciſti, quia labia cordi, & cor labiis concordabat. Vnde & Dominus ait: *Si duo ex vobis conſenſerint de omni re, quod petetis, fiet vobis.* Omnia autem verba oris eius exaudiuit, quia totum cordis eius deſiderium adimpleuit. *Et, in conſpectu Angelorum pſallam tibi:* Qui in conſpectu Angelorum pſallit, ſapienter eum pſallere oportet. Sapienter autem pſallit, qui pura cordis intentione Dominum laudat. Per Angelos autem, non ſolum virtutes cœleſtes, quæ nobis ad cuſtodiam datæ, ſunt: ſed Eccleſiarum quoque rectores, & cuſtodes, intelligere debemus.

Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine. Adorare ad templum, & in templo, hoc in loco idem ſignificat. Vnuſquiſque autem noſtrum adorat Deum in templo ſancto ſuo, quando eum adorat in ſecreto pectoris ſui. Vnde Apoſtolus ait: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis & Spiritus Sanctus habitat in vobis? Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Vnde & G Dominus ait: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.* In corde igitur orare, & in corde Deum laudare debemus.

Super miſericordia tua & veritate tua. Laudabo,inquit, te & confitebor nomini tuo, de magna miſericordia & veritate tua. Coniuncta ſibi ſunt, miſericordia, & veritas quia miſericordia fecit ſicut promiſit, & faciendo, ſe veritatem eſſe oſtendit.

Quoniam magnificaſti ſuper nos nomen ſanctum tuum: Magnificauit autem Dominus nomen ſanctum ſuum ſuper nos,quia,ſecundum ſui nominis interpretationem,ſaluauit nos: ſiquidem Ieſus, Saluator, interpretatur. In hoc enim, hoc nomen magnificatum eſt, quia quod ſignificat, magnificè completum eſt.

In quacunque die inuocauero te,exaudi me. Quod ſi feceris,*multiplicabis in anima mea virtutem tuam*, Semper exauditur Eccleſia,etſi non ſemper exaudiri videatur,quia in nullo alio vult exaudiri à Deo, niſi in his,quæ placeant H Deo. Nam etſi eius pretio aliquando differatur, exauditur tamen, cum ſuo tempore completur. Multiplicat autem Dominus in Eccleſia virtutem ſuam, quia & ſapientia, & patientia, aliiſque virtutibus pro tempore,& neceſſitate eam corroborat.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ,quoniam audierunt omnia verba oris tui, & cantent in canticis Domino. Iſti reges terræ,qui omnia verba Dei exaudiſſe dicuntur,& qui ad confitendum,& ad cantandum eius cantica idonei ſunt,Epiſcopi,& Sacerdotes,omneſque Eccleſiæ rectores intelliguntur.Tales enim & pro officio,& pro fortitudine,& pro ſapientia,& conſtantia eum laudare,& prædicare debent. *Cantet* igitur *in cāticis Domino quoniā magna eſt gloria Domini,quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit,& alta a longe cognoſcit.* In his paucis verbis,bene tota Euāgelica prædicatio cōtinetur.Prius enim ſcire,& credere debemus quia vbique & in omnibus glorioſus, & ſuper omnia excelſus eſt Dominus & omnia ei ſubiecta ſunt, ſicuti ſuo Creatori, & Domino, Deinde vero quid velit, & quid nolit ſcire debemus, quia

aliter eius voluntatem facere non poſſumus. Diligit enim ſicut hic dicitur, humiles, reprobat ſuperbos, deponit potentes de ſede, & exaltat humiles, *humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit*: Et illa quidem miſerendo reſpicit, illa vero puniendo agnoſcit.

Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me, & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua. Quia, quaſi dicat, ſemper me reſpicis, & reſpiciendo cuſtodis, ideo vbique ſecura ſum, neque ipſas mihi illatas tribulationes pertimeſco, quia & mortuum me ſuſcitabis, & reuiuificabis, & de omnibus inimicis meis, me vindicabis.

Domine retribue pro me. Retribue, inquit, Domine inimicis meis dignam retributionem pro me, ſic tamen ſi in hac malitia ſua perſeuerant. Si vero conuerſi fuerint, & ſe peccare cognouerint, facies miſericordiam, *& opera manuum tuarum ne deſpicias*, ſed miſericordia tua etiam ſuper illos maneat in æternum.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

IN finem hunc pſalmum referendum eſſe Propheta nos docet, per quem & Chriſtum & Eccleſiam intelligimus, *Finis enim legis Chriſtus eſt, ipſe eſt Alpha, & Omega, principium, & finis.* De Eccleſia quoque dicit Apoſtolus. *Nos ſumus, in quos fines ſæculorum deuenerunt.*

Domine probaſti me, & cognouiſti me. In hoc pſalmo loquitur propheta, & alij eiuſdem perfectionis. Domine inquit probaſti me, & probando cognouiſti me. Non quod probatione aliqua indigeat, qui nouit omnia antequam fiant, probauit igitur propter nos, & probando clariores fecit, quia aliter eos cognoſcere non potuimus. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.* Quomodo ſedi, quomodo docui, quomodo in bono perſeueraui, cum quanta grauitate me habui, tu vidiſti, & cognouiſti. Etſi aliquando carnis fragilitate cecidi, quomodo, quam cito, & quam viriliter ſurrexi, tu optime noſti Vnde hoc? Tu enim *intellexiſti cogitationes meas à longe*, A longe, quidem quia ab æterno, & ante mundi conſtitutionem cognouit Dominus, & actiones noſtras & cogitationes. Vnde & ſubditur *Semitam meam, & directionem meam inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti, Et tu ſcis, quia non eſt dolus in lingua mea*, & ea quæ dico, vera ſunt, pura & munda, & ſine fallacia ſũt. Omnia enim videt Dominus, & anguſtas, & amplas vias per quas ambulamus, & directiones, & correctiones, quibus opera noſtra, & itinera noſtra dirigimus & caſtigamus. Vnde & ſubditur.

Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua. Nihil enim fuit, vel eſt, vel futurum eſt, quod ipſe non nouerit. *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.* Si quid igitur in eo laudabile eſt, non ipſius ſed Dei eſt. Tale eſt illud quod alibi quoque à Domino dicitur. *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre ſanctificaui te.* Non igitur ſeipſos laudant ſancti, quia tales ſunt, ſed illum potius laudant à quo tales formati ſunt.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Et tam mirabilis, & ſic cõfortata, & exaltata, vt ad eam pertingere non valeam. Si ergo ſeipſum intelligere, & cognoſcere non valet, quomodo ea quæ extra ſunt intelligere valeat? Qua fronte miſer homo de Deo diſputare præſumat, qui de ſeipſo rationem reddere neſcit; Mirabilis inquit, *facta eſt, ſcientia tua*? Non ex te tantum, non ex mundi creatione, ſed ex meipſo, quia meipſum videre non poſſum. Miſer ille, qui te offendit quia nuſquam iram tuam effugere poteſt. Et hoc eſt quod ait,

Quo ibo à ſpiritu tuo? & à facie tua quo fugiam? Seipſum pro aliis ponit, vt quod de ſe dicit, de omnibus intelligatur. Quo ibo inquit, à ſpiritu iræ tuæ? & quo fugiam à facie iræ indignationis tuæ, qui vbique es, & omnia vides.

Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Aſcendimus autem non pedibus, ſed precibus in cœlum, quando eos, qui in cælis ſunt in noſtrum adiutorium inuocamus. Inde vero in infernum deſcendimus, quando eos, qui in hoc mundo ſunt, ſimiliter deprecamur. Ad cœli namque comparationem, mundus iſte infernus vocatur, quia inde dicitur infernus, eo quod inferior ſit. Cui igitur Deus iratus eſt, neque eorum qui in cœlo ſunt, neque eorum, qui ſunt in terra adiutorium habere poteſt. Vna igitur ſola, & ſingularis cauſa eſt, qua homo iram Dei effugere poteſt, hæc videlicet, vt fugiens ipſum fugiat, ad ipſum, neque enim homo velocior eſſe poteſt ad pœnitendum, quam Deus ad indulgendum. Hoc enim ipſe ait: *Quacumque hora peccator conuerſus fuerit omnium iniquitatum eius non recordabor.* Pœniteat igitur homo, & ſic iram Dei effugere poterit, Et hoc eſt quod ait.

Si ſumpſero pennas meas ante lucem, & habitauero in poſtremo maris. Tunc, ſubauditur; iram tuam effugere potero. Sumamus igitur pennas noſtras per quas, remedia pœnitentiæ ſignificantur, ſine quibus ad maris huius poſtrema volare non poſſumus ante lucem pennas ſuſcipimus, ſi peccata noſtra ante Deum, qui eſt vera lux, ex toto corde manifeſtamus. Quod igitur dicitur ante lucem, tale eſt ac ſi diceretur coram luce, vel in præſentia lucis. Et illi quidem habitant in poſtremo maris, qui mundi huius naufragia, & flagitia euaſerunt. Quomodo autem euaſerunt, ſequentia manifeſtant.

Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Hæc dextera tenuit Petrum, cui cum mergeretur Dominus ait. *Modicæ fidei quare dubitaſti.*

Et dixi forſitan tenebræ conculcabunt me. Si, inquit, mundum relinquere, & ad te volare voluero, *forſitan tenebræ conculcabunt me.* Hoc autem in tempore Martyrum multis accidiſſe legimus, qui ad Chriſti fidem confugientes à tenebris conculcati ſunt, per quas, iniqui homines ſignificantur. De qualibus Apoſtolus ait. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* De qualibus & in euangelio dicitur: Quia *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Tales itaque tenebræ eos conculcabant, & occidebant; quos ad Chriſti fidem tranſire videbant. Sequitur. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*, *Tenebræ*, inquit, *conculcabunt me*, & ad mortem, quæ per noctem ſignificatur, deducent me, ſed ipſa nox & ipſa mors erit illuminatio mea. Vbi? in deliciis meis. Niſi enim mors prius interceſſiſſet ad illas tantas delicias peruenire non potuiſſet.

Quia tenebræ non obſcurabuntur abs te, & nox ſicut dies illuminabitur. Ideo inquit, dixi, quia nox erit *illuminatio mea*, quia ſcio, & certus ſum, *Quod tenebræ non obſcurabuntur abs te*, ſed mox, vt pro tuo nomine interfectus fuero fugatis tenebris, recto, & claro itinere, ad te perueniam. Et illa nox ſicut dies illuminabitur mihi, in qua de huius mundi tenebris ad tuæ claritatis gloriam me venire contigerit.

Sicut & tenebræ eius ita & lumen eius. Sicut enim illius noctis tenebræ multæ fuerunt, ita & lumen eiuſdem noctis multum & ineffabile erit. Neque plus noctis, & tenebrarum in hac vita ſuſcipiet anima.

Quia tu Domine poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de vtero matris meæ: confitebor tibi Domine, quoniam terribiliter magnificatus es. Ideo, inquit, confitebor tibi Domine, & laudabo te, quia poſſediſti renes meos, neque luxuriæ peccatum, inter alia omnia peccata ſordidiſſimum mihi dominari permiſiſti, & quia ſuſcepiſti me de vtero matris meæ, & ſub tuæ protectionis cuſtodia conſeruaſti, & de tantis periculis liberaſti. Inſuper autem ex hoc quoque confitebor tibi Domine & laudabo te, quoniam terribiliter mirificatus es. Terribiliter multoties mirificatus eſt Dominus, multis, & maximis plagis ſuos conterens inimicos, ſicut in diluuio, in mari rubro: in Sodomis & in multis aliis locis. Mira opera tua, & anima mea nouit nimis. Multum mirabilis eſt ille, cuius opera tam mirabilia ſunt, quæ ille quidem bene cognoſcit; quia in illis ſe exercet, non ſolum legendo, ſed & agendo.

Non eſt occultatum os meum abs te, quod feciſti in oc-

culto. De ore cordis loquitur, cuius verba ſolus Deus cognoſcit, & audit. *Et ſubſtantia mea non eſt tibi occulta in inferioribus terræ.* Excelſus enim eſt, & humilia reſpicit, & quæ ſubſtantia inter alias plus ſe humilia cognoſcit. Quantum autem iſte aliis humilior fuerit, in eo oſtendit, quod ſubſtantiam ſuam in inferioribus terræ fuiſſe dicit.

Imperfectum meum viderunt oculi mei. Imperfectionem inquit, meam tu vidiſti, & quantum à plena, & conſummata iuſtitia minus habuerim, cognouiſti. Verumtamen omnes fideles tui, & amici tui, non imperfecti, ſed perfecti: ſcribentur in libro tuo. Et hoc eſt quod dicit. *Et in libro tuo omnes ſcribentur.* Quales? *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Liber Dei, ipſa eius memoria eſt, in qua nomina Sanctorum omnium continentur. Dies autem formabuntur omnes, quia clari, & ſplendidi, & ſicut ſcriptum eſt, *fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Dei.* & nemo in eis claritate, & perfectione carebit.

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

Satis enim, & in cœlo, & in terra honorificati ſunt, qui & in cœlo, & in terra tantam poteſtatem habent, vt & hic, & ibi, quos ligant, ligentur, & quos ſoluunt, ſoluantur, ibi ſcripti ſunt in libro vitæ, & hic memoria eorum clariſſima, & perpetua manet. Et vere nimis confortatus eſt principatus eorum quibus mundus non ſufficit, ſed ſuper cœlos obtinent principatum.

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. Innumerabiles, inquit, ſunt, & velut arena maris numerari non poſſunt. Multiplicantur autem, & in hoc ſuper arenam maris, quia multo plures ſunt Chriſtiani, quam Iudæi, qui per arenam ſignificantur. Hinc eſt enim quod Abraham à Domino dicitur. *Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena quæ eſt in littore maris.* Per ſtellas, Chriſtianos & per arenam, quæ pedibus conculcatur, Iudæos ſignificans. *Reſurrexi, & adhuc ſum tecum.* Dixit modo ſuperius. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* nunc autem ab illa imperfectione ſe ſurrexiſſe, & in Domino fideliter firmiterque manſiſſe ſe dicit vt & ipſe ſimul cum aliis ſcribatur in libro vitæ, & inter alios formetur & glorificetur.

Si occidas Deus peccatores viri ſanguinum declinate à me. Omnes illi occiduntur, & moriuntur, qui à Deo ſeparantur, & diuiduntur. Si inquit, peccatores à te repellas, & à tuo conſortio ſepares, & ego dicam illis: viri ſanguinum declinate à me, neque illis communicabo, quos tuam gratiam non habere cognoſcam. Tunc enim peccatores à Domino occiduntur, quando excommunicantur, & Eccleſiæ ſententia feriuntur.

Quia dicitis in cogitationibus veſtris: accipient in vanitate ciuitates ſuas. Merito, inquit o viri ſanguinum vos fugimus & à noſtro conſortio ſeparamus, quia male, & iniquè & de ipſo Deo, & de eius Eccleſia iudicatis, & cogitatis. Viri ſanguinum præcipue hæretici intelliguntur, qui corpus, & animam perdunt, & totum hominem interficiunt. & Iſti quidem dicunt de viris ſanctis, & Catholicis in cogitationibus ſuis. Accipiant in vanitate ciuitates ſuas, quia ſic excæcauit illos malitia eorum, vt quicquid in Eccleſia agitur, totum vanum, & inutile eſſe credant.

Nonne qui oderunt te Deus oderam illos; & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Merito tales peccatores Deus occidit, & à toto ſuo corpore, quod eſt Eccleſia, repellit, quia ipſi ſunt, qui eum odio habent, & qui eis ſpecialiter ſunt inimici. Tales autem quantum fugere, & euitare debeamus, hæc verba nos docent.

Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. Bonum & perfectum odium eſt, quando & naturam diligimus, & vitium odio habemus. Hæreticum hominem dicit Apoſtolus, poſt ſecundam correctionem deuita. Quod vtique non dixiſſet niſi eius communionem periculoſam eſſe cognoſceret.

Proba me Deus, & ſcito cor meum, & interroga me & cognoſce ſemitas meas. Beatus ille, quem ſic ſua conſcientia defendit. Adhuc deſiderat, qui in ipſo principio pſalmi ſe probatum fuiſſe dixit, quoniam & cogitatione, & operatione mundum, & purum ſe eſſe intelligit.

Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in viam æternam. Poſtquam, inquit, probaueris, interrogaueris, & ſi vis, quaſi dicat, igne examinaueris, & cognoueris me & viam iniquitatis non inuenies in me, *deduc me in viam æternam.* In via æterna illi ſunt, qui iam vlterius ad viam peccati, & mortis declinare non timent. Sed hæc via in hac vita non inuenitur.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

QVid ſignificet, In finem, & quid ſignificet, Pſalmus Dauid ſæpe iam diximus.

Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me. Eccleſia loquitur, & rogat Dominum vt, ab homine malo eam eripiat, per quem diabolus, & hæretici ſignificantur, iſti enim & mali, & iniqui ſunt, & plus omnibus aliis Eccleſiam perſequuntur.

Qui cogitauerunt malitias in corde. Malitias enim in corde cogitant, quia in hoc maxime laborant, quomodo viros Catholicos decipere, & in hæreſim trahere poſſint. *Tota die conſtituebant prælia.* Tota die diſputare, & contendere volunt, multiſque argumentationibus veritatem impugnare, & ſuos errores defendere parati ſunt.

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Bene hæretici ſerpentibus comparantur, quia labiles, tortuoſi, & veneno pleni ſunt: veneno autem aſpidum quod inſanabile dicitur: quia hæreticorum doctrina mortifera, & inſanabilis eſt.

Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis libera me. Peccator, diabolus, iniqui, hæretici ſunt: malus magiſter malos diſcipulos habet. De omnibus cuſtodiri & liberari poſtulat, quia omnium inſidias pertimeſcit.

Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos. Quomodo? *Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.* Sola ſuperbia, & arrogantia hæreticos facit, quia dum alta ſapere volunt &, & humilibus conſentire nolunt, in hæreſim cadunt, inde vero cogitant quomodo alios ſupplantare, & ad ſuum ſenſum trahere poſſint. Abſcondunt laqueos, fallaciter, & argumentoſe ſcripturas exponunt, & quod auctoritate non poſſunt, ſyllogiſmis facere nituntur. Vnde & ſubditur.

Et funes extenderunt in laqueo pedibus meis, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

Laqueum Ipſam diſputationem vocat: funes vero, quibus à longe laqueus trahitur, dialecticas ambages, & ſophiſmata dicit. His autem ſimplices homines illaqueantur, & decipiuntur, & in erroris foueam trahuntur. Iuxta vero iter ſcandalum ponit, qui de ipſa ſcriptura, quæ via noſtra eſt, aliquid aſſumit quod male interpretatum in errorem hominem ducit. Sic faciebant Arriani dicentes: *Nonne filius hoc dicit, quia pater maior me eſt? quomodo tu æqualem dicis, qui ſe minorem eſſe fatetur?* Et hoc quidem ſimplicibus ſcandalum erat, quia quomodo hoc ſoluerent, neſciebant.

Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem orationis meæ. Dicit Eccleſia, ſe in illo tanto hæreticorum prælio clamaſſe ad Dominum, quia omnes ſimplices, & illiteratos, & in diuinis ſcripturis minus exercitatos ſe amittere timebat. Tu, inquit, es Deus meus alium non habebo, te mihi iſti auferre conantur, tu me modo in hoc prælio, & in hac tanta neceſſitate exaudi. Vnde autem exaudire debeat, audiamus.

Domine Domine virtus ſalutis meæ, obumbra caput meum in die belli. Hæc verba magni terroris ſignificatiua ſunt. Periculoſius eſt pugnare cum hæreticis, quam cum tyrannis, quia illi corpus, iſti vero animas interficiunt. *Domine*, inquit, *Domine, virtus ſalutis meæ*, ſine cuius adiutorio & virtute ſaluari non poſſum, *obumbra caput meum* caput mentis meæ, *in die belli*; vt eorum blaſphemiæ ad aures meas penetrare non valeant.

A

Ne tradas me à deſiderio meo peccatori. Quid eſt peccatori? diabolo, & membris eius. Vnde & pluraliter ſubditur, *Cogitauerunt aduerſus me*, quia in vno nomine peccatoris multi peccatores ſignificantur. Tunc enim, quod abſit, ſuo deſiderio fruſtrata, peccatoribus Eccleſia traderetur, ſi aduerſus eam ſuas iniquas cogitationes adimplere potuiſſent.

Ne derelinquas me ne vnquã exaltentur, Cõſidera modo quantũ ſe hæretici exaltarent, ſi vincerent, qui etiã victi ſe exaltare, & errorẽ ſuũ defendere, & laudare nõ erubeſcũt.

Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum cooperiet eos. Caput circuitus eorum, diabolus eſt, quia illos circuitus locutionum, & illas ambages tantarum deceptionum, ipſe eorum magiſter diabolus eos docuit. Labor vero labiorum ipſorum idem ipſe circuitus dicitur, quia ſicut illi, qui verum dicunt, non laborant: ita è contra illos qui mentiuntur, multum laborare neceſſe eſt. Et iſte quidem circuitus, iſte eorum ſermo doloſus, ita multoties eos cooperit, vt in eorum hæreſi comprehendi non poſſit. Vnde bene alibi dicitur. Quia *nerui teſticulorum Leuiathan perplexi ſunt*, per quos hæretici ſignificantur. Quæ autem pœna eos exſpectet pro hac tanta ſua deceptione, audiamus.

B

Cadent ſuper eos carbones ignis in ignem deiicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent. Hoc eſt enim, quod alibi dicitur. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Quomodo igitur in miſeriis ſubſiſtere poterunt, qui igne ſic vndique circumpoſito ardebunt.

Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram. Eum, qui ſuper terram non dirigitur, iam ſub terra poſitum ſola tormenta exſpectant. Inde Apoſtolus, poſt primam & ſecundam correctionem nos hæreticum hominem euitare iubet, quia hi tales inconuertibiles ſunt, & valde difficile ad bonum diriguntur. Bene autem vir linguoſus vocatur hæreticus, quia in ſola lingua, & garrulitate confidit. De quo adhuc ſubditur. *Virum in iuſtum mala capient in interitu.* Mala inquit, capient eum, non in correctione,

C

vt ſaluetur, ſed in interitu, vt ſine fine crucietur.

Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopum, & vindictam pauperum. Inſuper, & pauperes illi ſunt, qui non temporales, ſed æternas diuitias quærunt. De iſtorum autem iudicio, & vindicta dubitandum non eſt, quia, ſicut gloria præparata eſt bonis, ita & pœna præparata eſt malis.

Veruntamen iuſti confitebuntur nomini tuo. Conſtituant, quaſi dicat viri iniuſti prælia tota die: cogitent quomodo ſanctorum greſſus ſupplantare valeant, veruntamen iuſti Deum laudare, & veritatem prædicare non ceſſabunt. *Et habitabunt recti cum vultu tuo*, Quid eſt *cum vultu tuo*, niſi in conſpectu gloriæ tuæ? Ibi enim laudabunt ſancti, ibi in æternum cum Domino gaudebunt.

PSALMVS DAVID.

Iſte titulus multoties iam ſuperius expoſitus eſt.

D

Domine clamaui ad te exaudi me. Domine, inquit Eccleſia, multoties clamaui ad te, & nunc quidem clamabo, vt exaudias me, & non ſolum nunc, ſed omni tempore dum clamauero ad te. *Intende voci orationis meæ.* Hoc autem ideo dicit, quia futurum eſſe cognoſcit, vt ſicut craſſitudo terræ eructat ſuper terram, ita diſſipentur oſſa eius ſecus infernum. Qua in re maxima & nimis intolerabilis perſecutio ſignificatur. Et hoc quidem in ſequentibus exponitur.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Orat mater Eccleſia, vt in tempore perſecutionis ſic dirigantur ad Dominum eius orationes, ſibique placeant, ſicut bonus odor incenſi ad nares noſtros dirigitur, & ſuauis eſt nobis.

Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. *Sacrificium veſpertinum*, Chriſti paſſio fuit, qui circa illam horam ſpiritum emiſit. *Eleuatio vero manuum*, illa eſt, de qua alibi dicitur. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Oremus igitur Dominum, vt eleuatio manuum noſtrarum, munda & pura ſit, Deo grata, & acceptabilis ſicut ſacrificium veſpertinum.

E

Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Et hoc quare? *Vt non declines cor meũ in verbum malum, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Hoc vitium à primis parentibus habemus, qui poſt peccatũ à Domino interrogati, prius excuſationes inuenerunt. Et Adam quidem dixit. *Mulier dedit mihi, & comedi.* Mulier vero: *Serpens decepit me.* Tales autem excuſationes malæ ſunt, & fieri non debent, quibus peccata non minuuntur, ſed potius creſcunt. Et omnes quidem excuſationes malæ ſunt, quibus pœnitentia impeditur, & vitia nutriuntur. Sic autem dicitur hic, *vt non declines cor meum in verbum malum*, ſicut alibi dicitur. *Ne nos inducas in tentationem.*

Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non combinabor cum electis eorum. Non combinabor, inquit, ne-

F

que ſociabor cum hominibus iniquitatem operantibus, & in malitia perſeuerãtibus, neque cum ipſis, neque cum electis eorum, per quos eorum principes, & magiſtros, omneſque hæreſiarchas intelligimus. Iſti enim ab eis electi ſunt, vt eos ſequantur, eorumque errores defendant, & teneant.

Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. Hoc faciunt Eccleſiæ Doctores, hoc faciunt Epiſcopi, & ſacerdotes quotidie peccatores arguunt, & corripiunt, magnamque miſericordiam conuerſis, & pœnitentibus promittunt. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quid per oleum peccatoris, niſi blanditiæ, adulationes, perſuaſiones, & deceptiones ſignificantur? Caput autem, pro mente ponitur, quæ tali oleo impinguata, & delibata, facile trahitur ad peccata.

Quoniam adhuc & oratio mea. Illi vero in beneplacitis eorum abſorpti ſunt. At vero continuati petræ iudices eorum audient verba mea. At illi quoniam potuerunt ſicut craſſitudo terræ eructat ſuper terram; ita diſſipata ſunt oſſa

G

noſtra ſecus infernum, Sic enim ſe habet ordo. Nunc autem ſignificationem videamus. Exaudi me, inquit, quoniam adhuc eſt, adhuc manet, & nondum finita eſt oratio mea, qua te in huius pſalmi initio rogaui dicens. *Intende voci orationis meæ, dum clamauero ad te.* Illi vero de quibus ſuperius dixi, *cum hominibus operantibus iniquitatem, & non combinabor cum electis eorum* abſorpti ſunt, in his, quæ bene ſibi placuerunt. Bene quidem, ſicut ipſi putant, qui in ſuo errore, & ſtultitia delectantur. Sic enim illi abſorpti ſunt, & à diabolo deuorati, vt de illo barathro iam vlterius non expediantur, At vero illi, qui petræ continuati, & coniuncti ſunt, per quam Chriſtus ſignificatur, audient verba mea. Hæc eſt illa petra, de qua Apoſtolus ait. *Petra autem erat Chriſtus.* Huic autem petræ omnes boni indiſſolubiliter continuati, & coniuncti ſunt. Et iſti quidem Eccleſiæ verba libenter audiunt, & credunt, quæ hæretici audire faſtidiunt. Vnde & ſtultiſſimi eſſe probantur qui ea audire deſpiciunt, quæ eorum iudices admirantur, & in quibus plurimum dele-

H

ctantur, vnde in canticis canticorum Dominus ait. *Quæ habitas in hortis amici auſculta: fac me audire vocem tuam.* Iudices iſti, non ſolum Apoſtoli ſed omnes ſancti intelliguntur. Inter quos, & Regina Auſtri, & Niniuitæ conuertantur. Sequitur.

Quoniam potuerunt, ſicut craſſitudo terræ eructat ſuper terram, diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. Quoniam illi, inquit, qui abſorpti ſunt, aliquando potuerunt & quoniam in hac vita fortes, & potentes fuerunt, ideo oſſa noſtra, & fortiora membra noſtra, per quæ Apoſtoli, & Martyres figurantur, eorum violentia, & fortitudine diſſipata ſunt ſecus infernum, per quem tyranni, & alij homines iniqui ſignificantur à quibus, & inter quos, quaſi in inferno Sancti Dei afflictati, & cruciati, & diſſipati ſunt, Sed quomodo diſſipati? *Sicut craſſitudo terræ eructat ſuper terram.* Craſſitudo terræ vermes ſunt qui de terræ craſſitudine creati ſuo tempore, foras erumpunt ſed pedibus conculcati nauſeam faciunt, & ſe videntibus

A faſtidio fiunt. Hinc eſt enim, quod de ſeipſo, & de omnibus iſtis qui eius membra ſunt, Dominus ait. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: omnes videntes me aſpernabantur me.* Non eſt ergo mirum ſi viri iuſti vermibus comparentur, cum ipſe Dei filius vermis dicatur.

Quia ad te Domine Domine oculi mei, in te ſperaui ne auferas animam meam. Ne auferas, inquit, Domine, id eſt, ne auferri, & decipi patiaris animam meam à ſupradictis hominibus impiis, & iniquis: quoniam ad te leuaui oculos meos, & in te ſperaui & nullum alium adiutorem habeo.

Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem, Multa de hoc laqueo, & de iſtis ſcandalis in ſuperiori pſalmo dicta ſunt, per quæ nihil aliud niſi tyrannorum, & hæreticorum aſtutia, & deceptio ſignificatur.

Cadent in retiaculum eius peccatores. In retiaculum B huius laquei cadunt peccatores, quia ipſi ſunt, qui ab hæreticis, & ab aliis iniquis hominibus decipiuntur.

Singulariter ſum ego donec tranſeam. Singulariter eſt Eccleſia in hac vita, quia valde pauci ſunt boni ad malorum comparationem, ſed poſtquam tranſierint, pluraliter erit: quia etſi non numero, virtute tamen, & fortitudine omnibus maior, & potentior erit.

INTELLECTVS DAVID CVM eſſet in ſpelunca.

HOc intellexit Dauid, quod Chriſtus in ſpelunca, id eſt, in inferno dicturus erat. *Educ de carcere animam meam.* Dicturus autem non voce, ſed voluntate.

Voce mea ad Dominum clamaui voce mea ad Deum deprecatus ſum. Non ſolum interiori voce, qua ſemper cum Domino loquebatur, ſed exteriori quoque voce, quæ ab hominibus audiebatur ſæpe filius clamauit ad patrem, C & ſicut voluit, in omnibus exauditus eſt.

Effundam in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronunciabo in deficiendo in me ſpiritum meum. Modo, inquit, in mortis articulo, & tempore paſſionis, dum ſpiritus, & vita deficit, & anima mea à carne mea ſeparatur, opto, vt effundam in conſpectu eius orationem meam, & ipſe præſto adſit ad eam audiendam, & ſuſcipiendam Volo ſimiliter & opto, vt tribulationem meam ante ipſum pronunciem, quatenus me vindicare non obliuiſcatur, de his, qui in ſua malitia perſeuerant. *Et tu cognouiſti ſemitas meas.* Nunc ad Patrem loquitur, cuius conſilio, & voluntate in mundum venit, carnem ſuſcepit, inter homines conuerſatus, eſt prædicauit, ad fidem Iudæos vocauit. Et iſtæ quidem ſunt ſemitæ illius, quas Patrem non ignorare dicit.

In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi. Lege in Euangelio & inuenies Iudæos, multos laqueos, multaſque inſidias Domino præparaſſe, ſicuti, de D tributo ſoluendo, & Sabbati obſeruatione.

Conſiderabam à dextris, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me. Nihil aliud conſiderabat Dominus, nihil aliud mente tractabat, niſi de his, quæ à dextris erant, & quæ omnibus ad proſperitatem, & ſalutem fiebant. Ipſi tamen hoc non cognoſcebãt, & pro bonis, mala reddebant.

Periit fuga à me. Poteram, inquit, fugere ſi voluiſſem, facile mihi erat eorum iram & furorem declinare, ſed ſi hoc feciſſem, quid humano generi profuiſſem? Illorum ſalutem antepoſui meam poſtpoſui. *Et tamen non eſt qui requirat animam meam niſi vt auferas eam.*

Clamaui ad te Domine, dixi tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Clamauit Dominus, ſed intus clamauit, quia eius voluntas magnus clamor erat in auribus patris, hoc dixit, hoc propoſuit, & firmauit, quod ſe non defenderet, ſed in ſola diuinitate ſperaret, cuius portio non in terra morientium, ſed potius in terra viuentium. Non mortuos Domine, ſed viuos elegiſti, non Synagogam, ſed Eccleſiam, quia non mortui laudabunt te E Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, ſed nos, qui viuimus benedicimus Dominum, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Intende in orationem meam, quia humiliatus ſum nimis. Quia ſecundum humanitatem loquitur Dominus ideo humanos oſtendit affectus. Neque enim orare neceſſe habebat, cui in voluntate, & poteſtate omnia erant: ſed ſi poteſtate vti voluiſſet, quis ei reſiſtere potuiſſet? ac per hoc hominem eum eſſe quis credidiſſet? Et reuera nimium ſe humiliauit qui de ſua omnipotentia ad tantam impotentiam ſe inclinauit.

Libera me à perſequentibus me, quoniam confortati ſunt ſuper me. Oblatus eſt enim Dominus, qua ipſe voluit, confortati ſunt inimici eius ſuper eum, quia ipſe voluit: liberatus eſt de manibus eorum, ſicut voluit, & quando voluit.

Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine. Carcer iſte infernus eſt, de quo non ſuam tantum, ſed ſanctorum omnium animas, quæ ibi incluſæ tenebantur, Dominus eduxit: Vnde tota Eccleſia eius F nomini confitetur, atque omnes ſancti eum laudant, & benedicunt.

Me exſpectant iuſti, donec retribuas mihi. Omnes iuſti hoc exſpectabant, vt à mortuis Chriſtus reſurgeret, *qui eſt primogenitus mortuorum & princeps Regum terræ.* Reſurgens autem Dominus tanti laboris dignam retributionem ſuſcepit, quia, ſicut ipſe ait, *data eſt ei omnis poteſtas in cælo & in terra.*

PSALMVS DAVID QVANDO filius ſuus Abſalon eum perſequebatur.

HVnc Pſalmum dictante Spiritu ſancto fecit Dauid quando Abſalon filius eius eum perſequebatur. Quem & nos ſimul cum eo cantare debemus in omnibus anguſtiis, & neceſſitatibus noſtris. G

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam, in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia. Tale eſt illud in Euangelio, vbi vnum idemque Saluator noſter toties repetit. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Vnde & alibi dicit. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Hæc & Apoſtolus, ſine intermiſſione orare nos iubet. In veritate inquit, tua exaudi me, quoniam ſic mihi promiſiſti, & vt verax es, & mentiri non potes, vt manifeſtetur iuſtitia tua, quæ vbique veritatem ſequitur, & ſine ea eſſe non valet.

Et non intres in iudicio cum ſeruo tuo. Quoniam ſi hoc feceris *non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Sic enim violata eſt humana natura, vt nemo ſe defendere valeat ſi ſimul cum Deo ad iudicium veniat. *Omnis enim homo mendax. Et ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius.* Et vt Ioannes Apoſtolus ait; *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, Vnde, & quotidie dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, Et hoc H ideo, Quia *perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam:* Hic eſt ille inimicus de quo dicitur. *Inimicus noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Iſte perſequitur animas noſtras. eas in terra humiliat, & cæleſtia cogitare non permittit: Iſte eas in terram conculcat, & carnis voluptatibus implicat. Vnde & ſubditur.

Collocauit me in obſcuro ſicut mortuos ſæculi, & anxiatus eſt in me ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum, Mortui ſæculi illi ſunt, quia à vera vita, que Chriſtus eſt, peccando ſeparati ſunt. Tales autem in obſcuro iacent, quamdiu in peccatis perſeuerant. In his autem anxiatur ſpiritus, quia nimia infirmitate anima tabeſcit. Cor vero conturbatur, quando vana & turpia meditatur.

Memor fui dierum antiquorum, & meditatus ſum

A *omnibus operibus tuis.* Hoc remedium recuperandæ ſanitatis quærere debemus, quando nos in obſcuro collocatos, & in peccatorum tenebris iacere ſentimus. Recordemur dierum antiquorum, & reformemus noſmetipſos ad exempla ſanctorum: Meditemur opera Domini, & tantum magiſtrum imitari ſtudeamus, in cuius operibus malum non inuenitur, qui vidit omnia quæcumque fecit, & erant valde bona. *Et in factis manuum tuarum meditabar*, vitia, & peccata non ſunt in factis manuum eius, & ideo neque cogitare neque facere ea debemus. Multum enim nocet mala cogitatio, quia ipſa eſt cauſa, & origo peccati.

Expandi manus meas ad te. Hoc eſt enim, quod alibi dicitur: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta; Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi:* Seipſum accuſat, quod anima eius ſic aliquando fuerit Deo ſterilis, & infructuoſa, ſicut terra ſicca & ſterilis, & infructuoſa eſt. Vnde, & velociter ſe exaudiri exorat, quia iam diſplicet ſibi, quod talis aliquando fuerit. Iuſtus enim, ſicut ſcri- B ptum eſt, in principio accuſator eſt ſui.

Domine defecit ſpiritus meus. Talis aliquando fuit anima mea, ſed adueniente ſpiritu tuo, quo omnia fœcundantur, defecit ſpiritus meus, qui eam deſiccabat. Hic eſt ille ſpiritus, de quo dicitur: Beati pauperes ſpiritu, malus ſpiritus ille eſt, cuius paupertas bona eſt.

Ne auertas faciem tuam à me. Quare? *Et ero ſimilis deſcendentibus in lacum.* Si enim fideles ſuos Deus non exaudiret, ſimul & ipſi cum peccatoribus in infernum deſcenderent.

Auditam mihi fac mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui Domine. Toties homo exit de nocte, & venit ad mane, quoties peccatum derelinquit, & pœnitentiam agere incipit. Non ſum, inquit, in nocte, in die ſum. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit,* fac me audire & cognoſcere miſericordiam tuam, illam videlicet miſericordiam, quam illi ſoli habent, qui in te credunt, & ſperant.

Notam mihi fac viam in qua ambulem, quia ad te C *Domine leuaui animam meam.* Illa via nobis nota eſt, per quam frequenter ambulamus. Non ergo recedamus à mandatis Dei, & nota erit nobis via per quam ambulare debemus. Ille autem leuat animam ſuam ad Dominum, qui eam à vitiis ſeparat, & virtutum gradibus exultans Domino offert.

Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi. Qui turris fortitudinis es à facie inimici. *Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus,* cuius tantummodo voluntatem & ſeruitium facere debeo.

Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Quia defecit ſpiritus meus malus: qui me deducebat in viam peruerſam. Via recta illa eſt, quæ ad patriam inducit, & à mundi impedimentis animam ſeparat. Propter nomen tuum Domine, quod aſſidue inuocare non ceſſo. *Viuificabis me in æquitate tua: Omnis enim, quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Ille homo viuificatur in æquitate, qui iniquitatem fugiens, iuſtè, & æquè D viuere incipit.

Et educ de tribulatione animam meam. In tribulatione eſt illa anima, quæ quamvis invita, carnis voluptatibus ſeruire compellitur. *Et in miſericordia tua diſperde inimicos meos*, per quos vitia, & peccata ſignificantur, à quibus anima affligitur, & tribulatur. Vnde & ſubditur.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam. Et hoc ideo *quia ego tuus ſeruus ſum,* cui me per omnia ſeruire, & obedire oportet.

DAVID ADVERSVS GOLIAD.

PRælium Dauid aduerſus Goliad prælium Eccleſiæ aduerſus diabolum ſignificat, qui quamvis potentiſſimus eſſe videatur quotidie tamen à Chriſtiano populo proſternitur, conculcatur, & iugulatur.

Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas E *ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Propheta, & populus Chriſtianus omnipotenti Deo in hoc Pſalmo gratias agit, quia hoſtem ſuperbiſſimum eius adiutorio ſuperauit.

Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus, protector meus, ſubiiciens populos ſub me, & in ipſo ſperaui. Sic enim ſe habet ordo. Nihil ſibi imputat, omnia ad Deum refert, & hoc ipſum, quod eſt, & quod fortis, & ſapiens eſt; & quod inimicos vicit; & quod eorum tot, & tantis inſidiis reſiſtere potuit. Et hoc totum obtinuit, quoniam non in ſe, non in ſuis viribus, ſed tantum in ipſo ſperauit. Populos autem ſibi ſubiectos eſſe dicit, per quos, tyrannos, & hæreticos, vitia, & malignos ſpiritus intelligimus.

Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Miratur Propheta, quod hominem tam caducum, tam ſuperbum, tam inobedientem, & miſerum ſic honoret, ſic diligat, ſic reputet, & ſic ſe ei F manifeſtare dignetur. Magnus honor homini, quod Dei cognitionem habet, quam qui non habent, non inter homines, ſed inter bruta animalia computandi ſunt.

Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt. Ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt homo, ſed ſua ſuperbia, & inobedientia, tantæ vanitati ſimilis factus eſt, vt non immerito de eo dicatur: Quia cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. *Et ideo dies eius ſicut vmbra prætereunt,* quæ creſcendo deficit, & quando maior eſſe videtur, ſubito in tenebras euaneſcit.

Domine inclina cœlos tuos, & deſcende. Vt ab hac vanitate, quaſi dicat, homo liberari valeat, inclina Domine cœlos tuos & deſcende, quia niſi tu deſcenderis, ille aſcendere non poteſt. Cœli Apoſtoli ſunt, quos Dominus tunc inclinauit, & ſimul cum eis in lacum deſcendit, vt eos, qui per totum mundum ſub diaboli captiuitate tenebantur, eriperet, quando eis dixit. *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* G Magna inclinatio eſt, cum cœli in terram, & Apoſtolica ſublimitas ad impios, & peccatores prædicandos deſcendit. De quibus ſubditur.

Tange montes, & fumigabunt. Omnes enim ſancti ſpiritus vnctione tangendi, & mitigandi ſunt, ſed illi maxime, qui fortiores, & duriores eſſe videntur, per quos, maiores, & potentiores homines intelligere debemus. Quos bene quidem fumigare dicit, quatenus eos ad fidem conuerſos in amore Dei ardere oſtendat. Vbi enim, fumus eſt, ibi & ignis eſſe monſtratur. De hoc igne Dominus ait. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?*

Coruſca coruſcationes tuas, & diſſipabis eos, emitte ſagittas tuas & conturbabis eos. Quid per coruſcationes, niſi vtriuſque teſtamenti declaratio, vel ſigna, & miracula ſignificantur? His autem gentiles, ſecundum priorem ſtatum diſſipati, & penitus in melius commutati ſunt. Similiter autem & ſagittæ, ſanctarum ſcripturarum ſententiæ H intelliguntur, de quibus alibi dicitur. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.* Talibus ſagittis, qui vulnerantur, contra ſe ipſos digniſſimè conturbantur. Taliter autem conturbatis Apoſtolus ait: *Quem ergo fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis.*

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Emitte, inquit, manum tuam virtutem, & fortitudinē tuam. De alto, de te ipſo, qui ſuper omnia altiſſimus es. *Et libera me de aquis multis*, per quas multi populi ſignificantur. *Et de manu alienorū filiorum* de quibus alibi dicitur: *Filij alieni mentiti ſunt mihi*, per quos omnes illos intelligimus, qui non Dei, ſed diaboli filij eſſe dicuntur. Tales erant illi, quibus Dominus ait. *Vos ex patre diabolo eſtis.*

Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Inde manifeſtè alienorum filij eſſe probantur, quoniam, & ore vanitatem loquuntur, & manibus iniquitatem operantur. Per hos autem hæretici, & tyranni præcipuè intelliguntur, quorum omnis ſermo vanitas, & omnis operatio iniquitas eſt.

Deus

A *Deus canticum nouum cantabo tibi.* Vbi? *In pſalterio decem chordarum pſallam tibi.* Canticum nouum in pſalterio cantatur, & pſallitur, quando vetus teſtamentum non ſecundum litteram, ſed ſpiritualiter prædicatur. Habent Iudæi pſalterium, ſed non cantant ibi canticum nouum, quia tantum vetus teſtamentum ſecundum litteram interpretantur.

Qui das ſalutem Regibus? qui liberas David ſeruum tuum de gladio maligno; Reges iſti Apoſtoli ſunt, de quibus alibi dicitur. *A templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera.* Et iſte Dauid Saluator noſter intelligitur: Gladius vero malignus, diabolicam fortitudinem ſignificat. Rogat igitur Propheta, rogat, & populus Chriſtianus, vt ille, qui dat ſalutem Regibus, & qui liberat Dauid ſeruum ſuum, & filium ſuum de gladio maligno, eripiat eum & liberet eum de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.

B *Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.* Et hæc quidem modo ſuperius expoſuimus. Poſſumus autem per iſtos Reges non ſolum Apoſtolos, ſed omnes quoque Chriſtianos intelligere, qui ſeipſos, & membra ſua ſapienter, & honeſtè regunt.

Quorum filij; ſicut nouella plantationes, ſtabiliti à iuuentute ſua. Sic ſunt, inquit filij iſtorum loquentium vanitatem, & operantium iniquitatem: ſicut nouellæ plantationes, ſtabiliti, & firmati à iuuentute ſua, quæ inter alias ætates valentior eſt, per quod videlicet, plurimo, & iucundo, rhetoricoque ſermone eos abundare ſignificat. Sed quid per filios niſi diſcipulos & imitatores eorum intelligamus?

Filiæ eorum compoſitæ, circumornata vt ſimilitudo templi. Per has autem eorum ſententiæ ſignificantur, multa verborum venuſtate, & varietate decoratæ. Bene autem ſimilitudini comparantur, quia rei veritatem non habent, quamvis ſe eam habere oſtendant.

C *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Quid per promptuaria, niſi eorum corda ſignificantur, multorum exemplorum plenitudine redundantia? Vnde & ex hoc in illud eructare dicuntur, quoniam ex vno volumine in aliud tranſeuntes, vbique malè, & peruersè ſcripturas interpretantur. Tranſeunt denique ex hoc in illud, quia eorum doctrina non habet fundamentum, ſed ſemper vaga, & inſtabilis eſt.

Oues eorum fœtoſæ abundantes in itineribus ſuis, boues eorum craſſa. De iſtis ouibus hæreticorum, Dominus in Euangelio ait. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Quæ bene fœtoſæ dicuntur, quoniam iſti tales multos diabolo filios generant. Sunt autem iidem ipſi, & boues craſſæ, quorum Deus venter eſt, qui ſola terrena, & tranſitoria quærunt, non laboribus ſed voluptati, & luxuriæ dediti.

D *Non eſt ruina maceria, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.* Bonum illis eſſet, ſi maceriam ſuam non defenderent, & murum ſuæ defenſionis malè compoſitum, non ſuſtinerent. Bonum illis eſſet, ſi per plateas ſuas ſanctos prædicatores tranſire permitterent, & eorum voces, & clamores audirent.

Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt. Homines ſtulti, & indocti, populum iſtum talibus diuitiis abundare cernentes, & pœnas ſibi paratas non intelligentes, beatum illum eſſe dixerunt. Sed non eſt ita. *Ille populus beatus eſt, cuius eſt Dominus Deus illorum,* cuius Dominus omnium creaturarum & Deus, & Dominus eſt. Talem autem Deum & Dominum iſti non habent, qui erroris, & falſitatis ſimulacrum, ſibi Deum faciunt.

LAVDATIO DAVID.

IN hoc pſalmo magnificè, & præclarè, multiſque laudationibus propheta Deum laudat, & benedicit, vt merito pſalmus iſte dicatur, laudatio Dauid, qui tantis laudationibus plenus eſt.

Exaltabo te Deus meus Rex. Tunc Deus exaltatur à E nobis, quando eius exaltationem, gloriam, & honorem dignè, & laudabiliter prædicamus. Ipſe eſt enim Rex noſter, ſi peccatum non regnat in noſtro mortali corpore, alioquin ille tibi Rex eſt, cui te ad regendum tradidiſti. *Et benedicam nomen tuum in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Hoc eſt illud nomen de quo ipſe Dominus ait: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Et hoc quidem nomen illi ſoli benedicunt, qui & ſermone, & operatione, ſeruos ſe per omnia eſſe fatentur. Niſi enim tu ſeruus eius fueris, Dominus tibi ille non erit. De ſeruis autem dicitur. *Benedicite ſerui Domini Dominum.*

F *Per ſingulos dies benedicam te, & laudabo nomen tuum in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Quomodo autem laudet audiamus. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Diſcamus & nos hunc modum laudationis, & ita per ſingulos dies eum benedicamus, ita in æternum & in ſæculum ſæculi eum laudare non deſinamus. Magnus eſt, inquit Dominus. Et quam magnus ſit protinus nobis exponit dicens. Et magnitudinis eius non eſt finis. Nemo igitur ſcit, quam magnus ſit; quia quod finem non habet, quantum ſit, nemo ſcire poteſt. Qui itaque tam magnus eſt, dic mihi, ſi potes, quantum laudabilis eſt? *Nimis.* Quid eſt nimis? Secundum multitudinem magnitudinis eius. Hoc autem ideo nimis eſt quia nemo hoc facere poteſt.

Generatio, & generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. Et prius quidem hoc egit generatio Iudæorum: nunc autem hoc agit generatio Chriſtianorum.

Magnificentiam maieſtatis tuæ, & ſanctitatem tuam loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Cum enim vtrumque teſtamentum legimus, & prædicamus, tunc magnifica opera Domini, quæ operatus eſt, & ſanctitatem, & mirabilia ipſius, & loquimur, & narramus.

G *Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.* Cum enim, ea quæ in diluuio, & in mari rubro, & in caſtris Sennacherib, & multa alia his ſimilia nunciamus, tunc procul dubio terribiles Dei virtutes, & eius magnitudinem dicimus, & narramus.

Memoriam abundantia ſuauitatis tuæ eructabunt. Eructamus autem abundantiam ſuauitatis ipſius, quando ea prædicamus, quæ ad miſericordiam ſpectant, quale eſt illud.

Qui proprio filio non pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et in iuſtitia tua exultabunt. Exultamus vero de iuſtitia eius, qui reddit vnicuique ſecundum opera ſua, bonis gloriam & malis ſupplicia deſtinauit.

H *Miſericors, & miſerator Dominus, patiens, & multum miſericors; ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Nullus locus relinquitur deſperationi, poſt tantam miſericordiæ replicationem. Ille ſolus deſperare poteſt, qui iſta non credit, & qui his auditis, adhuc in ſua malitia perſeuerat. De qualibus Apoſtolus ait. *Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Sunt igitur miſerationes eius ſuper omnia opera eius, quia nihil eſt in operibus eius, quod miſericordiæ comparari poſſit. Miſericordia eum ad terram traxit, & crucis mortem ſubire coëgit: Miſericordia cœlum impleuit, & Angelorum ruinam reſtaurauit.

Confiteantur tibi Domine opera tua, & ſancti tui benedicent te. Omnia opera Domini confitentur, & laudant Dominum, quia nihil reprehenſibile eſt in operibus Domini: vnuſquiſque artifex in operibus ſuis vel reprehenditur, vel laudatur. Non eſt igitur malum opus Domini, quia nihil non laudabile in eo eſt. Et quamvis omnis creatura Dominum benedicat, iuſtè tamen hic dicitur; & ſancti tui benedicent te, quia eorum benedictiones magis Deo acceptabiles ſunt.

Gloriam regni tui dicent. Sancti, inquit, tui, dicent gloriam Regni tui, & loquentur potentiam tuam. Ad quid? *Vt notã faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam*

magnificentia Regni tui. Singula ſingulis reſpondent. Hoc egit ſanctorum prædicatio, vt totus mundus Dei potentiam cognoſceret, & quanta ſit gloria cæleſtis beatitudinis, cognoſceret.

Regnum tuum Domine regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & progenie. Hoc eſt autem, quod alibi dicitur, *Multiplicabitur eius, imperium*, & *Regni eius non erit finis.* Et alibi. *Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Nulli mentitur Dominus nulli iniuſtitiam facit: nihil in verbis falſum, nihil in eius operibus inuenitur iniuſtum,

Alleuat Dominus, omnes qui ruunt, & erigit omnes eliſos. Hoc de Martyribus intelligitur, vel de his, qui poſt grauium peccatorum ruinam, puro corde ad Deum conuertuntur. Et Martyribus quidem ipſe Dominus ait. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non poſſunt occidere.* Pœnitentibus vero. *Quacumque hora peccator conuerſus fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcas illis in tempore opportuno. Et hoc quidem eſt, quod in Euangelio dicitur: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos* Poſſumus autem, & de illa eſca hoc intelligere de qua quotidie Domino dicimus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Secundum eius namque iudicium, & voluntatem omnibus bonis abundamus, & omnium rerum penuriam patimur. Quando largitur aliquid, manum aperire, & quando non largitur, manum Dominus claudere dicitur.

Iuſtus Dominus in viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Ipſum igitur imitari debemus, vt per eius viam incedamus, & eius opera faciamus, vt ipſo adiuuante, vbi ipſe eſt, illuc venire mereamur. Vnde & ſubditur.

Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Non eſt inquit; longa via ſi ad eum venire volueris, prope eſt, voca eum & reſpondebit tibi, ſi tamen in veritate inuocaueris eum. Quid autem ſit inuocare in veritate dicat ipſa veritas. *Si quid petieritis*, inquit, *Patrem in nomine meo, dabit vobis? Voluntatem timentium ſe faciet.* Et vnde hoc probas? *Et orationes eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Hæc eſt enim eorum voluntas, & ſi hoc impetrauerint ſufficit eis.

Cuſtodit Dominus omnes diligentes, & omnes peccatores diſperdet. Hoc autem complebitur in iudicio, quando boni vocabuntur ad gloriam, & mali trahentur ad pœnam.

Laudatio Domini loquetur os meum. Iſte pſalmus qui titulatur laudatio Dauid, à laudibus incipit, & in laudibus deſinit. Et ſe propheta in Dei laudibus perſeuerare promittit, & præcipit, vt omnis homo ſimul ſecum in benedictionibus & laudibus perſeueret. Hoc eſt enim quod ait. *Et benedicat omnis caro nomen ſanctum eius, in æternum, & in ſæculum ſæculi.*

ALLELVIA.

QVid ſignificet Alleluia, pſalmi huius initium indicat.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea pſallam Deo meo, quamdiu ero. Seipſum Propheta ad Domini laudes hortatur, & animam ſuam, vt qui alios Deum laudare præcipit, ipſe otioſus non ſit, nec ſine laudibus inueniatur. *Lauda*, inquit, *anima mea Dominum*, Noli ceſſare, breuis eſt vita iſta, & ego quidem *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ero.* Quia igitur ſemper erunt ſancti, ſemper & ſine fine Deum laudabunt, Diſcamus modo Deum laudare in hac vita, qui cum ſine fine laudaturi ſumus in alia vita. Merito itaque per totum hunc librum ad laudes Dei nos vbique Propheta inuitat, quas & in cælo, & in terra cantare debemus.

Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Laudate, inquit, Dominum, ſperate, & confidite in ipſo & nolite confidere in principibus, qui neque vos, neque ſeipſos à morte æterna eripere poſſunt, quid alii facere poterunt? Vnde & ſubditur. *Neque in filiis hominum in quibus non eſt ſalus.* In illo igitur ſperate, qui dat ſalutem regibus, & qui ſaluat omnes ſperantes in ſe.

Exiit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam in illa die, peribunt omnes cogitationes eorum. Nunc pluraliter nunc ſingulariter loquitur propheta, & Grammaticæ artis regulas parui pendit. Exiet, inquit, ſpiritus eius, principis videlicet alicuius & caro reuertetur in terram ſuam ſicut ſcriptum eſt. Quia terra es, & in terram ibis. Siue etiam, ſpiritus reuertetur in terram ſuam, in terram miſeriæ & tenebrarum, in locum & in terram, quam, male viuendo ſibi præparauit. *Et in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Et quæ fuerunt illæ cogitationes? Occidere, mœchari, furari, mentiri, & ſimilia. Iſtæ cogitationes peribunt, quia hæc vlterius agere non poterunt.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Miſeri inquit illi, qui confidunt in Principibus, illi vero beati erunt, quorum Deus Iacob adiutor eius, qui vitia ſupplantant, & à ſe repellunt, qui verum Deum venerantur, & colunt, non illos, qui ab hominibus facti ſunt, ſed illum, qui omnia fecit.

Qui cuſtodit veritatem, in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Hoc enim alij dij facere non poſſunt, quia omnes mendaces ſunt, & non iudicaturi, ſed iudicandi, & ſimul cum aliis damnandi ſunt. Eſcam autem, & carnalem, & ſpiritualem ſolus Deus fecit, & eſurientibus dedit.

Dominus erigit eliſos. Illos videlicet eliſos, qui ex toto corde indulgentiam quærunt & ſe eliſos eſſe intelligunt. *Dominus ſoluit compeditos*, vt in via mandatorum Dei recto itinere currere poſſint *Dominus illuminat cæcos*, vt de errorum tenebris liberari, & veritatem intelligere valeant. *Dominus diligit iuſtos*: quia ipſius gratia eſt, quod à recto itinere non recedunt. *Dominus cuſtodit aduenam* De gentilitate, vel vndecunque ad Eccleſiam venientem. *Pupillum, & viduam ſuſcipiet*, quibus malus pater & maritus, diabolus mortuus eſt: gaudeant pupilli, qui talem patrem amiſerunt, gaudeant illæ viduæ, quæ talis mariti turpia, & iniuſta coniugia reliquerunt.

Et viam peccatorum exterminabit. Exterminantur peccatorum viæ, quia malæ ſunt, ſed non exterminantur peccatores, ſi eas reliqqerint, & per viam iuſtitiæ ambulare voluerint.

Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus Sion, in Sion in ſæculum ſæculi, Regnabit, inquit Dominus Deus tuus Sion in æternum, & in ſæculum ſæculi, & ideo iubila & exulta, & noli ceſſare à laudibus eius in æternum, & in ſæculum ſæculi, vt qui Regnum habet æternum, habeat, & laudes æternas.

ALLELVIA AGGAEI, & Zachariæ.

AGgæus, feſtiuus: Zacharias vero, memoria Domini interpretatur. Tales igitur digni ſunt, qui mittantur ad conſtituendos muros cœleſtis Ieruſalem, qui & feſtiritatem diligant, & Deum ſemper in memoria habeant, & ſemper in Dei memoria habeantur. Feſtiui autem illi ſunt qui à ſeruili opere ſpiritualiter vacant, & in Dei laudibus perſeuerant.

Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus. Illa

laus vocatur pſalmus, quæ in pſalterio fit, & ſine pſalterio non fit. In pſalterio vero cantare non poſſumus, niſi & manus tangat chordas: & lingua proferat voces. Bonus eſt igitur pſalmus, quia bona eſt illa laus, in qua cum voce, opera concordant. *Deo noſtro iucunda ſit laudatio.* Nos, inquit, laudemus Dominum, nos agamus, quod noſtrum eſt: ipſe vero laudationem noſtram iucundam faciat, ipſe, gratam eam, & acceptabilem habeat.

Ædificans Ieruſalem Dominus; & diſperſionem Iſraël congregans: ſuſcipiens manſuetos Dominus, humiliat autem peccatores vſque ad terram. Sic enim ſe habet ordo. Dominus, inquit, ex viuis lapidibus ædificans cœleſtem Ieruſalem, & congregans in ea diſperſionem Iſraël, id eſt, ſanctam Eccleſiam, vbique gentium diffuſam, & ſuſcipiens ibi manſuetos & humiles, humiliat peccatores vſque ad terram. Vt adimpleatur quod ſcriptum eſt *Deponit potentes de ſede; & exaltat humiles.*

Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Hoc eſt quod alibi dicitur. *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.* Contritiones alligat Dominus, quoniam omnem ſanctorum triſtitiam, & cordis conpunctionem in gaudium conuertit. Vnde alibi dicitur. *Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent.*

Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, Iſtæ ſunt illæ ſtellæ, de quibus Apoſtolus ait. *Quia ſtella differt à ſtella in claritate.* Iſtæ autem numeratæ ſunt, & nulla illarum de numero à Domino conſtituto, perire vel minui poteſt. Si enim capilli capitis noſtri omnes numerati ſunt, quis de ſanctorum numero dubitare poſſit, quorum, & numerum, & nomina ipſe ſcit, qui omnia nouit? Vnde & conuenienter ſubditur.

Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius; & ſapientiæ eius non eſt numerus. In his enim quæ modo ſuperius dicta ſunt & magnus, & fortis, & ſapientiſſimus vera ratione eſſe probatur.

Incipite Domino in confeſſione, pſallite Deo noſtro in cithara. Dixit ſuperius, laudate Dominum: nunc autem admonet, vt laudare incipiant in confeſſione laudis, & iubilationis. Et quia ſuperius de pſalterio dictum eſt, nunc in cithara quoque laudare præcipit, vt ſit pſalteriū iucundum cūm cythara. Et cythara quidem ad nouum teſtamentum, de qua iam multoties ſuperius diximus. In cythara autem cantare eſt, vel nouum teſtamentum prædicare, vel myſterium Trinitatis exponere, quia tres, vel quatuor chordæ in cythara ſufficiunt.

Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam Cœli Apoſtoli ſunt, qui ſpiritualis doctrinæ nubibus operti vbique illam aquam ferunt, qua tota Eccleſia irrigatur lauatur, & ſatiatur. Terra enim Eccleſia eſt, cui hæc aqua parata eſt.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Montes iſti, Eccleſiæ doctores intelliguntur, qui illo feno, & illa herba, Domino largiente abundant quibus Dei animalia nutriuntur, per quæ videlicet vtriuſque teſtamenti ſcientia deſignatur.

Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Hæc ſunt illa iumenta, quæ totius Eccleſiæ opera ferunt, per quæ Apoſtoli, & doctores ſignificantur. Tale iumentum ſe vir iuſtus eſſe intelligens ait. *Vt iumentum factus ſum apud te & ego ſemper tecum.* Iſti autem ſpiritualibus cibis nutriuntur, qui eis à Domino præparantur. De pullis vero coruorum Apoſtolus dicit; *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Vnde & alibi dicitur. *Æthiopia præueniet manus eius Deo* Tales ſunt omnes peccatores ex toto corde ad pęnitentiã cõuerſi. Iſti autẽ Dominũ inuocantibus eſca illa miniſtratur, quæ dat vitam mundo, id eſt, panis viuus, qui de cœlo deſcendit.

Non in viribus equi voluntatem habebit, neque in tabernaculis viri beneplacitum eſt ei. Malus eſt iſte equus, cuius vires Deo non placent, per quem nimirum tyranni, & hæretici demonſtrantur, ſuper quos diabolus ſedet, & cruentis calcaribus ſtimulat, atque in omnia ſcelera violenter ruere facit. Viri autem tabernacula, hæreticorum ſunt conuenticula, qui quoniam in ſuis viribus confidunt quaſi à viribus viri dicuntur.

Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant in miſericordia eius. Quid Deo diſpliceat, & placeat, in his verbis declaratur. Illi ſoli ſibi placent: qui eum timent, & in eius miſericordia ſperant.

ALLELVIA.

Titulus iſte laudabilis; ad laudes Dei nos ſemper hortatur.

Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Inuitat nunc propheta totam Eccleſiam ad laudem Dei, quæ per Ieruſalem, & Sion ſignificantur. Ieruſalem, viſio pacis: Sion ſpeculatio interpretatur. Vtrumque nomen Eccleſiæ conuenit, quæ, & ſola pacem habet, quoniam non eſt pax impiis, dicit Dominus, & plena oculis ante, & retro omnia ſibi vtilia ſpeculatur. Et quia *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*, merito Sion, & Ieruſalem, quæ hic per pacem ſignificatur, Dominum laudare iubetur

Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. Portæ Ieruſalem Apoſtoli ſunt, & doctores, Epiſcopi, & ſacerdotes, qui eam muniunt, & claudunt, & introeundi, aditum aperiunt. Nullus ingreditur niſi per iſtos, quorum ſeræ tam fortes ſunt, vt à nullo aperiri, vel claudi valeãt niſi ab ipſis. Vnde & eis à Domino dicitur. *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Benedixit autem Dominus filios eius in ea quam videlicet benedictionem illi ſoli habent, qui manent in ea: & illi amittunt, qui ſeparantur ab ea. Sunt igitur Eccleſiæ filij benedicti, ſed in ea benedicti ſunt: extra vero benedicti non ſunt.

Qui poſuit fines tuos pacem. Vbi non eſt pax, ibi neque Eccleſia eſt, quia infra terminos pacis Eccleſia tota concluditur, & extra fines pacis non extenditur. *Et adipe frumenti ſatiat te.* De hoc frumento Dominus ait. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, ſi autem *mortuum fuerit multum fructum affert.* Adipe ergo frumenti reficitur Eccleſia, quæ Chriſti ſanguine ſatiatur.

Qui emittit eloquium ſuum terræ. Per quod Euangelicam prædicationem intelligimus de qua ipſe Dominus ait: *Ite in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* De quo, & ſubditur. *Velociter currit ſermo eius*: Velociter enim, & intra paucos annos, ſicut ſcriptum eſt, *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam velut cinerem aſpergit. Hoc autem tale eſt, ac ſi dixiſſet: Qui dat niuem & lanam, nebulam, & cinerem ſpargit. Dat Dominus fidelibus ſuis niuem, quando baptizantur; dat lanam, qua veſtiantur: ſpargit multoties ĩ cordibus eorum nebulam & cinerem, qua excæcantur. De hac niue alibi dicitur. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Dat ergo Dominus niuem, id eſt, candorem, & pulchritudinem nimis. Dat lanam, ex qua nobis veſtimenta faciamus, vt veſtiti, & non nudi inueniamur Hæc veſtis incorporea eſt, qua tamen veſtitur, & ornatur, & corpus, & anima. Si habes humilitatem veſtimentum tibi eſt. Si habes patientiam, veſtimentum tibi eſt. Et quicumque habet charitatem, bene veſtitus eſt Talia veſtimenta ex iſta lana conficiuntur, quæ quidem niſi à Domino habere non poſſumus. Quid enim habes, dicit Apoſtolus quod non accepiſti? Et tunc quidem Dominus nebulam, & cinerem ſpargit, quando populus, qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam. Iam Deo gratias liberati ſumus à tenebris erroris, & omnis caligo nebulæ, & cineris fugata eſt à nobis.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut fruſta panis ante faciem frigoris eius quis ſubſiſtit. Vetus teſtamentum, quod prius quidem obſcuriſſimum erat, nunc ſpiritualiter intellectum, digne ſatis cryſtallus vocatur; quoniam ſpiritualiter intelligentibus, clariſſimum, & penetrabile factum eſt: Quia ſicut ſcriptum eſt, *vicit Leo de tribu Iuda, radix*

David aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Et quod propter ſuam duritiam prius comedi, & intelligi non poterat, nunc quaſi panis in fruſta diuiſus, facilè ſumitur, & intelligitur. De hoc pane Ieremias ait: *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Ante faciem frigoris eius quis ſubſiſtit?* Hoc autem tale eſt ac ſi diceret. Niſi Dominus hoc feciſſet, nemo ante faciem frigoris eius ſubſiſtere potuiſſet. Vnde & ſubditur.

Mittit verbum ſuum, & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Frigida erat lex, dura, & ſine miſericordia, quia ad litteram intellecta non lucebat in ea ignis charitatis: mortem iubebat: Si quis fecerit, inquiens, hoc vel illud, morte moriatur. Miſit ergo Dominus verbum ſuum, filium ſuum Saluatorem noſtrum, qui eam, ſpiritualiter exponendo, liquefecit, & tolerabilem, & intelligibilem fecit. Flauit in ea ſpiritus ſanctus, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, & fluxerunt aquæ ſpirituales, quæ incluſæ continebantur. Hoc autem ſua gratuita miſericordia fecit Dominus, pronuncians, & exponens verbum ſuum, & legem ſuam Iacob; non carnali, ſed ſpirituali Iacob. *Iuſtitias, & iudicia ſua Iſraël,* non carnali, ſed ſpirituali Iſraël. Vnde Apoſtolus ait. *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël.* Hoc autem & ſequentia manifeſtant.

Non fecit taliter omni nationi & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Solis illis manifeſtauit verba Dei, & iudicia Dei qui ea ſpiritualiter intelligere meruerunt.

ALLELVIA ALLELVIA.

Titulus iſte toties repetitus, gaudium nobis, & lætitiam præſtat.

Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Non ſufficit Prophetæ ad Dei laudes, ſolos homines inuitare, Angelos inuitat & omnia, quæ in cœlis continentur. Inuitat & terram, & quæcumque continentur in ea. Neque dimittit ea, quæ ſub terra ſunt, ſed ipſas quoque abyſſos laudare Dominum iubet. Omnis autem creatura laudat Deum, quia nulla eſt quæ ei non ſeruiat, & eius mandata non cuſtodiat. Laudate, inquit, Dominum, vos qui in cœlis eſtis, & de cœlis originem ducitis, & quia in excelſis habitatis, excelſius cæteris Deum laudate. Clariores, & altiores voces habetis, quia omnibus aliis clariores, & ſublimiores eſtis.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. In nomine Angelorum & virtutum, omnes beatorum ſpirituum ordines continentur. Conſidera modo quantæ, & quales laudes ibi ſunt, vbi tot, & talium cantorum voces reſonant.

Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. Ex quo mundus iſte factus eſt, nunquam hæc omnia à laudibus ceſſauerant, quia ſui ſeruitij ordinem nunquam reliquerunt. Quis enim ſolem, lunam, & ſtellas videat, & tantorum luminum creatorem non laudet, & benedicat? Nihil eſt, in quo amplius, quam in his admiretur, & laudetur virtus, & ſapientia Dei. Vnde & non immerito poſt Angelos ſecundum in Dei laudibus obtinent locum.

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Cœli cœlorum illi ſunt, qui omnibus aliis ſuperiores ſunt, vbi Dei Diuinitas, & maieſtas clarius, & manifeſtius reuelatur. Nam & Apoſtolus vſque ad tertium cœlum raptum ſe fuiſſe commemorat. Aquas autem ſupra cœlos eſſe Moyſes oſtendit vbi ait. Quia *diuiſit Deus aquas, quæ erant ſupra firmamentum, ab his quæ erant ſub firmamento.*

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Si dixit, verbo dixit, & vt per verbum omnia facta eſſe intelligamus, ideo hoc verbum poſuit, quod eſt, dixit. Nota, ſimul celeritatem, & facilitatem faciendi omnia: nulla fuit mora inter dicere, & facere, ſed ſtatim vt dixit, facta ſunt omnia.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, in æternum eſſe ſtatutum eſt; præceptum hoc poſitum eſt, & præteriri non poteſt.

Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſſi. Sicut illi ſuperiores, ita & iſti inferiores ſunt: cætera vero, quæ ſequuntur, in medio conſiſtunt. Per dracones, & abyſſos eos intelligimus, qui in inferno continentur, & ipſos igitur ad laudes Dei inuitat Propheta, vt ei obediant, ſibique contraire non audeant. Nulla creatura ſe poterit excuſare, quod ad Dei laudes inuitata non ſit.

Ignis grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Laudantur iſta, quia faciunt verbum eius, quoniam non veniunt, niſi ex præcepto, & voluntate ipſius, & ſtatim, vt ei placuerit, obedire non differunt, & miſeri homines penè vbique inobedientes inueniuntur.

Montes & omnes colles; ligna fructifera, & omnes cedri, beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ. Omnia iſta Deum laudant, quia tam ſapienter creata ſunt, vt eorum factura, & pulchritudo omnibus placeat. Laus artificis eſt, vniuſcuiuſque operis laudabilis compoſitio.

Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ: iuuenes, & virgines, ſeniores cum iunioribus, laudent nomen Domini. Audiat omnis rationabilis creatura, quia dracones, ſerpentes, beſtiæ, & vniuerſa pecora laudant nomen Domini, & erubeſcat, & confundatur, ſi toties inuitata non laudauerit Dominum. Et cæteræ quidem creaturæ laudant Deum per homines: homines vero per ſe ipſos laudare debent. Nam, & mali, & iniqui homines, etiamſi nolint, laudant Dominum ſi quando laudant & admirantur opera Domini. Sed hæc talis laus non ſufficit eis. Illi bene laudant, qui in eum credunt, qui ei ſeruiunt, & obediunt, & eius voluntatem faciunt.

Quia exaltatum eſt nomen eius ſolius, confeſſio eius ſuper cœlum, & terram, & exaltauit cornu populi ſui. Laudetur, inquit, ſuper cœlum, quia nomen eius ſolius exaltatum eſt ſuper omnes cœlos. Laudetur, & ſuper terram, quia nomen eius exaltatum, & nominatum eſt ſuper omnes terras. Hoc autem à populo ſuo, quia exaltauit, & ſublimauit cornu potentiam, & fortitudinem populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis eius, filiis Iſraël populo appropinquanti ſibi. Iſte, inquit hymnus, datur ad cantandum, & iubilandum omnibus ſanctis eius, ideſt filiis Iſraël, populo videlicet appropinquanti ſibi ſimilitudine, imitatione, & bona voluntate.

ALLELVIA.

Qvicumque legimus hunc titulum, laudemus Dominum, quia quod hebraicè dicitur. Alleluia, hoc latinè dicitur, laudate Dominum.

Cantate Domino canticum nouum, laudatio eius in Eccleſia ſanctorum. Vetera, inquit, tranſierunt, facta ſunt omnia noua. Cantent Iudæi inueterati dierum multorum, canticum vetus: vos autem aquis baptiſmatis innouati, *cantate Domino canticum nouum.* Canticum videlicet Chriſti natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, & Aſcenſionis. Hæc autem laudatio fit in Eccleſia ſanctorum, in populo Chriſtianorum, non in Synagoga Iudæorum.

Lætetur Iſraël in eo, qui fecit ipſum, & filij Sion exultent ſuper Rege ſuo. Ille inquit Iſraël, qui cantat canticum nouum lætetur in eo, qui fecit ipſum, & qui ſe credit factum eſſe ab ipſo, qui crucifixus eſt propter ipſum. Et Filij Sion, filij illius Ieruſalem quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra, exultent ſuper Rege ſuo qui diabolo ſuperato, regnauit à ligno.

Laudent nomen eius in choro, in tympano, & pſalterio pſallant ei. Quid autem ſit laudare Dominum *in choro,*

& tympano, & pſalterio, iam ſuperius dictum eſt, & in ſequenti pſalmo plenius dicetur.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem. Digniſſima cauſa quare eum laudare debeant, quia ipſi ſunt, qui multum ei placent, & quos ipſe in æternam ſalutem, & gloriam exaltabit. Vnde & ſubditur.

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. In illis videlicet cubilibus, in quibus exaltati, gloriam, & ſalutem inuenient.

Exultationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Hoc autem erit in iudicio, quando in magna lætitia, & exultatione mundum iudicabunt, & gladiis æternæ damnationis impiorum corda vulnerabunt dicentes eis: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*, & hoc eſt quod dicit: *Ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis.* Tales erunt illi gladij, quibus in populis, & nationibus vniuerſalis vindicta, & increpatio fiet. Vnde & ancipites dicuntur, quia nullo ingenio euitari poterunt.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis illi, inquit, gladij vulnerabunt, & iugulabunt, damnabunt, & increpabunt, & ipſos Reges & Principes ferreis duriſque vinculis alligabunt.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: Gladij, inquit, ancipites ad tam diuerſa officia præparati erunt in manibus eorum, *vt faciant in eis iudicium conſcriptum*, iudicium firmum & immutabile, & quale in Diuinis voluminibus ſcriptum inuenitur. *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.* Gloria inquit, hæc communis erit omnium, & non ſolum Apoſtoli, verum etiam omnes ſancti in illo iudicio iudicabunt.

ALLELVIA.

NVnquam laudes Domini finem habeant, quia in principio, & in fine huius pſalmi, qui vltimus eſt omnium, Dominum nos propheta laudare iubet. Cum enim dicat in ipſo fine: *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, ſatis manifeſtè oſtendit, quia non vult, vt laudes finiantur, ſed vt ſit continua perſeueratio laudibus Domini.

Laudate Dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Cœlum, & terram, & omnes creaturas quæ in eis ſunt, ad laudes Dei Propheta inuitauerat, nunc autem materiam, de qua eum laudent, eis miniſtrat. Sumat vnuſquiſque quod ſibi placet, & quod ſibi conueniens, & vtile eſſe videtur. *Laudate*, inquit, *Dominum in ſanctis eius.* Hanc laudandi materiam ſuſcipite, quia in nulla alia re laudabilior eſſe probatur. Dicite ergo *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ benedictus Deus.* Si quis enim conſiderare velit ſanctorum fidem, & ſapientiam, conſtantiam & patientiam, & alias virtutes, quas à Deo ſuſcipere meruerunt, facilè cognoſcere poterit valde in ſanctis ſuis Deum & laudabilem, & mirabilem eſſe. Vnde & alibi in ſuâ, & aliorum perſona, iſte, qui hic modo loquitur ait. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

Laudate eum in firmamento virtutis eius. Pro firmamento Dominum laudare memento. Terra fide fortis, quod dat tibi conditor Orbis. Hoc enim firmamentum, quod Cœlum vocatur, quod ſua virtute, & potentiâ ineffabili Dominus fecit Apoſtolos, cæteroſque ſanctos ſignificat, qui tanta virtute, & claritate præditi ſunt, vt nulla ſub cœlo creatura eis valeat comparari.

Laudate eum in virtutibus eius. Non tua, vir, virtus, qua pugnas, ſed tibi Chriſtus in cruce donauit quando moriens ſuperauit. Sis igitur certus, quia pugnas viribus eius. Siue, virtutes cœlorum intelligamus, ſiue virtutes miraculorum, quæ per Sanctos ſuos operatus eſt Dominus, ſiue etiam ſapientiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, cæteraſque virtutes quibus ſanctos ornatos fuiſſe, quibus & vitia, & malignos ſpiritus omneſque ſuos aduerſarios eos ſuperaſſe legimus, valde quidem conueniens eſt, vt in omnibus his Deus laudetur, & glorificetur. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.* Semper laudate, quia nullo fine tenetur. Neſcis fortaſsè quantum eum laudare debeas? Conſidera quantus eſt, & ſecundum eius quantitatem, laudes multiplica. Nunquam igitur à laude quieſcas, quia immenſus eſt ille, quem laudas. Laudes itaque Domini loquatur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius, non ad tempus, ſed in ſæculum ſæculi.

Laudate eum in ſono tubæ. Nunquam noſtrarum ſileat, vox alta tubarum. Eſt tuba vox alta, ſonus eſt laudatio ſancta. Poſt laudandi materiam, conſequenter inſtrumenta poſuit quibus Deum laudare debeamus. Tuba namque, pſalterium, & cythara, tympana quoque, chorus, & chordæ, organa, & cymbala, inſtrumenta ſunt muſicæ artis Diuinis laudibus conuenientia. Non omnium eſt tuba canere, hoc officium Epiſcoporum, & Doctorum eſt. Illis enim dicitur. *Canit tuba in Sion.* Et: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Iſti ſunt ſeptem Angeli in Apocalypſi tuba canentes. Tubarum ſonitu, muri Iericho corruerunt, & ingrediendi aditum vndique populo Dei aperuerunt. Tubis Iſraëlitæ ad prælium conuocabantur, & tubis à præliis reuocabantur. Tubis, Iubilæus annus nunciabatur, & ad totius anni ſolennitatem populus parabatur. Hoc autem totum ſacerdotum miniſterio fiebat, quia Epiſcoporum, & ſacerdotum voces, & prædicationes ſignificabat, quibus per Prophetam dicitur: *Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, animam eius de manu tua requiram.*

Laudate eum in pſalterio. Pſalterium portat homo, quem noua vita reformat. Vt valeat denis verbis inſiſtere legis. Omnis chorda ſonum reddat benè torta canorum.

Cantare in pſalterio perfectorum eſt. Hoc inſtrumentum Deus ipſe conſtituit, & decem chordas ſuo digito in eo extendit, per quas decem verba legis ſignificantur. Vocatur aut prima chorda, vnus Deus, *& non habebis Deum alium abſque me.* Secunda vero. *Non facies tibi ſimulachrum.* Tertia autem: *Non accipies nomen Dei tui in vanum.* Quarta vero. *Cole diem ſabbatorum.* At vero quinta: *Honora patrem, & matrem.* Quinque autem, quæ ſequuntur, hæc nomina ſunt. *Non occides; non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices. Non concupiſces rem proximi tui.* Inter hos autem tanta concordia eſt, vt qui offendit in vnum; neceſſario offendat in omnes. Vnde Iacobus Apoſtolus ait. *Quicunque obſeruauerit totam legem, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Aliquando in duas chordas peccauerat Dauid; adulterium ſimul & homicidium perpetrando, & pſalterium totum amiſerat. Sed poſtquam ei dictum eſt. *Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum*, mox lætabundus & pſalterium accedens ait. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara.* Verè magna gloria illi eſt, qui hæc decem verba cuſtodire poteſt, & qui has chordas ſine offenſione tangit, & modulatur. Vnde Apoſtolus ait. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Ille enim in pſalterium non delinquit, quem conſcientia non accuſat.

Laudate eum in pſalterio, & cythara. In cythara cantat, qui corda tumentia placat. Nam cythare à furiis mentem ſoluere Saülis. Decem chordas, ſicut modo diximus, habet pſalterium: In cythara vero tres chordæ ſufficiunt, per quas Trinitatis myſterium ſignificatur. Vnde quatuor animalia, & ipſi Seraphin, die ac nocte modulando dicunt. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth, plena eſt omnis terra maieſtate eius.* Multi autem in cythara cantant, qui pſalterium ferre non valent. Pſalterium ad operationem cythara autem ad

A ſermonem pertinet. Qui benè prædicat, & malè viuit, cytharam quidem habet, pſalterium autem non habet. Eſt autem pſalterium iucundum cum cythara, quando vox operationi, & operatio voci concordat, alioquin parum cytharædus proficit ſibi, quamvis multis aliis cantando proficiat.

Laudate eum in tympano. Tympana nos clarè mortalia mortificare membra docent carnis, corij quia ſunt animalis. Hoc inſtrumentum propriè Martyrum eſt; quamvis & illorum eſſe videatur, qui carnem ſuam crucifigunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Tympanum enim, verberibus ſonat, & niſi feriatur, & percutiatur non ſonat. Eſt enim corium ſiccum, & extenſum, quod frequenti percuſſione longius reſonat. Si autem delectat te audire vocem tympani beneſonantis, & Deum laudantis. Audi Apoſtolum dicentem: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum.* Beati Stephani tympanum, cum percuteretur, & à Iudæis lapidaretur, tam magnum B ſonum reddidit, vt cœlos aperiret, & ante thronum Dei ſublimus audiretur. Ait ergo: *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Tales ergo in tympanis Deum laudabant, qui carnem ſuam prius ieiuniis afflictam, & ſiccatam, tyrannorum verberibus, & cruciatibus flagellandam tradebant.

Laudate eum in tympano, & choro. Non chorus vllus erit, vbi clero regula deſit. Ordine namque ſedent, ergo ordine viuere debent: Illi itaque laudabant, in choro de quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* Illi enim Clerici, & Monachi, qui ſe diligunt, qui ſe honorant, qui ſibi viciſſim obediunt, & ſeruiunt, qui ſibi aſſurgunt, qui adinuicem alter alterius onera portant, qui ſub regula, & diſciplina viuunt, illi inquam, in choro Deum laudant. Non enim tantum ad vocum conſonantiam, quantum ad animorum mentiſque concordiam reſpicit Deus.

Laudate eum in chordis. Torquentur ſancti manibus ſi quando tyranni chordis laudatur Dominus, nam chorda vocatur carnis tortura carnis tribulatio dura. Per C has ergo chordas, nulla alia inſtrumenta, niſi ipſa ſanctorum Martyrum corpora intelligimus, quæ multoties in eculeo, in cataſta, & in cruce, quaſi quædam chordæ in pſalterio extendebantur. Illi ergo, qui talia patiebantur, in chordis proculdubiò Deum laudabant.

Laudate eum in chordis & organo. Organa noſtra Deum laudent ſine fine dierum: Organa Doctorum voces dicuntur eorum. Quas reboant lignis, conceptas follibus imis, organa, & tympana vnam habent ſignificationem, vtraque enim ſignificant carnis mortificationem, ſiue per abſtinentiam, ſiue per martyrij paſſionem. Illæ namque Epiſcoporum prædicationes in organo fiunt, quæ de corpore per abſtinentiam deſiccato, & mortificato procedunt. Vnde Apoſtolus ait. *Caſtigo corpus meum, ne fortè, dum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar.* Illa igitur prædicatio reproba eſt, quæ non de corpore caſtigato, & mortificato, ſed de carne impinguata, & delicata D procedit. Organa enim ex mortuorum pedibus & ex ſiccis choriis conficiuntur. Vnde & merito illos ſignificant, qui multis abſtinentiis afficiuntur.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus laudate eum in cymbalis iubilationis. Cymbala quippe Dei reſonantia, ſunt duo Cleri. Hic nouus, ille vetus, hic Paulus, & hic bene Petrus: Olim cantauit, cum nos Iudamque vocauit. Ille enim in cymbalis bene ſonantibus canit, qui verba ſua, & ſermonem ſuum vtriuſque teſtamenti auctoritate confirmat. Duo namque teſtamenta, duo cymbala ſunt, quæ tunc quidem ſuauiter ſonant, quando alter alterum attingit, ſibique viciſſim reſpondent. Hinc eſt enim, quod abyſſus abyſſum inuocat: hinc eſt, quod inter medios cleros dormire iubemur, hinc eſt, quod duo Cherubin ſe viciſſim reſpiciunt: & bini diſcipuli à Domino mittuntur.

Omnis ſpiritus laudet Dominum. Spiritus omnis eum benedicat nunc, & in æuum. Laudes æternque colat, quem Rachel mater adorat. Nunc fecunda quidem, E *ſterilis ſine ſemine pridem: Hoc Pater, hoc Flamen, hoc filius audiat. Amen.*

SANCTI BRVNONIS
Epiſcopi Signini ſuper Cantica Canticorum Salomonis Commentaria.

SALOMON inſpiratus Diuino ſpiritu, compoſuit hunc libellum de nuptiis Chriſti, & Eccleſiæ, & quodammodo Epitalamium fecit Chriſti, & Eccleſiæ, id eſt Canticum ſuper thalamos. Vnde & *Cantica Canticorum*, vocauit hunc libellum, quia omnia alia Cantica ſuperexcellit. Sicut enim dicitur Rex Regum & Dominus Dominantium, & ſolennitas ſolennitatum, ſic dicuntur Cantica Canticorum, ob ex- F cellentiam & dignitatem. Eſt autem in hoc obſcuriſſimus iſte liber, quia nullæ ibi commemorantur perſonæ. Quaſi enim Comico ſtilo compoſitus eſt.

CAPVT I.

Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino flagrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum; ideo adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me poſt te. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua.

O*Sculetur me oſculo oris ſui.* Deſiderantis vox eſt Synagogæ aduentum Chriſti. Quaſi diceret. Toties mihi aduentum ſuum promiſit per Prophetas, veniat ergo iam, & *oſculetur me oſculo oris ſui*, id eſt, per ſeipſum mihi loquatur. *Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Repente ad ipſum, cuius deſiderio flagrabat, verba conuertens ſubdidit. *Quia meliora ſunt*, & reliqua. Per G vbera Chriſti dulcedo Euangelij intelligitur, quia veluti lacte nutritur infantia credentium. Vinum autem auſteritatem legis ſignificat. Sed vbera Chriſti meliora ſunt vino, quia dulcedo Euangelij melior eſt auſteritate legis. In lege enim nulla reſeruatur pœnitentia: ſed præcipit, vt qui occiderit, occidatur. Euangelium autem dicit. *Nolo mortem peccatoris*, & reliqua. *Fragrantia vnguentis optimis.* Vnguenta bona ſunt Spiritus ſancti, vel etiam opiniones virtutum. De quibus Apoſtolus. *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Et reliqua. *Oleum effuſum nomen tuum.* Nomen tuum ô Chriſte effuſum eſt. Chriſma græcè, tinctio, inde Chriſtus. Nomen Chriſti ab vnctione vocatum eſt. Solet autem Spiritus ſanctus olei nomine appellari, iuxta quod Pſalmiſta ait: *Vnxit te Deus tuus oleo*, id eſt Spiritu ſancto. Hoc oleum effuſum eſt, quando hæc gratia, quam Chriſtus ſingulariter habuit, data eſt omnibus electis. Vnde & à Chriſto Chriſtiani dicuntur, participes nominis Chriſti. Et bene non ſtillatum, H ſed effuſum oleum dicitur, quia abundanter hæc gratia omnibus data eſt in Chriſtum credentibus. *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Adoleſcentulæ dicuntur animæ electorum, quia in baptiſmo reliquerunt ſordes veteris hominis, & renouatæ ſunt in Chriſto. Bene autem fœminino genere dicuntur, quia animæ ſanctorum, quo maioris fragilitatis ſibi conſciæ ſunt, eo amplius Chriſtum diligunt.

Vox Eccleſiæ. *Trahe me poſt te curremus.* Hic eſt permutatio perſonæ. Nam hactenus locuta eſt Synagoga, hic incipit Eccleſia loqui de gentibus. *Trahe me poſt te.* Quia inquit, meam infirmitatem agnoſco, & video, nihil me meis viribus boni poſſe agere, tua gratia trahe me ad tui imitationem. Vel etiam cum cœlos aſcenderis, trahe me poſt te, vt te ſequi merear. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Hic loquitur Eccleſia de Chriſto ſponſo ad animas fideles. Cellaria Dei, ſunt æterna beatitudo, & ſupernæ patriæ gaudia, in qua introducta eſt iam Eccleſia per fidem, ſpem, quando introducetur per rem.

A *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: Recti diligunt te. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Poſuerunt me cuſtodem in vineis. Vineam meam non cuſtodiui. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.*

Exultabimus & lætabimur in te. De bonis, inquit, exultabimus, & lætabimur. Sed quia ſcimus hoc non noſtri eſſe meriti, in te, non in nobis exultabimus. Hoc eſt quod Apoſtolus ait. *Qui gloriatur in Domino glorietur. Memores vberum tuorum ſuper vinum.* Id eſt, memores gratiæ tuæ, & miſericordiæ, qua ſaluati ſumus. Vbera B enim ſunt, ipſa gratia, qua ſaluamur. Recordantes etiam, quia tu auſteritatem legis, vberibus doctrinæ euangelicæ temperare dignatus es. *Recti diligunt te.* Illi, inquit, qui recti corde ſunt diligunt te, ideſt, illi, qui nihil ſuis meritis tribuunt, ſed omnia tuæ gratiæ deputant. Nullus enim te diligit niſi rectus, quia nullus eſt rectus, niſi qui te diligit. Eccleſia de ſuis preſſuris. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem.* Hic rurſus loquitur Eccleſia ad ſanctas anima: Nigra ſum, quia perſecutiones patior, ſed formoſa ſum virtutibus. O filiæ Ieruſalem, id eſt ô animæ fideles, nigra ſum, ideſt, deformis perſecutionibus, & ærumnis, quas ſuſtineo, ſed formoſa ſum decore virtutum. Quomodo nigra ſit, vel quomodo formoſa oſtenditur cum ſubditur. *Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Ita enim diſtinguitur. Nigra ſum ſicut tabernacula Cedar: formoſa ſicut pelles Solomonis. Cedar, filius fuit Iſmaël, & interpretatur tenebræ. Iſmaëlitæ vero ſemper in tabernaculis habitare ſoliti ſunt, & non C habent domos. Dicit ergo Eccleſia ſe nigram eſſe ſicut tabernacula Cedar, propter perſecutiones, quas patiebatur à filiis tenebrarum, quod interpretatur Cedar. Huius Pſalmiſta dicit. *Habitaui cum habitantibus Cedar,* id eſt, conuerſatus ſum inter perſecutores, & peccatores infidelitate nigra. Formoſam vero ſe dicit ſicut pelles, id eſt tabernacula Salomonis, qui pacificus interpretatur, quoniam digna erat viſitatione, & conſolatione ſponſi ſui Chriſti inter anguſtias. Et ſicut tabernacula ex pellibus mortuorum animalium fiunt, ita Eccleſiæ tabernaculum ex his conſtruitur, nimirum qui ſeipſos cum vitiis, & concupiſcentiis mortificant. *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Animæ fideles, & Deo Deuotæ, *nolite me conſiderare quod fuſca ſim*, id eſt, quod tribulationibus afficiar, quod perſecutionibus opprimar. *Quia decolorauit me ſol*, id eſt feruor perſecutionis ſplendorem meum quodammodo offuſcat. Ac ſi diceret? Interiorem pulchritudinem meam cogitate, & illam attendite, non illa, quæ foris pati videor. Tale eſt quod & Apo-
D ſtolus dicit. *Nolite deficere in tribulationibus meis, pro vobis, quæ eſt gloria veſtra; non enim ſunt condigna paſſiones, &c.* Sol autem, in Scripturis multos habet ſenſus: Aliquando ſignificat ipſum Dei, & hominum mediatorem. Vnde ſcriptum eſt. *Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ,* id eſt Chriſtus. Significat, & Eccleſiam, ſicut Dominus dixit: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol*: Aliquando feruorem perſecutionis, ſicut hic. Et in Euangelio vbi dicitur de ſemine, quod cecidit ſupra petram. *Et orto ſole exæſtuauit.* Quod ipſe Dominus aperiè exſponēs. *Facta autem perſecutione propter verbum ſcandalizantur. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, &c. vſque non cuſtodiui,* Vnde cœperit hæc perſecutio, oſtenditur dum ſubditur. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Mater primitiuæ Eccleſiæ Synagoga eſt, cui per Prophetam dicitur. *Et vocaberis ciuitas fidelis, & mater ciuitatum fidelis Sion.* Huius filij ſunt Iudæi, qui pugnauerunt contra Eccleſiam primitiuam, quando excitauerunt Iudæi perſecutionem contra credentes, & omnes diſperſi ſunt per regiones Samariæ. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Vinea vna primum fuit Eccleſia Hieroſolymis, ſed ob Iudaïcam perſecutionem diſperſis omnibus credentibus, E multæ vineæ factæ, id eſt multæ Eccleſiæ conſtructæ ſunt per vniuerſum mundum. Dicit ergo Eccleſia primitiua. Poſuerunt me, ſcilicet Apoſtoli & doctores, cuſtodem, id eſt vt eſſem cuſtos Eccleſiæ, vnde, & bene, vbi nos legimus, *omnes diſperſi ſunt*, in græco habetur, *diſſeminati ſunt*. Ex hoc enim diuinitus diſperſi ſunt, vt plures Eccleſiæ fierent per vniuerſum orbem. *Vineam meam*, id eſt vnam illam Eccleſiam, quæ in Hieroſolymis fuit, non cuſtodiui, ... vt eſſet vbi cœpit. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, vox Eccleſiæ ad ſponſum ſuum Chriſtum, ô ſponſe, quem diligit anima mea, id eſt quem tota mentis intentione diligo, indica mihi vbi paſcas, ideſt vbi oues tuas paſcere facias. Ipſe eſt enim paſtor bonus, ſicut ipſe dicit in Euangelio. Indica mihi vbi paſcas, & vbi cubes ideſt requieſcas, & hoc in meridie, ideſt in feruore perſecutionis vel tentationis. Laborans enim Eccleſia perſecutionibus obſecrat ſponſum F ſuum, vt ei dicat in quorum mentibus requieſcat. Nam cubare ſponſo, requieſcere eſt, ſicut ipſe dicit. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, &c.* Ne enim ſancti æſtu tentationis areſcant, ipſe in eorum cordibus cubat, & requieſcit, atque ab omni feruore, & tentationum, & perſecutionum protegit. Quare hoc? *Ne vagari incipiam per greges ſodalium tuorum.* Greges ſodalium, appellat conuenticula hæreticorum, qui ſodales Chriſti ſunt, quia, & ipſi greges ſuos paſcunt. Sed Chriſtus vnum habet gregem, hæretici vero non gregem, ſed greges paſcunt. Et eſt ſenſus. O ſponſe, indica mihi ſanctos & electos tuos in quorum mentibus requieſcis, ne fortè offendam, & incurrā in hæreticos, putans me ibi te poſſe inuenire. Hunc verſum malè hæretici diſtinguebant. Tanquam ſponſa interrogaret, vbi paſcas vbi cubes? & ipſe reſponderet. In meridie cubo ideſt in parte Auſtrali.

Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. G

Si ignoras te. Vox ſponſi ad ſponſam ſuam Eccleſiam. Ac ſi diceret: Tu quereris te quaſi à me derelictam, & perſecutionum feruoribus denigratam, nec conſideras, quod pulchra ſis inter mulieres, ideſt, non attendis virtutum ſpiritualium pulchritudinem, qua præ cæteris decoraris, licet tentationibus denigreris. *Si ergo ignoras te*, ideſt, ſi hanc dignitatem, & formoſitatem tuam non recognoſcis, *egredere* de meo conſortio, & *abi poſt veſtigia gregum,* hoc eſt, ſequere & imitare doctrinam errantium hæreticorum, qui contempto vero paſtore vnius gregis, multos ſibi greges coaceruauerunt. *Et paſce hœdos tuos,* ideſt, peccatores & erroneos auditores. *Iuxta tabernacula paſtorum*, ideſt, ſecundum dogmata hæreticorum. Vnus enim paſtor eſt Chriſtus, qui vnum habet gregem, ideſt, vnitatem Catholicæ Eccleſiæ: Paſtores vero multi, ſunt hæretici, qui gregem de- H ceptorum hominum ſibi aggregant, quos diabolo paſcunt. De quibus & Pſalmiſta. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos:* Oues vocantur in hoc loco mali, non propter ſimplicitatem, aut innocentiam, ſed propter hebetudinem, quia neſciunt reſiſtere prauæ doctrinæ, ſed omnia quæ ſibi imponuntur à malis doctoribus ſuſtinent cum bona patientia.

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea, pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Collum tuum ſicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Equitatui meo aſſimilaui te in curribus &c. Equitatum ſuum appellat exercitum filiorum Iſraël, ſexcenta ſex millia, qui egreſſi ſunt de Ægypto, & tranſierunt mare rubrum. Equitatum autem ſuum illam multitudinem dicit, quia ſicut auriga curtui præeſt, ita Deus illi plebi præerat, protegens illam, & defendens, & ad terram repromiſſionis introducens. Huic ſuo equitatui aſſimilauit

A amicam ſuam, quoniam ſicut ille populus per mare rubrum ſaluatus eſt, Pharaone demerſo, ita Eccleſia gentium per baptiſmum de diaboli ſeruitute liberata eſt, & ad veram repromiſſionis terram, & Euangelicam libertatem introducta, ſicque quæ erat ancilla vitiorum, facta eſt amica Chriſti, emundata & abluta per baptiſmum à ſordibus peccatorum. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Turturis natura eſt, vt ſi caſu coniugem perdiderit, alium vltra non requirat. Turturi ergo aſſimilatur Eccleſia, quia ex quo Chriſtus præſentia corporali mundum deſeruit, & cœlos petiit, Eccleſia in eius amore tenaciſſimè perſeueret, nec recipit vllum adulterum amatorem, quia contemnit mundum, & concupiſcentias eius, quia ſolius ſponſi ſui pulchritudinem mente contemplatur. Genis autem turturis genas Eccleſiæ comparat, quia in genis maximè verecundia apparet, & per hoc pudor, & verecundia Eccleſiæ oſtenditur, quia erubeſcit, aliquid fœdum, & quod diſpliceat ſponſo ſuo, perpetrare. Et eſt ſenſus; Noli timere ne vageris, per greges ſodalium B tuorum, quia tanto te amoris mei pudore, & tanta verecundia donaui, vt certus ſim te mè non poſſe deſerere, vel ad alienos deflectere. *Collum tuum ſicut monilia.* Per collum, Eccleſiæ Doctores ſancti figurantur, nam per collum cibi reficiendo corpori miniſtrantur. Sermones etiam, quibus arcana mentium demonſtrantur, per colli fiſtulam egrediuntur: Sic Doctores ſancti & cibum nobis ſalutaris doctrinæ miniſtrant, & etiam ſecreta ſcripturarum nobis manifeſtant. Hoc ergo collum Eccleſiæ, quaſi monile eſt, quia caſtæ doctrinæ gemmis, & virtutum ornamentis ſancti Doctores decorantur. Monile enim ornamentum eſt virginis vel matronarum. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murenulæ, iuxta litteram, ornamentum ſunt colli virginalis & puellaris. Virgulæ videlicet auri .... intermixtis nonnunquam pulchra varietate ſubtiliſſimis argenti filis, & hoc eſt, quod dicit, vermiculatas argento, ideſt in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, diſtinctas, C & inter ſe coniunctas. Murenulæ autem, à ſimilitudine piſcis marini, qui Murena vocatur. Myſticè Murenulæ ſunt perplexa ſcripturarum dogmata, & diuerſis ſanctorum Patrum ſententiis inter ſe coniuncta: Aurum quippe claritatem ſignificat ſenſus ſpiritualis. Argentum vero, nitorem eloquij deſignat. Murenulas ergo aureas ſponſus ſponſæ facit, & Chriſtus Eccleſiam ſuam doctrinis ſanctorum Patrum ſenſu, & eloquio fulgentibus inſtruit, atque ad illorum fidem, & virtutem imitandam accendit. Notandum, quod pluraliter dicit, faciemus tibi, quaſi enim Chriſtus ſe perſonis Doctorum coniungit, per quos ipſæ munerulæ decatenantur, vt illis Eccleſia exornetur.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.

Dum eſſet Rex &c. Vox ſponſæ Regem ſponſum ſuum Chriſtum dicit, qui per Diuinitatem ſuam omnia regit, D & etiam ſecundum humanitatem de regna Dauidis ſtirpe natus eſt. Accubitus huius Regis, Incarnatio eſt. Accumbere enim, eſt reclinari & diſcumbere. Et tunc Chriſtus accubuit, quando pro noſtra redemptione ſe vſque ad ſuſcipiendam naturam noſtram inclinauit. Et tunc nardus dedit odorem ſuum, quia virtus Eccleſiæ magis enituit. Cum enim conſiderat Deum pro ſe hominem factum, amplius ad ſpiritualium virtutum ſtudium, & ad amorem ſui conditoris accenditur. Nardus enim fragrantiam virtutum ſpiritualium deſignat. Erant quidem ante incarnationem Sancti Dei, ſed, ſicut dictum eſt, ſanctitas magis à tempore incarnationis Chriſti excreuit, & tunc quodammodo nardus Eccleſiæ, ideſt odor virtutum fortius dedit odorem ſuum. Iuxta litteram. Nardus herba eſt aromatica, craſſa, & fragili radice, filoque paruo, & denſo, cuius cacumina in ariſtas ſe ſpargunt. Hoc vnguento Maria Magdalena pedes & caput Domini perunxiſſe in Euangelio legitur, cum eſſet in domo Simonis.

E *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

Faſciculus Myrrhæ, &c. Myrrha ſpecies eſt aromatica nimiæ amaritudinis, qua mortuorum corpora condiuntur. Hoc loco paſſio Chriſti, & ſepultura deſignantur. Nam depoſitum corpus Domini de cruce à Nicodemo, & Ioſeph, myrrha & aloë conditum eſt, & inuolutum linteis & aromatibus, ac ſepulturæ datum. Dicit ergo Eccleſia ſponſa eius: Dilectus meus faſciculus myrrhæ factus eſt, quia propter me mortuus eſt & ſepultus. *Inter vbera mea commorabitur.* Nemo dubitat locum cordis inter vbera eſſe. Dicit ergo, inter vbera mea commorabitur, ideſt in cordis memoria æternaliter habebitur, quia nunquam tantorum beneficiorum eius obliuiſcar, ſed ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis recordabor eius, qui me dilexit, & mortuus eſt pro me. *Botrus Cypri &c.* Cy- F prus, Inſula eſt vbi vites nobiles eſſe feruntur, maximoſque botros procreantes. Engaddi, locus ſimiliter eſſe fertur, habens arbuſculas liquorem balſami deſudantes. Loquitur ergo ſponſa de reſurrectione ſponſi ſui: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, ac ſi diceret: Sponſus meus, qui mortis amaritudinem pro me guſtauit, & quaſi faſciculus myrrhæ mihi fuit, in reſurrectione ſua factus eſt mihi botrus Cypri, quando me gaudio ſuæ reſurrectionis lætificauit. Vinum enim lætificat cor hominis. Et hoc *in vineis Engaddi*: Quia ex ſua reſurrectione quaſi ſuauiſſimo balſami odore per vniuerſum mundum redoluit, & fragrantiam ſuæ fidei latè diſperſit. Engaddi autem, fons hædi interpretatur, per quod ſignificatur baptiſmus, & ſacrificium, in quo peccata omnia abluuntur: Hædus namque peccatores ſignificat. Baptiſmus ergo fons hædi eſt, quia peccatores ſuſcipit: ſed emaculatos, & mundatos ab omnibus peccatis reddit.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi G *tui columbarum.*

Ecce tu, &c. Vox ſponſi Chriſti ad ſponſam ſuam Eccleſiam. Bis eam repetit eſſe pulchram, propter perfectionem operis, & munditiam cogitationis. *Ecce tu pulchra es*, hoc eſt, in bonis operibus perfecta es, ſanctè, iuſtè, & piè viuendo, ſecundum Apoſtolum. *Ecce pulchra es*, mundam & ſimplicem habens cordis intentionem, quia non propter terrena commoda vel mundi gloriam, ſed vt ſolis oculis Dei placeas, bona operaris. *Oculi tui columbarum.* Columba ſimpliciſſima auis eſt, & per hanc ſimplicitas atque innocentia Eccleſiæ deſignatur. Quaſi enim oculos columbarum habet, quia ab omni fictione, & ſimulatione ſe immunem cuſtodit: Vel etiam, oculos habet columbarum, quia ſcientiam Diuinarum ſcripturarum caſto & ſimplici intuitu intelligit, ſpirituales, & diuinos ſenſus in ea requirens. Nam quoniam Spiritus H Sanctus in ſpecie columbæ apparuit, rectè doctrina cœleſtis in oculis columbæ intelligitur.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cypreſſina.

Ecce &c. Scilicet ac ſi diceret: Tu quidem me pulchram in opere, & cogitatione dicis eſſe, ſed ego omnem hanc pulchritudinem à te me credo habere, & cognoſco. Tu enim es pulcher, & decorus, tu es fons totius boni, & quicquid boni habeo, tua gratia habeo. Pulcher autem & decorus dicitur, quia & Diuinitatis perpetuitate, & etiam ſuſceptæ humanitatis dignitate mirabilis eſt. *Lectulus noſter floridus.* Lectulus Eccleſiæ eſt qualiſcunque tranquillitas, vel requies præſentis vitæ. Nam quaſi in bello eſt Eccleſia, dum pro Chriſto diuerſa tolerat certamina, quaſi vero in lectulo requieſcit, dum aliquantula pace ſibi conceſſa fruitur. Sed hic lectulus floridus eſt, hoc eſt, varietate virtutum quaſi vernantibus

A floridus diſtincta eſt requies Eccleſiæ: Tunc enim liberius contemplationi Diuinæ inſiſtit, tunc ieiunia, vigilias, & cætera bonorum exercitia liberius exequitur. *Tigna domorum noſtrarum cedrina*: Domus Eccleſiæ ſunt conuenticula fidelium per orbem terrarum diſperſa: Tigna vero, & laquearia ſunt ipſæ perſonæ fidelium, ex quibus Eccleſia conſtat. Sed attendendum, quod tigna ad munimentum domus ſunt, laquearia ad ornatum: Ideoque per Tigna deſignantur Doctores, quorum doctrina fulcitur, & ſuſtentatur Eccleſia: Per laquearia vero, Sancti ſimplicitate gaudentes, qui ſuis virtutibus exornant Eccleſiam, hi autem doctrina moniuntur. Et hic attendendum: Quod laquearia Tignis affixa ſunt, ſic & vita fidelium in Eccleſia à Doctoribus pendet, quia illorum doctrina inſtruitur, & roboratur. Bene autem Tigna cedrina, & laquearia cypreſſina dicuntur: Nam vtræque arbores imputribilis naturæ ſunt, Sanctos deſi- B gnantes, qui immarceſſibili deſiderio flagrant amore ſui conditoris, & contemptis tranſitoriis ad æterna feſtinant. Cedrus etiam odore ſuo ſerpentes fugat, ſic ſancti Doctores dæmones, & hæreticos fragrantia doctrinæ ſuæ repellunt.

CAPVT II.

Ego flos campi, & lilium conuallium.

EGo flos &c. Poſtquam ſponſa, qualem domum ipſa, & ſponſus eius habeant, oſtendit, ipſe quoque ſponſus de ſe qualis ſit oſtendit, dicens: *Ego flos campi*, videlicet, quia odorem meæ virtutis per latitudinem totius mundi diffundo. *Ego flos campi*, id eſt, decus mundi. Sicut enim campus floribus adornatur, & vernat, ita totus mundus Chriſti fide, & noritia decoratur. Sum etiam *lilium conuallium*, quia illis mentibus meam præcipuè gratiam tribuo, quæ nullam in ſe ſpem habentes, mihi ſe humili deuotione ſubmittunt. Conualles enim ſigni- G ficant humiles mentes, quarum lilium Chriſtus eſt, quia pulchritudo humilium mentium ipſe eſt, qui dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Poteſt & hoc, quod dicit. *Ego ſum flos campi*, ad Incarnationem referri? Campus enim nec aratur nec ſcinditur, nec vllo tempore perſulcatur. Dicit ergo: *Ego ſum flos campi*, id eſt filius Virginis. Non ergo ruris, ſed campi ſe florem vocat, quia virgineæ carnis fructus eſt, ſecundum vaticinium Iſaiæ: *Egredietur virga &c. Lilium conuallium*, id eſt Chriſtus, hoc eſt, filius humilium parentum: Conualles enim, humiles & pauperes parentes eius ſignificant. Veniens enim Dei filius in mundum, non ſolum homo fieri dignatus eſt, ſed etiam pauper homo pro nobis: nec diuites, ſed pauperes elegit habere parentes, vt particeps factus paupertatis noſtræ, diuitiarum gloriæ ſuæ nos participes faceret.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

D Videns ſponſam ſuam ad requiem feſtinare, & labores refugere, ac per quietem præſentis temporis ad æternam beatitudinem tendere, monet eam tali comparatione, vt nouerit ſe per preſſuras, & labores huius ſæculi illuc peruenire debere. *Sicut*, inquit, *lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Spinæ, quæ pungunt, & lacerant, ſignificant peruerſos quoſque vel intra Eccleſiam, vel extra Eccleſiam. Et eſt ſenſus. Sic tibi viuendum eſt, & ſic parata debes eſſe contra omnia aduerſa, ſicut lilium inter ſpinas eſt, & tamen florere, & gratum odorem ex ſe emittere non ceſſat. *Sic amica mea inter filias.* Quia non ſolum ab his, qui extra Eccleſiam ſunt mala patitur, verum etiam ab illis, qui regenerati per baptiſmum in filiationem Dei veniſſe videntur. Et nota: Quod ſe ſuperius ſponſus lilium appellauerit conuallium; nunc ſponſam ſuam dicit quaſi lilium inter ſpinas, quia ipſe, qui verè eſt lilium, per gratiam ſuam Eccleſiam facit eſſe lilium, candidam videlicet virtutibus, vel ab omni vitiorum labe immunem.

E *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios, ſub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*

Nunc ſponſa laudata à ſponſo vicem ei reddit, & dicit, qualis quoque ipſe ſit. *Sicut malus &c.* Sicut malum pulchritudinem habet pomorum, & gratum odorem inter agreſtia ligna ſyluarum, ita mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus ſpeciali refulget gratia inter filios, id eſt inter electos. Ipſe enim per naturam Dei filius eſt, reliqui electi per gratiam, poteſtate accepta ab vnico filio Dei, vt ſint filij Dei. Hinc Ioannes dicit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre*, non qualicunque, ſed quaſi vnigeniti à Patre. *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi*, quia in eius protectione F confido, & ab eo inter aduerſa gubernari ſpero. Vmbra enim Chriſti, protectio eſt diuinitatis, quia electos tuetur, & defendit. *Fructus eius dulcis gutturi meo*, id eſt, Diuinitatis contemplatio, qua me ſatiari confido. Hæc eſt ſanctorum exſpectatio, hoc præmium & ſatietas, viſio conditoris noſtri. Deſiderat ergo vmbram conditoris ſui Eccleſia, quia protectionem illius exoptat inter præſentis vitæ aduerſa. *Fructus illius dulcis gutturi eius* quia exſpectat perfrui ſpecie viſionis illius, & ſatiari dulcedine claritatis eius. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cella vinaria, Eccleſia eſt, in qua eſt vinum Euangelicæ doctrinæ. In hanc ergo cellam amica ſponſi introducitur, quando ex omnibus gentibus in vnam Eccleſiam fideles adunantur. *Ordinauit*, inquit, *in me charitatem*. Inter omnes virtutes primatum tenet charitas, qua ipſa ſubſiſtit Eccleſia. Charitas ergo in Eccleſia ordinatur quia non temerè nec confusè, ſed ordinatè tenenda eſt Dei & hominis dilectio: Deus enim diligendus eſt ſuper omnia, toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni mente, proxi- G mus diligendus eſt denique ſicut ſe vnuſquiſque diligit. Nam confundere vult charitatem, qui proximi charitatem dilectioni Dei præponit. De quibus Dominus in Euangelio: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Vel etiam, ordinauit in me charitatem, id eſt, ipſe prior me dilexit. Deinde qualiter eum diligere debeam, docuit. Vnde ipſe dicit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Et Ioannes dicit: *Diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos.*

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Poſtquam Eccleſia vel anima Deo dilecta in ſe charitatem ordinatam dixit, qualiter velit requieſcere, vel in quo lecto cum dilecto ſponſo ſuo pauſare, oſtendit ſubdens. *Fulcite me floribus &c.* Alloquitur animas iam perfectè Diuino amori inhærentes. Per flores, initia ſanctæ conuerſationis intelliguntur: Per mala vero, perfectio bonorum operum. Et eſt ſenſus, O ſanctæ animæ, quæ iam H dilectioni conditoris noſtri inhæretis, *fulcite me floribus*, id eſt bonorum operum exemplis, & qualiter in exordio virtutum, vel in prouectu, vel in perfectione bonorum operum vixeritis oſtendite, *quia amore langueo.* Tunc enim anima amore languet Dei, quando eius dilectioni nihil præponit, immo ad ſæculi opera languida, & imbecillis efficitur, nihilque eam delectat niſi meditatio cœleſtium, & contemplatio conditoris ſui.

Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Cum, inquit, in tali lecto iacuero, læua eius, id eſt ſponſi, erit ſub capite meo: Per læuam, præſentis temporis proſperitas, vel etiam dona Dei intelliguntur, quæ ſanctis in præſenti conferuntur; Per dexteram vero cœleſtis patriæ beatitudo accipitur: Læua Dei, Sunt pignus Sancti Spiritus, Scripturarum Diuinarum intellectus, & cætera talia

A dona, ac chariſmata, quibus ſancta Eccleſia in ſequenti conſolatur. Caput, principale mentis accipitur. Læua ergo ſponſi ſub capite ſponſæ eſt, quia hæc omnia dona ad hoc percipit Eccleſia, vt per hæc diſcat ſuſpirare ad æterna: Dextera vero ſponſi eam amplexatur, quia tota intentio Eccleſiæ, vel animæ fidelis hæc eſt, vt ad æternam beatitudinem quandoque perueniat, & ſpe ſui conditoris gaudeat. Et bene prius læua ſub capite, poſt ſponſi dextera eam amplexatur, quia ad amplexus æternæ beatitudinis non poterit peruenire, niſi hic myſteriorum cœleſtium & donorum Diuinorum ſtuduerit eſſe particeps.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadvſque ipſa velit.

Vox ſponſi adiurantis filias Ieruſalem, ideſt animas æternis deſideriis intentas, & viſionem pacis requirentes,
B ne quieſcentem ſponſam ſuam ſuſcitent, & inquietent. *Adiuro vos, &c.* hoc eſt, animam diuinæ contemplationi deditam, orationibus, vel lectionibus Diuinis occupatam, inquietare, & ad exteriora opera ſuſcitare nolitis, donec ipſa velit, hoc eſt, donec expleto tempore, admonente corporis fragilitate, ipſa velit ſuſcitari à ſomno internæ quietis, & ad temporalia agenda procedere. Videamus autem per quid adiuret filias Ieruſalem, videlicet, per capreas ceruoſque camporum. Capreæ & cerui munda animalia ſunt, ſerpentibus, & venenis inimica, ſignificant virtutes ſanctorum, qui munditia ſpirituali refulgent, & venena fraudis diabolicæ non ſolum cauent, ſed etiam inſectantur, & ad nihilum redigunt. Et eſt ſenſus. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per virtutes veſtras quas Diuina gratia vobis collatas congaudetis, vt animam contemplationi meæ intentam non inquietetis, donec contemplationis hora finita, ipſa aliud quid agere velit.

C *Vox dilecti mei. En iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ hynnuloque ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.*

Vox Eccleſiæ. *Vox dilecti mei*, ſupple, hæc eſt. Lætabunda enim Eccleſia, quæ tantum diligitur à ſponſo, vt etiam pro illa filias Ieruſalem adiuret, vt non eam requieſcentem inquietent, dicit; Hæc eſt vox dilecti mei per me loquentis. Quem dilectum videre deſiderans, ſed non valens, adnectit. *Ecce iſte venit &c.* Montes & colles, intelliguntur perfecti quique ſancti, conuerſationis ſublimitate à terrenis ſubleuati, & quaſi camporum planitiem melioris vitæ meritis excedentes. De his montibus Iſaias dicit: *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.* Loquitur ergo ſponſa de dilecto ſuo; *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles,* hoc eſt, etiam ſecundum humanitatem omnem Sanctorum excellentiam, omnem contemplationis Diuinæ puritatem excedens. Nec ſtare
D in montibus, ſed tranſilire dicitur, quia etſi ad horam per internam inſpirationem cor ſanctorum viſitat, ſubito tamen recedit, vt eos amplius in ſui dilectionem accendat. Poteſt etiam hoc ad Incarnationem Chriſti referri: Qui veniens, quoſdam ſaltus dedit, quia de cœlo venit in vterum Virginis, de vtero Virginis in præſepe, de præſepi ad baptiſmum, de baptiſmo ad crucem, de cruce ad ſepulchrum, de ſepulchro ad cœlum. Hinc & Pſalmiſta: *Exultauit, vt gigas ad currendam viam &c. Similis eſt dilectus meus &c.* Capreæ, & cerui, quamvis in ſua natura multa habeant, quæ allegoricis ſenſibus conueniant, hoc habent tamen ſingulare, quod in planioribus immorantur, ſed in arduis & excelſis locis quoſdam ſaltus dare ſolent. Rectè ergo his aſſimilatur Chriſtus, propter ſubtilem contemplationem, & quia nullo intellectu Diuinitatis eius maieſtas comprehendi poteſt. Non autem ceruis, ſed capreis aſſimilatur, minoribus videlicet animantibus, propter humilitatem incarnationis

ſuæ, quia non ſolum homo fieri, ſed etiam humilis homo fieri dignatus eſt. E Hynnulo autem ceruorum ſimilis dicitur, quia ſecundum humanitatem de ceruis, hoc eſt, de Patriarchis duxit originem; Vel etiam propter varietatem virtutum innocentium hynnulo ceruorum comparatur. *En ipſe ſtat poſt parietem &c.* Paries, mortalis noſtra conditio appellatur, quia quodammodo inter nos & Deum, quaſi craſſus quidam paries conſtitutus, non permittit nos eius contemplatione perfrui. Namque primus homo ita conditus eſt, vt viſione & alloquio Dei frueretur, ſed poſtquàm peccauit, appoſitus eſt quidam paries, ipſa videlicet mortalitas, qua pergrauatur: Nam, vt Apoſtolus dicit, *corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Sponſum ergo ſuum, quem ſuperius capreis, vel hynnulis ceruorum comparauit, nunc dicit poſt ſuum parietem ſtare, quia Chriſtus aliquando vicinus fit, & ſe, quantum humana mens capit, contemplari permittit, aliquando vero elongatur, & quaſi caprea vel ceruus quibuſdam ſaltibus effugit. F Quia ergo paries oppoſitus erat inter nos & ipſum, nec videre illum poteramus, dignatus eſt, in ipſo pariete facere feneſtras, & cancellos, per quos vtcunque ſentiri, vtcunque perſpici poſſet. Vnde & ſequitur: *Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos:* Quaſi enim feneſtræ, & cancelli in pariete fiunt, cum ipſe ſua gratia ſe contemplari permittit, licet in ſpeculo, & ænigmate. Poteſt & hoc quod dicitur. *Ipſe ſtat poſt parietem noſtrum,* ad humanitatem referri: Quaſi enim poſt parietem noſtrum ſtetit, quia carnem noſtram ſibi oppoſuit, in qua Diuinitas eius latuit. Quod vero ſequitur: *Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos,* hoc ad Diuinitatem eius refertur. Ille enim, qui per feneſtras vel cancellos intuetur, cuncta, quæ foris aguntur, videt, & ipſe à nemine videtur, ita Deus cum omnia videat, & omnia ſcrutetur, ipſe inueſtigari, & comprehendi non poteſt.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea & veni; G *Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge propera amica mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

En dilectus meus, &c. ad prædicandum hortatur me dicens: *Surge propera amica mea,* &c. vox ſponſi ad publicę operationis ſtudia prouocantis. Surge propera amica mea, per fidem, & dilectionem: Et columba mea, per innocentiam, & ſimplicitatem; formoſa, per pulchritudinem virtutum, feſtina, & veni. Ac ſi diceret. Surge de ſtratu tuo illo ibi dulciſſimo, ideſt, de quiete, in qua ſoli mihi placere in pſalmis, & hymnis, & orationibus deſideras. Feſtina & veni, ideſt: feſtina ad vtilitatem proximorum, vt illos quoque per prædicationis officium,
H & bona opera exempli tui imitatores facias, & ad ſalutem perducas. Et notandum: Quod ſuperius filias Ieruſalem adiurabat ne excitarent neque vigilare facerent dilectum, hic vero ipſe eam ſuſcitat, & ſurgere ad laborem hortatur, quia omnia tempus habent, & omni rei eſt tempus ſub cœlo, tempus contemplationis, tempus etiam actionis: alio enim tempore debent Sancti prædicatores Diuinæ contemplationi, inſiſtere, & mentem ſuam cœleſti quiete oblectari, alio vero tempore per charitatem debent curam proximorum agere, & eis bonorum operum exempla, præbere, ac Diuinæ contemplationis doctrinam impendere. *Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.* Hyemis & imbris nomine aſperitas infidelitatis exprimitur, quæ totum mundum tenebat vſque ad aduentum Chriſti. Dicit ergo ſponſus. Surge amica mea, & veni, quia hyems tranſiit, ſole iuſtitiæ apparente, & nubes infidelitatis receſſit, ac ſerenitas veræ fidei in mundo reſplenduit. Tale etiam quid Apoſtolus ait:

A *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Finita hyeme & imbre, flores apparuerunt, decor videlicet virtutum, & pudicitiæ, & tranſeunte aſperitate infidelitatis, verna fidei ſucceſſit temperies. *Tempus putationis venit*, hoc eſt, purgationis ſanctorum, putatio enim vinearum, ſanctorum ſignificat purgationem, quæ in Chriſto & per Chriſtum eſt. De quo ipſe. *Ego ſum vitis, vos palmites,&c. Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, hoc eſt, vox prædicantium Apoſtolorum. Turtur enim auis caſtiſſima,& quæ in excelſis ſemper & in arboribus morari ſolet, & nidificare, Apoſtolos vel cæteros Doctores ſignificat, qui poſſunt dicere. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, quæ etiam gemitum pro cantu habet,& ſanctorum ploratum ſignificat, qui ſuos ad fletum, & lamenta hortantur, dicentes; Miſeri eſtote & lugete, vt luctus veſter in gaudium conuertatur. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, vox prædicantium Apoſtolorum. In terra noſtra, B hoc eſt in Eccleſia, de qua Pſalmiſta dicit. *Domini eſt terra,& plenitudo eius. Ficus protulit groſſos ſuos.* Ficus, Synagogam ſignificat. Groſſi autem dicuntur primitiuæ, & immaturæ ficus, habiles ad comedendum, quæ ad pulſum venti facilè cadunt. Voce autem turturis inſonante ficus protulit groſſos ſuos, quia Apoſtolis prædicantibus emerſerunt multi de Synagoga Iudæorum, qui in Chriſto crediderunt, & tamen legem carnaliter obſeruare volebant, magiſque auctoritate legis delectabantur, quam dulcedine Euangelij, volentes circumciſionem, & Sabbatum & alia legis præcepta iuxta litteram obſeruare. De quibus Apoſtolus dicit. *Æmulantur vos non bene, ſed volunt vos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur. Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Poſtquam vox turturis audita eſt, poſtquam protulit ficus groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum, quia multitudo Eccleſiarum per latitudinem orbis diffuſa eſt, quæ C flores virtutum, & odorem bonæ operationis latè de ſe ſe ſpargerent. *Surge propera amica mea.* Noli, inquit, ſponſa mea, quam mihi per fidem, & dilectionem amicam meã feci, otioſo torpore laſſeſcere, ſed ſurge,& veni,& exempla virtutum foris proximis oſtende. *Columba mea in foraminibus petræ.* Si petra eſt Chriſtus, iuxta quod Apoſtolus ait. *Petra autem erat Chriſtus*, foramina petræ ſunt vulnera, quæ pro ſalute noſtra in Cruce ſuſcepit, fixuræ videlicet clauorum, lanceæ percuſſura. In his ergo foraminibus columba, ideſt, Eccleſia moratur, quia totam ſpem ſalutis ſuæ in paſſione ſui redemptoris conſtituit: ibi ab inſidiis malignorum ſpirituum, quaſi à raptu accipitris, ſecura deliteſcit, ibi nidificat, ideſt fœtus bonorum operum congerit. *In cauerna maceriæ.* Maceriæ ex ſiccis lapidibus ad munimenta vinearum ſolent fieri, ad repellendas vulpes, vel cæteras nociuas beſtiolas. Per maceriam ergo ſignificatur cœleſtium cuſtodia virtutum, Angelicum videlicet præſidium, ſicut Iſaias de D Domini vinea ait. *Et maceria circundedit, & circumfodit eam.* In cauerna ergo maceriæ moratur, qui præſidio angelorum vndique circumdatur, & à tentationibus diaboli cuſtoditur. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis,& facies tua decora.* Tu, inquit, dilecta mea, quæ in lecto contemplationis dulciſſimè quieſcis, veni, veni, & oſtende mihi faciem tua, ideſt à ſecreto quietis egredere ad publicam actionem, & pulchritudinem bonorum operum aliis ad exempla demonſtra, *Oſtende mihi* dicit, quaſi enim Deo ſuam faciem oſtendit Eccleſia, cum proximis ad vtilitatem, & profectum per virtutum opera quantam intrinſecus habeat pulchritudinem demonſtrat. Hoc eſt quod Dominus in Euangelio dicit: *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Sonet vox tua in auribus meis.* Vox videlicet prædicationis, vel Diuinæ laudis, qua alios facias proficere. In auribus enim Dei vox ſonat Eccleſiæ, & per prædicationem ex multorum conuerſione delectatur Deus. Bene autem dicit, *faciem tuam: & vox tua*, non aliena. Illam videlicet faciem mihi oſtende, quam in baptiſmate tibi dedi, quando mundaui te ab omni peccato. E Vox tua in auribus meis ſonet, dicit, vt ex ſincera intentione dilectionis meæ procedat, vt non propter aliud prædices, niſi propter me.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.

Vox ſponſi præcipientis ſponſæ ſuæ, & filiabus Ieruſalem, ſanctis videlicet & Doctoribus, vel animabus fidelibus: *Capite*, inquit, *nobis vulpes paruulas.* Vulpes doloſum eſt animal, & fraudulentum, in cauernis & ſpecubus habitans, nec recto, ſed tortuóſo incedens itinere, ideoque deſignat hæreticos, & ſchiſmaticos. *Quæ demoliuntur vineas*, hoc eſt Eccleſiam, Dei plebem videlicet fidelium lacerare,& decipere non ceſſant. Præcipit ergo vt paruulas vulpes capiant, ideſt vt hæreticam prauitatem in ipſo initio debellare, & deſtruere non ceſſent, ne robuſta facta fortius Eccleſiam impugnet. *Nam* F *vinea noſtra floruit*, ideſt Eccleſia per vniuerſum mundum flores virtutum emiſit. Et nota, quia cum ſuperius *vineas* pluraliter dixerit, modo dicit ſingulariter: *Vinea noſtra floruit*; quia de multis Eccleſiis vna electa eſt Eccleſia.

Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ. Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ, aut hinnulo ceruorum ſuper montes Bether.

Vox ſponſæ. *Dilectus meus mihi*, ſupple ſociatus vinculo charitatis, & amoris, *& ego illi* coniungar, & conſociabor viciſſitudine mutuæ dilectionis, vel, dilectus meus, ſupple, det verba exhortationis & Diuinæ promiſſionis, & ego ſubito oſtendam illi faciem meam. Vel etiam, dilectus meus mihi dignetur coniungi glutino charitatis, & ego coniungar illi vinculo dignæ obedien- G tiæ, obtemperans præceptis illius. *Qui paſcitur inter lilia*, ideſt delectatur,& iucundatur inter candidas & odoriferas virtutes Sanctorum. Et hic notandum: Quod ſuperius dixit, *lilium*, hic vero pluraliter, *lilia*, quia multæ ſunt virtutes ſanctorum. vna tamen fides eſt,& vna charitas, qua præcipuè Deus delectatur. Siue etiam. *Paſcitur inter lilia*, hoc eſt, ſuauiſſime delectatur inter choros virgineos. Candor enim liliorum rectè munditiæ virginali comparatur. *Donec aſpiret dies*, hoc eſt, donec tranſeant nubila præſentis vitæ, & appareat dies hoc eſt, veniat claritas ſempiternæ beatitudinis. Et eſt ſenſus. Dilectus meus mihi præſtat auxilium, & ego illi dignam præſto obedientiam, quæ virtutibus Sanctorum delectatur, quovſque tranſcurſa nocte præſentis vitæ, (in qua per ſpeculum & ænigma cernitur) appareat dies ſupernæ claritatis, vt facie ad faciem videatur. *Reuertere dilecte mi, ſimilis eſto capreæ aut hinnulo ceruorum ſu-* H *per montes Bether.* Vox Eccleſiæ, ſponſi ſui ſpeciem deſiderantis. O dilecte mi, qui me de lecto quietis ſurgere præcipis, & vt tibi faciem meam oſtendam hortaris, reuertere, hoc eſt, claritatem diuinitatis tuæ me ſpeculari permitte, & hoc, quod mihi perfectè promittis in alia vita beatitudinem videlicet tuam, in hac adhuc peregrinatione, me ſaltem in figura, & ænigmate habere permitte. *Similis eſto capreæ*, &c. Iam dictum eſt ſuperius, quod capreæ campos deſpiciunt, & ad alta montium enituntur. Chriſtus ergo capreis comparatur, quia ſecundum carnem reſurgens à mortuis, cœlorum alta petiit. Hinnulus vero ceruorum vocatur, hoc eſt, filius antiquorum Patrum. Cerui enim ſunt Patriarchæ, & Prophetæ, de quibus Chriſtus originem duxit. Fertur hinnulum hanc habere naturam vt feruente ſole vmbroſa, & opaca loca requirat in quibus ab æſtu protegatur. Sic & Chriſtus in eorum mentibus requieſcit, qui rore Spiritus Sancti ab æſtibus carnalium voluptatum temperantur. Ac ſi diceret. O dilecte reuertere, hoc eſt, ſæpius me tua viſitatione illuſtrando lætifica, qui per carnem, quam aſſumpſiſti, iam cœlorum ſublimia penetraſti. Montes autem Bether, montes ſignificant

A Sanctorum, à terrenis per ſuperna deſideria eleuatos. Nam Bethel, interpretatur, domus conſurgens, vel domus vigiliarum: Vigiles mentes Sanctorum ſignificantur, quæ ad deſideranda ſuperna conſurgunt, & ad ea percipienda inuigilant. Quidam codices habent. *Super montes Bethel.* Bethel, interpretatur domus Dei, apertè mentes Sanctorum deſignant, quæ domus Dei ſunt, habentes in ſe Deum habitatorem, qui dicit per Prophetam. *Inhabitabo in illis, & inambulabo.* Super ergo mentes dilectus ſimilis eſt capreæ, vel hinnulo ceruorum, quia illis viſitare dignatur, quæ domus Dei eſſe ſtudent.

CAPVT III.

In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea quæſiui illum, & non inueni, ſurgam & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea, quæſiui illum & non inueni. Inuenerunt me vi-
B *giles, qui cuſtodiunt ciuitatem Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem, diligit anima mea. Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ.*

VOx eſt Eccleſiæ de gentibus congregatæ. *In lectulo,* inquit, *meo,* hoc eſt, tum adhuc in deſideriis carnalibus requieſcerem, & cum adhuc in tenebris infidelitatis, & ignorantiæ poſita eſſem, *quæſiui quem diligit anima mea.* Multi enim Philoſophorum Deum ignorantes, ſummo tamen ſtudio illum requirebant, per creaturam creatorem nolentes cognoſcere. Sicut Plato, qui in Timeo multa de anima diſputauit: Et ſicut Ariſtoteles, Socrates, & cæteri, qui omne vitæ ſuæ tempus in ſtudiis exquirendæ veritatis expendebant. *Quæſiui illum, & non inueni.* Non enim per mundanam ſapientiam Deus cognoſci potuit. *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, quæſiui illum & non inueni.* Exurgam, inquit, de ſtratu corporis & carnalis de-
C lectationis, & circuibo ciuitatem huius mundi, maria ac terras peragando, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea: hoc eſt, per lata itinera gradientes huius ſæculi, & ſuis voluptatibus deditos aſpiciam, ſi fortè in illis dilecti mei veſtigia aſpiciam. Hoc, cauſa exempli, de multis dici poteſt, præcipuè in illo Eunucho impletum eſt, qui à finibus terræ venit. Deum cœli Hieroſolymis adorare, quem Philippus inuenit, eique Chriſtum in prophetia Iſaiæ oſtendit. Hoc quoque in Cornelio adimpletum eſt; qui adhuc paganus & ignorans Deum, eleemoſynas faciebat, & orationibus vacabat, quem Petrus cum domo ſua baptizauit. Inſinuerat adhuc difficultatem inuentionis & dicit: *Quæſiui & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem.* Vigiles ſunt ſancti Apoſtoli, & cæteri Doctores Eccleſiæ, qui ciuitatem, id eſt ſanctam Eccleſiam cuſtodiunt, & ab inſidiis infidelium hoſtium defendunt. Quos interrogat. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Quaſi vigiles Eccleſia interrogat, & interrogat, cum aure eorum prædicationem
D percipit. *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Pertranſire vigiles, eſt eorum dicta, & doctrinam diligenter perſcrutari. Solemus namque dicere: Tranſcurri librum legens, vel pertranſij. Cum inquit, *pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Quia cum ſollicita intentione dicta, vel ſcripta ſanctorum requirimus, ſtatim dilectum inuenimus, quia Deum in eorum dogmate reperimus: poteſt & ſic intelligi. *Cum pertranſiſſem eos inueni quem diligit anima mea,* hoc eſt, cum intellexiſſem, Chriſtum omnem ſublimitatem, & gratiam ſuperare, tunc inueni, quem diligit anima mea, hoc eſt, tunc verè intellexi, quantum ipſe à cæterorum ſanctorum meritis diſtet. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam,* &c. Hoc eſt, cum intellexiſſem fide, & deuotione, illi inhæſi, nec dimittam eum, in eius amore, & fide perſeuerando. *Donec introducam eum in domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ.* Hoc eſt, donec illum Synagogæ, quæ eſt mater mea ſpiritualis, & eam

E quoque ad eius fidem perducam. Hoc fiet in die iudicij, quando, vt Apoſtolus ait, *cum plenitudo gentium intrauerit: tunc omnis Iſraël ſaluus fiet.* Tantum ergo ſibi de charitate ſponſi ſui ſibi promittit Eccleſia, vt etiam ſe credat Synagogam poſſe conuertere. Quod autem dicit. *Donec introducam eum,* non eſt putandum, quod tunc relictura ſit eum, cum in cubiculum matris introduxerit, ſed, *donec,* pro ſempiterno ponitur, ideſt, ſemper illi inhærendo. ſemper in eius fide & dilectione perſeuerabo. Tale eſt & in pſalmo: *Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri,* nunquid poſtquam noſtri miſertus fuerit, non erunt oculi noſtri ad eum? vtique erunt.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

Bis repetitur iſte verſiculus, nam iam ſuperius poſitus
F eſt. Sed ſupra ad Eccleſiam primitiuam de Iudæis collectam pertinet: hic vero ad Eccleſiam de gentibus congregatam, & amoris vinculo Chriſto certius copulatam. Vna enim eademque cura eſt Deo de ſanctis, qui vel in circumciſione, vel iam tempore baptiſmatis coruſcante gratia Euangelij illi placuerunt. Quia vero ſupra poſitus eſt iſte verſiculus, iam hic videndum eſt, quare electam Eccleſiam inducat dormientem. Vnde & adiurat filias Ieruſalem, ne eam excitent, cum paulo ſuperius non dormientem vel quieſcentem, ſed ſtudio laborioſiſſimæ inquiſitionis inſiſtentem, quo ſponſum inquirebat, introducat. Si ergo requirebat ſponſum, quomodo requieſcebat? Sed dulciſſimus & ſuauiſſimus ſomnus eſt, Chriſtum quærere. Dormit ergo Eccleſia & Chriſtum quærit: Dormit videlicet à deſideriis terrenis, ab actibus ſæculi: Vigilat autem, & requirit ſponſum, quia eius contemplationi inhæret, cum ſolum deſiderat, ad illum peruenire contendit. Adiurat ergo ſponſus filias Ieruſalem, animas videlicet deſideriis ſupernæ patriæ inhiantes, ne
G illam excitent ab hoc ſomno ſuauiſſimæ quietis, & contemplationis, donec ipſa velit. Somnus autem merito amor appellatur, quia ſicut à viſibilibus dormiens oculos claudit, & inuiſibilia contemplatur, ita is, qui Diuinæ contemplationi inſiſtit, quaſi alienus eſt, & dormit exterioribus, ſola ſpiritualis, & cœleſtia videt. Nec mirum, ſi amor ſomnus vocatur, cum in ſequentibus mors amor appelletur. *Fortis eſt vt mors dilectio.* Cum autem dicit. *Donec ipſa velit,* oſtendit, Eccleſiam de gentibus voluntariè ſe præparaturam ad labores, & perſecutiones pro Chriſto perferendas.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?

Vox filiarum Ieruſalem, id eſt ſanctorum primitiuæ Eccleſiæ, admirantium pulchritudinem Eccleſiæ de gentibus congregatæ. *Quæ eſt,* inquit, *iſta? quæ?* ideſt
H qua vel quanta laude & admiratione digna, quæ non circumciſione mundata, nec adhuc baptiſmo ſanctificata, iam currit ad Deum? *Aſcendit,* inquit, *per deſertum.* Hoc dicitur ad imitationem priſcæ plebis Iudaïcæ, quæ liberata de Ægyptiaca ſeruitute, per deſertum mari rubro tranſito, venit ad terram promiſſionis: Sic & Eccleſia per deſertum nationum aſcendebat iam de Ægypto, hoc eſt, de confuſione idololatriæ liberata, & Pharaone id eſt diabolo ſubmerſo, vt cœleſti manna paſceretur, & veram terram repromiſſionis ingrederetur. Aſcendit inquit, ad montes virtutum, vel etiam ad ipſum cœlum virtutibus ſubleuata. Quia in pſalmo dicitur: *Leuaui oculos meos in montes, &c.* Et alibi: *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis.* Montes, ipſi ſunt Patriarchæ. & Prophetæ, Apoſtoli, & cæteri ſancti Dei, qui merito virtutum appellantur montes. Primo enim ad montes, id eſt ad ſanctos ſubleuat oculos Eccleſia, vel anima fidelis, quia illorum doctrinam actuſque

conſiderat, illorum exemplo, & interceſſione muniri gaudet: Poſtea proficiens ad ipſum quoque qui fecit montes, audet cordis aſpectum erigere, & dicit: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis*, id eſt gratanter requieſcis in ſanctis. *Sicut*: inquit, *virgula fumi ex aromatibus. &c.* Fumus ex igne naſcitur, & mox altiora aëris expetit, donec aſpectibus intuentium ſubtrahatur. Fumus ergo ſignificat ſanctum deſiderium igne Diuini amoris perfuſum. Nec abſolutè fumo comparatur, ſed virgulæ fumi, quia ſancta Eccleſia Deum amans gracilis eſt, & delicata, diſciplinis Spiritus Sancti extenuata, non habens groſſitudinem carnalium deſideriorum: Siue virgulæ fumi, non ſparſo fumo comparatur, propter vnitatem Eccleſiæ, quæ in Chriſto vnum eſt. Vnde vero eſſet ille fumus, oſtendit cum ſubdit: *myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Myrrha condiuntur corpora mortuorum: Thus vero adoletur in ſacrificio Domini: Ideoque per myrrham carnis mortificatio deſignatur, per Thus, munditia orationum exprimitur. Virgulæ ergo fumi, myrrhæ, & thuris Eccleſia aſſimilatur, quia ſancti mortificatione carnis ſuæ, & orationibus, mundo ac ſimplici corde perfuſi, Deo placere ſtudent. *Et vniuerſi*, inquit, *pulueris pigmentarij*, id eſt, congerie omnium virtutum. Non autem integra fuiſſe aromata, ſed in puluerem redacta dicuntur, quia ſanctorum actiones magna diſcretione conſiderandæ ſunt, & tanquam cribro ſubtiliſſimæ conſiderationis ventilandæ, ne quid forte in illis, aut inconueniens exiſtat, aut per ipſas virtutes mille formis aduerſarius ſurrepat, qui callidus per bona etiam conſueuit nocere.

En lectulum Salomonis, ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſraël omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis, ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.

Quo hæc dilecta & admirabilis aſcendat, oſtenditur cum ſubditur: *Et lectulum Salomonis.* Lectus Salomonis quamuis ſuperna illius cœleſtis beatitudinis requies accipi poſſit, in qua Deus cum ſanctis ſuis requieſcit, probabilius tamen præſens accipitur Eccleſia, in qua ſancti Dei ſopitis tumultibus vitiorum. amplexu Salomonis, id eſt, veri pacifici delectantur. Vnde & Pſalmiſta de Chriſto dicit; *Factus eſt in pace locus eius.* Lectulum ergo Salomonis, id eſt, Eccleſiam Dei *ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.* Per ſexaginta fortes, ordo electorum, intelligitur, qui vel prædicando Eccleſiam muniunt, vel contemplando ad illam ſupernam beatitudinem peruenire deſiderant. Sexagenarius autem numerus, ex ſenario & denario conſtat, ſexies deni vel decies ſeni, ſexaginta ſunt: Senarius vero perfectionem ſignificat operis, quia ſex diebus perfecit Deus opera ſua: Denarius vero remunerationem & præmium, quod in fine electis dabitur. Vnde, & hi, qui in vinea laborarunt, denarium leguntur accepiſſe. Sexaginta ergo fortes, ſignificant, vt dictum eſt, ſanctos Doctores, fortes & animo conſtantes. Addit vero, *Ex fortiſſimis Iſraël.* Omnis in Chriſtum credens, & Chriſtum diligens, Iſraël, id eſt, vir videns Deum interpretatur; Fortiſſimi vero Iſraël ſunt, qui Eccleſiam tueri prædicando, & ab incurſibus dæmonum, vel ab impugnationibus hæreticorum defendere nouerunt. Hi ergo ambiunt lectulum Salomonis, quia illis commiſſa eſt Eccleſia, & ab illis vigilanti cura eſt cuſtodienda. *Omnes tenentes gladio, & ad bella doctiſſimi.* Tenent enim gladium ſpiritualem verbi Dei De quo Apoſtolus. *Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Ad bella vero ſunt doctiſſimi, quia neceſſe eſt, vt ſpiritualis prælii arte inſtructi ſint, qui aduerſus principatus, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus bella gerunt: verſutiſſimus enim eſt ille hoſtis, & tanta ſubtilitate ſpiritualis naturæ, qui & iam temporis longæuitate doctiſſimus, & contra quem ſancti bella ſuſcipiunt. *Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum.* Per femur, propagatio ſobolis accipitur. Super femur ergo enſes habent qui timore Dei omnes comprimunt, & coercent motus carnalis voluptatis. Et hoc *propter timores nocturnos*, id eſt, propter occultas inſidias maligni hoſtis, qui in nocte huius ſæculi, ſanctis maxime qui in Eccleſia præeminent, inſidiatur, vt illis deceptis lectulum Salomonis, id eſt, requiem ſanctorum fœdare poſſit. Et notandum: quod ſuperius tenere gladios dicantur, hic vero ſuper femur enſes habere, gladios enim tenent, vt aduerſariis reſiſtant, hæreticos, & omnes ſanæ fidei contradicentes confodiant, ſuper femur autem enſes habent vt ſuimet curam gerant, vt fluxus carnalium voluptatum reprimant, ne aliis prædicantes ipſi reprobi inueniantur.

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpuream, media charitate conſtrauit prop er filias Ieruſalem.

Quod ſuperius per *lectulum Salomonis*, hic nunc, deſignatur per *ferculum*, ſancta videlicet Eccleſia, in qua velut in lecto requieſcunt Sancti Dei, & velut in lecto diſcumbunt ad epulas æternæ ſocietatis. De lignis libani fecit Salomon ferculum. Libanus mons eſt Phænicis, cuius arbores & proceritate & pulchritudine, durabilitate cæteris præeminent, ideoque ſignificant ſanctos virtutum ſpecie fulgentes, & ad æterna feſtinantes. Libanus enim candidatio, vel dealbatio interpretatur. Ligna ergo libani ſunt ſancti, candidati & dealbati in baptiſmo, & exornati omni virtutum pulchritudine. *Columnas eius fecit argenteas.* Per columnas, Doctores eiuſdem Eccleſiæ intelligimus, qui eam verbo, & exemplo ſuſtinent, ac roborant, Vnde in actibus Apoſtolorum dicitur. *Iacobus, & Ioannes & Cephas, qui videbantur columnæ eſſe.* Hæ columnæ ſunt argenteæ, quia nitore cœleſtis eloquii fulgent, *Eloquia enim Dei, eloquia caſta.* Reclinatorium aureum, requies æterna accipitur, quæ ſanctis in Eccleſia repromittititur. Ad quod tamen aſcenſus eſt purpureus. Purpureus aſcenſus paſſio Chriſti, quia purpura colorem ſanguinis imitatur. Aſcenſu ergo purpureo ad reclinatorium peruenitur, quia illi ad æternarum epularum diſcubium, & ad ſupernæ quietis requiem perueniunt, qui in præſenti paſſionem redemptoris ſui digne venerari, & imitari ſatagunt. *Media charitate conſtrauit, propter filias Ieruſalem.* Media charitate eſt conſtratum, quia omnibus fidelibus ſuam Charitatem Chriſtus commendauit, patiendo pro nobis, & requiem nobis præparando. Iuxta quod Apoſtolus ait. *Commendat autem Deus ſuam charitatem in nobis, qui cum adhuc peccatores eſſemus, pro nobis filium ſuum in mortem tradidit.* Aliter per columnas argenteas, Apoſtoli, & Apoſtolici viri deſignantur: *Per reclinatorium aureum*, Doctorum ordo, qui cum ineffabilia æternæ vitæ repromittunt, vtique nos ſuauiter requieſcere faciunt. Et hoc reclinatorium bene aureum dicitur: quia ineffabile eſt illud præmium, quod ſancti exſpectant, in [illegible] bus enim caducis nihil auro precioſius eſt. *Per aſcenſum purpureum*, ordo deſignatur martyrum, qui paſſionem Chriſti imitati, pro illo ſuum ſanguinem fuderunt. *Sed quid nos faciemus*, dicit B. Gregorius, *qui nullius meriti ſumus, non inter Doctores, non inter Martyres, locum nos habere videmus?* Sequitur. *Media charitate conſtrauit.* Habeamus ergo charitatem, qua media huius ferculi conſtrata ſunt, quia idcirco latum mandatum vocatur, quia omnibus ſuis obſeruatoribus æternam ſalutem parat. Hanc efficaciter teneamus, & per hanc ſaluabimur. Et hoc *propter filias Ieruſalem*, hoc eſt, propter animas ſimplices, & nullius ſibi virtututis conſciæ, quanto magis fragilitatis ſibi ſunt conſciæ, quæ tanto amplius ſaluatorem, & redemptorem ſuum diligere ſatagunt.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitia cordis ſui.

Vox Eccleſiæ inuitantis animas fidelium ad intuen-

A dum, quam mirabilis, & ſpecioſus ſit ſponſus eius; Filiæ namque Sion eædem ſunt quæ & filiæ Ieruſalem, ſanctæ videlicet animæ, ſupernæ illius ciuitatis ciues, quæ & perpetua cum Angelis pace fruuntur, quæ per contemplationem gloriam Domini ſpeculantur. *Egredimini*, inquit, *o filiæ Sion*, hoc eſt, exite de turbulenta huius ſæculi conuerſatione, vt mente expedita eum diligatis, quem contemplari poſſitis. *Et videte*, inquit. *Regem Salomonem*, hoc eſt verum pacificum Chriſtum *in diademate quo coronauit eum mater ſua.* Ac ſi dicat. Conſiderate Chriſtum pro nobis carne indutum, quam carnem de carne virginis matris ſuæ aſſumpſit. Diadema namque vocat carnem, quam Chriſtus pro nobis aſſumpſit, in qua mortuus deſtruxit imperium mortis, in qua etiam reſurgens, reſurgendi nobis ſpem tribuit. De hoc diademate Apoſtolus dicit: *Videmus Ieſum per paſſionem gloria & honore coronatum.* Mater vero ſua eum coronaſſe dicitur, quia *Virgo Maria*, illi de ſua carne carnis materiam contulit. In die deſponſationis eius: hoc eſt in tem-
B pore incarnationis, quando ſibi coniunxit Eccleſiam non habentem maculam; aut rugam, vel quando Deus homini coniunctus eſt. *Et in die lætitiæ cordis ſui*: Lætitia enim, & gaudium Chriſti, eſt ſalus, & redemptio generis humani, Iuxta quod in Euangelio multos ad fidem Chriſtus cernens confluere, *In illa hora*, inquit, Euangeliſta, *exultauit in ſpiritu, & dixit; Confiteor tibi Pater cœli & terræ*, &c. in Euangelica parabola. Inuenta oue conuocauit amicos dicens: *Congratulamini mihi.* Poteſt hoc totum & ſimpliciter ad paſſionem Chriſti referri iuxta litteram. Prouidens enim Salomon in ſpiritu paſſionem Chriſti longe ante præmonebat filias Sion, id eſt plebem Iſraeliticam: *Egredimini*, inquit, *& videte Regem Salomonem*, id eſt Chriſtum in diademate, id eſt, in ſpinea corona, quo coronauit eum mater ſua Synagoga. In die deſponſationis eius: quando videlicet ſibi iunxit Eccleſiam. *Et in die lætitiæ cordis eius*: quo gaudebat per paſſionem ſuam redimere mundum de diaboli poteſtate. Egredimini ergo, & exite à tenebris infidelita-
C tis. Et videte hoc eſt, mente intelligite, quia ille qui, vt homo patitur, verus eſt Deus. vel etiam Egredimini extra portam ciuitatis veſtræ, vt Regem in Golgatha crucifixum videatis.

CAPVT IV.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. Dentes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies,
D *& inclinentur vmbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

BIs repetit, *Quam pulchra es*, ſcilicet in opere & prædicatione: In opere, quia nihil fœdum, nihil oculis meis indignum agis: In prædicatione, quia ad conſiderandum incarnationis meæ myſterium etiam ſodales tuas filias Ieruſalem inuitare non ceſſas. *Oculi tui columbarum.* Per oculos intelligitur acumen ſenſuum ſpiritualium, quibus Diuina & ſempiterna contemplatur Eccleſia. Columbæ autem, oculi Eccleſiæ comparantur, propter ſpiritualem gratiam, qua Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparuit. Sequitur autem: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*, ideſt abſque ſuperna retributione illius, quod in fine ſæculi perceptura es. quia etſi in præſenti per fidem contemplaris, latet tamen intrinſecus, nec in præſenti videri poteſt, ſed in futuro ſæculo exſpectatur. *Capilli tui ſicut greges &c.* Per capillos Ec-

E cleſiæ, ſubtiles cogitationes accipiuntur quibus plerumque temporalia diſponuntur. Comparantur vero gregibus caprarum, quia hæc animalia munda ſunt, & in rupibus ſiue in excelſis locis ſupinata paſcuntur, quia cogitationes ſanctorum etſi corporali neceſſitate in temporalibus fiunt tamen ab æternorum intentione non diſcedunt, & in ipſa etiam cura, quam neceſſitati corporeæ impendunt quaſi cœlum ſemper intuentur. Poſſumus etiam per oculos Doctores Eccleſiæ, & Prædicatores accipere, qui in corpore, cui caput Chriſtus eſt, ſummum locum tenent, & cœleſtia, ac ſpiritualia cæteris membris vident: Per capillos vero, innumeram multitudinem ſimplicium fidelium in laicali ordine conſtitutorum, qui etſi minus vident ſpiritualia, ſua tamen numeroſitate magnum decus præſtant Eccleſiæ. Et bene gregibus caprarum comparantur: Capra peccatoribus conuenit, per quod ſignificantur plebes fidelium, actionibus ſæculi deditæ, quæ ſine peccato agi non poſſunt. Bene autem ſequitur: *Quæ aſcenderunt de monte Galaad.*
F Galaad aceruus teſtimonii interpretatur: Iuxta litteram qui de ideo, quia cum Iacob recederet de Meſopotamia perſecutus eſt eum Laban, & die tertia reppetit eum, ibique teſtimonium mutui fœderis aceruum lapidum extruxerunt. Myſtice, aceruus teſtimonii, Chriſtus eſt, in quo multitudo conſiſtit omnium Sanctorum qui ſunt lapides viui adhærentes illi vero lapidi, de quo Petrus: *Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui, ſimul ædificamini.* Greges ergo caprarum de monte Galaad aſcenderunt, quia ſanctorum multitudines ad celſa virtutum conſcendunt &, Chriſti doctrinam ac præcepta in omnibus ſequi ſatagunt. *Dentes tui ſicut grex tonſarum &c.* Si per capillos Eccleſiæ, innumerabilis multitudo ſimplicium fidelium, deſignatur, per dentes, Eccleſiæ Doctores figurantur. Dentibus enim cibos commolimus: Et Sancti Doctores bene dentibus conformantur, quia ſpirituales cibos, quos ſimplices capere nequeunt, ipſi quodammodo exponendo comminuunt. Dens Eccleſiæ præcipuus erat Petrus, cui dictum
G eſt in viſione: *Surge occide & manduca*, ac ſi diceret. Eos quos ad fidem conuertis, occide ab eo, quod ſunt, vt deſinant eſſe peccatores, & manduca, hoc eſt, transfer in corpus Eccleſiæ, Bene autem hi dentes ouibus tonſis, & lauacro lotis comparantur. Solent enim oues poſt tonſionem currenti aqua ablui, ne inlotus ſudor corpori adhæreſcat, & ſcabiem generet. Tonſæ ergo oues ſunt ſancti Doctores, & Magiſtri, qui & lauacro baptiſmi abluti ſunt, & vellera, id eſt facultates, & ſubſtantias ſuas pro Chriſto amiſerunt. Omnibus quidem fidelibus, conuenit, quod dicitur, *Quæ aſcenderunt de lauacro* nullus enim ſine lauacro baptiſmi fidelis eſſe poteſt: Non autem omnibus tonſio conuenit, quia non omnes ita perfecti ſunt, vt ſua pro Chriſto valeant amittere, ſed ſpecialiter hoc congruit iis qui ſecundum verbum Domini, vendunt omnia & dant pauperibus? & nudi atque expediti ſequuntur Chriſtum. Tales ergo ſunt dentes Eccleſiæ, id eſt, prædicatores & magiſtri eius, oues per innocentiam abluti baptiſmo, voluntaria paupertate, &
H rerum ſpoliatione gaudentes. Sequitur. *Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.* Quia gemina charitate dilectione Dei & proximi præeminent, & hanc obſeruari docent: Vel etiam, quia fidem, & operationem prædicant. *Et ſterilis non eſt in eis*, nullus videlicet alienus eſt à bonis operibus. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Per labia Eccleſiæ, iidem ſancti prædicatores accipiuntur, qui & per dentes figurantur. Coccus autem, ſanguinis vel ignis habet ſpeciem. Labia ergo Eccleſiæ, id eſt, ſancti prædicatores vittæ coccineæ aſſimilantur, quia paſſionem Chriſti prædicant, qui pro noſtra redemptione ſanguinem ſuum fudit: ſiue, vittæ coccineæ aſſimilantur, quia prædicant, & aſſidue ardent dilectione, diligunt eos, quibus verbum impendunt, & etiam à quibus malum patiuntur. Ad hoc etiam pertinet, quod Spiritus Sanctus in igneis linguis apparuit, quia loquentes, & ardentes fecit Apoſtolos, ardentes dilectione, loquentes prædicatione. Et bene *vitta coccinea*

A dicitur. Vitta enim capillos ligat & conſtringit, & ſancti Doctores ſua prædicatione ad vnitatem fidei & dilectionis, multitudinem fidelium in Eccleſia nectunt, & in vnum decorem redigunt. Poſſunt etiam per capillos, ſubtiles cogitationes mentis accipi. Vitta ergo coccinea crines ligamus, quando cogitationes noſtras diſciplina timoris Dei conſtringimus & coercemus. *Et eloquium tuum dulce.* Dulce eſt eloquium Eccleſiæ, cum ſancti Doctores vel paſſionem ſui redemptoris ad memoriam reducunt? & prædicant quantum Deus hominem dilexerit: Vel etiam, cum cœleſtia præmia auditoribus annunciant. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet.* Per genas ſuperius diximus Eccleſiam figurari, nam cum verecundamur, rubor ſanguinis in genis effunditur: Malum autem punicum, rubicundum habet corticem, interius vero multitudine granorum plenum eſt; vnde & malum granatum vocatur, Per fragmen ergo mali punici, memoria, eiuſdem Dominicæ paſſionis accipitur, quæ & in cocco ſu- B perius figuratur: Solet enim vna res diuerſis exprimi figuris. Genas ergo Eccleſiæ, fragmini comparamus, quia ſancti Doctores venerabiliter agunt memoriam paſſionis ſui redemptoris, nec erubeſcunt crucem eius, immo gloriantur, dicentes cum Apoſtolo: *Mihi autem, abſit gloriari, &c.* Et alibi idem Apoſtolus ſcribens ad diſcipulum ſuum; *Noli erubeſcere crucem Chriſti, neque me vinctum eius* Bene autem non integro malo punico, ſed fragmini comparantur, Malum enim punicum cum frangitur, exterius rubor, interius candor apparet, ſic & Sancti Doctores, & prædicatores, cum paſſionem Chriſti annuntiant, quaſi rubor eſt exterius, cum vero, quanta vtilitas noſtræ redemptionis inde prouenerit, & quod homo per paſſionem Chriſti, non ſolum à peccatis iuſtificari, ſed etiam quod Diuinum conſortium meruerit, demonſtrant, quaſi candidum eſt, quod intrinſecus latebat, Poſſunt etiam per genas Eccleſiæ Martyres figurati, qui rubicundi ſunt effuſione ſanguinis ſui veluti malum punicum, ſed fracto malo punico, candor interius C apparet. quia poſt mortem miraculis coruſcant. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Collum ſanctæ Eccleſiæ, Prædicatores ſancti & Doctores eius ſunt, Iidem enim hic deſignantur per collum, qui ſuperius per oculos, & per dentes, ſancti videlicet, vt dictum eſt, prædicatores, qui veluti collum acceptos verbi Dei cibos mittendo corpori tranſmittunt, & vocem Diuinæ prædicationis auditoribus proferunt, vel etiam, ſancti Doctores per collum ſignantur, quia ſicut collum caput & cætera corporis membra coniungit, ita Sancti Doctores & prædicatores quaſi mediatores inter Chriſtum & reliquos, quos inſtruunt, fideles, quaſi Chriſtum corpori ſuo id eſt Eccleſiæ coniungit. Hoc autem collum turri Dauid comparatur. Dauid, qui interpretatur manu fortis, vel viſu deſiderabilis, Chriſtum ſignificat. Et tota quidem Eccleſia ciuitas Dauid, id eſt, magni Regis Chriſti eſt, qui eſt manu fortis, quoniam diabolum deuicit, iuxta quod Pſalmiſta dicit: *Dominus fortis, & potens:* Eſt & viſu D deſiderabilis; Quia, vt Apoſtolus dicit, *in eum deſiderant Angeli proſpicere.* Turris autem huius ciuitatis illi ſunt, qui vel conſcientia, vel operis perfectione cæteris præeminent. *Quæ ædificata eſt cum propugnaculis*; Propugnacula, ſunt Diuinarum ſcripturarum Sacramenta, de quibus veluti iacula procedunt, quibus aduerſariæ repelluntur poteſtates, *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Mille clypei intelliguntur innumera Diuinæ defenſionis præſidia, quibus ſancta vallatur, & defenditur Eccleſia. *Omnis armatura fortium*, id eſt, omnis inſtructio vel ſanctæ prædicationis, vel ſanctæ operationis. Et bene collum Eccleſiæ, id eſt, prædicatores & Doctores turri Dauid comparantur, quia ſemper in bello ſunt pro defenſione Eccleſiæ pugnantes. *Duo vbera tua ſicut hinnuli* &c. Duo vbera Eccleſiæ eadem ſignificant Doctores. Nec mirum, quod vna eademque res diuerſis figuratur modis. Sancti enim Doctores oculi ſunt, qui vitæ vias, quas ingredi debeant, ſubiectis de-

monſtrant. Dentes ſunt, quia cibos Diuinarum Scripturarum molunt, & comminuunt, vt mandi poſſint. Col- E lum ſunt, quia caput & membra, hoc eſt, Chriſtum & Eccleſiam coniungunt. Ipſi ergo Doctores ſunt, & vbera Eccleſiæ, quia paruulos, & ſimplices fideles lacte verbi Dei nutriunt, quod Apoſtolus Paulus ſimplicioribus intendens dicit; *Non potui vobis loqui tanquam ſpiritualibus ſed tanquam carnalibus tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi non eſcam.* Et bene non abſolute *vbera*, ſed cum additamento dicit, *vbera duo:* cum fœmina neque plus neque minus habeat, quam duo vbera; quia nimirum Sancti Doctores paruulos ex vtroque populo Iudaico videlicet & gentili lacte verbi Dei nutriunt, Nam, vt Paulus de ſeipſo dicit, *qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu circuncifionis, operatus eſt, & mihi inter gentes.* Et apte, hæc duo vbera ſicut duo hinnulli capreæ gemelli eſſe dicuntur: quia videlicet fœtus ſunt, & filius Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui ſuperius per capreas deſignatus eſt, hæc enim animalia acutiſſime vident, & nimia velocitate altiora conſcendunt: ſicut & F ſancti Doctores, quæ agenda ſunt & ipſi vident, & aliis monſtrant, & deſpectis terrenis ad ſuperna nituntur *Qui paſcuntur in liliis*, hoc eſt delectantur puriſſimis, & nitidiſſimis ſenſibus ſcripturarum, *Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ*, hoc eſt, donec dies illa æterna veniat, quam deſiderabat Pſalmiſta dicens. *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Et inclinentur vmbræ*, id eſt, tranſeant mœrores & perturbationes huius ſæculi, *Donec aſpiret*, id eſt, oriatur: apparebit enim dies, id eſt: orietur, quando ille verus ſol iuſtitiæ apparebit, & tunc inclinabuntur vmbræ, hoc eſt, omnia nubila mœroris, & tenebræ præſentis ſæculi pertranſibunt. Sed & ſi ipſam litteram velimus aſpicere, pulchre expreſſit ortum diei, & occaſum noctis. Nam nox nihil eſt aliud niſi vmbra terræ quæ ſole ſub terras deſcendente conſurgit, ſole autem iterum ſuper terras aſcendente inclinantur vmbræ, id eſt, cadit nox. *Paſcuntur* ergo *in liliis Donec aſpiret Dies & inclinentur vmbræ.* quia ſanctorum Doctorum in præſenti tantum vita neceſſaria eſt prædi- G catio & doctrina, nam in alia vita poſtquam apparuerit æterna dies, & finita fuerit nox præſentis ſæculi non neceſſe erit doceri aliquem, quia omnes reuelata facie faciem Domini contemplabimus. Vnde & Propheta dicit. *Non docebit vir fratrem ſuum, dicens, cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me a minimo vſque ad maximum. Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris.* In Myrrha carnis mortificatio, vel paſſionum pro Chriſti tolerantia, in thure vero ſancta deuotio accipitur: Mons ergo Myrrhæ & collis thuris, montes ſanctorum ſunt excellentes per contemplationem, Promittit ergo ſponſus ſe ad montem myrrhæ venturum, & ad collem thuris, quia illas mentes ſua viſitatione dignatur, quæ membra ſua cum vitiis & concupiſcentiis mortificant, quæ etiam ſeipſas per operum ſanctorum ſtudia Deo gratum ſacrificium faciunt. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Vox ſponſi ad amicam & ſponſam ſuam. *Tota pulchra es.* Omni, inquit, ex parte nul- H lam recipis maculam aut rugam. Non enim ſoli Doctores vel perfecti quique pulchri ſunt ante oculos Dei, qui ſumma ſcientia, & contemplatione præeminent, ſed etiam ſimplices quique fideles, qui rata fide & bonis operibus exornantur, pulchri in oculis ſponſi habentur, Nam, vt Pſalmiſta dicit, *benedixit omnibus, qui timent Dominum, puſillis cum maioribus.* Ideo dicit *tota pulchra es*, non pars tua. Hoc autem ideo dicimus, non quod aliquis in hac vita ſine peccato eſſe poſſit, cum ſcriptum ſit, *Nemo eſt ſuper terram ſine peccato, nec infans vnius diei*, ſed ideo, quia fides perfecta, & cœleſte deſiderium omnem abſtergit maculam leuioris peccati, non enim de grauibus nunc ratio eſt, quæ qui committunt iam ſponſæ Chriſti non ſunt, nec vllam habent particulam huius ſanctæ pulchritudinis, Hinc eſt quod Ioannes dicit. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat*, ſcilicet, peccatum ad mortem, nã quod leui peccato fuſcatur, cita pœnitudine, & recta fide, ac cœleſti deſiderio in ea priſca pulchritudine reparatur

A *Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis: de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Libanus, mons eſt Phœnicis, interpretatur autem ex Hebræo, dealbatio, vel candidatio, ex græco autem, thus interpretatur: vnde & ſupra vbi loquitur, *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem Thuris*, collis habetur libani. Vocat ergo ſponſus ſponſam ſuam candidatam baptiſmate, dealbatam nitore omnium virtutum, flagrantem ſtudio ſanctarum orationum. Vocat eam vt veniat id eſt, vt in virtutibus proficiat. Non enim ſolum vocat Deus animam, quando eam à vinculis corporis exutam ad cœleſtia præmia ducit, ſed etiam cum per internam inſpirationem vt in virtutibus proficiat hortatur. Quot enim virtutibus ſancti proficiunt, quaſi
B tot paſſibus ad Chriſtum tendunt. Et tertio dicit, veni, quia vult perfectam eam eſſe in cogitatione, locutione & opere. Vel, vocat eam primo, vt ad ſe veniat per fidem, vocat ſecundo, vt dignam cæleſtium præmiorum retributionem iam liberata corpore accipiat: Vocat tertio, vt in die generalis reſurrectionis iam reſumpto corpore, duplici ſtola ornata perpetuo gaudeat. *Coronaberis de Capite Amana.* &c. Amana ipſum dicunt eſſe montem Ciliciæ Amanam, qui & Taurus appellatur Sanir vero & Hermon; montes ſunt Iudeæ, in quibus leones & pardi feruntur habitare. Per hos autem montes ſæculi poteſtates, Reges videlicet & Principes intelliguntur, qui veluti montes in ſuperbia extolluntur, & malignis ſpiritibus quaſi leonibus & pardis cubilia præbent. Maligni autem ſpiritus Leones vocantur propter ſuperbiam, pardi propter ferocitatem, vel etiam propter mille artes nocendi, quia pardus varium animal eſt. De his montibus coronatur Eccleſia, quando Principes ſæculi ad Chriſti fidem conuertuntur. Et non ſolum prop-
C pter ſuas virtutes, ſed etiam propter talium conuerſionem, & ſalutem remuneratur Eccleſia. Poteſt & hoc in Præſenti accipi. Nam coronatur Eccleſia de vertice horum montium, quando ſubiectis Principibus Catholicæ fidei, Eccleſia, quæ ante premebatur coronatur, & gloriatur in Chriſto. Sicut factum eſt tempore Conſtantini, quando illo conuerſo, mirabiliter glorificata eſt Eccleſia. Coronatur, & de cubilibus leonum & pardorum montibus, quando ſuperbos quoſque, & ſæuos, ac doloſos conuertit, & pro iſtorum conuerſione æterna præmia recipit.

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui: Quam pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus diſtillans labia tua ſponſa mea & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum ſicut
D *odor thuris.*

Sponſam & ſororem ſuam, ſanctam dicit eccleſiam, quæ & ſponſa eſt, quia eam ſibi Chriſtus incarnatus deſpondit, eamque emundatam à ſordibus peccatorum dote ſpiritus Sancti ſibi coniunxit: Soror vero eſt, quia propter eam incarnatus, frater eius fieri dignatus eſt. Sicut reſurgens à mortuis dixit mulieribus. *Ite nunciate fratribus meis.* Cum ergo dicit, vulneratum ſe cor habere, magnitudinem expreſſit, qua ſanctam ſuam diligit eccleſiam. Affirmat autem hoc iterans, & inculcans, *Vulneraſti cor meum*, vt in tali iteratione, quantum Eccleſiam ſuam diligit, oſtendat. Quomodo vero vulneratum ſit, ſubiungit *In vno oculorum tuorum &c.* Per oculos eccleſiæ ſuperius ſpirituales ſenſus, vel Doctores ſanctos accipiendos eſſe diximus: Per crines vero, multitudines ſubiectarum plebium, quibus ſancta decoratur eccleſia. Et eſt ſenſus: Cum tota ſis pulchra ô Eccleſia, & cum te ob multa diligam, præcipue tamen nitor ſpiritualium ſenſuum, & Doctorum tuorum ſinceritas me delectat, ſimplicitas etiam ſubiectarum plebium, quæ pie & fideliter verbis Doctorum ſuorum obtemperant. Bene autem

E cum ſuperius dixerit pluraliter *oculos & capillos.*, hic ſingulariter dicit. *In vno oculo, & in vno crine*, vt per hoc vnitas ſanctorum Doctorum exprimatur, vnitas etiam cæleſtis doctrinæ, quam ſubiectis impendunt: *Vnus* enim *Dominus*, vt Apoſtolus dicit, *vna fides, vnum baptiſma*, vna etiam deuotio ſubiectorum fidelium. Poteſt & hoc quod dicitur, *Vulneraſti cor meum*, de paſſione Chriſti accipi: *Vulneraſti cor meum*, id eſt tuo amore feciſti, vt ego in cruce vulnerarer. Notandum vero, quod dicit, *In vno crine colli tui*: Per collum enim Doctores diximus ſignificari, & crinis Eccleſiæ collo adhæret, quia ſubiectæ plebes ſanctis doctoribus nectuntur, & eorum ſacræ doctrinæ inhærent, ac ſecundum illorum præcepta viuere ſatagunt. *Quam pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa.* Per mammas ſuperius Doctores eoſdem diximus ſignificari, qui & per oculos deſignantur. Nam ſancti Doctores mammæ ſunt, quę cum lacte, id eſt ſimplici doctrina humiles quoſque nutriunt: Oculi ſunt
F cum ſumma quandoque & cæleſtia prædicant, Ait ergo: *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa*, id eſt quam pulchri ſunt Doctores tui, quoniam ſermo illorum, & eloquio præeminet, & pondere ſenſuum precioſus eſt. *Pulchriora ſunt vbera tua vino.* Hic verſiculus iam expoſitus eſt, vbi dicitur, *Meliora ſunt vbera tua vino.* Et hic notandum: Quod Eccleſia ſuperius vbera ſponſi ſui laudauit dicens, *Meliora ſunt vbera tua vino*: Nunc vero viciſſim ſponſus ſponſæ ſuæ vbera extollit, vt per hoc vnitas Chriſti & Eccleſiæ commendetur; Chriſtus enim eſt caput, Eccleſia corpus, præcellit enim initium prædicationis Euangelicæ omnem legalem ſcientiam. *Et odor vnguentorum tuorum ſicut omnia aromata.* Vnguenta Eccleſiæ ſunt, doctrinæ cæleſtis chariſmata, vel etiam fama virtutum, quæ de Eccleſia fragrat. Aromata vero, intelliguntur legales obſeruantiæ. Super aromata ergo, eſt odor vnguentorum Eccleſiæ, quia fama Euangelicæ perfectionis tranſcendit omnem laudem legalis obſerua-
G tionis. *Fauus diſtillans labia tua ſponſa.* Fauus, mel eſt in cera, mel autem in cera eſt, ſpiritualis intelligentia in littera. Labia ergo Eccleſiæ fauus diſtillans vocantur, quia ſancti Doctores qui per labia deſignantur, ſpiritualia documenta proferunt inſtruendis fidelibus, Nec ſolum fauus, ſed etiam diſtillans vocantur labia Eccleſiæ, diſtillat enim fauus, cum mellis copia exuberans, iam non poteſt cereis capſulis contineri. Recte ergo Diuina ſcriptura fauus diſtillans vocatur, quia multipliciter intelligitur, & variis ſenſibus exponitur, nunc iuxta litteram, nunc iuxta Allegoriam, nunc iuxta moralem, nunc iuxta anagogen. *Mel & lac ſub lingua tua.* Lac paruulis conuenit, ideoque per lac deſignatur ſimplex doctrina, qua initia credentium imbuuntur, mel vero quòd de rore cæli confici creditur, celeſtem, & ſpiritualem doctrinam ſignificat, quæ perfectis, & inſtructis conuenit: Sub lingua igitur Eccleſiæ mel, & lac eſt, quia aliquando cœleſtia myſteria perfectis, aliquando rudibus plana, &
H ſimplicia annunciat. *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Veſtimenta Eccleſiæ, ſunt bonorum operum ornamenta. Iuxta quod Ioannes in Apocalypſi dicit: Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum. Et Iob dicit: *Iuſtitia indutus ſum, & indui me ſicut ornamento, & diademate iudicio meo.* Thure autem diximus ſanctarum orationum munditiam deſignari. Veſtimenta ergo Eccleſiæ thuri comparantur, quia omnia opera Eccleſiæ quaſi orationes ſunt: in cunctis enim, quæ agit, ſemper Dominum deprecatur, & tali modo implet, quod Dominus dicit: *Oportet ſemper orare*: Nec hoc aliter impleri poteſt, niſi noſtra vita tota, & conuerſatio talis ſit, vt in conſpectu Dei oratio deputetur. Thus arbor eſt Arabiæ, cortice, & folio lauro ſimilis, ſuccum in amygdalæ modum emittens, qui bis in anno colligitur, autumno & vere, ſed autumnali collectione præparantur arbores inciſis corticibus flagrantiſſimo æſtatis feruore, ac ſic proſiliente ſpuma pingui, quæ concreta denſatur vbi loci natura poſcat tegente palma excipiente, quod in arbore hæſit, ferro depectitur, ideo corticum videtur eſſe puriſſimum, hoc & candidum thus eſſe.

Hortus

A *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Ciprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cynamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.*

Sororem & ſponſam ſuam Eccleſiam dicit, quam ex ancilla ſororem ſibi eſſe conſtituit, & dote Spiritus Sancti pignoratam, ſponſam ſibi efficit. Hæc ergo Eccleſia hortus eſt, quia ſpiritualium virtutum germina profert, quæ in ſequentibus aromatum vocabulis deſignantur. Concluſus vero eſt hortus iſte, quia ſancta Eccleſia redemptoris & Domini ſui adiutorio munita eſt, & præſidio Angelicarum virtutum vallata, nullis malignorum ſpirituum patet inſidiis. Hæc ipſa Eccleſia eſt fons ſignatus: Fons ideo quia, cœleſtis doctrinæ fluentis manat, quibus omnes in Chriſtum credentes à peccatis abluit B & veritatis ſcientia potat: Signatus vero eſt fons iſte, quia ſermo fidei Euangelicæ veritatis ſignaculo munitus, eſt ita vt neque hæretici, neque maligni ſpiritus fidem Catholicam violare, aut irrumpere valeant. Hic hortus vel fons, id eſt, Eccleſia, primum in paruulo locello Iudeæ plantatus vel exortus eſt, deinde per vniuerſum mundum diſſeminata prædicatione, aureolas ſuas, vel riuulos emiſit. Vnde ſequitur. *Emiſſiones tuæ paradiſus, &c.* Emiſſiones Eccleſiæ, vt dictum eſt, incrementa fidei ſunt, & diſſeminatio prædicationis, quæ emiſſiones paradiſus ſunt. Paradiſus græce, hortus latine, quia illa primitiua Eccleſia, quæ in Iudæa quaſi hortus fuit, Poſtea per vniuerſum mundum multos hortos, id eſt, Eccleſias emiſit. Mala autem punica, quæ rubicundum habent corticem eos ſignificant, qui non ſolum generali baptiſmo ſanctificati ſunt, verum etiam qui proprio ſanguine in paſſione baptizati ſunt, martyres videlicet. Fructus vero pomorum, opera ſignificant virtutum, ſiue eos, qui ipſas virtutes opere exercent. Emiſſiones ergo Eccleſiæ paradiſus C malorum punicorum fuerunt, quia primum locum poſt Apoſtolos in Eccleſia Martyres tenuerunt, qui ipſam Domini paſſionem pro ipſo patiendo imitari ſtuduerunt: Quamuis generaliter omnis fidelium multitudo, paradiſus malorum punicorum poſſit accipi, qui mala punica ſunt quia paſſionem ſui Redemptoris ſemper in memoria retinent. Et ſicut malum punicum inter vnum corticem multitudinem habet granorum, ita in Eccleſia multitudo fidelium intra fidem Dominicæ paſſionis continetur. Hinc Apoſtolus ait: *Quotquot baptizati eſtis in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati eſtis. Ciprus cum nardo, nardus & crocus, &c.* In horto concluſo, id eſt, in Eccleſia, naſcuntur cipri cum nardo, nardus ſimul & crocus, cum vniuerſis lignis libani. Ciprus, arbor eſt aromatica, ſemen ſimile coriandri habens, id eſt, album & ſublucidũ, quod oleo coquitur, & inde exprimitur, quod cipros vocatur, vnde regium vnguentum paratur, Legimus in Exodo, quod manna erat quaſi ſemen coriandri album. Ciprus ergo & manna, vnam habent ſignificatio D nem, ſignificat enim cæleſtem gratiam, tanquam manna de cœlis venientem. Ciprus ergo in horto Eccleſiæ naſcitur, cum fideles quique docentur, gratiam ſpiritualem omnibus præferre, & per illam ſalutem ſperare, Nemo enim ſuis viribus, ſed ſola Dei gratia ſaluari poteſt. Nardus, typus eſt Dominicæ paſſionis: Vnde & Maria nardo piſtica caput & pedes Domini vnxit. Nardus ergo in horto Eccleſiæ eſt, cum ſancti quique memoriam Dominicæ paſſionis venerantur, eique gratias agunt, quod in tantum dilexerit eos, vt pro illorum ſalute & liberatione mortem ſuſciperet. Crocus, aurei coloris habet florem, ideoque ſignificat charitatem. Sicut enim aurum inter cætera metalla precioſius eſt, ita charitas inter omnes virtutes principatum tenet, dicente Apoſtolo; *Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt Charitas.* Cum nardo ergo, crocus in Eccleſia naſcitur, cum membra Chriſti, ideſt fideles quique charitatem Dei & proximi efficaciter tenere ſtudent. Crocus autẽ fertur ignitas febres refrigerare, ſic ve-

E ra charitas ardorem concupiſcentiæ ſæcularis refrigerat, & dilectionem Dei & proximi in mente accendit. Fiſtula, breuis eſt arbuſcula, quæ & Caſia vocatur, cortice purpureo, ſignificat ſanctos in Eccleſia humilitate & patientia præcipuos, pauperes videlicet, quorum eſt regnum cœlorum; purpureus autem cortex ſignificat ſimilitudinem paſſionis Chriſti, quam illi, qui in vera humilitate fundantur, in corde ſemper retinere, & imitari ſatagunt. Cynnamomum, & ipſa breuis eſt arbuſcula, ſed miræ virtutis & odoris, ideoque profectum deſignat humilitatis, quæ & per fiſtulam deſignatur. Fiſtula ergo & cynnamomum in Eccleſia ſunt, cum ſancti Dei humilitatem, & patientiam & in corde veraciter retinent, & foris aliis oſtendunt. Quædam vero fiſtula rubicundum habet corticem, cynnamomum vero cinereum habet colorem, ſignificat, quod quanto plus ſancti memores ſunt paſſionis redemptoris ſui, tanto in oculis ſuis viliores & deſpectiores fiunt, dicentes cum Abra F ham; *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.* Et cum Iob; *idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Cum vniuerſis lignis Libani. Ligna libani pulchritudine, & proceritate ac robore præeminent, ideoque ſignificant Doctores, & perfectos quoſque in Eccleſia, de quibus ſuperius domus Eccleſiæ dicitur ædificata, dicente eadem Eccleſia: *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cypreſſina,* quia videlicet ſancti Doctores prædicatione ſua, & exemplis Eccleſiam muniunt. Cum fiſtula ergo & cynnamomo vniuerſa ligna libani in horto Eccleſiæ memorantur, quia ſiue humiles, & patientes, ſiue perfecti quique Doctores, eandem habent fidem in Eccleſia, & eandem beatitudinem exſpectant. *Myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Myrrha, arbor eſt, cuius ſuccus ſtacte dicitur, tantæ virtutis, vt quicquid eo tactum fuerit, ab omni putredine & vermibus ſeruetur illæſum: Aloe, arbor eſt ſuauiſſimi odoris, adeo vt vice thymiamatis al G taribus adoleatur, habet vero ſuccum amariſſimum, reſiſtentem putredini & vermibus, hinc & in paſſione Domini Nicodemus detuliſſe dicitur myrrhæ & aloes quaſi libras centum. Per has ergo arbores deſignatur carnis continentia, & caſtimonia, nam putredo luxuriam ſolet deſignare, iuxta quod Propheta de quibuſdam dicit: *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* In horto ergo Eccleſiæ ſunt myrrha & aloes, hoc eſt, mentes caſtæ, & omnis corruptionis immunes, audientes Apoſtolum: *Pacem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Cum omnibus primis vnguentis. Prima vnguẽta quid melius quam charitas intelliguntur? de qua Apoſtolus dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Ac deinde: *Si linguis hominum loquar &c.* Poſt myrrham ergo & aloe bene prima vnguenta ponuntur, quia poſt carnis continentiam ſuccedit vera charitas, qua Deus ſuper omnia diligitur. Neque enim illi, qui mundi dilectione tenentur, hoc eſt, qui voluptatibus, & illecebris adhuc delectantur, huius charitatis H participes eſſe poſſunt.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano.

Fons hortorum, ipſa eſt primitiua Eccleſia, quæ veritatis ſcientia hortos, ideſt Eccleſias per vniuerſum mundum diſſeminatas irrigat: Ipſa eſt & puteus aquarum viuentium, quia ſcientia veritatis, quæ eſt in Eccleſia, in quibuſdam quaſi fons eſt, vbi patet: in quibuſdam quaſi puteus, vbi latet; & ad liquidum percipi non poteſt. Nam inter fontem, & puteum hoc diſtat, quod fons & in imo & in ſuperficie terræ dicitur, puteus vero ſemper eſt in imo: Eccleſia ergo & fons eſt, & puteus, quia myſteria Dei in quibuſdam veluti fons facile capiuntur, in quibuſdam vero cum difficultate, tanquam aqua è puteo, extrahuntur. Aquæ autem viuentes, ipſa myſteria ſcripturarum vocantur, quia in ſe cæleſtem habent virtutem: At contra ciſternæ vocantur id eſt, collectiones aquarum, dogmata hæreticorum, de quibus Dominus per

pro

[A] Prophetam: *Me reliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Hæ fluentes aquæ fluunt impetu de libano, hoc eſt, manant de Eccleſia, quæ dealbata eſt & candidata baptiſmate, & bonis operibus, quod libanus interpretatur. De hoc libano, hoc eſt de Eccceſia, fluunt id eſt emanant aquæ cœleſtium doctrinarum: Et hoc cum impetu, id eſt, cum magna virtute, qua omnia hæreticorum figmenta deſtruuntur, & euertuntur. Hinc & Pſalmiſta: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, id eſt, virtus diuinorum eloquiorum.

Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

Enumeratis Eccleſiæ virtutibus, ſub nomine aromatum, ſciens Dominus, qui eſt ſponſus & redemptor Eccleſiæ, ipſam Eccleſiam perſecutionibus eſſe multiplican- [B] dam, ſubſequenter ipſam quodammodo iubet venire perſecutionem, non præcipiendo, ſed permittendo: *ſurge Aquilo, & veni Auſter.* Per Aquilonem, & Auſtrum flatus perſecutionum & perturbationum intelliguntur contra Eccleſiam ſæuientium. Aquilo quidem, frigidiſſimus ventus eſt, Auſter calidus, & ideo per aquilonem terrores & minæ deſignantur, per auſtrum blandimentorum decipulæ, quibus duobus modis probatur Eccleſia, terroribus videlicet & blandimentis. Quod autem dicit. *Surge Aquilo, & veni Auſter*, non imperat malis, nec cogit eos ad mala facienda, ſed permittit, & facultatem illis dat, vt poſſint ſæuire contra Eccleſiam, quatenus per illorum malitiam Eccleſia probetur, & illi grauius puniantur. Nouit enim Dominus de malis hominum bona quædam facere, ſed ipſam perſecutionem in ſua poteſtate habet, vt non tantum ſæuiant quantum volunt. Vnde ſcriptum eſt: *Qui facit ventis pondus*, quia videlicet flatibus perſecutionum modum imponit, iuxta quod [C] Apoſtolus dicit: *Faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Perfla*, inquit, *hortum meum*, hoc eſt Eccleſiam meam. *Et Fluent aromata illius.* hoc eſt, fragantia virtutum, & odor bonorum operum ex illa procedet, quo enim acerbius Eccleſia concutitur, eo maiorem virtutum odorem ex ſe emittit.

CAPVT. V.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum ſoror mea, meſſui myrrham cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini Chariſſimi.

Veniat dilectus meus. &c. Hoc eſt, veniat Chriſtus ſponſus meus, quem toto corde diligo, ad Eccleſiam ſuam, & comedat fructum pomorum ſuorum, id eſt, delectetur atque paſcatur bonis operibus fideliũ ſuorum. Nam cibus Domini bona noſtra opera ſunt, ſicut ipſe [D] fidem Samaritanorum vel gentium intuens dixit Apoſtolis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.* Deſideranti Eccleſiæ vt ad ſe veniat ſponſus, reſpondet ſe iam hoc feciſſe Ego iam veni. Nam non eſt imperatiuus veni, ſed præteritum indicatiui. O ſoror mea ſponſa iam veni ego in hortum meum, iam viſitaui Eccleſiam meam, ſed & quotidie viſito, & virtutum illius pomis paſcor, atque odore fruor. Venio ad eam, vt errantes corrigam, infirmantes roborem, dubios confirmem, & perfectos quoſque præmiis cæleſtibus donem. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* Per myrrham deſignantur illi, qui vitam martyrio finierunt, vel etiam carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis mortificauerunt. Aromata vero ſunt opera ſanctarum virtutum bonæ opinionis odoribus fragantia. Metit ergo Dominus myrrham cum aromatibus ſuis, quando ſanctos martyres, vel reliquos electos bonis operibus inſignes ab hac vita falce mortis præcidit, atque ad maturitatem bonorum operum perductos in horrea ſupernæ quietis recondit. [E] *Comedi fauum cum melle meo.* &c. Per fauum, & vinum ſancti prædicatores figurantur, per mel vero, & lac, boni auditores. Fauus enim ſunt prædicatores, qui arcana, intima ſanctarum ſcripturarum myſteria quaſi mella de fauis producunt, & & prædicando aliis manifeſtant. Mel vero ſunt boni auditores qui dulcedine verbi Dei attente percipere, eaque delectabiliter paſci ſtudent. Vinum, ſunt ipſi prædicatores, qui & fauus, quod fortia quæque ſacramenta ſcripturarum annunciant, Lac vero ſunt infirmi quique auditores, quibus aperta myſteria quaſi lac conueniunt. Cum ergo horum omnium vita diuerſis modis, & ſtudiis agatur, horum tamen omnium bona intentione Redemptor delectatur, & paſcitur, & ſic quaſi fauum cum melle comedit, & vinum cum lacte bibit. Poſſumus hæc etiam ad mortem electorum referre, quos Dominus comedit, & ad æternam quietem vocat per mortem, & corpori ſuo, hoc eſt ſocietati electorum, in illa iam cœleſti feli- [F] citate lætantium, coniungit. Quod ſi hoc accipimus, in melle debemus eos accipere, quorum animæ iam in cœleſti gloria lætantur, in fauo vero eos, qui iam corpore, & anima in illa beatitudine laudant Deum, & in illo gaudent perpetuo, quales ſunt illi, qui cum Domino ſurrexerunt, *Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.* Non ſolum Dominus profectu iuſtorum gaudet verum & nos hortatur, vt illorum virtutibus gaudeamus, & illos imitemur: Comedite, inquiens amici, hoc eſt fideles mei, qui amici mei eſtis, faciendo quæ iubeo: Chariſſimi mei eſtis, perfecta me animi charitate diligendo. Comedite ergo, inquit, & bibite, id eſt, ſanctorum bonis actibus congaudere, illos vobis ad imitandum proponite. Notandum vero quod dicit: *Bibite & inebriamini.* Ebrietas aliquando pro ſaturitate ponitur in ſcripturis, ſicut de fratribus Ioſeph ſcriptum eſt. *Biberunt, & inebriati ſunt coram eo.* Et Pſalmiſta. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam*, id eſt ſatiaſti & repleſti. Hortatur ergo nos, vt non ſolum comedamus, & bibamus, verum [G] etiam ſaturemur: Quia ſunt, qui comedunt, & non ſaturantur, quia videlicet prædicationem Diuinam delectabiliter audiunt, ſed negligenter obliuiſcuntur, nec ad effectum boni operis, quod audierunt, perducunt. Comedunt autem, & ſaturantur, qui verba vitæ audita ad effectum boni operis perducunt. Sed ſi, vt ſuperius dictum eſt, de morte Sanctorum hoc acceperimus, amici & chariſſimi, Angelici ſpiritus intelliguntur, quos iubet Dominus cõgregare electos ſuos ab hac vita & ad æternæ beatitudinis requiem transferre, iuxta quod in Euangelij parabola legitur. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.*

Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulſantis, Aperi mihi ſoror mea ſponſa, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei pleni guttis noctium. Deſpoliaui me tunica mea, quomodo induar illa, laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.

[H] Vox Eccleſiæ, *Ego dormio*, quia aliquantula pace largiente ſponſo meo, requieſco, nec tales patior preſſuras, quales primitiua Eccleſia, & ideo cor meum vigilat, quia ſecurius conceſſa mihi pace amori ſponſi mei inhæreo, & ad illum oculis cordis intendo: Sed quia hic tempus non eſt requiei, ſed potius laboris, & certaminis, rurſus ſponſus Eccleſiam ſuam ad labores excitat, & ad prædicationis certamen hortatur. *Vox dilecti mei pulſantis.* Pulſat dilectus cum Chriſtus fideles ſuos ad profectum virtutis hortatur. Siue pulſat cum eos admonet, vt proximos prædicando lucrentur. Eſt & tertia pulſatio, qua pulſat Dominus electos ſuos, cum per ægritudinis moleſtias eſſe mortem vicinam deſignat. De qua pulſatione in Euangelio, *vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim* &c. Sed hoc loco pulſare dicitur, Eccleſiam ad opus prædicationis inſtigare. *Aperi mihi ſoror mea.* &c. Soror, quia cohæres Regni mei es facta, amica mea, quia de iugo ſeruitutis liberata, arcana veritatis meæ

cognouiſti

A cognouiſti. Columba mea, quia Spiritus mei dote ſanctificata: Immaculata mea, quia effuſione mei ſanguinis ab omni peccatorum næuo purgata es. Aperi mihi: hoc eſt: de quiete & ocio dilectæ tibi contemplationis, egredere ad opus prædicationis. *Quia caput meum plenum eſt rore &c. Caput Chriſti*, vt Apoſtolus dicit, *Deus eſt.* Cincinni vero, ſunt cogitationes ſanctorum, quæ non laxe, & diſſolute fluunt ſed vinculo timoris, & amoris Dei colligantur. Ros vero & guttæ noctium, hoc loco tenebroſas, & infidelitate plenas frigidaſque mentes ſignificant. Caput ergo ſponſi plenum eſt rore, cum ſæculares quique à Dei veritate torpeſcunt, & iuxta quod Dominus dicit, *abundante iniquitate, refrigeſcit charitas*: Et cum tales Sanctos Dei cœleſtia meditantes perſequuntur, & odiunt, quaſi cincinni ſponſi pleni ſunt guttis noctium. Cum ergo tales multiplicantur & grauant Eccleſiam, tunc ſponſus admonet ſponſam, vt ſurgat, & operi prædicationis inſiſtat. B *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa.* Exui, inquit, me curis, & occupationibus huius ſæculi, ſine quibus officium prædicationis, aut vix, aut nullatenus agitur, & quomodo fieri poteſt, vt ad ea, quæ deſerui, iterum reuertar? Nam qui ſe ad officium prædicationis ſuſcipiendum aptat, debet quoque temporalia ſubditis prouidere quæ ſine magna ſollicitudine agi non poſſunt. Quod autem tunica curas & ſollicitudines ſæculi ſignificet, Dominus oſtendit dicens in Euangelio. *Et qui in tecto eſt, non deſcendat tollere tunicam ſuam.* quod eſt aperte dicere, qui in ſublimi contemplationis arce conſiſtit, non deſcendat, vt iterum occupationibus ſæculi implicetur. Timet ergo Eccleſia vel anima quæque ſanctꝛ hac tunica exui, & in contẽplatione ſui conditoris requieſcens, iterum reindui, & ſæcularibus negotiis occupari. *Laui pedes meos quomodo inquinabo illos*: Laui pedes meos, hoc eſt actiones, quibus puluerem tangere, hoc eſt, terrena agere conſueueram, lignis pœnitentiæ fletibus ablui, adeo vt nihil nunc niſi C Diuina me libeat meditari. *Quomodo inquinabo illos*, id eſt, quomodo poteſt fieri, vt iterum ad cogitanda terrena, & caduca redeam, quæ nunc exoccupato & libero corde Diuino fruor contuitu.

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius; ſurrexi vt aperirem dilecto.

Dilectus manum per foramen mittit, & ventrem tangit, cum interna conditor inſpiratione cor viſitat, & ad profectum virtutum accendit: Seu etiam, cum nos ad memoriam operum ſuorum reuocat, vt cogitemus, quia cum eſſet Deus, homo pro nobis fieri dignatus eſt. Nam quod venter cor ſignificet, oſtendit Propheta dicens. *Ventrem meum doleo*, quod quid eſſet, oſtendit ſubdens. *ſenſus cordis mei diſſipati ſunt. Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Aperimus dilecto, non ſolum cum aduentum D eius per charitatem ſuſcipimus, verum etiam cum aliis prædicamus, & eos, qui per malitiam pectus clauſerant, noſtra prædicatione conuerſos facimus, vt ipſi quoque ianuam cordis Chriſto aperiant. Bene autem primo dicitur, *Surrexi*: deinde, *vt aperirem.* Qui enim prædicando aliorum corda Chriſto vult aperire, prius debet ſurgere, hoc eſt: ad ſtadia bonorum operum ſe erigere, opere implere, quod prędicat: *ne forte cum aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur.* Hinc & Lucas de Domino dicit: *quia cœpit Ieſus facere & docere*: Prius dixit *facere*, deinde *docere.*

Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, & ille declinauerat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt, quæſiui, & non inueni illum, vocaui, & non reſpondit mihi. Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt, ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt mihi pallium meum cuſtodes murorum. Adiuro vos Filiæ Ieruſalem; ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo.

E Per manus, quibus operamur, ipſa operatio deſignatur: Per digitos vero diſcretio operis: quia in nullo membro tantæ ſunt diſcretiones articulorum quantæ in digitis. Manus Eccleſiæ myrrha diſtillant, cum prædicatores eius continentiæ & mortificationi operam dant, dicentes cum Apoſtolo: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Siue, cum pro Chriſto mori parati ſunt: ſicut Ioannes dicit: *Si Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Digiti vero ſunt pleni myrrha probatiſſima, cum ipſum opus mortificationis ſubtiliter diſcernimus, vtrum pro intuitu ſupernæ mercedis fiat, an pro ſæculi laudibus: Qui enim pro humanis fauoribus ieiunat, vel abſtinentiæ ſiue continentiæ operibus inſiſtit, in manibus quidem myrrham habet, Sed in digitis non habet: quia non diſcernit, quare faciat hoc: de quibus Dominus: *Receperunt mercedem ſuam.* Siue, manus ſponſæ diſtillant myrrham, cum operatores Sanctæ Eccleſiæ, caſtimoniæ, & continentiæ ſeipſos F attrectant. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat atque tranſierat.* Plerumque enim dum ſpiritualia quoque tractare volumus, quanto ſubtilius intendimus, tanto acies cordis reuerberatur. Vnde Salomon *dixit, Sapiens efficiar, & ipſa receſſit à me longius*? Et Pſalmiſta: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Quanto enim quiſquam ad contemplationem Diuinam, purificatione carnis cor ſuſtollit, tanto altius, quod quærebat, eſſe inuenit. Dicit ergo: *Ille declinauerat atque tranſierat*, quia nemo in præſenti vita eum, ſicuti eſt, comprehendere poteſt. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.* Quanto, inquit vicinius aduentum ſponſi mei per ſenſi attactu ſecretæ inſpirationis, tanto magis quicquid in me erat frigidum, incaluit, ita vt nihil mihi iam libeat, niſi in lacrymas reſolui. Loquitur enim ſponſus, cum interna ſui inſpiratione Chriſtus ſanctam animam inſpirat eiſque cœleſte deſiderium ſuggerit: Et ita eo loquente liqueſcit, quia quo magis cœleſtibus afflatur deſideriis, eo G amplius terrenis emoritur, & quaſi inſenſibilis mundo efficitur, ſolumque cœleſti deſiderio viuit. Hoc eſt quod Dominus etiam per Prophetam dicit: *Quis cæcus, niſi ſeruus meus, quis ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? Quæſiui illum, & non inueni.* Ingeminat iterum cauſam doloris ſui. *Vocaui illum, & non reſpondit mihi.* Omnibus quidem ſe piè quærentibus ſemper adeſt Dominus, ſe inuocantibus reſpondet, id eſt ad ſalutem exaudit, ſed plerumque fidelem animam, & ad ſe venire deſiderantem non exaudit; ad hoc, vt ita ſe ei præſenti oſtendat, ſicut ſe in futurum oſtenſurum promiſit. Vel etiam non reſpondet, id eſt non exaudit, ad hoc vt ad libitum ſuum ſanctus quiſque vinculis corporis exuatur, & liber amplexibus ſponſi ſui demulceatur. Nam quando Apoſtolus dicebat. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, quaſi quærebat inhærere ſponſo ſuo, & vocabat illum deſiderio mentis, ſed tamen non reſpondebat illi, quia non ſtatim de corpore eum liberabat, ſed adhuc laboribus exerceri & vti- H litatibus Eccleſiæ inſudare permittebat. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem*, &c. Vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, ſancti ſunt Doctores, qui ciuitatem Dei, id eſt Eccleſiam circumeunt, peruigilem eius curam agentes, quo illam & ab aduerſariis tueantur, & verbo ſuo, vel exemplo ad cœleſtia deſideria accendant. Inueniunt ergo ſponſam dilectam quærentem, cum ſancti Doctores animam cœleſtibus deſideriis intentam, vel præſentes verbo, vel abſentes ſcriptis ſuis inſtituunt, & informant. Percuſſerunt, inquit, me & vulnerauerunt: verbum Dei gladius eſt, dicente Apoſtolo *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hoc gladio ſponſa Dei percutitur, & vulneratur, quando prædicatoris ſermo de Deo loquitur, & auditoris mentem, veluti quodam ſpiculo amoris transfodit. *Tulerunt mihi pallium meum.* Hoc eſt pallium, quod ſuperius tunica intelligitur, vbi dicitur, *Spoliaui me tunica mea* tegmine videlicet ſæculiarium deſideriorũ, quod cuſtodes auferunt; quia quicquid de amore præſentis ſæculi, in mente alicuius ſancti remanſit, totum ſancti Doctores auferunt, & ſolummodo Chriſtum diligere faciunt. Hi tales poſſunt dicere

A cum Apoſtolo. *Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. Cuſtodes murorum.* Muri ciuitatis Doctores Eccleſiæ ſunt: Cuſtodes autem murorum illi ſunt, qui etiam eos inſtruunt, qui aliis prædicare poſſunt. Qualis erat Paulus, qui Timotheum & Titum muros vtiq; huius ciuitatis inſtruebat, & cuſtodiebat, hoc eſt exhortabatur ad perfectionem boni operis. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem.* &c. Filiæ Ieruſalem, ſunt animæ fideles, quæ vel adhuc in præſenti peregrinantur, vel etiam Chriſto fruuntur. *Filiæ Ieruſalem*, id eſt filiæ illius ſupernæ ciuitatis, in qua eſt ſumma pax & felicitas Diuinæ contemplationis. Sed hoc loco filias Ieruſalem, animas debemus accipere Deum deſiderantes, ſed adhuc in hac peregrinatione verſantes. Adiurat ergo ſponſa filias Ieruſalem, vt nuncient ſponſo, quia amore languet, cum anima fidelis fideles alios Deum deſiderantes, pro ſe deprecatur, vt ſuum deſiderium Chriſto inſinuent, eique nuncient ſuo amore illam teneri. Bene autem ſe amore languere dicit, quanto enim ſuperna deſiderare cœperit, tanto magis erga ea, B quæ mundi ſunt, infirmatur, & langueſcit. Nec mirum, ſi tales languere dicuntur cum Apoſtolus eos mortuos dicat: Mortui, inquit, *eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Ita ergo adiuranti ſponſæ, reſpondent filiæ Ieruſalem.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum; qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quoniam ſic adiuraſti nos?

Hoc tunc fit, quando quis fidelis fratrem fidelem alloquitur, & inuicem ſibi cœleſtium deſideriorum verba ſuggerunt, quibus ſe ad ſupernorum amorem accendant. Indica mihi, inquit, iam deſideranti, iam ad viſionem conditoris mei venire cupienti, *qualis eſt dilectus tuus,* id eſt qualiter Chriſtus amari debeat. Iam dudum, inquit, illum timere cœpi, ſed iam charitate timorem expellente, opto audire verba, quibus ad amorem illius accendar: Tu ergo, qui illum amore quæris, eiuſque amore C langues, dic mihi, *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto.* Dilectus ex dilecto, filius eſt ex Patre, ſicut eſt Deus ex Deo, lumen de lumine: Vel etiam, dilectus ex dilecto Chriſtus eſt, ex ea parte, qua diligendus eſt, non ex ea, qua timendus: nam timere, minus perfectorum eſt, quos timor à peccatis reuocat: amare iam perfectorum eſt. Interrogat ergo, qualis ſit dilectus ex dilecto, id eſt qualiter Chriſtus amari debeat, vel qualis ſit erga illos, qui illum tantum amare nouerunt.

Dilectus meus candidus, & rubicundus eſt, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ eius, ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Genæ illius, ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hiacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſaphiris. D *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius, vt libani, electus vt cedri. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis. Talis eſt dilectus meus, & iſte eſt amicus meus filiæ Ieruſalem.*

Vox Eccleſiæ: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Candidus virginitate, rubicundus paſſione. Candidus eſt, quia ſine peccato eſt. Nam ſine peccato eſt conuerſatus, peccatum enim *non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Rubicundus quia *lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Electus ex millibus,* ſingulari enim gratia homo Chriſtus in humani generis maſſa refulſit, quia per illũ propoſuit Deus ſaluare genus humanum, & ipſe eſt mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus. De quo Pſalmiſta: *Non eſt, qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum.* Et Salomon. *Virum de mille vnum repperi,* id eſt Chriſtum. Et ipſe in pſalmo: *Singulariter ſum ego donec tranſeã.* Electus ergo eſt ex millibus, quia ſolus ex multitudine Sanctorũ dignus fuit audire: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Caput eius aurum optimum.* Caput ſponſi Deus eſt, E iuxta quod Apoſtolus ait. *Caput Chriſti Deus.* Quod auro optimo comparatur, quia ſicut aurum omnibus metallis eſt pretioſius, ita Omnipotens Deus omnibus à ſe factis bonis præcellit, & ſupereminet. Vnde Dominus. *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Caput ergo ſponſi aurum optimum eſt, quia Dei bonitas ineffabiliter eſt omniũ rerum bonitatem tranſcendens, quia nihil bonum niſi participatione huius ſummi boni. *Comæ eius, ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* Comæ ſponſi ſunt, multitudines fidelium, per fidem & dilectionem Deo adhęrentes. Quæ elatis palmarum comparantur. Dicimus iuxta litteram de elatis palmarum. Elatæ palmarũ ſunt rami productiores, & excellentiores interdum auroſi coloris criſpantes, & ſemper ad excelſa tendentes, & nunquam virorem ſuum amittentes. Tales ergo dicit comas ſponſi ſui eſſe Eccleſia, criſpas videlicet; & rutilas. Nonnulli dicunt. Elatas palmarũ, ſpeciem eſſe arboris aromaticæ, quam latini abietem ſiue ſpatam vocant: Eſt autem hæc ſpecies apta conficiendis F vnguentis. Abietem vero hic non magnam illam arborẽ, quę eſt nauigiis, vel domibus apta, ſed vt diximus, ſpeciem aromaticæ arboris debemus accipere. Hæc iuxta litteram de elatis palmarum. Comæ ergo ſponſi elatis palmarum comparantur, quia fidelium multitudines, & virore fidei gaudent, & ad æterna præmia deſideranda extolluntur, atque dulcedinem ſupernæ ſuauitatis deguſtant, quam quanto magis percipiunt, tanto amplius in oculis ſuis peccatores ſibi & contemptibiles eſſe videntur. Vnde ſequitur. *Nigræ quaſi coruus.* Comæ enim ſponſæ nigræ ſunt, quaſi coruus, quia multitudines fidelium ſuæ fragilitatis ſibi conſcij ſunt, & nihil ſe boni ex ſe ipſis habere nouerunt: Vel etiam, elatæ palmarum ſunt, in ſpe & victoria: *nigræ quaſi coruus,* quia deſpecti, & contemptibiles preſſuris huius ſæculi. Elatæ palmarum, ſunt ſancti, qui per gratiam Dei ad cœleſtis victoriæ palmam tendunt: *nigræ quaſi coruus,* quia per ſe infirmos ſe, & peccatores eſſe cognoſcunt. Poſſunt etiam comæ ſponſi Angelicæ G virtutes accipi, quæ Deo ſpecialiter inhærent, ſicut comæ capiti eumque à vicino contemplantur. Quæ benè elatis palmarum comparantur, quia numquam à ſtatus ſui rectitudine inclinantur, ſed in dignitate officij ſui immaculatæ permanent, quæ quanto magis claritatem ſui conditoris contemplãtur, eo quam vile ſit omne creatum in eius comparatione aſpiciunt, & ideo quaſi coruus nigræ eſſe dicuntur. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuos aquarum,* &c. Oculi ſponſi, dona ſunt Spiritus ſancti, quod oſtendit Ioannes in Apocalypſi dicens, *vidi agnum tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem,* &c. Vnde bene columbis ſuper riuos aquarum comparantur, quia ſpiritus ſanctus puris, & ſinceris mentibus delectatur. Non enim ſuper ſtagna vel paludes, ſed ſuper riuos aquarum columbæ reſident, quia Spiritus ſanctus caſtas mentes, vt dictum eſt, ſibi habitaculum facit, *quæ lacte ſunt lotæ,* lactis nomine gratia Dei intelligitur, quæ per ſpiritum ſanctum Eccleſiæ tribuitur, & qua, veluti lacte H paruuli, ita Eccleſia nutritur. Poſſumus, & per oculos ſponſi Doctores accipere, qui columbis comparantur, propter innocentiam, & ſimplicitatem. Hæ columbæ ſuper riuos reſident aquarum, quia ſancti Doctores fluentis Diuinarum ſcripturarum immorantur. Columbæ enim ad hoc ſuper riuos aquarum reſident, vt aduentum accipitris à longè proſpiciant, & præcaueãt, ſic & ſancti Doctores aqua baptiſmatis perfuſi, nitore caſtitatis, & ſanctimoniæ dealbati ſunt. *Reſident iuxta fluenta pleniſſima,* hoc eſt iuxta ſcripturarum exuberantem ſcientiam. Si quid vero putamus diſtare inter riuulos, & fluenta pleniſſima, dicendum, per riuulos, veteris teſtamenti ſcripturas deſignari per fluenta pleniſſima, copioſam ſancti Euangelij doctrinam accipi. Iſtæ ergo columbæ, & ſuper riuulos aquarum, & iuxta fluenta pleniſſima reſident, quia ſancti Doctores aſſiduè tam veteris teſtamenti, quam noui myſteria perſcrutantur. *Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Genæ ſponſi modeſta Chriſti pietas, vel ſeueritas, ſiue habitus vultus illius

accipitur,

A accipitur, nam in genis viri lætitia vel modeſtia, ſeueritas quoque & pietas deprehenditur, ideoque in genis ſponſi redemptoris noſtri, iſte habitus vultus accipitur. Genæ enim illius erant, cum exultaret in ſpiritu, & Euangelium dicit, vel cum fleret ſuper mortuum Lazarum, vel cum doleret ſuper perituram Ieruſalem, & multa id genus. Hæ ergo genæ ſponſi areolis aromatum comparantur Sicut enim areolæ aromatum optime compoſitæ, & ordinatæ aſpectū intuentium delectant, eiſque odorē ſuum propinant, ita Chriſti manſuetudo, & abſentes fama, & præſentes reipſa delectabat, & ad ſui dilectionem prouocabat. Hæ areolæ à pigmentariis conditæ ſunt: Pigmentarii ſunt prophetæ vel Apoſtoli, quia alteri futura hæc omnia, alteri iam facta deſcripſerunt. *Labia illius lilia diſtillantia myrrham primam.* Per labia ſponſi verba Domini Ieſu Chriſti accipiuntur, quæ liliis comparantur, quia candoris æterni præmia annunciant, diſtillant myrrham primam, quia quæcunque aduerſa patienter perferēda inſinuant. Labia Domini erant lilia, cum docens in monte diceret, *Beati pauperes ſpiritu, Beati*

B *mites, Beati miſericordes, beati mundo corde:* Diſtillabant myrrham primam, cum poſt hæc ſubnecteret; *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hiacinthis.* In manibus ſponſi operatio Saluatoris accipitur Sicut enim quis facile torno operatur nec Regula vlla indiget, ſic operatio redemptoris facilis erat quicquid volebat illico perficiebat, quia dixit & facta ſunt: & de quo Euangeliſta dicit: *Erat quaſi in poteſtate habens ſermonem*, Aureæ autem erant, quia operatio illius diuinitatis peragebatur potentia. Nam in auro Diuinitas figuratur, quia ſicut aurum terrena metalla antecedit, & precioſius eſt, ita Diuinitas omnibus ſuis operibus ineffabili modo præcellit. *Plenæ hiacinthis.* Hiacinthus lapis eſt aërei coloris. Quid ergo in hiacinthinis manibus, niſi ſpes, & deſiderium cœleſte accipitur. Et manus Domini plenæ ſunt hyacinthis, quia omnis eius operatio nos ad ſpem, & deſiderium ſupernorum excitat Hiacynthus eſt etiam flos aromati-

G cus, coloris purpurei bonique odoris. Manus Domini plenæ ſunt hyacinthis, quia in cruce clauis perforatæ, & rubore ſui ſanguinis quaſi colore purpureo reſperſæ ſunt. Sed ſuperior expoſitio de hiacintho lapide, melius hic conuenit, quoniam in alia tranſlatione lapis habetur. Dicuntur enim manus eius tornatiles plenæ tharſis. Tharſis, lapis eſt quem nos Calcedonium dicimus. *Venter eius eburneus diſtinctus ſaphiris.* In membris humani corporis nihil ventre fragilius nihil tenerius, ideoque per ventrem fragilitas humanitatis aſſumptæ in Chriſto accipitur. Ebur autem eſt os elephanti, quod animal dicitur eſſe caſtiſſimum, & naturæ frigidiſſimæ, vnde & à dracone, qui calidæ naturæ eſt vehementer appetitur. Venter ergo ſponſi eburneus eſt, quia aſſumpta humanitas redemptoris, nullam corruptionem, nullam labem admiſit. *Peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius:* fragilitatem quidem carnis aſſumpſit, ſed tamen totius peccati inimicus fuit. Sicut ſerpens à Moyſe in deſerto

D exaltatus figuram quidem ſerpentis habuit, ſed malitia veneni caruit. Diſtinctum ſaphiris. Saphirus lapis eſt cæli ſereni habens colorem. Vnde in viſione Domini dicitur. *Et ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphiri, & quaſi cælum cum ſerenum eſt.* Per ſaphiros ergo opera Diuinæ maieſtatis intelliguntur, quæ in carne perficiebat. Venter ergo ſponſi diſtinctus erat ſaphiris, quia humanitas Chriſti cœleſtibus virtutibus refulgebat: Nec plenus dicitur eſſe ſaphiris; ſed diſtinctus, ita videlicet, vt inter ſaphiros appareret eboris candor, quia ſic Dominus operabatur ea, quæ diuinitatis erant, vt nihilominns perficeret ea, quæ erant humanitatis, ſic & rurſus operabatur ea, quæ erant humanitatis, vt non relinqueret ea, quæ erant diuinitatis: diſtincta eſt enim operatio in Chriſto Diuinitatis & humanitatis. Nam quando eſuriebat, quando flebat, quando laſſabatur, quando ad vltimum crucifigi, & mori poterat, humanitatis opera erant: quod vero mortuos ſuſcitabat, quod omnibus infirmitatibus ſuccurrebat, quod ſeipſum à mortuis ſuſcitauit, euidentiſ-

E ſima erant diuinitatis opera. *Crura illius columnæ marmoreæ.* Crura ſponſi itinera erant Saluatoris, quibus homo fieri, & ad nos venire dignatus eſt. Quæ recte columnis marmoreis comparantur, quia nihil marmore fortius, nihil columna rectius; Et crura ſponſi marmoreæ ſunt columnæ, quia omnia itinera Dei & fortia ſunt, & recta ſunt. De fortitudine dicit Pſalmiſta *Exaltauit vt gigas*, De rectitudine alibi: *Iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius: Et vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Hæc crura ſuper baſes aureas fundata ſunt, quia omnia, quæ pro Chriſto. vel in Chriſto agenda erant diuinitatis conſilio ante mundi conſtitutionem præordinata, & præfinita ſunt, Aurum enim, quod vt ſæpe dictum eſt ſplendidius & precioſius eſt cæteris metallis, diuini conſilij ſinceriſſimum ſecretum ſignificat. De baſibus ergo aureis columnæ marmoreæ procedunt, quia ab initio ſæculi præordinata eſt incarnatio, natiuitas, paſſio, & reſurrectio Saluatoris, cæteraque myſteria, quibus humanum genus redimeretur. Vnde Pro-

F pheta laudans Dominum dicebat: *Domine Deus meus honorificabo te, laudes dicam nomini tuo, qui facis mirabiles res, conſilium tuum verum fiet. Species eius vt libani, electus vt cedri.* Libanus Phænicis eſt mons terminus Iudææ contra Septentrionem, & eſt excelſior cæteris montibus, arbores etiam illius montis, & Proceritate, & ſpecie ac robore cæterarum ſyluarum ligna præcellunt. Sicut, inquit, libanus cæteris montibus Iudææ terræ præcellior eſt, ita redemptor noſter ſpecioſor eſt electis omnibus, quia ſpecioſus forma præ filiis hominum. Et ſicut cedrus pulchrior & procerior eſt cæteris arboribus, ita ille gratia & dignitate omnes ab initio ſæculi ſanctos præcellit. *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis.* Superius per labia ſponſi, verba illius intellecta ſunt, nunc per guttur ipſorum verborum interior dulcedo ſignificatur, qua intellectus noſter ſatiatur, & ad quam percipiendam inuitabat Pſalmiſta dicens. *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus,* Et multi quidem verba Domini facile intelligere poſſunt, ſed pauci ſunt, qui dulcedi-

G nem illorum valeant penetrare, hoc eſt qui præcepta Dei ex amore, & deſiderio ſtudeant adimplere. *Et totus deſiderabilis.* Ac ſi diceret. Quid per ſingula membra eius deſcribendo immoror? Totus eſt deſiderabilis ſponſus meus. Totus inquit, quia perfectus eſt Deus, perfectus homo. Totus ergo deſiderabilis eſt, quia Angelos & electos quoſque ad ſuum deſiderium accendit. Iuxta quod Apoſtolus dicit. *In quem deſiderant Angeli proſpicere* Et quo vicinius aſpicitur, tanto maiori deſiderio ad ſe aſpiciendum, deſiderium prouocat intuentis. *Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Ieruſalem.* Dilectus, quia per fidem & charitatem illi inhæreo: Amicus vero, quia me de vinculo peccati redemptam, amicam ſuam, & ſecretorum ſuorum conſciam facere dignatus eſt. Quem quanto quiſque plus diligit, tanto amicitia eius dignior efficitur.

Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

H Vox eſt filiarum Ieruſalem, id eſt Eccleſiarum, ſiue etiam animarum ſanctarum. Nam ſponſa Chriſti eſt Eccleſia: filiæ vero Ieruſalem, ipſa Eccleſia eſt, quæ ex ſingulis fidelium animabus conſtat Aiunt ergo: *Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Adiurauerat enim ipſa ſponſa ſuperius filias Ieruſalem, vt nunciarent ſponſo, quia amore eius langueret: Interrogauerunt eandem filiæ Ieruſalem, qualis eſſet ſponſus? & illa conſequenter formam ſponſi ſui expoſuerat. Nunc interrogant ipſæ filiæ Hieruſalem, quò abierit ſponſus ille, vt quærant eum cum ea. Hoc faciunt ſanctæ animæ, quando ad inuicem de æterna ſalute colloquuntur, flagrantes amore Chriſti, eius aſpectum deſiderantes, ſiue cum diligenter, inveſtigāt in quorū maxime cordibus Chriſtus requieſcit, vt eorum exemplo, & conuerſatione ædificentur. Notandū

A vero quod dicitur, *Quo abiit vel quo declinauit dilectus tuus.* Quaſi enim ad tempus declinat dum quæritur, vt maius ad ſe quærendum deſiderium excitetur. Ad hoc enim plerumque differt vota, & orationes ſanctorum, vt ardentius eum deſiderare incipiant Sicut quondam Mariæ ſe quærenti non ſtatim oſtendit ſe, ſed in ſpecie hortulani apparens, tandem quod ipſe eſſet, qui quærebatur, aperuit. Exaudit ergo Dominus ſemper, electos ſuos, ſed tamen quaſi declinat, cum non ſtatim poſtulata concedit Bene autem dicitur: *Et quæremus eum tecum.* Nam qui ſine Eccleſia Chriſtum quærit, errare poteſt, proficere non poteſt.

CAPVT VI.

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatis, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter B *lilia, &c.*

IAm ſupra docti ſumus, quis ſit hortus Chriſti, ſancta videlicet Eccleſia, de qua ſupra dictum eſt; *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*, Deſcendit, inquit, Chriſtus in hortum ſuum, hoc eſt, quem ipſe præparauit & excoluit, quem virtutum ſeminibus conſeuit, quem ſua gratia illuſtrauit, quem muro ſuæ cuſtodiæ ab incurſu malignorum ſpirituum defendit. Et bene in hortum ſuum deſcendiſſe dicitur. Nam in horto ſepeliri voluit, & primum Mariæ Magdalenæ in horto apparuit, ibique quodammodo primitias Eccleſiæ conſecrauit. Deſcendiſſe autem dicitur, quaſi de ſuperioribus & cœleſtibus ſedibus in hortum, quem in humili loco plantauit. Sed ad hoc ipſe deſcendit, vt hortus, id eſt Eccleſia eius ad ipſum aſcenderet. Vnde & in ſequentibus de horto, id eſt, de Eccleſia ſua dicit. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum? Ad areolam*, inquit, *aromatis.* Per areolam anima cuiuſque fi-C delis intelligitur quæ diſciplina cœleſti exculta, & diligenter compoſita, ac laterum parilitate exquadrata eſt. Vt paſcatur, inquit, in hortis, id eſt in piis ſanctorum laboribus delectetur. Ipſe enim bonis noſtris paſcitur, in tantum, vt in paupere ipſe reficiatur. *Et lilia colligat*, hoc eſt, vt ſanctas animas virtutis maturitate ad perfectum candorem perductas, de hoc mundo ad ſe colligat, & ſecum in æterna beatitudine gaudere faciat. Lilia enim ſunt ſanctæ animæ virtutum ſtudiis & bonis operibus candidatæ. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi qui paſcitur inter lilia.* Ego dilecto meo, ſubauditur, gratam paſſionem præbeo. Et dilectus meus mihi, ſupple, gratiam perfectionis, vel præmium æternæ retributionis præſtabit. Siue ego dilecto meo in meipſa manſionem præſtabo, *Et dilectus meus mihi*, quia ipſe habitat in me, & me in ſe habitare facit, ſicut ipſe in Euangelio dicit. *Ego in vobis, & vos in me*, Pulchra es amica mea, ſuauis & decora. Quærebat Eccleſia ſponſum ſuum tanquam abſentem, ſed ille vt ſe præſentem ſemper oſtenderet, eique de ſe colloquenti, ſemper deſideranti, ſemper ad-D eſſe demonſtraret, cito reſpondit. Pulchra es amica mea & decora ſicut Ieruſalem. Pulchra es, quia maculam, & rugam non habes, ſed omni nitore virtutum vernas. *Amica mea*, Eccleſia vel anima quoque fidelis, *Suauis, & decora ſicut Ieruſalem.* Ieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur, illam ſupernam ciuitatem deſignat, in qua eſt vera pax, & felicitas, quia ibi ſic gaudent ſancti de munere, vt non ſit, quod doleant de corruptione. Ergo Eccleſia, quæ adhuc in terris eſt, vel anima quæque fidelis, ad ſimilitudinem illius Ieruſalem ſuauis eſt, & decora, quia illam pacem, in quantum poteſt, imitatur, *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, Terribilis eſt Eccleſia malignis ſpiritibus. Et eſt ordinata vt caſtrorum acies, cum videlicet vnuſquiſque fidelis ordinem ſuum, & vocatione recte cuſtodit. Tres enim ſunt Eccleſiæ ordines, ſcillicet, Doctorum, continentium & coniugatorum. Quæ ſpecies in tribus viris illis demonſtrata eſt, Noë, Daniel & Iob, Noë, enim qui inter fluctus arcam rexit, ſanctos Doctores ſignificat. Daniel celebs, & caſtus continentium, Iob, qui vxorem habuit & filios ordinem coniugatorum exprimit. E Ergo Eccleſia ordinata eſt ſicut acies caſtrorum, quia vnuſquiſque ordo Eccleſiæ velut in acie contra hoſtes malignorum ſpirituum conſiſtit, dum ſãcti Doctores prædicationi, & doctrinæ operam impendunt, continentes quæ mundi ſunt contemnentes tantum quæ Dei ſunt cogitant, & liberi à terrenis occupationibus mente ſoli Deo vacant, coniugati eleemoſynis & cæteris actualis vitæ operibus inſiſtunt, ſicque vtuntur mundo, vt quæ Dei ſunt non deſerant. Hæc ergo ordinatiſſima diſpoſitio Eccleſiæ, terribilis eſt immundis ſpiritibus, velut acies caſtrorum ordinata quia ſic vnitate charitatis cõnexa eſt, & coniuncta, vt nulla vi maligni hoſtis, nulla peſte diſcordiæ poſſit penetrari. Nihil enim ſic terret malignos ſpiritus, quomodo charitas.

Auerte oculos tuos à me quia ipſi me auolare fecerunt. Capilli tui, ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de F *Galaad. Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt in eis. Sicut cortex mali punici gena tua, abſque occultis tuis.*

Auerte oculos tuos à me, &c. Ac ſi diceret. Ego dedi tibi oculos colũbinos, quibus me intueri, & arcana ſcripturarum penetrare valeas, ſed caue ne illos ad me videndum intendere velis, quod dum in præſenti viris fieri non poteſt. *Non enim videbit me homo, & viuet*, cum autem vinculis carnis abſoluta ad me perueneris, tunc me aperta viſione videbis, & implebitur quod in Euangelio repromittitur. *Qui autem diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei me ipſum.* Quod autem dicitur. *Quia ipſi me auolare fecerunt*, non eſt putandum, quod Deus quærentes ſe deſerat, & ab illis recedat, cum ipſe præcipiat: *quærite, & inuenietis*, ſed ita potius accipiendum, quod quanto amplius quiſque maieſtatem Diuinitatis perſcrutari voluerit, eo amplius intel- G liget, quam imperſcrutabilis & incomprehenſibilis ſit. Et hoc eſt enim quod Pſalmiſta dicit: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Ac ſi diceret. Licet homo ad videndum Deum cor ſubleuet, exaltatur Deus, quia quantus ſit comprehendi non poteſt. *Capilli tui &c.* Hi verſiculi ſuperiùs expoſiti, ſunt ſed non pigeat iterato exponere quos non piguit Spiritum ſanctum repetere. Ideo enim bis iſtos verſiculos poſuit, vt certiſſimum, & ſtabile teneremus, quod ſub repetitione confirmari audiremus. Capilli ſanctæ Eccleſiæ, multiplex eſt ſubtilium cogitationũ varietas. Et bene comparantur gregi caprarum. Nam capra peccatoris figura eſt, Vnde & in lege præcipitur, vt quicumque per ignorantiam peccauerit, & cognouerit reatũ ſuum, offerat pro delicto caprã in holocauſtũ. Capilli ergo Eccleſiæ gregi caprarum comparantur, quia ſancti qui ſunt membra Eccleſiæ, omnes reatus cogitationis ſuæ per dignam pœnitentiam, & per lacrymas iuſtæ compunctionis delere ſatagunt. Bene autem de monte Galaad apparuiſſe dicuntur: Galaad, interpretatur aceruus teſtimonij, ideo per Galaad mons Sanctorum deſignatur, H quaſi aceruus teſtimonij, quoniam omnia, quæ ſæculi ſunt negligere, & ſolum Deum deſiderare, euidentibus atteſtantur teſtimoniis ſiue indiciis. Poteſt etiam per Galaad ipſe Dominus, & Redemptor noſter intelligi. Galaad enim eſt montis & ciuitatis nomen. De monte Galaad grex caprarum apparuit, quia Eccleſia ſuper Chriſtum eſt fundata, ſicut ipſe dicit: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita:* Et ipſe eſt aceruus teſtimonii, quia multitudo Prophetarum & Patriarcharum, geſtis, & ſcriptis teſtimonium perhibent. *Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro.* Per dentes Eccleſiæ firma ſermonum eius ſtabilitas intelligitur. Qui bene gregi ouium comparantur, quæ aſcenderunt de lauacro, quia verba Eccleſiæ nihil niſi innocentiã & mãſuetudinẽ ſonant, nihilque in ſe fœdum, nihil turpe vel immundũ retinent, ſed lauacro ſinceritatis, & puritatis lauantur, audiẽtes ab Apoſtolo: *Sermo malus ex ore veſtro nõ procedat* Bene autẽ omnes gemellis fœtib⁹ eſſe dicũtur quia [illegible] mo

A ſanctorum nihil aliud ſonat, & loquitur, niſi quod ad dilectionem Dei & proximi pertinet, ſolummodo enim ea loqui ſancti debent, quæ ad perpetuam corporum, & animarum ſalutem pertinent. *Sicut cortex mali punici, &c.* In genis diximus ſuperius, ſanctorum caſtam verecundiam ſignari: In cortice mali punici myſterium paſſionis Chriſti, audientes à Paulo Apoſtolo: *Noli erubeſcere crucem Chriſti neque me vinctum eius.* Et hæc quidem magna ſunt, quoniam aperta ſunt, maxima vero ſunt illa quæ ſunt intrinſecus, hoc eſt quæ in futuro ſanctis reſeruantur.

Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, vna eſt perfecta mea, columba mea, vna eſt matri ſuæ, electa genetrici ſuæ, viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt, reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.

Reginæ ſunt Doctores ſanctæ Eccleſiæ, qui merito fidei, B & ſcientiæ thoro Regis æterni propinquant, & ſpirituales Deo filios pariunt. Sexagenarius numerus ex denario & ſenario perficitur, denarius per ſenarium multiplicatus in ſexagenarium conſurgit. & denario ſignificantur Diuina præcepta, propter decalogum legis, ſenarius vero pro perfectione ponitur, quia ſex dieb⁹ perfecit Deus opera ſua. Reginæ ergo ſexaginta eſſe dicuntur quia eos ſignificant, vt diximus, qui perfectionem ſcientiæ & operis pollent, & propter ſolum amorem conditoris ſui & intuitum ſupernæ remunerationis prędicant. Hic etiam numerus, id eſt, ſexagenarius, ex duodenario in quinquies ducto conficitur: nam quinquies duodecim, vel duodecies quinque ſexaginta fiunt. Reginæ ergo ſexaginta eſſe dicuntur, quia illos ſignificant, qui in Eccleſia conſtituti, quinque ſui corporis ſenſus iuxta inſtructionem duodecim Apoſtolorum caſte diſponere nouerunt. Concubinæ vero ſignificant eos, qui non ſincere Chriſtum prædicant, ſed propter lucra temporalia, vel propter laudes populares. Nam & iſtæ, ſicut reginæ, ad thorum regis per ſcientiam C accedunt, & filios ſpirituales generant, ſed à corona æterni Regni alieni exiſtunt. Et bene octuagenario numero comprehenduntur. Nam hic numerus ex denario, & octonario conficitur. Octonarius vero in malo accipitur aliquádo, propter quaternarium, quo multiplicatus conficitur, quaternarius enim temporalia quæque, & preſentia ſignificat, propter quatuor anni tempora: propter quæ temporalia prædicant, & ſpiritualia minus curant. De talibus Apoſtolus dicebat: *Sunt quidam Chriſtum annunciantes non ſincere*, &c, donec dicit: *In hoc gaudeo, ſed & gaudebo Adoleſcentularum non eſt numerus.* Adoleſcentulæ, ſunt animæ iam in Chriſto renatæ, quæ depoſita primi hominis vetuſtate in Chriſto renouatæ ſunt: necdum tamen ſunt nubiles, necdum thoro Regis aptæ, quia necdum ad prædicationem de Chriſto peruenerunt. Quarum non eſt numerus quia infinitus eſt numerus animarum in Chriſtum credentium nec ab vllo homine comprehendi poteſt. Cæterum Deo numerati ſunt omnes electi. Nam apud quem etiam ſtellarum numerus com- D prehenſus eſt ignorari non poteſt electorum numerus. Vna eſt columba mea, hoc eſt, vna eſt Catholica per vniuerſum orbem diffuſa Eccleſia, quæ ex reginis & adoleſcentibus conſtans etiam concubinas habet, id eſt, quoſdam qui nomine tenus ſunt Chriſtiani, vel Doctores dicuntur. Vna eſt ergo Eccleſia, quæ ſciſſuram & ſchiſmata non recipit; ſed ſicut vnus Deus eſt, vna fides, vnum baptiſma, ita vna eſt generalis Eccleſia. Quæ & recte columba vocatur, quia Spiritus ſancti dote, qui in ſpecie columbæ apparuit, Chriſto ſponſata eſt, & ſanctificata. *Vna eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ.* Mater noſtra illa cœleſtis Ieruſalem eſt, de qua Apoſtolus dicit. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Hæc ergo Eccleſia vna eſt matri ſuæ quia ad exemplum illius Eccleſiæ, quæ iam Chriſto fruitur, ipſa in hac peregrinatione inſtituitur, & informatur, atque ad illam beatitudinem, in qua Chriſto conregnat, peruenire nititur. *Viderunt illam filiæ*, &c. Quas ſuperius adoleſcentulas, hic filias appellat. E Reginas vero & concubinas in hoc loco vt ſuperius intelligamus. Filiæ ergo Reginæ & concubinæ prædicant Eccleſiam & laudant, quia vniuerſitas fidelium Catholicam admiratur Eccleſiam, Ipſa enim eſt Eccleſia quæ ex multis fidelium conſtans perſonis Catholicam id eſt vniuerſalem efficit Eccleſiam.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?

Vox eſt Synagogæ in fine quidem ſæculi cum plebs iudaica ad prædicationem Heliæ & Enoch conuerſa fuerit ad Chriſtum ipſa quoq; Eccleſia admirabatur dicens: *Quæ eſt iſta?* id eſt quanta & qualis eſt Eccleſia, *quæ progreditur*, hoc eſt profecit de virtute in virtutem? Non enim ſtare, ſed progredi dicitur quia non vno loco contenta, ſed totum mundum cœleſti prædicatione occupauit quaſi aurora conſurgens, quia tranſactis tenebris infidelitatis lumen ſe veritatis habere oſtendit. *Pulchra vt luna, &c.* F Lunam ferunt Phyſici à ſole illuminari, Eccleſia pulchra eſt vt luna, quia claritate ſponſi ſui Chriſti illuminatur, & eius gratia reſplendet. Siue pulchra eſt vt luna in præſenti vita, vbi aliquando conceſſa ſibi pace & ſecuritate creſcit, aliquando aduerſitatibus obtrita decreſcit. *Electa vt ſol*, in alia vita, vbi perpetuo ſplendebit de viſione Conditoris ſui. Siue, electa vt ſol, quia illum verum ſolem imitari nititur, de quo ſcriptum eſt. *Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ*, Hunc ſolem imitatur, viuendo in omni humilitate, & iuſtitia: & pietate. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, terribilis aëreis poteſtatibus. Ordinata vt caſtrorum acies, id eſt, charitatis vnitate vnita, vt nullis tentationibus penetrari valeat.

Deſcendi ad hortum nucum vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.

G Laudata Eccleſia à Synagoga reſpondet: *Deſcendi ad hortum nucum*: Hortus nucum eſt vita præſens; Nam ſicut in nuce tegmen quidem duriſſimum videtur, ſed nucleus latet, ita in præſenti vita, noſtræ conſcientiæ clauſæ ſunt, & non apparent, donec fracta teſta corporis manifeſtentur, Deſcendit ergo ad hortum nucum Eccleſia, quando per Doctores ſuos vitas ſingulorum conſiderat. Vnde ſequitur. *Vt viderem poma conuallium*, poma conuallium ſunt virtutes, quæ humilitate condiuntur; *Deſcendi, inquit, vt viderem poma conuallium*, id eſt, conſiderarem ſanctos, excellentia quidem virtutum præditos, ſed humilitate depreſſos. *Et inſpicerem ſi floruiſſet vinea*, hoc eſt conſiderarem, quo in ſtudio ſanctarum virtutum proficerent. *Et germinaſſent mala punica*, hoc eſt, vt eos quoque perquirerem, qui iam apti ſunt ad imitandam paſſionem Chriſti; Nam mala punica, vt ſæpe dictum eſt, myſterium Dominicæ paſſionis ſignificant. Conſiderat ergo Eccleſia per Prælatos ſuos, qui in virtutibus creſcant, vel qui iam perfecti ſint, vt imitantes H paſſionem Chriſti pro illo quoque idonei ſint ſanguinem fundere. Tales erant illi quibus Apoſtolus dicebat. *Vobis datum eſt non ſolum vt credatis in Chriſtum, ſed vt & pro illo patiamini.*

Neſciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

Vox Synagogæ, quæ videns tantam Eccleſiæ gratiam, inſpecta veritate Euangelij dolet quod non antea cognouerit fidem Chriſti, & quaſi exorans ſe, quod tam tardè conuerſa ſit, dicit: Neſciui O ſponſa Chriſti Eccleſia, neſciui, id eſt ignoraui tantam gratiam & tanta dona ſpiritualium virtutum tibi à ſponſo tuo collata: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab?* Conturbata ſum, inquit, nimia animi ſolicitudine pro tam ſubita Euãgelij prædicatione. Sciebam enim legẽ & Prophetas

diuinitus data, & ideo cum ſubito vidiſſem prædicari Euangelium, conturbata ſum propter quadrigas Aminadab. Aminadab abnepos fuit Iudæ, per quem generatio Chriſti contexitur. Interpretatur autem Aminadab, populi mei ſpontaneus: ideoque ſignificat Chriſtum, qui populi ſui ſpontaneus fuit, quia cum eſſet Deus, ſponte factus eſt homo, cum eſſet conditor, & creator ſola benignitate ſua factus eſt portio populi ſui. Et eſt ſenſus: conturbata, inquit, ſum propter ſubitam euangelij prædicationem, veluti velociſſimæ quadrigæ totum ſubito peruolare mundum. Et bene hanc prædicationem non currum, ſed quadrigam appellat, quia Euangelij prædicatio quatuor Euangeliſtarum auctoritate conſiſtit, & quatuor Euangelia quaſi quadrigæ ſunt noui teſtamenti, cui præſidet auriga ipſe Chriſtus, temperans & diſponens ipſe curſum Euangeliorum.

Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere reuertere vt intueamur te.

Vox eſt Eccleſiæ Synagogam ad fidem inuitantis. Reuertere ô Synagoga ab infidelitate ad fidem, reuertere ab odio ad dilectionem. Sunamitis interpretatur captiua, vel deſpecta: Talis erat Synagoga ante aduentum Chriſti, captiua videlicet vinculo diaboli, & deſpecta à Deo, quia Chriſtum ad ſalutem ſuam miſſum non cognouit. Reuertere vt intueamur te, id eſt pulchritudinem tuæ caſtitatis aſpiciamus. *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* Vox eſt ſponſi qui audiens invitari Synagogam a ſponſa ſua Eccleſia ad fidem, dicit: *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum.* Ac ſi diceret. Tu quidem ô ſponſa doles de perditione Synagogæ. & quod tarde ad fidem veniat, ſed adeſt tempus quo conuertatur, & tunc nihil videbis in ea niſi choros caſtrorum, id eſt niſi charitatis concordiam, & ſtabile robur fidei quo pro defenſione meæ fidei pugnabit. Nam chori, cantantium ſunt Caſtra vero, militum pugnantium. In Sunamite ergo chori caſtrorum videbuntur, quia conuerſa Synagoga, & concorditer Chriſtum prædicabit cum Eccleſia, & pro fide Chriſti vſque ad mortem certabit.

CAPVT VII.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis? iunctura feminum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, Collum tuum ſicut turris eburnea, Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. Caput tuum vt Carmelus, & coma capitis tui ſicut purpura Regis iuncta canalibus. Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis? ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris. Dixi aſcendam in palmam apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui ſicut malorum, guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.

Q*uam pulchri, &c.* Ab hoc loco incipit ſponſus exponere laudes ſponſæ ſuæ. Et notandum, Quod a greſſibus incipit eius pulchritudinem texere, & in laudes eius finit, ſicut ſuperius ab oculis cæperat. Hoc autem fecit; vel ad pulchritudinem, carminis variandum, vel etiam quia ſic myſteriis aptiſſimum eſt. *Quam pulchri,* inquit, *ſunt greſſus tui?* Vidit Eccleſiam non in vno loco otioſe ſtantem, ſed veloci prædicatione totum mundum peragrantem, ideo à greſſibus cæpit eam laudare, Greſſus enim Eccleſiæ ſunt, velox prædicatio Apoſtolorũ, per quos in omnem terram Euangelium inſonuit. *In calceamentis,* id eſt in patrum præcedẽtium exẽplis: Calceamẽta ex mortuis ſunt animalibus. Et calceamenta Eccleſiæ ſunt patrum præcedentium exempla, quibus greſſus habet munitos, vt ſecura ea imitando & ſine offenſione gradiatur, *Filia principis.* Alia tranſlatio *Filia Aminadab* dicit, Aminadab vt ſuperius dictum eſt, populi ſpontaneus dicitur, qui recte figuram Chriſti tenet? Nam Eccleſia, & filia eſt & ſponſa, filia, quia eius ſanguine redempta, eius baptiſmate eſt regenerata? ſponſa, quia dote ſpiritus ſancti illi eſt coniuncta, *Iunctura feminum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.* In feminibus vel femoribus, ſolet ſacra ſcriptura generationis propaginem deſignare. Vnde de Iacob legimus. *Omnes animæ, quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob.* Femina ergo Eccleſiæ ſunt ſpiritualis generatio credentis populi per verbum prædicationis, & lauacrum regenerationis. Iunctura feminum eſt coniunctio duorum populorum in vna fide, Iudaici, & gentilis. Et bene hæc iunctura monilibus comparatur, quia fides vtriuſq; populi maxime in operibus manifeſtatur. Nam *fides ſine operibus mortua eſt.* Fabricata autem ſunt manu artificis, hoc eſt Dei omnipotentis munere, virtus boni operis credentibus tribuitur. Hic eſt ille artifex, de quo Paulus dicit, memoriam Abrahæ faciens. *Exſpectabat enim manentem ciuitatem cuius conditor eſt Deus. Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis.* Vmbilicus fragiliſſima pars eſt corporis, vmbilicum. fragilitatem noſtræ mortalitatis debemus accipere, crater vero eſt calix maior anſas hinc inde habens. Vmbilicus ergo Eccleſiæ crater tornatilis eſt, quia quanto magis Doctores ſanctæ Eccleſiæ ſuæ fragilitatis meminerunt, tanto magis verbo prædicationis inſiſtunt, vt eleemoſynam verbi Dei præbentes, ipſi à Deo miſericordiam conſequantur. Et bene crater tornatilis dicitur. Torno enim facilius operamur, per quod ſignificatur facilitas erogandi verbum, & eleemoſynam dandi, non enim moroſe vel hæſitando eleemoſyna danda eſt, iuxta quod Salomon dicit. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare,* quod etiam torno fit, non eget exterius adhibita regula, vel linea, vel inerrato, nam ex ſe ipſo perficitur. Vmbilicus ergo Eccleſiæ crater tornatilis eſt, quia quicunque vel prædicat, vel eleemoſynam dat, pro ſola dilectione & ſupernæ mercedis exſpectatione hoc facere debet. Nam quicumque vel prædicat, vel proximis miſeretur pro remuneratione temporali, crater eſt, ſed non tornatilis. Et hic crater nunquam indiget poculis, quia prædicatoribus numquam deeſt prædicatio verbi Dei, quia ipſe, quem prædicant, pocula ſcientiæ & virtutum conſtantiæ illis ſubminiſtrat. Vnde Pſalmiſta *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Eadem fragilitas, quæ per vmbilicum deſignata eſt, oſtenditur hoc loco etiam per ventrem, quia venter nulla oſſium firmitate permunitur. Bene ergo venter Eccleſiæ aceruo tritici comparatur, quia ſancti quique quanto memores ſuæ fragilitatis, eò ſtudioſius ad proferendos homines operum fructus inſiſtunt Et recte non copiam, ſed aceruum tritici dicit, vt per hoc, ſignificet incrementa virtutum, quæ velut aceruus ab inferioribus ad ſuperiora creſcendo conſcendunt. nam ſicut aceruus in inferioribus lata amplitudine ſpatiatur, ſuperius vero quadam breuitate contrahitur, & acuminatur, ita in Eccleſia multi ſunt qui indulgentius viuunt, pauci vero, qui ſummæ perfectioni inſiſtunt. Plures etiam inueniuntur, qui de bonis ſuis eleemoſynã faciunt, quam qui ſua pro Deo relinquant. Hic aceruus liliis vallatus dicitur, quia ſancti bona quæ faciunt, pro deſiderio ſupernæ claritatis, & candoris agunt: nam per lilia cœleſtis illa claritas deſignatur. Poteſt etiam per ventrem Eccleſiæ Diuinus fons baptiſmi accipi, quo fideles in nouam creaturam regenerantur. Hic ergo venter aceruo tritici vallato liliis comparatur, quia regenerati fonte baptiſmatis docent bonis inſudare operibus & ad intuendam ſupernæ claritatis gloriam ſemper inhiare *Duo vbera tua ſicut &c.* Vbera Eccleſiæ, ſicut iam ſuperius dictum eſt, ſanctos Doctores ſignificant, qui paruulos id eſt nuper in Chriſto renatos lacte apertioris, & facilioris doctrinæ inſtruunt. Bene autem duo vbera dicuntur, quia de duobus populis, Iudaico videlicet & gẽtili, fideles cõgregãtur, & lacte ſpiritualis doctrinæ alũtur. Hæc duo vbera, ſicut duo hinnuli capreæ eſſe dicũtur, duo hinnuli, duo ſunt teſtamẽta q[illegible]-

A bus eorundem Doctorum omnis prædicatio ſubſiſtit, quorum duorũ teſtamentorum, vnus eſt auctor & promulgator Chriſtus, iuxta quod Salomon dicit: *Verba ſapientum quaſi ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi, quæ data ſunt à paſtore vno* Chriſto videlicet. Caprea enim rectè Chriſtum ſignificat, quæ intuitu & velocitate cæteris animantibus præeminet, & mundum eſt animal vngulam diuidens, & ruminans. Tales etiam ſunt membra Chriſti Doctores videlicet, intuitu ſcientiæ inſignes, & ſua velocitate deſerentes terrena, atque ad cœleſtia feſtinantes Diuidentes vngulam, ideſt habentes boni & mali diſcretionem: Et ruminantes hoc eſt, præcepta Dei ſedula memoria meditantes. *Collum tuum ſicut turris eburnea.* Doctores ſancti, qui deſignantur per vbera, ipſi etiam deſignantur per collum. Nam per arterias colli vox egreditur, & colli miniſterio vitalia alimenta cæteris membris miniſtrantur: ſic ſancti Doctores, & vbera vitæ populis an-
B nunciant, & alimento doctrinæ cœleſtis eos nutriunt. Collum ergo Eccleſiæ turri eburneæ comparatur, quia ſancti Doctores eidem Eccleſiæ pulchritudinem & robur præſtant: pulchritudinem quidem (quæ per candorem eboris deſignatur) caſte & ſincere viuendo. Robur vero præſtant, quod ſignificatur patrari, quando eandem Eccleſiam contra tentationes diaboli, vel impetus hæreticorum muniunt. *Oculi tui piſcinæ, &c.* Iidem ipſi doctores, qui per collum deſignati ſunt, deſignantur & per oculos, ipſi enim quaſi oculi vniuerſo Eccleſiæ corpori prouident, & iter quod ingredi debeant, oſtendunt. Hi oculi Eccleſiæ comparantur piſcinis ædificatis in porta Eſebon ciuitatis, quia ſancti Doctores populos in Chriſtũ credentes vitali lauacro abluunt, & ſalutaris doctrinæ potu reficiunt. Filia autem multitudinis vocatur Eſebon iuxta litteram, ob multitudinem ibi confluentium populorum. Sic & ſancta Eccleſia rectè filia dicitur multitudinis quæ numero-
C ſitatem quotidie colligit gentium. Eſebon autem interpretatur cingulum mæroris: oculi Eccleſiæ piſcinis Eſebon comparantur, quia ſancti Doctores neglectis caducis ſæculi gaudiis, cingulo mæroris ſe conſtringunt, quia caſte, & ſobriè viuunt in hoc ſæculo, & pro ſuis reatibus quatenus in præſenti ſæculo lugentes ad vera & æterna poſſint ſuperuenire gaudia. In porta autem Eſebon hæ piſcinæ eſſe dicuntur, quia nullus Eccleſiam ingredi valet, niſi prius aqua baptiſmatis abluatur, & in fonte ſalutaris doctrinæ potetur. Hoc etiam labrum æneum ſignificat, quod Salomon in porticu templi poſuerat, vt ſacerdotes ingreſſuri templum, & hoſtias immolaturi, ibi corpora abluerent. *Naſus tuus ſicut turris libani*, &c. Quia naſo fætores & bonos odores diſcernimus, rectè per naſum Eccleſiæ iidem ſancti Doctores deſignantur: ipſi enim ſagaciter diſcernere nouerunt inter fragrantẽ Catholicæ fidei doctrinam, & lætiferum hæretici erroris fætorem. Nam in diuinis chariſmatibus, quæ per Spiritum ſanctũ diſtribuuntur, dicitur. *Alij datur per ſpiritum diſcretio ſpi-*
D *rituum.* Naſus ergo Eccleſiæ turri libani comparatur, quia Sancti doctores & ſummum locum in Eccleſia tenent, ac veluti in libano monte conſiſtunt, & defendunt Eccleſiam à malignorum ſpirituum incurſibus. Hæc turris cõtra Damaſcum eſſe dicitur. Damaſcus metropolis ciuitas eſt Syriæ quæ quondã contra filios Iſraël, vtpote fortiſſimos, & crudeliſſimos Reges habens, dimicabat. Interpretatur autem Damaſcus ſanguinis potus, vel ſãguinis oculus. Fertur enim ibi Abel interfectus; ideoque ſignificat potentes huius ſæculi qui ſãguinis potũ ſitiunt, qui voluptatibus & illecebris carnis & ſãguinis delectãtur. Significat etiam aëreas poteſtates, quæ animarum noſtrarum cruorem ſitiunt. Contra Damaſcum ergo eſt hæc turris, quia Eccleſia ſemper diabolo, & membris illius adiutorio Chriſti munita reſiſtit. *Caput tuum, vt Carmelus* &c. Caput Eccleſiæ principalitas mentis fidelium intelligitur. Nam ſicut capite membra reguntur cætera, ita mẽte cogitationes diſponuntur. Bene autem caput Eccleſiæ Carmelo aſſimilatur, quia nouit circuncíſionem aliquando corporaliter celebratã, nunc ſe ſpiritualiter debere obſeruare, iuxta quod Propheta dicit. *Circumcidimini Domino in cordibus veſtris.* Hanc ſcientiam circuncíſionis non ha-

E buerunt Iudæi ideoque reprehenduntur à B. Stephano protomartyre dicente? *Dura ceruice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* In libro Regum legitur, quod Elias in monte Carmeli aſcendit, & ibi orando aridam terram cœleſtibus pluuiis irrigauit, poſt longam trium annorum & ſemis ſiccitatem. Quæ hiſtoria pulchram redolet allegoriam. Nam Helias, qui interpretatur, Deus meus Dominus, Chriſtum ſignificat, qui cum ſit Deus, & Dominus totius creaturæ, ſpecialiter ſuus, idem proprius, Deus, & Dominus eſt Eccleſiæ. Hic ergo in carmelum aſcendit, quando per gratiam ſuam mentes fidelium conſcendit, & per eos arenti mundo gratiarum ſuarum pluuiam tribuit. Recte ergo, vt dictum eſt, caput Eccleſiæ carmelo monti comparatur, quia mons ſanctorum quadam conuerſatione ſublimis eſt, & Chriſto in ſe aſcenſum ſublimẽ præbet per profectum virtutum. *Coma capitis tui vt &c.* Suprà caput mens Eccleſiæ accipitur, per comas capitis cogitationes mentis
F accipiuntur, quæ aſſiduè de illa prodeunt: Purpureus vero color, qui ſanguinis habet ſpeciem myſterium ſignificat Dominicæ paſſionis. Iuxta litteram. Quod dicit, *Purpura regis iuncta canalibus*, ſignificat lanam iam purpureo colore confectam, & necdum in fila deductam, ſed adhuc in canalibus conſtitutam, quos græcè baſias vocant, in quibus ſanguis conchiliorum ſolet defluere, & lanam in purpureum vertere colorem Myſtice: Canales iſti humilitatem ſanctorum ſignificãt, in quibus æterni Regis purpura tingitur, cum ſancti quique humilitatem ſui redemptoris imitando, paſſionum illius conformes fieri ſatagunt, quatenus in purpuræ dignitatem vertantur, id eſt laborantes pro Chriſto, mereantur regnare cum Chriſto, Iuncta autem hæc purpura eſſe dicitur, quia Sanctorum præcordia fixa ſunt, & ſtabilita in timore, & amore redemptoris ſui, nec vnquam a charitate eius ſeparari poſſunt. *Quam pulchra es & decora chariſſima in deliciis.*
G Quam pulchra ſupple in fide, & decora operatione. Chariſſima in deliciis. Supra dictum eſt de eadem Eccleſia: *Pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, hic vero dicitur, *pulchra & decora chariſſima in deliciis.* Quæ quaſi contraria eſſe videntur; Nam ordinatã eſſe velut caſtrorũ aciem, & eſſe in deliciis repugnat; quia deliciæ fortitudinem multũ ſolent eneruare. Sed Eccleſia vtrumque agit. Nam ordinata eſt vt caſtrorum acies, quia infidelibus hæreticis reſiſtit, malignos ſpiritus ſua ſanctitate, & perfectione terret: In deliciis etiam eſt, & ſuauitatem ſupernæ dulcedinis aſſidue palato mentis deguſtat, & inter preſſuras huius ſæculi illas adipiſci deſiderat, & continue illis ſatiari. Vnde merito illa quæ talis eſt, ſponſo ſuo Chriſto chariſſima eſſe dicitur. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Statura Eccleſiæ, eſt perfecta eius rectitudo, neque enim ad vitia incuruatur: ſed recta, & immobilis perſiſtit. Vnde Pſalmiſta ex perſona peccantium dicebat. *Incuruatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque.* Et Propheta ſub ſpecie Ieruſalem peccanti animæ de mali-
H gnis ſpiritibus dicit. *Quia humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ. Incuruare vt tranſeamus.* At contra Eccleſia ſancta recta ſtat, nec vnquam incuruari conſentit: audiens ab Apoſtolo: Vigilate ſtate in fide, &c. Et Dominus de filiis Iſraël loquitur. *Ego ſum Dominus Deus, qui eripui vos de ergaſtulo Ægyptiorum, vt incederetis recti.* Statura ergo Eccleſiæ palmæ aſſimilatur? quia in omnibus, quæ agit ſemper ſupernam in memoria retinet remunerationem, Palma enim victricem ornat manum, & ideo ſignificat præmium illud, quod victoribus ſanctis in cæleſtibus dãdum eſt. *Et vbera tua botris.* Vbera Eccleſiæ, vt ſupra, ſunt ſancti Doctores, qui lacte ſimplicis doctrinæ regeneratos in Chriſto nutriunt, ſed hæc vbera botris aſſimilantur, quando iidem Doctores perfectis perfectiora annunciant, ſicut Apoſtolus loquens ſimplicioribus dicebat: *Non potui vobis loqui tanquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus, lac vobis potum dedi non eſcam.* Ecce vbera lactis plena. Quæ vbera in botros ſunt verſa, cum diceret: *Nos prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*, & *ſapientiam loquimur inter perfectos. Dixi, aſcendam in palmam, & apprehendam fructus*

A *eius*. Vt oſtenderetur, omnem hanc excellentiam, & magnitudinem donorum Eccleſiæ de Dei gratia venire, introducitur idē ſponſus dicens. *Aſcendā in palmam.* Quaſi diceret. Inde habes vbera ad paruulos nutriendos, inde etiam botros quibus perfectioribus perfectiorem propines doctrinam, quia ego mea gratia in te aſcendi, & hanc tibi perfectionem conceſſi. Aſcendam, inquit, in palmam. Palma Eccleſiam ſignificat, vel etiam animam cuiuſque fidelis, qui memor eſt Domini, qui dicit: *Confidite, ego vici mundum.* Ipſa quoque omniū vitiorum, & iniquitatis victrix eſſe ſtudet. Bene autem in palmam aſcendiſſe hic dicitur, cum ſuperius in hortum deſcendiſſe legitur. Dixit enim Eccleſia: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum.* Et idem eſt hortus, qui & palma, videlicet vna eademque Eccleſia, ſed ad eam Dominus deſcendit, & ad eam aſcendit. Deſcendit ad eam, copiam ſuæ gratiæ illi de cœleſtibus mittendo. Aſcendit ad illam, ſua dona incrementando, eamque quibuſdam profectibus veluti quibuſdam gradibus ad celſiora ſubleuando. Sed & hic B de natura palmæ dicendum. Quod in inferioribus aſpera eſt, in ſuperioribus vero pulcherrima, decore foliorum, & pulchritudine fructuum. Sic & ſancta Eccleſia in inferioribus aſperitatem laborum, & paſſionum ſuſtinet pro Chriſto. In ſuperioribus vero, hoc eſt in cœleſtibus pulchritudinem, & ſuauitatem exſpectat præmiorum. Poteſt etiam per palmam arbor Dominicæ paſſionis exprimi, in quam redemptor noſter pro humani generis redemptione aſcendit, & in qua hoſtem humani generis ſuperauit. Ait ergo. *D xi aſcendam in palmam*, id eſt per meos prophetas locutus ſum, & promiſi me ad paſſionem venturum & meam Eccleſiam redempturum. Apprehendam, inquit, fructus eius, ideſt fructus bonorum operum, & laborum, quibus Eccleſia deſudat, remunerabo. Vel etiam ſecundum eum ſenſum, quo per palmam crux intelligitur. *Apprehendam fructus eius*, id eſt impleto triumpho paſſionis, veniam ad gloriam reſurrectionis, & Apoſtolis meis ſpiritualia dona concedam. *Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ.* Hoc ſupe- C rius expoſitum eſt. Nam vbera Eccleſiæ Doctores ſunt, cum paruulos ſimplici doctrina nutriunt. Sed botri vineæ efficiuntur cum perfectioribus ſublimia quoque annunciant. Nam Beatus Paulus vno eodemque tempore vbera & botros habuit, quando de ſeipſo loquens dixit. *Quorum Patres, ex quibus Chriſtus.* Ecce vbera, ideſt ſimplex de Chriſto prædicatio, ſed hæc vbera in ſuauiſſimum & fortiſſimum vinum conuerſa ſunt cum ſubiunxit. *Quia eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Et odor oris tui ſicut odor malorum*, &c. Eccleſiæ eſt præſens prædicatio, quæ fama vel ſcripto ad abſentes peruenit. Guttur vero eſt ipſa vox prædicantis, quæ in præſenti auditur. Odor ergo oris Eccleſiæ malis comparatur, quia ipſa fama prædicationis plena eſt ſuauitatis & gratiæ. Guttur vero vino optimo aſſimilatur, quia ipſa vox prædicantium magnam in ſe virtutem auditoribus oſtendebat. Quod vero malorum odor in nouitate eſt, nunc vero in vetuſtate, ſignificat, prædicationem Eccleſiæ & in ſui nouitate, & etiam in ſui perfectione omnem D habere ſuauitatem, & gratiam. *Dignum dilecto meo ad potandum, &c.* Vox Eccleſiæ eſt, quæ audiens ſe laudari à ſponſo, gratulabunda reſpondit: Dignum dilecto meo ad potandum, ac ſi diceret. Sponſus meus guttur meum vino optimo comparauit & illud vinum dignum ad potandum ipſi dilecto meo, hoc eſt prædicatio Euangelica, quam in ore meo poſuit, per ipſum & non per alium annunciari debet in mundo. Neque enim per alium docebat myſteria regni cœleſtis prædicari in mundo, quam per mediatorem Dei & hominum. *Et labiis & dentibus ad ruminandum.* Labia & dentes ſponſi, vt ſupra dictum eſt, Doctores ſancti ſunt. Illud ergo vinum ruminandum eſt labiis, & dentibus ſponſi quia Euangelica prædicatio à Doctoribus tractanda eſt, & exponenda. Nec abſurdum eſt, quod cum vinum potetur & non ruminetur, hic tamen dicitur, *labiis & dentibus ruminandum*, quod magis ad cibum, quam ad potum pertinet. Nam ſancti Doctores vinum ſpirituale

E ruminant, quando præcepta Euangelica diligenter exquirunt, & crebra meditatione inueſtigant, atque inuicem conferunt.

Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris; Omnia poma noua, & vetera dilecte mi ſeruaui tibi.

Ego dilecto, ſupple, officium iuſtitiæ & deuotionis impendo, illi & non alteri fidem & ſeruitutem meam promitto. *Et ad me conuerſio eius*, vt me & in præſenti inter labores huius vitæ adiuuet, & in futuro, ad gaudia patriæ cœleſtis inducat. Poteſt etiam hæc vox eſſe Synagogæ, ex perſona ſanctorum Patrum aduentum Chriſti deſiderantium, ac ſi diceret: Scio quidem illum ſpiri- F tuali præſentia mihi adeſſe, & ideo ego dilecto meo omni deuotione famulari cupio, ſed tandem ad me conuerſio eius, quia opto, vt ſicut mihi promiſit, in mea ſubſtantia appareat. Nam dixerat ſupra ſponſus. *Aſcendam in palmam*, ideſt promiſerat ſe in carne venturum, & pro humano genere paſſurum, inde iam gratulabunda dicebat. *Ego dilecta meo, & ad me conuerſio eius*, ideſt credo illum hominem futurum & in mea ſubſtantia hominem mundo manifeſtandum. *Veni dilecti mi, &c.* Eiuſdem Synagogæ vox eſt, veni iam dilecte mi, appare per aſſumptum hominem. Tale eſt & illud Pſalmiſtæ. *Excita potentiam tuam, & veni.* Et Iſaias. *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes. Egrediamur in agrum.* Ager eſt mundus iſte. *Egrediamur in agrum*, id eſt prædicemus mundo. *Commoremur in villis*, hoc eſt ipſis quoque Paganis fidem tuam annunciemus. Nemo neſcit Paganos à villa dictos; quia pagus eſt grādior villa, inde pagani dicti quia longè ſunt a ciuitate Dei. Poteſt & vox Eccleſiæ eſſe, veni dilecte mi, ac ſi diceret. G Iam myſterio Aſcenſionis aſſumptum hominem ad cœlos ſubleuaſti, ſed Diuinæ maieſtatis præſentia me ſæpius viſitando. *Egrediamur in agrum*, eodem ſenſu, quo & ſuperius, prædicemus fidem incarnationis tuæ mundo. *Commoremur in villis*, id eſt etiam ignorantibus te Paganis tuam fidem annunciemus: Nec in tranſitu, ſed commoremur, ibi, donec illos ex paganis Catholicos, ex alienis tibi proprios faciamus, *mane ſurgamus ad vineas, &c.* Mane eſt exortus nouæ gratiæ, quando videlicet tranſeuntibus tenebris infidelitatis Euangelium cœpit prædicari mundo. *Videamus ſi floruit vinea*, hoc eſt inſpiciamus Eccleſiā ſi iam prima fidei rudimenta ſuſcepit. *Si flores fructus parturiunt.* Inſpiciamus etiā ſi flores parturiunt fructum, id eſt ſi illi, qui iam crediderunt, apti ſint ad bene operandum. Nam flores fructus parturiunt, cum illi, qui iam in Chriſtum crediderunt, idonei ſunt ad bene operandum. Nam flores emittit Eccleſia, cum primum fideles ad fidem veniunt: flores vero fructus parturiunt, cum iam ipſa fide, & dilectione bene operantur; ne ipſa fides ocioſa ſit, vel mortua ſine operibus. *Si flo-* H *ruerunt mala punica.* Mala punica, ſicut ſupra dictum eſt rubicundum, vel ſanguineum habent colorem, & ideo ſignificant paſſionem Domini, vel membrorum eius: Dicit ergo: *Si floruerunt mala punica*, hoc eſt, ſi iam ſancti, qui in fide & opere perfecti ſunt, idonei etiam ſunt imitari Chriſti paſſionem, & pati pro illo. Mala autem punica erant illi, quibus Apoſtolus dicebat: *Vobis datum eſt non ſolum, vt in illum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. Ibi dabo tibi vbera mea.* Vbera Eccleſiæ, ſancti Doctores ſunt, qui fideles primum ad fidem erudiunt. Ibi dabo tibi ſponſe vbera mea. Cum inquit, ad vineas exierimus, ibi dabo vbera mea ideſt ſpirituales tibi filios generabo. Vnde adhuc ſequitur. *Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.* Mandragora, herba eſt aromatica, cuius radix ad ſimilitudinem habet humani corporis, poma eius optimi odoris, in ſimilitudinem pomi marciani, quod noſtri malum terræ vocant. Hæc herba

rebus medicinalibus aptiſſima eſt. Nam fertur, eos, qui incommodo vigiliarum laborant, hauſtu huius pomi releuari,& poſſe dormire. Item fertur eos,qui ob curam ſecandi ſunt,ſi exteriorem huius pomi corticem biberint, non ſentire ſectionem vel aduſtionem. Quæ omnia, ſi quis myſticè de currere voluerit, ſpirituales ſenſus, & Eccleſiæ conuenientes ibi inueniet. Dicit ergo. *Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.* Portæ Eccleſiæ ſunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, quia nemo ciuitatem, id eſt, Eccleſiam Dei intrat, niſi per ſanctos Doctores aqua baptiſmatis regeneratus, & vitali doctrina inſtructus fuerit. De his portis Pſalmiſta dicebat: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Mandragoræ, fragrantiam virtutum deſignant. In hortis autem Eccleſiæ Mandragoræ odorem dederunt quia Apoſtoli vel eorum ſucceſſores famam ſuauiſſimæ opinionis, & odorem virtutum longe lateque ſparſerunt: Ideoque inuitat ſponſum ſuum, vt veniat, quia iam nomen eius longe lateque per Apoſtolos annunciatur,& odor prædicationis eius vbique diſpergitur. *Omnia poma noua, & vetera, &c.* id eſt præcepta, vel præcepta veteris teſtamenti & noui: Sciebat enim omnia, quæ in veteri teſtamento annunciata ſunt, non niſi per Chriſtum, & in Chriſto poſſe compleri ideoque dicebat. Tibi ſeruaui poma noua, & vetera, ideſt te exſpecto vt per te impleantur in nouo teſtamento, quæ prædicta ſunt in veteri. Vnde & in paſſione ſua iam pendens in cruce cum guſtaſſet acetum dixit. *Conſummatum eſt.* Et poſt reſurrectionem Apoſtolis. *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis de me.* Poſſunt etiam noua poma & vetera iuſtorum perſonæ intelligi, qui vel in veteri vel in nouo teſtamento fuerunt. Dicit ergo Eccleſia: *Seruaui tibi poma noua, & vetera*, ideſt iuſtos, qui vel in veteri teſtamento præceſſerunt vel in nouo ſubiecti ſunt. Tibi ſeruaui, vt per te præmia ſuorum laborum reciperent. Nullus enim iuſtorum Regnum cœlorum intrare valuit niſi per Chriſtum, quia ipſe primus aſcendit, & ſequentibus membris ſuis cœlum aperuit.

CAPVT VIII.

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te vt iam me nemo ſpiciat. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ; ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

EX his verbis intelligitur, totum hoc carmen Diuinum eſſe, & ſpirituale, & nihil in ſe habere, quod iuxta litteram intelligi poſſit. Quæ enim amatrix vnquam optauit, vt is, quem diligit paruulus, efficiatur eius frater, & in infantem verſus ſugat vbera matris? Eſt ergo vox illius Eccleſiæ, quæ aduentum Chriſti præceſſit, quam Synagogam, ideſt congregationem appellamus. Quis inquit, *mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ?* Et eſt ſenſus. Tu qui modo es in ſinu patris,quis det, vt homo efficiaris,& particeps ac conſors naturæ meæ exiſtens, frater meus appelleris? Nam ipſe ſe fratrem Apoſtolorum vocare dignatus eſt, dicens per Pſalmiſtam. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et poſt reſurrectionem mulieribus. Ite inquit, *nunciate fratribus meis.* Sugentem, inquit, *vbera matris meæ*, hoc eſt, implentem omnia quæ naturæ humanæ conueniunt,excepto peccato. Nam mater Synagoga,hoc in loco ipſa humana natura intelligitur,de qua ipſa quoque Synagoga exorta eſt. Vt inueniã te foris,id eſt,vt hominem factum in aperto videam. Quaſi enim intus erat iam Deus, cum in ſinu paternæ maieſtatis lateret, ſed foris inuentus eſt, cum homo factus viſibilem ſe hominibus præbuit, incomprehenſibilis voluit comprehendi. *Et deoſculer te, & me iam nemo deſpiciat.* Et deoſculer te,inquit, ideſt aperta viſione aſpiciam, quod nunc iam in fide teneo. Hoc eſt oſculum, quod in initio huius carminis optabat dicens. *Oſculetur me oſculo oris ſui,* ideſt per ſemetipſum iam veniat & mihi appareat.Quaſi enim per Prophetas oſculabatur Eccleſiam dilectus,cum aduentum ſuum per eos repromitteret. Optat ergo, vt per ſeipſum veniens illam oſculetur hoc eſt, ſuam in carne præſentiam exhibeat. Et iam me nemo deſpiciat. Quaſi enim deſpecta erat antè Synagoga quam Chriſtus veniret, quia legalibus obſeruationibus dedita, ſub typo & figura, & non in veritate aduentum Chriſti prænunciabat. At poſtquam Chriſtus apparuit, & aduentus ſui gratia mundum illuſtrauit, iam nemo deſpexit Eccleſiam, quinimmo vt caſtrorum acies fuit hoſtibus ſuis, quia per vniuerſum mundum Chriſtum prædicauit, & mundanum Imperium ſibi ſubdidit. Nec mirum videri debet, ſi nunc Eccleſiam Synagogam dicimus, vna eſt enim Eccleſia in præcedentibus, & ſequentibus partibus. *Apprehendam te, & ducam te*, &c. O dilecte per fidem, & charitatem, tibi adhærendo ducam te in domum matris meæ. Mater Eccleſiæ hoc in loco cœleſtis illa Ieruſalem intelligitur, de qua Paulus dicit. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Ducam, inquit, te in domum matris meæ, ideſt proſequar te reuertentem in cœlum poſt peractum Incarnationis tuæ, & paſſionis myſterium. Ducam autem te dicit, pro eo quod eſt, deducam & proſequar. Quia aſcendentem Dominum in cœlis Apoſtoli oculis deduxerunt, & quouſque eum nubes ſuſcepit pio aſpectu proſecuti ſunt, donec Angeli aſtantes dixerunt. *Viri Galilæi, &c. Ibi me docebis, &c.* Cum inquit, te foris inuenero, hoc eſt, cum te in aſſumpta carne aſpexero, ibi docebis me, quia ad omnia, quæ interrogare voluero, reſpondebis. Nam ſæpe etiam volentes Apoſtolos interrogare Dominus præueniebat, eoſque inſtruebat. Poteſt & ad hunc locum iungi, vbi dicit. *Ducam te in domum matris meæ ibi me docebis.* Cum, inquit in cœlos receptus fueris, & me quoque tecum in cœlum aſſumpſeris, ibi me docebis, & in omnem me veritatem induces, quod impoſſibile eſt homini in præſenti vita poſſe conſequi. Hinc eſt quod Dominus dicit. *Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis.* Ergo ibi me docebis: id eſt ibi te, & Patrem aperta viſione reuelabis: Ibi te, id eſt Diuinitatem tuam mihi facie ad faciem oſtendes. *Et dabo tibi poculum*, &c. Per vinum feruor charitatis & dilectionis intelligitur: Dabo, inquit, tibi vinum, hoc eſt, oſtendam, quam feruentiſſima charitate te diligam. Et hoc vinum non ſimplex erit, ſed conditum, bonis videlicet operibus & virtutibus. Nam amor Dei ſicut Beatus Gregorius dicit, *nunquam eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt, ſi enim operari renuit, amor non eſt.* Vinum ergo conditum, dilectio eſt cum operatione. Vnde & Dominus in Euangelio: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit. Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Et muſtum malorum granatorum meorum.* Malum granatum idem eſt,quod malum punicum: Dicitur autem malum granatum, quod multitudine granorum ſit plenum, malum punicum, quod in Africa plurimum abundet: Punica enim ipſa eſt Africa: Habet autem corticem ſanguinei coloris, & ideo, vt ſæpe dictum eſt figuram Dominicæ paſſionis tenet: Muſtum ergo malorum granatorum, eſt dilectio Martyrum,qui tantum Dominum dilexerunt, vt pro illo mori non dubitarent. Et bene muſtum dicit,& non aliud poculum, quia muſtum feruentiſſimum eſt, ita vt nimio feruore, omnes ſordes de ſe excoquat, & expurget. Dabit ergo Eccleſia dilecto muſtum malorum granatorum, id eſt, oſtendet in paſſionibus ſuorum Martyrum, quanta charitate Chriſtum diligat.

Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

Per læuam,vt B. Gregorius dicit, omnia proſpera præſentis vitæ accipiuntur,per dexteram vero, futura beata

vita

Digitized by Google

vita in cælis accipitur. Leuam ergo ſponſi Eccleſia ſub capite habet, & dextera eius eam amplexatur, quia quicunque proſpera præſentis ſæculi pro nihilo deputat, cuncta, quæ temporaliter arrident, pro nihilo deſpicit, dum ad ſolam ſupernæ beatitudinis viſionem tendit, dum illa ſolummodo amplexari deſiderat, *Adiuro vos.* &c. Habet Eccleſia quoſdam in ſe, qui baptiſmo Chriſti ſunt regenerati, & nomine Chriſtianitatis intitulati, moribus tamen, & conuerſatione ſæculo viuunt. & Eccleſiam ſuauiſſima quiete ſopitam quietare, atque ad perferendos tumultus ſæculi excitare nituntur, hi ergo tales propter gratiam myſteriorum Chriſti, quam perceperunt, filiæ Ieruſalem appellantur hoc loco, cùm maioribus tamen contraria agant. Et adiurat eas ſponſus, ne ſuſcitent neque euigilare faciant dilectam, hoc eſt, ne illam in ſomno quietis dulciſſimæ poſitam, id eſt contemplatione ſui Creatoris, ſua inquietudine excitent, & ad ſollicitudines & curas ſæculi euigilare compellant. *Donec ipſa velit*, hoc eſt, donec peracto officio debitæ ſeruitutis, qua in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus Deo deſeruit, admonetur iterum cura corporeæ fragilitatis ad vſum ſæculi redire.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſupra brachium tuum, quia fortis vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina extinguent illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

Quæ eſt iſta, &c. Vox Synagogæ admirantis Eccleſiam de gentibus congregatam. Quæ eſt, inquit, iſta? id eſt, qualis, & quanti meriti, *quæ aſcendit de deſerto?* Derelicta enim fuerat à Deo per idololatriam, & veritatis ignorantiam. Aſcendebat ergo virtutum gradibus de deſerto, hoc eſt, de errore infidelitatis, in quo ad tempus derelicta fuerat. *Deliciis affluens*, hoc eſt, virtutibus abundans *Innixa ſuper dilectum ſuum*: id eſt fiducialiter in Chriſto agens, & omnes virtutes ſuas, & cuncta bona ad eius gratiam referens. Sciebat enim ſe nihil ſuis viribus boni implere poſſe, ideoque cum Apoſtolo dicebat: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Et notandum quod dicit, *Supra dilectum meum*: Nam Synagoga ſolam ſe putat habere cognitionem Dei, cæteris gentibus in ignorantia Dei conſtitutis; *Notus* enim, ait Pſalmiſta, *in Iudæa Deus.* Sed ita miranti Synagogæ reſpondet ipſe ſponſus & dilectus, vt ſequitur. *Sub arbore malo.* &c. arborem malum, crucem Dominicam debemus accipere, ſub qua arbore ſuſcitata eſt Synagoga, quia ipſa à præuaricatione originalis peccati, & à poteſtate diaboli per crucem Chriſti redempta eſt. Ibi ſuſcitata eſt, quæ peccatis erat mortua. Et bene arborem mali dicit, nam & ſupra huic arbori Chriſtum comparauit dicens: *Sicut malus inter ligna Syluarum, ſic dilectus meus inter filios. Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Matrem & genitricem Synagogæ, maiorem & principalem plebem Iudaicæ partis dicit, quales erant Scribæ, & Phariſæi, qui Chriſtum Pilato tradiderunt, qui reliquam plebem tanquam mater & genitrix regere debebant, & erudire: Quales etiam erant illi, qui ſuadentibus ipſis Principibus improbe acclamarunt, *Crucifige eum.* Hæc ergo mater Synagogæ ſub arbore malo corrupta, & violata eſt quando ſe ſuoſque poſteros crudeli maledictione conſtrinxit dicens: *ſanguis eius ſuper nos, & filios noſtros.* Nam & iſti ſub cruce Chriſti erant, licet non fide & deuotione, tamen crudelis vindictæ ſibi & poſteris ſuis imprecatione. *Pone me, vt ſignaculum*, &c. quia inquit, te ſub arbore ſuſcitaui, hoc eſt, quia paſſione te in cruce redemi, *Pone me vt ſignaculum, ſuper cor tuum*, hoc eſt, habeto me ſemper in memoria & ne obliuiſcaris quanta pro tua ſalute pertulerim. *Pone me*, inquit, *vt ſignaculum ſuper cor tuum*, per fidem: pone me *vt ſignaculum ſuper brachium*, per dignam operationem. Nam, & nos, quando aliquid in memoria habere volumus, ſignaculum digito vel brachio imponere ſolemus, vt illo admoniti rei, cuius curam habemus, recordemur. Et nos vt ſignaculum ſuper cor & brachium Chriſtum debemus ponere, vt eius memoriam ſemper habeamus, vt recte in illum credentes fidem ipſam bonis operibus exornemus. Quod ſi fecerimus, ipſe quoque nos velut ſignaculum aſſumet, & noſtri recordabitur. Iuxta quod Zorobabel Duci Iudæ repromittitur. *In illa die ſuſcipiam te Zorobabel ſerue meus, & ponam te ſicut ſignaculum in conſpectu meo* Nam ſi nos beneficiorum eius obliti fuerimus, nec ei dignas gratiarum actiones retulerimus, ipſe quoque noſtri obliuiſcetur. Sicut de impio Rege Iechonia dicit: *Si fuerit Iechonias annulus dexter in manu mea, inde euellam eum. Quia fortis vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio.* Dilectio Chriſti fortis eſt, vt mors. Sicut enim mors animam à corpore ſeparat, & iam nihil concupiſcere, nihil in præſenti vita homini licet ambire, ita dilectio chriſti, quem verè peruaſerit, totum ſæculo huic mortificat, & quaſi inſenſibilem reddit, ſolumque Chriſto viuens mundo mortuus: idem ſenſus eſt cum dicit. *Dura, vt infernus æmulatio.* Nam ſicut infernus eos, quos ſemel recipit nunquam reſtituit, ſed ſemper retinet, ita verus Chriſti amor, quem ſemel receperit nunquam dimittit. Vnde Apoſtolus dicit; *Qui nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia, an fames, an gladius?* Sed & de dilectione Chriſti hoc poteſt accipi, cuius dilectio fortis fuit, vt mors, quia in tantum nos dilexit, vt immortalis pro nobis mortem ſuſciperet. Dura fuit æmulatio eius vt infernus, quia ſicut infernus neſcit miſereri, aut à pœnis reorum mitigari, ſic Chriſti dilectio non potuit ceſſare, aut vllis improbitatibus perſecutorum remoueri ab humani generis amore. Quidam hoc quod dicitur, *Dura eſt, vt infernus æmulatio*, ad Synagogam proprie referunt, quæ gens æmulabatur, & inuidebat ſaluti aliorum: monet ergo eam Chriſtus hic dicens, vt ab inuidia ceſſet, & ſaluti Eccleſiæ congaudeat, *Lampades eius lampades*, &c. lampades eius, id eſt, dilectionis, præcordia ſunt Sanctorum, in quibus veluti in vaſis dilectio inhabitet. Hæ ergo lampades, lampades ignis ſunt: quia in corde ardent per amorem; lampades vero flammarum, quia exterius lucent per operationem. *Aquæ multæ non potuerunt*, &c. Aquæ & flumina, ſunt violentæ perſecutorum minæ, vel etiam blandimenta, quibus ſanctos à charitate Dei auertere nituntur. De aquis Dominus in Euangelio dicit de viro, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram; *Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam & non cecidit.* Aquæ ergo multæ non potuerunt extinguere charitatem; quia nulla tribulatio, nulla anguſtia. Sanctos à charitate Dei ſeparare valebit. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam*, &c. Hic verſiculus non eget expoſitione. Nam nullius mundi ſubſtantiæ, nullæ opes comparatione dilectionis aliquid ſunt. Legimus quidem ſanctos ſua dimiſiſſe pro amore Chriſti. ſed tamen nihil ſibi videbâtur dimittere in comparatione charitatis quam emebant. Vnde Apoſtolus, cum non ſolum terrenam ſubſtantiam, ſed & patrias traditiones dimitteret pro Chriſto, dicit. *Hæc omnia contemno & arbitror vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam*, id eſt, amorem illius adquiram.

Soror noſtra paruula eſt, & vbera non habet quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt: Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea, ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens.

Soror noſtrum paruula, &c. vox dilecti Synagogam alloquentis pro Eccleſia gentium: Soror inquit noſtra, id eſt, gentium Eccleſia parua eſt, *& vbera non habet.* Et magna dignatione communicato cum Synagoga nomine dicit. *Soror noſtra*, quia enim ex Iudæis carnem aſ-

A ſumpſit, ideo ſe quaſi Synagogæ contemperat, & exæquat. Parua, inquit, eſt ſoror noſtra. Sicut alicuius hominis ætas deſcribitur, ſic etiam ætas Eccleſiæ. Parua enim erat adhuc Eccleſia de gentibus congregata, ſub ipſis Domini & Apoſtolorum temporibus, quia & paruitate credentium parua exiſtebat, & vbera needum habebat: id eſt, nequaquam prædicando ſpirituales Deo filios generare valebat. Dicit ergo, quaſi conſilium Synagogæ requirens. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt.* Alloquutio Eccleſiæ eſt, vel cum interius occulta inſpiratione, vel exterius aperta prædicatione admonet Deus animam vniuſcuiuſque fidelis. Et eſt ſenſus. Quando per Apoſtolos meos alloquar Eccleſiam de gentibus congregatam, quid faciemus, id eſt quomodo illi præcepta cæleſtia committemus, vtrum videlicet, quæque minima, an quo maior efficiatur, perfectiora illi ſecretorum cæleſtium myſteria tradamus. Nam Deus omnipotens pro menſura, & capacitate mentis humanæ temperat verbum prædicationis conſiderans B vires, & capacitatem auditoris. Sed Synagoga tacente, ipſe pro ea reſpondet. *Si murus eſt.* &c. Si, inquit, ſoror murus eſt, *ædificemus ſuper illam propugnacula argentea.* Ac ſi diceret. Dum cœperint mei prædicare Eccleſiam de gentibus congregatam, ſi tales fuerint auditores, qui merito perfectionis murus appellari poſſint, dum videlicet vel ingenio naturali præditi, vel Philoſophica eruditione præſtantes, quaſi alios defendere, & munire poſſint, vice muri ædificemus ſuper hunc talem murum propugnacula argentea, id eſt, addamus illis eloquia Diuinarum ſcripturarum. Nam vt Pſalmiſta dicit, *eloquia Domini recta, deſiderabilia ſuper aurum & argentum.* Si vero tales fuerint auditores, qui nequaquam hoſtibus reſiſtere poſſint, nec tela conuenientia repellere, ſed fuerint velut oſtium, vt ſimpliciter aduolantes poſſint quoſdam in eccleſia, & ad fidem adducere, quales ſunt ſacerdotes minoris gradus, qui baptizando in Eccleſia & Diuina myſteria annunciando homines in Eccleſiam introducunt, *compingamus ſuper illud oſtium tabulas cedri-* C *nas*, id eſt, proponamus eis exempla præcedentium patrum, qui veluti cedri, imputribilia videlicet ligna, immarceſſibilia opera habent, veluti tabulæ ſcientiæ & charitatis, latitudo enim tabularum, latitudine effuſi ſunt. Latitudinem cordis, vel ſcientiæ ſignificat, dicente Pſalmiſta. *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum.* His ergo tabulis cedrinis, id eſt, ſanctorum exemplis compingamus illud oſtium, vt videlicet illorum innitendo exemplis aliis Eccleſiam introeundi, velut oſtium, ianuam pandant. *Ego murus &c.* Vox Eccleſiæ, quæ cum audiſſet pro ſua ſalute conſulentem dilectum ſuum, ipſa læta reſpondet. *Ego murus ſum & vbera mea ſicut turris.* Ego inquit, murus quia ſupra firmam petram fundata ſum, & glutino Diuinæ charitatis ſolidata: Siue, murus ſum, quia de viuis & electis lapidibus, hoc eſt ſanctis ſum ædificata. Et vbera mea ſicut turris, quia tales intra me contineo, qui vitæ verbo, & ſpirituali doctrina alios nutrire poſſunt, & vitam fratris defende- D re, & munire, quique ſicut turres in muro eminent, ſic merito doctrinæ, & conuerſationis inter reliquos membra mea præcellunt. Hoc autem non meis meritis, neque libertate mei arbitrij habeo, ſed dono, & gratia ſponſi mei. *Ex quo facta ſum coram eo*, &c. Ex quo ille ſuum ſanguinem pro me fudit, & repropitiando mihi Deum Patrem, diſſoluit inimicitias, quæ erant inter Deum, & hominem, mihique cæleſtia pacificauit. Ex quo ergo hanc pacem reperi, murus eſſe, & habere vbera vice turrium merui.

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, tradidit eam cuſtodibus: vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea, coram me eſt, mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius. Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.

Vinea fuit pacifico, &c. id eſt dilecto meo qui verus eſt pacificus, quia per eum pacificata ſunt omnia, quæ ſunt in cœlis, & quæ ſunt in terra. Vnde à Propheta *pater futuri ſæculi, princeps pacis*, appellatur. In cuius veri pacifici typum, Salomon, id eſt pacificus auctor huius carminis præceſſit. Huic ergo fuit vinea, id eſt Eccleſia. *Quæ habet populos.* Hoc dicit, vt ſe de Eccleſia gentium, non de Synagoga oſtenderet, canere: Nam Synagoga vnius tantum gentis fuit: Eccleſia vero habet populos, quia omnes gentes intra ſuum capaciſſimum gremium recipit. *Tradidit eam cuſtodibus.* Cuſtodes huius vineæ, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ, ſunt Prophetæ, Apoſtoli, Apoſtolorumque ſucceſſores: Siue etiam, cuſtodes ſunt Angelicæ virtutes, quæ ab incurſibus tentationum, & dæmonum Eccleſiam cuſtodiunt. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos.* Viros, fortes dicit, & perfectos. Nam vir à virtute dicitur. Fructus Eccleſiæ, eſt cæleſtis vitæ remuneratio, pro qua ſancta Eccleſia in præſenti laborare non ceſſat. Mille autem argentei, quos pro fructu vir affert ſignificant omnia, quæ in hoc mundo poſſideri poſſunt. F Millenarius enim numerus pro ſumma perfectione & plenitudine ponitur. Vir ergo pro fructu huius vineæ mille affert argenteos, quia ſancti omnia ſua relinquunt & pauperibus erogant, vt fructum huius vineæ, hoc eſt, ſupernam mercedem conſequantur. Tale eſt & illud quod Dominus in Euangelij parabola dicit. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, &c. Vinea mea coram me eſt.* Vox ſponſi. Tu, inquam, dicis quia vineam meam tradidi cuſtodibus, tamen vinea mea ſemper coram me eſt, quia licet eam cuſtodibus meis committerim, ego tamen curam illius ſemper habeo, nec pro illa ſollicitus eſſe deſiſto, ſed ſum cum illa vſque ad conſummationem ſæculi. *Mille tui pacifici, & ducenti, his qui cuſtodiunt fructus eius.* Mille tui, ſupple, argentei quos pro vineæ dediſti fructu, pacifici tibi ſunt. Ac ſi diceret: O anima fidelis, noli dubia eſſe pro æterna mercede pro qua tua omnia dimiſiſti, quia mille argentei pacifici ſunt, id eſt manet te illa certa remuneratio, & verum inde fructum conſecuta es. Et ducenti, ſupple argentei G pacificis, ſupple his, qui cuſtodiunt fructus meos. Sicut per millenarium plenitudo perfectionis, ſic etiam per centenarium ſumma perfectio deſignatur, quia centenarius de leua in dexteram transfertur. Ducenti ergo argentei, qui eſt duplicatus centenarius, ſignificant eos, qui doctrina & ſancta operatione perfecti ſunt, qui iuſtè & piè viuendo ſemetipſos cuſtodiunt, & etiam prædicando alios conuertunt. His ergo talibus ducenti argentei pacifici ſunt, quia duplicata in cœlis eos manet remuneratio. De qualibus per Danielem dicitur. *Et qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Hos enim dupliciter iubet honorari Apoſtolus dicens, *Presbyteri qui in vobis ſunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui præſunt vobis, & laborant in verbo. Quæ habitas in hortis amici auſcultant. fac me audire vocem tuam.* Vox dilecti ſponſam Eccleſiam alloquentis. O Eccleſia, quæ habitas in hortis, id eſt, quæ excolendis virtutum germinibus inſiſtis. Hortus enim ſponſi ipſa Eccleſia eſt. quam vt ſuperius lectum eſt, cre- H bro ſe promittit inuiſere. Eccleſia ergo in hortis habitat, quia plantaria virtutum aſſidue nutrit, nec tranſitorium, quaſi poſt modicum receſſura, ibi tugurium ponit, ſed fixa ſtatione ibi habitat. Fac me, inquit, *audire vocem tuam*, id eſt, prædica Euangelium, præcepta meæ legis, ſimul & promiſſum cæleſtium præmiorum annuncia, hoc enim mihi iucundum, & delectabile eſt. Vt audiam vocem tuam, hoc eſt, vt audiam te verba ſalutis æternæ annunciantem. Sed & amici auſcultant, id eſt, Angelici ſpiritus vocem tuam delectantur audire, quos tibi amicos feci per effuſionem ſanguinis mei, quoſque adiutores, & protectores contra malignos ſpiritus ſemper inſtitui. Siue amici, id eſt, ſpiritus iuſtorum auſcultant quos de tuo cætu ad me in cæleſtibus aſſumpſi: Et ipſi enim de tua prædicatione, & fratrum ſalute congaudent. Reſpondet confeſtim ipſa ſponſa dilecto ſuo: *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Mira reſponſio. Inuitantur ad

prædican

prædicandum, & vt ſponſus audiat vocem eius, illa autem hortatur ſponſum ſuum vt fugiat. Sed magna eſt myſterij cóſequétia. Nam quia ſuperius pręd cta fuerat Chriſti natiuitas, cum dixit. *Quis det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, &c.* prædicta etiam fuerat eius paſſio, vbi dictum eſt, *Sub arbore malo ſuſcitaui te*, &c. nunc conſequenter hortatur ſponſum ſuum vt fugiat, hoc eſt, velociſſime per aſcenſionem ad Patrem redeat. Et eſt ſenſus: Iubes me prædicare, vis vocem meam audire, fuge dilecte mi, ideſt impleto incarnationis & paſſionis tuæ myſterio, reuertere ad cœlum, vt non iam te ſicut hominem, ſed ſicut Deum ſuper omnia cogitare incipiam. Tunc enim audies vocem meam, quia tunc libentius prædicabo omni mundo. Et hoc eſt quod Dominus in Euangelio dicit. *Ego veritatem dico vobis expedit vobis, vt ego vadam.* Expediebat enim Apoſtolis, & omni Eccleſiæ, vt Chriſtus rediret, & præſentiam corporalem abſentaret: Quia dum in corpore præſens erat, non poterant eum ſpiritualiter amare: non poterant eum, quem hominem cernebant, vt Deum inuiſibilem, & vbique præſentem cogitare. At poſtquam cælos aſcendit, cœpit eum Eccleſia ſpiritualiter diligere, & ſicut Deum iam cogitare, & prædicare. Et hoc eſt quod Apoſtolus dicit. *Et ſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus eum.* Ergo dilecte mi, ſi vis me ita te prædicare, fuge, id eſt, recede ad cæleſtia, & qui fuiſti comprehenſibilis per humanitatem, efficere incomprehenſibilis per diuinitatem. Verumtamen, ne me in præſenti ſine tua viſitatione deſeras, ſed dignare me crebra tua viſitatione requirere, mihique te ſæpius videndum præbere. Et hoc eſt quod dicit. *Similis eſto capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Sicut, inquit, capreæ & hinnuli ceruorum, indomita animalia humanum conſortium refugiunt, & tamen crebrius in montibus videntur, ſic & tu poſt tuam aſcenſionem licet inuiſibilis ſis, dignare tamen ſæpius dono tuæ gratiæ apparere. Et hoc ſuper montes Aromatum Montes enim aromatum ſancti Dei ſunt, excellentia ſanctæ conuerſationis cœlo proximi, & odore ac fama virtutum longè lateque flagrantes. Hinc & Apoſtolus de ſe ſibique ſimilibus dicit. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Et alibi, *Chriſti bonus odor ſumus à Deo.*

INCIPIT EXPOSITIO
Sancti Brunonis Epiſcopi Signienſis
IN LIBRVM IOB.
CAPVT I.

VIR erat in terra Hus, nomine Iob. Et erat vir ille ſimplex, & rectus & timens Dominum, & recedens à malo.

Qualis Beatus Iob fuerit, paucis in verbis oſtenditur. Simplex enim erat, ſecundum illud. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ*; Erat autem & rectus vtpote, qui via regia incedens, neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinabat, id eſt, nunquam à veritate & iuſtitia deuiabat. Hoc autem ideo, quia timens Dominum, ſcriptum eſt enim, *Qui dominum timet nihil negligit*, Vnde & ſubditur. *Et recedens à malo.* Non enim timet Dominum, qui à malo non recedit. Hoc autem ad eius laudis cumulum additur, quia in terra Hus, id eſt, inter impios, & peccatores habitaſſe dicitur. Vnde & in ſequentibus ipſe quoque ait. *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Valde enim laudabile eſt, inter malos innocenter viuere. Allegorice autem per Iob, quamuis omnium perfectorum Eccleſia intelligi poſſit, hoc tamen in loco Chriſtus Dominus noſter ſpecialiter figuratur, qui pro nobis dolens crucem ſubire, & mori non dubitauit. Iob enim dolens interpretatur. Quam ſimplex autem Chriſtus fuerit, ex eo oſtenditur, quia *ſicut ouis ad victimam ductus eſt, & non aperuit os ſuum.* Cuius rectitudinem ipſi quoque eius inimici commendantes dicebant. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo.* Ipſe denique timens Dominum, in eo enim requieuit ſpiritus timoris Domini, factus eſt obediens Patri vſque ad mortem. Ipſe quoque recedens à malo, peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, de quo & dicitur. *Non habitabit iuxta te malignus.* Habitauit autem in terra Hus, id eſt in Iudæa. Hus enim conſiliatrix interpretatur de Iudæis autem ſcriptum eſt: *Principes ſacerdotum conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent.* Sequitur.

Natique ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ. Et fuit poſſeſſio eius, ſeptem millia ouium, tria millia Camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingenta aſinæ, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

Beatus etenim Iob non ſolum iuſtitia, & ſanctitate, verum etiam prolis fœcunditate, & omnium diuitiarum plenitudine felix extitit, ſiquidem inter omnes Orientales maximus erat. Qua in re ſatis conuenienter Chriſtum ſignificat. Cuius ſeptem filij, non ſolum Apoſtoli ſeptiformi ſancti Spiritus gratia pleni, ſed etiam omnium perfectorum multitudo intelligi poteſt. Vnde & Beatus Ioannes, quaſi ſeptem filiis, ſeptem tantum Eccleſiis ſcribit: per quas omnes alias ſignificauit. Similiter autem in hoc loco hoc eſt ſeptem, quod multi. Sed quid tres filiæ, niſi tres mundi partes intelliguntur, in quibus Eccleſia tota conſiſtit, Aſia videlicet, Africa, & Europa) Hoc autem inter filios, & filias, diſtat, quod illi perfectiores, iſtæ vero minus perfectos quoſcunque ſignificant. Quamuis autem per eius poſſeſſionem idipſum, quod per filios, & filias ſignificari poſſit, non incongrue tamen per oues, ſimplices, per camelos autem maiores homines, & potentes, per boues vero, Eccleſiæ Doctores, per aſinos autem eos, qui aliena onera libenter ferunt. At vero per multam familiam, omnium fidelium multitudinem intelligimus. De ouibus enim ſcriptum eſt. *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* De camelis autem. *Inundatio camelorum operiet te.* De bobus vero, *Non alligabis os boui trituranti.* At vero aſinus non parum honoratur, cum ſuper eum ipſe quoque Saluator noſter ſedere non dedignatur. Aſinos etiam nos fieri Apoſtolus optabat cum diceret. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Numerus quoque ipſe ouium. Camelorum, boum, & aſinorum, non vacat à myſterio. Septem enim, & tria, idipſum, hic ſignificare poſſunt, quod in filiis, & filiabus ſignificarunt. Quingenta vero, quoniam numerus iſte ex quinque, & centum conficitur, & in ſcientia, & in opere perfectionem demonſtrant. Quinque enim ſunt libri Moyſi, in quibus integra perfectaque ſcientia continetur. Centenarius vero numerus, in ſe quidem replicari poteſt, creſcere autem non poteſt, vnde & perfectus eſſe non dubitatur. Merito igitur per boues, & aſinos perfectiores in Eccleſia figurantur. Erat autem vir ille magnus inter omnes Orientales, quoniam & de Chriſto ſcriptum eſt. Non *eſt ſimilis tui in diis Domine.* Itemque *Quis enim in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei?* Sequitur.

Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis.

Ibant enim Apoſtoli, & Doctores, & faciebant conuiuium per domos, quia in omnibus mundi partibus diuiſi, Euangelica prædicatione, & ſe & alios ſatiabant. Hoc autem vnuſquiſque in die ſuo, quia non omnes vno tempore prædicauerunt. Adhuc enim aliis recedentibus alij ſuccedunt, qui eſurientibus conuiuia præparant. Mittebant autem vocare tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis, quoniam & Eccleſiæ Doctores ſuaui perſuaſione ad Chriſti conuiuium atque ad audiendum verbum Dei, omnes mundi partes inuitant.

A tant. Comeditur autem Euangelica prædicatio, quando pro ſui difficultate vix ab auditoribus intelligitur. Bibitur autem, in locis planioribus, & quaſi aqua facilè glutitur.

Cumque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos, dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

O Sanctiſſimum Patrem, qui ſic filios inſtruxerat, vt hoc ſolum de eis timeret, ne fortè cogitatione peccarent. Sed hoc quoque in Chriſto videamus. Semper conuiuij noſtri dies tranſeunt, ſemperque ſibi viciſſim ſuccedunt. Vnde etiam quotidie dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Semper igitur Sanctiſſimus Iob, ideſt, Chriſtus Dominus noſter ad nos mittit, ſed quid mittit? vbique gratiam ſuam, Spiritum ſanctificationis, qui nos ſanctificet, & liberet à peccatis. Offerebat autem Iob holocauſta per ſingulos: Quia & Saluator noſter, & pro omnibus, & pro ſingulis quibuſque fidelibus

B ſeipſum obtulit, & quotidie per ſuos miniſtros ad ſalutem noſtram offerre non ceſſat. Quod autem ait, *conſurgenſque diluculo*, quanta ſollicitudine hoc fiat demonſtrat, vnde ſcriptum eſt: *Quoniam ipſi cura eſt de vobis*, ideoque ſubditur: *Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei.* Hoc enim & Chriſtus dicit: Quia, vt ait Apoſtolus, *vultui Dei apparens pro nobis quotidie interpellat.* In cordibus autem Deo benedicere, eſt prauum aliquid de Deo cogitare. *Sic autem faciebat Iob cunctis diebus.* Quia & de Deo Saluatore noſtro dicitur: *Tu es ſacerdos in æternum.* Offert igitur & Chriſtus holocauſtum cunctis diebus, ſiquidem in æternum.

Quadam autem die, cum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan, cui dixit Dominus: Vnde venis? qui reſpondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.

Quomodo veniunt filij Dei, vt aſſiſtant coram Domino, qui ab eius aſpectu nunquam recedunt? Sic enim

C Dominus ait: *Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Sed quia eum ſemper videre deſiderant, quamvis coram eo ſemper aſſiſtant, venire tamen vt abſentes, coram eo dicuntur. Similiter autem, & Sathan, quamvis de ſuperioribus præcipitatus Dei gloriam videre non poſſit, tamen quia inter Angelos bonos adeſſe optabat, inter eos affuiſſe narratur. Sic autem & Apoſtolus ait: *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt,* cum vtique niſi affectu quodam, & deſiderio, adhuc in cœlis non eſſet. Loquitur autem Deus ad Sathan, quando ſuam voluntatem eum intelligere facit: Loquitur vero, & ſathan ad Dominum, quoniam eius iniqua deſideria Dominum latere non poſſunt, nihil enim minus Deo corda, quam linguæ loquuntur. Vnde & Moyſi ait; *Quid clamas ad me?* cum vtique non lingua Moyſes, ſed corde loqueretur. Sed quid reſpondit ſathan? *Circuiui terram,* inquit, *& perambulaui eam.* Inimicus enim noſter diabolus, *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Quanta autem ſollicitudine ſemper fraudi, & deceptioni

D inſiſtat, ex eo cognoſcitur, quod terram perambulaſſe narratur.

Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, & timens Dominum, ac recedens à malo.

Hæc ſuperius expoſita ſunt. Chriſtus vero pro parte carnis ſeruus vocatur.

Cui reſpondens Sathan, ait: Nunquid fruſtra timet Iob Deum? nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam eius per circuitum, operibuſque manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra: Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.

Ecce quomodo Sathan adeſt inter filios Dei, ecce quomodo coram Domino eſſe deſiderat, ad hoc videlicet vt Sanctos accuſet, ad hoc vt ſuper eos poteſtatem accipiat, quoniam niſi Dei iuſſione, vel permiſſione nihil poteſt. Cum enim iniquam eius volũtatem Deus intuetur, eique

E occulta ſua inſpiratione agere aliquid, vel non agere præcipit, tunc quaſi ſeruiens ad obediendum paratus, coram Deo, & inter Dei filios Sathan aſſiſtit. Quantum enim ad Deum, ſemper Sathan aſſiſtit coram Deo, quoniam eius iniqua voluntas nunquam Deo occultari poteſt: Quantum vero ad Sathan, tunc tantum eſt coram Deo, quando Dei voluntatem Dei nutu cognoſcere poteſt. Sed quid dicit Sathan? Nunquid fruſtra timet Iob Dominum, quem tu ſic munis, ſic defendis, ſic exaltas, ſic benedicis, ſicque omnibus bonis multiplicare facis? ac ſi dicat: Non enim ex amore te timet, ſed ne hæc omnia amittat, ſi te timere deſiſtat: vnde & ſubinferens ait: Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, & tunc videbis, quod non in corde, ſed in facie benedixerit tibi, ideſt, non amore, ſed fauore, non verè, ſed ſimulatè, non vt te diligeret, ſed vt te diligere videretur. Extende igitur manum tuam, incipe flagellare, & qualis ſit, flagella probabunt. Quia enim hæc talia diabolus de Iob ſentiebat, cuius vtique cogitatio Dei auribus inſonabat, ideo de eo talia reſpondiſſe.

F *Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Egreſſuſque eſt Sathan à facie Domini.*

Omnia, inquit, Dominus, in manu & poteſtate tua ſunt, quæcunque ad Iob pertinere noſcuntur, ipſum tamen tangere noli. Accepta igitur poteſtate egreſſus eſt Sathan à facie Domini, non quod ſemper à Deo non videatur, ſed quia iam non ad accuſandũ, immo vero ad perſequẽdum, tota eius intentio inhiabat. Hæc autem ſi ad Chriſtum referantur, intelligendum erit, quod aliquando Dei filium, aliquando purum hominem, Chriſtum Sathan eſſe crediderit. Cum enim tot miracula facientem, quadraginta diebus & noctibus ieiunantem, de obſeſſis corporibus ſolo iuſſu dæmonia eiicientem videret, Dei filium eſſe credebat. Vnde in Euangelio: *Scimus*, inquiunt, *quia tu es Chriſtus.* Itemque: *Quid nobis & tibi fili Dei? veniſti ante tempus torquere nos.* Cum autem

G eſurientem, ſitientem, & fatigatum eum conſpiceret, quamvis magnum & admirabilem, nihil tamen niſi hominem eum eſſe putabat. Vnde ſi ei ad tentandum à Domino toleraretur, ſecum ad peccandum commouere poſſe exiſtimabat. Sequitur.

Cum autem quadam die, filij, & filiæ eius, comederent, & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti, nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & euaſi ego ſolus, vt nuntiarem tibi.

Eo enim tempore, quo Chriſtus Dominus noſter ſecundum carnem in Iudæa conuerſabatur, filij, & filiæ eius, Apoſtoli videlicet, cæterique, qui ei familiarius in illo populo adhærebant, cibum, & potum Diuinæ legis in domo fratris ſui primogeniti comedebant, & bibebant. Domus enim primogeniti fratris, Iudæa eſt, quoniam primogenitus frater Iſraël eſt, de quo Dominus ait. *Filius meus primogenitus Iſraël.* Cum autem hoc fieret, & Saluator noſter cum diſcipulis ſuis quietus adhuc in Iudæa moraretur, repente diabolus accepta poteſtate ad-

H uerſus eum arma commouit, eiuſque ſubſtantiam adeo vaſtare cœpit, vt edictum diuulgaretur, vt ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra Synagogam fieret. Et tunc quidem primum irruerunt Sabæi, qui boues, & aſinas Chriſti abſtulerunt. Sabæi namque, captiuantes interpretantur, per quos, malignos ſpiritus intelligimus, qui vbique à Regno Dei miſeros homines captiuant. Boues autem, & aſinæ, ſacerdotes ſunt, & Leuitæ. Illi enim agrum colunt, iſti vero onera ferunt. Leuitas enim Moyſes, quaſi aſinos eſſe iuſſit, quando Tabernaculum, & quæcunque in eo erant eos ſolos portare præcepit. Vnde non immerito iuxta boues aſinæ paſcebantur, quoniam ſimul cum ſacerdotibus de decimis, & ſacrificiis Leuitæ viuebant. Hos autem diabolus primum abſtulit quia cæteros per iſtos ſe facilè vincere poſſe ſciebat. Pueros autem, qui gladio percutiuntur, Angelos eis in cuſtodia datos à Domino eſſe puto, qui quoniam eos præuaricatores Chriſto inſidiari videbant, doloris gladio percuſſi, illos

A reliquerunt. De hoc enim gladio ſcriptum eſt. *Ferrum pertranſiit animam eius.* Itemque ad virginem: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Per nuntium, qui ſolus ſemper euadit, & nuntiat, quid melius quam Spiritum Sanctum intelligere poſſumus? quo Saluator noſter repletus, non ſolum inimicorum ſuorum facta, verum etiã cogitationes non ignorabat: Vnde & ipſe frequenter ait: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Sequitur.

Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis de cœlo deſcendit, & tactas oues, pueroſque conſumpſit: Et effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

Vt enim Sathan B. Iob ad impatientiam faciliùs commoueret, crebris eum & ſine intermiſſione ictibus flagellabat. Ignis vero de cœlo deſcendiſſe dicitur, quatenus Dei permiſſione hoc fieri nõ dubitatur. Allegoricè autem, ignis de cœlo deſcendit & tactas oues, pueroſque conſumpſit, quoniam indignationis, & odij flamma, à prædictis Sacerdotibus, & Leuitis in populum ſimplicem, & indiſciplinatum cecidit, quæ flamma eos conſumpſit, quoniam à iuſtitia, & æquitate ſeparauit, & B contra Deum, & Dominum ſuum eos irritauit. Pueros quoque hæc flamma conſumpſit, non vt non eſſent, ſed vt in eis, & cum eis vlterius non eſſent. Vnde & in templo, vt Ioſephus refert, Angelorum voces auditæ ſunt dicẽtium: *Relinquamus has ſedes.* Neminem autem moueat, quod hic de nuntio dicitur. *Venit alter,* quoniam Spiritus Sanctus, & vnus eſt, & alter: Vnus quidem ſecundum ſe, alter vero, ſecundum gratias, & operationes. Hoc enim & Apoſtolus ait: *Diuiſiones gratiarum ſunt; idem vero Spiritus.* Vnde cum vnus idemque ſit, ſeptiformis tamen vocatur, & ſpiritus ſapientiæ, & ſpiritus intellectus, & ſpiritus conſilij, & fortitudinis dicitur. Sequitur.

Sed adhuc illo loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt Camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio, & fugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

Quid enim per Chaldæos, qui quaſi dæmones, vel feroces interpretantur, niſi malignos ſpiritus, aut prædictos C ſacerdotes, & Leuitas intelligamus, quibus ferocitate, & crudelitate vix aliquid comparari poteſt? Illi autem fecerunt tres turmas, populum videlicet, & Pilatum, & Iudam, contra Chriſtum concitantes. Inuaſerunt autem camelos, quia illos ſolos decipere potuerunt, quibus impoſſibile erat intrare in Regnum cœlorum. Solus autem ſemper nuncius fugit; quia, ſicut ſcriptum eſt, *Spiritus diſciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sequitur.

Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filiis tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

Quid enim filij, & filiæ, & quid frater primogenitus ſignificet, iam ſuperius dictum eſt. Ventus autẽ vehemens, grauis, & intolerabilis tentatio Sathanæ intelligitur, quæ D in Chriſti paſſione facta fuit. Ideoque à regione deſerti, ideſt, ex corde diaboli omni bonitate, & iuſtitia deſtituto veniſſe dicitur. Domus autem Synagoga eſt: Cuius quatuor anguli, ſacerdotes ſunt, & Leuitæ, Principes, & populus, quos per boues, & aſinas, oues, & camelos, ſuperius ſignificauit. Hos autem quatuor angulos ventus cõcuſſit, & domus corruit, quia cum iſti ſupradictæ tentationi reſiſtere non poſſent, tota cecidit Synagoga, cuius ruina non ſolũ Iudæos, verum etiam ipſos filios Chriſti, ideſt, Apoſtolos oppreſſit, quia ipſi quoque grauiter tentati in paſſione Chriſti dubitauerunt. Vnde etiam quidam eorum dicebant: *Nos autem ſperabamus, quod ipſe eſſet redẽpturus Iſraël.* Et Thomas: *Niſi videro,* inquit, *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Hanc etiam tentationem ipſe Dominus eis prænuncians, ait: *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* Sic igitur ad horam, & oppreſſi, & mortui ſunt, quia quolibet modo à Deo ſeparati receſſerunt, qua maior mors eſſe non poteſt.

Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit tunicam ſuam, & tonſo E *capite corruens in terram, adorauit & dixit: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.*

Quo enim dolore Beatus Iob ſtringeretur interius, ea, quæ ipſe exterius agit, manifeſtant. Niſi enim hoc feciſſet, vel non ſenſiſſe vel non curaſſe putaretur. Scidit igitur tunicã ſuam, & caput totondit quod quidem magni doloris indicium erat. Dolore tamen ſuperatus non eſt, vt contra Deum aliquid loqueretur, in quo quam perfectus fuerit apertè monſtratur. Sed quid fecit? Corruens in terram, adorauit, qua in re diabolus ſuperatus eſt, dixitque: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*: Id eſt, nihil in hunc mundum attuli, nihil de his, quæ huius mundi ſunt, mecum moriens feram: Domini erant, ipſe quando voluit dedit, quando voluit, abſtulit, nihil ad me. *Sit nomen Domini benedictum.*

In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt.

Sed quia Iob ſignificat Chriſtũ, quomodo hæc quoque conueniant Christo, videamus. *Tunc,* inquit, *ſurrexit Iob.* Quando? vis audire quando? quando domus F corruit, quando Synagoga cecidit. Tunc enim reuera Chriſtus ſurrexit, tunc eius regnum, & imperium creuit, quia relictis Iudæis totum mundum in hæreditatem ſuſcepit, ſecundum illud. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam.*

Scidit autem tunicam ſuam, vt gentilis populus, ad quem veniebat, nudum eum palam & in manifeſto videret. Hæc autem tunica, Diuina ſcriptura eſt, hæc nondum Iudæis ſciſſa eſt, ideoque ſub velamine litteræ Chriſtum latentem videre non poſſunt. Totondit autem caput ſuum, cum infideles, & impios Iudæos, qui quaſi capilli vagi ſemper, & inſtabiles extiterunt, à ſe, & à corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, abraſit, & ſeparauit. Corruens autem in terram adorauit, cum quaſi ex improuiſo ad gentiles veniens, qui terra, & peccatores erant, eos iam non idola, ſed vnum, & verum Deum adorare docuit. Sic enim de Spiritu ſancto & Apoſtolus ait, qui orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, orat, inquit, id eſt orare nos docet. G Et dixit. *Nudus exiui de vtero matris meæ,* id eſt, Synagogæ latebram relinquens, palam, & manifeſtus gentibus apparui. *Et nudus reuertar illuc,* quia iuxta mundi finem iam non in caligine, ſed in manifeſto Iudæorum populo me manifeſtabo. *Cum enim plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet.* Sequitur.

CAPVT II.

Factum eſt autem, cum quadam die veniſſent filij Dei, & ſtarent coram Domino, veniret quoque Satan inter eos, & ſtaret in conſpectu eius, vt diceret Dominus ad Sathan: Vnde venis? qui reſpondens ait: circuiui terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad Sathan: Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra? vir ſimplex & rectus & timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam. Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra.

Hæc ſuperius expoſita ſunt. Fruſtra autem percuſſit H Dominus Iob, quantum ad diabolum accuſatorem, quia neque innocentiam amiſit, neque peccatum fecerat, pro quo talia pati debuiſſet: Non fruſtra autem, quantum ad Deum, quoniam ex hoc eius meritum, & corona creuit, multiſque ſuæ patientiæ exẽplum reliquit. Chriſtus quoque fruſtra & non fruſtra occiſus eſt, fruſtra quidem his, qui eum non reſurgere putabant: non fruſtra autem nobis, qui eius ſanguine redempti ſumus. Quando autem primum hominem diabolus decepit, pro quo peccato Chriſtus paſſus eſt, tunc quidem aduerſus Chriſtum Deum commouit Tunc enim Pater Filio, quodammodo dixit: Tu quidem pro hoc peccato morieris. Sequitur.

Cui reſpondens Sathan ait; Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua. Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis quod in facie benedixerit tibi.

Ac ſi dicat: Veratiſſimum eſt, & rationabile, vt pro

his.

A his, quæ chariora ſunt minus chara, & vilia negliguntur, vnde fit, vt homo pro pelle pellē opponat, & dum oculum percuti timet brachium obiiciat, dat quoque cætera pro vita, & anima ſua, quia ne occidatur, omnem ſuam ſubſtantiam perdere paruipendit. Sic igitur & Iob, quia ſanus, & incolumis eſt, quicquid ei accidit pro nihilo ducit. Tange igitur eum in ſe, & carnem, quæ plus dolet, affligere incipe. Hæc autem & de Iob, & de Chriſto diabolus dixit, quia de vtroque talia cogitauit.

Dixit ergo Dominus ad Sathan : Ecce in manu tua eſt , veruntamen animam illius ſerua,

Quid eſt animam illius ſerua niſi animam illius tentare non potes.

Egreſſus igitur Sathan à facie Domini , percuſſit Iob vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.

Percuſſus Iob vlcere, non tantum malo, ſed, & peſſimo, neque in vna corporis parte, verum etiam à planta pedis B vſque ad verticem , quantum carnem ſuam vilipenderet oſtendit, dum & teſta ſaniem radit, & in ſterquilinio ſedet. Durus enim lectus , duraque fomentatio eſt iſta, etiam illis qui nihil patiuntur. Erubeſcat igitur ſathan, qui ait : *Tange os eius, & carnem , & tunc videbis quod in facie benedixerit tibi.* Chriſtus quoque vulnere peſſimo percuſſus, ideſt, morte turpiſſima condemnatus hoc autem à planta pedis vſque ad verticem, cum totus pendens toto corpore patiebatur. Teſta ſaniem radebat, ideſt, carne ſua prius de terra aſſumpta , nunc autem in cruce paſſionis igne decocta noſtrorum peccatorum putredinem delebat. Sedebat autem in ſterquilinio quia adhuc in Iudæa erat, quam quidem non immerito ſterquilinium vocat. Huc uſque de capite , cætera , quæ ſequuntur, ad membra referenda ſunt.

Dixit autem illi vxor ſua : Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua ? Benedic Deo , & morere.

Ac ſi dicat : Quid valet tibi ſimplicitas tua ? Satius eſt , vt benedicas Domino , & moriaris , dic aliquid in C Deum vnde offendatur, & te iratus de hac vita tollat , in qua ipſa morte multo pateris deteriora,

Qui ait ad illam : Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es , ſi bona ſuſcepimus de manu Domini , mala autem quare non ſuſtineamus ? In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis.

Iob aliquando Chriſtum, aliquando aliquem perfectorum aliquando vero totam Eccleſiam ſignificat. Hoc autem in loco perfectum aliquem ſignificare poteſt , qui cū in magna perſecutione fuiſſet, vxor ſua, id eſt caro, quę vxor eſt ſpiritus ſui mortis timore ſuperata , Chriſtum negare ei perſuaſit, eique dixit. *Benedic Deo & morere.* Morere, inquit, in æternum, ne modo moriaris. Quam ille quidem quaſi ſtultam mulierem redarguit , eiuſque conſiliis acquieſcere noluit. Sequitur.

Igitur audientes tres amici Iob omne malum , quod accidiſſet ei , venerunt ſinguli de loco ſuo , Elipbaz Themanites , & Baldad Subites , & Sophar Naamathites. Condixerant enim , vt pariter venientes viſitarent eum, D *& conſolarentur.*

Tres amici Iob, hæreticorum ſpeciem tenent, qui facta conſpiratione inter ſe, dum aliter Eccleſiam decipere nequeunt, viſitare ſe eam , & conſolari , & de eius miſeriis condolere fingunt. Veniunt igitur ſinguli de loco ſuo , quaſi quædam ſagittæ electæ , & venenoſæ de pharetra diaboli, quod in ipſis quoque ſuis nominibus declaratur. Siquidem Eliphaz interpretatur Dei contemptus, ſed vnde venit iſte ſuperbus, qui Deum cōtemnit? vtiq; de Theman, qui auſter interpretatur, auſter enim ventus plouialis eſt. Eliphaz igitur plouiarum inundatione ad Eccleſiam plenus venit, quibus ea non ſatietur , ſed ſubmergatur. Interpretatur autem & Baldad, vetuſtas ſola. Sed vnde venit iſte Baldad , qui ſolam litteræ ſequitur vetuſtatem niſi de Siu ? Siu enim interpretatur loquens, venit igitur iſte de Siu , quoniam non in veritate, ſed in loquacitate confidit. At vero Sophar, ſpeculæ diſſipatio dicitur, iſte autem qui Speculam, ideſt Sion , & ſanctam Eccleſiam diſſipare nititur , de Naama venire perhibetur. Naama enim decor interpretatur , venit igitur iſte de Naama, E cum nequaquam tribulationes vult ſuſtinere cum Sanctis, ſed mundi gloriam, & decorem cum ſeculi amatoribus habere deſiderat.

Cumque eleuaſſent procul oculos ſuos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt , ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælo , & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus & nemo loquebatur ei verbum , videbant enim dolorem eſſe vehementem.

Hæretici enim Eccleſiam intuentes, eam non cognoſcunt, quia neque diligunt eam, neque eius opera imitari volunt. Exclamant autem, & plorant ſuper ea, quia ſe ei condolere ſimulant. Ideoque, & veſtes ſcindunt, & ſuper capita ſua puluerem ſpargunt , quod quidem doloris indicium eſt. Fingunt enim multoties hæretici ſe Eccleſiæ compati , eiuſque miſereri, quaſi in fide ægrotantis, & à veritate deuiantis. Vnde quaſi ſanare eam volentes , ſui erroris ei prædicant deceptiones. Septem autem dies, & F ſeptem noctes in quibus amici Iob cum eo ſedentes non ſunt locuti, omne illud tempus eſſe puto, quod fuit à Chriſti paſſione vſque ad tempora Conſtantini Imperatoris. In hoc enim tempore in maxima perſecutione Eccleſia fuit. Vnde hic rectè dicitur , *videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Hoc enim tempore hæretici tacuerunt. Et quamvis cum Eccleſia ſederent , loqui tamen non audebant, erant enim, & ipſi Chriſtiani, & timebant ne fortè cogniti interficerentur. Poſtquam autem data pace confidenter Eccleſia loqui cœpit, tunc hæretici inſurrexerunt , tunc vbique gentium contra eos Concilia celebrata ſunt , vnde & ſequitur.

CAPVT III.

POſt hæc autem aperuit Iob os ſuum & maledixit diei ſuo , & locutus eſt. Pereat dies, in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt , Conceptus eſt homo.

Dies, & nox hoc in loco diabolum ſignificat. Dies enim eſt quando, vt Apoſtolus ait, transfigurat ſe in Angelum G lucis : Nox autem, quia princeps eſt tenebrarum, & quia mentis oculos eorum, qui eum ſequuntur, excæcat, & caligare facit. Et prius quidem ſecundum naturam , dies extitit, quia inter omnes Angelos clarus, & ſplendidiſſimus eſt creatus. In hoc autem die, id eſt in originali peccato, quod huius diei ſuggeſtione, & machinamento factum eſt , omnes homines naſcuntur. Vnde & Dauid. *Quoniam in iniquitatibus conceptus ſum , & in peccatis concepit me mater mea.* Pereat igitur dies iſte, id eſt huius diei peccatum. Et eſt cauſa pro effectu. Stultiſſimum eſt enim hoc ad litteram intelligere, cum neque dies aliquid peccauerit , neque quod iam non eſt aliquo modo perire valeat. Pereat igitur dies, immo iam non dies ſed nox , amiſit enim claritatem. Vnde & ſubditur.

Dies ille vertatur in tenebras.

Vt iam non dies , ſed nox vocetur. *Non requirat eum Deus deſuper.* Vt eius aliquando miſereatur. *Et non ſit in recordatione*, niſi vt flagelletur, & æternis ignibus crucietur. *Et non illuſtretur lumine* ſuæ videlicet claritatis, ſed H ſemper ſe illi iratū oſtendat. De hoc enim lumine dicitur. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultū ſuum ſuper nos.* Obſcurent eum tenebræ, & vmbræ mortis, ne amiſſam gloriam recordādo intueatur, vt pœnitentiam agens ſaluari, vel viuificari mereatur. Vnde adhuc ſubditur. *Occupet eum caligo*, æternę videlicet obliuionis, & obſtinationis. *Et inuoluatur amaritudine.* Tormentorum omnium , & anguſtiarum. Vnde & peccatoribus Dominus ait. *Ite maledicti in ignem æternum , qui paratus eſt diabolo , & Angelis eius.* Sequitur.

Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat. Merito enim iam non diem , ſed noctem appellat , quem tantis tenebris , tantaque caligine inuolutum videt. Quod enim ipſe inprecando dicit , affirmatiuè ſic eſſe , intelligi debet. Tenebroſus autem turbo , qui hanc noctem poſſidet , ille eſt , de quo Pſalmiſta dicit : *Pluet ſuper eos laqueos , ignis , ſulphur , & ſpiritus procellarum , pars calicis eorum.*

A *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* His autem annus æternitas eſt, cuius dies, menſes, & horę, ſoli Sancti ſunt, cuius ſol, & luna, omniſque ſplendor, & illuminatio Chriſtus eſt. De hoc enim Pſalmiſta dicit: *Et in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabantur, & nemo in eis.* Nemo quidem computabitur, vel annunciabitur in eis, qui diabolica caligine ſit inuolutus. *Fulgebunt enim Sancti ſicut ſol in regno Dei.*

Sit nox illa ſolitaria nec laude digna. Solitaria quidem erit, quia nox alia nulla erit. Annus enim prædictus, non noctes, ſed ſolos dies habebit, quoniam nullus ibi æterna luce carebit.

Maledicam ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan. Illi, inquit, nunc ei tenebroſo, & caligine inuoluto, maledicant, qui ei à principio, cum adhuc dies, & clarus eſſet, maledixerunt, quoniam ſuperbiendo ſuper omnes cœlos aſcendere voluit. Sed illi, qui ſunt, niſi Angeli Dei, qui eum tunc temporis ligatum tenebant, quoniam omnem ſuam nequitiam eum
B adimplere non permittebant? Erant tamen parati ſuo tempore, eum ſuſcitare, quod iam quidem completum eſſe putamus, ſic enim ſcriptum eſt; *Quia poſt mille annos ſoluetur Sathanas.* Leuiathan autem additamentum eorum interpretatur, ſed quorum eorum? vtique primorum parentum noſtrorum, quibus dum diei ipſius honorem, & dignitatem addere promiſit, beatitudinem, & immortalitatem eis ademit. Sequitur.

Obſcurentur ſtellæ caligine eius. De his ſtellis Iudas Apoſtolus ait: *Væ illis, qui in via Caini abierunt, & exempla Balaam ſecuti ſunt.* Et paulo poſt: *Hi ſunt ſydera errantia, quibus tenebrarum procella in æternum conſeruata ſunt.* Iniqui enim homines, qui fortitudine, & ſapientia clareſcere foris videntur, diaboli caligine intus obſcurantur.

Exſpectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ. Quamvis enim inuitus, ipſe quoque malignus ſpiritus iudicij diem expectat, quando in propria claritate ad iudicandum Dominus veniet. Et quoniam tunc dice-
C tur; *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*, lucem diei expectatam non videbit. Aurora vero, Eccleſia eſt, de qua Salomon ait: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Hæc autem in iudicio ſurgat, immo reſurget. Sed ſicut nec gloriam Dei, ita nec ortum ſurgentis Eccleſiæ diabolus videre merebitur, quare hoc? *Quia non concluſit oſtia ventris, qui portauit me.* Venter iſte paradiſus eſt, in quo, & non in alio ventre primus homo natus eſt. Hunc autem diabolus, quia aperuit, non os clauſiſſe narratur. *Nec abſtulit mala ab oculis meis.* Quia offerens mihi in primo homine concupiſcentiæ lignum, dum mihi oculum aperire promittit, excæcat. Sequitur.

Quare non in vulua mortuus ſum? Beatus enim Iob, primi hominis in ſe perſonam ſuſcipiens, totius humani generis calamitatem deplorat. Vulua enim, per quam Adam de paradiſo exiuit, ipſa prima diaboli ſuggeſtio fuit, quam ſi non recepiſſet, de Paradiſo eiectus non eſſet. Ait ergo. Quare non in vulua mortuus ſum? ideſt quare in ipſa ſuggeſtione, mortem, mihi, ſi aſſentirem, immi-
D nere non intellexi? In vulua enim mortuus fuiſſet, ſi mox vt audiuit, ab ipſa ſuggeſtione ſe ſeparaſſet. Quid eſt enim mors, niſi ſeparatio? Moritur enim homo, cum anima ſeparatur à corpore. Moritur etiam Deo, qui ab eo ſeparatur. Similiter autem mundo moritur, & peccato, qui à mundo ſeparatur, & à peccato. Inde Apoſtolus ait. *Mortuus ſum mundo.* De hac autem morte hic dicitur? *Quare non in vulua mortuus ſum*, id eſt quare ſtatim audita ſuggeſtione non refugi? Omnis enim homo illi rei moritur quodam modo, à qua ſeparatur. Hoc ego, inquit, non feci, ſed, quod multo deterius eſt, per ſuggeſtionem audiendo tranſiens, ad delectationem vſque perueni, & cum vel hic prædicta morte mori debuiſſem, non tamen hoc mihi ſufficiens fuit, ſed genibus exceptus, & vberibus appropinquans, lac mortis deguſtaui, & pomum interdictum comedi, hoc enim eſt quod dicitur: *Egreſſus ex vtero non ſtatim perij? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?* Quaſi enim ſuper genua peccatorem diabolus tenet, quando miſer homo tam E
nefando operi proximus aſſiſtit. Sequitur.

Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem. Si, inquit, diabolum ſuggerentem non audiſſem, & ſi audiens in eius ſuggeſtione delectatus non fuiſſem, & ſi delectatus in tactum interdictæ arboris non appropinquaſſem, & ſi appropinquans, ſaltem de pomo concupiſcentiæ non comediſſem, nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem, id eſt cœleſtem beatitudinem, & quietem poſſiderem. Cum quibus? *Cum Regibus, & Conſulibus terræ, qui ædificāt ſibi ſolitudines.* His verbis B. Iob dicere videtur: Quod ſi primus homo non peccaſſet, iam in ſuo tempore electorum numero completo, ſimul cum omnibus, qui ad æternam vitam prædeſtinati fuerant, ſumma beatitudine frueretur. Niſi fortè tempus pro tempore, aut ipſe pro aliis accipiatur; nūc enim, præſens tempus ſignificat. Si enim primus homo non peccaſſet, nemo vnquam, niſi æternæ beatitudini prædeſtinatus, naſceretur. Reges autē, & Conſules, vel Angeli, vel Eccleſiæ Doctores intelliguntur, qui & ſe, & alios bene regunt, & om- F
nibus hominibus optimè conſulunt. Hi autem ædificant ſibi ſolitudines, quia vitam ſolitariam, & quæ multum à cæterorum hominum vita differt, in hoc ſæculo agunt. *Aut cum Principibus, qui poſſident aurum, & replent domos ſuos argento.* Per quos ipſos eoſdem Eccleſiæ Doctores intelligimus, qui & ſapientiæ theſaurum poſſident, & domos ſui pectoris eloquentiæ argento repleuerunt. Aurum enim, ſapientiam, argentum vero eloquij puritatem in Diuina pagina frequenter ſignificat. Sequitur.

Aut ſicut abortiuum abſconditum, non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Hæc in perſona primi hominis dicuntur, qui ſimul in ſe & iuſtos continet, & peccatores. Dicatur ergo: Si primus homo non peccaſſet, aut quidem omnes homines, iam nunc ſimul cum Domino eſſent, aut qui ibi non eſſent, neque ſubſiſterent, neque eſſent, ad comparationem videlicet abortiui, qui quia ſuo tempore non naſcitur, ſtatim vt
naſcitur, abſconditur, & quaſi nunquam fuerit, in me- G
moria hominum nullatenus ſubſiſtit. Idipſum autem ſignificant, & qui concepti non viderunt lucem, nam & ipſi abortiui ſunt. Sequitur.

Ibi impij ceſſauerunt à tumultu. Vbi? ibi vtique vbi nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem. Inde enim impij, ideſt maligni ſpiritus præcipitati, à tumultu, & diſcordia, quam ibi facere conabantur, ceſſauerunt. *Et ibi requieuerunt feſſi robore.* Ibi enim nunc Sanctorum animæ requieſcunt, qui multum ſe virtute, & robore fidei in hoc ſæculo contra impios fatigarunt. *Et quondam vincti pariter ſine moleſtia.* Subauditur, ibi requieſcunt. Ibi enim modo ſine moleſtia requieſcunt illi, qui in hac vita fide, & dilectione coniuncti, quoniam à fide, & dilectione diuidi non poterant, multas moleſtias pertulerunt, de quibus adhuc ſubditur: *Non audierunt vocem exactoris.* Quamvis enim multas moleſtias ſuſtinuiſſent, exactoris tamen voci non aſſenſerunt. Hic enim exactor, vel tyrannus aliquis, vel diabolus intelligi poteſt. Pecunia enim diaboli, vitia ſunt, quam qui reci-
pit, ſeipſum ſubiicit ſeruituti. *Paruus & magnus ibi ſunt,* H
& ſeruus liber à Domino ſuo. Ibi enim & Prælati, & ſubditi, & ſerui, & domini, ſine differentia ſunt, quoniam omnes vni Regi, & vni Domino ſubiiciuntur. Sequitur.

Quare data eſt miſero lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? Conſiderata enim ſuperna beatitudine, conſiderata & huius mundi miſeria, hanc vitam B. Iob tædio habens, pro ſe ſuiſque ſimilibus loquitur dicens: *Quare data eſt miſero lux?* Lucem enim pro hac vita poſuit: Quare, inquit, tantum hic viuunt, qui ſe hic miſeros eſſe cognoſcunt? Qui etſi eis mundus arrideat, & his diuitiis fugitiuis ſint locupletes, ſola tamen cœleſtia contemplantes, ſemper hic in triſtitia, & animæ amaritudine ſunt, quia ſemper hinc tranſire, & mori concupiſcunt. Vnde & ſubditur. *Qui expectant mortem, & non venit.* Sed quo deſiderio? vis audire quo: *Quaſi effodientes theſaurū.* Tunc enim reuera theſaurum, & æternam felicitatem inueniunt Sancti, quando mortificato corpore de hac

vita

A vita tranſeunt. Vnde Apoſtolus: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Gaudentque vehementer cum inuenerint ſepulchrum*, ideſt, cum eius prædeſtinatum tempus aduenerit, quo & caro in ſepulchrum, & anima in cœlum ſuſcipiatur. Nam & ſecundum litteram, theſaurum effodientes, quando ſepulchrum inueniunt, gaudent, quoniam ſæpe ibi theſaurum inueniunt. Sequitur.

Viro cuius abſcondita eſt via, & circumdedit eum Deus tenebris. Dixi, inquit, *quare data eſt miſero lux?* ſed cui miſero? vtique viro cuius abſcondita eſt via. Via enim noſtra abſcondita eſt, & in tantum ignorantiæ tenebris inuoluti ſumus, vt quid nobis futurum ſit, penitus ignoremus. Quem igitur conſcientia defendit, multum vt hinc tranſeat concupiſcere debet, ne fortè aliqua occaſione in peius ruat. Hoc autem Beatus Iob deſiderans ait.

Antequam comedam ſuſpiro, & quaſi inundantis aquæ ſic rugitus meus, quia timor quem timebam, euenit mihi, B *& quod verebar, accidit. Nonne diſſimulaui? nonne ſilui? nonne quieui? & venit ſuper me indignatio.* Ante, inquit quam comedam antequam illius, de qua nunc loquor, iucunditatis dulcedinem deguſtem, antequam ſummi boni ſuauitate reficiar, quid hic aliud ago, niſi quia ſuſpiro, & illius magni conuiuij deſiderio affligor? & quaſi inundantis aquæ ſic rugitus meus, quia non ſine multarum lacrymarum inundatione ſit gemitus cordis mei, quare hoc? quia timor, quem timebam, euenit mihi. Timebam enim, ne Deum offenderem, ne aliqua occaſione eius oculis diſplicerem, hoc autem euenit mihi. Quia enim vir ſanctus tantis flagellis affligebatur, ſe Deum in aliquo offendiſſe putabat, quamvis in quo eum offendiſſet, ignorabat, vnde in ſequentibus ait. *Peccaui quid faciam tibi?* verumtamen vitam ſuam conſiderans, & quid mali feciſſet, vt ſic affligi debuiſſet ignorans, ſubiungit: *Nonne diſſimulaui?* ideſt cum mundus mihi arrideret, & omnia poſſiderem, ſic me habui, ſic in eis omnibus delectatus ſum, ac ſi nihil haberem. Vnde & ſubditur: C *Nonne ſilui? nonne quieui?* ac ſi dicat: Si enim in talibus diuitiis delectarer, neque ſilerem, neque quieſcerem, quoniam neque in ſilentio, neque in quiete, immo multis litigiis, & fatigationibus tales diuitiæ conquiruntur. *Venit tamen ſuper me indignatio*, quæ quare venerit, incertum habeo. Deum enim ſibi indignatum credebat, cuius in ſe flagella ſentiebat.

CAPVT IV.

R*Eſpondens autem Eliphaz Themanites dixit: Si cœperimus loqui tibi, forſitan moleſtè accipies, ſed conceptum ſermonem tenere quis poſſit?* Ecce enim Eliphaz, qui Dei contemptus interpretatur, qui etiã hæreticorum ſpeciem tenens ab Auſtro venit, ſic enim interpretatur Theman, tantarum eloquentiæ pluuiarum inflatus eſt, vt conceptum ſermonem, quin foras erumpat, retinere non poſſit. Loquitur autem hæreticorum more, qui cum hu- D militer loqui incipiant, ad iniurias vſque prorumpunt. Sed quid dicit? *Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti.* Hoc enim verum eſt. *Vacillantes confirmauerunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti.* Et hoc item verum eſt. *Nunc autem venit ſuper te plaga.* Et hoc quidem negari non poteſt. *Et defeciſti.* Hoc autem falſum eſt, non enim defecit, ſed viriliter pugnauit, & vicit. *Tetigit te, & conturbatus es.* Si enim turbatus eſſet, nequaquam tam quiete dixiſſet: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineremus?* Sequitur.

Vbi eſt timor tuus, fortitudo tua, & perfectio viarum tuarum? Omnia enim hæc eum amiſiſſe putabat, quia ſic humiliatum eum videbat. *Recordare, quaſo te, quis vnquam innocens* periit, aut quando recti deleti ſunt? Hæreticorum eſt, veris ſæpe falſa admiſcere, ſæpe enim in hac vita innocentes pereunt, & recti. *Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.* Et hoc quidem ſæpe, ſed non ſemper contigit, dolores autem ſeminant, & metunt, qui mala agunt, & mala recipiunt, Deum autem flare, eſt, ſe in vindicta

E peccatoribus iratum oſtendere. Homo enim, quando iraſcitur, maiorem ex ſe flatum emittit, vnde & pro ira flatus accipitur.

Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt. Per leonem namque B. Iob, per leænam vero, vxorem eius, per catulos autem leonum filios eius metaphoricè deſignat. In rugitu vero crudelitatem, in voce loquacitatem, in dentibus edacitatem redarguit, edacitatem quidem, quoniam edentes, & bibentes oppreſſi ſunt.

Tigris periit, eo quod non haberet prædam. Ecce item Tigridem Iob appellat. Tigris enim ſæuiſſimum animal eſt. Dicit igitur B. Iob periiſſe, quoniam viribus amiſſis, iam prædandi non habet facultatem. Sequitur.

Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venam ſuſurrij eius. Hæretici enim ſemper magna promittunt, & vt maioris ſit auctoritatis, ſuam ſcientiam extollunt, quod iſte modo facere F videtur, dicit enim: Verbum abſconditum & ſecretum, aliiſque hominibus incognitum, ſibi eſſe reuelatum, cuius verbi venam, ideſt principium & perfectionem, quaſi furtiuè, latenter, & ingenioſè ipſe ſuſcepit. Et vt ſuum ingenium magis commendet, non apertè, ſed quaſi ſuſurrando ſe audiſſe fatetur. Quid autem ſit hoc verbum, audiamus.

In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Et cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui. Hæc autem Eliphaz ideo dixiſſe videtur, vt ea quæ dicturus erat, maiorem auctoritatem haberent, ſiquidem non ipſum ea excogitaſſe, ſed Diuina reuelatione didiciſſe crederetur, multa enim in ſomnis per viſionem hominibus reuelantur. Quod autem ait: *Cum ſpiritus me præſente tranſiret*, tale eſt ac ſi diceret: Cum illa viſio ſpiritualis me præſente & attentiſſi- G me conſiderante tranſiret. Quia enim non tota ſimul videbatur, quodammodo tranſibat, quoniam tranſeundo fiebat. Quis autem fuerit iſte quidam, cuius vultum non agnoſcebat, conſequenter exponit dum dicit: *Imago coram oculis meis.* Non enim rei veritatem, ſed rei imaginem vidit. Sic enim amicorum noſtrorum quamvis longè poſitorum imagines in ſomnis ſæpe videmus. Audiuit autem vocem, quaſi lenis auræ, quia quæ in ſomnis apparent, tam leuiter mentis acumine audiuntur, vt niſi ſubito à vigilante pertractata fuerint, facillimè à memoria dilabantur. Quid autem pauor, & tremor? Quid oſſa perterrita, & pili inhorrentes ſignificent, alij perſcrutentur. Nobis autem iſta ſufficiant, & talia in ſomnis ſæpe contingere non dubitamus. Nunc autem quid Eliphaz in illa leuis auræ voce audierit, videamus. Sequitur.

Nunquid homo Dei comparatione iuſtificabitur, aut factori ſuo purior erit vir? Hæc enim ita eſſe, non ſolum H ſomniantes, ſed & cogitantes intelligunt. Nemo enim Deo iuſtior aut purior eſt. Sed hæreticorum eſt, ea etiam, quæ facillima ſunt, ad difficultatem perducere, & cum ipſi ſoli aut pœnè ſoli nihil intelligant, nullos niſi ſe intelligere putant. Vnde & Eliphaz verbum abſconditum dicit, quod pœnè omnibus eſt manifeſtum. In his enim verbis ſe B. Iob vincere putat: Si enim Iob iniuſtè affligitur, iuſtior, & purior Deo affligente eſſe videtur, ſed quia hoc fieri nequit, vt iuſtè Iob affligatur, neceſſario concluditur. Hæc autem cauillatio ibi ſoluitur, vbi ſuperius Dominus ait: *Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra,* quod enim eſt fruſtra, & non fruſtra, hoc eſt, iuſtè, & non iniuſtè: Iniuſtè enim quantum ad ſe affligitur Iob, quia peccatum non fecit, vt ſic affligi debuiſſet: Iuſtè autem, quantum ad Deum, qui ideo eum affligit, vt illum clariorem, ſanctiorem, & ditiorem faciat. Sequitur.

Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum. Hoc quoque aduerſum Iob dicitur. Et impoſſibile probat, hominem

A non peccare, cùm ipſos quoque Angelos peccaſſe manifeſtum ſit. Sed hoc de malignis ſpiritibus intelligitur. Domos autem luteas habitant homines, & terrenum fundamentum habent, quoniam de luto, & de terra plaſmati ſunt, de quibus adhuc ſubditur.

Conſumentur velut à tinea, de mane vſque ad veſperam ſuccidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt Ex carne enim hominis naſcuntur vermes, qui ipſam conſumunt, ſicuti & tinea ex veſte oritur, ipſamque ex qua oritur, veſtem conſumit. Conſumuntur quoque peccatores velut à tinea quia, vt Propheta ait, *Vermis eorum non morietur.* Succiduntur autem de mane vſque ad veſperam, id eſt, à principio ſuæ natiuitatis vſque ad finem vitæ, quia quamdiu in hac vita ſunt, ſemper malè agendo ſeipſos occidunt: Quoties enim peccant, toties ſe feriendo ſuccidunt. Et quia nullus eorum neque mala quæ agit, neque pœnitentiæ medelam intelligit, ideo non immeritò in æternum peribunt, Vnde & ſubditur. B *Morientur, & non in ſapientia.* Non enim in ſapientia moriuntur, qui in peccatis, & in ſtultitia vitam finiunt? *Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.* Malorum namque reliquiæ, boni ſunt, qui ideo à diaboli dentibus relinquuntur, quoniam eos diabolus ſuperare non poteſt. Vnde etiam ſolæ reliquiæ ex Iſraël ſaluari dicuntur. Hi autem auferentur ex eis, quando dicetur. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Sequitur.

CAPVT V.

V*Oca ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere?* Quam malam opinionem de B. Iob Eliphaz habuerit, ſatis apparet, contra quem omnia hæc prouerbia iaculatus. Quia enim ſic afflictum eum eſſe videbat, pœnitus à Domino abiectum eſſe putabat ideoque quamuis multum ad Deum clamaret, tamen non exaudiri arbitrabatur. Et hoc eſt quod dicitur. *Voca* C *ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat.* Quod autem ſequitur. *Et ad aliquem Sanctorum conuertere*, tale eſt ac ſi diceret: Quoniam tuis peccatis exigentibus te Deus non audit, ſaltem aliquem Sanctorum deprecare, vt pro te ad Deum intercedat. Sequitur.

Virum ſtultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Stultus & paruulus idem ſignificant, quoniam omnis ſtultus ſenſu & moderatione, paruulus & inſcius eſt. Hunc autem iracundia, & inuidia occidit, quia dum inuidendo aliena cum furore appetit, in diaboli laqueum cadit. Sed hoc quidem de B. Iob dici non debuit. Sequitur.

Ego vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim. Cum enim in mundi diuitiis, & dignitatibus ſtultus proſperatur, firma radice ſtare videtur, ſed ſapiens aliquis huius pulchritudini maledicit, dum, cui maledictioni ſit obnoxius, & quam cito hanc gloriam amiſſurus, ſecum diiudicat. Vnde Apoſtolus. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt, ſpiritualis autem omnia dilucidat.*

D *Longe fient filij eius à ſalute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.* Filij enim huius ſtulti ſunt, quicunque eius ſtultitiam imitantur. Hi autem longe fient à ſalute, quia *longe eſt à peccatoribus ſalus.* Conterentur autem in porta, quoniam in ipſo Regni introitu, quando paradiſi portæ aperientur, dicetur eis, *ite maledicti in ignem æternum.* Et non erit qui eruat, nullo pro eis intercedente.

Cuius meſſem famelici comedent, & ipſum rapiet armatus, & bibent ſitientes diuitias eius. Huius, inquit, ſtulti meſſem, & laborem famelici comedent: per quos malignos intelligimus, quorum cibus iniquitas, & mala operatio, hoc enim delectantur, & reficiuntur. Ipſum autem rapiet armatus, ille videlicet, de quo in Euangelio Dominus ait. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Et bibent ſitientes diuitias eius: hoc eſt quod modo dixit. *Cuius meſſem famelici comedent.* Sequitur.

Nihil in terra fit ſine cauſa, & de humo non orietur dolor. Ac ſi dicat. Tu tibi & non alius hanc afflictionem, & dolorem peperiſti, iuſtus enim eſt Deus, & nihil ſine E cauſa, & ratione facit. Non enim humus, & terra, ſed quia, inquit, & peccatores ſumus, ideo affligimur.

Homo ad laborē naſcitur, & auis ad volatum, ac ſi dicat: Hoc ſaltè te peccaſſe cognoſcas, quod voluptati ſolùmmodo, & deliciis deditus, ipſos filios tuos cōmeſſationibus, & ebrietati operā dantes, non redarguiſti. Non enim ad quietem, & voluptatem, ſed ad laborem naſcitur homo, vnde & primo homini dictū eſt, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Similiter autem & auis naſcitur ad volatū ideoque ei alæ datæ ſūt, ſicut & homini manus. Sed quia homo vtrūque eſt, & homo videlicet, & auis, altera enim pars grauis & de terra eſt, altera vero cæleſtis & agilis, ſecūdū hāc partem, animā dico, natus eſt ad volatū, non ergo in imis iaceat ſed volando cæleſtia contempletur. Vnde & ſubditur.

Quamobrem ego deprecabor Dominum & ad Deum ponam eloquium meum, id eſt, volabo, & mente & ſpiritu ſuper cœlos exaltabor? ibi deprecabor Dominum, ibique F cum eo loquar, Sancti enim, quando in orationibus ſuis Deum exorant, quamuis corpore in terra ſint, ſpiritu tamen ipſum cœlum volando tranſcendunt.

Qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero. Nemo enim Dei mirabilia perſcrutari, vel dinumerare poteſt.

Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis vniuerſa. Hoc enim tam mirabile eſt, vt à nullo perſcrutari valeat. Quis enim intelligat, quid ſint nubes, quando aquam ferant, quando nunc teneant, & nunc tam mirabiliter guttatim ſpargant? Si autem allegorice intelligantur, Dat etiam Dominus pluuiam, id eſt Euangelicam prædicationem ſuper faciem terræ, & ſpiritualibus aquis irrigat vniuerſa.

Qui ponit humiles in ſublimi, & mœrentes erigit ſoſpitate. Ipſe enim humiliat ſuperbos, & exaltat humiles.

Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. Stultam enim, vt Apoſtolus ait, fecit G Deus ſapientiam huius mundi, dum enim rationem ſapientes quærunt. Dei mirabilia non credunt, ideo nec Deum carnem aſſumpſiſſe, nec Virginem peperiſſe, nec mortuum reſurrexiſſe contendunt. *Et concilium prauorum diſſipat,* id eſt, Iudæorum & tyrannorum, qui multis conſiliis & machinationibus Chriſti nomen, & Eccleſiam delere conati ſunt.

Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie. In Chriſti namque paſſione etiam iuxta litteram tenebræ factæ ſunt. Denique per diem tenebras incurrebant, dum Chriſtum apertiſſime ſe in ſignis, & miraculis manifeſtantem non agnoſcebant. Et cum omnia nuda, & aperta eſſent, quaſi cæci in nocte palpantes nihil videbant. In meridie enim tunc quaſi in nocte palpabant, quando ſigna & miracula videntes, an Chriſtus eſſet, cum interrogabant, quibus ipſe dicebat. *Si mihi non creditis, operibus credite.*

Porrò ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de H *manu violenti pauperem:* hic eſt ille egenus & pauper, de quo Apoſtolus ait. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Hi autem nec ferri nec oris gladio vinci potuerunt: quia neque blanditiis vel minis, neque tormentis, ſunt ſuperati. Quare hoc ſequitur.

Et erit egeno ſpes. Spe enim, ait apoſtolus *ſalui facti ſumus,* propter ſpem ſiquidem æternorum bonorum ſuperari non poterant, *iniquitas autem contrahet os ſuum.* videns eos inſuperabiles eſſe. *Beatus homo, qui corripitur à Deo.* Quoniam vel ſic ab iniquitate, quam agit, ſeparatur, qui enim non corripitur, ſecurius peccat. *Increpationem ergo Domini ne reprobes.* Quia ipſe vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius ſanabunt. Dei enim increpationem reprobare eſt contra eius flagella murmurare.

In ſex tribulationibus liberabit te & in ſeptima non tanget te malum. ſeptem enim ſunt tribulationes, quia ſeptem dies ſunt, in quibus tribulamur. Sed ideo ſeptimam ſeparatim poſuit, quia maior erit, & finem habebit, quæ ſint autem hæ tribulationes, ſubinferens ait.

In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij, à flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatem

A *cum venerit, in vaſtitate & fame ridebis, & beſtiam terra non formidabis.* de hac enim fame per Prophetam dicitur. *Immittam in vobis non famem panis neque ſitim aquæ ſed famem audiendi verbum Dei.* Hac autem fame non moriuntur ſancti.

Liberantur autem, & in bello de manu gladij, quando contra vitia dimicantes, diaboli tentationes ſuperare valent. Abſconduntur vero & à flagello linguæ, quia nec aliis detrahunt, neque ſibi detrahentibus reſpondent. Neque vero timent calamitatem, cum venit, quia ſciunt ſe per multas tribulationes intraturos eſſe in regna cœlorum. Ridebunt autem in vaſtitate & fame, quia tunc iubilando gaudebunt, quando peccatores in ſupliciis vaſtabuntur, & fame perpetua cruciabuntur. Beſtiam vero terræ, id eſt, diabolum, qui terrenos & peccatores depaſcit, & diſſipat, non formidabunt, quia eis de hoc mundo exeuntibus nocere non poterit. Sequitur.

Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & beſtiæ terra pacifica erunt tibi. Hi enim ſunt lapides, de quibus
B dicitur: *Lapides viui voluuntur ſuper terram*, per quos ſanctos intelligimus, de quibus muri cœleſtis Ieruſalem ædificabuntur. Cum his autem non ſolum Iob, verum etiam quilibet Sanctorum pactum fecit, quia charitatis vinculo eis adhæſit. Beſtiæ vero, impij homines, & crudeles intelliguntur, qui dum ſanctorum patientiam & humilitatem conſiderant, pacifici eis fiunt, quia Diuino nutu perterriti, eos offendere pertimeſcunt, vnde & ſubditur.

Et ſcies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuã non peccabis. Pacem enim habet eius tabernaculum cum ab ipſis quoque iniquis veneratur. Species autem hominis Deus eſt, & homo. Quoniam ad imaginem Dei & hominis factus eſt homo. Speciem igitur ſuam ille homo viſitat, qui charitate non ficta Deum, & hominem diligit. Hic autem non peccat, quia in hoc ſolo tota lex adimpletur. *Et ſcies quoque quoniam multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua quaſi herba terræ.* Semen enim & progenies eius, omnes illi ſunt, qui eius
C vitam & mores imitantur. Multos igitur filios relinquit, qui bene viuendi exempla docet, vnde & ſubditur.

Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus in tempore ſuo. Sepulchrum enim, in quo poſt mortem ſancti requieſcunt, cœleſtis patria intelligitur, quam iſte quadam in abundantia ingreditur, quia tot ſecum ducit, quot eius verbis & exemplo ſaluantur. Vnde bene aceruo comparatur, qui multorum granorum collectione conficitur.

Ecce hoc, vt inueſtigauimus, ita eſt, quod auditum mente pertracta. Elationis & iactantiæ verba ſunt hæc, quæ, quaſi ille non intellexerit, mente eum pertractare admonet. Deinceps vero quid ei ſanctus re[illegible] , audiamus.

CAPVT VI.

RESpondens autem Iob dixit. *Vtinam appenderentur*
D *peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera: quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Vtinam, inquit, ſicut calamitatem quam patior videtis, ita etiam peccata, pro quibus affligor, vobis diuinitus reuelata æqua lance penſare poſſetis, iam vtique cognoſceretis quanto calamitas hæc maior ſit & quaſi arena maris grauis, ſtateram ſuo pondere inclinare vobis appareret. Amici enim Iob multum eum peccaſſe putabant, quem tam ſubito contritum, & ſic flagellatum videbant. Vnde & maxime dolebat, quia ipſis quoque bonis ſuis eorum æſtimatione nudatus erat. Et hoc eſt quod ait *Vnde, & verba mea, dolore ſunt plena,* ac ſi dicat. Inde mihi dolor maximus creſcit, quia cum nihil peccauerim vt hæc pati debuiſſem, propter peccata tamen me hoc ferre arbitramini: Sequitur.

Quid ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me, Magna, inquit, calamitas eſt quam patior, quia ſagittæ, & flagella Domini in me ſunt, quibus ſecundum carnem
E affligor Et terrores eius militant contra me, quibus anima conturbatur. Multo enim animæ pluſquam corporis tormenta grauiora ſunt: magis igitur illa quam iſta pati pertimeſco. Spiritum autem eius ſagittarum indignatio bibit, quia quanto magis caro affligitur, tanto magis naturalis ſpiritus deficit, & minoratur. Siue etiam ſpiritum eius ſagittarum indignatio bibebat, quia ſi quid elationis, & ſuperbiæ ſpiritus in eo erat, his quaſi correctionis flagellis conſumebatur. Sequitur.

Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præſepe plenum ſteterit? Ac ſi dicat. Miramini, quod me ſic afflictum dolere videtis, & non conſideratis, quibus bonis ſim expoliatus, quibus malis circumdatus, & ex quanta copia, quanta inopia circumuentus; Quæ enim prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Vel ipſa vos bruta animalia doceant, qui quandiu neceſſariis abundant, neque rugiunt, neque mugiunt. Sed hæc ad litteram. Spiritualiter autem, onager, id eſt, aſinus ſylueſter, qui
F non ſolum indomitus, ſed etiam ſecundum legem immundus eſt, gentilis populus intelligitur, Per bouem autem, Iudæorum populus figuratur, qui ſolus, & mundus, & legis iugo domitus erat. Sed neuter iſtorum vel rugire iam nunc, vel mugire debet quoniam vterque ad fidem conuerſus, & nouis Euangeliorum herbis abundat, & ante præſepe plenum adſtans, vtriuſque teſtamenti deliciis, ſatiatur. Hoc autem præſepe, Diuina ſcriptura eſt. Quod tunc quidem vacuum erat, quando ad litteram ſolummodo intelligebatur. Non igitur B. Iob iſta proferuntur, quoniam hoc, quod nihil conqueruntur, plenum præſepe & ſanctarum ſcripturarum conſolatio facit. Vnde Apoſtolus: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Hanc autem conſolationem B. Iob non habebat, quia nondum Sanctarum ſcripturarum volumina edita erant. Sequitur.

Aut poterit comedi inſulſum quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?
G Prius, inquit, quam præſepe plenum eſſet, ſpiritualiter ſacra ſcriptura intelligeretur, omnia inſulſa erant, nihilque ſpiritualis ſapientiæ ſale conditum, ideoque non vitam, ſed mortem comedentibus offerebant. Vnde Apoſtolus. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Nunc ergo neq; onager rugiat, ſed nec bos mugiat, quoniam, & præſepe plenum eſt, nihilque inſulſum, vel mortiferum eſt. Sed dicet aliquis. Si ergo inſulſa erant, quomodo tunc ab illo populo ſuſcipiebantur? ad quod ipſe: *Anima enim eſurienti etiam amara dulcia eſſe videntur,* ideoque ille populus, quia rei veritatem aſſequi non poterat ipſius veritatis vmbram, & figuram auidè ſuſcipiebat. Vnde idem populus loquitur dicens.

Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. In principio namque naſcentis Eccleſiæ cum circumciſionem, & legis cæremonias Iudæis, Apoſtoli ſpiritualiter expoſuiſſent, magis ſcandalizabantur, & ea recipere nolebant. Vnde & Apoſtolus quamuis dixiſſet. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil pro-*
H *derit*; ipſe tamen diſcipulum ſuum circumcidere coactus eſt. Hanc igitur doctrinam, quam cibum vocat, etſi prius populus ille recipere, & tangere noluiſſet, poſtea tamen quando eam recepit, eius cibus fuit, recepit quidem, ſed præ anguſtia, quoniam niſi anguſtiatus, & conſtrictus, & rationibus conuictus, eam recipere noluit. Sequitur.

Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus. Quæ ſit autem iſta petitio ſubinferens ait: *Et qui cœpit, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me, & hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, ne contradicam ſermonibus ſanctis*, Ac ſi dicat? Sagittæ enim Domini in me ſunt, & terrores eius militant contra me, hoc ergo vnum eſt, quod vehementer opto, vt me conterat, & cito ſuccidat & doloribus me affligens non parcat, & hæc mihi ſit conſolatio. Conſolatio quidem, quia tali modo & peccata dimittuntur, & de huius vitæ miſeriis citius

A exitur. Hoc autem ne forte ſub indignatione dixiſſe putaretur, illico ſubiunxit. Ne contradicam ſermonibus ſanctis. Sanctis enim ſermonibus contradicit, qui contra flagella murmurat, quæ Diuinæ voluntatis iuſſione ſiunt Sequitur.

Quæ eſt enim fortitudo mea vt ſuſtineam, aut quis finis meus vt patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me. Quantum ad litteram, hoc dicere videtur. Tantis, vndique anguſtiis, & incommoditatibus angor, vt non immerito cito ſuccidi, & hinc tranſire deſiderem, ne forte doloribus ſuperabundantibus aliquo modo ad impatientiam commotus, vel cogitatione Deum offendam, homo enim carneus ſum, nec æris nec lapidis naturam gerens, tu tamen ô Deus me contundere, & flagellare non ceſſas. Aut igitur, ſicut opto, cito me hinc ad illam beatitudinem transfer, vel da mihi auxilium vt patienter agam.
B Non eſt enim auxilium mihi in me, ſit igitur mihi auxilium in te, quoniam non in viribus meis, ſed in tua virtute confido. Inſuper & neceſſarij mei receſſerunt à me. Quid igitur faciet, qui & amiſſis viribus per ſe nihil poteſt, & alium à quo vel in ipſis rebus neceſſariis ſuſtentetur, non habet? Sequitur.

Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit. Si igitur Deum timuiſſent, neceſſarij & amici mei à me non receſſiſſent. Nondum enim ſcriptum erat: Diliges amicum tuum, quod tamen in chartis ſcriptum non erat, in Dei vtique voluntate B. Iob iam ſcriptum eſſe ſciebat. Quanta autem agilitate neceſſarij eius ab eo receſſerunt, annectit.

Fratres mei præterierunt me ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus. Torrens enim, pluuialis aqua eſt, quæ ex montibus collecta cito defluens non apparet. Cur autem hoc fecerint, ſubiungit.

Qui timent pruinam, veniet ſuper eos nix. Ac ſi dicat. Viderunt enim plagam meam, & timore perterriti, ne
C ipſi quoque mecum affligerentur, quaſi ad tutiora ſe conferentes receſſerunt, ſed quid eis profuit? Qui enim *timent pruinam: veniet ſuper eos nix*, id eſt qui hic timent tribulari cum ſanctis in inferno tribulationem patientur, cum impiis. Quantum enim diſtat inter niuem, & pruinam, tantum inter hæc & illa tormenta, de quibus adhuc ſubditur.

Tempore quo fuerint diſſipati, peribunt, & vt incaluerint, ſoluentur de loco ſuo. In iudicio enim viri iniqui diſſipati peribunt, & æternis incendiis calefacti ſoluentur de loco ſuo: Secundum illud. *Tranſiui & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Nullum enim in hoc mundo habitationis locum habebunt, quibus ipſa tormentorum loca incerta erunt Siquidem ad calorem nimium tranſibunt ab aquis niuium. Hoc autem merito, quia nunquam recta, & vniformi via incedunt. Et hoc eſt quod dicit. *Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum.* Inuolutæ quidem, quia tortuoſæ, vnde & ſubditur: *Ambulabunt in vacuum, & peribunt.* In va-
D cuum enim ambulant, quia ex huius itineris fatigatione nihil ſibi niſi laborem & mortem acquirent, ideoque ait. *Et peribunt.* Huius autem rei hoc ſit vobis exemplum.

Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba, & exſpectate paulisper, confuſi ſunt, quia ſperaui.

Thema, Auſter, Saba, rete vel captiuitas interpretatur. Per hos autem hæreticos intelligimus, qui eloquentiæ pluuiis, & Syllogiſmorum retibus fideles quoſque decipere, & irretire, conantur. Talis autem erat iſte Eliphaz Themanites, & duo ſocij eius. Dicatur ergo: Conſiderate hæreticorum ſemitas, quæ ſemper erroneæ ſunt, & tortuoſæ. Et expectate paulisper omnis enim hæc vita breuis eſt, & cito finietur. *Confuſi ſunt quia ſperaui.* Spes enim Sanctorum, iniquorum confuſio eſt. Sancti enim non ſolum beatitudinem, verumetiam, & vindictam ſe de inimicis ſuſcipere ſperant, & quia eorum ſpes fruſtra eſſe non poteſt, vt mali confundantur neceſſe eſt. Inſuper etiam, quia beatus Iob ſperauit, & à

E tribus viris eloquentiſſimis à ſuæ ſpei firmitate moueri non potuit, confuſi ſunt, & nimia verecundia perturbati. Vnde & ſubditur.

Venerunt quoque vſque ad me, & pudore cooperti ſunt. Veniunt enim hæretici ad Eccleſiam, & vincuntur, victique pudore operiuntur. Venerunt autem & amici Iob vſq; ad eum, quia vſque ad eius cordis intima diſputando perſecuti ſunt eum. Et pudore cooperti ſunt quia vnus à plurib. & ipſe æger à ſanis vinci non potuit, Sequitur.

Nunc veniſtis, & modo videntes plagam meam timetis. Quid timebant, aut quid ibi timidum videbant? videbant enim hominem valde flagellatum, timebant ergo fortaſſe, ne & ſibi idipſum contingeret, aut quia diues & potens fuerat, nunc autem nimia inopia oppreſſus erat, ideo iſti forſitan timebant, ne vir ſanctus eos rogaret, vt illi de ſuis facultatibus ſibi ſubuenirent, hoc enim ſequentia ſonare videntur, quibus ait.

Numquid dixi: Afferte mihi, aut de ſubſtantia ve-
F *ſtra donate mihi; vel, liberate me de manu hoſtis, & de manu robuſtorum eruite me?* In talibus enim anguſtiis, & neceſſitatibus inuicem ſibi boni amici ſubuenire ſolent Auari autem quaſcunque poſſunt excuſationes obiiciunt, & cum indigentem amicum conſolari debeant, potius ei ſua culpa talia accidiſſe redarguunt. Quod quidem iſti quoque facere videntur, Hunc autem timorem Beatus Iob prudenter ab eis remouit, atque eorum ſtultitiam conſequenter irridens ait.

Docete me, & ego tacebo, & ſi quid forte ignoraui, inſtruite me. Valde enim irridendus eſt, qui, & ſapientiorem ſe docere vult, & ſanctiorem ſe corrigere conatur. Quod autem iſti neque docere, neque corrigere eum debeant, adiungit.

Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cum è vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me: ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Quia enim omnium horum voluntas, & ſententia vna erat:
G quamuis ſolus Eliphaz ſuperius ſit locutus, omnes tamen ſermonibus veritatis detraxiſſe, & verba ad increpandum concinnaſſe commemorat. In ventum autem verba proferunt, qui non ad vtilitatem, ſed ſe iactando loquuntur, quorum verba, quia ocioſa ſunt, non memoria hominum retinet, ſed ventus tollit. Sequitur.

Super pupillum irruitis & ſubuertere nitimini amicum veſtrum. Quod ſe pupillum vocat, ſuam innocentiam, humilitatemque inſinuat. Quod vero ſe amicum dicit, iam quaſi euangelij obſeruator, inimicos etiam, & perſecutores ſe amare demonſtrat, ſed quia eorum verſutias & ſubuerſiones non timet, ſubinferens ait. *Veruntamen quod cœpiſtis præbete aurem & videte an mentiar, reſpondete obſecro abſque contentione, & loquentes, id quod iuſtum eſt, iudicate & non inuenietis in lingua mea iniquitatem, ne[illegible] faucibus meis ſtultitia perſonabit.* Abſque contenti[illegible]ſpondere, eſt audita veritate ſtatim acquieſcere[illegible].

CAPVT VII.

H *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij dies eius.* Hinc autem B. Iob qualiter in hac vita militare debeamus, inſinuat, qua in re ſeipſum qualiter militauerit exemplum ponit. *Militia* enim *eſt vita hominis ſuper terram*, quia quanto tempore in hac vita ſumus, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris ſemper contra vitia, & malignos ſpiritus pugnare debemus, quatenus finita militia, pro victoria coronemur. Sunt autem dies hominis quaſi dies mercenarij, quia ſi bene in Dei vinea laborauerit, hac die, id eſt, hac vita finita, vitam æternam pro denario, & mercede ſuſcipiet, vnde & ſubditur.

Sicut ceruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui, ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Ceruus enim, vt æſtum repellat, vmbram deſiderat; mercenarius autem, finem operis ſui præſtolatur, quia ante operis finem, mercedem non ſuſcipit. Sic igitur & vir ſanctus, menſes vacuos

habuit,

A habuit, vacuos à mercede, vacuos & à quiete, quia
enim eam, quam nondum ſuſceperat, mercedem exſpe-
ctabat ideo mundi diuitias pro nihilo ducens, ſe labo-
rando fatigabat, hoc autem tanto deſiderio agebat, vaſi
quando quieſceret, & aliqua occupatione ab hoc opere
ceſſaret, hoc non quietem, ſed laborem computa-
bat. Et hoc eſt quod ait; *Et noctem laborioſam enume-
raui mihi*, noctem enim pro quiete poſuit. Vnde &
ſubditur.

*Si dormiero, dico quando conſurgam, & rurſum exſpe-
ctabo veſperam, & replebor doloribus vſque ad tenebras*
Quia, inquit, non quietem, ſed laborem deſidero, ideo
ſi quando dormio. & à Dei ſeruitio ceſſo, (dormit enim,
qui Deo non ſeruit) ſtatim ad me reuerſus dico in corde
meo, quando conſurgam? Conſurgere enim, eſt ad opus
& contemplationem aſſuetam reuerti. Sed quamuis hoc
faciam, quamuis conſurgam, quamuis bono operi inſi-
ſtam, tamen vſque ad veſperam, vſque ad tenebras, vſ-
que ad huius diei, & vitæ terminum, doloribus replebor
B partim quia cœleſtia concupiſco, partim quia inter im-
pios habitans, ſemper deterior fieri pertimeſco. Et hoc
eſt quod ait.

Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris.
Nemo enim terram inhabitans ſe defendere poteſt, vt
terræ puluere non tangatur. Beatus igitur Iob in ſe Eccle-
ſiam totam ſignificans dicat: Induta eſt caro mea pu-
tredine vitiorum, & ſordibus pulueris, quia etſi pec-
care nolim, aliena me tamen peccata coinquinant, vnde
& Pſalmiſta dicit: *Ab occultis meis munda me Domine,
& ab alienis parce ſeruo tuo.* Noſtris enim peccatis putre-
ſcimus, alienis autem quaſi puluere aſpergimur. Sed no-
ta, quia non de ſpiritu, ſed de carne dicit, vt non ſpiritua-
les, ſed carnales Eccleſiæ filios intelligamus, de quibus
adhuc ſubditur.

Cutis mea aruit, & contracta eſt. Cutis enim, quæ
in toto corpore exterior eſt, ſæpiuſque fœdatur, eos ſi-
gnificat, qui à cordis contemplatione, & ab Eccleſiæ
ſecretis conſiliis male viuendo longius fiunt. Et iſti qui-
C dem aruerunt, quia Sancti Spiritus gratia non vnguntur.
Et contracti ſunt, quia amiſſo humore ſe ad bene agen-
dum extendere nequeunt. Manus enim contracta ſe ad
pauperem non extendit. Sequitur.

*Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſuc-
ciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe.* Pigro enim ope-
rario nullus dies velociter tranſit, hic autem, quia plus
laboraſſe volebat, nimis velociter dies ſuos tranſiiſſe con-
queritur. Tela autem à texente ſucciditur, quando vniuſ-
cuiuſque vita finitur. Quaſi enim quibuſdam filis, ita ho-
ris, diebus, & menſibus vitæ noſtræ tela contexitur.
Dolet igitur B. Iob, quod quando potuit, plus non labo-
rauit, ſi tamen plus laboraſſe potuit, quoniam nondum
eius tela ſucciſa eſt, & iam nunc ſicut prius laborare non
poteſt. Dies autem præteriti abſque vlla ſpe conſumpti
ſunt, quia nihil vlterius in eis fieri poſſibile eſt. Vt ergo
dies noſtros non perdamus, dum præſentes ſunt, dum
tempus eſt, operemur bonum ad omnes.

*Memento quia ventus eſt vita mea, & non reuertetur
D oculus meus, vt videat bona, nec aſpiciet me viſus homi-
nis.* Dies, inquit, præteriti abſque vlla ſpe conſumpti
ſunt, quid autem in futurum habiturus ſim neſcio. *Me-
mento* igitur Domine, *quia ventus eſt vita mea*, quoniam
ad eius ſimilitudinem cito tranſit & deficit. Nunc igitur
afflige, nunc peccata dimitte, quia poſtquam hinc tran-
ſiero, non reuertar huc, vt bona videam, id eſt, vt ite-
rum bona agam. Ille enim videt bona, qui oculos à ma-
lis auertens, bonum agere non obliuiſcitur. *Nec aſpiciet
me viſus hominis*, illius videlicet hominis, qui & Deus
eſt & homo. Aſpicere autem Dei, miſereri eſt. Cuius
igitur hic peccata Deus non dimittit, eum in inferno non
aſpicit, quia *in inferno nulla eſt redemptio.*

Oculi tui in me, & non ſubſiſtam. Dixit enim modo:
Nec aſpiciet me viſus hominis, nunc autem dicit: *oculi
tui in me, & non ſubſiſtam*, quod vtique contrarium eſſet,
niſi duobus modis Deus ſuper peccatores reſpiceret. Reſ-
picit enim ad miſerendum, ſecundum illud. *Reſpexit Do-
E minus Petrum.* Reſpicit etiam ad puniendum, vt in hoc
loco, ideoque hic dicitur; *Et non ſubſiſtam.* Non enim
in iudicio peccatores ſubſiſtere poterunt, quia audita
ſententia damnationis, ſtatim ad tormenta rapientur, vn-
de & ſubditur.

*Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcende-
rit ad inferos non aſcendet, nec reuertetur vltra in domum
ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus eius.* Sicut enim
nubes ventis impulſa conſumitur, & tranſit, ita peccato-
res dæmonum impulſu in tormenta præcipitati, vlterius
in domum ſuam, id eſt, in hunc mundum, in quo ſem-
per habitare optabant, non reuertentur. Quod autem ſe-
quitur: *Neque cognoſcet eum amplius locus eius*, quantum
ad litteram, repetitio eſt. Sequitur.

*Quapropter non parcam ori meo, loquar in tribulatione
ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.*
Quia, inquit, in infernum deſcendere timeo, quamdiu
in hac vita ſum, non parcam ori meo. Ille namque ſuo
ori parcit, qui neque peccata ſua confitetur, neque pro
F eis Deum exorat. Loquitur autem vir ſanctus in tribula-
tione ſpiritus, & amaritudine animæ, quia cor contri-
tum, & ſpiritum contribulatum Deus non ſpernit: Siue
etiam, quia ſic flagellatus, Deum laudare, & exorare
non deſiſtit. Sed quid orat? Sequitur.

*Nunquid mare ſum ego aut cetus, quia circumdediſti
me carcere?* Quia enim ad Deum venire deſiderat, ideo
ſe carcere incluſum dolet, & tale eſt, ac ſi diceret: Illi
carcere includi debuiſſent, qui & amaritudine pleni
ſunt, & quaſi cetus alios deuorant, & deglutiunt, quos
quidem niſi tuæ potentiæ carcere concluſiſſes, magnam
vbique ſanctorum ſtragem feciſſent, at ego cur carcere
claudor, cur carne retineor, qui nihil aliud, niſi ad te
venire deſidero. Sequitur.

*Si dixero conſolabitur me lectus meus, & releuabor lo-
quens mecum in ſtratu meo, terrebis me per ſomnia, &
per viſiones horrore concuties.* Ideo, inquit, ad te venire de-
G ſidero, quia nullam hic inuenio conſolationem, ſiqui-
dem neque ipſa mea mens me conſolari valet, lectus
enim, & ſtratus mentem ſignificat, quoniam tota vis
animæ in ea requieſcit. Sed neque ibi B. Iob penitus
conſolari valet, quoniam in extaſi, & mentis exceſſu po-
ſitus, dum & bonorum præmia, & malorum tormenta
conſiderat quaſi per ſomnia, & viſiones terretur, & hor-
rore concutitur, dum tam dura tamque horrenda malo-
rum tormenta contemplatur, ideoque ibi eſſe deſiderat,
vbi ſine aliqua commotione beatitudine perfruatur, vnde
& ſubditur.

*Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem
oſſa mea.* Vt & anima ſcilicet feratur in cœlum, & caro,
& oſſa in terra requieſcant, hoc autem exponit, dicens;
Deſperaui, nequaquam iam vltra viuam. Alia enim bo-
norum, alia malorum eſt deſperatio: Malorum deſpera-
tio eſt, æternæ beatitudinis nullam habere ſpem. Bono-
rum vero, hanc vitam præſentem penitus abiicere. Deſ-
perauit igitur B. Iob, quia hunc mundum deſpexit, cum
omnibus concupiſcentiis eius, qui ideo iam non viuit,
quoniam carnem ſuam affligendo quotidie occidit.

Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei. Quia, in-
H quit, huius vitæ dies pro nihilo duco, & mori cupiens
ſpem mundi nullam habeo, iam nunc parce mihi. Quid
eſt autem quod ſupra dixit: *Vt me affligens dolore non par-
cas*, nunc autem dicit: *Parce mihi*, niſi, Etſi non parcis
flagellando, parce mihi vel poſt flagella peccata ſoluen-
do. Conſiderans autem quid homo, & quam fragilis ſit,
conſiderans etiam quanta ei gloria, & beatitudo præpa-
rata ſit, ſubiungens ait: *Quid eſt homo, quia magnificas
eum?* Quod enim homo magnificatur, non eius meri-
tum, ſed gratia Dei eſt: *Aut quid apponis erga eum cor
tuum?* Quoniam nunquam eius obliuiſceris, longe enim
eſt à corde, quod traditur obliuioni. *Viſitas eum diluculo.*
Diluculo quidem, quia ſtatim vt oritur, ſtatim vt de
ventris tenebris & nocte in huius diei lucem cadit, tu
eum viſitas, tu nutris, tu cuſtodis, tu cuncta ſibi neceſ-
ſaria ſubminiſtras. *Et ſubito probas illum.* Niſi enim pro-
baretur, cuius eſſet patientiæ neſciretur. Toties enim

A homo probatur, quoties tangitur aduerſitate. *Vſquequo non parcis mihi?* Probaſti enim me, notificaſti patientiam meam. *Iam nunc dimitte me, vt glutiam ſaliuam meam.* Fit enim multoties, vt in magna ægritudine, deſiccato gutture, areſcente lingua, ardente palato, æger ſaliuam glutire non poſſit. Tale eſt igitur ac ſi dicat: Quid eſt Deus quod agis? nec peccata dimittis, nec à flagellis ceſſas. Scio enim, quia peccaui, ſed non ita, vt ſic affligi debuiſſem. Quia vero flagellare non ceſſas, idipſum quod peccaui, nondum eſſe dimiſſum pertimeſco. Dimitte igitur, vt glutiam ſaliuam meam, quatenus vel ſic intelligam, dimiſſa eſſe peccata mea. *Quid faciam tibi ò cuſtos hominum?* Quam ſatisfactionem me facere præcipis, qui me ſemper cuſtodiens, in quibus peccauerim non ignoras? *Quare poſuiſti me contrarium tibi?* ac ſi dicat: Indica mihi Domine, quid commiſerim? pro quo me tibi contrarium, & inimicum diiudicas, cuius rei timore perterritus, *factus ſum mihimetipſi grauis.* Quia enim diſpliceo tibi, grauis mihi factus ſum, quoniam ipſe quoque

B diſpliceo mihi. Neſcio enim, quid peccaſſem, ſed niſi peccaſſem, tibi non diſplicuiſſem. Quia igitur ignoranter feci, *cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Hoc enim & Apoſtolus ait: *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei*, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, quia ignoranter feci. *Ecce nunc in puluere dormio.* In puluere quidem dormit, quia bono opere in hoc corpore torpeſcit. Omnis enim homo puluis eſt, ſecundum illud: Quia *puluis es, & in puluerem reuerteris. Et ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.* Mane enim tunc erit, quando hac nocte finita, ad iudicandum Dominus veniet, tunc autem quem ipſe quæſierit, quem de ſuis actibus interrogauerit, non ſubſiſtet, quoniam in illo diſtricto iudicio nemo ſe defendere poterit. Vnde Pſalmiſta ait; *Nõ intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

C

CAPVT VIII.

R*Eſpondens autem Baldad Suhites dixit: Vſquequo loqueris talia, & ſpiritus multiplex ſermo oris tui?* Vſquequo dicit, quia iam eum audire tædebat. Et quia eius verba non ad plenum intellexit, multipliciter eum dicit eſſe locutum. *Nunquid Deus ſupplantat iudicium, aut Omnipotens ſubuertit quod iuſtum eſt?* Redarguit eum dixiſſe, calamitatem ſuam non æquam ſuis eſſe peccatis, inſuper & Dei iuſtitiam commendans, adiecit: *Etiam ſi filij tui peccauerunt ei, & dimiſit eos in manu iniquitatis ſuæ, tu tamen ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ, in tantum, vt priora tua fuerint parua, & nouiſſima tua multiplicentur nimis.* Vera quidem dicit, veruntamen contra B. Iob & filios eius dixiſſe talia non debuit, non enim propter peccata, quæ fecerint, vel illi oppreſſi, vel iſte flagellatus eſt. Diluculo

D autem conſurgere, eſt, à vitiorum tenebris cito ad iuſtitiæ lucem tranſire, ſequitur: *Interroga enim generationem priſtinam, & diligenter inueſtiga Patrum memoriam.* Ac ſi dicat: Si præſentia non credis, reduc vel præterita ad memoriam, & cum hæc antiquis patribus contigiſſe cognoueris, tunc me intelligas non eſſe mentitum *Heſterni quippe ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram.* Interroga tu, inquit, priores noſtros, quoniam & nos poſtmodum interrogabimur à poſterioribus noſtris. Heſterni enim ſumus, & iam pœne vitam finiuimus, & ignoramus quoniam ſicut vmbra, quæ cito tranſit, dies noſtri ſunt ſuper terram, ſiquidem cito tranſeunt, & pereundo finiunt. Hucuſque interpoſitio. Nunc autem ad Patres reuertitur, dicens: *Et ipſi docebunt te, loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia* Quaſi enim ipſi loquuntur nobis, dum quid egerint, quomodo vixerint, quid eis acciderit, nobiſcum cogitando tractamus. Sequitur.

E *Nunquid vireſcere poteſt ſcirpus abſque humore, aut creſcet carectum ſine aqua? cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit, ſic viæ omnium, qui obliuiſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit.* His verbis, de quibus loquatur, apertiſſime demonſtrat: Sicut enim ſcirpus nec ſine humore vireſcit, nec ſine aqua creſcit, ita hypocritæ neque ſanctitate virides, neque religione magni crederentur, niſi quia in aquis Eccleſiaſticis ſtare videntur, nam & recte prædicant, & eleemoſynas faciunt, & orationibus, & ieiuniis inſiſtunt. Hæ enim ſunt illæ aquæ, ſine quibus anima neque vireſcit neque creſcit. Cognoſcitur autem hypocrita, quia cum adhuc ſit in flore, & pro pulchritudine, & religione, quamuis ficta, à cæteris veneretur, (hoc eſt enim in flore eſſe) ante omnes herbas areſcit, etiamſi manu non carpatur, id eſt, citiſſime à bono opere ceſſat, etiamſi nulla aduerſitate feriatur. Quia enim ad oſtentationem omnia facit, niſi videatur, & laudetur, & honoretur, illico areſcit: *Omnia enim*, dicit Dominus, *opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus Non ei placebit vecordia*

F *ſua, & ſicut tela aranearum fiducia eius.* Nam quia receperunt mercedem ſuam, cum ad iudicium venerint, ſibi quoque ſtultè laboraſſe diſplicebit, omniſque fiducia, quam habere videbantur, vana & inutilis erit, de quibus adhuc ſubditur: *Innitetur ſuper domum ſuam, & non ſtabit, fulciet eam, & non conſurget.* Multis enim argumentis domum ſuam, id eſt, corpus, & animam ſuam hypocritæ tunc defendere, & fulcire nitentur, ſed quia Deum nihil latet, non ſtabit. Non ſtabit quidem, quia in tenebras præcipitata ruet. Et non conſurget, quia ſurſum inter Sanctos non eleuabitur. Fulcient autem, quando dicent: *Domine, nonne in nomine tuo Prophetauimus?* & ſimilia ſequitur: *Humectus videtur antequam veniat ſol, & in ortu ſuo germen eius egreditur.* Multi enim ſuam hypocriſin in tantum occultant, vt ſemper humecti, & Sancti Spiritus gratia perfuſi credantur, quos tamen ſiccos fuiſſe, ſol iuſtitiæ reuelabit. Egreditur autem germen eius in ortu ſuo, quia ſui laboris fructum recipere

G incipit à principio ſimulationis ſuæ, nullam enim aliam mercedem recipiet. *Super aceruum petrarum radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur.* Per petras, & lapides, ſanctos intelligimus, de quibus cœleſtis Ieruſalem muri ædificantur. Inter hos commorantur hypocritæ, & radices denſant, quoniam cunctis viribus his adhærere conantur, quatenus Sanctorum ſocietate laudabiliores appareant, ſi enim ſe ab eis diuiderent, mox eorum hypocriſis manifeſta fieret, ſequitur: *Si abſorbuerit eum de loco ſuo, negabit eum, & dicet: Non noui te.* Hoc enim in iudicio fiet, quando de loco ſuo, id eſt, de hoc mundo hypocritas abſorptos, & ſublatos, negabit Dominus dicens: *Ite operarij iniquitatis, amen dico vobis, neſcio vos.* Quare hoc? ſequitur: *Hæc enim eſt lætitia viæ eius, vt rurſum de terra alij germinentur.* Mali enim ſemper deſiderant, vt eorum numerus creſcat. Merito igitur damnantur, qui aliorum damnationem concupiſcunt. Hæc de Hypocrita, qui per iuncum figuratur, nunc vero ad ſimplicem conuertitur, dicens.

H *Deus non proiiciet ſimplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo.* Sicut enim omnis hypocrita ſimulator, ita omnis ſimplex ſine ſimulatione. Hunc autem Deus ſuſcipit, illi autem nunquam miſericordiæ manum porrigit. Riſus autem & iubilum, gaudium deſignant: his igitur Sanctorum os, & labia implebuntur, quoniam æterna lætitia, & gaudio perfruentur. *Qui oderunt te, induentur confuſione, & tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.* Quoniam hac, in qua nunc habitant carne, iterum induti, nunquam confuſione, anguſtiis & tribulatione carebunt.

CAPVT IX.

E*T reſpondens Iob ait? Vere ſcio, quod ita ſit, & quod non iuſtificetur homo comparatus Deo.* Vera, inquit, narras, & Deo comparari nemo poteſt, qui, vt dixiſti, neque iudicium ſupplantat, neque ſubuertit, quod iuſtum

ſtum

A ſtum eſt. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere vnum pro mille.* Cum Deo namque contendit, qui eius iudicia reprehendit. Sed non poteſt reſpondere vnum pro mille, quia in ipſo ſuæ locutionis principio, Diuinæ ſapientiæ perfectione conuincitur: *Magnus enim eſt Dominus, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus:* vnde & ſubitur: *Sapiens corde eſt, & fortis robore.* Vincit igitur vt ſapiens, pugnat vt fortis, ideoque ſubditur: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* De illa autem pace loquitur, quæ exuperat omnem ſenſum, quam qui non habet, reuera punitur, ſiquidem à diabolo poſſidetur, vnde & ſubditur: *Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo.* Montes, Apoſtoli ſunt, hos autem Dominus à Iudæis ad gentes tranſtulit, quoniam Iudæi Domino reſtiterunt. Subuertit etiam eos in furore ſuo, & neſcierunt, quoniam occulto Dei iudicio ipſam ſuam damnationem, & Dei ſuper ſe indignationem non intelligunt, ſi enim intellexiſſent,
B iam olim ad Eccleſiam confugiſſent, ſequitur: *Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Commouit enim Dominus terram de loco ſuo, qua Iudæorum populum ab hæreditate ſeparauit. Cuius columnæ concuſſæ ſunt, quia Scribæ, & Phariſæi, & cæteri maiores, qui quaſi columnæ inter eos erant, ſimul cum aliis ducti ſunt in captiuitatem. *Qui præcipit ſoli, & non oritur, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.* Sol in hoc loco Euangelium ſignificat, cuius illuſtratione totus mundus illuminatur. Stellæ, autem, Doctores ſunt, de quibus ſcriptum eſt: Et *qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ erunt in perpetuas æternitates.* Hic autem, ſol, iubente Deo, modo non oritur, quia neque Iudæis, neque Paganis Euangelium modo nunciatur. Stellæ quoque quaſi ſub ſignaculo clauſæ ſunt, quia ſancti prædicatores nunc inter infideles non apparent, inter quos tamen iuxta ſæculi finem clariſſime lucebunt. *Qui extendit cælos ſuos, & graditur ſuper vndas maris.* Cælos
C enim Deus extendit, quando ſuis diſcipulis ait: *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Graditur autem ſuper fluctus maris, quia mundi huius procellas, quando vult, conquieſcere facit. *Qui facit Arcturum, & Oriona: & Hyadas, & interiora Auſtri.* Singulis ſingula oppoſuit, id eſt, contra Arcturum, Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri. Per Arcturum, qui in cœli ſummitate conſiſtit, Apoſtolos, qui vtique in Eccleſia ſublimiores ſunt: Per Orionem vero, qui gladio accinctus apparet, tyrannos intelligimus: At vero per Hyadas, quæ ſuo ortu pluuias concitant, cæteros Eccleſiæ Doctores, qui verbi Dei pluuias ſpargunt, & arentia corda infundunt; Per Auſtri vero interiora, hæreticos deſignamus, inde Eliphaz Themanites dicitur, inde ſuperius legitur, *Conſiderate ſemitas Theman*, Theman enim Auſter interpretatur. Idem igitur ipſe, qui fecit Arcturum, fecit Oriona, quia qui fecit Apoſtolos, fecit, & Tyrannos, & qui fecit Docto-
D res, fecit Hæreticos. Vnus eſt enim creator omnium. *Qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.* Quia cuncta numerare non potuit, incomprehenſibilia, & innumerabilia eſſe dixit, ſequitur. *Si venerit ad me, non videbo, ſi abierit, non intelligam eum.* Deus enim ſecundum humanam opinionem quando nobis proſpera tribuit, ad nos venire, quando vero aduerſa, à nobis abire videtur. Sed ideo neque venientem, neque abeuntem videmus, quia, quare proſpera, & quare aduerſa tribuat, non intelligimus, quoniã & bonis & malis hæc vtraque in hac vita largitur. Quis enim intelligat, quare affligantur boni, & proſperentur mali? ſequitur. *Si repente interroget, quis reſpondebit ei? vel quis dicere poteſt, cur ita facis?* Cum enim Deus repente flagellare hominem incipit, tunc eum quodammodo interrogat, quia quare flagelletur, eum cogitare compellit. Homo tamen Deo non reſpondet, quia cur hoc fiat, rationem reddere neſcit. Dei namque flagella aliquando puniunt, aliquando corrigunt, aliquando merita augent, aliquando peccata ſoluunt, aliquando bonis exempla patientiæ tribuunt, aliquandó malis terrorem incutiunt. Sed quis poteſt Deo dicere, cur ita facis, cum nihil vnquam ſine ratione, & iuſtitia faciat? *Deus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt.* E Dei iræ pœnitendo, indulgentiam & miſericordiam quærendo, reſiſtere homo poteſt, ſuperbiendo non poteſt, ideoque & Angeli in cœlis, & ſancti ei ſubiiciuntur in terris, vnde & ſubditur, *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Illi enim orbem portare dicuntur, qui mundum regendo & conſulendo ſuſtinent, ſiue carnaliter hoc, ſiue ſpiritualiter agant, Et iſti quidem ſub eo curuantur, quoniam ſponte, & non ſponte ſub eo humiliantur. *Quantus ergo ſum ego qui reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?* ac ſi dicat Quomodo ego contra eum ſuperbiens, vel cogitatione murmurabo, cui ſe & cæleſtia, & terreſtria humiliant, & inclinant? *Qui etiam ſi habuero quippiam iuſtum non reſpondebo, ſed meum Iudicem deprecabor.* Deprecandus enim ſolummodo eſt, qui neque viribus, neque ratione vinci poteſt. *Vt cum inuocantem exaudierit me, non credam, quod audierit vocem meam*, Deus enim per bonitatem ſuam, F ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, non tamen eum inuocantes exaudiendo, ſed ſecundum diſpoſitionem ſuam mundum regendo. Quamuis igitur aliquando fiat, quod oramus, non tamen id ſemper orationibus impetramus, quoniam etſi oratio non præcederet, id tamen nihilominus fieret: dubitari ergo poteſt cum exaudimur, an orationem noſtram Deus audierit: *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam ſine cauſa.* Quia enim quare conteratur ignorat, ideo in turbine & caligine ſe flagellari dicit. Quod autem eius vulnera ſine cauſa multiplicentur, ipſe Dominus oſtendit dicens. *Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra. Non concedet requieſcere ſpiritum, & implebit me amaritudinibus.* Hæc autem omnia quamuis, cur fiant, non intelligam, non tamen reſiſto, non reprehendo, non me defendo, neque contradico. Quare hoc? vis audire quare? *Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt, ſi æquitas iudicij, nemo* G *audet pro me teſtimonium dicere, ſi iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi innocentem oſtendero prauum comprobabit.* Qui ergo nihil habet quo cauſam ſuam defendere poſſit, non commoueat iudicem, ſed deprecetur. Sed quomodo ſe Iob defendere poſſet, ad cuius condemnationem ſolum peccatum originale ſufficiebat? ſequitur. *Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* Cui enim vitæ ſuæ tædere non poſſit, cum homo tanta ignorantia ſit inuolutus, vt ſeipſum etiam non cognoſcat. Denique qua temeritate ante iudicem cuncta ſcientem ad ſe defendendum ire præſumat, qui de ſe ipſo, qualis ſit non intelligit. Quis enim defendat, quod neſcit? nemo enim tam ſimplex eſt, vt vel ignoranter aliquando contra veritatem non agat. ſequitur.

Vnum eſt quod locutus ſum, & innocentem & impium, ipſe conſumit. Hoc non loquendo, ſed cogitandó locutus eſt. Deus autem vtramque, ſed non vno modo, con- H ſumit: Alterum enim conſumit vt melior ſit, alterum vero vt ſemper conſumatur, & in pœnis ſit.

Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat. Quia inquit, etiam innocentem conſumit, & flagellat, iam nunc innocentes flagellare deſiſtat, & vnum innocentem, qui non moritur niſi ſemel, ſemel occidat. Hoc enim dicebat, quia niſi Chriſti paſſione mundum à tormentis liberari non poſſe, ſciebat. Quaſi vero de pœnis innocentum Deus ridebat, quando in tormentis relinquens eos eripere non curabat. Quia vero de Chriſti paſſione loqui cœperat, ſubinferens ait.

Terra data eſt in manu impij, vultum indicum eius operuit. Terra enim in manu impij data eſt, quia Chriſti caro Iudæis in poteſtate tradita eſt. Vultum autem iudicum eius impietas, & malitia operuit, quia, ſicut ſcriptum eſt, *excæcauit eos malitia eorum.* Iudices autem, Scribæ, & Phariſæi, & ipſi Principes ſacerdotum fuerunt. *Quod ſi non ille eſt, quis ergo eſt?* Si inquit, ille populus, qui Dominum ſuum interficit, impius non eſt, quis alius impius eſt.

Dies

A

Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, non viderunt bonum. Hoc eſt, quod in Euangelio Dominus ait. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Conqueritur enim B. Iob, quod dies eius tam cito tranſierunt, & Chriſtum in carne videre non meruit, ideoque ſubdidit. *Fugerunt, & non viderunt bonum.* Vere vtique bonum, & ſine quo nihil eſt bonum. Beati igitur Apoſtoli, qui eum viderunt, cuius deſiderio iſte viuere optabat, qui in tormentis poſitus hoc excepto ſolam mortem deſiderabat.

Pertranſierunt quaſi naues poma portantes, & ſicut aquila volans ad eſcam. Pertranſierunt, inquit, dies mei. ſed non otioſè, & non inutiliter, immo quaſi naues poma portantes, bonum vtique odorem reddentes, mul toſque ſuaui, & delectabili cibo reficientes, Non ſolum enim illi, qui tunc erant, verum etiam nos eius pomis eiuſque ſententiarum dulcedine reficimur. Aquila autem quamuis naturaliter agilis ſit, eſcæ tamen cupiditate

B

velocius volat, in quo dies ſuos quam celeriter tranſiiſſe inſinuat, quamuis per hoc eum non in vacuum volaſſe, (ſiquidem poſt volatum, beatitudinis eſcam inuenit) intelligere poſſumus, ſequitur.

Cum dixero, nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor. Si inquit, vt modo feci, præteritam vitam meam aliquando commendo, ſtatim ad me reuerſus, in corde meo dico Non ita loquar. Cum autem hoc dixero, illico commuto faciem meam, & mutando dolore torqueor, quoniam ſicut hilaris eſſe videbar in præteritorum meorum actuum commemoratione. ita mutato vultu dolore torqueor, in futurorum tormentorum recordatione. Melius enim eſt futura, quam præterita in mente habere, niſi forte peccatorum ſuorum homo recordetur, bonorum enim actuum recordatio, quid aliud eſt quam mentis elatio? hanc autem elationem comprimens, ait.

C

Verebar omnia opera mea ſciens, quod non parceres delinquenti. Ac ſi dicat. Cur mens mea de præteritis bene actis ſe extollat, cum ego ideo à peccatis ceſſauerim, quia magiſtri, qui delinquenti non parcit, flagella metuebam. Hoc autem non tantum in ſua, quantum in aliorum perſona dicit, qui ſæpe in ſuis actionibus, gloriantur. Et quaſi ad hæc amici eius reſponderent dicentes. Si ergo Deus non parcit delinquenti, cum & tibi modo non parcat, te deliquiſſe non dubium eſt, ad quod ipſe.

Si autem & ſic impius ſum, (vt iſti ſubauditur, me eſſe arbitrantur?) *quare fruſtra laboraui?* Fruſtra enim laboraſſet, ſi talis eſſet, qualem iſti eum eſſe dicebant. Quod autem ait; *Sciens, quod non parceres delinquenti*, de eo intelligatur, qui in peccatis perſeuerat, quoniam, delinquens, præſens tempus ſignificat.

Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamē ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea. Ac ſi dicat: Neque impius quidem ſum, neque me non peccaſſe defendo, quoniam nemo tam lotus, & mundus eſt, in quo Dei maieſtatis

D

oculi maculam non inueniant, Niueis autem aquis lauari, eſt, ad niuis ſimilitudinem candidum eſſe. Manus vero, opera deſignant, quoniam manibus opera fiunt. Sordibus autem Deus hominem quodammodo intingit, dum ſordibus intinctum eſſe oſtendit. Quid vero veſtimenta niſi corpus, quo anima veſtitur, ſignificant? Hoc autem veſtimentum, quia facile corrumpitur, hominem abominatur, id eſt, abominabilem hominem facit.

Neque enim viro, qui ſimilis eſt mei reſpondebo, nec qui mecum in iudicio ex æquo poſſit audiri. Quantum libet, inquit, lotus fuero, me tamen ante iudicem non defendam, quia neque mei ſimilis eſt vt aliquid ignoret, & melius quam ego me ipſe cognoſcit. Hoc eſt enim. quod ſuperius ait: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Denique & ſi cum illo (quod abſit) contendere voluero, non erit, qui me, & illum ex æquo audire valeat, ego enim multos, ipſe vero nullum habet æqualem vel ſuperiorem, vnde & ſubditur.

Non eſt, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus. Omnis enim iudex talis eſſe debet, qui vtrumque litigantem, vbi opportunum fuerit, arguere poſſit, & in ambobus manum ponens rationabiliter eos & interrogare, & reſpondere compellat. Sequitur.

E

Auferat à me virgam ſuam, & pauor eius non me terreat. Ideo, inquit, ei non reſpondeo, quia ipſius virgam correctionis & nunc in carne ſentio, & poſtmodum deteriora minantem conſidero. Interim eam igitur auferat, & pauor eius non me terreat. Sæpe enim ſenſus timore minuitur, quod quidem in pueris fieri videmus, qui cum ſibi imminentem virgam aſpiciunt. ipſum quoque, quod ſciebant, timore amittunt, vnde & ſubditur.

Loquar & non timebo eum, neque enim metuens poſſum reſpondere. Hæc enim B. Iob dicit, quia pura conſcientia defenſus, nihil ſibi conſcius erat. Sed iterum ſe non ſine cauſa flagellari intelligens, quamvis in quo peccaſſet ignoraret, ſe tamen peccaſſe metuabat, & hanc quidem

F

ignorantiam deplorat, dicens.

CAPVT X.

Tædet animam meam vitæ meæ. Hoc autem ſuperius expoluit dum diceret, *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & ideo tædebit me vitæ meæ.* Quia igitur meipſum non cognoſco, non vlterius dicam: Loquar & non timebo, neque contra meum Iudicem loquar, ſed è contra: *Dimittam aduerſum me eloquium meum.* Ille enim contra ſe ſuum eloquium dimittit, qui ſeipſum redarguere incipit, ſecundum illud: *Iuſtus in principio eſt accuſator ſui. Loquar in amaritudine animæ meæ.* In amaritudine animæ loquitur, qui peccata ſua cum dolore, & fletu, & vera pœnitudine confitetur. *Dicam Deo, noli me condemnare.* Hoc enim omnis homo debet orare, dicens Deo: Noli me condemnare. *Indica mihi cur me ita iudices?* Cur B. Iob quare affligeretur

G

tantopere ſcire optabat, niſi vt cognita culpa, ſi qua tamen eſſet, & magis affligi concupiſceret, & maiori ſe pœnitentiæ ſubiiceret: *Nunquid bonum tibi videtur ſi calumnieris, & opprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum adiuues?* Placet, inquit, tibi, vt me opprimas, & per calumniam affligas? hoc enim impij volunt, hoc maligni ſpiritus deſiderant, hoc eſt illorum conſilium, vt homo pereat, & opus manuum tuarum vanum & inutile appareat. *Nunquid oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu videbis?* Tu, inquit, ſimul præſentia, futura, & præterita vides, tu qualis ſim, qualis fuerim, & qualis futurus ſim, non ignoras, quoniam neque carnei oculi tibi ſunt, qui vix ante ſe poſita conſpiciunt, neque ſicut videt homo, ita & tu videbis, homo enim videt in facie, tu autem corda conſideras, vnde adhuc ſubditur: *Nunquid ſicut dies hominis dies tui, & anni tui ſicut humana ſunt tempora?* Te enim nihil latere poteſt, quoniam ſemper fuiſti, & es, & eris, & anni tui nunquam deficient. Cur ergo peccata mea examinando ſcruteris, quæ, ſi quæ ſunt, tu optime noſti? & hoc eſt,

H

quod dicit, *Vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris, & ſcias quia nihil impium fecerim, cum ſit nemo, qui de manu tua poſſit eruere.* Quia inquit, impium nihil feci, tu me miſericorditer dimitte, quoniam aliter de manu tua liberari, & erui non poſſum. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me?* Ac ſi dicat: Quare tam vilem & deſpectibilem deputas, quem in tanta dignitate tuis manibus condidiſti? *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem deduces me.* De terra, inquit, factus, in terram ſubito rediturus, fragilis de fragili materia factus, ſi peccaui, indulgentiam conſequi debeo. Et ita quidem in primo homine creati ſumus, quomodò autem quotidie ab ipſo cæteri oriantur audiamus, ſequitur, *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me, vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Vide ergo quam ordinata humanæ creationis deſcriptio. Conſidera etiam, à quanta miſeria homo inceperit, & cognoſce fragi-

litatem tuam, & noli ſuperbire puluis & cinis. Qui vero vitam, & miſericordiam homini tribuit, ipſe eius ſpiritum viſitat, & cuſtodit. *Niſi* enim *Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam.*

Licet hæc celes in corde tuo, tamen ſcio, quia vniuerſorum memineris. Licet, inquit, mihi hæc celes, & tuam voluntatem ad plenum non intelligam, ſcio tamen quia vniuerſorum memineris, & quia viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum, quem niſi tu quoque cuſtodiſſes, huic tantæ tentationi reſiſtere non potuiſſet.

Si peccaui & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris?

Valde enim Beatus Iob de peccato ſuo ſollicitus erat, ideo toties illud commemorat: Si, inquit, peccaui, quin peccaui, tunc me punire debuiſſes, ſed quia hoc non feciſti, & ad horam mihi pepercisti, vtrum peccauerim, & quid peccauerim, incertus ſum. Cur ergo ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris? Si enim ſcienter peccaſſem, & pœnitentiam non egiſſem merito immundus & iniquus reputarer, nunc autem ſi peccaui, & te parcente non intellexi, cur me iniquum eſſe diiudicas? Vtinam non pepercisſes, vt ſtatim ipſa correctione peccatum meum intellexiſſem. Quid ergo faciam?

Si impius fuero va mibi eſt, & ſi iuſtus non leuabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria. Vir enim ſanctus in flagellis poſitus, quia ſe peccaſſe metuebat, tantam in mente ſua afflictionem, & miſeriam patiebatur, vt caput eleuare timeret. Quid eſt enim eleuatio capitis, niſi exhilaratio mentis?

Et propter ſuperbiam quaſi leænam capies me, reuerſuſque mirabiliter me crucias. Si, inquit, impius fuero, quod abſit, væ mihi eſt, & ſi ſuperbus propter ſuperbiam quaſi leænam capies me. Leæna enim cadens in foueam, capitur, impius autem, & ſuperbus in foueam cadet, capietur igitur quaſi leęna, de hac enim fouea ſcriptum eſt: Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Reuertetur autem Dominus, quia qui prius iudicandus venerat, ſecundo iudicaturus adueniet, & tunc quidem mirabiliter impios, & ſuperbos cruciabit, tunc enim fiet, quod ſequitur.

Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me, & pœnæ militant in me. Si impius (ſubditur) & ſuperbus fuero. Dei namque teſtes, Angéli & Apoſtoli ſunt, quorum teſtimonio damnabuntur iniqui. Et tunc quidem ira Dei multiplicabitur, & pœnæ contra impios militabunt, dicente Domino. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Hæc autem vir ſanctus conſiderans, ſciens omne hoc malum propter peccatum primi hominis accidiſſe, illius tranſgreſſionem deplorans ait.

Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem ne oculus me videret, fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum. Quoniam autem latius hæc ſuperius expoſita ſunt, nunc iterum ſub breuitate dicamus. Diximus enim. Per vuluam, diaboli ſuggeſtionem primam, per conſumptionem vero, & mortem ſeparationem à peccato ſignificari. Dicatur ergo, *quare de vulua eduxiſti me?* ideſt quare me diabolicæ ſuggeſtioni aſſenſum præbere permiſiſti? *Qui vtinam conſumptus eſſem,* ideſt, ſtatim, vt audiui, ab ea receſſiſſem. *Ne oculus me videret,* ideſt, ne me nudum eſſe non cognoſcerem, prius enim quam peccaſſet, quaſi à nemine videretur ſuam nuditatem homo non erubeſcebat, tunc igitur eum prius oculus vidit, quando ſe videri erubuit. *Fuiſſem quaſi non eſſem,* id eſt ſi per ſuggeſtionis vuluá audiendo tranſiens non conſentiſſem fuiſſem ac ſi tentatus non eſſem, quoniam talis tentatio pro nihilo duceretur. De vtero autem transfertur ad tumulum qui ſtatim de tentationis vtero prodiens, quaſi iam ſepultus, & tumulatus eius vlterius non recordatur. Sicut è contra ille in peccato viuit, qui à peccato non recedit. Cui autem hæc videntur eſſe obſcura, recurrat ad ſuperiora. Sequitur.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum. Cum enim Beatus Iob ſe toto corpore contritum, & flagellatum videret, cumque naturalem ſpiritum penitus in ſe diminutum eſſe ſentiret, quæ vtrique mortis ſigna ſunt, quid aliud niſi mortem exſpectare poterat? Ideoque dicit. Dimitte. Non eſt autem contrarium, quod aliquando Deum rogat, vt eum affligens dolore non parcat, aliquando vero vt ei parcat: Vult etiam vt ſibi parcat, quatenus remotis flagellis & culpis dimiſſis, nihil in ſe remanſiſſe intelligat, quod puniatur. Qui enim flagellis non eget, cur flagellari deſideret? Sed quia hic ait, *vt plangam paululum dolorem meum,* cur ſe dimitti exoret ſatis manifeſtat. Neque enim poteſt mens orationi, & contemplationi vacare, quando corpus immenſis doloribus fatigatur. Sequitur.

Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Poſtquam enim homo in infernum deſcendit, iam peccata ſua flere non valet. Neque vero huc reuerti licet, vt iterum pœnitentiam agat. Ibi autem non eſt niſi tenebræ & caligo, niſi miſeria & vmbra mortis, niſi horror & timor ſempiternus. Quod autem nullum ordinem ibi eſſe dicit, tale eſt ac ſi diceret. Nihil ibi eſt, quod vel viſu, vel auditu ſit delectabile, ſiquidem ea magis delectant, quæ ratione, & ordine fiunt.

CAPVT XI.

R*Eſpondens autem Sophar Naamathites dixit: Numquid qui multa loquitur, nonne & audiet? aut vir verboſus iuſtificabitur?* Ab increpatione incipit, & quaſi qui non ratione, ſed verboſitate ſe defenderet, virum ſanctum in principio ſuæ locutionis redarguit, vnde adhuc dicit. *Tibi ſoli tacebunt homines, & cum cæteros irriſeris à nullo confutaberis?* Stulti enim irrideri ſe putant, quando reſiſtere ſapientibus nequeunt, & quod ratione non poſſunt, vel iniuriis, vel mendacio facere conantur, vnde & ſubditur. *Dixiſti enim. Purus eſt ſermo meus, vt & mundus ſum in conſpectu tuo.* Hoc Iob non dixit, quamvis ſi dixiſſet, verum quidem dixiſſet. Sequitur.

Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quod multiplex eſſet lex eius, & intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Ac ſi dicat: quia nobis credere non vis, vtinam ipſe Deus per ſe tibi loqueretur, & ſapientiam ſuam, quæ tibi occulta eſt, tibi oſtenderet, vt vel ſic à ſtultitia ceſſares. Legem autem Dei multiplicem dicit, vt eam ad intelligendum difficilem eſſe demonſtret. Et tale eſt ac ſi diceret. Tu quia legem pro ſua difficultate non intelligis, magna te tormenta ſuſtinere arbitraris cum multo maiora ſuſtinere debuiſſes. Ei enim, qui legem non intelligit, quælibet res iniuſta eſſe videtur.

Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotentem reperies. Hoc irridendo dicit. Veſtigia namque Dei comprehendere, eſt ipſius voluntatis viam pleniſſimè ſcire. Hoc eſt enim, quod exponens ait. *Et vſque ad perfectum Omnipotentem reperias?* Quis enim Dei voluntates, & conſilia ad perfectum, & pleniſſimè ſciat, cum viciſſim inter nos noſtras voluntates non agnoſcamus?

Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari. Hæc eſt igitur cauſa cur Deus ad perfectum comprehendi nequeat. Immenſus enim eſt, & cum vbique ſit & diffuſus per omnia, ipſe tamen in ſe omnia continet. Eſt autem excelſior cœlo, quia cunctis Angelis maior, profundior inferno, quia quos de cœlis, vt excelſior, eiecit, nuſquam ſe ab eius oculis abſcondere queunt.

Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? Sicut inquit, quando omnia fecit, nullum habuit adiutorem, ita ſi ei cuncta delere placuerit, nullum habebit contradictorem. Hoc autem propter Iob dicit,

A qui ſuam deflens calamitatem, Deo contradicere videbatur. *Ipſe nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne conſidera*: Ac ſi dicat. Cum ipſe omnia, in quibus eramus, cognoſcat, & ſciat, nunquid iniquitatem non conſiderabit, aut impunitam abire permittet? Quis enim hoc niſi vanus, & ſtultus credit? Et hoc eſt quod ait. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Hoc verum eſt, quia quamdiu in vanitate homo perſiſtit, ſuperbire non ceſſat, & quaſi animal indomitum nullo freno retinetur, quin omnia faciat, quæcunque ſibi voluntas ſuggerit, ſed quare hoc dicat, ſequentia manifeſtant. *Tu autẽ confirmaſti cor tuum, & expandiſti ad Deum manus tuas.* Cor cõfirmatum eſt in eodẽ propoſito permanere, & hoc idcirco dicere videtur, quia eorum verbis mutari non poterat. Quod autem ait. *Et expandiſti ad Deum manus tuas,* hoc eſt intelligere, niſi cor humiliaueris, fruſtra ad Deum in oratione manus expandis. Hinc autem, quaſi eius inſipientiæ compatiens, Dei gratiæ recuperandæ conſilium ſubinferens ait. *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis & non timebis.* Bonum eſt hoc conſilium, ſed Iob, vt ſibi daretur, non indigebat. Non enim, vt Sophar mentitur, iniquitas erat in manibus, ideſt in operibus eius, neque iniuſtitia manebat in ipſius corporis tabernaculo. Facies autem leuatur abſque macula, cum nihil eſt in conſcientia, vnde homo erubeſcat. Stabilis vero eſt, & non timet, cuius mens in Dei dilectione ſolidatur. Sequitur. *Miſeriæ quoque obliuiſceris, & quaſi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis, & quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam.* Miſeriæ namque obliuiſcuntur ſancti, dum conſiderant, quanta eis beatitudo poſt has miſerias ſit præparata, & ſi quando earum recordantur, quoniam iam non miſerias, ſed ſolam beatitudinem exſpectant. Fulgur autem meridianus eis ad veſperam conſurgit, quia huius vitæ die finito, dum ſancti ad veſperam, & mortem venire putantur, tunc oritur eis ſol iuſtitiæ, & tunc fulgent ſicut ſol in regno Dei, vnde, & ſubditur. *Et cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer, & habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defeſſus ſecurus dormies, requieſces & non erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Sancti enim tunc oriuntur, quando carnem deponentes moriuntur quia tunc primum immortalem vitam ſuſcipiunt. Sed quomodo oriuntur? vt Lucifer, id eſt, clari & immortales. Tunc habent fiduciam propoſita ſpe, quia indubitanter ea, quæ ſperauerant conſequuntur. Et vſque ad illud tempus defeſſi, & mundi laboribus fatigati, iam inde ſecuti dormiunt, & in æterna pace quieſcunt. Plurimi autem eorum faciem deprecantur, ſiue quia tales fieri deſiderant, ſicut de Eccleſia dicitur. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis,* ſiue quia illuc venire concupiſcunt, vbi eos videant, & eis aſſocientur. Sequitur. *Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes eorum abominatio animæ.* Tunc enim impiorum oculi deficient, quia dicetur eis. Tollantur impij ne videant gloriam Dei, ſiue etiam, quia miſericordiam, quam exſpectabant, non inuenient, vnde & ſubditur. *Et effugium peribit ab eis & ſpes eorum abominatio animæ,* id eſt abominatio vitæ. Vellent enim impij mori, ſed non poſſunt.

B

C

D

CAPVT XII.

RESpondens autem Iob dixit, ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia, & mihi eſt cor ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum, quis enim hæc, quæ noſtis ignorat.* Hoc eſt enim quod Salomon ait. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Ergo vos, inquit, eſtis ſoli homines, & rationales, nos autem alij bruta animalia ſumus, & vobiſcum morietur ſapientia, ſi enim in vobis ſolummodo eſt, vobis morientibus iam non erit, ſed non eſt ita. Et mihi eſt cor & ſapientia; ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum. Nota, quod non ſuperiorem, ſed æqualem ſe eſſe dicit, quamvis

E eos omni virtute ſuperaret. *Quis enim hæc, quæ noſtis ignorat?* Vos, inquit, ea extollitis, vobiſque ſolis reuelata eſſe fingitis, quæ omnibus manifeſta ſunt. Hoc enim ſtultorum eſt, vt, quod ſciunt, nullum alium ſcire arbitrantur. Sequitur.

Qui deridetur ab amico ſuo, (ſicut ego) inuocabit Dominum & exaudiet eum, deridetur enim iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, paratam ad tempus ſtatutum. De hoc enim in libro ſapientiæ dicitur. *Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Deridetur enim iuſti ſimplicitas.* Quoniam neque mentiri, neque ſimulare, nec decipere nouit. Quæ tamen ſimplicitas lampas eſt, lumen eſt, & fidelium lux eſt, & exemplum. Modo quidem contempta apud diuitum cogitationes, quæ ſola auaritia, deceptione & ſimulatione plenæ ſunt. Sed parata ad tempus ſtatutum, per quod iudicij diem intelligimus, tunc enim hæc lampas fulgebit, tunc eius gloria apparebit. Sequitur.

F *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum cum ipſe dederit omnia in manibus eorum.* Ac ſi dicat. Si ego, vt putatis, quia affligor, & mundi diuitiis ſum exſpoliatus, iniquus, & impius ſum, reſtat, vt prædones & tyranni, qui his diuitiis abundant, iuſti & ſancti ſint, abundant enim mundana felicitate tabernacula prædonum, & audacter ad indignationem, & iram prouocant Deum, in rapinis videlicet, in furtis, in homicidiis, in periuriis, aliiſque iniquitatibus, quas faciunt, hoc enim faciunt contra Deum, quamvis nihil habeant niſi à Deo. Hoc autem ſi non intelligitis, ipſa vos iumenta docebunt, & hoc eſt, quod ait.

Nimirum interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ & reſpondebit tibi & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu omnis anima viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis? Si, inquit, neſcitis, quia abundant tabernacula prædonum, iumenta, id eſt homines ſtulti ſoliſque voluptatibus dediti, & volatilia

G cœli, ideſt ſapientes, qui alis virtutum altius volant, & ipſa terra, ideſt mundi amatores, & piſces maris, ideſt curioſi, vagi & inſtabiles vos docebunt. Et hic quidem omnibus fides eſt adhibenda, bona enim ſunt. Vnde hoc. Quia à Deo creata ſunt. Et hoc eſt quod ait. *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Eſt autem anima omnis viuentis in manu Domini, quia omni creaturæ, & viuendi, & moriendi terminum poſuit. Vnde Dominus in Euangelio ait. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro.* Et non ſolum aliorum viuentium, ſed ipſe quoque ſpiritus, qui eſt in carne hominis in manu Dei eſt, quoniam neque ſpiritum intelligentiæ, vel aliarum gratiarum, ſine Dei voluntate, vel habere, vel retinere poteſt.

Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis ſaporem? Ac ſi dicat: Quia nec aures audiendi, nec fauces comedendi habetis, ideo verba mea malè iudicantes, cuius ſaporis, & dulcedinis ſint, non intelligitis, nec mirum. Non enim antiquam, ſed nouam ſapientiam diligitis, hoc eſt enim quod ait.

H *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Per hos enim Deum ipſum, & Angelos eius intelligere poſſumus. *Omnis enim eſt ſapientia à Domino Deo eſt.* Hæreticorum autem ſapientia, quia de hoc fonte non fluit ſtultitia eſt, quod autem de Deo, hoc intelligi debeat, ſequentia manifeſtat. *Apud ipſum eſt fortitudo, & ſapientia, ipſe habet conſilium, & intelligentiam.* Cum enim ſeptem ſint gratiæ ſpiritus ſancti, quatuor tantum hic enumerauit, quoniam qui has habet, cæteris, carere non poteſt. Qui enim fortis & ſapiens eſt, & conſilio & intelligentia plenus, ille proculdubio ſine pietate, & ſcientia, & Dei timore eſſe non poteſt. Sequitur.

Si deſtruxerit, nemo eſt, qui ædificet, ſi incluſerit hominem, nemo eſt, qui aperiat, ſi continuerit aquas omnia ſiccabuntur, & ſi emiſerit eas ſubuertent terram. Quare hoc? quia *apud ipſum eſt fortitudo, & ſapientia.* Solus enim Deus deſtruit & ædificat, quia in pectora fidelium

A eradicando vitia, virtutum ſemina plantat. Et ipſe quidem homines includit, & aperit, quia quos prius in inferno clauſerat, eoſdem liberos abire permiſit. Siue etiam, quia iniquos, & tyrannos aliquando frenat, aliquando contra Sanctos ſæuire permittit. Qui ſi Diuini eloquij aquas continuerit, ne vbique fluant, omnia ſiccabuntur. Ideo enim & Iudæi, & Pagani ſicci ſunt, quoniam his aquis non irrigantur. Et hæ quidem quando emittuntur, terram ſoluerunt, quia terrenos, & peccatores ſeparant ab iniquitate. Talis enim ſubuerſio vtilis eſt. De hac enim Apoſtolus ait, *vt ſeductores & veraces*, ſe nimirum, alioſque Apoſtolos, ſeductores vocans. vnde & ſubditur.

Ipſe enim nouit decipientem, & eum, qui decipitur. Quoniam ille bene decipit, & iſte bene decipitur. Bona enim deceptio eſt, quæ ab errore reuocat hominem ad viam veritatis. Cognoſcere autem Dei diligere eſt. Hinc autem de Iudæis loquitur.

Adducit conſiliarios in ſtultum finem: & iudices in ſtuporem. Conſiliatij enim iſti, & iudices, Iudæi ſunt, qui B Chriſti mortem conſulentes, eum iudicare non timuerunt, dicentes. *Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Hos autem in ſtultum finem Deus adduxit, quia, & locum & gentem ex eo perdidit, vnde ſe tenere putabant, qui etiam ſigna, & miracula Chriſti videntes, in ſtuporem verſi dicebant. *Nihil proficimus, iam totus mundus poſt eum vadit, ſi dimittimus eum ſic venient Romani, & tollent nobis locum, & gentem.*

Balteum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Hoc enim ad litteram ſæpe contigit, ipſe enim deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Quod quidem de Iudæis, qui & diuites erant, & de ſemine Regio originem ducebant conuenienter intelligi poteſt.

Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat, commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens. Deus enim Iudæorum ſacerdotes gloria, & honore priuauit, & eorum optimates ſupplantari, & ſuperari permiſit. Et veracium id eſt Prophetarum, labium eis commutauit. Et doctrinam ſenum, eorumdem videlicet C Prophetarum eis abſtulit, quoniam neque in veritate ſermonis, neque in doctrina eos imitantur. De quibus adhuc ſubditur.

Effundit deſpectionem ſuper Principes, eos qui oppreſſi ſunt releuans. Effudit enim Dominus opprobrium & deſpectionem ſuper Scribas, & Phariſæos, & principes ſacerdotum: Apoſtolos autem, qui multis tribulationibus oppreſſi fuerant, releuauit, exaltauit, & magnificauit.

Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Vmbra mortis, lex erat, quia ad litteram intellecta; non refrigerium, ſed mortem dabat. Hanc autem Dominus in lucem produxit, eiuſque profunditatem de ignorantiæ tenebris reuelauit, quando eam ſpiritualiter intelligi fecit.

Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & ſubuerſas in integrum reſtituit. Ipſe enim generis propagatione gentes prius multiplicauit, dicens. *Creſcite & multiplicamini.* D Et perdidit eas, quia ad tempus errare permiſit. Et ſubuerſas in integrum reſtituit, quia poſtea ad fidem, & ad iuſtitiam reuocauit.

Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium. Tale quid & de Pharaone Dominus ait. *Ego indurabo cor eius.* Immutat enim Dominus Principum corda, & quodammodo decipit, quando à falſitate immutari & decipi permittit. Qui fruſtra quidem incedunt per inuium, quia ex errore ſuo, nihil niſi pœnam & mortem acquirunt. Hoc autem non ſolum de Iudæis, ſed etiam de hæreticis intelligi poteſt.

Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios. Qui enim manifeſtæ veritati non credit, quaſi cæcus in tenebris palpans, ad lucem, quæ Chriſtus eſt, nunquam venit. Hoc enim Iudæi faciebant; qui ſigna & miracula cernentes, dicebant. *Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* Errabant autem quaſi ebrij, quia nunc eum laudabant, nunc eum iterum vituperabant.

CAPVT XIII.

E *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi ſingula.* In hoc, quod ſe futura vidiſſe, audiſſe, & intellexiſſe dicit, Prophetiæ ſpiritum ſe habuiſſe oſtendit: non enim videre, & audire ſufficit, niſi etiam intelligere detur. Taceant igitur, qui ſuas viſiones prophetas non intellexiſſe latrant.

Secundum ſcientiam veſtram & ego noui, nec inferior veſtri ſum. His verbis eius ſimul humilitas, & ſcientia commendatur. Humilitas quidem, quia cum maior eſſet, ſe tamen illis non prætulit. Scientia vero, quia nec ipſe carnalis intellectus eum latebat.

Sed tamen ad Omnipotentem loquar & diſputare cum Deo cupio, prius vos oſtendens fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum. Ad omnipotentem loquitur, qui eius miſericordiam deprecatur. Cum Deo vero diſputare, eſt, eius iudicia ſubtiliter indagare. Merito autem hæreticos iſti deſignant, qui fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum dicuntur. F Et mendacium quidem fabricari dicitur, quia non ſine labore & loquacitatis confuſione conficitur.

Atque vtinam taceretis, vt putaremini eſſe ſapientes. Stultus enim ſi tacuerit, ſapiens eſſe reputabitur. Hæretici autem ſi tacerent, minus quidem nocerent.

Audite ergo correctiones meas, & iudicium labiorum meorum attendite. Quia veſtræ inquit, correctiones erroneæ ſunt, vos meas correctiones audite, quæ à veritate non recedunt, vt vel correctum iudicium ſuſcipiatis. *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Hoc autem ideo dicit, quia quaſi Dei iuſtitiam defendentes eum ſuperius redarguebant. *Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?* Dei enim faciem, id eſt Dei viſum, & cognitionem ſe habere ſimulant, qui aliorum occulta iudicare præſumunt hoc enim ſolius Dei eſt. *Aut placebit ei, quem celare nemo poteſt, aut decipietur, vt homo veſtris fraudulentiis, ipſe vos arguet, quoniam in abſcondito faciem eius accipitis.* Ac ſi dicat: Cum Deus omnia nouerit, cui fraus G nunquam placeret, ipſe vos arguet. Quare? Quoniam in abſcondito faciem eius accipitis: in abſcondito quidem, quoniam aliter in corde ſentitis, aliter voce profertis. In quantum enim Dei voluntatem homo intelligit, in tantum eius faciem accipit. Merito igitur redarguuntur, qui etiam ea, quæ bene intelligunt, malè loquuntur. *Statim, vt ſe commouerit, turbabit vos; & terror eius irruet ſuper vos.* Quamvis enim Deus immutabilis ſit, commoueri tamen & iraſci dicitur, quando in peccatores dignam vltionem exercet, hoc autem erit in iudicio, quando dignam pro ſuis factis ſententiam audient. *Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ.* Quia enim caro hominis puluis, & cinis eſt, rectè iniquorum memoria cineri comparatur, ſiquidem cum carne ſimul perit, & deficit. Non enim ſcribuntur in libro vitæ. In lutum autem eorum ceruices rediguntur, quia quomodocunque ſuperbiant, terra tamen ſunt, & in terram reuertuntur. *Tacete paulisper, vt loquar quodcunque mihi mens ſuggeſſerit.* Ac ſi dicat. Nolite carnaliter H impedire, quæ ſpiritualiter profero, vos enim lingua, ego mente loquor. *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Carnes enim ſuas dentibus ſuis lacerat, qui ea, quæ carnaliter egit, ſuis verbis apertè redarguit. Animam vero ſuam in manibus portat, qui vitam ſuā oſtendere, & manifeſtare non erubeſcit. Hoc autē viri ſancti aliquando faciunt, vt cæteris bene viuendi, & ſua peccata confitendi exemplum tribuāt.

Etiamſi occiderit me in ipſo ſperabo. Valde, inquit, me flagellauit, ſed ſi fortè ſuper flagella mortem quoque addere voluerit, ego tamen nihilominus in ipſo ſperabo. Deſperaui enim de mundo, nullam ſpem habeo niſi in Deo: nemo mihi mea flagella impropetando obiiciat, quia neque mors, neque vita, neque tribulatio aliqua poterit me ſeparare à Charitate Dei.

Veruntamen vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Saluator meus. Faciat, inquit, quod vult flagellet quantum vult, veruntamen vias meas arguam, opera mea

A reprehendam non me timore excuſabo, ipſe enim videt omnia, in conſpectu eius ſunt omnia, & ipſe erit Saluator meus. *Non enim veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.* Vnde manifeſtum eſt, me hypocritam non eſſe. Venient enim aliquando, ſed modo venire nolunt, quia peccata ſua confiteri erubeſcunt. Siue etiam non venient in conſpectu eius, quia illis Dominus iratus oculos ſuos auertet ab eis. *Audite ſermonem meum, & ænigmata percipite auribus veſtris.* In eo, quod ænigmata dicit, ſe figuraliter loqui inſinuat, non tamen quod omnia figuraliter accipi debeant. *Si fuero iudicatus, ſcio, quod iuſtus inueniar. Quis eſt, qui iudicet me, veniat, quare tacens conſumor?* Nihil enim, vt Apoſtolus ait, ſibi conſcius erat, vnde & in ſequentibus ait. *In omni vita mea non reprehendit me cor meum.* Per quod datur intelligi, quia quamvis ſine peccato non eſſet, (ſiquidem ipſe aliquando peccatorem ſe vocat, peccatum tamen non fecit, pro quo iniuſtus debeat iudicari, ideoque liberè iudicem quærit, & vt veniat ro-
B gat, & quia non venit, tacens, & exſpectans, & iudicium audire deſiderans, dolore conſumitur. Hoc autem ideo, quia ſi iudicaretur, peccatum illud, pro quo flagellabatur, ei manifeſtari neceſſe eſſet. Nihil enim aliud erat, pro quo iudicium timuiſſet. Vnde & ſequitur.

Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abſcondar. Manum tuam longè fac à me & formido tua non me terreat. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret. Ceſſent flagella, ceſſet & formido. Quia enim flagellor, quamvis quid peccauerim ignorem, me tamen multum deliquiſſe timeo, cum te neminem iniuſtè flagellare poſſe conſidero. Inſuper etiam, quia nondum flagellare ceſſas, nondum peccatum hoc eſſe ſolutum vehementer formido. Si igitur his duobus ſolutus fuero, tunc à facie tua non abſcondar, ſed vltro me ante faciem tuam ad iudicium præſentabo. *Voca me, & ego reſpondebo tibi.* Quid eſt voca me? id eſt, interroga, perquire, ſcrutare quid egerim, & qualiter vixerim. Et reſpondebo tibi, teſtimonium videlicet reddente mihi conſcientia mea. *Aut certè ego*
C *loquar.* Et omnem vitam & conſcientiam meam tibi confitebor. *Et tu reſponde mihi,* id eſt. Si aliquid confiteri omiſero, vel ſi quid in me dignum pœna, & flagellis inueneris, oſtende mihi. Et hoc eſt quod ait: *Quantas habeo iniquitates & peccata, ſcelera mea, & delicta oſtende mihi.* Felix conſcientia, quæ tam ſecurè iudicari poſtulat, ipſa enim peccati inculcatione, qua dicit puniendum iniquitates, peccata, ſcelera, & delicta, nihil ſe puniēdum peccaſſe oſtendit, quamvis aliqua differentia in his eſſe poſſit. *Cur faciam tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.* Faciem ſuam illi Deus abſcondere dicitur, cui ſe iratum eſſe oſtendit. Non autem inimicum ſuum. Beatum Iob Deus arbitrabatur, ſed quia eum affligebat, inimicus eius ab hominibus putabatur. Conſtat igitur, quia ſecundum opinionem hominum loquitur. Folio, & ſtipulæ vir ſanctus ſe comparat, docens, ſe Dei indignationi, & iræ nullatenus reſiſtere poſſe. Cui enim Deus iraſcitur, fa-
D cilè quidem dæmonum impetu in infernum rapitur, & quaſi ſicca ſtipula ibidem comburitur. *Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Quia enim, quod ſcribitur, permanet, ſua flagella ſcripta eſſe dicit, quoniam à ſe nullo modo recedere ſentit. Quia vero, in quibus peccauerit, ignorabat, adoleſcentiæ peccata poſuit, quorum vſquequaque ſecurus non erat, ſiquidem illa ætas infirma, & inſcia facilè peccat, in illis tamen peccatis ille conſumi non debet, qui maiori ſuccedēte ætate, quod ignoranter fecit, ſcienter emendat. *Poſuiſti in neruo pedem meum & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.* In via enim ſumus, & quanto tempore viuimus, quaſi ſolutis pedibus ad vitæ huius terminum currimus ad quem poſtquam venimus, quia vlterius currere non poſſumus, in neruo quodammodo pedem tenemus. Beatus igitur Iob dum ſe in neruo pedem tenere aſſerit, curſum ſuum iam ad finem veniſſe arbitratur. Semitas autem noſtras, & veſtigia pedum noſtrorum Deus conſiderat,
E quia quid agamus & quæ exempla cæteris relinquamus, intuetur. Quid enim ſunt veſtigia pedum, niſi exempla operum? *Qui quaſi putredo conſumendus ſum & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.* Caro enim hominis in putredinem reſoluta, vermes ex ſe generat, à quibus conſumitur, ſicut ex veſtimento tinea oritur, à qua veſtimentum ipſum conſumitur.

CAPVT XIV.

HOmo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſeriis. Homo enim mollis & fragilis eſt, quia de muliere natus eſt. Qui & breui tempore viuit, & multis miſeriis repletur: miſer igitur homo. *Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* In primæua namque ætate tener, floridus, & pulcher apparet, deinde vero acceſſu temporis, iam ægritudine multiſque neceſſitati-
F bus conteritur. *Et fugit velut vmbra,* quia creſcendo, & seneſcendo deficit. *Et nunquam in eodem ſtatu permanet.* Quia nunc infans, nunc puer, nunc adoleſcens, nunc iuuenis, nunc ſenex, nunc ſanus, nunc æger, nunc lætus, nunc triſtis, aliiſque multis modis mutabilis nunquam in eodem ſtatu permanet. *Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium.* Deus ſuper hominē oculos aperit, quia eius facta, & cogitationes ſubtiliter inueſtigat. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es?* ſubauditur, mundus: Quia enim in originali peccato omnis homo concipitur, & naſcitur, non immerito de immundo ſemine conceptus dicitur: quem tamen ſuo ſanguine, & aqua baptiſmatis ille mundauit, qui ſolus eſt. Quia enim Deus ſemper eſt, idem eſt, immutabilis eſt, & cunctis rebus, & temporibus ſemper præſens eſt, ideo ipſe ſolus eſt, quia nulla alia res ita eſt. *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* In Dei namque
G prouidentia dierum, & menſium, & annorum noſtrorum numerus poſitus eſt, & ipſe quidem eſt terminus ad quem vſque venire poſſibile eſt, vltra vero impoſſibile. Nam tametſi Ezechiæ lacrymis donatum eſt, vt quindecim annos ſuperuiueret, ſic quoque à Deo conſtitutum erat, vt hoc lacrymis, & orationibus impetraret, ita enim ſcriptum eſt. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymam tuam, ecce adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos,* ſequitur. *Recede paululum ab eo, vt quieſcat, donec optata veniat ſicut mercenarij dies eius.* Recede inquit, modo paululum à flagellis, vt homini ſubito morituro quieſcere liceat, donec dies eius veniat, quem ipſe non minus, quam mercenarius, diem ſuum venire deſiderat. Cupiunt enim ſancti mori, & eſſe cum Chriſto, quatenus ſui laboris mercedem ſuſcipiant. Vnde & ſubditur.

Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit. ſi ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus eius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cum primum plantatum eſt. Hoc autem de
H illo ligno intelligi debet, quod plantatum ſecus decurſus aquarum, fructum boni operis ferre non ceſſat. Præciditur autem hoc lignum, quando homo moritur. Seneſcit autem radix eius in terra, & truncus in puluere moritur, quando corpus hominis pro temporis longitudine ſoluitur, & in puluerem redigitur, ſed ſicut ſperat iterum vireſcit, & ad odorem aquæ germinabit, quia flatione ſancti ſpiritus quandoque reſurget. De hac enim aqua Dominus ait. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quod mox euangeliſta exponit dicens. *Hoc autem dicebat de Spiritu Sancto quem accepturi erant credentes in eum.* Faciet autem comam quaſi à principio, quia ad eam pulchritudinem rediget, in qua à principio creatus eſt.

Homo cum mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus, vbi quæſo eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat, ſic homo cum dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum non euigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo. Sicut per lignum intelligis iuſtum, ita

&

& per hominem intellige peccatorem. De talibus enim dicitur. *Vos autem ſicut homines moriemini.* Hic ergo homo, poſtquam moritur, & carne nudatur, & vermibus conſumitur, non reſurget, neque euigilabit, neque de mortis ſomno conſurget, donec cœlum atteratur, vt fiat cœlum nouum, & terra noua. Mari autem & fluuiis comparatur homo, quia ſicut recedentibus aquis, locus maris & fluuiorum vacuus remanet, ita anima recedente, ſiccum & vacuum remanet corpus.

Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus, ideſt, Donec Chriſti morte intercedente ira tua mitigetur. *Et conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Scio, inquit, quia in infernum deſcendam, ſed quis ibi niſi tu à tormentorum pœnis me proteget, & liberabit? Tempus autem eis ad miſericordiam conſtitutum, Chriſti paſſio fuit, quoniam tunc ad inferos deſcendens iuſtorum animas eripuit, & liberauit, ſecundum illud. *O mors ero mors tua morſus tuus ero inferne. Putas ne mortuus homo rurſum viuet?* Hæc in perſona infidelium dicit ſicut ſequentia manifeſtant. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exſpecto donec veniat immutatio mea.* Niſi enim reſurrectionem crederet, fruſtra quidem militaret & carnis huius immutationem expectaret: *Omnes enim*, vt ait Apoſtolus, *reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Vocabis*, inquit, *me*, quia de terræ puluere me ſurgere præcipies. *Et ego reſpondebo tibi*, quia illico reſurgam. Eis autem Dominus dexteram porriget, quos ad ſe miſerando trahere dignabitur. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*, quia quid egerim, & qualiter vixerim, non ignoras. *Sed parce peccatis meis*, quia niſi in tua miſericordia, nemo ſaluabitur.

Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam. Ea delicta in ſacculo ſunt, quæ intus occultata, foris non apparent; Signata tamen ſunt, quia Diuinis oculis notata ſuo tempore manifeſtabuntur. Quod autem ait: *Sed curaſti iniquitatem meam*, propter flagella dicere videtur. Sequitur.

Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo, lapides excauant aquæ & alluuione paulatim terra conſumitur, & homines ergo ſimiliter perdes: Vt enim quidam ait. Nemo repente fit turpiſſimus, ſed paulatim, ſordibus ſordeſcit, & creſcente tentatione ſemper ſeipſo turpior fit, & ita paulatim per momenta cadit, donec vltimi caſus ſententiam ſuſcipiat. Sicut & mons paulatim cadens, defluit, & minuitur, & ſaxum paulatim mouetur de loco ſuo, & aqua paulatim cauat lapides, & terra paulatim alluuione conſumitur. Felix, qui hæc ſemper in mente habet, & tentationem latenter ſubintrantem à ſe repellit.

Roboraſti eum paululum, vt in perpetuum tranſiret. Roborauit enim Deus hominem, vt in perpetuum tranſiret, quia ad ſuam ſimilitudinem fecit eum, vt viueret in æternum. Sed hoc paululum, quia cito eum vinci, & peccare permiſit, vnde & ſubditur.

Immutabis faciem eius, & emittes eum. Quoniam Dei ſimilitudine amiſſa mortuus eſt, & quotidie quidem immutatur, & emittitur, quia paulatim hominis pulchritudine deficiente tandem puluis in puluerem reuertitur. Sequitur.

Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget, attamen caro eius, dum viuet, dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit. Quamvis enim peccator quamdiu viuit, pro filiis ſuis, quos ditare vult, etiam peccando laborare non ceſſat, tamen poſtquam moritur, quales ſint, & quomodo ſe habeant, non intelligit. Dolet tamen caro eius dum viuit, quia, vt modo diximus, ſe fatigando in hac vita non quieſcit. Et anima illius ſuper ſeipſo lugebit, quoniam hinc tranſiens, quamvis infructuoſè peccata ſua tamen pœnitendo deplorat.

CAPVT XV.

Reſpondens autem Eliphaz Themanites dixit. *Nunquid ſapiens reſpondebit quaſi in ventum loquens, & implebit ardore ſtomachum ſuum?* Ac ſi dicat: In hoc enim inſipiens comprobaris, quia verba inutilia & vento, & inflatione plena profers, & quaſi ſtomachatus, cum ardore, & ira, & indignatione reſpondes, vocans nos mendaces, doloſos, & fraudulẽtos. Sed quid mirũ, cum Deum ipſum arguere non timeas. Et hoc eſt quod ait. *Arguis verbis eum, qui non eſt æqualis tui, & loqueris, quod tibi non expedit.* Hoc autem fortaſsè ideo dicit, quia vir ſanctus ſupra dixerat. Si iudicatus fuero, ſcio quod iuſtus inueniar. Impoſſibile enim eſſe putat, vt vterque iuſtus ſit, & qui flagellat, & qui flagellatur. *Quantum in te euacuaſti timorem, & tuliſti preces coram Domino.* Quantum, inquit, in te eſt, quantum in tuis verbis, ſi bene conſiderata fuerint, apparet, tu nequaquam Deum times, cum dicas, quis eſt, qui iudicet me? & ſimilia, & tamen preces coram Domino fundis, ac ſi bene promeruiſſes, dicens. *Sed parce peccatis meis.* & alia multa. *Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium.* Taliter, inquit, loqui non ab alio, quam ab iniquitate tua didiciſti. Tunc enim iniquitas os docet, cum malũ, quod mente concipitur, ore profertur. Linguam autem blaſphemantium imitantur qui contra Deum loqui præſumunt. *Condemnabit te os tuum, & non ego & labia tua reſpondebunt tibi.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret: Si teipſum bene conſideras, nullum niſi te iniuſtitiæ tuæ probatorem quæres. Conſidera enim, quid hæc tua flagella ſignificent. *Nunquid tu primus homo natus es, & ante colles formatus es? numquid conſilium Dei audiſti, & inferior te erit eius ſapientia?* Tu, inquit; quaſi dicat, diſputare cum Deo cupis, ac ſi ei coæternus eſſes, & eius conſilium, & ſapientiam cognouiſſes, ſed quia temeritate aduerſus Deum contendere audes, qui nos quoque ſapientia, & intelligentia non excellis? hoc enim quod ait. *Quid noſti, quod ignoremus? quid intelligis, quod neſciamus? & ſenes, & antiqui ſunt in nobis, multo vetuſtiores, quam patres tui.* Hæc verba illis reſpondere videntur, vbi Iob ſuperius dixit. In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Vnde manifeſtum eſt, Eliphaz non bene eius verba intellexiſſe. Merito ergo ænigmata vocantur, quæ ab ipſis quoque quibus Iob loquebatur, non intelligebantur. Sequitur. *Numquid grande eſt, vt conſoletur te Deus? ſed verba tua praua hoc prohibent.* Ac ſi dicat. Iam tibi Deus pepercisset, ſi humiliatus eius miſericordias quæſiſſes, ſed quia ſuperbus es, & te iuſtum exiſtimans corde eleuaris, & quia contra Deum ſuperbiæ ſpiritu intumeſcis, & huiuſcemodi ſermone loqueris ideo eius miſericordiam inuenire non potes, & hoc eſt quod dicit. *Quid te eleuat cor tuum, & quaſi magna cogitans attonitos habes oculos? quid tumet contra Deum ſpiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuſcemodi ſermones? Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere.* Hic apertiſſime eius verba redarguit. *Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis eſt, & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius, quanto magis abominabilis, & inutilis homo. qui bibit quaſi aquas iniquitatem?* Quicquid enim Deus non eſt quomodolibet mutabile eſt. Poſſumus autem per ſanctos, & per cœlos eos intelligere, qui adhuc in terris poſiti cœlicam & Angelicam vitam ducunt. Vnde & Apoſtolus taliter in mundo viuens dicebat: *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Et iſti quidem in conſpectu eius, quem nihil latet, mundi non ſunt, quia quamdiu hic viuunt, penitus ſine peccato eſſe non poſſunt. Quid igitur faciet homo, quid faciet peccator, & abominabilis, & inutilis qui bibit quaſi aquas iniquitatem, cui peccare nullus labor eſſe videtur, qui tandiu peccat, donec iniquitate ſit ebrius, & quaſi aquis totus repletus? ſequitur. *Oſtendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi. Sapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos, quibus ſolis data eſt terra, & non tranſiuit alienus per eos.* Ne fortè me, inquit, mentiri arbitreris, non quæ audiui, ſed quæ vidi narrabo tibi.

Quamvis ſapientes libenter confitentur, & non abſcondunt patres ſuos, ideſt, dicta Patrum ſuorum, atque ea in veneratione habent, & in auctoritate ſuſcipiunt. Quibus ſolis videlicet ſapientibus data eſt terra. Et non tranſibit alienus per eos; ſicut per te modo tranſiſſe, teque vaſtaſſe dubium non eſt. Hoc enim ſi ad litteram intelligatur, falſum eſt, neque enim ſoli ſapientes terram poſſident, & ea ipſa quam poſſident ſæpe eis violenter aufertur. Si autem per terram, carnem intelligamus, verum eſt, quia ipſi ſoli carnem ſuam bene regunt, & poſſident, & alienos, vitia ſcilicet, & malignos ſpiritus ab ea procul repellunt.

Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius, ſonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur, non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem circumſpectans vndique gladium. Ac ſi dicat: Hæc ſunt, quæ ego vidi, & quæ vera eſſe cognoſco. Impius nunquam à ſuperbia ceſſat, quamvis incertus ſit quanto tempore viuat, & ſuam iniquitatem exerceat, & quia praua conſcientia ſemper eum ſollicitat, omni ſonitu mouetur omnique rumore terretur, & ideo quamvis ſit pax ipſe tamen inſidias timens ſemper credit hoſtes adeſſe. Vnde fit, vt quaſi deſperatus, numquam ad lucem, & ad pacem ſe poſſe redire confidat, mortem, & gladium vndique expectans, omnes enim timet, quoniam omnes offendit, & dum ſecundum ſe alios metitur, nullum ſibi parcere credit, ſiquidem nec ipſe alicui pepercit.

Cum ſe mouerit ad quærendum panem nouit quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies, terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum, ſicut Regem, qui preparatur ad prælium. Per panem omne ſtipendium, quo viuimus, & ſuſtentamur, intelligimus. Impius ergo, quia de ſola iniquitate, & rapina viuit, quando ſe mouet ad quærendum panem, ideſt, vitæ huius quælibet neceſſaria, bene intelligit, quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies, quia non dubitat, dum taliter agit, mortem ſibi, & tenebras, & æternam damnationem eſſe paratam. Ideoque terret eum tribulatio & anguſtia, quia non ſolum præſentia, ſed etiam æterna ſupplicia pertimeſcit. Rex autem qui ad bella paratur, non ſolum hoſtes timet, verum etiam ſuos, nę fortè tradatur. Sic & iniquus, qui cunctis eſt odioſus, non ſolum quos offendit timet, ſed etiam quos non offendit. *Tetendit enim aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt, cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.* Ille enim aduerſus Deum manum ſuam tendit, & contra Omnipotentem roboratur, & aduerſus eum erecto collo, & pingui ſuperbaque ceruice currit, & armatur, qui de eius miſericordia deſperans, cunctis criminibus, & facinoribus eum contra ſe prouocare non timet. Qui enim ab iniquitate non ceſſat, quodammodo ſemper cum Deo præliatur. *Operuit faciem eius craſſitudo, & de lateribus eius aruina dependet.* Quid per faciem, & latera iniqui, niſi eius propinquos, & familiares intelligimus, qui & corá eo ſemper aſſiſtunt, & ab eius latere non recedunt? Hi autem aruina & craſſitudine onerati ſunt, quoniam omni iniquitate ſuperabundant. Vnde Pſalmiſta ait. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in diſpoſitionem cordis.* Qualis enim paterfamilias, tales, & domeſtici eius. *Habitabit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redacta.* Ciuitates deſolatæ, & domus deſertæ, peccatorum hominum conuenticula ſunt, quæ omni bonitate, iuſtitia, & ſanctitate ſunt deſtituta, in quibus etiam vitiis dominantibus totum Diuini operis ædificium deſtructum eſt, id eſt in tumulos redactum. In talibus igitur ciuitatibus habitat impius quoniam omne animal ſibi ſimile diligit. *Non ditabitur, nec perſeuerabit ſubſtantia eius, nec mittet in terram radicem ſuam.* Non enim ditari poteſt, qui æternorum bonorum nihil habet. Valde enim diues ille pauper factus erat, qui guttam aquæ à Lazaro petebat. Subſtantia vero non perſeuerabit, quia cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria domus eius. Nec mittet in terram radicem ſuam, quoniam euellet eum Dominus de tabernaculo ſuo, & radicem eius de terra viuentium. *Non recedet de tenebris, ramos eius areſaciet flamma, & auferetur ſpiritu oris eius.* Semper mali in inferno, & in tenebris erunt. Quorum ramos flamma areſaciet, quia eorum propinquos, & familiares æternus ignis, & inextinguibilis cruciabit. Et auferetur ſpiritu oris ſui quoniam propter ſuperbiam ſuam damnabitur, & propter blaſphemiam quam locutus eſt. *Non credet fruſtra errore deceptus quod aliquo precio redimendus ſit.* Iniquus enim errore deceptus deſperauit, neque credit, quod aliquo pretio redimi poſſit. Sed non fruſtra, quoniam ſecundum fidem ſuam eueniet ei, numquam enim redimetur: numquam redimi poteſt qui deſperat de redemptione. *Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus eius areſcent.* Cum ante diem diſpoſitum homo non moriatur, quid eſt, quod hic dicitur, antequam dies eius impleantur, peribit? niſi quod dies eius, non dies à Deo diſpoſitos intelligere debemus, ſed quos ipſe impius ſibi diſpoſuit, dum ſtultè ſe tantum viuere ſperauit? Quia igitur non tantum viuit, quantum ſperauit, ante perit impius, quam dies eius impleantur. Manus autem eius areſcent, quia qui modo non laborant, poſtea laborare non poterunt. *Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proiiciens florem ſuum.* Cum enim in iudicio ſancti reſurgent, & primum ſuæ pulchritudinis florem, & decorem recipient, tunc iniqui audita ſententia lædentur, quoniam eundem immortalitatis, & vitæ florem, quem ſuſcepiſſe videbantur, amittent, ſiquidem immortales in morte ſemper erunt. *Congregatio enim hypocritæ ſterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Ideo enim talis congregatio quaſi vinea in primo flore lædetur, quoniam ſterilis, & ſine fructu boni operis apparebit. Ignis vero deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt, quoniam eorum corpora æternis tradentur incendiis, qui vel iuſtitiam vendunt, vel pro munere laudis omnia faciunt, de quibus Dominus ait. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & vterus eius preparat dolos.* Hypocrita enim dolorem mente concipit, iniquitatem opere parit, quoniam eius pectoris vterus dolos ſemper, & inſidias aliis præparat.

CAPVT XVI.

Reſpondens autem Iob dixit: Audiui frequenter talia, conſolatores oneroſi omnes vos eſtis. Nunquid habebunt finem verba ventoſa? aut aliquid tibi moleſtum eſt ſi loqueris? poteram & ego ſimilia veſtri loqui. Non eſt, inquit, mihi nouum, quod dicitis, & qua intentione dicatis non ignoro, qui ſub ſpecie conſolationis ipſa conſolatione me priuare nitimini. Sed nunquid habebunt finem hæc verba, quæ ſuperbiæ vento plena ſunt, etſi à veritate aliquando non deuient? Sed ideo fortaſsè loqueris, quia nihil moleſtum eſt tibi loquenti, quoniam ego omnia patienter audio. Poteram, & ego ſimiliter loqui, ſi verba ventoſa, & otioſa peccato carerent. *Atque vtinam eſſet anima veſtra pro anima mea.* Vt in vobis cognoſcere poſſetis, qualiter afflictis compati debeatis. *Conſolarer & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meum ſuper vos, roborarem vos ore meo, & mouerem labia mea quaſi parcens vobis.* Si vos, inquit, in hac afflictione eſſetis, ego Vos aliter ſermonibus conſolarer. Et mouerem caput meum ſuper vos, quia mentem meam inclinarem, & flecterem ad miſericordiam. Roborarē vos ore meo, quia non ſimulatè, ſed verè conſolationis vos verbis firmarem. Et mouerem labia, non quaſi increpans, & ſubuertere volens, ſed quaſi parcens vobis. Sic enim debemus conſolari afflictos. Sequitur.

Sed quid agam? Si locutus fuero, non quieſcet dolor meus, & ſi tacuero, non recedet à me. Nunc autem oppreſſit me dolor meus, & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei. Hæc autem etiamſi ad litteram de Iob fortaſsè intelligi poſſint, allegoricè tamen de Eccleſia intelliguntur. Dicat igitur Eccleſia: Si locutus fuero, nō quieſcet dolor meus.

A Dolet enim Eccleſia, ſiue loquatur, ſiue taceat, quia & quando loquitur, non corriguntur mali, & eius ſilentio aliquando deteriores fiunt. Et ſi igitur doleat, quia mali non corriguntur, loqui tamen debet, vt & boni meliores fiant, & mali excuſationem non habeant. *Nunc autem oppreſſit me dolor meus*, nunc; inquam, quando aduerſum me loquitur Eliphaz, id eſt, quando hæretici me impugnant: *Et in nihilum redacti ſunt omnes artus mei*: quoniam omnia membra Eccleſiæ illorum blaſphemiis ſcandalizantur. Aliquando enim in tantum hæreticorum creuit multitudo, vt Eccleſia Catholica ad nihilum redacta, & pœnitus putaretur eſſe deſtructa. Hoc enim ſciunt, qui Ariminenſe Concilium nouerunt.

Rugæ meæ teſtimonium dicunt aduerſum me, & ſuſcitatur falſiloquus aduerſus faciem meam, & contradicens mihi. Eccleſia enim quantum ad bonos, neque maculam habet, neque rugam. Sed quia hæretici, & cæteri B iniqui filij Eccleſiæ ſunt, qui & in locutione ſunt duplices, & mala vetuſtate ſeneſcentes, rugoſa facie matris pulchritudinem amiſerunt. Ideo ſancta Eccleſia rugas habere perhibetur. Et hæ quidem rugæ aduerſum eam teſtimonium dicunt, quia duplicitate ſermonis, & ſyllogiſmorum ſophiſmatibus ſemper hæretici Eccleſiæ contradicunt. Hi autem ſunt falſiloqui & mendaces qui vt veritati reſiſtant, à diabolo ſuſcitantur, vnde adhuc ſubditur.

Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus ſuis. Colligebant enim hæretici furorem ſuum contra Eccleſiam, quando vndique congregati vt inſani & furibundi aduerſum eam concilium faciebant. Comminabantur autem ei, & dentibus in eam fremebant, quia per Principes quos ſubuerterant, exilia, mortem & carcerem ſanctis permittebant. Lege hiſtorias, ita inuenies.

Hoſtis meus terribilibus oculis me intuitus eſt. Per motum enim exteriorem, mentis affectionem deſignat. C *Aperuerunt, ſuper me ora ſua exprobantes, percuſſerunt maxillam meam, ſaturati ſunt pœnis meis.* Aperuerunt, inquit, ora ſua ſuper me non ſolum contradicentes, verum etiam opprobria, & conuitia ingerentes. Percuſſerunt autem maxillam meam, palam & in manifeſto mihi inſultantes. Sic enim Apoſtolus ait. *Suſtinetis enim, ſi quis in faciem vos cadit*, Saturati autem ſunt pœnis meis, quia mea afflictio illorum refectio eſt.

Concluſit me Deus apud iniquum: & manibus impiorum me tradidit. Temporaliter enim ſanctos ſuos Deus affligi & occidi permiſit, vt & iniquorum pœna, & ſanctorum gloria inde maior creſceret. *Ego ille quondam opulentus repente contritus ſum.* Hoc ideo dicit, quoniam tyrannorum perſecutione, & hæreticorum deceptione, multos Eccleſia amiſit, quibus recedentibus cum prius plena videretur, poſtea vacua apparuit. *Tenuit ceruicem meam, & confregit me, & poſuit me quaſi ſignum.* Ceruicem enim Eccleſiæ iniquorum multitudo aliquando tenuit, D quia loquendi libertatem quibuſdam ademit. Apoſtoli autem ceruicem tenere non potuit, vnde ipſe quoque vinctus in Domino dicit. Sed verbum Dei non eſt alligatum. Signum autem ad hoc ponitur, vt ſagittarum ictibus feriatur in ſignum igitur ſancti poſiti erant, quia vndique perſecutionum telis tundebatur. *Circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos.* Hoc & ad litteram verum eſt, quamvis per lanceas vitia intelligere poſſimus, quibus Eccleſiæ lumbos inimicus vulnerat, dum quorundam mentes ad luxuriam inclinat. Sed quia non paucos in lumbos ferit, ideo non vulnerauit, ſed conuulnerauit, dixit, vnde & ſubditur, *Non pepercit, & effudit in terra viſcera mea.* Non pepercit quidem, quia exterius affligendo, & interius mala ſuggerendo perſecutus eſt eam. Viſcera autem eius in terram effudit, quia etiam de ſapientioribus aliquantos ad terrena & ſæcularia deflexit. Tales enim viſcera dicuntur, quia menti, & cordi ſunt propinquiores. *Cõcidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas.* Vulnere enim ſuper vulnus eam concidit, quia, & interius & exterius multa telorum E varietate eam percuſſit. Bene autem malignus ſpiritus propter ſæuitiam, & fortitudinem giganti comparatur.

Saccum conſuit ſuper cutem meam, & operuit cinere carnem meam. Hoc Eccleſia ſecundum eos dicit, qui poſt peccata ad pœnitentiam ſunt conuerſi. Sed quia diaboli ſuggeſtione peccauerunt, ipſe & ſacco & cinere eos operuit, ſiquidem ipſe cauſa fuit vt iſti ita pœnitere debuiſſent. *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* Hoc iuxta litteram ad eoſdem pœnitentes ſua peccata deflentes referri poteſt, Allegoricè autem; Facies, & palpebræ, Eccleſiæ Doctores intelliguntur, in quibus & maior pulchritudo apparet, & eam vigilantes cuſtodiunt. Hi autem aliorum peccata plangunt, & plangendo caligant, quia dum eos incorrigibiles cernunt, quaſi iam fatigati à vigiliis, tepeſcunt. Sequitur. *Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Hucuſque Eccleſia. Nunc autem lo- F quitur Chriſtus, ac ſi dicat: Quid mirum, ô Eccleſia, ſi te inimicus afflixit, quæ vtique ſine peccato non es, cum & me, qui peccatum non feci, ſic crudeliſſime perſecutus? *Terra ne operias ſanguinem meum, neque inueniat locum in te latendi clamor meus.* Eccleſia enim pro firmitate, & ſtabilitate ſua, terra vocatur. Hæc autem non operuit ſanguinem Chriſti, quia iam vbique gentium eius paſſionem, & mortem prædicauit, & eius ſanguinem, melius clamantem, vt ait Apoſtolus, quam ſanguis Abel, cunctis gentibus reuelabit. Is autem clamor latendi locum in Eccleſia inueniſſet, ſi Chriſti mortem Eccleſia celaſſet. *Ecce enim in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* De hoc & in Euangelio ait. *Ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater.* Ipſe igitur mihi teſtis eſt, ipſe mihi conſcius eſt, quod abſque iniquitate manus meæ paſſus ſum. *Verboſi amici mei, ad Deum ſtillat oculus meus.* Hucuſque Chriſtus. Hinc autem Eccleſia ſuæ locutionis ordinem tenet. Verboſi, inquit, amici mei, id G eſt, hæretici qui me diligere debuerant, verborum ſuorum affluentia mihi detrahere non ceſſant Ideoque ſtillat oculus meus, non ſolum meas deflens calamitates, ſed etiam illorum errores. *Atque vtinam ſic iudicetur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega ſuo.* In hominum namque iudicio tamdiu cauſa ventilatur, donec veritas innoteſcat: Tale igitur iudicium optat, quatenus certiſſime intelligat, quare Deus hæreticorum inſaniam patiatur, & quare ſanctorum innocentiam non liberet. Quantum enim ad humanum iudicium ſpectat, valde iuſtius eſſe videtur, vt mali affligantur, quam boni. Huius autem tantæ miſeriæ hanc ſolam ſuſcipit conſolationem, quod hæc vita præſens breuis eſt, & omnis hæc tribulatio cito cum vita finitur. Et hoc eſt quod dicit, *Ecce enim breues anni tranſeunt, & ſemitam per quam non reuertar, ambulo.* Hæc autem ſemita, mors eſt Per quam non reuertitur, qui niſi ſemel non moritur. Siue etiam, ambulat Eccleſia per ſemitam, per quam non H reuertetur, quia poſt hanc vitam, nullum laborem, vel anguſtias patietur. Sequitur.

CAPVT XVII.

SPiritus meus attenuabitur dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum. Ac ſi dicat: Quia hinc tranſire deſidero vitam finire, dies breuiare, & ſolum ſepulchrum, & mortem exopto. Poteſt autem & de ſuperbiæ ſpiritu hoc intelligi, qui ſemper in ſanctis attenuatur, quoniam humilitatis ſpiritus in eis aſſidue creſcit. Qui quoniam huic mundo iam mortui ſunt, dies ſuos breuiatos, & ſolum ſibi ſepulchrum ſupereſſe dicunt. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Non peccaui, inquit, vt ſic affligi debuiſſem. Non enim propter peccata ſua, ſed quia Chriſtum confitebantur, ſancti Martyres affligebantur. Siue etiam, hoc ſecundum perfectiores dicit, qui non ſua, ſed aliorum flebant peccata. Qua in re quanto charitatis igne feruerent apertiſſime declaratur, *Libera me, & pone me iuxta te, & cuiuſ-*

A *vis manus pugnet contra me.* Libera me, inquit, de inimicorum inſidiis, & pone me iuxta te, vt ſicut promiſiſti non me deſeras, neque derelinquas, & quicunque velit pugnet contra me, quia te auxiliante neminem timeo. *Cor eorum longe feciſti à diſciplina, & propterea non exaltabuntur*, Cor, inquit, eorum, ſubauditur iniquorum, & hæreticorum, longe feciſti, id eſt longe fieri permiſiſti à diſciplina veritatis. Ideoque non exaltabuntur, ſed vſque ad inferiora humiliabuntur. Sequitur *Prædam pollicetur ſociis, & oculi filiorum eius deficient, poſuit me quaſi in prouerbium vulgi, & exemplum ſum coram eis.* Quis eſt ille, qui prædam ſociis pollicetur, qui & ſic abſolute hic ponitur, niſi malignus ſpiritus, qui tam iniquus eſt, vt in malis actis etiam ſine nomine cognoſcatur? Hic autem pollicetur ſociis prædam, quia iniquorum mentes ad prædam, & rapinas incitat, & accendit. Qui vtique eius ſocij ſunt, quia ſimul cum eo mala operantur, & eius filii, quia eum imitantur. Horum B autem oculi deficient, quoniam eorum deſiderium, & expectatio nequaquam adimplebitur. Et quidem non ſine Dei permiſſione Eccleſiam in prouerbium vulgi, & in exemplum coram eis, id eſt coram ſociis ſuis poſuit, quia tanta calamitate ſanctos oppreſſit, vt in prouerbium, & in exemplum calamitatis traherentur ab his, qui aliis malum aliquod irrogabant. Vnde in pſalmis dicitur: *Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus.* Non enim peius inimico ſuo quilibet ſe dicere poſſe putabat, quam Vt talem te videam, quales ſunt Chriſtiani.

Nunc autem derident me iuniores temporum, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Cum enim hæretici Eccleſiæ filij ſint, non dubium eſt eos tempore eſſe iuniores. Et horum quidem patres, Hæreſiarchæ intelliguntur, vt Simon Magus, Arrius, Sabellius, & Iouinianus. Hos autem Eccleſia cum canibus gregis ſui ponere nolebat, quia ſanctis prædicatoribus nunquam eos coniungere voluit. Tales enim canes oues Dei cuſtodiunt, de quibus dicitur. *Lingua canum tuorum ex inimi-* C *cis ab ipſo.*

Caligauit ad indignationem oculus meus, & membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt. Quia, inquit, iſti me irrident, & tu quaſi non curans me non vlciſceris, ideo indignatus oculus meus caligauit, Oculi enim Eccleſiæ Epiſcopi ſunt, qui dum iniquos exaltari, & ſe deprimi, & humiliari conſiderant, indignatione & ſtuporis admiratione aliquando caligant, quoniam gregem ſibi commiſſum non tam diligenter cuſtodiunt. Vnde fit vt membra quaſi in nihilum redigantur, quoniam deficiente cuſtodia ſubditorum, greges vitiorum motibus laniantur.

Stupebunt iuſti ſuper hoc, & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur, & tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem. Hoc eſt, quod modo dixerat, quia mali exaltantur, & boni humiliantur. Super hoc ſtupebunt iuſti, cur hoc fiat neſcientes. Sed tamen ne membra penitus redigantur in nihilum, & innocens quidem contra hypocritam ſuſcitabitur, iterumque vt prius præliabitur. Et Iuſtus tenebit viam ſuam, quam pro indignatione ad horam reliquiſſe videbatur, viam enim ſuam iu- D ſtus tenet, quando aſſueto iuſtitiæ operi conſtanter inſiſtit, Et mundis manibus addet fortitudinem, quia in ſanctis operationibus fortius laborabit. Et dicet.

Igitur vos omnes conuertimini, & venite & non inueniam in vobis vllum ſapientem. Quia inquit, deterſa oculorum caligine contra hypocritam inſurgens viam meam teneo, ideo & vos ô Eccleſiæ membra, quæ iam pœne ad nihilum redacta eratis, conuertimini ad Dominum, & venite poſt me, id eſt Imitatores mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti. Et non inueniam in vobis vllum ſapientem quoniam ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Vnde & Apoſtolus. *Si quis, inquit, videtur ſapiens inter vos ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Et alibi. *Non multi ſapientes, fratres, & non multi nobiles inter vos, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientia.* Hucuſque Eccleſia. Nunc autem Iob, cuius verba hæc ſunt ſicut huius ſermonis principium de ſe ſpecialiter dixit, ita & finem vt de ſe ſpiritaliter intelligamus, inſinuat.

E *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras ſpero lucem.* Dies, inquit, mei, quos ideo meos dico, quia non mihi in eis, ſed Domino vixi, & quos in Dei contemplatione & ſeruitio tranſegi, iam tranſierunt. Cogitationes meæ, quibus non ſecularia, ſed æterna cogitabam, quæ & compunctione, & lacrymis cor meum torquebant, ſiquidem cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit, quæ noctem mihi in diem ſæpiſſime verterunt, quia non minus in nocte, quam in die me vigilare cogebant. Illæ, inquam, tales meæ cogitationes, diſſipatæ ſunt. Tantis enim anguſtiis premor, vt nihil me aliud cogitare delectet. Dolet igitur vir ſanctus, quia præ carnis doloribus in tanta contemplatione luce priuatur. Sed ecce rurſum poſt tenebras ſpero lucem, quia poſt huius afflictionis fatigationem lucem, & quietem exſpectabo, Sed quid mihi prodeſt? Sequitur.

Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris F *ſtraui lectulum meum.* Ego, inquit, lucem exſpectabo, & ſuſtineo, ſed tenebræ mihi ſunt præparatæ, Scio enim quia in infernum deſcendam, qui vſque locus eſt tenebrarum. *In tenebris ſtraui lectulum meum*, ſtrauit enim non in ſe, ſed in primo homine, quia, & ipſe materialiter in eo erat, quando Adam Dei mandatum tranſgrediens, & ſibi, & humano generi in tenebris, & in inferno lectum ſternebat. *Putredini dixi pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Omnes enim noſtri parentes, qui iam præceſſerunt, quid aliud ſunt, quam vermes, & putredo, ex putredine igitur nati, ſubito in putredinem redituri ſumus. *Vbi eſt ergo nunc præſtolatio mea & patientiam meam quis conſiderat?* Si inquit, anima in infernum, caro vero in putredinem & vermes ire compellitur, vbi eſt præſtolatio mea? quid exſpectaui? quid inuenio? quid ex hac tanta patientia mea conſequor? quis meam patientiam conſiderat? Ille vtique de quo ſcriptum eſt. *Quoniam tu laborem, & dolorem conſideras. In pro-* G *fundiſſimum infernum deſcendent omnia mea: putaſne ſaltem ibi erit requies mihi?* Quicquid enim inferius eſt, ſuis ſuperioribus comparatum, infernus dici poteſt. Quia igitur locus ille pœnalis, & cœlo, & aere, & terra inferior eſt, merito profundiſſimum infernum eum appellat. Ibi autem omnia ſua deſcendere dicit, cum ſolam animam ibi deſcendiſſe manifeſtum ſit, quoniam nihil aliud ſuum computabat, niſi illud, quod ſecum ferebat. Quod autem ait: *Putaſne ſaltem ibi erit requies mihi*, non deſperando dicit, ſed quia talis requies, non requies, ſed pœna putatur.

CAPVT XVIII.

Reſpondens autem Baldad Suhites dixit, vſque ad quem finem verba iactabis? intellige prius, & ſic loquamur. Quod cum verba iactaſſe dicit, eum de ſuperbia, & iactantia reprehendit. Quia vero intelligere admonet, quaſi non intellexiſſet, eum deridet. *Quare putati ſumus, vt* H *iumenta & ſorduimus coram te, qui perdis animam tuam in furore tuo.* Hæc ideo fortaſſe dicit, quia Iob ſuperius dixerat: *Interroga iumenta, & docebunt te* Itemque. *Vtinam taceretis, vt putaremini eſſe ſapientes.* Quia vero illorum ſententiam non ſequebatur, contra animam ſuam eum agere cogitabant, ideoque hic dicitur. Qui perdis animam tuam in furore tuo. Omnis enim iſta contentio ex eo maxime fiebat, quia Beatus Iob & iuſte, & propter peccata ſua ſe affligi non confitebatur. *Nunquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco ſuo.* Ac ſi dicat? Si tu ſolus bene intelligis, totus mundus errat. Quod ſi ita eſt, neceſſe eſt, vt & terra relinquatur, & mundus pereat. Rupes autem, ſe & alios ſapientes dicit, qui altitudine ingenij ſuperexcellunt. Hos autem non poterit Iob transferre de loco ſuo quia ſuæ intelligentiæ ſtabilitate: quamuis mala ſit, eos non poterit ſeparare.

Nonne lux impij extinguetur? nec ſplendebit flamma ignis eius. Quamuis, inquit, praua intelligentia impij aliquando luceat, & vera eſſe putetur, extinguetur tamen,

&

& diſſipabitur. Neque ſemper ſpendebit flamma ignis, id eſt, ingenij eius. Ignis enim, & ſplendor, mentis ingenium eſt.

Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Impij tabernaculum caro eſt. In hoc autem lux tenebreſcet, quando omnis eius intelligentia falſa fuiſſe probabitur. Inſuper & lucerna, quæ ſuper eum eſt extinguetur, quia non ſolum hoc quod mente concepit, verum etiam id quod ab antiquis, & ſuis ſuperioribus didicit, deſtruetur. Omnis enim erronea ſciẽtia euacuabitur. Verum quidem dicit Baldad, ſed hoc tamen contra Iob dicere non debuerat. Sequitur. *Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum.* Quandiu enim impius viuit, per latam, & ſpatioſam mortis viam incedens, & in ſua virtute confidens, quicquid eius voluntas fert operatur. Sed tunc quidem greſſus eius arctabuntur, quando ligatis manibus, & pedibus in tenebras proiicietur, vnde & ſubditur. *Et præcipitabit eum conſilium ſuum.* Non enim præcipitaretur, ſi non ſuo ſed Sanctorum conſilio credidiſſet. *Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat.* Pedes ſuos in rete miſit iniquus quia diaboli laqueis & deceptionibus tenetur, ne recto itinere incedere valeat. Et in maculis eius ambulat, quia de vitiis in vitia tranſit, nunc adulterium, nunc periurium, nunc homicidium exercens. Quot enim ſunt vitia: tot ſunt & maculæ huius retis. *Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.* Quanto enim deſiderio peccet iniquus, ex hoc apparet, quia cum adhuc vno vitio teneatur, aliud iam facere ardeſcit, quaſi pede ligatus à luxuria tenetur, & aliena rapere concupiſcit. *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.* Ibi enim diabolus pedicam & decipulam ponit, vnde peccatorem frequentius tranſitum habere cognoſcit. In quo enim vitio vnuſquiſque perſiſtit, illud ei via eſt, per quam currit ad perditionem. Scit igitur diabolus vias, ſcit & deprecationes quibus vnuſquiſque capiatur, aliud enim luxurioſis, aliud auaris, aliudque ſuperbis opponit. *Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius.* Qui enim male agit, nunquam poteſt eſſe ſecurus, quia non ſolum Deum timet, ſed & homines, quos offendit: nuſquam ſine formidine vadit, vbicunque eſt, timore concutitur. *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat coſtas illius.* Si enim fame attenuatur aliquis, inedia confeſtim in coſtis apparet. Robur igitur & coſtæ iniqui fame, & inedia attenuabuntur, & invadentur, quia in pænis poſitus, & fortitudinem amittet, & quam penuriam patiatur celare non poterit. Sicut nec ille, qui dicebat. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. Deuoret pulchritudinem cutis eius, conſumat brachia illius primogenita mors.* In cute exterior pulchritudo, in brachiis autem fortitudo continetur. Mors vero, diabolus eſt, quia per eum facta eſt. Deuoret igitur mors, id eſt diabolus, non ſolum pulchritudinem eius cutis, id eſt carnem, ſed etiam brachia illius conſumit, id eſt, animam, in qua tota virtus hominis, & fortitudo conſiſtit. *Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eum quaſi Rex, interitus.* Iniqui enim fiducia, hæc vita eſt, quia in nulla re tantum quantum in hac vita confidit. Hic autem auellitur de tabernaculo corporis ſui, quia quando ſe multum viuere ſperat, repente eius vita ſucciditur. Et tunc interitus quaſi Rex, calcat ſuper eum, quia ex toto diabolo traditur in poteſtatem. qui quoniam Princeps mortis eſt: non immerito, interius vocatur. *Habitent in tabernaculo illius ſocij eius qui non eſt, aſpergetur in tabernaculo eius ſulphur.* Poſtquam enim de hac vita impius ſubtrahitur, nullum, niſi infernum, tabernaculum ſiue habitaculum habet. Per illum autem qui non eſt, diabolus intelligitur, qui ideo non eſſe dicitur, quia bene deſtitit eſſe, & quia de Deo dicitur, qui eſt, merito de diabolo dicitur, qui non eſt, ſic enim Moyſes ait. Qui eſt, miſit me ad vos. In tabernaculo igitur iniqui habitant ſocij eius qui non eſt, per quos omnium dæmonum multitudo figuratur, quibus iſte ſociatus, numquam vlterius tribulatione carebit. Sulphur autem in eius tabernaculo ſpargitur, quia ſemper in fœtore verſatur. *Deorſum radices eius ſiccentur, ſurſum autem atteratur meſſis eius.* Quid per deorſum, & ſurſum, niſi præſens vita, & æterna beatitudo ſignatur? Deorſum igitur impij radices ſiccantur, quia in hac vita bona opera in eo moriuntur, ſine quibus quaſi ſine radicibus viuere non datur. Surſum autem eius meſſis atteritur, quia in alia vita vnde viuat non habebit. *Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.* Pereat, inquit, memoria eius de terra viuentium, neque ſcribatur in libro vitæ nomen eius, nec audiatur in plateis cœleſtis Hieruſalem. *Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.* De luce quidem in tenebras expellet eum dominus, & de orbe transferet eum; quia de hac vita & de hoc mundo in tenebras, & æterna ſupplicia eum impellet. *Non erit ſemen eius neque progenies in populo ſuo, nec vlla reliquia in regionibus eius.* Semen, & progenies, & reliquiæ iſtius, vel eius imitatores, vel eius opera intelligi poſſunt. Hæc autem poſt hanc vitam nec in populo Dei erunt, nec in regionibus eius, id eſt, in patria cœleſti.

In die eius ſtupebunt nouiſſimi, & primos inuadet horror. Quæ eſt dies eius niſi dies iudicij, in qua iniquus damnabitur, & peribit? Nouiſſimi autem nos ſumus, de quibus Ioannes ait. *Filij nouiſſima hora eſt.* Et Apoſtolus *Nos ſumus in quos fines ſæculorũ deuenerunt.* Primi autem ſunt Patriarchæ, & Prophetæ, & cæteri, qui ab Adam vſque ad Chriſtum fuerunt. Omnes autem iſti ſtupebunt & horrore inuadentur, quando iniquorum multitudinem iudicari conſpicient. Quomodo enim non ſtupebunt qui tantum exercitum, & maxime huius ſæculi potentum, tam violenter ad mortem, & tormenta trahi videbunt? *Hæc ſunt ergo tabernacula iniqui, & iſte locus eius, qui ignorat Deum.* Quæ? videlicet vt transferatur de luce ad tenebras. Miſer ille per omnia, cui talia tabernacula ſunt præparata.

CAPVT XIX.

R*Eſpondens autem Iob dixit: Vſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus? En decies confunditis me, & non erubeſcitis opprimentes me.* Qui enim ad conſolandum venerant, eum potius affligebant, & iniuſte redarguendo ſermonibus atterebant. Quia vero quinquies illi locuti fuerant, & quinquies ipſe reſponderat, decies ſe confuſum dicit, quia non magis de illorum locutionibus dolebat, quam de ſuis, quos illi nec recipere, nec credere volebant. Et quod adhuc maius eſt, erubeſcebat ille, qui opprimebatur, & non erubeſcebant illi, qui eum iniuſte opprimebant Sequitur.

Nempe etſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis. Et ſi ignoraui, inquit, id eſt ſi ignoranter peccaui mecum erit ignorantia mea, quoniam vſque nunc intelligere non poſſum, quid peccauerim, vt ſic affligi debuiſſem. At vos contra me erigimini, ac ſi illa mea occulta ſcire tis, quæ ego ipſe ſcire non poſſum. Et arguitis me opprobriis meis, id eſt mea opprobria, & flagella mihi obiicitis, & quia flagellor, inde me iniquum eſſe probare nitimini.

Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis ſuis me cinxerit. Ecce clamabo vim patiens, & nemo exaudiet, vociferabor, & non eſt qui iudicet. Ipſe enim Dominus oſtendit, quod non æquo iudicio eum afflixerit, dum dicit. Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra. Hoc autem qualiter intelligi debeat, iam ſuperius dictum eſt. Flagellis autem cingere, eſt grauiter vndique affligere. Ex hoc, inquit, intelligite, me non æquo iudicio affligi, quia clamabo, & vociferabor, & nemo erit, qui audiat, vel qui iudicet. Si enim iuſte me affligit, cur ad iudicium non venit? Veniret enim, ſi culpam ſuam eum intelligere faceret quod quia non faciebat, nullam eam eſſe docebat. Sequitur.

Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum, &

in calle meo tenebras poſuit. Quo Beatus Iob ire volebat, quia dicit ſemitam ſuam circumſeptam, & tenebris inuolutam, vt tranſire non poſſit, niſi quia tota mente, & intentione ad hoc tendebat, vt illam culpam intelligere potuiſſet, pro qua affligebatur? Erant igitur ignorantiæ tenebræ ei oppoſitæ, quæ mentem eius, ne huius rei veritatem diſcerneret, impediebant.

Spoliauit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo, deſtruxit me vndique & pereo, & quaſi euulſa arboris abſtulit ſpem meam. Iratus eſt contra me furor eius, & ſic me habuit quaſi hoſtem ſuum. Valde enim glorioſus fuerat, quoniam iuſtus, & perfectus ab omnibus habebatur, hac autem gloria ſpoliatus erat, quia propter flagella, quæ patiebatur, inter iniquos iam ab eis computabatur, Inſuper & coronam, quam vitiis ſuperatis pro victoria ſuſceperat, ſe amiſiſſe conqueritur, quoniam iam non victor, ſed victus potius videretur, hoc autem non in rei veritate, ſed ſecundum hominum opinionem. Deſtructus autem vndique erat, quoniam oues, & boues: & aſinos, & camelos, omnemque ſubſtantiam amiſerat, & quaſi truncus arboris ramis omnibus euulſis omnem futuræ poſteritatis ſpem amiſerat, quia filiis, & filiabus orbatus erat. Vnde Deum ſibi iratum, & quaſi hoſtis ſe haberi loco ab illo conqueritur; non quod ita eſſet, ſed quia ita videbatur eſſe.

Simul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculum meum. Simul inquit, ſubito & cum furore venerunt latrones eius, id eſt maligni ſpiritus. Et tranſierunt per me, vaſtantes, & diſſipantes omnia. Et obſederunt in gyro tabernaculum meum, quia omnibus perditis, & filiis & filiabus oppreſſis, me quoque à planta pedis vſque ad verticem vulnere peſſimo percuſſerunt, vt per tabernaculum corpus eius intelligamus. Hucuſque Iob, cætera vero loquitur. Chriſtus.

Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. Iudæi enim Chriſti fratres ſecundum carnem, quia ex ſemine Abraham, & noti, per conuerſationem & legis notitiam, ab eo per infidelitatem longe facti ſunt, & eum negantes ab eo receſſerunt, vnde & ſubditur, *Derelinquerunt me propinqui mei, & qui me nouerunt, obliti ſunt mei. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ, ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus fui in oculis eorum.* Inquilini enim & ancillæ domus eius, id eſt Synagogæ, Sacerdotes, & Leuitæ intelliguntur, qui templi ſecreta colebant, & familiarius cuſtodiebant. Hi autem quaſi alienum, & peregrinum habuerunt eum dicentes. *Hunc autem vnde ſit neſcimus. Seruum meum vocaui, & non reſpondit, ore proprio deprecabar illum.* Seruum ſuum, Iudæorum populum dicit, de quo Iſaias. *Quis cæcus niſi ſeruus meus?* Hunc autem non ſolum verbis; ſed & miraculis ad fidem vocauit ſecundum illud: *Si mihi non creditis operibus credite.* Et iam non per prophetas, vt prius ſed ore proprio deprecabat eum, dum diceret. *Venite ad me qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et non reſpondit ei, id eſt non obediuit. *Halitum meum exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei* Vxor eius quondam Synagoga fuit. Hæc autem eius halitum, id eſt eius verba exhorruit. Cum enim diceret. *Antequam Abraham fieret ego ſum.* Et *Ego ſum lux mundi.* Et: *Ego Principium ſum, qui & loquor vobis.* Et: *Ego ſum Chriſtus*, tunc eius halitum horrebat Synagoga, vnde & dicebat: *Secundum legem debet mori quia filium Dei ſe fecit.* Orabat autem filios vteri ſui ſcilicet Iudæos, quos vt filios diligebat. *Stulti quoque deſpiciebant me, & cum ab eis receſſiſſem detrahebant mihi.* Stulti enim Scribæ, & Phariſæi in verbis eum aliquando deſpiciebant, ſigna tamen videntes mirabantur. Et cum ab eis paululum receſſiſſet, & à miraculis ceſſaſſet, detrahebant ei, dicentes. *Nonne hic eſt fabri filius? Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei, & quem maxime diligebam.* Eius namque conſiliarij, Legiſperiti intelliguntur, qui cum ſe in ſacris voluminibus exercerent, cum Deo quodammodo conſiliabantur. Et hi quidem prius Chriſti aduentum prædicabant, quem in carne videntes non receperunt. Prius igitur eos maxime diligebat tunc videlicet, quando veritatem prædicabant. Poteſt autem & per eum quem ipſe maxime diligebat, Iudas intelligi, qui eum poſtea tradidit. *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* Pellis ſanctæ mulieres, Carnes Apoſtoli, Os vero Chriſtus intelligitur. Carnibus igitur conſumptis, id eſt Apoſtolis fugientibus, os tantummodo pelli adhæſit, quia ſanctæ mulieres, nec in ipſa paſſione Chriſtum reliquerunt, quibus ipſe dicebat. *Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me.* Ipſæ quoque labia dici poſſunt, quoniam prius locutæ ſunt, Chriſti reſurrectionem annuntiantes. Labia igitur circa dentes relicta ſunt, quia Chriſto viſibiliter eis ſublato, mulieres Apoſtolis adhæſerunt. Dentes enim Apoſtoli ſunt, à quibus totus Eccleſiæ cibus molitur. Hucuſque Chriſtus. Hinc autem Iob ſuæ locutionis ordinem ſequitur.

Miſeremini mei, miſeremini mei; ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me, quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? Quia, inquit, manus Domini me flagellat, cuius fortitudinem vix ferre valeo, ſaltem vos amici mei parcite iam nunc, & miſeremini mei. Et quare perſequimini me ſicut Deus? nunquid ſine peccato eſtis? ſolus enim Deus ſine peccato. Quia ergo neque Deus, neque ſine pecato eſtis, cur mea peccata redarguitis? redarguite veſtra, Aliorum vero carnibus ſaturatur, qui in aliorum afflictionibus & detractionibus delectatur. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det vt & exarentur in libro ſtilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Optat enim vir ſanctus vt ſermones eius ſcribantur, quatenus illi, qui poſt eum futuri erant, patientiæ exemplum ex eis caperent. Vult autem, vt ſcribantur ſtilo ferreo, id eſt ſtabili, firmaque ſententia, ne deleri de hominum memoria valeant. Sed vbi? In plumbi lamina, vel celte in ſilice, id eſt in Iudæorum, & Gentilium pectore. Plumbum enim omni metallo vilius eſt, Iudæi autem cunctis gentibus ſubditi ſunt, Gentiles vero, quia idola, & lapides adorabant, merito per ſilices ſignificantur. Sed quaſi aliquis dicat: Quid tibi prodeſt ſi ſermones tui ſcribantur, cum tu ipſe quoque morte penitus finiaris. Ad quod ipſe. *Scio enim, quod Redemptor meus viuit*, (quem ſe Iudæi occidiſſe putabant) *& in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt.* O quanta ſpes reſurrectionis. Sola enim hæc verba ſufficiunt contra omnes, qui reſurrectionem negant. Quem viſurus ſum, inquit, ego ipſe? Id eſt, in hac carne, in hac eſſentia, in hac perſona. Et non alius, carnis mutatione, ſed vnus idemque eiuſdem ipſius receptione. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Sic, inquit, credo ſic ſpero, ſic rei certus ſum, vt illius rei, quam in ſinu & in pectore habeo. *Quare ergo dicitis, perſequamur eum & radicem verbi inueniamus contra eum.* Radicem verbi inueniunt, quando in eius verbis aliquid notant, vnde contra eum loquendi materiam ſumant. Sed hoc fruſtra faciunt, quia eius fides, & ſpes moueri non poteſt; inſuper dum eum impugnant, ſeipſos occidunt, vnde & ſubditur: *Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.* Ac ſi dicat: Dum contra me iniuſte contenditis, gladium Diuinæ vltionis veſtris ceruicibus imminentem, non conſideratis. Ceſſate igitur ab iniquitate, & fugite vltionis gladium, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt. Et ſcitote eſſe iudicium, in quo Deus omnia occulta manifeſtabit. *Nolite igitur ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

CAPVT XX.

R*Eſpondens autem Sophar Naamathites dixit: Idcirco cogitationes meæ variæ ſuccedunt ſibi, & mens in*

A *diuerſa rapitur.* Idcirco, inquit, quia tu quoque de futuro iudicio non dubitas, & tamen quaſi in tua iuſtitia confidens, à ſuperbiæ ſermone non ceſſas, inde, inquam cogitationes meæ variantur, Saltem enim illius iudicii timor te ab hac tanta iactantia debuit cohibere. *Doctrinam, qua me arguis, audiam, & ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi.* Tu inquit, loquere, quod vis, argue me quantum vis, quia ego doctrinam tuam audire quidem poſſum, ſed ſpiritus intelligentiæ meæ intus mihi reſpondens, tuæ doctrinæ me non patitur aſſentire, *hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* His verbis Beatum Iob & impium, & hypocritam eſſe iniuſtè reprehendit. Quæ tamen verba de impio & hypocrita competenter intellecta, vera eſſe poſſunt. Breuis eſt enim laus hypocritæ, quia & cognita cito perit, & penitus in hac vita fruitur. Eſt autem gaudium eius adinſtar puncti, qui tam breuis eſt, vt vix fuiſſe videa-
B tur. *Si aſcenderit vſq; ad cœlum ſuperbia eius & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Per cœlum & nubes, Eccleſiæ Doctores intelligimus. Vique ad hos autem aſcendit hypocrita, eoſque tangit, dum per bene viuendi ſimulationem parem ſe eis eſſe oſtendit; perdetur tamen in fine velut ſterquilinium, quoniam etſi exterius ſit dealbatus, interius tamen vitiorum ſtercore ſordeſcit. *Et qui eum viderant, dicent: Vbi eſt? velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna, oculus, qui eum viderat non videbit, neque vltra intuebitur eum locus eius.* Bene hypocrita ſomnio, & nocturnæ viſioni comparatur, quoniam quicquid egit, phantaſma & deceptio fuit. Ideo non cum ſanctis erit, vbi eſſe putabatur: ſed cum iniquis in tenebras præcipitabitur. Vnde & hi, qui eum viderant, & cognouerant, præ nimia admiratione dicent. Vbi eſt? Ibi videlicet eſt, vbi neque locus, & habitatio eius eum intuetur, & admiratur, neque talis oculus eum videt, qui eius deceptionibus falli poſſit. *Filij eius atterentur egeſta-*
C *te, & manus eius reddent ei dolorem ſuum.* Filij inquit, eius, id eſt imitatores eius atterentur egeſtate, & omnium bonorum penuria. Et manus eius, id eſt opera, quæ operatus eſt reddent ei dolorem ſuum, quoniam eadem menſura, qua menſus fuerit, remetietur ei. Et hoc merito. Quamdiu enim vixit à malo nunquam quieuit. Et hoc eſt quod ait. *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*, Quid enim per oſſa niſi robuſtiorem ætatem intelligimus? Oſſa igitur eius implentur vitiis adoleſcentiæ, quia neque in ſenectute ab illis vitiis ceſſabit, quæ in adoleſcentia facere conſueuerat. Et cum eo in puluere dormient, quoniam in nulla ætate à ſe vitiorum puluerem excutiet, vt vel ſero ad bonum opus euigilet. Semper enim dormiunt mali. Vnde & Apoſtolus ait. *Surge, qui dormis, ſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Cum enim dulce fuerit malum in ore eius, abſcondet, illud ſub lingua ſua, parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo.*
D Cum, inquit, malum & iniquitas in ore cordis illius dulce, & ſuaue fuiſſet, non manifeſtauit, neque pœnitentiam egit, ſed abſcondit illud ſub lingua ſua. Et pepercit illi, quia noluit confitendo delere. Et non dereliquit illud, vt per linguæ confeſſionem exiret. Sed celauit in gutture, ſuo, id eſt in ſecreto cordis ſui. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum interius.* Panis eius in venenum, & in fel aſpidum interius vertitur, quando ipſo cibo, quo debuit viuificari anima, occiditur. Hoc autem illis contingit, qui bene intelligunt, & male agunt. Vnde & Apoſtolus: Alij, inquit, *ſumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Diuitias enim ſanctarum ſcripturarum, quibus hypocritæ frequenter abundant, eo tempore penitus amittent Quo è contra boni quicquid minus habent, perfectè ſuſcipient. Sicut enim ſcientia bonis, ſic ignorantia creſcet malis. *Caput aſpidum ſuget, occidet eum lingua viperæ.* Diabolus enim & aſpis, & vipera vocatur: Aſpis quidem, propter veneni ſæuitiam: Vipera vero, quia pariens

E rumpitur. Tunc enim vere diabolus rumpitur dolore, quando ex eius ventre illi, quos deuorauerat, peccatores foras erumpunt, & ad pœnitentiam redeunt. Qui igitur caput aſpidum ſugit, & malignorum ſpirituum venenum inſanabile bibit, eum nimirum lingua viperæ occidit, quia diaboli perſuaſione ſuperatus, & deuoratus, ex eius ventre vix vnquam exire & euadere poterit, *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* Non videat, inquit, & non intelligat riuulos fluminis, id eſt ſententias noui teſtamenti, quæ & melle & butyro abundant, & fluunt, quoniam Deum & hominem apertiſſime Chriſtum eſſe oſtendunt. Mel enim, quia ex aëre colligitur, Diuinitatem; butyrum vero, quod ex carne eſt, humanitatem deſignat. Siue etiam, quia dulcis, & facilis eſt, mel & butyrum doctrina Euangelica dici poteſt. *Luet, quæ fecit, omnia, nec tamen conſumetur.* Quia pro vnoquoque peccato, quod fecit punietur, ſed quia immortalis erit, penitus con-
F ſumi non poterit, hoc autem exponit. *Iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit. Quoniam confringens nudauit pauperis domum, rapuit & non ædificauit eam, nec eſt ſatiatus venter eius.* Pauperis enim domum, quam iniquus per ſuperbiam violenter confregit, per auaritiam nudauit & exſpoliauit. Nec tamen venter eius ſatiatus eſt, quia eius cupiditatis deſiderium ſatiari non poteſt. *Et cum habuerit, quæ cupierat, poſſidere non poterit.* Vt ille in Euangelio, qui cum haberet multa bona dictum eſt ei: *O ſtulte, hac nocte anima tua rapietur à te, quæ autem paraſti cuius erunt? Non remanſit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius.* Hoc autem ſic ad literam intelligi poteſt, vt quia neque de ſuorum ciborum reliquiis eleemoſynam fecit, ideo de bonis ſuis nihil ei remanſit. *Cum ſatiatus fuerit arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet in eum.* Cum, inquit, ſatiatus & plenus fuerit,
G tunc multis curis, & ſollicitudinibus arctatur: tunc fures & prædatores timet, dormire non audet, omnia formidat, ne & ipſe capiatur trepidat. Sic igitur omnis dolor irruit in eum, cui melius fuerat diuitem non eſſe, quam propter diuitias in timore & anguſtia ſemper eſſe. Et quoniam iniqui tunc miſeriæ & perditioni propinquiores ſunt, quando magis diuitiis abundant, ideo ſubdidit. *Vtinam impleatur venter eius, vt emittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper illum bellum ſuum.* Vtinam, inquit, impij deſiderium compleatur, vt eius nequitia conſummata, ad tormenta citius rapiatur, & vel ibi ſentiat iram, & bellum furoris Dei, quod quaſi pluuia ſuper iniquos abundanter deſcendit. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum, eductus, & egrediens de vagina ſua; & fulgurans in amaritudine ſua.* Vt enim modo ſupra dixit, quamdiu in hac vita impius eſt, ſine timore, & dolore, & triſtitia, & ſolicitudine non eſt. Et hæc quidem ſunt arma ferrea; quæ ipſe de ſæculo tranſiens fugit, ſed quod peius illi eſt, irruit in arcum æreum id eſt tormenta impia, & dura.
H Quia enim illa tormenta occulta ſunt, arcus vocantur: Quia vero dura, ærea vocantur. Sed quando hoc illi continget? tunc vtique quando educetur, & egredietur de vagina, id eſt quando eius anima de carnis tabernaculo extrahetur. Sed quomodo ibit niſi fulgurans, id eſt ardens & candens in amaritudine, & anguſtia ſua? Vnde autem ſit hæc amaritudo? audi quod ſequitur. *Vadent, & venient ſuper eum horribiles.* Hi autem horribiles, maligni ſpiritus ſunt, qui ſuper eum vadunt, & veniunt, quoniam ſine intermiſſione eum conculcantes quietem illum habere non patiuntur. *Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis eius.* Quoniam ibi abſconditus eſt, vbi vmbra mortis & tenebræ ſunt & caligo. *Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur, affligetur relictus in tabernaculo ſuo.* Ignis enim ille inextinguibilis eſt, & ſemel ſuccenſus, non indiget, vt vlterius ſuccendatur. Relictus autem in tabernaculo carnis ſuæ ſemper affligetur, quia, & caro & anima in æternũ cruciabitur. *Reuelabunt cœli iniquitatẽ eius, & terra cõſurget aduerſus, eum* Cœli & terra, Apoſtoli ſunt & Eccleſia, Horum autẽ

iudicio

A iudicio quia mali damnabuntur, contra eos inſurgere, & eorum iniquitates reuelare dicuntur. *Apertum erit germen domus illius; detrahetur in die furoris Domini.* Quicquid enim nunc latet tunc apertum erit, & manifeſtum, Et tunc omnia foras trahentur, quia omnibus aperientur. *Hæc eſt pars hominis impij à Deo, & hereditas verborum eius à Domino.* Id eſt hanc partem, & hanc hæreditatem recipiet impius à Deo non ſolum pro his, quæ inique geſſit verum etiam pro his, quæ ſtultè, & indiſciplinatè locutus eſt.

CAPVT XXI.

R*Eſpondens autem Iob dixit: Audite quæſo ſermones meos, & agite pœnitentiam, ſuſtinete me, & ego loquar, & poſt mea, ſi videbitur, verba ridete.* Quia enim contra veritatem locuti fuerant, & compatiens, ad pœnitentiam eos inuitat. Quod vero non tantum verbis, ſed B etiam riſu eum afflixerint, manifeſtatur cum dicit: *Et poſt mea, ſi videbitur, verba ridete*, Stulti enim cum alicet non poſſunt, ne victi videantur, riſu ſe defendunt. *Numquid contra hominem diſputatio mea, vt merito non debeam contriſtari?*

Contra illum, inquit, diſputaro, qui iuſtiſſimus eſt, & qui iniuſte nihil facere poteſt. Cum igitur & illius iuſtitiam, & mea facta, & hæc flagella conſidero, quomodo merito contriſtari non debeam? Cur enim affligar, ignoro, tamen non ſine cauſa me affligi non ignoro. *Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro.* Attendite, inquit, & conſiderate verba mea, & admirantes obſtupeſcite de his, quæ modo dixi, id eſt, quia & Deus iuſtus eſt, & ego innocens, & tamen flagella non ceſſant. Quod autem ſequitur. *Et ſuper ponite digitum ori veſtro*, eos his verbis ad indignationem commotos fuiſſe, & reſpondere noluiſſe inſinuat. *Et ego quando recordatus fuero pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.* Non ſolum vos, inquit, ſed ego quoque dum hæc C recordor & mente pertracto, illico pertremeſco, & timore concutior. Sed illud magis mirandum eſt, quod vos, quia me affligi videtis, impium me eſſe putatis, ac ſi nemo niſi impius affligeretur, & nemo niſi iuſtus gaudio & lætitia frueretur. *Quare ergo impij viuunt? ſublenati ſunt, & confortati diuitiis.* Si inquit, vt dicitis, ſolos impios Deus perſequitur, & affligit, quare ergo viuunt? quare diuitiis ſubleuantur, & confortantur? Et hoc probat. *Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum, domus eorum ſecura ſunt & pacata, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non abortit, vacca peperit, & non eſt priuata fætu ſuo, egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infātes eorum exultant luſibus, tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi.* Quis igitur dicere audeat, iſtos nō eſſe ſubleuatos, & in diuitiis confortatos. Hæc autem ad litteram intelliguntur, & tam plana ſunt, vt expoſitione non egeāt. Sequitur. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferD na deſcendunt.* Ac ſi dicat: Quamuis in tanta felicitate hanc vitam agant, in puncto tamen amittunt cuncta & rapiuntur ad tormenta. In puncto quidem, quoniam inter mortem & pœnam nulla mora eſt. *Qui dixerunt Deo. Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* In hoc autem manifeſtatur, & quod impij fuerint, & quod merito ad inferna deſcenderint. Illi enim non tantum voce, quantum actionibus Deo dicunt. Recede à nobis, qui male viuendo, omnem iuſtitiam, & æquitatem à ſe repellunt. Et iſti quidem vias eius ſcire nolunt, quoniam non per virtutum ſemitam, quæ arcta eſt, ſed per amplas vitiorum vias ad mortem tendunt.

Quid eſt omnipotens vt ſeruiamus ei, & quid prodeſt ſi adorauerimus illum? Hoc & Pharao dicebat. *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Vnde & Dauid: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, Et quid prodeſt, inquit, nobis, ſi adorauerimus illum; cum eos, qui illum adorant, miſeros, & qui illum non adorant, felices eſſe videamus. Hoc enim illi dicunt, qui non futura, ſed præſentia contemplantur. *Veruntamen quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit à me.* Omnia enim E in manu & poteſtate Dei ſunt, quo iubente nihil impiis remanebit. Siue etiam bona ſua non in manu eorum, quia propriè æterna bona non intelligunt. *Quoties lucerna impiorum extinguetur & ſuperueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris ſui.* Quamuis, inquit, aliquando, non ſemper tamen impij proſperantur. Nam & lucerna eorum ſæpe extinguitur, & ea, quæ quaſi oculorum lumen amabant, amittunt. Hoc enim vnicuique lucerna eſt, quod multum diligit, ſiue filij ſunt, ſiue diuitiæ, ſiue honores. Inundatio autem ſuperuenit eis, quando repentina Dei indignatio eos vehementer affligit. Diuidit autem eis dolores Dominus furoris ſui, quia alios eis in hac vita tribuit, alios in futura reſeruat. Quid autem eis fiat cum ad illos dolores venerint, audiamus. *Erunt ſicut palea ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit.* Prius enim quam ſuccendantur, paleæ ſunt, ſuccenſi vero, fauillæ. Ventus autem & turbo, qui eos diſpergit, malignorum ſpirituum impetus intelligitur. F *Deus ſeruabit illius filiis dolorem patris, & cum redierit, tunc ſciet.* Non ſolum enim per alios iniquos, verum etiam per illum, qui omnium iniquiſſimus erit, ſermones ſuos vir ſanctus confirmat, ideſt per Antichriſtum. Huius autem filij ſunt, quicunque eius opera faciunt. His autem ſeruat Deus dolorem Patris, quia ſimul cum eo damnati, eadem tormenta patientur. Et cum Deus ad iudicium redierit, qui modo iniuſte iudicatus cælos aſcendit, tunc ſciet iſte iniquus, quantus dolor & ſibi & filiis ſuis ſit reſeruatus. *Videbunt oculi eius interfectionem ſuam & de furore omnipotentis bibet.* Hoc eſt enim, quod Apoſtolus ait. *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & auferet illuſtratione aduentus ſui*, quod quia palam fiet, hoc eius oculos viſuros dicit. *Quid enim ad eum pertinet, de domo ſua poſt ſe, & ſi numerus menſium eius dimidietur*: Eius enim domus illi ſunt, quos deceperat. Hi autem poſt mortem ſuam ad eum non pertinebunt, quia veritate cognita ad fidem conuertentur ſecundum illud. *Si fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* G Dimidiabitur autem numerus menſium eius, quoniam non tantum viuet, quantum ſe viuere ſperabit. Vnde ipſa veritas ait. *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Nunquid Deum quiſpiam docebit ſcientiam, qui excelſos iudicat?* Ac ſi dicat. Cum ergo manifeſtum ſit, quia & boni & mali in hac vita indifferenter aliquando affliguntur, aliquando vero non, quis docebit Deum ſcientiam, vt dicat, non eſſe iuſtum, vt boni affligantur, neque eſſe iuſtum, vt mali ducant in bonis dies ſuos? Qui enim excelſos iudicat, ab infimis nec doceri, nec iudicari debet. Sed hoc quoque quod ſequitur, volo vt mihi reſpondeatis. *Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues, felix, viſcera eius plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur: alius vero moritur in amaritudine animæ, abſque vllis opibus, & tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.* Hoc de ſolis impiis ſe dixiſſe demonſtrat. Non enim ſi- H mul dormient boni, & mali. In his igitur verbis aperte demonſtratur, quod neque ille damnatur, quia diues eſt, neque iſte iuſtificatur, quia pauper eſt, ſed vterque ideo damnatur, quia impius eſt. Non igitur diuitiæ, vel paupertas, ſanitas vel ægritudo: proſperitas, vel aduerſitas, ſed ſola impietas hominem damnat. Hoc autem, quare dixerit, adiungit: *Certe noui cogitationes veſtras & ſententias contra me iniquas. Dicitis enim Vbi eſt domus Principis, & vbi tabernacula impiorum?* Quia enim omnia eius bona diſſipata, & ipſum tam grauiter afflictum cernebant, impium, & iniquum eum iudicabant, ac ſi nemo impius eſſet, niſi qui in hac vita affligeretur. Nunc autem ad Antichriſtum, de quo ſupra loqui cœperat, verba conuertit, qui quamuis omnium iniquiſſimus ſit, in tantum tamen ad tempus proſperabitur, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Et hic quidem ex hoc impius fuiſſe probatur, quoniam etſi regnum & mundi gloriam ante mortem non amittat poſt mortem tamen ad tormenta mirabiliter trahitur, & hoc eſt, quod dicit.

Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem eum intelligere cognoſcetis, quia in diem perditionis ſeruabitur malus, & ad diem furoris ducetur. Seruabitur enim ad tempus, & non affligetur, vt poſtea maiori pœna condemnetur. Si igitur Iob, quia affligitur, iniquus iudicatur, conſequitur, vt Antichriſtus, qui proſperabitur, iuſtus iudicetur. Viatores autem, eos dicit, qui in hoc mundo peregrinantes ad ſupernam patriam pergunt. Talis enim viator erat ille, qui dicebat: *Incola ego ſum in terra & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Et. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Hic autem eadem quæ & Iob de Antichriſti interitu intellexit: Ait enim. *Inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.* Itemque. *Conteres brachium peccatoris & maligni.* Sequitur. *Quis arguet coram eo viam eius, & quæ fecit, quis reddet?* niſi Chriſtus? ſubauditur, qui eum interficiet ſpiritu oris ſui. Tantæ enim potentiæ erit, vt humana virtus ei reſiſtere non poſſit: *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* De his ſepulchris in Euangelio Dominus dicit. *Mortuus eſt autem diues & ſepultus eſt in inferno.* Ibi autem iſte iniquus in congerie mortuorum, ideſt, in illa tanta multitudine damnatorum vigilabit: quoniam nunquam amplius quietem habebit, & hoc merito: *Dulcis fuit glareis Cocyti, & poſt omnem hominem trahet ante ſe innumerabiles.* Cocytus, vt Poëtæ fingunt, fluuius inferni eſt, qui luctus interpretatur, per quem ipſius inferni grauiores pœnas intelligere poſſumus. Huius autẽ fluuij glareæ ſunt omnes qui in eo ſubmerſi luctum & miſeriam, & cætera inferni tormenta patiuntur. Talibus autem dulcis fuit Antichriſtus, quoniam eius opera & doctrina omnibus iniquis placuerunt. Trahet autem poſt ſe omnem hominem, quoniam quicunque ei crediderit, ſimul cum eo ad tormenta ducetur. Homo enim hoc in loco peccatores ſignificat, ſecundum illud: *Vos autem ſicut homines moriemini.* Et ante ſe trahet innumerabiles, non ſolum enim illos, quos ipſe hic inueniet, decipiet, ſed etiam eos, qui nunc eius aduentum expectant, ſecum trahet ad tormenta. *Quare ergo conſolamini me fruſtra, cum reſponſio veſtra repugnare oſtenſa ſit veritati?* Conſolamini enim deſiderio dicit. Reſponſio vero illorum repugnare veritati oſtenſa eſt, quoniam nec ſolos impios in hoc ſæculo flagellari, nec ſolos iuſtos proſperari probatum eſt.

CAPVT XXII.

RESpondens autem Eliphaz Themanites dixit: Nunquid Deo comparari poteſt homo, etiam cum perfecta fuerit ſcientia? Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris, aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua? Nunquid timens arguet te, & veniet tecum in iudicium? & non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas? Conſtat enim victum eſſe Eliphaz, nec iam habere, quid reſpondeat, quoniam & ea replicat, quæ dicta ſunt, & omnibus nota, quaſi nouum aliquid dicere non erubeſcit, inſuper & valdè iratus ad iniurias, & contumelioſa verba prorũpit. Quis enim hoc ignorat, quod nemo Deo comparari poſſit, & quod in nulla re augeri vel minui valeat & quod non pro timore aliquid agat? Quod enim Iob ſe manifeſtè à Deo argui, & iudicari poſtulauit, non nimis prouocando, ſed deprecando & optando dixit. Sed audiamus, quid Eliphaz iratus contra virum ſanctũ mentiendo dicat: *Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus, aquam laſſo non dediſti, & eſurienti, ſubtraxiſti panem, in fortitudine brachij tui poſſidebas terram, & potentiſſimus obtinebas eam, viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorum comminuiſti. Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido ſubita, & putabas te tenebras non viſurum, & impetu aquarum inundantium non oppreſſum iri.* Per tenebras & aquas inundantes, omnes eius afflictiones, quæ repentè & violenter ſuper eum irruerunt, ſignificat. In his autem allegoriam quærere, ſuperfluum eſt, quoniam ad litteram intelligi debent. Non enim minus vitium eſt, in his, quæ ad litteram intelligenda ſunt, allegoriam quærere, quam ea, quæ allegoricè intelligenda ſunt, ad litteram tantum velle interpretari. Vnde cum in Euangelio Dominus dixiſſet: *Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem*, & Apoſtoli parabolicè dictum putantes, ei dicerent: *Ediſſere parabolam iſtam*, illico eos Dominus redarguit dicens: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? An cogitas, quod Deus excelſior cœlo ſit, & ſuper ſtellarum vertices ſublimetur, & dices: Quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Quamvis enim Deus cœlo excelſior ſit, mundi tamen gubernacula non relinquit. Nec longè quidem eſt, quia vbique eſt. Omnia nouit, quia omnia fecit. Cuius oculis nec nubes nec caligines obſtant. Cuncta conſiderat, & quamvis immobilis manens, cuncta perambulat. *Nunquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui, qui ſublati ſunt ante tempus ſuum. & fluuius ſubuertit fundamentum eorum.* Semita enim ſæculorum illa eſt, per quam non ſpirituales, ſed ſæculares homines gradiuntur, quæ, quia longa & ampla eſt, ſæculorum dicitur. Hanc autem ſemitam calcant, & cuſtodiunt viri iniqui, quoniam ſola præſentia ſæcularia & tranſitoria diligunt. Hanc autem & Iob cuſtodire cuperet, ſi, vt iſte putabat, propter bona fugitiua doluiſſet. Sunt vero ſublati viri iniqui ante tempus ſuum, quia non tãtum vixerunt, quantum ſe viuere ſperabant. Fluuius enim & impetus mortis ſubuertit fundamenta eorum, ideſt eorum vitæ ſtabilitatem. Fluuius enim, mors dicitur, quia ex quo cœpit fluere non deſtitit. De hoc enim fluuio bibunt, quicunque in hunc mundum veniunt. *Qui dicebant Deo: Recede à nobis, & quaſi nihil poſſit facere omnipotens exiſtimabant eum, cum ipſe impleſſet domos eorum bonis.* Deus enim iniquorum domos bonis implet, quia diuitiis ſæcularibus quæ vtique quantum ad ſe, bonæ ſunt, eos multiplicari facit: *Quorum ſententia longè ſit à me.* Hæc verba Eliphaz remouet à ſe, quia propter ſe B. Iob ea ſuperius dixiſſe putauit. *Videbunt iuſti & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos.* Hoc eſt enim, quod Pſalmiſta ait: *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Innocens autem, ideſt Chriſtus ſubſannabit eos, ſecundum illud: *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* & inſultando dicet. *Nonne ſucciſa eſt erectio eorum?* Quia ſe eleuando ſuperbiebant. *Et reliquias eorum deuorabit ignis.* Ignis vtique gehennæ. Reliquias autem, carnem & animam vocat, quoniam ex omnibus, quæ poſſederunt, nihil aliud eis relinquetur. *Acquieſce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos.* Acquieſce, inquit, ei, & noli ſuperbire. Et habeto nunc iam quietem, & pacem. Et per hoc habebis optimos fructus, & magnam remunerationem. *Suſcipe ex ore illius legem, & pone ſermones illius in corde tuo.* Suſcipe, inquit, hæc verba, ſuſcipe hanc legem, non de ore meo, ſed de ore illius, hæc enim verba, & hi ſermones, illius ſunt. Pone igitur eos in corde tuo, & noli eorum obliuiſci. Vera quidem dicit Eliphaz, ſed arroganter loquitur. *Si reuerſus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.* Deſtructus, inquit, es propter ſuperbiam & iniquitatem tuã, ſed ſi pœnitentiam agas, & ad Deum reuertaris, iterum ædificaberis, & omnis iniquitas fugiet à te. *Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos.* Si, inquit, ad Omnipotentem reuerſus fueris, pro terræ mollitie & infirmitate, quam habuiſti, dabit tibi ſilicis robur & fortitudinem. Quam fortitudinem ſi benè tenueris, dabit tibi pro ea torrentes aureos, ideſt magnam ſapientiæ & ſcientiæ plenitudinem. *Eritque Omnipotens contra hoſtes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.* Illi enim coaceruatur argentum, qui & ſapientiam in corde, & veritatem tenet in locutione. Sapientia enim ſine veritate inutilis eſt. *Tunc ſuper Omnipotentem deliciis afflues, & leuabis ad Deum faciem tuam.* Deliciis enim ſuper Omnipotentem affluit, qui in eius contemplatione delectatur, ideoque ſubditur: *Et leuabis ad Deum faciem tuam*, quia iam non ima, non terrena, ſed cœleſtia intueri delectaberis. *Rogabis eum & exaudiet te, & vota tua reddes.* Qui enim poſt exauditionem vota reddit, ſe vt exaudiretur aliquid vouiſſe oſtendit. Quod quidem

A & nautis, & aliis, qui in periculo ſunt, contingit ſæpe. *Decernes rem, & veniet tibi, & in viis tuis ſplendebit lumen*, id eſt quod deſiderabis conſequeris, & in tuis operationibus non errabis. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipſe ſaluabitur.* Secundum illud: *Omnis, qui ſe humiliat exaltabitur.* Facile enim in oculis ſuperbia deprehenditur. *Saluabitur innocens, ſaluabitur autem in munditia manuum ſuarum.* Et humilis, inquit, & innocens ſaluabitur, non tantum quia humilis & innocens eſt, quantum quod in omni opere mundus eſt.

CAPVT XXIII.

R*Eſpondens autem Iob ait: Nunc quoque in amaritudine eſt ſermo meus, & manus plaga mea aggrauata eſt ſuper gemitum meum.* Quia, inquit, & vos ſub ſpecie conſolationis iniuſtis increpationibus me fatigatis, & manus Domini me flagellare non ceſſat, ſermo meus in amaritudine eſt, & gemitus meus amplius creſcit.

B *Quis mihi tribuat vt cognoſcam, & inueniam illum, & veniam vſque ad ſolium eius, ponam coram eo iudicium meum, & os meum implebo increpationibus, vt ſciam verba, quæ mihi reſpondeat, & intelligam, quid loquatur mihi.* Deum enim cognoſcere & inuenire, & vſque ad ſolium eius peruenire, eſt, eius voluntatem, eiuſque occulta iudicia pleniſſimè intelligere. Hoc autem B. Iob deſiderabat, quia cur affligeretur, ſcire cupiebat. Vult quoque coram eo iudicium ponere, & os ſuum increpationibus implere, quia omnem vitam ſuam ei confiteri, & in quibuſcunque deliquit, ſeipſum iudicare, damnare, & increpare paratus eſt. Sed hoc quare? Vt ſciat, quid illi Dominus reſpondeat, & quid loquatur. Tunc enim Dominus illi reſponderet, & loqueretur, ſi & ſuam voluntatem, & illud, quod ſcire cupiebat, ei reuelaret.

Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis ſuæ mole me premat, æquitatem proponat contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum. Nemo C enim tam iuſtus eſt, qui ſe defendere valeat, ſi diſtricto iudicio à Domino iudicetur. Vnde Pſalmiſta ait: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Quis enim, non dicam de originali, ſed de his, quæ cogitatione vel ignorantia peccat ſe poſſet defendere, ſi diſtricto iure à Domino iudicaretur? Vult igitur iudicari æquitate, & miſericordia, quod quidem ſecundum ſæculi leges dicitur, ex bono & æquo. Æquum eſt enim, vt humilibus & bono animo ſeruientibus, etſi ignoranter & in his, ſine quibus hæc vita vix ducitur, peccatis aliquo modo labentibus, & confeſtim ad pœnitentiam confugientibus, æquum inquam eſt, vt illis Dominus parcat. Hanc autem æquitatem ſi Dominus propoſuerit aduerſum Iob, nihil timet, quin eius iudicium ad victoriam perueniat. Sed quare B. Iob hæc æquitas denegatur, quæ nulli vnquam peccatori denegatur?

Si ad Orientem iero, non apparet. Et ſi ad Occidentem, non intelligam eum: Si ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum. Si me vertam ad dextram, non videbo illum, Ipſe vero ſcit viam meam, & probabit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Ergo, inquit, & meipſum & D viam meam penitus agnoſcit. Quæro enim, & diligenter mecum pertracto, ſi in Oriente id eſt in prima ætate aliquid egi, vt ſic affligi debuiſſem, & non intelligo, neque peccatum, neque ibi iudicem pro peccato iudicantem. Item venio ad Occidentem, id eſt ad hanc vltimam meam ætatem, & neque ibi video meum iudicem me iudicantem. Et non tantum in æquitatibus, verum etiam in dextra & ſiniſtra, id eſt in proſperitatibus & aduerſitatibus meis idipſum quæro, & non inuenio. Sic igitur ignorantiæ tenebris inuolutus, non cognoſco meipſum. Ipſe vero ſcit omnem viam meam, & ideo probabit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit, id eſt neque exurere, neque affligere me ceſſabit, donec omni vitiorum rubigine decocta, nihil vitioſum & immundum in me remaneat. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui, & non declinaui ex ea, à mandatis labiorum eius non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris eius.* Ideo, E inquit, quid reprehendam, vel in quo damnari debeam, non inuenio, quoniam in quantum potui, legem Dei cuſtodiui. Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, quoniam rectè incedens, virtutum gradibus eum imitatus ſum. Verba autem in ſinu cordis abſcondit, qui ea firmiſſimè memoriæ mandat. *Ipſe enim ſolus eſt, & nemo auertere poteſt cogitationem eius, & anima eius, quodcunque voluit, hoc fecit.* Bene enim ille ſolus eſſe dicitur, qui ſemper eſt, & nunquam mutatur. Nemo autem eius cogitationem auertere poteſt, quia quod ſemel diſpoſuit, firmum & ſtabile eſt. Et anima eius, id eſt virtus & potentia eius, quæcunque voluit, fecit. Quia igitur talis eſt, merito eum ſecutus ſum, quoniam talis non eſt alius, quem ſequi debuiſſem. *Cumque expleuerit in me voluntatem ſuam, & alia ſimilia multa præſto ſunt ei,* id eſt, poſtquam me, neſcio pro qua culpa, ſecundum voluntatem ſuam afflixerit, alia quoque ſi voluerit, in me reperiet, pro quibus iterum affligat. *Et idcirco à facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſollicitor.* Quia F nihil, inquit, eum latere poteſt, diſtrictum eius iudicium timeo, dum ipſius faciem & cognitionem conſidero. *Deus molliuit cor meum, & Omnipotens conturbauit me.* Ipſe, inquit, bene cognoſcit, eique in nullo me abſcondere poſſum. Qui non ſolum me fecit, ſed & cor meum molliuit, & quicquid boni me egiſſe putabam, non ego egi, ſed ipſe: *Quoniam neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et Omnipotens conturbauit me, qui quare conturbauerit, etſi ego neſciam, ipſe tamen non ignorat. *Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Patior, inquit, ignorantiæ tenebras, ſed non erroris. Erroris enim tenebras qui patiuntur, vt Iudæi, Pagani, & hæretici, in ipſis & per ipſas pereunt. Ego autem propter tales tenebras nec perij, nec affligor. Neque cordis mei oculos operuit caligo erroris.

CAPVT XXIV.

G A*B Omnipotente non ſunt abſcondita tempora, qui autem nouerunt eum ignorant dies illius.* Nos, inquit, ſine qualibet ignorãtia non ſumus. Solus enim Deus omnia nouit, qui præſentia ſimul, & præterita, & futura videt. Qui autem nouerunt eum, ſiue Angeli, ſiue Sancti, etſi per fidem eum nouerunt, eius tamen dies ignorant, quia eorum ab æterno non recordantur. Quæ enim ſcientia infinitum comprehendere valeat? Hinc autem narrare incipit iniquorum vitam & operationem.

Alij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos, aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro pignore bouem viduæ, ſubuerterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ. Hæc autem quoniam ad litteram plana ſunt, quid allegoricè ſignificent videamus. Fidei namque terminos, & Iudæi & Hæretici transferunt, quando vel plus vel minus, quam fides Catholica habet, credere perſuadent. Greges autem diripiunt & paſcunt, quia quoſcunque fideles Deo ſubripere & decipere poſſunt, ſui erroris doctrina paſcunt, & nutriunt. Sed quid per aſinum & bouem niſi Epiſcopos, & Sacerdotes, qui & H Dei agrum colunt, & aliorũ onera ferunt? Quid vero per viduam & pupillos, niſi Eccleſiam, & eius filios? Horum autem aſinum & bouem hæretici furantur, & tollunt, quando de ſacerdotali ordine aliquem ſubuertunt. Bouem autem pro pignore tollunt, quia Prælato aliquo decepto, ſic de ſubditis ſecuri ſunt, quaſi de quibus iam pignus tenent, vnde & ſubditur? *Quia ſubuerterunt pauperum viam, & pariter oppreſſerunt manſuetos terræ:* Deceptis etenim illis, qui & fide & ſcientia diuites videbantur, facilè ſimplices & indocti ſubuertuntur, & opprimuntur. Sequitur.

Alij quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum, vigilanteſque ad prædam præparant panem liberis, agrum non ſuum demetunt, & vineam eius, quem vi oppreſſerint vindemiant. Alij, inquit, quaſi onagri, voluptati & luxuriæ dediti, per huius mundi deſertum, non Dei, ſed

ſuum

A ſuum opus faciunt; Vigilant ad prædam, dant operam deceptioni, præparant panem, id eſt fallaciæ doctrinam liberis ſuis, illis videlicet, qui eos imitantur. Agrum non ſuum demetunt, quia Dei Eccleſiam vaſtant. Et vineam eius, quem vi oppreſſerunt, vindemiant, *vinea* enim *Dei Sabaoth domus Iſraël eſt*, in qua quot fideles hæretici decipiunt, tot quaſi botros in ea vindemiant. Sed quia *Chriſtus veritas eſt*, quicunque veritati reſiſtunt, Chriſtum violenter opprimunt.

Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore, quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amplexantur lapides. Hæretici enim, fidei indumenta tollentes, eos, quos decipiunt, nudos dimittunt, illos videlicet, quibus non eſt operimentum in frigore, in eo vtique frigore, de quo dicitur: *Quia abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Facile enim illis fidei indumenta tolluntur, qui charitatis operimentum non habent, ſi quando iniqui- B tatis frigus contra ignem charitatis ingruerit. Sed quia dixit, *dimittunt*, de illis intelligere debemus, quos hæretici ſubuertentes retinere non valent, quoniam errore cognito ad Eccleſiam conuertuntur, vnde & ſubditur. *Quos imbres montium rigant*, id eſt quos Sanctorum doctrina ab omni hæreſi lauat, & purgat. Hi autem, quia nudi erant, & velamen non habebant, (hæretici enim eos expoliauerant) amplexantur lapides, dicentes montibus; *Cadite ſuper nos, & collibus, Operite nos*: Rogãt enim Sanctos, deprecantur lapides viuos, vt eorum contegant nuditatem, & fidei indumentis eos iterum induant: *Vim fecerunt, deprædantes pupillos, & vulgum pauperem ſpoliauerunt.* Quia enim fortiores & theſauris ſapientiæ diuites neque deprædari, neque aliqua via per eos tranſire poſſunt, ad pupillos & vulgum pauperẽ & indoctum ſe conuertunt. *Nudis & incedentibus abſque veſtitu, & eſurientibus tulerunt ſpicas.* Nudi & eſurientes illi ſunt, quos ad plenum fidei doctrina nec induit, nec ſatiauit. Vnde non granum ſed ſpicas perdunt, quia fidem, quam gerunt, C nondum vident, neque cuius ſit ſaporis intelligunt. *Inter aceruos eorum meridiati ſunt, qui calcatis torcularibus ſitiunt.* Per eos, qui calcatis torcularibus ſitiunt, eos intelligere poſſumus, qui ſacros libros quotidie legunt, & non intelligunt, quot enim libri, tot torcularia. Inter iſtorum enim aceruos multi ſunt, & meridiantur hæretici, quoniam à Doctoribus fatigati, inter tales delectantur, & quieſcunt, ſuæque prauæ expoſitionis eis muſtum propinant. *De ciuitatibus fecerant viros gemere, & anima vulneratorum clamauit, & Deus inultum abire non patitur.* Ciuitates iſtæ, ſingulæ Eccleſiæ ſunt. Viri autem, qui in eis gemunt, Epiſcopi ſunt & Sacerdotes, quorum animæ doloris vulnere pro hæreticorum crudelitate ad Deum clamant. Quos quidem abſque dubio Deus vindicabit. *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas illius.* Lumini, id eſt Chriſto, qui eſt lux vera & lumen de lumine, ſemper hæretici rebelles fuerunt. Et neſcierunt vias eius, quia *vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas*, ipſi vero impij & men- D daces. Nec ſunt reuerſi per ſemitas illius, vt de ſuis iniquitatibus pœnitentiam agerent. Pœnitentia enim non via, ſed ſemita eſt. *Mane primo conſurgit homicida, interficit egenum & pauperem, per noctem vero erit quaſi fur.* Iniqui enim quod in die non poſſunt in nocte agunt, quibus nullum tempus vacat ab iniquitate. *Oculus adulteri obſeruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum. Omnis*, ſicut ſcriptum eſt, *qui male agit odit lucem.* Hoc autem & de hæretico intelligi poteſt, quoniam ipſe & Eccleſiam adulterat, ſemperque caliginem obſeruat, quia dubiè & obſcure loquens, deprehendi pertimeſcit. Et hoc eſt quod dicit: Quia operit vultum ſuum. Non enim vult cognoſci, qui vultum operit. *Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignorauerunt lucem.* Hoc B. Iob ſpecialiter de amicis ſuis dicere videtur, de quibus ſuperius ait.

Condixerant enim inter ſe, vt ſimul venientes viſitarent eum. Hi enim cum in die & proſperis eſſent, inter- E ſe condixerant, vt ad Iob in tenebris & in aduerſitatibus poſitum venirent, eiuſque omnes conſcientiæ domos & receptacula ſuis increpationibus diligentiſſime perfoderent, & aperirent. Et ignorauerunt lucem, quia ignorantiæ tenebris induti, veritatis lucem in verbis B. Iob non agnoſcebant. *Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.* Tunc enim aurora hæreticis apparet, quando, vel rationibus, vel Sanctorum exemplis coniuncti, in ſuis erroribus veritatem cognoſcunt. Hoc autem ipſi arbitrantur vmbram mortis. quia vnde lætari debuerant, inde vſque ad mortem contriſtantur. Et ſic in tenebris, quaſi in luce ambulant, quoniam nõ minus in tenebris erroris delectantur, quam ſancti, & Catholici viri in luce veritatis. *Leuis eſt ſuper faciẽ aquæ.* Facies enim aquæ quolibet vento perflata mouetur, ſic & iniquus omni vento doctrinæ circumfertur. *Maledicta pars eius ſit in terra, nec ambulet per viam vinearum.* Quotidie enim hæreticos Eccleſia damnat, & male- F dicit. Vineæ autem, Eccleſiæ ſunt, quarum via fides eſt. Per hanc autem viam hæretici non ambulant, ſi enim per hanc ambulaſſent, hæretici non eſſent. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium & vſque ad inferos peccatum illius:* Hoc enim impij in inferno habebunt quia de tormentis ad tormenta tranſlati, nunc frigore nunc æſtu cruciabuntur. Et vſque ad inferos peccatum illius eſt, quoniam in peccato mortuus & damnatus, inferni tormenta patietur. *Obliuiſcatur eius miſericordia.* Vt nunquam miſericordiam inueniat. *Dulcedo illius vermes*, id eſt, quicquid in eo dulce fuerit, à vermibus conſumatur. Siue, dulcedo illius, id eſt, caro, quam ſola dilexit, conuertatur in vermes. *Non ſit in recordatione.* Hoc eſt enim quod modo dixit: *Obliuiſcatur eius miſericordia, Sed conteratur quaſi lignum infructuoſum.* Secundum illud. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Pauit enim ſterilem, & quæ non parit, & viduæ bene non fecit.* Carnem enim ſuam, quæ omni bono opere ſterilis, G & infœcunda erat, deliciosè nimium pauit, animæ vero ſuæ viduatæ, & à Deo ſeparatæ bene non fecit. *Detraxit fortes in fortitudine ſua, & cum ſteterit non credet vitæ ſuæ.* Detraxit, inquit, fortes, id eſt, decepit huius ſæculi potentes in ſuæ prauitatis fortitudine, & interius excæcatus, quamdiu in hoc mundo ſteterit, non credet vitæ ſuæ, id eſt, Chriſto, qui ait. *Ego ſum via, veritas, & vita.*

Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. Quia cum ſe pœnitentiæ humiliare debuiſſet, ipſe è contra, ſuperbire non ceſſat. *Oculi autem eius ſunt in viis illius, eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent.* Non enim in viis Dei, ſed in viis ſuis ſunt oculi eius, quoniam aſſuetæ iniquitatis vias ſemper & opera intuens, nunquam eorum obliuiſcetur. *Eleuati ſunt ad modicum* in ſuperbiam. *Et non ſubſiſtent*; quia cito peribunt, & deficient *Et humiliantur ſicut omnia*, terrena ſcilicet, & tranſitoria. *Et auferentur*, de huius vitæ illecebris. *Et ſicut ſummitates ſpicarum* (minutatim ſubauditur & facillime) *conterentur, quod* H *ſi non eſt ita, quis me poteſt arguere eſſe mentitum, & ponere ante Deum verba mea?* Sic, inquit, eſt vt dixi; vt tamen ſi ita non eſſet, vos me de mendacio arguere non poſſetis, neque ante Deum ponere verba mea, quoniam & mendaces probati eſtis, & quibus iam credatur digni non eſtis.

CAPVT XXV.

R*Eſpondens autem Baldad Suhites dixit. Poteſtas & terror apud eum, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.* Si, inquit, alicuius rei timor eſt, ille ſolus timendus eſt qui ſuo terrore, & poteſtate malignorum ſpirituum fugato exercitu in ſublimibus ſuis concordiam fecit, quoniam inter cæteros Angelos pacem & concordiam confirmauit: qui non ſolum concordes, & fortes, verum etiam innumerabiles ſunt, vt nihil eis reſiſtere poſſit, vnde & ſubditur. *Nunquid eſt numerus militum eius? & ſuper quem non refulget lumen illius?* Ac ſi dicat: Stultitia quidem eſt cum eo contendere velle, qui & ſua, & ſuorum mi-

A litum numero, & fortitudine omnia ſuperat, cuius oculorum lumen vbique refulget, cui non ſolum actiones, ſed etiam cogitationes ſe abſcondere nequeunt. *Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo? aut apparere mundus, natus de muliere?* Sic, inquit, vt cæteri homines es, nec te de muliere natus eſſe negare debes, quæ vtique fragilis eſt, & porta peccati. Non igitur mundus es, nec Deo comparatus iuſtificari potes, quia dixiſti. *Æquitatem proponat contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum. Ecce enim luna non ſplendet & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Quid enim per lunam, niſi Eccleſiam, quid vero per ſtellas niſi ſanctos? Ecce, inquit, Eccleſiæ & ſtellæ noui teſtamenti, id eſt, ſancti Baptiſmatis vnde à renouati, & originali peccato ſoluti, ante Dei oculos ex toto mundi non ſunt, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis, qui nondum in aliquo innouatus primi homini maledictione tenetur: cui dictum B eſt: *Maledicta terra in opere tuo.* Et paulò poſt. *Quia puluis es & in puluerem reuerteris.*

CAPVT XXVI.

R*Eſpondens autem Iob dixit: Cuius adiutor es? nunquid imbecilli, & ſuſtentas brachium eius, qui non eſt fortis? Cui dediſti conſilium? forſitam illi, qui non habet ſapientiam, & prudentiam tuam oſtendiſti plurimam? Aut quem docere voluiſti? nonne eum qui fecit ſpiramentum?* Iſti enim, quaſi Dei adiutores pro Deo loquentes, eiuſque iuſtitiam defendentes, & Deum iuſtum, & Iob iniuſtum probare conabantur, ac ſi Deus, vt imbecillis, imprudens, & inſcius, cauſam ſuam defendere non poſſet, vel vir ſanctus eum iniuſtum probare voluiſſet. Hinc autem Dei fortitudinem; prudentiam, & ſapientiam deſcribit, dicens.

Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis. Nudus eſt infernus coram eo, & nullum eſt operimentum C *perditionis.* Ecce, inquit, gigantes, id eſt, Reges, & principes, cæterique potentes, & qui cum eis habitant, eorum ſcilicet conſiliarij & familiares, gemunt ſub aquis, id eſt, in regimine populorum. *Aquæ enim multæ, populi multi.* Non enim ſine magno labore & ſollicitudine eos, quos regunt, vel habere vel tenere poſſunt. Gemunt igitur ſub eis, quia quaſi grauiter onerati, vix eos ferre, & regere poſſunt. Deus autem ſolo nutu cuncta diſponit, & ordinat. Infernus autem & perditio, diabolus intelligitur, qui ipſis quoque, quos perdidit, in pœnis inferior eſt. Hic autem, quia ſuam iniquitatem, & malitiam Deo abſcondere non poteſt, nudus, & ſine operimento coram eo eſſe perhibetur. *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* Hoc cum ad litteram verum ſit, magis mirari, quam intelligere poſſumus. Per Aquilonem autem ille ſignificatur, qui ait. *Sedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, & ero ſimilis Altiſſimo.* Hunc autem extendit Deus ſuper vacuum, quia illis eum dominari permittit, D qui fide, religione, & bona operatione, vacui ſunt. Terram autem ſuper nihilum appendit, quia Sanctam Eccleſiam ſuper gentes firmauit, & ſtabiliuit quas prius pro nihilo conputabat, ſecundum illud. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum.* Nubes, Doctores ſunt, in quibus Deus ſuæ doctrinæ aquam ligauit, & clauſit, ne ſi ſimul tota erumperet, potius auditorum vitam, quam ſitim extingueret. Ideoque Apoſtolus aliis lac potum dedit, non eſcam, qui tamen ſapientiam loquitur inter perfectos. *Qui tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam.* Solium ſedes, iudiciaria intelligitur. Faciem igitur ſui ſolii Deus adhuc abſcondit & tenet, quia eius occulta iudicia, donec in hoc mundo ſumus, ſcire non poſſumus. Vnde non immerito obſcuritatis nebulam ſuper illud expanſam eſſe dicit. *Terminum circumdedit aquis donec finiantur lux & tenebræ.* Per aquas, Sanctarum Scripturarum ſcientiam ſignificauit. Cui ſcientiæ Deus E terminum poſuit, vt non ad plenum intelligatur, donec finiantur lux & tenebræ, id eſt dies, & nox, ſcriptum eſt enim; Quia *vocauit Deus lucem diem, & tenebras noctem.* Nemo igitur integram perfectamque ſcientiam habebit, niſi prius hic mundus finiatur. *Columnæ cœli tremiſcunt, & pauent ad nutum eius* Cœli namque columnæ, Apoſtoli ſunt, Eccleſiæque Doctores, qui niſi Deum timuiſſent, tanta pro ea non paterentur. *In fortitudine illius repente maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſſit ſuperbum.* Dei namque virtus, & ſapientia, Dei fortitudo & prudentia, Chriſtus eſt: Hic autem incarnatus diabolum percuſſit, & de regno, quod iam diu poſſederat, eiecit. Et ita cuncta maria, id eſt omnes mundi huius nationes repente in vnam fidem, & vnam Eccleſiam congregauit. *Spiritus eius ornauit cœlos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* Nondum enim cœli, id eſt ſancti Apoſtoli ornati erant, ſed Spiritu Sancto adueniente, ſtatim & ſcientia, & diuerſitate linguarum, & virtutum efficacia ornati ſunt. Et coluber ille F tortuoſus, qui primum hominem decepit, & nunquam recta via incedit, de fidelium mentibus eductus, & eiectus eſt, manu & virtute Dei in anima & in corpore fideles ſuos circumcidente.

Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum eius, & cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Hanc, inquit, particulam, & quaſi ſtillam de illa tanta plenitudine virtutum eius audiuimus & nuntiauimus. Sed cum in infirmitate aſſumptæ carnis, vt modo diximus, tanta peregit, quis eum in maieſtate ſua venientem, & damnationis ſententiam ſuper iniquos tonantem intueri poterit?

CAPVT XXVII.

A*Ddidit quoque Iob aſſumens parabolam ſuam, & dixit?* In eo quod parabolam dicit, aliud præter litteram quærendum inſinuat. *Viuit Deus, qui abſtulit iudicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam, quia donec ſupereſt halitus in me, & Spi-* G *ritus Domini in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Eius enim iudicium Deus abſtulit, quia aliter ſe iudicandum putauit. Loqui autem, oris eſt: meditari vero, cordis. Nec igitur lingua cordis mendacium, nec lingua cordis loquetur iniquitatem. Cur autem dixerit hoc manifeſtat; *Abſit à me, vt iuſtos vos iudicem, donec deficiã, non recedam ab innocentia mea.* Mentiretur enim, ſi eos, qui iuſti non erant, iuſtos iudicaret: Si vero mentiretur, innocens non eſſet. Vnde adhuc ſubditur; *Iuſtificationem, quam cœpi tenere, non deſeram. Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Deſereret enim iuſtificationem, ſi à veritate ceſſaret: Veritas enim eum iuſtificabat. Quod vero cor eius in omni vita ſua eum non reprehendit, illum niſi, ignoranter non peccaſſe, oſtendit. Quis enim reprehendat, quod ignorat? Quia vero illicitis cogitationibus viriliter reſtitit, etſi aliquando illicita cogitauerit, cor tamen eius ex hoc eum non reprehendit. *Sic agit vt im-* H *pius inimicus meus, & aduerſarius meus, quaſi iniquus.* Sic, inquit, agit inimicus meus, id eſt Sathan, vt impius quia quantumcunque poteſt, omni pietate remota me, affligit. Et aduerſarius meus, quaſi iniquus, quoniam æquitatis menſuram me flagellando multum excedit. Hoc ille agit. Inſuper & vos me ſimulatorem, & hypocritam eſſe putatis. Vnde & ſubditur: *Quæ enim ſpes eſt hypocritæ ſi auare rapiat: & non liberet Deus animam eius? Nunquid clamorem eius audiet Deus, cum venerit ſuper illum anguſtia?* Cum enim hypocrita ſe iuſtum ſimulat, iuſtitiæ laudem, quæ ſolis iuſtis debetur, auare rapit. Hoc autem facit, quia æternæ retributionis ſpem non habet. Vnde ſtultiſſimus comprobatur, qui ſe Deo ſeruire ſimulat, & eius animam Deus non liberat Huius autem clamorẽ poſt hanc vitam Deus non audiet, quamuis multum clamet: *Domine Domine aperi nobis.* Sequitur; *Aut poterit in omnipotente delectari? aut inuocare Deum in omni tempore?* Non enim delectantur in Domino qui ſolam

A mundi laudem, & gloriam quærunt. Hi tamen non ſemper, ſed quando aliqua aduerſitate tanguntur, tunc Deum inuocant. *Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habet, nec abſcondam. Ecce vos omnes Noſtis, & quid ſine cauſa vana loquimini?* Docebo, inquit, vos nec abſcondam ea, quæ omnipotens habet, id eſt veritatem, hæc enim ſemper eſt doctrina Omnipotentis. Sed quomodo docebo? non vtique per me, ſed per manum Dei, quæ tam fortis eſt, vt etiam lapidea mollire poſſit. Sed dicite mihi, quid ſine cauſa contra me vana loquimini, cum ipſi ſciatis vera eſſe, quæ dico. *Hæc pars impij apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente ſuſcipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non ſaturabuntur pane.* Impij enim & violenti, hæretici ſunt, quia & crudeliter animas perdunt, & violenta interpretatione Scripturas exponunt. Hi autem quam partem & hæreditatem à Deo ſuſcipiant: Audiamus: Si multiplicati, inquit, fuerint filij eius, id eſt, B imitatores eius, & qui de eius doctrina generantur, Diuinæ vltionis gladio ferientur. Et nepotes eius, illi ſcilicet, qui de his malis filiis naſcuntur, non ſaturabuntur pane, pane vtique viuo, qui de cœlo deſcendit, quoniam autem hæreticorum alij ad Eccleſiam conuertuntur, alij vero in ſuis erroribus relinquuntur, ideo ſubditur. *Qui reliqui fuerint ex eo ſepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.* Qui, inquit, ad veritatem non redierint, & in ſua malitia perſtiterint, in interitu æternæ damnationis ſepelientur. Et viduæ illius non plorabunt. Cuius illius? illius cuius filij in gladio erunt. Sed quæ ſunt eius viduæ niſi animæ quæ cognita veritate ab eo ſunt ſeparatæ? Et iſtæ quidem viduæ non plorabunt, immo gaudebunt, quoniam cum ſanctis in gaudio erunt. *Si comportauerit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta, præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & argentum innocens diuidet.* Quid enim per argentum & veſtimenta, niſi Sanctarum Scripturarum teſti- C monia intelligimus? Qui enim his non abundat, pauper & nudus eſt, pauper quidem, in ratiocinando, nudus vero, in ſe contegendo & defendendo. Fit enim multoties, vt hæretici libros componant, & in ſua defenſione Sanctarum Scripturarum teſtimonia colligant, quæ ſe ad defendendum cum ad concilia comportauerint, eiſdem ipſis quaſi ſuis gladiis ſuperantur. Et ita quidem fit, vt iuſtus eorum veſtibus armetur, & induatur, & eorum eloquiorum diuitias quæ per argentum figurantur, vir innocens rationabiliter exponat, & diuidat. *Ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum.* Domum ſuam ſicut tinea hæreticus ædificat, quia Eccleſia, quam regit, corrumpendo, & diſſipando conſtruit. Facit autem ſicut cuſtos vmbraculum, quoniam eius ædificium non habet fundamentum poſitum. Non enim ædificat ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. *Diues cum dormierit nihil ſecum auferet: aperiet oculos & nihil inueniet.* Diues enim, qui non in Deo, ſed in huius mundi diuitiis ſpem habet, poſtquam dormierit, & mortis ſomno oculos clauſerit, nihil ſecum D auferet. Aperiet oculos in reſurrectione, & nihil inueniet quoniam tanta inopia opprimetur, vt guttam aquæ mendicare cogatur, vnde & ſequitur: *Apprehendet, eum quaſi aqua inopia, & nocte opprimet eum tempeſtas.* In nocte enim & in tenebris poſitus, omnium tribulationum impetu, & tempeſtate opprimetur, & quaſi abundanti, & repentina aqua, ita inopia apprehendetur. *Tollet eum ventus vrens & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco ſuo.* Tollet eum, inquit, de hac vita ventus vrens, id eſt malignus ſpiritus, & qui violenter animas tollit, & quas tollit, æternis incendiis exurit. Et velut turbo, & impetus tempeſtatum rapiet eum de loco ſuo, id eſt de hoc mundo, in quo ad tempus habitauit. Et hoc merito. *Emittit ſuper eum, & non parcit, de manu eius fugiens fugiet.* Emittit, inquit Dominus ſuper eum, & extendit virgam correctionis ſuæ, & non parcit ad tempus, vt in æternum parcat; Corripit enim omnem filium, quem recipit. Ille vero emendare, & de Dei correctione gaudere debuiſſet, quaſi malus diſcipulus non recipiens diſ- E ciplinam de manu eius, fugiens fugit. In hoc enim fugit, quod diſciplinam non recipit. Sed quid Dominus ad hæc? ſubditur: *Stringet ſuper eum manus ſuas, & ſibilabit ſuper illum, intuens locum eius.* Hoc eſt enim, quod peccanti populo per Prophetam Dominus dicit: *Iam non iraſcar tibi amplius*, id eſt age quod vis, quia ego te vlterius non corrigam. Manum enim ſtringere, eſt, à flagellis & alapis ceſſare. Intuens autem locum eius ſuper eum ſibilat, quia conſiderans ad quam pœnam & mortem tendat, quaſi admirando eum irridet.

CAPVT XXVIII.

HAbet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur. Quamvis, inquit, hæretici, de quibus ſuprà multa locuti ſumus, argentum habeant, eius tamen venas, & principium vnde manat, non habent. Vena enim & principium argenti; id eſt, Sanctorum eloquiorum veritas eſt. Omnis enim Diuina ſcriptura ex hoc fonte manat. De hoc autem fonte illi F non bibunt, quoniam praue ſcripturas interpretantur. Locus autem in quo conflatur aurum, Eccleſia eſt, quoniam extra eam neque ſapientiæ theſaurus bene exponitur, neque vaſa digna honore fabricantur. Hic enim vas electionis B. Paulus fabricatus eſt, Hic igne martyrij & tribulationis omnes Martyres conflati ſunt. *Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs conuertitur.* Terra enim in ferrum, & lapis in æs Sancti Spiritus igne decocti, conuertuntur, quoniam terreni & peccatores; duri & increduli, ferri fortitudinem & æris ſonum ſuſcipiunt, vt & fortes ſint in opere & clari in prædicatione. *Tempus poſuit tenebris, & vniuerſorum finem ipſe conſiderat.* Tempus poſuit tenebris, quia ſuæ Incarnationis tempore Saluator noſter ſcripturas aperuit, & ignorantiæ tenebras ab eis remouit. Siue etiam Tenebris, id eſt peccatoribus terminum poſuit, quo & peccare deſiſtant & pœnitentiam agant. Ipſe etiam vniuerſorum finem conſiderat, quia ad quem finem omnia tendunt, non G ignorat. Cum enim & Iudas inter Apoſtolos, & Paulus inter perſecutores eſſent, vtriuſque finem ipſe videbat. *Lapidem quoque caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante.* Lapis enim caliginis, & vmbra mortis. Iudæorum populus eſt? Lapis quidem, quia crudelitate durus, caliginis autem, quia infidelitate cæcus. Sub quo, qui ſe humiliauerit, ſic eius vmbra quaſi morte extinguetur. Omnis enim, ad cuius doctrinam proſternimur, vmbra nobis eſt. Sed quid torrens, niſi fluuius & prædicatio noui teſtamenti? Quid vero populus peregrinus, niſi Eccleſia, quæ in hoc mundo peregrinans, dicit: *Non enim habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus.* Torrens igitur, lapidem caliginis & vmbram mortis à peregrinante populo diuidit, quia nouum teſtamentum Iudæos ab Eccleſia ſeparat. In hoc enim à nobis differunt, quod nouum teſtamentum non ſuſcipiunt.

Terra de qua oriebatur panis, in loco ſuo igne ſubuerſa eſt, cum enim totus mundus Diuini eloquij famem pateretur, tunc Iudæa terra verbi Dei pane abundat. Hæc H autem in loco ſuo igne ſubuerſa eſt, quia zelo & igne inuidiæ contra Chriſtum exarſit. *Locus ſaphiri lapides eius & glebæ illius aurum.* Huius, inquit, terræ lapides pleni fuerunt ſaphiris, quia ſancti, qui prius in ea habitauerunt, cœli faciem, & Angelorum pulchritudinem imitati ſunt. Et glebæ illius, aurum, quia Sancti Prophetæ, & per ſapientiam aurum, & per fructum boni operis, glebæ fuerunt. *Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt oculos vulturis.* Auis enim Chriſtus eſt, quia volando cælos aſcendit, Eſt autem & vultus, quoniam ſic ſuſcipiendum noſtræ carnis morticinium deſcendit. Huius autem auis ſemitam terra illa prædicta ignorauit, quia Iudæorum populus, neque quod de cælo Chriſtus deſcenderet, neque quod in cœlos aſcenderet, credere voluit. Hoc autem ideo, quia non eſt intuitus oculos vulturis, id eſt, quia non ſatis diligenter Prophetarum verba conſiderauit. Chriſti enim oculi, Prophetæ fuerunt, quoniam prius per eos, poſtea per ſeipſum, ſedentes in tenebris illuminauit.

Non calcauerunt eam filij inſtitorum, nec pertranſiuit per eam leæna. Inſtitores enim, Apoſtoli ſunt, qui fidei pretio Euangelij doctrinam vbique vendentes inſtabant, quorum quidem filij fuerunt Epiſcopi & Doctores. Quamvis igitur Apoſtoli Iudæam terram paruo tempore calcaſſent, eorum tamen filij eam non calcauerunt, quia relictis Iudæis, omnes ſe ad gentes contulerunt. Leæna autem, Eccleſia eſt, quæ & vitia, & malignos ſpiritus vbique vincit, & deuorat. Hæc autem tranſiuit quidem, ſed non pertranſiuit per eam, exſpectat enim donec plenitudo gentium intret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fiat. *Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes.* Terram, inquit, leæna reliquit, & ad ſilicem manum extendit, quia relictis Iudæis ad duritiam gentium auxilij ſui manum porrexit. Et ſubuertit à radicibus montes, quia huius ſæculi potentes à dæmonum cultura funditus eradicauit. *In petris riuos excidit, & omne pretioſum vidit oculus eius.* In petris, inquit, id eſt in duris & lapideis cordibus, riuos ſcientiæ vel lacrymarum excidit, & abundare fecit. Et omne pretioſum vidit oculus eius, quia Sacramenta omnibus ſæculis abſcondita, ei reuelata ſunt. Vnde & ſubditur: *Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem.* Sanctus enim prædicator fluuiorum profunda ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit, quia vtriuſque teſtamenti myſteria diu abſcondita, exponendo reuelauit. *Sapientia vero vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?* Hæc autem ſapientia Chriſtus eſt, qui Dei virtus, & Dei ſapientia dicitur. *Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* Miſer Iudas, miſeri & Iudæi, à quibus tam vili pretio emptus, & venditus eſt, cuius pretium ſciri non poteſt. Si enim pretium eius homo ille iniquus ſciuiſſet, eum tali pretio non vendidiſſet. Non inuenitur autem Sapientia in terra ſuauiter viuentium, quia non in eis habitat Chriſtus, qui carnis illecebris, & voluptatibus traditi ſunt. *Abyſſus dicit: Non eſt in me. Et mare loquitur: Non eſt mecum.* Abyſſus enim illi ſunt, qui erroris & ignorantiæ tenebris ſunt inuoluti. In talibus autem non habitat Chriſtus. Mare vero, illos ſignificat, qui felle & amaritudine pleni, & ſuperbiæ ſpiritu commoti, nunquam poſſunt eſſe quieti. *Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius.* Aurum enim obryzum, quod optimum eſt, ſanctos Angelos deſignat: Argentum vero, propter eloquij puritatem, Prophetas ſignificat. Sed tamen nullus horum Chriſto comparari poteſt. Vnde Pſalmiſta ait: *Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare. Non conferetur Indiæ tinctis coloribus, nec lapidi Sardonico pretioſiſſimo, vel Saphiro.* Quid enim tincti colores Indiæ, niſi Philoſophi huius mundi? hi enim quicquid pulchritudinis habent exterius, & in pelle oſtendunt. At vero de Eccleſia dicitur.

Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Lapis autem Sardonicus coloris ſanguinei, Martyres oſtendit: Saphirus vero, Sanctos Prædicatores, qui altius volant, & cœleſtia contemplantur ſignificare poteſt. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec mutabuntur pro ea vaſa auri excelſa & eminentia, nec commemorabuntur comparatione eius.* Sancti enim, & aurum ſunt propter ſapientiam, & vitrum, propter vitæ puritatem, quales enim exterius, tales & interius ſunt, nihil obſcurum, nihil tenebroſum in eis eſt. Vaſa autem excelſa, & eminentia illa erant de quibus cum Dominus diceret. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis.* Apoſtoli reſpondentes dixerunt: *Alij Eliam, alij Ieremiam, alij Ioannem Baptiſtam, aut vnum ex Prophetis:* Satis enim magni erant, qui Chriſtus eſſe putabantur & tamen nihil horum Chriſto comparatur. *Trahitur enim ſapientia de occultis. Non adæquabitur ei Topazion de Æthiopia, nec tinctura mundiſſima componentur.* De occultis enim, id eſt, de corde Patris trahitur hæc ſapientia. Sed quis eam trahit niſi pietas, & miſericordia? his enim trahentibus ad terram Chriſtus deſcendit. Huic autem Topazion non adæquatur, quamvis omnium colorum diuerſitate varietur. Similiter autem neque tincturæ mundiſſimæ, per hæc enim eos intelligimus, qui & ſapientia, & ſcientia, & omnium virtutum varietate, ſunt adornati, quot enim virtutes, tot colores. Et hæ quidem tincturæ tunc mundiſſimæ ſunt, quando nulla hypocriſi inficiuntur. Nihil autem horum æquabitur Chriſto: *Quis enim in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Domino inter filios Dei? Vnde ergo ſapientia veniet? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium.* Vnde, inquit, veniet ſapientia, quis nobis eam reuelabit? *generationem eius, quis enarrabit?* quis eſt locus eius? vbi habitat? Ipſa dicat: *Ego ſum,* inquit, *in patre, & Pater in me eſt.* Abſcondita igitur eſt, ab oculis omnium viuentium, quondam nemo eam nouit ſicuti eſt. *Volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerunt. Auribus noſtris audiuimus famam eius.* Volucres namque cœli, Apoſtolos & Doctores, qui & altius volant, & ſubtilius cœleſtia contemplantur, ſignificare poſſunt, & his quidem, quamdiu in hoc mundo fuerunt, non ad plenum hæc ſapientes reuelata eſt. Perditio vero, & mors diabolus eſt, qui peccatores occidit, & perdit. Iſte autem famam eius audiuit: quia Chriſti gloriam, & virtutem vel ſuperatus intellexit. *Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum illius. Ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cælo ſunt, reſpicit. Nemo* enim, *nouit Filium niſi Pater.* Ipſe enim eius humanitatis & incarnationis viam ante tempora cum eo ſimul diſpoſuit. Et ipſe quamvis non localis, eſt locus eius: Vnde & ipſe ait: *Ego ſum in Patre, & Pater in me eſt.* Et quoniam Deum nihil latet, hæc ſapientia, mundi fines, & quæcunque ſub cœlo ſunt qualiter ſe humilient, intuetur. *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura.* Venti hoc in loco, vel animas, vel leues & vagos homines ſignificant. His autem fecit Deus pondus, quia religionis maturitatem, & grauitatem eis dedit. Vnde & illud: *In populo graui laudabo te.* Aquas autẽ in menſura appendit, quia vt Apoſtolus ait. *Sanctus Spiritus gratias ſecundum menſuram fidei, vnicuique tribuit. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus: tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit & inueſtigauit, & dixit homini. Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* Pluuiis enim legem poſuit, quando prædicandi ordinem docuit. Ordo autem hic eſt: vt Doctor quod prædicat, agat. Sed audiamus ipſam legem: *Sic luceat,* inquit Dominus, *lux veſtra coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Quod autem per pluuiam, hoc per procellas, & quod per legem, hoc per viam figurauit. Per procellas tamen, ea doctrina intelligitur, quæ de futuro iudicio, & de æterna pœna, terrorem peccatoribus incutit. Quod vero ait: *Tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit, & inueſtigauit,* hoc eſt intelligere: Tunc eam videri & enarrari, præparari, & inueſtigari permiſit. Tunc enim Chriſtus cognitus eſt, quando prædicatores pluere cœperunt. Et tunc dixit homini: Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo, intelligentia. Verè hæc eſt ſapientia, & intelligentia, quæ & ſola ſufficit, & ſine qua Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia nec cognoſci; nec haberi poteſt: Qui enim Deum timet, nihil negligit, & qui à malo recedit nunquam peccat.

CAPVT XXIX

ADdidit quoque Iob aſſumens parabolam ſuam & dixit: Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me? Hæc B. Iob & de ſe, & de Eccleſia dicit, ideoque parabolam vocat. Loquatur igitur Eccleſia, non illa prima & nobilis, ſed ea, quæ nunc eſt, & quæ vſque ad ſæculi conſummationem futura eſt: Quis, inquit, mihi tribuat vt talis nunc ſim qualis in principio fui? quando Deus me cuſtodiebat, quando nec ab ipſis tyrannis, neque à vitiis, neque à malignis ſpiritibus me ſuperari permittebat? Hoc autem Eccleſia ſecundum meliores dicit, qui Chri-

A ſtianam religionem multum iam diminutam conſiderantes, deplorant. *Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris.* De hac enim lucerna,& de hoc lumine ſcriptum eſt: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Verbum enim,caput,ideſt mentem illuminat,vt bene intelligat,& pedes,ideſt,opera,vt ſine offenſione fiant. Hoc igitur lumine in tenebris, ideſt inter impios & peccatores ſecura Eccleſia ambulabat, quoniam & ſermonum & virtutum luce fulgebat. Sequitur: *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ,quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo, quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. quando lauabam pedes meos butyro,& petra fundebat mihi riuos olei, quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant mihi Cathedram.* Iam enim magna ex parte Eccleſia ſenuit, neque eam ſpeciem, & pulchritudinem, niſi in pauciſſimis, tenet, quam in diebus adoleſcentiæ,ideſt in tempore Apoſtolorum & Martyrum habuit. B Tunc enim Deus ſecreto erat in eius pectoris tabernaculo, quia potius intus bene agendo, quam foris ſe oſtentando Deo placere conabatur. Et tunc erat Omnipotens ſecum, quod in miraculis declaratur,qui ſemper eam tam præſtò exaudiebat. Tunc quoque pueri eius erant in circuitu eius,de quibus Apoſtolus ait: *Nolite pueri effici ſenſibus,ſed malitia paruuli eſtote.* Pueri enim à puritate dicuntur. Tunc autem pedes ſuos, ideſt Doctores, qui eam vbique ferunt, butyro lauabat, quia maiori & perfectiori ſcientia eos infundebat. Butyrum, lactis pinguedo eſt. Sicut igitur lac mediocrem ſcientiam,ita perfectum butyrum ſignificat. Petra autem, riuos olei ei fundebat, quia qui prius infideles, duri & lapidei erant, poſtea Sancto Spiritu inuncti, pietatis & miſericordiæ oleum fundebant. Ad portam vero ciuitatis procedebat,quia ciuitatem ſanctam Ieruſalem intrare volentibus fidei portas aperiebat. Ponebant autem ei cathedram in platea,vt iam non in occulto,ſed palam & manifeſtè cunctis gentibus prædicaret. Qui enim veritatem palam docet, in platea ſuper cathedram C ſedet. Sequitur: *Videbant me iuuenes,& abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant.* Iuuenes,hoc loco intelliguntur, qui diu in peccatis perſeuerando creuerunt. Senes vero, qui morum grauitate, & religione ſuam vitam commendauerunt: Iſti igitur aſtant,vt religioſi,illi ſe abſcondunt, vt timidi. Adhuc enim videmus adulteros & fornicatores,& cæteros ſceleratos,ab Epiſcoporum facie declinare. *Principes ceſſabant loqui, & ſupponebant digitum ori ſuo,vocem ſuam cohibebant Duces,& lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.* Hi Principes & Duces, Hæreſiarchæ ſunt, qui Sanctarum Scripturarum auctoritate, & veris rationibus conuicti, contra Eccleſiam loqui ceſſabant. Qui autem hoc non intelligit,legat tot Concilia, in quibus ora hæreticorum ſunt opilata. *Audiens auris beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum,cui non eſſet adiutor.* Quid per pauperem vocife-D rantem, niſi peccatorem miſericordiam implorantem? Quid vero per pupillum, cui non erat adiutor, niſi infidelem aliquem ad fidem venientem, in quo iam diabolus pater iniquus mortuus erat? Hos autem Eccleſia liberauit, teſtantibus eis,qui viderunt,& audierunt. Spernit enim Eccleſia ſurdi & cæci teſtimonium. *Benedictio perituri ſuper me, veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum.* Peccator enim, qui periturus erat, eum benedicit, per quem ad pœnitentiā conuertitur. Cor autem viduæ conſolatur, qui animæ pœnitenti & poſt multa peccata diaboli connubium fugienti,veniam & indulgentiam pollicetur. *Iuſtitia indutus ſum,& veſtiuit me,ſicut veſtimento,& diademate, iudicio meo.* Sic,inquit,iuſtitia,& æquitatis iudicio indutus fui, quomodo pulchris veſtibus,& diademate alij induuntur, quoniam non minus ego in iſtis, quam illi gloriantur in illis. *Oculus fui cæco, & pes claudo,* quoniam ſiue interius, ſiue exterius debilitati, non minorem à me quam à propriis membris conſolationem habuerunt. *Pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.* Pauperes

E enim, Eccleſia quaſi proprios filios nutrit. Quia vero nihil temere, nihil perperam, nihil iniuſtè facere vult, cauſam, quam neſcit,diligentiſſimè inueſtigat. *Contereham molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam, dicebamque in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Iniquorum molas conterere, eſt maligni ſpiritus, vel hæreticorum machinamenta deſtruere. De dentibus vero illorum præda aufertur, cum aliquis ab eis iam pœnè ſeductus ad veritatis viam reuocatur. In nidulo autem ſuo moritur,qui in ea fide & religione, in qua delectatur, & quieſcit, vſque ad mortem perſeuerat. Multiplicat autem dies vt palma,quæ etſi difficilè creſcat, multum tamen viuit, & viriditatem non amittit. Sic & Eccleſia ex difficili paruoque principio, multum quidem creuit, & in æternum viuit, ſuæque pulchritudinis viriditatem non amittit. *Radix mea aperta eſt ſecus aquas,& ros morabitur in meſſione mea.* Sanctorum enim radices virtutes ſunt, ſine quibus anima non viuit. Hæ autem radices ideo in ſanctis non moriuntur, quia ad F aquas ſe extendunt,& ſancti Spiritus gratia & ſcripturarum fluentis ſemper irrigantur. Ros vero in ſanctorum meſſione moratur: quia quando eorum animæ Diuinæ iuſſionis falce à corporibus ſeparantur, non æſtum, ſed refrigerium ſentiunt. *Gloria mea ſemper innouabitur,& arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* Quod enim innouatur, vetuſtum eſt. Dolet igitur Eccleſia, quod gloria ſua in quibuſdam deficit, & veteraſcit, ſed conſolatur,quoniam in aliis proficit,& innouatur. Similiter autem & arcus eius in manu illius inſtaurari non diceretur, niſi vires quodammodo perdidiſſe videretur. Arcus etenim eius diuina ſcriptura eſt; ſagittæ vero, ſingulæ ſententiæ ſunt. Hic igitur arcus tunc inſtauratur,quando Dei verbum inſtanter prædicatur, & Sanctorum auctoritate impius aliquis conuincitur,& damnatur. *Qui me audiebant, & expectabant ſententiam meam, & intenti tacebant ad conſilium meum.* Quis enim Eccleſiæ ſententiam & conſilium non libenter ſuſcipiat, niſi ille, qui aures audiendi non habet? *Verbis meis nihil addere au-* G *debant,& ſuper illos ſtillabat eloquium meum.* Qui enim in eius doctrina ſtillicidio delectantur, eius verbis nihil addere præſumunt. Hæretici autem eius verbis aliquid addunt,& addendo veritatem corrumpunt. *Expectabant me ſicut pluuiam & os ſuum aperiebant,quaſi ad imbrem ſerotinum.* Sicut enim terra ſitiens pluuiam expectat, infideles animæ Eccleſiæ doctrinam audire deſiderant, ad quam velut ad imbrem ſerotinum os cordis aperiunt, mentis ariditatem tali potu extinguere cupientes. *Si quando ridebam ad eos,non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.* Diximus enim, quod ſecundum perfectionem Eccleſiæque Doctores iſta dicantur qui cuius ſeueritatis & grauitatis eſſe debeant, ex eo oſtenditur,quod tam raro,& ridere,& lætitiam in ſe oſtendere debent, vt ſi aliquando hoc faciant, vix credatur eis, quod pro gaudio temporali hoc agant. Lux enim vultus eorum in terram cadit, quando lætam faciem peccatoribus oſtendunt. Vnde ſcriptum eſt. *Filiæ tibi ſunt, ne oſtendas lætam faciem tuam ad eas.* Peccatores enim H non vt rideant,ſed vt fleant,inſtruendi ſunt. *Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus, cumque ſederem, quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* Si Reges & Principes hoc intelligerent, Eccleſiæ Prælatos ſibi ſubdi debere non putarent. In quanta autem reuerentia aliquando Epiſcopi fuerint, hic verbis oſtenditur. Sedent tamen adhuc boni Epiſcopi quaſi Reges fidelium exercitu circumſtante, & eorum doctrinam audiente. Qui potius ſuauiter conſolantur mœrentes quam ſuperbè terreant delinquentes.

CAPVT XXX.

NVnc autem derident me iuniores tempore, quoniam non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Sic,inquit,vt dixi,olim mihi fuit,nunc autē iuniores tempore, maiores ſuperbia, qui in me nati, ex me exierunt, hæretici ſcilicet,mea verba derident.Quorum patres cum

A canibus gregis mei ponere non dignabar, idest, his, qui greges meos cuſtodiunt, eos ſociare contempſi. Inde enim plures hæreticorum de Eccleſia exierunt, quod maiores dignitates in ea habere non potuerunt. His enim canibus ſociatur, qui Epiſcopus ordinatur. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipſa putabantur indigni.* Habent enim hæretici virtutem manuum, quia plerumque bona operantur, ſed hoc Eccleſia pro nihilo ducit, quia fidem non habent, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. *Egeſtate & fame ſteriles qui rodebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate & miſeria, & mandebant herbas & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* Hæretici enim bono opere ſteriles ſunt, quoniam veræ doctrinæ egeſtatem, & famem patiuntur. Rodunt autem in ſolitudine, quia in denſa ſylua ſanctarum ſcripturarum ea, quæ intelligere non poſſunt, volenter rodunt, & lacerant. Secundum interiorem quoque hominem, calamitate & miſeria

B ſqualidi ſunt: quia & fide ſunt vacui, & vitiorum contagione fœdati. Herbas autem, & arborum cortices mandunt, quoniam, & nouitate delectantur, & omiſſa ſpirituali intelligentia, penè omnia ad litteram exponunt. Verbi namque Dei corium, & cortex, littera eſt. Sed quid per iuniperum, quæ tota ſpinis repleta eſt, niſi vitiorum multitudinem intelligamus? Horum autem radix ſuperbia eſt, & auaritia, quoniam ex his cætera vitia originem ducunt. Hac igitur radice hæretici incraſſati, Eccleſiæ humilitatem deſpiciunt. *Qui de conuallibus iſta rapientes, cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant.* Diuinam enim ſcripturam, quam modo ſolitudinem dixit, nunc conuallem appellat, quia, non Rhetorum ſublimitates, ſed plani ſermonis humilitatem imitatur, in hac autem hæretici ſe exercentes, dum aliquid noui, & quod eorum erroribus conuenire videatur, inueniunt, mox vndique cum clamore, & lætitia ruunt, & ſuis libris, & diſputationibus illud inſerunt. *In deſertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel ſu-*

C *per glaream.* Hæretici enim inter eos & cum eis habitant qui à Deo deſerti, & derelicti ſunt. Et iſti quidem quoniam viua aqua, & indeficienti doctrina non abundant, torrentes dicuntur. Dicuntur autem & cauernæ terræ, quia in eis ſerpentes, & maligni ſpiritus habitant. Glareæ quoque nominantur, quoniam & iniquitate graues ſunt, & omnium voluptatum flumine trahuntur. *Qui inter huiuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant filii ſtultorum & ignobilium & in terra penitus non parentes.* Lætantur autem hæretici inter huiuſcemodi, quoniam & tales facilè ab eis decipiuntur. Computant vero delicias ſub ſentibus eſſe, quia in peccatorum aculeis delectantur, & hi quidem ſunt filij ſtultorum, & ignobilium, quia eorum magiſtri, niſi ſtulti eſſent, & à matris ſuæ nobilitate degenerarent, ad hanc tantam inſaniam non perueniſſent. Pro qua & modo Eccleſiam fugiunt, & penitus in terra viuentium non apparebunt. Nunc in eorum canticum verſus ſum,

D & factus ſum eis prouerbium, hoc autem ideo dicit, quoniam ſtulta, vana, & ioculari irriſione Eccleſiæ aduerſantur. *Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Longè enim ab Eccleſia fugiunt, quia ſanam doctrinam recipere nolunt, Faciem quoque eius conſpuere non verentur, quoniam verba turpia, & inhoneſta palam contra eam, & in faciem dicunt. Hoc autem non ſine Dei permiſſione fieri manifeſtatur, cum dicitur: *Pharetram enim ſuam aperuit, & afflixit me, & frænum poſuit in os meum*, Dei namque permiſſio pharetra eſt, ex qua velut ſagittæ hæretici, & tyranni prorumpentes, contra Eccleſiam inſurgunt. A Deo igitur ſe affligi Eccleſia conqueritur, quoniam niſi eius permiſſione, non affligeretur. Frenum autem illius illi ſunt, qui eius doctrinæ & verbis contradicunt. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt.* Hoc autem ſic ad litteram dicere videtur, quod ex illa mundi parte prius contra eam hæretici venerint: poſſumus vero per orientem, patrem; per dextram filium intelligere, ſecundum illud: *Pſallite Domino qui aſcendit ſuper cælos cælorum ad orientem.* Surrexerunt igitur calamitates Eccleſiæ illico contra dexteram orientis, quia ſtatim à principio, hæretici Chriſto Dei filio derogare cœperunt. E

Pedes meos ſubuerterunt, & oppreſſerunt, quaſi fluctibus ſemitis ſuis. Qui enim lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet. Pedes igitur, iſti ſunt, qui terræ propius adhærent, ſola terrena, & tranſitoria diligunt. Tales autem pedes hæretici ſubuerterunt, & ſupplantauerunt, & ſuæ doctrinæ ſemitis, quaſi maris fluctibus, oppreſſerunt. *Diſſipauerunt itinera mea, inſidiati ſunt mihi, & præualuerunt, & non fuit, qui ferret auxilium.* Hoc enim & Dominus ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum diſpergit.* Eccleſiæ namque itinera hæretici diſſipabant, quia aliam fidem, & aliam vitam, per quam ad ſupernam patriam tenderetur, prædicabant. Præualebant etiam aliquando, & non erat, qui ferret auxilium, quod quidem occulto Dei iudicio fiebat, qui ait: *Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala.* Et Apoſtolus. *Opor-*

tet hæreſes eſſe, vt hi, qui probati ſunt, manifeſti fiant. Quaſi rupto muro, & aperta ianua irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias deuoluti ſunt, redactus ſum in nihilum: Eccleſiæ namque murus, & defenſio, Chriſtus eſt, & fides, & ſcientia ſcripturarum. Hic autem murus, quia rumpi non poteſt fruſtra contra Eccleſiam hæretici pugnant. Quod autem ait. *Redactus ſum in nihilum,* ſecundum eorum opinionem loquitur. F

Abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum, & quaſi nubes pertranſiit ſalus mea. Abſtuliſti, inquit, id eſt, auferri permiſiſti, deſiderium meum quod de omnium filiorum meorum ſalute habeo, & ſalus mea, quam vbique medicando operabar, ceſſauit, & tranſiit. Sed quomodo? Quaſi ventus aufert nubes. Bene enim hæretici ventis, & Eccleſia nubibus comparatur, quoniam illi cum furore & impetu ſæuiunt, hæc autem miſericordiæ doctrinam abundanter pluit. *Nunc autem in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.* Om-

nia enim hæc ad illa tempora referri debent, in quibus hæretici, & maximè Arriani, ſanctam Eccleſiam violentiſſimè perturbabant. Tunc enim erat dies afflictionis, & Eccleſiæ vita in ſemetipſa marceſcebat, quoniam iam eam viuere tædebat. Sic enim & Apoſtolus ait: *Quoniam ſupra modum grauati ſumus, ita vt tæderet nos etiam viuere. Nocte os meum perforatur doloribus & qui me comedunt, non dormiunt, in multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.* Hæc autem & de Iob ad litteram intelliguntur, quamvis de Eccleſia ſpiritualiter interpretentur. In hac nocte: inquit, in hac tantarum tribulationum perturbatione, os meum fortiora membra mea doloribus perforantur, quoniam tantæ vaſtitatis dolore ſanctorum corda penetrabant. Et qui me comedunt, non dormiunt, quoniam hæretici, & maligni ſpiritus me perſequendo, non quieſcunt, hac etiam ſignificatione dicitur. G

Quia comederunt Iacob, & quia multi ſunt in multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, id eſt, imperfectiores exteriores decipiuntur. Tales enim Eccleſiæ veſtimenta ſunt: quoniam, & exterius eam exornant, & facilè eis expoliatur. H

Succinxerunt autem eam quaſi capitio tunicæ, quatenus eam penitus ſuffocarent, ne veritatem loqui potuiſſet. Tunicæ namque capitium ſi fortiter conſtringatur, vocem penitus intercludit: *Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.* In tantum, inquit, conculcata & afflicta ſum, vt me tam vilem, & deſpectabilem quaſi lutum, & cinerem habeant. Sed, quid mirum? *Clamo ad te, & non exaudis me, inſto, & non reſpicis me.* Ideo, inquit, iſti ſuperbiunt, quia me ad te clamantem non exaudis, & in fide perſeuerantem non reſpicis, ſe quoque meliorem partem habere arbitrantur, dum pœne in omnibus iam ſe vident eſſe ſuperiores: *Mutatus eſt mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* Quia etiam grauiter affligere ad crudelem pertinet, quamvis Deus crudelis non ſit tamen

quia

A quia crudelium opus agit, crudelis vocatur. Manus enim dura eſt, quæ fortiter affligit. *Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti, valide.* Multum, inquit, me eleuaſti magno honore & gloria me ſublimaſti, iam non in terra ambulare: ſed ſuper ventum & in aëre, volare videbar, quoniam qualis eram, talem me homines eſſe credebant, nunc autem, quia ſic eliſa ſic afflicta, ſic deleta ſum, ipſi quoque mei familiares mihi credere pertimeſcunt. Et hoc quidem non ideo quidem dico, quod temporaliter mori timeam, de hoc enim certa ſum, vnde & ſequitur. *Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti, veruntamen non ad conſummationem eorum emittes manum tuam, & ſi corruerint, ipſe, ſaluabit.* Scio, inquit, quia illam mortem euadere non poſſum, in qua poſita & conſtituta eſt domus, id eſt, caro omnis viuentis. Hæc enim morte ſola caro, & non anima moritur. Veruntamen non ad conſumationem eorum emittes manum tuam: quorum, niſi eorum, qui B affliguntur? ex quibus nonnulli aliquando timore ſuccumbunt, & cadunt. Hos autem non vſque ad conſumationem, & perditionem Deus affligi permittit? quoniam alios fidei fortitudine firmat, ne cadant, & eos qui cadunt, compungit vt per pœnitentiam redeuntes, ſalui fiant. Et hoc eſt, quod dicit. *Et ſi corruerint, ipſe ſaluabit. Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi,* Nouit enim, & Eccleſia flere cum flentibus, ac miſereri pauperibus. *Expectabam bona & venerunt mihi mala, præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ.* Hoc enim ſanctis plerumque contingit, vt priuſquam ad illa bona, quæ toto mentis deſiderio expectant peruenire valeant, mala præſentis vitæ ſuperueniant quæ eos vehementiſſime affligant, & dum de die in diem mori cupientes, æternæ beatitudinis lucem præſtolantur ſubito in huius mundi procellas, & aduerſitatum tenebras cadunt. *Interiora mea efferbuerunt abſque vlla requie, præuenerunt me, dies afflictionis.* Tunc enim Eccleſiæ in-C teriora efferbuerunt, quando hæretici, qui in ea latententes erant, ſuam indignationem, & odium propalantes aduerſum eam loquentes exarſerunt. Et tunc quidem præuenerunt eam dies afflictionis, quoniam illa mala, quæ in Scripturis pronunciata adhuc poſt multa tempora futura putabat, in ſuo tempore cognouit eſſe completa. *Mærens incedebam, ſine furore conſurgens in turba clamaui.* Mærens incedit, qui & ſua & aliorum peccata plorat. Sine furore vero conſurgens in turba clamat, qui non ſuas vlciſci iniurias, ſed pacem & concordiam componere conatur *Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum.* Per dracones, tyrannos & ſuperbos: per ſtruthiones vero hypocritas intelligimus. Sicut enim alæ ſtruthionum, ita hypocritarum opera inutilia ſunt; cum neque illi aliis, neque iſti operibus ad cœleſtia eleuentur. Inter tales autem, & Iob, & Eccleſia habitans, ſuæ tamen innocentiæ puritatem non amiſit. *Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate.* D In cute exterior pulchritudo, in oſſibus vero interior fortitudo ſignatur. Hæc autem in perſecutionis æſtu, & caumate, & ſi Eccleſia non amittat, amittere tamen videtur. Intelliguntur igitur & hæc ſecundum hominum opinionem. *Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.* Quoniam iam non iubilare & pſallere mihi vacat, ſed pro anguſtiis & tribulationibus meis me flere oportet. Cætera vero, quæ ſequuntur, non ad Eccleſiam, ſed ad Iob tantum referenda ſunt.

CAPVT XXXI.

P*Epigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* A caſtitate, namque incipiens, quam perfectus fuerit oſtendit. Quia vero cogitare mentis eſt, de interioribus oculis hoc debet intelligi. Non enim peccat videndo exterius, qui non mouetur cogitando interius. *Quam enim partem haberet Deus in me deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis.* Si, inquit, luxuriæ, & voluptati deditus eſſem, in Dei ſorte, & hæreditate connumerari non poſſum. *Nunquid non perditio eſt iniquo &* E *alienatio operantibus iniquitatem.* Ideo, inquit, talia non egi, quoniam hæc agentes perdendos eſſe, & à Deo ſeparandos non dubitabam. *Nonne, & ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat.?* Deo, inquit, mentiri non poſſum, cui omnia opera mea ſunt manifeſta. *Si ambulaui in vanitate, & feſtinauit in dolo pes meus, appendat me in ſtatera iuſta, & ſciet Deus ſimplicitatem meam.* Si, inquit, ambulaui, ſicut me ambulaſſe putatis, in vanitate, & ſecundum opinionem veſtram feſtinauit in dolo pes meus, appendat me Deus in ſtatera iuſta, id eſt, iuſtitiam meam vos intelligere faciat, & tunc ſcietis ſimplicitatem meam, ſic enim reſoluitur. *Et Deus ſimplicitatem meam.* Non enim ſecundum ſe ſtatera indiget Deus ad ſciendum aliquid. *Si declinauit greſſus meus de via, & ſi ſecutus eſt oculus meus cor meum, & in manibus meis adhæſit macula, ſeram & alius comedat, & progenies mea eradicetur.* Greſſus de via declinare, eſt boni operis rectitudinem non tenere. Oculus autem ſe-F quitur cor, quando operatio ſequitur cogitationem. Macula vero in manibus peccatum eſt in operibus. quid eſt autem, *Seram & alius comedat*, niſi, nullum de laboribus meis fructum ſuſcipiam? *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.* Progenies vero eradicatur, quando virtutes, & boni mores à diabolo euelluntur. Sequitur. *Si deceptum eſt cor meum ſuper mulierem, & ſi ad oſtium inimici mei inſidiatus ſum, ſcortum ſit alterius vxor mea & ſuper illlam incuruentur alij.* His etenim verbis à fornicationis & adulterij reatu, ſe defendit. *Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima, ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Maximum enim peccatum eſt fornicatio & adulterium, vnde & ignis vſque ad perditionem deuorans non immerito definitur, ideoque Apoſtolus: Omne, inquit, peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Itemque. *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.* Hoc enim vitium omnium G virtutum genimina diſſipat, eradicat, & perdit. Hinc autem, quia de eius caſtitate audiuimus, de humiliare quoque audiamus.

Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea cum diſceptarent aduerſum me, quid enim faciam cum ſurrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæſierit, quid reſpondebo illi: Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus eſt, & formauit in vulua vnus. Ac ſi dicat Omnes vnum Dominum habemus, Omnes vnius Domini ſerui ſumus; ipſe omnia fecit ipſe *vnicuique reddet ſecundum opera ſua. Et Eadem menſura, qua menſi fuerint, remetietur omnibus.* Et hæc quidem de humilitate. Nunc autem de eius pietate, & miſericordia videamus.

Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Per hoc enim non ſolum largitatem, ſed & beneuolentiæ celeritatem oſtendit. *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt* H *mecum.* In hoc enim non ſibi largitori, ſed Deo totam ſuam imputat bonitatem. Hoc enim & ille dicere potuit de quo ſcriptum eſt. *Priuſquam te formarem in vtero noui te? & antequam exires de ventre ſanctificaui te.* Si deſpexi prætereuntem eo quod non habuit indumentum, & abſque operimento pauperē. Non enim propter hominis nuditatē naturæ deſpiciebat dignitatē. Si non benedixerūt mihi latera eius, & de velleribus ouiū mearum calefactus eſt. Lingua enim omniū mēbrorum eſt inſtrumentum, per quod ſuis benefactoribus benedicūt. *Si leuaui ſuper pupillū manum meā, etiam cum viderem in porta me ſuperiorē,* id eſt in iudicio, portam enim pro iudicio poſuit, quoniam ante portas iudicia faciebāt. Si, inquit, hoc, vel illud feci. *Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium cum oſſibus ſuis confringatur.* Vt nō ſolum corporis, ſed etiā animæ fortitudinem amittens, cunctis in operibus, quibus ſaluari debueram, inutilis fiam. *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Hoc enim, quid aliud eſt, niſi quod plus omnibus tormētis, plus etiam, quam ipſa mortē ſemper Dominum timuit. *Fortis eſt* enim ait Salomō vt mors dilectio. Nihil naut[illegible]

A timent, quam maris fluctus ſuper ſe intumeſcentes. Pondus autem Dei leuiter ferunt, qui illius magnitudinis iram & furorem paruipendunt. *Si putaui aurum robur meum, & obryzo dixi. Fiducia mea Si lætatus ſum ſuper multas diuitias meas, & quia plurima reperit manus mea.* His enim paucis verbis ab omni ſuſpicione auaritiæ apertiſſimè defenditur, quoniam neque dilexit, neque ſpem ſuam in diuitiis poſuit. *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quod eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Et hæc quidem verba ab omni idololatria eum defendũt. Puto enim infideles hanc antiquitus conſuetudinem habuiſſe, quoniam Solem & Lunam deos eſſe credebant, eorum fulgorem, & pulchritudinem admirantes, quaſi pro eorum veneratione manus ſibi oſcularentur, quæ tantis diis ſacrificium obtuliſſent. Lætabantur etiam in abſcondito mentis, & corde gaudebant, in tanta tali que deorum ſuorum claritate. Hoc autem maxima ini- B quitas eſt, & negatio contra Deum altiſſimum, quia non creaturæ, ſed creatori ſeruiendum eſt: in ipſum credere, ipſum colere, & adorare debemus. Si *ganiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inueniſſet eum malum, non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius*; & in his, quidem nullum odium contra aliquem habuiſſe probatur. *Si non dixerunt viri tabernaculi. Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* Hoc enim ideo dicebant, quoniam ſub diſtricta diſciplina ab omni iniquitate eos coercebat. *Foris non remanſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit*, Hoc autem ad miſericordiam ſpectat. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam.* Ille enim peccatum ſuum abſcondit & cælat, qui nullam pro eo agit ſatisfactionem. Et quoniam primus homo peccatum ſuum abſcondit, quaſi hæreditarium in cæteros deſcendit, vt peccata ſua confiteri nolint. *Si expaui ad multitudinem nimiam, & deſpectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, neque egreſſus* C *ſum oſtium.* Ac ſi dicat: Si aliquando propinqui & vicini mei inſurrexerunt contra me, ne forte meis reſponſionibus lites, & ſcandala concitarem, potius tacui, neque oſtium egreſſus ſum, non quod eorum, quamuis nimiam multitudinem, timuiſſem, neque eorum deſpectio, qua, quia, plures erant, me deſpiciebant, terruit me. *Quis mihi tribuat adiutorem, vt deſiderium meum Omnipotens audiat, & librum ſcribat ipſe, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum quaſi coronam mihi?* Quem enim alium adiutorem B. Iob, niſi Chriſtum quærit, quem ipſe quantumcunque poteſt in omnibus imitatur? In Chriſto enim Patriarcharum & Prophetarum omnium deſiderium completum eſt, quoniam omnes eum expectabant, vnde ipſe ait. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Et ipſe librum quidem ſcripſit, librum vtique noui teſtamenti, librum legis. Quem ipſe iudicat, qui & iudex eſt & legiſlator. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Huius igitur aduentum Iob D expectabat, huius librum ſcribi deſiderabat, quem, prius etiam quam ſcriberetur, perfectiſſime obſeruabat, Vnde, & in humero ſuo illum ſe portare dicit: Euangelij namque librum in humero portat, qui ea, quæ præcipit, non æſtimans oneroſa, fideliter credit, & operatur. Hic autem liber corona vocatur, quoniam ſine eius fide nemo coronatur. *Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum, & quaſi Principi offeram eum.* Quaſi enim per ſingulos gradus ſuos Euangelium legit ille, qui & facta ſua, & Euangeliorum verba diligenter conſiderans, timet aliquid ſe egiſſe, quod ibi reprehendatur. Offert autem quaſi Principi, quoniam eius ſecreta non quibuſcunque, ſed Eccleſiæ Principibus annunciat, ne forte det ſanctum canibus, & mittat margaritas inter porcos. *Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent, ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina*, Quid per terram & ſulcos, E niſi terræ habitatores, & cultores intelligimus? Hi enim aduerſus eum clamaſſent, ſi ſe ab eo iniuſte grauari & affligi ſenſiſſent. Ille autem abſque pecunia fructus eius comedit, qui cum nihil aut parum regiminis & conſolationis ſuis ſubditis faciat, eorum tamen redditus ſeruitium non diminuit Pro frumento vero, & hordeo tribulus & ſpina oritur, quando illi, qui gaudium & lætitiam expectant, mærorem & triſtitiam, omnemque tribulationem incurrunt. Finita ſunt verba Iob.

CAPVT XXXII.

O*Miſerunt autem tres viri iſti reſpondere Iob, eo quod iuſtus ſibi videretur. Et iratus indignatuſque Eliu filius Barachel, Buzites de cognatione Ram.* Iratus eſt autem aduerſus Iob, eo quod iuſtum eſſe ſe diceret coram Deo. Eliu enim Deus meus interpretatur per quem arrogantes intelligimus, qui quamuis cum arrogantia prædicẽt, à fidei tamen veritate non recedunt. Eſt autem Eliu F filius Barachel, quia omnes, qui recte credunt, Eccleſiæ benedictionem ſuſcipiunt, Barachel enim benedictio interpretatur. Sed quamuis recte credat, & benedictionem in Eccleſiæ Sacramentis ſuſceperit, tamen quia arroganter prædicat, Buzites & contemptibilis eſt, Buzites enim contemptibilis dicitur. Quis enim arrogantium verba non contemnat? Et iſte fortaſſe arrogans non eſſet, ſi de cognatione Ram non fuiſſet. Ram enim interpretatur excelſus, quia igitur excelſus eſt, humiliter loqui neſcit.

Porro aduerſus amicos eius indignatus eſt, eo quod non inueniſſent reſponſionem rationabilem, ſed tantummodo condemnaſſent Iob. Igitur Eliu expectauit Iob loquentem, eo quod ſeniores eſſent, qui loquebantur. *Cum autem vidiſſet, quod tres reſpondere non potuiſſent, iratus eſt vehementer.* Aliquando enim arrogantes, quamuis intra Eccleſiam ſint, tamen contra eam loquuntur, quoniam in ſapientia confidentes ſanctorum, qui præſunt, ſimplicitatem quaſi fatuitatem redarguunt: ſæpe enim contra Epiſcopos, Scholaſticos arroganter loqui videmus. G *Reſpondenſque Eliu filius Barachel Buzites, dixit. Iunior ſum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demiſſo capite veritus ſum indicare vobis meam ſententiam.* Prius enim hæreticos, quam arrogantes Eccleſia genuit, quia propter hæreticos in plurimis arrogantia creuit. Cum enim hæretici Eccleſiam impugnarent, & viri bene litterati, & ingenio feruentes, qui in ea erant, ſuis argumentationibus eos ſuperaſſent, cumque ſe de ſcientia, & ingenio ab omnibus laudari ſenſiſſent, repente in arrogantiam ceciderunt, vnde non tantum pro defenſione veritatis, quantum pro ſuæ ſapientiæ oſtentatione aliquando loquebantur; *Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam, ſed vt video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam*, id eſt, cuiuſcunque ætatis homines ſint, *ſpiritus* tamen *vbi vult ſpirat. Non ſunt longæui ſapientes, nec ſenes intelligunt iudicium, ideo* H *dicam, audite me: oſtendam vobis etiam ego ſententiam meam. Expectaui enim ſermones veſtros, audiui prudentiam veſtram, donec diſceptaremini ſermonibus, & donec putabam vos aliquid dicere, conſiderabam: ſed vt video, non eſt, qui arguere poſſit Iob, & reſpondere ex vobis ſermonibus eius.* In hoc enim, quod ait, ex vobis, ſuam ſcientiam extollit, quaſi qui non ſit eum redarguere, eique reſpondere poſſit, cui illi reſpondere nequiuerunt Sequitur. *Ne forte dicatis, inuenimus ſapientiam, Deus proiecit eum, & non homo.* Vos, inquit, cur affligatur neſcitis, quoniam non ab homine, ſed à Deo flagellatur, cuius conſilium impenetrabile eſt. Hæc autem tranſcurrimus, quoniam aſperitatem in plano quærere nolumus, & vanam arrogantium verboſitatem ſubtiliter indagare non curamus. *Nihil locutus eſt mihi, & ego ſecundum veſtros ſermones, non reſpondebo illi.* Arrogantes enim, ne doceri videantur, Eccleſiæ Magiſtros ſibi negant eſſe locutos, quaſi, qui eorum doctrina nihil egeant, non autem, vt hæretici, arrogantes Eccleſiæ reſpondent,

quoniam etſi humiliter non loquantur, tamen contra fidem non diſputant. *Extimuerunt,& non reſponderunt vltra, abſtuleruntque à ſe eloquia.* Hoc non Eliu, ſed ille, qui hæc ſcribit, dicere videtur. Sæpe enim hæretici magis arrogantium ſyllogiſmos, quam Sanctorum eloquia timent. *Quoniam igitur expectaui, & non ſunt locuti, ſteterunt nec reſponderunt vltra, reſpondebo, & ego partem meam, & oſtendam ſcientiam meam.* Quia, inquit, Eliu, iſti contra Iob vlterius non loquuntur, reſpondebo nunc ego, & quæ ſit mea ſcientia manifeſtabo. *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei.* Arrogantes enim quandoque arrogantiæ impetu concitati, etiamſi velint, tacere non poſſunt. *Et venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit.* Ac ſi diceret: Non minus ego arrogantiæ impetu extendor, quam Apoſtoli vel Prophetę Sancto Spiritu tendebantur. Tali enim muſto Apoſtoli pleni erant, quando eis nouis linguis loquentibus, Iudæi dicebant; *Hi muſto pleni ſunt.* Nouas autem lagunculas Spiritus Sanctus diſrumpit, quoniam in delicioſo & fragili pectore, & nondum aquis fidei inebriato, vix continetur. *Loquar & reſpirabo paululum, & aperiam labia mea, & reſpondebo.* Et in his quidem arrogantia ſonat. In eo enim, quod dicit, reſpondebo, & multa ſe dicturum, & ſapientia ſe abundare inſinuat. *Non accipiam perſonam viri, & Deum homini non æquabo.* Quare hoc? *Neſcio enim quandiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.* Vita, inquit, hæc breuis eſt, quantum hic viuam neſcio, ideo que dum hic fuero, ſine perſonarum acceptione veritati obediam.

CAPVT XXXIII.

AVdi igitur eloquia mea & omnes ſermones meos auſculta. Semper enim longis procœmiis arrogantes vtuntur, vt magis attentos faciant auditores. *Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.* Ecce, inquit, loquar, nec te diutius morabor, lingua mea loquatur tibi, non clamoſe ſed in faucibus, tu tantum attende, & diligenter ſuſcipe verba mea. *Simplici corde meo ſermones mei, & ſententiam labia mea puram loquentur.* Veri enim ſermones ex ſimplici corde procedunt, vnde & mentientes duplici corde loqui dicuntur.

Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum Omnipotentis viuificauit me. Sic enim de primo homine dicitur: *Inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Præmittit igitur fidem ſuam, ne quaſi extraneus ab Eccleſia audiatur. *Si potes reſponde mihi, & aduerſum faciem meam conſiſte.* Quanta arrogantia hæc clauſula abundat. *Ecce & me, ſicut & te, fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus ſum, verumtamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non ſit tibi grauis.* Ambo, inquit, ab vno creati, & de eadem materia formati ſumus, non tamen ſimilis ſapientia & eloquentia eſt vtriſque. Hoc enim miraculum eſt, quod de eodem luto vaſa tam diſſimilia creauit Deus. Veruntamen hoc tibi graue, & inuidioſum non ſit, neque admiratione terrearis. *Dixiſti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audiui: Mundus ſum ego & abſque delicto immaculatus, & non eſt iniquitas in me quia querelas in me reperit, ideo arbitratus eſt me inimicum ſibi, poſuit in neruo pedes meos, cuſtodiuit omnes ſemitas meas. Hoc eſt ergo, in quo non es iuſtificatus.* Horum quædam dixit Iob, quædam non dixit, nec eadem ipſa ſecundum huius intelligentiam dixit. Non enim abſolute dixit: Se & mundum eſſe & ſine delicto, & immaculatum & ſine iniquitate, ſed dixit? ſe non peccaſſe vt ſic affligi debuiſſet. *Reſpondebo tibi, quia maior ſit Deus homine, aduerſum eum contendis, quod non ad omnia verba reſponderit tibi.* Tu, inquit, cum Deo non contenderes, ſi hoc ſolum conſideraſſes, quia Deus maior eſt homine, maior vtique ſapientia & potentia, iuſtitia & æquitate, & cæteris omnibus Crede igitur, iuſtum eſſe quod agit, quamuis quia minor es, hoc nequeas intelligere, & noli vlterius contra eum contendere, quod non ad omnia verba reſponderit tibi, id eſt quod te omnia intelligere non permiſit. Neque enim datur homini in hac vita omnium rerum perfecta cognitio, hoc enim nobis poſt hanc vitam ſeruatur & hoc eſt quod ait: *Semel loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit.* Ac ſi dicat: Exſpecta paululum, futurum eſt, vt Deus adhuc ſemel firmiterque loquatur, quia vna locutione tam perfecte omnes ſuos fideles inſtruet, vt ſecundo magiſterio non egeãt hoc autem quando fiat, exponit: *Per ſomnum in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo,* (id eſt in requie à Deo illis præparata) *tunc aperiet aures virorum, & erudiens eos inſtruet diſciplina.* Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: *Cum autem venerit, quod perfectum eſt euacuabitur, quod ex parte eſt: videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed quomodo eos inſtruet diſciplina? vis audire quomodo? Quaſi per ſomnium in viſione nocturna. Facile enim & cito diſcimus, quæ nobis per ſomnia reuelantur. Vnde manifeſtum eſt, quod in illa diſciplina, quamuis perfecta ſit, non multum laborabimus. *Vt auertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia, eruens animam eius à corruptione, & vitam illius vt non tranſeat in gladium.* Ideo, inquit, ſopor & ſomnus mortis repente cum non ſperatur multoties irruit ſuper homines, ne forte quod ſæpe contingit, deteriores fierent, ſi in hac vita diutius permanerent. Vnde in lib. Sap. de viro iuſto dicitur: *Tranſlatus eſt, ne malitia mutaret cor eius,* Sic igitur & hic vt auertat, inquit, hominem ab his, quæ facit ne ea vlterius faciat, & animam eius de ſuperbia & corruptione penitus eripiat. Hoc autem ideo fit, ne tranſeat in gladium æternæ vltionis. Sequitur: *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit.* Non ſolum, inquit, ibi, ſed hic quoque Deus hominem increpans inſtruit diſciplina. Increpat autem per dolorem temporalis afflictionis in lectulo corporis huius, quoniam, quid ſit vtile vnicuique ipſe cognoſcit. Et omnia oſſa eius marceſcere facit, quia omnem eius nociuam fortitudinem debilitat, & ad defectionem perducit, vnde & ſubditur. *Abominabilis ei ſit in vita ſua panis, & animæ illius cibus ante deſiderabilis* Ad hoc enim carnis correctio, & afflictio proficit quoniam ab omnibus carnis deſideriis, & voluptatibus hominem ſeparat, vt & panem, & cibum ante deſiderabilem omnia carnis oblectamenta intelligamus. *Tabeſcet caro eius, & oſſa quæ tecta fuerunt nudabuntur, appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.* Ad hoc quoque proficit homini diſciplinæ correctio, quod caro eius, id eſt, carnalis affectus & concupiſcentia ex ea tabeſcit, & deficit, & oſſa quæ his carnis affectionibus tecta fuerant, nudantur, quoniam virtutes animæ, quæ corporeis motibus ſuperatæ latebant robur & fortitudinem ſuſcipiunt. Carnis enim defectio, animæ fortitudo eſt. Et hoc quidem ſuperba carnis pinguedo, & abundantia fecit, quod anima eius corruptioni & mortiferis appropinquauit. Vitia enim quia mortis damnationem ferunt, mortifera dicuntur. *Si fuerit pro eo angelus loquens vnum de ſimilibus, vt annunciet hominis æquitatem miſerebitur eius & dicet, Libera eum, vt non deſcendat in corruptionem, inueni, in quo ei propitieris.* Difficile, inquit, modo veniam conſequitur homo, donec veniat Angelus ille magni conſilij, qui pro eo loquens eum liberabit. Angelus enim iſte Chriſtus eſt, de quo dicitur. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Ipſe autem pro nobis ad Patrem intercedens vnum de ſimilibus loquitur, quia corpus ſuum, quod vnum quidem eſt, de ſimilibus corporibus noſtris ei oſtẽdit. Quid enim eſt loquens, niſi oſtendens? Sic enim filius loquitur Patri. Ipſa enim carnis præſentatio in eo quod videtur, ad Deum loquitur & interpellat. Iſte igitur nunciat hominis æquitatem, quia iam æquum non eſt vt pereat homo, pro quo Dei filius factus eſt homo. Iſte eius miſeretur, & miſerando dicit: *Libera eum, vt non deſcendat in corruptionem* id eſt nunc eum libera à peccatis, vt poſtea eum liberes à tormentis. Inueni in quo ei propitieris, inueni, inquit, mortem, reperi crucem, ſuſcepi tormenta, hæc eſt hominis propitiatio, Sic enim ſine verbo loquitur verbum, & ſine voce clamat, &

A Ineffabiliter interpellat. Sequitur: *Conſumpta eſt caro ſupplicijs, reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ*, ideſt ad eam dignitatem, in qua creatus eſt, quia propter hoc caro ſupplicijs conſumpta eſt, ſupplicijs quidem, non corruptione. Hoc autem & de carne noſtra intelligi poteſt. *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iuſtitiam ſuam.* Poſtquam, inquit, ille Angelus magni conſilij venerit, iam confidenter homo deprecabitur Deum, & Deus illius interceſſione homini placabilis erit. Et videbit faciem eius in iubilo, quia de hac vita tranſiens mox ante Dei faciem in gaudio & lætitia præſentabitur. Et reddet homini iuſtitiam ſuam, non quod ſua ſit, ſed quia ſua eſſet ſi non peccaſſet. *Reſpiciet homo & dicet: Peccaui, & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi.* Tunc, inquit, prius homo reſpiciet, tunc prius videre incipiet, & mentis oculos tunc prius aperiet, & tunc quidem non ſuperbe defendet, ſed humiliter ſua peccata confitebitur. Et hoc agens fiet ei, quod ſequitur: *Liberabit animam ſuam ne pergeret in interitum, ſed viuens lucem videret.* B Tali enim confeſſione liberatus, à morte ad vitam transfertur, vt lux perpetua luceat ei. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos, vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet in luce viuentium.* Tribus enim vicibus liberat Deus hominem, & ſeparat à peccatis, ſuæque gratiæ reconciliat, ſemel per baptiſmum, ſecũdo per pœnitentiam, tertio per mortem. Sequitur. *Attende Iob & audi me, & tace, dum ego loquor, ſi autem habes, quod loquaris reſponde mihi, loquere, volo enim te apparere iuſtum, quod ſi non habes, audi me, tace, & docebo te ſapientiam.* Mirum valde eſt quod per hominem tam arrogantem, tam profunda myſteria Sanctus ſpiritus reuelare dignetur.

CAPVT XXXIV.

PRonuncians itaque Eliu etiam hæc locutus eſt. *Audite ſapientes verba mea, & eruditi auſcultate me. Auris enim verba probat, & guttur eſcas guſtu diiudicat.* Vos, inquit, qui ſapientes eſtis, beneuolos eos enim reddit, vt eius C ſermonibus faueant. Attendite, & conſiderate verba mea. Vt enim ſola auris audit, & guttur per guſtum eſcæ ſaporem ſentit, ita ſoli ſapientes, quæ ſapienter dicuntur, diligentius & melius intelligunt. *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus, quid ſit melius.* Nota, quod prius ſapientes eos vocat, deinde ad diſcernendum iudicium eos inuitat. *Quia dixit Iob: Iuſtus ſum, & Deus ſubuertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium eſt, & violenta ſagitta mea eſt abſque vllo peccato.* Hoc Iob non dixiſſe, quicunque ſuperiora diligenter legit, intelligit. *Quis eſt vir, vt eſt Iob, qui bibit ſubſannationem quaſi aquam?* Deus de B. Iob eum laudando, Eliu vero vituperando dicit, *quod non ſimilis ei in terra.* Subſannationem autem quaſi aquam bibit, qui ſine aliquo pietatis obſtaculo, Deum irridet, & reprehendit. *Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis.* Cum talibus enim graditur, qui ſimilia operatur: Vnde Pſalmiſta, *ſi videbas furem currebas cum eo. Dixit* D *enim. Non placebit vir Deo, etiamſi cucurrerit cum eo.* Et hoc quidem in verbis B. Iob nuſquam inuenitur, vnde non ſolum arroganter, ſed mentiendo multa Eliu dicere probatur. *Ideo viri cordati audite me.* Vos, inquit, qui cor habetis, qui veritatem intelligitis audite me. *Abſit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorũ reſtituet eis.* Hoc eſt enim quod Pſalmiſta ait: Quia *Deus eſt iuſtus iudex, reddens vnicuique ſecundum opera ſua. Vere enim Deus non condemnauit fruſtra, nec Omnipotens ſubuertit iudiciũ. Quem conſtituit alium ſuper terram? aut quẽ poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt?* Ipſe inquit, mundum fecit, ipſe & non alius eum regit, & iudicat, nullo in fabricando, nullo in regendo ſocio, vel adiutore indiget, qui tam iuſtus in omnibus eſt, vt nihil iniuſtè facere poſſit. *Si direxit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatum ad ſe trahet.* Si, inquit, cor ſuum ad Deum homo direxerit, & mundo & recto corde ei ſeruire cœperit, confeſtim ſpiritum & flatum E illius ad ſe trahet, quoniam ſancti Spiritus gratia replebitur. Spiritus autem & flatus idem ſignificat, quamuis per flatum vita intelligi poſſit. In hoc autem magna Dei beneuolentia commendatur, qui tam cito ad miſericordiam flectitur. *Deficiet omnis caro, ſimul & homo in cinerem reuertetur.* Ac ſi diceret: Illi, qui cor ſuum ad Deum dirigunt, ſpiritu & vita illius viuificati, mori non poſſunt, cæteri vero omnes peribunt, quia *puluis ſunt & in puluerem reuertuntur. Si ergo habes intellectum, audi, quod dicitur, & auſculta vocem eloquij mei.* Semper Eliu in arrogantiam creſcit; vnde virum iuſtum, & ſapientiſſimum, an habeat intellectum ſciſcitatur, in quo, ſicut in cæteris omnibus, magna beati viri patientia demonſtratur. *Nunquid qui non amat iudicium ſanari poteſt? Et quomodo tu eum qui iuſtus eſt, in tantum condemnas? Qui dicit Regi apoſtata, qui vocat Duces impios.* Hoc contra Iob dici non debuit, qui toties ſuperius ſe iudicari poſtulauit. Amat iudicium, qui iuſtam cauſam ſe habere ſentit, quoniam ibi defenditur, & ſanatur, & ab iniuria libera- F tur. Deum autem, qui iuſtus eſt, intactum condemnat, qui priuſquam intelligat, eius iudicium reprehendit. Tunc enim Deus tangitur, quando ad interrogata reſpondet. Et ipſe quidem tam iuſtus eſt, vt nec Regibus nec Ducibus blandiatur, ſed ſecundum eorum merita, illos & apoſtatas & impios vocat. Vocare autem quid eſt, niſi oſtendere, & damnare? dum enim eos damnat, quales fuerint oſtendit. *Qui non accepit perſonas Principum, nec cognouit Tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem. Opus enim manuum eius ſunt vniuerſa. Non eſt perſonarum acceptor Deus*, ſed in omni gente, qui timet eum & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi. Omnes enim æqualiter iudicat qui omnes creauit. Et audiendo afflictorum gemitus, affligentes perdit & damnat, vnde & ſubditur. *Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi & pertranſibunt, & auferent violentum abſque manu.* Subito enim morientur, quia vna ſententia damnationis peribunt,

Hoc autem in media nocte, quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet, in nocte quidem, quando veniet, G obſcurum eſt, & ab omnibus ignoratur. Et pertranſibunt, tam non amplius redituri. Et tunc quidem Dei iuſſiones atque iudicia auferent populum impium, & violentum abſque manu, non enim alicuius manus auxilio Dei indigent iuſſiones: *Oculi enim eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem, neque enim vltra in hominis eſt poteſtate, vt veniat ad Deum in iudicio.* Auferuntur, inquit, iniqui, quoniam, quales fuerint Dei oculos non latet, ipſe enim omnium vias, & opera conſiderans reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Non ſunt enim ante Dei oculos tenebræ ignorantiæ, neque vmbræ mortis, ideſt, caligo obliuionis, in quibus abſcondantur, qui operantur iniquitatem. Prius igitur, quam auferantur, pœniteant, & conuertantur, quia poſtquam hinc ſublati fuerint, non iam eſt in eorum poteſtate, vt iterum veniant ad iudicium, ſemel enim iudicat Deus, cuius iu- H dicium nõ retractatur. *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur.* Multos enim, immo innumerabiles quotidie Dominus occidit, & conterit, & iniqua eorum opera conſiderans, æternæ damnationis noctem inducet ſuper eos. Tamen, quia nondum electorum numerus completus eſt, ſtare facit alios pro eis. *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium, qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt, vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.* Locus videntium, Eccleſia eſt: quoniam non cæci, ſed videntes & intelligentes in ea habitant, & hi quidem, quoniam per quam viam incedere debeant, vident, non ex ignorantia, ſed ſponte & de induſtria peccant, quod enim non intelligunt, non impotentia facit, ſed voluntas, intelligerent enim ſi vellent. Iſti autem contra Dei præceptum egenum & pauperem affligentes, eorum clamorem ad

Deum venire faciunt. Quia igitur ſine pietate alios affligunt, non immerito quaſi impij percutiuntur. Sequitur. *Ipſo enim concedente pacem, quis eſt qui condemnet? Ex quo abſconderit vultum ſuum, quis eſt, qui contempletur eum? & ſuper gentem & ſuper omnes homines? Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Ipſe, inquit, percuſſit impios, ipſe dat pacem afflictis, & non qualemcunque, ſed perpetuam pacem, quam qui recipit, nullius iudicium vel contemplationem timet. Sed quibus aliis, vultum ſuum Deus abſcondit, niſi illis, quibus iraſcitur? Quibus poſtquam, dicetur. Tollantur impij, quis eſt, qui contempletur eum? Impoſſibile enim erit, vt eum vlterius videat. Hoc autem facit Deus, & ſuper omnes gentes, & ſuper omnes homines, videlicet & iuſtos liberat, & impios damnat. Facit autem regnare hominem hypocritam propter peccata populi, quod quidem de Antichriſto ſpecialiter, & de cæteris generaliter intelligi poteſt: plerumque enim propter populi peccata malis ſubditis mali Præpoſiti præficiuntur. *Quia ergo locutus ſum ad Deum, te quoque non prohibeo. Si erraui, tu doce me. Si iniquitatem locutus ſum, vltra non addam. Nunquid à te Deus expetit eam, quia diſplicuit tibi?* Hæc autem & arroganter, & irridendo dicit, & ibi ſe reprehendi poſtulat, vbi certiſſimè ſcit ſe reprehendi non poſſe, in his enim, quæ modo dixit, neque errauit, neque iniquitatem locutus eſt, quam etiamſi locutus fuiſſet, aſſerit, quod à ſe & non ab alio requireretur, & ipſe pro ea redditurus eſſet rationem: *Vnuſquiſque* enim, ait Apoſtolus, *pro ſe rationem reddet.* Hoc autem eſt quod ait: *Nunquid à te Deus expetet eam quia diſplicuit tibi?* ſubauditur diſputatio mea, quaſi tu pro ea ſis rationem redditurus. Arrogantes enim, cum verba ſua laudari non audiunt, diſplicuiſſe putant. *Tu enim cœpiſti loqui, & non ego, quod ſi melius noſti loquere. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir ſapiens audiat me. Iob autem ſtulte locutus eſt, & verba illius non ſonant diſciplinam.* Ac ſi dicat: Quod te reprehendi, tibi & non mihi imputare debes, tu enim cœpiſti loqui, & non ego, quod ego reprehendi, à te audiui, non ego finxi. Veruntamen ſi quid noſti melius, vel his, quæ ego dixi, vel his, quæ tu prius dixiſti, loquere. Loquere quidem dicit, nec tamen vt loquatur exſpectat. Et quaſi intelligentiam Iob non haberet, à ſuo colloquio eum remouet dicens: Viri intelligentes loquantur mihi, & vir ſapiens audiat me, non autem iſte, qui & ſapientia & intelligentia caret. Stulte autem B. Iob, & ſine diſciplina locutum dicit, quia iuſtitiam ſuam, cum defendere audiuit. Vnde & ad Deum conuerſus ait: *Pater mi, probetur Iob vſque in finem. Non deſinas ab homine iniquitatis, qui addidit ſuper peccata ſua blaſphemiam.* Qualis, inquit, ante flagella fuerit, oſtenditur, qui propter peccata ſua flagellatus inter ipſa flagella peccare non ceſſat, probetur igitur vſque in finem, vt vel ſic aliquando reſipiſcat. *Inter nos interim conſtringatur, & tunc ad iudicium prouocet ſermonibus ſuis Deum.* Prius, inquit, modo conſtringatur, & vincatur rationibus noſtris, vt in his intelligat ſe Dei rationibus nullo modo reſiſtere poſſe.

CAPVT XXXV.

IGitur *Eliu hæc rurſum locutus eſt: Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres: Iuſtior Deo ſum? dixiſti enim; Non tibi placet, quod rectum eſt, vel, quid tibi proderit, ſi ego peccauero?* Hoc enim Iob non dixit, neque quod Deo iuſtior eſſet, neque quod Deo rectum non placeat, ſed quid dixit? *Æquitatem proponat contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.* Itemque: *Scio ſi iudicatus fuero, quod iuſtus inueniar.* Hæc igitur Eliu non bene intellexiſſe manifeſtum eſt. Nam etſi Iob iuſtus probaretur, inde tamen Deus iuſtus non eſſet, non enim propter illius peccata eum affligebat, ſed quia inde eum maiorem, & clariorem, & meritis excellentiorem facere volebat. Vterque igitur iuſtus eſt, & qui affligit, & qui affligitur. *Itaque reſpondebo ego ſermonibus tuis, & amicis tuis tecum.* Non enim ſibi ſoli reſpondere vult, quia ſe intelligentibus, & ſapientibus locuturum dixerat. *Suſpice cœlum & intuere, & contemplare æthera, quod altior te ſit. Si peccaueris, quid ei nocebis, & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro ſi iuſtè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Non, ſicut promiſerat, eius ſermonibus reſpondet, quia in ſermonibus B. Iob non inuenitur, quid tibi proderit ſi ego peccauero, hinc enim argumentatio hæc trahitur. Hæc autem non contra Iob, ſed contra aliquem iam deſperatum, & ad peccandum promptiſſimum, eloqui debuerat. Suſpice, inquit, cœlum & æthera, vides, quod altior te ſit, nullis viribus illuc attingere potes, ibi quidem Deus eſt. Siue igitur peccaueris, ſiue bene egeris, ſecurus eſt Deus, neque minis, neque donis mouetur. *Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.* Deo, inquit, in nullo neque prodeſſe, neque obeſſe vales, homini autem, ſi impius vel iuſtus fueris, multis modis obeſſe, vel prodeſſe poteris. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.* Hominis, inquit, impietas hominibus nocere poteſt, illi tamen, qui affliguntur, clamant, & eiulant ad Dominum, vt eos de calumniatorum & tyrannorum violentia vlciſcatur, non ſemper tamen clamantes exaudiuntur, quia non fideliter, ſed dubitando clamant. Vnde & ſubditur: *Et non dixit: Vbi eſt Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte, qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter ſuperbiam malorum.* Singulare pro plurali poſuit, & in vno oſtendit, quantum omnibus dubitatio noceat: Ille, inquit, qui affligitur fideliter dicat: Vbi eſt Deus, qui fecit me? Et non tantum ore, ſed & corde clamet, firmiterque credat, quoniam non derelinquet hominem, qui eum fecit. Qui dedit carmina in nocte, ideſt qui gaudium & lætitiam in magnis tribulationibus fidelibus ſuis ſæpiſſimè largitus eſt. Hinc enim fortaſsè antiqui Patres in orationibus ſuis Dei magnalia narrare didicerunt. Docet autem nos Dominus ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli, quoniam, qui Dei ſapientiam habent, omnibus mundi amatoribus, cunctiſque Philoſophis ſapientiores ſunt. Ibi clamabunt, vbi? In tribulationibus, quas ab impiis patiuntur. Quare? propter ſuperbiam malorum, qui eos affligunt. Et non exaudiet, quod Deus non exaudit, aut ideo fit, quia non bene petitur, aut quia melius non exaudiendo quam exaudiendo fidelibus ſuis facere diſpoſuit. Vnde & Apoſtolo oranti dicitur: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur,* non igitur exauditur, vt eius virtus perficiatur. *Non ergo fruſtra audiet Deus, & Omnipotens ſingulorum cauſas intuebitur. Etiam cum dixeris, non conſiderat, iudicare coram eo, & expecta eum, nunc enim non infert furorem ſuum, & abſque ſcientia verba multiplicat.* Fruſtra enim audiret Deus, ſi ſtultas, & iniquas, & fatuas petitiones exaudiret, ſed quia ſingulorum cauſas intuetur, ea tantum audit quæ audienda ſunt, ſcit enim, quid vnicuique cauſæ conueniat. Etiam cum dixeris, non conſiderat Deus afflictiones meas, iam tunc iudicatis coram eo, & te liberare, tuumque aduerſarium iam damnare diſponit, ideoque exſpecta eum, donec ad iudicium veniat. Nunc enim non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur ſcelus valdè. Quicunque ergo perfectè vindicari deſiderat, futurum iudicium exſpectet. Vnde conſtat quoniam Iob fruſtra aperuit os ſuum, quoniam quæcunque dixit, vana & inutilia ſunt: Aut enim futurum exſpectare debuit iudicium, aut ſic orare, vt exaudiri mereretur.

CAPVT XXXVI.

ADdens quoque Eliu *hæc locutus eſt : Suſtine paululum & indicabo tibi, adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar.* Multa enim Eliu iam locutus fuerat, ſed ſuperbiæ ſpiritu tumidus, loquendo ſatiari non poteſt, neque vero ſuperari timet, quia Dei partem defendit, vnde & ſubditur: *Repetam ſcientiam meam à principio, & operatorem meum probabo iuſtum, verè enim abſque mendacio ſermones mei, & perfecta ſcientia probabitur tibi.* Ac ſi dicat: Ne fortè me putes eſſe mentitum, ſcientiã meam repetam à principio, tu vero ſi quid habes reſponde, quia ego operatorem meum probabo iuſtum, & ſicut à principio dixi, ſimplices & ſine mendacio ſunt ſermones mei, & ſcientia mea probabitur tibi eſſe perfecta. Non ſolum enim arroganter loquitur, verum etiam, quæ ei obiici poterant, anticipando remouet, neque enim ſe de mendacio defendere poſſet. *Deus potentes non abiicit, cum & ipſe ſit potens, ſed non ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* Cum, inquit, Deus potens ſit, non propter potentiam, ſed propter impietatem potentes abiicit, ſaluat enim potentes, ſed non ſaluat impios. Et iudicium pauperibus tribuit, vt illi iuſtè eos damnent, à quibus iniuſtè iudicati ſunt. *Non auferet à iuſto oculos ſuos, & Reges in ſolio collocat in perpetuum. & illic eriguntur, etſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & ſcelera eorum, quia violenti fuerint.* Impios, inquit, non ſaluabit Deus, è contra vero à iuſto non auferet oculos miſericordiæ ſuæ, nunquam enim eius obliuiſcitur, quem ſemper reſpicit. Reges autem in ſolio collocat in perpetuum, quia Eccleſiæ Principibus, Epiſcopis videlicet & ſacerdotibus, æternas Sedes præparauit. Et illic eriguntur, qui enim hic humiliantur, ibi eriguntur, & exaltantur. Et his quidem Regibus quando carcere & paupertate, aliiſque miſeriis in hoc ſæculo affliguntur, occulta inſpiratione Deus indicat, & ad memoriam reducit opera, & ſcelera, quæ aliquando fecerunt, vt dum eorum recordantur, patientius tormenta ſuſtineant, quibus ſua peccata ſolui non dubitant. Hoc eſt enim, quod ſuperius dixerat. *Reſpiciet homo & dicet : Peccaui & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi.*

Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat, & loquetur, vt conuertantur ab iniquitate. ſi audierint, & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria : ſi autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur in ſtultitia. Deus, inquit, fidelibus ſuis occulta inſpiratione peccata eorum indicat, & ad memoriam reducit. Aurem quoque mentis eorum reuelat, & aperit. Quare hoc ? vt eos corripiat. Eiſque intus & inuiſibiliter loquitur, admonens eos, vt ab iniquitate conuertantur. Quod ſi fecerint, complebunt dies ſuos in bono id eſt hanc præſentem vitam in ſancta conuerſatione. Et annos ſuos in gloria, quoniam poſt hæc in æterna gloria cum Domino erunt. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium æternæ vltionis. Et conſumentur in ſtultitia, quia de ſtultitia ſua nihil aliud niſi mortem, & conſumptionem inuenient. *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.* Merito enim in ſe iram Dei prouocant, qui ſimulatione & calliditate omnia faciunt, ſiue vt alios decipiant, ſiue vt honorem & vanam gloriam ſibi acquirant. Et hi quidem non clamabunt cum vincti fuerint, quia nec in ipſa morte pœnitentiam agent. Vinctus enim eſt, qui iam in ſua poteſtate non eſt. Ideoque anima eorum morietur in tempeſtate, id eſt in tribulatione & anguſtia, omnium tormentorum grandine ſuper ſe irruente. Et vita eorum inter effeminatos, erit, id eſt inter otioſos & molles, & luxuriæ & voluptatibus deditos. *Eripiet pauperem de anguſtia ſua, & reuelabit in tribulatione aurem eius.* Pauper enim eſt, qui in huius mundi diuitiis ſpem non habet. Vnde Dauid cum diues eſſet, egenum tamen & pauperem ſe vocat. Huius autem autem in tribulatione Dominus reuelat, & aperit, quoniam tribulationis bonum eum intelligere facit, vt iam non doleat de tribulatione, qui per multas tribulationes ſcit ſe intrare in regna cœlorum. *Igitur ſaluabit te de ore anguſto latiſſimè, & non habentis fundamentum ſubter ſe, requies autem menſa tuæ erit plena pinguedine. Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam iudiciumque recipies.* De hoc enim Pſalmiſta dicit: *Nõ me demergat tempeſtas aqua, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Eſt igitur hæc inferni deſcriptio, cuius os, & anguſtum, & latiſſimũ eſt, anguſtum quidem, quia quos recipit, ſtrictiſſimè tenet, neque inde exire permittit. latiſſimum autem quia multos, & cum magna frequentia glutit. Infernus autem non habet fundamentum, quia eius vorago vaſtiſſima impleri non poteſt. Requies autem menſæ tunc impletur pinguedine, quando poſt huius, vitæ labores & requies, & menſa & æterni cibi refectio ſanctis à Domino præparatur. Vnde in Euangelio dicitur. *Quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis.* Quod autem ait. *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt*, ideo dicit, quia quaſi impius ſeueriſſimè affligebatur. Sed cauſam iudiciumque ſuſcipiet, quoniam pro tali cauſa atque iudicio, ipſe quoque cauſidicus & iudex conſtituetur, ſiue quia magnis honoribus, & muneribus pro hoc remunerabitur. *Non te ergo ſuperet ira, vt aliquem opprimas, nec multitudo locorum inclinet te.* Non ita ſuperatus aliquando Beatus Iob aliquem oppreſſit, quamvis rectitudine diſciplinæ ſuos ſubiectos caſtigauerit, vnde ſuperius ait : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt ſaturemur ?* Nec multitudo locorum inclinet te, ad iniquitatem ; ſæpe enim diuites & potentes, quia multa loca poſſident, à iuſtitiæ ſublimitate oculos auertunt, & iniquiores fiunt. *Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione, & omnes robuſtos fortitudine, ne protrahas noctem, vt aſcendant populi pro eis.* Suam enim magnitudinem deponunt, quicunque ſe ex toto corde Deo humiliant, neque in ſuæ iuſtitiæ magnitudine confidunt. Hoc autem alij ſponte, & abſque tribulatione faciunt, alij vero niſi multis tribulationibus afflicti, facere nolunt. Depone etiam robuſtos fortitudine, id eſt cunctis impiis, & ſuperbis, qui tecum conuerſantur, malè agendi licentiam & fortitudinem adime. Ne protrahas noctem : noctem protrahere, eſt, exaltare iniquos, & vitiorum tenebris obuolutos, tales enim non protrahendi, ſed retrahendi ſunt. Quare et vt aſcendant populi pro eis. Tunc enim bonorum populi & multitudines creſcunt, quando iniqui & ſuperbi vires amittunt. Sequitur. *Caue ne declines ad iniquitatem, hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.* Iniquitatem enim Eliu eſſe putabat, quod Beatus Iob pluſquam meruiſſet ſe affligi dicebat. Hæc autem verba quanta arrogantia plena ſunt, quis non videt ? *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus, quis poterit ſcrutari vias eius ? aut quis poteſt ei dicere operatus es iniquitatem ? Memento, quod ignoras opus eius, de quo cecinerunt viri.* Hæc manifeſta de Chriſto propheria eſt. Quod autem Eliu prophetiæ ſpiritu loquatur, mirum valde eſt. Spiritus tamen *vbi vult ſpirat.* Nam & Saül inter Prophetas. Caïphas quoque prophetauit. Inſuper, & aſina locuta eſt. Denique & Sybylla Dei vatem ſe eſſe dixit. *Ecce*, inquit, *veniet Deus excelſus in fortitudine Diuinitatis ſuæ.* Qui humilis valde apparebit in infirmitate humanitatis ſuæ. Et nullus ei ſimilis in legiſlatoribus, quis enim *ſimilis Deo inter filios Dei ?* Legis namque latores non ſolum Moyſes, ſed & cæteri Prophetæ fuerunt. Sed quis ei dicere poterit, operatus es iniquitatem ? cuius operationes & vias nemo ſcrutari poteſt. Hoc enim & ipſe dicebat : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* De hoc autem cecinerunt viri, quia ſancti Prophetæ eius aduentum & incarnationem, eius mortem, & reſurrectionem, & cætera omnia de eo prędixerunt. Huius autem opus ignorare, eſt, à iuſtitia, & æquitate recedere. *Omnes homines vident eum, & vnuſquiſque procul intuetur eum.* Omnes enim homines vident eum, ſecundum quod ſcriptum eſt. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et vnuſquiſque procul intuetur eum, quoniam etſi

A hominem videant,Deum tamen non videre,ſed quodam-
modo quaſi de longè intelligere poſſunt. *Ecce Deus
magnus vincens ſcientiam noſtram,numerus annorum eius
inæſtimabilis.* Vincit enim Deus ſcientiam noſtram,quia,
ſicut eſt , ſcire non poſſumus. Siue quia eius ſcientiæ
nulla ſcientia comparatur. Et quamvis inter homines iu-
uenis appareat numerus tamen annorum eius inæſtima-
bilis. Vnde ipſe quoque ait. *Amen dico vobis , ante-
quam Abraham fieret ego ſum. Qui aufert ſtillas pluuiæ,
& effundit imbres ad inſtar gurgitum , qui de nubibus
pluunt , quæ prætexerunt cuncta deſuper.* Quid enim per
ſtillas pluuiæ,niſi prædicatores veteris teſtamēti,qui Ec-
cleſiæ Doctoribus comparati,quædam pluuiæ guttæ eſſe
videntur ? Hos autem Chriſtus ſuo aduentu abſtulit, &
ceſſare fecit,& per ſe,ſuoſque diſcipulos ad inſtar gurgi-
tum,qui de nubibus pluunt,ſacri eloquij fluenta effudit.
Hæ vero nubes cuncta deſuper prætexunt , quia ſancta-
rum ſcripturarum volumina , ex quibus hæ pluuiæ ma-
B nant, fidelium corda irrigant,& obumbrant. *Si voluerit
extendere nubes quaſi tentorium ſuum & fulgurare lumi-
ne ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet.* Si, inquit,
nubes,ideſt Euangelicam doctrinam,vel ſanctos Apoſto-
los extendere voluerit,dicens.*Ite in vniuerſum mundum,
prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sicut in principio
tentorium ſuum,Id eſt cœlum extendit, & ſi deſuper lu-
mine ſuo, id eſt miraculorum illuſtratione fulgurare vo-
luerit,cardines,quoque maris operiet,id eſt omnes mundi
terminos ad fidem conuertet. Sicut enim cœli tentoriū,
ita & Apoſtolorum doctrina, omnes mundi terminos in
ſe continet,& concludit.*Per hæc enim iudicat populos,&
dat eſcas multis mortalibus.* Quid eſt per hæc ? ideſt per
Apoſtolos, & doctrinam Euangelicam , per hæc enim ;
quaſi per legem,& iudices,iudicantur omnes populi, per
hæc etiam , quaſi per cibum , cibique myſterium, nutrit
Deus multos mortales. *In manibus abſcondit lucem , &
C præcipit ei vt iterum veniat.* Hoc eſt quod alibi dicitur.
Superbis Deus reſiſtit , humilibus autem dat gratiam.
Quod enim nunc immanes, & ſuperbi lucē & veritatem
non vident,ſi ſe humiliauerint,protinus ad eos lux mundi
Deus , & veritas reuertetur. *Annunciat de ea amico ſuo,
quod poſſeſſio eius ſit,& ad eam poſſit aſcendere. Vos ami-
ci mei eſtis ,* dicit Dominus , *ſi feceritis, quæ ego præcipio
vobis.* Hi autem ānunciauit Chriſtus , ideſt intelligere
fecit , quod hæc lux eorum poſſeſſio ſit ſecundum illud.
Dominus pars hæreditatis meæ. Si enim ſanctorum hære-
ditas Chriſtus eſt : ergo & poſſeſſio. Sed quis vnquam
ad hanc poſſeſſionem ſe aſcendere poſſe ſperaret , niſi
diceretur : Et ad eam poſſit aſcendere ? Hanc enim
ſpem ipſe Dominus confirmans , ait. *Pater volo vt
vbi ego ſum ; & ipſi ſint mecum.*

CAPVT XXXVII.

D *SVper hoc expauit cor meum , & emotum eſt de loco
ſuo.* Super hoc,inquit,quod Deus excelſus in fortitu-
dine ſua carnem ſumere,& non tantum homo,ſed homi-
num poſſeſſio dignatus eſt fieri , expauit cor meum , &
præ nimia admiratione emotum eſt de loco ſuo. Cor
enim de loco ſuo quodammodo mouetur, quando in
mentis exceſſu homo eleuatur. Inde Abacuc Propheta :
Domine, inquit, *audiui auditum tuum, & timui, & conſi-
deraui opera tua, & expaui.* Sequitur. *Audiet auditio-
nem in terrore vocis eius,& ſonum de ore illius proceden-
tem.* Audiet,inquit, homo auditionem vocis eius,& ſo-
num procedentem de ore illius. Sed quomodo audiet ?
in terrore. Hæc igitur vox, quæ in terrore audietur, illa
eſt , qua Dominus peccatoribus dicet. *Ite maledicti in
ignem æternum. Subter omnes cœlos ipſe conſiderat , &
lumen illius ſuper terminos terræ. In altis* enim *habitat*,
dicit Pſalmiſta , & *humilia reſpicit in cœlo & in terra.*
Quia igitur vbique eſt, & omnia videt , nemo ſe ab eius
iudicio abſcondere poterit. *Poſt eum rugiet ſonitus,tona-
bit voce fortitudinis ſuæ,& non inueſtigabitur cum audita
fuerit vox eius.* Poſtquam,inquit,damnationis ſententiam
Dominus dederit,& fortitudinis voce intonuerit,ſonitus
eorum,qui poſt eum erunt,id eſt damnatorum omnium, E
quos in pœnis relinquet , præ dolore, & triſtitia rugiet.
Dei tamen ſententiam nemini tunc inueſtigare licebit,
quia non reſpondendi locus erit , ſed mox audita ſen-
tentia trahentur ad tormenta. *Tonabit Deus in voce ſua
mirabiliter,qui facit magna,& inſcrutabilia.* Quomodo
enim non mirabiliter , & terribiliter tunc voce ſua quaſi
iratus tonabit ſuper impios , qui olim beneuolus & pla-
catus terruit pios ? Scriptum eſt enim dixiſſe filios Iſraël.
Non loquatur nobis Dominus,ne fortè moriamur. Magna
autem, & inſcrutabilia ſunt iudicia Dei, ſecundum quod
Apoſtolus ait : *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcien-
tiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & in-
ueſtigabiles viæ eius. Qui præcipit niui , vt deſcendat ſu-
per terram , & hiemis pluuiis , & imbri fortitudinis ſuæ.*
Prius, inquit,quam iudicare Dominus veniat, ſuper om-
nem terram prædicatores mittet per niuem enim ſanctos
prædicatores intelligimus vita & moribus , & ſancta
conuerſatione candidatos. Talem niuem illi fieri opta-
bat , qui dicebat. *Lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* F
Per hiemis autem pluuias, & imbres fortitudinis,doctri-
na Euangelica figuratur , hæc enim hyemis pluuia fit,
quando libidinis æſtum , & furoris & odij ignem extin-
guit, quoniam hyemales pluuiæ frigidiores ſunt. Fit au
tem doctrina Euangelica imber quoque fortitudinis,
quando peccatoribus futuri iudicij tormenta minatur.
*Qui in manu omnium hominum ſignat , vt nouerint ſin-
guli opera ſua.* Quinque enim ſunt corporis ſenſus,quibus
bona, & mala operamur, qui etiam in quinque talentis
in Euangelio figurantur. Totidem autem ſunt & digiti
manus,quos cum videmus, ſenſuum noſtrorum recordari
debemus,vt vel ſic quid egerimus intelligamus,& ſi quid
in aliquo deliquimus,pœnitentiam agamus. *Ingredietur
beſtia latibulum ſuum , & in antro ſuo morabitur.* Hæc
beſtia diabolus eſt,cuius antrum, & latibulum ſunt om-
nes iniqui,quoniam in eis latet,& inhabitat. *Ab interio-
ribus egredietur tēpeſtas,& ab Arcturo frigus.* Sicut enim G
per Arcturum,Aquilonem, ita per interiora Auſtrum in
telligimus Vnde & ſupra dicitur. *Qui facit Arcturum
& Oriona & Hyadas & interiora Auſtri.* Quia igitur
Iudæi Auſtro,Romani vero Aquiloni propinquiores ſunt,
per illos quidem Auſter , per iſtos vero Aquilo ponitur.
Ab Auſtro ergo tempeſtas egreditur,quia prima perſecu
tio contra Eccleſiam in Iudæa ſurrexit. Ab Aquilone ve-
ro egreditur frigus,quia Romanorum vel gladiis,vel iuſ-
ſionibus,ſancti Martyres vbique interfecti ſunt. Et vide
quam eleganter mortem per frigus ſignificauit. Hoc au-
tem non ſine voluntate Dei fieri ex eo oſtenditur , quod
ſubditur. *Flante Deo concreſcit gelu. & rurſum latiſſimè
funduntur aquæ.* Gelu enim tunc creſcebat, quando ſan-
ctis Martyribus vbique morientibus , mors in Eccleſia
temporaliter regnabat. Vnde Apoſtolus ait : *Ergo mors
in nobis operatur , vita autem in vobis.* Rurſum autem
latiſſimè fundebantur aquæ , quoniam pace cœlitus da-
ta, ſancti prædicatores multiplicati & confortati,doctri- H
næ pluuiam vbique gentium fundere cœperunt. *Frumen-
tum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum , quæ
luſtrant per circuitum quocumque eas voluntas gubernan-
tis deduxerit, ad omne. quod præceperit illis ſuper faciem
omnis terræ, ſiue in vna tribu,ſiue in terra ſua,ſiue in quo-
cunque loco miſericordiæ ſuæ eas iuſſerit inueniri.* Hoc eſt
enim quod diſcipulis ſuis Dominus ait. *Leuate capita
veſtra,& videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.*
Iam Chriſti frumentum , iam meſſem Dei, nubes Euan-
gelij , Eccleſiæque Doctores, & videre, & audire deſide-
rat. Et nubes ſpargunt lumen ſuum , quia non ſolum
doctrina , ſed & miraculis refulgent. Quæ luſtrant per
circuitum , quia in omnem terram exiuit ſonus eorum.
Veruntamen non alibi vadunt, niſi quo ſui gubernatoris
voluntas eas duxerit , neque aliud agunt , niſi quod illis
præceperit. Siue in vna tribu filiorum Iſraël eos eſſe vo-
luerit,ſicut prius aliquanto tempore morati ſunt in Ieru-
ſalem,& in tribu Iuda:ſiue in terra ſua,id eſt in tota terra
Iudæorum : Siue in quocumque loco cui miſereri volue-
rit eas iuſſerit inueniri, id eſt vbique terrarum. *Auſculta*

A *hac igitur Iob, ſta & conſidera miracula Dei.* Quare ſtare præcipit, qui nuſquam ire poterat, niſi quia ad ſui comparationem quaſi in imis iacere conſiderabat? Vnde & ſubditur? *Numquid ſcis, quando præceperit Deus pluuiis, vt oſtenderent lucem nubium eius:* Ac ſi dicat: Numquid tibi ſicut mihi reuelatum eſt, quando ſecundum Dei præceptum & diſpoſitionem prophetarum lux atque virtus in eorum verbis,& doctrina manifeſtabitur. Tunc enim lucem nubium,id eſt, Prophetarum claritatem eorum pluuiæ,id eſt eorum Prophetiæ,& libri oſtendere cœperunt, quando ſpiritualiter intelligi potuerunt, Quotidie enim Iudæi Iſaiæ pluuias bibunt, nec tamen in eis intelligunt quantam claritatem videndo futura in mentis oculis Iſaias habuerit. Nobis autem Prophetarum pluuiæ eorum lucem & ſcientiam oſtendunt,quia dum eas bibimus,quid viderint intelligimus. *Numquid noſti ſemitas nubium magnas,& perfectas ſcientias?* Has Prophetarum magnas ſemitas,& perfectas ſcientias,illas eſſe puto,quibus vſque ad Chriſti incarnationem, paſſionem, reſurrectionem. & B aſſenſioné prophetando venerunt Hoc auté de Apoſtolis appertiſſime intelligi poteſt. *Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra auſtro.* Vniuſcuiuſque veſtimentum eius, caro eſt: Auſter vero, qui calidus ventus eſt, hoc in loco ſpiritum ſanctum ſignificat, qui Apoſtolis in igne apparuit. Caleſcunt igitur veſtimenta cum terra Auſtro perflatur, quia quando homo ſancti ſpiritus afflatione tangitur, ipſe eius caro compunctionis, & amoris ignem in ſe quodammodo ſentit, & tale eſt, ac ſi diceret. Si te ſancti ſpiritus ignis & afflatio tetigiſſet, nequaquam contra Deum tua te ſuperbia erexiſſet. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt? Oſtende nobis; quid dicamus illi, nos quippe inuoluimur tenebris.* Hoc autem irridendo dicit, ac ſi dicat. Tu qui cum Deo contendis fortaſſe ſimilis eius es. & cum eo fabricatus es cœlos, doce igitur nos, quid illi dicamus,& quomodo ei reſpondeamus. Tu enim ſolus ſapiens es, nos quippe inuoluimur tenebris, & ignorantia. Poſſumus autem per cœlos, Angelos & ſanctos C intelligere, qui quoniam in Dei amore, & in fide fortes ſunt, ærei, ſolidique dicuntur. *Qui narrabit ei, quæ loquor? Etiam ſi locutus fuerit homo, deuorabitur.* Quis, inquit, narrabit ei, quæ loquor, vt hac ſaltem mea locutione ſe defendat, qui quamuis ad maiorum comparationem loqui neſciam, tibi tamen me reſpondere poſſe non diffido? Sed quid de me vel de te dico? etiam ſi locutus fuerit homo, eius ſcientia deuorabitur, & quaſi iam ſepultus, quid ei reſpondeat, non habebit. Quid eſt enim homo? Nunquid & iſti homines non erant? Homo enim hic pro ſapientia ponitur. Hoc enim inter ſapientem & cæteros homines,quod inter hominem & cætera animalia. Tales autem homines non in veteri,ſed in nouo teſtamento abundant. Vnde & ſubditur. *At nunc non vident lucem, ſubito aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.* Nunc, inquit, homines ignorantiæ tenebris inuoluti,lucem,& veritatem diſcernere non poſſunt. Nunc inquam, aliter enim poſtea fiet. Sicut enim aër ſubito cogitur in nubes, quibus caligine, & obſcuritate cuncta D obumbrantur, ſed mox vento traſeunte, nubibuſque fugatis, ad priſtinam claritatem omnia redeunt,ita illi,qui poſt nos futuri ſunt de ignorantiæ tenebris liberati,clare & manifeſtè lucem,& veritatem conſpicient. *Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidoloſa laudatio.* Per Aquilonem eos intelligimus, in quibus diabolus ſedebat, & habitabat, ſicut ipſe ait: *Sedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis,& ero ſimilis Altiſſimo.* Aurum autem, iuſtorum animæ ſunt, baptiſmo, pœnitentia, & martirij igne purgatæ. Venit autem ad Deum & formidoloſa laudatio, quoniam iſti, de quibus nunc diximus, conſiderantes peccata ſua, conſiderantes etiam, quod ſcriptum eſt, quia *non eſt pretioſa laus in ore peccatoris,* non ſine timore & fortitudine, Deum laudant. Sequitur. *Digne eum inuenire non poſſumus, magnus fortitudine,& iudicio & iuſtitia, & enarrari non poteſt.* In his, inquit quæ fecit, Dei magnitudinem cognoſcere ſecundum aliquid poſſumus. Nam neque eius fortitudinis magnitudo, E neque eius iudicium, neque eius iuſtitia enarrari poſſibile eſt. Quis enim intelligat, qua fortitudine cœlum & terram fecerit: Quis eius iudicia narrabit? de quibus Pſalmiſta ait. *Iudicia tua abyſſus multa.* Quis hanc iuſtitiam inueſtigabit, cur Iacob dilexerit. Eſau autem odio habuerit. Sufficiat igitur nobis credere & timere, quod intelligere non datur, Vnde & ſubditur. *Ideo timebunt eum viri. & non audebunt eum contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes.* Viri enim & ſapientes eum timent quia *Initium ſapientiæ timor Domini.* Qui vero non ſunt ſapientes, & ſe ſapientes eſſe putant, vt arrogantes Iudæi Philoſophi, & hæretici,eum contemplari non audebunt, quando dicetur eis. *Tollantur impij ne videant gloriam Dei.* Miſeri igitur ſapientes, quia ipſam ſapientiam intueri non audebunt.

CAPVT XXXVIII.

RESpondens autem Dominus Iob de turbine dixit. Quia F enim flagellis, turbatus Iob affligebatur, de turbine ei Dominus reſpondiſſe narratur. *Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus Accinge ſicut vir lumbos tuos interrogabo te, & reſponde mihi.* Quamuis enim bene ſententias dixerit imperitis tamen ſermonibus eas inuoluit,quoniam arroganter locutus fuit. Quoniam autem neſcire Dei, reprobare eſt, illum ſe profecto reprobare oſtendit de quo ipſe, quia omnia nouit, interrogat, quis ſit. Accinge, inquit, ſicut vir lumbos tuos, accinge tibi gladium ſpiritus quod verbum Dei, præpara te ad reſpondendum, maior tibi pugna paratur, ego te interrogabo iam non homini ſed Deo es reſponſurus *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes eius ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem eius?* Hæc & ad litteram mira, & ſtupenda ſunt. Spiritualiter autem de Eccleſia intelligenda ſunt Eccleſiæ namque fundamenta, Prophetæ & Apoſtoli ſunt vnde & Apoſtolus. *Superædificati ſu-* G *per fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Hæc autem fundamenta Deus ante tempora poſuit,quia quando vel quomodo ponenda ante tempora diſpoſuit, Eccleſiæ vero menſuras tunc poſuit Chriſtus, quando præcepit diſcipulis ſuis dicens: *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Eandem igitur menſuram habet Eccleſia, quam habet & mundus. Lineam vero ſuper eam tetendit, ſiue quia per Epiſcopatus eam diuiſit, ſiue quia ad rectitudinis normam, ea correxit, Vbi enim linea ponitur, fortitudo ſe celare non poteſt, Baſes autem illius, quas modo fundamentum vocauit, ſuper quo niſi ſuper Chriſto ſolidatæ ſunt? Ipſe enim non ſolum fundamentum, ſed fundamentorum fundamentum eſt, ſecundum illud Apoſtoli. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere niſi id quod poſitum eſt,* Id eſt, Chriſtus Ieſus. Et ipſe quidem eſt lapis angularis, coniungens in vnam fidem duos parietes,alterum ex circumciſione,alterum ex præputio, de quo Pſalmiſta. *Lapidem quem reprobaue-* H *runt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Vbi ſubauditur, erat: Aſtra enim matutina, vel Angeli, qui in ipſo mundi principio creati ſunt: vel Apoſtoli, qui in exordio naſcentis Eccleſiæ primi claruerunt, intelligi poſſunt. Omnes autem filij Dei, omnis Angelorum fidelium multitudo ſignificari poteſt. Iſti autem omnes Deum laudant, & ineffabiliter iubilant, nam priuſquam fierent, in ipſa Dei diſpoſitione iam eum laudabant, eique iubilabant. Vt enim de nobis ſumamus exemplum, quando bonum aliquod facere diſponimus, ipſa diſpoſitio noſtra nos nobis commendat. Quid igitur Iob de ſua iuſtitia dicat, cum multos pares habeat,& antequam fieret,vt talis eſſet,non à ſe ſed à Deo diſpoſitus eſt? *Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? cum ponerem nubem veſtimentum eius,& caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?* Quid enim per mare niſi mundi huius tyrannos & potentes? hos non muro, ſed oſtiis ſæpe Deus concludit,

quia

A quia contra ſanctos ſæuire non poſſunt, niſi ſæuiendi portas eis Deus aperiat & affligendi bonos licentiam tribuat. Vnde & Dominus diſcipulis ait. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* Hi autem tunc quaſi de vulua procedentes erumpunt, quando accepta poteſtate totis viribus contra Sanctos inſaniunt. Impetu enim & non ratione de vulua exitur. Et hi quidem ſic nube & caligine quaſi pannis infantiæ ſunt inuoluti, quia errore, & ignorantia excæcati, nihil niſi vana inepta & puerilia ſapiunt, ideoque quaſi infantiæ pannis his conſtricti, nec ipſa ſua membra habent in poteſtate. Hoc autem ſe Deus facere dicit, quoniã fieri permittit, ſic enim & de Pharaone ait. *Ego indurabo cor eius. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia. & dixi; Hucvſque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Suis enim terminis ſupradictũ mare, id eſt tyrannos Deus circumdedit, quia & ſæuiendi, &
B viuendi eis terminũ poſuit, ad quem terminum poſtquam veniunt, quaſi vecte oppoſito & oſtiis clauſis, iam vlterius progredi nequeunt. Ibi igitur tumentes fluctus ſuos confringunt quoniam vel morte, vel conuerſione, vel poteſtatis amiſſione vel alia qualibet occaſione ab inſania & iniquitate quieſcunt. *Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? & tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea.* Subauditur, vt ego? Chriſtus enim poſt ortum ſuum diluculo præcepit, & locum ſuum auroræ oſtendit quia poſtquã temporaliter de virgine natus eſt, Eccleſiam docuit, & ad quem locum venire, & in æternum debeat manere, monſtrauit. Idem enim per diluculum & auroram intelligitur. Tenuit etiam extrema terræ, quia infirma mundi elegit Deus, concutiens vitiorum tineas ex ea, & non tantum hoc, ſed etiam impios Iudæos & hæreticos ſeparans & excutiens ab ea, de quibus ſubditur. *Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum.* De hoc ſignaculo Apoſtolus dicit. *Et ſignum accepit circumciſionem, ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Per ſignaculum igitur eos, qui ſignati
C ſunt, intelligamus. Hi autem reſtituuntur vt lutum, quia iam non cœlo, ſed terræ ſimilati, & vt lutum platearum deleti, à cunctis gentibus conculcantur. Stant autem quaſi veſtimentum, quia praua intelligentia tumeſcentes Chriſti carni & humanitati non appropinquant, appropinquarent enim, ſi crederent. Illa enim veſtimenta? quæ rigida ſtant, groſſiora ſunt, & quaſi fugientia corpori aptari non poſſunt. *Auferetur ab impiis lux ſua, & brachium excelſum confringetur.* Quia, inquit Iudæi quaſi veſtimentum rigidi, & ſuperbi Chriſto ſe coniungere nolunt, lux ſua, lux mundi Deus, lux eis ſpecialiter miſſa, auferetur ab eis. Et brachium excelſum confringetur, quia ſicut prius vnus perſequebatur mille, & duo fugabant decem millia, ita à facie vnius mille, & à facie duorum fugient decem millia. *Nunquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidi-
D ſti? Nunquid conſideraſti latitudinem terræ?* Subauditur, vt ego? Mare hoc in loco, & abyſſum, infernum vocat, quia & profundiſſimus & obſcurus eſt. In hunc autem Chriſtus deſcendit, quando eum exſpoliauit. Et quoniam, ſicut ſcriptum eſt, *factus eſt ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber*, in eo deambulaſſe ſe dicit. Et ibi quidem ſunt portæ mortis, ibi ſunt & oſtia tenebroſa, per quæ vel inferni pœnas, vel malignos ſpiritus intelligere poſſumus. Hæ autem portæ illi ſunt apertæ, qui per eas ſecurus & intrat, & exit. Sed quia inde Saluator noſter rediens mundi principe deuicto, diſcipulos ſuos in omnes terras prædicare miſit, ideo ſubditur: *Nunquid conſideraſti latitudinem terræ?* Ipſum enim cõſideraſſe, conuertere fuit: *Indica mihi ſi noſti omnia, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius. Sciebas tunc, quod naſciturus eſſes, aut numerum dierum tuorum noueras.* Niſi enim ſequeretur, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, fortaſsè lucis & tenebrarum locus ſciri poſſet. Via enim lucis, iuſtitia eſt, & quæcunque nos ducunt ad Deum & ad lucem. Locus autem tene-

E brarum non ſolum infernus, verum etiam omnium iniquorum animus intelligi poteſt. Sed quoniam & Iudas periit, & Paulus ſaluatus eſt, lucis nemo & tenebrarum terminum perfectè nouit, niſi ille ſolus, qui omnia nouit. Quis enim Iudam inter Apoſtolos miracula facientem vidit, & non eum ad lucem venturum eſſe credidit? Quis Paulum ſæuientem, & ſanctos occidentem cognouit, & non ei tenebras & infernum deſtinauit? Manifeſtum eſt igitur, quod nemo vnumquodque ad terminũ ſuum ducat, & eius domus ſemitas nemo intelligat, ſi enim ſemitas ſciret, domum non ignoraret: domus autem, aut infernus eſt, aut paradiſus. Sed quomodo terminum ſciat, quia principium ignorat? In Dei namque diſpoſitione vniuſcuiuſque natiuitas, dies, & anni, tota vita, & vitæ terminus diſpoſita ſunt. Quando autem iſta diſponebantur, (ſi tamen quando vel dici, vel intelligi poſſit) nemo erat, niſi quod in ipſa diſpoſi-
F tione omnia erant. Qui tamen ibi erat, neque natiuitatem, neque dierum ſuorum numerum terminumque ſciebat. Et hoc eſt quod ait. *Sciebas tunc, quod naſciturus eſſes, aut numerum dierum tuorum noueras? Numquid ingreſſus es theſauros niuis aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparauit in tempore hoſtis, in die pugnæ, & belli?* Quia theſauros dicit, bonas niues grandineſque ſignificat. Quid enim per niues & grandines, niſi Eccleſiæ Doctores? qui quoniam mundi, & candidi ſunt, nix vocantur: quoniam vero in virtute, & potentia prædicantes, & futuri iudicij tormenta minantes, peccatores terrent, non immerito grando dicuntur. Hos autem præparauit Dominus in tempore hoſtis, & in die pugnæ, & belli, quoniam iſti à Iudæis & tyrannis, & hæreticis & à malignis ſpiritibus ſemper Eccleſiam defendunt. *Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram?* Ipſe reſpondeat. *Ego*, inquit, *ſum via veritas, & vita.* Per hanc autem ſpargitur lux, ſicut ipſe ait: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in te-
G nebris, ſed habebit lumen vitæ.* Hæc igitur via lumen ſpargit, quia ſimul lux eſt & via. Ab hac autem, & æſtus diuiditur ſuper terram, quoniam Saluator noſter ſuæ fidei menſuram, ſancti Spiritus gratiam vnicuique tribuit. Ipſe enim ait: *Niſi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos, cum aſſumptus fuero, mittam eum ad vos. Qui dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui, vt plueret ſuper terram abſque homine in deſerto, vbi nullus mortalium commoratur, & vt impleret inuiam, & deſolatam, & produceret herbas virentes.* Doctrinam enim Euangelicam, vehementiſſimum imbrem, & tonitruum dicit, quoniam ſubito, & abundanter totum mundum irrigauit, & multorum vocũ tonitruum inſonuit. Huic autem doctrinæ curſum & viam, & tantam efficaciam ipſe Dominus dedit, vt ſuper terram & in deſerto plueret, vbi non homines, qui ratione vterentur, ſed beſtiæ, & bruta animalia habitabant, quæ & ligna, & lapides adorabant. Vnde Apoſtolus ait:
H Quod ad beſtias pugnauerit Epheſi. Ex his tamen beſtiis iam ad fidem conuerſis, inuia & deſolata, id eſt ſancta Eccleſia ex peccatoribus collecta impleta eſt. Et in hac quidem Dominus quotidie producit, & abundare facit herbas virentes, ideſt doctrinam noui teſtamenti, quæ & noua eſt, ſemperque viuens, & virens, de qua & ſubditur. *Quis eſt pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris.* Quis enim alius eſt pluuiæ pater, niſi ille, de quo dicitur. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.* Ipſe autem genuit & ſtillas roris, id eſt mitem humilemque doctrinam, de quo Apoſtolus: Lac vobis potum dedi, non eſcam. Doctrina enim Euangelica diuerſo reſpectu, grando, tempeſtas, vehementiſſimus imber, ſonitus tonitrui, pluuia, ſtilla, gutta, & ros vocatur, vocatur etiam glacies & gelu. Vnde & ſubditur. *De cuius vtero egreſſa eſt glacies. & gelu de cœlo quis genuit?* Ipſe enim, qui genuit pluuiam, genuit, & gelu & glaciem, quia ipſe qui dedit nouum, dedit, & vetus Teſtamentum. Vetus enim teſtamentum, quia frigidum eſt, (frigidum quidem quia occidit) glacies & gelu vocatur, inde enim &

A mors frigida dicitur, ſed audi Apoſtolum. Littera occidit. Itemque *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria.* Quod vero ait. *Et gelu de cœlo quis genuit*, hoc eſt quod alibi dicitur. *Vos audiſtis de cœlo locutus ſum vobis. In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.* Aquæ enim ſanctarum ſcripturarum (quæ ſpiritualiter intellectæ facile ſorbentur) Iudæis non ſolum in glacies, ſed etiam in lapides induratæ, nec rodi, nec mandi poſſunt. Illis autem conſtringitur abyſſi ſuperficies, quibus ipſius teſtamenti littera non apperitur. De hac enim abyſſo dicitur. *Abyſſus abiſſum inuocat.* Huius autem ſuperficies, littera eſt. *Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiades aut girum Arcturi poteris diſſipare?* Septem enim ſtellæ ſunt, quæ Pleiades vocantur, valde ſibi vicinæ, ſed non penitus coniunctæ, per quas omnes mundi Eccleſias intelligimus hæ enim & fide coniunctæ, & loco diuiſæ B ſunt, ſed tunc plenius coniungentur, quando intra muros cœleſtis Hieruſalem ſimul à Domino colligentur. Per Arcturum autem, qui in ipſa cœli ſummitate conſiſtit, Eccleſiæ Doctores qui cæteris præſident, figurantur, hi enim prædicando mundum circumdant, & girant. Horum autem girum tunc Dominus diſſipabit, quando eos ab hoc tanto labore quieſcere faciet. *Nunquid produces Luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper filios terræ conſurgere facies?* Subauditur, vt ego? Vt enim per Luciferum Chriſtum, ita per veſperum ſignificat Antichriſtum quoniam ille diem & claritatem, iſte vero tenebras & noctem affert. Produxit igitur Luciferum in tempore ſuo, quia quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Faciet autem conſurgere Veſperum ſuper filios terræ, quia terrenis, & peccatoribus Antichriſtum dominari permittet. *Nunquid noſti ordinem cœli & pones rationem eius in terra.* Hoc eſt enim, quod ſemper oramus: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. Chriſtus enim cœli ordinem rationem; & concordiam, C in terra poſuit, quia ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum ad illius enim ordinis exemplar regitur Eccleſia. *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?* Chriſtus enim vocem ſuam in nebula leuabat, quia plerumque obſcure & in parabolis loquebatur. Impetus autem aquarum eum operiebat, quoniam affluentia ſancti ſpiritus, & omnis ſcientiæ plenitudo in eius locutione abundabat: ſecundum illud. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adſumus?* Quid enim per fulgura, niſi Apoſtolos miraculis coruſcantes, & ſententiarum ictibus, & fulgure, vitia & malignos ſpiritus vbique fugantes; Hos autem ad prædicandum Dominus miſit. Qui ſemper ad eum reuertebantur, quoniam in eius nomine cuncta operabantur, & quia ſemper ad obediendum parati erant, ſemper ei, adſumus, reſponderunt. Qui enim obedire non vult, quamuis ſæpe vocatus, vix aliquando reſpondet. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam,* D *quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? quando fundabatur puluis in terram, & glebæ compingebantur.* Solus enim Deus & homini ſapientiam & gallo intelligentiam dedit, de hoc enim gallo ſcriptum eſt. *Gallus ſuccinctus renibus, non eſt Rex qui reſiſtat ei*, per hunc Doctores intelligimus, quorum voce cæteri excitantur, Quantus gallus ille erat, qui dicebat. *Vigilate, iuſti, & nolite peccare.* Narrauit quoque Dominus cœlorum rationem, quia ad ſanctorum exemplum informauit. Quoties enim in Euangelio inuenitur. Simile eſt regnum cœlorum illi, & illi? ipſe autem concentum cœli quandoque dormire faciet, quia ſanctorum prædicationes aliquando ceſſare, & quieſcere iubebit: ſed quando fiet hoc? vis audire quando? quando fundabatur puluis ſuper terram. Quid eſt enim, quod hic de futuro interrogatus & de præterito reſpondetur, niſi quia Deo, & præterita, & futura preſentia ſunt. In ſæculi namque conſummatione puluis in terram fundabitur, quoniam corpora in puluerem redacta quaſi à principio ſolidabuntur. Et tunc E glebæ compingentur, quia cænoſa illa terra ſimul collecta, & adunata reſurget. *Nunquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum eius implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur.* Leæna, propter fortitudinem, Eccleſia dicitur; ſcriptum eſt enim. Quia iuſtus vt leo confidit. Huius maritus eſt leo ille magnus de tribu Iuda, qui ſuæ quidem leænæ prædam capit, quoniam etſi prædicatores verbi Dei retia tendant ipſe tamen interius corda conuertit. Vnde ipſe ait. *Sine me nihil Poteſtis facere* Et Apoſtolus. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ipſe quoque eius catulorum animam implet, quia Epiſcoporum, & Sacerdotum deſideria complet, dum Eccleſiam ſuam multiplicat, & exaltat, Et iſti quidem cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur, quoniam vt ſeductores, & veraces multis modis ad fidem infideles trahere conantur. Quid enim eorum blandimenta, & F perſuaſio, niſi ſpecus & antra quædam ſunt. *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant vagantes eo quod non habeant cibos?* Quam modo leænam dixit, nunc coruum appellat. Hæc enim in Canticis Canticorum coruum ſe intelligens ait. Nigra ſum ſed formoſa, vnde Apoſtolus. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Huic autem & ſpiritualem & corporalem eſcam Dominus præparat, quando pulli eius clamantes dicunt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, Vagantur autem iſti pulli propter cibum, quoniam vt ſpiritualibus deliciis animam ſatient, & noui & veteris teſtamenti, & Apoſtolorum, & Prophetarum menſas laborioſe ſcrutantur.

CAPVT XXXIX.

NVnquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obſeruaſti? dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tempus partus earum? incuruantur, ad fœtum & pariunt, & rugitus emittunt. Hoc G eſt enim quod in Euangelio Dominus ait *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius, cum autem pepererit puerum iam non meminit preſſuræ propter gaudium.* Ibices enim, parua quædam animalia ſunt quæ in petris pariunt, quæ etiam de excelſis rupibus cadentes, ſe in ſuis cornibus ſine læſione ſuſcipiunt. Per has autem Apoſtolos intelligimus, qui per aquam & ſpiritum in petris ideſt in Eccleſiis generantes filios, & in fide cornibus, & fortitudine ſe ſuſcipientes, nullius aduerſitatis caſum timebant. Sancti enim per fidem, ait Apoſtolus, vicerunt regna. Et pſalmiſta *Exaltabuntur*, inquit, *cornua iuſti.* Ceruæ autem parturientes, omnes mundi huius Eccleſiæ ſunt. In multis enim ceruarum naturam imitatur Eccleſia. Nam & agilis eſt, & ſerpentes necat, & incuruata pariet, & pariens rugitus emittit. Incuruatus enim Apoſtolus pariebat cum diceret, omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem, multum enim ſe in partu curuauerat, qui vt omnes Deo pareret, omnibus ſe & per omnia H humiliauerat. Non autem ſine rugitu Eccleſia parit, quia ſine prædicationis, & orationis voce filios non generat. Quæ quidem quoniam & quotidie parit, & vſque ad ſæculi coſummationem parere non ceſſabit, illius conceptionis, & parturitionis menſes nemo valet dinumerare. *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis, contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit, circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.* Hoc de perfectioribus intelligitur, qui vt liberius & familiarius Deo ſeruiant, omnem mundi gloriam contemnentes, hominum conuerſationem fugiunt, & ad remotiora, & ſolitaria loca ſe conferunt. Paulus, & Antonius, & Hilarion ſint in nobis exemplum. Iſti enim vt onagri, omni mundana ſeruitute liberi & cunctarum ſollicitudinum vinculis abſoluti, domos ſibi & tabernacula in ſolitudine, & in terra ſalſuginis elegerunt, qui quoniam de ſolitudine non recedebant, non immerito onagri dicuntur. Contemne-

A bant enim multitudinem ciuitatis, qua nec honores nec fauores nec diuitias appetebant. Nec audierunt clamorem exactoris, quia in multa abſtinentia carnem macerantes, ventris appetitui non obediebant, Noſter enim quotidianus exactor, venter eſt cui lege naturæ quotidie cibi potuſque debitum ſoluere oportet. Circumſpiciebant autem montes paſcuæ ſuæ, magiſque in ſpiritualibus cibis quam in carnalibus delectabantur, quos de ſacris voluminibus & Apoſtolorum atque Prophetarum exemplis ſuſcipiebant. Et virentia quæque perquirebant, quia non cibum, qui perit. ſed qui permanet, appetebant. *Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, & morabitur ad præſepe tuum?* Rhinoceros enim, qui, & vnicornis dicitur ferociſſimum animal eſt, per quem huius ſæculi potentes intelligimus: dicatur ergo. Nunquid huius ſæculi potentes, Reges, Imperatores, & Principes, qui mihi ſeruiunt, ſeruient tibi? Et morabuntur ad præſepe tuum ſicut morantur ad meum, quia nunc fidei doctrinam, & B Euangelicam prædicationem audire delectat? Humiliare igitur mihi, qui tam potentes homines mihi ſe humiliare cognoſcis. *Nunquid alligabis Rhinocerotem ad arandum loro tuo?* Sicut ego? Ligauit enim Deus potentes ad arandum, quoniam & ipſi peccare metuentes, in Dei agro deſudant, & laborant. Huic enim aratro ligatus non eſt, qui neque bonum agit, neque peccare timet. Sic enim Conſtantinus Imperator, & Iuſtinianus arabant, quando in Eccleſiæ defenſionem leges conſtituebant. *Aut confringet glebas vallium poſt te?* Sicut confringit poſt me. Glebæ enim vallium, quæ ſemen in planum cadere, & creſcere prohibent, iniqui homines ſunt, qui Euangelicæ prædicationi contradicunt. Hos autem Imperatores, & Principes frangebant, quia iſti eorum terrore verbi ſemen impedire metuebant. *Nunquid fiduciam habes in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?* Dei namque labor Eccleſia eſt, quam ipſe non ſolum prædicando, C ſed & moriendo acquiſiuit H inc autem huius ſæculi potentibus Dominus fiducialiter derelinquit, quoniam eorum terrore, nec aliam fidem in ea alij prædicare audent, nec ipſam, etiamſi prædicaretur, palam ſuſcipere auderet. *Nunquid credes ei, quoniam reddat ſementem tibi, & aream tuam congreget?* Sementem enim potentes reddunt ei, poſtquam verbi ſemen audiunt, intelligunt, iuſtitiæ, pietatis, & miſericordiæ opera faciunt, alioquin ſemen in eis periit. Aream autem, id eſt Eccleſiam congregant, quando ſuis edictis eam protegunt & defendunt. Hæc autem nunc de Beato Apoſtolo Paulo interpretemur, de quo & ſpecialiter dicta eſſe videntur. Ipſe enim, vt fortiſſimus vnicornis, Eccleſiam perſequens, ab omnibus timebatur, ſed mox conuerſus, & Chriſti ſeruus, & in Euangelij præſepio commoratus, & paſtus, & fidei catena ligatus in agro Dei arare, & triturare cœpit. Vnde ipſe ait. *Non alligabis os boui trituranti.* Mox igitur glebas vallium fregit, quia Scribas, & Pharisæos ad fidem conuertit. In cuius magna fortitudine Deus fiduciam habens, ſanctam Eccleſiam ei commiſit, & commendauit. Ipſe vero & ſementem multiplicatam red- D didit, & Dei aream fideliſſime congregauit.

Penna ſtruthionū ſimilis eſt pennis Herodij & Accipitris, quæ dereliquit in terra oua ſua, tu forſitan in puluere calefacies ea. Sicut enim per Rhinocerum viros Catholicos, & Sanctos. ita per Struthionem hypochritam deſignat, qui quamuis in pennarum ſpecie herodio, & accipitri ſimilis ſit, differt tamen, quoniam volare & alis ſuis ſe ad ſuperiora leuare non poteſt. Sic igitur & hypocrita, ſimulatione quidem ſanctus, & iuſtus apparet, virtutum tamen alis ad cœleſtia non leuatur. Derelinquit autem ſtruthio in terra oua ſua, quoniam hypocrita eos, quos Domino genuit à terrena carnali & conuerſatione liberare non curat, vult enim non eſſe, ſed apparere bonus. Hos autem in puluere Deus calefaciens, paulatim ad ſui amorem conuertit, cum enim aliquis adhuc in fide infirmus, inter peccatores, cum quibus quaſi in puluere conuerſatur, ſancti Spiritus igne calefactus totum ſe ſubito ad Deum conuertit, tunc quidem ſtruthionis oua in puluere calofiunt. *Obliuiſcetur quod pes conculcet ea, aut beſtia* E *agri conterant.* Pes enim oua conculcat, & beſtia conterit, quia hypocritarum proles dum in puluere iacet, & ſoli corpori ſeruit à diabolo conculcatur. Hoc autem, quia hypocrita parui pendit, oblitus eſſe dicitur. *Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui, fruſtra laborauit nullo timore cogente.* Durus enim pater ille eſt filiis ſuis, qui de illorum ſalute non curat. Fruſtra vero laborat, qui pro lucro temporali, & pro vana gloria ſanctitatem & iuſtitiam ſimulat. Hoc autem agit hypocrita nullo timore cogente, quia hoc non ageret, ſi Deum vel iudicium timuiſſet. Sed non mirum. *Priuauit enim eum Deus ſapientia nec dedit illi intelligentiam.* Hæc eſt igitur cauſa, quod ſtruthia, id eſt hypocrita, fruſtra, inutiliter laborat. *Cum tempus fuerit alas in altum erigit deridet equum, & aſcenſorem eius.* Alas enim tunc hypocrita erigit in altum, quando ſuæ ſimulationis virtutes oſtentat. Hoc autem facit cum tempus fuerit, id eſt cum à multis ſe videri, & laudari ſenſerit: *Omnia enim opera ſua faciunt, vt videantur ab* F *hominibus.* Sed quid per equum & aſcenſorem eius, niſi virum iuſtum, & ipſam, qua regitur, iuſtitiam intelligamus? Hos autem hypocrita deridet, quia gloriam & honorem, qui iuſto & iuſtitiæ debetur, ipſe ſibi arrogat, ſuæque ſimulationi: & non tantum ille pro vera, quantum iſte pro ficta iuſtitia laudatur. *Nunquid præbebis equo fortitudinem? aut circumdabis collo eius hinnitum? numquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium eius terror.* Equus iſte Eccleſiæ Doctores ſignificat, quibus, & fortitudinem Dominus dedit, & æquitatis freno gubernat & regit. Quibus etiam circa collum hinnitum poſuit, quoniam non ſolum hinnire, & Deum laudare eis ſufficit, verum etiam laudando, & prædicando circumquaque audiri delectat. Hi autem ſuſcitantur quaſi locuſtæ, quia in maiori æſtu perſecutionis fortius mouentur, & volant. Locuſtæ enim mane pigræ, meridie concite mouentur, & volant. Sed quid eſt, quod ait. *Gloria narium eius terror,* Equus enim territus narium ſuarum gloriam oſtēdit, quoniam maiori impetu flatum emittit. Sic igitur Eccleſiæ G Doctores quanto ſpiritu intus ferueant oſtendunt, quando minis, & terroribus quatiuntur.

Terram vngula fodit, exultat audacter. Quid enim per terram niſi peccatores: Quid per vngulam niſi fortitudo figuratur? Terram igitur equus fodit vngula, quoniam ſancti prædicatores tyrannorum corda forti reſponſione fodiunt, & penetrant. Ideoque ſubditur. Et exultat audacter: Audacter enim exultant Sancti, quia non timent eos, qui occidunt corpus quibus Dominus ait. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, quibus non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. In occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Qui hoc non intelligit, Sanctorum paſſiones legat, & cognoſcet eos pro defendenda iuſtitia cunctis ſe oppoſuiſſe periculis.. *Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus.* Ipſa enim Sanctorum prædicatio, pharetra eis, & haſta & clypeus eſt, ex ea enim, quaſi ſagittæ, ſententiæ prodeunt, cum ipſa velut cum forti haſta aduerſarios feriunt, & velut clypeo ſe cum illa contra Iudæos, & hæ- H reticos, & Philoſophos protegunt, & defendunt. *Feruens, & fremens ſorbet terram nec reputat tubæ ſonare clangorem.* Sancti enim prædicatores, vt ait Apoſtolus, ſpiritu feruentes, & excelſa prædicationis voce frementes, terram, id eſt peccatores ſorbent quoniam ad fidem eos vocantes Eccleſiæ corpori introducunt. Nec reputant tubæ ſonare clangorem, quia propter iniquorum minas ſuper ſe & contra ſe intonantes. & frementes à prædicatione non ceſſant. *Vbi audierit buccinam, dicit, Vah. procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus,* Sancti enim prædicatores buccina dicunt, Vah, quia quando perſecutorum tumultum & inſaniam iam ſibi appropinquare ſentiunt, confiſi de victoria exultant. Vah, enim exultationis vox eſt. Procul autem odorantur bellum, quia ſemper mori parati, cum deſiderio illud exſpectant. Quoniam autem non ſolum à tyrannis, ſed etiam ab hæreticis hoc bellum infertur, ideo ſubdidit dicens: Exhortationem ducum & vlulatum exercitus. Duces enim, hæreſiarchæ intelliguntur, quorum exercitus

A que cartilaginem diabolus habebit. *Ipſe principium eſt viarum Dei, qui fecit, eum applicauit gladium eius.* Dei namque viarum, id eſt, operationum, diabolus principium eſt, quoniam inter omnes creaturas primus factus eſt. Applicauit autem Dominus gladium eius, quia niſi plicatus eſſet ne recta cuſpide ſemper feriret, perpauci eius deceptionis gladium effugere poſſent. Quaſi igitur plicato gladio ferit, quia minus, quam deſiderat, percutit. *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ei*, Montes enim, diuites & potentes accipiuntur, qui difficulter intrant in regna cœlorum. Iſti autem diabolo herbas ferunt, quia de ſuis iniquis operationibus eum reficiunt. Cibus enim diaboli iniqua opera ſunt. Omnes vero beſtiæ agri ludunt ei, quia quicunque ſtulte, voluptuosè & beſtialiter viuunt eius ludus, & delectatio ſunt. Ager enim, vt in Euangelio dicitur, eſt mundus. *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus.* Per hæc genitalia loca ſignificat. Sed cur ego exponere erubeſcam, quod ipſe Dominus dicere non
B erubuit? Vmbra enim illa loca dicuntur, quæ ab omnibus occultantur, & operiuntur, vnde etiam verenda vocantur. In his igitur diabolus dormit, in his delectatur, & quieſcit: hæc ſemper ſollicitat & mouet. Sed quid eſt in ſecreto calami, niſi in teſticulis, qui illi membro ſubiacent, quod ad calami ſimilitudinem aquas effundit? Loca autem humentia in vtroque ſexu illa membra, ſunt quibus aqua deriuatur. Siue etiam, dormit ſub vmbra, id eſt in illis habitat, qui otioſam, & voluptuoſam vitam ducunt Et in ſecreto calami, id eſt in eorum cordibus, qui non ſolidi, ſed ad ſimilitudinem calami, fide omnique bonitate vacui ſunt. Et in locis humentibus, id eſt in ebrioſis, qui ſemper vino inundant. Vnde Apoſtolus. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. Protegũt vmbræ vmbram eius circundabunt eum ſalices torrentis.* Eius enim vmbræ ſunt quicunque eius imaginem & ſimilitudinem imitantur. In vmbra enim quodammodo regis imago exprimitur. Vmbræ igitur eius protegunt vmbram eius, quando multi iniqui vnum iniquum protegunt, & defen-
C dunt. Sæpe enim videmus ad vnius alicuius iniqui defenſionem magnam iniquorum multitudinem conuenire. Salices autem torrentis eum circumdant, quoniam ei ſemper illi aſſiſtunt & ſeruiunt, qui & infructuoſi ſunt, & in aquis tumultuoſis rapidiſque morantur, id eſt cum populis ſeditioſis & impiis habitare delectantur. *Aquæ enim multæ populi multi*, de quibus aquis adhuc ſubditur. *Ecce abſorbebit fluuium & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Fluuium, peccatorum & maximè gentilium, & Iudæorum multitudinem vocat, Hos autem abſorbet Behemoth, & non mirabitur, quia non pro magno ducit, vt tales decipiat. Habet enim fiduciam, quod Iordanis, id eſt Chriſtianorum, & baptizatorum populus influat in os eius. Iordanis enim baptizatos ſignificat, quoniam ibi cœpit baptiſmus. *In oculis eius quaſi hamo capiet eum, in ſudibus perforabit nares eius.* Vſque modo narrauit fortitudinem Behemoth, nunc autem, qualiter capiatur inſinuat. Quando enim Chriſti Diuinitas carnem induit, tunc Chriſtus ſeipſum hamum fe-
D cit, vt per ferrum Diuinitatem, per eſcam vero carnem eius intelligamus. Hunc autem hamum Behemoth videns concupiuit, acceſſit, & tentauit, & dum putat capere captus eſt. Hoc autem in oculis ſuis, quia quem iam in miraculis cognouerat, & Dei filium confeſſus fuerat, importuna voracitate inuadere præſumpſit. Et in ſudibus perforabit nares eius. Quid enim per ſudes, niſi Dei virtutem & potentiam intelligimus? His enim diaboli nares perforatæ, quamvis ſagaciſſimi ingenij ſit, noſtri tamen ſecreta cordis, niſi per motus exteriores, ad plenum cognoſcere, & perſcrutari non valet. Hoc autem à canibus trahitur, qui odore narium animalium veſtigia ſentiunt. Nam, & diabolus canis eſt, ſecundum illlud *Erue à framea Deus animam meã, & de manu canis vnicam meam. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Ecce iam alio nomine vocatur diabolus. Leuiathan enim qui latinè draco dicitur, additamentum eorum, interpretatur. Hoc autem per con-

trarium, quia dum oculorum lumen ſe primis hominibus addere promiſit, immortalitatem ademit. Hunc autem ſupradicto hamo id eſt per verbum carnem factum, de ſuorum fidelium mentibus Dominus abſtraxit. Cuius quidem lingua fune ligata eſt, quoniam Trinitatis fide, quæ triplex funiculus vocatur, eius deceptionis perſuaſio, & locutio valde refrænata eſt Hoc igitur fune lingua eius ligatur, quia non auditur, etiamſi loquatur. *Nunquid pones circulum in naribus eius, & armilla perforabis maxillam eius?* Hoc enim loco circulus & armilla pæne idem ſignificant, quoniam & armilla circulus eſt. Nares autem & maxillæ, quæ circulo conſtringuntur, ſui officij potentiam vireſque amittunt. Merito igitur in naribus & in maxilla Leuiathan ligatus perhibetur, quoniam nec ſagacitate decipere, nec maxillarum fortitudine conſtringere ſanctos Dei valet, ſecundum ſui deſiderij auiditatem. *Nunquid multiplicabit ad te preces qui loquetur tibi mollia?* Quantum enim ad litteram, Preces Leuiathan Domino multiplicabat, quando maligni ſpiritus territi
F dicebant. *Quid nobis & tibi fili Dei? veniſti ante tempus torquere nos, & ſi eiicis nos hinc, mitte nos in porcos.* Quantum vero ad membra ſua, & preces in iudicio multiplicabit. Et mollia ei loquetur, quia iniqui, qui eius corpus, & membra ſunt, veniam, & miſericordiam deprecabuntur. *Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum?* Subauditur, vt ego? Hoc enim pactum cum Domino diabolus fecit, vt ſine eius permiſſione neminem tentet, neminem affligat, atque in ipſa tentatione, vel afflictione modum à Deo poſitum cuſtodiat. Et ſecundum hoc pactum non ſolum ſeruus, verum etiam ſempiternus ſeruus dicitur, quia non ſolum nunc, ſed etiam poſt hanc vitam ſub hac ei conditione ſeruiet. *Nunquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Diabolus enim, Behemoth, id eſt bellua, dicitur, propter feritatem: & Leuiathan, id eſt draco, propter fortitudinem, & auis, propter ſuperbiam, qua ſupra omnes cœlos volare voluit. Hunc autem illuſit Dominus quaſi aui, quia Chriſti humanitatem, quaſi eſcam, ei oppoſuit, per quam eum cœpit, ligauit, & tenuit. Ligauit au-
G tem ancillis ſuis, de quibus Apoſtolus ait. *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi nobiles, non multi ſapientes, non multi potentes ſunt inter vos, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientia, & ignobilia, vt confundat fortia, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* Hæ ſunt igitur ancillæ, quibus ligatus eſt diabolus, vt vires & fortitudinem contra eas habere non poſſit, ſecundum illud: *Dominus conteret Sathanam ſub pedibus veſtris velociter. Concident eum amici, diuident illum negotiatores.* Hoc autem de toto eius corpore intelligi debet, id eſt de tota iniquorum multitudine. Iſti enim amici, & negotiatores, Doctores Eccleſiæ ſunt; Negotiatores quidem quia Euangelij merces pretio fidei commutant. Hi autem diaboli corpus concidunt & diuidunt, quia quotidie inde aliquos ſeparant, & per fidem Eccleſiæ reconciliant. *Nunquid implebis ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite illius.* Quid enim per ſagenas, piſciumque gurguſtium, niſi ſanctam Eccleſiam
H intelligimus? In hac enim illi piſces capiuntur, & habitant, qui in aquis baptiſmatis regenerantur, & natant. Pellis autem prædicti corporis Leuiathan, illi ſunt, qui quaſi ſine veneno exterius politi, facilius conuertuntur. At vero per caput, principales, fortiores, & maiores figurantur. Huius autem corporis caput, Beatus Paulus aliquando fuit, ex quo maxima ex parte ſancta Eccleſia impleta eſt. Sic igitur Dominus ex pelle, & capite Leuiathan ſagenas & gurguſtium piſcium implet, quando ex illa iniqua multitudine & minores & maiores in Eccleſiam introducit. Pones ſuper eum manum tuam? ſubauditur, ſicut ego meam? Ego, inquit, ſic eum mea manu & poteſtate comprimo, vt abſque mea iuſſione, vel permiſſione nihil facere audeat. Hoc autem te non poſſe, ex eo apparet, quod tam violenter ab eo flagellatis, & hoc eſt quod ait. *Memento belli, nec vltra addas loqui.* Id eſt conſidera in quo prælio es, & age pœnitentiam de his, quæ inconſiderate & minus caute

locutus

by Google

A locutus es, & cogita quid reſpondeas Domino, qui ſic flagellatis ſeruo.

Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Sæpe enim ſpe ſua diabolus decipitur, quoniam multos ex his ſubito amittit, quos ſecum ad tormenta trahere ſperabat. Quod quidem in Beato Iob ei contigiſſe probatur. Cunctis autem videntibus præcipitabitur, quoniam eius damnationis ſententiam & boni & mali audient, quando dicitur. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.*

CAPVT XLI.

NOn quaſi crudelis ſuſcitabo eum: Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? Ac ſi ad ſuperiora Iob reſponderet, dicens: Cum tam fortis, tamque iniquus ſit iſte Leuiathan, cur Domine contra fideles tuos ſic eum ſuſcitas? cur aduerſus eos ſic eum ſæuire permittis; Ad quod B ipſe: Non quaſi crudelis, inquit, ſuſcitabo eum, id eſt, neque illorum obliuiſcar, neque hunc ſupra illorum vires ſæuire permittam, neque patiar eos tentari ſupra id quod poſſunt, ſed robur & fortitudinem illis dabo quibus contra iſtius malitiam reſiſtere valeant. Quis enim vultui meo reſiſtere valeat? cur igitur timeat quem ego defendo? ego in eis ſum, ego in eis pugno, ego ſum, qui ciuitatem cuſtodio. Et ille. Si tu, inquit, Domine eos cuſtodis, quid eſt, quod huius deceptione tot homines perire videmus? Et Dominus ad eum. *Et quis ante dedit mihi, vt reddam ei? Omnia, quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt.* Ac ſi dicat: Quos defendo, miſericordia eſt, quos non defendo, iuſtitia eſt. Cum enim omnia mea ſint, non mihi quaſi mea omnia ſeruiunt, quæ etiamſi ſeruirent, non tamen de ſuo, ſed de meo mihi ſeruirent. Nihil igitur mihi quaſi ex debito requirere debent. qui nihil mihi ante dederunt. De hac profundiſſima quæſtione Apoſtolus ait: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcien- C tia Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis.* Hoc autem de toto corpore Leuiathan Intelligitur, id eſt de tota iniquorum multitudine, qui quamuis potentibus verbis, & ad deprecandum compoſitis Deum exorent, non tamen parcet eis. Non enim verborum compoſitionem, ſed cordis compunctionem reſpicit Deus Multa enim membra diaboli intra Eccleſiam ſunt, quæ ſatis attente, conſtanter & compoſite Deum orare videntur, Deus tamen non verba, ſed opera, non preces, ſed corda intuetur. Vnde & ſubditur. *Quis reuelabit faciem indumenti eius, & in medium oris eius quis intrabit?* ſubauditur niſi ego? Noſtri enim oculi, quia infirmi ſunt, non ea, quæ interius latent, ſed ſolam indumenti faciem vident Deus autem indumenti faciem penetrans, ipſius cordis cogitationes conſiderat, ſecundum illud. Homo videt In facie, Deus au- D tem in corde intrat autem Dominus & in medio oris eius, quia quicquid homo dicat, quicquid cogitet, Deus & in ore, & in corde eſt, qui omnia perſcrutatur Non valet igitur homini compoſita deprecatio, quia Spiritus Sanctus diſciplinæ effugit fictum. *Portas vultus eius quis aperiet.* Quando enim inferni portas Chriſtus confregit, & inde ſanctorum animas ſecum tulit, tunc quidem portas aperuit, quibus Leuiathan vultum ſuum ne videretur abſconderat. Portæ quoque vultus eius. hæretici dici poſſunt, quoniam per eos quaſdam portas intratur ante faciem, & præſentiam eius. Has autem portas Chriſtus apperit, quando eorum hæreſes manifeſtat *Per gyrum dentium eius formido.* Non ſolum enim portæ, ſed & dentes diaboli dicuntur hæretici, quia quos capiendo deuorant, diabolo repreſentant. Iſti autem dentes per gyrum formidinem habent, quoniam qui ab eis capiuntur à diabolo deuorantur. Poſſumus autem & per formidinem tyrannorum gladios intelligere quibus hæretici ſæpiſſime muniuntur. Quod quidem ſi ad Antichriſti tempora referatur, perſpicuum eſt, tunc enim

E verbis & gladiis hæretici pugnabunt. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, & compactum ſquamis ſe prementibus.* Membra namque diaboli quaſi ſcuta fuſilia ſunt, quoniam dura valde, & malitia obſtinata verbi Dei iacula à ſe repellant. Coniunguntur autem quaſi ſquamis ſe prementibus quoniam iniquitate ſibi concordia ſe viciſſim ad malitia impellunt, & premuntur. Sæpe enim videmus, iniquos homines ſic ſe ad facinus inuitantes, alter alterum trahat, & ite nolentem violenter impellat. *Vna vni coniungitur, & nec ſpiraculum quidem incedit per eas, vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur.* Squamæ, inquit, Leuiathan, idem, hominis impij ex quibus diaboli corpus conficitur, in tantum ſibi coniuncti ſunt, & in nequitia concordes, vt ab inuicem ſeparari nequeant, & ſanctæ prædicationis ſpiraculum per eos tranſire non valeat, inuident enim alterutrum, & in luxuria, furto, rapina, homicidiis, & his ſimilibus alter altero non vult inferior eſſe. *Sternutatio eius, ſplendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi.* F In ſternutatione hac tanto impetu mouetur ſpiritus, vt etſi velit homo, eum retinere non poſſit. Sternutatio igitur diaboli Antichriſtus erit, quem tanto inflationis, & ſuperbiæ impetu contra Eccleſiam concitabit, quanto nemo vnquam in hunc mundum venit, Hunc autem ſequitur ſplẽdor ignis, id eſt, ira & indignatio, & fulgor miraculorum, dabit enim ſigna, & prodigia multa. Oculi vero eius illi erunt, per quos tunc ſuæ iniquitatis vias peccatoribus reuelabit. Qui quoniam ſapientia & miraculis fulgebunt: palpebræ diluculi dicuntur. Quid eſt enim palpebra diluculi, niſi manifeſtatio lucis, & diei? At vero miraculorum operatio, quædam diei & lucis manifeſtatio eſt. De ore eius lampades procedunt ſicut tædæ igni ſuccenſæ. De ore namque diaboli procedunt lampades quoniam eius deceptionis verba ad vitiorum delectationem homines ſuccendunt, Quæ verba quoniam ſuauiter peccatoribus redolent, eoſque delectant, tedæ dicuntur Sed quoniam praua concupiſcentia eos inflamant, igne dicuntur eſſe ſuccenſæ. *De naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque feruentes.* G Quia enim per nares ſpiritus emittitur, in naribus ſpiritus ſignificatur. Procedit igitur fumus de naribus eius, quoniam qui eius iniquitatis ſpiritum ſuſcipiunt, tenebrarum, & caliginis fumo obumbrati, veritatem videre non poſſunt. Bene autem ollæ ſuccenſæ atque feruenti diabolus ſimilatur, quoniam inuidia & odio, & mala voluntate ſemper ardet. *Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Quid enim per prunas, niſi homines odio & ira ſuccenſos intelligamus? Hos enim diabolus ardere facit, quoniam ſufflando ſæpe ex minimis rebus magnas lites concitat. Sic igitur, & flamma ex eius ore egreditur, quia magna diſcordia ex eius verbis generatur. *In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedet egeſtas.* Fortitudo enim in eius collo moratur, quoniam ex quo ſuperbire cæpit, nunquam ſe poſtea ad pœnitentiam humiliauit. Faciem autem eius præcedet egeſtas, quia priuſquam Antichriſtus huic mundo appareat, magna Diuini eloquij egeſtas fiet, vnde & per Prophetam di- H citur. *Ecce ego immittam in vobis non famen panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Membra carnium eius cohærentia ſibi.* Hoc in eius quamuis ſuperius expoſuimus. Membra namque carnium eius omnium iniquorum multitudo eſt. Hæc autem membra ſibi cohærent, quia perfidia & iniquitate iunguntur. *Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.* Omnium enim tormentorum impetus, & flumina contra eum & membra eius Dominus mittet. Neque ad locum alium ferentur, quoniam iſti ſoli & non alij affligentur. *Cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Semper enim diabolus induratur, & nunquam ad pœnitentiam humiliatur. Ideoque conſtrictus & ligatus malleatoris incus, æternis tormentorum ictibus contundetur. *Cum ſubleuatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Angeli Eccleſiæ Doctores intelliguntur, qui pluribus in locis Angeli vocantur, lege Apocalypſin & inuenies. Iſti autem quando Leuiathan damnatum & ad

præcipitandum ſubleuatum viderint, timebunt, ipſoque timore pugnabuntur, ſi quod præteritæ corruptionis in eis fuerit. *Cum apprehenderit eum gladius ſubſiſtere non poterit, neque haſta neque thorax.* Ac ſi dicat; Quamuis ſemper ſuperbus, impius, & crudelis diabolus fuerit, tunc tamen ſæuiſſimus erit, quando gladius eum apprehenderit, Gladius enim iſte Antichriſtus erit, qui multa millia hominum interficiet, & à Deo ſeparabit. Hic autem poſtquam diabolum apprehenderit, & in ſui pectoris habitaculo pleniſſimè eum ſuſceperit, iam non poterit ſubſiſtere neque haſta neque thorax, quoniam nemo erit, qui vel contra eum pugnare vel ſe tegendo defendere poſſit. Scripturarum namque ſcientia & haſta nobis eſt, cum alios impugnamus, & thorax cum ab aliis impugnamur, *Reputabit enim quaſi paleas, ferrum, & quaſi lignum putridum æs.* Et ferrum, inquit, id eſt, gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Et æs, id eſt, clariſſimum ſonum ſanctæ prædicationis quaſi paleas,& lignum putridum reputabit, quoniam nulla ei ſapientia,vel eloquentia reſiſtere valebit. Poſſunt autem per ferrum & æs,Henoch & Elias ſignificari. *Non fugabit eum vir ſagittarius,in ſtipulam ei verſi ſunt lapides funda.* Omnis enim Euangelij prædicator, vir ſagittarius & fundibularius eſt. Ipſa vero prædicatio & arcus & funda eſt, inde enim quaſi ſagittæ,& lapidès, ſententiæ prodeunt ad feriendos inimicos. Sed his non fugabitur Leuiathan. quoniam per illum hominem inuaſum, perditioniſque filium, cunctos ſibi aduerſantes deſpiciet, & pro nihilo ducet. *Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.* Quaſi ſtipulam, inquit, æſtimabit malleum, quia pœnam futuri iudicii paruipendet, cuius graui pondere in æternum contundetur. Inſuper & ipſum Deum deridebit, quem iam haſtam vibrantem, & pœnam præparantem intuetur, deſperauit enim, & miſericordiam quærere dedignatur, cuncta potius tormenta ferre paratus. *Sub ipſo erunt radij ſolis ſternet ſibi aurum quaſi lutum.* Solis namque radij, quibus mundus illuminatur, ſapientes ſignificant, ex quibus multi, vel minis vel blanditiis, vel promiſſionibus ab Antichriſto ſubuerſi, diaboli ſe iugo ſubiicient, Hoc autem exponit dicens: *Sternet ſibi aurum quaſi lutum*, id eſt eos, qui ſapientia & virtutibus fulgere videbantur, non minus ſibi ſubiiciet & proſternet quā luteos terrenos & peccatores. *Feruefcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum vnguenta bulliunt.* Quid enim profundum mare, niſi huius ſæculi maiores, & potentiores? Hos autem diabolus quaſi ollam feruescere faciet, quia eos ad tantam inſaniam concitabit, vt quicunque ſanctorum diabolo parere,& imaginem beſtiæ, vt alibi legitur adorare noluerit confeſtim ab eis gladio feriatur. Et ponet hoc, quaſi cum vnguenta bulliunt, quia horum inſaniam in Dei zelum & feruorem conuertet, & in ſanguine, quem fundunt, quaſi in ſuauiſſimo odore vnguenti, Deum delectari docebit. *Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem.* Semita namque lucebit poſt eum, quia miraculorum fulgor, & fama eum ſequetur. Siue quia poſt mortem filij eius, id eſt Antichriſti omnis error & caligo auferetur. Æſtimat autem abyſſum quaſi ſeneſcentem, quoniam infernum eiuſque pœnas quaſi iam finitas & innocuas, & ſine viribus reputat, quod enim veteraſcit, & ſeneſcit, prope interitum eſt. Neſcit enim ſuperbus, iſte timere vnde & ſubditur, *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret.* Non enim Angelicæ naturæ aliquis homo comparari poteſt. Quamvis ſecundum eius opinionem rectiſſimè hoc intelligi valeat. Quis enim Deo ſimilis eſſe voluit, cuilibet creaturæ pars eſſe dedignatur. Factus eſt autem, vt neminem timeret, non à Deo ſed à ſe, talem namque eum eius ſuperbia fecit, vt nihil ſit quod timere dignetur,cunctis enim ſe præfert, & in ſuperbia eleuatus, ſub ſe quaſi inferiora omnia conſpicit: Vnde nec ipſi Deo creatori,vt ſe adoraret, dicere timuit,& hoc eſt quod ait. *Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Omne enim ſublime videt,qui nihil in ſe humile ſentit.Ideoq; ipſe eſt Rex,qui omnes ſuperbiæ filios regit.Merito autem in radice & in fine ſuæ locutionis ſuperbiam poſuit, quia ipſa radix eſt omnium malorum.

CAPVT XLII.

RESpondens autem Iob Domino dixit. *Scio quia omnia potes & nulla te latet cogitatio.* Scio, inquit, quia omnia potes, & ſicut dixiſti, non eſt, qui poſſit reſiſtere vultui tuo. Et nulla te latet cogitatio, qui ipſius Leuiathan occultas calliditates tam diligenter expoſuiſti. *Sed quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia:* Quis,inquit, eſt iſte, vt calliditates ſuas ſcienti omnia celare conetur? *Ideo inſipienter locutus ſum & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.* Ideo, inquit, quia omnia potes, inſipienter locutus ſum, qui iudicio tecum contendere volui. Si enim, quod verum eſt, nemo tibi reſiſtere valet fruſtra ſuperius dixi. *Et perueniat ad victoriam iudicium meum.* In hoc etiam inſipienter locutus ſum, quia contra eam ſapientiam ſum locutus, quæ vltra modum excedit ſcientiam meam. Inſipiens enim eſt, qui cum eo contendit, à quo, & potentia, & ſapientia ſuperatur. *Audi,& ego loquar, interrogabo,& reſponde mihi.* Quid eſt enim, Audi, & ego loquar, niſi exaudi orationem, & locutionem meam? Quid vero eſt, Interrogabo, & reſponde mihi; niſi fac me intelligere deſiderium meum? & ea, quæ multum ſcire deſidero mihi manifeſta? Sicut enim nos optando & deprecando Deum,interrogamus, ita ipſe nobis exaudiendo & donando reſpondet. Vnde etiam quaſi iam exauditus Beatus Iob,ſubinferens ait. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te,idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Prius, inquit, te audiui, nunc autem video,quia tantum intereſt inter eam. quam prius habui, & eam quam nunc de te habeo cognitionem quantum intereſt inter auditum & viſum. Idcirco ipſe me reprehendo qui contra flagella tua, vel cogitare, vel murmurare præſumpſi. Et ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Quid eſt, in fauilla & cinere pœnitentiam agere, niſi fauillam,& cinerem ſe eſſe cognoſcere? Qui enim hoc agit, in ſua iuſtitia non confidit.

Poſtquam autem locutus eſt Dominus verba hec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themaniten: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos quoniam non eſtis locuti coram me rectum ſicut ſeruus meus Iob. In eo enim,quod dicit,coram me, non eodem animo, quo Iob loquebatur, eos fuiſſe locutos oſtendit. Non enim quid dicatur, ſed quo animo dicatur, conſiderat Deus. Vnde & Iob ſuperius contra eos quæritur, dicens. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis, ſuper pupillum irruitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum. Sumite igitur vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offeret holocauſtum pro vobis.* Bona ira Dei, qua remedij conſilia dantur, quibus & peccata ſoluantur, & peccatores conuertantur. Beatus enim Iob, vt ſupra diximus Eccleſiam ſignificat. Amici vero illius, hæreticorum ſpeciem tenent. Orat igitur Iob pro amicis ſuis, & offert holocauſtum pro eis, quoniam hæretici niſi ad Eccleſiam redierint, eique reconciliati fuerint, & niſi ipſa pro eis preces & ſacrificium Deo obtulerit,Dei indignationis furorem euadere non poterunt. Offerunt autem hæretici tauros, & arietes, quando ſuperbiam, & ignorantiam,in ſe mortificant. Taurus enim ſuperbiam,aries autem ignorantiam, vel ducatum prauæ intelligentiæ deſignat. Sed quoniam ſeptenarius numerus perfectus eſt, vt perfectè in ſe hæc vitia deſtruant, ſeptem tauros totidemque arietes offerre præcepit. Sequitur. *Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius, ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia, neque enim locuti eſtis ad me rectè, ſicut ſeruus meus Iob.* Repetitio eſt eorum, quæ dicta ſunt, quæ quotieſcunque fit ſermonis firmitatem ſtabilitatemque oſtendit. *Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut locutus fuerat ad eos Dominus, & ſuſcepit Dominus faciem. Iob. Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob, cum ille oraret pro ami-*

A

eis ſui. Multum igitur profecit Iob , qui pro amicis ſuis orando , non ſolum illis , ſed ſibi quoque veniam promeruit : In quo magnum aliquid eſſe oſtenditur , orare pro aliis. *Et addidit Dominus quecunque fuerant Iob duplicia.* Hoc & Propheta dicit. *Duplicia in terra ſua poſſidebunt.* Finitis tamen his tantis miſeriis iuxta ſæculi finem omnia quæcunque habuit vel habere debuit Eccleſiæ duplicabuntur , quoniam vtrumque populum & Iudæorum , & gentium in ſe tunc pleniſſime colliget ſecundum illud. *Cum plenitudo gentium tunc introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui , & vniuerſa ſorores ſua , & cuncti , qui nouerant eum prius , & comederunt cum eo panem in domo eius , & mouerunt ſuper eum caput & conſolati ſunt eum ſuper omni malo , quod intulerat Dominus ſuper eum.* Venient enim ad Eccleſiam omnes , qui vel merito fidei fratres , vel carnis fragilitate ſorores dicuntur , inſuper & omnes , qui eam nouerunt, eiuſque prius famam audierant. Et comedent cum ea panem, panem vtique viuum , qui de cœlo deſcendit , ſiue etiam

B

ſanctarum ſcientiam ſcripturarum. Monebunt autem. & caput ſuper eam , ei congaudentes, eiuſque conſtantiam, fidem & patientiam admirantes. Hoc enim loco capitis commotio mentis eſt exhilaratio, Et conſolabuntur eam ſuper omni malo , quo Dominus eam affligi permiſit , quoniam tunc perfecte Eccleſia conſolabitur omniumq; ſuarum afflictionum obliuiſcetur quando tantam omniũ gentium ad ſe vtique confluentium viderit conuerſionem *Et dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam , & inaurem auream vnam.* Quid enim per ouem niſi innocentiam? quid vero per inaurem , niſi vtriuſque auditus obedientiam : Vnde etiam & inauris aurea dicitur, vt auditus caſtus ſit & purus. Sine his igitur nemo ad Eccleſiam veniat, qui eam vult conſolari hæc munera ferat. Offerat ouem , vt ſit innocens: offerat inaurem, vt ſit obediens, & quia aurea eſt , ſapienter intelligat. *Dominus autem benedixit nouiſſimis Iob magis quam principio eius.* Benedicere, hoc in loco multiplicare ſignificat. In fine enim Eccleſia

C

multiplicabitur , quoniam omnium gentium plenitudine implebitur, vnde & ſubditur. *Et facta ſunt ei quatuordecim millia ouium , & ſex millia camelorum , & mille iuga boum , & mille aſina , & fuerunt ei ſeptem filij, & tres filia.* Quid per oues & camelos , boues & aſinas filios & filias ſignificetur , in libri huius principio dictum eſt. Quid vero numerus duplicatus ſignificet modo expoſuimus. Filiorum autem , & filiarum numerus non eſt duplicatus quoniam quamtumlibet creſceret, nil tamen amplius ſignificaret. Septem enim filij, ſeptem Eccleſiæ ſunt tres vero filiæ , tres mundi partes , in his autem tota fidelium multitudo continetur. Et hoc quidem in principio expoſitum eſt. *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen ſecunda Caſſiam, & nomen tertia Cornuſtibij.* Sancta enim Eccleſia , tota ex his tribus mulieribus conſtat. Etenim Dies eſt , quoniam ſoli iuſtitiæ ſubdita eſt , ſecundum illud. *Et fecit Deus luminare maius vt præeſſet diei.* Et Caſſia eſt , quoniam bonum circumquaque ſpargit odorem , vnde Apoſtolos : *Chriſti bonus odor ſumus*

D

Deo in omni loco. Et Cornuſtibij eſt , quia clara & ſublimi voce prædicationis vbique reſonat , ſecundum illud, *Buccinate in Neomenia tuba: Et laudate eum in ſono tuba.* Componitur autem Cornuſtibij, ex cornu & tibia, quod vtrumque prædicatorum voces deſignat. *Non ſunt autem inuenta mulieres ſpecioſa ſicut filia Iob in vniuerſa terra. Deditque eis hæreditatem pater ſuus inter fratres earum.* Nam neque Synagoga , neque Idolatria, neque alia quælibet Secta pulchritudini Eccleſiæ comparari poteſt, Ipſa enim eſt , quæ non habet maculam neque rugam. Et ipſa quidem inter fratres ſuos , id eſt inter Angelorum choros (qui eiuſdem , cuius & ipſa filij ſunt) hæreditatem ſuſcepit. Siue etiam , cum fratribus ſorores ad hæreditatem admittuntur , quoniam perfectis minus perfecti in beatitudine ſociantur. *Vixit autem poſt hæc Iob centum quadraginta annis , & vidit filios ſuos , & filios filiorum ſuorum vſque ad quartam generationem & mortuus eſt ſenex & plenus dierum.*

E

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis , Signienſis Epiſcopi Libri ſuper Apocalypſim.

PRÆFATIO.

APOCALYPSIS Ioannis tot habet Sacramenta , quot verba , parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ. His enim paucis verbis Beatus Hieronymus (cuius auctoritate , & prudentia non parum ſancta Eccleſia roboratur) aperte demonſtrat, quantæ liber ille ſit dignitatis. In cuius expoſitione , ideo nos poſt multos alios , qui eum expoſuerunt , laborare curauimus , quoniam etſi ſententias bene

F

ſint executi , in viſionum tamen continuatione diſtinctioneque parum quid dixiſſe videntur. Quamvis idipſum propter hoc ipſum , quidam amicorum meorum me facere rogauerunt , quorum vtique petitioni & voluntati parere idoneum æſtimaui. Et prius quidem quam ad Epiſcopatus dignitatem Chriſto Domino non meis meritis , me vocante , conſcenderem , Iugoni Aſtenſi Epiſcopo pſalterium , Senenſibus vero Canonicis cum quibus , & ipſe qualiſcumque Canonicus victitabam , Cantica Canticorum , prout potui , expoſui , poſt Epiſcopatum , autem hanc Beati Ioannis Apocalypſim , propter cauſam ſuperius memoratam, & ante hanc, Prophetarum nobiliſſimum Iſaiam , rogatu Damiani Venerabilis Abbatis , ſatis compendioſè lucideque , diſſerui. Hunc igitur librum , de quo nunc loquimur , ſeptem libris determinaui. Quoniam etſi plures habeat , ſeptem tamen eius principales ſunt viſiones , quarum , & verba diuerſa , & ſententia penè eadem eſſe videtur. In omni

G

bus enim Eccleſiæ perſecutiones narrantur, præter quod in vltimo cœleſtis Ieruſalem ædificia deſcribuntur.

Primus ſiquidem liber de ſeptem Eccleſiarum , totidemque Angelis , in quibus omnes vſque ad ſæculi conſummationem ſignificantur , abundanter loquitur , ſuaque vnicuique præmia, victori promittit. In ſecundo autem à principio naſcentis Eccleſiæ incipiens , in ſeptem ſigillis aperiendis , omnia eius vſque in finem Sacramenta , Beatus Ioannes (immo per eum Spiritus ſanctus) comprehendit. In tertio vero à Chriſti prædicatione initium faciens , in ſeptem Angelis tubis canentibus, vſque ad Antichriſti aduentum omnes Eccleſiæ perſecutiones per ordinem narrans , poſt Henoch , & Eliæ mortem , & reſurrectionem Chriſto Domino noſtro ad iudicium veniente , finem facit. Similiter autem , & in quarto à Saluatoris noſtri ſermone , ſanctæque matris Eccleſiæ porta & cruciatibus inchoans, ſub ſpecie beſtiæ ſeptem capitibus deformatæ , quid & à quibus Eccleſia paſſa ſit vſque ad vniuerſale iudicium , librum prætendit. At vero in quinto iterum ſicut in aliis à capite inci-

H

pit , & ſeptem Angelis ſeptem iracundiæ Dei Phialas plenas fundentibus , eadem , quæ in aliis ſignificando, ad eundem terminum venit. Sextus autem liber à Chriſto incipit , qui Draconem antiquum ſuo tempore ligat , & ſoluit , atque alios ſecunda morte damnando , alios vero ſecunda reſurrectione beatificando , illis infeliciſſimum, his glorioſiſſimum finem facit. In ſeptimo vero relinquitur ſabbatiſmus Dei , in quo ſeruilis operationis nihil fit nihilque narratur , ſed tantum cœleſtis Ieruſalem ædificia deſcribuntur , quæ omnium generum lapidibus exornata , & duodecim margaritis per duodecim portas decorata , nullum niſi decorum in ſe recipit habitatorem.

Explicit Præfatio.

INCIPIT

A

INCIPIT LIBER PRIMVS

CAPVT I.

APocalypſis Ieſu Chriſti quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito, & ſignificauit, mittens per Angelum ſuum, ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcunque vidit. Hæc, inquit B. Ioannes Apocalypſis, id eſt reuelatio, non mea quidem ſed Chriſti Ieſu. Væ enim prophetis, qui Prophetant, de corde ſuo. Vnde & ad Ieruſalem dicitur. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa*, quales in libris Regum plures inueniuntur. Vt ergo Apoſtolus & propheta ſe a talibus ſequeſtraret, dicens Apocalypſis, addidit, Chriſti Ieſu. Sed vnde & à quo Chriſtus eam accepit ? vis audire à quo ? quam dedit illi B Deus. Chriſtus Ieſus, & homo eſt & Deus: ſecundum hominem autem mortalis, & ignorantiæ ſubditus: at vero ſecundum Deum immortalis & omnia ſciens, Deus ergo, id eſt Diuinitas, quæ in Chriſto erat, immo & eſt, dedit eam Chriſto Ieſu: Quod nihil eſt aliud, quam Chriſtus Ieſus dedit hanc reuelationem, hoc eſt ipſe ſibi Quare autem eam dederit, ſequitur: Palam facere ſeruis ſuis, id eſt, vt ſeruis ſuis palam eam faceret, & reuelaret. Poteſt autem, & ſic intelligi, vt Pater eam filio dederit. Vnde & ipſe filius ait. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Itemque. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, Patris.* Sequitur. Quæ oportet fieri cito, ea inquit, Saluator noſter, ſeruis ſuis palam fecit, & reuelauit, quæ cito & non poſt multum temporis fieri oportet. Nam & paſſiones Martyrum hic enarrantur, quæ adhuc viuente Apoſtolo fieri cæperunt Denique ad ſummæ prouidentiæ intuitum omnia cito fiunt quamlibet multum morentur. Et ſignificauit, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni: Significauit, C inquit, palam fecit & reuelauit. Hoc autem per Angelum ſuum mittens principaliter ſeruo ſuo Ioanni, qui cæteris conſeruis eam manifeſtaret. Sed quis eſt iſte Ioannes, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei ? Quale teſtimonium ? *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Vnde & ipſe ait. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibuit de his, & ſcripſit hæc; & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.* Sed vnde teſtimonium Dei verbo perhibuit ? omnium quidem quæcunque vidit. Sic & in Epiſtola ſua ait. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & vidimus de verbo vitæ, & manus noſtræ tractauerunt, annunciamus vobis.*

Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt. Quam ſit laudabilis hæc Prophetia, in his verbis declarat: Beatus, inquit, non ſolum, qui legit verba prophetiæ huius, (quod quidem paucorum eſt) verum etiam, & qui audit, quod pæne omnibus datum eſt. Sic tamen, ſi ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt. Magna quidem eſt promiſſio, ſed D laborioſa eſt obſeruatio. Vnde & Apoſtolus ait. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*

Tempus prope eſt. Prope eſt, inquit tempus, quo & iſta compleantur, & Chriſtus ad iudicium veniens ſua præcepta ſeruantibus, merita retribuat. Vnde & in fine huius libri dicit. *Ecce venio velociter, beatus, qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius.*

Ioannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia, gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Quæ ſint autem iſtæ ſeptem Eccleſiæ, in ſequentibus declaratur. His autem Beatus Ioannes hanc Apocalipſin mittens ait. *Gratia vobis & pax*, quoniam ad gratiam & bonam voluntatem, & ſummi Dei pacem reconciliati eſtis Hic autem ab eo, qui eſt quem Iudæi non eſſe putant, & qui erat, prius etiam quam de Virgine naſceretur: & qui venturus eſt, mundum videlicet iudicare, atque vnicuique ſecundum merita dare.

Inſuper & a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni E *eius ſunt.* Hos autem ſeptem ſpiritus, ſiue magis ſeptem Spiritus ſancti gratias, Propheta enumerans ait. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Hi autem in conſpectu throni eius eſſe dicuntur, per quem Chriſti humanitatem vel ſanctam Eccleſiam intelligimus. Nunc autem ad ſuperiora reuertitur; Nam quoniam indeterminate dixerat, ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, vt ſciretur de quo loquebatur, adiunxit.

Et ab Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ. Teſtis namque fidelis ille eſt qui ait. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Ipſe enim quotidie interpellat pro nobis ad Patrem. Eſt autem & primogenitus mortuorum, quoniam nemo ante ipſum ad immortalitatem à mortuis reſurrexit. Omnes enim F iterum mortui ſunt, quicumque ante eum reſurrexerunt. Poteſt autem & ſic intelligi, vt non ſolum eorum, qui tunc, quando iſta dicebantur viuebant, verum etiam omnium, qui iam pridem mortui erant, ipſe ſit primogenitus. Vnde & primogenitus alibi dicitur, ante omnem creaturam. Eſt autem princeps Regum terræ, vtpote, Rex Regum, & Dominus dominantium. *Merito igitur gratia & pax ab eodem nobis donari dicitur*, quoniam per ipſum reconciliati ſumus, cooperante videlicet Spiritu Sancto, in quo ſumus regenerati & illluminati.

Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Quantum enim nos ipſe dilexerit, apertiſſime demonſtrauit, cum pro nobis omnibus mori non dubitauerit. Nam, ſicut ipſe ait, maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Lauit autem nos in ſanguine ſuo, qui ideo ex ipſius latere ſimul cum aqua defluxit, vt non ſolum nos redimeret, verum etiam à peccatorum ſordibus G emundaret.

Et fecit nos Regnum, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum Amen. A priuilegio maioris partis regnum noſtrum ſacerdotes appellat, quoniam non tyranni, & homicidæ, ſicut in aliis, immo ſacerdotes, & Epiſcopi in Eccleſia Dei obtinent, principatum. Nam & ſecundum Apoſtolum, totum Regnum noſtrum in ſacerdotio, conſiſtit, qui omnes ſacrificate præcipiens ait, *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem.* Ipſi autem ſit gloria, iam fugatis & victis inimicis. Et imperium, quia vbique dominatur. Hoc autem non ad tempus, vt Imperatoribus Romanis, verum etiam in ſæcula ſæculorum. Quod nos quidem confirmantes, lætabundi omnes dicamus amen.

Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ; etiam. Amen. Legitur enim in Actibus Apoſtolorum: quod cœlos aſcendentem nubes eum ſuſ- H ceperit ab oculis eorum, deinde Angeli dixiſſe memorantur. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* In nube ergo veniet, ſiquidem in nube aſcendit, Poſſumus autem, & per nubes, prophetas, & Apoſtolos intelligere, per quorum doctrinam quaſi per pluuiam fides in Eccleſia germinauit. Cum his autem ad iudicium veniet, quoniam & ipſi iudices erunt. Et videbit eum omnis oculus, non ſolum ſanctorum verum etiam Iudæorum qui eum crucifixerunt & occiderunt: vt & illi de fide gaudeant, & illi de ſua perfidia doleant. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ, alij quidem præ gaudio, alij vero præ timore alij quia parum, alij quia nihil ei ſeruierunt. Quod autem ſubditur, Etiam, Amen, quorum alterum eſt latinum, alterum Hebræum: eſt confirmatio eſt eorum, quæ dicta ſunt, vt omnes & Latini & Hebræi eum Regem, & Iudicem clament. Neque dicent: *non habemus Regem niſi Cæſarem*, cum Regem viderint etiam ſupra Cæſarem.

A *Ego ſum Alpha & Omega principium & finis dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Hæc enim duo elementa ſic in græcorum alphabetho poſita ſunt, vt alterum primum, alterum vltimum locum obtineat. Eſt ergo Chriſtus Alpha & Omega, primus & nouiſſimus, initium & finis, primus ante omnia, finis poſt omnia, à quo cũcta procedunt, ad quem cuncta redeunt: intra quem omnia, extra quem nihil, ad quem, qui peruenerit, vltra non habet quo vadat, & ipſe quidem reuera eſt, quoniam ſemper eſt. Ipſe eſt, qui erat, quoniam in principio erat, ipſe etiam venturus eſt, ſicut ſupra dictum eſt.

Ego Ioannes frater veſter & ſocius in tribulatione, & regno in patientia in Chriſto Ieſu fui in inſula, quæ vocatur Pathmos propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu fui in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, Quod vides ſcribe in libro, & mitte Septem Eccleſiis, B *Epheſum, & Smyrnam, & Pergamum, & Tiatiram, & Sardis, & Philadelphiam, & Laodiciam.* Ego, inquit, Ioannes, Dei gratia interpretatus, per Dei gratiam in Apoſtolatum electus, Frater veſter, quem ſicut vos, ex aqua & ſpiritu ſancto, ſancta mater Eccleſia genuit. Et ſocius in tribulatione ne vos in tribulationibus deficiatis, quas me quoq; Apoſtolum, & Doctorem veſtrum ferre videtis. Socius & in regno, vt eadem perferentes, eandem quoque gloriam ſuſcipiamus. Et in patientia ſocius, vt & vos, ſicut ego, magis pati velitis, quam de iniuria vindicare, quam vtique patientiam in Chriſto fuiſſe audiſtis, qui cum ſe defendere poſſet, mortem tamen & crucẽ ſuſtinuit. Ego, inquit, fui in inſula, quæ vocatur Pathmos, propter verbum Dei, lege hiſtorias, & inuenies, Beatum Ioannem propter inſuperabilem euangelizandi conſtantiam, & quia teſtimonium perhibebat Ieſu, in Pathmos, inſulam in exilium C miſſum. Vidit autem hanc viſionem in Dominica die, vt eam ipſius eſſe non dubitaret, cuius eſt & dies. Præcipitur autem ſibi, vt quod in ſpiritu videt, in libro ſcribat, & ſeptem Eccleſiis mittat, vt per has ſeptem, omnes alias mundi Eccleſias intelligamus. De his autem & propheta olim prædixerat. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.* Et bene ſeptem dicuntur, quoniam ſeptem à ſeptem ſpiritibus reguntur, & in ſeptem diebus includuntur.

Et conuerſus ſum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum & conuerſus vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillam Zona aurea. Conuerſus namque ſpiritualem intelligentiam Beatus Ioannes, vidit & intellexit vocem illam, quæ cum eo loquebatur. Conuertere ergo & tu, quicumque hanc prophetiam intelligere cupis, vt nihil carnaliter ſapiens, totus ad ſpiritualem intellectum rapiaris. Septem autem candelabra aurea, ſicut in ſequentibus demon- D ſtratur, ſeptem ſunt Eccleſiæ, quas ſæpius memorauit. Et merito candelabris Eccleſiæ comparantur, ſuper quas, vt cæteris lumen præbeant, quaſi lucernæ Epiſcopi conſtituuntur, Vnde & in Euangelio Dominus ait. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Quæ ideo aurea fuiſſe memorantur, quoniam ſicut aurum omnibus metallis præfertur, ita & Eccleſia, fulgure ſapientiæ & integritate fidei, & incorruptione virtutum, cunctis nationibus melior eſt. In medio autem ſimilis filio hominis videtur, per quem Chriſtum intelligimus qui perfectus Deus perfectuſque homo eſt. Dicitur autem veſtitus podere, carne videlicet virginali & incorruptibili, quam nulla vnquam macula denigrare valuit. Sed & quid Zona aurea circa mamillas niſi ſapientia in corde? (inter mamillas namque iacet cor) Vt ergo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros in Chriſti pectore reconditos demonſtraret, Zona aurea eius mamillam, præcinctam dixit. Si autem & tibi ſapientia fulget in pectore, (hoc eſt enim Zona aurea circa mamillas) cinge eam ne effluat, ſtringe ne amittas, dic cum Propheta: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.*

E *Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius velut flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Caput eius atque capilli, lanæ, & niui comparantur, vt qui nuper in Iudæa, adoleſcens & iuuenis apparuit, vetuſtus & plenus dierum, & cunctis Patriarchis, & Prophetis antiquior intelligatur. Ideoque & Iudæis, quamuis ſibi indignantibus ipſe dicebat. *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Et quamuis huius videretur eſſe ætatis, in qua & oculi caligare, & pedes laſſeſcere, & vox deficere ſolet, tamen & oculi perſpicaces, & pedes fortes, & vox ſublimis, & cætera virilis valetudinis in eo eſſe videbantur. Poſſumus autem & per oculos eius, prophetas intelligere, qui claro, & perſpicaci intuitu, vſque ad ſæculi conſummationem cuncta perſpexerunt, per pedes vero aurichalco ſimiles, Apoſtolos virtutibus validos, ſapientia claros, & charitatis igne accenſos in- F telligamus, de quibus dicitur: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Vox vero ipſius, quæ quaſi aquæ multæ reſonabat, ſancta prædicatio, popolique laudatio eſt, quæ vbique terrarum, cunctorum ore fidelium, Dominum magnificat.

Et habebat dextera ſua ſeptem ſtellas, & de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat, & facies eius, ſicut ſol lucens in virtute ſua. Quod autem hæ ſeptem ſtellæ, ſeptem ſunt ſupradictarum Eccleſiarum Angeli, id eſt Epiſcopi, ipſe in ſequentibus apertiſſime demonſtrat. Hos autem in ſua dextera Chriſtus habet, quia in ſua virtute diſponit & regit. Gladius autem ex vtraque parte acutus, qui ex eius ore exibat ſermo ipſius eſt, de quo Apoſtolus ait. *Et gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei. Itemque Viuus eſt enim Dei ſermo & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Vtrimque autem acutus gladius dicitur, quoniam vndique peccatores percutit. Facies iſta autem Chriſti ſicut ſol in meridie ita lucebat, quia quamuis ſenex eſſet, ſenectutis tamen pallor, & macies in eo non apparebat. Ante hanc autem faciem, G quando peruenerint, quaſi ſol in regno Dei, Sancti fulgebunt.

Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus & poſuit dexteram ſuam ſuper me dicens: Noli timere ego ſum primus & nouiſſimus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferni. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc. Quaſi mortuus cecidit Beatus Ioannes, quoniam adhuc mortalis tantam viſionem ferre non potuit. Sic & Daniel poſt illam terribilem viſionem cecidit & ægrotauit. Poſuit autem Dominus dexteram ſuam ſuper eum, quia ſuæ virtutes præſentia eum confortauit, & ait. *Ego ſum primus & nouiſſimus.* Hoc autem ſuperius expoſitum eſt. Et fui mortuus ſecundum carnem: Et ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum. Vnde Apoſtolus, Chriſtus, inquit, *ſemel mortuus eſt, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Et habeo claues mortis & inferni, prius enim mors, & diabolus vbique vagabantur, prius omnes inferni portæ apertæ H erant, vndique illuc concurſus fiebat populorum: at vero quia nunc paradiſi portæ apertæ ſunt, clauſæ ſunt portæ mortis, in carcere & ſub claue diabolus premitur. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, id eſt, quæ modo in Eccleſia aguntur, & quæ oportet fieri poſt hæc. Magnus iſte liber, in quo præterita, præſentia & futura continentur.

Myſterium ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabrorum aureorum: ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & ſeptem candelabra ſeptem Eccleſiæ ſunt. Expoſitio eſt ſuperiorum myſterium autem res eſt occulta, & figuraliter ſiue allegoricè dicta.

CAPVT II.

ET Angelo Epheſi ſcribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem

A

candelabrorum aureorum: Scio opera tua, & laborem & patientiam tuam & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt eſſe Apoſtolos, & non ſunt; & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Epiſcopum Epheſiorum, Angelum appellat, quoniam Chriſti legatione fungens Euangelium populo annunciabat: Angelus enim nuncius interpretatur. Septem autem ſtellæ, ſeptem Epiſcopi ſunt, quorum & iſte vnus erat. Et eſt finitum pro infinito, per hos enim omnes alios intelligimus. Quos in dextera ſua Dominum tenere perhibetur, quoniam non ſuæ, ſed illius ſunt ditionis, ipſe eos regit, atque gubernat, ipſe inter mundi huius turbines & tempeſtates, ſuſtinet, ne cadant. Stellæ autem ideo dicuntur, quoniam, vt Apoſtolus ait, *Sic inter peccatores fulgent, quaſi luminaria in mundo.* Ambulat autem in medio ſeptem candelabrorum aureorum, quæ ſeptem Eccleſias ſuperius ſignificare dixit. Ambulat quippe in medio Eccleſiarum, quoniam, ſicut bonus paterfamilias, & greges & paſtores viſitans, vniuſcuiuſ-

B

que vitam & opera conſiderat: hinc autem ſupra dictum Epiſcopum, de opere, labore & patientia laudare incipit, quem in tantum mali perſequebantur, vt eos ſuſtinere non poſſet: præterea neque falſis Apoſtolis participare voluit, ſed tentans eos, inuenit mendaces, vnde & illorum vitauit conſortium, & quamuis pro Chriſti nomine multa ſuſtinuerit, magna tamen præditus patientia non defecit.

Sed habeo aduerſum te pauca, quia charitatem tuam primam reliquiſti, memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac: Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Hunc enim quem de labore & patientia multum laudauerat, quia ex culmine charitatis, quam prius magnam habuit, nunc cecidiſſe redarguit. Admonet ergo vt pœnitentiam agat, alioquin contra eum veniet: ſiuumque candelabrũ de loco ſuo mouebit. Mouetur enim candelabrum de loco ſuo, quando à proprio Epiſcopo eccleſia ſeparatur: tantum ergo valet pœnitẽtia, vt eum iterum Ec-

C

cleſiæ reconciliet, qui ab ea ſeparari prius dignus fuerat.

Sed hoc habes bonum, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Qui habet aures audiendi audiat: quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Reprehenſus de charitate de fidei tamen conſtantia laudatur. Nicolaitæ namque hæretici, idolotitum edere iubebant: inſuper & mulieres omnes volebant eſſe communes. Quod autem ait: *Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis.* procul dubio non corporis ſed cordis aures requirit. Lignum autem vitæ, in paradiſo nos docuit Moyſes, de quo primo homini comedere interdictum eſt, datur igitur vincenti, quod negatum fuerat victo. Vince igitur prius, & ſic demum accede ad lignum vitæ, prius reſeca, pelle odia, ſupera inimicos, deinde comede. Qui enim manducauerit, & biberit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. Paradiſus Dei Eccleſia eſt, hortus reuera deliciarum. Lignum vitæ, caro Chriſti eſt: lignum vitæ ſapientia Dei eſt: de qua & dicitur: *Lignum vitæ his qui appre-*

D

henderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.

Et Angelo Smirnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus & nouiſſimus, qui fuit mortuus & viuit: Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es, & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Sathanæ: nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Nam quia Iudæi, priuſquam carnem ſumeret, Chriſtum non fuiſſe dicunt, ideo, primum ſe vocat. Quia vero ſicut cæteros homines, mortuum putant, nouiſſimum ſe appellat. Non tamen ſecundum carnem ſe mortuum fuiſſe negat, veruntamen reſurrexiſſe, quod illi non credunt, in æternum ſe viuere affirmat. Laudat autem Smirnæ Epiſcopum, non ſolum de tribulationibus, per quas intrauri ſimus in regna cælorum, verum etiam de paupertate. Beatus igitur Epiſcopus, qui ſic ſua diſtribuit, vt ſemper pauper viuat, talis enim diues eſt, ſicut de iſto dicitur. Vnde, & Apoſtolus ait. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Multi

E

autem ſe Iudæos eſſe dicunt, ſed non ſunt, in quibus veraciter habitat Sathanas: Iudæus enim, Confeſſor interpretatur: Quicunque igitur Chriſtum Dei filium eſſe non confitetur, hic Iudæus non eſt. Audi Apoſtolum: *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, ſed qui in abſcondito, & circuncisio non carnis ſed ſpiritus.*

Ecce miſſurus eſt diabolus ex vobis in carcerem vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem: eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aures audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis, qui vicerit, non lædentur à morte ſecunda. Multa, inquit, paſſurus es, ſed nihil timeas. Ecce enim diabolus, & membra eius: ecce vero Nero, Diocletianus & Maximianus, multos ex vobis in carcerem miſſurus eſt, vt tentemini an fideles ſitis: vt tentemini ſi forte vos decipere valeant. Et habebitis tribulationem diebus decem, nullus enim numerus procedit vltra decem: omnis enim, qui numerat poſtquam ad decem peruenerit, iterum ab vno incipiens ad decem vſque recurrit, in numero vlterius progredi neſ-

F

cit, niſi tantum ab vno numerare incipiat. Quid ergo eſt, tribulationem habere diebus decem? Hoc eſt, tribulationem habere cunctis diebus. Sequitur Eſto fidelis vſque ad mortem: vſque ad mortem namque Sancti Martyres fideles extiterunt, quia nec in ipſa morte Chriſtum negauerunt. Sed quo fructu? Et dabo, inquit, tibi coronam vitæ. *Nemo enim coronabitur, niſi qui legitime certauerit*, Quid eſt autem corona vitæ, niſi æternus immortaliſque triumphus? Qui habet aures audiat quid per os meum ſpiritus dicat Eccleſiis. Qui vicerit tentationes diaboli, non læditur à morte ſecunda: primam enim mortem, quæ in corpore fit, nemo vnquam euadere poterit, at vero à ſecunda, qua animæ à Deo ſeparatæ, æternis tradentur ſupliciis, ſolummodo ſancti non læduntur.

Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit, qui habet romphæam ex vtraque parte acutam. Scio vbi habitas, vbi ſedes & Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam Diximus ſuperius, quod de eius ore exibat

G

gladius ex vtraque parte acutus, quem hoc loco romphæam appellat, per quam iudiciariam intelligimus poteſtatem. Laudat autem Pergami Epiſcopum, quod etiam inter malos bonus extiterit, & cum inter eos habitet: vbi ſedes eſt Sathanæ, in quorum corde diabolus ſedet & regnat, nomen Chriſti tamen tenuit, verumque Chriſtianitatis nomem habuit, & Chriſti fidem nunquam negauit.

Et in diebus, Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, vbi Sathanas habitat. Antipas, vt fertur Martyr quidam fuit, qui pro Chriſti nomine Pergami ab iniquis occiſus eſt. Ait ergo. In diebus, Antipas qui fuit teſtis meus fidelis, ſiquidem pro meo nomine occiſus eſt. Apud vos, id eſt, in ciuitate veſtra, in qua propter habitantium iniquitatem, ipſe quoque magiſter eorum Sathanas habitare dignoſcitur. In diebus, inquam, Antipas, & fides tua ſubauditur, probata eſt, & quod Sathanas Pergami habitet manifeſtatum

Sed habeo aduerſum te pauca, quoniam habes ibi tenen-

H

tes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum, coram filiis Iſraël, edere & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Prædictus Epiſcopus de fide laudatur de negligentia reprehenditur, videlicet, quod apud ſe hæreticos eſſe permiſerit, & contra Nicolaitarum hæreſin totis viribus non pugnauerit. Legitur autem, quod Balaam Propheta cum veniſſet ad Balac Regem Moabitarum, vt Dei populo malediceret, cumque rex, quia maledicere noluit, ei indignatus eſſet, Propheta Regi placere volens, conſilium dedit, vt venienti Iſraëli cibos pararet, atque mulieres apponeret, quæ eos ad fornicationem incitarent, quod in quantam filiis Iſraël ruinam acciderit, lege hiſtoriam & inuenies. Hic autem Nicolaitarum hæreſis, ſimilis fuit, qui idolotytis veſci licere, & mulieribus promiſcue vti licere docebat.

Similiter pœnitentiam age. ſi quo minus, veniam tibi cito & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet, aures,

A *audiat, quid Spritus dicat Eccleſiis.* Præcipitur & iſti vt pœnitentiam agat, quod ſi non fecerit, cito ad eum Dominus veniet, ideſt; ſubito eum iudicabit, atque de hac vita vocabit, quo ſublato, alius pro eo ſubrogabitur, per quem contra hæreticos in ſui oris gladio Chriſtus pugnabit. Hoc autem Epiſcopi audiant & viriliter pugnent, ne militare cingulum amittant. Hic enim gladius vtrimque acutus, nouum eſt & vetus teſtamentum, vt qui nouis credere nolunt, veteribus conuincantur exemplis: & qui Apoſtolis non credunt, Prophetis credant. Diſputo cum Iudæo, non timet gladium Pauli, voluo enſem, necatur ab Iſaia. Talis igitur eſt gladius Chriſti.

Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo ei calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Quis pro tali ſponſione non prælietur? quis pro tanto munere non currat in hoſtem? Et ego quidem manna abſconditum illud eſſe puto, quod olim ſuis diſcipulis Chriſtus promittebat dicens.

B *Et ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* O manna abſconditum, ô deliciæ incognitæ, beatus, qui ad has pertingere valeat. Sed quid per calculum candidum, niſi corpus immortale? Calculum quidem, quia forte, & impaſſibile, candidum autem, quia nouum & mundum, ab omni ſorde purgatum. In peccatoribus autem non candidus calculus, ſed nigra terra, & caro corruptibilis videtur. Nomen autem nouum in calculo ſcriptum, non eſt noſtrum perſcrutari quale erit, quoniam nemo illud ſcit, niſi qui accipit. Quod enim nemo ſcit, ſi dico quale ſit, mentior vtique, quia dico, quod neſcio, nondum enim accepi: ô vtinam aliquando accipere merear. Non dubito tamen, multo melius, dignius eſſe iſto, quo modo vtimur, & quo & homines vocamur.

Et Angelo Tyatiræ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit filius Dei: qui habet oculos, vt flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco: Noui opera tua & charitatem, & fidem & miniſterium & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima C *plura prioribus. Sed habeo aduerſus te, quia permittis mulierem Iezabel quæ ſe dicit Prophetas docere, & ſeducit ſeruos meos fornicari, & manducare de idolotytis.* Quare autem Dei filius oculos habeat, vt flamma ignis: & pedes aurichalco ſimiles, iam ſuperius dictum eſt. Hunc quoque Epiſcopum ſicut ſuperiorem, de opere, charitate, & fide, de miniſterio & patientia laudat, qui ſemper de virtute in virtutem proficiens ſeipſo ſemper melior fuerit. Reprehenditur tamen, quod mulierem Iezabel non redarguerit, quæ praue Prophetas exponendo, Dei ſeruos peccare cogebat. Iezabel namque fluxus ſanguinis interpretatur, ſignificat autem hæreticorum Eccleſiam, quæ de animarum morte, & ſanguine gaudés, ſimplices quoſque tunc temporis decipiens, poſt Deos fornicari, & idolotytis veſci docebat.

Et dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere de fornicatione ſua. Et ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam egerint ab operibus ſuis, & filios eorum in- D *terficiam in morte, & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum Dominus, ſcrutans corda & renes, & dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera veſtra.* Clementiſſimus Dominus, qui non vult mortem peccatoris, ſed vitam, qui ideo dat tempus pœnitentiæ, ne ſua pereat creatura. Nam quia iſta Iezabel, ideſt impia hæreticorum multitudo, pœnitentiam agere noluit, ideo de ea dicitur. *Ecce mittam eam in lectum*, in lectum mittitur, quatenus omni Sathanæ priuata virtute, langueſcat, & vires amittat, per quod datur intelligi, vt quamuis pœnitentiam agere nolit, in ſua tamen perfidia non diutius gloriabitur: cito enim illa hereſis deſtructa eſt, Similiter autem, & illi qui cum ea mœchantur, ideſt, qui eius blanditiis & ſeductionibus acquieſcunt, niſi & ipſi pœnitentiam egerint, & à tali operatione ceſſauerint, & in maxima tribulatione, & doloribus ſempiternis ſimul cum ea erunt. Vnde & ſubditur. *Et filios eorum interficiam in morte*, ideſt, eorum ſequaces morte morientur æterna. Et tunc tandem

E ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans corda & renes: Scit enim Dominus in cuius corde ſit peruerſa ſcientia, & cuius renibus libido dominetur; vnde & *iuſtus iudex*, dicitur de cuius oculis nemo ſe abſcondere valet; *qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua:* quoniam & ſancti à ſe differunt in claritate, & mali ſecundum merita pœnas, recipiunt.

Vobis autem dico cæteris, qui Tyatiræ eſtis, quicunque enim habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem Sathanæ, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos illud pondus, tantum id quod habetis tenete, donec veniam, & qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes & reget illas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eas. ſicut ego accepi à Patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam. Qui habet aures audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis. Minatus eſt enim ſuperius Iezabel & ſequacibus eius, nunc autem fidelium eiuſdem ciuitatis alloquitur multitudinem, eiſque promittit, quia nequaquam aliud pondus ſuper eos mit- F tet, neque aliam pœnitentiam vel ſatisfactionem eis imponet, de hoc videlicet, quod cum hæreticis conuerſati ſunt. Sic tamen ſi eorum doctrinam non receperint, & altitudinem, ſuperbiam & aſturiam Sathanæ non cognouerint, vt illam imitarentur, atque diligerent. Quod autem ſequitur: quemadmodum dicunt, prouerbium erat apud eos; nam, quem ſuperbia inflatum videbant illum Sathanæ ſecreta, & altitudinem cognoſcere dicebant. Sequitur. *Tantum id, quod habetis tenete, donec veniam.* Venit quippe, quando vnumquemque de huius tabernaculi habitatione per mortem vocat. Quod tamen, & de vniuerſali iudicio accipi poteſt. Qui autem Sathanæ inſidias vicerit, & Dei opera vſque in finem cuſtodierit, dabit illi poteſtatem ſuper gentes, gentes vtique hæreticorum & Iudæorum, quas ſic ad ſuum nutum reget vtique & conſtringet, vt neque euagandi neque fugiendi licentiam habeant, Has autem in virga ferrea, id eſt, imperio, & doctrina forti & inſuperabili, tanquam vaſa figuli, quæ vtique fragilia ſunt, confringet atque comminuet. G Quod autem ſequitur. *Sicut ego accepi à patre meo*, talem ſe ſuis ſeruis poteſtatem dare ſignificat, qualem & ipſe naturaliter habet, vnde ipſe ait. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet:* Et dabo illi ſtellam matutinam, ſtellam vtique matutinam, ſtellam claram & lucidam, ſtellam ſolis & diei nunciam, de qua ſcriptum eſt: *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſraël.* Nihil enim maius ei dari poterit, qui Dei filij præſentiam, claritatem & illuminationem ante oculos ſemper habebit: hoc enim ille deſiderabat, qui dicebat: *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.*

CAPVT III.

ANgelo Sardis Eccleſiæ ſcribe; Hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas. Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es, eſto vigilans & confirma reliqua, quæ mortua erant: non enim inueni H *opera tua plena coram Deo meo: in mente ergo habe, qualiter acceperis & audieris, & ſerua & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris veniam tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.* Quid enim ſignificent ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellæ, iam ſuperius expoſitum eſt. Hic autem Epiſcopus, aliter à populo, atque aliter à Deo iudicabatur: nam etſi à populo laudaretur, apud Deum tamen mortuus iam, & inutilis erat: vnde admonetur vt ſit vigilans, corporis & deſidiæ ſomnum à ſe repellat, & opera, quæ iam in ſe pœne moritura erant, iterum confirmet atque viuificet, non enim inueniuntur plena coram Deo. Plena namque illa opera & perfecta ſunt coram Deo, quæ non ad vulgi fauorem, ſed ex bona mẽtis intentione fiunt. In mente ergo habere præcipitur, quam puram & ſinceram doctrinam ab Apoſtolis acceperit & audierit, eãque cuſtodiat & obſeruet, & de his in quibus deliquit, pœnitentiam agat, alioquin tãquam fur, & qua hora neſciet, ad eũ veniens, de hac vita ſubito illũ exire cõpellet.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inqui-

A *nauerunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ: & confitebor nomen eius coram Patre meo & coram Angelis eius. Qui habet aures audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Tu, inquit, non ſicut debuiſti, vixiſti, habes tamen paucos in populo tibi commiſſo, quorum nomina iam ſcripta ſunt in libro vitæ. Et hi quidem non inquinauerunt veſtimenta ſua & corpora ſua, vt hæreticorum ſpurcitiis aſſentirent, & ſeſe luxoriæ & idolatriæ ſubiugarent, ſed ſemper ambulauerunt mecum in albis nulla vitiorum ſorde denigrati. Mecum, inquit, quoniam huiuſmodi modo conſortio digni ſunt. Quicunque autem ita vicerit, vt illi vicerunt, ſic veſtietur veſtimentis albis quemadmodum illi veſtiti ſunt, neque delebo nomen eius de libro vitæ, liber namque vitę, diſpoſitio & memoria illius eſt. Vnde & ſubditur.

B *Et confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.* Nullæ enim ibi cartæ, vel litteræ ſunt neceſſariæ, vbi talis eſt doctor, ad nomina recitanda.

Et Angelo Philadelphiæ ſcribe. Hæc dicit ſanctus, & verus, qui habet claues Dauid; qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit; Scio opera tua, & ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere, quia modicā habes virtutem, & ſeruaſti nomen meum: ecce dabo de Synagoga Sathanæ, qui ſe dicunt Iudæos eſſe & non ſunt, ſed mentiuntur: ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient, quia dilexi te, quoniam ſeruaſti verbū patientiæ meæ. Hæc, inquit, dicit ſanctus & verus Chriſtus videlicet Dominus noſter, qui nunquam mentitur, nullum decipit, qui habet clauem & fortitudinem patris ſui Dauid. Dauid namque manu fortis interpretatur, cuius vigor & fortitudo velut clauis quædam erat ad inimicorum ciuitatem capiendam & reſerandam. Hanc autem clauem hæreditariam & Chriſtus habet, qui illas duas & maximas ciuitates, infernum videlicet, & paradiſum, aperit & claudit cui vult, quo quidem C aperiente nemo claudit, quo claudente nemo aperit. Vnde & ſubditur. *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere,* per quod paradiſi ianuam intelligere poſſumus, ſiue illud de quo Apoſtolus ait: *Oſtium mihi magnum, & euidens apertum eſt, & aduerſarij multi,* ſignificatur aures omnium ſibi eſſe apertas ad Euangelium audiendum. Sic & in hoc loco, *etſi hæretici huic Epiſcopo reſiſtant, tamen aures & auditum fidelium claudere non poterunt.* Sed & quia modicam habet virtutem, ideſt, paucos in hoc opere auxiliatores, ipſe Dominus auxiliator eius multos de Synagoga Sathanæ, qui ſe Iudæos eſſe mentiuntur, ei ſubiiciet & humiliabit, vt & ad fidem conuertantur & victi ſuccumbant. Vnde & ſubditur. *Ecce faciam illas, vt veniant, & adorent ante pedes tuos,* iam ſcilicet ad fidem conuerſi, & rei veritatem cognoſcentes. Et ecce tandem ſcient, quia ego dilexi te, & hoc merito. Seruaſti enim verbum patientiæ meę: nam, quia pœnitentiam prædicaui, D tu quoque mea verba conſiderans omnia patienter ſuſtinuiſti.

Et ego te ſeruabo ad horam tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito, tene, quod habes, & nemo accipiat coronam tuam. Et qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Domino, & nomen meum nouum. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Tu ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego quoque te ſeruabo ad horam tentationis, quæ vbique terrarum ventura eſt. Nemo eſt enim, qui non tentetur, ſed non omnes ſuperantur. Vnde Apoſtolus. *Tentatio vos non apprehendat niſi humana.* Ecce venio cito, te, ſubauditur & à tentationibus liberare, & pro patientia coronare. Tene ergo quod habes, nullus te à tuæ fidei conſtantia ſeparare valeat, & nemo accipiat coronam tuam: nemo tibi ſubripiat locum tibi præordinatum. Et qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei: Tales enim columnæ, Petrus Iacobus, & Ioannes fuerū: de quibus Apoſtolus ait. *Qui videbantur columnæ eſſe Eccleſiæ.* Super hos Eccleſia nima E ta & fundata eſt ſecundum illud. *Ego cōfirmaui columnas eius.* Et Apoſtolus. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum,* Eorum namque doctrina, & exemplis vſque in finem Eccleſia regetur & ſuſtinebitur. Et foras non egredietur amplius; qui ergo ab Eccleſia ſeparatur, ſciat ſe nondum eſſe victorem. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Domino, & nomen meum nouum, non ſolum, inquit, nomen meum ſuper eum ſcribam, vt à Chriſto chriſtiani vocentur, verum etiam & nomen Dei mei vt & ipſi Dij appellentur, ſecundum illud: *Et ego dixi Dij eſtis.* Inſuper & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, vt ſicut ipſa vniuerſaliter ſponſa Chriſti vocatur, ita & vniuſcuiuſque anima ſingulariter nuncupatur. Vnde Apoſtolus ait.

F *Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quod autem Ieruſalem ſponſa Chriſti dicatur, audi nunc eundem in fine libri huius dicentem. *Vidi,* inquit, *ciuitatem nouam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo paratam, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.* Poſſumus autem & nomen illud, quod ei ab Angelo expoſitum eſt nouum Chriſti nomen intelligere, ſic enim ſcriptum eſt. *Et vocabis nomen eius Ieſum,* quod interpretatur Saluator, nemo enim ſaluatur, niſi hoc nomine inſignitus.

Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit Amen teſtis fidelis &, verus qui eſt principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, & neque frigidus, neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Chriſtus enim. Amen vocatur, quod hebraice neutraliter, ſignificat verum. Dicatur ergo: Hoc dicit ille, qui de ſeipſo ait. *Ego ſum via veritas, & vita:* Idipſum enim veritas, & verum ſignificat. Qui eſt teſtis fidelis & verus, ſicut iam ſuperius expoſitum eſt. Qui eſt principium crea- G turæ Dei, à quo omnis videlicet creatura ſumpſit exordium. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: hic enim Epiſcopus ſic ſe pro tempore calliđe habebat, vt ſimul bonis faueret, & malis: vnde cuius potiſſimum ſectæ fuiſſet, non facile diſcerni poterat. Idcoque ſubditur. *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus,* vt Dei populum per tuam hypocriſin decipere non poſſes: ſed quia tepidus es, & neque frigidus neque calidus incipiam te euomere ex ore meo, ac ſi dicat, anguis es mihi in ſtomacho, nauſeam mihi facis, non te vlterius ſufferre poſſum: eiiciam te ergo ex ore meo, & nominis tui non memorabor amplius.

Quia dicis, quod diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum; vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos vt videas. Ego quos amo, arguo & caſtigo æmulare ergo, & pœnitentiam age, tu inquit, di- H cis, & tecum reputas quod nihilo egeas, & ſic clauſis oculis præteriens, ſiue bona ſiue mala fiant, ad te pertinere non putas, & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, omnique felicitate priuatus. Et pauper, diuitiis ſpiritualibus. Et cæcus, amiſſa diſcretione & lumine cordis. Et nudus, bonorum operum indumentis, ſed crede conſiliis meis, & bene tibi erit. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias; aurum enim iſtud ignitum, & probatum, quo homines locupletantur, charitas eſt, & boni malique diſcretio: hæc enim ſemper ardet, & in Dei proximique dilectione ſic accenſa eſt, vt extingui non valeat, ſecundum illud. *Aquæ multæ, non potuerunt extinguere charitatem;* ſine hac nemo locuples erit, qui enim in hac offendit, etſi totam legem obſeruet factus eſt tamen omnium reus, Sequitur. *Et veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ,* qui enim huius veſtibus indutus non fuerit, & carnem, qua indutus eſt, à vitiorum maculis & ſorde non mundauerit, confuſus in iudicio, cunctorum oculis irridendus apparebit. Præcipitur autem oculos collyrio vngere, quod vtique medicamentum

A eſt, ad oculos neceſſarium, & quia auaritia & cupiditate cœcatus fuerat, largitate, & miſericordia, & charitatis vnctione, mentis oculos inungat, quatenus omni vitiorum deterſa caligine, claritatis lumen recipiat. Sed quia de tanta redargutione, indignari Epiſcopus poterit, ideo beneuolentiæ verba ſubinferens ait. *Ego quos amo arguo, & caſtigo*, ſecundum illud. *Caſtigat omnem filium, quem recipit.* Æmulare ergo virtutes, æmulare chariſmata meliora, & age pœnitentiam & ſaluus eris.

Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ille mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aures audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Stat enim Chriſtus ad oſtium & pulſat, quotidie vox eius, quotidie Euangelica prædicatio noſtris auribus inſonat. Vnde Apoſtolus: *Argue*, inquit, *obſecra inſta opportunè importunè*, aures enim, portæ ſunt, per quas in pectoris tabernaculum Chriſtus ingre-B ditur, quas ſi quis aperuit, & pulſantis, vocem audierit, mox in eius mentis hoſpitium Chriſtus intrabit ibique habitabit, ideoque toties ſuperius dictum eſt. *Qui habet aures audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Sed quid eſt. Et cœnabo cum illo & ille mecum, niſi eiſdem cibis vtemur, eodem pane reficiemur, eademque doctrina ſaturabimur, & meus quidem cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, qui autem iſto veſcetur; mecum cœnabit, & ego ſecum. Promittit autem victoribus ſecum in throno ſedere ſuo, vt intelligant ſe ſuper gentes & regna iudicandi accipere poteſtatem. Vnde ipſe ait. Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Vicit enim & ipſe omneſque ſuos captiuauit inimicos, atque cum patre ſuo ſimul ſedet in throno eius: ſecundum illud. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio.*

Explicit liber Primus.

C

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

CAPVT IV.

P*Oſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum in cœlo, & vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicentis: Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri poſt hæc. Statim fui in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis.* Poſt hæc, inquit, inſpexi & vidi omnem Eccleſiæ fabricam, & quæcunque vſque in ſæculi conſummationem futura erant. Et ecce oſtium apertum in cœlo, cœlum hoc in loco ſancta Eccleſia intelligitur, ſicut in Euangelio frequenter habemus. Vt: *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare*, & ſimilia cum de Eccleſia loquitur. Huius autem D oſtium nunquam clauditur, huius porta omnibus patet, neminem ad ſe venientem repellit, quicunque excluditur vel non ingreditur, non oſtij, ſed intrantis culpa eſt. Vox autem prima quæ tanquam tuba ſublimis & excelſa ſecum loquebatur, vox Angelica fuit, quæ iſta annunciabat, quæ bene tubæ comparatur, quoniam ſancti ſpiritus inſpirationem vix humana fragilitas ferre poteſt, de cuius voce alibi dicitur. *Factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Quæ autem vox iſta dixerit, audiamus. *Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri poſt hæc*, aſcenſus iſte non corporis, ſed mentis fuit, aſcende inquit, huc erige mentem, dilata viſum, & ea quæ oculis carnis cerni non poſſunt, vno mentis intuitu contemplare. Quibus auditis ſtatim fui in ſpiritu, nihil carnale, nihil molis corporeæ me habere ſenſi, ſed raptus in ſpiritu, & in exceſſu mentis, alium continuo viſum ſuſcepi. Et ecce ſedes poſita erat in cœlo: Sedes enim iſta, quam in cœlo poſitam vidit B. Ioannes, Doctores Eccleſiæ, ſunt in quibus Do- E minus ſedet & habitat. *Anima enim iuſti ſedes, eſt ſapientiæ.* Super hanc autem ſedem Dominum ſedere vidit, cuius ſpecies erat ſimilis aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis. Iaſpis viridem habet colorem. Sardius vero, clarum & igneum. Tali ergo colore Dominus noſter apparere voluit: vt nobis inſinuaret, quid appetere debeamus: Habet enim Deus colorem Iaſpidis; quia ſemper viridis, ſemper viuens, ſemper immortalis eſt, & nunquam ad ſiccitatem perueniens. Habet autem & colorem Sardinis, ſiquidem Deus noſter, eſt ignis ardens. Hac enim ſpecie & Moyſi quondam apparere dignatus eſt. Ardeamus ergo & nos & feruore charitatis accenſi, ſimul cum Apoſtolo dicamus. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas?* &c.

Et Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni Smaragdi. Smaragdus enim quaſi herba viridis eſt: per quam immortalitatem intelligimus, quæ ſemper virens, nunquam ad ſiccitatem peruenit. Iris autem ideſt, arcus cœleſtis F duos principales habet colores, quorum alter eſt igneus, alter ceruleus, & quaſi aqua viridis: & rubeus quidem Martyrium, viridis autem baptiſmum deſignat. Nemo ergo ſedi Dei appropinquabit, nemo viriditatem & immortalitatem ſuſcipiet, niſi aut per martyrium tranſeat, aut in baptiſmate abluatur: ſint ergo iris, qui volunt, eſſe in circuitu Sedis.

Et in circuitu ſedis, ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos, viginti quatuor ſeniores circumſedentes, amictos veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas. Quid aliud, inquit poſt iſtum vidi in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor totidemque ſeniores ſedentes in eis. Et ego quidem hos viginti quatuor ſeniores circa ſedem Dei reſidentes, duodecim Patriarchas totidem Apoſtolos intelligo, quos quidem duodecim Patriarchas Iacob carnaliter, genuit, ex quibus cæteri Sancti veteris teſtamenti orti ſunt. Duodecim vero Apoſtolos Chriſtus elegit, ex quibus omnis Eccleſiæ multitudo pullulauit. Vnde ſcriptum eſt. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* G Sedilia vero viginti quatuor, duodecim tribus ſunt, in quibus prædicti Patriarchæ obtinent principatum, & duodecim Eccleſiæ, quibus Apoſtoli præfuerunt. Nam vſque hodie, quilibet Epiſcopus Eccleſiam ſibi commiſſam, Sedem ſuam vocare ſolet. Hi autem omnes veſtimentis albis induti erant, mundi videlicet à peccato, vtpote ad Chriſti conuiuium inuitati. Habebant autem in capitibus coronas aureas, per quas intelligimus, eos omnes ſuos inimicos ſuperaſſe. *Nemo enim coronabitur, niſi qui legitimè, certauerit.* Vnde Apoſtolus, quia bene præliatus fuerat, de ipſo ait. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.*

Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Diximus ſuperius quod Eccleſiæ Doctores, ſint Sedes Dei, de hac igitur Sede procedunt fulgura & voces & tonitrua: ſententiæ namque ab eorum ore iaculatæ, quaſi fulgura & ignitæ ſagittæ, totam vitiorum, & hæreticorum diſſipant multitudinem, quæ quidem abſque voce, & tonitru non ſiunt, dum ſancta prædicatio & alte in Eccleſia reſonat, & quemdam terrorem futuri iudicij incutit audientibus. Finge enim Doctorem aliquem H in Eccleſia prædicare, & ſubito audies, quæ fulgura ſententiarum, quæ voces vtriuſque teſtamenti, quæ tonitrua minantium verborum ab eius ore procedant.

Et ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Vidit enim lampades quibus ſedes illuminabatur & quæ illæ fuerint, exponens ait, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei, ideſt, ſeptem gratiæ ſpiritus ſancti. Securè ergo prædicent Doctores tanto lumine illuſtrati. Non enim, vt Dominus ait, ipſi loquuntur, ſed Spiritus Sanctus in eis.

Et in conſpectu Sedis tanquam mare vitreum ſimile criſtallo. Erat, inquit, in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum, clara videlicet aqua baptiſmatis. In conſpectu quidem, quoniam nullatenus ſancti Doctores huius aquæ obliuiſcuntur. Quæ quidem criſtallo ſimilis perhi-

A betur, quoniam criſtallus ex aqua fit, tamen indurata, magis ignis quam aquæ tenet naturam. Sancti ergo ex aqua regenerati in criſtallum conuertuntur, quoniam igne ſancti ſpiritus pleni, quales ſunt interius, tales exterius apparent.

Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retro: Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti. Hæc enim quatuor animalia, quatuor Euangeliſtæ ſunt: Qui bene in medio ſedis, & in circuitu conſpiciuntur, quoniam eorum doctrina omnia replet. Prælatos pariter & ſubiectos. Sunt autem plena oculis ante & retro, quia præterita, præſentia, & futura intuentur, non timent tela inimicorum, non timent ſententias hæreticorum, quoniam omnia præuident, nihilque eis improuiſum accidere poteſt. Et animal primum ſimile leoni, per quem Marcum Euangeliſtam intelligimus qui quaſi Leo per deſertum rugiens, ſuum B Euangelium incipiens ait. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius:* Secundum animal, vitulo ſimile, Lucas eſt, qui à vitulo (quod maxime de vitulis fieri ſolebat) inchoans ait: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ ſacerdos*, & reliqua. Tertium autem animal, cui quaſi hominis facies erat Mattheus intelligitur, qui Chriſti natiuitatem, incarnationemque deſcribens, perfectum eum eſſe hominem, & ex hominibus natum denuncians ait. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham.* At vero quartum animal, quod aquilæ volanti ſimile erat, B. Ioannem, cuius verba hæc ſunt, fuiſſe non dubitamus, qui quaſi aquila præ cæteris altius volans, Chriſtum Dei filium ſine initio Deum eſſe demonſtrat dicens. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Qui ergo hæc animalia cognoſcere velit, inſpiciat, & legat ea in facie, id eſt, in ſuorum doctorum principiis, & confeſtim; quæ vel qualia ſint, intelligere poterit.

C *Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas & in circuitu, & intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte dicentia. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Singula, inquit, prædictorum quatuor animalium ſenas alas habebant, quæ ſimul collectæ viginti quatuor faciunt, tot ſunt igitur alæ, quot & prædicti ſeniores, vnde bene animalium eos alas eſſe intelligimus his enim alis vbique terrarum Euangelia volauerunt. Sed quia vetus, & nouum teſtamentum inde ſunt, & inde dicuntur, ideo non ſolum Apoſtoli, verum etiam Patriarchæ, animalium alæ merito dicuntur. Hæc autem animalia & in circuitu & intus plena ſunt oculis, vt & viſibiles & inuiſibiles, exteriores & interiores præuideant inimicos. Quod autem die ac nocte non ceſſant clamare. Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Omnipotens, myſterium indicat Trinitatis, cum enim ter dicatur Sanctus, non tamen niſi ſemel dicitur. Dominus Deus Omnipotens, vt qui in perſonis diuiditur, in maieſtate tamen, potentia, & ſubſtantia vnus eſſe credatur. Quod D autem ſequitur. *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* iam ſuperius expoſuimus.

Et cum darent illa quatuor animalia gloriam, & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſecula ſeculorum, procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt. Cum, inquit animalia Deum laudarent, benedicerent, & glorificarent, confeſtim 24. ſeniores ad eorum vocem procidentes Deum viuum, & verum adorabunt: quis enim ſanctorum Euangelium audiens Patri gratias non agat, *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum?* cuius doctrina & paſſione, & redemptione redempti ſumus. Mittunt autem coronas ante thronum, quia victoriam, triumphum, & coronam non ſuis viribus, ſed victori Deo aſcribunt, quod ſi Nabucodonoſor E Rex feciſſet, non tam cito fortaſſe regnum amiſiſſet. Hi autem, quia cuncta ſe à Deo ſuſcepiſſe cognoſcunt, non de ſe, ſed de Domino dicunt. *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Quare hoc? Quia non nos, ſed tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, in tuæ videlicet ſapientiæ diſpoſitione, prius etiam quam fierent, & nunc quidem creata ſunt, & ſuis quæque temporibus diſtributa, *In voluntate enim tua vniuerſa ſunt poſita.*

CAPVT V.

ET *vidi in dextera ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intus, & foris ſignatum ſigillis ſeptem.* Liber iſte quem B. Ioannes in dextera ſedentis ſuper thronum ſe vidiſſe dicit, vtriuſque teſtamenti ſcientia intelligitur. Quem ideo in dextera ſua Dominus tenere dicitur, quia eius cognitioni nihil eſt occultum. Eſt autem ſcriptus in- F tus & foris, quia aliter ſecundum litteram, aliter ſecundum ſpiritualem intelligentiam interpretatur, Sed quid per ſeptem ſigilla, niſi Chriſti natiuitatem, paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionem, baptiſmum, iudicium & meritorum retributionem intelligimus? his enim ſignatus, nec ab ipſis legis peritis, & ſapientibus intelligi potuit. Nam quamuis Propheta dicat: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, tamen quia liber ſignatus eſt, hoc Iudæi non intelligunt. De paſſione & reſurrectione ſcriptum eſt. *Ego dormiui & ſomnum cepi? & reſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*, ſed quis Iudæorum hoc intelligit? Sic autem & de Aſcenſione. *Aſcendit Deus in iubilatione & Dominus in voce tubæ.* De baptiſmate vero. *Lauamini, mundi eſtote.* De iudicio autem: *Deus iudicium tuum Regi da & iuſtitiam tuam filio Regis.* De meritorum vero retributione omnes ſcripturæ plenæ ſunt, hæc tamen non intelliguntur, quia liber ſignatus eſt.

Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna. Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat in cælo neque in terra, neque ſubtus terram, G *aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum, quia nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre illum.* Angelus iſte fortis, ſapiens, quilibet prædicator eſt Eccleſiæ, qui Diuina myſteria & ſcripturarum profunditatem conſiderans admiratur & dicit. Quis eſt dignus aperire hunc librum: quis tam occulta myſteria reſerare poterit? quis eius ſignacula, & tam difficiles eius quæſtiones ſoluet? quis ſapiens & intelliget hæc? Et nemo poterat in cœlo, neque in terra neque ſubtus terram aperire librum: nemo enim hunc librum aperire, vel intelligere ſui ingenij acumine poſſet, niſi ille qui eum edidit, & clauſit, aperuiſſet. Nam neque illi, qui in cœlo ſunt, id eſt, viri Eccleſiaſtici, neque illi, qui in terra id eſt, Philoſophi & ſapientes: neque qui ſubtus terram, id eſt maligni ſpiritus, hunc librum intelligere, vel videre potuerunt, donec Chriſtus eum aperuit, & diſcipulis ſuis ſenſum dedit, vt ſcripturas intelligerent. flebat autem multum B. Ioannes, quod ad H librum aperiendum nemo dignus inueniebatur, ſciebat enim, mundum non aliter ad fidem poſſe conuerti, vel Eccleſiam conſtrui poſſe, niſi ille liber aperiretur eiuſq; teſtimonia manifeſta forent.

Et vnus de ſenioribus dixit mihi. Ne fleueris ecce vicit leo de tribu Iuda, & radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Vnus iſte de ſenioribus, qui eum ne fleret, confortauit, nemo melius, quam idem ipſe intelligi poteſt, nam & ipſe vnus de ſenioribus erat Recordatus ergo, quod in Chriſti paſſione velum templi ſciſſum eſt, & ſepulturæ apertæ, ſeipſum à fletu temperauit, ſecumque reputans & dicens: *Ecce vicit leo de tribu Iuda.* In benedictione namque Iudæ, inter cætera ſcriptum eſt. *Ad prædam fili mi aſcendiſti, accubuiſti, vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum.* Quod quidem in Chriſti paſſione completum eſt, quando ad prædam crucem aſcendit, in qua omnes ſuos inimicos ſuperauit, & quando vt leo accubuit, ſiquidem fortior à ſomno ſur-

A exiit, Ipſe autem radix Dauid, de quo propheta ait, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Et pſalmiſta; *Iurauit Dominus Dauid veritatem & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, hic ergo ad hoc vicit, vt librum aperiret, & ſolueret ſeptem ſignacula.

Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem, tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnẽ terram. Hic eſt enim ille agnus, de quo ſcriptum eſt: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Qui bene in medio throni, & quatuor animalium, & ſeniorum ſtare dicitur, quia cum ſanctis ſuis ſemper habitat, eoſque nunquam derelinquit, ſicut ipſe ait. *Non vos deſeram, neque derelinquam.* Itemque *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Vidit autem eum tanquam occiſum, quia nihil eſt, quod plus in memoria ſancti Dei habeant, quam mortem ſui Saluatoris. B Cornibus, ſeptem oculis, ideo Sancti Spiritus gratiæ cooperantur, quia ipſis defendimur, & illuminamur.

Et venit & accepit de dextera ſedentis in throno, librum & cum aperuiſſet librum quatuor animalia, & 24. ſeniores, ceciderunt coram agno, habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. Secundum humanitatem namque de dextera ſedentis in throno. Chriſtus Dominus noſter librum accepit, à quo ſecundum diuinitatem omnis ſapientia, & ſcientia procedit. Quem cum aperuiſſet, quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, quia poſtquam ſcripturas intellexerunt, omnes ſancti Apoſtoli & Doctores, Chriſto Domino noſtro gratias egerunt, qui eis per Spiritum Sanctum, & intelligendi ſenſum dedit, & ſua beneficia ibi eos cognoſcere fecit. Habent autem Sancti Doctores cytharas, quarum ſuaui modulatione, corda hominum peccatis tumentia placant. Talis cytharædus Apoſtolus erat; ſuper cuius C prædicatione ipſi Philoſophi obſtupeſcebant. Habent autem & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum: plenæ enim ſunt odoramentis orationes ſanctorum, quia nihil ſuauius eis Domino redolet.

Et cantabant canticum nouum dicentes; Dignus es Domine Deus noſter, accipere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabunt ſuper terram. Cantant ſancti canticum nouum, canticum videlicet Chriſti paſſionis, noſtræque redemptionis, nouum quidem erat & ante id temporis omnibus inauditum. Cantabant vtique & dicebant. Tu quidem de dextera ſedentis in throno librum accepiſti, & tu reuera dignus es Domine Deus noſter, accipere librum. Quis enim dignior legem ad exponendum ſuſcipere, quam ipſe Doctor & conditor legis. Qui non ſolum docuit, ſed & fecit quod docuit, ſic enim ſcriptum eſt.

D *Primum quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere, & docere.* Docuit ergo legem, aperuit &, reuelauit ſignacula & occulta myſteria eius. Mortuus eſt, iubente lege. Quia *ſic oportuit pati Chriſtum & reſurgere à mortuis*, vt nos à morte redimeret. Vnde, & ſubditur. *Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Sed & vnde redemiſti? ex omni tribu & lingua, & populo & natione. Non enim Iudæorum Deus tantum, immo & gentium. Ex cunctis ergo gentibus ad fidem vocauit, quos ſuo ſanguine redemit. Sequitur Et feciſti nos populum, videlicet Chriſtianum: Deo noſtro regnum quia in nobis ipſe regnat, & ſacerdotes, cui quotidie hoſtias placabiles immolamus. Hinc autem perſona mutatur, & ſcriptoris vox introducitur & regnat ſuper terram.

Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum, millia millium, dicentium voce magna. Dignus E *eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, Prius enim quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores, per quos totam primitiuam Eccleſiam intelligimus, Chriſtum laudantes dignum eum eſſe dixerunt, qui & librum aperiret, atque ſignacula eius ſolueret. Nunc autem vox multorum Angelorum, id eſt, Doctorum omnium qui ab eorum tempore fuerunt, vel futuri ſunt, ſub infertur, qui quoniam innumerabiles ſunt, numerum poneas infinitum: millia millium eos eſſe dicit, & ipſi quidem ſeniorum voci reſpondentes, atque idipſum repetentes dicunt. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem* Quod tale eſt ac ſi dicerent: Quem Iudæi ingloriũ & mortuum putant, ipſe dignus eſt qui honoretur, glorificetur, & benedicetur: dignus eſt, quem fortem, ſapientem, Deum, & iuſtiſſimum prædicemus.

Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & quæ ſuper terram. & quæ ſubtus terram, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo ſunt omnes audiui dicentes. Sedenti in throno & F *Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum, & quatuor animalia dicebant, Amen, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt.* prius quatuor animalia, & ſeniores, deinde omnes doctores, poſtmodum vero omnis creatura, Deum laudat & benedicit. Et creatura quidem, quæ in cœlo eſt, Angelorum ordines ſunt. Quæ vero ſuper terram, homines iuſti iam à terrenis ſublimati: Quæ autem ſubtus terram, peccatores ſiue maligni ſpiritus ſunt, quos Eccleſia iudicabit. Quæ vero in mari, omnes illi intelliguntur quicunque in hoc mundo verſantur: *Omnis enim ſpiritus laudat Dominum.* Et quatuor animalia dicebant *Amen*, prædictorum videlicet laudes affirmando. Vnde viginti quatuor lætabundi in facies ſuas ceciderunt & adorauerunt Deum, qui tantam gloriam, & poteſtatem filio ſuo dedit.

G

CAPVT VI.

ET *vidi, quod aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſignaculis & audiui vnum de quatuor animalibus, dicens tanquam voce tonitrui. Veni & vide, & vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Septem enim ſunt ſignacula, ſeptem Eccleſiæ, ſeptem dies, in quibus omnis prædicatio fit. Et ſeptem quidem ſignacula, ſic ſibi cohærent, vt qui vnum nouit, nihil de aliis dubitet, cui igitur vnum ſigillum aperitur, nullum clauditur, & cui è contra vnum clauditur, nullum aperitur, Qui enim, Chriſti natiuitatem non credit, nihil de paſſione, reſurrectione, & aſcenſione, baptiſmo, iudicio, nihil de meritorum retributione intelligit, ſic & in aliis. Septem ergo ſigilla, ſeptem ſunt myſteria, in quibus fides noſtra principaliter continetur. Omnis ergo prædicatio, omnis noſtræ fidei inſtructio imperfecta eſt, in qua hæc ſeptem ſigilla non reſerantur. Nihil ergo H aliud eſt vnum de ſigillis aperire, niſi ab vnoquolibet iſtorum incipere, & ſic reliqua reſerare. Videamus ergo quid dicat. Et vidi, inquit, quod aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſignaculis, In prima namque Eccleſia vnum de ſeptem ſigillis agnus aperuit, quando prima prædicatio cœpit. Et in ea quidem maxima & principalis diſputatio de incarnatione filij Dei habebatur. Sic autem à prima vſque ad vltimam, Eccleſiæ ſibi ſuccedunt, vt ſeptenarium numerum nunquam excedant. Et audiui vnum de quatuor animalibus, dicens tanquam voce tonitrui, veni, & vide: vnam enim eandemque Chriſti prædicationem, quatuor iſta animalia ſcripſerunt, & ſi in quibuſdam diuerſa narrare videantur. Scribunt ergo verba Chriſti & ſublimi voce clamant, vtpote qui vniuerſo mundo loquuntur. Sed quid dicunt? *Veni & vide.* Accede ad Euangelium, reſeratus eſt liber, vide & intellige quid in eo continetur. Et ecce equus albus, equus enim iſte albus totus pulcher, & ſine macula, quilibet doctor Eccleſiæ intelligitur. Et qui ſedebat ſuper illum habebat

A arcum, hic eſt enim Chriſtus Dominus noſter, de quo ſcriptum eſt. *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Sed quid per arcum niſi eius prædicatio intelligitur? ex qua velut ſagittæ, veritatis ſententiæ procedentes, cunctos vulnerant inimicos. Et data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret: quotidie namque Chriſtus per ſeruos ſuos ad prælium exit, quotidie dimicat, atque inimicorum ſternit exercitus, & toties coronatur, quoties in ſanctis ſuis victoriam operatur.

Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audiui ſecundum animal dicens. Veni & vide. Et exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper eum datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant homines, & datus eſt illi gladius magnus. Aperuit, inquit, agnus ſecundum ſigillum, quia iterum ſeruos ſuos Euangelium prædicare Dominus miſit, hoc eſt enim quod dicit, & audiui ſecundum animal dicens, veni & vide: ſecundum animal, quod nos venire & videre inuitat, ſecunda prædicatio eſt. Quamvis enim Doctorum prædicationes innumera-
B biles ſunt, non tamen niſi ſeptem eſſe dicuntur, quoniam tot ſunt ſeptem dies, in quibus fiunt. Defunctis ergo primis prædicatoribus, & alij ſucceſſerunt, qui & ipſi Euangelium prædicarunt. Sed quoniam iſtorum tempore maior in Eccleſia perſecutio creuit, ideo alius equus rufus exiiſſe narratur, equus etiam rufus, & ſanctorum ſanguine cruentatus, tyranni intelliguntur, qui Chriſti martyres perſecuti ſunt, qualis fuit Nero, qui ipſos Apoſtolos interfecit. Super hunc autem diabolus ſedet, quia ſuæ iniquitatis freno, per cuncta facinora eum præcipitat. Hic autem pacem dextera ſumit & aufert, quia vt diſcordiæ princeps & pacis inimicus humanum genus ſemper inſidiando & tentando inquietat. Hic facit vt ſeſe homines interficiant, & ſecum & inter ſe bella ciuilia gerant. Huic & gladius magnus datus eſt, quoniam multis modis homines iugulando decipit alium enim per ſuperbiam, alium per auaritiam, alium per luxuriam, atque alium alio modo occidit, & perdit.

Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium ani-
C *mal dicens veni, & vide. Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno, & vinum, & oleum ne læſeris.* Aperitur tertium ſigillum, quia tertia prædicatio ſuccedit, iterumque ad videndum B. Ioannes inuitatur. Et ecce equus niger, Eccleſiæ videlicet perſecutores, qui quoniam praue viuunt, & omni luxuriæ & voluptati ſe ſupponunt, non immerito nigri vocantur & qui ſedebat ſuper eum habebat ſtateram in manu ſua, hic eſt ille malignus ſpiritus, qui cum ſit omnium iniquiſſimus, æquitatis tamen ſe fingit habere inſtrumenta. Nemo tamen cum hoc nequiſſimo mercatore negotiari poterit, qui ſe tandem non cognoſcat eſſe deceptum, & idcirco de medio quatuor animalium vox procedens, pretium rebus imponit, qualiter & quantum emi vel vendi debeant. Semper enim nos ſcripturæ & Doctores docent, quomodo diaboli fraudes cauere debeamus. Bilibris tritici denario vno, & tres bi-
D libres hordei denario vno; Sic, inquit, vendatur, ſic ematur, falſa eſt illius ſtatera, nemo enim credere velit, vt duæ libræ tritici, vnius denarij pretium habeant, ſi enim ſecundum litteram intelligatur nimis carum hoc triticum eſſe videbitur, eſt ergo hoc alterius generis excellentioriſque naturæ, quo non corpus, ſed anima paſcitur, per hoc enim fidei doctrinam & ſacram ſcripturam intelligimus. Duæ vero libræ, duo ſunt teſtamenta, eiuſdem vtique ponderis, eiuſdem menſuræ, eiuſdemque pretij, neque ſine altero alterum valet, vnde non duobus, ſed denario comparatur: denarius autem iſte vitam æternam deſignat, quem bene in Dei vinea laborantibus ſe daturum eſſe Dominus promiſit, ſic enim ſcriptum eſt. *Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Qui igitur ad hunc denarium peruenire deſiderat, has, duas libras tritici ſecum portet, his veſcatur, & harum nunquam obliuiſcatur. Per tres vero bilibres hordei, quæ eodem dena- E
rio comparantur, Trinitatis fides intelligitur, ad cuius videlicet fidei medullam & profundiſſimam intelligentiam, quia nemo vnquam in hac vita accedere potuit, ideo recte non tritico, ſed hordeo aſſimilatur, vnde perpauci ſunt, qui non ſolum diſputare, verum etiam cogitare de ea non formident: pro ea tamen denarium recipient, Si tamen credant, quamuis non intelligant Sequitur. *Et vinum & oleum ne læſeris*: vinum legis auſteritatem, oleum Euangelium ſignificat: illud inebriat, hoc ſanat: illud mentem euertit, hoc dementes ad mentem reuocat; *littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat*: hæc autem læduntur, ſi quando praue intelliguntur, vinum ergo, & oleum lædit, quicunque ſcripturas male interpretatur.

Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis. Veni & vide. Ecce poſt tertiam tertii temporis prædicationem, quarta prædicatio ſubſequitur, in qua quid Propheta viderit, audiamus: *Et ecce, inquit, equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum,*
nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum, & data F
eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio & fame & morte, & beſtiis terræ: iſte enim equus, (id eſt Eccleſiæ inimici) qui prius rubeus, propter ſanguinem Martyrum: deinde niger, propter pituitæ rauitatem apparuit, nunc pallidus conſpicitur; vtpote qui odio, inuidia & indignatione plenus erat, inſuper & vitam non habebat, qua quicunque priuatur, pallidus efficitur: vnde & ſubditur. *Et qui ſedebat ſuper eum, nomen illi, mors*, quem enim alium colorem habere poteſt, ſuper quem mors ipſa pallida ſedet? Mors enim hoc in loco, diabolus intelligitur, qui prius mortem intulit mundo. Vnde Apoſtolus.

Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Hunc autem infernus ſequitur, quia quos diabolus decipit & perimit, eos procul dubio infernus recipit, more ergo canis & vulturis poſt hunc laniſtam & ſanguinarium, quadam auiditate ductus, infernus ire perhibetur. Vnde Pſalmiſta. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Huic autem poteſtas data
eſt ſuper quatuor partes terræ, ideſt vbique terrarum, G
(ſi quidem in quatuor partes mundus iſte diuiditur) interficere homines gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ, gladio quidem callidæ perſuaſionis, fame vero audiendi verbum Dei. Hic eſt enim *qui tollit verbum de corde hominum, ne credentes ſalui fiant*, morte vero tyrannica, vel, qua à Deo animæ ſeparantur, de qua dicitur. *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui*, per beſtias autem terræ, malignos ſpiritus, vel hæreticos intelligimus, de quibus Propheta. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*, & iſti quidem plus cunctis beſtiis crudelitate deſæuiunt.

Et cum aperuiſſet quintum ſigillum, vidi ſub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes. Vſquequo Deus ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum, de his, qui habitant in terra, Iam enim quinta prædicatione inchoante, vidit Beatus
Ioannes ſub Altare, interfectorum animas: quia enim H
pro Chriſto immolati fuerant, bene ſub Altari eſſe dicuntur, Altare autem hoc in loco, vel fidem, vel crucem intelligere poſſumus. Vnde Apoſtolus ait, *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Sed quare interfecti fuerant: niſi propter verbum Dei, quod prædicabant, & propter teſtimonium Chriſti quod habebant, & ferebant? Clamabant autem voce magna, quia eorum petitionibus aures Dei apertæ erant. Rogabant autem Sanctum, & verum Dominum, qui nulli vnquam mentitus eſt, vt eos iuſtè iudicaret, atque eorum ſanguinem iniuſtè à perſecutoribus, fuſum vindicaret, neque enim aliud poſtulant, niſi quod eum velle cognoſcunt. Sequitur.

Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt, vt requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conſeruorum, & fratrum eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi. De his enim Iſaias ait. *Duplicia*

A *in terra ſua poſſidebunt.* Duplicia quidem, quoniam eorum animæ modo cum Deo beatitudine perfruuntur, poſtea vero animæ ſimul & corpora, immortalitatem & gloriam ſuſcipient. Singulas ergo ſtolas interim habent quia nondum ad duplicia peruenerunt. Expectant autem tempus adhuc modicum, donec vltima perſecutione, quæ ab Antichriſto fiet, cæteri ſancti interficiantur. & tunc tandem ad iudicium Dominus veniens, eos vindicabit, & vnicuique ſecundum opera mercedem dabit.

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræ motus factus eſt magnus, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ cœli ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus mittit groſſos ſuos cum à vento magno mouetur, & cœlum receſſit ſicut liber inuolutus, & omnis mons & inſula de locis ſuis mota ſunt. Sextum namque ſigillum, ſexta eſt prædicatio, quam quidem vltimam fore eſſe putamus, in qua Enoch & Elias venturi ſunt, poſtea vero ſabbatiſmus populo B Dei relinquitur, Neque prædicatoribus indigebimus, quoniam omnia nuda & aperta fient.

Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando & Deus erit omnia in omnibus. Videamus ergo, quid in vltima prædicatione futurum ſit: Et ecce, inquit, terræ motus factus eſt magnus, quis enim dicere valeat, quantus tunc terræ motus, quanta populi perturbatio, quanta Eccleſiæ, & fidelium concuſſio fiet, quando Antichriſtus contra ſanctos præliabitur? *Erit* enim *tunc*, ſicut Dominus dixit, *talis perſecutio, qualis non fuit ab origine mundi.* Et ſol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus, de hoc enim ſole ſcriptum eſt.

Vobis autem iuſtis, orietur ſol iuſtitiæ. Et modo quidem, in Eccleſia fulget, quoniam in eius lumine ambulemus, tunc autem iniquorum prædicatione falcabitur, quia qualis à Iudæis creditur, talis ab iniquis prædicabitur, dicent eum ſeductorem, cilicioque & pœnitentia dignum fuiſſe, Antichriſtum vero, qui tunc apparebit, C Dei filium, Tunc autem luna fiet ſicut ſanguis, quia ſancta Eccleſia pro Chriſti nomine pleno martyrio cruentabitur. Stellæ vero cœli ſuper terram cadent, ſiue quia ſancti à perſecutoribus trucidabuntur, & iuxta litteram ſuper terram cadent exanimes, ſiue etiam, quia multi, qui fideles eſſe putabuntur, terrore concuſſi, ab Eccleſia ſeparabuntur. Sed qualiter cadent, ſicut ficus mittit groſſos ſuos, cum à vento magno mouetur, groſſos quidem primitiuas ficus appellat, quæ à vento commotæ facile cadant. Cœlum autem, ſicut liber inuolutus recedet, quia multis præ timore, à fide ſeparatis, ſancta Eccleſia in ſe recedet, & quodammodo contrahetur, & minor fiet, ſed quare ſicut liber inuolutus? liber enim inuolutus omnia celat, quæ in eo continentur: merito ergo libro inuoluto Eccleſia aſſimilatur, quæ præ nimio terrore, prædicare tunc temporis non audebit: vnde ad eam corroborandam, noui & nominatiſſimi prædicatores aduenient, Enoch videlicet & Elias. Sequitur.

D *Et omnis mons, & inſula de locis ſuis mota ſunt, & reges terræ, & principes, & tribuni & diuites, & fortes, & omnis ſeruus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium, & dicunt montibus, & petris; cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum & ab ira agni, quoniam venit & dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare.* Poſtquam, inquit, ea ſigna quæ ſuperius ſpiritualiter expoſita ſunt etiam ſecundum litteram in ſole, & luna & ſtellis apparebunt, tunc manifeſtum omnibus erit, quia cœlum & terra tranſibunt, & ſubito ad iudicandum Dominus veniet, vnde fiet, vt omnis mons & inſulæ de locis ſuis moueantur, id eſt, omnes huius ſæculi potentes, omneſque huius mundi nationes à priſtina ſua prauitate ad fidem Chriſti conuertantur: Cum plenitudo gentium introierit, tunc Iſraël ſaluus fiet. Hoc eſt enim quod ſequitur. Et reges terræ, & principes, & triboni, & diuites, & fortes & omnis ſeruus & liber (per quos omnes homines promiſcuè intelligimus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & petris montium, quid enim per ſpeluncas & petras montium, niſi ſanctos intelligimus: ad quos velut ad turrem, & caſtella, & E loca munitiſſima, vt ab eis tueantur, omnes confugient. Et tunc dicent montibus, & petris id eſt, ſanctis ſupradictis. quos ſine timore ſtare ſecure videbunt, vt ſuper eos cadant, id eſt, vt eos abſcondant. Sic enim cadere ſolemus, cum ad auxiliandum. ſuper aliquem nos proiicimus ne ab alio occidatur. Hic autem tantus terror, vnde fiet, niſi à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni? quem ſimul cum ipſo patre ſibi cognoſcent eſſe iratum. Vnde & ſubditur: Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, quæ vtique finem non habebit. Et quis poterit ſtare? nemo quidem, niſi cui ipſe iratus non fuerit.

CAPVT VII.

POſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes, quatuor ventos terræ ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in vllam ar- F *borem.* Hos Angelos, illos eſſe puto, de quibus Dominus ait. *Mittet filius hominis Angelos ſuos cum tuba & & virtute magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Itemque *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent illos in caminum ignis, & iſtis quidem datum eſt nocere terræ & mari & arboribus.* Sed quid per quatuor ventos niſi eorum poteſtas, quæ cum magna virtute ventura eſt, intelligitur? Hos autem ventos tenere dicuntur, quia niſi permiſſi, nocere non poſſunt, tenent ergo poteſtatem & vires ſuas, donec iubente Deo, flare incipiant, quibus flantibus, quanta vbique perturbatio fiet, quid attinet dicere? Et tali quidem vento reſiſtere nemo valebit niſi qui fide Trinitatis gratus fuerit. Ideoque Pſalmiſta ait. *Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Sed quid per petram niſi peccatores? qui ſola terrena & tranſitoria diligunt? Quid vero per mare, niſi inſtabiles, & fluctuantes, qui omni vento doctrinæ circumferuntur? per arbores autem illos intelligimus, de G quibus in Euangelio Dominus ait. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Et Vidi alterum Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis quibus datum eſt nocere terræ & mari dicens Nolite nocere terræ, neque mari neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Bene quidē Angelus iſte, proſpera & lætitiam annunciaturus, ab ortu ſolis veniſſe deſcribitur: iſte enim luce ſua erroris tenebris fugatis, bonos ſeparabit à malis. Habebat autem ſignum Dei viui: crucem videlicet portans, quæ & malis timorem, & bonis lætitiam præſtabit. Et clamauit quatuor Angelis, prædictis ſcilicet aduerſarij poteſtatibus, quibus ſuo tempore terræ, & mari nocere conceſſum fuerat, & dixit, tenete ventos ne laxetis impetum veſtræque tempeſtatis incurſus, nolite nocere terræ neque mari, neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum vt & per ſe Zizania, & per ſe frumenta colligantur: Hoc autem eſt illud Tri- H nitatis ſignum, quod in baptiſmo omnes ſuſcepimus, quo ideo iterum ſignandi eſſe dicuntur, quia ſic in vniuſcuiuſque fronte hoc ſignum lucebit, vt nulli ſit dubium quis erit ſaluandus, & inter Chriſti ſeruos computandus.

Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſraël. Cum enim tribus ſint duodecim, & vnaquæque duodecim millia in ſe contineat, dubium non eſt, quin centum quadraginta quatuor millia faciat. Sed quare vnicuique tribui duodecim millia dare voluerit: niſi forte propter numeri dignitatem, qui ſatis ſæpe in diuina ſcriptura inuenitur, ſcire non poſſum, & ego quidem plures his fore crediderim, neque puto de aliqua tribu tot eſſe ſaluandos, quot de tribu Iuda, quæ ſemper plus cæteris Domino adhæſit. Sed quoniam de filiis Eccleſiæ poſtea locuturus eſt, quorum multitudinem dinumerare nemo poterat, ideo fortaſſe filios Synagogæ in numero poſuit, vt multo plures his filios Eccleſiæ eſſe ſciamus, quæ enim finitis ad infinita comparatio? Sequitur. *Ex*

A *tribu Iuda duodecim millia ſignati.* Non enim ordine, quo nati ſunt Patriachæ, hoc in loco ponuntur: non enim Iudas, ſed Ruben primogenitus fuit, ſed iſte, quia cubile patris maculauit, primogenita perdidit, & ille, quia de eius ſtirpe carnem Chriſtus aſſumpſit, regiam dignitatem ſuſcepit: Iudas enim, confeſſor, interpretatur, & de confeſſoribus Dominus ait; *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Ex tribu Ruben* 12000. *ſignati.* Ruben, videns filium interpretatur, per quem eos intelligimus, qui patris opera conſiderantes, in creaturis creatorem recognoſcunt. *Ex tribu Gad* 12000. *ſignati.* Gad, qui accinctus dicitur, ſignificat illos, quibus Dominus ait. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Tales enim verbi Dei enſe ſemper accincti, vitiorum vel hæreticorum non timent exercitus. *Ex tribu Aſer*
B 12000. *ſignati.* quid enim per Aſer, qui beatus ſiue pinguis panis eius, interpretatur, intelligimus, niſi eos, qui Diuini eloquij pinguedine alios reficientes, ſecum ad æternæ vitæ beatitudinem eos perducunt? *Ex tribu Neptalin* 12000 *ſignati.* Neptalin, latitudo interpretatur, per quem eos intelligimus, qui à charitate nunquam recedunt, de charitate namque dicitur. *Latum mandatum tuum nimis.* Itemque, *Plenitudo legis eſt dilectio. Ex tribu Manaſſe.* 12000, *ſignati.* & Manaſſe quidem interpretatur, obliuio: ex eius tribu illi ſunt, qui Chriſti calice inebriati, omnium terrenorum obliuiſcuntur, Talis erat B. Paulus, qui dicebat *Nihil me iudicaui ſcire inter vos, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Ex tribu Simeon* 12000. *ſignati,* Sed quid, Simeon, qui habitaculum interpretatur, niſi eos ſignificat, qui hoſpitalitatem ſectantes, ſimul cum Apoſtolo dicunt. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus* Et cum Pſalmiſta. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Ex tribu Leui* 12000. *ſignati,* Leui, additamentum
C dicitur, & eos deſignat, qui nunquam otioſi eſſe volunt, ſed ſemper laborantes, & in melius proficientes, quotidie ſibi aliquid virtutis, & bonitatis adaugent. *Ex tribu Iſachar* 12000. *ſignati,* Iſachar, aſinus fortis, eos demonſtrat, de quibus Apoſtolus ait. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Ex tribu Zabulon* 12000. *ſignati.* Zabulon namque, qui in littoro maris habitans: nauigio & piſcationi operam dabat; Eccleſiæ miniſtros deſignat, qui Chriſti nauem, Eccleſiam ſcilicet, regunt, & baptizandi miniſterium habent. *Ex tribu Ioſeph* 12000. *ſignati.* Ioſeph namque accreſcens ſiue mundi ſaluator intepretatur, per quem Apoſtolos & Doctores intelligimus, qui Chriſti militiam creſcere fecerunt, & verbum fidei vbique ſeminantes, mundum fame periclitantem ſaluauerunt. *Ex tribu Beniamin* 12000 *ſignati.*, Beniamin, lupus rapax, ſiue filius dextera, eos ſignificat, qui ſemper audiui audiendi verbum Dei ſacri eloquij doctrina ſatiati non poſſunt, & hi quidem ſini-
D ſtram relinquentes, per dextram viam, quæ ducit ad vitam gradiuntur qualis Apoſtolus fuit, qui ex eadem tribu natus eſt. Quod autem tribus Dan inter cæteras tribus non computatur, ſed pro ea tribus Manaſſe, qui non Iacob, ſed Ioſeph filius interponitur, illud ſignificare puto, quod ex Apoſtolorum numero, Iuda abiecto, pro eo Matthias eſt ſubrogatus, ſicut enim Iudas Chriſtum morti tradidit, ita Antichriſtus, qui de tribu Dan naſciturus eſt, eius ſeruos multos interficiens, ipſius nomen, & fidem deſtruere conabitur.

Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum; & clamabunt voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper throno, & agno. Hæc magna turba, qua infinita eſt & numerari non poteſt, Eccleſia eſt, quæ non ex ſolis Iudæis, ſed ex cunctis gentibus, & tribubus, & populis, & linguis in vnam fidem vndique collecta eſt: Huius autem filij ante thronum ſtare dicuntur: Quia *omnes* vt Apoſtolus ait. *Siue boni ſiue mali, adſtabimus ante tribunal Chriſti.* Stabant autem & in conſpectu agni,
E quia nequaquam de illis erant, de quibus dicitur.

Tollantur impij ne videant gloriam Dei. Sed quomodo ſtabant? amicti ſtolis albis, induti videlicet carne immortali, & incorruptibili, & bonorum operum veſte candidati. Et palmæ in manibus eorum, quibus inimicorum ſuorum omnium eos victores extitiſſe ſignificabatur. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & agno merito ei ſalutem optant, & de ſalute gratias agunt, à quo ſe ſaluatos eſſe cognoſcunt.

Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni & ſeniorum & quatuor animalium, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Dominum dicentes Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum
F *Amen.* De throno namque & ſenioribus, & quatuor animalibus, ſatis ſuperius dictum eſt: poſtquam ſanctorum multitudo, innumerabiles laudes, & gratias Domino egit, confeſtim eorum voci reſpondentes Angelorum exercitus circumſtantes ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt, dicentes Amen, id eſt, ſicut dicitis, ita fiat, ſit benedictio ab omni creatura, & claritas nobilitatis, & ſapientia operationis, & gratiarum actio de beneficiis & honor dignitatis, & virtus regiminis, & fortitudo ſuperandi inimicos, Deo noſtro in ſæcula ſæculorum Amen.

Et reſpondens vnus de ſenioribus dixit mihi. Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt? Et dixi illi, Domine mi tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni, ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui ſedet in throno habitat ſuper illos. Beatus namque Ioannes in perſona Eccleſiæ cogitabat, qui eſſent illi candidati, quos ante thronum ſtare videbat, ideoque interrogatur
G ab vno de ſenioribus quos eos eſſe, vel vnde veniſſe opinetur? qui non ſuæ credens, ſed illius ſententiam audire volens, non ſe, ſed illum ſcire reſpondit? hoc enim omnes ſeniores prædicauerunt, hoc in ſanctis ſcripturis interrogati reſpondent: interroga Paulum & dicet tibi. *Non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ait ergo: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna.* quam non ſolum à perſecutoribus, verum etiam in fame & ſiti, in frigore, & nuditate, multiſque aliis modis pro Chriſti nomine paſſis. *Et lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni*, eſt enim ſtola, talaris veſtis, id eſt, ad talos vſque pertingens, per quam carnem intelligimus, quæ Chriſti ſanguine redempta ſuper niuem dealbata eſt, ideo enim ex Chriſti latere ſanguis ſimul, & aqua exiuit, vt nos redimeret & lauaret. Sequitur, & quia ita lauati & mundi ſunt, ideo ſunt ante thronum Dei, vbi immundus & coinquinatus ſtare non poterit, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, ſine intermiſſione videlicet &
H iubilantes & laudantes Deum in cœleſti Ieruſalem. Et qui ſedet in throno, habitat ſuper illos quoniam iam nulli alij poteſtati ſubiiciuntur, ſed ſolus Deus eſt princeps illorum.

Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus, quoniam agnus, qui in medio throni eſt reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, non enim eſurire & ſitire poterunt, qui ſummi boni viſione ſaturabuntur. At vero neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus, quia nulla tribulationis aduſtio, nullus tormentorum ardor ſuper eos vlterius deſcendet. Quare hoc Quoniam agnus qui in medio throni eſt, id eſt, filius, qui eſt in ſinu & in corde patris, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, quibus refecti neque famem, neque ſitim: neque calorem vel æſtum patiuntur Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. quia nihil vnde flere vel dolere debeant, adeſt. *Qui enim ſeminant in lachrymis in gaudio metent vitam æternam.*

CAPVT

CAPVT VIII.

ET *cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora.* Septimo ſigillo aperto, factum eſt ſilentium: quia iam non erit neceſſe vt alter alteri loquatur; omnes enim omnia ſcient, tunc enim facie ad faciem videbimus, quem nunc per ſpeculum videmus, & in ænigmate. Quod autem ait. *Quaſi media hora,* ad hoc valet: quia quamuis poſt iudicium nulla in Eccleſia fiat prædicatio, ſilentium imperfectum poſuit: quia iterum à capite incipiens, de eiſdem eſt locuturus. Ait ergo. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum,* in quo omnia ſecreta reuelauit, *factum eſt ſilentium in cœlo*; per ſe quidem continuum, & æternum; mihi autem, quia Angelis iterum locuturus erat, per mediam horam interruptum eſt. Atque pæne eadem, quæ ſuperius dixerat, quamuis aliis verbis iterum loqui cœpit, ſicut in ſequentibus audietis.

Explicit liber Secundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

ET *vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & data ſunt illis ſeptem tubæ.* De his enim ſeptem Angelis, nihil ad præſens locuturus eſt, donec ad illum locum perueniat, vbi ait: *& ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, parauerunt ſe, vt tuba canerent.* Interim autem videamus quid ſequitur.

Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare; habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum, de manu Angeli coram Domino. Hic enim Angelus, Chriſtus eſt, qui de virgine carnem ſuſcipiens, patris voluntatem mundo annunciauit. Stetit autem ante altare, quia non timuit crucem aſcendere, in qua ipſe ſacerdos, & ſacrificium ſe ipſum pro nobis Deo Patri hoſtiam placabilem immolauit, Habens thuribulum aureum, pretioſum videlicet corpus, quod de Virgine matre ſuſcepit, in quo & ipſa Diuinitas, & virtutum omnium abundantia redolebat. Et data ſunt ei incenſa multa, quia ſanctorum aromata & orationes, parum odoris habebant, antequam in hoc thuribulum imponerentur: ipſe eſt enim mediator Dei, & hominum, qui noſtras orationes Deo Patri repræſentat, vnde & ſubditur, *Vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum quod eſt ante thronum*: Ecce aliud altare, quod aureum eſſe dicitur, per quod prouidam & ſapientiſſimam Dei memoriam intelligimus, & ſic videtur eſſe dictum, quaſi prædictus Angelus cum aureo thuribulo de altari crucis ſuper altare aureum ſanctorum ponat orationes. Et Dei quidem memoria altare dicitur: quia nullum ſacrificium valet, cuius odor eam non tangit. Et aſcendit fumus incenſorum, factus ſubauditur de orationibus ſanctorum, de manu Angeli, qui ea afferebat coram Domino: gratia namque miniſtri, chara facta eſt oblatio.

Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces & fulgura, & terræ motus magnus. Dixerat enim ſuperius, quod Angelus habens aureum thuribulum, ſtetit ante altare: nunc autem dicit, quod ipſum thuribulum accepit, atque de igne altaris impleuit, & thuribulum quidem, carnem Chriſti, altare vero crucem ſignificare diximus: accepit ergo Angelus thuribulum, Chriſtus videlicet carnem ſuam, & impleuit illud de igne altaris: alapis ſcilicet, & flagellis, clauis & ſpineæ coronæ, cruci & aceto, omnibuſque opprobriis eam ſubiiciens, & tali quidem igne Saluator noſter pro nobis exuſtus eſt: accepit autem, ideo dicit: quia humanitas ex toto in poteſtate diuinitatis ſeſe tradiderat. Vnde ipſe dicebat: *Non mea Pater voluntas, ſed tua fiat.* Quod autem ait: *Et miſit in terram*: dupliciter intelligi poteſt; ſiue, quia caro eius, poſtquam igne tribulationis & opprobriis plena & ſatiata fuit, in terram, id eſt in ſepulchrum eam Dominus miſit, & tribus diebus iacere permiſit: ſiue etiam miſit in terram, quia vbique terrarum per diſcipulos ſuos eius paſſio prædicatur. Miſit autem, quando dixit: *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et facta ſunt tonitrua; Doctoribus vbique altiſone Deum laudantibus. Et voces; populi ſcilicet, ſua peccata confitentis. Et fulgura; virtutum vtique & miraculorum ſignis coruſcantibus. Et terræ motus magnus: aliis ad fidem venientibus, atque aliis contra fidem ſæuientibus.

Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, parauerunt ſe, vt tuba canerent. His expeditis, in quibus Chriſti natiuitas & paſſio breuiter continetur, ad ea reuertitur, quæ ſuperius narranda ſuſceperat: ſeptem enim Angeli, ſeptem Doctores ſunt, ſeptem vero tubæ, ſeptem ſunt prædicationes. Nam quia, vt ſupra diximus, tempora non ſunt niſi ſeptem ideo Angeli & tubæ, quamvis pæne innumerabiles ſint, non tamen dicuntur eſſe niſi ſeptem. Sic autem & Eccleſias, quamuis plures ſint, non tamen ſcripſit niſi ſeptem, ſeptem quidem Eccleſiis, ſeptem Angeli, ſeptemque tubæ, ſufficiunt.

Et primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando & ignis mixtus in ſanguine, & miſſus eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum combuſta eſt, & omne fænum viride combuſtum eſt. Primo namque Angelo tuba canente, id eſt, primis doctoribus prædicare inchoantibus, facta eſt grando & ignis mixtus in ſanguine, id eſt, ira & indignatio, non ſine multorum pernicie & calamitate: nam quia Apoſtolis credere noluerunt, ideo ira & indignatio & furor deſcendit ſuper eos. Vnde Apoſtolus ait. *Aliis ſumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem.* Et Dominus in Euangelio. *Si non veniſſem; & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccatis ſuis.* Sed quia non dicit à quo grando & ignis iſte factus ſit, & de Deo, & de diabolo intelligi poteſt, quia nihil ille niſi permiſſus operatur, ſecundum illud. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos,* tali enim grandine, talique igne, terram, & peccatores iſte nequam conterit & exurit, Vnde & ſubditur, *Et miſſus eſt in terram.* Sed Quid egit? Sequitur. *Tertia pars terræ, combuſta eſt, & tertia pars arborum combuſta eſt*: Sed quid eſt, quod ſola tertia pars comburitur, & diſſipatur, cum vtique multo plures ſint illi, qui ſaluantur? *Multi enim ſunt vocati pauci vero electi?* Duæ ergo partes quæ ſaluantur, Prælati & ſubditi intelliguntur, de quibus Dominus ait. *Si duo ex vobis conſenſerint, de omni verbo quod petieritis, fiet vobis*: tertia vero pars: quæ neque inter Prælatos Eccleſiæ, neque inter ſubditos enumeratur hæretici videlicet, omneſque ſunt infideles, qui proculdubio igni tradentur inextinguibili: & hæc quidem tertia pars ſecundum numeri quantitatem illis duabus maior erit. Exuritur ergo terra, corpora videlicet infidelium exuruntur, & arbores, quæ fructum non ferunt: *Omnis arbor, quæ nō facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Et omne fænum viride combuſtum eſt, populus videlicet luxuriæ, & voluptatibus deditus, qui ſolummodo mundi florem, viriditatem & pulchritudinem concupiſcit: Vere enim fænum eſt populus.

Et ſecundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturæ, quæ habebat animas in mari, & tertia pars nauium interiit. Secundus namque Angelus tuba cecinit, quia poſt primam ſecunda prædicatio cœpit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, mons magnus ille eſt, qui quondam in corde ſuo dicebat. *In cœlum conſcendam, ſupra & cœli ſydera exaltabo ſolium meum.* Et talis quidem mons ille eſt, de quo Dominus ait. *Si*

habueritis

A ait. *Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis,dicetis huic monti,tolle te & mitte te in mare & fiet.* Hic autem mons igne inuidiæ,odij,prauique deſiderij ſemper ardet,qui in mare, & inter mundi huius procellas miſſus diſcordias & lites concitare non ceſſat. Vnde tertia pars maris ſanguis facta eſt,ideſt, omnis illa doctrina & ſcientia,quæ à duobus teſtamentis diſcordat, ſiue philoſophorum ſiue hæreticorum ſit,nihil aliud eſt niſi ſanguis,& peccatum, qui ergo ea vtuntur, moriuntur, vnde & ſubditur: *Et mortua eſt tertia pars creaturæ, quæ habebat animas in mari.* Animata enim creatura, quæ in mari mortua eſt, ideſt, quæ amara & erronea ſapientia inebriata à veritate diſcedit, illi ſunt de quibus Apoſtolus ait.

Quia cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt,aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Cur autem tertia B pars moriatur,ſupra dictum eſt. Sequitur. *Et tertia pars nauium interiit.* Sunt enim naues bonæ,& malæ. Bona nauis B.Petri, in quo Chriſtus reſidens populo prædicabat: bona nauis, in qua cum Apoſtolis Chriſtus reſidebat, & ſeptem quidem prædictæ Eccleſiæ ſeptem naues ſunt, in quibus vero Iudæi, hæretici, & Philoſophi nauigant,ipſa eſt tertia pars nauium,quæ interibit.

Et tertius Angelus tuba cecinit,& cecidit de cœlo ſtella magna,ardens tanquam facula,& cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen ſtellæ dicitur abſynthius, & facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, & multitudo hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt. Tertius enim Angelus tuba cecinit, quando tertia prædicatio cœpit, in qua ſtella magna ardens tanquam facula de cœlo cadens, in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum cecidiſſe nar- C ratur: quando aliquis hæreticorum ab Eccleſiæ fide diuiſus, qui magno ſapientiæ lumine ſplendere videbatur, omnes illos ſuæ amaritudinis felle infecit, qui puram,& ſinceram fidem tenere neglexerunt. Toties enim de cœlo ſtella cadit, quoties aliquis fidelis per hæreſin ab Eccleſia ſeparatur, ſed quanto aſturior & ſapientior eſt, tanto maiorem flammam ferre videtur, & quamvis totus de cœlo cadat, tamen non vtique cadit, vbi enim errat ibi, cadit. Cadit autem in tertiam partem fluminum, duo autem flumina, duo ſunt teſtamenta: fontes autem tot ſunt, quot & Doctores; in his autem nemo cadit, quia nulla hæreſis in eis eſt, tertium ergo flumen in quod hæretici cadunt, ipſum eſt quod ipſi faciunt: faciunt enim, quoniam eorum hæretica doctrina in prædictis fluminibus non inuenitur. Et merita ſtella abſynthius vocatur, quia ad illius herbæ ſimilitudinem, quæ hoc nomine cenſetur felle omnique amaritudine plena eſt, cuius ſaporem ille fugit, qui cum Propheta Domino dicit. *Quam dulcia faucibus* D *meis eloquia tua ſuper mel & fauum ori meo.* Et facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, illa videlicet, quæ de hæreticorum corde manat, & quæ à prædictis fluminibus non deriuatur. Sed quid ſequitur? Et multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt; amara eſt ergo hæreticorum doctrina, mortifera & venenata: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Fuge has aquas Chriſtianè, noli eas bibere: nota ſunt flumina, noti ſunt fontes aquarum ſalientium in vitam æternam, de quibus ſi biberis, non ſities vltra.

Et quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars ſolis & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter. Prædicat Angelus, excitatur hæreticus: neque enim fortaſsè iſte loqueretur, niſi prius ille aliquid dixiſſet, quod huius fidei contrarium eſſe videretur. Notandum autem, quoniam ſicut in ſecundo libro tyrannorum perſecutio deſcribitur, ita & in hoc tertio hæreticorum pleniſſimè continetur, quæ quidem perſecutio tanto grauior illa fuit, quanto meliores ſunt animæ quam corpora, quas iſti perſequebantur. Hæc autem hæreſis, de qua nunc loquimur, propriè Arrianorum & ſabellianorum eſſe videtur, qui de ipſa Diuinitate prauè diſputantes: alij E vnitatem, alij Trinitatem denegabant. Vnde & hic dicitur. *Quia percuſſa eſt tertia pars ſolis:* quid enim per ſolem niſi Dominum ipſum, à quo omnia illuminantur intelligere debemus? Solis ergo tertiam partem Arrius percutiebat, quando filium à Patre diuidens ipſo minorem eſſe dicebat. Sed nunquid ſimiliter Sabellius tertiam ſolis partem non feriebat, quando totius Trinitatis vnam dicebat eſſe perſonam? Hæc autem hæreſis in tantum creuit, vt pœnè totum ad ſe mundum traheret. Vnde & ſubditur. *Et percuſſa eſt tertia pars lunæ*, quod autem luna Eccleſiam ſignificet, nemo ignorat, qui ſacras ſcripturas intelligit. Percuſſa eſt ergo tertia pars lunæ, quia omnes illi hac hæreſi perierunt qui neque doctoribus credere, neque inter auditores eſſe voluerunt. Sed quandam tertiam nouamque doctrinam imitantes, & ſubiectos & prælatos pariter reſpuerunt. Has autem duas partes habet Eccleſia,ſi qua tertia eſt, ipſius non eſt. Sequitur. *Et tertia pars ſtellarum* F multi enim ab hæreticis decepti ſunt qui propter doctrinam & ſcientiam quam habebant, tanquam ſtellæ in Eccleſia ſplendere videbantur: quia ergo cœlo & Eccleſiæ fidei firmiter non adhæſerunt,ideo ab hæreticis percuſſi ſunt. Sed qualiter percuſſi? ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter. Quæ ſit autem tertia pars,quæ obſcuratur,ſatis dictum eſt. Sed quomodo diei, & nocti,perfectis & imperfectis, ſapientibus, & inſipientibus pars illa lucere poteſt, quæ & regem ſequitur tenebrarum, & per erroris iter incedens in fumum deſinit & caliginem? nam & ipſius ſolis tertiam partem, de qua iam diximus in tantum hæretici obfuſcauerunt, vt ipſi quoque ſapientes dubitarent, quid eligere debuiſſent.

Et vidi & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœlum dicentis voce magna Væ,væ,væ,habitantibus in terra. Nam quia aquila altius volat,& oculis irreuerberatis, præ cæteris animalibus ſolem acutius intue- G tur, eos in Eccleſia deſignat, qui & ſapientiores ſunt, & Dei notitiam maiorem habere meruerunt. Vidit ergo B. Ioannes, & audiuit hanc aquilam, doctorem ſcilicet aliquem per medium Eccleſiarum ſollicitè diſcurrentem,& quantum malum populo imminebat, quantumque ſcandalum in Eccleſia emergebat magna voce dicentem. Hoc enim & ipſe Dominus in Euangelio ait; *Væ mundo à ſcandalis.* Sic autem & Doctor iſte videns tantam hæreſin, tantaque bella contra ſanctos exurgere, vt ſibi quiſque caueat,magna voce admonet dicens. *Væ,væ,væ, habitantibus in terra.* De cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tuba cani[t]uri, ſubauditur à modo tractare incipiens, eſt autem titulus eorum, quæ ſequuntur.

CAPVT IX.

ET quintus Angelus tuba cecinit, & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt illi clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol & H *aër de fumo putei.* Quinto enim Angelo tuba canente, ſtella de cœlo in terram cecidit, quia quinta prædicatione incipiente, diabolus eam ferre non valens, Eccleſiam fugiens, inter iniquos & peccatores habitationem ſibi parauit, vt, quia verba vitæ coërcere non valuit, ſaltem contra ſanctos iniquorum turbas concitaret. Et data eſt illi clauis putei abyſſi: abyſſus infernum, puteus eius Antichriſtum ſignificat, clauis putei, poteſtas diaboli eſt. Vnde & ſubditur. *Et aperuit puteum abyſſi*, nam ante hoc tempus puteus abyſſi, ideſt, os Antichriſti clauſum erat qualis aqua in abyſſo, continetur, neſciebatur, diabolus ergo claue potentiæ ſuæ huius,nequiſſimi ôs ad loquendum aperuit, & quicquid ſceleris & blaſphemiarum infernus habebat, huius nefario ore miſeris ſuis auditoribus propinauit. Sequitur. *Et aſcendit fumus putei ſicut ignis fornacis magnæ*, ideo enim Antichriſtus dicitur, quia Chriſto contraria operatur. Ergo quia Chriſtus eſt lux vera, qua totus mundus

A illuminatur, merito de ore Antichriſti fumus, & caligo aſcendit, qua ipſe ſol & aër obſcuratur, vnde & ſubditur. *Et obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei*, tanta enim erat huius obſcura & fraudulenta hæreſis, tantaque nubes deceptionis, vt ipſius ſolis iuſtitiæ Chriſti Dei noſtri nomen pœne deleat, obſcuret, & ad nihilum redigat. Aër quoque non lucebit quia erroris caligo vbique terrarum denſabitur, quæ inter Deum & hominem poſita ab eorum oculis ipſius claritatis lumen abſcondet.

Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ, & præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, niſi tantum homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis. Locuſtæ namque, quæ de fumo putei in terram exierunt, multitudo hæreticorum eſt qui ab huius iniqui hominis errore exorti, totam deuaſtantes terram replebunt. Et bene locuſtis hæretici comparantur, quia ſoluti & ſine iugo B terram, & Eccleſiam Dei vbique voraci auiditate depopulari non ceſſant. Quæ ſicut ſcorpiones poteſtatem habere perhibentur, quia longis vlnis ſuæ deceptionis eos, quos poſſunt, complectentes, & ad ſe trahentes, nouiſſimè cauda feriunt, & poſt multa pocula ſinceræ fidei, ſuæ hæreſeos venena infundunt: ſi enim à principio ſuam hæreſin propalarent, nemo eis credere vellet, ideo ergo veritatis verba præponunt, vt falſitas ſubſequens ſuſcipiatur. Præcipitur autem illis, vt nihil aliud lædant niſi homines, qui ſignum Dei in ſuis frontibus non habebant; ſignum namque Dei in fronte habet, qui nihil timens ſtatim ad primam interrogationem ſe Chriſtianum eſſe confitetur, qui præ timore aliquo Chriſti nomen occultat, hic ſignum Dei in fronte non habet. Tales ergo, ideſt, falſi Chriſtiani; ſiue etiam qui ſignum Dei nunquam receperunt, vt Iudæi, & pagani, facile ab hæreticis decipi poſſunt. Fœnum vero terræ, & omne viride, omniſque arbor fructifera, & in paradiſo C Dei, quæ eſt Eccleſia, plantata, eorum fraudulenta verſutia non læditur, quia ſancto Spiritu eam viuificante, tam fortis viridiſque eſt, quod nullo veneno occidi poterit.

Et dictum eſt, ne occiderent eos, ſed vt cruciarent menſibus quinque, & cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij cum percutit hominem. Et in diebus illis, quærent homines mortem, & non inuenient eam, & cupient mori, & fugiet mors ab illis. Tanta eſt enim iniquitas malignorum ſpirituum, qui in eis locuſtis ſedent, & habitant, ſi Diuina prouidentia eis frena laxaret, vno momento omnes homines interimerent, quod quia non poſſunt, cruciant, vt poſſunt. Hoc autem menſibus quinque: quinque namque menſibus hæc diaboli membra cruciandi poteſtatem habere perhibetur, qui numerus, quoniam imperfectus eſt, (ſiquidem neque annum neque dimidium complet) breui tempore Antichriſtum regnare ſignificat, tribus enim annis, & dimidio ſuæ iniquitatis potentiam exercebit: *niſi enim Dominus abbreuiaſſet dies illos, non fieret ſalua omnis caro.* D Poſſumus autem & ſic intelligere, vt quamvis toto illo tempore homines decipere non poſſet, quinque tamen vltimis menſibus ſignis, & prodigiis, omnique decipiendi arte operam dabit, vt quaſi Deus adoretur, colatur, & veneretur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Nam vt Salomon ait, ante ruinā exaltatur cor. Et meritò quinque menſibus cruciantur, qui quinque corporis ſenſibus creatorem ſuum offendere non timuerunt. Sed quomodo cruciantur? Sequitur. *Et cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij cum percutit hominem.* Vnde datur intelligi, quod non tantum aperta perſecutione, quantum occulta perſuaſione homines vulnerabit. Quod autem ait. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient.* Dupliciter intelligi poteſt. Et mali quidem, quia vltimum tremendi iudicij diem iam manifeſtis ſignis appropinquare videbunt magis mori vellent, quam eadem terribilia pati, vellēt enim impij mori, ſed non poſſunt, viuent igitur, vt nunquam mortis periculo careant. Quod ſi de bonis intelligatur, tanta erit tribulatio & anguſtia, tan-

E tuſque timor ne ab iniquis decipiantur, vt mori cupiant & eſſe cum Chriſto *erit enim tunc perſecutio talis qualis non fuit ab initio ſæculi, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* & hoc eſt quod boni timebunt, vnde magis mori, quam viuere deſiderabunt. Sed fugiet mors ab eis, vt ad eum diem perueniant, in quo Diuina diſpenſatione de hoc mundo migrare ante ſæcula prædeſtinati ſunt. Sequitur.

Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita eorum tanquam coronæ ſimiles auro, & facies earum ſicut facies hominum. Diximus enim per locuſtas, hæreticos figurari, qui bene equis paratis in prælium aſſimilantur, quia arrogantiæ faſtu ſemper bella concupiſcunt, de quibus Pſalmiſta. *Diſſipa gentes, quæ bella volunt.* Portant autem tanquam coronas ſimiles auro ſuper capita, quia garrulitate, & ſophiſmatibus contra ſanctos diſputantes, cum veritati acquieſcere nolunt, ne F victi videantur, victores & ſapientes à ſtultis, & miſeris hominibus eſſe creduntur: corona namque victoriam: aurum vero, ſapientiam deſignat. Habent ergo coronas tanquam auro ſimiles, quia non veraciter nec ſapienter vincunt, ſed quaſi victores eſſe videntur. Facies vero hominum repræſentant, quia de ſcripturis diuinis teſtimonia proferentes rationabiliter ſe loqui velle promittunt. Sed quia in his facile ſuperantur, quaſi ſcorpius cauda ferientes, ad Dialecticas quæſtiones ſe ſe conuertunt, cum ergo feræ ſint crudeliores hominum tamen ſimplicitatem ſe habere ſimulant.

Et habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes eorum ſicut leonum erant. Quid enim per capillos mulierum, quos hæretici habent, niſi eorum vitam mollem, muliebrem, & in omnem luxuriam diſſolutam intelligimus. Hoc enim Apoſtolus intelligens præcipit mulierem velare caput ſuum. Habent autem & dentes ſicut leones, quia & omnibus detrahunt, & leuiter prouocati facile iraſcuntur, & ad ſe vindicandum, quaſi leones, quod in animo gerunt, ſtatim in dentibus & verbis oſtendunt.

G *Et habebant loricas ſicut loricas ferreas, & vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum gradientium in bellum.* Ferreas autem loricas hæretici habent, quia dialecticis argumentis & ſyllogiſmorum concatenatione ſic ſua dogmata tuentur, vt ipſis quoque ſententiis veritatis non facile diſſoluantur. Habent autem & alas, quibus velociter circumquaque volantes, ſuas hæreſes omnibus manifeſtant, per quas nihil melius, quam eorum diſcipulos intelligere poſſumus, quarum videlicet alarum vox ita ſonat, veluti currus multorum equorum cum in bello gradiuntur, vnde cum ſtrepitu, ſuperbia & garrulitate eorum prædicatio magis agi videtur, quam cum ratione & veritate.

Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis eorum, & poteſtas earum, nocere hominibus menſibus quinque. Per caudam enim, quæ poſterior animalis pars eſt, vltima actio hæreticæ prauitatis intelligitur, quæ caudis ſcorpionum ſimilis dicitur, quia ſicut ſcorH pius cauda percutit, ſic & hæreticus cum multa bona prius prædicet & oſtendat, in fine tamen occultum virus infundit, quo animas hominum pertrahit ad interitum. Vnde & ſubditur. *Et aculei erant in caudis earum.* Nam, vt Apoſtolus ait, *aculeus peccati mors*, portant ergo hæretici mortem in caudis, quia finis conſilij ipſorum mortis vulnere non carebit. Sequitur. *Et poteſtas earum, nocere hominibus menſibus quinque.* Cur autem quinque menſibus nocere dicantur, ſuperius expoſuimus.

Et habebant ſuper ſe regem Angelum abyſſi, cui nomen hebraicè Abadon, græcè autem Apollion, & latinè habens nomen, exterminans. Væ vnum abiit, & ecce veniunt duo væ poſt hæc. Quis eſt enim hic Angelus abyſſi niſi Antichriſtus, qui & puteus abyſſi ſupra vocatur? Cœleſtis ergo nuncius, Chriſtus, tartareus Antichriſtus: ille ad cœlos, iſte ad tartara ſuos inuitat. Et ſicut Chriſtus rex eſt omnium fidelium, ita & Antichriſtus rex eſt omnium hæreticorum & infidelium. Cuius nomen Beatus Ioannes tribus principalibus linguis exprimere voluit, vt omnes eum cognoſcerent, omneſque eum vitarent.

Quis enim exterminantem non fugiat?Exterminat enim, & prius quidem extra terminos fidei, & Eccleſiæ, deinde vero extra terminos ſupernæ Ieruſalem, omnes ſibi obedientes exterminat & eliminat. Quod autem væ iam abyſſe dicitur, primam eius diſcipulorumque eius, quos & locuſtas appellauit, prædicationem intelligimus, tribus enim annis regnabit, tribus prædicationibus prædicabit, atque tribus væ homines affliget.

Et ſextus Angelus tuba cecinit, & audiui vnum ex cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicens ſexto Angelo, qui habebat tubam. Solue quatuor Angelos, qui ligati ſunt in flumine magno Eufrate. Quintus namque & ſextus Angelus, de quibus iam diximus & dicturi ſumus, Doctores Eccleſiæ erunt, in quorum tempore veniens Antichriſtus, eorum prædicationibus, ſuis falſis ſermonibus obuiabit. Hoc autem aureum altare omni pulchritudine & ſapientia decoratum, in quo Chriſti paſſio, omneque eius ſacrificium qualiter fuerit, qualiterque fieri debeat pleniſſime continetur, nouum teſtamentum eſſe credimus. Cuius quatuor cornua, quatuor Euangeliſtas eſſe putamus. Quod bene ante Dei oculos eſſe dicitur quia cuius ſpiritu compoſitum eſt, ab eius oculis, & memoria non recedit. Eſt etiam ante oculos Dei, quia ſancti, qui Dei oculi vocantur, omni tempore illico ſanctificantur, & in eo ſe exercent. Loquitur ergo vnum ex quatuor cornibus altaris, id eſt, aliquis Euangeliſtarum. (quod enim vnus dicit, omnes dicunt) & admonet ſextum Angelum, qui habebat tubam, vt ſoluat quatuor Angelos in flumine magno Eufrate ligatos, quid enim aliud faciunt Doctores, niſi quod altaris cornua, id eſt quatuor Euangelia docent & prædicant?Præcipit ergo Euangelium huic ſexto Angelo, ideſt, cuilibet Doctorum, vt quatuor Angelos, qui in prædicto flumine ligati erant, ipſe ſoluat, ideſt, ſolutos eſſe oſtendat. Hoc namque flumen, quo nullum aliud maius eſt mundum eſſe ſignificat, (*aqua enim multa populi multi*) & quia quatuor ſunt mundi partes, quatuor quoque Angeli eſſe referuntur, qui nunc quidem, quoniam ſecundum deſiderium ſuum facere nequeunt, ligati eſſe dicuntur: at vero tunc ſoluti erunt, quia cunctis ſuis viribus mundum vexabunt. Si autem vis ſcire, vbi vnum ex cornibus altaris iſta præcipiat, lege Matthæum, ait enim: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, tunc qui legit intelligat*, cum enim Eccleſiæ Angelus & Doctor, Antichriſtum in templo Sedentem videbit, quid aliud dicere poterit niſi quia diabolus ſolutus eſt, & dies vltimus appropinquat?

Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum, & numerus equeſtris exercitus vigeſies millies dena millia audiui numerum eorum. Soluti ſunt, inquit, Angeli, quos voce Euangelica ſextus Angelus nunciauit, eſſe ſolutos qui parati erant in horam, & diem, & mēſem, & annum, vt quos videlicet in hora ſuperare non poſſent, per diem integrum eos perſequi non ceſſarent, ſic autem, & qui in die non vincerentur, per totum menſem tentarentur, quos vero neque per menſem expugnare poſſent, ſaltē longa quaſi anni obſidione ſibi ſubiugarent. Tale eſt ergo ac ſi diceret: quia parati erant ſine intermiſſione, & omni tempore, vt perſequerentur, & occiderent tertiam partem hominū, illam videlicet, quæ neque inter Eccleſiæ Prælatos, neque inter ſubiectos computata, tertium diuiſionis & portionis obtinet locum, de qua quidem parte ſatis iam ſuperius dictum eſt. Quod autem numerus equeſtris exercitus vigeſies millies dena millia referūtur, hoc ſignificare puto, vt quia nouem ſunt Angelorum ordines, ad decimum, qui cecidit dena millia reducamus: per millies autem, qui numerus multiplex eſt, eos infinitos, & innumerabiles intelligamus; at vero per vigeſies, in quibus bis decem continentur, decimum malignorum ſpirituum ordinem ex malis hominibus duplicatum eſſe demonſtrat. Nihil ergo aliud eſt vigeſies dena millia, niſi quod innumerabilis malignorum ſpirituum decimus ordo etiam ex prauis hominibus fit duplicatus.

Et ita vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas & hiacintinas, & ſulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore ipſorum procedit ignis, & fumus & ſulphur. Quid enim per equos niſi hæreticos? quid per eorum ſeſſores, niſi malignos ſpiritus intelligimus?Non eſt ergo mirum, ſi ſe per abrupta vitiorum tales equi præcipitant, quos tam feri, & inſani equites calcaribus ſtimulant indeficiētibus. Habent autem maligni ſpiritus loricas, quibus ſe ſuoſque milites tueantur. Quæ bene igneæ, hiacinthinæ, & ſulphureæ perhibentur, vt quod ipſi ad tutamen ſuſcipiunt, hoc eis in detrimentum vertatur, his tamen armis in bella ruunt, his miſeros homines terrent & vincunt. Aliis enim ſe igneos & iratos oſtendunt, vt quondam per ſe & membra ſua Martyribus faciebant: aliis claros, & hiacinthinos, & quaſi de cœleſtibus venientes, in Angelos lucis transfiguratos (hiacinthus namque cœlo in colore ſimilis eſt.) Quos vero luxuriæ & turpitudini deditos vident, eos ſulphureis armis aggrediuntur, hoc enim vnicuique ſubminiſtrant, in quo eius animum delectari conſpiciunt. Capita vero equorum, per quos hæreticos intelligimus, leonum capitibus ſimilia eſſe dicuntur, quia ſicut leones, ita hæretici crudelitate & ſanguine gaudent, de quibus bene per prophetam dicitur: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Itemque. *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Et de ore ipſorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur, ignis quidem iracundiæ, furoris, & odij, fumus autem erroris & cæcitatis, qua ne Deum cognoſcant, mentes hominum caligare faciunt. Per ſulphur vero quid aliud intelligimus, niſi eorum turpes fœtidoſque ſermones, quibus ipſum Dominum blaſphemare non timent.

Ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne fumo & ſulphure, qui procedebat ex ore ipſorum: poteſtas enim equorum in ore eſt, & in caudis eorum, nam caudæ illorum ſimiles ſunt ſerpentibus habentes capita, & in his nocent. Tertia namque pars hominum, quæ occiſa perhibetur, ipſa eſt, de qua iam ſæpe diximus; non enim in duabus Eccleſiæ partibus hæretici habent poteſtatem. Et illi quidem igne pereunt, qui timore afflictionis, tribulationis & anguſtiarum, ſe hæreticorum dominationi ſubiiciunt, quos autem erroris & deceptionis calliditate excæcant, eos proculdubio fumus ſuffocat. In ſulphure vero moriuntur, qui in eorum turpiſſima fœtidaque conuerſatione delectantur, & vt licentius peccare poſſint, eorum nefando concilio aſſociantur, alios ergo minis, alios calliditate, alios ſcelerum impunitate ſubiiciunt. Sequitur. *Poteſtas enim equorum in ore eſt, & in caudis eorum.* In ore quidem ad perſuadendum, in caudis ad decipiendum, qui enim dulci eorum cantilena delectati fuerint, vltimæ deceptionis cauda percuſſi, veneno inſanabili interibunt. Vnde & ſubditur. *Nam caudæ eorum ſimiles ſunt ſerpentibus, habentes capita, & in his nocent,* omnis namque diaboli deceptio à ſerpente cœpit, & in ſerpentem deſinit, quicquid hæretici dicant, quicquid ſuauitatis, & dulcedinis tibi oſtendant, cauda tamen cauenda eſt, vltima locutionis verba obſeruanda ſunt, ſerpentes ſunt, quæ ſequuntur labiles tortuoſi, & venenoſi, caue ergo ne decipiatis, ſiquidem primi homines à ſerpente decepti ſunt.

Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt neque audire neque ambulare, & non egerunt, pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis. Illi inquit, quos hæretici decipere potuerunt; tribus plagis ſupradictis occiſi ſunt: cæteri vero, qui his plagis non ſunt occiſi, & tamen propter peccata ſua ſunt digni morte vt Iudæi, & pagani, illi ſubauditur intelliguntur, qui neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra, & cætera. Quantum enim pœnitentia valeat, in his verbis declaratur.

CAPVT X.

ET vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt ſol, & pedes eius tanquam columna ignis, & habebat in manu ſua libellum apertum. Quandam hoc in loco digreſſionem Beatus Ioannes immo ſpiritus ſanctus, qui ei loquebatur, facere videtur. Cum enim de ſeptem Angelis tuba canẽtibus loqui propoſuiſſet, cumque ad ſeptimum nondum perueniſſet, quædam alia interpoſuit, quæ longè ab hac materia videntur eſſe diuerſa. Quod fortaſsè ideo fecit, quoniam Chriſtus, qui hic ad loquendum introducitur, ſeptimi Angeli mentionem faciens, in diebus vocis eius cuncta dicit eſſe complenda. *Et vidi*, inquit, *alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo.* Hic eſt Angelus magni conſilij, hic eſt Angelus teſtamenti, de quo dicitur. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamẽti, quem vos vultis.* Quem bene fortem dicit, quia inimicorũ fortiſſimum ſuperauit. De cœlo autem deſcendere videtur, vt nemo illuc cũ aſcendiſſe, dubitare poſſit. Erat autem nube amictus, id eſt humana carne indutus, de quo ſcriptũ eſt: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Hæc eſt enim illa nubes, noſtri videlicet Saluatoris humanitas, quæ imbre fidei totum mundum irrigauit. Iris autem erat in capite eius, qua velut pro corona vtebatur, vt ſicut iam ſemel aquis triumphauerat, ita ſecundo per ignem triumphaturus eſſe ſciatur. Iris enim principales duos habet colores viridem ſcilicet, & rubeum, & alter quidem aquam, alter vero ignem deſignat. Et facies erat vt ſol, qualis quondam transfiguratus tribus diſcipulis in monte apparuit, huius ſplendore fugantur tenebræ, quæ de fumo putei exortæ, in caliginem cuncta conuerterant. Et pedes eius tanquam columna ignis, pedes enim Apoſtoli ſunt, de quibus dicitur. *Specioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Qui merito columnæ ignis aſſimilantur, quoniam, & fortes ſunt, neque à rigore fidei flecti poſſunt, & ſuo ſplendore totum mundum illuminarunt, quibus Dominus ait. *Vos eſtis lux mundi.* Et habebat in manu ſua librum apertum: libellum namque apertum vtriuſque teſtamenti ſcientiam intelligimus. *Vicit* enim *leo de tribu Iuda*, qui & librum prius clauſum & ſignatum aperuit, & eius ſecreta myſteria reſerauit. Et quia prædicti Angeli figuram audiuimus, etiam quid egerit à modo audiamus.

Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram. & clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit, & cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas, & cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, & ego ſcripturus eram, & audiui vocem de cœlo dicentem: ſigna, quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere. Diximus enim pedes Domini, eſſe Apoſtolos; quos, & ſupra mare, & ſupra terram Dominus poſuit, vt eos vbique fuiſſe intelligamus. *In omnem* enim *terram exiuit ſonus eorum*, & ſupra mare quidem ad baptizandum, ſupra terram vero ad prædicandum. *Ego*, inquit Apoſtolus, *plantaui, Apollo rigauit*, & quia maior labor eſt prædicare, quam baptizare, & quia plura aduerſa prædicatores, quam baptizatores patiuntur, ideo ſiniſtrum pedem ſuper terram, dextrum autem ſuper mare poſuiſſe Dominus dicitur. Et clamauit voce magna quemadmodum cum leo rugit: quod enim vbique auditur, magna quidem voce profertur. At vero Chriſti prędicatio vbique narratur, vbique Chriſti Euangelium prædicatur, quod vtique quaſi leo rugit, quia victoriam & fortitudinem manifeſtat. Quo clamante ſeptem tonitrua locuta ſunt, quia eo prædicante, ſeptem ſancti ſpiritus gratiæ in eius ore reſonabant. Sed quid eſt, quod vox de cœlo veniens, ſignare tantum iubet, ſcribere vero Apoſtolum prohibet ea, quæ ſeptem tonitrua loquebantur? Quod enim ſcribimus, poſterorum memoriæ tradimus. Vnde Apoſtolus. *Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Quod vero ſignamus, occultum eſſe volumus. Vox autem, quæ de cœlo veniens, ſcribere prohibet, illa eſt, quæ in Euangelio loquitur dicens: *Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas ſpargere ante porcos.* Audierunt ergo Apoſtoli, quæ ſancti ſpiritus tonitrua loquebantur, omnibus tamen omnia prodere prohibiti ſunt, non enim omnibus omnia dicenda ſunt. Vnde Apoſtolus: *Audiui*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Alia ergo hominibus pandunt: alia clauſa & ſignata in mente tenent: ſecundum illud: *Vobis datum eſt noſce myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis.*

Et Angelus quem vidi ſtantem ſupra mare & ſuper terram leuauit manum ſuam ad cœlum, & iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cœlum, & omnia, quæ in illo ſunt, & terram & ea, quæ in ea ſunt, quia tempus amplius non erit. Sed in diebus vocis ſeptimi angeli, cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas. Mos eſt enim eorum, qui iurant, ad ea manum extendere, per quæ iurant. Ad cœlum ergo Dei filius manum leuat, quia in cœlo eſt pater, per quem iurat. Omnis enim eius ſermo iuramentũ eſt: quoniã quicquid dicit, firmum & ſtabile eſt. Iurat ergo per illum, qui ſemper viuit, & nunquam non erit, quia temporis mutabilitas amplius non erit. Sed ſeptimo angelo tuba canente: omnia complebuntur, quæ à Prophetis prædicta fuerunt, & quod poſt primum iudicium iurauerat, quod non induceret amplius aquas diluuij ſuper terram, nunc iterum iurat, quod cœlum tranſibit, & terra, hæc enim duo iudicia iris illa ſignificabat, quam in capite Chriſtus habebat.

Et vox quam audiui de cœlo iterum loquentem mecum & dicentem: Vade accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſupra mare, & ſupra terram: & abij ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum, & dixit mihi: Accipe, & deuora illum, & faciet amaricare ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquã mel. Prius enim audierat vocem de cœlo dicẽtem ſibi, ne ea, quæ tonitrua locuta fuerant, ſcriberet, nunc autem eadem vox præcipit, vt librum de manu prædicti Angeli apertum accipiat. *Tempus* enim *tacendi*, vt Salomon ait, *& tempus loquendi*: liber enim apertus indicat, quia ad hoc ei datur vt prædicet. Abiit ergo ad Angelum, acceſſit ad Dominum, rogauit, vt ei ſubminiſtraret, quid eius populo nunciaret. Non enim Apoſtoli loquuntur, ſed ſpiritus ſanctus in eis. Et dixit Angelus: *Accipe & deuora illum, & faciet amaricare ventrem tuum, & in ore tuo erit dulce tanquam mel*, liber iſte, quem ſancti deuorare iubentur, vtriuſque teſtamenti ſcientia intelligitur, quæ in ore quidem dulcis, ſed in ventre amara eſt, dulcis in ore, amara in ſtomacho, dulcis ad audiendum, amara ad faciendum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel, & fauum ori meo.* Cum enim eam legimus & audimus, adhuc in ore eam habemus, cum ea facere nitimur, quaſi in ſtomacho & ventre collectam digerere laboramus. Cui enim Prophetarum Euangeliorumque expoſitio ad legendum & audiendum dulcis non ſit? ſed numquid ſimiliter ad faciendum? Libenter enim Saluatoris verba ille audierat, cui poſt cætera Dominus ait. *Adhuc tibi vnum deeſt: vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, & habebis theſauros in cœlis.* Cui quam amarus cibus iſte inuentus fuerit demonſtratur cum ſubditur. *Et triſtis abiit, quia multas habuit poſſeſſiones.* Sequitur.

Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui eum, & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus, & erat in ore meo tanquam mel dulce & dixit mihi. Oportet te iterum prophetare populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis: Ideo enim liber ei apertus datus eſt, vt non iam ſicut prius verba ſignaret, ſed cunctis ea audire volentibus, propalaret. Hæc quidem ſecundum diuerſa tempora accipienda ſunt: non enim omnia tempora apta ſunt doctrinæ. Sicut enim agricola non omni tempore ſeminat, ita & Doctorem non omni tempore prædicare oportet, & ideo aliquando Dei myſteria

celant,

A celant,& ſignant, aliquando libro aperto omnibus manifeſtant.

CAPVT XI.

ET datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dixit mihi, Surge & metire templum Dei, & altare & adorantes in eo, atrium autem, quod eſt foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud quoniam datum eſt gentibus, & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus. Calamus enim, qui ei ad metiendum datus eſt, regula fidei & viuendi diſciplina accipitur, hæc enim regula recta eſt, & ad quod & quantum ſe vnuſquiſque extendere debeat, inſinuat, vnicuique ſua tribuit, & ſecundum propria officia omnibus ſibi congruentia partitur, & dixit mihi. *Surge metire templum Dei, & altare & adorantes in eo.* Surge, inquit, pelle torporem, & quia cæteros ad ſurgendum admonere habes, ipſe prius ſurge, vt qui verbis
B credere noluerit, operibus credat. Et metire templum Dei, per quod Eccleſiam intelligimus. Cuius menſura erit ab ortu ſolis & occaſu, ab aquilone & mari. Metire & altare, fidem videlicet qua nihil altius in Eccleſia ſtare videtur, cuius quidem menſura eſt, vt vnum & verum Deum in vnitate, & trinitate adoremus? Neque ab his terminis vlterius progrediamur. Metire etiam adorantes in eo, quid Prælati, quidve ſubiecti agere debeant edoce, nemo ſuperbiat, cui honorem, honorem, cui timorem, timorem. Ille enim bene menſus non eſt, qui nimium ſe extendens, ſuo ſe maiori preferre nititur. Atrium autem, quod eſt foris templum eiice foras, & ne metiaris illud, quia datum eſt gentibus, per atrium enim, in quo otioſi confabulari ſolent, Iudæi, & hæretici intelliguntur, qui vtique foras templum eiiciuntur, quia in ſanctorum congregatione non erunt: hos autem, quia hæreſi
C & fabulis inanibus vacant, & quia gentibus, vitiis ſcilicet & malignis ſpiritibus dati ſunt, non metitur Apoſtolus. Vt quid enim metiretur? nullius enim menſuræ ſunt, omnibus ſe præferunt. De quorum numero ille eſt, qui ſupra omne, quod dicitur, Deus, aut quod colitur, ſe exaltat. Sequitur. *Et ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.* Quadraginta namque & duo menſes, tres annos & dimidium complent. Tot enim annis prædicauit Chriſtus, tot regnabit & Antichriſtus. Et quia illis tribus annis maior cæteris in Eccleſia perſecutio fiet, ideo, quamvis ab initio vſque in finem, mali Eccleſiam calcare non ceſſent, quadraginta tantum & duobus menſibus eam dicit eſſe calcandam.

Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt, diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes, & ſi quis eos voluerit nocere ignis exiet de ore illorum, & deuorabit inimicos eorum, & ſi quis eos voluerit lædere, ſic oportet eum occidi. Hi enim duo teſtes iuxta litteram He-
D noch & Helias intelliguntur, ſpiritualiter autem, omnes Eccleſiæ Doctores, qui duorum teſtamentorum teſtimoniis roborati, teſtes Dei ritè vocantur. His autem dat Dominus prophetandi miniſterium, vt prædicent diebus mille ducentis ſexaginta, tot enim diebus prædicauit Chriſtus, ergo quia ſeruorum prędicatio, in numero quoque dierum Domini ſui prædicationi conuenire debet totidem dies, & iſti prædicabunt. Quod quidem de omnibus quodammodo intelligi poteſt, cum enim nihil aliud prædicent Doctores, niſi ea, quæ in tribus annis & dimidio Chriſtus prædicauit, merito diebus mille ducentis ſexaginta prædicare dicuntur, qui vtique numerus tres annos in ſe & dimidium continet. Erunt autem amicti ſaccis, quibus cæteros ad pœnitentiam prouocabunt. Vilibus enim veſtibus vſque hodie pœnitentes vti præcipimus, qualibus & Niniuitæ in prædicatione Ionæ à maiore vſque ad minorem induti referuntur.

Hi ſunt duæ oliuæ, quia numquam oleo miſericordiæ carent, per quos & cæteros intelligimus, de quibus dicitur. *Filij tui ſicut nouella oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.* Itemque. *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Hi ſunt & duo candelabra, quorum lumine atque doctrina mundus iſte illuminatur. Qui ſemper ſtant in
E conſpectu Domini terræ, ſiquidem viſione Diuina non priuantur. Ignis autem, qui exit de ore illorum, & deuorat inimicos eorum, ille eſt de quo Dominus ait. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Hic eſt ignis charitatis de quo Apoſtolus ait: *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Tali ergo igne deuorati & occiſi ſubito ex inimicis amici fient. Poſſumus autem & per hunc ignem, vltionem Diuinæ maledictionis intelligere.

Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram, omni plaga, quotieſcumque voluerint. Hoc enim, & ſecundum litteram verum eſt, quod hic idem Helias in tempore Iezabel feciſſe legitur, quando clauſo cœlo, non pluit annos tres & menſes ſex: Qui etiam in ſanguinem aquas con-
F uertit, quando quadringentos Prophetas Baal interfecit, tantaque plaga illis tribus annis terram percuſſit, vt pœnè omnes fame interirent. Spiritualiter autem, cœlum ne pluat, claudere, eſt impios, & peccatores verbi Dei pluuiis nolle irrigare. Aquas autem vertit in ſanguinē qui hæreticorum ſcientiam falſam eſſe docet, & plenam ſanguine, & peccatis. Terram vero omni plaga percutit, qui pro ſuis ſceleribus iniquos anathematizat, & reprehendit.

Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduerſus eos bellum, & vincet eos, & occidet illos, & iacebunt corpora illorū in plateis ciuitatis magnæ quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt, & videbunt de populis, & tribubus & linguis & gentibus, corpora eorum tribus diebus & dimidio, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Cum inquit, ſuum teſtimonium finierint, & per tres annos & dimidium, Chriſti Euangelium prædicauerint, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet bellum verſus illos. Beſtia, diabolus eſt, propter fe-
G rocitatem, abyſſus, Antichriſtus, propter decipiendi obſcuriſſimam profunditatem. Beſtia igitur de abyſſo aſcendit, quia de Antichriſto diabolus intrat, & exit, eiuſque fallaci ſermone ad tempus aſcendit, & creſcit. Hic autem aduerſus ſanctos bellum faciet, & temporaliter eos occider & ſuperabit. Cætera autem ad litteram intellecta planiſſima ſunt, tamen ſi ad litteram, vt ſonant, ita accipi debeant, nobis certa non ſunt. Scimus enim Apoſtolum dixiſſe. *Quia nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, non præueniemus eos, qui dormierunt,* volens oſtendere, quod ſimul omnes reſurgere habeant. Corpora ergo illorum, omnium fidelium corpora allegoricè intelligi poſſunt. *Omnes enim nos ſumus vnum corpus in Chriſto.* Hæc autem & in Ieruſalem, & vbique terrarum pro Chriſti nomine mortua iacent. Videntur autem per tres dies & dimidium, id eſt, toto tempore regni Antichriſti, ſiue omni tempore prædicationis Chriſti. Nam quia per tres annos & dimidium Chriſtus prædicauit, non immerito omnis eius
H prædicatio tantum temporis obtinere dicitur. Quod autem dies pro anno ponatur, audi quid Ezechieli Dominus dicat. *Et aſſumes*, inquit, *iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus diem pro anno, diem inquam, pro anno dedi tibi.* Corpora autem illorum in monumentis poni non ſinuntur, quia quantum in ipſis eſt, omni quiete, & beatitudine eos priuant, neque credunt eos habere vitam poſt mortem, quos tam dura vident occidi morte, ſecundum illud: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum.* Itemque. *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore.*

Et habitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur, & munera mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant ſuper terram, & poſt dies tres, & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos. Gaudent enim mali de morte bonorum, qui maiori licentia peccant,

nemine eis in aliquo contradicente. Sibique munera mittunt, quia nullum timentes alter alterum ad flagitia perpetranda confortat. Qualiter autem viri ſancti peccatores crucient, qui ſola terrena & tranſitoria diligunt, his noſtris temporibus, ſatis apparet, cum Reges Principes Simoniacos, ſchiſmaticos, nulla alia de cauſa contra ſanctos inſurgere videamus, niſi quia ab eis admonentur, vt à peccatis ceſſent, & tam illicita & nefanda perpetrare nolint, qua vtraque admonitione niſi cruciarentur, non tantopere contra ſanctos pro ea iraſcerentur. Sequitur. *Et poſt tres dies, & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos*, diximus enim ſuperius, tres annos, & dimidium, tribus diebus, & dimidio ſignificari, ſiquidem dies pro anno ponitur. Spiritus ergo vitæ, id eſt vniuſcuiuſque anima à Deo miſſus per tres annos & dimidium intrabit in eos, quia Chriſto Domino ad iudicium veniente, cunctis corporibus propriis animabus coniunctis omnes reſurgent, & ſuper pedes ſtantes, obuiam ei venienti occurrent. Et tunc quidem magnus timor veniet ſuper eos, qui eos videbunt, & cum eis eſſe non poterunt, quia illum ſibi iratum conſpicient, cui nec viribus reſiſtere, nec precibus eum placare valebunt.

Et audiui vocem magnam de cœlo dicentem illis: Aſcendite huc, & aſcenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum, & in illa hora factus eſt terræ motus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia, & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cœli. Vox enim illa magna, quam de cœlo, vt illuc aſcenderunt eos inuitare audiuit, ipſa eſt, quæ in Euangelio loquitur dicens. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Viderunt eos in nube aſcendentes inimici eorum, vt de eorum gloria, maior creſceret pœna. Et in illa hora factus eſt terræ motus magnus, magnus vtique terræ motus, in quo omnes peccatores (qui merito terra vocantur) mouentur, vt cadant, quatiuntur vt pereant. Et decima pars ciuitatis cæcidit, hæc enim illa decima pars mundi, quæ decimum ordinem perditorum Angelorum ſecuta eſt: Et occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia finitum pro infinito, quicumque enim in ſeptem diebus, in quibus omnia ſæcularia continentur, perierunt, & pænitentiam non egerunt, in his ſeptem millibus computantur. Terræ motus autem iſte tunc fiet, quando dicetur. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Reliqui in timorem ſunt, miſſi & dederunt gloriam Deo cæli, in timorem quidem ſancti miſſi ſunt, non quod aliqua pœna immineret, ſed quia eos videbant, qui pœnas patiebantur, ſiue etiam tanto magis Deum timuerunt, quanto eius potentiam ſuper peccatores intellexerunt. Et dederunt gloriam Deo cæli, qui eos ante ſæcula ad vitam prædeſtinauit, & à crimine liberauit, ne ſimul cum peccatoribus ſimilia paterentur. *Væ ſecundum abiit, & ecce tertium væ veniet cito*, hoc autem væ illud eſſe puto, quo mali ſine fine in pœnis cruciabuntur.

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & facta ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum eſt Regnum huius mundi Dei noſtri, & Chriſti eius, & regnabit in ſæcula ſæculorum. Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes. Septimo namque Angelo tuba canente, nulla iam prædicatio in Eccleſia fit, niſi ſolæ gratiarum actiones, laudatur Deus, & magnificatur, qui cæteris inimicis ſuperatis, regnum ſine fine regnaturus ſuſcepit, vnde viginti quatuor ſeniores, de quibus in ſuperioribus ſatis dictum eſt, in facies ſuas ceciderunt, & adorauerunt Deum dicentes.

Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & accepiſti virtutem tuam magnam & regnaſti, iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua & tempus mortuorum, iudicare, & reddere mercedem ſeruis tuis Prophetis, & ſanctis & timentibus nomen tuum, puſillis, & magnis, exterminandi eos qui corruperunt terram. Malignis namque ſpiritibus omni virtute priuatis, & in tenebras præcipitatis, virtutem ſuam magnam Dominus accepit, cui nemo vlterius contradicet, & regnauit cæteris regibus ſedibus expulſis & ſuperatis. Et iratæ ſunt gentes, ſecundum illud. *Dominus regnauit iraſcantur populi*, iratæ vtique ſunt, non aliis, quam ſibi, & deceptoribus ſuis, ſuiſque iniquitatibus. Aduenit enim ira Dei, & tempus mortuorum, vt alij in æternum crucientur & pereant, & alij iuſtè iudicari bonorum operum mercedem recipiant, mali vero exterminati, etiam ipſam ſaluandi, & in patriam reuertendi ſpem deſperati amittent. Ipſi enim terram & corpora ſua corruperunt, & ſe & alios omni turpitudini, cæteriſque vitiis & carnis voluptatibus ſubdiderunt.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

ET *apertum eſt templum Domini in cœlo, & viſa eſt arca teſtamenti in templo eius, facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.* Templum namque, vt ſæpe iam diximus: Eccleſia eſt: Templum vero Dñi in cœlo, Chriſtus eſt in Eccleſia, in eo enim requieſcit omnis plenitudo diuinitatis eius corporaliter. Vnde & ipſe aiebat. *Pater in me manens ipſe facit opera*, & templum quidem ſe ipſe monſtrabat cum diceret. *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Hoc autem, inquit, Euangeliſta, dicebat de templo corporis ſui. A capite ergo incipiens B. Ioannes, ſicut in ſuperioribus libris, vſque ad finem iterum recurrens, quid in Eccleſia viderit, manifeſtat, & quamuis non eiſdem verbis, eadem tamen, quæ ſuperius, narrare videtur, narrat enim etiam hic Eccleſiæ perſecutiones. Ait ergo *Et apertum eſt templum Domini in cœlo.* Templum enim Domini in cœlo apertum eſt, quando poſt triginta annos ad Euangelizandum, os ſuum Chriſtus aperuit, quo aperto viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius, arca namque teſtamenti eius diuitiarum omnium theſauris referta, ipſa eius ſapientia intelligitur, quæ ante quidem occulta erat, neque videbatur, ſed eo loquente, quantus theſaurus ſapientiæ, & ſcientiæ in eius pectoris ſecretario reconditus fuerat, omnes, qui eum audiebant, viderunt, & intellexerunt: multo enim hæc arca ditauit: multi de huius arcæ diuitiis locupletes facti ſunt, pauper enim & miſer eſt qui de huius arcæ theſauris nihil habet. Et facta ſunt fulgura & voces & terræ motus, & grando magna, Chriſto namque prædicante, mox fulgura facta ſunt, quibus cum omni vitiorum exercitu, diabolus ex hominum pectoribus pellebatur: tantæ enim efficaciæ eius verba erant, vt ei maligni ſpiritus reſiſtere non valerent. Factæ ſunt autem voces multorum vbique laudantium & Chriſti teſtimonium perhibentium. Et terræ motus, terrenis ſcilicet & peccatoribus ad fidem ſumma cum feſtinatione currentibus. Et grando magna: nam ſicut ſcriptum eſt, non vt Phariſæorum, ſed cum potentia eius prædicatio fiebat, nulli adulando loquebatur, ſed quæ grando, quæ anguſtiæ, quæ tribulationes, peccatores exſpectarent, conſtanter omnibus nunciabat.

CAPVT XII.

ET *ſignum magnum apparuit in cœlo mulier amicta ſole & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens, & cruciabatur vt pariat.* Hæc enim mulier Eccleſia eſt, quæ ſole pulchritudine & ſplendore circum amicta, multos ſuæ claritatis lumine ad ſe, & poſt ſe attrahit amatores. Sole namque veſtitur, quatenus ſoli iuſtitiæ placeat. Induite, inquit Apoſtolus, *nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt.* Et luna ſub pedibus eius, luna enim propter defectionem ſuique mutabilitatem, mundum iſtum ſignificat, vnde, quia Iericho interpretatur Luna, homo ille, qui de Ieruſalem veniebat in Iericho, à Domino deſcen-

diſſe narratur. Habet igitur Eccleſia lunam ſub pedibus, quia cuncta terrena & tranſitoria, & mutabilia deſpiciens, & pro nihilo ducens, ſola cœleſtia concupiſcit. Coronam vero in capite portat duodecim ſtellis, quaſi duodecim marguaritis ornatam, hæc enim corona, Apoſtolorum duodenus numerus intelligitur, iſti enim vicerunt, iſti Eccleſiam coronauerunt, iſti primi milites in capite poſiti, quaſi ſtellæ in Eccleſia fulgent. Et in vtero habens, cruciabatur, vt pariat, multos enim in vtero habet multos quotidie filios parit Eccleſia, non tamen ſine cruciatu quodam atque dolore. Vnde in Euangelio Dominus ait. *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius.* Et Apoſtolus. *Filioli mei, quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* Maiores tamen in perſecutionis tempore patiendo Eccleſia cruciatus patiebatur, ideo enim ſancti occidebantur, quia parere cupientes, ad baptiſmum alios inuitabant, ibi enim parit Eccleſia, ibi legitimos filios Domino generat.

Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, & ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, cornua decem in capitibus ſuis ſeptem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram. Draco enim magnus & rufus, diabolus eſt, qui in ſpecie ſerpentis primum hominem decepit, & nunc quidem propter ſanguinem. Martyrum, quem fundere non ceſſat, rufus apparet. Hic autem ſeptem capita habere perhibetur, ſeptem videlicet vitia principalia, quæ de matre ſuperbia exorta ſunt, ex quibus quaſi principiis omnia alia vitia oriuntur, hæc autem ſunt, vana gloria, inuidia, ira triſtitia, auaritia, ingluuies, luxuria, decem vero cornua, omnia alia vitia ſunt, quæ ab his capitibus deriuantur, quæ quoniam multa ſunt, eum numerum ponere voluit, in quo omnes numeri continentur, non enim progreditur numerus vltra decem, ſed ipſe in ſe reuolutus omnes alios numeros complet, quid ergo cornua decem, niſi cornua multa? Habet & in capitibus ſuis ſeptem diademata, quia pro vnoquoque vitio ſuam portat coronam, quoties enim per inuidiam aliquem vincit, toties ab inuidia coronatur. Sic & in aliis. Poſſunt autem ſeptem capita, ſeptem hæreſiarchæ, & decem cornua, decem Reges intelligi qui in tempore Antichriſti non ſolum falſis prædicationibus, verum etiam tyrannica poteſtate ſanctam Eccleſiam affligent, de his autem in ſequentibus dicetur. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli; & miſit eas in terram, quid enim per caudam, niſi eius deceptionem intelligimus? cauda ergo eius, id eſt, ipſius calliditatis & hæreticæ prauitatis deceptio, tertiam partem ſtellarum cœli, multos videlicet, qui in Eccleſia videbantur fulgere trahebat, & miſit eos in terram, vt non iam cœleſtia, ſed ſola terrena & tranſitoria diligerent, & inhiarent, de hac autem tertia parte iam ſæpiſſime dictum eſt, quæ neque in Prælatorum, neque in ſubiectorum numero continetur, hæreticos, & malos Chriſtianos eam ſignificare diximus.

Et draco ſtetit ante mulierem, quæ paritura erat, vt cum peperiſſet deuoraret filium eius, & peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius, & mulier fugit in ſolitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi paſcant illam diebus mille ducentis & ſexaginta. Sæpe enim Eccleſiæ filiis diabolus inſidiatur, non enim magnopere de aliis curam habet, ſunt enim eſcæ eius electi, & ſecundum illum Propheticum, fiduciam habet, vt influat Iordanis in os eius, neminem enim ita perſequitur, quemadmodum Eccleſiæ filios, & aqua baptiſmatis regeneratos. Hoc eſt enim quod dicit. *Vt cum peperiſſet, deuoraret filium eius.* Quod autem ait. *Et peperit filium eius maſculum*, ſingularem pro plurali poſuit: nullum filium niſi maſculum parit Eccleſia, nam & ſi multas habeat filias, ſolæ illæ illius ſunt, quæ non mollitie muliebri, ſed virili, maſculinum robur obtinere nituntur, nam neque maſculi propter ſexum, ſed propter conſtantiam, & fortitudinem, eius filij eſſe dicuntur. Tales autem in virga ferrea gentes regunt tales vitia, & malignos ſpiritus ſuperant tales imperio forti: & inſuperabili, Dei populum per rectam viam incedere docent. Et raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius, quotidie namque Eccleſiæ filij ad Deum rapiuntur, quotidie ad thronum eius ab Angelis deferuntur, atque ab ipſis faucibus deuorare cupientis ſæpiſſime præda ſubtracta, gaudens & triumphans cœlos aſcendit. Mulier autem in ſolitudinem fugit, quoties malorum vitans conſortia ad mentis ſecretum, ad Dei contemplationem ſancta Eccleſia ſe ſe confert. Vnde ſcriptum eſt. *Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine.* Ibique locum habet à Deo paratum, ſed quomodo paratum; vis audire quomodo? vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta, ſed qui ſunt, qui eam paſcant, niſi ſacra volumina ſcripturarum. Lege Iſaiam, & ipſe te paſcet, lege & alios Prophetas, & ibi paſcua inuenies, nullis delitiis comparanda, de quibus dicitur. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Per dies autem mille ducentos ſexaginta, omne tempus à Chriſti prædicatione vſque ad diem vltimum intelligimus, tot enim diebus prædicauit Chriſtus & quia prædicatio non mutatur, quamuis ſint dies multo plures, tot tamen eſſe dicuntur, quot illi ſunt, in quibus omnis ipſa prædicatio facta eſt; nullum enim alium vſque hodie cibum ſumimus, niſi quem illis mille ducentis ſexaginta diebus Chriſtus nobis præparauit. Tale eſt ergo ac ſi diceret: vt ibi eam paſcant eo ſuauiſſimo dulciſſimoque cibo, qui in diebus mille ducentis ſexaginta à Domino præparatus eſt.

Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo, & proiectus eſt in terram draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt in terram. Poſtquam enim mulier peperit, poſtquam ſancta Eccleſia filios generauit, mox prælium magnum in cœlo factum eſt, mox iniquorum perſecutiones in Eccleſia exortæ ſunt. Vnde & ſubditur. *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius*, Quod enim ad cuſtodiam Angeli nobis à Deo dati ſunt, ipſe Dominus ait. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* Et Apoſtolus. *Omnes enim miniſtri ſunt in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Magnum prælium in quo Michaël princeps Angelorum contra draconem pugnat principem dæmonorum, magnum vtique prælium, in quo Michael contra diabolum; Angeli contra Angelos, & ſancti contra iniquos pugnare non ceſſant. Sed quia Michaël interpretatur, quis ſicut Deus, ſui nominis interpretatione nos confortat vt viriliter pugnemus, vt in tanto prælio non vincamus. Eſtote, inquit, *fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente*, quis enim ſicut Deus, qui vobis auxiliatur? quis ita pugnat ſicut princeps militiæ veſtræ: neque deficiatis in tribulationibus ne detis locum perſecutoribus, opponite fidei clypeum, ne in veſtrum exercitum diabolus ſubintret. Hoc eſt enim, quod ſequitur: *Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo*; non valuerunt vtique reſiſtere, vndique prælio imminente, pelluntur namque baptiſmate, pelluntur pœnitentiis, pelluntur orationibus, pelluntur charitatis & miſericordiæ telis. Non habent locum in cœlo, quia ibi eſt ſedes Dei. Quid igitur? Et proiectus eſt in terram draco ille magnus ſerpens antiquus, nam quia in ſanctis non habet locum, terram perſequitur & peccatores: hoc enim ſibi à Domino permiſſum fuerat, *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, terram namque comedit, quia peccatores perdit & deuorat. Hic eſt ille draco magnus, hic eſt ille ſerpens antiquus, qui ſemper volubilis & tortuoſus, & numquam recta incedens via, ipſos primos humani generis parentes, decepit. Vocatur autem diabolus, quia de ſupernis deorſum ruit. Vocatur autem & Sathanas, omni veritati omnique iuſtitiæ contradicens: Qui ſeducit vniuerſum orbem, ipſe enim

A omnes, qui ſeducuntur, ſeducit, qui ſeductionis principium adhuc in paradiſo poſitis primis hominibus fuit. Ipſe quidem proiectus eſt, & angeli eius cum illo miſſi ſunt in terram, cum omni namque ſuo exercitu diabolus de cœleſtibus cadens in illis regnat & dominatur, qui terrenis voluptatibus dediti, ſurſum corda ad Deum non habent.

Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte, & ipſi vicerunt illum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem, propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Hanc enim vocem, & in cœlo Angeli, B & in Eccleſia ſancti aſſidue promunt & clamãt, ſemperque tantis pro beneficiis gratias agentes dicunt. *Nunc facta eſt ſalus*, mortis principe deiecto & ſuperato. *Et virtus*, quia diabolus virtutem perdidit. *Et Regnum Dei noſtri*: eo victo & ligato, qui regnum & imperium tenere videbatur. *Et poteſtas Chriſti eius*; ipſe enim potens imo omnipotens eſt, cui à Patre dictum eſt: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte*: quod enim die ac nocte, omni tempore, & ſine intermiſſione ſeruos Dei diabolus accuſet, ex eo intelligi poteſt, quod de B. Iob, eum accuſans, ad Dominum loquitur dicens: *Tantum extende manum tuam, & tange omnia quæ poſſidet, ſi non in facie benedixerit tibi*; ipſe enim nos accuſat, quando eius inſtigatione ea facimus, quibus & Deum offendimus, & accuſatione digni ſumus. Sequitur. *Et ipſi vicerunt illum propter ſanguinem agni.* Sanguis etenim agni, qui pro noſtra ſalute C fuſus eſt, ipſe nos contra diabolum victores facit. *Et propter verbum teſtimonij ſui, & quia non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*, Quod enim anima pro vita ponatur in Euangelio habes vbi dicitur. *Qui animam ſuam amat, perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, in vitam æternam cuſtodiet eam*, ſic autem & in hoc loco non dilexerunt animas ſuas, id eſt hanc præſentem vitam, vſque ad mortem, quamdiu enim in hac vita fuerunt, amore alterius vitæ, nunquam hanc vitam dilexerunt. Propterea lætamini cœli & qui habitatis in eis. Nam ſicut ſcriptum eſt. *Gaudium erit in cœlis coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente &c.* Gaudent enim Angeli de ſanctorum conuerſione, lætantur de eorum perfecta conuerſatione.

Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram, magnam, ſciens, quod modicum tempus habet. Videns enim diabolus de cœleſtibus ſe eſſe deiectum, atque cum ſanctis nullum ſe poſſe habere conſortium, ad terram, & ad mare deſcendit, qui inter illos D locum ſibi habitationis parauit, quos terrenis deſideriis, & carnis voluptatibus deditos vidit, quos etiam velut mare fluctuantes, omni vento doctrinæ circumferri conſpexit. Sed væ miſeræ terræ, & mari inſtabili, quia cum magna ira & indignatione diabolus veniens, omnia conteret & diſſipabit. Scit enim quia modicum tempus habet, non dubitat ſe ſubito imperium, & dominationem perditurum, modo igitur nocet, quia poſtmodum nocere non poterit.

Et poſtquam vidit draco, quod proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem quæ peperit maſculum, & datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, in locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis. Inuidia namque diaboli, vt Apoſtolus ait, *mors intrauit in orbem terrarum*, nam quia ipſe deiectus, perditus & damnatus eſt, ideo omnes perſequitur, omnes deiicere & perdere & decipere nititur, quomodo autem, qua arte, quibus machinationibus mulierem iſtam, ſanctam videlicet Eccleſiam ipſe perſequatur, quid attinet dicere? Duæ vero alæ aquilæ magnæ, quæ mulieri datæ ſunt, duo teſtamenta, ſiue duo præcepta charitatis intelliguntur. Et E bene aquilæ alas Eccleſia ſuſcipit, quæ, & veloces ſunt, & præ cæteris altius volant, vnde & de viris ſanctis dicitur. *Aſſument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient*, His autem alis Eccleſia volat, his deſertum petit & loca ſecreta vbi Diuinæ contemplationi vacans, & in Dei laudibus perſeuerans, à vitiis & malignis ſpiritibus non inuenitur. Vnde & ſubditur. *Vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis*, tempus enim, vnum annum, tempora autem duos annos, dimidium vero tempus dimidium annum ſignificat. Et merito tot annis Eccleſia paſcitur, quot annis Chriſtus prædicauit, quia illo ſolo vnicoque cibo paſcitur, quem in illis annis Chriſtus prædicauit. Non enim, vt ipſe ait, *veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Quomodo autem, vel à quibus paſcatur, iam ſuperius dictum eſt.

F *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, & adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo. Et iratus eſt draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu, & ſtetit ſuper arenam maris.* Aqua quam ſerpens tanquam flumen miſit poſt mulierem, ſtultam & erroneam hæreticorum ſcientiam, ſiue etiam Eccleſiæ perſecutores intelligimus, talis enim aqua ex ore diaboli procedit, tali flumine Chriſti Eccleſiam ſubmergere nititur. Vnde ait: *Vt eam faceret trahi à flumine*: Eccleſia namque à flumine non trahitur, quia hæreticos non ſequitur: nam etſi à perſecutoribus ad tormenta aliquando inuita trahatur, eorum tamen imperio, & voluntati non acquieſcit. Ab hoc ergo flumine mali trahuntur, hac aqua hæretici potantur, & inebriantur. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo? quid enim terra hoc in loco, niſi Chriſti humanitas intelligitur? hæc G enim aperuit os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo; poſtquam enim os ſuum ad prædicandum aperuit forma viuendi, & regula fidei data eſt, qua omnes hæreſes deſtruuntur, eo quoque iubente, flumina ceſſant, mare & venti conquieſcunt, fit pax & tranquillitas magna, quia niſi eo permittente, mali contra bonos ſæuire non audent. Et iratus eſt draco in mulierem & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu: vincitur, draco, & non quieſcit, repulſus iraſcitur nec erubeſcit, & quod in aliis non poteſt, hoc in aliis facere tentat, à matre ſuperatur, filios perſequitur, & quia Eccleſiæ principibus, ex quibus cæteri originem ducunt, reſiſtere non valuit, contra eorum filios bella gerit, quos tamen Dei mandata & teſtimonia habere cognoſcit non enim magnopere de aliis curat. Vnde ſcriptum eſt. *Fili aſcendens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Et ſtetit ſuper arenam maris pugnare viriliter: ſancti Dei, quia ſuper firmam petram fundati, & fir- H mati eſtis, ſtat enim aduerſarius veſter ſuper arenam maris, qui ſi vel leuiter percuſſus fuerit, ſtatim cadet, vtpote qui nullius ſtabilitatis fundamentum habet.

CAPVT XIII.

ET vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Quid enim per hanc beſtiam niſi Antichriſtum intelligimus? Qui merito quidem beſtia dicitur, quia omni humanitate & ratione deſtitutus, in tantum omnes beſtias crudelitate vincit, vt terra ipſum mundi creatorem loqui non pertimeſcat. Hæc autem beſtia de mari aſcendit, quia amaritudinis & perditionis filius, de hac mundi huius procelloſa tempeſtate conſurget. Septem autem capita, ſeptem eius diſcipulos ſignificant. Decem vero cornua, decem reges erunt, qui ipſum quaſi Deum colent, & adorabunt. Vnde & decem diademata habere dicuntur, quæ regie quidem ſunt dignitatis. Nomina autem blaſphemiæ ſuper capita eſſe memorantur, quia

A ſupradicti perditionis filij ipſum Deum blaſphemabunt, atque ipſam Trinitatem peruerſa ratione diuidere audebunt.

Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis, & dedit illi draco virtutem ſuam &, poteſtatem magnam. Pardus, animal eſt, macularum varietate depictum, merito ergo hæc beſtia pardo ſimilis dicitur, quia vt infida, inſtabilis, & verſipellis, omnibus mentitur, & in omnes deceptionis ſe vertit figuras. Et pedes eius ſicut Pedes vrſi, qui quamuis plantæ hominis ſimilitudinem habere videantur, poſt ſe tamen gradientes decipiunt, vnde [illegible], vt cum ad vrſi fauces peruenerint, ſe non hominem, ſed crudelem beſtiam ſecutos eſſe ſciant. Vnde ſubditur. *Et os eius, ſicut os Leonis*, quos enim vel colorum varietate, vel pedum ſimilitudine decipit, eos ore leonis humiliat, atque comminuit: alios ergo vario flore verborum, alios falſi pedis, id eſt, praui operis imitatione, alios vero B leonina rabie, & feritate ſuo cœtui iungit, ſibique ſubiicit: Ideoque ſubinferens ait. *Et dedit illi draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam*, in tantum enim ſua virtute & poteſtate nunc perditionis filium malignus ſpiritus replebit, vt non homo, ſed Deus à pluribus eſſe putetur. Vnde Apoſtolus ait. *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*

Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in morte, & plaga mortis eius curata eſt, & admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam, & adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes: quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea. Poteſt autem hoc ad litteram ſic etiam intelligi, vt quia Chriſti mortem & reſurrectionem audierat, cupiens eius potentiam exinanire, hoc vel in ſe, vel in aliquo diſcipulorum ſuorum facere ſimulet, quod omnes in Chriſto factum admirantur. Vnde non occiſum, ſed quaſi occiſum dicit. Quod ſi allegorice intelligamus, vnum de capiti- C bus in morte occiſum, vnum aliquem hæreſiarcham defeciſſe ſignificat. Cuius plaga mortis curata eſt, quia alius pro eo ſuccedet, qui tantæ iniquitatis erit, vt mors & plaga prioris, obliuioni tradatur, niſi enim magnum aliquod inuſitatumque ſignum vidiſſent, nequaquam diceretur, & admirata eſt, vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, prius enim diabolum, qui in eo eſt, quaſi virtutem aliquam & diuinitatem, adorant, deinde ipſum falſitatis filium, quem omnipotentia, & diuinitate plenum opinantur, adorant, & venerantur, dicentes. *Quis ſimilis beſtiæ? aut quis poterit pugnare cum ea.* Quæ & mortuos ſuſcitat, & propriam virtutem cuilibet tacito largitur: aufert cui vult, dat cui vult, ſuæ diuinitatis potentiam, qui ſi forte occidatur, confeſtim mortis eius plaga curatur.

Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemiam, & data eſt illi poteſtas facere menſes quadraginta duos, & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare no- D *men eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant, & datum eſt illi bellum facere cum ſanctis & vincere illos, & data eſt ei poteſtas in omnem tribum & populum & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes, qui habitant in terra, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ & agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Datum eſt, inquit, ei à principe tenebrarum, cui totis viribus ſeruient, os loquens magna, os loquens aduerſus Deum iniquitatem, os loquens blaſphemias, ſe ſolum Deum eſſe confirmans. Quod autem quadraginta & duos menſes ſit regnaturus ſæpe iam diximus. Blaſphemabit autem Deum, & Eccleſiam eius, & ſeruos, & Angelos eius prædicans & dicens, omnia eſſe falſa, quæ de Chriſto & Eccleſia eius dicimus Prophetas fuiſſe locutos. Faciet inſuper bellum cum ſanctis, & non ſolum alios, verum etiam ipſum Enoch & Heliam temporaliter vincet, & martyrio cõſummabit. Data eſt enim ei poteſtas in omnẽ tribum filiorum Iſraël, & in omnem populum cuiuſcunque linguæ vel gentis fuerit. Et adorabunt & colent eum E omnes, qui habitant terram, omnes videlicet, qui prædeſtinati ad vitam non ſunt, quorum nomina in libro vitæ, quem agnus ſcripſit, & apperuit ab origine mundi, ſcripta non ſunt, qui ideo quidem occiſus eſt, vt nos à morte liberaret, & cœli nobis ſecreta reuelaret.

Si quis habet aures audiat: Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadit. Qui in gladio occiderit, in gladio oportet eum occidi: hæc eſt patientia, & fides ſanctorum. Si quis, inquit, cordis aures habet, ſi cui ſanus eſt intellectus, audiat, quæ dicta ſunt, caueat, ne deſpiciatur à deceptoribus, hæc quidem veraciter ſciat, & nullatenus dubitet, quoniam qui in captiuitatem alios duxerit qui animas hominum decipiens, captiuas diabolo tradiderit, ipſe quoque in captiuitatem ibit, & manibus pedibuſque ligatis in tenebras proiicietur exteriores, qui in gladio occiderit, in gladio oportet eum occidi, quia qui in gladio deceptionis (nam & deceptio gladius eſt) F aliquem perdiderit, ipſe quoque gladio æternæ damnationis iugulabitur. Et hic quidem eſt patientia, & fides ſanctorum, hic probabitur quis patiens ſit atque fidelis: ſicut enim in igne aurum, ſic in tribulatione probatur ſanctus.

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco, & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius & fecit terram & inhabitantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis. Hæc beſtia fortaſſe illud caput eſt, quod ſuperius in morte dicitur eſſe occiſum, ideoque de terra aſcendere videtur, quaſi de ſepultura reſurgere, quia eius mortis plaga curata eſt. Vnde & cornua duo ſimilia agni habere perhibetur, vt ipſa quoque immolati reſurgentiſque agni noſtri figuram & ſimilitudinem in ſe monſtraret: Sed quia ſuperbè, & quaſi draco venenoſa verba proferens loquebatur, non verum agni innocentiam habuiſſe dignoſcitur, quamuis eius ſpeciem ſimularet. Faciebat autem poteſtatem prioris G beſtiæ in conſpectu eius, quia eodem iniquitatis ſpiritu plena erat, neque ab ea diſſidebat in miraculis cui ſimilis erat in falſitate. Et fecit terram, & habitantes in ea adorare primam beſtiam cuius curata fuerat plaga mortis. Poteſt autem ſic diſtingui, vt intelligat quod hæc beſtia cuius curata fuerat plaga mortis, fecerit terram & habitantes in ea, adorare beſtiam primam, quod ſi & ipſam primam occiſam & curatam intelligamus, non erit inconueniens vt frequenter totum pro parte accipiatur: Cum ergo vnum de capitibus eius occiſum, & curatum dicatur, ipſam quoque ſecundum ipſum, & occiſam & curatam dicere poſſumus.

Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret deſcendere de cælo in terram in conſpectu hominum, & ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ quæ habebat plagam gladij. In hoc enim maior erit Antichriſti auctoritas, quod non ſolum ipſe verum etiam diſcipuli eius ſigna multa, & prodigia facere iubebuntur. Sicut enim in Ægypto aduerſum Moyſen magicis ſuis incantationibus ſigna multa fecerunt: H ita & iſti aduerſum Enoch & Heliam facturi ſunt. Vnde & ignem de cœlo deſcendere facient: & in hoc non ſuam, ſed magiſtri gloriam quærent: cum enim in miraculis, quæ facere videbuntur, adorari poſſent, ſi vellent, non ſe tamen, ſed Antichriſtum adorari præcipient: cuius gloriam & magnificentiam in tantum exaltare conabuntur, vt more quorundam Romanorum Imperatorum, etiam eius ſtatuam & ignem miſeros homines adorare faciant. Vnde & ſubditur.

Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ, &c. Magnum & inuiſitatum miraculum, vt ſtatua aurea vel argentea, vel cuiuſlibet alterius metalli ſpirare & loqui videatur: *Surgent enim*, vt in Euangelio Dominus ait, *Pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna, & prodigia multa*: Talibus ergo ſignis ad hoc deuenient, vt quicunque imaginem beſtiæ adorare noluerint, quaſi prophani, & ſacrilegi, à tyrannis & principibus occidantur, vnde fiet, vt (præter ſanctos,

qui mori non timebunt) nemo inueniatur, qui aut in dextera, aut in fronte ſua eius characterem, & ſignum non habeat. Nam & vſque hodie vſus eſt ſcripturarum, vt pro toto nomine, prima nominis littera ponatur: character ergo pro nomine, nomen vero pro fide accipiatur. Sicut enim omnes Chriſtiani nomen, id eſt, fidem Chriſti in manu & in fronte impreſſam habent, ita omnes Antichriſti ſerui & diſcipuli eius nomen & fidem, aut in dextera aut in fronte geſtabunt: & in dextera quidem nomen, & fidem portat, qui illud agit, cuius ſe dicit eſſe profeſſionis: Quem enim dilectioni, & miſericordiæ & pietati inſiſtere videmus, verum ſit Chriſtianus, non dubitamus, ipſa enim opera, quis vel qualis ſit, manifeſtant, quem ſi vis cognoſcere, non ad linguam, ſed ad manum attendas. Dominica namque ſententia eſt. A fructibus eorum cognoſcetis eos. In fronte vero nomen & fidem geſtare, eſt omnibus manifeſtare, nulli dominum ſuum ſuamque fidem celare, vt ſicut frons omnibus eſt aperta, ita & fides cunctis ſit manifeſta. Tantus ergo terror cunctos inuadet, vt nemo facere, vel dicere audeat, quod ab eius fide diſſentire videatur. Vnde & ſubditur. *Et ne quis poſſit vendere, vel emere, niſi, qui habeat Characterem nominis beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Nam etſi hoc ad litteram accipi poſſit, quod, & in noſtris principibus, ſæpe fieri videmus, vt videlicet eius litteræ, & ſigilli ſecuritatis cauſa ferantur: eſt tamen alia, & ipſa ſpiritualis, emptio, & venditio, de quo ſcriptum eſt; *Syndonem fecit, & vendidit.* Et alibi: *Omnes ſitientes venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac,* tales nundinæ, taleque mercatum in Eccleſia fit, nihil ibi ſine pretio datur? da fidem & accipe vitam. Hoc autem mercatum magna ex parte tunc temporis ceſſabit, quando ſuæ hæreſis dogmata ſolis hæreticis vendere vel emere licebit. Sed quid mirum, ſi iſta in illa perſecutione maxima omnium fiant, cum olim etiam ab Imperatoribus edicta propoſita fuiſſe legantur, vt Chriſtiani, vbicumque inuenti fuiſſent, ſine audientia punirentur. Sequitur.

Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex, Hic, inquit, ſapientia neceſſaria eſt, obſcura ſunt, quæ dicuntur, & niſi ab his, qui maiorem intelligentiam habent, non capiuntur, qui autem habet intellectum, vt ad huius rei notitiam peruenire valeat, computet prius numerum beſtiæ, quæ quidem etſi Deum ſe eſſe fingat, non Deus tamen, ſed homo eſt, & hoc eſt, quod dicit: numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex. Quod enim ſenarium tantum numerum poſuit, hominem eum eſſe monſtrauit, ſiquidem ſexta die factus eſt homo. Sed quia ſenarius iſte ex denario deſcendit, eum ex decimo ordine vnum eſſe ſignificat, vt & homo ſimul & diabolus, non per naturam, ſed per iniquitatem, eſſe credatur: decies namque ſexaginta ſexcentos faciunt, ſimiliter autem & ſexies decem ſexaginta faciunt. Sufficiant autem hoc in loco, quæ ab antiquis dicta ſunt, nihilque de noſtro ponentes, ea ſolummodo, quæ ab eis accepimus, ad memoriam reducamus, Liber autem iſte à Beato Ioanne græcis litteris editus eſt. Litteras autem omnes apud Græcos numerum exprimere manifeſtum eſt. In numero ergo litterarum illius poſuit nomen, vt lectoris intellectum exerceret, & tale eſt, ac ſi diceret: in quo nomine hic numerus reperitur, ideſt ſexcenti ſexaginta ſex, ipſum eſt nomen eius. Vt ſi dicatur. A N T E M O C, quod interpretatur contrarius, inde enim Antichriſtus vocatur, ideſt Chriſto contrarius. Vides igitur quam bene hoc nomen ſibi conueniat, quod quidem totum numerum ſupradictum in ſe continet hoc modo: nam A. ſignificat vnum, N. quinquaginta T. trecentos. E. quinque. M. quadraginta, O. ſeptuaginta. C. ducentos, qui numerus ſimul collectus facit 666. Verbi gratia A. vnum. N. quinquaginta. T. trecentos E. quinque. M quadraginta, O. ſeptuaginta. C. ducentos. Vocatur ergo apud Græcos. A N T E M O C. Quod apud nos dicitur Antichriſtus, atque vtrumque idem ſignificat. Sunt & alia nomina, quæ eidem, ipſi quadam verborum circuitione conuenire videntur, quæ quidem, quoniam prædictum in ſe numerum continent, à veteribus poſita ſunt, nullum tamen nomen ita conueniens eſt Antichriſto, vt hoc, quod modo diximus, A N T E M O C. Nos tamen, vt lectori ſatisfaciamus, cætera quoque nomina ponemus. Sunt autem hæc, A R N V M E, quod interpretatur nego, & T E T A N, quod dicitur Sol Et G E N S I N C O S, quod gentium ſeductos intelligitur. Quomodo hæc nomina illi conueniant, prudens lector manifeſte intelligit. Cauſa vero breuitatis, ſingulariter nomina ipſa, numeroſque ſignemus. A. vnum P. Centum. T. quinquaginta. O. ſeptuaginta T. quatuorcentos. M. quadraginta. E. quinque. T. trecentos. E. quinque. I. decem. T. trecentos. A vnum. N. quinquaginta P. Mille. E. quinque. N. quinquaginta. Σ ducentos. H. octo. P. centum. I. decem. K. viginti. O. ſeptuaginta. Σ. ducentos Quidam autem etiam latinis literis hoc nomen exprimere voluerunt, ſed quia græce liber iſte editus eſt, non multum ad rem pertinere videtur. Ipſum tamen, quamuis inutile, & nos ponamus. Eſt autem hoc; D I C L V X. D. namque apud nos, quingentos. I. vnum, C, centum. L. quinquaginta. V. quinque X. decem ſignificant, quæ ſimul collecta, ſunt ſexcenti ſexaginta ſex. Sed quid aliud hoc ſignificare videtur, niſi quod eius adulatores eum deprecantes, dicent, *Dic Lux*, loquere Legiſlator, ne taceas tu qui lumen es, monſtra per quam viam incedere debeamus? Sed de his hactenus.

CAPVT XIV

ET vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Narrauit ſuperius Beatus Ioannes, qualiter, & vbi cum omni exercitu ſuo Antichriſtum viderit, qualiterque omnes, qui ab eo ſeducti fuerant, nomen eius, aut in dextera, aut in fronte habuerint: Nunc autem de Chriſto, & de his, qui cum eo erant, vbi eos viderit, & quo nomine etiam ipſi in frontibus ſuis ſignati fuerint, narrare incipit, Vidi, inquit, *& Ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion.* Hic eſt ille agnus de quo ſcriptum eſt: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Qui bene ſupra montem Sion ſtare videtur, quia Eccleſiæ Rex & Princeps, in omnibus aduerſis ſemper ei auxiliatur. Vnde ipſe ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum Domini.* Vidit autem cum illo centum quadraginta quatuor millia, per quos omnem Eccleſiæ multitudinem intelligimus hic etenim numerus ſic in duodena millia, diuidi poteſt, vt vnuſquiſque duodecim Apoſtolorum, duodena millia in partem habeat, qui etiam ſi in ſuas partes diuidatur, nulla eius pars vacat a myſterio: Centenarius namque numerus perfectus eſt, quem quia imperfectum Dominus eſſe noluit, ad eum complendum pro vna oue de cœlis deſcendit. Vnde ipſe ait. *Quis eſt homo, qui habet centum oues, ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit, illam quærere, quæ perierat?* Quadragenarius autem numerus in tantum conuenit pœnitentibus, vt & Moyſes & Helias, & ipſe mundi ſaluator, quadraginta diebus ieiunauerit, quos, & ſancta Eccleſia per ſingulos annos, vſque in finem ſæculi imitabitur. Sed quid de quaternario dicam, qui propter quatuor Euãgelia, totidemque virtutes principales, vbique ſacratiſſimus inuenitur? Millenarius autem numerus continet, & cum ipſe ex aliis numeris conſtituatur, nullum alium numerum habet ſupra ſe, qui ex millenis confici poſſit. Merito ergo Beatus Ioannes centum quadraginta quatuor millia cum agno ſtantes vidiſſe deſcribitur, vt per centum ſummam virginum perfectionem, per quadraginta vero, omnes peccatores ad veram pœnitentiam conuerſos, per quatuor autem cunctos Euangeliorum obſeruatores, qui quaſi quadrati

lapides

A lapides ſemper firmi, & ſtabiles in fide perſtiterunt, per millia vero, omnes, cuiuſcumque ſexus, cuiuſcumque ordinis, cuiuſcunque conditionis, cuiuſcunque gentis & linguæ multitudinem intelligamus. Omnes autem iſti nomen eius & nomen Patris eius in frontibus ſuis ſcriptum habebant, ſed cuius eius niſi Agni, & Patris Agni? Omnes enim Trinitatis ſignaculo, Patris videlicet, & Filij, & Spiritus ſancti ſignati erant? Et Iudæi quidem Patris nomen in ſuis frontibus ſcriptum habent, filij vero non habent, & quod verius eſt, quia filij non habent, nec patris habent. Nos vero vtriuſque nomen in fronte ſcriptum habemus, quia vtrumque laudamus, & prædicamus, credimus & confitemur.

Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni & vocem quam audiui, ſicut citharedorum, citharizantium, in citharis ſuis, & cantabant quaſi canticum nouum, ante quatuor animalia, & ſeniores. Nam quia aquæ *multæ, populi multi* intelliguntur, nil aliud eſt vox aquarum
B multarum niſi vox multarum diuerſarumque gentium in vnam fidem venientium, Deum laudantium & benedicentium. Vox autem tonitrui magni vox Doctorum eſt in Eccleſia prædicantium, de quibus dicitur. *Clama neceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam*, vnde & iſte cuius verba hæc ſunt, filius tonitrui in Euangelio vocatur. Et vocem quam audiui, ſicut citharædorum citharizantium, in citharis ſuis, nam quia dulces ſunt ſanctorum laudes, & cantus, & in Dei auribus ſuauiter reſonant, ideo citharis eorum voces aſſimilantur. Talis citharædus erat Dauid, cuius cantilena & modulatione, ipſa quoque dæmonia placabantur. Quod quidem adhuc in Eccleſia fieri videmus, dum ad Epiſcopi exhortationem adulteros ſacrilegos, & homicidas, cæteroſque dæmones plenos ad pœnitentiam feſtinare conſpicimus. Cantant autem quaſi nouum canticum, quia ſic veteris teſtamenti ſcripturas exponunt, vt noua quædam dicere videantur, Poſſumus autem, & per nouum canticum, noui teſtamenti ſaluatoris prædicationem intelligere. Hæc au-
C tem ante quatuor animalia; & ſeniores cantare dicuntur, & quaſi diſcipuli ante facies doctorum ſuorum ſtare videntur. Nihil enim aliud cantat Eccleſia, niſi quod ab his animalibus & ſenioribus didicit.

Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra, hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum quocumque ierit hi empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo, & agno, & in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. Nemo, inquit illud canticum cantare & dicere poterat, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra, non Iudæus non paganus, non hæreticus, nouum illud inuſitatumque canticum dicere poteſt: nondum enim eis vetera tranſierunt nondum eis facta ſunt omnia noua, Sola ergo Eccleſia illud cantat, ſoli illi, qui empti ſunt de terra, de quibus Apoſtolus ait: *Empti enim eſtis pretio magno*, qui Chriſti ſanguine redempti ſunt, qui de terra ſuper cœ-
D los exaltantur, ſoli illi hoc canticum dicere poſſunt. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, hi ſunt, qui non meretricibus, ſed caſtis coniugibus adhæſerunt, hæ autem mulieres, hæreticorum ſectæ intelliguntur, quas veluti fetidas meretrices, ſancti viri fugientes, nullum cum eis volunt habere conſortium, vnde, & virgines dicuntur, qui illis non adhæſerunt, qui verbi Dei adulteratores appellantur, Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Hi autem ſequuntur agnum quocunque ierit, ſicut, & ipſe ait. *Pater volo, vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum*, cœlos ergo aſcendent, quia ibi eſt agnus. Hi empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo, & agno: ſicut enim ex multa meſſe, parum quid primitiarum Deo offertur, ita ex cunctis gentibus, iſti pauci, ad malorum comparationem, Deo & Agno, quaſi quædam primitiæ offeruntur. In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium: qui nullis tormentis vinci potuerunt, vt eam, quam ſemel Deo promiſerant fi-
E dem negarent. Vnde & ſubditur. *Sine macula enim ſunt ante thronum Dei: Qui enim in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*, macula tamen pro crimine ponitur.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœlum habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem & tribum, & linguam, dicens magna voce. Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & fontes aquarum, Hic enim Angelus aliquem Eccleſiæ Doctorem ſignificat, qui quoniam horam iudicij & mortis terminum qui euitari non poteſt, vnicuique appropinquare conſiderat, volens omnes, cautos, & prouidos eſſe quid agere debeant, vtrique diſcurrendo ſollicite edocet. Æternum autem Euangelium, Chriſti prædicationem intellligimus, quæ non ad temporalia, & tranſitoria, ſed æterna bona nos inuitat, quæ non hæreticorum adinuentione compoſita eſt, ſed ab
F æternæ ſapientiæ fonte manauit, quæ quidem & maioribus, & minoribus loquitur dicens. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius*, vt reddat ſingulis ſecundum opera eorum: *& adorate eum, qui fecit cælum, & terram*, non dæmonia, non Antichriſtum, ſed omnium creatorem Deum colite, & adorate.

Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babilon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Et iſte quidem Angelus alius, alios Eccleſiæ Doctores ſignificat, qui quanto plus iudicij diem appropinquare ſenſerint, tanto magis quotidie prædicationi inſtabunt, omnemque mundi huius gloriam & pulchritudinem tranſire & ruere docebunt, quatenus ſic animos hominum ab eius appetitu extorquere valeant. Et hoc eſt quod dicitur. *Cecidit cecidit Babilon illa magna*, Babilonia namque confuſio interpretatur, in qua Nabuchodonoſor regnauit, quem diaboli tenuiſſe figuram omnes ſcripturæ teſtantur, cecidit ergo Babi-
G lon, quia mundus tranſit & concupiſcentia eius. Præterit enim figura huius mundi, omniſque iniquorum confuſa multitudo peribit. Hæc autem à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes, quia in tantum hanc præſentem vitam omnes gentes dilexerunt, vt ab eius blanditiis anima & corpore corrupti iram Dei incurrere non formidarent.

Et alius Angelus tertius ſecutus eſt illos dicens magna voce. Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & biberit de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & in conſpectu agni. Hunc tertium Angelum, tertiam prædicationem, & ipſam vltimam eſſe putamus, quando ſancti videntes abominationem, & fere omnes ad iniquitatem conuerti, & beſtiam & eius imaginem adorare, magna voce clamabunt, tantumque facinus fieri interdicent, & quanta pœna eos exſpectet, qui eam adorauerint, eiuſque chara-
H cterem ſuſceperint, & de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius biberint, eis denunciat, hic eſt ille calix, de quo ſcriptum eſt. *Quia calix in manu Domini veni meri plenus eſt mixto*, per quem ſacram ſcripturam intelligimus, quæ quidem ſecundum ſe mera eſt, & pura, ſed ab hæreticis inficitur, turbatur & deprauatur, vnde non calici, ſed vino hæreticorum, quod mero vino, & ſanæ intelligentiæ mixtum eſt iratus Dominus eſſe dicitur. Qui ergo tale vinum biberint, & hæreticorum prauitati aſſenſum præbuerint, in igne æterno qui non extinguetur, & in ſulphure æterni fœtoris ſine fine cruciabuntur. Hoc autem in conſpectu Angelorum ſanctorum & in conſpectu Agni, quia neque Chriſtus, neque ſancti eius eorum tormentorum aliquando obliuiſcentur ſecundum illud. *Memento Domine Filiorum Edom, in die Ieruſalem.*

Et fumus tormentorum eius aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habebunt requiem die ac nocte, qui adorauerunt

A *ibi, & videbant cadauera mortuorum, qui præuaricati ſunt in me, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni*: Quod enim ibi eſt vſque ad ſatietatem viſionis hoc eſt hic vſque ad frenos equorum. Sed quid aliud eſt, ſanguinem de lacu exire, niſi malorum pœnam atque tormenta, huius mundi hominibus innoteſcere? Vnde etiam per ſtadia mille ſexcenta exiſſe perhibetur, per mille namque ſtadia, totum mundi ambitum intelligimus per ſexcenta vero ſex ætates figurantur. Et merito quidem omnia per mille intelliguntur, quia vt iam diximus omnes numeri, in mille continentur. Exiuit ergo ſanguis per ſtadia mille, quia nuſquam eſt locus vbi malorum pœna non ſit audita. Exiuit autem per ſtadia ſexcenta, quia nulla ætas fuit, in qua idipſum non fuerit reuelatum. Quod autem non ſolum terræ dimenſio, ſed & temporis longitudo ſtadium vocetur, audi Apoſtolum dicentem. *Neſcitis quod hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium?* Quod alio in loco exponens ait. *Bonum certamen certaui, curſum* B *conſummavi, fidem ſeruaui,* curſum vtique ſtadij præſentis vitæ.

CAPVT XV.

ET *vidi alium ſignum in cœlo, magnum & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem nouiſſimas, quoniam in illis conſummata eſt ira Dei. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, & eos, qui vicerunt beſtiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum habentes citharas Dei: & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni, dicentes. Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotens* Magnum inquit, & mirabile ſignum vidi in Eccleſia, ſeptem videlicet Angelos, id eſt, ſeptem Doctorum ordines, qui ſibi per diuerſa tempora ſuccedebant, habentes plagas ſeptem nouiſſimas. Sed quare nouiſſimas? quia in illis conſummata eſt ira Dei. Magnæ enim plagæ & immenſæ illæ erunt, quibus ira Dei conſummari & ſatiari poterit. Nouiſſimum enim, C aliquando pro vltimo aliquando pro deteriore ponitur, De his autem plagis multa in ſequentibus dicturi ſumus. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne: mare namque vitreum, aqua baptiſmatis eſt, quæ quidem igne ſancti ſpiritus tota mixta eſt, & ſanctificata, de qua præcurſor Domini Ioannes dicebat. *Ego baptizo vos in aqua, qui autem venit poſt me, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta ſoluere ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igne.* eſt ergo mare vitreum, mixtum igne, quatenus aqua ſanctificata vitrea & pura exterius corpora lauet, ignis vero ſancti ſpiritus interius vitia exurat, & mundet hominem à peccato. Et vidi eos ſtantes, qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius ſupra mare vitreum, de beſtia namque & imagine eius, & numero nominis eius, multa ſuperius dicta ſunt. Sed non ſufficit ſtare ſupra mare vitreum, non ſufficit aqua baptiſmatis eſſe regeneratum, niſi inſuper beſtiam & imaginem eius & numerum nominis eius vincamus, & deſpiciamus. D Sed dicis: Quomodo ego beſtiam illam, quæ nondum venit, ſuperare potero? Audi quid Beatus Ioannes etiam in Epiſtola ſua dicit. *Filioli mei, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, nunc autem Antichriſti multi ſunt.* Ergo quamuis in fine ſæculi ille perditionis filius, omniumque iniquorum caput, venturus ſit, quotidie tamen ſua membra præmittit, in quibus utique a fidelibus ſuperatur: Omnis enim qui Chriſto contradicit, Antichriſtus eſt. Qui ergo ſtat ſupra mare vitreum, qui in baptiſmate piſcatur & natat, vincat beſtiam & imaginem eius, vincat Antichriſtum & diſcipulos eius, qui ſibi conformes ſunt atque conſimiles. Neque ſuſcipiat numerum nominis eius, id eſt, fidem & doctrinam ipſius. Sed quid iſti ſupra mare vitreum faciebant? Sequitur. *Habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni.* Cithara namque Dei, modulatio eſt Diuinæ inſpirationis, de qua diſcipulis ſuis Dominus ipſe dicebat. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur* E *in vobis.* Canticum vero Moyſi, & Canticum Agni vetus, & nouum teſtamentum intelligimus. Quicunque ergo ſtant ſupra mare vitreum, quicumque alios inuitant ad baptiſmatis Sacramentum, ſic cytharizent, taliterque & talia cantent. Magna & mirabilia opera tua Domine Deus Omnipotens, iuſtæ, & veræ viæ tuæ Rex ſæculorum, quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es, quia omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quia iudicia tua manifeſta ſunt. Quid eſt enim, quod dicitur. *Iudicia tua manifeſta ſunt*: cum alibi ſcriptum ſit. *Iudicia tua abyſſus multa?* Diuina quidem iudicia manifeſta ſunt, & occulta: occulta quidem, quoniam nemo ea ad plenum manifeſtare valet: manifeſta autem, quia quomodocunque fiant, nemo tamen iuſta & vera ea eſſe dubitat. Stantes ergo Doctores ſuper mare vitreum, videnteſque gentiles, qui ſine Deo erant, ad Baptiſmum feſtinare: Iudæos vero, qui legem habebant, iuſto Dei iudicio condemnatos ſalutis medicinam non appetere, obſtupeſ- F cunt in operibus Domini, atque mirantur, & cum ignorent, quare illi electi ſint, iſti vero reprobati, Dei tamen vias rectas & iuſtas eſſe dicunt, indeque magis Deum timendum, & magnificandum prædicant, quia ſola pietate, & miſericordia gentes vocat, Iudæorum vero ſuperbiam confundit, & damnat.

Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cœlo, exierunt ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas de templo, veſtiti lapide mundo, & candido, & præcincti circa pectora Zonis aureis. Tunc enim templum tabernaculi teſtimonij apertum eſt in cœlo, quando Chriſti prædicatio per ora Apoſtolorum prius ſonuit in Eccleſia: Apoſtoli namque templum ſunt, qui in ſacrario ſui pectoris, ipſum tabernaculum, & omnia legis & prophetarum teſtimonia ſcripta portant, & prædicant. De hoc autem templo, ſeptem habentes plagas, ſeptem Angeli exierunt, quia omnes Doctorum ordines ab Apoſtolis originem ducentes, illico ſuis temporibus in Eccleſia prædicant, quæ ab illis didicerunt. Et quo- G niam, vt Apoſtolus ait, *aliis ſunt odor vitæ ad vitam aliis odor mortis ad mortem*, Qui eorum monitis non obtemperant ſuper eos plagas inducunt. Hi autem veſtiti ſunt lapide mundo, & candido, illa videlicet precioſa margarita, de qua Dominus in Euangelio loquitur dicens. *Simile eſt regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas, inuenta vna precioſa margarita, dedit omnia ſua, & comparauit eam*: per quam nimirum Chriſti fidem, & doctrinam Eccleſiaſticam intelligimus, qua qui indutus non fuerit, inter Chriſti conuiuas diſcumbere non audebit. Sunt autem, & circa pectora Zonis aureis præcincti, quatenus per ea, quæ exterius apparent, quantus theſaurus ſapientiæ, & ſcientiæ in eorum corde interius ſit reconditus intelligatur.

Et vnum ex quatuor animalibus, dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum, & impletum eſt templum fumo a maieſtate Dei, & de virtute eius, & nemo poterat introire in templum donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem An- H *gelorum.* Quatuor ſunt animalia, omnia tamen vnum idemque narrant & dicunt; quia ſolum Chriſti prædicationem deſcribunt, quod ergo vnum ex eis dat, hoc proculdubio ab omnibus datur. Sed quid eſt, quod ſeptem phialas aureas plenas iracũdia Dei viuentis, ſeptem Angeli dediſſe perhibentur, niſi quod omnes Eccleſiæ Doctores, eam doctrinam, quam habent & prædicant, acceperunt? quæ doctrina, quamuis aurea ſit & ſapientiæ ſale condita, ab aliis tamen auide ſuſcipitur ab aliis autem quaſi inſulſum aliquid, vel ſine ſapore, reſpuitur, & in eos quidem à quibus reſpuitur, Dei indignationem, & iracundiam deſuper infundunt. Propter tales igitur hæ aureæ phialæ, quamuis omnes delicias in ſe contineant, iracundiæ tamen Dei viuentis plenæ eſſe memorantur. Templum autem, quod fumo impletum eſt à maieſtate Dei, & de virtute eius, vel ſancta Eccleſia, vel cœleſtis Ieruſalem intelligi poteſt. Dei namque virtus & maieſtas, quæ Eccleſiam ſemper inhabitat, quodam Diuino occul-

A toque iudicio infidelium mentes excæcat, ne ad fidem conuertantur & Eccleſiam ingrediantur. Vnde Apoſtolus: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, neque enim poteſt, quoniam ſpiritualiter examinatur.* Et hoc eſt quod dicitur. *Et nemo poterat introire in templum donec conſummarentur ſeptem plagæ,* his conſummatis maior in Eccleſiam introitus fiet. Quia *cum plenitudo gentium introierit, tunc Iſraël ſaluus fiet.* De cœleſti autem Ieruſalem pro certo ſcitur, quod nemo corporaliter eam ingrediatur, donec his ſeptem plagis finitis ad immortalitatem ſancti reſurgant. Quæ bene fumo aromatum & incenſorum, qui de ſanctorum orationibus procedit plena eſſe dicitur, quia vbi Dei maieſtas & virtus eſt, ibi ſanctorum orationes & obſequia diriguntur.

CAPVT XVI.

ET audiui vocem magnam de templo dicentem ſeptem Angelis. Ite & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram, & factum eſt vulnus ſæuum ac peſſimum in hominibus, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos, qui adorauerunt
B *imaginem eius.* Hæc magna vox quotidie in templo Dei, quod eſt Eccleſia; auditur, quid enim aliud Euangelia narrant, niſi vt doctores ad Euangelizandum exeant, & quanta ira & indignatio ſuper peccatores, niſi conuertantur ventura ſit, cunctis aperto ore manifeſtent? Cum enim futuram pœnam ſancti denunciant, quid aliud, quam phialas iræ Dei plenas in terram effundunt? Vnde & ſubditur. *Et abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram,* primus enim Angelus primus eſt prædicatorum ordo qui tunc quidem phialam ſuam in terram fundit, quando primitiuæ Eccleſiæ non ſolum gratiam, quæ bonis parata eſt, verum etiam, quæ tormenta peccatores expectant, annuntiabat. Hanc autem phialam fundebat Apoſtolus cum diceret: *quod Dominus reddet vnicuique ſecundum opera ſua? his quidem ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem his: autem qui ex contentione, & non acquieſcunt veritati credunt autem iniquitati, ira & indignatio,* tribulatio, & anguſtia ſuperueniet. Sequitur: *Et factum eſt vulnus ſæuum ac peſ-*
C *ſimum in hominibus, qui habebant characterem beſtiæ, & in eis, qui adorauerunt imaginem eius:* nondum beſtia nata eſt, & iam miſeri homines eius characterem, & nomen venerantur, eiuſque imaginem, & ſimilitudinem adorant, eius namque imago, Simon magus, Arrius & cæteri filij diaboli fuerunt; eius characterem & imaginem Iudæi venerantur, qui ſe adhuc Meſſiam exſpectare confitentur, in his autẽ ſæuum vulnus ac peſſimum factum eſt, quod vtiq; ſanari non poteſt: *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccatis ſuis.* Quid ergo? Nunquid Chriſti prædicatio eos vulnerauit, & peccare fecit? abſit, ſed cum Chriſtus prædicaret, & ipſi eius monita recipere nollent, à diabolo vulnerati, & necati ſunt; atque in eius malitia
D computati. Vnde Apoſtolus ait. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.* Sic ergo Apoſtolis prædicantibus, dum Iudæi, & cæteri, qui in errorem ſeducti fuerant, eorum verba recipere noluiſſent, tam grauiter à diabolo vulnerati ſunt, vt iam vlterius ſanari non valerent.

Et ſecundus effudit phialam ſuam in mare & factus eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua eſt in mari. Secundus namque Angelus phialam ſuam in hoc mare magnum & ſpatioſum fudit, quando ſecundus prædicatorum ordo amaram huius mundi ſapientiam, Philoſophorum, & hæreticorum doctrinam, inſuper & falſam deorum religionem reprehendere cœpit. Vnde & ſubditur. *Omnis aqua maris verſa eſt in ſanguinem,* & ipſe ſanguis totus niger, & putridus factus eſt tanquam ſanguis mortui, & omnis anima viuens mortua eſt in mari, quanto enim plus vera doctrina dilucidatur tanto magis falſa ſcientia in ſanguinem vertitur, & peccatum, plus etenim peccat, qui cognita veritate falſitatem ſequitur, quam ille, qui veritatis vocem nunquam audiuit: Merito ergo mare in ſanguinem vertitur, neque bibentes necat, & interficit, cum non iam ad mare, ſed ad ſanæ fidei phialam ſuper infuſam ſitientes currere debeant. E

Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis. Quid enim per flumina, & fontes aquarum niſi legis & prophetarum libros intelligimus? ſuper hos autem phialam ſuam, ſpiritualem videlicet expoſitionem, Eccleſiæ Doctores fuderunt, ne ſecundum litteram vlterius intelligerentur; littera enim occidit ſpiritus autem viuificat. Occidit quidem, quando in ſanguinem conuerſa eſt, à quo etiam ſuos obſeruatores præcipit abſtinere. Et prius quidem iſti fontes hiſtorialiter intellecti potabiles erant, nunc autem, niſi ſpiritualiter intelligantur, hæreticos faciunt, ſciunt ergo ſe non aquam, ſed ſanguinem bibere, qui tali ſcientia delectantur.

Et audiui Angelum quartum dicentem? Iuſtus es, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc indicaſti, quia ſanguinem ſanctorum & prophetarum ſuderunt, & ſanguinem eis de- F
diſti bibere, vt digni ſunt. Et audiui ab altari dicentem, etiam Domine Deus omnipotens vera & iuſta iudicia tua. Laudat quartus prædicator ſuperiorum dictorum ſermones, inſuper & Deo gratias agit, quia homines iniquos, & ſuperbos, qui magis hæreticorum & Philoſophorum ſtultam ſapientiam, quam veram, & Catholicam fidem credere & imitari voluerunt in ſua ſtultitia erroreq; perire permiſit. Ad quod confirmandũ omnis Eccleſiaſtica multitudo quæ à rectæ fidei altari non diſcedit reſpondit dicens. *Etiam Domine Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua.* Vides quanta concordia eſt in populo Dei, & quomodo ſancti prædicatores omnes ſibi viciſſim reſpondent, & Dei opera & iuſtificationes voce prædicant, & extollunt. Sequitur.

Et quartus effudit phialam ſuam in ſolem, & datum eſt illi æſtu affligere homines & igne, & æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam vt darent illi gloriam. Poſtquam Dei iudicia Angelus quartus laudauerat, ipſe quoque nolens ſuam phialam eſſe otioſam, ſuper ſolem eam effudit: per ſolem hoc in G
loco illum intelligimus, qui cum ſit cæcus, omniumque tenebrarum caligine obuolutus, Deum tamen, iuſtitiæque ſolem, ſe dicere non timebit; Hic ergo ſanam doctrinam ferre non valens, & phialam ſibi ſuper effuſam grauiter ferens, cum non habeat, quod Eccleſiæ Doctoribus rationabiliter reſpondere queat, in ſuos iraſcetur, & indignabitur, eoſque infideles, vt moris eſt, vileſque vocabit, qui ſuas iniurias non vindicauerint: vnde ad tantam inſaniam eos accendet, & prouocabit, vt non ſolum ſanctos, verum etiam ipſum mundi creatorem blaſphemare audeant; & hoc eſt quod dicitur: *Et datum eſt illi æſtu affligere homines & igne, & æſtuauerunt homines æſtu magno:* tali namque æſtu, talique igne ſæpiſſimè homines affligi, & æſtuare videmus, cum tanta ira diabolo inſtigante exagitantur, vt vix à multis vnus homo detineri valeat, quod ad facinus, quod H
mente conceperat, totus pallidus & turbatus quaſi fera in ſanguinem ruat. Sequitur: *Et blaſphemauerunt nomen Domini habentis poteſtatem ſuper has plagas: neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam?* Vides ergo quid diaboli ſtimulus, quid cauda draconis, quid iniquitatis filios in his, qui ſibi obediunt, quo igne eos ſuccendat, quo æſtu eos inflammet, quibusve ſtimulis eos exagitet.

Et quintus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ, & factum eſt regnum eius tenebroſum, & commanducauerunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt Dominum cæli in doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis. Quartus ſuper ipſam beſtiam, quam & ſolem vocauit: quintus autem narratur phialam ſuam fudiſſe ſuper ſedem beſtiæ, ſedem autem beſtiæ, maiora & fortiora eius membra, hæreſiarchas videlicet, & tyrannos intelligimus. Super hos autem phialas ſuas doctores fundunt, quando ſua peccata ſuoſque errores eis ad memoriam reducentes, quas pœnas quoſque

cruciatus

cruciatus pro eis paſſuri ſunt, eis per ordinem exponunt, vnde fit, vt qui talibus verbis, ſi Deum propitium haberent, illuminari debuerant, obſtinati potius contra veritatem, tenebroſi fiant, & cæci. Et hoc eſt, quod dicitur; *Et factum eſt regnum eius tenebroſum.* Sequitur. *Et commanducauerunt linguas ſuas præ dolore & blaſphemauerunt Dominum cæli in doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis:* ecce qui ſapienter admoniti, ad pœnitentiam & lacrymas conuerti debuerant, quaſi quibuſdam telis grauiter vulnerati ſanctorum verbis ad tantam iram & indignationem commoti ſunt, vt & Dominum blaſphemarent, & inter ſe, vt frænetici, frendentes, quid dicerent, non conſiderarent. Hoc eſt enim quod ait: *& commanducauerunt linguas præ dolore:* quid enim aliud eſt lingua præ dolore commanducare, niſi inconſideratè & irrationabiliter loqui. Sequitur.

Et ſextus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Eufraten. & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis. Flumen etenim magnum Eufrates, quod in multas partes diuiditur, hæreticos deſignat, qui in multiplices diuerſaſque ſectas diuiduntur. Super hos autem phialam ſuæ prædicationis Angelus effudit, eorumque aquas fortes & torrentes exſiccauit, magnaque ex parte eorum hæreſes deſtruxit. Vnde factum eſt, vt aqua deſiccata, quæ eis impedimento erat via regibus ab ortu ſolis venientibus, præpararetur. Reges enim, dicuntur ſancti, qui quoniam ſe prudenter regere norunt, nullum in eis habent vitia principatum. Vnde Apoſtolus ait. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Hi autem veniunt ab ortu ſolis, quia lux eos ſemper antecedit neſciunt occaſum, ſed de virtute in virtutem, quaſi de luce in lucem, gradientes, ſemper ſolis radios quaſi aquilæ incuentur.

Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ, ſpiritus tres immundos & in modum ranarum: ſunt enim ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius terræ, congregare illos ad prælium, ad diem magnum Dei omnipotentis. (ſubauditur dicentis) *Ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius, & congregabit illos in locum qui vocatur hebraicè Magedon.* Vocatur enim Antichriſtus draco, propter fallendi fortitudinem, & volubilitatem: vocatur & beſtia propter crudelitatem: vocatur autem pſeudopropheta, quia ſe Chriſtum eſſe mentitur. De cuius ore ſpiritus tres immundos exire dicit, quos ſubſequenter exponens, ſpiritus dæmoniorum eſſe fatetur, & tali quidem trinitate prædictus dæmoniorum, omnes ſuos diſcipulos falſa ſignorum & prodigiorum virtute ditabit. Qui bene ranarum ſimilitudinem habere perhibentur, quia eos, quos ſua diuinitate corrumpunt, garrulitate, & immunditia, omnique ſpurcitia replent. Hi autem procedunt ad Reges totius terræ, non vtique ad eos, quibus via ab ortu ſolis præparatur, imo ad eos, qui ſola terrena, & tranſitoria honores, & dignitates diligunt. Sed quare procedunt. Sequitur. *Congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis,* ſic ſic diabole diligis tuos hoc eſt tuum conſilium, vt contra eum pugnare eos ſuadeas, cui neque tu, neque ipſi reſiſtere valebit, quod quidem ideo, facis, vt non ſolus, ſed cum multis in iudicio damneris: vos autem ſancti cauete ne decipiamini, quibus ipſe ait. *Ecce venio ſicut fur, cunctis hominibus meum aduentum ignorantibus.* Beatus ergo qui vigilat, & ſemper vigilat, ne quaſi incautus præoccupetur. Et qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. his enim veſtibus prius homo ſe nudatum eſſe ſentiebat quando dicebat. *Audiui Domine vocem tuam, & abſcondi me, eo quod nudus eſſem,* quas quidem ſi bene cuſtodiſſet, eius, & noſtra turpitudo non apparuiſſet. Sequitur. *Et congregabit illos in locum qui vocatur hebraicè Magedon,* Magedon namque, locus eſt, in quo, (ſicut in libro Regum & Paralipomenon legitur) Ioſias rex iuſtiſſimus eſt interfectus, de quo loco & Zacharias Propheta in perſonam Domini ad iudicium venientis, loquitur dicens. *Et aſpicient ad me, quem confixerunt.* Et paulò poſt. *In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem, ſicut planctus ad Remon in campo Magedon, & plangent terræ familiæ & familiæ ſeorſum.* Congregabuntur ergo in campo, qui vocatur hebraïcè Magedon: ideſt, ante faciem Dei Omnipotentis, qui non quaſi probaturus, ſed quaſi iudicaturus eos aſpiciet.

Et ſeptimus effudit phialam ſuam in aërem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens. Factum eſt. Et facta ſunt fulgura & voces & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræmotus, & ſic magnus. Et facta eſt ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt, Septimus Angelus, vltima prædicatio erit, quæ ab Enoch & Elias initium ſuſcipiet. Qui bene phialam ſuam in aërem fudiſſe dicitur, quia palam & manifeſtè loquens Antichriſtum aduenisse nunciabit. Sequitur. *Et exiit vox de templo ac throno dicens factum eſt,* vox enim magna, quæ de templo exit, vox ſanctorum eſt, qui tam terribili nuncio audito, viciſſim ſe viriliter agere hortabuntur dicentes. *Factum eſt,* aduenit vltimus dies, completæ ſunt ſcripturæ Prophetarum, moriamur omnes ergo pro nomine Chriſti. Conſeſtim autem ab aduerſa parte malorum facta ſunt fulgura, in multis videlicet ſignis, & miraculis Antichriſto, eiuſque diſcipulis clareſcentibus, & voces prædictarum ranarum, & tonitrua altæ prædicationis hæreticorum, vbique præcantium. Et terræmotus eſt magnus factus, qualis nunquam fuit, cunctis videlicet terrenis & peccatoribus magno impetu in Eccleſiam inſurgentibus, de quo terræmotu ipſe Dominus loquitur dicens. *Erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit ab origine mundi, nec futura eſt.* Tunc autem ciuitas illa magna iniquorum in tres partes diuidetur, quatenus nemo in illa otioſus reperiatur, cunctis pro modulo contra ſanctos pugnantibus: Et prima quidem pars eſt Antichriſtus, eiuſque familiares. Secunda vero multitudo hæreticorum, vbique ſigna & miracula facientium. Tertia autem Tyrannorum exercitus, vbique ſanctos affligentium. Quod autem ait *Et ciuitates gentium ceciderunt,* eos ſignificat, qui eorum ſignis & doctrina decipientur.

Et Babilon magna venit in memoria ante Dominum, dare ei calicem indignationis iræ eius. Et omnes inſulæ fugerunt, & montes non ſunt inuenti & grando magna, ſicut talentum deſcendit de cælo in homines, & blaſphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer. Sicut enim Ieruſalem ſanctorum Eccleſiam, ita Babilon iniquorum omnium congregationem ſignificat, cuius ſecundum quendam modum videtur Deus oblitus, quia malos in ſuis iniquitatibus creſcere, & proſperari permittit. Quæ nunc quidem in eius memoriam reducetur, quando eam ſuæ indignationis calice potabit. Quod autem calix paſſionē & mortem ſignificet, pœnè omnes ſcripturæ teſtantur. Sed quid eſt quod inſulæ fugiunt, & montes non inueniuntur? nimirum quia multæ mundi huius Eccleſiæ, multique Epiſcopi & Doctores iam fatigati & procelloſas maris tempeſtates ferre non valentes locum perſecutoribus dabunt, &, ne inueniantur, vbique ſe occultabunt, quod quidem & in primitiua Eccleſia ſæpiſſimè factum fuiſſe legimus, cum, non qualeſcūque, ſed ipſi Apoſtolici viri ſe in cryptis terræque cauernis abſcondiſſe narrantur. Hæc autem tanta perſecutio quare fiat, ſubiungit dicens. *Et grando magna, ſicut talentum deſcendit de cælo ſuper homines.* Hæc enim grādo ſeptimi Angeli prædicatio intelligitur, quæ in tantum omni ſuo exercitur Antichriſtū in iram & indignationem commouit & exacerbauit, vt ipſum Deum omnes pariter blaſphemauerunt. Quæ grando, bene talento comparatur, talentum ſeptuaginta duarum librarum eſt, quot & Chriſti diſcipuli fuiſſe leguntur, quorum prædicationem ſeptimus ille Angelus eſt imitatus. Hæc autem ſuperioribus continuanda ſunt, illi videlicet loco, vbi dicitur: *Et exiuit vox magna de templo à throno dicens, Factum eſt,* inde enim vſque ad hunc locum, interpoſitio eſt, quam Græci dicunt Parentheſin. Sequitur.

A *Et blaſphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis, quia magna facta eſt vehementer*, ſicut enim nos hæreticorum verba, ſagittas, & grandinem computamus, ita,& hæretici ſanctorum prædicatione vulnerari timentes, quaſi grandinem eam fugiunt, & impetum tempeſtatis.

Et venit vnus de ſeptem Angelis,qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum dicens. Veni & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ,quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino fornicationis eius. Quod B. Ioanni dicitur, vniuerſaliter toti Eccleſiæ dicitur, quia ergo de Babylone Angelus loqui cœperat, pleniſſimè eam qualis ſit deſcribens,admonet Eccleſiam, vt eam videat,& contempletur. *Veni*, inquit, *oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*, quod per conuerſionem intelligimus, damnandam meretricem magnam. *Quæ* B *ſedebat ſuper aquas multas*, quia in multis populis obtinet principatum. *Cum qua fornicati ſunt Reges terræ*, fornicati vtique, quia malè & illicitè ea abuſi ſunt. Quamvis enim ſine hac vita præſenti vincere nequeamus, cum ea tamen fornicati dicimur, ſi contra legem, diſſolutè nimis & luxurioſè ea vtamur. *Et inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de vino fornicationis eius*, quid eſt enim vinum fornicationis eius, niſi illicitum poculum eius? de quo quidem terræ inhabitatores inebriantur, quia in tantum ab huius vitæ illecebris decipiuntur, vt quaſi dementes, ſuæque vilitatis obliti, per quam viam incedere debeant, ignorent.

Et abſtulit me in deſertum in ſpiritu & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ habentem capita ſeptem & cornua decem, & mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominationum, & immunditia fornicationis eius. Deſertum non niſi ferarum, & C animalium irrationabilium eſſe ſolet, habitatio. Merito ergo in deſertum fertur, qui tantum taleque viſurus eſt monſtrum. *Et vidi*, inquit, *mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam*, hæc enim beſtia ex multis populis & gentibus conſtituitur, cuius caput non immerito Romam vocaueram, quæ quidem & Babilon aliquando fuit, quæ quidem beſtia quoniam multorum ſanctorum ſanguinem fudit coccinea tota & rubea apparet. Quia vero multis idolorum portentis ſeruiuit, ideo nominibus blaſphemiæ plena eſſe dicitur; quæ enim maior blaſphemia, quam aurum, lapides & ligna, Deos vocare? Habebat autem capita ſeptem, & cornua decem, de quibus iam ſupra diximus, & plura in ſequentibus dicemus. Talis ergo erat beſtia. Sed qualis erat mulier, quæ ſuper eam ſedebat? Sequitur. *Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.* His enim ornamentis ad ſui fornicationem ſuos attrahit amatores, per quæ & cætera intelligimus, quibus miſeri homines ab amo- D re Dei, ad huius vitæ felicitatem retrahuntur. Habebat autem & poculum in manu ſua, plenum abominationum, & immunditia ſuæ fornicationis, per quæ perſuaſionem quandam, & in bonis tranſitoriis delectationem intelligamus, quæ quidem perſuaſio & delectatio, ſuperbia, auaritia, luxuria, cæteriſque vitiis, quaſi ſuaui aliqua potatione plena multos inebriat, & à recto itinere deuiare facit.

Et in fronte eius nomen ſcriptum, Myſterium. Babilon magna mater fornicationum & abominationum terræ, & vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu,& miratus ſum cum vidiſſem illam admiratione magna: erat,inquit,*in fronte eius nomen ſcriptum*, alterius quam ſonare videbatur intelligentiæ, in ſe continens myſterium multorum videlicet ſecretorum. Vocatur enim Babilon magna, nulla enim antiquitus ciuitas tam nobilis tamque potens & tam omnibus diuitiis & deliciis cunctiſque ſuperſtitionibus, ſicut babilon,plena fuit: hæc populum Dei captiuauit, hæc vſque ad fundamenta Ieruſalem ciuitatem Dei deſtruxit: huius E inſuper Rex Nabucodonoſor fuit omnium hominum ſuperbiſſimus, hæc ergo quia ſola præſentia bona dilexit, præſentem vitam, & malorum omnium congregationem, & ad cætera, quæ Deus abominatur & odit, homines inuitat,merito fornicationum & abominationum mater vocatur, hæc autem, quia multorum Sanctorum & Martyrum Ieſu ſanguinem fudit, quaſi iam plena & ſatiata ebria de eo eſſe perhibetur. Cuius impietatem & crudelitatem cum B. Ioannes vidiſſet, non modica admiratione miratus eſt.

Et dixit mihi Angelus, cur miraris? Ego tibi dicam ſacramentum mulieris & beſtiæ,quæ portat eam,quæ habet capita ſeptem,& cornua decem. Beſtia quam vidiſti,fuit, & non eſt,& aſcenſura eſt de abyſſo,& in interitum ibit,& mirantur inhabitantes terram, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ à conſtitutione mundi videntes beſtiam,quæ erat & non eſt. Ego,inquit, tibi dicam mulieris & beſtiæ ſacramentum, audi, & intellige, quid F vtrumque ſignificet. Beſtia enim, quam vidiſti, fuit & non eſt, fuit enim ad tempus beſtia iſta, claruerunt aliquando ſæculi huius potentes,& honoribus, & dignitatibus ſublimati, ac ſi æterni eſſent; ab hominibus verebantur. Sed iam quidem non eſt, quia & aſſiduè de hac vita tranſit, & tam breui tempore in ea moratur, vt vna eademque hora, & eſſe & non eſſe videatur. Et aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: aſcenſura eſt enim de abyſſo, quia iniquorum animæ, quæ modo inferni tormenta patiuntur, in iudicio ad corpora reſurgenda reuertentur, iterum ad tartara præcipitatæ, & animæ ſimul & corpora æternos cruciatus ſuſtinebunt. Et tunc quidem peccatores,qui in libro vitæ ſcripti non ſunt, neque Dei memoria digni habentur, ſuper hanc beſtiam mirabuntur, & obſtupeſcent, videntes eos damnari, qui ſoliti fuerunt cum magna potentia cæteros iudicare. Sequitur.

Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita, G *ſeptem montes ſunt, ſupra quos mulier ſedet. Et Reges ſeptem ſunt, quinque ceciderunt, & vnus eſt, & alius nondum venit, & cum venerit oportet illum breue tempus manere.* Expoſitio eſt prædictæ ſimilitudinis. Hic, inquit eſt ſenſus, & intellectus eorum, quæ dicta ſunt, quod & ille quidem bene intelligit, qui habet ſapientiam, & ſeptem capita, ſeptem montes ſunt, ſeptem etenim montes ſupra quos mulier ſedet, totidemque Reges, ſeptem, vt in ſequentibus declarabitur, tempora ſignificant, ſex videlicet ætates, & ſeptimum ſextæ ætatis tempus, & ipſum quidem breue & vltimum. Vnde & ſubditur. *Quinque ceciderunt, & vnus eſt, & alius nondum venit*,quinque namque ætates,& quinque regna cum ſuis Regibus iam tunc tranſierant, quando B. Ioannes iſta loquebatur, ſexta vero ætas & ſextum cum ſuis Regibus regnum tunc incipiebat, quæ & nunc quidem voluitur, & vſque ad Antichriſti tempora perſeuerabit. Alius autem, qui nondum venit ipſe eſt Antichriſtus, qui quoniam in fine huius ſextæ ætatis venturus eſt,ſeptimus ponitur, & ipſe quidem cum venerit, oportet eum breue H tempus manere, non enim niſi tres annos, & dimidium regnabit.

Et beſtia,quæ erat, & non eſt,& ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit. Omne namque totum ex ſuis partibus conſtat, & cum nihil aliud ſit totum, quam coniunctio partium, differt tamen totum ab vnaquaque parte. Vnde & beſtia iſta, videlicet Eccleſia malignantium, quia ex ſeptem prædictis temporibus conſtituitur, ſecundum ſe quidem octaua eſt, ſecundum conſtitutionem vero partium, de ſeptem eſt, quod Dialectici quidem facile intelligunt, & ipſa nimirum cum omnibus ſuis partibus in interitum vadit.

Et decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui Regnum nondum acceperunt ſed poteſtates tanquam Reges vna hora accipient poſt beſtiam. Hi vnum conſiliũ habent, & virtutem & poteſtatem ſuã beſtiæ tradent. Hi cum agno pugnabũt,& agnus vincet eos quia Dominus Dominorum eſt & Rex Regũ,& qui cum eo ſunt vocati electi & fideles, in mẽte habeto,quod ex omnibus iniquis hanc beſtiã

A conſtitui diximus, eiuſque partes omnium ætatum iniquos & peſſimos eſſe expoſuimus. Magna ergo eius pars Antichriſtus erit, ſiquidem omnibus iniquior & deteſtabilior erit, vnde non immerito totius beſtiæ nomen ſibi vſurpat. Huic autem eiuſdem iniquitatis decem Reges adhærebunt, quorum virtute & tyrannide multa mala contra ſanctos operabitur. Pugnabit autem cum agno, ſed vincetur. Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus interficiet eum ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Hæc autem breuiter tranſcurrimus, quia ad litteram intelliguntur.

Et dixit mihi: Aquas quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populus, & gens & lingua & decem cornua, quæ vidiſti, & beſtiam odient fornicariam, & deſolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igne concremabunt? Deus enim dedit in corda illorum, vt faciant quod illi placitum eſt, & dent regnum ſuum beſtiæ donec conſummentur verba Dei. Et mulier quam vidiſti, ciuitas eſt magna, quæ habet Regnum ſuper reges terræ. B Hæc quia ipſe per ſe B. Ioannes exponit, non multum nobis in his exponendis eſt laborandum.

CAPVT XVIII.

POſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius, & exclamauit in fortitudine dicens. Cecidit cecidit Babilon magna & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis, quia de vino fornicationis eius biberunt omnes gentes & Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt.* Hic Angelus, aliquis magnus Eccleſiæ doctor, & cum illo & per illum cæteri intelligi poſſunt, qui iam in ſignis manifeſtis cognoſcentes iudicij diem appropinquare, conſtanter & in forti voce C prædicantes, quantum huic mundo, ſuiſque amatoribus diſcrimen immineat, potentialiter nunciabunt. Vnde & ab eius gloria terra dicitur eſſe illuminata, quia, quæ prius latebant, illi reuelabunt. Qui bene de cœlo deſcendere dicitur: quia inde hoc totum Diuina inſpiratione ſuſcipiet, quod cæteris Chriſti fidelibus nunciabit. Sequitur. *Cecidit cecidit Babilon magna.* Viſitatiſſimus eſt iſte modus locutionis, vt ea, quæ certiſſimè fieri ſcimus, prius etiam quam fiant, facta dicamus: vnde & eos iam viciſſe dicimus, quos victores fore putamus, & quos morti propinquos, videmus iam mortuos nunciamus. Sic ergo Angelus in hoc loco, quia non dubitat ſubito eſſe Babilonem perituram, ac ſi iam cecidiſſet, quaſi de præteritis loquens, ait: *Cecidit cecidit Babilon magna,* ac ſi diceret: Nullam ſpem in ea vlterius habeatis, nullum amorem in eam ponatis, quia in proximo miſerabiliter ruere videbitis, non vos fallat, non vos decipiat, cuius omnis pulchritudo ſubito euaneſcet. Et facta eſt habitatio dæ- D moniorũ, poſtquã enim Babilon ideſt malorum congregatio in tenebras ſubuerſa fuerit, quos niſi malignos ſpiritus in ea habitare credere poſſumus. Hoc enim omnibus ſacris ſcripturis populũ ſuũ Dominus admonet dicẽs. Exite de illa popule meus, relinquite nõ tantũ corpore quãtum corde iniquorum conuerſationes, & ne participes ſitis delictorũ eius, ne ſimul cum ea fortaſsè de plagis, & pœnis eius poſt modum accipiatis, qui enim participes ſibi ſunt in peccatis, participes erunt & in tormentis, quoniam peruenerunt peccata eius vſq; ad cœlũ, ſiquidẽ iſt tantum creuerunt, vt pro ſua magnitudine ante Deum cum quadam accuſatione recitentur. Vnde & ſubditur. *Et recordatus eſt Dominus iniquitatum eius*, quarũ quidem, quia impunitos eſſe relinquebat, oblitus eſſe videbatur.

Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundum opera eius, &c. Nam quia iniquorum tormentorum, iuxta ſanctorum, quos afflixerunt, ſententiam & voluntatem fient, ideo eis ab ipſis ſanctis inferri dicuntur. Quæ bene quidem duplicari præcipiuntur, quia illi in ſolã corpora poteſtatem acceperunt, ſancti autem in animas, & corpora poteſtatem habebunt. Vnde & E ſubditur. *In poculo, quo miſcuit vobis miſcete illi duplum & quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Hoc eſt quod diuiti per Abraham in Euangelio dicitur. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris*, iuxta qualitatem ergo deliciarum, creſcit numerus tormentorum. Quia in corde ſuo dicit: *Sedeo Regina & vidua non ſum, & luctum non videbo, ideo in vna die venient plagæ eius mors & luctus, & fames. & igni comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicauit illam.* Iniquorum etenim multitudo dum ſibi huius vitæ felicitatem & proſperitatem abundare conſpicit, non ad mala, quæ illi ventura ſunt, attendit, ſed in ſolis præſentibus bonis, quibus malè vtitur, ſuperbit & gloriatur & quãvis ſubito regia dignitate, & honore carere, & virili fortitudine viduari, omnique luctu & miſeria repleri valeat tamẽ vt ſtulta & inſcia in corde ſuo loquitur dicẽs. *Sedeo regina*, omnes me, quaſi Dominam venerantur, *& vidua non ſum*: neque conſilio & auxilio deſti- F tuta, *& luctum non videbo*, quæ mihi falſo quietã promittunt. Ideoq; vna die, immo vna hora, quando dicetur. *Ite maledicti in ignem æternum.* Venient plagæ eius, mors videlicet æterna, & luctus indeficiens, & fames inſatiabilis. Et igni comburetur, illo ſcilicet inextinguibili, de quo nunc diximus. *Quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illã*, cuius iudicio & voluntati nulla fortitudo reſiſtere valebit.

Et flebunt & plangent ſe ſuper illã Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in delicijs vixerunt, cum viderint fumum incendij eius, longè ſtantes propter timorem tormentorum eius, dicentes. Vah vah ciuitas illa magna Babilon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. Flebunt, inquit, & lugebunt omnes Reges terræ, atq; potentes, non tantum illam, quantum ſe propter illam, quoniam infeliciter dilexerunt illam. Infeliciter quidem, quoniam cum illa fornicati ſunt, magis ad luxuriam & delicias, carniſq; voluptates hanc vitam amantes, quã vt Deo G ſeruirent, & in eius vinea laborarent, & tandem finito labore mercedem operis ſecum reportarent, flebunt, inquit, cum viderint fumum incendij eius longe ſtantes, id eſt, longè ſtare deſiderantes, propter timorem tormentorum eius. Deſiderio quidem longè ſtabunt, actu tamen in ipſa erunt: in ipſa & cum ipſa ardebunt. Plangent vtique & dicent. Væh, væh, ciuitas illa magna Babilon, ciuitas illa fortis tu es, quam ſic perire videmus quoniam ſic incẽdiis tradita eſt, quam nos ſtulti & infelices æternam eſſe opinabamur. Et ecce vna hora venit iudicium tuum, vna hora cecidit ſuperbia tua.

Et negotiatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius. Mercem auri & argenti & lapidis pretioſi & margaritæ & byſſi & purpuræ & ſerici, & cocci & omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo & æramento & ferro, & marmore, & cinnamomum, & amomum, & odoramentorum & vnguenti & thuris, & vini & olei & ſimilæ & tritici, & iumentorum & ouium & equo- H *rum & rhedarum & mancipiorum, & animarum hominũ.* Flebunt, inquit, & lugebunt mercatores terræ, ſupradictæ, ciuitatis deſtructionem, quæ, quamvis ad litteram intelligi poſſunt, ſunt tamen alij mercatores, qui diuerſarum mercium negotiationibus huius mundi homines fallere ſolent. Hi autem ſunt maligni ſpiritus, qui poſt mundi huius deſtructionem ideo flebunt & lugebunt, quia neminem inuenient, cui ſuæ iniquæ artis vendant ſuppellectilem. Aurum namque & argentum, lapides pretioſi & margaritæ, byſſus & purpura, ſericum, & coccinum, quæ ad ornamentum & decorem pertinent, ſapientiam & virtutes, & morum honeſtatem ſignificant. Lignum vero thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore, quia quamvis ad ſe decorandos ſuper ſe diuites non ferant, eorum tamen gloriam & potentiam demonſtrant, honores & dignitates deſignant, quibus diuitum ſuperbia extollitur & gloriatur. Cinnamomum autem, & amomum, & odoramenta, & thus & vnguenta, quæ ad nares & ad olfactum maximè pertinent, quibus

etiam membra ægrota & debilia ſolidantur & ſanantur, ſancti ſpiritus gratiam innuunt. Vinum vero & oleum & ſimila, & triticum, quibus hominum vita ſuſtentatur, litterarum ſtudia & doctrina intelligitur. Hæc autem omnia maligni ſpiritus vel vendunt, aut vendere quidem ſe ſe fingunt. Vendunt autem & iumenta, illa ſcilicet, de quibus dicitur: *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Vendunt & oues, de quibus Dominus ait: *Ecce ego mitto vos ſicut oues inter lupos.* Has autem vendere, quid eſt, niſi morti tradere? Sed quid mirum eſt, ſi iſtas vendunt, cum illam maximam & præcipuam ouem vendere non timuerint? Vendunt ſimiliter equos & rhedas, & mancipia, per quos vel hæreticos intelligimus, in quibus & per quos mali contra bonos præliantur, ſiue etiam Doctores, quorum ſeruitio ad patriam reportantur. Vendunt autem & animas hominum, quas ſi non vendidiſſent, hodie tot captiuos infernus non habuiſſet. Sequitur.

Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara præterierunt à te, & amplius illa iam non inuenies. Mercatores horum, qui diuites facti ſunt, ab ea longè ſtabunt propter timorem tormentorum eius, flentes & lugentes & dicentes: Veh veh ciuitas illa magna, quæ amicta erat purpura & byſſo, & coccino, & deaurata auro & lapide pretioſo, & margaritis, quoniam vna hora deſtituta ſunt tantæ diuitiæ. Poma, inquit, mitia & ſuauia, quæ voluntas & anima tua deuorare deſiderabat, diſceſſerunt à te, & omnia pinguia virtutum pinguedine, & generum, & præclara vitæ, & moribus honeſtata præterierunt à te, & amplius illa iam non inuenies. Mercatores horum, quæ ſuperius enumerauimus, ab ea longè ſtabunt, ideſt, longè ſtare deſiderabunt, propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Veh, veh, ciuitas illa magna, quæ amicta erat purpura & byſſo, & cocco, & deaurata auro & lapide pretioſo, & margaritis. Hæc enim omnia regiam indicant dignitatem, his potentes & nobiles huius ſæculi ornantur. Per quæ huius nobiliſſimæ ciuitatis potentiam & ſublimitatem demonſtrat. Sed hæc vna hora peribunt, quia ad vnius iuſſionis vocem, cœlum & terra tranſibunt.

Et omnis gubernator, & omnis, qui in lacu nauigat, & nautæ, qui in mari operantur, longè ſteterunt, & clamauerunt, videntes locum incendij eius, dicentes; Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? & miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes, & dicentes; Veh veh ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habebant naues in mari, de pretiis eius, quoniam vna hora deſolata eſt. Omnis, inquit, gubernator, per quem Reges, Philoſophos, & Hæreticos, cæteroſque quibus mundi regimina commiſſa ſunt, intelligimus. Et qui in lacu nauigat, ideſt, qui incautis piſcibus, & baptizatis hominibus inſidiatur. Et nautæ, qui in mari operantur, ideſt, diuites & potentes huius ſæculi, qui per hoc mare magnum & ſpatioſum ſuos exercitus, naueſque iniquas, pyratis, homicidis & latronibus plenas, contra ſanctos & Eccleſiam ducunt, & cædes, incendia, rapinas, cæteraque iniquitatis opera quotidie agere non ceſſant. Hi omnes longè ſteterunt, vt ſuperius diximus, & clamauerunt, videntes locum incendij eius: Locus enim iſte, infernus eſt. Dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Hoc enim præ ſtupore & admiratione dicunt. Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua: Quoniam etſi fecerunt pœnitentiam, tamen & ipſam quidem infructuoſam pro ſuis iniquitatibus agentes, terram & puluerem ſe eſſe cognoſcent. Clamant autem, flent & lugent, ſtupent & admirantur de huius mundi tam ſubita deſtructione qui tot Reges & regna, tot gentes & nationes ſuis honoribus diuitiiſque ditabat. Cuncta enim vilia tunc & ſine honore apparebunt, quæ nunc quidem chara & pretioſa eſſe videntur.

Exulta ſuper ea cœlum, & vos Apoſtoli & Prophetæ quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa. Expoſitis enim omnibus, quæ ad malorum confuſionem, & ad ignominiam pertinebant, ad gaudium & exultationem Angelus, qui loquebatur, Chriſti fideles hortatur, dicens: *Exulta ſuper ea cœlum*, ideſt, omnis Eccleſiæ multitudo, & maximè vos ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quia iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa: *Lætabitur* enim *iuſtus*, ſicut ſcriptum eſt, *cum viderit vindictam.* Sicut enim pro his, qui ſaluari poſſunt, aſſiduè Deum ſancti exorant, ita de illorum pœna, qui irrecuperabiliter damnati ſunt, quia eam Deo placere cognoſcunt, exultant, & gaudent.

Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem, magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babilon magna ciuitas illa, & vltra iam non inuenietur. In mentis namque exceſſu poſito apparuit B. Ioanni Angelus vnus, qui ideo quidem fortis vocatur, quia fortia operatur. Hic enim ſuſtulit, ideſt, ſubleuare viſus eſt, lapidem vnum molarem magnum, & miſit illum in mare, qui vtique ſecundum naturæ ſuæ grauitatem, ſemper profundum & ima petit, &, quia rotundus & volubilis eſt. poſtquam ſemel ad caſum vergit, etiamſi teneri velit, ſtare non poteſt. Cui bene Babilon comparari poteſt, quæ ſemel quidem damnata, ſuæque damnationis ſententia accepta, nulla vi, nullo conamine nullis precibus ſtare valebit, quin in profundum laci. & in inferni inferiora ſubmergatur. Vnde & dicit: *Hoc impetu mittetur Babilon, ciuitas illa magna.*

Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium & tuba, non audietur in te amplius, & omnis artifex non inuenietur in te amplius. & vox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi, & ſponſæ non audietur adhuc in te. Et hæc quidem ad litteram intellecta, omnimodam illius ciuitatis deſtructionem ſignificant. Allegoricè autem, per citharœdos & muſicos, per tibiam tubamque canentes, Philoſophos, & Sapientes intelligere poſſumus, qui eam ſuaui modulatione verborum mulcebant, & mundi huius oblectamenta amare ſuadebant, quales Orpheus & Alceus, Tullius & Horatius, multique alij fuiſſe memorantur. Hi autem & artifices dici poſſunt, qui artes ipſas & docebant, & faciebant. Et vox molæ non audietur in te amplius, vbi enim mola non auditur, ibi neque cibus, neque hominum habitatio eſt. Et lux lucernæ non lucebit tibi amplius, in tenebris enim præcipitata, non tantum communi luce ſolis lunæque carebit, verum etiam ipſam priuatam propriamque lucernæ lucem non habebit, ſiquidem nec ipſi eius oculi ſibi vtiles erunt. Et vox ſponſi & ſponſæ, non adhuc audietur in te, vbi enim ſponſus & ſponſa non auditur, humani generis propagatio aufertur. A modo igitur ſterilis erit, quæ in tantorum filiorum multitudine gloriabatur. Quare autem hæc fiant, ſubinfertur: *Quia mercatores tui erant principes terræ, & quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.* Et in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra; Tam diues enim, tamque nobilis ciuitas iſta fuit, vt quos ipſa mercatores habebat, aliarum gentium principes eſſent. Ad eius tamen nequitiæ cumulum hoc intelligi poteſt, vt tam impia & auara fuerit, quod eos poneret principes, qui mercatores eſſe ſolebant. Tales enim ſuis calculationibus facilè eos decipiunt, quibus dominantur, & non ſolum tributa exigunt, verum etiam omnibus, quæ poſſident, ſuis aſtutiis eos exſpoliant. Sequitur.

Quia in veneficiis tuis errarunt omnes gentes, &c. Ibi enim veneficia, vbi medicamina, ibi hæreſes fabricatæ ſunt, quibus omnes gentes errauerunt: ibi ſanguis Sanctorum, & Prophetarum & fuſus, & inuentus eſt, & non ſolum Sanctorum, verum etiam omnium, qui vbique terrarum interfecti ſunt. Quis enim, niſi iniquorum Congregatio, humanum ſanguinem fundere nouit? Ab ea igitur omnis ſanguis requiretur, qui ſuper terram fuſus eſt, cuiuſcunque, etiamſi infidelium eſt.

CAPVT

CAPVT XIX.

POſt hæc audiui quaſi vocem magnam tubarum multarum in cælo, dicentium: Alleluia, laus & virtus Deo noſtro & gloria, quia vera & iuſta iudicia eius ſunt, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corruperat terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Et dixerunt iterum: Alleluia. Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes, Alleluia Amen. Hæc enim magna vox tubarum multarum, vox eſt ſanctorum, lætantium, & gratias Deo agentium, ipſumque cum gaudio & voce exultationis laudantium. Quid enim aliud eſt Alleluia, niſi, laudate Deum. Vnde & ſubditur. *Laus & gloria, & virtus Deo noſtro.* Quare hoc? Quia vera & iuſta iudicia eius ſunt. Vnde hoc probas? Quia iudicauit de meretrice magna; Vere vtique de meretrice magna, quoniam totam terram in ſua proſtitutione fornicationeque corrupit. Et vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum, qui effuſus eſt, de manibus eius, Quibus auditis, iterum lætabundi dixerunt, *Alleluia*, pro talibus tantiſque iudiciis & auxiliis Deum laudantes & magnificantes. Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum, vt, Dei laudibus creſcentibus, creſcant pariter & tormenta malorum. Poſt hæc viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia (in quibus omnes noui veteriſque teſtamenti Patriarchas & Prophetas, Apoſtolos, & doctores intelligimus) ceciderunt in faciem ſuam & adorauerunt Deum, ſedentem, ſuper thronum maieſtatis ſuæ, dicentes, amen, Alleluia, ea videlicet confirmantes, quæ ex multorum ſuperiorum voce tubarum audierant: Deumque pariter laudantes, in cuius laude tanta & talia dicebantur.

Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum, puſilli, & magni. Prius enim tota Eccleſia, deinde vtriuſque Teſtamenti Patriarchæ & Doctores, poſtmodum vero ipſi Angeli Deum laudant, alioſque omnes, paruos ſimul & magnos, ad laudem inuitant. Thronus autem hic ille intelligitur, qui inter nouem Angelorum ordines enumeratur. Quibus hortantibus, quid ſequitur, audiamus.

Et audiui quaſi vocem tubæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, dicentes, Alleluia quia regnat Dominus Deus noſter omnipotens. Et vox quidem magnæ tubæ, Doctores, voces autem aquarum multarum, omnium fidelium multitudinem, voces magnorum tonitruum. Angelorum omnium exercitus deſignant. Iſti autem omnes, Deum laudantes, Alleluia decantabant, dicentes.

Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe &, datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendente & candido, Byſſinum autem, iuſtificationes ſanctorum ſunt.

Et dixit mihi; Scribe, Beati, qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt. Gaudent enim omnes ſancti & lætantur, & dant gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, qui tollit peccata mundi, quando corporibus animabus coniunctis, ſponſam ſuam ſanctam Eccleſiam, in cœleſtes thalamos introducat. Hoc eſt enim, quod dicitur: *Et vxor eius præparauit ſe.* Vxoris etenim præparatio, carnis eſt reſurrectio. Et datum eſt illi, & à Deo conceſſum, vt cooperiat ſe Byſſino ſplendente, & candido. Quod, quid ſignificet, quia ipſe exponit, nobis exponere non licet. *Byſſinum enim,* inquit, *iuſtificatio ſanctorum eſt.* Sicut enim byſſus, id eſt, linum, de terra exortum, cum multo labore in telam & veſtimentum perficitur, ita ſanctorum iuſtificationes & virtutes per multas tribulationes in carne mortali oriuntur & creſcunt. Quod autem ſcribere præcipit, eos eſſe beatos, qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt, firmam & immobilem de eorum beatitudine Dei ſententiam eſſe demonſtrat. Vnde & ſubditur: *Et dixit mihi: Hæc vera ſunt verba Dei.* Hoc eſt enim, quod in Prophetis dicitur: *Os enim Domini locutum eſt.*

Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu, Deum adora. Teſtimonium Ieſu, eſt ſpiritus Prophetiæ. Audita enim tanta promiſſione de bonorum beatitudine, Angelum qui loquebatur, adorare voluit B. Ioannes, eique interdicit, eum, ſicut & cæteri, qui Ieſu teſtimonium habent, & ferunt, ſeruus & ipſe eius ſit, ſolumque Deum adorare præcipit. Sed quid eſt Ieſu teſtimonium habere? Sequitur? *Teſtimonium enim Ieſu, eſt ſpiritus Prophetiæ.* Quicunque ergo de Ieſu hoc teſtificatur, creditque quod Prophetæ prædixerant, hunc Ieſu teſtimonium habere, non dubium eſt.

Explicit Liber Quintus.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

ET vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur, Fidelis, & verax, & iuſtitiam iudicat, & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi ipſe: Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen eius. Verbum Dei. Iterum enim B. Ioannes, ſicut & in cæteris libris, à principio naſcentis Eccleſiæ incipiens, vſque ad finem eam deſcribit, qui tunc quidem cælum apertum vidit, quando prius ad Euangelium prædicandum Doctores de Eccleſia vbique diſcurrere, atque in eam introducere vndique fideles inſpexit. Vnde, *Vidi*, inquit, *cælum apertum.* id eſt, myſteria reuelata, per homines in Eccleſiam intrantes, & ſubditur, *Et ecce equus albus.* Albus enim equus, Baptiſmate candidatus, & ſuper niuem dealbatus, carens macula & ruga, Apoſtoli & Doctores intelliguntur. Fidelis autem & verax, quia ſuper eum ſedebat Chriſtus Dominus Deus noſter, de quo dicitur. *Qui aſcendit ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio.* Hic autem & iuſtitiam iudicat, & ſemper pro iuſtitia pugnat. Cuius oculi ſic ſunt vt flamma ignis, Apoſtoli ſcilicet & Prophetæ, qui in Eccleſiæ capite prælucentes, claro, & perſpicaci intuitu cuncta Eccleſiæ Sacramenta vſque ad ſæculi conſummationem vident & conſiderant. Et in capite eius diademata multa: Quoties enim ſancti vincunt, toties Chriſtus coronatur, quia omnis illorum victoria ad Chriſtum refertur, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. Vnde & ipſi dicunt: *In Deo faciemus virtutem.* Habens nomen ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi ipſe; Ipſe quidem hoc ſcit, quia caput eſt! cum cæteris Eccleſiæ membris, qui eiuſdem corporis partes ſunt Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, id eſt, carne virginali & incorrupta, militis lancea perforata. Vnde Propheta: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra.* Et vocatur nomen eius Verbum Dei. Hoc autem nomen non Iudæus, non Hæreticus, non Paganus cognouit. Nemo enim ſcit hoc nomen, niſi ipſe, id eſt, Eccleſia ſua cum ipſo. Quod autem ipſe & Eccleſia vnum ſint, audi quid per B. Ioannem, qui modo loquitur, etiam in Euangelio dicat: *Non pro his.* inquit, *rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint. ſicut & tu, Pater in me, & ego in te, vt et ipſi in nobis vnum ſint.* Quod ergo Eccleſia ſcit, nemo ſcit, niſi ipſe, ſiquidem vnum ſunt, & Eccleſia, & ipſe.

Et exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſinum album mundum, & ex ore ipſius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & ipſe reget eas in virga ferrea, & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, & habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum; Rex Regum, & Dominus Dominantium. Exercitus inquit, qui ſunt in cœlo, Sanctorum videlicet congregationes, in quibus ſunt Martyres, Confeſſores, & Virgines, ſequebantur eum in equis albis, per quos eorum corpora baptiſmate

A candidata intelliguntur, veſtiri byſſinum album mundum: quod ipſe ſuperius exponens, ſanctorum iuſtificationes eſſe dixit. Sequuntur igitur eum, quia eadem via incedentes, in quantum poſſunt, eum imitantur. Gladius autem ex vtraque parte acutus, qui procedit ex ore eius, ipſe eſt, de quo Apoſtolus ait. *Et gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Itemque *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* In hoc autem gladio percutit gentes, qui nemini parcens, omnium iniquitates, & vitia redarguit. Et ipſe reget eas in virga ferrea, id eſt recto & forti imperio, inuincibili & inflexibili regimine. Torcular autem vini furoris & iræ, quod ipſe calcat, illud eſt, de quo alibi dicitur. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Quoties enim mundum iſtum nequam pro ſuis ſceleribus perimit & damnat, toties torcular in ira & furore calcat. Sic enim quondam Iudæos calcauit, eorumque ſanguine omnes circa Ieruſalem foſſas repleuit. Et habet in veſtimento & in fœmore ſuo ſcriptum, Rex Regum, &
B Dominus Dominantium, quid enim per veſtimentum & fœmur niſi humanitas intelligitur, qua & Diuinitas veſtiebatur, & generis propagatio dilatatur? Non ergo ſecundum Diuinitatem tantum, verum etiam ſecundum humanitatem, in qua de inimicis triumphauit, Rex Regum & Dominus Dominantium eſſe credatur.

Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli: Venite congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes Regum & carnes tribunorum, & & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium in ipſis, & , carnes omnium liberorum, ac ſeruorum, & puſillorum ac magnorum. Angelus iſte qui in ſole ſtare videtur, Chriſtus eſt, de quo dicitur. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum:* in ſole enim ſtare eſt, palam & manifeſte omnibus apparere. Et aues quidem, quæ per medium cœlum volant, vel Eccleſiæ Doctores vbique diſcurrentes, vel maligni ſpiritus, qui in hoc aere principantur, intelligi poſſunt: nam & iſti & illi ad cœnam Dei congregantur, & vtrique ſibi à Deo paratam eſcam comedunt, ſed
C alio & alio modo; Sancti namque carnes Regum & tribunorum, cæterorumque comedunt, ſecundum hoc quod B. Petro plenum immundis animalibus linteum oſtenſum eſt, eique præceptum, vt mactaret & manducaret: cuius rei ſignificationem ipſe intelligens, his qui ſecum erant ſic ait. *Vos ſcitis quam abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam, ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.* Immundi vero ſpiritus Regum carnes & tribunorum comedunt, quando peccatores decipiunt & occidunt, & de eorum pœnis lætantur & ſatiantur, ſecundum quam ſignificationem dicitur. *Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.* Sed quid per equos & in ipſis ſedentes, niſi corpora, & quæ eis præſident animas intelligimus?

*Et vidi beſtiam & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius: & apprehenſa eſt beſtia, &
D cum illa Pſeudopropheta, & qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis & ſulphuris, & cæteri occiſi in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius, & omnes aues ſaturatæ ſunt de carnibus eorum.* Hoc autem in loco illud prælium B. Ioannes narrare videtur, quod Chriſtus Dominus noſter in ſæculi conſummatione contra Antichriſtum facturus eſt. Vidi, inquit, beſtiam, ideſt Antichriſtum de quo iam ſæpe locuti ſumus: Et reges terræ, qui eum ſequentur, cum eo erunt pſeudoprophetæ & exercitus eorum, omnium videlicet iniquorum multitudinem, congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius, ideſt, cum Chriſto & electis eius. Et apprehenſa eſt beſtia, ideſt Antichriſtus, & cum ea Pſeudoprophetæ, multi ſcilicet hæreſiarchæ, & diſcipuli eius. Inſuper & ipſe, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem, & imaginem beſtiæ, de E
hoc enim in quarto libro plura dicta ſunt. Hæc eſt enim illa beſtia, quæ de terra aſcendens cornua duo agni ſimilia habens, & quaſi draco loquens, omnemque prioris beſtiæ poteſtatem coram illa faciens terram omnem & habitantes in ea, beſtiam primam adorare cœgit: hic enim quaſi à Rege ab Antichriſto iniquitate, omnique fallendi aſtutia plenus erit. Viui miſſi ſunt hi duo, ideſt Antichriſtus & diſcipuli eius, in ſtagnum ignis ardentis & ſulphuris. Viui quidem, quoniam & ipſi, ſicut cæteri reſurgent, & poſtea, ſecundum ſcripturam, deſcendent in infernum viuentes, qui enim non viuit, tormentum non ſentit: viuunt ergo, vt tormenta ſentiant. Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius, hoc autem dupliciter intelligi poteſt, vt vel ſecundum priſtinam conuerſationem Dei verbo occiſi intelliguntur, iuxta quod Dominus ait. *Non veni pacem mittere ſed gladium:* vel illa terribili & metuenda ſententia, quæ in iudicio ſuos feriet inimicos dicens. F
Ite maledicti in ignem æternum. Et omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum, duplici namque intelligentia, aues bonæ ſunt & aues malæ; & bene quidem aues ſaturatæ ſunt, quæ ſimul cum Apoſtolorum principe quotidie mactant, & manducant, malæ vero ſaturantur, quia in eorum pœnis & tormentis quaſi quodam ſuauiſſimo cibo ſaturatæ gratulantur. Satis enim apud omnes vſitata locutio eſt, vt his nos ſaturos eſſe dicamus quibus abundare videmus.

CAPVT XX.

ET vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & Sathanas, & alligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illud, vt non ſeducat amplius gentes donec conſummentur mille anni, & poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore. Prophetarum etenim eſt, nec tempus curare nec ordinem, ſed G
nunc de futuris loqui, nunc ad præterita reuerti, quæ quidem B. Ioannes hoc in loco facere videtur. Vidi, inquit, Angelum deſcendentem; non alium quidem, ſed eundem ipſum quem ſuperius ſe in ſole ſtare vidiſſe perhibuit, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam, in manu ſua, huius enim eſt clauis, huius eſt & catena, hic claudit & aperit, hic ligat, & ſoluit, ad cuius iuſſionem abyſſi & cæli portæ pariter clauduntur, & aperiuntur. Et apprehendit Draconem ſerpentem antiquum, illum videlicet, qui primos humani generis parentes ſuæ fallaciæ veneno decepit, & perdidit. De quo & ſubditur. Qui eſt diabolus & Sathanas. Et alligauerunt eum per annos mille, hic enim numerus, vt iam ſæpe diximus, quia & cæteros numeros in ſe continet, & ſupra ſe nullum maiorem numerum habet, aliquando pro omnibus, aliquando pro multis ponitur. Vnde & hic H
dicitur. *Et alligauit eum per annos mille:* quod tale eſt, ac ſi diceret, per annos multos, ligauit autem, ne vbique vagabundus diſcurreret, & ſecundum ſuam voluntatem ſuæ iniquitatis frena laxaret. Miſit vero in abyſſum, vt ibi, etiam nunc, grauia tormenta patiatur, & in illis ſolis habitet, qui cæcitatis & ignorantiæ tenebris operti, ſolem iuſtitiæ neque vident neque cognoſcunt. Clauſit autem ſuper illum atque ſignauit, vt non quomodo vult & quando vult, exeat, & Chriſti ſigillum atque imaginem recognoſcens, neminem niſi permiſſum tentare vel ſeducere audeat. Et poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore, finitis, inquit, mille annis, ideſt aliquanta temporis longitudine. Soluetur Sathanas modico tempore, quia tribus annis & dimidio, quibus Antichriſtus regnabit, tanto furoris impetu mundum vexabit, vt ſemper ligatus, & nunquam amplius ſolutus fuiſſe putetur, ad illius ergo temporis comparationem, ligatus & clauſus dicitur Sathanas, ſicut in Ezechiele ad comparationem Ieruſalem, etiam Sodoma iuſta vocatur, quæ quidem quam peccatrix fuerit, Moyſes ipſe teſtatur.

Et

Digitized by Google

Et vidi ſedes & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & quia non adorauerunt beſtiam, & imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus ſuis, aut in manibus, & vixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummarentur mille anni, hæc eſt reſurrectio prima: Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis. Et vidi, inquit, ſedes & ſederunt ſuper eas, quoniam, vbique terrarum Apoſtoli, & Doctores diuiſi, vnuſquiſque in ſede & in prouincia & ciuitate ſua, regiminis curam, & poteſtatem ſuſcepit, quam quidem & Epiſcopos vſque hodie habere videmus. Et iudicium datum eſt illis: iſti enim ſunt iudices terræ, iſti iudiciariam poſſident dignitatem, ad horum iudicium omnium fidelium multitudo currit. Et vidi animas decollatorum, eorum ſcilicet, qui propter teſtimonium Ieſu, quod ferebant, & propter verbum Dei, quod prædicabant, ab antiquis decollati ſunt. Et vidi eos, qui non adorauerunt beſtiam, id eſt Antichriſtum, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem ipſius, id eſt, eius fidem atque doctrinam. In frontibus aut manibus ſuis, in fronte quidem eius fidem habet, qui eum palam & manifeſtè prædicat: in manibus verè, qui id, quod præcipit, operatur. Vnde manifeſtum eſt, iam nunc multos eſſe, qui ſuis in manibus eius characterem portant. Sequitur. Et vixerunt & regnauerunt cum illo mille annis, qui inquit, neque beſtiam, neque eius imaginem adorauerunt, ſimul cum Chriſto mille annis vixerunt & regnauerunt. niſi enim per mille annos omnes ante iudicium, & poſt iudicium annos intelligamus, parum valde eſt quod dicitur: iam enim mille anni præterierunt, ex quo animæ Martyrum ſimul cum eo regnare cœperunt, omnes ergo per mille intelligamus. Si quidem in mille, omnes numeri continentur. Cæteri vero mortuorum non vixerunt donec conſummarentur mille anni, quantum enim ad corpus, nec boni, nec mali ante iudicium poſt mortem vixerunt, ſecundum animam vero, mortui quoque viuunt boni, quia ibi ſunt, vbi vita regnat, & vbi mors eſſe non poteſt, *Ego*, inquit Dominus, *ſum via, veritas, & vita.* Mali vero non viuunt, quia ſemper de tormentis in tormenta, quaſi de morte in mortem tranſeunt, de quibus dicitur: *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Hæc eſt reſurrectio prima, quæ vtique non corporum, ſed animarum eſt, de qua Apoſtolus ait: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.* Sicut enim de monumentis corpora, ita de baptiſmate animæ renouatæ reſurgunt. Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima, id eſt, qui ſic in baptiſmate reſurgit, vt in eo vlterius mors & peccatum non regnet. In his enim ſecunda mors non habet poteſtatem; quod ſimul cum corporibus animæ poſt reſurrectionem ſine fine non morientur. Sed erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti, ſemper ſeipſos hoſtiã viuam & immaculatã Deo immolantes. Vnde Apoſtolus *Obſecro vos, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, Sanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Et regnabunt cum illo mille annis, id eſt, in æternum & in ſæculum ſæculi.

Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Sathanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium quorum numerus eſt ſicut arena maris, & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam, & deſcendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos myſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi eſt beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum. Conſummatis, inquit, mille annis, id eſt multis annis, finitum pro infinito, ſoluetur Sathanas de carcere ſuo, quia tantam nocendi poteſtatem & licentiam accipiet vt vſque ad id tempus ligatus, & in carcere fuiſſe merito dicatur, & tunc exibit in amplam, & ſpatioſam viam. Et ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog videlicet & Magog. & congregabit eos in prælium, vt detur intelligi, quod vbique terrarum eius fama diuulgabitur, per Gog, & Magog, quidam Gothos: quidam vero Getas & Maſſagetas intelligere voluerunt: alij vero dicunt gentes eſſe, quas Alexander magnus montibus concluſit, vbi iam in infinitam multitudinem ſunt multiplicatæ, hæc illi dixerunt. Nos autem ſecundum nominum interpretationem, ſalua fide iſta exponamus: Gog enim, interpretatur, tectum: Magog vero de tecto, ſed quid tectum niſi peccatores, in quibus vitia & maligni ſpiritus teguntur, & habitant? quid verò de tecto, niſi eadem vitia, ſpirituſque immundi? Qui nunc quidem quodammodo latent, tunc vero quaſi reſeratis portis facto agmine, de tecto vbique proſilientes, ſimul cum ipſo tecto in bella ruent. Quale ergo quantumque prælium illud fore putamus, in quo quicquid iniquitatis & malitiæ eſt, totis viribus ſæuiet & præliabitur? Vnde & ſubditur. *Quorum numerus eſt ſicut arena maris*, & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt Caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam, Prophetarum etenim eſt, vt iam diximus, pro futuris præterita ponere. Et deſcendit ignis à Deo de cœlo & deuorauit eos, facta namque reſurrectione, & ad iudicium Chriſto veniente, ſtatim ignis ſequitur, qui & mundum exuret, & peccatores deuorabit, & ſic de igne in ignem tranſeuntes, nunquam poſtea tormentis carebunt, & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt ſimul cum ipſis in ſtagnum ardentis ignis & ſulphuris. *Hic enim ignis*, ſicut Dominus ait, *paratus eſt diabolo & Angelis eius*. In quo & beſtia ideſt Antichriſtus, & pſeudo prophetæ, qui eum ſequuntur, cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

Et vidi ante thronum Agnum candidum, & ſedentem ſuper eum à cuius, conſpectu fugit terra & cælum & locus non eſt inuentus eis. Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt. Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum. Agnus iſte candidus, nulla vitiorum macula variatus, ille eſt, qui tollit peccata mundi. Qui ante thronum & ſuper eum ſedet, qui omnium Angelorum ordinibus maior eſt & præ cunctis altius ſedet, quaſi vellet dicere. Agnum ſedentem ſuper Agnum, Deum in homine ſignificauit. A cuius conſpectu fugit terra & cœlum, quia eo ad iudicium veniente, ſicut ipſe ait, & *cœlum & terra tranſibit.* Et locus priſtinus & aſperus non eſt inuentus in eis omnibus videlicet in melius commutatis. Et vidi mortuos magnos & puſillus ſtantes in conſpectu throni. Quia, ſicut Apoſtolus ait, *omnes ſiue boni ſiue mali adſtabimus ante tribunal Dei.* Et libri aperti ſunt, in quibus omnia, & ab omnibus omniumque facta legentur: hi autem ſunt conſcientiæ ſingulorum, inuicem, ſecundum Apoſtolum accuſantes, aut etiam defendentes. Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, in quo ſoli illi ſcripti ſunt ad vitam prædeſtinati, in quo ſoli ſancti ſua nomina legent, & cognoſcent Et iudicati ſunt mortui, ex his, quæ erant in libris ſcripta, omnium enim vt diximus, facta & dicta in eis ſcripta erant, & ſecundum opera ſua vnuſquiſque iudicatur.

Et dedit mare mortuos ſuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant, & iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc mors ſecunda eſt. Et qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Conſtat enim omnium corpora vbicunque fuerint, ſiue in terra, ſiue in mari quod in iudicio reſurgent, dabit ergo hoc mare magnum & ſpatioſum, omnis videlicet mundi ambitus, mortuos qui in eo ſunt. Dabit & mors, ideſt diabolus mortis cauſa atque principium, & ſimul cum eo infernus, in quo peccatorum animæ clauſæ tenentur, mortuos ſuos, qui in ipſis ſunt, vt inde animabus, hinc corporibus venientibus, homo totus & integer ante iudicem præſentetur, qui vtique ſecundum ipſorum opera ſingulos iudicabit Tunc autem, infernus & mors in ſtagnum

ignis

ignis mittetur, quia neque mors, neque diabolus princeps mortis, niſi in inferno vlterius regnabis: Regnauit enim mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Hæc mors ſecunda eſt: in qua ſine aliqua ſpe reſurgendi, totus homo ſimul cum corpore & anima in tenebras præcipitatur. Hac autem morte moriuntur, & in ignis ſtagnum ſubmerguntur, quicunque in libro vitæ ſcripti non ſunt: Et qui in libro vitæ ſcripti inueniuntur, in gaudio & exultatione ſimul cum Chriſto ſine fine regnabunt.

CAPVT XXI.

ET *vidi cælum nouum & terram nouam.* Quoniam vniuerſalis ignis incendio, omni mundana corruptione exuſta, ad primam pulchritudinem, omnis rediet creatura, nimirum præter diabolum cum membris ſuis, qui tunc omnium vltimam miſeriam & deformitatem ſuſcipiet. *Primum enim cælum, & prima terra abiit.* Illa ſcilicet omnia, quæ corrupta, & à priſtina pulchritudine deformata fuerant. *Et mare iam non eſt:* Quoniam omni amaritudine fugata, talis tunc erit, qualis in principio creatus eſt mundus. Neque exinde maris huius amaritudines, & mundi huius procelloſas tempeſtates ſancti Dei ſuſtinebunt. Verum enim in gaudio & exultatione ſimul cum Chriſto ſine fine regnabunt.

Et ego Ioannes vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Ego inquit, Ioannes, vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, nouam deſcendentem de cælo. Non illam quidem, quæ prius à Chaldæis, deinde à Romanis vſque ad fundamenta deſtructa, ſicut Dominus ait, *non remanſit in ea lapis ſuper lapidem,* ſed illam nouam, de qua Apoſtolus ait: *Illa autem; Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Hæc enim noua eſt, quia nouum hominem imitata, in nouitate vitæ ſtuduit ambulare, quæ quidem, ſecundum maiorem & potiorem partem in cælo eſt, ibi enim Angeli ſunt, animæque ſanctorum. Ideo deſcendere dicitur. Talem ergo B. Ioannes hanc ciuitatem deſcendere vidit, qualis à Deo præparata, ſimul cum eo in iudicio deſcendet. Et ideo ſubinferens ait: *A Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Hæc eſt enim illa & illius ſponſi nobiliſſimi nobiliſſima ſponſa, cuius laudes in Canticis Canticorum, tam eleganter & ſuauiter reſonant. De qua & B. Ioannes præcurſor Domini ait; *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.* Et Apoſtolus; *Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et Pſalmiſta; *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Quales ergo eam ornatus habituram putamus, quæ tanti viri ſponſa? Quos clientes quales pediſſequas ſecum ducet, quæ tanto talique Regi eſt præſentanda? O nuptiæ inenarrabiles, ô diuitiæ inæſtimabiles, ô deliciæ inenarrabiles, quando in cæleſti thalamo ſponſæ ſuæ, matri noſtræ fœcundiſſimæ, ſemper tamen virgini, & incorruptæ, ſanctæ videlicet Eccleſiæ, Chriſtus Dominus noſter, amoris & dilectionis caſtis amplexibus coniungetur: O vere ſemperque *beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt,* vbi ipſe Deus, vbi ipſa æterni luminis contemplatio, potus eſt & cibus, ſummaque refectio. Sequitur.

Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, decet enim multumque conuenit, vt in tali conuiuio, tantiſque nuptiis cantores ſint atque cantatrices, qui & animos mulceant, & fatigatos recreent, de præteritis conſolentur, & de futuris lætos faciant auditores, altiſone canunt, magnas voces depromunt, quales de throno Dei exire conſueuerant; Non enim ipſi ſunt, qui loquuntur, ſed ſpiritus ſanctus, qui loquitur, & cantat in eis. Sed iam nunc Dei cantores, & vt ita dixerim, ioculatores, quid vel qualiter cantent, audiamus; Ecce, inquit, tabernaculum, Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, Dei domus, Dei tabernaculum, Dei ſecretarium, Dei omnis habitatio, quæ prius cum Angelis erat, nunc cum hominibus eſt: amodo cum eis Deus habitabit, amodo inter eos & cum eis regnabit, & ipſi populus eius erunt, ei ſeruient, eique ſubiicientur, nulli tributa ſoluent, nulli veſtigalia dabunt, ſed ſolius populus Dei erunt, & ipſe Deus cum eis & in eis habitans, ipſe inquam &, non alius erit eorum Deus. Sequitur.

Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus neque clamor erit vltra, quia prima abierunt. Et abſterget Deus, inquiunt illi qui cantant, omnem lacrymam ab oculis eorum, quatenus nulla in eis triſtitiæ veſtigia appareant. Et mors vltra non erit, quia ſimul cum principe ſuo diabolo, in tenebras ſubmerſa, ad eos quidem aſpirare nec audebit, in quibus nihil erit, quod vel corrumpi vel mori poſſit. Neque luctus, vt quid enim lugeant, qui bonis omnibus ſemper abundantes, immortales & impaſſibiles effecti, æterna cum Angelis beatitudine perfruentur. Neque clamor, id eſt, inimicorum perturbatio, incurſus, & inuaſio. Neque dolor erit vltra, vbi enim dolor, ibi corruptio, non ergo dolebunt, qui incorruptibiles erunt. Vnde hoc? Quia quæ prima abierunt, illa videlicet, quæ tribulatione & anguſtia, languore & triſtitia, clamoribus & rapina, doloribus & infirmitate, ærumna & lacrymis plena erant, hucuſque Cantores.

Et dixit, qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera, & dixit mihi, factum eſt: Ego ſum alpha & omega primus & nouiſſimus, initium & finis: Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Finita namque ſuperiori locutione, iam non ſedes Dei, ſed Deus ipſe per ſe loquitur dicens; Ecce noua facio omnia, magna ergo fides Sanctorum verbis eſt adhibenda, de his, quæ ipſi dicunt, nullatenus eſt dubitandum. Dicunt ipſi, quæ prima abierunt, dicit Chriſtus: Ecce noua facio omnia. Vide ergo, quoniam quæ illi dicunt, Chriſtus confirmat. Inſuper & ſcribere præcipit, veraque & fide plena omnia verba eſſe teſtatur, vt tanto hæc firmius credant, quanto eius promiſſiones, non ſolum verbis, verum etiam ſcriptis chartiſque firmantur. Sequitur, *Et dixit mihi Factum eſt,* quid eſt enim quod factum eſſe dicit? hoc fortaſſe, quod ſcribere præcipit, *ſpiritus* enim *omnia firmatur,* vnde & noſtrum intellectum multo melius, quam nos ipſi, cognoſci. Poſſumus autem & in eo, quod dicitur, *Factum eſt,* omnia, quæ à Prophetis prænunciata fuerant, iam finem accepiſſe & completa eſſe, intelligere. Vnde & ſubditur. *Ego ſum alpha & omega primus & nouiſſimus, initium & finis,* à me prodierunt, ad me cuncta redeunt: diuiſi quando volui, nunc colligo quia volo, & quæ vſque modo currere permiſi, nunc ſtare, curſumque finire præcipio, ſed audiant hoc, qui me dilexerunt, qui mundum oderunt, qui ad me ſitibundi venerunt, & cum Propheta dixerunt: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis, hoc eſt enim, quod eos audire volebam, ſed quis eſt fons iſte aquæ vitæ? ille vtique de quo Pſalmiſta ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos,* quoniam ipſe eſt fons vitæ, de hoc enim qui biberit, non ſitiet vltra & quod maius eſt, non morietur in æternum, per quod Dei contemplationem intelligimus, quam qui haurire poterit, omni, dulcedine, omnique ſuauitate perfructur, hæc autem aqua gratis datur, hæc ſola Dei bonitate adipiſcitur, quia nullum pretium eſt, quo emi poſſit.

Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ipſe erit mihi filius: Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti: igne & ſulphure, quæ eſt mors ſecunda. Qui, inquit, diaboli ſtimulos, carnis tentationes, tyrannorum perſecutiones, mundi illecebras, falſaſque hæreticorum perſuaſiones vicerit, poſſidebit hæc, quæ ſuperius dicta ſunt. Et ero illi Deus, & ipſe erit mihi filius, cuius enim niſi filiorum, hæreditates eſſe debent & poſ-

feſſiones: Timidis autem qui Deum præ timore negant, quique charitatem non habent, ſiquidem *perfecta charitas foras mittit timorem.* Et incredulis, qui ſanctorum verbis credere nolunt. Et execratis, qui Eccleſiæ ſacramenta non receperunt. Et homicidis & fornicatoribus, & omnibus mendacibus, qui ſerio mentientes, ſemper vt alios decipiant, elaborant, his inquam omnibus, ſi in malo perſeuerauerint, & pœnitentiam non egerint, pars illorum erit in ſtagno, vbi ignis ardet & ſulphur. Quæ vtique eſt mors ſecunda. quæ quia in anima, fit, & in carne iam reſuſcitata, ideo nunquam finem habebit. Cogimur autem inæquales ſcribere libros quoniam viſiones permiſcere nolumus, & continuationem interrumpere.

Explicit Liber Sextus.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

E*T venit vnus de ſeptem Angelis, habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, & locutus eſt mecum dicens. Veni oſtendam tibi ſponſam vxorem agni, & ſuſtulit me in ſpiritu, in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo a Deo habentem claritatem Dei, lumen eius ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidi Iaſpidi, ſicut criſtallus.* De his ſeptem Angelis multa ſuperius locuti ſumus: Hi enim ſunt ſeptem Eccleſiæ Doctores, à quibus omnium ſcripturarum ſacramenta panduntur, etſi reuera Angeli intelligi poſſint, ſi quidem Angelorum miniſterio ſcripturæ ipſæ compoſitæ ſunt, ſicut & de ipſa Moſaica lege dicitur: *Quod ſit ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Sciendum autem quod B. Ioannes totius Eccleſiæ perſonam tenet, ideoque quod Eccleſiæ reuelatur, ſibi dicit eſſe oſtenſum. Veni, inquit, ſequere me, eleuare, in ſpiritu, & oſtendam tibi, quod carneis oculis videri non poteſt, ſponſam videlicet, vxorem Agni: ſponſam quidem, ante nuptias, vxorem vero. poſt nuptias vocare ſolemus, hic vtrumque ponit, & vxorem & ſponſam quaſi iam dies aduenerit, in quo nuptiæ ſunt celebrandæ. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum. & altum, per quem extaſim & mentis exceſſum intelligimus In quem nullis aliis, quam ſpiritualibus pedibus aſcendere poſſumus. Et oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, id eſt, omnium ſanctorum Eccleſiam, & cunctorum fidelium multitudinem. Deſcendentem de cœlo à Deo, inde enim deſcendere videtur, vbi ſemper eſt per mentis contemplationem. Habentem claritatem Dei, *fulgebunt* enim *ſicut ſol in Regno Dei.* Vnde & alibi B. Ioannes ait. *Scimus enim quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Lumen eius ſimile lapidi precioſo, tanquam lapidi Iaſpidi, ſicut criſtallus, lumen inquit, & claritas illius ciuitatis, ſimile eſt lapidi precioſo, ſed cui lapidi? ſequitur: Tanquam lapidi Iaſpidi, claro videlicet ſicut eſt criſtallus: Iaſpis enim ſerenus & viridis eſt: criſtallus autem tantæ claritatis, vt nihil in ea latere, vel abſcondi poſſit, viuit autem quod ſerenum & viride eſt, ſicut è contra vita caret quod ſiccum eſt. Merito ergo illa beatiſſima ciuitas Iaſpidi ſimilis eſt, quæ æternaliter viuit, & immortalis eſt. Quæ bene criſtallo comparatur, quia nihil hypocriſis & diſſimulationis habens talis eſt interius, qualis exterius apparet.

Et habebat murum magnum & altum, habens portas duodecim, & in portis Angulos duodecim, & nomina ſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël. Quid enim per murum magnum, & altum, niſi fidem Catholicam, & Angelorum præſidia intelligimus? quibus Dei ciuitas munita, omnium inimicorum machinamenta deſtruit. Duodecim vero portæ, duodecim Apoſtoli ſunt, quibus regni cœlorum claues, & ligandi, atque ſoluendi poteſtatem Dominus tribuit, per has enim omnium fidelium multitudo, cœleſte palatium ingreditur, quia eorum doctrina ingrediendi aditus & via monſtratur. Habet autem vnaquæque porta angulos duodecim, quia ita ſibi inuicem charitatis & dilectionis vinculo coniunctæ & vnitæ ſunt, vt hoc ſint omnes, quod vna, hoc ſit vna, quod omnes, ſi vna aperitur, nulla clauditur, ſi vna clauditur, nulla aperitur, vniuſcuiuſcunque doctrina, quaſi duodecim Angulis, ita duodecim Apoſtolorum teſtimonio roboratur. Quod autem nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël in porta ſcripta referuntur, hoc ſignificare videtur, quod eadem ſit vtriuſque teſtamenti doctrina, vbi enim duodecim filiorum Iacob, & duodecim diſcipulorum Chriſti ſimul nomina ſcripta leguntur, quid aliud quam vtriuſque teſtamenti fides, & doctrina vna eſſe monſtratur.

Ab Oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres, ab Auſtro portæ tres, ab occaſu portæ tres, & murus ciuitatis habens fundamenta duodecim & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum, & Agni. In trinitate diuiduntur portæ, vt vndecunque venientes, in ipſo numero ſtatim recognoſcant, quid profiteri debeant, & qua fide ſaluari poſſint Ad quatuor autem mundi climata portæ reſpiciunt, quia non Iudæorum Deus tantum, ſed, ſicut ipſe Dominus ait, omnes ád ſe venientes non eiiciet foras: ab oriente tamen illi venire intelligi poſſunt, qui in ipſa primæua ætate ad fidem conuerſi in Chriſti Eccleſia Domino militant, qui vero in adoleſcentia conuertuntur, per portas aquilonis ingrediuntur, maxime enim in hac ætate diabolus hominem decipit, quia plus cæteris hæc ætas vanitati ſubdita eſt, de qua etiam ipſe loquitur dicens: *Ponam ſedem meam ad aquilonem.* Vnde & ſapientiſſimus Salomon, ſibi difficile eſſe dicit, viam hominis cognoſcere in adoleſcentia ſua; neſcitur enim an ad bonum quandoque conuertatur, qui ſic omni vanitati ſtudere & operam dare videtur. Illi autem per auſtrales portas intrant, qui in iuuentute conuerſi, zelo fidei, & charitatis amore ſuccenduntur: hæc enim ætas cæteris firmior eſt, in qua Rex noſter de hoſte triumphauit. At vero illis ab occaſu portæ patent, qui in ſenectute pœnitere & Chriſto ſeruire incipiunt, ſi quidem ab ipſis quoque Philoſophis. occaſus vitæ, ſenectus definitur. Venerunt autem illi ab oriente, qui à prima mundi ætate vſque ad Babyloniorum tempora crediderũt: A tempore Nabucodonoſor vſque ad Chriſtum, omnes fideles per portas Aquilonis Dei ciuitatem ingreſſi ſunt: lege hiſtorias, & quantas in hoc ſpatio temporis calamitates ſancti viri ſuſtinuerint reperire poteris. A Chriſti vero tempore, de quo dicitur. *Deus ab auſtro veniet*, vſque ad Antichriſtum, Auſtrales portæ apertæ ſunt. Inde autem vſque ad finem, occaſus portæ aperientur, per quas quidem non modica multitudo ciuitatem ingredietur. Poſſumus autem & hoc dicere quod orientis & auſtri portæ in proſperis. Aquilonis vero & occaſus in aduerſis aperiantur. Quid vero duodecim fundamenta ipſius ciuitatis muri ſignificent. Ipſe ſtatim exponit, cum ſubiungit *Et in ipſis duodecim Apoſtolorum nomina, & agni*, lege ergo nomina, ſi vis cognoſcere fundamenta, omnis enim res ſuo nomine cognoſcitur. Sed quoniam etiam ipſorum fundamentorum Chriſtus eſt fundamentum, ideo addidit, *Et agni*, Vnde Apoſtolus eam dicit eſſe fundatam, *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.*

Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius & murum. Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo. Quid enim per menſuram, niſi Doctorum verba & prædicationem intelligimus? hac enim menſura vtebatur Apoſtolus, quando rogabat Deum dicens. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum,* quæ, quia arundo facile mouetur, ideo arundinea eſſe dicitur, ſemper enim verba in motu ſunt. At vero quia magna ſapientiæ & ſcientiæ luce ſanctorum verba refulgent, idcirco aurea eſſe memoratur. Hac ergo menſura Dei ciuitatem & portas eius & murum doctores metiuntur. Sed cuius menſuræ eam eſſe putamus, niſi ab

A ortu ſolis & occaſu, ab aquilone & mari: hanc enim ipſe Dominus ei deſignabat dicens. *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sic Pſalmiſta ait. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* hæc eſt ergo menſura ciuitatis. Metiamur & portas eius, ſi poſſumus, atque in vna videamus quantæ magnitudinis ſint & reliquæ. Magna porta B. Paulus, qui iam ab Ieruſalem vſque Illyricum prædicauerat, cum ſe in Hiſpaniam adhuc proficiſci velle dicebat, cuius portæ inferior pars terram tangit cum dicit. *Viri diligite vxores veſtras.* Itemque. *Vir vxori debitum reddat, ſimiliter & vxor viro.* Superius vero, quouſque extendatur, ipſe demonſtrat cum ait. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim ſiue in corpore ſiue extra corpus, neſcio Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum*, & ideo quidem tot millia hominum per hanc portam ingreſſi ſunt, & aſſiduè ingrediuntur, quoniam, ſicut ipſe ait cunctorum infirmitatibus condeſcendens, omnibus omnia factus eſt. B Sed quia murus fidem ſignificat, qua quidem defendimur & munimur, quanta eſt fides tantus & murus eſſe intelligatur. Denique tantum ſperat, quantum diligit, & è conuerſo tantum diligit quantum ſperat, vt per longitudinem, ſpem, per latitudinem vero charitatem intelligamus, eſt enim ſpes, longa expectatio futurorum, de charitate vero dicitur. *Latum mandatum tuum nimis.*

Et menſus eſt ciuitatem de arundine aurea, per ſtadia duodecim millia, longitudo, & latitudo & altitudo eius, æqualia ſunt, & menſus eſt murus eius centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli. Nam quia Apoſtoli duodecim ſunt, ideo & ciuitas duodecim millia ſtadiorum eſſe refertur, vnde vnamquamque portam mille ſtadia continere manifeſtum eſt, & eſt finitum pro infinito. Millenarius namque numerus, vt iam ſæpe diximus aliquando omnia, aliquando plura ſignificat, plura autem, vt in hoc loco. Et illud quod *poſt mille annos ſoluetur Sathanas.* Omnia, ſicut de ſanctis dicitur; quia *regnabunt cum Chriſto mille annis*, quod nihil eſt aliud quam omnibus annis. C Per ſtadia ergo duodecim millia, omnia mundi ſtadia intelliguntur. Quod autem longitudinem, & latitudinem, & altitudinem eius æqualia dicit, cœli ambitum iuxta litteram monſtrare videtur, quem quidem, ſicut & cætera, in pondere & numero factum eſſe non dubium eſt. Allegorice autem, de longitudine & latitudine eius ſuperius diximus, in quibus ſpem & charitatem ſignificauimus. Reſtat ergo vt de altitudine dicamus, per quam fidem intelligimus, quæ vſque ad thronum Dei ſe extollens, eum in Trinitate videt & credit & veneratur. Eccleſiæ ergo longitudo, & latitudo, & altitudo, æqualia ſunt, quia quantum ſperamus, tantum amamus & credimus: & quantum amamus, tantum credimus, & ſperamus, & quantum credimus, tantum ſperamus & amamus, qui enim vnam iſtarum virtutem habet, omnes habet, & qui vna caret, nullam habet. Sequitur. *Et menſus eſt murus ciuitatis centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis quæ eſt Angeli*, centenarius D etenim numerus, qui perfectus & integer eſt, & ex operibus perfectis conſtans, denis decadibus conſtituitur. Virginum & perfectorum ordinem ſignat: quadragenarius pœnitentes demonſtrat: quaternarius omnium fidelium multitudinem, qui per quatuor Euangeliſtas Chriſti doctrinam receperunt. Ergo quia præter hos neminem alium numerus iſte in ſe concludit, huius eſſe menſuræ non immerito dicitur. Quod autem ſubditur. *Menſura homini, quæ eſt Angeli*, ſic eſt intelligendum, vt vna eademque hominis Angelique menſura, ſit vt tot videlicet infra cœleſtis Ieruſalem muros ex hominibus colligantur, quot malis cadentibus, boni Angeli remanſerunt, ſed illico poſuit terminos gentium, ſecundum numerum Angelorum Dei, & eſt ſingulare pro plurali.

Et erat ſtructura muri eius ex lapide Iaſpide, ipſa vero ciuitas de auro mundo, ſimile vitro mundo, fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. Iaſpis, enim, E quia, vt iam ſæpe diximus viridis eſt, & quadam vi naturali Dæmonia fugare perhibetur, fidem deſignat, quæ ſemper viridis & immarceſcibilis eſt, & ſicut in Euangelio Dominus ait, montes, & dæmonia transfert & fugat, eſt ergo ſtructura & compoſitio muri ciuitatis ex lapide Iaſpide, quia omnis eius defenſio, & fortitudo, fides eſt, quæ eam ſemper & virere, & viuere facit: ſcilicet quod ſcriptum eſt, quia *iuſtus ex fide viuit*. At vero ipſa ciuitas eſt de auro mundo, quod ſimile eſt vitro mundo, quia ipſius ciuitatis domus, turres & palatia, ex illo metallo compoſita ſunt, quod cæteris omnibus charius & dignius eſt, per quod ſapientiam intelligimus, de qua dicitur. *Sapientia ædificauit ſibi domum*, ſed quam domum, niſi hanc nobiliſſimam ciuitatem? Nuſquam ergo in ea tenebræ, nuſquam cæcitatis ignorantiæque caligo; vbique aurum fulget, vbique ſapientiæ luce cuncta reſplendent, & ſe viciſſim omnes contemplantes, nihil in alicuius eſt conſcientia quod ab omnibus non videatur. Vnde & vitro mundo hoc aurum ſimile dicitur; aurum enim F etſi fulgeat, non tamen videtur, quod intra ſe habet, in vitro autem ſi mundum eſt, nihil eſt interius, quod exterius non appareat, merito ergo illius ciuitatis aurum mundo vitro ſimile perhibetur, ſiquidem omnia ibi clara & manifeſta erunt, nihil ibi obſcurum aut tenebroſum, nihil quod inſpicientium oculos offendere poſſit. Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. fundamenta quidem, vt iam diximus, Apoſtoli ſunt, ſuper quorum fidem totius ciuitatis omnis machina compoſita eſt. Sed quid lapides precioſi, quibus fundamenta ornantur? ſi enim precioſis lapidibus fundamenta ornantur, aliud fundamenta, aliud lapides ipſi pretioſi eſſe videntur, quod ſi aliud ſunt, quare & ipſi fundamenta dicuntur? Dicamus ergo, Apoſtolos eſſe fundamenta; lapides vero, quibus ornantur, virtutes & mores honeſtos. Cur autem & ipſi lapides fundamenta vocentur, & in ſequentibus declarabitur.

Fundamentum primum Iaſpis. ſecundum Saphyrus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus, quintum Sardius, G *ſeptimum Chryſolitus, octauum Berillus, nonum Topazius, decimum, Chryſopraſus, vndecimum Hyacinthus duodecimum Amethyſtus.* Quod enim ait, fundamentum primum Iaſpis, ſic reſoluitur ac ſi diceret, primum ornamentum fundamenti eſt Iaſpis: & merito quidem hoc ornamenti prius ponitur, quo vt ſuperius dictum eſt, fides ſignificatur, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, *Sancti* enim *per fidem vicerunt Regna*, hæc ad Eccleſiam venientibus prima occurrit, per hanc in prædictam ciuitatem, de qua adhuc quidem loquimur, intratur, quam qui non attulerit, in eam intrare non poterit: & nullo quidem lapide magis quam hoc, Dei ciuitatis ornantur fundamenta.

Secundum vero ornamentum fundamenti eſt *Saphyrus*, cuius color ſereno cœlo ſimilis eſt. Hoc ergo pretioſo lapide Apoſtoli ornati & decorati, terram deſpiciunt, cœleſtia concupiſcunt, *cupiunt diſſolui & eſſe cum Chriſto*: Et quia *in cœleſtibus regnis ſanctorum habitatio eſt*, non terrena lucra, ſed ſaphiros, quibus ornantur conſiderantes, illuc aſcendere, cuius in ſaphiro colorem contemplantur totis viribus anhelant. H

Tertium autem fundamenti ornamentum eſt, *Chalcedonius*. Qui ignis effigiem ſubpallidam quodammodo habens, in nubilo & in abſcondito fulgoris flammas amittit, palam autem, & ſub diuo parum quid ignei luminis dare videtur, hoc autem lapide ſancti Apoſtoli & Doctores, Eccleſiæ videlicet fundamenta ornati, etſi apud Deum magni ſint meriti, multumque refulgeant, inter homines tamen ignobiles, viles, humiles, & deſpectibiles ſeſe oſtendunt. Quo quidem lapide ipſe Saluator noſter ornatus erat, quando in ſecreto, tribus tantum diſcipulis teſtibus, plus ſole in claritate refulgens nolens hoc in manifeſto lucere, prohibuit dicens. *Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.*

Quartum vero fundamenti ornamentum eſt *Smaragdus*. Qui Iaſpide quidem viridior, herbarum quoque viriditatem ſua viriditate ſuperare videtur, ſignificat autem ſanctorum vitam, quæ quidem poſt carnis reſurrectio-

nem

A nem ſemper viridis erit, quod nihil in eis erit, quod ſiccari vel mori poſſit. Quamvis ergo Iaſpide ornati ſancti, per fidei meritum viriditatem & immortalitatem adepti ſunt tamen ſecundum incrementa virtutum, etiam ſmaragdis decorantur, vt quanto viridiores apparuerint, tanto immarceſſibilis immortaliſque vitæ digniores eſſe credantur. Merito ergo Iaſpidi Smaragdus, & viriditas additur viriditati, quia poſt hanc beatam vitam animarum, ſequitur reſuſcitatorum etiam vita corporum beatorum, vt duplici viriditate lætantes, & anima ſimul & corpore ſancti Dei ſine fine viuant.

Quintus autem in fundamentis ornamentum ponitur, *Sardonix*, cuius color igneus & rubeus eſt, & quaſi granum malorum granatorum clariſſimè rutilat, per quem charitas intelligitur, quæ dilectionis igne ſuccenſa, gratum cunctis ſe inſpicientibus præſtat fulgorem, quis enim in ea nó delectetur, ſine qua ceteræ virtutes, ipſumque martyrium nihil eſt, cuius flamma tanta eſt, vt ipſas B inferni flammas extinguere valeat. Vnde Salomon ait. *Quia fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum:* De quo igne Dominus ait. *Ignẽ veni mittere in terrã & quid volo niſi vt ardeat?* Hoc lapide quoque pretioſo ipſe ornatus erat cum diceret. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, cuius quidem laudibus omnes ſcripturæ plenæ ſunt.

Sextum vero fundamenti ornamentum eſt *Sardius*, qui quod ſanguinis colorem habet, apertiſſimè Martyrium ſignificat, quo lapide Saluatoris noſtri veſtimenta ornata erant, quando eo cœlos aſcendente, lapidis eius colorem Angeli admirati dixerunt. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, Tinctis veſtibus de Boſra?* in huius nimirum lapidis colore, omnium Martyrum chorus lætatur & gloriatur.

Septimum autem in fundamenti ornamentis *Chryſolytus* poſſidet locum, quia aureum habet colorem, ab auro ſuſcepit & nomen. Sed quia in Diuina pagina C aurum plerumque pro ſapientia ponitur, ſecundum illud: *Deſiderabilis theſaurus requieſcit in ore ſapientis:* ideo per hunc lapidem, ſapientiam intelligimus, qua qui ornatus non fuerit neſcio qua ratione Eccleſiæ fundamentum vel eſſe vel dici poſſit. Hoc autem lapide diſcipulos ſuos Chriſtus ornabat cum diceret: *Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.*

Octauus autem, eſt *Berillus*, cuius color ſimilis eſt aquæ coloris à ſole repercuſſæ, per quem ſinceram intelligentiam & ſanam doctrinam ſcripturarum intelligimus, quæ niſi à ſole iuſtitiæ illuminata fuerit, facilè erroris deformitate tenebreſcit, ſole ergo in aquis relucente, berilli color efficitur, quia Chriſto Domino noſtro ſcripturarum aquas illuſtrante, ſanus & ſincerus formatur intellectus. Si ergo ſolis huius fulgorem ſuper has aquas hæretici exſpectarent, tam fœtidam cæteris & coloris & ſaporis doctrinam non propinarent. Qui ergo D fundamentum huius lapidis colorem non habet, & ſuperædificari ſummopere cauendum eſt.

Nonus vero *Topazius* ad fundamentum decorandum ſuccedit, qui tam rarus eſt, vt ipſi quoque Reges admodum pauci difficile eum habere potuiſſent, vnde & cæteris charior eſſe perhibetur. Quod & Pſalmiſta demonſtrat dicens: *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Fertur autem, quod omnium lapidum in ſe colores habeat, duos tamen, id eſt, auri & cœli principaliter poſſidet, per quem, eos quidem ſignari putamus, qui non ſolum ſapientia & caſtitate, verum etiam cæteris omnibus virtutibus rutilare videntur, quales vtrumque Ioannem Baptiſtam ſcilicet, & Euangeliſtam, fuiſſe facilè crediderim, hoc autem tempore an tales topazij reperiri valeant, dubitari poteſt.

Decimus autem eſt *Cryſopraſus*, quia auri ſimul & flammæ colorem imitatur, præcipueque in tenebris ſui luminis iubar diffundit, quod nullos alios magis decorat & ornat, quam eos, qui & ſapientia fulgent, & charitate feruent, & inter mundi huius peccatores, doctrinæ, pariterque bonæ operationis, quaſi in tenebris lucem ci-

E cumquaque diffundentes, non ad fauorem vulgi, ſed ad ædificationem, ſalutis & fidei verba depromunt.

Vndecimus vero, in fundamenti pulchritudine *hyacinthus* ponitur: hic autem ſereniſſimi cœli habet colorem, qui etiam ſecundum tempora mutari perhibetur, ſignificat autem ſanctorum virorum diſcretionem, qui, quamvis mente & contemplatione quadam ſemper ad cœlum & ad thronum Dei oculos habeant, mutantur tamen pro tempore, & rigorem iuſtitiæ flectentes, minora mala conſentiunt, ne maiora & grauiora inde generentur. Quo lapide ornatus Apoſtolus Paulus, quamvis circumciſionem deſtruere niteretur, Timotheum tamen pro tempore circumcidi præcipit.

Duodecimus autem, eſt *Amethyſtus*, qui violatum colorem imitatur, ideoque Virginum Chriſti, puerorum & puellarum choros ſignificatur. Quo lapide Apoſtoli ornati, & ſuauiter redolent, & virginitatis amatores poſt ſe trahunt. Nam & in hoc, quod parum quid clari ru- F boris habere videtur, earundem virginum pudicam verecundiam demonſtrat. His ergo, cæteriſque lapidibus Dei ciuitatis fundamenta adornata, cæteriſque virtutibus decorata, quam clarè ſuauiterque reſplendeant quid attinet dicere: *Fulgebunt* enim *ſancti ſicut ſol in regno Dei.* Vnde & Apoſtolus. *Cum enim Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria.* Et B. Ioannes: *Scimus enim, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et hæc quidem de lapidibus dicta ſufficiant.

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. Si enim portæ, Apoſtoli ſunt, & portæ ex margaritis factæ ſunt, vtique & ipſi Apoſtoli margaritæ ſunt. Sed quare Apoſtoli margaritæ? niſi quia clari & candidi & ſuper niuem dealbati, in albis ſequuntur agnum quocunque ierit? In ipſis ergo portis facilè cognoſcere eſt, quales & illi eſſe debeant, qui per portas ingrediuntur: vt G enim in ſequentibus dicitur: *Non intrabit per has aliquis coinquinatus & immundus*, oportet ergo vt portarum colorem præferat, qui per has portas ingredi deſiderat.

Et platea ciuitatis, aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Aurum namque vt iam ſæpe diximus, ſapientia eſt, vbique ergo in plateis eſt aurum, quia nemo ibi fabulis vacat, nemo ibi otioſa & vana verba profert, ſed, ſicut ſcriptum eſt: *Sapientia clamitat in plateis.* Hoc autem ſapientia non qualiſcunque erit, immo perfecta & integra, vnde & vitro valde lucido aſſimilatur, de qua Sapientia Apoſtolus ait; *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum:* Cum ergo omnes omnia ſcient, & Deus erit omnia in omnibus, tunc omnes ciuitatis plateæ, pluſquam auro, ſapientia fulgebunt.

Et templum non vidi in ea. Dominus enim omnipotens templum illius eſt, & Agnus. Et ciuitas non eget ſole H *neque luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus.* Nullum ibi templum manufactum videtur, vbi non eſt neceſſe, vt ad verbum audiendum infra arcta templi populus colligatur: nam & Rex & Doctor illius ciuitatis talis tantuſque eſt, vt nullo templo includi aut comprehendi valeat: Dominus enim Deus omnipotens, Pater Filius & Spiritus Sanctus, templum illius eſt, & Agnus pro hominibus immolatus, qui tollit peccata mundi: Ad hoc templum fit concurſus populorum, ad hoc omnes ſpectant, huius pulchritudinem admirantur, huius odore reficiuntur. Non eget autem ciuitas illa, neque hoc ſole, quo nunc illuſtramur, neque hac luna, quam nunc creſcere minuique videmus. Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt Agnus, ille vtique qui ait: *Ego ſum lux mundi*, nullo ergo indiget, qui tanta talique luce illuſtratur.

Et ambulabunt gentes per lumen eius, & Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit

A *illic. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquis coinquinatus, faciens abominationem & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ & agni.* Omnes enim gentes Apoſtolorum doctrina illuminatæ ſunt, & de tenebris erroris ad viam veritatis adductæ, per quam viam incedere debeant, non ignorant. Reges autem terræ, Epiſcopi videlicet & Doctores, gloriam & honorem ſuum afferent in illam, qui eos, quos doctrina & exemplis conuerterunt, & à mortis periculo liberauerunt, ſecum ducentes, gloriam & honorem pro eis ſuſcipient. Et portæ eius non claudentur per diem, quia *melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia:* Quod ſi per diem non claudentur, nunquam vtique claudentur, nox enim & tenebræ non erunt illic, ſi ergo pro ſolo timore portæ clauduntur, vt quid ibi portæ clauduntur, vbi nullus timor, nullæque inſidiæ eſſe poſſunt. Vnde & Dominus ait; *Theſaurizate vobis theſauro in cælo vbi fures non effodiunt nec furantur.* Illuc autem omnem gloriam & honorem gentium ferent, quia quicquid vbique gentium B gloria & honore dignum reperitur, in illam ciuitatem ab Angelis deportabitur, quod quidem in Ægypti expoliatione ſignificatum eſt. Nec intrabit in eam aliquis coinquinatus, quia quicunque in eam intrat, aut baptiſmate, aut martyrio, aut pœnitentia, aut igne purgatorio, prius à cunctis ſordibus mundari oportet Faciens abominationem, id eſt peccata, quæ Deus abominatur. Et mendacium, quia *os, quod mentitur, occidit animam*, omnis namque corruptela mendacium dici poteſt, quod non pertinet ad veritatem naturæ, quam corrumpit, vnde & denarios, quamvis non mentiantur, quia tamen alio metallo corrupti ſunt, falſos vocamus. Soli ergo illi in hanc ciuitatem intrabunt; qui ab origine mundi ſcripti ſunt in libro vitæ & agni, vnus enim idemque & vita vocatur & agnus, qui de ſeipſo loquitur dicens: *Ego ſum via, veritas, & vita,*

CAPVT XXII.

ET oſtendit mihi flumen aquæ vitæ ſplendidum tanquam criſtallum, procedens de ſede Dei & agni. C Flumen enim aquæ vitæ, vtriuſque teſtamenti ſcientia intelligitur, hæc enim aqua dat vitam, & quaſi optimum antidotum, antiqui ſerpentis venenum expellit, quæ quidem tanquam criſtallum ſplendidum; nulla hæreſis nigredine vel corruptione fuſcatur. Procedit autem hæc aqua de ſede Dei & agni, quæ Chriſti ore eiuſque diſcipulorum Euangelica doctrina profertur, hanc autem ſapientiam loquimur inter perfectos. Et Pſalmiſta. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, & multa alia, quæ bene non ſolum hic in Eccleſia verum etiam in cœleſti Ieruſalem conſpiciuntur. Omne enim *datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.*

In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menſes ſingulos reddentia fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Hoc eſt autem illud lignum, quod ſecus decurſus aquarum plantatum eſt, fructumque ſuum reddit in tempore ſuo. De quo ſub ſpecie ſapientiæ Salomon loquitur di- D cens. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Vnde & ipſe Dominus. *Si in viridi,* inquit, *ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* De hoc autem ligno qui manducauerit mortem non guſtabit in æternum. Hoc autem lignum in medio plateæ, vbi concurſus fit populorum, vbi ſapientes philoſophantur, vbi ad nouũ aliquid audiendum omnes conueniunt. Et ex vtraque parte fluminis plantatum, fructus duodecim affert, nam quia vtrumque in ſe continet teſtamentum, ideo ex vtraque parte fluminum ſtare videtur, omnia namq; Paradiſi flumina de hoc ligno exeunt, omnis hinc ſapientię fons ſciẽtiæque procedit. Omnis enim *ſapientia à Deo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante æuum:* hoc autem lignum attulit 12. nobiliſſimos fructus, quibus totus ſanatus eſt mundus, *cœlum enim & terra tranſibunt*, vt ipſe ait *verba autem eius non tranſibunt.* Hæc autem folia gentibus dant ſalutem. Quia ſicut in euangelio ſcriptum eſt. *Si quis ſermonem eius ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.*

E *Et omne maledictum non erit amplius, & Sedes Dei, & agni in illa erit, & ſerui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius & nomen eius in frontibus eorum, & nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quia Dominus Deus illuminabit, & regnabit in ſæcula ſæc.* Non ſolum, inquit, perſecutiones, ſed & maledictiones ceſſabunt, non ſolum non erit, qui occidat, ſed nec apparebit vſquam, qui maledicat: inſuper & maledicti ſupra, non erunt, quia ſemper in igne erunt, & melius quidem eis erat non eſſe, quam ſic infeliciter eſſe. Sedes autem Dei & agni in illa erit, de quibus videlicet per Apoſtolum dicitur. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis?* Quamvis enim quidam Angeli ſpecialiter Throni dicantur, omnis tamen glorificata creatura, Sedes Dei dici poteſt. Et tunc quidem ſerui eius ſeruient illi, quando nihil erit, quod eos impedire valeat: illud ſeruitium acceptabile erit, quia nullam interpretationem habebit. Et videbunt faciem eius, de qua Pſalmiſta deſiderio plenus dicebat: *Oſtende nobis Domine faciem tuam, & ſalui erimus.* Et alibi: *Quærite Do-* F *minum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Et nomen eius in frontibus eorum, non enim occultatur, quod in fronte portatur: merito ergo eius nomen in fronte habere dicuntur, quem nunquam pro ſuppliciis & iniuriis confiteri timuerunt. Vnde & ipſe Dominus ait: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui eſt in cœlis:* Igitur ad triumphi & victoriæ gloriam & oſtenſionem, ſemper illud nomen in fronte habebunt, quod quia nominabant, multa mala ſuſtinuerunt: Et nox & tenebræ, tribulatio & perſecutio vltra non erit, & non egebit lumine lucernæ; neque lumine ſolis. Quare hoc? Quia Dominus Deus illuminabit illos, ipſe eorum ſol, ipſe eorum lumen, ipſe eorum ſplendor, ipſe eorum claritas erit, cum quo, & per quem regnabunt in ſæcula ſæculorum;

Et dixit mihi. Hæc verba fideliſſima, & vera ſunt: & Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito. Ecce venio velo- G *citer. beatus, qui cuſtodit verba prophetiæ huius libri.* Expoſitis omnibus quæ ad ciuitatem pertinere videbantur, ne quis fortaſſe incredulus ea, quæ mirati ſunt, vera eſſe dubitaret, idem ipſe Angelus, qui hæc oſtendebat, ſubdidit dicens: *Hæc verba fideliſſima, & vera ſunt*, nemo ergo de ea dubitare venit, ſed quæcunque de prædicta ciuitate, eiuſque ædificiis & beatitudine dicta ſunt indubitanter fideliterque credantur, neque enim ille mentiri potuit cuius inſpiratione omnis hæc reuelata, & ſcripta ſunt. Vnde & ſubditur: Et Dominus Deus ſpiritus Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito, vnde manifeſtum eſt, omnem hanc viſionem Angelico miniſterio eſſe conſcriptam. Quod autem ait. *Quæ oportet fieri cito*, ad infinitam æternitatis longitudinem reſpicit, ad quam comparata omnia mundana, quantumlibet temporis habeant, citiſſimè fugere, & præterire videntur. Et ne quis hæc cito fieri dubitare poſſit audiat etiam quid ipſe dicat, *Ecce*, inquit, *venio velociter;* verum eſt ergo quod dicitur, quæ oportet fieri cito, ſiquidem H Dominus Deus velociter veniet, eo enim veniente, quæcunque liber iſte loquitur complebuntur, Et tunc quidem beatus erit quicunque verba prophetiæ libri huius fideliter cuſtodit, & credit.

Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc, & poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat, & dixit mihi, Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſeruant verba libri huius, Deum adora. Ego, inquit, ſum Ioannes, qui audiui, & vidi hæc qui hæc teſtificor, & vera eſſe confirmo, & ne quis hæc vana ſomnia eſſe putet, ſtultorumque deliramenta, ſciat reuera, quia ego ſum Ioannes, qui audiui, & vidi hæc. Et poſtquam audiui, vidi hæc tanta bona tantæque felicitatis iudicia, confeſtim gaudio plenus cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat. Mos enim antiquitus, & vſque ad id temporis fuit, vt homines Angelos adorarent, quod ipſe quoque Patriarcha Abraham feciſſe legitur. Sed poſtquã

A Rex Angelorum, & Dominus, carnem ſuſcepit tremendum valde & horribile viſum eſt Angelis, vt ab eis adorari debuiſſent quorum ſupra ſe naturam ſedere conſpexerant. Vnde & B. Ioanni qui Angelum adorare volebat, ab Angelo dicitur. *Vide ne feceris.* Quid hic humana & ventoſa ſuperbia dicat, quæ tantum ſæpiſſime honoris, indebitæque ſubiectionis ab hominibus exigit, cum ipſos indebitum honorem Angelos ſibi fieri audiat prohibere? Conſeruus, inquit, Angelus; tuus ſum, & ego & tu vnum Dominum habemus, quem ego & tu adorare debemus: cõſeruus tuus ſum, & cæterorũ omnium fratrum tuorum prophetarum, qui eodem, quo & tu, ſpiritu replentur, & non Prophetarum, tantum, verum & eorum omnium, qui ſeruant verba libri huius, Deum ergo adora, quia ſic ſcriptum eſt. *Dominũ Deũ tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

Et dixit mihi: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius, tempus enim prope eſt. Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt: ſordeſcat adhuc, & iuſtus iuſtitiã faciat adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc. Putabat enim B. Ioannes B immo imperfectorum Eccleſia in perſona B. Ioannis, qui audierat Dominum dicentem. Ecce venio velociter, quod vita hæc præſens ſubito finiri, & Christus ad iudicium venire debuiſſet, vnde ſibi iam librum claudere, & ſignare volenti dicitur: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius ſint aperta & ſine ſigillo, vt ab omnibus audire volentibus legantur, & audiantur, tempus enim vt dixi prope eſt, quod poſt mille annos futurum eſt. Nam & Pſalmiſta ad Dominum loquitur dicens, *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam heſterna dies, quæ præterut* Et quaſi ipſe diceret: Vides Domine, quod ſi moram feceris, mali ſuperbient, & nocebunt, ſancti vero affligentur, & occidentur, ad quod ipſe: *Qui noceat nocet adhuc,* id eſt, qui nocere deſiderat, & de nocendi affectu pœnitere non vult, *noceat adhuc:* vt nocendo pereat, *& qui in ſordibus eſt,* & in peccatis delectatur, ſanctorumq; monitis vt pœniteat, obedire contemnit, *ſordeſcat adhuc.* Nihil ergo peius peccatoribus accidere poteſt, quam cum eis poteſtas datur vt ſuam compleant voluntatem quod quidem, quare C fiat, neminem puto ad plenum perſcrutari poſſe, occulta enim ſunt iudicia Dei, ſecundum illud. *Iudicia tua abyſſus multa. Et iuſtus iuſtitiam faciat adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Si ergo mali non eſſent, in quo vel ſanctorum, vel Dei iuſtitia exerceri poſſet?

Ecce venio velociter, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Ego ſum alpha, & omega, primus, & nouiſſimus, initium & finis. Ne, inquit, dolueris, ne graue tibi, vel aſperum videatur, quod librum claudere tibi & ſignare interdixi, quia non moram faciam, & in veritate velociter veniam, & ſi non fortaſſe tam cito ad iudicium, tamen ad vniuſcuiuſque animæ vocationem nõ diu morabor. Cum autem venero, gaudeant boni, timeant mali Quia merces mea mecum eſt. Sed quæ merces? vis audire quæ: Reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Sed ne fortaſſe aliquis hunc eſſe Angelum putaret, qui ſe ſuperius adorari prohibuit, quia in principio capituli huius quis loquatur non ponitur, ipſe Dominus, cuius verba hæc ſunt, reſpondet dicens. Ego ſum Alpha & Omega, D primus & nouiſſimus, initium & finis. Hæc iam autem ſuperius expoſita ſunt.

Beati qui lauãt ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas duodecim intrant ciuitatem. Foris autem canes, & venefici, & impudici & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat & facit mendacium. Beati, inquit illi ſoli erunt, qui ſtolas ſuas lauant in ſanguine agni, id eſt, Chriſti ſanguine redempti, & baptiſmatis vnda mundati, talia cuſtodiunt veſtimenta & corpora ſua, non qualia prius erant, ſed qualia à Deo mundata & purificata ea recipere meruerunt. Vnde ſcriptum eſt: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida* Et hi quidem poteſtatem habent in ligno vitæ, vt de eo videlicet, & ſumant & viuant, à quo quia primus homo prohibitus fuerat vſque ad Chriſtum, omne hominum genus morti ſuccubuit, quo quidem veniente atque dicente: *Niſi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis,* data eſt hominibus E licentia & poteſtas, vt iam nunc ad lignum vitæ ſecure accedant, ſi tamen munda & candida habeant veſtimenta: Alioquin *qui indigne manducat & bibit, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Et illi quidem, qui in ligno vitæ habent poteſtatem, per portas duodecim intrant in ciuitatem, quia non in hæreticorum, neque in ſuæ ſapientia confidentes, Apoſtolorum doctrinam tenent & credunt, per quam etiam ſaluari, & ſupernæ ciuitatis ianuam ingredi non dubitant. Foris autem ſunt canes, id eſt Iudæi, ſine cauſa latrantes. Et venefici, id eſt hæretici, qui venenoſa dogmata fingunt, quibus & animas interficiunt Et impudici, id eſt omnes fornicatores & adulteri. Et homicidæ, animæ ſcilicet vel corporis. Et idolis ſeruientes, inter quos, & auari ponuntur. Et omnis qui amat & facit mendacium multi enim mẽtiuntur, qui mendacium tamen non amant, & eum imitantur, qui in veritate non ſtetit, & à quo omne mendacium procedit.

Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum genus & radix Dauid, ſtella ſplendida, F *& matutina, & ſponſus, & ſponſa dicũnt. Veni, & qui audit, dicat, veni & qui ſitit veniat, qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* Quod enim ait. Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari non tibi ſingulariter, ſed vobis pluraliter dicta. Hæc in Eccleſiis non tantum B. Ioanni, ſed omnibus hæc eſſe dicta demonſtrat. Ipſum quoque B. Ioannem Angelum intelligere poſſumus, qui hæc in Eccleſiis teſtificari à Domino miſſus eſt, quis ergo ea non credat, per talem tantumque legatum Ieſus ipſe omnibus Eccleſiis mandat, & dicit: Sequitur. Ego ſum genus & radix Dauid, genus, quidem quia ab eo ſecundum carnem originem duco: radix autem, quia & Chriſtus de Dauid & Dauid de Chriſto, quaſi arbor de radice pullulauit. Et Chriſtus quidem de Dauid ſecũdum carnem, Dauid vero de Chriſto ſecundum Diuinitatem. Omnia enim *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Stella ſplendida & matutina, de hac enim ſtella ſcriptum eſt. *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſraël,* quæ quidem tam ſplendida eſt, vt etiam ipſi Soli lumen præbeat, quæ ſi ei G comparetur, lumen amittit. Eſt autem & matutina, illius videlicet, qui finem non habebit diei nuncia. Quod autem ſequitur: Et ſponſus, & ſponſa dicat veni, tale eſt ac ſi diceret: nulla amodo eſt excuſatio, omnes audiuerunt, ſpõſus & ſponſa: Chriſtus & Eccleſia quotidie dicunt, veni: ſponſi enim verba ſunt hæc. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam,* de ſponſa vero dicitur. *In omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum,* Et qui audit, dicat veni omnibus enim in loco prædicare conceditur, ſi enim omnes audiunt, & quicunque audiunt, dicunt veni, nemo eſt qui nõ prædicet. Nam & mulierem prædicare Apoſtolus docet cum dicit: *Saluatur enim vir infidelis per mulierem fidelem,* Nam etſi in Eccleſia non omnibus prædicare conceſſum ſit, vniſquiſque tamen prædicat dum & mala redarguit, & ad bene agendum aliquem inuitat, quod qui non facit in fraterna charitate ſe peccare non dubitet. Et qui doctrinam fidei & verba vitæ audire deſiderat, veniat, non erubeſcat, cum tot habeat inuitatores, neque de H pretio timeat, ſi forte pauper eſt, ſed ſecure & ſine hæſitatione veniens, aquam vitæ gratis accipiat. His autem ita diſpoſitis, quod liber iſte valde difficilis eſt, & diuerſis multiſque modis intelligi, & exponi poteſt, ne quis propter obſcuritatem; vt minus capaces facere ſolent, vana ſomnia eſſe dicat, vel ad ſuum volens flectere intellectum, praue eum, & contra fidem exponere conetur, conteſtatur B. Ioannes omneſque adiurat, ne contra ſuæ animæ ſalutem aliquis hoc agere Præſumat, & hoc eſt, quod dicitur.

Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri huius, Si quis appoſuerit ad hæc apponet Deus plagas ſuper illum, ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Conteſtor ego B. Ioannes, & teſtificor omni audienti verba prophetiæ libri huius, quod ſi quis officioſe, & malo ingenio (quod hæretici facere ſolent)

ſuper hæc prauam, & erroneam intelligentiam appoſuerit, Deus quoque apponet ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: E contra vero, ſi quis diminuerit de verbis prophetiæ libri huius, & ea, quæ Spiritus ſanctus locutus eſt vana & falſa eſſe confirmans, diminuere & delere tentauerit, firmiſſimè credat & nullatenus dubitet, quod Deus quoque cui tam importune aduetſari non timet, auferet partem eius, quam habiturus erat in ſanctorum conſortio, de libro vitæ, & de ciuitate ſancta Ieruſalem, cuius laudes ſuperius expoſitæ ſunt, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto, in quo omnis ſanctorum gloria laus, & honor & beatitudo continetur.

Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam, Amen. Venio cito. Sic enim qui teſtimonium perhibet iſtorum, quamuis B. Ioannes intelligi poſſit, qui etiam in euangelio ait. *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his & ſcripſit hæc*, competentius tamen Chriſtus intelligitur, quem eorum, quæ hic dicuntur, B. Ioannes teſtem eſſe confirmat, Qui etiam vt vera falſaque reuelet, & abſcondita tenebrarum illuminet, atque ſecundum opera ſua vnicuique tribuat ſubinferens ait. *Venio cito.* Cui promiſſioni beatus quoque Ioannes lætabundus reſpondet, dicens. *Veni Domine Ieſu*, tuum aduentum expectamus ſuſcipe nos in pace atque Angelorum image cohorti. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti*, qua gratis ex nullis præcedentibus meritis ſaluati ſumus, *ſit cum omnibus nobis.* Amen.

NOTA.

Omnes homiliæ S. Brunonis hic omiſſæ ſunt, quia iam reperiuntur in hac eadem Bibliotheca nempe ſæculo 5. part. 1. a pagina 686. vſque ad paginam 842. ſub nomine Euſebij Gallicani, his tribus ſequentibus exceptis, quæ ibidem non compareat, ſicut nec pars homiliæ de Paſſione Domini.

HOMILIA PRO DOMINICA IV. Aduentus.

Lectio S Euangelij ſecundum Lucam.

ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: Tetrarcha autem Galilea Herode; Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturea & Traconitidis regionis, & Liſania Abilina Tetrarcha, ſub principibus Sacerdotum Anna & Caipha. factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zacharia filium in deſerto. Et reliqua.

Quoniam quidem vt Dominus ait, *omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*, Iudæorum regni deſolationem & deſtructionem proximam iam tunc Euangeliſta monſtrabat, quando illud in tot partes diuiſum eſſe dicebat. Quo autem tempore Ioannes Baptiſta prædicare cœperit, deſcriptis terræ principibus diligentiſſimè oſtendit. Prædicabat autem Ioannes baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Hoc videlicet docens, & prædicans, quia niſi per baptiſmum & pœnitentiam non poſſet fieri remiſſio peccatorum. Prædicabat quidem, ſed non dibat. Docebat medicinam, ſed non ſanabat. Nondũ enim baptiſmi data fuerat forma; nondum Dominus dixerat, *ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hæc eſt forma baptiſtai, aliter baptiſmus non valet. Hanc autem formam ſibi Dominus reſeruauerat; hanc per ſe ipſum dare venerat, quia valde conueniens erat, vt vniuerſalis medicina per vniuerſalem medicum daretur. *Venit igitur Ioannes in omnem regionem Iordanis prædicans, ſed non tribuens baptiſmum pœnitentia in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ, vox clamantis in deſerto, parata viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Sic igitur faciebat Ioannes ſicut Eſaias de eo prædixerat, clamabat, prædicabat, baptiſmum & pœnitentiam docebat. Iſtæ enim ſunt illæ viæ per quas venitur ad Dominum & per quas venitur ad Dominum & per quas ad vos venit Dominus. Interrogatus enim Ioannes quis eſſet, reſpondit, *Ego vox clamantis in deſerto.* Vox enim erat Ioannes, quia verbum Chriſtus. Sicut enim vox præcedit verbum; ita, & Ioannes Chriſtum præceſſit: Statim enim vt ex ore loquentis ſonus qualiſcunque procedit, vox eſt; verbum tamen nondum eſt, quia omne verbum ſignificat aliquid; merito igitur vox dicitur Ioannes; merito Chriſtus verbum vocatur. Hæc autem vox in deſerto clamabat, quia impios & crudeles ad fidem vocabat, qui non hominem pietate, ſed feras, & belluas crudelitate imitabantur. Deſertum enim non eſt habitatio hominum, ſed ferarum. Talis erat mundus iſte, tales habitatores habebat, vnde Pſalmiſta ait: *In deſerto & in via & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* In deſerto itaque Ioannes prædicabat. Sed quid dicebat? *Parate viam Domini, & rectas facite ſemitas eius.* Tunc enim viam Domini paramus eiuſque ſemitas rectas facimus, ſi ea quæ agimus, non pro vana gloria, ſed ſincero affectu & caſto amore faciamus. De illis enim qui omnia opera ſua faciebant vt viderentur ab hominibus dicebat Dominus; *Amen dico vobis, quia receperunt mercede ſuam.* Hoc autem ideo, quia ibant per viam prauam & ſemitas tortuoſas. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Sed quid per valles niſi humiles, quid vero per colles, niſi ſuperbos intelligimus? Vallis igitur implebitur, & exaltabitur, quia humilis Sancti Spiritus gratiâ plenus ad cœleſtia ſublimabitur. Mons vero & collis humiliabitur, quia ſuperbus deprimetur, & in tenebris præcipitabitur. Vnde & ſubditur, *& erunt praua, in directa, & aſpera in vias planas.* Tunc enim, & praua dirigentur, & aſpera planabuntur, quia nulla ait ſuperbia, nulla poteſtas, nulla virtus, nulla altitudo quæ ſanctis reſiſtere valeat. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Non enim in primo aduentu Chriſtum Dominum vidit omnis caro. In ſecunda autem omnis oculus eum videbit. Sicut ipſe ait, *viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu & confitebitur omnis lingua.* De hoc autem ſalutari, Patriarcha Iacob ſpiritu Dei plenus, cum filios benediceret ait; *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro; ſalutare tuum expectabo Domine.* Hoc autem tale fuit, ac ſi diceret; Scio Domine, quia filij mei, progenies mea, ſuâ prauitate decepta Antichriſtum expectabit: Ego autem ſalutare tuum Ieſum Chriſtum filium tuum expectabo Domine. De tribu namque Dan, orietur Antichriſtus, quem Iudæi expectant; & Meſſiam vocant. Ipſe autem erit coluber in via & ceraſtes in ſemita, quia omnibus in via mandatorum Dei currentibus, & ad patriam feſtinantibus inſidiabitur, vt eorum itinera impedire valeat. Omnes enim in via ſumus, omnes ad patriam redimus, quia non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Tanta eſt via, quanta eſt & vita. In hac ergo via multum vobis cauendum eſt, ne ille ſerpens nobis occurrat, ſuoque veneno nos inficiat. De quo ſcriptum eſt, *Trahet draco caudam & ſeparabit tertiam partem ſtellarum cæli.* Ceraſtes autem cornutus interpretatur; hæc enim beſtia, & hic draco decem cornua habere deſcribitur, per quæ omnes mundi huius iniquos reges & principes intelligimus. Omnes enim in eius exercitu connumerabuntur, & quicunque eius facta imitantur vel imitabuntur. Vnde & per beatum Iob dicitur; *quia poſt ſe omnem hominem trahit & ante ſe innumerabiles.* Quibus verbis manifeſtè oſtenditur, quia multi in eius exercitu computabuntur, qui eum corporaliter non viderunt, ſi quidem & eos trahet, qui fuerunt ante ſe, & eos qui erunt poſt ſe. Sequitur, *mordens vngulam equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Sed quid per equum, niſi hunc mundum intelligimus? quid vero per aſcenſorem, niſi reges omneſque potentes, qui ei præſident ſuique moderaminis frenis eum regunt, & ad ſuam voluntatem conuertunt? Vngula vero equi vltima pars mundi intel-

ligitur;

ligitur; quoniam vltima pars corporis vngula eſt. Hunc igitur equum iam fugientem & pone curſum ſuiientem &, (vt ita dixerim) pedem trahentem, & ſolam vngulam, id eſt extremam ſui partem oſtendentem, mordebit ceraſtes, id eſt Antichriſtus, & hic ſui veneni corruptione inficiet vt & ipſe pereat, & eius aſcenſores retrorſum cadentes intereant. Tanta enim erit eius deceptio, tam fraudulenta, & venenoſa perſuaſio, vt in errores inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Hanc autem beſtiam expectant Iudæi, hanc peſtem expectant Scribæ & Phariſæi; neque attendunt Iacob Patrem prophetantem, neque intelligunt eum benedicentem, atque dicentem, *ſalutare tuum exſpectabo Domine.*

HOMILIA PRO FERIA SECVNDA poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Hieroſolymam Ieſus & inuenit in templo vendentes boues & oues. Et reliqua.

Hæc quidem in Matthæo expoſita ſunt quæ alij Euangeliſtæ Dominum tunc feciſſe narrant, quando ſuper pullum Aſinæ ſedens Hieroſolymam venit. Vnde manifeſtum eſt beatum Ioannem hiſtoriæ ordinem non vbique tenere. *Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Reſpondit Ieſus, & dixit eis; *ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem Iudæi non intelligentes & de templo lapideo & manufacto eum loqui putantes dixerunt: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Ille autem, inquit Euangeliſta, dicebat de templo corporis ſui, quod Iudæi per crucis tormentum illis diebus erant ſoluturi. Non maius tamen miraculum erat templum illud in tribus diebus reædificare, quam ſe ipſum poſt mortem die tertia reſuſcitare. Qui enim vnâ die, vt Moyſes ſcribit, cœlum & terram creauit, facile ei erat vnam domum in tribus diebus reædificare. *Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat.* In quo apparet ipſos quoque Chriſti diſcipulos hoc verbum non intellexiſſe; *& crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Ieſus.* Crediderunt, inquit, ſcripturæ Prophetarum de Chriſti reſurrectione loquenti, crediderunt & huic ſermoni Ieſu de ſua reſurrectione Prophetanti. Chriſti ergo reſurrectio fuit cauſa quod ſcripturæ Prophetarum, & ſermoni Ieſu Apoſtoli crediderunt. *Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto multi crediderunt in nomine eius videntes ſigna, quæ faciebat.* Ecce iterum Euangeliſta loquendi ordinem mutare videtur, vt non de illo Paſcha loquatur, de quo vſque modo locutus eſt. Illo enim Paſchâ, quo Dominus crucifixus eſt, nec multa ſigna eum feciſſe, nec multos in eum crediditſſe, ſed ipſos quoque Apoſtolos dubitaſſe legimus. Conſtat igitur, quia aut de alio Paſcha loquitur, aut non ſemel tantum vendentes, & ementes de templo Dominus eiecit. Sequitur. *Ipſe autem Ieſus non credebat ſe ipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine, ipſe autem ſciebat quid eſſet in homine.* Si enim de illis intelligitur qui crediderunt in nomine eius, inconueniens eſſe videtur, vt Ieſus non credebat ſemetipſum eis. De aliis igitur hoc intelligatur. Quodammodo ſe ipſum Ieſus, & credebat eis & non credebat eis. Credebat enim ſemetipſum eis, quia cum eis conuerſabatur, & eis quotidie & in ſinagogis, & in templo prædicabat. Sed non credebat ſemetipſum eis, & non credebat ſe ipſum ſecurè, & abſque illorum inſidiis eſſe apud eos. Quare hoc? eo quod ipſe noſſet omnes & quia ſciebat quid fraudis & iniquitatis eſſet in vnoquoque homine.

PARS QVÆ DESIDERATVR Homiliæ de Paſſione Domini, ſupra ſæculo quinto, parte prima pagina 750. edita ſub nomine Euſebij Gallicani, cum re vera ſit Brunonis Aſtenſis.

POſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt ſibi veſtimenta eius ſortem mittentes, vt adimpleretur quod ſcriptum eſt per Prophetam dicentem, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Hæc autem melior veſtis, quæ non ſcinditur nec diuiditur, ſed ſorte datur; ſanctam Eccleſiam ſignificat, non habentem maculam neque rugam vel aliquid huiuſmodi. *Et ſedentes ſeruabant eum, & poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hunc autem titulum Hebraicè, Græcè & Latinè alius Euangeliſta ſcriptum narrat, vt omnis lingua vel legendo confiteatur, quod Iudæi credere & confiteri nolunt. *Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum a dextris & vnum a ſiniſtris.* In hoc quoque illud completum eſſe videtur, & inter iniquos deputatus eſt, vt &, in medio duorum animalium innoteſceris. *Et prætereuntes blaſphemabant eum mouentes capita ſua, & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei & in triduo illud reædificas.* Quaſi inſani capita mouent, Chriſto illudunt, & motu & voce inſultant ei dicentes. *Salua te metipſum, ſi filius Dei es deſcende de cruce.* Sic enim & magiſter eorum diabolus dicebat, ſi filius Dei es mitte te deorſum. Non enim maius eſt de cruce deſcendere quam mortuos ſuſcitare; non maius eſt dicere deſcende, quam à mortuis reſurge; hoc autem fecit Ieſus. Cur ergo non credunt Iudæi eum eſſe filium Dei? Hæc enim verba non ex ſe, ſed Diaboli afflatu dicebant Iudæi. Iam enim ſe Diabolus vinci ſentiebat, & crucis veritatem ferre non poterat & idcirco Chriſti Paſſionem impedire conabatur. *Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant, alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere, ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce & credimus ei; Confidit in Deum liberet eum nunc ſi vult, dixit enim Dei filius ſum. Id ipſum autem latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* Idem dicunt omnes, quia eodem ſpiritu loquuntur omnes, promittunt ſe credere, ſi de cruce deſcendiſſet: Et ſi de cruce deſcendiſſet, vos à morte non liberaſſet. Vnde mors in vita. Per lignum mors venit, per lignum vita redit. Ideoque Dominus de cœlis deſcendere voluit, quia mundum per crucem redimere voluit. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Vbique tenebræ fiunt ſole iuſtitiæ obeunte. Sicut enim eo naſcente illuminatus eſt mundus, & populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam, ita eo moriente obſcuratus eſt, & ignorantiæ tenebris in tormentis obuolutus eſt, quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël. Quo viſo mirando alter latronum credidit, & cum prius eum cum ſocio deſpexiſſet, poſtea illum defendere cœpit, dicens alteri vt alias Euangeliſta refert, *neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.* Sic igitur prius ambo poſtea alter & non ambo improperabant ei. *Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna dicens, Heli, Heli Lamaſabathani, hoc Deus meus Deus vt quid dereliquiſti me?* Homo eſt qui loquitur, & quod ſe derelictum dicit, corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, ſecundum quoſdam, à Deo derelictum dolet: ipſe enim ſecundum ſe nunquam à Deo derelinquitur. Nemo enim derelinquitur a Deo niſi ille qui peccet; quoties enim peccamus, toties à Domino derelinquimur. Hoc enim

Dominus ipſe ſignificat, cum mox in eodem pſalmo ſubinferens ait, *longè à ſalute mea*, ſubauditur ſunt hæc verba: cuius ergo ſunt? vis audire cuius, *verba deliĉtorum meorum*. Ac ſi dicat, hæc verba ego non dixiſſem, niſi pro deliĉtis meorum fidelium doluiſſem. Doleo autem quos tam dura & amarâ morte Deo reconcilio, propter peccata, quæ agunt ideo à Deo derelinquuntur, & ad mortem tendere video. *Quidam autem illic ſtantes & audientes dicebant, Heliam vocat eſſe*, non omnes, ſed quidam hoc dicebant, illi ſcilicet qui hæc verba non intelligebant. *Et continuo currens vnus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto. & impoſuit arundini & dabat ei bibere.* Continuo inquit, vt Dominus dixit, *ſitio*, ſicut Ioannes Euangeliſta ſcribit, *currens vnus ex eis, impleuit ſpongiam aceto & dabat ei bibere.* Non enim acetum, ſed fidem Chriſtus ſitiebat, ſynagoga tamen hoc dabat quod habebat; Quid enim acetum niſi eorum doctrina amara, acetoſa, erronea & venenoſa? Quid vero ſpongia, niſi eorum corda fraudulenta & latebroſa? At vero arundo cum qua ſcribitur, ipſa ſcriptura intelligitur. Quid illud factum ſignificauit, niſi quod ſynagoga prauam doctrinam & hæreticam potionem vſque hodie cogitare & ſcribere contra Chriſtum, loqui & effundere non ceſſat. Alij vero dicebant, *ſine videamus an veniat Helias liberans eum.* Hoc illi dicebant qui non intellexerant quid Chriſti verba ſignificarent, quibus modo ſuperius dixerat Heli, Heli. *Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum.* In poteſtate enim habebat & viuere & mori ſicut volebat. Vnde & alibi ait, nemo tollit à me animam meam, ſed ego pono eam & iterum ſumo eam. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerunt multis.* Voce Chriſti mouentur elementa, & ſimul cum eo vult diſſolui atque finiri omnis creatura, velum templi ſcinditur, apparent ſancta ſanctorum, & ſublato velamine litteræ reuelantur fundamenta ſcripturarum. Mouetur terra, ſcinduntur Petræ, vt quia Iudæi in ſua infidelitate immobiles perſtitere, Gentiles ab infidelitate moueantur & ad fidem currant & ad doctrinæ Euangelicæ pluuiam hauriendam corda prius dura & lapidea aperiant. Corpora vero quæ reſurgunt, veram Chriſti reſurrectionem teſtantur. *Centurio autem & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant timuerunt valdè dicentes, verè Dei filius erat homo iſte.* Gentiles credunt, & Iudæi pereunt, dicunt Iudæi, ſecundum legem debet mori quia filium Dei ſe fecit, dicunt Gentiles, verè Dei filius erat iſte. Magnus homo iſte qui Ieſum morientem cuſtodit. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater & mater filiorum Zebedæi.* Iſtæ enim mulieres, quæ Chriſtum pro amore ſecutæ fuerant, etiam in morte eum non relinquebant. Hæc eſt illa Maria Magdalena de qua Dominus eiecerat ſeptem dæmonia; illa vero altera Maria matertera eius fuit ac ſoror matris eius. *Cum ſero autem factum eſſet*, &c.

Reliqua reperiuntur eodem ſæculo quinto, parte prima, pagina 750.

HOMILIA IN SANCTOS duodecim Fratres. *

* Vide notas Baronij in Martyrolog. die 1. Sept.

NOn ſolum omnia beatus Petrus Apoſtolus reliquerat, quæ habebat, ſed ea quoque quæ habere poterat, vt vlterius in hoc mundo nihil proprium poſſideret, nihilque deſideraret. Et maius quidem eſt habendi voluntatem quàm ipſum habere dimittere. *Ieſus autem dixit illis, Amen dico vobis quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Duo Petrus propoſuerat, ſed alterum Chriſtus aſſumpſit, non enim dixit, vos qui reliquiſtis omnia, ſed quid? vos qui ſecuti eſtis me, omnia enim dereliquit qui perfectè ſequitur Ieſum, ſufficiens enim fuit alterum dicere, quia vtraque in vno continebantur. *Vos*, inquit, *qui ſecuti eſtis me*, qui mecum per eandem viam inceditis, qui ad cœleſtia feſtinatis, qui terrena cuncta deſpicitis, qui iuſtitiam & veritatem, pacem & miſericordiam diligitis, *ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Sedebunt itaque Apoſtoli ſuper ſedes duodecim, ſedebunt & ſancti, quorum ſolemnia celebramus, ſedebunt & alij ſuper ſedes ſuas, qui eorum exemplo vixerunt, & Chriſtum Dominum ſecuti ſunt; Plures enim ſunt ibi ſedes quam duodecim, pluresque iudices ibi erunt. Sed quæ ſunt iſtæ ſedes, ſuper quas iſti iudices ſedent? Iſtæ enim ſedes ſingulæ Eccleſiæ ſunt; vnde & Epiſcopi Eccleſias quibus præſunt, ſedes ſuas vocare conſueuerunt. Sedebit igitur vnuſquiſque in ſede ſua, quoniam in populo quem rexit & prædicauit, maior & ſublimior apparebit. Sedebit autem & Dominus in ſede maieſtatis ſuæ, quoniam Angelis & hominibus præſidebit. Iudicabit igitur Dominus, iudicabunt & Apoſtoli, iudicabunt & ſancti Martyres, iudicabunt Epiſcopi & Sacerdotes iuxta illud: *Iudicabunt nationes & dominabuntur populis.* Omnes iſti iudicabunt, quorum exemplo cæteri dominabuntur, quoniam Regina Auſtri & Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta & condemnabunt eam. *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, aut Patrem aut matrem aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitã æternam poſſidebit.*

Beatiſſimi igitur germani duodecim vt ſe horas diei illius eſſe oſtenderent, qui de ſe ipſo diſcipulis in Euangelio proteſtatur, *nonne duodecim horæ ſunt diei*, multa mirabilia ad glebas ſuorum corporum, operante Domino oſtendere & demonſtrare non deſinunt, vſque ad præſentem diem. Nunc igitur fratres chariſſimi ad nos ipſos mentis lora flectamus, in cordibus veſtris ſedem iuſto iudici ſtatuamus, eamque iudicij & iuſtitiæ virtutibus adornemus, & ſic ſcire valebimus qualiter gratulari in tantæ feſtiuitatis gloria debeamus, nam licet nullus eſſe debeat huius patriæ finis vel angulus ab huius diei gaudio alienus, qua nobis tranſuectione ſuorum corporum tam præclara luminaria ſplendore, nos tamen præcipuè in ea exultare debemus, qui ſanctorum obſequiis deputamur, & tantarum Margaritarum fulgoribus illuſtramur. Enixius namque eſt nobis fratres chariſſimi elaborandum, vt qui in Eccleſia omnes conuenimus, ſanctorum duodecim fratrum ſolemnia celebraturi, ipſi quoque domus Dei efficiamur, & reliquiis bonorum actuum & nitidarum cogitationum, diem feſtum Domino peragamus, vt in cœleſti domo cum eis, & omnibus ſanctis perpetuò gratulemur. Quapropter ſi hoc cupimus adipiſci, virtutes duodecim in ara noſtrorum cordium recondamus: Fidem videlicet, ſpem, charitatem, ſapientiam, iuſtitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, caſtitatem, obedientiam, timorem, & in iſtis & in aliis virtutibus perſeuerantiam finalem. Ecce iſtæ ſunt ter quadrangulatæ virtutes, & inter ſe ordinatim coniunctæ, & quodammodo Germanæ, quæ ſi in nobis continuà ſtatione figuntur, corda noſtra & corpora in domum Dei conſeruare non ceſſant: Quadrum namque in quamcunque partem verteris, firma ſtatione conſiſtit. Numerum quoque duodenarium non niſi in bonam partem poteris inuenire, ſiue namque ter quatuor, ſiue quatuor ter facias, duodenarium numerum comples, qui plenus eſt atque perfectus. Quid autem per tres, niſi ſanctam intelligimus Trinitatem, & quid per quatuor, niſi Euangeliſtas, vel quatuor mundi accipimus partes. Iſti igitur Martyres dicuntur meridiani, quia in Africa quæ in meridie ſita eſt, oriri noſcuntur, & benè meridiani, quia Sancti ſpiritus igne

A ferventes in æſtu perſecutionis animas emiſerunt. Hi ergo Martyres glorioſi in meridie nati, & in occidente mille, vt ita dicam, tormentorum generibus excruciati atque pro Chriſto decapitati cum ipſo in cœlis gloriantur perenniter leaureati.

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Opuſcula.

TRACTATVS.

In Canticum Zachariæ.

B 1 Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Viſitauit per præconem, viſitauit per filium: prædictum per vtrumque fecit per alterum. Vterque ad baptiſmum populos vocauit: ſed alter ſolummodo plebem redemit, & in Spiritu Sancto baptizauit. Vnde & eidem Ioanni dicitur: *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.*

2 *Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.* Domus Dauid, Eccleſia eſt, populuſque fidelis & bellicoſus, cui nulli alij aduerſarij reſiſtere poſſunt. In hac autem cornu ſalutis Dominus erexit, Ioannem videlicet qui Chriſtum prædicando præceſſit. De hoc enim cornu ſalutis ipſe Dauid loquitur dicens: *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.* Ioannes igitur & cornu eſt, & lucerna. Cornu clamando, lucerna illuminando. Ipſe eſt enim vox clamantis in deſerto, ipſe lucerna ardens & lucens.

C 3 *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.* Sicut, inquit, per Prophetas prænunciatum audiuimus, ita modo in hoc puero fieri videmus quem nobis Dominus mandauit, vt faceret nobis ſalutem, atque vindictam.

4 *Ex inimicis noſtris:* & liberaret *de manu omnium, qui oderunt nos.* Hoc eſt enim quod ſuperius dixit, quia *conuertet corda patrum in filios, & incredibiles ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.*

5 *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.* Ad hoc, inquit, hoc noſtræ ſalutis cornu Dominus erexit, vt cum patribus noſtris miſericordiam faceret, & teſtamenti ſui non immemor.

6 *Iuſiurandum* adimpleret in nobis, *quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis.* In eo igitur quod in nobis teſtamentum & iuramentum compleuit, cum Patribus noſtris miſericordiam fecit. Hoc enim Dominus Abrahæ iurauit, dicens: *Semini tuo dabo terram hanc,* D per quam terram viuentium ſignificabat, quam non carnalibus, ſed ſpiritualibus eius filiis daturus erat.

7 *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.* Ideo inquit ex inimicis noſtris nobis Dominus ſalutem dedit, vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, per quos vitia, & malignos ſpiritus intelligimus, non illis ſeruiamus, ſed illi. Sed quomodo ſeruiamus?

8 *In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Aliter enim ſeruitia noſtra Deus non reſpicit, neque ſunt coram ipſo, niſi in ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus illi. Hoc autem non ad tempus, ſed *omnibus diebus noſtris.* Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

9 *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Non ſolum enim propheta, verum & pluſquam Propheta, vocatur Ioan- E nes, & hoc quidem non à quolibet, ſed ab ipſa veritate. Quod autem ante faciem Chriſti Domini Ioannes præceſſerit, parare vias eius, ipſe Dominus per prophetam loquitur dicens: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Vnde & idem ipſe Ioannes ait. *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Præiuit igitur ante faciem Domini. Sequitur.

10 *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.* Et hoc quidem faciebat cum diceret; *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.* Hæc autem bona data ſunt nobis.

11 *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quibus miſericordiæ, charitatiſque viſceribus ipſe Dei filius, *viſitauit nos oriens ex alto.*

12 *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent.* Secundum illud: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.*

F 13 *Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Illi enim pedes in viam pacis diriguntur, qui non ad bellum ſed ad pacem currunt. De quibus dicitur: *Beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.*

TRACTATVS.

De Incarnatione Domini, & eius Sepultura.

VErbum Dei, ſicut in principio in ſexta feria creauit hominem, ita in fine temporum, ſexta hora, ſextæ feriæ, ſextæ quoque ætatis, redemit eundem. Sed in hac præcipua & admirabili redemptione, quatuor eſſe conſideranda videntur: Quare filius Dei incarnatus ſit, & non alius: de requie ſepulturæ: quibus etiam auctoribus credatur ipſe deſcendiſſe in infernum, & quantum G ſpacii in ſepulchro iacuiſſe. Homo à Deo quaſi manè eſt conditus, quia retinens Dei ſimilitudinem veræ luci proximus videbatur. Poterat enim de propinquo Deum cernere, ſcilicet in ſe, & per ſe, nulla re extrinſecus interueniente. Sed & propinquitatem pariter & ſimilitudinem amiſit, dum ſe inobedientiæ malo ſubiecit. Solet enim Sol & humorem propinquus contrahere, & recedendo relaxare. Sic & verus ſol, id eſt, Dominus noſter, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* fragilitatem, id eſt, contagionem, quæ inhæret homini de limo terræ plaſmato, ſicut ſua præſentia deſiccauerat, ſic recedendo relaxarat. Vnde poſt culpam à Domino audire meruit: *Adam vbi es?* quaſi & longinquus propinquitate, & diuerſus ſimilitudine. Occiderat enim ei Sol iuſtitiæ, incumbente peccati nocte. Verum omnipotens & miſericors Deus, ne ad impotentiam, vel inſipientiam ſua facta redirent, quoniam ipſe vere potens & perfecte eſt ſapiens, Angelicum ordinem per malitiam lapſum, quoniam de homine iuſto iam reſtaurare H non poterat, de iniuſto, quod erat difficile, ſtabiliuit redimere. Igitur prius ipſum hominem à poteſtate diaboli eripere & ſic demum ipſam naturam Angelicam recuperare diſpoſuit, & hoc non ſine immolatione. Sed quia in vnoquoque ſacrificio, quatuor videntur conuenientia ſcilicet, cui offeratur, à quo, & quid, & pro quibus, in hoc quoque quod pro ſalute totius generis fieri oportebat, eadem competentia non immerito aderant. Nam ſi horum aliquid in qualibet immolatione defuerit, non ſolum idipſum ſacrificium non proderit, verum etiam ſæpiſſime obeſſe manifeſtatur: velut etiam in veteri teſtamento multoties declaratur. Cum Moyſes montem aſcenderet, & pro lege accipienda quadraginta diebus cum Domino loqueretur, ſuaque viſione iucundiſſime frueretur, Iſraëliticus populus non Deo, ſed conflatili vitulo ſacrificia immolabat, eique inſultans, ab ipſo Domino legitur percuſſus, & valida morte damnatus, tantum vt ex illo peccato amiſeri viginti tria millia homi-

A num. Quod denotat Pſalmiſta dicens. *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, &c.* Deinde ſequitur: *Et dixit vt diſperderet eos.* Propter peccatum enim illud à ſerpentibus ſunt diſperſi, Vnde diligentiſſimè hæc hoſtia, cui immolaretur, oportebat perſcrutari, Quicquid eſt, aut creator eſt, aut creatura. Videamus vtrum creatori, an creaturæ dignum fuerat immolari. Iuſtum vero & rationabile videtur & habetur ab omnibus, vt non creaturæ, ſed creatori oblatio debeatur. Reſtabat igitur vt cum magna diſpenſatione creatura creatori immolaret. Sed quoniam creaturarum magna eſt differentia, quia alia ſenſata, alia inſenſata creatura habetur; ſubtiliter penſandum eſt, ſi à ſenſata vel ab inſenſata offeretur hoc ſacrificium: quoniam ſæpiſſime accidit, vt ſi ſacrificium ab indigno oblatum fuerit reuera & ipſum ſacrificium non acceptum, & illum qui obtulerit inuenimus condemnatum. Sicut in Exodo legitur, Nadab & Abiron contra Dei voluntatem aduerſus Aaron & eius filios inſultaſſe, & ſacrificium in tabernaculo Dei B obtuliſſe, verum quoniam eidem ſacrificio indigni aderant aperta terra obruti ſunt, & illos, qui ibi aderant, ab igne deuoratos eſſe manifeſtatur. Sicut in pſalmo dicitur: *aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & aperuit ſuper Synagogam Abyron. Exarſit ignis in Synagoga eorum, & flamma combuſſit peccatores.* Quoniam idem ignis, quo peccata putabantur puniri, ab ara elatus ad iniuſtè immolantes peruenit, eoſque cremauit. Ergo indignum erat, vt ab inſenſata hoc ſacrificium offeretur. Reſtabat autem, vt à ſenſata immolatio fieret: ſed quia inter ſenſata plurimum diſtat, quoniam cum alia rationalis, alia irrationalis creatura habeatur, iterum videndum eſt, ſi ab irrationali creatura hoc ſacrificium offerri debeat. Sed incongruum & nimis abſurdum eſt ab irrationali pro rationali vt quid immolaretur. Conſtat ergo vt hæc immolatio ab rationali fiat. Verum quoniam adhuc & inter rationales diſtat plurimum, ſi ab Angelica creatura hæc immolatio fieri oporteret. Immolatio vero viſibilis, eſſe conſtat. Angeli autem inuiſibiles ſunt C verum viſibile aliquid nequit offerri ab inuiſibili. Conſtabat igitur, vt ab homine hæc fieret oblatio. Duabus autem partitionibus conſummatis, agendum eſt de reliquis, ſcilicet quid immolandum eſt, & pro quibus. In auctoritate vero compertum eſt, vt ſacrificium par, aut exuberans eſſe debeat, pro quo offertur, & hoc ſacrificium, quod, vt diximus aderat pro ſalute humani generis, æquale & non minus debebat offerre. Ergo inſenſatum excludendum eſt & irrationale, ſed rationale pro rationali condecens hoſtia aderat. Inter rationale vero, quoniam adhuc differt nimium, animaduertendum eſt ſi aut de homine, aut de Angelo immolari oporteat, vterque etenim ratione viget. Homo vero tanta hoſtia nullus inueniebatur dignus quoniam omnes homines & originali, etiam & actuali peccato non erant immunes vel vt ait Pſalmiſta, *omnis homo mendax.* Et ſicut per D Beatum Euangeliſtam Ioannem dicitur, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vnus ergo homo & idem peccator indecens hoſtia inerat pro totius humani generis redemptione. Ergo ſolus homo ab hoc ſacrificio expellebatur: Angelus vero in ſui natura admitti nequiuerat, quia quod eſt inuiſibile, nec teneri, nec pati, nec etiam occidi poteſt. Et forſan ſi per aſſumptam naturam poſſet immolari, Angelica charitas pro iniuſto puniri frigeſceret: & hoc non immerito, quia aliquis iuſtus vix pro iuſto moritur, nedum pro iniuſto damnetur. Et etiam ante aduentum Chriſti homines propter peccatum ab Angelis odio habebantur. Et forte ſi idem homo ab Angelo eſſet redemptus, eundem Angelum pro Deo veneraretur, quod ne cui impoſſibile videatur, dum pro certo prædicti homines ſæpiſſime inueniantur lapides, ligna & elementa pro Deo adorare. His igitur & aliis plurimis huiuſcemodi rationibus Angelica victima excludebatur, Quapropter ſolus reſtabat Creator, qui ſua miſeratione & ſolita benignitate, humano compatiens generi, ſæpedictum hominem liberaret, & diabolica fauce perplexum eriperet, & hoc non in ſui natura, ſed per aſſumptum hominem, vt qui ſolum hominem redimere venerat, Deus & homo immolaretur. In Diuinitate vero, quia perſonarum differentiam Catholica credit adeſſe Eccleſia, videlicet Patris & Filij & ſpiritus Sancti non immerito conſiderandum eſt, hæc aſſumptio cui conueniebat. Pater autem ſi intra virginalem vterum aſſumeret hominem, & ab eodem naſceretur, idem eſſent Pater & Filius. Pater ſecundum diuinitatem, Filius vero ſecundum humanitatem, quod & credere, & etiam dicere nefas eſt. Aliud quoque maius eſſet nefarium, quoniam duo filij adeſſent in Diuinitate, ſcilicet Pater filius ſecundum humanitatem, & filius Dei fillius ſecundum Diuinitatem. Tanto ergo errore vitato, prædicta aſſumptio Patri non conueniebat. Adhuc reſtat agere, ſi Spiritus Sanctus competens eſſet ad immolandum. Si autem idem Spiritus hominem acciperet, & pro eo vellet immolari, ſupradictus error in Diuinitatem caderet; reuera etenim duo Filij & crederentur & haberentur in ea. Filius Dei ſecundum Diuinitatem, quemadmodum diximus, Filius & Spiritus Sanctus ſecundum humanitatem filius. Ergo vtriſque Patri ſcilicet, & Spiritui Sancto prælata aſſumptio non congruebat, quoniam neuter horum in tali negotio admitti valebat. Igitur ſolus filius ad hoc agendum condecens aderat, cui & per iuſtitiam inerat hominem per ſe creatum ſaluare, & diabolo ſuam poteſtatem peterenti obuiare, cumque ipſum hominem decipientem decipere, & ablato totius orbis imperio, perpetuo in inferno religare. Legitur namque in Euangelio Beati Ioannis: *quod omnia per ipſum facta ſunt*; ergo & ipſe homo; Ad hæc ſi ab alio quam ab ipſo, per quem creatus fuerat ſæpedictus homo, redimeretur, impotentia eidem filio reuera poſſet aſcribi, quod per ipſum creatus & per eundem non eſſet redemptus. Si vero Pater, cui potentia aſcribitur, incarnaretur, duo filij eſſent, & impotentia diabolo aſcriberetur. Idem quoque & de Spiritu Sancto qui benignitas. Sed hoc ſoli ſapientiæ, ſcilicet Dei filio conueniebat, vt ſapienter diabolus deciperetur. Quæ autem cauſa hac rectior, quæue iuſtior? vt verbo plaſmatus, a verbo ſcilicet & a Dei filio per aſſumptam carnem in priſtino reuerteretur ſtatu. Igitur iure factum eſt & iuſto ordine confirmatum, vt non à Patre, nec à Spiritu Sancto, ſed à Filio, qui in Deitate & in humanitate filius vocaretur, homo redimendus fuiſſet, & in primam beatitudinem, vnde præuaricando corruit, ingrederetur. His ita apte & conuenienter expoſitis, reſtat de requie ſepulturæ tractare. Quia Dei filius, verbum Patris, ſplendor gloriæ, hominum creator, condolens mundum in præcipitio euntem, Patre & Spiritu Sancto cum ipſo cooperante, deſcendit ad noſtram accipiendam humanitatem, *homo factus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Comedit, bibit, eſuriuit, fleuit, & cætera quæ hominibus conueniebant, egit, præter peccatum, quia qui hominem venerat ad ſaluandum, & illi peccata dimittendum, ſine peccato eſſe conducebat. Vnde de illo dictum eſt, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Si vero pro homine natus, cætera ſuperiora narrata ordinatiue peregit, conueniens erat, vt moreretur, quia quis homo non viſurus mortem, & humanitus ſepeliretur? Et quia rationabile erat. Itaque mortuo ſepulturæ ſumma cum vigilanti diligentia, vt Euangeliſtæ narrant, Ioſeph ab Arimathia corpus Dominicum petendo habitum, expoſitum eſt, & requieuit in ſepulchro, Propheta Dauid atteſtante qui ait. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Vere ſingulariter, quia moriendo, & in ſepulchro quieſcendo vicit diabolum. Quis alius moriendo in prælio vincere potuit niſi ille qui omnia poteſt? Igitur ſingulariter à Patre in ſpe conſtitutus fuit. Et iterum Propheta, *Caro mea in requieſcet in ſpe*, tertio die reſurrectionis. Multis aliis habemus confirmatum Auctoribus, qualiter Dominus Ieſus in ſepulchro quieuit, ſed ita de pluribus noſtræ fidei ſufficiant, ſcilicet Euangeliſtarum ac Dauid auctoritates, qui veriſſime illum in ſepulchro iacuiſſe & quieuiſſe in

A ipſo mauſolæo in pace. Qui in pace dormit, maximam habet fiduciam ſperatam ſurgendi. Vnde ipſe obdormire ſe dixit. De ſepulturæ requie tractatum. Inſtat nobis, quibus auctoribus credatur, deſcendiſſe in infernum. Saluator mundi, ſapientia Patris, manna paſcens, petra dulciſſima ac abundanter aqua manans, mortem noſtram pro ſalute accipiendo, ſepultus eſt, & à Nicodemo interlitus myrrha & aloe, vt adimpleretur illud Salomonis: *Faſciculus mirrhæ dilectus meus mihi.* Vere faſciculus fuit myrrhæ Dominus, & non maxima ſarcina, quia quamuis amara videbatur B. Virgini & diſcipulis eius paſſio, tamen faſciculus, quia momentanea. Sed non licet nobis nimium per ambages decurrere, ſed diligentiſſime aduertendum eſt, quibus credendum ſit auctoribus, ipſum Dominum ad inferna deſcendiſſe. Perplurimum multis auctoribus confirmatum habemus, animam Chriſti in infernum deſcendiſſe, & ſua benedicta potentia fideles ſuos abſtraxiſſe. Dicit de ipſa deſcenſione Dauid Propheta. *Non derelinques animam meam* B *in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi, Propheta atteſtante Oſea dicitur: *O mors tua ero mors, morſus tuus ero inferne.* Vere Dominus mors fuit morti, quia in perpetua morte eam dimiſit: morſus fuit etiam Saluator & Dominus Ieſus Chriſtus inferni, quia non omnes, ſed tantum ſuos inde abſtraxit, ſi enim omnes inde abſtraxiſſet, non eſſet morſus, ſed conglutinans hominum, qui vero morſum in aliquod dat, non totum, ſed partem accipit. Sic Chriſtus morſus inferni fuit, quia partem redemit, partemque reliquit. In alio etiam loco Dauid dicit: *Domine abſtraxiſti ab inferis animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum*, id eſt, ab illis, qui æterno igne cremabuntur.

Quot horas fuerit in deſcenſione & aſcenſione.

Expeditis quibus auctoribus in infernum Dominum deſcendiſſe credatur, expedit adhuc quantum ſpatij in ſepulchro iacuiſſe ſcribere indagando. Pleniſſime ac verè apertiſſimum eſt, quia Dominus ex illa hora ſuæ expirationis, C Ioſeph eius Dominicum petens corpus, habitum collocauit ſuo in ſarcophago, *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*, & iacuit ab illa hora vſque ad mane dominici diei. Opponunt alij: ſi ab illa vſque ad dominicum diem Dominus in ſepulchro quieuit, ergo non tres dies, ſicut ipſe prædixerat. Soluitur hac probabili ratione. Veritas quæ Chriſtus eſt, nunquam mendacium protulit dicens: *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Et ſicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita & filius hominis*, qui eſt Chriſtus. Verum dicens & veriſſime confirmauit; quia per tres dies & tres noctes in corde terræ fuit, & poſt triduum excitatus. Reuera ex illa hora, qua Dominus apprehenſus fuit, & morte damnatus, iacuit in corde terræ, id eſt in corde terrenorum perfidorumque dicentium: *Vbi ſunt verba eius quibus ducebat: Antequam Abraham fieret, ego ſum & multa alia.* Iacuit etiam in corde terræ, id eſt, in corde Apoſtolorum, qui adhuc terreni erant, & dubitabant de eius reſurrectione, & illum morti traditum vi- D dendo fugerunt triſtiſſimi manentes, ſic iacuit in corde illorum, quia illum Dominum in mente retinebant. Vel aliter, iacuit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, quia à ſero, qua apprehenſus fuit, tota illa nocte & die paraſceue & nocte ſabbati, & ſabbato ac Dominica nocte, & vſque ad mane dominici diei, reuera in ſepulchro quieuit, quia ex quo damnatus fuit mori, quaſi iam in ſepultura iacebat. Dicunt, quia & ſic tres dies non fuere impletæ. Ad quod dicimus, ibi eſſe figuram Sinecdoche, id eſt partem, pro toto, quia mane dominici diei pro tota die habetur, Nunc euidentiſſime prout noſtra aſſuit poſſibilitas, propoſitæ quæſtiones ſolutæ ſunt. Sed ille, cui hæc omnia pati pro noſtra placuit ſalute, nos ſuos redemptos adoptiuos filios habeat in pace ſcilicet in ſe, vt eius ſancta incarnatione & morte ab omni peccato nos eruat, & in ſuo Sanctiſſimo regno collocet, vt poſt huius vitæ tranſitum hilari vultu proſpicere illum queamus regnantem cum Patre & Spiritu San- E cto per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. Deo gratias, qui nos de tuis ſatias.

ARGVMENTVM DE SACRIficio azimo.

Ad Leonem Monachum.

HOrtatis ſæpius chariſſime magiſque noſtram percogis humilitatem Frater Leo, atque Venerabilis Monache, vt Dominis Spiritualibus fratribus Monachis in Conſtantinopolitana Vrbe conſtitutis, qui crebro à Græcorum ſuperflua loquacitate immoderato zelo arguuntur, aliquid de ſacrificij obſeruatione ſummatim breuiterque deſcriberem: Ex tuo, itaque aliorumque multorum nobis recitatum eſt ore, quod ab Epiſcopo eiuſdem Sedis, vel ab ipſius Clericis frequenter blanda F ſuaſione, ſæpe furibunda locutione indiſcrete decipiantur, vt ritus noſtri ſacrificij azimi derelinquatis, & more Græcorum fermentatum ſacrificium Deo afferatis. Quibus ad hæc imperterriti non ex noſtra inſolentia, ſed Sanctorum authentica Theologorum Patrum ſcientia è contra reſpondeamus. Licet illorum religioſis? Patres ac Doctores ſtuduerunt ex fermentato pane Deo omnipotenti ſacrificium offerre, tamen numquam inuenimus illos noſtram oblationem euacuantes, aut deridentes. Quid ad hanc dicimus? *Numquid diuiſus eſt Chriſtus in corpore ſuo*, vt alius ſit in Romano ſacrificio, alius in Conſtantinopolitano? Quis hoc ſapiens dixerit, niſi ille, qui Dominicam nouit ſcindere veſtem, vt Arrius, & alij hæretici. Nos vero veraciter tenemus, immo firmiter credimus, quia quamuis ſint diuerſi mores Eccleſiarum tamen vna eſt fides, quæ indiſſolubiliter vnitur capiti ſuo, id eſt Chriſto: & ipſe vnus idemque permanet in ſuo corpore, quod pro noſtra ſalute Deo Patri ſponte obtulit. Reſipiſcant ergo ab hac chacheton fatuoſa altercatione latinæ munditiæ detrahere deſinant. Nam ſi G ipſis obturatis auribus noſtræ veritati non conſentire volunt, ſine omni dubitatione oſtendimus noſtrum Sacrificium, quod prius ſinceriuſque ſit illorum ſacrificio, non ſolum ex Euangelica Apoſtolicaque auctoritate, ſed etiam ex legali veteris teſtamenti inſtitutione præfiguratum. Legimus namque in libro Exodi, vbi præcipiente Domino Moyſi Sancto, *vt quartadecima luna primi menſis ad veſperam filij Iſraël immolarent agnum Domino ſine macula, & manducarent carnes illius aſſas agni cum azimis panibus.* Interea Si vobis reſponderint, quia illud vetus præceptum fuit, iam defecit, iam pertranſijt, confidenter illis Beati Pauli Apoſtoli ubijcite ſententiam, qua dicitur. *Omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.* Notate dilecti. Si veteris teſtamenti lex figura fuit, ergo noſtra tempora portendebant, & quod in Vmbra latebat, in luce noui teſtamenti iam præfulgebat: ac propterea Scripta erant, & ab ipſis etiam fideliter obſeruanda. Nam quomodo in agni immolatione H paſſio noſtri figurabatur Redemptoris, in mari rubro baptiſmus: in columba nubis Spiritus Sanctus, in manna cœleſtis gratiæ donum: in petra, quæ eos conſequebatur, Chriſtus: Ita in azimo pane noſtri temporis monſtrabatur ſacrificium. Ipſe creator atque redemptor hominum veniens in hunc mundum indutus noſtram mortalitatem, non amittens ſuam diuinitatem, poſtquam vniuerſa quæ de eo fuerant prædicta, eſſent impleta, & paterno cenſuiſſet conſilio, vt mundum ſua redimeret morte, ipſumque mundiſſimum atque ſacratiſſimum, quod de immaculata Virgine ſuſceperat, corpus, præfinito tempore voluiſſet noſtra pro vita Deo Patri offerret in illa tunc Sacroſancta cœna, quando paſcha cum ſuis diſcipulis celebrauit, panemque accipiens in ſuis ſanctis manibus fregit, & dedit eis, dicens: *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* Dicant

obſecro fratres, qualis fuit panis ille, azimus fuit, an fermentatus? *Si* dixerint, fermentatus, ergo falſa eſt Domini ſententia dicentis: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Quomodo ille, qui legem dedit, benedictionem, Vtque nobis inferret, ſi ea quæ legis ſunt non obſeruaſſet? Si hoc feciſſet, vt tranſgreſſor legis iuſte puniretur, nec pro noſtra omnium redemptione moreretur. Cum ipſe Dominus Ieſus per Moyſen dicat vt quartadecima die primi menſis, quando Phaſe occidebatur, vſque ad vigeſimam ſecundam diem eiuſdem menſis, quicunque inuentus eſſet in populo Iſraël, qui fermentum haberet in domo ſua, periret de cœtu filiorum Iſraël, quia pactum Dei irritum feciſſet. Sufficiat nobis iam ex legali obſeruatione mandati teſtimonia proferre, ad Euangelij gratiam, & noui teſtamenti lumen ſubſequens ſermo percurrat. Neque enim aliter illo in tempore ſolus ſine omnibus paſcha illud obſeruare potuiſſet, quod commune omnibus erat datum, & tamen vtrumque teſtamentum in ſe adimpleret. Sancti quoque Euangeliſtæ de ipſius celebritate Paſchæ atque panis obſeruatione ita locuti ſunt. Vnus ait: *appropinquabat dies feſtus azimorum, qui dicitur Paſcha.* Alter idipſum replicat, dicens *Erat paſcha & azima poſt biduum.* Iterumque *Paſcha autem azymorum acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Sciens Ieſus quia venit eius hora, vt tranſeat ex hoc mundo.* Ergo ſi paſcha quod hebraice dicitur phaſe, à tranſitu nomen accipit, & non à paſſione, vt plerique male interpretantur, profecto quia Dominus Ieſus in ſuo tranſitu, id eſt in morte ſua, non alium panem tradidit diſcipulis niſi illum quem paterna traditio perceperat cuſtodiendum. Non tantum ante paſſionem ſuam hoc egit, quantum & poſt reſurrectionem hæc eadem repetens, in Emmaüs non valentibus eum cognoſcere diſcipulis, niſi in fractione panis, coactus vt cum ipſis maneret, quem panem eiſdem fregit, deditque ad manducandam. In tota Iudæa certe fermentum deerat, quia adhuc paſcha celebrabāt, niſi vt apertius cognoſcatis, quia illum panem poſt reſurrectionem eis dedit, quem iam ſimilem & ante paſſionem dederat. Satis ſit hucvſque ex Euangelica auctoritate vobis accommodaſſe ſententiam. Hunc autem ad Beati Pauli Apoſtoli nos oportet Epiſtolam flectere animum, vbi nos de ipſo ſacrificio, quod azimum, & non fermentatum ſit, vigilanter hortatur dicens: *Fratres expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azimi, etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis*, ſed cur hoc fratres Chariſſimi ſanctus prædicauit Apoſtolus? Vt oſtenderet, quia in fermento, id eſt, in nullo dogmate hæreticorum, ſiue Schiſmaticorum panis Chriſti execrabilis, & abominabilis corruptionis contaminaretur. Sed in puritate, & ſimplicitate Catholicæ fidei illibatæ ſemper cuſtodiretur, non indigne ab aliquo comeſto pereat anima eius de contentu digne filiorum Iſraël, hoc eſt ſaluandorum. Item Dominus per Oſeam loquitur dicens: *Venite in Bethel, & impie agite, & ſacrificate de fermento laudem.* Quid per Bethel, niſi idolum, niſi corruptio ſacrilegij exprimitur? ex quo Dominus in Euangelio admonet dicens: *Cauete à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis*, id eſt à doctrina carnali eorum, vel inflata ſcientia, de qua Apoſtolus ait. *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Et iterum. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Sufficiant pauca de pluribus prolata teſtimonia. An adhuc irreuerenti fronte audient contra nos obire ſententiam, dicendo, vt aſtruant, nos cum hebræis Iudaico more azimum comedere? Cui inſanæ obiectioni cum ſano reſpondemus intellectu. Abſit hoc à Catholica atque Apoſtolica, & Romana Eccleſia, quæ caput, & fundamentum, ac ſpeculum dicitur & probatur eſſe omnium Eccleſiarum, quam Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus per ſemetipſum ædificare dignatus eſt, ac promittens ſpecialiter ſuo dilecto diſcipulo Petro Apoſtolo, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum.* Atque iterum: *Ego pro te Rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Abſit à totius mundi Domino vt idcirco cum Hebræis Iudaizes, eo, quod de azimo pane ſacrificium Domino dicitur offerre. Abſit vt pro tali re ſancta hoc agat Romana Eccleſia, vt ſuis oſtendat per orbem fidelibus conſtitutis, agnum qui abſtulit peccata mundi, ſine omni corruptione, pollutione, atque contagione culpæ, ſinceram, ſanctamque ex immaculata Virgine ſuſcepiſſe carnem, teſtante Angelo, qui ipſius Domini incarnationem eidem Virgini venerabili annunciat, dicens: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Illa obumbratio, quæ virginalem vterum dicitur obumbrare, non aliter intelligenda eſt, quam vt ab omni æſtu concupiſcentiæ, vel corruptione alicuius facinoris illud caſtiſſimum Domini templum, in quo habitare dignatus eſt, intactum, purumque, quod eſt azima, ſemper cuſtodierit, dicente Salomone: *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Nam, vt ea, quæ ſuperius diximus, repetamus, cur non nobis ſacrificium de veteri præcepto tenendum eſt, cum ea, quæ illis carnalia ſunt imperata, in nobis ſpiritualiter videmus adimpleta? Numquid ex ipſis non tenemus templum, ſacerdotium, vnctionem, incenſum, ſacerdotalia indumenta & quadrageſimam? Si hæc cuncta prius ipſa Iſraëlitica plebs tenuit, & poſtea Domino cooperante, nobis conceſſa ſunt, quare non etiam azimum inter reliqua præcepta ſacrificium Domino offerendum eſt? Cum, vt ſæpe iam teſtati ſumus, puritatem, ſimplicitatem, atque munditiam ſignificet? Et ipſum principem, caputque omnium Apoſtolorum poſt Domini aſcenſionem primum obtuliſſe inuenimus ſacrificium, non alter quam illi à Domino, & ſuo magiſtro iuſſum eſt offerri. Poſt ipſum B. Clemens, cui B. Petrus Apoſtolus tradidit Pontificatum, in Epiſtola ſua ad Iacobum, qui Ieroſolimam regebat Eccleſiam de eiuſdem ſacrificij obſeruatione taliter admonet agendum dicens: *cum mihi Dominus & Magiſter meus Petrus, Summi Pontificatus traderet dignitatem, & inter multa hortamenta, quibus ab ipſo adhortabar, cum ad Domini ſacrificium perueniſſet, ita de illo mihi dixit: Vide Clemens, ne aliter agas de corpore Domini, quam quod ego tibi præcipio, quia ego non hoc à meipſo, ſed qualiter ex ore Domini & Magiſtri mei Ieſu Chriſti audiui, taliter illud loquor: ſimiliter & tuis ſucceſſoribus, qui poſt te in hanc Apoſtolicam ſucceſſuri ſunt ſedem, in perpetuum hoc exemplum relinquo.* Sicque poſt ipſum S. Silueſter, qui inclytum, Auguſtum, atque perfectum Eccleſiæ filium Conſtantinum Romæ baptizauit, eadem iuſſa perfecte adimplens, etiam in poſteros cuſtodire mandauit. Denique S. Gregorius eximius Doctor, qui Eutichium Conſtantinopolitanum Epiſcopum cum ſuis fautoribus, in præſentia Mauritij Imperatoris mira cum ratione exuperauit, alio modo non celebrauit atque nobis celebrandum ſacrificium præcepit, quam illud, quod omnes ſui præceſſores Sanctiſſimi Papæ, quos enumerare longum eſt, in Sacratiſſima Sede Apoſtolica iuſſi ſunt celebrare. Quapropter amantiſſimi fratres, ſtate viriliter in ſoliditate, ac firmamento orthodoxæ columnæ, & nemo cum ſuaſoribus verbis à Sanctæ Fidei Catholicæ atq; Apoſtolicæ præfatæ Sedis, matris Eccleſiæ Romanæ conſuetudine vos ſeparet; quia, teſte S. Auguſtino luculentiſſimo Doctore, ac Africano Epiſcopo, non eſt alia Sedes in Cœlo aut in terra dignior, ſiue prior, niſi illa, quā Romana tenet Eccleſia. Hanc tenete, hanc puro corde diligite, & ab eius vnitate non recedite, cum ſcriptum ſit: *terminum quem antiqui poſuerūt Patres, ne tranſgrediaris: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber*: Serpens ille ſcilicet, qui eiecit Adam de paradiſo, ex cuius peſtifero ore Dominus per interceſſionem Apoſtolorum atque Sanctorum omnium vos ſemper eruat; largiente Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria cum Patre & Flamine Sancto, in omnibus ſeculis. Amen.

A

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ, Myſteriis, atque Eccleſiaſticis Ritibus Opuſculum.

Dilectiſſimo Fratri Gualterio Magalenſi Epiſcopo.

Bruno Signienſis Epiſcopus ſalutem.

CVm Roma quondam in Inſula in domo Epiſcopi Portuenſis ſimul eſſemus; cumque in libro Exodi de Tabernaculo Teſtimonij, & de veſtibus Aaron, typica quædam & magni myſterij ſignificatiua legeremus, cœpiſti mirari tu, cœpi mirari & ego, quod aliqua illis ſimilia adhuc in Eccleſia fieri videamus, cum iam vetera tranſierint & B *facta ſint omnia noua. Multa enim fiunt in Eccleſiarum dedicationibus, multa & in aliis Eccleſiæ Sacramentis, quæ non minus, quam illa ſub vmbra & figura fieri videntur. Petiſti igitur à me, vt ſicut illa expoſueram, ita & iſta exponere tentarem. Promiſi me facturum, ſed aliis negotiis impeditus, & tuæ petitionis, & meæ promiſſionis iam pene oblitus eram: Cum Helbertus Eremita, & Presbyter Venerabilis, à vobis ad nos veniens, id quod promiſeram, quaſi debitum exigebat. Memor igitur tuæ dilectionis, quamuis multum impeditus, facere tamen aggreſſus ſum, quod facere iuſſiſti.*

De Sacramentis Eccleſiæ locuturi, prius Sacramenta ipſa ponamus; poſtea vero quid ſignificent, prout Dominus dederit, exponamus. Quando enim Eccleſia conſecratur, ſolus Diaconus eam ingreditur, ianuas claudens ibidem exſpectat, Epiſcopo reſponſurus. Tunc Epiſcopus deforis aquas benedicit: non ſine ſale, acceptoque faſciculo Hyſſopi, ex aquis, quas modo ſanctificauerat, Eccleſiæ parietes ter circumeundo, aſpergit: ter quoque C cum virga paſtorali ianuas percutiens dicit: *Tollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cui Diaconus de intus reſpondet dicens: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et ille: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Poſt tertiam itaque percuſſionem, paucos ex miniſtris ſecum ducens, Eccleſiam ingreditur, cætera multitudine foras exſpectante. Tunc Epiſcopus totum Alphabetum in modum crucis bis in pauiméto deſcribit; ac deinde ſicut prius alias aquas ſanctificat, quibus non tantum ſal, ſed cinerem quoque miſcet & vinum. His autem altare & Eccleſia interius aſpergitur & conſecratur. Poſtea vero ſuper altare oleo & chriſmate fuſis lapidem ipſum Epiſcopus vngit. His igitur expeditis, ſignificationem videamus. Sed prius quærendum eſt: Cur aqua benedicatur? Quare lapides & parietes aſpergantur? Cur etiam potius lapides & ipſi parietes per ſe non benedicantur? cur ſine aqua non ſanctificantur? cur eadem ipſa benedictio, quæ aquæ datur, lapidibus non datur? Hoc totum habet ſignificationem. D Audi igitur quid Dominus dicat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.* Aqua enim lauandis corporibus idonea eſt, tantam virtutem Diuinitus accipere meruit, vt ſicut corpora à ſordibus, ita & animas mundet à peccatis.

Quid aqua ſignificet.

Manifeſtum eſt itaque. Quod hæc aqua Baptiſmum ſignificet, cuius aſperſione Eccleſia conſecratur, & quodammodo baptizatur.

Quid Eccleſia ſignificet.

Ipſa vero Eccleſia, eam vtique Eccleſiam deſignat, quæ in ea continetur, id eſt multitudinem; vnde etiam Eccleſia vocatur, eo quod Eccleſiam contineat. Hæc enim figura à Grámaticis Metonymia dicitur, quando id quod continet, ponitur pro eo quod continetur. Quale eſt illud quod in Euangelio Dominus ait, *Ieruſalem Ieruſalem, quæ occidis Prophetas:* Cum vtique non ipſa Ieruſalem, ſed eius habitatores occiderint. Sic etiam E dicere ſolemus: Illa domus bona eſt, eo quod bonos habeat habitatores: & illa mala eſt, eo quod mali homines habitent in ea. Secundum hanc igitur ſignificationem, hæc Eccleſia ex lignis, lapidibuſque conſtructa, eam Eccleſiam deſignat, quæ ex viuis lapidibus ædificatur: cuius lapides non calce, ſed charitate iunguntur & vniuntur: cuius fundamentum Chriſtus eſt: cuius portæ Apoſtoli ſunt: cuius columnæ Epiſcopi ſunt & Doctores: In qua vnuſquiſq; lapis tanto amplius rutilat, quanto fidelior & melior eſt. Quia igitur dictum eſt: quid aqua, & quid domus ſignificet, dicamus etiam: Cur hæc aqua ſale miſceatur. Cum enim Saluator noſter de baptiſmo loqueretur, nullam ſalis fecit mentionem: Non enim dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua ſalſa, vel ſale mixta, vel aliquid huiuſmodi: ſed quid dixit? *Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei.* Idipſum autem & de oleo, & de Chriſmate dici poteſt. F Sed de his alias. Interim autem de ſale dicamus. Sal enim in Diuino eloquio frequenter pro ſapientia ponitur. Vnde eſt illud: *Sermo veſter ſale ſit conditus.* Et Dominus diſcipulis: *Habete* inquit, *ſal in vobis, & pacem habete inter vos.* Itemque: *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Hinc etiam ſecundum legem nulla hoſtia ſine ſale offertur, ſed in omni ſacrificio ponitur.

Quid ſal ſignificet.

Vnde manifeſtum eſt, quia ſal pro ſapientia ponitur. Sic eſt enim ſapientia condimentum omnium virtutum, ſicuti ſal condimentum omnium ciborum. Sed quæ ſapientia? Non vtique ſapientia mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum; Sed illa ſapientia, de qua Dominus ait: *Confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Sed vis audire quæ ſit iſta ſapientia, quam ſimplex, quam facilis ad diſcendum? Veniat modo aliquis ad G hanc aquam: Veniat nunc aliquis ad baptiſma, audiat hanc ſapientiam, guſtet de hoc ſale: Neque enim prius baptizatur aliquis, quàm ſale cibetur; hoc enim omnibus notum eſt. Ad litteram dico: Infantibus ad fidem venientibus ſtatim in ore ponitur ſal: vt quod áctu habere non poſſunt, habeant vel ſignificatione Sacramenti. Interrogo igitur modo aliquem hominem baptizandum: Credis in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem omnium viſibilium & inuiſibilium? Dicit, Credo: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? Credo, inquit, Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam. Sanctorum communionem, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? At ille: Credo. Bene enutritus eſt iſte, ſapiens eſt, & ſufficienter ſale cibatus. Hoc eſt igitur ſal quod miſcetur aquæ: hæc ſunt prima fidei rudimenta: ſine his non valet baptiſmus. Siue enim tollas aquam, ſiue tollas hæc verba, non eſt baptiſmus. Hoc autem dum dico nullum præiudicium facio infantibus, & nondum intelligentibus, qui H non ſua, ſed aliorum fide baptizantur & ſaluantur: Saluantur vtique, ſi vel prius obierint, vel ad ætatem venientes, fidem pro eis promiſſam fideliter crediderint, & cuſtodierint? alioquin non valet ei baptiſmatis aqua: quia non eſt ſale condita. Dictum eſt itaque. Quid aqua, quid ſal, & quid domus dicanda ſignificet. Nunc autem ſupereſt, vt de Hyſſopo dicamus, cum quo Eccleſiæ parietes ſupradicti aſperguntur.

Quid Hyſſopus ſignificet.

Hyſſopus naturaliter in petra naſcitur: *Petra autem,* ait Apoſtolus, *erat Chriſtus.* Bona herba hyſſopus, quæ naſcitur, & renaſcitur & radicatur in Chriſto. Per hanc enim etſi tota fidelium multitudo intelligi poſſit, præcipuè tamen illi per hyſſopum figurantur, qui in Chriſti fide radicati & fundati, ab eius amore diuelli & ſeparari non poſſunt. Per quod quid melius quam Epiſcopos, & Presbyteros intelligere poſſumus, qui quanto

A maiorem in Eccleſia obtinent dignitatem, tanto firmius Chriſti fidei inhærere debent. Et, per hos quidem ſpargitur aqua: per hos & ab his baptizantur Chriſti fideles: his datum eſt perficere baptiſmatis Sacramenta. Nec illud quidem prætereundum eſt: quod ter Epiſcopus Eccleſiam circumit; ter parietes aqua aſpergit.

Quid in circuitu eundo ſignificet.

Apparet enim etiam in hoc figura baptiſmatis. Audi igitur quid ſuis diſcipulis Dominus dicat: *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hinc eſt igitur: quod Sacri Canones ter in aquam mergi percipiunt eos, qui baptizantur. Quia itaque Eccleſia non poteſt mergi in aquas, ter ab Epiſcopo circumeunte aſpergitur aqua. Vides ergo, quam bene omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, baptiſmi conueniant Sacramentis? Hinc autem illud quoque videamus, quod ter cum virga paſtorali Eccleſiæ ianuas
B Epiſcopus percutit.

Quid virga ſignificet.

Quid enim virga paſtoralis, niſi ſermo Diuinus & prædicatio Euangelica intelligitur? Quod autem ſermo virga vocetur, Propheta de Domino teſtatur dicens: *quia percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Virga oris, ſermo eſt. Virga igitur ianuas percutere, eſt aures audientium prædicationis voce ferire: Aures enim portæ ſunt, per quas ad corda audientium ſanctæ prædicationis verba introducimus. Vnde Pſalmiſta ait: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.* Quid eſt enim in portis filiæ Sion, niſi in auribus & auditu fidelium? Illud quoque non vacat myſterio: Quod ter Epiſcopus ianuas percutit. Numerus iſte & notiſſimus & Sacratiſſimus eſt. In omni enim dedica-
C tione ter ſemper Epiſcopus ianuas percutere debet: quia ſine inuocatione Trinitatis nullum in Eccleſia fit Sacramentum. Percutiamus igitur Eccleſiæ ianuas; & prædicationi inſtemus, quatenus vſque ad cordis Secretarium accedere, & Chriſti fidem adducere valeamus. Expoſitis autem omnibus, quæ in Eccleſiæ dedicatione exterius Epiſcopus agit, hinc etiam quid interius faciat videamus. Ingreſſus enim in Eccleſiam, bis totum Alphabetum ſcribit in pauimento; Per quod vel vtrumque Teſtamentum, vel duplex Sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur. In his etiam paucis litteris omnis ſcientia continetur, quæ ſemel in Synagoga, & bis in Eccleſiæ pauimento ſcribuntur; Iudæi enim vnum tantummodo recipiunt teſtamentum; quod non dupliciter, vt nos, ſed ſimpliciter tantum, & ad ſolam litteram interpretantur: At vero Eccleſiæ filij, & vtrumque recipiunt, & vtrumque dupliciter, ideſt, ad litteram, & ſpiritualiter intelligunt.

D *Quid littera.*

Bis igitur in pauimento corporis noſtri Alphabetum ſcribitur, ſi vtrumque teſtamentum ſuſcipimus, & vtrumque dupliciter intelligimus. Hinc eſt enim, quod illa animalia immunda dicuntur, quæ neque ruminant, neque vngulam findunt: Illa enim animalia, quæ ruminant, (notum eſt valde quod dico) bis eundem cibum comedunt. Cibus animæ, eſt lectio ſacra: Hanc autem bis comedimus: quia ſemel ad litteram, & iterum ſpiritualiter eam exponimus & intelligimus. Vngulam quoque findere, eſt eandem ſcripturam dupliciter interpretari: quæ ideo quidem vngula dicitur: quia in via bonorum operum pedes noſtros firmat & munit.

Quid quod in modum Crucis ſcribitur.

Sed quid eſt quod non in directum, ſed in obliquum, & in modum Crucis hæ litteræ ſcribuntur. niſi quia ad hanc Sanctarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis myſterium non recipit, & Chriſti paſſione non ſe credit eſſe ſaluatum? Soli enim Chriſtiani hanc intelligentiam habent, qui crucis ſignaculo

E inſigniti ſunt: quibus vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & ſoluere ſeptem ſignacula eius. In Chriſti namque paſſione velum templi ſciſſum eſt: quia tunc & ſcripturæ apertæ ſunt, & reuelata ſunt Sancta Sanctorum. Cætera videamus. Poſt hæc autem Epiſcopus aliam item aquam benedicit: cui non tantum ſal, ſicut priori, de qua ſuperius diximus, ſed vinum quoque cum cinere miſcet.

Quid aqua interius benedicta.

Hæc autem aqua Spiritum Sanctum ſignificat, ſine cuius aſſlatione nihil vnquam ſanctificatur, & ſine cuius gratia non fit remiſſio peccatorum. Quod autem Spiritus Sanctus aqua vocetur, ipſa veritas oſtendit dicens: *qui credit in me*, ſicut dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: Quod quid ſignificet, mox Euangeliſta exponens, ait: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* A quo igitur Spiritus
F Sanctus. Et vide ordinem Sacramenti, exterius aqua, & interius Spiritu, Eccleſia conſecratur. Hoc eſt enim quod Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Ecce aqua, ecce ſpiritus. In baptiſmatis igitur Sacramento, nec aqua ſine Spiritu, nec Spiritus ſine aqua. Qui quidem ipſe ſpiritus ſignificabat, qui in prima mundi creatione ferebatur ſuper aquas. Hac igitur aqua & ipſum altare, & totum interius templum aſpergitur. De ſale autem quod ei additur, ſuperius dictum eſt. Diximus enim: Quod prima fidei rudimenta ſignificet. Poterant iſta ſola ſufficere ad baptiſmi Sacramentum & Eccleſiæ conſecrationem: ſed Sancti Patres noſtri, qui Spiritu Dei iſta conſtituerant, voluerunt nobis ſatisfacere, non ſolum in his, quæ pertinent ad virtutem Sacramenti, verum etiam in illis, quæ pertinent ad ſignificationem. Sufficit enim aqua & ſpiritus ad baptiſmi perfectionem; cætera vero quæ his adduntur, ad ſignificationem pertinent. Non enim oleum, vel chriſma
G habuit Philippus Apoſtolus, quando Eunuchum baptizauit. Hæc tamen etiam nunc prætermittenda non ſunt, quæ ad ſignificandum aliquid, Sanctorum diligenti diſpoſitione addita ſunt.

Quid vinum ſignificet.

Dicamus igitur, quid vinum ſignificet. Vinum enim hoc in loco maiorem, & Spiritualem Diuinæ legis intelligentiam deſignat. Vnde ad nuptias vocatus Saluator noſter in vinum aquas conuertit: quatenus maiori intelligentia nos erudiret, & ſpiritualis, nouæque doctrinæ nectare ſatiaret. Diuina namque ſcriptura, ad litteram intellecta, aqua eſt ſine ſapore, & iucunditate, quæ ſi Spiritualiter intelligatur, vinum fit, & quidem miti ſaporis, magnæque ſuauitatis. Quod enim intereſt inter aquam, & vinum, hoc intereſt inter literam, & Spiritum. Vnde Apoſtolus, littera, inquit, *occidit, Spiritus autem viuificat.* Hoc autem vinum Pſalmiſta nobis promittens ait:
H *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Itemque: *Calix tuus inebrians, quam præclarus eſt.* Et Item: *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto,* Humiliat enim Dominus Iudæum, exaltat Gentilem. Quare? Quia ille litteram ſequitur, quæ occidit: hic merum vinum, & Spiritualem intelligentiam bibit. Tota enim perditio Iudæorum in hoc eſt: quod litteræ creduli, ſpiritualem intelligentiam recipere nolunt. Vnde Pſalmiſta: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributionem & in ſcandalum: obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* Hæc etenim menſa, Diuina ſcriptura eſt: de cuius delitiis animæ nutriuntur, de quibus quodcunque animal comederit vel biberit, niſi ruminauerit non viuet. Bonum eſt igitur hoc vinum, ſed illis bonum, qui bene, & fideliter eo vtuntur. Ad hoc enim bibendum in Canticis Canticorum ipſe Dominus nos inuitat dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Tunc igitur nos inebriari Dominus iubet; cum alibi de ebrietate fugienda dicat:

A *Videte ne corda veſtra grauentur in crapula, & ebrietate.* Eſt igitur, & bona, & mala ebrietas: Neque poteſt eſſe niſi bonum quod Dominus iubet: & iterum, non poteſt eſſe niſi malum, quod Dominus prohibet. Bona eſt enim ebrietas mentis. Et de vino quidem quid ſignificet ſufficienter dictum eſt.

Quid cinis ſignificet.

Reſtat nunc, vt de cinere dicamus. Sed quid cinis niſi pœnitentia? Sedere namque in cinere, cilicio indui, pœnitentium eſt. Hinc eſt enim quod de Niniuitis pœnitentibus dicitur: *Quia Rex ipſe ſurrexit de ſolio ſuo, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Hinc & Dauid: *Quia cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam.* Hinc & Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Hinc & peccanti homini dicitur: *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Babyloniæ quoque per Prophetam Dominus
B loquitur: *Deſcende*, inquit, *ſede in puluere Virgo filia Babylonis, non eſt ſolium vltra tibi.* Vnde & conſuetudo in Eccleſia inoleuit, vt per ſingulos annos in initio quadrageſimæ capita nobis cinere aſpergamus. His autem & ſimilibus facilè oſtenditur, quia per cinerem pœnitentia deſignatur. Quia igitur dictum eſt, quid aqua, quid Sal, quid vinum, & quid cinis ſignificet, dicamus modo, quare ſimul miſceantur, vt eorum aſperſione Eccleſia conſecretur. Puto enim, quod ſine his, ſi vel vnum defuerit, populus Domini, quod eſt Eccleſia, neque Sanctificatur, neque ſoluitur à peccatis. Et de Aqua quidem manifeſtum eſt: quia niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit Regnum cœlorum. De Sale quoque non dubium eſt, quia ſine fidei condimento quod in Sale ſignificatur, nemo vnquam ſaluari poterit, etiamſi aqua baptiſmatis aſpergatur. Sed quid dicam de vino? per quod ſpiritualis intelligentia deſignatur, quo qui aſperſus fuerit, quicumque de eo non biberit, vel propinantibus non crediderit, ad vitæ æternæ beatitu-
C dinem non perueniet. Cineris quoque aſperſio, per quam pœnitentia intelligitur, tam neceſſaria eſt, vt ſine ea non fiat remiſſio peccatorum: per ipſam enim peruenitur ad baptiſmum; ipſa eſt vnicum, & ſingulare refugium peccatoribus poſt baptiſmum. Vnde & non immerito baptiſmus vocatur: Dicente Euangelio de Ioanne: *Quia venit in vniuerſam regionem Galilææ, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: dicebat enim; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Sic cœpit prædicatio Ioannis, ſic cœpit prædicatio Chriſti. In his autem omnibus ſoli paruuli excipiuntur & cæteri, qui intelligentiam non habent. Hæc eſt igitur, cauſa, quare hæc omnia, id eſt aqua, Sal vinum, & cinis ſimul miſceantur, quia vt diximus, ſi vel vnum defuerit paruulis, nihil cætera proſunt. Quibus ita permixtis, accedit Epiſcopus ad altare, & accepto faſciculo hyſſopi hac ſupradicta aqua aſpergit, atque ſanctificat Eccleſiam, & altare.

Quid Altare.

D Sed quid Altare in templo ſignificat? Apoſtolus enim dicit: *Templum Dei Sanctum eſt, & quod eſtis vos.* Si ergo templum Dei ſumus, & altare habemus. Altare noſtrum, cor noſtrum eſt. Hoc eſt enim cor in homine, quod eſt altare in templo. In hoc enim altari fit ſacrificium laudis & iubilationis. Vnde Pſalmiſta, *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.* In hoc altari commemoratio corporis & ſanguinis Chriſti. Hinc preces aſcendunt in cœlum, quia ad cor reſpicit Deus. Hoc igitur Altare aſpergitur aqua, quando corda hominum Euangelica prædicatione mundantur à peccatis.

Aqua eſt prædicatio.

Nam & prædicatio aqua eſt, ſecundum illud. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Itemque *Aqua profunda, verba ex ore viri.* Et item *Repuletur ſicut pluuia eloquium meum.* Hac igitur aqua, id eſt Euangelica prædicatione,
E & Sancti Spiritus Sanctificatione, & cordis altare, & totus homo mundatur & ſanctificatur. Ecce altare aſperſum eſt, aquis baptizatum eſt. Reſtat igitur, vt confirmetur, & chriſmate liniatur. Hoc enim in hominibus ipſis fieri videmus. Prius enim baptizantur: & ſic poſtea chriſmate confirmantur.

Quid oleum.

Dicamus igitur, quid oleum, & Chriſma ſignificet. Non enim ſine cauſa iam baptizati & à peccatorum ſorde mundati oleo vnguntur & chriſmate. Oleum enim, miſericordiam deſignat, quam qui non habet, idipſum amiſit quod baptizatus eſt. Vnde ipſa Veritas ait. *Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Hinc eſt quod ſeruus ille damnatus qui centum denarios conſeruo ſuo dimittere noluit dicente Domino: *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum.* Bene autem
F oleum miſericordiam ſignificat, quia ſicut illud in liquoribus, ita & miſericordia in bonis operibus ſuperior eſt. Quemcunque enim liquorem in oleum fundas, oleum ſemper deſuper natat. De miſericordia quoque ſcriptum eſt: *Suauis Dominus vniuerſis, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius.* Superexaltat enim miſericordiam iudicio. Hinc eſt etiam quod Dominus ait: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Multa ſunt, quæ de miſericordia dici poſſunt. Si quidem miſericordia Domini plena eſt terra: *Sed quis ſapiens & cuſtodiet hæc & intelliget miſericordias Domini?* Hoc igitur vngatur, hoc oleo liniatur altare cordis noſtri, vt ſemper miſericordiæ memores, aquæ aſperſionem & baptiſmi regenerationem non dimittamus. Quid enim prodeſt, quod hyſſopo aſperſi à Sacerdotibus baptizati ſumus. Si pater noſter, qui in cœlis eſt, non dimiſerit nobis peccata noſtra, ſemper igitur in miſericordiæ oleo nateant corda noſtra: quatenus dimittantur nobis peccata noſtra. Hæc autem de oleo.

Quid Balſamum.

G Cui ſi balſamum addamus, fit Chriſma, quo Reges vnguntur, & Sacerdotes. Balſamum autem tunc iungitur oleo, quando bonus odor additur miſericordiæ. Sed quid eſt bonus odor? Lætitia ſpiritualis, & bona voluntas. Vnde Apoſtolus ait: *qui miſeretur in hilaritate: hilarem enim datorem diligit Deus*; Tali igitur chriſmate vnguntur Chriſtiani, vt vero nomine vocentur Chriſtiani: quoniam Chriſtianus à Chriſto, & Chriſtus à Chriſmate dicitur. Ille enim tali chriſmate vnctus eſt, qui vitæ honeſtate, & merito Sanctæ conuerſationis longè circumquaque ſuæ bonæ famæ ſpargit odorem. Vnde Apoſtolus *Chriſti*, inquit, *bonus odor ſumus Deo.* Qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Sic igitur Eccleſia conſecratur, ſic Dei populus innouatur, benedicitur, & ſanctificatur.

Quid Cerei.

H Duodecim autem cerei, duodecim Apoſtoli ſunt, quorum doctrina fugatæ ſunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus eſt mundus. Lapis autem altaris non ſolum Chriſtum, ſed Chriſti quoque membra ſignificat. De quo lapide Scriptum eſt. *Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.* De quo & Pſalmiſta *Speciosus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ergo non ſolum ipſe, ſed, & conſortes eius per ipſum oleo lætitiæ vncti ſunt. Vnde manifeſtum eſt: quia in illo lapide, & ipſe ſignificatur, & membra eius, quia vero Sanctorum reliquiæ in altari ponuntur. Altare quoque cordis noſtri ſine Sanctorum reliquiis eſſe non debet. Sanctorum namque reliquias in corde geſtamus, ſi eos ſemper in mente habemus ſi eorum dicta, & exempla tenemus & eorum verba memoriæ comedamus. Beata illa altaria, beata illa corda, quæ tales reliquias ſuſcipere meruerunt. Quantas nobis Beatus Paulus

A reliquias reliquit: quantas & alij Sancti reliquerunt? quibus vtinam noſtri cordis altare repleatur, & condiatur. Hæc autem de conſecratione Eccleſiæ dicta ſufficiant.

Nunc autem dicendum eſt: Cur in olei, & Chriſmatis conſecratione ter ſuper eam Epiſcopus halat. Legimus enim in Euangelio. Quod Dominus in diſcipulos inſufflauerit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Hic igitur halitus illam inſufflationem ſignificat. Qui ideo ter quidem fit, quia Spiritus Sanctus, à Patre, filioque procedit, & à ſeipſo venit. Poterat enim Saluator noſter ſine omni ſufflatione dare ſpiritum ſanctum, quem ideo quidem inſufflando dedit, vt ab ipſo quoque, ſicut & à Patre eius procedere intelligamus. Quamvis enim neſciamus, quomodo ſpiritus ſanctus à patre, filioque procedat, (hoc enim in hac vita, in qua non videmus niſi per ſpeculum, & in ænigmate) niſi reueletur, certiſſimè tamen ſcimus, & nullatenus dubitamus eum procedere à patre, & filio, ideſt, de ſub-
B ſtantia Patris & filij. Hoc enim ei proprium eſt, & de nulla alia ſubſtantia procedit à nullo alio mittitur, & à nullo alio datur Spiritus Sanctus. Datur enim officio ſacerdotum, ſed non datur à Sacerdotibus: Sic enim adeſt virtus Chriſti per inſufflationem, quæ fit à ſacerdotibus in honorem ſignificationis Spiritus Sancti, ſicuti per verba, quæ dicuntur in nomine ſuo.

His igitur ita diſpoſitis, dicendum eſt; qualiter hæc Sacramenta ſuſcipiat, qui ad fidem nouiter venit. Is enim qui ad Eccleſiam venit, prius de fide interrogatur. Qui poſtquam ſe credere reſpondet, ſacerdos ei in faciem inſufflat, vt ſpiritus ſanctus ingrediatur, & ſpiritu ſancto malignus ſpiritus eiiciatur. Adeſt enim, vt modo diximus, ſpiritus ſanctus, non ſolum verbis, quæ dicuntur in nomine ſuo, verum etiam ſignificationibus, quæ fiunt in honore ſuo. Deinde in Eccleſiam introducitur, & fidelium populo ſociatur: Ac ſic ſacerdos ei ſalem ponit in ore, per quod quid ſignificetur, ſuperius diximus. Hoc enim ſal, prima fidei documenta ſignificat,
C ſine quorum condimento inſulſus eſt omnis homo. Poſtmodum vero eius nares, & aures cum ſaliua tangit, quod ipſe Dominus, & ſaluator noſter tunc nobis expoſuit, quando exiens de finibus Tyri, & veniens per Sydonem ad mare Galileæ, ſanauit hominem ſurdum, & mutum: Exſpuens enim tetigit linguam eius, & ponens digitos ſuos in auricula eius, dixit: *Epheta, quod eſt, adaperire; & ſtatim,* vt ait Euangeliſta, *aperta ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius & loquebatur rectè.* Saliua igitur Chriſti, dulcedo eſt verborum defluentium ex ore Chriſti, & ipſa Diuinitas Chriſti nos ſanat. Nares itaque ei tanguntur, vt Diuinam veritatem ſuſcipiat, qua bonum à malo diſcernat, odorem, & ſanam doctrinam ſeparare valeat à fœtore hæreticæ prauitatis. Hinc enim Eccleſiæ dicitur: *Naſus tuus ſicut turris libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Tanguntur autem, & aures, vt verbis Euangelicis pateant, & vanas, & inutiles fabulas à ſe repellant: Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Deinde ad Baptiſmum veniens, prius in pectore, & inter ſcapulas oleo vngitur, quatenus intelligat, ſine miſericordiæ oleo, etiamſi baptizetur, ſe tamen
D Deo placere non poſſe. Et de oleo quidem ſuperius diximus. Benè autem quidem in pectore vngitur, vbi eſt cor, memoria, & ratio & intellectus: quatenus ſemper miſericordiam in corde habeat, & nunquam pietatis, & miſericordiæ obliuiſcatur, ſed quia non ſufficit, vt miſericordia in mente ſolummodo habeatur, niſi & opere exerceatur, vngitur etiam & inter ſcapulas, vt audiat Apoſtolum dicentem: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* In ſcapulis & ſuper humeros feruntur onera. Hoc enim ipſe Dominus oſtendit, dicens de Phariſæis, *qui alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Oleum igitur à corde transfertur ad ſcapulas, quando miſericordia quæ mente concipitur, opere perficitur. De Baptiſmo autem ſatis ſuperius dictum eſt. Poſtquam autem baptizatus eſt homo, ſuſcipit veſtem candidam, per quam interioris, & exterioris hominis caſtitas, & puritas ſignatur, audiat- E
que ſcripturam dicentem: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Vngitur autem & Chriſmate à Sacerdote in vertice, in quo ſimul & nomen Chriſti & humilitatem ſuſcipiat. Vtrumque enim & Chriſtus, & Chriſtianus à Chriſmate nominatur. Et bene quidem ſignum crucis, & nomen humilitatis in vertice deſcribitur, vbi ipſa ſuperbià ſedere videbatur, ſemper enim ſuperbia ſuperiora appetit. Vnde inclinato capite humiles, & recta ceruice ſuperbos ſtare videmus. Hos humilitas inclinat, illos ſuperbia erigit. Sed quid dicit ſcriptura? *Verumtamen Deus conquaſſabit capita inimicorum ſuorum, ſuper verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Hac igitur vnctione ſuperbia tollitur, & humilitas commendatur. Nunc autem ſola confirmatio reſtat, quæ ab Epiſcopis fieri iubetur, in qua totius Chriſtianorum religionis myſterij plenitudo completur. In baptiſmo namque per ſpiritum ſanctum datur remiſſio peccatorum. Hic autem ipſe ſpiritus inuitatur, vt veniat, &
domum ipſam, quam ſanctificauit, defendere, & habita- F
re dignetur. Nam & ipſi Apoſtoli poſt baptiſmum accepêront ſpiritum ſanctum, quem vtique in ipſo baptiſmo iam acceperant in remiſſionem peccatorum. Neque enim credendum eſt, eos baptizatos non fuiſſe, qui & alios baptizabant & ipſum Dominum dixiſſe audierant: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei.* Acceperunt autem iterum ſpiritum ſanctum, quo ligarent & ſoluerent à peccatis. Inſufflauit enim Dominus in eos, vt ait Euágeliſta & dixit. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Receperunt & iterum in die Pentecoſtes, ad totius Virtutis, & ſcientiæ perfectionem. Ad cuius ſimilitudinem, & ſignificationem hæc vltima confirmatio fieri iubetur. In quo manifeſtum eſt, quod hoc ſacramentum, non iteratur, ſi quidem propter aliud, & aliud datur. Quamvis enim prius in vertice, & poſtea in fronte chriſmate vngatur, non tamen iteratur Chriſmatis ſacramentum, quia,
vt ſuperius oſtendimus, propter aliud, & aliud fit, ſicut G
& baptiſmum iterari non dicimus, cum toties poſt baptiſmum aqua aſpergatur. Ibi enim reiteratur ſacramentum, vbi ad ipſum iterum datur propter idem ipſum. Veluti ſi aliquis baptizatus iterum in aquis baptiſmatis mergeretur, quatenus ab originali & aliis peccatis ſolueretur: Aliter enim non rebaptizatur, etſi multoties aliquis baptiſmatis aquis mergatur. Hæc autem vltima conſignatio ideo quidem in fronte fit; quia perfectorum eſt, non in occulto, ſed palam & in manifeſto Chriſti nomen ſemper habere. Hinc eſt enim quod Ioannes Apoſtolus ait: *Vidi ſupra montem Sion agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Stare enim, & in monte ſtare, & cum Agno ſtare, perfectorum eſt. Ipſi enim Apoſtoli, antequam vngerentur, antequam Spiritu Sancto confirmarentur, nondum ſtabant, nondum perfecti erant, adhuc timebant, & nondum Chriſti nomen in Chriſti nomine
gerebant. H

Expoſitis omnibus, quæ ſuperius dicta ſunt: de veſtibus Sacerdotalibus, & quid Sandalia, quid Amictus, & Ephod, quid Cinctorium & Subcinctorium, quid Orarium, & Tunica, quid Dalmatica & planeta, quid Pallium & acus, quid Mitra & Manipulus ſignificent, videamus. Legimus in Euangelio, Chriſti diſcipulos ſandaliis calceatos à Domino miſſos: calceatos vtique in præparatione Euangelij pacis. Si enim calceati non eſſent, quomodo ſupra ſerpentes & ſcorpiones calcare potuiſſent? Reſpiciant igitur ſandalia Epiſcopi, reſpiciant calceamenta Apoſtolica, cogitent cur ita calceati ſint, imitentur eorum exempla, quorum imitantur calceamenta: inſtent prædicationi, quatenus & ipſi ſint calceati in præparatione Euangelij pacis: Hæc calceamenta non ſunt honoris ſed laboris, non ad quieſcendum, ſed ad iter agendum calceantur, qui calceantur. Hæc eſt igitur cauſa, cur ſandaliis vtantur Epiſcopi.

De Amictu & Ephod.

Amictus autem & Ephod, & cætera indumenta ſacerdotalia, quæ ex lino conficiuntur, pene eandem ſignificationem habent. Significant enim vtriuſque hominis caſtitatem & puritatem, quia præ cæteris candida ſunt, & frequentius abluuntur. Eandem igitur ſignificationem habent in nouo: quam habuerunt in veteri teſtamento. Et Amictus quidem, quo & collum ſtringitur & pectus tegitur, interioris hominis caſtitatem deſignat: Tegit enim cor, ne cogitet vanitates: ſtringit collum, ne inde ad linguam tranſeat mendacium. His enim duobus, ideſt, cogitationibus, & mendacio, corrumpitur anima; his amittit caſtitatem & incipit fornicari. Vnde ipſe Dominus ait: *quæ autē ex corde exeunt, hæc ſunt quæ coinquinant hominem:* Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, periuria, homicidia, & ſimilia: hæc ſunt quæ coinquinant hominem: non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Sentiat igitur cor lineum amictum & candidum indumentum quo premitur, & intelligat quod in eo ſignificatur; & ſic ſemper caſtitatis & munditiæ amor luxurioſis & iniquis cogitationibus non corrumpatur: Quod ſi aliquando corruptum fuerit, ne malè tamen cogitata foris prorumpere valeant, lineus amictus collum cingit & ſtringit. Semper igitur collum Epiſcopi lineo ſtringitur amictu, quatenus eloquia eius ſint eloquia caſta, & inde mendacium tranſire non valeat.

Similiter autem & per Ephod caſtitas corporis figuratur: Quod in renibus quidem cinctorio ſtringitur: quia ibi præcipuè luxuria dominatur. Vnde ipſa veritas ait: *Sint lumbi veſtri præcincti:* Lumbos enim præcingere, eſt luxuriæ impetus caſtitatis imperio refrænare. Hinc & de diabolo dicitur: *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius.* Neceſſe eſt igitur, vt Ephod, ideſt, virtus & fortitudo caſtitatis illis in locis ſtringatur & ligatur, in quibus maximè luxuria dominatur. Ab hoc autem cingulo, ſiue cinctorio duplex ſubcinctorium pendet; quia duo ſunt quibus caſtitas roboratur, & ſine quibus difficilè conſeruatur, ideſt, oratio & ieiunium. Attendant igitur ad ſuccinctorium Epiſcopi, inſtent ieiunio & orationi, his armis ſe defendant ab impetu libidinis & ſpiritu fornicationis: *Hoc etenim genus non eiicitur niſi in oratione & ieiunio.* Domini verba ſunt.

De Orario.

Sed quid per Orarium intelligamus niſi id quod Dominus ait: *Tollite iugum meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue?* Orarium, ſimul iugum, ſimul & onus eſt: Iugum ſacerdotibus, onus Diaconibus. Vnde fit, vt ſacerdotibus circa collum, & Diaconibus circa humeros ponatur. Vt enim collo portatur iugum; ſic & humeris onera feruntur: Boues igitur ſacerdotes, Aſini Diacones. Lege in Leuitico & videbis, ſolos Leuitas ferendis oneribus deſtinatos. Vocatur autem Orarium: quia quamvis ſine aliis indumentis ſacerdotalibus & baptizare & conſignare, & alia multa orando facere liceat, ſine Orario tamen, niſi magna neceſſitate cogente, nihil horum agere licet.

De Tunica.

Tunica autem in veteri Teſtamento hyacinthina ſolummodo erat, & alterius coloris non erat, per quam Angelica vita & cœleſtis conuerſatio deſignatur. Cœli namque colorem habent hyacinthi. Et tali quidem tunica Apoſtolus indutus dicebat: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Ad hanc igitur tunicam reſpiciat Epiſcopus, totuſque mente & deſiderio ad cœleſtia transferatur. Si autem alterius coloris tunica fuerit, ſit & alterius ſignificationis.

De Dalmatica.

Dalmatica vero magis ad ornatum, quam ad ſignificationem pertinere videtur; quæ & poſt alia indumenta ſacerdotalia inuenta eſſe probatur. Fimbriæ tamen quæ in Dalmaticis à ſiniſtro latere pendent, huius vitæ impedimenta, ſuperfluitates & ſollicitudines ſignificare poſſunt; quæ quoniam in altera vita non ſunt, merito neque fimbriæ in dextro latere ponuntur. Per dextram namque & ſiniſtram, vtramque vitam ſignificari vſitatiſſimum eſt. Vnde & illud: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quod igitur Dalmatica induitur, vtriuſque vitæ recordetur; eligat meliorem, illam videlicet quæ impedimenta, ſuperfluitates, curas, & ſollicitudines non habet.

De Planeta.

Sed quid Planeta, quæ & Caſula vocatur, niſi Charitatem ſignificat? Vnde & merito ſuperior eſt. Siquidem Deus charitas eſt. Hæc enim veſtis, omnia alia veſtimenta intra ſe claudit & continet; ſicut & in charitate omnia legis & Prophetarum mandata continentur, dicente Apoſtolo: *Plenitudo legis charitas eſt.* Et Dominus in Euangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum: In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ.* Quia igitur Planeta omnia alia veſtimenta continet intra ſe, merito illam virtutem ſignificat, quæ omnia legis & Prophetarum mandata continet in ſe.

De Pallio.

Reſtat nunc, vt de Pallio dicamus: per quod ſimul vtrumque & ſuperhumerale & rationale intelligimus: quia enim ſuper vtrumque Pontificis humerum iacet, ſuperhumerale dicitur? Quia vero inde deſcendens in ipſo Pontificis pectore iungitur, rationale vocatur. Habebat enim Aaron ſuperhumerale & rationale: quæ catenulis aureis ſimul iungebantur: & ſuperhumerale quidem ab humero vſque ad humerum extendebatur: rationale vero quadrangulum erat, & duplex, ſicut & pallium duplex eſt. Habebat autem menſuram palmi tam in longitudine quam in latitudine: quæ menſura pectori Pontificis ornando vel operiendo ſufficeret. Habet igitur Pallium eandem cum Humerali & Rationali ſignificationem. Dicamus itaque, quid ſuperhumerale, & quid rationale ſignificet: & hoc breuiter: quia ſufficienter de his in Exodo diximus. Quid enim ſuperhumerale, quo humeri Epiſcopi ornantur & onerantur, niſi Epiſcopalis dignitatis onus ſignificat? Magnum onus eſt dignitas Epiſcopalis: Iſti humeris totius Eccleſiæ onera ferre, & oues languidas & populi peccata portare debent. Illi Epiſcopi ſuperhumerale non habent, qui aliorum onera ferre recuſant. Quales erant illi de quibus Dominus ait: *Alligant onera grauia & importabilia & imponunt in humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Summus autem Pontifex ille noſter tali ſuperhumerali ornatus erat, qui relictis ouibus nonaginta nouem, vnam quæ perierat, quærere venit, quam inuentam propriis humeris impoſuit & ad paſcua reduxit. Rationale vero quid ſignificet, & nomine ipſo & loco, ſuper quem ponitur, intelligi poteſt: Ponitur enim ſuper pectus Pontificis, ad cordis theſaurum & Sapientiæ Secretarium cuſtodiendum. Hoc enim rationale ſupra pectus habebat ille qui dicebat: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vbi enim eſt rationale, ibi eſt & ratio & ſapientia & ſcientia: hoc enim rationale ſignificat. In quo igitur pectore & corde iſta non fuerint, ibi rationale poni non debet: Si enim ponitur, inutile eſt, & quaſi ſigillum nihil cuſtodiens. Dicitur autem rationale Iudicis: vt qui eo vtitur, rationabiliter iudicet, ſapienter iudicet, vera iudicet, nihil temere, nihil incautè, nihil inordinate iudicet. Hæc autem de Rationali & ſuperhumerali dicimus, quatenus per hæc quid Pallium ſignificet, intelligatur. Eſt autem Pallium in ſiniſtra duplex: quia quamdiu in hac vita ſumus, quæ per ſiniſtram ſignificatur, duplicitate carere non poſſumus: ſiquidem nunc proſperis extollimur, nunc aduerſis frangimur: nunc terrena petimus, nunc cœleſtibus adhæremus: nunc carni, nunc menti ſeruimus: In dextera vero, Pallium duplex non eſt: quia in altera vita duplicitas nulla eſt: ibi enim proſperitas

A ſine aduerſitate, gaudium ſine triſtitia, felicitas ſine miſeria: illa igitur caret duplicitate, non habens maculam, neque rugam. Fit autem Pallium ex lana, vili ſcilicet materia, vt habeat pretium non à ſe, ſed in eo, quod ſignificatur in ſe. Vtinam non oculis, ſed menti ſpectabile ſit; vt non ad ornandum, ſed ad aliquid ſignificandum indui intelligatur.

De Vittis.

Vittas autem, quæ in pallio poſitæ ante, & retro, rationale & ſuperhumerale ad inferiora trahunt, huius vitæ curas & ſollicitudines ſignificare putamus: quibus & cor, & humeri Pontificis ſic ſæpiſſime grauantur & impediuntur, vt à proprio ſtatu eum auertant, & vana quædam & tranſitoria eum cogitare & portare compellant. Has igitur vittas inſpiciat Epiſcopus, & earum iniquo grauamine cor, humeroſque excutiat.

B *De Acu.*

Acus autem non ad pungendum, id eſt, propter huius vitæ punctiones, vt quidam putant, ſed planetam, palliumque iungendum inuentæ ſunt. Quædam enim inſulæ antiquitus in Planeta poſitæ erant, quibus acus inferebantur, & Pallium ſimul cum Planeta firmabant, ne à ſuo loco Pallium moueretur. Poſſumus tamen per acus, quia tres ſunt, fidem, ſpem, & charitatem intelligere, ſine quibus pallium ab Epiſcopo teneri non poteſt. Qui igitur habet pallium, habeat & acus, quibus liget & ſtringat & teneat pallium. Et de pallio quidem, tantum nos dixiſſe ſufficiat.

De Mitra.

Mitra autem, quia linea eſt, caſtitatis candorem, munditiamque ſignificat: ſicut & amictus & Ephod, de quibus ſuperius dictum eſt. Bene autem totus à capite vſque ad pedes lino Epiſcopus operitur: quia omnis eius honor & gloria, caſtitas & munditia eſt. C Hoc autem ornamentum multum erat capiti neceſſarium, quia ibi ſunt quinque corporis ſenſus: quibus corruptis, facilè caſtitas violatur. Vnde Pſalmiſta: *Auerte*, inquit, *oculos meos Domine ne videant vanitatem.* Et B. Iob: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de Virgine.* Ne igitur ſenſus Epiſcopi violentur, merito mitra caſtitatis eius caput ornatur & operitur.

De Manipulo.

Sed quid per manipulum niſi bona opera intelligamus? Vnde eſt illud: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Cogitet igitur Epiſcopus, quid in eius manu manipulus ſignificet: ne quando bonæ operationis obliuiſcatur. Niſi enim aliquid ſignificaret, ridiculum quoddam videretur eſſe, in manu manipulum portare. D Eſt igitur hoc, ſicut ſcriptum eſt, ſignum aliquod de manu noſtra, & quaſi appenſum quid ante oculos noſtros.

De Chirotecis.

Quæris fortaſſè: Cur manus lineis Chirotecis induantur? Breuiter reſpondeo: Vt caſtæ ſint, mundæ ſint, & ab omni ſorditate immunes ſint, & nitidæ.

De Annulo.

Annulus quoque in digito Epiſcopi quoddam ſignum eſſe videtur, per quod Chriſti Vicarius eſſe intelligitur, vt eius ſponſam, quæ eſt Eccleſia, regat & cuſtodiat. De hoc enim ſponſo & ſponſa Ioan. Baptiſta loquitur, dicens: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt:* amicus autem ſponſi quis...... Eſt igitur Epiſcopus, & amicus, & Vicarius ſponſi: Quod ſi Vicarius eſt, & ipſe quodammodo ſponſus eſt.

De Imperio Summo.

Summus autem Pontifex propter hoc & Regnum portat (ſic enim vocatur) & purpura vtitur: non pro ſignificatione, vt puto, ſed quia Conſtantinus Imperator E olim B. Sylueſtro omnia Romani Imperij inſignia tradidit. Vnde & in magnis Proceſſionibus omnis ille apparatus Pontifici exhibetur, qui quondam Imperatoribus fieri ſolebat. Hæc autem de veſtibus ſacerdotalibus dicta ſint. Nunc autem dicendum eſt: quid in Epiſcoporum Conſecrationibus Euangeliorum liber humeris impoſitus, & capitis, & manuum vnctio deſignet. Hæc enim ſub figura fieri videntur; non autem ad ſortes quærendas, vt ſtulti opinantur, Euangeliorum liber eius qui conſecratur humeris imponitur; ſed vt per hoc intelligatur, cui labori & oneri ſubiicitur; vt pondus Euangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre non pigeat. Et quia non ſolum Epiſcopus, ſed & Rex in Eccleſia conſtituitur, ſecundum antiquorum conſuetudinem, eius caput vngitur, eiuſque corona chriſmate conſecratur. De hoc enim vnguento ſcriptum eſt: *Sicut vnguentum in capite eius, quod deſcendit in barbam barbam Aaron.* Firmiſſime autem credendum eſt: quod hac vnctione & Chriſti benedictionem, & Spiritus maiorem gratiam ſuſcipiat. F Vnguntur autem & manus: vt quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque ſanctificauerint, ſanctificentur. Hæc autem vnctio in Epiſcopo otioſa eſſe non debet. Vngitur exterius, vngatur & interius: vngitur in capite, vngatur & in mente. Nam & mens caput eſt: caput vtique ſed melioris & interioris hominis. De hoc enim capite Dominus ait: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum.* Vnge, inquit, ſed quo oleo? non oliuæ, ſed miſericordiæ. Vngatur igitur mens pietatis & miſericordiæ oleo: vt bonæ vitæ, & ſanctæ conuerſationis longè circumquaque cunctis ſuauem & delectabilem ſpargat odorem. Quæ enim mens tali oleo vncta fuerit, omnium miſerebitur, & ſuper omnes cordis compaſſione mouebitur. Sed quia non ſufficit mente tantum & voluntate miſereri, vnguntur manus: vt miſericordia, quæ mente concipitur, manibus quoque exerceatur. Vngantur igitur manus Epiſcopi, pietatis, & miſericordiæ oleo: nemini claudantur, G omnibus aperiantur. Audiat quid de Eccleſia dicitur: Manum ſuam aperuit inopi, & brachium ſuum extendit ad pauperem. Manus arida, manus auara, manus tenacitate contracta, non poteſt aperiri. Vngatur igitur vt ſanetur: vngatur vt aperiatur, & indigentibus eleemoſynas largiatur.

Explicit. Deo gratias.

SANCTI LEONIS PAPÆ Noni, Vita.

A S. Brunone Signienſi Epiſcopo conſcripta.

BRuno Signienſis Epiſcopus omnibus fidelibus, & H Catholicis vniuerſis. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Pſalmiſta loquitur dicens. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Qua in re manifeſtiſſimè docet, vt nos quoque ad Dei laudem & magnificentiam, quoſcunque poſſumus, inuitemus. Omnis enim laus, omnis virtus & gloria Sanctorum ad illum refertur, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis; qui ſuis quoque diſcipulis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ipſe in ſingulis coronatur, & in omnis honoratur, ipſe in eis loquitur, ipſe in eis pugnat, & vincit. Vnde & ipſi fideles, & ſerui ipſius non immerito dicunt: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Laudemus ergo Sanctos Dei, honoremus amicos Dei; ſiquidem ipſe laudatur & magnificatur in eis, qui hanc tantam gloriam, virtutem, & magnificentiam dedit eis. Rogo itaque. *Magnificate Dominum mecum.* Et in hac tanta ſolemnitate Beati Leonis Summi Pontificis, & Vniuerſalis Papæ exaltemus nomen eius in idipſum.

Mundus totus in maligno poſitus erat, defecerat Sanctitas, iuſtitia perierat, & veritas ſepulta erat: regnabat

A iniquitas, auaritia dominabatur, Simon magus Eccleſiam poſſidebat, Epiſcopi, & Sacerdotes voluptatibus, & fornicationi dediti erant non erubeſcebant ſacerdotes vxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, & legibus eas dotabant, cum quibus ſecundum leges nec in vna domo ſimul habitare debebant. Sacri namque Canones, nullas alias mulieres ſimul cum hoc ordine habitare permittunt, niſi eas ſolas quæ omni careant ſuſpicione. Sed, quod his omnibus deterius eſt, vix aliquis inueniebatur, qui vel Simoniacus non eſſet, vel à ſimoniacis ordinatus non fuiſſet. Vnde etiam vſque hodie inueniuntur quidam, qui malè argumentantes, & Eccleſiæ diſpenſationem non bene intelligentes, ab illo iam tempore Sacerdotium in Eccleſia defeciſſe contendant. Aiunt enim: Si omnes tales erant, id eſt, ſi omnes vel ſimoniaci erant, vel à ſimoniacis ordinati, vos, qui nunc eſtis, vnde huc veniſtis? per quos, niſi per illos tranſiſtis? non fuit via aliunde. Ergo illi, qui vos ordinauerunt, ab illis, & non ab aliis ſuos ordi- B nes ſuſceperunt, qui vel ſimoniaci erant, vel à ſimoniacis ordinati erant. His autem poſtea reſpondebimus, quoniam hæc quæſtio non paruam quærit diſputationem. Nunc interim ea, quæ cœpimus, proſequamur.

Talis erat Eccleſia, tales erant Epiſcopi & Sacerdotes, tales & ipſi Romani Pontifices, qui omnes alios illuminare debebant: Omne ſal erat infatuatum, neque erat aliquid in quo condiretur. Et niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. In hac igitur tanta tempeſtate beatus Leo Apoſtolici culminis Cathedram ſuſcepit, vt hæc talis tantaque lucerna, vniuerſali candelabro ſuperpoſita, luceret omnibus, qui in domo ſunt.

Erat enim hic Tullenſis Epiſcopus Bruno nomine, nobilis genere, forma ſpecioſus, ſed ſpecioſior ſanctitate, litteris inſtructus, doctrina potens, moribus ornatus, & quęcumque huic ordini neceſſaria ſunt, ſimul in eo cuncta conuenerant. Et talis quidem magiſter neceſſarius erat, C qui tali tempore, & tales diſcipulos habiturus erat.

Conuenerunt itaque viri religioſi ſimul cum Henrico Imperatore, viro per omnia prudentiſſimo, & Legatis Romanorum, qui tunc temporis ibi erant, præfatum Epiſcopum multum deprecantes, vt pro amore Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli, Romanæ Eccleſiæ ſubueniret, ſeſeque pro fide, & religione Chriſtiana periculis tradere non timeret. Timebat enim gens illa huius noſtræ terræ habitationem, vt potè quæ de locis ſaniſſimis ad loca infirma tranſmearet.

Beatus autem ille Epiſcopus, non loci infirmitatem, ſed tantæ Eccleſiæ ſublimitatem aſcendere metuebat. Sic enim & Moyſes feciſſe legitur; quem cum Dominus Iſraëlitico populo præponere voluiſſet ait: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* Victus tandē eorum precibus, quod illi poſtulabant, ſe ſub hac conditione facturum eſſe promiſit. *Ego*, inquit, *Romam vado, ibique ſi Clerus, & populus ſua ſponte me ſibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis: aliter autem electionem nullam ſuſcipio.*

At illi gauiſi, confirmant ſententiam, & laudant con- D ditionem. Illis autem diebus erat ibi Monachus quidam Romanus, Ildebrandus nomine, nobilis indolis adoleſcens, clari ingenij, ſanctæque religionis. Iuerat autem illuc, tum diſcendi gratia, tum etiam vt in aliquo religioſo loco ſub Beati Benedicti Regula militaret. Hunc igitur Beatus Epiſcopus vocauit ad ſe, cuius propoſitum, voluntatem, & religionem mox vt cognouit, rogauit eum, vt ſimul cum eo Romam rediret. Cui ille non facio, inquit. Reſpondit Epiſcopus. Quare non. At ille: Quia non ſecundum Canonicam inſtitutionem, ſed per ſæcularem, & regiam poteſtatem Romanam Eccleſiam arripere vadis. Ille autem, vt erat natura ſimplex, atque mitiſſimus, patienter ei ſatisfecit, reddita de omnibus ſicut ille voluerat ratione.

Quo nimirum in facto Beati Petri Apoſtoli, cuius ſucceſſor mox ipſe futurus erat, exemplum imitatus eſt: Qui poſtquam Cornelium Baptizauit, hominem, ſcilicet E gentilem, & à Iudæorum religione extraneum, ab aliis Apoſtolis reprehenſus, quod ad hominem intrauit præputium habentem, non eſt dedignatus de omnibus reddere rationem.

Et tunc Epiſcopus Romam veniens prædictum Monachum ſecum adduxit, multum in hoc ipſo Beato Petro Apoſtolo ſeruiens, quod illum hominem ſecum reducebat, cuius conſilio, & ſapientia Romana Eccleſia aliquando regenda, & gubernanda erat. Hic eſt enim Gregorius Septimus Papa, cuius prudentiam, conſtantiam, & fortitudinem, cuius pugnas & labores enarrare, alterius temporis, & operis eſt. Et ſecundum Romanam conſuetudinem cum magnis laudibus à Clero & Populo in Pontificem electus eſt. Deinde vero in B. Petri Apoſtoli Cathedram eleuatus, Diuina, vt opinor, operante prouidentia, mutato nomine, Leo vocatus eſt. Vicerat enim Leo de tribu Iuda, à qua iſte Leo originem ducens, factus fortiſſimus beſtiarum, ad nullius timeret occurſum. Cuius quidem rugitus mox terram commo- F uit, terruit ſacrilegos, turbauit, & coniugatorum exercitum vulnerauit. Iſte enim Beatiſſimus Pontifex, ſancti ſpiritus igne inflammatus, maximè contra ſimoniacos exarſit, & vt Clericorum ordo caſtè & religioſè viueret, antiquos Canones confirmauit, multum in hoc ipſo, vbi neceſſarium fuit, diſpenſatoriè condeſcendens & parua indicta pœnitentia, Apoſtolica auctoritate de præteritis parcens, ne tale aliquid vlterius committerent, admonebat. Hoc autem in exemplum ſuſcipi non oportet, quod Pontifex non voluntate, ſed neceſſitate agebat, niſi, & cauſa fortaſsè, & ſimilis ſit, quia multoties Eccleſiæ Rectores ea tolerare cogit, quæ corrigi non poſſunt: Quanta ei benignitas circa omnes, quanta humilitas, quanta manſuetudo, quam largus, quam affabilis, quam omnibus compatiens fuerit, quis dicere valeat? Omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret. Sermo eius ſale conditus, & mulcebat pios, & terrebat impios.

Sed iam nunc ad ea veniamus, quæ per eum Dominus operatus eſt: non quod omnia ſcribere velimus, quæ vel G de eo audiuimus, vel etiam ſcripta reperimus. Multa nobis beatus Gregorius Papa, cuius ſuperius mentionem fecimus, de hoc viro narrare ſolebat, à quo & ea, quæ vſque modo dixi, magna ex parte, me audiſſe memini. Qui cum nobis audientibus aliquando de ipſo loqueretur, cœpit nos increpare, & me præcipuè, vt mihi videbatur (ſiquidem in me oculos intentos habebat) quoniam beati Leonis facta ſilentio perire pateremur, & quod ea non ſcriberemus, quæ Romanæ Eccleſiæ ad gloriam; & multis audientibus forent ad humilitatis exemplum. Sed quoniam in commune verba fundebat, & nulli noſtrum ſpecialiter hoc agere iubebatur, nemo fuit, qui ea ſcriberet quæ omnibus ſcribendo mandabat.

Nec ego quidem nunc ea ſcripſiſſem, niſi quodam modo, vt ea ſcribere coactus eſſem, ſicut in ſequentibus manifeſtabo. Parcat mihi vterque Pontifex, quoniam vtrumque me in hoc offendiſſe cognoſco. Hoc igitur primum dicamus, quod in partibus Galliæ admirabili Dei prouidētia per eum factum audiuimus. Cum enim B. Leo H ibi concilia celebraret, multique ibi Epiſcopi de Simoniaca hæreſi accuſarentur, inter cęteros accuſatus eſt quidā, qui præ cæteris ſuſpectus amplius habebatur: ſed cum eius accuſatio certis indiciis probari non poſſet, adiurauit eum Pontifex, vt ipſe de ſeipſo diceret veritatem qui cum veritatē dicere nollet, & ſuam iniquitatē bonis omnibus celare conaretur, ait ad eum B. Leo: Si ergo, vt aſſeris, Simoniacus non es, & ſi in Spiritum Sanctum non peccaſti; dic mihi ſi potes: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Cumque ille dixiſſet: Gloria Patri, & Filio, quamvis multū conaretur, nullo modo, & ſpiritui ſancto dicere valebat, atque idipſum ſæpius repetens cum aperto ore ſpiritum ſanctum nullatenus nominare potuiſſet, omnibus qui aderant manifeſtum apparuit, in ſpiritum ſanctum eum deliquiſſe, cuius nomen dicere non valebat. Omnes igitur in commune Deo gratias agebant, qui tam nouum ſignum, tamquè inauditum miraculum, eis oſtendere dignatus fuerat. Huius itaque iudicio nonnulli

A ſuper hæc prauam, & erroneam intelligentiam appoſuerit, Deus quoque apponet ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: E contra vero, ſi quis diminuerit de verbis prophetiæ libri huius, & ea, quæ Spiritus ſanctus locutus eſt vana & falſa eſſe confirmans, diminuere & delere tentauerit, firmiſſimè credat & nullatenus dubitet, quod Deus quoque cui tam importune aduerſari non timet, auferet partem eius, quam habiturus erat in ſanctorum conſortio, de libro vitæ, & de ciuitate ſancta Ieruſalem, cuius laudes ſuperius expoſitæ ſunt, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto, in quo omnis ſanctorum gloria laus, & honor & beatitudo continetur.

Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam, Amen. Venio cito. Sic enim qui teſtimonium perhibet iſtorum, quamuis B. Ioannes intelligi poſſit, qui etiam in euangelio ait. *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his & ſcripſit hæc*, competentius tamen Chriſtus intelligitur, quem eorum, quæ hic dicuntur, B. Ioannes teſtem eſſe confirmat. B Qui etiam vt vera falſaque reuelet, & abſcondita tenebrarum illuminet, atque ſecundum opera ſua vnicuique tribuat ſubinferens ait. *Venio cito.* Cui promiſſioni beatus quoque Ioannes lætabundus reſpondet, dicens. *Veni Domine Ieſu*, tuum aduentum expectamus ſuſcipe nos in pace atque Angelorum iunge cohorti. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti*, qua gratis ex nullis præcedentibus meritis ſaluati ſumus, *ſit cum omnibus nobis.* Amen.

NOTA.

Omnes homiliæ S. Brunonis hîc omiſſæ ſunt, quia iam reperiuntur in hac eadem Bibliotheca nempe ſæculo 5. part. 1. a pagina 686. vſque ad paginam 812. ſub nomine Euſebij Gallicani, his tribus ſequentibus exceptis, quæ ibidem non comparent, ſicut nec pars homiliæ de Paſſione Domini.

C

HOMILIA PRO DOMINICA IV. Aduentus.

Lectio S Euangelij ſecundum Lucam.

ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: Tetrarcha autem Galilææ Herode; Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituręæ & Trachonitidis regionis, & Liſania Abilinæ Tetrarcha, ſub principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* Et reliqua.

Quoniam quidem vt Dominus ait, *omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*, Iudæorum regni deſolationem & deſtructionem proximam iam tunc Euangeliſta monſtrabat, quando illud in tot partes diuiſum eſſe dicebat. Quo autem tempore Ioannes Baptiſta prædicare cœperit, deſcriptis terræ principibus diligentiſſimè oſtendit. D Prædicabat autem Ioannes baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Hoc videlicet docens, & prædicans, quia niſi per baptiſmum & pœnitentiam non poſſet fieri remiſſio peccatorum. Prædicabat quidem, ſed non dabat. Docebat medicinam, ſed non ſanabat. Nondũ enim baptiſmi data fuerat forma; nondum Dominus dixerat, *ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hæc eſt forma baptiſmi, aliter baptiſmus non valet. Hanc autem formam ſibi Dominus reſeruauerat; hanc per ſe ipſum dare venerat, quia valde conueniens erat, vt vniuerſalis medicina per vniuerſalem medicum daretur. *Venit igitur Ioannes in omnem regionem Iordanis prædicans, ſed non tribuens baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ, vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Sic igitur faciebat Ioannes ſicut Eſaias de eo prædixerat, clamabat, prædicabat, baptiſmum & pœnitentiam docebat. Iſtæ enim ſunt illæ viæ per quas venitur ad Dominum & per quas E venitur ad Dominum & per quas ad vos venit Dominus. Interrogatus enim Ioannes quis eſſet, reſpondit, *Ego vox clamantis in deſerto.* Vox enim erat Ioannes, quia verbum Chriſtus. Sicut enim vox præcedit verbum; ita, & Ioannes Chriſtum præceſſit: Statim enim vt ex ore loquentis ſonus qualiſcunque procedit, vox eſt, verbum tamen nondum eſt, quia omne verbum ſignificat aliquid; merito igitur vox dicitur Ioannes; merito Chriſtus verbum vocatur. Hæc autem vox in deſerto clamabat, quia impios & crudeles ad fidem vocabat, qui non hominem pietate, ſed feras, & belluas crudelitate imitabantur. Deſertum enim non eſt habitatio hominum, ſed ferarum. Talis erat mundus iſte, tales habitatores habebat, vnde Pſalmiſta ait: *In deſerto & in via & inaquoſo, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* In deſerto itaque Ioannes prædicabat. Sed quid dicebat? *Parate viam Domini, & rectas facite ſemitas eius.* F Tunc enim viam Domini paramus eiuſque ſemitas rectas facimus, ſi ea quæ agimus, non pro vana gloria, ſed ſincero affectu & caſto amore faciamus. De illis enim qui omnia opera ſua faciebant vt viderentur ab hominibus dicebat Dominus; *Amen dico vobis, quia receperunt mercedẽ ſuam.* Hoc autem ideo, quia ibant per viam prauam & ſemitas tortuoſas. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Sed quid per valles niſi humiles, quid vero per colles, niſi ſuperbos intelligimus? Vallis igitur implebitur, & exaltabitur, quia humilis Sancti Spiritus gratia plenus ad cœleſtia ſublimabitur. Mons vero & collis humiliabitur, quia ſuperbus deprimetur, & in tenebris præcipitabitur. Vnde & ſubditur, *& erunt praua, in directa, & aſpera in vias planas.* Tunc enim, & praua diriguntur, & aſpera planabuntur, quia nulla ait ſuperbia, nulla poteſtas, nulla virtus, nulla altitudo quæ ſanctis reſiſtere valeat. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* G Non enim in primo aduentu Chriſtum Dominum vidit omnis caro. In ſecundo autem omnis oculus eum videbit. Sicut ipſe ait, *viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu & confitebitur omnis lingua.* De hoc autem ſalutari, Patriarcha Iacob ſpiritu Dei plenus, cum filios benediceret ait; *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro; ſalutare tuum expectabo Domine.* Hoc autem tale fuit, ac ſi diceret; Scio Domine, quia filij mei, progenies mea, ſuâ prauitate decepta Antichriſtum expectabit: Ego autem ſalutare tuum Ieſum Chriſtum filium tuum expectabo Domine. De tribu namque Dan, orietur Antichriſtus, quem Iudæi expectant; & Meſſiam vocant. Ipſe autem erit coluber in via & ceraſtes in ſemita, quia omnibus in via mandatorum Dei currentibus, & ad patriam feſtinantibus inſidiabitur, vt eorum itinera impedire valeat. Omnes enim in via ſumus, omnes ad patriam redimus, quia non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Tanta eſt via, quanta eſt & vita. H In hac ergo via multum vobis cauendum eſt, ne ille ſerpens nobis occurrat, ſuoque veneno nos inficiat. De quo ſcriptum eſt, *Trahet draco caudam & ſeparabit tertiam partem ſtellarum cœli.* Ceraſtes autem cornutus interpretatur; hæc enim beſtia, & hic draco decem cornua habere deſcribitur, per quæ omnes mundi huius iniquos reges & principes intelligimus. Omnes enim in eius exercitu connumerabuntur, & quicunque eius facta imitantur vel imitabuntur. Vnde & per beatum Iob dicitur; *quia poſt ſe omnem hominem trahit & ante ſe innumerabiles.* Quibus verbis manifeſtè oſtenditur, quia multi in eius exercitu computabuntur, qui eum corporaliter non viderunt, ſi quidem & eos trahet, qui fuerunt ante ſe, & eos qui erunt poſt ſe. Sequitur, *mordens vngulam equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Sed quid per equum, niſi hunc mundum intelligimus? quid vero per aſcenſorem, niſi reges omneſque potentes, qui ei præſident ſuique moderaminis frenis eum regunt, & ad ſuam voluntatem conuertunt? Vngula vero equi vltima pars mundi intel-

A ligitur ; quoniam vltima pars corporis vngula eſt. Hunc igitur equum iam fugientem & pone curſum finientem & , (vt ita dixerim) pedem trahentem , & ſolam vngulam, id eſt extremam ſui partem oſtendentem, mordebit ceraſtes, id eſt Antichriſtus, & hic ſui veneni corruptione inficiet vt & ipſe pereat , & eius aſcenſores retrorſum cadentes intereant. Tanta enim erit eius deceptio, tam fraudulenta, & venenoſa perſuaſio, vt in errores inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Hanc autem beſtiam expectant Iudæi, hanc peſtem expectant Scribæ & Phariſæi ; neque attendunt Iacob Patrem prophetantem, neque intelligunt eum benedicentem, atque dicentem, *ſalutare tuum exſpectabo Domine.*

HOMILIA PRO FERIA SECVNDA poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

B

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Hieroſolymam Ieſus & inuenit in templo vendentes boues & oues. Et reliqua.

Hæc quidem in Matthæo expoſita ſunt quæ alij Euangeliſtæ Dominum tunc feciſſe narrant, quando ſuper pullum Aſinæ ſedens Hieroſolymam venit. Vnde manifeſtum eſt beatum Ioannem hiſtoriæ ordinem non vbique tenere. *Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, quod ſignum oſtendis vobis, quia hoc facis ?* Reſpondit Ieſus , & dixit eis ; *ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem Iudæi non intelligentes & de templo lapideo & manufacto eum loqui putantes dixerunt : *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc , & tu in tribus diebus excitabis illud ?* Ille au-

C tem , inquit Euangeliſta , dicebat de templo corporis ſui , quod Iudæi per crucis tormentum illis diebus erant ſoluturi. Non maius tamen miraculum erat templum illud in tribus diebus reædificare , quam ſe ipſum poſt mortem die tertia reſuſcitare. Qui enim vna die , vt Moyſes ſcribit , cœlum & terram creauit , facile ei erat vnam domum in tribus diebus reædificare. *Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis recordati ſunt diſcipuli eius , quia hoc dicebat.* In quo apparet ipſos quoque Chriſti diſcipulos hoc verbum non intellexiſſe ; *& crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Ieſus.* Crediderunt , inquit, ſcripturæ Prophetarum de Chriſti reſurrectione loquenti , crediderunt & huic ſermoni Ieſu de ſua reſurrectione Prophetanti. Chriſti ergo reſurrectio fuit cauſa quod ſcripturæ Prophetarum , & ſermoni Ieſu Apoſtoli crediderunt. *Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto multi crediderunt in nomine eius videntes ſigna, quæ faciebat.* Ecce iterum Euangeliſta loquendi ordinem mutare videtur , vt non de illo Paſcha loquatur , de quo

D vſque modo locutus eſt. Illo enim Paſchâ , quo Dominus crucifixus eſt, nec multa ſigna eum feciſſe, nec multos in eum crediſſe, ſed ipſos quoque Apoſtolos dubitaſſe legimus. Conſtat igitur, quia aut de alio Paſcha loquitur , aut non ſemel tantum vendentes , & ementes de templo Dominus eiecit. Sequitur. *Ipſe autem Ieſus non credebat ſe ipſum eis , eo quod ipſe noſſet omnes , & quia opus ei non erat , vt quis teſtimonium perhiberet de homine, ipſe autem ſciebat quid eſſet in homine.* Si enim de illis intelligitur qui crediderunt in nomine eius , inconueniens eſſe videtur , vt Ieſus non credebat ſemetipſum eis. De aliis igitur hoc intelligatur. Quodammodo ſe ipſum Ieſus , & credebat eis & non credebat eis. Credebat enim ſemetipſum eis , quia cum eis conuerſabatur , & eis quotidie & in ſinagogis , & in templo prædicabat. Sed non credebat ſemetipſum eis , & non credebat ſe ipſum ſecurè , & abſque illorum inſidiis eſſe apud eos. Quare hoc ? eo quod ipſe noſſet omnes & quia ſcie-

E bat quid fraudis & iniquitatis eſſet in vnoquoque homine.

PARS QVÆ DESIDERATVR Homiliæ de Paſſione Domini , ſupra ſæculo quinto , parte prima pagina 750. edita ſub nomine Euſebij Gallicani , cum re vera ſit Brunonis Aſtenſis.

POſtquam autem crucifixerunt eum , diuiſerunt ſibi veſtimenta eius ſortem mittentes , vt adimpleretur quod ſcriptum eſt per Prophetam dicentem, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea , & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Hæc autem melior veſtis , quæ non ſcinditur nec diui-

F ditur, ſed ſorte datur ; ſanctam Eccleſiam ſignificat, non habentem maculam neque rugam vel aliquid huiuſmodi. *Et ſedentes ſeruabant eum & poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam , hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hunc autem titulum Hebraicè , Græcè & Latinè alius Euangeliſta ſcriptum narrat , vt omnis lingua vel legendo confeteatur , quod Iudæi credere & confiteri nolunt. *Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones , vnum à dextris & vnum à ſiniſtris.* In hoc quoque illud completum eſſe videtur , & inter iniquos deputatus eſt , vt & , in medio duorum animalium innoteſceris. *Et proferentes blaſphemabant eum mouentes capita ſua , & dicentes , Vah qui deſtruis templum Dei & in triduo illud reædificas.* Quaſi inſani capita mouent , Chriſto illudunt , & motu & voce inſultant ei dicentes. *Salua te metipſum, ſi filius Dei es deſcende de cruce.* Sic enim & magiſter eorum diabolus dicebat , ſi filius Dei es mitte te deorſum. Non enim maius eſt de cruce de-

G ſcendere quam mortuos ſuſcitare; non maius eſt dicere deſcende , quam à mortuis reſurge ; hoc autem fecit Ieſus. Cur ergo non credunt Iudæi eum eſſe filium Dei ? Hæc enim verba non ex ſe , ſed Diaboli afflatu dicebant Iudæi. Iam enim ſe Diabolus vinci ſentiebat , & crucis veritatem ferre non poterat & idcircò Chriſti Paſſionem impedire conabatur. *Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant , alios ſaluos fecit , ſe ipſum non poteſt ſaluum facere , ſi Rex Iſraë eſt , deſcendat nunc de cruce & credimus ei ; Confidit in Deum liberet eum nunc ſi vult , dixit enim Dei filius ſum. Id ipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* Idem dicunt omnes , quia eodem ſpiritu loquuntur omnes , promittunt ſe credere , ſi de cruce deſcendiſſet : Et ſi de cruce deſcendiſſet , vos à morte non liberaſſet. Vnde mors in vita. Per lignum mors venit , per lignum vita redit. Ideoque Dominus de cœlis deſcendere voluit , quia mundum per crucem redimere voluit. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Vbique

H tenebræ fiunt ſole iuſtitiæ obeunte. Sicut enim eo naſcente illuminatus eſt mundus , & populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam , ita eo moriente obſcuratus eſt, & ignorantiæ tenebris in tormentis obuolutus eſt , quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël. Quo viſo mirando alter latronum credidit , & cum prius eum cum ſocio deſpexiſſet, poſtea illum defendere cœpit, dicens alteri vt alias Euangeliſta refert , *neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.* Sic igitur prius ambo poſtea alter & non ambo improperabant ei. *Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna dicens , Heli, Heli Lamaſabacthani , hoc Deus meus Deus vt quid dereliquiſti me ?* Homo eſt qui loquitur , & quod ſe derelictum dicit , corpus ſuum , quod eſt Eccleſia , ſecundum quoſdam , à Deo derelictum dolet : ipſe enim ſecundum ſe nunquam à Deo derelinquitur. Nemo enim derelinquitur à Deo niſi ille qui peccet ; quoties enim peccamus , toties à Domino derelinquimur. Hoc enim

Dominus ipſe ſignificat, cum mox in eodem pſalmo ſubinferens ait, *longè à ſalute mea*, ſubauditur ſunt hæc verba: cuius ergo ſunt? vis audire cuius, *verba deliſtorum meorum.* Ac ſi dicat, hæc verba ego non dixiſſem, niſi pro delictis meorum fidelium doluiſſem. Doleo autem quos tam dura & amarâ morte Deo reconcilio, propter peccata, quæ agunt ideo à Deo derelinquuntur, & ad mortem tendere video. *Quidam autem illic ſtantes & audientes dicebant, Heliam vocat eſſe*, non omnes, ſed quidam hoc dicebant, illi ſcilicet qui hæc verba non intelligebant. *Et continuo currens vnus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini & dabat ei bibere.* Continuo inquit, vt Dominus dixit, *ſitio*, ſicut Ioannes Euangeliſta ſcribit, *currens vnus ex eis, impleuit ſpongiam aceto & dabat ei bibere.* Non enim acetum, ſed fidem Chriſtus ſitiebat, ſynagoga tamen hoc dabat quod habebat; Quid enim acetum niſi eorum doctrina amara, acetoſa, erronea & venenoſa? Quid vero ſpongia, niſi eorum corda fraudulenta & latebroſa? At vero arundo cum qua ſcribitur, ipſa ſcriptura intelligitur. Quid illud factum ſignificauit, niſi quod ſynagoga prauam doctrinam & hæreticam potionem vſque hodie cogitare & ſcribere contra Chriſtum, loqui & effundere non ceſſat. Alij vero dicebant, *ſine videamus an veniat Helias liberans eum.* Hoc illi dicebant qui non intellexerant quid Chriſti verba ſignificarent, quibus modo ſuperius dixerat Heli, Heli. *Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum.* In poteſtate enim habebat & viuere & mori ſicut volebat. Vnde & alibi ait, nemo tollit à me animam meam, ſed ego pono eam & iterum ſumo eam. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerunt multis.* Voce Chriſti mouentur elementa, & ſimul cum eo vult diſſolui atque finiri omnis creatura, velum templi ſcinditur, apparent ſancta ſanctorum, & ſublato velamine litteræ reuelantur fundamenta ſcripturarum. Mouetur terra, ſcinduntur Petræ, vt quia Iudæi in ſua infidelitate immobiles perſtitere, Gentiles ab infidelitate moueantur & ad fidem currant & ad doctrinæ Euangelicæ pluuiam hauriendam corda prius dura & lapidea aperiant. Corpora vero quæ reſurgunt, veram Chriſti reſurrectionem teſtantur. *Centurio autem & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terra motu & his quæ fiebant timuerunt valdè dicentes, verè Dei filius erat homo iſte.* Gentiles credunt, & Iudæi pereunt, dicunt Iudæi, ſecundum legem debet mori quia filium Dei ſe fecit, dicunt Gentiles, verè Dei filius erat iſte. Magnus homo iſte qui Ieſum morientem cuſtodit. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater & mater filiorum Zebedæi.* Iſtæ enim mulieres, quæ Chriſtum pro amore ſecutæ fuerant, etiam in morte eum non relinquebant. Hæc eſt illa Maria Magdalena de qua Dominus eiecerat ſeptem dæmonia; illa vero altera Maria matertera eius fuit ac ſoror matris eius. *Cum ſero autem factum eſſet*, &c.

Reliqua reperiuntur eodem ſæculo quinto, parte prima, pagina 750.

Vide notas Baronij in Martyrolog. die 1. Sept.

HOMILIA IN SANCTOS duodecim Fratres.

NOn ſolum omnia beatus Petrus Apoſtolus reliquerat, quæ habebat, ſed ea quoque quæ habere poterat, vt vlterius in hoc mundo nihil proprium poſſideret, nihilque deſideraret. Et maius quidem eſt habendi voluntatem quam ipſum habere dimittere. *Ieſus autem dixit illis, Amen dico vobis quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Duo Petrus propoſuerat, ſed alterum Chriſtus aſſumpſit, non enim dixit, vos qui reliquiſtis omnia, ſed quid? vos qui ſecuti eſtis me, omnia enim dereliquit qui perfectè ſequitur Ieſum, ſufficiens enim fuit alterum dicere, quia vtraque in vno continebantur. *Vos*, inquit, *qui ſecuti eſtis me*, qui mecum per eandem viam inceditis, qui ad cœleſtia feſtinatis, qui terrena cuncta deſpicitis, qui iuſtitiam & veritatem, pacem & miſericordiam diligitis, *ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Sedebunt itaque Apoſtoli ſuper ſedes duodecim, ſedebunt & ſancti, quorum ſolemnia celebramus, ſedebunt & alij ſuper ſedes ſuas, qui eorum exemplo vixerunt, & Chriſtum Dominum ſecuti ſunt; Plures enim ſunt ibi ſedes quam duodecim, pluresque iudices ibi erunt. Sed quæ ſunt iſtæ ſedes, ſuper quas iſti iudices ſedent? Iſtæ enim ſedes ſingulæ Eccleſiæ ſunt; vnde & Epiſcopi Eccleſias quibus præſunt, ſedes ſuas vocare conſueuerunt. Sedebit igitur vnuſquiſque in ſede ſua, quoniam in populo quem rexit & prædicauit, maior & ſublimior apparebit. Sedebit autem & Dominus in ſede maieſtatis ſuæ, quoniam Angelis & hominibus præſidebit. Iudicabit igitur Dominus, iudicabunt & Apoſtoli, iudicabunt & ſancti Martyres, iudicabunt Epiſcopi & Sacerdotes iuxta illud: *Iudicabunt nationes & dominabuntur populis.* Omnes iſti iudicabunt, quorum exemplo cæteri dominabuntur, quoniam Regina Auſtri & Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta & condemnabunt eam. *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, aut Patrem aut matrem aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitā æternam poſſidebit.*

Beatiſſimi igitur germani duodecim vt ſe horas diei illius eſſe oſtenderent, qui de ſe ipſo diſcipulis in Euangelio proteſtatur, *nonne duodecim horæ ſunt diei*, multa mirabilia ad glebas ſuorum corporum, operante Domino oſtendere & demonſtrare non deſinunt, vſque ad præſentem diem. Nunc igitur fratres chariſſimi ad nos ipſos mentis lora flectamus, in cordibus veſtris ſedem iuſto iudici ſtatuamus, eamque iudicij & iuſtitiæ virtutibus adornemus, & ſic ſcire valebimus qualiter gratulari in tantæ feſtiuitatis gloria debeamus, nam licet nullus eſſe debeat huius patriæ finis vel angulus ab huius diei gaudio alienus, qua nobis tranſuectione ſuorum corporum tam præclara luminaria ſplendore, nos tamen præcipuè in ea exultare debemus, qui ſanctorum obſequiis deputamur, & tantarum Margaritarum fulgoribus illuſtramur. Enixius namque eſt nobis fratres chariſſimi elaborandum, vt qui in Eccleſia omnes conuenimus, ſanctorum duodecim fratrum ſolemnia celebraturi, ipſi quoque domus Dei efficiamur, & reliquiis bonorum actuum & nitidarum cogitationum, diem feſtum Domino peragamus, vt in cœleſti domo cum eis, & omnibus ſanctis perpetuò gratulemur. Quapropter ſi hoc cupimus adipiſci, virtutes duodecim in ara noſtrorum cordium recondamus: Fidem videlicet, ſpem, charitatem, ſapientiam, iuſtitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, caſtitatem, obedientiam, timorem, & in iſtis & in aliis virtutibus perſeuerantiam finalem. Ecce iſtæ ſunt ter quadrangulatæ virtutes, & inter ſe ordinatim coniunctæ, & quodammodo Germanæ, quæ ſi in nobis continuâ ſtatione figuntur, corda noſtra & corpora in domum Dei conſeruare non ceſſant: Quadrum namque in quamcunque partem verteris, firma ſtatione conſiſtit. Numerum quoque duodenarium non niſi in bonam partem poteris inuenire, ſiue namque ter quatuor, ſiue quatuor ter facias, duodenarium numerum comples, qui plenus eſt atque perfectus. Quid autem per tres, niſi ſanctam intelligimus Trinitatem, & quid per quatuor, niſi Euangeliſtas, vel quatuor mundi accipimus partes. Iſti igitur Martyres dicuntur meridiani, quia in Africa quæ in meridie ſita eſt, orti noſcuntur, & benè meridiani, quia Sancti ſpiritus igne

feruentes

A ferventes in æſtu perſecutionis animas emiſerunt. Hi ergo Martyres glorioſi in meridie nati, & in occidente mille, vt ita dicam, tormentorum generibus excruciati atque pro Chriſto decapitati cum ipſo in cœlis gloriantur perenniter leaureati.

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Opuſcula.

TRACTATVS. In Canticum Zachariæ.

B 1 *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Viſitauit per præconem, viſitauit per filium: prædictum per vtrumque fecit per alterum. Vterque ad baptiſmum populos vocauit: ſed alter ſolummodo plebem redemit, & in Spiritu Sancto baptizauit. Vnde & eidem Ioanni dicitur: *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.*

2 *Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.* Domus Dauid, Eccleſia eſt, populuſque fidelis & bellicoſus, cui nulli alij aduerſarij reſiſtere poſſunt. In hac autem cornu ſalutis Dominus erexit, Ioannem videlicet qui Chriſtum prædicando præceſſit. De hoc enim cornu ſalutis ipſe Dauid loquitur dicens: *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.* Ioannes igitur & cornu eſt, & lucerna. Cornu clamando, lucerna illuminando. Ipſe eſt enim vox clamantis in deſerto, ipſe lucerna ardens & lucens.

C 3 *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.* Sicut, inquit, per Prophetas prænunciatum audiuimus, ita modo in hoc puero fieri videmus quem nobis Dominus mandauit, vt faceret nobis ſalutem, atque vindictam.

4 *Ex inimicis noſtris:* & liberaret *de manu omnium, qui oderunt nos.* Hoc eſt enim quod ſuperius dixit, quia *conuertet corda patrum in filios, & incredibiles ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.*

5 *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.* Ad hoc, inquit, hoc noſtræ ſalutis cornu Dominus erexit, vt cum patribus noſtris miſericordiam faceret, & teſtamenti ſui non immemor.

6 *Iuſiurandum* adimpleret in nobis, *quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis.* In eo igitur quod in nobis teſtamentum & iuramentum compleuit, cum Patribus noſtris miſericordiam fecit. Hoc enim Dominus Abrahæ iurauit, dicens: *Semini tuo dabo terram hanc*, per quam terram
D viuentium ſignificabat, quam non carnalibus, ſed ſpiritualibus eius filiis daturus erat.

7 *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.* Ideo inquit ex inimicis noſtris nobis Dominus ſalutem dedit, vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, per quos vitia, & malignos ſpiritus intelligimus, non illis ſeruiamus, ſed illi. Sed quomodo ſeruiamus?

8 *In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Aliter enim ſeruitia noſtra Deus non reſpicit, neque ſunt coram ipſo, niſi in ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus illi. Hoc autem non ad tempus, ſed *omnibus diebus noſtris.* Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

9 *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Non ſolum enim propheta, verum & pluſquam Propheta, vocatur Ioannes, & hoc quidem non à quolibet, ſed ab ipſa veritate. E
Quod autem ante faciem Chriſti Domini Ioannes præceſſerit, parate vias eius, ipſe Dominus per prophetam loquitur dicens: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Vnde & idem ipſe Ioannes ait. *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Præiuit igitur ante faciem Domini. Sequitur.

10 *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.* Et hoc quidem faciebat cum diceret; *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.* Hæc autem bona data ſunt nobis.

11 *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quibus miſericordiæ, charitatiſque viſceribus ipſe Dei filius, *viſitauit nos oriens ex alto.*

12 *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent.* Secundum illud: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.*

13 *Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Illi F
enim pedes in viam pacis diriguntur, qui non ad bellum ſed ad pacem currunt. De quibus dicitur: *Beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.*

TRACTATVS. *De Incarnatione Domini, & eius Sepultura.*

Verbum Dei, ſicut in principio in ſexta feria creauit hominem, ita in fine temporum, ſexta hora, ſextæ feriæ, ſextæ quoque ætatis, redemit eundem. Sed in hac præcipua & admirabili redemptione, quatuor eſſe conſideranda videntur: Quare filius Dei incarnatus ſit, & non alius: de requie ſepulturæ: quibus etiam auctoribus credatur ipſe deſcendiſſe in infernum, & quantum ſpacii in ſepulchro iacuiſſe. Homo à Deo quaſi mane eſt G
conditus, quia retinens Dei ſimilitudinem veræ luci proximus videbatur. Poterat enim de propinquo Deum cernere, ſcilicet in ſe, & per ſe, nulla re extrinſecus interueniente. Sed & propinquitatem pariter & ſimilitudinem amiſit, dum ſe inobedientiæ malo ſubiecit. Solet enim Sol & humorem propinquus contrahere, & recedendo relaxare. Sic & verus ſol, id eſt, Dominus noſter, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, fragilitatem, id eſt, contagionem, quæ inhæret homini de limo terræ plaſmato, ſicut ſua præſentia deſiccauerat, ſic recedendo relaxarat. Vnde poſt culpam à Domino audire meruit: *Adam vbi es?* quaſi & longinquus propinquitate, & diuerſus ſimilitudine. Occiderat enim ei Sol iuſtitiæ, incumbente peccati nocte. Verum omnipotens & miſericors Deus, ne ad impotentiam, vel inſipientiam ſua facta redirent, quoniam ipſe vere potens & perfecte eſt ſapiens, Angelicum ordinem per malitiam lapſum, quoniam de homine iuſto iam reſtaurare non poterat, de iniuſto, quod erat difficile, ſtabiliuit H
redimere. Igitur prius ipſum hominem à poteſtate diaboli eripere & ſic demum ipſam naturam Angelicam recuperare diſpoſuit, & hoc non ſine immolatione. Sed quia in vnoquoque ſacrificio, quatuor videntur conuenientia ſcilicet, cui offeratur, à quo, & quid, & pro quibus, in hoc quoque quod pro ſalute totius generis fieri oportebat, eadem competentia non immerito adelant. Nam ſi horum aliquid in qualibet immolatione defuerit, non ſolum idipſum ſacrificium non proderit, verum etiam ſæpiſſime obeſſe manifeſtatur: velut etiam in veteri teſtamento multoties declaratur. Cum Moyſes montem aſcenderet, & pro lege accipienda quadraginta diebus cum Domino loqueretur, ſuaque viſione iucundiſſime frueretur, Iſraëliticus populus non Deo, ſed conflatili vitulo ſacrificia immolabat, eique inſultans, ab ipſo Domino legitur percuſſus, & valida morte damnatus, tantum vt ex illo peccato amiſeri viginti tria millia homi-

A num. Quod denotat Pſalmiſta dicens. *Et fecerunt vitulum in Oreb , & adorauerunt ſculptile , &c.* Deinde ſequitur : *Et dixit vt diſperderet eos.* Propter peccatum enim illud à ſerpentibus ſunt diſperſi , Vnde diligentiſſimè hæc hoſtia , cui immolaretur , oportebat perſcrutari, Quicquid eſt, aut creator eſt , aut creatura. Videamus vtrum creatori , an creaturæ dignum fuerat immolari. Iuſtum vero & rationabile videtur & habetur ab omnibus , vt non creaturæ , ſed creatori oblatio debeatur. Reſtabat igitur vt cum magna diſpenſatione creatura creatori immolaret. Sed quoniam creaturarum magna eſt differentia , quia alia ſenſata , alia inſenſata creatura habetur ; ſubtiliter penſandum eſt , ſi à ſenſata vel ab inſenſata offeretur hoc ſacrificium: quoniam ſæpiſſime accidit , vt ſi ſacrificium ab indigno oblatum fuerit reuera & ipſum ſacrificium non acceptum , & illum qui obtulerit inuenimus condemnatum. Sicut in Exodo legitur , Nadab & Abiron contra Dei voluntatem aduerſus Aaron & eius filios inſultaſſe. & ſacrificium in tabernaculo Dei
B obtuliſſe , verum quoniam eidem ſacrificio indigni aderant aperta terra obruti ſunt , & illos , qui ibi aderant , ab igne deuoratos eſſe manifeſtatur. Sicut in pſalmo dicitur : *aperta eſt terra , & deglutiuit Da han , & aperuit ſuper Synagogam Abyron. Exarſit ignis in Synagoga eorum , & flamma combuſſit peccatores.* Quoniam idem ignis , quo peccata putabantur puniri , ab ara elatus ad iniuſtè immolantes peruenit , eoſque cremauit. Ergo indignum erat , vt ab inſenſata hoc ſacrificium offeretur. Reſtabat autem , vt a ſenſata immolatio fieret : ſed quia inter ſenſata plurimum diſtat , quoniam cum alia rationalis , alia irrationalis creatura habeatur , iterum videndum eſt , ſi ab irrationali creatura hoc ſacrificium offerri debeat. Sed incongruum & nimis abſurdum eſt ab irrationali pro rationali vt quid immolaretur. Conſtat ergo vt hæc immolatio ab rationali fiat. Verum quoniam adhuc & inter rationales diſtat plurimum , ſi ab Angelica creatura hæc immolatio fieri oporteret. Immolatio vero viſibilis , eſſe conſtat. Angeli autem inuiſibiles ſunt
C verum viſibile aliquid nequit offerri ab inuiſibili. Conſtabat igitur , vt ab homine hæc fieret oblatio. Duabus autem partitionibus conſummatis , agendum eſt de reliquis , ſcilicet quid immolandum eſt , & pro quibus. In auctoritate vero compertum eſt, vt ſacrificium par , aut exuberans eſſe debeat , pro quo offertur , & hoc ſacrificium , quod , vt diximus aderat pro ſalute humani generis æquale & non minus debebat offerre Ergo inſenſatum excludendum eſt & irrationale , ſed rationale pro rationali condecens hoſtia aderat. Inter rationale vero, quoniam adhuc differt nimium , animaduertendum eſt ſi aut de homine , aut de Angelo immolari oporteat , vterque etenim ratione viget. Homo vero tanta hoſtia nullus inueniebatur dignus quoniam omnes homines & originali , etiam & actuali peccato non erant immunes vel vt ait Pſalmiſta , *omnis homo mendax.* Et ſicut per Beatum Euangeliſtam Ioannem dicitur , *ſi dixerimus*
D *quia peccatum non habemus , nos ipſos ſeducimus , & veritas in nobis non eſt.* Vnus ergo homo & idem peccator indecens hoſtia inerat pro totius humani generis redemptione. Ergo ſolus homo ab hoc ſacrificio expellebatur; Angelus vero in ſui natura admitti nequiuerat , quia quod eſt inuiſibile , nec teneri , nec pati , nec etiam occidi poteſt. Et forſan ſi per aſſumptam naturam poſſet immolari , Angelica charitas pro iniuſto puniri frigeſceret : & hoc non immerito , quia aliquis iuſtus vix pro iuſto moritur , nedum pro iniuſto damnetur. Et etiam ante aduentum Chriſti homines propter peccatum ab Angelis odio habebantur. Et forte ſi idem homo ab Angelo eſſet redemptus , eundem Angelum pro Deo veneraretur , quod nec cui impoſſibile videatur , dum pro certo prædicti homines ſæpiſſime inueniantur lapides , ligna & elementa pro Deo adorare. His igitur & aliis plurimis huiuſcemodi rationibus Angelica victima excludebatur. Quapropter ſolus reſtabat Creator, qui ſua miſeratione & ſolita benignitate , humano compatiens generi , ſæpedictum hominem liberaret , & diabolica fau-

E ce perplexum eriperet , & hoc non in ſui natura , ſed per aſſumptum hominem , vt qui ſolum hominem redimere venerat , Deus & homo immolaretur. In Diuinitate vero , quia perſonarum differentiam Catholica credit adeſſe Eccleſia , videlicet Patris & Filij & ſpiritus Sancti non immerito conſiderandum eſt , hæc aſſumptio cui conueniebat. Pater autem ſi intra virginalem vterum aſſumeret hominem , & ab eodem naſceretur, idem eſſent Pater & Filius. Pater ſecundum diuinitatem , Filius vero ſecundum humanitatem , quod & credere , & etiam dicere nefas eſt. Aliud quoque maius eſſet nefarium, quoniam duo filij adeſſent in Diuinitate , ſcilicet Pater filius ſecundum humanitatem , & filius Dei filius ſecundum Diuinitatem. Tanto ergo errore vitato , prædicta aſſumptio Patri non conueniebat. Adhuc reſtat agere , ſi Spiritus Sanctus competens eſſet ad immolandum. Si autem idem Spiritus hominem acciperet , & pro eo vellet immolari , ſupradictus error in Diuinitatem caderet ; reuera etenim duo Filij & crederentur & haberentur in ea.
F Filius Dei ſecundum Diuinitatem , quemadmodum diximus , Filius & Spiritus Sanctus ſecundum humanitatem filius. Ergo vtrique Patri ſcilicet , & Spiritui Sancto prælata aſſumptio non congruebat , quoniam neuter horum in tali negotio admitti valebat. Igitur ſolus filius ad hoc agendum condecens aderat , cui & per iuſtitiam inerat hominem per ſe creatum ſaluare , & diabolo ſuam poteſtatem petenti obuiare , eumque ipſum hominem decipientem decipere , & ablato totius orbis imperio , perpetuo in inferno religare. Legitur namque in Euangelio Beati Ioannis : *quod omnia per ipſum facta ſunt* ergo & ipſe homo; Ad hæc ſi ab alio quam ab ipſo , per quem creatus fuerat ſæpedictus homo , redimeretur , impotentia eidem filio reuera poſſet aſcribi, quod per ipſum creatus & per eundem non eſſet redemptus. Si vero Pater , cui potentia aſcribitur , incarnaretur , duo filij eſſent, & impotentia diabolo aſcriberetur. Idem quoque & de Spiritu Sancto cui benignitas. Sed hoc ſoli ſapientiæ ſcilicet Dei filio conueniebat , vt ſapienter diabolus
G deciperetur. Quæ autem cauſa hac rectior , quæue iuſtior ? vt verbo plaſmatus , a verbo ſcilicet & a Dei filio per aſſumptam carnem in priſtino reuerteretur ſtatu. Igitur ſate factum eſt & in iſto ordine confirmatum , vt non à Patre , nec a Spiritu Sancto , ſed a Filio , qui in Deitate & in humanitate filius vocaretur, homo redimendus fuiſſet , & in primam beatitudinem , vnde præuaricando corruit , ingrederetur. His ita apte & conuenienter expoſitis , reſtat de requie ſepulturæ tractare. Quia Dei filius , verbum Patris , ſplendor gloriæ , hominum creator , condolens mundum in præcipitio euntem , Patre & Spiritu Sancto cum ipſo cooperante , deſcendit ad noſtram accipiendam humanitatem , *homo factus eſt , & cum hominibus conuerſatus eſt.* Comedit , bibit , eſuriuit , fleuit , & cætera quæ hominibus conueniebant , egit , præter peccatum, quia qui hominem venerat ad ſaluandum, & illi peccata dimittendum , ſine peccato eſſe conduce-
H bat. Vnde de illo dictum eſt , *qui peccatum non fecit , nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Si vero pro homine natus , cætera ſuperiora narrata ordinatiue peregit , conueniens erat , vt moreretur , quia quis homo non viſurus mortem , & humanitus ſepeliretur ? Et quia rationabile erat. Itaque mortuo ſepulturæ ſumma cum vigilanti diligentia , vt Euangeliſtæ narrant , Ioſeph ab Arimathia corpus Dominicum petendo habitum , expoſitum eſt , & requieuit in ſepulchro , Propheta Dauid atteſtante qui ait. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam , quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Vere ſingulariter , quia moriendo , & in ſepulchro quieſcendo vicit diabolum. Quis alius moriendo in prælio vincere potuit niſi ille qui omnia poteſt ? Igitur ſingulariter à Patre in ſpe conſtitutus fuit. Et iterum Propheta, *Caro mea in requieſcet in ſpe*, tertio die reſurrectionis. Multis aliis habemus confirmatum Auctoribus , qualiter Dominus Ieſus in ſepulchro quieuit: ſed iſta de pluribus noſtræ fidei ſufficiant , ſcilicet Euangeliſtarum ac Dauid auctoritates , qui veriſſime illum in ſepulchro iacuiſſe & quieuiſſe in

ipſo

A ipſo mauſolæo in pace. Qui in pace dormit, maximam habet fiduciam ſperatam ſurgendi. Vnde ipſe obdormiſſe ſe dixit. De ſepulturæ requie tractatum. Inſtat nobis, quibus auctoribus credatur, deſcendiſſe in infernum. Saluator mundi, ſapientia Patris, manna paſcens, petra dulciſſima ac abundanter aqua manans, mortem noſtram pro ſalute accipiendo, ſepultus eſt, & à Nicodemo interlitus myrrha & aloe, vt adimpleretur illud Salomonis: *Faſciculus mirrha dilectus meus mihi.* Vere faſciculus fuit myrrhæ Dominus, & non maxima ſarcina, quia quamuis amara videbatur B. Virgini & diſcipulis eius paſſio, tamen faſciculus, quia momentanea. Sed non licet nobis nimium per ambages decurrere, ſed diligentiſſime aduertendum eſt, quibus credendum ſit auctoribus, ipſum Dominum ad inferna deſcendiſſe. Perplurimum multis auctoribus confirmatum habemus, animam Chriſti in infernum deſcendiſſe, & ſua benedicta potentia fideles ſuos abſtraxiſſe. Dicit de ipſa deſcenſione Dauid Propheta. *Non derelinques animam meam* B *in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi, Propheta atteſtante Oſea dicitur: *O mors tua ero mors, morſus tuus ero inferne.* Vere Dominus mors fuit morti, quia in perpetua morte eam dimiſit: morſus fuit etiam Saluator & Dominus Ieſus Chriſtus inferni, quia non omnes, ſed tantum ſuos inde abſtraxit, ſi enim omnes inde abſtraxiſſet, non eſſet morſus, ſed conglutinans hominum, qui vero morſum in aliquod dat, non totum, ſed partem accipit. Sic Chriſtus morſus inferni fuit, quia partem redemit, partemque reliquit. In alio etiam loco Dauid dicit: *Domine abſtraxiſti ab infe ris animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum*, id eſt, ab illis, qui æterno igne cremabuntur.

Quot horas fuerit in deſcenſione & aſcenſione.

Expeditis quibus auctoribus in infernum Dominum deſcendiſſe credatur, expedit adhuc quantum ſpatij in ſepulchro iacuiſſe ſcribere indagando. Pleniſſime ac verè apertiſſimum eſt, quia Dominus ex illa hora ſuæ ex- C piraтionis, Ioſeph eius Dominicum petens corpus, habitum collocauit ſuo in ſarcophago, *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*, & iacuit ab illa hora vſque ad mane dominici diei. Opponunt alij: ſi ab illa vſque ad dominicum diem Dominus in ſepulchro quieuit, ergo non tres dies, ſicut ipſe prædixerat. Soluitur hæc probabili ratione. Veritas quæ Chriſtus eſt, nunquam mendacium protulit dicens: *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Et ſicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita & filius hominis*, qui eſt Chriſtus. Verum dicens & veriſſime confirmauit; quia per tres dies & tres noctes in corde terræ fuit, & poſt triduum excitatus. Reuera ex illa hora, qua Dominus apprehenſus fuit, & morte damnatus, iacuit in corde terræ, id eſt in corde terrenorum perfidorumque dicentium: *Vbi ſunt verba eius quibus dicebat: Antequam Abraham fieret, ego ſum & multa alia.* Iacuit etiam in corde terræ, id eſt, in corde Apoſtolorum, qui adhuc terreni erant, & dubitabant de eius reſurrectione, & illum morti traditum vi- D dendo fugerunt triſtiſſimi manentes, ſic iacuit in corde illorum, quia illum Dominum in mente retinebant. Vel aliter, iacuit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, quia à ſero, qua apprehenſus fuit, tota illa nocte & die paraſceue & nocte ſabbati, & ſabbato ac Dominica nocte, & vſque ad mane dominici diei, reuera in ſepulchro quieuit, quia ex quo damnatus fuit mori, quaſi iam in ſepultura iacebat. Dicunt, quia & ſic tres dies non fuere impletæ. Ad quod dicimus, ibi eſſe figuram Sinecdoche, id eſt partem, pro toto, quia mane dominici diei pro tota die habetur. Nunc euidentiſſime prout noſtra affuit poſſibilitas, propoſitæ quæſtiones ſolutæ ſunt. Sed ille, cui hæc omnia pati pro noſtra placuit ſalute, nos ſuos redemptos adoptiuos filios habeat in pace ſcilicet in ſe, vt eius ſancta incarnatione & morte ab omni peccato nos eruat, & in ſuo Sanctiſſimo regno collocet, vt poſt huius vitæ tranſitum hilari vultu proſpicere illum queamus regnantem cum Patre & Spiritu Sancto per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. Deo gratias, E qui nos de tuis ſatias.

ARGVMENTVM DE SACRIficio azimo.

Ad Leonem Monachum.

HOrtatis ſæpius chariſſime magiſque noſtram percogis humilitatem Frater Leo, atque Venerabilis Monache, vt Dominis Spiritualibus fratribus Monachis in Conſtantinopolitana Vrbe conſtitutis, qui crebro à Græcorum ſuperflua loquacitate immoderato zelo arguuntur, aliquid de ſacrificij obſeruatione ſummatim breuiterque deſcriberem: Ex tuo, itaque aliorumque multorum nobis recitatum eſt ore, quod ab Epiſcopo eiuſdem Sedis, vel ab ipſius Clericis frequenter blanda F ſuaſione, ſæpe furibunda locutione indiſcrete decipiantur, vt ritus noſtri ſacrificij azimi derelinquatis, & more Græcorum fermentatum ſacrificium Deo afferatis. Quibus ad hæc imperterriti non ex noſtra inſolentia, ſed Sanctorum authentica Theologorum Patrum ſcientia è contra reſpondeamus. Licet illorum religioſis? Patres ac Doctores ſtuduerunt ex fermentato pane Deo omnipotenti ſacrificium offerre, tamen numquam inuenimus illos noſtram oblationem euacuantes, aut deridentes. Quid ad hanc dicimus? *Numquid diuiſus eſt Chriſtus in corpore ſuo*, vt alius ſit in Romano ſacrificio, alius in Conſtantinopolitano? Quis hoc ſapiens dixerit, niſi ille, qui Dominicam nouit ſcindere veſtem, vt Arrius, & alij hæretici. Nos vero veraciter tenemus, immo firmiter credimus, quia quamuis ſint diuerſi mores Eccleſiarum tamen vna eſt fides, quæ indiſſolubiliter vnitur capiti ſuo, id eſt Chriſto: & ipſe vnus idemque permanet in ſuo corpore, quod pro noſtra ſalute Deo Patri ſponte obtulit. Reſipiſcant ergo ab hac chacheton fatuoſa al- G tercatione latinæ munditiæ detrahere deſinant. Nam ſi ipſis obturatis auribus noſtræ veritati non conſentire volunt, ſine omni dubitatione oſtendimus noſtrum Sacrificium, quod prius ſinceriuſque ſit illorum ſacrificio, non ſolum ex Euangelica Apoſtolicaque auctoritate, ſed etiam ex legali veteris teſtamenti inſtitutione præfiguratum. Legimus namque in libro Exodi, vbi præcipiente Domino Moyſi Sancto, *vt quartadecima luna primi menſis ad veſperam filij Iſraël immolarent agnum Domino ſine macula, & manducarent carnes illius aſſas agni cum azimis panibus.* Interea Si vobis reſponderint, quia illud vetus præceptum fuit, iam defecit, iam pertranſijt, confidenter illis Beati Pauli Apoſtoli obijcite ſententiam, qua dicitur. *Omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.* Notate dilecti. Si veteris teſtamenti lex figura fuit, ergo noſtra tempora portendebant, & quod in Vmbra latebat, in luce noui teſtamenti iam præfulgebat: ac propterea Scripta erant, & ab ipſis etiam fideli- H ter obſeruanda. Nam quomodo in agni immolatione paſſio noſtri figurabatur Redemptoris, in mari rubro baptiſmus: in columba nubis Spiritus Sanctus, in manna cœleſtis gratiæ donum: in petra, quæ eos conſequebatur, Chriſtus: Ita in azimo pane noſtri temporis monſtrabatur ſacrificium. Ipſe creator atque redemptor hominum veniens in hunc mundum indutus noſtram mortalitatem, non amittens ſuam diuinitatem, poſtquam vniuerſa quæ de eo fuerant prædicta, eſſent impleta, & paterno cenſuiſſet conſilio, vt mundum ſua redimeret morte, ipſumque mundiſſimum atque ſacratiſſimum, quod de immaculata Virgine ſuſceperat, corpus, præfinito tempore voluiſſet noſtra pro vita Deo Patri offerret in illa tunc Sacroſancta cœna, quando paſcha cum ſuis diſcipulis celebrauit, panemque accipiens in ſuis ſanctis manibus fregit, & dedit eis, dicens: *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* Dicant

A obſecro fratres, qualis fuit panis ille, azimus fuit, an fermentatus? Si dixerint, fermentatus, ergo falſa eſt Domini ſententia dicentis: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Quomodo ille, qui legem dedit, benedictionem, Vtque nobis inferret, ſi ea quæ legis ſunt non obſeruaſſet? Si hoc feciſſet, vt tranſgreſſor legis iuſte puniretur, nec pro noſtra omnium redemptione moreretur. Cum ipſe Dominus Ieſus per Moyſen dicat vt quartadecima die primi menſis, quando Phaſe occidebatur, vſque ad vigeſimam ſecundam diem eiuſdem menſis, quicunque inuentus eſſet in populo Iſraël, qui fermentum haberet in domo ſua, periret de cætu filiorum Iſraël, quia pactum Dei irritum feciſſet. Sufficiat nobis iam ex legali obſeruatione mandati teſtimonia proferre, ad Euangelij gratiam, & noui teſtamenti lumen ſubſequens ſermo percurrat. Neque enim aliter illo in tempore ſolus ſine omnibus paſcha illud obſeruare potuiſſet, quod commune omnibus erat datum, & tamen vtrumque teſtamentum in ſe adimpleret. Sancti quoque Euangeliſtæ de B ipſius celebritate Paſchæ atque panis obſeruatione ita locuti ſunt. Vnus ait: *appropinquabat dies feſtus azimorum, qui dicitur Paſcha.* Alter idipſum replicat, dicens *Erat paſcha & azima poſt biduum.* Iterumque *Paſcha autem azimorum acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Sciens Ieſus quia venit eius hora, vt tranſeat ex hoc mundo.* Ergo ſi paſcha quod hebraice dicitur phaſe, a tranſitu nomen accipit, & non à paſſione, vt plerique male interpretantur, profecto quia Dominus Ieſus in ſuo tranſitu, id eſt in morte ſua, non alium panem tradidit diſcipulis niſi illum quem paterna traditio perceperat cuſtodiendum. Non tantum ante paſſionem ſuam hoc egit, quantum & poſt reſurrectionem hæc eadem repetens, in Emmaüs non valentibus eum cognoſcere diſcipulis, niſi in fractione panis, coactus vt cum ipſis maneret, quem panem eiſdem fregit, deditque ad manducandum. In tota Iudæa certe fermentum deerat, quia adhuc paſcha celebrabatur, niſi vt apertius cognoſcatis, quia illum panem poſt reſurrectio- C nem eis dedit, quem iam ſimilem & ante paſſionem dederat. Satis ſit hucuſque ex Euangelica auctoritate vobis accommodaſſe ſententiam. Hunc autem ad Beati Pauli Apoſtoli nos oportet Epiſtolam flectere animum, vbi nos de ipſo ſacrificio, quod azimum, & non fermentatum ſit, vigilanter hortatur dicens: *Fratres expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azimi, etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis,* ſed cur hoc fratres Chariſſimi ſanctus prædicauit Apoſtolus? Vt oſtenderet, quia in fermento, id eſt, in nullo dogmate hæreticorum, ſiue Schiſmaticorum panis Chriſti execrabilis, & abominabilis corruptionis contaminaretur. Sed in puritate, & ſimplicitate Catholicæ fidei illibatæ ſemper cuſtodiretur, non indigne ab aliquo comeſto pereat anima eius de conuentu digne filiorum Iſraël, hoc eſt ſaluandorum. Item Dominus per Oſeam loquitur dicens: *Venite in* D *Bethel, & impie agite, & ſacrificate de fermento laudem.* Quid per Bethel, niſi idolum, niſi corruptio ſacrilegij exprimitur? ex quo Dominus in Euangelio admonet dicens: *Cauete à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis,* id eſt à doctrina carnali eorum, vel inflata ſcientia, de qua Apoſtolus ait. *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Et iterum. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Sufficiant pauca de pluribus prolata teſtimonia. An adhuc irreuerenti fronte audient contra nos obire ſententiam, dicendo, vt aſtruant, nos cum hebræis Iudaico more azimum comedere? Qui inſanæ obiectioni cum ſano reſpondemus intellectu. Abſit hoc à Catholica atque Apoſtolica, & Romana Eccleſia, quæ caput, & fundamentum, ac ſpeculum dicitur & probatur eſſe omnium Eccleſiarum, quam Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus per ſemetipſum ædificare dignatus eſt, ac promittens ſpecialiter ſuo dilecto diſcipulo Petro Apoſtolo, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædi-* E *ficabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum.* Atque iterum: *Ego pro te Rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Abſit à totius mundi Domino vt idcirco cum Hebræis Iudaizes, eo, quod de azimo pane ſacrificium Domino dicitur offerre. Abſit vt pro tali re ſancta hoc agat Romana Eccleſia, vt ſuis oſtendat per orbem fidelibus conſtitutis, agnum qui abſtulit peccata mundi, ſine omni corruptione, pollutione, atque contagione culpæ, ſinceram, ſanctamque ex immaculata Virgine ſuſcepiſſe carnem, teſtante Angelo, qui ipſius Domini incarnationem eidem Virgini venerabili annunciat, dicens: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Illa obumbratio, quæ virginalem vterum dicitur obumbrare, non aliter intelligenda eſt, quam vt ab omni æſtu concupiſcentiæ, vel corruptione alicuius facinoris illud caſtiſſimum Domini templum, in quo F habitare dignatus eſt, intactum, purumque, quod eſt azima, ſemper cuſtodierit, dicente Salomone: *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Nam, vt ea, quæ ſuperius diximus, repetamus, cur non nobis ſacrificium de veteri præcepto tenendum eſt, cum ea, quæ illis carnalia ſunt imperata, in nobis ſpiritualiter videmus adimpleta? Nunquid ex ipſis non tenemus templum, ſacerdotium, vnctionem, incenſum, ſacerdotalia indumenta & quadrageſimam? Si hæc cuncta prius ipſa Iſraëlitica plebs tenuit, & poſtea Domino cooperante, nobis conceſſa ſunt, quare non etiam azimum inter reliqua præcepta ſacrificium Domino offerendum eſt? Cum, vt ſæpe iam teſtati ſumus, puritatem, ſimplicitatem, atque munditiam ſignificet? Et ipſum principem, caputque omnium Apoſtolorum poſt Domini aſcenſionem primum obtuliſſe inuenimus ſacrificium, non aliter quam illi à Domino, & ſuo magiſtro iuſſum eſt offerri. Poſt ipſum B. Clemens, cui B. Petrus Apoſtolus tradidit Pontificatum, in Epiſtola ſua ad Iacobum, qui Ieroſolimam regebat Eccleſiam de eiuſdem ſacrificij obſeruatione tali- G ter admonet agendum dicens: *cum mihi Dominus & Magiſter meus Petrus, Summi Pontificatus traderet dignitatem, & inter multa hortamenta, quibus ab ipſo adhortabar, cum ad Domini ſacrificium perueniſſet, ita de illo mihi dixit: Vide Clemens, ne aliter agas de corpore Domini, quam quod ego tibi præcipio, quia ego non hoc à meipſo, ſed qualiter ex ore Domini & Magiſtri mei Ieſu Chriſti audiui, taliter illud loquor: ſimiliter & tuis ſucceſſoribus, qui poſt te in hanc Apoſtolicam ſucceſſuri ſunt ſedem, in perpetuum hoc exemplum relinque.* Sicque poſt ipſum S. Silueſter, qui inclytum, Auguſtum, atque perfectum Eccleſiæ filium Conſtantinum Romæ baptizauit, eadem iuſſa perfecte adimplens, etiam in poſteros cuſtodire mandauit. Denique S. Gregorius eximius Doctor, qui Eutichium Conſtantinopolitanum Epiſcopum cum ſuis fautoribus, in præſentia Mauricij Imperatoris mira eum ratione exuperauit, alio modo non celebrauit atque nobis celebrandum ſacrificium præcepit, quam illud, quod omnes ſui prædeceſſores Sanctiſſimi Papæ, quos H enumerare longum eſt, in Sacratiſſima Sede Apoſtolica iuſſi ſunt celebrare. Quapropter amantiſſimi fratres, ſtate viriliter in ſoliditate, ac firmamento orthodoxæ columnæ, & nemo cum ſuaſoribus verbis à Sanctæ Fidei Catholicæ atq; Apoſtolicæ præfatæ Sedis, matris Eccleſiæ Romanæ conſuetudine vos ſeparet; quia, teſte S. Auguſtino luculentiſſimo Doctore, ac Africano Epiſcopo, non eſt alia Sedes in Cœlo aut in terra dignior, ſiue prior, niſi illa, quã Romana tenet Eccleſia. Hanc tenete, hanc puro corde diligite, & ab eius vnitate non recedite, cum ſcriptum ſit: *terminum quem antiqui poſuerũt Patres, ne transgrediaris: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber:* Serpens ille ſcilicet, qui eiecit Adam de paradiſo, ex cuius peſtifero ore Dominus per interceſſionem Apoſtolorum atque Sanctorum omnium vos ſemper eruat; largiente Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria cum Patre & Flamine Sancto, in omnibus ſæculis. Amen.

A

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ, Myſteriis, atque Eccleſiaſticis Ritibus Opuſculum.

Dilectiſſimo Fratri Gualterio Magalenſi Epiſcopo.

Bruno Signienſis Epiſcopus ſalutem.

CVm Romæ quondam in Inſula in domo Epiſcopi Portuenſis ſimul eſſemus; cumque in libro Exodi de Tabernaculo Teſtimonij, & de veſtibus Aaron, typica quadam & magni myſterij ſignificatiua legeremus, cœpiſti mirari tu, cœpi mirari & ego, quod aliqua illis ſimilia adhuc in Eccleſia fieri videamus, cum iam vetera tranſierint & B *facta ſint omnia noua. Multa enim fiunt in Eccleſiarum dedicationibus, multa & in aliis Eccleſiæ Sacramentis, quæ non minus, quam illa ſub vmbra & figura fieri videntur. Petiſti igitur à me, vt ſicut illa expoſueram, ita & iſta exponere tentarem. Promiſi me facturum, ſed aliis negotiis impeditus, & tuæ petitionis, & meæ promiſſionis iam pene oblitus eram: Cum Helbertus Eremita, & Presbyter Venerabilis, à vobis ad nos veniens, id quod promiſeram, quaſi debitum exigebat. Memor igitur tuæ dilectionis, quamuis multum impeditus, facere tamen aggreſſus ſum, quod facere iuſſiſti.*

De Sacramentis Eccleſiæ locuturi, prius Sacramenta ipſa ponamus; poſtea vero quid ſignificent, prout Dominus dederit, exponamus. Quando enim Eccleſia conſecratur, ſolus Diaconus eam ingreditur, ianuas claudens ibidem exſpectat, Epiſcopo reſponſurus. Tunc Epiſcopus deforis aquas benedicit: non ſine ſale, acceptoque faſciculo Hyſſopi, ex aquis, quas modo ſanctificauerat, Eccleſiæ parietes ter circumeundo, aſpergit: ter quo- C que cum virga paſtorali ianuas percutiens dicit: *Tollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cui Diaconus de intus reſpondet dicens: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et ille: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Poſt tertiam itaque percuſſionem, paucos ex miniſtris ſecum ducens, Eccleſiam ingreditur, cætera multitudine foras exſpectante. Tunc Epiſcopus totum Alphabetum in modum crucis bis in pauiméto deſcribit; ac deinde ſicut prius alias aquas ſanctificat, quibus non tantum ſal, ſed cinerem quoque miſcet & vinum. His autem altare & Eccleſia interius aſpergitur & conſecratur. Poſtea vero ſuper altare oleo & chriſmate fuſis lapidem ipſum Epiſcopus vngit. His igitur expeditis, ſignificationem videamus. Sed prius quærendum eſt: Cur aqua benedicatur? Quare lapides & parietes aſpergantur? Cur etiam potius lapides & ipſi parietes per ſe non benedicantur? cur ſine aqua non ſanctificantur? cur eadem ipſa benedictio, quæ aquæ datur, lapidibus non datur? Hoc totum habet ſignificationem. D Audi igitur quid Dominus dicat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.* Aqua enim lauandis corporibus idonea eſt, tantam virtutem Diuinitus accipere meruit, vt ſicut corpora à ſordibus, ita & animas mundet à peccatis.

Quid aqua ſignificet.

Manifeſtum eſt itaque. Quod hæc aqua Baptiſmum ſignificet, cuius aſperſione Eccleſia conſecratur, & quodammodo baptizatur.

Quid Eccleſia ſignificet.

Ipſa vero Eccleſia eam vtique Eccleſiam deſignat, quæ in ea continetur, id eſt multitudinem; vnde etiam Eccleſia vocatur, eo quod Eccleſiam contineat. Hæc enim figura à Grãmaticis Metonymia dicitur, quando id quod continet, ponitur pro eo quod continetur. Quale eſt illud quod in Euangelio Dominus ait, *Ieruſalem Ieru-* E *ſalem, quæ occidis Prophetas:* Cum vtique non ipſa Ieruſalem, ſed eius habitatores occiderint. Sic etiam dicere ſolemus: Illa domus bona eſt, eo quod bonos habeat habitatores: & illa mala eſt, eo quod mali homines habitent in ea. Secundum hanc igitur ſignificationem, hæc Eccleſia ex lignis, lapidibuſque conſtructa, eam Eccleſiam deſignat, quæ ex viuis lapidibus ædificatur: cuius lapides non calce, ſed charitate iunguntur & vniuntur: cuius fundamentum Chriſtus eſt: cuius portæ Apoſtoli ſunt: cuius columnæ Epiſcopi ſunt & Doctores: In qua vnuſquiſq; lapis tanto amplius rutilat, quanto fidelior & melior eſt. Quia igitur dictum eſt: quid aqua, & quid domus ſignificet, dicamus etiam: Cur hæc aqua ſale miſceatur. Cum enim Saluator noſter de baptiſmo loqueretur, nullam ſalis fecit mentionem: Non enim dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua ſalſa, vel ſale mixta, vel aliquid huiuſmodi: ſed quid dixit? *Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei.* F Idipſum autem & de oleo, & de Chriſmate dici poteſt. Sed de his alias. Interim autem de ſale dicamus. Sal enim in Diuino eloquio frequenter pro ſapientia ponitur. Vnde eſt illud: *Sermo veſter ſale ſit conditus.* Et Dominus diſcipulis: *Habete* inquit, *ſal in vobis, & pacem habete inter vos.* Itemque: *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Hinc etiam ſecundum legem nulla hoſtia ſine ſale offertur, ſed in omni ſacrificio ponitur.

Quid ſal ſignificet.

Vnde manifeſtum eſt, quia ſal pro ſapientia ponitur. Sic eſt enim ſapientia condimentum omnium virtutum, ſicuti ſal condimentum omnium ciborum. Sed quæ ſapientia? Non vtique ſapientia mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum; Sed illa ſapientia, de qua Dominus ait: *Confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Sed vis audire quæ ſit iſta ſapientia, quam ſimplex, quam facilis ad diſcendum? Veniat modo aliquis ad G hanc aquam: Veniat nunc aliquis ad baptiſma, audiat hanc ſapientiam, guſtet de hoc ſale: Neque enim prius baptizatur aliquis, quàm ſale cibetur; hoc enim omnibus notum eſt. Ad litteram dico: Infantibus ad fidem venientibus ſtatim in ore ponitur ſal: vt quod áctu habere non poſſunt, habeant vel ſignificatione Sacramenti. Interrogo igitur modo aliquem hominem baptizandum; Credis in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem omnium viſibilium & inuiſibilium? Dicit, Credo: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? Credo, inquit, Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam. Sanctorum communionem, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? At ille: Credo. Bene enutritus eſt iſte, ſapiens eſt, & ſufficienter ſale cibatus. Hoc eſt igitur ſal quod miſcetur aquæ: hæc ſunt prima fidei rudimenta: ſine his non valet baptiſmus. Siue enim tollas aquam, ſiue tollas hæc verba, non eſt baptiſmus. Hoc autem dum dico nullum præiudicium facio infantibus, & nondum intelligentibus, qui H non ſua, ſed aliorum fide baptizantur & ſaluantur: Saluantur vtique, ſi vel prius obierint, vel ad ætatem venientes, fidem pro eis promiſſam fideliter crediderint, & cuſtodierint: alioquin non valet ei baptiſmatis aqua: quia non eſt ſale condita. Dictum eſt itaque. Quid aqua, quid ſal, & quid domus dicanda ſignificet. Nunc autem ſupereſt, vt de Hyſſopo dicamus, cum quo Eccleſiæ parietes ſupradicti aſperguntur.

Quid Hyſſopus ſignificet.

Hyſſopus naturaliter in petra naſcitur: *Petra autem,* ait Apoſtolus, *erat Chriſtus.* Bona herba hyſſopus, quæ naſcitur, & renaſcitur & radicatur in Chriſto. Per hanc enim etſi tota fidelium multitudo intelligi poſſit, præcipuè tamen illi per hyſſopum figurantur, qui in Chriſti fide radicati & fundati, ab eius amore diuelli & ſeparari non poſſunt. Per quod quid melius quam Epiſcopos, & Presbyteros intelligere poſſumus, qui quanto

A maiorem in Eccleſia obtinent dignitatem, tanto firmius Chriſti fidei inhærere debent. Et, per hos quidem ſpargitur aqua: per hos & ab his baptizantur Chriſti fideles: his datum eſt perficere baptiſmatis Sacramenta. Nec illud quidem prætereundum eſt: quod ter Epiſcopus Eccleſiam circumit; ter parietes aqua aſpergit.

Quid in circuitu eundo ſignificet.

Apparet enim etiam in hoc figura baptiſmatis. Audi igitur quid ſuis diſcipulis Dominus dicat: *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hinc eſt igitur: quod Sacri Canones ter in aquam mergi percipiunt eos, qui baptizantur. Quia itaque Eccleſia non poteſt mergi in aquas, ter ab Epiſcopo circumeunte aſpergitur aqua. Vides ergo, quam bene omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, baptiſmi conueniant Sacramentis? Hinc autem illud quoque
B videamus, quod ter cum virga paſtorali Eccleſiæ ianuas Epiſcopus percutit.

Quid virga ſignificet.

Quid enim virga paſtoralis, niſi ſermo Diuinus & prædicatio Euangelica intelligitur? Quod autem ſermo virga vocetur, Propheta de Domino teſtatur dicens: *quia percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Virga oris, ſermo eſt. Virga igitur ianuas percutere, eſt aures audientium prædicationis voce ferire: Aures enim portæ ſunt, per quas ad corda audientium ſanctæ prædicationis verba introducimus. Vnde Pſalmiſta ait: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.* Quid eſt enim in portis filiæ Sion, niſi in auribus & auditu fidelium? Illud quoque non vacat myſterio: Quod ter Epiſcopus ianuas percutit. Numerus iſte & notiſſimus & Sacratiſſimus eſt. In omni enim dedica-
C tione ter ſemper Epiſcopus ianuas percutere debet: quia ſine inuocatione Trinitatis nullum in Eccleſia fit Sacramentum. Percutiamus igitur Eccleſiæ ianuas; & prædicationi inſtemus, quatenus vſque ad cordis Secretarium accedere, & Chriſti fidem adducere valeamus. Expoſitis autem omnibus, quæ in Eccleſiæ dedicatione exterius Epiſcopus agit, hinc etiam quid interius faciat videamus. Ingreſſus enim in Eccleſiam, bis totum Alphabetum ſcribit in pauimento; Per quod vel vtrumque Teſtamentum, vel duplex Sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur. In his etiam paucis litteris omnis ſcientia continetur, quæ ſemel in Synagoga, & bis in Eccleſiæ pauimento ſcribuntur; Iudæi enim vnum tantummodo recipiunt teſtamentum; quod non dupliciter, vt nos, ſed ſimpliciter tantum, & ad ſolam litteram interpretantur: At vero Eccleſiæ filij, & vtrumque recipiunt, & vtrumque dupliciter, ideſt, ad litteram, & ſpiritualiter intelligunt.

D *Quid littera.*

Bis igitur in pauimento corporis noſtri Alphabetum ſcribitur, ſi vtrumque teſtamentum ſuſcipimus, & vtrumque dupliciter intelligimus. Hinc eſt enim, quod illa animalia immunda dicuntur, quæ neque ruminant, neque vngulam findunt: Illa enim animalia, quæ ruminant, (notum eſt valde quod dico) bis eundem cibum comedunt. Cibus animæ, eſt lectio ſacra: Hanc autem bis comedimus: quia ſemel ad litteram, & iterum ſpiritualiter eam exponimus & intelligimus. Vngulam quoque findere, eſt eandem ſcripturam dupliciter interpretari: quæ ideo quidem vngula dicitur: quia in via bonorum operum pedes noſtros firmat & munit.

Quid quod in modum Crucis ſcribitur.

Sed quid eſt quod non in directum, ſed in obliquum, & in modum Crucis hæ litteræ ſcribuntur, niſi quia ad hanc Sanctarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis myſterium non recipit, & Chriſti paſſione non ſe credit eſſe ſaluatum? Soli enim Chriſtiani hanc intelligentiam habent, qui crucis ſignaculo inſigniti ſunt: quibus vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum & ſoluere ſeptem ſignacula eius. E
In Chriſti namque paſſione velum templi ſciſſum eſt: quia tunc & ſcripturæ apertæ ſunt, & reuelata ſunt Sancta Sanctorum. Cætera videamus. Poſt hæc autem Epiſcopus aliam item aquam benedicit: cui non tantum ſal, ſicut priori, de qua ſuperius diximus, ſed vinum quoque cum cinere miſcet.

Quid aqua interius benedicta.

Hæc autem aqua Spiritum Sanctum ſignificat, ſine cuius aſſlatione nihil vnquam ſanctificatur, & ſine cuius gratia non fit remiſſio peccatorum. Quod autem Spiritus Sanctus aqua vocetur, ipſa veritas oſtendit dicens: *qui credit in me*, ſicut dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* Quod quid ſignificet, mox Euangeliſta exponens, ait: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* A quo igitur Spiritus
Sanctus. Et vide ordinem Sacramenti, exterius aqua, & F
interius Spiritu, Eccleſia conſecratur. Hoc eſt enim quod Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Ecce aqua, ecce ſpiritus. In baptiſmatis igitur Sacramento, nec aqua ſine Spiritu, nec Spiritus ſine aqua. Qui quidem ipſe ſpiritus ſignificabat, qui in prima mundi creatione ferebatur ſuper aquas. Hac igitur aqua & ipſum altare, & totum interius templum aſpergitur. De ſale autem quod ei additur, ſuperius dictum eſt. Diximus enim: Quod prima fidei rudimenta ſignificet. Poterant iſta ſola ſufficere ad baptiſmi Sacramentum & Eccleſiæ conſecrationem: ſed Sancti Patres noſtri, qui Spiritu Dei iſta conſtituerant, voluerunt nobis ſatisfacere, non ſolum in his, quæ pertinent ad virtutem Sacramenti, verum etiam in illis, quæ pertinent ad ſignificationem. Sufficit enim aqua & ſpiritus ad baptiſmi perfectionem; cætera vero quæ his adduntur, ad ſignificationem pertinent. Non enim oleum, vel chriſma
habuit Philippus Apoſtolus, quando Eunuchum baptizauit. Hæc tamen etiam nunc prætermittenda non ſunt, G
quæ ad ſignificandum aliquid, Sanctorum diligenti diſpoſitione addita ſunt.

Quid vinum ſignificet.

Dicamus igitur, quid vinum ſignificet. Vinum enim hoc in loco maiorem, & Spiritualem Diuinæ legis intelligentiam deſignat. Vnde ad nuptias vocatus Saluator noſter in vinum aquas conuertit: quatenus maiori intelligentia nos erudiret, & ſpiritualis, nouæque doctrinæ nectare ſatiaret. Diuina namque ſcriptura, ad litteram intellecta, aqua eſt ſine ſapore, & iucunditate, quæ ſi Spiritualiter intelligatur, vinum fit, & quidem miri ſaporis, magnæque ſuauitatis. Quod enim intereſt inter aquam, & vinum, hoc intereſt inter literam, & Spiritum. Vnde Apoſtolus, littera, inquit, *occidit, Spiritus autem viuificat.* Hoc autem vinum Pſalmiſta nobis promittens ait:
Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Itemque: *Calix tuus inebrians, quam præclarus eſt.* Et Item: *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto,* Humiliat enim Dominus Iudæum, exaltat Gentilem. Quare? Quia ille litteram ſequitur, quæ occidit: hic merum vinum, & Spiritualem intelligentiam bibit. Tota enim perditio Iudæorum in hoc eſt: quod litteræ creduli, ſpiritualem intelligentiam recipere nolunt. Vnde Pſalmiſta: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributionem & in ſcandalum: obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* Hæc etenim menſa, Diuina ſcriptura eſt: de cuius delitiis animæ nutriuntur, de quibus quodcunque animal comederit vel biberit, niſi ruminauerit non viuet. Bonum eſt igitur hoc vinum, ſed illis bonum, qui bene, & fideliter eo vtuntur. Ad hoc enim bibendum in Canticis Canticorum ipſe Dominus nos inuitat dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Tunc igitur nos inebriari Dominus iubet; cum alibi de ebrietate fugienda dicat:

A *Videte ne corda veſtra grauentur in crapula, & ebrietate.* Eſt igitur, & bona, & mala ebrietas: Neque poteſt eſſe niſi bonum quod Dominus iubet: & iterum, non poteſt eſſe niſi malum, quod Dominus prohibet. Bona eſt enim ebrietas mentis. Et de vino quidem quid ſignificet ſufficienter dictum eſt.

Quid cinis ſignificet.

Reſtat nunc, vt de cinere dicamus. Sed quid cinis niſi pœnitentia? Sedere namque in cinere, cilicio indui, pœnitentium eſt. Hinc eſt enim quod de Niniuitis pœnitentibus dicitur: *Quia Rex ipſe ſurrexit de ſolio ſuo, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Hinc & Dauid: *Quia cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam.* Hinc & Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Hinc & peccanti homini dicitur: *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Babyloniæ quoque per Prophetam Dominus loquitur: *Deſcende*, inquit, *ſede in puluere Virgo filia*
B *Babylonis, non eſt ſolium vltra tibi.* Vnde & conſuetudo in Eccleſia inoleuit, vt per ſingulos annos in initio quadrageſimæ capita nobis cinere aſpergamus. His autem & ſimilibus facilè oſtenditur, quia per cinerem pœnitentia deſignatur. Quia igitur dictum eſt, quid aqua, quid Sal, quid vinum, & quid cinis ſignificet, dicamus modo, quare ſimul miſcentur, vt eorum aſperſione Eccleſia conſecretur. Puto enim, quod ſine his, ſi vel vnum defuerit, populus Domini, quod eſt Eccleſia, neque Sanctificatur, neque ſoluitur à peccatis. Et de Aqua quidem manifeſtum eſt: quia niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit Regnum cœlorum. De ſale quoque non dubium eſt, quia ſine fidei condimento quod in Sale ſignificatur, nemo vnquam ſaluari poterit, etiamſi aqua baptiſmatis aſpergatur. Sed quid dicam de vino? per quod ſpiritualis intelligentia deſignatur, quo qui aſperſus fuerit, quicumque de eo non biberit, vel propinantibus non crediderit, ad vitæ æternæ beatitu-
C dinem non perueniet. Cineris quoque aſperſio, per quam pœnitentia intelligitur, tám neceſſaria eſt, vt ſine ea non fiat remiſſio peccatorum: per ipſam enim peruenitur ad baptiſmum; ipſa eſt vnicum, & ſingulare refugium peccatoribus poſt baptiſmum. Vnde & non immerito baptiſmus vocatur: Dicente Euangelio de Ioanne: *Quia venit in vniuerſam regionem Galilææ, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: dicebat enim; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Sic cœpit prædicatio Ioannis, ſic cœpit prædicatio Chriſti. In his autem omnibus ſoli paruuli excipiuntur & cæteri, qui intelligentiam non habent. Hæc eſt igitur, cauſa, quare hæc omnia, id eſt aqua, Sal vinum, & cinis ſimul miſceantur, quia vt diximus, ſi vel vnum defuerit paruulis, nihil cætera proſunt. Quibus ita permixtis, accedit Epiſcopus ad altare, & accepto faſciculo hyſſopi hæc ſupradicta aqua aſpergit, atque ſanctificat Eccleſiam, & altare.

D *Quid Altare.*

Sed quid Altare in templo ſignificat? Apoſtolus enim dicit: *Templum Dei Sanctum eſt, & quod eſtis vos.* Si ergo templum Dei ſumus, & altare habemus. Altare noſtrum, cor noſtrum eſt. Hoc eſt enim cor in homine, quod eſt altare in templo. In hoc enim altari fit ſacrificium laudis & iubilationis. Vnde Pſalmiſta, *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.* In hoc altari commemoratio corporis & ſanguinis Chriſti. Hinc preces aſcendunt in cœlum, quia ad cor reſpicit Deus. Hoc igitur Altare aſpergitur aqua, quando corda hominum Euangelica prædicatione mundantur à peccatis.

Aqua eſt prædicatio.

Nam & prædicatio aqua eſt, ſecundum illud. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Itemque *Aqua profunda, verba ex ore viri.* Et item *Reputetur ſicut pluuia eloquium meum.* Hac igitur aqua, id eſt Euangelica prædicatione,

E & Sancti Spiritus Sanctificatione, & cordis altare, & totus homo mundatur & ſanctificatur. Ecce altare aſperſum eſt, aquis baptizatum eſt. Reſtat igitur, vt confirmetur, & chriſmate liniatur. Hoc enim in hominibus ipſis fieri videmus. Prius enim baptizantur: & ſic, poſtea chriſmate confirmantur.

Quid oleum.

Dicamus igitur, quid oleum, & Chriſma ſignificet: Non enim ſine cauſa iam baptizati & à peccatorum ſorde mundati oleo vnguntur & chriſmate. Oleum enim, miſericordiam deſignat, quam qui non habet: idipſum amiſit quod baptizatus eſt. Vnde ipſa Veritas ait. *Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Hinc eſt quod ſeruus ille damnatus qui centum denarios conſeruo ſuo dimittere noluit dicente Domino: *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum.* Bene autem
F oleum miſericordiam ſignificat, quia ſicut illud in liquoribus, ita & miſericordia in bonis operibus ſuperior eſt. Quemcunque enim liquorem in oleum fundas, oleum ſemper deſuper natat. De miſericordia quoque ſcriptum eſt: *Suauis Dominus vniuerſis, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius.* Superexaltat enim miſericordiam iudicio. Hinc eſt etiam quod Dominus ait: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Multa ſunt, quæ de miſericordia dici poſſunt. Si quidem miſericordia Domini plena eſt terra: *Sed quis ſapiens & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini.* Hoc igitur vngatur, hoc oleo liniatur altare cordis noſtri, vt ſemper miſericordiæ memores, aquæ aſperſionem & baptiſmi regenerationem non dimittamus. Quid enim prodeſt, quod hyſſopo aſperſi a Sacerdotibus baptizati ſumus. Si pater noſter, qui in cœlis eſt, non dimiſerit nobis peccata noſtra, ſemper igitur in miſericordiæ oleo natent corda noſtra: quatenus dimittantur nobis peccata noſtra. Hæc autem de oleo.

G *Quid Balſamum.*

Cui ſi balſamum addamus, fit Chriſma, quo Reges vnguntur, & Sacerdotes. Balſamum autem tunc iungitur oleo, quando bonus odor additur miſericordiæ. Sed quid eſt bonus odor? Lætitia ſpiritualis, & bona voluntas. Vnde Apoſtolus ait: *qui miſeretur in hilaritate: hilarem enim datorem diligit Deus*; Tali igitur chriſmate vnguntur Chriſtiani, vt vero nomine vocentur Chriſtiani: quoniam Chriſtianus à Chriſto, & Chriſtus a Chriſmate dicitur. Ille enim tali chriſmate vnctus eſt, qui vitæ honeſtate, & merito Sanctæ conuerſationis longe circumquaque ſuæ bonæ famæ ſpargit odorem. Vnde Apoſtolus *Chriſti*, inquit, *bonus odor ſumus Deo.* Qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Sic igitur Eccleſia conſecratur, ſic Dei populus innouatur, benedicitur, & ſanctificatur.

Quid Cerei.

H Duodecim autem cerei, duodecim Apoſtoli ſunt, quorum doctrina fugatæ ſunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus eſt mundus. Lapis autem altaris non ſolum Chriſtum, ſed Chriſti quoque membra ſignificat. De quo lapide Scriptum eſt. *Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.* De quo & Pſalmiſta *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ergo non ſolum ipſe, ſed, & conſortes eius per ipſum oleo lætitiæ vncti ſunt. Vnde manifeſtum eſt: quia in illo lapide, & ipſe ſignificatur, & membra eius, quia vero Sanctorum reliquiæ in altari ponuntur. Altare quoque cordis noſtri ſine Sanctorum reliquiis eſſe non debet. Sanctorum namque reliquias in corde geſtamus, ſi eos ſemper in mente habemus ſi eorum dicta, & exempla tenemus & eorum verba memorię comēdamus. Beata illa altaria, beata illa corda, quæ tales reliquias ſuſcipere meruerunt. Quantas nobis Beatus Paulus

A reliquias reliquit: quantas & alij Sancti reliquerunt? quibus vtinam noſtri cordis altare repleatur, & condiatur. Hæc autem de conſecratione Eccleſiæ dicta ſufficiant.

Nunc autem dicendum eſt: Cur in olei, & Chriſmatis conſecratione ter ſuper eam Epiſcopus halat. Legimus enim in Euangelio. Quod Dominus in diſcipulos inſufflauerit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Hic igitur halitus illam inſufflationem ſignificat. Qui ideo ter quidem fit, quia Spiritus Sanctus, à Patre, filioque procedit, & à ſeipſo venit. Poterat enim Saluator noſter ſine omni ſufflatione dare ſpiritum ſanctum, quem ideo quidem inſufflando dedit, vt ab ipſo quoque, ſicut & à Patre eius procedere intelligamus. Quamvis enim neſciamus, quomodo ſpiritus ſanctus à patre, filioque procedat, (hoc enim in hac vita, in qua non videmus niſi per ſpeculum, & in ænigmate) niſi reueletur, certiſſimè tamen ſcimus, & nullatenus dubitamus eum procedere à patre, & filio, ideſt, de ſub- B ſtantia Patris & filij. Hoc enim ei proprium eſt, & de nulla alia ſubſtantia procedit à nullo alio mittitur, & à nullo alio datur Spiritus Sanctus. Datur enim officio ſacerdotum, ſed non datur à Sacerdotibus: Sic enim adeſt virtus Chriſti per inſufflationem, quæ fit à ſacerdotibus in honorem ſignificationis Spiritus Sancti, ſicuti per verba, quæ dicuntur in nomine ſuo.

His igitur ita diſpoſitis, dicendum eſt; qualiter hæc Sacramenta ſuſcipiat, qui ad fidem nouiter venit. Is enim qui ad Eccleſiam venit, prius de fide interrogatur. Qui poſtquam ſe credere reſpondet, ſacerdos ei in faciem inſufflat, vt ſpiritus ſanctus ingrediatur, & ſpiritu ſancto malignus ſpiritus eiiciatur. Adeſt enim, vt modo diximus, ſpiritus ſanctus, non ſolum verbis, quæ dicuntur in nomine ſuo, verum etiam ſignificationibus, quæ fiunt in honore ſuo. Deinde in Eccleſiam introducitur, & fidelium populo ſociatur: Ac ſic ſacerdos ei ſalem ponit in ore, per quod quid ſignificetur, ſuperius diximus. Hoc enim ſal, prima fidei documenta ſignificat, C ſine quorum condimento inſulſus eſt omnis homo. Poſtmodum vero eius nares, & aures cum ſaliua tangit, quod ipſe Dominus, & ſaluator noſter tunc nobis expoſuit, quando exiens de finibus Tyri, & veniens per Sydonem ad mare Galileæ, ſanauit hominem ſurdum, & mutum: Exſpuens enim tetigit linguam eius, & ponens digitos ſuos in auricula eius, dixit: *Epheta, quod eſt, adaperire; & ſtatim*, vt ait Euangeliſta, *apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius & loquebatur rectè.* Saliua igitur Chriſti, dulcedo eſt verborum defluentium ex ore Chriſti, & ipſa Diuinitas Chriſti nos ſanat. Nares itaque ei tanguntur, vt Diuinam veritatem ſuſcipiat, qua bonum à malo diſcernat, odorem, & ſanam doctrinam ſeparare valeat à fœtore hæreticæ prauitatis. Hinc enim Eccleſiæ dicitur: *Naſus tuus ſicut turris libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Tanguntur autem, & aures, vt verbis Euangelicis pateant, & vanas, & inutiles fabulas à ſe repellant: Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Deinde ad Baptiſmum veniens, prius in pectore, & inter ſcapulas oleo vngitur, quatenus intelligat, ſine miſericordiæ oleo, etiamſi baptizetur, ſe tamen D Deo placere non poſſe. Et de oleo quidem ſuperius diximus. Bene autem quidem in pectore vngitur, vbi eſt cor, memoria, & ratio & intellectus: quatenus ſemper miſericordiam in corde habeat, & nunquam pietatis, & miſericordiæ obliuiſcatur, ſed quia non ſufficit, vt miſericordia in mente ſolummodo habeatur, niſi & opere exerceatur, vngitur etiam & inter ſcapulas, vt audiat Apoſtolum dicentem: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* In ſcapulis & ſuper humeros feruntur onera. Hoc enim ipſe Dominus oſtendit, dicens de Phariſæis, *qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Oleum igitur à corde transfertur ad ſcapulas, quando miſericordia quæ mente concipitur, opere perficitur. De Baptiſmo autem ſatis ſuperius dictum eſt. Poſtquam autem baptizatus eſt homo, ſuſcipit veſtem candidam, per quam interioris, E & exterioris hominis caſtitas, & puritas ſignatur, audiatque ſcripturam dicentem: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Vngitur autem & Chriſmate à Sacerdote in vertice, in quo ſimul & nomen Chriſti & humilitatem ſuſcipiat. Vtrumque enim & Chriſtus, & Chriſtianus à Chriſmate nominatur. Et bene quidem ſignum crucis, & nomen humilitatis in vertice deſcribitur, vbi ipſa ſuperbia ſedere videbatur, ſemper enim ſuperbia ſuperiora appetit. Vnde inclinato capite humiles, & recta ceruice ſuperbos ſtare videmus. Hos humilitas inclinat, illos ſuperbia erigit. Sed quid dicit ſcriptura? *Verumtamen Deus conquaſſabit capita inimicorum ſuorum, ſuper verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Hac igitur vnctione ſuperbia tollitur, & humilitas commendatur. Nunc autem ſola confirmatio reſtat, quæ ab Epiſcopis fieri iubetur, in qua totius Chriſtianorum religionis myſterij plenitudo completur. In baptiſmo namque per ſpiritum ſanctum datur remiſſio peccatorum. Hic autem ipſe ſpiritus inuitatur, vt veniat, & F domum ipſam, quam ſanctificauit, defendere, & habitare dignetur. Nam & ipſi Apoſtoli poſt baptiſmum acceperunt ſpiritum ſanctum, quem vtique in ipſo baptiſmo iam acceperant in remiſſionem peccatorum. Neque enim credendum eſt, eos baptizatos non fuiſſe, qui & alios baptizabant & ipſum Dominum dixiſſe audierant: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei.* Acceperunt autem iterum ſpiritum ſanctum, quo ligarent & ſoluerent à peccatis. Inſufflauit enim Dominus in eos, vt ait Euãgeliſta & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Receperunt & iterum in die Pentecoſtes, ad totius Virtutis, & ſcientiæ perfectionem. Ad cuius ſimilitudinem, & ſignificationem hæc vltima confirmatio fieri iubetur. In quo manifeſtum eſt, quod hoc ſacramentum, non iteratur, ſi quidem propter aliud, & aliud datur. Quamvis enim prius in vertice, & poſtea in fronte chriſmate vngatur, non tamen iteratur Chriſmatis ſacramentum, quia, G vt ſuperius oſtendimus, propter aliud, & aliud fit, ſicut & baptiſmum iterari non dicimus, cum toties poſt baptiſmum aqua aſpergatur. Ibi enim reiteratur ſacramentum, vbi ad ipſum iterum datur propter idem ipſum. Veluti ſi aliquis baptizatus iterum in aquis baptiſmatis mergeretur, quatenus ab originali & aliis peccatis ſolueretur: Aliter enim non rebaptizatur, etſi multoties aliquis baptiſmatis aquis mergatur. Hæc autem vltima conſignatio ideo quidem in fronte fit; quia perfectorum eſt, non in occulto, ſed palam & in manifeſto Chriſti nomen ſemper habere. Hinc eſt enim quod Ioannes Apoſtolus ait: *Vidi ſupra montem Sion agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Stare enim, & in monte ſtare, & cum Agno ſtare, perfectorum eſt. Ipſi enim Apoſtoli, antequam vngerentur, antequam Spiritu Sancto confirmarentur, nondum ſtabant, nondum perfecti erant, adhuc timebant, & nondum Chriſti nomen in Chriſti nomine H gerebant.

Expoſitis omnibus, quæ ſuperius dicta ſunt: de veſtibus Sacerdotalibus, & quid Sandalia, quid Amictus, & Ephod, quid Cinctorium & Subcinctorium, quid Orarium, & Tunica, quid Dalmatica & planeta, quid Pallium & acus, quid Mitra & Manipulus ſignificent, videamus. Legimus in Euangelio, Chriſti diſcipulos ſandaliis calceatos à Domino miſſos: calceatos vtique in præparatione Euangelij pacis. Si enim calceati non eſſent, quomodo ſupra ſerpentes & ſcorpiones calcare potuiſſent? Reſpiciant igitur ſandalia Epiſcopi, reſpiciant calceamenta Apoſtolica, cogitent cur ita calceati ſint, imitentur eorum exempla, quorum imitantur calceamenta: inſtent prædicationi, quatenus & ipſi ſint calceati in præparatione Euangelij pacis: Hæc calceamenta non ſunt honoris ſed laboris, non ad quieſcendum, ſed ad iter agendum calceantur, qui calceantur. Hæc eſt igitur cauſa, cur ſandaliis vtantur Epiſcopi.

A

De Amictu & Ephod.

Amictus autem & Ephod,& cætera indumenta ſacerdotalia, quæ ex lino conficiuntur, pene eandem ſignificationem habent. Significant enim vtriuſque hominis caſtitatem & puritatem,quia præ cæteris candida ſunt,& frequentius abluuntur. Eandem igitur ſignificationem habent in nouo:quam habuerunt in veteri teſtamento.Et Amictus quidem, quo & collum ſtringitur & pectus tegitur,interioris hominis caſtitatem deſignat: Tegit enim cor,ne cogitet vanitates: ſtringit collum,ne inde ad linguam tranſeat mendacium. His enim duobus,ideſt,cogitationibus,& mendacio,corrumpitur anima; his amittit caſtitatem & incipit fornicari. Vnde ipſe Dominus ait: *quæ autē ex corde exeunt,hæc ſunt quæ coinquinant hominem*:Ex corde enim exeunt cogitationes malæ,adulteria, furta,periuria, homicidia,& ſimilia: hæc ſunt quæ coinquinant hominem: non lotis manibus manducare, non B coinquinat hominem. Sentiat igitur cor linum amictum & candidum indumentum quo premitur., & intelligat quod in eo ſignificatur;& ſic ſemper caſtitatis & munditiæ amor luxurioſis & iniquis cogitationibus non corrumpatur: Quod ſi aliquando corruptum fuerit,ne malè tamen cogitata foris prorumpere valeant,lineus amictus collum cingit & ſtringit. Semper igitur collum Epiſcopi lineo ſtringitur amictu, quatenus eloquia eius ſint eloquia caſta, & inde mendacium tranſire non valeat.

Similiter autem & per Ephod caſtitas corporis figuratur: Quod in renibus quidem cinctorio ſtringitur: quia ibi præcipuè luxuria dominatur. Vnde ipſa veritas ait: *Sint lumbi veſtri præcincti*:Lumbos enim præcingere, eſt luxuriæ impetus caſtitatis imperio refrænare.Hinc & de diabolo dicitur: *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius*.Neceſſe eſt igitur,vt Ephod, ideſt, virtus & fortitudo caſtitatis illis in locis ſtringatur & ligatur,in quibus maximè luxuria dominatur. Ab hoc autem cingulo, ſiue cinctorio duplex ſubcinctorium C pendet; quia duo ſunt quibus caſtitas roboratur, & ſine quibus difficilè conſeruatur, ideſt, oratio & ieiunium. Attendant igitur ad ſuccinctorium Epiſcopi,inſtent ieiunio & orationi,his armis ſe defendant ab impetu libidinis & ſpiritu fornicationis: *Hoc etenim genus non eiicitur niſi in oratione & ieiunio*. Domini verba ſunt.

De Orario.

Sed quid per Orarium intelligamus niſi id quod Dominus ait: *Tollite iugum meum ſuper vos & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue?* Orarium, ſimul iugum, ſimul & onus eſt: Iugum ſacerdotibus, onus Diaconibus. Vnde fit,vt ſacerdotibus circa collum,& Diaconibus circa humeros ponatur. Vt enim collo portatur iugum; ſic & humeris onera feruntur: Boues igitur ſacerdotes, Aſini Diacones. Lege in Leuitico & videbis, ſolos Leuitas ferendis oneribus deſtinatqs. Vocatur autem Orarium: quia quamvis ſine aliis indumentis ſacerdo- D talibus & baptizare & conſignare, & alia multa orando facere liceat, ſine Orario tamen, niſi magna neceſſitate cogente, nihil horum agere licet.

De Tunica.

Tunica autem in veteri Teſtamento hyacinthina ſolummodo erat, & alterius coloris non erat, per quam Angelica vita & cœleſtis conuerſatio deſignatur. Cœli namque colorem habent hyacinthi.Et tali quidem tunica Apoſtolus indutus dicebat:*Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*. Ad hanc igitur tunicam reſpiciat Epiſcopus, totuſque mente & deſiderio ad cœleſtia transferatur. Si autem alterius coloris tunica fuerit, ſit & alterius ſignificationis.

De Dalmatica.

Dalmatica vero magis ad ornatum, quam ad ſignificationem pertinere videtur; quæ & poſt alia indumenta ſacerdotalia inuenta eſſe probatur. Fimbriæ tamen quæ E in Dalmaticis à ſiniſtro latere pendent, huius vitæ impedimenta, ſuperfluitates & ſollicitudines ſignificare poſſunt; quæ quoniam in altera vita non ſunt,merito neque fimbriæ in dextro latere ponuntur. Per dextram namque & ſiniſtram, vtramque vitam ſignificari vſitatiſſimum eſt. Vnde & illud: *Læua eius, ſub capite meo,& dextera illius amplexabitur me.* Quod igitur Dalmatica induitur, vtriuſque vitæ recordetur; eligat meliorem, illam videlicet quæ impedimenta, ſuperfluitates, curas, & ſollicitudines non habet.

De Planeta.

Sed quid Planeta,quæ & Caſula vocatur, niſi Charitatem ſignificat? Vnde & merito ſuperior eſt. Siquidem Deus charitas eſt. Hæc enim veſtis, omnia alia veſtimenta intra ſe claudit & continet; ſicut & in charitate omnia legis & Prophetarum mandata continentur, dicente Apoſtolo: *Plenitudo legis charitas eſt.* Et Domi- F nus in Euangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum: In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ.* Quia igitur Planeta omnia alia veſtimenta continet intra ſe, merito illam virtutem ſignificat, quæ omnia legis & Prophetarum mandata continet in ſe.

De Pallio.

Reſtat nunc, vt de Pallio dicamus: per quod ſimul vtrumque & ſuperhumerale & rationale intelligimus: quia enim ſuper vtrumque Pontificis humerum iacet, ſuperhumerale dicitur: Quia vero inde deſcendens in ipſo Pontificis pectore iungitur, rationale vocatur. Habebat enim Aaron ſuperhumerale & rationale: quæ catenulis aureis ſimul iungebantur: & ſuperhumerale quidem ab humero vſque ad humerum extendebatur: rationale vero quadrangulum erat,& duplex,ſicut & pallium duplex eſt.Habebat autem menſuram palmi tam in G longitudine quam in latitudine: quæ menſura pectori Pontificis ornando vel operiendo ſufficeret. Habet igitur Pallium eandem cum Humerali & Rationali ſignificationem. Dicamus itaque, quid ſuperhumerale, & quid rationale ſignificet: & hoc breuiter quia ſufficienter de his in Exodo diximus. Quid enim ſuperhumerale, quo humeri Epiſcopi ornantur & onerantur, niſi Epiſcopalis dignitatis onus ſignificat? Magnum onus eſt dignitas Epiſcopalis: Iſti humeris totius Eccleſiæ onera ferre, & oues languidas & populi peccata portare debent. Illi Epiſcopi ſuperhumerale non habent, qui aliorum onera ferre recuſant.Quales erant illi de quibus Dominus ait: *Alligant onera grauia & importabilia & imponunt in humeris hominum,digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Summus autem Pontifex ille noſter tali ſuperhumerali ornatus erat, qui relictis ouibus nonaginta nouem vnam quæ perierat, quærere venit, quam inuentam propriis humeris impoſuit & ad paſcua reduxit. Rationale vero quid ſignificet, & nomine ipſo & loco, ſuper quem po- H nitur,intelligi poteſt:Ponitur enim ſuper pectus Pontificis,ad cordis theſaurum & Sapientiæ Secretarium cuſtodiendum. Hoc enim rationale ſupra pectus habebat ille qui dicebat: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vbi enim eſt rationale,ibi eſt & ratio & ſapientia & ſcientia: hoc enim rationale ſignificat. In quo igitur pectore & corde iſta non fuerint,ibi rationale poni non debet: Si enim ponitur,inutile eſt, & quaſi ſigillum nihil cuſtodiens. Dicitur autem rationale Iudicii:vt qui eo vtitur,rationabiliter iudicet,ſapienter iudicet,vere iudicet, nihil temere,nihil incautè,nihil inordinate iudicet. Hæc autem de Rationali & ſuperhumerali dicimus, quatenus per hæc quid Pallium ſignificet, intelligatur. Eſt autem Pallium in ſiniſtra duplex: quia quamdiu in hac vita ſumus,quæ per ſiniſtram ſignificatur,duplicitate carere non poſſumus: ſiquidem nunc proſperis extollimur, nunc aduerſis frangimur: nunc terrena petimus, nunc cœleſtibus adhæremus: nunc carni, nunc menti ſeruimus: In dextera vero, Pallium duplex non eſt: quia in altera vita duplicitas nulla eſt: ibi enim proſperitas

A ſine aduerſitate, gaudium ſine triſtitia, felicitas ſine miſeria: Illa igitur caret duplicitate, non habens maculam, neque rugam. Fit autem Pallium ex lana, vili ſcilicet materia, vt habeat pretium non à ſe, ſed in eo, quod ſignificatur in ſe. Vtinam non oculis, ſed menti ſpectabile ſit; vt non ad ornandum, ſed ad aliquid ſignificandum indui intelligatur.

De Vittis.

Vittas autem, quæ in pallio poſitæ ante, & retro, rationale & ſuperhumerale ad inferiora trahunt, huius vitæ curas & ſollicitudines ſignificare putamus: quibus & cor, & humeri Pontificis ſic ſæpiſſime grauantur & impediuntur, vt à proprio ſtatu eum auertant, & vana quædam & tranſitoria eum cogitare & portare compellant. Has igitur vittas inſpiciat Epiſcopus, & earum iniquo grauamine cor, humeroſque excutiat.

B *De Acu.*

Acus autem non ad pungendum, id eſt, propter huius vitæ punctiones, vt quidam putant, ſed planetam, palliumque iungendum inuentæ ſunt. Quædam enim inſulæ antiquitus in Planeta poſitæ erant, quibus acus inſerebantur, & Pallium ſimul cum Planeta firmabant, ne à ſuo loco Pallium moueretur. Poſſumus tamen per acus, quia tres ſunt, fidem, ſpem, & charitatem intelligere, ſine quibus pallium ab Epiſcopo teneri non poteſt. Qui igitur habet pallium, habeat & acus, quibus liget & ſtringat & teneat pallium. Et de pallio quidem, tantum nos dixiſſe ſufficiat.

De Mitra.

C Mitra autem, quia linea eſt, caſtitatis candorem, munditiamque ſignificat: ſicut & amictus & Ephod, de quibus ſuperius dictum eſt. Bene autem totus à capite vſque ad pedes lino Epiſcopus operitur: quia omnis eius honor & gloria, caſtitas & munditia eſt. Hoc autem ornamentum multum erat capiti neceſſarium, quia ibi ſunt quinque corporis ſenſus: quibus corruptis, facile caſtitas violatur. Vnde Pſalmiſta: *Auerte*, inquit, *oculos meos Domine ne videant vanitatem.* Et B. Iob: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de Virgine.* Ne igitur ſenſus Epiſcopi violentur, merito mitra caſtitatis eius caput ornatur & operitur.

De Manipulo.

Sed quid per manipulum niſi bona opera intelligamus? Vnde eſt illud: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Cogitet igitur Epiſcopus, quid in eius manu manipulus ſignificet: ne quando bonæ operationis obliuiſcatur. Niſi enim aliquid ſignificaret, ridiculum quoddam videretur eſſe, in manu manipulum portare. Eſt igitur hoc, ſicut ſcriptum eſt, ſignum aliquod de manu noſtra, & quaſi appenſum quid ante oculos noſtros.

D *De Chirotecis.*

Quæris fortaſſè: Cur manus lineis Chirotecis induantur? Breuiter reſpondeo: Vt caſtæ ſint, mundæ ſint, & ab omni ſorditate immunes ſint, & nitidæ.

De Annulo.

Annulus quoque in digito Epiſcopi quoddam ſignum eſſe videtur, per quod Chriſti Vicarius eſſe intelligitur, vt eius ſponſam, quæ eſt Eccleſia, regat & cuſtodiat. De hoc enim ſponſo & ſponſa Ioan. Baptiſta loquitur, dicens: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt:* amicus autem ſponſi quis...... Eſt igitur Epiſcopus, & amicus, & Vicarius ſponſi: Quod ſi Vicarius eſt, & ipſe quodammodo ſponſus eſt.

De Imperio Summo.

Summus autem Pontifex propter hoc & Regnum portat (ſic enim vocatur) & purpura vtitur: non pro ſignificatione, vt puto, ſed quia Conſtantinus Imperator E olim B. Sylueſtro omnia Romani Imperij inſignia tradidit. Vnde & in magnis Proceſſionibus omnis ille apparatus Pontifici exhibetur, qui quondam Imperatoribus fieri ſolebat. Hæc autem de veſtibus ſacerdotalibus dicta ſint. Nunc autem dicendum eſt: quid in Epiſcoporum Conſecrationibus Euangeliorum liber humeris impoſitus, & capitis, & manuum vnctio deſignet. Hæc enim ſub figura fieri videntur; non autem ad ſortes quærendas, vt ſtulti opinantur, Euangeliorum liber eius qui conſecratur humeris imponitur; ſed vt per hoc intelligatur, cui labori & oneri ſubiicitur; vt pondus Euangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre non pigeat. Et quia non ſolum Epiſcopus, ſed & Rex in Eccleſia conſtituitur, ſecundum antiquorum conſuetudinem, eius caput vngitur, eiuſque corona chriſmate conſecratur: De hoc enim vnguento ſcriptum eſt: *Sicut vnguentum in capite eius, quod deſcendit in barbam barbam Aaron.* Firmiſſime autem credendum eſt: quod hac vnctione & Chriſti benedictionem, & Spiritus maiorem gratiam ſuſcipiat. F Vnguntur autem & manus: vt quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque ſanctificauerint, ſanctificentur. Hæc autem vnctio in Epiſcopo otioſa eſſe non debet. Vngitur exterius, vngatur & interius: vngitur in capite, vngatur & in mente. Nam & mens caput eſt: caput vtique ſed melioris & interioris hominis. De hoc enim capite Dominus ait: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum.* Vnge, inquit, ſed quo oleo? non oliuæ, ſed miſericordiæ. Vngatur igitur mens pietatis & miſericordiæ oleo: vt bonæ vitæ, & ſanctæ conuerſationis longè circumquaque cunctis ſuauem & delectabilem ſpargat odorem. Quæ enim mens tali oleo vncta fuerit, omnium miſerebitur, & ſuper omnes cordis compaſſione mouebitur. Sed quia non ſufficit mente tantum & voluntate miſereri, vnguntur manus: vt miſericordia, quæ mente concipitur, manibus quoque exerceatur. G Vngantur igitur manus Epiſcopi, pietatis, & miſericordiæ oleo: nemini claudantur, omnibus aperiantur. Audiat quid de Eccleſia dicitur: Manum ſuam aperuit inopi, & brachium ſuum extendit ad pauperem. Manus arida, manus auara, manus tenacitate contracta, non poteſt aperiri. Vngatur igitur vt ſanetur: vngatur vt aperiatur, & indigentibus eleemoſynas largiatur.

Explicit. Deo gratias.

SANCTI LEONIS PAPÆ Noni, Vita.

A S. Brunone Signienſi Epiſcopo conſcripta.

BRuno Signienſis Epiſcopus omnibus fidelibus, & Catholicis vniuerſis. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. H Pſalmiſta loquitur dicens. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Qua in re manifeſtiſſimè docet, vt nos quoque ad Dei laudem & magnificentiam, quoſcunque poſſumus, inuitemus. Omnis enim laus, omnis virtus & gloria Sanctorum ad illum refertur, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis; qui ſuis quoque diſcipulis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ipſe in ſingulis coronatur, & in omnis honoratur, ipſe in eis loquitur, ipſe in eis pugnat, & vincit. Vnde & ipſi fideles, & ſerui ipſius non immerito dicunt: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Laudemus ergo Sanctos Dei, honoremus amicos Dei; ſiquidem ipſe laudatur & magnificatur in eis, qui hanc tantam gloriam, virtutem, & magnificentiam dedit eis. Rogo itaque. *Magnificate Dominum mecum.* Et in hac tanta ſolemnitate Beati Leonis Summi Pontificis, & Vniuerſalis Papæ exaltemus nomen eius in idipſum.

Mundus totus in maligno poſitus erat, defecerat Sanctitas, iuſtitia perierat, & veritas ſepulta erat: regnabat

A iniquitas, auaritia dominabatur, Simon magus Eccleſiam poſſidebat, Epiſcopi, & Sacerdotes voluptatibus, & fornicationi dediti erant non erubeſcebant ſacerdotes vxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, & legibus eas dotabant, cum quibus ſecundum leges nec in vna domo ſimul habitare debebant. Sacri namque Canones, nullas alias mulieres ſimul cum hoc ordine habitare permittunt, niſi eas ſolas quæ omni careant ſuſpicione. Sed, quod his omnibus deterius eſt, vix aliquis inueniebatur, qui vel Simoniacus non eſſet, vel à ſimoniacis ordinatus non fuiſſet. Vnde etiam vſque hodie inueniuntur quidam, qui malè argumentantes, & Eccleſiæ diſpenſationem non bene intelligentes, ab illo iam tempore Sacerdotium in Eccleſia defeciſſe contendant. Aiunt enim: Si omnes tales erant, id eſt, ſi omnes vel ſimoniaci erant, vel à ſimoniacis ordinati, vos, qui nunc eſtis, vnde huc veniſtis? per quos, niſi per illos tranſiſtis? non fuit via aliunde. Ergo illi, qui vos ordinauerunt, ab illis, & non ab aliis ſuos ordines
B ſuſceperunt, qui vel ſimoniaci erant, vel à ſimoniacis ordinati erant. His autem poſtea reſpondebimus, quoniam hæc quæſtio non paruam quærit diſputationem. Nunc interim ea, quæ cœpimus, proſequamur.

Talis erat Eccleſia, tales erant Epiſcopi & Sacerdotes, tales & ipſi Romani Pontifices, qui omnes alios illuminare debebant: Omne ſal erat infatuatum, neque erat aliquid in quo condiretur. Et niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. In hac igitur tanta tempeſtate beatus Leo Apoſtolici culminis Cathedram ſuſcepit, vt hæc talis tantaque lucerna, vniuerſali candelabro ſuperpoſita, luceret omnibus, qui in domo ſunt.

Erat enim hic Tullenſis Epiſcopus Bruno nomine, nobilis genere, forma ſpecioſus, ſed ſpecioſior ſanctitate, litteris inſtructus, doctrina potens, moribus ornatus, & quę cumque huic ordini neceſſaria ſunt, ſimul in eo cuncta conuenerant. Et talis quidem magiſter neceſſarius erat,
C qui tali tempore, & tales diſcipulos habiturus erat.

Conuenerunt itaque viri religioſi ſimul cum Henrico Imperatore, viro per omnia prudentiſſimo, & Legatis Romanorum, qui tunc temporis ibi erant, præfatum Epiſcopum multum deprecantes, vt pro amore Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli, Romanæ Eccleſiæ ſubueniret, ſeſeque pro fide, & religione Chriſtiana periculis tradere non timeret. Timebat enim gens illa huius noſtræ terræ habitationem, vt potè quæ de locis ſaniſſimis ad loca infirma tranſmearet.

Beatus autem ille Epiſcopus, non loci infirmitatem, ſed tantæ Eccleſiæ ſublimitatem aſcendere metuebat. Sic enim & Moyſes feciſſe legitur; quem cum Dominus Iſraëlitico populo præponere voluiſſet ait: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* Victus tandè eorum precibus, quod illi poſtulabant, ſe ſub hac conditione facturum eſſe promiſit. *Ego, inquit, Romam vado, ibique ſi Clerus & populus ſua ſponte me ſibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis: aliter autem electionem nullam ſuſcipio.*

At illi gauiſi, confirmant ſententiam, & laudant con-
D ditionem. Illis autem diebus erat ibi Monachus quidam Romanus, Ildebrandus nomine, nobilis indolis adoleſcens, clari ingenij, ſanctæque religionis. Iuerat autem illuc, tum diſcendi gratia, tum etiam vt in aliquo religioſo loco ſub Beati Benedicti Regula militaret. Hunc igitur Beatus Epiſcopus vocauit ad ſe, cuius propoſitum, voluntatem, & religionem mox vt cognouit, rogauit eum, vt ſimul cum eo Romam rediret. Cui ille non facio, inquit. Reſpondit Epiſcopus. Quare non. At ille: Quia non ſecundum Canonicam inſtitutionem, ſed per ſæcularem, & regiam poteſtatem Romanam Eccleſiam arripere vadis. Ille autem, vt erat natura ſimplex, atque mitiſſimus, patienter ei ſatisfecit, reddita de omnibus ſicut ille voluerat ratione.

Quo nimirum in facto Beati Petri Apoſtoli, cuius ſucceſſor mox ipſe futurus erat, exemplum imitatus eſt: Qui poſtquam Cornelium Baptizauit, hominem, ſcilicet gentilem, & à Iudæorum religione extraneum, ab aliis E
Apoſtolis reprehenſus, quod ad hominem intrauit præputium habentem, non eſt dedignatus de omnibus reddere rationem.

Et tunc Epiſcopus Romam veniens prædictum Monachum ſecum adduxit, multum in hoc ipſo Beato Petro Apoſtolo ſeruiens, quod illum hominem ſecum reducebat, cuius conſilio, & ſapientia Romana Eccleſia aliquando regenda, & gubernanda erat. Hic eſt enim Gregorius Septimus Papa, cuius prudentiam, conſtantiam, & fortitudinem, cuius pugnas & labores enarrare, alterius temporis, & operis eſt. Et ſecundum Romanam conſuetudinem cum magnis laudibus à Clero & Populo in Pontificem electus eſt. Deinde vero in B. Petri Apoſtoli Cathedram eleuatus, Diuina, vt opinor, operante prouidentia, mutato nomine, Leo vocatus eſt. Vicerat enim Leo de tribu Iuda, à qua iſte Leo originem ducens, factus fortiſſimus beſtiarum, ad nullius timeret occurſum. Cuius quidem rugitus mox terram commo-
uit, terruit ſacrilegos, turbauit, & coniugatorum exercitum vulnerauit. Iſte enim Beatiſſimus Pontifex, ſancti Spiritus igne inflammatus, maximè contra ſimoniacos exarſit, & vt Clericorum ordo caſtè & religioſè viueret, antiquos Canones confirmauit, multum in hoc ipſo, vbi neceſſarium fuit, diſpenſatoriè condeſcendens & parua indicta pœnitentia, Apoſtolica auctoritate de præteritis parcens, ne tale aliquid vlterius committerent, admonebat. Hoc autem in exemplum ſuſcipi non oportet, quod Pontifex non voluntate, ſed neceſſitate agebat, niſi, & cauſa fortaſsè, & ſimilis ſit, quia multoties Eccleſiæ Rectores ea tolerare cogit, quæ corrigi non poſſunt: Quanta ei benignitas circa omnes, quanta humilitas, quanta manſuetudo, quam largus, quam affabilis, quam omnibus compatiens fuerit, quis dicere valeat? Omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret. Sermo eius ſale conditus, & mulcebat pios, & terrebat impios.

Sed iam nunc ad ea veniamus, quæ per eum Dominus operatus eſt: non quod omnia ſcribere velimus, quæ vel de eo audiuimus, vel etiam ſcripta reperimus. Multa no- G
bis beatus Gregorius Papa, cuius ſuperius mentionem fecimus, de hoc viro narrare ſolebat, à quo & ea, quæ vſque modo dixi, magna ex parte, me audiſſe memini. Qui cum nobis audientibus aliquando de ipſo loqueretur, cœpit nos increpare, & me præcipuè, vt mihi videbatur (ſiquidem in me oculos intentos habebat) quoniam beati Leonis facta ſilentio perire pateremur, & quod ea non ſcriberemus, quæ Romanæ Eccleſiæ ad gloriam; & multis audientibus forent ad humilitatis exemplum. Sed quoniam in commune verba fundebat, & nulli noſtrum ſpecialiter hoc agere iubebatur, nemo fuit, qui ea ſcriberet quæ omnibus ſcribendo mandabat.

Nec ego quidem nunc ea ſcripſiſſem, niſi quodam modo, vt ea ſcribere coactus eſſem, ſicut in ſequentibus manifeſtabo. Parcat mihi vterque Pontifex, quoniam vtrumque me in hoc offendiſſe cognoſco. Hoc igitur primum dicamus, quod in partibus Galliæ admirabili Dei prouidẽtia per eum factum audiuimus. Cum enim B. Leo ibi concilia celebraret, multique ibi Epiſcopi de Simo- H
niaca hæreſi accuſarentur, inter cęteros accuſatus eſt quidã, qui præ cæteris ſuſpectus amplius habebatur: ſed cum eius accuſatio certis indiciis probari non poſſet, adiurauit eum Pontifex, vt ipſe de ſeipſo diceret veritatem qui cum veritatẽ dicere nollet, & ſuam iniquitatẽ bonis omnibus celare conaretur, ait ad eum B. Leo: Si ergo, vt aſſeris, Simoniacus non es, & ſi in Spiritum Sanctum non peccaſti; dic mihi ſi potes: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Cumque ille dixiſſet: Gloria Patri, & Filio, quamvis multũ conaretur, nullo modo, & ſpiritui ſancto dicere valebat, atque idipſum ſæpius repetens cum aperto ore ſpiritum ſanctum nullatenus nominare potuiſſet, omnibus qui aderant manifeſtum apparuit, in ſpiritum ſanctum eum deliquiſſe, cuius nomen dicere non valebat. Omnes igitur in commune Deo gratias agebant, qui tam nouum ſignum, tamquè inauditum miraculum, eis oſtendere dignatus fuerat. Huius itaque iudicio nonnulli

A perterriti, ipſi per ſe ad Pontificem veniebant, ſeque ipſos accuſantes ſuas conſcientias ei reuelabant. Tunc quoque Cluniacenſis Abbas, bonæ ſpei adoleſcens, cum à Beato Leone interrogaretur: Si de illa ſua tanti Cœnobij Prælatura aliquando ambitionem habuiſſet? Vt veritatis diſcipulus, id quod erat reſpondit, dicens: Secundum carnem quidem habui, ſecundum ſpiritum non habui. Quæ reſponſio tam grata, tamque laudabilis omnibus fuit, vt ſtatim præ nimio gaudio in corde omnium ſcriberetur, ſeque viciſſim, quid reſponderit, interrogabant, vt eadem ipſa verba tenere valuiſſent: Ipſe autem non ſenex, & plenus dierum; cunctis venerabilis, cunctiſque amabilis, idem ipſum Monaſterium Venerabile ſapientiſſimè regit adhuc, vir per omnia laudabilis, difficilis comparationis, & ſingularis religionis.

Aliud quoque miraculū de eodem Pontifice Beatum Gregorium dicentem audiui, quod ego quidem nullatenus prætereundum puto; Habuerat, inquit, Beatus Leo B magiſtrum quemdam, virum ſapientem & benè religioſum, qui vnum ſciphum ligneum ei mandauit, poſtquam Romanæ Eccleſiæ Pontificatum ſuſcepit: Hunc autem Sciphum Pontifex venerabilis mirabiliter charum habebat, & pro B. Remigij veneratione, cuius ille ſciphus fuiſſe dicebatur, libentius in illo, quam in Vaſis aureis & argenteis, bibere ſolebat. Factum eſt autem, vt incautè poſitus in terram cadens, in duas partes diuideretur. Cum autem ſecundum conſuetudinem Beatus Pontifex vinum ſibi afferri iuſſiſſet, ſtabat pincerna facie turbatus, ſibique conſcius de damno, quod ſibi acciderat. Cui Pontifex: Quid habes? At ille: Quia ſciphus fractus eſt. Dixitque B. Leo: Verè fractus? Et Pincerna: Fractus, mi Domine. Cui ipſe; Affer, inquit, illum ad me. Qui cum attuliſſet, ſuſcepit eum Pontifex in manus ſuas, & coaptans particulas ad ſe ſecundum conuenientias, quibus prius ad inuicem ſibi hærere videbantur, tenuit eum paulifper in manibus; deinde vero ſanum, & integrum reddidit C miniſtro, & ait. Vade & miſce: Huic autem miraculo Beatus Gregorius interfuit, nobiliſque narrauit. Cui alius quidam non tantæ auctoritatis vir, ſe nihilominus interfuiſſe, & vidiſſe, poſtea mihi dixit.

Cum autem Beatus Leo Romæ eſſet, & Sedem Apoſtolicam in pace rexiſſet, multi ex Apuliæ finibus veniebant, oculis effoſſis, naribus abſciſſis, manibus pedibuſque truncatis, de Normanorum crudelitate miſerabiliter conquerentes. Vnde factum eſt, vt vir mitiſſimus, pietate, & miſericordia plenus, illi tam immenſæ miſerorum afflictioni compatiens, illius gentis ſuperbiam conaretur humiliare. Collecto igitur modico quidem, ſed fortium militum ſuæ gentis exercitu ſuper Normannos præliaturus vadit; Zelum quidem Dei habens, ſed non fortaſſè ſecundum ſcientiam. Vtinam non ipſe per ſe illuc iiſſet, ſed ſolummodo illuc exercitum pro iuſtitia defendenda miſiſſet. Sed quid multa? Conueniunt vtriuſque partis exercitus, multi cum paucis pugnaturi. Fit cædes immenſa, multus hinc, & inde ſanguis effunditur, iſti fortitudine, illi multitudine inſtant. Poterant iſti dicere in D morte ſua, quod Saluatorem noſtrum dixiſſe legimus in paſſione ſua: Non haberent in nos poteſtatem, niſi datum eis fuiſſet deſuper. Sed quid eſt hoc, quod boni vincuntur & mali vincunt? *O altitudo diuitiarum ſapientia & Scientia Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* Superantur illi, qui pro iuſtitia pugnant, ſuperant illi, qui iuſtitiam impugnant. De talibus tamen Apoſtolus nos conſolatur dicens: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Siue moriantur, ſiue viuant? bonum eſt illis; quicquid eis accidat, bonum eſt illis; Omnia cooperantur in bonum: Et melius quidem mors, quā vita talibus operatur; Pretioſa eſt enim in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Firmiſſimè enim credendum eſt, & nullatenus dubitandum. Quod omnes qui pro iuſtitia moriuntur, inter Martyres collocantur: *Collocet eos Dominus cum Principibus populi ſui.* Multa prætermus, & ex multis pauca colligimus: quoniam non totum, ſed partem de toto, ſcribere iuſſi ſumus. Ecce ſubito fama

E volat, repletur terra, narratur vbique: Prælium eſſe factum, Chriſti milites, & ſanctorum exercitum eſſe ſuperatum. Tunc vero miſerandus Pontifex rediit Beneuentum ciuitatem vtrique B. Petro fidelem, & familiarem: Audito itaque aduentu Pontificis, tota ciuitas obuiam ruit, viri, & mulieres, iuuenes & Virgines, ſenes cum iunioribus, non quaſi ad proceſſionem. Sed velut ad lacrymas, & plorationem: ſtant attoniti, ſpectant de longè venientes: & iam Pontifex propinquabat, Epiſcopis, & Clericis triſti vultu, & inclinata facie procedentibus. Poſtquam autem Papa Venerabilis venit inter eos, & eleuata manu eis benedixit, clamor & vlulatus tollitur in cœlum, tota terra reſonat fletu, atque plangore. Tali itaque proceſſione ciuitatem ingreditur, talique Pſalmodia ad Eccleſiam venit. Aliquanto autem tempore ibi commoratus, Romam reuertitur, atque per ſingulas ciuitates fletus, & lacrymæ innouantur. Quis enim à lacrymis cohibere poterat, F qui eum cum tali exercitu euntem viderat, poſtea vero illa tam nobili militia deſolatum, cum ſolis Clericis redire videbat?

Veniens igitur Romam, ad Beati Petri Apoſtoli Eccleſiam quantocius feſtinauit, ſuppliciter multumque deuotè eorum animas ei commendans, qui pro eius amore ſibi vſque ad mortē obedientes, pro defendenda iuſtitia proprium ſanguinem fundere non timuerūt. Cumque ibi moraretur, per reuelationem in ſomnis oſtenſum eſt illi, quod cito de hoc mundo exire debuiſſet. Iuſſit igitur Epiſcopos & Cardinales, alioſque Clericos vocari ad ſe, & benignè ſatis hortatus eſt eos, vt caſtè viuerent, & contra Simoniacam hæreſin viriliter pugnarent, & ait eis? Sciatis fratres mei, quod poſt paucos dies ego de hoc ſæculo exiturus ſum: Hac enim nocte ego infelix, & huius Eccleſiæ Sede indignus, per viſionem fui in illa alia vita, pro qua iam tædet me habitare in iſta vita: Gaudeo vero vehementer, quod vidi ibi inter martyres G Chriſti illos fratres & amicos meos, qui me in Apuliam ſecuti pro defenſione iuſtitiæ mortui ſunt: Erant autem benè ornati, palmas in manibus habentes, vt per hoc eos victores eſſe intelligant, qui eos victos fuiſſe putabant: & re vera. *Omne enim quod natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Clamabant autem omnes magna voce ad me dicentes. *Veni dilecte nobis, & mane nobiſcum: quia hanc tantam gloriam per te conſecuti ſumus.* Audiui autem ex aduerſa parte alios quoſdam dicentes. Nequaquam, ſed die tertia venies ad nos. Si ergo poſt diem tertium in hac vita fuero, ſciatis hoc non fuiſſe verum, quod vidi. Nemo autem miretur ſi maligni ſpiritus eum, cui tam læta nunciabantur, in viſione terrere voluerunt, qui ipſum quoque Dominum, & Saluatorem noſtrum quondam adire auſi fuerunt. Sic enim ipſe Dominus ait. *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Deinde vero ait: *Ite fratres mei, vnuſquiſque in domum veſtram, craſtina autem die reuertimini ad me.* Tota autem illa nocte orauit ad Do- H minum procumbens ſuper genua ſua. Mane autem facto, tumulum ſibi parari iuſſit.

Conuenerunt iterum Epiſcopi, & Sacerdotes, ſicut heſterna die vir ille beatiſſimus eis præceperat. Quibus in Eccleſia reſidentibus, ipſe in lecto ſedens ait. Audite me fratres: & Coëpiſcopi noſtri, ſimulque omnes qui huc conueniſtis: Ante omnia præcipio vobis. Vt terras Eccleſiæ, vineas, caſtella, domos, cæteraſque res Eccleſiæ non vendatis, nulluſque ſibi per poſſeſſionem eas defendere velit. Non habeatis vſum iurandi: Cauete à conſanguineis veſtris. Seruis B. Petri, qui huc veniunt, iniuriam non faciatis, nec eos in negotiis decipiatis. Date decimas libenter de omnibus quæ poſſidetis. Deinde conuerſus, ad crucem, magnas preces pro omnibus fudit ad Dominum: ſuppliciter rogans & deprecans: vt omnia eorum peccata eis dimittere dignaretur. Et cum hoc feciſſet, iterum aſpiciens in cœlum dixit. Domine Ieſu Chriſte, Paſtor bone, qui pro nobis ſeruilem formam induiſti, & ad conuerſionem omnium

gentium

A gentium duodecim Apoſtolos elegiſti, & Beato Petro Apoſtolo tuo dixiſti. Quodcumque ligaueris ſuper terrã erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis, ego indignus Vicarius eius deprecor immenſam clementiam tuam, vt illos ſeruos fratres meos, qui pro amore iuſtitiæ interfecti ſunt, ab omnibus eorum peccatis abſoluas,& in Beatorum requiem introducas. Hoc etiam Domine, quos excommunicaui, tu abſolue, & ad veritatis viam conuerte: Simoniacam hæreſim, ac omnem hæreticem prauitatem deſtrue: Fideles tuos Beneuentanos, qui in tuo nomine tam honeſtè me ſuſceperunt, tamquè affluenter mihi ſeruierunt, & cæteros omnes tuos fideles benedicere, & cuſtodire dignare. Quoniam tu es Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen. Poſtquam autem à locutione quieuit,paululum ibi commorati,redierunt omnes vnuſquiſque in domum ſuam. Tota autem illa nocte, ſicut & ſuperiori,in vigiliis,& oratione permanſit. Altera au- B tem die tertia videlicet, quæ Beati Leoni Summo Pontifici in hac vita vltima erat, multo maiori frequentia conuenerunt omnes.

Surgens autem Beatus Pontifex, perrexit ante altare, & quaſi vnius horæ ſpatio multum lacrymans perſtitit in oratione: Inde vero ad lectum rediens, breuem ſermonem fecit eis. Quo peracto,vocauit Epiſcopos ad ſe, & facta confeſſione, ſuſcepit corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tunc reclinauit ſe ad lectulum, & paulo poſt obdormiuit in Domino. Surgens autem vnus de Epiſcopis, tetigit eum, putans quod adhuc viueret, & dormiret: Cumque eum iam obiiſſe cognoſcerent,mox omnes vndique conuenerunt,& fecerunt planctum magnum ſuper eum. Obiit autem Beatus Pontifex Decimo tertio, kal. Maij, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu Sancto eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Altera autem die poſt exceſſum Beati Leonis aduenit C mulier quædam de Thuſciæ partibus: quæ cum per gradus ſurſum aſcenderet, cœpit vexari à dæmonio, & diras voces magnoſque vlulatus emittere. Cumque Beatum Leonem nominaſſet, ad tumulum eius ab his, qui ibi erant, tracta eſt. Vnus autem Epiſcoporum interrogauit dæmonem qui eam vexabat dicens: Adiuro te per viuentem, & regnantem in ſæcula, vt dicas nobis. Si Leo Papa inter Sanctos habet poteſtatem. At ille reſpondens ait. Verè inter Sanctos eſt Leo, de quo interrogas, & magnam inter eos habet poteſtatem: & ipſe maleficus hodie me de hac domo eiicit, quam ego iam per nouem annos & menſes duos in mea habui poſſeſſione.

Tunc autem mulier alia quædam infelix quæ ibi erat, cœpit Beato Leoni derogare & dicere: Leo Papa fugabit dæmonia, qui tot homines occidere fecit? Illa namque hora qua ipſe dæmonia fugabit, ego vtique ero Regina, & omnes eos reſurgere faciam, quos ipſe ſuo facinore interemit. Vix autem illa verba finierat, & ſtatim à dæmonio arrepta, mirabiliter vexari cœpit. Mox au- D tem illa alia mulier liberata eſt, quam de Thuſciæ partibus conueniſſe diximus. Tunc omnes, qui aderant, in ſtuporem, & admirationem conuerſi, cœperunt clamare, & dicere. *Sancte Leo parce nobis: Sancte Leo indulge nobis. Et quia multum peccauimus miſerere nobis.* Eadem autem hora, duo quoque contracti ſanati ſunt, qui per ſe ambulare non poterant. Ipſa autem eadem die iam circa veſperum, venit ad tumulum beati viri homo quidam, ſurdus & mutus, qui etiam ad tumulum tanti mali paralyſi grauiſſima tenebatur. Statim autem, vt ad tumulum acceſſit, ſanus & incolumis factus, loquelam pariter, & auditum recepit. Multa quidem, & alia miracula eiſdem ipſis diebus per Beatum Leonem, Chriſtus Dominus operatus eſt, vt cuius eſſet meriti, nobis ſuis fidelibus reuelaret.

Illud quoque miraculum prætereundum non eſt,quod Ioannes vir egregius, Portuenſis Epiſcopus mihi narrauit: dicebat enim: Quod de partibus Tranſalpinis Curiæ ciuitatis Epiſcopus eiſdem ferme diebus Romam ve- E nerat, in cuius comitatu erat quidam homunculus, qui ab infantia mutus, nunquam locutus fuerat. Hunc autem ſeruientes Epiſcopi ſuper ſaginarios ſecum ferebant, quoniam ad ſarcinas cuſtodiendas fidelis Valde & idoneus erat. Die autem quadam cum adhuc prædictus Epiſcopus in Vrbe moraretur, mutus ille de quo diximus, Beati Petri Eccleſiam ingreſſus eſt Qui cum ad Beati Leonis ſepulchrum turbas omnium vndique confluere conſpexiſſet, ipſe quoque acceſſit illuc. Tunc vero circumſtantes intelligentes quod mutus eſſet: vt talibus hominibus, facere ſolent, ſignis ei quibuſdam innuere cœperunt, vt ſe ad beati viri ſepulchrum humiliaret, preces funderet, & pro ſua ſalute Saluatorem omnium exoraret, ſignificantes ei,hoc eſſe ſepulchrum, in quo Beato Leo quieſcebat. Iam enim illius virtutis fama vbique diuulgata erat, & multi vndique illuc venientes à variis ægritudinibus ſanabantur.) Cumque diutius ibi iaceret, ſomno grauatus obdormiuit: poſt paululũ vero expergefactus ſurrexit, tamquè abſolutè loqui cœpit, ac ſi lin- F guæ impedimentum nullum alioquin paſſus fuiſſet. Stupent omnes gaudent & exultant: nec eum ſemel audiſſe ſufficit, iuuat eum interrogare, & eum loquentem, & reſpondentem audire. Tandem ad ſocios reuertitur: Qui, poſtquam eum loquentem audiunt, læti valde, cum magna admiratione ante Epiſcopum eum ducunt: Interrogat eum Epiſcopus: qualiter hæc ei omnia eueniſſent? Narrat ille cuncta per ordinem, & dicit: Se vidiſſe Beatum Leonem? & cum ante eius tumulum obdormiſſet, ille veniens, in ore illius digitos poſuit, & diu ligatam linguam abſoluit.

Nunc autem tempus admonet, vt, quod ſuperius promiſi, exponam, videlicet: quod ego non ſine imperio iſta dictauerim. Hac enim præterita quadrageſima cum Romæ eſſemus, vir valdè venerabilis, Ioannes Tuſculanenſis Epiſcopus, quodam die, cum ad Eccleſiam conueniſſemus, venit ad me, vbi ego ſtabam, præſente Vbaldo, viro religioſiſſimo, Sabinenſi Epiſcopo, & aliis qui- G buſdam, & dixit mihi: Ego ad te nuncius miſſus ſum. Stabam autem ego attentus, quid mihi dicere voluiſſet. Tunc ille: Mandat, inquit, tibi Leo Papa,vt des illi centum millia ſolidorum. At ego: Quid narras, inquam? Et ait: Verum dico tibi,ſic tibi mandat: Et tunc ea,quæ viderat, mihi per ordinem narrare cœpit: Hac, inquit, nocte, cum ego dormiſſem, B. Leo cum Pontificali apparatu mihi in ſomnis apparuit, dicens: Vade & dic Signienſi Epiſcopo: Vt det mihi centum millia ſolidorum. Cumque ego intra me cogitarem, te tam diuitem non eſſe, vt tantam pecuniam ei dare potuiſſes: ille, meam cogitationem intelligens, ait: Vade & dic ei: Vt det mihi centum millia,aut quinquaginta millia. Hæc mandat tibi; vide ergo quid ei reſpondeas. Tunc ego ſollicitus, mecum ipſe cogitare cœpi, quid hæc talis viſio mihi ſignificaret. Et poſtquam paululum interrogaui Epiſcopum: Si B. Leo me illam pecuniam dare aut mutuari, aut reddere iuſſiſſet? Et ille reſpondit: Non, ſed dare. Tum ego aliquantulum confortatus ſum: Multum enim H diſtat, an dare, an reddere aliquid debeamus: Timebam enim,ne fortè in aliquo eum offendiſſem, quod ex debito ſoluere,& neceſſario reddere debuiſſem. Memineram præterea, quod eius feſtiuitas olim in noſtra Eccleſia celebraretur: in qua quoniam ego me negligenter habui, tota ibi feſtiuitas ipſa ceſſauit. Parcat ipſe mihi,quoniam non parum me in hoc peccaſſe cognoſco. Cum autem ab Eccleſia domum redirem, & hanc viſionem noſtris Clericis narraſſem, eadem mihi expoſuerunt, quæ iam ego ipſe mente conceperam. Dixerunt enim: Nos nullam aliam pecuniam hanc eſſe putamus, quam B. Leo à te requirit, niſi vt de eo aliquid ſcribas, quod eius memoriæ conueniat: Hæc eſt enim pecunia tua: neque ipſe alia pecunia indigere videtur.

Placuit mihi, quod meo intellectui, aliorum quoque intellectus concordabat. Et ſcientia in pecunia ſignificatur: quod in Euangelio quoque eo loco intelligitur, vbi Saluator noſter ſeruis ſuis talenta partitur. Sed quare centum millia,vel quinquaginta millia requirit? Horum

A enim duorum numerorum alter eſt perfectus, alter imperfectus: Centies namque mille, vel millies centum, fiunt centum millia, qui vterque numerus, ideſt, centum, & mille, ideo perfectus eſt, quia non habet vbi creſcat. Omnis enim res tamdiu imperfecta eſt, quamdiu in aliquo creſcere poteſt: Centenarius autem, vel millenarius numerus replicari quidem poteſt, creſcere autem non poteſt: Eſt igitur perfectus: Omnis enim qui numerat, poſtquam venit ad centum, vel ad mille, ibi finem facit, iterumque ab vno numerare incipit. Quinquagenarius autem numerus imperfectus eſt; quia in medio centenario poſitus eſt, neque finem facit, & vltra ſe tendere poteſt. Quod igitur vir beatiſſimus mandauit mihi, vt darem ſibi quinquaginta millia ſolidorum; quoniam, vt ſibi videbatur, & ei, cui ipſe loquebatur, centum millia dare non poteram; quid aliud ſignificat, niſi ea quæ ad ipſius laudem & gloriam pertinent, perfectè narrare incipere? B Dedi igitur ei ſolidorum quinquaginta millia: quia dare non potui centum millia: ideſt: quia perfectè omnia narrare non potui. Neque enim ad meam notitiam omnia peruenerunt: vel, quædam narraui, ſicut potui. Precor autem, Beatiſſime Pontifex: Vt grata habeas hæc munuſcula mea tuiſque ſanctis precibus obtineas apud Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt dimittat mihi debita mea. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

EIVSDEM SANCTI BRVNONIS Epiſcopi, Reſponſio ad eam Quæſtionem.

Cur corruptus tunc temporis Eccleſiæ Status.

Reſtat autem, vt nunc ad eam quæſtionem reſpondeamus, ad quam nos ſuperius reſponſuros fore promiſimus. C Diximus enim: Iam nunc à temporibus B. Leonis ſic Eccleſiam fuiſſe corruptam, vt vix aliquis inueniretur, qui vel Simoniacus non eſſet, vel a Simoniacis ordinatus non eſſet. Vnde etiam vſque hodie inueniuntur quidam, qui malè argumentantes, & Eccleſiæ diſpenſationem non benè intelligentes, ab illo iam tempore Sacerdotium in Eccleſia defeciſſe contendunt. Aiunt enim: Si omnes tales erant, ideſt, ſi omnes vel Simoniaci, vel à Simoniacis ordinati erant, vos qui nunc eſtis? aut inde veniſtis? per quos niſi per illos tranſiſtis? non fuit via aliunde: Ergo illi qui nos ordinauerunt, ab illis, & non ab aliis, ſuos ordines ſuſceperunt, qui vel Simoniaci erant, vel à Simoniacis ordinati erant. Hæc eſt igitur quæſtio, cui nos reſpondere debemus.

Sed prius, quid ſint Simoniaci, & vnde dicantur, dicere oportet. Deinde vero, quia multum diſtat, inter Simoniacos, & eos qui ordinantur à Simoniacis: ſi tamen non eos Simoniacos eſſe cognoſcunt: Qui enim Epiſcopum aliquem Simoniacum eſſe non dubitat, ſi ab eo ordinatur, D parum quid in Ordine diſtat ab eo, à quo ordinatur: Scit enim eum furem eſſe & latronem, nihilque aliud in ſua ordinatione ſuſcepiſſe, niſi maledictionem, & maledicendi poteſtatem: Sic enim Simoniaci omnes ordinantur, ſicut ipſe Simon ordinatus eſt, cui in ipſa ſua ordinatione B. Petrus ait: Pecunia tua tecum ſit in perditione: quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri: non eſt enim tibi pars neque ſors in ſermone iſto.

Sunt igitur Simoniaci: qui donum Dei, ideſt gratiam Spiritus Sancti emere contendunt: ſiue enim emant, ſiue non emant, ſi tantum pecuniam offerant, & aliquid pro hac gratia dare promittant, Simoniaci ſunt. Nam neque ipſe Simon aliquid emit; non enim fuit qui venderet: ſed tamen, quia emere voluit, maledictus eſt: quam vtique maledictionem omnibus ſuis diſcipulis hæreditariam dereliquit. Ab hoc autem Simone Simoniaci dicuntur, quicunque in hoc facto imitantur. Hic enim Simon baptizatus à Philippo, adhærebat ei. Qui cum vidiſſet ab Apoſtolis multas virtutes & miracula E fieri per manus impoſitionem, obtulit eis pecuniam dicens: *Date vos hanc poteſtatem mihi, vt cuicunque manum impoſuero, accipiat Spiritum Sanctum.* Cui, vt modo ſuperius diximus, B. Petrus ait: *Pecunia tua tecum ſit in perditione: quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri: Non eſt enim tibi neque pars neque ſors in ſermone iſto.* Hæc eſt igitur ordinatio Simonis: Sic ordinantur Simoniaci, qui pecuniam offerunt. Quare? Quia exiſtimant, donum Dei pecunia poſſideri. Sed quam benedictionem ſuſcipiunt? Dicat B. Petrus, cuius vox efficaciſſima eſt, cuius maledictio interiora penetrat: *Pecunia,* inquit, *tua tecum ſit in perditione.* Hæc benedictio datur eis: Hæc oratio eorum nefandis capitibus imprecatur: Sic benedicuntur, ſic conſecrantur, ſic ordinantur. Statim enim vt pecuniam offerunt, cuicunquè offerant, adeſt Apoſtolus, eorum conſecrator. Nam etſi à Catholicis ſacrentur Epiſcopis, (quod quidem ſæpe contingit) adeſt tamen Apoſtolus inter eos: F Dicant illi quicquid velint, fundant ſanctum chriſma ſuper capita eorum, Simon tamen Petrus non mutat ſententiam: quia non ignorat quod illi obtulerint, & quantum obtulerint, & cui obtulerint: Illi benedicunt, iſte maledicit: Decipiuntur illi, hic autem decipi non poteſt. Putant illi, eos eſſe Catholicos, putant Canonicè electos, ac per hoc eis benedicunt; ſi enim eos cognouiſſent, ipſi quoque ſimul cum Apoſtolo dixiſſent: *Pecunia tua tecum ſit in perditione.* Merito igitur eorum benedictio in maledictionem conuertitur; quia non ad labia, ſed ad cor reſpicit Deus. Hoc enim timebat Iacob, qui cum à matre ad patrem mitteretur, vt ei neſcius benediceret, ait: *Noſti quod frater meus Eſau homo piloſus ſit, & ego lenis: Si ergo attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* Sed non erat ei timendum: quia à matre mittebatur: Iſti autem non mittuntur à matre: iſti non mittuntur ab Eccleſia, qui Iſaac illudunt, qui Epiſcopos decipiunt, qui furtim & per latrocinium, patris benedictionem ſubripere volunt. G Vnde (& non immerito) inducitur ſuper eos maledictio pro benedictione. Illi enim ſoli mittuntur à matre, illi mittuntur ab Eccleſia, qui non per pecuniam, non per aliquam promiſſionem, non per ſæcularem poteſtatem ſed ſola Cleri & populi electione, & ipſa pura, & ſine prauitate, mittuntur ad Patres, mittuntur ad Epiſcopos, vt ab eis benedicantur & conſecrentur.

Diximus igitur de conſecratione Simonis: diximus de conſecratione Simoniacorum, quomodo ordinantur, quomodo conſecrantur, quomodo Petrus Apoſtolus eos maledicit, quomodo Epiſcoporum benedictio in maledictionem eis conuertatur: Sic igitur ordinati, ſic conſecrati, ſic maledicti, ſic lepra infecti, ad ſibi commiſſas Eccleſias veniunt: vbi, ſi tamen manifeſtè tales ſint, præter baptiſmum & ſana conſilia, quæ ipſi quoque ſæpe dant, quicquid agunt, vanum & inutile eſt. Hæc autem qualiter intelligantur, à modo diſſeremus.

Baptiſmus namque à quocunque detur, bonus eſt: H Quia non in fide dantis, ſed in ſuſcipientium fide conſiſtit. Vbi autem fides Catholica non eſt, ibi baptiſmus non operatur. Vnde & qui extra Eccleſiam baptizatur, priuſquam ad Eccleſiam redeat, non ſoluitur à peccatis. Nuſquam enim, niſi in Eccleſia fit remiſſio peccatorum. Poteſt tamen fieri, vt aliquis fidelis quacunque occaſione extra Eccleſiam baptizetur: qui quoniam mente in Eccleſia eſt, extra quoque remiſſionem accipiat peccatorum: Sic tamen, ſi corpore quoque & conuerſatione ad eam redeat, à qua mente non receſſerat: Alioquin ſi extra baptizatur, & extra maneat, &, cum baptizatur, redeundi voluntatem non habeat, huic tali homini nec ad momentum quidem fit remiſſio peccatorum. Sed quid mirum? cum illi quoque qui intus baptizantur (qui etiam abſque dubio à peccatis omnibus emundantur) ſi indè exeant, & priuſquam moriantur, ad eam non redeant, pereant in æternum. Hoc autem ſignificauit illa Arca, in qua intus poſita ſaluata ſunt omnia, extra vero inuenta, perierunt omnia. Audi etiam quid

Dominus

A Dominus dicat: *Ego ſum vitis, & vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Si ergo Chriſtus vitis eſt, palmites vero Chriſtiani, ſicut palmites viuere non poſſunt ſi ſeparentur à vite, ita neque Chriſtiani, ſi ſeparentur à corpore Chriſti. Corpus Chriſti Eccleſia eſt: Qui ergo non vult ſeparari à Chriſto, maneat in Corpore Chriſti, vt poſſit eſſe membrum Chriſti: Si enim non manſerit in corpore Chriſti, ſi non manſerit in Eccleſiæ veritate, *mittetur foras ſicut palmes & areſcet.* Et quid amplius? *Et colligent eum maligni ſpiritus.* Illis enim traditur, qui ab Eccleſia ſeparatur. Sed quid illi facient? *Et in ignem mittent.* Ad quid? *Vt ardeat.* Vnde Chriſti ſunt, alios Canones non quæramus.

Manifeſtum eſt itaque quod in Eccleſiam nemo ſaluabitur, ſiue in ea, ſiue extra eam baptizatus fuerit. Vnde hoc? Dicat iterum ipſe Dominus. *Si quis in me non*
B *manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Si ergo ille perit, qui aliquando in Chriſto fuit, ſed in eo non manet, quomodo ille non pereat, qui nunquam in eo fuit, nec in eo manſit? Qui enim extra Eccleſiam baptizatur, niſi prius, quam de hac vita exeat, Eccleſiæ ſocietur, hic numquam fuit, vel erit in Chriſto: quia numquam fuit, vel erit in corpore Chriſti. Membrum namq; Chriſti non eſt niſi in corpore Chriſti: Si enim ſeparetur à corpore Chriſti non eſt membrum Chriſti. Corpus autem Chriſti extra Eccleſiam non eſt, alioqui ipſa Eccleſia eſſet extra ſe ipſam, (ſiquidem ipſa Eccleſia eſt Corpus Chriſti) quod eſt inconueniens. Baptiſmus igitur extra Eccleſiam dari poteſt, prodeſſe autem non poteſt. Baptiſmus enim qui extra Eccleſiam datur, formam quidem Sacramenti habet, virtutem autem Sacramenti non habet. Formam quidem habet, quia fit in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Virtutem autem non habet, quia remiſſionem
C peccatorum non operatur.

Quare ergo non rebaptizantur, qui ab Hæreticis veniunt? Vis audire quare? Quia formam baptiſmi habent, ideſt, quia iam ad inuocationem Trinitatis ex aqua regenerati ſunt, reſtat nunc, vt & Spiritu Sancto regenerentur, qui operetur in eis remiſſionem peccatorum, quod illa forma viſibilis dare non potuit: *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in Regnum Dei.* Vtrumque ibi neceſſarium eſt: & forma ſacramenti, & virtus ſacramenti: Vtrumque neceſſarium eſt, & aqua & ſpiritus; Nam neque aqua ſine ſpiritu, neque Spiritus ſine aqua ſoluit hominem à peccatis.

Forma Sacramenti & intus & extra dari poteſt: Virtus autem Sacramenti non niſi intra Eccleſiim datur. Vnde ſancti Romani Pontifices, ſpiritu Dei pleni, admirabili prouidentia conſtituerunt; Vt hi qui ab Hæreticis ve-
D niunt quoniam formam baptiſmi habent, nullatenus rebaptizentur. Quia vero virtutem huius Sacramenti non habent, ad inuocationem Sancti Spiritus, qui ab hæreticis dari non poteſt, per manus impoſitionem, Sacroſancto Chriſmate confirmentur. Quæris fortaſsè auctoritatem? Dabitur tibi: Et hoc quidem neceſſarium eſt, quoniam in hac ſententia non omnes concordare videntur, videlicet. Vt quia ab Hæreticis veniunt, rebaptizari quidem non debeant, ſacro autem Chriſmate confirmari iterum debeant, præſertim cum Beatus Auguſtinus dicat: quod *nulli Sacramento iniuria facienda ſit?* in qua re multum ab aliis diſſentire videtur? Quid eſt enim iniuria Sacramenti niſi ſacramenti reiteratio? Quod autem quædam Sacramenta reiterentur, & exemplo abundamus & auctoritatibus, quædam autem dixi, quia Baptiſmi, & ſacrorum ordinum reiterationem fieri non licet. Vnde & in Conciliis Africanis legitur. Non licet fieri rebaptizationem. Et Epiſcoporum tranſlationes. At vero in Concilio Nicæno præcipitur de Paulianiſtis; vt ad Eccleſiam venientes iterum baptizentur, & eorum Clerici, ſi digni fuerint, iterum ordinentur. In quo manifeſtè oſtenditur hoc in his tantum, & non in aliis fieri debere. Iſti enim non

E ſecundum Eccleſiæ formam baptizabantur, ideſt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Vnde etiam ab aliis hæreticis differebant, qui Eccleſiæ formam in baptizando tenebant. Si enim ſecundum hanc formam, quam modo diximus, baptizati eſſent, non vtique talis lex de eis ſpecialiter promulgata eſſet, præſertim, cum de aliis omnibus hæreticis dicatur. Vt ad Eccleſiam venientes, ne rebaptizētur, nec reordinentur, ſed ſola Epiſcopalis manus impoſitione Eccleſiæ reconcilientur. Quod autē hæc duo Sacramenta, id eſt Baptiſmus, & Ordines ſacri reiterari non debeant, tota Eccleſia idem ſentit, nullaque inter Sanctos diſſenſio eſt. Vnde & Beatus Auguſtinus ait: *Manus autem impoſitio, ſicut & baptiſmus reiterari non debet*: de illa manus impoſitione loquens, de qua ad Timotheum Apoſtolus dicit. *Manum cito nemini impoſueris.* Nam & Chriſmatis conſignatio, & pœnitentium reconciliatio, manus impoſitio dicitur. Vnde & ſacri Canones prohibent. Ne inter alios pœnitentes manus
F ab Epiſcopis Clericis imponatur.

Quod vero quædam Sacramenta reiterari liceat, & frequens vſus Eccleſiæ, & vnum Beati Gregorij exemplum apertiſſimè manifeſtat. Quotidie namque Eccleſiarum conſecrationes, non ſolum pro neceſſitate, verum etiam pro Epiſcoporum voluntate reiterari videmus. Vnde & quidam Canones de Eccleſiis præcipiunt: vt ſi altare motum fuerit, denuo conſecretur. Beatus quoque Gregorius, ſicut ipſe teſtatur, conſecrauit Romæ quandam Eccleſiam in Suburra, quoniam longo tempore ab Arrianis poſſeſſa fuerat: Cuius conſecratio, ſiue reiteratio, quantum Deo accepta fuerit, virtutes, & miracula oſtendunt, quæ ipſis diebus, quibus conſecrata fuerat, ibidem Dominus operatus eſt. Quomodo ergo verum eſt, quod nulli Sacramento iniuria facienda ſit:

Similiter autem, quod Chriſmatis conſignatio in hæreticis reiterari debeat, ſubſequenti Sanctorum auctoritate probabitur. De qua videlicet conſignatione Euſebius Pa-
G pa ſic ait. *Hæreticos omnes quicumque Dei gratia conuertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ Regulam tenentes, per manus impo-*
* *ſitionem* * *loqueretur*, adiunxit: *Manus autem impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt: quæ ab aliis perfici non poteſt, niſi a ſummis ſacerdotibus.* Nec tempore Apoſtolorum, ab aliis quam ab ipſis Apoſtolis legitur aut ſcitur peracta eſſe. Neque ab aliis, ſicut iam dictum eſt, quam ab illis, qui eorum locum tenent, perfici poteſt, aut fieri debet: Nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica vnquam reputabitur Sacramenta. Audiamus etiam, quid tempore Beati Silueſtri Romæ de hac re in Concilio ſtatutum eſt. *Eodem*, inquit, *tempore tertio decimo Kalendarum Iuliarum die, quando memoratum magnum Concilium in Nicæa Cōgregatum eſt, Canonica iam factus Papa vocatione in vrbem Romam, & ipſe cum conſilio Con-*
H *ſtantini Auguſti congregauit ducentos ſeptuaginta ſeptem Epiſcopos, & damnauit iterum tam Calixtum quam Arrium atque Sabelliū, & conſtituit. vt Presbyterum Arrianum reſipiſcentem non aliquis ſuſciperet, niſi Epiſcopus eiuſdem loci cum reconciliaret & Sacroſancto Chriſmate per Epiſcopalis manus impoſitionem Sancti Spiritus gratia, quæ ab Hæreticis dari non poteſt eum confirmaret.* Quid apertius quid manifeſtius dici potuit? Numquid nam hoc Sacramentum non reiteratur? Demus adhuc & alia exempla, quatenus hæc ſententia, cui à pluribus contradicitur, manifeſtior & certior fiat. Dicit igitur Papa Siricius: *Prima igitur pagina tua frōte Signaſti, baptizatos plurimos, ab impiis Arrianis ad fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eoſdem denuo baptizare velle, quod non licet, cum hoc, & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium miſſa ad Prouincias à Prædeceſſore meo Liberio venerandæ memoriæ, generalia Decreta prohibeant: quos nos cum Nouatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in ſynodo conſtitutum, per inuocationem ſolam ſeptiformis ſpiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum Conuentui ſociamus, quod etiam totus Oriens, Oc cidenſque cuſtodit.*

A Videamus etiam, quid Leo dicat, qui fidem iam pe-rituram ſua conſtantia, & fortitudine corroborauit: cuius ſententiæ contradicere, vt opinor, nemo audebit: *Hi autem,de quibus ſcripſiſti,non ſe baptizatos neſciunt, ſed cuius fidei ſint, qui eos baptizauerint, ſe neſcire profitentur. Vnde quoniam qualibet modo formam baptiſmatis acceperunt, baptizandi non ſunt, ſed per manus impoſitionem virtute Spiritus Sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt,* Item idem ipſe. *Nam hi qui baptiſmum ab Hæreticis acceperunt, cum baptizati ante non fuiſſent, Sola Sancti Spiritus inuocatione per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantum baptiſmi ſine Sancti Spiritus virtute ſumpſerunt. Et hanc regulam, vt ſcitis, ſeruandam in omnibus Eccleſiis prædicamus, vt lauacrum ſemel initum nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo: Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, cuius ablutio nulla iteratione temeranda eſt, ſed vt diximus, ſola Sanctificatio* B *ſancti ſpiritus inuocanda; vt, quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis ſacerdotibus conſequatur.* In Laodicenſi quoque Concilio ſic ſcriptum eſt: *De his, qui ab hæreticis conuertuntur,* id eſt Nouatianis,aut Photinianis, *ſiue baptizati ſint illi, ſiue cathecumini, non ante ſuſcipiantur, quam omnes hæreſes anathematizaſſent, & præcipuè illam, qua detinebantur, & tunc demum hi, qui apud eos dicebantur fideles, noſtræ fidei ſymbolo imbuantur & vncti ſancto Chriſmate ſic myſteriis communicent Sacroſanctis.* Poſſemus de his alias adhuc auctoritates dare, ſed, vt puto, iſtæ ſufficiunt.

Dubitari autem poteſt de eo,quod Beatus Auguſtinus ait: *Nulli Sacramento iniuria facienda eſt.* Cum idem ipſe alibi dicat, *hos, qui ab hæreticis veniunt, ideo per manus impoſitionem Epiſcoporum in Eccleſiam recipi, ne fortè ſibi ab Eccleſia nihil collatum putarent, quod extra Eccleſiam non haberent.* Quid autem ſit manus impoſitio, ipſe quoque definiens ait: *Quid*, inquit, *eſt manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem? Si igitur* C *eiuſdem Sacramenti oratio reiteratur ſuper hominem, & ipſa manus impoſitio reiteratur.* Si quidem nihil aliud eſt, manus impoſitio,quam oratio ſuper hominem. Non igitur reiteretur oratio, ſuper hominem in illis Sacramentis, quæ reiterari non licet. Dictum eſt autem, quod quædam Sacramenta reiterari licet, quædam autem non licet, & hoc quidem auctoritatibus probatum eſt. Dictum eſt etiam: quod ab hæreticis venientes non niſi per manus impoſitionem ſuſcipi debeant. Et illud quidem dictum eſt. Quod omnia Sacramenta extra Eccleſiam, formam quidem habeant, virtutem autem non habeant. Illud autem diximus. Quod extra Eccleſiam nemo ſaluetur. Diximus & de Simoniacis: quando conſecrantur, quod omnis benedictio in maledictionem eis conuertitur. De paruulis autem Hæreticorum ſi quis interroget? Quare pereant, cum baptizati ſint? Reſpondeo: Quia in Eccleſia non ſunt. Quod ſi dicat: Quid illi peccauerunt vt in Eccleſia non ſint? Dico & ego: Quid Paganorum & Iudæorum paruuli D peccauerunt, vt baptizari non mererentur? Ipſe tamen Dominus ait: *Ego ſcio quos elegerim.* Excommunicatorum autem filij; ſi in Eccleſia baptizantur, nihil eis nocet parentum excommunicatio: *Filius enim non portabit iniquitatem Patris:* poſtquam tamen ad ætatem veniunt, vt iam ſua peccata cognoſcere valeant, vlterius à peccatis immunes vindicari nequeunt: Quod ſi extra Eccleſiam baptizantur, ſunt extra Eccleſiam omnes excommunicati;niſi prius quam de hac vita exeant, per Epiſcopos reconcilientur, in magno periculo mihi eſſe videntur.

His autem ſic expeditis,de illis nunc dicere debemus, qui quamvis non Simoniacè, à Simoniacis tamen ordinati ſunt. De Simoniacis namque manifeſtum eſt, quod nullo modo in ſuis ordinibus aliquando ſuſcipi debeant: *Non eſt enim eis neque pars neque ſors in ſermone Dni.* Apoſtolus eſt qui loquitur. Sed dicis: Quare ergo alij hæretici in ſuis ordinibus ſuſcipiuntur, & Simoniaci non ſuſcipiuntur? Nunquid Simoniaci ſunt peiores E quam Arriani, quam Nouatiani, quam Donatiſtæ,quam Neſtoriani, & Eurychiani? Ex his enim in Ordinibus ſuis omnibus & Epiſcopos & Presbyteros ſuſceptos legimus,nec propria dignitate priuatos. Dico ergo: Vtrum Simoniaci peiores ſint, neſcio: Vnum tamen ſcio, quia magnum ſcelus eſt vendere, vel emere Spiritum Sanctum. Si enim magnum peccatum fuit,vendere vel emere Chriſtum; magnum vtique peccatum eſt, vendere vel emere Spiritum Sanctum: Æquales enim ſunt, & Pater & Filius, & Spiritus Sanctus. Iudas eſt qui vendit: Iudæus eſt qui emit: Vtrumque autem, & vendentem & ementem de templo Dominus eiecit. Et multa quidem diſpenſatoriè in Eccleſia fiunt pro temporis neceſſitate & negotij qualitate, quæ vtique non fierent, ſi diſtricto Canonicoque iudicio fierent. Cum de frumento & zizania Dominus loqueretur, ait: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Magna tamen conſideratione hæc talis diſpenſatio fieri debet. Et alij quidem hæretici in F ſuſcipiendis ordinibus non errabant: ſed alia cauſa erat, atque doctrina, quæ eorum fidem impediebat: Simoniacorum vero hæreſis & peccatum, ipſa eorum ordinatio eſt. Si ergo ſuæ ordinationi reconciliantur, quæ vtique, vt ſuperius oſtendimus, nihil aliud quam maledictio eſt, cui, niſi ſuæ hæreſi, ſuoque peccato, & ei,quam acceperant, maledictioni reconciliantur? Non quærant igitur reconciliationem, ne fortè incurrant maledictionem. Quærant gratiam Spiritus Sancti, non ad Epiſcopalem dignitatem,ſed ad delendam iniquitatem. Merito ergo Simoniaci in ſuis ordinibus non ſuſcipiuntur, quoniam in ipſis ordinibus peccauerunt: Arriani vero,non in Epiſcopali dignitate, ſed in fide Trinitatis errabant & peccabant, & alij hæretici ſimiliter vnuſquiſque in ſua hæreſi: Soli autem Simoniaci in emendis ſacris Ordinibus peccant; Vnde & merito ipſi ſoli nulla Eccleſiaſtica diſpenſatione in his, quibus peccauerant, ſuſcipiuntur: Alios autem, præter ipſos Hæreſiarchas, multis locis Diuinæ Scripturæ in ſuis ordinibus ſuſceptos legimus Nam G & Nicænum Concilium Catharos, ſiue Nouatianos, per manus impoſitionem ſuſcepit, & eorum Clericos in ſuis Ordinibus manere præcepit.

De hac autem manus impoſitione, ſine qua hæretici non ſuſcipiuntur, ſatis ſuperius diximus. Beatus quoque Gregorius, Hiberis Epiſcopis de Neſtorianis ſcribens, ait: *Hanc igitur veritatem Natiuitatis Chriſti, quicunque à peruerſo errore Neſtorij conuertuntur, coram ſancta fraternitatis veſtræ Congregatione fateantur: Eundem Neſtorium cum omnibus ſuis ſequacibus, ac reliquas hæreſes anathematizantes: Venerandas quoque Synodos,quas vniuerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere & venerari promittant, & abſque vlla dubitatione ſanctitas veſtra, firmatis eis propriis ordinibus, in ſuo cœtu eos recipiat, vt dum & per ſollicitudinem occulta mentis eorum diſcutitis, atque eos per ſcientiam veram recta, quæ tenere debeant, docetis, & per manſuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis Ordinibus facitis, eos ab iniqui hoſtis ore rapiatis.* Sunt autem & multa H alia, quibus hoc ipſum probari poteſt. Sed de ſuſcipiendis hæreticis, & propriis honoribus non priuandis hæc duo exempla ſufficiant.

Multum digreſſi ſumus, nunc ad propoſitum reuertamur, & de his dicamus, qui à Simoniacis ordinati ſunt. Qui enim à Simoniacis ordinantur, aut ſciunt eſſe Simoniacos, aut putant eſſe Catholicos: Si vero Simoniacos eos eſſe ſciunt, & ſe ab illis ordinari permittunt, nulla venia digni ſunt, vt propriis ſeruatis ordinibus ſuſcipiantur; Multum enim ambitioſi eſſe probantur, qui alicuius honoris gratia ab illis ſe ſacrari permittunt, à quibus ſe maledici non dubitant. Quis enim dubitat, Simoniacos eſſe hæreticos? Quis igitur ei parcat, qui ſe ab illo ordinari permittit, quem hæreticum eſſe non dubitat? Si vero Catholicus eſſe putatur, & ſimul cum Catholicis in Eccleſia conuerſatur, ratum debet eſſe quod agit: Quoniam non ad ipſum, ſed ad illius deuotionem & fidem reſpicit Deus, qui ſe illius manibus ſubiecit, quaſi Catholico Epiſcopo propter

Deum:

A Deum:Reſpicit etiam ad Eccleſiam,ſuos filios ei ſimplici corde offerentem, & in tali conſecratione nihil mali ſuſpicantem. Quia enim intra Eccleſiam eſt, adeſt vtique Spiritus Sanctus, qui etiam per malum hominem ſacros Ordines operatur. Homo eſt qui loquitur, ſed Spiritus Sanctus eſt qui ſanctificat: Hoc autem totum ſuſcipientis & offerentis fides facit. Multis enim ipſum Dominum dixiſſe legimus: Vt ſecundum eorum fidem fieret illis. Si ergo illi ſua fide ſanabantur, quare non iſti ſua fide conſecrantur? Nihil enim hic contra fidem agitur,ſed fidele eſt totum quod agitur: Si enim temere vel contra fidem facerent, merito abeſſet Spiritus Sanctus. Siquidem Spiritus Sanctus diſciplinæ fugiet fictum.

Diximus ſuperius de Simoniaco:Quia ſi dum ſe Catholicum eſſe fingit, à Catholicis Epiſcopis conſecratur,tota illa eorum benedictio in maledictionem ei conuertitur:quoniam non ad labia, ſed ad cor reſpicit Deus: Non enim eſt in corde eorum, vt Simoniaco benedi- B cant. Similiter igitur è contra dicere poſſumus:Dum Simoniacus Catholicum ſe eſſe fingens, Catholico benedicit, quamvis eius benedictio maledictio ſit, omnis tamen eius maledictio in benedictionem conuertitur: Adeſt enim Spiritus Sanctus, qui non ad loquentis & conſecrantis hæretici petitiones,ſed ad ſuſcipientis mentem & deuotionem reſpicit. Quod ſi extra Eccleſiam tale aliquid contingat, non debet hæc ratio ei ſubuenire, qui extra Eccleſiam à Simoniaco ordinatur; quamvis non Simoniacum eſſe putet: Quoniam neque à matre Eccleſia offertur, neque eius deuotio bona eſt, qui extra Eccleſiam à quocunque ordinatur. Manifeſtum eſt itaque de his, qui intra Eccleſiam à Simoniacis, quos tamen Catholicos eſſe putant, non Simoniacè ordinantur, quod eorum ordinatio rata eſſe debet.

Taceant igitur, qui à temporibus B. Leonis Papæ iam Sacerdotium in Eccleſia defeciſſe garriunt, eo quod omnes aut Simoniaci eſſent, aut à Simoniacis ordinati: Similiter autem & de aliis hæreticis intelligendum eſt. C Quia ſi intra Eccleſiam ordinati ſunt, & Catholici eſſe putantur,quamdiu ibi ſunt, Sacramenta,quæ agunt, rata eſſe debent.

Nunc autem illis reſpondendum eſt, qui, quoniam ipſos ſacros Ordines non emerunt, ſe Simoniacos non eſſe contendunt,quamvis Eccleſias,vel Eccleſiarum partes emiſſent. Sed velim reſpondeant: Si per illam emptionem & venditionem ad ſacros Ordines peruenerunt: Vel, ſi in illis Eccleſiis quas emerunt, per illam emptionem ſacra myſteria celebrandi poteſtatem ſuſceperunt. Si enim ita eſt,vix ſe defendere poterunt, ſe Simoniacos non eſſe. Simoniacus enim eſt, qui per pretium ad ſacros Ordines venire contendit: Simoniacus eſt & ille, qui eam poteſtatem emere nititur, per quam Sancti Spiritus dona paratur.Hic autem Epiſcopus quaſi Canonicam electionem, vel conſecrationem non pro ſacris ordinibus, vt ipſe fingit, ſed pro terris & vineis, pro caſtellis & villis, pretium dedit,vel promiſit. Si hoc tali modo Epiſcopus fieri diſponebat,per pretium vtique D ad ſacros ordines venire contendebat: Neque enim ideo hoc faciebat, vt ea ſolummodo quaſi laicus poſſideret, ſed potius vt Epiſcopalem dignitatem aliquando pro ea haberet. Multo enim inſtantius hos tales, quam eos, qui canonicè eliguntur, poſt hanc talem inuaſionem inſtare videmus, vt quantocius ad ſacros ordines peruenire valeant: Qua in re ſuam intentionem apertiſſimè manifeſtant, & quid illa emptio ſignificauerit, oſtendunt. Quocunque igitur tempore ad conſecrationem veniant, aderit ibi B. Petrus, qui eis more ſolito dicat: *Pecunia tua tecum ſit in perditione, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Quod ſi ad conſecrationem non venerint, ſed prius pœnituerint, & illa tam praua exiſtimatione caruerint; dubitari quidem poteſt, ſolui autem facilè non poteſt,an in aliis Eccleſiis præponi aliquando debeant. Conſiderari tamen conuenit id, quod B. Petrus dixit ad Simonem: *Pœnitentiam,* inquit, *age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Si enim pœnituiſſet, forraſsè gratis

E poſtea habuiſſet, quod prius pretio habere non potuit: Quamvis in his verbis Apoſtoli ſola peccati remiſſio ſignificetur.

Quod autem de toto Epiſcopatu diximus, id de ſingulis Eccleſiis, vel earum partibus intelligimus. Simile namque peccatum eſt & cum diuite & cum paupere fornicari. Qui enim vnam Eccleſiam, vel eius partem emit, quanto libentius, ſi poſſet, totum emeret Epiſcopatum? Qui enim aliquam Eccleſiam emit,illam vtique poteſtatem emit, de qua Simon Magus Apoſtolis dicebat. *Date vos mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque manus impoſuero,accipiat Spiritum Sanctum.* Ille enim qui Eccleſiam emit, priuſquam eam emeret, liberam poteſtatem in ea non habebat, vel baptizandi vel ſacrificandi, vel alia quælibet myſteria celebrandi: Quæ quidem omnia, & dona ſunt & operationes Spiritus Sancti. Emit igitur illam poteſtatem: Siquidem baptizandi vel ſacrificandi poteſtatem emit, quam vtique in illa Eccleſia F non habebat priuſquam emeret. Sicut enim impium eſt, exiſtimare, quod Spiritus Sanctus pecunia poſſideatur: ita & illud exiſtimare impium eſt, quod eius dona & operationes pretio dari vel exerceri debeant.

Sed dicis: Ego hanc poteſtatem (ſcilicet baptizandi & ſimilia agendi) habebam prius etiam, quam Eccleſiam emiſſem. Cur ergo eam emiſti? Quia non concedebatur mihi hæc agere in ea prius,quam emiſſem. Iam cognoſco intentionem tuam, & video, illam intentioni Simonis quam maximè conuenire: Habebas quidem poteſtatem, ſed nolebas habere otioſam, quoniam aut parum aut nihil tibi conferebat, niſi vbicunque eam exerceres: nunquam eam emeres, niſi lucrum inde ſperares. Hæc igitur eſt intentio Simonis, ſic ille faciebat, volebat emere, quod multum ſe vendere poſſe ſperabat. Neque enim dixit: Date mihi hanc poteſtatem, vt habeam Spiritum Sanctum; ſed quid dixit? *Date mihi hanc poteſtatem,vt,cuicunque manum impoſuero,accipiat Spiritum Sanctum.* Nulla enim lucrandi ſpes ei reman- G ſiſſet, ſi eam ſolummodo habuiſſet, & dare aliis non potuiſſet. Similiter autem & tu, ſi hanc poteſtatem ſolummodo habeas; vbi eam lucratiuè non exerceas,nihil tibi videtur eſſe quod habes: quomodo ergo Simoniacus non es? Si in hoc tanto malo Simoni ſimilis es.

Hæc autem de illis dicta ſunt, qui poſt ordinationes Eccleſias emunt. Si enim ante ordinationes eas emunt, & per illam emptionem ad ordines veniant, Simoniaci vtique ſunt, & maximè illi, qui Eccleſiam emendo ad ſacros ordines venire contendunt: Si autem non ad ordines ipſos, ſed ad Eccleſiarum beneficia per pecuniam venire deſiderant, (multos enim tales videmus, qui poſtquam Eccleſias emunt,ordinari omnino deſpiciunt) hi quidem non tantum Simoniaci, quantum fures & latrones dici videntur: *Qui enim non intrat per oſtium, fur eſt & latro:* Qui vero per pecuniam intrat, per oſtium non intrat: Fur eſt igitur & latro. Sed, ſiue hoc nomine, ſiue illo alio vocentur, Eccleſiam tamen tenere non debent: Omnes enim vendentes & ementes Do- H minus templi eiecit de templo. In magno quoque Chalcedonenſi Concilio conſtitutum eſt: *Vt ſi quis quemlibet Clericum, vel Eccleſiæ diſpenſatorem, ſiue miniſtrum per pecuniam ordinauerit, vterque & dans & accipiens deponatur, conſentientes vero, anathemate feriantur.* Vide igitur, quia non ſolum Clerici, verum etiam diſpenſatores de Eccleſia eiiciuntur omnes, qui ſacros ordines, & qui ipſas Eccleſias earumque partes emunt vel vendunt. Cum ergo pœna ſimilis ſit, cur de nomine contentio fiat? ſiue enim Simoniaci dicantur, ſiue non, pœna tamen eadem eſt.

Hæc autem ad illam quæſtionem nos reſpondiſſe ſufficiat, ad quam ſuperius nos reſponſuros eſſe promiſimus.

VITA SANCTI PETRI EPISCOPI Anagnini. Ex ea, quam Sanctus Bruno Epiſcopus Signinus Compoſuit, per Reuerendum Dominum Gaſparem Viuianum Vrbinatem, Epiſcopumque Anagninæ eiuſdem Eccleſiæ breuiter deſcripta.

PEtrus Salerni, ex Illuſtriſſima Principum familia natus à Parentibus, Patrui, eiuſdemque Abbatis Cœnobij Salernitani S. Benedicti tutelæ fideique committitur. Puerulus vtroque orbatus parente à religioſo quodam, proboque ſene eruditus: deinde adoleſcens optimis moribus, ac litteris preditus, ſuas facultates eidem Monaſterio tradidit, & S. Benedicti diſciplinam amplexus, ſe ipſe quoque Domino dicauit. Suaue igitur Chriſti iugum ab adoleſcentiâ ferens, & erga omnes humanus erat, ac mitis, & religioſæ vitæ cultor egregius, quippe qui monaſticas B. Benedicti leges, quas etiam memoriȩ mandarat, accuratè ſeruaret, atque in ieiuniis, precibus, ſacris lectionibus tempus omne cõſumeret, vt iuris quoque ſcientiam ad rerum diuinarum cognitionem adiunxerit, cum ita illũ Dominus nec opinantem ad Epiſcopalis officij munus inſtrueret. Quare cum aliquando Salernum Aldebrandus S. R. E. Cardinalis, ac legatus veniſſet, Sancti viri fama permotus, eum ab Abbate patruo impetrat, Romamq; ad Alexandrum Secundum Pontificem perducit. A quo primum Eccleſiaſticis negociis præpoſitus: deinde Anagninæ Eccleſiæ, licet inuitus, creatur Epiſcopus magna Cleri, populique lȩtitia. Paſtorali igitur munere ſuſcepto, cum de ſacris ædibus inſtaurandis; ac de recuperandis Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionibus cogitare cœpit, tum de ſanctorum reliquiis conquirendis, præſertim vero de Sacro Beati Magni corpore, cuius præſentiâ decorari Anagnina Eccleſia dicebatur, nec tamen ſatis conſtare videbatur. Verũ Deus ita omnem ſuſtulit dubitationem. Petrus enim paraliticam quamdam per id tempus ad ſe perductam ab ipſius viro, cui nomen erat Franco, iubet ad ſepulchrum, in quo Sancti Magni corpus conditum putabatur, preces effundere. Cumque mulier ibi cum Francone viro ſuo profuſis lacrymis in precatione pernoctaſſet, ac triſtes ambo domum rediiſſent, poſtero die Beatus Magnus eidem mulieri viſus eſt, pontificio, ſplendidoque veſtitu, qui eam valetudini reſtitutam, iuſſit Epiſcopo denunciare, ne amplius de ſui corporis in Eccleſia quieſcentis præſentia dubitaret. Paruit illa, & læta, cum Beato Petro, ac frequẽtiſſimo populo excito tanti famâ miraculi ad Sancti Magni ſepulcrum Deo benigniſſimo de acceptis beneficiis gratias egit. Petrus interea nonnullis Eccleſiæ ſuæ bonis recuperatis, cum, & ſuo Clero, & egentibus paternâ charitate proſpiceret, nocte quadam in templo de more orans, Magnum Epiſcopum, magno ſplendore fulgentem, ad ſe cum Dei matre venientem adſpexiſſet, qui ei prædixit fore, vt in Orientem ad Imperatorem miſſus, ab eodem morbum diuturnum populſaret, & ad templum inſtaurandum quæcumque vellet, impetraret. Non ita multo poſt ad Michaëlem Imperatorem Petrus Conſtantinopolim Legatus Apoſtolicus mittitur. Cumq; ſuo iam functus officio ea quoq; exponeret, quȩ in tẽplo Anagninæ ciuitatis noctu vidiſſet; Imperator primo reſpondit ſe, quis Beatus Magnus, aut quænam Anagnina eſſet Eccleſia, penitus ignorare. Deinde vero ea nocte Imperatori grauiſſimè laboranti, vt iam prope mortuus putaretur, Beatus Magnus Pontificiis velatus infulis, & Sacratiſſima Dei genitrix aſtiterunt, monentes, vt ſi ſaluus eſſe velit, legato Apoſtolico morem gerat. Imperator, ſtatim vt loquendi facultatem recepit, Epiſcopum conquiri iubet. Cui aduenienti catena (vt erat temporibus illis vſitatum) obducta in aula regia, ita repente diffracta eſt, vt ſi fragilis aliqua materia ſcinderetur. Ergo Imperator ſupplex ab Epiſcopo per Dei parentem ac Sanctum Magnum, valetudinis beneficium flagitare, ac ſimul viſa narrare. Tum Sanctus ac verè clemens Epiſcopus, implorato Sanctiſſimæ Trinitatis auxilio, Beatiſſimæ Virginis, Sancti Magni, Sanctorumque omnium quorum ſacra oſſa in Anagnino templo aſſeruantur, contrectatiſque leniter malè affectis membris, ſurge, inquit, Præclariſſime Princeps, & perpetua incolumitate lætare. Surgit illico Imperator, & ad Epiſcopi pedes procidens Patrem illum appellat, quem pridie, vt externum hominem prope repulerat. Ad extremum fabris, & magna vi auri, vaſiſque inauratis eidem liberaliter attributis, pollicetur, ſe alioſque ſumptus ad Baſilicam abſoluendam ſuppeditaturum: Quod, & re ipſa præſtitit. Beatus verò Petrus, cum tres circiter annos & quadraginta ſuam optimè rexiſſet Eccleſiam tertio Non. Auguſti migrauit in cœlum. Paſchali Secundo Pontifice, a quo etiam eſt in Sanctorum numerum adſcriptus.

PRIVILEGIVM CANONIZATIONIS Beati Petri Epiſcopi Anagnini.

PAſcalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Epiſcopis Anagninis, & aliis per campaniam conſtitutis. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem Dominum excelſum habentes præ oculis, qui in amicis ſuis laudatur, & benedicitur. & conſiderantes propterea ſtrenuæ probatæque vitæ merita, quibus vir Sanctus Petrus quondam Anagninus Epiſcopus de regula monachali aſſumptus in paſtorali officio purè ſimpliciter, ſolerti vigilantia, & exemplo Deo deſeruiuit: Admirantes etiam miraculorum inſignia, quibus ſanctum ſuum ante, & poſt obitum diuina gratia decorauit, prout *per Brunonem Signienſem Epiſcopum fideliter annotatur*, & vſque ad noſtra tempora decorare non deſinit. Auctoritate præſentium vobis licere volumus, & mandamus quatenus tertio nonas Auguſti diem natalis memorandi eiuſdem confeſſoris, & præſulis numerandi Sanctorum catalogo congruè celebrem recolatis, quatenus in præſenti gratiam, & in futuro, opitulante diuina clementia, piis eius interceſſionibus mereamur gloriam ſempiternam. Data Signiæ ſecundo nonas Ionij Pontificatus noſtri Anno vndecimo.

Ann. D. M.C.IX,

Eccleſia Anagnina Tertio Auguſti ſolenniter Celebrat feſtum ipſius Sancti Petri Epiſcopi, ſub officio de proprio Verſic. Reſp. Ant. Lect. & Hymn.

PATRI VENERABILI PORTVENSI Epiſcopo.

Bruno Peccator Epiſcopus Beati Benedicti ſeruus, Salutem.

AVdinimus quod quidam de Fratribus noſtris non ſolum non damnant ea, quæ modo contra Sanctam Eccleſiam facta ſunt, verum etiam ſatis impudenter defendere conantur. Omnis autem qui hæreſim defendit, hæreticus eſt. Nemo autem, & hanc non eſſe hæreſim dicere poteſt, quam Sancta, & Apoſtolica Eccleſia in multis Conciliis hæreſim nominauit. & ſimul cum ſuis auctoribus damnauit & excommunicauit. Et illa quidem ſpecialiter dicuntur eſſe hæreſes, quæ in Conciliis iudicata, & damnata ſunt. Vnde, & Gubertus non immerito hæreſiarcha dictus eſt, ſimulque cum ſuis ſequacibus damnatus, & excommunicatus. Quicumque igitur Catholicam Eccleſiam relinquentes, ad partem Guiberti tranſierunt, & eius impiam hæreſim defendunt, & tenent, eos hæreticos excommunicatos, & Apoſtolicis Vinculis ligatos eſſe non dubium eſt. Qui vero excommunicati, & ligati ſunt, neque ſeipſos, neque alios vel ligare vel ſoluere poſſunt. Has litteras miſi ego portuenſi Epiſcopo, in quibus nullum alium

hæreticum

hæreticum eſſe dixi niſi eos tantum, qui hæreſim defendunt, & tenent: & eos quidem fugiendos eſſe iudicaui, etiamſi affectu parentum, & oculorum, & manuum eos diligamus. Dictum namque fuerat nobis, quod illi, qui impij Regis proditione capti fuerant, omnes præter pauciſſimos, vna & conſona voce dicebant, quod prædicauimus, prædicamus: & quod damnauimus, damnamus. Hos autem qui hoc dicunt, quis dubitat eſſe Catholicos?

PASCALI SVMMO PONTIFICI.

Bruno Peccator Epiſcopus Beati Benedicti ſeruus, quod tanto Domino, & Patri.

INimici mei dicunt tibi, quia te non diligo, & quia de te male loquor, ſed mentiuntur. Ego enim ſic te diligo ſicut Patrem, & Dominum diligere debeo: & nullum alium, te viuente, Pontificem habere volo, Sicut ego cum multis aliis tibi promiſi. Audio tamen Saluatorem meum mihi dicentem: Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. *Vnde & Apoſtolus dicit.* Si quis non diligit Dominum Ieſum, ſit anathema maranatha. *Debeo igitur diligere te, ſed plus diligere debeo illum, qui & te fecit & me. Huic enim tanto amori nihil vnquam præferendum eſt. Fœdus autem illud tam fœdum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietati, & religioni contrarium ego non laudo. At vero neque tu, ſicut à pluribus referentibus audiui. Quis enim illud laudare poteſt, in quo fides violatur? Eccleſia libertatem amittit? Sacerdotium tollitur? Vnicum, & ſingulare oſtium Eccleſiæ clauditur, aliaque multa oſtia aperiuntur, per quæ quicumque intrat, fur eſt & latro? Habemus Canones, habemus Sanctorum Patrum Conſtitutiones à temporibus Apoſtolorum vſque ad te. Via regia incedendum eſt, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Conſtitutio tua, & Conſtitutio Apoſtolorum vna eſt, & ipſa quidem multum laudabilis. Apoſtoli enim omnes illos damnant, & à fidelium communione ſegregant, quicumque per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinent. Laici enim quamvis religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Eccleſiam habent facultatem. Similiter, & Conſtitutio tua, quæ de Apoſtolico fonte manauit, omnes illos Clericos damnat, & à fidelium communione ſeparat, quicumque de manu laici inueſtituram ſuſcipiunt, & quicumque eis manum imponunt. Hæc namque Conſtitutio Apoſtolorum, & tua, Sancta eſt, Catholica eſt, cui quicumque contradicit, Catholicus non eſt. Illi enim ſoli ſunt Catholici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei & doctrinæ non contradicunt. Sicut è contra illi ſunt hæretici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei, & doctrinæ obſtinato animo contradicunt. Hanc igitur tuam, & Apoſtolorum conſtitutionem, Pater Venerabilis, iterum confirma: hanc in tua Eccleſia, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, palam, & cunctis audientibus prædica, hanc hæreſim, quam tu ipſe hæreſim eſſe ſæpe dixiſti, Apoſtolica auctoritate damna, & mox videbis totam Eccleſiam tibi eſſe placatam, mox omnes videbis, ad tuos pedes confluentes, & cum magna lætitia, Sicut Petro, & Domino obedientes. Miſerere Eccleſiæ Dei, miſerere ſponſæ Chriſti, & per tuam prudentiam, ſuam recuperet libertatem, quam modo per te amiſiſſe videtur. Ego autem illam obligationem & illud iuramentum, de quo iam ſuperius diximus, parui pendo; neque pro eius violatione minus vnquam tibi obediens ero.*

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Sententiarum.

LIBER PRIMVS.

De Laudibus Eccleſiæ.

PROLOGVS.

CVM ſint multa, & pæne innumerabilia in diuinis voluminibus, quæ ſponſam Chriſti ſanctam Eccleſiam ſignificant, quædam tamen ſunt, in quibus eius laudes, & maiora Sacramenta manifeſtius, & plenius contineri videntur. Vt verbi gratia, Paradiſus cum arboribus, fluminibuſque ſuis, ſicut, & arca, quam ex Dei præcepto Noë fabricauit. Similiter autem tabernaculum quod Moyſes conſtruxit, Similiter & templum quod ædificauit Salomon, Per mulierem quoque figuratur Eccleſia, quod Cantica canticorum manifeſte demonſtrant. Ciuitas quoque ſancta Hieruſalem, & baſilicæ quæ nunc ab Epiſcopis vbique dedicantur, Eccleſiam Dei aperte ſignificant. De his igitur ſecundum ordinem, quo poſita ſunt, non omnia quidem, ſed quæ tempori materiæ quid conueniant, Domino adiuuante, in ſequentibus exponemus.

CAPVT I.

De Paradiſo.

SCripſit Moyſes in libro Geneſeos quod plantauerat Deus paradiſum voluptatis à principio, in quem poſuit hominem quem formauerat, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Ibi omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: ibi lignum ſcientiæ boni, & mali narrat eſſe plantatum. Inde quatuor flumina ex vno fonte procedere dicit, quibus tota illa terra irrigatur. Dicendum eſt igitur quid paradiſus: quid Adam cuſtos paradiſi, quid illa tantarum tamque nobilium arborum genera & flumina illa ſignificent Paradiſus namque hortus deliciarum interpretatur. De quo horto in canticis canticorum Dominus ad Eccleſiam loquitur dicens. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Quod tale eſt, ac ſi diceret. Magna ſunt munera tua, grata ſunt xenia tua. Alij partem mittunt, & quod eis eſt vile aliis tribuunt Tu vero totum hortum das, & omnia meliora filiis tuis larga manu mandas, & tribuis. De horto in eodem libro idem ipſe ait. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa? hortus concluſus, & fons ſignatus. Recordans igitur latrones: recedat, & diabolus princeps latronum qui ſemper circuit quærens quem deuoret. Concluſus eſt hortus, ſignatus eſt fons, nec poma nec aquam ſubripere poteſt. Hoc enim ipſe Dominus teſtatur dicens. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus vitam æternam do eis. Neque rapiet eas quiſquam de manu mea. De his autem qui decipiuntur, & à diabolo rapiuntur, Ioannes Apoſtolus ait, De nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, manſiſſent vtique nobiſcum. Item in eodem. Deſcendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium; vt viderem, ſi floruiſſent vinea & germinaſſent mala punica. In Euangelio quoque de Domino dicitur. Quia egreſſus eſt trans torrentem cedron vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. His igitur, & ſimilibus manifeſtum eſt quod per hortum, id eſt per paradiſum Eccleſia ſignificatur. Sed quid per Adam, niſi Eccleſiæ cuſtodes, epiſcopos ſcilicet, & ſacerdotes intelligamus

A Audiant ergo iſti quid de Adam ſcriptura dicit, qui ad
hoc in paradiſum miſſus eſt vt operaretur, & cuſtodiret
illum. Non ſint ocioſi, quia operarij ſunt: vigilent, quia
cuſtodes ſunt. Hoc & Apoſtolus faciebat, qui, & præ
dicationi inſtabat, & manibus propriis operabatur vnde
viuebat. Vnde pſalmiſta ait. Labores manuum tuarum
manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Sed notandum
valde quod dictum eſt à Domino de Adam, *poſtquam*
peccauerat. Ne forte ſumat de ligno vitæ, & viuat in
æternum &c. Poſt peccatum interdicitur ei lignum vitæ
quod prius quidem interdictum non fuerat. Lignum vi-
tæ Chriſtus eſt, de quo Pſalmiſta. Et erit inquit tan-
quam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aqua
rum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et alibi
Lignum vitæ eſt is, qui apprehenderit eam, & qui te-
nuerit eam beatus. Et Dominus in Euangelio. Si in vi-
ridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Videant igi-
tur quibus propter peccata ſua Chriſti corpus, & ſanguis
interdicitur, ne forte ad lignum vitæ accedere præſu-
B mant. Audiant Apoſtolum dicentem. Qui enim mandu-
cat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bi-
bit, non diiudicans corpus Domini. Lignum igitur vitæ
caro Chriſti eſt, de qua ipſe Dominus ait. Qui mandu-
cat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vi-
tam æternam. Lignum vero ſcientiæ boni, & mali pec-
catum inobedientiæ intelligitur. Quoties enim pecca-
mus, toties de ligno hoc manducamus, quoniam Deo
inobedientes ſumus qui peccare interdixit. Magnum eſt
peccatum, inobedientiæ quo totus periit mundus: magna
eſt virtus obedientiæ qua totus ſaluatus eſt mundus. Pri-
mus homo inobediens factus ſeipſum perdidit & nos:
ſecundus homo factus eſt obediens vſque ad mortem vt
ſaluaret nos. Vocatur autem hæc arbor lignum ſcientiæ
boni, & mali, quia tunc primi homines bona ſua, &
mala ſua, id eſt beatitudinem, & miſeriam ſuam intel-
lexerunt, poſtquam de hoc ligno comederunt. Sicut enim
per ægritudinem, ſanitas, per amarum dulce, & per tene-
bras lux intelligitur, ita & per miſeriam beatitudo cog-
C noſcitur. Neque perfecte intelligit quantum bonum ſit
ſanitas: qui nunquam infirmus fuit. Sed quid de cæteris
arboribus dicemus, quibus locus ille deliciarum conſitus
eſt: Legitur in ſcripturis antiquorum (Solinus quoq; hoc
teſtatur) eſſe arbores in partibus quibuſdam quarum odo-
ris ſuauitate homines ſatiati, cibum alium non requi-
runt. Quantæ ergo iucunditatis, quantæ ſuauitatis, quam
odoriferas quamque fructiferas paradiſi arbores eſſe pu-
tamus, ſi etiam illæ quæ extra ſunt, tales ſunt. Per has
autem arbores, Eccleſiæ filios intelligimus. Bona arbor
beatus Paulus qui plus omnibus laborauit. Bona & ille
qui dixit. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.
Sic autem & illi de quibus dicitur Filij tui ſicut nouel-
læ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Tales, & illi qui-
bus Dominus ait. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi
vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis & fructus
veſter maneat. Ecce tales ſunt Eccleſiæ arbores: neque
illi inferiores: immo vero tanto meliores quanto melior
eſt quam figura. Maior odoris ſuauitas, maior fructus
D abundantia, & maioris iocunditatis dulcedo in his repe-
ritur. Videant Chriſtiani qui per arbores paradiſi ſigni-
ficantur ne ſint infructuoſi: quia in paradiſo nulla arbor
legitur fuiſſe infructuoſa, Quid autem quatuor flumina
de vno fonte manantia, niſi quatuor Euangeliſtas de vno
Chriſti pectore fidei doctrinam ſuſcipientes intelligimus
His autem fluminibus totus mundus irrigatur, horum
doctrinæ abundantia tota Eccleſia fœcundatur, & ſana-
tur. Vnde pſalmiſta ait. Fluminis impetus lætificat ciui-
tatem Dei. Et alibi. Eleuauerunt flumina Domine ele-
uauerunt flumina voces ſuas. Fertur autem quod illa
flumina ſuperius nominata tantam ſaporis dulcedinem
habeant, vt omnium potionum ſuperent ſuauitatem. Et
hanc quidem ſuauitatem non prius amittant quam in
ea intrantibus fluuiis vitientur. Quoniam bene no-
ſtris fluminibus, ſanctis ſcilicet Euangeliis hoc quoque
conuenire videtur: quorum quidem dulcedo hæretico-
rum aquis ſæpiſſime violatur, & niſi eis violata fuerint
nihil eſt quod comparari valeat, Miſer homo, qui tan- E
tam beatitudinem propter ſuam inobedientiam amiſit;
miſer qui tantas delicias perdidit, & de paradiſo eiectus,
poſt infinitas miſerias in mortem ruit Sic enim ibi ſcri-
ptum eſt, quia eiecit Dominus Adam de paradiſo, &
collocauit ante paradiſum Cherubin & flammeum gla-
dium ad cuſtodiendum viam ligni vitæ. Hoc enim, & in
Eccleſia fieri videmus, & peccatores obedire nolentes
verbi Dei gladio ab ea quotidie conſpicimus pelli. Si
enim primo homini Deus non pepercit: quomodo aliis
eum imitantibus parcet? Seruemus igitur obedientiam,
imitemur obedientiæ magiſtrum, qui cum in forma Dei
eſſet ſeipſum humiliauit factus obediens vſque ad mor-
tem. Cui cum patre & ſpiritu eſt honor, & gloria in ſæ-
cula ſæculorum, Amen.

CAPVT II. F

De Arca Noë.

MErito ad Eccleſiarum dedicationem tanta populo-
rum vndique turba concurrit. Siquidem Sancta
Eccleſia per eam arcam ſignificatur in quam tam innu-
merabilis omnium animalium multitudo conuenit. Sic
enim ſcriptum habes in libro Geneſeos, quod præcepe-
rat Dominus Noe vt faceret ſibi arcã de lignis leuigatis,
& manſiunculas in arca faceret, & bitumine intrinſecus,
& extrinſecus eam liniret. Præcepit etiam vt oſtium &
feneſtram faceret in ea, & in cubito conſummaret ſum-
mitatem eius. Ingreſſus eſt autem Noe in eam & filij
eius; & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo. De om-
nibus quoque animalibus mundis, & immundis in eam,
ingreſſa ſunt. Videamus igitur quid arca iſta ſignificet,
quid ligna læuigata, quid manſiones, & bitumen: quid
oſtium, & feneſtra, & quid animalia munda, & immunda
ſignificent. De hac enim arca ſcriptum eſt. Surge deus in
G requiem tuam tu, & arca ſanctificationis tuæ. Hæc igi-
tur arca ſancta Eccleſia eſt, extra quam nemo ſaluatur,
in qua qui in die vltionis inuentus fuerit, non peribit.
Multi enim tunc in ea eſſe videntur, qui tunc extra eam
inuenientur: Sicut illi quibus Dominus ait. Amen dico
vobis neſcio vos. Illi igitur erunt in ea de quibus Salua-
tor ait. Pater volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.
Vnde & alibi dicit. Si quis in me non manſerit, mitte-
tur foras ſicut palmes & areſcet, & colligent eum & in
ignem mittent & ardet. Sicut enim prima per aquam:
ita & ſecunda vindicta per ignem fiet. Sic igitur arca
iſta eſt Eccleſia. Quid ligna læuigata niſi homines intel-
liguntur? Homines vtique Chriſtiani homines fidei fer-
ramento dolati, & ſancti Spiritus gladio læuiga
ti, & charitatis bitumine inuncti & iuncti. Talia ligna
erant illa de quibus dicitur. Multitudinis credentium
erat cor vnum & anima vna, & nemo dicebat aliquid
eſſe ſuum; ſed erant illis omnia communia. Gaudeant
H monachi de tanto priuilegio quibus ſpiritus vnus eſt, &
proprium nihil eſt. Bituminis enim talis fertur eſſe natura
vt ligna quæ ex eo illita fuerint, indiſſolubiliter iungat
& incorrupta conſeruet. Merito itaque per bitumen cha-
ritas deſignatur quæ omnibus virtutibus maior eſt, &
ſine qua nulla virtus aliquid eſt. Hæc etiam inimicos
coniungit, & eos quos iungit æternos, & incorrupti-
biles facit. Hæc igitur, & intus per dilectionem, & ex-
tra per operationem nos vngat, & iungat. Hæc in corde
compatiatur, & in manibus operetur. Hoc eſt enim in-
trinſecus, & extrinſecus linire eam. Multæ enim man-
ſiones in vna arca, multæ gentes ſunt in vna Eccleſia.
Diuerſæ ſunt manſiones & diuerſi ſunt ordines, & mores
Nam & ipſe Dominus in Euangelio dicit. In domo pa-
tris mei manſiones multæ ſunt. Stella enim à ſtella dif-
fert in claritate. Manent in manſionibus, animalia
munda, & immunda quieſcunt, & pacem habent,
nullum alij nocet, nullum alij iniuriam facit, & quod
valde dolendum eſt, homines ſæpe Beſtiis crude-

A liores ſunt. Sufficiunt iſtis poſſeſſiones ſuæ. Si ergo intra arcam nulla diſcordia vel perſecutio fuit: procul dubio de Eccleſia non ſunt (quamuis in Eccleſia eſſe videantur) quicumque fratres odiunt, & charitatis vinculum ſoluunt. Sed quid per oſtium, & feneſtram intelligimus: Dicat ipſe Dominus. Ego inquit ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur. Non ergo ſaluantur qui per oſtium non intrant. Nullum animal ingreditur in arcam niſi per oſtium. Sed ſimoniaci & hæretici aliunde in Eccleſiam intrare nituntur. Hoc autem faciunt, quia fures ſunt, & latrones. Feneſtræ vero illi ſunt, qui Eccleſiæ lumen ſubminiſtrant: Vnde & Dominus diſcipulis ait. Vos eſtis lux mundi. Magna feneſtra, Beatus Paulus qui ideo à Domino excæcatus eſt vt multos illuminaret. Nec vacat à myſterio id quod ait. Et in cubito conſummabis ſummitatem eius. Vnus quidem cubitus vnus eſt Deus, in quo tota noſtrà conſummatio & perfectio eſt. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria eius. Ipſe eſt caput noſtrum; nos illius membra ſumus. B Ideo enim arca inferius quidem ampla ſuperius vero arcta, & in cubito conſummata eſt. Quia, & ſancta Eccleſia in ſubiectis quidem lata & magna eſt: & in vno patre magiſtro conſummata eſt. Vnde & Dominus ait. Vnus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt. Denique multo plures ſunt mali quam boni, plures qui terrena quam qui cœleſtia petunt. Anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam: ampla eſt quæ ducit ad perditionem. Si quis etiam Eccleſiæ ordines conſiderare velit: quomodo ſuper laicos clerici, ſuper clericos presbyteri ſuper presbyteros Epiſcopi, ſuper Epiſcopos archiepiſcopi, ſuper illos patriarchæ per ordinem ſedeant, & tunc tandem Romanū pontificem ſuper omnes ſedere conſpiciat: etiam iſto modo intelligere poterit quomodo arca Dei in inferioribus ampla paulatim ſe anguſtando in vno cubito conſummetur. Iam vero animalia munda, & immunda iuſtos pariter & peccatores ſignificare videntur. Nam & boni & mali, iuſti & peccatores: granum, & paleæ, zizania, & C frumenta, ſimul in Eccleſia Dei conuerſantur, de vno pane viuunt, de vno calice bibunt, vt & ſe fratres eſſe oſtendant, vna & conſona voce omnes dicunt, Pater noſter qui es in cœlis. Illud quoque non vacat à myſterio quod homines, & volucres ſuperiorem locum in arca poſſederant, iumenta vero, pecora, & ſimilia inferius habitabant. Qui enim homines, volucrum naturam imitantur, tales in ſancta Eccleſia ſuperiores conſtitui debent Dei igitur operam ſapientiæ & religioni, alius volet, mente, & ſpiritu ad cœleſtia erigatur, qui ſuper alios eſſe deſiderat. At vero illi merito inferiores ſunt, omniſque honoris, & dignitatis qui carnis concupiſcentiis, ſoliſque voluptatibus dediti iumentorum naturam ſequuntur, quæ quidem ipſa eorum natura prona finxit ventrique obedientia. Reſtat nunc de coruo dicere qui de arca egreſſus ad eam vlterius redire neglexit: per hunc nimirum illi figurantur, qui pro ſuis offenſis ab Eccleſia ſeparati ad eam vlterius redire deſpiciunt. Talis fuit Arrius, & Sabellius, tales, & Donatiſtæ qui pro ſuis ini- D quitatibus ab Eccleſia diuiſi ad eam redire, & ei reconciliari noluerunt. Vnde non immerito omne coruinum genus immundum eſſe dicitur. Quid vero per columbam quæ cum ramo oliuæ virentis ad arcam rediit niſi illi ſignificantur qui mites ſunt, & ſapientes, & humiles? Hi enim quia pacem, & concordiam diligunt, ſi Eccleſiam Dei & fratrum congregationem quolibet modo contra ſe cōmotam intelligunt mox humiliati, & per omnia ſatisfacere parati ad eam redeunt, pacem offerunt, & miſericordiam ſuppliciter depoſcunt. Qui ergo perire timet, & ſaluari deſiderat ab vnitate Eccleſiæ non recedat. Audiant Dominum dicentem. Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT III. E

De Tabernaculo Fœderis

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit: & deficit anima mea in atria Domini. Cum pluraliter tabernacula poſuiſſet, mox non de multis tabernaculis, ſed de vna domo ſubdidit dicens. Beati qui habitant in domo tua Domine in ſæculum ſæculi laudabunt te: Vnde & alibi ait. Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. De tribus tabernaculis ſcribit apoſtolus, quorum primum in vmbra eſt, & figura. Secundum in figura, & veritate. Tertium autem ſola veritate conſiſtit: Ait enim Tabernaculum factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum quod dicitur ſancta. Poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum quod dicitur ſancta ſanctorum aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam F ex omni parte auro. In qua vrna aurea habens manna & virgam Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti. De tertio vero ſic ait Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta. Primum igitur tabernaculum ſynagoga, ſecundum Eccleſia, tertium vero cœlum ipſum intelligitur. Habemus Pontificem qui penetrauit cælum, vt Apoſtolus ait Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & ibi quidem nunc apparet vultui Dei pro nobis. Habet itaque primum tabernaculum, id eſt, ſynagoga, candelabra ſua per quæ nimirum Patriarchas & Prophetas intelligimus quorum doctrina, & ſcientia populus ille illuminabatur quando cæteræ nationes in tenebris ſedebant, & in caligine vmbræ mortis. Et Moyſes quidem non candelabra ſed candelabrum poſuit, Chriſtum videlicet verum lumen ſignificans, de quo quaſi de vno haſtili cuncta alia G candelabra prodeunt. Hoc igitur candelabrum, & vnum & multa eſt, & vnum quidem in haſtili, multa vero in calamis de vno haſtili procedentib. Sed quid per menſam niſi legis, & Prophetarū libri deſignantur. Panis vero propoſitio ipſa eorum intelligētia eſt. De hac aūt menſa ſcriptum eſt. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributiones, & in ſcandalum: litera enim occidit ſpiritus autem viuificat. Quoniam autem candelabrum ante menſam ſtabat, vt menſam illuminaret, & panes ſuperpoſitos ſuo lumine illuſtraret, quid aliud ſignificare putamus, niſi id quod beatus Ioannes in Apocalypſi ſua ſcribit dicens. Vidi librum ſignatum ſigillis ſeptem, & nemo dignus inuentus eſt neque in cœlo neque in terra, neque ſubtus terram qui aperiret librum, & ſolueret ſeptem ſignacula eius & ego flebam multum, & dictum eſt mihi ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Si enim per librum menſa ſignificatur, quid eſt aliud ſoluere librum H quam menſam illuminare. Idem igitur ipſe, & leo, & candelabrum eſt: ſiquidem libri ſolutio nihil aliud eſt quam menſæ illuminatio. Velum autem inter vtrumque tabernaculum poſitum erat, ne forte illi qui in priori tabernaculo erāt, ea quæ in ſecundo agebantur videre potuiſſent. Vſque hodie namque dum legitur. Moyſes velamen (vt ait Apoſtolus) poſitum eſt ante faciem Iudæorum. Hoc autem velamen tunc ſublatum eſt quando velum templi ſciſſum eſt. Et ex tunc quidem omnibus in Chriſto credentibus reuelata ſunt ſancta ſanctorum, cæteri vero in ſua cæcitate permanſerunt, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Nunc autem de ſecundo tabernaculo videamus. Poſt velamentum, inquit, ſecundum tabernaculum eſt quod dicitur ſancta ſanctorum. Quantum priore tabernaculo ſecundum tabernaculum potius ſit ipſum eius nomen apte demonſtrat. Sed quid per thuribulum aureum, niſi Apoſtolos & Doctores intelligamus, qui ſui odoris ſuauitate & cœlum repleuerunt, & terram. Tale thu-

Digitized by Google

tribulum beatus Paulus qui de ſe,& aliis, loquitur dicens. Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco, in his,qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt, Aliis enim ſumus odor vitæ ad vitam,aliis odor mortis ad mortem. Ipſe quoque Dominus thuribulum portat cuius odorem Eccleſia ſentiens ait. Trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Vnde, & ſcriptum eſt, quia accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris. Et aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu angeli. Angeli doctores ſunt quorum pectora thuribula ſunt, eorum vero ſermones, & orationes quaſi fumus aromatum Domino deo placent,quoniam vero arca teſtamenti auro puriſſimo intus ex extra vndique circuntecta erat quid aliud ſignificat niſi quod ſancta Eccleſia ſermone,& opere ſapientia,& religione tota refulget: Non ſunt igitur eius membra qui vitiorum contagione ſe ſponte commaculant. De ipſa enim ſcriptum eſt. Vna eſt colũba mea,profecta mea,immaculata mea. Vrna vero aurea habens manna,Chriſti humanitas eſt plena diuinitate, vt per aurum quod de terra eſt humanitatem per manna vero quod de cœlo deſcendit eius diuinitatem intelligamus.Sed quid per virgam Aaron quæ frõduerat,niſi Beatam virginem Mariam intelligamus.Quæ,& ſicca peperit florem,& incorrupta peperit Saluatorem,in tabulis vero teſtamenti omnis ſcientiæ plenitudo intelligatur, quia decem verba in illis erant per quæ omnia vtriuſque teſtamenti mandata figurantur Quia enim omnes numeri in decem continentur non immerito per decem omnia aliquando intelliguntur. Talia inſtrumenta erant in arca, tales reliquiæ ſunt in Eccleſia. Ibi thuribulum, hic Apoſtoli:ibi vrna aurea,hic Chriſtus Deus, & homo: ibi tabulæ teſtamenti hic omnis ſcientiæ plenitudo,ibi virga Aaron,hic autem virga de radice Ieſſe. Reſtat nunc vt ad tertiũ tabernaculũ tranſeamus, per quod cœlum ſignificari diximus Nihil enim prodeſt in iſtis manſiſſe, niſi ad illud aliquando tranſeamus. Ideo enim in his laboramus, vt ad illud quandoque perueniamus. Ibi figura nulla eſt, quicquid ibi fit veritas eſt. Non ſolum enim in ſynagoga verum etiam in Eccleſia multa in figura & ſignificatione fieri videmus.Quoniam enim parietes aſperguntur aqua; & non ſimplici ſed ſalſa aqua,quod pauimenta ſcribũtur, quod lapides & altaria oleo vnguntur,quod per loca duodecim totidem cerei accenduntur: figura & ſignificatio eſt:ſed hæc alio tempore exponenda ſeruamus. Nunc itaque in illam domum intrare feſtinemus vbi non per ſpeculum & in ænigmate,ſed facie ad faciem omnia videamus.Dicamus iterum cum Pſalmiſta,& iterum eadem repetamus. B. qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.Non eſt talis iſta petitio quam obliuioni tradere debeamus. In illa autem domo quanta bona ſint parata Sanctis breuiter Apoſtolus enumerans ait. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe.Quæ ipſe nobis præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT IV.

De templo Salomonis.

VOluit Dauid ædificare templum Domino,& dictum eſt ei. Non tu ædificabis mihi domum, quia multum ſanguinem fudiſti: ſed filius tuus qui egredietur de lumbis tuis ipſe ædificabit mihi domũ,& ego ero illi in patrem & ipſe erit mihi in filium. Ædificauit igitur Salomon templum Domino de lapidibus magnis & quadratis. Sexaginta cubitorum fuit longitudo eius, & viginti cubitorum latitudo, & centum viginti cubitos in altitudine habuit. Domus autem dum ædificaretur, nec malleus, nec ſecuris,nec vox ferramenti in ea audita eſt. Fecit autem columnas duas ante fores templi: quarum vocauit alteram Iachim, id eſt firmitas: alteram vero Booz, id eſt in quo robur. Templi autem parietes cedrinis tabulis veſtiuntur: quas de auro puriſſimo, factis laminis cooperuit. Sculpſit autem Cherubim & palmas, aliaſque cælaturas valde prominentes.Duos quoque Cherubim fecit Salomon de lignis oliuarum: quos ſicut alia omnia auro puriſſimo veſtiuit.Habebant autem duos cubitos in altitudine,qui rectis pedibus ante oraculum ſtantes, & in templum reſpicientes duabus alis ſe viciſſim tangebant, & duabus vſque ad parietes extendebantur. Vnde manifeſtum eſt quod totam templi latitudinem alæ Cherubim extenſæ occupabant. Fecit autem & mare æneum ante templum: quod boues duodecim portare videbantur, quorum quidem tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem, tres ad occaſum reſpiciebant. Non eſt autem huius temporis exponere omnia quæ in illo templo nobiliſſimo facta ſunt. Septem autem annis templum Domini ædificatum eſt,& in ſeptem diebus dedicatum eſt. Hoc templum Eccleſia eſt, hoc templum nos ſumus:de nobis Apoſtolus dicit.Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. Dominus in templo ſancto ſuo Dominus in cœlo ſedes eius.Sed quid ſibi volunt illæ duæ columnæ, quæ ante fores templi poſitæ cum nihil, ſuſtineant ocioſæ ſtare videntur. Ocioſum tamen non eſt,quod alia firmitas, & alia robur vocatur.De his primum dicendum eſt, quia templum ingredientibus hæ primæ occurrunt. Et ergo quidem per alteram Patriarchas & Prophetas cæteroſque veteris teſtamenti duces & principes intelligo. Tales columnæ fuerunt, Abraham, Iſaac, & Iacob. Tales Moyſes, Ioſue, Dauid, & Daniel. Tales & multi alij qui per fidem vicerunt regna. Et quia firmi & robuſti erant, nullo impetu tempeſtatis, nullo ventorum incurſu, à iuſtitia & veritate diuelli potuerunt. In altera vero Apoſtolos, & Martyres, Confeſſores, & Epiſcopos video, qui quam fortes & robuſti fuerint,eorum acta manifeſte oſtendunt. Reſpice ad Petrum, Iacobum & Ioannem, qui columnæ Eccleſiæ dicebantur. Reſpice ad Stephanum, & Laurentium: confeſſorem quoque intuere Martinum Epiſcopum & patrem noſtrum Benedictum & mox quid illæ ſignificent intelligere poteris. Neque enim decet vt templum quis ingrediatur, niſi prius illas cognouerit. Ideo enim ſcriptum eſt. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Horum igitur vitam & doctrinam,horum fidem & conuerſationem,horum conſtantiam & mores ſemper in mente habere debemus. Sic credamus, ſic viuamus, ſic Domino ſeruiamus, ſic ambulemus,ſic in bono perſeueremus, & ſufficit nobis. De reticulis vero & malis granatis quæ ſuper capitella columnarum erant, hoc breuiter modo dixiſſe ſufficiat, quod patres noſtri & retia ſemper habuerunt,quibus non piſces & aues caperent: ſed audientes & obedientes ad Dominum traherent. Habuerunt autem & mala granata quibus animas ſatiarent & à libidinis æſtu ſanarent. Quia ergo columnas vidimus, & quid ſignificent, audiuimus, nunc templum ingrediamur, & quid illa tanta auri compoſitio ibi faciat,inquiramus. Nihil ibi videtur niſi aurum. Aurum in trabibus, aurum in parietibus, ipſa quoque pauimenta auro puriſſimo refulgent. Non eſt hoc ſine cauſa, myſterium eſt,ſignificatio eſt non ad viſum inanem paſcendum, ſed ad intellectum ſpiritualiter reficiendum: hoc totum ad Eccleſiam ſpectat, quæ tota aurea eſt, & omni vitiorum corruptione libera, ſuper niuem dealbata eſt. Aurum hoc virtutes ſunt,quibus omnia membra Eccleſiæ deaurata ſunt. Teneamus fidem, ſpem & charitatem,aurei ſumus,ſine his nec ipſi Angeli pulchri ſũt,quod in illis facile probatur,qui perdita humilitate ceciderunt & omni alia creatura turpiores facti ſunt. Alij humilitate, alij patientia, alij obedientia, deaurantur & decorantur. Quamcunque virtutem habeas,ornamentum tibi eſt, & ſine virtutibus nulla pulcritudo in anima eſt. Vidimus aurum, & vidiſſe placet, reſtat nunc vt cælaturas videamus. Erant inquit in parietibus Cherubim & palmæ, & aliæ cælaturæ valde prominentes Cherubim ad ſcientiam, palmæ ad victoriam nos prouocant: in illis

volare,

A volare, in iſtis pugnare docemur. Nihil in templo ocioſum eſt quæcunque ſcripta vel ſculpta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Ipſi parietes nos docent, & quodammodo loquuntur nobis. Sed quia de Cherubim loqui cæpimus, ad illos reſpiciamus, qui ante oraculum ſtantes ad nos reſpiciunt, manus habent, pedes habent, faciem hominis habent: totum hoc nobis vſitatum & familiare eſt. Alæ me terrent, quia in hominis imagine alas non video. Poterat hæc imago hominis videri, ſi ſolæ alæ defuiſſent. Quia igitur tale animal in rerum natura non eſt, figura tantum & ſignificatio eſt. Non itaque quaſi Deus colantur: Sed ad quod facta ſunt, hoc operentur. Duo iſti Cherubim, duo ſunt teſtamenta, & quod ſignificant duo libri, hoc duo ſignificant Cherubim. Cherubim namque ſcientiæ plenitudo interpretatur. Hanc autem ſcientiæ plenitudinem facilius quidem in libris quam in illis ſimulacris comprehendimus. Totum tamen quod in diuinis Scripturis continetur multis ſi- B mulacris ſignificatur Tu quoque ſi vis Cherubim fieri potes. Melius enim ex hominibus quam ex lignis fiunt Cherubim, & multi quidem Cherubim ex hominibus iam facti ſunt. Vis videre Cherubim? Reſpice Paulum, omnis ſcientiæ plenum, Doctorem gentium, & magiſtrum Eccleſiarum qui cum ſapientium & inſipientium debitor ſit, paruulis lac ſubminiſtrat. Loquitur vero ſapientiam inter perfectos: Si vis eum videre volantem, audi ipſum dicentem. Scio hominem in Chriſto ante annos ıv, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum hominem ad tertium cœlum. Qui ſic volat alas habet, & qui ita loquitur, non ſolum ſapiens eſt, verum etiam ſcientiæ plenitudo dici poteſt. Sed quare de lignis oliuarum Cherubim iſti facti ſunt niſi vt nos ad miſericordiam prouocent? Magna eſt virtus miſericordiæ ſine qua nec ipſi Cherubim eſſe poſſunt. Quod enim græci ἐλαιον vnde oleum, hoc nos miſericordiam dicimus Nihil eſt in Cherubim quod magis attendere debeamus C quam ipſam materiam de qua facta ſunt, id eſt, oliua ſiue miſericordia. Vnde & ipſe Dominus ait. Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt. Multa ſunt quæ de miſericordia dici poſſunt, Si quidem miſericordia Domini plena eſt terra. Bene autem ſub alis Cherubim archa teſtamenti ſtare dicitur, quia nihil eſt quod ſic Eccleſia Dei defendat & muniat, ſicut ſermo diuinus & ſcientia Scripturarum. De arca teſtamenti in ſuperiori ſermone ſatis dictum eſt. Merito autem in domo domini quando ædificata eſt, malleus, aut ſecuris, aut vox ferramenti audita non eſt: quia Eccleſia Dei quæ per eam ſignificabatur, non ferro ſed lingua ædificanda erat, non vox inarticulata: ſed Sancti Spiritus gratia eam conſtruxit. Malum ferramentum Arrius: malus malleus ſabellius, mala ſecuris Neſtorius, qui non ædificare, ſed deſtruere conati ſunt. Numquam talium ferramentorum vox in Eccleſia audiatur, vox potius turturis audiatur in terra noſtra. Cantet nobis Mattheus, Marcus, Lucas, & Ioannes. Nam & Pauli vocem ſemper me audire delectat. Auguſtinus quoque & Ambroſius multique alij Ec- D cleſiæ filij, ſatis modulate ſuauiterque cantent. Reſtat nunc mare æneum: de quo multa dicenda eſſent: ſed quia iam nunc ſermo claudendus eſt, hoc breuiter dixerim. Mare æneum baptiſma eſt duodecim boues duodecim Apoſtoli ſunt, ſuper quos tunc mare æneum Deus poſuit; quando eis præcipiens, dixit. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quod autem alij reſpiciunt ad orientem, alij ad aquilonem, alij ad meridiem alij ad occaſum; hoc eſt quod ſequitur: quia perfecti prædicauerunt, vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Quoniam vero templum Domini ſeptem annis ædificatum eſt, & ſeptem diebus dedicatum eſt, quid aliud ſignificare putamus: niſi quod ſancta Eccleſia quanto tempore in hac vita eſt, quæ ſeptem diebus, agitur, ſemper, & ædificatur, & dedicatur; ſiquidem alij quotidie ad fidem conuertuntur, alij baptizantur, alij per pœnitentiam & ſanctam conuerſationem Domino conſecrantur, & à peccatorum contagione mundantur.

E Hoc igitur ſeptenario finito dies ſequitur octauus: dies videlicet reſurrectionis, quando omnibus perfectis, & conſummatis, ad vitam transferemur æternam. Quam ipſe nobis præſtare dignetur, qui viuit, regnat in ſæcula ſæculorum Amen.

CAPVT V.

De muliere per quam ſignificatur Eccleſia.

NArrat beatus Ioannes Euangeliſta ſe vidiſſe ſanctam Eccleſiam in ſpecie mulieris, quæ erat amicta ſole & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & patiens cruciabatur, vt pareret. Magna laus Eccleſiæ Dei, quæ ſole amicta perhibetur. Sole quidem amicta eſt quia omni claritate & pulchritudine decorata eſt. Sunt autem, & illi amicti ſole quibus Apoſtolus loquitur dicens, Induite vos Dominum F Ieſum Chriſtum. Ipſe eſt enim ſol iuſtitiæ. De quo & alibi ait. Quicumque baptizati eſtis in Chriſto Ieſu, Chriſtum induiſtis. Habet autem Eccleſia lunam ſub pedibus quia mundum deſpicit, & pro nihilo ducit. Merito mundus luna vocatur: quia ad lunæ ſimilitudinem ſemper in motu eſt, ſemper mutatur, & variatur. Quid enim in mundo eſt quod mutabile non ſit; Et cœlum mutatur, & terra: mare quoque ſemper mutabile eſt, & aer nunc ſerenus, nunc nebuloſus eſt. Sed quid de hominibus dicam? Sentiunt ipſi mutationes ſuas, nunc læti, nunc irati, nunc triſtes: nunc ſani, nunc ægri, & multa alia quæ numerari non poſſunt. Hæc omnia deſpicit mulier iſta, quia ad ea tendit, quæ immutabilia ſunt, vbi lætitia æterna, ſanitas, æterna, vita æterna, & quia ibi omnia æterna ſunt: nihil ibi mutabile eſt. Habet autem in capite coronam ſtellarum duodecim, per quas duodecim Apoſtolos intelligimus, ipſi eam coronauerunt: ipſi eam & reginam & dominam conſtituerunt, ipſi in æterni regis thalamum eam introduxerunt. Et pa- G tiens cruciabatur vt pareret, hoc eſt quod in Euangelio Dominus ait. Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius? Cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Tantum eſt deſiderium pariendi, tantus eſt amor filios generandi, paruipendit tormenta, non timet cruciatus, mori deſiderat, vt adoptionis filios Domino Pariat. Sic Rachel moriendo peperit, vt Synagoga Beniamin & nos Paulum Apoſtolum habeamus. De hac muliere Salomon quoque ait. Mulierem fortem quis inueniet: procul & de vltimis finibus precium eius. Talem mulierem ſuis temporibus inuenire non potuit: procul & poſt multa tempora: gentium Eccleſiarum naſci & venire cognouit. Cuius honor & gloria omniſque beatitudo, quia in fine mundi reuelabitur? de vltimis finibus precium eius eſſe dixit manum ſuam miſit ad fortia & digiti apprehenderunt fuſum, In hoc Eccleſiæ ſapientia manifeſtatur, tam bene cuncta diſponit, manum H ſuam id eſt eos qui fortiores ſunt, & ſapientiores ad maiora negotia mittit, taleſque rectores, & epiſcopos conſtituit? Digiti vero fuſum apprehendunt, quia illis minora negotia committit qui imperfectiores ſunt, minuſque periti. Os ſuum aperuit ſapientiæ & lex clementiæ ſub lingua eius. Non vana & inutilia loquitur, ſermo eius ſale conditus, & ſanat & reficit auditores. Lex autem clementiæ illa eſt, qua etiam inimicos diligere, & cunctis ex corde dimittere iubemur. Nobilis in portis vir eius quamdiu ſederit cum ſenatoribus terræ. Hæc vna laus Eccleſiæ præ cæteris laudibus maior eſt: quod vir eius tam nobilis eſt. Hæc tamen nobilitas nondum apparuit, humilis venit, & in forma ſerui. Non venit miniſtrari, ſed miniſtrare & ponere animam ſuam redemptionem pro multis, quaſi reus iudicatus eſt & inter iniquos deputatus eſt. Tunc ergo nobilis erit: tunc eius nobilitas apparebit, cum ſederit cum ſenatoribus terræ, cum Deus manifeſte veniet, Deus noſter & non ſilebit.

A Sed videamus quid etiam pſalmiſta de hac tam nobili ciuitate loquatur. Fundamenta inquit eius in montibus ſanctis diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Iam ſuperius de fundamentis dictum eſt. Fundamentum aliud (ait Apoſtolus) nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus, De quo & Dominus ait Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Fundamentum igitur fundamentorum Chriſtus eſt; ſiquidem & Apoſtoli & Prophetæ fundamenta ſunt. Quæ igitur ciuitas ſuper tales montes fundata eſt, merito de ea dicitur Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob: Si ſolas portas tantum diligit; dic mihi quæſo quantum diligit totam ciuitatem ? Tabernacula Iacob, iſti Iudæi intelliguntur, qui à Domino recedentes vbique gentium diſperſi ſunt: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei: Sed quæ glorioſa, an forſita illa quod tota ex auro & margaritis, & lapidibus precioſis ædificari dicitur; hæc vtique glorioſa B ſunt: alia tamen illa ſcilicet glorioſiora quæ de ea dicta ſunt. Sed vis audire quæ ? Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me. Et reuera glorioſa & pluſquam glorioſa ſunt hæc Conſidera modo quid viri iuſti de Dei miſecordia ſperare & præſumere valeant, ſi etiam Raab & Babylonis Dominus memor erit. Altera meretrix fuit, altera Dei populum captiuatum ſuſtinuit. Et illa quidem exploratores ne occiderentur, abſdondit. Hæc vero populum præuaricantem: aliquanto tempore ex Dei præcepto in ſeruitute detinuit. Talium igitur Dominus memor erit quia memor eſt omnium ſcientium eum. Neque enim aliter iſtarum memor eſſet, niſi quia eum ſcire, & quamuis poſt multa flagitia, in eum tamen credere meruerunt. Valde enim notandum eſt, quod ait, ſcientium me. Qualiſcunque igitur prius fuerit, ſiue meretrix: ſiue Sanctorum percurſor, ſi tandem conuerſus fuerit, & Dominum cognouerit, ſaluus erit; vnde & ipſe Dominus ait. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. C Audiamus nunc & alia glorioſa quæ dicuntur de ciuitate Dei Ecce inquit alienigenæ, & tyrus,& populus Æthiopum, hi qui fuerunt in ea. Hoc eſt enim quod Apoſtolus Petrus. In veritate inquit comperit; quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi. Quiſcunque igitur Deum timet, & iuſtitiam operatur, vndecunque veniat: ab hac piſſima ciuitate ſuſcipatur,& non quaſi alienigena: ſed quaſi ciuis & indigena habetur. Ita Cornelius Centurio ſuſceptus eſt, qui primus de gentibus, Eccleſiæ filius factus eſt. Hoc & illud vas ſignificabat, quod immundis animalibus plenum erat, quando Apoſtolo dictum eſt. Macta & manduca, hoc & illæ ſimiæ ſignificabant: quæ ſimul cum pauonibus Salomoni afferebantur. Quid Simia turpius ? Quid Pauone pulchrius ? In tabernaculo Domini & cilicia erant & pili capratum. Neque hircum iu holocauſtum Dominus reſpuit: cui tauri & agni offerebantur. Aurum & lapides & ligna cæteraque quibus templum Domini conſtru- D ctum eſt, non ibi nata, ſed aliunde allata ſunt. Sic igitur & Eccleſia ex omnibus gentibus ædificata omnes homines recipit; neminem ad ſe venientem repellit. Et tyrus & populus Æthiopium: ij qui fuerunt in ea. Glorioſa ſunt hæc, quæ & iuſtis & peccatoribus magnam ſpem dare poſſunt, & immenſam ferre lætitiam. Vis in Eccleſia ſuſcipi? Tyrios imitare quorum opere & auxilio templum ædificatum eſt. Imitare & Centurionem, qui ſynagogam Iudæis ædificauit. Moyſes ſicut legitur, Æthiopiſſam duxit vxorem. Pro qua Maria ſoror eius quia murmurauit lepra à Domino percuſſa extra caſtra eiecta eſt. Huius æthiopiſſæ filij ſunt æthiopes iſti de quibus nunc dicitur. Et populus æthiophum hi fuerunt in ea, Hæc eſt illa æthiopiſſa, quæ in Canticis canticorum loquitur dicens. Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalem. Hanc autem quia ſynagoga odio habet, ideo ipſi ſynagoga lepra percuſſa eſt, & vſque ad ſæculi conſummationem, intra Eccleſiæ caſtra non ſuſcipie- E tur. Hæc igitur glorioſa: immo glorioſiſſima ſunt quæ dicuntur de ciuitate Dei, in qua ſerui fiunt liberi, ignobiles glorioſi. Et ibi non alibi eſt illa aqua quæ Æthiopum poſſit mutare colorem. Et hæc quidem tantam hominum curam, & diligentiam habet: vt non immerito omnium mater eſſe dicatur. Vnde, & ſubditur Mater Sion dicet homo. Ac ſi dicatur. Hæc eſt mater, & vere mater quæ pietatis ſinum omnibus aperit, nulli materna viſcera claudit omnes ſuſcipit, omnes ex affectu fouet, & nutrit. Sequitur. Et homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Multa ſuperius glorioſa dicta ſunt de ciuitate iſta: ſed hoc quod modo dicitur: omni gloria glorioſus eſt; nulla gloria huic gloriæ comparari poteſt: ipſe altiſſimus qui fundauit & fecit eam: ipſe homo factus eſt & natus eſt in ea. Et vnde hoc prophetas? vis audire vnde? Dominus narrauit in Scripturis populorum & principum horum qui fuerunt in ea. Interroga patres tuos & annunciabunt tibi; maiores tuos & dicent F tibi. Lege ſcripturas omnium populorum, Prophetarum ſcilicet Apoſtolorum quæ omnium communes ſunt quæ ad noſtram & omnium doctrinam ſcriptæ ſunt, & docebunt te: lege Moyſen, Iſaiam, & Hieremiam, & inuenies, lege Euangelia quæ non ſunt minoris auctoritatis, quam illa. Lege Paulum Apoſtolum Ieſu Chriſti, qui vocatus eſt Apoſtolus, & ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo: qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Probatum eſt igitur quod homo factus eſt, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Reſtat vnum glorioſum adhuc quod dictum eſt de hac ciuitate, & ipſum audiamus. Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te. Nam & hoc valde glorioſum eſt quod huius ciuitatis habitatores perpetuam lætitiam habebunt ? & miſeriam nullam ſentient. Vbi enim miſeria, ibi lætitia locum non habet. Hæc autem lætitia ſpiritualis eſt: hoc gaudium non rerum temporalium: ſed æternæ felicitatis eſt. De qua Apoſtolus ait. G Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Lætamini ergo in Domino & exultate iuſti,& gloriamini omnes recti corde Gaudete in Domino ſemper, Iterum dico gaudete. Quod ipſe nobis præſtare dignetur, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT VII.

De baſilicis quæ ab Epiſcopis dedicantur.

SCitis fratres mei, qui ad huius Baſilicæ dedicationem conueniſtis quod domus hæc Eccleſia vocatur: quoniam Eccleſiam ſanctam ſignificat. Non minus enim domus hæc ſiue magna ſiue parua ſit, Eccleſiam ſanctam ſignificat, quam templum illud nobiliſſimum Salomonis, vel ciuitas ſancta Ieruſalem, vel tabernaculum teſti- H monij. Eccleſia græcum nomen eſt: ſignificat autem populi conuocationem; populi vtique Dominum timentis, & Domino ſeruientis Sicut enim ex multis lapidibus ordine & ratione compoſitis vna domus efficitur: Ita ex multis hominibus, dilectionis, & fraternitatis amore ſociatis: vna Eccleſia conſtituitur. Quemadmodum enim domus iſta fundamentum habet, lapides & parietes habet: portas & feneſtras & ſimilia habet: ſimiliter & ſancta Eccleſia Apoſtolo dicente ſecundum quandam ſimilitudinem hæc omnia habere dignoſcitur. Sed ipſe dicat: ipſe nos doceat: ipſe eius fundamenta & ædificium fundamentis ſuppoſitum oſtendat. Iam non eſtis, inquit, hoſpites & aduenæ: ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei ſuper ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino. Habet igitur Eccleſia fundamentum, Apoſtolos videlicet, & Prophetas, & Ieſum Dominum, & Saluatorem no-

Beata illa altaria in quibus tales reliquiæ poſitæ ſunt. Beata illa corda quæ tales reliquias ſuſcipere meruerunt. Magnæ ſunt iſtæ reliquiæ, & multæ nimis, & mirum valde quod in tantillo vaſculo includi poſſunt. Sed iam nunc commendemus Deo hæc altaria noſtra, ipſe poſſideat, & cuſtodiat corda noſtra, & dignetur habitare in templo pectoris noſtri: Qui viuit & regnat &c.

CAPVT VIII.

De Euangeliis.

NOn eſt arbor bona, quæ fructus malos facit, neq; arbor mala faciens fructum bonum. Docet nos Dominus, & ſaluator noſter, quo modo bonas arbores cognoſcere debemus. Bonæ arbores, boni homines ſunt; & malæ arbores mali homines ſunt. Ex fructu ſuo cognoſcuntur arbores: ex operibus ſuis cognoſcuntur homines. Bonæ arbores paradiſi quæ & viſu pulchræ erant & ad veſcendum ſuaues. Tales arbores gignit Eccleſia, quarum pulchritudinem, & religionem nos legere & audire delectat: quarum verbis, & doctrina mentes noſtræ nutriuntur, & reficiuntur. Talis arbor Beatus Paulus, qui & viſu tam pulcher eſt: vt nihil ſibi conſcius ſit: & tam ad veſcendum ſuauis, vt & paruos lacte, & cibo ſolido nutriat ſapientes. Tales arbores, & cæteri Apoſtoli ſunt quorum fructus ab ipſo Domino commendantur, dum eis loquitur dicens. Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos: & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Iſti ſunt illi fructus: hæc ſunt illa poma: de quibus ad ſponſam Eccleſia dicit. Omnia poma noua, & vetera dilecte mi ſeruaui tibi. Vetera poma, Prophetarum, & Patriarcharum doctrina eſt: noua vero Apoſtolorum Eccleſiæque doctorum, & iſti quidem ſunt de quibus dicitur. Qui proferunt de theſauris ſuis noua & vetera. Tales autem arbores à fructibus ſuis cognoſcere non eſt difficile: quia omnis earum doctrina, & operatio ſancta eſt, vera eſt, religioſa eſt, ſine fraude, & ſimulatione eſt. Bonæ arbores & hypocrytæ aliquando eſſe videntur: ſed quia ſola terrena & tranſitoria quærunt, & quia ſanctorum humilitatem, & patientiam non habent facile quidem deprehenduntur, & ipſa ſua aſtutia manifeſtantur. Præceperat Dominus filiis Iſrael vt promiſſionis terram ingreſſi illius regionis arbores circumciderent, & vſque in quartum annum ab earum eſu ſe abſtinerent. Niſi enim per arbores homines ſignificarentur: ridiculum videretur quod arbores illæ circumcidi iubentur, Sed alienæ arbores infideles homines ſunt, quos ad nos venientes circuncidere debemus id eſt à ſuis iniquitatibus per baptiſmum, & pœnitentiam emundare. Quid vero per quatuor annos niſi quatuor Euangelia figurantur, per quæ quicumque nondum tranſiit & eorum doctrinam nondum audiuit, adhuc immundus eſt: adhuc eius fructus ſuſcipiendus non eſt: nondum eius verbis, & doctrinæ credendum eſt. Quid vero de malis arboribus præcurſor Domini Ioannes dixerit audiamus Iam inquit ſecuris ad radices arboris poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, &, in ignem mittetur. Talis erat illa ficulnea, cui Dominus maledixit & aruit. Tales erant, & illi palmites, de quibus ipſe ait, Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Et quid inde? vis audire quid? Si quis autem in me non manſerit mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent, eum, & in ignem mittent; & ardet. Multi quotidie à Domino maledicuntur, & de eius corpore, quod eſt Eccleſia tolluntur, foras proiiciuntur, & in ignem mittuntur. Arborem fici plantauerat quidam in vinea ſua, cumque iam per tres annos in ea fructum quæſiſſet, & non inueniſſet, præcepit cultori vineæ, vt eam ſuccideret. Quæ tunc quidem fortaſſe ſuccisa fuiſſet, niſi cultor vineæ pro ea interceſſiſſet. Conſiderate ergo, & diligenter attendite, quantum cultoribus noſtris Epiſcopis videlicet & ſacerdotibus de beatis; qui pro vobis quotidie intercedunt ne forte ſuccidamini, & in ignem mittamini. Per tres annos expectauit, modicum vel nihil vlterius te expectat. Expectauit te in adoleſcentia, expectauit in iuuentute, expectauit in ſenectute. Denique expectauit te mala cogitantem: mala operantem & iam longo tempore in malo perſeuerantem. Quid amplius quæris? Finiti ſunt anni, nouiſſima hora eſt, tamen ſi hodie conuertaris: quamuis indigno, venia promittitur tibi. Peccator enim in quacunque die conuerſus fuerit & gemuerit, vita viuet & non morietur Iuſtus quoque quacunque die à iuſtitia declinauerit, & ſe ad iniquitatem conuerterit, in iniquitate ſua, quam operatus fuerit, morietur. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Ad fructus reſpiciamus, opera intueamur, non qualis fuit, ſed qualis eſt, inquiramus. Hodie bonum fructum reddere cœpit, arbor bona eſt. Hodie malum fructum reddere cœpit, arbor mala eſt. Si ea quæ hodie bona eſt, cras malum fructum reddere cœperit dicam, & ego cras, quod mala arbor eſt. Quare hoc? Quia veritas ait, à fructibus eorum cognoſcetis eos. Magnum igitur & verum argumentum eſt in arboribus cognoſcendis, fructus bonus & fructus malus. Tamdiu bona eſt arbor, quamdiu fructus bonus in ea eſt. Non enim de ſpinis colligunt ficus, neque de tribulo vindemiant vuas. Quod ſi aliquando contigiſſet, & ego ſpinam ficum dicerem, & tribulum vitem vocarem Quare hoc? Quia vnaquæque arbor de fructu ſuo cognoſcitur, Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur. Quæ in corde ſunt, videre non potes, cordis arcana clauſa tibi ſunt. Ad os reſpice, verba attende & quod in corde eſt, ore teneri labium, ex abundantia cordis os loquitur, ex bono fonte bonæ aquæ deriuantur, ex venenoſo fonte venenoſæ aquæ emanant. Neque fieri poterit, vt ſuam arborem fructus quandoque non manifeſtet. Nihil opertum quod non reueletur & occultum quod non ſciatur. Quare vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Si bonæ arbores eſſetis: ea quæ dico, faceretis; mandata mea cuſtodiretis, & non folia mihi, ſed fructus redderetis. Verba folia ſunt: fructus opera ſunt. Melius eſt facere, quam dicere. Dominum me vocatis, ſeruos vos eſſe cognoſcite. Boni ſerui illi ſunt, qui Domini ſui mandata cuſtodiunt. Quicunque audit verba mea, & facit ea dicam vobis, cui ſimilis ſit. Similis eſt homini ædificanti domum: qui fodit in altum & poſuit fundamentum ſuper petram. Inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non cecidit. Fundata enim erat ſuper firmam petram. Ecce quantum poteſt obſeruatio mandatorum Dei. Magnam turrem ſibi ædificat, & muniſſimam arcem ſibi conſtruit, qui Chriſti mandata cuſtodit. Securus eſt, nullius tempeſtatis timet incurſus, & quia firmum poſuit fundamentum, nec flumina timet, nec pluuiam, nec ventum. Si vis vt ædificium tuum altius aſcendat, & ſublimius erigatur: fundamentum tibi in profundo quærendum eſt. Multum ſe humiliet, qui multum exaltari deſiderat. In centum & viginti cubitorum altitudinem, templum Domini eleuatum eſt; quoniam firmum & altum habuit fundamentum. Ad hanc igitur menſuram nos extendamus: bonum fundamentum habemus, fundamentum noſtrum Ieſus Chriſtus eſt. Fundamentum enim aliud ait Apoſtolus, nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Non putemus caſu eſſe factum quod templum Domini hanc altitudinis menſuram habuit. Aliqua & ipſa pulchra in hoc numero ſignificatio eſt. Decies namque xii. vel duodecies. x. centum xx. fiunt. Quicunque igitur per x. ad xii. vel per xii. ad x. ſe extendere valet: ſatis altus & magnus eſt, altius aſcendere non quærat. Hæc illi menſura ſufficiat. Decem ſunt verba legis: duodecim vero Apoſtoli ſunt. Per decem igitur ad duodecim aſcendit, qui per obſeruantiam decem mandatorum peruenire meruit ad vitam & ſocietatem Apoſtolorum. Similiter autem qui per xii. Apoſtolorum doctrinam Decem legis mãdata cuſtodire didicit per xii.

A vtique ad decem peruenit. Ad hanc igitur menſuram extendere, & in huius menſuræ altitudinem nos erigere ipſe dignetur: qui templum ſuum nos eſſe voluit: Ieſus Chriſtus Dominus noſter: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ SERMO.

Ingreſſus Ieſus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zacchaus, & hic erat princeps publicanorum, & ipſe diues. Et reliqua. Homilia de eadem lectione.

Vide ſæculo 5. parte 1. pag. 810. col. 1.

EX quo tempore primus homo deſcendit ab Ieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones: omnes per Hiericho ambulamus, quicunque hunc mundum inhabitamus. Hiericho namque interpretatur luna, cuius tanta mutabilitas eſt, vt nunquam in eodem ſtatu permaneat. B Vnde & non immerito hunc mundum ſignificat; cuius mutabilitas perpetua eſt, & niſi mutationibus ſtare non poteſt; vt enim de cœlo & tempore, de diebus & menſibus & anno taceamus, quæ ſemper voluuntur & in ſe replicantur, neque aër, neque terra, neque mare, neque ipſi homines ſuam perpetuo ſeruant figuram. Quorum omnium mutationem quis vnquam valeat enarrare? Merito ergo mundum iſtum luna ſignificat qui ad illius ſimilitudinem tantis ſemper mutationibus variatur. Hanc autem mutabilitatem Dominus & Saluator noſter ſecundum humanitatem ſuſcipere dignatus eſt, vt hominem à latronibus vulneratum ſanaret, & mundum à morte perpetua liberaret: vnde & merito per Hiericho ambulaſſe dicitur, quia cum ſit immutabilis ſecundum diuinitatem, noſtras mutationes in carne ſua ſuſcepit. Eſuriuit enim atque ſitiuit, & ſuper puteum fatigatus ſedit. Et ecce vir nomine Zacchæus qui digne ſatis iuſtificandus interpretatur: quoniam à Deo vocatus & iuſtificatus eſt. Hic autem erat non ſolum publicanus: verum etiam pu- C blicanorum princeps. Erat inſuper & diues: quem difficile eſt intrare in regnum cœlorum. Difficile vtique & apud homines impoſſibile, ſed quæ apud homines ſunt impoſſibilia, poſſibilia ſunt apud Deum. Et quamuis talis eſſet, quærebat tamen videre Ieſum. Quærebat quidem, ſed videre non poterat: Sed quare non poterat? præ turba, & quia ſtatura puſillus erat. Hæc enim duo valde impediunt hominem, ne videre valeat Ieſum. Mala turba quæ à tanto talique bono hominem deturbat. Turba iſta vitiorum eſt: qua qui circundatus fuerit Chriſtum videre non poterit. Statura vero puſillus eſt, qui ad ſcientiæ ætatem, & perfectionem nondum peruenit. Vnde apoſtolus nos admonet dicens. Nolite pueri effici ſenſibus: ſed malitia paruuli eſtote. Et iterum. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis: ſed necdum quidem poteſtis: Adhuc enim carnales eſtis. Qui videre vult Ieſum exeat de turba: fugiat vitia & peccata, vitet malorum conſortia, erigat ſe & extendat: creſcat in fide & ſcientia, D & proficiat in omni bonitate. Hoc enim ſignificauit Zacchæus, quando præcurrens aſcendit in arborem Sicomorum. In arborem quidem aſcendit, quatenus inde videret, quem per ſe videre non poterat. Hæc arbor fides eſt ad quam multi venientes, quamuis ſtatura paruuli fuiſſent & nondum in ſcientia multum creuiſſent: inde tamen videre Ieſum & cognoſcere meruerunt. Vnde & hic dicitur quod erat illac tranſiturus. Hæc eſt enim via, & iuxta hanc fidei arborem tranſit Ieſus. Inde videtur & videt, inde cognoſcitur & cognoſcit. Eos enim Dominus reſpicere & ad ſe vocare dignatur: qui in hanc arborem aſcendunt, cuius fructus ſanguineus eſt, per quem martyres ſignificantur, qui fidei arbori adhærentes, propter fidei conſtantiam proprio ſanguine cruentati ſunt. Tales itaque fructus fert Sicomorus; talia poma fert arbor fidei, quæ tam firmiter ei inhærent, vt potius occidi, & proprio ſanguine cruentari quam a ſua arbore, id eſt, à Chriſti fide valeant ſeparari. Inde igitur Dominus tranſiens, ſuſcipiens vidit Zacchæum & dixit ad eum?

E Zacchæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Hodie inquit me quærere cœpiſti ad fidem veniſti, in arborem aſcendiſti: hodie in domo tua oportet me manere. Verum eſt igitur quod per Prophetam dicitur, quia peccator quacunque hora conuerſus fuerit & ingemuerit vita viuet & non morietur. Quod enim tunc in Zacchæo factum eſt, quotidie in aliis peccatoribus fieri non dubium eſt, ſi tamen ex corde conuertantur, Chriſtum quærant & fidem teneant Sequitur. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Iam enim igne fidei interius ardebat, qui ſic exterius obedientiam & obſequium exhibebat. Multum iam fide creuerat, etſi ſtatura puſillus erat. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes quod ad hominem peccatorem diuertiſſet. Omnes enim ſciebant Zacchæum eſſe peccatorem vtpote publicanorum principem. Sed iſte peccator melior erat, quam illi qui murmurabant, & ſe iuſtos eſſe dicebant; hoc autem ſequentia manife- F ſtant dum dicitur: Stans autem Zacchæus dixit ad Ieſum Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudauerim, reddo quadruplum. Hac enim vna voce omnes illico à murmuratione ceſſauerunt, tam ſubitam publicani pœnitentiam & conuerſionem admirantes. Et fortaſſe nemo ibi erat, qui hanc tantam profeſſionem etiam coactus facere voluiſſet. Diues enim erat valde quem ipſe Euangeliſta diuitem fuiſſe teſtatur. Et tamen omnium bonorum ſuorum medietatem ſe pauperibus dare promittit, & in quadruplum reddere ſi quid aliquem defraudauit. Vide ergo à quanta perfectione cœpit, qui tunc primum Chriſtum Dominum viderat & prædicantem audierat. Verum eſt vtique quod homines vident in facie, Deus autem corda intuetur. Qualem Dominus hunc & quam iuſtum poſt modicum futurum videbat, quem tam peccatorem homines iudicabant? Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt & omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata, ſanata eſt, & tota interius & G exterius ſanctificata eſt eo quod ipſe qui huius domus habitator eſt iam non publicanus ſit, ſed filius Abrahæ. Abrahæ namque filij ſunt, quicunque Abraham imitantur, & Abrahæ opera faciunt, & Abraham quidem Angelos. Zacchæus vero Angelorum Dominum hoſpitio ſuſcepit. Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Non venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Ideo venit, ideo de cœlo deſcendit, vt peccatores ſaluaret, & liberaret, & ad pœnitentiam vocaret. De talibus domus Dei ædificata eſt. De talibus ſancta Eccleſia fabricata eſt. Hoc autem & filiis Iſraël præcipitur vt ædificent altare Domino de lapidibus impolitis & quos ferrum non tetigit. Impoliti lapides peccatores ſunt qui nondum ferramento Spiritus Sancti ad pulchritudinis normam formati ſunt. Altare Dei Eccleſia eſt quæ ex talibus lapidibus quotidie fabricatur. Ex peregrinis lignis & lapidibus aliunde aduectis templum Dei conſtructum eſt. Inde H eſt quod Beatus Petrus animalia immunda manducare iubetur. Inde eſt quod non ſolum munda: ſed immunda quoque animalia in arca ſeruantur. Inde eſt quod Moyſes æthiopiſſam duxit vxorem. Inde eſt quod Salomoni cum pauonibus & ſimiæ afferuntur. Denique quod faciunt cilicia in tabernaculo. Quod in deſerto inter Cedros & abietes ſpinæ quoque & vlmi plantatæ ſunt. Si hæc & ſimilia intelligere vultis; diſcite quid ſit miſericordiam volo & non ſacrificium. Si peccatores Deus non vocaſſet, Paulum & Matthæum, duo magna luminaria, Eccleſia non habuiſſet. Lege in Canticis canticorum & audi vnde ſponſam ſuam Dominus & ex qua gente ad ſe venire præcepit. Veni inquit ſoror mea ſponſa: veni de libano veni, veni de capite amana: de vertice ſanir & hermon. Veni de cubilibus leonum, & de montibus pardorum, ne erubeſcas. Obliuiſcere populum tuum tantummodo, & domum patris tui, & coronaberis. Hanc miſericordiæ plenitudinem Pſalmiſta quoque admirans dicebat. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, & quæ glorioſa? memor ero Raab & babilonis

ſcientium me. Ecce alienigenæ & tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt in ea. Hæc eſt igitur cauſa, hæc ratio vobis ſufficit: vobis dico qui indignamini quod ad hominem peccatorem Dominus diuertiſſet, & quod cum peccatoribus manducat & bibit magiſter Dominus & Deus noſter. Qui cum patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Sententiarum.

LIBER SECVNDVS.

De Ornamentis Eccleſiæ.

CAPVT PRIMVM.

De Fide.

PRIMVM Eccleſiæ ornamentum fides eſt quæ in toto virtutum exercitu prima eſt. Omnes aliæ virtutes eam ſequũtur, & ſine ipſa cœleſtis regni palatium non ingrediuntur. Si veniat humilitas, ſi patientia, ſi caſtitas, ſi ipſa charitas quæ ab Apoſtolo maior dicitur, niſi fides adſit, omnes repelluntur & ingredi non permittuntur. Quanti gentiles & Philoſophi his virtutibus claruerunt qui fidei ornamentum non habentes, Domino non placuerunt? Impoſſibile eſt (ait Apoſtolus) ſine fide placere Deo. Nam vt de cæteris virtutibus taceamus, multi tanta charitate præditi fuiſſe leguntur, vt pro patria, pro ciuibus, pro amicis, morti ſe tradere non dubitarent, & maiorem quidem charitatem ſeu dilectionem (dicit Dominus) nemo habet quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Omnes autem iſti quamuis multis virtutibus claruiſſent, perierunt tamen: quoniam fidem non habuerunt. Merito igitur ſancta Eccleſia neminem ad ſe venientem recipit, niſi prius fidei ornamento indutus fuerit. Ecce venit ad Eccleſiam, baptizari vult: rogat vt ſuſcipiatur, interrogatur, an credat, an fidem Apoſtolicam teneat: Si ſe credere, ſi fidem Apoſtolicam ſe tenere reſponderit, ſuſcipitur, baptizatur, & filiis Eccleſiæ ſociatur. Si vero aliter dixerit, nequaquam ſuſcipitur, ſed quaſi profanus abiicitur. Quibus autem Eccleſiæ portæ clauduntur, illis cœli nunquam aperiuntur. Sic enim Beato Petro Dominus ait: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Magna eſt igitur virtus fidei, de qua ipſe Dominus ait: Omnia poſſibilia ſunt credenti. Suæ virtutis potentiam, non ſibi, ſed fidei aſcribit, & quod ipſe facit, hoc fidem facere affirmat. Multos viros & mulieres eum ſanaſſe, & à grauibus languoribus liberaſſe legimus, quibus hoc tantum dicere ſolebat: Fides tua te ſaluum fecit, vade in pace. Venit aliquando (dicit Euangelium) in patriam ſuam, & cum homines illi de eius [illegible] dubitarent, & fidem non haberent, non multas (vt verbis Euangelicis loquar) virtutes ibi facere potuit, niſi quia infirmos impoſitis manibus curauit, & mirabatur de infidelitate illorum. Ergone tantum poteſt fides, vt ille qui omnia poteſt à potentia tuæ virtutis illius abſentia impeditur: Similiter autem cum aliquando iret Ieruſalem, acceſſit ad arborem fici quæ iuxta viam plantata fuerat & quia fructum in ea non inuenit, maledixit eam, & aruit. Cumque altera die diſcipuli illac tranſirent, & ficulneam areſactam viderent, dixerunt ei, Magiſter ecce ficulnea cui maledixiſti, aruit: Quibus ipſe ait: Si habueritis fidem, non ſolum de ficulnea facietis, ſed montes quoque transferre poteritis. Multas ficulneas infructuoſas quotidie Dominus maledicit, multos homines iniquos quotidie damnat, & areſiunt. Montes autem tranſtulit, quando malignos ſpiritus in porcos miſit, & in abyſſum ire præcepit. Hoc autem & ſanctorum fidem multoties feciſſe, innumeris ſanctarum ſcripturarum docemur teſtimoniis. Merito ergo diſcipuli eum pro fide rogabant dicentes. Domine adauge nobis fidem: quoniam & per fidém ſe omnia poſſe & ſine fide nihil poſſe ſciebant. Nam & Beatus Petrus cum fidei virtute ſuper aquas ad Dominum venire cœpiſſet, mox vt dubitauit, & fides qua portabatur ab eo receſſit, inter vndas merſus eſt: Quem Dominus manu apprehendens erexit, & ſui merſionis cauſas protinus eum docuit, dicens: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Ac ſi diceret: Si tu non dubitaſſes, & fides à te non receſſiſſet, ſecurus ſuper aquas currere potuiſſes. Ecce ſi Domino præſente, fide autem abſente Petrus mergitur, quis vnquam ſine fide cunctis etiam virtutibus circumaſtantibus ſecurus eſſe poterit? Si ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, quæ alia virtus eſſe poterit quæ hominem perducat ad Dominum? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, Sancti per fidem vicerunt regna. Hæc eſt autem victoria quæ vicit mundum fides noſtra. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Si quis indiget ſapientia poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat & dabitur ei: Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Quod enim ex fide non eſt, peccatum eſt. Iuſtus autem ex fide viuit. Sed quid eſt fides, docet Apoſtolus. Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Hoc autem tale eſt ac ſi diceret. Fides eſt virtus quædam, per quam ea quæ dicuntur nobis, etſi nondum appareant, certiſſime tamen credimus, & ſi ti non dubitamus. Quæ ſit autem menſura fidei, ipſum Dominum audiamus: Si habueritis, inquit, fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tolle te & mitte te in mare, & fiet. Parua valde videtur eſſe fides, ſi ad grani ſinapis redigitur quantitatem. Et quid eſt quod mulieri Chananeæ dicitur O mulier magna eſt fides tua, ſi tantillo grano fides comparatur? Aliquid ergo his verbis ſignificatur plusquam littera ſonare videtur. Tria ſunt in grano ſinapis, quæ vtique digna eſſe videntur, quæ notare debeamus. Cum enim granum ſinapis, ſicut Dominus ait, minimum ſit in cunctis ſeminibus, creſcit tamen & arborem facit: ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Fructum autem non dicam trigeſimũ ſexageſimum ſine centeſimum: ſed vltra milleſimum plerumque reddere ſolet. Granum vero ipſum ſi non lædatur vel conteratur, nullam videtur habere vim. Si vero contritum fuerit, illico eius virtus & potentia quanta ſit manifeſtatur. Qui igitur talem fidem habuerit quæ ita ſemper creſcat, ita bonorum operum fructum ſemper multiplicet, & in tempore perſecutionis & contritionis, ſuæ virtutis potentiam & fortitudinem manifeſtet: ille proculdubio dignus eſt qui & montes transferat & malignos ſpiritus eiiciat, & cui omnia poſſibilia fiant. Nihil igitur eſt cui elegantius quam grano ſinapis fides comparari potuiſſet. Sed videamus nunc etiam in ſanctorum exemplis, quantum ſemper fides potuerit. Abraham cum eſſet ſenex & vxor eius ſecundum naturam parere non poſſet, tamen quia credidit, filium contra ipſam naturam ſuſcipere meruit. Quod vtique non potuiſſet niſi fides, affuiſſet. Similiter & Moyſes decem plagis admirandis, multumque ſtupendis flagellauit Ægyptios, mare aperuit, aquam de petra produxit, multaque alia ſoli Deo poſſibilia operatus eſt. Quæ vtique non feciſſet niſi fides affuiſſet. Sic & Ioſue Iordanis alueum ſiccauit, muros Hierico tubarum ſonitu à fundamentis diruit: ſolem ipſum ſtare coegit Quod vtique non potuiſſet, niſi fides affuiſſet. Quid dicam de Gedeon qui & ipſe tubarum clangore & lampadarum ſplendore Madianitas ſtrauit, fugauit, ſuperauit? Quod vtique non potuiſſet, niſi fides affuiſſet. Sed parua ſunt hæc, ſi ad ea reſpicias quæ per Apoſtolos, & martyres, & confeſſores, & virgines fides Chriſtiana operata eſt. Lege Euangelia, lege Actus Apoſtolorum, lege paſſiones & vitas ſanctorum, & tunc videbis quid fides poſſit. Sed quid mirum cum ipſe Dominus

hoc

A hoc eis promiſerit, dicens: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. O miſeri & per omnia infelices, qui fidem Catholicam & Apoſtolicam non habent, auferetur ab eis. Fidem itaque teneamus & Chriſtum dicentem audiamus: Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, non morietur in æternum. Quod &c.

CAPVT II.

De Spe.

MAgnum ornamentum Eccleſiæ Dei ſpes eſt, quam qui non habet omni bonitate nudus eſt, omnique creatura infelicior. Hanc maligni ſpiritus non habent, & ideo ſummopere nituntur, vt quoſcunque decipere poſſunt, ad deſperationem vſque perducant. Cui autem B malo ſuo hoc contingit: Ille non ex parte: ſed totus à diabolo poſſidetur. Hoc peccatum omnibus aliis peccatis maius eſt, hoc eſt illud peccatum quod non dimittitur hominibus, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: vnde ipſe Dominus ait: Omne peccatum & blaſphemia dimittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non dimittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Nullum enim peccatum eſt, quod pœnitentia non dimittatur, & ſine pœnitentia nullum peccatum dimittetur. Vnde & Pſalmiſta, cum dixiſſet: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuã, ſciens hoc ſe ſine pœnitentia conſequi non poſſe, protinus addidit. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Ille enim cognoſcit iniquitatem ſuam qui pœnitet & erubeſcit de peccato ſuo. Si igitur ſine pœnitentia peccata non dimittuntur, manifeſtum eſt, quod peccatum deſperationis nunquam dimittatur, ſiquidem omnem pœnitentiam excludit & miſerum hominem a ſua iniquitate recedere C non permittit. Satis ergo conuenienter Dominus & Saluator noſter cum certiſſima argumentatione non in Beelzebub, ſed in ſpiritu ſancto cuncta ſe facere & dicere probaſſet, mox addidit dicens: Omne peccatum & blaſphemia dimittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non dimittetur: Quod tale fuit ac ſi diceret: Miſeri Phariſæi (illis enim loquebatur) progenies viperarum, arbores malæ, fructum malum afferentes, ſic vos diabolus excæcauit, & in malitia obdurauit, vt neque ſpiritui ſancto aliquando credatis, neque à malitia recedatis, & hoc quidem peccatum nunquam dimittetur vobis. Sed quia hoc peccatum deſperationis ſolummodo contra Spiritum Sanctum fieri dicitur, cum ſit manifeſtum, & in patrem peccare & in filium, quicunque peccat in Spiritum Sanctum. Vnum enim ſunt, & pater & filius & Spiritus Sanctus. Ac per hoc quicunque vnam perſonam offendit & omnes vtique offendit. Difficilis eſt iſta quæſtio, ſed Spiritus Sanctus de quo loquimur, ipſe nos doceat qualiter hoc intelligere debeamus. Illud quidem iam vt arbitror manifeſtum eſt quod præ- D ter peccatum deſperationis, nullum aliud peccatum eſt quod pœnitentia deleri non poſſit. Hoc autem ideo pœnitentia non deletur quia pœnitentiam non admittit. Si enim pœnitentiam recepiſſet hoc quoque ſicut cætera per pœnitentiam deleri potuiſſet. Sciendum eſt autem quoniam ſicut ad ſolum filium pertinuit carnem recipere vt nos redimeret, ita ad ſolum Spiritum Sanctum pertinuit in linguis igneis apparere, vt nos doceret & illuminaret. Vnde non ſolum igne, ſed in linguis pariter & igne apparuiſſe dicitur, vt in lingua doctrina, & in igne illuminatio intelligatur, quandoquidem & per linguam doctrina, & per ignem illuminatio fit. Quod autem Spiritus Sanctus à patre filioque procedens docere mundum & illuminare venerit. Ipſe Dominus ad diſcipulos loquens oſtendit: Cum venerit, inquit, ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hoc enim ſi voluiſſet, per ſeipſum Dominus facere potuiſſet. Sed ſic placuit ſummæ & indiuiduæ Trinitati vt nos filius redimeret, & Spiritus Sanctus nos doceret. Pec- E cat igitur in Spiritum Sanctum quicunque eius doctrinam non recipit, & talis tantique magiſtri conſiliis non obedit. Eius autem conſilia ſunt quæcunque in lege & prophetis, & in euangeliis ſcripta ſunt. Quæcunque Apoſtoli & Doctores prædicant cæterique omnes qui puro corde & ſincera intelligentia veritatem annunciant, non hominis, ſed Spiritus Sancti conſilia ſunt. Vnde & ipſe Dominus: Non enim, inquit, vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Hodie igitur ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Audite Apoſtolum, immo per Apoſtolum loquentem Spiritum Sanctum. Secundum, inquit, duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iudicij Dei. Cum ergo vt modo oſtenſum eſt, omne peccatum omniſque inobedientia ſpecialiter, maximeque contra Spiritum Sanctum fieri videantur, ſiquidem ipſe qui magiſter eſt per omnes Eccleſiæ Doctores hoc quotidie fieri inter F dicit. Illi tamen ſoli in malo perſeuerantes, & de Dei miſericordia deſperantes, nunquam ad pœnitentiam conuertuntur. Et hoc quidem propter ſceleris huius immenſitatem, cui cætera peccata ſi comparantur, quodammodo nec peccata quidem eſſe videntur. Multum enim intereſt inter eos qui peccant, & mox vel aliquando conuertuntur, & eos qui ſic peccant, vt nunquam conuertantur. Multo melior eſt ille ſeruus qui poſt fugam reuertitur, illo, qui poſt fugam nunquam reuertitur. Ille quidem venia, hic autem omni ſupplicio dignus eſt. Quantam ſpem, quantamque lætitiam pariunt hæc verba: Ecce omne peccatum & omnis blaſphemia dimittetur hominibus, Dominus hoc dicit, noli dubitare, vnum tantum peccatum eſt, quod non dimittitur. Quod eſt illud? In malitia perſeuerare, & propter hoc de Dei miſericordia deſperare. Neque enim bonum aliquod ſperare poteſt qui à peccato non recedit, & pœnitentiam non quærit, præſertim cum Dominus dicat. Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum: Peccaſti, deſine. Declina à ma- G lo, & fac bonum, & eſto ſecurus. Quid ſit autem ſpes à modo videamus. Eſt autem ſpes futurorum bonorum expectatio. Et hanc quidem expectationem illi habent, qui certiſſimè ſe aliquando recipere ſperant, quæcunque a Deo promiſſa ſunt eis. Huic autem expectationi ſola peccata impedimentum faciunt. Tolle peccata, & ſpes certiſſima eſt. Tolles autem ſi ad pœnitentiam redis. Peccator enim quacunque hora conuerſus fuerit & ingemuerit, vita viuet & non morietur. Ecce conuerſi ſumus, ſublatum eſt impedimentum, expedita eſt via iam nunc ſecuri cum Pſalmiſta dicamus: Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te: In te Domine ſperaui non confundar in æternum. Domine Deus meus in te ſperaui ſaluum me fac. Conſerua me Domine quoniam in te ſperaui. Audiamus eundem ipſum dicentem: Spera in Domino & fac bonitatem. Et ſperate in eo omnis congregatio populi. Melius eſt enim ſperare in Domino, quam ſperare in principibus. Maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Spe autem ait Apoſtolus, ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. Ipſe itaque Dominus & Saluator noſter per Pſalmiſtam ad patrem loquitur dicens: In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt: In te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Speremus igitur & nos: ne confundamur. Imitemur patres noſtros, vt & nos ſaluemur, & à periculis liberemur. Sperauit in Domino Noë, & ſecurus in diluuio fuit. Sperauit in Domino Abraham, & liberauit eum Dominus de Vr Chaldæorum. Ferunt Hebræi Abraham quia ignem adorare noluit, quem Chaldæi adorabant, in ignem ab eis fuiſſe præcipitatum, & ſine omni læſione à Domino liberatum. Vr enim ignis interpretatur. Sperauerunt in Domino filij Iſraël & liberauit eos

A de Ægyptiorum duriſſima ſeruitute. Sperauit in Domino Dauid,& eripuit eum,vt ipſe teſtatur,de manu inimicorum eius,& de manu Saülis. Sperauit in Domino Ezechias, & liberatus eſt de manibus Regis Aſſyriorum, & percuſſit Angelus Domini vna nocte centum octoginta quinque millia de caſtris Sennacherib. Quid dicam de Iob, atque Tobia? Quid dicam de Iudith? Mardochæo & Heſter? Quid de tribus pueris? Quid de Daniele, & Macchabæis dicam? Qui omnes ſperantes in Domino: à ſummis periculis diuinitus liberati ſunt. De Apoſtolis vero & martyribus, de confeſſoribus & virginibus, melius eſt tacere quam pauca dicere: qui totam ſpem ſuam in Domino habentes, poteſtatem à Domino ſuſcipere meruerunt calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil eis nocere potuit. Quorum ſpes quanta fuerit ſi ſcire volueris: eorum vitas & paſſiones lege, & videbis quam mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dedit virtutem & fortitudi-
B nem plebi ſuæ, benedictus Deus.

CAPVT III.

De Charitate.

QVanta ſit virtus charitatis, quantumque omnibus hominibus neceſſaria. Beatus Paulus Apoſtolus oſtendit, dicens: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam,& nouerim myſteria omnia, & omnē ſcientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodeſt. His verbis Beatus Paulus apertiſſimè oſtendit, quod quamcunque
C eloquentiam, vel facundiam, quamcunque ſapientiam vel ſcientiam, quamcunque fidei vel virtutum omnium plenitudinem habeat homo, ſi ſolam charitatem non habet nihil eſt: nihil ei prodeſt, & pro nihilo reputatur. Sed mirum valde ſi ad hanc tantam quæ putatur perfectionem ſine charitate peruenire aliquis valeat. Impoſſibile enim videtur eſſe & ſi fortaſsè impoſſibile non ſit per fidem montes transferre, omnia ſua pauperibus erogare corpus incendiis tradere, prophetiæ ſpiritum habere, & occulta Dei myſteria ſine charitate intelligere. De linguis vero hominum, & Angelorum quid dicimus? Fuit hæc gratia aliquando valde neceſſaria, præſertim in primitiua Eccleſia quando omnibus gentibus verbum Dei prædicare miſſi ſunt. Quomodo enim eos docere potuiſſent ſi eorum linguam ignoraſſent? Loquebantur igitur variis linguis Apoſtoli magnalia. Vnde & Apoſtolus dicit. Gratias ago Deo meo, quia omnium hominum linguis loquor. Modo autem vel pauci, vel nulli inueniuntur, qui linguarum omnium peritiam habeant: Sufficit vnicuique lin-
D gua ſua, quia ſufficit vnumquemque prædicare modo in patria ſua. Quomodo autem Angelorum linguis aliquis loquatur, vel etiam quibus linguis Angeli loquantur dubitari poteſt. Legimus multos cum Angelis fuiſſe loquutos, nos eos loquentes non audiuimus, quomodo loquantur ignoramus. Ipſi qui cum eis loquuti ſunt, quam facunde, quam ſuauiter, quam iocunde, quam expedite, & quam ornate loquantur intelligunt. Neque ego dubito, valde iocundius, ſuauius & expeditius eos loquutos fuiſſe, quam humana lingua alicuius artis peritia loqui valeat. Vnde & Moyſes, cum Angelum ſibi loquentem audiſſet, impeditioris & tardioris linguæ ſe eſſe dixit, poſtquam linguæ eius diſertitudinem audiuit. Non quod eius lingua ex Angelica loquutione tardior, vel impeditior facta fuiſſet, ſed quia ad illius facundiæ, & ſuauitatis comparationem mutus ipſe ſibi, & ſine lingua penitus vide-

E batur. Poſſumus autem, & per homines, philoſophos, cæteroſque huius mundi ſapientes intelligere. Per Angelos vero, patriarchas, & prophetas cæteroſque omnes deſignare, qui verbum Dei nunciantes Angelico vocabulo digni ſunt. Dicat ergo Apoſtolus, dicat vnuſquiſque noſtrum. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, quoniam aliis quidem prodeſſe poſſum, mihi autem prodeſſe non poſſum. Æs enim ſonans, & cymbalum tinniens, aliis quidem prodeſſe poſſunt, vocando, adunando, delectando, ad prælia incitando, ſibi autem cum ſint inſenſibilia prodeſſe non poſſunt. Similiter autem & Eccleſiæ Doctores qui cæteris omnibus meliores eſſe debent, etiam ſi linguis omnibus loquantur, & non ſolum philoſophos & oratores, verum etiam ipſos Angelos ſermonis eloquentia & ſuauitate imitentur, tamen ſi ſolam charitatem non habeant, aliis quidem prodeſſe poſſunt, ſibi ipſis prodeſſe non poſſunt. Quando igitur
F ea intentione loquuntur vt Deus glorificetur, & fratres ædificentur, tunc eis prodeſſe, & charitatem adeſſe non dubium eſt. Si vero de prædicatione ſua humanam retributionem expectant, audiant Dominum dicentem. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia: & omnem ſcientiam & habuero omnem fidem ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero nihil ſum. Nam & Balaam, & Sibylla, & Caïphas, multique alij prophetiæ ſpiritum habuiſſe leguntur qui quoniam charitatem non habuerunt, nihil eis profuit: Multi quoque hodie magna ſcientia præditi ſunt: & bene ſanctorum ſcripturarum profunda myſteria exponunt, qui quoniam charitatem non habent, nihil eis prodeſt. Legitur autem in Actibus Apoſtolorum, de filiis Sceuæ, quia quamvis Chriſtiani non eſſent per fidem tamen dæmones eiiciebant adiurantes eos in nomine illius quem Paulus prædicabat. Qui etiam in iudicio dicturi ſunt, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus? Qui-
G bus Dominus dicturus eſt. Amen dico vobis neſcio vos. Quod vtique non audiſſent, ſi charitatem habuiſſent. Qui autem dæmones eiiciunt, hi montes transferre intelliguntur. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Quod autem dicit, nihil ſum, & nihil mihi prodeſt, ſic eſt accipiendum quod hæc & ſimilia ſine charitate nihil ad beatitudinem percipiendam quamvis multum proſint ad mitiganda tormenta. Notandum eſt autem quod in facultatibus diſtribuendis, & eleemoſynis faciendis magis ſyncerus affectus, quam larga manus à Domino quæritur. Audiuimus autem de Donatiſtis quod frequenter ſe flammis & præcipitiis aliiſque mortis generibus tradidiſſent: vt non Dei ſicut ipſi ſtultè putabant: ſed potius diaboli martyres fierent. Sed vt ſatis oſtenſum eſt nullæ virtutes, nullaque bona prodeſſe poſſunt abſente charitate. Ecce cognouimus
H quantum bonum ſit habere charitatem: nunc autem audiamus de ipſa charitate qualis ſit. Dic igitur Beate Paule qualis eſt charitas. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Et vnde hoc probas? Quia non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. Non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Ecce probatum eſt, & egregiè probatum eſt, quod patiens eſt, & benigna eſt, hoc ſolum ſufficere poterat. Patiens eſt, quia nulli iraſcitur, & nullis iniuriis mouetur, ſed pro ſuis ipſis inimicis intercedit. Si enim iraſceretur vel moueretur patiens non eſſet. Et quia benigna eſt quibuſcunque poteſt benignitatem & miſericordiam facit. Cum igitur per patientiam, cunctis ignoſcat & per benignitatem miſereatur, quid eſt quod amplius facere poſſit? Quia enim benigna eſt: Ideo non æmulatur, ideſt nulli

A innidet. Non agit perperam, quod eſt temere vel iniuſtè aliquid agere. Non inflatur in ſuperbiam, non eſt ambitioſa, quia mundi honores, non appetit, non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt omnium, vt ſalui fiant. Sua poſtponit & aliena procurat. Non irritatur, alioquin patiens non eſſet. Non cogitat malum quod eſt contrarium benignitati, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, quod vtrunque ad benignitatem ſpectat. Omnia credit, quæ credenda ſunt. Quæ ſunt autem illa? quæ credenda, ſuſtinenda, & ſperanda ſunt. Vis audire quæ? Omnia illa quæ vtrunque teſtamentum credere & ſperare & ſuſtinere præcipit. Charitas nunquam excidit, hoc eſt autem in quo duabus virtutibus ſuperius dictis, ideſt fide & ſpe charitas maior eſt. Vnde & ſubditur. Maior autem his eſt charitas. Maior quidem quia nunquam excidit, quia æterna eſt, quæ ſemper eſt, & finem non habet. Aliæ autem poſt hanc vitam neceſſariæ non erunt, quia ad ea ſo- B lummodo pertinent, quæ expectantur & nondum apparent. Eſt enim ſpes expectatio futurorum. Fides vero ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Vbi igitur iſtæ erunt, poſtquam nihil ſperabitur, & omnia apparebunt? Erit enim Deus omnia in omnibus & ea quæ videbunt & habebunt ſufficient omnibus. Sed audiamus quid etiam in Canticis canticorum ſponſus ad ſponſam de charitate dicat: Pone me, inquit, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Lampades eius vt lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. Præcipit Dominus & Saluator noſter vt quaſi ſignaculum ſemper eum ſuper cor habeamus, & nunquam eum obliuiſcamur, quod quidem ad magnam pertinet dilectionem, & hoc eſt quod alibi ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde meo. Hoc C igitur ſemper ſit ſuper cor noſtrum: ſit etiam ſuper brachium noſtrum, vt non ſit charitas otioſa, & amor qui in corde eſt in manibus manifeſtetur. Prouocati hoſtibus occurramus, & mortem non timeamus quia fortis eſt, vt mors dilectio, immo vero fortior. Fortior enim eſt qui ſuperat quam qui ſuperatur. Dura ſicut infernus æmulatio. Quid enim per infernum niſi pœnarum omnium genera intelligamus? Vnde eos quos in tormentis maximis videmus: in inferno eſſe dicere ſolemus. Quia igitur tormentis dilectio ſuperari non poteſt merito inferno & tormentis eius conſtantia comparatur. Lampades eius lampades, ignis atque flammarum. Beatus Laurentius & tres illi famatiſſimi pueri ſunt nobis in exemplum: qui igne charitatis accenſi incendij flammas non timuerunt. Sic eos lampas charitatis inflammauerat intus, vt ignis illius lampades non ſentirent foris. Vnde & martyr Chriſti dicebat: Diſce miſer: quia non ſentio tormenta tui. Aquæ D multæ non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruerunt eam. Aquæ multæ populi multi ſunt: nec vnus vel duo, ſed tota ciuitas in martyrem inſurgebat, & tantus erat ille ignis charitatis, qui in corde martyris ardebat, vt tota illa inundatio furentis populi illam flammam extinguere non valeret. Huic autem ſermoni finem non pono quoniam charitas finem non habet.

CAPVT IV.

De quatuor virtutibus Cardinalibus.

QVatuor ſunt virtutes quibus totus regitur mundus ita ſibi coniunctæ vt ſine ſe eſſe non valeant. Qui vnam habet, omnes habet: cui vna quælibet deeſt, nullam habet. Quarum prima prudentia: ſecunda iuſtitia; tertia fortitudo; quarta vero temperantia vocatur. Eſt autem prudentia quæ alio quoque nomine ſa- E pientia dicitur, diuinarum, humanarumque rerum cognitio. Dico autem non ſapientiam huius mundi quæ ſtultitia eſt apud Deum. De qua & Apoſtolus ait: Quia ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. Sed eam ſapientiam dico quæ ad morum honeſtatem & ad ſalutem pertinet animarum. Non eam quam Philoſophi docent, & oratores: ſed eam quam Apoſtoli prædicant & Doctores. Et iſti quidem habent cognitionem diuinarum rerum, ſicut ipſe Dominus ait: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum. Hæc eſt igitur vera cognitio diuinitatis, vel illum cognoſcere qui eſt vera ſapientia, & ſine quo nulla eſt ſapientia. Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt, & cum eo fuit ſemper & eſt ante æuum. Talis eſt ſapientia inter alias virtutes, quale eſt aurum inter omnia metalla. Vnde & non immerito in diuina pagina per aurum plerunque ſapientia ſignificatur. Reſpice tabernaculum teſtimonij: reſpice templum F Salomonis & cum pœnè omnia ex auro puriſſimo compoſita videris, tunc tandem intellige maximum decorem maximamque Sanctorum pulchritudinem eſſe ſapientiam. Vbi ipſa non eſt, cæca, tenebroſa, & obſcura ſunt omnia. Quis ergo regnum ſuum, prouinciam ſuam, terram ſuam, familiam ſuam, vel etiam ſeipſum ſine ea honeſtè regere vel gubernare poterit? Intelligite ſæculi potentes & ſapientiæ operam date. Iuſtitia quoque quam neceſſaria ſit, ipſæ leges imperatorum & canones, & decreta Sanctorum quæ ad ipſius cuſtodiam facta ſunt, ſatis oſtendunt. Tolle iuſtitiam & perit mundus. Vbi iuſtitia non eſt: iniquitas dominatur: Ibi cædes & rapinæ, furta, homicidia, timor & anguſtiæ, & ſecuritas nulla. Timor iniquorum iuſtitia eſt, ſecuritas bonorum ipſa. Dic igitur quid eſt ipſa? Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens. Qui enim hanc voluntatem ſemper habet, vt ſuum ius vnicui- G que tribuat, & ea quæ alterius iuris ſunt neminem vſurpare permittat, iuſtus ille vtique eſt. Sed nullum ius habet diabolus in humana natura. Deus & non diabolus hominem fecit. Dei itaque iuris eſt homo: ipſe debet regnare in nobis ipſe debet poſſidere membra noſtra. Sic enim Apoſtolus ait: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentiis eius. Latro eſt, prædator eſt, non eſt iuris eius quod poſſidet, pelle eum à te: redde Deo poſſeſſionem ſuam, & iuſtus eris. Siquidem ille iuſtus eſt, qui ſuum ius vnicuique tribuit. Ideo hoc nomen omnium Sanctorum commune eſt, & omnes ſancti iuſti dicuntur, quoniam hanc in ſeipſis iuſtitiam operantur, & vitiis expulſis quod ſuum eſt, Domino reddunt. Alioquin quomodo iuſti dicerentur ad quorum iudicia nemo venit? Inde & Apoſtolus ait: Si noſmetipſos iudicaremus non vtique iudicaremur. Maximè autem propter iuſtitiam Imperatores, & Reges & aliæ pote- H ſtates ab initio conſtituti ſunt: qui & ſuum ius vnicuique tribuant, & iniurias fieri prohibeant: iniquos coërceant: bonos foueant, & æquè cuncta diſponant. Quod ſi fecerint, Beati erunt. De ipſa enim ſcriptum eſt: Beati qui cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Itemque. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Sed quid de fortitudine dicam, ſine qua & ſapientia & iuſtitia inutiles eſſe videntur? Eſt autem fortitudo non corporis, ſed mentis conſtantia, qua inſtantia ſuperamus, aduerſa omnia patienter toleramus, & proſperis non eleuamur. Hanc fortitudinem nón habet quicunque ſuperbia, ira, auaritia, luxuria, ebrietate, & his ſimilibus ſuperatur. Illi quoque fortes non ſunt qui in aduerſis poſiti contra ſalutem animæ liberari ſatagunt. Vnde & Dominus ait. Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere. Similiter autem & illi qui in proſperis ſe extollunt, & ſuperflua lætitia reſoluuntur, fortes dici non poſſunt. Quomodo enim fortes ſunt, qui cordis impetum celare & retinere non valent? Fortitudo non vincitur: & ſi vincitur, non eſt fortitudo.

Hanc

A Hanc fortitudinem habuerunt ſancti, qui nec vitiis, nec tormentis, nec blanditiis ſuperari potuerunt. Reſtat nunc de temperantia dicere: quæ in ſuis actionibus modum non excedit: quoniam ſuperflua nulla quærit, hæc ſit igitur eius diffinitio, & hæc quidem tam neceſſaria eſt, vt mundus ipſe ſine ea ſtare non poſſet. Cum enim ex contrariis elementis compoſitus ſit, niſi eſſet aliqua natura quæ res contrarias & inimicas temperaret in tanta diſcordia & tam immenſa colluctatione diutius manere non poſſet. Sed hæc diſputatio Philoſophorum eſt, neque vno ſermone concludi poteſt. In omnibus itaque negotiis temperantia vtilis eſt. Audi quid Beatus Paulus de ipſa ſapientia dicat, & quomodo eam temperantia indigere oſtendat. Non plus, inquit, ſapere quam oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem. De iuſtitia ſcriptum eſt: Noli eſſe iuſtus multum, alias nimis. Beatus quoque Benedictus, cuius auctoritas maxima eſt: vtpote in quo Spiritus Sanctus B loquebatur, præcipit ſimiliter. Ne quid nimis. De fortitudine vero ſic habes. Qui fortiter premit vbera ad eiiciendum lac, elicit butyrum: Et qui vehementer emungit, elicit ſanguinem. Et hic igitur temperantia neceſſaria eſt. Vbera vero vehementer premit, qui poſtquam lacte exhauſta ſunt, adhuc ea premere, & quod non habent ab illis exigere non ceſſat. Quicunque igitur ieiuniis, vigiliis, aliiſque afflictionibus, ſeipſum vel alios pluſquam ſua vel eorum natura ferre valeat, premere & affligere nititur. Ille nimirum vehementer vbera premit, & vnde ſperat fructum vitæ, inde multoties fructum trahit peccati mortis. Vnde Apoſtolus ait: Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Illud enim obſequium rationabile eſt: quo non ipſa natura, ſed vitia perimuntur. Ecce ſatis breuiter dictum eſt de quatuor virtutibus principalibus: quales & quam neceſſariæ omnibus C ſint maximeque potentibus, quibus mundi regimina credita ſunt. Videamus modo quomodo ſe ſequantur, & quomodo ſine ſe eſſe non valeant. Cui autem impoſſibile eſſe videtur vt omnes habeat, det operam quantum poteſt, vt vel vnam habeat: quam ſi habuerit, cæteræ proculdubio, eam ſequantur. Fac ergo ô princeps quicunque es, vt iuſtitiam habeas & teneas. Hæc enim tibi magis neceſſaria eſſe videtur, & mox per hanc vnam & ſapiens, & fortis, & benè moderatus omnibus apparebis. Vide tamen vt qui aliis iuſtitiam facis, tui ipſius ne obliuiſcaris, & qui in populo exerces iuſtitiam: exerceas etiam in temetipſo. Iuſtus fuit Abraham: ſicut enim, de eo ſcriptum eſt: Quia credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Quæ enim iuſtitia maior quam creatori ſuo credere & obedire? Et quia hanc vnam virtutem habuit, cæteras quoque virtutes eum habuiſſe non eſt dubium. Fortis fuit Ioſeph, qui ſe prouocantem libidinem ſpreuit, in qua fortitudine, D ſapiens, iuſtus, & modeſtus apparet. Iuſti erant tres pueri qui contra patrias leges idolum adorare noluerunt: in quo facto quam ſapientes, quam fortes, quamque modeſti fuerint, reuelatum eſt. Sapiens erat Daniel cui ſua ſecreta reuelauerat Deus: cuius ſapientiæ ipſi Prophetæ dant teſtimonium. Sed quia hanc habuit: aliæ ipſi non defuere virtutes. Quoniam enim iuſtus fuerit, duo presbyteri probauerunt: quam fortis quem in lacu poſitum, leones inuadere non audebant. Quia enim iam vitia ſuperauerat: ideo leones eum timebant. Cuius vero temperantiæ fuerit, legumina quibus veſcebatur, & illa tanta ieiunia oſtendunt. Sed vis audire de illis quibus quoniam vna ex his virtutibus defuit, alias quoque perdiderunt? Perdidit Dauid fortitudinem, quem in Berſabee carnis voluptas ſuperauit: à quo cæteræ virtutes mox territæ fugerunt. Quis enim tunc inſipientem, iniuſtum, & ſine temperantia fuiſſe dubitat: qui libidine ſuperatus tam grauia ſimul peccata commiſit?

E Sed felix qui pœnitentia ductus audire meruit; dimiſſum eſt tibi peccatum tuum. Salomon quoque amiſſa ſapientia qua præ cæteris pollebat, idolis immolauit. A quo ſtatim omnis iuſtitia, fortitudo, & temperantia receſſit. Sic igitur quære per ſingula, & cognoſces quod quatuor virtutes ſine ſe eſſe non poſſunt. Si autem vis eas videre bene ſibi coniunctas & ſociatas; reſpice Apoſtolos & martyres, reſpice confeſſores, Eccleſiæque Doctores quos quidem ſic iſtæ circundederunt & complexæ ſunt, vt occidi quidem poſſent, ab eis ſeparari omnino & diuelli non poſſent. Hoc autem ſignificabant illi quatuor aurei circuli qui in arca teſtamenti erant, per quos duo vectes inducti nunquam ab eis ſeparabantur. Erant autem illi vectes cooperti auro puriſſimo. Quoniam enim arca teſtamenti Eccleſiam ſanctam ſignificet, ſatis notum eſt. Quatuor vero circuli quatuor ſuperius dictæ virtutes ſunt, aureæ vſque omnique pulchritudine clariores, quibus qui ordinatus non fuerit, neque clarus neque pulcher eſt. Duos vero vectes Petrum F & Paulum intellige, cæteroſque ſanctos ſine quibus Eccleſia Dei, nec leuari, nec portari, nec regi poteſt. Et iſti quidem aurei ſunt, quia vitæ immaculatæ & ſapientiæ luce refulgent. Nunquam vectes, à circulis extrahuntur; quia viri ſancti, nunquam à prædictis virtutibus ſeparantur. His igitur portatur arca; quia iſtorum fide, doctrina & exemplis, ſancta Eccleſia regitur & virtutum gradibus Epiſcoporum, & Sacerdotum miniſterio ad cœleſtia ſubleuatur. Sed valde timendum ſemper eſt Epiſcopis & ſacerdotibus, ne ſine vectibus arcam Dei ferre conentur. Sine vectibus enim arcam Dei hæretici ferunt, qui ſuas nænias prædicantes Apoſtolorum auctoritates fugiunt, & à Catholica fide & doctrina recedunt. Sint ſemper memores quid acciderit filiis Heli. Ophni videlicet & Finees; qui arcam Dei captiuauerunt, & ipſi in prælio perierunt. Erant enim reprehenſibiles valde, & vita moribuſque proterui. Vnde & non immerito Ophni diſcalceatus. Finees vero os mutum G interpretatur. Non enim eſt conueniens vt Eccleſiam Dei regendam ſuſcipiat ille qui mutus eſt, & qui nondum pedes calceatos habet in præparatione Euangelij pacis. Tales igitur Eccleſiam Dei captiuant, & malignis ſpiritibus in ſeruitutem tradunt; ſed ipſi quoque in prælio moriuntur, qui cæteros à morte liberare debuerant. Quatuor illi colores quibus vela & cortinæ tabernaculi intextæ erant, qui vbique ſimul & nunquam ſeparatim ponebantur, quatuor iſtas virtutes ſignificabant. Hyacinthus videlicet, & purpura, coccus bis tinctus, & byſſus retorta; de quibus in Exodum ſufficienter diximus. Nunc aut loquendi ſolummodo materiam miniſtramus. Iſtis tabernaculum; iſtis vero Eccleſia ornatur & decoratur, quia ſine ſapientia, ſine iuſtitia, ſine fortitudine & temperantia nulla anima ornari vel decorari poteſt. Hæc ſunt illa ornamenta de quibus dicitur. Aſtitit regina H à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietatibus.

CAPVT V.

De Humilitate.

DOcet nos beatiſſima virgo Maria humilitatis mater, & filia, quanta ſit virtus humilitatis. Magnificat (inquit) anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Non dixit quia reſpexit patientiam meam, pietatem meam, miſericordiam meam, innocentiam meam, virginitatem meam, & cæteras virtutes quibus virgo beatiſſima abundabat: quibus quaſi regalibus ornamentis induta erat: ſed hoc ſolummodo dicere voluit, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ad quem enim

A reſpicit Deus niſi ad humilem,& quietum,& trementem verbis eius?Multis ornamentis induta erat virgo noſtra: conuenientius dicere potui Domina noſtra & regina noſtra, ſed hoc vnum præ cæteris rutilabat quod Deum,& Dominum reſpexiſſe dixit. Et hoc eſt fortaſſis quod in canticis canticorum, ad ipſam ſpecialiter Dominus ait. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa vulneraſti cor meum in vno crine colli tui & in vno oculorum tuorū. Nuſquam enim humilitas tam facilè deprehendi poteſt, quomodo in collo, & in oculis. Hoc enim humilium proprium eſt, vt inclinato collo,& oculis ad terram deflexis, incedant. Sicut & contra: ſuperbi ſemper erecta ceruice & ſuperciliis eleuatis gradiuntur. Vnde & Moyſes præcipit de turture & columba quando immolantur, vt caput ad collum retorqueatur. Non recipit Deus ſacrificia ſuperborum, excelſus eſt,& humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Quid ſunt alta niſi erecta & ſuperba? & hæc quidem cognoſcit Deus, ſed quia per B ſuperbiam longè fiunt ab eo, reſpicere dedignatur. Vnus igitur crinis qui non erectus ſtat, ſed humilis iacet, ipſa humilitas eſt qua collum virginis decoratur. Vnum vero oculorum dixit: quia non de pluribus,ſed de vna virtute loquebatur. Habet tamen duos oculos ſoror, & ſponſa Chriſti, quorum altero terram, altero vero reſpicit cœlum. Per hos autem humilitas,& contemplatio deſignatur, & plus ſæpe placet Deo oculus humilitatis qui terram reſpicit, quam oculi contemplationis qui ea, quæ ſcire non licet, aliquando perſcrutantur. Vnde & alibi ait. Auerte oculos tuos à me,quia ipſi me auolare fecerunt. Si enim licitum eſſet omnia ſcire,non diceret Apoſtolus, quæ non licet homini loqui. Quæ enim loqui non licet, neque ſcire licet. Egregiè autem factum eſt quod humilem matrem Dominus elegit: humilis filius humilem matrem habere debebat. Non enim de leæna, ſed de oue naſcitur agnus. Nihil in animalibus oue, & agno humilius eſt. Percute, macta, iugula, occide nec voce queruntur nec cornu minantur, nec dente C vel pedibus ſe defendunt. Vnde & eleganter de ipſo Domino per prophetam dicitur. Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Diabolus per ſuperbiam quantum in ipſo fuit,ſuper omnes cœlos aſcendit; Chriſtus per humilitatem in terram deſcendit. Humiliauit enim ſe, vt ait Apoſtolus, factus obediens vſque ad mortem. Huius humilitate ſaluati ſunt qui illius ſuperbia perierunt.Ille altiſſimo ſimilis fieri voluit: hic autem formam ſerui ſimilitudinemque ſuſcepit. Eua per ſuperbiam diſplicuit Deo, per humilitatem Maria placuit redemptori. Illa ſuperbiens obedire noluit nimiſque audacter & impudenter ad lignum vetitum acceſſit. Hæc autem verecunda, & humilis obedientiam profitetur, dicens. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ad hanc igitur tantam humilitatem, reſpexit Deus, & ideo hæc vna ex omnibus mulieribus quæ- D cunque ſunt, vel fuerunt, vel futuræ ſunt, à Domino electa eſt, quæ & Dei mater fieret, & cœli terræque regina vocaretur. Dicat igitur virgo Beatiſſima. Magnificat anima mea Dominum, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Dicat enim quid gloriæ,quid honoris,quid beatitudinis inde conſecuta ſit, quod ſic eam Dominus reſpicere voluit. Ecce enim ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vide ergo quanta ſit virtus humilitatis, quæ Deum in terram deſcendere, & hominem in cœlum aſcendere facit, hæc eſt quæ deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Quoniam bene inter ſe conueniunt hæc duo matris, & filij teſtimonia,dum ea quæ mater dixerat,filius affirmat. Narrat Saluator quod duo homines aſcenderunt in templum vt orarent,vnus phariſeus, & alter publicanus,vnus ſuperbus, & alter humilis. Alter omnes deſpiciebat, alter nec oculos ad cœlum leuare audebat. Inclinatus igitur ſtabat quod (ſicut ſuperius diximus) magnæ humilitatis indicium eſt. Et ſuperbus quidem nihil profecit: humilis autem iuſtificatus in domum ſuam rediit.

Qui non intelligit quantum bonum humilitas eſt, hoc E intelligere ſatagat quantum malum ſuperbia ſit. Facilè enim vnaquęque res per ſuum contrariū intelligi poteſt. Humilitas autem, & ſuperbia, contraria ſunt, & de ſuperbia quidem dicit Pſalmiſta. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt nec potuerunt ſtare. Malus pes, mala manus. In illo cadunt omnes, expulſi pereunt omnes. Bonos pedes habebant primi parentes noſtri antequam per ſuperbiam peccaſſent. Peccauerunt, ceciderunt, & pedibus illis infirmis, & podagricis ſtare non potuerunt. Quot ſunt vitia tot ſunt & ſuperbiæ pedes, quæ, & peccatoris manus nihilominus dici poſſunt. Iſte peccator diabolus eſt, cuius iniqua manus multos mouet, multos impellit, multos ab honeſtate, & iuſtitia diuellit, & in mortis præcipitium ire compellit. Singulariter pedem, & manum poſuit, quia vſitatiſſimum eſt ſcripturarum pro F plurali numero ſingularem ponere. Secundum illud. Immiſit in eos cynomiam,id eſt,muſcam caninam,& comedit eos: & ranam & diſperdidit eos. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: ibi auarus, ibi raptor,ibi luxurioſus, ibi ſacrilegus, ibi homicida, ibi periurus, ibi adulter, & fornicator ceciderunt. Expulſi ſunt enim & diabolica manu commoti: quia iam pedibus infirmi erant: ſtare non potuerunt. Non enim inconueniens, ſi quis etiam ſic intelligere voluerit, non veniat mihi pes ſuperbiæ, id eſt non ſit ſuperbia mihi pes: non ipſa me ferat, quia in ipſa ceciderunt omnes maligni ſpiritus qui vbique operantur iniquitatem. Expulſi ſunt de ſupernis, ſedibus nec potuerunt ſtare. Si quis autem hoc diligenter conſideret,quare non cedrum vel abietem,quæ altiſſimæ ſunt; ſe Dominus vocare voluerit, ſed potius vitem quæ inter alias arbores humillima eſt, & alieno egens auxilio etiam in hoc cognoſcere poterit, quantum ſemper Dominus humilitatem dilexerit. Ego (inquit) ſum vitis, & vos palmites Diſcipulis loquebatur: quos ad G humilitatis gloriam inuitabat. Et tale erat,ac ſi diceret. De parua arbore parui rami: de gracili arbore graciles rami procedunt: tales tamen, quæ ſpatioſè circa ſe terram valeant occupare. Hæc eſt enim illa vitis de qua ſcriptum eſt. Extendit palmites ſuos vſque ad mare,vſque ad flumen propagines eius. Siquidem in omnem terram exiuit ſonus eorum:& in fines orbis terræ verba eorum. Nulla arbor eſt quæ ſuo fructu tantum vtilitatis hominibus conferat, quantum vitis, etſi parua, & humilis ſit.Granum quoque non arboribus ſed in humili naſcitur herba. De quo ſimiliter Dominus ait. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit:multum fructum affert. Se nimirum granum frumenti eſſe ſignificans. Nihil his duabus ſpeciebus hominum vitæ in terra vtilius; per quam quia valde humiles ſunt ſeipſum Saluator noſter ſignificare voluit. Et notandum quod pœnè illæ arbores, quæ humiles ſunt, fœcundiores magiſque fructiferæ H eſſe probantur. Ecce dum iſta pertracto, ſubito in mentem venit illa arbor nobiliſſima quam ipſa ſacra ſcriptura pulcherrimam vocat, quam quidem, quoniam,& ipſa valde humilis eſt ſilentio præterire non debeo. Lege Leuiticum, & inuenies vbi Dominus per Moyſen loquitur filiis Iſraël de feſtiuitate tabernaculorum. Septem diebus hæc feſtiuitas agebatur. Præcepitque Dominus filiis Iſraël,vt ſumerent fructus arboris pulcherrimæ,ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente,& lętarentur coram Domino.Omnibus igitur diebus hanc feſtiuitatem agere debemus, qui eam ſeptem diebus agere iubemur. Quid eſt autem feſta celebrare niſi ab iniquitate ceſſare,& in bono opere perſeuerare? Illi vero in tabernaculis perſeuerant: qui in hoc mundo manere nolentes ad aliam patriam feſtinant, dicentes cum Apoſtolo. Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Hanc enim feſtiuitatem noſtram dignè agere non valemus, niſi pulcherrimæ arboris fructum habeamus. Pulcherrimam vero arborem citri arborem Hebræi intelligit, quæ

vtique

A vtique, & odore, & ſapore, & fronde, & flore, & ipſius fructus magnitudine, & pulchritudine tam nobilis eſt, difficile inueniatur, quæ ei dignè comparari poſſit. Per hanc igitur pulcherrimam humilemque arborem Beatam virginem Mariam intelligimus de qua ſcriptum eſt: Et terra noſtra dabit fructum ſuum. Itemque. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Qui arborem intelligit de fructu non ambigit. Fructus enim Chriſtus eſt cuius omnis feſtiuitas eſt, & ſine quo nulla feſtiuitas celebrari poteſt. Hunc igitur fructum ſuſcipiamus in feſtiuitatibus noſtris; hoc reficiamur, hoc ſatiemur, huius carne, & ſanguine impinguemur, & inebriemur. Arboris quoque huius pulcherrimæ numquam obliuiſcamur, ad ipſam ſemper reſpiciamus, fructum vitæ, & ſalutis ab ea quæramus. O vere lignum pulcherrimum quæ talem meruit portare fructum. Nos eam arborem vocamus, ſed ſcriptura lignum appellat. Quia enim virgo peperit, non arbor ſed lignum dicitur. Hanc enim ſignificauit illa virga Aaron, quæ cum ſicca eſſet, B & flores, & frondes & nuces amigdalinas protulit. Per ſpatulas vero palmarum, quæ in hac feſtiuitate requiruntur, inſtrumenta victoriæ deſignantur. Spatula enim diminutiuum eſt à ſpata; palma vero victoriam ſignificat. Victoriæ vero inſtrumenta virtutes, & bona opera ſunt, quibus vitia, & maligni ſpiritus ſuperantur. Sunt itaque hæ ſpatulæ valde neceſſariæ in feſtiuitatibus, quia tunc maximè inimicorum inſidiis infeſtantur. Rami autem arboris denſarum frondium ſanctorum volumina, ſermones, verba & exempla intelliguntur. Talis arbor beatus Paulus cuius frondes denſiſſimæ, cuius verba copioſiſſima ſunt. Cuius folia non cadent, cuius omnia verba adimpleri oportet. Et ipſe quidem tam neceſſarius nobis in feſtiuitatibus noſtris, vt ſine ipſo vix vnum ſermonem facere valeamus. Si vis ſcire de ipſo quam humilis arbor etiam ſit. Audi ipſum dicentem: Ego enim minimus Apoſtolorum ſum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Arborem autem denſarum frondium, C quantum ad litteram myrtum nonnulli intelligere volunt, quæ quidem arbor ſatis parua, & humilis eſt. Et propter hanc fortaſsè humilitatem, non ſpatas, ſed ſpatulas palmarum dixit, quia quamvis palma procera arbor eſt, ſpatula tamen diminutiuum eſt, in quo apertiſſimè humilitas declaratur. Reſtant ſalices de torrente, per quas memoria figuratur, quia in memoria quæcumque in feſtiuitatibus fiunt & dicuntur, quaſi in vno faſciculo vinciuntur, vt à corde non dilabantur, & ſemper in memoria habeantur. Salix enim tenaciſſima arbor eſt, & præter hoc vnum nihil in ea eſſe videtur, vnde etiam ſi velit, ſuperbire valeat. Benè autem de torrente ſalices aſſumuntur, quia illa memoria maximè nobis in feſtiuitatibus neceſſaria eſt, quæ de ſanctarum ſcripturarum fluminibus habetur. Non enim noſtra, ſed ſanctorum verba narrare debemus, & non ea quæ trahamus de corde noſtro, ſed quæ hauriamus de fontibus Iſraël. Videmus quod paruæ arbores placent Deo, videmus quod omnis ſuperbiæ altitudo diſplicet Deo. Humiliemur ergo ſub D potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore tribulationis, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum.

CAPVT VI.

De Miſericordia.

Miſericordias Domini in æternum cantabo. Quid rex & Propheta Dauid de miſericordia ſenſerit ſatis, his verbis declaratur: dum ſe miſericordiæ laudes in æternum cantaturum promittit. De qua & alibi ait. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Sic miſericors eſt Dominus, vt iuſtitiam non derelinquat, ſic iuſtus eſt vt miſericordiæ non obliuiſcatur. Facit miſericordiam, ſed pœnitentibus & miſericordiam facientibus. Fac igitur miſericordiam ſi vis vt tui miſereatur, dimitte, & dimittetur tibi: da & dabitur tibi, ipſe hoc E dicit: ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra, & ſi non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Eſtote ergo miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Ad miſericordiam nos prouocat Saluator noſter, viam ſalutis oſtendit; docet nos per quam viam ad patriam redeamus, non eſt alia via per quam redire poſſimus. Sed vide quam facilis via: dimitte & dimittetur tibi. Non vis dimittere centum denarios, vt mille talenta dimittantur tibi? Scito quod tortores te expectant qui te in carcerem trudant, neque te inde exire permittant donec vniuerſum debitum ſoluas. Heu quo ibit modo: ſunt qui quoniam in hoc ſæculo dimittere noluerunt, modo dolent, modo ſeipſos accuſant, modo pœnitent: ſed talis pœnitentia ſera, inutilis, & infructuoſa eſt. Si modo diceretur eis: dimittite & dimittetur vobis: Cum quanto F gaudio nunc dimitterent, ſuiſque debitoribus parcerent? Et iſti quidem non poterunt cantare miſericordias Domini in æternum: quoniam tantum in hoc ſæculo miſericordia eius, in inferno autem nulla eſt redemptio. Boni vero miſericordias Domini in æternum cantabunt, quoniam ſine fine gratias agent Deo: ipſum laudabunt, qui non ex meritis eorum, ſed ex ſua miſericordia tantam beatitudinem eis præparauit. Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multum miſericors cum pro nobis in cruce pateretur nimia miſericordia ſuperabundans pro ſuis etiam crucifixoribus orabat dicens; pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt. Vnde & bene ſubditur. Suauis Dominus vniuerſis quidem, quia ipſis quoque inimicis. Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Cœlum, terram, mare, Angelos, & homines fecit Deus: ſed miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Quas miſerationes propheta conſiderans expauit dicens. Domine audiui auditum tuum & timui; conſideraui opera tua & expaui. In medio duorum animalium, cognoſce- G ris. Et reuera hæc eius opera, iſtæ ipſius operationes, ſuper omnia illius opera ſunt, multumque pauenda, quod rex regum & Dominus dominantium, qui ex nihilo omnia fecit pro ſeruis nequiſſimis inter iniquos deputatus eſt, & morte turpiſſima condemnatus eſt. Pulchrè autem græci eleon miſericordiam vocant, quia ſicut in liquoribus oleum ſuperius eſt: ita in cunctis Dei operibus miſericordia ſuperior eſt, ſicuti & modo ſuperius dixit, quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Quemcunque enim liquorem oleo ſuperfuderis oleum ſemper deſuper natat. Oleum igitur miſericordiam ſignificat. Ideo enim toties vncti ſumus, vt nunquam miſericordiæ obliuiſcamur. In vertice, in fronte, & in pectore omnes communiter vncti ſumus. Reges autem & ſacerdotes alias præter ipſas ſuſcipiunt vnctiones, quoniam iudices in populo Dei conſtituti plures & maiores miſericordias quam cæteri facere debent. In vertice ſiquidem vncti ſumus, vt inde omni ſuperbia excuſſa: ibi miſericordia ſedem habeat; cui omnes ſenſus H noſtri ſemper obediunt. Quinque enim corporis ſenſus in capite ſunt, qui omnes miſericordiæ ſeruire debent. Seruiunt autem ſi & oculi ſuper egenum, & pauperem intendunt, & aures clamorem pauperum audiunt, & lingua ſermones ſuos in iudicio diſponit. Iucundus enim homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. Quæ autem in fronte vnctio eſt, totam hominis faciem, & exhilarare, & ad miſericordiam præparare debet, vt bona voluntas, quæ in corde eſt, in ipſa facie cognoſcatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. In pectore vero vncti ſumus, vt miſericordiæ bonum numquam à corde noſtro, & à memoria recedat. Manus autem quæ vnctæ ſunt pauperibus non claudantur, rapere, & ferire neſciunt, laborant, ſemper quod bonum, vt habeant, vnde tribuant neceſſitatem patientibus. Qui ergo poſt tantas vnctiones ſe ad miſericordiam non extendit, ſed durus adhuc, contractus, infirmus, & paralyticus iacet, quia à miſericordia longè eſt, quam

A indulgentia ſperare poteſt? Qui igitur aliter non poteſt, vel affectu vel deſiderio ſe extendat. Ipſi quoque parietes, & montes, & ligna ad miſericordiam nos inuitant. Ideo enim altaria, lapides, & parietes vnguntur, vt homines qui per eos ſignificantur ſuas vnctiones in eis intelligant, & intelligendo cuſtodiant. Frequenter Saluator noſter in montem oliuatum aſcendere, & orare ſolebat inde etiam cœlos aſcendit? ibi diſcipulos reliquit, quos tamen numquam dereliquit. Sic igitur non ſolum verbis & exemplis: verum etiam ipſo actu nos ad miſericordiam prouocabat. Mons oliuarum mons pacis, & miſericordiæ eſt. Valde ſibi coniunctæ pax & miſericordia. Vnde non immerito vtraque per oliuam ſignificatur. Quot ſunt virtutes, tot ſunt & montes, in quos aſcendere, & in quibus orare poſſumus. In monte humilitatis ſtant humiles, & orant. In monte patientiæ ſtant, & patientes & orant. In monte obedientiæ ſtant obedientes, & orant. Sic igitur in monte miſericordiæ ſtant pacifici, & miſericordes, & orant. In hoc B itaque monte maneamus. Hic diſcipulos Dominus reliquit. Hinc eſt via qua itur in cœlum. Neque enim ſine cauſa de lignis oliuarum Cherubim fuiſſe referuntur, quæ alis extenſis in templo ſtantes populum docebant. Vis volare? Suſcipe alas miſericordiæ; iſtæ te ferent ad patrem miſericordiæ, & ad Deum totius conſolationis. Ad iudicium veniens Dominus ſicut verba ſancti Euangelij docere videntur: de ſola miſericordia ſermonem facit: alios de miſericordia laudans alios quia miſericordiam non habuerunt reprehendens, & damnans. Eſuriui inquit & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes fui, & collegiſtis me. Nudus, & cooperuiſtis me. Infirmus, & viſitaſtis me. Venite ergo benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Illis autem interrogantibus quando ſic eum viderint, vel ſic ei miniſtrauerint, ait. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Cæteris autem qui hoc facere noluerunt ſola damnationis ſententia. Ecce quo- C modo ſunt miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Quicquid compaſſione, quicquid largitate, quicquid liberalitate, quicquid pietate fecimus ſi tamen pro Deo facimus, totum ſpectat ad miſericordiam. Omnes ſcripturæ diuinæ: omnes Apoſtolorum, & prophetarum libri miſericordiæ laudibus pleni ſunt, præcipuè tamen liber Pſalmorum qui tantum miſericordiæ laudibus ſuperabundat, ac ſi alia materia non eſſet de qua loqui potuiſſet. Confiteantur igitur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Dicant nunc omnes qui timent Dominum quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Sed quis ſapiens & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini? Qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

D

CAPVT VII.

De Pace.

GLoria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc vox non eſt hominis, hæc vox Angelorum eſt, hoc Angelorum cecinit multitudo, quando Chriſtus natus; vt Euangelij verba teſtantur. Et reuera tunc cœlis gloria & terris pax reddita eſt: quando Princeps pacis Saluator noſter de virgine natus eſt: quando populus qui ſedebat in tenebris vero lumine illuminatus eſt. Et relicta idolorum cultura creatorem laudare, magnificare, & glorificare cœpit illi ſoli eam gloriam exhibendo: quam dæmonis prius exhibere ſolebat. Et tunc quidem homines pacem habere cœperunt? Deum, & proximum diligentes iram, & odium, & diſcor- E diam à ſe repellentes: in vnius fidei concordiam conuenientes, ſibi inuicem conſentientes, vanam philoſophorum, & hæreticorum doctrinam fugientes: idipſum cum Apoſtolo omnes dicentes, & nemini iniuriam facientes. Talis pax in Eccleſia Dei eſt: talis pax eſt hominibus bonæ voluntatis. Beſtiæ pacem habere non poſſunt, quæ ſanguine gaudent, & crudelitate nutriuntur. Non datur hæc pax hominibus malæ voluntatis quia non eſt pax impiis dicit Dominus. Iſta pax ſanctorum eſt. Iſta concordia illorum eſt, de quibus dicitur. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Hanc pacem habuit Hieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur. Illa videlicet Hieruſalem in qua ille rex pacificus habitat cuius vultum deſiderat vniuerſa terra, & factus eſt in pace locus eius: habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Nonne audis quod omnia inſtrumenta diſcordiæ; omnia inſtrumenta litis, & conten- F tionis, cõfracta ſunt in Sion, ſola pax & concordia regnat in Hieruſalem. Ideo enim tanta pax, tantæ diuitiæ, tanta ſapientia, & eloquentia illi Salomoni data eſt qui pauco tempore habitauit in Sion & Hieruſalem, quia iſtum noſtrum Salomonem verè pacificum, verè ſapientem, & eloquentem & diuitiarum omnium affluentem, ſignificabat, de quo modo diximus. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Qui ſuis diſcipulis promiſit dicens. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Sic, igitur non temporaliter ſed in æternum facta eſt in Sion habitatio eius & locus eius in Hieruſalem. Qui pacem non diligit, pacis principem à ſe repellit. Non habitat Chriſtus, niſi in Hieruſalem, niſi in loco pacis & quietis. Neque conueniens fuit, vt alibi quam in loco pacis rex pacificus habitaret. De quo videlicet pacifico rege in canticis canticorum ſcriptum eſt. Vinea fuit pacifico, In ea quæ habet populos tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos, vinea mea coram G me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius. Breuiter autem ſenſus, & ordo verborum talis eſt. Vinea fuit pacifico, in ea gente quæ habet multos populos. Quis iſte pacificus ſit palam eſt, & tradidit eam, cuſtodibus Apoſtolis videlicet, & doctoribus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos, dicens de vinea ſuà. Vinea mea coram me eſt. Dicit igitur ille qui loquitur Eccleſiæ cui loquitur. Illi mille argentei tui pacifici, & ducenti alij dant cuſtodibus qui cuſtodiunt fructus eius; ego ſic iudico, ſic mihi bonum videtur eſſe. Nunc autem ſingula diſſeramus. Dixerat Eccleſia, ego murus, & vbera mea ſicut turris ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. Deinde ſequitur. Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos. Prius inquit Eccleſia quam pacem habuiſſem, prius quam pacificum regem cognouiſſem, infirma, & debilis eram, neque me ab hoſtibus defendere valebam, nunc autem fortis ſum, & quaſi murus inexpugnabilis facta ſum, & vbera mea, doctrinæ meæ, quorum lacte nutrio filios meos, con- H tra omnem huius mundi ſapientiam, contra Philoſophorum, & hæreticorum argumentationes quaſi turres validiſſimæ facta ſunt. Ad hæc ſatis conuenienter aliquis reſpondere poteſt. Fortis quidem es, ſed omnis hæc tua fortitudo in cuſtodibus eſt. De quibus ſubditur. Vinea fuit pacifico, in ea, quæ habet populos, tradidit eam cuſtodibus. Iſte pacificus Saluator noſter eſt, qui mundum Deo patri reconciliauit: ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Cuius vinea Eccleſia eſt, intra cuius terminos Hebræi, Græci, & Latini, & Barbari; omnes gentes, populi, & nationes continentur. Hanc autem cuſtodibus tradidit, Apoſtolis videlicet, & doctoribus, qui eam cuſtodirent, colerent, nutrirent, ſuperflua reſecarent, & alias vites pro aliis paſtinarent. Quibus etiam cuſtodibus vir affert pro fructu eius mille argenteos quibus omnia quæcunque in expenſis, debitiſque ſoluendis neceſſaria ſunt, perſoluere valeant. Millenarius namque numerus perfectus eſt, quoniam ex ſolis

denariis

denariis conſtat. Decies namque centum, vel centies decem mille fiunt. Quibus igitur mille argentei dati ſunt: illi nimirum omnem vtriuſque teſtamenti ſcientiam, omnemque gratiarum plenitudinem ſuſcipere meruerunt. Vir autem Chriſtus eſt de quo alibi ſcriptum eſt. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. Et ipſe quidem ne vineæ ſuæ fructum amittat omnem hanc gratiarum plenitudinem eius cuſtodibus largitus eſt. Tota laus iſtius vineæ in ſolo fructu eſt ideo laudatur, ideo amatur, ideo cuſtodibus traditur, & commendatur, quia multum, & bonum fructum reddit. Sicut è contrario illa alia vinea inde, & damnata, & repudiata eſt, quia in amaritudinem conuerſa, pro vuis labruſcas; pro vino dedit acetum. Bonus fructus, virtutes, & bona opera ſunt, cum quibus, & Angeli, & homines creati ſunt. Quod autem ait, Vinea mea coram me eſt, tale eſt ac ſi diceret. Cuſtodibus quidem eam tradidi: non tamen ab eius cuſtodia deſtiti, ſemper coram me eſt, eam per me ipſum cuſtodire non ceſſo. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam. Nunc autem videamus quid Salomon ſiue potius Spiritus Sanctus per Salomonem de cuſtodibus ad Eccleſiam dicat. Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius. Ac ſi dicat, Mille argentei viri tui, regis tui, & pacifici tui de quibus ſuperius dictum eſt, & ſuper illos mille alij ducenti dentur, his cuſtodibus qui cuſtodiunt fructus eius. Digni enim ſunt qui & illos, & iſtos ſuſcipere debeant per mille argenteos gratiarum omnium, & totius ſcientiæ plenitudinem ſignificari diximus. Hæc autem multos habuiſſe legimus qui ad æternæ beatitudinis gloriam non peruenerunt. Sicut illi qui in iudicio dicturi ſunt. Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Quibus Domino dicetur. Amen dico vobis neſcio vos. Non ergo ſufficiunt mille argentei ad beatitudinem ſuſcipiendam, quamuis ſufficere videantur ad Eccleſiam regendam. Dentur igitur ſanctis, & alij ducenti, per quos omnium animarum, & corporum perfectionem, & ſufficientiam intelligimus, vt duplicia in terra poſſidentibus nihil ad beatitudinem deeſſe poſſit. Centenarius namque perfectus eſt numerus: quoniam ex ſolis denariis conſtat, in quibus omnes numeri continentur, cuius quidem duplicatio ad vtriuſque hominis perfectionem pertinere videtur. Si autem velimus dicere quid, qualis, vel quanta ſit pax, obuiat nobis Apoſtolus dicens. Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum: cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. Quis enim dicere valeat: quid quale vel quantum ſit illud quod omnem ſenſum exuperat, & omnem intelligentiam tranſcendit? Et reuera cum hæc pax quæ in primo homine perierat, vt in ſecundo homine Ieſu Chriſto redderetur hominibus: tantum pretium ſolutum ſit, vt arcanum voluntatis Dei neque dici, neque cogitari poſſit. Si ergo fieri poteſt, quod in nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habeamus. Nam & ſi alter pacem fugiat: tu tamen ſi eam offeras, & habere cupias, quantum quidem in te eſt tu pacis beneficio non priuaris. Vnde Pſalmiſta ait. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Beati autem pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Merito autem cum adhuc in diluuio arca fluctuaret, nihilque aliud vbique quam aquæ apparerent, cum ramo oliuæ columba rediit, per quem pax reddita, & tranquillitas ſignificabatur. In illa arca erat totum genus, omnes gentes, omnes populi, & nationes ibi erant: quibus tunc in illa columba ſpiritus ſanctus quodammodo loquebatur, & dicere videbatur. Pacem habete, pacem tenete, pacem diligite, ſine qua nemo videbit Deum, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Pauci quidem eſtis, ſed res paruæ concordia creſcunt, magnæ vero diſcordia dilabuntur. Omnia animalia ibi erant collecta, & pauca ex omnibus electa, quæ pacem haberent & tenerent, & & ſibi inuicem non nocerent. Puto autem hanc pacem etiam poſtea quam de arca egreſſa ſunt, aliquanto tempore inter ea fuiſſe: Alioqui oues, & capras, boues, & aſinos, & cætera mitia animalia, leones & griphi, tigrides & pardi, lupi, & vrſi & aliæ beſtiæ quæ de rapina viuere ſolent penitus conſumpſiſſent, præſertim cum non tam cito à ſe diuidi & recedere potuiſſent, quod quidem etiam de auibus intelligi poteſt, ſed hanc pacem eorum filij poſtea violarunt, parentum fœdera ignorantes. Si igitur tanta pax inter beſtias fuit in arca, quanta inter Chriſtianos pax & concordia debet eſſe in Eccleſia? Audiamus igitur Dominum dicentem, & hoc quod dicit memoriæ commendemus. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo hic mundus dat ego do vobis, pax mundi temporalis eſt, & cito tranſit, pax Chriſti eſt æterna, & nunquam finitur.

CAPVT VIII.

De patientia.

Dominus, & Saluator noſter ad patientiæ conſtantiam, & fortitudinem Apoſtolos inuitans, eis in Euangelio loquitur dicens. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Non ſunt igitur beati omnes qui perſecutionem patiuntur. Multas enim perſecutiones, & faciunt, & patiuntur mundi huius amatores, periuri, adulteri, & fornicatores, homicidæ, fures, & latrones, auari ſacrilegi, & raptores, tamen non beati, ſed miſeri ſunt, quia non propter iuſtitiam, ſed propter ſuas concupiſcentias, & voluptates, propter mundi honores, & dignitates, & propter multas, quas faciunt iniquitates talia multoties patiuntur. Quis enim eorum miſerias, & cruciatus, & exquiſita omnium tormentorum genera valeat enumerare, quibus ſe viciſſim iſti filij iniquitatis excruciant, & affligunt, vt alter alterius bona poſſideat. Hic obſcuræ carceris tenebræ, fames, & ſitis, frigus & calor membrorum abſciſſio: oculorum eruitio, fœtor intolerabilis, & cætera quæ filij diaboli eius martyribus ipſo cogente, & inſtigante inferre poſſunt. Nam & Satanas ſuos martyres habet, qui quanto maiora tormenta in illius ſeruitio in hoc ſæculo patiuntur: tanto fortiora in altero ſæculo eos expectant. Hæc eſt eius propria, & ſingularis conſuetudo vt qui plus ei ſeruiunt & maiora & grauiora tormenta ab eo patiantur. Huius martyres fuerunt Iudas Iſcariothes, & Nero impiiſſimus, qui ſe ipſos digno ſuſpendio & interemptu ſuffocauerunt, & occiderunt. Huius & iſti martyres ſunt qui vſque hodie contra ſe non pro iuſtitia pugnant, ſed pro ſua auaritia & iniquitate ſe viciſſim impugnant, & iniquo odio perſequentes ſe quaſi beſtiæ crudeliter interficiunt. Non ergo beati ſed miſeri ſunt qui tales & taliter perſecutiones patiuntur, quoniam nunquam introibunt in regnum cœlorum. Soli itaque illi ſunt beati de perſecutionibus ſuis, qui propter iuſtitiam eam patiuntur. Et vnde hoc probatur, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Vnde & Apoſtolus ait. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Beati igitur Apoſtoli, & martyres, beati confeſſores & virgines, qui non pro rebus tranſitoriis, non pro diuitiis fugacibus, non pro vanis honoribus, & dignitatibus neque pro ſuis offenſis, & iniquitatibus, ſed pro ſola iuſtitia quam prædicabant tam dura tormenta, tantaſque perſecutiones paſſi ſunt. Interroga Paulum de ſuis perſecutionibus, & reſpondebit tibi. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum: ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci: nocte & die in profundum maris fui in itineribus ſæpe: periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus in labore, & ærumna, in vigiliis multis. Et alibi. Nolo vos ignorare fratres de tribulatione noſtra quæ facta eſt nobis in Aſia, quoniam ſupramodum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Interroga

eum propter quid diſcrimina hæc omnia paſſus ſit & audies pro nulla alia cauſa, niſi propter iuſtitiam & veritatem, quam prædicabat, & quia Chriſtum Dei filium eſſe dicebat. Lege in actibus Apoſtolorum: vbi Iudæi præcipiunt Apoſtolis ne amplius loquantur in nomine Ieſu, & audies Petrum reſpondentem. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Vnde in carcerem truſi, & flagellati ibant gaudentes à coſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumelias pati. Sed interim de Apoſtolis taceamus. Ad martyres veniamus, reſpice Laurentium ſuper craticulam extenſum, & ſua ſponte patientem, atque Cæſari dicentem. Infelix has epulas ego ſemper deſideraui, & interroga quid fecerit, quid peccauerit, vt ſic aſſari mereretur? Quid aliud reſpondere poterit, niſi quia iuſtitiam prædicauit, & idola vana, & falſa eſſe dixit: quæ nec ſibi nec aliis adeſſe poſſunt. Hoc ipſum dicimus de aliis omnibus. Interroga vnumquemque: & nihil aliud reſpondebit. Beati igitur iſti. Beati, & omnes alii qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur. Non dixit quibus propter iuſtitiam perſecutiones inferuntur, quoniam non illatio beatum facit. Non qui eas fugit, ſed qui patitur beatus erit, quamuis & fugere, aliquando licitum ſit. Sed alia cauſa beatitudinis eſt fugienti, alia vero patienti. Aliud eſt pugnando, & aliud fugiendo hoſtem inuadere, quamuis vtrumque ad ſalutem pertineat. Melius eſt pugnare quam fugere, melius eſt fugere quam negare. Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo. Vtrumque Dominus præcipit, & fugere & pugnare. Si vos (inquit) perſecuti fuerint in vnam ciuitatem: fugite in aliam. Econtrario vero, nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere: ſed potius eum timete, qui poteſt, & corpus, & animam perdere in gehennam. Bonus medicus aliter infirmis aliter ſanis reſpondet. Bonus dux aliter equites, & aliter ordinat pedites. Beati eritis cum vos oderint homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Vnde & Apoſtolus ait. Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam: & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Cum enim audimus Patriarchas, & Prophetas multas perſecutiones paſſos eſſe: cum legimus ſanctos patres, per multam patientiam quam habebant Domino placuiſſe, & de ſummis periculis multoties liberatos fuiſſe, debet & nos talis lectio inſtruere, & docere & ad patientiam prouocare: & magnam ſpem & conſolationem in tribulationibus, Tales fuerunt Iob & Tobias: tales Eſaias, & Hieremias, Tales Aggæus & Zaccharias, Tales tres pueri, & Daniel, Talis propheta Ezechiel. Tales Neemias, & Zorobabel. Quære in libris Macchabæorum, Et videbis Eleazarum virum religioſum & ſenem, & cuius laudes & difficile explicari valeant, quam dura tormenta patiatur: quia carnes porcinas manducare noluit. Sed quare dico manducare noluit cum neque ad ſimulandum cogi potuiſſet? Septem quoque fratres ſimul cum matre quia cibos illicitos & lege prohibitos comedere noluerunt, horrendis cruciatibus necati ſunt. De talibus itaque Dominus. ait Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Aliis vero ſufficere poterunt pretioſæ manſiones quas ibi habebant de quibus Dominus ait. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Nos vero infelices quid faciemus qui non ſolum tales cruciatus, ſed & muſcas, & pulices ferre non valemus? Quia ad facilem iniuriam, aliquando ad vnum verbum incaute prolatum, multoties etiam ad fratris riſum, & leuem ſubſannationem ſic iraſcimur, vt vix aliquando placari poſſimus. In cibo quoque, & potu ſic plerumque impatientes ſumus, vt neque horam neque menſuram cuſtodiamus, & niſi eos quotidie non ad neceſſitatem, ſed ad voluntatem, & ſuperfluitatem habeamus, detrahimus magiſtris, & præpoſitis noſtris, qui nobis eos præparare debuerant. Natura (ait quidam) paucis immo minimis contenta eſt, voluptati autem nihil ſatis eſt. In veſtibus quoque patienciam non habemus quia multoties & plures, & prætioſiores quærimus quam neceſſe ſit, neque deeſt inuidia, ſi forte aliquem fratrem meliores habere videamus. Si vero infirmitas contingat, ibi patientia nulla eſt. Cum vtique tunc magis neceſſaria ſit, quando mors proxima eſſe timetur. Non poſſumus omnia enumerare, quæ contra patientiæ bonum impatientes peccamus. Non ſumus de illis (quod valde nobis timendum, & dolendum eſt) ſed vtinam aliquando eſſe mereamur de quibus Dominus ait. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et quam quæſo poſſeſſionem habebit, qui nec ſe ipſum, nec animam ſuam habebit nec poſſidebit. Valde igitur homini neceſſaria eſt patientia, ſine qua perdit hoc ipſum quod eſt. Laudat Apoſtolus quoſdam qui rapinas bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt. Et Dominus in Euangelio loquitur dicens. Si quis te percuſſerit in vnam maxillam præbe ei & alteram, & qui abſtulerit tibi tunicam præbe ei, & pallium. Et ſi quis te angariauerit mille paſſus vade cum illo & alia duo. Hæc quidem ad litteram dici videntur, non tamen generaliter omnibus, ſed illis ſpecialiter qui ſic mundo mortui ſunt, vt in omni humilitate & patientia ſoli Deo placere deſiderent.

CAPVT IX.

De Caſtitate.

BEatus Paulus Apoſtolus Doctor & magiſter gentium qui non in terris, ſed in ſcholis cœleſtibus didicit ſapientiam, cum de caſtitate loquatur ſic ait. Qui habent vxores tamquam non habentes ſint, & qui ſolutus eſt ab vxore; non ducat vxorem. Si igitur qui non habent, ducere non debent, & qui habent ſic debent habere quaſi non habeant, quid aliud conſequitur, niſi omnes continentiæ, & caſtitati operam dare? Quid eſt ergo quod paulo ante ibidem ait. Vir vxori debitum reddat, Similiter autem, & vxor viro? Et illud. Quoniam ſi ſe non continent nubant, tantum in Domino. Contraria ſibi eſſe videntur, vir vxori debitum reddat, & ſic eam habeat quaſi non habeat. Similiter autem, & qui ſolutus eſt ab vxore non ducat vxorem, & qui ſe non continet, nubat, contraria eſſe videntur. Sed vnum verbum poſuit Apoſtolus, in quo tota hæc quæſtio videtur eſſe ſoluta hoc videlicet quod ait, qui ſe non continet. Qui enim ſe continet, & caſtitatem cuſtodire poteſt, ſi tamen, & vxori eadem continentia ſit, hic vtique ſic debet vxorem habere quaſi non habeat, id eſt ſic debet eam habere quaſi ſororem non quaſi vxorem, non ad carnis voluptatem ſed pro coniugij neceſſitate. Ille quoque qui vxorem non habet, ſi hæc à Deo ei gratia data eſt, vt continentiam cuſtodire valeat, vxorem ducere non debet, & quare ducere non debeat, hæc eſt cauſa, quia qui ſolutus eſt ab vxore: cogitat id eſt cogitare poteſt, quæ Dei ſunt quomodo placeat Deo. Illi vero qui ſe continere non poſſunt, & vxores ducere & debitum ſoluere non prohibentur. Hoc quoque ipſe Dominus dicere videtur, cum enim dixiſſet, vt excepta cauſa fornicationis vir vxorem non dimitteret, cumque diſcipuli reſponderent, ſi ita eſt cauſa Viri cum vxore non expedit nubere, ſubdidit, dicens. Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui ſic nati ſunt, alij qui ab hominibus facti ſunt, ſunt & alij qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Et hoc quidem tale eſt ac ſi diceret. Dicitis quod non expedit nubere, verum quidem dicitis ſi quis eſt cui hæc virtus à Deo data ſit; vt ſe continere, & caſtitatem cuſtodire valeat. Sed non omnes capiunt hoc verbum: non omnes huic ſententiæ obediunt: ſed illi ſoli quibus hæc gratia à Deo data eſt. Sunt enim eunuchi, qui ſic nati ſunt, id eſt, ſunt aliqui homines qui naturaliter caſti ſunt,

&

A & voluptatis impetus non ſentiunt. Sunt autem aliqui ab hominibus fiunt, ſicut illi, qui vi, monaſteriis, cæteriſque locis religioſis ſub diſciplina ab aliis ita cuſtodiuntur, vt ita eos, etiam ſi nolint, caſtos eſſe & continentes neceſſe ſit. Talis autem caſtitas, quia ſpontanea non eſt, non magnam habet retributionem. Sunt autem eunuchi & ipſi quidem meliores, qui nemine cogente, ſed ipſi ſua ſponte ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, Et iſti quidem quaſi in prælio conſtituti contra carnis voluptatem, & luxuriæ impetus viriliter dimicantes, continentiam, caſtitatemque cuſtodiunt. Diſtat autem inter caſtitatem; & virginitatem, quia nec omnes caſti virgines: nec omnes virgines caſti ſunt. Vnde Apoſtolus ait. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Si enim virgo & caſta idem ſignificarent, non eſſet neceſſarium ſimul vtrumque dicere. Et virgo quidem dicitur, qui ſe à carnis pollutione cuſtodit, Secundum illud. Hi ſunt qui cum mulieribus non B ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Non ſufficit autem virginitas ad beatitudinem ſine caſtitate, ſufficit autem multoties caſtitas ſine virginitate. Maior igitur eſt caſtitas, quam virginitas. Virginitas in vno membro, caſtitas in omnibus membris cõſideratur. Scriptum eſt enim. Eloquia Domini eloquia caſta, Itemque Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Sicut igitur lingua dicitur, caſta, & cor caſtum, ita oculi, aures, manus, pedes, & cætera membra caſta dicuntur. Caſtitas autem, & circumciſio pœne idem eſſe videntur, vt vbicumque circumciſio ſit, ibi & caſtitas locum habeat. Circumcidire inquit, præputium cordis veſtri. Et Moyſes incircumciſum labiis ſe eſſe dicit. Et beatus Stephanus, Incircumciſos auribus, & corde Iudæos reprehendit. Arbores quoque circumcidi præcipit Moyſes. Talis autem circumciſio caſtitas eſt. Videtur caſtus ab eo dici qui ſtultitia careat: ſtultus autem qui de ſtatu ſuo tultus id eſt ſublatus ſit. Lingua igitur quæ loquitur vanitatem, quia ſtultitia non caret, caſta dici non poteſt. Similiter autem, & oculus, & auris, cor etiam ipſum, quando C vana cogitat caſtum non eſt, quia ſtultitia non caret. Et ideo quidem non caret quia de ſtatu ſuo ſublatum eſt, & in naturali bonitate non manet. Illa itaque virgo quæ corde, & ore, manibus & pedibus, lingua, & oculis vaga eſt: quamuis virgo ſit, caſta tamen non eſt. Econtrario vero quicumque honeſte, & ſapienter; continentiæ virtute ſe ſuaque membra cuſtodit, etiam ſi vxori debitum reddat: caſtus quidem eſt: virgo autem non eſt. Beata virgo Maria cum dixiſſet: Magnificat anima mea Dominum: mox ſubdidit dicens: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Non dixit; quia reſpexit virginitatem, ſed potius humilitatem, quoniam etſi vtraque virtus magna eſt, humilitas tamen potior eſt. Multæ virgines tunc erant, ſed hanc ſolam reſpexit Deus quæ præ cæteris humilior erat. Neſcio an virgo in eo quod virgo eſt magis vel minus caſta dici poſſit. Si ergo ad ſolam virginitatem Deus reſpexiſſet, multæ virgines D erant quæ Chriſti matres fieri potuiſſent. Non itaque ſuperbiant virgines de virginitate, ſed intendant ad caſtitatem, & humilitatem. Audiant dicentem: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt. Cum autem omnes Chriſtiani continentiam, & caſtitatem habere debeant, maxime tamen clericos hanc virtutem tenere, & obſeruare oportet. Vnde, & Dominus Moyſi præcipit: vt Aaron ſacerdoti & filiis eius fœminalia faciat: ſine quibus ad altare nunquam accederent: ne forte moriantur. Fœminalia enim caſtitatem ſignificant: quia illa membra in quibus maxime luxuria damnatur, coercent, & caſta cuſtodiunt, Illi ſacerdotes & clerici fœminalia non habent:, qui hæc, membra non conſtringunt, ſed per illicita vagari permittunt. Sed valde timendum eſt quod dicitur; ne forte moriantur. Si non vis mori: aut caſtitatem cuſtodias, aut ad altare non accedas. Hinc eſt quod ſerui Salomonis inter cætera quæ afferunt, ebur quoque ei afferre leguntur. Serui Salomonis nos ſumus, qui E eboris pulchritudinem, & candorem, per quæ caſtitas figuratur, Chriſto Domino vouere, & offerre debemus. Caſtiſſima animalia ſunt elephantes, & non niſi ſemel coire dicuntur, De nobis autem dictum eſt. Sacerdotes mei ſemel nubant. Legitur de Salomone quod ſolium ſibi eburneum fecerit, cuius excellentiæ nullum aliud poterat comparari. Duo leones erant ibi, vnus à dextris, & alter à ſiniſtris: inter quos medius ipſe ſedebat. Habebat autem ſex gradus ſuper quos duodecim leunculi poſiti erant: ſex hinc, & ſex inde. Dic mihi quæ beſtia illuc vnquam accedere auderet, vbi tot leones congregati erant: præſertim cum ſcriptum ſit. Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius timebit occurſum. Quot ſunt vitia tot beſtiæ quæ Salomonis ſolio inſidiantur. Ego duos leones duo teſtamenta intelligo, quæ ſua fortitudine omnes beſtias interficiunt; quorum doctrina, & conſilio omnes Iudæos, gentiles & hæreticos ſuperamus. Duodecim vero leunculi duodecim Apoſtoli ſunt: qui Salo- F monis ſolium, ſanctam videlicet Eccleſiam die noctuque cuſtodiunt. Ad hoc ſolium & ad eum qui in eo ſedet niſi per gradus eburneos id eſt per continentiam, & caſtitatem aſcendere nemo poteſt. Qui in tali ſolio ſedere vult caſtitatem cuſtodiat. Solium tuum & ſedes animæ tuæ caro tua eſt, quæ ſi caſta fuerit, eburnea eſt. In Canticis canticorum venter Chriſti eburneus dicitur. Venter in medio corporis eſt, in medio vero eſſe ſpectat ad dignitatem. Quid enim Pſalmiſta de gradibus eburneis dicat audiamus, Myrrha, inquit, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis à gradibus eburneis: ex quibus te delectanerunt, filiæ regum. Iſtæ quidem filiæ regum quæ regem delectauerunt, per gradus eburneos id eſt per gradus continentiæ, & caſtitatis ad Deum aſcendebant. Dicitur de adamante quod nec igne nec aliqua vi frangi, vel domari poſſit, ſolo tamen ſanguine hyrci calido ſoluatur. Hyrchus fœtidiſſimum animal & luxurioſum eſt. Sanguis igitur eius luxuria eſt. Per adamantem vero viri fortes intelliguntur: Qui quamuis circa alia fortiſ- G ſimi ſint, multoties tamen luxuria ſuperantur Quoniam fortis erat Dauid, qui viſa Berſabee, luxuria reſolutus eſt? Quam fortis, & ſapiens Salomon, qui quamuis in ſolio eburneo: & inter leones ſecurus ſedebat: aliquando tamen à ſolio ſeparatus & inter mulieres inuentus, in tantum à luxuria emollitus eſt, vt ceruicem miſerabiliter idolis inclinaret. Quicunque igitur vult eſſe ſecurus, à ſede eburnea, & leonum cuſtodia non recedat, ideſt continentiam, & caſtitatem & ſanctorum volumina non relinquat. Gaudeo ſuper fortitudine Ioſeph & Iudith: quorum alter ab ipſa luxuria teneri non potuit: ſed eius impias manus nudus euaſit. Altera vero ipſum Cupidinem viriliter decollauit. Dauid quem vxor Vriæ Cethei de ſede eburnea excuſſit, poſtea cum Abiſac Sunamitide in lecto eburneo quieuit, & qui cum Berſabee incontinenter vixit: poſtea cum Abiſac continentiam, & caſtitatem cuſtodiuit. Hoc autem exemplum omnibus ſit ad imitationem, omnibus ſit ad conſolationem, quibuſcunque de ſede eburnea cadere contigerit. Bene H autem Abiſac pater meus ſuperfluus interpretatur. Sunamitis vero deſpectat: quia tunc nimirum caſtitas quæ per Abiſac ſignificatur à Dauid deſpecta fuerat, quoniam ſuperflue alienas vxores inſectabatur, qui tot vxores, & concubinas habebat. Fuit autem Abiſac non vxor ſed filia Dauid, qui non quaſi cum vxore, ſed cum filia cum ea dormiebat. Dicat igitur Abiſac pater meus ſuperfluus. Sic enim interpretatur nomen eius, caſtitatem, & continentiam deſpexit in Berſabee, in me autem eam dilexit, & complexus eſt.

CAPVT X.

De obedientia.

DOminus, & ſaluator noſter ipſe nos docuit quantum ſit obedientiæ bonum. De quo ſcriptum eſt. Quia factus eſt obediens patri vſque ad mortem. Per

inobedientiam primi hominis perierat mundus; per obedientiam ſecundi hominis, Ieſu Chriſti ſaluatus eſt mundus. Ille inobediens ad lignum vetitum acceſſit, iſte obediens lignum crucis aſcendit. Ille accedens rapuit, quod non debebat, iſte aſcendens quæ non rapuit, tunc exoluebat. Narrat Hieremias Propheta de filiis Ionadab filij Rechab, quod eo tempore quo Nabuchodonoſor cum exercitu ſuo venit obſidere Hieruſalem. filij Ionadab de agris in quibus habitabant, fugerunt in ciuitatem. Acceſſit ad eos Hieremias ex præcepto domini, & duxit eos in vnam hexedram templi, & antepoſuit eis ſcyphos cum vino, quo illi non vtebantur. Et præcepit eis, vt biberent. At illi reſpondentes dixerunt. Non bibemus, quia Ionadab pater noſter præcepit nobis, vt vinum non biberemus, domos non ædificaremus, agros non coleremus, vineas non plantaremus, ſed tantum in tabernaculis habitaremus. Et ait Dominus. Præualuit ſermo Ionadab ſermonibus meis. Ego die nocteque per ſeruos meos prophetas populum iſtum admonere non ceſſo, & non audiunt vocem meam, & filij Ionadab filij Rechab præcepta patris ſui tam diligenter cuſtodiunt, & tranſgredi formidant. Et dixit Hieremias filijs Ionadab Quia obediſtis præceptis patris veſtri, hæc dicit Dominus. Non deficiet vir de ſemine veſtro qui ſtet coram Domino cunctis diebus. Populo vero ſic ait quia non audiſtis mandata Domini, & præcepta eius non cuſtodiſtis omnia quæcunque loquutus eſt dominus veniet ſuper vos, & ſuper ciuitatem iſtam, & eritis in opprobrium cunctis gentibus. Hæc verba quamuis magnum exemplum ſint multumque proficiant ad obedientiæ cuſtodiam, & obſeruationem aliud tamen ſignificare videntur. Iſte enim Rechab qui aſcendens interpretatur, illum mihi ſignificare videtur, de quo ſcriptum eſt. Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ionadab vero qui Domini donum, vel columba dedit, interpretari dicitur, quid melius quam ſpiritum ſanctum ſignificare poteſt; qui & donum Dei, & columba in ſanctis voluminibus, multoties vocatur? Huius autem filij ſunt quicumque ex aqua & ſpiritu ſancto renati ſunt, Vnde, & beato Petro dicitur, Beatus es Simon Bariona, id eſt, Simon filius columbæ, quia bariona filius columbæ interpretatur. Merito itaque Ionadab columba dedit interpretatur, quia nihil boni habemus, niſi quod hæc columba nobis dedit. Iſti ergo filij Ionadab, id eſt Chriſtiani, & fideles, quia Spiritui Sancto obedientes fuerunt in cœleſti Hieruſalem coram Domino ſtabunt, in æternum. Non ſolum autem Ionadab, Rechab quoque filij iſti dicuntur illius ſcilicet de quo dicitur. Qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Sicut enim in filiis Ionadab probatum eſt obedientiæ bonum; ita in Saul & filiis eius probari poteſt inobedientiæ malum. Præceperat Dominus Saüli vt pugnaret contra Amalech, & omnes interficeret morte gladij, nec homini, nec pecori, nec alicui parceret animali. Ille autem expugnato Amalech, pepercit Agag Regi eorum, & quæque meliora de gregibus eorum reſeruauit. Vnde & ſemen eius à Domino reprobatum eſt ne regnaret ſuper Iſraël. Dicente Samuele, quia obedientiam vult Deus magis quam holocauſtum quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt non obedire, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Iſte eſt Agag, de quo prophetauerat Balaam dicens. Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, Et hoc quidem in Saule completum eſt qui fuit primus rex in Iſraël: ſed quoniam pepercit Agag regi Amalech, regnum illius deſtructum eſt, ne filij eius regnarent poſt ipſum. Audiant hæc inobedientes, & nec ipſa ſacrificia ſine obedientia Deo placere intelligãt. Poſſumus autem per Amalech qui populus brutus interpretatur: vitiorum exercitum intelligere. Cui vtique parcendum non eſt, ſed totus vſque ad internecionem deleri debet, Huius autem rex vocatur Agag, qui tectum interpretatur, per quem diabolum intelligimus, cui talis exercitus famulatur, totuſque in ipſo quaſi ſub vno tecto, & vna domo collectus continetur. Inde vero in huius mundi latitudinem diffuſus omnes homines vbique perturbat. Mala domus malos habet habitatores. Sed quid dicam de obedientia Noë: de quo ſcriptum eſt. Noë vir iuſtus atque perfectus in generationibus ſuis fuit: Cum Deo ambulauit, & fecit omnia quæcumque præceperat ei Deus. Vide quam obediens vir iſte fuerit, qui ea quæ ſibi à Domino imperata fuerant, cuncta compleuit. Quem enim non tæderet per centum annos in vno ædificio deſudare. Sed longa obedientia longam, & diuturnam mercedem promeruit, & cum totus periret mundus, ipſe ſolus cum domo ſua in diluuio ſaluatus eſt. Abrahæ vero obedientia quanta fuerit paucis verbis explicari non poteſt. Ipſe eſt enim cui Dominus ait. Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui;& vade in terram quã monſtrauero tibi. Fecit igitur Abrahã quod ſibi fuerat imperatum, & quemadmodum poſtea Apoſtoli relinquens omnia, ire cœpit quo neſciebat. Relinquamus igitur & nos terram noſtram, relinquamus concupiſcentias carnis noſtræ, eamus in terram quam Dominus oſtẽdit nobis. De qua Pſalmiſta loquitur, dicens: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Cum iam ſenex eſſet vir iſte beatiſſimus, & vxor eius quæ etiam ſterilis erat, proceſſiſſet in diebus ſuis, filium à Deo ſuſcipere meruerunt. Qui cum adoleſcens factus eſſet vocauit Deus Abraham, & dixit ad illum. Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum ſuper vnum montium quem dixero tibi. Ipſum inquit, filium tuum quem ſcio te iuſtum diligere: non Iſmaëlem dico, ſed Iſaac: ipſum tolle, & offer mihi in holocauſtum ſic volo, ſic iubeo, ſic mihi placet. Et quid fecit tunc Abraham? Conſidera viri obedientiam: non expectauit vſque mane: ſed de nocte ſurrexit, & veniens ad montem viſionis, id eſt ad montem Sion, qui ſpeculatio interpretatur; in quo poſtea Dominus crucifixus eſt præparabat ſe, vt filium ſuum immolaret. Dixitque ad eum Iſaac. Ecce ignis, & ligna: vbi eſt victima holocauſti? Sicut Ioſephus refert iam illius erat ætatis vt ſi voluiſſet, a patre iam ſene ſe defendere potuiſſet, veruntamen poſtquam Dei, & parentis voluntatem cognouit non reſtitit: ſed ſua ſponte ligari permiſit: gaudens quod Dei hoſtia fieri merebatur. Vter tibi horum duorum maioris obedientiæ fuiſſe videtur, cum & Abraham Deo & filius eius parenti ſimul obediret, & Deo: Magna quidem in vtroque obedientia, & tali patre talique filio digna. Hæc hiſtoria non eſt ſimpliciter accipienda, aliquid & magnum enim ſignificare videtur. Quid enim per Abraham niſi Deum patrem intelligamus: qui proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro nobis tradidit eum. Quid vero per Iſaac niſi Dei filium ſaluatorem noſtrum qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis? Egregie autem factum eſt, quod non Iſaac, ſed aries pro eo immolatus eſt; quia non Dei filius ſecundum diuinitatem, ſed potius hominis ſecundum humanitatem, ſicut agnus ad victimam ductus eſt, & non aperuit os ſuum. Audiamus itaque Petrum Apoſtolum dicentem. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Quid eſt vt ſequamini veſtigia eius, niſi vt diſcatis, & cuſtodiatis obedientiam eius? Longum ſit, vnius ſermonis quantitatem excedat, ſi omnes ponere velimus, qui per obedientiam Domino placuerunt. Quid igitur dicent Monachi inobedientes, & ſuas voluntates facientes: ac per hoc Deo non placentes, cum tota monachorum religio obedientia ſit: & ſine obedientia monachus nihil ſit. Cum videtis non ſolum rationales creaturas ſicut Angelos, & homines, verum etiam quæ ſenſu, & ratione carent iubentis domini obedire voluntati: Inde eſt enim quod cœli enarrant gloriam Dei. Inde eſt quod venti, & mare obediunt ei. Inde eſt quod terra noſtra dedit fructum ſuum: inde eſt quod omne lignum dat fructum in tempore ſuo. Denique quod virga in ſerpentem, & aqua mutatur in ſanguinem, quod mare aperitur, quod petra fundit aquas, quod manna pluit. Quod aſina loquitur: quod Iordanis conuertitur retrorſum, quod iubente homine Sol non mo-

uetur:

uetur: totum hoc obedientia facit. Sunt, & alia huiuſmodi innumerabilia, quæ in diuinis voluminibus inueniri, & colligi poſſunt. Præſertim, qui noui teſtamenti paginas legerit: ibi cognoſcet quantum obedientia poſſit: ibi videbit ad hominis imperium dæmonia fugere, mortuos reſurgere, elementa mutari, leproſos mundari, cæcos illuminari, paraliticos curari. Sed quid multa? ibi videbit nihil rerum poſſe nec naturam contra illius voluntatem, qui creauit ipſam naturam. Sed ô miſeria ſemper lugenda! & magis lachrymis, quam verbis exponenda: Omnis creatura eſt obediens Deo præter illa quæ facta eſt ad imaginem Dei. Solus diabolus, & homo inobediens, inuenitur, cum nulla alia creatura inobediens inueniatur.

CAPVT XI.

De abſtinentia.

DE virtute abſtinentiæ ipſe Dominus in Euangelio nos admonet, dicens: Videte ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate. Nequaquam interdicit nobis manducare, & bibere Dominus & ſaluator noſter: quoniam ipſe ſcit figmentum noſtrum. Manducare, & bibere non eſt peccatum; ſiquidem, & ipſe manducauit, & bibit. Dequo ſcriptum eſt. Qui peccatum non fecit, neque dolus inuentus eſt in ore eius. Crapula vero, & ebrietas peccatum eſt, quia ſuperflua ſunt, modum excedunt, corda grauant, corpus corrumpunt, libidinem prouocant, mentem euertunt, & ſimul exteriorem hominem debilem reddunt. Neceſſaria Dominus concedit, ſuperflua prohibet. Vnuſquiſque ſui corporis menſuram cognouit. Si quis parum comedens crapulatur; & parum bibens inebriatur, etiam de ipſo modico aliquid minuat, donec ad menſuram cuncta ſuſcipiat, & non voluptati, ſed neceſſitati obediat. Neque enim fieri poteſt, vt qui in manducando, & bibendo carnis ſequitur voluptatem aliquando non veniat ad crapulam, & ebrietatem. Maiorum ſententia eſt. Sic comedat Monachus, vt ſemper eſuriat, & ſic bibat epiſcopus, vt an biberit, neſciat. In talibus vt puto crapula, & ebrietas locum non habet. Hinc eſt autem quod Beatus Petrus Apoſtolus ait. Obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam. Non quaſi ſubiectis vobis præcipio, ſed quaſi extraneos rogo, vt vos à carnalibus deſideriis abſtineatis, quæ militant aduerſus animam, quæ bella ſpiritui mouent. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. In hac tali pugna, alij carni, alij ſpiritui auxiliantur. E contrario vero ſpiritum opprimunt, qui carnis deſideria ſequuntur. Duæ ſunt abſtinentiæ, vna animalis, altera ſpiritualis, vtræque magnæ, ſed maior altera, quia maius eſt abſtinere à vitiis quam à cibis Quamvis & ciborum abſtinentia tam magna ſit, vt non ſolum à prophetis verumetiam ab ipſo Domino ſit confirmata. Primum enim Moyſes, deinde Helias, poſtea vero ipſe Dominus noſter Chriſtus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunaſſe leguntur. Beatum vero Ioannem Baptiſtam cuius abſtinentiæ fuiſſe putamus? qui vinum, & ſiceram non bibit, Cuius cibus locuſtæ, & mel ſylueſtre fuiſſe narrantur. Primi parentes noſtri ideo mortui ſunt, quia abſtinentiam non habuerunt. Iam mortis ſententiam Niniuitæ acceperant, dicente Propheta, Adhuc quadraginta Dies, & Niniue ſubuertetur, & triduano ieiunio liberati ſunt. Dauid quoque de ſua abſtinentia ſic ait, Similis factus ſum Pellicano in ſolitudine. Pellicanus auis quædam dicitur eſſe cuius magnitudo eſt ad vulturis quantitatem, ſemper ſolitaria, & in ſolitudine moratur, quæ tantæ abſtinentiæ eſt vt ſicut aliæ aues ſaturitate, ita ipſa ieiuniis delectetur. Talis auis fuit Antonius talis Paulus, & Hylarion. Talis beatus Benedictus, quorum deliciæ ieiunium, quorum vita abſtinentia fuit. De talibus autem, & Dominus loquitur ad Iob dicens. Quis dimiſit onagrum liberum; & vincula eius, quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum & tabernacula in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit, circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit. Quos Dauid per Pellicanum, eos Dominus per onagrum ſignificat. Eſt autem onager aſinus ſylueſter, numquam à ſolitudine recedens, qui propria vtens libertate, occidi quidem poteſt, vinculis hominum domari non poteſt. Per aſinum ergo qui ſtultum animal eſt, illi intelliguntur, de quibus Apoſtolus ait. Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt perdat ſapientia, & infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret. Homines namque huius mundi quaſi aſinos, & ſtulta animalia hos viros clariſſimos & Deo amabiles deputabant, quia dimiſſis ſæculi voluptatibus in ſolitudine habitantes, non quaſi homines, ſed quaſi peccora & bruta animalia viuere videbantur. Nudi & ſine tecto, frigus, & calorem die noctuque patiebantur. Ab omni quoque mundana ſollicitudine liberi, & vitiorum omnium atque carnalium concupiſcentiarum vinculis abſoluti, per ſolitudinem vagabuntur, cantantes, & iubilantes, & ſoli contemplationi vacantes. Et hoc eſt quod Dominus ait, Quibus dedi in ſolitudine domum, & tabernacula in terra ſalſuginis, iſti quidem contemnunt multitudinem ciuitatis, quia mundo mortui ſoli Deo placere deſiderant: & mente iam inter angelos conuerſantes, hominum conuerſationem non appetunt dicentes cum Apoſtolo. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Clamorem autem exactoris non audiunt, quia non ventri, ſed ſpiritui ſeruiunt. Iſte exactor, venter noſter eſt, cui niſi debitam annonam quotidie perſoluamus, quaſi impius exactor nos torquere, & cruciare non ceſſat. Tam improbus enim eſt, vt tota noſtra ſubſtantia vix ei ſufficere poſſit. Illi tamen ei non obediunt, & alio cibo refecti eius clamores, & tortiones ſic patiuntur, quaſi eos non ſentiant. Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Circumſpiciunt igitur montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirunt. Iſti ſunt montes illi de quibus dicitur. Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniat auxilium mihi. Duo magni montes duo ſunt teſtamenta, cæteri vero tot ſunt quot prophetarum libri. In his autem inueniuntur paſcua ſemper virentia, & nunquam deficientia, quibus nulli ciborum apparatus nullæque deliciæ comparari poſſunt. His igitur Dei onagri refecti clamorem exactoris non audiunt. Ad hos itaque reſpiciant qui abſtinentiæ bonum cognoſcere quærunt. De qua & Apoſtolus ait. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur armis lucis, ſic vt in die honeſte ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione. Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. Nonne audis quod, & Apoſtolus non neceſſaria ſed ſuperflua interdicit? Comeſſationes enim ebrietates, & carnis curam non in neceſſitatibus, ſed in deſideriis, & voluptatibus ſuperflua ſunt. Dominum autem Chriſtum induit, quicumque ſapientia, iuſtitia, & veritate, caſtitate, humilitate, & virtutum omnium honeſtate veſtitur. Vbi abſtinentia non eſt, ibi caſtitas, & honeſtas eſſe non poſſunt. Plantauit vineam Noë: inebriatus eſt: & neſciens, verenda diſcooperuit. Ecce verenda quæ ſemper operienda ſunt, ebrietate manifeſtantur. Et ideo Apoſtolus ait. Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. Si tantus patriarcha inebriatus verenda ſua cælare non potuit, quomodo ebrioſus membrorum ſuorum honeſtatem ſeruabit? Loth quoque vino inebriatus filiarum pudicitiam violauit. Quem tantum vino ſuperatum, immo vero ſepultum ſcriptura commemorat: vt malum quod fecerat ebrius ignoraret. Vnde, & Salomon non immerito ait. Viſio Lamuelis qua erudiuit eum mater ſua. Noli regibus

Digitized by Google

Lamuel, noli regibus vinum dare: quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas. Ne forte bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis. Lamuel, in quo eſt Deus, interpretatur, per quem Apoſtolos intelligimus qui amici Dei appellantur. De quibus ipſe Dominus ait. Vos amici mei eſtis: & ſicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Iſti autem à matre inſtructi, mater enim eorum Eccleſia eſt, vinum regibus interdicunt. Reges iſti Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt, qui alios regentes & corrigentes, ab omni vinolentia, & ebrietate: vt ſe cuſtodiant neceſſe eſt. Vnde & plenus Deo Beatus Paulus tales Epiſcopos, & ſacerdotes eligi præcipit, qui non vinolenti, ſed modeſti, non ebrioſi, ſed ſobrij ſint. Thimotheo tamen Epiſcopo dicit, vt vtatur modico vino propter ſtomachum, & frequentes ſuas infirmitates. Diaconos etiam non multo vino deditos eſſe iubet. Sic igitur Lamuel non dat vinum regibus, & dat vinum regibus. Non dat vtique ad ebrietatem & ſuperfluitatem, dat autem ad modeſtiam, & ſobrietatem & corporis neceſſitatem. Nam & Saluator noſter ſic à Iudæis reprehenditur quaſi potator vini & amicus Publicanorum. En igitur non neceſſaria ſed ſuperflua prohibentur. Et vini, & concupiſcentiæ ebrietas mala eſt. Quia nullum ſecretum eſt, vbi vel hæc vel illa ebrietas regnat. Tales ebrij non poſſunt dicere. In corde meo abſcondi eloquia tua vt non peccem tibi. Et multoties amiſſo ſenſu & intelligentia & bonum malum, & malum bonum dicunt, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem dicentes dulce amarum, & amarum dulce: & vtroque vino inebriati peruertunt cauſam filiorum pauperis. Illius videlicet pauperis qui cum omnium diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt. Cum igitur cibi potuſque abſtinentia tam vtilis ſit; vitiorum, & voluptatum abſtinentiam quam neceſſariam eſſe putabimus? Hæc eſt enim voluntas Dei; ait Apoſtolus, vt abſtineatis vos à fornicatione: vt ſciat vnuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderij ſicut & gentes quæ ignorant Deum. Vno verbo omnium vitiorum genera comprehendit. In eo enim quod ait non in paſſione deſiderij: omnis ſpiritualis & carnalis abſtinentia continetur: & ſine mentis carniſque deſiderio raro videtur fieri peccatum. Fit tamen aliquando, dum alij alios etiam inuitos, vel vi vel blanditiis peccare compellunt.

CAPVT XII.

Vbi id eſt in quibus Eccleſia ornatur.

Diximus ſuperius de Eccleſia & ornamentis eius reſtat nunc vt ſuis ornamentis eam indutam videamus, & in eius ſpecie, & pulchritudine delectemur de qua Pſalmiſta ad Dominum dicit. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumamicta varietate. Hæc regina ipſa eſt de qua loquimur, Eccleſia Dei, quæ bene à dextris ſtare dicitur: quia læta, & proſpera ipſi parantur. In iudicio, vt Dominus ait, Stabunt agni à dextris, hædi autem à ſiniſtris. Multa ſunt eius veſtimenta, multa ſunt eius ornamenta, & ideo varietate circumamicta perhibetur: ſed nullum ornamentum habet, quod vel aureum, vel deauratum non ſit. Nullum ſine auro eſt ei ornamentum. Sæpe iam diximus quod per aurum, aut ſapientia, aut verè integritas, & puritas deſignatur, ſine quibus nullum ornamentum pulchrum eſt, & quodcunque his non decoratur vile, & abominabile eſt. Talibus ornata dicitur Rebecca, cui ſeruus Abrahæ inaures aureas, & armillas aureas & aurea veſtimenta dediſſe narratur. Ingredere in templum Salomonis, & circumſpice diligenter, nihil ibi, niſi aurum & ipſum puriſſimum videre poteris. Quare hoc? Quia nihil fatuum, & ſtultum, nihil turpe, & immundum in domo Dei apparere debet. Regina Sabba per quam Eccleſia figuratur, veniens ad Salomonem attulit ei centum, & viginti talenta de auro puriſſimo. Pulchre igitur in veſtitu deaurato Eccleſia deſcribitur, vt tota ſapiens tota munda, & incorrupta intelligatur: De qua per Salomonem Dominus ait. Vna eſt columba mea, perfecta mea, immaculata mea, de qua & Apoſtolus ait. Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam. Nullum igitur ornamentum illius eſt, & ſi pretioſum, & pulchrum videtur, niſi aureum fuerit. Videntur enim hæretici pagani, philoſophi, & Iudæi eadem ipſa ornamenta habere quibus ſponſa Chriſti vtitur, ſed in hoc differunt, quod aurea non ſunt; quamuis aurea eſſe videantur. Nulla enim alia ſapientia aurea eſt, niſi ea quæ Euangelica & Apoſtolica doctrina confirmatur. Quæcumque igitur fides, quæcunque charitas, quæcunque humilitas, quæcumque miſericordia, pax, patientia, iuſtitia vel obedientia fuerit, ſi Apoſtolicæ doctrinæ auro non ſplenduerit, falſa eſt, corrupta eſt, immunda eſt tamquam mors & venenum fugienda eſt. Merito ergo in veſtitu deaurato Eccleſia pingitur, cuius omnia ornamenta tam puriſſimo auro intexta ſunt. Semper autem ſancta Eccleſia omnibus ſuis ornamentis induta eſt, quamuis non ſimul omnia ſemper videantur. Aliquando fidei, aliquando ſpei, aliquando charitatis ornamento induta conſpicitur, cæteris quodammodo ſub vna latentibus, & non apparentibus, Quando autem fidei ornamentum apparet, tunc mirabile videas, dæmonia fugere: mortuos ſurgere, cæcos illuminari, paralyticos curari, leproſos mundari, aliaque miracula fieri, quæ ab his qui eodem fidei ornamento veſtiti non ſunt omnia impoſſibilia eſſe creduntur. Hoc autem ornamento poſt Chriſti paſſionem longo tempore Eccleſiæ filij vſi ſunt, quoniam gentiles, & infideles maxime hoc videre delectabantur, hoc ad Chriſti amorem trahebantur. Ita vt manifeſte intelligerent omnia poſſibilia eſſe credenti. Quando vero ſpei ornamentum manifeſtatur, tunc tota in contemplatione erigitur, & à terrenis ad cœleſtia ſublimatur vt quamuis corpore in mundo ſit, confidenter tamen dicere audeat noſtra conuerſatio in cœlis eſt, Spe enim ſalui facti ſumus. Et tunc quidem tam magna promittit vt quodammodo extra ſe ducat, & in deſideriū obedientiæ inflammet audientes ita vt ſimul cum Apoſtolo quis audiens dicat. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et cum Pſalmiſta. Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Sed quid mirum, cum ea indubitanter ſperanda promittat, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe? Hæc autem ſpei contemplatio facit, vt ſponſus aliquando de ea dicat. Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruoſque camporum, vt non ſuſciteris, neque euigilare faciatis dilectam, quoadvſque ipſa velit. Hoc ſpei deſiderio tenebatur illa de qua ipſe Dominus ait. Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Si vero in charitatis ſe ornamento Eccleſia reuelauerit, tunc videas omnes ſe viciſſim ſalutantes in oſculo pacis, tunc intelligas, quam bonum ſit & quam iucundum habitare fratres in vnum: & quomodo multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: erantque illis omnia communia: & nemo dicebat aliquid eſſe ſuum. Quando hoc ornamentum apparet tunc idem volunt, atque idem nolunt omnes. Idem enim velle & idem nolle ait quidam firma amicitia eſt. Maiorem autem charitatem nemo habet dicit Dominus, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Quoties Eccleſiæ filij charitatis veſtibus induuntur: toties odium ira, inuidia, indignatio, furor detractio, contentiones, æmulationes, diſſenſiones, fugantur, & perimuntur. Conueniunt enim, ſibique viciſſim opitulantur charitas, concordia, pax, & miſericordia; coram quibus hæc talia portenta conſiſtere non præualent. Sunt alia quædam Eccleſiæ ornamenta tam artificioſe inter ſe coniuncta vt vnum ſine omnibus induere non valeat. Quatuor enim ſunt quorum primum prudentia, ſecundum iuſtitia,

A ria, tertium fortitudo, quartum temperantia, dicitur. De quibus ſuperius ſatis locuti ſumus. His autem Eccleſiæ filij præcipuè in quadrageſimis, & magnis ſolennitatibus, & ſi quando concilia celebrantur, indui ſolent. Et tunc quidem videre & audire ſatis ſuaue, & delectabile eſt, ſapientiam prædicantem, iuſtitiam iudicantem, fortitudinem ſuperantem, & temperantiam pro quibuſdam vtilites interpellantem. At vero humilitatis ornamentum quando Eccleſiæ filij induuntur, tunc omnis ſuperbia confunditur, arrogantia diſſipatur, præſertim cum Beatæ Mariæ Virginis ſententia: Deponit potentes de ſede, & exaltat humiles, & filius eius ſaluator noſter eandem ſententiam confirmans dicit. Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur & qui ſe humiliat, exaltabitur. Tunc virginum choros, & monachorum exercitus conſpicias lana, & pellibus indutos, quibus indumentis maximè humilitas gloriatur. Inter quos & pater noſter Benedictus ſuper eburneam ſedens cathedram, B totum humilitatis ornamentum in duodecim membra partitur. Quando autem cum miſericordiæ veſtibus, ſe manifeſtat tunc hoſpites colliguntur, nudi veſtiuntur, carceres aperiuntur, infirmi viſitantur, famelici ſatiantur, & ipſa mater humilis, & miſericordiſſima Domini ſui exempla ſecuta, pauperibus miniſtrare, & pedes lauare non dedignatur. Nullum indumentum eſt, quo magis ornatam eam videre deſiderent, quicunque paupertate, infirmitate, vel quacumque calamitate oppreſſi ſunt. Hoc autem veſtimento ipſe Dominus, & ſaluator noſter indutus dicebat. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Et Sinite paruulos venire ad me: talium eſt enim regnum cœlorum. Sunt & alia ornamenta quibus huius reginæ nobiliſſimæ pulchritudo, & gloria manifeſtatur: ſed tantilla nos modo dixiſſe ſufficiat.

C

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Sententiarum.

LIBER TERTIVS.

De Nouo Mundo.

CAPVT PRIMVM.

NOVVS homo venit in mundum qui nouum, & veterem condidit mundum. Exiuit enim à patre, & venit in mundum vt de immundo faceret mundum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed quomodo venit qui vbique eſt? Et quæ in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Quomodo etiam à patre exiuit, qui à patre nunquam receſſit? Venire Dei apparere eſt, & quando D ſe oſtendit: tunc exire, & venire videtur. De quo etiam ſcriptum eſt. Hic Deus noſter, & non exiſtimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem viam ſcientiæ. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Viſus eſt enim per humanitatem qui videri non poteſt ſecundum diuinitatem: Quia: Nemo Deum vidit vnquam. Veniens autem innouauit omnia; ſecundum hoc quod ipſe dicit. Ecce noua facio omnia. Debemus igitur, ſicut Apoſtolus ait, In nouitate vitæ ambulare, & non veterem ſed nouum hominem imitari. Cum à Iudæis Dominus teneretur, alterius mundi ſe regem eſſe oſtendens ait. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Quod enim de mundo hoc non eſſe dicit: alterius mundi regnum ſuum eſſe oſtendit. Eſt itaque alius mundus ſuper hunc mundum: valde excellentioris naturæ, & dignitatis quam ſit iſte mundus qui in maligno poſitus eſt. De quo ipſe Dominus ait. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia vero de E mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Quibus verbis tertium quoque oſtendit mundum: per quem Eccleſiam intelligimus, quæ de mundo quidem electa eſt ſed iam nunc de mundo non eſt. Quia & ipſe mundus eſt de quo videlicet mundo ſcriptum eſt. Sic enim dilexit Deus mundum vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in illum non pereat ſed habeat vitam æternam. Non enim venit vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Iſte enim mundus qui ſaluatur per ipſum nullus alius niſi Eccleſia intelligi poteſt. Hic eſt igitur ille mundus de quo Dominus dicit. Ecce noua facio omnia. Quoniam ſi noua in hoc mundo facta ſunt omnia habet igitur Eccleſia nouum cœlum, nouam terram; nouum ſolem: nouam lunam, & ſtellas nouas & nubes, & pluuias, fulgura, & tonitrua, montes, & ſyluas, & homines nouos, cæteraque omnia, quæ tamen per illa vetera ſignificata fuerant. Et quandam cum illis ſimilitudinem habent. Noui enim ſunt cœli de quibus di- F citur. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Noua terra illa eſt de qua dicitur. Et terra noſtra dabit fructum ſuum. Vis videre nouum ſolem? Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Et fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Dei? Vis & nouam lunam videre: Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata? Beatus quoque Ioannes dicit ſe vidiſſe mulierem, quæ amicta erat ſole, & luna ſub pedibus eius. Noua & inaudita luna quam mulier ſub pedibus habet. Noua ſtella virgo Maria quæ ſtella maris interpretatur, & illa de qua dicitur. Orietur ſtella ex Iacob, exurget homo ex Iſraël. Nouum eſt hoc vt ex hominibus ſtellæ oriantur. Vide etiam nouas nubes nouaſque columbas. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Ecce inuenimus nouum mundum qui ſolus vera diffinitione dicitur mundus, quoniam ex aqua & ſpiritu ſancto, de immundo factus eſt mundus. Hic ſit igitur G nobis materia loquendi, & in Dei laudibus ſermones componendi. Ipſo adiuuante qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT II.

De Cœlis nouis.

CÆli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Cœli vocantur ſancti Apoſtoli, & quare cœli vocentur dicendum eſt. Sicut enim illius mundi qui ab initio factus eſt qui é cœlo conſtat & terra, de quo ait Moyſes. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Maxima pars & nobiliſſima cœlum eſt, ita & huius noui mundi de quo Dominus ait. Non venit filius hominis vt iudicet mundum, ſed H vt ſaluetur mundus per ipſum. Maiores & clariores cæteris Apoſtoli ſunt. De quibus ſcriptum eſt. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Iſti ſunt illi ſenatores de quibus Dominus. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Quibus ipſe Dominus. Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Pro quibus: & patrem rogat dicens. Pater ego volo vt ibi ego ſum, & ipſi ſint mecum. Totus mundus cœlo concluditur, tota Eccleſia Catholica inter Apoſtolicæ fidei, & doctrinæ terminos continetur. Quicunque extra hos terminos eſt, Prophanus, & infidelis eſt. Vnde & per Salomonem à Domino dicitur. Non tranſgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui. Merito igitur Apoſtoli cœli vocantur, cum tantum cœli ſimilitudinem habeant, & nomen. Cœlum autem, vt quibuſdam placet ex eo dicitur, quod cœlatum ideſt variis cœlaturis ſiue ſculpturis depictum, & variatum eſt. Ibi enim ſol, & luna, ibi ſtellæ, & maiores, & minores poſitæ ſunt

A quarum ſplendore, & pulchritudine ſic decoratum eſt, vt nihil in creaturis inueniatur quod pulchritudini eius valeat comparari. Nam & in templo Salomonis palmæ cælatæ, & aliæ cælaturæ valde prominentes fuiſſe referuntur: quæ quidem omnia Apoſtolis quoque conuenire videntur. In eis enim & ſolem, & lunam, & ſtellas inuenire non eſt difficile: Ipſi ſunt quibus Dominus ait: vos eſtis lux mundi. Sic eorum fide, & doctrina tota Eccleſia illuminata eſt: ſicut huius ſolis, & lunæ ſplendore tota terra illuminatur. In quibus & virtutum omnium pulchritudo quaſi ſtellæ quædam coruſcant. Si vero à celando cœli dicantur, eo quod arcana celant cœleſtia, & abſcondunt, audio Apoſtolum quoque dicentem de ſuis arcanis quod raptus in paradiſum audierit arcana verba quæ non licet homini loqui. Quibus, & Dominus ſua ſecreta celare præcipiens. Nolite inquit, ſanctum dare canibus, vel margaritas ſpargere ante porcos. De iſtis er-

B go dictum eſt. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Quamvis, & illi alij ſuo modo, Dei gloriam narrent, & nuncient, alios dixi, quoniam & illi multi ſunt ſecundum illud: laudate Dominum de cœlis. Et cœli cœlorum, Laudate Dominum. Apoſtolus quoque tres cœlos ponit: Moyſes duos, ait enim: in principio Deus creauit cœlum & terram: Ecce vnum. Secunda Die fecit Dominus firmamentum in medio aquarum, diuiſitque aquas quæ erant ſuper firmamentum ab his quæ erant ſub firmamento vocauitque firmamentum cœlum. Ecce alterum, Et hoc quidem eſt illud cœlum, quod per ſolem, lunam, & ſtellas, quæ in eodem fulgent & noſtris oculis reuelantur. Primum enim cœlum de hoc mundo videre impoſſibile eſt, quoniam hoc quod videmus inter nos, & illud poſitum eſt, Sed cuius excellentiæ pulchritudinis illud eſſe putabimus cum huius inferioris tantam eſſe videamus? Et primum quidem cœlum ſtatim eadem die factum, & illuminatum eſt

C dicente Domino: fiat lux, & facta eſt lux. Hoc autem tertia die poſtquam factum eſt, ſolem, lunam, & ſtellas ſuſcepiſſe narratur. Erat igitur ſine lumine vſque ad hanc diem: præſertim cum aquis omnia continentibus nondum appareret arida. Tertia namque die dictum eſt. Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida. Nondum igitur arida apparebat: quia nondum firmamentum lumen habebat. Primum vero cœlum iam luce ſua fulgebat illa autem lux dies à Domino vocata eſt: dicente ſcriptura, vocauitque Dominus lucem diem; & tenebras noctem, dies autem ſine luce eſſe non potuit. Quo autem inſtrumento lux illius cœli, & illius diei facta ſit: cum nondum ſol, & luna, vel aliqua luminis inſtrumenta facta fuiſſent, dubitari poteſt. Legimus tamen quod mundus ille non egebat lumine ſolis quod & nox non erat illic, vbi enim Angeli ſunt, tenebræ eſſe non poſſunt. Nam de ſanctis dictum eſt, quod

D Fulgebunt ſicut ſol in regno Dei. Ipſe quoque diabolus tunc niger, & tenebroſus, propter nimiam claritatem prius lucifer vocabatur, Vbi igitur tot ſoles ſunt, iſte ſol ibi neceſſarius non eſt. Quoniam autem mundus iſte tertia die illuminatur eſt (primus enim mundus, vt modo diximus, ex quo factus eſt nunquam lumine caruit) hoc nobis ſignificare videtur quod tertia (vt ita dixerim) ætate, ſol iuſtitiæ ſaluator noſter natus de virgine mundum illuminauit. Primus ſiquidem dies fuit ab initio vſque ad Moyſen. Secundus à Moyſe vſque ad Chriſtum. Tertius vero à Chriſto Deo & Domino noſtro vſque ad finem ſæculi: Et tunc quidem populus gentium qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Quoniam Chriſtus ſol iuſtitiæ natus eſt eis. Cæteri vero dies qui præceſſerant vſque ad Chriſtum ſine luce fuerunt, Primum igitur cœlum, quod ſimul cum luce factum eſt (neque enim prius cœlum poſtea lux, ſed eadem die vtraque facta ſunt) non ad iſtum ſed ad illum mundum pertinet, Cuius ha-

E bitatores Angeli ſunt cuius, & viri ſancti poſt hanc vitam incolæ futuri ſunt. Per lucem autem, & tenebras, ſiue per diem, & noctem, bonos, & malos Angelos intelligere poſſumus, qui quoniam eadem die diuiſi ſunt, ſubitam malignorum ſpirituum ruinam ſignificare videntur, Vnde Dominus apud Beatum Ioannem Apoſtolum, & Euangeliſtam de eorum principe ait, quod ab initio mendax fuit & in veritate non ſtetit. Dicit enim ad Phariſeos. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit quia non eſt veritas in eo. Qui enim loquitur mendacium, ex proprio loquitur quia mendax eſt, & pater eius, noſtri quoque cœli ad ſimilitudinem firmamenti nequaquam ſimul & vocati, & illuminati ſunt, ſed iam tertio anno poſtquam vocati ſunt, ſancti ſpiritus illuminationem ſuſcipere meruerunt. Nondum enim (vt beatus Ioannes Apoſtolus ait) ſcripturas intelligebant, quod Chri-

F ſtum à mortuis, reſurgere oporteret. Erant igitur ſine lumine tanta adhuc oppreſſi caligine. Sicut ergo firmamentum illuminatum eſt die tertia, ſic & Apoſtoli, anno tertio illuminati ſunt. In eo etiam quod aquæ quæ ſunt ſupra firmamentum diuiduntur ab aquis quæ ſunt ſub firmamentum, firmamenti ſimilitudinem Apoſtoli habere videntur. In medio namque quodammodo poſiti, aquas ab aquis diuidunt, quia nouum à veteri ſeparant teſtamentum. Aquas enim ab Aquis Apoſtolus diuidit, quando veteris teſtamenti doctrinam, & Ritum interdicit. Ait enim. Ego Paulus dico vobis ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Littera enim occidit, Spiritus autem viuificat: Hoc enim firmamentum, iſti cœli nos docuerunt, quantum aquis legis, & Euangelij aquæ differant inter ſe ſe. Illi igitur ſunt illi cœli, qui enarrant gloriam Dei. Sed quo docente, quove inſtruente, dicat Pſalmiſta. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam. Dies igitur eſt ille, qui

G docet, dies igitur ſunt illi qui docentur. Ille qui docet, vnus eſt: illi qui docentur multi dies ſunt; ſed melior eſt dies vna in atriis Domini ſuper millia. Dies itaque Chriſtus eſt, dies Apoſtoli eius ſunt quoniam ipſe lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ; qui ſuis quoque diſcipulis ait. Vos eſtis lux mundi: ſi autem lux, & dies; ſic autem ſuperius ſcriptum, quia vocauit lucem diem, & tenebras noctem. Dies igitur eructat verbum Domini? quia Dominus Saluator noſter, vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum fidei doctrinam & verbum prædicationis diſcipulos docet, & Eccleſiam inſtruit, quæ quidem non immerito propter fidei vnitatem ſingulariter dies dicitur: quamuis multos in ſe, & pœne innumerabiles dies contineat, tot enim ſunt dies: quot, & ſancti. De quibus dicitur, Dies formabuntur, & nemo in eis. Nemo enim inter eos eſt niſi dies: nemo inter eos niſi clarus, & ſplendidus. Fulgebunt enim ſicut Sol in Regno Dei.

H Sed ô ſtultitia, ô impietas, ô inſania? Quamuis dies Diei eructet verbum: Quamvis ipſa veritas, per filium Dei, & per ipſam ſapientiam manifeſtetur, Sapientia enim prædicat in plateis, tamen nox non erubeſcit indicare ſuam ſcientiam, ſiue potius ſuam inſipientiam, nocti. Adhuc enim Scribæ, & Phariſæi prædicant: quia cæci ſunt, & duces cæcorum: ſeipſos, & alios ſecum in noctis ignorantiæ tenebras mergunt. Nox enim ſunt iſti cæci ſine luce, nihilque aliud quam tenebras habent. Ideoque nihil aliud quam errorem docent & prædicant. Dictum eſt autem qui ſint cæci, quid nuncient, à quo acceperint ea quæ narrant & nunciant: reſtat nunc vt audiamus quibus linguis, quibuſve ſermonibus ea annunciant. Non ſunt (inquit) loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Hoc eſt enim quod in actibus Apoſtolorum legitur. Quoniam loquebantur variis linguis Apoſtoli magnalia Dei. Omnibus linguis loquebantur, id eſt omnem ſcientiam docebant. Sed vbi? Vis audire vbi? In

omnem terram exiuit ſonus eorum : & in fines orbis terræ verba eorum. Et quid dicebant ? in ſole poſuit tabernaculum ſuum : & ipſe tanquam ſponſus, procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas ad currendum viam. In ſole inquit id eſt in luce, in claro, in manifeſto, poſuit tabernaculum ſuum id eſt carnem, & humanitatem ſuam, in qua velut in tabernaculo diuinitas occulta latebat, vt adimpleretur quod ſcriptum eſt. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri erat ſupra ſolem, & videri non poterat. Humiliauit ſe, & deſcendit, vt in ſole videretur, & per carnem quam aſſumpſit manifeſtaretur. Et ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo : exultauit ad currendam viam factus vt gigas, fortis videlicet, & inſuperabilis, & non ſecundum hominum opinionem, ſed ſecundum rei veritatem duplicis naturæ. Deus pariter, & homo. Gigantes enim ſecundum hominum opinionem, & dij, & homines eſſe putantur. Potentes à ſæculo ſicut ſcriptum eſt viri famoſi. Proceſſit igitur tanquam ſponſus de thalamo ſuo, quia non ſolus, ſed coniugatus de virginis vtero exiuit. In quo videlicet vtero Dei filius nuptias fecit, vxorem duxit, & priuſquam naſceretur, humanitatem noſtram ſibi coniunxit. Exultauit autem ad currendam viam : quia vt hominem redimeret, & ſaluaret ipſam cum gaudio ſuſtinuit paſſionem, & ipſe quidem veraciter dicere potuit. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Hic eſt enim ille beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit : qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. In hac via cucurrit ipſe, in hac exultauit : in hac & nos currere docuit. A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. Hoc eſt enim quod Dominus ait. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem, Denique à ſummo ad ſummum eſt occurſus eius ? quia per omnia æqualis eſt patri ſecundum diuinitatem : de quo & Daniel ait. Aſpiciebam in viſu noctis & ecce in nubibus cœli filius hominis venit : & datum eſt ei regnum, & honor & poteſtas, & vſque ad antiquum dierum peruenit. Vſque ad antiquum namque dierum perueniet Dominus quando ſimilis patri, & æqualis per omnia apparebit. Si enim eſſet aliquid ſecundum diuinitatem in quo differret ab ipſo, non vtique perueniret vſque ad ipſum. Peruenit igitur vſque ad ipſum quia in nullo diſtat ab ipſo. Beati illi cœli qui ſic enarrant gloriam Dei.

CAPVT III.

De Nubibus Nouis.

POſuit Dominus tenebras latibulum ſuum in circuitu eius tabernaculum eius tenebroſa aqua in nubibus aëris. Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt : grando & carbones ignis. Nouus mundus nouas tenebras habet, vetera tranſierunt & facta ſunt omnia noua. Iſte mundus Eccleſia eſt in qua cœli noui, & terra noua & homines noui, & omnia noua & munda ſunt. Quid igitur nubes, niſi Apoſtolos intelligamus. De quibus ſcriptum eſt. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas : Et cœli & nubes & montes & fontes, & multis aliis nominibus vocantur Sancti Apoſtoli propter quaſdam ſibi conuenientes ſignificationes. Sed quo volant, Dicat Pſalmiſta. In omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde veniunt. Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit. Iſtæ nubes pluunt ſuper bonos & malos ; & terram infœcundam & infructuoſam doctrinæ pluuiis fœcundam faciunt. Miſera illa terra, quæ harum pluuiis non irrigatur. Miſera Iudæa & ſynagoga : de qua ſcriptum eſt Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem. Vnde & Apoſtolus dicit. Vobis primum oportebat prædicari verbum Dei : ſed quoniam repellitis illud & indignos vos feciſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Volant igitur Apoſtoli quaſi nubes vbique compluentes, totam terram fœcundantes, ad fidem vocantes, miraculis coruſcantes, & fulgura in pluuiam facientes Fulgura namque in pluuiam fiunt quando miracula doctrinam ſequuntur. Sic enim de Apoſtolis in Euangelio dicitur. Quoniam profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Per nubes igitur Apoſtolos, per pluuiam doctrinam, per tonitrua voces, & per fulgura miracula intelligamus. Vnde etiam Iacobus, & Ioannes Boanerges, id eſt, filij tonitrui vocantur, quorum altiſonis vocibus quaſi magnis quibuſdam tonitruis mundus perterritus ab infidelitate ad fidem conuerſus eſt. Similiter & Bartholomeus filius ſuſpendentis aquas interpretatur. Mirabili enim, & ineffabili modo aquas in nubibus ſuſpendit. Quas videlicet aquas quomodo nubes eleuent, quomodo teneant quomodo fundant longe eſt ab humana ſcientia. At ſi vt Beatus Bartholomeus filius ſuſpendentis aquas noua nubes atque fœcunda de fonte vitæ, de fontibus Iſraël aquas haurit, ſalientes in vitam æternam : quas & tenere & fundere ſuo tempore nouit. His aquis irrigatur tota noſtra terra, lauatur corpus, & anima noſtra. Has autem nubes auſter Domini, & aquilo fugat, de quo ſcriptum eſt. Ventus Aquilo diſſipat pluuiam. Ab aquilone pandentur mala ſuper omnes habitatores terræ: Ponam (inquit diabolus) ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo. Ipſe eſt igitur qui nubes fugat qui ſanctos perſequitur : qui de infidelium ciuitatibus Apoſtolos pellit, & ad alias ciuitates fugere compellit. Hoc enim & ipſe Dominus eis præcipit. Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Sed ſi Dominus ſurgens à ſomno imperet ventis, & mari, illico fiet tranquillitas magna. Et dicetur Aquiloni: Surge aquilo, immo fuge, & veni Auſter, perfla ortum meum. & fluent aromata illius. Sunt ergo venti boni, & venti mali. Nubes bonæ, & nubes malæ. Malæ nubes hæretici, & ſchiſmatici qui non pluuiam, ſed grandines ferunt. Ex quibus ſagittæ & fulgura procedentia non vitia, ſed animas interficiunt. Boni venti de theſauris Domini producunt, de quibus dicitur. Qui producit ventos de theſauris ſuis. Talis ventus eſt, charitas, pietas, & miſericordia : cæteræque virtutes quæ de theſauris cœleſtibus producuntur. His autem feruntur nubes, his Apoſtoli ducuntur : iſtæ cogunt eos volare, mundum peragrare, & Euangelium prædicare, vnde & Apoſtoli non poſſumus non loqui ea quæ audiuimus, & ſcimus. Charitas enim Dei vrget nos. Valde conueniens eſt, vt talibus ventis tales nubes circumferantur. de quibus ſcriptum eſt. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te, timuerunt & turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum vocem dederunt nubes. Sed quomodo viderunt aquæ Dominum, vel quibus oculis eum videre potuerunt? quare etiam timuerunt. Quæ ſunt iſtæ aquæ ? inſenſibiles videre & timere non poſſunt, id eſt aquæ multæ, dicit ſcriptura, populi multi. Merito populi aquæ vocantur qui ſemper ad inferiora currunt, & ad mortem feſtinant. De Iordane tamen dicitur : Et tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum. Vſque inferius currebas: nunc te ad ſuperiora conſcendere video. Quid enim per Iordanem niſi populus baptizatus ſignificatur ? Ibi cœpit Baptiſmi Sacramentum. Ibi Dominus baptizatus eſt. Solus igitur iſte fluuius, ſolus populus Chriſtianus ſuperius aſcendit, & ad cœleſtia ſcandit, cæteræ vero aquæ, cæterique, populi in mare demerguntur, & in infernum præcipitantur. Iſtæ autem aquæ de quibus dicitur. Viderunt te aquæ, & timuerunt, bonæ aquæ eſſe videntur, quæ dominum cognoſcere, & timere meruerunt, vnde & turbatæ ſunt abyſſi, quia multitudo facta eſt ſonitus aquarum Hæc inquit fuit cauſa quod abiſſi turbarentur, quod infernus, & maligni ſpiritus formidarent, & confunderentur, quia aquæ illæ de quibus modo diximus, dominum viderunt, & timuerunt. Inſuper, & multitudo facta eſt ſonitus aquarum Deum laudantium, & confitentium & ſe ad fidem conuertentium. Hoc autem totum

A factum eſt, quia vocem dederunt nubes, quia Apoſtolorum tonitrua audita ſunt, quia verbi Domini ſagittæ torculatæ ſunt, & quia miraculorum coruſcationes viſæ ſunt. Hoc eſt enim quod ait. Etenim ſagittæ tuæ pertranſierunt, vox tonitrui tui, in rota, illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt, & contremuit terra. Quid eſt commota eſt, & contremuit terra, niſi hoc, quod modo dixit. Viderunt te aquæ Deus viderunt te aquæ, & timuerunt? Bene igitur commota eſt, & contremuit terra. Sic enim commoueri, & ſic tremiſcere ad ſalutem pertinet animarum. Vox autem tonitrui in rota facta eſt, quia Apoſtolorum prædicatio (ipſi enim ſunt tonitrua Dei) per totam huius mundi rotunditatem audita eſt. Iſti ergo ſunt, qui vt nubes volant. Iſtæ nubes claræ, præfulgidæ. Iſti ergo ſunt illi Cherubim ſuper quos Dominus aſcendit, & volauit ſuper pennas ventorum. Eſt qui prius poſuit tenebras latibulum ſuum, **B** ſiquidem obſcura & tenebroſa erat aqua in nubibus aëris, modo nubes lucidas & præfulgidas cunctis eſt gentibus manifeſtatus. Et quem antea ipſum ſuum tabernaculum videre non poterat, modo reuelata facie ipſi gentiles eum cognoſcunt; Cherubin autem ſcientiæ plenitudo interpretatur. Sicut igitur vocantur Apoſtoli nubes, quia fidei doctrinæque aquis abundant, ita etiam Cherubin vocantur, quia ſapientia, & ſcientia pleni ſunt. Super hos autem Dominus aſcendens volauit, quod gloriam ſui nominis cunctis gentibus per eos reuelauit, volauit autem ſuper pennas ventorum quia Principes, & ſapientes huius ſæculi in initio derelinquens; pauperibus & inſipientibus ſe manifeſtauit. Vnde Apoſtolus ait. Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi nobiles non multi ſapientes, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt perdat ſapientia, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, vt ea quæ ſunt, deſtrueret Egregie autem potentes huius ſæculi, & ſapientes venti vocantur, quia ipſi ſunt, qui hoc mare magnum, & ſpacioſum, id eſt mundum vbique ventilant & perturbant. **C** Latibulum autem Dei legis, & Prophetarum libri intelliguntur qui ideo quidem latibulum vocantur, quoniam Dei virtutem & ſapientiam, Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum ibi latentem Iudæi comprehendere nequiuerunt quamuis die noctuque eos legerent, & meditarentur in ea. Et hoc eſt quod ait. In circuitu eius tabernaculum eius. Tabernaculum Dei ſynagoga fuit, quæ circa hoc latibulum vſque hodie reſidens totum vitæ ſuæ tempus caſſo labore legendo conſumit, Vnde, & Dominus eis dicebat. Erratis non ſcientes ſcripturas neque virtutem Dei. Tenebroſa enim aqua eſt in nubibus aëris & valde obſcura ſcientia eſt in libris, prophetarum quæ niſi per ſpiritum ſanctum intelligi non valet. Noſtræ vero nubes claræ, & lucidæ ſunt, quarum pluuia ſuauis eſt, quarum doctrina melliflua eſt quarum prædicatio, & ſapientibus, & inſipientibus conueniens eſt. Et hoc eſt quod dicit. Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt. Quo autem tranſierint iam ſuperius dictum eſt. In **D** omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sic igitur volant, & ſic tranſeunt nubes Dei. Illis autem tranſeuntibus grando & carbones ignis vbique ſubintelligitur ſparſi ſunt. Iſtæ ſunt illæ nubes de quibus dicitur. Nunquid noſti ſemitas nubium, magnas, & perfectas ſcientias. Viæ namque nubium, magnæ, perfectæque ſcientiæ illæ ſunt, quibus nos Apoſtoli cœleſtia petere & æterna cuncta deſpicere docent. Has autem vias ſublimes & magnas, & ſcientias pluſquam perfectas, ipſe quoque Dominus atque ſaluator nos docuit dicens. Si vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo. Nam & ipſe nobis eſt ſicut de ipſo ſcriptum eſt. Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem & ingredietur Ægyptum, & corruent omnia ſimulacra eius.

E

CAPVT IV.

De Montibus Nouis

LEuaui oculos meos ad montes vnde veniet auxilium mihi. Et iſti montes noui ſunt, & de nouo mundo ſunt: ad quos oculos leuare, & à quibus auxilium expectare debemus. Iſti montes patriarchæ, & prophetæ, Apoſtoli, & doctores intelliguntur quia terrenis omnibus eleuati, & cœlo propinquiores eſt cti mundana omnia deſpiciunt. De quibus Dominus ait. Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & dicant montibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Iſti ſunt montes qui exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium, Sed quare exultauerunt quia à facie Domini mota eſt terra à facie Dei Iacob. Non ſicut lupi, & leones **F** aliæque beſtiæ exultauerunt quæ ſanguine gaudent, & de crudelitate viuunt. Talis eſt enim tyrannorum, & hæreticorum exultatio, ſed ſicut oues, ſicut agni, ſicut mites, & abſque macula exultauerunt Montes quidem, ſed non ſuperbi, colles ſunt ſed mites, & hoc quidem per arietes, & agnos ſignificatur. Lætantur autem quod commota eſt quia ab infidelitate ad fidem, & ad vitæ paſcua feſtinant peccatores. Sicut enim ſancti vocantur cœlum ita, & peccatores vocantur terra. Iſti ſunt montes æterni de quibus dicitur. A montibus æternis conturbati ſunt inſipientes corde. Cæteri montes non ſunt æterni. Præterit enim figura huius mundi. Cœlum, & terra tranſibunt. Iuſti autem, in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum. Ab his autem omnes inſipientes corde: Iudæi videlicet, & gentiles ore ſapientes, corde inſipientes philoſophice loquentes, & nihil intelligentes turbati ſunt. Quare turbati ſunt? Propter ſigna quæ videbant, & quia eis reſiſtere non valebant. Non enim ipſi loquebantur ſed ſpiritus ſanctus in **G** eis: quibus os, & ſapientiam Dominus dederat cui non poterant reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij eorum. Turbati ſunt igitur: alij bene & alij male. Alij credentes, & alij ſæuientes. Et propterea non timebimus dum conturbabitur terra, & transferentur montes, in cor maris. Quia Deus noſtrum refugium eſt, & iuſtus adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Quid enim cor maris niſi reges & principes cæterique potentes huius ſæculi intelligantur? Sic enim ſunt iſti in hoc mundo ſicut cor noſtrum in corpore noſtro. eorum conſilio credunt omnes eorum voluntati obediunt omnes. Iſti ſunt enim cor maris; illius videlicet maris de quo dicitur. Hoc mare magnum, & ſpatioſum illic reptilia quorum non eſt numerus. Quando ergo montes noſtri, montes æterni ſancti Apoſtoli videlicet transferuntur in cor maris, in huius pelagi profundam voraginem cum trahentur ante reges, & principes quando terræ conturbabitur, & Eccleſia perterrita contremiſcet, tunc vtique non erit timendum nobis, quia **H** Dominus refugium noſtrum eſt. Sonuerunt quidem, & turbatæ ſunt aquæ eius vnde ipſi quoque montes ad momentum conturbati ſunt in fortitudine eius. Sed neque ſic timendum quia Dominus adiutor noſter eſt in tribulationibus quæ innuenerunt nos nimis. Quanto maior tribulatio eſt: tanto amplior eſt & conſolatio. Sonabant aquæ maris: non vnus vel duo, ſed tota ciuitas in martyres fremebat: montes autem quid faciebant, quid in tanta tempeſtate martyres agebant? Conturbati ſunt inquit montes in fortitudine eius. Hoc eſt enim quod ait Apoſtolus. De tribulatione quæ facta eſt ei in Aſia quoniam ſupra modum grauatus eſt ſuper virtutem: ita vt tæderet eum etiam viuere. Et quid faciebat terræ mons iſte fortiſſimus cum tot & tantæ inſurgerent in eum procellæ. Audi ipſum dicentem. Quia neque mors, neque vita, neque aliqua fortitudo poterit me ſeparare à charitate Domini quæ in Chriſto Ieſu. Merito itaque ſupra tales montes Eccleſia fundata eſt, dicente ſcriptura. Fundamenta eius in montibus ſanctis. Vnde

& ipſe Dominus ait. Ego autem conſtitutus ſum rex à Deo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum Domini. Venite ergo aſcendamus in montem Domini, & ad domum Domini Iacob. Nam & ipſe Dominus mons vocatur, mons vtique Selmon, mons Domini, mons pinguis. Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos, vt Sina mons eſt iſte, in quo beneplacitum eſt Domino habitare in eo. Etenim Dominus habitabit vſque in finem. Et iſte quidem mons Dominus eſt, cæteri vero non Dominus, ſed currus Domini ſunt. Illis loquitur Propheta qui Heliam, & Hieremiam, & Ioannem Prophetam Chriſtum eſſe putabant. Præcedentia videamus vt hæc planius intelligamus. Dum inquit diſcernit cœleſtis reges ſuper eam niue dealbabuntur in Selmon. Quis eſt iſte cœleſtis? noſter Dominus Ieſus cœleſtium terreſtrium, & infernorum rex & Dominus. Qui dum diſcernit, diſponit, & ordinat reges & magiſtros ſuper Eccleſiam ſuam ea quæ ſuperius in hoc pſalmo continentur locutus eſt. Lege à principio pſalmum & intelliges. Iſti autem reges niue dealbabuntur. Quid eſt niue dealbabuntur; hoc eſt niuis candorem & pulchritudinem ſuſcipient. Hunc autem candorem & hanc pulchritudinem ſuſcipiunt ſancti, quando baptizantur, quando ſuper niuem dealbantur, & ab omni vitiorum macula mundantur. Hæc autem fit purificatio in Selmon, id eſt in Chriſto. Ipſe eſt enim qui lauat nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Nemo enim baptizatur. Nemo à peccatorum contagione mundatur niſi in ipſo & per ipſum. Quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Selmon imago fortitudinis vel vmbra offendiculi interpretatur. De Chriſto enim dicit Apoſtolus. Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius. Ipſe quoque lapis offenſionis eſt, & petra ſcandali in quo non illuminati, ſed cæci offendunt, qui non ipſum ſed eius vmbram intuentur, id eſt non diuinitatem, ſed ſolam eius humanitatem cognoſcunt. Vmbra enim non ſpiritus eſt, ſed corporis eſt. Hic eſt ergo mons Selmon, mons Domini, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Ipſa verborum replicatio manifeſtiſſime oſtendit quanta ſapiẽtiæ & ſcientiæ vbertate, quanta virtutum omnium fœcunditate, quantaque gratiarum pinguedine mons iſte abundet. In ipſo enim (vt Apoſtolus ait) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ipſe eſt flos de radice Ieſſe ſuper quem requieſcit ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus ſpiritus cõſilij & fortitudinis ſpiritus ſcientiæ & pietatis & ſpiritus timoris Domini. Stulti ergo ſunt qui illos alios montes quamuis coagulati ſint, quamuis pingues & vberes ſint, quamuis melle & lacte fluant, quamuis arbores multas nutriant, quamuis oues & boues & multa animalia paſcantur in eis, quamuis ſapientiæ & ſcientiæ fontes deriuentur ab eis. Stulti inquam ſunt qui illum montem hos eſſe ſuſpicantur: in quo beneplacitum eſt Domino habitare, non quaſi diuerſum in diuerſo, ſed quaſi idem in eodem. Vnde idem ipſe Dominus ait. Ego ſum in patre, & pater in me eſt, & ego & pater vnum ſumus. Illi vero alij non Dominus, ſed currus Domini ſunt milites Domini, equites & equi Domini. De quibus dicitur. Qui aſcendit ſuper equos tuos & quadrigæ tuæ ſaluatio. Sunt autem & alij montes per quos virtutes intelligimus, ad quos aſcendere nos oportet, ſi volumus videre Chriſtum pugnantem & vincentem, & diſcipulos eligentem. Si volumus eum videre de paucis panibus multa millia hominum reficientem, & ſi volumus ſimul cum Apoſtolis eum videre ſuper cœlos aſcendentem. Denique & quando transfiguratus eſt ſuper montem eum aſcendiſſe Euangeliſta teſtatur. Aſſumpſit enim Petrum, & Iacobum & Ioannem & duxit eos in montem ſeorſum, & transfiguratus eſt coram eis. Securus Abrahã in montibus habitauit. In planitie Loth ab hoſtibus captus eſt, ſed ab iis liberatus qui in montibus habitabant. Dauid quoque fugiens Saülem in locis tutiſſimis ſoliſque ibicibus peruiis demorabatur. Sic & Iacob immolaturus Domino, ſuper montem Bethel aſcendiſſe legitur. His igitur & ſimilibus edocemur ſi ſecuri eſſe volumus, ſi Domino placere & eius gloriam videre deſideramus ad montem nobis fugiendum eſſe. Multi ſunt montes, multæ ſunt virtutes, in quamcumque earum aſcenderis ſecurus eris. Abraham in monte fidei ſaluatus eſt, in monte mititatis Moyſes, in monte manſuetudinis Dauid, in monte patientiæ Iob, & in monte miſericordiæ Tobias ſaluati ſunt. Beata quoque virgo Maria in monte humilitatis ab Angelo inuenta eſt, ſicut ipſa ait. Magnificat anima mea Dominum, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Audiamus prophetam dicentem. Supra montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Siõ. Ego montem excelſum charitatem intelligo de qua Apoſtolus ait. Adhuc excellentiorem viam vobis oſtendo, ſequimini charitatem. In hunc igitur montem aſcendant qui euangelizant Sion. In hunc montem aſcendant predicatores Eccleſiæque Doctores. In hunc Beatus Petrus aſcenderat, quando ei Dominus oues ſuas commendauit. Prius enim ter à Domino de charitate interrogatus eſt prius charitatem ter profeſſus. Et ſic paſcendarum ouium curam ſuſcepit. In montem Oliueti frequenter aſcendere, & diſcipulos ſecum Dominus ducere conſueuerat, vt nos quoque in montem olei in montem pacis & miſericordiæ aſcendere, & illic manere gaudeamus, & inde Domino aſcendente viam notemus per quam poſt ipſum ſcandere valeamus. Sunt autem alij montes in quos aſcendere, & ad quos appropinquare periculoſum eſt. De Propheta ait. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ transmigra in montes ſicut paſſer? Et Dominus in Euangelio. Si habueritis, inquit, fidem ſicut granum ſinapis, montes quoque transferre poteritis. Mali montes in quibus Loth inebriatus filias proprias violauit. Mali montes Gelboe quos Dauid maledicens ait. Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos vbi ceciderunt fortes Iſraël, Saül & Ionathas. Gelboe lubricum interpretatur. Fiant (inquit, pſalmiſta) viæ eorum tenebræ & lubricum. Montes igitur Gelboe hæretici ſunt montes volubiles, montes lubrici & inſtabiles. In quibus quia veritas non eſt, facile cadunt quicunque in eos aſcendunt, eis credunt & ad eos confugiunt. Ibi ergo cecidere, ibi vſque hodie cadunt fortes Iſraël, ſicut ipſe Dominus ait. Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ & dabunt ſigna & prodigia multa ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poſſet) etiam electi, Talis mons fuit Arrius, talis Sabellius & Simon magus. Tales & multi alij, in quibus ipſi quoque Epiſcopi innumerabiles cecidere, Tales montes maledicti ſunt ſuper quos ſi ros cœleſtis gloriæ vel pluuia veræ ſpiritualiſque doctrinæ cecidiſſet, nequaquam maledicti eſſent. Hos igitur montes fugiamus, & ad montes Catholicos redeamus, ad montes æternos, ad montes pingues & vberes, & videamus agnum ſtantem ſuper montem Sion. & cum eo centum quadraginta millia. Ego, inquit conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius prædicans præceptum Domini.

CAPVT V.

De arboribus nouis.

POſtquam de montibus locuti ſumus conueniens erat vt de arboribus loqueremur. Sed quia ſatis (ſicut nobis videtur) de arboribus ſuperius diximus. Illo videlicet in loco vbi de bonis & malis arboribus Dominus loquitur, quibus boni & mali homines ſignificantur, eadem hic repetere non videtur neceſſarium, & facilius eſt chartas euoluere quàm eadem ipſa iterum ſcribere.

Vide caput octauum libri primi ſententiarum.

CAPVT VI.

De animalibus nouis.

A ADiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum vt non ſuſciteris neque euigilare faciatis dilectam quoadvſque ipſa velit. Numquam ſic filias Ieruſalem Salomon ſapientiſſimus adiuraſſet, niſi per hos ceruos & capreas aliud intelligere voluiſſet. Quis enim per iſtos adiuratus tali exorciſmo à propriæ voluntatis intentione reducatur? Quæ enim ceruis & capreis reuerentia exhibenda eſt, vt tanta per eos adiuratio fieri debeat. Noui igitur cerui & nouæ capreæ Apoſtoli videlicet & Doctores per iſtos intelligantur, quos quidem tanquam patres honorare & velut iis qui nos Domino genuere, omnem reuerentiam eis exhibere debemus. B Vnde Apoſtolus ait. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. Itemque. Et ſi multos pædagogos habetis, ſed non multos patres. In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui. Nihil igitur maius poſt Dominum inuenire potuit, cui filiæ Ieruſalem obedire debuiſſent. Sunt autem filiæ Ieruſalem animæ Sanctorum quæ pacem & concordiam diligunt. Siquidem Ieruſalem viſio pacis interpretatur, & omnem diſcordiam, lites & contentiones à ſe repellunt. Dilecta vero omnis anima intelligi poteſt quæ, per fidei Sacramentum Deo deſponſata & coniuncta eſt. Hæc autem dilecta tunc dormire dicitur, quando terrenorum omnium oblita quaſi ſuauiſſimo ſomno in ſola Domini contemplatione inſoporata quieſcit. A tali igitur ſomno eam ſuſcitare, & à tanta quiete ſeparare, & ad mundi curas velle reuocare perfectum eſt, niſi forte ipſa velit alio zelo commota & non aliqua vi, ſed fratrum precibus inclinata vt pro multorum ſalute Eccleſiaſtica regimina aliquando ſuſcipiat. C Hoc autem apertius in Euangelio ſignificatur vbi cum Martha dixiſſet ad Ieſum. Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Neque eam ſurgere coëgit, neque ſurgere vetuit illius voluntati derelinquens vtrum horum duorum potius elegiſſet. Hoc igitur exemplo tales viri rogari quidem poſſunt, cogi non poſſunt. Dicat ergo Propheta. Adiuro vos filiæ Ieruſalem filiæ concordiæ & pacis per capreas, ceruoſque camporum, quorum fide & doctrina ad hanc tantam gratiam perueniſtis, vt de malis ſeruis ſponſæ & filiæ vocemini vt non ſuſciteris, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. Nullam vim ei faciatis, in illius deliberationem, & poteſtatem omnia ponatis. Quando autem Apoſtoli ſicut cerui vel capreæ, vel vnicornes, vel cameli, vel onagri, equi vel boues, oues, vel arietes, vel hujuſmodi aliquid vocantur, tunc in illis animalibus quærendum eſt ſi fortaſſe tale aliquid in illorum natura D inueniatur quod virtuti conueniat, & Apoſtolicæ dignitati non ſit contrarium, Omnia enim hæc & bonam & malam ſignificationem habere poſſunt. Fertur quod Plato leues homines & inſtabiles capreas & ceruos vocare conſueuerat. Crudeles vero & immites, Leones. Pigros & fatuos aſinos. Luxurioſos vero porcos & hircos vocabat. Vnde factum eſt vt quidam ſtulti verba eius male intelligentes ad tantam inſaniam perueniſſent, vt homines in beſtias & beſtias in homines poſt aliquanta ſæcula conuerti crediderint. Hoc illi dixerint, nos autem quare Apoſtoli cæterique ſancti cerui, vel capreæ, vel tale aliquid dicantur videamus. Cerui namque & capreæ munda animalia & innocua ſunt, quæ cum multam ab aliis perſecutionem patiantur, nullam tamen aliis perſecutionem faciunt, præter hoc quod cerui ſerpentes interficiunt, quod quidem Apoſtolis conuenire maxime videtur, qui vitia & malignos ſpiritus perſequentes aliam diſcordiam habere neſciunt, cum ipſos ſuos diligant inimicos. Sunt autem cerui agiles ad currendum; ſed non quantum Apoſtoli qui paruo tempore non vnam tantum Prouinciam; ſed & totum mundum peragrarunt E Capreæ quoque quas Græci dorcadas vocant acutum viſum habere perhibentur, ſed acutiorem illi habent qui Deum ipſum & cuncta inuiſibilia mentis oculis contemplantur. Non ſunt itaque Apoſtoli cerui, ſed propter hæc & ſimilia cerui vocantur. Sicut enim vt ait. Pſalmiſta, Ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Ecce alia ſimilitudo propter quam anima iuſti, ceruus appellatur. Vocantur autem Apoſtoli & leones non quod ſanguine gaudeant & crudeles ſint, ſed quia fortiſſimi beſtiarum ac nullius timent occurſum Hoc enim de leone ſcriptum eſt. Nulli leones tam fortes quam Apoſtoli fuerunt, nulli tantas beſtias interfecerunt, nulli tantos in deſerto rugitus dederunt. De iſtis leonibus eſt etiam Marcus Euangeliſta. Iſti ſunt qui ſua fortitudine ſedem Salomonis, Eccleſiam Domini defendunt. Vocantur autem Apoſtoli & vnicornes, quoniam vno fidei cornu omnes ventilant poteſtates. Hoc F enim animal vnum cornu in fronte ſuper naſum habere dicitur. Vnde & Rhinoceros græce vocatur quatuor pedum altitudine ita validum & acutum vt nulla alicuius animalis fortitudo ei vnquam reſiſtere valeat, cum etiam ipſos elephantes eius impetu perforet & proſternat. Maior tamen fortitudo eſt in cornu & in fide Apoſtolorum quibus Dominus dedit poteſtatem, ſicut in Euangelio dicitur, calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Nulla virtus excipitur omnis virtus inimici hoc vno fidei cornu proſternitur. Sancti enim per fidem, vicerunt regna. Et omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum. Et hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra Hæc eſt igitur cauſa quare vnicornes Apoſtoli dicantur; & non ſolum Apoſtoli: verum etiam ipſe Dei filius vnicornis vocari non dedignatur. Vnde eſt illud. Et ædificauit ſicut vnicornis ædificium ſuum. Bene autem ſicut vnicornis, quia ipſe Dominus fortis & potens Dominus potens in prælio. Talis virtus & fortitudo neceſſaria fuit, vt tantum ædificium fundaretur. G Alibi quoque de eo ſcriptum eſt. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani Et comminuet eas tanquam vitulum libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium. Ecce attende quanta huius vnicornis ſit fortitudo, qui ſola voce tantas taleſque cedros confringere poteſt. Quid enim per has cedros, niſi mundi huius virtutes, & poteſtates intelligamus? quarum quidem aliæ bene, aliæ male confractæ ſunt, voce Euangelica ſuper eas intonante. Et illæ quidem bene confractæ ſunt, de quibus templum ædificatur, male vero quæ exciduntur, & in ignem mittuntur. Vitulus vero libani ille mihi eſſe videtur, qui in feſtiuis diebus ad templum oblatus, in fruſta diuiſus & comminutus, Domino offerebatur. Ad huius igitur ſimilitudinem arbores iſtæ comminuuntur, ſiue ſeipſos immolando Domino, ſiue in ignem mittantur iubente Domino. Vocatur autem libanus Ieruſalem, dicente Propheta. Aperi libane portas tuas & deuoret ignis cedros tuas. H Quando enim potentes Ieruſalem qui per cedros ſignificantur, in ipſa ciuitate ab hoſtibus trucidabantur, tunc etiam quaſi vitulus immolandus, cedri libani comminuebantur. Quod autem Sequitur. Et dilectus filius ſicut vnicornium, tale eſt ac ſi diceret. Dilectus Dei filius ſic veniet: ſic pugnabit, ſic ſua fortitudine cuncta proſternet, & ſuperabit, ſicut vnicornis vnicorniumque filius. Nam & Dauid cæterique Reges & Iudices Iſraël, ex quibus ſecundum carnem Saluator noſter originem traxit, quaſi vnicornes omnes gentes circa ſe ſua fortitudine vicerunt, & proſtrauerunt. Dicitur autem de vnicorne quod nullo ingenio capi vel teneri queat: ſed virgo ſpecioſa opponitur ei ad quam cum omni manſuetudine conueniens, dum in eius ſinum ſe humiliat à venatoribus capitur, vel tenetur. Similiter autem & Saluator noſter numquam teneri potuiſſet niſi in virginem veniſſet, & carnem de ea ſuſcepiſſet. Vocantur autem & Apoſtoli Onagri, aſini Sylueſtres. De quibus ipſe Dominus ad Beatum Iob loquitur, dicens. Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula in

A terra ſalſuginis : Contemnit multitudinem ciuitatis,cla-
morem exactoris non audit. Circumſpicit mõtes paſcuæ
ſuæ & virentia à quæque perquirit. Hæc autem ſuperius
expoſuimus in illo ſermone, qui de abſtinentia editus
eſt. Et quod viri ſancti onagri dicantur ſatis hæc verba
aperte manifeſtare videntur. Et qui præterea & boues
vocantur Apoſtoli, quoniam per ipſos & bella ſua fecit,
& agrum ſuum coluit Dominus. Nullum animal tam
idoneum ad bellum ſicut equi, nullum tam idoneum ad
agriculturam ſicut boues,inuenitur. Iſti ſunt illi equi de
quibus dicitur. Qui aſcendis ſuper equos tuos,& quadri-
gæ tuæ ſaluatio. Hos ille equus albus ſignificat in Apo-
calypſi ſuper quem Dominus cum arcu ſedere deſcribitur
cui corona datur,quia ad hoc exiuit vt vinceret. Iſti ſunt
de quibus ſcriptum eſt. Neſciui. Anima mea conturbauit
me propter quadrigas Aminadab, Interpretatur enim
Aminadab,ſpontaneus populi ſui:Ipſe eſt autem Saluator
noſter qui ſpontaneam mortem ſuſtinuit, vt populum
ſuum à morte perpetua liberaret. Hunc autem ſynagoga
B non cognouit,quia ſicut ipſa dicit, cum vili apparatu &
ruſticano comitatu eum incedere vidit. Iſti ſunt illi duo-
decim boues à quibus mare æneum portatur. per quod
baptiſma ſignificatur. Iſti ſunt de quibus Apoſtolus ait.
Non alligabis os boui trituranti. Canes quoque vocan-
tur Apoſtoli, quoniam oues Domini contra lupos, la-
troneſque cuſtodiunt. De quibus dicitur. Lingua canum
tuorum ex inimicis ab ipſo. Vocantur autem & arietes
de quibus ſcriptum eſt. Omne pecus cedar congregabi-
tur tibi,arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi. Et Salomon,
Aries,inquit, ſuccinctus renes non eſt rex qui reſiſtat ei.
Quales ſunt iſti arietes qui & Domino miniſtrant, &
contra reges pugnare non timent?Tales arietes ſunt Pe-
trus & Paulus qui gladio ſpiritus ſuccincti, Neronem
ipſum regem omnium nequiſſimum & crudeliſſimum
ſuperauerunt, & Simonem Magum de aëre præcipitaue-
runt. Interpretatur autem Nabaioth Propheta principij:
illius videlicet principij qui ait. Ego principium qui &
loquor vobis. De cuius prophetia, quicunque biberit
C valde dignum eſt vt Domino miniſtret. Si velimus om-
nia animalia per quæ Apoſtoli figurantur ſcribere, non
ſermonem, ſed magnum volumen nos edere oporteat.
Addat igitur vnuſquiſque ad hæc quod ſibi placuerit,no-
bis autem tantula dixiſſe ſufficiat.

CAPVT VII.

De Poteſtatibus Nouis.

ECce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid
ergo erit nobis? Vos, inquit, Dominus qui reliqui-
ſtis omnia centuplum accipietis in hac vita & poſthæc
vitam æternam poſſidebitis. Et quia ſecuti eſtis me,ſede-
bitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tri-
bus Iſraël. Nouus mundus, nouum imperatorem,nouos
reges, nouos duces, nouos principes, & iudices ha-
bet. Noui autem reges, duces, principes, & iudices
D Apoſtoli ſunt. Et in Domino quidem noui, quia omni-
bus mundi huius poteſtatibus quæcunque fuerunt, ſunt
vel erunt ſapientiores, potentiores, fortiores, iuſtiores,
& ditiores ſunt. Sapientiores quidem ſunt, quia omnem
virtutem edocti ſunt ſicut ipſe Dominus ait. Cum autem
venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem verita-
tem. Sapientiores item ſunt, quia os & ſapientiam à Do-
mino ſuſceperunt, cui non poſſunt reſiſtere, nec contra-
dicere omnes aduerſarij eorum. Vnde Apoſtolus ait. Sa-
pientiam loquimur inter perfectos. Sunt autem & po-
tentiores:quia non ſolum in terris,verum etiam in cœlis
obtinent poteſtatem. Sic enim ipſe Dominus ait. Quæ-
cunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis,
& quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in
cœlis Non ſufficit eis terra, ipſi cœli in eorum principa-
tu & imperio continentur. Habent poteſtatem claudere
cœlos & aperire, ſuſcipiunt quos volunt, quoſque vo-
lunt excludunt. Quid de eorum fortitudine dicam, quos
E ipſi etiam maligni ſpiritus formidant? Eis quippe venien-
tibus fugiunt & ante eorum præſentiam ſtare non poſ-
ſunt. De diuitiis autem quid attinet dicere, cum tam
diuites ſint, vt nihil amplius habere concupiſcant? Sunt
enim vt Apoſtolus ait. Sicut egentes, multos autem lo-
cupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſſi-
dentes. Ille ditiſſimus eſt cui ſua ſufficiunt. Sola neceſ-
ſaria habebat Diogenes, & cunctis imperatoribus ditior
erat, quia nihil amplius habere volebat. Pauper eſt qui
mendicat, mendicant autem Imperatores, non quidem
voce (quamuis aliquando & voce) ſed deſiderio, quia
huiuſmodi pro vna domo quam habent, centum deſi-
derant. Contra autem Dominus ait. Vos qui reliquiſtis
omnia centuplum acipietis in hac vita, quia ſatis habe-
bant & nihil amplius cupiebant. Ipſa autem ſufficientia
pluſquam centuplum computatur. Suſceperunt igitur
ſancti non ſolum centuplum. Verum etiam pluſquam
F centuplum, quia cum Chriſto adhærent omne ipſorum
deſiderium finitum eſt, quod eis auaritia ſuſcitare pote-
rat. Maior eſt ſufficientia omnibus diuitiis. Qui igitur
ſufficientiam habet, omnes & pluſquam omnes diuitias
habet. Habent ergo non ſolum centuplum,verum etiam
pluſquam centuplũ.Sequitur. Vos qui ſecuti eſtis me,ſe-
debitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus
Iſraël. Illi ſoli digni ſunt iudicare qui ſequuntur Ieſum.
Qui eadem poſt ipſum via incedunt. Qui veritatem &
iuſtitiam diligunt, & hominis perſonam non reſpiciunt.
Tales ſunt iudices noſtri, tales ſunt ſancti Apoſtoli qui
ſedentes ſuper ſedes duodecim, iudicant duodecim tri-
bus Iſraël.Sed quare ſuper ſedes duodecim? Quia totidem
ſunt mundi partes ſecundum illud,quando diuidebat al-
tiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſti-
tuit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſ-
raël. Duodecim igitur mundi partes fecit, quia tantus
eſt numerus filiorum Iſraël.Hanc autem diuiſionem tunc
Dominus fecit quando ad prædicandum diſcipulos ire
G præcepit dicens eis. Ite in mundum vniuerſum prædicate
Euangelium omni creaturæ. Nullam mundi partem re-
liquit qui mundum vniuerſum prædicari iuſſit. Sic igi-
tur diuiſit Dominus gentes & ita ſeparauit filios Adam,
vt alij per Petrum, alij per Ioannem, atque alij per alios
conuerterentur ad fidem. Hoc autem & illud ſignificare
videtur quod in pſalmis de Chriſto legitur, Pro patribus
tuis nati ſunt tibi filij.Conſtitues eos principes ſuper om-
nem terram. Pro patribus enim Saluatori noſtro filij na-
ti ſunt, quia ſecundum numerum patrum factus eſt &
numerus filiorum. Duodecim quippe fuerunt filij Iacob
ex quibus Synagoga tota manauit. Duodecim ſunt, &
filij Chriſti ex quibus Eccleſiæ multitudo pullulauit.Non
dedignatur Saluator noſter eos dicere patres, ex qui-
bus ſecundum carnem originem duxit. Audi ipſum di-
centem. In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt &
liberaſti eos. Vocantur igitur Apoſtoli & reges & prin-
cipes, vocantur autem duces & iudices, vocantur &
aliis nominibus quæ viris conuenire valeant. O iudices
H ſuper omnes iudices qui non ſolum homines, ſed ipſos
quoque Angelos iudicabunt. Hoc enim & Apoſtolus
dicit. Neſcitis quia & Angelos iudicabimus, in illo
tremendo iudicio, cui omnis rationalis creatura aſtabit,
quando & Angeli & homines ſimul omnes in vnum
conuenient, quando nobilis in portis Eccleſiæ ſponſus
& Dominus cum his Senatoribus terræ iudicibus ſede-
bit. Ille quoque ſuperbus cum omni ſuo exercitu ibi
aſtare neceſſe habebit, qui ſupra cœlos aſcendere & ſe-
dem ſuam ponere minabatur. Ad iſtorum ſententiam
damnabitur ille qui eos ipſos qui ſibi ſeruiunt & quos
in peccato viuere conſulit quotidie accuſare non ceſſat.
Iſti ergo ſoli reges & principes. Iſti ſoli duces & iu-
dices dicendi ſunt. Iſti ſunt de quibus dicitur. Princi-
pes Iuda duces eorum. Princeps Zabulon, & princeps
Neptalim. Iſti ſunt illi reges de quibus dicitur. A templo
tuo in Hieruſalem tibi offerent reges munera. Sunt au-
tem Apoſtoli & paſtores, non qui oues paſcant herbis.
ſed qui animas reficiant ſpiritualibus verbis. Si paſtores
ſunt & oues habent. Oues eorum nos ſumus, ſi tamen

A oues ſumus. Si vero oues non ſumus de eorum gregibus non ſumus, quoniam iſti paſtores non cuſtodiunt niſi oues Vnde & Petro à Domino dicitur. Si diligis me paſce oues meas. Et Dominus de ſeipſo ait. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Vis eſſe ouis? Eſto humilis & innocens: eſto patiens & manſuetus. Pelle ſuperbiam & rapacitatem, nulli noceas, nulli iniuriam facias, lacte tuo viuant pauperes Chriſti, & lanis tuis caleſiant. Tales paſtores tales oues diligunt. Sunt autem negociatores, & tales qui terrena cœleſtibus & tranſitoria æternis commutare valeant. Iſti ſunt illi negociatores qui inuenta vna precioſa margarita, venditis omnibus eam emerunt. Iſti ſunt quibus Dominus peregre proficiſcens tradidit bona ſua dicens. Negociamini dum venio Cui redeunti omnem pecuniam multiplicatam reſtituunt. Vnde & vnicuique eorum Dominus congratulans ait. Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. De Eccleſia ſcriptum eſt, quia facta eſt quaſi nauis negociatoris, ſeu inſtitoris, de longe portans panem ſuum Iſti negotiatores neminem fallunt, & incomparabiles magnaſque diuitias vili precio vendunt. B Architecti quoque ſunt ſancti Apoſtoli nó inferiores Beſeleel & Ooliab, quos omni ſapientia Dominus impleuit ad tabernaculum teſtimonij conſtruendũ. Illorũ ſtructura & operatio iam nimia vetuſtate conſumpta & ſoluta eſt, horum autem ædificium manet in æternum. Illi auro & gemmis, iſti virtutibus induunt. Sacerdotes De quibus dicitur. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent. Illi tamen iſtos figurabant, quorum operatio ſi ſpiritualiter intelligatur, non illorum, ſed iſtorum eſt. Qualis Architectus Beatus Paulus qui de ſeipſo loquitur dicens Secundum gratiam quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus fundamentum poſui. Fundamentum autem aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Et vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. C Si cuius opus manſerit, qui ſuperædificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Hæc verba longa indigent expoſitione, in quibus iam à pluribus laboratum eſt. Ego tamen quod intelligo breuiter dicam. Fundamentum Chriſtus eſt, ſuper quod tota Eccleſia & boni & mali fundati ſunt. Vnde ipſe Dominus ait. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Oſtendens etiam malos palmites per baptiſmi ſacramentum in ſe eſſe fundatos. Et quamuis aliquando tollendi ſunt, adhuc tamen in Chriſto ſunt, quoniam in Eccleſia ſunt. Aurum autem, argentum & lapides precioſi bona opera ſunt, lignum vero fœnum & ſtipula peccata intelliguntur. Magnam igitur iniuriam facimus huic tam nobili fundamento, quando illud in nobis peccata noſtra portare & ſuſtinere cogimus De ipſo tamen ſcriptum eſt, quod peccata noſtra portauit & pro nobis dolet. Suſtinet enim & libenter expectat, tantum vt conuertamur & pœnitentiam agamus, & ſarcinam inutilem abiiciamus. D Quod ſi fecerimus ſalui erimus, ſic tamen quaſi per ignem. Quicunque enim digne conuerſus fuerit & pœnitentiam egerit, non ſolum à minoribus, vt quidam intelligere voluerunt, verum etiam à maioribus peccatis liberabitur, & ſaluus erit. Omne enim peccatum dicit Dominus & omnis blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ, per quam in malo perſeueratur intelligitur, non dimittetur. Ecce omne peccatum dimittitur, dicit Dominus, vnum tantum excipitur quod illi quidem faciunt qui pœnitere nolunt. Dimittitur quidem per pœnitentiam omne peccatum, ſed non penitus dimittitur pœna peccati. In baptiſmo vero vtrumque dimittitur. De martyribus quoque nulla poſt martyrium pœna exigitur. Potens eſt igitur Dominus & breuiare quantum voluerit & penitus dimittere cui voluerit & pœnam peccati. Beatus igitur ille cui non imputauit Dominus peccatum. Gaudeant itaque pœnitentes quia peccata dimiſſa ſunt eis, E timeant tamen quia neſciunt an adhuc pœna peccati dimiſſa ſit eis. Quacunque enim die conuerſi fuerint, ſi tamen digne conuerſi fuerint, ſalui erunt. Et hoc quidem per ignem. Salui igitur ſunt, ſed ignis manet, peccatum dimiſſum eſt, ſed non pœna peccati. Legimus quoſdam poſt mortem miraculis claruiſſe, & tamen purgatorio deputatos fuiſſe. De quibus dubitari non poteſt, & peccata eis dimiſſa fuiſſe, & pœnam peccati dimiſſam non fuiſſe. De talibus igitur dictum eſt, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe vero ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem. Cæteri vero homines quorum opera ardebunt, non vtique ſaluabuntur per ignem ſed potius æternum mittentur in ignem. Cæteri inquam omnes præter eos qui pœnitentiam egerunt de peccatis ſuis. Pœnitentiam agere dico ſine pœnitentiæ remedio de hac vita non exire. Qui enim ſine pœnitentia moriuntur, ſine fine cruciabuntur. Hoc eſt enim illud vnum peccatum quod non dimittitur hominibus, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. F Vigilate itaque dicit Dominus, quia neſcitis diem, neque horam. Sunt autem & alia nomina Apoſtolis valde conuenientia quæ his quæ dicta ſunt ſuperaddere poteſt qui longiorem vult facere ſermonem.

CAPVT VIII.

De Mari Nouo, Et Nouis Piſcatoribus.

HOc mare magnum & ſpatioſum: illic reptilia quorum non eſt numerus. Animalia puſilla & magna: illic naues pertranſibunt. Narrat Mathæus Euangeliſta quod Dominus & Saluator noſter tranſiens iuxta mare Galilææ vidit Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, & vocauit eos dicens. Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Quando audio homines piſces vocari, & Chriſti diſcipulos piſcatores hominum fieri G quod ad litteram quidem intelligi non poteſt, neceſſario nouum mare, & noua retia, nouos piſcatores, & nouos piſces intelligere cogor. Nouum igitur mare mundus iſte eſt, de quo modo ſuperius diximus. Hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus Retia Euangelia, piſces homines, piſcatores vero Apoſtoli ſunt. Tantum eſt hoc mare quantus & mundus, in quo animalia magna ſunt & vt in Geneſi legitur Cete grandia, per quæ reges & principes cæterique maiores & potentiores homines intelliguntur. Puſilla vero animalia & reptilia quorum non eſt numerus, cætera hominum multitudo infinita vniuſcuiuſque ſexus, cuiuſcunque ætatis, cuiuſcunque ordinis & conditionis, cuiuſcunque linguæ & nationis intelligi poteſt. Sicut autem piſces maris alij mites ſunt & ſimpliciter viuunt, alij vero raptores ſunt qui alios perſequuntur & deuorant, ita & in hoc mundo inter homines fieri videmus, & ſimplicem turbam à latronibus & iniquis hominibus quotidie deuorari multiſque modis perturbari conſpicimus. H Eſt autem in hoc mari & draco ille magnus, ſerpens antiquus qui eſt diabolus & ſatanas, quem Dominus, formauit ad illudendum ei. De quo & ad Beatum Iob ipſe Dominus loquitur dicens. Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedit. Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi. Creatura Domini eſt diabolus, ipſe eum formauit, ipſe eum fecit, ſed non qualis eſt, talem eum fecit. Quod enim ait: draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, non de prima eius creatione intelligendum eſt, ſed quia per ſuperbiam eleuatus in veritate non ſtetit, talis poſtquam cecidit, eſt formatus. Ideo ad talem formam talemque ſuæ; infirmitatis menſuram redactus eſt, cui iam homines illudere poſſunt. Niſi enim ſic ligatus à Domino teneretur, quis illius ſuperbiæ aſtutiæque reſiſtere potuiſſet? Vnde & dicitur. Qui fecit eum, applicabit gladium eius. Si enim gladius eius plicatus

non

[A] non fuiſſet, quis tanti acuminis vulnera ferre potuiſſet? Gladij igitur applicatio virtutis illius infirmitatem oſtendit. Omnes autem illi illudunt, quicunque eum fugiunt, & ad pœnitentiam redeunt. Quoniam bene Beatus Paulus ei illoſit, qui cum Eccleſiam perſequeretur in ore eius, & intra illius dentes iam ſtringebatur, mox ad fidem conuerſus triſtem eum reliquit. Sic & Maria Magdalena eum decepit, quæ conuerſa ad Dominum optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vno ſermone illuditur ei, & vno verbo iam deuorata de ipſo eius ventre reiicitur præda. Sufficit peccatrici ſuam culpam dicere, & ab eo vlterius teneri non poteſt. Valde ergo illuditur ei multumque complicatus eſt gladius eius. Vocatur autem Behemoth quod beſtia interpretatur quoniã crudelis eſt & ſenſu beſtiali vtitur. Angelica namque dignitate priuatus beſtias crudeliſſimas per omnia imitatur. Ecce, inquit, Behemoth, quem feci tecum, quem feci ſicut & te (vnus eſt enim vniuſque creator) fœnum ſicut bos comedit. Dicat propheta. Verè fœnum eſt populus, [B] ſiccatum eſt fœnum & cecidit flos. Non ergo viros & ſapientes, ſed populum ſtultum & indiſciplinatum comedit Behemoth. Ipſe eſt enim principiũ viarum Domini. Ipſe ante alias creaturas factus eſſe creditur, quod ſic tamen intelligi poteſt, ac ſi diceretur, ipſe eſt cauſa atque principium vt via Domini quæ vna erat, in duas vias diuideretur, vt iam non omnes per vnam viam cœlos aſcenderent, ſed alij per aliam viam in infernum deſcenderent, dum aliis dicatur. Ite, aliis dicatur venite. Et huic montes herbas ferunt. Mali montes qui diabolum nutriunt & draconi cibum miniſtrant. Cibus diaboli & refectio eius peccatum eſt. Qui plus peccat, maiora ei conuiuia parat. Nulli igitur ſic ei ſeruiunt ſicut mali reges & principes, ſicuti omnes auari & diuites qui per montes ſignificantur, Iſti enim non ſolum peccant, ſed & alios ſecum peccare compellunt. Conſidera modo quanta homicidia, quantæ rapinæ, quanta perturbatio per eos vbique fiat. Vnde & bene ſubditur. Omnes beſtiæ agri ludunt ibi. Beſtiæ agri vitia ſunt & maligni ſpiritus. [C] Iſtæ igitur beſtiæ ludunt ibi ideſt in montibus ſupradictis in cordibus videlicet iniquorum. Ibi delectantur, ibi ſuauiter requieſcunt, ibi theatra faciunt, & palátia conſtruunt. Illuc ſocios introducunt; vt faciant eorum nouiſſima peiora prioribus. Miſera illa pectora, miſeræ illæ animæ quæ tam crudelium beſtiarum habitatio facta ſunt. Tales piſces habitant in hoc mari vbi reptilia, quorum non eſt numerus. vbi animalia puſilla & magna, vbi & draco iſte quem Dominus formauit ad illudendum ei. De quibus vſque modo locuti ſumus. In magnum & profundum pelagus mittuntur piſcatores populi: qui in hoc mare piſcatum veniunt. Difficilis piſcatio eſt vbi & pugnare & piſcari neceſſe eſt. Hinc ponunt retia ad piſces capiendos. Inde gladios extendunt ad hoſtes pellendos. Quid dicam, quod quidam piſces ſua ſponte capiuntur & retia ingrediuntur, qui poſtea eadem retia ſcindere & diſſipare nituntur? Tales piſces fuere Arrius, Sabellius, & Manichæi & multi alij qui Apoſtolicam prædicationem & Catholicã fidem euacuare conati [D] ſunt. A quibus Sancta Eccleſia naueſq; Apoſtolicæ magis fatigatæ & concuſſæ ſunt quam ab ipſis etiam tyrannis, qui cruentis eas gladiis perſequebantur. Hanc tam immenſam perturbationem præuiderat propheta cum diceret. Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Statuit procellam eius in auram & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt quia ſiluerunt, & eduxit eos in portum voluntatis eorum. Paucis verbis Apoſtolorum prædicationem, miraculorum efficaciam, tyrannorum ſæuitiam & cœlitus datam conſolationem Pſalmiſta comprehendit. Quando enim Sancti Apoſtoli [E] aliique Doctores in huius maris profundiſſimum pelagus ad prædicandum deſcendebant facientes operationem in aquis multis, ideſt in populis multis, per ſingulas videlicet ciuitates, mortuos ſuſcitantes, cœcos illuminantes, leproſos mundantes, paralyticos curantes, & alia mirabilia facientes, tunc ipſi viderunt opera Domini & mirabilia eius quæ in hoc profundo Dominus per eos operabatur. Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ & exaltati ſunt fluctus eius. Eo namque iubente ſtetit, ideo non tranſiit, ſed perſeuerauit ſpiritus procellæ. Ipſe eſt enim de quo ſcriptum eſt. Ego Dominus qui conturbo mare & intumeſcunt fluctus eius. Sic igitur & tunc eo iubente turbatum eſt mare & exaltati ſunt fluctus eius, alij bene, alij malè. Alij per ipſos, alij contra ipſos. Alij dicebant, dimittantur quia boni ſunt, alij dicebant, occidantur quia mali ſunt. Alij videntes ſigna quæ faciebant Deos eos vocabant, & vſque ad cœlos laudibus exaltabant, alij indignantes & ſuper eos impetum facientes in abyſſum mergere conabantur, & hoc eſt quod ait: Aſcendit vſque ad [F] cœlos & deſcendit vſque in abyſſum. Vnde & anima illorum in malis tabeſcebat tantos aliquando cruciatus ferre non valens. Inde eſt quod Apoſtolus ait. Nolo vos ignorare fratres de perſecutione quæ facta eſt nobis in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ita vt tæderet nos etiam viuere. Turbati ſunt itaque & moti ſunt ſicut ebrius non calice vini inebriati, ſed calice paſſionis & afflictionis. Et omnis ſapientia eorum deglutita eſt ſicut & beatus Iob de ſeipſo loquitur dicens. Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. Bonæ namque cogitationes quibus vir Sanctus in Dei contemplatione vacare ſolebat, tantarum anguſtiarum afflictione diſſipatæ erant. Tantaque erat vis paſſionis & doloris numeroſitas, vt nihil aliud cogitare poſſet. Sic igitur & in hoc loco omnis eorum ſapientia dolorum immenſitate aliquando deglutita eſt Cumque eam ferre non poſſent clamauerunt ad Deum & exauditi ſunt, & eduxit eos Dominus in portum voluntatis eorum. Aliquando enim nec ipſa tormenta ſentiebant quæ illis ab impiis inferebantur. Quod bene [G] quidem in Euangelio ſignificatum eſt quando diſcipuli clamantes dixerunt. Domine ſalua nos perimus. Qui ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Hæc autem maris huius tam immenſa perturbatio à temporibus Apoſtolorum vſque ad tempora Conſtantini Imperatoris Sanctam Eccleſiam inſtanter perturbauit, & vix aliquando quieuit. Inde vero pax & tranquillitas facta eſt, Chriſti piſcatores quieti & ſecuri, vbique piſcari & ſagenam ad terram trahere cœperunt. De qua in Euangelio dicitur. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta fuiſſet educentes & ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſere. Sed nondum ſagena plena eſt, adhuc piſces ingrediuntur, cum autem plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet, tuncque malis piſcibus reprobatis, boni ad vitam ducentur æternam.

[H] CAPVT IX.

De Auibus Nouis.

LEgimus in Geneſi Dominum præcepiſſe vt aquæ producerent, & piſces in genere ſuo, & aues ſecundum ſpecies ſuas. Et factum eſt ita. Benedixitque eis Deus & ait. Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aueſque multiplicentur ſuper terram. Piſces & aues vnam originem habent & vtraque ex aquis creata ſunt. Alteri profunda petunt, alteræ ad cœleſtia eleuantur. Boni ſunt illi & illæ, quia inter omnes alias creaturas iſti primam benedictionem ſuſcipere meruerunt. Per hos igitur viri Sancti ſignificantur qui ex aquis regenerati ſunt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, in regnum Domini non intrabit, qui & profunda ſcripturarum quæ per aquas ſignificantur, penitus rimantur,

A & virtutum alis ad cœleſtia eleuantur. Sed ſatis de piſcibus, modo ſuperius locuti ſumus. Dignum eſt vt de auibus amodo loquamur. Niſi per iſtas aues quæ ante nos volare videmus aliæ aues ſignificarentur, longè melioris dignioriſque naturæ, nunquam Eccleſia columba vocaretur dicente Domino. Vna eſt columba mea. Nunquam Ioannes Euangeliſta Aquila diceretur. Nunquam Dauid rex & Pellicanus, & nycticorax, & paſſer vocaretur ſicut vocatur teſtante ſcriptura. Similis factus ſum Pellicano in ſolitudine, & ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer vnicus in ædificio. Et non ſolum homines, verumetiam ipſi Angeli auium ſpeciem atque naturam ſuſcipere videntur. Vbique alatos & pennatos eos eſſe videmus. Volare quoque magis quam incedere deſcribuntur, quod auium quidem proprium eſt. Vela quoque tabernaculi opere plumario facta leguntur. Et quatuor animalia in Ezechiele & Apocalypſi plena oculis ante & retro ſenas ha-
B bere alas ſcribuntur. Et primum quidem animal ſimile eſt homini, ſecundum ſimile leoni, tertium vero ſimile vitulo, quartum autem ſimile eſt aquilæ volanti. Similiter autem & Iſaïas. Vidi (inquit) Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & plena erat omnis terra maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Aues igitur in mari, aues in terra, aues in cœlo, & aues ſuper cœlum. Omnia elementa nos volare docent, omnia nos ad ſuperiora & ad cœleſtia prouocant. Quis igitur mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Iam aues facti ſumus, quia in aquis regenerati ſumus. Alæ ſolummodo deſunt nobis, illas quæramus, quoniam ſine alis & pennis volare non poſſumus. Penna Struthionis ſimilis eſt pennę accipitris & Herodij qui inter alias aues velociſſimi ſunt. Struthio vero propter alarum infirmitatem à terris ſe eleuare non valet. Habet igitur alas, ſed infirmas, habet pennas debiles. Tales ſunt hypocritæ & hæretici, qui accipitres & Herodij eſſe vi-
C dentur, ſed Struthiones ſunt, neque habent alas, quibus volare valeant, vel ad cœleſtia erigantur. Alæ itaque virtutes ſunt, alæ bona opera intelliguntur, ſine quibus volare non poſſumus. Ipſæ nos ferant, ipſæ ad cœleſtia eleuent. Habes humilitatem, ala tibi eſt. Habes miſericordiam, ala tibi eſt. Habes patientiam, ala tibi eſt, quot virtutes habes, tot alas habes. Si habes charitatem vt Deum & proximum diligas, duas alas habes quæ tibi ad volandum ſufficere poſſunt. Seraphim tamen & quatuor animalibus non ſufficiunt duæ alæ, ſenas enim habent, quoniam aliis volant, aliis capita pedeſque tegunt. Per caput & pedes initium & finem intelligimus. Velant igitur animalia caput ſuum, ne fortè ab eis quærere velimus ea quæ ante mundi initium facta ſunt. Velant autem ſimiliter & pedes quoniam ea quæ poſt mundi finem in hoc mundo futura ſunt, nequaquàm nobis pandere volunt. Vnde & Iſaïas Deos gentium irridens ait. Dicite mihi quæ prima fuere, & vltima quæ futura ſunt, & dicā quod Dij eſtis vos. Sed non poteſtis & ideo nihil eſtis.
D Superfluum igitur eſſe videtur, vel ea quærere quæ ante mundi initium fuere, vel ea quæ poſt finem futura ſunt. Nam etſi quæras, nemo eſt qui tibi dicat. Si poſſes à capite & à pedibus animantium iſtorum alas amouere, tunc fortè & prima & vltima ſcire poſſis. Solent enim homines hæc quærere, & quamvis ex ſuperabundanti in talibus laborare ſcire cupientes, an poſt mundi finem cœlum voluatur, ſol & luna & ſtellæ ſolito more circumferantur, an flumina currant, fontes prorumpant, vtrum arbores & herbæ ſint, & multa alia quæ hominum curioſitatem mouere ſolent. Hæc autem interrogantibus honeſtiſſime reſpondetur: Seraphim & quatuor animalium pedes obuolutos eſſe & videri non poſſe, expectandum autem eſſe donec alæ amoueantur. Volunt autem duabus alis, illis videlicet quæ in medio ſunt, quia de omnibus quæ in hoc mundo fiunt à principio vſque ad finem pleniſſime loquuntur. Sunt autem plena oculis ante & retro quia & futura vident & præterita non ignorant. Quicquid in eis eſt, lumen & claritas eſt. Quot verba, tot oculi in eis ſunt. Quicunque ea non credunt, cœci & E
ſine lumine ſunt. Vnde & quibuſdam Dominus ait. Erratis non ſcientes ſcripturas neque virtutem Dei. Sunt igitur oculi in ſcripturis intelligentiæ videlicet ſpirituales quibus viri ſancti illuminati errare non poſſunt. Hos autem oculos Phariſæi non habentes, cœci à Domino vocantur & duces cœcorum. Dictum eſt autem quid per animalium alas, & quid per oculos ſignificetur. Vtinam & nos alas ad volandum habeamus & oculos ante & retro, quibus & recto itinere ad Deum veniamus, & peccatorum memores ſimul cum Pſalmiſta dicamus. Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Et ante quidem oculos habemus, ſi via regia incedimus, ſi mala fugimus & bona tenemus. Vnde Salomon ait. Sapientes oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat. Retro vero oculos habent qui antiquorum memores patrum eorum vitam & ſanctam conuerſationem imitari conantur. Sicut ille qui dicebat. Cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente ha- F
bui. Retro enim oculos habebat quando dies antiquos cogitabat; ante vero oculos, quando annos æternos in mente habebat. Si ſolum iſtum verſiculum cuſtodiamus & ante & retro oculis pleni ſimus. Nec vacat à myſterio quod animal primum hominis faciem habere deſcribitur per quod videlicet Matthæum Apoſtolum & eius Euangelium intelligimus. Ipſe enim à Chriſti natiuitate incipiens perfectum hominem & de hominibus natum eum oſtendit eſſe, totam eius ab Abraham vſque ad ipſum genealogiam deſcribens. Marcus vero leonis faciem habere videtur, in cuius Euangelij principio vox in deſerto clamare deſcribitur. Lucas autem bouis faciem habet, quoniam à ſacerdotio ſcribere incipit, quod maximè propter ſacrificia inſtitutum eſt. Bos autem inter alia ſacrificia maior hoſtia eſt. Quare autem aquilæ faciem Ioannes habet, ipſius Euangelij initium apertiſſime oſtendit. In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Qui ſic loquitur longè ſublimius quam aquila volat. Iſtæ tamen quatuor animaliū G
facies tam diuerſæ aliquid nobis conferre videntur, quoniam homo ad rationem, leo ad fortitudinem, & aquila ad contemplationem nos prouocat. Homo denique prædicare, leo pugnare, bos laborare, & aquila volare nos docet. Has igitur aues imitemur, iſtæ nobis ſint in exemplum. Non reſpiciamus ad ſtruthionem cuius alæ infirmæ ſunt, non attendamus ad hypocritas qui ſe fingunt eſſe quod non ſunt, quibus tunc alæ deficient quando eis maximè neceſſariæ erunt. Alas potius accipitris & Herodij ſuſcipiamus, non vt aliquid rapiamus, verum vt obedientiam nobis iniunctam celerrimè faciamus. Talium enim auium alarumque omnium quæ de rapina viuunt, alæ quidem & pennæ bonam ſignificationem habere poſſunt; vngues vero & roſtra & actionem & ſignificationem impiam gerunt. Per tales enim ſignificantur maligni ſpiritus, quorum omnis operatio furtum & rapina eſt. Iſtæ ſunt illæ aues, quas abigebat Abraham. Iſtæ ſunt quæ rapiunt bonum Dei verbum de corde hominum, ne cre- H
dentes ſalui fiant. Talibus auibus totus hic aër plenus eſt, quæ quoniam veloces & inuiſibiles ſunt, magnam vbique cunctis hominibus perſecutionem faciunt.

CAPVT X.

De Fluminibus Nouis.

FLuminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. Legitur in Geneſi quod fluuius egrediebatur de paradiſo qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen primo Phiſon: ſecundo Gyon: tertio Tygris: quarto Euſrates. His autem irrigatur & fertilis redditur tota illa terra. Legitur autem ſimiliter in Apocalypſi quod de illa nobiliſſima ciuitate cuius muri ex lapidibus pretioſis ædificati ſunt, cuius ſingulæ portæ ex ſingulis margaritis factæ ſunt cuius plateæ

ex

A

ex auro puriſſimo ſtratæ ſunt, quod fluuius inde egrediatur, cuius aqua lucidiſſima eſt quaſi cryſtallus. Sunt autem & per ripam fluminis arbores nobiliſſimæ, quæ ferunt fructus duodecim per ſingulos menſes, quarum ipſa folia gentibus ſunt ad ſanitatem. Hæc ad litteram intelligere ipſa littera prohibet, nobiſque aliud valde ſublimius quam id quod littera ſonat, ſignificare videntur, præſertim cum alibi ſcriptum ſit, flumina plaudent manibus in idipſum. Quomodo enim flumina quæ manus nullas habent, manibus plaudere poſſunt? Noua ſunt iſta flumina & de nouo mundo ſunt. Nouus mundus hæc ciuitas Dei eſt, quam fluminis impetus lætificat. Hoc autem flumen Chriſtus eſt, cuius affluentiſſima ſapientia & ſcientia ſanctam Eccleſiam lætificant. Vnde & alibi dicitur. Sapientia prædicat, foris clamitat, in plateis dat vocem ſuam. Hæc & in templo clamat dicens. Si quis ſitit, veniat & bibat, & de eius ventre fluent aquæ viuæ. Hic eſt ille fons de quo dicitur. Quoniam apud te eſt fons vitæ. Qui & mulieri Samari-

B

tanæ loquitur dicens. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hic igitur fluuius quo paradiſus mundatur & Eccleſia lætificatur, in quatuor capita diuiditur, per quę quatuor Euangelia ſignificantur. Et primum dicitur Phiſon quod oris mutatio interpretatur. Euangelica namque prædicatio ora hominum linguaſque mutauit, vt qui prius falſos Deos laudabant & prædicabant, nunc vnum & verum Deum eiuſq; mirabilia laudent & prædicent. Quid enim, niſi Euangelium, Beati Pauli os mutauit, vt qui prius circuncisionem prædicabat, poſtea mutato ore loquitur dicens. Circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt. Lege ſanctorum hiſtorias & videbis illum qui paulo ante Iouem vt Deum omnipotentem laudabat, mox ore mutato Iouem ipſum non Deum eſſe, ſed dæmonium affirmare. Videbis & illum qui vanas poëtarum fabulas ludendo & inſaniendo cantare ſolebat, hymnos & pſalmos cum fletibus iubilare: Hanc autem oris & linguarum mutationem facit Phiſon, quia ſermo Euangelicus & ora muto-

C

rum ſoluit, & linguas infantium diſertas facit. Quanta tunc oris mutatio facta eſt quando Apoſtoli qui vix vna lingua vtpote pauperes & ruſticani loqui nouerant, mox diuinitus inflammati omnibus linguis loqui cœperunt? Gyon autem pectus interpretatur. Reſpice nunc ad pectus Pontificis & vide ibi rationale. Quære etiam quare Pontifices de ſacrificiis pectuſculum in partem ſuſcipiant. Ideo fortaſsè quia de Pontificis pectore Gyon iſte fluuius qui pectus dicitur, fluere debeat. Et reuera ſemper de pectore Pontificis fluuius Euangelicus manare debet, cuius impetu populus Chriſtianus & Domini ciuitas lætificetur & ſatietur. Cor enim in pectore eſt, in quo eſt ſedes & fons totius ſapientiæ atque ſcientiæ. De hoc fluuio bibebat Beatus Ioannes quando ſuper pectus Domini in cœna recumbens vidit illud quod poſtea ſcripſit. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quandocunque de fluuio Gyon bibere volumus, ad pectora Pōtificum reſpiciamus. Ideo enim ſic ornata ſunt vt magnum ibi ſapientiæ theſaurum reconditum intelligamus. Tigris vero ſagitta di-

D

citur, quoniam hic fluuius quaſi ſagitta velociſſimus eſt. Sed quid tantæ velocitatis, vt Euangelica prędicatio, quæ quocunque diſcurrens, ſatis breui tempore mundum vniuerſum impleuit? Iam ab Ieruſalem vſque Illiricum nobilis ille ſagittarius Beatus Paulus prædicauerat Euangelium, cum ſe in Hiſpaniam proficiſci velle dicebat, vt ibi quoque Euangelij ſagittas effunderet. Miſit enim Dominus ſagittas ſuas & diſſipauit eos. De quibus & alibi dicitur. Etenim ſagittæ tuæ pertranſierunt. Quid enim aliud quam ſagittæ ſunt Euangeliorum verba? quibus maligni ſpiritus fugantur, & totus vitiorum exercitus perimitur & diſſipatur? Vnde ſcriptum eſt. Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & parauit illū, & in ipſo parauit vaſa mortis & ſagittas ſuas ardentibus effecit. Iſtæ ſunt illæ ſagittæ, in manu potentis acutę cum carbonibus deſolatoriis. Sicut enim ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. Beatus vir qui impleuit deſi-

E

derium ſuum ex ipſis non confundetur dum loquetur inimicis ſuis in porta. Verba Dei in ſagittas conuertuntur quibus nullæ iniquorum munitiones reſiſtere poſſunt. Vnde & diſcipulis Dominus ait. Ego dabo vobis os & ſapiētiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Reſtat nunc Eufrates qui fertilitas interpretatur, quæ interpretatio quantum Euangeliis cōueniat, omnibus patet. Reſpice in mundum vniuerſum, Euangelica prædicatione, ab errore ad fidem conuerſum, & tunc intelliges quam fertilis fuerit Eufrates, quātumque nobis ſua fertilitate cōtulerit. Hanc autem fertilitatem pſalmiſta admirans ait. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. Vnde & alibi ait. Annunciaui & loquutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Hinc & Dominus diſcipulis ait. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter

F

maneat. Hinc eſt etiam quod per Salomonem de Eccleſia dicitur. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis. Quoniam enim ager Dei, vinea Dei, hortus Dei: ſancta videlicet Eccleſia tam fructifera eſt, hoc facit iſte Eufrates, cuius flumine perfunditur & irrigatur. Hæc ſunt quatuor flumina paradiſi de vno fonte procedentia, & de vno Chriſti pectore emanantia, quibus totus irrigatur mundus. Ab his autem & multa alia flumina ſunt. Tot enim ſunt flumina quot & librorum volumina. Habet autem & vetus teſtamentum ſuos fluuios, qui niſi iſtis fluminibus commixti fuerint, ſimulque conuenerint, mortiferi ſunt & inſuaues ad bibendum. Littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Apoſtoli verba ſunt. Si autem ſimul conueniant, omnem ſuperant potionem. Sunt autem & alia flumina & ipſa mortifera quorum aquæ quia amaræ ſunt, homines interficiunt. De quibus in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus ait, ſe vidiſſe ſtellam magnam ardentem quaſi faculam in tertiam partem fluminum de cœlo cecidiſſe. Nomen autem ſtellæ dici-

G

tur abſynthium. Mortui ſunt autem multi homines de aquis, quia amaræ factæ ſunt. Per hæc autem flumina omnium hæreticorum, philoſophorum & poëtarum erronea ſcriptura intelligitur. Quæ quoniam duobus noui & veteris teſtamenti fluminibus non conuenit, non immerito tertia pars fluminum vocatur. Fuge has aquas Chriſtiane, amaræ & mortiferæ ſunt, nota ſunt flumina, nota ſunt Sanctarum Scripturarum volumina, notæ ſunt aquæ ſalientes in vitam æternam, de quibus qui biberit, non ſitiet vltra.

SANCTI BRVNONIS
Aſtenſis Sententiarum.

LIBER QVARTVS.

De Feſtiuitatibus Feſtiuitatum. H

CAPVT PRIMVM.

De Sancta Trinitate.

SERMO I.

AVDI Iſraël Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Non habebis Deum alium abſque me. In Pſalmis quoque ſcriptum eſt. Iſraël ſi me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum, ego enim ſum Dominus Deus tuus. Hæc Iudæi legentes & non intelligentes irrident Chriſtianos, quaſi qui non vnum, ſed tres Deos colant. Quibus dignè ſatis in Euangelio Dominus ait. Erratis non ſcientes ſcripturas neque virtutem Dei. Nos enim non tres Deos,

ſed

A ſed Deum vnum in tribus perſonis colimus & adoramus
Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum. Deus quidem
vnus eſt, ſed perſonæ tres ſunt. Nam & pater Deus eſt,
& Spiritus Sanctus Deus eſt, non tres tamen Dei, ſed
vnus eſt Deus. Tres enim iſtæ perſonæ vna eſſentia
ſunt, vna deitas, vna virtus, vna maieſtas, vna ſapientia,
vna fortitudo, vna omnipotentia, vnum lumen, vnum
principium, vna claritas, & quæcunque alia ſunt præter
perſonalem proprietatem, quæ de vna perſona dicuntur,
& de omnibus pariter dicuntur. Et qualiter enim pater,
taliter & Filius & Spiritus Sanctus Deus eſt, omnipotens
eſt, fortis, magnus & ſapiens eſt, & quæcunque alia ſi-
mili modo dici poſſunt. Non tamen tres Dij, vel tres
omnipotentes ſunt, ſed vnus Deus, vnus omnipotens,
vnus fortis, magnus, & ſapiens. Perſonalis autem pro-
prietas hæc eſt, vt pater genitor, filius genitus, Spiritus
vero Sanctus, nec genitor, nec genitus, ſed ab vtroque
procedens credatur & intelligatur. Hæc autem fides
B noſtra non argumentis, non ſyllogiſmis, non humanis
rationibus edita eſt; ſed ſolis Sanctarum Scripturarum
auctoritatibus non ab homine inuentis, ſed diuinitus
inſpiratis firmata. Vnde & Iudæis non credentibus ſibi-
que contradicentibus Dominus ait. Si crederetis Moyſi,
crederetis vtique & mihi, de me enim ille ſcripſit. Si
quis quærat vbi de ipſo ſcripſerit Moyſes. Audiat ipſum
dicentem. In capite libri ſcriptum eſt de me. Ab ipſo
cœpit Moyſes. Ipſum in capite poſuit vt Iudæus cito
facileque inueniat quem inuenire non vult nec laboret
quærendo, cum niſi per ipſum ad cætera quæ ibi ſcripta
ſunt peruenire non valeat, legendo. In principio, in-
quit, fecit Deus cœlum & terram, & ſpiritus Dei fere-
batur ſuper aquas. Conueniens fortaſsè fuerat, vt nomen
patris prius poneretur, qui vbique maximè ab ipſo filio
honoratur, ſed noluit hoc Moyſes, immo Spiritus San-
ctus qui loquebatur per Moyſen. Prius nomen filij po-
ſuit, ne Iudæus quærendo erraret. Sed dices fortaſsè
C quid eſt principium? Ipſi tibi reſpondeat, ipſe tibi dicat.
Dixit aliquando, ſed non intellexiſti, iterum dicat ſi
fortè intelligas. Ego principium qui & loquor vobis.
Crede igitur Moyſi, crede auctoritatibus ſcripturarum,
vel ipſa auctoritas te cogat, & Spiritus Sanctus te com-
pellat, vt vnum Deum in tribus perſonis confitearis.
Ecce ſtatim in capite huius libri qui inter alios primus
eſt, vnus Deus & tres perſonæ poſitæ ſunt, Deus videlicet
pater qui fecit cœlum & terram, & ſpiritus Dei per
quem pater & filius diſpoſuit, & ordinauit quæcunque
facta ſunt in cœlo & in terra: hoc enim videtur ſignifi-
care quod dicitur: Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.
Spiritus namque Sanctus à patre filioque procedens
vtriuſque conſilio voluntateque diſponit quicquid per
filium pater operatur. Quia enim filius ſapientia voca-
tur, vt tam pulchrum opus ſapienter factum intelligatur,
merito per filium qui ſapientia dicitur, factum perhibe-
tur, quamvis à tota Sancta & indiuidua Trinitate factum
eſſe non dubitetur. Bene autem Pater & Filius in Spi-
ritu Sancto qui vtrique communis eſt, diſponere di-
D cuntur quæcunque eis agere placet, vt communis ſit
diſpoſitio quorum communis eſt operatio. Fecit igitur
Deus cœlum & terram, per quem patrem intelligimus.
Deus enim commune nomen eſt, & ſicut ad patrem, ita
& ad filium pertinet, & ad Spiritum Sanctum. Sed quia
prædixerat in principio, fecit, neceſſario pater intelligi-
tur, quia per principium, id eſt per filium operatus ſit.
Prima itaque perſona pater, ſecunda principium, id eſt
filius, tertia vero ſpiritus Dei qui ſuper aquas ferebatur,
per quem Spiritus Sanctus manifeſtiſſimè demonſtratur.
Si nihil amplius ſcripſiſſet Moyſes, ſolum hoc quod in
capite huius libri ſcriptum eſt, ſufficere poterat ad fidei
noſtræ aſſertionem, vt vnum Deum in tribus perſonis
colere debeamus. Pulchrè igitur per pſalmiſtam Domi-
nus ait. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti,
tunc dixi ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. Et
quaſi ab aliquo interrogaretur quis eſſet, ait. In capite
libri ſcriptum eſt de me. Quod tale eſt acſi diceret. Ego
ſum illud principium quod in capite libri ſcriptum eſt,

in quo cœlum pater creauit, & terram. Qui ideo nunc E
patris voluntatem facere veni, quoniam per ſacrificia &
holocauſta mundus ſaluari non potuit. Hanc fidem ha-
buit Moyſes, quam fidem Dauid quoque habuerit, vi-
deamus. Verbo Domini, inquit, cœli firmati ſunt, &
ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Nulla differentia
eſt inter eos quod vnus dicit, vterque dicit. Vna fides
vtriuſque eſt; vnum Deum in tribus perſonis vterque
adorat, & veneratur. Dominus enim & verbum Domini
& ſpiritus Domini: tres perſonæ ſunt, & vnus Deus à
quibus cœlum, & terra creata ſunt. Et vide quomodo
vnus ſpiritus loquitur in vtroque: vide quomodo id quod
ait Dominus. In capite libri ſcriptum eſt de me, vtrique
conueniat. In capite namque libri ſcriptum eſt de me.
In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,
& Deus erat verbum. Igitur quod in capite libri ſcri-
ptum eſt, Dei filius intelligitur: vt & nos inueniamus
Chriſtum in capite libri noſtri; & Iudæi eundem inue-
niant in capite libri ſui, & noſtri. Quem enim Dauid
& Ioannes verbum vocauerunt: ipſum Moyſes princi- F
pium dixit. Idem ergo per verbum, & principium ſigni-
ficatur. Sed nobis verbum vocari debuit qui docibiles
ſumus, qui ipſius verbum, & doctrinam audire, & diſ-
cere parati ſumus. Illis vero certè debuit vocari princi-
pium, qui eum principium eſſe non credebant qui eum
nouiter cœpiſſe, ante matrem non fuiſſe, quadraginta
annos nondum habuiſſe dicebant. Ecce cogunt vos ô
Iudæi libri veſtri, auctores veſtri, & patres veſtri quibus
contradicere non audebitis vt vnum Deum in tribus
perſonis adoretis. Sed fortaſsè adhuc erratis non ſcien-
tes ſcripturas, neque virtutem Dei, & ideo non creditis
neque Moyſi neque Dauid: quorum vterque vt ſuperius
oſtenſum eſt, vnum Deum, & tres perſonas confitetur.
Alia eſt enim perſona patris, alia filij, alia ſpiritus San-
cti. Vnde hoc? Quia alia eſt quæ loquitur, alia cui lo-
quitur, alia de quo loquitur. Loquitur autem pater de
filio vbi dicit. Ipſe inuocabit me: pater meus es tu.
Loquitur, & filius de patre vbi ait. Dominus dixit ad
me filius meus es tu, ego hodie genui te. Loquitur pa- G
ter de filio vbi ait. Hic eſt filius meus dilectus, in quo
mihi bene complacui ipſum audite. Loquitur & filius
de patre vbi ait. Pater meus vſque modo operatur, &
ego operor. Loquitur autem, & ipſi patri vbi dicit, Pa-
ter iuſte mundus te non cognouit, ego autem cognoui
te: quia tu me miſiſti. Et ibi: volo pater, vt vbi ego
ſum, illic ſit & miniſter meus. Loquitur autem filius de
ſpiritu ſancto vbi ait. Cum venerit paraclitus quem ego
mittam vobis à patre ſpiritum veritatis qui à patre pro-
cedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Longum eſt
autem ſi omnia teſtimonia colligere velimus vbi filius
de patre & ad patrem & de ſpiritu ſancto in Euangelio
locutus eſt. Sed hæc pauca nos dixiſſe ſufficiat ad cre-
dendum, & intelligendum aliam eſſe perſonam patris,
aliam filij, aliam ſpiritus ſancti. Siquidem alia perſona
eſt quæ loquitur, & alia de qua loquitur. Sed Iudæi filij
Dei auctoritatem non ſuſcipiunt: nos autem hanc vnam
auctoritatem præ cunctis auctoritatibus habemus. Dicat
igitur ipſe nobis quid credere debeamus, ab ipſo audia- H
mus, ipſe nos doceat fidem noſtram, videmus quid dixe-
rit, quando diſcipulos ad prædicandum miſit. Ite, in-
quit, docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quare in nomine
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? Quia à quo creati
ſumus, ab ipſo nos reſtaurari, & ſanctificari neceſſe fuit.
Non dixit vt baptizarent in nomine Patris ſolummodo,
quia non ſolus pater nos creauit. Addidit filium, quia
& ipſe creator eſt. Addidit, & ſpiritum ſanctum, quia
ipſe quoque nihilominus creator eſt. Nihil amplius po-
ſuit, quia cætera omnia creaturæ ſunt. Ab his tribus
perſonis creata ſunt omnia & iſtæ tres perſonæ non
tres dij, ſed vnus Deus ſunt Pater & Filius, & Spiritus
Sanctus. Nunquam in hac paralitate has tres perſonas
Dominus poſuiſſet: niſi per omnia æquales eſſent: niſi
in diuinitate, in maieſtate, in omni potentia & in aliis
omnibus ſimiles eſſent. Qualis enim pater, talis filius,

talis ſpiritus ſanctus, immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus. Æternus pater, æternus filius, æternus ſpiritus ſanctus Non tamen tres æterni, ſed vnus æternus. Stulti, & per omnia inſani qui Platonicis ſyllogiſmis, & argumentis Ariſtotelicis de ſumma & omnipotenti Trinitate diſputare conantur. Aliter enim ſe habet ſubſtantia Dei, & aliter ſubſtantia creaturarum omnium. Illa enim ſola æterna, cæteræ temporales. Illa ſola immutabilis eſt; cætere mutabiles. Illa ſola contraria non ſuſcipit, aliæ vero contrariorum ſuſceptibiles ſunt. Sic enim Ariſtoteles ſubſtantiam diffiniuit. Subſtantia eſt quæ cum ſit vna & eadem numero, ſuſceptibilis eſt contrariorum ſecundum ſui mutationem. In hac autem diffinitione, Dei ſubſtantia non continetur, quia cum ſit vna, & eadem numero, neque contraria, neque mutationem ſuſcipiens eſt. Hanc autem quæſtionem quia in hoc ſermone tractare non ſufficimus in alium tractandam differemus.

CAPVT II.

De Eadem.

SERMO II.

SIcut quædam ſabbata dicuntur ſabbata ſabbatorum quia maiora ſunt, & quædam ſancta dicuntur ſancta ſanctorum, quia maiora ſunt, & quædam cantica dicuntur cantica canticorum, quia maiora ſunt, & beata virgo Maria dicitur, virgo virginum: quia cunctis virginibus maior eſt, ita quædam feſtiuitates poſſunt dici feſtiuitates feſtiuitatum, quia omnibus aliis feſtiuitatibus maiores ſunt. Tales ſunt autem omnes illæ feſtiuitates quas ad ſpecialem Dei omnipotentis laudem colimus, & celebramus. Sicut eſt hodierna feſtiuitas, quæ in honore ſanctæ trinitatis celebratur. Diuiditur enim hæc vnitas inuiſibiliter, quia quamvis perſonæ tres ſunt Deus tamen vnus eſt qui non per partes diuiſus, ſed totus in ſingulis eſt. Quia enim vna Dei ſubſtantia in ſingulis perſonis eſt, diuiſa quodammodo eſſe videtur, ſed quia tota in ſingulis eſt: indiuiſa eſſe probatur. Tota enim eſſentia diuinitatis eſt in patre, tota in filio, tota in ſpiritu ſancto: quoniam, & pater Deus, & filius Deus, & ſpiritus Sanctus Deus, & hi tres vnus Deus. Quia enim non eſt Deus niſi vnus, non poteſt alius Deus prædicari de patre, alius de filio, & alius de ſpiritu ſancto, ſed idem Deus, & vnus numero de omnibus, & de ſingulis prædicatur. Hoc autem ſic eſſe credere quidem omnino debemus: quomodo ſit, vel fieri poſſit quærere pœnitus non debemus: quoniam nullatenus (niſi diuina inſpiratione) huius ſacramenti profunditatem intelligere valemus. Et hoc ideo fortaſſe quia in nulla alia ſubſtantia tale aliquid inueniri poteſt. Difficile enim creditur, quod nulla ſimilitudine, nulloque exemplo probatur. Nulla enim alia ſubſtantia eſt quæcunque ſit, quæ vna & eadem numero in pluribus eſſe poſſit, vt hic homo, hic oculus, hic pes, hæc manus, hoc caput, cum vnumquodque horum ſit vnum numero, nullum horum in pluribus eſſe poteſt. Si vero articulus inde tollatur qui certi numeri ſignificatiuus eſt, vt non dicatur hic, vel hæc, vel hoc, ſed tantum ſine articulis dicatur homo, oculus, pes, manus, caput; nihil eſt quod vnumquodque horum de pluribus prædicari prohibeat. Sic enim prolata iam non numero ſed eſſentia vnum ſunt. Vnde & Philoſophus ait. Participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo. Petrus enim, Iacobus, & Ioannes cum ſint plures numero, in ſpecie quæ eſt homo, vnum ſunt, quoniam, & Petrus homo eſt, & Iacobus homo eſt, & Ioannes homo eſt. Sed ſi addatur articulus vel nomen proprium, & dicatur ita, Petrus, Iacobus, & Ioannes ſunt hic homo, non erit verum. Similiter autem non erit verum ſi dicatur hi tres homines ſunt Petrus, vel hi tres ſunt Iacobus, vel hi tres ſunt Ioannes. Manifeſtum eſt ergo, quod nulla ſubſtantia vna eademque numero, aut articulo, aut proprio nomine demonſtratur. Quod autem vniuerſaliter dixi nulla ſubſtantia, ſic eſt accipiendum ac ſi dixiſſem nulla ſubſtantia temporalis, nulla ſubſtantia mutabilis, & contrariorum ſuſceptibilis. De hac enim ſola loquuntur philoſophi, hanc ſolam diffiniuit Ariſtoteles, Nulla inquam talis ſubſtantia, cum ſit vna eademque numero de pluribus prædicatur. Diuina vero ſubſtantia (quæ vtique æterna eſt,) immutabilis eſt, & nullius contrarietatis ſuſceptibilis cum ſemper ſimplex & vna ſit, eademque numero, ſemper tamen in pluribus eſt, Semper enim Deus vnus & qui nunquam poteſt eſſe ſine numero, vnus, hic videlicet (vt cum articulo dicam) Deus noſter, qui fecit cœlum & terram, ſemper inquam & pater eſt, & filius eſt, & Spiritus Sanctus eſt, & totus pater, totus filius, totus Spiritus Sanctus. Nunquam tamen pater filius, nunquam filius pater, nunquam Spiritus Sanctus, vel pater, vel filius eſt. Et hoc igitur ab humana intelligentia longe eſt, quia tale aliquid in hac ſubſtantia temporali & mutabili inueniri non poteſt. Si enim hic homo, quem tibi digito oſtendo, & Simon & Petrus eſt, & ſemper Simon & Petrus, ſemperque totus & Simon & Petrus eſt, neceſſario concluditur & Petrum eſſe Simeonem, & Simeonem eſſe Petrum. Hac enim collectione talis ſyllogiſmus fieri poteſt. Si Simon eſt hic homo, & hic homo eſt Petrus; ergo, & Simon eſt Petrus. In diuina autem & æterna ſubſtantia aliter fit. Semper enim verum eſt dicere hic Deus noſter (quem tibi non digito, ſed fide oſtendo) & pater & filius eſt, ſemperque pater & filius eſt, totuſque & pater & filius eſt. Non tamen verum eſt dicere; ergo & pater eſt filius, & filius eſt pater. Poteſt enim ex his talis fieri, ſed non concludit ſyllogiſmus. Si filius Dei eſt hic Deus, & hic Deus pater eſt; ergo & filius pater, & pater filius eſt. Quod quidem dicere vel credere falſum & impium eſt. Hoc autem ſi Arrius intellexiſſet, & duas iſtas ſubſtantias æternam & mutabilem, tam diuerſas ab inuicem diuiſiſſet, neque ipſe errаſſet, neque alios tam multos errare feciſſet. Dum enim æternam & incommutabilem ſubſtantiam intra terminos temporalis mutabiliſque ſubſtantiæ concludere voluit omnia in illa fieri arbitratus eſt, quæ in illa eſſe cognouit. Dixit igitur filium patre minorem, & patrem filio antiquiorem, quoniam inter homines hoc eſſe non dubium eſt. Nullus enim filius naſcitur qui patre minor non ſit, ætate & perſona. Stultus qui non conſiderauit ſubſtantiam ſimplicem & æternam, neque maius, neque minus ſuſcipere. Deus enim ſemper vnus eſt, æternus eſt, immutabilis eſt, & quod ei proprium eſt, ſemper eſt hoc quod eſt. Vnde Moyſi interroganti & ſcire volenti quis eſſet, ait. Ego ſum qui ſum. Hæc dices filiis Iſraël, qui eſt miſit me ad vos. Ille enim vera diffinitione dicitur eſſe qui ſemper eſt, qui immutabilis eſt, qui nunquam cœpit eſſe, qui nunquam deſinit eſſe, cuius tota eſſentia vna ſemper eſt, & eadem eſt. Semper enim & totus Deus ſapientia eſt, ſemper & totus virtus eſt, veritas eſt, lumen eſt, principium eſt, & ſimilia. Neque aliud eſt ei eſſe, & omnipotentem eſſe, & hæc omnia in ipſo ſunt vnum. Omnia hæc eſt pater, omnia filius, omnia Spiritus Sanctus. Quomodo ergo pater maior filio, vel antiquior eſſe poteſt, cum filius æternus ſit, & ante æternum nihil ſit? Si ante æternum aliquid eſſe potuit, & antequam filius eſſet, pater eſſe potuit. Sed ante æternum nihil eſſe potuit, non eſt ergo pater antequam filius. Præſertim cum filius Dei, verbum Dei ſit, virtus Dei ſit, ſapientia Dei ſit. Neque enim antequam verbum, antequam virtus, antequam ſapientia, pater eſſe potuit. Qualis enim eſſet ſi fortis & ſapiens non eſſet? Neque enim ſine virtute fortis, neque ſapiens ſine ſapientia eſſe poteſt, Sapientia enim in patre & filio & Spiritu Sancto vna eſt, & præter ipſam nulla eſt. Ipſa eſt autem de qua dicitur Omnia in ſapientia feciſti. Et ipſa quidem eſt verbum Dei, per quod ſicut ſcriptum eſt. Omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Si ergo hæc ſola & non alia

A ſapientia in Deo eſt, aut ſine ſapientia (quod nefas eſt dicere, vel cogitare) pater aliquando fuit, aut ante hanc ſapientiam nunquam fuit, impoſſibile eſt igitur ante filium patrem fuiſſe. Sed dicit Arrius: prius eſt qui gignit quam ille qui gignitur, quoniam eum qui gignit neceſſe eſt eſſe, neque enim qui non eſt, gignere poteſt, ille vero qui gignitur nondum eſt, quia ſecundum Philoſophorum ſententiam, quod fit non eſt. Miſer & infelix, qui verbi Dei generationem ſicut alias omnes generationes fieri arbitratur. Propheta de filio Dei miratur & dicit: Generationem eius quis enarrabit? Et Arrius infelix ab aliis generationibus hanc vnam ſingularem & admirabilem differre non putat. Poſſumus autem in creaturis etiam talia inuenire in quibus ille qui gignit non ſit prius quam ille qui gignitur. De igne namque eſt calor & ſplendor ſimul cum igne. Vnde & non immerito ſplendor patris vocatur filius Dei, dicente Apoſtolo. Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius.
B Sed melius eſt vt in nobis ipſis qui ad Dei imaginem & ſimilitudinem facti ſumus, hanc Trinitatis imaginem requiramus. Nuſquam enim Dei ſimilitudo tam facile reperiri debet ſicut in illa creatura quæ ad Dei imaginem & ſimilitudinem facta eſt. Solus autem Angelus & homo Dei ſimilitudinem habere perhibentur. Et de bonis quidem Angelis dubitari non debeat, cum de malis quoque ſcriptum ſit. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti. De homine vero quid? Faciamus (inquit Deus) hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Hanc ergo ſimilitudinem habent Angeli & homines ad Deum, quia naturaliter ſapientia pleni ſunt, & quia nulla alia creatura ad hanc ſapientiam pertingere poteſt. Eſt autem hæc ſapientia diuinarum humanarumque rerum intelligentia. Hanc autem intelligentiam præter Angelum & hominem nulla creatura habere poteſt. Vt enim de aliis taceamus quæ alia creatura, vel litterarum peritiam vel numerorum ſcientiam
C habere valet? Secundum hanc ergo ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſumus, in qua ipſius quoque Trinitatis ſimilitudinem quandam habemus. Trinitas autem noſtra hæc eſt. Intelligentia, memoria, & vſus. Hæc autem tria quodammodo vnum ſunt, & ſine ſe eſſe non poſſunt, neque vnum ex his prius aliis vel poſterius eſt. Et de intelligentia quidem iam dictum eſt, quod diuinarum ſit humanarumque rerum cognitio. Memoria vero eſt qua ea quæ intelleximus, retinemus. Vſum autem voco naturalem quandam potentiam, per quam ea quæ intelleximus & memoriæ commendauimus, alios quoque docere valemus. Gignitur autem quaſi de patre filius, ita de intelligentia memoria. Neque enim de ſe non intellecta memoriam habere poſſibile eſt. Vſus autem Sancti Spiritus ſimilitudinem habere videtur, qui de intelligentia, memoriaque procedit. Neque enim docere quis poteſt id quod non intellexit, neque memoriæ commendauit. Non eſt tamen intelligẽtia prius quam memoria quamvis de intelligen-
D tia memoria fiat, quoniam nullius rei intelligentia, etiam ſi paruiſſima, ſine memoria haberi poteſt. Vt puta nomen duarum ſyllabarum paruiſſimum quidem eſt, ſine memoria tamen neque ſciri, neque intelligi poteſt. Quomodo enim ſi memoria non affuerit, primæ ſyllabæ ſecunda iungetur, vel ipſa prima ſine memoria ſcietur? Statim enim dicta, obliuiſcetur, immo non obliuiſcetur, quia nunquam ſine memoria intelligetur. Non eſt ergo intelligentia prius quam memoria. Vſus quoque, ideſt docendi potentia, his duabus poſterior non eſt, quia non prius aliquid intelligimus, vel memoriæ commendamus, quam etiam docendi poteſtatem habemus. Quia ergo nulla alia creatura hanc Trinitatem & Vnitatem habere poteſt, non immerito ſecundum hanc Vnitatem & Trinitatem Angelus & homo Dei ſimilitudinem habere videntur. Sic ergo etiam in creaturis inuenitur aliquid quod quamvis ex aliquo gignitur, tamen non eſt poſterius eo ex quo gignitur.

E

CAPVT III.

De Eadem.

CVm loquimur de Vnitate & Trinitate quæ Deus eſt, & inuiſibilem æternamque Dei noſtri ſubſtantiam caligantibus oculis infirmiſque luminibus videre deſideramus, valde timendum eſt, ne fortè nobis dicatur illud quod in Canticis canticorum. Auerte oculos tuos à me quia ipſi mé auolare fecerunt. Vnde Apoſtolus ait. Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Et in pſalmis. Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus. Et Salomon. Dixi ſapiens efficiar, & ipſa longè fugit à me. Et alibi. Sicut, inquit, qui multum mel comedit non eſt ei bonum, ita qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Loquebatur facie ad faciem Moyſes cum Domino ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum, & tamen dicebat, ſi inueni gratiam in oculis tuis
F oſtende mihi faciem túam, vt ſciam te. Cum Dominus ait. Non me videbit homo & viuet. Deum nemo vidit vnquam. Vocem Moyſes audire poterat, ſpeciem vel imaginem aliquam videre non poterat. Audiuere & Apoſtoli vocem eius cum de nube loqueretur dicens. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Ipſum quidem audiuere, ſpeciem autem non vidêre. Nos quoque in ſanctis voluminibus eum ſæpe loquentem audimus, ſed ſpeciem non videmus. Non enim eum videbit homo & viuet. Non videbitur in hac vita quia iſtis oculis videri non poteſt. Videbitur autem poſt hanc vitam, ſicut Ioannes Apoſtolus ait. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Et Apoſtolus. Videmus nunc (inquit) per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte. Tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Si Moyſes & Apoſtoli qui ſpiritu Dei pleni erant, in quibus & per quos Dominus ipſe loquebatur, eum ſicuti eſt, videre & audire & intelligere non
G potuere, temerarium valde eſſe videtur, de eius nos eſſentia iudicare, præſertim cum ipſe dicat, non me videbit homo & viuet. Inuiſibilis eſt Deus, non enim corporis, ſed mentis oculis videtur. Mentis vtique innouatæ & reſurrectionis gloria illuminatæ, & omni corruptione corporea liberatæ. Talis tunc erit humana natura quæ corporeis oculis Chriſti humanitatem & mentis oculis eius diuinitatem contemplari valeat. Conſidera modo quanta tunc lætitia eſſe poterit videntibus Deum, cum & corporeis oculis videant Chriſti humanitatem in vno loco manentem, & mentis oculis contemplentur eius diuinitatem omnia continentem. Neuter viſus erit ocioſus, vterque videbit illud bonum in quo multum valeat delectari, & quo videndo nequeat ſatiari. Sed interim qui de terra eſt, de terra loquatur, nemo ſe ſupra ſe extendere velit. Dicamus cum Pſalmiſta. Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus
H ſuper me. Arrius miſer non intellexit hæc verba, ſed nimium exaltauit cor ſuum, nimiumque exaltauit oculos ſuos. Et dum immundo corde & impuris oculis maieſtatem videre & intelligere non potuit, blaſphemare cœpit, & filium à patre diuidere conatus eſt. Neque timuit infelix ambulare in magnis, & in mirabilibus quæ erant ſupra ſe, quæ eius intelligentiam excedebant & eius ingenium ſuperabant. Quid enim de Deo dici vel cogitari poteſt quod magnum & mirabile non ſit? Magnum enim multumque mirabile eſt, quod & pater eſt, & filio prior non eſt. Quod quia iſte intelligere non potuit, ſanctorum auctoritatibus credere noluit, neque humilibus voluit conſentire, ſed exaltauit animam ſuam. Sprevit Epiſcoporum conſilia & in ſuperbiam eleuatus Catholicorum damnauit ſententiam. Ideoque ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam, ita & retributio facta eſt in anima eius. Quia paruuli quos interfecerat (ſi quos tamen interfecerat, & ad petram allidendo contriuerat) omniaque vitia quæ in baptiſmo depoſuerat,

A vel pœnitentia ſuperauerat, iterum ad perdendam æterniſque incendiis cruciandam eius impiam animam reuerſa ſunt. Et ſicut puer ablactatus, à lacte auulſus, importunè ſe ingerere ſolet ſuper matrem ſuam, vt vbera iam deſiccata penitus exhauriat, ita & maligni ſpiritus cum omni vitiorum exercitu, huius infelicem animam lacerare, cruciare, & perdere, ſine fine non ceſſant. Fides ergo Sanctorum nobis ſufficiat, neque enim meliores ſumus quam patres noſtri, neque vltra ea quæramus quæ illis diuinitus ſunt reuelata. Et qui noſipſos & ea quæ in nobis ſunt intelligere non valemus, ad ea quæ ſupra nos ſunt, nos extendere non laboremus. Audiamus prophetam dicentem. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam. Cœpi (inquit propheta) meipſum conſiderare, & quid vel qualis eſſet humana natura, volui inueſtigare, & tam mirabilem ſcientiam in meipſo inueni, vt penitus me ad ipſam extendere non valeam. Confortata enim B eſt, omnique humano ingenio fortior & ſublimior facta eſt & non potero ad eam. Ecce propheta neſcit ſe ipſum & tu in hac vita vis videre & intelligere ipſius diuinitatis naturam. Dic mihi ſi noſti, vnde oculis viſus eſt, vnde auribus auditus, quomodo nares odorem, quomodo fauces & palatum ſaporem ſentiunt. Quod ſi iſta intelligis, altius aſcendo. Quære quomodo iſte mundus ſit factus, quo impetu quotidie cœlum voluatur, & quomodo tam ſtabile moueatur. Quære vbi tanta machina firmata ſit, quis locus, qualis & quantus circa ipſam ſit. Neque aliter volui potuiſſet niſi in aliquo loco inani & vacuo ab obſtaculo, firmata fuiſſet. Et ego quidem tantam loci ſpatiique immenſitatem circa hoc cœlum videre videor, vt totus iſte mundus paruum quid mihi videatur. Vnde & ipſe quoque hic meus viſus magnum mihi miraculum facit, quomodo ſub vno momento tantum aſcendere, tamque immenſa ſpatia circa ſe comprehendere valeat. Nihilque aliud ſentio in me, vnde magis omnium creatori Deo ſimul cum Pſalmiſta dicere debeam, mirabilis facta eſt ſcientia tua ex C me. Conſidera etiam terram quæ ſuis librata ponderibus, ſic in medio cœli firmata eſt, vt cum nullum habeat fundamentum, in nullam tamen partem ſe inclinare valeat. Vnde bene per prophetam dicitur. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? Conſidera, ſi potes, quanta eſt illa manus, quæ tantis aquis impleri non valet, quanta eſt illius fortitudo, qui cœlos palmo ponderauit, quales ſunt illi tres digiti quibus tanta moles totius terræ appenſa eſt. Tres iſti digiti, tres perſonæ omnipotentis Trinitatis ſunt, quarum operatione vnus Deus fortis & potens cuncta creauit. De quibus videlicet tribus digitis ſcriptum eſt. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et iſti quidem tres digiti ad faciendum hominem inuitantur, vbi ab vno ſummo Deo dicitur. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Deus enim, & ver- D bum Dei, & ſpiritus Dei, tres perſonæ & vnus Deus. Et iſte quidem eſt, qui tribus digitis appendit molem terræ. Iſte quidem eſt qui librauit in pondere montes & colles in ſtatera. Et cum ex altera mundi parte tam immenſa montium moles ponduſque excreuerit, ex altera vero planities ſola remanſerit, ſic tamen tota librata eſt, vt alterius partis pondera alteram partem mouere non valeant. Cœlorum autem natura talis eſſe putatur, vt omnia ponderoſa à ſe repellat. Vnde ſolem & lunam ſtellarumque globos ſine pondere eſſe putamus. Sicut ergo ponderoſa omnia à ſe repellit, ita & leuia ad ſe omnia trahit. Et inde eſt quod ignis, nubes, & nebulæ ſemper ſuperiora petunt. Fertur ſimulacrum ferreum deauratum miræ magnitudinis in quodam templo in aëre poſitum fuiſſe, quod cum nullis catenis nulloque inſtrumento teneretur, cunctis videntibus & quomodo ſic ſtaret neſcientibus, miraculum faciebat. Erant autem ibi duo lapides temperatæ qualitatis quos Magnetes vocant, quorum alter in pauimento, alter in teſtudinis ſublimitate firmatus erat. Huius autem E lapidis hæc virtus eſt, vt ferrum ad ſe naturaliter trahat. Dum ergo ſtatua in medio poſita eſſet, & ab vtroque lapide æquali virtute attento pondere, traheretur, neque ſurſum aſcendere poterat, tenente eam inferiore, neque deorſum cadere trahente ſuperiore. Stabat itaque in medio fixa, & ſic virtute lapidum tenebatur, vt in neutram partem declinare poſſet. Sic fortaſsè de terra opinari quoque poſſimus, quæ cum in medio ſita ſit naturali cœleſti virtute in nullam partem valeat declinare, aut cum propter pondus vtraque pars centrum petat, altera alteram ſuſtineat. Ego tamen magis eam firmam immobilemque ſtare puto virtute Dei, quam virtute cœli, quamvis & virtus cœli ſi qua eſt, non cœli, ſed Dei ſit.

CAPVT IV. F

De Natiuitate Domini.

MAximus prophetarum Eſaias de Incarnatione filii Dei loquitur dicens. Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis. Velociter ſpolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi teſtes fideles. Vriam ſacerdotem & Aſariam filium Barachiæ: & acceſſi ad Propheti ſſam & concepit filium, & dixit mihi. Voca nomen eius. Accelera ſpolia detrahe, feſtina prædari, quia antequam ſciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ, coram rege Aſſyriorum. Nunc videamus, quid iſta ſignificent. Sume inquit tibi librum grandem. Liber iſte grandis, totus iſte mundus intelligitur: tot ſunt iſtius libri membranæ, quot ſunt, & homines. Hæc verba non in tabulis lapideis, ſed in cordibus noſtris ſcribenda erant. Sume (inquit) tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis. Quid eſt ſtilo hominis? G plano vtique facilique ſermone, & quali homines inter ſe loqui ſolent: & quem omnes quicunque audierint intelligere valeant. Et fortaſsè hic propheta ideo cæteris omnibus facilior eſt. Alij vero prophetæ non ſcribũt ſtilo hominis, quia longè eſt eorum ſcripturâ ſcriptura atq; dictatu cæterorum hominum. Scribe inquit ſtilo hominis: & hoc eſt, quod te ſcribere volo. Velociter ſpolia detrahe, cito prædare. Quoniam magnus liber, & quam pauca verba. Hæc tamen ſufficiunt, ſi quis eſt qui ea intelligere, & cuſtodire valeat. Præparemus corda noſtra ad hanc ſcripturam ſuſcipiendam: Vtinam ſit paratum cor meum hæc in ſe ſuſcipere verba, & tali atramento ibi ſcribantur, vt numquam inde deleri valeant. Ecce audiuimus, & præceptum accepimus, vt ſimus ſpoliatores, & prædatores. Hoc enim ſignificatur illis verbis quibus dicitur; velociter ſpolia detrahe, cito prædare. Hactenus fures, & latrones hoc officium habuere; hoc inquam homines facere ſolebant. Vim tamen vi repellere nullæ leges H prohibent: latrones perſequi non eſt peccatum. Vtinam qui iniuſtè ſpoliati, & prædati ſunt: aliquando ſe vindicare valeant. Recordare illius Euangelij, vbi homo ille qui deſcendebat ab Hieruſalem in Hierico incidit in latrones, qui etiam expoliauerunt illum. In hoc vno homine omnes homines expoliati, & prædati ſunt. Hos ergo latrones perſequamur, & ſpolia noſtra in quibus gloriantur diripiamus. Dicamus cum Pſalmiſta. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare cadent ſubtus pedes meos. Si aliam prædam, & alia ſpolia ab eis auferre non poſſumus, vel noſtra nobis vendicemus: ab eorum impia ſeruitute nos ipſos liberemus. Credamus Apoſtolo dicenti. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniuſtitiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Bonam prædam fecimus, & magna ſpolia dedimus, ſi de iſtorum ſeruitute membra noſtra liberauimus. Nullos amicos propinquiores habemus pro

A quibus pugnare debuiſſemus. Abraham perſecutus eſt inimicos, & liberauit Loth nepotem ſuum de manibus eorum. Ecce Deo gratias pugnauimus, inimicos expoliamus. Exultemus igitur ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Amodo membra noſtra, non vitiis, ſed Deo ſeruiant, cuius auxilio liberati ſumus. Et adhibui (inquit) teſtes fideles. [Non enim ſine teſtibus Iudæi credere potuiſſent: & homines iam ſuperati, tam ſubitam de inimicis victoriam ſperare non poſſent, vt eos quibus reſiſtere non valebant, nunc verſa vice ſuperarent, & expoliarent. Bene igitur fecit Eſaias teſtes fideles ſibi adhibendo, qui ſe hæc verba à Domino ſimul cum ipſo audiſſe affirmarent. Hoc autem & nos facere tunc debemus quando conuerſis peccatoribus veniam, & de inimicis victoriam per pœnitentiam pollicemur: ſi verbis noſtris credere nolunt, fideles teſtes adhibeamus, de quorum teſtimonio dubitare non poſſint. Sed quos teſtes? Vriam ſacerdotem & Azariam filium Barachiæ. Iſti duo teſtes, duo ſunt teſtamenta: quorum auctoritate B quicquid dicimus, confirmare debemus. Si peccator mihi non credit veniam promittenti, & ſe poſt tanta flagitia ſaluari poſſe diffidit: adhibebo Euangelicum teſtem fidelem, qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Adhibebo inſuper, & alium teſtem. Peccator quacunque hora conuerſus fuerit & ingemuerit vita viuet, & non morietur. Vnde bene Vria ignis interpretatur, per quem legem intelligimus, de qua ſcriptum eſt. In dextera eius ignea lex: Azaria auxilium dicitur per quem Euangelium ſignificatur, cuius vtique magno, & ineffabili auxilio, liberati ſumus, cuius pater Barachia vocatur, qui benedictus Dominus interpretatur. Euangelij pater Chriſtus eſt, qui ſuper omnia benedictus Deus, & Dominus ei. Et acceſſi ad Prophetiſſam, quæ concepit, & peperit filium. Egregiè autem poſtquam hanc tantæ memoriæ tantæque beatitudinis promiſſionem propheta accepit ſe ad Prophetiſſam acceſſiſſe dicit, vt illum tandem de virgine matre naſci videret in quo, & per quem hæc tanta promiſſio compleretur. Hæc C autem prophetiſſa Beata virgo Maria eſt, quæ plena ſpiritu ſancto, pulcherrimam nobis edidit prophetiam. Magnificat (inquit) anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, &c. Acceſſit autem propheta ad Prophetiſſam, quando à ſpiritu ſancto ductus eſt, vt Chriſti natiuitatis ſacramentum in ſpiritu videre mereretur. Sic enim accedebat prophetæ ad omnia quæcunque videbant. Et dixit mihi. Voca nomen eius. Accelera ſpolia detrahe: cito prædare, quia antequam ſciat puer vocare patrem aut matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum. Ecce puer noſter, cuius hodie celebramus natiuitatem antequam carnem ſuſciperet & de virgine naſceretur, & priuſquam ſecundum carnem infantiam compleret, & ad virilem ætatem perueniret, fortitudinem Damaſci, & ſpolia Samariæ abſtulit, & regem vicit Aſſyriorum. Iſti enim contra Hieruſalem pugnabant, & filios Iſraël in illis diebus in quibus Eſaias prophetabat, vehementiſſi D me affligebant. Miſeri Iudæi qui eum venientem non ſuſceperunt quem ſolummodo, & non alium, ſemper adiutorem, & defenſorem habuerunt. Sed quomodo vocari debuit rex fortis, & potens noſter, niſi ſpoliator & prædator. Ipſe eſt enim de quo ſcriptum eſt. Ad prædam fili mi aſcendiſti: Ipſe eſt qui prius Ægyptum, & poſtea infernum expoliauit. Illa enim prima expoliatio, hanc ſecundam futuram ſignificabat. Ipſe eſt qui per Angelum ſuum de caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia interfecit, eorumque ſpoliis filios Iſraël diuites fecit. Hæc Eſaias qui hæc ſcripſit ſuis oculis vidit, & hanc victoriam, hunc puerum noſtrum feciſſe narrauit. Senex eſt iſte puer, & antiquus dierum, & antequam Abraham fieret ipſe eſt. Paruulus quidem videtur modo, qui ſecundum carnem natus eſt modo: cuius natiuitas ſecundum diuinitatem nullum temporis habet modum. Ipſe eſt enim de quo ſcriptum eſt. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia E per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine vt omnes crederent per illum. Lege totum Euangelium, & extende te, ſimulque cum beato Ioanne cuius hæc verba ſunt, ſume pennas aquilæ, & aſcende ſuper Cherubim vt volare valeas, ſuper pennas ventorum, & accedens vſque ad thronum gloriæ: ibi videas puerum iſtum qui hodie natus: qui modo ad prædandum, & expoliandum venit, in ſinu, & corde æterni ſummique patris regnantem, & gloriantem, vt audias ipſum dicentem. Eructauit cor meum verbum bonum. Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.

F

CAPVT V.

De Circumciſione Domini.

SERMO I.

Poſtquam impleti ſunt dies octo, vt circunciderretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatū eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur. Primus omnium hominum iubente Domino, circuncisus eſt Abraham; de quo Apoſtolus ait. Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei. Eſt ergo circumciſio ſignum quo Iudæorum populus: qui vbique gentium diſpergendus; & in captiuitatem ducendus erat ab aliis nationibus diſcerneretur. Eſt autem ſignaculum, id eſt ſignificatio quædam iuſtitiæ fidei, quoniam Chriſtianorum iuſtitia quæ non per circumciſionem, ſed per fidem habetur in illa tali circumciſione ſignificata eſt. Nemo enim iuſtus veraciter dici poteſt, niſi ille qui non ſolum G vnum membrum vt Iudæi, ſed omnia membra circumciſa habet, de hac enim circumciſione ſcriptum eſt. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Vnde & Moyſes incircumciſum labiis ſe eſſe dicit. Linguæ quoque circumciſionem neceſſariam eſſe ſignificans. Hinc & Beatus Stephanus quaſi non bene circumciſos Iudæos redarguens ait. Incircumciſi auribus, & corde; vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut & patres veſtri, ita & vos. Sic igitur omnia membra circumcidi, & omnia ſuperflua & nociua ab omnibus membris reſecari, & purgari debent. Superflua autem & nociua ſola peccata, & vitia ſunt. Hæc ab omnibus membris auferantur, & benè totus circumciſus eſt homo. Si oculi non videant vanitatem: ſi aures non audierint detractiones: ſi lingua non fuerit locuta verba otioſa atque mendacium, circumciſa eſt. Hæc eſt vera circumciſio: ſic omnia membra circumcidantur: Hanc circumciſionem illa circumciſio patris noſtri Abrahæ ſignificabat, & propter hanc circũci H ſionem illa talis circumciſio data eſt: ſicut & cætera omnia quæ in figura contingebant illis. Hoc ſignum, & hoc ſignaculum iam nunc neceſſaria non ſunt, quoniam vterque populus vnus eſt, & paries inimicitiarum de medio ſublatus eſt: & ex duobus gregibus vnum ouile, & vnus paſtor effectus eſt: & totum quod prius in ſignificatione agebatur, nunc ab omnibus intelligitur, & in veritate ſeruatur. Quoniam autem Saluator noſter hanc in carne ſua circumciſionem ſuſcepit. Hæc valde rationabilis cauſa fuit: quia non venit legem ſoluere ſed adimplere. Finis enim legis dicit Apoſtolus, Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti. In ipſo lex completa eſt, nihil proficiunt, qui poſt ipſum circumciduntur. Vnde, & Apoſtolus ait. Ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia, ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Nihil ad perfectum adduxit lex. Manifeſtum eſt autem quoniam ex

operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram Domino. Ad hoc igitur valuit circumciſio, quia quicunque in illo populo circumciſus non fuit periit de populo Dei: neque ſimul cum aliis Chriſti ſanguine liberatus, & redemptus eſt. Omnes autem vſque ad Chriſti paſſionem, non ſolum ab originali peccato, verum etiam ab aliis omnibus Chriſti ſanguine liberati ſunt, quicumque illam circumciſionem ſuſceperunt, & legem cuſtodierunt. Si enim circumciſione vel baptiſmo originale peccatum deleri potuiſſet: Chriſti paſſio neceſſaria non fuiſſet. Sed impoſſibile erat ſine effuſione illius ſanguinis, originale ſolui peccatum: Vnde & Ioannes Apoſtolus ait. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei. Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus. Non in aqua ſolum ſed in aqua & ſanguine. Nonne audis quia Saluator noſter non per circumciſionem, ſed per aquam, & ſanguinem venit ſaluare, & redimere mundum. Non in aqua ſolum quia impoſſibile erat ſine Chriſti ſanguinis effuſione ſolo baptiſmate hominem liberari, ſed in aqua, & ſanguine, vt ſanguis ad pretium, & ad lauacrum aqua proficeret. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater, verbum: & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Et cœlum nobis teſtatur, & terra, quod filius hominis venit in hunc mundum, vt nos redimeret atque ſaluaret. Vnde, & Apoſtolus ait. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere quorum primus ego ſum. Tres (inquit) ſunt in terra qui nobis teſtimonium dant, certoſque nos faciunt de ſalute noſtra ſpiritus videlicet & aqua ex quibus in baptiſmo regenerati ſumus, & ſanguis filij Dei, quo redempti ſumus. Et de baptiſmo quidem ſcriptum eſt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, de ſanguine vero. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Itemque. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Et hi tres vnum ſunt. Tres quidem iſti, ideſt ſpiritus aqua, & ſanguis vnum ſunt, quoniam & ſpiritus lauat, & ſanguis lauat. Omnes enim in eo vnum ſunt, in quo viciſſim, à ſe non differunt. Sunt igitur, hæc tria vnum, quia vnum operantur. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum & ſpiritus ſanctus: & hi tres non tantum vnum, ſed ſubſtantialiter vnum ſunt. Lege omnes ſcripturas vtriuſque teſtamenti: quæ horum trium patris videlicet, & filij, & ſpiritus ſancti, inſpiratione compoſitæ ſunt: tunc intelliges qualia quantaque in cœlo de ſalute noſtra teſtimonia habeamus. Quod ſi plura legere non vacat illud nobis vnum interim ſufficiat. Qui crediderit, & baptizatus fuerit; ſaluus erit. Quod enim filius dicit, hoc & pater dicit, & ſpiritus ſanctus. Illa autem clauſula quæ interpoſita; eſt qua dicitur, & ſpiritus eſt, qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas, ad ſuperiora reſpicit, vbi ait, quoniam Ieſus eſt filius Dei. Quaſi enim aliquis diceret, vnde hoc probas, quod Ieſus iſte tuus quem prædicas ſit filius Dei: ſubdidit dicens, Spiritus qui in ipſo eſt, in quo tanta, & talia operatur, ipſe apertiſſime oſtendit quod filius Dei eſt, & quod mendacium in illo non eſt. Et quicquid de ſeipſo vel de aliis dicit: totum verum eſt.

DE EADEM.

Sermo requirendus II.

QVoniam autem circumciſio, & Caſtitas idem ſignificant conueniens nobis eſſe videtur, vt ſermonem illum, qui ſuperius de caſtitate editus eſt huic ſermoni coniungamus. Require in libro de ornamentis Eccleſiæ vbi dicitur. *Beatus Paulus Apoſtolus doctor, & magiſter Gentium, &c.*

CAPVT VI.

De Epiphania Domini.

AVdiuimus modo cum Euangelium legeretur quod tres Magi ab oriente venerunt, quos noua ſtella duxit ad Ieſum, qui mox apertis theſauris ſuis obtulerunt, ei munera aurum, thus, & myrrham: & reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Dicendum eſt igitur quid tres iſti Magi, quid illa ſtella, quid tria munera, & quid itineris mutatio ſignificet. Non enim vacat à myſterio, quod tribus ſolum viris extraneæ gentis, ſuæ natiuitatis gloriam Saluator noſter manifeſtare voluit. Tres fuerunt filij Noë, qui tempore diluuij in arca ſaluati ſunt ex quibus vbique diſſeminatum eſt, omne hominum genus. In tres partes totus diuiſus eſt mundus. In Aſiam, Africam, & Europam. Tres mulieres venerunt, vt vngerent Ieſum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome. Mulier quoque in Euangelio abſcondit fermentum in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum. Sunt autem & multa alia quæ eandem habent ſignificationem. Tres igitur iſti viri venientes ad Ieſum ex omnibus mundi partibus, ſanctam Eccleſiam in vnam fidem colligendam, ſignificabant, ſiquidem ex tribus hominibus orti ſunt omnes, & vnum Dominum in tribus perſonis adorare debemus omnes, & in tribus mundi partibus habitabant omnes, quoniam ab hoc vno creati ſunt omnes. Per cœlos autem qui hanc nouam ſtellam dederunt Apoſtolos intelligimus de quibus dicitur. Cœli enarrant gloriam Dei. Noua autem ſtella eorum fides eſt atque doctrina. Cœli nobis prædicant, cœli nos vocant, cœli nos inuitant ad Dominum. Multi ſunt cœli, ſed vna ſtella: quia multi ſunt Apoſtoli, & doctores ſed vna fides, atque doctrina. Vnum enim dicunt omnes. Vnam fidem prædicant omnes. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma prædicatur ab omnibus. Hanc ſtellam ſequamur, hanc fidem, & doctrinam teneamus. Hæc nos ducet ad Ieſum. Hoc lumine veniemus ad Chriſtum, Neque nos errare in itinere permittet, tantum nos eam non deſeramus, ſemperque ad eam reſpiciamus, & via regia incedamus. Ad Herodem non diuertamus, huius conſilium non audiamus: neque Scribarum, & Phariſæorum reſponſa quæramus. Si enim magi hoc feciſſent, ſi ad Herodem non veniſſent, ſi recto itinere perrexiſſent, & in domo impia Chriſtum non requiſiſſent, nequaquam ſtellam perdidiſſent. Hoc enim ex eo probari poteſt, quod poſtquam ab Herode magi receſſerunt, & illi quorum conſortium reliquerunt, confeſtim, vt ait Euangeliſta. Stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, donec veniens ſtaret ſupra; vbi erat puer. Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde. Illorum igitur error ſit noſtra correctio: & qui noua ſtella, & vero lumine, fide Catholica, & doctrina Apoſtolica illuminati ſumus. Herodis domum, hæreticorum & Iudæorum doctrinam, quæ eſt ſynagoga Satanæ, fugiamus. In itinere poſiti ſunt iſti, & ad Chriſtum feſtinantibus parant inſidias: Sed vide quanta eſt iniquitas Herodis, quanta eſt aſtutia diaboli. Fingit ſe adorare velle, quem molitur occidere. Mittit magos ad Ieſum, rogat vt ab ipſo redeant ad ſe. Habet enim fiduciam, ſicut ſcriptum eſt quod influat Iordanis in os eius. Sunt enim eſcæ eius electæ, neque magnopere curat alios deuorare, niſi eos qui iam per fidem, & baptiſmum venerunt ad Ieſum, & in Chriſti militia computati, eius ſignaculum ſuſcipere meruerunt. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Neſtoriani non inueniebant puerum cum Maria matre, quia non credebant Chriſtum habuiſſe matrem. Vnde in deteſtationem eorum Beata virgo Maria vocata eſt theotocos, ideſt Dei, qui etiam homo eſt mater. Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus; & myrrham. Gentiles erant iſti legem, & prophetas non nouerant; legis tamen & prophetarum

A dicta complebant. Scriptum eſt enim. Non apparebis vacuus ante conſpectum Domini Dei tui. Iſti ſunt de quibus ſcriptum eſt. Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Et in pſalmis. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei. Docent nos iſti viri qui primitiæ gentium fuerunt, & per quos omne genus hominum ſignificatum eſt, qualiter debeamus quærere Chriſtum, & quomodo ad Ieſum venire debeamus. Non debemus venire ſine muneribus, non debemus ad eum accedere ſine aromatibus. Sicut regina Saba (quæ & ipſam Eccleſiam Gentium ſignificabat) venit ad Salomonem offerens ei aurum multum, & aromata multa, & qualia prius non ſunt allata in Hieruſalem. Sic & illæ mulieres, de quibus iam ſuperius locuti ſumus, emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum. Lege Cantica canticorum, & videbis quod totus liber B vnguentis optimis, & aromatibus redoleat. Vbi ſponſa vnguentis ſuauibus delibuta ſponſi odoribus delectata dicit. Trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum: Cuius, & ſponſus odoribus nihilominus delectatus ait. Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. De ſapientia quoque dicitur: quia in plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedit, & quaſi myrrha electa dedit ſuauitatem odoris. His & ſimilibus apparet quantum bono odore, & ſanctis aromatibus delectatur Deus. Bonus odor & ſancta aromata virtutes ſunt, ſine quibus ad Chriſti incunabula, & ad matrem totius virginitatis accedere non licet. Fides, ſpes, charitas, humilitas, & patientia, miſericordia, & obedientia, aromata ſunt, quorum odor ſuauiſſimus eſt: in quo, & Chriſtus, & mater Chriſti multum delectantur. Valde ſapientes fuerunt homines iſti qui talia munera Domino obtulerunt. Hos igitur imitemur & aurum, & aromata Domino offeramus. Omnium metallorum au-C rum precioſiſſimum eſt, nec igne minuitur, nec vetuſtate corrumpitur. Omnia vaſa tabernaculi aurea ſunt, arca, menſa, altare: candelabrum, thuribulum, tabulæ, crateræ, ſcyphi, ſcyathi: & ipſi Cherubim, de auro puriſſimo facti ſunt. Sicut in templo Salomonis omnia de auro puriſſimo facta erant. Nihil in toto templo niſi aurum videbatur. Ad nos fratres iſta reſpiciunt nos ſumus vaſa tabernaculi. Diuitiæ Dei, arcana Dei, ſapientia Dei, ſi in corde tuo repoſita ſunt: tu arca es: Si cibis ſpiritualibus alios paſcis, menſa es. Si ſapientiæ doctrinæque lumine alios illuminas, candelabrum es. Si de tua ſancta conuerſatione bonum odorem circumquaque diffundis, thuribulum es. Si ſpiritui ſancto in corde tuo habitaculum præparas, templum Dei es. Hoc enim dicit Apoſtolus. Neſcitis quia templum Dei eſtis & ſpiritus ſanctus habitat in vobis? Aureos igitur nos eſſe oportet, ſiquidem tabernaculi vaſa ſumus. Sed videat vnuſquiſque quale aurum offerat Domino: ipſe enim falli non poteſt: faber eſt, & filius fabri, non Ioſeph, vt Iudæi D dicebant, ſed illius qui cœlum fabricauit, & terram, ſicut nos dicimus. Ipſe eſt de quo ſcriptum eſt. Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum. Si cuius opus manſerit, mercedem accipiet, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe vero ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem. Apoſtoli verba ſunt. Quid nos miſeri faciemus, qui non aurum, ſed plumbum habemus. Sed potens eſt Dominus plumbum noſtrum in aurum conuertere, qui in tot, & tam diuerſa animalia ſolidam terram conuertere potuit. Ecce audiuimus quid Domino offerre debeamus. Audiamus etiam per quam viam in patriam redeamus: dicat Euangeliſta. Et admoniti, inquit Magi in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Vna via prohibetur, cæteræ bonæ ſunt. Redire ad Herodem malum eſt, hanc viam fugiamus. Hæc via non ducit nos ad patriam. Herodes iſte diabolus eſt. Herodes iſte peccatum eſt. Omnis via quæ ad ipſum ducit, mala eſt. Alias E ergo vias teneamus, quæ nos ſine errore in patriam perducant. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Hæ duæ ſufficiunt nobis: ſed duæ vna ſunt. Dominus hoc dicit: Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem niſi per me. Omnes igitur viæ in iſtam conueniunt, nulla niſi per iſtam ad patrem vel ad patriam perducit. Hanc ergo teneamus, vt læti tandem, & incolumes in antiquam patriam noſtram redire valeamus. Ipſo adiuuante qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT VII.

De Octauis Epiphaniæ Domini.

DEfuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens: Surge, & accipe F puerum & matrem eius, & vade in terram Iſraël. Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Sicut Ioannes Euangeliſta dicit: In propria venit Dominus & Saluator noſter, & ſui eum non receperunt. Derelicta igitur ſynagoga tranſiuit ad gentes, & abiit in Ægyptum, vbi Patriarchæ, & Prophetæ peregrinati ſunt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & corruent omnia ſimulacra eius. Vnde, & ipſe Dominus ait: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et in Pſalmis. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. In tẽplo quoq; vt Ioſephus refert auditæ ſunt voces Angelorum, dicentium. Relinquamus has ſedes. Vnde & Apoſtolus ait. Vobis oportebat primum prædicari verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos feciſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Hoc igitur fuga Domini ſignificauit. Venit in Ægyptum vt populus qui ſedebat in tenebris, videret lucem ma-G gnam. De quo videlicet populo per prophetam ante prædixerat. Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerũt a ſemitis ſuis. Et alibi. Vocabo non plebem meã, plebem meam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam, & quibus prius dictum fuerat non populus meus vos ipſi vocamini filij Dei viui. Laudate ergo Dominum omnes gentes laudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. O felices illi gentium, cum quibus, & in quibus Dominus habitat. Miſeri Iudæi qui eũ recipere noluerunt, & clamantes dixerunt. Non habemus regem niſi Cæſarem. Miſerũt inſuper legationem poſt ipſum dicentes. Nolumus hunc regnare ſuper nos. Hanc impiam legationem mittũt poſt Ieſum, & incredulo corde, & obſtinato dicunt, nolumus hunc regnare ſuper nos. Nondũ illis mortuus eſt Herodes, adhuc ſuper ſynagogam diabolus regnat. Nondum omnes mortui ſunt qui Chriſti animam quærunt, & eius nomen & fidem in cordibus fi-H deliũ occidere conantur. Sed ſciant Iudæi, niſi omnes illi prius moriantur, & diabolus in eorum cordibus regnare deſiſtat, ad terram Iſraël & ad ſynagogam non veniet Ieſus. Dedignatur enim Dominus cum talibus habitare, omneſque illos fugit, ſuper quos Herodes, & diabolus regnat. His autem mortuis reuertetur ad eos, quod quidem iuxta ſecundam conſummationem Hieremias propheta futurum eſſe teſtatur. Ait enim. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabit eum Dominus iuſtus noſter. Si enim fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Vnde & in Pſalmis legitur. Conuertentur ad veſperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem. Et tunc quidem archiſinagogi filia exſuſcitabitur, per quam ipſa ſynagoga ſignificatur. Tunc ille qui hircum ſeu caprum emiſſarium, tanto tempore vagabundus per deſertum duxit lotis veſtibus aqua munda ad caſtra reuertetur. Obſcura ſunt niſi clarius diſſerantur.

A Narrat Moyſes Dominum præcepiſſe vt ante oſtium tabernaculi duos hircos ſtatueret, quorum alterum immolaret Domino alterum in deſertum mitteret pro homine, ad hoc officium præparatum. Homo vero ille immundus erat vſque ad veſperum, & tunc lotus aqua ad caſtra reuertebatur. Quam friuola hæc eſſe viderentur, niſi magnum aliquid ſignificarent: Duo hirci Chriſtum, & Antichriſtum ſignificant. Hircus in lege pro peccato offerebatur, mundum quidem animal, ſed fœtidum, & luxurioſum. Munda enim animalia ſunt, quæcunque vngulam diuidunt, & ruminant. Nos quaſi hircum Antichriſtum abominamur. Similiter autem & Iudæi Saluatorem noſtrum ſeductorem, & peccatorem dicunt. In quorum perſona Iſaias propheta loquitur, dicens. Et nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra. Hic igitur hircus ad oſtium tabernaculi, & ante portas templi ductus, & damnatus eſt, & pro peccatis noſtris do-
B mino immolatus. Nunc autem de altero videamus ſuper cuius caput filij Aaron ſacerdotes manus ſuas ponentes omnes maledictiones imprecabantur. Filij Aaron nos ſumus qui quotidie Antichriſtum damnamus, & maledicimus. Huic enim Apoſtolus maledicens ait. Et tunc reuelabitur ille iniquus filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Similiter, autem & beatus Ioannes in Apocalypſi multis maledictionibus ei maledicit. Homo vero ille qui eum in deſertum ducit populus Iudaicus eſt, qui per totum mundum in captiuitatem ductus, & quaſi per magnum quoddam deſertum diuiſus, Antichriſtum, quem ipſi Meſſiam vocant, ſecum portat, illum prædicat, illum annunciat, illum ad ſui liberationem venturum eſſe dicit. Sic igitur vſque ad veſperum, vſque ad huius Diei ſæculique finem ſimul cum hirco ſuo populus ille in huius deſerti amplitudine errabit, tunc tandem lotus aqua, & baptiſmate ſanctificatus, & mundatus Eccleſiæ caſtris ſociabitur, & ſicut ſuperius dixi-
C mus, illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & tunc tandem reuertetur Dominus in terram Iſraël & habitabit in ciuitate Nazareth, quæ munditia interpretatur. Hæc vna ciuitas duobus populis ſufficit, ſimul omnibus in vnum collectis, fiat ſolummodo vnum ouile, & vnus paſtor. Et tu igitur quicumque es, ſi vis ſuſcipere Chriſtum in domum tuam, & in templum pectoris tui, eſto Nazareth, eſto domus pulchritudinis, & munditiarum. Dic ſimul cum Pſalmiſta, Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Audi Dominum in Euangelio dicentem. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Congrue igitur per Nazareth, Eccleſia tota ex vtroque populo congregata ſignificatur, quoniam tota munda eſt, tota pura eſt, tota ſuper niuem dealbata eſt, de qua ipſe Dominus ait. Ecce tu pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Ab hac ergo Nazareth Saluator noſter, vt dicit Euangeliſta, Nazaræus dictus eſt, vt adimpleretur quod ſcriptum eſt per prophetas dicentes, quoniam
D Nazaræus vocabitur. Pulchre autem à Nazareth Nazaræus dictus eſt, quoniam (ſicut diximus) Nazareth munditiæ, & Nazaræus mundus interpretatur, & mundus quidem à munditiis deriuatur, Multa autem de Nazaræis loquitur Moyſes, qui ſicut viri valde religioſi, ſeipſos Domino vouebant & conſecrabant, & ab omnibus à quibus lex abſtinere præcipit ſe cuſtodiebant. neque vinum neque ſiceram, neque aliquid quod inebriare poſſet, bibebant, comam capitis ſui non radebant, & ad mortuum non accedebant. Tandem autem peracto tempore quod ex voto debebatur, totius profeſſionis hoſtiam Domino offerebant. Quod ſi forte in tempore conſecrationis ſiue qualibet occaſione ad mortuum acceſſiſſent, omnes priores dies irriti erant, & mox eadem die, ſimiliter autem & die ſeptima radebant capita ſua. Die vero ſeptima offerebant par turturum aut duos pullos columbarum. Aliter in ſynagoga aliter in Eccleſia Nazaræi fiunt. Et pauci quidem fiunt in ſynagoga, mul-
E ti vero in Eccleſia. Sunt enim Nazaræi quicumque baptizantur, quoniam ab omni peccato lauantur, ſanctificantur. Et quamvis omnes Chriſtiani in baptiſmate Nazaræi fiant, ab Epiſcopo tamen & ſacerdotes cæteroſque clericos, & præcipue ad Monachorum ordinem hæc pertinere videntur, qui auctori Domino voto coniuncti ab omnibus immunditiis ſe præ cæteris cuſtodire debent. Tales igitur à vino, & ſicera, aliiſque omnibus, quæ inebriare poſſunt abſtinere oportet, ne forte inebriati ſenſum amittant ſuæque profeſſionis obliuiſcantur, Hoc autem non tantum de corporis, quantum de animæ ebrietate intelligi debet Vtraque enim mala eſt, ſed animæ peior. Qui enim vitiorum calice inebriati ſunt, facile a diabolo præcipitantur. Et tali quidem calice ebrij ſunt omnes ſuperbi, omnes auari omnes luxurioſi, omnes raptores, omnes quibus furor, & ira dominatur. Ipſe enim impetus irrationabilis, ebrios eos eſſe
F oſtendit, Non eſt igitur Nazaræus quia à tali ſe non continet ebrietate, Vinum bibit Ieſus, & Nazaræus erat. In quo maxime probatur per vinum, & ſiceram aliud ſignificari. Interdicitur quoque Nazaræis ad mortuum accedere, id eſt criminalia, & mortalia peccata committere. Quamuis ſine peccato nemo eſſe poſſit, ſine crimine tamen Nazaræum eſſe neceſſe eſt, quoniam ſi crimen commiſerit, iam Nazaræus non eſt. Vnde, & Nazaræis præcipitur, ſic ſi qualibet occaſione ad mortuum toto tempore conſecrationis acceſſerint, ſtatim eadem die radantur, & ſeptima ſimiliter. Dies quoque irriti fiebant quos vſque ad illam diem pro voto cuſtodierant. Nunquam Nazaræis ante terminum conſtitutum caput radere licitum erat, niſi prius fortaſſe ad mortuum acceſſiſſent. Qui igitur ante terminum caput radebant, volebant apparere foris, quod ſe cognouerant perdidiſſe intus. Hos & nos imitari debemus, vt quando peccatum aliquod magnum commitimus, ſtatim eadem die ad pœnitentiam curramus: neque in alteram diem
G differamus, ſicut ſcriptum eſt. Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Radamus capita, vt tota nuda appareat conſcientia, & dolor, qui in corde eſt, in facie manifeſtetur. Sicut bonæ, comæ nutriendæ ſunt: ita & malæ radendæ. Bonæ comæ bonæ ſunt cogitationes: de quibus dicitur. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Quas videlicet Beatus Iob, ſe perdidiſſe flebat, dicens. Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. His ornatur caput interioris hominis. His amiſſis infirmatur anima. Ideo Sanſon perdidit fortitudinem, quia talibus comis ſpoliatus fuerat. Malæ vero comæ illæ ſunt de quibus in Euangelio Dominus ait. Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, periuria, & ſimilia. Hæ radendæ ſunt, quia hæ ſunt quæ coinquinant hominem, & quæ Nazaræos immundos faciunt. Hæ tollantur a corde, his animæ caput radatur, & totus homo mundus erit. Debet autem caput radere qui peccauit, & prima & ſeptima die,
H quoniam qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit Septima namque dies vltima eſt. Octaua vero die offerat par turturum, vel duos pullos columbarum: per quod videlicet intelligimus: quod cum veniet ad reſurrectionem, quæ vtique octaua die futura eſt, totus, & corpore & anima mundus. quaſi digna, & acceptabilis hoſtia Domino offeretur, Multa ſunt quæ de Nazaræis dici poſſunt. Sed hæc pauca nos dixiſſe ſufficiat.

CAPVT VIII.

De Ramis Palmarum.

SERMO I.

CVm veniſſet Ieſus Bethphage ad montem Oliueti Et reliqua. Dominus: & Saluator noſter fratres chariſſimi, veniens ad paſſionem pro humani generis

redemptione acceſſit prius ad montem Oliueti: inde præmiſit duos diſcipulos ſuos Hieruſalem, & ait illis: ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ibi inuenietis aſinam alligatam, & pullum: ſoluite, & adducite mihi. Quibus adductis dum Chriſtus, ſuperſediſſet, & Hieruſalem veniret, vniuerſa ciuitas in aduentu eius commota, obuiam illi venit, tantamque deuotionem exibuit, vt quidam veſtimenta ſua in via proſternerent, alij ramos palmarum, & oliuarum proſternendos cæderent: omneſ- & præcedentes, & ſubſequentes, vna voce in laudem illius, cum pueris ſimul clamarent: Oſanna filio Dauid, Benedictus, qui venit in nomine Domini. oſanna in excelſis. Quæ omnia ſic ſunt actualiter geſta, vt tamen aliquid ſpiritualiter ſignificarent. Mons quippe Oliueti, cui redemptor noſter prius appropinquauit, quid aliud ſignificat, quam ipſum Saluatorem noſtrum? Quia ſicut mons cum de terra ſit, terræ tamen eminet, ſic & Saluator noſter homo qui ſimilis fuit nobis, mortalis, ſed quia ſine peccato fuit quia Deus, & homo ſuper omnes eſt ſublimatus, & exaltatus De quo propheta ait: Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare: in eo etenim Dominus habitabit in finem: Ipſe mons eſt Oliueti quia ſicut ait Apoſtolus: Pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis Oleos enim ſeu eleos græcè dicitur miſericordia. Duo autem animalia, aſina & pullus ſignificant duos populos, Iudæos, & Gentes. Sicut enim aſina erat domita iugo, & ſolita ſuperſedentem ſuſcipere, pullus vero non ita: Iudæorum populus iugum legis, & Prophetarum habuerat, & vnius Dei cultum: Gentium vero populus nec iugum legis, & prophetarum ſuſceperat, nec Deum ſed dæmonia adorabat Ambo tamen populi ſub iugo peccati erant; ſicut ait Apoſtolus. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, à quo iugo, vt poſſent ſolui, miſit Chriſtus duos diſcipulos id eſt duos ordines diſcipulorum, vnum in Iudæam, alterum in Gentilitatem. Vnde Beatus Paulus ait. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis operatus eſt & mihi inter gentes. Hos enim apoſtoli conuertendo à peccatis ſoluerunt, & templum, & ſedem Dei fecerunt. Vnde diuina ſcriptura ait. Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Poſt apoſtolos autem ſubſecuti ſunt & ſancti martyres, qui proſternebant veſtimenta ſua in via, quia pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt. Inde ſancti cõfeſſores ramos de arboribus cædunt, dum exempla bene viuendi de libris noui & veteris teſtamentis nobis aſſumunt. Clamant omnes Oſanna filio Dauid, quia omnes ſancti vna mente, vnoque ſpiritu laudant Deum, qui per miſericordiam ſuam nos à poteſtate diaboli liberauit. Cum quibus fratres & nos pariter mortificantes carnem noſtram, cum vitiis, & concupiſcentiis, palmam victoriæ per veram pœnitentiam, & per opera miſericordiæ quam oliua deſignat, contra diabolum habeamus, vt ad cæleſtem Hieruſalem, redemptore noſtro duce, quandoque peruenire, & illic gaudere valeamus in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO II.

NArrat beatus Ioannes Euangeliſta quod turba multa quæ conuenerat ad diem feſtum, cum audiſſet, quia Ieſus venit Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam & clamabant Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini Bona turba quæ ad diem feſtum conuenerat, bona turba quæ Saluatori noſtro obuiam proceſſerat: quam, ipſi quoque Scribæ, & Phariſæi timentes, quamuis Chriſtum occidere cupiebant, in eum tamen manus mittere non audebant, vnde, & dicebant. Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. Ad feſtum namque diem venire, Dei filio obuiam exire & non ſolum exire, verum etiam cum palmis obuiam ire, ad religionem, & virtutem pertinet. Septem diebus faciebant Iudæi hanc maximam ſolemnitatem, in qua fermentum comedere, & opus ſeruile facere non licebat. Sed ſicut Apoſtolus ait. Omnia in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem propter nos. Hæc feſtiuitas noſtra eſt, Iudæi Chriſtum occiderunt, ſed nobis & propter nos occiſus eſt Chriſtus, nobis & propter nos immolatus eſt agnus, qui tollit peccata mundi. Nos igitur hanc feſtiuitatem celebrare debemus non in fermento malitiæ & nequitiæ ſed in azymis ſinceritatis & veritatis id eſt non in vetuſtate litteræ, quia littera occidit, ſed in nouitate ſpiritus, quia ſpiritus viuificat. Debemus autem eam celebrare ſeptem diebus hoc eſt omnibus diebus & quanto tempore in hac vita ſumus. Quia enim non ſunt dies niſi ſeptem, ideo per ſeptem dies, omne tempus, & omnes dies intelliguntur. Seruilia autem opera ſunt, non illa quidem quæ ſerui faciunt, ſed potius illa, quæ etiam liberos ſeruos faciunt. Non eſt enim ſeruile opus ignem in ſabbato accendere, catinum lauare, infirmos ſanare; paralyticos curare, ſicut Iudæi Saluatori noſtro detrahentes, dicebant. Hic homo non eſt à Deo qui ſabbatum non cuſtodit, ſicut, & Archiſynagogus indignans dicebat. Sex dies ſunt, in quibus licet operari in his ergo venite, & curamini, & non in die ſabbati. Seruile ſcilicet opus exiſtimans ſanare, & ipſos miſeros homines à dæmonibus liberare. Sed ſi vis ſcire quæ ſunt ſeruilia opera. Audi prophetam dicentem, Non occides, nec mæchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui. Hæc ſunt ſeruilia opera, hæc faciunt homines ſeruos, hæc tradunt miſeros homines ad diaboli ſeruitutem. Hæc ergo & ſimilia fugiamus, ab his nos cuſtodiamus, & non faciemus opus ſeruile in feſtiuitatibus noſtris. Et illi quidem qui ſic feſta celebrant digni ſunt qui proceſſionem Domino faciant, & ei cum palmis obuiam procedant, Neque enim ſine palmis licet obuiam Chriſto ire, quoniam in palmis victoria ſignificatur. Vnde, & in lege præcipitur, ne iudices in iudicio perſonam reſpiciant, ſed quicumque iuſtam cauſam habuerit, ei palmam dabunt. Vadant ergo illi obuiam Ieſu qui victores ſunt, & ſuos vicerunt inimicos. Si viciſti ſuperbiam, vnam palmam habes, ſi viciſti auaritiam, alteram habes, ſi viciſti luxuriam, aliam habes, & quot vitia ſuperaſti, tot palmas habes. Si autem nullum viciſti, nullam habes. Noli ergo ire obuiam Chriſto, non te ſuſcipiet, quia indignus es qui in tali triumpho ſuſcipiaris. Videamus modo quid aſinus ille etiam ſignificet, ſuper quem rex ille humilis, & manſuetus ſedere dignatus eſt, Animal ſtultum, vilis precij, ignobile, omnibus iniuriis, omnique ſubditum ſeruituti eſt aſinus. De ſanctis autem dicit Apoſtolus. Videte vocationem veſtram fratres: quod non multi ſapientes inter vos, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt perdat ſapientia, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Et in alio loco. Si quis videtur ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. De talibus quoque Eſaias ait: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus, præſepe Domini ſui. Vnde ait: Delbora (quæ apis interpretatur) Qui aſcendiſtis ſuper nitentes aſinos, benedicite Dominum. Nitentes aſini illi ſunt, qui Apoſtolorum veſtibus ornati ſunt. Qualis iſte eſt, ſuper quẽ modo Dominus ſedet. De quo Euangeliſta ait: quod impoſuerunt Apoſtoli ſuper eum veſtimenta ſua: & eum deſuper ſedere fecerunt, Apoſtolorum veſtimenta, ornamenta, virtutes ſunt: & mores honeſti. Fides, ſpes, charitas, prudentia; fortitudo, temperantia, humilitas, miſericordia, patientia; & ſimilia ornamenta ſunt, quia ſancti Apoſtoli ornati ſunt, & alios ornant: vt apti, & pulchri ſint, ſuper quos Deus ſedere, & in quibus habitare dignetur. Qui igitur talibus ornamentis ornati ſunt: illorum quidem animæ ſuper nitentes aſinos ſedere dicuntur, Iſti itaque ſunt ſedes Dei iſti de ignobilibus, & viliſſimis animalibus facti ſunt thronus Dei. Nouem ſunt Angelorum ordines, ſed ſuper thronos nullus ordo eſt: Quanto melius eſt cum ſimplicibus, & manſuetis aſinos Chriſti fieri quam cum ſuperbis, & arrogantibus equos & currus fieri Pharaonis: De illis enim ſcriptum eſt: Currus Pharaonis, & exercitũ ejus proiecit in mare.

De iſtis autem : Beati pauperes ſpiritu , quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Denique ſuper quod aliud animal debuit ſedere Ieſus , cum ad crucem pergeret , niſi ſuper illud quod crucem naturaliter ſuper ſe ferre videtur. Naturaliter enim hoc animal crucis ſignum ſuper ſe deſignatum habet. Audiamus etiam quid illi ſignificent qui ramos de arboribus cædentes , viam Domino præparabant. De talibus præcurſor Domini ait : Parate viam Domini : rectas facite ſemitas Dei noſtri. Non omnium eſt hoc officium , neque omnibus data ſunt feramenta quibus huiuſmodi rami de arboribus ſuccindantur , Epiſcoporum eſt hoc & ſacerdotum : Ipſi tales ramos de arboribus cædere , & viam Domino præparare debent , per quam, & nos ad ipſum ire poſſimus , vt ipſe ad nos venire dignetur. Arbores autem patriarchæ , & prophetæ Apoſtoli , & Euangeliſtæ intelliguntur , De his autem ramos ſuccidimus , quando eorum fidem , & doctrinam eorum vitã & ſanctam conuerſationem , aliis exponimus , & ad imitandum proponimus. Tales fuerunt arbores , Eſaias , Hieremias , & Daniel. Tales fuerunt Petrus , & Paulus , & Ioannes. Talis, & ille qui ait ; Ego ſicut oliua fructifera in Domo Dei : ſperaui in miſericordia Dei mei in æternum , & in ſæculum ſæculi. Ex qua videlicet arbore rami ſucciduntur , quibus illa via paratur , de qua dicitur : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Præcipitur filiis Iſrael, vt in feſtiuitate tabernaculorum , fructum arboris pulcherrimæ ſuſcipiant , ſpatulaſque palmarum , & ramos ligni denſarum frondium , & ſalices de torrente , & in ipſis lætentur coram Domino. Qui iſta intelligunt , non ignorant quid arbores , & rami arborum ſignificent , quibus Domini ad nos , & nobis ad Dominum via præparatur. Quid illæ quoque duæ turbæ ſignificent , audiamus. De quibus hic dicitur. Turbæ autem quæ præibant & quæ ſequebantur , clamabant dicentes , Oſanna filio Dauid , benedictus qui venit in nomine Domini. Illa quæ præibat patriarcharum & prophetarum eſt , omniumque illorum qui à primo homine vſque ad Chriſtum ; Domino placuerunt. Illa vero quæ ſequebatur tota fidelium Eccleſia intelligitur à Saluatoris noſtri aduentu vſque ad finem ſæculi. Lege prophetarum libros, & videbis quomodo præcedens turba laudet Dominum & benedicat. Lege Euangeliorum volumina & Apoſtolorum actus , & tunc intelliges quantum in Chriſti laudibus ſequens turba quotidie perſonet. Egregie itaque factum eſt quod Saluator noſter in medio poſitus eſt inter vtrunque videlicet teſtamentum , ſynagoga præcedit , Eccleſia ſequitur , Ipſe vero in medio ſtat , & vterque populus vna , & conſona voce eum laudat & benedicit. Qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum Amen.

CAPVT IX.

In Cœna Domini.

PRima die azimorum quando neceſſe erat comedere paſcha , Dominus , & Saluator noſter Petrum & Ioannem ante ſe ad ciuitatem miſit , qui ei hoſpitium,& cœnam præpararent. Hæc autem cœna finis eſt veteris,& initium noui teſtamenti. Vnde & Saluatori noſtro vnam cœnam ſuam in duas cœnas diuidere placuit , vt per primam vetus , & per ſecundam nouum teſtamentum intelligamus. De hac autem cœna locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron in Ægypto , dicens , Menſis iſte vobis principium menſium , primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſraël, & dicite eis. Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas,& cætera quæ ſequũtur. Menſis , inquit , iſte aliorum menſium principium eſt , qui apud nos. Martius vocatur. Hic autem , ſit nobis primus , id eſt maximus & principalis anni, quia maiora in hoc menſe , quam in cæteris fiunt ſacramenta Loquimini ad cœtum filiorum Iſraël , & dicite eis. Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas , ſin autem minor eſt numerus quam vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum , aſſumet vicinum ſuum , qui coniunctos eſt domui eius , iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula : maſculus anniculus. Iuxta quem ritum , tolletis , & hœdum & ſeruabitis eum vſque ad quartumdecimum diem menſis huius Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorũ Iſraël ad veſperam. Decima namque die tolluntur agnus , & hædus , & ſeruantur , vſque ad quartumdecimum diem eiuſdem menſis , & tunc immolantur. Nam quia tabulæ teſtamenti decem verba , id eſt decem præcepta principalia ſcripta habuerunt , in quibus tota lex quodammodo continebatur , ideo frequenter per decem totum vetus teſtamentum intelligitur. Quia vero ſunt quatuor Euangelia in quibus nouum teſtamentum clauditur, ideo per quatuor nouum teſtamentum deſignatur. Decima igitur dies vetus teſtamentum , quarta vero poſt decimam , nouum deſignat. Decima autem tollitur agnus, ſed vſque ad quartamdecimam immolãdus ſeruatur, quia Chriſti paſſio in veteri teſtamento per figuras , & ænigmata ſignificata, tandem in nouo veraciter eſt adimpleta. Ibi Chriſtus monſtratur, hic immolatur: Ibi ſignificatur, hic ſacrificatur. Ibidemque agni immolatio narratur, hic vero Chriſti paſſio prædicatur, Vetus namque teſtamentum eo tempore finẽ fecit, quo Chriſtus Dominus noſter diſcipulis ait. Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis vſque in diem illum cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Dei. Vetus igitur vinum ſpernitur: nouũ permittitur. Non quod vetus lex omnino deſtruatur ſed quod nouo & ſpirituali ſenſu intelligatur, hoc autem in regno Dei, quod eſt Eccleſia. Chriſtus autem & agnus eſt propter innocentiam,& hædus dicitur propter ſimilitudinem carnis peccati. De hoc enim dicitur: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. De hoc ſimiliter dicitur. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. Ad hunc autem veſcendũ vicinos,& proximos inuitare debemus, vt qua charitate omniũ ſalutem deſideramus, innoteſcat. Vicinus enim noſter omnis Chriſtianus eſt & quicunque ab Eccleſia longe non eſt. Eſt autem agnus iſte abſq; macula , quia ſicut ſcriptum eſt: Peccatum non fecit : nec dolus inuentus eſt in ore eius. Eſt autem maſculus anniculus, quia nihil habet molle, nihil fœmineum , nihil corruptioni obnoxiũ, nihil carnalis ſẽtiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur, hœdus vero ab omni multitudine immolatur. Per quod apertiſſime deſignatur,& hoc ſacrificium quod modo in Eccleſia aſſidue ſumitur,& illud quod à Iudæis inſaniẽtibus in ara crucis eſt immolatum. Quamuis enim & hoc & illud vnum ſit, tamen aliter & aliter fit. Vnde & illi hœdũ occidunt inter iniquos , & peccatores mundi Saluatorem deputantes : Sicut ſcriptum eſt. Et inter iniquos deputatus eſt. Itemque Niſi eſſet malefactor , non tibi tradidiſſemus eum. Nos autem innocentem , ſanctum , & iuſtum , & ſine omni contagione peccati, Dei filium eſſe credimus. Agnum abſque macula, & immolamus, & ſumimus. Ideoque quamuis agnus , & hœdus immolatur , ſolus tamen agnus à populo manducatur. Illud enim ſacrificium in iſto ſumitur , quia hoc in illud conuertitur. Eſt autem hæc mutatio dexteræ excelſi. Omnis autẽ multitudo filiorum Iſraël hœdum immolauit. Sed quando ? Ad veſperum , quia proditor Iudas circa hanc horam cum Iudæis locutus Chriſtum vendidit , nummos accepit , atque altera die circa horam veſpertinam , id eſt, poſt nonam Saluator noſter ſpiritum emiſit. Vnde pſalmiſta ait. Eleuatio manuum mearum , ſacrificium veſpertinum. Et ſument de ſanguine agni , & ponent ſuper vtrumque poſtem,& in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum Super vtrumque etenim poſtem agni ſanguinem ponunt qui, & ore , & corde illum ſuſcipiunt. Qui vero vel indigne ſuſcipiunt, vel etiam ſuſcipientes Chriſti ſanguinem eſſe non credunt , iſti ſuper vnum tantummodo poſtem ſanguinem Chriſti ponunt. De quibus Apoſtolus dicit. Qui enim manducat , & bibit indigne iudi-

cium ſibi manducat, & bibit. Nos ergo, & ore ſumentes, & corde ſanguinẽ Chriſti eſſe credentes ſuper vtrumque poſtem eum ponamus: & corpore & mente ſuſcipiamus. Cum autem crucis ſignum quæ Chriſti ſanguine cruenta eſt, in noſtris frontibus facimus, tunc quidem in ſuperliminaribus domorum Chriſti ſanguinem ponimus. Sequitur. Et edent carnes illa nocte aſſas igni & azimos panes cum lactucis agreſtibus. Idem enim hoc loco, & per carnes, & per panes azimos intelligimus. Et bene vtrumque poſuit, quia de panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis agreſtibus comedunt, qui corde compuncto, & humiliato eas ſuſcipiunt, & crucis amaritudinem Chriſto compatientes in cordis palato quodammodo ſentiunt. Non comederis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum. Agni etenim carnes, ſi vel crudæ, vel aqua coctæ edantur, facile ſtomachum peruertere ſolent. Si vero aſſæ fuerint, & confortant, & auidius ſumuntur. Qui igitur à cæteris carnibus eas non diſcernit, & omni cibo ſuauiores, & ſalubriores eſſe non intelligit: & quaſi faſtidiens, digne eas ſumentibus ſalutem, & vitam præſtare non credit, is, vel crudas, vel aqua coctas has carnes comedit. Ille vero aſſas igni eas manducat, qui vitam in eis eſſe credens auidiſſime ſuſcipit, & ſuſcipiendo Chriſti paſſioni communicat. Ipſe enim Dominus dicit. Qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Non ſunt præterea hæ carnes crudæ edendæ, quia paſſus eſt Chriſtus, neque in aqua coctæ, quia non occulte, ſed palam, & cunctis videntibus eſt crucifixus. Redolet caro cum aſſatur, redolet & paſſio. Chriſti Caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis, nec remanebit ex ea quicquam vſque mane. Caput enim Chriſti (ſicut Apoſtolus ait) Deus eſt. Pedes vero qui terram tangunt, eius carnem ſignificant, quæ de terra aſſumpta eſt. Quid eius vero inteſtina omnino occulta? omnia profunda myſteria. Caput igitur illius cum pedibus & inteſtinis vorant, qui & Deum & hominem eſſe credunt, & quæcumque de eo ſcripta ſunt digne fideliterque ſuſcipiunt. Non enim ſufficit, ſi & Deum, & hominem eſſe eum credamus, niſi inteſtina eius quoque ſuſcipientes, & de virgine natum, & circunciſum, & veraciter paſſum, & die tertia ſurrexiſſe, & cætera quæ de ea ſcripta ſunt, indubitanter crediderimus. Vnde ſubditur. Nec remanebit ex eo quicquam vſque mane. Omnia ſumantur: omnia credantur: nihil de hoc agno remaneat, quod in fidei pectore non claudatur. Mane autem vitæ huius finis intelligitur, quando Chriſtus ſol iuſtitiæ apparebit, & fugatis tenebris nox vlterius non erit. Tunc autem non erit tempus conuertendi, vel agni carnes comedendi: quia qui tunc credere incipient, cum fatuis virginibus audient: Amen dico vobis, neſcio vos. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis. Reſidua enim ſunt, quæ comedi nequeunt, vt eſt pellis, & oſſa. Pellis etenim agni caro Chriſti eſt, quæ quidem qualiter Deo vnita, id eſt, qualiter verbum caro factum eſt, neque dici, neque intelligi poteſt. Sed quis illa oſſa comedere, vel (vt ita dixerim) corrodere valeat, vt qualiter ante omnia tempora ſit a patre genitus diutiſſime ſi licuerit ſemperq; inueſtigando intelligat. Sunt autem alia multa quæ quoniam comedi, & intelligi non poſſunt, charitatis igne fideique ardore comburantur. Sufficit enim credere ſi non datur intelligere. Plures enim credendo quam intelligendo has carnes comedunt. Comedant igitur qui poſſunt, qui vero non poſſunt credant, & charitatis igne comburant, Sequitur. Sic autem comedetis illum. Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter. Eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini. Renes quidem, accingere eſt caſtitatis, & continentiæ cingulo luxuriam refrenare. Vnde ipſe Dominus ait: Sint lumbi veſtri præcincti. Calceamenta vero in pedibus habent, qui quaſi alio pergere parati peregrinos ſe in hoc mundo eſſe cognoſcunt. Et iſti quidem viam mandatorum Dei currentes, ſecure & ſine timore, vt pote bene calceati ſuper ſerpentes calcant & ſcorpiones. Baculos autem in manibus teneant vt ſe ab incurrentibus aduerſariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus eſt tibi? Hoc enim ſuperbiam vincis. Habes caſtitatem & hæc baculus eſt; quo luxuria ſuperatur? Sed quid multa; quot virtutes tot baculos habes. Sic igitur præparetur, ſic muniatur, ſic cremetur, qui has carnes comedere venit. Cito autem, & feſtinanter comedetis eas vt cum Dominus veniet iam pleni & ſaturi ſitis, nec tunc incipiatis, quando liberari per fidem debetis. In fide namque ſuſcipienda, nulla mora debet eſſe. Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam. Poſtquam autem illam cœnam, & agnum illum ſignificatiuum Saluator noſter cum Apoſtolis comedit, ad verum paſchæ tranſit ſacramentum: vt quod prius fecerat in figura, iterum faceret in veritate. Et prius quidem fecit ſecundum ordinem Aaron, poſterius vero ſecundum ordinem Melchiſedech, vt ſe vtriuſque teſtamenti auctorem eſſe oſtenderet. Alterum igitur ſacerdotium complendo finiuit, alterum autem in æternum fieri & manere conſtituit. De quo ſcriptum eſt, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Surgens igitur à cœna & accipiens linteum præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, pedes quidem, quoniam qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Hoc enim faciebat vt puri, mundi, & digni eſſent ad tantum accedere ſacramentum, nobis quoque exemplum tribuens vt prius nos abluamus ad eius carnem, & ſanguinem acceſſuri, Qui enim vt Apoſtolus ait, manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Probet igitur ſe prius homo, lauet pedes & conſcientiam, & ſic accedat. Poſtquam autem pedes eorum lauit, cum iterum recubuiſſet antequam ſecundam cœnam agere cœpiſſet, ait Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magiſter, & Domine, & bene dicitis; ſum etenim. Si ergo Dominus, & magiſter laui vobis pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Et paucis verbis interpoſitis accipiens calicem bibit, & ait, Non bibam amodo de hoc genimine vitis donec bibam illud vobiſcum nouum in regno Dei. Quod tale fuerit, ac ſi diceret, Vetera tranſierunt, ecce noua facio omnia. Hinc eſt enim quod Lucas Euangeliſta duos calices ponit. Deinde vero accepit panem, & benedicens fregit, & dedit eis, * dicens, Accipite, & diuidite inter vos, Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Ac ſi diceret: Dixi vobis aliquando, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ſed non intellexiſtis, Modo autem quod dixi expono, & quod nunc me facere videtis, illorum verborum expoſitio eſt. Quidam ex diſcipulis hæc verba tunc audientes, & non intelligentes ſcandalizati ſunt & conuerſi abierunt retrorſum, & amplius cum non ſunt ſecuti, Putabant enim quod eius carnes membratim conciſas, vel crudas, vel coctas comedere debuiſſent. Nimis adhuc carnales erant iſti, nimiſque carnaliter intelligebant. Ecce modo cum diſcipulis ſedet Ieſus: manducat, & bibit cum illis, & cum nihil patiatur in membris ſuis, eius tamen caro comeditur, & eius ſanguis bibitur à diſcipulis ſuis. Hoc facit potentia diuinitatis. Illa videlicet de qua ſcriptum eſt. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Sic igitur, & modo cum dixiſſet. Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt ſanguis meus: tanta fuit potentia in verbo eius, vt illico, & panis mutaretur in carnem, & vinum mutaretur in ſanguinem. Miraris? hoc Scio quod miraris, mirabile enim eſt, nihil fecit Deus quod mirabile non ſit. Similiter autem & ego miror de te, quomodo cibus tuus, & potus tuus mutatur in carnem & ſanguinem tuum. Non facit cibus tuus carnem tuam, quæ iam facta eſt: ſed nutrit, & mutatur in eam videlicet carnem tuam quam habes, & quam ſuſcepiſti de matre tua. Sic igitur, & panis ille, & vinum quod ſuper altare conſe-

* Locus mendoſus.

A cratur, ad imperium, & poteſtatem cœleſtis benedictionis in Chriſti carnem, & ſanguinem commutatur, non in aliam carnem Chriſti, quia aliam non habet niſi illam, quæ nata eſt de matre Chriſti. Ergone potuit digeſtio tua mutare cibum tuum in carnem tuam, & cœleſtis benedictio non poteſt panem, & vinum mutare in carnem & ſanguinem Chriſti? Quomodo ergo verum eſt? Ipſe dixit, & facta ſunt ipſe mandauit, & creata ſunt: Concedas igitur neceſſe eſt, quod ſicut digeſtione mutatur cibus in carnem tuam, quam tu ſuſcepiſti, de matre tua? ita & panis iſte cæleſti benedictione mutatur in carnem Chriſti, non in aliam quidem, quia non habet aliam, niſi illam quam de virgine matre ſuſcepit: Audi adhuc quod mirabilius eſt, cum tantus panis qui per totum mundum quotidie ſacrificatur cœleſti benedictione mutetur in carnem Chriſti, & comedatur à fidelibus Chriſti. Ipſum tamen corpus Chriſti neque augetur quando panis in illud mutatur, neque minuitur quando manducatur. Illi quinque panes ſint no-
B bis in exemplum ex quibus Saluator noſter quinque millia hominum ſatiauit exceptis paruulis, & mulieribus qui in hoc numero non computantur. Si vnuſquiſque ex illis panibus ſolummodo in mille particulas diuiſus fuiſſet, ego non puto vnam particulam os vnius hominis implere potuiſſe. Illud tamen tantillum quod ſinguli ſuſceperunt, tantum in ore vniuſcuiuſque multiplicatum eſt, vt neque dentibus ad molendum, neque ventri ad implendum minus eſſet vſque ad perfectam ſatietatē. Illæ quoque paruiſſimæ micæ, quæ de panibus cum frangerentur ceciderunt, & his qui comederant neceſſariæ non fuerunt, ſic multiplicatæ ſunt, vt duodecim ex eis cophini implerentur, cum prius ne duo quidem cophinj ex omnibus illis panibus impleri potuiſſent. Et certe poterat Dominus ſi ipſi placuiſſet ex ſolis iſtis reliquiis paſcere omnes homines huius mundi, quanto tempore fuerit iſte mundus: tanta eſt potentia Domini, & tantum valet benedictio Chriſti. Ecce inuenimus aliquid ad exemplum valde conueniens, quod à multis co-
C medatur & non minuatur. Sic igitur corpus Chriſti cum quotidie comedatur ab omnibus nullam tamen patitur diminutionem, quia ſicut Apoſtolus ait: Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, Mors illi vltra non dominabitur. Vidi ego aliquos, & quales multos inuenire non eſt difficile, qui nulla ciborum abundantia, maiores vel craſſiores fiebant, quamvis multi cibi in eorum carnes conuertebantur. Hoc autem dixi quamvis fortaſſe non videatur competens exemplum vt tu intelligas aliquid eſſe, quod non augeatur, quamvis ei quotidie aliquid addatur. Si igitur hoc in carne mortali fieri poteſt, quanto magis in carne Saluatoris, & ipſa iam per reſurrectionem clarificata? Nondum enim conſummatum vel perfectum eſt, quod in aliquo augeri, vel minui poteſt. Sed quare nos in iſtis laboramus? Ipſius verba nobis ſufficiant Ipſe enim dixit: Hoc eſt corpus meum, poſtea dixit, Hic eſt ſanguis meus. Ipſe dicit: Caro mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus. Ipſe dixit: Qui manducat meam carnem, & bi-
D bit meum ſanguinem habet vitam æternam. Si Chriſto non credimus, cui credemus? Vbi tanta auctoritas eſt, ibi argumenta neceſſaria non ſunt.

CAPVT X.

In Paraſceue de imitando Chriſto in paupertate, miſericordia, charitate, & cæteris virtutibus, hac die, aut alia qualibet ad fratres habendus.

SERMO I.

ESTOTE imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam
E Deo in odorem ſuauitatis. In omnibus quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus geſſit fratres chariſſimi, & dixit, nobis formam humilitatis, & doctrinam bonæ conuerſationis reliquit, ſicut enim verbis nos voluit docere, ita & exemplis. Vnde ſcriptum eſt. Cœpit Ieſus facere, & docere. Et quantum ad humilitatem ait ipſe Dominus Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quin etiam cum ipſe ſit omnipotens atque Dominus, pro nobis pauper eſſe voluit, honores reſpuit, paſſiones ſponte ſubiit, & etiam pro perſecutoribus exorauit. Et hoc totum fecit, vt in omnibus eum pro capacitate noſtræ infirmitatis ſequi non negligamus: alioquin veri Chriſtiani non ſimus. Nam qui dicit ſe Chriſtum diligere, debet ſicut ipſe ambulauit, & ipſe ambulare. In hoc ergo quod ipſe pauper eſſe voluit, ne nos diuitias pro ma-
F gno habeamus, neque eas immoderatius appetamus, ſatis apte docuit. Nam homines huiuſmodi comprobantur eſſe auari, de quibus dicit Apoſtolus, Auari fornicatores & immundi regnum Dei non poſſidebunt. Idemq; alibi. Qui volunt in hoc mundo diuites fieri: incidunt in tentationes, & in laqueos diaboli. Ecce qui volunt fieri dixit, non qui ſunt. Cupiditatem damnabilem oſtendit, & non diuitias. Poſſunt diuites eſſe, & boni, ſed illi de quibus dicitur. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Quales legimus fuiſſe Abraham, & Iacob, & Dauid, quos & diuitias cognoſcimus habuiſſe, & eas cum non habentibus communicaſſe. Et in Apoſtolo ſcriptum habemus. Præcipe diuitibus huius ſæculi non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo. Diuites ſint in operibus bonis, facile tribuant. Ecce iſti ſunt boni diuites, qui non ſuperbe ſapiunt, neque ſperant in incerto diuitiarum, id eſt, fiduciam ſuam non ponunt in diuitiis, quæ ſunt in incerto, quæ hodie habentur, & cras facile amitti poſſunt. Facile tribuant, & de iis quibus abundant, inopiam fratris ſubleuare ſtudeant vt de eorum vnoquoque dicatur. Hilarem datorem diligit Deus. Et hoc eſt, quare cum Dominus
G diues eſſet in cœlis, pauper voluit eſſe in terris. Quoniam etiam paſſionem, & crucem ſponte ſubiit, per ipſam mortem ſuam de poteſtate diaboli nos eripuit, atque in cruce pendens pro peccatoribus orauit, vbi nobis exemplum dedit, valde æquanimiter mala à proximis illata? homines ab hominibus perpeti, cum ipſe omnium dominus à ſeruis, iuſtus à peccatoribus tanta tam benigne pertulerit. Et nos fratres in tribulationibus poſiti, orationibus maxime inſiſtere debemus, quæ tribulationes geminæ ſunt. Eſt enim tribulatio, quum patimur damna temporalium, & eſt tribulatio quæ longe maior eſt quoniam ad quæcunque crimina inclinamur. Veruntamen ſic orandum eſt, vt oratio noſtra non vertatur in peccatum. Quoniam ſic perfectas eleemoſynas fecerimus Perfectæ autem eleemoſynæ ſunt in duobus dãdo ſcilicet & dimittendo. Vnde Dominus dicit in Euangelio, date & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis. Item,
H Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Alioquin ſcriptura teſtante. Fruſtra à peccatis rogans manus ad Dominum expandit, qui eas ad pauperes pro poſſe non extendit. Et ſi quis vos offendit, dimittite ex corde, vt Deus dimittat vobis veſtras offenſas. Quia niſi dimiſeritis, nec pater de cœlis dimittet vobis. Quoniã qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Et ſcimus, quod omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, neque partem in regno Chriſti & Dei: & hæc ſunt quibus perueniendum eſt ad regnum cœlorum. Ad quod perducat nos Chriſtus Dominus noſter, qui viuit, & regnat in ſæcula, &c.

SERMO II.

In Paraſceue ſiue in reſurrectione Domini.

FIdelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Beatus Apoſtolus Doctor, & magiſter gentium, verba ſua vera, & fidelia eſſe dicit, omnique acceptione digna, & quibus nemo vnquam contradicere debet, quod Dominus noſter Ieſus Chri-

A ſtus ideo in hunc mundum venit, vt peccatores ſaluos faceret: Non enim venit, vocare iuſtos, ſed peccatores quia non indigent qui ſani ſunt medico, ſed male habentes. Tota enim intentio ſaluatoris noſtri, quod verbum caro factum eſt, quod de virgine natus eſt, quod inter homines conuerſatus eſt, quod paſſus eſt, & reſurrexit, tota inquam illius intentio fuit, vt peccatores redimeret atque ſaluaret. Hodie igitur completa eſt hæc intentio tam pia, hæc voluntas tam ſancta; hæc miſericordia tam immenſa. Hoc, & ipſe oſtendit illis verbis quibus ait: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & crucifigetur, & tertia die reſurget? Nonne audis quod in reſurrectione conſummantur, quæ lex & Prophetæ de eo prædixerant? Non erat alia via qua homo in patriam reuerteretur? Non erat aliud precium quo redimeretur, non erat alia medicina qua ſanaretur? O clementiſſimum medicum, qui de proprio ſanguine B fecit medicinam ne infirmi perirent: quos ſanare venerat I. ſe eſt. n. de quo ſcriptum eſt. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Sanguis igitur Chriſti, & precium eſt quo redempti ſumus, & lauacrum quo lauati ſumus, & antidotum quo ſanati ſumus. Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, vere ex lege eſſet iuſtitia. Sed nihil ad perfectum adduxit lex. Manifeſtum eſt enim quia ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram Deo. Apoſtoli verba ſunt. Hic eſt igitur dicit beatus Ioannes qui venit per aquam, & ſanguinem redimere, lauare, & ſanare. Non in aqua ſolum, quia non ſolo baptiſmate hæc tanta ſalus, tanta redemptio, tanta liberatio fieri poterat, ſed in aqua, & ſanguine, vt ſanguis ad precium, & ad lauacrum aqua proficeret. Vnde, & de latere eius ſimul cum ſanguine aqua profluxit. Iam Saluator noſter obierat, & adhuc in ipſa ſui ſanguinis effuſione nos prædicabat, & docebat vbi noſtræ redemptionis auxilium quærere, & credere debeamus, cùm ſuæ paſſionis myſterium alioquin diſcipulis C reuelaſſet, & beatus Petrus intellexiſſet, ipſique diſplicuiſſet, atque dixiſſet: abſit hoc à te Domine, non fiat iſtud: reſpondit ei Ieſus. Vade poſt me ſatana: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Non enim beatus Petrus cognouerat illud magnum, & ineffabile Sacramentum diuini conſilij non intellexerat quod peccatum originale, niſi Chriſti ſanguine ſolui non poterat Nondum ſciebat quod oportebat pati Chriſtum & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam. Si enim hoc intellexiſſet nunquam eius voluntati Sathanas id eſt contrarius extitiſſet. Iuit tamen ipſe poſt ipſum, quia non ſolum in morte, verum etiam ipſum ſecutus eſt ſimili morte. Illis diebus quibus Ioannes Baptiſta decollatus eſt, venerunt quidam ad Ieſum dicentes: Exi & vade hinc, quia Herodes quærit te interficere. Et iſti quidem vt homines loquebantur, & humanum conſilium dabant. Quibus Dominus Ieſus reſpondens ait. Ite dicite vulpi illi. Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras & tertia die conſumor. Verumtamen oportet me & D hodie, & cras & ſequenti die ambulare, quia non capit perire prophetam extra Hieruſalem, dicite inquit, quod Herodes quærit me interficere, ite & dicite vulpi illi: Dicite illi callido inſidiatori, ecce eiicio dæmonia, quæ valde illo fortiora, & potentiora ſunt, qui & ipſum ſi volo & de regno & de corporis tabernaculo eiicere poſſum. Hoc autem facio hodie, & cras, & quanto tempore mihi placuerit. Cras enim frequenter in diuina pagina pro futuro tempore ponitur. Secundum quam ſignificationem Iacob ad Laban loquitur dicens: Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea. Sed quid prodeſt Herodi ſi me interfecerit, cum ego ſtatim tertia die conſumar, id eſt a mortuis reſurgam (Tantum enim & non amplius temporis erit, quicumque me interfecerit, inter paſſionem & reſurrectionem meam. Verumtamen quamuis Herodes hoc facere quærat, quamvis hanc voluntatem ſtultam, & impiam habeat, oportet me tamen hodie, & cras & ſequenti tempore poſt cras quantum mihi placuerit, ambulare, & prædicare, ac patris facere voluntatem. E Quare hoc. Quia non capit perire Prophetam extra Hieruſalem. Non capit inquit, non recipit, non patitur ſermo propheticus, & diuina diſpoſitio perire prophetam extra Hieruſalem. Ibi & non alibi paſſurus ſum, quia & locus & tempus, & dies, vbi, & quando, & à quibus hoc fieri debeat ſtatutum, & diſpoſitum eſt: & aliter fieri non poteſt. Stultus igitur eſt Herodes, qui alterius officium, & peccatum ſibi vendicat, & locum, & tempus & cætera immutabilia mutare contendit. Multoties Iudæi voluerunt tenere, & occidere Ieſum, & non potuerunt. Vnde etiam eiſdem ipſis ſigna quærentibus, & cum ſuperbia loquentibus ait: Generatio praua & peruerſa ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Ecce audiſtis, quid amplius quæritis? Tribus diebus, & tribus nocti- F bus, & non amplius erit filius hominis in corde terræ. Quid eſt in corde terræ, in affectu & in deſiderio peccatorum, Tribus enim diebus & tribus noctibus deſuper Iudæis data eſt poteſtas vt facerent in eum quod facere cupiebant. Sicut enim cœli vocantur iuſti: ita terra vocantur peccatores. Vnde primo homini dictum eſt, Terra es, & in terram ibis. Fuit igitur filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, quamuis non integris tribus diebus, & tribus noctibus. Nocte enim illa qua à Iudæis inſanientibus & ſuper eum irruentibus captus eſt, ex quo ipſe ait, Si me quæritis, ſinite hos abire, in poteſtate illorum fuit Saluator noſter. Similiter autem & illis duabus aliis noctibus quæ poſt illam ſequuntur, in quibus vſque in diem dominicam ne reſurgeret, cuſtoditur eius corpus, quod dumtaxat in eorum poteſtate fuit. Tres quoque dies ita computantur & ſexta feria & ſabbatum & tertij diei initium, in quo mundi creator & Dominus valde mane à mortuis reſurrexit. Vſitatiſſimum omnium ſcripturarum eſt, totum pro parte, G & partem pro toto, aliquando ponere. Vnde & Propheta muſcam, & ranam ſingulariter poſuit: cum muſcas & ranas pluraliter dicere debuiſſet. Immiſit inquit in eos muſcam caninam, & comedit eos, & ranam & diſperdidit eos. Sufficiat vobis hoc ſignum ô Iudæi, neque vlterius quæratis aliud ſignum. Magnum enim & admirabile ſignum eſt, quod malo veſtro, & bono veſtro, ad perniciem veſtram, & ad ſalutem omnium gentium illum tenere & ligare & occidere potuiſtis; qui ſimul ex nihilo cuncta creauit. De quo ſcriptum eſt. Qui manet in æternum, creauit omnia, in cuius poteſtate & voluntate vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui eius poſſit reſiſtere voluntati, quia Dominus, & creator vniuerſorum ipſe eſt. Sic igitur quanto tempore voluit, fuit Ieſus in corde terræ. Nec antea, nec poſtea ſe alicuius tradidit poteſtati, qui die tertia à mortuis reſurgens iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Qui cum patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. H

CAPVT XI.

In die Sancto Paſchæ.

HÆc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Inter cunctas ſolemnitates, chariſſimi, quas ad honorem redemptoris noſtri ſancta Eccleſia colit, & veneratur, vt præcipuam, & egregiam, & omnibus aliis excellentiorem præſentis Diei ſolemnitatem celebrat: & contemplatur, ſicut enim ſancta ſanctorum per excellentiam olim dicebantur, in quæ ſummus Pontifex non niſi ſemel intrare quot-annis audebat, ſic & feſtiuitas iſta per excellentiam poteſt dici feſtiuitas feſtiuitatum. Quia per hanc expoliatus eſt infernus iuſtis, qui ibi detinebantur, & reſerata fuit ianua paradiſi quæ per Cherubim gladio igneo contra totum genus humanum

cuſtodieba

cuſtodiebatur. Quid enim homini prodeſſet verbum natum, niſi per mortem infernum triumphaſſet, & per reſurrectionem ſuam ſpem nobis reſurgendi dediſſet: Duæ quippe vitæ erant, quarum vnam multis miſeriis ſubiacentem omnes experimento cognoſcebamus. Alteram vero, quæ incognoſcibilis, & immortalis, ignorabamus; Suſcepit igitur Chriſtus hanc mortalem vitam naſcendo, recepit alteram vitam immortalem reſurgendo. Vnde Paulus ait; Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sic, & duplex mors eſt, vna corporis, per quam ab anima ſeparatur, quæ eſt communis omnibus hominibus & iuſtis, & iniuſtis. De qua Dauid ait. Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem? Hæc autem mors pœna peccati eſt, illata, ſcilicet toti humano generi pro peccato primi hominis. Cui à Deo dictum eſt. Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno auté ſcientiæ boni, & mali ne commedas. In quacunq; enim die comederis ex eo, morte morietis, id eſt mortalis corporis efficietis. Homo enim illo die quo Adam hoc comedit non mortuus eſt corpore, ſed mortale corpus cœpit habere: qui ſi non peccaſſet, immortale corpus habuiſſet. Altera vero mors eſt animæ ſcilicet per quam anima peccando à Deo ſeparatur. Vnde, & Ezechiel propheta ait. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Sicut enim corpus ex anima viuit, ſic anima viuit ex Deo. Et ſicut recedente anima, corpus morietur, ſic recedente Deo propter peccatú, anima moritur. Nos igitur horum duplici morte, ſcilicet corporis, & animæ tenebamur, Chriſtus non vtramque ſuſcepit, quia ſic neutrá nos liberaſſet, ſed tamen vnam mortem videlicet carnis ſuſcepit, & per ipſam nos ab vtraq; morte liberauit. Propterea enim in monumento non niſi vno die, & duabus noctibus iacuit, vt per diem vnum ſignificaretur duplex mors noſtra ex peccato illo illata. Per vnicam ergo mortem Chriſti nos à duplici noſtra liberati ſumus, eo quod per ipſum in anima, & corpore reſurgere poſſumus. Merito igitur Pſalmiſta pro gloria reſurrectionis nos admonet, dicens, Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus: & lætemur in ea. Licet enim omnes dies fecerit creando Deus: hanc tamen diem præcipue dicitur feciſſe, dum in ea hominem in melius per ſanguinem ſuum recreauit, & eum ad immortalitatem tam corporis, quam animæ per vtriuſque reſurrectionem reuocauit. Vnde in ea exultare debemus, quia abſorpta eſt mors corporis in victoria per reſurrectionem Chriſti. Et lætari debemus, quia à morte animę per triũphum reſurrectionis Chriſti liberati ſumus. Cui domino, & Deo reſurgenti, & ſpem nobis reſurgendi donanti, ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT XII.

In Aſcenſione Dominica.

SERMO I.

DOminus Ieſus poſtquam locutus eſt diſcipulis: aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Redemptore noſtro, chariſſimi, hodie in cœlum ſecundum formam corporis aſcendente, gaudere nobis conuenit, & exultare, quia nos, qui per peccatum primi hominis à cœli gloria deiecti eramus: iam cum capite noſtro ad cœli palatium, ad Angelorum conſortium, ad ineffabilem viſionem Dei reducimur, & portamur. Hodie ſiquidem impleta eſt illa prophetia Dauid dicentis. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitaté, dedit dona hominibus Nos quippe fratres, fuimus iſta captiuitas, quia per peccatum fueramus à diabolo captiuati: ſed hanc captiuitatem ſcilicet nos, Chriſtus quum aſcendit in cœlum, captiuam duxit, id eſt in ſuam poteſtatem ſecum recepit; ad ſimilitudinem alicuius principis triumphantis, & ſuos liberantis, vt fecit Abraham. Bona quidem eſt fratres, iſta captiuitas Chriſti, qua nos captiuamur, & in cœlú reportamur: Sed mala captiuitas diaboli, per quam irremediabiliter ſuffocamur; Vitemus ergo, chariſſimi, hác captiuitaté diaboli; ſcilicet peccata: & amemus captiuitatéChriſti, quæ nos de terris ad cœlum leuat, de tenebris ad Dei inacceſſibilé alioqui lucé portat. Sed ad hanc lucé nullus noſtrum poteſt aſcendere niſi imaginem ipſius redéptoris noſtri in nobis ſumamus vt ſcilicet ſicut ille ambulauit & nos ambulemus. Vndé & Ezechiel propheta, cum eſſet in captiuitate Babyloniæ poſitus, vidit viſionem Dei, in qua inter cætera vidit ſpeciem electri, & in ea ſimilitudinem quatuor animalium, quorum vnum habebat ſimilitudinem hominis, ſecundum ſimilitudiné vituli, tertium leonis, quartum vero geſtabat ſimilitudinem aquilæ. Quid enim fratres per ſpecié electri niſi naturam redemptoris noſtri ſignificat? In electro enim dum duo diuerſa metalla ſcilicet aurum & argentum iungũtur, aurum à ſuo fulgore temperatur, & imminuitur, ſed argentum maiori claritate illuſtratur. Sic redemptor noſter electrum fuit, ex auro diuinitatis, & argento humanitatis, coniunctus ſcilicet ex duabus naturis diuina, & humana in vnam perſonam. In quo Chriſto aurum ideſt diuinitas à ſuo ſplendore quaſi imminuta eſt, ſicut legitur in Pſalmo: Minuiſti eum paulominùs ab angelicis: ſed argentú ideſt humana natura in maiorem ſplendorem excreuit: quia ſicut ibidé legitur. Gloria & honore coronaſti eum domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiciſti ſub pedibus eius, oues boues vniuerſa inſuper, & pecora campi; Volucres cœli, & piſces maris. Et beatus Paulus ait, Propter quod Deus & exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorú In ſpecie autem huius electri videbat Ezechiel ſimilitudinem quatuor animalium. Iſta quoque quadrifaria ſimilitudo redemptorem noſtrum ſignificat, qui habuit ſimilitudinem hominis, quia verus homo, & in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inuentus, vt homo, habuit ſimilitudiné vituli, quia erat ſacerdotalis hoſtia, in cruce velut vitulus hoſtia moriendo. Habuit ſimilitudinem leonis, tertia die reſurgendo de ſepulchro, & corpus ſuum vt leo catulos rugitu viuificando. Habuit ſimilitudiné aquilæ, in cœlos quadrageſimo poſt reſurrectionem die, aſcendendo. Nos ergo fratres ſecundum Paulum dicentem. Sicut portauimus imaginem terreni hominis: portemus imaginem cœleſtis hominis, id eſt Chriſti, vt in virtutibus vt homines naſcamur, in vitiis veluti vituli moriamur, & contra vitia, vt leones, fortiter reſiſtentes, ad meliora reſurgamus, penniſq; virtutũ velut aquilæ, per contemplationem ſubleuemur: Adiuuante nos ipſo Chriſto qui in cœlis, & vbique regnat in ſæcula, &c.

SERMO II.

HOdierna die ſicut ſcriptum eſt, Chriſti diſcipuli in montem Oliueti conuenerunt, ibique recubuerunt, & apparuit illis Ieſus, & recubuit cum eis. Qui poſtquam de eorum incredulitate eos redarguit, & in vniuerſum mundum ire, omnique creaturæ euangeliũ prædicare præcepit videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eú ab oculis eorum. Omnia opera Saluatoris noſtri plena ſunt Sacramentis, quicquid agit, figura, & ſignificatio eſt. Non enim vacat myſterio, hoc tam felix, tamque lætum conuiuium. In quo rex regum, & Dominus dominantium ſimul cum vniuerſæ terræ principibus recumbere dignatus eſt. Nam & ipſe locus ipſiuſq; loci vocabulum magnum aliquid ſignificare videtur, vocatur enim Mós Oliueti per quem excelſa miſericordiæ virtus deſignatur: Siquidem græce Eleos, latine miſericordia vocatur. Frequenter Ieſus cum diſcipulis ſuis in hunc montem aſcendere, & manere ſolebat, ſicut in euangelio ſcriptum eſt: quod diebus in téplo prædicabat, noctibus autem manebat in monte qui vocatur Oliueti. Notandum quod ait ſecundum conſuetudinem ſuam Hanc igitur magiſtri conſuetudinem, ipſi quoq; diſcipuli cuſtodiebant, & frequenter in hunc móté olei, & miſericordiæ conueniebant, & hinc eſt fortaſſe quod ipſe Dominus filius olei vocatur: dicente Propheta. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Quid eſt enim filio olei, niſi pacis, & miſericordiæ filio? Conſidera modo quáto miſericordiæ oleo abúdet, qui vt ſeruæ dimitteret, filio non pepercit. Ad monté itaq; miſericordiæ Dñs nos inuitat, in monté pacis, & miſericordiæ nos aſcédere

A iubet. Hinc eſt quod Propheta ait. Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Nemini prius euangelizare conceditur quàm ſuper hunc montem excelſum aſcenderit. Nam etſi mons excelſus non eſt virtus tamen illa quæ per ipſum ſignificatur altiſſima eſt. Merito igitur tunc Apoſtoli in hunc montem aſcẽderunt quando euangelizandi officium accepturi erant. Hodie enim dictum eſt eis: Ite in vniuerſum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ. Hoc audiant epiſcopi, hoc audiant quicunque officium ſuſcipiunt, neque prius euangelizare præſumant quam in montem pacis, & miſericordiæ aſcendant. Neque ſibi quiſquam licitum eſſe putet, quod ipſis Apoſtolis licitum non fuit. Eſtote ergo miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt. Miſericordia Domini plena eſt terra. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Magnus eſt iſte mons de quo Chriſtus ad cœlos aſcendit: & ex quo via in cœlum erigitur. In hunc igitur aſcendant B quicunq; Chriſti & Apoſtolorum conuiuiis intereſſe cupiunt. Si vis Chriſtum venire ad conuiuia tua, recumbe in monte Oliueti, recumbe in monte miſericordiæ. Ibi cum Apoſtolis conuiuia præpara: frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Aderit ſtatim Ieſus, & dicet tibi: Quod vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti. Vbicumque pax & miſericordia eſt, ibi eſt & iſte mons Oliueti. Sicut oleum inter alios liquores, ita & miſericordia inter alias virtutes ſuprema eſt. Vnde Pſalmiſta ait. Suauis Dominus vniuerſis & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Hinc eſt enim quod tot in nobis vnctiones habemus. Hinc eſt quod tot vnctiones in Eccleſiæ conſecratione fieri videmus: ſemper igitur in hoc monte fiunt conuiuia noſtra, ſemper in oleo miſericordiæ natant corda noſtra. Sunt & alij montes ad quos aſcendere, & in quibus ſimiliter habitare debemus de quibus Propheta ait. Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Ad quos & Iacob Patriarcha Domino immolaturus, filios inuiC tabat dicens, venite aſcendamus in Bethel vt immolemus Domino. Bonus mons, in quo transfiguratus eſt Dominus: bonus & ille in quo duodecim Apoſtolos elegit, & octo beatitudines prædicauit. Mali montes Gelboe quibus Dauid maledicens ait: Nec ros nec pluuia veniat ſuper vos vbi ceciderunt fortes Iſraël. Mali & illi in quibus Loth inebriatus filias grauidas fecit. Iſti montes hæretici ſunt, qui omnes ad ſe venientes perdunt in quibus ipſi quoque fortes viri multotiens corrumpuntur. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua. Quomodo ergo dicitis animæ meæ. Transmigra in montes ſicut paſſer. In Domino confido quia non ad hos, ſed ad montes æternos trãſmigrabimus. Montes enim Prophetæ & Apoſtoli ſunt, ſuper quos Eccleſia fundata eſt, ſecundum illud Fundamenta eius in montibus ſanctis. Tot ſunt iſti montes, quot ſunt vtriuſque teſtamenti volumina. Quia in his montibus poteris reperire quæcunque ad ſuauitatem, ad iucunditatem, ad ſanitatem, & ad beatitudinem pertinent. Fides quoque, ſpes, & charitas cæteræque virtutes montes ſunt, quorum altitudinem Dominus conſpicit. D Ad quos qui confugerint, ſecuri erunt. In monte obedientiæ ſaluatus eſt Noë In monte fidei Abraham, in monte caſtitatis Ioſeph. In monte mititatis Moyſes. In monte manſuetudinis Dauid, & alij in aliis. Hodie tamen ſpecialiter in montem Oliueti, in montem pacis & miſericordiæ aſcendere debent Chriſtiani, vt dum pauperes pro Chriſto ſuſcipiunt, ipſum quoque Chriſtum ſuſcipere mereantur. Diximus quid mons Oliueti, & quid conuiuia quæ in eo fiunt ſignificent nunc ad euangelij verba redeamus. Et quid Dominus diſcipulis inſerit audiamus. Ite, inquit, in vniuerſum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ. Quod alius Euangeliſta planius expoſuit, dicens: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & filij & ſpiritus ſancti. Per omnem videlicet creaturam omnes gentes ſignificari volentes. Vnde & Apoſtolus ait. Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, quamvis non de omni creatura, E ſed de ſolo homine loqueretur: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Credere autem in hoc loco, quid eſt niſi fidem cum operatione cuſtodire: quia fides ſine operibus mortua eſt. Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet ad dexteram Dei. Vnde ſcriptum eſt. Aſcendens in altum Dominus, captiuam duxit captiuitatem. Aſcendens quippe in altum Dominus, captiuitatem noſtram ſua duxit virtute captiuam & qui prius ſub dura detinebamur captiuitate diaboli, ab eo in melius capti, & liberati ſumus. Conſidera modo cum quanta gloria, quanta lætitia, quali triumpho, & quali apparatu omnis illa militia cœleſtis exercitus, creatori ſuo Saluatori noſtro obuiam venerit, quibus laudibus, quibus hymnis & iubilationibus vſque ad thronum gloriæ eum deduxerit. Videor videre illam totam viam, per quam Saluator noſter aſcendit, omnium ſupernorum ordine à terris, vſque in cœlum vndique ſtipatam militibus. Videor videre malignos ſpiritus F illo tam magno tamque terribili exercitu perterritos, omnes in fugam conuerſos, & ſe in tenebras præcipitantes, totumque hunc aërem quem poſſidere ſolebant vacuum & liberum relinqentes. Aſcendit igitur Deus noſter in iubilatione & Dominus in voce tubæ. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum Amen.

CAPVT XIII.

In Aduentu Spiritus Sancti.

SERMO I.

Hodierna ſolemnitate, dilectiſſimi, recogitare monemur, quanta dilectione redemptor noſter erga nos teneatur qui & primo per habitum aſſumptæ carnis nobiſcum conuerſando, nos ad cœleſtia confortauit, & poſtea de cœlo Spiritum ſuum mittendo, de promiſſione ſua nos certificauit. Hodie ſiquidem diſcipulis Chriſti in vnum orantibus, Spiritus ſanctus in ſpecie ignis aduenit G & ipſos qui prius in paſſione Chriſti titubauerant, ſic modo interius ardere fecit & confirmauit, vt iam non ſolum vocem vnius ancillæ non timerent, ſed nec flagellati, conſpectum iudaici concilij formidarent, nec etiam ipſius Romæ mundi Dominæ, minas perhorreſcerent. Propterea enim ſpiritus ſanctus in ſpecie ignis aduenit vt omnem æruginem peccatorum cõſumeret, & purgaret & eos contra omnem mundi principatum, fortes faciendo accenderet, & in omni eos ſpirituali ſcientia illuminaret. Sicut enim triplicem naturam habet, vt ſcilicet conſumat, calefaciat, & illuminet, ſic & ſpiritus ſanctus qui ignis conſumens eſt & conſumpſit & purgauit in Apoſtolis omnem peccatorum vetuſtatem, & calefecit & accendit eos ad tantum amorem Dei, vt flagellati gauderent, quoniam digni habiti erãt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Illuminauit etiam eos ad tantam ſcientiam, vt omnium linguis magnalia Dei loquerentur, vt linguæ gentium quæ olim in fabricatione turris Babyloniæ fuerant confuſæ per ſuperbiam, vniuntur modo H per humilitatem Apoſtolorum, Vt quia totus mundus ad agnitionem vnius veri Dei rediturus erat, vna lingua per ora Apoſtolica reſonaret, & laudem Chriſti in omnem terram diffunderet. Quoniam autem Spiritus ſanctus quinquageſimo die à reſurrectione Chriſti ſuper diſcipulos aduenit, figuram deſignat veteris teſtamenti. Legimus enim quod populus Hebræorum à tranſitu maris rubri, vſque ad diem illam qua data eſt lex per Moyſen in duabus tabulis lapideis, quinquaginta dies fuerunt, vnde & illa dies dicitur pentecoſte, quia quinquageſima dies eſt à reſurrectione Chriſti. Et hæc omnia decenter conueniunt. Sicut enim tranſito mari rubro populus Dei liberatus eſt, & hoſtes ægyptij ſubmerſi ſunt: ſic & in morte redemptoris noſtri, & in reſurrectione liberati ſunt ſancti de inferno, & dæmones à ſua potentia detruſi perierunt. Vnde per Oſeam Prophetam Dominus dicit, ô mors ero mors tua, & morſus tuus ero inferne!

A Mors enim Chriſti fuit interitus mortis, dum in electis ſuis eam penitus exterminauit. Momordit infernum, dum more mordentis panem, partem reliquit ſcilicet, malos, & partem extraxit, ſcilicet bonos. Et ſicut illa lex data eſt in monte, cum ſonitu & igne quinquageſimo die, ſic & noſtra lex gratia, ſcilicet ſpiritus ſancti, data eſt in cœnaculo, & in ignis ſpecie, & repentino ſonitu, Vnde in actibus Apoſtolorum dicitur, Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. Sed illa lex in tabulis lapideis datur, deſignando dura corda Iudæorum: Noſtra vero data eſt in tabulis cordis, non in ſpiritu timoris (vt Paulus dicit; ſed in ſpiritu adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater; Nos ergo fratres, ſi hunc ſpiritum ſanctum habere in nobis volumus, in cœnaculo maneamus, vt quæ ſurſum ſunt quæramus: non quæ ſuper terram, & vnus ſpiritus ſimus cum Domino, adhærentes ipſi, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO II.

B CVm complerentur dies Pentecoſtes erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt, repente de cœlo ſonus, tanquam aduenientis, ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum ſpiritus ſanctus. Sunt quædam apud Hebræos feſtiuitates, & ipſæ quidem maximæ, & principales, quales ſunt omnes illæ quæ ſeptenario numero celebrantur, in quibus hodierna quoque feſtiuitas continetur, quæ ſepties ſeptem completis diebus id eſt ſeptem hebdomadibus peractis, & à nobis & ab illis colitur, & veneratur. Prima eorum feſtiuitas eſt, quæ omni die ſeptimo celebratur, de qua illis in lege præcipitur, vt colant dies ſabbatorum. Secunda vero paſcha vocatur quæ primo menſe colitur, duabus hebdomadibus adimpletis. Tertia vero pentecoſtes, quæ ſeptem completis hebdomadibus celebratur. Quarta autem ſeptimo menſe colitur, quæ dicitur feſtiuitas tabernaculorum. C Septimo vero anno quinta feſtiuitas eſt, qui annus totus ex integro feſtiuus habetur: Sexta vero feſtiuitas ipſa eſt iubileus, quæ anno quinquageſimo celeberrima cuſtoditur, ſepties ſeptem annorum curriculis euolutis. Inde autem ſeptima & æterna feſtiuitas in cœlis expectatur, quæ in iſtis omnibus aliis per tot, & tanta ſæcula ſignificatur. Conſtat igitur non ſolum apud nos, verum etiam apud huius ſæculi ſapientes ſeptenarium numerum ſacratiſſimum & perfectiſſimum eſſe: quoniam, & omnia tempora, & omnes numeri in eo continentur: Conſtat enim ex pari, id eſt quatuor; & ex primo impari, id eſt tribus: Omnis autē numerus aut par eſt aut impar. Omnis igitur numerus ex ſeptenarij partibus conſtituitur, ac per hoc omnes alij numeri in hoc numero continentur. Hinc eſt igitur quod Iudæi ſeptem diebus comedunt azima. Hinc eſt quod ſeptem diebus celebrant feſtiuitates. Hinc eſt quod manus ſacerdotum quando ordinantur ſeptem diebus vnguntur, & conſecrantur. Hinc eſt quod Pontifex tangens in ſanguine digitum, ſepties proiicit contra propitiatorium, & fores tabernaculi. Hinc D eſt quod leproſus concluditur ſeptē diebus. Hic eſt quod Maria ſoror Moyſi ſeptē diebus manſit extra caſtra. Hinc eſt quod muri Hiericho ſepties circundantur, & corruunt. Hinc eſt quod ſepties in die laudem Domino dicimus. Hinc eſt quod non ſolum ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties noſtris debitoribus dimittere iubemur. Hinc eſt quod templum Salomonis. ſeptem annis ædificatur, & in ſeptem diebus dedicatur. Hoc ſeptem Eccleſiæ ſeptem candelabra, ſeptem lucernæ, ſeptem ſigilla, ſeptem angeli tuba canentes, ſeptem panes turbam multam in deſerto reficientes, & ſeptem gratiæ ſpiritus ſancti ſignificare videntur. Sunt autem & alia multa quæ eandem ſignificationem habere poſſunt quæ ſtudioſus lector in diuinis voluminibus poterit reperire. Illæ igitur feſtiuitates per ſeptenarium numerum diſponuntur, quæ integram & perfectam habent celebrationem. Siquidem hic numerus tam perfectus eſt: vt omnes numeros omneſque dies in ſe concludat. Nunc ad Pentecoſten, & ad iubileum redeamus, & quali quantaque diligentia celebrari E debeant videamus Hæ duæ feſtiuitates proximæ ſunt, quarum altera quinquageſimo die, altera vero quinquageſimo anno celebratur. Non poſſumus modo de omnibus feſtiuitatibus, dicere quoniā vnaquæq; tanta eſt per ſe vt non communem ſed proprium velit habere ſermonem, dictum eſt enim, & adhuc dicendum eſt, quod Deus omnipotens per ſeptenarium numerum has omnes feſtiuitates ordinare voluit, quare etiam ſeptimam & vltimum diem feſtiuum, & celebrem conſtituit. Quod enim ſignificat ſeptimus dies, hoc ſignificat ſeptima hebdomada, & ſeptimus menſis & ſeptimus annus. Quod igitur ſeptima die feſta celebrantur hoc ſignificare videtur, quod finita hac vita quæ ſeptem diebus agitur, relinquetur, vt Apoſtolus ait, ſabbatiſmus, & requies populo Dei: vt ſicut ipſe requieuit die ſeptima ab operibus ſuis, ita, & nos tunc requiem habeamus à laboribus F & fatigationibus noſtris. Per ſeptenarium numerum in quo iſtæ feſtiuitates ordinatæ ſunt, in quo etiam dies, & numeri omnes continentur, quid aliud ſignificari debet, niſi quod feſtiuitatem noſtram continuam & perfectam eſſe oportet, vt quanto tempore in hoc mundo ſumus, nunquam ſeruilia opera faciamus, ſed in Dei laudibus & bonis operibus vacare ſtudeamus. Male enim celebrat ſabbatum, qui vacat à bonis operibus. Aliter autem iubileus qui annus remiſſionis interpretatur celebrari non poteſt, niſi continuam habeat celebrationem. In hoc anno ſeruis redditur libertas, Dominis hæreditas: omnibus omnia communia fiunt quæcunque in agris, in vineis in arboribus naſcuntur. Totus hic annus feſtiuus iucundus, & celebris eſt. Nulli ſeruile opus facere licet vt ex ipſa ſua imagine oſtendat, non tantum ſe ad hanc vitam quantum ad alteram pertinere. Quamvis in hac vita temporibus Apoſtolorum iubilei, feſtiuitas in ſancta Eccleſia continuo celebraretur, inter eos præcipue, quibus eſt cor vnum & anima vna, quibus non fructus arborum vt Iudæis, ſed omnia ex integro communia ſunt G Chriſtianis. Quia iam libertate & hæreditate donati, non ſeruilia, ſed liberalia opera faciunt. Eſt autem ſeruile opus, non quod ſeruus facit, ſed illud quod etiam liberos homines in diaboli ſeruitutem trahit. Si non regnat peccatum in noſtra mortali carne liberi ſumus, & liberalia opera facimus. Statim autem incipiente iubileo per totam terram ſacerdotes perſonabant tubis, quibus totus populus ad totius anni feſtiuitatem ſe præparabat. Hoc autem in noſtro iubileo, factum eſt, quando noſtri quoque ſacerdotes, ſancti videlicet Apoſtoli tubis primitus ſonare, & gentes ad fidem, & ad baptiſmum vocare cœperunt: Sicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et alibi. Canite in initio menſis tuba: in die inſigni ſolemnitatis veſtræ, quia præceptum in Iſraël eſt. Sed ſi ad illam feſtiuitatem reſpiciamus: & ad illum iubilæum mentis oculos erigamus, qui poſt hanc H vitam omnibus iam completis hebdomadibus in cœlis futurus eſt, tota hæc noſtra feſtiuitas vmbra quædam, & imago eſſe videbitur. Mittet filius hominis angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum, & iſti quidem erunt qui æternum illum iubileum annunciabunt. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti. Et tunc quidem incipiet illa feſtiuitas, quæ æterna erit, & finem nunquam habebit: De qua videlicet feſtiuitate melius eſt ſilere quam pauca dicere, quia nulla lingua ſufficiens eſt eius gloriam prædicare. Nunc autem quid ille ignis, & quid illæ linguæ ſignificent videamus, quæ ſuper Chriſti diſcipulos apparuerunt, cum omnes, vt Euangeliſta dicit: in vno eſſent loco congregati. Deus enim noſter ignis conſumens eſt. Merito itaque ſpiritus ſanctus in igne apparuit, vt peccata conſumeret, mentis oculos illuminaret, & totum hominem in Dei amorem inflammaret. Hic eſt ille baptiſmus quem Ioannes Baptiſtā promittebat cum diceret. Ego vos baptizo in aqua, ſed alius venit poſt me, qui vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni. In

A linguis quoque debuit apparere ſpiritus ſanctus, quia ipſe eſt qui loquitur in nobis, lingua igitur eſt ſpiritus ſanctus, ſiquidem ipſe eſt qui in Apoſtolis loquitur. Quis enim loquitur niſi lingua? Hoc officium non eſt alterius membri. Qui hac lingua loquuntur non habent neceſſe cogitare quo modo aut quid loquantur. Hac igitur lingua ſuſcepta loquebantur variis linguis Apoſtoli magnalia Dei, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Sententiarum.

LIBER QVINTVS.

B *De Laudibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ.*

CAPVT PRIMVM.

De Laude Beatæ Mariæ Ciuitatis Dei.

AD laudem matris Domini inuitat nos dilectiſſimi, Spiritus Sanctus per os Dauid patris ipſius virginis, dicendo, Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. Solet quippe ciuitas vocari quælibet magna hominum collectio, munita vndique muro & turribus vt illius munitionibus hoſtes repellant, & ſe per illas defendant. Non incongruè ergo virgo Maria Ciuitas Dei appellatur, quam virginitas mentis & corporis quaſi murus ita ex omni parte vallauit, vt nullus vnquam libidinis acceſſus adeſſet, & omnis inimicus à ſuæ virginitatis corruptione deeſſet. Vnde & in laude ipſius Salomon applaudit dicens. Pulchra es & decora filia C Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Virgo quippe Maria merito filia Ieruſalem vocatur, quia ipſa fuit filia viſionis pacis, ideſt filia & mater illius qui fecit pacem, iis qui erant longè à Deo, ideſt Gentilibus idololatris, & iis qui prope, ſcilicet Iudæis, qui propinqui erant Deo per cognitionem legis. Vnde in natiuitate eius ab Angelis canitur: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc filia Ieruſalem pulchra eſt per internarum decorem virtutum, & decora eſt per exemplum virginitatis quod toti exhibuit mundo. Eſt etiam terribilis, vt acies caſtrorum ordinata, ad quam omni virtute circummunitam non audet aliquis hoſtis accedere, vt quæ Spiritus Sancti protegitur adumbratione. Vnde & de hac ciuitate, iure glorioſa & magnalia dicuntur, non ſolum ab hodiernis, ſed etiam ab antiquis patribus & Angelis. Nonne enim valde glorioſum eſt quod de ea ipſe Dauid pater eius in hoc eodem pſalmo dicit. Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Impoſſibile enim eſt quantum ad D alios homines, vt aliquis ſit fundator ciuitatis in qua naſcitur. Quia antequam ſit natus non poteſt fundare ciuitatem. Sed Chriſtus qui eſt altiſſimus, per hoc quod Deus eſt ante omnia tempora fundauit ciuitatem hanc, ideſt matrem creauit, & tamen vt homo in fine temporum natus eſt in ea, ſumendo carnem ex ea. Mirabile eſt ergo & glorioſum in hac ciuitate quod ille qui fundauit eam, natus eſt in ea. Glorioſum etiam fuit & admirabile quod in figura iſtius ciuitatis virga Aaron ſubito floruit in templo, & nuces amigdalinas produxit ſine aliquo humore. Significabat enim quod hæc glorioſa virgo, quæ ſecundum Iſaïam fuit virga de radice Ieſſe, genuit florem, ideſt Chriſtum qui eſt flos campi, ideſt mundi, & lilium conuallium, ſecundum Salomonem, & eum non ex æſtu mentis, ſed ex ſuperueniente Spiritu Sancto concepit. Vnde Salomon in Canticis Canticorum gloriam iſtius virginis decantat dicens: Hortus concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus: Emiſſiones tuæ paradiſus. Virgo E quippe Maria fuit hortus in quo varij flores virtutum erant: & concluſus, quia vndique virginitate munitus. Eſt & fons ſignatus ſigillo Sacroſanctæ Trinitatis. Et emiſſiones, ideſt fructus eius ſunt paradiſus, ideſt deliciæ quibus delectatur Deus. Cuius odorem longè ante odorauerat Iſaac dicens: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et Iſaïas. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et Hieremias. Faciet Dominus miraculum ſuper terram, fœmina circumdabit virum, ideſt virgo Maria portabit in vtero Chriſtum, quem totus mundus capere non poteſt. Et Ezech. Vidi portam in domo Domini clauſam, quam Dominus intrauit & exiuit & clauſam reliquit. Quia virgo ante & poſt partum. Vnde Angelus ad eam. Aue gratia plena, Dominus tecum. Ecce concipies in vtero & paries filium. Sed Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Rectè ergo dictum eſt à Dauid. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et nos ergo fra- F tres matrem Domini glorioſam cum Patriarchis & Prophetis & Angelis prædicemus & laudemus, vt eam apud filium ſuum pro nobis orantem ſentiamus, & ipſum filium ei pro nobis annuentem agnoſcamus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT II.

De Natiuitate Beatæ Mariæ.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Et reliqua.

G *Sermo B. Brunonis Confeſſoris de eadem lectione.*

AVdiuimus modo in lectione Euangelica, de qua gente, de qua tribu, & de qua ſtirpe Beatiſſima Virgo Maria originem duxerit. De qua ipſe Dominus & Saluator noſter ſecundum carnem factus eſt, & verus homo inter homines conuerſatus eſt. Et valde quidem ad rem pertinuit, vt Euangeliſtę hanc lineam Chriſti generationis tam longam componerent, & ordinarent, quatenus ſciamus non ſolum ex quibus patribus Dominus natus ſit. Verum etiam vnde mortem & vnde vitam habeamus. Primum huius lineæ caput eſt Adam. Secundum vero Chriſtus. Hæc linea incipit ab Eua, & definit in Mariam. In principio mors, & in fine vita conſiſtit. Mors per Euam facta eſt, vita per Mariam reddita eſt. Illa à diabolo victa eſt. Hæc diabolum ligauit & vicit. Cum enim ab Eua, vſque ad ipſam linea extendatur, in ipſa tandem ille hamus ligatus & incarnatus eſt, per quem captus eſt ille Leuiathan, ſerpens antiquus qui eſt diabolus & Satanas, vt qui per H fœminam in regnum intrauit, per fœminam de regno extraheretur. Et qui fœminam illuſit & ſuis ſibi vinculis ligauit, ab hac vna fœmina illuderetur & ligaretur. Hoc eſt enim quod Dominus ad Beatum Iob loquitur dicens. Nunquid extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid illudes ei quaſi aui, & ligabis eum ancillis tuis? Non tu, quaſi dicat, ancillis tuis eum ligabis, quem nec ipſi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per vnam ancillam meam eum ligabo & fortitudine priuabo. Hæc eſt illa nobilis ancilla, de qua modo loquimur, Beatiſſima virgo Maria, quæ etiam de ſeipſa loquitur dicens: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vide humilitatem, ancillam ſe vocat, quæ cœli terræque regina à Deo conſtituta eſt. Legerat enim. Quanto maior es, humilia te in omnibus,

&

A & coram Deo inuenies gratiam. Sed conſidera potentiam Dei qui tantam ſuperbiam per vnius virginis humilitatem domuit. Noluit ad eam ſuperandam cœleſtes fortitudines mittere, vnam ex ancillis mandauit, cuius humilitate & ſapientia ille ligatus eſt & ſuperatus, de cuius potentia & fortitudine ipſe Dominus ad eundem Iob loquitur dicens. Ecce Beemoth quem feci tecum, fœnum, quaſi Bos comedet. Habet autem fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Non eſt poteſtas ſub cœlo, quæ ei comparari poſſit. Omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Verba conſolatoria ſunt, quibus Dominus Beatum Iob de ſuis tantis afflictionibus conſolatur, quibus hic hoſtis ſuperbiſſimus, & iniquiſſimus eum afflixit. Quædam ſiquidem conſolatio illi eſt, dum audit cum quanto hoſte bellum geſſerit, & Domino protegente, ſuperatus non fuerit. Ecce enim ille qui quaſi bos fœnum, ita omnes populos, & nationes deuorat & perdit: Hunc tamen vnum homi- B nem totis ſuis viribus ſuperare ad blaſphemiam (ſicut putabat) vel peccatum aliud prouocare non potuit. Vnde etiam ſcriptum eſt. Quia in omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. Quoniam autem fœnum populos ſignificet, teſtatur Propheta qui ait. Vere fœnum eſt populus. Et quare fœnum? quia cito florem, & pulchritudinem amittit, ſiccatur, & perit. Abſorbet autem Beemoth iſte omnes fluuios & non miratur: ſed inſuper habet fiduciam quod influat Iordanis in os ſuum. Quid per fluuios intelligere debeamus, ſcriptura nos docet vbi ait. Aquæ multæ populi multi. Sed non miratur Beemoth, neque pro magno hoc habet quod alios fluuios abſorbet, niſi ipſe quoque Iordanis in quo Dominus baptizatus eſt, & per quem baptizatorum populus deſignatur, influat in os eius: Sunt enim, ſicut ſcriptum eſt, eſcæ eius electæ. Ipſos Chriſti diſcipulos cribrare non timuit, & ad perditionem Iudam concitauit. Non curat latrones, & adulteros, non curat vulgus ignobile, monachos & ſacerdotes perſequitur, & ipſos Epiſcopos deuorare conatur. Non eſt poteſtas ſub cœlo quæ ei comparari va- C leat. Solas igitur eas poteſtates timet, quæ ſuper cœlos ſunt, & has & illas iam expertus eſt; iſtas quidem vicit, ſed ab illis ſuperatus eſt. Secundum illud, Michael, & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus eſt inuentus eorum amplius in cælo. Cum illis igitur pugnat qui ſub cœlo ſunt, & qui adhuc vanitatibus ſubditi ſunt. Omne tamen ſublime videt, cor eius exaltatum eſt, oculi eius elati ſunt, adhuc in magnis ambulat, & in mirabilibus ſuper ſe, neſcit humilia cogitare: Sed ſi vis ſcire, quam ſublime videat, ipſum interroga, & ipſe tibi reſpondeat. In cœlum (inquit) aſcendam ſupra aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Aſcendam ſuper altitudinem nubium & ero ſimilis altiſſimo. Pro hac ſuperbia deiectus eſt, nondum tamen humiliatus eſt, adhuc in eadem perſeuerat. Vnde non immerito dicitur quod ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Omnes enim ſuperbi, ſuperbiæque filij ſeruiunt ei, obediunt ei, eum D ſequuntur, & ab eo reguntur. Hic tamen tam ſuperbus & tam arrogans, tam potens, tam fortis, ab vna ancilla captus, & illuſus, & ligatus eſt. O Beatiſſima inter mulieres hæc ancilla, hæc Dei mater & ſuperni regis nobiliſſima filia, cuius hamo Leuiathan captus eſt, cuius humilitate quaſi auis illuſus eſt, cuius ſapientia quaſi latro, & vile mancipium ligatus eſt. In carne enim quæ ex ipſa nata eſt, quaſi hamus in eſca verbum incarnatum & abſconſum eſt, quia verbum caro factum eſt. Quid igitur verbum in carne, niſi hamus in eſca? Hanc eſcam vidit Leuiathan, concupiuit, nihil intus latere cogitauit, purum hominem eſſe credidit, linguam extendit, quæ videlicet lingua ſuæ perditionis fune ligata & ſuſpenſa eſt. Lingua diaboli Iudas fuit, quia per eum ſummis ſacerdotibus locutus eſt dicens. Quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam? Sed hæc lingua fune ligata eſt, quia proditor infelix ſtatim abiens laqueo ſe ſuſpendit. Omnes illi ſunt lingua diaboli, per quos ipſe loquitur, E & ſua conſilia reuelat. Sed has linguas Dominus ligat, quando eorum conſilia deſtruit, & per viros catholicos eos ſuperatos tacere compellit. Sic enim Arrius vt lingua fune veritatis ligatus eſt, quando eius impia hæreſis à concilio damnata eſt. Quod autem ait. Nunquid illudes ei quaſi aui. Eadem ſententia eſt. Nam & auis dum ad eſcam attendit multoties illuditur, & ſuſpenſa laqueo ſuffocatur. Vnde & in pſalmis dicitur: Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Qui enim fecit eum, ipſe plicauit gladium eius & ad talem formam redegit eum, cui non ſolum viri, verum etiam mulieres illudere poſſint. Quanti latrones, quantæ meretrices, quanti adulteri & homicidæ ei quotidie illudunt? quos dum ſe iam deuoraſſe & in uentre habere lætatur, ſubito ad pœnitentiam conuerſi, ex eius impio vtero foras erumpunt, & eum inanem & vacuum derelinquunt: Peccator enim (ait Propheta) quacunque hora conuerſus fuerit, vita viuet & non morietur. Tribus nominibus in hoc loco vocatur diabolus. Vocatur Beemoth: id eſt beſtia pro- F pter crudelitatem, quia tamquam leo rugiens ſemper circuit quærens quem deuoret. Ipſe eſt enim qui ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Vocatur, & draco, quia callidus & venenoſus eſt, & numquam recto itinere incedit. Siquidem à principio mendax fuit, & in veritate non ſtetit. Vocatur & auis propter ſuperbiam quia quamuis Angelicæ dignitatis alas amiſerit, adhuc tamen ſe erigere conatur, & quantum in ipſo eſt ſuperba intentione ſuper cœlos eleuatur. Conſidera modo quantas gratias debeamus Beatiſſimæ Dei genitrici: Conſidera quantis laudibus eam extollere & prædicare debeamus, ſi tamen digni ſumus, quorum laudes inter omnes creaturas pulcherrima ſuſcipere dignetur, cuius humilitate & ſapientia hic tantus hoſtis captus, & ligatus, & de regno quod tanto tempore iniuſte poſſederat, eiectus eſt. Sicut ipſe quoque eius filius Saluator, & redemptor noſter ait. Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Ipſam igitur laudemus ipſam prædicemus, ſimulque cum Ga- G briele Archangelo dicamus. Benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT III.

In Purificatione Sanctæ Mariæ.

POſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur. Et vt darent hoſtiam. Sicut in lege Domini ſcriptum eſt, par turturum aut duos pullos columbarum. Duo ſunt de quibus in hoc H ſermone locuturi ſumus, de muliere pariente & de hoſtia quam offerre debet. Dicit enim Moyſes quod mulier quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, & octauo die circumcidetur puer. Ipſa vero manebit triginta tribus diebus in ſanguine purificationis ſuæ. Si autem filiam pepererit immunda erit duabus hebdomadibus, ipſa vero ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Duæ iſtæ mulieres quarum altera maſculum, altera vero fœminam parit, duæ partes ſynagogæ ſunt, quarum altera bona eſt, altera vero mala: Mala quidem pars illa eſt de qua in apocalypſi Ioannes Apoſtolus Smirnenſis Eccleſiæ Epiſcopo dicit, quia blaſphemaris ab his qui ſe Iudæos eſſe dicunt, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga Satanæ; Sic igitur ſynagoga in duas partes diuiſa eſt, in ſynagogam Dei & in ſynagogam ſatanæ, in populum Dei & in populum diaboli; Illæ ergo

A mulieres,illa pars ſynagogæ. Illa pars illius populi bona erat , quæ ſuſcepto ſemine verbi Dei maſculum pariebat. Illa vero pars quæ fœminam pariebat , mala erat & non bona. Filij maſculi bona opera ſunt , fœminæ vero mala opera intelliguntur. Sancti Prophetæ multos filios & paucas filias habuiſſe leguntur.Sed prius de illa muliere dicamus , quæ bona erat , quæ maſculos pariebat , quæ non duabus , ſed vna tantum hebdomada fuit immunda. Duæ hebdomadæ , duo tempora ſunt ſub lege videlicet & ſub gratia. Vna veteris,altera noui teſtamenti. Prima à Moyſe vſque ad Chriſtum , ſecunda à Chriſti natiuitate vſque ad finem ſæculi. Illa ergo mulier bona, illa pars populi quæ maſculos pariebat , quæ legem cuſtodiebat , in bonis operibus ſe exercebat , ſeptem diebus immunda fuit , quia vſque ad Chriſti natiuitatem, quando illa hebdomada finita eſt , à peccato originali ſolui non potuit , neque circumciſione , neque filiorum generatione , neque alia qualibet legis obſeruatione, nihil enim vt Apoſtolus ait. Ad perfectum adducit lex. B Non ergo toto illo tempore mulier iſta munda dici potuit , quæ tanta macula ſordebat. Habere originale peccatum , & mundam eſſe impoſſibile erat. Sed dicis. Ergo nato Chriſto mulier iſta mundata eſt. Si quidem in eius natiuitate hebdomada finita eſt, Non eſt ita. Quare quia triginta tribus diebus adhuc eam manere oportuit in ſanguine purificationis ſuæ. Non enim natiuitate, ſed paſſione & ſanguine Chriſti ſolutum eſt peccatum originale. Trigeſimo namque tertio anno à natiuitate ſua Saluator noſter paſſus eſt , vt per triginta tres dies totidem annos intelligamus , & tunc quidem ab originali peccato mundati ſunt quicunque legem cuſtodierunt , & maſculos genuerunt , id eſt in bonis operibus perſeuerauerunt. Sanguis igitur Chriſti, & eos redemit qui fuerunt ante eum,& eos qui fuerunt poſt eum. Quicunque enim ante paſſionem Chriſti fidem tenuerunt & legem cuſtodierunt eius ſanguinis effuſione & mundati ſunt , & redempti ſunt. Similiter autem illi de quibus Apoſtolus ait Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine pa- C tris & filij , & ſpiritus ſancti , qui crederit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Nunc autem videamus de muliere mala , de illa quæ non maſculos , ſed fœminas parit ? Mala filia ſuperbia , mala filia inuidia , auaritia quoque, luxuria , diſcordia , inobedientia , malæ filiæ ſunt quas quæcunque animæ pariunt mundæ eſſe non poſſunt. Ceſſent igitur à tali partu ſi mundæ eſſe volunt , alioquin duabus hebdomadibus immundæ erunt. Diximus iam quod prima hebdomada fuit , vſque ad Chriſtum , in qua nulla quidem mundari potuit , ſecunda vero vſque ad finem ſæculi. Quæcunque igitur anima neque veterem legem cuſtodiunt , neque nouum teſtamentum ſuſcepit, duabus hebdomadibus immunda eſt. Inſuper autem quia ſexaginta ſex diebus manet in ſanguine purificationis ſuæ , longe ab omni purificatione eſſe videtur. Ipſe enim numerus hoc indicat, qui tales animas præuaricatrices eſſe apertiſſime oſtendit. Decem quidem ſunt verba legis , quæ quicunque tranſgreditur præuaricator eſſe probatur Sexies autem vndecim , ſexaginta ſex fiunt , in quo quia D denarius numerus tranſitur , & præuaricatur , decalogi præuaricatio manifeſtiſſime demonſtratur. Sexies namq; decem decalogo continentur:ſexies vndecim decalogum tranſeunt. Quid eſt autem decalogum tranſire , niſi legem præuaricare , Tales igitur Chriſti ſanguine non redimuntur , neque lauantur. De quo in Apocalypſi Ioannes ait. Qui dilexit nos , & lauit nos à peccatis noſtris, vt Dei mandata cuſtodirent , & maſculos parturirent. Non videntur autem pertinere ad Beatam Virginem Mariam ea quæ de prædictis mulieribus dicta ſunt , quamvis & ipſam legem cuſtodierit , præſertim cum non ſimpliciter dictum ſit , mulier quæ peperit maſculum ; ſed cum additamento & determinatione quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum. Hoc enim ſpecialiter dictum eſt propter ipſam : quia ipſa ſola nullo ſuſcepto ſemine peperit , quæ virgo ante partum , virgo in partu , & poſt partum virgo permanſit. Oblatio autem illa turturum & columbarum , quam ſimul cum filio Domino

E obtulit , maxime ad ipſam pertinuiſſe videtur , quæ , & caſtitatis & manſuetudinis præcellit virtute. Hoc enim in his auibus ſignificatur , quarum altera de caſtitate, altera de innocentia commendatur. Obtulit igitur hodie Beatiſſima Virgo Maria oblationem gratiſſimam Domino , quæ quidem per multas alias oblationes ſignificata prius fuerat , ſed talis numquam amplius oblata fuerat. Nos quoque qui dignam volumus offerre Deo oblationem , hanc reginam & Dominam noſtram imitari debemus. Offeramus igitur & nos par turturum,& duos pullos columbarum , & animæ corporiſque integritatem , & innocentiam Domino reddamus. Docet nos Moyſes qualiter hanc oblationem facere debeamus. Vult enim vt Sacerdos , qui eam ſuſcipit , caput auium ad collum retorqueat & rupto vulneris loco ſuper crepidinem altaris ſanguinem decurrere faciat, veſiculam guturis & plumas ad orientalem partem proiiciat , axellas ,frangat ſed non pœnitus abſcindat. Hæc oblatio perfectorum , & præcipue Monachorum eſſe videtur. Venit homo cum F oblatione, rogat vt ſuſcipiatur , offert turtures & columbas , promittit corporis & animæ integritatem , & vt Beati Benedicti qui hujus rei peritiſſimis eſt exemplo loquamur , promittit obedientiam , ſtabilitatem , & morum conuerſionem. His paucis verbis vir ille beatiſſimus totum hoc ſacrificium nobis exponit, Ecce homo turtur & columba factus eſt retorqueatur caput eius ad collum vt inclinato capite incedat , quod eſt ſignum humilitatis Auferatur ei veſicula gutturis , vbi cibum reponere ſolebat , vt diſcat à modo ieiunare , qui prius crapulæ operam dabat. Sanguinem vero ſuper altare cordis eius decurrere faciat , vt ſemper memor peccatorum ſuorum ſimul cum Pſalmiſta dicat. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco , & peccatum meum contra me eſt ſemper. Sanguis enim peccata ſignificat , ſecundum illud. Libera me de ſanguinibus Deus , Deus ſalutis meæ. Expoliatur plumis , quia omnes poſſeſſiones relinquere , & nihil proprij vlterius habere iubetur.Quas ad orientalem plagam proiicit , vt poſt dorſum eas habens earum am- G plius non recordetur. Quia enim ſemper ad occaſum , & ad finem tendimus,orientalem plagam quaſi poſt dorſum habemus. Franguntur axellæ quia vagandi licentia tollitur , & loci propoſitique ſtabilitas imperatur. Sed non pœnitus abſcinduntur , quia ſi quando neceſſe fuerit pro loci vtilitate adhuc iterum volare permittitur. Felices illi qui turtures & columbæ fiunt. Qui ſimul cum Dei filio à matre Domini Domino offeruntur , & in vna eademque oblatione Domino ſociantur ; qui &c.

CAPVT IV.

In Annunciatione Beatæ Mariæ.

MIſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ , cui nomen Nazareth , ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid , & nomen virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam di- H xit. Aue gratia plena Dominus tecum , benedicta tu in mulieribus. Conſideremus perſonam mittentis , & perſonam legatione fungentis , & perſonam illam ad quam hæc legatio facta eſt. Si etiam conſideremus ipſam legationem , qualis & quanta ſit & quæ conſilia , quæ ſecreta , quales & quantas vtilitates in ſe contineat , profecto intelligemus ex quo mundus iſte factus eſt , numquam aliam legationem factam fuiſſe , quæ huic legationi valeat comparari. Numquam verba talia , tam læta conſilia , tam profunda myſteria huic mundo prius vel poſtea nunciata ſunt. In hac legatione tractatum eſt de incarnatione filij Dei , de mundi innouatione, de humani generis reſtauratione , de diaboli expulſione , de inferni expoliatione , de Sanctorum liberatione , & de cœleſtis patriæ recuperatione. Hodie reuelatum eſt conſilium , quo mors occideretur : quo originale peccatum tolleretur quo vita redderetur , & homo diaboli ſeruitute libe-

ratus,

A

ratus, & à Deo in filium adoptatus in antiquam patriam reduceretur. Si intelligeret mundus, quantam gloriam ſibi hic dies peperiſſet, ſupra omnes dies feſtiuum & celebrem hunc diem haberet. Hodie verbum caro factum eſt, hodie Dei filius incarnatus eſt, quod quidem niſi factum fuiſſet, nunquam naſceretur, nunquam pateretur, nunquam reſurgeret, nunquam infernum expoliaret, nunquam cœlos aſcenderet, nunquam Spiritum Sanctum Apoſtolis mitteret. In quo baptizati ſumus, in quo & per quem fit remiſſio peccatorum. Hæc eſt igitur prima feſtiuitas, hæc eſt principium & cauſa aliarum omnium feſtiuitatum. Hanc ergo feſtiuitatem ſimul omnes celebremus, & cum Maria de tanto nuncio gratulemur. Audiamus modo quid Gabriel Archangelus dixerit, quæ verba, quam legationem, & vt ita dixerim quas nouellas virgini noſtræ de cœlis attulerit. Fidelis legatus iſte, verax ille à quo mittitur. Qui hanc legationem veram eſſe non crediderit, ſit anathema maranatha. Dic ergo Gabriel, loquere ad virginem, vt

B

audiamus. Ne timeas (inquit) Maria, inueniſti enim gratiam apud Dominum, ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabitur nomen eius Ieſus. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et regni eius non erit finis. Ecce audiuimus legationem, audiuimus Sacramentum æterni conſilij, audiuimus & verba noſtræ liberationis, audiuimus etiam quod rex & propheta Dauid, huic reginæ noſtræ, filiæ vero ſuæ, de hac legatione loquatur. Audi (inquit) filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, quia concupiuit rex ſpeciem tuam, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Audi (inquit) filia mea, de genere meo, de progenie mea, nobilitas, & gloria mei generis, audi quæ Angelus loquitur, quæ cœleſtis nuncius tibi promittit. Eſto cauta, eſto ſollicita, diligenter auſculta, quia magna valde ſunt, quæ tibi nunciantur. Vide ergo &

C

intellige, & ſuſcipe verbum in corde, & in vtero tuo virgo concipies, & virgo paries, quia per aurem ingredietur in te qui naſcetur ex te. Verbum enim eſt, & via verbi auris eſt. Non enim aliter concepit beata Maria niſi audiendo & credendo. Si non audiſſet, non credidiſſet. Audiuit & credidit, & credendo concepit. Ecce (inquit) ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Talis fuit conceptio Chriſti, taliter conceptus eſt & taliter verbum caro factum eſt. Et obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Surge & accipe puerum & fuge in Ægyptum, fuge ad gentes, quia populus tuus, & domus parentum tuorum non ſuſcipiet te, ſed ſi nul cum filio tuo, perſequetur & odiet te. Et reuera nulla creatura eſt, quam ſic Iudæi habeant odio, ſicut matrem hanc & filium. Neque enim matrem diligere poſſunt qui tam iniquo odio filium perſequuntur. Vnde Ioannes Apoſtolus ait. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Dominus autem qui dicit. Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obe-

D

diuit mihi. Obliuiſcere igitur populum tuum, & domum patris tui. Omnia relinque, ſatis tibi ſit filius tuus, quia ipſe eſt rex tuus & Dominus Deus tuus, quia dilexit ſpeciem tuam & pulchritudinem tuam. Ipſe tibi ſufficiat. Non amor patriæ, non propinquorum affectus te retinere valeat. Si illum ſolum habeas, diues es, & in illo omnia poſſidebis. Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus. Omnes pulchræ & nobiles virgines ei ſe coniungere deſiderabunt, & cum magnis muneribus ad eum properabunt, quæcunque ſunt quibus mundi huius voluptas non placet, & ſe in anguſtiis & in carcere eſſe cognoſcunt. Tyrus enim anguſtiæ interpretatur. Illæ vero animæ quæ vagæ ſunt, quibus voluptas & concupiſcentia placet, quæ non per anguſtam ſemitam, ſed per amplam viam gradiuntur, non Chriſto, ſed diabolo nubere concupiſcunt. Et adorabunt igitur eum filiæ Tyri in muneribus, & ſeipſas & ſua omnia ei offerentes. Et vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

E

Quid enim mirum ſi diuites & nobiles virgines matris vultum & pulchritudinem deſiderabunt? cum modo ſuperius dixerit, quia concupiuit rex ſpeciem tuam: Valde enim pulchra eſt, quæ ſua pulchritudine Deum ipſum ad amorem ſui prouocare potuit. Valde quidem conueniens fuit vt ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſpecioſam ſuam eligeret matrem. Conſidera modo cuius pulchritudinis fuerit, cuius ſplendor & pulchritudo cœlos penetrabat. Inde Angeli admirabantur eam, inde Gabriel recto itinere venit ad eam. Ad eam enim miſſus eſt, quæ præ cæteris fulgebat, quæ pulchra vt luna, electa vt ſol, omnem pulchritudinem ſua pulchritudine vincebat. Non poſſumus modo dicere omnia quæ de ipſius laudibus in hoc pſalmo continentur. Ad Euangelij verba redeamus. Hic, inquit, erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Valde enim magnus eſt, quoniam patri æqualis eſt. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in æternum in domo Iacob.

F

De hac ſede in illo pſalmo ſcriptum eſt, vbi de vtroque Dauid Dominus loquens ait. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Et paulo poſt. Ipſe inuocabit me pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Erit igitur thronus æternus, ſiquidem. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli; Erit igitur thronus æternus, ſiquidem & dies cœli in æternum erunt. Si dereliquerint filij mei legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint. Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint: Quid faciam eis? Non vtique occidam eos neque ſeparabo à regno meo, non auferam eis gratiam meam. Quid igitur? Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, quaſi per virgam, quaſi per correctionem. Miſericordiam autem

G

meam non diſpergam ab eo. Et certe de filiis loquebatur. Quare ergo ab eo dixit, & non ab eis, niſi quia omnes in eo vnum ſunt, quicunque in eius corpore ſunt. In eius autem corpore non ſunt, qui fidem non habent, vel qui in malitia perſeuerantes, ad eum per pœnitentiam redire non curant. Neque nocebo ei in veritate mea, neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita, ſemel iuraui in Sancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis. Et quidem conueniens erat vt ſine iuramento crederemus, quod Dominus loquitur, placuit tamen ipſi ſub iuramento verba ſua firmare, quatenus de ſalute noſtra nos redderet certiores. Ecce qui non habuit maius per quod iuraret, iurauit in veritate ſua in ſancto ſuo, in dilecto filio ſuo, in ſeipſo, quia vnum ſunt filius & ipſe. Sed quid iurauit, quod non noceat membris filij ſui, quod non profanet teſtamentum ſuum, quod non faciat

H

irrita verba ſua, quod ſemen filij ſui & ſedes eius maneat in æternum. Quanta lætitia redundat iſte pſalmus, quanta in eo ſpes datur peccatoribus quicunque in Eccleſia manſerint, & ab ea non receſſerint? Ipſa eſt corpus Chriſti, ipſa eſt ſemen & ſedes Chriſti, quæ, ſicut iuratum eſt, in æternum manebit. Alioquin profanum eſſet teſtamentum quod ſub iuramento firmatum eſt, ſi vel fallacia inueniretur in eo, vel ſi non omnia complerentur, quæ continentur in eo. Hic pſalmus eſt Eccleſiæ teſtamentum. Hic ſolus ei ſufficere poſſet, ſi nullas alias chartas habuiſſet. Gaudeat igitur de teſtamento ſuo, gaudeat quod ſedes Dei conſtituta eſt. Illa videlicet ſedes quæ ſicut Sol fulgebit in conſpectu Dei, & ſicut luna perfecta in æternum, & ipſa horum omnium teſtis erit in cœlo fidelis. Non enim teſtatorem vel teſtamentum reprehendere poterit, qui hæredem ibi in tanta gloria eſſe videbit.

CAPVT V.

In Aſſumptione Beatæ Mariæ.

QVia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Docet nos beatiſſima virgo Maria humilitatis mater & filia, quanta ſit virtus humilitatis. Hunc ſermonem quære ſuperius in ſecundo libro de ornamentis Eccleſiæ. Cap. V.

SANCTI BRVNONIS Aſtenſis Sententiarum.

LIBER SEXTVS.

In Feſtiuitatibus Martyrum, Confeſſorum, &c.

CAPVT PRIMVM.

De Martyribus.

SERMO I.

NISI granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc eſt illud granum frumenti quod virgo & inarata terra produxit, de quo Pſalmiſta ait: Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Huius autem grani immenſa multiplicatione omnia Eccleſiæ horrea repleta ſunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo ipſe Dominus ait. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Conſtat autem hoc & ad litteram verum eſſe, quod frumenti granum ſi in terra ſoluatur & moriatur, multum fructum affert. Nihil enim infructuoſum diligit Deus. Nihil in horto ſuo, nihil in agro ſuo vult eſſe infructuoſum. Vnde & ipſe alibi ait: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et in alio loco: Ego ſum, inquit, vitis vera, & pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum vt fructum plus afferat. Hæc eſt enim illa vitis vera. de qua totum hoc vinum profluxit, quod nobis in hoc Euangelio propinatur. Hæc eſt illa vitis ſemper fructuoſa, cuius omnes palmites fructiferi ſunt, quicunque ei fideliter inhærent: ideo enim infructuoſi de ea tolluntur, quia quamvis per baptiſmi Sacramentum in ea ſint, per vitæ tamen meritum in ea non ſunt. Talis arbor infructuoſa erat illa, de qua ad cultorem vineæ Dominus ait: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat; Quæ quidem illico ſucciſa fuiſſet, niſi bonus ille vineæ cultor pro illa interceſſiſſet, dicens: Domine dimitte illam & hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, & ſi quidem fecerit fructum, ſin autem, in futuro ſuccides illam. Talis erat & illa ficulnea in qua quia fructum non inuenit Dominus eam maledixit & aruit. Tales ſunt & multæ aliæ arbores infructuoſæ, quæ tandem exciduntur & in ignem mittuntur. Et ego quidem non crediderim aliquam arborem infructuoſam in paradiſo fuiſſe plantatam, præſertim cum primo hominum Dominus dicat: De omni ligno paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis, ex eo morte morieris; In eo enim, quod de omnibus comedere dicit, omnes illas arbores fructuoſas fuiſſe oſtendit. Cum igitur paradiſus Eccleſiam ſignificet, Eccleſiæ quoque arbores omnes fructuoſas eſſe oportet. Multæ namque arbores ſunt in Eccleſia. Ibi enim eſt lignum vitæ, de quo qui comederit, ſi tamen dignè comederit, non morietur. De hoc enim ligno ſcriptum eſt. Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt, ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et alibi. Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei mei. Ibi eſt & illa arbor quæ ait. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini, ſperaui in miſericordia Dei mei in æternum & in ſæculum ſæculi. Sed quid de illis nobiliſſimis arboribus dicam, quibus ipſe ait. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Tales igitur arbores habet Eccleſia, quas illæ paradiſi arbores ſignificabant. Sic igitur creſcit Eccleſiæ frumentum, & ſic in trigeſimum & ſexageſimum, & centeſimum fructum exuberat. Cuius venter non immerito aceruo tritici comparatur. Ipſa eſt enim de qua ſcriptum eſt. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis. Tanta enim Sanctorum multitudo ab hoc vno grano frumenti multiplicata eſt, vt præ multitudine numerari non poſſit. Vnde Pſalmiſta ait. Annunciaui & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Numerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Hoc eſt illud ſemen quod Abrahæ prophetæ promittebatur, cum ei à Domino diceretur. Et erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena quæ eſt in littore maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. Vnde & Propheta ait. Attendite ad cauernam de qua exiſtis, & ad Saram quæ genuit vos. Cui enim mirabile non videatur, de vno ventre tantam hominum exiſſe multitudinem? Lætare igitur ſterilis quæ non paris. Erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ, magis quam eius quæ habet virum. Totus autem hic aceruus tritici, tota hæc ſanctorum omnium multitudo de vno Eccleſiæ matris ventre progenita, vallata eſt. Quid enim lilia niſi Angelorum præſidia, virtutum odores, & Doctorum candidatum exercitum intelligemus? Iſti enim ſunt qui hunc aceruum tritici cuſtodiunt, & filios Eccleſiæ à malignorum ſpirituum inſidiis defendunt. Et tali quidem cuſtodia populus Dei dignus eſſe videtur, cuius ſemper odorem & pulchritudinem imitetur. Tota Eccleſia fœcunda eſt, nulla eius pars infructuoſa eſt. Hoc enim ipſe Dominus oſtendit, vbi ad eam loquitur dicens: Dentes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Vnde & ipſa ait. Omnia poma noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi. Omnis enim ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Inde eſt quod illa animalia quæ teſticulos non habent, quia non generant, & ſterilia ſunt, offerri Domino prohibentur. Bonus fructus humilitas, bonus fructus miſericordia. Tales fructus de paradiſi arboribus colliguntur, talia poma diligit Deus, & talia ipſi offerre debemus.

SERMO II.

In Natali vnius Martyris.

EGo ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferẽtem fructum tollet eum, & omnem palmitem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat. Ecce vitis vocatur Chriſtus, & vitis vera. Sed quare vitis, & quare vera? Vitis vocatur quia vinum fert. Omnia enim hæc Euangeliorum verba vinum ſunt, & non qualecunque, ſed optimum vinum, non de alia, niſi de hac vite vindemiatum & expreſſum. Inde eſt enim quod in ſuæ prædicationis initio aquas Dominus conuertit in vinum, quatenus noua vitis nouum vinum effunderet, quo illas nuptias & Architriclinum inebriaret. Dicitur autem & vitis vera fortaſsè, ad illius vitis diſtinctionem, quæ & pro vuis labruſcas, & pro vino dedit acetum. Huius vinum dulce, ſemperque ſuaue, huius verba ſemper vera, & nullius falſitatis annexione corrupta. Dicit ergo. Ego ſum vitis vera

&

& pater meus agricola eſt. Sed quid facit iſte agricola ? Vis audire quid ? Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Quot ſunt Chriſtiani, tot ſunt & palmites huius vitis. Alij quidem boni, alij autem mali. Et boni quidem fructiferi, mali autem infructuoſi. Tolluntur infructuoſi, & incenduntur, fructiferi vero purgantur, & gladio ſpiritus putantur, vt fructum plus afferant. Gladius ſpiritus eſt verbum Dei, & iſte ſermo ſancti Euangelij. Quales palmites iſti fuerunt, quorum hodie feſta celebramus ? quam purgati, quam putati, quam diligenter ab omni ſuperfluitate mundati. Talem etenim vitem, tales palmites decebat habere, qui & fructibus abundarent & in ſapore non degenerarent, ſicut illa, de qua iam ſuperius diximus, quæ pro vuis dedit labruſcas, & pro vino dedit acetum. Non omnis vinea bona eſt, neque omne vinum bibere delectat. Malum vinum hæreticorum, de quo Nazaræi bibere formidant. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Nulla vinea bona, niſi illa quæ de hac vite paſtinata eſt, quæ modo in hoc Euangelio loquitur. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. De hac vinea ſcriptum eſt. Vinea facta eſt dilecto in cornu filio olei. De qua & Salomon ait : Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, & tradidit eam cuſtodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti, his qui cuſtodiunt fructus eius. Hæc autem expoſita ſunt in illo ſermone, qui de pace intitulatur. Quære ſuperius libro de Ornamentis Eccleſiæ. Illæ quoque vineæ bonæ ſunt, de quibus Eccleſia dicit. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis. Vineam meam non cuſtodiui. Quanta charitas vt pro communi omnium vtilitate, vineæ ſuæ, ſuique ipſius aliquando aliquis negligentiam habeat ? Hoc enim faciebat ille qui ait. Nemo quæ ſua ſunt, quærit, ſed quæ omnium, vt ſalui fiant. Qui omnia omnibus factus eſt, vt omnes lucrifaceret. Fuit & illa vinea aliquando bona, de qua ſcriptum eſt. Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. Viam feciſti in conſpectu eius, & plantaſti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius,& arbuſta ſicut cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Fuit, inquam, hæc vinea aliquando bona, ſed quia in amaritudinem conuerſa eſt, & à prima bonitate degenerauit, ideo exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Vt adimpleretur quod Dominus ait. Amen dico vobis, non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Hæc eſt enim illa mala vinea, cuius peſſimi agricolæ, prius Domini ſui ſeruos diuerſis tormentis interemerunt, poſtea veniente hærede dixerunt. Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. De qua & ipſe Dominus non immerito ait. Vultis ſcire quid ego faciam vineæ meæ ? Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem, auferam ſepem eius, & erit in conculcationem. Diruam maceriam eius, & erit in direptionem, & ponam eam deſertam. Vinea Dei Sabaoth domus Iſraël eſt. Cuius palmites Iudæi ſunt, qui propter ſuam impietatem per vniuerſum mundum diſperſi cunctis gentibus in opprobrium ſunt. Hanc autem malam vineam illa vinea ſignificauit, de qua Noë inebriatus verenda dormiens diſcooperuit. Cuius nuditatem quia minor filius irriſit, in omni ſua poſteritate damnatus eſt. Alij vero quia ſapienter & verecunde patrem operuerunt, debita benedictione donati ſunt. Hæc autem ad Saluatorem noſtrum reſpiciunt, qui paſſionis calice inebriatus, mortis ſomno in cruce quieuit. Cuius vtique verenda mortem ipſam, ſputa, flagella, & crucis ignominiam, intelligunt. Hæc enim Iudæi nobis obiiciunt, & quaſi multum verenda nobis improperant, qui hominem mortuum, & tam turpia tamque verenda paſſum, pro Deo adoremus. Nos autem patrem noſtrum operientes, dicimus hæc non verenda, ſed veneranda eſſe. Oportebat enim pati Chriſtum,& ſic reſurgere à mortuis. Quomodo enim implerentur ſcripturæ : quia ſic oportet fieri ? Hoc enim prophetæ prædixerant. Hoc nobis neceſſarium erat, quia aliter originale peccatum ſolui non poterat. Hoc tamen Iudæi non credunt, ſed in ſua malitia perſiſtentes, crucis ignominiam & Chriſti paſſionem irridere non ceſſant. Sed quid dicit ſcriptura ? Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis. Hoc de Iudæis dictum eſt, quorum omnis poſteritas propter ſuam impietatem, cunctis gentibus in opprobrium tradita eſt. De aliis autem quid dicitur ? Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Qui viuit & regnat &c.

SERMO III.

In Natiuitate plurimorum Martyrum.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem ſanctorum ſicut aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat, qui ſepeliret. Hæreditas Dei, templum Dei, ciuitas Dei, & hortus Dei, ſancta Eccleſia eſt, quæ per totum mundum diffuſa, multos à tyrannis à malignis ſpiritibus patitur perſecutiones. Videns igitur Propheta per ſpiritum ſanctum hanc nobiliſſimam ciuitatem ab impiis & iniquis hominibus diſſipari : eius tantæ calamitati compatiens ait : Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, violenter, & cum nimia crudelitate irruperunt tyranni in Eccleſiam tuam : Hæreditas tua diſſipatur, templum tuum polluitur, ciuitas ſancta deſtruitur, poma tua colliguntur. Viri iuſti tolluntur, diuerſis multiſque ſuppliciis ſancti tui interficiuntur, ſola cuſtodia relicta eſt paucis, qui quaſi pro ſemine eſſe videntur. Hoc autem & Helias plangebat cum diceret, Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & relictus ſum ego ſolus, (quaſi diceret pro cuſtodia,) & quærunt animam meam. O crudelitas, ô impietas, non ſufficit eis, quod tam duris & exquiſitis tormentis Sanctos interficiunt, ſed ad ſuæ iniquitatis malitiæque cumulum eos ſepelire non permittunt. Sanctorum carnes canibus exponuntur, & beſtiis terræ deuorandæ & laniandæ traduntur. Sanguis precioſus effunditur, ſiquidem precioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius : Et quaſi vile aliquid iniquorum pedibus conculcatur. In his ergo completum eſt, quod in Euangelio Dominus ait. Ecce ego mitto vos quaſi agnos inter lupos. Et Apoſtolus. Propter te inquit, mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Narrat beatus Ioannes in Apocalypſi, vbi omnes martyrum paſſiones, vbi omnes Eccleſiæ perturbationes pleniſſime deſcribuntur, ſe vidiſſe equum album, & qui ſedebat ſuper eum habebat arcum in manu ſua, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. Equus iſte albus pulcher totus & immaculatus Sanctorum martyrum exercitus intelligitur, in quibus Saluator noſter ſedet, & per eos præliatur. Sicut ſcriptum eſt. Qui aſcendit ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. Habet autem arcum in manu ſua, per quem eius prædicatio ſignificatur, cuius prædicationis verba atque ſententiæ ſagittæ quædam ſunt, quibus vitiorum & malignorum ſpirituum fugatur exercitus. Iſtæ ſunt illæ ſagittæ de quibus dicitur : Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Per coronam autem quæ ipſi datur quid aliud niſi victoria ſignificatur ? Nemo enim (ait Apoſtolus) coronatur niſi qui legitimè certauerit. In ſingulis Sanctis coronatur Chriſtus, quia omnis eorum victoria ipſius eſt. Et hoc quod ait, quod exiuit vincens vt vinceret. Vnde & Sancti Martyres alibi dicunt. In Deo faciemus virtutes, & ipſe

A ad nihilum deducet inimicos noſtros. Poſt iſtum autem equum exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper eum datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe homines interficerent, & gladius magnus datus eſt ei. Hic equus rufus Sanctorum ſanguine, & ſæuientis inimici calcaribus cruciatus tyrannorum exercitus intelligitur, ſuper quos diabolus ſedens in Sanctorum necem eos ſine omni miſericordia ruere facit. Iſti ſunt illi de quibus dicitur, Currus Pharaonis & exercitum eius demerſit in mare. Iſti ſunt illi equi & muli, in quibus non eſt intellectus. Hic autem eſt ille iniquus qui pacem de terra ſumit & aufert, quoniam vt diſcordiæ princeps & pacis inimicus humanum genus ſemper inſidiando & tentando inquietat. Hic facit vt ſe homines interficiant, & inter ſe bella ciuilia gerant. Huic & gladius magnus datus eſt, quoniam multis modis miſeros homines iugulando decipit, dum alium per ſuperbiam, alium per auaritiam, alium per luxuriam, atque alium alio modo occidit, & perdit. Huius B igitur conſilio, huius ductu, huius iniqua machinatione Sanctorum ſanguis tyrannorum gladiis funditur. De quo nunc per prophetam dicitur. Effuderunt ſanguinem ſanctorum ſicut aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret. Et has quidem Sanctorum martyrum paſſiones, eorum tantam ſanguinis effuſionem, illa holocauſta, & illæ hoſtiæ ſignificabant, quas quotidie Sancti patres ſine numero immolabant. Vide modo quantus animalium ſanguis effuſus eſt, quando templum Salomonis dedicatum eſt. Ad centum enim & viginti duo millia oues, & boues ad viginti duo millia, mactari referuntur, in illius templi dedicatione, præter illas hoſtias quas quotidie offerre conſueuerant, quibus Chriſti paſſio ſignificabatur. Sic igitur & in Eccleſiæ dedicatione, præter illas hoſtias quas quotidie offerre conſueuerant, multus ſanguis effuſus eſt, & multa ſanctorum millia pro Chriſti nomine mactata ſunt, quos ille animalium ſanguis, & illæ hoſtiæ ſignificabant. Quid eſt enim quod ibi legitur, odoratus eſt C Dominus odorem ſuauitatis, niſi hoc quod Pſalmiſta dicit. Precioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius: Non enim tantum illo fumo & animalium ſanguine delectatur Deus, quantum Sanctorum martyrum paſſione quæ illis ſacrificiis ſignificabatur. Noë Patriarcha poſt diluuium de arca egreſſus, de cunctis animalibus mundis magnum Deo holocauſtum & ſacrificium obtulit. Solus tunc homo immolatus non eſt, quia nondum venerat plenitudo temporis, quando Saluator noſter immolandus erat. Omnia illa animalia munda quæ tunc vno ſacrificio oblata ſunt, hanc Sanctorum martyrum paſſionem ſignificabant, qui de vtroque ſexu, de omni ætate, de omni conditione pro Chriſti nomine poſtea mactati ſunt. Tria Sanctorum martyrum ſacrificia legimus, primum in ſignificatione, ſecundum in paſſione, tertium in commemoratione. Et primum quidem faciebant ſacerdotes veteris teſtamenti. Secundum autem tyranni. Tertium vero noſtri ſacerdotes quotidie in Eccleſia faciunt. De hoc igitur tertio ſcriptum eſt. D Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Et ſacrificium laudis honorificabit me, illic iter eſt in quo oſtendam illi ſalutare Dei. Et Propheta. Omnem (inquit) aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et Apoſtolus. Per ipſum (ait) offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo ideſt fructus labiorum confitentium nomen eius. Hoc igitur ſacrificium quod in Sanctorum martyrum laude, & commemoratione ſancta Eccleſia quotidie facit, in illa hoſtia ſacrificium eſt: in qua Moyſes præcepit ſacerdotibus, vt prius lignorum congeriem faciant, deinde hoſtiæ quæ immolanda eſt particulatim diuiſa, prius ſuper ipſam ſtruem lignorum caput ponant, poſtea vero cætera membra vſque ad caudam deſuper ordinent, quæ ſicut in toto corpore vltima eſt, ita vltima ponenda eſt. Lignorum enim congeriem facimus, quando in vnum locum populos adunamus. Quando vero martyris paſſionem in populum nunciamus, tunc vtique ſuper

E lignorum congerie, iubilationis hoſtiam ordinamus. In qua videlicet hoſtia prius caput ponendum eſt, quia vnde natus & ex quibus parentibus, & eius vitæ primordia prius dicenda ſunt. Deinde vero qualiter vixerit, quam ſapiens & humilis fuerit, quomodo ab infantia Deo ſeruierit, quomodo bona ſua cuncta pauperibus erogauerit, quantas per ipſum virtutes, & miracula Dominus fecerit; quam fortis in paſſione fuerit, & quam viriliter, & conſtanter omnia illata tormenta ſuſtinuerit. Hic eſt ordo ſacrificij, taliter iubilationis hoſtia immolanda eſt, & ſic tandem igne ſuppoſito, vorax flamma cuncta conſummat: per quod videlicet intelligitur, vt fideliter credantur: & cum amore ſuſcipiantur quæcunque ad martyris laudem & gloriã recitantur. Lege martyrum paſſiones, & iſto ordine ſcripta inuenies. Sicut in Euangelio Beatus Ioannes prius ipſum caput poſuit dicens. In principio erat verbum. Deinde per ordinem vſque ad paſſionem, eius verba & miracula, & cætera F poſuit. Fuit aliquando in ſanctis tantus martyrij amor, tantoque deſiderio ad martyrij gloriam feſtinabant, vt ipſi ſua ſponte ſe ingererent, & non interrogati Chriſtianos ſe eſſe dicerent. Torquebatur alius & duris tormentis cruciabatur, & ecce ſubito alius de populo clamabat: Chriſtianus ſum, & pro Chriſto mori deſidero. Vnuſquiſque illud in corde ſuo propheticum dicebat. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO IV.

De Eiſdem.

ECce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vſque in ſæculum. Sicut vn-G guentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Sic enim ſe habet ordo. Nunc autem ſignificationem videamus. Beati iſti fratres ſuper quos Dei benedictio & tanta abundantia gratiarum deſcendit. Iſti ſunt illi fratres de quibus Dominus ait. Nunciabo fratribus meis. Et alibi. Omnes vos fratres eſtis & patrem nolite vocare vobis ſuper terram. Vnus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt. Ipſe eſt autem cui quotidie dicimus: Pater noſter qui es in cœlis. Et diues, & pauper, nobilis & ignobilis, Dominus & ſeruus, imperator & mendicus: Omnes vna voce dicunt: Pater noſter qui es in cœlis, vt ſe vnius patris filios eſſe oſtendant. Ille nobilior, qui melior. Multi ſunt hic ſerui, qui in altera vita erunt Domini, & contra, multi hic Domini, qui in altera vita dura ſeruitute comprimentur. Quales fratres iſti fuerunt, quorum hodie feſta celebrantur? Boni fratres Beati Sergius & Bacchus, qui tanta pro Chriſto tor-H menta paſſi ſunt. Boni Coſmas & Damianus, boni Ioannes & Paulus, boni Mauricius & ſocij eius, bonus & Dionyſius & ſocij eius, boni & multi alij qui pro Chriſti nomine morti ſe tradiderunt. Et iſtorum quidem eſt regnum cœlorum, qui contempſerunt vitam mundi, & venerunt ad præmia regni, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Tales autem fratres habitant in vnum, talibus eſt cor vnum, & anima vna. Nemo dicit aliquid eſſe ſuum, ſed ſunt illis omnia communia. Fratres mali qui corpore ſimul ſunt, ſed per odium à ſe inuicem longè ſunt. Bonum eſt, inquit, & iucundum habitare fratres in vnum. Vnde hoc? Quoniam illic, ideſt inter tales fratres mandat Dominus benedictioñe ſuam, & vitam quæ finem non habet. Quomodo mandat? Sicut vnguentum in capite, quod de capite deſcendit in barbam; de barba vero vſque in oram veſtimenti eius. Et ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, cuius membra omnes nos ſumus. De hoc autem corpore Apoſtolus ait. Sicut

enim

A enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habet igitur barbam Chriſtus in corpore ſuo, habet oculos & aures, habet manus, & cætera membra. Barba Chriſti Apoſtoli ſunt. Barba quidem, quia nihil molle, nihil fœmininum in ſe habentes, viriles & fortes maſculi ſunt. Vnde & merito non barbati, ſed ipſa barba vocantur. Præcepit autem Dominus ſacerdotibus, vt barbam non radant, & comam non nutriant. Nutrire comas, & barbam non habere mulierum eſt. Sacerdotes autem non muliebres, ſed viriles facies habere debent. Non ſolum igitur Apoſtoli, ſed & ſancti martyres, Chriſti barba vocari poſſunt, qui & viriliter pugnauerunt; & hoſtes potentiſſimos vicerunt. Vnguentum igitur de capite in barbam deſcendit, quia ſancti ſpiritus gratia de Saluatoris noſtri diuinitate prius in Apoſtolos & martyres venit. De hoc enim vnguento Dominus ait. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare miſit me. B De hoc & Pſalmiſta. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Hoc & Eccleſia ſentiens ait. Trahe me poſt te & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Hoc vnguento ſanantur infirmi, hoc omnes languores & omnes infirmitates ſanabat Ieſus. Hoc & ſacerdotes Eccleſiæ conſecrantur, ab hoc chriſmate & Chriſtus ipſe & Chriſtiani vocantur. Hoc igitur de capite deſcendit in barbam, de Chriſto in Apoſtolos. Nihil enim virtutum & gratiarum habuerant Apoſtoli quod ab ipſo non accepiſſent. Vnde & Apoſtolus ait. Quid enim habes, quod ab ipſo non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Alij enim datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij fides, in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. De Apoſtolis autem C hæc tanta gratiarum abundantia per totum corpus Eccleſiaſticum in cætera membra diſcurrens, vſque ad veſtimenti oram peruenit. Veſtimenti ora, extremi illi intelliguntur, qui omnium vltimi in fine ſæculi futuri ſunt. Vide ergo quanta ſit huius vnguenti abundantia, quæ tam longo curſu defluat, & tantam gentem vngat & ſanet. Hoc vnguentum Simon Magus ab Apoſtolis emere voluit, vnde & merito cum omni pecunia ſua damnatus eſt. Vocatur autem Aaron Saluator noſter, omnium videlicet ſacerdotum primus & maximus, cuius filij ſacerdotes ſunt, & qui filij eius non ſunt, ſacerdotes eſſe non poſſunt. Interpretatur autem Aaron mons fortitudinis, quæ interpretatio illi maximè conuenire videtur, qui Dominus fortis vocatur, & potens Dominus potens in prælio. Sequitur. Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Hermon anathema ideſt diuiſio: Sion vero ſpeculatio interpretatur. Et Hermon quidem Apoſtolos, Sion vero Eccleſiam ſignificat. Merito autem Hermon vocantur qui primi omnium à ſynagoga diuiſi & ſeparati, Chriſtum Dominum ſecuti D ſunt. Vnde Apoſtolus ait: Cum autem placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, & reliqua. Non ſolum autem Apoſtoli, verum etiam omnes Chriſtiani hoc nomine vocari poſſunt. Omnes enim in baptiſmo hoc nomen ſuſcipiunt, quia ibi diabolo & pompis eius abrenunciantes, a peccatis omnibus & à vitiis ſeparantur, & à ſiniſtra in dexteram tranſeuntes ab hœdis diuiſi, agnis & ouibus aſſociantur. Vnde & in pſalmo dicitur. Ad meipſum anima mea turbata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij à monte modico. Terra Iordanis & Hermonis illi ſunt qui per baptiſmum à vitiis ſeparati ſunt, quoniam per Iordanem baptiſmus & per Hermon diuiſio & ſeparatio ſignificatur. Solæ igitur baptizatorum animæ de terra Iordanis & Hermonis Deum laudant. De quibus & alibi dicitur: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. De monte igitur Hermon E deſcendit ros in montem Sion, per quem fides, doctrina, & Euangelica prædicatio intelligitur, quæ ab Apoſtolis in Eccleſiam venit. Hoc autem rore & hac pluuia tota ſancta Eccleſia irrigatur, fœcundatur, lauatur, atque mundatur. Mali montes Gelboe, quibus Dauid maledicens ait. Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniat ſuper vos, vbi ceciderunt fortes Iſraël, Saül & Ionathas. Per hos enim hæretici deſignantur, qui non rore Apoſtolico, ſed turbine diabolico perfunduntur. Beati illi fratres qui tali rore, tali pluuia, tali vnguento, & tali gratia perfuſi audire meruerunt: Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quoniam illuc mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum. Quod ipſe nobis præſtare dignetur qui viuit, &c.

SERMO V.

De Eiſdem.

F LAudate Dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Cœlum & terram & omnes creaturas quæ in eis ſunt ad laudes Dei propheta inuitauerat, nunc autem materiam de qua eum laudent, & inſtrumenta quibus laudent, eis miniſtrat. Sumat vnuſquiſque quod ſibi placet, & quod ſibi conueniens & vtile eſſe videtur. Laudate, inquit, Dominum in ſanctis eius. Hanc laudandi materiam ſuſcipite, quia in nulla alia te laudabilior eſſe probatur. Dicite ergo, mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Deus Iſraël dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ Benedictus Deus. Si quis enim conſiderare velit Sanctorum fidem, & ſapientiam, conſtantiam, & patientiam, & alias virtutes quas à Deo ſuſcipere meruerunt, facile cognoſcere poterit, valde in ſanctis ſuis Deum & laudabilem & mirabilem. Vnde alibi in ſua & aliorum perſona, iſte qui hic modo loquitur ait: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam.

G Laudate eum in firmamento virtutis eius.

Pro firmamento Dominum laudare memento.

Terra fides fortis quam dat tibi conditor orbis. Hoc enim firmamentum quod cœlum vocatur, quod ſua virtute & potentia ineffabili Dominus fecit, Apoſtolos cæteroſque Sanctos ſignificat, qui tanta virtute & claritate ita præditi ſunt, vt nulla creatura eis valeat comparari: Laudate eum in virtutibus eius.

Non tua vir virtus qua pugnas, ſed tibi Chriſtus
In cruce donauit in quæ moriens ſuperauit.
Sis igitur certus, quia pugnas viribus eius.

Siue virtutes cœlorum intelligamus, ſiue virtutes miraculorum quæ per Sanctos operatus eſt Deus, ſiue etiam ſapientiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, cæteraſque virtutes quibus ſanctos ornatus fuiſſe, quibus & vitia & malignos ſpiritus, omneſque ſuos aduerſarios eos ſuperaſſe legimus. Valde quidem conueniens eſt vt in omnibus his Deus laudetur & glorificetur. Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

H Semper laudetur qui nullo fine tenetur.

Neſcis fortaſſè quantum eum laudare debeas, conſidera quantus eſt, & ſecundum eius quantitatem laudes multiplica. Nunquam igitur à laude quieſcas, quia immenſus eſt ille quem laudas. Laudationem itaque Domini loquatur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius, non ad tempus, ſed vſque in ſæculum ſæculi. Laudate eum in ſono tubæ.

Nunquam noſtratum ſileat vox alta tubarum.
Eſt tuba vox alta, ſonus eſt laudatio facta.

Poſt laudandi materiam conſequenter inſtrumenta poſuit, quibus laudare debeamus.

Tuba namque, pſalterium, & cythara, tympana quoque chorus & chordæ, organa & cymbala, inſtrumenta ſunt muſicæ artis, diuinis laudibus conuenientia. Non omnium eſt tuba canere, hoc officium Epiſcoporum eſt & Doctorum. Illis enim dicitur: Canite in initio menſis

A tuba. Et clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Ipſi ſunt Angeli in Apocalypſi tuba canentes. Tubarum ſonitu muri Hiericho corruerunt, & ingrediendi aditum vndique populo præbuerunt. Tubis Iſraëlitæ ad prælium concitabantur, & tubis à præliis reuocabantur. Tubis iubilæus annus nunciabatur, & ad eo eius anni ſolemnitatem populus parabatur. Hoc autem totum ſacerdotum miniſterio fiebat, quia Epiſcoporum & ſacerdotum voces & prædicationes ſignificabat, quibus per Prophetam dicitur. Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, animam eius de manu tua requiram. Laudate eum in pſalterio. Pſalterium portat homo quem noua vita reformat.

Vt valeat denis verbis inſiſtere legis.
Omnis chorda ſonum reddet bene torta canorum.

Cantare in pſalterio perfectorum eſt. Hoc inſtrumentum Deus ipſe conſtruit, & decem chordas ſuo digito in eo extendit, per quas decem verba legis ſigni-

B ficantur.

Vocatur autem Deus vnus prima chorda. Et non habebis Deum alium abſque me. Secunda vero: Non facies tibi ſimulacrum. Tertia: Non accipies nomen Dei tui in vanum. Quarta vero: Cole diem Sabbathorum. At vero quinta: Honora patrem & matrem. Quinque autem quæ ſequuntur hæc nomina ſunt. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui. Inter has autem tanta concordia eſt, vt quicunque offendit in vnam, neceſſario offendat in omnes. Vnde Iacobus Apoſtolus ait: Quicunque obſeruauerit totam legem, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Aliquando in duas chordas peccauerat Dauid adulterium ſimul & homicidium perpetrando, & pſalterium totum amiſerat. Sed poſtquam ei dictum eſt: Dimiſſum eſt peccatum tuum, mox ad pſalterium accedens ait: Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara.

C Verè magna gloria illi eſt, qui hæc decem verba cuſtodire poteſt, & qui has chordas ſine offenſione tangit & modulatur. Vnde Apoſtolus ait: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Iſte enim in pſalterio non delinquit quem conſcientia non accuſat. Laudate eum in pſalterio, & cithara.

In cithara cantat, qui corda tumentia placat.
Nam citharæ fatiis ſoluerunt pectora regis.

Decem chordas ſicut modo diximus habet pſalterium. In cithara vero tres chordæ ſufficiunt, per quas Trinitatis myſterium ſignatur. Vnde quatuor illa animalia & ipſi Seraphim die & nocte modulando dicunt. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra maieſtatis eius. Multi autem in cithara cantant, qui pſalterium ferire non valent. Pſalterium ad operationem, cithara ad ſermonem pertinet. Qui bene prædicat, & male viuit is citharam quidem habet, pſalterium autem non habet. Eſt autem pſalterium iocundum cum cithara, quando vox operationi, & operatio voci concordat. Alioquin parum citharædus proficit ſibi, quamvis multis aliis cantando proficiat. Laudate eum in tympano.

Tympana nos clarè mortalia mortificare.
Membra docent carnis, corium quia ſunt animalis.

Hoc inſtrumentum propriè martyrum eſt, quamvis & illorum eſſe videatur qui carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis.

Tympanum enim verberibus ſonat, & niſi feriatur & percutiatur non ſonat. Eſt enim corium ſiccum & extenſum quod frequenti percuſſione longius reſonat. Si autem te delectat audire vocem tympani bene ſonantis, & Deum laudantis, audi Apoſtolum dicentem: A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum. Beati quoque Stephani tympanum cum percuteretur & à Iudæis lapidaretur, tam magnum ſonum reddidit vt ante thronum Dei ſublimius audiretur. Ait ergo: Ecce video cœlos apertos & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Tales igitur in tympanis

E Deum laudabant, qui carnem ſuam prius ieiuniis afflictam & ſiccatam tyrannorum verberibus flagellandam tradebant. Laudate eum in tympano & choro.

Non chorus vllus erit, vbi clero gloria deſit.
Ordine namque ſedent, ergo ordine viuere debent.

Illi itaque laudabant in choro, de quibus dicitur. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Illi enim clerici, & monachi, qui ſe diligunt, qui ſe honorant, qui ſibi mutuo obediunt, & ſeruiunt, qui ſibi aſſurgunt, qui inuicem alter alterius onera portant, qui ſub regula & diſciplina viuunt, illi inquam in choro Deum laudant. Non enim tantum ad vocum conſonantiam quantum ad animorum mentiſque concordiam reſpicit Deus. Laudate eum in chordis. Torquentur Sancti manibus ſiquando tyranni, Chordis laudatur Dominus, nam chorda vocatur. Carnis tortura, carnis vexatio dura. Per has igitur chordas nulla alia inſtrumenta, niſi ipſa

F Sanctorum martyrum corpora intelligimus, quæ multoties in eculeo, in cataſta, & in cruce, tanquam quædam chordæ in pſalterio extendebantur. Illi igitur qui talia patiebantur, in chordis proculdubio Deum laudabant. Laudate eum in chordis & organo.

Organa noſtra Deum laudent ſine fine dierum.
Organa Doctorum voces dicuntur eorum.
Quos reſonant linguis conceptos follibus imis.

Organa & tympana vnam habent ſignificationem. Vtraque enim ſignificant mortificationem carnis, ſiue per abſtinentiam ſiue per martyrij paſſionem. Illæ namque Epiſcoporum prædicationes in organo ſunt, quæ de corpore per abſtinentiam deſiccato & mortificato procedunt. Vnde Apoſtolus ait: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè dum aliis prædicauerim ipſe reprobus efficiar. Illa igitur prædicatio reproba eſt, quæ non de corpore caſtigato, & mortificato, ſed de carne impinguata & delicata procedit. Organa enim ex mortuorum pellibus & ſiccis coriis conficiuntur. Vnde & merito illos ſignificant qui in multis abſtinentiis viuunt. Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus:

G Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Cymbala quippe Dei reſonantia ſunt duo cleri.
Hic nouus, ille vetus, hic Paulus & hic bene Petrus.
Olim cantauit cum nos Iudamque vocauit.

Ille enim in cymbalis bene ſonantibus laudat, qui verba ſua & ſermonem ſuum, vtriuſque teſtamenti authoritate confirmat. Duo namque teſtamenta, duo cymbala ſunt, quæ tunc quidem ſuauiter ſonant, quando alterum alterum tangit, ſibique mutuo reſpondent. Hinc eſt quod abyſſus abyſſum inuocat. Hinc eſt quod inter medios cleros dormire iubemur. Hinc eſt quod duo Cherubim ſe mutuo reſpiciunt, & bini diſcipuli à Domino mittuntur.

Omnis ſpiritus laudet Dominum.
Spiritus omnis eum benedicat, nunc & in æuum.
Laudet, amanſque colat, quem Rachel mater adorat.
Nunc fœcũda quidem, & ſterilis ſine ſemine pridem.
H Hoc pater, hoc flamen, hoc filius audiat. Amen.

De Martyribus aliud Thema.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello. Quanta ſit virtus fidei, his paucis verbis intelligere poſſumus, quibus nos Apoſtolus docet omnem Sanctorum virtutem, conſtantiam, fortitudinem, victoriam, iuſtitiam, miraculorum potentiam, & tantam in tormentis patientiam, ad fidem referendam eſſe. Hunc ſermonem quære ſuperius in libro de Ornamentis Eccleſiæ, cuius initium eſt.

Primum Eccleſiæ ornamentorum fides eſt, &c.

De Martyribus iterum aliud Thema.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quære ſuperius

libro

A libro de Ornamentis Eccleſiæ, in ſermone de patientia: Vbi dicitur Dominus & Saluator noſter ad patientiæ conſtantiam, & fortitudinem Apoſtolos inuitans ait. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c.

CAPVT II.

De Confeſſoribus.

SERMO I.

AVdiuimus modo cum Euangelium legeretur, Dominum dixiſſe diſcipulis ſuis. Vos eſtis ſal terræ, Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. B Quam pulchra, & quam conuenientia nomina ſuis Diſcipulis Dominus ponit? Quam dignum & conueniens erat vt talibus talia nomina imponerentur, qui ad condiendam & illuminandam totius mundi amplitudinem mittebantur. Vos, inquit, eſtis ſal terræ, vos eſtis hominum condimentum; veſtro exemplo inſtrui, veſtra ſapientia doceri, veſtra humilitate & patientia cæteri homines componi debent. Sal etenim non ſolum in diuina pagina, ſed etiam in litteris ſæcularibus ſapientiam ſignificat. Vnde & quidam comicus ait. Qui habet ſalem, quod in te eſt, ſalem videlicet pro ſapientia ponens, vnde & de alio quodam dicitur, quod ſale multo vrbem defricuit, pro eo quod ſcilicet ſapienter & dignè redarguit, quoſcumque in tota vrbe reprehenſione dignos eſſe cognouit. Egregiè autem ſal pro ſapientia ponitur, quia ſicuti cibi ſine ſale fatui ſunt, & ſaporem non habent, ſic cæteræ virtutes ſine ſapientia inutiles ſunt, minimeque proficiunt. Vnde & pueri ad fidem venientes, ſtatim à principio ſale cibantur, quia nec fidem habere, C nec Deum ipſum cognoſcere ſine ſapientia poſſunt. Non loquimur modo de ſapientia mundi quæ ſtultitia eſt apud Deum, ſed potius de illa ſapientia quæ ducit homines ad vitam æternam. Non loquimur de illa quam docuit Plato & Ariſtoteles: Sed potius illam quam per Spiritum ſanctum docuit Petrus & Paulus. Hæc ſapientia facile dicitur, quia credendo inuenitur. Niſi enim credideritis, ait Propheta, non intelligetis. Vis eſſe ſapiens? Time Deum & obſerua mandata eius, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini. Sapientiores ſunt piſcatores, & ruſtici, Deum timentes, quam ipſi Epiſcopi & Sacerdotes valde litterati & ſalutem negligentes. Hæc eſt ſapientia Chriſtianorum declinare à malo & facere bonum. Hanc ſapientiam non habent Iudæi & Gentiles, & ideo cæci ſunt & in tenebris ambulant. Omnis cibus ſine hoc ſale fatuus eſt, omnis virtus ſine ſapientia inutilis eſt. Habent enim & aliæ gentes humilitatem, patientiam, iuſtitiam, miſericordiam, & alias virtutes, ſed quia D hanc ſapientiam non habent, quicquid habent inutiliter habent. Hæc enim ſola ducit homines ad regna cælorum, de qua ipſe Dominus ait. Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. De qua ſimiliter dicitur. Omnis igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur. Vnde & per Moyſen dicitur. Non auferes ſal fœderis Domini Dei tui de ſacrificio tuo. In omni ſacrificio offeres ſal. Manifeſtum eſt igitur quod nullum ſacrificium, nullum ſeruitium, nulla noſtra munera placent Deo, ſine hoc ſale, ſine fideli & humili ſapientia. Aquæ Hiericho (ſicut legitur) amaræ & ſteriles & infirmæ erant. Sed venit Heliſeus, rogatus eſt ab omnibus loci illius, vt aquarum ſterilitatem ſanaret. Accepit igitur ſal & miſit in aquas, & mox ab omni nociua incommoditate mundatæ ſunt. Quid eſt autem quod aquæ iſtæ ſine ſale ſanari non potuerunt? Aquæ multæ dicit Scriptura, populi multi. Totus mundus infirmus erat, ſterilis, & amaritudine plenus. Sed venientes Apoſtoli quibus modo dicitur. Vos eſtis ſal terræ, poſtquam E huius ſapientiæ ſale aquas condiuerant, & populos aſperſerant, omnis amaritudo effugata eſt, omnis infirmitas ſanata eſt. Et qui prius ſteriles erant fœcundiſſimi facti ſunt, & fructum bonum reddere cœperunt. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Hoc igitur illud ſal, & illæ aquæ ſignificabant. Hinc eſt igitur quod Eccleſiæ ſine ſale dedicari non poſſunt. Non enim poteſt Eccleſia alia aqua lauari & baptizari, niſi illa quæ ſale condita & aſperſa eſt. Ipſa eſt igitur aqua ſapientiæ qua & potamur & lauamur. Et bene aqua ſapientiæ dicitur quæ ſale ſapientiæ condita eſt, quæ ſola homines ſapientes facit, & ſine qua nemo ſapiens eſſe poteſt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Stulta eſt omnis ſapientia quæ aliò tendit, & aliam viam oſtendit, quam illam quæ ducit ad regna cælorum. Quoniam vxor Loth in ſtatuam ſalis conuerſa eſt, multum nobis ad exemplum & cautelam proficere debet, vt illius pœna noſtra ſalus & F medicina fiat. Neque retro reſpiciamus, vel ea quæ iam reliquimus mente & deſiderio quæramus. Sed ad ea quæ ante nos ſunt extendentes, ad promiſſam nobis beatitudinem feſtinemus. Quoniam autem ſal terræ & lux mundi vocantur Apoſtoli, vnum idemque videntur ſignificare, quoniam diuina ſapientia, & lumen nobis eſt, & condimentum. Qui ipſum non habet cæcus eſt, qui ipſam non habet inſulſus, ineptus, & fatuus eſt. Significantur autem SS. Apoſtoli, & Doctores per illam quoque ciuitatem quæ ſuper montem poſita eſt. De hoc autem monte ſcriptum eſt. Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos ſuas vias &c. Et alibi. Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion: Exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ieruſalem. Ipſe quoque Saluator noſter de ſeipſo loquitur dicens: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius. Mons igitur G Eccleſia, Ciuitas vero Apoſtoli ſunt, & Doctores, quorum munimine & fortitudine cæteri defenduntur, & ad quos quaſi ad præſidium inexpugnabile omnes confugiunt. Tot ſunt igitur Ciuitates quot ſunt Epiſcopi & Doctores, quoniam qui ſuper montes poſiti ſunt, abſcondi & celari non poſſunt. Vnde eſt illud. Fili hominis ſpeculatorem poſui te domui Iſraël. In monte ſedebat iſte qui in ſpecula poſitus erat. Inde Epiſcopi ſuperuidentes vel intendentes interpretantur. Non ſolum autem Eccleſiæ, verum etiam ſingulæ quæque virtutes montes dici poſſunt. Magnus mons humilitas, magnus mons miſericordia, ſimiliter autem pax & patientia. Ad hos igitur montes inuitantur Epiſcopi & Sacerdotes quando per Prophetam dicitur. Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Prius itaque in montem aſcendat, qui vult euangelizandi officium ſuſcipere. Hoc enim ſignificabat Saluator noſter, cum toties non ſolum diſcipulos, verum etiam turbas quæ eum ſequebantur in montes ſecum ducebat. H Videns (inquit Euangeliſta) Ieſus turbas aſcendit in montem. Et in alio loco. Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem, & aſcendit in montem. Vnde & Euangeliſta dicit eum ſecundum conſuetudinem in montem Oliueti aſcendiſſe. Notandum autem quod ait ſecundum conſuetudinem ſuam. Hanc autem conſuetudinem diſcipuli quoque tenuerunt, & frequenter in hunc montem conueniebant. Ibi eos recumbentes inuenit Ieſus quando cœlos aſcendit. Mons Oliueti, mons miſericordiæ interpretatur, quoniam græce oleos, latine miſericordia dicitur. Beata illa ciuitas, Beatus ille Epiſcopus, qui in hoc monte poſitus eſt. Hic eſt mons excelſus de quo Dominus cœlos aſcendit, de quo nobis recta via præparatur in cœlum, qui in hoc monte habitat ſecutus eſt. Requiretur in iudicio, in quo vnuſquiſque monte habitauerit. Sed nullius montis habitatores tantam in iudicio gloriam habebunt, quantam qui habitant in monte Oliueti, in monte miſericordiæ & pacis, in monte charitatis & pietatis, pax enim pietas & miſericor-

A dia & charitas, pœnè idem ſignificare videntur. Et vide modo quid in iudicio dicturus eſt Dominus: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Quare? Quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes, & collegiſtis me, infirmus & viſitaſtis me; nudus, & cooperuiſtis me, & in carcere fui, & veniſtis ad me. Hæc autem opera cuius ſunt, niſi miſericordiæ, charitatis, pietatis & pacis ac ſanctimoniæ, ſine qua, vt Apoſtolus ait, nemo videbit Deum. Dicat igitur Propheta, & iterum dicat. Super montem excelſum aſcende tu, qui Euangelizas Sion. Vis prædicare? vis Euangelizare? vis vt credatur tibi, vis vt tuus ſermo, & tua prædicatio ſuſcipiatur? Aſcende prius in hunc montem excelſum, eſto miſericors & pius, dilige pacem & pietatem & charitatem & tunc prædica & confidenter loquere, omnes enim obedient tibi, & verba tua libenter ſuſcipient. Multi enim bene prædicant, ſed male viuunt, de quibus Apoſtolus ait: Qui prædicas non furandum, furatis. Qui B dicis non mœchandum mœcharis. Qui abominatis idola, ſacrilegium facis. Quare ergo qui alium doces, te ipſum non doces? Iſti tales in montem excelſum non aſcenderunt. Propheta tamen omnes prædicatores in montem excelſum aſcendere iubet. Dominus autem & Saluator noſter non ſolum prædicatores, verum etiam omnes homines ſecum in montes trahit, & ducit. Cum inquit, exaltatus fuero à terris, omnia traham ad me ipſum. Cui etiam Eccleſia dicit. Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum. Videmus igitur quod montes diligit Dominus. Qui ergo in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Non omnibus ad omnes montes aſcendere datum eſt, multi enim ſunt. Aſcendiſti in montem fidei, tranſi in montem miſericordiæ, ſequere Ieſum inde aſcendentem. Qui ſequitur eum non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Quod ipſe præſtare dignetur qui &c.

C

SERMO II.

De Eiſdem.*

NEmo accendit lucernam & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt, Dominus & Saluator noſter paulo ſuperius in hoc Euāgelio dicit quod regina Saba venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Erat igitur Salomon lucerna ardens, & lucens, qui ſuper totius regni candelabrum poſitus, cunctas in circuitu gentes, ſuo fulgore illuſtrabat, ſuaque ſapientia illuminabat. Venit autem hæc regina ſicut in libris regum ſcriptum eſt, cum comitatu multo, camelis diuitias multas portantibus. Dedit autem regi Salomoni centum & viginti talenta auri puriſſimi, multoſque lapides precioſos, & aromata multa & qualia non ſunt illata prius in Ieruſalem. Venit autem vt interrogaret regem de multis quæſtio- D nibus, quas habebat in corde ſuo. De quibus omnibus poſtquam ſufficientem reſponſionem accepit, ait. Verus eſt ſermo, quem de te audiui in terra mea, & dimidia pars ſapientiæ tuæ mihi non eſt nunciata. Videns autem domos, familias miniſtros, cibos regios, & holocauſta quæ offerebantur, non erat vltra in ea ſpiritus. Dedit autem Salomon quæcunque petiuit ab eo præter illa quæ obtulerat munere regio. Dicendum eſt igitur quid ſignificat regina Saba, quid comitatus, & cameli eius, quid diuitiæ, quid lapides præterea quid Salomon, quid domus, familiæ miniſtri cæteraque ſignificent. Hæc regina Sancta Eccleſia eſt, de qua Pſalmiſta: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumamicta varietate. Hæc autem venit à finibus terræ. Hæc venit ab ortu ſolis, & occaſu ab aquilone & meridie, vt audiret ſapientiam Salomonis: illius ſcilicet Salomonis, qui de ſeipſo ait ecce pluſquam Salomon hic. Illi autem cameli tantas

E diuitias afferentes, Patriarchæ & prophetæ eſſe videntur. Iſti ſunt illi cameli de quibus eidem Eccleſiæ dicitur. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Omnes inquit venient de Saba, ſequentes hanc de qua loquimur reginam Saba. Si vis videre diuitias quas iſti cameli afferunt nobis & regi noſtro aperi theſauros quos ipſi portant, & videbis diuitias inæſtimabiles. Theſauros autem libros vocamus, in quibus aurum puriſſimum, lapides precioſi, aromata multa repoſita ſunt, per quæ videlicet omnia, diuitias ſpirituales omniſque ſapientiæ ſcientiæque plenitudinem, & omnia quæcunque ad ornatum & ſanitatem animæ ſufficere poſſunt intelligimus. Tot ſunt igitur theſauri, quot ſunt & Prophetarum libri. De his autem theſauris ipſe quoque Dominus & Saluator noſter aliquando ſibi neceſſaria ſuſcipiebat. Cum enim poſt reſurrectionem ſuam duobus diſcipulis de quibus Euangelium loquitur in F ſpecie peregrini apparuiſſet, ad eorum fidem corroborandam, incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Hoc autem faciens, in theſauros vtique prophetarum manum mittebat, & diuitias illas inde trahebat, quibus infirmas mentes diſcipulorum ſanabat, & in fidem, amoremque ſuum corroborabat. Camelorum autem, vnicum, & ſingulare officium eſt, onera portare: cui ſeruitio nullum aliud animal tam idoneum eſſe putatur. Si quis hæc tam magna camelorum noſtrorum onera conſiderare velit, merito per camelos, ſanctos patriarchas & prophetas ſignificare intelliget. Solus enim Moyſes, quinque, vt ita dicam, ſaccos attulit nobis tantis diuitiis refertos, tantoque auri pondere, plenos, vt vix omnes huius mundi homines leuare, & portare valeant: quos ſolus iſte camelus ferebat. Similiter autem Iſaias, Hieremias Ezechiel, cæterique prophetæ, magna nobis cunctarum diuitiarum pondera attulerunt: quæ regina Saba ſancta G videlicet Eccleſia mater noſtra quotidie ſaluatori noſtro vero regi pacifico, qui per illum Salomonem ſignificabatur, offerre non ceſſat. Pſalmus ille qui pro Salomone titulatur, de hoc Salomone intelligi debet, quoniam de primo Salomone intelligi non valet. Quomodo enim de illo intelligetur? Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Huic ergo offeramus aurum noſtrum, huic ſeruiat ſapientia noſtra, puritas, & religio noſtra: ſi quos mores honeſtos habemus, huic offeramus. Semper cum odoribus, Semper cum aromatibus veniamus ad eum: ſicut fecit hæc regina ſaba, ſicut fecerunt Maria Magdelene, & Maria Iacobi, & Salomæ: quæ emerunt aromata vt venientes vngerent ipſum, ſcilicet Ieſum. Interrogemus eum de quæſtionibus noſtris; ipſe nos doceat ipſe nobis reſpondeat, alium magiſtrum non quæramus. Quem ve- H ritas docet, errare non poteſt. Omnis ſapientia ab ipſo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Vidimus domos eius, vidimus famulos, & miniſtros eius, guſtauimus de cibis menſæ eius. Acceſſimus ad holocauſta, & ſacrificia eius, quorum omnium ſolam figuram cum videret regina Saba, præ nimio ſtupore, & admiratione ſpiritum amiſit. Amittamus igitur & nos ſpiritum noſtrum ſpiritum inflationis, & ſuperbiæ, vt eius ſpiritum habere mereamur. Beati enim pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Ille ſpiritus malus eſt, cuius paupertas bona eſt. De quo & alibi dicitur. Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus. Domus eius famuli, & famulæ, & miniſtri eius nos eſſe debemus. Non ſolum domus, ſed & templum Dei dicuntur ſancti. Neſcitis, inquit, Apoſtolus, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis? De talibus autem miniſtris ipſe Dominus loquitur dicens, Volo pater vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Miniſtri igitur Apoſtoli ſunt, miniſtri

A Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt, Diacones quoque mini-
ſtri interpretantur. Nam & ipſe Dominus miniſter fieri
dignatus eſt, ſicut ipſe ait. Non veni miniſtrari, ſed
miniſtrare, & ponere animam meam redemptionem
pro multis. Menſæ illius vtriuſque teſtamenti paginæ
ſunt: de hac menſa ſcriptum eſt. Paraſti in conſpectu
meo menſam aduerſus eos qui tribulant me, Duas men-
ſas magnas habemus nouum, & vetus teſtamentum.
Quarum cibi ſuauiſſimi, & refectioni, & ſanitati pro-
ficiunt. Super hanc menſam per ſingula ſabbata panes
calidi poni iubentur, ante quam candelabrum poſitum
eſt, ad illas tantas delicias illuſtrandas. His cibis Deo
gratias, iam aſſueti ſumus, eorum dulcedinem atque
ſaporem cognoſcimus. Hæc menſa oſtendit nobis pa-
nem viuum qui de cœlo deſcendit. Hæc docuit & mon-
ſtrauit nobis calicem noui teſtamenti. Ad hanc menſam
miniſtrant Apoſtoli ad hanc miniſtrat Paulus ſervus Ieſu
Chriſti. De hac ſuſcepit illam ſapientiam quam loqui-
B tur inter perfectos. Tantum aurum attulit Regina Saba
vt ſi diuidatur, vnicuique Apoſtolorum decem talenta
in partem veniant. Centum namque & viginti duode-
cies decem faciunt. Qui vero decem talenta habet quid
amplius habere poteſt? Illi enim qui habet decem mnas,
cum vnam Dominus dari juſſiſſet, reſponſum eſt. Do-
mine habet decem mnas: quaſi diceret, quid huic am-
plius dari poteſt, qui ad totius perfectionis ſummam
peruenit; Similiter autem & Rex Tyri, centum & vi-
ginti talenta de auro puriſſimo Salomoni attulit è qui
bus vaſa templi fabricata ſunt. Non fuit hoc ſine myſte-
rio, quod Rex Tyri & Regina Saba in hoc numero con-
cordarunt. Dominus & Saluator noſter cui nihil aliud
niſi pater ſolus & Spiritus ſanctus comparari poteſt cum
dixiſſet: Regina Saba venit à finibus terræ audire ſa-
pientiam Salomonis egregiè ſatis addidit dicens: Et ec-
ce plus quam Salomon hic. Quomodo enim Salomone
maior non erat qui ipſius Salomonis creator, & Domi-
nus? Ipſe hoc dixit de ſeipſo, ecce plus quam Salomon
C hic. Et ego dico, & veraciter dico, non de ipſo, ſed de
ſeruo eius: de illo ſeruo videlicet cuius hodie feſtiui-
tatem celebramus, Beatiſſimo Benedicto, & ecce plus
quam Salomon hic. Quæris fortaſſe in quo major ſit iſte?
In ſapientia, in juſtitia, in fortitudine, in temperantia,
& ſuper hæc omnia ditior illo & potentior illo. Non
dico de ſapientia huius mundi quæ ſtultitia eſt apud
Deum: ad quam iſte numquam accedere voluit: ſed de
illa ſapientia quæ vera eſt, & quæ ducit hominem ad
vitam æternam. Neque dico de diuitijs temporalibus
quæ de templo ſublatæ ſunt ab Ægyptijs & Caldæis:
ſed de diuitijs æternis ſemperque manſuris, quæ ab An-
gelis reponuntur in cælis. His diuitijs abundauit beatus
Benedictus. His ſemper ditiſſimus fuit, ibique eas re
poſuit, vbi fures non effodiunt, nec furantur. De tali-
bus diuitibus Apoſtolus ait. Sicut egentes, multos au-
tem locupletantes: tanquam nihil habentes, & om-
nia poſſidentes. Ego ſapientem, & juſtum illum vocare
non audeo, qui relicto Deo patrum ſuorum præter quem
D alius Deus non eſt, Deos gentium, qui nihil aliud quam
dæmonia ſunt, coluit, & adorauit. Quis fortitudinem,
& temperantiam habuiſſe dicat, qui inter fœminas ef-
fœminatus in tantum à libidine ſuperatus eſt, & mu-
lierum blanditijs emollitus, vt vxoribus ſuis templa
conſtrueret, in quibus illæ in viuentis Dei iniuriam ſuis
idolis immolarent? Verum eſt quod ſancti patres noſtri,
de hoc homine dicunt, quod ex bonis initijs malum
finem habuit. Sunt tamen (quod vtinam verum ſit)
qui eum poſtea & diſciplinam elegiſſet, & pœniten-
tiam egiſſe affirment, Clemens enim eſt Deus, & fa-
cile ignoſcit, pœnitentes recipit, & neminem ad ſe ve-
nientem repellit. Peccator enim in quacumque hora
conuerſus fuerit, vita viuet, & non morietur. O ſi re-
gina iſta Saba veniſſet ad beatum Benedictum, & audi-
uiſſet ſapientiam ex ore eius, & ſi vel nunc venire poſ-
ſet, & videre domos ejus, famulos, & miniſtros eius,
filios, & fratres ejus, menſas, & cibos eius, qualiter
omnia ſunt ordinata, quam bene diſpoſita, quomodo
omnibus eſt cor vnum, & anima vna & nemo di- E
cit aliquid eſſe ſuum, ſed ſunt illis omnia communia,
quomodo ſe diligunt omnes, quomodo ſibi inuicem
obediunt omnes, quantus amor, quanta charitas eſt
inter omnes, quanta dilectio. Si inquam illa regina Sa-
ba tam prudens, tam ſapiens, tam religioſa, tam Deo
deuota, hæc omnia videre potuiſſet: vere totum prio-
rem ſpiritum amiſiſſet, quia ſancti Spiritus gratiam ſuſ-
cipere meruiſſet. Venit tamen quotidie ad nos regina
Saba, immo non venit, quia ſemper nobiſcum eſt,
cuius membra nos ſumus, ipſa eſt mater noſtra, ſancta
videlicet Eccleſia, & per illam reginam ſignificata eſt,
ferens & offerens aromata multa Saluatori noſtro Ie-
ſu Chriſto. Cui eſt, cum Patre, & Spiritu ſancto honor,
& gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO III.

De Eiſdem. F

NEmo accendit lucernam, & ponit ſub medio, ſed
ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in do-
mo ſunt. Vbi oculi non ſunt, ibi lux neceſſaria non eſt.
Vbi non ſunt homines, ibi ſuperfluè reſonant voces.
Vbi qui comedant nulli ſunt, ibi menſa, & cibi po-
nendi non ſunt. Merito igitur Sancti Canones, non in
vili, & humili loco, ſed per ciuitates & loca populo-
ſa. ipſos ordinari præcipiunt. Hoc eſt enim ſuper can-
delabrum lucernam ponere, in loco excelſo Epiſco-
pum ordinare, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.
Non ergo ponatur ſub modio, ſed ſuper candelabrum,
vt qui ingrediuntur lumen videant. Quid autem per lu
cernam intelligere debeamus ipſe Dominus ſubdidit
dicens. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi ocu-
lus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum
erit. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum te-
nebroſum erit. Habet iſte mundus ſuos oculos, ſolem G
videlicet & lunam, quibus corporaliter omnia illumi-
nantur. De quibus in Geneſi ſcriptum eſt. Et fecit Deus
duo luminaria magna, luminare majus vt præeſſet diei,
& luminare minus vt præeſſet nocti. Habet ſimiliter &
Eccleſia ſuos oculos per quos vt modo diximus, Epiſ-
copi ſignificantur. Corpus quoque noſtrum ſuos ocu-
los habet, ſimiliter autem & anima ſuis oculis deco
ratur. Conſidera modo vbi mundi oculos Dominus po-
ſuit, in cælo, vtique in loco ſublimiori, vt inde videa-
tur ab omnibus qui in domo ſunt. Noſtri quoque ocu-
li vbi poſiti ſunt? nonne in capite & quaſi lucerna ſu-
per candelabrum in loco ſublimiori? Similiter igitur
Eccleſiæ oculi non ſub modio, ſed ſuper candelabrum,
ſuper locum magnum & populoſum conſtitui debent.
Noluit Eccleſiam ſuam cæcam eſſe omnipotens Deus,
oculos ei dedit qui eam illuminarent & ei veritatis viam
oſtenderent, qui eam errare non permitterent, & qui
recto itinere ad regna cæleſtia eam perducerent. Videte
homines quantum Epiſcopos & Prælatos veſtros dili- H
gere debeatis, lumina veſtra ſunt, oculi veſtri & lu-
cernæ veſtræ ſunt. Sic igitur eos quaſi oculos veſtros
diligere debetis. Nihil eſt quod homines magis dili-
gant quam oculos ſuos. Sed videant Epiſcopi ne ocu-
los ſuos claudant, ne lucernam abſcondant, ne pe-
cuniam ſibi creditam ſuffodiant terræ. Non intra, ſed
extra velum menſa, candelabrum poſita ſunt, vt ei
bi communes ſint omnibus, & lumen videatur ab
omnibus. Qui abſcondit frumentum, maledicitur in
populis. Interpretetur Epiſcopus nomen ſuum, qua-
tenus in ſpecula poſitus omnes, & omnia deſuper vi-
deat. Ad hoc in Paradiſo primus homo poſitus eſt; vt
operaretur & cuſtodiret illum. Nunc autem de noſ-
træ mentis oculis videamus, per quos ſapientiam,
rationem, intellectum, & intentionem ſanctam &
ſimplicem intelligimus. De hoc enim oculo Salua-
tor noſter dicere videtur, ſi oculus tuus fuerit ſim-
plex, totum corpus tuum lucidum erit. Si au-

A Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tene-
broſum erit. Quamuis enim mali Epiſcopi plurimis no-
ceant,& eorum nequitia infirmorum oculi tenebreſcant,
præcipue tamen mentis oculi ſi nequam fuerint, totum
hominem tenebroſum faciunt. Quid enim luminis vel
claritatis in illo eſſe poteſt, in quo ipſa ſapientia, ipſa ra-
tio, ipſa intelligentia, totaque intentio mala eſt? Ideo
enim huius ſæculi ſapientes ſtulti eſſe dicuntur, quia ta-
les oculos habent, & omnia opera ſua faciunt, vt ab
hominibus videãtur.De quibus ipſe Dominus ait. Amen
dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Ille igitur ocu-
lus, illa ſapientia, illa ratio ſimplex eſt, quæ peccata
fugit, bona tranſitoria deſpicit, æterna deſiderat, &
ſe recto itinere ad Deum ducit. Merito ergo Dominus
ait. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Quod tale eſt
ac ſi diceret. Sicut lucerna mundi eſt ſol & luna, & lu-
cerna Eccleſiæ Epiſcopi & Doctores, & lucerna corpo-
ris tui eſt oculus tuus;ita & lucerna animæ tuæ ſapientia
eſt, ratio eſt, & intentio bona. Hic eſt oculus ſimplex
B qui hominem errare non permittit. Nemo enim (vt ait
quidam) cum ratione inſanire poteſt. Et ſicut in Euan-
gelio Dominus dicit. Omnis qui male agit,odit lucem,
id eſt à ratione ſapientiaque diſcedit. Qui vero à ſapien-
tia diſcedit, ille procul dubio oculum ſimplicitatis, veri-
tatiſque amittit. Ratio igitur & ſapientia nunquam fal-
litur, intentio vero etiam illa, quæ bona eſſe videtur,
multoties fallitur. Bona enim intentione Apoſtolus Ec-
cleſiam Dei perſequebatur, quia zelo legis hoc fa-
ciebat, fallebatur tamen, quia non ſapientia, ſed erro-
re ducebatur. Similiter autem Helias bona intentione
(vt ipſi videbatur) prophetarum ſanguinem & ſuas
perſecutiones vindicare volebat, non tamen illa eius
voluntas & ille tantus zelus Domino placebat. Factus
eſt enim ſermo Domini ad Heliam dicens:Quid hic agis
Helia? At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domi-
no Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Do-
mini filij Iſraël. Altaria tua deſtruxerunt, & prophetas
tuos occiderunt gladio, & quærunt animam meam vt
C auferant eam. Et ait ei: Egredere & ſta in monte coram
Domino. Egreſſus eſt ille & ſtetit in monte. Et ecce Do-
minus tranſiit & ſpiritus grandis & fortis, ſubuertens
montes, & conterens petras ante Dominum, non in
ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio, non in
commotione Dominus, & poſt commotionem ignis,
non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis,
& ibi Dominus. Ecce audiuimus modo tres zelos,id eſt
tres animi commotiones & perturbationes, quæ Domi-
no non placuerunt. Si enim placuiſſent, nequaquam di-
ceretur non in ſpiritu, non in commotione Dominus,
non in igne Dominus. Commouentur enim & contur-
bantur viri religioſi,& contra alios & contra ſeipſos pluſ-
quam neceſſe ſit, quæ quidem turbatio aliquando cito
tranſit, aliquando vero in tantam flammam exurgit, vt
vix extingui, & ſedari valeat. Tanto enim zelo in pro-
phetas Baal, & in populum præuaricatorem Helias vir
ſanctus commotus erat, vt ſi ei à Domino poteſtas data
fuiſſet, omnes eos abſque miſericordia interfeciſſet. Si-
D cut & alia vice eodem zelo quadringentos & quinqua-
ginta prophetas Baal, & quadrigentos prophetas luco-
rum iuxta torrentem Cyſon ſuis manibus interfeciſſe le-
gitur. Duos quoque quinquagenarios, & bis quinqua-
ginta viros qui cum eis erant, igne cœlitus miſſo eum
conſumpſiſſe ſacra nihilominus narrat hiſtoria. Præce-
pit igitur Dominus vt egrederetur, & in monte ſtaret,
in mõte videlicet *nunc & pacis.Qui enim in his mon-
tibus ſtant, omnes homines ex corde diligunt, nullius
hominis mortem quærunt. Neque peccatoris mortem
volunt, ſed potius vt conuertatur & viuat. In hos ergo
montes ductus eſt Helias, vt eius animæ illa tanta com-
motio mitigaretur. Et ecce Dominus tranſiit. Si prius-
quam Dominus tranſiret, ſpiritus grandis & fortis ſub-
uertens montes & conterens petras erat ante Dominum.
Hic igitur ſpiritus grandis & fortis qui montes ſubuer-
tebat & petras conterebat, Heliæ zelum & ſpiritum ſi-
gnificabat, qui quantum in ipſo erat, non ſolum popu-

* [illegible]

E lum, verum etiam viros potentes, qui propter altitudi-
nem mõtes,& propter fortitudinem petræ vocantur,ſub-
uertere, conterere, delere volebat & perdere.Sed non
in ſpiritu Dominus. Quia enim in illo ſpiritu Dominus
non erat, neque ſimul cum ipſo ſpiritu tranſire volebat
manifeſte Helias intelligere potuit, quod ille talis zelus
taliſque ſpiritus Deo non placebat.Similem autem ſpiri-
tum Apoſtolos quoque habuiſſe legimus, quando Sa-
maritani recipere Dominum noluerunt, dicentes: Vis
iubemus vt ignis deſcendat de cœlo & conſumat eos,
ſicut Helias fecit: Quos Dominus increpans ait:Neſcitis
cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas per-
dere, ſed ſaluare. Notandum quod ait cuius ſpiritus
eſtis. Hoc enim tale eſt ac ſi diceret: Spiritus ille qui in
vobis eſt, non eſt zeli & vltionis, ſed miſericordiæ &
pietatis. Poſt ſpiritum autem commotio non in com-
F motione Dominus. Commotio quoque non bona eſſe
oſtenditur, dum non in ea Dominus eſſe dicitur. Tali
autem commotione ipſe Helias contra ſeipſum com-
motus ait. Obſecro Domine tolle animam meam, ne-
que enim melior ſum quam patres mei. Hoc enim non
tam alterius vitæ deſiderio dicere videtur, quam odio
Iezabelis, cuius iam perſecutiones ferre non poterat.
Dominus autem in Euangelio non eos qui perſecutio-
tiones fugiunt beatos dicit, ſed eos potius qui perſecu-
tiones patiuntur propter iuſtitiam. Beatus denique Iob
cum tantis anguſtiis premeretur, non tamen ad impa-
tientiam prouocari potuit, quamvis vxor illius diabo-
lica perſuaſione ad blaſphemiam eum prouocaret di-
cens: Benedic Deo & morere.Cui ipſe patientiſſime, &
nullatenus commotus ait: Quaſi vna de ſtultis mu-
lieribus locuta es. Quod enim beatus Paulus dicit,
cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, non vtique tædio
perſecutionum commotus vel conturbatus dicit, ſed
potius illius beatitudinis deſiderio. Illa igitur com-
motio mala eſt, quæ patientiæ bonum excludit, ſiue G
tyrannorum perſecutione, ſiue qualibet corporis paſ-
ſione. Vnde, & Dominus Diſcipulis ait. In patientia ve-
ſtra poſſidebitis animas veſtras. Multos homines mala
commotione commotos, ſibi mortem imprecari audi-
uimus. Non erat autem illa commotio talis: quia qui-
dam ſanctorum paſſionibus poſiti vt eorum ſpiritum
Dominus ſuſciperet, rogabant, quoniam martyrij paſ-
ſionem libentiſſime ſuſtinebant:ſed de ſola carnis fragi-
litate timebant. Sequitur. Poſt commotionem vero
ignis, non in igne Dominus. Iſte ignis, ille eſt, de quo
ſuperius diximus, qui tanta commotione aliquando in-
flammatur, vt extingui non valeat, per quem videli-
cet ira inueterata, & odium ſignificatur. Hoc autem vi-
tio plerumque laborare videmus, etiam eos, qui reli-
gioſi eſſe putantur. Hoc igne Lucifer Caralitanus Epiſ-
copus cum Arianos ſuſcipere noluiſſet ab Eccleſia diui-
ſus eſt. Multoties alij in ſancta Eccleſia diſpenſationes
valde neceſſarias facere nolunt, quas alij hoc igne ſuc-
cenſi potius in ſua perfidia perire voluerunt, quam vt
ad catholicæ Eccleſiæ pacem redirent. Merito ergo di- H
citur.Non in igne Dominus,quia in tali iracundia,& fu-
rore, Deus non eſt. Poſt ignem autem ſibilus auræ te-
nuis, ibi Dominus. Iſte enim eſt ille oculus ſimplex, de
quo in hoc Euangelio modo Dominus dicit. Si oculus
tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.
Docet nos Poëta ille nobilis de hominibus graui æſtu,
magnoque labore fatigatis, quam gratus eis ſit ſibilus
auræ tenuis. Ait enim, Nam neque me tantum venien-
tis ſibilus auſtri, Nec percuſſa iuuant fluctu tam litora
quantum ſcilicet tua carmina. Quid igitur per iſtum ſi-
bilum auſtri venientis, niſi ſancti ſpiritus afflationem in-
telligamus?qui videlicet quoſcumq; tangere dignatur,ita
ab omni iræ,indignationis,commotioniſque æſtu refrige-
rat,& compeſcit,vt pro ipſis quoque ſuis inimicis nos
orare cõpellat, ſecundũ hoc quod Domin⁹ ait.Orate pro
perſequentibus,& calumniantibus vos, vt ſitis filij patris
veſtri, qui in cœlis eſt. Huius tenuis & delectabilis auræ
ſuauitate ipſe Dominus,& Saluator noſter afflatus, inter
ipſa tormenta cum pateretur pro ſuis crucifixoribus ora-

bat

bat dicēs: Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciūt: Beatus quoque Stephanus huius auræ ſibillo confortatus pro ſuis lapidatoribus inter ipſos lapides clamabat, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et vt intelligas, quid hic dicit, tibi Dominus: Audi ipſum dicentem. Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Cum autem vidiſſet quod in hac vltima commotione Dominus tranſiſſet, manifeſtè intelligere potuit, & quid reſpuere, & quid tenere debuiſſet, & quod magis miſericordia quam vindicta Deo placuiſſet, omnibus ſuis fidelibus eamque promittat. Hæc igitur vltima commotio, hæc pietatis intentio, hic eſt ille oculus ſimplex de quo modo Dominus ait. Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit. Et talibus quidem oculis videbitur Deus. Tales oculos habent illi de quibus dicitur: Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt, Qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorū. Amen.

SERMO IV.

De Eiſdem.

LEgitur in Geneſi quod ſerui Abraham fodiebant puteos. Philiſtiim vero implebant eos terra. Multos autem puteos foderunt ſerui Abraham, quos diuerſis nominibus ipſe vocauit, alium ſiquidem vocauit calumniam, alium inimicitias, alium latitudinem, alium Berſabee id eſt abundantiam, vel ſatietatem: alius viuentis, & videntis vocatus eſt. Iſta nomina quæ puteis impoſita ſunt apertiſſime oſtendunt, aliud præter litteram hoc in loco eſſe quærendum. Dicamus ergo quid Abraham, quid pater; quid Philiſthei, & putei iſti ſignificent. Abraham qui pater multarum gentium interpretatur, Deus omnipotens eſt omnium creaturarum pater, & Dominus. Eius autem ſerui, de illis dico qui puteos fodiunt, Apoſtoli intelliguntur, Epiſcopi & Doctores. Inter quos beatus Paulus in tali opere peritiſſimus fuit, multamque huius artis peritiam ſuo nobis ingenio & exercitio dereliquit. Iſti putei prophetarū libri & alta illa diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei profunditas intelligi poteſt, ad quam pauci fodiendo peruenire potuerunt. Philiſthei autem hæretici ſunt. Iudæi quoque & Philoſophi: qui Apoſtolorum, & prophetarum doctrinam non intelligentes, & exponé:es, ſemper has aquas obſtruere conātur. Vnde & merito Philiſtei cadentes poculo interpretantur, quia de vinea ſodomorum & calice Babilonis inebriati per errorem vbiq; cadentes firmis greſſibus in via veritatis incedere non valent. Putei autem & multi ſunt, & vnus quia quamvis multi vtriuſq; teſtamenti libri ſint, nunc tamen dicunt omnes vnam fidem, vnam doctrinā nunciant omnes, ſimilis aqua ſimiliſque ſcientia inuenitur in omnib. Nomina quidem diuerſa ſunt, ſed fides & doctrina vna eſt, vbi igitur in diuina ſcriptura aliquid eſt quod Iudæi & hæretici malè, & peruerſe intelligentes nobis calūniātur ibi nimirum puteus ille eſt, qui calumnia vocatur. Velut cum de trinitate loquimur, illico Iudæi aduerſum nos calumniam facientes ſcripturam illam nobis obiiciunt qua dicitur: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Similiter autem & Arriani cum dicimus patrem & filium eſſe æquales, ipſius filii authoritatem nobis ſubiiciunt, vbi ait, quia pater maior eſt me. Inde etiam inter nos & illos inimicitiarum puteus ponitur, nobis fodientibus illis implentibus. De illo vero puteo qui latitudo vocatur, dicit ſcriptura Philiſteos non contendiſſe. Hic eſt igitur ille puteus latitudinis de quo dicitur. Latum mandatum tuum nimis. Pauca enim ſunt in quibus Hæretici, & Iudæi nobis contradicant, ſi ad campum ſanctarum ſcripturarum earumque ampliſſimam latitudinem reſpiciamus. Nam, & ipſi Saluatori noſtro cum adhuc inter eos converſaretur de hoc ſolo calumniam Iudæi facere ſolebant quod in ſabbato curaret, & Dei filium ſe eſſe diceret. In illo ergo puteo quæ latitudo vocatur, tota illa ſcriptura intelligitur: in qua nos & illi idem ſentimus nobiſque ad inuicem non contradicimus. Vbi vero inter nos & illos contentio, ibi calumniæ & inimicitiarum putei ſunt. At vero puteus Berſabee, qui ſatietas, vel abundantia interpretatur, totam vtriuſque teſtamenti plenitudinem ſignificat, qua quotidiè abundantiſſimè reficimur. Idem autem ſignificat puteus ille, qui viuentis & videntis dicitur. Omnis enim diuina ſcriptura omniſque ſapientia illius eſt qui ſemper vivit & omnia videt. Vnde etiam ſcriptum eſt. Quoniam omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante ævum. Iuxta hunc puteū Berſabee habitabat Abraham, quando Abimelec venit ad eum, vt cum eo pactum faceret. Dedit que ei ſeptem agnas quas cum ille de manu eius ſuſcepiſſet ait Abraham. Hæ erunt in teſtimonium mihi, quia ego fodi puteum iſtum; ſic igitur, & nos ſi quando Hæretici, Iudæi, & gentiles nobiſcum pactum facere volunt, ad puteum accedamus, ad euangelia veniamus ſimulque omnes de vno fonte bibamus & vnam fidem teneamus. Suſcipiant ſeptem agnas de manibus noſtris, per quas ſeptem gratiæ ſancti Spiritus ſignificantur, quas quidē nulli alij præter Chriſtianos, vel dare, vel habere poſſunt. Nullo alio modo inter nos & illos pactū, & concordiam fieri licet. Soli illi has agnas ſuſcipiunt qui ex aqua & Spiritu ſancto regenerantur. Hæ ſunt nobis in teſtimonium, de quo puteo hæc bibamus, & quam fidem teneamus. Servus Abrahæ ad puteum inuenit Rebeccam, per quam ſancta Eccleſia ſignificabatur: quæ inter hos puteos habitatura, & nūquā ab eis receſſura erat. Cumque iam rediens domui appropinquaret, ecce Iſaac ad meditandum in agrum exierat, pergebatque per illam viam quæ ducit ad puteum, cui viuentis, & videntis nomen eſt. Non eſt ſine cauſa quod omnes viri & mulieres ad puteos tendunt, & ad aquas feſtinant. His enim & lauamur & ſatiamur, & quod maius eſt creatori omnium aſſociamur. Similiter autem & Iacob fugiens Eſau, & veniens in Meſopotamiam iuxta puteum inuenit Rachel. Ipſa enim paſcebat oves, & amoto lapide ab ore putei, quo puteus claudebatur: & adaquauit oues, & oſculatus eſt eam, indicans ei, quod frater ejus eſſet. Non vacat à myſterio quod Iacob vir ſanctus, ſororem & vxorem ad puteum inueniſſe narratur. Nulla enim anima, Salvatoris qui per Iacob ſignificatur, ſoror vel vxor eſſe poterit, niſi prius ad baptiſmatis aquas, & ad ſanctarum ſcripturarum puteos accedens, bibat aquam de fontibus Iſraël. Ipſe eſt enim qui ab ore putei vtriuſque teſtamenti lapidē amouit: Ipſe eſt leo de tribu Iuda qui librum aperuit: ipſe eſt paſtor bonus qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Moyſes quoque de Ægypto fugiens & veniens in terram Madian, ad puteum vtique inuenit Sephoram quam poſtea duxit vxorem. Erant autem ſeptem filiæ ſacerdoti Madian, & ipſæ patris ſui oues paſcebant, quæ cum vellent adaquare greges, superuenerunt paſtores & ejecerunt eas. Tunc igitur Moyſes defendit puellas, paſtores ejecit, & dedit potum ouibus. Significabat enim Saluatorem noſtrum, qui ſanctam Eccleſiam docturus erat vxorem, quam illa Sephora ſignificabat, ſiquidem Sephora pulchra interpretatur. De Eccleſia vero ſcriptum eſt, quod non habet maculam neque rugam. De qua & in Canticis Canticorum dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Et ipſæ quidem à paſtoribus eam defendit, per quos hæretici ſignificantur, de quibus ipſe quoque Dominus ait. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, abi, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Narrat hiſtoria quod venit populus in torrentem Arnon, cumque ad bibēdum aquas non habuiſſet, præcepit Moyſes, vt ſoli duces populi cum ſuis baculis puteum foderent. Quod cum illi feciſſent: exiuit aqua in abundantia. Vnde & canticum ſimul omnes cantabant dicentes. Aſcendit puteus. Concinebant: puteus quem foderunt principes in datore legis & in baculis ſuis. Manifeſtiſſime expoſuit nobis Moyſes quid per ſervos Abraham puteos fodientes intelligere debeamus. Principes namque Apoſtoli, & Epiſcopi ſunt, omneſque Eccleſiæ Prælati. Iſti enim ſunt, qui baculos ferunt, quamuis quidam illorum non intelligentes, cum baculos ferant, neque ipſi puteos fodere volunt, & fodere volentib⁹ aliquando impedimentum faciūt. Ecce Moyſes præcipit.

A (Immo Dominus) qui per Moyſem ſignificatur, vt principes, & qui baculos ferunt, puteos fodiant, ſcripturas aperiant: & baculos Epiſcopi abſcondunt, & pecuniam ſibi creditam terræ infodiunt, & ſiti populum perire permittunt. Quales foſſores olim fuerunt; quales, & quantos puteos foderunt: quas de profundo aquas eduxerunt? Aquas vtique viuas, & ſalientes in vitam æternam. Talis fuit Beatus Gregorius, talis Hieronymus, & Auguſtinus, & talis Ambroſius, & Hilarius. Tales, & multi alij qui otioſi eſſe noluerunt. Sed quid dicam de beato Benedicto, qui tam egregium nobis puteum fecit: cuius aqua ſaluberrima atque dulciſſima omnibus ſitientibus, & bibere volentibus, & refectioni proficit, & ſaluti. Nullus poſt Apoſtolos & Euangeliſtas puteus factus eſt, qui tot homines ſatiaſſet, & à mortis periculo cunctiſque animæ paſſionibus liberaſſet. Quicunque fratres quocunque labore fatigati ſumus, feſtinemus ad puteos, ibi Ieſum inueniemus, & ipſum fatigatum ſuper puteum ſedentem, & cum muliere Samaritana ſimul
B loquentem. Hoc enim dicit Euangeliſta, quod Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſuper puteum. Et ecce mulier venit de Samaria haurire aquas. Magna myſteria tunc temporis reuelata ſunt, quando ſaluator noſter cum hac muliere locutus eſt: neque eſt huius temporis illa tanta ſacramenta exponere, quæ tunc ſaluator noſter ſuper illum puteum illi mulieri manifeſtare dignatus eſt. Hoc tantum nos modo dicere ſufficiat, quod ſi Ieſus fatigatus ad puteum venit, quanto magis nos de omnibus fatigationibus, & laboribus noſtris apud ſanctarum ſcripturarum puteos omnem conſolationem quærere debemus: vt ſicut Apoſtolus ait: Per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Ibi enim ſemper inuenitur Ieſus: ibi eius conſolatio præſto eſt: ibi omnes fatigati recreantur, conſolantur & lætificantur. Ecce de puteis ſatis diximus. De ciſternis nihil locuti ſumus. Habent enim & ipſæ bonam aquam, vtpote deſurſum venientem, & à nubibus deſcendentem. Omne
C enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. De ciſternis autem Salomon loquitur, dicens: Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, deriuentur fontes tui foras, in plateis aquas diuide. Habeto eos ſolus, nec ſint alieni participes tui. Ciſterna mea Euangelium eſt: de hoc me ſemper bibere delectat. Quod quia in quibuſdam difficile eſt, non immerito etiam puteus vocatur. Cuius aquas, & doctrinam quia non celare, cum omnibus Chriſtianis communes habere debemus, ideo bene ſubditur. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis diuide: Sed quia ſcriptum eſt. Nolite ſanctum dare canibus, vel mittere margaritas ante porcos: dignè additum eſt. Habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui. Alieni namque ſunt quicunque noſtri non ſunt. Cum talibus autem hæc aqua participanda non eſt, quæ de illo fonte nobiliſſimo manat. De quo ſcriptum eſt. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quod ipſe nobis præſtare dignetur, qui viuit, & regnat, in ſæcula
D ſæculorum. Amen.

SERMO V.

De Eiſdem.

SInt lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Non poſſunt alij eſſe lucernæ ardentes, niſi illi qui lumbos præcinctos habent. Lucernæ quidem eſſe poſſunt, ardentes eſſe non poſſunt. Niſi enim ignis inferior extinguatur, ſuperior lucere non poteſt. Inferior ignis luxuria eſt, ſuperior quis alius niſi gratia ſpiritus ſancti? Lucernæ autem ipſi ſunt, qui niſi continentiam & caſtitatem habuerint, non lumen & claritatem, ſed tenebras miniſtrant, & cæcitatem. Cæcus enim ſi cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt. Domini ſententia eſt. De talibus lucernis dicit Propheta. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. Vnde & in Euangelio dicitur. Erat autem Ioannes lucerna lucens & ardens. De talibus & Dominus ait. E
Nemo accendit lucernam, & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Qui ergo lucerna eſſe vult, lumbos præcingat, continentiam & caſtitatem cuſtodiat. Sic enim præcinctos eſſe oportet, qui Salomonis cuſtodiunt lectum. Lectus Salomonis eſt Eccleſia, illius videlicet Salomonis qui ait. Ecce pluſquam Salomon hic. Vnde in Canticis Canticorum dicitur. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Illi bene præcincti ſunt, qui ſuper femur ſuum, ſuum gladium habent. Illum videlicet gladium, quo caſtiſſima Iudith Holofernem interfecit. Apoſtolus non ſolum Epiſcopos & ſacerdotes, verum etiam omnes Chriſtianos ſanctos, caſtos, & continentes eſſe iubet. Ait enim: Qui habent vxores tanquam non habentes ſint, & qui ſolutus eſt ab vxore non ducat vxorem. F

SERMO VI.

De Eiſdem.

HOmo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij vero duo, alij autem vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim. Homo iſte Saluator noſter eſt, qui verus Deus, & verus homo, non ſecundum diuinitatem quæ vbique eſt, ſed ſecundum humanitatem profectus peregrè, carnem noſtram ad cœleſtia vexit, & ad patris dextram collocauit. Felix peregrinatio, vbi peregrini mox ciues facti tantis diuitiis ditantur, vt præteritorum omnium non obliuiſcantur. Quinque autem talenta, & duo, & vnum idem ſignificant, & quantum duo tantum, & vnum. Sunt autem qui per quinque talenta quinque corporis ſenſus intelligere volunt: Viſum videlicet, auditum, guſtum, odoratum, & tactum; Qui ideo quidem corporis ſenſus dicuntur, quoniam eorum inſtrumenta in corpore ſunt, G
& ipſius corporis membra ſunt, ſenſus autem ipſi non corporis, ſed animæ ſunt. Tolle animam & vacua remanent inſtrumenta: quia neque oculi vident, neque aures audiunt, neque ipſius viſus, & auditus inſtrumenta ſunt. Similiter autem & in aliis. Vnde manifeſtum eſt inſtrumenta quidem ad corpus, ſenſus autem ipſos ſpecialiter ad animam pertinere. Quinque autem ſenſus in anima ſola intelligentia conſiſtunt. Nulla alia inſtrumenta, ibi ſunt, quibus ſenſus varientur. Ipſa ſola pro oculis, pro auribus, pro naribus, pro ore, & pro manibus habetur. Anima autem ſolo intellectu videt, audit, olfacit, guſtat, & tangit. Neque diuerſis ſenſibus diuerſa inſtrumenta, quoniam ſolus intellectus in omnibus ſufficit. Vnum igitur talentum intellectus eſt, in quo ſolo, & quinque talenta, & duo continentur, quoniam & quinque ſenſus, & memoria, & intellectus, in ſolo intellectu
conſiſtunt. Qui igitur habet vnum talentum ideſt intellectum ipſe habet, & duo talenta, ideſt memoriam, & intellectum. H
Ipſe habet, & quinque, viſum videlicet, auditum, guſtum, odoratum, & tactum. Qui enim vnum illum habet, omnes habet: & qui non omnes habet, illum vnum habere non poteſt. Vt enim de maioribus taceamus vnum verbum duarum ſyllabarum, non poſſumus nos ſine memoria intelligere. Vt verbi gratia cum dicitur homo, niſi primam ſyllabam memoriæ commendemus, vt ſequenti ſyllabæ eam coniungere valeamus: nunquam procul dubio totum nomen intelligemus, cuius partes in memoria non habemus. Manifeſtum eſt ergo quod ſine memoria intellectus haberi non poteſt. Qui igitur vnum talentum habet, & duo quidem neceſſario habet: duo vero, ideſt memoria, & intellectus, ſine quinque ſenſibus eſſe non poſſunt, quod enim inſenſibile eſt, neque intellectum, neque memoriam habere poteſt. Habet igitur & quinque qui duo habet. Idem igitur ſignificatur per vnum talentum quod per quinque & per duo

A ſignificatur. Cui ergo datur intellectus, illi datur memoria ſimul & intellectus, illi præterea dantur, & quinque ſenſus ſpirituales. Vnde alius Euangeliſta non quinque vel duo talenta, ſed vnum tantùm talentum poſuit, quod non talentum, ſed mnam vocauit. Ait enim: Homo quidam proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & dedit illis decem mnas. Decem erant talenta, decem erant & ſerui, non decem ſingulis, ſed ſingulis ſingula dedit. Hoc autem ex eo intelligitur, quod reuertenti Domino dicunt. Domine mna tua decem mnas acquiſiuit, & mna tua fecit quinque mnas. In eo enim quod vnam ſingulariter ponunt, non decem, ſed mnam tamen ſe accepiſſe oſtendunt. Et bene decem talenta & decem ſerui eſſe dicuntur, quia omnes numeri in hoc numero continentur. De quo iam ſæpe locuti ſumus. Quod autem ait quod homo iſte peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua; ſi de quinque ſenſibus intelligatur inconueniens eſſe fortaſsè videbitur. Quomodo enim tunc ſaluator noſter ſuis diſcipu- B lis hos ſenſus dedit, quos iam in ipſa natiuitate acceperant: & quos non ſolum Chriſti, ſed ſerui quoque diaboli ſimiliter habent? Hoc igitur non de corporis, ſed de animæ ſenſibus intelligatur, per quos vt iam diximus ſpiritualis intelligentia ſignificatur. Et hanc quidem dedit Dominus ſeruis ſuis peregrè proficiſcens quam nullus hominum habere poteſt, niſi ab ipſo & per ipſum. Hanc autem intelligentiam non habet Iudæus: hæc propriè Chriſtianorum eſt. Vnde Apoſtolus ait: Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Hanc autem intelligentiam illi habent, qui non terrena ſed cœleſtia quærunt, & in omnibus quæ agunt, ſemper Deo placere deſiderant. Ecce pecunia data eſt, viderit vnuſquiſque quomodo operetur in ea. Cito & poſt modicum venturus eſt Dominus rationem ponere cum ſeruis ſuis. Sed quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam vt det illis cibum in tempore. Beatus ille ſeruus quem cum venerit Dominus, C inuenerit ſic facientem. Beatus quem pecuniam ſuam, cibum ſuum, annonam ſpiritualem, & epulas diuini eloquij fideliter miniſtrantem inueniet. Ipſe enim audire merebitur. Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Et tunc quidem alij ſuper decem, alij ſuper quinque ciuitates conſtituuntur. In quo nimirum ipſa ſanctorum gloria quamvis magna ſatis omnibus ſit aliis tamen maior, & aliis minor eſſe monſtratur. Differt enim (ait Apoſtolus) ſtella à ſtella in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum. Alia eſt enim claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Sed quamvis claritas in gloria diuerſa ſit, beatitudo tamen, non diuerſa, ſed omnino eadem erit, quoniam vniuſcuiuſque gloria omnium communiter gaudium, & lætitia erit, qualis enim nunc concordia eſt inter omnia membra corporis noſtri, talis erit inter omnia membra illius ſupernæ ciuitatis. Videamus modo quid illi quoque Dominus dicturus ſit, qui talentum ſuum abſcondit, & pecuniam Domini ſui terræ ſuffodit. Accedens, inquit, D Euangeliſta, & ille qui vnum talentum acceperat ait. Domine vnum talentum tradidiſti mihi, quod in ſudario repoſitum cuſtodiui; ecce habes quod tuum eſt, timui enim te quia homo auſterus es, metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti. Cogitaui ergo mecum, ac ſi diceret in corde meo, abſcondere eloquia tua; ne, ſi in vanum pecuniam tuam expenderem, & verba tua non obedientibus nunciarem, mihi quidem labor ſolummodo eſſet, illis vero maior inde pœna fuiſſet, quod iam vlterius excuſationem habere non poſſent, vtpote illi qui, & ſcirent & intelligerent voluntatem Domini ſui. Cum enim etiam illos iudicaturus, & damnaturus ſis, ſuper quos non ſeminaſti, & ſuper quos verbi tui ſemina non ſparſiſti, quid illis te facturum eſſe putamus, qui verba quotidie audierunt, illis tamen obedire noluerunt. Talis autem excuſatio quam vana, & inutilis ſit, ipſius Domini reſponſione monſtratur. Serue male, & piger. Sciebas quod ego homo auſterus ſum, metens vbi non ſeminaui, & colligens vbi non ſparſi, quare ergo non E dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens, vtique cum vſuris exegiſſem illam? Si me, inquit, talem eſſe ſciebas, quomodo me offendere non timebas? Non timor hoc, ſed pigritia fecit. Piger enim propter frigus arare noluit, mendicabit igitur æſtate & non dabitur ei. Siue ergo obediant ſiue non obediant ſubiecti prælatis, tamen tacendum non eſt. Vnde ad Ezechielem Dominus ait: Fili hominis ſpeculatorem poſui te domui Iſraël. Niſi annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam animam eius de manu tua requiram. Si autem annunciaueris, & ipſe te audire noluerit, ipſe in iniquitate ſua morietur, tu autem animam, tuam viuificabis. Nemo igitur pecuniam ſibi creditam, nemo talentum ſibi commiſſum abſcondere velit. Qui abſcondit frumentum maledicitur in populis. Nemo lucernam ſub modio ponat. Menſa propoſitionis non intra velum recondita, ſed extra poſita eſt. Dicitur de ſacerdote quando ingreditur vel egreditur de ſanctuario, niſi tintinnabula audita fuerint, morte morietur? Tintinnabula ſacerdotum linguæ, F voces, & ſermones ſunt. Iſti ſunt quibus dicitur: Qui reminiſcimini Dominum ne taceatis, & ne detis ſilentium ei. Omnes de talentis iſtis aliquod habemus, nemo ſe excuſare poteſt, niſi fortè qui ſenſum, & intelligentiam non habet. Quæ qui non habet pecore inferior eſt, ſiquidem, & pecora habent ſenſum & intellectum. Quod eſt ſenſus in corpore, hoc intellectus in anima eſt. Nemo ſine his, bonum aliquod vel malum agere poteſt. Neque ad iuſtitiam vel ad peccatum eis imputatur, qui ſine his aliquid operantur. Modo talentum ſuum quilibet abſcondere poteſt. Sed venturus eſt Dominus, qui id quod dedit non ignorat. Ab vnoquoque requiretur quicquid facere potuit & facere noluit. A malis ſeruis, & pigris auferetur tunc talentum & retributio talenti, & dabitur ei qui habet decem talenta. Qui vero fidelis fuerit; & in talento ſibi tradito benè laborauerit, gaudens & exultans à Domino audiet. Euge ſerue bone, & G fidelis quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui. Qui viuit, &c.

SERMO VII.

De Eiſdem.

Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quia ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non ſineret perfodi domum ſuam.

Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Hoc autem erit in iudicio, ſed & nunc quotidie venit Dominus, quotidie ſeruos ſuos vocat, & eos quos reperit vigilantes, & in bonis operibus perſeuerantes ſecum ad cœleſtia ducit, & ſicut ſequentia manifeſtant: Super omnia bona conſtituet eos. Beatus inquit, ille ſeruus quē cum venerit Dominus inuenerit vigilantem. Amen dico vobis ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Si ad vlti- H mum aduentum reſpiciamus, & bonos, & malos omnes vigilantes inueniet. Non erit tūc tempus dormiendi, ſiue boni ſiue mali aliquid agendi, ſed ſolummodo timendi, & iudicium expectandi. Ergo dum tempus habemus (vt ait Apoſtolus) operemur bonum ad omnes. Hoc eſt enim vigilare, in bonis operibus perſeuerare. Illa anima dormit immo quaſi mortua iacet, quæ negligens, & deſidioſa eſt, & nihil boni operatur. Vigilant homines, vt cuſtodiant domos ſuas, & non vigilabunt, vt cuſtodiant animas ſuas? Et tamen diuitiæ maiores & latrones fortiores ſunt hic quam ibi. Illæ diuitiæ temporales ſunt, iſtæ æternæ. Illi latrones viſibiles ſunt, iſti videri non poſſunt. Inimicus enim noſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Sed vigilare quilibet poteſt, ſiquidem & latrones vigilant. Vnde quidam ait.

Vt iugulent homines ſurgunt de nocte latrones.
Vt teipſum ſerues non expergiſceris?

Sed iſtæ vigiliæ ſunt malæ. Ille autem bene vigilabat

A qui ait. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Iſte enim non ſolum vigilabat, ſed & vigilando Deum laudabat. Illæ vigiliæ bonæ ſunt, quæ ocioſæ non ſunt, & in Dei laudibus fiunt, de quibus & alibi ait: Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem & requiem temporibus meis donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob. Iſte ergo, ideo vigilabat vt in ſui pectoris habitaculo dignam Deo domum ædificaret: non vt verbis ocioſis & vanitatibus vacaret. Tales vigilias, & Apoſtolus quærit vbi ait. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur armis lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. Et reuera ipſe bene vigilat, qui diaboli, & tenebrarum operationes fugit: & lucis veritatiſque armis indutus honeſte & compoſite Domino ſeruit. Vnde, & alibi dicit. Euigilate iuſti & nolite peccare: melius eſt enim E non vigilare, quam vigilare, & peccare. Vigilate, & ſtate in fide, viriliter agite, confortamini in Domino, & omnia veſtra charitate fiant. Ille bene vigilat qui hæc omnia operatur, qui ita vigilat non eſt ocioſus. De ipſo enim Saluatore dicit Scriptura, quod pernoctabat in oratione in monte oliueti id in eſt monte pacis & charitatis, in monte miſericordiæ & pietatis. Illi, qui in hoc monte vigilant & orant, in iudicio audituri ſunt. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Quare? quia bene vigilaſtis, & oraſtis quia ſimul mecum in monte miſericordiæ habitaſtis. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me, &c. Tales vigiliæ bonæ ſunt, tales ocioſæ non ſunt, tales Domino placent, & tales nos facere iubet. Tales vigilias faciebat Iudith, quæ Holofernem dormientem interfecit, relinquens nobis exemplum quatenus, & nos ſi fornicationis ſpiritum perdere volumus ieiuniis & orationibus operam demus. His armis vicit illa, his ſuperatus eſt ille. Dicitur de muliere forti, per C quam Eccleſia intelligitur, quod non extinguetur in nocte lucerna eius. Dicitur etiam quod de nocte ſurrexit & dedit prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. In quo nimirum eius vigiliæ apertiſſime commedantur. Saluator noſter quando natus eſt non dormientibus, ſed vigilantibus apparuit. Dicit enim Euangeliſta quod paſtores erant in regione eadem, cuſtodientes vigilias noctis ſuper greges ſuos. His autem apparuit Angelus Domini & ait illis. Ecce annuncio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Audiant hoc paſtores Eccleſiæ, audiant hoc Epiſcopi, & ſacerdotes, vigilent ſuper greges ſuos, vigilent ſemper & ſolliciti ſint ſuper populum ſibi commiſſum. Audiant Apoſtolum dicentem: Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Ipſe Saluator noſter ad Diſcipulos veniens, eoſque dormientes inueniens, vigilare eos præcipiens D ait. Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Multum ergo contra omnes diabolicas tétationes poſſunt vigiliæ & orationes. Si Domino in nauicula dormiente diſcipuli timuerunt, & donec vigilaret, ſecuri, eſſe non potuerunt, quomodo dormiéte, vel nó vigilante paſtore eſſe poterunt oues ſecuræ? Noë dormiens verecunda diſcooperuit, quod Cham eius filius vidit, & irriſit. Vigilent igitur prælati ne forte ſubiectorum riſus, & opprobria fiant. Loth quoque dormiens filia corrupit, qui ſi vigilaſſet, & ſui ipſius memoriam habuiſſet numquam tantum ſcelus facere voluiſſet, vel potuiſſet. Et tu igitur homo quicunque ſecurus dormis, & vtramque filiam animam videlicet, & carnem violas & perdis, dum eas per illicita vagari, & fornicari permittis. De diuitibus ſcriptum eſt. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Quotiens ergo diuites dormiunt, quoties ipſi ſapientes qui cœleſtibus theſauris diuites ſunt ocio & negligentiæ ſe tradunt toties veras & ſpirituales diuitias amittunt. Duæ meretrices coram Salomone contendebant inter ſe, quarum B altera filium interfecerat: dormiens quippe oppreſſit eum altera autem tam negligens & ſomnolenta fuit, vt de ſinu eius ipſa neſciente filius eius ſubtrahi potuerit. Ambæ malæ; ambæ meretrices erant iſtæ, quæ tam ſomnolentæ, & tam negligentes erant. Altera tamen peior, quæ poſtquam filium interfecerat alterius quoque filium occidere conabatur. Duæ iſtæ meretrices, duo Epiſcopi mihi eſſe videntur quorum alter quamvis ſtultus & negligens, Catholicus tamen ſit, alter vero hæreticus, qui neque ſuis, neque alienis filiis parcat. Bene autem vterque meretrici comparatur, quoniam neuter matronalem grauitatem, & diligentiam cuſtodit dum tanto ſomno, tantæque cæcitati ſe tradunt. Et hæretici quidem omnes ſuos filios interficiunt, quoniam erroris ſomno oppreſſi, & excæcati, ſimul cum illis in foueam cadunt: Alienos autem filios non totos, ſed ex parte habere volunt, quoniam in Eccleſia eos eſſe, & catholicis communicare præcipiunt, ſed ſuis erroribus credere perſua- F dent. Hoc autem quid aliud eſt, niſi quod mulier illa dicebat: nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur. Diuidunt enim filium alienum, dum eum per errorem ſibi ſociant, & per communionem Eccleſiæ derelinquunt. Catholicus autem partem non recipit, ſed ſi totum habere non poteſt, totum à ſe excommunicans repellit. Sed reuocatur iſte talis, & matri redditur aliquando gladio Salomonis, ſi ſapientis alicuius verbo correptus & ratione iterum Eccleſiæ reconciliatur. Quando autem hæreticus aliunde venit, & in Eccleſiæ neſcientis ſinum ſe ingerit: tunc vtique completur illud quod dicitur: quod meretrix illa tulit filium ſuum qui mortuus fuerat, & alterius in ſinum collocauit. Peccat igitur Epiſcopus & multum peccat, ſi per negligentiæ ſomnum ſuum filium hæreticis tradit: aut hæreticorum filium in ſuam communionem recipit. Hoc autem quod de Epiſcopo diximus de ſe quoque vnuſquiſque intelligere poteſt, qui tunc quidem filium ſuum dormiens occidit, quando bona opera ſua per negligentiam diſſipat, & perdit. In Euan- G gelio autem ſcriptum eſt, quod homo quidam ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, & dum homines dormirent venit inimicus & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit. Gaudeant igitur vigilantes, & prouidi, in quorum meſſem inimicus intrare non valet, quorum bona opera ſuæ falſitatis ſemine violare non poteſt. Timeant autem dormientes & negligentes, ne bonum ſemen verbi Dei, quod in ſuis pectoribus ſeminatum eſt in hoc inimico diripiatur: Et ſicut alibi in Euangelio legitur: veniat diabolus & tollat verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Beati enim qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Quod ipſe nobis præſtare dignetur, qui viuit, &c.

SERMO VIII.

De Eiſdem.

DOminus, & Saluator noſter in Euangelio loquitur H dicens. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Vnde Pſalmiſta ait. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Illud cor mundum non eſt, quod odio & iniquitate, & malis cogitationibus plenum eſt, De quo ipſe Dominus ait. Ex corde exeunt cogitationes malæ fornicationes, furta homicidia, periuria adulteria, falſa teſtimonia, & ſimilia quæ coinquinant hominem. Talia igitur corda munda non ſunt. Ex abondantia enim cordis os loquitur: quod ex corde abundat, ore manifeſtatur. Illud cor mundum eſt in quo non vana, & falſa, ſed ſermones, & eloquia Dei repoſita ſunt. Quale videlicet habebat ille qui dicebat. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Vnde, & Salomon ait. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Ibi eſt vita tua, illud cuſtodi, ſi vis habere, & ſeruare animam tuam: Ibi ſunt radices boni & mali, inde & mors, & vita procedit. Quod ſi mundum fuerit, & vana, & inutilia non cogi-

A ranerit, ſecurus eſto, ſi vero ſe aperuerit, & vanas cogitationes intrare permiſerit, mox diabolus aderit, quem etiam ſi volueris poſtea ſine labore magno expellere non poteris. Beatus igitur, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Ideo ille in Euangelio publicanus percutiebat pectus ſuum dicens. Deus propitius eſto mihi peccati, quia pectoris cordiſque conſilio, ſe peccaſſe, & Deum offendiſſe intelligebat. Hinc eſt igitur quod ſacerdotes de omni oblatione, pectuſculum, & armum dextrum ſuſcipiunt, vt bene cordati, & pectoroſi cunctis ad ſe venientibus de bono theſauro cordis ſui bona, & vtilia, conſilia reddere valeant. Multa corda illis neceſſaria ſunt qui aliorum hominum corda ſuis conſiliis replere, & omnibus ſe interrogantibus de tam multis quæſtionibus reſpondere debent. Hic eſt itaque theſaurus noſter, hic repoſitæ ſunt diuitiæ noſtræ, ideoque omni cuſtodia & diligentia ſeruemus, & cuſtodiamus corda noſtra: Inter alia ornamenta ſacerdotalia rationale iudicij iubente Domino factum eſt, quo pectus, & cor
B Pontificis ornaretur, & muniretur, & quaſi ſigno ſuperpoſito theſaurus interius repoſitus oſtenditur. Erat autem rationale iudicij quadrangulum, & duplex ad menſuram palmi; factum ex auro & hiacintho, purpura coccoque bis tincto, & biſſo retorta, opere polymito. Habebat autem lapides duodecim, in quatuor ordinibus poſitos, in quibus ſculpta erant duodecim nomina filiorum Iſraël: Ipſum nomen eius magnum aliquid in hoc ornamento ſignificari oſtendit: in eo videlicet quod non ſolum rationale, ſed rationale iudicij vocatur: conſiderare namque debet ille, cuius pectus tali ornamento ornatum eſt: vt iudicia quæ inde exeunt rationabilia fiant & numquam à ratione iuſtitiaque recedant. Reſpiciant ſemper Epiſcopi ad rationale, legant in libro pectoris ſui, videant quomodo vocetur, magna ſapientia eſt multumque proficiens cognoſcere nomen eius. Hic ſolus liber ſufficere poſſet: ſi tamen eſſet qui intelligeret, quod per ipſum, & in ipſo ſignificatur. Videbant Iudæi rationale hoc, ſed non intelligebant quod per ipſum ſig-
C nificaretur. Illi hoc intelligunt, quibus Dominus ait. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis. Quicquid in vtroque teſtamento continetur, totum hoc in ornamentum figuratur. Vnde, & bene ſuper pectus & cor pontificis ponitur, vt in illo diuini voluminis ſecretario totius veritatis, & ſcientiæ plenitudo eſſe intelligatur. Huc omnes accedant: hic omnes ſapientiam quærant ad pontificis pectus, & ad ornamentum ſuperpoſitum, & non tantum eius pulchritudinem videre ſufficiat: interrogent per ſingula, quid illi colores quid aurum, quid lapides, & cætera quæque ſignificent. Nam neque ipſa menſura ſignificatione caret. Ad menſuram palmi factum eſt, illius videlicet de quo ſcriptum eſt: Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit. Cœli ergo & rationale vnius menſuræ ſunt. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: Hanc ſcilicet gloriam, quæ in ratione continetur. Si quadrangulũ rationale non eſſet libri ſpeciem, & formam non haberet. In cuius qua-
D tuor angulis, quatuor Euangelia poſita ſunt. Habes ergo nouum teſtamentum. Vetus tibi oſtendunt illa duodecim nomina filiorum Iſraël ex quibus ſynagoga tota proceſſit. Duplum eſt rationale, vt, & tu in vtroque teſtamento duplicem intelligentiam quæras? Non enim ad litteram ſolam intelligere ſufficit: niſi & ſpiritualis addatur intellectus. Vides ibi aurum ad puritatem, & pulchritudinem, ad totius animæ corporiſque decorem, & claritatem te inuitat. Exemplum tibi dat quod purus & ab omni corruptione mundus eſſe debeas. Si qua adhuc corruptio eſt in te, illam tolle donec ad auri puritatem, & pulchritudinem totus redigaris. Quatuor autem colores quos ibi vides, quatuor ſunt virtutes principales, id eſt prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia. His quatuor virtutibus, regitur mundus, quæ ita inter ſe coniunctæ ſunt, vt vna ſine reliquis eſſe non valeat. Vbi enim ſapientia eſt, ibi iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam eſſe oportet. Similiter autem vbi iuſtitia eſt, ibi

E ſapientia eſt, fortitudo, & temperantia. Sic eſt in aliis. Et hiacinthus quidem, quia eſt aërei coloris, ad ſapientiam te prouocat, quæ deſurſum eſt, quia omnis ſapientia à Domino Deo eſt. De qua Salomon ait. Mitte eam de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. Ipſa enim cæteris virtutibus altior eſt, & eius fulgore cæteræque illuſtrantur, Purpura vero iuſtitia eſt, quoniam & purpura & iuſtitia ad reges pertinet, qui & legum conditores ſunt, & purpura ſpecialiter induuntur: Quibus etiam dicitur. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Coccum autem rubri & ſanguinei coloris ad fortitudinem eos inuitat, qua ſancti Martyres armati occidi quidem potuerunt, vinci non potuerunt. Eſt autem coccum bis tinctum, quia duplex eſt martyrij genus, quoniam non ſolum illi martyres ſunt, quos tyranni interficiunt: verum etiam illi qui carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis crucifixerunt: At vero per lini candorem temperantia figuratur: quæ ſemper læta, & aſperſum
F nihil oſtendens omnia ad concordiam, & pacem trahere conatur. Valde vtile eſt hos colores ſemper inſpicere, & quid ſignificent intelligere. Quid vero lapides ſignificent, ipſa quæ in eis ſcripta ſunt nomina oſtendunt, duodecim igitur lapides, duodecim Patriarchæ erant, per quos duodecim Apoſtoli ſignificantur. Hos autem videre hos ſemper in memoria habere, horum fidem & conuerſationem tenere, quam vtile ſit, quam neceſſarium quid attinet dicere: Non ſolum autem duodecim patriarchæ, & duodecim Apoſtoli in illis lapidibus ſignificati ſunt: verum etiam tota vtriuſque teſtamenti ſanctorum omnium multitudo: quæ ab iſtis viginti quatuor ſenioribus originem ducit. Inter hos enim & martyres omnes, & confeſſores computantur. Ibi Stephanus, & Laurentius. Ibi Martinus, & Benedictus incluſi auro, multo ſplendore, multoque candore fulgentes, magnam noſtris mentibus ædificationis lucem infundunt. Ad hos ſemper intendamus, ad hos mentis oculos dirigamus; ſimulque cum Pſalmiſta dicamus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Beati, qui ſemper hos la-
G pides in pectore ferunt. Beati qui horum memoriam in corde ſemper, & in pectore gerunt. Vtinam beati Benedicti nomen, & memoriam ſemper in corde habeamus, quatinus dum eius memores ſumus eius vitam, & ſanctam conuerſationem imitari ſemper & tenere poſſimus. Quod autem in quatuor ordinibus terni lapides per ſingulos ordines diſpoſiti erant, quid aliud ſignificat, niſi quod quatuor Euangeliorum libri, trinitatis myſterium laudare non ceſſant? Sed ſimul concorditer vna voce, ſine intermiſſione, die nocteque clamant, & dicunt. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, plena eſt omnis terra gloria eius qui &c.

CAPVT III.

Sermones varios complectens.

SERMO.

H *De Quouis Sancto.*

SImile eſt regnum cœlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit & vendidit vniuerſa quæ habuit, & emit eam. In exemplo, & ſimilitudine vnius negociatoris docet nos Dominus, & Saluator noſter, quales Eccleſiæ negociatores fieri debeant. Dicit enim, vnum negociatorem fuiſſe, quæ in emendis margaritis operam dabat: Cumque vna præcioſa margarita multum ei laudata fuiſſet, & Prouinciam vbi eam quæreret, & hominum à quo illam emeret didiciſſet: abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Talis margarita non inuenitur vbique; proprium enim locum habet: in quo ſine labore non reperitur. Via quoque longa, & difficilis eſt, qua ad eam peruenitur. Multi latrones, multa pericula, loca deſerta, beſtiæ diuerſi generis ſunt in itinere, & ipſa via anguſtiſſima eſt, quia negociatores ad eam perducit. Sed

A beatus ille qui ad eam peruenire, & eam habere poteſt. Non eſt magna queſtio de precio, & magno, & paruo precio comparatur, & diuites, & pauperes emere eam poſſunt, & multoties pauperes facilius quam diuites eam acquirunt. Magis affectu & animo, quam precio adipiſcitur, tantum valet quantum habes. Ille dignè eam emere, & poſſidere meretur, qui omnibus venditis eam emit. Ne timeas omnia dare, ipſa tibi ſola ſufficiet, nihil tibi deerit, ſi eam habueris. Omnia in illa poſſidebis quæcunque tibi in deſiderio fuerint. Hypocritas fugit, auaros reſpuit. Qui vel ficte eam quærunt, vel pluſquam ipſam: qui aliud cum ea diligunt, eam habere non poſſunt. Sponte ſe offert, ex amore quærentibus eam, & qui multum eam diligit, numquam ad eam veniendo in itinere errare poteſt. Et quod valde laudabile in ea eſt. ipſa à periculo eos defendit, qui eam cum amore, & deſiderio emere veniunt: Neque magnopere curat ſi corpore occidantur, quia facile ipſi eſt eos à mortuis ſuſci- B tare. Hoſtes viſibiles paruipendit, qui in ſolo corpore poteſtatem habent. At vero inuiſibiles hoſtes magnum impedimentum faciunt negociatoribus quærentibus eam: Inſidiantes enim in itinere, diuerſis generis beſtias poſt eam mittunt. Alios auaritia, alios luxuria, alios ſuperbia, alios inuidia, alios vana gloria, alios ingluuie, atque alios inobedientia retardant. Sunt & multæ aliæ beſtiæ, quas maligni ſpiritus negociatoribus opponunt, ne ad hanc deſiderabilem margaritam peruenire valeant. Hic eſt ille calculus, quem Dominus ſe dare promittit Hoc enim in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus ait. Vincēti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Datur igitur vincentibus hæc margarita, & niſi vincentibus non datur, vbi victoria ibi pugna. Nemo enim coronatur niſi qui legitime certauerit. Sic pugnauit hæc virgo cuius hodie feſtiuitas colitur, & ideo calculum candidum ſuſcipere meruit, & in calculo nomen nouum ſcriptum eſt, quod magis ſuſcipiendo, quam legendo didicit. Hæc igi- C tur margarita, vita æterna, beatitudo, & ſummum bonum intelligi poteſt quod vtique procul dubio quale ſit nemo ſcit niſi qui accipit. Vnde Apoſtolus ait. Quoniam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Nemo enim id ſcire poteſt quod in cor hominis non aſcendit. Tales autem ſunt negociatores Eccleſiæ Dei: qualis iſte negociator eſt, quem Dominus ad exemplum propoſuit, qui inuenta precioſa margarita vendidit omnia bona ſua, & comparauit eam Sic Petrus & Andreas, Iacobus, & Ioannes, quos de piſcatione vocauit: mox relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Sic & cæteri Apoſtoli ſic Martyres & confeſſores, ſic & Monachorum ordo, qui non ſolum ſua relinquunt, verum etiam ſe ipſos huius margaritæ deſiderio ſeruituti ſubiiciunt. Hic eſt ille theſaurus in agro abſconditus, quem qui inuenit homo abſcondit, & venditis omnibus eum emit. De quo, & Saluator noſter cuidam ſe interroganti reſpondit. Si vis perfectus eſſe vade, vende omnia quæ habes, & da pau- D peribus, & habebis theſaurum in cælo. Quid eſt enim habebis theſaurum in cælo, niſi habebis margaritam illam precioſam, habebis vitam æternam, beatitudinem, ſummum bonum, calculum candidum, & in eo nomen ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit? His verbis apertiſſime docemur, quod Saluator noſter ipſe eſt, qui & margaritam, & locum eius & precium eius, & viam per quam ad eam veniretur negociatoribus oſtendit, nam & ipſe negociator eſt, & tales etiam margaritas vendere ſolet. Vnde etiam in Apocalypſi, Laodiceæ Epiſcopo dicit: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias. Sed iſte bonus negociator omni pietate, & miſericordia plenus contra aliorum conſuetudinem vilius vendit, & carius emit, Vili precio vendit ſua, magno aliena. Vnde & nobis qui eius ſanguine empti ſumus Apoſtolus loquitur dicens. Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Si enim in hac commutatione quæ inter eius ſanguinem, & noſtram redemptionem facta eſt, conſide-

E rare velis, quid datum, & quid acceptum ſit facile intelliges, maxima pro minimis eum dediſſe. Venit igitur iſte nobilis negociator afferens ſecum maximas merces, quibus mundus perditus redimeretur. Sed quid emit? Res viliſſimas, oues debiles, & infirmas. Non quod ei neceſſariæ eſſent, ſed vt eas ſanaret, recrearet, & in loco paſcuæ collocaret. Ipſe eſt enim ille paſtor bonus qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis qui relictis nonaginta nouem in deſerto, vnam venit quærere, quæ perierat. Vnde & eius natiuitas primum paſtoribus nunciata eſt. Decebat enim vt homines eiuſdem officij primi venienti occurrerent. Talis eſt enim hominum conſuetudo vt ad loca extranea venientes: primum ſui officij homines quærant. Dato igitur magno precio, paucas oues emit, ſed bonas & fœcundas, & ex quibus multi greges ouium nati ſunt. De qualibus in canticis canticorum dicitur. Dentes tui ſicut greges tonſarum ouium quæ aſcenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Bonæ oues quæ baptizatæ, & F ſuper niuem dealbatæ ſunt. Bonæ oues quæ tonſæ & expoliatæ omnia propter Deum relinquentes, nihil proprium habere volunt. Bonæ oues inter quas nulla ſterilis eſt, quarum vnaquæque gemellis fœtibus doctrina, ſcilicet & operatione decoratur. Et tales quidem debent eſſe Eccleſiæ dentes, tales debent eſſe Epiſcopi, & Sacerdotes, & quicumque in Eccleſia dentium officium ſuſcipiunt, & qui cibis ſpiritualibus alios nutriunt, ita candidi, ita mundi, ita fœcundi: ita omni ſarcina ſuperflua, & nociua expoliati, & tonſi. Omnes enim ad illarum ouium pulchritudinem, formandi ſunt, quæ primæ de lauacro aſcenderunt, per quas videlicet Sanctos Apoſtolos intelligimus, & cæteros qui illis temporibus crediderunt, quibus omnibus erat cor vnum & anima vna, & nemo dicebat, aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia vnde, & Apoſtolus ait. Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti. Has igitur oues imitari debemus, quia ex illis geniti ſumus. In Chriſto enim Ieſu ait Apoſtolus, per Euangelium ego vos genui: G in grege enim Dei, in populo Dei, non niſi oues ſunt. Eſto patiens & innocens, eſto humilis, & manſuetus: lacte tuo nutriantur infantes, & lanis tuis veſtiantur pauperes Bona ouis beatus Paulus, qui lupus fuerat, nata de tribu Beniamin, qui lupus rapax interpretatur. Duo ſunt propter quod Saluator noſter in mundum venit, vnum videlicet, vt oues emeret, alterum vt negotiandi artem doceret. Vtrumque factum eſt, quia illæ emptæ, & redēptæ ſunt, & iſti docti & inſtructi ſunt. Iſte eſt qui peregre proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit bona ſua dicēs, negociamini dũ venio. Docuit eos quid emere debeant, & vbi veras diuitias inueniant. Dedit preciũ, viam oſtendit, & vbi margarita tā precioſa inueniatur edocuit. Illam quærendam, illā emendam, illam tenendā: illā cunctis diuitiis & honoribus præferendam monuit, quia illa ſola eſt quæ poſſeſſores ſuos beatos & æternos facere poteſt. Illa ducit homines ad ſummum bonum, ſupra quod non eſt aliud bonum, in quo habentur, & poſſidentur omnia bona. Hoc bonum in hoc mundo in- H ueniri non poteſt. Nemo enim in hac vita tam diues, & tam fœlix, & tam potens aliquando fuit, cui aliquid non deeſſet quod habere voluiſſet. Cui vero aliquid deeſt, & cui ſua non ſufficiunt, nondum ad vltimum, & ſummum bonum peruenit. Si enim ad vltimum bonum perueniſſet, nullum bonum eſſet, quod deſiderare potuiſſet. O quanta bona ſunt, quæ ditiſſimi, & potentiſſimi huius mundi ardentiſſime concupiſcunt & habere non poſſunt? Aut enim ſuauitatem, aut ſapientiam, aut aliquid aliud quæ enumerare longum eſt, ſemper hi tales minus habent. Non ſunt igitur beati neque ad ſummum & vltimum bonum peruenire valent, qui in talibus nouis tantiſque deficiunt. Soli itaque noſtri negociatores: ſoli negociatores regni cœlorum ſunt ſapientes, qui caduca, tranſitoria, & fugitiua bona deſpicientes, mundi huius honores, & dignitates pro nihilo ducentes, ad illud ſolummodo bonum intendunt quod eſt ſummum, & ſupra quod non eſt aliud bonum,

A in quo ſe poſſidere confidunt omnia bona. Quod nobis præſtare dignetur, &c.

SERMO XI.

De Apoſtolis, Euangeliſtis, & Doctoribus.

SImile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare & ex omni genere piſcium congreganti quam cum impleta eſſet educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Quære in libro de nouo mundo ſermonem cui initium eſt, Hoc eſt mare magnum.

SERMO XII.

De Doctoribus & Prædicatoribus.

B *OMnis Scriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt patriſamilias qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Regnum cælorum, regnum Angelorum, regnum Apoſtolorum, ſancta Eccleſia eſt: quoniam cælis munitur, cælis clauditur, cælis regitur & defenditur, de quibus ſcriptum eſt: Cæli enarrant gloriam Dei. Omnis igitur ſcriba doctus, omnis Eccleſiæ prædicator qui in regno cælorum, in regno ſanctorum Apoſtolorum, prædicandi & docendi officium ſuſcipit, ſimilis eſſe debet homini patriſamilias, qui profert de theſauro ſuo, de ſecreto pectoris ſui, de ſecretario cordis ſui noua, & vetera. Conſiderare debet vbi ſit, in quo regno, & in qua domo ſermonem facit: Aliter enim in regno cælorum, & aliter in Synagoga Iudæorum loquendum eſt: aliter in Palatijs Imperatorum, & aliter in tugurijs pauperum diuitiæ diſpenſandæ ſunt. Cogitet qui magiſtri, qui principes, qui diſpenſatores in illo regno & in illa familia fuerint ante ſe. Illos imitetur, illorum mores, & vitam ſequatur. Illorum lingua &
C ſermone loquatur. Non ſunt, inquit, loquelæ neque ſermones quorum non audiantur voces eorum. Proferebant igitur de theſauris ſuis noua & vetera, ſed de omni loquela, & ſermone omni loquebantur. Modo noui, modo veteris teſtamenti diuitias proferebant. Inde igitur eſt quod ſponſa ad ſponſum loquitur dicens. Omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi dilecte mi. Hinc & Pſalmiſta ait, In corde meo abſcondi eloquia tua vt non peccem tibi, Peccant igitur qui verba Dei in corde non retinent, & tam magnum theſaurum non bene cuſtodiendo amittunt: Sed videamus, quid ſignificat id quod virgo Chriſti ſponſa, & dilecta Chriſti ait, Quia poma vetera, & noua dilecte mi ſeruaui tibi, Si noua poma, & vetera poma ſunt, nouas quoque arbores, & veteres arbores eſſe neceſſe eſt. Veteres arbores Patriarchæ, & Prophetæ, nouæ vero Apoſtoli, & Doctores intelliguntur. Habent illi ſua poma, habent & iſti ſua. Vtraque bona ſunt, & hæc & illa ſeruanda & cuſtodienda ſunt: Sicut arbores diuerſæ, ita, & poma
D diuerſi generis inueniuntur, quædam enim ſunt quæ cruda, & ſimul cum cortice manducari poſſunt, quædam vero niſi cocta & cortice expoliata fuerint, ad comedendum idonea & ſuauia non ſunt. Hoc autem in arboribus noſtris, & in arboribus vtriuſque teſtamenti reperire non eſt difficile, Quorum quidem poma ſunt ſermones, & ſententiæ. Lege in libris Moyſi & diuerſi generis poma inuenies, quæ neque ab omnibus neque vno modo comedi poſſunt. Quædam enim ibi ſunt, quæ ipſi quoque infantes ſine omni difficultate ſuſcipiunt, qualia ſunt, Honora patrem & matrem, Non occides, Non mæchaberis, Non furtum facies, Non falſum teſtimonium dices. Non concupiſces rem proximi tui. Hæc enim quia ſecundum literam intelliguntur, nulli ad comedendum difficilia ſunt. Ipſum autem intelligere comedere eſt. Quædam vero ibi reperies quæ vix ipſi iuuenes rodere poſſunt, & paucorum eſt ea coquere & cortice expoliare. Hoc enim Epiſcoporum, & Sacerdotum officium eſt, velut cum legitur de domo leproſa, de arboribus circuncidendis, de agris non diuerſo ſemine ſerendis, & multis alijs quæ ſi ad litteram intelligantur, vana eſſe videntur. Si autem ſpiritualiter infirmis mentibus proficientia. Dat legem Moyſes in quodam loco, vt ſi quis intra ciuitatem quæ muros habet domum ſuam vendiderit, vſque ad completum annum redimendi habeat poteſtatem. Finito vero anno nec redimere, nec in jubilæo recuperare poterat. Cui talis lex non videtur eſſe injuſta, niſi aliud ſignificaret? Hæc autem ciuitas Eccleſia eſt, cuius murus ex lapidibus precioſis eſt. Vnde etiam ſcriptum eſt. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Hanc autem ſuam domum vendit, qui criminalia peccata committit. In cuius etiam perſona Apoſtolus ait. Lex quidem ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. Qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati. Annus autem in quo redimendi domum poteſtas datur,
tota vniuſcuiuſque vita præſens intelligitur: Poteſt igitur homo redimere domum ſuam, carnem ſuam, ſeipſum totum quanto tempore in hac vita eſt. Hac vero vita finita iam redimendi poteſtatem non habet. Redemptio autem in ſola pœnitentia eſt, & ideo qui ſine pœnitentia moriuntur, nulla eis redemptio manet, nec in ipſo quidem jubilæo, quoniam vltima ſententia ſuſcepta, ad æternæ feſtiuitatis gloriam transferentur Sancti. In villa autem ideſt extra Eccleſiã omni tempore redimendi poteſtatem habent, qui quacumque die baptizati fuerint à peccatis omnibus Chriſti ſanguine rediment. Huic autem ſententiæ ſimile illud eſſe videtur, quod in Euangelio Dominus ait. Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Et Apoſtolus: dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Et alibi. Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti judicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Ecce iſta noua, & illa vetera ſunt. Sed ſi velimus videre ditiſſimum patremfamilias de theſauro ſuo noua, & vetera proferentem, audiamus Saluatorem noſtrum de cœlo dicentem. Audiſtis quia dictum eſt antiquis non occides, qui autem occiderit reus erit judicio: Ego autem dico vobis quia is qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit conſilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Et illa quidem quæ antiquis dicta ſunt, vetera ſunt, quæ autem ipſe dicit, noua ſunt. Vetera præcepta homicidium interdicunt, noua vero non ſolum homicidium, verum etiam iram, & omnem injuriam prohibent. Et quicumque fratrem ſuum offenderit, & contra ſe commotum, & indignatum intellexerit ſi in ſua malitia, & ſuperbia perſeuerauerit, & fratri ſuo reconciliari deſpexerit, quia charitatis paciſque vinculum ſoluit, ſine qua (vt Apoſtolus ait) nemo videbit Deum, reus erit non ſolum judicio vel conſilio, verum etiam gehennæ ignis. Hoc enim ipſe Dominus manifeſtat cum dicit protinus. Si offerens munus tuum ad altare recordatus fueris quia frater tuus habet quid aduerſum te, H
relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Qui enim peccant, & pœnitere nolunt, eorum munera abominatur Deus. Itemque audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mæchatus eſt in corde ſuo. Agat igitur pœnitentiam de concupiſcentia, neque ſine peccato ſe eſſe putet, quia concupiſcentia non pergit. Audiſtis quia dictum eſt antiquis oculum pro oculo: ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe illi & alteram. Dic ergo cui non licet reſiſtere, quomodo injuriam facere licet? Audiſtis quia dictum eſt antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Hæc autem, & his ſimilia Saluator noſter cum diceret de

A nobili illo ſui cordis theſauro , noua , & vetera proferebat , & ſcribas doctos regno cœlorum ſibi ſimiles eſſe videbat. Proferamus igitur & nos noua , & vetera , non autem de theſauro noſtro , ſed de theſauro dato nobis à Domino Deo noſtro. Duos magnos theſauros habemus alter nouus eſt , alter vetus , de his nobis , & aliis neceſſaria ſuſcipiamus de his noua & vetera proferamus quibus Dei familiam nutriamus , veſtiamus , regamus, doceamus , vt ſimul cum ea ad æternam beatitudinem peruenire valeamus , ipſo adiuuante , & cætera.

SERMO.

De Virginibus.

SImile eſt regnum cœlorum decem virginibus , quæ accipientes lampades ſuas , exierunt obuiam ſponſo , & ſponſæ quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus , non ſumpſerunt oleum ſecum : prudentes vero acceperunt oleum B *in vaſis ſuis cum lampadibus.* Regnum cœlorum Eccleſia eſt cuius omnes filij etiam ſi peccatores ſunt ad comparationem aliarum gentium virgines ſunt , quoniam ipſi Chriſti ſanguine ſoli redempti , & ex aqua & Spiritu ſancto regenerati à prima illa corruptione liberati , & mundati ſunt qua omnis humana natura ſuam virginitatem amiſit. Cum autem omnes iſtæ virgines,non ſint plures quàm quinq. & quinq; decẽ eſſe probãtur & nõ plures. Quinq; enim ſunt corporis ſenſus quos iſtæ virgines ſignificãt,viſus videlicet, auditus,guſtus odoratus & tactus. Sed quia in duas partes iſti diuiduntur id eſt fatuos , & prudentes , in denarium numerum eos conſcendere non dubium eſt. Omnis igitur homo quinque virgines habet , ſiue fatuæ, ſiue prudentes ſint. Prudentes autem illæ ſunt quæ peccare timent , & bona agere concupiſcunt. Vbi enim prudentia eſt , ibi peccatum locum non habet. Vnde etiam philoſophi dixerunt quod ſapiens, non pænitebit. Cui enim pœniteat : qui C pœnitentiæ opus non agit? Hac enim ſapientia præditus erat ille qui dicebat : In omni vita mea non reprehendit me cor meum. Sapientes ſunt illi de quibus dicitur. Oculi mei ſemper ad Dominum , & illi de quibus ſcriptum eſt: Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Et ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. Beatus quoque Martinus ſapientes oculos habebat de quo legitur: Oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus erat. Tales habebat ille qui ait : Pepigi fœdus cum oculis meis, ne de Virgine cogitarem. Sapientes quoque aures vaniloquiis ſcurrilitatibus,mendaciis, detractionibus, & verbis ocioſis non delectantur. Et tales quidem aures requirebat Dominus cum diceret. Qui habet aures audiendi audiat. Vnde & amici beati Iob omnes , ei inaurem auream vnam , & ouem vnam dediſſe leguntur. Seruus quoque Abrahæ inueniens Rebeccam inaures aureas,& armillas ei dediſſe narratur. Boni & illi , qui dominum diligentes aures perforatas habent. Similiter autem , & guſtus ille ſapiens eſt , cui non crapula , & ebrietas , ſed ieiunium D & abſtinentia delectabilis eſt. Qui non cibos ſuperfluos & delicatos, ſed menſuratos,ſalubres,& neceſſarios quærit. Ille quoque odoratus ſapiens eſt , qui non trahit animum ad peccandum , neque illicitis odoribus delectat. Et ego quidem nullum corpori ſenſum eſſe puto in quo minus homo delinquat. Manus quoque illæ ſapientes ſunt de quibus dicitur: Manus ſuas aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. De quibus , & Pſalmiſta ait. Labores manuum tuarum manducabis , beatus es , & bene tibi erit. Et Apoſtolus, qui furabatur, inquit, iam non furetur. Magis autem laboret manibus ſuis , quod bonum eſt , vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Manus ſapientes non ſunt ocioſæ , ſed ſemper in aliquo opere vtili volunt eſſe occupatæ. Hæc autem de virginibus ſapientibus dicta ſunt. Quas qui cognoſcit , fatuas quoque ignorare non poteſt , quæ enim tales non ſunt,fatuas eſſe neceſſe eſt. Vnuſquiſque homo ſuam virginem cognoſcit. Alienas cognoſcere difficilius eſt. E Multæ enim fatuæ ſunt quæ ſapientes eſſe putantur. Sed hæc fatuitas in iudicio manifeſtabitur,quia quæ prudentes,& quæ fatuæ ſunt tunc omnibus innoteſcet. Hoc autem in lampadibus cognoſcetur , quæ vel cum lumine vel ſine lumine apparebunt , quæ autem virgines in hac vita non corriguntur , nec de fatuitate ad prudentiam transferuntur , quales de hac vita exibunt , tales , & nihil in melius commutatæ in æternum ſupplicium ibunt. Cum enim dixerint ipſis ſapientibus date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguntur , dignam ſuis meritis reſponſionem accipient , neque pœnitentiæ fructum recipient : quæ pœnitere noluerunt , ne forte, inquiunt illæ , non ſufficiat nobis & vobis , ite potius, ad vendentes , & emite vobis. Hæc verba non compaſſionis , ſed irriſionis eſſe videntur. Bonum tamen conſilium eſſet , ſi hoc illæ facere poſſent. Noluerunt hoc facere quando potuerunt , volunt modo ſed non poſſunt. Sed quid mirum ſi irrideantur à membris Chriſti , quas vt pſalmiſta ait , irridet , & ſubſannat ipſe Chriſtus,qui habitat, inquit,in cœlis irridebit eos , & Dominus ſubſannabit eos. F Suſcipiunt illæ conſilium , ſed ſine vtilitate ſuſcipiunt. Bonum quidem eſſe ſciunt , ſibi tamen ſerum & inutile eſſe cognoſcunt,pergunt ad olei vẽditores non autem pedibus , ſed deſiderio pergunt , quid eſt autem deſiderio pergere niſi pergere deſiderare ? Sic omnes qui in inferno ſunt quotidie ad nos reuertuntur , quoniam hoc ſolo deſiderio fatigantur , vt eis reuertendi licentia id eſt commeatus detur. O ſi licentiam habere potuiſſent quanto ſtudio virgines ſuas , & ſenſus ſuos ab illa prima fatuitate ad prudentiam reuocare laboraſſent. Quomodo oculos à vanitatibus auerterent , aures detractionibus & malis conſiliis clauderent , guſtum crapula , & ebrietate compeſcerent? Quomodo nares ab illicitis odoribus amouerent, & manus eleemoſynæ, & miſericordiæ operibus præpararent? Non vltra deſpicerent olei venditores , non vltra deſpicerent Epiſcopos & Sacerdotes. Iſti enim ſunt qui oleum vendunt , iſti ſunt,qui nos miſericordiæ opera facere docent , quæ videlicet opera quæcunque non G habuerit , lampades quidem habebit , oleum , & luminis nutrimentum in iudicio non habebit. Dum autem irent emere , venit ſponſus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias , & clauſa eſt ianua. Numquam hoc iter finietur eis , quia numquam hoc deſiderium recedet ab eis. Sed dum illæ in hoc deſiderio laborant , dum miſeri homines ſeipſos accuſant , & ſua facta reprehendunt ſubito veniet Dominus qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Et tunc quidem ianua cœli aperietur bonis & claudetur malis. Ibunt illi in ſupplicium æternum. iuſti autem vitam æternam. Quod ipſe præſtare dignetur , qui &c.

SERMO.

De Sancto Michaele Archangelo.

FActum eſt prælium magnum in cœlo. Michael , & H Angeli eius præliabãtur cum dracone & draco pugnabat,& Angeli eius & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo. Et proiectus eſt in terram ſerpens ille antiquus , qui eſt diabolus , & Satanas & omnes Angeli eius cum eo in terram miſſi ſunt. Magnum prælium , in quo Michaël princeps archangelorum pugnat cum diabolo principe dæmoniorum. Hoc prælium quotidie fit in Eccleſia: quoniam Eccleſia cœlũ vocatur. Lege in Euangelio , & vbicumque Dominus dicit : ſimile eſt regnum cœlorum, & illud ſpecialiter, & propriè de ſancta Eccleſia intelligitur. Similiter autem & in Apocalypſi frequenter Eccleſia cœlum vocatur. De Eccleſia igitur hoc intelligitur , quamvis ſi etiam de illo alio cœlo hoc intelligatur , non omnino inconueniens eſſe videtur. Manifeſtum eſt enim , quod inde quoque propter ſuperbiam ſuam draco proiectus eſt. De quo, & Propheta ait : Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo : In cœlum aſcendam , ſuper aſtra cœli ponam ſolium meum : ſedebo

A in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, & ero ſimilis altiſſimo: De quo Dominus in Euangelio Ioannis ait: Quoniam ab initio, mendax fuit, & in veritate non ſtetit: De quo etiam Dominus in alio Euangelio: Videbam inquit Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Conſtat igitur quod inde cecidit, ſiue Angelorum virtute, & potentia, ſiue ſola Dei voluntate eum ad inferiora præcipitante. Multa enim Angelorum miniſterio operatus eſt Deus: quæ ſi voluiſſet, ſolo nutu facere potuiſſet. Quid enim eſt quod ipſe non poſſit? Omnia in voluntate eius poſita ſunt, & nihil eſt quod eius voluntati poſſit reſiſtere. Quomodo enim ibi maligni Spiritus præliari, vel reſiſtere ſanctis Angelis potuiſſent, niſi forte præliandi deſiderio, & praua voluntate, non facile patet. At vero in Eccleſia manifeſtum eſt talia quotidie prælia fieri. Eſt autem inter bonos & malos angelos iſte mundus diuiſus, & aliquãdo boni Angeli ſuper malos, aliquando mali ſuper bonos prædam, & rapinas non modicas faciunt. B Vnde infinitæ lites, & implacabiles, & magna quotidie prælia ſunt inter eos. Vnde, & quidam Angelus ad Danielem loquitur dicens. Noli timere Daniel, quia exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos: Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti vno diebus. Et ecce michael vnus de principibus primus venit in adiutorium meum: Princeps autem iſte regni Perſarum vnus aliquis de malignis ſpiritibus intelligitur, qui Perſarum regno & populo præſidebat, & ad ſuæ voluntatis, & iniquitatis opera concitabat, & Dei populo qui captiuus ibi detinebatur, magnum impedimentum faciebat. Sed Michaelis auxilio, & Danielis orationibus quas exauditas dicit, princeps iſte iniquitatis ſuperatus eſſe oſtenditur. Ecce quomodo inter ſe boni & mali Angeli præliantur. Ecce quomodo regna, & prouincias quibus præpoſiti ſunt defendere, & expugnare contendunt. Sunt enim quidam gradus inter bonos Angelos, & inter malos, quibus nimirum proferuntur, vnde, & beatus Dyonitius Areopagita in libro de Hierat-C chia tres Angelorum diſpoſitiones eſſe dicit. Et in prima quidem diſpoſitione Cherubim, & Seraphim, & thronos. In ſecunda autem poteſtates, virtutes, & dominationes. In tertia vero (quæ vltima eſt) Angelos, Archangelos, & principatus: Et ſicut ipſe ait, quædam ſecreta diuini conſilij aliquando reuelantur illis qui in prima diſpoſitione ſunt, quæ tamen inferiores diſpoſitiones ignorant. Quæ vero inferioribus reuelantur, ſuperiores ignorare non poſſunt. Qua in re non parua inter eos differentia eſſe monſtratur. Et Spiritus quidem omnes vocantur. Angelorum vero nomen officij eſt non naturæ: Vnde ſcriptum eſt: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Qui enim ibi ſpiritus ſolummodo ſunt quando mittuntur Angeli fiunt. Iſti igitur vero nomine Angeli vocantur, qui ad huius mundi regimina & cuſtodiam nobis à Deo miſſi ſunt: Inter quos, beatus Michael obtinet principatum: qui non ſolum Angelus, vel Archangelus verum etiam Angelorum, & Archangelorum princeps vocatur. Multos enim D Angelos, & Archangelos habet ipſe ſub ſe; & per regna, & prouincias, & per ciuitates ordinatos. Sicut enim in mundi huius poteſtatibus videmus: ita iſti alij ſuper multos, alij ſuper paucos, alij ſuper nullos obtinent principatum. Et iſti quidem ab his qui maiores ſunt ad ſingularem cuſtodiam dati ſunt, ſicut Dominus in Euangelio ait. Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis. Dico enim vobis; quia Angeli eorum, ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Et Apoſtolus: Omnes, inquit, ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Sunt igitur principatus, qui Archangelis præſunt, Archangeli vero ſunt, qui ſolis Angelis dominantur. Vide ergo quantas gratias beato Michaeli Archangelo debeamus à quo Angelos accepimus nobis miniſtros ad cuſtodiam ordinatos. De quo, & Daniel idem qui modo ſuperius Angelus ait. Nunc annuncio tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis, & nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael Archangelus princeps veſter. Iſte igitur cum Angelis ſuis non ceſſat die noctuque præliari E contra draconem illum, qui eſt diabolus, & Satanas: qui quoniam in cœlo, id eſt in ſanctis hominibus habitare non poteſt in terram proiectus eſt, per quam peccatores ſignificantur, vt eam comedat, eam deuoret, & diſperdat omnibus diebus vitæ ſuæ. Sic enim illi à Domino dictum eſt. Maledictus eris inter omnia animantia & beſtias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. De quo & pſalmiſta ait: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. De quo & ipſe Dominus ad beatum Iob loquitur dicens: Ecce Beemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet. Et nunquid poteris extrahere leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparari poſſit, qui factus eſt vt neminem timeat. Omne ſublime videt: & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Abſorbebit fluuios, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius: Conſidera modo qualis eſt iſta, quam fortis & F quam potens cum quo beatus Michael Archangelus præliatur: Sed quia Michael, qui ſicut Deus, interpretatur ipſe ſuo nomine nos ad prælium confortat, & ne illum timere debeamus hortatur, qui quoniam Deo ſimilis eſſe voluit, præcipitatus eſt: Adhuc tamen non quieſcet, qui ſua ſuperbia talis factus eſt, vt timere neſciat, & niſi poteſtates, quæ ſuper cœlos ſunt, & quæ de cœleſtibus veniunt, eius ſuperbiæ & fortitudini reſiſterent, nulla ſuper terram poteſtas eſt quæ ei reſiſtere potuiſſet. Nemo enim in ſuis viribus glorietur: quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quis draconis huius ſæuitiam & fortitudinem euadere potuiſſet, niſi ſuorum nos Dominus Angelorum cuſtodia muniuiſſet? Abſorbebit enim fluuios & non mirabitur: pro nihilo ducit quod omnes mundi huius populos & nationes deuorat & perdit, niſi & Iordanis ipſe influat in os eius. Sunt enim eſcæ electæ. Non vulgus, & populum indiſciplinatum, ſed optimos quoſ-G que perſequitur: ipſos quoque Epiſcopos, & Sacerdotes multoties inuadit. Nullum alium fluuium ſic abſorbere deſiderat, ſicuti illum in quo Dominus baptizatus eſt per quem videlicet baptizatorum populus figuratur. Aquæ multæ, populi multi: Multi fluuij, multæ gentes ſunt. Vnus vero fluuius Iordanis, vnus eſt ſolus populus Chriſtianus: Hunc perſequitur draco iſte, & propter hunc cum Angelis, præliatur, qui aliquando ſicut ſcriptum eſt, tracturus eſt caudam, & ſeparabit tertiam partem ſtellarum cœli: Cauda draconis Antichriſtus erit, ipſe vltimus & maximus filiis perditionis dabit ſigna, & prodigia multa, ita vt in errorem inducantur etiam (ſi fieri poſſet) electi. Quem ſicut Apoſtolus ait: Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & auferet illuſtratione aduentus ſui: Et tunc quidem ſicut in Daniele ſcriptum eſt, conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit, ex eo quo homines eſſe cœperunt vſque ad tempus illud. In H tempore illo (vt dicitur Danieli) ſaluabitur omnis populus tuus qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ, & multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt viuant ſemper: qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Ecce totum prælium factum eſt, & draco iſte magnus ſuperatus eſt, & ſimul cum omni exercitu ſuo in tenebras præcipitatus eſt, reſtat vt bonis pateat, & malis veniat tempus quale non fuit ex quo homines eſſe cœperunt. Væh mundo ab ſcandalis, neceſſe eſt: ſed bonis neceſſe multumque vtile eſt, vt veniant ſcandala. Verumtamen Væh homini illi per quem ſcandalum venit: Si ergo manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, ſi pater, vel mater, filius, vel frater, vel aliquis alius qui quaſi propria membra tibi ſunt, & quos quaſi pedes, manus, & oculos diligis, aliquo malo conſilio vel praua conuerſatione te a Deo ſeparare voluerit, hunc à te ſepara, & quaſi hoſtem fuge. Melius enim tibi eſt

eſt vt ſolus viuas, quàm cum parentibus, & propinquis pereas: Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis: Dico enim vobis, quod Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Qui, &c.

FACVLÆ,

AD SANCTI BRVNONIS ASTENSIS, Epiſcopi Signienſis, ſubobſcura quædam loca.

TAmetſi is fuit S. Bruno Aſtenſis, vt nulla vnquam de eius Sacra doctrina fuerit excitata ſuſpicio, & à fidei Magiſtris Romanis Pontificibus Gregorio VII. Vrbano II. & Paſchali item II. & aliis quorum ætate vixit, inter Optimos probatæ doctrinæ defenſores ſemper ſit numeratus; Tamen ne in hac Operum eius ad lucem prima editione, quis impingat ad paucas quaſdam propoſitiones, à nauis horum Operum ſcrutatoribus annotatas, quod minus viderentur cum recepta inter Catholicos Doctores Theologia cohærere, viſum eſt è re lectoris fore, ſi ad ea ſubobſcura loca, quæ notata comperimus, & poſſe minus peritis difficultatem facere haud vanus timor fuit, admoueretur facula colluſtrans, & offucias quæ ingeri inde poſſe videbantur, diſpellens. Fruantur hoc ſtudio noſtro qui eguerint, periti vero quibus neceſſarium non fuerit, conſultum per nos egentibus, boni conſulant.

1. In expoſitione Pſalmi 51. ad illa verba, *non eſt qui faciat bonum.* Auctor omnia Iudæorum & aliorum infidelium opera, ſtatuit eſſe peccata. Et probat, *quia quod ex fide non eſt, malum eſt. Nam ipſæ quoque orationes eorum (ſicut ſcriptum eſt) fiunt eis in peccatum. Non eſt igitur in eis qui faciat bonum.* Quæ doctrina infert quandam veluti contritionem naturæ humanæ, quaſi ita ſit deplorata & abiecta, vt nullum ſibi proportionatum fructum poſſit profundere, ſi fide Catholica deſtituatur: quæ eſt cruda nimium ſententia, & paſſim male audiens.

Reſpondeo, eam ſententiam non eſſe adeo conclamatam, quin multis Scholaſticis ac patribus placuerit. Sunt in ea è Theologis Gregorius Ariminenſis, & Capreolus, ac Catharinus: Ex Patribus vero Origenes in cap. 14. ad Rom. Vbi omnia infidelium opera, inſimulat peccati, eo quod à fide Chriſtiana non procedant: quamquam dubitat, an idem dicendum ſit de hæreticis, in quo parum conſequenter loquitur, cum non ambigat, hæreticos fide Catholica deſtitui, atque adeo in ea operari non poſſe. Damnant item peccati omnium infidelium opera, S. Auguſtinus l. 4. contra Iulia. c. 3. vigens ex inſtituto locum Apoſtoli ex c. 14. ad Rom. (quem item locum Auctor ad dicti ſui confirmationem adhibuit) & eo loco colligit, omnia infidelium opera, quatenus ex fide non prodeunt, eſſe peccata. Auguſtino de more inhæret Fulgentius l. 2. de remiſſ. peccat. c. 1. & Proſper l. contra Collator. c. 22. & 28. & in Epiſtola ad Ruffinum, & Auctor Operis de vita Contemplatiua inter Proſperi opera l. 3. c. 1. Quæcunque ergo gloſſa hos Patres criminationi hac in parte ſubducet, eadem Authori ſubducendo commodabit: quippe qui aliud non dixerit, quam quod prædicti Patres ac Doctores dixerunt. Verum eſt, eam ſententiam de malitia omnium operum ab infidelibus profuſorum, non eſſe probandam, vt ſonant, ſeu iuxta verborum extimum corticem. Nec eam reuera firmat locus Apoſtoli, adductus ex c. 14. ad Rom. vt late ibi proſequuntur, Pererius, per quinque diſputationes, Eſtius atque Cornelius, & paſſim Scholaſtici in 2. d. 41. Apoſtolus enim ibi ſumit *fidem*, pro *perſuaſione*, prout ſumitur cum quis dicitur *bona fide poſſidere*, id eſt abſque remorſu conſcientiæ, contra quam facere, peccatum eſt, cum Deus ſignauerit ſuper nos hoc lumen vultus ſui, velitque nos eius ductum ſequi operando. Si ergo quis eam regulam abiiciat, & aduerſus illud dictamen faciat, peccat. Expoſitio ergo loci Apoſtoli de fide diuina, non eſt admittenda, quamvis de ea, accceperint, Caietanus, & alij, quos adducit, ac reiicit Suarez l. 1. de grat. c. 6. n. 16. & 17. Legitimæ autem expoſitioni quam aſſignauimus, aſtipulatur c. *omnes §. illud vero.* 28. q. 1. & Concilium Lateran. ſub Innocentio III. c. 41. Quamvis igitur doctrinam de malitia omnium operum, quæ infideles eliciunt, Apoſtolo in loco allegato conſonare diffiteat, & improbandam exiſtimem, tamen Auctori non plus ob eam culpandus eſt, quam tot Patres & Doctores, quorum dictis variæ excogitatæ ſunt interpretationes ab adductis auctoribus traditæ, æquè Auctori commodaturæ.

2. In pſalmum 90. ad illud, *Angelis ſuis mandauit de te*, agnoſcit Auctor Angelicam cuſtodiam, non reſpectu dumtaxat aliorum viatorum, ſed etiam reſpectu Chriſti, ita vt videatur iis præiuiſſe Theologis quos Maldonatus in c. 18. Matth. ad v. 10. ait Chriſto adſcripſiſſe Cuſtodem Angelum, permotos eo Lucæ loco, quo refertur, Chriſto ſub paſſionem apparuiſſe Angelum confortatorem. Quæ tamen opinatio (vt Maldonatus ibi ſubdit,) paradoxa eſt, & Chriſto vero Deo minime digna.

Reſpondeo, non eſſe Chriſtum referendum in numerum eorum qui Cuſtodem Angelum acceperunt, quales ſunt omnes puri homines, ne Beata quidem Virgine excluſa, quicquid in contrarium de ea innuat Becanus Opuſ. 14. c. 6. & pauci alij qui ſignantur in Diptychis Marianis panc. 1. punc. 2 n. 3. pleriſque omnibus aliud ſtatuentibus, ſiue is Virginis Cuſtos Angelus fuerit Gabriel, quod ex multis Patribus firmare nititur Feuardentius in appendice ad Caſtrum V. Angelus. Hær. 3. ſiue alius quiſpiam. Tametſi enim Angelus cuius curæ concredita erat B. Virgo, non poterat circa eam omnia illa officia exhibere, quæ exhibēt circa nos Cuſtodes Angeli, tamen pleraque præſtare poterat, & vero præſtabat. At circa Chriſtum, quippe Deum & hominem, nulla officia ab Angelo exhiberi potuerunt. Nam illa Angelica confortatio, cuius Lucas meminit c. 22. quicquid denique fuerit (de quo late Vaſquez, 3. p. d. 56.) non fuit indigentis Chriſti ſubſidium, vt plene ſuo loco eſt declaratum. Veriſſimum igitur eſt Chriſtum non habuiſſe Angelum, cuius tutelæ ac cuſtodiæ eſſet concreditus, qualem nos habere certa fides eſt, vt bene paucis confirmat loco allegato Maldonatus. Habuit tamen Chriſtus Angelos qui eum, veluti famuli ac ſatellites Principē, ſtiparent, & miniſteria humiles exhiberent, vt diſerte habetur Matth. 4. Idque vnum voluit Auctor, viſus cuſtodiam Angelorum Chriſto quoad humanitatem aſſignare, ne ad lapides (quos Iudæorū duritiam interpretatur) offenderet.

3. Sermone in Vigilia Natiuitatis Domini, ad illud, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, videtur Auctor diffiteri verum coniugium inter Mariam & Ioſephum. Ait enim. *Ipſa eſt Domina tua quam putas eſſe ſponſam tuam. Accipe igitur eam iam nunc quaſi Dominam, non quaſi coniugem, Accipe eam non tibi traditam, ſed commendatam. Sis ei obediens vt ſeruus, non imperans vt maritus.* Hæc non videntur cohærere cum vero coniugio inter B. Virginem ac Ioſephum, quale tamen agnoſcēdum eſt de Patrum ac Theologorum ſententia, & non poſſe ſalua fide negari, Theologi in 4. diſt. 30. pronunciarunt.

Reſpondeo verè B. Mariam fuiſſe Ioſephi coniugem, neque id negare Auctorem verbis allegatis, quibus etiam non eſt ſentiendum inficiari voluiſſe ſubiectionem, naturali iure viro tanquam capiti debitam ab vxore, vt habetur Geneſ. 3. & 1. Petri 3. ac Epheſ. 5. Tantum ergo ſignificare voluit Auctor, tantam fuiſſe B. Mariæ dignitatem, & ſanctitatem ex Chriſti maternitate, vt ei Ioſephus omnem venerationem & reuerentiam deberet. Conſideranda enim fuit Ioſepho in Maria duplex conditio, ac veluti perſona, nimirum coniugis & matris Dei, ſupra quancunque purè creatam perſonam Sanctiſſimam. Ratione prioris conditionis ſuberat Virgo Ioſepho in omnibus, excluſa dumtaxat poteſtate expedita in corpus ad vſum coniugij. Eaque ratione Ioſepho ius erat imperare coniugi non obſequi, nec tenebatur eam agnoſcere vt Dominam ſeruus. At ſpectata dignitate maternitatis Chriſti, & tam exaggerata ſanctitate, qua Virgo collucebat, longiſſime ſupra ipſum Ioſephum; debebat ei Ioſephus omnem venerationem. Similis eſſet, de

A Rege ad ſubditum ſanctitate eximia præcellentem comparatio, & de Supremo Eccleſiæ Rectore, collato cum ſimplici Clerico, aut ſeruo Dei, quem conſtaret ſumma eſſe apud Deum gratia, & in eximiæ illius gratiæ argumentum magnis nobilitari miraculis. Quod videre licuit in Innocentio II. & S. Bernardo: de quibus (ait Abbas Boneuallis) iam diuulgatum erat, S. Abbatem ſtatutum in Eccleſia à Deo, vt quemadmodum ille Summo Pontificatu Aaronem, ita ipſe doctrinæ & miraculorum prærogatiua, Moſem repræſentaret. Itaque locus Auctoris propoſitus nitet vſquequaque.

lib. 1. Vitæ S. Ber. cap. 4.

4. Sermone in feriam tertiam Domin. 1. Quadrag. ad illud *Cathedras vendentium columbas euertit*, videtur Auctor inficiari poteſtatem Ordinis in Simoniacis. Obſeruat enim pulſos eſſe omnes de templo *qui vel Eccleſias, vel Sancti Spiritus gratias pretio largiũtur. Horũ Dominus cathedras euertit vt per hac eos non eſſe Epiſcopos intelligamus.* Quod ſi nõ ſunt Epiſcopi, ergo obliteratur in eis per Simoniã character Epiſcopalis prętacẽs Simonię, vel certè B non eſt impreſſus, ſi ipſa ordinatio labe Simoniæ ſorduit.

Mens Auctoris circa hoc punctum, perſpicietur infra melius diſcutiendo diſſertationem eius, cui titulus: *Cur corruptus tunc temporis Eccleſiæ ſtatus.* Quare illuc vſque differatur huius quæſiti diſcuſſio.

5. Sermone in feriã quartã Dominicę tertię Quadrag. ad illud, *Quod intrat in os, &c.* cõclamat Auctor in Philoſophos, aſſerẽtes *mẽtẽ & rationẽ, memoriã & intellectũ in cerebro eſſe.* Ipſe è cõtratio cõtendere videtur, omnia illa in corde eſſe, eo quod Chriſtus dicat, *de corde exeunt cogitationes mala.* At ſine dubio, (verba ſunt Aug.) *qui fecit hominẽ, ipſe ſcit quid in vnaquaque parte hominis poſuerit.* Et quamvis læſo capite, rationis vſus ac memoria lædantur, ideoq; ad arcẽdũ deliriũ, capiti nõ pectori adhibeatur curatio, tamẽ inde effici putat Auctor, aliquod impedimẽ ũ ad ritè obeũdas functiones illas, à capite peti, & curatione capiti admota, remoueri, quamvis vere functiones illæ in corde exerceãtur, ibiq; ſedẽ habeant cũ de corde exeant, Chriſto ipſo dicẽte. Sic Auctor diffuſe hoc loco, ſed minùs C commode, cum certum ſit, intellectum & memoriam, rationem ac mentem, nec eſſe in cerebro, nec in corde, agendo de intellectu & memoria, mente & ratione ſpirituali. Phantaſiam autem & memoriam ſenſitiuam, verum eſt ineſſe cerebro, non cordi, quod eſt pars corporis inſidens pectori, qua in re Philoſophi non male ſunt locuti. Vt quid ergo Auctor eos reprehendit? Aut quomodo ipſe reprehenſioni ſubducetur collocans in corde, quod cordi non ineſt, quomodocumque ſpectetur.

Reſpondeo probandum eſſe Auctoris ſtudium in tenaci adhæſione ad verba Chriſti: qui cogitationes malas & affectus quoſcunque prauos, (atque adeo etiam oppoſitos, ſiue bonos) à corde deriuari, & in corde ſedem habere, affirmauit, ſumendo cor, non pro ea corporis parte, quæ eſt officina ſpirituum vitalium, & hominis velut caminus, ſed pro anima iuxta phraſim ſcripturæ quæ animam *abſconditum cordis hominem* appellat: & cogitari mala in corde aſſerit; id eſt intus, in anima. Paſſim enim in ſacris litteris *ponere in corde*, vel *cor ad aliquid ponere* idẽ, eſt, quod *animo aliquid verſare*, vt multis locis ſignatis il-D luſtrat Maldonatus ad caput 1. Lucæ n. 66. In quo etiam ſenſu cenſendum vocem cordis à Patribus vſurpatam fuiſſe, vt exẽpli cauſa, à S. Bernado Sermone III. de S. Andrea, iſtis verbis. *Solum cor hominis capax eſt rationis, & ſuſceptibile myſteriorum Dei: quod purgatum atque politum: ipſam diuinitatis ſubſtantiam conſiderat, etſi non comprehendit, tamen cor eſt in pectore, anima, in corpore, mens in anima, fides in mente, Chriſtus in fide.* Si qui ergo Philoſophi rationem ac mentem, ſiue intellectum & memoriam intellectualẽ cerebro immiſerunt, iure ab Auctore ſunt reprehenſi, quia ea omnia inexiſtunt animæ rationali, quã prout exercentẽ actꝰ liberos morales, Chriſtus cor denominauit, & idcirco Auctor Chriſti vocibus inhærens, aſſeruit cogitationes & affectus à corde progigni, & in corde ſedem habere: idque hoc modo intellectum nulli patet reprehenſioni. Si tamẽ Auctor, cogitationes ſpirituales, & affectꝰ ex eis progerminãtes, deriuari à corde, quod eſt vna ex principibꝰ corporis partibꝰ, & ei inexiſtere tãquã ſubiecto inhæſionis diceret, recederet à probata Philoſophia, quã excutere nihil intereſt Chriſtiani Tractatoris, qualẽ Auctor agit hoc loco. F

6. Sermone de Decollatione S. Ioannis ad illud, *propter iuſiurandum noluit eam contriſtare.* Auctor admittit aliquod peccatum poſſe eſſe licitum. Sic enim loquitur de Herode in virum Sanctum graſſante, ne vox ſemel emiſſa abiret irrita, & mendacio ſe contaminaret. *Malum quidẽ eſt mendacium, ſed peius eſt homicidium. Multo melius fecit Dauid, qui cum ſe Nabal occidere iuraſſet, victus tamẽ precibus Abigail, non eum occidit. Vbi igitur ſine maiori peccato minus peccatum aliquis euadere nõ poteſt, faciat illud quod minus eſt, ne maius peccatum incurrat. Si enim dixeris quod aliquem hominem innocentem hodie interficies ſi eum occideris, verum dicis, ſi non occideris mentiris. Sed melius eſt non occidere & mentiri: quam occidere & verum dicere.* Duo dicit hic Auctor, digna (vt videtur) ſuffixione. Nempe, & quod Dauidem, cum rectè mutata mẽte abſtinuit à prius deſtinata cæde Nabalis, mendacium F admiſiſſe aſſerit, & quod ſuadet admitti minus peccatum, vt maius declinetur, cum tamen eo ipſo quod aliquid eſt peccatum, nulla ratione ſit admittendum.

Reſpondeo, diſſonantiã illã dicti anterioris à facto, rectè mutata mente diuerſo, non eſſe mendaciũ morali turpitudine inquinatum immo eſſe laudabile reſultum à propoſito male concepto. Poteſt tamen latè & impropriè ſumpta voce, dici *mendacium*, quia aliud fit, quam dictũ fuerat. Cæterum ſi quis locutus eſt, tempore quo locutionem emiſit, vere habebat animum patrandi poſtea, quod ſe patraturum affirmabat, locutio eius vera fuit, quantumcumque poſtea mens, iuſta de cauſa mutetur, & recedatur à voluntate anteriore. Nec Auctor re ipſa id inficiatur, contentus externa ſpecie apparere mendacium, cum aliud fit, quam quod dictum fuerat. Nec alterius mendacij quam iſtius planè illimis & innoxij, inſimulat Dauidẽ, in priore pronunciatio, quod ſuffixione dignum videbatur, quia mendaciũ ſumebatur in notione propria, & paſſim recepta. Alterum Auctoris pronunciatum, quo ſuadebat in neceſſitate admittendi alterutrius peccati, admitti quod G minus eſt dimiſſo maiore, imerito reprehẽditur. Honeſte enim & citra reprehẽſionẽ omnẽ, ſuadet ei qui perplexus fuerit, & cenſuerit ineuitabilẽ ſibi eſſe alterutrius peccati, incurſũ, vt admittat minus peccatũ, quia quamuis is qui eſt ita perplexus malè ſit facturus, minorẽ culpã admittendo, nec ei licitũ ſit ad declinationem peccati terrioris, admittere peccatum leuius, tamen ex ſuppoſitione quod obfirmate velit alterutrũ admittere ob perplexitatẽ qua implicatur, qui Auctor illi ſit, vt admittat potiꝰ leue peccatum dimiſſo grauiore, honeſte ſuadet, ex cõmuniori, & magis recepta tum Theologorum, tum Canoniſtarũ ſententia. Itaque Auctor purus eſt hac in parte. quia non agit de operante malum minus, ſed de ſuadente illud, operanti ad alterutrum peccatum admittendum obfirmato.

7. Sermone V. in Natali Apoſtolorũ, ad illud *gratis accepiſtis, gratis date*, ſic loquitur Auctor *Si gratis non accepiſti, à Domino nõ accepiſti. Dominus enim nulli dat, niſi gratis.* Fuit qui in hac propoſitione, ſubolfaceret putorem Caluiniani dogmatis, inficiantis meritũ hominis, quo ſup- H poſito, præmiũ nõ datur gratis, ſed eſt corona, & merces debita operibus ex gratia profuſis. Verũ hæc Auctoris ſẽtentia tam procul abeſt à Caluiniano illo dogmate, quã cœlum à terra. Neque enim hoc loco agit Auctor de merito bonorũ operũ & præmio illis retributo (quanquã de hoc quoque non malè dici poſſet, quod ſpectata totius meriti radice, detur gratis, iuxta illud *gratia Dei vita æterna.* Agit igitur, hoc loco Auctor, de gratia collata Simoniaco, quæ vere collata eſt à Deo gratis, & idcirco gratis eſt erroganda. Locus ipſe purum ſe præſtat, ſi vel perfunctoriè legatur. *Gratis* (inquit,) *accepiſtis, gratis date. Hoc audiant Simoniaci, hoc audiant illi qui Sancti Spiritus gratias emere & vendere non timent. Sed dicit Simoniacus, ego gratis non accepi, gratis dare non poſſum. Si gratis non accepiſti, à Domino non accepiſti. Dominus enim non dat, niſi gratis. Noli igitur dare, neque gratis, neque non gratis. Non enim tibi iſta dicuntur.* Liquet de ſana Auctoris

A mēte,& ſeiūctiſſima ab errore Caluini circa merita. Quatenus autē morboſū nō ſit quod ait: Simoniacū nō accipere à Dño chariſma quod emit, intelligetur ex dicendis.

8 Sermone in Natali plurimorum Martyrum, videtur Auctor non admittere partes hominis in reſurrectione eſſe illi reddendas, numero eaſdem: quod tamen pugnat cum vera reſurrectione, qua idipſum ſurget quod cecidit. Putat ergo Auctor, ſi cui fuerint iuſto prolixiores capilli, fore vt capilli huiuſmodi non reſurgant niſi in decētē lōgitudine, (vtique quoad beatos reſurgētes, nam de reprobis alia poſſet eſſe ratio, quia eorum corpora reſumere ſuas deformitates, & indecentias nihil vetabit) Quod autem capillis Beati rediuiui deerit, cedet in materiam partialem alicuius partis eiuſdem corporis qua ratione putat Auctor, nihil decedere veritati reſurrectionis, ob eam capillorum coniunctionem cum altera materia eiuſdem corporis, compingente aliud membrum. *Nam (inquit) neceſſe quidē eſt, vt totus homo reſurgat, ſed nō eſt neceſſe, vt tota hominis ſubſtantia in ea parte reſurgat, vbi prius in cor-* B *pore fuerat. Sicut enim in vaſis aureis & argenteis quæ iterum conflantur, materia quidem tota ſeruatur, partium tamen poſitio non eadem ſeruatur: vt quod videlicet in fundo, vel in ſummitate prioris vaſis fuerat, hoc in eiſdem ſubſequentis partibus ſiat: ita & in homine ſubſtantia quidem tota reſurget, tota tamen in eiſdem partibus neceſſario non reſurget. Ac per hoc nihil ſuperfluum, nihil minus nihil indecens & inconueniens reſurget in homine: quod enim in aliis partibus ſuperabundat, aliis partibus ſupplementum dabit.* Non videtur hæc doctrina retinere perfectam idētitatem corporis reſurgentis. Nec ſimilitudo vaſis conflati quadrat huic negotio. Nam vas cum conflatur, non reſurgit. Itaque doctrina Auctoris videtur non ſatis cohærere cū veritate reſurrectionis corporum, quæ poſtulat, vt omnino idē corpus quod cecidit, rediuiuū ſiſtatur, vt ferunt omnino multæ ſcripturæ, expenſæ à Patribus & nominatim à S. Aug. 22. Ciuit. à c. 22. & in Enchir. à c. 84. nec non à S. Hieron. Epiſt. 61. Tertull. & Athenagora in libris de reſurrect. conſentientibus Scholaſticis in 4. d. 44.

C Reſpondeo, Auctorem non egiſſe niſi de capillis qui non ſunt partes ſimpliciter dictæ, nec animatæ, atq; adeo quāuis non reſumerētur cū eadē prolixitate quam hic habuerāt, parū officeretur perfectæ idētitati corporis rediuiui. Doctrina tamen Auctoris æquè accōmodari poteſt partibus corporis animatis, & ſimpliciter dictis, quas tamen abſque permutatione illa materiæ, quæ in vaſis cōflatione cernitur, eſſe in reſurrectione inſtaurandas habet cōmuniſſima ſentētia tradita à D. Th. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. q. 3. & paſſim ab aliis, quia quāuis rigor veræ reſurrectionis videretur retinēdus, dūmodo totus homo ex eadē materia redintegraretur, tametſi caput haberet materiā pedis, aut è cōtrario, tamē ſcripturis, & diuinę iuſtitię, ac omnimodæ reſurrectionis perfectioni congruētius eſt, reſtituēdas eſſe priſtinis ſedibus quaſlibet materiæ reſūptæ portiones. Sic enim eadē pars materiæ, quæ vitio vel virtuti cooperata eſt, intelligitur remunerationē ſuam habitura in eodē genere pœnæ vel præmii: vt oculi impiorum, plane iidē, & non aliquatenus alij, D *videbunt in quem confixerunt.* Et è contrario, Iob affirmabat eoſdē met oculos quos habebat viator Deū in carne ſua cōſpecturos. Similia de aliis partibus cogitari poſſunt. Quamuis autē hæc veriora & probabiliora videantur, tamen Vuendel. in ſupplemento Gabr. d. 43. q. 1. art. 2. concl. 6. ait communē Doctorū ſententiā ferre, quod hic tradit Auctor: & ſuffragatur Hæruæus Epheſ. 4. ac creditus Anſel. (reuera Guilel. Conuentrienſis) in Elucidario: & quod plus eſt, S. Aug. 22. Ciuit. c. 19. & in Enchir. c. 89. Et hanc doctrinā videri ſibi veriorē, ſi agatur de neceſſariis ad verā reſurrectionē, cōcedit. Suar. t. 2. 3. p. d. 44. ſect. 1. non modo quoad partes homogeneas, de quibus S. Th. cōcedit quod hic ab Auctore affirmatur, ſed etiā quoad heterogeneas & diſſimilares, de quibus S. Doctor aliud opinatur, ratus in eis veritatē reſurrectionis depoſcere, vt partes materię nō habeāt in corporis reſurrectione ſitum diuerſū. Ex his liquet, doctrinā Auctoris, etiāſi extendatur ad partes corporis ſimpliciter dictas, probè cohærere cū dogmate Catholico de veritate reſurrectionis, nec poſſe inſimulari erroris, vel E improbabilitatis. Reſtricta vero ad capillos prolixiores, (vt ab Auctore eſt factū) planè vacat difficultate: quia parum refert ad reſurrectionis veritatem, quod totum capillitium priſtinum, ſi indecore reueniret, non reſtituatur. Quandoquidem iuxta D. Aug. 22. Ciuit. c. 22. non pugnat cum identitate ſubſtantiali, quod in partibus animatis & ſimpliciter dictis, defectus aliquis ſuppleatur, facta aliunde additione nonnulla materiæ: vt dicitur de corporibus puſillis, quæ tamen ob eam ſuppletionem reſurgent *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

9 Sermone 6. de Cōfeſſoribus, notatur Auctor, eo quod dixerit, *qui ſenſū & intelligētiā nō habet, pecore inferior eſt: ſiquidē pecora habēt ſenſū & intellectū.* At hoc videtur ſordere beſtiali illo errore, quo brutij quidā brutis quoq; tribuerūt intellectū, atq; adeo rationis vſū atq; diſcurſū. Ita Carpocrates (referētibus Philaſtrio atq; Sādero l. 7. Monarc. hæreſi 13.) Celſus apud Origenē l. 4. Porphirius 3. de abſtin. & rerū noſtrarū, ſolidæq; Philoſophiæ minus ſæpe cōſcius. F Lact. 3. Inſt. c. 7. vt taceā Vallā, & obſcura quædā ac ignobilia nomina nō adeo à nobis abiūcta apud Delriū l. 2. Magię q. 20. ſaué è vetuſq; Plutarcho, iuſto Opuſculo de rationis vſu in brutis, quāquā diſputat potius quā affirmat: Eſtq; reuera opinari pecunia, æquās bruta homini, qui rationis vſu cōſtituitur, indeq; ſolus multiplicē geniū & libertatē ſortitur, vt optime diſſerūt Hemetius l. de hom. c. 1. *ſub finē* Iuſtinus Apol. 2. Bardeſanes apud Euſeb. l. præpar. c. 8. Hugo Etherianus l. de regreſ. anim. c. 2. & Cydonius Orat. de cōtēnēda morte. Vt prætereā Recētiores, qui in hoc campo excurrerunt nauiter; nominatim Viuē ſuo 2. de anima c. de oratione, Cryſpum diſtibut. 1. lib. 4. ac Lælium tom. 1. Sublec. lib. 2. toto cap. 4. Quid ergo in mentem venit Auctori, vt pecora quoque intellectu donata vellet, aut (vt verbo Auguſtini vtar,) intellectuaret bruta?

Reſpōdeo, hæc nimia diligētia eſt, & ſcrutatio Auctoris pluſquā in lucernis. Sane qui hæc poſſe criminationi patere cēſuerūt, peccarūt in Canonē à pleriſq; Sapiētiſſimis Patribus fixū, de nō arripiēdo ex libris Sāctorū vnico aliquo verbulo, & extra texturā diſputationis ab eis institutæ trahēdo: quod qui faciūt monoculos ſe exhibere ſcitè G dixit Anaſtaſius Sinaita in Duce Viæ c. 13. ex SS. Hilario, Eulogio, aliiſq; Patribus. Eādē corruptelā reiectā legere licet in Tractatione de bicipiti Eccleſia puncto 9. n. 10. & ſeq. Hæc ergo reprehēſio à SS. illis Patribus intorta in malignitatē eorū cū quibus agebāt, æquè cadit in oſcitātiam illorū, qui Auctorē in re præsēti vellicarūt. Poterat enim ex iis quæ Auctor cōtinenter ſubdit, de ſana eius mēte liquere. Cū ergo dixiſſet, hominē ſenſu & intelligētia deſtitutū, eſſe inferiorē pecoribus, *quæ habēt ſenſū, & intellectū*, ſubdit. *Quod eſt ſenſus in corpore, hoc intellectus in anima eſt.* Aſſerit ergo Auctor, pecudes præter ſenſū externū ſenſifero externo implātatū, habere in anima ſenſū internū, qui in bruto idē proportione eſt, quod in homine intellectus, quāvis lōge aliud ſit quā intellectus, qui eſt facultas inorganica animæ rationalis, cū ſenſus internus, & in homine & in bruto, ſit facultas organica, inhærēs cerebro non animæ, quæ tamen eū habere dicitur, quia profundit illū, nec patet exterius, ſicut patēt externi ſenſus. Ob quā H cauſam, ſenſum internum in homine, ſiue phantaſiam communicare nomen ſuum intellectui ſimpliciter dicto, notauit Themiſtius expendens textum 56. & 57. libri tertij de anima, & habetur ex eodem libro textu 48.

10 Tractatus cui titulus eſt: *Reſpōſio ad quæſtionem, Cur corruptus tunc tēporis Eccleſiæ ſtatus*, non nemini viſus eſt omniū Auctoris ſcriptorū, morboſiſſimus, duas ob cauſas, quātū video. Prior eſt, quod pro Simoniacis & Hæreticis reuenientibus ad ſanā mentē, iterādū eſſe Sacramētū Confirmationis affirmat, vt accipiāt Spiritū Sāctū ac remiſſionē peccatorū quibus fraudati ſunt, hæretici quidē dogmatici in baptiſmo valido, ſed euanido, & gratiæ ſterili, ob malā fidē ſuſcipientis, Simoniaci vero in ſua ordinatione. Nec Auctor, talibus ad cor redeuntibus indicit ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ, cuius poſt initiationem per baptiſmum, capaces ſunt: ſed tantum imponit illis neceſſitatem ſuſcipiendi de nouo Sacramentum Confir-

mationis. Agit Auctor eodem modo de Simoniacis reuenientibus, & de hæreticis, quia ſupponit Simoniacos eſſe hæreticos. Et quamvis non vult ſtatuere, an ſint peiores Arrianis, & Neſtorianis, ac Eutichianis, tamen hæreticos eſſe pro certo habet. Itaque ſicut hæreticos iterata confirmatione reconciliandos docet, ita idem de Simoniacis affirmare videtur. In quibus omnibus multiplex labes ſe prodit. Nempe repetitæ Confirmationis, hæreſeos Simoniacorum, primæ gratiæ iam renatis collatæ per Confirmationem. Cauſa altera morboſitatis huius tractatus præ cæteris aſſignatur, quod Sacramenta Simoniacorum neget debere eſſe rata, atque adeo cenſet nulla eſſe, in quo non iam ſuſpectum, ſed plane compertum ſe monſtrat erroris illius, cui non pauci cæteroqui Catholici, acti zelo non ſecundum ſcientiam, adhæſerunt tempore S. Gregorij Septimi, contendentes Sacramenta Schiſmaticorum, Simoniacorum, & Concubinariorum, vana, & irrita eſſe: quod S. Gregorio VII. Schiſmaticus Sigelertus impoſuit & tenuit aperte Bernardus Corbeienſis, cuius Epiſtolam de hoc argumento repræſentauit Gretſerus in Gregorij VII. Apologia.

Reſpondeo, Sacramentum Confirmationis iterari non poſſe, de fide eſt. Imprimit enim characterem æquè, ac Baptiſmus & Ordo, quæ Sacramenta eo quod characterem inurant, repeti non poſſe Auctor ipſe profitetur. Et ita de confirmatione traditur in Concilio Toletano 8. c. 7. & in Florẽtino in inſtructione Armenior. ac in Trid. ſeſſ. 7. can. 9. de Sacram. in gen. Traditum quoque eſſe ab Apoſt. Heb 6. negante, peccantibus poſt baptiſmum, & Confirmationem regreſſum ad gratiam per ea Sacramenta affirmant ibi S. Chriſoſt. ac Theodoret. In multis tamen antiquis decretis repetitionem Confirmationis approbari, atque adeo in tota veteri Eccleſia Confirmationem ab Hæreticis Epiſcopis collatam fuiſſe iteratam dixit Maldonatus in opere poſthumo de Sacram. diſp. de Confirm. q. 2. quod ſi verum eſſet, veniale profectò haberi deberet Auctori, erraſſe cum tam multis. Hoc tamen cenſeo reiiciendum, ne toti veteri Eccleſiæ fœdum illum errorem affricemus, & ea decreta quæ hæreticos reuenientes ſola manuum impoſitione reconciliandos dicunt, accipio de manuum impoſitione reconciliatiua, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ conferendo abſolutionem. Vnde quia Auctor ſententiam ſuam de iteranda manuum impoſitione fulcit ſola diffuſa allegatione illorum decretorum idem emplaſtrum quod decretis prædictis admouimus, erit qui cenſeat, ſe circa hoc poſſe iis quæ in auctore morboſa videbantur mederi. Sicut etiam Thomas Valdenſis tom. 2. c. 135. hac ipſa ratione medicinam fecit loco D. Auguſtini ex l. 5. de baptiſ. c 16. quo manus impoſitionem non eſſe ſicut baptiſmum, & repeti poſſe diſerte aſſerit, intelligens manus impoſitionem in Sacram. pœnitentiæ adhibitam. Hac ipſa porro reſponſione admiſſa, euaneſcet illud quoq; in Auctore notatũ, quod velle videretur, iam renatos accipere gratiam remiſſiuam peccatorum abſq. Sacramento pœnitentiæ, per ſolam Confirmationem. Hæc enim obiectio euaneſceret, ſi apud auctorem manus impoſitio deſignaret Sacramentum pœnitentiæ, non Confirmationis.

11 Iam quod Auctor Simoniacos notauerit hæreſeos, & Simoniã hæreſim eſſe cenſuerit; nõ fuit cur reprehenderetur, niſi vna in S. Gregorium & alios plerosq; Doctores ſimiliter locutos, intorqueatur reprehenſio. Apud S. Gregorium ita habetur explicatiſſime l. 4. epiſt. 51. & lib. 7. epiſt. 110. Similiter locutus eſt Paſchalis Papa epiſt. ad Medionalenſes, & c. *patet*. 1. q. 7. Piget plura addenſare in eam ſententiam, cum nihil frequentius occurrat apud Pontifices, & Patres Simoniam impugnantes, quam Simoniam eſſe hæreſim, & Simoniacos hæreticos, vt late, refertur in opere cui titulus *Mala bonorum Eccleſiæ* l. 2. ſect. 1. c. 3. à n. 6. Et verum quidem eſt, Simoniam per ſe ac directe non impetere fidem diuinam, quod facit hæreſis, ſed tantum aduerſari religioni moralium virtutum Principi, circa diuinũ cultum verſanti. Poteſt tamen Simoniæ inædificari hæreſis, nec raro eſt inædificata, cum ſcilicet nefariæ volũtati emẽdi ſpiritualia adiungitur pertinax iudiciũ liberũ, quod ea vẽditio, ac emptio ſit licita; quicquid Eccleſia in cõtrariũ ſtatuat, vt optime expoſuit Petrus Damiani Opuſc. 5. *Sub initium* adducto exẽplo nouorũ Nicolaitarũ qui tum demũ hæreticis ſunt annumerati, cum ſuas ſpurcitias contra Temperãtiã, & religionem voto caſtitatis quod emiſerãt aduerſantes obfirmate tuẽdas ſuſceperũt, tanquã licitas contra Eccleſiæ mandatũ; Quia igitur tẽporis SS. Leonis Noni & Greg. Sept. quib. auctor florebat, adeo inualuerat in ſacris hominib' corruptio, vt pleriquе ſacrilegas ſcortationes, nomine coniugij ſibi liciti, obducerẽt & multi quoq; beneficia Eccleſiaſtica poſſe abſq; culpa cõparari aſſeuerarẽt, quicquid denique ſtatueret Eccleſia merito auctor, & eiuſdẽ æui ſcriptores tales concubinos & Simoniacos, hæreticis annumerant, nec fuit cur hoc in Auctore ſpecialiter reprehenderetur.

12 Venio ad alteram cauſam morboſitatis libelli pro quo ſatagimus, quæ eſt de Sacramentis Simoniacorũ, & hæreticorum, quæ auctor aliquando nulla, & vana eſſe confirmat: ideoque ſtatuit, non eſſe habenda rata: ſed eſſe repetẽda, quippe quæ irrita fuerint ac nulla. Fatetur quidẽ Auctor aliqua Sacramenta ſimoniacorum, & hæreticorũ valida eſſe, nec repetenda: quæ ſcilicet bona fide ab occulto ſimoniaco, aut Hæretico eſſent ſuſcepta. Vnde retundit calumniã aliquorũ, iuxta quos, ſi Sacramenta Simoniacorum ſint nulla, Sacerdotium iam à tempore S. Leonis Noni defecerat in Eccleſia; eo quod vt ait in vita S. Leonis, hanc calumniã referens, vix inueniri poſſet vel vnus in Eccleſia qui aut Simoniacus nõ eſſet, aut à Simoniacis non eſſet ordinatus. Vnde ſi ordinatio ſimoniaca erat nulla, nullus ſupererat in Eccleſia verus Epiſcopus, qui ordinare valide poſſet: nullus ſimplex Sacerdos cuius ordinatio caſſa non fuiſſet ac nulla: Sic enim concipiebãt argumentũ. Si tempore Leonis Noni *omnes tales erant. id eſt ſi omnes vel Simoniaci erant, vel à Simoniacis ordinati, vos qui nunc eſtis, vnde huc veniſtis? Per quos, niſi per illos tranſiſtis, non fuit via aliunde. Ergo illi qui vos ordinauerunt, ab illis, & non ab aliis ſuos ordines ſuſceperunt, qui vel Simoniaci erant, vel à Simoniacis ordinati erant.* Huius argumentationis dilutione noluit S. Bruno intercidere narrationẽ geſtorum S. Leonis: ſed data fide eiuſdẽ ſeorsũ diſcutiendæ confecit eam ob rem lucubrationẽ, pro qua purganda laboramus, in qua ſub finẽ cõcludit, hos argumentatores eſſe hallucinatos, quia multi ſupererãt occulti Simoniaci & multi bona fide ab eis ordinati, quorum ordinatio non erat irrita, ſed valida. Contrarium vero ſtatuit de ea ordinatione, quæ facta eſſet à Simoniaco cõperto. Eam quippe inualidam & repetendã eſſe contendit. Et tales tunc fuiſſe aliquorum (quãvis non omniũ) ordinationes ſupponit. Hoc ab auctore ex magno zelo cõtra Simoniacos cum multis aliis tunc prolatũ nõ eſt admittẽdũ, niſi in eo ſẽſu, in quo pleraque iura dicunt ordinationes ſimoniacas eſſe irritas. Quod Doctores exponũt de nullitate ordinationis quoad vſũ & executionẽ ordinũ ſeu quantũ per Eccleſiã irritari poſſunt ratione liciti exercitij negati Simoniaco: aut ratione Iuriſdictionis ſi ad aliquã functionẽ eſt neceſſaria, & conſtet ab Eccleſia eſſe Simoniaco ereptã: vel denique ratione adeptionis beneficij, quã Eccleſia validã eſſe renuit, ſi Simoniace ſit facta. Illuſtrat hæc omnia accurate Suarez l. de Simonia c. 57. à num. 2. Quod tamen ordinatio ſimoniace facta, & collatio Sacramenti quãvis ſimoniace peracta per ſe ſpectata ſit, valida nõ eſt dubitandũ: & late confirmatur non modo à Suar. ibid. n. 3. & 4. Sed etiã iam olim à Bernardo Presbytero in epiſtola ad Bernardũ Conſtãtieñſẽ Scholarũ Magiſtrũ poſtea Monachũ Corbeiẽſẽ in Saxonia, qui in ea erat ſentẽtia, quã hic excutimus: & fuiſſe quoq; Muſici Vuidonis, ſiue Guidonis (de quo Baronius) anno 1022. teſtatur idem Bernaldus: laudato è contrario Petro Damiani, qui in libro cui titulum fecit *Gratiſſimus* non minus per ſimoniacos, quam per alios Hæreticos Sacramenta decurrere, demonſtraret aliquanto anterius.

In expoſitione Odonis Aſtenſis ad ipſum S. Brunonem iam Signienſem Epiſcopum Aſtà directa, ſuper pſalmum 101. ad illud. *Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*: fuit qui notaret ea verba de Chriſto ſolitario in

A tecto, quia *nullus cum eo in carne cælos aſcendit.* Hoc enim videtur repugnare verbis Euangeliſtæ affirmantis, multorum Sanctorum qui dormierant, corpora ſurrexiſſe vtique ſaltē cum Chriſto, aut poſt eius reſurrectionē. Et quia dona Dei ſunt ſine pœnitentia, non videtur dubitandum, quin aſcendente poſt dies quadraginta Chriſto, ipſiquoque ſuis illis corporibus ſuſcitatis amicti, cælos cum Chriſto conſcenderint. Quomodo ergo Chriſtus, iuxta Odonem, fuit ſolitarius in tecto, quia nemo carne circundatus, aſcendit cum ipſo in cœlum?

Reſpondeo, eam Pſaltis interpretationem non eſſe Odonis ſingularem, cum tradita æque ſit à Proſpero ad hunc locum, & ab Innocentio tertio, atque alijs. De ſanctis autem quos Euangeliſta teſtatur reſurrexiſſe, problema eſt, an reſurrexerint ad vitam immortalem: cuius problematis partem negantem, è qua euertitur illorum ſanctorum cum Chriſto aſcenſio tradiderunt bene multi, vt ad eum Evangeliſtæ locum referunt interpretes, & latè Suarez 3. p. q. 53. ad articulum 3. B Itaque non eſt quod criminationi pateat in ea Odonis interpretatione.

ODONIS ASTENSIS

Monachi Benedictini ad Brunonem Epiſcopum Signinum in Pſalmos Expoſitio per contemplationem exarata.

BRVNONI EPISCOPO
Odo Monachus.

C QVONIAM quidem tuæ juſſionis, dulciſque admonitionis opus inchoatum imperfectum omiſi, quod non ſuperbiæ quidem, immo noſtræ ætatis mutabilitati, otioque imputandum eſt; in hoc multo diligentius compoſito, me ſatisfacere, tibique placere arbitratus ſum: præſertim, cum & ſecundum velle tuum compendioſe ſcripſerim, & iuxta mei ingenij paupertatem quadam prouidentia ordinauerim. Sic enim verſuum fere omnium vitaui confuſionem, vt ſententiarum nuſquam interrumperem perpetuitatem. Pluribus denique in locis, & ſine obelo nocitura ſubtraxi, & abſque aſteriſco profutura appoſui. In propriorum præterea ſedem, me aliquoties ſola æquipollentia poſuiſſe non ſum oblitus; nec ſine labore quidem: ſciebam enim, quod quanto labor grauior, tanto actus gratior. Quocirca non verbis adulatoris, (quæ in me quidem, nouit Dominus, nulla ſunt) verum enim vero in tuorum obedientia mandatorum tibi me D commendare ſtudui. Vnde factum eſt vt tantum tam fugientem, tamque labentem perſequerer ceruum, qui nunc ſui curſus velocitate, meum penitus fruſtrabatur intuitum, nunc ſe ſe petenti ceruino more vltro repræſentans, tandem captus victuſque quieuit. Suſcipe igitur Dauidicam omnium venationum digniſſimam prædam; quam ego quidem legati inopiâ, tardius tibi quam debui offero. Si quis autem meas ſcapulas tanti ponderis non eſſe obijciat, Matth. 11. *Iugum Domini eſſe ſuaue, eiuſque onus leue* reſpondebo. Quod ſi conſilium, tutoremve ſubſannando quæſierit, (vix enim ſine rugoſa cuiuſlibet ſubſannatione aliqua vel parua componi poſſunt.) tali tu Præſul venerabilis quæſtioni facilis mihi ſolutio fueris. Si quis autem venenato dente Pſalterium tuum rodere præſumpſerit, paſtoralis piſſima cura reſiſtat, neque, te incolumi, vim aliquando innocens patiatur. Si quid autem abſurdum, ſuperfluum, minuſue continens in eo inuenitur, tua, cuique Odonis pudica diligentia corrigat, abradat, & apponat. E Ego autem non tantum ædificantis, verum etiam in vnum lapides vndique differentis officioſus ſum. Titulos autem ideo præpoſui, vt pſalmorum voluntas facilius breuiuſque comprehendatur.

EXPOSITIO TITVLORVM

PSalm. 3. *Domine quid multiplicati ſunt.* Cum fugeret Dauid à facie filij ſui Abſalon. Dauid, manu fortis interpretatur. Significat autem Chriſtum, cuius manus adeo ſemper fortis fuit, vt diabolum vinceret, infirmitates repelleret, ſolo tactu cæcos illuminaret; tetigit denique loculum & mortuum ſuſcitauit. Abſalon, qui patris pax dicitur, Iudam ſignificat: Hic autem arboris ramis ſuſpenſus interijt: Iudas vero, laqueo ſe ſuſpendit. Illo mortuo pacem habuit Dauid: mortuo Iuda, pacem habet Chriſtus. Hoc autem ipſe manifeſtabat, quoties poſt paſſionem ſuam, pacem diſcipulis commendabat dicens: Lucæ 24. *Pax vobis*, ac ſi diceret: Mortuus eſt qui nos contriſtabat. F Itemque Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Hoc enim ipſe non dixiſſet, niſi pacem habuiſſet.

Pſalm. 4. *Cum inuocarem.* In finem in carminibus. In finem, inquit, iſte Pſalmus referendus eſt. Ad Rom. 10. *Finis autem legis*, vt ait Apoſtolus, *Chriſtus eſt.* Ipſe enim & legem omnino compleuit, & in eo littera finem fecit. Ceſſauit enim immolatio, vero agno immolato. Ipſe eſt Alpha & Omega, Primus, & Nouiſſimus, Principium & Finis. In carminibus, ideſt in laudibus: quoniam ipſius laudes hic nunciantur.

Pſalm. 5. Verba mea. Pro ea quæ hæreditatem conſequitur. Synagogæ quidem promiſit Dominus hæreditatem; ſed quia venientem hæredem interfecit, Matth. 21. *Malos male perdidit Dominus & vineam ſuam locauit aliis agricolis.* Conſequitur igitur Eccleſia hæreditatem duce Ieſu, ſicut in hoc pſalmo dicitur: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo in domum tuam.*

G Pſalm. 6. *Domine ne in furore tuo.* Pro octaua. Hac enim finita vita, hoc ſeptenario tranſacto, ſequitur illa dies octaua, in qua ad iudicium Dominus veniet. Pro hac igitur octaua die dicit Eccleſia. *Miſerere mei Deus quoniam infirmus ſum.* Valde enim in hac die ei timendum erit, cuius ipſe non miſerebitur.

Pſalm. 7. *Domine Deus meus in te ſperaui.* In finem pſalmus Dauid, quæ cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Gemini. Finem ſemper ad Chriſtum intendit: ſed modo paſſionem illius, modo reſurrectionem deſignat: Cum pſalmus dicitur Dauid, Chriſto appropriatur. Chuſi, ſilentium interpretatur: Gemini, dextera. Sunt autem Chuſi, quicumque ori ſuo cuſtodiam ponunt, qui inutilia & ocioſa verba non fundunt, qui enim cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam. Hi autem ſunt filij Gemini, ſunt filij dextræ, Pſal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem.* Hic igitur pſalmus pro perfectis & à perfectis canitur, qui non ſolum facere, verum etiam dicere male non nouerunt, quorum conſilium H vtile, quorum fides eſt firmiſſima.

Pſalm. 8. *Domine Dominus noſter.* In finem pro torcularibus. In hoc autem verbo, & torcularia, & torculares intelligi poſſe & legi putandum eſt: vt torculares Doctores: torcularia vero Eccleſiam dicamus. In hoc autem pſalmo de Eccleſiæ Doctoribus locutio fit: qui infantes & lactentes appellantur.

Pſalm. 9. *Confitebor tibi Domine.* In finem pro filij occultis. Occulta filij Dei Antichriſti aduentum, & diem judicij intelligimus, quem à diſcipulis interrogatus, aperire noluit. Sunt igitur iſta occulta, ſi quidem nec Apoſtolis manifeſta fuerunt. Dei namque filius, qui cætera aperuit omnia, iſtum diem occultum eſſe voluit.

Pſal 11. *Saluum me fac Domine.* In finem pro octaua. Hoc autem ſuperius dictum eſt, quod dies octaua dies judicij intelligitur, in qua in circuitu impij ambulabunt

A bulabunt, quibus cœleſtis ciuitatis ianua claudetur. Eſt autem, & dies octaua, Domini reſurrectio.

Pſal 15, *Conſerua me.* In tituli inſcriptione ipſi Dauid. Tituli namque inſcriptio fuit. Lucæ 23. *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* qui Græcis, Latinis, & Hebraicis litteris ſcriptus, omnium gentium aduocationem ſignificat. Sed quia Iudæi dixerunt. *Noli ſcribere Rex Iudæorum*, vnde in hoc pſalmo dicitur, *Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus*, quod de illis intelligitur, qui prophetas occiderunt. Siue de ſanguinibus, id eſt, ex his, ex quorum ſtirpe ſecundum carnem natus eſt. De gentibus autem ſic dicitur. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.*

Pſal 16. *Exaudi Domine iuſtitiam meam.* Oratio Dauid, illius videlicet de quo ſuperius locuti ſumus, qui diabolum fortiſſima manu ſuperauit.

Pſal. 17. *Diligam te Domine.* In finem puero Domini Dauid, quæ locutus eſt Domino verba cantici
B huius, die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius, & de manu Saül, & dixit. In finem, inquit, referenda ſunt, ſcilicet puero Domini Dauid. Hic autem eſt de quo dicitur. Iſaiæ 9. *Paruulus natus eſt nobis.* Verba cantici huius, quæ ipſe Dauid locutus eſt Domino; ſed quo tempore: in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius, ideſt de poteſtate Iudæorum. Et de manu Saül: Saül, appetitus, vel terrenum regnum interpretatur; ſub cuius nomine diabolus intelligitur, cuius regnum terrenum eſt, immo terra, caro, & ſanguis, quæ regnum Dei non poſſidebunt, qui à pluribus appetitus ſequitur, qui Chriſtum Dominum vſque ad crucem dolis, & inſidijs perſecuti ſunt.

Pſal. 21. *Deus Deus meus reſpice in me.* In finem pro aſſumptione matutina, quod hebraicè pro ceruo matutino dicitur. Marc. 16. Aſſumptio matutina, reſurrectio fuit, quæ valde mane vna Sabbatorum facta eſt, qua Chriſtus immortalitatem aſſumpſit. Idem ipſe, &
C ceruus matutinus dicitur, quia quoſdam ſaltus maximos dedit de cælo in Virginem, de Virgine in præſepe, de præſepi in crucem, de cruce in ſepulchrum, de ſepulchro in infernum, inde ad Patrem remeauit. Greg. Pap. hom. 29.

Pſalmus vigeſimus tertius. *Domini eſt terra.* Prima Sabbathi. Prima namque Sabbathi, dies Dominicus accipitur, quo Chriſto Domino à mortuis reſurgente, ab Apoſtolis, & Angelis & hominibus pro triumpho & victoria canitur: Domini eſt terra: Reſurrexit Dominus, victus eſt inimicus, regnat conditor, & Saluator.

Pſal. 26. *Dominus illuminatio mea.* Pſalmus Dauid, priuſquam liniretur. Hic pſalmus in finem, in titulo non habet, quia de primo Dauid intelligitur, quem ipſe Dauid ad Dei laudem cecinit, in mente habens, qualis eſſet priuſquam liniretur. Erat enim fratrum ſuorum minimus, ouiumque paſtor. Videns ergo ſe ſe à Saüle cæteriſque perſequi inimicis, ait. *A quo trepida-*
D *bo? quem timebo? cum Dominus mihi protector ſit, & illuminatio, qui me de poſt fætantes accepit.*

Pſal. 28. *Afferte Domino.* In conſummatione tabernaculi. Iſte, inquit, pſalmus in tabernaculi conſummatione referendus eſt. Tabernaculum iſtud Sancta Eccleſia intelligitur, cuius Chriſtus eſt fundamentum, qui eam in ſeipſo beatificauit, quando arca de Philiſtinorum captiuitate reducta eſt, id eſt ipſa Eccleſia de poteſtate diaboli. Sed quia verum ſacrificium extra Eccleſiam non fit, ideo ea conſummata dicitur. Afferte Domino.

Pſal. 29. *Exaltabo te Domine.* pſalmus cantici, in dedicatione domus Dauid. Chriſtus, Eccleſia, vel caro aſſumpta. Hanc autem ipſe dedicauit, confirmauitque, quando conciſo ſacco lætitia circundatus eſt.

Pſal. 30. *In te Domine ſperaui.* In ecſtaſi. Hic autem pſalmus de paſſione loquitur, ideo in ecſtaſi titulatur, quod mentis exceſſum ſignificat. Vnde & ſequitur: *Ego dixi in exceſſu mentis meæ.*

Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Intellectus Dauid. Dauid, vt iam ſæpe diximus, Chriſtus E eſt, cuius intellectus in hoc pſalmo ſcribitur. Quicumque igitur non ex ſuis meritis, ſed ex fide & miſericordia, peccatorumque confeſſione ſe ſaluari intelligit, ſuum intellectum non humanum, ſed Diuinum eſſe cognoſcat, eiuſque qui in hoc pſalmo dicit: *Intellectum dabo tibi, & inſtruam te.*

Pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* pſalmus Dauid, cum immutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt. Abimelech, regnum Patris interpretatur: Iudæa vero & Ieruſalem illius antiquitus Regnum fuit qui omnium pater, & Dominus eſt. Ibi autem Chriſtus vultum ſuum mutauit, ſeruilem ſuſcipiens formam: ſiue quia in paſſione ſine ſpecie & decore, mortuuſque apparuit. Et dimiſit eum & abijt. Iterum inquit Dominus, *relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ioan 16.

Pſal. 35. *Dixit iniuſtus.* In finem puero Domini ipſi F Dauid. De illo, inquit, puero Domini Dauid iſta intelliguntur, qui de virginali vtero natus, & homines, & iumenta ſaluauit. Vel, in finem, ſeruo Domini ipſi Dauid, quia cum in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit.

Pſal. 37. *Domine ne in furore tuo.* Pſalmus Dauid in rememoratione diei Sabbati. Sabbatum requies interpretatur. Hunc igitur pſalmum cantant, quicumque illius requiei, illius pacis, illius felicitatis, quam in Paradiſo amiſimus recordantur, ſemperque Dei miſericordiam poſtulant, vt hac vita finita ſabbatiſmum inueniant.

Pſal. 38. *Dixi cuſtodiam vias tuas.* In finem pro Idithum canticum Dauid. Hoc canticum Dauid in finem referendum eſt, ideſt in Eccleſiam, in vltimam ætatem. Cor. 10. *Nos enim ſumus*, inquit Apoſtolus, *in quos fines ſæculorum deuenerunt.* Idithum, tranſiliens eos, interpretatur: hi autem ſunt viri perfecti, qui cæteros virtute, & ſanctitate tranſcendunt, quique in cælis theſaurizantes dicunt: *Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus, & ſubſtantia mea apud te eſt.* G

Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum.* In finem intellectus filijs Core: Core quippe, decaluatio dicitur: Chriſtus autem in monte Caluariæ crucifixus fuit: hic igitur intellectus filijs Core attribuendus eſt: ideſt filijs Chriſti, qui eos in Caluariæ loco genuit & redemit. De his ergo intelligitur: *Quoniam tranſibunt in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei, in voce exultationis, & confeſſionis.*

Pſalm. 43. *Deus auribus noſtris audiuimus.* In finem pro filiis Core ad intellectum. Non vobis, inquit, qui literam ſectamini, ſed Chriſti filiis ad intelligentiam: ſpiritualiter hic pſalmis componitur. Opera enim quæ in diebus antiquis Dominus operatus eſt, in figura illis contigiſſe, ſibi autem ad correctionem ſcripta eſſe non dubitatur.

Pſal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* In finem pro aliis filiis Core, qui commutabuntur ad intellectum. Canticum pro dilecto. Hoc autem canticum H pro eo, & de eo dilecto cantatur, de quo ſcriptum eſt Mat. 3. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Fit autem & pro Eccleſia, quæ ſuum populum ſuique patris domum oblita, ad fidem & intellectum commutata eſt.

Pſalm. 45. *Deus noſtrum refugium.* In finem filiis Core pro arcanis. Vere vtique pro arcanis, quia Chriſti natiuitatis continet myſterium. Vnde & *Dominus virtutum nobiſcum* hic dicitur, ideſt Emmanuel, qui, nobiſcum Dominus, interpretatur. Hic autem Pſalmus filiis Core ad prædicandum datur.

Pſalm. 46. *Omnes gentes plaudite manibus.* Pro filiis Core, ideſt, Apoſtolis, de quibus dicitur: *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.*

Pſalm. 47. *Magnus Dominus.* Pſalmus Cantici filiis Core, ſecunda Sabbathi. Prima Sabbathi reſurrexit Dominus: Secunda vero Sabbathi, filij Core, ideſt San-

cti apoſtoli iam confortati & de reſurrectione creduli, dixerunt : *Magnus Dominus & laudabilis nimis.*

Pſalm.48. *Audite hæc omnes gentes.* In finem filiis Core. Subauditur, credite, & obedire.

Pſalm.49. *Deus Deorum Dominus.* Pſalmus Aſaph, qui Congregatio vel Synagoga interpretatur. Hic autem Pſalmus dicit : *Congregate illi Sanctos eius.* Vides igitur quoniam Aſaph ſuum officium complet.

Pſalm.50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* In finem Pſalmus Dauid cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Berſabee. Quia in finem dixit, ſuam nos pœnitentiam docere voluit, vt quotieſcunque vel à Domino, vel à Sacerdote Vicario ſuo pro quolibet crimine redarguimur, ſimili modo pœnitentiam agamus.

Pſalm. 51. *Quid gloriaris in malitia.* In finem. Intellectus Dauid, cum venit Doeg Idumæus, & annuntiauit Saüli & dixit: Venit Dauid in domum Abimelech. Doeg motus, Idumæus terrenus vel ſanguineus, interpretatur, Saül terrenum regnum, Abimelech regnum Patris. Dominus autem iſte eſt, qui dixit Ioan.11. *Eamus in Iudæam iterum*, id eſt in domum Abimelech : Siquidem Patris ſui regnum, Iudæa erat. Doeg autem Idumæus, motus ſanguineus, operator iniquitatis, proditor magiſtri, peſſimus mercator cucurrit ad Saülem, cucurrit ad Pilatum, cucurrit ad Principes terræ, & dixit : Ecce Chriſtus adeſt, Matth.26. *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Sed quia intellectus Dauid proponitur Chriſtus, nihil ignorans ait Matth. ibidem : *Vnus ex vobis me traditurus eſt.* Hic autem erat, cui dicitur : *Quid gloriaris in malitia*

Pſalm.52. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* In finem pro Amalech, intelligentia Dauid. Amalech parturiens interpretatur : idem ipſe Dauid qui compoſuit pro Amalech hunc Pſalmum canit ; ideſt pro inuenientibus & parturientibus iniquitatem, qui de Chriſto Dei filio dixerunt : *Non eſt Deus.*

Pſalm.53. *Deus in nomine tuo ſaluum me fac.* In finem in carminibus, intellectus Dauid cum veniſſent Ziphæi & dixiſſent ad Saül : Nonne Dauid latitat apud nos. Ziphæi, qui florentes interpretantur, Iudæi ſunt, qui omnium diuitiarum copiis florebant, terram lacte & melle fluentem inhabitantes. Hi autem, cum audiſſent, Chriſtum in domum Simonis leproſi veniſſe, ſacerdotibus, terræque Principibus hoc nunciauerunt. Ipſe autem hoc intelligens ait : *Deus in nomine tuo ſaluum me fac: Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me.*

Pſalm.54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam.* In finem, in carminibus, intellectus Dauid. Conſilium inter ſe Iudæi faciebant: proditioni Iudas inſtabat : Chriſtus autem omnia intelligens ait : *Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*, meam mortem machinaris.

Pſalm.55. *Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.* In finem pro populo, qui à Sanctis longe factus eſt, in tituli inſcriptione Dauid, cum tenuerunt cum Allophyli in Geth. In tituli namque inſcriptione, Iudæorum populus à ſanctis longe factus eſt, damnans titulum, non debere dicere Regem Iudæorum illum, quem omnes ſancti ſe Regem habere gaudent. Allophyli, qui, ſine capite interpretantur, eoſdem ipſos Iudæos deſignant, qui omnium virorum caput, Chriſtum ſpernentes, ſine Rege viuunt, & ſacerdotio. Hi autem eodem in tempore tenuerunt Chriſtum in Geth, ideſt, in terra propriæ habitationis. Geth enim græce, terra latine, ſiue torcular.

Pſalm.56. *Miſerere mei Deus, miſerere mei.* In finem, ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptione, cum fugeret à facie Saül in ſpeluncam. In finem, inquit, & ad Chriſtum hæc referenda ſunt. In cuius tituli inſcriptione dixit Pilatus : Ne diſperdas, ideſt, Ioan.19. *quod ſcripſi, ſcripſi :* Tunc autem Dauid, ideſt Saluator noſter fugit à facie Iudæorum, clauſus in ſpelunca ſepulchri.

Pſalm.57. *Si vere vtique iuſtitiam loquimini.* In finem, ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptione. Non enim Pilatus diſperdere potuit, quod toties Sanctus Spiritus diſperdere contradicit.

Pſalm.58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus.* In finem, ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptione, quando miſit Saül, & cuſtodiuit eius domum, vt eum interficeret. Tacete Iudæi, nihil proficitis, non corrumpetur titulus, aliud excogitate, mittite cuſtodes, qui ſepulchrum cuſtodiant.

Pſalm.59. *Deus repuliſti nos.* In finem, pro iis qui commutabuntur, in tituli inſcriptione ipſi Dauid in doctrinam, cum ſuccendit Meſopotamiam Syriæ & Sobal, & conuertit Ioab, & percuſſit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. In finem, inquit, ideſt, ipſi Dauid iſte Pſalmus attribuatur, compoſitus pro his, qui in tituli inſcriptione, ideſt, per Chriſti paſſionem, in doctrinam Sanctam & Apoſtolicam commutabuntur. Hoc autem erit eo tempore, quo Dominus, Lucæ 12 *Qui ignem in terram mittere venit*, ſuccendet Meſopotamiam Syriæ : ideſt, elationem, inflationem, malaque conſilia ſuperborum : Meſopotamia quippe, elatio : Syria vero, ſublimitas interpretatur. Et Syriam Sobal : hoc eſt, eleuationem vanæ vetuſtatis : vt qui in ſuperbiam & vanitatem, erroneamque Philoſophorum doctrinam antiquorum eriguntur, Sancto Spiritu accenſi, non plus ſapiant, quam ſapere oportet : Sobal quippe, vana vetuſtas dicitur. Et conuertet Ioab, ideſt inimicorum exercitum : Ioab enim, inimicus interpretatur. Et percutiet Edon, ideſt, terrenos, vt Diuino amore percuſſi & compuncti, non terræ & carni : ſed animæ obediant. Sed vbi conuertetur ? In valle Salinarum, ideſt, in Sancta Eccleſia, in humilitatem ſaporiferam : Vbi Apoſtoli habitant, qui ſal terræ appellantur. Duodecim millia, finitum pro infinito. Apoc.7. *Vnde & ex omni tribu, duodecim millia ſignati* dicuntur.

Pſalm.60. *Exaudi Deus deprecationem.* In finem, in hymnis Dauid. Qui pſalmus per omnia Chriſtum perſonat.

Pſalm.61. *Nonne Deo ſubdita erit anima mea.* In fine pro Idithum. Vbi Idithum ponitur, qui tranſiliens cæteros interpretatur, ideſt, amatores Dei perfecti intelliguntur. Eſt igitur pſalmus iſte perfectorum, qui ſe Deo ſubiectos, ab eo amplius non moueri, non parietes inclinatos eſſe dicunt.

Pſalm.62. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Pſalmus Dauid, cum eſſet in deſerto Idumææ. Idumæa, ſanguinea vel terrena interpretatur. Ex eo igitur tempore, quo in deſerto Idumææ Chriſtus fuit, ideſt in mundo iſto, vigilat Eccleſia: prius enim dormiebat, quia in nocte erat : ſed veniente luce dixit : *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*

Pſalm.64. *Te decet hymnus Deus in Sion.* In finem Canticum Ieremiæ & Ezechielis, vel Aggæi, de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficiſci. Ieremias, excelſus : Exechiel, fortitudo Domini interpretatur. Illis igitur iſte pſalmus conuenit, qui ad cœlos exaltantur, & Domini fortitudine victis inimicis, coronam accepturi ſunt. Cum autem de mundi huius peregrinatione, ad ſupernam Ieruſalem proficiſci incipiunt hoc ſuæ peregrinationis verbum dicunt.

Pſalm.65. *Iubilate Deo omnis terra.* In finem, Canticum pſalmi reſurrectionis. Gaudeat mundus, lætetur Eccleſia, Iubilate Deo omnis terra : quia mirabiliter amator tuus reſurrexit.

Pſalm.68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ.* In finem pro iis qui commutabuntur ipſi Dauid. Pro iis, inquit, qui ab infidelitate ad fidem & Dauid commutabuntur. Dicit in hoc pſalmo Saluator noſter; *Non erubeſcant in me qui exſpectant te Domine Domine virtutum, non confundantur ſuper me qui quærunt te Deus Iſraël.*

Pſalm.71. *Deus iudicium tuum Regi.* In Salomonem, Pſalmus Dauid. Salomon pacificus interpretatur : ipſe autem eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum. De quo

A in hoc pſalmo dicitur : Epheſ. 1. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus. Et Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis. Et dominabitur à mari vſque ad mare.* Et Iſaiæ 45. *Adorabunt eum omnes Reges terræ omnes gentes ſeruient ei.* Quod de primo Salomone falſum eſt : de Chriſto autem ſcimus, quoniam omne genu ſibi curuabitur.

Pſalm. 71. *Quam bonus Iſrael Deus.* Defecerunt hymni vel laudes Dauid filij Ieſſe : Pſalmus Aſaph. Non ideo defecerunt, dixit, quin amplius non ſit locuturus : Sed quoniam hic ſecundus liber explicit. Pſalmus Aſaph hic autem huius pſalmi titulus eſt : Aſaph loquitur hic, qui congregatio vel Synagoga interpretatur. Significat autem Doctores, quia huius pſalmi fine dicunt : *Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

Pſalm. 73. *Vt quid Deus repuliſti in finem.* Intellectus Aſaph. Hoc enim Doctores intelliguntur. Et quod Deus in medio terræ ſit ſalutem operatus.

Pſalm. 74. *Confitebimur tibi Deus.* In finem, ne corrumpas, pſalmus cantici Aſaph. De Chriſto iſte pſal-B mus intelligatur, de quo dicitur. Ioan. 19. *Os non comminuetis ex eo.* Pſalmus Aſaph, hoc enim Apoſtoli, & Doctores in principio dicunt : *Confitebimur tibi Deus confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua.*

Pſalm. 76. *Voce mea.* In finem pro Idithum, pſalmus Aſaph. Perfecti enim ſunt qui hoc in pſalmo loquuntur.

Pſalm. 77. *Attendite popule meus legem meam.* Intellectus Aſaph. In finem pro arcanis Core non ſimplex ſicut, inquit, videtur, narratur hiſtoria, verum magna eorum in hoc pſalmo continetur intelligentia, qui Dei populum congregantes, & paſcentes, recte Aſaph appellantur.

Pſalm. 80. *Exultate Deo adiutori noſtro.* In finem pro torcularibus, pſalmus ipſi Aſaph in quinta ſabbathi. Torculares, & Torcularia, Apoſtoli ſunt, & Eccleſiæ: calcant Apoſtoli vuas in Eccleſiis, ne vini inopia dehiſcant torcularia : Iſaiæ 63. *Torcular*, inquit Dominus : *calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*

G Pſalm. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* In finem pro torcularibus filiis Core. Filij Core, filij Caluariæ, filij Chriſti, torculares, & torcularia ſunt. Chriſtus primus torcularis, diſcipulos ſuos torculares fecit: Hi autem noui veterique teſtamenti racemos exprimentes, exponenteſque noſtris pectoribus infuderunt.

Pſalm. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam.* In finem pſalmus filiis Core. Lætantur filij Core, quia *veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit.*

Pſalm. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* Filiis Core, pſalmus cantici. Vbi pſalmus eſt & canticum, ibi laus & operatio.

Pſalm. 89. *Domine refugium factus es nobis.* Oratio Moyſi hominis Dei. Merito enim huius pſalmi narratio Moyſi dicitur, vt qui nos hominis docuit conſtitutionem miſerias quoque doceat & interitum.

Pſalm. 91. *Bonum eſt confiteri Domino.* Pſalmus cantici in die Sabbathi. Sabbathum, requies intepretatur, in quo ſeruilia facere opera interdictum eſt. Quicunque er-D go hunc pſalmum canit, ab operibus mundi quieſcat, ſeruilia non exerceat, ſed, quaſi miles ſtrenuiſſimus, Domino famuletur.

Pſalm. 93. *Deus vltionum Dominus.* Pſalmus ipſi Dauid quarta Sabbathi. Quarta namque Sabbathi fecit Deus cœli luminaria, ſolem, lunam & ſtellas. Hic autem pſalmus contra eos loquitur, qui Dei populum affligentes, dicunt. *Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob.* Sint igitur iſti memores quartæ Sabbathi, in qua Deus tanta luminaria fecit : vt & videre omnia, eum intelligant, & interiore homine illuminentur.

Pſalm. 95. *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra.* Canticum ipſi Dauid, quando Domus ædificabatur poſt captiuitatem. Fuimus in Babylonia, fuimus in captiuitate : ſed iam domus noſtræ, quas antiquus hoſtis deſtruxerat, aqua baptiſmatis ſunt reædificatæ. Cantemus ergo Domino canticum nouum, tollamus, eique offeramus hoſtias iubilationis.

E Pſalm. 105. *Confitemini Domino quoniam bonus. Quis loquetur potentias Domini.* Alleluia Alleluia. Quod laudare Dominum interpretatur. Alleluia in nouo, Alleluia in veteri teſtamento. Primum alleluia præcedentis pſalmi eſt, ſequens ſequentis.

Pſalm. 107. *Paratum cor meum Deus.* Canticum pſalmi. Laus operum.

Pſalm. 108. *Deus laudem meam.* In finem. Pſalmus Dauid. In Chriſtum.

Pſalm. 119. *Ad Dominum cum Tribularer.* Canticum graduum. Aſcenſioniſque ad cœlos.

Pſalm. 141. *Voce mea.* Intellectus Dauid, cum eſſet in ſpelunca. Huius pſalmi intellectum non Iudæi, non cæteri qui litteram ſequuntur, habent, verum Dauid, & alij, qui Spiritu Sancto ſimili modo imbuti, & repleti ſunt. Speluncam ſepulchrum Domini intelligimus. Vnde hic dicitur : *Educ de cuſtodia animam meam.*

Pſalm. 145. *Lauda anima mea Dominum.* Alleluia pſalmus Aggæi, & Zachariæ. F Aggæus feſtinus : Zacharias autem memoria Domini interpretatur. Illi igitur hunc pſalmum cantant qui Domini ſemper memores, ſumma cum feſtinatione ei ſeruiunt.

INCIPIT EXPOSITIO Odonis Monachi Aſtenſis.

In Pſalmos.

EXPOSITIO PSALMI PRIMI.

B*eatus vir qui non abiit in conſilio impiorum.* Quid eſt ambulare in conſilio impiorum, niſi iniquis aſſentire cōſiliis?

Et in via peccatorum non ſtetit. In via autem peccatorum ſtare, eſt in malis operibus perſeuerare.

Et in Cathedra peſtilentiæ non ſedit? In cathedra qui-G dem peſtilentiæ ſedent, qui mala quæ agunt, alios facere docent : Dicat impius conſilium ſuum, Occide, inquit, furare, fac ſacrilegium, & ſimilia. Hoc autem conſilium malum eſt, huic tamen quam-plures aſſentiunt; quapropter beati non erunt : Hæc eadem, quæ diximus, via ſunt, per quam peccatores ad perditionem vadunt. Hanc autem viam multi ingrediuntur, qui non in ea ſtant, ſed pœnitentiam agentes conuertuntur retrorſum Hi equidem beatitudine non priuantur : qui vero in ea ſteterunt, vel perſeuerauerunt, procul dubio beati eſſe non poterunt. Sciendum eſt autem : quoniam alia cathedra eſt peſtilentiæ : alia vero ſalutis. Cathedra enim Petri, & Pauli Apoſtolorum Paſtorumque ſalutis eſt : hæreticorum, non niſi mortis, & peſtilentiæ : hæc enim mortem: illa vero ſalutem affert: Ergo illi beati, iſti vero miſeri erunt : Sed hæc quæ dicta ſunt cui conuenientius quam Chriſto applicari poſſunt? de quo ſcriptum eſt 1. Petri 2. Qui peccatum non fecit. Si enim, quod verum eſt, peccatum non fecit, in conſilio vtique impiorum non abiit, in via peccatorum non ſtetit, neque in H cathedra peſtilentiæ ſedit, Oppoſita ſententia.

Sed in lege Domini fuit voluntas eius. Eſt autem lex Domini immaculata conuertens animas. Pſal. 18. Eſt equidem lex Domini : dimittere dimittentibus : quinimo declinare à malo, & facere bonum. Hanc autem voluit Chriſtus : hanc docuit in hac cathedra ſedit.

Et in lege eius (ſcilicet in iſta) *meditabitur die ac nocte.* Namque, & in die, & in nocte prædicauit Chriſtus; In die enim turbas, in nocte autem diſcipulos docebat. Vnde ſcriptum eſt. Matth. 10. Quod in cubilibus auditis, prædicate ſuper tecta. Vel in die ac nocte, id eſt, in omni tempore. Aliter autem, per diem & noctem, proſpera & aduerſa intelligimus. In proſperis enim erat quando ex quinque panibus quinque millia hominum ſatiauit Mat. 14. Omnes enim ei obſequebantur. In aduerſis autem, cum à Iudæis perſequebatur, & quando abſcondit ſe, & exiuit de templo. Ioan. 8.

A *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Quod numquam viriditate, numquam humore caret. Cui quamvis Chriſtus comparari poſſit, eodem ipſo dicente: Luc. 23. Si in viridi ligno hoc faciunt in arido quid fiet? Eſt tamen aliud lignum, cui conuenientius aſſimilari poteſt. Legimus enim. Geneſ. 2. in paradiſo eſſe lignum vitæ, vbi eſt etiam decurſus quatuor aquarum, quæ ſunt, Gion, Phiſon, Tigris, & Eufrates. De hoc autem ligno dictum eſt. Gen. 3. Videte ne forte ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternū, Si ergo de hoc ligno ſumentes, in æternum viuent, merito huic ligno Chriſtus comparatur. Ioan. 6. Qui eſt panis viuus, cui quicumque adhæret, vita viuet, & non morietur.

Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Iſte quidem fructus præmium erit, atque corona quæ, dabuntur iuſtis in die iudicij, Dedit etiam fructum prædicationis & virtutis. Dat præterea fructum, quo homines, & cuncta animalia paſcuntur, quæ omnia diſcretis, & congruis temB poribus euenire, non dubitum eſt.

Et folium eius non defluet. Quid per folia, niſi verba intelligamus: Cœlum enim, inquit, & terra tranſibunt verba autem mea non præteribunt Matth. 24. Si ergo folia verba ſunt, & verba non tranſibuſt, nec folia quidem defluent.

Et omnia quacumque, faciet proſperabuntur, Quibus; Sanctis quidem. Quod enim natus, quod circumciſus, quod baptizatus. quod Paſſus, quod prædicauit, quod reſurrexit quod cœlos aſcendit, omnia ſanctis proſpera ſunt.

Non ſic impij, non ſic. Non erunt, inquit, impij beati, non meditabuntur in lege Dei, non proſperabuntur. *Sed erunt tanquam puluis:* miſeri, omnibus ſubiecti, inſtabiles, qui omni vento doctrinæ circumferuntur: quos ventus & inflatio ſuperbiæ ſeparauit à terra viuentium, illatio.

Ideo non reſurgent impij in iudicio. Ideo, quia tales ſunt, non reſurgent impij in iudicio: iam enim iudicati ſunt, non ergo iudicabuntur, at vero nec iudicabunt, quomodo denique reſurgent, qui in omni tempore morientur? NeC que peccatores in concilio iuſtorum. Dicet aliquis: Quis in tanta hominum multitudine, iuſtos à peccatoribus diſcernet. Dominus quidem. Sequitur.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum. Nouit Dominus qui ſunt eius, vt ipſe ait. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Ioan. 10.

Et iter impiorum peribit. Impij quidem ſemper erunt: neque ita peribunt vt non ſint: iter vero illorum omnino non erit, quia iam peccare non poterunt. Melior eſt ergo via iuſtorum, quæ ſemper erit, quam iter impiorum, quod prorſus deſtruetur.

Poteſt autem, & de vnoquoque iuſto intelligi, vt ſic dicatur: Omnis vir erit beatus, qui non cogitauit, non fecit, non docuit mala: cuius voluntas; & meditatio in lege Dñi fuit. Hic ligno vitæ comparabitur, quod ſpiritualiter Chriſtus intelligitur. Merito enim Chriſto comparatur, qui ad eius imaginem factus, eius ſimilitudinem non amiſit, ſed ſemper ſanctus fuit cum Sancto, & immaculatus D cum immaculato.

EXPOSITIO PSALMI II.

Q*Vare fremuerunt gentes.* Cum, inquit, talis eſſet, vt ſuperius dictum eſt, quare contra eum gentes fremuerunt, dicentes. Crucifige? *Et quare populi meditati ſunt inania?* putantes occidere immortalem. Quare *aſtiterunt Reges terræ?* Herodes videlicet & Pilatus, & Principes Anna, & Caiphas conuenerunt in vnum locum, adque conſilium aduerſus Dominum, Patrem, & aduerſus Chriſtum filium eius dicentes. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* Hoc autem tale eſt, ac ſi dicerent; Hic homo cum ſuis diſcipulis, ligauit nos, iugum ceruici noſtræ impoſuit putat vinctos poſt ſe trahere, & in nouam legem nos inducere: quod ne fiat, dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum. O miſeri, cur non intellexiſtis eundem ipſum dicentem: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue, Matth. 11.

E *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Quia iugum Chriſti ſpreuerunt, & diabolicum ſumpſerant, dignos irriſione, & ſubſannatione oſtendet eos Dominus in die iudicij.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua. Illis autem irriſis & ſubſannatis loquetur ad eos in ira ſua. Cum enim tot millibus hominum dicet Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, quamvis iratus non ſit, iratus tamen eſſe videbitur.

Et in furore ſuo conturbabit eos. Qui enim in inferno poſiti erunt, vbi non eſt niſi fletus, & ſtridor dentium. Matth. 13. proculdubio conturbabuntur.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Tunc tandem Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ſed dicet: Ego quem crucifixiſtis quem Dei filium, & Regem eſſe negaſtis, Conſtitutus ſum Rex ab eo, vbi? *Super Sion montem Sanctum eius.* Sion Speculatio interpretatur: ſignificat autem Sanctam Eccleſiam, quæ non in imis, non F in tenebris iacet, ſed in monte, & in alta mentis ſpecula poſita, nunquam ab hoſtibus incurrentibus quaſi incauta præoccupari poteſt. In hac autem Chriſtus Rex conſtitutus præcepta Domini prædicauit.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ac ſi dicat: Dominus qui ante tempora genuit, me, temporaliter quoque per Spiritum Sanctum de Virgine me naſci voluit, hodie enim tempus ſignificat.

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Quia filius meus es tu, inquit pater, poſtula hæreditatem & dabo tibi gentes; Iudæi enim ſpreuerunt te & poſſeſſionem tuam, non vnam, vel duas prouincias, quinimmo terminos terræ.

Reges eos in Virga ferrea, id eſt, forti, inuiſibili, inſuperabili imperio, cui nemo reſiſtere poterit.

Tanquam vas figuli confringes eos. Ac ſi dicat: Si qui autem te Regem eſſe negauerint, ſi qui tuo contraire imperio conati fuerint, tanquam fragiles, & virtute vacuos confringes: vel tali modo occides, & diſperdes, vt numG quam amplius viuificari poſſint, vas enim figuli ſemel confractum, redintegrari impoſſibile eſt.

Et nunc Reges intelligite, Intelligite ô Reges, & ab hoc vno Rege, Reges eſſe diſcite. Et nolite ſuperbire: habetis enim vos quoque Regem. Sed quid intelligere debetis? Sequitur.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Timor animæ, tremor vero corporis eſt. Nullus igitur intellectus tantum prodeſt, quantum vt anima, & corpore ſeruiamus Domino.

Erudimini qui iudicatis terram, apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus. Hic euidentiſſime apparet; quod nemo ad Eccleſiæ regimina accedere debet, niſi prius diſciplinam apprehenderit. Vnde & in Epiſcoporum conſtitutione, tales eos Apoſtolus ordinare iubet, qui bene ſciant prouidere domui ſuæ. 1. Timoth. 3. Quomodo enim Eccleſiam Dei iudicabit, & alios edocebit, qui indiſciplinatus eſt, & ſeipſum regere neſcit? HuiuſmoH di ergo iratus eſt Dominus. Ideoque *peribit de via iuſta*, ideſt de via iuſtorum aberrātes, procul dubio in æternum peribunt. *Quia cum exarſerit Dominus in breui ira ſua*, quæ in momento. 1. Cor. 15. & ictu oculi finietur, beati omnes, & ſoli qui confidunt in eo. Vnde miſeros fore non dubitamus, qui de iuſtorum via egredientes in Domino non confidunt.

EXPOSITIO PSALMI III.

D*Omine quid multiplicati ſunt qui tribulant me, multi inſurgunt aduerſum me.* Multiplicatos ideo dixit quia non ſolum Iudæi & gentiles, verum etiam, & diſcipulus ſuus leuauit contra eum calcaneum ſuum.

Multi dicunt animæ meæ. Non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Multi mihi, & vitæ meæ mortem promittunt, neque aliquem eſſe putant, qui de manibus eorum eam eripere poſſit. Sed mentiuntur. Quoniam tu Domine ſuſceptor meus es, Quia me ſuſcipiendo ab inimicis liberabis. Et gloria mea: quia me glorificabis.

Et exaltans caput meum. quoniam die tertia me ſuſcitabis; partem pro toto poſuit. Hinc totam paſſionem, & reſurrectionem ex ordine pronunciat, & præterito pro futuro vtitur dicens.

Voce mea ad Dominum clamaui. In cruce, inquit, poſitus, clamabo ad Dominum, vt non tradat me in animas tribulantium me. *Et exaudiuit me de monte ſancto ſuo*, ideſt de ſecreto ſuæ Diuinitatis Vel etiam clamauit cum dixit: Pater clarifica me in hac hora, & Pater audiuit, immo & exaudiuit eum dicens: Clarificaui & iterum clarificabo. Io. 12.

Ego dormiui & ſoporatus ſum. Dormiam, quia pro carne aſſumpta, moriar, in ſepulchro quaſi ſoporatus quieſcam, tertia die reſurgam, quia Dominus ſuſcepit me. Ergo non timebo millia populi circundantis, & affligentis me; tu enim Domine exurges mihi in adiutorium, & ſaluabis me; ſcio quoniam tu percuſſiſti & æternæ morti damnaſti omnes aduerſantes, mihi ſine cauſa: vere ſine cauſa: ſiquidem, & fruſtra faciebant, & ei cui minime deberent. Vnde ipſe ait Io. 18. Si male locutus ſum teſtimonium perhibe de malo: Sin autem bene, cur me cædis? *Dentes peccatorum contriuiſti*, contriuit Dominus dentes peccatorum quia Scribæ, & Phariſæi, multique falſi teſtes, ſententiolis, quibus Chriſtum corrodere conabantur, incaſſum emiſſis, victi receſſerunt.

Domini eſt ſalus. Dixerunt Iudæi ſuperius de Chriſto. Non eſt ſalus ipſi in Deo eius, ipſe autem è contra, ſe auditum, reſuſcitatum à Domino, ſaluatum, in cœlos aſſumptũ teſtatus eſt. Mentiti ſunt ergo Iudæi. Vnde ipſe concludens, ait: *Ergo Domini eſt ſalus.* Et ſe ſaluato, benedicit ſuis dum dicit. *Et ſuper populũ tuum benedictio tua.*

EXPOSITIO PSALMI IV.

Vox Chriſti.

C*Vm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Mediator Dei & hominum, Dominus noſter Ieſus Chriſtus in hoc pſalmo nunc patri, nunc hominibus loquitur. Loquitur autem patri cum dicit: Deus conſcius amoris, ſemperque memor iuſtitiæ, cum inuocarem te, exaudiſti me,

In tribulatione dilataſti mihi: Id eſt dilatatum, amplificatum & lætum cor mihi dediſti: dilatatum enim, & coanguſtatum, quaſi contraria ſunt. Merito ergo ſe dilatatum dicit, qui de tribulatione, & anguſtiis liberatur: cum, inquam, inuocarem te, exaudiſti me. Sed quid inuocaui?

Miſerere mei. Namque ex ea parte, qua erat homo, fragilis, mortalis erat, atque paſſibilis, ideo miſericordiam quærebat, quia miſericordia indigebat. Et exaudi orationem meam, exaudi inquit, meam orationem, quam & pro me, & pro meis ad te fundo. Hucuſque Patri locutus, nunc autem cõuerſus hominibus loquitur.

Filii hominum vſquequo graui corde. Ac ſi dicat: Ego quidem pro vobis oro, vos autem filij hominum, & non Dei, (quia non Dei, ſed hominum opera facitis,) vſquequo eritis graui corde? Quod enim lapideum eſt, graue eſt: lapidea autem corda ſunt, in quibus Deus & amor, & verba ſalutis imprimi nequeunt, ſunt igitur grauia, *Vt quid diligitis vanitatem*, ideſt, quare idola ſurda, muta, & vana adoratis? Et quæritis mendacium, & non verbum Domini.

Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum. Quaſi dicat: Intelligite quas retributiones reddat Dominus, omittentibus vanitatem & quærentibus ſe; quoniam mirificauit eos, mirificos eos facit, & virtutibus & ſanctitate exornat: Ne ergo quæratis mendacium, ſed veritatem Domini, vt & vos quoque ſancti & mirifici ſitis, quod ſi facere volueritis, ego quidem pro vobis orabo, & *Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum* pro vobis.

Ergo iraſcimini. Vitiis, inquit, & diabolo principi; eius hucuſque amici fuiſtis; quibus, ne mea oratio fruſtra fiat, nunc iraſcimini, *& nolite deinceps peccare.*

De his autem, *quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Eſt enim cor cubile cogitationum. Matth. 15. Ex corde enim cogitationes exeunt, ſiquidem ibi iacent; ex quibus compungi, & pœnitentiam nos admonet Dominus agere. Poſt compunctionem autem.

Sacrificate, inquit, *ſacrificium iuſtitiæ.* Non hircorum nec taurorum, ſed ſacrificium laudis & iubilationis, hoſtiam viuam & immaculatam. Exinde *ſperate in Domino*: meritum recipere, bona ſcilicet æterna. Sed *multi ſtulti*, increduli ſine ſpe dicunt: *Quis oſtendit nobis bona?* quis inde certus nuncius venit? Hoc ſtulti. Sancti autem & catholici viri quidem dicunt:

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Ac ſi dicant. Hactenus cæcitas & diabolicæ tenebræ nobis impreſſæ, oculos noſtros caligauerunt, nunc autem lumen, claritas, intellectus, imago & pulchritudo vultus tui ſignata ſunt ſuper nos, quia iam non tranſitoria, ſed æternã quærimus. *Dediſti lætitiam in corde meo*; Catholica inquit congregatio; quia me illuminaſti, de tenebris extraxiſti, magnã quidem cordi meo dediſti lætitiam.

A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. Ac ſi dicat: Ego quidem illuminata, & in æternorum bonorum ſpem inducta, omnia temporalia parui pendo: illi autem, qui, vt diximus, ſpem non habent, neque bona æterna eſſe credunt, ſola temporalia amplectentes, à fructu frumenti, vini & olei multiplicati & diuites facti ſunt, quæ quia caduca ſunt, ipſi quoque cum eis cadent.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Ego, inquit, currens, & feſtinans, non ad caduca, vel mutabilia, immo in idipſum, ad Deum, qui non mutatur, dormiã & requieſcam cum ipſo in æterna pace & merito

Quia tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, ideſt, ego ſolus, & ſingularis, & ſperaui, & ſperata recipiam: Illi autem, vt diximus, non ſperauerunt, quid ergo recipient?

EXPOSITIO PSALMI V.

V*Erba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.* Vox cuiuſlibet iuſti. Quod autem eſt, verba mea auribus percipe Domine, ideſt, intellige clamorem meum, à quo non differt: *Intende voci orationis meæ.* Hoc autem cur facere debeat, ſubiungit cauſam: Tu enim *Rex meus & Deus meus.* Ipſemet qui hanc orationem fecit, quare non exaudiatur, & quo tempore exaudiri debeat adnectit. Ait enim. In nocte oraui, non ſum exauditus, ergo mane, ideſt nocte tranſacta orabo.

Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. In nocte quidem ſumus, dum in vitiorum tenebris iacemus: poſtquam autem in mane ſumus, confidenter orare poſſumus.

Mane aſtabo tibi & videbo: noctem relinquam, diabolum fugiam, ad mane veniam: in mane autem vt fuero, non iacebo, non ocioſus ero: ſed aſtabo, cum vitiis dimicabo, in bonis operibus perſeuerabo. Et hoc, tibi, ideſt, ad honorem tui. Et videbo, *quoniam non Deus volens iniquitatẽ tu es*: quia æquus & iuſtus es, iniquitatẽ non vis.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas. Propter inimicos dixit, quorum deceptio valde timenda eſt: veritas enim in eis non eſt. Quid mirum? nam *cor eorum vanum eſt.* Et quia à vanitate veritas quidem progredi non poteſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Guttur pro verbis poſuit, Sepulchrum vero patens, infernum ſignificat, quia morti dedito nemini clauditur. Cum igitur hæreticorum verba, peccatorum animas in infernum perducant, (quem ſepulchrum patens eſſe diximus) quid aliud ſunt ipſa verba, niſi infernus, & ſepulchrum patens? Sic enim diabolum mortem vocamus, quia ad mortem animas perducit. *Linguis ſuis doloſe agebant*, ideſt doloſa proferebant. *Iudica illos Deus*, ideſt, æterno damna ſupplicio. *Niſi decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*: hoc eſt, niſi à peruerſis ſuis ceſſauerint cogitationibus, à conſortio Sanctorum expelle eos in tenebras exteriores, propter eorum

multas

A multas impietates. *Quoniam irritauerunt te Domine*, ideſt ad iram prouocauerunt.

Et letentur omnes qui ſperant in te. Omnes, inquit, qui ſperant in te, lætentur de te. *In æternum exultabunt:* quia ſemper tecum erunt, qui illorum es gaudium & exultatio. *Et habitabis in eis:* Sancti enim templum Dei ſunt. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 3. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanct is habitat in vobis?

Et gloriabuntur omnes, qui diligunt nomen tuum. Alij in curribus & equis, in diuitiis, ſæculique honoribus gloriantur illi vero qui nomen tuum diligunt, non niſi in te gloriabuntur. *Quoniam tu benedices iuſto*, ideſt eorum iuſtitiæ.

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Coronam pro victoria poſuit, quia poſt victoriam ſequitur corona. Et ſic eſt intelligendum Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos, ideſt, protectione tua nos coronas, quia non ex meritis noſtris, ſed ex Dei prote- B ctione coronam acquirimus.

EXPOSITIO PSALMI VI.
Vox Eccleſiæ.

D*Omine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ac ſi dicat: Volo equidem Domine, vt me arguas & corripias, ſed non in ira vel furore: argue me vt pater, corripe me vt magiſter. Arguitur enim latro, quando ſuſpenditur: corripitur adulter, dum excæcatur, hoc autem modo ne me corripias Domine, immo in meſericordia & pietate, hoc eſt quod ſequitur.

Miſerere mei Domine. Namque tua indiges miſericordia. *Infirmus enim ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea*, habet enim corpus oſſa, habet & anima, animæ autem oſſa ſunt memoria, intellectus, ſpes, patientia, abſtinentia, bona voluntas: his autem infirmatis, anima ſtare non poteſt: cadit igitur, eſt er- C go corripienda: Qui enim peccat, corripi debet. Animæ autem, dum quatiuntur, & à vitiis conturbantur, quibus reſiſtere debuiſſent, ipſa anima iam ſtare non valens, cadens peccat & infirmatur, hoc eſt quod dicit:

Et anima mea turbata eſt valde. Ac ſi dicat: Capta eſt ciuitas, intus fit conturbatio inimicorum: expulſi ſunt habitatores: Sic ergo capta eſt anima, regnant vitia, pelluntur virtutes. Quid igitur? Suſpendetur vt latro? abſit; ait enim: *Sed tu Domine vſquequo?* Subauditur, differes medicinam?

Conuertere Domine & eripe animam meam. Ac ſi dicat: Longe factus à me, quia longe eſt à peccatoribus ſalus, Pſal. 118. Sed conuertere Domine ad me, & eripe animam meam, quæ ab inimicis detinetur: ſaluum me fac, non ex meritis meis, ſed propter multam miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui. Eſt au- D tem mors, corporis, animæque diſiunctio Moritur tamen, qui à mundo eiuſque concupiſcentiis ſe ſeparat. Moritur etiam, qui à Domino ſequeſtratur. Vnde hic dicitur: Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Quaſi dicat: In vitiis ſum, diabolo ſum coniunctus, à te diuiſus, tibi mortuus, tuique immemor: ergo iuſtifica me, vt tui ſim memor: Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Omnis enim qui diaboli catena conſtringitur, in inferno eſt: qui autem in vitiis eſt, diabolicis catenis conſtringitur. Eſt ergo in inferno: Deum ergo laudare non poteſt.

Laboraui in gemitu meo. Peccaui, inquit, in peccatis tamen non perſeuero, ſed pœnitentiam ago, in gemitu laboro; quocirca miſerere mei. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, lectus animæ, corpus eſt; hoc autem, quia multas noctes, vitiaque & tenebras ſibi adtraxit, pro vnoquoque lauari oportet. Repetitio: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

Turbatus eſt à furore oculus meus. Oculus, pro mente ponitur: quæ niſi conſtans fuerit, furore & vitiorum E impetu conturbatur. *Inueteraui inter omnes inimicos meos*; ac ſi dicat. Mirum non eſt, quod oculus meus conturbatur, inuetaraui enim inter omnes inimicos meos: longo enim tempore ab inimicis obſeſſus & incitatus ſum.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Gemitu, inquit, & lachrymis Domino, & æquitati coniunctus ſum quapropter diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, ego enim amodo eam non operabor: Simile autem Simile quærat: Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei: pro æquitate fleui, cui me iungere deſiderabam, exauditus ſum, ab ea ergo non mouebor amplius.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit, Erubeſcant, & conturbentur Vehementer omnes inimici mei: Conturbentur, vel æterna damnatione: vel contra vitia, & fiant boni. Con- F uertantur in infernum, ſiue ad bonum. Et erubeſcant, pro peccatis, valde velociter.

EXPOSITIO PSALMI VII.
Vox perfectorum.

D*Omine Deus meus in te ſperaui.* Non enim in arcu meo ſperaui, non in auro, vel argento, non in meis viribus, ſed in te ſperaui, qui es Deus, & Dominus meus, ideoque *ſaluum me fac:* tu Ieſus, tu Saluator, tu ſalua, quia ſaluare potes. Gladius enim meus non ſaluabit me. *Ex omnibus perſequentibus me libera me*: perſequitur auaritia, ſuperbia, luxuria, perfidia, diſcordia, ex his omnibus libera me. Quare?

Ne quando rapiat vt leo animam meam. Inimicus noſter diabolus tanquam leo rugiens, circumit quærens, quem deuoret. 1. Petr. 5. cuius retia ſunt vitia ſupradicta. Ipſe autem peſſimus venator, animas perſequens, alias in auaritia, alias in ſuperbia, alias in luxuria irretitas de- G prehendit. Dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat: tu redime, qui redimere potes, quia alius non eſt, qui poſſit redimere, vel ſaluare.

Domine Deus meus ſi feci iſtud. Hoc eſt, *ſi eſt iniquitas in manibus meis.* Quid per manus, niſi opera intelligimus? manibus enim operamur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*; O quanta Viri perfectio, qui nedum facere, ſed nec etiam mala ſibi pro bonis retribuentibus, mala reddere neſciuit. Lucæ 6. Non oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu abſtulit, ſed ex vna maxilla percuſſus alteram præbuit: Si, inquam, hoc feci vel illud, decidam, non ſurſum aſcendam, non ad te veniam, ſed cum peccatoribus in infernum cadam. Et hoc merito, quia talis, vel tale feci peccatum, *Ab inimicis meis inanis*, vt imbellis, & inanis, vt viribus vacuus, vt ab inimicis deuictus cadam.

Perſequatur inimicus animam meam. Iam retia teten- H dit iam prædam venator inuenit, hanc perſequatur, hanc comprehendat. *Et conculcet in terram vitam meam*, conculcet in carnales cupiditates, & cum terrenis, & peccatoribus eam occidat. Et gloriam meam in puluerem deducat, quid per gloriam, niſi reſurrectionem? quid per puluerem, niſi carnis reſurrectionem? Cuius ergo gloria in puluerem deducitur, cum iuſtis ad gloriam non reſurgit.

Exurge Domine. Quia peccata prædicta non feci, exurge Deus mihi in adiutorium, adiuuantis enim, non ſedere, ſed ſtare eſt. *In ira tua*, oſtende te iratum, ſi enim te pro nobis iratum inimicis noſtris oſtenderis, nos amplius lædere non audebunt. *Exaltare in finibus inimicorum meorum*, omnes, inquit, fines terræ inimici noſtri hactenus poſſederunt, nunc Domine exurge, carnem ſume, humano generi ſuccurre, præpara te ad bellum, oſtende te iratum, & exaltare per omnes terras, corrigas, & regas quos diabolus premebat.

Exurge Domine deus meus in præcepto quod mandaſti; Iudæis enim præcepiſti. Soluite templum hoc, & in tri-

A duo reædificabo illud Ioan. 2. Et, Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, in eremo, ita exaltari oportet filium hominis. Ioan. 3. Soluatur ergo templum hoc, exaltetur filius hominis, exurgat & crucem aſcendat Dominus Deus meus in præcepto ſuo, aliter in Apoſtolis prædicare præcepiſti, ergo illorum prædicatio præceptum tuum fuit, in hoc autem præcepto reſurrexit, creuit, & exaltata ſunt regnum, imperium, & potentia tua. *Et ſinagoga populorum circumdabit te*, id eſt omnes gentes credent in te:

Et propter hanc in altum regredere. Propter hanc congregationem, Synagoga enim congregatio interpretatur in altum regredere, cœlos aſcende quia cum à terris fueris exaltatus, omnia poſt te trahes. Ioan. 11. Regredere igitur in altum & trahe nos poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Domine iudicans populos.* Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio Ioan. 5. eſt igitur filius Dominus iudicans populos, *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam.* quia iudex

B es, iudica me: & quia iuſtus, iuſte iudicas iuſtum. *Et ſecundum innocentiam meam ſuper me*: id eſt ſecundum innocentiam ſuper me conſideratam.

Conſumetur nequitia peccatorum. Quoniam quidem iudex es iuſtos iudicabis, & peccatores. Peccatores autem quomodo? quia in nequitia ſua conſummabuntur. Iudicium autem iuſtorum quale erit? Sequitur: Et diriges iuſtos. Vbi ad te quidem. Quid igitur eſt iuſtorum iudicium, niſi electio? *Scrutans corda & renes Deus*, in corde enim & renibus ſunt cogitationes. Quia ergo non ſolum facta, verum etiam cogitationes ſcrutatur Deus, Sapient. 6. ideo verus eſt iudex quia & de factis iudicat, & de cogitationibus.

Iuſtum adiutorium meum à Domino. Quia ad ſe dirigit Dominus iuſtos, iuſtum eſt iuſtorum iudicium, vocabo iudicium, an adiutorium, non iudicium, ſed adiutorium, quippe quo & miſeria fugatur, & beatitudo acquiritur.

Qui ſaluos facit rectos corde. Qui enim corde rectus eſt

C tortum quidem, nec facere, nec cogitare poteſt. ſi enim cogitat, rectus non eſt. Si autem facit, camelus eſt,

Deus iudex iuſtus, Vere vtique iuſtus qui & iuſtos ſaluat, & peccatores damnat. *Fortis & patiens.* Fortis quia nemo ſibi reſiſtere poteſt, patiens, quia non ſtatim punit. *Nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Vere patiens eſt quia quamvis omni die, immo omni hora eum offendamus, ipſe tamen omni die non iraſcitur.

Niſi conuerſi fueritis. Peribitis. Et tale eſt, ac ſi diceret: Quamuis patiens ſit, tamen niſi conuerſi fueritis, peribitis & merito. Nam gladium ſuum vibrauit, quid per gladium niſi Chriſtum, iſte enim gladius diabolum trucidauit. Ergo quia gladium vibrauit & filium ſuum in mundum miſit, qui conuerſus non fuerit, peribit. Vnde ipſe ait. Ioannis 15. Niſi veniſſem, & locutus fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent.

Arcum ſuum tetendit. Quid eſt arcus eius? Vetus teſtamentum. Hic autem arcus ante Chriſti incarnationem

D tenſus non erat: Chriſtus autem vt venit eum tetendit, chordam adhibuit, nouum enim teſtamentum chorda, veteris legis auſteritatem nouum teſtamentum mitigauit. Dicebat enim lex. Exod. 31. Si quis hoc fecerit vel illud moriatur: hic autem ſermo nimium durus & rigidus eſt, ſed quomodo mitigatur, vis audire quomodo? Si quis hoc vel illud fecerit tot annis pœniteat, & ſaluabitur, hoc habet nouum teſtamentum, hoc habent Canones; hic ſermo eſt dulcis qui non deſperare, ſed ſperare facit. 2. Corinth. 7.

Et parauit illum. Parauit, quia intelligibilem fecit. parauit quia obſcuritatem & tenebras ademit. *Et in eo parauit vaſa mortis*, per vaſa mortis Apoſtolos intelligimus qui viua aqua pleni erant. Hanc autem aquam alij bibebant ad ſalutem: alij vero quaſi toxicum, & venenum, Vnde Apoſtolus 2. Cor. 2. Aliis ſumus odor vitæ ad vitam aliis odor mortis in mortem. *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, quod enim per vaſa, idem per ſagittas ſignificatur. Sagittæ enim ſunt Apoſtoli, quia occulte

E diabolum & vitia deſtruunt. Has autem ſagittas perfecit Dominus & compoſuit eorum vtilitati qui amore ſpiritus, & igne accenſi ſunt;

Ecce parturiuit iniuſtitiam. Hic verſus ei coniungitur qui ait: Nequando rapiat vt leo animam meam: quia valde timeo: eſt enim iniquus, doloſus & iniuſtus, hoc eſt quod dicit: Ecce parturiuit iuſtitiam. Iſte malignus pater cum animabus iungitur filios procreat, ſed quos filios? iniuſtitiam quidem dolorem, & iniquitatem.

Lacum apperuit. Quo enim tempore primum hominem peccare fecit, infernum quidem, & lacum aperuit. Aperit etiam omni die, dum miſeros in peccata inducit. Non tamen ſolum aperire ei ſufficit, ſed inſuper effodit eum, aliis enim minorem, aliis vero maiorem foueam præparat quia qui plus peccat, in maiora tormenta cadit.

Et incidit in foueam quam fecit. Æternus enim ignis, & diabolo, & Angelis eius paratus eſt, nulliquemaior pœna quam pœnarum, principi debetur. *Conuertetur*

F *dolor eius in caput eius*, non enim ſine dolore erit, qui doloris auctor fuit. *Et in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet*: Poſtquam enim nullus erit, qui peccet vel peccare velit, omnis iniquitas in eum conuertetur, eritque ei non parua pœna ipſa mala voluntas, quam exercere non poterit.

Ego autem confitebor & laudabo Dominum, ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

EXPOSITIO PSALMI VIII.

D*Omine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.* Vox Prophetæ de Chriſti aſcenſione gratulantis. Magnificentia Dei Chriſtus eſt, quia per eum magnificatur Deus: namque ante Chriſti aſcenſionem in ſola Iudæa notus erat Deus, in Iſraël magnum nomen eius: Pſal. 75. Nunc autem quando filius eius ſuper cœlos eleuatus eſt, Act. 1. valde admirabile eſt nomen ſuum, non in ſola Iudæa, ſed in vniuerſa terra.

G *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Hoc de Hebræorum pueris intelligi poteſt. Poſſumus etiã per infantes, & lactentes, Apoſtolos intelligere: Infantes quidem erant, quia vt ruſtici & indocti, vix fari nouerant: lactentes autem, quia nouum, & vetus teſtamentum quaſi duo vbera ſuxerunt. Ex ore autem iſtorum laudem ſuam perfecit Dominus, quia horum prædicatione creuit Eccleſia. *Propter inimicos tuos*: Inimici Dei, Iudæi ſunt qui poſtquam filium Dei crucifixerunt, nomen quoque eius omnino delere conati ſunt. Propter hos igitur inimicos, ex ore infantium & lactentium ſe Deus laudari fecit. *Vt deſtruas inimicum & vltorem*, vltores & defenſores ſcripturarum erant Iudæi, ne aliquis ſuper Chriſto eas intelligeret, Apoſtoli autem è contra Chriſtum laudabant, & in eum ſcripturas interpretabantur. Ergo quia Apoſtolorum ſententia præualuit, à Deo inimici & vltores deſtructi ſunt, vt nec vnus quidem aduerſus Chriſtum iam loqui audeat.

H *Quoniam videbo cœlos tuos.* Ac ſi diceret Propheta, gaudet Deus, quoniam ſcio me viſurum *opera digitorum tuorum*, quæ in filiis tuis fidem *fundaſti*, videlicet cœlos *lunam & ſtellas*: per cœlos Apoſtolos, per lunam Eccleſiam, per ſtellas autem Doctores intelligimus.

Quid eſt homo quod memor es eius Hoc autem quamvis de vnoquoque iuſto intelligi poſſit, de Chriſto tamen in epiſtola ad Hebræos Apoſtolus interpretatus eſt: quid eſt homo quod memor es eius, ac ſi diceret: Magnificentia tua eleuata eſt homo, & filius hominis exaltatus eſt, Ad Heb. 2. Sed nunquid homo tantum? Si enim ſimplex homo eſſet, non ſic illius memor fuiſſes. *Aut filius hominis, quoniam viſitas eum*, vere filius hominis quia filius virginis viſitas eum, quia numquam derelinquis.

Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. Namque quia mortalis fuit, ab Angelis eſt diminutus. *Gloria & honore coronaſti eum*, gloria quidem, quia reſurrexit, honore vero, quia vicit, imperium ſumpſit, & cœlos aſcendit. Acta.

Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Quia in nomine Ieſu omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Philip. 2.

Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, Quæ? *Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Per oues ſimplices homines, per boues Doctores: per pecora campi bonos coniugatos, per volucres cœli Philoſophos & Sapientes, per piſces maris ſtultos, negotiiſque ſecularibus implicitos intelligimus. Ergo quia omnia tibi ſunt ſubiecta. *Domine Deus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.*

EXPOSITIO PSALMI IX.

C*Onfitebor tibi Domine in toto corde meo.* Confitebor inquit Eccleſia, tibi Domine, non labiis tantum; non vt illi de quibus dicitur. Matth. 15. Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me, ſed in toto corde meo te adorabo, te laudabo, tibi peccata mea confitebor. *Narrabo omnia mirabilia tua,* omnia quidem enarrabo, quæ in nouo & in veteri teſtamento ſcripta inueniam.

Lætabor, & exultabo in te. In te lætabor, in te exultabo, ſicut ſcriptum eſt: Pſam. 31. Lætamini in Domino: Itemque Corinth. 10 Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Et pſallam nomini tuo altiſſime,* hactenus enim quæcunque feci in nomine Iouis, Mercurij, Saturni cæterorumque feci, deinceps autem quæ faciam in nomine tuo faciam.

In conuertendo inimicum meum retrorſum. Dum, inquam, inimicum meum retrorſum conuertam, in nomine tuo pſallam, quia non meas vires, ſed te de triumpho laudabo. Bene autem dixit: dum conuertam, quia ante Chriſti Incarnationem, quaſi princeps, & dux itineris nos diabolus præcedebat: nunc autem velut latro, & peſſimus canis, retro ſerpens, calcaneo noſtro inſidiatur.

Infirmabuntur & peribunt à facie tua. Quem enim ſuperius inimicum dixit, non vnam, ſed totam inimicorum congregationem intellexit. Vnde pluraliter hic dicitur. Infirmabuntur, & peribunt, infirmati ſunt inimici noſtri, qui virtutem, imperium, & potentiam amiſerunt: peribunt autem in die iudicij à facie Domini fugientes, quia cum ſatellitibus ſuis æterno damnabuntur ſupplicio.

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam. Vere inimicum meum retrorſum conuertam, quia ad hoc mortuus es, vt ego viuerem: ad hoc præliatus es, vt ego vincam: iudicium tuum eſſe meum, & cauſam tuam meam eſſe feciſti, quia ob meam ſalutem & vtilitatem à Iudæis iudicatus es. Nunc ſedes ſuper thronum, quia Angeli & Archangeli, Throni, & Dominationes tibi ſunt ſubiecti, *qui iudicas iuſtitiam*; iuſtitiam quidem ſemper iudicas, quia ſuperbos ſemper humilias, & exaltas humiles.

Increpaſti gentes, & periit impius. Increpauit enim Dominus gentes Apoſtolica prædicatione, dicebant enim Apoſtoli: Luc. 13. Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis, Itemque Matth. 3. Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt his, & ſimilibus increpauit Dominus gentes, vnde factum eſt vt periret impius, id eſt impietas *Nomen eorum deleſti in æternum & in ſæculum ſæculi.* deleuit enim Dominus nomina impiorum, quia qui prius impij idololatriæ & filij diaboli vocabantur nunc & ſancti & iuſti, & filij Dei vocati ſunt.

Inimici defecerunt. Quomodo: *Framea*: Quæ eſt iſta framea? Chriſtus Ieſus, qui eos interfecit. *In finem*, id eſt, ex toto. *Et ciuitates eorum deſtruxiſti*, multas quidem ciuitates, & congregationes habuit, & habet malignus ſpiritus, quas Dominus quotidie deſtruere non ceſſat: omnis enim hæreticorum, latronum, paganorum & ſuperborum congregatio, Diaboli ciuitas eſt, hæc autem, dum Domino aſſociantur ſecundum priorem ſtatum deſtruuntur.

Periit memoria eorum cum ſonitu. Magna enim erat memoria, laus & fama malignorum ſpirituum in prædictis ciuitatibus, quæ Apoſtolorum ſonitu omnino deleta eſt Pſal. 18. prædicatione namque Apoſtolorum, & idola fracta ſunt, & tēpla deſtructa, & Deorum religio abominata. *Et Dominus in æternum permanet,* in quibus diabolus regnabat, in eiſdem Dominus quidem Rex in æternum permanebit. Sed qui Dominus? Sequitur.

Qui parauit in iudicio thronum ſuum. Thronus Dei, Apoſtoli ſunt, quia in eis ſedet & habitat. Hos autem ad iudicium parauit, quia cum ad iudicandum venerit Matt. 19. ſuper duodecim ſedes ſedebunt, duodecim tribus Iſraël iudicantes. *Et ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate iudicabit populos in iuſtitia*; nunquid ipſe ſolus iudicabit nonne & Apoſtoli iudicabunt; dictum eſt enim quoniam ipſi iudicaturi ſunt 1. Cor 6. Iudicabunt vtique Apoſtoli, iudicabit & Dominus: Dominus quidem vt iudex Apoſtoli autem vt lex.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi. Iudicabit inquam Dominus orbem terræ, interim autem factus eſt refugium pauperi: cui pauperi? nihil quidem habenti, & omnia poſſidenti 2. Cor. 6. quoniam quæ habuit vendidit & pauperibus diſtribuit, quique terrenorum factus eſt inops, vt cœleſtium diues fiat, *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione,* nihil aliud quidem eſt in opportunitatibus, in tribulatione quam in opportuna tribulatione: Sanctorum quippe tribulatio opportuna eſt qua vita perpetua adipiſcitur.

Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum. Quia adiutor illorum factus es, qui nomen tuum nouerunt, & qui Chriſtiani vocantur; Ideo cum in tribulationibus & anguſtiis fuerint in te ſperent, tu enim eos liberabis, *quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.*

Pſallite Domino qui habitat in Sion. Quoniam quidem quærentes ſe non derelinquit, vos Apoſtoli & doctores, qui eum quæritis pſallite Domino, *Annūciate inter gentes ſtudia eius*, in gentibus annunciate ſtudium amorem & dilectionem quam erga vos habuit: quoniam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus illum morti tradidit. Rom. 8.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt. Item Apoſtoli, annunciate Dominum, prædicate Euangelium. ne timeatis mortem, quoniam requirens ſanguinem eorum, qui pro eo moriuntur, recordatus eſt non quod oblitus eſſet ſed quia oblitus eſſe videbatur. *Non eſt oblitus clamorem pauperum* dicentium: *Miſerere mei Domine, vide humilitatem,* & afflictionem meam habitam *de inimicis meis.*

Qui exaltas me de portis mortis. Portæ mortis, vitia ſunt, hæretici, & peccatores, quia per eos quaſi per quaſdam portas, mors atque pœna hominibus inducitur. Ex his autem exaltantur ſancti, dum erudiūtur quomodo eos euitare poſſint. Bene autem dixit, exaltas quia quicunque ab eis ſeiungitur, cœleſtia regna petit.

Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Sion, quæ, vt diximus ſpeculatio interpretatur, Eccleſiam ſignificat: filiæ autem Sion, quicunque fideles intelliguntur: Portæ autem aures ſunt, per quas verba diuina mentes noſtras ingrediuntur. Nunciant ergo Apoſtoli laudationes Dei in portis filiæ Sion, dum in auditu fidelium, Euangelium prædicant.

Exultabo in ſalutari tuo. In ſalute & in filio tuo exultabo, neminem timebo pro morte non tacebo quoniam *Infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt.*

In laqueo quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Mihi quidem vitam præſtant, ſibi autem ſupplicium & interitum, me de laqueis expeditum ſeipſos autem in laqueos inextricabiles inuoluunt.

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens. Hoc quippe tēpore peccatores Dominum ſuum neque cognoſcunt neq; cognoſcere voluerunt, cognoſcetur tamen ab omnibus, cum ad iudicandum venerit. Et tunc tandem. *In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator*, comprehendentur vtique peccatores in operibus ſuis quando hanc regalem cenſuram ſuper ſe intonare audient: *Conuertantur*

A *peccatores in infernum.* Et. Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 5. pulchre dixit, conuertantur quia nunc in inferno ſine corporibus ſunt, in tempore iuſti iudicij carne recepta in infernum conuertentur, *omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Dominum.*

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis. Ac ſi dicat : Scio quoniam peccatores, qui Domini & creatoris ſui obliti ſunt, à Domino obliuiſcentur, pauperis autem ſupra memorati, qui bona ſua omnia vendidit, & pauperibus tribuit, in æternum non erit obliuio.

Patientia pauperum non peribit in finem. Non vt aliquid patiantur, ſed quia ſemper de patientia gratulabuntur. Hucuſque in perſona Eccleſiæ Propheta locutus eſt: hic autem in propria perſona Antichriſti aduentum, eiuſque dominationem & mortem denunciat.

EXPOSITIO PSALMI IX.

B EXurge *Domine, non conforteтur homo.* Quaſi dicat ? Quis eſt Domine homo iſte qui tanto faſtu, tanta pompa, tantaque ſuperbia conſurgit ? Quis eſt hic filius perditionis, qui ſupra omne quod colitur, ſe extollit, oſtentans ſe tanquam ſit Deus ? Quis eſt hic Iudex, ante cuius conſpectum omnes gentes iudicentur? Exurge Domine ſuccurre ſanctis tuis, neque qui peccatoribus præualuit, iuſtis quoque præualeat homo, *iudicentur gentes in conſpectu tuo.*

Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos. Iuſtis inquam auxiliare, inque Sanctorum adiutorium exurge, ſuper eos autem qui eum expectant, quique de illius aduentu lætantur, hunc legiſlatorem conſtituas. Legis quidem lator erit, quia ipſe quoque ſuam legem prædicauit.

Vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt. Homines enim pro ſtultis, & peccatoribus in diuino eloquio frequenter inueniuntur. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 1. Cum alius inquit, dicit ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, nonne homines eſtis ? Sic igitur & iſti cum ad
C iudicium venerint, ſtultos ſe & peccatores [illegible] cognoſcunt qui hominem & non Deum adorauerunt.

Vt quid Domine receſſiſti longe. Videns Propheta per Spiritum Sanctum nimis duram iuſtorum afflictionem, exclamat ? Vt quid receſſiſti longe quare ſanctos tuos dereliquiſti ? Cur ſic eos affligi permittis: Scio equidem ſcio, *deſpicis* & non curas eos liberare *in tam oportuna tribulatione.*

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper. Vere oportuna eſt tribulatio, quæ igne Spiritus in Dei dilectionem ſanctos accendit. Vnde ſcriptum eſt Apoc. 22. Vt iuſtus iuſtificetur adhuc & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc Cum enim aduerſus iuſtos ſuperbit impius, dubium non eſt quin magis ſordeſcat. Pauper vero dum accenditur, iuſtus quidem iuſtificabitur. *Comprehendentur in conſiliis in quibus cogitant*, mala quidem cogitant, & in malo comprehendentur.

Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ.
D Deſiderat peccator ſemper male agere : laudatur etiam à peccatoribus ſemper de male actis: vnde fit vt numquam reſipiſcat. In malis ergo conſiliis comprehendetur. *Et iniquus benedicitur.* A quibus? ab adulatoribus quidem, & iniquis. Iniquus eſt enim, qui de iniquitate benedicit iniquum.

Exacerbauit Dominum peccator. Non ceſſauit, inquit à malo ſed omnibus modis Dominum offendit. *Secundum multitudinem iræ ſuæ non quæret*, nonne quæret, inquit Dominus illius perditionem, quæret vtique ſecundum multitudinem iræ ſuæ.

Non eſt Deus in conſpectu eius. Si enim in conſpectu eius Deus fuiſſet, numquam eum exacerbaſſet. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*, quia Deum non cognouit, omni tempore ſe ſic vitiis coinquinauit.

Auferuntur iudicia tua à facie eius, Apoſtrophe. Iudicia tua Domine omnia vera. & æqua ſunt, vera autem iudicia ab eo auferuntur.

Omnium inimicorum meorum dominabitur. Inimici quippe illius erunt, qui nunquam cuiquam amici eſſe po-

E terunt, vitia ſcilicet malignique ſpiritus. His autem omnibus dominabitur Antichriſtus, quia tales ſeruientes ſecum ſemper habebit & quaſi famulis eis imperabit. Per eius quoque inimicos ſanctos intelligere & poſſumus.

Dixit enim in corde ſuo non mouebor à generatione in generationem ſine malo, Quanta eius fuerit iniquitas, quamque peruerſa eius erit cogitatio, in his verbis deprehenditur : numquam de gente in gentem, de regno in regnum, de generatione viuorum, in generationem mortuorum ſine malo tranſibit.

Cuius maledictione os plenum eſt, Quia omnia verba illius maledicta ſunt. Et amaritudine, quia toxicata, & mortifera ſunt. Et dolo, quia cum deceptione fiunt. Sub lingua eius labor eſt & dolor, quia admonitiones linguæ ipſius ad labores, & dolores homines perducunt.

Sedet in inſidiis. Quid eſt ſedet id eſt perſeuerat. Cum quibus? *Cum diuitibus*, Væ vobis diuites qui cum diabo-
F lo ſedetis. In quibus inſidiis ? In occultis. Ad quid ? Vt interficiat innocentem, quia nocentes diligit, innocentes odio habet.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua. Sicut enim leo in ſpelunca ſua mitibus animalibus, ita & iſte in abſcondito cordis ſui innocentibus inſidiabitur.

Inſidiatur vt rapiat pauperem. Quid eſt rapere pauperem : rapere pauperem eſt, dum attrahit eum, attrahit autem ſi quando decipit.

In laqueo ſuo humiliabit eum. Prius inquit inſidiabitur deinde vero rapiet : raptum autem in laqueo ſuo humiliabit, multos enim fame, ferro, carcere aliiſque tormentis affliget, *Inclinabit ſe & cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Sancti quidem humiliati, & afflicti, ſuper cœlos exaltabuntur: ipſe vero inclinatus in infernum cadet, & merito.

Dixit enim in corde ſuo oblitus eſt Deus, auertit faciē ſuam ne videat in finem. Quia Domini oblitum eſſe di-
G xit, ſanctorumque finem, & mortem non inſpicere, ideo iuſte in infernum cadet & ibi ſuæ iniquitatis meritum recipiens Dominum non oblitum fuiſſe cognoſcet. Poſſumus etiam pro fine, terram intelligere.

Exurge Domine Deus. Antichriſtus quidem cadet, tu autem Deus exurge, Exaltetur manus tua id eſt, virtus, potentia & gloria tua. Vel manus tua, id eſt Eccleſia. *Ne obliuiſcaris pauperum*, vt iſte iniquus putauit.

Propter quid irritauit impius Deum. Exprobratio videns caſum eius dicit. Hoc merito ſibi accidiſſe, quia Dominum irritauit. Quomodo irritauit, *dixit enim in corde ſuo non requiret.* Quid, mortem Sanctorum, quia de ſanctorum afflictione nullam pœnam ſe à Domino recipere opinatus eſt, in hoc, inquit, Dominum irritauit.

Vides? quid vides ? quod iſte quoque te non videre putabat, Sanctorum videlicet afflictionem. Quare quoniam laborem, & dolorem conſideras quem pro te ab iniquis patiuntur. Ad quid conſideras : *Vt tradas eos in manus tuas*, ideſt in poteſtatem tuam vel in ſanctorum congre-
H gationem & hoc merito.

Tibi enim derelictus eſt pauper. A quo? à diabolo quidem à quo prius detinebatur. Quamobrem. *Orphano tu eris adiutor.* O nimium beati qui tali patre viduati, Domini adiutorium promerentur.

Conteres brachium peccatoris & maligni, id eſt, virtutem, potentiam, & Dominationem ſupra dictos homines, *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.* Quid eſt peccatum illius ? Superbia, regnique exaltatio hanc autem ſi quæras, inuenire non poteris, quia cum eo diſtruetur.

Dominus regnauit in æternum & in ſeculum ſeculi. Vere peccatum & regnum iſtius cito peribit : Dominus autem regnauit in æternum. Cum quibus ? cum Sanctis quidem. De malis autem quid fiet ? Sequitur. Peribit gentes de terra illius, quia nullus illorum terram viuentium ingredietur. Tunc tandem. *Exaudiet Dominus deſiderium pauperis.* Qui pauper melius hic quam Apoſtolus intelligi poteſt, qui ſe diſſolui deſiderare dicit, & eſſe

A cum Chriſto, Philip. 1. hoc autem deſiderium tunc erit exauditum. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* id eſt, corda eorum præparata, vitiiſque mundata. Quando fient iſta? cum iudex quidem vniuerſalis venerit? *iudicare pupillo, & humili.* Hæc autem dicta ſunt, *vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.* Omnis enim qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Matth. 23.

EXPOSITIO PSALMI X.

IN *Domino confido.* Reſponſio bonorum contra Iudæos, & hæreticos, quare me ô hæretici ſubuertere nitimini? Quare deceptionis Similitudines mihi narratis dicentes: *Tranſmigra in montem ſicut Paſſer.* Paſſer enim in conuallibus poſitus, ſi quem verſus ſe ſagittarium venire præſenſerit, in montem aduolat: Vos autem, qui homines, & rationales eſtis: cum peruerſos ſagittarios B ſuper vos venire conſpicitis, quare ad nos qui ingenio alti, & ſapientia muniti ſumus, & ad inſuperabiles ſententias noſtras non confugitis? Hoc enim, inquit, vir Sanctus, ſine intermiſſione mihi narratis: Ego autem in Domino confidens fabulationes veſtras non timeo:

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. Peccatores etiam eos vocatis, qui ſancti, & iuſti ſunt, arcum deceptionis eos intendiſſe dicitis, qui pro vniuerſali ſalute ſemper laborant. *Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Sagittas vtique paratas, præclaras & vtiles in cordibus habent; ſed non ad hoc vt rectos corde occulte decipiant, quod vos dicitis. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt.* Apoſtrophe, vides Domine, quia verum, & ſanum ſcripturarum intellectum, quem in ſanctis tuis perfeciſti, iam facere deſtruxerunt & vbique errorem prædicando Eccleſiam deſtruunt, & ad ſe imperfectos conuertunt. Hoc inquit propheta, dicent iuſti: iuſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes C *eius*, ſubauditur conſtituitur. Sed quæ ſunt ſedes eius? Sancti quidem, in quibus ſedet, & habitat. Has autem in ſuo Sancto templo conſtituet, in quo ſine fine ſecum gaudebunt.

Et oculi eius in pauperem reſpiciunt. Dei namque reſpicere misereri eſt. *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, id eſt, ſolo intuitu iuſtos cognoſcit, & peccatores. Vel palpebræ eius, id eſt, diuinæ ſcripturæ, quæ ſicut palpebra, aliquando clauduntur, aliquando aperiuntur. Interrogant autem filios hominum, quia quaſi in ſpeculo ſe quilibet in eis cognoſcere poteſt.

Dominus interrogat iuſtum & impium. Dei quippe interrogatio, cognitio eſt, vt ſic dicatur. Dominus cognoſcit iuſtum & impium. Sed quis eſt impius? *Qui diligit iniquitatem*, impius eſt, & odit animam ſuam: odit quidem, quia occidit.

Pluet ſuper peccatores laqueos. Iuſtis cognitis & peccatoribus, ſanctos, quidem in cœleſtibus regnis ſecum D conſtituet ſuper, peccatores autem laqueo pluet. Quare dixit pluet: quia innumerabilia tormentorum genera in iudicio ſuper peccatores effundet à quibus ſemel detenti numquam amplius expediri poterunt. Pluit etiam in hoc ſæculo, quia diuerſis vitiis, quæ diaboli laquei ſunt illigari eos permittit. Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum erunt pars calicis eorum, per calicem mortem intelligas. Vnde in Euangelio Dominus ait. Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, ignis inextinguibilis, ſulphur & fœtor intolerabilis. Spiritus procellarum, id eſt impetus plurium tormentorum erit pars mortis eorum. Poſſumus autem, & pro qualitate operis hoc figurare, vt qui iraſcibilis & inuidus fuit, in igne qui luxurioſus & adulter in ſulphure, quique in omnibus promiſcue peccauit, in ſpiritu procellarum mori dicamus: Sed ſi hæc omnia vt ait Propheta, eorum pars mortis erunt, manifeſtum eſt, quoniam alia & forſitan peiora eos expectant.

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit. Iuſtitiam quidem diligit, quia vnicuique digna operibus merita tribuit repetitio, Æquitatem vidit vultus eius.

EXPOSITIO PSALMI XI. E

SAluum *me fac Domine, quoniam defecit Sanctus.* Vox iuſtorum ante Chriſti incarnationem. Saluum me fac Domine ne ab iniquorum vanitate decipiar. Quoniam defecit Sanctus, id eſt ſanctitas in omnibus.

Quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, diminuta eſt veritas, quia creuit mendacium. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, quia omnes loquuntur vana, ideo pereunt veritates, habentes labia doloſa, id eſt deceptione repleta. In corde, & corde locuti ſunt, id eſt, in duplici corde, quia aliud dicit & aliud intelligit: Vnde quidam hiſtoriographus ait. Aliud habet clauſum in pectore, aliud depromptum in lingua.

Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam, id eſt magna de ſe loquentem. Horum qui dixerunt? Linguam noſtram magnificabimus. Hoc fecit Arrius, hoc Sabellius, hoc Simon Magus, loquacitatem ſuam ſuper Eccleſiam magnificantes. Labia noſtra à nobis ſunt, id eſt ſententias, quas proferimus, nos ipſi inuenimus. Quis eſt noſter Dominus? hic nimium magnificatur. F

Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Audiuit Dominus iuſtorum vocem ſuperius clamantium. Saluum me fac Domine, nunc autem in adiutorium illis exurgere ſe ſe promittit.

Ponam in ſalutari. Id eſt, hoc officium mei adiutorij, ponam in filio meo. Fiducialiter agam in eo, id eſt prælium veſtræ ſaluationis eo duce facere *non timebo.*

Eloquia Domini eloquia caſta. Lætantur Sancti de Domini promiſſione, quia ſciunt ſe reuera accipere quod promiſit, quoniam eloquia, & promiſſa Domini caſta ſunt, neque vlla falſitate corrupta: Quaſi argentum igne examinatum, probatum terræ, id eſt, quod probatum, & [illegible]m eſt, nulla terrena admiſtione plumbi vel G æris corruptum. Purgatum ſeptuplum, id eſt, multoties finitum pro infinito. Aliter probatum terræ, id eſt, à terrenis hominibus, Ab Abraham videlicet Iſaac, & Iacob cæteriſque quibus promiſit quia in nullo eis mentitus eſt. Purgatum ſeptuplum id eſt ſeptiformis gratia ſpiritus. Namque per Spiritus Sancti gratias quas habuerunt Apoſtoli, erroris intelligentiam à nouo veterique teſtamento purgauerunt, quę ſine dubio ſunt eloquia Domini; Ergo quia ſic verax eſt Dominus qui filij ſui incarnationem nobis promiſit, quod Chriſtus veniat dubitandum non eſt.

Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. Ac ſi dicat: Te Chriſte deſiderauimus, te diu expectauimus, tandem veniſti, tu ſaluabis nos, tu cuſtodies nos ab hac præſenti generatione in ſæcula ſæculorum. Impiis autem quid fiet: Sequitur.

In circuitu impij ambulant. Quia etiam nunc circa Eccleſiam vagantes in eam intrare nolunt? Vel in circuitu H terrena negotia exercentes. Vel quia in circuitu ſcripturarum laborantes, ſolam ſuperficiem, & ea quæ circa ſunt conſiderant, medullam autem, & ea quæ interius latent, pœnitus ignorantes: Vel ideo in circuitu, quia quaſi canes circumcirca obambulantes, in illam æternam ciuitatem intrare non poterant.

Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum. Quod filij hominum & peccatores Sanctis, & Dei filiis ſuperabundant, hoc ſecundum altam, & inenarrabilem ſcientiam factum eſt. Vel ſecundum altitudinem tuam id eſt per exaltationem crucis, multiplicaſti & creſcere feciſti Eccleſiam. Vel etiam multiplicaſti filios hominum, virtutibus & ſanctitate.

EXPOSITIO PSALMI XII.

VSqueque *Domine obliuiſceris me in finē*, ideſt omnino, vel vſque quo obliuiſceris me tēdentem in finem ideſt ad te, qui es Alpha, & Omega principium & finis:

A Vſquequo auertis faciem tuam à me: Vſquequo, inquit, meis indignatus peccatis, dedignaberis me videre.

Quamdiu ponam conſilium in animam meam. Id eſt, tandiu iratus mihi eris, quamdiu meam, & non tuam faciam voluntatem, quamdiu humanum, & non diuinum conſilium ſequar? *Dolorem in corde meo per diem*, id eſt quamdiu de amiſſis rebus: vel de miſeria ſuperuenienti dolebo? Aliter. Quamdiu ponam conſilium in animam meam, id eſt, niſi in animam, & non in carnem conſilium ponam, vt non corporis, ſed animæ faciam voluntates, omni tempore mihi eris iratus. Dolorem in corde meo per diem, id eſt, niſi pœnitens doleam & plangam, quia Chriſtum, & diem amiſi, & diabolum, & noctem ſum imitatus.

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me. Vſquequo ab inimico meo diabolo, & à vitiis ſuperabor? Reſpice & exaudi me Domine Deus meus, quia meis viribus inimico reſiſtere nequeo, tu Domine ne auertas faciem tuam a me, ſed reſpice, & exaudi me.

B *Illumina oculos meos.* Quos diabolus, ne te cognoſcerem excæcauerat. Ne vnquam obdormiam in morte, id eſt, ne in peccatis moriar: Vel, ne in morte, id eſt in diabolo delecter: Vel ne dormitio mea, mors ad impiorum ſimilitudinem fiat, ſed perpetua quies ad bonorum imaginem. Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum, quod vtique faceret, ſi vita finita, me in peccatis inueniret.

Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero. Id eſt, inimici mei qui me in has miſerias, & ærumnas de paradiſi gaudiis impulerunt, ſi à te & à fide tua motus fuero exultabunt. Ego autem in miſericordia tua ſperabo, tu me, inquit, à ſupradictis inimicis defende, ego quidem non in meis viribus, ſed in tua miſericordia ſperabo.

Exultauit cor meum in Salutari tuo. Id eſt de ſalute tua. Scio quidem quia in te ſperaui quoniam ſaluabis me. Cantabo Domino qui bona tribuit mihi: quia bona, & ſalutem tribuit mihi Dominus, hominis interioris, &
C exterioris voce cantabo. *Et pſallam nomini Domini altiſſimi*, id eſt bona operabor, & ſine intermiſſione nomen eius, quo ab inimicis defendor, laudabo.

EXPOSITIO PSALMI IV.

D*Ixit inſipiens in corde ſuo. Non eſt Deus.* Inſipiens Iudæorum populus, videns Chriſtum tectum carne humana, Deum non eſſe cogitauit: vel etiam gentiles alium Deum non eſſe affirmauerunt, niſi fortunam & animum. Vnde corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, id eſt, à tam peruerſis cogitationibus coinquinati & corrupti ſunt, & in lege, & ceremoniis in quibus maxime ſtudebant, Deo abominabiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Merito quidem abominati ſunt, quia nemo illorum bona agit quinimmo nec aliquis vſque ad vnum, id eſt vſque ad illos, qui vnum Deum, vnam fidem, vnum baptiſma colunt, quibuſque eſt cor vnum, & anima vna.

Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Probatio eſt
D à diuina auctoritate, quod nemo ab Eccleſia ſeparatus, vllo in loco bona operetur, quia Dominus ſuper filium hominum aſpiciens nullum intelligentem aut requirentem Deum vidit. Quales igitur inuenit. Sequitur.

Omnes declinauerunt ſimul. Id eſt vno modo ab excelſo Dei imperio decidentes, diaboli iugo ſe ſubmiſerunt. Vnde *inutiles facti ſunt.* Inutiles facti ſunt Deo quia filij placita non operantur. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Quod diuina probauit auctoritate, cui nemo refellere audet. Hoc iam quaſi ratum concludens, ait. Ergo non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Quandam diuiſionem videtur hic facere, ac ſi dicat. Malorum alij ſunt ſepulchrum patens id eſt hæretici. Alij veloces ad effundendum ſanguinem, id eſt tyranni. Alij autem qui viam pacis non cognouerunt, id eſt, Iudæi. Horum autem nemo bonus eſt. Vnde conſtat, quod nulli ab Eccleſia
E ſeparato, ineſt bonitas. Sepulchrum patens eſt guttur eorum quia extrinſecus dulcia & dolo dealbata ſunt illorum verba. Vel vt ſuperius diximus ſepulchrum patens id eſt infernus, eſt lingua eorum, quia in infernum, qui nemini clauditur, animas inducit. *Linguis ſuis doloſe agebant*, id eſt doloſa verba proferebant. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*; quia mel & dulcedinem labiis pronunciant: In cordibus autem & intellectu venenum latet & amaritudo: qua qui ſemel imbutus fuerit, vix amplius mederi poterit.

Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Maledictione quidem: quia omnia illorum verba à Deo ſunt maledicta. Amaritudine autem, quia quaſi toxicum & venenum, animas mortificant. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Hoc de tyrannis dicitur, qui Sanctorum Sanguinem ſitientes, prompti, & veloces ſunt ad effundendum.

Contritio & infelicitas in viis eorum. Hoc de Iudæis videtur eſſe dictum, quia ad contritionem, & ſummam
F infelicitatem per ſuæ iniquitatis opera deuenient. *Et viam pacis non cognouerunt*, via pacis Chriſtus eſt, hanc autem non cognouerunt Iudæi, quia ſi cognouiſſent, numquam Dominũ gloriæ crucifixiſſent, *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*: non vtique timuerunt, quando filium ſuum crucifixerunt, nec nunc quidem timent, cum de tanto ſcelere non pœniteant. Increpatio.

Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem. Hic vox Patris inducitur loquentis & minantis: Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem id eſt hæretici. *Et qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis*, id eſt tyranni. Et illi qui videntes Chriſtum Dominum non inuocauerunt, ſed illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, quia niſi Chriſtum occiderent, & locum & gentem ſe ſe amittere putabant. Ioan. 11. Vel quia aliquando idola adorantes, quaſi Deum ea timebant, quæ vtique timenda non erant. Vel, quia adhuc legem, & Prophetas legentes, ſpiritualem intelligentiam eis apponere non audent.

G *Conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes eius eſt.* Huc vſque Deus Pater. Nunc Eccleſia loquitur, dicens. Vos Iudæi conſilium inopis id eſt Chriſti (qui cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, Corinth. 8. confudiſtis, id eſt cæteris conſiliis commiſcuiſtis, neque prætuliſtis veſtris, immo vilius habuiſtis. Quoniam Dominus ſpes eius eſt quia in Domino ſperauit & quod verum eſt Matth. 27. Se Dei filium confitebatur, ideo nec verbis eius credidiſtis ſed quod nequius eſt morti eum adiudicaſtis.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Quandoquidem Chriſtum interemiſtis, quis alius veniet ex Sion, vt aiunt veſtri Prophetæ, & dabit ſalutare Iſraël? Legitur enim in Prophetis: quoniam ex Sion veniet, qui auferet & auertet captiuitatem à Iacob quod fiet, cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ. Hoc tamen iam ex parte factum eſt, quia redempta eſt Eccleſia, quæ à
H diabolo captiua detinebatur: In quo alio? Exultabit Iacob, & lætabitur Iſraël. Aliter, per Sion Eccleſiam animarum, quæ iam in cælis poſitæ ſunt, per Iacob autem, & plebem ſuam terrenam, Eccleſiamque, quam adhuc vitia ſupplantant. Per Iſraël vero, quoſcunque ſanctos & Deum videntes intelligimus. Quis igitur alius in die iudicij veniens ex Sion, id eſt, ex cœleſti congregatione ſanctarum animarum dabit ſalutem Iſraël. Et quando Dominus conuerterit captiuitatem à populo ſuo qui eodem in tempore fiet. Apoc. 21. quia neque luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor amplius erit. In quo inquam, alio tunc temporis exultauit Iacob, id eſt Eccleſia, & lætabitur idem ipſe, iam factus Iſraël, quia Deum videbit. Nullo alio: decepti ſunt igitur Iudæi.

EXPOSITIO PSALMI XIV.

D*Omine quis habitabit in tabernaculo tuo.* Tabernaculum Dei, eſt Eccleſia quæ in hoc mundo peregrinatur. In hoc autem habitant, qui in bonis operibus

perſeuerant, multi enim in Eccleſia ſunt, qui non in ea habitant, ſed in diuerſis vitiis quaſi in diuerſis ciuitatibus ſtationem faciunt. Vel tabernaculum Dei, Chriſtus eſt in Chriſto autem habitat qui in eo delectatur. Vel in tabernaculo tuo id eſt in cœleſti Ieruſalem. Repetitio, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo, id eſt, in excelſo cælorum habitaculo, ſiue de tuo ſcriptum eſt, in Chriſto: Venite aſcendamus in montem Domini? Iſaiæ 2. Reſponſio, qui ingreditur ſine macula, maculam pro criminali peccato poſuit, nam ſine aliqua macula nullus eſſe poteſt, nec vnius diei infans, & operatur iuſtitiam, non enim ſufficit alicui, eſſe ſine macula, niſi & iuſtitiam operetur Iuſtitiam quidem operatur, qui nec ſe, nec alium iniuſtè corrumpit, quique ſe, & alium pro iniquitate dominauit.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Qui non deceptionis mendacia cogitat, ſed ædificationis veritatem compenſat. *Qui non egit dolum in lingua ſua*, dolum quidem in lingua agit, qui verborum duplicitate alios decipit.

Nec fecit proximo ſuo malum. Proximus noſter, quicumque fidelis eſt, *Et opprobrium non accepit*. Quod fieret aduerſus proximos ſuos, non accepit non mente concepit, non acceptabile habuit opprobrium proximorum. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*, quia pro nihilo apud eum reputatur. Vel quia pro nihilo habuit eos à quibus ipſemet occidebatur. Siue in die iudicij, cum ante conſpectum eius venerint, ad nihilum, & ad mortem reducentur. Timentes autem Dominum glorificat Dominus: glorificat quidem, quia, & coronat, & de inimicis vindicat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit. Promiſſio namque iuſti, iuramentum eſt. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram*, hoc ad litteram intelligi poteſt. Dant tamen & prædicatores pecuniam ſuam ad vſuram ſi pro munere vel fauore aliquo Euangelium prædicant. Dant & illi pecuniam ad vſuram, qui ideo eleemoſynas faciunt vt ab hominibus videantur. Quia ſicut ſcriptum eſt, receperunt mercedem ſuam. Matth. 6. id eſt vſuram. Et munera ſuper innocentem non accepit: ſuper innocentem munera accipit, qui vel pro munere rectum detorquet iudicium, vt faciat bonum malum, & malum bonum: & album nigrum & nigrum album, vt ait propheta. Vel, qui pro munere & lucro terreno, innocentem deprædatur, atque occidit. Qui facit hæc, videlicet, qui ingreditur ſine macula, qui operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem, qui non agit dolum, non mouebitur in æternum, quia in monte prædicto, ſine fine cum Domino manebit.

EXPOSITIO PSALMI XV.

C*Onſerua me Domine.* Vox mediatoris pro Eccleſia loquentis, vt enim pro ſeruis loquitur Dominus, & lingua pro vnoquoque membro, ita pro tota Eccleſia loquitur Chriſtus. Conſerua me Domine, id eſt conſerua eos quos mihi dediſti; quoniam in te ſperaui, ideo enim in te ſperaui, & ab Angelis me minoraui. Pſalm. 8. vt eos conſeruares. Prius enim quam homo fieret in nullo ſe maiore ſperare poterat, ergo quia carnem ſumpſit in Domino ſperauit. Nihil igitur aliud eſt, quoniam in te ſperaui, niſi quia in tui obedientia carnem aſſumſi. Vel, in te ſperaui, id eſt, eos in te ſperare feci: qui prius in homine ſperabant atque principibus. *Dixi tibi Domine Deus meus es tu*, quia te Deum, & Dominum vocaui ideo conſerua eos. *Quoniam bonorum meorum non eges*: conſerua, nec dicas non ſunt digni, non mihi ſeruierunt, non enim tu eorum indiges ſeruitio, ſed ipſi potius tuo beneficio.

Sancti qui ſunt in terra eius mirificaui omnes voluntates meas in eis? Quæ fuerunt voluntates eius? Incarnatio. Natiuitas, Paſſio, & Reſurrectio, & ſimilia. De his autem non ſolum infideles, ſed etiam Sancti admirantur. Infideles quidem admirantur, & negant: Sancti autem admirantur, & credunt. Tale eſt igitur ac ſi diceret: conſerua eos Domine, nolo enim amittere: adeo enim eos diligo, vt tanta pro eis paſſus ſim, quod non ſolum de paſſione, verum etiam de paſſionis voluntate admirentur.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. Ac ſi dicat: Conſerua eos, omnino enim tua indigent conſeruatione, & eſt antipophora redditiua, indigent, enim medico, quia multas habent infirmitates, indigent, quia multa peccata fecerunt: indigent quia à multis tribulantur, indigent, quia multa idola coluerunt. In hebræo enim pro infirmitate, hoc in loco, idola ſcriptum eſt: Aliter conſerua eos, quia ſuas cognoſcunt, & confitentur infirmitates.

Poſtea accelerauerunt. Prius, inquit, peccauerunt, idola coluerunt, & infirmati ſunt, poſtea accelerauerunt & feſtinanter ad me verum medicum cucurrerunt. Vel poſtea accelerauerunt iuſti, videlicet, ad præmium: iniuſti autem ad ſupplicium. Quia priuſquam medicus veniſſet & iuſti, & iniuſti ad infernum ibant. Siue poſtea accelerauerunt, quia priſtinam vitam deflentes, omnes ad Dei ſeruitium ſe accinxerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Quia, inquit, hoc fecerunt, & illud & illud; de ſanguinibus, & peccatis eorum conuenticula, vel iudicium non tenebo: vel congregationes eorum tales erunt, quæ non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.

Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Hoc etiam ad litteram obſeruandum eſt, namque & Simonem Petrum, Ioannis 1. & Saulum, Paulum Act. 13. vocauit. Spiritualiter autem ſic intelligitur. Non vocabo peccatores, non idololatras, nec ſemen Cananei, ſed iuſtos & ſanctos, & filios chariſſimos.

Dominus pars hæreditatis meæ. Hæreditas Dei Eccleſia eſt, huius autem pars Dominus eſt, quia de duobus ſibi in partem elegit. Alij vero elegerũt diabolum. Namq; Deus, & diabolus ita à cunctis neceſſario diuiduntur, vt ſine altero iſtorum nullus eſſe poſſit: Ergo quia talem ſibi partem ſancti elegerunt, merito filij Dei vocabuntur. Et calicis mei, id eſt meorum: mortis namque Sanctorum eſt Dñs pars; quia partim pro eo, partim pro acquirenda beatitudine moriuntur. Vel calicis mei, quia cibus, & potus, & ſumma bonorum refectio eſt. *Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Quia pro Iudæorum amiſſione, gentiles mihi ſubiicies: vel reſtitues in die iudicij, quia corporibus animabus coniunctis dicam Sanctis: venite benedicti patris mei. Matth. 25. Vel quia mihi eam claritatem reddes, quam priuſquam mundus fieret, tecum habui. Ioan. 17.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Ad eorum ſimilitudinem loquitur, quibus, prædia diuidentibus, aliis in bonas terras, aliis in lapidoſas, funes & perticæ cadunt quibus eæ diuiduntur. Et lætatur, quia amiſſis Iudæis tam præclaram gentium ſortitus eſt hæreditatem. Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi, mihi quidem præclara eſt etſi aliis fortaſſe vilis videatur. Vel hæredibus meorum, id eſt, in terra viuentium præclara eſt in eis.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Ex hoc inquit, Dñm benedico, quia fidelibus meis tribuit intellectum qui prius indocti erant, & manuum ſuarum opera ſtulte colebant. Inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei, inſuper ex hoc quoque benedicam Dominum, quod renes mei, id eſt Iudæi, ex quorum renibus partes mei & ex quorum carne natus ſum, me increpando & blaſphemando vſque ad mortem, & infernum ire compulerunt. Vel ex hoc benedicam Dominum, quod renes mei id eſt intellectus & cogitationes meorum vſque ad mortem pro fide conſeruanda eos ire docuerunt.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Ac ſi dicat: Quamuis in mortis paſſione & ego & mei fuiſſemus, tamen in conſpectu meo & meorum, Deum adiutorem ſemper inſpexi. Et quoniam à dextris eſt mihi ne commouear, propter hoc lætatum eſt cor meum. Propter hoc, inquit, lætatur cor meum, quia pater & diuina pietas mihi à dextris aſtitit ne commouerer & ob mortis dolorem iraſcere ſicque omnes gentes in-

A terficerem. Vel etiam inde lætor quod Dominus à dextris & in adiutorium eſt ſanctis ne aliqua tribulatione ab ipſius fide commoueantur. Et exultauit lingua mea. Ideſt Apoſtoli in prædicatione. Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, videlicet reſurrectionis.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Vere reſurgam, Matth. 27. neque cum peccatoribus ab inferno & morte detinebor, Ephſ. 4. ſed gaudens, & triumphans, capta præda cœlos aſcendam. Marc. 16. *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quia neque Chriſtus anima vel corpore corruptus eſt. Neque ſancti, etſi corporis detrimenta patiantur, animæ tamen non corrumpuntur.

Notas mihi feciſti vias vitæ. Ideo, inquit, non detinebor à morte, quia cognita eſt mihi via vitæ, non errabo in via, ſed recto itinere ad patrem ibo. Vel etiam mihi feciſti notas vias vitæ, id eſt opera quibus itur ad vitam.

B *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Quia, inquit, viam noui, ſine impedimento aliquo ad te veniam, cum autem tecum fuero, de vultu, & claritate ſumpta lætabor. Expoſitio. Delectationes etiam mihi in dextera tua vſque in finem delectationum, id eſt infinitæ delectationes. Hoc quoque de ſanctis intelligi poteſt quia vias vitæ nouerant, & de vultu & claritate Dei lætabuntur, & à dextris eius poſiti, æternas ſuſcipient delectationes.

EXPOSITIO PSALMI XVI.

E*Xaudi Domine iuſtitiam meam.* Hoc repetit, Intende deprecationem meam. Hæc vox Domini, vt hominis eſt, pro ſe & pro ſuis loquentis. *Auribus percipe orationem meam, factam, non in labiis doloſis*, vt aliud dicamus, & aliud cogitemus; quod hæretici faciunt, & adulatores.

De vultu tuo iudicium meum prodeat. Prodeat, & ma-
C nifeſtetur iudicium, quo ante Pilatum iudicatus ſum. Luc 21. De vultu tuo, id eſt, ſecundum voluntatem tuam factum eſſe, ne hoc aliquis illorum viribus, vel meæ imbecillitati deputet, verum tuæ voluntati, cui nemo reſiſtere valet: quia non haberent in me poteſtatem niſi hoc à te ſibi datum fuiſſet. Io. 19. Aliter de vultu tuo iudicium meum prodeat, id eſt, ſecundum voluntatem tuam iudica meos: ſic tamen vt oculi tui videant æquitatem.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte. Merito, inquit, me atque meos exaudire debes, quia & me & illos, cum etiam in ipſa nocte, tribulationum aduerſitate viſitaſti, tibi fideles, & per omnia obedientes nos eſſe probaſti. *Et non eſt inuenta in me iniquitas*, æquum enim eſt, vt filius Patri, & ſeruus Domino obediat, ideoque & Chriſtus, qui filius eſt, factus eſt obediens vſque ad mortem, Philip. 2. & nos qui ſerui ſumus obedire debemus, quo fit vt iniquitas in nobis non inueniatur. Alia cauſa.

D *Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras.* Labia Dei, ſunt Prophetæ. Apoſtoli, & Doctores, quia per eos loquitur. Propter iſtorum autem verba, inquit Eccleſia: ego cuſtodiui vias duras, quoniam quæ iſti ore dixerunt, ego opere implere conatus ſum. Vt non loquatur os meum opera hominum, id eſt, ea quæ loquor, non me iactando, vel te incuſando loquor, ſed vt meam orationem exaudias, quaſi ad memoriam reduco. Aliter, adeo equidem cuſtodiui vias duras, vt non ſolum facere, ſed nec etiam ore opera hominum pronunciare voluerim: neque ſermo temporis, vel verbum otioſum ex ore meo proceſſit. Hoc autem de ſe quoque Chriſtus dicere poteſt: qui legis, & Prophetarum complens mandata, duram & aſperam à Iudæis pertulit paſſionem. Deprecatio.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis. Quia, inquit: iam incœpi, vt vſque in finem perſeuerare poſſim, perfice greſſus meos in ſemitis tuis. Iuſtitia namque pax, pa-
E tientia, maieſtas, concordia, ſemitæ ſunt, per quas ad Dominum itur. In his autem perficiuntur pedes noſtri quando ab eis diuelli nequeunt. Hoc eſt, quod ſequitur. *Vt non moueantur veſtigia mea.*

Ego clamaui. Ego, inquit, homo Dominicus, in cruce poſitus ad te Pater clamaui. Luc. 23. tu autem *Exaudiſti me Deus, inclina aurem tuam mihi; & exaudi verba mea*: id eſt, meorum: neque enim profuit me exaudiſſe, niſi & eos, pro quibus ſum paſſus, exaudias. Pulchre autem dixit: Inclina, omne enim quod inclinatur, ei, cui ſe inclinat, appropinquatur. Mirifica miſericordias tuas: fac, inquit, miſericordias tuas mirabiles eſſe, dando ſeruis eandem, quam Dominus habet, poteſtatem. Vel mirifica: id eſt, charas fac; & acceptabiles: quod enim miramur, quodammodo extollimus. Mirantur ergo Dei miſericordias, qui Natiuitatem, paſſionem & reſurrectionem diligunt. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me vt pupillam oculi.* dextera Dei Chriſtus eſt:
F reſiſtentes autem quicunque infideles. Rogat igitur filius Patrem, vt à ſibi reſiſtentibus eum defendat, quaſi pupillam oculi exiſtentem. Pupilla oculi dicitur Chriſtus, Zach. 2. quia, & in omnibus clarior eſt, & lumen quo omnes homines illuminantur. Aliter, cuſtodi Pater membra mea, ab his qui mihi reſiſtunt, quia quaſi oculi pupilla, cito frangi poſſunt. Hoc etiam in perfectorum perſona Eccleſia dicere poteſt, vt ſic eã ab hæreticis Deus defendat, quemadmodum pupillam oculi, id eſt Apoſtolos: in quibus totum Eccleſiæ corpus illuminatur.

Sub vmbra alarum tuarum protege me. Dilectio Dei, & proximi, & nouum, & vetus teſtamentum, itemque iuſtitia, charitas, cæteræque virtutes, alæ Dei ſunt, quia ſine his nemo ad eum volare poteſt. Vnde hic dicit Chriſtus: Protege me Domine ſub alarum tuarum vmbra poſitum. Si enim vitia & cõcupiſcentiæ exarſerunt; merito vmbram & refrigerium iſta præbere dicuntur. Vel ſub vmbra alarum tuarum, id eſt, ſub protectione tua protege me à facie impiorum qui me afflixerunt: id eſt, in præſentia Iudæorum. Hoc quoque ſuper Eccleſia intelli-
G gi poteſt, namque & ſub eiſdem alis conſtat Eccleſia; & ab inimicis ipſa quoque perſecuta eſt.

Inimici mei animam meam circumdederunt. Iudæi videlicet in paſſione. Adipem ſuum concluſerunt, id eſt, ſuperbiam, vitiorumque copiam amplexati ſunt, quibus verus medicus eos curare volebat. *Vel adipem ſuum concluſerunt*, Quia Chriſtum occidentes, & in ſepulchro claudentes, omnes illius terræ, lacte, & melle fluentis diuitias amiſerunt. *Os eorum locutum eſt ſuperbiã* quia reus eſt mortis, crucifige crucifige dixerunt. Matth. 27. *Proiicientes me nunc circumdederunt me*: quoniam, inquit, me extra ciuitatem proiecerunt; nunc quoque proiiciunt, dum non ſe niſi Cæſarem Regem habere dicunt. Io. 19. Sed non ſicut olim, olim enim proiicientes me, incolumem abire permiſerunt: nunc autem proiicientes, etiam circumdederunt; *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*; non vtique ea quæ ſurſum ſunt, aſpexerunt, ſed ad ſola terrena oculos flectentes, quia & lo-
H cum, & gentem Ioan. 11. & terrenas diuitias ſe ſe amittere putabant, Chriſtum occidere maluerunt. Vel oculos in terra ſtatuerunt, quia terram, & purum hominem Chriſtum eſſe opinati ſunt.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam. Me, inquit, quem, vt Deum, honorifice, ſummaque cum reuerentia ſuſcipere debuerunt, quaſi leones, leonumque catuli ad prædam parati, cruentis faucibus ſuſceperunt. In abditis quidem habitant, quia omnis qui male agit, lucem fugit, & odit. Ioan. 3.

Exurge Domine &c. Mihi in adiutorium exurge. Illum autem populum Iudaicum præueni: qui ſemper incautus eſt, quique nihil timet. *Et ſuplanta eum*, id eſt, da gentibus hæreditatem, quam iſte ſibi promittebat. *Eripe animam meam ab impio*, videlicet, à ſupradicto Iudæorum populo. Et eripe frameam tuam ab inimicis manus tuæ: me, inquit, eripe, qui ſum tua framea, qui antiquum inimicum trucidaui, quique iuſtos à peccatoribus in iudicio diuidam. *Domine à paucis de terra diuide eos:*

A Pauci enim ſunt boni ad malorum comparationem. Vnde etiam dicitur: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Matth. 20. Ac ſi dicat: diuide Domine hos inimicos manu potentiæ tuæ, à Sanctis qui in eccleſia habitant. Magna, enim erit diuiſio, & ſeparatio, cum illi infernum, iſti vero cœleſtia regna petent. Matth. 25. *In vita eorum de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*, quamdiu, inquit, ſancti vixerunt, cœleſti pane, & ſecreta ſcripturarum intelligentia impleri cupierunt: Illi autem, (Iudæi ſcilicet) *Saturati ſunt filiis*, id eſt, vitiis, & peccatis, quæ ipſimet ſibi genuerunt. *Et dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis*, noluerunt enim crucis delictum in ſe eſſe finitum, ſed clamantes: Sanguis eius ſuper nos, & filios noſtros, Matt. 27. in poſteros miſerunt. Aliter Saturati ſunt filiis, id eſt, ſicut diuitiis ita & prolixa fœcunditate repleti ſunt. Et dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis, quia panem viuum & Chriſti corpus faſtidientes, humili gentium populo ad manducandum reliquerunt. B Ego autem, dicit Eccleſia, in iuſtitia, apparebo conſpectui tuo, illi quidem filij ſaturati, ego autem ſecretis tuis repleta, ante conſpectum tuum manifeſtabor; & tunc tandem *Satiabor cum filij tui gloria apparuerit*. Vel etiam hoc Chriſtus dicere poteſt. Me Iudæi iniuſtum, & peccatorem vocantes, cum iniuſtis, & peccatoribus ab inferno detineri opinati ſunt; Ego autem cum iuſtitia cœlos aſcendens, tuo conſpectui Pater apparebo, cum autem gloria tua ſanctis manifeſtabitur, tunc æterna beatitudine cum eis ſatiabor.

EXPOSITIO PSALMI XVII.

Diligam te Domine, &c. Hoc autem in pſalmo aliquando Eccleſia, aliquando loquitur Chriſtus. Fortitudo mea, quia per te fortis ſum. *Dominus firmamentum meum*, quia ſecundum carnem, fragilis ſum. *Et refugium meum*, quia in aliis armis vel munitionibus non confido. *Et liberator meus* quia à Iudæis me liberabis. Deus meus, ſecũdum hoc quod homo ſum. *Adiutor meus*; in tempore tribulationis. *Et ſperabo in eum*. C In talem, inquit, ſperabo, non in alium adiutorem. *Protector meus, quia me protegit, & defendit. Et cornu ſalutis meæ*; id eſt fortis & alta defenſio. *Et ſuſceptor meus*, quia die tertia me ſuſcitauit.

Laudans inuocabo Dominum. Propter prædictas cauſas in tempore crucis laudando inuocabo te, & *ab inimicis ſaluus ero*. Habes ne inimicos? Sequitur.

Circundederunt me dolores mortis. Præteritum, pro futuro poſuit, ac ſi dicat. Ecce aſcendimus Hieroſolimam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Matth. 20. Circundederunt dolores mortis, id eſt Iudæi, dolores mortis inferentes vel dolores, qui in morte habentur. *Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me*: quia ecce turba, & qui vocabatur Iudas, venit, torrens, & iniquorum impetus ad diſcipulorum gregem conturbandum, quia paſtore percuſſo, diſpergentur oues gregis. Marc. 24.

Dolores inferni circumdederunt me. Id eſt illi, quos D infernales dolores exſpectant. *Praeoccupabunt me laquei mortis*, quia cum gladiis, & fuſtibus, vndique ſuperuenient. Laquei mortis ideo dicuntur, quia diabolicæ fraudis deceptiones in eis erant. *In tribulatione inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui*, clamauit Chriſtus in cruce poſitus, dicens: Eloi Mat. 15. Eloi, & Deus meus in manus tuas commendo ſpiritum meum, Luc. 23. *Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam* per templum ſanctum eius ſuæ diuinitatis ſecretum, vel, ipſum corpus Dominicum intelligimus. *Et clamor meus, ſemper exiſtens in conſpectu eius, introiuit in aures eius*.

Poſt hæc, inquit Eccleſia, *Commota eſt & contremuit terra*. Hoc etiam ſecundum litteram factum eſt, quia in Chriſti paſſione omnis terra tremuit. Matth. 27. Spiritualiter autem, commota eſt & contremuit terra: quia illi qui ſimplex terra erant, quique de anima nihil curabant, ab infidelitate ad fidem commoti, cum timore, & tremore, Domino ſeruire cæperunt. *Fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt*, ſicut enim Chriſtus, E Apoſtoli, & Prophetæ, Eccleſiæ ſunt fundamentum: ita diuitum & ſuperborum, qui per montes intelliguntur, ipſe malignus ſpiritus, ſuperbia, cæteraque vitia fundamentum ſunt. Hæc autem ſunt commota & conturbata; quia baptiſmo & pœnitentia ſunt confuſa. Vel etiam, tunc fuerunt commota & conturbata: quando Chriſtus tartara ſpoliauit. Epheſ. 4. *Quoniam iratus eſt eis*, id eſt, quoniam ſe iratum illis oſtendet, niſi enim ſuam iram Chriſtus propalaret, malignus quidem, vitiaque prædicta, plus ſolito non conturbarentur.

Aſcendit fumus in ira eius. Quia fumo excitantur lacrymæ, pro lacrymis fumum poſuit, & eſt cauſa pro effectu, ac ſi dicat: Domino iraſcente, vitiiſque expulſis & conturbatis, homines iam emundati, lacrymoſa compunctione flere cœperunt *Et ignis à facie eius exarſit*, ignis namque & feruor ſpiritus Sancti à facie Domini procedens, in omnibus exarſit, quia & vitia excuſſit, & ſanctos illuminauit.

F *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo*, carbones quidem extincti erant, quia primus homo quando peccauit, lumen, feruorem, & claritatem humano generi abſtulit, eique cæcitatem, mortem & nigredinem intulit, erant igitur homines ſic extincti, quos Spiritus Sancti gratia ardere fecit.

Inclinauit cœlos & deſcendit. Prius, inquit Eccleſia, inclinauit Dominus cœlos, id eſt, miſit Prophetas & Angelos, qui ſuum aduentum mundo nunciarent. Iſaias enim dixit: Ecce virgo concipiet. (Iſaiæ. 7.) Gabriel autem ad Mariam: Paries, inquit, filium, & vocabis nomen eius Ieſum, (Matth. 1.) deinde deſcendit, & carnem aſſumpſit. *Et caligo ſub pedibus eius*: Cœlum, inquit, mihi ſedes eſt, terra autem, ſcabellum pedum meorum. (Act. 7.) Ergo quia terra eſt ſcabellum, ſub pedibus eius eſt: per terram autem, quam ſub pedibus eius eſſe diximus, corpus Dominicum intelligimus. In hoc autem tanta caligo fuit, vt vix pauci in eo Diuinitatem latitantem cognoſcere poſſent. G Fuit etiam caligo in hoc corpore, quia omnis ſcripturarum profunditas, omnis ſapientiæ & ſcientiæ plenitudo, in Chriſto permanſit. Ioan. 1. Aliter. Sicut per cœlos, Apoſtolos, ita per peccatores, infernum intelligas. Inclinauit Dominus igitur cœlos, quando inter peccatores ad prædicandum, Apoſtolos miſit, Mar. 16. quid enim magis inclinatur, quam qui de cœlo in infernum deſcendit. Et deſcendit, quomodo deſcendit? Apoſtolica prædicatione. Vbi deſcendit? in omnes terras. Vnde alibi dicitur: Deſcendit ſicut pluuia in vellus. Pſal. 71. Et caligo ſub pedibus eius, iidem enim Apoſtoli, pedes eius ſunt, in quibus caligo & ſcripturarum omnium profunditas: Vel, qui diabolum & vitia, & principum minas ſub pedibus conculcauerunt, ideo ſub eius pedibus, caligo eſſe dicitur. Vnde Apoſtolus: Deus autem Pacis, inquit, conteret Sathanam ſub pedibus veſtris velociter. Rom. 16. Hic autem merito caligo dicitur, ſiquidem tenebrarum princeps eſt. Epheſ. 6. *Et aſcendit ſuper Cherubin*; H Cherubin ſcientiæ plenitudo interpretatur, ſignificat autem eoſdem Apoſtolos, qui omnis ſcientiæ fonte inebriati erant. Inclinauit igitur Dominus cœlos, præparauit ad itinera equos, aſcendit ſuper Cherubin, aſcendit ſuper equos ſuos *& volauit*. Vbi? *ſuper pennas ventorum*, id eſt, ſuper inſtabiles, & ſuperbos, quia in eis non inuenit habitationis locum. Poſſumus etiam per ventos, animas intelligere, per pennas autem, virtutes. Volauit igitur ſuper pennas ventorum, quia omnes animas ſanctitate tranſcendit. Super aſcenſionem quoque iſte verſus intelligi poteſt quia ab Angelis ſuper cœlos exaltatus eſt, vbi venti aſcendere nequeant.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum. Per tenebras, obſcura Doctorum & Prophetarum verba intelligimus. Hæc autem latibulum Dei ſunt, quia in his veriſſime deprehenditur. *In circuitu eius, tabernaculum eius*, id eſt, Dei Eccleſia. Hoc autem tabernaculum circa Dei latibulum manet, quando nos circa Pſalterium ſumus, vel quicunque fideles in ſcripturis ſe exercent. *Tenebroſa aqua in nubibus aëris*, quia tenebroſa & obſcura eſt

A ſcriptura Prophetarum, quos nubes ſignificant, inde cognoſcitur, quod ſuum latibulũ Dominus tenebras poſuit. Poſſumus etiam per tenebroſam aquam, erroneam hæreticorum ſapientiam intelligere. Aliter. *Poſuit tenebras* latibulum ſuum, quia carnis indumento aſſumpto non ab omnibus cognitus eſt. *In circuitu eius tabernaculum eius*, id eſt Apoſtolica congregatio, vel ipſa caro aſſumpta. Obiectio. Quare cognitus non eſt, cum ab omnibus Prophetis eſſet annunciatus? Ierem.1. Cui ipſe: *Tenebroſa aqua in nubibus aëris*, id eſt, quia non omnes Prophetarum dicta intelligunt.

Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt Præ fulgore, vna pars eſt: vt ſic dicatur: Præ fulgore, id eſt præclaræ & ſplendidæ nubes in conſpectu Domini ſemper exiſtentes, Apoſtoli ſcilicet, ad gentes tranſierunt, ſicut ſcriptum eſt.

Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicatis æternæ B vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Act.13. *Grando, & carbones ignis*, ac ſi dicat: tranſierunt nubes, ſed quomodo tranſierunt? clamando, minando, futurum iudicium prædicando, ignem vbique mittendo, humana corda fidei ardore accendendo. Hoc eſt quod ſequitur, *Et intonuit de cælo Dominus*; quia Apoſtolica voce docuit gentes vt ipſe ait: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Matth. 10. Repetitio: *Et altiſſimus dedit vocem ſuam*, ex qua, vt ſupra, proceſſerunt grando & carbones ignis.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos. Quid per ſagittas, niſi Doctores intelligimus: Mittens igitur Dominus Doctores, diſſipauit eos, id eſt, vitia in eis. *Fulgura multiplicauit*, id eſt, miracula, & ſuæ potentiæ claritatem. *Et conturbauit eos*, quia quid facerent, neſciebant. Vt illi, qui dixerunt ad Petrum: Quid faciemus viri fratres. Quibus ipſe ait: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.

Et apparuerunt fontes aquarum, quia ex paucis C prædicatoribus multi exorti, vbique terrarum orbe prædicare cœperunt. Vel, quia nouum & vetus teſtamentum multarum aquarum ſunt fontes; tunc primitus intellecta & manifeſta fuerunt. Expoſitio. *Et reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum*; fundamenta terræ, ſunt hæc duo teſtâmenta, & Apoſtoli & Prophetæ: quia ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum fundata eſt Eccleſia. Epheſ.2. Sed quo ordine reuelata ſunt? Sequitur.

Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ. Quia dicebas: Niſi pœnitentiam egeritis, moriemini: Hic Dominus, inquit Eccleſia, *miſit de ſummo*; quia de ſeipſo. Sed quid miſit? Miſericordiam ſuam, Saluatorem & propugnatorem; qui à Patre exiuit, & in mundum venit. Io. 16. *Et accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis*; quia ex multis populis me conſtituit: vel, quia ex multis vitiis me extrexit: Siue, quia ex multis tribulationibus me liberauit. *Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis*: id eſt, à perſecutoribus, vel D malignis ſpiritibus. *Ab his qui oderunt me*: Et fortiſſimi quidem erant, & penitus me odio habebant. *Quoniam confortati ſunt ſuper me*; quia quaſi victores, ſuper me confortati ſunt? inde fortiſſimi comprobantur. *Præuenerunt me in die afflictionis meæ*; id eſt, in tempore quo me affixerunt inſidiis, adulationibus & opprobriis me occupauerunt. *Et factus eſt Dominus protector meus*, in neceſſitate probatur amicus.

Et eduxit me in latitudinem. Qui enim in latitudinem deducitur, de anguſtiis trahitur. *Saluum me fecit quoniam voluit me*, quia amittere noluit, ideo ſaluum me fecit. *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam*, quia iuſtus, inquit, fui, iuſtitiæ meritum recipiam. Repetitio. *Secundum puritatem manuum mearum*; id eſt, iuxta puritatem operum meorum, quæ vitiis non ſunt admixta, *retribuet mihi*: Et hoc merito: *quia cuſtodiui vias Domini*: id eſt, in mandatis eius non erraui. *Nec impie geſſi à Deo meo.* Quid mirum? *Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo*, ſciebam, inquit, iudi-

E cia eius, quibus, ſecundum opera, merita retribuet. *Et iuſtitias eius non repuli à me*, quia iudicem cognoui, iuſtitiam obſeruaui. *Et ero immaculatus cum eo*; ac ſi dicat: Et feci, & faciam, & ſemper ero immaculatus cum eo, qui maculam non habet; *ab iniquitate mea me obſeruabo.* Nec obs re. *Scio enim quoniam retribuet mihi Dominus, ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum*, exiſtentium *in conſpectu oculorum eius*: bonorum namque opera ſemper in conſpectu Dei ſunt: malorum autem non reſpicit. Sicut ſcriptum eſt: Reſpexit Dominus ad munera Abel, ad munera vero Cain non aſpexit. Geneſ.4. Apoſtrophe.

Cum ſancto ſanctus eris. Tu, inquit, ſanctus eris cum ſancto, *& innocens cum innocente* habitabis. Neque enim habitabit iuxta te malignus. *Et cum electo electus eris*: prius Eccleſiam elegiſti, deinde ipſa elegit te: tu autem electus ſemper eris cum ea electa; *& cum peruerſo peruerteris.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Deus meus F *illumina tenebras meas.* Quia inquit, in his, quæ ſcio, me illuminaſti: in his quoque quæ ignoro, me illumina. Vel quia Apoſtolos illuminaſti & perfectos, illumina idiotas & imperfectos. Siue, quia illuminaſti iuſtos, illumina & peccatores. *Quoniam in te eripiar à tentatione*: ideo inquit? te deprecor & non alium, quia apud te ſolum à vitiorum tentatione liberabor. *Et in Deo meo transgrediar murum*: id eſt, peccatorum obſtaculum, quod, ne ad te venire poſſem, inimicus mihi oppoſuit Vel, viam, quæ cæteris arduus murus, nimiſque difficilis eſſe videtur, tuo adiutorio ſuffultus, facile pertranſibo.

Deus meus impolluta via eius. Dei commendatio: ac ſi dicat: Hic Deus meus, non eſt, ſicut cæteri: namque & viæ illius impollutæ ſunt, & verba eius vera. *Eloquia Domini igne examinata*: id eſt, in ipſis tribulationibus ſunt vera probata: quia non deſerit ſperantes in ſe. Hoc eſt quod ſequitur: *Protector eſt omnium ſperantium in ſe*: Et in eo qidem ſperare debemus. *Quoniam quis* G *Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum?* Vnde ipſe ait: Ego Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus. Iſaiæ 45. Et iſte eſt ille *Deus qui præcinxit me virtute*: id eſt, fide, ſpe, & charitate. *Et poſuit immaculatam viam meam*: ideſt opera mea. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum*: ad currendum agiles, & qui in bonorum operum curſu non cito deficerent: quique perſequentium oculis ſe vltro inferrent. *Et ſuper excelſa ſtatuens me*: id eſt, in cœleſtibus regnis, vbi ſanctorum eſt habitatio. Ideo pſalmi graues ſunt, quia perſona cito mutatur; namque modo in ſecundam, nunc in tertiam conuerſus, Domino loquitur, eiuſque beneficia enumerat.

Qui docet manus meas ad prælium. Iuſtitia namque pax, patientia, cæteræque virtutes, quaſi manus nobis ſunt: quibus diabolum expugnamus. Vnde Apoſtolus: Induite vos armaturam Dei. Epheſ.6. *Et poſuiſti vt arcum æreum brachia mea*: dilectio Dei & proximi, duo H brachia nobis ſunt: qui Deum & hominem his amplectimur: quibus etiam quaſi forti & inſuperabili arcu vitia ſuperemus. *Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ*: id eſt, filij tui. *Et dextera tua ſuſcepit me*: quia mundum in morte iacentem ad ſe traxit.

Et diſciplina tua correxit me in finem. Id eſt, ad plenum. *Et diſciplina tua ipſa me docebit*: Qui enim ſacras ſcripturas legit, in quibus Dei diſciplina continetur, & à vitiis corripitur, & de virtute in virtutem ad finem ire docetur.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me: Ego, inquit, in arcto perſequi vitia cœpi, tu autem dilataſti, & agiles feciſti pedes meos, vigoremque eis dediſti, ne in tali curſu fatigentur. *Perſequar* igitur *inimicos meos*: id eſt, vitia & malignos ſpiritus, *& comprehendam illos*: comprehendam & ligabo, ne fugiendo creſcant. *Et non conuertar donec deficiant*: id eſt, non ceſſabo carnem affligere, donec omnes concupiſcentiæ interimantur. *Confringam illos, nec poterunt ſtare* contra me; ſed

A *cadent ſubtus pedes meos:* quia bonis operibus mortificantur. Quomodo ſtarent? Ego enim virtute præcinctus ſum: illi autem iam ſuplantati fugiunt & diſperduntur. Hoc eſt quod dicit: *Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſuplantaſti inſurgentes in me ſubtus me: & inimicos meos dediſti mihi dorſum:* quia in fugam conuerſis ſola poſteriora deſtruimus & vulneramus. Vox capitis.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret. Hucuſque Eccleſia; nunc Chriſtus loquitur, & ab eo verſu incipit, quo loquendi finem ſuperius fecit, ab hoc videlicet: Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: Ego quidem clamaui, inquit, & exauditus ſum: illi autem clamauerunt, *nec exaudiuit eos* Dominus. Clamabunt, inquit, ad Dominum, Iudæi & peccatores in die Iudicij dicentes: Domine Domine aperi nobis: Matth. 25. nec erit qui ſaluos eos faciat, quia Saluatorem non receperunt, nec exaudiet eos Dominus.

B *Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti.* Non ſaluabo, inquit, ſed contritos & comminutos, magno quidem turbine in infernum deiiciam. *Vt lutum platearum delebo eos*, quod cito ſiccatum, non comparet.

Eripies me de contradictionibus populi. Quia alij dicebant: Bonus eſt: Alij vero: Non, ſed ſeducit turbas. Ioan 7. Vel, de contradicentibus. Vnde ſcriptum eſt: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi. Rom. 10. *Conſtitues me in caput gentium*, quia Iudæis amiſſis, gentibus imperabo. *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi*, cognoſcere namque Dei, diligere eſt. Vnde peccatoribus dicturus eſt: Amen dico vobis, neſcio vos Matth. 25. Vt ſi dicatur: Populus gentium, quem minime dilexeram, ſeruiuit mihi. *In auditu auris obediuit mihi*, quia Apoſtolica voce audito Euangelio credidit.

Filij alieni mentiti ſunt mihi. Filij Dei fuerunt Iudæi, ſed Chriſtum interficientes, filij diaboli facti ſunt. Mentiti C ſunt, quia in veritate non permanſerunt. *Filij alieni inueterati ſunt*, in primi hominis peccato inueterati ſunt, quia nouum hominem recipere noluerunt. *Et claudicauerunt à ſemitis ſuis*, id eſt à lege & prophetis: ſiue, in ſuis intellectibus. Vel, in fide, in vno ſolo pede nitentes, id eſt, Patrem & non Filium adorantes. Vel, vetus & non nouum teſtamentum ſequentes. Siue etiam, litteram & non ſpiritum. His enim pedibus graditur Eccleſia.

Viuit Dominus. Qui me de illis vindicauit. *Et benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ*, iam demum ad illos perdendum. Apoſtrophe.

Deus qui das vindictas mihi. De iniquis Iudæis. *Et ſubdis populos* gentium *ſub me:* qui es *liberator meus de inimicis meis iracundis:* tu inquam qui hoc facis & facies. Qui ſequitur.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me. Quia reſurgens cœlos aſcendam. *Et à viro iniquo eripies me*, id eſt, à prædicto populo. *Propterea confitebor tibi in nationibus* D *Domine*, id eſt per meos fideles vbique terrarum te laudabo, *& nomini tuo pſalmum dicam*, quia in tuo nomine bona agent. Vox Patris.

Magnificans ſalutem Regis eius. Magnificans, inquit magnificabo ſalutem Regis eius, populi ſupradicti, ac ſi diceret: Quoniam populi ſolo auris auditu ſuo Regi obediunt, & Regis & populi ſalutem magnificabo. *Et faciens*, faciam *miſericordiam Chriſto ſuo Dauid*, quia die tertia eum à mortuis ſuſcitabo. *Et ſemini eius*, id eſt Eccleſiæ, *manſuræ vſque in ſæculum.*

EXPOSITIO PSALMI XVIII.

C*Æli enarrant gloriam Dei*, id eſt Apoſtoli annunciant gentibus Natiuitatem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem, in quibus Deus glorificatur. Confirmatio.

Et opera manuum eius annunciat firmamentum. Idem enim eſt firmamentum, quod & cœlum.

Dies Diei eructat verbum. Id eſt, Deus Pater miſit: E filium ſuum Apoſtolis. *Et nox nocti indicat ſcientiam*, id eſt, Iudas Chriſtum Iudæis tradidit. Indicauit autem, cum, dixit: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum Matth. 26. *Aliter Dies Diei eructat verbum*, id eſt, Doctores annunciant Euangelium Eccleſiæ. *Et nox nocti indicat ſcientiam*, quando hæreticus errorem hæreticis inſimulat. Vel etiam Dies diei eructat verbum, quando Verbi incarnationem, & altam ſcripturarum intelligentiam, ſapientibus, & perfectis Apoſtoli manifeſtant. Vnde Apoſtolus ait: Sapientiam loquimur inter perfectos, 1. Cor. 2. Et nox nocti indicat ſcientiam quando idem Apoſtoli, qui abyſſus erant, & alta profunditas, qualemcumque mediocrem ſcientiam imperfectis annunciabant. Sicut ſcriptum eſt: Lac potum dedi vobis, non eſcam, 1. Cor. 3.

Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Quia & omnibus linguis loquebantur, & omnem ſcientiam prædicabant, debiles paruo lacte cibantes, validos pane. F *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Dixit ſuperius qui prædicarent, & quid, & quomodo: nunc autem dicit, vbi: Quia in omnem terram exiuit illorum prædicatio: Repetitio. Et in fines orbis terræ verba eorum, dicentium.

In ſole poſuit tabernaculum. Quia carnem, quæ Deo Patri militauit, omnibus viſibilem præbuit. Vel tabernaculum ſuum, id eſt, vterum Virginis: Maria namque ſtella maris interpretatur. Poſuit igitur tabernaculum ſuum in ſolem, quia de hac ſtella fecit ſolem. Omnibus enim hæc margarita præclarior eſt. *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, quia Diuinitate carni coniuncta, de Virginali vtero Chriſtus proceſſit. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* De vtero, inquit, procedens exultauit, factus vt gigas, fortis, & inſuperabilis. Sed ad quid exultauit? ad currendam viam, id eſt, ad omnes mundanas aduerſitates tolerandas. Vnde ipſe ait: Deſiderio deſideraui hoc paſcha. Luc. 22. *A ſummo cælo egreſſio eius*, quia à patre exiuit, & venit in mũdum. Io. 16. G *Et occurſus eius vſque ad ſummum eius*, quia iterum reliquit mundum, & iuit ad Patrem Io. loc. cit. A ſummo ad ſummum eſt occurſus eius, quia Deitate, & potentia æqualis eſt Patri. Vnde alibi dicitur. O ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine vſque ad finem. Sapient. 8. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, cum alij igne ſpiritus, alij vero igne gehennæ comburantur. Vel, vt quidam volunt, ab aliqua Spiritus Sancti gratia cum omnes intellectum habeant & rationem.

Lex Domini immaculata. Alia prædicatio Apoſtolorum. Legem Domini cuſtodite, quia lex Dei iuſtos, Sanctos, & immaculatos vos reddet. Conuertens animas. Vnde & quo? ab iniquitate ad iuſtitiam. *Teſtimonium Domini fidele* ideoque tenendum eſt. Fidele quidem, quia non mentitur: Sunt autem teſtimonia Domini. Date & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis, Luc. 6. & ſimilia. *Sapientiam præſtans paruulis*, id eſt humilibus, vnde ſcriptum eſt: Sinite paruulos venite H ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Marc. 10. Et alibi; Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, Luc. 10. *Iuſtitiæ Domini rectæ.* Quia reddet vnicuique iuxta opera ſua. Rom. 2. *Lætificantes corda*, bonorum. *Præceptum Domini.* Id eſt nouum teſtamentum lucidum: quod nullo velamine tegitur. Illuminans oculos, cordis videlicet. *Timor Domini ſanctus*, quia ſanctos facit, ideoque timendus eſt: Initium ſapientiæ timor Domini Pſal. 110. *Permanens in ſæculum ſæculi*, quia cum dilectione fit, quæ ſemper erit.

Iudicia Domini, vera, iuſtificata in ſemetipſa. Non ab alio. Nam quia naturaliter iuſtus eſt Deus, naturaliter iuſta ſunt iudicia eius. *Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem precioſum multum*, id eſt, in omnibus ſæcularibus diuitiis, præferenda ſunt iudicia Dei. Et dulciora ſuper mel & fauum, quia ad ineffabilem delectationem atque dulcedinem ſanctos perducunt. Sed quibus ſunt dulcia? Sanctis quidem. Vnde hoc? Etenim ſeruus tuus

A cuſtodit ea : ac ſi dicat. Niſi dulcia quidem eſſent ſancti tui ea non cuſtodirent. In cuſtodiendis illis retributio multa. Si cuſtodieritis, inquit Dominus præcepta mea, manebitis in mea dilectione, Io. 15. qua maior retributio eſſe non poteſt.

Delicta quis intelligit ? Quis ſe, inquit, peccatorem cognoſcit ? quis ſua peccata Domino confitetur, niſi ille, qui dicit : *Ab occultis meis munda me Domine*, id eſt, ab his, quæ in ſecreto cordis, vel alio neſciente, peregi. Et ab alienis parce ſeruo tuo, id eſt, ab his, quæ publice ſiunt, vel quæ nondum feci.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero. Si, inquit, iſta peccata non fuerint mei dominati. Tunc enim noſtra ſunt peccata, quando ab eis dominati, & deuicti fuerimus aliter eſſent aliena. Tunc immaculatus ero, *& emundabor à delicto maximo*, quod eſt ſuperbia, quæ etiam in bene actis cauenda eſt. *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei*, Si, inquit, peccatis mundatus
B fuero, tunc mea eloquia talia erunt quæ tibi placere poſſint : Quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Et meditatio cordis mei*, poſtea ſemper erit in conſpectu tuo ; Domine adiutor meus, & redemptor meus.

EXPOSITIO PSALMI XIX.

E*Xaudiat te Dominus in die tribulationis.* Vox Prophetæ, veni Chriſte, veniſti Saluator : vadis pro nobis ad immolandum : homo es, auxilio indiges, deprecare Patrem, & Dominus exaudiet te in die tribulationis, id eſt in tempore paſſionis. *Protegat te nomen Dei Iacob.* Quia tu in nomine Domini veniſti. Vnde ipſe ait: Ego à me ipſo non loquor. Io. 14.

Mittat tibi auxilium de Sancto, id eſt, de ſeipſo. Et de Sion tueatur te : Sion, ſpecula interpretatur. Significat autem, & Eccleſiam, & cœleſtem Ieruſalem. Et de Sion tueatur te, id eſt de excelſa cœlorum ſpecula, in qua reſidet, te defendat.

Memor ſit omnis, & vniuerſalis, ſacrificii tui : quia
C pro omnium ſalute oblatus eſt.

Et holocauſtum tuum pingue fiat, id eſt, lætum & acceptabile. Vel pingue fiat, hoc eſt omnes in te credentes redimat & ſaluet : ſiue Iudæi fuerint, ſiue gentiles.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum, id eſt ; deſiderium tuum, & voluntatem tuam. *Et omne conſilium tuum confirmet.* Petebat aliquis conſilium à Chriſto: Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo ? Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, ſicut teipſum. Luc. 10. Hoc eſt conſilium Chriſti, quod in pluribus quidem adeo confirmatum eſt, vt pro Dei dilectione morerentur.

Lætabimur in ſalutari tui. Ideo, inquit Propheta, tibi Salutem deprecor, quia, & ego, & cæteri, qui tuum aduentum exſpectamus de tua ſalute lætabimur. Hanc autem & tranſitiue & intranſitiue intelligere poſſumus. Et in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur, quia quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.
D Act. 2. vel per nomen Chriſti, quia Chriſtiani vocabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Audi petitiones filij : Clarifica me Pater apud temetipſum. Cui Pater : Clarificaui, inquit, & iterum clarificabo ? Io. 12. Itemque Pater, ſerua eos, quos mihi dediſti. Ioan. 17. Hæ autem petitiones ſunt impletæ, quia & ipſe eſt clarificatus, & iſti conſeruati.

Nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum Prouidens per ſpiritum Sanctum, reſurrectionem & aſcenſionem. Et præterito pro futuro vtitur. *Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo*, Id eſt, mitte illi auxilium de Sancto.

In potentatibus ſalus dextera eius. Quia & per hanc omnes gentes credent, & mors illi vltra non dominabitur. Rom. 6. Vel quoniam quos ipſe ſaluabit, potentes erunt.

Hi in curribus, & hi in equis. Peccatores, inquit, in diuitiis ſæculique honoribus lætantur, & in fortuna quæ in rotis deſcribitur. Partem illam quæ dignior eſt, E
præ cæteris poſuit.

Nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus: per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ; ſemper dicentes.

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt. Obligati vitiis, & diuitiis, ſæculique honoribus, & compede mortis. Et ideo in pœnam, & in mortem cadunt. *Nos autem ſurreximus*, ab infidelitate, de limo profundi. *Et erecti ſumus*, Ad cœleſtia & Diuina contemplandum, ea quæ ſurſum ſunt, aſpicientes.

Domine ſaluum fac Regem. Et exaudi nos in die qua inuocauerimus te : in nomine ipſius : quia ipſe ait : Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 15.

EXPOSITIO PSALMI XX.
Vox Prophetæ.

F D*Omine in virtute tua lætabitur Rex.* Id eſt, in diuina virtute quia diabolum ſuperauit. *Et ſuper Salutari tuo exultauit vehementer* : id eſt de ſalute ſibi vel ſuis per ſe attributa. *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei*: quia ſuper velle ſuum reſurrexit, infernum ſpoliauit, & mundum redemit. *Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum*, labia Dei, Prophetæ, & Apoſtoli ſunt; volebant Prophetæ vt Chriſtus carnem ſumeret, eoſque de inferno eriperet : Apoſtoli vero reſurrectionem deſiderabant, hæc omnia facta ſunt.

Quoniam prauenisti eum in benedictionibus dulcedinis, Ac ſi dicat : Omnes eius voluntates compleuiſti, quia multum & vltra omnes dilexiſti : dilexiſti quidem, quia in benedictionibus illum præueniſti. Prius enim quam homo fieret ab omnibus Patriarchis, & Prophetis benedictus eſt. Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo : diabolum quidem vicit, regnum abſtulit, cœlos coronatus aſcendit. Eccleſiam autem co-
G ronam vocauit, quia Apoſtoli, Martyres, Confeſſores : Virgines, & Epiſcopi in ea fulgent quaſi lapides pretioſi.

Vitam petiit à te, id eſt reſurrectionem. *Et tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum ſæculi*, quia quod mortuus eſt peccato mortuus eſt ſemel, quod autem viuit, viuit Deo, Rom. 6. *Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo.* Magna eſt, inquit, gloria in te, quia reſurrexit, cœlos aſcendit, & à dextris tuis ſedet. *Gloriam & magnum decorem impoſuiſti ſuper eum*, glorioſos, & decoros ſuper eum, qui Eccleſiæ eſt fundamentum, ædificaſti : fundamentum enim aliud, vt ait Apoſtolus, nemo poteſt ponere, præter Chriſtum 1. Cor. 3. Vel gloriam, quia reſurrexit : Honore autem, quia ab omnibus honoratur.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi. Et hoc, inquit, ſcio, quia ab omnibus honorabitur, & venerabitur, quia in æternum omnes eum benedicent. Nulla namque dies eſt, in qua in Eccleſia Dominus Deus Iſrael, & Benedictus qui venit in nomi-
H ne Domini, non decantetur. Vel, dabis eum gentibus in benedictionem, quia in eo benedicentur omnes gentes. Ad Gal. 3. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Lætabitur Chriſtus in die Iudicij, cum vultus, & gloria Dei, quam in ſe credentibus promiſit, Eccleſiæ manifeſtabitur. Quoniam Rex ſperauit in Domino. Merito, inquit, eum lætificabis, quoniam in te ſperauit, ſecundum humanitatem.

Et in miſericordia Altiſſimi non commouebitur, quia nunquam ſine miſericordia eſt, vel erit.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Hic conuertit ſe ad ipſum Regem, atque ita fatur : Inueniatur, ò Rex, virtus, potentia, & maieſtas tua ab his, qui te humilem recipere noluerunt. Vel etiam, inueniant & cognoſcant, & te Deum eſſe credant, Repetitio. *Dextera tua inueniat omnes qui te oderunt*, ad ſaluandum vel perdendum. *Pones eos vt clibanum ignis*, quia æterno comburentur igne. Quando ? *In tempore vultus tui*, id eſt, in die iudicij, cum facie ad faciem eum videbunt,

A & tunc reuelabitur vultus & gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei. Luc. 3. *Dominus in ira ſua conturbabit eos*, dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 25 Ignis autem quid faciet? Vis audire quid? Et deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes. Quia cum operibus ſuis eos deſtruet. Vel imitatores illorum à conſortio Sanctorum & à terra viuentium ſeparabit. Confirmatio. Et ſemen eorum à filiis hominum, id eſt à Sanctis. Et merito. *Quoniam declinauerunt in te mala*, quæ ſibi videlicet futura timebant, teque occidere maluerunt, quam locum, & gentem amittere. Vel in te mala declinauerunt, quia omnem furorem, omnemque nequitiam ſuam, te crucifigendo tibi ingeſſerunt. Vel quia mortem & pœnam, quam primus homo promeruit, te pati & ſoluere compulerunt, *Cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire*; cogitauerunt enim nomen tuum de terra auferre, & ſepulchrum, ne forte reſurgeres, cuſtodire.
B Hoc autem non potuerunt ſtabilire, quia & reſurrexiſti & nomen tuum vbique manifeſtatur. Vnde ſcio, quia pones eos dorſum, id eſt, in fugam, vt neque reſipiſcant neque ſaluentur. Vel dorſum, vt in omnibus ſint ſubiecti. Vel, dorſum, vt ſola terrena & tranſitoria diligant.

In reliquiis tuis præparabit vultum eorum. Quia ad ea quæ tu omnino derelinquis, & non vis, illi præparati & voluntarij ſunt, quod enim tu vis, illi nolunt. Aliter. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum: Quia Elias, & Enoch, quos Dominus ad præludendum cum Antichriſto, viuos reliquit, errorem, & maculas à vultibus eorum abſtergent, & Eccleſiæ coniungent, quæ nec maculam habet nec rugam. Et vt hoc fiat.

Exaltare Domine in virtute tua. id eſt, reſurge, & mane in æqualitate Patris. Vel oſtende potentiam, & maieſtatem, qui prius veniſti in humilitate. Nos autem cantabimus, & pſallemus virtutes tuas.

C
EXPOSITIO PSALMI XXI.

D*Eus Deus meus reſpice in me.* Vox Dominici hominis in cruce pendentis. Reſpice, inquit, Pater, & vide humilitatem meam: reſpice quæ, & quanta in tui obedientiam mundique redemptionem mala patiar; reſpice filium tuum in cruce pedentem, reſpice clauos, reſpice coronam, reſpice ſeruos in Dominum inſultantes. Quare me dereliquiſti? Numquid pater derelinquere filium potuit? nonne ſemper filius eſt in patre, & pater in filio eſt? vtique, quomodo eum dereliquit? ipſemet dicat, qui ſolus verax eſt, cui maxime credendum eſt. *Longe a ſalute mea.* Audis quid dicit; ſe derelictum conquerebatur: ſalutem ſuperius poſtulabat, hoc enim prædicta verba ſonare videntur: nunc autem ſuperius factam orationem, à ſua ſalute longe eſſe dicit, quid igitur erat quod poſtulabat, quandoquidem non ſibi ſalutem quærebat? Sequitur. *Verba delictorum meorum.* Ac ſi dicat? Quod me derelictum dico, quod ſalutem deprecor, non
D pro me oro, ſed hæc verba delictorum meorum ſunt, id eſt pro delictis meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. Quaſi dicat vere meos dereliquiſſe videris, quoniam clamantes eos non exaudis. Deus clamabo per diem & noctem, id eſt mei ſine intermiſſione omni tempore clamabunt. Et non exaudies. Vel clamabant per diem, id eſt pro proſperitate amiſſa, vt ea rehabeatur, & non exaudies, Et nocte, id eſt, pro imminente aduerſitate, vt ab ea, liberentur, & non exaudies. Et non ad inſipientiam mihi, quod non exaudiantur, inquit hoc non ad inſipientiam, ſed ad maximam ſapientiam eis continget: quia dum huius ſæculi proſpera petentes non exaudiuntur, ſcient, ſe in mundanis quidem & tranſitoriis, vitæque huius blanditiis tibi placere non poſſe. Itemque dum pro aduerſitate, vt ab ea liberentur, orauerint & non exaudies per multas quidem tribulationes ſe ſe in regnum cœlorum oportere intrare. Act. 14. cognoſcent, quod ſolum eſt ſapere.

E *Tu autem in Sancto habitas laus Iſraël.* Quia ſuperius dixit: quare ne dereliquiſti, ne in huius verbi ambiguitate quis erraret, adiecit. Tu autem in Sancto habitas: Non me, inquit dereliquiſti, vt Iudæi putabant, dicentes: Deus dereliquit eum. Pſal. 70. ſed ſemper mecum fuiſti, à quo nihil in deitate differs. *Laus Iſraël*, id eſt. quem laudat, vel per quem laudatur Eccleſia. *In te ſperauerunt Patres noſtri, Patriarchæ, & Prophetæ ſperauerunt, & liberaſti eos*, ab inimicis & aduerſariis ſuis. Ad te clamauerunt, in tempore tribulationis, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo. Id eſt, vilis, & deſpectibilis. Quid enim verme vilius? Aliter. Illos ſaluaſti, qui in peccatis nati fuerunt; ego autem, qui vermis ſum, & non ſimpliciter homo, ſum factus *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Vt enim vermis ex ſolo ligno ſine patre naſcitur, ita & Chriſtus ex ſola Virgine, ſine virili ſemine natus eſt. Vnde Iſaias ait: Noli timere vermis Iacob. Iſaiæ 41. Opprobrium homi-
F num factus eſt, propter crucem & ſpineam coronam. Et abiectio plebis, quia Barrabam elegerunt. Omnes videntes me deriſerunt me dicentes, vah, qui deſtruis templum Dei: Et ſi filius Dei es, deſcende nunc de cruce Mat. 15. Locuti ſunt labiis, id eſt cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, & mouerunt caput, quia prætereuntes illudebant ei, mouentes capita ſua: Vel mouerunt caput, quia Chriſtum reſpuerunt, & ſibi aliud caput fecerunt, diabolum ſcilicet, vel Cæſarem. *Sperauit in Domino eripiat eum*, de manibus noſtris. *Saluum faciat eum quoniam vult eum*, vt ipſe dicit. Ironice de Chriſto dicebant Iudæi, & verum tamen dicebant.

Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre. Extraxit quidem, quia contra legem naturæ de virginali vtero eum deduxit. Vel de Synagoga eum extraxit, quæ turpitudinis, & iniquitatis eſt reconditio, & Eccleſiæ coniunxit, in qua cœleſtes theſauri reponuntur. *Spes mea ab vberibus matris meæ*, id eſt, ex quo homo fui: prius enim quam homo fuiſſet, in nullo ſe maiore ſperare po-
G terat. *In te proiectus ſum ex vtero*: id eſt in tuam tutelam ex quo, ex vtero proceſſi, à Diuinitate namque tuebatur humanitas. *De ventre matris meæ Deus meus es tu, & ideo ne diſceſſeris à me*, quia ſemper mecum eris, quod oportet. Quoniam tribulatio proxima eſt. Vnde in Euangelio: Surgite eamus, ecce appropinquauit qui me tradet Matth. 26. *Et non eſt qui adiuuet*, neque Angelus neque homo, niſi tu ſolus.

Circumdederunt me vituli multi. Iudæi pingues, luxuriantes, indomitæ ceruicis, *tauri pingues obſederunt me.* Anna, & Caiphas, cæterique maiores, tauri quidem, quia ſuperbi: pingues autem, quia malitia pleni erant *Aperuerunt ſuper me os ſuum*, palam & alta voce me blaſphemantes. Vel os ſuum, id eſt, intentionem, & affectum, quo me occiderunt. *Sicut leo rapiens, & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum*, ad totius videlicet gentis purgationem. Quia ſanguine eius mundati ſumus. Sicut aqua effuſus ſum, ad ruinam, & mortem multorum, aqua enim effuſa pedibus labentibus, homines multo-
H ties cadere facit. Vel, ſicut aqua effuſus, quia doctrina Euangelij à me quaſi ab vno fonte procedens, vbique terrarum ſicca gentium corda germinare facit. Et diſperſa ſunt omnia oſſa mea, oſſa Chriſti Apoſtoli ſunt, quibus corpus eius, quod eſt Eccleſia ſuſtinetur & roboratur: Hæc autem diſperſa ſunt quia relicto eo omnes fugerunt. Marc. 14. Vel etiam diſperſi ſunt ad prædicandum.

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens. Pro mortis dolore intelligi poteſt, quia dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, Matt. 26. Vel: Cor Chriſti Apoſtoli ſunt: venter eius Eccleſia: Apoſtoli autem in medio Eccleſiæ, quaſi cera liqueſcens erant, quia alios illuminabant, & ſeipſos ieiuniis, & orationibus affligebant, & ab impiis tribulabantur. Vel, cor ſuum, id eſt, tota Eccleſia, quam præ omnibus dilexit, cui ſuum conſilium dedit, quam Diuina ſapientia imbuit, prius lapidea & dura, nunc eſt humilis & pia, omnique miſericordia plena.

A *Aruit tanquam teſta virtus mea.* Quia prius mortalis, & corruptibilis erat, poſtea vero immortalis, incorruptibilis factus eſt. Vel etiam, aruit, quia ſe mortuum & ſine vigore oſtendit, neque ſeipſum defendit, qui aliis auxiliari ſolebat *Et lingua mea adhæſit faucibus meis.* Quia quaſi ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. *Et in puluerem mortis deduxiſti me*, id eſt in locum ſepulturæ, vel in infernum. Quoniam circumdederunt me canes multi, id eſt Iudæi ſine cauſa latrantes, neque à peregrinis latrones decernentes quique Barrabbam latronem conlaudabant, & contra me cuſtodem & amicum latrabant. *Conſilium malignantium.* Iudæorum, *obſedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos.* hoc ad litteram. Dinumerauerunt omnia oſſa mea, id eſt dinumerabilia fecerunt, me in cruce extenſo. Vel omnia oſſa mea numerauerunt, quia numerantes diſcipulos, dixerunt. Tot ſunt, videte vt omnes capiantur.

B *Ipſi vero conſiderauerunt & inſpexerunt me.* Idem ipſi, & non mutati ab iniquitatis propoſito, conſiderabant qualis eſſem, & ſolum corpus videntes, purum hominem eſſe putabant. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, ſecundum litteram. Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Quod autem veſtimenta diuiſerunt, ſuam diſcordiam & errorem, regnique diuiſionem ſignificabant. Quod vero inconſutilem & meliorem veſtem non diuiſerunt, Eccleſiæ concordiam ſignificabant quæ macula caret, & ruga. *Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me*, quia die tertia reſurgam. Ad defenſionem meam aſpice, ne mihi inimici præualeant.

Erue à framea Deus animam meam. Erue inquit animam meam, vel ſanctam Eccleſiam, pro dilectione quam erga me habet, à framea, à morte, à diabolo, ab inſidiis hæreticorum. *Et de manu canis vnicam meam,* anima eius vnica, quia ſola ſine peccato eſt. Eccleſia vnica, quia ſola credit. Canis infernus intelligitur, qui more canino auide cuncta vorat. Vel erue de manu canis,
C id eſt poteſtate Iudæi populi ſine cauſa latrantis.

Salua me ex ore leonis, Per leonem, eundem populum ſignificamus, qui omnibus nequitia præeminet. *Et à cornibus vnicornium humilitatem meam*, vnicornis erat populus Iudaicus, quia ſolus vno cornu erigebatur, id eſt de lege, & teſtamento ſuperbiebat, quo cæteras gentes ventilabat atque vincebat. Quod ſi feceris, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, hoc fecit Chriſtus poſt reſurrectionem, quia Apoſtolorum ſenſus aperuit, vt ſcripturas intelligerent. Luc. 24. In medio Eccleſiæ laudabo te, quia in omnem terram Apoſtolos prædicare mittam. Vel, in congregatione Apoſtolorum laudabo te, quæ, eſt primitiua Eccleſia, dicens: *Qui timetis Dominum laudate eum*, vos, inquit, Apoſtoli laudate Dominum, qui eum timetis. Vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. Iacob, qui vitiorum ſupplantator, Eccleſiam ſignificat, quæ quotidie pænitendo, diabolum ſupplantat, vniuerſum autem ſemen Eccleſiæ, Apoſtoli ſunt quia ex his, quaſi ex paucis granis, exorta, totum mun-
D dum impleuit. Hi autem glorificauerunt Dominum, quia vbique eum prædicauerunt. Timete eum omne ſemen, Iſraël, idem eſt Iſraël ſemen, quod ſemen Iacob. *Quoniam non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperis*, cuius pauperis? de quo ſcriptum eſt. Qui cum omnium diues eſſet pro nobis pauper factus eſt, 2. Cor. 8. *Nec auertit faciem ſuam à me: & cum clamarem ad eum exaudiuit me.* Hic euidentiſſime apparet, quoniam non de ſe ſuperius dixit. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: contraria enim ſunt exaudiri, & non exaudiri. Hic enim ſe exauditum dicit, ibi vero non exaudies.

Apud te laus mea in Eccleſia magna. Mutatio perſonæ quod ego, inquit in magna & vniuerſali Eccleſia laudor, à te eſt. Vel, laus quæ in Eccleſia eſt, de te quidem fit. Vnde Apoſtolus. Qui gloriatur in Domino glorietur. Corinth. 10. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum*, Nunc, inquit, in conſpectu Iudæorum oblatus ſum, dehinc autem in conſpectu Sanctorum qui Deum timent, in Eccleſia quotidie immolabor. Edent pauperes, & ſaturabuntur de quibus dicitur Beati pauperes ſpi- E
ritu, Matth. 5. hi pauperes edent corpus Chriſti, & ſaturabuntur pane, neque amplius famem patientur. *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi*, quia viuum panem comedent, idcirco in æternum viuent: vnde etiam dictum eſt: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitã in vobis, Ioan. 6. Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum, obliti, inquit diaboli, reminiſcentur Dñi, cuius per lignum vetitum obliti fuerant. Et conuertentur ad Dominum, relictis, vitiis vniuerſæ fines terræ. *Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.* Quia in nomine Ieſu omne genu flectetur, ad Phil. 2. Quoniam Domini eſt regnum, quia deuicto diabolo, regnum accepit. *Et ipſe dominabitur omnium gentium.*

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. De ſupradicto, inquit, ſacrificio, manducabunt omnes ſancti, qui montes ſunt coagulati & pingues. Et adorabunt Dominum.

In conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram. Nullus enim naſcitur, nullus in hunc mundum venit, nullus in terram cadit, qui aliquo tempore Deum F
non adoret, vel, omnes qui à ſuperbiæ elatione in humilitatem, & Eccleſiam deſcendunt in conſpectu Domini ſimpliciter cadunt. Siue omnes qui in terram deſcendunt, qui ſola terrena concupiſcunt qui cœleſtia non contemplantur, in conſpectu Domini, & eo vidente in die iudicij in infernum cadent. Et anima mea illi viuet, quem Iudæi mortuum eſſe putabant, vel Anima mea id eſt, Eccleſia, pro qua paſſus ſum, quia omnia, quæ habet homo dabit pro anima ſua; nihil enim hominis habuit Chriſtus quod pro Eccleſia non dedit. Illi viuet, quia non ſua quæret, ſed quæ Ieſu Chriſti, quæ omnibus ſunt ad ſalutem. Repetitio. Et ſemen meum ſeruiet ipſi, id eſt, filiis promiſſionis.

Annunciabit Domino generatio ventura, Namque etſi Apoſtoli prædicarent, ſibi tamen, vel ſeipſos non prædicabant, ſed Dominum & Domino Euangelium nuntiabant. Siue generatio per fidem & baptiſmum ventura, G
Domino annunciabitur, & docebitur ab Apoſtolis. Confirmatio. Et annunciabunt cœli, id eſt Apoſtoli, iuſtitiam eius. Quibus? populo qui naſcetur; & fonte baptiſmatis regenerabitur. Quem fecit Dominus eſſe ſuum, & ante ſæcula prædeſtinauit.

EXPOSITIO PSALMI XXII.

DOminus regit me. Vox Eccleſiæ: Hactenus, inquit, dum diabolus regnauit, miſera fui, omnibus indigens, nunc autem eo deuicto, quia Dominus regnat, qui diues eſt, omnium copioſus, *nihil mihi deerit. In loco paſcuæ ibi me collocauit*, quo, inquit, modo mihi aliquid deeſſe poterit, cum in loco paſcuæ, inque omnibus diuitiis ſim collocata. In Eccleſia enim, & nouum & vetus teſtamentum eſt, & Deus ipſe qui eſt panis viuus, quibus ſanctorum animæ reficiuntur. *Super aquã refectionis educauit me*, quia Diuina ſapientia paſcitur Eccleſia. H
Vnde dicitur. Omnes ſitientes venite ad aquam. Iſaiæ. 55. vel, ſuper aqua refectionis, id eſt in Baptiſmo abluendo peccata. *Animam meam conuertit*, ad ſe, inquit, conuertit animam meam, quæ pondere peccati grauata erat.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, ſuper ſemitas me deduxit, per quas ad cœleſtia iuſti gradiuntur. Propter nomen ſuum, non ex meis meritis, ideoque iam nihil timeo. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. *Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala*, quamvis, inquit, ingerantur mihi paſſiones mortis, quæ aliud non ſunt quam mortis vmbra, cum non mortem, ſed potius vitam præſtent, tamen nihil timebo, vel per vmbram mortis, id eſt, per medios peccatores, quibus mors, & diabolus præeminet. Quoniam tu mecum es, ſicut ſcriptum eſt: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Matth. 28.

Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Per virgam regimen & ſceptrum, per baculum autem ſuſten-

A attionem & adiutorium, intelligimus. Ergo quia Dominus regit, & ſuſtentat, defenditque Eccleſiam, nullum timet inimicum tanto adiutore conſolata. Poſſumus autem per virgam, & baculum, diſciplinæ correctionem intelligere.

Impinguaſti in oleo caput meum. Per caput mentem: per oleum vero ſancti ſpiritus gratiam, vel miſericordiam figuramus, vt ſic dicat: Impinguaſti in oleo caput meum, quia in tua miſericordia, vel ſancti Spiritus gratia, mentem lætificaſti. *Et calix tuus inebrians quam præclarus eſt*; calix Dei, Diuinæ ſcripturæ intelliguntur: His autem ſpirituales viri inebriantur? Qui enim Patrem, & Matrem fugit, domumque propriam, aurum, argentum, agros, & vineas dereliquit, & viliſſimis indutus veſtimentis in eternum fugit, nonne ebrius his eſſe videtur? Hoc enim multi Sanctorum fecerunt, tali calice inebriati.

Et miſericordia tua ſubſequatur me. Subſequitur nos
B miſericordia Dei, quaſi cuſtos, & paſtor, ne a lupo & diabolo capiamur. *Omnibus diebus vitæ meæ*: id eſt, vique ad ſæculi conſummationem.

Et hoc ideo fit. *Vt inhabitem in domo Domini*, id eſt, in cæleſti Ieruſalem. *In longitudinem dierum*: Quamdiu, inquit, ſuper me diabolus regnauit, cum eo quidem habitaui in inferno, non autem quia Dominus regit me, in admirabili domo ſua in æternum manebo.

EXPOSITIO PSALMI XXIII.

DOmini eſt terra & plenitudo eius. Dominus, inquit Eccleſia, Rex eſt, ipſe regnet, ſua eſt terra, nullus in terreno regimine glorietur. Vel, Domini eſt terra, id eſt, caro humana in baptiſmo innouata, quia iam non regnat peccatum in noſtro mortali corpore. Rom. 6. *Orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in ea*, id eſt totus mundus cum habitatoribus ſuis. Vel, Domini eſt terra, id eſt, vniuerſalis Eccleſia, quæ quaſi in medio maris
C poſita, vndique aduerſitatibus concutitur. *Quia ipſe ſuper maria fundauit eam*, ſuper maria fundata eſt Eccleſia, quia iuxta amaras huius ſæculi fluctuationes ſita eſt. Siue ſuper maria, & non ſub mari fundata eſt; quia nullis impiorum tormentis ſuperatur. Vel, quia non ei vitia, ſed ipſa vitiis dominatur. *Et ſuper flumina præparauit eam*, præparauit vtique Dominus Eccleſiam ſuper flumina, quia ſuper multos populos doctores cõſtituit, & Epiſcopos. Poſſumus etiam per maria & flumina, Prophetas, & Apoſtolos intelligere, qui Eccleſiæ ſunt fundamentum.

Quis aſcendet in montem Domini? Conſtituta eſt Eccleſia, præparatus eſt mons domus Domini in vertice montium. Sed quis, inquit, in hunc montem aſcendet; qui ſe Eccleſiæ aſſociabit? *Aut quis*, poſtquam aſcenderit, *ſtabit in loco ſancto eius?* Aſcendere namque cuiuſlibet eſt: ſtare autem prudentium, & perfectorum. Aſcendit enim Iudas, ſed minime ſtetit. Aſcenderunt multi alij, ſed conuerſi abierunt retrorſum. Quis igitur ſtabit? Sequitur.

D *Innocens manibus, & mundo corde.* Id eſt, qui neque operatur neque cogitat mala: in manibus enim opera, in corde autem cogitationes intelligimus. *Quia non accepit in vanum animam ſuam*, baptiſmatis fonte purgatam: In vanum namque animam puram recipit, qui eam poſtea vitiis commaculat. *Nec iurauit in dolo proximo ſuo*, quomodo eum decipere poſſet. Hic qui talis eſt, *accipiet benedictionem à Domino*, quia inter illos erit, quibus in die iudicij dicturus eſt Dominus: venite benedicti Patris mei. Matth. 25. *Et miſericordiam à Deo, ſalutari ſuo*: quia miſericors fuit, miſericordiam inuenit. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum*: ex talibus, inquit, conſtituitur Eccleſia, hi ſunt, qui Dominum, quærunt qui faciem Dei Iacob videre cupiunt, Diapſalma.

Attollite portas principes veſtras. Vnuſquiſque homo quinque portas habet: habet enim viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum, hæ autem portæ niſi ſingulis virtutibus, quaſi ſingulis cuſtodibus cuſtodiantur, per eas diabolus frequenter ingreditur & egreditur: ſed quoniam prædicta generatio iam Dominum quærit? & E diabolus & eius portæ ab hominibus fugerũt, portæque æternales leuatæ ſunt, quia ſoli æterno Regi prædicti ſenſus aperiuntur. Aliter: Poſtquam primum hominem de paradiſo antiquus hoſtis extraxit, quibus in infernum prorumperet portas & aperuit: Alij enim per auaritiam, alij per ſuperbiam, alij per luxuriam mortem & pœnam ingrediuntur, hæ ſunt illæ portæ, quas malignus ſpiritus nobis aperuit: hæ ſunt, quæ hic auferri præcipiuntur. *Et eleuamini, portæ æternales*, fides, ſpes, charitas, cæteræque virtutes, quæ æterni regni ianuæ ſunt, vnde, & æternales dicimus. Hæ autem apertæ ſunt; quia per has & Deus in nos, & in cæleſtẽ patriam nos introducimur. Itemque: Tollite portas principes veſtras, id eſt vos maligni ſpiritus auferte poteſtatem & retinacula, quibus hactenus in inferno Sanctos detinuiſtis: vos autem patriarchæ; & prophetæ, æternales portæ eleuamini, cælos aſcendite, & introibit Rex gloriæ; vobiſcum in gloriam.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Vis audire qualis ſit Dominus
F qui omnibus dominatur: fortis quia diabolum vicit: potens, immo & omnipotens: Sed vbi potens in prælio, quales fuerint vires cuiuſque manifeſtantur.

EXPOSITIO PSALMI XXIV.

AD te Domine leuaui animam meam: Vox Eccleſiæ. Tunc ad Dominum animam eleuamus, quando in bonis operibus perſeueramus. Recipe, inquit, Domine, animam meam, quam ad te eleuaui, tibique obtuli. Deus meus in te confido, non in me, non in homine, non in meis viribus, ſed in te confido. Ideoque non erubeſcam: ſicut illi qui idola coluerunt, de quibus dicitur: Quem igitur fructum habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis. Rom. 6.

Neque irrideant me inimici mei. Irridebant namque gentiles, ſanctos, & idola ſua digito monſtrantes dicebant dicentes: Vbi eſt Deus veſter quem crediſtis, quem exſpectatis, & hoc fruſtra. *Etenim vniuerſi qui te exſpectant non confundentur. Confundantur omnes iniqua agen-*
G *tes, ſuperuacue*, omnes, quidem inique agunt, non tamen omnes ſuperuacue. Qui enim mentitur, inique agit, omnis autem homo mendax, Rom. 3. omnis igitur homo inique agit. Ergo ne omnes confundentur? Abſit. Quis, igitur? Qui hæc ſuperuacue quidem agit, id eſt qui in malo perſeuerat.

Vias tuas Domine demonſtra mihi. Quia, inquit, inique agens peribit, monſtra mihi vias tuas, ne erroris via deceptus, ego quoque confundar & peream. *Et ſemitas tuas edoce me*, vias dixi, nunc autem ſemitas voco, quia arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.

Dirige me in veritate tua. Tu, inquit, rectus & verax es, ego autem mendax & tortuoſus, dirige me ergo Domine, vt ſecundum veritatem tuam incedere valeam, edoce me euitare malum & eligere bonum. *Quia tu es Deus ſaluator meus, & quia te ſuſtinui tota die*: te ex antiquis temporibus in mundum venturum eſſe Prophetæ prædixerant, te Chriſte expectaui, tu me dirige & doce.

Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum
H *tuarum quæ à ſæculo ſunt*, ſemper, inquit miſericors fuiſti, & adeo miſericors, vt carnem ſumeres, & crucem pro nobis ſubires huius igitur tantæ miſericordiæ ne obliuiſcaris.

Delicta iuuentutis meæ. Quæ per ignorantiam commiſi. *Et ignorantias meas ne memineris ſecundum miſericordiam tuam memento mei*, quia merita nulla ſunt. *Propter bonitatem tuam Domine. Dulcis, & rectus Dominus*, dulcis quidem, quia felle & amaritudine caret, vel quia omnibus bona promittit. Rectus autem, quia reddet vnicuique iuxta opera ſua, Rom. 2. Propter hoc legem dabit delinquentibus in via mandatorum tuorum poſiti ſumus, per hoc iter ambulare debemus, multi tamen deuiantes, & per vitiorum prærupta ſe præcipitantes, delinquunt. Sed quia Dominus noſter, dulcis eſt & rectus, in hac via delinquentibus legem dedit dulciſſimam. Hæc enim lex delinquentibus attributa eſt. vt pœniteant, conuertantur & ſaluentur. Diriget manſuetos in iudicio, cum inquit in iudicio vniuerſalis manſuetis

annuncian

A annunciandum fuerit, eos ad ſe Dominus diriget. Siue illi, qui cũ, in hoc ſæculo ab infidelibus iniuſte iudicãtur, in patiẽtia & manſuetudine tamen perſiſtunt, nec aduerſitatibus franguntur, recto itinere ad Dominum uadunt. Dirigit etiam manſuetos in iudicio, quia recte iudicandis eis tribuit diſcretionem. *Docebit mites vias ſuas*, quibus ad ſe peruenire poſſint. Sed quæ ſunt viæ eius? Sequitur.

Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Nullus enim à Deo eligitur, niſi vel ſola miſericordia, vt Iacob; vel miſericordia & veritate, vt Iob. Sed quibus ſunt hæ viæ præparatæ? Sequitur. *Requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius*, teſtamentum Domini requirunt, qui ea quæ dicunt, ſpiritualiter intelligunt: Vel, qui ad hoc laborant, vt teſtamento & adoptione Dei digni fiant. Et teſtimonia eius, in Pſalmis & Prophetis, cæteriſque ſcripturis. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo*; Quia inquit, duæ ſunt viæ, per quas itur ad te, altera autem ſolummodo per- B fectorum eſt, id eſt, veritas propter nomen & miſericordiam tuã mihi propitiare. *multa enim ſunt peccata mea.*

Quis eſt homo qui timet Dominum? Gaudens Eccleſia de Dei dulcedine & bonitate dicit: Quis eſt homo qui timet Dominum? Lætetur, nihil timeat, ſi peccator eſt, non deſperet, ſed pœniteat, conuertatur, & ſaluabitur. Hanc enim *legem ſtatuit ei Dominus in via quam elegit*: Iuſtitia enim, pax, patientia, charitas, benignitas, viæ ſunt per quas incedere debemus, hæc eſt illa via, quam Dominus elegit. Sed ſi quis ab hac via quandoque deuiauerit, legem ſibi poſitam recognoſcat.

Anima eius in bonis demorabitur, huius qui per hanc viam ingredietur. *Et ſemen eius hereditabit terram*, quia & ipſe per opera quæ fecit, & imitatores eius, terram viuentium inhabitabunt. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*, per nos enim fragiles ſumus, ſed quia ſupra firmam petram ſumus firmati, minas æquoris non timemus. *Et teſtamentum ipſius*, & ipſe quidem noſtrum firmamentum, & teſtamentum ipſius, quo bonis ex- C emplis corroboramur, datum ad hoc *vt manifeſtetur illis* qui Deum timent, per hoc enim teſtamentum manifeſtatur & cognoſcitur Dominus.

Oculi mei ſemper ad Dominum. Solet fieri vt aliquis ad aliquid intuendum, intentius non conſiderans vbi pedem ponat, in foueam cadat, quod iſte omnino non timens ait: Oculi mei ſemper ad Dominum. Nec laqueum timebo: *Quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me*, reſpice inquit, in me, quia ego quidem non reſpicio niſi ad te. *Et miſerere mei*, quod debes, *Quia vnicus & pauper ſum ego*: Vnicus quidem, quia ſolus, & te ſolum adoro: Pauper vero, quia nihil habens omnia poſſideo. Hoc autem & de Chriſto apriſſime intelligi poteſt.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, quia multis modis affligor. *De neceſſitatibus meis erue me*, ducens ad illud regnum in quo neceſſitates non patiar.

Vide humilitatem meam & laborem meum, vide inquit, quia in magna tribulatione & labore ſum, vnde fieri po- D teſt, quin aliquando fractus in peccata cadam, & ideo *dimitte vniuerſa delicta mea. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt*, & multi quidem ſunt. *Et odio iniquo oderunt me*, quia non vitia in me, ſed ipſam naturam odio habent. *Cuſtodi* ergo *animam meam* ab illorum fraudibus, *& erue me, vt non erubeſcam, quoniam ſperaui in te. Innocentes & recti adhæſerunt mihi*, aliter enim innocentes non eſſent niſi Eccleſiæ adhærerent, *quia ſuſtinui te. Libera Deus Iſrael*, ideſt Eccleſiam, de ſe quaſi de alio loquitur, *ex omnibus tribulationibus ſuis*, quas & à vitiis & ab hominibus patitur.

EXPOSITIO PSALMI XXV.

IVdica me Domine. Vox perfectorum Non enim iudicium timet qui ſe iudicari rogat. *Quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum*, ideo inquit, iudicium non timeo, quia innocenter vitam egi. *Et in Domino ſperans non infirmabor*, non infirmabor in opere, ſed ſicut incepi, vſque in finem operabor.

Proba me Domine & tenta me, proba me inquit, cognoſce an verum ſit, quod me innocenter vitam egiſſe dixi. E Et tenta, vt probes, qualis & quantæ conſtantiæ ſim, quoniam quidem promiſi, & me non infirmaturum eſſe ſpopondi. Quod poſtquam feceris *vre renes meos & cor meum*, poſtquam, inquit, me probaueris, ſi quam in me vitiorum maculam inueneris, hanc exure, hanc Sancti Spiritus igne deſtrue: ſin vero nihil reperteris, ad maiorem me dilectionem accende.

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt. Quia neque ego miſericordiæ, neque miſericordia mei obliuiſcitur: *Et quoniam complacui tibi in veritate tua*, quod enim verum dico, tuum eſt, quod autem mentior, meum eſt, tua eſt igitur veritas, meum autem mendaciũ; tua eſt ergo veritas, in qua tibi complacui. Et quoniam *non ſedi cum concilio vanitatis*, ideſt, cum conſiliantibus vanitatem. Et quoniam *cum iniqua gerentibus non introibo*: Quid eſt non introibo? ideſt eandem iniquitatem facere non aggrediar. Siue mortem & pœnam non introibo, quam illi proculdubio ingreſſuri ſunt. Et quoniam *odiui Eccleſiam malignantium*, ideſt, congregatio- F nem malorum *Et cum impiis non ſedebo*, ideſt, ad eorum ſimilitudinem in impietate non perſeuerabo. Vel etiam, in tormentis cum illis non ero; quoniam hoc feci vel illud, ideo iudicium non timeo, quin confidenter dicam: Iudica me Domine. Et quoniam *lauabo inter innocentes manus meas*, cum innocentibus inquit habito, quia malignantium odiui Eccleſiam, inter quos poſitus, à cunctis vitiorum ſordibus opera mea lauabo, manus enim opera ſignificant. Et quoniam *circundabo altare tuum Domine*: Altare Dei, Eccleſia eſt, ſiue nouum & vetus teſtamentum, quia in his fit commemoratio natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis corporis & ſanguinis Domini. Hoc autem altare circundant ſancti, ſed cur circundant? vt laudis Dei vocem audiant, hoc eſt quod ſequitur. *Vt audiam vocem laudis tuæ*, quicunque laudes Dei audire deſiderant, ad hoc altare concurrant, hæc duo teſtamenta circundent, hic enim Apoſtolos, Patriarchas, & Prophetas Deum laudantes inuenient. *Vt enarrem vniuerſa mirabilia tua*, hic Domini ſui pecu- G niam abſcondere non vult, iſte peram non portat vbi theſaurum recondat, ſed quæ gratis accepit gratis cunctis impertire deſiderat. Quoniam, inquit, & hæc & illa faciam, ideo in Domino ſperans non infirmabor.

Domine dilexi decorem domus tuæ, ideſt animam virtutibus ornatam, mentis & corporis caſtitatem. Confirmatio. *Et locum habitationis gloriæ tuæ*: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. 1. Corinth. 3.

In quorum manibus iniquitates ſunt: Quia omnia illorum opera iniuſta & iniqua ſunt. *Dextera eorum repleta eſt muneribus*, quibus decipiant innocentes. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum*, quia innocenter vitam egi *Redime me*, ab omnibus inimicis, *& miſerere mei. Pes meus ſtetit in directo*, quia à recto tramite non claudicaui. Et quamdiu ero *in Eccleſiis* & ſanctis congregationibus, *benedicam te Domine.*

EXPOSITIO PSALMI XXVI. H

DOminus illuminatio mea. Vox Eccleſiæ. In tenebris quondam eram, in cæcitate iacebam, ſed veniente Chriſto, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: Iſaiæ 9. Venit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. *Et Salus mea*, ipſe me illuminauit, ipſe me ſaluauit, *quem igitur timebo? Dominus protector vitæ meæ*, redemit inquit Dominus animam meam, illuminauit, ſaluabit & proteget eam, ne amittat. *A quo ergo trepidabo?* Video hoſtes, video malignos ſpiritus, video incurrentes tyrannos; ſed neminem timeo, Dominica admonitus conſolatione; ait enim: Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non poſſunt occidere. Math. 10.

Dum appropiant ſuper me nocentes, appropinquant nocentes, inuadunt me hoſtes, obſident me inimici. Ad

quid? *Vt edant carnes meas*, vt me lacerent & occidant, vt carnales & imperfectos decipiant, & nefario corpori ſuo coniungant, animæ enim & oſſibus nihil officere poſſunt. Vel etiam quia appropinquant inde fit, vt carnem edant carniſque concupiſcentias ſecum auferant animam autem puram & probatam mihi relinquát. *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt*, ſubiungit cauſam cur ei timendum non ſit, infirmati ſunt inimici perſecutores vel maligni ſpiritus deuicti ſunt, mortuo Chriſto. Et ceciderunt ab imperio & potentia, quia Chriſtus reſurrexit. Ideoque *ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum*, ſi inquit, impiorum exercitus, ſi vitiorum impetus, ſi dæmoniorum cætus mihi aduerſetur, nihil tamen timebo. Dominus enim mecum eſt tanquam bellator fortis. *Si exurgat aduerſum me prælium* à prædictis inimicis meis, *in hoc* adiutore *ego ſperabo*.

Vnam petii à Domino. Vnam, inquit, petitionem feci, vnam rem à Domino petiui, *hanc requiram*, huic petitioni inſiſtam. Sed quæ eſt iſta petitio? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, id eſt vt corpore mortificato in cœleſti Ieruſalem perpetuo requieſcam. Vnde Apoſtolus ait: Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, habebimus domum non manu factam æternam in cœlis 2. Corinth. 5. *Vt videam voluntatem Domini*, ideo inquit, in domo Domini habitare volo, vt eius voluntatem perfecte videam & cognoſcam, video enim nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc ex parte cognoſco, tunc autem ſicut & cognitus ſum. 1. Corinth. 13. *Et viſitem templum eius*, illud ſcilicet inenarrabile, illud clariſſimum diuinitatis ſecretum quod ab humano ingenio quale ſit, perſcrutari non poteſt.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo. Ordo eſt, *Circuibo & immolabo in tabernaculo eius*, Quid circuibo? meipſum & animam meam. Illorum ſimilitudinem ſequitur qui caſtra vel ciuitates cuſtodientes die noctuque circumeunt ne aliqua ex parte inimici furtim ſubintrent, ſimiliter & iſte: Circuibo, inquit, domum mihi commiſſam, eius portis cuſtodes ponam, qui auaritiam, luxuriam, ſuperbiam cæteroſque inimicos ab ea longe repellant. Et immolabo in tabernaculo eius, tabernaculum Dei vnuſquiſque fidelis eſt. Sed quid immolabo? *hoſtiam vociferationis*, quia inquit Dei ſunt tabernaculum, in meipſo ſibi hoſtiam immolabo, non hircorum, non vitulorum, immo laudis & iubilationis, hoſtiam viuam & immaculatam, *cantabo, pſalmum dicam Domino.* cantabo, inquit, prædicabo, laudes illius annunciabo. Et pſalmum dicam, quia factis verba complebo. Et hoc merito. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo*, tabernaculum quidem non abſcondit, ſed me in tabernaculo occuluit, quia exteriorem hominem cunctis viſibilem præbuit, & à cunctis affligi permiſit. Vidit enim Decius Laurentium, vidit Dei tabernaculum, templum Dei violauit, domum eius combuſſit: ſed ſicut ait Apoſtolus ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. 1. Corinth. 3. interiorem tamen hominem non vidit, quem Deus in tali tabernaculo abſconderat in talibus tabernaculis abſconditi ſancti. à vitiis vel malignis ſpiritibus inueniri non poſſunt. *In die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui*, Dies malorum vocantur illi in quibus mali nequitiam ſuam exercent. Vnde Apoſtolus: Quoniam dies mali ſunt. Ad Epheſ. 5. In his autem diebus, etſi tabernaculum caperent. corpus affligerent, me tamen id eſt animam meam inuenire non poterunt.

Et quoniam *in petra exaltaſti me* id eſt in Chriſto & per Chriſtum à terrenis cupiditatibus me ſublimauit. *Et nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos*, tunc caput noſtrum ſuper inimicos noſtros exaltatur, quando mens ſuam conſiderans dignitatem nullis aduerſitatibus ſuccumbit. *Exaudi Domine vocem meam qua clamaui*, exaudi inquit meam orationem, redde prædictam petitionem qua dixi. Vnum petij à Domino. Confirmatio. *Miſerere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum*, ac ſi dicat: Oratio illa qua me clamaſſe, non in labiis, ſed in corde fuit. *Exquiſiuit te facies mea* Expoſitio petitionis nihil inquit aliud peto, niſi vt faciem tuam videam vtque tuam voluntatem cognoſcam, & in tua præſentia conſiſtam. *Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo*, quia ego, inquit ſeruus tuus faciem tuam requiro, noli eam mihi abſcondere, noli quaſi iratus à me ſeparari, ſed fac quod ſequitur, *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me*, neque hic neque in futuro, *neque deſpicias me Deus* quia quamuis homo & corruptibilis ſim, cœleſtia tamen, & Diuina quæro.

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, prius, inquit, quam carnem aſſumeres, diabolus mihi pater erat, mater vero gentilitas, Babylon & confuſio hi autem poſtquam credidi, & eorum actus dereliqui, de mea ſalute dolentes dereliquerunt me: Deus autem qui verus eſt pater, aſſumpſit me; *Legem pone mihi in via tua*, quia inquit aſſumpſiſti me, da mihi legem viuendi, vt in via tua firmiter perſiſtens, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinem. *Et dirige me in ſemitam rectam*, ne à Iudæis & hæreticis decipiar. Propter inimicos meos qui me decipere conantur. *Ne tradideris me in animas tribulantium me*, vt ex toto animum & deſiderium ſuum faciant, quia quamuis corpus animam tamen non ſuperabunt: Quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui multotiens enim falſi teſtes Iudæorum contra Apoſtolos inſurgebant, & præuaricatores legis eos vocabant.

Et mentita eſt iniquitas ſibi. ſibi quidem iniquitas mentita eſt, quia in verticem ipſorum iniquitas eorum deſcendit, Hoc etiam de Chriſto intelligi poteſt, in quem iniqui teſtes inſurgentes dicebant. Hic dixit: poſſum deſtruere templum Dei, & in triduo reædificare: Matth. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Vnde ſcio, quia non trades me in animas tribulantium me, iam mediator aſcendit, iam mihi locum præparat ſaluator, quia etiam in ſanctis ſcripturis, quotidie me admonet dicens: Expecta Dominum, qui & laboris merita retribuet, & de inimicis te vindicabit. Viriliter age, confortare & eſto robuſtus hoc eſt quod dicit. Confortetur cor tuum in operibus bonis. Et ſuſtine Dominum id eſt, expecta, donec veniat.

EXPOSITIO PSALMI XXVII.

AD te Domine clamaui Deus meus. Vox Chriſti, vel Eccleſiæ. Clamauit Chriſtus in cruce; quando dixit, Eloi Eloi: Matth. 27. Clamat & Eccleſia, qui non ceſſat quotidie laudare nomen Domini. *Ne ſileas à me*, ideſt non tacebis à me quia ſemper laudabo te. Vel ne ſileas à me ideſt reſponde mihi, & exaudi orationem meam, *Nequando taceas à me*, confirmatio eſt, *Et aſſimilabor deſcendentibus in lacum*, ſi inquit, Eccleſiæ non laudauero te, ſimilis ero impiis & peccatoribus qui in lacum & in infernum deſcendent: Chriſtus autem, ſi me inquit, non exaudieris inter impios, & mortis deditos computabor. Quod ne fiat, *Exaudi vocem deprecationis meæ dum oro ad te*, pro vniuerſali totius mundi ſalute. *dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum* id eſt manus in cruce exalto, vt tuum ſanctum templum quod eſt Eccleſia ædificem: Eccleſia autem Dominum exorans manus ſuas ad templum Dei eleuat quia bona opera ſua ad Dominum mittit. Vel quia ſeipſam gradibus virtutum vſque ad templum Dei exaltat. Vel quia eleuatis manibus Dominum deprecatur.

Ne ſimul tradas me cum peccatoribus. Ne me inquit, Eccleſia, ſimul cum peccatoribus tortoribus tradas qui omnia quæ debui: ſolui neque conſeruum pro denariis afflixi. *Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me*, quia iniquitatem ego operatus non ſum. *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo*, quia verbis amicitiam & pacem ſimulant. *Mala autem in cordibus eorum*, in cordibus inquit latent mala inſidiæ, doli & proditiones. *Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum ſecundum opera manuum eorum tribue illis; redde retributionem eorum ipſis* ideſt prout meriti ſunt, recipiant. *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, vt facerent ea, *Et in opera manuum eorum deſtrue illos*, id eſt, ſecundum opera quæ operati ſunt, pereant. *Et non ædificabis eos*, cum, inquit, ſupernam

A ciuitatem Ieruſalem ex viuis lapidibus conſtrues, noli eos in eius muris ædificare.

Benedictus Dominus quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. : Sciens ea euenire quæ poſtulauit, quaſi iam exauditus benedicit, & gratias Domino refert, quia Dominus eſt, *adiutor meus & protector meus*, adiutor vt vincamus, protector, ne vulnerati deficiamus. *Et in ipſo ſperauit cor meum & adiutus ſum. Et refloruit caro mea*, refloruit quidem, quia in baptiſmo amiſſa vetuſtate noua & iuuenis facta eſt. Vel reflorebit in die iudicij, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem.1.Corinth.15. *Et ex voluntate mea confitebor illi*, confitebor, inquit & ex voluntate confitebor, quia nulla ſeruitia diligit Deus, niſi, quæ voluntarie fiunt. *Quis Dominus eſt fortitudo plebis ſuæ*, quia per eum fortis eſt. Et protector ſalutarium Chriſti ſui eſt. Salutare dicitur qui dat ſalutem, vel cui datur, eſt igitur Deus ſalutarium Chriſti ſui protector, quia eos protegit, quos Chriſtus ſaluauit.

B *Saluum fac populum tuum Domine.* Quoniam inquit Deus protegit, tu Chriſte ſaluum fac populum tuum, vt ipſe protector, tu vero Ieſus & ſaluator voceris.

Et benedic hæreditati tuæ. hæreditas Dei Eccleſia eſt, de qua dicitur. Et dabo gentes hæreditatem tuam. Pſal.2 & reges eos in virga ferrea, & extolles illos. De virtute in virtutem vſque in æternum id eſt, donec ad æternitatem peruehiant.

EXPOSITIO PSALMI XXVIII.

AFferte *Domino filij Dei.* Vox Prophetæ, exhortans gentes ad laudem Dei : Iam inquit filij Dei eſtis, & in adoptionem vocati, ergo afferte Domino. Sed quid afferre debetis? Sequitur. *Afferte Domino filios arietum*, arietes Apoſtoli dicuntur, quia totius Eccleſiæ ſunt Doctores. Vel quia nouo & veteri teſtamento quaſi duobus cornibus ſunt muniti. Filij autem arietum, animæ fidelium C ſunt, quos Apoſtoli in baptiſmo Domino genuerunt. Vnde Apoſtolus ait ? Nam in Chriſto Ieſu ego vos genui, 1 Corinth. 4. Itemque filioli mei quos iterum parturio. Ad Galat.4. Hos igitur filios arietum id eſt animas noſtras Domino afferamus, quia nihil maius Deo afferre poſſumus, afferimus autem, quando eas virtutibus exaltamus.

Afferte Domino gloriam, & honorem. Id eſt, tales vos exhibete, in quibus Deus honoretur & glorificetur. Vnde dictum eſt: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Matth. 5. *Afferte Domino gloriam nomini eius*, id eſt glorificate Deum quia Chriſtiani vocamini, & nomen eius recepiſtis. Vnde in Canticis Canticorum dicitur : Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Cant.1. Vel gloriam nomini eius ideſt ad honorem nominis eius. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius.* Hoc eſt in Eccleſia nouiter ædificata Vel in cordibus & conſcientiis veſtris ſicut ſcriptum eſt. Intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora patrem tuum. D Matth. 6.

Vox Domini ſuper aquas. Dixit ſuperius : afferte Domino filios arietum, & afferte Domino gloriam, & honorem: hæc autem vox Domini eſt ſuper aquas intonantis. Quid per aquas, niſi populos? Sicut ſcriptum eſt aquæ multæ multiplicatæ ſunt. Intonabat igitur vox Domini ſuper multas aquas, quando ſequentibus turbis Euangelium Apoſtolus annunciabat : Vel quando Apoſtoli per omnes terras prædicabant. Intonuit etiam vox Domini ſuper aquas, quia in Iordane ſuper Chriſtum vox patris audita eſt. Hic eſt filius meus : Matth.17. Intonat nunc quoque ſuper aquas baptiſmatis, quia in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti baptizant Sacerdotes. *Deus maieſtatis intonuit*, ille inquit per ſeipſum prædicauit, qui Deus maieſtatis, poteſtatis & excelſæ virtutis Intonuit. Dominus ſuper aquas multas quia ipſe, & per ſe, & per diſcipulos, vniuerſo mundo Euangelium annunciauit. *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia*, hæc inquit, vox Domini eſſe comprobatur per virtutem & magnificentiam. Tanta enim huius vocis virtus erat, E quod & mortuos ſuſcitabat, cæcos illuminabat, leproſos mundabat. Matth. 11. paraliticos curabat. Mar. 2. conſtat igitur quoniam huiuſmodi vox Domini eſt. Sed cuius Domini ? Sequitur.

Vox Domini confringentis cedros. Per cedros, ſuperbos diuites, & potentes intelligimus, hoc autem confregit vox Domini quia multi ſub iugo Chriſti humiliati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Montes & colles humiliabuntur. Luc.3 Fregit igitur vox Domini cedros quia ſuperbos & diuites Euangelium humiliauit. Franget etiam in iudicio, nam vox illa Domini erit, quæ dicit : Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 25. Hac autem voce quanti frangantur dici non poteſt. Conſtat igitur quia cedros franget. Sed cuius cedros ? Sequitur.

Et cõfringet Dominus cedros Libani. Quia in ſæculi diuitiis mundique candore, & felicitate natos partim ad ſe conuertet, partim æterno ſupplicio tradet. Et comminuet F eos tanquam vitulum Libani, nulla terra ſecundum huius nominis interpretationem conuenientius, quam terra Iudæorum, Libanus vocari poteſt, quæ omnium diuitiarum pulchritudine florebat, & lacte & melle manabat Deuter 6. Vitulus autem pro ſacrificio ponitur, quia de vitulo ſacrificium fiebat. Leuit.4. Comminuit ergo Dominus vitulum Libani, quia ſacrificium Iudæorum adeo deſtruxit, vt nullo in loco eſſe dicatur. Ad huius ergo ſimilitudinem comminuentur mali quoniam alij omnino peribunt, vt hoc ſacrificium, alij vero à ſuperbia & iniquitate ceſſabunt, vt hæc terra à ſacrificio.

Et dilectus quemadmodum filius vnicornium. Hoc autem ſicut, & ſuperiora & ad bonam & ad malam partem conuerti poteſt : ad bonam autem hoc modo. Apoſtolos filios vnicornium intelligimus, quia ex Iudæis proceſſerunt, hi autem adeo pauperes, & diminuti fuerunt, vt nihil proprij eis remanſerit, iiſdem teſtantibus. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Matth. 19. ad horum comparationem, multi ſæcularium commutati ſunt, quia alij Monachi, alij Eremitæ, alij vero peregri- G ni efficiuntur, Dominica voce admoniti : ait enim quicumque reliquerit patrem, & matrem, agros, ſeruos, & ancillas centuplum accipiet. Matth. loc. cit. Hæc autem eſt vox illa noſtri redemptoris, quæ cedros confringit, in malorum autem parte ſic intelligitur. Iudæi iudæorumque filij, qui Chriſtum crucifixerunt vnicornes vocantur, hoc autem non parua pœna, & conditio expectat. Quicunque ergo æternæ morti damnantur, eos dilectus Dei filius, quemadmodum filios vnicornium comminuet. In quibuſdam autem codicibus inuenitur. Et dilectus quemadmodum filius vnicornium, hoc autem ſic interpretatur dilectus Dei filius, qui adhuc Patri, inquit Propheta, per omnia æqualis eſt in tempore præfinito in tantum comminuetur, vt quemadmodum vnus ex filiis Iudæorum, pœnitus purus homo eſſe credatur.

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Hæc inquit Vox eſt illius Domini, qui flammas ignis intercidit. Omnes enim infernales flammas ignemque inextinguibilem ingrederentur, niſi quia Chriſtus carnem ſumens, & H infernum à nobis, & nos ab inferno ſeparauit. Intercidit etiam vox Domini flammas ignis, quia vitia carniſque concupiſcentias Euangelij annunciatio ab audientibus reſecat.

Vox Domini concutientis ſolitudinem, & commouebit Dominus deſertum Cades. Cades commotio tineæ interpretatur, ſignificat autem hunc mundum, qui prior à Domino derelictus erat, ſed veniens Dei filius mundum concuſſit deſertum cades commouit quem tinea & malignus ſpiritus commouerat atque corruperat, excuſſit tineas, commouit vitia, fugauit peccata. Aliter Cades legem & vetus teſtamentum ſignificat quidam enim Cades ſancta interpretatur, veniens ergo Chriſtus commouit deſertum Cades, quia ſanctam legem, & Prophetas ob nimiam obſcuritatem à cunctis fere derelictos concuſſit, aperuit, litteram amouit & intelligibiles fecit. Lucæ 24.

Vox Domini præparantis ceruos. Cerui Apoſtolos deſignant, quia fragiles erant ad currendum & Euangelium

A nunciandum, quique mortifera diaboli venena parui-pendebant. Et reuelauit condenſa, quia & ſcripturas illis aperuit, & Diuina myſteria manifeſtauit. Vnde Apoſtolus: Audiui, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui 2. Corinth. 12. *Et in templo eius omnes dicent gloriam* quia omnes in Eccleſia Dominum laudant.

Dominus diluuium inhabitare facit. In templo Dei habitat diluuium, quia in Sancta Eccleſia, Prophetæ, Apoſtoli, Epiſcopi, & Doctores inueniuntur, hi autem diluuium dicuntur, quia affluentia ſancti Spiritus & omnium ſcripturarum plenitudine redundant. Vel etiam quia homines abluunt à peccatis. Et ſedebit Dominus Rex in æternum, quia ſemper in Eccleſia regnabit, & in Sanctis ſuis ſedebit, ſunt enim Sancti ſedes Dei. Dominus virtutem populo ſuo dabit, ne ab inimicis & vitiis ſuperetur. Dominus benedicet populo ſuo, tendenti in pacem ideſt ad ſemetipſum, quia ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum. Epheſ. 1.

B

EXPOSITIO PSALMI XXIX.

EXaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me.* Vox Chriſti. Exaltabo te, inquit, Pater, quoniam de hoc mundo me ſuſcepiſti, & ad dexteram tuam reſidere feciſti. Marc. 14. Exaltat filius patrẽ, quia per filium laudatur Pater. *Nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Inimici Chriſti Iudæi ſunt, vel maligni ſpiritus: Iudæi quidem, non ſunt delectati de morte Chriſti quia & contra eorum voluntatem reſurrexit, & ob hoc facinus gentem & locum amiſerunt: Maligni vero ſpiritus, & regnum perdiderunt, & animas quas captiuas detinebant. *Domine Deus meus clamaui ad te*, clamauit autem, cum dixit: Pater clarifica filium tuum. Et ſanaſti me, erat enim infirmus pro parte carnis. Sanauit igitur eum Pater, quia reſuſcitando ipſam carnem immortalem & incorruptibilem fecit. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam.* Expoliauit infernum, & animas Sanctorum ſecum in cœlos deuexit. *Saluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Id eſt, ex manibus
C Iudæorum me liberaſti, quia ſua ſponte in infernum, & mortem, & fauces diaboli deſcendunt.

Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoria ſã ctitatis eius. Vos inquit ſancti eius laudate Dominum & ſuæ ſanctitatis memoriam quia veſtri recordatus, me filium ſuum in mundum miſit. Ad Gal. 4. & pro veſtra & omnium ſalute mori permiſit.

Quoniam ira in indignatione eius. Laudate inquit Dominum & nolite inobedientes eſſe, ne indignatus vobis iraſcatur ira namque & mors in Dei indignatione fit. Et vita in voluntate eius, quia quicunque eius voluntatem fecerit, viuet in æternum.

Ad veſperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia. Apoſtrophe ad Apoſtolos, ô Apoſtoli ad veſperum demorabitur fletus, pro morte namque ſaluatoris, qui circa horam nonam ſpiritum emiſit, Matth. 26. triſtantes flebant Apoſtoli, ſed mane orto iam ſole Chriſto reſurgente, immenſa inter illos eſt nata lætitia. Aliter. Per veſperum Adam, per mane autem Chriſtum intelligamus:
D Adam namque diem & lucem fugauit & noctem & tenebras mundo intulit, quod veſperi proprium eſt. Chriſtus autem noctem ademit & verum diem hominibus dedit: his igitur, qui ad veſperam conuertentur, & primum hominem imitabuntur, fletus erit atque triſtitia, his autem qui ad mane confugerint, & Chriſtum ſequentur, gaudium erit atque lætitia. Poſſumus etiam per veſperum & mane, diem iudicij figurare. Dies namque iudicij & veſperum erit malis, & mane bonis. Tunc enim mali noctem, & dolorem, boni vero diem & æternitatem recipient; ad veſperum ergo tunc venientibus erit fletus & ad matutinum gaudium erit, & lætitia.

Ego autem in abundantia mea non mouebor in æternum. Adam, inquit, in æternorum bonorum abundantia poſitus de paradiſo miſer exiuit, ego autem ad patris dexteram reuerſus non mouebor in æternum, & dicam.

Domine in voluntate tua præſtiti decori meo virtutem, id eſt ſecundum voluntatem tuam dediſti mihi virtutem

E qua ipſam mortem ſuperarem, quod ad decus mihi contigit. *Auertiſti faciem tuam à me*, mihi inquit, virtutem dediſti, à meis autem faciem auertiſti, quia in eadem conſtantia non perſeuerauerunt, ſed me relicto fugerunt omnes Matth. loc. cit. *Et factus ſum conturbatus.* Hoc quoque de Apoſtolis dicitur: *Ad te Domine clamabo & ad Deum meum deprecabor*, clamabo, inquit, & deprecabor Dominum, vt eorum triſtitiam in gaudium vertat. Nam *quæ vtilitas mea dum deſcendero in corruptionem*: quæ, inquit, in mei ſanguinis effuſione vtilitas erit, ſi illi quos redemi, iterum corrumpantur? Hanc vocem audiuit *Dominus, & miſertus eſt mei*, id eſt meorum. *Factus eſt adiutor meus*, id eſt meorum. Conuerſio perſonæ. *Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi*, propter reſurrectionem. *Conſcidiſti ſaccum meum*, id eſt carnem qua anima erat inuoluta. Et circundediſti me lætitia, & æternitate. Vnde fit, *vt cantet tibi gloria mea*, quæ eſt gloria Domini, niſi reſurrectio & aſcenſio, hæc autem cantet Domino, quia in his glorificatur. *Et non compungar*, ali-
F qua tribulatione, quia mors illi non dominabitur. Rom. 6. Vel etiam ſancti iam non compungantur, quia ſtimulus diaboli confractus eſt. Vnde Apoſtolus. Vbi eſt mors, inquit, ſtimulus tuus. 1. Corint. 15. *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

EXPOSITIO PSALMI XXX.

IN te Domine ſperaui.* Vox Dominici hominis. Quia in te inquit ſperaui, qui optimus es auxiliator, vide ne ego, & mei aliquando confundantur. *In iuſtitia tua libera me*, libera me, inquit, ab impiorum iniquitate quia tu iuſtus es, & ego à iuſtitia non diſcedo. *Inclina ad me aurem tuam*, id eſt exaudi orationem meam. *Accelera vt eruas me*, id eſt, cito mihi ſuccurre, *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias*, ſis inquit, mihi Dominus protector, & domus, ad quam confugiam, quia in nulla alia protectione confido.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu. Tu
G ſolus mea fortitudo, tu ſolus es meum refugium, tu ſolus ergo libera me, & protege me. *Et propter nomen tuum deduces me* in nomine tuo in mundum, in nomine Domini veni, nomen Domini annunciaui, propter nomen tuum, quod inuocabo me reuertentem ad te deduces. Vel educes me per Apoſtolos, vt tuum nomen in vniuerſa terra annuncietur. Et enutries me dulcedine videlicet ſummi boni, non fellis amaritudine, ſicut Iudæi, Matth. 27. Vel enutries me eodem cibo ſpirituali corpore ac ſanguine meo. *Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi*, multi fuerunt laquei, multæ fuerunt deceptiones, quas Chriſto Iudæi abſconderunt ſed ſemper diuinitate munitus à nullo decipi potuit, quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritum meum. Hoc autem completum fuit, quando in cruce poſitus dixit, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Luc. 23. *Redemiſti me Domine Deus veritatis.* Prophetica interpoſitio. Videns Propheta Chriſti paſſionem, quia mundus re-
H dimendus erat in ipſo exitu vitæ noſtri Saluatoris gratulabundus, inquit, redemiſti me Domine Deus veritatis: iam crucifixus es, iam ſpiritum patri commendaſti, mundumque redemiſti; vnde verax Deus eſſe comprobaris quia compleſti ea quæ promiſiſti.

Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacue. Vox Chriſti: ſuperuacue obſeruabant Iudæi vanitates quia ne Chriſtus reſurgeret ſepulchrum cuſtodiebant. Matth. 27. illi quoque ſuperuacue cuſtodiunt vanitates, qui ſic terrenis inhærent, vt cœleſtia obliuiſcantur. Ego autem in Domino ſperaui, ideoque ſine timore de ſepulchro exiui & ſecundum meum velle reſurrexi. Matth. loc. cit. *Exultabor & lætabor in miſericordia tua.* Quæ fuit illa miſericordia? Sequitur. Quoniam reſpexiſti humilitatem meam ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam, neceſſe eſt enim hominem mori ex hac autem neceſſitate liberatus eſt Chriſtus quia mors illi non dominabitur. Rom. 6.

Nec concluſiſti me in manibus inimici, quia neque ab

A his qui ſpulchrum cuſtodiebant, neque à malignis ſpiritibus in inferno detentus eſt. *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, quia non in ſola Iudæa, ſed per omnia regna mundi, Apoſtoli prædicant, Mar. 16. quibus in ſola Iudæa prius prædicare præceptum fuerat.

Miſerere mei Domine quoniam tribulor. Ego, inquit, à Iudæis, Apoſtoli vero à gentibus, quibus prædicant, tribulantur; idcirco tu Domine miſerere mei & meorum. *Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*, quia, & perfecti, & imperfecti in ira malorum affligebantur. Vnde ſuperius dixit, dum ſuperbit impius incenditur pauper. Pſal. 9. oculus enim & anima, perfectos, venter vero, qui corporis vilior pars eſt, imperfectos ſignificat.

Quoniam deficit in dolore vita mea. Chriſti namque vita in cruce finit, de homine enim loquor, Apoſtolorum vero, & in cruce, & in aliis tormentis defecit, in dolore igitur. *Et anni mei in gemitibus*, qui vſque ad exitum vitæ in aduerſitatibus fuerunt. Siue etiam, pro B peccatis ſuis, & aliorum plorabant. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*, virtus Chriſti Euangelium eſt. Vnde Apoſtolus: Non enim erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Rom. 1. Hoc autem in paupertate credentium infirmabatur, quia tædebat ipſos doctores Euangelizare, ſicut ſcriptum eſt: Domine quis credidit auditui noſtro? Iſaiæ 53. Vel, virtus Chriſti in paupertate infirmata eſt: quia Deus in homine, qui per ſe quidem pauper eſt, & omnibus indiget; virtutem ſuam non manifeſtauit, ſed derideri ſe, & affligi permiſit. *Et oſſa mea conturbata ſunt*, id eſt Apoſtoli, qui Eccleſiæ ſunt firmamentum. *Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde & timor notis meis*, quia niſi me occiderent, ſe victuros non putabant Ioan. 11. Vel notis meis, id eſt Apoſtolis factus ſum timor quia iam nomen meum confiteri timent; vt ipſe Princeps Apoſtolorum, qui ad vnius ancillæ vocem Chriſtum negauit. Ioan. 18. *Qui videbant me foras, fugiebant à me*, videbant enim Apoſtoli Iu- G dæos capere Chriſtum, & relicto eo omnes fugerunt Matth. 26. *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde*, ſic inquit, à corde Iudæorum, oblitus ſum, ac ſi mortuus eſſem, atque de illis vindicari non debuiſſem. *Factus ſum tanquam vas perditum*, & nulli vtilitati idoneum, vaſa perdita erant latrones, quia & à Deo, & ab hominibus odio habebantur. Factus eſt ergo Chriſtus tanquam vas perditum; quia inter iniquos computatus eſt. Mat. 15. *Quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu*; nam ſicut latrones, ita & Chriſtus à circumſtantibus vituperatur. *In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me accipere animam meam conſiliati ſunt*, dum ſimul, inquit, aduerſum me iniqui Iudæi conuenirent, in eo conuentu nihil aliud conſiliati ſunt, niſi vt animam meam perderent. *Ego autem in te ſperaui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ*, id eſt, in poteſtate tua ſunt quæcunque vel bona, vel mala mihi ſunt futura, non enim haberent in me D poteſtatem, niſi à te datum illis fuiſſet Ioan. 19. quapropter, *erue me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me, illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum* id eſt clarifica & manifeſta Diuinitatem in filio tuo, ne ſemper tantum homo intelligatur, de quo ſcriptum eſt; Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius Ad Hæbr. 3. *Et ſaluum me fac in miſericordia tua Domine non confundar quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij*, Iudæi ſcilicet qui Dominum ſuum crucifixerunt. Vel gentiles, qui idola coluerunt, erubeſcent enim in iudicio, quia ad nuptias intrare volentes non permittentur, ſed ianua clauſa deducentur in infernum, quem in hoc ſæculo ſibi parauerunt. Tunc tandem *muta fient labia doloſa, quæ modo aduerſus iuſtum loquuntur iniquitatem in ſuperbia, & in abuſione*, ſuperbe enim & abuſiue, id eſt, contra ſeruorum vſum, loquebantur, Iudæi aduerſus Dominum, dum reus eſt mortis, Matth. 26. & crucifige crucifige, Lucæ 23. dicebant. Prophetica interpoſitio. Videns per ſpiritum ſanctum, hos ita miſeros, E & deiectos, videnſque ſanctos in beatitudine tanta collocatos exclamat. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, qui tantam beatitudinem, tantam gloriam, tam magna præmia ſanctis tuis præparaſti, eiſque bona dediſti, quæ neque dici, neque cogitari poſſunt. 1. Corinth. 2.

Quam abſcondiſti timentibus te. Nondum enim videmus quid erimus. Abſcondere etiam pro reſeruari ponitur, vt ſic dicatur. Quam reſeruaſti timentibus te. *Quam perfeciſti eis qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum.* Hanc, inquit, beatitudinem perfecit Dominus, id eſt, perfectam fecit, eis quidem, qui in hoc ſæculo non ſperant: & in conſpectu filiorum impiorum eum confeſſi ſunt. Vnde ipſe ait, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, Mat. 10. Abſcondes eis in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Iam, inquit à peccatoribus non turbabuntur, ſed ante faciem tuam læti F perſiſtent. *Proteges eos in tabernaculo tuo*, id eſt cœleſti Ieruſalem. *A contradictione linguarum*, iam ſubauditur: ereptos.

Benedictus Dominus, quoniam quidem tanta Diuina Secreta, vidit Propheta, gratias agimus Domino, inquit, Benedictus ſit Dominus, *quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita*, Satis enim mirabiles habere potuit miſericordias Dei, quando homines, & peccatores iam iuſtificatos, in cœleſti Ieruſalem reſidere vidit: Habuit etiam mirabiles miſericordias Dei, quando in Ieruſalem, quæ ſatis fortis & munita erat pro humana Chriſtum Salute paſſum inſpexit. Hucuſque Propheta. Nunc autem loquitur Chriſtus.

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum à vultu oculorum meorum. Iudæi inquit, contra me ſuperbe, & abuſiue loquebantur, ego autem in extaſi, & in exceſſu mentis videns illorum diſperſionem, & incredulitatem, dixi: proiectus ſum à facie oculorum meorum, derelictus ſum à meis; vocabo ergo non plebem meam plebem meam, qui à Iudæis ſpretus à gentibus G ſum electus, *Ideo exaudiſti vocem deprecationis meæ, dum clamarem ad te*, derelictus ſum, inquit, à Iudæis, pro gentibus exoraui, & exauditus ſum. *Diligite Dominum, omnes Sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus*, qui inquit, verus eſt, qui eum dilexerit vere ſaluabitur. *Et retribuet abundanter facientibus ſuperbiam viriliter agite*: ea quæ incepiſtis. *Et confortetur cor veſtrum*, vt mortem non timeatis: *Omnes qui ſperatis in Domino*, vitam recipere æternam.

EXPOSITIO PSALMI XXXI.

B*Eati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Vox Eccleſiæ, de laude Confeſſionis Beati illi, qui peccata Domino confitentes remiſſionem recipere meruerunt Illi quoque ſunt beati: quorum per dilectionem peccata tecta ſunt, & à Domino oblita. Charitas enim multitudinem operit peccatorum 1. Petri. 4. Beatus vir, cui non im- H putauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Nulli enim aqua baptiſmatis regenerato imputatur originale peccatum: omnibus baptizatus erit beatus, ſic tamen, ſi in vita ipſius dolus non fuerit.

Quoniam tacui inueterauerunt omnia oſſa mea: Ac ſi dicat, confiteatur vnuſquiſque peccata ſua, creſcant enim peccata ſine confeſſione, experto credatur: Ego quidem tacui neque vt debui peccata confeſſus ſum, ideoque in peccatis inueterauerunt oſſa mea, id eſt, tota virtus, & fortitudo mea: iuſtiorum mole fuit depreſſa atque grauata. *Dum clamarem tota die*, nullus clamor, nullaque oratio prodeſt niſi confeſſio præcedat.

Sed quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua; conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur Spina. Quia, inquit, tacui, ideo manus, baculus; & correctio tua grauata eſt ſuper me: Nam qui parcit virgæ, odit filium, Prou. 13. ego autem ſtatim in ipſa ærumna, vel miſeria ad te conuerſus ſum, dum mihi ſpinas aſpera correptio imprimeret. *Delictum meum cognitum*

A

tibi ſeci, & iniuſtitias meas non abſcondi, poſtquam te inquit, mihi iratum comperi, non vlterius tacui ſed quaſi coactus dixi *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino*, Peccaui Domine nimis, confiteor peccatum meum: ceſſet iam manus tua, hoc dixi: Tu vero *remiſiſti impietatem peccati mei*, quia vere confeſſus fui, miſericordiam indulſiſti: Vere enim confitetur, qui ſeipſum damnat, & aduerſum ſe loquitur *Pro hac* (remiſſione) *orabit ad te omnes ſanctus*, nullus enim ſanctorum eſt, qui aſſidue non dicat. Dimitte nobis debita noſtra. *In tempore opportuno*, id eſt in hac vita, vnde dicitur. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes Ad Galat. 5.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt, orant quidem aſſidue ſancti pro remiſſione peccatorum: tamen quia in diluuio aquarum multarum ſunt, à quibus purgantur, & abluuntur; ad eos peccata appropinquare non poſſunt, purgantur enim

B

eleemoſinis, orationibus ieiuniis, lacrymis, & monitis ſcripturarum. Quare igitur orant? ne à diabolo tententur, vnde Dominus diſcipulis ait. Orate ne intretis in tentationem. Matth. 16. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me*, de huius ſæculi aduerſitatibus loquitur. Exultatio mea, quia de te gaudeo. *Erue me à circumdantibus me*, id eſt, à vitiis, & malis omnibus. Reſponſio Dominica.

Intellectum tibi dabo. Noli, inquit, timere, intellectum tibi dabo, quo conſoletis, inimicos deuincas; *Inſtruam te*: in operibus bonis. *In via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos*, ne aliquis tibi nocere poſſit. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus*, equus enim ſuperbos ſignificat, & luxurioſos; ſicut ſcriptum eſt. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo Ioel. 1. Mulus autem pigros, & infæcundos ſignificat. Tale eſt igitur ac ſi dicat. Noli eſſe ſuperbus, & luxurioſus, noli eſſe piger: quia propter frigus piger arare noluit, noli eſſe vacuus virtutibus, & ſterilis.

C

In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Si inquit aliqui fuerint, qui Euangelium recipere, & ad te appropinquare noluerint eos in chamo, & freno legis, in duris, & minantibus ſcripturarum ſententiis conſtringe, vt vel ſic Eccleſiæ coniungantur. *Multa flagella peccatoris*, ideoq; ceſſa peccare, & noli fieri ſicut equus & mulus, ſed ſpera in Domino. *Quia ſperantes in Domino miſericordia circumdabit. Lætamini in Domino*, non in mundo, non in rebus tranſitoriis. *Et exultate iuſti*, de promiſſa miſericordia. *Et gloriamini omnes recti corde*, qui gloriatur, in Domino glorietur (2. Corin. 10.

EXPOSITIO PSALMI XXXII.

EXultate iuſti in Domino, Vox Eccleſiæ. Hactenus, inquit, in auro, & argento, ſæculique honoribus exultaſtis, nunc autem, quia iuſti eſtis, in Domino, & in Iuſtitia exultate. *Rectos decet collaudatio*, ideo, inquit,

D

vos exultate, & laudate Dominum: quia talium laudem diligit Dominus, *Confitemini Domino in cithara*, id eſt in dulciloquio, vt Saülem placare poſſitis, *In pſalterio decem chordarum pſallite illi*, in decem chordis, decem præcepta legis intelligimus. Ergo In pſalterio decem chordarum pſallite Domino, quia in his decem præceptis ei ſeruitur.

Cantate ei canticum nouum. Nouus homo, veniſt in mundum, nouam legem dedit mundo (Greg. Hom. 32.) cantate ergo canticum nouum, videlicet, Natiuitatem, Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem, hæc enim omnia noua ſunt, & à prioribus inaudita.

Bene pſallite ei in vociferatione. Id eſt, in verbis prædicationum. Bene autem in prædicatione pſallunt, qui verbis opera coniungunt. *Quia rectum eſt verbum Domini*, ideo inquit, cantate canticum nouum, quia rectum eſt verbum Domini. Et bene pſallite ei in vociferatione, quia omnia opera eius ſunt in fide. Recta quidem ſunt verba Diuina, quia veritatem cunctis annunciant. Opera vero ipſius fidelia ſunt, quia neminem fallunt. *Diligit* E

miſericordiam, & iudicium, cantate inquit, & dicite, quoniam, & miſericors &, iuſtus eſt Dominus, & quia miſericors eſt, nullus deſperet: quia vero iuſtus, omnes bona operentur, reddet enim vnicuique iuxta opera ſua, Matth. 16. *Miſericordia Domini plena eſt terra*, per terram Eccleſiam intelligimus, cuius in tantum, miſertus eſt Dominus, vt etiam filium ſuum pro ea morti traderet. *Verbo Domini cœli firmati ſunt*, hoc quoque nunciate quoniam verbo Domini, facti ſunt Apoſtoli, & in Trinitatis fide ſupra firmam petram firmati Velut ipſum firmamentum, quoniam omnia per ipſum facta ſunt, (Ioan. 1.) *Et à ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, quod enim Apoſtoli vitia ſuperabant, quod mortuos ſuſcitabant, quod cæcos illuminabant, non viribus eorum, ſed ſpiritus Sancti gratia fiebant.

Congregans ſicut in vtre aquas maris, Et cœlos, inquit firmauit, & quaſi aquas in vtrem, huius ſæculi peccatores in Eccleſiam congregauit. Vel etiam, quaſi aquas F

in vtre, ita impios, & peccatores in ſua poteſtate conſtringit, vt niſi quando ipſe permittit in ſanctos ſæuire non poſſint.

Ponens in theſauris abyſſos. Quia in Sanctorum numero, & in Eccleſia peccatores adunat, quia abyſſus ſunt, & in vitiorum profunditate ſubmerſi. Ponit etiam in theſauris abyſſos, quando in cœlis collocat ſanctos, ibi enim eſt ſanctorum theſaurus, quia in cœlis theſaurizant. *Timeat Dominum omnis terra*, quia talis, inquit, eſt Dominus, ideo omnis terra eum timeat.

Ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Iam enim ex parte commoti ſunt, quia eius monitis, ab infidelitate ad fidem tranſierunt: mouebuntur autem in die iudicij, quia alios ad ſe vocabit, alios autem in infernum mittet, Matth. 25. *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt*; quia ipſe omnia fecit Ioan. 1. omnia eius ſequuntur imperium.

Dominus diſſipat conſilia gentium. Quibus Eccle- G

ſiam deſtruere putabant. *Reprobat autem cogitationes populorum & reprobat conſilia principum*: conſilium namque eorum fuit, vt Eccleſiam deſtruerent, & Deorum templa ædificarent. *Conſilium autem Domini in æternum manet*, quia ſemper erunt Sancti, qui Ipſius conſilio liberati ſunt. Confirmatio. *Cogitationes cordis eius in generationem, & generationem*; quia quicquid ipſe dixit & cogitauit, & in hoc ſæculo fiet. Et in futuro *Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius*, & beatus populus gentium, quem iſte Dominus *Elegit in hæreditatem ſibi*: *De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Repetitio. *De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram*, reſpexit inquit Dominus de ſuæ Diuinitatis ſecreto, viditque genus humanum grauiter à latronibus vulneratum, quem nec ſacerdos adiuuit neque leuita, miſit ergo filium ſuum, miſitque Samaritanum, qui illius miſereretur. Lucæ 10. Reſpicere namque Dei, miſereri eſt. Veniens igitur Dei filius in hæreditatem, populum gentium ſibi H

elegit.

Qui finxit ſigillatim corda eorum. Quia aliis dedit ſermonem ſapientiæ, aliis interpretationes ſermonum, aliis vero genera linguarum. 1. Corinth. 12. Finxit etiam ſingulariter in hoc corda ſanctorum, quorũ al ij Monachi fieri deſiderant, alij Eremitæ, alij humilitatem cuſtodire nituntur, alij vero caſtitatem. *Qui intelligit omnia opera eorum*; ſcit enim Dominus, qui puro corde, quique pro vana gloria, bona operentur, qui enim pro vana gloria caſtus, & humilis apparet, potius hypocrita, quam caſtus, & humilis dicendus eſt. *Non ſaluabitur Rex per multas virtutes*, Populus, inquit, gentium ſalvabitur, quem ſibi in hæreditatem Dominus elegit, qui non in ſuis viribus, ſed in miſericordia confidit: Terreni vero Reges, ſuperbi gigantes, potentes, in ſe ſuaque fortitudine confidentes, non ſaluabuntur. Quis Rege potentior? quis gigante fortior? Cum igitur iſti ſua potentia & fortitudine non ſaluentur, nemo niſi Dei miſericordia ad ſalutem quæras peruenire.

A *Fallax equus ad ſalutem, in abundantia virtutis ſuæ non ſaluabitur.* Equus animæ corpus intelligitur, hoc autem fallax eſt ad dandam ſalutem, quia ſalus, & lætitia carnis, mors eſt animæ atque triſtitia: refrenandus eſt igitur equus, ne laxatis habenis in foueam cadat, Poſſumus etiam per equos, ſuperbos, & recalcitrantes intelligere. *Ecce oculi Domini ſuper timentes eum*, ac ſi dicat, Nec rex per virtutem, nec gigas per fortitudinem,nec ab equo quidem ſaluabitur quilibet. Quis igitur, & per quem ſaluabitur? Sequitur: Ecce oculi Domini, id eſt, ipſius miſericordiæ reſpectus ſuper timentes eum. *Et in eis, qui ſperant*, non in ſuis viribus, ſed in miſericordia eius. Ad quid? Vt eruat à morte animas eorum, id eſt, à perpetua damnatione. *Et alat eos in fame*, quia, & in hac vita ſpirituali doctrina reficiet, & in futuro, ſumma eos beatitudine replebit: Vnde dicitur: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, Matth. 5. ideoque *anima noſtra ſuſtinet Dominum quoniam adiutor, & protector noſter eſt, Et quia*
B *in eo lætabitur cor noſtrum*, cum pro operibus, merita recipiemus. Et in timore, *in nomine ſancto eius ſperabimus*, ſpes autem non confundet. *Fiat Domine miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te*, id eſt, quia ſperauimus, ſicut ſperauimus, miſerere noſtri.

EXPOSITIO PSALMI XXXIII.

BEnedicam Dominum in omni tempore. Vox Doctorum. *Semper laus eius in ore meo*, omni, inquit; tempore benedicam, & prædicabo Dominum, ſemper laudabo eum, nec præ timore aliquid tacebo. *In Domino laudabitur anima mea* non laudabitur in ſe, non in ſapientia mundi non in ſublimitate verborum, ſed in Domino à quo, & virtutem, & potentiam ſumpſit. Audiant manſueti, & lætentur, audiant, inquit, manſueti laudem Domini, & lætentur in beneficiis eius.

Magnificate Dominum mecum, Vobis dico manſueti, qui laudem Domini, & hunc ſermonem auditis, ma-
C gnificate Dominum mecum, id eſt, ad mei ſimilitudinem eum laudate. *Et exaltemus nomen eius in idipſum*, vt concorditer vna voce, & greges, & paſtores Dominum laudent, atque magnificent. *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*, ac ſi dicat: Mei exemplo diſcite, quam vtile ſit vobis magnificare, & quærere Dominum, ego quidem quæſiui, & exauditus ſum, & ex omnibus tribulationibus ereptus. Accedite ergo & vos ad eum, & illuminamini, accedite, inquit ad lucem vt illuminemini viuo lumine. *Et facies veſtra non confundetur*, confundentur enim, qui illuminari non fuerint, extinctis lampadibus ſuis, oleum quærentes, dignam repulſam patientur.

Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, ſic de ſeipſo, quaſi de alio loquitur: ego quidem clamaui, & Dominus exaudiuit me, clamate ergo, & vos, vt exaudiamini.

D *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Perſuaſio timoris, & acceſſionis ad Dominum, cum inquit timentes ſe adeo Dominus diligat, vt Angelus præſidiis eos cuſtodiens, ab omnibus inimicis eripiat, merito quidem ad eum accedere, ipſumque timere debetis. Quod enim ab Angelis cuſtodiantur ſancti, manifeſtum eſt: namque ipſa veritas ait, Amen dico vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Matth. 18. *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*: multis namque modis multiſque blanditiis debent paſtores ſubditos admonere: vnde Apoſtolus: Argue, obſecra, increpa, inſta opportune: importune, 2. ad Tim. 4. quod genus locutionis ſatis aperte in hoc pſalmo dinoſcitur, guſtate, tentate, videte, & cognoſcite dulcedinem, & ſuauitatem Domini, qua non vult mortem peccatoris, ſed magis, vt conuertatur, & viuat Ezechiel. 33. *Beatus vir qui ſperat in eo*, & non in incerto diuitiarum. *Timete Dominum omnes ſancti eius*; Initium ſapientiæ, timor Domini. Pſal. 110. *Quia non eſt inopia timentibus eum. Diuites egue-* E
runt, & eſurierunt ex quibus ille fuit qui guttam aquæ Lazaro petebat. Lucæ 16. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, non enim [illegible] bono indigebunt qui ſummum, & vniuerſale [illegible] habebunt, à quo bona ſunt omnia, & ſine quo nihil eſt.

Venite ergo filij audite me timorem Domini docebo vos. Quia, vt iam dictum eſt initium ſapientiæ timor Domini, vt filios ſuos in ſapientiam Eccleſiæ Doctores introducere poſſint à timore Domini doctrinam incipiant.

Quis eſt homo, qui vult vitam. Iam quaſi omnibus coadunatis, quibus ſuperius dixit: venite, alloquitur eos, & dicit: quis eſt homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos? Aliquis tali interrogationi reſpondens, inquit: ego. Cui ipſe loquitur. *Prohibe ergo linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum*, quia ſcriptum eſt. Mors, & vita in manibus linguæ Prou. 18. qui enim cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit & animam ſuam. Itemque, cultus iuſtitiæ, ſilentium Eſaiæ. 32. Et alibi? F
Si quis putat, ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, huius vana eſt religio. Iac. 1. *Diuerte à malo: & fac bonum.* Non enim ſatis eſt à malo abſtinere, niſi etiam bona operentur: *Inquire pacem*; id eſt Chriſtum, ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit Vtraque Vnum (ad Epheſ. 2.) Et ſequere eam: Sequi namque Dominum, imitari eſt: Vnde ipſe ait. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me (Matth. 16.) Et alibi; Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris (Ioan. 8.) *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum*, Superius dixit: Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, nunc autem dicit; quia ipſe timentes reſpicit atque cuſtodit. Ecce quantus fructus redditur illis, qui mala fugiunt, & recte faciunt. Vultus autem Domini ſuper facientes mala: Ad quid? *Vt perdat de terra memoriam eorum.* Diſſuaſione, quia mala facientes de libro vitæ delebuntur, neque in terra viuentium de eis memoria fiet. *Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos*: Probatione, G
quia aures eius ſemper ſunt in preces eorum: quoniam quotieſcunque clamant iuſti, ſemper à Domino exaudiuntur. *Et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.* Quia carne diſſoluta in cœleſtibus regnis collocantur. Sed quid mirum, ſi eos Dominus exaudiuit: *Iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.* Quia ſemper iuxta eſt, nec vnquam eos derelinquit, idcirco clamantes exaudit: Et quia cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit (Pſal. 50.) Corde enim tribulantur, quos conſcientia remordet, vt de peccatis pœniteant. *Et humiles ſpiritu ſaluabit.* Beati pauperes Spiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum (Matth. 5.) pauperes enim Spiritu ſunt, qui de ſe nihil præſumunt. *Multæ tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus, Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum.* Id eſt, omnia robora virtutum, quia neque humilitas ab ira, neque caſtitas à luxuria ſuperatur. *Vnum ex his non conteretur*, quia omni habenti dabitur, & abundabit, (Matth 25.)

Mors peccatorum peſſima; Quia nunquam deficient, H
ſed ſemper moriendo viuent. *Et qui oderunt iuſtum*; Id eſt Chriſtum, qui iuſtificat impium, vel vnumquemque iuſtorum, in iuſto enim nihil eſt, quod odiendum ſit, quoniam, & hominis natura, & ipſa iuſtitia bona eſt: in peccatore autem ſola vitia odienda ſunt. *Delinquent*; quia ſuper iniquitatem apponent iniquitatem, vt qui ſordidus eſt, ſemper ſordeſcat, *Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum*, iam enim redemit ſanguine ſuo: redimit etiam omni die dum eos à vitiis, & carnis liberat neceſſitatibus, redimet etiam in futuro, quia à ſecunda morte eripiet. *Et non delinquent omnes, qui ſperant in eo*, quia ſemper de virtute in virtutem conſcendentes, omnia vitia ſub pedibus conculcabunt.

EXPOSITIO PSALMI XXXIV.

IVdica Domine nocentes me. Vox Chriſti in paſſione. Iudica inquit Domine nocentes me: redde illis iuxta

opera

A opera ſua. *Expugna impugnantes me:* ne ſemper in fortitudine ſua glorientur. *Apprehēde arma*, ad me defendendū, & illos perdendum. *Et exurge in adiutorium mihi.*

Effunde frameā, & conclude. Effunde, inquit, frameā, Titum, & Veſpaſianum, meritam vindictam, & gladios quibus perdantur. *Aduerſus eos, qui perſequuntur me.* & conclude eos ab hoſtium multitudine, vt nec vnus quidem de ciuitate egredi, vel ingredi poſſit. *Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum:* de qua ipſi dicebant: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius. (Pſal. 3.) Poſſumus etiam per frameam animam Dominicam intelligere, cuius effuſione concluſi ſunt Iudæi, quia garrulitas, & diſputatio eorum omnino ceſſauit. *Confundantur, & reuereantur*, confundantur, inquit, de mendacio, cum me viderint reſuſcitatum. Et Reuereantur, non enim erat in rem, quod timerent Romanos, niſi Chriſtum interficerēt, ſed poſtea reuera timuerunt, cum iucurrentium hoſtium conſpicerent gladios. Vel confundantur, & erubeſcant de peccatis. Vnde Apoſtolus, quem ergo fructum habui- B ſtis, in quibus nunc erubeſcitis. (Rom. 6.) Et reuereantur, non dæmonem, ſed Dominum. *Auertantur retroſum, & confundantur*, auertantur inquit retrorſum, vt ſequantur Dominum, qui nunc diabolum imitantur. Siue retrorſum conuertantur, vt nunquam de futuris cogitent, ſed ſola preſentia, & tranſitoria concupiſcant, & confundantur, vel in melius, vel æterna confuſione, *cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciem venti*, vt ſicut nec puluis vento, ita nec hoſtibus ipſi reſiſtere poſſint. *Vt Angelus Dñi* malus ſit. *Perſequēs eos*, vt vbicunque Iudæi fuerint, eis diabolus dominetur. Siue Angelus Domini, id eſt, Titus & Veſpaſianus, quos ſupra memorauimus. *Fiant via illorum tenebræ*, vt non videant, quo fugere poſſint. *Et lubricum*, vt fugientes cadant. *Et Angelus Domini perſequens eos*, vt facile capiantur, & hoc merito. *Quoniam gratis*, id eſt ſine cauſa, ipſo eodem Pilato teſte, (Lucæ 23.) *Abſconderunt mihi interitum*, abſconderunt vtique, quia cum proditione eum occiderunt. *Superuacue exprobrauerunt animam meam*, id eſt C ſine omni illorum vtilitate probauerunt, quoniam Chriſtus reſurgere poſſet, vel etiam, exprobrauerunt, quia multa ei opprobria inferebant, dicentes: Aue Rabbi (Matth. 26.) Et, Dæmonium habes Ioan. 8.

Veniat illi laqueus, quem ignorat, Ego quidem non ignoraui illorum laqueos, & deceptiones, ipſi autem, quæ pœna, qui laquei eis futuri ſint, omnino ignorant. *Et captio, quam abſcondit*, ad me capiendam, *comprehendat illum*, vnicuique enim ſecundum menſuram, qua menſus fuerit, remetietur (Matth. 7.) *Et in laqueum cadat in ipſum*, quem mihi parauit. Vnde dicitur foueam, quam fratri tuo parabis in eam cades, (Prou. 26.) *Anima autem mea*, ex illorum exempta inſidiis. *Exultabit in Domino*, & delectabitur de ſalute ſumma. Tunc tandem *omnia oſſa mea dicent. Domine quis ſimilis tui?* Per oſſa, fortiora membra, id eſt Apoſtolos intelligimus; quis poſtquam Chriſtus reſurrexit, vbique terrarum Dominum laudare, & prædicare cæperunt. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius:* id eſt, Chriſtum de manibus, D & poteſtate Iudæorum: inops enim in hoc mundo fuit Chriſtus, quia nihil proprij habuit: Vnde ipſe ait Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet (Matth. 16. Et Apoſtolus, qui cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, vt illius inopia nos diuites faceret 2. Corint. 8. *Egenum, & pauperem a diripientibus eum*, id eſt, à Iudæis, vel à principibus tenebrarum. Fortiores autem dixit, quia omnis qui verberat, eo qui verberatur, fortior eſſe videtur.

Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabant, interrogabant me. Teſtes iniqui, dicuntur principes ſacerdotum, qui interrogantes dicebant: Adiuramus te per Deum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei. Chriſto autem reſpondente: Ego ſum, clamauerunt dicentes: Ipſi audiſtis blaſphemiam. Matth. 26. quæ vtique non blaſphemia, ſed veritas erat: fuerunt igitur teſtes iniqui, quia veritatē, blaſphemiam eſſe teſtantur ignorabant autem, an eſſet E filius Dei, quia ſpiritus Sanctus in eis non erat, qui hoc illis reuelaret. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, quia ego de illorum ſalute, ipſi vero, quomodo me perderent, cogitabant. *Sterilitatem animæ meæ*, id eſt penuriam vitæ, quia me interfecerunt. Vel, quia cum deberent dare frumentum, exorta eſt zizania, præterea ſemen quod ſuper eos ſeminaui, quaſi in duros lapides verſum, nullum mihi protulit fructum. O vinea mea electa, ego te plantaui, quomodo conuerſa es in amaritudinem, pro vuis labruſcas, pro vino acetum Domino dediſti.

Ego autem cum mihi moleſti eſſent. Flagellando, conſpuendo. *Induebar cilicio*, quia non Diuinitatis potentiā, ſed ſolius carnis fragilitatem eis manifeſtabam; nam quaſi cilicio indutus, carne quia tectus, inter peccatores reputabatur: cilicium enim peccatoribus conuenit. Vnde Apoſtolus ait: Vt de peccato peccatum damnaret in carne. Rom. 8. *Humiliabam in ieiunio animam meam*, in ieiunio, inquit, affligebam meipſum, quia neminem illorum, niſi vnum ex latronibus, mihi incorporare potui. F *Et oratio mea in ſinu meo conuertetur*, in ſinu namque conuertitur oratio, quando eadem deprecatio frequenter in corde reuoluitur. Vel etiam, ideo oratio, quam Chriſtus in ſui cordis ſecreto faciebat, conuerſa eſt, quia ſicut prius pro Iudæorum ſalute, ita & pro confuſione poſtea Deum rogare cæpit, & merito.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam. Sic, inquit, diligebam Iudæos, vt fratrem, & ſecundum carnem proximum: Maiorem enim dilectionem nemo habet, quam vt animam ponat, quis pro amicis ſuis. Ioan. 15. *Quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar:* vel ab ipſis, vel pro ipſis. *Et aduerſum me lætatæ ſunt*, id eſt, de his quæ mihi contraria, & aduerſa fuerunt. *Et conuenerunt*, conuenerunt vtique Pontifices & Phariſæi in vnam voluntatem atque conſilium vt Chriſtum caperent & occiderent. Marc. 14. *Congregata ſunt ſuper me flagella*, quia cum gladiis & fuſtibus ſuper eum venerunt. Matth. 26. *Et ignoraui*, nulla enim cauſa fuit cur eum crucifigerent. Lucæ 23. Vnde ipſe ait. Quia odio habuerunt me gratis. Ioan. 15.

Et ideo diſſipati ſunt, id eſt, vbique diſperſi. Vel, ſe- G cundum interiorem hominem diſtracti. Vel etiam, a charitatis vinculo diuiſi. *Nec compuncti*, quia nec pœnitent, neque credunt. *Tentauerunt me*, multis modis tentauerunt Iudæi Chriſtum, vnde ipſe ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Matth. 22. *Subſannauerunt me ſubſannatione:* Vah qui deſtruis templum Dei. Idem 26. *Frenduerunt ſuper me dentibus ſuis*, crucifige, crucifige, dicentes. Lucæ 23. *Domine quando reſpicies* iniquitatem illorum: *Reſtitue animam meam*, priſtino gradui, & tuæ claritati. *A leonibus vnicam meam;* auferens à ſuperbia, & violentia Iudæorum. Quod ſi feceris. *Confitebor tibi in Eccleſia magna*, id eſt in Eccleſia Catholica per orbem terrarum diffuſa, conſona omnium Sanctorū te voce laudabo. Confirmatio. *In populo graui laudabo te*, id eſt in gentibus, quem nullus ventus, nullaque doctrina à te diuellere poteſt, non in his qui leues ſunt & faciles ad peccandum, quos velut puluerem ventus H proiicit à facie terræ, Pſal. 1. nunquam humilia, ſed ſemper ſuperba cogitantes.

Non ſupergaudeant mihi, qui aduerſantur mihi inique. Supergauderent namque aduerſarij Chriſti, ſi mortuus non reſurgeret. *Qui oderunt me gratis*, id eſt ſine culpa. *Et annuunt oculis*, alteri enim alter oculis vt feriret innuens, Chriſto Domino colaphizato dicebant: Prophetiza nobis Chriſte quis eſt qui te percuſſit? Matth. 26. Innuebant etiam oculis, quando ſe in facie amicos monſtrabant, hoc eſt quod ſequitur.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur. Dicentes. Magiſter bone. Matth. 19. Et: Scimus quia verax es. Idem 22. Et: Non reſpicis perſonam hominum, Idem loc. cit. Hæc enim, & ſimilia, pacifica verba ſunt ſub adulationis figura. *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant*, loquebantur vtique Phariſæi, & ſacerdotes in iracūdia terræ, quia ſeditionis verba fundēres, terrenos, & peccatores ad iracundiam prouocabāt, vt ille qui dice-

bat:

bat: Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat, Ioan. 11. hoc autem nulla alia de cauſa dicebant, niſi vt Chriſtum dolo tenerent & occiderent. Mat. 14. *Et dilatauerunt ſuper me os ſuum*, omnes palam blaſphemantes dixerunt, *Euge Euge?* inſultatoria laus eſt: *Viderunt oculi noſtri*, vidimus qualis eſſet, & tandem cognouimus, vbi ſunt virtutes quas faciebat? cur qui alios ſaluauit, ſeipſum non ſaluat? Math. 27 cur qui Lazarum ſuſcitauit, ſeipſum non ſuſcitat? *Vidiſti Domine* inſultationes, & opprobria eorum, *Domine ne diſcedas à me intende iudicium meum*, id eſt diffunde & manifeſta cunctis gentibus iudicium, quo iudicatus ſum, vt nullus amplius deſperet, tali ſacrificio immolato. *Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam* veni, ideſt, diſcerne meam iuſtitiam, & illorum iniquitatem, *Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam Domine Deus meus*, id eſt quia iuſtus es diſcerne me iniuſte condemnatum & fac quod iuſtum eſt. *Et non ſupergaudeant mihi*, quod vtique facerent, niſi Chriſtus à morte reſurgeret.

Non dicant in cordibus ſuis: Euge Euge. beatæ, *anima noſtra, non dicant deuorauimus eum*, id eſt, omnino deleuimus quod equidem nec facere potuerunt, cum audirent eum reſurrexiſſe. *Erubeſcant & reuereantur ſimul qui gratulantur malis meis*. Ecce hic conuertitur oratio: non enim iam rogat vt Pater illis ignoſcat, ſed erubeſcant & reuereantur: erubeſcant inquit de mendacio ſuo & reuereantur pœnam ſuique confuſionem & repentinum interitum, qui gratulantur malis meis, id eſt, non ſolum qui faciunt, ſed qui facientibus conſentiunt, vt ipſe Pilatus, qui dicebat: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Idem loc. cit. *Induantur confuſione & reuerentia qui maligna loquuntur ſuper me*, confuſione quidem & verecundia induti fuerunt, quia inuitis cuſtodibus reſurrexit; induentur, & in iudicio, cum iudicem videbunt, quem vt hominem flagellabunt. Hinc pro Eccleſia loquitur. *Exultent & lætentur qui volunt iuſtitiam meam?* Iudæi inquit, induantur confuſione, illi autem exultent & lætentur qui iuſtitiam meam ſequi volunt, vel qui me iuſtum dicunt. *Et dicant ſemper: magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius*, ſemper enim Eccleſia Dominum magnificat, quæ vtique eandem pacem habere deſiderat, quam & Chriſtus habet, qui pro parte carnis ſeruus eſt Patris. *Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam*, id eſt Apoſtoli, & Doctores per quos quaſi propria lingua, meas Eccleſiæ denuncio voluntates *Et tota die laudem tuam*, donec enim tempus fuerit ſemper Eccleſia Dominum laudauit.

EXPOSITIO PSALMI XXXV.

Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo. In ſemetipſo inquit, in corde in cogitationibus: Dixit iniquus, delinquam furabor, occidam innocentes & proximos accuſabo, & ſic diues efficiar. Vel in ſemetipſo, id eſt contra ſeipſum, omnis enim qui peccat, ſibi contraria operatur. *Non eſt timor Dei ante oculos eius*, quid mirum, ſi ſe peccare promittit qui ante oculos cordis Dei timorem non habet: timor namque Dei, frænum eſt peccati.

Quoniam doloſe egit in conſpectu eius, id eſt in interiori homine. quem Deus videt & cognoſcit, vel etiam Iudæi in præſentia Chriſti. Vnde fit, *vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, quia ſemper inquit, doloſe agit ſine odio quidem iniquitas illius inueniri non poteſt. *Verba oris eius iniquitas & dolus*, verba namque eorum dolo, & mendacio plena ſunt, quia aliud ore dicunt, & aliud corde volutant. *Noluit intelligere vt bene ageret*, multi enim bona & ſcripturas intelligunt, ſed non ad hoc vt eas cuſtodiant. Vnde Apoſtolus: Non auditores, inquit, legis iuſtificabuntur apud Deum, ſed factores: Rom. 2. Itemque: ſi vis perfectus eſſe, ſerua mandata. (Matth 19.

Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, id eſt, in ſecretario cordis ſui. *Aſtitit omni viæ non bonæ*, quia in omni malitia perſeuerauit, hoc eſt quod ſequitur. *Malitiam autem non odiuit*. Qui malitiam non odit, miſericordiam non amat.

Domine in cœlo miſericordia tua. In ſupradictis, inquit iniquis, non niſi dolus, iniquitas, & malitia: In Sanctis autem, quos per cœlum intelligimus, miſericordia & veritas? Miſericordia quidem eſt in ſanctis, quia à magiſtri iuſſione non diſcedunt, qui ait: Eſtote miſericordes ſicut & ego miſericors ſum. Lucæ. 6. Et alibi iucundus homo qui miſeretur & commodat. Pſalm. 111. Veritas quidem quia neminem fallunt, vt ille de quo ſuperius diximus: Verba oris eius, iniquitas, & dolus: in talibus enim veritas non eſt. Vſque ad nubes ſubintelligitur perueniens, quid per nubes, niſi Apoſtolos Doctores & Prophetas; vt enim nubes pluuiam, ita & iſti doctrinam diſtillant. Vſque ad hos ergo peruenit veritas Dei, quia nullus ad plenum Diuina ſecreta cognouit, niſi cui Sanctus Spiritus reuelauit: vnde ipſa veritas ait. Nemo nouit Patrem niſi filius & cui filius voluerit reuelare. Matth. 11.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Subauditur homines facit. Omnes enim qui Dei iuſtitiam imitantur, & colunt quaſi montes efficiuntur, vt enim montes à ſole ita ſancti ſemper à Chriſto illuminantur, quacumque enim ex parte voluatur Sol, montes quidem ſemper illuminat. *Iudicia tua abyſſus multa*, id eſt alta, & obſcura profunditas. Quis enim cognouit ſenſum Domini: Aut quis conſiliarius eius fuit, Rom. 11. Vel incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, Idem loco citato. Quia alios elegit miſericordia, alios damnat veritate, ſicut ſcriptum eſt; Iacob dilexi, Eſau odio habui. (Ad Roman. 9.)

Homines, & iumenta ſaluabis Domine. Quamuis, inquit, in cælo ſit miſericordia tua, tamen & homines, & iumenta ſaluabis, id eſt ſapientes & rationabiles, & brutos & idiotas, ſiue homines & iumenta, id eſt iuſtos & peccatores. Vel etiam homines ideſt carnales: & imperfectos: & iumenta hominum ideſt Apoſtolos qui totius Eccleſiæ ſarcinam ſuſtinent. *Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*, videas quo ad homines, & iumenta & iuſtos, & peccatores ſaluauit Dominus, tantam admirans miſericordiam exclamat. Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.

Filii autem hominum. Id eſt tota Eccleſiæ continuatio vſque ad finem ſæculi. *In tegmine alarum tuarum ſperabunt*, ideſt in tua protectione. Vel duas alas duo crucis cornua intelligimus, quia ſignum crucis muniti inimicum à nobis repellimus. Siue duæ alæ, duo ſunt teſtamenta, quibus eruditi hæreticos ſuperamus. Poſſumus etiam per duas alas, Dei & proximi dilectionem ſignificare, quibus quicunque caret, non habet vnde volet ad regna cœlorum.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, id eſt affluentia gratiarum Spiritus ſancti, ſiue plenitudine ſcripturarum namque ſpiritu ſancto pleni erant Apoſtoli, quando muſto madere à Iudæis dicebantur. Act. 2. *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ideſt impetu miſericordiæ tuæ, ſummique, & ineffabilis boni felicitate quod facere quidem poteſt, Quoniam apud te eſt fons vitæ, id eſt Chriſtus apud Patrem, vt in Euangelio dicitur: Et verbum erat apud Deum Ioan. 1. Fons vitæ Chriſtus eſt, vt ipſe ait. Aqua quam ego do, qui biberit ex ea non ſitiet vltra idem. 4. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, lumen de lumine Chriſtus eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. In hoc autem lumine videbimus lumen, quia ipſe eſt lucerna pedibus noſtris: ducens ante patris faciem, & claritatem, quod vt fiat, fac quod ſequitur. *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te*, id eſt filium tuum Confirmatio. *Et iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde*, vt iuſti & miſericordes ad te perueniant. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, pes enim principium, & ſuſtentamentum ſuperbiæ diabolus eſt. *Et manus peccatorum non moueat me*, ideſt ſuggeſtio & diabolica tentatio non ſeparet me à charitate Dei. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem*, ideſt maligni ſpiritus, qui iniquitatem operari non ceſſant: nam propter ſuperbiam de cœlorum ſedibus eiecti ſunt. *expulſi ſunt a te, nec potuerunt ſtare.*

A

EXPOSITIO PSALMI XXVI.

NOli *æmulari in malignantibus.* Vox Doctorum ad Eccleſiam. Æmulari, multas habet ſignificationes aliquando enim pro diligere ponitur, vt Æmulor enim vos Dei æmulatione 2. Corinth. 11. Aliquando autem pro imitari; vt Æmulamini chariſmata meliora 1. Cor. 12. Aliquando vero pro inuidere, vt in hoc loco? Noli æmulari in malignantibus. ideſt, noli habere inuidiam in male agentibus, vt idem facias: *Neque Zelaueris facientes iniquitatem*, dilige, inquit, hominem, noli diligere latronem, dilige hominis naturam, ſed non diligas adulterium, malum enim vbique repudiandum eſt.

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent. Ad tempus enim lætantur, & florent: ſed cito ſiccantur, & in puluerem rediguntur *Et quemadmodum olera herbarum* id eſt viriditates cito decident vnde Iſaias; omnis caro

B fænum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni, ſiccatum eſt fænum, & cecidit flos, Iſaiæ 40. *Spera in Domino & fac bonitatem*, noli inquit malignantibus inuidere ne & tu tam cito pereas. Sed ſpera in Domino, non in diuitiis non in pulchritudine, non in mundi flore. Et fac bonitatem, id eſt miſericordiam in omnibus. Inhabita terram, id eſt ſanctam Eccleſiam. *Et paſceris in diuitiis eius* id eſt, in ſacris voluminibus. Vel inhabita terram, ideſt dominare carni, neque ſecundum ſuas concupiſcentias eam vagari permittas, & paſceris in diuitiis eius. Delectare in Domino, non in concupiſcentiis carnis non in momentaneis bonis. Et dabit tibi quæ iſta quidem dare non poſſunt ſcilicet petitiones cordis tui. Si enim quod verum eſt, ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum ad Gal. 5. aliæ quidem ſunt petitiones carnis, aliæ vero ſpiritus, ideſt cordis.

Reuela Domino viam tuam. O quàm ſalutifera mandata non inuidere malis, non diligere iniquitatem, in

C Domino ſperare, in Domino delectari vias & opera noſtra Domino confiteri admonent nos ſapientiſſimi, & miſericordes Eccleſiæ Doctores. *Et ſpera in eum & ipſe faciet.* Quid faciet? Sequitur. Et edocet quaſi lumen iuſtitiam tuam, vt numquam in tenebris & vitiis obſcuretur: non enim à tenebris comprehenditur lux. Vel quaſi lumen iuſtitiam educet, quia de hac obſcuritate eleuans Angelis eam, & hominibus manifeſtam faciet. Fulgebunt enim Sancti ſicut ſol in regno Dei. Matth. 13. Confirmatio. *Iudicium tuum tanquam meridiem* omni obſcuritate tenebriſque elucidatum faciet iudicium illud quo Dominum imitari & fidem ſequi, & operationem decreuiſti. Hoc autem erit in die iudicij, quando ſancti ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Sapient. 5. quos mali in tanta gloria videntes dicent: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei; nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. *Subditus eſto Domino & ora eum.* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerruies. Matth. 4.

D *Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua.* Id eſt in homine faciente iniuſtitias, multi enim in dolo, multi in furto, multi in periurio, multique in rapina proſperantur, hæc autem non Dei, ſed hominis viæ ſunt.

Deſine ab ira, Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur, Iacob 1. Et ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram, ad Epheſ. 4. Repetitio. *Et derelinque furorem.* Vel etiam ita animi, furor vero corporis eſt: furor enim eſt qui homines in adulterium rapit. Noli æmulari vt maligneris, ſed potius vt bona agas.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Exterminabuntur quidem, quia extra hæreditatis terminos permanebunt: ſiue cito de corporibus eiicientur. *Suſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram*, qui enim Dominum expectant, terram viuentium hæreditabunt vel etiam carni ſuæ imperitabunt.

Et adhuc puſillum & non erit peccator. Adhuc inquit, puſillum temporis erit, & poſtea non erit peccator quia omnino deſtruetur. *Et quæres locum eius & non inuenies* id eſt ſi forte locum eius quæſieris, inuenire non poteris quod enim non eſt, locum habere non poteſt. *Manſueti autem hæreditabunt terram*: beati mites, & manſueti quoniam ipſi poſſidebunt terram (Matth. 5.) eorum namque erit hæreditas: Poſſident etiam carnem ſuam, ne in vitiis delectentur: *Et delectabuntur in multitudine pacis*, Nulla enim ibi ſeditio nullaque diſcordia erit qua & ſpiritus carni, & caro ſpiritui conſentiet. E

Interim autem *obſeruabit peccator iuſtum.* Vt eum capiat & perdat: ad hunc namque modum in Euangelio legitur: Et ipſi obſeruabant eum Lucæ. 14. *Et ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis*, ſtridebit ſuper eum dentibus nequitiæ & impietatis, quibus eum deuorare nititur, per corporis namque motum affectum animi intelligimus. *Dominus autem irridebit eum quoniam proſpicit quod veniant dies eius*, irridet namque Dominus peccatorum gaudium, & exultationem quia quando, & quæ de eis pœna ſumatur, agnoſcit.

Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum. Per gladium, apertam & manifeſtam perſecutionem intelligimus, per arcum vero occultam & doloſam deceptionem qua ſanctis inſidiantur. *Vt decipiant pauperem & inopem vt trucident rectos corde*, arcu namque decipiunt, gladio vero trucidant: eſt autem pauper, qui nihil habet, inops vero qui quamuis ſine opibus ſit, aliquid tamen poſſidet. *Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur*, omnis enim quicumque alium lædere molitur, primum ſeipſum proprio iaculo percutit, arcus autem confringitur quando dolus & mala voluntas non inuenit effectum. *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Ac ſi dicat Melius eſt iuſtorum paupertas, quam diuitiæ peccatorum, iſte enim paucis abundat, ille autem plenus ſitit: Iſte animam ſaluat, ille autem corpus, & animam odit, ſed quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Matth. 16. melior eſt enim huic fides, quæ grano ſinapi comparatur, quam illi perfidia, quæ vbique vagatur. Quoniam brachia peccatorum conterentur, id eſt virtutes, patientiæ: G diuitiæque, in quibus confidunt. *Confirmat autem iuſtos Dominus*, ne ab iniuſtitia vincantur. *Nouit Dominus dies immaculatorum*, nouit enim quomodo vixerint & quibus vitam finierint. Vel nouit quia dilexit. Vnde è contra malis dicturus eſt: Amen dico vobis neſcio vos Matth. 25. Omnis enim qui ignorat, ignorabitur. Corinth. 14. *hæreditas eorum in æternum erit*, id eſt in Chriſto, vel in vita perpetua. *Non confundentur in tempore malo*, quia reprobis dicetur. Ite maledicti in ignem æternum. *Et in diebus famis ſaturabuntur*, dies namque famis eodem in tempore fient, quia omnes ſiue boni ſiue mali æternum ſuſcipere gaudium deſiderabunt, ſed malis omnibus expulſis ſolis bonis prandium & nuptiæ parabuntur, quando è contra ſoli peccatores peribunt. *Inimici namque Domini mox vt honorati fuerint*, inani & temporali gloria. Et exaltati inopes & diuites. *Quemadmodum fumus deficient*, quia nuſquam apparebunt. Peribunt igitur peccatores. Vel ideo vt fumus peribunt quia quanto altius aſcendent, tanto magis euaneſcent & merito. H

Mutuabitur peccator & non ſoluet. Nihil enim habet homo quod mutuò non acceperit, ſicut ſcriptum eſt: Quid enim habes quod non accepiſti: 1. Corinth. 4. nudos enim nos natura creauit, nihil ergo habet homo quod mutuo non acceperit. Vnde, & in Euangelio Dominus dicit: Homo quidem peregre proficiſcens vocauit ſeruos ſuos & tradidit illis bona ſua: & vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vero vnum Matth. 25. Ecce pecuniam Domini mutuo ſerui acceperunt, qui autem in hoc fideliter eam diſpenſauerit, & cum vſura Domino reuertenti ſoluere poterit, hoc ei à Domino dicetur: Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Idem loc. citat. Fideliter namque diſpenſant diuites: qui de diuitiis eleemoſynas faciunt: fideliter autem diſpenſant Doctores, qui nec ſæculum nec peram portant. Peccatores autem, diuitias & ſapientiam, virtutes & intellectum à Domino mutuantes, neque ei gratiam referunt, neque pauperibus ſuppeditant, neque cum lucro pecuniam

A ſoluunt, merito igitur, vt fumus deficient. *Iuſtus autem miſeretur, & tribuet*, miſeretur, inquit, aliis, vt & Dominus ſui miſereatur, miſericordiæq; retribuat meritum.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram. Hanc retributionem recipiunt iuſti, quia terram viuentium hæreditabunt. *Malidicentes autem ei diſperibunt.* Vere vtique diſperibunt quia, & anima, & corpore morientur. *Apud Dominum greſſus hominis* (timentis ſe) dirigentur, quia de virtute, in virtutem ad Deum ibit. *Et viam eius volet*, quia ſecundum iuſtitiam graditur.

Cum ceciderit, non collidetur. Quia ſtatim, vt peccat, pœnitet, & ipſa pœnitentia corroboratur. Siue: cum in aliquas huius ſæculi ceciderunt aduerſitates, in interiori tamen homine non collidetur. Quare? *Quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Neque à iuſtis aliquando ſeparatur.

Iunior fui etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Non vidi, inquit, iuſtum B à meæ ætatis principio à Domino derelictum, nec ſemen eius indigens pane, qui enim quærit indiget, iuſtus autem non quærit, quia non indiget. Semina namque, id eſt, imitatores iuſti, non indigent, pane, quia, & carnali, & ſpirituali ſemper abundant: paucis enim, & minimis natura contenta eſt. Vnde & in Euangelio Dominus ait: Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? (Matth. 6.)

Tota die miſeretur, & commodat. Quia aliorum miſeretur, & commodat inde comprobatur non indigere, qui enim non habet, quomodo dare poteſt? habet igitur iuſtus, ſiquidem dare poteſt, miſeretur, & comodat. *Et ſemen eius in benedictione erit*, quia & opera, & imitatores, & exhortatio ipſius à Domino benedicuntur. *Declina ergo à malo, & fac bonum*, vt & tibi idem contingat, declina à malo, diuerte à peccato, fuge diabolum, ſequere bonum, imitare Deum. *Et inhabita in ſæculũ ſæculi.* Vbi? in Eccleſia, in vnitate fidei, in cæleſti Ieruſalem, in iudicio recto, vt nunquam deuies à veritate. *Quia Dominus* C *amat iudicium*, id eſt veritatem. *Et non derelinquet ſanctos ſuos*, probatio eſt, quis veritatem diligat. Non autem derelinquit, quia *in æternum eos conſeruat. Iniuſti punientur*, id eſt, æternaliter damnabuntur. *Et ſemen impiorum peribit*, id eſt opera, vel ſequaces. *Iuſti autem hæreditabũt terram*, viuorum non mortuorum, vel, incorruptibilia corpora ſua. *Et inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam. Os iuſti meditabitur ſapientiam*, & in hoc ſæculo, & in futuro, non meditabitur iniuſtitiam, non dolum, quo fratres decipiat, ſed ſoli ſemper ſapientiæ vacabit. *Et lingua eius loquetur iudicium*, id eſt, non ſuperbiam, ſed ratam veritatem. *Lex Dei eius in corde ipſius*, quæ & peccare vetat, & bona facere docet, *Et* ideo *non ſupplantabuntur greſſus eius*, ab iniquis, & peccatoribus. *Conſiderat* namque *peccator iuſtum*, vt eum ſupplantet, eiuſque detorqueat greſſus. *Et quærit mortificare eum*, quod vtique non faciet. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius*, quia quamuis corpus, animam tamen capere non poterit. Matth. 10.

D *Nec damnabit eum, cum iudicabitur illi*, id eſt, ad ipſius gloriam, & honorem, quod in iudicio fiet. *Exſpecta* igitur *Dominum*, qui te vindicabit. Vnde Apoſtolus: Mihi inquit, vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Rom. 12. *Et cuſtodi viam eius*, id eſt, ſerua mandata. *Et exaltabit te*, ad cæleſtia. *Vt hæreditatem capias terræ*, illius ſcilicet quam nullus hoſtilis turbo tibi auferre poterit. *Cum perierint peccatores, videbis*, non peribis, ſed pereuntes videbis.

Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui & ecce non erat. Satis, inquit, magnos, & excelſos, & terrenis honoribus præditos impios ad tempus vidi, & ſtatim æterna cogitans, ad ipſorum vitæ exitum tranſiui, & ecce non erat. Si quis enim ad intellectum tranſeat, & cogitando dicat: Vbi nunc eſt Cæſar? Vbi Pompeius? Vbi Octauianus? Vbi potentia Neronis? non vtique eos inueniet. Et quæſiui eum, *& non eſt inuentus locus eius*, qui enim non eſt, locum non habet. *Cuſtodi* ergo *innocentiam, & vide æquitatem*, ne ad impiorum ſimilitudinem pereas. *Quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.* Sed quæ reliquiæ? Vita poſt mortem. E Poſſumus autem per homines pacificos, Apoſtolos intelligere, quorum doctrina pacatus eſt mundus. His autem ſunt reliquiæ, & æterna retributio. Vnde Apoſtolus: Si cuius, inquit, opus manſerit, quod ſuperædificatum fuerit, mercedem recipiet. 1. Corinth. 3. *Iniuſti diſperibunt, ſimul reliquiæ impiorũ interibunt*, quia non relinquitur eis vita poſt mortem. *Salus autem iuſtorum erit à Domino*, qui vere ſaluare poteſt. *Et Dominus erit protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus*, in ſæculi tentationibus. *Et eruet eos, à peccatoribus. Et ſaluabit eos*, in die iudicij. *Quia ſperauerunt in eum.*

EXPOSITIO PSALMI XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Argue me inquit, ſed non in ira vel F furore, qui nimmo in miſericordia & pietate. Vox cuiuslibet pœnitentis.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Quid per ſagittas niſi correctionis verba intelligimus? *Et confirmaſti ſuper me manum tuam*, quia magiſtrali verbere me caſtigaſti, noli igitur me in ira, & furore amplius flagellare, quia doctrinæ tuæ non ſum oblitus, ſed quaſi acutiſſima ſagitta cordi meo infixa eſt. More diſcipuli loquitur, magiſtri miſericordiam implorantis. Poſſumus etiam per ſagittas, huius ſæculi ærumnas intelligere, vt ſit vox humani generis de tot miſeriis conquerentis, quaſi dicat: Ne iraſcaris Domine populo tuo, qui tantis vndique miſeriis, & anguſtiis obſitus eſt: hinc enim ſagittæ tuæ debita vindicta morbi, peſtilentiæ, fames, aliæque huius ſæculi aduerſitates nos vulnerant & affligunt, hinc vitiorum impetus, dæmoniorumque inſidiæ nos conturbant. Reſtat igitur, ſi nobis iratus fueris, vt non omnino pereamus.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ. In prima inquit, radice peccauimus, immortalitatem amiſimus, G iram tuam cognouimus, mortaleſque facti ſumus, quæ igitur ſanitas, vel conſtantia in nobis eſſe poteſt? *Non eſt pax oſſibus meis*, perterrita ſunt oſſa mea, idcirco pacem habere non poſſunt, quis enim inter hoſtes pacem habebit? Per oſſa, memoriam, intellectum, & rationem intelligimus, hæc autem quia à vitiis conturbantur, multoties pacem amittunt. Hoc autem etiam de pœnitentibus intelligi poteſt. qui Dei iram, ſuaque recognoſcentes peccata, ieiuniis ſemper, & vigiliis vacantes, vix oſſibus hærent.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Ideo inquit, pax non eſt oſſibus, quia iniquitates præſunt, & dominantur menti, caput enim pro mente ponitur, quæ animæ principalior pars eſt. Vnde in Euãgelio legitur: Leuate capita veſtra. Lucæ 21. *Sicut onus graue grauata ſunt ſuper me*, illos enim grauant peccata, qui ea deponere volunt: ſicut è contra illis leuia ſunt, qui in eis delectantur.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ. Olim, in- H quit, pro ſuaui odore vitiorum putredine vſus ſum, ſed iam nunc quidem peccata mea mihi fœtere incipiunt, quod ideo quidem fit, quia cicatrices corruptæ ſunt. Tũc enim corrumpuntur vlcera, & cicatrices, quando peccata manifeſtantur. *A facie inſipientiæ meæ*, putruerunt vitia inciſa, & aperta ſunt vlcera, quia meam cognoui inſipientiam, quis enim niſi ſapiens inſipientiam cognoſcit?

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem. Miſerum enim ſe Apoſtolus eſſe ſciebat cum diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7. Vſque in finem curuãtur, qui ex toto ſe ſub iugo Chriſti humiliantes, in cinere, & cilicio pœnitentiam agunt. *Tota die contriſtatus ingrediebar*, quia ſemper pro peccatis flebam. Quid mirum? *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, partem pro toto poſuit, quia dæmonum, inquit, illuſionibus plena erat caro mea; ideo ſine triſtitia eſſe non poteram. *Et* quoniam *non eſt ſanitas in carne mea*, quæ ſemper à vitiis vulneratur. Vnde, *afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis*:

A ſciens quod per multas tribulationes in regnum cœlorum me intrare neceſſe ſit. Act. 14. *Rugiebam à gemitu cordis mei*, rugiunt namque & amarè deflent ſancti, quia ſemper corda eorum pro peccatorum conſcientia gemunt, quod tu quidem noſti. *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus*, ſcis igitur quia humiliatus fui, & pro peccatis gemui. *Cor meum conturbatum eſt in me*, id eſt anima mea. Sed quare conturbatum eſt? Quia *dereliquit me virtus mea*, id eſt Deus ipſe, ſiue immortalitas. *Et lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*, quia via veritatis amiſſa, diabolum, & errorem ſum ſecutus.

Amici mei & proximi mei, aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. Vox capitis, quaſi dicat: Nihil eſt ò homo quod queraris, nihil eſt quod de miſeriis lamenteris, vide me afflictum, vide me crucifixum, vide me peccata tua portantem, vide mundi miſerias ferentem, & auferentem; conſolare igitur, ſpem habeto. non frangaris aduerſis. Amici mei. Ironia eſt. Sic enim, & Iudam amicum vocauit: Amice ad quid veniſti, B Matth. 26. cum vtique amicus non eſſet. Et proximi mei. ſecundum carnem. Aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt, non enim appropinquauerunt, vt crederent, ſed potius vt occiderent.

Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt, id eſt, diſcipuli, quia relicto eo omnes fugerunt: Idem loc. cit. Sicut in Euangelio dicitur: Cum autem apprehendiſſent, ſtabant omnes noti eius à longe. Lucæ 23. *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam*, quia & me poſt ſe trahebant, & Iacobum, relicta ſindone, nudum fugere compulerunt: Marc. 14. Petrus quoque in tantum ſibi conſtrictus, ter negauit. Matth. 26.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates. Quia falſis teſtimoniis me vincere putabant. *Et dolos tota die meditabantur*, quibus me ante Pilatum accuſare poſſent. *Ego autem, tanquam ſurdus, non audiebam*, quia nemini vllum reſponſum dabam. Vnde quidam eorum ait: Nonne audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? Matth. 27. *Et ſicut mutus non aperiens os ſuum*, ſicut ſcri- C ptum eſt. Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. Iſaiæ 53. *Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Expoſitio eſt præcedentis Verſus. *Quoniam in te Domine ſperaui*, ideo, inquit, non me defendi, quia non in me, ſed in te ſperaui. Vnde etiam quaſi improperantes dicebant Iudæi: Confidit in Deum, liberet eum ſi vult. Matth. 27. *Et tu exaudies me Domine Deus meus.* Sed vnde exaudies? Sequitur.

Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei. Quod vtique facerent, niſi reſurgerem. *Et dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt*, quia diſcipulis in fugam commotis, eum deridere cœperunt. Quid mirum?

Quoniam ego in flagella paratus ſum. Vt Petrus ait: Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. 1. Petri 2. *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper*, non pro me tantum, ſed & pro meis.

D *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Non quod iniquitatem feciſſet, ſed quia in eum iniquitas facta eſt. *Et cogitabo pro peccato meo*, id eſt, ſollicitus ero pro peccato quod in me Iudæi fecerunt. Sic enim dicimus, aggreſſum vrbis, non quod ipſa aliquem aggrediatur, ſed quia ab aliquo aggreſſa eſt.

Inimici mei autem viuunt. Non vtique viuent, ſed morte morientur. *Et confirmati ſunt ſuper me*, ipſi namque Iudæi teſtes ſunt, quoniam ex quo Chriſtus paſſus eſt ſemper viles, & debiles ſine honore, & fortitudine fuerunt. *Et multiplicati ſunt qui oderunt me inique*, non equidem multiplicati, ſed & prole, & diuitiis minorati ſunt, & merito. Nam, *qui retribuunt mihi mala pro bonis, detrahebant mihi*, quis enim omnia bona enumerare poteſt quæ Iudaico populo Dominus fecit? Quis deriſiones, & opprobria explicare valeat, quæ filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto Iudæi intulerunt? *Quoniam ſequebar bonitatem*, hæc enim maior, & principalior cauſa fuit, vt moreretur, quia filium Dei ſe fecit, Ioan. 19. & quia Sabbatho curabat, Idem 9. quod nihil E aliud quam bonitas erat. Et ideo *non derelinquas me Domine Deus meus ne diſceſſeris à me*, cum, inquit, infernum expoliauero, ne derelinquas me, ſed *intende in adiutorium meum*, vt victor cum triumpho ad te veniam, *Domine Deus ſalutis meæ.*

EXPOSITIO PSALMI XXXVIII.

Dixi cuſtodiam vias meas. Vox Eccleſiæ. Vias ſuas cuſtodiuit, qui à vitiis bona opera defendit. *Vt non delinquam in lingua mea*, in lingua namque peccant, qui ſanctum dant canibus, & margaritas ante porcos mittunt, iſte autem opera ſua ſic cuſtodire promittit, vt neque in opere, neque in ſermone delinquat.

Poſui ori meo cuſtodiam, non improperantibus reſpondi, non maledicentibus maledixi, ſed ori meo cuſtodiam poſui, ſecundum illud: Pecuniam, & aurum tuum alliga bene, & fac ori tuo oſtium, & ſeram. *Cum* F *conſiſteret peccator aduerſum me*, qui non ædificationis cauſa, verum vt mecum diſputaret, meque reprehenderet, audiebat. *Obmutui, & humiliatus ſum*, quia, quaſi victor, eorum pertuli garrulitatem. *Et ſilui à bonis*, quia veritati obedire nolebant. Huic autem ſimile quiddam in Ezechiele legitur, qui cum Iudæis prædicare vellet, ait ei Dominus: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exaſperans eſt. Ezech. 3. *Et dolor meus renouatus eſt*, id eſt, amplius, & intolerabilius creuit.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis, tali namque ira, & Iſaias accenſus erat, quando dicebat: Domine quis credit auditui noſtro? Iſaiæ 53.

Locutus ſum in lingua mea, id eſt, in lingua cordis, in cogitatione, quam peccator redarguere non valet. Sed quid dixi? *Notum fac mihi Domine finem meum*, nullus enim in hac vita finem ſuum cognoſcere poteſt, finem namque ſuum videre deſiderabat Apoſtolus, cum diceret: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ad Philip. 1. G *Et numerum dierum meorum quis eſt*, illi quippe dies vere dicuntur eſſe, qui ſemper ſunt, & nullum finem habent. *Vt ſciam quid deſit mihi*, nemo enim in hoc ſæculo poſitus ad plenum ſcire valet, quid ei deſit, ſed cum ad illam ſupernam, & ineffabilem beatitudinem peruenerit, tunc ſe miſerum, & bonis cunctis egentem in hoc ſæculo fuiſſe cognoſcet. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos*, ſingula ſingulis reſpondent: illos, inquit, dies mihi demonſtra, quia iſti quidem tranſeunt, & nullius numeri ſunt. Vt ſciam quid deſit mihi: Quia hæc mea quidem ſubſtantia mihi eſt, ſed à te pro nihilo reputatur. Vnde ſcriptum eſt: Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo. Iſaiæ 40. Vel etiam, tanquam nihilum eſt ſubſtantia & eſſe ſanctorum, ad illius eſſentiæ comparationem, quam ante Dominum habebunt; fulgebunt namque ſicut Sol in Regno Dei. Matth. 13.

Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra con- H *turbatur.* Iſti duo verſus proximo ſuperiori verſui reſpondent: Quamvis dies, inquit, menſurabiles, & tranſitorij ſint, humana tamen fragilitas nihilominus in vanitate perſiſtit. Hominem in hoc loco pro peccatore poſuit, & quamvis hæc ſubſtantia nulla ſit, veruntamen in imagine pertranſit homo, quia, vt imaginaria, & falſa bona congreget: de regno in regnum, maria, & cuncta pericula homo pertranſit, & vere homo, quia non cœlum, ſed humum & puluerem petit. Siue, ad imaginem Dei factus homo, Gen. 1. pertranſiit, quia non, Dei, ſed diaboli ſimilitudinem imitatur. Sed & fruſtra conturbatur.

Theſaurizat enim, *& ignorat cui congregabit ea.* Ideo, inquit, fruſtra conturbatur, quia quamvis multa ſummis periculis, ipſaque morte, bona conquireret, cui tamen ea cōgregaſſet ignorat, vtrum furibus, hoſtibus, an priuignis.

Et nunc quæ eſt exſpectatio mea? Non aurum vel argentum, non prædictæ diuitiæ, in quibus acquirendis homi-

Digitized

A nes deſudant. *Nonne Dominus ?* Vere Dominus, quo quidem accepto nihil defuerit. *Et ſubſtantia mea apud te eſt*, quam nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, vel furantur. *Ab omnibus* ergo *iniquitatibus meis erue me* quod debes, nam opprobrium inſipienti dediſti me; cum enim ad prædicandum diſcipulos miſit, tunc eos inſipientibus in opprobrium dedit. Vnde ipſe ait: Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur, ſed hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Ioan. 15.

Obmutui & non aperui os meum. Sed cum patientia, & ſilentio cuncta inimicorum pertuli tormenta: Magiſtrum ſequens, qui ſicut ouis ad victimam ductus eſt & non aperuit os ſuum. Iſaiæ. 53. *Quoniam tu feciſti, amoue à me plagas tuas*, tua factura ſum, tuum plaſma ſum, tu me feciſti, miſerere mei.

A fortitudine manus tuæ ego defeci. Sicut aurum in fornace probat Dominus electos ſuos Sap. 3. Flagellat enim omnem filium, quem recipit, vnde fit, vt à fortitu- B dine potentiæ ſuæ deficiant, & carnis robur amittant: vnde Apoſtolus: Crucifixus inquit ſum mundo. Ad Gal. 6 Confirmatio. *In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem*, quod enim homo corripitur, non ſine cauſa fit.

Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius. Quia indumentum iuſtitiæ ſibi texendo, atque filando pro operis ſtudio atque inſtantia ab omni vitiorum pinguedine defecit. Hæc enim eſt illa veſtis nuptialis, qua qui indutus non fuerit, Chriſti prandium non merebitur. Vnde Salomon ait: Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Prouer. 31. Itemque. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Idem loc. cit. Hanc autem lanam & linum, eius viri qui loquitur, anima, ſibi filando, ab omnibus carnis concupiſcentiis defecit. *Veruntamen vane conturbatur omnis homo*, quia pauci ſunt qui bonorum exempla imitantes, à ſæculi vanitate ſeparentur. *Exaudi orationem meam Domine & deprecationem meam, auribus percipe* C *lachrymas meas, ne ſileas* ſed reſponde mihi. *Quoniam aduena ego ſum*, in hoc mundo manens. *Apud te*, quia à voluntate tua non diſcedo. *Et peregrinus, ſicut omnes patres mei*, quia dum in corpore ſumus, à Domino peregrinamur. 2 Corinth. 5. Nam pro tranſeuntibus fit iſte pſalmus, qui de huius mundi peregrinatione ad patriam tranſeuntes, merito peregrini vocantur.

Dimitte mihi, vt refrigerer. Priuſquam abeam, prius, inquit, quam moriar, dimitte mihi peccata mea, vt in illa cæleſti beatitudine refrigerium habeam. *Et amplius non ero*, quia in inferno nulla eſt redemptio, ſiquidem non dimiſſis peccatis illuc inquit ſi peruenero, ſcio quia amplius non ero. Melius enim eſt non eſſe, quam infeliciter eſſe.

EXPOSITIO PSALMI XXXIX.

E*Xſpectans exſpectaui Dominum.* Vox Eccleſiæ, diu inquit, exſpectaui Dominum, qui de huius ſæculi miſeriis me liberaret, hoc enim Abraham, Iſaac, & D Iacob, hoc Iſaias, Ieremias hoc ipſe Dauid huius dictaminis compoſitor exſpectauit. *Et intendit mihi*, id eſt, ad meum gaudium & vtilitatem in mundum venit; vnde ipſe Dominus ait. Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, Lucæ. 10. Itemque Abraham pater veſter, exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Ioan. 8. *Et exaudiuit preces meas*, venit inquit & exaudiuit me. Nullus enim Chriſtum deprecatus eſt, qui miſericordiam non inueniſſet. *Et eduxit me de lacu miſeriæ*, id eſt de inferno vel de vitiorum profunditate. Confirmatio. *Et de luto fæcis*, id eſt de errore litteræ, vel gentilitatis.

Et ſtatuit ſupra petram pedes meos. Pedes inquit meos ſenſus meos, opera mea, ſtatuit & firmauit in ſeipſum, & in fidem ſuam, ne in lacum, & in lutum fæcis immergerentur. *Et direxit greſſus meos*, neque enim me ſupra petram poſitum, otioſum eſſe permiſit, ſed ad Euangelium prædicandum pedes meos direxit. Siue opera mea quæ praua & aſpera erant, in directa & vias planas con- E uertit. *Et immiſit in os meum canticum nouum*, greſſus quidem ad Euangelizandum direxit, neque os vacuum mutum, & elingue eſſe voluit, ſed nouum canticum mihi dedit, quia nouus homo venit in mundum & nouam legem dedit mundo. Greg. Hom. 32. *Carmen, Deo noſtro*, carmen, inquit mihi dedit, quod Deo noſtro acceptabile eſt non vanam Philoſophiam: aut Comicorum ſcurrilitatem.

Videbunt multi, & timebunt. Qui enim cæci erant & de Deo nihil intelligebant, hoc quidem audientes illuminati ſunt. Vos igitur Apoſtoli lux eſtis mundi. Matth. 5. quandoquidem cæcos illuminatis. Et timebunt. Quid timebunt, non vtique priſtinam vanitatem, ſed Dominum ipſum, cuius timor eſt initium ſapientiæ. Pſal. 110. *Et ſperabunt in Domino*, non in incerto diuitiarum, quæ hodie habentur, & cras non inuenies.

Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius. In Domino quidem ſperabunt & beatus ille vir cuius ſpes erit nomen Domini: nomen autẽ Domini eſt Ieſu qui Salua- F tor interpretatur, beat' ergo ille qui ſe à Ieſu ſaluari ſperat.

Et non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas, vt idola adoraret, & auaritiæ deſeruiret, vel diuitias, ſæculique honores, quæ homines inſanos faciunt, concupiſceret, *Multa feciſti tu Domine Deus mirabilia tua*, videntes prædicatores hodie multos credentes, qui heri idola adorabant, exclamabant: Multa feciſti tu Domine Deus mirabilia tua. *Et cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Ecce attende.

Annuntiaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Annuntiauerunt Apoſtoli crediderunt gentes nata eſt illa ſoboles, quæ ſtellis cœli comparatur, quarum præ multitudine nullus eſt numerus.

Sacrificium, & oblationem noluiſti. Quia non Iudæos, ſed gentium populum elegiſti. Vnde ipſe Dominus Iudæos interrogans ait: Quid eſt miſericordiam volo, & non ſacrificium? Matth. 9. In quibus verbis non Iudæos qui hircorum, & taurorum ſacrificium faciebant: Le- G uit. 16. ſed gentiles qui ſola miſericordia ſaluantur, ſe voluiſſe inſinuat. *Aures autem perfeciſti mihi*, quia ſolo auditu crediderunt Apoſtolis: Marc. 1. legerunt namque in Prophetis Iudæi, audierunt, & viderunt Chriſtum, non tamen crediderunt: (Ioan. 10.) gentes autem non viderunt, ſed Euangelium audientes credidere. Act. 12. *Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti*, quia nec etiam pro peccatis tale ſacrificium offerri debet. Poſſumus etiam ſic intelligere, neque holocauſtum voluiſti, neque hoſtiam pro peccato, *tunc dixi ecce venio.* Hucuſque Eccleſia, nunc autem loquitur Chriſtus & priori huius pſalmi verſui reſpondet.

Tu, inquit, me exſpectans exſpectaſti: ego autem nunc dixi, ecce venio, carnem aſſumo, teque de luto fæcis expedio. Apoſtrophe ad Patrem: Venio pater ſicut præcepiſti mihi, vt facerem voluntatem tuam. Et legem tuam in medio cordis mei, quod equidem Deus meus volui, *ſicut in capite libri ſcriptum eſt de me.* Sic enim ſe habet ordo. Nunc autem intelligentiam expediamus: H In capite namque huius libri ſcriptum eſt, ſed in lege Domini voluntas eius. Pſalm. 1. hoc autẽ eſt quod hic dicitur: vt facerem voluntatem tuam. Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Pſal. 1. hic autem ſcriptum eſt: Et legem tuam in medio cordis mei. Hæc autem ſatis æquipollentia ſunt.

Annuntiaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna. Quia & per ſe & per Apoſtolos vniuerſalem Eccleſiam docuit Mar. 16. quæ ex omnibus mundi partibus collecta eſt. *Ecce labia mea non prohibebo*, labia Dei, Apoſtoli ſunt quia per eos loquitur, hos autem ad tempus prohibuit dicens: In viam gentium ne abieritis & in ciuitates Samaritanorum, ne intraueritis: Matth. 10. poſtea vero non ſolum prohibuit, ſed etiam omnibus gentibus prædicare præcepit, ait enim: Ite in vniuerſũ mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Mar. 16. *Domine tu ſciſti* teſtem ex hoc Deum inuocat, quia in omnibus gentibus Apoſtolos prædicare iuſſit, vt nulla in iudicio poſſit fieri excuſatio.

A *Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo.* Vnde ipſe diſcipulis ait : Quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis Ioan. 15. Ideoque & Apoſtolis præcepit vt neque ſacculum, neque peram ſecum deferrent. Lucæ 10. Sacculum namque portat, qui verba diuina in corde celat, *Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi*, quia me tuum eſſe filium confeſſus fui. Mar. 14. *Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo*, quia coram Iudæis, coram Pilato & ante principes, & ſacerdotes ſe Chriſtum eſſe dicebat. Matth. 26. *Tu autem ne longe facias miſerationes tuas à me*, hoc autem ſecundum hominem loquitur. *Miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me*, præteritum pro futuro poſuit. *Quoniam circumdederunt me mala quorum non eſt numerus*, quia pro totius mundi delictis mortuus eſt. 2. Corinth. 5. ſed quis omnium delictorum numerus eſſe poteſt? *Comprehenderunt me iniquitates meæ* id eſt iniquitates mihi illatæ, Iudæi videlicet qui tanta nequitia pleni erant, vt non ſolum iniqui, verum etiam ipſa iniquitas rite vocentur.
B *Et non potui, vt viderem*; non inquit aperui oculos neque aperire potui, vt aliquos viderem, niſi inimicos, & mihi aduerſos.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Nam quia & ſocii me dereliquerunt & inimici innumerabiles erant idcirco niſi inimicos videre non potui. Cor Chriſti vocantur Apoſtoli, quia omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros in eos recondidit, vtque ſeipſum eos dilexit. Ioan. 15. *Complaceat tibi Domine vt eruas me, Domine ad adiuuandum me reſpice*: rogat humanitas diuinitatem, vt eam ab inimicis eripiat quia ipſa ſecundum ſe infirma, & debilis erat. *Confundantur & reuereantur ſimul qui quærunt animam meam vt auferant eam. Auertantur retrorſum*; Vel, à peccato ad iuſtitiam, vel ab his quæ ſurſum ſunt vt ſemper infima petant, vel etiam, quia in faciem ſuam ceciderunt. Io. 18. *Et reuereantur, qui volunt mihi mala.* Quid reuereantur? Vel Deum vel pœnam quæ illis ſubito ſuperueniet.

C *Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: Euge Euge.* Siue vt de peccatis erubeſcentes pœniteant, ſeu quia cito ab hoſtibus ſubuertentur. *Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te*, omnes inquit qui per fidem & dilectionem te quærunt, exultent non in ſe ſed in te, vt qui gloriatur in Domino glorietur. 1. Cor. 1. *Et dicant ſemper magnificetur Dominus*, id eſt imperium & potentia, & credentes in eum. *Qui diligunt ſalutare tuum*, id eſt Chriſtum filium tuum, per quem vniuerſorum ſalutem operaris. *Ego autem mendicus ſum & pauper*, merito inquit me diligere debent quia cum omnium diues eſſem, pro eis pauper factus ſum. (2. Corinth. 8.) *Sed Dominus ſollicitus eſt mei*, quia omnibus ſuperabundat. *Adiutor meus & protector meus tu es. Deus meus ne tardaueris*, ſed cito ſubueniens auxilium præſta.

EXPOSITIO PSALMI XL.

D *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* Vox Prophetæ : Ego quidem pſalmos compono, ſuper me tamen intelligendi non ſunt. Beatus ille erit qui non ad litteram, ſed ſpiritualiter & pſalmos & cæteros Prophetas ſuper egenum & pauperem intelligit, per egenum autem, & pauperem, Chriſtum deſignat, qui cum omnium diues eſſet pro nobis pauper factus eſt. 4. Corinthiorum. 8. *In die malo liberabit eum Dominus*, dies namque iudicij & malus erit malis, & bonis bonus. In hoc autem die liberabitur Eccleſia, qui Chriſtum credidit, & intellexit, vos autem perfidi Iudæi, malum diem exſpectate, qui ſuper Antichriſtum Pſalmos intelligitis.

Dominus autem conſeruet eum & viuificet eum. Video inquit egenum & pauperem, iam carnem ſumit, ecce venit, ſed quænam eſt illa malorum multitudo, qui ei aduerſantur? O nefas, ſerui in Dominum inſurgunt, hæredem agricolæ interficere cupiunt, Marc. 12. Pontifices & ſacerdotes illudentes circumſtant. Matth. 27. Dominus autem conſeruet eum ne ab his canibus mitis agnus diripiatur : Et viuificet eum die tertia, & beatum faciat eum in terra viuentium, eam ſibi claritatem reddens, quam priuſquam mundus fieret, ſecum habuit. Ioan. 17. *Non tradet eum in animam inimicorum eius*, quod equidem eſſet, niſi à mortuis reſurrexiſſet. E

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius. Lectus doloris caro eſt, ſecundum quam Chriſtus affligebatur, *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate*, ideo inquit, vt in lecto doloris ei auxilieris te deprecor quia totus in infirmitate verſatur : Vnde Iſaias. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas Iſaiæ 1. totum igitur corporis eius in infirmitate erat dicens.

Ego dixi Domine miſerere mei, id eſt meorum. *Sana animam meam quia peccaui tibi*, nunquid Chriſtus peccatum fecit? abſit, ſed animam ſuam Eccleſiam dicit, quam præ omnibus dilexit. Vnde ſcriptum eſt. Pellem pro pelle & omnia quæ habet homo dabit pro anima ſua. Iob. 2. nihil enim hominis habuit, quod pro hac anima non dediſſet, pellem quoque pro pelle dedit quia pro carne noſtra, ſuam morti tradidit. Rogat igitur Patrem, vt Eccleſiam ſanet, quæ à peccatorum multitudine infirmata eſt. F

Inimici mei dixerunt mala mihi quando morietur: hæc enim mala cogitabant, & dicebant Iudæi de Chriſto, quando morietur iſte qui miraculorum operatione totum poſt ſe mundum trahit & quando peribit nomen eius vt nullus eum confiteatur. Vnde in Euangelio dicitur : Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur, extra Synagogam fieret. Ioan. 9.

Et ſi ingrediebatur, vt videret vana. Nunc ad ipſum capitalem conuertitur inimicum, qui eum peſſima proditione tradidit. Et ſi inquit aliquando ingrediebatur in prætorium, inter inimicos, & Iudæorum conſilium, ille peſſimus omnium inimicorum Iudæorum Iudas, vt videret vana, quæ ab ipſis machinabantur, *loquebatur cor eius*, id eſt, cogitabat quid diceret & reſponderet. *Congregauit iniquitatem ſibi.* Sibi quidem id eſt ad perditionem ſui congregauit iniquitatem, quia bonum illi erat ſi natus non fuiſſet. Matth. 26. *Et egrediebatur foras* G quia audito conſilio de Prætorio exibat. Et loquebatur in idipſum, id eſt, de eadem re.

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, id eſt in meæ mortis conſilio exercebatur. *Aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me*, dicentes crucifige, crucifige. Ioan. 19. ſicut ſcriptum eſt. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, Iſaiæ 15. *Sed numquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat?* vere ſurget. *Et enim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem*, quia eum oſculo tradidit. Lucæ 22. *Tu autem miſerere mei, & reſuſcita me, à mortuis.* Et retribuam eis, hoc erit in iudicio quando eos in infernum præcipitabit.

In hoc cognoui quoniam voluiſti me quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Nam neque Iudæi neque H maligni ſpiritus de morte Chriſti gauiſi ſunt, illi enim & locum, & gentem amiſerunt; iſti vero prædam quam captiuam detinebant.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, illos autem propter illorum multas iniquitates omnino perdes. *Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum*, quia ad Patris dextram ſedet. Vnde benedictus ſit Dominus Deus Iſraël, ſæculo & vſque in ſæculum. Nos autem à Amen Amen, reſpondeamus.

Hic Primus Pſalterij Liber finit

EXPOSITIO PSALMI XLI.

Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Vox Eccleſiæ. Quemadmodum inquit, ceruus aliquo veneno contactus ad aquarum fontes venire deſiderat, ita anima mea ad te Deus quã ſerpens antiquus mortifero veneno percuſſit

A *Sitiuit anima mea ad Deum, fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei*; ante Dei faciem venire deſiderabat Apoſtolus quando dicebat, cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, nulla enim alia de cauſa laborabant ſancti niſi vt ante Dei faciem læti peruenirent.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Toxicatus fui, aquam ſitiui, ad te venire deſideraui hoc deſiderio fleui, die noctuque lacrymaui & pro dulciſſimo pane lacrymas habui. Sed numquid lachrymæ panes fiunt? fiunt equidem, vt enim pane ſatiatur corpus, ita compunctionis lachrymis reficitur anima. Dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt Deus tu us.

Ordo eſt. *Dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt Deus tuus; quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Hæc recordatus ſum, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad Domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis & eff-gi in me animam meam dicens, ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi.* Sic enim ſe habet, ordo ſignificatum videamus.
B Pagani namque Deos ſuos digito demonſtrantes, olim ſanctis dicere ſolebant. Vides Deos noſtros? Vides Iouem, Saturnum, Mercurium, Venerem, & Dianam? Tu autem dic nobis vbi eſt Deus tuus? Hæc audiens vir ſanctus, pauliſper commotus ait. Quare triſtis es anima mea? At illa: Quia Deum meum videre non poſſum: Et quare conturbas me: Numquid illorum perſuaſio præualuit: numquid ea, quæ dicunt, vera eſſe arbitraris, recordare quæſo, quoniam tranſibis in locum tabernaculi admirabilis, & vſque in domum Dei, & tunc tandem Deum tuum videbis: Sed quomodo tranſibis, in voce exultationis & ineffabilis gaudij & confeſſionis & laudis quæ vox nihil aliud erit, quam ſonus epulantis nihilo indigentis, ſemperque gaudentis; Hæc inquit recordatus ſum, & effudi in me animam meam: numquid anima ſua extra eum erat? Numquid iam eum dereliquerat vere dereliquerat, quia prædicta ſuaſione decepta iam poſt Deos alienos ire volebat; in ſe igitur animam ſuam
C effudit, quia à praua voluntate eam retraxit, dicens, ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi. Hæc autem quæ dicta ſunt, non ita ſunt accipienda, quaſi alteri alter loquatur, ſed ipſa anima ſeipſam hortatur & in Dei ſeruitio confortat, Apoſtrophe. *O ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Vide quia ad me ipſum anima mea conturbata eſt propterea vt eam conſoleris, memor ero tui venientis *de terra Iordanis, & Hermoniim à monte modico.* Hoc autem ad litteram ſpiritualiter ſic intelligitur. Iordanis deſcenſio, vel humiliatio, Hermon autem, anathema interpretatur. Memor eſt ergo Domini de terra Iordanis, qui in humilitate carnis, vel in corpore baptizato Domino ſeruit. Qui vero diabolum anathematizat vel à vitiis ſeparatur, de terra Hermoniim Domini recordatur: In monte autem modico erat Apoſtolus, quando dicebat: Ego autem ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. 1. Corinth. 15.

Abyſſus abyſſum inuocat in voce Cataractarũ tuarum.
D Ac ſi dicat: tui quidem ſemper memor ero pro quo abyſſos abyſſum inuocat, id eſt nouum teſtamentum vetus teſtamentum tradit, quæ ob intelligentiæ profunditatem, vtraque abyſſus vocantur. Et hoc quidem in voce cataractarum tuarum. Namque cataractæ, feneſtræ cœli eſſe dicuntur. Apoſtoli autem cœli ſunt: Sunt ergo ora Apoſtolorum cataractæ cœli. Per hos autem abyſſus inuocat abyſſum, quia Euangelica prædicatio à veteri teſtamento per Apoſtolos confirmatur. Vel etiam abyſſus abyſſum inuocat, quando pœnam & infernum peccatoribus Apoſtoli denunciant. Vtrumque enim diuerſis de cauſis abyſſus dicitur.

Quibus prædicantibus, *omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Quia etiam inuiſibilia illius creatura mundi Apoſtolorum prædicatione aperta ſunt. De his autem fluctibus & alibi dicitur. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei Pſal. 86. Tranſierunt ergo excelſa & fluctus Dei ſuper Eccleſiam, quia, & inuiſibilia vidit, & ſancti Spiritus inundationem recepit.

E *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam.* Quid eſt miſericordia ſua, Chriſtus. Quibus mandauit in die? nobis quidem: Quibus autem in nocte? Iudæis: Iudæis namque niſi in nebula & caligine numquam apparuit, Exod. 3. 13. 19. 24. Significans quia carne ſumpta, ab eis cognoſcendus non erat: Nobis autem in die mandauit, qui in eum credimus, eum cognoſcimus & veneramur. Vnde dictum eſt: Vobis autem credentibus, filium non credentibus, orietur ſol iuſtitiæ: Malach. 4. Si igitur ſol in die & nocte canticum eius, quid autem eſt quod in die miſericordiam, in nocte vero canticum mandauit, niſi quia credentibus, legem & Prophetas dederat: Aliter in die mandauit miſericordiam, in nocte cantauerunt ſancti, Quid cantauerunt? Canticum eius. Quid eſt autem in nocte, niſi inter peccatores, in carceribus & in aduerſis.

Ideoque *apud me* eſt *oratio* in corde. In homine interiore. Quam debeo *Deo vitæ meæ*, qui me iam mortuum viuificauit. *Dicam Deo ſuſceptor meus es*, quia numquam
F in te ſperantes derelinquis.

Et dicam: *Quare oblitus es mei*? Non ſum inquit oblitus. At ille: *Quare ergo contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus*, quod æquipollens eſt ac ſi diceret, quare ergo me inimicus malignus ſpiritus, vel terrenus perſecutor affligit, quamobrem non ſine dolore, atque triſtitia vitam ago.

Apoſtrophe ad ſeipſum, *Dum confringuntur oſſa mea* Hoc ad litteram: & dum exprobrauerunt mihi, *qui tribulant me inimici mei. Et dum dicitur mihi per ſingulos dies; Vbi eſt Deus tuus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. Noli inquit conturbari: ſed ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi qui eſt ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Vultus pro voluntate ponitur, quia in vultu voluntas dignoſcitur, Eſt igitur ſalutare voluntatis illius, quia eum vt ſupra diximus à bona voluntate ſperari non permiſit.

EXPOSITIO PSALMI XLII.

G *IVdica me Deus & diſcerne cauſam meam*, Vox fidelis animæ: Non me, inquit, iudicet inimicus, non falſa hominum opinio, quæ bonum malum, & è conuerſo malum bonum facit, ſed tu me iudica qui iuſtus es, atque miſericors. Et diſcerne cauſam meam, quam ſi iuſtam compereris, *eripe me de gente non ſancta, ab homine, iniquo & doloſo. Quia tu es Deus fortitudo mea*, tu me, inquit, ab inimicis libera, qui mea virtus es & fortitudo. *Sed quare me repuliſti*; Non te, inquit, Dominus repuli. *Quare ergo triſtis incedo dum affligit me inimicus* ac ſi dicat: Niſi tu me repuliſſes, neque me quidem inimicus affligeret, neque ego etiam afflictus contriſtarer. Quod ne amplius fiat, fac quod ſequitur.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam Aufer tenebras *& da lucem: aufer errorem, da veritatem vt & illuminati*, ſequamur lucem, & credentes veritatem teneamus *Ipſa me deduxerunt.* Vnde? ab errore, ab iniquitate: nam lata & ſpatioſa via quæ ducit ad mortem. *Et adduxerunt*
H *vbi? in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua*, id eſt in Eccleſia, in conſilio iuſtorum, & Congregatione.

Et introibo ad altare Dei. Non idolis amplius ſacrificabo, non eorum altaria venerabor, ſed introibo ad altare Dei, ibique hoſtiam viuam, & immaculatam ei immolabo. Altare Dei? Eccleſia eſt, vel fides, ideſt nouum & vetus teſtamentum, ſiue anima vniuſcuiuſque, in his enim omnibus corporis, & ſanguinis Domini commemoratio fit.

Ad Dominum qui lætificat iuuentutem meam. Quia vetere exuto, nouo homine indutus ſum. *Confitebor tibi in cithara*, id eſt, in dulciloquio, in carnis tortura, & afflictione, in concinnantibus. *Quare ergo triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi*, & in cithara, & in pſalterio, cæteriſque muſicorum inſtrumentis: qui es ſalutare vultus mei, & Deus meus.

A

EXPOSITIO PSALM XLII.

DEus auribus noſtris audiuimus. Vox Martyrum Deus auribus noſtris audiuimus. A quibus? *Patres noſtri annunciauerunt nobis*, Quid annunciauerunt? *Opus quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis. Quod eſt illud: Manus tua gentes diſperdidit & plantaſti eos.* Patres noſtros in hæreditatem, *populos gentium afflixiſti. Et expuliſti eos*, à terra, lacte & melle fluente Qualiter de Pharaonis poteſtate iudaicus populus exierit maximus nos Prophetarum Moyſes docuit, per agni namque immolationem exiſſe denunciauit. Exod. 12. Sic igitur, & nos per Chriſti paſſionem de diaboli poteſtate erepti ſumus. Ad Coloſ. 1. Illi quidem mare rubrum tranſierunt. Exod. 14. nobis autem dictum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt intrare in regnum Dei, Ioan. 3. Illi per quadraginta annos in deſerto fuerunt. Exod. 16. nos autem procul à patria in huius ſæculi peregrinatione degimus ad Heb. 13. Illi manna. Exod. 16. illi aquam de petra ſumpſerunt. Exod. B 17. nos autem viuum panem, nos Dei filij carnem, Ioan 6 nos viuam aquam de petra recepimus. Petra autem erat Chriſtus 1. Corinth. 10. Illi lex in monte Sinai: Exod. 20. nobis autem Euangelium in monte Sion datum eſt. Matth. 5. Illi arca fœderis deſtruunt vrbes, Ioſu. 6. nos autem cruce Domini, qua pacatus eſt mundus vincimus inimicos: Illi Euzum, Amorrhæum, Phenſæum, Iebuſeum, Cananæumque populum deſtruxerunt, Ioſuæ 11. nos autem ſuperbiam, luxuriam, & auaritiam & diſcordiam ſupplantamus: Illi cunctis hoſtibus deuictis terram promiſſionis ingreſſi ſunt: Nos autem omnibus vitiis ſuperatis, terram viuentium intrabimus. Hoc autem eſt quod audiuimus, hoc Apoſtoli, hoc Prophetæ, hoc patres noſtri annunciauerunt nobis, hoc opus in antiquis temporibus fecit, hoc in noſtris temporibus Dominus operatur. *Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis*, hæc autem omnia in figura contingebant C illis. Nullus igitur terram ſuam, carnem ſuam, corpus ſuum, ſe ſuis viribus à vitiis defendere arbitretur, ſed dextera Dei, brachio Dei, & illuminatione vultus eius. Vnde Apoſtolus, qui cum ſit inquit, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius. Heb. 1. *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob*, tu ipſe inquit, per quem Patres noſtri inimicos deſtruxerunt, es. Rex meus quia non iam peccatum, non diabolus, non ſuperbia mihi dominabitur. Et Deus meus, quia alium non adoro. Quid mandas ſalutes Iacob, quid per Iacob niſi Eccleſiam Quid per ſalutem niſi Chriſtum? Mandauit igitur Dominus ſalutem Iacob, quia per filium ſuum ſaluauit Eccleſiam.

In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. Ergo quia Rex noſter es per te inimicos noſtros cornu, minanti voce, bellico timore ventilabimus, & concutiemus. Et in nomine tuo confidentes, *ſpernemus inſurgentes in nobis*, id eſt vitia perſecutores, ſpiculatores, & malignos ſpiritus. *Non enim in arcu meo ſperabo*, ſiquidem Iacob eſſe D merito cum arcu deſcribitur. Iacob enim ſupplantator interpretatur: *Et gladius meus non ſaluabit me*, non, meus ſed tuus, tuo namque gladio pugno, tuoque gladio tibi vinco, tuus eſt gladius ſpiritus ſiquidem eſt verbum Domini. Ad Epheſi 6.

Saluaſti enim nos de affligentibus, nos & odientes nos confudiſti, ideoque in Deo laudabimur tota die, vt qui gloriatur in Domino glorietur 2. Corinth. 10. Et in nomine tuo confitebimur in ſæculum ſæculi, quia à Chriſto Chriſtiani vocamur.

Nunc autem repuliſti, & confudiſti nos: Quid eſt autem quod ſuperius ſe ſaluatum, nunc vero repulſum atque confuſum eſſe dicit? pro temporum diuerſitate loquitur; quia aliquando in proſperis, aliquando autem in aduerſis erant ſancti, aliquando à populis venerabantur, aliquando à tyrannis affligebantur. Quod autem ſe repulſum dicit: ſecundum malorum reputationem loquitur. *Et non egredieris in virtutibus noſtris*, id eſt non videris egredi, cum nos tribulati permittis. E

Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, vt cæteris vinctos, nos poſt ſe traherent, vnde Apoſtolus dicit. Obſecro vos ego vinctus in Domino. Ad Epheſ. 4. Vel quia multi, mortis timore à via veritatis retrorſum conuerſi ſunt. Siue etiam ante, & non poſt eos, erant inimici quia non iam occulte, ſed in facies & manifeſte eos occidebant. *Et qui oderunt nos diripiebant*, ſibi alios flagellantes, alios, occidentes, alios in carcerem trahentes.

Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & ſoli morti deſtinatos. Vel quia crucem Domini deferentes eiuſque exemplum obſeruantes, ſicut oues ad victimam ducti ſunt, non reclamantes, non ſeipſos defendentes: *Et in gentibus diſperſiſti nos*, namque & Petrus Romæ eſt crucifixus, & Thomas in India occiſus, & ne longe petantur exempla B. Auctor Libri fuit Aſtenſis. B. Secundus in hac noſtra Aſtenſi ciuitate interemptus.

Vendidiſti populum tuum ſine pretio. Namque ſine F pretio vendebantur Sancti, cum pro aliorum ſalute quibus prædicabant, morientes, nulli in illorum morte ad Dominum conuertebantur. Laurentius autem, non ſine pretio venditus eſt, quia & Romanum, & Hippolitum & Lucillum, multoſque alios in ipſa paſſione Domino acquiſiuit. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, commutabantur ſancti, quia de morte ad vitam tranſibant: in hac autem mutatione, nulla aliquando credentium erat multitudo. Hoc autem & de Iudæis intelligi poteſt.

Poſuiſti nos in opprobrium vicinis. Repetitio. *Subſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro.*

Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus. In tui, inquit, ſimilitudinem nos gentibus dediſti, quia ſi te perſecuti ſunt, & nos perſequentur. Ioan. 15. ſi te interfecerunt, & nos interficient: Vel in ſimilitudinem gentibus ſanctos ſuos dedit, quia ad tantam quodam tempore miſeriam peruenerunt, vt ſi quis alicui mala contingere vellet ſibi Chriſtianorum calamitatem irrogaret. *Et commotionem capitis in populis*, quis enim paganorum ligatos, G afflictos, nudos, decorticatos ſanctos vidit, & non continuo cum deriſione caput concuſſit? Hoc enim, & in Chriſti paſſione Iudæi feciſſe leguntur, Matth. 27. Siue etiam, cum à ſuperbia, luxuria, & auaritia, quæ multorum caput, & Domini erant, quam plures, Apoſtoli liberarent, quid aliud erant quam capitis commotio.

Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. Vox Chriſti. Quid eſt Martyres quod plangitis: Quid eſt mihi veſtras miſerias nunciatis numquid, & vos meas audire vultis? Tota namque die, toto paſſionis tempore, verecundia mea, claui, crux, verbera, ſpinea corona, Iudæi inſultantes, capita mouentes, genu flexo ſalutantes, coram me ſunt. Matth. loco citat. Et confuſio faciei meæ, non vos tantum, ſed & me cooperuit. *A voce exprobrantis, & obloquentis*, Iudaici populi. A facie inimici, & perſequentis, Iudæi.

Hæc omnia venerunt ſuper nos. Hæc omnia, dicunt Martyres, quæ tibi accidiſſe dixiſti, ſuper nos H quoque venerunt. *Nec obliti ſumus te*, ſed in his omnibus ſuperamus. *Et inique non egimus*, quæ mortis timore, *in teſtamento tuo*, ſed ſemper veritatem annunciauimus. *Et non receſſit retro cor noſtrum*, ſed ſemper ad ea quæ ante ſunt, nos extendimus, ad promiſſum brauium feſtinantes. *Nec declinaſti ſemitas noſtras à via tua* id eſt opera noſtra de via tua exire non permiſiſti: Sed dico: Quid eſt ergo quod quærimur? Sequitur.

Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, id eſt in hoc ſæculo, in corpore noſtræ peregrinationis. *Et cooperuit nos vmbra mortis*, id eſt, carnales tribulationes, quæ non mors, ſed quædam mortis ſignificatio ſunt. Si tamen *obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nonne Deus requiret iſta?* Requiret vtique *ipſe enim nouit occulta cordis*: Sed quoniam propter te mortificamur tota die, & æſtimati, ſumus ſicut oues occiſionis, exurge, nos oues, tu paſtor, ecce canes, ecce lupos, exurge igitur paſtor, cuſtodi

oues, quare igitur dormis? *exurge & ne repellas in finem*, id eſt omnino. Vel ne repellas ad te venientes, qui principium es atque finis. Apocal. 1.

Quare faciem tuam à nobis auertis? an *obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis*, quam pro te perferimus? *Exurge adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum*, id eſt, gratis, non ex meritis noſtris. *Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra*, id eſt, ab impiis, & peccatoribus grauati ſumus. *Conglutinatus eſt in terra venter noſter*, quia à terrenis rebus molliores, & Eccleſiæ imperfectiores facti ſumus. Vel etiam, terræ conglutinatur venter, cum ſancti non ſolum genibus ſed toto corpore in orationibus proſternuntur.

EXPOSITIO PSALMI XLIV.

E*Ructauit cor meum verbum bonum.* Vox Doctorum. Quid per verbum bonum, niſi Euangelium namque bonum nuntium interpretatur. Eſt igitur verbum bonum, ſiquidem bonum nuntium. Hoc autem eructant, & affluenter ſignificanterque prædicant Doctores. *Dico ego opera mea regi*, ſiquidem Euangelij operarij ſunt Doctores, non immerito eorum opus, Euangelium dicitur. Sed niſi operarij quidem eſſent, nunquam de eis diceretur. Dignus eſt operarius mercede ſua. Lucæ 10. Hoc autem opus dicant regi, hoc annuntiant ad laudem Dei. Vnde Apoſtolus. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Dominum Ieſum. 2. Corinth. 4.

Lingua mea calamus Scribæ. Cuius Scribæ? *velociter Scribentis.* Si igitur Apoſtolorum linguæ ſcriptoris calami ſunt, quæ erunt tabulæ, & chartæ vbi ſcribuntur, niſi fidelium pectora? Quid eſt ergo quod ſcribunt? vel quo atramento hoc faciunt? Euangelium quidem, & hoc ſpiritu diuino. Vnde Apoſtolus. Epiſtola noſtra vos eſtis, non atramento in tabulis lapideis ſcripta, ſed ſpiritu Dei viui in cordibus carnis. 2. Corinh. 3. Velociter autem ſcribebant, quia, vt in Actibus Apoſtolorum ſecundo legitur, circiter tria millia vna die crediderunt.

Speciosus forma præ filiis hominum. Conuerſio perſonæ. O Chriſte, qui præ filiis hominum forma: ſpecioſus, accingere gladio tuo, præ filiis namque hominum ipſe forma ſpecioſus eſt, quia nulla vitiorum macula eum decolorauit. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Tanta quippe gratia illius labiis fuit, vt dictum eius pro factis haberetur. Præcepit namque Lazaro vt reſurgeret, & reſurrexit: Ioan. 11. Præcepit cæco vt videret, & vidit: Ioan. 9. Præcepit leproſo mundari, mundatus eſt. Matth. 7. *Propterea benedixit te Deus in æternum*, namque & in cœlis, & in terra ſemper Chriſtus laudatur, & benedicitur.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, Per gladium Euangelium intelligitur. Vnde Apoſtolus: & gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei. Epheſ. 6. Per femur vero corpus Domini eum intelligimus. Accinxit igitur gladium ſuper femur, quia in carne aſſumpta Euangelium prædicauit. Et hoc potentiſſime, quia ſicut in Euangelio dicitur, non vt Phariſæi, ſed quaſi poteſtatem habens, prædicabat. Accinxit etiam gladium ſuper femur, quia virtutum conſtantiam ſanctis attribuit, qua & luxuriam, quæ in lumbis eſt, & circa femur dominatur, & cætera vitia reſecarent. Chriſtus enim caput eſt, vnde Apoſtolus: Omnis, inquit, viri caput Chriſtus, 1. Corinth. 11. Corpus autem eſt Eccleſia, eſt igitur manus eius, pes eius, venter eius, femur eius, & ad hunc modum cætera.

Specie tua, & pulchritudine tua intende. id eſt. In ſpecie, & pulchritudine creſce. Sed numquid intendi, aut remitti poteſt? poteſt vtique: quo pacto? ſecundum nos qui, vt dictum eſt, corpus eius ſumus. Nobis igitur in ſpecie, & pulchritudine creſcentibus, intenditur, & corpus eius, quo circa & ipſe; poſſumus autem, & ſic intelligere, intendere in ſpecie, & pulchritudine tua, vt imaginem, & ſimilitudinem, quam primo noſtro parenti dediſti, Geneſ. 1. in filiis eam renouare, & reformare digneris. Proſpere procede, proſpere, inquit, à patre procede, proſpere ex vtero virginali progredere, proſpere de ſepulchro conſurge: proſpere ab inferis ad Patrem reuertere, hæc enim omnia nobis proſpera, & felicia ſunt. Et regna, totius mundi imperio pretioſo ſanguine tuo redempto.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, Hæc enim omnia Regem decent, tu igitur regna, qui verus es, & manſuetus, & iuſtus. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*: id eſt, fortitudo, virtus, & potentia tua: Sed vbi deducet? ad Patrem. Quare mirabiliter? quia mortuus diabolum ſuperaſti. Aliter, propter veritatem Euangelij, & prædicantium manſuetudinem, & iuſtitiam quam operantur, deducent te per omnes gentes, vt tuum nomen vbique annuncietur. Mirabiliter dextera tua, id eſt Apoſtoli tui qui prædicti corporis principalior pars inueniuntur, à quibus etiam Eccleſia eſt fabricata.

Sagitta tua acuta, Iam mittuntur Apoſtoli, iam adornantur equi, vt Regem regum vbique deducant, iam acuuntur ſagittæ iam fides in bello cum idololatria commiſcebitur. Sed quoniam tui Apoſtoli, tuæ ſententiæ, tuæque ſagittæ acutæ ſunt, ideo populi deuicti ſub te cadent, te adorabunt, tibique humiliabuntur. Vel, populi, id eſt vitia ſub te cadent, de quibus alibi dixit. Cadent ſubtus pedes meos Pſalm. 17. Infixæ *in corde inimicorum Regis.* Adeo enim iſtæ ſagittæ acutæ faciunt, vt dura, & lapidea gentium corda penetrarent, vitiiſque expulſis, regis inimicos, amicos facerent.

Sedes tuas Deus in ſæculum ſæculi. O quanta Dei pietas, & miſericordia, qui modo inimici, &c.

Reliqua deſunt.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVI.

F*Vndamenta eius in montibus ſanctis.* Vox prophetæ, Cuius eius? neque enim cuius præpoſuit, & tamen eius dixit: Quid eſt autem quod eius tam abſolute poſuit, niſi quia Prophetarum eſt, cogitationibus verba coniungere. Tale eſt ergo ac ſi diceret. Fundamenta illius ciuitatis, de qua ſemper cogito, cuius pulchritudinem admiror, cuius turres ad cœlum ſubleuantur, cuius fundamenta non in vallibus, ſed potius in montibus ſtabilita ſunt. Hæc autem ciuitas, Sancta Eccleſia intelligitur, quæ ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu ſita eſt. Hi ſunt montes excelſi, & ſancti, quorum fide, & exemplis eſt Eccleſia conſtituta. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, Portæ quippe Sion, Doctores ſunt, qui in Eccleſiam alios introducunt. Vel etiam virtutes, quibus de Sion intratur in Hieruſalem. Has autem diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob, id eſt præ omnibus Iudæorum conuenticulis. Apoſtrophe. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Hoc enim dicit Dominus. *Memor ero Raab, & Babylonis*, Raab quippe ſuperbia: Babybilon, confuſio interpretatur. Quid eſt ergo, quod Raab, & Babylonis ſe memorem fore promittit: Præſertim cum hæc meretrix: illa vero ſemper populo Dei aduerſata fuerit? audi quod ſequitur. Scientium me, ergo non ſcientium immemor eſt. Si quis ergo Raab, vel Babylon eſt, nihil deſperet quinimmo det operam, vt Dominum cognoſcat, eſt enim memor ſcientium ſe. Peccator fuiſti, adulter, & fornicator, recordare Dei tui, vt & ipſe tui miſereatur: Babylon eras, confuſe, indiſcrete viuebas, habeas ergo rationem: vt tui Dominus recordetur. Sed quid his glorioſius inuenitur, ſi enim peccatores huius ciuitatis eliguntur, quid fiet lapidibus pretioſis: vbi non virgines erunt ſanctiſſimæ quando quidem meretricum memor eſt Dominus.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic. Nonne & iſte verſus quiddam glorioſiſſimum ponit? Sunt enim in Eccleſia non ſolum Iudæi, & indigenæ verum etiam alienigenæ, Tyri, & Æthiopes? Non eſt perſonarum acceptio apud Dominum, Rom. 2.

A qui nigros vocat, & contriſtatos. Populus enim qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam Iſaiæ 9.

Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Non enim ſola Sion hoc dicit, ſed & ipſe Dominus hoc narrat in ſcripturis populorũ. Vera ſunt ergo & credibilia Apoſtolorum verba, non ficta, & inuentitia, vt Iudæi putant, quod enim Apoſtoli prædicant hoc ipſe Dominus in vtroque aſſerit teſtamento. Non ergo ſola Sion dicit, homo: & homo natus eſt in ea. Duo quippe hominum genera orta ſunt in Eccleſia, Iudæorum videlicet, & gentilium. Vnde Apoſtolus ait? Num Iudæorum Deus tantum? immo, & gentium (Rom.3.) Siue. Homo & homo natus eſt in Sion, id eſt, homo qui ſimpliciter eſt homo; & homo, qui & Deus eſt, nempe homo Chriſtus Ieſus Dominus noſter. Et ipſe fundauit eam Altiſſimus, ipſe homo qui natus eſt in ea, ipſe idem Altiſſimus eſt qui fundauit, & fecit eam. Hoc enim in ſcripturis gentium

B id eſt, in nouo teſtamento, hoc in Principum, & Prophetarum, qui prius in hac venerabili ciuitate fuerunt voluminibus comprobatur. *Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te.* Huius, inquit, ciuitatis habitatio, non lætantium, ſed ſicut lætantium eſt. Nunc enim ſola ſpe, & ſolius promiſſi deſiderio lætantur, hæc autem non perfecta lætitia, ſed quaſi lætitia eſt, cum autem brauium ſumpſerit, tunc ineffabiliter gratulabitur.

EXPOSITIO PSALMI LXXXII.

DOmine Deus ſalutis meæ. Vox Capitis. Mentiuntur ergo qui dicunt: non eſt ſalus ipſi in Deo eius Pſal. 3. ſiquidem tu es Deus ſalutis meæ. In die clamaui, & nocte coram te: prædicatio inquit mea in die ac nocte in proſperis, & aduerſis in conſpectu tuo fuit. *Intret in conſpectu tuo oratio mea,* olim inquit clamaui, nunc autem oro, inclina ergo. *aurem tuam ad precem meam. Quia repleta eſt malis anima mea.* Id eſt paſſione dolore, mortiſque amaritudine, ſicut ipſe ait: triſtis eſt anima

C mea vſque ad mortem. Matth.26. *Et vita mea inferno appropinquauit,* non mortuis, quia ad infernum iuit & viuus eum expoliauit. Ephes.4.

Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum Putauerunt namque Iudæi, vt ſicut cæteri homines, ita, & Chriſtus ab inferno detineretur. *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio.* Omnes enim, Deus dereliquit eum Pſal. 70. clamabant, nullus ei ex tanta hominum multitudine ſubueniebat. *Inter mortuos liber,* quia liber ipſe, qui fuit ligatus, liberos fecit, non eſt ligatus à morte, ſed ipſe ligauit mortem. De quo Ioannes ait: Et poſt mille annos ſoluetur Sathanas. Apocal.20. cum enim ſolueretur dixit, ligatum eſſe probauit.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris. Sine Dei, ſubaudi, adiutorio eſſe creduntur, ita, & ego. *Quorum non es memor amplius,* cuius enim anima à diabolo vulnerata, iam quaſi mortua in dealbata carnis ſepultura dormit, huius merito Dominus oblitus eſſe dicitur. *Et ipſi de manu tua repulſi ſunt,* repulſi ſunt de manu Dei,

D vt manu diabolicâ conſtringantur. Poſuerũt me in lacu inferiori, quoniam inferno, & morti eum ſubiacere arbitrabantur. *In tenebroſis, & in vmbra mortis,* in locis tartareis, quos mors obſcurat, & obumbrat.

Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Hoc autem eſt, quod alibi dicit: Quæ non rapui, tunc exſoluebam. Pſalm.68. Humano quippe generi erat Deus iratus, qui ob vnius noxam peſſumdaturus erat: ſed maluit filium ſuum crucis mortem ſubire, quam omnes gentes interire. Vnde Propheta ait: Propter peccata populi mei percuſſi eum. Iſaiæ 53. *Longe feciſti notos meos à me.* Apoſtolos, ſiue Iudæos; Apoſtoli enim à longe ſtabant, Iudæi autem, penitus ab eo longe facti ſunt. *Poſuerunt me abominationem ſibi,* Iudæi ſcilicet, qui necdum nomen eius audire volebant.

Traditus ſum, & non egrediebar. Proditorie captus ſum: Matt.26. quamuis neminem fugiens, coram eis in Synagoga prædicarem Matth 4.9.13.

Oculi mei languerunt præ inopia. O quantus oculus E Petrus erat, qui adeo languit, vt eum negaret. Matth. 26. Languerant & alij, qui eo relicto fugerunt. Matth. 26. Sed præ inopia, nondum enim intelligebant ſcripturam, quia adhuc carnales erant, & inopes diuinitatis. Languiſti & tu Thoma, qui eum reſurrexiſſe minime credebas Ioan. 20. Hos autem ex inopia occidiſſe ex eo comprobatur quia ſpiritu ſancto accepto, Act.2. nullo modo ſuperari potuerunt. *Clamaui ad te Domine.* Clamauit etenim, cum dixit. Eli Eli. Matth.27. *Tota die expandi ad te manus meas.* In cruce affixas. Vnde, & alibi dicitur. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Rom.10.

Nunquid mortuis facies mirabilia? Quare Iudæi me mortuum eſſe opinamini? Si enim, ſicut cæteri, mortuus eſſem, non vtique hæc miracula facere poſſem *Aut medici ſuſcitabunt,* quos ego non ſuſcitaui? *Et confitebuntur tibi,* qui mihi non confitentur.

Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam & veritatem tuam in perditione? Pater, conſerua F eos quos dediſti mihi. (Ioan. 17.) illumina oculos, qui præ inopia languerunt, iſti enim ſunt, qui miſericordiam tuam, veritatem tuam, & mirabilia quæ operaris per omnes terras nunciare debent, qui enim in ſepulchris dormiunt; & inter perditos computantur, opera tua narrare non poſſunt.

Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis? Nam in Chriſti paſſione & tenebræ in Iudæa factæ ſunt, & multa alia mirabilia Lucæ 23. veruntamen Iudæorum cæcitas non diminuta. Notandum, quod in paſſionis tempore, tenebræ factæ ſunt, monumenta aperta, & multa ſanctorum corpora ſurrexerunt, Lucæ loco cit. hoc enim iſti tres verſus prophetaſſe videntur: Nunquid mortuis facies mirabilia? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua? ac ſi dicat: Quid prodeſt te mortuos reſuſcitaſſe, monumenta aperuiſſe, tenebras feciſſe, cum dura Iudæorum pectora compungantur. *Et ego ad te Domine clamaui.* G Vt me priſtina claritate clarificares. *Et mane oratio mea præueniet te:* me die tertia reſurgente. *Vt quid Deus repellis orationem meam, & auertiſti faciem tuam a me,* ait enim: Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Matth.26. Hanc autem orationem repulit Pater, quoniam pro carnis timore ab homine fiebat, potuiſſent enim Martyres fortaſſe mortis calicem timere, niſi ipſe primitus eam guſtaſſet.

Pauper ſum ego. Pro tui obedientia, *Et in laboribus à iuuentute mea,* id eſt, ex quo homo fui. *Exaltatus autem, in crucem. Humiliatus ſum.* In ſepulchrum. *Et conturbatus ſum, in morte. In me tranſierunt iræ tuæ:* quoniam pro cæteris paſſus, ira tuas mitigaui. *Et terrores tui conturbauerunt me,* quos humano generi indixiſti. Niſi enim peccaſſet Adam, hos terrores non pateremur.

Circumdederunt me, ſicut aqua tota die circumdederunt me ſimul: Elongaſti a me amicum & proximum. H Apoſtolorum cætum, & Iudæorum conſanguinitatem. *Et notos meos à miſeria:* quoniam percuſſo paſtore diſperſæ ſunt oues gregis, ipſe autem ſolus miſeriam pertulit, cæteros à miſeria liberare potuit.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVIII.

MIſericordias Domini in æternum cantabo. Vox Eccleſiæ. In æternum, inquit, cantabo miſericordias Domini, quas adeo magnificauit, vt proprio filio non parceret, ſed pro nobis omnibus eum morti traderet Roman. 8. *In generationem & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo:* donec enim generationi generatio ſuccedet, ſemper in Eccleſia Chriſtus laudabitur.

Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cælis. Semper enim in ſanctis, qui cœli nuncupantur, miſericordia ædificatur, qui numquam à miſeri-

A ſeparantur, Domini ſui præceptum cuſtodientes, qui
ait; Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors
eſt (Lucæ 6.) *Preparabitur veritas tua in eis*, erat enim
veritas Dei in Pſalmis, & prophetis, ſed aſpera, & in-
ueſtigabilis; Hanc autem Apoſtoli præparauerunt, quia
ſpiritualiter exponendo, intelligibilem reddiderunt.

Et diſpoſui teſtamentum electis meis. Hoc quoque Do-
minus teſtamentum ſanctis ſuis nouum ordinauit, in quo
non malum pro malo, immo pro malo bonum reddi
præcipitur. Matth. 5. *Iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in
æternum præparabo ſemen tuum*, quod autem hæ non pri-
mo Dauid; immo ſecundo, id eſt Chriſto, promiſſio-
nes fiant, certiſſimis in ſequentibus argumentis appro-
babitur ſemen namque quod iſte Dauid ſeminauit, num-
quam veteraſcet, ſed vſque in ſæculi conſummationem
in Eccleſia præparabitur, ſiquidem Euangelium ſemper
legetur. *Et ædificabo in generationem, & generationem
ſedem tuam.* Chriſti namque ſedes, Eccleſia eſt. Hæc au-
B tem omni tempore melius ædificabitur, per prædicatio-
nem, baptiſmum, & pœnitentiam, non enim eius ædifica-
tio ab Apoſtolis completa fuit, nec equidem fuerit, do-
nec auferatur luna.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine. Quia hæc
beneficia cœlis, id eſt, ſanctis promiſiſti? ideo tua mi-
rabilia cœli confitebuntur. Et veritatem tuam, id eſt
verbum prædicationis, vel Chriſtum filium tuum, qui
ait: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor
& ego eum coram Patre meo. Matth. 10. *In Eccleſia ſan-
ctorum*, id eſt in congregatione iuſtorum, & hoc merito.
Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? Multi enim
Ioannem Baptiſtam, Chriſtum eſſe putauerunt, Ioan.
1. ſed nec iſte, nec aliquis Prophetarum, qui per nubes
intelliguntur, ei coæquari potuit, ſicut ipſe præcurſor
Domini ait: Non ſum ego Chriſtus, nec eius calcea-
menti corrigiam ſoluere dignus. Ioan. loco cit. nullus ta-
men inter natos mulierum maior eo fuit. Matth. 11. Quis
ergo in nubibus æquabitur Domino? aut quis *ſimilis
erit Domino in filiis Dei*? Omnes enim adoptionis filii
C ſumus, Rom. 8. ipſe tamen primogenitus fratrum; fra-
trem enim confidenter eum vocabo, vt naturalis filius
omnes præcellit.

Hic eſt autem ille Deus, *qui glorificatur in concilio
ſanctorum magnus*, quia Dominus omnium. Et terribi-
lis, quia iudex omnium. *Super omnes qui in circuitu
eius ſunt*: ſiue à dextris ſiue à ſiniſtris collocati. Apo-
ſtrophe.

Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi? Nullus quidem
Potens es Domine, quoniam potentem diabolum ſu-
peraſti. *Et veritas tua in circuitu tuo*, id eſt Apoſtoli
prædicatores veritatis, de quibus ipſa veritas ait: Pater
volo, vt vbi ego ſum & ipſi ſint mecum. Ioan. 17.

Tu dominaris poteſtati maris. Id eſt, principibus huius
ſæculi. *Motum autem fluctuum eius tu mitigas*, Impetus
iratum, quibus in ſanctos inſurgent. *Tu humiliaſti ſicut
vulneratum ſuperbum*, Vulneratus eſt ſuperbus, & gla-
dio ſpiritus, quod eſt verbum Dei Epheſ. 6. trucidatur
D diabolus, in tenebris exterioribus humiliatus, vinctuſ-
que iacet. In brachio iuſtitiæ tuæ, diſperſiſti inimicos
tuos; in fortitudine namque virtutis Dei ſunt, per or-
bem terrarum diſperſi Iudæi. *Tui ſunt cæli, & tua eſt ter-
ra*, Tui ſunt Apoſtoli, & Eccleſia, iuſti, & peccatores,
perfecti, & imperfecti. *Orbem terræ, & plenitudinem
eius tu fundaſti*, hoc autem ad litteram. Siue; orbem
terræ, id eſt, humani corporis ſoliditatem. Et plenitudi-
nem eius id eſt, virtutum conſtantiam. *Aquilonem, & ma-
re tu creaſti.* Antichriſtum, imitatores, quamvis eum ſe
creatorem fingat, creatura tamen erit: de quo ſcriptum
eſt. Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habita-
tores terræ. Ierem. 1.

Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Tha-
bor, lumen veniens: Hermon autem, anathema, in-
terpretatur. Sed quid per Thabor, niſi Apoſtoli, qui
ſunt lumen veniens, quibus Dominus ait. Vos eſtis
lux mundi. Matth. 5. Quid vero per Hermon, niſi Ec-
cleſia, quæ in ſuæ fidei principio, diabolo, & omnibus
pompis eius abrenuncians, anathema, & diuiſionem E
confitetur? Hi autem in nomine Domini exultant, quo-
niam vtique Chriſtiani vocantur. *Tuum brachium cum
potentia*, id eſt, fortitudo, quam diabolo alligaſti, *Fir-
metur manus tua, & exaltetur dextera tua*, Apoſtolo-
rum enim manu cœtuque confirmato, Chriſtus Domi-
nus cœlos aſcendit. *Iuſtitia, & iudicium, præparatio
ſedis tuæ*, qui enim ſeipſum iudicat, & iuſtitiam ſequitur,
hic ſine dubio ſedem Domino præparat: Eſt enim ani-
ma iuſti, ſedes ſapientiæ Greg. hom. 33. Quod au-
tem nos ipſos iudicare debeamus, audi Apoſtolum: Si,
inquit, nos ipſos iudicaremus, non vtique iudicare-
mur. 1. Corinth. 11.

Miſericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Qui-
cunque, inquit, faciem ſuam habere, & videre deſi-
derat, eum miſericordiam veritatemque ſequi oportet,
ſic enim miſericordia, & veritas ſemper in Chriſto præ-
cedunt, vt nulla ipſius opera his duobus vocant. *Beatus
populus, qui ſcit iubilationem* quæ non in voce, vel F
multiloquio fit, quinimo in pia mentis cordiſque con-
ſcientia.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Qui enim
hanc facem ſequitur in tenebris ambulare non poteſt:
Ambulemus ergo in lumine imaginis filii Dei, quatenus
domum cœleſtem ingrediamur. *Et in nomine tuo exulta-
bunt, tota die*, quis enim in tanto patrono non glorie-
tur? de hoc autem in Canticis Canticorum dicitur:
Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dile-
xerunt te. Cant. 1. *Et in iuſtitia tua exaltabuntur*, ta-
ceant ergo Iudæi, qui ſe ſua iuſtitia exaltari arbitran-
tur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Non enim in
ſuis viribus Eccleſia gloriatur, Apoſtolica inſtructa do-
ctrina: vt qui gloriatur in Domino glorietur. 2. Corin.
10. *Et in beneplacito, filio tuo exaltabitur cornu noſtrum*, G
id virtus eſt, & potentia dimicandi: Quia Domini eſt aſ-
ſumptio noſtra. O ineffabile miſterium quod mundi
conditor, & Dominus carnem ſerui ſumere dignatus eſt.
Ad Philip. 2. *Et ſancti Iſraël Regis noſtri*, hic rex viuat
in æternum, nec in noſtro mortali corpore peccatum
regnare permittat.

Tunc locutus es in viſione Sanctis tuis, In tempore
namque aſſumptæ carnis, eſt Dominus locutus ſanctis
ſuis, in viſione ſpiritus ſancti, ſicut Zachariæ, & Sy-
meoni. Lucæ. 1. qui conſolationem Iſraël annuntiabant,
& exſpectabant: Anna quoque Propheteſſa hoc idem
confitebatur. Luc. loc. citato *Et dixiſti: Poſui adiuto-
rium in potentem*, ac ſi dicat: Nulli amodo timendum
eſt, quoniam non iam in prophetas, verum in proprium
filium, qui omnia poteſt, liberationis adiutorium po-
ſui. *Et exaltaui electum de plebe mea*, id eſt Chriſtum Do-
minum, qui de Iudaica plebe carnem ſumens, (Luc. 1. in
crucem Regnique Imperium, denique in cœlum exalta-
tus eſt.) Marc. 16.

Inueni Dauid ſeruum meum, Multos, inquit, adiuto-
res & defenſores dedi, nemo tamen illorum fuit qui à H
primitiua captiuitate vos ſoluere potuit, nunc autem Da-
vid ſeruum meum, ad hoc patrandum idoneum inueni
qui in brachio extento mundum liberauit. Seruus autem
pro parte carnis dicitur. *Oleo ſancto meo vnxi eum*
hic enim eſt ille flos, in quo ſeptem ſpiritus ſancti,
gratiæ requieſcunt. *Manus enim mea auxiliabitur ei, &
brachium meum confortabit eum*, ſemper enim Diuinitas
humanitati coniuncta, eam in omnibus conſolabatur.
Nihil proficiet inimicus in eo, tribus enim vicibus anti-
quus hoſtis Dominum tentauit, Matth. 4. nihil tamen
profecit, quia victus abiit, *Et filius iniquitatis*; Iudas
mercator peſſimus, non apponet nocere eum, quia rele-
ctis nummis laqueo ſe ſuſpendit. Matth. 27. *Et conci-
dam à facie ipſius inimicos eius*, hoc autem erit in iudi-
cio, quando vltionis gladio inimici Dei trucidati æter-
no tradentur ſupplicio. *Et odientes eum in fugam conuer-
tam.* fugient ergo Iudæi, numquam victores exiſtent,
fugiebant namque & dæmones ab obſeſſis corporibus,
quando, iubente Domino, exire cogebantur. Matth. 8.
Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo, num-

A quam enim non vera dicere, numquam in aliquo mentiri potuit, numquam ſine miſericordia fuit. *Et in nomine meo, exaltabitur cornu eius*, quando mundum vicit inimicum.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Merito quippe pro operibus, manus, & dextra ponitur, ſiquidem manibus opera fiunt. Nos autem mare, & flumina fuimus, quibus ventus ſuperbiæ dominabatur, nunc autem virtutem, & opera Dei cognoſcimus. Ipſe inuocauit me; dicens: *Pater meus es tu Deus meus, ſuſceptor ſalutis meæ*, confundantur ergo Iudæi, qui eum ideo arguebant, quoniam Patrem Deum vocabat. Matth. 10.

Et primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terram. Hic enim eſt primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ. Apoc. 1. huic autem omnia regna mundi ſubiiciuntur. *In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam.* B Miſericordiam ſuam Eccleſiam dicit, quæ in ſola miſericordia fidit: Hanc autem conſeruabit, Dominus in æternum, propter filij ſui orationem qui ait: Pater conſerua eos quos mihi dediſti. Ioan. 17.

Et teſtamentum meum fidele ipſi, nos ſumus teſtamentum Dei, ſi tamen fideles inueniamur. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſedem eius*, Semper enim Eccleſia erit. *Et thronus eius erit ſicut dies cœli.* Fulgebunt namque Sancti ſicut ſol in Regno Dei, Matth. 13. erit autem ſicut dies cœli vt claritas Angelorum, vt per. cœlos Angelos, per dies autem eorundem claritatem intelligamus.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & ad tempus in iudiciis meis non ambulauerint: ſi iuſtificationes meas prophanauerint aliquo erroris mendacio Et mandata mea non cuſtodierint, non vtique occidam eos, ſed viſitabo in virga iniquitates eorum, id eſt, in pœnitentiæ correctione. *Et in verberibus peccata eorum.* O clementiſſimum Patrem, qui non mortificans, facili nos virga caſtigat.

C *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque docebo.* Non enim nocere ſed adiuuare nouit Dominus & in veritate mea pœniteant peccatores: nullus vnquam deſperet. Ecce enim non ſolum ſe miſereri Dominus dicit, ſed & *Neque prophanabo teſtamentum meum.* Expoſitio. Et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita, prophanaret enim teſtamentum ſuum, ſi aliqua in nouo, vel veteri falſitas inueniretur teſtamento. Sed, vt ipſe Dominus ait, cœlum, & terra tranſibunt, verba autem ipſius tranſire non poſſunt. (Matthæi 24.)

Semel iuraui in Sancto meo. Semel enim, & firmum iuramentum audiuimus, quod in veritate ſua, in ſancto ſuo, & in dilecto filio fecit, quod enim charius habuit, hoc in iuramentum poſuit. *Si Dauid mentiar*, non enim mentietur, qui mentiri non poteſt. Credamus, igitur, & fortiſſime credamus, quod tam conſtanter promittitur Sed quid promittitur? Sequitur; *Semen eius in æternum manebit.* D Semen eſt verbum Dei, hoc autem manebit in æternum, quoniam nec vnum iota, aut vnus apex præteribit ex lege, donec omnia fiant. Matth. 5. *Et Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Gaudeat iſte thronus, qui ſolis claritatem recipere debet: Gaudeant Apoſtoli, qui ante Domini conſpectum ſtatuendi ſunt. *Et ſicut luna perfecta in æternum*, quæ iam minui non poteſt, at vero nec creſcere. Qui autem perfecte beatus eſt in quo, inquam, augeri poteſt? *Et teſtis in cœlo fidelis.* Hic enim thronus. hæc beatiſſima ſedes, in vero teſtimonio mundum iudicabit. Vox Eccleſiæ.

Tu vero repuliſti, & deſpexiſti. Quid eſt, inquit, Domine, quod tanta ſeruo tuo Dauid beneficia promiſiſti? quid eſt: quod ſub iuramento eius, filiorumque ipſius, te ſuperius miſereri dixiſti, cum iam repulſum; & à cæteris gentibus deſpectum eum videamus. Matth. 27. Numquid in te falſitas eſſe potuit? abſit. Diſtuliſti enim Chriſtum tuum, cui in temporis plenitudine hæc omnia daturus eras. Hinc primi Dauid ſubuerſionem deſcribit ne quis ſupradicta ſuper eo intelligat.

E *Euertiſti teſtamentum ſerui tui.* Nuſquam enim nunc tauri, & hircus, & agnus immolatur *prophanaſti in omni terra ſanctuarium eius*, vbique enim Synagoga abominatur. *Deſtruxiſti omnes ſepes eius*, quoniam nullis munitionibus confirmatur.

Poſuiſti ſibi firmamentum eius fortitudinem, quoniam nec in Ieruſalem, nec in arce Sion defendi potuerunt, Siue quia Chriſtum mundi firmamentum viuere timuerunt Ioann. 11.

Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam. Ideſt, terminum fidei. *Factus eſt opprobrium vicinis ſuis*, id eſt, gentibus, quæ in circuitu habitabant. *Exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos eius: auertiſti adiutorium, gladij eius.* Expoſitio *Et non es auxiliatus ei in bello.*

Deſtruxiſti eum ab emundatione. Emundationis enim ſacrificium faciebant Iudæi, hircum pro peccatis immolãtes hoc autem euacuatum, & deſtructum eſt. *Et ſedem eius in terra colliſiſti*, F illam Pontificalem Cathedram, ſuper quam Scribæ, & Phariſæi ſedebant.

Minoraſti dies temporum eius, Quia harum opinione fruſtrata, ſine Rege, & ſacerdote viuunt. Oſeæ. 3. *Perfudiſti eum confuſione*, temporali, & æterna.

Vſquequo Domine auertis in finem. Vſque, inquit, in ſæculi conſummationem Iudæis Dominus erit iratus. Cum autem plenitudo gentium introierit, tunc Iſraël ſaluus fiet, ſed vſque ad illud temporis. *Exardeſcet velut ignis ira eius.*

Memorare quæ mea eſt ſubſtantia. Nunc autem pro ſe loquitur Eccleſia, & de ſuis miſeriis Domino conqueritur; Memorare, inquit, Deus, quia fragilis, & permutabilis ſum, neque ſupra id quod poſſum, me tentari permittas. *Nunquid enim vane conſtituiſti omnes filios hominum*, Si enim omnes vincimur, & diabolicis tentationibus ſubiacemus, nihil niſi vanitas eſt hominum conſtitutio. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, & eruet animam ſuam de manu inferi?* G Nullus, inquit, mortem euadet, nullus ex inferno liberabitur, niſi tu noſtræ imbecillitatis memor, ab inimicis nos tuearis.

Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua? Decollatur Paulus, crucifigitur Petrus, vndique Eccleſia tua percutitur, cui æternam miſericordiam nuper promittebas, vbi ergo ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Deus? nobis enim non eſt Deus recens. *Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum, quod continui in ſinu meo multarum gentium.* Illius inquam opprobrii ſis memor, quod à multis gentibus, ſeruis tuis illatum, à memoria mea labi non poteſt.

Quod exprobrauerunt inimici tui, Deus, quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui. Id eſt mortem filij tui. Hoc enim inimici Dei, ſanctis improperabant, quod hominem mortuum, & commutabilem adorarent. *Benedictus Dominus in æternum*, Illi derideant, & maledicant, illi nobis crucifixum improperent: Nos autem gratulabundi dicamus. Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. H

EXPOSITIO PSALMI LXXXIX.

DOmine refugium factus es nobis. Vox Eccleſiæ. Victi, inquit, eramus, ligati ab hoſtibus, in carceres tradebamur, ſed tu ſummæ miſericordiæ Dominus, nobis refugium factus es. Ab hac tuæ incarnationis generatione, vſque in generationem ſempiternam.

Priuſquam montes fierent, & formaretur terra, & orbis. à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus, ac ſi dicat Tu qui ex virgine temporaliter carnem ſumens, humano generi factus es refugium, ante tempora, & per omnia ſecula per manes Deus. *Ne auertas hominem in humilitatem*, Tu, inquit, qui talis es ſuſtine, & confirma hominem ne in mortem, & pœnam humilietur ſed tua potenti dextra ſuper cœlos exaltetur. Nam dixiſti; Conuertimini filij hominum & ego ſanabo contritiones veſtras, ſanetur igitur, ſiquidem contritus eſt homo.

A *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & tanquam cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habetur eorum anni erunt: cum mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & pertranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat,* non immerito connectitur homo: cum enim finiti ad infinitum nulla ſit comparatio, non ſolum dies, vel hora mille noſtri anni dicendi non ſunt, ſed & omnino non eſſe, cum penitus pereant, cito enim, velut herba, de non eſſe ad eſſe tranſit homo, cito floret in iuuentute, quia flos ætatis tranſlatiue diffinitur: cito ad veſperam, id eſt, ad ſenectute tranſit. Veſpere autem decidit, quia occaſus vitæ ſenectus dicitur: Tunc indurat, totus aſper, hiſpiduſque efficitur. Denique & areſcit, & puluis in puluerem conuertitur. Merito hæc oratio Moyſi perhibetur, vt qui de arida hominem factura dixit, in aridam conuerſum areſcere fateatur. Geneſ. 3.

Sed quia defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati ſumus, Et quia poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, & B *ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Et quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus, anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Recte anni noſtri araneæ comparantur, quoniam toto tempore vitæ noſtræ in vanitatibus deſudando, tandem inutilia, nec nobis ipſis profutura, & vt ita dicam, areneæ telam texiſſe videmur. Hoc autem tu Adam, totius humani generis radix feciſti nobis, quia cum tantus taliſque eſſes, Dominicum præceptum tranſgrediendo. Geneſ. 3. iram incurrens, defectum filiis intuliſti. Hoc autem eſt quod dicit. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati ſumus, deficimus carne, turbamur infirmitate.

Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo. Expoſitio. Sæculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Vidit enim Dominus ſæculum noſtrum, vitam quam agimus, & quicquid in occulto operamur. Dies annorum noſtrorum non multi, quoniam vt iam dictum eſt, omnes celeri curſu deficiunt, in ipſis fortaſſe erunt ſeptuaginta C anni, hoc enim ſæpe contingit, Si autem in potentatibus octuaginta anni, alicui euenerint, amplius eorum labor, & dolor, in tantum inquit, contracta, & breuiata eſt vita noſtra, vt iam ſupra octuaginta annos in lætitia, qualiſcunque ſit, carniſque blanditiis viuere non poſſimus, ſed quicquid ſuperabundat labor eſt & dolor, tuſſis, & anxietas, præſertim, cũ ipſa ſenect⁹ infirmitas ſit.

Quoniam ſuperuenit manſuetudo. Quod enim olim impatiens fortiſque fuiſti velis noliſue iam te ſenectus manſuetum, & humilem facit, non iam ſupercilium erigis, ſed curuus terram inſpicere cogeris. Et corripiemur. Qui inquit, in adoleſcentia ſuperbus fuit, ſaltem in ſenectute corripiatur. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ. Qui enim poteſtatem iræ Dei cognouit, ipſam iram incurrere pertimeſcit. *Et præ timore iram tuam dinumerare.* Quis curauit? Sancti enim Deum timentes, ipſius iram dinumerant, intelligunt enim quia quanto plura vitia ſequuntur, tanto maiori irarum multitudine damnandi ſunt, ideoque tales iras deuitant.

D *Dexteram tuam ſic notam fac.* Sicut, ſubauditur, tranſgreſſionis ira feciſti, vt, qui per Adam mortem cognouimus, per Chriſtum vitam ſuſcipiamus. Iam nunc dextram cognoſcamus, qui hactenus ſiniſtram ſecuti ſumus. *Et eruditos corde in ſapientia*, hi autem ſunt prophetæ, quando vana Philoſophia decepti, ſed Spiritu Sancto repleti fuerunt. Hos autem notificauit Dominus nobis, quoniam eorum voluntates, & obſcura cordis, myſteria propalauit. Lucæ 24. *Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos*, omnino, inquit, conuertaris, omnino perituræ gentis miſereatis, exaudi orationes noſtras, Chriſto pro nobis interpellante. *Repleti ſumus mane miſericordia tua.* Nox inquit præceſſit, dies autem appropinquabit, Rom. 13. gratias igitur Domino agimus, quoniam ipſius miſericordia ab huius lucis tempore repleti ſumus. *Et exultauimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.* Hoc autem ſequens verſus exponit.

Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, & pro annis quibus vidimus mala, non iam de mortalitate, dierumque breuitate, deque infelicitate conquerimur, E quia miſericordia tua repleti ſumus: Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundat & gratia. Rom. 5. *Reſpice in ſeruos tuos*, ne aliquo peccato ab aſſumpta miſericordia priuari poſſint. *Et in opera tua, dirige filios eorum,* id eſt ipſorum animas, vel, ſequentem poſteritatem. *Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos,* quatenus diabolicæ imaginis obſcuritate fugata, in priſtinam figuram, & imaginem reformemur, ne ſi tortuoſa fuerint, nos per deuia claudicare faciant. *Et opera manuum noſtrarum dirige*, Sanctorum namque opera, & multa ſunt, & vnum, quæcunque enim faciunt, vnum opus ſunt, quia in bonitate non differunt, ſed ad vnum idemque propoſitum tendunt.

EXPOSITIO PSALMI XC.

QVi habitat in adiutorio altiſſimi. vox Prophetæ. F Video, inquit, Chriſtum naſciturum, video diabolum, & ſatellites eius, qui ei aſtute inſidiabuntur: Sed quoniam ipſe in ciuitate ſua carneque aſſumpta non ſine Diuino adiutorio habitabit, & quoniam *in cœleſti Dei protectione commorabitur*, eorum inſidias paruipendet. *Dicet Domino: ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus*, non timeat inimicum, qui Domini refugium habet, non timeat ponere carnem qui ſuſcipiendus eſt à Patre, dicat in cruce: Deus meus in manus tuas commendo ſpiritum meum. Lucæ 23. Ego autem, inquit Propheta, *ſperabo in eum; Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero*; In Chriſtum ſe ſperare dicit, quoniam per eum mundum ſaluari intellexit. Hic autem, & à venatoribus liberauit, & à verbo aſpero liberaturus eſt. Venatores illi, maligni ſpiritus intelliguntur, qui peccatores perſequentes; alios in ſuperbia, alios in auaritia, alios in luxuria, quaſi in ſingulis laqueis comprehendunt. Verbum autem aſperum illud erit, quod in iudicio dicturus eſt Dominus: Ite maledicti in ignem æternum. G Matth. 25. Ab hoc autem liberati ſumus, quoniam illud dulciſſimum audire debemus: Venite benedicti Patris mei. Idem loc. cit. Apoſtrophe.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Securus inquit eſto Saluator, quia paterna virtute protectus, nullius aduerſitatis te æſtus exuret, pennæ patris te ſuſtinebunt, quibus, quando volueris, ad cœleſtia regna volabis, vna enim eademque poteſtas eſt ei cum patre, Ioan. 16. qua & impoſſibilia facere poteſt. *Scuto circumdabit te veritas eius*; Nulla, inquit, mendacij tela tibi præualebunt, nulla te falſorum teſtium teſtimonia ſuperabunt, quia naturalis veritas inſuperabilis ſcuti munimine vndique te vallabit. *Non timebis à timore nocturno*, quando Iudas proditor veniet, & cum eo turba multa cum facibus, & laternis, & fuſtibus, quo diſcipuli tui timore perterriti, omnes te relicto fugient, Matth. 26. tu autem non fugies, ſed vltro impauidus ibis. H

A ſagitta volante in die. Multæ in die, multæ coram, & manifeſte ſagittæ volabunt, multi crucifige, crucifige, clamabunt. Lucæ 23. *A negotio perambulante in tenebris.* In tenebris quidem principum, & ſacerdotum, ſcribarum, & phariſæorum negotia, & praua conſilia ambulabant, ſiue, quia ſecreta fiebant, ſiue, quod credibilius eſt, quia in eorum cordibus, quæ diaboli latebræ ſunt, machinabantur. *Ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Non enim illud quoque Eccleſiæ abſurdum eſt, quod in Chriſti paſſione, ſicut Angelorum, ita & malignorum ſpirituum multitudo affuerit, cum enim ieiunantem eum tentaſſent, Matth. 4. fortaſſe morientem, & in cruce cum latronibus pendentem, aliquod, ſicut neceſſarij, nefas cogitare præſumpſerunt. Hoc autem ipſe non timuit, quia timoris opera nulla fecit, ſicut ipſe ait: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Ioan. 14. Poteſt autem, & de futuro iudicio hoc intelligi, quando dæmonum incurſus, quaſi

A leones ad prædam parati, peccatores in foueam præcipitabunt. Meridianum autem dicit, propter nimis æſtuantem afflictionem. *Cadent à latere tuo mille.* Finitum pro infinito poſuit. *Et decem millia à dextris tuis*, potuiſſemus enim & dextram, & ſiniſtram in latere intelligere, niſi ipſe, de quo latere loqueretur, determinaſſet. Innumerabiles ergo erunt, qui tua virtute præcipitabuntur. Dextera tua inueniet omnes qui te oderunt. Pſal. 20. Quicunque enim hac dextra impelletur, nulla fortitudine, quin cadat, ſtare valebit. *Ad te autem non appropinquabit*, neque enim habitabit iuxta te malignus. Pſal. 5. Quis ergo? omnes qui recto ſunt corde. Pſal. 93.

Veruntamen oculis tuis conſiderabis. Confirmatio. *Et retributionem peccatorum videbis*, quam ſibi in hoc ſæculo prauis operibus acquirunt. *Quoniam tu es Domine ſpes mea.* Et quoniam *altiſſimum poſuiſti refugium tuum: non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, ſingulis ſingula referuntur. Tibi, inquit, timendum non eſt, ad te malum accedere non valebit, B quoniam in Altiſſimum tuum refugium poſuiſti. At vero nec tabernaculo tuo, quod nos ſumus, flagellum appropinquabit, quoniam ſpes omnium noſtrum tu es, cui nemo reſiſtere poteſt. Eſter. 13.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Hoc & ipſe malignus ſpiritus intellexit, quod malum ad Chriſtum accedere nequit. Ait enim: Si filius Dei es, mitte te deorſum, quoniam Angelis ſuis mandauit de te, Matth. 4. *In manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: Te, inquit, quia humana forma tegeris, non cognoſco, ſed de vnigenito Dei filio hæc verba prædico, quod nulla ei aduerſitas vnquam nocebit, quapropter ſi te Dei filium eſſe fateris, mitte te deorſum, quoniam ab Angelis ſuſtentatus in lapidem non offendes.

Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Quare hunc quoque verſum diabole non dixiſti? ſciebas enim aduerſum te eſſe. Tu enim es aſpis, cuius venenum eſt inſanabile: Tu es C baſiliſcus omnium vitiorum, omniſque nequitiæ rex & princeps: Tu es ille leo, qui ſemper rugiens quæris, quem deuores. 1. Petri 5. Tu es ille draco qui tertiam partem ſtellarum de cœlo cauda traxiſti Apoc. 12. pereat hic filius perditionis, qui in fine ſæculi naſciturus, cauda diaboli nuncupatur. Cum hoc diabole tacuiſti, non hoc tibi tamen tacuiſſe profuit, ſiquidem conculcatus & in baptiſmo contritus es.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum. Tibi, inquit, dicetur à patre: Quoniam in me, ſperauit, liberabo eum, *& protegam eum*, Scuto Diuinitatis. *Quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me*, in cruce poſitus *Et ego exaudiam eum*, reddens illam claritatem quam mihi quæſiuit. Ioan. 17. *Cum ipſo ſum in tribulatione*: erubeſcant ergo, qui Deum eum dereliquiſſe dicunt. *Longitudine dierum replebo eum*; Quoniam in æternum viuet, nec ei mors vltra dominabitur. *Et oſtendam illi ſalutare meum*, id eſt, ſalutem meam, vt qui alios ſaluauit, ipſe quoque ſalutem, & immortalitatem ſuſcipiat.

D

EXPOSITIO PSALMI XCI.

B*Onum eſt confiteri Domino.* Vox Eccleſiæ: Bonum eſt, vt Domino confiteamur, laudemus, & prædicemus; quoniam beati ſunt pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Rom. 10. *Et pſallere nomini tuo altiſſime*, id eſt, in corde iubilare: Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rom. 10.

Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. In decachordo pſalterio cum cantico in cythara, & hoc ideo: *Quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*: De aliis quomodo ſit, inquit, ego quidem miſericordiam, & veritatem tuam annuncians, in te ſolo exultabo. In mane quippe, Dei miſericordiam Apoſtoli nuntiabant, quando plena luce, manifeſte & palam, omnibus Chriſti paſſionem prædicabant. Veritatem autem in nocte dicebant, quando in carceribus, & tormentis F Chriſtum confitebantur. His autem in pſalterio & cythara Deum laudat, quia quod ore prædicat, in decem legis mandatis adimplet. Hoc autem ideo fieri debet, quoniam in factura Dei delectamur. Quis enim in cœlo & in terra, ſole & luna & ſtellis, cæterarumque rerum concordi ordinatione non delectetur. Bonum eſt ergo laudare factorem, qui tam admirabilis in factura declaratur: Inuiſibilia enim ipſius, vt ait Apoſtolus, à creatione mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Rom. 1. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine.* In operibus Domini, quæ modo ſubtili conſideratione ſcrutabatur, delectatus eſt. Sed quoniam rationem, qualiter vel vnde ſint, inuenire non poteſt, quadam exclamatione Creatorem laudat. Cur enim oculus, & non auris videat; cur autem auris & non oculus audiat, ſoluat qui poteſt. Magnificantur ergo opera Dei, ſi à quolibet ſingolariter inquiſita fuerint. Nullus ergo os ſuum in cœlum ponat, quando quidem de terra rationem reddere neſcit. F *Nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ.* Quis enim cognouit ſenſum Domini? Rom. 11. altæ ſunt igitur cogitationes, ſiquidem ab aliquo ſciri non poſſunt.

Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc, cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in ſæculum ſæculi. Non ſicut Sol, ſed quaſi fœnum oriuntur peccatores, quoniam qualicunque æſtu vel pruina contacti, cito deficiunt, qui enim heri florebat, hodie mortuus eſt, qui heri lætabatur, nunc plorat, qui heri currebat, nunc claudicat. Hoc autem inſipiens non cognoſcit, hoc ſtultus non intelligit, ideoque operatur iniquitatem, vt qui multum in hoc flore viuere putat, intereat in ſæculum ſæculi. *Tu autem altiſſimus in æternum Domine*, ſumens ſubauditur, vindictam ex eis. *Quoniam ecce inimici tui Domine quoniam ecce inimici tui peribunt*, &, te vindictam faciente, diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum. Vnum G enim cornu habebat Eccleſia, quo ſuper omnes inimicos exaltabatur, de quo Apoſtolus ait: Sancti per fidem vicerunt Regna: Ad Hebr. 11. Sanctorum enim cornu, fides eſt, quæ ſemper excelſa, cunctis aduerſis ſupereminet. *Et ſenectus mea in miſericordia vberi*, cum enim ad ſenectutem Eccleſia venit, vt in æternam iuuentutem renouetur: cumque homo dies temporales finierit, vt æternos ſuſcipiat, tunc in vberi miſericordia ſuper cœlos exaltabitur.

Et deſpexit oculus meus inimicos meos. Multos, inquit, me circumſtantes inimicos vidi, tamen quia prædicto cornu munitus eram, ſicut imbelles omnes deſpexi. *Et ab inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*: Quoniam *iuſtus vt palma florebit.* Non malignantium, inquit, deceptiones, clamoreſque, & minas audiui; verum quoniam iuſtus quacunque hora pro Domino occiditur, ſicut palma florere incipit, tunc candorem, & pulchritudinem, decorem & viriditatem recipit.

Sicut cedrus Libani multiplicabitur, quando enim H mori videntur, tunc creſcere incipiunt ſancti: non enim putreſcere, & perire poſſunt, ſicut cedrus, qui imputribilis eſt naturæ. *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt*; Modo, inquit, in domo Domini plantantur: modo ſuper Eccleſiæ fundamentum ædificantur. Huius enim plantationis ſapiens Apoſtolus ait: Ego plantaui. Corinth. 3. In atriis domus Dei noſtri florebunt. Quia enim quaſi ſicca arbor in hoc ſæculo conſpiciuntur, ibi quidem florentes, & ſicut ſol fulgentes apparebunt.

Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi. Prius, inquit, quam ibi floreant, vberi ſenecta, & virtutum ſeueritate multiplicabuntur. Sanctus enim, quamuis malitia puer, ſenſibus tamen omni tempore ſenex eſt. *Et bene patientes erunt*, ſunt enim & latrones patientes, ſed non bene, qui enim patiuntur, non pro amore, ſed nequitia patiuntur: *Vt annuntient. Quoniam rectus Dominus*

Deus

A *Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Ad hoc, inquit, in corporibus ſancti detinentur, vt Chriſtum in Eccleſia laudent & annuntient.

EXPOSITIO PSALMI XCII.

D*Ominus regnauit, decorem indutus eſt.* Vox Eccleſiæ. Victi ſunt inimici, de regno diabolus expulſus eſt. Apoc. 5. Dominus autem regnauit, vexillo crucis ante aciem ſublimato. Decorem indutus eſt, quoniam reſurgens à mortuis immortaliſque factus. Rom. 6. in priſtina atque paterna claritate refulgens. *Indutus eſt Dominus fortitudinem*, quæ iam corrumpi non poteſt. *Et præcinxit ſe virtute?* Quoniam non corruptibilem, ſed fortem, & immortalem carnem de ſepulchro ſuper cœlos euexit. Marc. 16.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. B Iam enim firmus orbis terræ, & ſuper firmam petram fundatus, nullo ventorum flamine, nullo iniquorum turbine à fidei propoſito commouetur. *Parata ſedes tua ex tunc.* Apoſtrophe: Ex quo, inquit, orbem terræ firmaſti, ſedes tua parata eſt; eſt autem anima iuſti ſedes ſapientiæ. Greg. hom. 38. *A ſæculo tu es.* Quamvis enim propter huius ſedis præparationem de virgine naſceretur. Iſaiæ. 7. tamen in principio, & ante ſæcula, Deus erat. Ioan. 1.

Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam. Per flumina, Doctores intelliguntur, in quibus Spiritus Sancti gratiæ redundant. Hi autem leuauerunt vocem ſuam, Chriſtum Dominum prædicando, & ſitientibus potum ſalutis propinando.

Sed è contra: *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos.* Ecce fluminibus flumina aduerſantur: quatuor ſunt flumina paradiſi. Geneſ. 2. innumerabilia ſunt flumina mundi: Quatuor ſunt Euangelia, ſine numero ſunt Philoſophi, & hæretici: hi autem argumentis, quæſtionibus, & inundanti garrulitate in ſanctos inſurgũt. *A vocibus aquarum multarum, mirabiles elationes maris.* Aquæ multæ, C populi multi: Cum enim magna gentium multitudo, tres vel quatuor prædicatores viderent, qui veterum deorum culturam deſtruere volebant, magno fremitu in eos inſurgentes, maris huius procellas, cunctaſque afflictionum tempeſtates ſuper eos inducebant. Tunc autem *mirabilis in altis Dominus*, videbatur tot & tanta tam alta tamque magnifica per ſanctos ſuos faciens mirabilia: templa namque ruebant, idola confringebantur, tyranni denique amittebant ius ſuum & cætera.

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Permiſeras enim, quod opera, quæ tu feciſti, ipſi quoque facturi eſſent. Ioan. 14. hoc autem verius nihil eſſe potuit: vera ſunt ergo, & credibilia teſtimonia tua. *Domum tuam decet ſanctitudo in longitudine dierum.* Decet enim vt Eccleſia ſemper ſancta, & munda ſit, ſiquidem, & tu ſanctus es, qui eam ſemper inhabitas. Vnde ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum 1. D Petri 1.

EXPOSITIO PSALMI XCIII.

D*Eus vltionum Dominus.* Vox Eccleſiæ. Quamvis terram ſuam ad tempus populari Deus permitteret, quamvis dura nos aliquando comprimi ſeruitute pateretur, tamen de virgine natus Lucæ 2. vltro apparuit, & libertatem in populo fecit. *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis*, Tu, inquit, qui terram iudicaturus es, exaltare, & in excelſa tuæ Diuinitatis appareas maieſtate, redde vnicuique iuxta opera. Pſal. 61.

Vſquequo peccatores, Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur. Non eis peccare ſufficit, quinimmo in peccatis, nempe ſanctorum nece gloriantur. Vſquequo *effabuntur & loquentur iniquitatem*, ſemper ne *loquentur omnes, qui operantur iniuſtitiam. Populum tuum Domine* in diuerſis tormentorum generibus *humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt*, hoc autem iniuſtitia eſt. *Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt* E Hoc enim ad litteram verum eſt. Spiritualiter, vidua intelligitur, quicumque per aliquam ſeductionem Domino moritur: Aduena autem, qui non firmiter Eccleſiam inhabitat: Pupilli vero, qui per baptiſmum filij, per prauam operationem orphani fiunt. Tales autem ab hæreticis, & peccatoribus occidi dicuntur, quando eorum inuentionibus facile acquieſcunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. In factis quidem dignoſcitur, quod in corde, & ore ipſi pronuntiant. Sed quid eis reſpondetur: *Intelligite inſipientes in populo & ſtulti aliquando ſapite*: Niſi enim inſipientes, & ſtulti fuiſſent nequaquam viſu, & intelligentia Deum priuarent. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Non audiet iuſtum, & peccatorem, qui eis, & aurem; & auditum præbuit, non videbit qui fecit viſum?

Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem ſcientiam. Qui Sanctos, inquit, corripit, docet, & emendat, vos de iniquitate arguere non valebit, hoc ergo homines iam cogitare deſinant. *Dominus enim ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt:* Hoc autem, vtrum verum ſit, non extra me exemplum quæſierim, multa enim cogitaui, quæ aliter euenerunt. Conuerſio perſonæ. F

Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Miſeri enim ſunt, qui ſeipſos docent ſuarumque cogitationum vanitatibus credunt, qui vero tali magiſtro eruditur legiſque vberibus nutritur, ſumma beatitudine beatur. *Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea*; Qui enim in hoc ſæculo corripitur, & docetur, neque ſæculi ſapientia decipitur, mitiſſimumque ſibi his Dominum inueniet, quando mali dies iniquos exurent. Donec fodiatur peccatori fouea, donec enim fouea, & debita pœna paratur peccatori, legis inſtitutis omnibus ſancti erudiuntur.

Quia non repellet Dominus plebem ſuam. Mitis inquit, G erit in diebus malis, populum ſuum à ſe non repellet, *& hæreditatem ſuam non derelinquet. Quoadvſque iuſtitia conuertatur in iudicium & qui iuxta illam omnes, qui recto ſunt corde. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes* Tu ſolus qui optimus es auxiliator, probatum eſt ergo quoniam hæreditatem ſuam non derelinquet. *Aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem*; tu quidem ſtabis, ſiquidem adiuuabis, ſtare enim adiuuantis eſt. Greg. hom. 29. Vnde & ſequitur.

Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea, Sed eo adiuuante ſicut ipſe ſurrexit. Matth. 28. & ego quoque reſurgam *Si dicebam motus eſt pes meus*, & malorum impetu à priſtina firmitate caſurus ſum ſuccurre cadenti, retine labentem. *Miſericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Quis igitur in hoc ſæculo multos dolores, multaſque tribulationes non deſideret. H ſiquidem ſecundum dolorum numerum, conſolationum multitudinem recepturus eſt?

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis. Sicut enim in ſanctis æquitatis ita in peccatoribus ſedes eſt iniquitatis. Hi autem Domino non adhærebunt, quoniam ſoli recto corde ſtabunt iuxta illum. *Qui fingis laborem in præcepto* Qui vult, inquit Dominus, venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Lucæ 9. Habemus ergo præceptum, conſideremus, & laborem. Quid eſt ſequi Dominum, niſi ipſius opera imitari. Hoc autem non ſine labore fit, denique ſeipſum abnegare, crucem portare, magnus labor eſt. Seipſum namque abnegabat Paulus, cum diceret: mortuus ſum mundo Ro. 7. id eſt non ſum qui fui, non ſum Saulus ſed Paulus. Crucem autem portat, qui & carnem mortificat, & pro Chriſti nomine mori non dubitat.

Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Hæc, inquit, ſedes iniquitatis, ſemper

A contra iuſtorum animas facere deſiderant, & ſanguinem innocentem morti condemnant. *Sed factus eſt mihi* inquit iuſtus, *Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium ſpei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipſorum*, id eſt, meritum iniquitatis. *Et in malitia, eorum diſperdet illos Dominus Deus noſter.*

EXPOSITIO PSALMI XCIV.

V*Enite exultemus Domino.* Vox Eccleſiæ. Fugite gentes idolorum culturam, relinquite opera mundi, diſcedite ab iniquitate, feſtinate ad vitam. Quid ſtatis? Venite exultemus Domino, *iubilemus Deo ſalutari noſtro*, hunc humiliter adoremus, qui mundum ſua morte redemit. Ad Gal. 3.

Præoccupemus faciem eius in confeſſione. Ne imparati inueniamur. Quæramus eum intuitu mentis, quem facie ad faciem viſuri ſumus, Corinth. 13. vt cum venerit ad B iudicandum, non quaſi ignoti ei occurramus. *Et in pſalmis*, hymnis, laudibus & canticis ſpiritualibus, *iubilemus ei. Quoniam* hic eſt *Deus* noſter, *magnus Dominus* in vniuerſa terra. *Et Rex magnus ſuper omnes Deos*, relinquantur ergo cæteri Dij, & iſte, qui ſolus vbique eſt, & ſua magnitudine omnia continet, ab omnibus veneretur, *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ?* In manu namque, & poteſtate ipſius omnia regna mundi concluduntur. *Et altitudines montium ipſius ſunt*, Apoſtolorum namque virtutes, altaque eorum ſcripturarum omnium intelligentia, illius eſt qui fons viuus recte vocatur. *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & ſiccam manus eius formauerunt*, nihil enim eſt quod ipſe non fecit. *Venite* ergo *adoremus & procidamus*, & *ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter*: Beati qui nunc fletis quia ridebitis: Lucæ 6. *Et nos populus paſcuæ eius*, quoniam in loco paſcuæ, & inter diuitias ſcripturarum collocati ſumus. *Et oues manus eius*, quas vna eademque manu & fecit, & redemit. Cuius eius? qui dicit: *Hodie ſi vocem eius.* Cuius C oues eſtis, illum *audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ſed cognoſcite vocem paſtoris. *Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me Patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea.*

Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi ſemper, hi errant corde & iſti non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Hoc autem exponit Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, & eorum cadauera in deſerto proſtrata dixit, Ad Hebr. 3. & quia terram promiſſionis intrare nequiuerunt. Aperiamus igitur aures noſtras, vt vocem eius, quos quotidie in Eccleſia admonet, intelligamus. Neque tentemus eum, ne nobis quandoque iratus, à terra viuentium nos repellat.

EXPOSITIO PSALMI XCV.

C*Antate Domino canticum nouum.* Vox Prophetæ. D Nouus homo venit in mundum, nouam legem dedit mundo, Greg. P. Hom. 32. hanc ergo nouam legem, hoc nouum canticum cantate, prædicate, & ad ipſius laudem, cunctis gentibus nunciate. *Cantate Domino omnis terra*, Iudæi & gentiles, iuſti & peccatores *Cantate Domino & benedicite nomini eius*; Nomen eius, verbum eſt, Io. 1. ſermo eius, Chriſtus eſt. Hunc autem omni tempore nos benedicere, & laudare debemus, hic eſt enim de quo dicitur: Ecce nomen Domini venit de longinquo. Iſaiæ. 30. *Annunciate de die in diem ſalutare eius*, de die in diem, per ſingulos dies, de virtute in virtutem, de nouo in vetus, de veteri in nouum teſtamentum tranſeuntem, nunciemus ſalutare eius. His enim duobus pedibus prædicatio incedere debet, & hac gemina luce ſubditorum corda illuminare. *Annunciate inter gentes gloriam eius*, illam, inquit, gloriam gentibus nunciate, quam Iudæi recipere noluerunt. *In omnibus populis mirabilia eius*: Natiuitatem videlicet inenarrabilem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem, dicentes: *Quoniam magnus* E *Dominus*, ſiquidem omnium Dominus. *Et laudabilis nimis*, in cunctis quæ fecit. *Terribilis eſt ſuper omnes Deos*: quoniam eius iniuſſu nihil facere poſſunt. Sunt enim *omnes dij gentium dæmonia. Dominus autem cælos fecit.*

Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. Si quis, inquit, cum Domino habitare deſiderat, confiteatur peccata ſua, cunctiſque criminibus mundet corpus, & animam ſuam. Eſt enim ſola confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. *Sanctimonia, & magnificentia in ſanctificatione eius*: Qui enim ab eo ſanctificatur, & caſtitate præcipuus, & virtute magnificus inuenitur.

Afferte Domino patriæ gentium. Quaſi diceret: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius*, qui à Chriſto Chriſtiani vocamini. *Tollite hoſtias, & introite in atria eius*: Non enim ſine hoſtiis, pleniſque manibus, in atria Domini intrare poſſumus. Sed quæ ſunt iſta atria? In domo Domini, inquit Do- F minus, Patris mei manſiones multæ ſunt: Ioan. 14. in multas autem manſiones, multis hoſtiis intratur: alij enim hoſtia pietatis, alij hoſtia humilitatis, alij oblatione largitatis, alij verò ſacrificio charitatis, has pretioſas domus ingrediuntur. Sed ſicut hoſtiæ, ita & domus diuerſæ ſunt. alia eſt enim claritas ſolis, alia lunæ. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius*, interim, inquit, in Eccleſia Dominum adorate, donec ad eum venientes, manipulos in manibus ei offeratis. *Commoueatur à facie eius vniuerſa terra*: Vos enim, ac ſi dicat, Dei facies, imago, & ſimilitudo eſtis, tollite ergo à vobis, ſi quid terrenæ corruptionis habetis, vt toti cælici, & ſpirituales efficiamini: Et *dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, huiuſmodi principe deuicto, infernoque exſpoliato. Epheſ. 4.

Etenim correxit orbem terræ. Quem, inquit, diabo- G lus tortuoſum, & prauum, mortis fecerat blandimentis, hunc iſte magiſtrali ſeueritate correxit. *Qui non commouebitur*, nec ab ipſius fide amplius ſeparabitur. *Iudicabit populos in æquitate*, qui orbem correxit, idem ipſe populos iudicabit. *Lætentur cæli, & exultet terra*: Lætentur Apoſtoli, lætetur & Eccleſia. *Commoueatur mare & plenitudo eius*, vt nullus in eo piſciculus inueniatur, qui in tanto gurgite baptizatus Domino ſuo lætus non occurrat. *Gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt*; gaudebunt animæ, & corpora ſanctorum, à quibus ſpinis, & tribulis eradicatis, ipſa quidem vberi meſſe, florumque pulchritudine decorabuntur. *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum*, quæ quando fructum bonum reddiderint, non exciſa in ignem mittentur, ſed in cæleſtis Ieruſalem parietibus ædificabuntur: Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matth. 3. *A facie Domini*, in præſentia Saluatoris. *Quia venit*, tempus redimere. *Et quoniam venit*, ſecundo *iudicare terram.* Sed quomodo iudicabit?

H *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua*, ſuperbos humiliando, & humiles exaltando.

EXPOSITIO PSALMI XCVI.

D*Ominus regnauit, exultet terra.* Vox Prophetæ. Exultet iam terra, lætetur humanitas, in qua non peccatum ſed, Dominus regnat. *Lætentur inſulæ multæ*: Multæ ſunt Inſulæ, multæ ſunt Eccleſiæ quæ in huius ſæculi mari ſunt diſpertitæ. Lætentur ergo, quoniam etſi loco diuidantur, ſub vnius tamen Imperatoris regimine colliguntur. *Nubes, & caligo in circuitu eius*; Nubes enim, quæ Chriſtum circumdedit, ſiue caro in qua latebat, ſiue Apoſtoli ſapientiæ aqua pleni, ſiue & nubes illa, quæ ab eorum oculis eum ſuſcepit, Act. 1. intelligi poſſunt. Vterum quoque tuum beata Virgo ſolius Dei gratia madefactum, hanc nubem vocauerim, tu enim es, illa nubes leuis, ſuper quam Dominus venit in Ægyptum. Lucæ 2. Et caligo in circuitu eius, Dominus eſt in caligine, Exod. 24. lux in tenebris lucet, Io. 1. & Saluator noſter in Iudæa prædicat, Matt. 19. ſed tenebræ

A eam non comprehenderunt. Ioan 1. nec Dominum ſuum Iudæi cognouerūt. *Iuſtitia & iudicium, correctio ſedis, eius:* Qui enim iuſtitiam ſequitur, & ſeipſum iudicat, hic ſedem Dei corrigit. *Ignis ante ipſum præcedet;* Qui, inquit. in primo aduentu in nube venit atque caligine, in ſecundo quidem in igne veniet, & luce manifeſta. Hic autem ignis, & malos comburet & bonos illuminabit. Hoc eſt quod ſequitur: *Et inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Alluxerunt fulgura eius orbi terræ. Ipſa quoque temporum permutatio inſinuat, quod nunc de primo, nunc de ſecundo aduentu loquatur: Quia, inquit, tunc in igne veniet, olim fulgura multa præmiſit Fulgura quippe in terrarum orbe lucebant, quando Apoſtolorum miracula vbique declarabantur. Hoc *vidit terra, & commota eſt:* alij namque ad fidem, alij contra ſanctos commoti ſunt.

Montes, ſicut cera, fluxerunt a facie Domini. Diuites, ſuperbi, & elati, qui prius duri, & lapidei erant, Apoſtolica prædicatione emolliti, Euangelica verba in B ſuis pectoribus Diuino ſtilo ſcripta receperant. *A facie Domini omnis terra*, hoc, inquit, facies & cognitio Domini omni terræ fecit, vt marmor in ceram conuerteretur. *Annuntiauerunt cœli iuſtitiam eius*, Cœli enarrant gloriam Dei: Apoſtoli prædicant Chriſtum. Act. 2.

Et viderunt omnes populi gloriam eius, intellexerunt iam veniſſe, qui & mundum ſaluauit, & gloriam daturus eſt. *Confundantur ergo omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.* Vos autem *adorate eum omnes Angeli eius*, omnes Euangelij prædicatores, quem vobis prædicantibus, audiuerunt. Et in quo *læta eſt Sion*, id eſt, ſancta Eccleſia. *Et exultauerunt filiæ Iudæ*, Et Sion, inquit, lætata eſt, & filiæ Iudæ, id eſt Confeſſorum animæ exultauerunt: *propter iudicia tua Domine*, quibus cuſtoditis, ſe ſaluari ſperant. *Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos*, tu ſolus laude omnique vene- C ratione es dignus, qui homines, dæmones, & Angelos ſuperexcellis.

Qui diligitis Dominum, odite malum. Quicunque Dei vult eſſe amicus, inimicorum eius fiat inimicus. *Cuſtodit Dominus animas ſeruorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos:* Fidelis autem, ſecundum Apoſtolum Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Corinth. 10. *Lux orta eſt iuſto*, id eſt Chriſtus Dominus, ad Eccleſiæ ſalutem. *Et rectis corde lætitia*, quem diu deſideratis, ecce venit. *Lætamini* ergo *iuſti in Domino*, non in huius ſæculi dignitatibus. *Et confitemini memoriæ ſanctificationis eius*, cum confitemini atque laudate, qui veſtri memor, vos ſanctificauit.

EXPOSITIO PSALMI XCVII.

CAntate Domino canticum nouum. Vox Prophetæ. Qui nouum canticum cantare deſiderat, ſequentia legat, vt noua reperiat; *Quia fecit*, numquid hoc nouum eſt? Quid enim fecit Dominus quod mirabile non ſit? D Non eſt ergo nouum, quia mirabilia fecit, niſi aliud apponatur. Sed vide quid Sequitur. *Saluabit ſibi dextera eius.* Hoc autem nouum eſt, & ante Chriſti reſurrectionem penitus inauditum. Quid eſt autem Saluabit ſibi dextera eius? niſi ad ſui laudem, & honorem, filium ſuum reſurgere fecit. Marc. 16. Confirmatio. *Et brachium ſanctum eius.* De hoc autem brachio dicitur. Et brachium Domini cui reuelatum eſt. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.* Filius quippe Dei, qui olim omnino, ignotus erat, nunc notus, & præ omnibus notus Eccleſiæ factus eſt. Hūc enim Apoſtolus bene nouerat qui ait: Nihil iudicaui me ſcire inter vos, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Cor. 2. *In conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam*, Iuſtitia De Chriſtus dicitur, quoniam ſine hac iuſtitia nemo iuſtificari poteſt. *Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ*, quam promiſit domui Iſraël. Ait enim: In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit econfidenter. Ierem. 33. Memor ergo Dominus huius veritatis promiſſæ, magna ſua miſericordia mundum, redemit. *Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri*, tota præfata cantio noua iam completa eſt: hæc autem eſt quæ adhuc futura exſpectatur. Multi enim in primo aduentu Chriſtum viderunt, non omnes tamen, cum autem ſecundo ad iudicandum venerit, tunc omnis oculus eum videbit. Lucæ 21. Iubilate ergo Domino omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite, iubilemus corde cantemus ore, exultemus in Domino cunctis motibus corporis, pſallant manus, pedes, oculi, ſeruientes Domino in officiis ſuis. *Pſallite Domino in cithara in cithara:* Duas enim citharas habēt Doctores alteram in corde alteram vero in ore, quæ autem in corde conſiſtit, ineffabili harmonia ſoli Domino citharizat: quæ vero in ore ſuperbos & iraſcibiles, & quemlibet Saüli ſimilem ſuaui ſcripturarum modulatione mitiſſimum reddit. Et voce pſalmi, pſalmi namque vox, non niſi in pſalterio fit, qui autem in Pſalterio cantat, in decem quidem legalibus præceptis Domino ſeruit. F

In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Ductiles tubæ de argento fiebant, quibus in vnum Iſraëliticus populus veniebat, ſed neque ſine argenteis corneæ, nec abque corneis argenteæ canant: in argenteis ſermonum puritas, in corneis vero virtutum robora manifeſtantur. Non ſit ergo in ſermone mendax; nec contra hæreticos ſine cornibus prædicatur: hoc veris ſermonibus mitiget, illos autem duris cornibus terreat. *Iubilate in conſpectu Regis Domini*, Quod autem non in ore, ſed in corde iubilatio fiat? in hoc loco declaratur homo autem in facie, Deus autem in corde videt. 1. Regum 16. Fit ergo in ſolius Dei conſpectu iubilatio, ſiquidem in corde.

Moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Omnes, inquit, commoueantur, omnes ex ſe, tineis omnibus excuſſis, ad Dominum confugiant.

Flumina plaudent manibus ſimul. Si quis ſitit, ait Dominus, veniat, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ, Ioan. 7. Sancti ſunt ergo flumina, quando- G quidem ex eorum ventre aquæ decurrunt: Manibus autem plaudere, eſt, in Domino lætari. Mos enim erat antiquorum, vt præ lætitia manibus plauderent. Vel etiam, bonis operibus ſine intermiſſione opera bona coniungerent. *Montes exultabunt in conſpectu Regis Domini quoniam venit iudicare terram.* Tunc enim gaudebunt ſancti, tunc exultabunt montes, quando, cadite ſuper nos, eis dicetur: ſuper quos enim iſti montes ceciderint, hi à ventura ira inueniri non poterunt. *Iudicabit orbem terræ in iuſtitia.*

EXPOSITIO PSALMI XCVIII.

DOminus regnauit. Vox prophetæ, vel Eccleſiæ. Dixi ſemel dixi iterum, dico tertio. Dominus regnauit, vt in medio duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Vos autem increduli Iudæi hoc negatis, quod veſter Propheta conſtanter affirmat.

Iraſcantur populi, Iraſcantur Iudæi, confundantur dolore, quoniam, velint nolint, Dominus regnauit? Ira- H ſcantur & Chriſtiani qui eum occidebant, cui quondam ſeruiebant, receptoque alio Rege iam in ſe peccatum regnare non patiantur. Sed in quo Dominus regnauit? Sequitur. *Qui ſedet ſuper Cherubin.* Cherubin ſcientiæ plenitudo interpretatur. Sedet igitur Dominus non ſolum in Angelis, qui hoc nomine nuncupantur, verum etiam in ſanctis, ſapientiæ, & ſcientiæ ſpiritu repletis. *Moueatur terra*, id eſt iraſcantur populi Hic autem *Dominus ex in Sion, magnus* quoniam per ſingulos dies in ſancta Eccleſia laudatur, & magnificatur. *Et excelſus ſuper omnes populos*, quem ſemper ſuo Iudæi in ſepulchro dormire putabant. Matth. 27. Apoſtrophe.

Confiteantur nomini tuo magno quoniam terribile, & ſanctum eſt. Nomen Domini ſemper laudetur, eique occulta, & manifeſta confiteantur, quoniam & malis eſt

A terribile, & iuſtis ſanctum, & delectabile. *Et honor regis iudicium diligit.* Quicumque Regem Regum vult honorare, ſeipſum prius diiudicet, & furtum, adulterium, periurium, & homicidium, cæteroſque ſui corporis malefactores occidat, mortique condemnet, ſic autem in ſui pectoris ſedem cum honore, & pace venientem ſuſcipiet hoſpitem.

Tu paraſti directiones iudicium. Quandoquidem omnia iudicia Dei directione & æquitate præparantur, dirigantur, & iudicia noſtra. Non enim recte ille diiudicat, qui ſuperbiam viuificans in ſe occidit humilitatem. *Et iuſtitiam in Iacob tu feciſti.* Cum enim iudicat Iacob ſupplantat, Geneſ. 27. iuſtitiam operatur. Hanc tamen iuſtitiam facit Dominus, quando ſupplantationis aſtutiam præſtat. Conuerſio perſonæ.

Exaltate Dominum Deum noſtrum. Vt qui naturaliter eſt magnus in veſtris cordibus excelſus quoque habeatur. *Et adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt.* Quid per ſcabellum, niſi corpus Dominicum B intelligamus. In hoc autem, quaſi in ſcabello, ſedet Diuinitas. Hoc autem omnes adorabunt, ſicut ipſe ait: Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi curuabitur omne genu Iſaiæ 45. Poteſt autem & de cruce intelligi, in qua Saluator hanc vitam finiuit. Matth. 27. Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius: & Samuël inter eos, qui inuocant nomen eius, Illum, inquit, quem nos in ſcabello reſidentem adoramus: Moyſes, Aaron, Samuel omneſque Prophetæ, prophetarunt, & adorauerunt. *Inuocabant Dominum*, ipſum quidem quaſi Dominum inuocabant. *Ipſe autem exaudiebat eos. Et in columna nubis loquebatur ad eos.* In nube quidem atque caligine loquebatur eis, quia in carne venturus, latibulum ſuum tenebras facturus erat. *Cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis.* Hoc autem ad veſtram confuſionem, Iudæi, dicitur, qui ei, quem Patres veſtri adorauerunt Ioan. 4. inſultantes dicebatis. Tu de te ipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum, Ioan. 8. Quare ergo Moyſes, & Aaron eius teſtimonium C cuſtodierunt? *Domine Deus noſter, tu exaudiebas eos,* Tu, inquit, qui nunc homo factus ſcabellum diceris eos quondam exaudiebas *Deus tu propitius fuiſti eis*; in omnibus quæ cum fide, & directione poſtulabant. *Et vlciſcens in omnes adinuentiones eorum,* ſicut in vitulum quem in deſerto coluerunt. *Exaltate Dominum Deum noſtrum,* O quanta vnius verbi lætitia, qui omnium Deus & Dominus eſt, noſter Deus, & Dominus principaliter appellatur.

Et adorate in monte ſancto eius, id eſt, in Eccleſia, vel in cordibus veſtris, quæ à terrena vanitate ſubblimata, non immerito montis vocabulum acquirunt. Et dicite. *Quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.*

EXPOSITIO PSALMI XCIX.

I*Vbilate Deo omnis terra.* Vox Doctorum: Iubilate Deo omnis terra. Hoc autem & Paulus dicebat: Gaudete in Domino ſemper iterum dico gaudete. Ad Philip. 4. *Seruite Domino in lætitia*, ſeruiebant namque D Iudæi non in lætitia, ſed ex neceſſitate, niſi enim ſeruirent, legis maledictionibus ſubiacerent, nos autem non timore, ſed benedictionis amore ſeruiamus. *Intrate in conſpectu eius in exultatione*, ſemper enim in conſpectu Dei ſumus, quando digna viſionis ipſius opera facimus. Qui enim eleemoſynam facit, qui orat, quique aliis prædicat, ante Dei conſpectum exiſtit, hæc autem, niſi in exultatione fiant ingrata eſſe videntur. *Scitote quoniam ipſe eſt Deus*, non Sol, non Luna, non cœlum vel terra, non alia quælibet creatura Deus eſt, ſed ille eſt Deus qui omnia fecit. Ioan. 1. *ipſe* enim *fecit nos, & non ipſi nos.*

Populus eius & oues paſcuæ eius Ipſius enim oues ſunt, quicumque eius vocem audiunt. Ioan. 10. *Introite portas eius in confeſſione*, vt enim hoc breuiter dicam, illum ipſius & meam portam vocabo, qui me aqua baptiſmatis lauit. Hanc autem ego quidem intrare non potui, donec Dominum confeſſus diabolo abrenunciaui. *Atria eius in hymnis*, Et vt hoc totum in mei exemplo exponam, ſu- E pradictam Dei gratiâ ego portam ingreſſus, iam in eius atriis, hymnos qualeſcunque depromo. *Confitemini illi*, videte quam recto incedat ordine: Oues dixit, paſcua poſuit, portas adhibuit, ouis ergo eſſe debet, qui hanc paſcuam ingreditur: ingredi autem, niſi per portam, nemini licet, qui enim aliunde intrauerit, fur appellabitur, Ioan. 10. ingreſſus autem, laudibus vacet, & confeſſionibus. *Laudate nomen eius*, Quicunque Chriſtianus vocatur talem ſe exhibeat, vt in eo Chriſti nomen glorificetur, *Quoniam ſuauis eſt Dominus*, ſicut enim mitibus eſt ſuauis, ita & ſuperbis aſperus erit.

In æternum miſericordia eius, & vſque in generationem, & generationem veritas eius. Æterna miſericordia, æterna eſt & veritas, ſemper enim erunt ſancti qui miſericordia ſalui fiunt: ſemper erunt & peccatores, qui veritate damnantur.

EXPOSITIO PSALMI C.

F M*Iſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Vox perfectorum. Tibi Deus & redemptionis miſericordiam, & veritatis cantabo iudicium: Miſericors eſt, nullus deſperet: verus eſt, nemo ſuperbiat. *Pſallam & intelligam*, multi enim pſallunt, qui non intelligunt, ſed aliud in lingua dicunt, aliud in corde cogitant, lingua pſalmos cantat, mens autem denariorum numerum computat. *In via immaculata*, Pſallam, inquit, ſic tamen vt intelligam. Ambulans in via immaculata: Multæ ſunt Sanctorum viæ, omnes quidem immaculatæ. *Quando venies ad me*, cur venies dicit, qui cum eo ſemper eſt? Venies igitur, ad ſecundum refertur aduentum, qui tanto deſiderio à ſanctis exſpectatur, vt ſemper veni veni, dicere credantur.

Perambulabam in innocentia cordis mei. Quia ſe in via immaculata ſuperius ipſe dicebat, quæ eſſet illa via, hoc in loco manifeſtat: Perambulabam, inquit, in innocentia cordis mei exiſtentis *in medio domus meæ*, id eſt corporis mei. Hæc autem via penitus eſt immaculata: cor- G dis enim innocentia ſi cum ratione fuerit, totius hominis eſt perfectio. *Facientes præuaricationes odiui*: Neque ego, inquit, præuaricatus fui, neque præuaricatoribus conſenſi. *Non adhæſit mihi cor prauum*, ſed ſicut cor meum in omnibus rectum erat, ita rectis corde ſolummodo adhærebat. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam.* Non cognoſcebam malignum, vt ſibi in malitia aſſentirem, ſed ſicut ipſe à viis meis, ſic & ego ab ipſo declinabam. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar*, ſpe correctionis, non conſenſu malignitatis.

Superbo oculo. In oculis namque, & ſupercilio, facile cuiuſlibet ſuperbia deprehenditur. *Et inſatiabili corde*; Hoc autem titulo auarus prænotatur. *Cum hoc non edebam* Sic enim & Apoſtolus ait: Si quis frater nominatur inter vos fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Corinth. 5. Diuina reſponſio.

Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum. Non te inquit Dominus, hoc feciſſe pœniteat, vidi opera tua H cognoui fidem tuam, veniam ad te, & cum cæteris fidelibus in cœleſtem ſedem te collocabo. *Ambulans in via immaculata*, quod te feciſſe confeſſus es, *hic*, & non alius, *mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domus meæ*, id eſt in cœleſti Ieruſalem, *qui facit ſuperbiam*, & deſtruit humilitatem. *Qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum*, vt ſit dignus meam faciem videre.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Matutinum autem diem iudicij appellauit, in quo omnes peccatores perdendi ſunt. Matutinum autem ideo dicitur quia huic noſtræ vitæ ſuccedit, quæ recto vocabulo nox appellatur. Denique ille dies ſanctis lucere incipiet, quem nulla noctis caligo interrumpere valebit. Apoc. 21. *vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

EXPOSITIO PSALMI CI.

Domine exaudi orationem meam. In hoc pſalmo, prius Eccleſia, deinde Chriſtus poſtmodum vero Propheta loquitur. Domine exaudi orationem meam, *& clamor meus ad te veniat, non auertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, in quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me;* Quanto animi affectu Dominum Eccleſia ipſa deprecetur, ipſa verborum replicatio manifeſtat, in qua vnum idemque toties dicitur. *Quia defecerunt, ſicut fumus, dies mei;* Præſens enim vita cito dilabitur, & euaneſcit, præteritus namque dies, vt fumus deficiens, iam inueniri non poteſt. Deficiunt, vt fumus, dies ſanctorum, quoniam ſine lacrymis non poterunt. Summopere ergo deprecandus eſt Dominus, vt æternos nobis tribuat, quandoquidem ad fumi ſimilitudinem, tam cito noſtri deficiunt. *Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Eccleſiæ namque oſſa, Apoſtoli dicuntur, qui in multarum tribulationum frixorio ſecundum carnem aruerunt. Hoc autem qui non intelligit, craticulæ Laurentij recordetur.

Percuſſus ſum vt fœnum. Olim, inquit, in me iuuentus florebat, ſed ſenectute veniente, flos iuuentutis mox excisus decidit. *Et aruit cor meum,* quoniam ſimul cum iuuentute omnes corporis vires amiſi. *Quia oblitus ſum comedere panem meum;* Dari, inquit, panis oblitus, interdictum manducaui, quoniam cæteris paradiſi lignis omiſſis, ſolum vetitum comedi: Geneſ. 3. niſi enim Adam, qui corporis huius Eccleſiaſtici principium fuit, Geneſ. 1. proprij panis oblitus fuiſſet, neque primo flore priuaretur homo, neque in viribus vllis deficeret.

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Cum, inquit, dierum æternitatem, floriſque pulchritudinem, & virium robur amiſiſſem, quid nihil aliud quam dolor, & gemitus remanſit: Obliti ergo panis, memor, priſtinæque felicitatis, pœnitere, & gemere cœpi, ſoliuſque Dei miſericordiam implorare. Ad hunc autem gemitum, & caro ſpiritui, & ſpiritus carni adhæſit, & quæ ſibi inuicem prius aduerſabantur, iam concordiam habere cœperunt. Et quoniam ſicut in Euangelio legitur, duo in me conſenſerant, omnes meas petitiones exaudiuit Dominus. Vox Chriſti.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis. Vna, inquit, eademque culpa, & tu dierum æternitatem. Deique imaginem, & ſimilitudinem amiſiſti, & ego, reſtaurationis cauſa. Pelicano ſimilis factus ſum, qui nullo alio medicamine, niſi proprio ſanguine natos meos viuificaui; prætereа idololatras immundos, & peccatores in corpus meum, quod eſt Eccleſia, induxi. Pelicanorum duo genera eſſe dicuntur: alterum in aquis: alterum in ſolitudine, qui vero ſolitudinem inhabitant, hanc naturam habere perhibentur, vt immundis animalibus, vtpote ranis, & lacertis viuant, natoſque ſuos interficiat, & per triduum dolentes ſeque ipſos vulnerantes, ſui ſanguinis aſperſione, eos iterum ad vitam reducant. Hæc autem ſimilitudo ſatis congrue noſtro conuenit Saluatori, qui nobis ob primi parentis tranſgreſſionem, immortalitatem auferens, & de paradiſo eijciens. Geneſ. 3. mortis nos legibus ſubdidit: Sed hic noſter pelicanus natos ſuos reuiſitans, per triduum mortis dolore contriſtatus, (mortis autem non tantum ſuæ quantum noſtræ) proprij ſanguinis effuſione viuificauit. Vide ergo quam pulchre hæc ſimilitudo conueniat ſuperioribus. Conquerebatur Eccleſia, omneque genus humanum, & de paradiſi expulſione, dierumque breuitate, & virium imbecillitate, cui ſic Saluator dulciſſima conſolatione reſpondet: Similis ſum pelicano, ego occidi, & viuere faciam, percuſſi, & ego ſanabo, Deut. 32. ne timeas igitur homo, quia te iterum ad vitam reducam.

Factus ſum ſicut nicticorax in domicilio. Omnibus quidem notum eſt, quod nicticorax ſiue noctua à cæteris auibus odio habeatur, quam etiam garrulitate quadam perſequuntur, donec in aliquo reponatur loco: huic autem comparatur Chriſtus, quem vſque ad crucem cum magno fremitu Iudæi perſecuti ſunt. Ioan. 18. 19. Merito autem crux Chriſti, domicilium appellatur, quæ nobis in frontibus, noſtrique corporis imprimitur domicilio. Nec mirum, ſi noctuæ aſſimilatur, qui ſe etiam vermem vocauit. Pſal. 21.

Vigilaui. Quia die tertia reſurrexi. Corinth. 15. *Et factus ſum ſicut paſſer,* agilis ad volandum. *Solitarius in tecto,* quoniam nullus mecum in carne cœlos aſcendit. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei.* Iudæi videlicet, qui quaſi nocticoracem eum perſequebantur. *Et qui laudabant me,* manifeſta adulatione. *Aduerſum me iurabant,* id eſt in eius interitum coniurationem faciebant: Sed qua ratione?

Quia cinerem tanquam panem manducabam, id eſt, ad pelicani ſimilitudinem, immundos & flagitioſos, meo corpori aſſociabam, vnde quidam vini potatorem, & amicum publicanorum Matth. 11. eum eſſe dicebant: *Et poculum meum cum fletu miſcebam,* quia & pro natorum nece dolebant, & cum illis Diuinum humanumque cibum communicabat, qui pro peccatis ſuis aſſidue flebant. Ex quibus mulier illa peccatrix vna fuit, quæ pedes eius lacrymis rigauit. Lucæ 7. Vox Eccleſiæ.

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt. Me, inquit, de limo terræ feciſti, Geneſ. 2. & in Angelorum eleuans dignitatem, quaſi Dominum conſtitueras, ſed præceptum tranſgrediendo, tuæ indignationis iram incurrens, Geneſ. 3. in terrenam illiſus ſum debilitatem. Sic ergo à facie iræ indignationis tuæ, dies mei ſicut vmbra declinauerunt, id eſt, ſumma cum feſtinatione, immortalitate amiſſa euanuerunt. *Et ego ſicut fœnum arui,* vere fœnum eſt populus: ſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, Iſaiæ 40. amiſimus florem, redigimur in puluerem. *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem, & generationem: Tu exurgens,* ſicut promiſiſti, *miſereberis Sion,* quia Pelicani ſumpta ſimilitudine, proprio nos ſanguine viuificabit. Ad Hebr. 9. *Quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus,* venit, inquit, noſtræ redemptionis, tuæque incarnationis tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius. Lapides viui voluuntur ſuper terram; hi autem ſunt, de quibus dicitur: Tempus lapides colligendi, tempus ſpargendi. Eccl. 3. prius enim Dominus Apoſtolos collegit, Lucæ 6. poſtea vero ad prædicandum diuiſit. Marc. 16. Placeant nobis lapides iſti, eorumque ſoliditatem imitemur. *Et terræ eius miſerebuntur,* terræ namque ſuæ ille miſeretur, qui carni ſuæ æternum præparat habitaculum. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine,* quod non in vanum iurare audebunt. *Et omnes Reges terræ gloriam tuam,* id eſt, filium tuum. *Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua;* Quoniam, ſicut ait Apoſtolus, cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria. Ad Coloſ. 3. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum,* huius autem expoſitio in ſuperficie eſt. Vox Prophetæ.

Scribantur hæc in generatione altera. In futura ſcilicet, quam ſua Dominus incarnatione reſpiciet, & viſitabit. *Et populus qui creabitur,* aqua baptiſmatis, & Spiritu Sancto. *Laudabit Dominum. Quia reſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram proſpexit:* vt eius ſua viſitatione miſereretur. *Vt audiret gemitus compeditorum.* Patriarchæ namque, & Prophetæ in inferno compediti tenebantur, quorum gemitus ſunt exauditi, erant & illi compediti, qui vitiorum catenis ligati diabolum ſequebantur. *Vt ſolueret filios interemptorum;* Non ergo ſolummodo Patres noſtri, qui interempti, & mortui ſunt, compediti erant, ſed nos quoque ipſorum vincti eramus, quis enim ſoluitur niſi ligatus? vincti ergo eramus; ſiquidem à Domino ſoluti ſumus. Pſal. 123. *Vt annuntient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ieruſalem.* Ad hoc, inquit, ex diabolicis laqueis ſoluti ſumus, vt laudem Domini in Eccleſia decantemus.

In conueniendo populos in vnum. Id eſt, dum in vnius fidei vnitatem omnes gentes congregabuntur. *Et Reges, vt ſeruiant Domino. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ,* id eſt,

A in opere prædicationis, quæ, ſecundum Apoſtolum, Dei virtus appellatur. Rom. 1. *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Cui reſpondit? Ieruſalem. Nam cum appropinquaret Dominus Ieruſalem, quaſi dierum paucitatem ab eo interrogaret, ſic flendo reſpondit: Quia ſi cognouiſſes, & tu: quoniam venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & reliqua. Lucæ 19. Sic ergo ſuorum dierum paucitatem ei prænuntiauit. Apoſtrophe.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. Sed permitte me, non tantum mediare, verum etiam in tuo ſeruitio continuare. Siue, ne reuoces me de hac vita, præoccupatum aliquo iudicio, ante terminum prædeſtinatum. Quod quidem pertimeſcens ait: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Iſaiæ 38. *In generationem, & generationem anni tui*, tui, inquit, ſunt anni, dies, & tempora, & menſes, cunctaque tuæ voluntati obſequuntur. *Initio tuo Domine terram* B *fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*; Hoc autem ſecundum litteram verum eſt, quod & ſuper Eccleſia, & Apoſtolis intelligi poteſt. *Ipſi peribunt*, quoniam in melius mutabuntur: *Tu autem permanebis*, qui mutari non potes. *Et omnes vt veſtimentum veteraſcent*, carne diſſoluta. *Et ſicut opertorium mutabis eos*, vt à vitiorum ſorde mundati, pulchriores fiant. *Et mutabuntur*, ad æternitatem. *Tu autem idem ipſe es*, penitus incommutabilis. *Et anni tui non deficient. Filij ſeruorum tuorum habitabunt* Eccleſiam, iam cœlis quodammodo commutatis. *Et ſemen eorum in ſæcula dirigetur*, nunquam enim Sanctorum opera deprauantur.

EXPOSITIO PSALMI CII.

B*Enedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Vox Eccleſiæ. Non enim labiis tantum, verum etiam anima, & corde, mente, & intellectu, cunctiſque viribus Dominum benedicere, & C laudare debemus. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius*, quis enim Dei beneficia numerare poteſt? Solem namque & lunam, ignem & aquam, & cæteras creaturas in obſequium noſtrum creauit, hæc tamen nihil ſunt, ſi futuris bonis comparentur. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Expoſitio. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*, quibus vel corpus, vel anima debilitatur. *Qui redimit de interitu vitam tuam*, quam diabolus comprimebat. *Qui coronat te in miſericordia*, dans prius miſericordiæ fortitudinem, vt demum tribuat, & coronam. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*, prauis cogitationibus euacuatum.

Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. Aquila namque ad ſenectutem deueniens, à ſolis caloribus plumis amiſſis, in fontem aliquem dilapſa, in iuuentutem reparatur. Sic autem & Sancta Eccleſia, ſolis iuſtitiæ accenſa caloribus, in fonte baptiſmatis ſubmerſa, veterem hominem exuta, noui induit iuuentutem. Renouabitur autem, & in iudicio, primitiua reſumpta imagine.

D *Faciens miſericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus: notas fecit vias ſuas Moyſi, & filiis Iſraël voluntates ſuas.* Miſericordia quidem fecit, quod mundum redemit, Ad Gal. 3. iudicium autem fecit, quia innocentes vindicabit. Vnde Apoſtolus mihi, inquit, vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Rom. 12. Eius vias cognouit Moyſes, id eſt Apoſtoli, qui aquatici piſcatores, & baptizatores fuerunt: Filij autem Iſraël eius voluntates cognoſcunt, hoc eſt viri ſancti, qui eum mentis oculis contemplantur. *Non in perpetuum iraſcetur? Quoniam miſerator, & miſericors eſt patiens & multum miſericors. Neque in æternum comminabitur*, quoniam ſicut ſcriptum eſt, cum pateretur, non comminabatur. 1. Petr. 2. *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis.* Cum enim digni eſſemus morte, pro nobis ſubiit mortem. *Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis*, ad meliora conuerſi fuerimus.

Quoniam ſecundum altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. A Deo namque confirmata eſt in ſanctis miſericordia Dei, vt ſuper cœlos delati, Angelis aſſocientur. E *Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras*, vt enim mortuus à viuo, ſic iuſtus differt ab iniquo. *Quomodo miſeretur Pater filiorum miſertus eſt Dominus timentibus ſe*: verberibus caſtigando, non telis mortificando. *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.* Quod figuli vaſis rectè comparatur. Cognouit quidem, quoniam ſerui formam recepit. Ad Philip. 2. *Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus*, quem niſi ſuæ miſericordiæ aquis irrigaſſet, à quolibet ventorum flamine proiiceretur. Homo ſicut fœnum, qui facile priuatur floribus. *Dies eius tanquam flos agri, ſic efflorebit*, non longo temporis ſpatio. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, non cognoſcet amplius locum ſuum, ſimul enim cum ſpiritu, & vigor amittitur & poſſeſſio. *Miſericordia autem Domini ab æterno; & vſque in æternum, ſuper timentes eum, & iuſtitia in filios filiorum in his: qui ſeruant teſtamentum eius.* Filiorum quippe Dei, filij ſunt, F quicunque Apoſtolos imitantur. Vnde Apoſtolus ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Ad Gal. 4. *Et memores ſint mandatorum ipſius*, non ad legendum, ſed ad faciendum, quoniam, vt Apoſtolus ait: non auditores legis iuſtificabuntur apud Deum, ſed factores, Rom. 2.

Dominus in cælo parauit ſedem ſuam. Quia reſurgens à mortuis cœlos aſcendit. Marc. 16. Siue in cœlo, hoc eſt in Apoſtolis, quoniam anima iuſti, ſedes eſt ſapientiæ. *Et Regnum ipſius omnibus dominabitur.* Principes namque regni ipſius, quod eſt Eccleſia, Apoſtoli ſunt, qui cæteras gentes iudicabant. *Benedicite Dominum omnes Angeli eius.* Doctores, qui eum annuntiatis. Potentes virtute, quia nos confirmant. *Facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum*, qui ad hoc prædicatis, vt ipſius præcepta cuſtodiantur.

Benedicite Dominum omnes virtutes eius. Angelorum, & hominum. *Miniſtri eius qui facitis voluntatem eius.* Hic autem iniquorum benedictio refutatur. Benedicite Domino omnia opera eius. Nunquid lapides, G & ligna Dominum benedicere poſſunt? poſſunt vtique. Lapides namque benedicunt Dominum, quando nos in hac creatura benedicimus Dominum. *In omni loco dominationis eius*, Immenſus eſt Dominus, Pſalm. 112. immenſa ergo ſit laus, & benedictio. Benedic, & tu anima mea Domino, vt & ipſe te æterna benedictione remuneret.

EXPOSITIO PSALMI CIII.

B*Enedic anima mea Domino. Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Vox prophetæ, Quoniam quidem vehementer magnificatus eſt Dominus, vehementer laudetur ab omnibus.

Confeſſionem, & decorem induiſti. Qui enim Iudæorum vituperatione carniſque infirmitate quondam circundatus fuit. Matth. 27. nunc Angelorum, & hominum laude ſtipatur, æternoque decore, & claritate illuceſcit. *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Cum enim ſicut ſol in H regno Dei ſancti refulgeant. Matth. 13. quis ipſius ſaluatoris claritatem verbis aperiat?

Extendens cœlum ſicut pellem. Facile namque, & ſine omni difficultate, altam cœli rotunditatem ipſe extendit, atque peregit, eius enim dicere, facere eſt. *Qui tegis aquis ſuperiora eius*: Vnde ſcriptum eſt: Et diuiſit aquas quæ erant ſuper firmamentum ab his, quæ erant ſub firmamento. Geneſ. 1. Hoc autem, ſi myſtice intelligatur, cœli Apoſtolos figurabant qui quoniam noui vtres erant, ad nouum vinum capiendum in tantum extenti ſunt, vt totius vineæ vindemiam ipſi reciperent. Marc. 16. Quicquid enim nouæ, & veteris legis habemus, eis propinantibus, potauimus. Per horũ ſuperiora Prophetas ſignauit, qui altiori tempore nati fuerant. Hi autem tanta aquarum tegebantur profunditate, vt nullus ſuper eos nauigare poſſet, ſed quia Petrus, ſicut piſcator. Matth. 4. aquarum omnium peritus fuerat, transfretandi nobis iter aperuit. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Sicut ſcriptum eſt. Et

cum

A cum hoc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Act. 1. *Qui ambulas ſuper pennas ventorum*, nullus enim ventorum ibi vnquam aſcendit, vbi Chriſtus delatus eſt.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus. Quando enim ad Mariam Gabrielem miſit, de ſpiritu quidem Angelum fecit. *Et miniſtros tuos ignem vrentem.* Miniſtri quippe Dei, non ſolum Angeli, verum etiam omnes Doctores dici poſſunt. Qui ideo ignis vocantur, quoniam alios illuminant. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam,* Stabilitas quidem, & fundamentum Eccleſiæ Chriſtus eſt, Pſal. 86. ſuper quem fundata, non inclinabitur in ſæculum ſæculi, ſed ſemper ad altiora virtutum conſcendet.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Quid per abyſſum niſi noui veteriſque teſtamenti intelligentia? Tali autem veſte Eccleſia circundata, in nullum latus cadere poteſt: hæc enim lorica nullis aduerſariorum telis perforari valet. Matth. 16. *Super montes ſtabunt aquæ*, Quid B per montes, niſi Doctores, quid vero per aquas niſi peccatores intelligimus? Stabant igitur ſupra montes aquæ. quando iniquorum turbulenta commotio, diabolico turbine exagitata in ſanctos inſurgebat: illi autem vtriuſque abyſſi ſcuto muniti, claratu ba perſonantes, omnes æquoris minas mitigabant. Hoc eſt quod ſequitur.

Ab increpatione tua fugient. Dicebant enim: Pœnitentiam agite. Matth. 3. Itemque: Niſi Pœnitentiam egeritis moriemini. Lucæ 13. Et ruſum: Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Matth. 3. Ab hac autem increpatione fugiebant aquæ quando vana Deorum religione omiſſa ſe te Domino gentes ſubiiciebant. *A voce tonitrui tui formidabunt*, Vox autem tonitrui Apoſtolorum eſt prædicatio, quæ ſimul cum ſono fulgorem humanis pectoribus inferens & timorem, ipſum diabolum gladio ſpiritus interficiebat.

Aſcendunt montes. Decreſcentibus aquis. Credentibus namque turbis, creſcebant Eccleſiæ. *Et deſcendunt* C *campi*, quoniam vanis ſæculi dignitatibus derelictis, ſub Chriſto iugo populi humiliantur. *In locum quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur,* Qui enim furatur terminum illum tranſgreditur, quo dictum eſt: non furtum feceris, Exod. 20. vnde & tranſgreſſores dicuntur. Eſt autem, alius terminus quem nullo modo tranſgredi licet, vnitatis videlicet, trinitatiſque fides. Hoc autem etiam de vniuſcuiuſque obitu intelligi poteſt. *Neque conuertentur operire terram*, vt corruptibilis carnis ſequantur voluptates, ſed ſolas nuptiales veſtes ſibi parabant.

Qui emittis fontes in conuallibus. Baptiſmum & Doctores in Eccleſiis. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ*, Per medium Eccleſiarum, quatuor Euangeliorum flumina diſcurrent. *Potabunt omnes beſtiæ agri*, quippe Dei nos omnes beſtiæ ſumus. Ad hanc ergo aquam curramus, quæ ſine pretio cunctis tribuitur. *Exſpectabunt onagri in ſiti ſua*: non enim ſolis ſapientibus verum etiã inſipientibus hæc aqua miniſtratur: Vnde Apoſtolus: Iu- D dæis, inquit, & gentibus, Græcis, ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. Rom. 1.

Super ea volucres cæli habitabunt. Volucres cæli Apoſtoli ſunt, qui virtutum pennis cæteros volare docent: Hi autem ſuper montes, & valles habitant, quoniam in omnibus Eccleſiis tenent principatum. *De medio petrarum dabunt voces.* In medio Eccleſiæ aperient os ſuum Eccleſ. 15. Vt Paulus in Corintho, Petrus in Romæ

Rigans montes de ſuperioribus ſuis. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Act. 2. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra:* Diuinis namque beneficiis paſcitur Eccleſia *Producens fœnum iumentis*: Tu, inquit, terram ſatias, ipſa autem iumentis tuis fœnum producit, quoniam, & cibo corporali Apoſtolos paſcis, & florum pulchritudine eos delectat. Vnde Apoſtolus ait; Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus. 1. Corinth. 9. Confirmatio. *Et herbam ſeruituti hominum*, Quos iumenta dixit, homi- E num ſeruitutem appellat, hæc enim iumenta nobis ad ſeruiendum data, viaticum peregrinantibus cibum, plenaſque de quinque panibus, & duobus piſcibus clitellas aſportant. Dignum eſt ergo, vt iumenta conducant, qui abſq; iumentis viuere nequeunt. *Vt educat panem de terra*, Terra namque de terra panem eduxit, quando fidei corroborationem, ipſumq; panem viuum qui de cælo deſcendit, Ioan. 6. ab Apoſtolis quidem Eccleſia recepit. *Et vinum quod lætificat cor hominis*, ſcripturarum profunda myſteria, ipſiuſque Saluatoris ſanguinem Apoſtolicis manibus Diuina benedictione conſecratum ſignificat.

Vt exhilaret faciem in oleo. Eccleſiæ namque facies, & pulchritudo, ſpirituali oleo, & ſalubri vnctione lætificatur, quia Apoſtolorum credidit verbis. *Et panis cor hominis confirmet.* Ideo enim quotidianum panem ſemper depoſcimus, vt mens noſtra firmata, nullis ſuccumbat tentationibus. *Saturabuntur ligna campi*, Campus iſte Eccleſia intelligitur, quem Apoſtoli colentes, multa F arborum genera in eo plantauerunt quæ ſupradicto pane reficiuntur. In hoc autem deficiunt, qui litteræ ſunt amatores. *Et cedri Libani, quas plantauit*, id eſt illi, qui meritis altiores ſunt. Siue reges, & principes ſæculi dignitatibus præditi.

Illic paſſeres nidificabunt: per paſſeres, fidelium pauperum multitudo deſignantur. Hi autem ædificant in cedris, quando in diuitum poſſeſſionibus cellulas ſuas inhabitant quod de Monachis quidem apertiſſime intelligi poteſt.

Herodij domus dux eſt eorum. Herodius, auis quædam eſt huius autem domus petra eſt, atqui petra Chriſtus eſt. 1. Corinth. 10. quem ducem, qui ſequitur, non ambulat in tenebris ſed habebit lumen vitæ. Ioann. 8. *Montes excelſi* ſunt refugium ceruis, cerui Apoſtoli, agiles ad currendum, & Euangelium nuntiandum, qui ſerpentes tollant, quibuſq; nunquam mortifera nocebunt. Marc. 16. His autem montes, nouum; & vetus teſtamentum, & ipſi cæli refugium ſunt. *Petra refugium herinaciis*, G Herinaceus, animal quoddam eſt ſpinarum denſitate circundatum; his autem illa petra refugium eſt, quæ ait; Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 9.

Fecit lunam in tempore, Sol cognouit occaſum. Eo namque tempore, quo ſol iuſtitiæ pro totius mundi ſalute in cruce obdormiuit, 1. Ioan. 2. de latere ipſius fabricata eſt Eccleſia, quem Adam præfigurauit, de cuius latere dormientis vna coſta ſub tracta, formata eſt Eua. Geneſ. 2. Apoſtrophe. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox*, In Chriſti namque paſſione tenebræ factæ ſunt, quando verum lumen in Iudæa occidit. Matth. Et facta eſt nox, quæ Iudæorum populum excæcauit. *In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*, tranſeunt ergo, per Iudæam, quoniam illa Iudæorum nox nondum eſt illuminata, *& catuli leonum*, beſtiæ ſyluæ, leo leonumque catuli, Beelzebub dæmoniorum princeps Matth. 12. cum omnibus ſubiectis, hi autem per eos tranſeunt, qui, Chriſto re ſurgente in nocte perſtiterunt. *Rugientes, vt rapiant*, ſi- H cut ſcriptum eſt: Inimicus noſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. 1. Petr. 5. *Et quærant à Deo eſcam ſibi*, id, eſt, ſuæ voluntatis effectum. Quæ fierunt Iob, Iob. 1. ſed minime deuorare potuerunt. Væ tibi Iuda, qui eorum eſca fuiſti. Matth. 27. Poteſt autem, & de Apoſtolis hoc intelligi, qui Chriſto Domino crucifixo, multis modis ab inimicis tentati fuerunt, in tantum, vt ille, qui fortior videbatur, & cæteros confirmare debebat, ter eum negaret. Matth. 26. Ortus eſt ſol, reſurrexit Dominus, Marc. 6. & congregati ſunt vndecim diſcipuli in Galilæa.

Et in cubilibus ſuis collocabuntur, Petrus in Roma; Ioannes in Epheſo, Thomas, in India. Siue etiam, in cæleſtib. habitaculis, non in foueis quas eis diabolus apparabat. *Exibit homo ad opus ſuum*, Quoniam quidem nox præceſſit, iuſtitiæque ſol exortus eſt, præcingant ſe Apoſtoli ad prædicationis operationem, vt per omnes fines terræ ſonus eorum audiatur. Marc. 16. *Et*

A *ad operationem ſuam vſque ad veſperam*, id eſt, vſque
ad terminum vitæ, ſiue ſæculi conſummationem Excla-
matio.

Quam magnificata ſunt opera tua Domine. Homo,
inquit, ad opus ſuum exiit, à piſcatoribus capiuntur vr-
bes; à ruſticano exercitu ſuperantur Reges. *Omnia in*
ſapientia feciſti, non armis ſæcularibus, non tyrannorũ
multitudine, ſed morte filij tui, per quem omnia facta
ſunt, Ioan. 1. mundum conuertiſti. *Impleta eſt terra*
poſſeſſione tua, quæ nuper ab inimicis poſſidebatur,

Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus. Tibi ſoli
deſeruit. Manibus quidem eſt mundus ſpatioſus, id eſt,
gentium diuerſitatibus: alia eſt enim manus Græcorum.
alia Latinorum. *Ibi reptilia quorum non eſt numerus*,
vbi ſunt, *animalia puſilla cum magnis*, Hoc enim ſecun-
dum litteram verum eſt Animalia tamen puſilla, &
magna, perfecti, & imperfecti, ſapientes, & inſipientes,
B diuites, & pauperes intelligi poſſunt. *Illuc naues per-*
tranſibunt, hic enim Petrus, & Andreas, & filij Zebe-
dæi nauigarunt. Nauis in hoc loco humana caro intelli-
gitur. Nec non, & draco, iſte, quem formaſti ad illudẽ-
dum ei: Hic autem draco, malignus ſpiritus eſt, qui
de paradiſo, in hunc mundum deiectus, Apoc. 12.
& decipit, & decipitur; illudit & illuditur: Euam de-
cepit, Geneſ. 3. ſed à Maria illuſus eſt. Lucæ 1. Præte-
rea, q ticumque, Iacob fuerit ei multis modis illudere
poterit. *Omnia à te exſpectant, vt des illis eſcam in tem-*
pore. Omnes enim ille paſcit, qui ſuper bonos, & ma-
los ſolem ſuum oriri facit, & ſuper iuſtos, & iniuſtos
pluit. Matth. 5. Quod autem hoc ordinate diſcretiſque
temporibus faciat omnibus notum eſt. Dabit etiam eſ-
cam in tempore, quia fructum ſuum reddet in tempore
ſuo. *Dante te illis colligent.* Omne enim datum opti-
mum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. Iacob.
1. Aperiente te manum tuam, id eſt copiam plenitudi-
nis tuæ. *Omnia implebuntur bonitate*, quibus tanta ma-
nus aperta fuerit. *Auertente autem te turbabuntur*: illi
C videlicet, quibus auerſus fueris. *Auferes ſpiritum eorum,*
& deficient, ſpiritus hominum vita eſt, qua ablata fit ec-
clypſis. *Et in puluerem ſuum reuertentur*, ſicut ſcriptum
eſt: Terra es, & in terram ibis; Geneſ. 3. Emitte ſpi-
ritum tuum, qui auferri non poteſt. Et creabuntur in
fidei firmitatem. *Et renouabis faciem terræ*, id eſt, ho-
minis imaginem, quæ in Adam deperierat. Ego autem
dicam *Sit gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus*
in operibus ſuis. Quæ iam ſibi ſeruire incipiunt. *Qui reſ-*
picit terram, & facit eam tremere: Beatus ille qui ſic
reſpicit, vt peccata ſua compunctus, tremiſcat. Qui
tangit montes, & fumigant, calidum eſt, fumigant ergo
montes, qui ſancti ſpiritus ardore ebulliunt. *Cantabo*
Domino in vita mea, pſallam Deo meo, quandiu ſum
Iucundum, & acceptabile eſt ei eloquium meum. Defi-
ciant peccatores à terra, id eſt, à terrenis cupiditatibus,
& ſpiritui deſeruiant. Et iniqui, ab iniquitate ſua, Ita vt
non ſint iniqui, ſed iuſti. *Benedic anima mea Domino.*
D Omni tempore hic pſalmus cantetur, quoniam quidem
finiri non poteſt, vbi enim finis putatur, ibi principium
reperitur: reuoluatur ergo Dei benedictio, & nunquam
ad finem perducatur.

EXPOSITIO PSALMI CIV.

C*Onfitemini Domino.* Vox Prophetæ. Confitemini
Domino peccata veſtra. *Et inuocate nomen eius*,
vt vobis miſereatur. *Annunciate inter gentes opera eius*,
quia non Iudæorum, Deus tantum. Cantate ei, ore, &
corde. Et pſallite ei, in operatione. *Narrate omnia mi-*
rabilia eius, vobis manifeſta. *Laudamini in nomine ſan-*
cto eius, non in operibus veſtris. Lætabitur, in Domino,
Cor quærentium Dominum quærite Dominum, non
ſæculi honores. Et confirmamini, in fide. & dilectio-
ne.

Quærite faciem eius ſemper, quomodo eum videre
poſſitis. *Mementote mirabilium eius, quæ fecit*, in
Ægypto. *Et prodigia, & iudicia oris eius*, quæ nunquã
mentiuntur. mementote quia eſtis, ſemen Abrahæ ſerui E
eius, ſic tamen ſi eius opera faciatis. *Filij Iacob electi eius.*
Secundum illud, Iacob dilexi Eſau odio habui. Malach.
1. Ipſe autem eſt Dominus Deus noſter, quia nos nul-
lum alium adoramus. *In vniuerſa terra iudicia eius*, ipſe
enim, & viuos, & mortuos iudicabit. 2. Timoth. 4. Hic
autem, qui talis eſt, *memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui,*
verbi ſcilicet quod mandauit in mille generationes. Quis
huius verſiculi cognoſcit ſacramentum? forſitan ideo ita-
co mille dixit, quod in milleſima Abraham genera-
tione, quæ per maxime diſtat, huius ſæculi finis ſit
conſtitutus, *Quod diſpoſuit ad Abraham.* dicens ei:
Patrem multarum gentium te conſtituam. Geneſ. *Et*
Iuramentum ſuum ad Iſaac, in ſemine tuo benedicentur
omnes gentes. Geneſ. 26. *Et ſtatuit illud Iacob in præ-*
ceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum, dicens. Tibi
dabo terram Chanaan, hoc autem eſt quod diſpoſuiſti
ad Abraham. Funiculum hæreditatis veſtræ, loci tem- F
poriſque quantitatem. *Cum eſſent numero breui, pauciſſi-*
mi, & incolæ eius, etſi pauci, & inquilini eſſent, tantæ,
tamen promiſſioni crediderunt. *Et pertranſierunt de*
gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non
reliquit hominem nocere eis. Vt Pharaonem in Saram.
Et corripuit pro eis Reges dicens: Nolite tangere Chri-
ſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Simi-
liter autem. & illi à Domino cuſtodiuntur, qui in ter-
ram viuentium per multas tribulationes proficiſcuntur.
Et vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum
panis contriuit; hoc autem fuit in tempore Iacob. Geneſ.
41. *Miſit ante eos virum*, priuſquam in Aegyptum per-
uenirent Geneſ. 46. *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph*,
Iſmaëlitis à fratribus ſuis Geneſ. 37. *Humiliauerũt in cõ-*
pedibus pedes eius, Quoniã adulterium perpetrare noluit,
ferrum pertranſiit animam eius, id eſt dolor mortiſque
timor: *Donec veniret verbum eius*, quo ſomnia expoſuit.
Eloquium Domini inflammauit eum, id eſt ſpiritus pro-
phetiæ. Miſit rex, miniſtros ſuos. Et ſoluit eum, de car-
cere in quo tenebatur *Princeps populorum, & dimiſit* G
eum. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principẽ
omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſeme-
tipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Et intrauit Iſ-
rael in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham.
Et auxit Dominus populum ſuum vehementer, & firma-
uit eum ſuper inimicos eius, in multis plagis verberans
Ægyptum. *Conuertit cor eorum, vt odiret populum*
eius, & dolum faceret in ſeruos eius. Hæc autem ideo
facta ſunt, vt tanta amaritudine delibata beneficia, quæ
ſequuntur, ſint nobis dulciora. *Miſit Dominus Moyſen*
ſeruum ſuum, & Aaron quem elegit ipſum: poſuit in eis
verba ſignorum ſuorum, & prodigia eorum in terra Cham.
Moyſes, & Aaron Apoſtolos deſignant quos ad noſtræ
ſeruitutis, ſolutionem Dominus miſit, qui ſignis multis
atque prodigiis in vniuerſo mundo claruerunt. *Miſit*
tenebras, & obſcurauit eos, vt oculorum lumine amiſſo
ſuæ mentis cognoſcerent cæcitatem, hoc autem eis ac-
cidebat, qui ab Apoſtolis prædicati, ſe erraſſe confite-
bantur. *Et non exacerbauit ſermones ſuos*, ſed veritati H
acquieuit. *Conuertit aquas eorum in ſanguinem*, quoniã
huius ſæculi ſapientia, quaſi venenum, & peccatum à
ſanctis reputatur. 1. Corinth. 3. *Et occidit piſces eorum*,
vt mortui mundo Domino viuerent. *Edidit terra eorum*
ranas, id eſt hæreticorum loquacitatem, qui ſola voce
ſine ratione ſanctis reſiſtebant. In penetralibus Regum
ipſorum, in quibus, vti mos eſt, oblectaminis gratia
confabulabantur.

Dixit & venit cinomia, & ciniſes in omnibus finibus
eorum. Nam qui veritati credere noluerunt, tradidit eos
Dominus in reprobum ſenſum. Cinomia, & cinifex eos
perſequitur, qui ſemper à luxuria, & curioſitate ſtimu-
lantur. *Poſuit pluuias eorum grandinem*; Quoniam
Poetarum doctrina potius mortem quam ſalutem infe-
rebat. *Ignem comburentem in terra ipſorum.* Vt enim
Apoſtolorum ignis illuminat ita hæreticorum exurit. *Et*
percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit
lignum finium eorum. Dixit & venit locuſta, & bru-

chus cuius non erat numerus , & comedit omne fænum in terra eorum , & comedit omnem fructum terræ eorum. Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum , Hæc autem ideo ſcripta ſunt , vt quicunque Dei voluntati reſiſtit, ſe multis doloribus periturum cognoſcat.

Et eduxit eos cum argento , & auro. Quamuis enim Ægyptum fugiamus , aurum tamen , & argentum obliuiſci non debemus. Habent enim , & quidam Pagani aurum, & argentum, quia humiles, veraces , & caſti inueniuntur, hi autem quoniam Dei cognitionem non habentes idola colunt euitandi à nobis ſunt, humilitas tamen, veritas, & caſtitas ſpernenda non eſt. *Et non erat in tribubus eorum infirmus*, Videmus ergo , & nos , qui Aegyptum fugientes ad noſtræ promiſſionis terram feſtinamus , ne infirmitate grauati in itinere moriamur. *Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos.* Hoc autem maxime de Iudæorũ ſacerdotibus intelligitur, qui vſque adeo populum incitabant, donec de ciuitatibus Apoſtoli pellerentur , quos ideo metuebant , quoniam ſi populus conuerteretur , omne oblationis lucrum ſe ſe amittere ſciebant. *Expandit nubem in protectionẽ eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*, per ignem, & nubem, ſpiritum ſanctum demonſtrat, qui eos, & à vitiorum æſtu defendebat , & in interiori homine illuminabat. *Petierunt, & venit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos.* Habemus autem & nos coturnices, carnem videlicet noſtri Saluatoris , habemus , & panem viuum , qui de cœlo deſcendit. Ioan. 6. *Dirupit petram , & fluxerunt aquæ.* Noſtra quoque petra, lancea percuſſa, ſanguinem nobis producit , & aquam. Ioan. 19.

Abierunt in ſicco flumina. Similiter autem; & per aridas gentes, baptiſmus, & Euangelium. Sed cur hoc ? *Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum :* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Geneſ. 26. Vnde Apoſtolus : Non dixit , & ſeminibus quaſi in multis , ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Ad Galat. 3. *Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia, & dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt* , Si quis igitur in lætitia venerit, & nullis ſæculi contriſtabitur aduerſis, iſte in regionibus illis habitabit , ex quibus maligni ſpiritus ſunt expulſi. *Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant.* Hoc audiant Monachi, qui ideo in Monaſteri. introducuntur , vt cunctis ſollicitudinibus abiectis ſolius Dei lege, & ſeruitio perfruantur.

EXPOSITIO PSALMI CV.

C*Onfitemini Domino quoniam bonus.* Vox Prophetæ. *Quoniam in ſæculum miſericordia eius.* In hoc ergo fiat confeſſio, in quo & miſericordia fieri poteſt , in inferno enim nulla eſt redemptio. Lucæ 16. *Quis loquetur potentias Domini*, quis eum, inquit , ad plenum laudare valebit ? *Et auditas faciet omnes laudes eius*, ſicut enim ipſe immenſus eſt, ita & laus eius finiri non poteſt, *Beati qui cuſtodiunt iudicium , & faciunt iuſtitiam in omni tempore:* Iudicium enim Domini eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & proximum tuum ſicut teipſum, hoc autẽ ſicut ipſe ait, eſt maximũ & primũ mandatũ, Matth. 22. & qui cuſtodierit hoc, procul dubio beatus erit. *Et faciunt iuſtitiam in omni tempore*, id eſt, qui nunquam ab eius iuſtificationibus ſeparantur.

Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui. Tali, inquit, modo ſis memor noſtri, vt bene placeat populo tuo, qui nos ſumus. Siue, in beneplacito populi tui , vt inter eos ſim qui bene in nouo teſtamento tibi placebũt. *Viſita nos in ſalutari tuo*, id eſt, in filio tuo. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum* , vt noſmetipſos in ea perfectione videamus, in qua electi tui conſiſtunt. *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, vt qui nunc eum futurum eſſe pronuntiamus, cum populo innouato quando venerit, in eadem redemptionis lætitia gaudeamus , *& lauderis* à nobis quoque *cum cætera hereditate tua.*

Peccauimus cum patribus noſtris. Confitemur, Domine, quoniam *iniuſte egimus*, & *iniquitatem fecimus. Patres noſtri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua*, viderunt quidem Exod. 7. 8. 9. 10. 11. ſed non intellexerunt, erant enim in Ægypto, ſuæque mentis cæcitate, peccauerunt ergo, *non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ. Et irritauerunt* eum *aſcendentes in mare rubrum, & ſaluauit eos propter nomen ſuum , vt notam faceret potentiam ſuam, & increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt, & eduxit eos in abyſſum ſicut in deſertum. Et ſaluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici , & operuit aqua tribulantes eos , vnus ex eis non remanſit , & crediderunt verbis eius , & laudauerunt laudem eius* , Hoc autem & in Eccleſia fit , quando nobis baptiſmum tranſeuntibus , perit diabolus cum omni ſuo comitatu. *Cito fecerunt , obliti ſunt operum eius.* Ideo enim cito fecerunt , quia cito defecerunt. Hoc enim locutionis modo illi arguuntur , qui inceptum opus ante tempus omittunt. *Et non ſuſtinuerunt conſilium eius, & concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo, & dedit eis petitiones ipſorum, & miſit ſaturitates in animas eorum , & irritauerunt Moyſen in caſtris , Aaron ſanctum Domini : aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron , & exarſit ignis in Synagoga eorum, flamma combuſſit peccatores* ; Nullus ergo in Dei ſacerdotes inſurgat , ne forte & ſibi idem contingat. *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile , & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fænum*, qui, inquit, in Domino gloriari debuerant, 2. Corinth. 10. in vitulo gloriabantur, Exod. 32. ſed ſi ſeſe fœnum eſſe intelligerent , quod à vitulo deuoratur , fortaſſe ſuum fugerent inimicum. *Obliti ſunt Deum qui ſaluauit eos*, qui *fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro , & dixit vt diſperderet eos , ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius* ; In magna veneratione habendi ſunt ſacerdotes, qui iram Dei frangere poſſunt. *Et auertit iram eius ne diſperderet eos & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem* , quoniam in eam intrare nequierunt. Exod. loc. cit. *non crediderunt verbo eius , & murmurauerunt in tabernaculis ſuis , non exaudierunt vocem Domini , & eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto , & vt deiiceret ſemen eorum in nationibus, & diſpergeret eos in regionibus : Et initiati ſunt Beelphegor*, Deum montium. *Et comederunt ſacrificia mortuorum , & irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina , & ſtetit Phinees & placauit*, occidens adulteros. *Et ceſſauit quaſſatio.* Sic ergo & Epiſcopus ſurgat , ſtet , euaginet gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Ad Epheſ. 6. & deſtruat fornicationem , vt ei hoc ad iuſtitiam deputetur. *Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos , quia exacerbauerunt ſpiritum eius, & diſtinxit in labiis ſuis* , pro eis, inquit , orationem fecit , vt ab irritationis peccato ſoluerentur. *Non diſperdiderunt gentes quas dixerat Dominus illis.* Nos autem , ſuperbiam, luxuriam, auaritiam, cæteraſque gentes deſtruamus , quas nobis Dominus perdere iuſſit. Matth. 5. *Et commixti ſunt inter gentes , & didicerant opera eorum , & ſeruierunt ſculptilibus eorum , & factum eſt illis in ſcandalum , & immolauerunt filios ſuos & filias ſuas Dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem , ſanguinem filiorum ſuorum , & filiarum ſuarum , quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam , & interfecta eſt terra in ſanguinibus , & contaminata eſt in operibus eorum , & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis* : Eſt ergo fornicatio etiam in prauis intellectibus. Vnde malos prædicatores verbum Dei adulterantes Apoſtolus dicit. Corinth. 2. *Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum , & abominatus eſt hereditatem ſuam. Et tradidit eos in manus gentium , & dominati ſunt eorum qui oderunt eos , & tribulauerunt eos inimici eorum , & humiliati ſunt ſub manibus eorum , ſæpe liberauit eos : ipſi autem exacerbauerunt eum in con-*

A *ſilio ſuo*, praua cogitantes. *Et humiliati ſunt in iniqui-
tatibus ſuis, & vidit Dominus cum tribularentur, & au-
diuit orationes eorum:* Nulla vnquã peccatoribus deſpera-
tionis datur occaſio: *& memor fuit teſtamenti ſui*, id eſt,
promiſſionis Abrahæ: Geneſ. 22. *& pœnituit eum ſecun-
dum multitudinem miſericordiæ ſuæ*, vt enim iraſcitur ira-
ſcenti, ita pœnitet pœnitenti, non enim pœnitet vel ira-
ſcitur, iræ tamen, & pœnitentiæ in eo officium inueni-
mus, cum ergo punit, iratus, cum autem miſeretur, mi-
ſericors appellatur. *Et dedit eos in miſericordias, in con-
ſpectu omnium qui ceperant eos: ſaluos fac nos Domine Deus
noſter*, quos multo maiori pretio redemiſti. *Et congrega
nos de nationibus*, vt ſimul in vnam cœleſtem ſedem con-
ueniamus: Siue, in Eccleſiæ vnitatem. *Vt confiteamur
nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua: Benedictus
Dominus Deus Iſraël à ſeculo & vſque in ſeculum, & di-
cat omnis populus fiat fiat.*

EXPOSITIO PSALMI CVI.

B *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſe-
culum miſericordia eius.* Vox Prophetæ: *Dicant
nunc qui redempti ſunt à Domino*, quid dicant, hanc con-
feſſionem. *Quos redemit de manu inimici*: Proprio nam-
que ſanguine redemit nos Dominus de diaboli poteſtate.
Coloſſ. 1: *Et de regionibus congregauit eos*: Iudæi enim
atque gentiles, Ægyptij & Britanni, ex tam diuerſis re-
gionibus ſub vnius Eccleſiæ fide congregantur, quod
apertiſſime in ſequentibus demonſtratur.

A ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari. Dum
hæc quatuor mundi climata poſuit, omnes regiones com-
prehendit. Mare enim, cum totum circumeat mundum
pro ſola auſtrali parte, in hoc loco ponitur, quæ ideo
non nominatur, quoniam Iudaïcus populus qui in hac
plaga habitabat, non vtique congregatus, ſed diſperſus
eſt: congregabitur autem in huius ſæculi conſummatio-
ne, quoniam cum plenitudo gentium introierit tunc Iſ-
raël ſaluus fiet Rom. 11.

C *Errauerunt in ſolitudine.* Hæ, inquit generationes,
quæ ſub vna fide ex omnibus mundi partibus adunantur
olim errauerunt, quoniam in deſerto & ſolitudine erant
lociſque à Deo derelictis. *In inaquoſo*: Ideo enim errabant
quia ſupernæ ſapientiæ nondum attigerant aquam, de
qua dicitur: Omnes ſitientes venite ad aquam. Iſaiæ. 55.
Viam habitaculi ciuitatis non inuenierunt: Nondum ve-
nerat ille qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita Ioan. 14.
Niſi enim hæc via inuenta fuerit, nec cœleſtis quidem
habitaculi ciuitas inueniri poteſt. *Eſurientes erant & ſi-
tientes*, quamvis enim corporeum cibum habuiſſent,
ſpirituali tamen penitus indigebant. *Ideoque anima eo-
rum in ipſis defecit?* defecit anima, quia caro dominaba-
tur, defecit, quia fame periit, non vtique deficeret ſi vi-
uo pane educata fuiſſet, quoniam ligno vitæ deguſtato,
non moreretur in æternum. *Et tandem clamauerunt ad
Dominum cum tribularentur*, poſtquam inquit, famem:
tribulationem & neceſſitatem cognouerunt, cordis cla-
more ad Dominum clamauerunt, *& de neceſſitatibus eo-
rum eripuit eos* Dominus. *Et eduxit eos in viam rectam*,
D hoc autem in tempore Apoſtolorum completum eſt quo
& famelici ſaturati ſunt, & ab errore ad viam veritatis
populi ſunt conuerſi. *Vt irent in ciuitatem habitationis*,
id eſt in cœleſtem Ieruſalem cuius ſuperius inuenire viam
non poterant. Hæc autem habitationis ciuitas recte
vocatur, quia eius habitatio numquam non erit. Ideo-
que *confiteantur Domino miſericordia eius*, id eſt,
laudetur Dominus in ſuarum copia animarum. *Et mira-
bilia eius*, facta *filiis hominum.*

Quia ſatiauit animam inanem. Inanes animas ſatiauit
Dominus, quia diuino munere & cœleſti gratia eos re-
pleuit. Act. 2. *Et animam eſurientem ſatiauit bonis*, qui-
bus enutrita nunquam deficiat. *Sedentes in tenebris, &
vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro*, liberauit
Dominus. In tenebris ſiquidem & vmbra mortis ſede-
bat genus humanum, quoniam veritatis lumine perdito
in erroris obſcuritate perſeuerabat. In paupertate & ferro
erat ligatum, quia dura criminum catena vinctum om-
nium bonorum inopiam patiebatur. Hoc autem, & de E
illis intelligi poteſt, quos ſecum ab inferis Dominus edu-
xit. Ad Epheſ. 4. Sed quare vincti erant? Sequitur. *Quia
exacerbauerunt eloquia Domini.* Sint ergo nobis initia,
Diuina præcepta, ne patrum noſtrorum catena conſtrin-
gamur. *Et conſilium altiſſimi irritauerunt*: Qui enim
furatur; illud Dei conſilium facit irritum, quo dictum
eſt: Non furtum feceris. Matth. 19. *Et humiliatum eſt
in laboribus cor eorum*: Bonis quippe operibus humilia-
tur numquam anima, ſed quaſi gradibus quibuſdam ſem-
per ad altiora aſcendit. *Et infirmati ſunt, nec fuit qui ad-
iuuaret*; Nulla enim eis medicina auxiliabatur, quia ve-
ri medici ignorabant auxilium. *Et tandem clamauerunt
ad Dominum cum tribularentur*, qui ſolus ſalutem con-
ferre poteſt. *Et de neceſſitatibus eorum liberauit eos & edu-
xit eos de tenebris*, in quibus ſedebant. *Et vmbra mor-
tis*, qua erant inuoluti. *Et vincula eorum diſrupit*, qui-
bus irretiti erant. Quocirca, *confitemini Domino miſeri-
cordia eius. Quia contriuit portas æreas*, id eſt, diaboli
obſtacula, à quibus retenti, in patriam reuerti non po- F
terant. Confirmatio. *Et vectes ferreas confregit, ſuſcepit
eos de via iniquitatis eorum*, conuertens ad ſe, qui veri-
tatis æquitatiſque eſt via. *Propter iniuſtitias enim ſuas
humiliati ſunt*: hæc autem humiliatio, non corporis ſed
animæ eſt. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum &
appropinquauerunt vſque ad portas mortis*, quia omne
prædicationis verbum abominati fuerant, ideo in introi-
tu mortis adſtabant. *Et clamauerunt ad Dominum cum
tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.*
Quomodo liberauit? *Miſit verbum ſuum & ſanauit eos*:
Quoniam omnem eſcam, omnemque doctrinam faſti-
dierant, idcirco filium ſuum miſit, Ioan. 3. cuius eloquia
ſuper mel & fauum dulciora ſunt. Quapropter *confitean-
tur Domino miſericordia eius.*

Et ſacrificent ſacrificium laudis, non hircorum, vel
taurorum, non vituperationi vel redargutioni obnoxium
Et annuncient opera eius in exultatione, neque præ ti-
more vel amicitia, celent veritatem, illi videlicet, *qui
deſcendunt mare in nauibus.* Hi autem ſunt Apoſtoli, &
Doctores, qui in fragilis carnis naiculis reſidentes, & G
per huius ſæculi maria nauigantes, magnam piſcium
multitudinem verbi Dei hamo ceperunt. *Facientes ope-
rationes in aquis multis: ipſi viderunt opera Domini, &
mirabilia eius in profundo.* Cum enim inter impios, &
peccatores fuiſſent, & diuerſis tribulationum fluctibus
quaterentur, mirabilia multa, quæ per eos ipſe Domi-
nus operabatur, cernere meruerunt. Actuum 3. 5. 13. 14.

Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ. Stetit inquit procella-
rum impetus aduerſitatumque incurſus, quia ille præce-
pit, cuius dicere facere eſt. *Et exaltati ſunt fluctus eius*
hoc autem ſecundum temporum diuerſitatem dicitur:
Quia aliquando in proſperis, aliquando in aduerſis erant
ſancti. *Aſcenderunt vſque ad cælos & deſcenderunt vſque
ad abyſſos*: Maris ſimilitudinem ſequitur, quod in ſe qui-
dem nauigantibus, modo ad ſydera conſurgere, modo
ad tartara deſcendere videtur, cuius timoris immenſitas H
recte omnibus præfertur quæ timenda, & euitanda ſunt.
Anima eorum in malis tabeſcebat, hic autem timoris &
afflictionis modus declaratur. Nam ſicut Apoſtolus ait,
tantis multoties premebantur aduerſitatibus, vt etiam
viuere eos tæderet. Corinth. 2. *Turbati ſunt & moti ſunt
ſicut ebrius*, pœne totius fidei obliti *Et omnis ſapientia
eorum deuorata eſt*, non valentium tot & tantis reſiſtere
aduerſariis. Vel etiam: Sicut ebrius commoti ſunt quo-
niam etſi occiderentur, flecti tamen non erat poſſibile,
quia ſuperno vino inebriati, mundi huius amiſerunt ſa-
pientiam, ideoque eorum & mundi ſapientiam deuora-
tam dicit. *Et clamauerunt ad Dominum cum tribula-
rentur & de neceſſitatibus eorum eduxit eos & ſtatuit pro-
cellam eius in auram & ſiluerunt fluctus eius*, vt qui Euri
fluctibus iactabantur in altum, mitiſſimi Fauonij ſpirami-
ne ducerentur ad portum. *Et lætati ſunt quia ſiluerunt
& quia eduxit eos Dominus in portum voluntatis eorum*,
Ideoque *confiteantur Domino miſericordia eius & mira-
bilia eius filiis hominum.*

A *Et exaltent eum in Eccleſia plebis*, id eſt in gentium congregatione. *Et in cathedra ſeniorum laudent eum*, id eſt in Eccleſia Apoſtolorum & Prophetarum. *Qui poſuit flumina in deſertum*, quatuor Euangelia in gentes. Repetitio. *Et exitus aquarum in ſitim*, ideſt in eos qui ſitim patiebantur. *Et terram fructiferam in ſalſuginem*, in arenoſam inquit, ſterilemque terram miſit Dominus Apoſtolos ſuos vt fructiferam facerent. Sed quare ſterilis erat? Sequitur. *A malitia inhabitantium in ea.* Nam quia vitiorum multitudo eam inhabitat, ideo ſpinas, & tribulos germinabat. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarum*, mergens peccatores in aquam baptiſmatis. Confirmatio. *Et terram ſine aqua in exitus aquarum*, vt multis aquis irrigata ſterilitatem amitteret. *Et collocauit illic eſurientes*, vt ſpiritualibus paſcerentur cibis. *Et conſtituerunt ciuitatem habitationis*, ſanctam Eccleſiam, vel cœleſtem Ieruſalem in qua ſemper habitabunt. *Et ſeminauerunt agros, & plan-* B *tauerunt vineas*, ſemen eſt verbum Dei, Lucæ 8. per agros, & vineas, Eccleſias intelligimus. *Et fecerunt fructum natiuitatis*, non mortis & ruinæ, vt peccatores.

Et benedixit eis Dominus, & multiplicati ſunt nimis: Quoniam ex 12. Apoſtolis, innumerabilis Eccleſiarum creuit multitudo. *Et iumenta eorum non minorauit*, ideſt Doctores, quibus propagatis, agri, & vineæ colerentur. *Et pauci facti ſunt.* Quid eſt quod nunc multiplicatos, nunc paucos factos eſſe dicit? ſed prius multiplicatos, deinde paucos, nulli enim ſunt, qui modo Eccleſiam doceant ad primitiuorum comparationem.

Et vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore. Vnde *effuſa eſt contentio*, ita & indignatio, *ſuper* huius ſæculi *Principes & errare fecit eos* dux eorum ſpiritus malignus. *In inuio & non in via*, dirigere eos permiſit. *Et adiuuit Dominus pauperem de inopia*, ferculis eum ſatians æternis. *Et poſuit ſicut oues familias*, vt vnaquæque ſuum humiliter ſequeretur paſtorem. *Videbunt recti*, non in inimicorum cæcitate manebunt. *Et lætabuntur*, de reperta vi- C ſione. *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum*, vt ſicut iniquitatem clamauit iniquus ad tempus, ita mutus è contra, ſileat in æternum.

Quis ſapiens. Ille vtique qui *& cuſtodiet hæc*, quæ & in hoc pſalterio replicata ſunt. *Et in his intelliget*, multas & magnas eſſe *miſericordias Domini*.

EXPOSITIO PSALMI CVII.

Paratum cor meum Deus. Vox Eccleſiæ. Paratus ſum non tantum, vt ſeruiam, verum etiam vt in tuo nomine moriar paratus ſum in moribus, paratus ſum in operibus, paratus ſum in ſenſu & intellectu, veteribus cunctis exutus. *Cantabo & pſallam in gloria mea.* Cantabo ore, pſallam operibus. Hoc autem non in me, ſed in te qui es gloria mea, quicquid enim boni facimus in gloria & corona, noſtraque facimus exultatione.

Exurge pſalterium. Surge operationis perfectio, vt in decem præceptorum concordia modo ſeruiam creatori. D Exurge cithara, ne dormias dulcis modulatio, lauda Dominum, placa Saülem, fuga ſpiritum Phitonis. Ego autem exurgam diluculo, id eſt, in huius ſæculi conſummatione, quando vetus dies manifeſtabitur: Bona ergo opera præmittat quicunque in diluculo vigilare, & ſurgere deſiderat. Interim autem, *confitebor tibi in populis Domine & pſallam tibi in nationibus*, dicens: *Quia magna ſuper cælos*, venit ſuper nos *miſericordia tua & vſque ad nubes* ad plenum peruenit: *veritas tua.* Vnde Apoſtolus ait: Et audiui, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui. Corinthiorum. 2. Venit ergo veritas ad nubes, quæ vſque ad terram deſcendere nequit. *Exaltare ſuper cælos Deus &c.* Hæc autem quæ ſequuntur, quoniam in alio loco expoſita ſunt, nulla hic indigent enucleatione.

EXPOSITIO PSALMI CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris; quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Vox capitis. Vi- E des inquit, Pater, quoniam Iudas peſſimus conſiliarius, machinator iniquitatis ſuper me os ſuum aperuit, proditioni inſtat, crucem præparat, nomen meum extinguere conatur. Matth. 26. Sed tu Pater laudem meam ne taceas, reſurrectionem non abſcondas, cunctis gentibus innoteſcat, qualiter à mortuis reſurrexerim. *Locuti ſunt aduerſum me doloſa.* Iſtius, inquit, conſilio reperto, Scribæ & Phariſæi, Pontifices & Sacerdotes linguis ſuis doloſis aduerſum me locuti ſunt, me damnantes, me accuſantes, me reum mortis vna voce clamantes. Matth. 26. *Et ſermonibus odij circumdederunt me*, falſis vndique adhibitis teſtibus. Idem loc. cit. *Et expugnauerunt me gratis*, gratis quidem, quia ſine cauſa & ratione, gratis, quia fruſtra ſuique ad diſperſionem.

Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi. Multa eis bona contuli de Ægypto liberaui. Exod. 14. in deſerto manna paui. Idem 18. terram eis promiſſionis dedi: Io- F ſue 14. mortuos eis ſuſcitaui, Lucæ 7. leproſos mundaui Lucæ 17. cæcos illuminaui, Lucæ 18. nonne hæc dilectionis & non odij cauſæ ſunt? Pro his tamen quibus & me diligere debuiſſent, detrahebant mihi. Ego autem quid faciebam? orabam. O quanta miſericordia? quanta noſtri redemptoris humilitas. Non maledicentibus maledixit, ſed pro ſe calumniantibus, & perſequentibus orauit. Ait enim: Pater ignoſce eis. Lucæ 23. *Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*, ego vitam. Ioan. 1. ipſi mortem. Ioan. 19. ego medicamentum. Num. 21. ipſi venenum. Roman. 3. ego mel & fauum. Num. 13. ipſi acetum. Ioan. 19. cum felle mixtum. Matth. 27. mihi porrexerunt.

Ideoque *conſtitue ſuper eum peccatorem.* Quoniam quidem peccatorem Cæſarem. Ioan. 19. & Barrabam. Ioan. 18. & ipſum diabolum omnium vitiorum principem elegerunt: ſub ipſius iugo atque imperio comprimantur. Confirmatio: *Et diabolus ſtet à dextris eius*: quid de ſiniſtra fiet, quandoquidem manus eius dextra à diabolo detinetur? Quid illius ſiniſtra operatur, in cu- G ius dextra diabolus adſtat? Cognoſcite ergo Iudæi quoniam diabolica ſunt, in quibus maxime Domino vos ſeruire putatis.

Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Nolite ergo orare Iudæi, ne legatis pſalmos & Prophetias, peccatum enim eſt, Deumque offenditis omniſque veſtra oratio in anathema conuertitur. Hoc autem erit manifeſtum, quando de iudicio condemnati exibitis. Matth. 25. *Fiant eius dies pauci*: pauci fuerunt dies Iudæ, quoniam ſe eadem die laqueo ſuſpendit, pauci fuerunt dies Iudæorum, quia poſt quadraginta & duos annos locum, & gentem amiſerunt. Oſeæ 3. diminuti ſunt dies, quoniam creuerunt noctes. *Et Epiſcopatum eius accipiat alter.* Iudæ Matthias, Act. 1. Synagogæ Eccleſia ſucceſſit. Amiſit enim Synagoga Pontifices ſuſcepit Eccleſia Apoſtolos.

Fiant filij eius orphani & vxor eius vidua. Hoc autem etiam ad litteram completum eſt, quoniam temporibus Titi magna Iudæorum interiit multitudo. Spiritualiter H autem, huius populi filij dicuntur orphani: quia patrem ſuum crucifixerunt. Matth. 27. mater vero, id eſt, Synagoga, vidua remanſit, libello repudij recepto à tanto talique viro diſſociata. *Nutantes*, labentes & morientes. *Transferantur filij eius*, de gente in gentem diuidantur, vendantur, cunctiſque gentibus ſubiiciantur. Et mendicent, qui enim indiget, pauper eſt. Ideoque Iudæi mendici dicuntur, quoniam cœleſtis panis diuitiarumque ſpiritualium ſunt pauperes. *Eijciantur de habitationibus ſuis?* Nonne ita factum eſt? immo quia ita eſt.

Scrutetur fænerator omnem ſubſtantiam eius. Fænerator iſte, malignus ſpiritus intelligitur. Veniat hic importunus fænerator, ſcrutetur ſubſtantiam populi huius, & quæ ſua ſunt, ſecum euellat. Expoſitio. *Et diripiant alieni labores eius*, vt quicquid eſt operatus, à dæmonibus diripiatur. *Non ſit illi adiutor.* Quis enim Iudæis auxiliatur? Fuerunt in Ægypto, habuerunt Moyſen, & Aaron. Exod. 7. Qualiter autem Dominus eos adiuuerit,

longum

A longum eſt enatrare. Fuerunt & in Babylonia, ibi Daniel eos conſolabatur. Cum ergo iam per mille annos ſint in captiuitate,& non ſicut prius adiuuentur impletur quod dictum eſt. Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius. Hoc autem de ſenſibilibus nos verum eſſe ſcimus, de inuiſibilibus autem animabus videlicet quid Dominus faciat, ipſe melius nouit. *Fiant nati eius in interitum.* Multi enim iam ex eis ſunt interempti, maior tamen in iudicio exſpectatur interitus.

In generatione vna deleatur nomen eius. Vt tantum in hoc ſæculo viuant, vitamque poſt mortem non habeant. Sed tu Iudæos, qui litteram quæris, nonne poſt quadraginta & duos annos, in quibus vna perficitur generatio Hieruſalem deletam confiteris? Qui ergo quæris litteram pereas ſecundum litteram. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini.* Vt qui poſt quadraginta annorum diuerticula non ſunt compuncti, Chriſti paſſionis, & Patrum iniquitatis crimine teneantur. Siue B cum ad iudicium venerint, nec originale peccatum nec cætera quæ commiſerunt eis dimittantur. *Et peccatum matris eius,* illius ſcilicet Ieruſalem quæ prophetas occidit. Act. 2. non deleatur.

Fiant contra Dominum ſemper. Semper enim Chriſto Domino contrarij fuerunt. *Et diſpereat de terra memoria eorum,* ne ſimul cum ſanctis ſcribantur in libro vitæ, *pro eo quod populus iſte non eſt recordatus facere miſericordiam.* Quia in operibus confidit miſericordiam paruipendit. *Et perſecutus eſt hominem pauperem & mendicum & compunctum corde, mortificare.* Inops enim & mendicus fuit. Quoniam vt ait Apoſtolus cum omnium diues eſſet pro nobis pauper factus eſt. 2. Cor. 8. Corde autem fuit compunctus, quando dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Matth. 26. Siue quando patrem pro diſcipulis rogauit. Ait enim: Pater conſerua eos quos mihi dediſti. Ioan. 17. *Et dilexit maledictionem,* quæ ſuper iniquos futura eſt. *Et veniet ei, & noluit benedictionem,* quæ in noſtram Eccleſiam deducetur. *Et elongabitur ab eo & C induit maledictionem ſicut veſtimentum,* vt quaſi talari veſte ea tegeretur. *Et intrauit ſicut aqua in oſſibus eius,* vt qui fortiores eſſe videntur, corruptiones non effugiant. *Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur & ſicut Zona, qua ſemper præcingitur,* omni tempore circumdatus ea, qua ſit ſine cauſa conſtrictus. *Hoc opus eorumqui detrahunt mihi apud Dominum,* quicumque Dei filium me eſſe negant. *Et qui loquuntur mala aduerſus animam meam,* dicentes, Deus dereliquit eum. Pſalm. 70. & non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Pſal. 3.

Et tu Domine fac vt ſis mecum propter nomen tuum. Quod inuocaui, vt ipſi mendaces inueniantur. *Quia ſuauis eſt miſericordia tua, Libera me,* de huius carnis infirmitate. *Quia egenus & pauper ego ſum* quamdiu in carnis inuoluor corruptione. *Et cor meum conturbatum eſt in me,* quod carnis quidem infirmitas facit.

Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum. Quoniam nullam Iudæorum partem inhabito. Vel ideo ſicut vmbra, quoniam Iudæi ſi velint, me tamen fugere ne- D queunt. *Et excuſſus ſum ſicut locuſta,* id eſt, vt populi, regnique vaſtator, cui ipſi dicebant: Quouſque animas noſtras perdis, ſi tu es Chiſtus, dic nobis palam.

Genua mea infirmata ſunt in ieiunio, caro mea immutata eſt propter oleum. Quia oſſa, cor & anima ob fidei firmitatem, alias appellantur. Genua hoc in loco Apoſtoli propter inflexionem, dicuntur, genu namque fuit Petrus, qui prius, etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo promittens, ad vnius ancillæ vocem leuiter inflexus, non noui hominem, dixit. Matth. 26. Hoc autem à ieiunio fiebat, quia nondum ſcripturas intelligebant. Lucæ 24. Deficiente oleo mutata eſt caro, quoniam veri luminis fomento extincto infirmitati ſunt Apoſtoli. *Et ego factus ſum opprobrium illis,* qui me in cruce pendentem viderunt & illudentes, capita ſua mouerunt, dicentes? Vah qui deſtruis templum Dei. Matth. 27. *Adiuua me Domine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam, & ſciant quia manus tua hæc, & tu* E *Domine feciſti eam,* poteſtatem enim habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Ioan. 10. Non ergo eorum virtus, ſed manus tua iſta peregit. Non enim haberent in me poteſtatem, niſi hoc à te datum illis fuiſſet. Ioan. 18. Non vos excuſo Iudæi, ſed Dei omnipotentiam prædico: vos enim quæ potuiſtis feciſtis & quæ non potuiſtis, voluiſtis. *Maledicent illi, & tu benedices.* Nihil enim in eum hominum valet maledictio. *Qui inſurgunt in me confundantur ſeruus autem tuus lætabitur,* quia ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens Ad Philip. 2. *Induantur, qui detrahunt mihi pudore,* vt me die tertia reſurgente. Matth. 16. de mendacio erubeſcant quo mihi ante Pilatum detrahebant. Dicebant enim recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens poſt diem tertium reſurgam, iube ergo cuſtodiri ſepulchrum ne à diſcipulis furetur Matth. 27. erubeſcant ergo, quia reſurrexi. Induantur pudore, quia mendaces comprobantur. Hoc autem non ego, ſed eorum Propheta teſtatur: *Operiantur ſicut diploide confuſione ſua.* Eſt autem diplois F duplex genus veſtis, merito ergo Iudæorum confuſio diploidi aſſimilatur, quoniam duplex eſt, ſiquidem in anima & corpore, in hoc ſæculo & in futuro propagatur. O miſeri & per omnia infelices, qui nuptiali veſte amiſſa confuſione induuntur. Ego autem; *confitebor Domino nimis in ore meo & in medio multorum laudabo eum.* Non enim iam in ſola Iudæa laudatur Dominus, verum etiam in omnibus mundi partibus. *Quia adſtitit à dextris pauperis,* cuius pauperis? Illius qui ait: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Lucæ 9. ſic autem de ſe quaſi de alio loquitur Dominus, quod nos ſequentia docent. *Vt ſaluam faceret à perſequentibus, animam meam,* id eſt, à Iudæorum impietatibus, qui eum armata manu circa ſepulchrum obſidebant. (Matthæi 27.

EXPOSITIO PSALMI CIX.

G *Dixit Dominus Domino meo.* Vox Prophetæ. *Sede à dextris meis.* Reuertenti inquit Domino meo de Edom dixit ei Pater eius, qui illius & Dominus eſt. *Sede à dextris meis.* Dominus enim eſt Pater, Dominus eſt Filius, Dominus & Spiritus Sanctus. Non tres tamen ſed vnus Dominus. Vt enim in perſonis trinitas, ſic in maieſtate permanet veritas. S. Athanaſ. 1. Symb. Quis igitur vel cui dixit. Sede à dextris meis? Pater dixit, & filio dixit hoc autem ſecundum carnem: vt quem Iudæi in ſepulchrum humiliauerunt, idem ipſe à dextris Dei ſedere intelligatur.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Donec inimici tui omnes tuo ſubiiciantur imperio. Omnia autem quæcunque hic vel promittuntur, vel præcipiuntur, ad hominem referenda ſunt.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Propheta eſt, qui loquitur, ideo & futuro pro præterito vtitur, verumque ordinem non obſeruat. Sion, & Ieruſalem, vnum ſunt, niſi quod Ieruſalem tota ciuitas? Sion ve- H ro, quædam ciuitatis turris, & defenſio erat. De hac autem: Sion, & Ieruſalem exiuit lex, & verbum Domini. Iſaiæ 2. quo circa & virga virtututis eius. Virga virtutis eius Euangelium intelligitur de quo Apoſtolus ait: Non enim erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt. Roman. 1. Hac autem virga corriguntur, hoc ſceptro venerabili reguntur, quicumque Dei virtutem & omnipotentiam recognoſcunt. Miſit ergo Dominus hanc virgam ex Sion, quoniam Apoſtolica prædicatio ibi exorta in omnes fines terræ proceſſit. Pſal. 18.

Tu autem *dominare in medio inimicorum tuorum:* Quicumque enim diabolo ſeruit, Domini eſt inimicus. Aut, quia totus mundus ei ſeruiebat, priuſquam carnem Chriſtus aſſumeret. Erant ergo eius inimici, qui nunc amici facti, de ipſius imperio, & dominio gratulantur.

Tecum principium. Tu inquit, omnia cum patre feciſti, tu omnium creaturarum es principium. Omnia per

te facta ſunt, & ſine te factum eſt nihil: Ioan. 1. Confundantur ergo Iudæi, qui eum dæmonium habere clamabant, quoniam ſe prius quam Abraham fieret, eſſe dicebat. Ioan. 8.

Hoc autem manifeſtabitur *in die virtutis tuæ*, id eſt, *in ſplendoribus ſanctorum*, Cum, inquit, tuæ virtutis dies aduenerit, in quo & mali peribunt, & ſicut ſol in Regno Dei ſancti fulgebunt. Prou. 8. tunc principium, omniumque creator manifeſtabitur.

Tu enim es, cui Pater dicit: *Ex vtero ante luciferum genui te*. Te, inquit, ex me genui ante tempora, Ioann. quem ex virgine, & naſci, & gigni volui in tempore. (Lucæ 2.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Quid iurauit. Sequitur. *Tu es ſacerdos in æternum*. Vnde Apoſtolus: Plures facti ſunt ſacerdotes ſecundum legem, & ideo plures, quoniam morte prohibentur permanere ad Heb. 7. Tu autem Chriſte, quia iam mori non potes, eris ſacerdos in æternum quo ordine? *Secundum ordinem Mel-*
B *chiſedech*. Ceſſent igitur ſacrificia mortuorum. Quis eſt iſte Melchiſedech? cuius pater, & mater & generatio ignoratur, Chriſtus enim, neque ſecundum Deum, matrem, neque ſecundum hominem habuit patrem, de quo dicitur: Generationem eius, quis enarrauit? Actio. 8. Eſt ergo ſine patre, & matre, & genealogia. Melchiſedech ſacrificium panis, & vini fuit. Geneſi 14. Chriſti autem, ſui corporis, & ſanguinis. Vnde ipſe ait; Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ioan. 6.

Dominus à dextris tuis. Prius Filium à dextris Patris: nunc autem Patrem à dextris Filij eſſe dicit. Qua in re vna maieſtas, vna æqualitas, vna virtus, eademque potentia demonſtratur, quæ Reges, & Principes, ſæculique tyrannos *in iudicio franget*. Poteſt autem & ſic intelligi. Dominus confringet Reges in die iræ ſuæ: qui tibi à dextris fuerint, quaſi ad præliandum accincti. Vnde in Zacharia legitur: quod à dextris Ieſu diabolus ſtetiſſet, vt cum eo pugnaret *Zach.* 3. Regem autem
G ipſe ſe aſſerebat, quoniam vniuerſa regna mundi Dño promittebat, ait enim, Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me. *Matth.* 4. Hic autem Rex tunc confringetur, quando dies iræ, calamitatis, & miſeriæ reuelabitur.

Iudicabit in nationibus implebit ruinas. Oportet enim, vt ruinas impleat, qui in ruinam poſitus eſt, & in reſurrectionem multorum. *Luca* 2. Fecit Dominus ruinam, cum malignorum ſpirituum exercitum de cœlis expulit: *Apoc.* 12. Siue, cum Adam de Paradiſo cum vxore eiecit: *Gen.* 3. Siue cum filios Iſraël in deſerto ſtrauit. *Exod.* 32. Compleuit autem, quando diabolum, eiuſque Angelos, igni tradidit inextinguibili: & nulla exinde ruina fiet. Implebit etiam ruinas, quia ſancti illuc aſcendent, vnde Angeli ceciderunt. *Conquaſſabit capita in terra multorum*: capita conquaſſabit, ſuperbos humiliabit. Hoc autem in terra. Si enim in cœlo, & ſpirituales fuiſſent, non vtique concurrerentur.

De torrente in via bibet. In via erat, peregrinus erat,
D ad Patrem Chriſtus feſtinabat. In hac ergo via oportuit de torrente bibere Chriſtum: de torrente bibit, mortis amaritudinem guſtauit. *Matth.* 27. De hoc calice ipſe ait: Pater, ſi poſſibile eſt, transfer calicem iſtum à me; *Matth.* 26. Quid eſt autem quod in Euangelio dicitur, & cum guſtaſſet noluit bibere. *Matth.* 27. hic autem de torrente bibiſſe dicitur? niſi vt mortem iſtam facilem & cito tranſeuntem oſtenderet. *Propterea exaltauit caput*. Id eſt, die tertia reſurrexit; *Matth.* 27. quia ſe ipſum exinaniuit *Philip.* 2. ipſe & caput exaltauit, non iacuit in Sepulchro, ſed ſuper cœlos potenter aſcendit. *Marc.* 16. qui totius mundi Rex & caput cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat.

EXPOSITIO PSALMI CX.

CONfitebor tibi Domine. Vox Prophetæ Laudabo te, magnificabo te, non in labiis tantum, ſed *in toto corde meo*. Vbi? *In conſilio iuſtorum, & congregatione*, E
& dicam; *Magna* parebunt *opera Domini* Si fuerint exquiſita. Non enim ſolummodo in Sole. Luna, tantique firmamenti volubilitate, verum etiam in minutis rebus Dei ſapientia, virtus, & operatio celeberrima reperitur. *In omnes voluntates eius, confeſſio, & magnificentia* incurrit. Non enim aliud ex noſtris vult Deus, niſi confeſſionem, & magnificentiam. Qui ergo ipſi placere deſiderat, ſemper confeſſionem in mente habeat, vt & Dominum laudet, & peccata confiteatur, hoc enim vtrumque ſignificat confeſſio. Sequatur magnificentia, vt ſibi ipſi ſemper tribuat incrementa. Hoc autem vult Dominus, vt aſſidue creſcat, & de virtute in virtutem magnificetur, qui ad eum venire concupiſcit, vnde ſicut luna perfecta: in nullo deficiens inueniatur, *opus eius*.

Et iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, in hoc autem à cæteris operibus diſtinguuntur opera Domini, quoniam hæc ſemper erunt, alia vero igne conſummabuntur. Hæc ergo iuſtitia, & opera ſequantur, quæ imitatores æter-
nos facere poſſunt. F

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus. Scribens ea, & prædicans per Prophetas. Qui enim docet, memoriam facit: quod enim omnino ignoratur, nunquam in memoria habetur. Quæcunque ergo ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Rom.* 15.

Eſcam dedit timentibus ſe. Vt enim panis corporum, ſic ſcripturarum memoria, eſca eſt animarum. Vnde ipſe Dominus ait? Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei. *Matth.* 4. Dedit & aliam eſcam, illum videlicet panem viuum, qui de cœlo deſcendit *Ioan.* 6.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui. Non enim ſola littera, verum etiam litteræ obſeruatores, ſunt teſtamentum Dei, *Virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo*. Iuſtitia namque, pax, patientia, humilitas, charitas, opera Domini ſunt. Horum autem virtutem, eo docente, cognouimus. Scimus enim quoniam tanta in his virtus habetur, vt vitam poſſint procurare æternam. Hoc
enim ipſe Chriſtus docebat, quando octo beatitudines G
prædicabat. *Matth.* 5.

Vt det illis hæreditatem gentium. Expulſæ ſunt gentes de ſuperna hæreditate, quam bene in vinea laborantibus, daturus eſt Dominus. *Opera manuum eius veritas, & iudicium*. Cuncta enim quæ fecit, vera ſunt neque mendacij dolus in ſuis operibus reperitur. Si quid autem corruptum eſt, hoc iam ipſius opus non eſt: corruptio enim bona non eſt, quæ autem Dei ſunt, bona ſunt. Falſitate ergo quæ ſunt corrupta, eius non ſunt. Iudicium autem eſt in ſuis operibus, quoniam ſine diſcretione, & ordine nihil fecit.

Fidelia omnia mandata eius. Omnia ergo fidem habeant, & ab omnibus credantur, quæ vel in nouo vel in veteri inueniuntur teſtamento. *Confirmata in ſæculum ſæculi*: Vnde ipſa veritas ait. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. *Marc.* 13. erunt ergo in ſæculum ſæculi. *Facta in veritate, & æquitate*, quoniam & vera ſunt, & iuſtitiam prædicant, non autem
omne verum, etiam iuſtum. H

Redemptionem miſit populo ſuo, id eſt Chriſtum, qui ſuo ſanguine mundum redemit. *Ad Hebr.* 9.

Mandauit in æternum teſtamentum ſuum, æternus eſt Dominus, æternum eſt & teſtamentum. *Sanctum & terribile nomen eius*. Sanctum eſt ſanctis, terribile malis, *Initium ſapientiæ timor Domini*, qui ergo ſapiens fieri incipit, vt Deum timeat prius oportet. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Non ergo bene intelligit, qui quod intelligit, non operatur. Intelligat ergo homo quoniam initium ſapientiæ eſt timor Domini. Et vt intellectus bonus ſit, timeat Dominum, ſicut intelligit: quod ſi fecerit, *laudatio eius manet in ſæculum ſæculi*. Hoc enim Apoſtoli fecerunt quorum laus ab omnibus.

(†)

A

DOMINI STEPHANI Eduenſis Epiſcopi.

De Sacramento Altaris Tractatus.

NOTA.

Stephanus Auguſtodunenſis Epiſcopus, hoc nomine primus, Merigaldo ſucceſſit anno 1112. & obiit circa annum 1130. alter vero eiuſdem nominis poſt Henricum Epiſcopus fuit ab anno 1160. vſque ad 17. vel 19. maij 1189. quo obiiſſe perhibetur. Vter fuerit author huius libri ſiue tractatus de Sacramento altaris iiſque quæ ad illud variaſque Eccleſiæ miniſtros pertinent, nemo facilè dixerit. Erraſſe tantum compertiſſimum eſt, qui cum Ioanne Garſtio, Poſſeuino, Bellarmino, Miræo aliiſque ad annum 950. reuocarunt.

B

PETRVS CLVNIACENSIS Abbas de Stephano primo Auguſtodunenſi hæc habet Epiſtola 6. libri 5. ad Humbertum de Balgiaco Archidiaconum Auguſtodunenſem.

ADdat tibi ſtimulos veniendi *ad Religioſæ vitæ caſtra* venerabilis ille & cum honore nominandus Stephanus Eduenſis Epiſcopus, auunculus, vt audio, tuus, qui ſpretis parentibus, nobilitate, faſtu, diuitiis, ipſis etiam Epiſcopalibus infulis abiectis, pauperem Chriſtum pauper ſequutus eſt, & in ſancta deuotione toto mentis affectu perdurans, atque inter manus meas extremum Deo ſpiritum reddidit cum veneratione tanto ſacerdoti congrua, tam à me quam à fratribus Cluniaci conditus eſt.

C

NOTA P. Labbe.

Tractatum illum de Sacramento altaris à Ioanne Montolouio Eduenſi cantore anno 1517. primùm editum dicatumque Iacobo Huralto eiuſdem vrbis Epiſcopo, omnes fere quos vidi tribuunt huic primo Stephano, ſed nondum vidi, qui ratione aliqua id ſtabilire fuerit agreſſus.

TRACTATVS DOMINI Stephani Eduenſis Epiſcopi, de Sacramento altaris.

D

PROLOGVS.

ORdinatrix omnium Dei ſapientia attingens à fine vſque ad finem fortiter & diſponens omnia ſuauiter, ſcilicet Dei filius: miro & ineffabili modo ſe carne induens, ſtolâ immortalitatis nos induit, & corruptibili indumento incorruptionis. Qui expleta diſpenſatione à Patre ſibi creditâ, volens nobis relinquere omnia ſaluti neceſſaria, viſibili materiâ ordinauit & fieri præcepit inuiſibilia Sacramenta. Quomodo enim poſſet homo intelligere dona ſpiritualia niſi aliquo viſibili moueretur ad ea percipienda? virtus enim Sacramentorum, inuiſibilem operatur effectum. Quod exemplorum documentis liquido apparebit. Sacramentum baptiſmi ordinatur in aquis regeneratiuis: quia ſicut aquâ ſordes exteriores abluuntur, ita ſpirituali gratiâ in lauacro regenerationis datâ mundantur interiora inquinamenta. Item in copula maris & fœminæ quæ coniugium dicitur, vnitas capitis & membrorum id eſt Chriſti & Eccleſiæ intelligitur. Item olei vnctione figuratur operatio diuinæ miſericordiæ. Oleum enim ſanat, reficit, & ſupernatat: Dei miſericordia contritos ſanat, contritiones alligat, eſurientes pane indeficienti reficit & ſatiat, & iudicio ſuperexaltat. Hoc modo in Eccleſiaſticis Sacramentis ſpiritu ſancto cooperante ordinatis inuiſibiliter operatur gratia ſeptiformis. Licet enim vnus & idem ſit ſpiritus qui in ſingulis prout vult operatur, tamen pro varietate diſtributionum aſſignatur diuiſio gratiarum. Nam diuiſiones fiunt donorum pro qualitate ſuſcipientium. Nulla igitur in ſpiritu varietas, ſed ſine omni alteratione identitas. Diuidit quibus vult & quantum vult, & non diuiditur, omnia continet: & in omnibus eſt. Qui dat, ipſe donum eſt. Et cum dona ſint diuiſa: vnus manet & indiuiſus, qui donat, vnus eſt, qui in ſe dato dat plura: & cum ſit quod datur, ipſe eſt dona diuerſa. Omnia quæ donantur ad vnum referuntur: velut cum quis diſtribuat alij aurum, alij argentum, alij copiam gemmarum, multa diuidit, & vnum facere intendit, ſcilicet, mutuum obſequij & amicitiæ cum gratiarum actione. Ita in diſtributione donorum ſpiritus ſanctus plura diſtribuit; & vnum efficit. Sed quod vnum templum Dei? de quo Apoſtolus, templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, hoc templum ſpiritus ſanctus ſui infuſione imbre ſalutifero rigat, & ab omni ruina & corruptione conſeruat. Hæc eſt pluuia voluntaria qua aſpergit hominem ſeptiformis gratia. Prima cuſtodit oſtium cordis, & vitia introire non permittit. Secunda, quæ ſint facienda ſcrutinio mentis legit, & deliberat vt ſe & alios erudiat. Tertia; quæ ſordes vitiorum purgat, de corporibus obſeſſis demones fugat. Quarta expulſis tenebris introducit opera lucis. Quinta eſt in operibus miſericordiæ; vt in pauperum viſitatione, peregrinorum ſuſceptione, pedum ablutione, mortuorum inhumatione. Sexta, à ſeruitute peccati eximitur homo ad libere ſeruiendum Deo. Septima, in ara crucis crucifigit hominem cum vitiis & concupiſcentiis. Sic fungitur in ſe homo vice oſtiarij, lectoris, exorciſtæ, acolithi, ſubdiaconi, atque ſacerdotis. His virtutibus homo interior adornatur. Ad quod ſignificandum, prædictorum graduum miniſterio Eccleſia decoratur. Sed qui ad hos gradus premoueri intendunt, regale ſignum prius accipiunt, quod habent in ſummitate capitis expreſſum, & à rotunditate corona nuncupatum. Tonſio capillorum & raſura oſtendunt vitia quæ pullulant & ſuccreſcunt eſſe reſecanda. Rotunda forma tonſionis regnum ſpirituale quo præeminent cæteris. Hi ſunt genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, prædicto ſtigmate inſigniti, dicuntur clerici, eo quod eos Dominus ſortitur & ipſi Dominum ſortiuntur. Quod autem ſint ſorte Domini deſignant qui in tonſione in perſona eorum dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ. Item: hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Et in alio Pſalmo: funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Ad cuius gloriam præclaræ hæreditatis perueniunt milites Chriſti: qui mundo renuntiant, & Deo militant, de laboribus ſuis vitæ neceſſaria quærunt, ſuperflua abiiciunt, & mundum contemnunt. Vnde non immerito ſigno regio ſignantur, qui ſe Dei hæredes, & in regia & in præclara hæreditate regnaturos ſe profitentur. Tonſura capillorum à Nazareis videtur habuiſſe exordium, qui crine ſeruato deuotione completa caput radebant. Vnde ab Apoſtolis eſt inſtitutum, vt qui diuino cultui ſunt mancipati: hoc ſignaculo ſint Domino conſecrati. His prælibatis ordinem prædictorum graduum exequamur.

Baptiſmus. — *Matrimonium.* — *Diuiſiones gratiarum.* — *Septem ſacri ordines in interiori homine repraeſentati.* — *Capillorum tonſio inſtituta ab Apoſtolis Nazareorum exemplo.*

E F G H

CAPVT I.

Oſtiariorum officium.

IN primo ſunt oſtiarij: quorum eſt prouida ſollicitudo oſtium Eccleſiæ ſeruare, depoſita in Eccleſia fideliter

cuſtodire

cuſtodire, indignis ianuam claudere, dignis aperire, vt & quos cognouerint recipiendos admittant, quos repellendos, excludant. Inde enim quod dantur eis claues Eccleſiæ, Epiſcopo dicente, ſic agite, quaſi reddituri rationem de rebus quæ his clauibus recluduntur. Sed ad diſcernendum qui ſint digni vel indigni: cautela oſtiariæ miniſtrationis eget auxilio gratiæ ſpiritualis. Primitiua etenim Eccleſia vſque ad Euangelium catechumenos recipiebat. Poſt Euangelium iubebantur exire: quia nondum vocati, indigni erant communicare Sacramentis. Excludebantur & Ethnici, qui omnino à fide erant alieni. Sic excommunicati, ab introitu Eccleſiæ & Sacramentorum participatione ſunt eliminandi.

CAPVT II.

De lectorum officio & ordinatione.

IN ſecundo ſunt lectores, qui debent ſcripturas Canonicas legere, & quæ legerint diſtinctè pronunciare, pronunciata pie & fideliter intelligere. Qui enim diſtinctè legunt & pronunciant, auditoribus intelligentiam parant: qui vero confuſè, ſenſus eorum perturbant. Oportet Lectorem eſſe præditum ſcientia, munitum eloquentia: quatenus cola & commata, diſtinctiones, ſubdiſtinctiones, accentuum varietates diſcernere ſciat, & quæ ſecundum ſyſtolem vel diaſtolem, ſiue encletice fuerint pronuncianda. Sed niſi intus ſit qui doceat, in vanum lingua docentis laborat. Opus eſt eum eſſe moribus ornatum, honeſtæ vitæ probatum, ne à ſe Spiritum docentem repellat. His datur tenendus in manibus codex diuinarum Scripturarum, præcipiente Epiſcopo & monente, vt conuenienter tractent ſuum miniſterium, his verbis: Accipite, & eſtote Verbi Dei relatores: ſi fideliter & vtiliter officium veſtrum impleueritis, partem habituri cum iis qui verbum Dei bene miniſtrauerunt.

CAPVT III.

De Exorciſtarum Officio, & ordinatione.

TErtium ordinem ortiant Exorciſtæ ſic vocati à poteſtate adiurandi: quia in fide S. Trinitatis dæmones expellunt de corporibus obſeſſis. Hi debent coram Deo & hominibus clarere munditia vitæ, ſordibus vitiorum expulſis. Sancti Spiritus gratiâ mundante. Qui enim ſuper immundos ſpiritus habent imperium, eos oportet habere Spiritum mundum. Et qui tradita ſibi poteſtate malignos ſpiritus ejiciunt de corporibus obſeſſis, ſpiritu benignitatis & operibus mundis vitia & immunditias expellant de cordibus ſuis, & quorum medicina aliis proficit ſibimet ſciant mederi. Non enim probatus eſt medicus qui alij medetur, neſciens curare morbum quo læditur: præcipuè cum eodem languore laborent, ipſe, & ille cui medetur. His quia ex re nomen habent, dat Epiſcopus librum Exorciſmorum, dicens: Accipite, & habete poteſtatem ponendi manus ſuper Energumenos & Catechumenos.

Liber exorciſmorum.

CAPVT IV.

De Acolythorum Officio, & ordinatione.

OFficium Acolytorum qui quartum obtinent gradũ: eſt, ante Diaconem ferre cereum accenſum cum ceroferario vſque ad Analogium, & tenere debent, dum legitur Euangelium, & dum Miſſæ celebratur ſacroſanctum Myſterium. In quo ſignificatur quod ſicut in manibus geſtant lumen viſibile, ita lumen ſplendidum quod eſt Chriſtus, habeant in mente, fide, & operatione. Exemplo enim vitæ, & verbo doctrinæ tenentur de ſuis & aliorũ cordibus tenebras expellere: & radio ſui luminis alios illuminare. Vnde quia & nomine & re ſunt ceroferarij, accipiunt candelabrum cum cereo, vt ſciant ſe ad luminaria accendenda mancipatos. Accipiunt & vrceolum: in quo datur eis poteſtas infundendi aquam in calicem Dominicum quibus dicitur. Accipite ceroferarium cum cereo: vt ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipite vrceolum: quo infundatis aquam in calicem Domini.

Sacrificium ... Myſterium.

Candelabrum cũ Cereo. Vrceolum

CAPVT V.

De Officio, & ordinatione & continentia Subdiaconorum.

QVinto gradu præcellunt Subdiaconi, non ordine numerandi, ſed priuilegio dignitatis. Horum eſt miniſterium, epiſtolam legere, leuitis miniſtrare, altaria componere, ſubſtratoria, pallas, corporalia lauare, aquam ablutionum in baptiſterium vergere, de oblationibus ponere in altario quantum poſſit ſufficere populo. In miniſterio altaris approximant, quia vaſa in quibus fit conſecratio Dominici corporis & ſanguinis, portant. Vnde ſermo Propheticus ad iſtos dirigitur. *Mundamini qui fertis uaſa Domini.* Propterea lex continentiæ quæ munditiam parat & conſeruat, eis indicitur: cuius obſeruantia non eſt naturæ, ſed gratiæ. *Quod enim de carne eſt caro eſt: quod de ſpiritu, ſpiritus eſt.* Dicuntur Subdiaconi, quaſi ſub Leuitis ad eis ſeruiendum ordinati. Et quia plus aliis prædictis ordinibus miniſterio altaris eis appropinquare permittitur, inter ſacros ordines numerantur. Ad deſignandum eorum officium, dat eis Epiſcopus patenam & calicem. Archidiaconus, vrceum cum aqua & manutergium: quibus Presbyter & Leuita tractaturi Dominica Sacramenta, lauent & mundent manuum inquinamenta. Manipulus eis datur ab Epiſcopo dicente. Accipe manipulum, imple miniſterium tuum: potens eſt enim Dominus, vt augeat tibi gratiam induendo tunicam, dicat Epiſcopus: Induat te veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdet te ſemper.

Oblationes in altari.

CAPVT VI.

Quod Chriſtus Eccleſiaſticas adminiſtrationes ſuſceperit.

DOminus noſter in propria perſona prædictas ſuſcepit adminiſtrationes, quatenus exemplo ſui, cum pia deuotione & vitæ emendatione ſuſcipiendas eſſe demonſtraret. Qui enim Spiritus eſt incircumſcriptus, Sanctus Sanctorum, Deus homo factus, in vtero Virginis circumſcriptus: de plenitudine ſua voluit nobis circumſcribere vnctionem S. Spiritus, qua vngimur in ſingulis ordinibus. Vnde quicumque ad ſuſcipiendum ordines accedit, ſolicite bene viuendo caueat ne effectum vnctionis ſpiritualis amittat. Euacuatur enim S. Trinitas, vbi intervenit vitæ turpitudo. Qui enim de vſuris, ſimoniis, falſis teſtimoniis periuriis, & aliis modis illicitis male acquirendo lucra ſectantur: vnctionem à ſe expellunt: & puluere ſordido ſqualidi efficiuntur. Officio Oſtiarij vſus eſt Dominus, quando funiculo de reſticulis facto, vendentes & ementes de templo eiecit, & cathedras nummulariorum euertit. Hoc autem ſpiritualiter in Eccleſia agitur, cum Giezitæ & Simoniaci, & alij qui de donis Dei gratuitis turpia quærunt lucra, à conſortio fidelium expelluntur. Propterea ipſe ait. *Ego ſum oſtium*: per me ſi quis introierit, ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet. Ingredietur: ipſo cooperante & ducente in præſenti, ad iuſtitiam, & bene expleta ſibi credita diſpenſatione, in futuro egredietur ad gloriam. Lector fuit, cum in medio Seniorum, in libro Eſaiæ legit: Spiritus Domini dulcis ſuper me, ad Euangelizandum pauperibus miſit me. Exorciſtam ſe oſtendit in dæmoniorum eiectione, & in aurium ſurdi & muti apertione dicens: Effeta, quod eſt aperire, in quo exorciſtis ſignificandum reliquit eorum miniſterio aperiri ora ad confitendum, & corda ad credendum, & bene operandum. Quod fit, quando expulſis dæmoniacorum operum tenebris, verum lumen Ieſum Chriſtum ſuſcipiunt in cordibus ſuis. Acolyti vices in ſe oſtendit, dicens: Ego ſum lux mundi. *Qui me ſequitur: non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Subdiaconi:

Vita turpis damnat.

Quando Lectoris. Eſa.61. Luc.16. Quando Exorciſta Matth.7 Quando Acolyti. Ioan.8. Quando Subdiaconi.

Digitized by Google

A quando aqua miſſa in peluim, linteo ſe præcinxit, & pedes diſcipulorum lauit. In quo docemur quod pedes ſuos & aliorum lauant, qui puluere terrenæ cupiditatis expulſo, irriguo charitatis quod lætificat ciuitatem Dei, lauant pedes vitiorum, & deſideria carnalia expellunt.

CAPVT VII.

De ordine Diaconi ſeu Diaconatus.

AVctoritate noui & veteris teſtamenti, & humilitate Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſe hoc myſterium ſuſcipientis, commendatur ordo Diaconi, cui ſextus gradus attribuitur, vt ex perfectione ſenarij eius dignitas demonſtretur. In veteri teſtamento poſt ordinationem Aaron & filiorum eius, ex præcepto Domini à Moyſe inſtitutam, eidem præceptum fuit quatenus in adiutorium diuini Myſterij tribus Leui ordinaretur: quibus fuit B iniuncta diſpenſatio coram Aaron & eius filiis ſeruire in tabernaculo fœderis. Arcũ & vaſa & vtenſilia geſtabant, & in circuitu caſtrametantes, tentoria conſtituebant. Et quia à viginti annis & ſupra, hominis vigor aſcendit, in hac ætate iuſſi ſunt in omnibus prædictis ad tranſportandum deponendis & iterum reſumendis deſeruire. Ad exemplar huius inſtitutionis, Apoſtoli tempore gratiæ, ſeptem viros boni teſtimonij, plenos Spiritu Sancto eligentes, & oratione facta manus imponentes ordinauerunt. Dicti autem ſunt Diaconi, quaſi ſeruitio altaris mancipati. Quibus inſtitutum eſt ſuper eundem humerum Planetam complicare. Cum enim ordinantur, debent iugum Domini accipere, quo omnia ad ſiniſtram, id eſt, vitam temporalem pertinentia premant & deſpiciant donec finitis laboribus, in dextra, id eſt, in vita æterna & beata requieſcant. De his ſtatutum eſt Canonica & Apoſtolica præceptione, vt Vicario Chriſti in S. Sanctorum introeunte, ſeptem in ſublimiori gradu aſſiſtentes, menſæ altaris ſeruiant: & gratia ſeptiformi inſigniti, C Spiritum Sanctum coadiutorem habeant. Hi ſunt ſeptem Angeli tuba canentes, ſeptem candelabra, ſeptem tonitrua. Debent enim ſapientes, alta myſteria reſonando manifeſtare, ſicut ſcriptum eſt. *Quaſi tuba exalta vocem tuam, tu qui Euangelizas Sion: exalta, noli timere.* Et iterum. *Clama, ne ceſſes. Opera eorum lucida ſint: ne turpitudine vitæ reprobi ſint, cum aliis prædicauerint. Aſperitas ſermonis ſit in aliorum correptione vt comminando, arguendo, quodam modo videantur tonitrua emittere.* Sic Dominus comminando terrebat, dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et B. Ioannes: *Genimina viperarum, quis docuit vos fugere à ventura ira?* Officium iſtorum eſt, præconizare ad orãdum, mouere genua ad flectendum, legere Euangelium. Horum etiam eſt, ſacramenta Dominici corporis diſpenſare, menſam Dei adornare. Sacerdos autem, de manu Diaconi debet accipere calicem Domini, cauſa vitandæ præſumptionis, dum hi celebrant albis induti, altario aſſiſtant: & habeant interius albedinem, quam præferunt exterius, D munditiam mentis ſignificantem quatenus qui exteriori habitu humiliter veſtiuntur, ſpiritualiter virtutibus induantur. In quibuſdam habent vicem ſacerdotis: vt in miniſtero baptizandi, communicandi, delicta confitentium miſericorditer ſuſcipiendi. *Væ illis qui miniſterium ſibi creditum pie & iuſte non impleuerint, quia peribunt morte horribili.* Audiant quid indictum eſt Leuitis à Moyſe, de morte corporali. Interdictum erat in lege, ne vaſa tangere nuda præſumerent, niſi prius à ſacerdote inuoluta fuiſſent. Illi metuebant mortem corporis: Plus metuenda eſt mors animæ æternalis. Propterea dicente Apoſtolo, oportet Diaconos eſſe irreprehenſibiles, id eſt, ſine crimine, continentes, non bilingues, non turpia lucra ſectantes. Probet ſe vnuſquiſque & ſic miniſtret.

Eſa. 58. 1. Cor. 9.

Officium Diaconorum.

Diaconi in quibus ſacerdotis vicem obtineant.

Non poteſt Diaconus confitentium delicta ſacramentaliter excipere, poteſt tamẽ

CAPVT VIII.

Quando Chriſtus Leuitarum Officium ſuſcepit.

LEuitarum miniſterium Dominus ſuſcepit: quando cœna facta Sacramentum ſui corporis diſpenſauit, & diſcipulis tradidit. Vbi Apoſtolos dormitantes, ad orandum excitauit. Leuitam ſe oſtendit. Ait enim. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Cum autem ordinatur (quod debet fieri ab anno 21. & ſupra) Epiſcopus ſolus manus imponit: quia nõn ad Sacerdotium ſed ad miniſterium ordinantur. Ponit etiam ſtolam ſuper ſiniſtrum humerum: in quo monentur iugum Domini æquanimiter eſſe ſuſtinendum, & vt pertinentia ad ſiniſtram, corde & ore deſpiciant. Datur eis textus Euangelij, in quo accipiunt poteſtatem legendi Euangelium, & prædicandi.

E *in abſentia Epiſcopi vel presbyteri ſolemnem publicorũ pœnitentium reconciliationem, quæ quidem erat Eccleſiæ ceremonia exercere, vt apparet à S. Cypriano libr. 3. epiſt. 17. Vide Bel-* F *larminũ lib. 1. de Sacramẽto ordinis cap 6.*

Marc. 14.

Textus Euãgelij.

CAPVT IX.

De ordine presbyteratus.

ORdo Presbyterorum primus & ſummus, in perfectione ſeptenarij vltimus eſt ordinatus. In quorum figura Aaron & filii eius ſeruiebant in Tabernaculo Fœderis, ſicut ſcriptum eſt, *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius.* In lege ſacerdotes dicebantur, qui nunc Presbyteri vocantur, & qui tunc Principes Sacerdotum: nunc Pontifices ſiue Epiſcopi dicuntur. Hi ſucceſſores Apoſtolorum, alios ordinant ad ſui ordinis miniſterium. Ordinantur Presbyteri: vt ſint Epiſcoporum coadiutores ad regendum & inſtruendum dominicum gregem. Sic Moyſes 70. viros prudentes elegit, quorum conſilio innumeram populi multitudinem rexit. Inde eſt quod 7. diſcipulorum vices obtinent, in miniſterium ſibi commiſſum. Sicut enim illi miſſi ſunt à Domino in omnem ciuitatem & locum quo erat ipſe venturus, vt ei prædicando & miracula faciendo viam præpararent, & infidelium corda ad G fidem conuerterent, ita Presbyteri noſtri coadiutores, baptizando, rudes populos inſtruendo, communicando, & cætera ſacramenta diſpenſando, noſtras vices ſupplere debent. Excipiuntur illa, quibus quadam prærogatiua fulget & præeminet Epiſcopalis dignitas, quæ ſunt quinque: Baſilicarum dedicatio, Chriſmatis vnctio, manuum impoſitio, Clericorum ordinatio, ſuper populum benedictio. Hæc poteſtas ſolis Epiſcopis attribuitur, ne ab omnibus vendicata, ſoluto obedientiæ vinculo inſolentiam generaret. Vtrique ſunt Vicarij ſummi Pontificis qui primo offenſus culpa originali, quotidie offenditur actuali. Vt illa euacuaretur, ſemel mortuus eſt in cruce: vt iſta deleretur, voluit miniſterio ſacerdotum ſacrificari iterata immolatione. Vnde quidam verſificator: Mortuus ille ſemel, licet vltra non moriatur: Idem quotidie ſine vulnere ſacrificatur. Ipſe ſacrifex eſt & ſacrificium, hoſtia & ſacerdos, quia Deus eſt & homo. Vicarius eius quia tantum homo: ſacrificans tantum eſt & ſacerdos. Ille mediator Dei & hominis, homines Deo reconciliauit: iſte, populum Deo placabilem reddit. Ille H ad dexteram Patris pro nobis interpellat, iſte pro grege ſibi credito orat. Ille peccata dimittit, iſte ligat & ſoluit. Ille in ara crucis hoſtiam ſanctam & Deo placentem ſe Patri obtulit, iſte ipſum eundem offert in menſa altaris. Nobis autem qui quotidie labimur, vt eius interuentu releuemur, fuit neceſſarium habere præſentem hunc ſalutis noſtræ auctorem. Vnde Deus miſericors iterata immolatione voluit ſe nobis exhibere præſentem, non tamen viſibilem: quatenus eo præſente ſummo & vero ſacerdote ſine vllo horrore corda fidelium magis conterantur, & fidei deuotio augeatur. Sic enim recolimus eius paſſionem reſurrectionem, atque glorioſam aſcenſionem. Quod ita à nobis recolendum eſt, vt memores ſuorum beneficiorum, ipſi commoriendo conformemur, vt in gloria Patris per ipſum & cum ipſo reſurgere valeamus. Nullus modus fuit conuenientior excitare peccantes ad pœnitentiam, quam Chriſti opera reducere ad memoriam. Viſus eſt in laborum tolerantia egiſſe pœnitentiam qui nec pœnituit,

De his quæ ſolis Epiſcopis reſeruantur.

Culpa originalis.

Chriſtus ſine vulnere ſacrificatur.

Cur inuiſibilis ſit Chriſtus in Sacramento.

A nec adminiculo pœnitentiæ indiguit, ſicut ſcriptum eſt, *peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Vnde in eo pœnitentia non fuit, ſed pœnitendi formam nobis donauit. Et donauit. Et licet crux Chriſti hæc omnia repræſentet, tamen res ipſa efficacior eſt quam figura. Et cum præſens eſt veniæ largitor, magis confidit exaudiri deuotus peccator. Mira poteſtas non humana, ſed Angelica, quam Dominus in ſe ſuſcipiens commendauit, & à nobis ſuſcipiendam contrito corde & humili, demonſtrauit. Inter cœnandum, corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis tradens, inquit: *Hoc facite in meam commemorationem*, & ipſe ſuſcepit, cum tormentum crucis patienter & voluntarie ſuſtinuit. *Oblatus eſt enim quia voluit.* Quod exemplo docuit à nobis ſumma deuotione celebrari. Vnde Apoſtolorum: *Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Suſcepturi igitur curam ſacerdotij, coram ſummo & vero ſacerdote fulgeant puritate conſcientiæ, & munditia vitæ. Illi cum ordinantur, ab B Epiſcopo ſuper capita eorum manum tenente, benedicuntur. Omnes autem Presbyteri aſtantes cum Epiſcopo manus leuant, & Spiritum Sanctum inuocant. Inuocatione facta, ſtola ſuper vtrumque humerum ponitur, vt per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris muniantur. Datur eis calix cum vino, & patena cum hoſtia, in quo traditur eis poteſtas ad offerendum Deo placabiles hoſtias. Propterea oleo ſancto manus inunguntur, per quod gratia Sancti Spiritus eis oblata ſignificatur & quod abundent operibus miſericordiæ deſignatur. In his etiam, manus ſacerdotis quæ in figura crucis oleo ſancto ſignantur, conformantur manibus Chriſti, & illud inſigne miraculum & ſalutiferum quod inter manus ſacerdotis fieri creditur: hæc manus Chriſti operantur, qui ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Vnde cum ipſo & per ipſum & in ipſo, totum agitur ſacrificium. Vnctio Epiſcopis fit in capite, quia ordinantur Vicarij illius qui vnctus eſt oleo lætitiæ in plenitudine. In vnctione viſibili, quæ eſt ſacramentum ſpiritualis C vnctionis, datur poteſtas ligandi atque ſoluendi. Induti amictu, alba cingulo, ſtola planeta ſuperueſtiuntur, per quam ſupereminentia charitatis intelligitur.

Calix cum vino, & patena cum hoſtia. Inunctio manuum ſacerdotis. Ioan. 15. Indumenta ſacerdotis.

CAPVT X.

De ſignificatione veſtimentorum ſacerdotalium.

QVoniam de indumentis veteris ſacerdotij, eorumque ſignificatione à [illegible] tractatum eſt: ea ſub ſilentio præmittentes, noui ſacerdotij veſtimenta & eorum ſignificationes (quod ad præſens attinet) paucis explanare curabimus. Sciendum autem eſt, quod ſacerdos celebraturus, ſacroſanctum myſterium quod excellit omne ſacramentum: capitis ſui ſcilicet Chriſti (cuius membrum eſt) vices in ſe ſuſcipit. Caput eius amictu velatur: in quo diuinitas velata humanitate figuratur. Vnde in Apocalipſi, Angelus nube amictus, de cœlo deſcendiſſe legitur. Alba deſignat gloriam dominicæ reſurrectionis quam nunciantes Angeli apparuerunt in veſtibus albis. Ideòque induitur veſte alba, vt candidatione D virtutum oſtendatur ornandum eſſe nouum ſacerdotium. Cingulum quo alba conſtringendo renibus coaptatur, mittit nos ad illum Euangelicum ſermonem, quo Dominus ad præcingendum lumbos noſtros nos hortatur. Mappula qua ſolent ſiccari ſtillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum. Vnde Dominus diſcipulis ait: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Et alibi: *Vigilate, quia neſcitis quando Dominus veniet.* Stola circundata collo, ad interiora deſcendens: ſignificat obedientiam filij Dei, & iugum ſeruitutis quod pro ſalute hominum portauit. *Obediuit Patri vſque ad mortem crucis*, & ſubiecit ſe ſeruituti. Quæ enim maior ſeruitus ea, qua opprobria, irriſiones, & flagella ſuſtinuit? Qui ergo ſtolam humeris ſuperponit, ſciat iugum Domini eſſe ſuaue & onus eius leue quod ſe portaturum promiſit. Caſula vndique integra, vnitatem fidei deſignat.

Amictus. Alba. Cingulũ Luc. 12. Mappula Mat. 24. Mar. 13. ad Phil. 2. Stola. Caſula.

E Hæc, eſt illud *veſtimentum Aaron in cuius barbam vnguentum à capite effluxit, & in oram veſtimenti eius.* Per hoc autem ſignatur vnctio ſpiritualis qua *vnctus eſt Chriſtus præ conſortibus ſuis.* Hæc in Apoſtolos & in vniuerſos Eccleſiæ miniſtros emanauit. Extenſio manuum Sacerdotis extra caſulam, prætendit in cruce, manuum Chriſti extenſionem. Quæ ante & retro quaſi diuidi videtur: hoc eſt quod duo parietes diſſidentes, angulari lapidi vniuntur. Amictus ad decorem, ſuper caſulam replicatur, quia filij Dei humanitate, omnis Eccleſia decoratur.

Pſal. 13. Extenſio manuum ſacerdotis extra caſulam. Amictus ſuper caſulam replicatio. Exod. 28. Ioan. 15.

CAPVT XI.

De ornamentis Epiſcoporum.

PRæter hoc Pontifices vna tunica vtuntur: ſecundum quoſdam, duabus tunicis, & annulo, pallio, mitra, & F ſandaliis. Vſus eſt Aaron hyacinthina tunica, quam ſibi induit Dei ſapientia, & Apoſtolos veſtiuit, dicens: *Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Hæc eſt tunica illa inconſutilis quæ ſine damno ſcindi non potuit. Alia tunica ſerica, trahens originem à vermibus, Chriſti eſt caro concepta de Spiritu ſancto, qui de ſe ait: *Ego ſum vermis & non homo.* Annulus in digito, Eccleſiam cuius miniſter eſt, ſponſam Chriſto aſſociat: & fulgore ſuo, dona Sancti Spiritus fulgentia demonſtrat. Pallium de ouino vellere contextum, humilitatis eſt ornamentum: quanto enim quiſque altior, tanto debet eſſe humilior. Illis ſolis Pontificibus datur, qui à ſede Apoſtolica mittuntur. In Sandaliis ſignatur, quia venit ad nos calciata diuinitas, ſicut ſcriptum eſt: In Idumeam extendam calciamentum meum. Mitra quæ eſt corniculata, prætendit coronam ſpineam, per quam ad vnam fidem conuenerunt duo Teſtamenta, illa grauiter pungens, noſtram ſuauiter demulcens. Illa, amara: noſtra, dulcedine plena. Væ illis qui illam non geſtant G pœnitenti corde, ad ſui & aliorum correptionem. Væ illis qui de cruce deſcendunt: & crucis myſterium in ſe depingunt.

Pſal. 21. Pſal. 59.

CAPVT XII.

De obſeruandis in Miſſa celebratione.

TAlibus indumentis ſacerdos decenter ornatus, veniens ad altare, confitetur ſe indignum celebrare tam excellens myſterium, quia in conſpectu illius cuius immolatio repræſentatur, nullus niſi per gratiam ſuam eſt iuſtificatus. In confeſſione percutiendo pectus, gemit pro peccatis & oratione fratrum, à Domino poſtulat ſibi indulgeri, dicens, Mea culpa, promittit vt de his pœnitentiam agat, in quibus conſcientia eum accuſat. Oſculatur Euangelium & altare, ſignificans illum qui oſculo ſuæ incarnationis fecit vtraque vnum, conuerſione Iudæorum & Gentium. Tenet dexteram partem altaris, H quia Chriſtus in lege promiſſus, primum Iudæis quam gentibus prædicauit. Tunc gentiles ſiniſtram tenebant, quia alieni erant à diuino cultu propter idolorum culturam. Interim de Propheticis vel Apoſtolicis ſcripturis Chorus Deo laudes concinit: & pneumatizando *Kyrie eleyſon*, ſupplicat ſibi miſereri. Ter triplicatum ſignat Trinitatem Angelorum, quæ triplicata laudes incellanter ſummæ Trinitati decantat. Finito pneumate, Choro tacente: Sacerdos ſe conuertens ad occidentem, Clerum ſalutat & populum, dicens: *Dominus vobiſcum*, quaſi quia dignatus eſt inter vos habitare viſibili præſentia, maneat in vobis habitante gratia: & ab occurſu infidelitatis conuertat corda veſtra ad orientem veri luminis. Iſta ſalutatio fit ab Epiſcopis, dicendo, *pax vobis* In quo oſtenduntur ſpecialiter eſſe Vicarij Chriſti, qui Apoſtolos in hunc modum ſalutauit. In feſtiuis diebus ſolet *gloria in excelſis decantari.* In quo innuitur congratulandum eſſe meritis Sanctorum qui ſancti ſunt ſocij Angelorum gratia illius cuius natiuitas ab Angelis

Euangeliũ & altaris oſculum. Progreſſus ad dexteram partem altaris. Kyrie eleyſon. Dominus vobiſcum. Pax vobis. Gloria in excelſis. Luc. 2.

paſtoribus eſt nunciata. Quam laudem conſequenter [illegible] vociferat totius Cleri Conuentus: laudans Deum [illegible] quam multitudo cœleſtis exercitus. Poſtea reſpiciens ad orientem, ſcilicet ſpiritualiter ad eum de quo ſcriptum eſt. Oriens nomen eius: exclamat, *Oremus*, monens ſe & alios orare: quia Dominus orauit & diſcipulos ad orandum excitauit. Lectione ſiue Epiſtola pronunciata: ſequitur reſponſorium [illegible] *Alleluia*. Lectio, Sanctorum Patrum monita & exhortationes: Epiſtola ſubſequentium prædicationem repræſentat. Reſponſorium, fidem audientium qui eorum prædicationi præbuerunt aſſenſum, vnde reſponſorium nominatur: quia reſponſio ſecundum voluntatem interrogantium aſſenſus eſt vel conceſſio. Vel graduale dicitur, quia per gradus virtutum ad hoc peruenitur. Oportet enim, vt eos qui rudimenta fidei ſuſcipiunt, gratia Dei præueniat: & vt ſtabiles maneant, ſubſequatur. Vnde alleluiatici cantus [illegible]latio ſubſequitur: quæ laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones Deo deuotas, quibus inſpirant ad æterna gaudia. Verbum eſt breue: ſed longo protrahitur pneumate. Nec mirum ſi vox humana deficit ad loquendum: vbi mens non ſufficit ad cogitandum, quia quæ vox, quæ lingua poterit repetere: *quæ præparauit Dominus diligentibus ſe*? Tractus qui (tacito Alleluia) in quibuſdam temporibus decantatur: ſignificat gemitus & ſuſpiria pœnitentium in conualle lachrymarum: gemunt & ſuſpirant & gaudio ciuium ſupernorum congratulantur: vt ita irriguum inferius ſurſum fluens irriguo ſuperiori miſceatur. Hoc gemitu [illegible] dicebat: *Liquefacta eſt anima mea*. Poſtea à [illegible] vel à ſacerdote Euangelium à dextro cornu altaris transfertur ad ſiniſtrum, dextra attribuitur Iudæis: propter legis venerationem, ſiniſtra gentilibus propter idololatriam execrabilem. Illis credita Euangelica doctrina, prius à Iudæis repulſa. Vnde in ſiniſtra parte & verſus aquilonem legendum eſt Euangelium: vt ſequaces illius qui voluit ſedem ſuam ponere in aquilone, Euangelica prædicatione conuertantur ab infidelitate. Aliquando (ſicut in feſtiuis diebus) pronunciatur in analogio, quia iubetur aſcendere qui Euangelizat Sion, & ſancti in valle lachrymarum aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuerunt: quibus gloria in cœlis ſui memoriam in terris meruerunt. Ideoque in alto & in publico exclamando eſt eorum victoria: vt magis alacres efficiantur in pugna. Dehinc ſacerdos incipit ſymbolum fidei: adhibens teſtimonium verbis Euangelij. Illud chorus vſque ad finem ſuccinit: oſtendens ſe permanere in vnitate eiuſdem fidei. Quo finito, ſacerdos ſalutatione præmiſſa monet ad orandum: vt ſtabiles ſint in fide: quam profeſſi ſunt in ſermone. Statim chorus decantat offertorium, ac ſi dicat, quod confeſſus ſum ore, teneo corde & adimplebo opere. In primis meipſum offero: vt ſacrificium noſtrum ſit humilitas & cordis contritio. Tunc ſacerdos offert dona ſiue libamina cum incenſo: ſcilicet panem & vinum ſanctificanda: populus, ſua munera. Per incenſum, deſignatur ſuauitas flagrans igne charitatis: hoc eſt vnguentum quo domus eſt repleta vincens omnia aromata. Quod loquor eſt Euchariſtia, ſacramentum ſcilicet panis & vini: à quo omnis bonus odor eſt: & omnia noſtræ fidei Sacramenta. Vnde Euchariſtia id eſt bona gratia excellenter dicitur: quia in hoc Sacramento ille ſumitur à quo omnis gratia datur. *Ab eo* enim ſolo *omne datum optimum; in quo eſt plenitudo omnium gratiarum*. Thus in igne: oratio eſt incenſa charitate. Hunc ignem Dei filius accendit in thuribulo aſſumptæ humanitatis: vt currentes in odore vnguentorum ſuorum, offeramus ei odorem bonorum operum. Dona ſacranda ſcilicet panis & vinum: hoc ordine oblata ad altare perueniunt. A ſubdiacono Diaconus accipit: & offert manibus ſacerdotis, vel aliquotiens cauſa curæ diligentioris ſacerdos componit in dextera altaris. Cuius rei myſterium eſt: quod lex per ſubdiaconem ſignificata in ſacrificiis ſuis ſacrificium noſtræ ſalutis figurauit: doctrina Euangelica cuius diaconus miniſter eſt, manifeſtauit & ſolemniter celebrare inſtituit. Aqua vino miſcetur: vt vnda [illegible] ita ſanguini Chriſti adiuncta intelligatur. Quia [illegible] ſine altero nemo ſalutem conſequatur: per [illegible] vnio Chriſti & Eccleſiæ deſignantur. Vtrumque de latere Chriſti emanauit: quod non fuit ſine ratione myſterij. Præparantur panis & vinum ad conficiendum Sacramentum, vt quibus fit refectio corporalis, fiat animæ cibus & potus ſalutaris. Sicut enim illa corpus hominis ſuſtentant & ſpiritum lætificant: ita res Sacramenti quæ eſt Chriſtus Dominus noſter Dei filius, eſt lætitia hominum & Angelorum ſibi & Angelos & homines reconcilians. Vnde ipſe qui in Sacramento ſumitur ait: *Caro mea vere eſt cibus: & ſanguis meus vere eſt potus*. Panis ille debet eſſe triticeus: quia Dominus grano tritici ſe comparauit dicens: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipſum ſolum manet*. Vnum granum fuit & ſolum: ante reſurrectionem poſt fructificauit & multiplicatum eſt per fidei propaginem. Quot fideles, tot ſunt grana illi grano deifico vnita, ex quibus conficitur vnum corpus, quod eſt Chriſtus & Eccleſia. Azimus eſt, vt ſecundùm Apoſtolum, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſynceritatis & veritatis*. His autem compoſitis, ſilente choro, ſacerdos incipit orare in ſilentio: illud ſignificans tempus quo Dominus noſter iam non palam [illegible] apud Iudæos, cum cogitarent eum interficere, ſed [illegible] regionem iuxta deſertum, in ciuitatem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. Et inclinans ſe ante medium altaris, ſupplicat à Deo patre ſibi dari ſpiritum humilitatis [illegible] memoria Dominicæ valeat ſacrificium afferre Deo compunctionis, humilitas enim virtus eſt ſine qua nulla oratio, nulla meditatio nec operatio accepta eſt Deo, qui nos erudiens ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*. [illegible] enim beatæ Mariæ placuit ex humilitate, ipſa atteſtante. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Sequitur inuocatio Trinitatis: quæ facienda eſt principio cuiuſque ſermonis vel operis. Dicit enim, *ſuſcipe ſancta Trinitas*, ſine cuius fide impoſſibile eſt aliquid placere Deo. Deinde orat omnium aſtantium precibus adiuuari. Conuertens ſe ad populum dicit: *Orate*. Et chorus orat pro eo, dicens: *Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te*. Sciendum eſt quia in celebratione miſſæ, quinaria fit conuerſio ſacerdotis ad populum: ad memorandum quod toties Dominus die reſurrectionis apparuit conſolando pro paſſione ſua gemitus deſolatorum. Accepto ſpiritu humilitatis, ſacerdos non præſumens de ſe, ſed à clero & à populo poſtulans [illegible] orationum, vt pro ſe & pro his Deum interpellans exaudiatur: dicit orationes quæ ſecretæ dicuntur, quia ſecreta & humili voce proferuntur. In hoc ſilentio eſt memoria dominicæ paſſionis quæ in hebdomada antepaſchali ceſſantibus hymnis & laudibus, ſolet celebrari. Dominus etiam imminente paſſione, ante ſuſpendium crucis ſecreto orauit dicens. Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte. Orante ſacerdote ſuper oblatam in ſilentio fit quædam ad ſanctum ſacrificium præparatio. Repræſentans quod cum Dominus ſe abſconderet, nec palam apud Iudæos ambularet: abſcondita diſpenſatione præparabat nobis ſalutiferum ſuæ paſſionis myſterium. Poſt miraculum dilecti ſui à morte ſuſcitati eo palam ambulante, ſacerdos rumpit ſilentium exclamans: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & rogat Dominum eſſe cum illis: & chorus orat eius ſpiritui Dominum vniri. Monet etiam, vt habeant ſurſum corda ad Dominum, ipſius ſubleuante gratia: vt mentes eorum ſint in cœleſtibus & æternis, non in terrenis & tranſitoriis. Reſponſione chori audiens eorum mentes ad Dominum erectas: confitetur dignum eſſe & iuſtum ei agere gratias, qui terrena eleuat ad cœleſtia, & quod graue eſt & ponderoſum facit fluere ſurſum. Recte Deo gratias agit: qui per bona opera ſe ei acceptabilem reddit. Vt digne à nobis laudes referantur Deo oportet nos bene viuendo aſſimilari cœlorum virtutibus: quatenus in exhibitione gratiarum, vna ſit vox hominum & Angelorum. Illi

incessanter

inceſſanter laudant in gloria, nos quantum poſſumus laudemus pro miſericordia nobis exhibita. Orandus eſt pater vt concedat nobis iuſtitiam: & interpellante filio, & intercedentibus Angelorum ſuffragiis, peruenire ad eorum gloriam, per quem Deo omnipotenti gratias referimus, corde credentes, & ore confitentes; quo per Ieſum Chriſtum filium ſuum æternaliter genitum, temporaliter natum, ab omni creatura humana, & Angelica laudatur adoratur, & reuerenter honoratur. Per ipſum enim vniuerſa viſibilia, & inuiſibilia creat, viuificat, & conſeruat. Quod manifeſte declarauit Beatus Ioannes dicens: *In principio erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil?* Maieſtatem patris per filium laudant Angeli in miniſterio. Adorant dominationes, inclinato ſcabello pedum eius dominio. Poteſtates reuerentur: quia omnia poteſt, & omnis poteſtas ab ipſo. Omnes etiam ſpiritus cœleſtes laudes eius ineffabili exultatione concelebrant, hymnum ſine fine concinentes. Vnde ſacerdos laudibus Angelorum precatur adiungi voces hominum: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vtroſque facit participes æternorum gaudiorum. Inde Chorus quaſi cum ramis palmarum ei pergens obuiam, à Bethania venienti in Ieruſalem, hymnum decantat Angelicum. Sanctus Sanctus Sanctus, &c. Trina ſanctus repetitio: ſanctæ Trinitatis eſt confeſſio. Quia ſemel Dominus profertur: vnitas ſubſtantiæ in perſonis deſignatur. Cuius gloria pleni ſunt cœli & terra: Angelica ſcilicet creatura, & humana. Ideo oſanna in excelſis quaſi obſecramus: vt ſalutem conſecuti cum Angelis gloriemur? quia benedictus qui venit in nomine Domini Ieſus Chriſtus filius tuus per quem nos ſaluas & benedicis.

Ioan. 1.

Sanctus ſanctus ſanctus. Oſanna in excelſis.

CAPVT XIII.

De Canonis declaratione.

Te igitur.

TE igitur, &c. Ex præmiſſis datur intelligi: quod Deus pater per filium ſuum ab omni creatura cœleſti laudatur, & glorificatur. Tum beneficio datæ gloriæ, & illius confirmationis. A quo intellectu initium canonis præcedentibus hoc modo continuatur. Quia clementiſſime pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum ab Angelis, & cœleſtibus virtutibus collaudatis, cum quibus ad laudem tuam noſtras voces deprecamur admitti. Igitur per eundem filium tuum te rogamus ac petimus: vt tibi ſit gratum, & acceptum quod offerimus. Rogamus humiliter, petimus confidenter. Te rogamus pro lapſis qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexiſti. A te poſcimus munus ſalutiferum, de tua miſericordia confiſi: qui non ex operibus, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam tuam ſeruare nos voluiſti. Offerimus corporis alimenta, vt ex eis ſuſcipiamus ſpiritualia: offerimus panem, & vinum, vt inde percipiamus. Verbum caro factum. Petitio declaratur per hoc quod ſequitur, vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia. Donum eſt quod à ſuperiori datur, munus quod ab inferiori. Vnde panis, & vinum, ſunt dona à Deo nobis donata: munera, à nobis Deo oblata: Solemus enim illos munerare à quibus aliquid volumus obtinere. Eadem ſunt ſacrificia ſancta ſcilicet Deo dicata, & ad ſanctum ſacrificium præparata. Illibata ſunt nec corporali guſtu, nec aliqua fractione vitiata, ſed integra, & intacta. Inde eſt quod panis integer debet apponi, & de pane, & vino ſolent oblationes fieri. Precamur vt hæc habeas accepta. Ita vt oblatione iſtorum munerum tibi grata augeatur deuotio noſtra & offenſus culpis noſtris, eorum oblatione nobis placatus efficiatis, & benedicas: vt tua benedictione facias conuerti in illud corpus filij tui quod pependit in cruce: quod glorificatum eſt in reſurrectione: quod deificatum eſt in aſcenſione, Signantur triplici cruce: in quo oſtenditur totum myſterium fieri ſancta Trinitate cooperante. Scire autem vos conuenit quod à principio canonis vſque ad finem memoratur angaria dominicæ paſſionis, præcipue, quod actum eſt in hebdomada antepaſchali. Sequitur: Imprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica: quam pacificare, cuſtodire adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum famulo tuo Papa noſtro, rege noſtro, & Antiſtite noſtro, & omnibus orthodoxis atque catholicæ, & apoſtolicæ fidei cultoribus. Oratio ſine charitate eſt infructuoſa, flos eſt ſine fructu, ſpica ſine grano, vox aëra verberans ſine audiente: Vnde Propheta: Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo: non exaudiet Dominus, charitas in tribus conſiſtit: in dilectione Dei ſui, & proximi. Vnde ſacerdos nullum fidelem debet excipere ab oratione: quæ Deo ſit gratior ex mutua charitate. Orat itaque ſacerdos primo generaliter pro tota Eccleſia catholica, vt Dominus dignetur eam pacificare ab incurſu viſibilium & inuiſibilium hoſtium, & in tranquillitate cuſtodire, & adunare, id eſt, in vnitate fidei conſeruare: ne erroribus hæreticorum ſiue ſchiſmaticorum diuidatur: ſed vnitas capitis, & membrorum in fide Sacramentorum conſeruetur, & regere, vt moderamine iuſtitiæ omnia in ſe fiant, & diſponantur. Deinde ſub quadam diſtinctione enumerat partes Eccleſiæ: dicens. Vna cum famulo tuo Papa noſtro, &c. Sicut enim adminiſtrationes ſunt diuerſæ: ita orationes ſunt variandæ. Alia enim ſollicitudo adhibenda eſt publicis, alia priuatis, alia forenſibus negociis, alia Eccleſiaſticis.

Pro quibus Sacerdos oret.

Alio modo pro ſe orandum exigunt Eccleſiaſticæ perſonæ, vt Dominus Papa, Archiepiſcopi, & Epiſcopi: alio rex, & fideles ſinguli. Infideles cum non ſint in Eccleſia: non ſunt de corpore Eccleſiæ cuius caput Chriſtus eſt, cui non communicat alienus à fide: & licet pro diuerſitate perſonarum orationes varientur, earum tamen intentio vno fine concluditur. Sic enim orandum eſt pro vniuerſis fidelibus; vt abſtrahantur à noxiis, & ad ſalutaria dirigantur. Memento Domine famulorum famularumque tuarum. In præcedenti capitulo oratio fit generaliter pro Eccleſia. Deinde diſtinguendo partes Eccleſiæ: rogamus pro Papa, & pro antiſtite, pro rege, pro omnibus orthodoxis, ſcilicet pro iis quorum gloria eſt rectitudo fidei Chriſtianæ, conſcientia eis teſtimonium perhibente ſanctæ meditationis, & honeſtæ conuerſationis, pro his etiam qui fidem excolunt vomere prædicationis, & ſemine boni operis. Hoc autem ſequenti capitulo oramus pro familiaribus, abſentibus, præſentibus: pro aſtantibus, ſcilicet pro iis omnibus qui aſſiſtunt præſentes myſterio altaris. Communicantes quorum Deo cognita eſt fides & nota deuotio. Solus enim eſt qui ſcrutatur corda & renes Deus: cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur. Vel quorum fidem Deus approbat. Eius enim cognoſcere eſt approbare. Pro eis omnibus ſupra memoratis offerimus ſacrificium laudis, & ipſi offerunt Deo: referendo gratiarum actiones qui per filium ſuum à nobis voluit laudari, benedici, & glorificari. Offerimus te: ipſi offerunt fide, & deuotione, Offerimus ſacramenta conficiendo ipſi offerunt vota ſoluendo, immolant ſacrificium laudis, & reddunt altiſſimo vota ſua. Adiuti virtute ſacramenti comprimunt ipſi vitia, & peccata: in ædificando, & Deo vouendo virtutes & bona opera. Offerimus vinum: & oblatam ipſi offerunt mentem ſanctam, & deuotam. Itaque offerimus pro nobis, & pro ipſis: ipſi pro ſe, & pro nobis. Vnde ſuperius poſtulauimus eorum orationibus adiuuari, dicentes, orate pro nobis. Sciendum eſt autem quod vbi orauimus pro tota Eccleſia, rogauimus & pro iſtis. Specialiter tamen familiares abſentes, & præſentes, & alios aſſiſtentes memoramus: vt circa eos augeatur

Caput Eccleſiæ Chriſtus.

Memento.

De ſpeciali oratione quæ fit à Sacerdote in Sacramento.

A noſtræ deuotionis affectus. Vnde quos chariores habemus, hoc loco nominare ſolemus. Poteſt autem eſſe repetitio generalis orationis, ita: Memento Domine famularumque tuarum, omnium ſcilicet fidelium corporaliter abſentium & hic aſſiſtentium. Iterandæ enim ſunt orationes: quia aſſiduitate orationis multotiens placatur Deus, & poſtulationibus noſtris fit propitius. Item ſciendum eſt quod ſi vnus tantum ſit præſens, vel nulli ſint præſentes, vt in miſſis ſolitariis: non ideo mutantur quæ pluraliter ſolent fieri orationes. Primo enim non ſolebant miſſæ celebrari ſine collecta fidelium multitudine. Poſtea mos inoleuit, ſolitarias ſicut monachos celebrare ſolitarias, quod eis conceſſum eſt ex indulgentia. Inde etiam ſæculares conſueuerunt miſſas cantare priuatas. Tunc fiunt ſalutationes ad omnes fideles, qui aſſiſtunt: quaſi præſentes fide, & charitate Sacramentis communicantes. Quotquot enim ſunt de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſalutantur: & eorum ſuffragia poſtulantur, quorum fides per gratiam B Dei adiuuat fieri tanta myſteria. Nec eſt aliquis fidelium, qui non ſit particeps Sacramentorum. Qui enim à corpore præciſi ſunt quod eſt vera vitis, qui ſunt palmites: & putrida membra: ab hoc Sacramento ſunt alieni. A capite enim in totius corporis membra: à vite in palmites effunditur humor ſalutaris totum corpus viuificante gratia Dei. Ita vno præſente ſacerdos plures alloquitur, & ſalutat, quia præſens aſtat omnis Eccleſia. Singula enim membra ſibi inuicem, & capiti & corpori cohærent quandiu vegetantur ſpiritu Dei. Inde eſt quod non ſolum ſacerdotes, & clerus qui ſecundum diſpenſationem miniſteriorum diuerſis officiis occupantur, aut diuinis laudibus hoc ſacrificium offerunt: etiam ad audientes oſculo pacis communicantes cooperantur: & omnes vbicunque ſint fideles, nulli ſeparantur, niſi qui à corpore Chriſti præciduntur. Omnia enim membra huius corporis quandiu ſibi cohærent glutino charitatis, ſunt quaſi vna perſona: Qui diuiduntur ab hac vnitate, & eiiciuntur à Sacramentorum communione, alieni ſunt à Chriſti regno & Eccleſiæ. C Subiungitur cauſa oblationis, cum dicitur, pro ſe ſuiſque omnibus: Offerentes erant pro ſalute animarum ſuarum ſuiſque omnibus, id eſt, pro amicis & rebus ſuis & amicorum pro pace illorum, pro reditu peregrinantium pro ſanitate infirmorum, pro conuerſione errantium, pro fructibus terræ, pro aëris ſerenitate, pro aliis commodis adipiſcendis, vel conſeruandis pro obtinendis ſucceſſibus proſperis. Habemus enim in ipſo conſolationem præſentis vitæ, & futuræ. Pro redemptione animarum noſtrarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis noſtræ. Facta eſt noſtra redemptio, Chriſto ſemel in cruce paſſo. Nam paſſione Chriſti redempti ſumus & liberati de manu inferi.

Immolatur Chriſtus, ſed non occiditur.

Culpis noſtris exigentibus quotidie labimur ab hoc lapſu iterata immolatione, quæ fit in altari, reſurgimus, & renouamur. Immolatio iteratur, non Chriſtus occiditur, ſed ipſo præſente paſſio eius repræſentatur. Superabundante miſericordia, maius fuit precium, quam noſtrum delictum, D Deus enim homo factus, mortuus eſt, vt deificetur homo & non moriatur. Qui ſe dedit, maius dare non potuit. Si autem Deus maius precium dare non potuit, quid retribuemus ei? Offerimus ei calicem ſalutaris ſacrificij quo redempti, quo liberati, ſed etiam ſaluati, habentes beatam ſpem reſurgendi, cum animarum ſalute, & corporum incorruptione. Supra memorati offerunt, tibique reddunt vota ſua, non idolis, non dæmoniis, ſed tibi Deo viuo, & vero.

Communicantes.

Communicantes & memoriam venerantes. Aliter enim, ne conuenienter offerrent Deo, nec vota redderent, niſi digne communicarent, quia extra communionem fidelium & venerationem ſanctorum, non eſt locus offerendi verum ſacrificium. Orationes enim fidelium, & ſanctorum ſuffragia: adiuuant, vt Deo fiant acceptæ oblationes, & vota; poſtulantes eorum ſuffragia, eos & in ipſis Chriſtum veneramur, qui tantum ſanctis ſuis contulit, vt valeamus meritis, & precibus eorum adiuuari. Qui honorat filium, & patrem honorificat, qui miſit illum.

Ordo in ſanctorum veneratione ſeruandus.

E In memoria, & veneratione ſanctorum talis ordo eſt conſiderandus, vt primum memoretur beata virgo domina, & regina hominum, & Angelorum, ſecundo virtutes cœlorum, tertio fiat memoria patriarcharum & Prophetarum, quarto Apoſtolorum, quinto Martyrum, ſexto Confeſſorum, ſeptimo Virginum. Hæ ſequuntur agnum quocunque ierit: ſicut gratiarum ſeptiformis eſt donatio, ita facta eſt ſeptenaria diuiſio ordinante Spiritu ſancto. Ante conſecrationem, fit memoria plurimorum martyrum qui ſtolas ſuas in ſanguine agni dealbauerunt, & cum eo coronati non velata facie, ſed manifeſta viſione Deum agnoſcunt hos in memoria venerātes precamur vt beatæ virginis quæ præcellit omnibus ſanctis & eorum interceſſio, ſit nobis ſalutifera propiciatio. Numerum non attendimus quare plures vel pauciores: quia qui canonem ordinauit: quos ſibi placuit: dictante Spiritu ſancto, memorare inſtituit. Hanc igitur oblationem, quia in vnitate ſanctæ Eccleſiæ offerimus cum Sanctorum veneratione, adiuti eorum interceſſione. F Igitur hanc oblationem ſeruitutis noſtræ, id eſt, humilitatis noſtræ, quæ in procinctu eſt tibi ſeruiendi, vota ſoluendi, & ſacrificium laudis tibi offerendi, Signanter appoſuit ſeruitutis reſpiciens ad illud quod dictum eſt ſuperius. In ſpiritu humilitatis & in animo contrito ſuſcipiamur à te Domine: Hæc oblatio non tantum eſt ſacerdotis: ſed cunctæ familiæ, id eſt, cleri & populi, & non aſſiſtentis familiæ: ſed totius Eccleſiæ. Hanc quæſumus vt placatus accipias. Licet culpis noſtris nobis ſis infenſus: rogamus vt efficiaris placatus fidelium orationibus & Sanctorum interceſſionibus, meritis & precibus.

Meritum.

Ab ipſo placato tria petimus: dies noſtros in pace cuſtodiri, & ab æterna damnatione nos eripi, & inter electos numerari. Non eſt medium inter infernum, vbi eſt damnatio, & cœlum vbi eſt beatitudo & ſalus. Qui enim non damnantur, omnes ſaluari non dubitantur. Vnde circa idem videtur verborum conculcatio cum dicitur, à damnatione eripi, & inter electos numerari.

Duplex. Pax mundi.

Sed intelligendum eſt in præſenti, id eſt fac nos in præſenti mereri ne damnemur: vt G in futuro per gratiam Dei ſaluemur. Notandum eſt quod duplex eſt pax mundi, vna per quam orat Eccleſia: vt ceſſent malignantium perturbationes, & hoſtiles incurſiones. Altera pernicioſa, & omnino vitanda: quoniam licet hominibus abſque contradictione libere vti carnis deſideriis, & ſuis voluptatibus. Prima eſt pax ſed tranſitoria, ſecunda non eſt pax, ſed confuſio, & iniquitas odioſa. Item pax Dei duplex eſt quæ omnibus modis eſt appetenda. Vna eſt tranquillitas mentis, & quies ſanctæ meditationis, de qua ſcriptum eſt: Elegit ſuſpendium anima mea. Altera eſt, quæ exuperat omnem ſenſum, in qua nulla eſt inquietudo, nulla perturbationum viciſſitudo, ſed æterna beatitudo.

Ioan. 14. Ad Phil. 4.

Vtramque Dominus diſcipulis ſuis promiſit, & dedit dicens: Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis: pacem relinquit militantibus, pacem ſuam dat ad ſe peruenientibus. Cum vtraqua pax ſit à Deo, proprie dicitur ſua, H pax ſuper pacem exuperans omnem ſenſum intelligentiam. Quam oblationem, memoratis illis pro quibus offerimus, quoſque Deo Patri mediante hoſtia, & interpellante reconciliare intendimus; vt oblatio habeat efficaciam, & virtutem conferendi, quod petimus, rogamus eam in melius promoueri, & in æternitate aſcribi, & ratam, id eſt, firmam & immobilem fieri.

Transſubſtantiatio.

Oramus vt cibus hominum fiat cibus Angelorum ſcilicet vt oblatio panis, & vini transſubſtantietur in corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti: quæ eſt oblatio benedicta, hoc eſt omnium gratiarum benedictione plena, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Pater enim ad menſuram non dat filio, ſed data eſt ei omnium gratiarum plenitudo.

Ioan. 3. Oblatio benedicta.

Ipſe eſt, per quem requieſcit ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris Domini. De eius vnctione deſcendit vnguentum in barbam ſummi Pontificis, & in oram veſtimenti eius emanauit, fons eſt viuus, puteus aquarum viuentium à quo

deriuantur

A deriuantur omnes riuuli miſericordiæ, pietatis & iuſtitiæ. Ipſi eſt omnimoda benedictio & ſanctificatio ſcripto in æternitate patris, & æqualitate paternæ maieſtatis. Filius Dei dicitur oblatio aſcripta: ſcripturis Sanctorum Patrum deſignata, & nulla obliuione delenda, & ideo rata id eſt & firma & immobilis, ſcilic. firmata ſtatu immortalitatis & incorruptionis, in æternum permanens & ad dandam ſalutem & remiſſionem peccatorum ſufficiens. Filius etiam patri quodammodo dicitur aſcriptus: quia ſcriptura de filio loquens, patrem manifeſtat, & quaſi ipſum repræſentat. Eſt enim ſplendor paternæ gloriæ: & figura ſubſtantiæ eius. Vnde ipſe ait ad patrem. Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus. Hic eſt liber vitæ: in quo & per quem pater diſponendo omnia ſcribit, & ad eſſe producit. Vnde ſcriptum eſt. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil. Pater eſt ſcriba velociter ſcribens: filius eſt ſcriptum omnia continens.

Pſal. 103

Pater in eo omnium rerum formas inſculpſit: & per ipſum omnia creat, regit, & diſponit. Vnde ait Propheta: Omnia in ſapientia feciſti.

B Idem eſt oblatio rationalis, non peculiaris: etſi enim ſanguis taurorum & pecudum ſufficiebat ad emundationem carnis, non tamen erat efficax ad emundationem ſpiritus, ad redimendum nos à peccatis. Vnde neceſſe fuit vt pro redimendo homine offerretur hoſtia rationalis, ſcilicet homo aſſumptus à Verbo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Hæc ſola ad hominem redimendum ſufficit: & nulla alia ſufficere potuit, quia nec homo nec Angelus, niſi homo Deus. Hæc autem ſola Deo eſt accepta pro delictis omnium propitiatio.

Oblatio rationalis Solus Chriſtus nos redimere potuit.

Poſſumus autem tria præcedentia referre ad oblationem: duo ſequentia ad offerentem. Qui enim rationabiliter offert: recte diuidit. Ideoque oblatio eius eſt acceptabilis. Vnde Abel quia recte obtulit, & recte diuiſit, Dominus ad eius munera reſpexit. Ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit: quia etſi recte obtulit, recte non diuiſit: quia ſibi cor impœnitens retinuit. Male ille diuidit: qui id quod Deo magis placet, ſcilicet cor contritum & humiliatum, ei non tribuit. Exteriora dat Deo & offert: & ſeipſum ſibi retinet.

Abel. *Cain.*

C Vnde ſi quis recte offerat & recte dividat, rationabilis eſt hoſtia & accepta: ſin autem infructuoſa. Vnde Propheta: Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Itaque aliis in reſurrectionem, aliis in ruinam. Recte diuidentibus, ſalus & vita æterna: male, mors & perpetua miſeria.

Pſal. 65.

Quod ſacerdos orat oblationem panis & vini fieri corpus Domini & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: primo factum eſt cœnantibus diſcipulis, in his verbis à Chriſto prolatis. Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti. Sed priuſquam ſacerdos hæc verba proferat, quod ſequitur, præcedentibus continuat dicens: Qui pridie quam pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas: & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum patrem ſuum omnipotentem tibi gratias agens, &c. Dum hæc verba profert: ſumit panem de altari, & eleuatum facto ſignaculo crucis benedicit, & poſtea prætaxatis verbis Domini &

D repræſentatis: ſuper corporale deponit. Deinde calicem tollit, & ſignans repræſentat verba Domini, dicens: Benedixit, dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. O inſigne miraculum. O mirabile & diuiniſſimum Sacramentum. Quæ mens non expaueat? Quis intellectus non deficiat: Omnis ſenſus hebeſcit, omnis ratio euaneſcit: prorſus dialecticorum inquiſitio abſit: hoc ſola fides probat & agnoſcit: quia cibus hominum fit cibus Angelorum.

Verba Sacramentalia.

Quod ſacerdos eleuat: non deponit. Eleuatum & depoſitum idem videntur eſſe in ſpecie, colore & ſapore: prorſus tamen aliud apparet, & aliud intrinſecus latet. Eleuatus eſt de altari panis communis: deponitur caro Chriſti immortalis. Quod erat cibus animalis, factum eſt cibus ſpiritualis. Quod erat momentanea refectio hominum: factum eſt æterna & indeficiens ſaturitas Angelorum.

Commendatio Sacramenti.

CAPVT XIV.

E

Quæſtio circa benedictionem panis à Chriſto in cœna factam.

CVm in cœna Dominus panem benedixit: quæritur ſi benedictione ſua de pane corpus ſuum fecerit. Quod videtur: in eo quod poſt benedictionem fregit & dedit diſcipulis ſuis, dicens: hoc eſt corpus meum. Niſi in benedictione ſua corpus ſuum fieret, nihil aliud quam panem communem frangeret, & diſcipulis ſuis daret. Item ſi benedictione ſua panem in corpus ſuum conuertit in verbis iſtis: Hoc eſt corpus meum, non reliquit nobis virtutem Sacramenti: quia priuſquam hæc verba diceret: benedixit, fregit, & dans diſcipulis, prædicta verba protulit: eis dans virtutem Sacramenti, quaſi diceret, Panem quem accepi, in corpus meum tranſubſtantiaui: & illud do vobis.

Pſal. 148

F Propterea docemus & credimus, quod cum benedixit, corpus ſuum fecit: & in verbis: Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei, &c. data eſt virtus Sacramenti. *Dixit enim & facta ſunt.* Vnde intelligendum eſt, verba à Domino prolata prius dicta & iterum repetita. Sic enim legendum eſt. Benedixit dicens: Hoc eſt corpus meum. Deinde fregit & dedit diſcipulis ſuis iterum dicens: Hoc eſt corpus meum. Vel poteſt eſſe: quod benedictione facta tradens corpus ſuum diſcipulis prædicta verba protulit, eis dans virtutem Sacramenti.

CAPVT XV.

Quid credendum circa verba Sacramentalia.

ITaque fides noſtra eſt, & vere credendum eſt, quod ſacerdote proferente hæc verba: Hoc eſt corpus meum, iam non eſt panis terrenus, ſed ille panis qui de cœlo deſcendit, mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus.

G Item virtute verborum iſtorum: Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. vinum conuertitur in ſanguinem ſuum. Sub vtraque ſpecie & ſub vtriuſque ſpeciei particula ſingula, totus eſt Chriſtus Ieſus: & ſumitur reſidens in cœlo ſedens ad dexteram patris ipſe vere eſt in hoc ſacramento, dentibus teritur, & integer manet. Manducatur, & non corrumpitur. Immolatur, & non moritur, qualem ſe præbuit diſcipulis edendum: talem ſe præbet nobis communicandum, & qui poſt reſurrectionem incorruptibilis & impalpabilis præbuit ſe diſcipulis palpabilem: mortalis eiſdem potuit ſe dare immortalem.

Conuertitur vinum in ſanguinem Chriſti, virtute verborum

Mortalis Chriſtum ſe dedit immortalem.

CAPVT XVI.

Quæſtio circa hæc verba, accipite & manducate.

ITem cum Dominus diſcipulis ſuis dixerit: accipite & manducate: quæritur ſi acceperint & ſibi miniſtrauerint. Ad hoc dicamus, quod quia qui miniſtrare venit & non miniſtrari, & qui conſecrauit, ipſe miniſtrauit. Nec eſt intelligendum quod in manibus ſuis acciperent & ſibi miniſtrarent: ſed Dominus de manu ſua miniſtrauit & manducare præcepit.

H Non videtur Dominus in cœna hunc calicem accepiſſe: cum fortaſſe ille à Domino acceptus fuerit luteus vel ligneus, iſte argenteus vel aureus, vel alterius metallorum. Propterea ſciendum eſt hoc dictum referendum eſſe ad ſimilitudinem, non ad identitatem. Sicut enim Dominus inter cœnandum, vinum in calice accepit, & benedicens ſanguinem ſuum fecit: ita in iſto calice à ſacerdote vinum accipitur, & virtute verborum à Domino in cœna prolatorum ſanguis eius efficitur. Vnde ſimilitudo in vini acceptione: identitas in Sacramenti veritate. Nam quotidie fit conſecratio illius eiuſdem ſanguinis: quem Dominus in cœna miniſtrauit. Dicit itaque calicem præclarum: non propter hoc quod vinum in eo continetur, ſed propter hoc quod de vino in eo conſecratur. Non enim pro fulgore attribuitur claritas calici: ſed pro dignitate Sacramenti. Veruntamen ſi attendamus vnitatem fidei: ante conſecratio-

nem

[A] nem & poſt, vnus calix, ſicut vna eſt fides, vna Eccleſia ſicut in canticis vna columba, vna amica. De hoc calice ſcriptum eſt: *[Pſal. 22.]* *Calix meus inebrians quam præclarus eſt.* Quod dicit hic calix ſanguinis mei legendum eſt vt continens accipiatur pro contento ſic. Hic eſt ſanguis meus noui & æterni teſtamenti, ſubaudis, confirmator. In paſſione enim ſua Dominus vmbram legis euacuauit: & hæredibus ſuis hæreditatem confirmauit. Ratum enim eſt teſtamentum ex morte teſtatoris. Myſterium, id eſt, ſecretum fidei dicitur: quia quod ſenſibus noſtris eſt occultum, fidei eſt reuelatum. Ratio humana quærit dicens. *[Manhu.]* Manhu? quid eſt hoc? Quomodo eſt? Quomodo eſt, non comprehendit, ad hoc ſecretum non aſcendit: ſola enim fides credit & agnoſcit. Senſibus apparet in ſapore, & colore panis, & vinum: fides ſub vtraque ſpecie contemplatur Dominum, & ſaluatorem ſuum Ieſum Chriſtum. Apparet ſenſibus quod non eſt: fidei quod eſt. Senſus quod vident, iudicant *[B]* inanimatum, & omnium viuentium ſenſibus videtur corporale alimentum: fidei panis viuus, qui de cœlo deſcendit, panis quidem Angelorum, fons viuus aquæ ſalientis in vitam æternam. Fides credit & diligit ipſum: per quem ſperat peccata dimitti, & veniam dari, & in gloria ſua refici & ſatiari. Vnde Apoſtolus: *[Ad Heb. 11.]* *Fides eſt ſubſtantia rerum inuiſibilium, argumentum non apparentium.* Ex fide enim ſpes noſtra firma eſt; & ſubſiſtit, charitas roboratur, ſperanda probantur. Sanguis Domini effuſus eſt pro multis, ſcilicet ad fidem vocatis; non pro Iudæis, paganis, hæreticis; & in infidelitate perſeuerantibus. Eo tamen genere loquendi quo dicitur: Venit Dominus omnes ſaluos facere, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: poterit dici effuſus pro omnibus. Omnibus obtulit poculum ſalutis: quod alij receperunt, alij recipere noluerunt: ſicut medicus venit curare ægrotum, quem tamen non curat, propter negligentiam ægroti mandata non cuſtodientis. *[Dominica memoria C paſſionis.]* Quotiens hæc Sacramenta conficimus, paſſionem Domini memoriter tenere debemus, & mortem: corde & opere Chriſto gratias agentes, qui per guſtum aſſumptæ humanitatis nos inuitat ad guſtum, ſcilicet ad amorem, & cognitionem ſuæ diuinitatis. Propterea ad renouandam paſſionis memoriam, affectu lachrymabili, acceſſuris ad hoc Sacramentum ait Dominus: *[Luc. 22.]* *Hæc quotienſcumque feceritis, in memoriam mei facietis.* Sciebat enim monumenta ſcripturarum ad hæc non ſufficere: nec ſcripturis animos ſequentium ad eum diligendum tanta moueri deuotione, quanta mouerentur ipſo præſente. Quis enim ſine lugubri compunctione poteſt hanc immolationem repræſentare: quis tenens in manibus Dominum ſuum pro ſe crucifixum & mortuum, quaſi ſeruus nequam & immemor beneficiorum contemnat, quod morte ſua conſcripſit teſtamentum, hic iuſtitia fidei concaleſcit in camino charitatis, vbi ignis eſt non comburens, ſed illuminans, non conſumens ſed ædificans. Vnde cum Dominus ad diſcipulos ſuos loquens diceret, quo ego vado vos non poteſtis venire ſui memoriam commendauit, vt in eius memoriam intenderent eum ſequi hæc conficientes Sacramenta. *[D]* Quod Petro interroganti, Domine quo vadis, reſponſum eſt à Domino. Quo ego vado, non potes me modo ſequi: ſequêris autem poſtea.

CAPVT XVII.

Triplex quæſtio circa materiam Sacramenti altaris.

HOc autem loco prætereundum non eſt quare panis & vinum offerantur ad faciendum hoc Sacramentum, & ſi ſub vtraque ſpecie conſecretur corpus, & ſanguis Domini, an ſub altera tantum: & cur immolatio fiat de azymo, & non de fermentato. Tria in hoc Sacramento fidem interrogant: atque animum recte ſapientis, & fideliter intelligentis ad credendum ſollicitant: vnum eſt ſpecies panis, & vini, aliud corpus, & ſanguis Domini: iterum vnio membrorum, & capitis. *[E]* Primum apparet ſenſui, ſecundum reuelatur fidei, tertium efficit virtus Sacramenti. Primum virtus percipit, Secundum fides intuetur, & credit: tertium eſt gratia ſalutaris: per quam duo ſunt in carne vna, Chriſtus, & Eccleſia. Secundum eſt res primi, tertium effectus ſecundi. Nam ſpecies panis & vini tantum eſt Sacramentum, id eſt ſacræ rei & inuiſibilis viſibile ſignum. Quod enim videtur, ſignum eſt eius quod non videtur. Videtur panis terrenus, quo reficitur caro: & vinum quo lætificatur, & non eſt: ſed panis cœleſtis, panis viuus qui de cœlo deſcendit quo anima ſaginatur, & potius quo pleniſſimum gaudium datur, & ſitis indeſinente lætitia mitigatur, de eo qui biberit non ſitiet in æternum: De hoc pane dicit Dominus. *[Ioan. 6.]* *Caro mea vere eſt cibus:* & de hoc vino: *Sanguis meus vere eſt potus* & iterum ait: *Qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo.* Corpus & ſanguis Domini Ieſu Chriſti dicitur res Sacramenti ſcilicet occulta ſub prædictis ſpeciebus *[F]* & eſt Sacramẽtũ altaris rei ſcilicet illius quæ datur gratiæ & dilectionis. Itaq; primum eſt Sacramentũ tantum: ſecundum res Sacramẽti & Sacramentum: tertium res tantum & non Sacramẽtum: ſciendum eſt quod duplex eſt ſumptio corporis & ſãguinis Domini: Sacramentalis & ſpiritualis. Sacramentali communicant boni, & mali, ſoli boni ſpirituali. De Sacramentali dicit Apoſtolus: Qui manducat meã carnẽ, & bibit ſanguinem Domini indigne: reus erit corporis, & ſanguinis Domini. De ſpirituali Dominus ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & beatus Auguſtinus. Crede, & manducaſti, quod intelligendum eſt: ſi non fuerit contemptus religionis, ſed euentus neceſſitatis. Ita duplex eſt caro Chriſti. Illa quæ nata eſt de virgine, & ſumitur in Sacramento: & ea quæ manducatur fideliter credendo ſine qua non prodeſt ſacramentalis: quia Deus declarauit, dicens: *[Ioan. 6. Ioan. 3.]* *Caro non prodeſt quicquam: ſpiritus eſt qui viuificat,* quaſi diceret: Carnem meam ſumere, & ſanguinem meum bibere quicquam non prodeſt, niſi percipiatur fide, & charitate. *[G]* Cum enim Dominus dixerit: *[Ioan. 6. Ioan. 12.]* *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei,* multi tamen introierunt in regnum Dei in ſanguine ſuo baptizati. Sic carnem Chriſti manducare, eſt eam ſumere in Spiritu & veritate. Et hæc ſumptio omnibus eſt ad ſalutem: nulli autem ad damnationem. Vnde Dominus: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sacramentalis ſumptio: aliis eſt ad vitam, aliis ad ruinam. In talibus enim remuneratur ſolius fidei & dilectionis effectus. De pane, & vino fit hoc Sacramentum, ad ſignificandum quod ſicut panis cor hominis confirmat, vinum lætificat, ita hoc Sacramentum eſt fortitudo & ſalus, & perfecta lætitia corporum, & animarum. De pane triticeo conficitur: quia hoc eſt vere illud granum de quo Dominus ait: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Solus Chriſtus deſcendit & mortuus eſt: *[H]* ſolus non aſcendit, quia in paſſione germinauit, creuit, & in ſegetem innumerabilem fructificauit. De azymo pane non fermentato immolat ſancta Romana Eccleſia, vt expurgato fermento veteri reficiamur azymis ſynceritatis, & veritatis. Quod enim Græci immolant de fermento ad ſignificandum tumidum virginis vterum de Spiritu ſancto impregnatum, non conſentit ſanctorum patrum doctrinæ: quia in ſacro eloquio, numquam inuenitur fermentum accipi in bonum. Quod in noſtro vſu loquendi dicitur, corpus, & ſanguis ſumitur, non intelligas ſeparatim: cum ipſe totus Chriſtus, & integer ſumatur. Totus ſub vtraque ſpecie panis, & vini: & ſub qualibet particula vtriuſque ſpeciei totus. Inde eſt quod panis & vinum non tranſeunt in diuinam naturam: ſed in humanam ſubſtantiam. *[Duæ naturæ & tres ſubſtantiæ in Chriſto.]* Credimus enim in Chriſto duas fuiſſe naturas, diuinam, & humanam: & tres ſubſtantias, diuinam carnem & animam. Athanaſio atteſtante qui ait: Sicut anima rationalis & caro, vnus

eſt

A eſt homo ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Ipſe eſt qui in Sacramento manducatur, & ſumitur, non ſicut alius cibus manducanti incorporatur: ſed qui manducat debet ei per fidem & dilectionem incorporari. In propria forma non ſumitur, ne abhorreat humanus animus vt fides comprobetur. In præparatione panis, & vini, aqua vino miſcetur? vt vtrumque de latere Domini fluxiſſe memoretur, in quo etiam ſignificatur nos per aquā & ſanguinem ſaluari: Aquam dico baptiſmi, ſanguinem Ieſu Chriſti, quorum neutrum prodeſt, ſi deſit alterum. Quotiens hoc conficimus: mortem Domini annuntiamus, vel repræſentamus. Vnde ne memoria Dominicæ paſſionis labatur de cordibus noſtris, ſed vt crucifigentes nos metipſos cum vitiis & concupiſcentiis mortui peccato, viuentes Deo interpellatione eiuſdem filij ad vitam reſurgamus, hæc ſacroſancta offerimus & hoc eſt quod ſequitur: Vnde & memores &c. *Vnde & memores.* Omnes offerunt: qui fide & opere in vnitate Eccleſiæ conſiſtunt. Cum autem Dominus in miniſterio noſtræ redemptionis multa mira & inaudita egiſſet trium eorum ſcilicet paſſionis B reſurrectionis & aſcenſionis, fit commemoratio, per quæ facta eſt noſtræ ſalutis completio. Corpus & ſanguis Domini dona ſunt & data: nam dona ſunt vel dicuntur, quæ ſunt in poteſtate donantis data, in manu recipientis. Vnde ab æterno ſunt hæc dona & in tempore nobis data. Qui immolatur, ipſe eſt hoſtia pura, ſancta, & immaculata, Agnus ſine macula, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Hoſtia fuit pura in paſſione, ſancta & immortalis in reſurrectione, præclara & præfulgens in aſcenſione. Panis eſt vitæ, non panis in quo videtur: ſed ille quo homines & Angeli reficiuntur. Eo homines vtuntur in medicina: Angeli in deliciarum gloria. Hic panis in præſenti dat iuſtificationis gloriam in futuro autem, cum Angelis ineffabilem lætitiam cum vna ſit, & eadem res Sacramenti, nec corpus ſit ſine ſanguine, nec ſanguis ſine corpore: diuiſim tamen, & pluraliter loquimur, non pro diſtinctione rerum, ſed pro varia forma ſpecierum. Et cum ſanguis nominatur in calice, corpus extra C calicem, vtrobique credatur eſſe & in calice & extra calicem Deus & homo. Poteſt aliquis dicere vel meditari. *Ioan. 6.* *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* Attendat operantem, cogitet omnipotentem & deſinet mirari, quia quæcunque voluit, fecit. Quinaria cruce ſignamus, vtnon eum, à quo omnis ſanctificatio, ſanctificemus: ſed vt vulnera pendentis in cruce duo manuum, duo pedum, quintum lateris flebiliter & deuote recolamus: Ab hinc enim, vſque dum corporale deſuper calicem tollatur. Poſt conſecrationem rogamus patrem, vt ſuper dona prædicta reſpiciat & accepta habeat. Sed cum patri filio nihil ſit acceptius, quem propitio & ſereno vultu ſemper ſibi Deum æqualem intuetur: quid aliud oramus, niſi vt mediante & interpellante filio nobis Deus fiat placabilis & propitius, & per eum qui ſibi placet ei placeamus? Itaque oramus eum per hæc ſacrificia nobis miſerendo placatum fieri, ſicut miſertus eſt patribus nobis propitiando eorum ſacrificiis. Vnde attenD denda eſt hæc comparatio in ſola ſimilitudine, non in quantitate: nec eſt referenda ad ſacrificia, ſed ad offerentium vota. Plus valet res quam figura. Omnibus ſacrificiis præcellit Euchariſtia. Eſt autem talis ſimilitudo vt recte offerendo ſimiles ſimus patribus noſtris qui recte obtulerunt & recte diuiſerunt. Tres eorum nominat; quia in eorum ſacrificiis præſignata eſt hoſtia per quam fracta ſunt tartara. Abel cor contritum, & humiliatum Deo obtulit, & ſe Deo totum committens, ſibi ſe non retinuit, recte obtulit & recte diuiſit: & ideo Dominus ad munera eius reſpexit. *Cain* Cain vero peccauit: quia & ſi munera quæ debebat Deo: reddendo recte obtulit male diuiſit, quia ſe ſibi retinuit. Iniquitatem in corde ſuo aſpexit, & ideo Deus eum non exaudiuit. *Abrahā Gen. 22.* Abraham ſe Deo totum obtulit: quem Deus præcipiendo filium immolare, examinauit. *Melchiſedech.* Melchiſedec in ſublimi cor ſuum poſuit: & ideo meruit prænoſcere, & in ſacrificij figura panem, & vinum offerre. Itaque ſi volumus ſicut oramus, patribus noſtris aſſimilari, per iniquitatem Deo cor noſtrum non offeramus, ſed in ſublimi altari deponamus E cor noſtrum ſcilicet in cōſpectu diuinæ maieſtatis: & ſobrie & pie & iuſte viuendo, propitium & placatum inueniemus eum nobis. Hoc autem eſt quod in ſequenti oramus dicentes: Iube hæc præferri per manus ſancti Angeli tui, non vt Chriſtus mutatione loci aſcendat ſemper ad patrem qui aſſiſtit vultui patris interpellans pro nobis, ſed vt deuotio noſtra perferatur per manus ſancti Angeli, id eſt, per filium tuum qui eſt dextra tua, per quam omnia operaris, & Angelus magni conſilij, per quem omnia miniſtras, & diſponis, creas ſanctificas, & benedicis. Ipſe eſt conſpectus patris, id eſt, ſapientia per quam pater facit, & diſponit. Ideoque per ipſum, & in ipſo, & ante ipſum precamur vota noſtra perferri. Quis enim perferre poteſt niſi ille qui ait ad patrem. *Pater ſemper me audis*, *Ioan. 11.* & in quo pater cœlum & terram creauit: & quo omnia ſtabiliuit. Quod ſumitur in altari, non prodeſt ſine gratia ſpirituali. Vnde oramus vt corpus, & ſanguinem de altari viſibiliter ſumentes, F inuiſibiliter in altari, inuiſibili carne Chriſti reficiamur: ex qua omnibus benedictio & gratia ſumentibus datur, & ab eo qui corporaliter eſt in altari viſibili, datur omnis gratia benedictionis. In altari eſt, qui ad dexteram patris ſedet: potens in cœlo & in terra: vbique eſt, aſcendens in cœlum, deſcendens in infernum: ſemper eum inuenies. Sæpe ſignacula crucis iteramus, quæ quotiens facimus, paſſionem, & mortem Domini annuntiamus. Dicentes: *Nobis quoque peccatoribus.* Nobis quoque peccatoribus, vocem paululum eleuamus, vt ex gemitu cordis in ſilentio, procedat gemens oris confeſſio. Ante conſecrationem & hic recenſemus ſanctorum nomina: poſtulantes eorum interceſſiones, & ſuffragia attendentes non numerum ſed eorum adiuuans ſuffragium. Ibi fit memoria beatæ virginis quæ omnibus ſanctis præcellit, & Apoſtolorum & martyrum qui in ſanguine agni dealbati ſunt: vt eorum interuentu ſuffragante ad ſalutem noſtram fiat miniſterium. Hic ſanctorum memoriam facimus, vt compatiantur nobis peccatoribus. Pro veneratione enim ſanctorum ſuorum ſolet G nobis propitiari Deus, donans veniam delictorum, quod manifeſtis indiciis, ſignis, & miraculis Dominus oſtendit ad eorum (quæ ſua eſt) laudem, & gloriam conferendo ægris ſanitatem, deſolatis conſolationem. Qui enim membra honorat, & Chriſtum, qui caput eſt honorificat; *Ioan. 5.* *Et qui filium honorat, & patrem qui miſit illum*, per quem pater hæc bona creat, ſanctificat, viuificat, & benedicit. Vnde vt diximus, vna ſola res in Sacramento, ſcilicet Chriſtus Deus & homo. Vnde in figuris & nominibus quibus res eadem recenſetur, pluralitas apparet: & vbi vnum tantum eſt in ſubſtantia, multiplicitas videtur in figura. De corpore autem Domini loquimur aliquando ſicut eſt, aliquando ſicut apparet. Dicimus enim noſtro vſu loquendi, multas hoſtias communicando diſtribuimus, tot reſeruauimus & ſic plures hoſtias dicimus, & vnum credimus eſſe.

Triplex crux. Nec mirum ſi deficiat proprietas verborum vbi diſpenſatur ineffabile Sacramentum. Pater per verbum H ſuum creauit naturam: per idem dedit gratiam: & cum ad totam Trinitatem pertineat vniuerſitatis creatio, ad ſolum filium noſtræ ruinæ reparatio. Tres cruces ſignando depingimus ad honorem ſalutiferæ crucis: per quam facta noſtra redemptio, vita mortua in ligno, à qua fluentibus riuulis ſanguinis, & aquæ emanauit omnis ſanctificatio, vita, & benedictio. Inde datur homini tanta gratia, vt qui digne perficit, ſanctificetur, viuificetur, omni benedictione repleatur. ipſum etiam ſacramentum, virtute crucis miniſtrante ſacerdote ſanctificatur, benedicitur, cum corpus inanimatum tranſit in viuificum. Quotidie nobis hæc dona præſtantur: quando corpus & ſanguis in altari ſumuntur. *Ad Heb. 1* Itaque quia pater cuncta operatur per filium: ſanctificat & benedicit per ipſum filium, quia patrem manifeſtauit hominibus, & cum ipſo qui patri eſt coæqualis & coæternus: & in ipſo *qui eſt ſplendor & figura ſubſtantiæ eius*, & in quo eſt totius pater: & ipſe totus in patre. Deo pa-

A

tri omnipotenti omnis honor & gloria. Hic ter ſignamus quaſi per ipſum qui crucifixus eſt, & cum ipſo qui in cruce mortuus eſt, & in ipſo qui vita eſt, Deo patri omnis honor & gloria: per filium enim pater clarificatur, & in filio honorificatur. Vnde ſcriptum eſt: *Qui honorificat filium, honorificat eum qui miſit illum.* Hic iterum duas cruces facere ſolemus recolentes aquam & ſanguinem, quæ de latere filii fluxerunt. Venit enim in aqua & ſanguine: vt fide ſuæ paſſionis, & aqua regenerationis nos mundaret & ſanctificaret. Quomodo in ſerie canonis repræſentatur agonia dominicæ paſſionis, & quomodo veritas velata fuerit ſub veteribus figuris, intuitu diligentioris doctrinæ, quaſi recapitulando dignum duximus aperire. Quæ in ſumma & eo ordine, quo facta ſunt tractantur liquidius apparent, quàm ſi in ſuis locis ſingula notarentur. Sciendum itaque eſt quod ab initio canonis, ſcilicet. *Te igitur*, vſque ad finem, memorantur quæ geſta ſunt in ſeptimana ſubſequente ramos palmarum. Sicut enim paſchalis agnus luna decima de grege aſſumebatur in domibus Iudæorum, & 14. immolabatur ad veſperam: ita hic noſter agnus Chriſtus Ieſus nos ſaluans & viuificans, venit in Hieruſalem 14. die celebraturus agnum paſchalem, acclamante ei laudes populo Hebræorum: *Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini* Hoc autem ſignificat reſponſio chori concinens ſanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth. Silentium quod ſequitur illum concentum deſignat certam memoriam inſtantis paſſionis & quod ſcriptum eſt: Ieſus autem iam non palam ambulabat propter metum Iudæorum. Quod autem à, *Te igitur*, incipit myſterium paſſionis: ex eo innuitur quod ſtatim apponuntur ſignacula crucis. Ea die quæ dicitur rami palmarum: ſe incipit exponere manibus Iudæorum. Quarta feria eſt à Iuda traditus in cuius ſignum traditionis fit triplex ſignaculum crucis. Secunda autem & tertia feria non auſi ſunt contingere metu Iudæorum: ſed illis diebus docebat in templo nihil metuens furorem inſidiantum. *Pontifex legalis cum ſanguine ſemel in anno ingrediebatur ſancta ſanctorum, figurans illum qui proprio ſanguine introiuit in cælum.* Hoc autem repræſentat ſacerdos accedens cum ſanguine ad hoc myſterium ſcilicet lacrymabili deuotione retinens in mente memoriam dominicæ paſſionis. Quinta feria (de qua illud eſt quod pridie quam pateretur) vetus Paſcha celebrauit: & illud finiens, corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis tradidit. Sequenti nocte ligatur, & capitur & multis illuſionibus irridetur. Sexta crucifigitur. Sabbato fuit in ſepulchro. Tertia die reſurrexit, diſcipulis pacem totius mundi nuntiando. Cum dicitur: Nobis peccatoribus, ſolet rumpi ſilentium, paululum ſuppreſſa voce proferendo, vt veniat nobis in mentem latronis confeſſio, & pietas Domini de cruce dicentis: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Cum ventum eſt ad hæc verba, Per quem hæc omnia: memoratur illud dominicum verbum, conſummatum eſt, & quod voce magna exclamans emiſit Spiritum, & velum templi ſciſſum eſt: vnum corporale deſuper calicem tollitur. Sublato corporali dicendo: Per ipſum, confeſſionem exprimit centurionis: qui viſo terræmotu, confeſſionem exhibuit verbo Dei. Tunc Sacerdos & Diaconus calicem parum de altari eleuatum iterum deponunt: quia Ioſeph & centurio & Nicodemus accepta licentia, à Pilato, corpus de cruce deponentes ſepelierunt. Vnde calix iterum corporali cooperitur. Et quia clamor magnus factus eſt in morte Domini, tum ex lamẽtatione mulierum; tum voce Centurionis & aliorum lugentium: ſacerdos rumpit ſilentium alta voce canendo: Per omnia ſæcula ſæculorum. Poſt fit breue ſilentium, ſignificans ſpatium Sabbati quo quieuit in ſepulchro. Item eleuata voce ſacerdote proferente: Pax Domini, reſpicit illud quod Dominus *ſtans in medio diſcipulorum ait illis, Pax vobis.* Poſtea Agnus Dei cantatur, & oſculum pacis inuicem datur quia Deus pater filium ſuſcitauit ad dandam remiſſionem peccatorum: & eum reſurgentem exaltauit, dans ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, & in cœlo & in terra omnem poteſtatem, qua nos Deo Patri &

Ioan. 5. *Duplex crux.*

Exod. 12 *per totum*

B

Luc. 12.

C

Heb. 9.

Luc. 23.

D

Luc. 24.

E

Phil. 2. *Agnus Dei Communio.* Apoc.

Angelis reconciliauit. Poſt acceptum cibum ſalutarem ſequitur communio: quod eſt gratiarum actio. Solemus enim Deo gratias agere in corporali refectione: multo melius in ea de qua qui guſtabunt non eſurient neque ſitient. Quia in fine orationes proferuntur: in ſignum eſt quod Chriſtus reſurgens interpellat pro nobis.

CAPVT XV.

Alia Canonis declaratio.

AB illo capitulo, In primis vſque Communicantes, Aaron orabat intra ſancta ſanctorum: & Chriſtus antequam pateretur, pro ſe ſuiſque diſcipulis orauit, orandi dans exemplum: miniſter Euangelicus ſequens vtrumque, pro vniuerſa orat Eccleſia, à *Communicantes*, vſque, *Hanc igitur*, miniſter noſter commemorat nomina ſanctorum, quibus debet conformari vita & moribus: vt in eo accendatur thuribulum feruens igne charitatis & odore virtutum, quod figuratum eſt in eo quod pontifex legis ferebat thuribulum intra ſancta ſanctorum, & in pectore ſcripta nomina patrum. Chriſtus autem plenus aromate omnium virtutum aſcendit in cœlum: agnoſcens conſcientias, & nomina ſuorum. Dum legalis pontifex orabat, fumo thymiamitis obumbratus erat: ne videretur dum oraret & incenſum crematet: quod erat figura Chriſti interpellantis pro nobis, quod excedit omnem intuitum, & intelligentiam. Nemini enim datur ſcire, quomodo Chriſtus ſedens ad dexteram patris interpellat pro nobis: nec etiam cogitari poteſt. Latet enim homines & Angelos, quanta virtus ſit in verbis & myſticis crucis ſignaculis, à *ſupplices te rogamus*, vſque *præceptis ſalutaribus*, ſecundum legem exterius ſacramentum aſpergebatur ſanguine. Chriſtus autem aſpergit, dum nos ſanctificat ſui ſanguinis effuſione. Sacerdos aſpergit, dum hoc ſacrificio Deum placat, & datur gratia veniæ. Quod nominat altare ſublime, commemorat legis ſancta ſanctorum, & illud ſanctum ſanctorum in quo Chriſtus ſemel introiuit, & per ſanguinem proprium. Bis recenſentur in canone nomina ſanctorum: vt oſtendatur figuratiue ferre logion & ſuperhumerale in quibus erant ſcripta nomina patrum. Peracto ſacrificio legali Pontifex reuertitur ad populum lauans veſtes, & immundus erat vſque ad veſperum: figurabat Chriſtum qui quotidie venit ad nos miſerendo, & fideles ſuos mundificando, nec eos deſerens vſque ad ſæculi conſummationem. Sacerdos noſter orando lauat populum, & immundus eſt tamen vſque ad veſperum: quia nullus adeo mundus quin in eo ſit vſque ad mortem, quod lauetur. Vt dictum eſt: Omnis honor & gloria eſt patri per filium qui venit ſibi & patri acquirere regnum, & diſcipulos ſuos orare monuit, & docuit. Monuit dicens: Vigilate & orate. Docuit quando orationem compoſuit, & in eo formam orandi inſtituit. Quærentes enim diſcipulos, vt doceret eos orare: hac oratione ad orandum informauit. Propterea ſacerdos oraturus: monet alios ſecum orare dicens: Oremus, præceptis ſalutaribus ſcilicet Euangelicis moniti, & inſtitutione huius orationibus à Domino informati: fiducia inſtituentis qui præſens eſt & interpellans pro nobis ad impetrandam veniam: clamamus corde & voce: Pater noſter. Cum hic dici ſolet oratio quam compoſuit: viſum eſt B. Gregorio melius vt oratio diceretur, qua diſcipulos ad orandum informauit, dicens: Pater noſter, &c. Quod cum à Græcis accepiſſet: voluit tamen à ſolo ſacerdote cantari, quæ apud Græcos dicebatur ab omni populo. A reſponſione cleri ſuccinentis, Sed libera nos: ſacerdos ſumit exordium iterum orandi. Rogat ſe & alios interuentu B. Virginis & Apoſtolorum & aliorum ſanctorum à malis liberari: & pacem fieri in diebus noſtris: & chorus orat, vt præſente Rege pacifico, in pace & ſine omni perturbatione ſit Spiritus eius. Cum autem dicitur: Pax Domini: intra calicem fit triplex ſignaculum crucis ad laudem & honorem S. Trinitatis, quæ miſit agnum qui per crucem ſaluauit mundum, & facit pa-

Hanc igitur.

F

G

Bina ſanctorum in canone memoratio.

H

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

cem

A cem hominum & Angelorum. Trina crux ſit intra ambitum calicis : ad ſignificandum illud gaudium irreprehenſibile & ſecretum quod erit in fruendo viſione Trinitatis, per quam data nobis pax veniæ, pax iuſtitiæ, pax gloriæ. Deinde ſequitur vox Eccleſiæ : ſupplicans
Agnus Dei. agno largitori pacis & miſericordiæ. Ter cum eodem principio cantatur : & duplici fine terminatur, itaque orat, Miſerere nobis : dando veniam. Miſerere : conſeruando iuſtitiam, dona nobis pacem : quæ ſuperat omnem ſenſum & intelligentiam. Miſerere captiuis, miſerere peregrinis, da nobis finem laboris, miſerere peccatoribus, miſerere exulibus : da requiem laborantibus : tribue peccatorum remiſſionem, perduc ad patriæ certam manſionem : da poſt laborem pacem & requiem. In fractione panis hoſtiæ repræſentatur miniſter legis, qui ſimilaginem particulatim offerebat : &
Luc. 24. Dominus qui panem fregit in cœna, & quem fractione panis cognouerunt diſcipuli euntes in Emaüs. Frangi-
B tur hoſtia & in tres partes diuiditur : S. Trinitati dedicata : quarum vna in calicem demiſſa ſanguini immergitur pro illa parte Eccleſiæ, quæ naufragio huius ſæculi agitata multis perturbationibus paſſionum concutitur : aliæ duæ extra calicem ſunt, pro illis quarum vna igne examinatur quæ eſt fidelium, altera eſt ſanctorum, quæ cum Chriſto regnat in æternum. Tunc deuota memoria Chriſto præſenti, & ad dexteram Patris ſedenti, & interpellanti pro nobis : pro glorificatis grates referuntur : pro viuis, vt illis aſcribi mereantur : pro fidelibus, vt à pœnis citius ſoluantur. Diaconus, Miſſæ finem imponit, decantans Benedicamus Domino : vel,
Triplex finis Miſſæ. Ite miſſa eſt, in diebus feſtiuis, vel Requieſcant in pace, vt in mortuorum exequiis. Hoc fit vt ſemper & ſine intermiſſione pro acceptis beneficiis redemptori noſtro gratias referamus : ſanctos ſuos honoremus, quorum meritis & interceſſionibus adiuuamur : & pro cunctis fidelibus defunctis (vt ipſi ad optatam requiem perueniant) exoremus. Hac ſalutatione monentur aſtantes
C recedere : quia Miſſa eſt hoſtia, cui omnis laus & honor, Benedictio & gloria : ad quam de hoc exilio tranſire feſtinandum eſt celeri curſu, ſanctoque mentis receſſu. Ea enim ad reconciliationem noſtram ſufficiens legatio mittitur. Propterea miniſterium ſacroſanctum Miſſa nuncupatur.

CAPVT XIX.

Expoſitio orationis Dominicæ.

EXpoſitionem dominicæ orationis à patribus noſtris plene & lucide digeſtam inuenimus. Eam tamen paucis verbis exponere pro modulo noſtro curauimus, non Spiritu arrogantiæ : ſed ne lectori videatur oneroſum quotiens hanc legerit, eam quærendo reuoluere libros aliorum. Sermo iſte Dominicus breue eſt verbum & abbreuiatum : pauper verbis, diues ſententiis.
D Nam Dominus ſub paucitate verborum docuit orare : confutata ſuperſtitione ethnicorum in multitudine ver-
Matth. 6. borum gloriantium. Vnde Dominus : *Orantes nolite multum loqui.* Diſtinguitur ſeptem petitionibus, pro ſeptiformi gratia Spiritus ſancti : quia liberati à ſeptem vitiis, & totidem virtutibus decenter ornati, mereamur percipere ſeptenarium fructum æternæ beatitudinis. Septem itaque ſunt petitiones, ſeptem dona, ſeptem virtutes, ſeptem vitia, ſeptem beatitudines. Eorum quæ petuntur tria ſunt, ſcilicet ſanctificatio nominis, aduentus regni Dei, perfectio diuinæ voluntatis, quæ pertinent ad futurum ſtatum. Quatuor ad temporale ſubſidium : hæc ſunt panis quotidianus & ſpiritualis : qui licet ſit æternus, quia quotidie ſumitur, huic tempori accommodatur dimiſſio peccatorum : non moueri tentatione malorum, nec infeſtinatione tribulationum. Quæ prius ponuntur, priora ſunt dignitate : quæ poſterius, priora tempore. Nam ex his quæ temporaliter aguntur, ad æterna peruenitur. Septem ſunt gratiarum diuiſiones Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini. Non quod multiplex ſit Spiritus ſecundum differentiam nominum : ſed ſimplex vnus ſemper, & idem fons & origo omnium virtutum & bonorum. Idem enim Spiritus eſt à quo fiunt ſapientia maturi, intellectu prouidi, conſilio cauti, fortitudine liberi, ſcientia diſcreti, pietate mites, timore humiles. Septem ſunt vitia : ſuperbia, *Septem vitia.*
inuidia, iracundia, accidia ſcilicet tædium mentis cum triſtitia, auaritia, gaſtrimargia, luxuria : à quibus deriuantur omnium delictorum inquinamenta. Septem ſunt virtutes, humilitas, pietas, compunctio, iuſtitia, miſericordia, munditia, pax ſiue tranquillitas : *Septem virtutes.*
humilitas conculcat ſuperbiam, pietas extinguit inuidiam, compunctio mitigat iracundiam, iuſtitia exhilarat mentem, pellens omnem triſtitiam : miſericordia damnat auaritiam : munditia reprimit gulam : pax eliminat luxuriam.

Septem ſunt beatitudines, regnum cœlorum, terra viuentium, conſolatio ſine perturbatione, ſatietas ſine eſurie, miſericordia ſine iudicio, Dei viſio, Dei filiatio ſeu ſimilitudo, etſi in nominibus & proprietatibus ſit diſtinctio, vna tamen eademque eſt beatitudo. In his promerendis & adipiſcendis neceſſaria eſt gratia ſeptiformis, quam Eſaias deſcribit : ſine qua nullum meritum pertingit ad ſalutem. Nota quod Eſaias incipit a ſummo : Dominus in ſermone ſuo ab imo. Ibi enim docetur Dominus ad ima deſcenſurus : hic, homo ad ſimilitudinem Dei aſcenſurus. Itaque ſingulis meritis competentia aſſignat præmia, pauperibus regnum cœlorum : *quorum initium ſapientiæ timor Domini.* Mitibus hæreditas patris, qui de ſe ait : *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Lugentibus conſolatio per ſcientiam, eſurientibus & ſitientibus quaſi in fortitudine laborantibus refectio : miſericordia miſericordibus ope conſilij. Mundis corde viſio Dei, oculo mentis purgato intelligentia, id eſt, pacificis ſimilitudo Dei tribuitur : vt ipſius filiis in quibus caro obtemperat ſpiritui, ſenſus ſubſeruit rationi, moderatione & maturitate ſapientiæ. Hæc prælibauimus vt facilius animus legentis præparetur ad intelligendum quod intendimus. Sciendum quod omnia quæ ſunt ſalus & vita petuntur in oratione dominica : quia ipſe interpellans pro nobis formam orandi docuit, ſcilicet purgari fæce vitiorum, decorari ſplendore virtutum, illuſtrante gratia ſpirituali, & perducere ad præmium repromiſſionem. Primo ergo petimus nomen Domini ſanctificari in nobis : vt pede humilitatis, calcata ſuperbia, humiliemur ſub potenti manu Dei. Et ipſum ſanctum à quo ſanctificati timeamus & veneremur, timore caſto permanenti in ſæculum ſæculi. Sanctificatio quæ nobis à Deo confertur, incipit ab humili eius aduentu, ſicut Apoſt. ait : Neque fornicarij, neque maſculorum concubitores regnum poſſidebunt. Hæc quidem fuiſtis ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti in Spiritu Dei noſtri. Vnde non ſanctum ſanctorum, à quo omne ſanctum ſanctificari oramus : ſed vt in ſanctificatione nobis ab eo data perſeueremus. Et qui ab eo receſſeramus per ſuperbiæ vanitatem, ad ipſum reuertentes per humilitatem, ſanctificati ei iungamur, & ad beatitudinem regni cœleſtis pertingere mereamur, de qua Dominus ait : *Beati pauperes Spiritu : quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Secunda petitio eſt : *Adueniat regnum tuum.* In ordine donorum aſcendendo, Spiritus pietatis ponitur donum ſecundum. Regnum Dei communis eſt ſalus omnium, quæ adueniet cum in fine ſæculi manifeſtabitur eius regnum. Pietas ſiue benignitas *Pietas.*
compatiendo proximis, congratulando proſperis, & condolendo aduerſis. Vnde pietatis eſt commune ſalutem omnium velle & optare, & ita omnem inuidiam relegare. Qui enim fideliter aliis optat ſibi quod petit, inuidiam omnino excludit. Sed cum Deus ab æterno regnet, & regnum ipſius omnibus dominabitur, regnum eius petimus aduenire, ſcilicet ſalutem promiſſam, paſſione filij ſui acquiſitam, vt exuti à corpore

A huius mortis ſiue ſeruitutis, cum Chriſto regnemus ſicut pollicitus eſt: *Percipite regnum Dei, quod paratum eſt vobis ab origine mundi.* Itaque inuidiâ reprobatâ, benignitate ſiue manſuetudine ſpiritu pietatis adeptâ terram viuentium poſſideamus, quod eſt initium & Math.5. ſtabile fundamentum, iuxta illud. *Beati mites, &c.* Tertia eſt petitio, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Voluntas Dei eſt cuſtodia mandatorum eius; in quibus exequendis retributio multa. Oramus voluntatem Dei fieri in cœlo & in terra, id eſt in corpore & in anima: vt ei caſto corpore ſeruiamus & mundo corde placeamus. Cum enim corpus à terra, ſpiritum ex cœlo habeamus: in vobis (qui ſumus cœlum & terra) voluntatem Dei fieri in vtraque poſtulamus. Quod dato ſpiritu ſcientiæ executioni damus: per quem ſcimus diuinæ voluntati obtemperare, & datur nobis iram, indignationem & prauos illicitus mitigaGal.1. re; *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: & ſpiritus aduerſus carnem.* Nam caro inclinat ſe ad terrena: ſpiB ritus erigit ſe ad cœleſtia: ideoque implorandum eſt Scientia. diuinum auxilium, vt mittat ſpiritum ſcientiæ, cuius ope diſcernamus quid beneplacitum ſit diuinæ voluntati: & corde conteramus poſtpoſitis ſæcularibus gaudiis, vt in multitudine dolorum & compunctionum, ſpiritu ſcientiæ lætificante ſpiritum noſtrum, obtineamus inæſtimabilis ſcientiæ perenne ſolatium, ſecundum illud, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Tuncin nobis voluntas Dei perfecte complebitur, adeptione ſuæ conſolationis. Quarta petitio eſt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, cum mens tædio acediæ langueſcens, ab internorum amore bonorum retrahitur: animus in torporis lecto iacet quaſi languidus, qui pane ſpirituali, id eſt corpore Chriſti Fortitudo. eſt reficiendus. Vnde ſpiritu fortitudinis optet animum à torpore excitari, & operibus iuſtitiæ inhiare, ne aliquo graui delicto intercedente, abſtineamus ab illo 1.Cor 11. pane de quo apoſtolus ait, *probet ſe vnuſquiſque, &* C *ſic de pane illo edat*, vnde precamur dari nobis panem noſtrum quotidianum: vt ex iuſtitiæ operibus in Chriſto viuentes à corpore ſuo non recedamus, ſed ſit nobis cibus quotidianus, quo plene ſatiabitur iuſtus cum Math.5. apparuerit gloria eius. Vnde Dominus. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Accepta fortitudine huius cibi ſpiritualis, ſtatim recte petitur venia delicti. Vnde ſequitur, *& dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Peccata noſtra dicuntur debita noſtra, ſcilicet quia ei qui commodat, ſcilicet diabolo, debitor exiſtit homo. Quotiens delinquitur, debitum mutuatur. Qui enim fuerunt Deo debitores per iuſtitiam: peccantes fiunt debitores diabolo per iniuſtitiam. Commendat diabolus ad vſuram delinquentibus peccatorum malitiam: vt inde conſequantur mortem æternam. Hoc debitum, diabolus primo homini commodauit; qui Domino accepti beneficij debitor eſſe noluit: ſi miſericordes, beati; Miſericordia. ſanum eſt conſilium aliis miſereri, & non æſtuari facibus auaritiæ, ſed bona largiri. Hoc conſilium datur D per ſpiritum Dei, vt remittamus odia & iniurias: quatenus Dominus dimittat peccata noſtra, & miſericordibus miſericordiam impendat. Vnde ipſe ait, *Cum ſteteritis ad orationem, remittite, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: vt & pater, qui in cælis eſt remittat vobis.* Secundum hoc in die iudicij iudicaberis: vt quod feceris patiaris. Si beati mundo corde, mundemur mente & corpore: vitanda eſt ciborum crapula, gulæ irritamenta: interior refectio ſpiritu intelligentiæ eſt appetenda. Cum enim anima interius reficitur; minus moleſte exteriorem famem patitur. Vnde Dominus tenMath.4. tatori reſpondit. *Non in ſolo pane viuit homo.* Orandum eſt itaque vt tentatio non deiiciat: ſed oculo mentis lucido tentationibus reſiſtat; vt Deum contemplatione intueri non ceſſans, Deum in futuro ſicuti eſt videat. Vltima petitio comprehendit quidquid eſt neceſſe, ſcilicet à malo liberari. Nihil enim eſt vltra quod debeat quæri cum ſit perfectio totius religionis. Qui enim à E malo eſt liberatus, in ſe requieſcit, generans animum pacis & tranquillitatis; non eſt quod interius vel exterius repugnet, quia nec caro per luxuriam, nec mundus per auaritiam, nec diabolus per malitiam poſſunt deiicere à tranquillitate. Hoc fit ſpiritu ſapientiæ, qui Sapientia. omnes motus ſenſuum componit, & rationi ſubiicit. De talibus dicit Dominus, *ego dixi dij eſtis*, &c. *Vnde beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Math.5. Congruenter videntur dominicæ orationi aſſignari quæ dicta ſunt ab Eſaia de ſpiritu Domini; & ſermo quem locutus eſt in monte diſcipulis. Nam ille qui prophetiam edidit, & qui ſermonem diſcipulis in monte fecit, ipſe hanc orationem compoſuit. Sermo ante & oratio quaſi riuuli à fonte manant ab illo Eſaiæ ſeptenario, in quo eſt omnium bonorum plenitudo.

CAPVT XX.

De additis ad officium Miſſæ per ſummos Pontifices. F

NOta quod (ſicut magiſter docuerat) apoſtoli ſe & alios communicando, conſecrationem corporis & ſanguinis Domini facere cœperunt, & fieri per vniuerſas Eccleſias prædicando inſtituerunt. Primo *Apoſtoli per vniuerſas Eccleſias Miſſam celebrarunt.* ſine aliquo ordinatu fiebat Canonis myſterium, poſtea cum Canone legebantur Epiſtola & Euangelium. Deinde à Romanis Pontificibus quibuſdam additis ad ornatum & decoratum Eccleſiæ, celebranda aliqua ſuſceperunt. Cœleſtinus Papa 150. Pſalmos cum antiphonis cantari inſtituit. Ex hac inſtitutione mos inoleuit, vt omiſſis pſalmis ex illis introitus, graduale, offertorium, communiones exciperentur. Gregorius à Græcis Kyrie Eleyſon aſſumpſit: & à ſolo clero ſonora modulatione cantari præcepit, & orationem Dominicam dici decreuit. Symmachus, Gloria in excelſis Deo, in feſtiuis diebus addidit. Teleſphorus Papa tantum in natali Domini miſſas in ipſa nocte cantari voluit; & quæ ſequuntur verba Angelorum, dictauit. Gelaſius G Præfationes compoſuit. Innocentius pacis oſculum adiecit. Damaſus, Credo in vnum Deum, ex decreto Concilij Conſtantinopolitani poſt Euangelium cantari inſtituit. Alexander aquam vino miſceri, vt nec vinum ſine aqua, nec aqua ſine vino offeratur; ad repreſentandum vtrumque de latere Domini fluxiſſe. Sixtus, ſanctus triplicatum modulauit. Sergius Agnus Dei. Inter communicandum terno concentu cecinit.

GVILLELMI DE CAMPELLIS Epiſcopi Catalaunenſis Dialogus inter Chriſtianum & Iudæum de fide Catholica.

Ex Gallia Chriſtiana tomo 2. In Epiſcopis Catalaunenſibus. H

GVILLELMVS de Champeaux cognomento venerabilis, à Natali ſolo ſic dictus, oppido de Campellis, Pariſienſis diœceſis in Bria, tertio à Meleduno milliario, Eccleſiâ collegiatâ inſigni. Adoleſcens ſub Anſelmo præceptore Laudunenſi Decano litteris operam dedit, qui tum per Franciam Famoſus habebatur, ſicuti ex Abaëlardo diſcitur. Sub eo magnos cum feciſſet progreſſus, Pariſienſis Eccleſiæ Archidiaconus, & ſcholæ huiuſce Cathedralis, inſuper in dialectica edocendâ præpoſitus eſt. At ille melioris vitæ cupidus, ad cellam veterem non longe ab vrbe Pariſina remotam, vbi erat capella quædam S. Victoris cum diſcipulis aliquot migrauit, & veſtem induit ordinis Canonici, teſtis Anonymus ſed

antiquus,

antiquus ſcriptor : *Eodem*, inquit, *tempore magiſter Vuillelmus de Campellis qui fuerat Archidiaconus Pariſienſis, vir admodum litteratus & religioſus, aſſumens habitum Canonici regularis cum aliquibus diſcipulis ſuis extra vrbem Pariſios, in loco vbi erat Capella quædam S. Victoris martyris cœpit ædificare monaſterium clericorum.* Hanc mutationem profeſſionis laudat Hildebertus Cœnomanenſis Præſul Epiſt. 1. ad Eundem; *De conuerſione & de conuerſatione tua lætatur & exultat anima mea, illam proſequens actione gratiarum : cuius muneris eſt, quod tandem philoſophari decreueris. Nondum quippe redolebat Philoſophum, cum ex acquiſita Philoſophorum ſcientia, ſcientia morum tibi minime depromeres venuſtatem.* Nec tamen hic ſuæ conuerſionis habitus, vel ab vrbe Pariſina, aut à conſueto Philoſophiæ ſtudio eum reuocauit : ſed in ipſo monaſterio, ad quod ſe causâ conuerſionis contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuit ſcholas, hortatu nempe prædicti Hildeberti. Aſſumptus eſt ad Epiſcopatum anno 1113. Albericus in Chronico : *Obiit Catalaunenſis Epiſcopus, ſuccedit magiſter Guillelmus de Campellis, qui moralia Gregorij Papæ abbreuiauit, & alia fecit.* Benedixit autem ſanctum Bernardum Abbatem Clareuallenſem ipſi apprimè notum & familiarem, vacante ſede lingonica anno 1115. vti memorant Albericus, & vita ipſius Bernardi libro 1. cap. 7. Huius porro cum Elogio meminere Iuo Carnotenſis Epiſtola 268. S. Bernardus Epiſt. 3. maximè virum chariſſimum nuncupans, Otho Friſingenſis Epiſcopus libro 1. cap. 47. & 48. Exceſſit è viuis anno 1121. 8. Cal. Februarij, ſicuti docent tabulæ S. Stephani & Albericus. Corpus ſepulturæ defertur in Abbatia Clareuallis.

INCIPIT ALTERCATIO cuiuſdam Chriſtiani cum Iudæo.

De fide Catholicâ.

REuerendiſſimo Alexandro Dei gratiâ Lincolnenſi Epiſcopo, quidam fidei Chriſtianæ propugnator & ſeruus, in ſpiritu Dei recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Quia plurimum litteris eſtis inſtructus, atque non ſolum humanis ſed etiam diuinis legibus eruditus, & perſonalis gratiæ honore præditus; mitto vobis diſputatiunculam paruam veſtro examinandam iudicio, quam nuper cum quodam Iudæo confligens edidi. Quidam mihi cum cognitus eſſet Iudæus cuiuſdam negotij causâ; tandem cogente amore frequenter illi ſuadebam, quatênus Iudaiſmo relicto Chriſtianus efficeretur; cui etiam multimodas erroris ſui vias veritatis luce monſtraueram, & quod dicebam, ſuæ legis & noſtræ teſtimoniis approbabam, ſed cum obdurato corde in ſua infidelitate perſiſteret, atque errorem ſuum ineptis quæſtionibus & argumentationibus tueretur : tandem amicabili conuentione conuenimus & diſputandi gratiâ reſedimus. Igitur rogauerunt me auditores vt hoc pro vtilitate fidei litteris traderem, quibus libenter obaudiens pro capacitate ingenioli mei ſub perſonâ Iudæi & Chriſtiani diſputantis apicibus annotaui In quo ſi quid bene dictum Dei gratiæ tribuatur, ſi quid ocioſum & inutile veſtra prudentia nouerit reſecare, ſiue totum ſiue partem libentiſſime feram quidquid vobis indè placuerit facere. Ergo Iudæus ille plurimum ſuâ lege peritus noſtrarum etiam litterarum non inſcius ſic incœpit.

Iudæus. Si patienter me velles audire & meis quæſtionibus æquanimiter reſpondere, libentiſſime ſcirem quare Iudæos culpatis & abiicitis, eo quod legem ſibi à Deo per Moyſem datam ſeruare probantur : ſi enim lex bona & à Deo data, eſt vtique obſeruanda; nec eius obſeruatores idcirco quod eam obſeruant execrandi ſunt, imo eos execrantes magis contemnendi ſunt.

Chriſtianus. Hoc idem requiro à te vt patienter me audias & veritatem quam dixero òbſtinato animo non repellas : legem quidem ſcimus à Deo per Moyſem datam vobis vtique bonam & obſeruandam, nec ideo vos abiicimus ſi legem ſeruatis, ſed culpamus quia ipſam legem veſtram non tenetis ſicut tenere deberetis, imo eam deſtruitis.

Iudæus. Quomodo? nonne circumciſionem tenemus, & legis ſacrificia, prout poſſumus, & cætera mandata ſeruamus? in quo ergo legis præcepta deſtruimus? imo vos eam deſtruitis qui nihil omnino ſeruatis.

Chriſtianus. Oſtendam tibi quomodo legem ipſam ſic obſeruando deſtruis, atque eius præcepta tenens non tenere probaris, & circumciſus incircumciſus eſſe conuinceris; lex etenim carnalis carnaliter carnalibus data eſt, imperfecta manens & clauſa ſub figuris futurorum ſignificatiuis, donec ille perfectus veniret, qui eam perfectè perficeret, & dudum clauſam in ſe apertam oſtenderet, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit; ipſe nobis ſuo ſanguine circumciſus aperuit, vti dimiſsâ circumciſione carnali, potius baptiſmi lauacro ſalutaris abluamur, & virtutum cuſtodiâ circumſepti à vitiis caueamus, vt ſic ſpiritualem circumciſionem habeamus; ipſe paſchalis & ſpiritualis agnus, quem agnus illæ paſchalis & carnalis ſignificauit, cuius morte & paſtu ab Ægypti ſeruitute, hoc eſt à diaboli poteſtate eruimur & internâ ſatietate reficimur. Nam quod vetus lex ſignificauit in ſpecie, hoc noua lex prætulit in re; Quid ergo prodeſt tenere ſignificantem legem, cum iam hoc quod ipſa lege ſignificatum eſt manibus teneamus? igitur quia carnalis circumciſio & carnalia legis ſacrificia iam nihil proſunt, adnihilanda ſunt, & ſpiritualis circumciſio & nouæ legis mandata quia ſpiritualiter proſunt, omnimodis obſeruanda ſunt. Tu ergo qui carnaliter hoc eſt, inutiliter circumciſus es; ſic incircumciſus eſſe conuinceris, & legis veteris præcepta tenens, non tenere, immo deſtruere comprobaris; quia ea carnaliter ſeruans ſpiritualiter tenere contemnis.

Iudæus. Quid eſt quod dicis? certè multum blaſphemas, quia hoc quod Dominus ſtatuit adnihilandum iudicas? An auſus es legem quam Dominus fecit & ſcripſit imperfectam dicere? fecit-ne perfectus Dominus aliquid imperfectum? aut ſi ipſe eſt tam mutabilis vt pro rerum viciſſitudine aut loco aut tempore ſua dicta commutet & facta, velut nunc aſſeris quod introductâ nouâ lege vetus abolenda ſit; dic quæſo quomodo ſtabit verum illud quod dicitur : In æternum Domine permanet verbum tuum? ſi enim verbum Dei permanet in æternum, permanebit vtique iſtud verum quod dicitur : Omnis caro quæ circumciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo; lex nullum excipit ſed omnem carnem circumcidi præcipit, & incircumciſum de populo ſuo exterminandum dicit, in quo omnino de ſpiritu tacuit, & ſolam carnem circumciſam. Vnde ergo hanc ſpiritualitatem auguraris?

Chriſtianus. Audi Iudæe myſteria fidei, & ablato velamine tui cordis, in cornutam faciem Moyſi linceis oculis intuere; quod Dominus ſtatuit non deſtruo, imo omni voto conſtituo. Legem quia imperfectam eſſe dixi; vtique verum & bene dixi, quia per eam fuit tantummodo cognitio peccati, ad cognoſcenda & reſecanda peccata lex data eſt : non tamen per eam aliquis vitam æternam conſecutus eſt : carnalis lex carnalia præmia habet, temporalium rerum abundantiam porrigebat, non tamen paradiſi ingreſſum alicui promittebat; igitur perfecta non erat quæ perfectè ſaluare non poterat; quoniam paradiſus protoplaſti culpâ iamdudum omnibus clauſus erat, & flammeus enſis ante poſitus volentes adire vetabat; quia omnis homo in primo patre originaliter peccans, morte ceciderat; ad reparandum igitur hoc damnum carnalibus ſacrificiis ſufficiens lex non fuit, quæ paradiſum aperire non potuit, nec ſe obſeruantes quamuis iuſtos ab infernis eripere valuit. Ergo neceſſe erat vt Dei filius in terris ve-

niret, qui pro nobis ſufficiens hoſtia factus carnalia ſacrificia remoueret, & legem imperfectam perficeret, & noſtra mala gerens noſtram mortem ſua morte deſtrueret, & regni cœleſtis ianuas aperiret. Expiauit igitur culpam noſtram, & remoto verſatili gladio cunctis ſanctis liberum fecit introitum; fecit ergo quod vetus lex facere non poterat, & quod illi deerat ad perfectum noua lege ſuppleuit, dans nobis altiora & ſpiritualia iuſſa, quibus æterna & ſpiritualia darentur præmia: verbi gratiâ, vetus lex prohibet homicidium, noua damnat iram & odium; illa lex adulterium, iſta etiam mentis appetitum; illa prohibet edi porcum vt immundum, iſta præcipit comedi vt mundum & abſtinere à malo quod per ipſum ſignificatur. Non tamen ideo vetera & noua præcepta aduerſa ſunt, ſed potius idem & vnum ſunt, dum quod illa carnaliter dicit, iſta ſpiritualiter implet; ſic verbum Dei permanet in æternum. Quod vetus lex temporaliter ſtatuit, hoc noua lex æternaliter adimpleuit; ſic quoque intelligitur, omnis caro quæ circumciſa non fuerit, anima illa, inquit, exterminabitur de populo ſuo. En vide ſpiritualem ſenſum litterâ carnis incluſum, non circumciſa carne exterminandam animam aſſerit: quia anima, quæ vitia carnis non reſecauit, proculdubio æterna damnatione peribit: ſic itaque hæc duo teſtamenta in vnum ordinata à Chriſto qui facit vtraque vnum, in quem oportet te credere.

Iudæus: Si enim iſtæ duæ leges inſeparabiliter vnum ſunt, vt aſſeris & probare contendis; iniuſtiſſimum eſt vt noſtra lex quæ ſecundum tuam quoque ſententiam principium ac fundamentum eſt veſtræ legis, funditus debeat aboleri; ſed ſi noua lex tenet re quod vetus ſignificauit ſpecie, teneamus vtrámque; ſed noſtra lex prohibet comedi porcum, & veſtra lex admitti peccatum; abſtineamus à porco pariter & peccato; ſic etiam carnis circumciſionem & legis cæremonias obſeruemus, vt tamen ſpiritualem ſenſum non omittamus: Nam ipſo quoque auditu grauiſſimum eſt, quod incommutabilis Dominus mutabiliter ſua dicta conſtituat.

Chriſtianus. Si litteram occidentem relinqueres & ſpiritum viuificantem acciperes, proculdubio ſcires quod ſit immutatio dexteræ excelſi, & quia talis duarum legum ratio non eſt inanis mutatio, ſed potius diuini myſterij reuelatio: quod enim in veteri teſtamento ſub figuris diu occultatum eſt, in noua idipſum Dei gratia & rerum præſentia propalatum eſt; nulla autem ratio ſuadet imo impoſſibile eſt, vt ſub illâ lege viuamus, qui non ſub lege ſed ſub gratiâ ſumus, alioqui gratia non eſſet gratia; quamuis autem nouam gratiam quærimus, non tamen ob hoc fidem veteris teſtamenti relinquimus; ſed in lege & prophetis multa diuerſa imo aduerſa ſcripta ſunt, quæ ad litteram minime ſtare poſſunt, quare ſpiritualem ſenſum petunt; de quibus innumeris vnum tibi proponam, vt hoc agnito cætera ſimiliter valeas intueri. Rex Dauid in pſalterio quamdam ſimilitudinem faciens ait, *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*; Hoc ſecundum hiſtoriam quantum ſit impoſſibile ſatis aduertitis vt ros montis Hermon deſcendat in montem Sion. Quia igitur litteraliter ſtare non poteſt, congruit vt allegorice proferatur & dicatur quod ros montis Hermon tunc deſcendit in montem Sion, cum Dei gratia quæ arentia corda rigat, de monte Hermon, id eſt, à Domino qui mons noſtræ fortitudinis eſt deſcendit in montem Sion, id eſt, ſanctorum animas quæ quamuis carnali mole grauentur, tamen pro poſſe ſuo per ſpeculum & in ænigmate Dominum ſpeculantur: nam Sion ſpeculatio dicitur. alia quoque innumera ſunt quorum quædam allegoricè, quædam vero moraliter, quædam autem ſolâ litterâ valeant æſtimari. His ergo aduerte quod vetus lex figuraliter loquebatur quæ tanta impoſſibilia litteraliter fatebatur; porro quod dixiſti vt quia duo teſtamenta conſonant vtrumque ſeruemus, ſpecie pariter & re, quam difficile & inutile ſit euidenti exemplo tibi probabo.

Iudæus. Quo exemplo?

Chriſtanus. Propone te tenere nucem in manu tua.

Iudæus. Fiat, teneo nucem.

Chriſtianus. Si hanc nucem infractam ederes, forſitan te ſtrangulares.

Iudæus. Vtique cito contingeret.

Chriſtianus. Ergo nux integra non eſt bona ad comedendum.

Iudæus. Vtique.

Chriſtianus. Prius ergo oportet teſtam frangere & ſic peruenire ad nucleum.

Iudæus, nullatenus aliter eſſe poteſt.

Chriſtianus. Audi igitur, ſicut non potes nucem integram edere vtiliter, nec peruenire ad nucleum niſi prius teſta frangatur, ſic non potes peruenire ad nouam legem niſi vetus lex conquaſſetur: nam ſæpe dixiſſe me recolis, quod vetus lex nouam intra ſe tenebat incluſam ſub figuris & ænigmatibus poſitam; oportet ergo vt prius vetus, id eſt, teſta frangatur quatenus nucleus, id eſt, noua lex ſcilicet Dei gratia detegatur & teneatur; neceſſe eſt vt vetus vmbra pellatur, & noua lux cœleſtis gratiæ proferatur, expedit vt prophetarum imo Dei promiſſa compleantur, quæ olim longo ante tempore futura prædicebantur; non enim ſemper dicendum & promittendum erat; *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, quia Dei gratiâ iam virgo concepit & peperit, & poſt partum virgo permanſit; nec ſemper erat expectandus ille propheta de quo Moyſes dixerat, *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis*, omnis qui non audierit prophetam illum exterminabitur de populo ſuo; iam enim ille propheta & plus quam propheta, imo Dei filius venit, quem manibus ſuorum fratrum peremptum, Dominus à mortuis ſuſcitauit.

Iudæus. Valde mirandum eſt vnde vos Chriſtiani talia præſumitis, nam hoc de propheta dicit non de Chriſto, ſed de Ioſue Moyſes dixit, vt quid ergo ſcripturam pro tua voluntate peruertis?

Chriſtianus. Si Moyſi verba diligenter attenderes, proculdubio iſta non diceres; tanquam me, inquis prophetam vobis Dominus ſuſcitabit; Ioſue legiſlator tanquam Moyſes non fuit, ſed tantummodo populum Dei in terram promiſſionis induxit; Chriſtus autem nouæ legiſlator tanquam Moyſes veteris extitit; quia lex per Moyſem data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum facta eſt; ipſe audiendus & credendus eſt; & omnis eum non audiens de populo Dei exterminandus eſt: ideirco vos eſtis excluſi & remoti à Dei plebe, quia talem prophetam non vultis audire: vos inaniter Chriſtum expectatis venturum, & carnales ceremonias obſeruatis ſed timendum eſt dum ipſum veniſſe non creditis & alium expectatis; vt non ipſum ſed alium ſuſcipiatis.

Iudæus. Grauiſſimum nobis videtur legem noſtram relinquere, quam pro certo Dominus fecit & dedit, & quam traditam & obſeruatam à patribus per millia annorum tenuimus, ſed ſi ita fere inutilis eſt vt aſtruis, dic quæſo ſi ſcis cur ſancti patres noſtri hāc tam fideliter ſeruauerint & per eam Domino placuerint, nam ipſi vtique præſcij futurorum fuerunt & multa ventura dixerunt; vnde credendum eſt quod hanc tam ſedulè non ſeruaſſent, niſi aliquid vtilitatis ineſſe nouiſſent.

Chriſtianus. Aperi oculos tuæ mentis & vide qualiter ipſum exemplo ſuperiore nunc conſequar, dic obſecro nucem illam quam manu tenebas integram, cuius rei gratiâ plus amabas teſtæ an nuclei? Numquid teſtam pro nucleo quem intus ſperabas, aut nucleum pro teſtâ ſeruabas?

Iudæus. Certe ſpe nuclei quem intus ſperabam teſtam conſeruabam: nam ſi nihil intus ſciſſem eam protinus abieciſſem.

Chriſtianus. Modo bene dixiſti, ſic quoque ſancti Patres tui fecerunt qui legem veterem nouæ legis gratiâ ſeruauerunt, & ſpe futuræ ſalutis quam in ea clauſam eſſe nouerunt omni voto dilexerunt; nec eorum

A aliquis teſtam hanc confringere valuit, donec ille magnus propheta venit qui eam magna ſuâ virtute contriuit. Dic mihi precor fracta nuce, ſublato nucleo de teſtâ quid facies?

Iudæus. Retento vtili nucleo teſtam inutilem in ignem proiiciam.

Chriſtianus. Eia fac quod dicis, proiice teſtam veterem ſcilicet circumciſionem cum actibus ſuis & induere nouum hominem ſalutaris baptiſmi gratiâ quæ te à vetuſtis erroribus eruet, & mundabit, atque ablato velamine tui cordis luce clarius illuſtrabit; ad oues quæ perierant domus Iſraël Chriſtus præcipuè miſſus eſt, illis promiſſus & datus, ſed tandem reiicientibus ablatus, & nobis collatus; tamen ipſe reiectus non reiiciet te quia fons pietatis eſt, imo lætus & gaudens ſuſcipiet quia te fecit, atqui factum perditumque redemit & ſuâ morte ad vitam reparauit; tantis ergo beneficiis non debes ingratus exiſtere imo deuotas illi gratias reddere, atque de tuis blaſphemiis veniam pe- B tere, ipſumque verum Deum & verum hominem credere atque fideliter adorare. Nam de tua ſalute lætabitur, lætabimur & nos Chriſtiani, lætabantur quoque Angeli, qui potius gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente quam ſuper nonaginta nouem iuſtos qui non indigent pœnitentiâ; bene ergo facies ſi relicta Iudaiſmi perfidiâ, ad fidem viuentium & Chriſtianorum gratiam conuertaris.

Iudæus. Depone quam citius iſtam lætitiam quâ me victum ſeu conuerſum eſſe putaſti: non enim tam facile mihi perſuadebis; multa adhuc reſtant quibus te vehementer arctabo, & in campo certaminis huius immotus aſtabo; reſponde nunc cur Dominus tam fragilem legem dedit, quæ ſe obſeruantes ſeruare non potuit, certe quoddam genus deceptionis eſt, potionem dare infirmo quæ eum ſeruare non poſſit, nam quid proderat legem tenere cum poſt mortem æternis ignibus tenerentur? nimis autem incredibile eſt quod Abraham, Iſaac & Iacob & cæteri ſancti vtique Dei amici in in- C ferno fuerint, quod certe nullâ authoritate iam poteris approbare.

Chriſtianus. Non eſt mirum ſi Dei præcepta contemnitis quia populus duræ ceruicis eſtis; idcirco verba mea tibi ſunt grauia, quia *in maleuolam animam non introibit ſapientia, qui eſt ex Deo verba Dei audit*, ſed ea animalis homo omnino non percipit. Reuera ſcias quod Abraham, Iſaac & Iacob in inferno fuerunt, quia communem conditionem euadere non potuerunt; illi quoque qui ſub lege vixerunt atque eam totis niſibus tenuerunt, quoniam lex tam fragilis erat quod eos à viis inferni retinere non poterat, hoc ipſum librorum tuorum authoritate probabo, ſcilicet illo Iſraëlite dicente, *ſi non reduxeritis Beniamin, deducetis canos meos cum dolore ad inferos*: Et Iob, *infernus*, inquit, *domus mea eſt, in tenebris ſtraui lectulum meum*; Dauid quoque, *ex inferno inferiori eruiſti animam*: Ecce tres idoneos teſtes tuæ legis tibi produxi, *vt in ore duorum vel trium teſtium ſit omne verbum*, qui quamuis in in- D ferno inferiori non fuerint, tamen in inferno ſe futuros eſſe teſtantur, vbi nihil aliud quam tenebras patetentur, nam in inferno inferiore damnatitij tenebantur qui pro ſuis ſceleribus æternaliter damnabantur; porro quoniam de fragilitate legis loquens congruum exemplum dediſti dicens, quoddam genus deceptionis eſſe dare potionem infirmo quæ eum ſanare non poſſit: primo ſcias quod Dominus neminem decipit, imo omnem deceptum miſericorditer recipit; Caue ergo ne tua blaſphemia ſuper caput tuum redundet; poſt hæc noſcas quia ad reparandam naturalem legem, lex ſcripta data eſt: quoniam lex naturalis in primis patribus inſita erat, poſtea in eorum filiis nequitiâ vitæ & morum omnino * deleta & præuaricata eſt, nã priſci patres naturali bonitate ſciebant quid cauendum vel agendum eſſet, ſcilicet ne vnquam facerent alteri quod ſibi non vellent fieri. Quia igitur lex iſta tam longæuitate magnâ quam iniquitate creſcente à memoriâ hominum tota excide- E rat, neceſſe fuit vt hanc lex ſcripta repararet, rememorans peccata vitanda à quibus obſeruantes peccatum & pœnam peccati euaderent, nam ſicut ait Paulus veſter & Apoſtolus noſter, ante legem peccatum non imputabatur quia neſciebatur: peccatum, inquit, non cognoui niſi per legem, *nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret non concupiſces*. Igitur hoc modo profuit lex eo tempore his qui eam ſeruabant quia peccatum cognoſcendo vitabant, & pœnam peccati pariter euadebant, denique legis potio quodam modo ægrotantibus valuit, quæ quamuis eos perfectè ſanare non poſſet, tamen ſui cautelâ à malis imminentibus retraxit, ſed ideo ad perfectum neminem adduxit, quia reditum paradiſi obtinere non potuit.

> *vel omnino deletam per peccata, vel totam cecidiſſe; debet intelligi quoniam ad applicationem principiorum generalium legis naturalis ad particularia agibilia.*

Iudæus. Benedictus Deus, nam te quoque fatente nobis Iudæis gaudendum eſt, quia tam validam legem habemus, quæ quamuis ſecundum tuam ſententiam ex toto non ſaluet; tamen non omnino inutilis imo ſalutaris eſt, quæ ſe obſeruãtes ab inferni pœnis eripere po- F teſt; certè multum lætari debet qui quamuis bona non habeat calamitatibus tamen caret, & quamuis in inferno ſit, inferni mala non ſuſtinet; igitur lex non relinquenda ſed potius retinenda eſt, quæ licet paradiſum nobis non referet, tamen obſeruantiâ ſui temporalia bona præſtans, etiam à malis animæ conſeruabit illæſos.

Chriſtianus. Non gaudendum ſed potius gemendum & flendum tibi eſt, quia miſer flammis ardebis, dum gratiam Dei tumidâ mente repellis, lex etenim quæ tuis anteceſſoribus profuit modo tibi damnabilis eſt; illis ſiquidem expectantibus redemptionis aduentum valebat lex vitando contagium, non incurrendo ſupplicium; tibi autem fruſtra expectanti immo oblatam ſalutem reiicienti infert contagium non auferendo ſed inferendo ſupplicium; nam poſtquam miſit Dominus redemptionem populo ſuo & mandauit in æternum nouum teſtamentum, veſtrum vetus delitamentum nihil vobis prodeſt, imo omnibus modis obeſt; idcirco in G inferno nulla erit vobis expectanda redemptio, ſed æternaliter in ipſo peribitis, quia redemptionem iam miſſam veniſſe non creditis, imo eam contumaciâ graui contemnitis; poſſes tamen euadere ſi baptiſmi gratiâ vel lauateris, quod niſi feceris in regnum cœlorum nullatenus introibis.

Iudæus. Vide quid eſt quod dicis, ſi ego vel omnis non baptizatus in regno cœlorum non intrabimus quia baptizati non ſumus tunc Abraham & cæteri patres in ipſo non intrabunt qui aquâ baptiſmatis abluti nó ſunt.

Chriſtianus. Vtique Abraham & cæteri ſancti in paradiſo ſunt, quia in morte ipſius baptizati ſunt, nam ipſe eos proprio ſanguine lauit & morti ereptos vitæ reſtituit, qui non ſolum originale peccatum moriens expiauit, ſed etiam actualia peccata credentium condonali pietate deleuit.

Iudæus. Cum dicis originale peccatum æſtimo te eloqui de peccato quod Adam pater omnium fecit, ſed quid inde ad nos? audi quid Propheta dicat, anima H quæ perierit ipſa morietur, filius non potabit iniquitatem patris, &c. Itaque pater Adam propriam iniquitatem portet quæ ad nos omnino non pertinet, quia quamuis eius filij ſumus, tamen iniquitatem ipſius non ferimus, quid autem nobis illam reputas qui nondum creati vel non eramus!

Chriſtianus. Pro certo ſcias quia peccatum quod Adam fecit, tu ipſe feciſti, & pomum quod ipſe contra Dei præceptum momordit, tu momordiſti: quia quando Adam peccauit, nullus homo erat præter Adam, ſed omnis homo erat Adam; igitur quia Adam peccauit, omnis homo peccauit; illud enim genus vnde humanum genus procederet totum ſimul tunc in corpore aderat, nec inde aliquid fluxerat. quod ſi aliquis tunc natus eſſet qui peccatum Adæ non faceret, nec facienti conſentiret, profecto patris culpa careret, ſed quia omnes eramus in ipſo nec nondum ſeparati ab ipſo inſeparabiliter peccauimus cum ipſo, & quod commiſit

> ** Nota quod quando ait naturalem legem*

A pariter commiſimus, & eandem ſententiam mortis incurrimus, idcirco non tui patris iniquitatem ſed tuam propriam portes, qui ab originali culpà quam cum ipſo feceras ſalutari baptiſmo lauari reſultas.

Iudæus. Dic quæſo qua ratione poterit me baptiſmatis aqua ab originali peccato mundare; ridiculoſum quoque eſt dicere quod ſpirituale & inuiſibile peccatum materialis aqua vel viſibilis poſſit aliquatenus abolere; non enim tam ſubtilis eſt vt lauato corpore anima pariter abluatur. Si vero Chriſtus illam culpam ſuâ morte piauit & nos omnes purgauit, qua neceſſitate poſtea baptizemur? numquid in morte ipſius baptizati non ſumus, nonne illa redemptio tam ſufficiens fuit vt iam non alia poſtmodum egeamus.

Chriſtianus. Non ſolum ab originali peccato ſed etiam ab actualibus cunctis poterit te baptiſmatis vnda lauare, nam verbo Dei & ſacerdotis officio ſanctificantur aquæ capeſſentes virtutem quâ poſſint non tantum B corpora ſed etiam mentes abluere; viuus enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagumque ac diſcretor etiam cogitationum & intentionum cordis; de quo verbo ſumit aqua virtutem purgandi, tamen ſi fide non ficta accedas, & id quod exterius exhibes interius perfecta fide conſerues; ſi enim non recte credens baptizatus fueris, non tamen ſaluaberis idcirco, ſed potius condemnaberis, & è contra ſi recte credens baptizatus non fueris tamen cum tua credulitate ſine baptiſmo nullatenus ſaluari poteris: denique fides non poteſt ſaluare ſine baptiſmate, nec baptiſmus itidem ſine fide, idcirco credere & baptizari debemus vt fidem cordis baptiſmi opere demonſtremus, & eandem confitendo voce etiam profeteamus, *corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, nec ridiculum, imo ingens miraculum eſt quod materialis aqua aucta Dei virtute ſpirituales maculas poſſit abluere, credentibus ſcilicet ſordes incre- C dulis vero quamuis baptizatis non aufert ſed potius affert: nam quia de morte Chriſti loquens te etiam pluraliter intromiſiſti dicens ſi Chriſtus nos omnes purgauit, qua neceſſitate poſtea baptizemur, ſcias quod mors Chriſti tantummodo credentibus prodeſt, & ſicut illis vita eſt, ita incredulis mors eſt; tibi itaque nihil valet quamdiu incredulus es, quia fides eius ſine baptiſmi operibus ocioſa eſt, imo dæmonibus ſimilis eſt, qui quamuis Dominum non diligunt, *tamen credunt & contremiſcunt*, ſed quiſquis Dominum amat, vtique baptizari feſtinat, & ſuam fidem operis exhibitione comprobat, quia amoris probatio eſt, operis exhibitio, itaque illa redemptio ſine baptiſmo tibi non ſufficit, qui fidem quam debes habere confitendo vel baptizando non approbas, imo eam contradicendo abnegas, idcirco prius crede poſtea baptizare & mundare vt ſpiritus ſancti pignus accipias, templum fias, & conſepultus Chriſto per baptiſmum in morte, particeps quoque D reſurrectionis efficiaris.

Iudæus. Quoniam ergo baptiſmum neceſſarium eſſe demonſtras peto vt dicas quomodo Chriſtus ab originali peccato redimere valuit, qui ipſi peccato obnoxius fuit? Nam de corpore fœminæ natus eſt & caro de carne Adæ factus, ipſo peccato carere non potuit, quia carnis origine peccati maculam traxit, porrò æger qui ſeipſum ſanare non præualet, incredibile eſt quod vnquam alterum ſanet.

Chriſtianus. Cum Chriſtum originali peccato obnoxium eſſe dicis, omnino mentiris ipſe enim originale non habuit, quia in iniquitate conceptus non fuit, imo & omnibus aliis caruit, quia omnino peccatum non fecit: nam de immaculata virgine conceptus & natus ſine virili ſemine genitus eſt ac proinde originalis culpæ particeps non eſt: illa enim natura in qua primus homo conditus fuerat, poſt modum ipſo peccante viciata eſt; quia ſi non peccauiſſet, vtique in generando vitioſam & ſordidam delectationem non pertuliſſet, imo quieta & placida natura ſicut facta fuerat permanſiſſet; E quare conceptus illæ ſine culpa fuiſſet, quia voluntatem ardentem non perſenſiſſet, ſed quia peccauit & peccatum in ſe attrahens priſtinam bonitatem ſuæ naturæ corrupit; confeſtim contra ſuum votum, quam nondum ſenſerat carnis luxuriam ſenſit, quia eius captiuatam mentem peccati delectatio comprehendit, & ipſam peſtem omni poſteritati infudit: quapropter omnis homo carnali delectamento genitus, cum originali peccato naſcitur, qui per luxuriam vitiatam naturam à primo patre trahens, & de corruptione carnis natus, illâ placidâ naturâ caret in qua primùm primus homo factus eſt. Denique dum in conceptu Chriſti omnis luxuria defuit, nullam de carne peccatrice maculam traxit, imo cooperante ſpiritu ſancto placidum & mundum conceptum habuit, quia omni delectamento luxuriæ caruit, & quia in terris patrem non habuit, de corruptione carnis natus non fuit: nec originali pecca- F to aliquatenus ægrotauit, ſed nos ægrotos ſanare præualuit & ſanauit, quia mater eius poſt partum virgo permanſit.

Iudæus. Quia nunc rationis ordo competit vt iam de virginis partu colloquamur, dic mihi quomodo contra naturam parere potuit, quæ ſicut ipſe dicis authorem naturæ generauit: non enim vſitatum imo contra naturam eſt, quod ſine virili ſemine de Maria filius natus eſt, & ſi virgo concepit & peperit, illud tamen quod vos additis, propheta non addidit, id eſt, poſt partum virgo permãſit; hic ergo præſumptio veſtra augmẽtauit, quod Iſaias dicere non præſumpſit, ſed omnino reticuit quia vanum eſſe præſciuit, in quibus aduertendum eſt quod multa inepta prof. rtis, & ſcripturas interpretando diuinas pro voluntate diſponitis, niſi itaque partum virginis quidem naturalem non eſſe probabiliter approbes, ipſam poſt partum virginem permanſiſſe non credam.

Chriſtianus. O Iudæe, noli eſſe incredulus ſed fidelis quia iuſtus ex fide viuit, quod enim virginem ſine virili ſemine concepiſſe miraris, agnoſce Dei omnipotentiam G cui omne quod libet poſſibile eſt, quia omnipotens eſt quia etiam eſt factor naturæ, multa cõtra naturam facit, quibus ſe Dominum eſſe naturæ portendit; An contra naturam non fuit quod Iſraëlitis rubrum mare aperuit, & eos per medium gradientes ſiccis veſtigiis tranſire fecit? atque quod manna in deſerto tuis patribus pluit, & aquam de petra produxit? Et virga Aaron quæ arida floruit, fronduit & amigdala peperit, nonne contra naturam fecit? rubus quoque qui ardere videbatur & non ardebat, nunquid naturaliter faciebat; his ergo collige Dei potentiam, & quod ſicut virga Aaron arida contra naturam floruit & peperit amigdala, ſic contra naturam concepit & peperit virgo Maria; & ſicut rubus videbatur ardere & non ardebat, ſic virginem Mariam nullus ardor tentationis vrebat, quam Spiritus Sanctus in eam ſuperueniens obumbrabat. Vt quid ergo contra naturam, ſed Dei virtute virginem pe H periſſe non credis, cum tanta ſecundum naturã impoſſibilia Deum feciſſe perpendis, vt quid etiam dubitas poſt partum virginem permanſiſſe? nonne vides quod radius ſolis per medium vitrum lucet, & tamen vitrum omnino integrum permanet: ſic etiam ſol iuſtitiæ Chriſtus virtute diuinitatis virginem perluſtrauit & carnem ſumens matris integritate ſeruatâ per eam tranſiuit, & ſub obſcuritate humanitatis Deum condens mundo apparuit. Denique hac fide qua viuimus tu ipſe viuere debes & credere, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere; quà confiſi fidentes audemus dicere, quia virgo concepit & peperit, & etiam addere quod Iſaias non addit, id eſt, poſt partum virgo permanſit: hoc qualiter factum ſit inueſtigare ſicut expedire non poſſumus, quia carnali mortalitate circumdamur, & inſcrutabilia Dei conſilia nos neſcimus; ſicut enim non nouimus qualiter virga Aaron floruit & peperit, & tamen virtute fidei factum non ambigimus, ſic quoque beatam Mariam Virginem ſine virili ſemine concepiſſe & peperiſſe non dubitamus, ſed quo ordine factum ſit penitus ignoramus; totum ergo Dei potentiæ conferamus, & illud ſincera fide

A viuendo credamus vt eiuſdem fidei præmia conſequa-
mur. Audi ſi vis quod inde quidam de noſtris auctori-
bus ait;diuina operatio ſi ratione comprehenditur non
eſt admirabilis: nec fides habet meritum cui humana
ratio præbet experimentum; igitur Dei omnipotentia
à te non eſt diſcredenda,qui facit quæcunq; vult in cœ-
lo & in terrâ; ſed potius abſque humanæ rationis ex-
perimento credenda eſt, quia hæc fides in æuum remu-
neranda eſt. Hæc eſt autem fides catholica vt credamus
& confiteamur quia poſt partum permanſit Virgo Ma-
ria, quod niſi fideliter firmiterque credideris & bapti-
zatus fueris ſaluus eſſe non poteris.

Iudæus. Si Chriſtum iam veniſſe euidenti authorita-
te probares ad baptizandum me facile ſuaderes,ſed dum
ipſum iam veniſſe dicis, & hoc probabili auctoritate
non aſtruis, meam mentem à tuâ fide auertis.

Chriſtianus. Hoc ex tuorum auctoritate librorum
ſatis ad probandum eſt facile, nam cuncta quæ de eius
aduentu prædicta ſunt, iam in ipſo completa ſunt,
B vnum tibi proponam quo ex tuæ gentis fortunâ Chri-
ſtum veniſſe cognoſcas; nam Iacob benedicens filium
ſuum ait, non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de
femoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt & ipſe
erit expectatio gentium; ſi annales hiſtorias perſcrute-
ris aperte reperies vſque ad tempora ſaluatoris princi-
pem vel ducem de Iudæorum populo non defeciſſe, ſed
Chriſto nato rex Herodes regnabat, qui gentis ipſius
alienigena erat, ac proinde ipſum occidere totis niſi-
bus appetebat tunc vero dux de fœmore Iudæ & ſce-
ptrum regale fine tenus ablatum eſt, quia poſtea regem
vel ducem de ſeipsâ Iudæa non habuit: nam eo tem-
pore ille qui mittendus erat venit, Ieſus Chriſtus Dei
filius, qui eſt expectatio gentium.

Iudæus. Ipſis tuis verbis in meis manibus incidiſti,
nam ſi Chriſtus tuus de noſtra gente progenitus & de
ipſa tribu Iudæ natus rex & princeps eſt, plane con-
ſtat quod Iudæorum regnum nondum finitum eſt, &
dum ſceptrum Iudæ minime finem fecit, patenter vides
C quia nondum Meſſias venit.

Chriſtianus: Imò tu ipſe incidiſti in foueam quam
feciſti, quia dum volens nolens confiteris nunc quod
Chriſtus noſter rex veſter eſt, ô cæci & miſeri! cur eum
deſideranter non ſuſcipitis, & verum Deum verumque
hominem confitentes deuotiſſime adoratis?qui quamuis
cum Deo patre Deus æternaliter regnet, regat & cun-
cta diſponat, tamen temporale regnum refugiit &
ſuum regnum de hoc mundo non eſſe prædixit, ſed
tunc regnum veſtrum finem fecit, quando Meſſias
venit, de quo longe antea Daniel prophetauit: *Cum
venerit ſanctus ſanctorum ceſſabit vnctio veſtra.* Itaque
veſtra vnctio tota ceſſauit, dum ſanctus ſanctorũ venit,
quia templo & regno caretis & in vniuerſo mundo di-
ſperſi, & execrabiles eſtis, qui Meſſiam ſuſcipere recu-
ſaſtis: quin etiam timere poteſtis ne cum terreno regno
æternum pariter amittatis, nos autem qui eum venien-
tem ſuſcepimus & ſuſcipiendo credimus, ſimul cum
ipſo regnabimus quem vt Dominum & hominem ve-
D raciter adoramus: ipſe enim expectatio veſtra eſt quem
venturum ad iudicium expectando formidamus vt ſe-
curius videamus.

Iudæus. Heu proh dolor!quod ita me verborum tuo-
rum turbine ſubruis vt vnde te magis debilitandum
exiſtimo potius ad præcipitium me pellis, ſed te ipſe
male debilitas, cum Chriſtum Deum & Dei filium ap-
pellas,certè ipſum bonum hominem fuiſſe non dubito,
ſed Deum Deique filium nullatenus credo: nam lex
inquit, Audi Iſraël Dominus Deus tuus Deus vnus eſt,
lex vnum Deum adorandum præcipit & illi ſoli ſeruien-
dum eſſe dicit, quod quantum ſit erroneum vel damna-
bile ſatis ſcis,qui duas duorum deorum perſonas adora-
re me præcipis; aut quæ probat auctoritas Deum vn-
quam filium genuiſſe? niſi itaque hoc probaueris vt
probatus blaſphema graui pœnitentiâ dignus eris, &
cuncta ſuperius dicta in vanum dixiſſe videbis.

Chriſtianus. Nunquam me poſſim prius lædere, quam
Chriſtum Deum vel Dei filium appellare, hæc debili- E
tas ſemper me teneat, ne in æternum deſerat. Indubi-
tanter enim Chriſtus bonus homo eſt, qui etiam cum
Patre & Spiritu ſancto Deus vnus eſt: quia nos recte
credentes vnum Deũ in perſonarum Trinitate & Trini-
tatem in vnitate deitatis veneramur, quarum eſſentiam
perſonarum ex initio librorum tuorum tibi protinus ap-
probabo; cum enim Moyſes dicat, in principio Deum
cuncta creaſſe; nihil rectius intelligendum eſt quam in
ſuo filio cuncta feciſſe, qui eſt principium, fons & ori-
go bonorum,ex quo ſunt omnia: quod enim Deus pa-
ter filium genuerit teſtatur Dauid qui paterna voce pa-
trem filio dixiſſe refert, *ante luciferum genui te*; quod
etiam vox filij itidem proteſtatur, *Dominus* inquiens,
Dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te, Cum
ergo Deus Pater ſe Filium genuiſſe dicit, aperte ſuam &
Filij perſonam oſtẽdit & dum ſe Filius genitum clamat,
ſuam & Patris perſonam demonſtrat: nam duo relatiua
ſunt Pater & Filius quia nec Pater ſine filio eſſe poteſt,
nec filius itidem ſine patre: Porro de Spiritu ſancto qui F
horum duorum in Trinitate eſt tertius, ſed in deitate
vnus: Audi quid Moyſes dicat, *Spiritus Dei ferebatur
ſuper aquas* ſcilicet non quauis mobilitate vagando, ſed
vt Deus cooperator cuncta creando & viuificando,
hunc quoq; Deum creatorem eſſe Pſalmiſta teſtatur, qui
ait: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis
faciem terræ*, Quem enim ad creandum vel ad renouan-
dam faciem terræ, emitti ſupplicíter poſtulat, procul-
dubio Deum eſſe creatorem Spiritum non dubitat, item
Ioel Propheta, *effundam*, inquit Deus, *de ſpiritu meo
ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri &
filiæ veſtræ*, hoc Dei gratiâ iam completum videmus,
quia ſpiritu ſancto repleti ſumus, quo etiam propheta-
mus dum nobis & vobis æterna gaudia nuntiamus.Hanc
etiam Trinitatem Moyſes non reticuit,cum narrat quod
creare volens hominem Deus dixit, *Faciamus hominem
ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram*, ſcilicet rationalem
& intellectualem, atque in animam æternaliter viuen-
tem, in quo cum dicit faciamus hominem, vtique per- G
ſonarum commemorat Trinitatem, & cum ad imagi-
nem & ſimilitudinem deitatis, ſignificat vnitatem:quod
quidam idiotæ male intelligunt, qui non de rationabi-
litate vel intelligentiâ,ſed de corporalibus membris dici
exiſtimant, quibus ſciendum eſt quod Deus incorporeus
& incomprehenſibilis corporalibus membris caret, ac
proinde corpus hominis ad Dei ſimilitudinem factum
non eſt, ſed de rationalitate & intelligentiâ aut immor-
talitate animæ dictum eſt, quod non ſolum homines,
ſed etiam Angelos ad ſuam ſimilitudinem condidit.
Porro etiam pater tuus Abraham Trinitatem agnoſcens
non negauit, qui venientes ad ſe tres Angelos in figura
Trinitatis ſuſcipiens tres quidem vidit, ſed velut vnum
adorauit, nam ſpiritu Dei plenus intellexit in tribus
myſterium Trinitatis,&tamen in Trinitate deitatis vni-
tatem credidit, cum adorans dixit, Domine ſi inueni
gratiam in oculis tuis tranſite & requieſcite in loco
iſto, vbi notandum eſt, quod cum tribus velut vni lo-
quitur, vnum Deum in Trinitate ſe credere profitetur. H
Rex quoque Dauid Trinitatem in vnitate credebat,cum
repetendo dicebat, benedicat nos Deus ſcilicet Pater,
& item Deus noſter, id eſt Filius, & rurſum, benedicat
nos Deus id eſt Spiritus ſanctus, vbi poſtquam perſona-
rum Trinitatem expreſſit, continuo ſub vnitate deitatis
collegit dicens,& metuant eum omnes fines terræ;igitur
his duobus tam ſublimibus teſtibus, valde credendum
eſt, ad quos ſpecialiter repromiſſio de Chriſto facta
eſt; nam Deus Abrahæ dicens, in ſemine tuo benedi-
centur omnes gentes, & ad Dauid, de fructu ventris
tui ponam ſuper ſedem tuam, vtrumque vera repromiſ-
ſione compleuit, quia in ſemine Abrahæ quod eſt
Chriſtus nos ſcilicet omnes gentes credendo in ipſum
benedictionem hæreditate poſſidemus, quoniam ſuper
ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedere, & cum
patre & ſancto Spiritu æternaliter regnare non dubita-
mus, quin etiam cœleſtes Angeli Trinitatem prædicant,

A qui teſtante Iſaia, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, inceſſanter clamant; ſed cum, Dominus Deus Sabaoth, confeſtim adiiciunt, trinam confeſſionem ſub vnitate concludunt. Obſerua igitur ne diſcredas quod auctoritate tam multipliciter poterit approbari, nam Abrahæ benedictionem quam nondum habes habere poteris, ſi relictâ perfidiâ in Chriſto renaſcaris, quò per fidem non ſolum Abrahæ, ſed etiam Dei filius efficiaris.

Iudæus. O quam longó rotatu meis auribus tuus ſermo haud gratus circumuolat! ſed cum te modò audirem loquentem à riſu vix continere potui, videlicet cum narrares Deum ſibimet dixiſſe, quod non ſibi dixit, id eſt, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: quoniam hoc non ſibi, ſed ſuis Angelis dixit; aliunde itaque Trinitatem tuam ſi potes approba: nam iſtud quod ibi protuliſti, tibi penitus non ſuffragatur; porro quod Abrahæ promiſſum narras, id eſt, in ſemine tuo benedicentur in te omnes gentes terræ, non de Chriſto ſed de Iſaac dictum eſt, qui patri iam B ſenectute feſſo à Deo datus eſt: Et rurſum ad Dauid de fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam, non de Chriſto ſed de Salomone dixit, qui poſt eum in magna pace & gloriâ regnum illud diutiſſime gubernauit. Quid ergo allegorizas de Chriſto quod non de ipſo ſed de Iſaac & Salomone dici apertiſſime vides? Rurſus cum modo incorporeum Deum hominem corporalem facientem, ac proinde ſpecie corporali ſibi diſſimilem; modo vero de virgine natum Deum, corporalem hominem factum aſtruis, te ipſum incredibilem facis, dum modo dicendo, modo vero dicta negando, vt veritatis refugus angulos quærens, ſcripturas ſubripiendo peruertis, quoniam tua fides verborum tuorum volubilitate circum circa rotatur.

Chriſtianus. Induratum cor tuum magis habet ad flendum quam ad ridendum, qui cum negas Deum illud verbum non ſibi dixiſſe, ſed Angelis ex ipsâ proteruiâ tuâ, non ego ſolus, ſed etiam Iſaias imo Deus ipſe te deſtruet: nam quodam loco de creatoris poten- C tiâ loquens Iſaias dicit, *quis adiuuit Spiritum Domini aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit ei*? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? cum ergò iniit conſilium & inſtruxit eum & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & viam prudentiæ oſtendit ei? Quibus verbis Iſaias apertiſſime pandit quod Deus creator præter ſe nullum conſiliarium habuit, qui ſufficientiæ inſcrutabilis ſapientiæ ſuæ Angelorum conſilio vel auxilio nunquam indiguit: quale enim conſilium darent qui ſine eius conſilio in momento non ſtarent, ſed creando hominem hoc idcirco ſibimet Deus dixit, vt homo creatus factorem ſuum agnoſceret, & agnoſcendo ſciret quod vnum Deum in Trinitate credens adorare deberet; porro ſeminis abrahæ benedictio non in Iſaac ſed in Chriſto completa eſt, quoniam non per Iſaac ſed per Chriſtum in omnes gentes larga Dei benedictio effuſa eſt; illud autem Dauidicum promiſſum non in Salomone perfecte compleri ſequentia manifeſtant; ſi cuſtodierint, inquit, filij tui teſtamentum meum, hæc quæ D doceboeos: & filij eorum vſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam. Hæc itaque in Salomone vel in aliis completa non ſunt; quia teſtamentum Dei non cuſtodientes regni ſede priuati ſunt; ſed Chriſtus faciens voluntatem patris ſui qui miſit illum ſuper ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit in æternum. Ex aliis quoque teſtimoniis ſuis, in idipſum Dauid facientem inuenies: Semel, inquit Deus, iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentior, ſemen eius in æternum manebit, & thronum eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & alibi; *Permanebit cum ſole & ante lunam, in generationem & generationem.* Quare liquide cernis de Salomone non dici, quia cum ſole & ante lunam minime permanſit, ſed vna tantummodo generatione, Chriſtus autem ſolis & lunæ factor de ſemine Dauid ſecundum carnem natus, regnabit in æternum cuius thronus ſicut ſol fulget in conſpectu Dei & ſicut luna perfecta in æternum, ante ſolem & E lunam permanebit in æuum. Quoniam autem refugum me vocaſti: proxime audies quia iniuſte feciſti; ego enim veritatem non refugio, nec angulos quærens incredibilem me ipſum conſtituo; nec etiam ſcripturas ſubripiendo peruerto, nec mea fides vlla mobilitate rotatur, ſed veraciter dixi & dico quod Dei Filius cum Patre & Spiritu ſancto Deus vnus primum hominem condidit ad ſuam ſimilitudinem, id eſt, rationalem & immortalem: nulla autem corporalis ſpecies in Deo eſt, quare imago vel ſimilitudo Dei ſpiritualis, eſt ad quam intellectualis primus homo factus eſt, ſed in fine ſæculorum ſtatutis à Deo temporibus perſona Filij Dei rationabili authoritate & iuſtâ neceſſitate corpus humanum ſumpſit, quo nos ab omni iniquitate redemit; nec tamen deitatem minuit, ſed Deus quod fuit permanſit, & hominem quod non erat ſimul in vnum aſſumpſit, & conueniente perſonâ Dei & hominis, non tamen confuſione ſubſtantiæ ſed vnitate perſonæ verus Deus & verus homo vnus eſt Chriſtus. Quare niſi foret homo F de cœleſti patriâ lapſus, ad eundem nullatenus repedaret.

Iudæus. Quoniam ſatis euidenter de Trinitate & de cæteris copioſiſſime diſputaſti, & quod dixiſti ineuitabili auctoritate firmaſti, licèt ex toto non poſſim ad credendum meum animum flectere; tamen te recte locutum fuiſſe negare non valeo; ſed libenter audirem ſi hæc tamen veraciter poſſes oſtendere, qua neceſſitate de cœlorum ſede deſcendens Dei filius, mortalis homo dignatus eſt fieri; cum enim Deus omnipotens ſit, poſſet vtique deceptum à diabolo hominem ſolâ ſui præcepti virtute violenter eruere: aut cur tantum laborem ſuſtinuit? nonne poſſet per Angelum ab originali peccato mundum ſeu per quemlibet hominem iuſtum id facere aut etiam quemdam nouum hominem condens, veterem à perditione redimere? mirandum nobis eſt qua ratione mors vnius Chriſti poſſit omnibus nobis prodeſſe, & mortem ipſam moriendo deſtruere & ad vitam hominem reparare.

Chriſtianus. Si tuum rebellem animum ad humilita- G tem velles inflectere, & veraciter intendendo audiendi aures habere, libenter aperiam tibi qua rationabili charitate Deus homo fieri voluit: non enim poteris ſuperbo oculo & inſatiabili corde huiuſcemodi beneficio perfrui, nec ratione percipere quam iuſta neceſſitate, vel ineffabili pietate auctor omnium mortalitatem aſſumpſit.

Iudæus. Ego quidem deſideranter te audiam, ſic tamen vt ſi quid inquirendum vel opponendum tuæ narrationi videro, prorſus non taceam: vt tamen non diſcredam, imo libenter obaudiam, quidquid tua ratio veritatis edicet.

Chriſtianus. Omnipotens igitur in Trinitate perſonarum & vnitate deitatis carens principio ac fine, ac permanens in ſeipſo æternaliter Deus, omnia condidit, qui primo ex informi materiâ cœlum & terram condens, ad cognoſcendam & laudandam ſuæ deitatis potentiam, Angelorum naturam ad ſuam ſimilitudinem fecit, quam conſiſtere æternaliter voluit.

H Iudæus. Rogo ne pigeat te ſubſiſtere paululum, cum Moyſes de creatione Angelorum in principio nihil dicat, & tamen in principio factos eſſe non dubitem quo tempore facti ſint penitus ignorare me fateor.

Chriſtianus. Vtique cum luce Angeli facti ſunt quia filij lucis ſunt: nam Deus dixit, quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me omnes Angeli voce magnâ. Ex quo patet cum luce facta iam Deum creauiſſe Angelos.

Iudæus. Quoniam ſatis credibile eſt, cœptam rationem proſequere.

Chriſtianus. Cum ergo Dominus Angelos creauiſſet primus ex illis dignitate & ſpecie per ſuperbiam cecidit, quia cum ſuo factore ſub debito ſeruitio permanere contempſit, imo ſubiectus & humiliter eſſe deſpiciens Deo ſimilis eſſe voluit, quare lapſus de tanta celſitudine corruit, & diabolum ſe faciens ad ima

peruenit,

A perueniт, vt qui Deo ſimilis eſſe vellet, idipſum quod erat perderet; & quondam præcellens nunc vilior cunctis factus irrecuperabiliter periret.

Iudæus. Cur ergo Deus illum fecit quem præſcientia diuina periturum præſciuit? an ita iniuſtus eſt vt creaturam aliquam faciat ſponte ad perdendum? at ſi diabolus peccauit, ne tamen ex toto periret, Deus eum vt ſuam creaturam per pœnitentiam reparare deberet; Non enim tam implacabilis eſt vt non aliquâ pœnitentiâ valeat demulceri; neque diabolus tam obſtinatus vt ad pœnitentiam non poſſit compungi.

Chriſtianus. Recte quæſtionaris; ſed ſcias quod Deus illum Angelum faciens qui poſtea peccando in diabolum ſe mutauit, vtique bonum opus & vtile fecit, qui quamuis eum caſurum prænoſceret, non tamen idcirco ab ipſo creando ceſſare debebat, quia de caſu eius multa vtilia ventura ſciebat, & licet ſit ſpiritus vadens à Deo atque non rediens; tamen B iniquitas eius multum nobis prodeſt: quia permittente Deo nos tentat, & tentando, ipſo adiuuante probat, qui facit immiſſiones per Angelos malos; Nonne beato Iob valuit *quod eum diabolus temtando probauit?* E beato Paulo & aliis qui ſæpe colaphizati ſunt eius colaphis? Igitur vtiliter eum condidit qui niſi factus cecidiſſet, homo penitus non fuiſſet, de quo tot homines ſalui erunt, quot Angeli in cœlos remanſerunt. Nec eum per pœnitentiam reparare debuit, qui ſine cauſâ vel alicuius exemplo ſcilicet ſola ſuperbiâ peccans totus inexcuſabilis fuit, quapropter in iniquitate corruens ſic ſe in eâ penitus obfirmauit, vt etiam nec velle reſurgere poſſit. Ipſis autem Angelis liberum arbitrium, id eſt, diſcretionem boni vel mali Deus dederat, ſed diabolus cum ſuis complicibus propriâ inertiâ bonum reliquit & malum tenuit & impius obfirmatus ſic cecidit vt nec reſurgere velit. C Ipſo autem momento quo factus eſt cecidit: quia in veritate non ſtetit, dum contuendo ſeipſum ſuperbiit; Non enim quam dulcis eſt Dominus prægustauit, ſi autem, quam ſuauis eſt Dominus guſtauiſſet, vtique non cecidiſſet, prinſquam in charitate radicatus fuiſſet. Porro illi qui cum Deo remanſerunt, ex ipſorum caſu ita correpti in amore Dei ſe ſtatuerunt, quod diuina eis remunerante gratiâ iam nunc cadere non poſſunt.

Iudæus. Cum enim Deus cuncta bona valdè creauit, vtique ſicut dicis etiam bonum Angelum fecit, vnde ergo illa mentis ignauia in eum venit, vel vnde ei accidit? Si enim Deus bona cuncta creauit, valde miror vnde peccatum vel malum primitus venit?

Chriſtianus. Summum bonum Deus eſt, ac proinde quidquid fecit bonum eſt; malum autem nihil eſt quia creatura Dei non eſt, ſed à diabolo inuentum non creatum eſt, denique nihil aliud eſt quam abſentia boni ſcilicet cum abſente ſubſtantia D nihil vacuum remanet, verbi gratiâ, abſcedente luce quod aliquid eſt, remanent tenebræ quod nihil eſt, quia tenebræ ſubſtantialiter nihil ſunt, ſed abſentiâ lucis fiunt; ſimiliter malum ſubſtantialiter nihil eſt, ſed tunc fit quando bonum contingit abeſſe quod debet eſſe, veluti ſi vrſum incatenatum teneas: qui donec catenâ religatur quieſcit, abſente catenâ furit, qui ſi catenatus eſſet non fureret, ſed abſentia catenæ facit eum furere, & vt nauis abſente gubernaculo perit quod ſi adeſſet vtique non periret. Porro tria ſunt cuncta quæ in mundo ſunt, id eſt, bonum, malum, medium, bonum autem ſupremum amor Dei eſt, ipſe Deus charitas eſt, quod qui perfecte habet perfecte bonus eſt; ſummum vero malum Dei odium eſt, quod ideo ſummum eſt, quia quem Deus odit, aut is qui Deum odit, perfectè malus eſt; Medium autem ſunt diuitiæ, pulchritudo, fortitudo, vel his ſimilia, quæ ſecundum naturalem eſſentiam bona ſunt, E ſed per voluntatem vtentium ad bonum & malum conuerti queunt. Cum ergo inquiris quare mentis ignauiâ hoc diabolo accidit, rectiſſime facis. Scias igitur quod Deus Angelum faciens ſcilicet ſubſtantiam vel eſſentiam naturæ Angelicæ, perfectiſſimum fecit, cui etiam ad ſuam ſimilitudinem facto rationalem intellectum cum libero arbitrio dedit, vt per diſcretionem liberi arbitrij ſciret reprobare malum & eligere bonum, quo per bonum Deo ſeruiendi meritum conſcendere mereretur ad perfectum charitatis gradum quem nondum attigerat; non enim adhuc dulcedinem charitatis perfecte guſtauerat, nec in eâ ſtabilitus erat quæ non æmulatur, non inflatur non agit perperam, id eſt, peruerſe, non eſt ambitioſa non quærit quæ ſua ſunt; ad extremum vero nunquam excidit; ad quam cum debuiſſet gradatim exercitio mediarum virtutum aſcendere & de his quæ acceperat Dei gloriam non ſuam quærere, deſipuit & ſuum auctorem æmulatus non bona æmulatione per- F peram egit & inflatus ſuperbia vt ambitioſus quæ ſua ſunt quæſiuit. Si diabolus ergo à ſeipſo tandem ſuæ conditionis decore, quâ inde charitate quam nondum habebat ſed habere debebat materiam ſumens, hanc charitatem comprehendere ſicut decebat ſuperbo oculo obſcuratus neſciuit, dum ſe pluſquam Deum amauit, & ſemetipſum exaltanda præcipitauit. Nullus autem ad perfectum charitatis tendens, debet ſe pluſquam Deum amare, ſed amorem & voluntatem Dei ſuo amori & voluntati præferre, & cum perfecto affectu diligere, quia Deum diligendo diligit ſe & proximum ſuum tanquam ſe. Quia diabolus charitate carens, ſui amorem amori & honori Dei prætulit, & proximos compareſque ſuos deſpiciens ſuper eos ſe exaltauit, cum & ſuo factori ſimilis eſſe voluit: quapropter à bono deficiens in peccatum incidit; quia dum illud medium quod habebat, non ſicut debebat exercuit, ſummum bonum Dei amorem perdidit, & ſummum malum Dei odium incurrit. Igitur vnde creſcere debuit, G inde magis decreuit, ſed illi qui tunc remanſerunt amplius profecerunt.

Iudæus. Satis intelligo te dicentem quod Deus Angelum ſecundum ſubſtantialem eſſentiam perfectiſſimum fecit, cur ergo ſimiliter eum in amore ſui vt factus eſt continuo non ſtabiliuit vt quem naturâ perfecerat etiam charitate perficeret; ſi enim vt dicis perfecte Deum amauiſſet, non cecidiſſet, quod quia non ſtetit, penitus accidit, quamdam ergo culpam inde Deus habuit, qui media bona illi conferens ad ſibi ſeruiendum, potius occaſionem peccandi tribuit, dum ipſum in charitate non firmauit.

Chriſtianus. Non eſt ratio vt Deus hominem condens confeſtim in charitate firmaret, ſed potius rationis ordo poſcebat vt Angelus cui rationalem intelligentiæ ſenſum dederat ſuum factorem agnoſceret, & agnoſcendo rationabiliter coleret, & colendo ad perfectam charitatem pertingeret, quæ nunquam excidit; quam dum gradatim aſcendendo adquireret, nunquam poſtea caderet, ſed quia hoc facere noluit, corruit; nullam vero H culpam Deus habuit quia diabolus peccauit, quia rationalem intellectum illi conferens, & cum ſapientia virtutem operandi contulit, per quam ad perfectionem venire potuit; ſed diabolus de bonâ materiâ quam Deus ſibi dederat malum fecit, quia bonum quod facere debuit deſeruit, & propria lucra quærens non opus Domini ſui, ſed vt perfidus proprium voluit. Igitur quis culpâ redarguit artificem qui diſcipulo ſuo ipſam ſcientiam artis & vtenſilia quibus operari valeat tradit; ſi diſcipulus ille bene operari ſciens, & ſcienter male operans non ſecundum quod à Magiſtro didicit, ſed proprio ſenſu conſtruendo, deſtruit?

Iudæus. Nulla culpa artificem redarguit, ſed nec Deum quod diabolus peccauit.

Chriſtianus. Igitur quia diabolus peccans æternaliter cecidit, decebat vt illa perditio reſtauraretur, quare

Deus

A Deus hominem condens de limo terræ formauit.

Iudæus. Cur ergo perditionem illam non de Angelis ſed de hominibus inſtaurauit.

Chriſtianus. Si de Angelis & non de homine perditionem illam repararet, neceſſe eſſet vt tales illos crearet quales alij primitùs facti fuerant, ſcilicet quamuis natura perfectos non tamen perfectâ charitate firmatos, ſicuti modo erant qui ruentibus ſociis cum Deo remanſerant; & dum iſti perfectâ charitate iam firmi, illi autem eadem nondum perfectâ infirmi conuenirent in vnum, quam indecens conuenticulum foret, quiſquis cœcus intueatur: imo decuit vt de nihili materiâ hominem faceret, quo idem homo non ſuperbire diſceret, ſicut diabolus præceſſor eius fecerat, qui per ſuam ſuperbiam de cœlo ceciderat, vt dum ſe de fragili terrâ factum conſpiceret, in magna humilitate ſe promeret, & diabolus ipſum in loco conſtituendum de quo ceciderat cernens, inuidiâ graui ſe cruciaret.

B Iudæus. Quoniam de Angelis tam rationabiliter & bene dixiſti, vt iam non videam quid de ipſis tibi poſſim obiicere, hoc quod de homine cœpiſti proſequere.

Chriſtianus. Fecit ergo Deus Adam tam ſapientiâ quam decore & fortitudine perfectiſſimum, dans ei naturalem ſenſum & rectum ingenium vt rationali intellectu cæteris creaturis præeſſet, quas omnes propter eum fecerat: cui etiam ad ſupplemẽtum generis Euam de coſtâ dormientis factam fœminam contulit, quibus ad victum tanquam cibo indigentibus omne lignum paradiſi conceſſerat, quo vegetati ſaluarentur à malis & ad vitam perpetuo ſuſtentarentur: non enim ea conditione tunc immortales erant vt ſine cibo viuere poſſent; niſi enim comederent morerentur, ſed vt ſuſtinentiâ cibi ſemper viuerent donec mandatum Dei ſeruarent; excipit autem lignum ſcientiæ boni & mali, non ideo quod antea malum neſcirent, ſed malum quod per ſcientiam nouerant nondum experimento didicerant; ſicut vſualiter dicimus quod nullus homo C ſcit quid bonum ſit, niſi aliquando tentauerit quid ſit malum: ſi enim Deus illum abſque ſcientiâ boni & mali feciſſet, vtique factus homo libero arbitrio caruiſſet, ſed idcirco prohibuit eum à ligno ſcientiæ, quod per illud præceptum Deum ſe ſciret habere, ac ideo non ſuperbire, ſed obſeruando iuſſum per bonum obedientiæ meritum, deberet adquirere præmium, quo veniret in conſortio Angelorum. Viuebant itaque in paradiſo terreſtri ſub omni tranquillitate & pace, quamuis nudi, tamen beati, cum in ſe nullum vitium omnino viderent, pro quo erubeſcere deberent; imo ſine morte perenniter victuri eſſent ſi præceptum Domini ſeruauiſſent, vt ſtatuto à Deo tempore transferrentur ad collegium Angelorum, poſtquam omnes illos generauiſſent de quibus lapſorum locus reparari deberet.

Iudæus. Nunc quoniam de libero arbitrio paululum tetigiſti, quod fere in omnium ore ſonat, quid illud ſit plene vellem agnoſcere, nam ſicut alij dicunt & ego D æſtimo, tunc Deus liberum arbitrium Adæ dedit, quando ei licentiam vel poteſtatem faciendi bonum vel malum contulit.

Chriſtianus. Quiſquis hoc aſſerit neſcit quid dicit, imo peccat; quia de peccato Deum accuſat: nam ſi Adæ poteſtatem faciendi malum dediſſet ipſemet peccauiſſet, ſed liberum arbitrium Dominus Adæ dedit, quando ei per rationalem ſenſum, diſcretionem boni & mali oſtendit, malum interdicendo ne faceret & bonum præcipiendo quod ageret, quia liberum arbitrium nihil aliud eſt quam ſcientia diſcernendi bonum à malo, quod vere tunc in Adam liberum erat, quando nondum peccauerat; quoniam poſtquam peccauit illud arbitrium ſicut antea fuerat liberum in eo non fuit, quia peccati legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ ſenſit, quam ante peccatum non pertulit; denique miles, qui nondum captus eſt, melius ſe poteſt antequam capiatur defendere, quam ſemetipſum eruere poſtquam captus fuit & ligatus.

Iudæus. Apertiſſime docuiſti quid ſit liberum arbitrium & quod poſteaquam Adam peccauit non fuit in E eo tam liberum ſicut antea extitit; ſed ſi Adam in paradiſo cum omni ſuâ progenie maneret, mundus iſte pro nihilo fieret; cuncta quoque quæ ſicut ipſe propter hominem facta ſunt, vtique inutiliter eſſent, quibus ille non vteretur propter quem facta fuerant.

Chriſtianus. Mundus & ea quæ in mundo ſunt non inutiliter ſed propter hominem facta ſunt, vt omnis humana propago in hoc mundo conuerſaretur, & omnibus creaturis prælatâ poteſtatiuâ ratione principaretur: non tamen mundus qualis modo eſt, ſed multum tunc pulchrior eſſet, qui poſtmodum aquis diluuij totus corruptus eſt; quam corruptionem ignis ille purgabit, qui in fine mundi aërem illum cremabit, & aſcendens quantum diluuij aqua conſcendit velut aurum purgando cœlum & terram innouabit. Hoc idem Iris in nube ſignificat quæ, bicolor ex rubro & viridi, aquæ & ignis indicium monſtrat, quorum primum in mundum F deſæuit; ſed penitus delere non potuit: alterum verò non delebit, ſed mutando in melius renouabit; omnes ergo vnanimiter ſummâ pace & lætitiâ & rerum abundantiâ fruerentur abſque dolore & ærumnâ præſtolantes tempus quo completo electorum numero cœleſti gratiâ potirentur.

Iudæus. Si Deus propter hominem cuncta bona valde creauit, quid eſt quod multa homini nocentia ſunt quæ homo non comedit, ſed ipſa etiam homines comederunt, vt ſunt ſerpentes, dracones, & quæque reptilia, & etiam volucres & muſcæ & cætera quamuis minuta, tamen nocua animalia, quæ non ſolum hominem non adiuuant, ſed etiam multoties infeſtant & nocent; quorum importunitatem ſi filij Adæ paterentur, perfectâ beatitudine non fruerentur.

Chriſtianus. Si Adam non peccaſſet auis aut beſtia quam vocaret protinus adueniret, piſces quoque & cuncta animalia & cætera quæque inſenſibilia vt lapides, mare & terra placidâ ſibi ſeruirent obedientiâ, quibus G etiam impoſuit nomina; ſed quando peccauit illam dominationem perdidit; quia Dei mandata contempſit quare cunctis rebus quibus antea præerat, contemnendus apparuit. Deus autem omnia propter hominem cõdidit, quæ etiam valde bona creauit & ipſi ad ſalutem proficere voluit, nam vermes ſcilicet colubros & cætera quæ nunc abominaris, etiam ipſe frequentiſſime comedis.

Iudæus. Abſit à me vt vermes & colubros comedam, quæ quamuis Deus bona creaſſet, tamen lex & natura comedenda prohibet; Nam ſi colubrum vel aliud venenoſum comederem, ſtatim perirem.

Chriſtianus. Numquid de ceruo comedis?

Iudæus. Etiam quia lex annuit, eo quod ruminat & vngulam findit.

Chriſtianus. Attende nunc quomodo phyſicè tecum loquar; cum ceruus ægrotat vel longâ ſenectute fatiſcit, venit ad caueam in quâ coluber demoratur, tunc appoſitis naribus ad foramen virtute ſui flatus qui fortiſſimus H eſt, latentem colubrum per violentiam abſtrahit, atque totum diſcerpens comedit: denique dum infuſo per corpus veneno vehementer ardeſcit, currit ad clarum fontem & multum ac ſæpiſſime bibens, ardorem ſitis quem dudum pertulerat ſalubri hauſtu pleniſſime ſedat; quæ potio expurgatis doloribus priſtinis totum ceruum reparat, magiſtrante naturâ ſciens illam ſumere quia meliorem nec Hypocrates tibi poſſet præbere; itaque vides tu qui ceruum comedis, quod ceruus colubrum mandit, qui etiam coluber ranis & bufonibus veſcitur, & rana & bufo araneis & vermibus perfruuntur; ſimiliter piſces & volucres ſiue alterutrum ſeu multa nocentia comedunt, quæ hominibus ad edendum mortalia ſunt; Nam ſi ſerpentem vel colubrum ederet infectus veneno continuo expiraret; ſed expedit vt ſicut viuis de ceruo ſic etiam ceruus viuat de colubro, & cætera quæ creantur propriis alimoniis perfruantur: omnia tamen ad ſalutem hominis redeunt, cui etiam noxia ſaluberrime proſunt, dum vnum in altero comedens, paſtu iocundiſſimo delectatio. Sunt etiam multa quæ quamuis ad

A eſum non valeant, tamen hominibus adiumenta præbent; vt ſunt equi & aſini vel etiam canes, quum labores hominum vtiliter releuare ſolent; alia quoque ad medicinam proſunt quibus ſapientes medici multipliciter vtuntur, vt Hypocrates & Galenus, qui nihil intemptatum penitus reliquerunt, ſed quæque vilia & abiecta ad ſalutem hominis ſuæ artis ſcientiâ conuerterunt.

Iudæus. Quod dicis negare non valeo, nec vlla ratione peruertere, ſed cum affirmas quod Deus animalia quædam ad eſum hominis fecerit, quædam verò ad adiumentum, quædam quoque ad medicinam, quomodo conſtare poſſit ſecundum primam conditionem Adæ nullatenus video. Non enim poſſunt credere quod in Paradiſo carnibus veſceretur, cui Deus ad ſupplementum vitæ tantummodo fructum Paradiſi conceſſerat, nec etiam equorum vel aliarum rerum egeret auxilio, cui propria virtus ſufficere Deo adiuuante valeret; medicinis quoque cur vteretur, qui nunquam perpetuo infirmaretur? cum ergo dicis quod propter eum Deus omnia fecit, peto vt dicas vnde ei ſeruirent quorum beneficio nullatenus frueretur?

Chriſtianus. Re vera Adam carnes in Paradiſo non ederet quia talibus alimoniis non egeret. Nec etiam cuiuſlibet creaturæ indigeret auxilio cui propria virtus ſufficeret collata à Deo; medicinis quoque non vteretur, quia tam ſa-
B nus erat vt etiam ſi quid mortiferum biberet, non ei noceret; ſed Deus creaturas idcirco fecerat, vt homo qui principaliter creatura præter Angelos erat, haberet vnde Deum gloriſicare deberet; & prælatum ſe cernens omnibus creaturis de tanto honore Deo gratias offerret, & admirans tantæ virtutis potentiam, factorem rerum magnificaret, vnde enim Deum mirabilem cognoſceret, niſi mirabilia Deus faceret? quo more ſancta Eccleſia canit; benedicite omnes beſtiæ & pecora Dominum, non quia beſtiæ & pecora Dominum benedicere ſciant, ſed quia rationales homines, de ipſis & proipſis Deum collaudant, Deus autem qui omnia nouit antequam fiant, præſciens humanam fragilitatem à carnibus abſtinere non poſſe poſtquam vindictam diluuio inundante peregit de his, qui ſine eius licentiâ carnes præſumpſerant edere, poſtmodum miſericorditer conceſſit; nam Gigantes ante diluuium fuerant, qui de filiis Dei & de filiabus hominum nati erant ac præ enormitate pomis & permiſes frugibus veſci non ſufficiebant, quare rapinis & homicidiis inferuientes, etiam carnes beſtiarum & hominum ſemicrudas edebant, quibus Deus ad iracundiam prouocatus diluuij aquas induxit & eos funditus de terra deleuit.

Iudæus. Hoc quod nunc de Geneſi protuliſti in noſtris li-
C bris non filios Dei ſed Angelos habemus; vnde mirum eſt quomodo potuerunt coire cum fœminis ſicut ipſa hiſtoria refert dicens, videntes Angeli filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperant ſibi vxores de omnibus quas elegerant. Tradunt nobis antiqui quod poſt lapſum Adæ iſti Angeli de quibus nunc loquimur cecidere de cœlo, atque inter homines conuerſati filios genuere; ergo admirabile eſt quod ſpiritualis & Angelica natura humanæ carni naturaliter miſceri præualuit.

Chriſtianus. Nunquam niſi ſemel Angeli cecidere de cœlo, quia gratiâ Dei confirmati nec ante nec poſt lapſum Adæ amplius cadere potuerunt; male ergo intelligis ſi ſpirituales Angelos corruiſſe cum mulieribus coire dicis, nam illi quos tua littera Angelos, noſtra verè Dei filios appellat, nec Dei filij nec Angeli ſed carnales homines naturaliter erant, quos tamen præ munditiâ vitæ & morum excellentia diuina ſcriptura Angelos vel Dei filios voluit nominare; qui eo tempore diuiſi manebant ab illa nefanda progenie, quæ per nequam Cain ſuum anteceſſorem à bonitate morum Adæ & ſanctitate & ſcientiâ degenerauerat, & quamdiu diuiſi manſerunt, naturalem bonitatem conſeruauerunt, donec ſe malorum filiabus commiſcuerunt quæ in eos ſuorum patrum nequitiam infundentes à bonitate priſtina peruerterunt. De quarum commixtione illi proceri Gigantes generati
D ſunt.

Iudæus. Tam veraciter hoc demonſtras quod nunquam contradicere poſſum, ſed regrediamur nunc ad Adam, & dic vtrum paruuli quos ante peccatum generaret cum tanta corporis infirmitate aut membrorum debilitate, vel ſenſus ignorantiâ naſcerentur, ſicuti modo fuerunt hi qui in hoc mundo naſcuntur.

Chriſtianus. Talibus ærumnis minimè ſubiacerent; nam quia, ſine ardore libidinis ac proinde ſine peccato, vtique abſque vllo dolore matrum vel ipſorum conciperentur & naſcerentur; & nati nulla infirmitate corporis vel ætatis aut membrorum debilitate ſeu ſenſus, ignorantiâ punirentur; ſed protinus poſſent diſertiſſime loqui, ire & naturaliter perfrui fœlicitate, nullo obſtaculo ſenſus impediente. Et licet Deo illis ſua dona diſtribuente vnus plus alio ſaperet; tamen omnes docibiles Dei eſſent, quia ſapientiâ magnâ repleti magiſtrante naturâ, non aliud de cunctis rebus perfectiſſime ſcirent; nam etiam cœleſtes Angeli non omnes æqualiter ſapiunt, quamuis vnum & idem ſentiunt, ſed vnus alteri præſtat, imperat & mittit non ſuperbâ dominatione ſed humili; ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, & alia eſt claritas ſolis, & alia eſt claritas lunæ?

E Iudæus. Cur hi qui modo naſcuntur eadem beatitudine non fruuntur, ſed potius nudi, miſeri & infirmi; longo tempore & labore ad virilem ætatem vix quandoque protrahuntur? Nunquid anima humana in paruolis inſipida vel fatua eſt, & cum corpore creſcens ſapientiâ & viribus augmentatur; aut ipſa in ſuâ quidem naturâ ſapiens ſeu vigens eſt, ſed fragilitate puerilis corporis præpeditur? niſi etiam ſapiens ille ſtolidus eſſe probatur, & multa naturæ diſcrimina patiuntur.

Chriſtianus. In hoc aduertere potes quod de corruptione nati ſunt; nam ſancti illi qui ante peccatum procrearentur, eo ipſo continuò firmi & ſtabiles eſſent, quia non de corruptibili carne procederent, ſed potius de immortali & incorruptibili corpore generarentur, iſti autem qui modo naſcuntur idcirco graui fragilitate præpediuntur, quia de corpore mortali & corruptibili procreantur; hoc etiam teſtatur paulus Apoſtolus: *Corpus*, inquiens, *corruptibile aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem*; Quia enim hoc corpus corruptibile eſt, multis modis aggrauat animam, tam membrorum fragilitate quam ignorantiâ ſenſus, dum iſte craſſa ceruice deſipit; ille vero perſpicaciâ ſenſus profunda intuetur & percipit; Et quamuis anima ſecundum ſuam naturam ſemper ſapiens ſit; tamen aut pueritiâ aut ſenectute vel aliquo obſtaculo corporis
F præpeditur, ne quædam poſſit perſpicere ſicut debet facere.

Iudæus. Satis bene dicis, ſed ſi quid amplius de tua narratione vis proſequi facito, quia quod nunc inquirere poſſim non video.

Chriſtianus. Videns ergo & inuidens diabolus hominem tanta ſublimitate beari, & in loco conſtituendum de quo ſuperbiendo ceciderat, auctus inuidiâ graui, temptauit, cum per fœminam quam natura ad ſeducendum nouerat eſſe leuem. Decepit igitur eam ſub ſpecie boni illis promittente, quia non eſſent aſſecuturi mortem, ſi comederent de ligno ſcientiæ boni & mali; quæ arbor verè bona erat, ſed ex ea ſententia illa pendebat, vt quâcumque die homo ex eâ comederet; neceſſitatem mortis mereretur; & hac occaſione nomen acceperat, vt homo de illâ mandens per præcepti tranſgreſſionem experimento bene diſceret, quantum diſtaret inter bonum & quod obediendo poſſederat, & inter malum quod per inobedientiam merebatur.

Iudæus. Quid eſt quod peccanti homini Deus interminauit, dicens, quod in quacunque die de illo fructu ederet, morte moreretur? Ea namque die qua peccauit mortuus non eſt, quapropter illa interminatio vera non eſt.

Chriſtianus. Illa interminatio vera fuit, quia qua die pec-
G cauit quod antea non fecerat, neceſſitatem mortis incurrit, vel quia peccatum mors eſt, quando illud fecit, morte animæ periit.

Iudæus. Dic quod cœpiſti, quoniam breuiter & bene ſoluiſti.

Chriſtianus. Credidit autem mulier fallaciis diaboli omnino decepta, quia vere putauit ſibi contingere quod diabolus per ſerpentem impiâ proditione dicebat; denique priùs comedens poſteà dedit viro, cui tamen Adam ſcienter conſenſit & credidit. Nam ſicut dicit Paulus Apoſtolus, Eua in præuaricatione ſeducta eſt; Adam autem ſeductus non eſt, illa enim promiſſa diaboli vera eſſe putauit, hic autem omnino fallaciam eſſe putauit; ſed ſicut dicit noſter author Sanctus Auguſtinus & alij, in tantum Euam coniugem amauit, quod ab eius voto & actu diſcrepare non voluit; quare votis eius conſentiens pariter cum eâ peccauit & tamen ſiſus eſt de Dei miſericordiâ, quia non dubitauit ſe veniam habiturum de culpâ; mox autem vt comederunt confeſtim ſe nudos viderunt, quia interna caſtitate priuati quam nondum antea ſenſerant luxuriam perſenſerunt, ac proinde pœnaliter eruboerunt; prius enim, nihil niſi quietum nouerant; ſed mox vt peccauerunt à Deo deſerti; apertis oculis ſuam nuditatem viderunt, quia deficientes à bono protinus malum incurrerunt. Igitur Adam non ex ignoran-
H tiâ, ſed ex induſtriâ peccauit, qui promiſſa diaboli vera non eſſe ſciens, tamen Euæ conſenſit, & non inuitus, ſed ſcienter & ſponte Deum deſerens, ſe diaboli ſeruitio mancipauit; quem diabolus vt ſeruum ſuſcipiens, abdicatum ſibi iure retinuit, & hoc iuſte facere debebat quem propria perfidiâ acquiſierat; omnis enim qui facit peccatum ſeruus, eſt peccati.

Iudæus. Et cur eum quamuis propriâ deceptum perfidiâ ſub iniqua damnatione retinuit, quem Deus ad reſtaurandum numerum Angelorum creauit? Nonne tibi graue videtur vt fragilis homo non per ſe, ſed ſuadente diabolo peccans, ſine vllâ causâ excuſationis diabolo traderetur? certe modo non potes dicere quæ de diabolo iam dixiſti, qui nullâ causâ, ſed ſola ſuperbiâ peccans totus inexcuſabilis fuit; homo enim tentante diaboli, & indigens cibo non ſine causâ peccauit, quapropter quamdam excuſationem habere debuit, quia coniugi ſuæ charitatis gratiâ credens ab eius voto nullomodo ſeparari curauit.

Chriſtianus. Vis audire cur eum diabolus ita retinuit? certe quoniam pœnitere neglexit, nam ſi pœnituiſſet vtique veniam habuiſſet; etenim Deo percunctante quare hoc fecerat, vbi propriam culpam agnoſcere noluit, ſed mox

A ſuper ipſum auctorem retorſit dicens; mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de fructu & comedi; O miſer ſi ſe reum protinus exclamaret, Deus ineffabili pietate placatus, totum ſibi facinus indulgeret; quia vero proterve contempſit, & ſuam culpam eo quod ſibi coniugem illam dederat ſuper auctorem poſuit, idem auctor rectè ſuper eum ſententiam dedit; denique de paradiſo propellens ſententiâ mortis multauit, ac pellibus morticinis indutum, tandem cinerem in cinerem redire ſignificauit.

Iudæus. Iuſtiſſimè periit quia benignitatem ſpernens, quod male commiſerat emendare neglexit, ſed Deus omnia præuidens quem peccaturum nouerat, cur à peccato non conſeruabat.

Chriſtianus. Quia eum tanto honore condiderat vt per arbitrium quod tam liberum ſibi dederat, Deo adiuuante ſeipſum conſeruare valeret, ne in æternum peccaret; quamvis enim tentatus, nulla tamen tentatione ſuperaretur ſi vellet, quia nunquam tentatione grauiter anxiaretur, porro dum tentationi non coactus, ſed ſponte ſuccubuit, meritò damnationem incurrit, qui ſe ipſum pro nihilo perdidit.

Iudæus. Ad reſtaurandum numerum Angelorum qui ceciderant Deus hominem fecit, itaque pro nihilo eum fecit, quia peccando cadens Angelorum locum minime reparauit.

Chriſtianus. Vtiliter eum Deus condidit, de cuius culpâ B vtilitatem magnam produxit, quoniam vnde cecidit, inde fortius reſurrexit, niſi enim peccaret, Deus homo non fieret, cuius incarnatione ſalus & honor nobis accreuit, dum noſtram humilitatem aſſumens Deo nos copulauit, quam etiam ſuper choros Angelorum leuauit. O quam fœlix culpa quæ talem ac tantum redemptorem habere promeruit, ergo non pro nihilo Deus illum fecit, qui licet peccando ceciderit, tamen Chriſti morte redemptus Angelorum locum quandoque reparabit.

Iudæus. De caſu Angelorum & hominum rationem mihi pleniſſime reddidiſti, ſed iam tempus eſt vt pertingas ad rem cuius cauſâ diſputatio noſtra produxit, nam petij à te ratione monſtrare qua neceſſitate Dei filius factus eſt homo, & quare ſeipſum non alium voluit incarnari.

Chriſtianus. Rectè memoraſti, ſcias autem quod ſi bene inſpicias diſputationem quam de Angelis & hominibus fecimus, hæc ratio quam requiris ad videndum non erit tibi difficilis, immo multum facilis. Requiſiſti namque cur Deus omnipotens tantum laborem ſuſtinuit, & non potius deceptum hominem à diaboli poteſtate violenter eripuit. Sed Deus totus rationabilis, immo ipſa ratio nihil irrationabiliter facere voluit, qui cuncta ſub ratione diſpoſuit, qui ſi hominem à diabolo violenter abſtraheret vtique non ratione ſanctâ iniuſtitiam faceret, nam diabolus rationabili cal- C liditate hominem acquiſierat, qui etiam homo ſe ſua ſponte diabolo dederat, quem proinde non irrationabiliter ſed iuſtè perdere debebat, ſi vero Angelus incarnandus ad hanc redemptionem explendam mitteretur, valdè incongruum eſſet; quia tunc homo quatuor perſonis foret obnoxius, dum vni Deo in Trinitate ſeruiens, etiam Angelum qui ſe redimeret adorare deberet; etſi quidam homo nouus factus ad redimendum veterem hominem adueniret, nunquam congrueret; quia nobis eius ſeu Angeli natura non pertinens nullatenus nos reparare valeret, ſed magis decuit vt de ipſa peccatrice carnem ſine culpâ ſumens Deus homo fieret, ac ipſe factor hominis per ſemetipſum veniens ſuam facturam redimeret; & eâdem naturâ, & eiſdem modis quibus hominem vicerat, ipſum hoſtem reuinceret. Multum vero conuenit vt per ſeipſum hoc faceret non per alium, quatenus in vna perſonâ Deum & redemptorem pariter adoremus; miſit ergo Deus natum ex muliere, factum ſub lege vt ij qui ſub lege erant, adoptionem filiorum Dei reciperent, tamen hoc Sacramentum valde diabolo celatum eſt qui eius aduentum quem per ſcripturas nouerat, timidus expectabat: nam ſe deſtruendum eius potentia non dubitabat, quare ſi eum adeſſe cognouiſſet, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſet; hæſitabat autem quia eum infirmitate carnis obumbratum cernens, inflatus ſuperbiâ credere contemnebat quod Deus excelſus ad tantam humili- D

E tatem voluiſſet inflectere, & contra, deitatis potentiam per miracula contuens, mirabatur; fidenter ſciens neminem niſi Deum talia poſſe. Dum ergo anxius dubitaret, ipſum tribus tentationibus agitauit, quibus primum hominem ſuperauerat, ſed Dominus ſua reſponſa temperauit, vt vnde certus fieri voluit, inde magis dubitando receſſit; accendens itaque Iudæorum corda graui inuidiâ, egit eum in crucem per ſua membra, diuinâ tamen id gratiâ diſponente, vt qui per lignum vicerat, ligno reuinceretur. Quia vero Dei filius peccatum hominis venerat expiare, manus clauis confixas tetendit in cruce, vt manus immundas ablueret, quas ad ſumendum perditionis pomum Protoplaſtus extenderat, amariſſimoque potu fellis & aceti potatus eſt, vt ſuauitatem guſtus quem primus homo illicitè perceperat, tam acri medicamento purgaret. Quia etiam ſicut Eua de coſta viri formata eſt, ſic quoque de latere Chriſti in cruce lanceâ vulnerati, ſancta Eccleſia facta eſt, cuius redemptio, id eſt ſanguis & aqua de Chriſti corpore fuſa eſt, ipſamque quam primus homo conſtruxerat mortem moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Quod idcirco facere poterat quia Deus erat, & quia mortis inuentor diabolus nihil de ſuo in eo reperit: quare à morte teneri non potuit, ſed ipſam ſuperando conſumpſit; & non ſolum originali peccato, ſed omni culpâ carens agnus ſine macula extitit, qui mundi peccata tulit, ac pro nobis hoſtia factus ſemetipſum obtulit Deo patri in odorem ſuauitatis; de cuius paſſione multipliciter Iſaias locutus eſt dicens, F vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; ipſe enim vulneratus eſt propter iniquitates noſtras attritus eſt propter ſcelera noſtra, cuius liuore ſanati ſumus, & Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrorum qui *oblatus eſt quia ipſe voluit.* Item, *propter ſcelus populi mei percuſſi eum, & ipſe peccata multorum tulit.* & pro tranſgreſſoribus orauit vt non perirent, quid quæris apertius quam quod Iſaias voces clamauit, Chriſtus opere adimpleuit.

Iudæus. Vtique nihil apertius.

Chriſtianus. Porro nunc requiro à te vt facias mihi quoddam iudicium ſi aliquis potens quemdam ſeruum haberet, & ille ſeruus ab ipſo domino tenens, quaris arte ſeu proditione quæreret, vt ille ſuus dominus morte periret, quid de illo fieri deberet.

Iudæus. Certe iuſto iudicio perderet quidquid de ſuo domino teneret, & ipſemet velut proditor morte turpiſſimâ condemnatus, etiam vita carere deberet.

Chriſtianus. Rectè iudicaſti: ſimili ergo modo collige quod diabolus qui primum hominem ſub dolo fraude ſeduxerat & ſibi ſubiecerat, quem etiam diutiſſime captiuum tenuerat, tum Deum & Dominum ſuum Chriſtum iniuſtè morte peremit, iuſte hominem quem permittente Deo poſſederat, perdere debuit, qui eundem vt alias peccatores obnoxium G eſſe peccato exiſtimans occidere non dubitauit, ſed poſtquam eum occidit, ab ipſo qui omni peccato liber erat captus, tentus & vinctus eſt, & qui quondam ſuperauerat, ab homine rurſum ſuperatus & victus eſt; fecit ergo diabolus ſicut diſcis in aqua qui dum auidis faucibus deuorat ferrum, vt glutiat eſcam, repente comprehenſus & retentus ab hamo perit mortaliter perforatus. Tunc enim ſeipſum lethaliter perforauit, quando humanum corpus filij Dei percutiens, in offenſam deitatis tanta piacula incidit, & prædam illam quam paradiſo tulerat, perdidit, quia Chriſtus portas inferni conterens, & vectes ferreos confringens, animas ſanctorum potenter eripuit, & aperto paradiſo reſtituens, in æterna fœlicitate collocauit. Vt autem nobis ſpem reſurgendi tribueret, à morte die tertiâ reſurrexit, & præcedens nos velut caput noſtrum, principiumque, ad cœlos aſcendit, vbi noſtram humilitatem ad dexteram Dei patris miro ordine collocauit, quo cunctis ſpem aſcendendi fidelibus donauit; inde quoque venturus eſt ad iudicium quo ſingulis reddet ſecundum ſuum meritum, malos mittens in ignem æternum bonos autem in vitam æternam quam nobis tribuat qui fecit eam. Amen. H

Hoc opus fideliter exſcriptum eſt ex antiquo Manuſcripto Bibliothecæ Catalaunenſis per P. Robertum Deſgyues Canonicum Regularem Congregationis Gallicanæ, Præpoſitum maioris domus-Dei Beluacenſis.

Finis Partis I. Seculi Duodecimi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google